COLLEGIJ SALMANTICENSIS FF. DISCALCEATORUM B. MARIAE DE...

Carmelitani Scalzi : Collegio salmantino, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 17
13 — N
5

44
9
5

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

44.1.5.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLEGIJ SALMANTICENSIS

FF. DISCALCEATORUM B. MARIÆ DE MONTE CARMELI Primitivæ Obſervantiæ,

CURSUS THEOLOGICUS

JUXTA MIRAM A. D. D. THOMÆ DOCTRINAM.

TOMUS QUARTUS,

A QUÆSTIONE LXXI. PRIMÆ SECUNDÆ, uſque ad LXXXIX. complectens.

EDITIO NOVISSIMA.



BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

LUGDUNI,
Sumpt. JOANNIS ANTONII HUGUETAN, & Soc.

M. DC. LXXIX.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANGELICO DOCTORI

DIVO THOMÆ AQUINATI,

ECCLESIÆ FULGENTISSIMO JUBARI,

SACRÆ THEOLOGIÆ PRINCIPI antesignano, præclaro Veritatis Magiſtro,

COLLEGIUM SALMANTICENSE SANCTISSIMI Vatis Eliæ Carmelitarum Diſcalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

O. D. C.

IN id jam olim religio, & gratitudo induxerant (Doctor Angelice) ut labores noſtri, qui tuis ſemper militarunt, militabúntque impendiis, tuis etiam appenderentur aris, dicarentur obſequiis: neque alterius licet domeſtici Mecœnatis ambirent favorem: prout hactenus tranſmiſſa à nobis poſteritati volumina ipſo in fronte teſtantur. Sed cum hocce de peccatis, & vitiis communi ſeu bono, ſeu luci paramus, cæſpitat mens, & intra anguſtum timoris penetrale coërcita, tuis ſe altaribus inſinuare refugit literatura. Si enim (vetus paræneſis fuit) *Profana cenſetur hoſtia, quæ ad votum numinis non electa*: Haud acceptum tibi, innocentiæ & puritatis aſſertori, offeremus libamen, quod non gratiæ, non virtutum (ut alias) ſed vitiorum materies ſubminiſtrat; quin irreligioſum credetur obſequium, quod vel ipſa peccatorum obſcuritas improbaret. Ergo, deſtinatos jam dudum terminos revellemus? Abſit: metam tranſgrediemur religionis jure præfixam? Nequaquam: ſtat priſca mens: perennabit votum felici ſorte conceptum: & ex ipſis adhuc peccatorum luſtris ſacrificium tibi neque impurum, neque ingratum perſolvet. *Apud Briſ. lib. de form.*

Enimverò qui mentitam inanium deorum impenſiùs colebant majeſtatem, ut illorum ſecuriùs aucuparentur gratiam, iis potiſſimum de rebus ſacra perficiebant, quæ diis ipſis, vel eorum cultoribus odio & abominationi eſſe noſcuntur: probè arbitrantes, nullo magis illorum oculos oblectari, animos *Serv. l. 2. Georg.*

Digitized by Google

demulceri, quam ſi in teſtem deitatis vaporem infenſa & execrabilia ſolvi ani-
Natal. Comes lib. 4. Mithol. madverterent. Hinc Apollini ſacratus lupus: qui in candidas oves, quas ille quondam paſtor adamavit, ſæviùs excandeſcit. Hinc Veneri oblatus aper: qui amaſium Adonidem obſcæno dente percuſſum immature peremit. Hinc Cereris in ara ſus appenſus: qui camporum ſata virentia, quibus illa præſidebat, ſatagit devaſtare. Nam & ſi horum altaria numinum aliis & aliis redolerent hoſtiis, ea tamen acceptior credebatur, quæ infeſta & inimica, velut in triumphi ſignum, diis ipſis coram, in cineres favillaſque redigeret.

Quæ cùm ita fuerint (liceat à profanis ad ſacra gradum facere) non jam perculſi timore, ſed piæ expectationis calcaribus concitati, tibi ſupremo Theologorum Apollini, ſcientiarum numini, operis hujus ſudorem, in quo univerſa peccatorum moles per ordinem digeſta continetur, animo provoluti ſacramus: útque tibi jucundum, ſaltem pro modulo noſtro, rependamus obſequium, veluti confectum de ſubactis tuæ virtutis imperio inimicorum cervicibus, ſacrificium perſolvimus: rati, hoc à te præ aliis æſtimandum, & in deliciis habendum. Novimus quippe, nihil tibi adeo exoſum & inviſum, ſicut vitia & peccata, totum te in eorum ſtragem conſpiraſſe, ſplendenteſque lauro victorias de illis retuliſſe. Quin & ſtudiorum tuorum admirabilis ratio eò potiſſimùm collimavit, ut tam ab animo tuo, in quo nullus unquam piaculis gravibus patuit acceſſus, quam ab aliorum cordibus, quibus haud difficile inſinuantur, vitiorum ſordes averteres, peccatorum tenebras profligares.

Adeſt alter priſcorum etiam mos, qui dum blandientis ſibi fortunæ favor arridebat in præliis, parta ex hoſtibus ſpolia illi inter divos, uti propria, ſacrabant, qui ſibi ad pugnam facem prætuliſſet, cujúſque auſpiciis victoriæ laurum reportaſſent. Haud aliter (O Doctorum Mavors) tuæ gloriæ hac in palæſtra militare conamur, qui te ductore, peccatorum cuneos tenebrarum denſitate ſtipatos adorſi ſumus, latentis veritatis ſpolia præripere geſtientes: eoque laborioſiùs inivimus certamen, quo difficilius tenebræ à tenebris diſpellũtur, à luſtris obſcura ſeparantur. Verùm doctrinæ tuæ radiis obarmati, teque ipſo facẽ præferen-
2. ad Cor. 4. te, conferente manus (ſed & illius in primis adſpirante gratia, *qui de tenebris facit lumen ſplendeſcere*) caliginoſam peccatorum molem utcumque elucidatam arbitramur: & difficultatum agminibus ſuperatis, in amicabilem lucem veritatem aſſertam non diffidimus. Per te igitur ſi quis victoriæ ſplendor affulſit: tu pecca-
Pſ. 17. torum tenebras debellaſti: diſceptationum nubila abſtuliſti: *Præ fulgore enim in conſpectu tuo nubes tranſierunt*: cui datum eſt ut quaſi ſtella matutina in medio
Eccl. 50. nubilæ micanti luce quoquoversùs effulgeas: & quaſi luna plena intempeſta nocte perobſcura quæque illuminare valeas. Ergo tua tibi rependimus debita, dum ea, quæ obtinuiſti manibus noſtris, veritatis ſpolia ſacramus.

Quod ſi vel his nominibus non ſatis tibi jucũdus præſens labor; aliud ſupereſt, quo impulſus ad te veniat, dubio procul placiturus: nempe quia ex te alitur, per te vivit, à te informatur: & (ut uno dicamus verbo) quia tuus ipſius eſt. Nihil ſane à tuarum virtutum candore tractatu iſto remotius, ſi peccati turpitudinis, ſi dedecoris, ſi malitiæ habenda ratio: ſed hæc noſtro in opere materia ſunt corpus, cadaver: ſententiis verò, doctrina, & ſtylo, atque id genus aliis, penes quæ forma, penes quæ anima, penes quæ vita, nil tibi propinquius, nil conformius, quia non aliunde quam ex te. Tuam ipſius imaginem referunt, tuam exprimunt notionem, te exemplar & magiſtrum ubique repræſentant. Quinimo ſi quid boni, ſi quid veri, ſi quid acuminis, ſi quid ponderis, aliaque hujuſmodi,

Digitized by Google

quæ ad formale doctrinæ ſpectant, hoc in opere lector offendet, ex limpidiſſimo Aquinatis fonte, & ditiſſimo theſauro illico hauſta recognoſcet. Neque enim nos quæ ſcimus (ex Chryſoſt. in Paul. verba mutuamus) *ab ingenij bonitate ſcimus: ſed quod* tibi *impensè affecti, à tua lectione nunquam diſcedimus.* Tuum ergo eſt (PRÆCEPTOR SANCTISSIME) ſi quid in hoc munere ad ſcientiæ frugem adjecimus: tuum ſi quid pro veritatis elucidatione vel minùs inconcinnè ſcripſimus, tuum ſi quid communem ad eruditionem haud infructuosè laboravimus: quia nihil eſt, quod, te non dirigente, calamus exaraverit. Non alium niſi doctrinæ tuæ odorem ſcripti hujus lineæ cunctæ reſpirant, & apices univerſi protendunt. In illis propria animatus voce auſcultaris; non peregrinam mentitus imaginem introduceris: ne in nobis ſtigma effigietur, quod neothericis quibuſdam ſcriptoribus meritò inuritur: qui cùm à tua doctrina planè exorbitent, & fucato genere interpretandi tua placita traducant; te ipſum, quaſi propria voce tonantem, nituntur adſerere. Verùm Trojanos iſtos græco habitu indutos boni Uliſſes incurſant: quia clypeos, mentitaque tela In Proæmio ſuper Epi. ad Rom.

Agnoſcunt, atque ora ſono diſcordia ſignant.

Sed de hoc alias: lemma proſequamur. Cujus non alius jam ſcopus, quàm ut præſens munus gratis oculis amplexeris, eò potiſſimùm quòd tuum eſt, quòdque à te acceptum, ut grati animi teſſeram reddimus, perſolvimus, redonamus.

Aſt opponat aliquis, gratitudinis lege à te edocta redonãda non modò beneficia, ſed & novo cumulata fœnore, & pro viribus aucta. *Nam gratiæ recompenſatio* (inquis) *ſemper tendit, ut pro ſuo poſſe aliquid majus retribuat.* Et iterùm. *Ut ille qui ſuſcipit beneficium, aliquid ſupra debitum recompenſet.* Unde ergo gratiam jactamus, qui nihil ſupra debitum, quia ſupra acceptum nihil reddere valuimus? Sed iteratò auſcultemus Magiſtrum. *In compenſatione beneficij* (ais) *magis eſt conſiderandus affectus, quam effectus.* Et rurſus. *Sicut in juſtitia attenditur æqualitas rerum, ita in gratitudine attenditur æqualitas voluntatum.* Si itaque voluntatis, non rei affectus, non effectus in gratitudine habenda eſt ratio, haud dubitandum, fœnerata (ut illa præcipit) tibi à nobis dona reſtitui: quia amoris cumulata uſuris: dum non unius privati ſcriptoris, immo neque unius licet pervenerandi Collegij (& cui præ multis lucem tuæ ſapientiæ impertiri dignaris) ſed omnium Carmelitarum vota & corda in te optimè animata hoc in opere à primo ejus volumine conſecravimus. Eximius ſane erga familiam noſtram tui pectoris amor: quam ita beneficiis in dies oneras, ita ardentioris dilectionis nexibus devincis, ut vix aliam majore charitatis impendio proſequi videaris. Illud præcipuè ad nos, quod Carmeli peramœnum campum, quaſi nativum ſibi alveum, tuæ ſapientiæ amnis videtur delegiſſe: eoque uberiùs cæleſtis doctrinæ rore fœcundat, & humectat, quò ſine murmure & ſtrepitu leniùs ſecretiúſque perfundit. Sed & reciprocus in te, eandemque cæleſtem tuam doctrinam Carmelicolarum affectus: minime quidem perfunctorius; immò viſceribus infixus: utpote omnibus nobis hereditarius, congenitus ab utero, ſuctus ab uberibus.

2. 2. q. 106. art. 6. corp. & ad 2.

Ibid. ad 1.

Ad 3.

Inclyta Mater & Magiſtra Seraphica TERESIA Sanctiſſima cum ſpiritu hunc præcipue affectum viſa eſt indidiſſe: dum ad lydium tuæ doctrinæ lapidem aurum ſibi cœlitùs infuſæ ſapientiæ ſemper ambivit conſultiſſime examinari: cujus lumine ductari amiciſſime ſatagebat: illud ratum, ſanctùmque amplectens, quod Angelicæ tuæ Scholæ, & familiæ alumnis firmum videretur, &

tutum. Hoc ipſa enutrita lacte, quidni filiis propinaret, quod dulciter biberat? quo ſalubriter vixerat? Verè Mater, quia genuit in Chriſto: vere in integrum Mater, quia quos Deo peperit, lacte ſalutifero enutriri curavit. Cerva chariſſima, quæ venenatos & impuros præſentiens doctrinæ fontes, ut filiis præcaveret, ſalutarem & beneficum materna ſolicitudine indigitavit. Mater itaque in lacte tui nobis amorem indidit: immò doctrinæ tuæ Angelicæ lac infudit: quid ſi quam in lacte Matris ebibimus, medullitùs retinemus, reguſtamus libentiùs, ardentiùs proſequimur, & tutamur.

Lib. 3. Conf. c. 4. Accidit nobis in hac cauſa, quod in ſimili Auguſtino à quo hæc verba. *Quoniam nomen Salvatoris mei in ipſo adhuc lacte matris tenerum meum cor piè biberat, & altè retinebat; quidquid ſine tuo nomine fuiſſet, quamvis litteratum & expolitum, non me totum rapiebat.* Quidni rapiat totos tuum (O ANGELICE THOMA) tuæque doctrinæ nomen & numen? immo nihil aliud, quantumvis litteratum appareat & expolitum, nos rapiat: ſi quod in lacte bibimus Matris, alte retinemus in corde? Rapis ut motrix intelligentia noſtræ ſacræ Religionis cæleſtes orbes: rapis ſphæram primam, animum videlicet Superiorum, cujus nutu & exemplo ſtellæ inferiores, ſubditorum ſcilicet corda, ut à te ſimul rapiantur, excitantur, & moventur: atque id demùm à te rapti conſequimur omnes, ut tuis inhærentes veſtigiis, ad veritatis bravium ſecure & immobiliter pertingamus: nec ſicut in alia ſidera errantia, nullum habentia præfixum epiciclum, adaptari in nos poſſit ſcomma illi ſimile, quod in Vvitivergenſium fidem pro illorum irrequieta volubilitate feſtive quidam dixit: *Quid hoc anno Vvitivergenſes credant, ſcimus: quid anno ſequenti credituri ſunt, & ipſi neſciunt.* Hoc igitur morbo (quo non pauci Theologi ſuis in theorematibus laborant) haud inquinantur, qui ab hac Angelica intelligentia rapiuntur: iiſdem quippe inſiſtunt polis, eodemque ſuper axe majoris lunaris curſum indivulsè ſequuntur. O nos fœlices, qui rapimur, qui ducimur, qui ſequimur: immo qui rapti aſſequimur, fruimur, deliciamur. Ergo (ô PRÆCEPTOR SANCTISSIME) opus tot nominibus debitum, ut fidem liberemus, perſolvimus, unaque omnium Carmelitarum corda ſacramus, ut gratiam, cui noſtrum non ſuppar ſtudium, communis mereatur affectus.

FACVL

Digitized by Google

FACVLTAS ORDINIS.

FR. Hieronimus à Conceptione, Generalis Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli primitivæ obſervantiæ Congregationis Hiſpaniæ, de conſenſu noſtri diffinitorij Generalis, *&c.* ut quartus Tomus totius curſus Theologici (qui ſecundus eſt in primam ſecundæ Sancti Thomæ) à noſtro Collegio Salmanticenſi elaboratus, & à pluribus, iiſque perdoctis viris noſtri Ordinis, quibus examinandum commiſimus, ſine offenſione approbatus, in communem utilitatem typis excuſus lucem aſpiciat, tenore Præſentium licentiam & facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes literas manu noſtra ac Secretarij nomine ſubſcriptas, ſigillique noſtri impreſſione munitas fieri juſſimus in hoc noſtro Conventu Matritenſi, die xvj. menſis Januarij anno Domini M. DC. LV.

Fr. Hieronymus à Conceptione
Generalis.

Fr. Franciſcus à JESU MARIA
Diffinitor & Secretarius.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

DOn Pedro Carrillo de Acuña, por la gracia de Dios y de la Santa Sede Apoſtolica Obiſpo de Salamanca, electo Arçobiſpo de Santiago, del Conſejo de ſu Majeſtad, *&c.* Atento a que aviendo ſido viſto de nueſtra comiſſion y mandado el libro que los Padres Carmelitas Deſcalzos del Colegio de eſta Ciudad deſean imprimir con titulo de tomo quarto del curſo Theologico Salmanticenſe de los Padres Carmelitas Deſcalzos, que contiene el tratado *de vitiis & peccatis*, ſobre la *Prima ſecundæ* de Santo Thomas, por el mui R. P. M. Fr. Franciſco de Aragon, Regente del convento de S. Eſteban de eſta Ciudad, del Orden de Predicadores, y Cathedratico de prima de Teulugia en ſu univerſidad, parece ſegun ſu aprobacion no tener coſa alguna contra la fé Catholica y buenas coſtumbres, por las preſentes damos licencia para que teniendola de los Señores del Real Conſejo conforme à las prematicas y leies de eſtos reinos, ſe pueda imprimir por el tiempo que ſe les concediere. Dada en nueſtro palaçio Epiſcopal de Salamanca a 25. de Junio 1655. Años.

PEDRO, *Obiſpo de Salamanca.*

Por mandado de ſu Señoria Iluſtriſſima
Secretario del Obiſpo mi Señor Licençiado Andres Martynez de Loyſa.

CON

Digitized by Google

CONSENSVS
PROCURATORIS REGIJ.

PRo Rege aſſentio, ut opus cui titulus eſt, *Curſus Salmanticenſis, Theologicus & Moralis*, imprimatur à Joanne Antonio Huguetan, & Soc. hujus civitatis Bibliop. cum inhibitionibus conſuetis per triennium duraturis. Datum Lugduni die 26. Julij 1677.

VAGINAY.

PERMISSIO.

FIat juxta concluſiones Procuratoris Regij anno & die ſupra dictis.

DESEVE.

Deſiit Prælum die 4. *Ianuarij*, 1679.

INDEX

Digitized by Google

INDEX DIFFICULTATUM
Quæ in hoc Tomo continentur.

TRACTATUS XIII.

De vitiis, & peccatis.

Quæſt. I. De vitiis & peccatis ſecundùm ſe, in ſex articulos diviſa. pag. 2
Præludium. *Ibid.*
Art. I. Vtrùm vitium contrarietur virtuti? 3
Difficultas circa literam. 4
§. Tertius modus dicendi ex Medina. 5
Diſp. I. De contrarietate vitij ad virtutem. 7
Dub. II. Vtrùm aliqua vitia directè & formaliter contrarientur virtutibus acquiſitis? *ibid.*
§. 1. Communis & vera ſententia. *ibid.*
§. 2. Objectiones in oppoſitum. 9
Dub. III. Vtrùm virtutibus per ſe infuſis aliqua vitia directè contrarientur? 11
§. 1. Contrariorum leges examinantur. 12
§. 2. Verior aſſertio. 13
§. 3. Sententiæ oppoſitæ, & duo priora argumenta. 16
§. 4. Duo alia argumenta, & interrogatio incidens. 19
Art. II. Vtrùm vitium ſit contra naturam? 22
Diſp. II. De contrarietate vitij ad naturam hominis. 23
Dub. I. Vtrùm vitia oppoſita virtutibus acquiſitis ſint contra naturam hominis: & ex quibus capitibus? *ibid.*
§. 1. Vera & communis aſſertio. *ibid.*
§. 2. Deciditur ſecunda pars dubij. 24
§. 3. Diluuntur aliquæ objectiones. 26
Dub. II. Vtrùm vitia oppoſita virtutibus infuſis ſint contra naturam rationalem? 29
§. 1. Vera D. Thomæ ſententia. *ibid.*
§. 2. Sententia adverſa cum ſuis argumentis. 30
Art. III. Vtrùm vitium ſit pejus, quàm actus vitioſus? 33
Diſp. III. De exceſſu inter actum, & habitum quoad bonitatem vel malitiam. 34
Dub. Vnic. Vtrùm actus ſecundus excedat ſimpliciter habitum in ratione boni vel mali? *ibid.*
§. 1. Vera & communis ſententia. *ibid.*
§. 2. Principalis objectio contra aſſertionem 35
§. 3. Alia objectio proponitur, & enervatur. 39
Art. IV. Vtrùm peccatum ſimul eſſe poſſit cum virtute? 41
Commentarius. 42
Diſp. IV. De efficacia peccatorum venialium ad expellendam virtutem acquiſitam. 43
Dub. Vnic. Vtrùm peccata venialia repetita deſtruant virtutem acquiſitam ſibi oppoſitam? *ibid.*
§. 1. Aſſertio communis pro venialibus ex genere. *ibid.*
§. 2. Secunda aſſertio pro venialibus ex imperfecta deliberatione. 44
§. 3. Quid de venialibus ex materiæ parvitate? 45
§. 4. Quæ obſtent ultimæ aſſertioni. 46
Art. V. Vtrùm in quolibet peccato ſit aliquis actus? 48
Diſp. V. De peccato omiſſionis. 49
Dub. I. Vtrùm in peccato omiſſionis importetur per ſe aliquis actus? *ibid.*
§. 1. Communis & vera ſententia. 50
§. 2. Objectiones pro parte affirmativa. 51
Dub. II. Vtrùm peccatum omiſſionis neceſſariò requirat actum qui ſit cauſa vel occaſio omittendi? 54
§. 1. Veritas Thomiſtica ſtabilitur. 55
§. 2. Evaſiones diverſæ præcluduntur. 56
§. 3. Contraria ſententia, & ejus præcipuum argumentum. 59
§. 4. Ejuſdem replicæ alia ſolutio. 62
Dub. III. Vtrùm actus qui eſt cauſa omiſſionis, per ordinem ad illam ſit peccatum? 64
§. 1. Vera & communis ſententia. 65
§. 2. Placitum Durandi & aliorum. 67
Dub. IV. Vtrùm actus qui eſt cauſa omittendi, ſit diſtinctum peccatum ab omiſſione? 68
§. 1. Duæ priores aſſertiones. *ibid.*
§. 2. Aſſertio alia communis. 69
§. 3. Duplex ſententia contra duas priores aſſertiones. 70
§. 4. Occurritur brevi interrogationi. 72
Dub. V. Vtrùm actus qui non ſunt cauſa omittendi, coëxiſtunt tamen omiſſioni, ab illa vitientur. 74
§. 1. Communis aſſertio, & varij modi eam exponendi. *ibid.*
§. 2. Objectiones adversùs traditam regulam. 76
Dub. VI. Vtrùm omiſſio quæ ſolùm eſt voluntaria in cauſa, ſit in ſe formaliter peccatum? 77
§. 1. Sententia Ang. Doctoris. *ibid.*
§. 2. Alia ratio pro noſtra aſſertione. 79
§. 3. Difficilis objectio enodatur. 80
§. 4. Diluitur triplex alia objectio. 83
§. 5. Oppoſita ſententia, & argumenta quæ ſuperſunt pro illa. 88

Digitized by Google

Index Difficultatum.

Art. VI. Vtrùm convenienter diffiniatur peccatum eſſe dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam? 90
Diſp. VI. De eſſentia & conſtitutivo peccati commiſſionis. 92
Dub. I. Vtrùm in peccato commiſſionis ſit aliqua malitia privativa? ibid.
§. 1. Deciſio dubij juxta doctrinam D. Thomæ, ibid.
§. 2. Communis objectio pro oppoſita ſententia. 93
Dub. II. Vtrùm malitia privativa peccati commiſſionis ſit una, vel plures, & cujus formæ ſit privatio? 97
§. 1. Præmittuntur nonnulla pro dubij deciſione. ibid.
§. 2. Expeditur prima pars dubij. 99
§. 3. Secunda pars determinatur 100
§. 4. Abſolvitur dubium. 102
Dub. III. Vtrùm juxta doctrinam D. Thomæ concedenda ſit malitia moralis poſitiva? 103
§. 1. Teſtimonia partis affirmativæ. 104
§. 2. Teſtimonia pro parte negativa. 107
§. 3. Veritatis trutina & judicium. 109
§. 4. Teſtimonia partis negativæ in tribus prioribus argumentis legitimè exponuntur. 111
§. 5. Exponuntur teſtimonia quarti & ultimi argumenti. 113
Dub. IV. Vtrùm abſolutè loquendo detur in peccato commiſſionis malitia poſitiva? 119
§. 1. Vera ſententia authoritatibus, & ratione fulcitur. ibid.
§. 2. Præcluduntur nonnullæ evaſiones. 120
§. 3. Secunda ratio pro vera ſententia. 124
§. 4. Duo poſteriora ejuſdem veræ ſententiæ fundamenta. 126
§. 5. Adverſa opinio aliquibus Patrum teſtimoniis ſubnixa. 128
§. 6. Secundum ejuſdem ſententiæ fundamentum. 131
§. 7. Tertium argumentum pro eadem ſententia. 135
§. 8. Reliqua ejuſdem ſententiæ argumenta. 137
Dub. V. In qua peccati ratione conſtituenda ſit ejus malitia poſitiva? 139
§. 1. Aliquibus aſſertionibus difficultas expeditur. ibid.
§. 2. Triplex objectio contra aſſertiones. 141
Dub. VI. Quæ ſit ratio formalis conſtitutiva peccati commiſſionis? 143
§. 1. Aſſertio prior pro ſententia communi. ib.
§. 2. Vera Thomiſtica ſententia. 144
§. 3. Duplex ſententia adverſa: & argumenta utriuſque. 146
§. 4. Inferuntur nonnulla ex dictis. 148
Diſp. VII. De contrarietate peccati ad Deum & ad legem. 149
Dub. I. Vtrum ſit de eſſentia cujuſlibet peccati eſſe contra legem æternam? ibid.
§. 1. Præmittuntur quædam ad dubij deciſionem. ibid.
§. 2. Deciſio dubij ex mente Auguſtini & D. Thomæ. 150
§. 3. Aliorum opinio cum ſuis fundamentis 152
Dub. II. Qua ratione peccatum ſit contra Deum, & ejus offenſa? 155
§. 1. Deciditur prima pars dubij. 156
§. 2. Ex quibus capitibus peccatum ſit contra Deum? ibid.
§. 3. Qualiter ratio offenſæ Dei ſe habeat ad peccatum. 157
Quæſt. LXXII. De diſtinctione peccatorum, in novem articulos diviſa. 161
Art. I. Vtrùm peccata differant ſpecie ſecundum objecta? ibid.
Commentarius. 162
Art. II. Vtrùm convenienter diſtinguantur peccata ſpiritualia à carnalibus? 164
Art. III. Vtrùm peccata diſtinguantur ſpecie ſecundum cauſas? 166
Art. IV. Vtrùm peccatum convenienter diſtinguatur in peccatum in Deum, in ſe ipſum, & in proximum? 167
Art. V. Vtrùm diviſio peccatorum, quæ eſt ſecundùm reatum, diverſificet ſpeciem? 168
Art. VI. Vtrùm peccata commiſſionis & omiſſionis differant ſpecie? 170
Diſp. VIII. De diſtinctione peccatorum per ordinem ad præcepta? 171
Dub. I. Vtrùm peccata commiſſionis, & omiſſionis procedentia ex eodem motivo, pertineant ad eandem ſpeciem? ibid.
§. 1. Abſolvitur difficultas duplici aſſertione. ib.
§. 2. Major declaratio præcedentis doctrinæ 174
§. 3. Declaratur ſecunda difficultas. 176
§. 4. Objectiones & rationes dubitandi contra doctrinam traditam. 178
Dub. II. Vtrùm ex diverſitate præceptorum peccata ſpecie diſtinguantur? 181
§. 1. Abſolvitur dubium duabus aſſertionibus. ib.
§. 2. Oppoſita ſententia, & rationes pro illa. 183
§. 3. Objectio in ſecundam aſſertionem. 185
Art. VII. Vtrùm convenienter dividatur peccatum in peccatum cordis, oris & operis? 188
Art. VIII. Vtrùm ſuperabundantia & defectus diverſificent ſpeciem peccatorum? 189
Art. IX. Vtrùm peccata diverſificentur ſpecie ſecundùm diverſas circumſtantias? 190
Quæſt. LXXIII. De comparatione peccatorum ad invicem, in decem articulos diviſa. 192
Art. I. Vtrùm omnia peccata ſint connexa? ibid.
Art. II. Vtrùm omnia peccata ſint paria? 193
Art. III. Vtrùm gravitas peccatorum varietur ſecundùm objecta? 194
Art. IV. Vtrùm gravitas peccatorum differat ſecundum dignitatem virtutum quibus opponuntur? 195
Diſp. IX. De gravitate & magnitudine peccatorum. 196.
Dub. I. Vtrùm ratio D. Thomæ ad probandam inæqualitatem inter peccata ſit efficax? 197
§. 1. Dubij deciſio. ibid.
§. 2. Principalis objectio contra rationem D. Thomæ, & variæ ſolutiones. 199
§. 3. Legitima explicatio rationis D. Thomæ, & objectionis ſolutio diluitur. 201
§. 4. Alia via enucleatur ratio D. Thomæ, & objectio diluitur. 201
§. 5. Duplex alia objectio adversùs Thomiſticam rationem. 203.
Dub. II. Vtrùm in peccatis quæ ſolo poſitivo jure prohibentur, detur inæqualitas; & unde ſumatur? 205.
§. 1. Deciditur prima pars dubij. ibid.
§. 2. Poſterior dubij pars abſolvitur. 207
§. 3. Opinio Conradi. 208
Dub. III. Vtrùm peccatum levius ex objecto, poſſit ratione circumſtantiarum ſuperare aliud ex objecto gravius? 209

§. 1.

Digitized by Google

Index Difficultatum.

§. 1. Elucidatio tituli. ibid.
§. 2. Aſſertio prior pro dubij deciſione. 210
§. 3. Alia aſſertio ex Ang. Doctore. ibid.
§. 5. Objectiones & rationes dubitandi. 212
Dub. IV. Vtrùm illud peccatum ſit gravius ſecundùm ſpeciem quod opponitur præſtantiori virtuti? 214
§. 1. Communis aſſertio ratione Ang. Doctoris fulcitur. 215
§. 2. Obſervationes pro pleniori intelligentia aſſertionis. 216
§ 3. Quæ obſtent noſtræ aſſertioni. 218
§. 4. Aliæ objectiones. 222
Art. V. Vtrùm peccata carnalia ſint minoris culpæ, quàm ſpiritualia? 226
Art. VI. Vtrùm gravitas peccatorum attendatur ſecundùm cauſam peccati. 227
Art. VII. Vtrùm circunſtãtia aggravet peccatum? 228.
Art. VIII. Vtrùm gravitas peccati augeatur ſecundùm majus nocumentum? 229
Art. IX. Vtrùm peccatum aggravetur ſecundùm conditionem perſonæ in quam peccatur? 231
Art. X. Vtrùm magnitudo perſonæ peccantis aggravet peccatum? 232
Quæſt. LXXIV. De ſubjecto peccatorum, in decem articulos diviſa. 233
Art. I. Vtrùm voluntas ſit ſubjectum peccati? ibid.
Art. II. Vtrùm ſola voluntas ſit ſubjectum peccati? 234
Art. III. Vtrùm in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum? 235
Art. IV. Vtrùm in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum mortale? 236
Art. V. Vtrùm peccatum poſſit eſſe in ratione? 237.
Diſp. X. De iis quæ pertinent ad ſubjectum peccati, præſertim ex parte appetitus ſenſitivi. 238.
Dub. I. Vtrùm in aliis potentiis à voluntate motis ſit intrinſecè, & formaliter peccatum: & quæ ſint hujuſmodi potentiæ? 239.
§. 1. Deciditur prima pars dubij. ibid.
§. 2. Duplex alia aſſertio pro abſolvenda difficultate. 242
§. 3. Sententia oppoſita primæ & ſecundæ aſſertioni. 244
§. 4. Ejuſdem ſecundi argumenti alia ſolutio. 246.
§. 5. Reliqua argumenta contra eaſdem aſſertiones. 249
§. 6. Quæ obſtent tertiæ aſſertioni? 251
§. 7. In eandem aſſertionem duo alia argumenta. 254
Dub. II. Vtrùm appetitus ſenſitivus hominis ſecundùm ſe & abſque actuali voluntatis influxu, poſſit eſſe ſubjectum peccati venialis? 254.
§. 1. Verior opinio. ibid.
§. 2. Ratio pro ſententia D Thomæ. 257
§ 3. Diluuntur nonnullæ objectiones. 260
§. 4. Diverſorum placita circa modum libertatis ſenſitivi appetitus. 265
§. 5. Qua via poſſit voluntas imperare, & impedire motus ſenſitivi appetitus. 269
§. 6. Adverſa opinio cum ſuis argumentis. 270
Dub. III. Vtrùm omnes motus ſenſitivi appetitus circa objecta illicita, ſint peccata, ſaltem venialia? 274
§. 1. Communis, & vera ſententia. ibid.
§. 2. Quinam ex motibus appetitus ſenſitivi defectu omnis libertatis à malitia penitus excuſentur? 277
§. 3. Quæ obſtent communi aſſertioni. 282
Dub. IV. Qualis advertentia intellectus neceſſaria ſit, & ſufficiat ut motus appetitus ſit peccatum mortale? 284
§. 1. Quædam notatu digna præmittuntur. ibid.
§. 2. Aſſertio prior & communis. 285
§. 3. Expeditur ſecunda pars dubij. 288
§. 4. Poſterior aſſertio ad plenam dubij deciſionem. 291
§. 5. Prima aliorum ſententia, eorumque argumentum. 294
§. 6. Secunda ſententia adverſa, & argumenta pro illa. 295
Dub. V. Quis conſenſus voluntatis neceſſarius ſit, & ſufficiat, ut motus appetitus ſenſitivi circa objectum ſub mortali prohibitum, ſint peccata mortalia? 297
§. 1. Vera & communior opinio. ibid.
§. 2. Duplex alia aſſertio pro abſolvenda difficultate. 301
§. 3. Sententiam contrariam qui tueantur: & quibus fundamentis? 303
Dub. VI. An & quando motus ſenſitivi appetitus, & reliqui effectus ſecundùm ſe illiciti cenſeantur voliti, imputenturque ad culpam in applicatione cauſæ liberæ aut neceſſitate vel utilitate talis cauſæ à malitia excuſentur? 307
§. 1. Præmittuntur aliqua pro elucidanda difficultate. ibid.
§. 2. Prima aſſertio pro cauſis per ſe. 308
§. 3. Diluuntur nonnulla contra doctrinam præcedentem. 309
§. 4 Difficilis replica enodatur. 312
§. 5 Secunda aſſertio pro cauſis etiam per ſe. 318
§. 6. Examinantur cauſæ per accidens, & obligatio eas evitandi. 321
§. 7. Quid de cauſis per ſe, leviter tamen influentibus? 323
Appendix præcedentis dubij pro diſcernendo inter cauſas per ſe graves & leves. 324
§. 1. Rerum per ſe ad genus luxuriæ pertinentium diſcrimen: ubi de natura delectationis venereæ. ibid.
§. 2. Quo pacto in hoc genere admittenda aut rejicienda ſit parvitas materiæ. 327
§. 3. Vnde res aliæ cenſendæ ſint graves aut leves. 329
§. 4. Alia diſcrimina cauſarum per ſe pro diluenda ratione in contrarium. 332
Art. VI. Vtrùm peccatum moroſæ delectationis ſit in ratione? 333
Commentarius. 334
Art. VII. Vtrùm peccatum conſenſus in actum ſit in ratione ſuperiori? 335
Commentarius. 336
§. Rationes dubitandi contra concluſionem 337
Art. VIII. Vtrùm conſenſus in delectationem ſit peccatum mortale? 341
§. Obſervanda circa literam. 343
Diſp. XI. De delectatione moroſa. 344
Dub. I. Vtrùm delectatio moroſa ſumat ſpeciem ab objecto? ibid.
§. 1. Communis & vera ſententia. ibid.
§. 2. Adverſariorum evaſiones. 346
§. 3. Opinionem adverſam qui tueantur. 350

Digitized by Google

Index Difficultatum.

Dub. II. Vtrùm omnis delectatio moroſa de objecto ſub mortali prohibito ſit peccatum mortale? 351
§. 1. Vera & communior ſententia. *ibid.*
§. 2. Declaratur magis præcedens ratio, nonnullaque inferuntur. 352
Dub. III. Speciales caſus difficultati obnoxij examinantur. 357
§. 1. Deciſio primi caſus quoad utramque partem. 358
§. 2. Dirimitur ſecundus caſus. 359
§. 3. Tertius caſus abſolvitur. 364
§. 4. Quartus & quintus caſus deciditur. 366
§. 5. Enodatur ſexta difficultas. 370
§. 6. Vltimi caſus brevis reſolutio. 372
Art. IX. Vtrùm in ſuperiori ratione poſſit eſſe peccatum veniale, ſecundum quod eſt directiva inferiorum virium? 374
Art. X. Vtrùm in ratione ſuperioris poſſit eſſe peccatum veniale ſecundùm ſe ipſam *ibid.*
Commentarius. 376
Quæſt. LXXV. De cauſis peccatorum in generali, in quatuor articulos diviſa. 378
Art. I. Vtrùm peccatum habeat cauſam? *ibid.*
Art. II. Vtrùm peccatum habeat cauſam interiorem? 380
Diſp. XII. De potentia peccandi. 381
Dub. I. Vtrùm potentia peccandi, ut ſtat formaliter ſub hoc conceptu, conſtituatur per aliquid poſitivum? *ibid.*
§. 1. Dubij nodus diſſolvitur. *ibid.*
§. 2. Evaſiones diverſæ præcluduntur. 382
§. 3. Oſtenditur aſſertio, alia communiori ratione. 385
§. 4. Triplex objectio pro oppoſita ſententia. 387
Dub. II. Vnde ortum habeat poſitivum quod conſtituit formaliter potentiam peccandi? 391
§. 1. Statuitur prior aſſertio. *ibid.*
§. 2. Solutio cujuſdam junioris enervatur. 392
§. 3. Alia aſſertio pro dubij plena deciſione, 394
§. 4. Sententia primæ aſſertioni oppoſita: & argumenta pro illa. 397
§. 5. Adversùs ſecundam aſſertionem prima objectio. 399
§. 6. Alia objectio contra eandem aſſertionem 401.
Art. III. Vtrùm peccatum habeat cauſam exteriorem? 404
Art. IV. Vtrùm peccatum ſit cauſa peccati? 405
Quæſt. LXXVI. De cauſis peccati in ſpeciali, in quatuor articulos diviſa. 406
Art. I. Vtrùm ignorantia poſſit eſſe cauſa peccati? 407
Art. II. Vtrùm ignorantia ſit peccatum? 408
Art. III. Vtrùm ignorantia excuſet ex toto à peccato? 409
Art. IV. Vtrùm ignorantia diminuat peccatum? 410
Diſp. XIII. De ignorantia in ordine ad peccatum. 411
Dub. I. Quotuplex ſit ignorantia: & qualiter ſit cauſa peccati? *ibid.*
§. 1. Multiplex ignorantiæ diviſio. 412
§. 2. Ignorantiæ invincibilis exactior diſcuſſio. 414.
§. 3. De quibus objectis haberi poſſit ignorantia invincibilis? 416
§. 4. Aperitur cauſalitas ignorantiæ erga peccatum. 420
Dub. II. Qualiter ignorantia vincibilis eorum quæ ſcire tenemur, ſit peccatum? 422
§. 1. Duplex aſſertio pro expeditione primæ difficultatis. *ibid.*
§. 2. Quæ obſtent huic ſecundæ aſſertioni. 426
§. 3. Examinatur ſecunda difficultas. 428
§. 4. Cæteræ difficultates enodantur. 430
Dub. III. Vtrùm peccata quæ fiunt ex ignorantia vincibili ſint ejuſdem ſpeciei, atque eſſent ſcienter facta? 433
§. 1. Variæ ſententiæ, & earum fundamenta. *ibid.*
§. 2. Examinatur prima opinio, & ejus fundamentum. 436
§. 3. Tres aliæ ſententiæ cum ſuis fundamentis diſcutiuntur. 439
§. 4. Eligitur vera ſententia. 441
§. 5. Difficilis objectio enodatur. 444
Dub. IV. Qualiter ignorantia excuſet vel diminuat peccatum? 450
§. 1. Separantur certa ab incertis. *ibid.*
§. 2. Agitur prior difficultas. 453
§. 3. Secunda difficultas examinatur, quoad primam partem, 455
§. 4. Secunda pars ejuſdem ultimæ difficultatis. 457
Quæſt. LXXVII. De cauſa peccati ex parte appetitus ſenſitivi, in octo articulos diviſa. 460.
Art. I. Vtrùm voluntas moveatur à paſſione appetitus ſenſitivi. *ibid.*
Commentarius. 461
Art. II. Vtrùm ratio poſſit ſuperari à paſſione contra ſuam ſcientiam. 463
Commentarius. 465
Art. III. vtrùm peccatum quod eſt ex paſſione, debeat dici ex infirmitate? 466
Art. IV. Vtrùm amor ſui ſit principium omnis peccati? 467
Commentarius. 468
Art. V. Vtrùm convenienter ponantur cauſæ peccatorum concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ? 470
Art. VI. Vtrùm peccatum allevietur propter paſſionem? 471
Commentarius. 472
Art. VII. Vtrùm paſſio totaliter excuſet à peccato? 473
Art. VIII. Vtrùm peccatum quod eſt ex paſſione, poſſit eſſe mortale? 474
Quæſt. LXXVIII. De cauſa peccati, quæ eſt malitia, in quatuor articulos diviſa. 475
Art. I. Vtrùm aliquis peccet ex certa malitia? 476
Commentarius. 477
Art. II. Vtrùm qui cunque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia? 481
Commentarius. 481
Art. III. Vtrùm ille qui peccat ex certa malitia peccet ex habitu? 484
Commentarius. 486
Art. IV. Vtrùm ille qui peccat ex certa malitia, graviùs peccet, quàm qui ex paſſione? *ibid.*

Quæſt.

a

Index Difficultatum.

Quæſt. LXXIX. De cauſis exterioribus peccati, in quatuor articulos diviſa. 488

Art. I. Vtrùm Deus ſit cauſa peccati? *ibid.*

Art. II. Vtrùm actus peccati ſit à Deo? 489

Art. III. Vtrùm Deus ſit cauſa excæcationis & indurationis? 490

Commentarius. 492

Art. IV. Vtrùm excæcatio, & obduratio ſemper ordinentur ad ſalutem ejus, qui excæcatur, & obduratur? 494

Quæſt. LXXX. De cauſa peccati ex parte diaboli, in quatuor articulos diviſa. 495

Art. I. Vtrùm diabolus ſit homini directè cauſa peccandi? *ibid.*

Art. II. Vtrùm diabolus poſſit inducere ad peccandum, interiùs inſtigando? 497

Art. III. Vtrùm diabolus poſſit neceſſitatem inferre ad peccandum? 498

Art. IV. Vtrùm omnia peccata hominum ſint ex ſuggeſtione diaboli? 499

Commentarius. *ibid.*

Quæſt. LXXXI. De cauſa peccati ex parte hominis, in quinque articulos diviſa. 500

Art. I. Vtrùm primum peccatum primi parentis traducatur per originem in poſteros? 501.

Art. II. Vtrùm etiam alia peccata primi parentis, vel proximorum parentum traducantur in poſteros? 503

Diſp. XIV. De exiſtentia & traductione peccati originalis. 504

Dub. I. Vtrùm detur peccatum originale ab Adamo in poſteros per originem traductum? *ibid.*

§. 1. Sententia Catholica. 505

§. 2. Rationes pro Catholica ſententia. 506

§. 3. Oppoſitus error, & aliqua ejus fundamenta. 509

Dub. II. An & quomodo peccatum ab Adamo per originem tranſmiſſum, ſit poſteris voluntarium? 514

§. 1. Prælibantur aliqua pro dubij deciſione. *ibid.*

§. 2. Declaratur ex præjactis fundamentis modus voluntarij in peccato originali repertus. 516

§. 3. Objectiones adversùs traditam veritatem. 519.

Dub. III. An & quæ ſit cauſa efficiens phyſica peccati originalis? 523

§. 1. D. Thomæ ſententia, & prima ejus ratio. *ibid.*

§. 2. Ratio alia pro aſſertione. 526

§. 3. Prior modus declarandi cauſalitatem peccati Adami in noſtra originalia. *ibid.*

§. 4. Prima objectio contra hunc modum dicendi. 528

§. 5. Alia objectio contra eundem dicendi modum. 530

§. 6. In eundem dicendi modum tertia objectio. 533

§. 7. Cauſalitas effectiva peccati Adami in originalia noſtra, alia via explicatur. 534

§. 8. Objectio aliquibus fulcita adversùs hunc dicendi modum, & ejus enervatio. 536

§. 9. Duo corollaria doctrinæ præcedentis. 538

§. 10. Alia ejuſdem doctrinæ corollaria. 540

§. 11. Sententiam oppoſitam qui tueantur. 541.

Dub. IV. Vtrùm peccatum Adami fuerit cauſa demeritoria reſpectu noſtri originalis? 544.

§. 1. Verior ſententia. *ibid.*

§. 2. Quæ obſtent huic ſententiæ, & contrariæ opitulentur. 545

Dub. V. Vtrùm ſolum primum Adami peccatum potuerit eſſe cauſa noſtri originalis? 547

§. 1. Deciditur difficultas ex mente Ang. Doctoris. 548

§. 2. Sententia oppoſita noſtræ aſſertioni. 550

Dub. VI. Qualiter expedienda ſit triplex difficultas ex dictis emergens? 552

§. 1. Solutio prioris quæſtionis. *ibid.*

§. 2. Expeditur ſecunda difficultas. 553

§. 3. Vltima difficultas abſolvitur. 555

Art. III. Vtrùm peccatum primi parentis tranſeat per originem in omnes homines? 557

Commentarius. 558

Diſp. XV. De extenſione peccati originalis quantùm ad debitum illud contrahendi. 560

Preludium. Præſervationis Deiparæ à labe originea Carmelitæ primi adoratores & vates. 561

Dub. I. Quid importet, & quo uſque perduret debitum culpæ originalis? 565

§. 1. Expeditur prima pars dubij. *ibid.*

§. 2. Pro ſecunda dubij parte duplex ſententia, & vera reſolutio. 567

§. 3. Diluuntur contrariæ rationes. 570

§. 4. Ejuſdem argumenti melior ſolutio. 572

§. 5. Illationes doctrinæ traditæ. 575

Dub. II. Vtrùm Beatiſſima Virgo potuerit eximi à debito culpæ originalis: & an ex meritis Chriſti? 577

§. 1. Deciditur dubium duabus aſſertionibus. *ibid.*

§. 2. Series & ordo inter divina decreta. 579

Dub. III. Vtrùm exceptio Deiparæ à debito culpæ originalis præjudicet ejus redemptioni. 581

§. 1. Communis & vera ſententia. *ibid.*

§. 2. Impugnantur aliquæ evaſiones. 585

§. 3. Secunda ratio pro eadem communi ſententia. 586

§. 4. Prima evaſio ad hanc rationem, & præcluſio illius. 587

§. 5. Eadem evaſio alia via impugnatur. 591

§. 6. Protenditur alia via impugnatio, & ſatisfit probationibus adductis pro principali evaſione. 593

§. 7. Evaſio alia ad eandem ſecundam rationem, & ejus impugnatio. 596

§. 8. Vltima aſſertionis ratio, & nova impugnatio præcedentis evaſionis. 598

§. 9. Quædam ſententiæ noſtræ adverſa diluuntur. 600

§. 10. Proponitur, & diluitur ultimum argumentum. 603

Dub. IV. Vtrùm Beatiſſima Virgo Maria habuerit debitum contrahendi culpam originalem? 606

§. 1. Pars negativa cum ſuis fundamentis. *ibid.*

§. 2. Sententia affirmans ſuadetur primò ex Patribus. 608

e 3 §. 3.

Digitized by Google

§. 3. Specialiora teſtimonia ex Patribus. 610

§. 4. Communis aliorum Doctorum plauſus pro hac ſententia. 615

§. 5. Expenduntur teſtimonia Scripturæ pro eadem ſecunda ſententia. 619

§. 6. Eadem ſententia rationibus fulcitur. 622

§. 7. Triplex alia ratio pro hac ſententia. 624

§. 8. Reliquæ ejuſdem ſententiæ rationes. 626

Dub. V. Quæ ex præmiſſis ſententiis magis propitia ſit cauſæ immunitatis Deiparæ? 629.

§. 1. Oſtenditur ſecunda ſententia favorabilior cauſæ Deiparæ. 630

§. 2. Exponuntur loca ſacræ Scripturæ. 632

§. 3. Patrum teſtimonia quæ univerſaliter loquuntur, legitimè explanantur. 633

§. 4. Teſtimonia quæ procedunt in ſpeciali, lucem accipiunt. 635

§. 5. Quid tenendum de mente Ang. Doctoris. 637

Dub. VI. Quæ ex prædictis ſententiis vera cenſenda ſit, & qualiter contrariæ fundamentis occurrendum? 641

§. 1. Authoris judicium. *ibid.*

§. 2. Satisfit aliquibus interrogationibus. 644

§. 3. Examinantur authores citati num. 124. pro prima opinione. 648

§. 4. Teſtimonia allata pro eadem prima opinione diſcutiuntur. 650

§. 5. Evertitur ſecundum fundamentum ejuſdem primæ opinionis. 654

§. 6. Reliqua ejuſdem opinionis argumenta diluuntur. 657

Art. IV. Vtrùm ſi aliquis ex humana carne formaretur miraculosè, contraheret originale peccatum? 660

Commentarius. *ibid.*

Art. V. Vtrùm ſi Adam non peccaſſet, Eva peccante, filij originale peccatum contraherent? 663

Duplex adnotatio. 664

Quæſt. LXXXII. De originali peccato quantum ad ſuam eſſentiam, in quatuor articulos diviſa. 665

Art. I. Vtrùm originale peccatum ſit habitus? *ibid.*

Art. II. Vtrùm in uno homine ſint multa originalia peccata? 666

Art. III. Vtrùm originale peccatum ſit concupiſcentia? Notanda circa literam. 667

Art. IV. Vtrùm peccatum originale ſit æqualiter in omnibus? 668

Diſp. XVI. De eſſentia & conſtitutivo peccati originalis. 669

Dub. I. Quænam privationes ex Adami peccato in poſteros tranſierint? *ibid.*

§. 1. Conditiones humanæ naturæ in triplici ſtatu. *ibid.*

§. 2. Deciſio dubij. 671

Dub. II. Vtrùm peccatum primi parentis tranſmiſerit ad nos aliquid poſitivum in potentiis receptum? 675

§. 1. Vera ſententia, & prima ejus ratio. *ibid.*

§. 2. Evaſiones aliquæ præcluduntur. 676

§. 3. Duplex alia ratio convincens aſſertionem. 679.

§. 4. Duplex ſententia adverſa. 681

Dub. III. Vtrùm peccatum originale in ipſa animæ ſubſtantia vel in voluntate ponat aliquid poſitivum? 682

§. 1. Vera & communior opinio. *ibid.*

§. 2. Ratio alia pro aſſertione. 685

§. 3. Enodatur duplex objectio. 687

§. 4. Vltima aſſertionis ratio. 691

§. 5. Argumenta contrariæ ſententiæ. 693

Dub. IV. Quid ſit concupiſcentia, & qualiter ſe habeat ad originale peccatum? 697

§. 1. Deciditur prima pars dubij. 698

§. 2. Solvuntur nonnullæ dubitationes. 701

§. 3. Poſterior dubij pars abſolvitur. 704

§. 4. Quæ obſtent ultimæ aſſertioni. 706

Dub. V. Quæ ſit propria & formalis ratio peccati originalis conſtitutiva? 709

§. 1. Vera ſententia, & mens Ang. Doctoris. *ib.*

§. 2. Prima ratio pro aſſertione. 713

§. 3. Secunda ratio convincens aſſertionem. 715

§. 4. Quibus fiat obviam huic rationi: & qualiter præcludantur. *ibid.*

§. 5. Errores & falſæ ſententiæ. 719

§. 6. Argumentum præcipuum contra noſtram ſententiam. 721

§. 7. Proponuntur & diluuntur alia argumenta. 724.

Dub. VI. Quæ ſit ſpecies atoma originalis culpæ? 728.

§. 1. Sententia Ang. Doctoris. *ibid.*

§. 2. Prima objectio adversùs rationem D. Thomæ, & ejus enervatio. 729

§. 3. Objectio alia difficilior. 731

§. 4. Firmior ſolutio objectionis propoſitæ. 733.

§. 5. Aſſertio alia ad plenam dubij deciſionem. 735.

§. 6. Corollaria ad pleniorem veritatis intelligentiam. 736

§. 7. Oppoſita noſtræ doctrinæ. 739

Quæſt. LXXXIII. De ſubjecto originalis peccati, in quatuor articulos diviſa. 741

Art. I. Vtrùm originale peccatum ſit magis in carne, quam in anima? 742

Art. II. Vtrùm peccatum originale ſit per prius in eſſentia animæ, quàm in potentiis? 744.

Art. III. Vtrùm peccatum originale per prius inficiat voluntatem, quam alias potentias? 745

Art. IV. Vtrùm præfatæ potentiæ ſint magis infectæ, quam aliæ? 746

Quæſt. LXXXIV. De cauſa peccati, ſecundùm quod unum peccatum alterius peccati cauſa eſt, in quatuor articulos diviſa. 747

Art. I. Vtrùm cupiditas ſit radix omnium peccatorum? *ibid.*

Commentarius. 748

Art. II. Vtrùm ſuperbia ſit initium omnis peccati? 750

Commentarius. 751

Art. III. Vtrùm præter ſuperbiam, & avaritiam ſint alia peccata ſpecialia, quæ dici debeant capitalia? 752

Art. IV. Vtrùm convenienter dicantur ſeptem vitia capitalia? 753

Quæſt. LXXXV. De effectibus peccati, in ſex articulos diviſa. 755

Art. I. Vtrùm peccatum diminuat bonum naturæ? *ibid.*

Art. II.

Digitized by Google

Index Difficultatum.

Art. II. Vtrùm totum bonum naturæ poſſit auferri per peccatum? 756
Commentarius. 757
Art. III. Vtrùm convenienter ponantur vulnera naturæ ex peccato conſequentia, infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiſcentia? 761
Commentarius. 762
Art. IV. Vtrùm privatio modi, ſpeciei, & ordinis, ſit effectus peccati? 764
Commentarius. *ibid.*
Art. V. Vtrùm mors & alij corporales defectus ſint effectus peccati? 765
Art. VI. Vtrùm mors & alij defectus ſint naturales homini? 766
Quæſt. LXXXVI. De macula peccati, in duos articulos diviſa. 768
Art. I. Vtrùm peccatum cauſet aliquam maculam in anima? *ibid.*
Art. II. Vtrùm macula maneat in anima poſt actum peccati? 769
Commentarius. 770
§. 1. Quid de peccato actuali non retractato. 772.
Quæſt. LXXXVII. De reatu pœnæ, in octo articulos diviſa. 775
Art. I. Vtrùm reatus pœnæ ſit effectus peccati? *ibidem.*
Art. II. Vtrùm peccatum poſſit eſſe pœna peccati? 776
Art. III. Vtrùm aliquod peccatum inducat reatum æternæ pœnæ? 777
Art. IV. Vtrùm peccato debeatur pœna infinita ſecundum quantitatem? 778
Art. V. Vtrùm omne peccatum inducat reatum pœnæ æternæ? 779
Diſp. XVII. De reatu & pœna peccati in communi. 780
Dub. I. Quid ſit reatus: & qualiter ad peccatum comparetur? *ibid.*
§. 1. Principia pro dubij reſolutione. *ibid.*
§. 2. Deciditur dubium aliquibus aſſertis. 781
§. 3. Exponitur loquutio quædam D. Auguſtini: & diluitur objectio contra doctrinam præcedentem. 783
Dub. II. Vtrùm peccatum per ſe poſſit habere rationem pœnæ? 787
§. 1. Præmittuntur nonnulla pro expeditione dubij. *ibid.*
§. 2. Prior & communis aſſertio. 789
§. 3. Poſterior aſſertio pro plena dubij deciſione. 791
§. 4. Adverſa opinio, & argumenta pro illa 795
Dub. III. Vtrùm ſufficienti ratione probetur deberi peccato mortali pœnam æternam lege juſtitiæ? 798
§. 1. Nonnulla certa & indubitata ſupponuntur. 799
§. 2. Ratione D. Thomæ dubium expeditur. 803
§. 3. Examinantur aliæ rationes æternitatis pœnæ pro culpa mortali. 805
§. 4. Diluuntur adducta in contrarium. 808
Dub. IV. Vtrùm peccato mortali debeatur pœna infinita ſecundum quantitatem? 809
§. 1. Deciditur dubium ex mente Ang. Doctoris. 810
§. 2. Diluuntur aliquæ objectiones. 812
Diſp. XVIII De pœnis damni & ſenſus in ſpeciali. 815
Dub. I. Quæ dicatur pœna damni, & quæ pœna ſenſus: & an illa ſit æqualis in omnibus? *ibid.*
§. 1. Aperitur nomen & ratio utriuſque pœnæ. *ibid.*
§. 2. Deciditur ſecunda pars dubij. 817
§. 3. Unde ſumenda ſit inæqualitas pœnæ damni. 818
§. 4. Diluuntur nonnulla contra noſtram ſententiam, & modum dicendi. 821
Dub. II. Qualiter ſubſtantiis incorporeis inferri valeat pœna ſenſus: & in quo hæc pœna conſiſtat? 822
§. 1. Quæ ſint certa: & in quo ſit difficultas. 823
§. 2. Aſſerta pro enucleanda ſententia Ang. Doctoris. 826
§. 3. Objectiones contra præcedentem doctrinam: & earum enodationes. 830
§. 4. Major elucidatio ſententiæ Ang. Doctoris. 835
§. 5. Referuntur, & refelluntur alij modi dicendi. 838
§. 6. Proponuntur & diluuntur duæ præcipuæ objectiones. 841
§. 7. Aliæ objectiones proponuntur & enervantur. 843
Dub. III. Vtrùm pueri decedentes cum ſolo peccato originali puniantur pœna ſenſus: aut ex pœna damni triſtitiam patiantur? 845
§. 1. Deciditur prima pars dubij. 846
§. 2. Poſterior dubij pars expeditur. 847
§. 3. Duplex ſententia oppoſita, & argumenta utriuſque. 849
Art. VI. Vtrùm reatus pœnæ remaneat poſt peccatum? 850
Art. VII. Vtrùm omnis pœna ſit propter aliquam culpam? 851
Commentarius. 853
Art. VIII. Vtrùm aliquis puniatur pro peccato alterius? *ibid.*
Quæſt. LXXXVIII. De peccato veniali & mortali, in ſex articulos diviſa. 855
Art. I. Vtrùm veniale peccatum convenienter dividatur contra mortale? *ibid.*
Art. II. Vtrùm peccatum mortale & veniale differant genere? 856
Diſp. XIX. De diſtinctione peccati venialis à mortali. 857
Dub. I. Quæ ſit primaria differentia venialis culpæ à mortali? *ibid.*
§. 1. Rationes venialis & mortalis peccati: & eorum varia diſcrimina. 858
§. 2. Aſſertio pro differentia formali. 862
§. 3. Examinatur differentia radicalis. 865
Dub. II. Vtrùm diviſio peccati in mortale & veniale ſit eſſentialis: & an analoga vel univoca? 869
§. 1. Deciditur prima pars dubij. 870
§. 2. Poſterior dubij pars abſolvitur. 871
§. 3. Sententia oppoſita primæ aſſertioni. 873
§. 4. Alia ſententia contra ſecundam aſſertionem. 874
Art. III. Vtrùm peccatum veniale ſit diſpoſitio ad mortale? 876
Art. IV. Vtrùm peccatum veniale poſſit fieri mortale? 877. Commentarius. 878
Art. V. Vtrùm circunſtantia poſſit facere de veniali mortale? 879
Art. VI. Vtrùm peccatum mortale poſſit fieri veniale? 881
Quæſt. LXXXIX. De peccato veniali ſecundum ſe, in ſex articulos diviſa. 882

Art. I.

Digitized by Google

Index Difficultatum.

Art. I. Vtrùm peccatum veniale cauſet maculam in anima? *ibid.*
Commentarius. *ibid.*
Art. II. Vtrùm convenienter peccata venialia per lignum, fœnum, & ſtipulam deſignentur? 886.
Art. III. Vtrùm homo in ſtatu innocentiæ potuerit peccare venialiter? 887.
Commentarius. 888.
Art. IV. Vtrùm Angelus bonus vel malus poſſit peccare venialiter? 889.
Commentarius. 890.
Art. V. Vtrùm primi motus ſenſualitatis in infidelibus ſint peccata mortalia? *ibid.*
Art. VI. Vtrùm peccatum veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo originali? 891.
Diſp. XX. De incompoſſibilitate peccati venialis cum ſolo originali. 892.
Dub. I. Vtrùm quilibet homo perveniens ad uſum rationis teneatur ſtatim ſub culpa mortali in Deum ſe convertere: & qualis debeat eſſe iſta converſio? *ibid.*
§. 1. Deciditur prima pars dubij pro ſententia Ang. Doctoris. *ibid.*
§. 2. Ratio alia pro eadem aſſertione. 894
§. 3. Secunda dubij pars abſolvitur. 897
§. 4. Prima dubitationis ſolutio. 900
§. 5. Ejuſdem dubitationis alia ſolutio. 903
§. 6. Sententia oppoſita cum ſuis argumentis. 905
Dub. II. Vtrùm peccatum veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo originali? 906
§. 1. Sententia D. Thomæ duplici ratione fulcitur. 907
§. 2. Prima adverſariorum evaſio, & objectio contra noſtram rationem. 908
§. 3. Enodantur alia, quæ obſtare videntur eidem ſecundæ rationi. 911

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLLEGIJ

Digitized by Google

COLLEGII SALMANTICENSIS DISCALCEATORVM FRATRVM BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI

Curſus Theologicus.

TRACTATVS XIII.

DE VITIIS, ET PECCATIS.

A Quæſtione LXXI. Primæ Secundæ Ang. D. D. Thom. uſque ad LXXXIX. complectens.

TRACTATUM hunc de vitiis, & peccatis præ aliis noſtri Curſus Lectori acceptum optaremus: quoniam difficultatum numero, & magnitudine graviores ſuperat; nec cedet, credimus, ſtudio & labore. In eo igitur peccatorum eſſentias, proprietates, cauſas, effectus, atque id genus alia inveſtigare aggredimur: vt eorum cognita natura, à facie ipſorum (ſicut jubemur Eccleſ. 21.) velut à facie colubri caueamus. Ea enim eſt humani appetitus ratio, eaque voluntatis noſtræ conditio, vt nec bonum fugiat ſub ratione boni, nec malum appetat ſub ratione mali: vnde & virtutis bonum cognitum ſub ratione boni, & vt in ſe eſt, libenter proſequimur & diligimus: & ſi oculis cerneretur (vt ex Platone Tullius lib. 2. de finibus) *mirabiles ſui excitaret amores*: malum autem vitij, & peccati apprehenſum etiam vt in ſe ipſo eſt ſub ratione mali, facilè reſpuitur, & odio habetur. Ob idque *vitij* nomen quaſi *vitandum*, reſpuendum, & fugiendum à verbo *vito* videtur deriuatum: iuxta illud Horatij epiſt. 1. *Virtus eſt vitium fugere*, ſeu *vitare*. Ex quo vtilitas & neceſſitas huius materiæ non parùm innoteſcit: tum quia iuſtitia perfecta, quæ Chriſtiani, & Theologici inſtituti finis eſt & ſcopus, proſequutionem boni, & fugam mali (quibus præſens deſeruit Tractatus) quaſi duas integrales partes complectitur: ſecundum illud Pſalm. 33. *Diuerte à malo, & fac bonum*: provt latiùs explicat Ang. Doctor 2. 2. q. 79. art. 1. Tum etiam quia verè ſapientis ſtudium eo potiſſimum ſpectare debet, vt tanquam ſpiritualis ſui & aliorum medicus contra ſpirituales morbos animæ, vitia ſcilicet & peccata, remedia procuret: præteritis medeatur, futura præcaueat, commiſſa plangat, & plangenda iterum non committat. Quod ſanè difficile aſſequetur, niſi peccati naturam, deordinationem, & malitiam exactè conſideret, & penetret: proprietates & conditiones perfectè agnoſcat: cauſas, effectus, grauitatem, numerum, ſpecies, aliaque id genus accuratè inquirat. Vnde D. Petrus Chryſologus prædicti medici, adeoque perfecti Theologi officia, ea qua ſolet elegantia, deſcribens ſerm. 44. ſic ait: *Peritus medicus, qui plenam ægris deſiderat conferre medicinam impietatis profundos patefacit receſſus, opertos peccatorum nudat morbos, iniquitatis oſtentat ſecretum vir: vitiorum naturas, origines delictorum, radices criminum mirabili ratione depromit. Sic ægras mortalium mentes moderatione pia pro ætate, pro ſexu, pro tempore, pro viribus ad ſalutem perpetem diuina curatione perducit.*

Et licet huiuſmodi Tractatus primo aſpectu non videatur difficilis, ſicut in peccata incidere non difficile eſt; tenebroſam nihilominus ratione materiæ inuoluit caliginem, obſcuraque ſatis circunfuſus eſt nebula: ſicut peccatum ipſum caliginoſum eſt, & obſcurum: vnde non modicam ſuſtinet arduitatem. Facile namque eſt ad peccata mente & voluptate deſcendere: ſicut facile eſt luce priuari, in foueamque incidere; inde tamen egredi, acquiſita per intellectum perfecta notitia, vel per voluntatem reportata victoria, arduum eſt, & difficile. Quare huc ſpectare poteſt illud magni Gregorij lib. 26. Moral.

Digitized by Google

cap.24. quòd *peccatum puteus profundus eſt*: de quo Regius vates Pſal.68. deprecabatur: *Neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Et D. Aug. eodem Pſal. *Magnus puteus eſt* (inquit) *profunditas iniquitatis humanæ.* Nam quia puteus iſte altus eſt, profundamque habet aquam, os obſtruſum; facilis eſt in illum deſcenſus, pronus lapſus; ſed egreſſus arduus, laborioſus aſcenſus, reditus difficilis. Quamuis autem & puteus altus ſit, profunda aqua, & in quo eã haurire ex nobis non habeamus; quia tamen Ang. Præceptoris ductum per omnia, Deo dante, ſequemur, inde nobis in quo purioris doctrinæ latices à puteo hoc extrahere, & ſitientibus propinare poſſimus, abunde ſuppeditabitur.

Pſal.68.

QUÆSTIO LXXI.

De vitiis & peccatis ſecundum ſe in ſex articulos diviſa.

Conſequenter conſiderandum eſt de vitiis, & peccatis. Circa quæ ſex conſideranda occurrunt. Primò quidem de ipſis vitiis & peccatis ſecundum ſe. Secundò de diſtinctione. Tertiò de comparatione eorum ad inuicem. Quartò de ſubiecto peccati. Quintò de cauſa eius. Sextò de effectu ipſius. Circa primum quæruntur ſex.

Præludium.

1. Cum ea ſit oppoſitorum conditio, vt iuxta ſe poſita magis eluceſcant, & ſe mutuo quoad ſui cognitionem iuuent, ob idque ad eandem doctrinam ſiue diſciplinã pertinere dicantur: iure optimo D.Tho. poſtquam in quæſtionibus proximè præcedentibus de virtutibus, & Spiritus ſancti donis, quibus ad vltimum beatitudinis finem peruenitur, accuratè egit; ab hac & ſequentibus de vitiis & peccatis, quæ ipſis virtutibus & donis opponuntur, ab eodemq; fine auertunt, pertractat. Tria autem ſunt nomina ex parte vitij, quibus Ang. Doctor in hac materia frequenter vtitur: nempe *vitium, malitia, & peccatum.* Quibus ex parte virtutis, cui vitium opponitur, tria alia correſpondent: ſcilicet *virtus, bonitas,* & *actus bonus* (non enim habemus proprium nomen ad actum virtutis incomplexè ſignificandum.) Quorum nominum, quoniam & illis nos in hoc tractatu ſæpeſæpius vtemur, operæpretium erit etymologiam & rationem aperire: eò vel maximè quia ad intelligentiam cõcluſionis primi articuli huius quæſtionis, ad expoſitionem literæ, & mentem D.Th. perfectè capiendam, harum vocum notitia & explicatio omnino neceſſaria eſt.

Virtutis vox vnde deriuatur?
Cic lib.2. Tuſc. quæſt.

Igitur virtutis vox (vt in ſuo tract. diximus) à *viro* exit, & ab eius nomine deriuatur; vt teſtatur Cicero lib.2. Tuſcul. quæſt. Cum qua etiam *virium* nomen affinitatem habet: & propterea fortitudo, cui virilitas & firmitas animi ſolet attribui, abſolutè *virtutis* nomen ſibi vendicat: vnde Sap.8. dicitur: *Sobrietatem enim & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem:* vbi cum ſermo ſit de quatuor virtutibus Cardinalibus, ſicut nomine *ſobrietatis* temperantia ſignificatur, ſic *virtutis* nomine fortitudo. Quo etiam loquendi modo vtitur D. Ambroſ. lib.1. offic. cap.39. & D.Th. 2.2. q. 23. art. 2. eò quòd vt Philoſophus ait in 2. Ethic. ad virtutem requiritur firmiter & immobiliter operari. Nomen autem *vitij* (vt dicebamus) à verbo *vito* videtur deſcendere: eò quòd vitandum, & à facie eius quaſi à facie colubri fugiendum eſt. Niſi malis cum Cicerone lib.1. de fini. *vitium* quaſi *vituperandum*, ſeu *vituperij radicem* nuncupari. *Nam quod vituperabile eſt per ſe ipſum* (ait ille) *vitium nominatum eſt, quia à vitio dictum vituperari.* Quod etiam docuit D. Aug. lib.2. de liber. arbi. quem refert & ſequitur Diuus Thomas in præſenti artic.2.

Sapient.8.
D. Ambroſ.
D. Thom.
Philoſ.
Vitij etymologia.
Cicero.
D. Auguſt.
D. Thom.

Vtriuſque acceptiones.

2. Solet verò vtrumque nomen magis vel minus ſtrictè ſumi. Vnde nomen *virtutis* in lata quadam acceptione ſignificat facultatem, vim, & perfectionem non tantum operatiuam, ſed etiam quamcumque aliam rei naturæ conſonam. Et ita Cic. in 4. Tuſc. q. ſanitatem *virtutem* appellat: & Ariſtot. 7. Phyſic. cap.3. pulchritudinem collocat inter virtutes: conſtat autem, ſanitatem & pulchritudinem non eſſe qualitates operatiuas. Et in hac acceptione virtus etiam conuenit rebus inanimatis, aut viuentibus ſola vita vegetatiua: & ita potentiæ naturales cuiuſcunque rei *virtutes* dicuntur: proptereaque aſſerimus, germen aliquod, florem, aut herbam habere virtutem ad aliquem effectum curandum, & ſimiles. Quo etiam ſenſu accipitur *virtus* Pſal.32. cum dicitur: *Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum* (quamuis etiam hic virtus pro firmitate & ſtabilitate ab aliquibus accipiatur.) Vnde vitiũ in ſimili acceptione ſumptum ſignificat defectum eiuſmodi facultatis, perfectionis, ſeu vis cuilibet naturæ conuenientis, iuxta illud D. Auguſt. lib.3. de liber. arb. *Quod perfectionis naturæ deeſſe perſpexeris, id voca vitium.* Ex Ariſtot. loco cit. ex 7. Phyſic. vitium appellat corruptionem, remotionem, aut defectum facultatis naturæ conuenientis. Imo in hac acceptione vitium ſignificat inclinationem, ſeu facultatem ad oppoſitum eius, quod congruit cuilibet naturæ. Illud autem eſt de ratione vitij in qualibet propria acceptione, vt ſignificet defectum habitualem, & non præciſè actũ defectuoſum: non enim adhuc in naturalibus aſſerimus, equum v.g. habere vitium, quia ſemel tantum in curſu deficit; niſi defectus iſte ſit continuus, & à principio quaſi habituali ortum ducens: & licèt homo à quouis peccato graui *peccator* dicatur; non tamen ex eo quòd ſemel peccet, dicitur *vitioſus*; ſed ad id peccandi cõſuetudo deſideratur. Cæterum in ſtrictiore ſignificatione tam virtus, quàm vitium aliter ſumuntur: nam virtus dicit habitũ inclinantem ad actum conformem rectæ rationi, & naturæ rationali conſonum; econtra verò vitium habitum inclinãtem ad actus rectæ rationi oppoſitos, proindeq; naturæ rationali diſſonos. Quo ſenſu virtus & vitium ſolùm in natura rationali, & in moralibus inueniuntur. Et hæc eſt propria acceptio virtutis & vitij: & in illa à Theologis & Philoſophis cõmuniter ſumuntur.

Cicero.
Ariſt.
Pſ.32.
D. Auguſt.
Ariſt.

Acceptiones bonitatis, & malitiæ.

3. Nomina autem bonitatis & malitiæ, & quid per vtrumque ſignificetur, explicuimus iam in ſuo tractatu. Sumitur quandoque bonitas pro bonitate totali, ſcilicet pro complemento eorum omnium, quæ ad perfectionem rei deſiderantur: aut etiam pro quauis forma ſiue diſpoſitione naturæ rei conueniente. Malitia verò pro defectu prædicti complementi, vel cuiuſlibet ad id requiſiti: & etiam pro forma vel diſpoſitione oppoſita perfectioni naturæ. In moralibus verò bonitas ſumitur magis propriè pro conformitate, & conſonantia ad rectam rationem, & protendentia, ſeu habitudine ad obiectum rationi conſo-

num:

Digitized by Google

num: malitia autem dicit vel carentiam debitæ conformitatis, & rectitudinis; vel etiam reſpectum & tendentiam ad obiectum rationi diſſonum. Vnde bonitas & malitia primario & formaliter ſolùm reperiuntur in actibus, qui proximè attingunt obiecta, & à ratione immediatè regulantur: in habitibus verò inueniuntur cauſaliter, & ſecundario: vt in tr. de bonit. & malit. diſp.1.num.31. oſtendimus.

4. Denique duo alia poſteriora nomina *peccatum*, & *actus bonus* impoſita ſunt ad ſignificandum ipſam actualem operationem cum ſua perfectione, vel defectu. Nam quia cuiuſlibet operationis eſt aliqua regula, cui ſubeſt, & à qua menſuratur, ſi operatio cum ſua regula adæquetur, erit bona: & ſi eſt in ordine morali, dicetur abſolutè *actus bonus*; ſi verò è regula deficiat & deuiet, erit mala, & peccatum. Pro quo videndus eſt D.Thom.ſup.quæſt.21.art.1. Vnde peccatum in lata quadam acceptione deſignat quamcumque actionem à ſua regula deficientem: ſiue illa ſit in ordine naturali, ſiue in ordine artificiali vel morali: hoc eſt enim de ratione peccati, vt importet defectum circa actualem operationem, ſicut vitium importat defectū circa principium. Et ideo claudicationem tibiæ dicimus *peccatum naturæ*, & constructionem domus non conſentaneam regulis artis dicimus *peccatum artis*, ſeu *artificiale*. Propriè tamen loquendo peccatum ſolùm dicitur in moralibus: & eſt idem, quod *culpa*: ſignificat verò actionem, aut etiam omiſſionem liberam, ſubiectamque regulis morum, & ab eis deficientem, rectæque rationi diſſonam: & iuxta hanc acceptionem ſumitur à Theologis peccatum in tota hac materia.

Quid nominis peccati?

Diuiſio.

Diuiditur autem generali quadam diuiſione in commiſſionem, & omiſſionem: commiſſio retinet commune nomen peccati; omiſſio verò nuncupatur delictum, vt videre eſt apud Auguſtinum lib.3.quæſt. veteris teſt. in illud Leuit.7. *ſicut pro peccato, ita & pro delicto offeretur hoſtia.* Quod etiam obſeruauit Origenes ibid. homil.5. quamuis D.Hieronymus ſuper illud ad Epheſ.2. *Cum eſſetis mortui in peccatis & delictis veſtris*, docet per *delictum* peccatum interius, per *peccatum* verò opus exterius debere intelligi. Sed licèt in rigore loquendo, hæc ita ſint; communis tamen vſus vtrumque nomen promiſcuè ſumit: & tam omiſſio, quàm commiſſio, tam actus interior, quàm exterior aliquando nominatur *peccatum*, aliquando verò *delictum*. Alias peccati diuiſiones reperies in diſcurſu tractatus.

Leuit.7. D.Auguſt. Origen. Ephes.2. Hieron.

Extenſio.

5. Vbi obſeruandum eſt, quòd quia nomina affectuum ſolent aliquoties ſuis cauſis attribui, & è conuerſo nomina cauſarum affectibus accommodentur: idcirco illud, quod eſt cauſa peccati, aliquando *peccatum* nominatur. Quo ſenſu Paulus ad Roman.7. carnem, & appetitum, ſeu concupiſcentiam appellat *peccatum*; non quia peccatum ſit, ſed quia peccati cauſa eſſe ſoleat. Imo quia omne vitium morale eſt peccati principium, vitium nominatur *peccatum*, & è conuerſo: & in naturalibus monſtra dicuntur *peccata naturæ*: vel quia fiunt per actionem naturalem defectuoſam, vt D.Thom. docet loco cit. in ſolut. ad 1. vel quia illam cauſant.

Paul. ad Roman.7.

Diuiſio tractatus.

Diuiſio eius tractatus in illas ſex partes, quas D.Thom. in proœmio enumerat, ita diſtribuitur. Prima pars complectitur hanc quæſt.71. vbi agitur de vitiis & peccatis tam ſecundum ſe, quàm reſpectiuè ad virtutes, ad naturam rationalem, & ad legem. Secunda quæſtionem 72. vbi de peccatorum diſtinctione. Tertia quæſtionem 73. vbi de illorum comparatione ſecundum grauitatem, vel leuitatem. Quarta quæſtionem 74. vbi ſermo eſt de ſubiecto & potentiis, in quibus peccatum reperitur. Quinta extenditur à quæſt.75. vſque ad 84. vbi omnes peccatorum cauſæ, & ea, quæ ad originale ſpectant, examinantur. Sexta percurrit quinque alias quæſt. vſque ad finem materiæ, in quibus ſermo eſt de illorum effectibus, & de differentiis venialis, & mortalis.

Articulus I.

Vtrùm vitium contrarietur virtuti?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd vitium non contrarietur virtuti. Vni enim vnum eſt contrarium, vt probatur in 10. Metaphyſ. ſed virtuti contrariantur peccatum & malitia: non ergo contrariatur ei vitium: quia vitium dicitur, etiamſi ſit indebita diſpoſitio membrorum corporalium, vel quarumcumque rerum.

2. Præterea: virtus nominat quandam perfectionem potentiæ: ſed vitium nihil nominat ad potentiam pertinens: ergo vitium non contrariatur virtuti.

3. Præterea: Tullius dicit in 4. Tuſcul.quæſt. quòd virtus eſt quædam ſanitas animæ: ſanitati autem opponitur ægritudo vel morbus magis quàm vitium: ergo virtuti non contrariatur vitium.

Sed contra eſt, quod dicit Auguſt. in lib. de perfectione iuſtitiæ, quòd vitium eſt qualitas, ſecundum quam malus eſt animus: virtus autē eſt qualitas, quæ facit bonum habentem, vt ex ſupradictis patet: ergo vitium contrariatur virtuti.

Reſpondeo dicendum, quòd circa virtutem duo poſſumus conſiderare, ſcilicet ipſam eſſentiam virtutis, & id, ad quod eſt virtus. In eſſentia quidem virtutis aliquid conſiderari poteſt directè, & aliquid ex conſequenti. Directè quidem virtus importat diſpoſitionem quandam alicuius conuenienter ſe habentis ſecundum modum ſuæ naturæ. Vnde Philoſophus dicit in 7. Phyſic. quòd virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum: dico autem perfecti, quod eſt diſpoſitum ſecundum naturam. Ex conſequenti autem ſequitur, quòd virtus ſit bonitas quædam: in hoc enim conſiſtit vniuſcuiuſque rei bonitas, quod conuenienter ſe habet ſecundum modum ſuæ naturæ. Id autem, ad quod virtus ordinatur eſt actus bonus, vt ex ſupradictis patet. Secundum hoc igitur tria inueniuntur opponi virtuti, quorum vnum eſt peccatum, quod opponitur ſibi ex parte eius, ad quod virtus ordinatur: nam peccatum propriè nominat actum inordinatum, ſicut actus virtutis eſt actus ordinatus & debitus: ſecundum autem quod ad rationem virtutis conſequitur, quòd ſit bonitas quædam, opponitur virtuti malitia; ſed ſecundum id, quod directè eſt de ratione virtutis, opponitur virtuti vitium: vitium enim vniuſcuiuſque rei eſſe videtur, quod non ſit diſpoſita ſecundum quod conuenit ſuæ naturæ. Vnde Auguſt. dicit in 3. de liber. arbitr. quod perfectioni naturæ deeſſe perſpexeris, id voca vitium.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa tria non contrariantur virtuti ſecundum idem: ſed peccatum quidem contrariatur ſecundum quod virtus

virtus eſt operatiua boni: malitia autem ſecundum quod eſt bonitas quædam: vitium autem propriè ſecundum quod eſt virtus.

Ad ſecundum dicendum, quòd virtus non ſolum importat perfectionem potentiæ, quæ eſt principium agendi: ſed etiam importat debitam diſpoſitionem eius, cuius eſt virtus; & hoc ideo, quia vnumquodque operatur ſecundum quod actu eſt. Requiritur ergo, quòd aliquid ſit in ſe bene diſpoſitum, quod debet eſſe boni operatiuum, & ſecundum hoc virtuti vitium opponitur.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut Tullius dicit in 4. de Tuſcul. quæſt. morbi & ægrotationes partes ſunt vitioſitatis: in corporibus enim morbum appellat totius corporis corruptionem: puta febrem, vel aliquid huiuſmodi: ægrotationem verò morbum cum imbecillitate; vitium autem, cum partes corporis inter ſe diſſident. Et quamuis in corpore quandoque ſit morbus ſine ægrotatione: puta cum aliquis eſt interiùs malè diſpoſitus; non tamen exteriùs præpeditur à ſolitis operationibus: in animo tamen, vt ipſe dicit, hæc duo non poſſunt niſi cogitatione ſecerni. Neceſſe eſt enim, quòd quandocunque aliquis interiùs eſt malè diſpoſitus habens inordinatum affectum, quod ex hoc imbecillis reddatur ad debitas operationes exercendas: quia vnaquæque arbor ex ſuo fructu cognoſcitur, id eſt, homo ex opere, vt dicitur Matth. 12. Sed vitium animi (vt Tullius ibidem dicit) eſt habitus, aut affectio animi in tota vita inconſtans, & à ſe ipſa diſſentiens; quod quidem inuenitur etiam abſque morbo vel ægrotatione, vtpote cum aliquis ex infirmitate, vel ex paſſione peccat. Vnde in plus ſe habet vitium, quàm ægrotatio vel morbus: ſicut etiam virtus in plus ſe habet quàm ſanitas: nam ſanitas etiam quædam virtus ponitur in 7. Phyſic. & ideo virtuti conuenientiùs opponitur vitium, quàm ægrotatio, vel morbus.

Concluſio. Virtuti ex parte eius, ad quod ordinatur, ſcilicet ex parte actus boni, opponitur peccatum. Quantum verò ad id, quod in eius eſſentia conſequitur, ſcilicet bonitatem opponitur malitia. Sed quantum ad id, quod directè ad eius eſſentiam pertinet, opponitur vitium.

Difficultas circa literam.

1. Litera huius primi articuli difficilis admodum aliquibus viſa eſt propter id, quod aſſerit Ang. Doctor: videlicet bonitatem in virtute, & malitiam in vitio habere ſe ex conſequenti. Non enim apparet qualiter prædictæ rationes ex conſequenti ſe habeant; quin potius videntur tanquam differentiæ eſſentiales ad primarium & formaliſſimum conceptum virtutis & vitij pertinere. Vnde ipſe D. Thom. ſupra quæſt. 54. art. 3. bonum & malum ponit differentias diuiſiuas habitus & conſtitutiuas vitij, & virtutis: & q. 55. ſequenti diffinit ex Auguſtino virtutem, *quòd ſit bona qualitas mentis*, &c. ſequutus Ariſtotelem 2. Ethic. cap. 6. vbi virtutem eſſe dixit, *quæ bonum facit habentem*: id autem, quod eſt alicuius differentia conſtitutiua, non ex conſequenti, ſed per ſe & primario habet ſe ad illud, quod conſtituit. Et propterea in hoc eodem articulo explicans primariam & eſſentialem virtutis rationem per hoc, quòd diſponit ſubiectum conſonè admodum ſuæ naturæ, adiecit, *In hoc enim bonitas cuiuſcumque rei conſiſtit, vt rectè ſe habeat in ordine ad ſuam naturam.* Vbi ſatis innuit, in idem redire,

Difficultas. D. Thom.

virtutem eſſe bonitatem, ſeu bonam, & eſſe ſubiecti rectam diſpoſitionem, in quo primaria eius ratio ſita eſt. ¶Quod etiam ſuadetur: nam ſicut tota ratio & eſſentia caloris in hoc conſiſtit, quòd ſit principium calefaciendi: ſic tota ratio virtutis & vitij in eo ſita eſt, vt ſit principium virtuosè aut vitiosè operandi: & quemadmodum ignis ad hoc indiget calore, vt per illum calefaciat, ita creatura rationalis ad hoc indiget virtute, & habet vitium, vt per illam virtuosè, & per iſtud vitiosè operetur.

2. Hoc eſt quod difficilem reddit literam præſentis articuli: & pro illius intelligentia varij excogitati ſunt ab expoſitoribus modi: ex quibus aliquos parum probabiles referunt & impugnant recentiores: aliquos etiam addunt non improbabiles, quos videre eſt apud ſapientiſſimum M. Petrum Cornejo ex obſeruanti Carmelitana noſtra familia præclarum ſydus, totiuſque noſtræ religionis ornamentum, Curielem, Zumelum, Monteſ. Gregorium Mart. Vaſquez, & alios in commentariis huius articuli. Adducemus & nos vnum vel alterum, qui ſenſum & mentem D. Thomæ magis attingere videntur.

Primus eſt, in virtute diſtinguendam eſſe duplicem bonitatis partem, vel duas bonitates: aliã eſſentialem; aliam verò ex conſequenti, & conuenientem illi per modum propriæ paſſionis: & ſimiliter in vitio duplicem malitiam. Habetque hæc diſtinctio fundamentum in doctrina D. Thomæ ſupra quæſt. 18. artic. 1. In quo autem quæuis ex his bonitatibus, & malitiis ſita ſit, poteſt ſic explicari. Etenim ſicut iuxta valde probabilem ſententiam (quam nos infra amplectemur) in actu peccati commiſſionis duplex malitia reperitur: alia poſitiua & conſiſtens in tendentia poſitiua ad obiectum rationi diſſonum, quæ quidem eſt illi eſſentialis: alia verò priuatiua ad illam priorem conſequens, quæ ſita eſt in carentia eorum, quæ prædicto actui debentur, nempe in carentia debitæ rectitudinis: & ſimiliter in actu moraliter bono duplex bonitas reperitur: alia eſſentialis in genere moris, conſiſtens in tendentia ad obiectum conſonum rationi: alia conſequens ad iſtam, & oppoſita malitiæ priuatiuæ peccati, dicens plenitudinem eſſendi omnium requiſitorum ad moralē actus rectitudinem. Ita etiam in habitu vitioſo diſtinguenda eſt duplex habitualis malitia: altera eſſentialis & primaria, conſiſtens in inclinatione ad actum diſſonum rationi: altera ad iſtam conſequens, atque adeo ſecundaria, quæ in carentia plenitudinis eſſendi omnium requiſitorum ad rationem principij rectæ operationis ſita eſt: & pari ratione in virtute datur duplex bonitas habitualis, vel duplex bonitatis pars: alia, quæ conſiſtit in eo, quòd ſit inclinatio in actum rectum tendentem in obiectum conſonum rationi: alia verò quæ dicit plenitudinem eſſendi omnium eorum, quæ requiruntur ad rationem prædictæ inclinationis.

Prior modus dicendi.

3. Hinc ergo mens Angelici Doctoris ſic exponitur: nam ſi loquamur de prioribus bonitate, & malitia habitualibus explicatis, ſunt quidem eſſentiales, illa virtuti, hæc vitio: ſpectantque ad eorum primariam & eſſentialem rationem: & de his loquutus eſt D. Thom. in locis allegatis, vbi malum & bonum dicit eſſe differentias eſſentiales, & conſtitutiuas vitij & virtutis: ſi verò ſermo ſit de bonitate & malitia poſterioribus, ex conſequenti ſe habent ad virtutem & vitium, ſuntque eorum quaſi proprietates; & iuxta hunc ſenſum

ſenſum loquitur in hoc art D.Thom. vbi bonitatem dicit conſequi ad virtutem.

Neque obeſt ſi dicas; bonitatem, quam Angelicus Doctor in hoc articulo appellat *ex conſequenti*, debere claudi intra eſſentiam virtutis, vt ſonant illa eius verba: *In eſſentia quidem virtutis aliquid conſiderari poteſt directè, & aliquid ex conſequenti*: at illa bonitas, quam nos dicimus conſequi ad virtutem, non eſt de eius eſſentia: ergo &c. ¶ Reſpondetur enim verba ſancti Doctoris extendi poſſe ad totum illud, quod neceſſariò, & inſeparabiliter connectitur cum eſſentia, & illam conſequitur; licèt non omnino claudatur in conceptu eſſentiæ.

Secundus ex Curiel.

4. Secundus dicendi modus ex iis, qui placent, eſt M. Curiel. in præſenti dub. 1. diſtinguentis etiam in virtute (quamuis alia via) duplicem bonitatem (ſeruataque proportione, diſtinguenda erit in vitio duplex malitia:) aliam moralem, quæ attenditur per reſpectum ad rationem ſicut ad regulam, quam ſequitur, & per quam dirigitur: & aliam tranſcendentalem, quæ ſumitur ex ordine ad naturam humanam tanquam ad ſubiectum, quod perficit. Ex quibus illa prior non eſt aliud in virtute, quàm inclinatio ad actum bonum: nam ſicut huiuſmodi actus eſt conſonus rectæ rationi, ita inclinatio ad ipſum eſt eidem rationi conſentanea. Et ex hoc dicitur bonitas moralis: non formaliter, nam formalis moralitas ſolum reperitur in actibus, in quibus eſt formalis libertas; ſed virtualiter vel cauſaliter: quatenus eſt cauſa bonitatis moralis exiſtentis in actu, & eam virtute præcontinet. Poſterior verò dicit habitualem conuenientiæ ad prædictum ſubiectum ſeu naturam: quæ habitudo eſt proximum fundamentum appetibilitatis, atque adeo formaliter bonitas tranſcendentalis. Dicitur enim vnaquæque res *tranſcendentaliter bona*, quatenus conueniens eſt ſibi, vel ſuo ſubiecto, rationeque huius conuenientiæ appetibilitatem fundat.

5. Hac diſtinctione ſuppoſita, mens D.Thomæ poteſt ita exponi, vt in aliis locis vbi dicit virtutem conſtitui per rationem boni, tanquam per propriam differentiam, loquatur de bonitate morali, virtuali, ſeu cauſali, vt explicuimus: quia eſſentia virtutis eſt eſſe inclinationem ad actus rationi conſentaneos: in quo prædicta bonitas conſiſtit. Cùm verò aſſerit in hoc articulo bonitatem conſequi ad eſſentiam virtutis, loquatur de bonitate tranſcendentali, & de conſequutione non reali, ſed modo noſtro concipiendi: ſicut paſſiones entis dicũtur conſequi ad ipſum. Quod autem hæc bonitas tranſcendentalis in virtute ſit conſequens modo explicato, ſuadetur. Tum quia conuenientia ſeu bonitas tranſcendentalis, vt ſic reſpectu entis in communi habet rationem paſſionis modo noſtro intelligendi conſequentis eſſentiam: ergo etiam talis bonitas ſeu conuenientia reſpectu talis eſſentiæ, quæ eſt virtus, habebit ſe eodem modo. Tum etiam quia in quacumque forma præſuppõnitur eſſentia ad habitudinem conuenientiæ reſpectu ſubiecti: ſicut prius intelligimus eſſentiam caloris, & vt inde reſultantem concipimus habitudinem conuenientiæ formalis ad ignem: ergo prius concipimus in virtute eius eſſentiam ſitam in inclinatione ad actum conſonum rationi, & vt reſultantem ex ea habitudinem conuenientiæ formalis ad ſubiectum ipſius virtutis. Diximus *conuenientiæ formalis*: quia conuenientia fundamentalis ad prædictum ſubiectum in eſſentia virtutis claudi-tur, nec ponit in numero cum ipſa inclinatione ad actum bonum, quam diximus eſſe bonitatem moralem. Plura alia reperies apud Curielem dub. cit. quæ hunc modum dicendi confirmant & declarant, & ab obiectionibus tuentur: quibus accuratè inſpectis, nequiuimus non magnam illi probabilitatem concedere.

§.

Tertius modus dicendi ex Medina.

6. Tertius dicendi modus nuper relato aduerſus, eſt, quem adducit Medina: conſiſtitque in hoc, quòd virtuti conueniunt duæ partes, ſiue duo munera bonitatis, aut duæ bonitates ſaltem modo concipiendi diſtinctæ, altera per ordinem ad ſubiectum, quatenus eſt eius diſpoſitio, diſponitque illud conformiter ad ſuam naturam: altera verò per ordinem ad actum, ſeu quatenus eſt operatiua; quia ſcilicet habet eſſe principium bonæ operationis. Ex quibus prima directè ſpectat ad eſſentiam virtutis: ſecunda verò quodammodo conſequitur ad illam. Et ſimiliter diſtinguenda eſt duplex malitia in vitio: alia per ordinem ad ſubiectum, quatenus prauè illud diſponit: & alia per ordinem ad actum, quatenus inclinat ad operationem malam: prima conuenit illi directè & eſſentialiter; ſecunda ex conſequenti. Igitur Diuus Thomas in locis vbi ſuprà loquutus eſt de bonitate & malitia, quæ virtuti & vitio conueniunt per ordinem ad ſubiectum, & has vocat *eſſentiales*: in præſenti verò loquitur de bonitate & malitia, quæ conueniunt illis per ordinem ad actum, & eas dicit *habere ſe ex conſequenti*.

7. Cæterum hic modus dicendi aliquibus Theologis diſplicet: & contra illum ita arguit Curiel. Nam in primis eſt contra D.Thomam in hoc articulo in ſolut. ad 1. vbi diſtinguens in virtute duas rationes, alteram, ſecundum quam eſt operatiua boni, docet quoad priorem opponi ei malitiam; & quoad poſteriorem, peccatum: ergo nomine *bonitatis*, cui dicit opponi malitiam, non intelligit habitudinem eius ad operationem. ¶ Deinde falſum eſt, quòd virtuti, in quantum eſt diſpoſitio, præſcindendo ab ordine, quem, vt eſt operatiua, importat ad operationem, conueniat aliqua bonitas: quoniam virtus, in quantum eſt diſpoſitio, ſolùm dicitur *bona*, quia eſt diſpoſitio conueniens naturæ ſubjecti: ſed non eſt diſpoſitio conueniens præſcindendo ab ordine ad operationem: ergo neque bona. Probatur minor: quoniam habitus operatiuus, qualis eſt virtus non diſponit ſubiectum ſiſtendo in eo, & ordinando ipſum ad operationem; alioqui non eſſent eſſentialiter habitus operatiuus: atque idcirco conuenienter illud diſponit, quia diſponit ad operationem illi conuenientem. ¶ Et tandem dato quòd in virtute diſtinguantur duæ illæ bonitates, falſum eſt, poſteriorem non pertinere ad eius eſſentiam, & non conuenire illi directè: quia ordo ad operationem bonam eſt de eſſentia virtutis: ſicut eſt de eſſentia cuiuſcumque potentiæ operatiuæ ordo ad ſuum actum. Ita Curiel.

Obiectiones.

8. Sed nihilominus modus dicendi Medinæ poteſt, ſi bene expendatur & enucleetur, ſatis conſonè ad mentem Diui Thomæ defendi. Pro cuius explicatione animaduertendum eſt, quòd vt rectè N. Complutenſes in Logic. diſput. 15. num.

Doctrina pro hoc modo dicendi.

Digitized by Google

num.24. ex Ariſtotele & Diuo Thoma adnotarunt, eſſentia primæ ſpeciei qualitatis, quæ eſt habitus & diſpoſitiò (ſub qua ſpecie virtus & vitium continentur) in hoc conſiſtit, quòd ſit qualitas determinans ſeu diſponens rem bene vel male in ordine ad naturam; ſed per ſe primò ordinata ad *benè* vel *malè eſſe* naturæ ſubiecti: & licet ex huiuſmodi qualitatibus aliquæ diſponant naturam bene vel malè ſecundum ſeipſam, vt pulchritudo, ſanitas, & ſimiles, quæ immediatè afficiunt naturam; aliquæ verò diſponunt illam in ordine ad aliquam operationem, vt ſcientia, virtus, vitium, & aliæ, quæ immediatè afficiunt potentias; in eo tamen omnes conueniunt, quod per ſe primò reſpiciunt *benè* vel *malè eſſe* naturæ ſubiecti; operationem verò non niſi quatenus conſonam vel diſſonam eidem naturæ, in quantum eſt finis naturæ, vel perducens ad finē: atque adeo ſemper illam reſpiciunt ratione ſubiecti. Vnde dixit D.Thomas in hoc articulo in ſolut.ad 2. *Quod virtus non ſolum importat perfectionem potentiæ, quæ eſt principium agendi, ſed etiam importat debitam diſpoſitionem eius, cuius eſt virtus.* Vt ita hæc prima ſpecies qualitatis diſtinguatur à ſecunda, quæ eſt *naturalis potentia & impotentia*, & per ſe primò ſumitur in ordine ad operationem abſolutè ſumptam, non curando an conueniens ſit, vel diſconueniens: ob idque eadem potentia eſt contrariorum: vt patet in intellectu, qui ſecundum ſe indifferenter reſpicit intellectionem ſcientificam & erroneam: & in voluntate, quæ etiam ſecundum ſe indifferens eſt reſpectu reſolutionis honeſtæ, & reſpectu peccaminoſæ.

D.Thom.

Rationem verò, ob quam habitus etiam operatiui primo reſpiciunt diſponere bene vel malè ſubiectum, & deinde reſpiciunt operationem, tradit Ang.Doctor in prædicta ſolut. ſubdens: *Et hoc ideo, quia vnumquodque operatur ſecundum quod actu eſt, requiritur ergo quòd aliquid ſit in ſe bene diſpoſitum, quod debet eſſe boni operatiuum, & ſecundum hoc virtuti vitium opponitur.* Etenim qualis eſt vnuſquiſque, talis finis ei videtur, & talia appetit, vt Philoſophus ait in 3.Eth. Vnde vt homo rectè apprehendat, & bene operetur, prius debet eſſe bonis habitibus affectus, & diſpoſitus conſonè ad ſuam naturam rationalem. Quare vt virtus inclinet ſubiectum, in quo eſt, ad rectam operationem; & vitium inclinet ad diſſonam, quodammodo per prius debent illum in ſe bene vel malè diſponere: & ad huiuſmodi diſpoſitionem veluti conſequitur illa inclinatio.

Idem.

Enodatur quædam replica.

9. Neque huic doctrinæ D.Thomæ aduerſatur, quòd ipſe ſupra quæſt.49. art.3. loquens de his habitibus, dixerit, quòd *omnis habitus potentiæ ſicut ſubiecti, principaliter importat ordinem ad actum.* ¶ Nam per hoc quòd prædicta inclinatio, & ordo ad operationem importetur principaliter à vitio & virtute, non tollitur quòd habeat ſe in illis quodāmodo ex conſequenti: quia vt ipſe Ang.Doctor ibid. ſe explicat ly *principaliter*, non omnino ſe tenet ex parte ipſorum habituum; ſed magis ex parte ſubiecti: & ſenſus eſt, quòd cum habitus ſint ob diſponendi ſubiecti naturam, vbi ſubiectum habitus eſt potentia inſtituta per ſe primò ad operationem, habitus etiam & ſi non omnino immediatè & primario ratione ſui; ratione tamen ipſius ſubiecti & potentiæ, in qua ſunt, habēt principaliter reſpicere operationem. Ex quo fit, quòd hic reſpectus ad operationem, & ſi principalis modo dicto, quodammodo ſe habet ex conſequenti in prædictis habitibus: nam ſupponit iam alium reſpectum in eis omnino primarium: nempe ad ipſum ſubiectum, ratione cuius, adeoque ex conſequenti reſpiciunt operationem. Per quod differunt huiuſmodi habitus operatiui, qui ſunt immediatè in potentiis, ab aliis habitibus non operatiuis, vt eſt pulchritudo, ſanitas, & ſimiles: nam hi poſteriores nec ſecundum ſe, nec ratione ſubiecti, in quo ſunt, reſpiciunt principaliter operationem, quia nec ipſi ſunt operatiui, nec eorum ſubiectum eſt potentia: & ita ordo ad operationem, ſi quem dixerint, omnino erit ſecundarius, vel per accidens.

D.Thom.

Quæ omnia optimè explicuit Angelicus Doctor citato artic.3. ex quæſt.49. vbi cum dixiſſet, quòd *habitus non ſolum importat ordinē ad ipſam naturam rei, ſed etiam conſequenter ad operationē, in quantum eſt finis naturæ, vel perducens ad finem*, ſubdit: *ſed ſunt quidam habitus, qui etiam ex parte ſubiecti, in quo ſunt, primò & principaliter important ordinem ad actum: quia vt dictum eſt, habitus primò & per ſe importat habitudinem ad naturam rei: ſi igitur natura rei, in qua eſt habitus, conſiſtat in ipſo ordine ad actum, ſequitur quòd habitus importat principaliter ordinem ad actum.* Vbi vt vides, habitus operationi non abſolutè primò & principaliter, ſed cum illo addito *ex parte ſubiecti, in quo ſunt*, dicuntur importare ordinem ad actum; cum ipſam ſubiecti naturam abſolutè primò & per ſe dicantur reſpicere. Et ſimiliter ex eo quòd natura rei, in qua eſt habitus, conſiſtit in ordine ad actum, dicitur ſequi vel conſequi, quod etiam ipſe habitus illum principaliter reſpiciat. Et ex his concluditur propoſitio illa *vnde omnis habitus, qui eſt alicuius potentiæ vt ſubiecti, principaliter importat ordinem ad actum*, vtique ex parte ſubiecti: cùm tamen ex parte ſua per prius adeoque principaliùs importet ordinem conuenientiæ, vel diſconuenientiæ ad naturam ſubiecti.

Enodatur alia.

10. Nec etiam obeſt, quod D.Thom. citata q.55. art.2. in corp. dixerit, virtutem humanam non importare ordinem ad *eſſe*, ſed magis ad *agere*: & ideo eſt de eius ratione, quòd ſit habitus operatiuus: non rectè ergo diſtinguimus in illa munus diſponēdi ſubiectum, ſeu reſpiciendi *eſſe*; & munus reſpiciendi operationem: & dicimus, hoc ſecundum ad primum illud conſequi. ¶ Hoc itaque non obeſt: nam Ang. Doctor ſatis ipſe ſe explicat ibidem in ſolut. ad 1. vbi ſic ait: *Modus actionis ſequitur diſpoſitionem agentis. Vnumquodq; enim quale eſt, talia operatur. Et ideo cum virtus ſit principium aliqualis operationis, oportet quòd in operante præexiſtat ſecundum virtutem aliquam conformis diſpoſitio: facit autem virtus operationem ordinatam: & ideo ipſa virtus eſt quædam diſpoſitio ordinata in anima: ſecundùm ſilicet quòd propriæ potentiæ animæ ordinantur aliqualiter ad inuicem, & ad id, quod eſt extra: & ideo virtus in quantum eſt conueniens diſpoſitio animæ, aſſimilatur ſanitati & pulchritudini, quæ ſunt debitæ diſpoſitiones corporis: ſed per hoc non excluditur, quin virtus etiam ſit operationis principium.*

D.Thom.

Mens D.Th.

11. Ex quibus non erit iam difficile mentem Ang. Doctoris tam in hoc articulo, quàm locis ex q.54. & 55. percipere: nam hic loquitur de ea bonitate, quæ conuenit virtuti per reſpectum & ordinem ad actum: quæ quia conſequitur alium reſpectum omnino primum eiuſdem virtutis, nempe ad ſubiecti naturam, dicitur

tur conſequens in illa. Et hoc planè ſonant verba ipſa D.Thomæ,cum ait: *Directè quidem virtus importat diſpoſitionem quandam alicuius conuenienter ſe habentis ſecundum modum ſuæ naturæ. Vnde Philoſophus dicit in 7.Phyſic. quod virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. Dico autem perfecti, quod eſt diſpoſitum ſecundum naturam. Ex conſequenti autem ſequitur, quòd virtus ſit bonitas quædam.* Hæc autem bonitas proculdubio eſt reſpectus ad bonam operationem,vt patet ex ſolut.ad 2. huius art. Et art.3. id magis explicat dicens, quòd *habitus non dicitur bonus vel malus, niſi ex hoc quòd inclinat ad actum bonum vel malum.* In aliis verò locis agit de ipſa virtutis eſſentia, & explicat illam per bonitatem omnino primariam, quæ ſita eſt in reſpectu ad naturam, & in hoc quod eſt illam conuenienter diſponere: vnde potuit diffinire virtutem per hoc quod ſit *bona, facitque bonum habentem* tanquam per differentiam conſtitutiuam: quod idem cum proportione dicendum eſt de malitia reſpectu vitij.

Niſi velis, D.Thomam etiam in aliis locis nomine *bonitatis* intellexiſſe eam, quæ eſt per ordinem ad operationem, eò quòd habitus (vt nuper dicebamus) non dicitur *bonus* niſi ex hoc, quòd inclinat ad actum bonum: quæ bonitas dicitur hîc *conſequens*: non quia ſupponat in virtute aliam omnino bonitatem; ſed quia ſupponit aliud munus primarium virtutis, quod eſt diſponere ſubiectum conuenienter, & ad tale munus conſequitur. Potuit tamen in illis locis virtus per prædictam bonitatem diffiniri tanquam per eſſentialem differentiam, vel quia hæc eadem bonitas conſequens, eſt intra ipſam eſſentiam virtutis, vt dicitur in hoc art. & ſic non omnino diſtinguitur ab eius differentia eſſentiali:vel quia S.Doctor noluit ibi hæc munera diſponendi ſubiectum, & reſpiciendi operationem, condiſtinguere, ſed totum quod in virtutis eſſentia eſt, appellauit à formaliori & poſteriori munere nomine bonitatis.

Solutio ad obiectiones.

12. Ad primum verò,quod contra hunc dicendi modum obiiciebat Curiel ex D.Thom. in hoc art.dicendum eſt, S.Doctorem ſolùm velle, quòd peccatum opponatur ſecundum ſuam malitiam immediatè actui bono; mediatè autem virtuti, quatenus eſt principium illius. Eſſeque hanc D.Thomæ mentem conſtat ex corpore articuli, vbi ſic ait: *Secundum hoc igitur tria inueniuntur opponi virtuti; quorum vnum eſt peccatum, quod opponitur ſibi ex parte eius,ad quod ordinatur: nam peccatum propriè nominat actum inordinatum, ſicut actus virtutis eſt actus ordinatus & debitus.* (D.Thom.)

¶ Ad ſecundum reſpondetur,quòd & ſi virtuti non conueniat aliqua bonitas, præſcindendo omnino ab operatione; in hoc tamen quod eſt ſubiectum diſponere in ordine ad operationem conſonam ſuæ naturæ, duplex quodammodo reſpectus inuoluitur:nempe diſponere ipſum ſubiectum ſecundum exigentiam ſuæ naturæ, quod conuenit virtuti omnino ſecundum ſe directè & primario; & inclinare in operationem conſonam naturæ rationali,quod conuenit virtuti ratione ſubiecti, & ſic quodammodo ex conſequenti. Hæc pro expoſitione literæ: pro doctrina verò concluſionis ſit.

DISPVTATIO I.

De contrarietate vitij ad virtutem.

QVONIAM oppoſita iuxta ſe poſita,vt in præludio dicebamus, magis eluceſcunt, & notitia vnius contrarij in alterius cognitionem redundat, meritò primam huius materiæ diſputationem, ſicut D.Thom. primùm articulum,de contrarietate vitij & virtutis inſtituimus: vt vnius refulgentia & claritas alterius obſcuritatem illuminet: ipſáque deformitas vitij & peccati, quam explicare aggredimur, virtutis decori compoſita, turpior deterióque appareat.

DVBIVM I.

Vtrùm aliqua vitia directè & formaliter contrarientur virtutibus acquiſitis?

1. VItium opponi cum virtute, & ei vtcumque aduerſari, eſt adeo per ſe notum, vt in dubium verti non debeat. Sed an hæc oppoſitio conſtituat propriam & rigoroſam contrarietatem, quam vocamus *directam*, exerceatúrque prædicta contrarietas inter virtutem & vitium ſecundum ſuas rationes formales, vel pro materiali dumtaxat? non otioſè inquiritur, vt conſtabit ex dicendis. Nomine autem *contrarietatis directæ*, ſiue *rigoroſæ* eam intelligimus, quæ ſeruat omnes conditiones inter contraria requiſitas,prout eorum diffinitio ex Ariſt.10.Metaphyſ.cap.6.expoſtulat. Quæ autem aliquas illarum obſeruat, in aliquibus verò deficit, dicetur *contrarietas indirecta*:eo quod in ſua ratione eſt imperfecta & inadæquata, neq; eius extrema omnino ex diametro &,vt ita dicamus,linea recta in ſua oppoſitione, ac circa idem ſubiectum ſe reſpiciunt. Et quoniam virtutes aliæ ſunt acquiſitæ,& aliæ per ſe infuſæ,agemus ſeorſum de vtriſque: incipimus verò ab acquiſitis, de quibus eſt minor difficultas. Inter vitia etiam quædam ſolùm tendunt per ſe contra rationem & legem naturalem,non curando de aliquo ſupernaturali motiuo, neque repugnando illi expreſsè: & huiuſmodi ſunt ea vitia, quæ regulariter acquirimus contra virtutes morales. Quædam verò tendunt per ſe contra ſupernaturalia: vt quæ opponuntur Theologicis: & ſi quæ in moralium materia ex animo contraueniendi ſupernaturalibus motiuis acquiruntur: quod in viatoribus rarò contingit.Quia ergo in hoc dubio non de omnibus prædictis vitiis, ſed dumtaxat de illis prioribus dicendum eſt, conſultò in titulo non vniuerſaliter, ſed indiffinitè quærimus *vtrùm aliqua vitia*, &c.

§. I.

Communis & vera ſententia.

Aſſertio.

DIcendum eſt,aliqua vitia,ea nimirum, quæ per ſe tendunt contra rationem naturalem,

Digitized by Google

contrariari formaliter & directè virtutibus acquiſitis. Aſſertio hæc colligitur ex illo Eccl.33. Eccleſ.33. *Contra malum bonum ; & contra mortem vita ; ſic & contra virum iuſtum peccator.* Quod teſtimonium intelligit gloſſa de vitiis, quæ virtutibus contrariantur : & meritò, nam ſi peccator contrariatur iuſto, cum id non habeat ratione naturæ, in qua potius conueniunt, contrariabitur vtique ratione vitiorum, quæ in ipſo ſunt, quæque iuſti virtutibus repugnant. Idem colligitur ex illo Iſaiæ 5. Iſaiæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum ; & bonum malum,&c. ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Quæ verba explicant Baſilius & Hieronimus de virtutibus & vitiis, eò quòd habent inter ſe opponi, ſicut malum & bonum,dulce & amarum,quæ ſunt propriè contraria. Et ex illo Pauli 2.ad Corinth.6. 2 Corint. 6. D.Ambroſ. Chryſoſt. D Auguſt. Lactant. *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate : aut quæ conuentio Chriſti ad Belial?* vbi Ambroſius & Chryſoſtomus ſignificari dicunt, vitia & virtutes eſſe ſibi contraria. Quod etiam docent Auguſtinus lib. de conflictu virtutum, & vitiorum, Lactantius lib.7. diuin. inſtitut. & alij ex Patribus. Et quamuis eorum verba ſicut & loca Scripturæ non adeo in propriis terminis de contrarietate directa loquantur, vt ſuperficie tenus ſpectata, nequeant exponi de indirecta : quia tamen ſufficienti ratione, & Scholaſticorum auctoritate conuincitur, reperiri inter prædicta vitia & virtutes omnia, quæ directa contrarietas expoſcit, vt ſtatim videbimus : iure prædicta loca de tali contrarietate tanquàm in ſenſu magis proprio accipimus, noſtrámque aſſertionem in illis contineri arbitramur. Quæ eſt ſententia D.Thom.in D.Thom. Ariſt. hoc art. & ſupr.q.68.art.1.ad 2.l.3.contra Gent. cap.9.de verit.quæſt.14 art.6.ad 2. & alibi. Docuítque illam Ariſtoteles 2.Ethic.cap.7.& 8. & lib.7.cap.8. In prædicamentis cap. de qualit. & cap.de oppoſitis,vbi loquens de propria contrarietate prout diſtincta ab aliis tribus oppoſitionum generibus, conſtituit ſub ea *ſtudioſum & vitioſum*, *iuſtitiam & iniuſtitiam*, ſicut dulce & amarum. Quos Theologi & Philoſophi ſatis communiter ſequuntur præſertim expoſitores D.Thomæ hoc loco, vbi Medina in Medina. Aluar. Curiel. Corneſo. Monteſ. Cumel. Greg.Mart. Lorca. Arauſo. Salas. ſum. textus. Aluar. diſp.1 : 8. Curiel dub.2. N. Corneſo diſput.1.dub.1. Monteſ.diſp.2.Gregor. Mart. dub.2. Lorca ſuper hunc art. & diſput.2. Arauſo dub.2. Salas tract.13. diſput.2. ſect.12. & alij.

2. Probatur ratione deſumpta ex D.Thoma locis cit. & ex ipſa contrariorum diffinitione : nam *contraria ſunt,quæ ſub eodem genere continentur, inter ſe maximè diſtant, eidem ſubiecto inſunt,& ab eo mutuo ſe expellunt.* Ita deſinitur ex Ariſtot.10.Metaphyſ.cap.6. & tenet communis acceptio. Sed totum hoc propriiſſimè conuenit vitio & virtuti,de quibus loquimur, ſumptis formaliter : ergo ſunt directè & formaliter contraria. Eius ratio. Maior & conſequentia conſtant : & etiam minor quoad priorem & vltimam partem ; nam virtus & vitium ſunt ſub eodem genere ne dum remoto, quod eſt qualitas ; ſed etiam proximo, quòd eſt habitus moralis. Quamuis (vt id obiter dicamus) de ratione contrariorum non ſit determinatè manere ſub eodem genere proximo ; ſed vel ſub eodem genere proximo, vel ſub proximis generibus contrariis.Deinde ad ingreſſum virtutis in voluntatem vitium oppoſitum expellitur vel diminuitur ; & è contra : ita vt in gradibus intenſis nunquam coëxiſtant : & vt experientia teſtatur. Quoad ſecundam verò partem ſuadetur eadem minor : quoniam virtus & vitium conſtituuntur per rationes boni & mali tanquam per proprias differentias : vt D.Thom. docet ſupra q.54. art.3. nihil autem ſic diſtat in genere moris, ſicut bonum à malo. Tum etiam quia virtus moralis ex ſua propria differentia inclinat ad actum conſonum & conformem rationi rectæ ; vitium verò ad actum eidem rationi diſſonum : hæc autem duo per ordinem ad regulam rationis, adeóque in genere habitus, & inclinationis moralis maximè diſtant : ſicut in genere motus localis diſtant *ſurſum & deorſum, ante & retro* : ergo, &c. Denique tertia pars etiam ſuadetur : nam tam virtus quàm vitium, de quibus loquimur, inſunt eidem ſubiecto:non ſolùm quia ſunt in eadem anima, ſed etiam in eadem potentia naturali ſiue appetitus,ſiue voluntatis : ergo,&c.

Confirmatur ex eodem D.Thoma in præſenti: Confirmatio. nam virtus dicit habitum diſponentem naturam rationalem modo ſibi conuenienti;è contra verò vitium dicit habitum diſponentem illam modo diſconuenienti & diſſono : conſtat autem has rationes eſſe formaliter oppoſitas : cúmque non opponantur (ſaltem per ſe primò) contradictoriè,priuatiuè, aut relatiuè, ſiquidem ſunt rationes poſitiuæ & abſolutæ, neceſſe eſt vt opponantur contrariè.

3. Dices probari ex dictis aliquod genus con- Effugium. trarietatis inter virtutem & vitium ; non tamen contrarietatem directam : quia etiam in aliquibus,quæ ſolùm indirectè cōtrariantur,ſicut actus odij Dei & habitus charitatis, actus viſionis & habitus fidei, reperiuntur hæc omnia,quæ diximus. ¶ Sed contra,nam vbi dantur omnia ex le- Præluditur ge contrariorum requiſita, nequit non contrarietas eſſe directa : quippe non amplius huiuſmodi contrarietas,quàm lex illa expoſtulat:cum ergo in noſtra ratione ea omnia enumerauimus, & in contrariis, de quibus loquimur, cuncta reperiantur, non poteſt non contrarietas illorum eſſe directa & rigoroſa. Vnde falſum eſt reperiri omnia prædicta,vbi ſolùm ſit contrarietas indirecta : neque id vlla ratione probabitur. In inſtantiis verò, quæ afferuntur,deeſt aliquod ex prædictis requiſitis:deficietq; in quibuſuis aliis, quæ ſolùm indirectè contrarientur. Vel enim non erunt ſub eodem genere proximo,neque ſub diuerſis contrariis : ſicut non ſunt habitus charitatis,& actus odij; ſed ille eſt ſub genere habitus,& iſte ſub genere actionis,vel ſub genere diſpoſitionis,quæ ſunt diuerſa genera,& non inter ſe contraria (idem eſt de habitu fidei,& actu viſionis:)vel non erunt formaliter in eodem ſubjecto, ſed ſolùm materialiter & identicè, ſicut de virtutibus infuſis & de vitiis dicemus dub. ſequenti : vel non erit inter illa maxima diſtantia, hoc eſt, omnino immediata & directa ; ſed quaſi reflexa & mediata. Et ita ſemper deficiet aliquid ex requiſitis ad contrarietatem directam, & ex iis,quæ in vitio & virtute,de quibus nunc agimus, concurrunt.

4. Dices ſecundò cum Monteſ.& aliis ex iis, Aliud Effugium. qui formale peccati commiſſionis in priuatione conſtituunt,quòd licèt vitium ſecundum entitatem & poſitiuum,quæ de materiali affert, opponatur cum virtute contrariè ; attamen ſecundum ſuam formalem rationem ſolùm opponitur priuatiuè : quia vitium formaliter in eſſe vitij conſtituitur per rationem mali moralis, quæ eſt aliquid

quid priuatiuum. Sicut etiam peccatum licèt pro materiali importet poſitiuam entitatem; pro formali tamen ſolùm dicit carentiam rectitudinis debitæ, adeoque priuationem.

Impugnatur. D.Thom. Sed hoc effugium manifeſtè eſt contra D. Thomam ſupra q.54.art.3. vbi agens de propria differentia vitij, & de ratione formali conſtitutiua illius in *eſſe* habitus mali, dicit eſſe aliquid poſitiuum, & non nudam priuationem: vnde in ſolut. ad 1. ſic ait: *Malum, quod eſt differentia conſtitutiua habitus, non eſt priuatio pura, ſed eſt aliquid determinatum repugnans determinatæ naturæ*, ſcilicet rationali. Et 3. contra Gent. cap.8. ad probandum, quòd malum ſit aliqua natura, & non priuatio, ita objicit: *Malum eſt differentia ſpecifica in aliquibus generibus, ſcilicet in habitibus & actibus moralibus: ſicut enim virtus ſecundum ſuam ſpeciem eſt bonus habitus; ita contrarium vitium eſt malus habitus ſecundum ſuam ſpeciem: malum igitur eſt dans ſpeciem aliquibus rebus: eſt igitur aliqua eſſentia.* Et reſpondet c.9. concedendo in actibus & habitibus moralibus totum quod obiectio intendit. *Quia malum* (inquit) *& bonum in moralibus ſpecificæ differentiæ ponuntur, vt prima ratio proponebat.* Et paulò inferius: *Nec malum, ſecundum quod eſt differentia ſpecifica in genere moralium importat aliquid, quòd ſit ſecundum eſſentiam ſuam malum; ſed aliquid, quod ſecundum ſe eſt bonum* (ſcilicet tranſcendentaliter, ſicut eſt tranſcendentaliter ens) *malum autem homini.* Et poſt pauca: *Ex quo etiam patet quòd malum & bonum ſunt contraria, ſecundùm quòd in genere moralium accipiuntur*, &c. Manifeſtè ergo eſt contra D.Thom. quod vitium ſecundum ſuam propriam differentiam, qua conſtituitur formaliter in ratione vitij moralis, non ſit poſitiuum, aut quid non opponatur virtuti contrariè; ſed tantùm priuativè.

Impugnatur amplius. 5. Deinde genus poſitiuum, quale eſt habitus moralis, ſub quo virtus & vitium continentur, non poteſt contrahi & diuidi niſi per poſitiuas & contrarias differentias: cum ergo ratio formalis conſtitutiua vitij in *eſſe* vitij ſit differentia diuiſiua prædicti generis, ſicut etiam ratio formalis conſtitutiua virtutis, non poteſt non vtraque iſta differentia importare pro formali poſitiuum.

Confirmatur: quoniam vitium per aliquid poſitiuum eſt malum & diſconueniens naturæ rationali vt tali: ergo per aliquid poſitiuum cõſtituitur formaliter in ratione vitij, & habet oppoſitionem cum virtute. Conſequentia liquet: nam vitium in ſua formali ratione nihil aliud dicit quàm quòd ſit qualitas diſconueniens naturæ rationali vt tali, diſponatque illam diſſonè & diſconuenienter ad modum ſuum, & ad regulam rationis. Antecedens verò probatur: quoniam vitium non præcisè eſt malum naturæ rationali, quia excludit ab ea virtutem, priuatque illam ordine rationis: aliàs non eſſet maius malum habere vitium quàm præcisè carere virtute: ergo ideo eſt ei malum, quia per ſuam formam poſitiuam illi repugnat, & eſt ei diſconueniens. Quemadmodùm calor non præcisè malus aquæ, quia excludit ab ea frigiditatem; ſed quia per ſuam entitatem poſitiuam afficit & diſponit illam diſconuenienter ad naturam aquæ: error etiam non præcisè eſt malus intellectui, quia ſcientiam ab eo excludit, ſed etiam quia per ſe ipſum afficit malè huiuſmodi potentiam: & ita peius ſe habet intellectus cum errore poſitiuo, quàm cum ſola ignorantia, quæ eſt priuatio ſcientiæ: idem ergo de vitio cum proportione dicendum erit.

Adde, quòd ſi contrarietas inter habitus morales attenderetur ſecundum ſuas materiales rationes, aliquæ virtutes dicerentur potius contrariæ inter ſe, quàm vitiis oppoſitis: quippe ex parte rationum materialium minùs diſtant ab illis quàm inter ſe, v.g. magnanimitas, quæ reſpicit magnum in honoribus, minùs diſtat ex parte materiæ & tendentiæ materialis à præſumptione, quæ eſt vitium circa magnos honores, quàm diſtat à virtute innominata, ſeu vocata *philotimia*, quæ in honoribus reſpicit paruum; & plus adhuc diſtaret ab humilitate, quæ abjicit totum honorem: ergo ſi inter huiuſmodi habitus attendenda eſſet contrarietas ex parte materiæ, ſeu ex parte eius, quod de materiali important, potius magnanimitas diceretur contraria humilitati, prædictæque innominatæ virtuti, quàm præſumptioni. Quod patet eſſe falſum, cum nulla virtus alteri ſit contraria; ſed omnes germanæ & inter ſe connexæ: ergo, &c. ¶ De hoc tamen plura dicemus infra diſp.6. vbi latè probandum eſt, malitiam moralem conſtitutiuam peccati commiſſionis non conſiſtere in priuatione, ſed in deformitate poſitiua: loca enim & rationes, quæ ibi expendemus, non minùs de vitio quàm de peccato actuali intentum conuincent.

§. II.

Obiectiones in oppoſitum.

6. QUamvis in oppoſitum traditæ doctrinæ nulla ſit auctorum ſententia (niſi ita appellemus quorundam hæreticorum delirium non diſtinguentium inter mala, & bona opera, neque inter vitium & virtutem: in quod inclinant Luterani, & tribuitur Libertinis) aliquæ tamen militant obiectiones, quas breuiter diluemus. Objicies ergo primò, quòd iuxta Ariſtot. 10. Metaphyſ. text. 17. Vnum vni tantum debet eſſe contrarium: ratioque id ſuadet: nam quod eſt contrarium pluribus, debet habere plures rationes, vt ſecundum vnam vni, & ſecundũ aliam alteri contrarietur: ſed vitium ſecundum ſuam formalem rationem contrariatur donis Spiritus ſancti: ergo nequit eſſe contrarium virtuti. Minor probatur: tum quia ita docet Auguſtinus Euangelicarum quæſt. lib.1. q.8. & D. Tho. ſupra q.68. art.1. Tum etiam quia vitium ſecundum ſuam rationem formalem eſt mala diſpoſitio naturæ, ſecundum quam diſconuenienter ſe habet, propenditque in malum: natura autem malè diſpoſita contrariatur, & reſiſtit motioni Spiritus ſancti ad bonum, quæ fit per dona. ¶ Confirmatur: ſæpe vnum vitium opponitur duabus virtutibus, vt docet D.Th. 2.2. q.118. art.3. vbi ait, quòd auaritia opponitur iuſtitiæ & liberalitati: ſimiliter vna virtus duobus vitiis: vt patet in liberalitate, quæ opponitur prodigalitati & auaritiæ: ergo propter eandem rationem: quia vnum tantum contrariatur vni, nequibunt eſſe propriè contraria. *Prima obiect. Ris. Ariſt.* *Auguſt. D.Thom.* *Confirmatio.*

Reſpondetur primò, vitia (præſertim iſta, de quibus loquimur) non opponi directè donis infuſis, ſed tantùm indirectè, vt dicemus dub. ſequent. & de hac indirecta contrarietate exponendi ſunt D.Auguſt. & D.Thom. illa autem doctrina Philoſophi, quòd *vnum vni tantùm eſt contrarium* *Solutio.*

Digitized by Google

trarium, ad ſummum militat in cōtrariis directè, neque extendi debet ad indirecta: ſicut non extenduntur aliquæ aliæ conditiones, quæ pro directè contrariis traduntur. ¶ Secundò reſpondetur, vitia ſub diuerſa ratione opponi donis Spiritus ſancti, & virtutibus: nam vitium, adhuc prout eſt mala diſpoſitio naturæ, poteſt conſiderari, vel prout afficit eam malè in ordine ad rationem & conſonantiam cum illa: & ſic contrariatur virtuti; vel vt retrahit & retardat à proſequutione diuinæ motionis, & inſtinctus Spiritus ſancti, & ſic opponitur donis: vnum autem contrariari pluribus ſub diuerſa ratione, nullum eſt inconueniens. Deſumiturque ſolutio ex D.Thom. loco cit. ex q.68. art.2. vbi ſic ait: *Dicendum, quòd vitia, in quantum ſunt contra bonum rationis, contrariantur virtutibus: in quantum autem ſunt contra diuinum inſtinctum, contrariantur donis.* ¶ Adde, vitium non omnino immediatè contrariari donis; ſed media oppoſitione, quā habet ad virtutem: quia enim virtus aliquo modo eſt diſpoſitio ad dona, & bene diſpoſitus ſecundum rationem per virtutes, expeditior manet ad ſequendum per dona Spiritus ſancti ductum in his, quæ ſunt iuxta rationem; idcirco vitium dum excludit virtutem, indiſponit ad dona, & illis mediatè contrariatur: *Idem enim* (ait Diuus Thomas loco cit.) *contrariatur Deo & rationi, cuius lumen à Deo deriuatur.* Non eſt autem inconueniens, quod vnum contrarietur pluribus ordine quodam: neque id eſt contrariari pluribus vt pluribus; ſed potius vt vni.

D.Thom.

Solutio confirmationis.

7. Ad confirmationem reſpondetur, nullum vitium contrariari adæquatè pluribus virtutibus, neque econtra. Et ad primum de avaritia dicendum eſt, eam non opponi ſecundum ſe iuſtitiæ; ſed vt habet adjunctum actum injuſtitiæ accipiendi, vel retinendi rem alienam inuito Domino. Et iuxta hæc loquitur D.Thom. loco cit. Ad aliud verò de liberalitate reſpondetur, contrariū eius adæquatum non eſſe prodigalitatem ſolam, neque ſolam avaritiam; ſed vitium commune, quod nomine generico appellatur *illiberalitas*, vel *cupiditas*, ſub quo auaritia & prodigalitas continentur. Sicut iuxta doctrinam Ariſtotelis 10. Metaphyſ. cap.8. adæquatum oppoſitum *æquali* non eſt *magnum*, vel *paruum*; ſed *inæquale*, ſub quo continentur *paruum* & *magnum*. Pronuntiatum verò illud, quòd *vni vnum tantum eſt contrarium*, intelligitur de contrario adæquato. ¶ Secundò reſpondetur liberalitatem, & alias virtutes, quæ verſantur inter duo vitia extrema, ſecundum diuerſas rationes opponi vtrique: nam liberalitas ſecundum quòd inclinat ad dandum quando & vbi oportet, &c. opponitur auaritiæ: vt verò inclinat ad retinendum quando & vbi eſt conueniens, opponitur prodigalitati: non eſt autem inconueniens, quòd idem diuerſis opponitur, ſecundum diuerſas rationes. Sed prima ſolutio magis cohæret cum principiis D.Thomæ.

Secunda obiectio.

Obijcies ſecundò, dari plura vitia, quibus nulla virtus contrariatur: ergo vitia & virtutes non ſunt directè contraria. Patet conſequentia: quia ſi ita contrariarentur, non eſſet cur hæc contrarietas non eſſet vniuerſalis in omnibus vitiis. Tum etiam quia vt docuit Ariſtot. 10. Metaphyſ. dato vno contrariorum, eſt dabile & aliud: quare ſi dato vno vitio, non detur virtus, cui opponatur, bene infertur non eſſe contraria. Antecedens autem patet exemplis: nam impudentia, ſeu inuerecundia eſt vitium, & propterea reprehenſione digna, & tamen verecundia, cui opponitur, non eſt virtus, vt Philoſophus dicit 2. Ethic. cap.7. & lib.4. cap.9. & D.Thomas 2.2. quæſt.144. art.1. & 3. part. quæſt.85. art.2. ad 2. Et ratio eſt: quoniam virtus ſemper operatur intuitu honeſtatis; verecundia verò interdum operatur ſolo metu dedecoris: virtus item non modò homines à turpi avocat, ſed ad bonum etiam impellit; cùm tamen verecundia ſolùm ſit frænum, quo homines à turpi cohibentur. Incontinentia etiam opponitur continentiæ, quæ propriè non eſt virtus, vt teſtatur idem Ariſtot. vbi ſupra, & D.Thom. q.155. art.1. ex eo quòd eſt ſimul cum paſſionibus, & affectionibus immoderatis: vbi continens non elicit actum facile & expeditè, quod eſt de ratione virtutis. Cæcitas ſimiliter & hæbetudo mentis ſunt vitia, vt teſtatur D.Gregor. lib.31. moral. cap.31. quia oriuntur ex gula & luxuria: & tamen non opponuntur virtutibus, ſed donis, vt D.Thom. docuit eadem 2.2. q.151. atque idem innumeris aliis exemplis cernere licet: ergo, &c.

8. Reſpondetur ita eſſe, quòd non omne vitium contrariatur directè & rigoroſè alicui virtuti propriè dictæ: ſicut non omnis virtus habet aliquod vitium, cui propriè & directè contrarietur. Neque id requiritur ad veritatem noſtræ concluſionis. Tum quia non vniuerſaliter de omnibus vitiis & virtutibus; ſed de aliquibus tantum aſſeruimus eſſe directè contraria: & ita non obeſt dari aliqua, ſiue vitia, ſiue virtutes, quæ nulli directè contrarientur. Tum etiam quia licèt ſermo ſit de virtute morali; non tamen ita determinatè & rigoroſè, vt nomine *virtutis* eam dumtaxat intelligamus quæ in toto rigore virtus eſt, diciturque habitum permanentem operatiuum determinatè boni honeſti diſtinctum à cæteris principiis cuiuſcumque laudabilis actus: ſed virtutem ſumimus in latiori ſignificatione pro eo, quod eſt principium actus laudabilis in genere moris: ſiue perfectè attingat ad rationem boni honeſti, ſicut attingit virtus temperantiæ, verbi gratia, ſiue ſolùm imperfectè, ſicut continentia ſemivirtus. Quia enim plura requiruntur ad virtutem, quàm ſufficiunt ad vitium; ad hoc vt aliquid propriè ſit virtus, non eſt ſatis quòd inclinet ad bonum; ſed debet inclinare perfectè, cum tamen vt vitio contrarietur, ſufficiat inclinare ad illud imperfectè: ad vitium enim ſatis eſt quòd inclinet ad malum; & inclinationi ad malum contraria eſt quælibet inclinatio ad oppoſitum bonum. Per quod patet ad omnes inſtantias. Nam verecundia, continentia, dona, & ſimilia ſunt principia actus laudabilis adhuc in genere moris, & inclinant ſuo modo ad bonum: atque adeo quamuis propriè, & rigoroſè virtutes non ſint; poſſunt ita appellari quoad præſens, ſaluarique hac ratione, etiam illa vitia, quæ prædictis opponuntur, habere virtutes, quibus contrarientur. *Enervatur.*

Adde, omnia illa vitia ſecundum ſuam originem opponi alicui virtuti propriè dictæ. Nam inuerecundia oritur ex nimio amore turpium, & ratione huius radicis opponitur temperantiæ. Cæcitas etiam, & hebetudo mentis oriuntur ex gula, & luxuria, & ita radicaliter contrariantur abſtinentiæ, & caſtitati, cui etiam opponitur incontinentia. Hoc autem ſufficit vt ſalvetur contrarietas inter virtutes & vitia. Quod totum docuit D.Thom. citata quæſt.144. art.1. vbi cum obieciſſet ad probandum, verecundiam eſſe virtutem *D.Thom.*

Digitized by Google

tutem, quòd *omne vitium opponitur alicui virtuti: verecundia autem opponitur inuerecundia, & inordinatus ſtupor: ergo verecundia eſt virtus.* Reſpondet: *Ad quartum dicendum, quòd, quilibet defectus cauſat vitium; non autem quodlibet bonum ſufficit ad rationem virtutis: & ideo non oportet, quòd omne illud, cui directè opponitur vitium, ſit virtus: quamuis omne vitium opponatur alicui virtuti ſecundum ſuam originem: & ſic inverecundia, inquantum prouenit ex nimio amore turpitudinum, opponitur temperantiæ.* Ecce vtraque ſolutio.

Obiectio prima.

9. Tertiò contra rationem aſſertionis objicies, quòd ad propriam contrarietatem requiritur maxima diſtantia inter extrema oppoſita: atqui virtus & vitium non ſemper maximè diſtant: ergo non ſunt propriè contraria. Minor probatur in illis virtutibus, quæ medium tenent inter duo vitia extrema, vt liberalitas inter avaritiam, & prodigalitatem, magnanimitas inter præſumptionem, & puſillanimitatem, & generaliter omnis virtus in medio rationis conſiſtit: medium autem non maximè diſtat ab extremis; imò plus diſtant extrema ipſa inter ſe quàm à medio: ergo inter huiuſmodi vitia, & virtutes non eſt maxima diſtantia.

Diluitur.

Reſpondetur, virtutes medias materialiter tantùm, & phyſicè eſſe in medio vitiorum extremorum: quod & nihil aliud probat obiectio: cæterum formaliter, & in genere moris maximè ab eis diſtant. Nam in hoc genere virtus habet rationem vnius extremi inclinantis in id, quod eſt rationi conſonum: ipſa verò vitia, quantumuis inter ſe diſtantia, habent rationem alterius extremi inclinantis in id, quod eſt rationi diſſonum: in quo ambo vitia aliàs extrema conueniunt. Deſumiturque ſolutio ex D. Thoma

D. Thom.

ſupra quæſt. 64. art. 1. ad 1. vbi ſimile argumentum ita diſſoluit. *Dicendum quod virtus moralis bonitatem habet ex regula rationis: pro materia autem habet paſſiones vel operationes: ſi ergo comparetur virtus moralis ad rationem, ſic ſecundum id quod rationem extremi vnius, quod eſt conformitas: exceſſus verò & defectus habent rationem alterius extremi, quod eſt difformitas. Si verò conſideretur virtus moralis ſecundum ſuam materiam, ſic habet rationem medij, in quantum paſſionem reducit ad regulam rationis: vnde Philoſophus dicit in 2. Ethic. Virtus ſecundum ſubſtantiam medietas eſt, in quantū regula virtutis ponitur circa propriā materiam: ſecundum optimum autem & bonum eſt extremitas, ſcilicet ſecundum conformitatē rationis.*

Declaratur ſolutio.

Manebitque hæc ſolutio & maxima diſtantia inter virtutem & vitium magis explicata, ſi animaduertatur, multoties virtutem & vitium verſari circa eandem materiam; & nihilominus eſſe oppoſita: quia virtus reſpicit illam, provt eſt conſona rationi, vitium verò provt eſt diſſona. Econtra verò virtutes verſantur multoties circa materias aliàs oppoſitas, & non idcirco ſunt inter ſe oppoſitæ: quia reſpiciunt illas, non vt ſunt ſub rationibus oppoſitis, ſed vt vtraque ſuo modo rationi conſonat. Vnde magnanimitas & præſumptio verſatur vtraque circa magnos honores; & nihilominus quia magnanimitas tendit ad illos conſonè ad rationem, præſumptio verò diſſonè, ſunt inter ſe contrariæ, vt D. Thom. docet 2. 2. quæſt. 131. art. 2. Econtra verò eadem magnanimitas & virtus philotimiæ tendens ad paruos honores, accommodatos tamen ad appetentem, verſantur circa materias ſatis diſtantes, & quantum eſt ex ſe, ad contrarietatem ſufficientes: & nihilominus duæ iſtæ virtutes non ſunt contrariæ, quia prædictas materias reſpiciunt, non vt aliàs materialiter oppoſitas eſſe conuenientes ad rationem. Nam ſicut eſt rationi conſonum, vt qui eſt idoneus ad magnos honores, tendat ad illos: ſic etiam vt qui ſolùm ad paruos vel medjocres dignitatem habet, aſpiret tantum ad medios, & ſuæ dignitati proportionatos. ¶ Ad rem ergo, ſi virtutes habentes obiecta adeo inter ſe diſtātia, & aliàs contraria, non ſunt contrariæ inter ſe: virtus verò, & vitium reſpicientia idem obiectum materiale, poſſunt eſſe inter ſe oppoſita, eò quòd in modo & ratione formali reſpiciendi prædicta obiecta, illæ conueniunt, & iſta differunt: illæ tendunt ad ſua obiecta vt rationi conſona; hæc verò in hoc non conueniunt, ſed vitium reſpicit obiectum vt rationi diſſonum; & virtus vt rationi conſonum: ſignum eſt, diſtantiam inter vitia & virtutes, de qua ad præſens, adeoque eorum contrarietatem non eſſe attendendam penes diſtantiam vel acceſſum phyſica, ſiue ex parte materiæ; ſed penes diſtantiam vel acceſſum formalia, nempe penes conſonantiam vel diſſonantiam ad rationem. Cumque ſola virtus ſit conſona rationi, & vtrumque vitium extremum ſit diſſonum, conſequens eſt, vt quoad præſens ſola virtus conſtituat vnum ex extremis; contrarietatis duo verò vitia alias oppoſita & extrema conſtituant aliud.

Dubium II.

Vtrùm virtutibus per ſe infuſis aliqua vitia directè contrarientur?

10. QVamuis ex virtutibus infuſis plures habeant eandem materiam, quam habent acquiſitæ; reſpiciunt tamen illam ſub diverſa ratione formali, & ex diſtincto, ac ſupernaturali motiuo: indeque obtinent vt ſint formæ & habitus ſupernaturales, ſicut ſunt virtutes Theologicæ. Ex hoc autem diſcrimine & ex aliis, quæ tangemus, oritur vt in omnibus huiuſmodi ſupernaturalibus virtutibus poſſit eſſe diuerſa ratio quoad contrarietatem cum vitiis: atque adeo quod etiamſi probatum habeamus, plura vitia directè contrariari virtutibus acquiſitis, adhuc diſcuſſione indigeat, an infuſis aliqua directè contrarientur, vel ſolùm indirectè. Eſt autem præ oculis habenda diſtinctio vitiorum, quam tetigimus dubio præcedenti. Nam quædam immediatè ſolùm tendunt contra rationem naturalem: & hæc ſunt quæ per ſe correſpondent virtutibus acquiſitis: de quibus proinde iam diximus. Quædam aſcendunt ſuperiùs vſque ad præcepta & motiua ſupernaturalia, iiſque ſe immediatè opponunt: & hæc ſunt quæ per ſe correſpondent virtutibus theologicis: & etiam quæ in materia morali tendunt expreſsè contra motiuum alicuius virtutis infuſæ. Sicut enim qui ieiunat vel abſtinet à prohibitis, poteſt ex duplici motiuo id efficere, aut ſeruandi menſuram prudentiæ naturalis, quæ dictat de cibis, provt expedit ad indiuidui ſalutem, ad ſtudium & occupationes humanas, &c. & hoc pertinet ad temperantiam acquiſitam: aut ex motiuo ſeruandi regulam prudentiæ infuſæ dictantis de cibis, ſicut expedit ad ſalutem animæ & diuinorū contemplationem, & hoc ſpectat ad temperantiam

Infu

Digitized by Google

infuſam: ita qui frangit ieiunium, aut comedit prohibita, poteſt id efficere, vel propter quærendam delectationem in cibis, aliumve finem per prudentiam, & legem naturalem immediatè prohibitum: & hoc ſpectat ad gulam correſpondentem temperantiæ acquiſitæ: vel vt contraueniat præceptis, & motiuis dictatis à prudentia infuſa, puta vt contemplatio diuinorum impediatur, vt caro rebellet contra Spiritum, &c. & hæc erit gula correſpondens temperantiæ infuſæ. De omnibus itaque huiuſmodi vitiis, ſiue correſpondentibus virtutibus theologicis, ſiue moralibus, procedit dubium.

§. I.

Contrariorum leges examinantur.

11. DIximus dubio præcedenti illam oppoſitionem vocari abſolutè, & ſimpliciter *contrarietatem directam*, quæ ſeruat omnes leges requiſitas in contrariis: quæ verò in aliqua, vel aliquibus deficit, vel non erit contrarietas; ſed alia oppoſitionis ſpecies, vel erit tantum indirecta, aut ad ſummum directa ſecundum quid, quatenus ſeruat aliquid contrarietatis directæ. Quare operæpretium erit, antequam dubium decidamus, prædictas leges adducere, & examinare. Debent autem attendi ex ipſa contrariorum diffinitione, quæ eſt huiuſmodi: Contraria ſunt *oppoſita, quæ ſub eodem genere maximè diſtat: eidem ſubiecto inſunt, à quo mutuo ſe expellunt*. Prima particula, ſcilicet *oppoſita*, habet rationem generis, in quo conueniunt contraria cum contradictoriis, priuatiuis, & relatiuis: unde ea particula ſublata, aut non ſubintellecta, non manet integra diffinitio. Cæteræ verò ponuntur loco differentiæ: excluduntque à ratione contrariorum *relatiua, priuatiua, & contradictoria*. Ex prædicta verò prima particula poſita loco generis habetur, quòd in contrarietate directa debet ſeruari directa oppoſitio, quia vt alicui directè conueniat natura ſpecifica, debet ratio generica directè illi competere: & ideo ſicut non eſſet directè homo, vel album, quod non eſſet directè animal, vel coloratum; ita quæ non fuerint directè oppoſita, nequibunt eſſe directè contraria. Porro oppoſitio diffinitur *repugnantia determinata aliquorum*: & ideo vt ſit directa, debet vnumquodque extremum, in quantum gerit munus oppoſiti, determinare alterum, vt ſibi correſpondens ex diametro, & quaſi per lineam rectam, hoc eſt, non mediante alio aliquo, non ex conſequenti, aut alia indirecta via; ſed immediatè, & primariò: idem ergo debet ſeruari in contrarietate directa.

Prima lex contrariorũ.

Eſt autem diſcrimen inter contraria reſpectiua alicuius obiecti, vel termini; vti ſunt habitus, actus, motus, & ſimilia: & inter ea, quæ ſunt abſoluta, ſicut calor, & frigus: horum enim contrarietas ſolum attenditur inter ipſa ſecundum ſe, nullo habito reſpectu ad extrinſecum: atque adeo quòd ſit, vel non ſit directa, ex habitudine duntaxat vnius ad alterum, & ad ſubjectum debet attendi. Contrarietas verò illorum ſumitur ex termino, quem reſpiciunt, à quo & ſpecificantur; & ex modo reſpiciendi: adeoque vt ſit directa, requiritur, vel quod vnumquodque reſpiciat terminum, alterius termino directè oppoſitum, eodem modo, hoc eſt, vel accedendo ad illud, vel recedendo; vel quòd ambo reſpiciant eundemmet terminum oppoſito modo, videlicet vnum accedendo, & aliud recedendo: itavt ab eadẽmet ratione terminatiua, cui vnum directè accedit, directè aliud recedat, ſeu illi repugnet: quamuis enim vtriuſque contrarij eſſet vnus terminus; ſi tamen non ſecundum eandem rationem, ſed ſecundum diuerſas vnum accederet ad illum, & aliud recederet, non eſſet ibi contrarietas directa, quia diuerſitas prædictarum rationum illam impedit: ſicut etiam vbi termini ſunt oppoſiti, ſi modus tendendi ſit diuerſus, non erit oppoſitio, ſed potius conuenientia: ſicut eſt in eo quòd aliquis accedendo ad terminum *ſurſum*, recedat à termino *deorſum*.

12. Deinde cùm in diffinitione dicitur *quæ ſub eodem genere maximè diſtant*, intelligendum eſt de genere proximo, vbi oppoſita primo contrariantur ratione propriarum differentiarum, per quas conſtituuntur: ſicut contingit in vitio, & virtute in calido, & frigido, &c. Ratio verò eſt, quia debent contrariari per id, quòd immediatè eſt ſub tali genere: vt ita ipſa vnitas generis, & conuenientia in illo conferat ad contrarietatem, & ad hoc vt vnumquodque directè & immediatè aliud ſibi determinet, aliàs de materiali ſe habebit: non autem ita contrarientur, ac ſi inter genus, & prædictas differentias alia genera interiacerent. Si verò extrema non primo opponantur ratione prædictarum differentiarum, ſed per prius ratione ſubalternarum, ſicut opponuntur temperantia, & intemperantia, quarum prima contrarietas oritur ex differentiis ſubalternis vitij, & virtutis: tunc non erunt ſub eodem genere proximo; debent tamen eſſe ſub proximis generibus inter ſe contrariis, & contentis proximè ſub alio vno genere. Quia cum contrarietas in hoc caſu non à differentiis propriis; at à ſubalternis, ſeu à prædictis generibus proximis incipiat, pro his tantùm requiritur continentia immediatè ſub vno genere. *Secunda.*

Dices: quæ conueniunt in genere proximo, non maximè diſtant: plus enim inter ſe diſtarent, ſi in eo non conuenirent: nam ibi eſt minor conuenientia: ergo talis conuenientia potius officit contrarietati, quam ad eam conducat. ¶ Reſpondetur diſtantiam poſſe ſumi dupliciter: vel negatiuè pro non conuenientia, ſeu non approximatione: & hæc diſtantia minuitur per conuenientiam in aliquo genere, vel ſubjecto: neque eſt propria contrariorum, ſed contradictoriorum, quæ hoc modo maximè diſtant, quia in nullo conueniunt; ſed differunt ſe totis, ſicut *eſſe, & non eſſe*. Vel poteſt ſumi poſitiuè, pro repugnantia, & tendentia determinata vnius extremi aduerſus alterum: & hæc eſt propria diſtantia contrariorum: nec minuitur, ſed potius augetur per conuenientiam in genere proximo; quia quò extrema ſub proximiori genere continentur, ſibique viciniora ſunt; eò vnumquodque magis ſibi ad repugnandum aliud determinat: & dum magis è propinquo bellum ei immittit, ferociùs ſævit, intenſiuſque agit in ipſum, adeoque magis ibi contrarietas ſplendet.

13. Tertiò dicitur, contraria ineſſe eidem ſubiecto: quia reſpectu diuerſorum nulla prædicata, quantumuis aliàs oppoſita, habent repugnantiam. Imo ipſa oppoſitio ex ſua communi ratione determinat vnitatem ſubiecti. Quod eſt intelligendum de vnitate non ſolùm identica, & materiali, ſed formaliter in ratione ſubiecti. Tum quia verba diffinitionum ſemper debent in ſenſu *Tertia.*

forma

formali intelligi. Et licèt ſenſus materialis aliquando rei diffinitæ non diſſonet, diſſonat tamen diffinitionis legibus, vt formalis excludatur. Tum etiam, nam ex eo quod in diffinitione oppoſitionis prout ad propoſitiones ſpectat, dicitur quòd eſt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem, rectè inferimus, non eſſe inter ſe oppoſitas propoſitiones, quæ enunciantur de eodem ſubiecto materiali ſecundum rationes formaliter diuerſas: quia non ſunt de eodem formaliter ſeu ſecundum idem; ſed tantùm materialiter, verba autem diffinitionis debet formaliter intelligi: ergo ſimiliter cum in diffinitione contrariorum aſſeritur, quòd eidem ſubiecto inſunt, debet hoc accipi de ſubiecto, quod ſit idem formaliter; neque aliter eius vnitas ad veram contrarietatem ſufficiet. Tum denique, nam ita dicimus, idem debere eſſe ſubiectum contrariorum, ſicut aſſerimus, duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſe ſimul eſſe in eodem ſubjecto, neque vnum in duobus: at hoc non intelligitur de eodem ſubiecto materiali ſeu *quod*; ſed de ſubiecto *quo* & formali: & ideo non repugnat, vt in eodem ſubiecto *quod* prædicta accidentia concurrant, quoties ex parte ſubiecti *quo* datur diſtinctio: in eodem enim corpore dum ſimul mouetur motu locali & motu alterationis, datur duplex tempus ſolo numero diſtinctum, vnumquodque menſurans intrinſecè ſuum motum: quia quamuis ſubiectum *quod* vtriuſque ſit vnum, adeſt diſtinctio ex parte ſubiecti *quo*, ſcilicet ex parte motus: vt docent N. Complutenſes lib. 4. Phyſic. diſp. 21. num. 71. & n. 72. declarant, quomodo ad vnitatem numericam temporis non obſit diſtinctio ſubiecti materialis, ſi adſit vnitas ex parte formalis. Ad ſaluandam ergo contrariorum diffinitionem vnitas ſubiecti formalis ſaluanda eſt, quicquid ſit de materiali.

Vltima lex. 14. Tandem cum dicitur, *contraria mutuò ſe expellere*, non eſt ita accipiendum, vt ſtatim ad ingreſſum vnius aliud omnino corrumpatur, quaſi ſecundum ſuas eſſentias non poſſint eſſe ſimul. Sufficit enim, vt expellant ſe paulatim & per gradus: itavt iuxta intenſionem vnius debeat eſſe remiſſio alterius. Sicut videmus in aqua, quæ non ſtatim ad ingreſſum caloris in qualibet intenſione amittit totam frigiditatem, neque è contra: ſed tantundem frigiditatis amittit, quantum recipit caloris; & è conuerſo. Vnde ſi ponamus ſummum gradum poſſibilem frigiditatis, & ſimiliter caloris eſſe vſque ad octo, exiſtente frigiditate in hoc gradu, nullus erit gradus caloris: ingrediente verò calore vt vnum, remittetur frigiditas vſque ad ſeptem, & ſic deinceps: atque adeo repugnantia coëxiſtendi indiſpenſabiliter requiſita à contrariis, non eſt eſſentiæ ad eſſentiam, ſed gradus ad gradum: nec cuiuſlibet gradus ad quemlibet, quia non primi vnius ad primum alterius, neque ſecundi ad ſecundum, tertij ad tertiũ, aut quarti ad quartum; ſed primi ad octauum, ſecundi ad ſeptimum, tertij ad ſextum, quarti ad quintum; quinti ad quartum, ſexti ad tertium, ſeptimi ad ſecundum, octaui ad primum. Quæ ergo ſaltem iuxta prædictam graduationem non ſe expellunt, non erunt contraria directè.

Illatio. Ex quo fit, quòd in contrariis, quæ non præcisè ratione eſſentiæ, ſed ratione intenſionis modo dicto ſe expellunt, neceſſarium eſt ad directam contrarietatem, vt habeant latitudinem determinatam, & certum terminum, vltra quem, attenta ſua natura, intendi non valeant: ſicut calor determinat ſibi vt ſummum illum gradum quem habet in igne, puta vt *octo*; & frigiditas illum, quem habet in niue ſimiliter vt *octo*: aliàs in nullo gradu ſe excludent. Quia enim ſubiectum admittat tantundem intenſionis vnius contrarij, quantum ſibi deeſt intenſionis alterius, eo ipſo quòd aliquod ex illis non haberet determinatam latitudinem, non perueniret, quantumcumque intenderetur, ad gradum intenſionis repugnantem certo gradui intenſionis alterius: ſed ſicut ſemper deeſſent ſibi plures & plures gradus propriæ intenſionis, ita ſemper poſſet ſecum habere plures & plures gradus intenſionis ſui oppoſiti. Vnde quæ ita ſe haberent, eo ipſo non eſſent directè contraria: quia nec mutuò ſe excluderent in quibuſvis gradibus. Sed quamuis ad rationem contrariorum ſufficiat, vt modo dicto ſe expellant, & ideo quantum eſt ex vi contrarietatis, poſſint coniungi in gradibus remiſſis; non tamen eis repugnat, vt in nullis gradibus ſe permittant, neque proinde tolleretur vera contrarietas inter aliqua, ex eo quòd adhuc ſecundum eſſentias ſint incompoſſibilia: vt patet in motu violento ſurſum, & in motu deorſum reſpectu lapidis, qui ſunt propriè contrarij, & in nullo gradu poſſunt coëxiſtere. Hæc tamen omnimoda incompoſſibilitas quando in contrariis inuenitur, non eſt reducenda in ipſam contrarietatem vt talem, ſed in contradictionem vel oppoſitionem priuatiuam ſaltem virtualem, quæ ibi admiſcebitur, quæque in multis aliis non contrariis reperitur.

Fit etiam ex dictis, non ſatis probari, aliqua eſſe directè contraria ex eo ſolum, quòd ſe expellant, aut ſint incompoſſibilia, etiam in gradibus remiſſis: quia hæc expulſio & incompoſſibilitas, vt dictum eſt, poteſt ex aliis oppoſitionibus prouenire. At rectè conuincitur non eſſe ita contraria, ſi neque in gradibus intenſis ſe excluſerint. Quia excluſio & incompoſſibilitas ſaltem in prædictis gradibus eſt proprietas contrariorum in ſecunda acceptione ex traditis à Porphyrio cap. *de proprio*: quæ ſcilicet conuenit omnibus contrariis, ſed non ſolis: ſicut eſſe bipedem conuenit omnibus hominibus, quamuis non ſolis. Et ideo ſicut valet *eſt homo, ergo bipes; non eſt bipes, ergo neque homo*: non autem valet *eſt bipes, ergo homo, non eſt homo, ergo neque bipes*: ita valere debet *ſunt directè contraria, ergo ſe excludunt; non ſe excludunt, ergo non ſunt directè contraria*: non tamen valet *excludunt ſe, ergo ſunt directè contraria*; aut *non ſunt directè contraria, ergo non ſe excludunt*. Ex his depromenda eſt dubij deciſio, & eius rationes. *Alia.*

§. II.

Verior aſſertio.

15. Dicendum eſt, nullum vitium propriè & directè contrariari virtutibus infuſis. Ita ſumitur ex D. Thoma qu. 7. de mal. art. 2. Et 4. diſt. 14. qu. 2. art. 4. ad 4. vbi ſic ait: *Virtus infuſa & acquiſita non ſunt eiuſdem ſpeciei: vnde cum habitus ex frequentatione operum peccati generatus, virtuti acquiſitæ contrarius ſit, non contrariatur directè virtuti infuſæ.* Supra etiam q. 65. art. 3. ad 2. ſic dicit: *Habitus moralium virtutum infu-* *D. Thom.*

ſarum patiuntur interdum difficultatem in operando, propter aliquas diſpoſitiones contrarias ex præcedentibus actibus relictas: quæ quidem difficultas non ita accidit in virtutibus moralibus acquiſitis: quia per exercitium actuum, quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariæ diſpoſitiones. Hæ verò diſpoſitiones virtutibus contrariæ ſunt vitia: quæ ſi directè contrarientur virtutibus infuſis, ſicut contrariantur acquiſitis, eodem modo ad illarũ infuſionem expellerentur, ſicut expelluntur ad acquiſitionem iſtarum: quod negat Ang. Doct. Idem docet 3.p.qu.86.art.5. Et qu.1.de virtutibus art.10. aliiſque in locis. Quem ſequuntur in præſenti N.Cornejo diſp.1.dub.3. Lorca diſp.2. concluſ.3. Curiel dub.3. Salas diſput.2.ſect.13. Greg.Mart.dub.3.concl.7. & loquentes de vitiis contra naturalia Monteſ.diſp.1. quæſt.1. Arauſo dub.2. pluresque alij.

Prima ratio. Prima ratio ſumpta ex diffinitione explicata, & quæ inſinuata fuit à D.Thoma loco cit. ex quæſt.7. de mal. poteſt ſic proponi. Vt aliqua ſint directè contraria, debent habere idem ſubiectum, idem (inquimus) non ſolùm materialiter & identicè, ſed etiam formaliter: atqui nullum vitium habet formaliter idem ſubiectum, quod habent virtutes infuſæ: ergo nullum eis directè contrariatur. Maior conſtat ex illis, quæ præmiſimus. Minor verò probatur: quia omnes virtutes infuſæ recipiuntur in potentia obedientiali ſubiecti, ex qua educuntur virtute ſolius agentis ſupernaturalis, cui ſubditur talis potentia: vitia verò recipiuntur in potentia naturali, ex qua per naturale agens educuntur: non eſt autem idem formaliter ſubiectum voluntas, v. gr. prout afficitur vtraque iſta potentia: nam ſiue potentiæ ipſæ diſtinguantur formaliter ex natura rei, vt volunt graues D.Th. diſcipuli, & nos alibi probabiliter ſtatuimus; ſiue ſolùm ratione ratiocinata ſupponente in re diſtinctionem virtualem, vt cum aliis probabile etiam cenſuimus, ſufficit quodlibet iſtorum, vt voluntas, quatenus ſubeſt vtrique potentiæ, non poſſit dici idem formaliter ſubiectum: quia locutio *idem formaliter* in ſubiectis, obiectis, & aliis cauſis, vel principiis excludit non tantùm diſtinctionem realem, ſed etiam formalem per rationem, vt intuenti patebit: ergo, &c. Quæ ſanè ratio æquè eſt efficax, & vniuerſalis: nam conuincit tam de vitiis quibuſcumque habitualibus, quàm de actibus vitioſis reſpectu cuiuſcumque virtutis infuſæ: imo & reſpectu cuiuſcumque formæ ſupernaturalis. Siue enim talis forma ſit habitus, ſiue actus, virtus, donum, vel quodcumque aliud ordinis ſupernaturalis, recipienda eſt in obedientiali potentia; in qua neq; vitium, neque peccatum, neque aliud quid de genere mali poteſt ſubiectari, vt eſt per ſe notum. Neque derogat, ſed potiùs congruit perfectioni rei ſupernaturalis, quòd nulla forma directè ſibi contrarietur: ſicut perfectioni ſubſtantiæ creatæ non derogat, imo ortum habet ex tali perfectione, quod nihil ſit illi propriè & directè contrarium: vt dicitur in prædicam. cap. de ſubſtant.

Obiectio. 16. Dices: ſi diſtinctio ſubiecti penes obedientialem & naturalem potentiam contrarietati officeret, nullæ eſſent formæ directè contrariæ, ne dum reſpectu ſupernaturalis ordinis; verùm neque reſpectu naturalis: quandoquidem vna ex formis contrariis debet eſſe violenta, vel ſaltem contra naturalem ſubiecti inclinationem, adeóque recipienda in potentia eius violenta ſeu obedientiali; & alia debet eſſe connaturalis, proindéque in potentia naturali ſubiectanda: vt patet in calore & frigore reſpectu aquæ, quæ non inſunt illi ſecundum eandem potentiam; ſed frigiditas, vt quæ ipſi debetur, ſecundum potentiam & inclinationem naturalem; calor verò, vtpotè violentus & repugnans, in potentia violenta vel obedientiali. Aut ergo dicendum eſt, prædictam diſtinctionem nullatenus contrarietati obeſſe; aut propter illam omnem contrarietatem directam inter quaſcumque formas denegandam.

Reſpondetur negando ſequelam. Ad inſertam verò probationem dicendum eſt, potentiam ſubiecti ad recipiendam formam violentam non eſſe propriè obedientialem, neque diſtingui à naturali, etiam per rationem cum virtuali diſtinctione in re, ita vt ſit ibi aliquomodo alia, & alia potentia; ſed vna indiuiſibilis in reſpectu ad formam, quam appetit, & ad quam natura ſua inclinatur, dicitur *potentia naturalis*: vt verò contra propriam inclinationem poteſt admittere & ſuſtentare formam repugnantem & extraneam, dicitur *violenta*: conſueuitque appellari *obedientialis*, non quia propriè obediat; ſed quia à validiore extrinſecè ſæpè deuincitur, deuictáque ſuſtinet, licèt cum repugnantia, illius formam. *Diluitur.* Neque in huiuſmodi potentia diſtingui poteſt duplex reſpectus: alius ad formam naturalem; & alius per ſe ad violentam: aliàs hæc poſterior forma non diceretur *violenta*, cum nihil ſit violentum ei, à quo per ſe reſpicitur. Sed eſt tantùm vnus indiuiſibilis reſpectus: qui cum per ſe ſit ad ſolam formam connaturalem, extenditur per accidens ad violentam: quatenus eius inclinatio reſpectu formæ propriæ non eſt tantæ virtutis, quin poſſit ab extrinſeco deuinci, & recipere oppoſitam. Sicut autem non eſt ibi duplex potentia, ſed omnino vnica, ita non eſt, per quod conſtituatur duplex formaliter ſubiectum, qua duplicitate obteſtetur contrarietati directæ. Cæterum potentia obedientialis, quæ eſt in homine ad virtutes infuſas, & ad cætera ſupernaturalia dona, eſt potentia ſuo modo ſupernaturalis, & eſt ſufficienter diſtincta à potentia naturali: ponitque in voluntate proprium reſpectum tendentem per ſe ad formas & habitus ſupernaturales: adeóque diſtinctum ab eo, quem ponit naturalis potentia, qui ſolùm eſt per ſe ad naturales formas, & ad naturale agens. Vnde ratione huius duplicis reſpectus eſt ibi alia & alia potentia, ratione quarum conſtituitur duplex formaliter ſubiectum tollens & impediens directam contrarietatem.

Secunda ratio. 17. Secunda ratio pro noſtra ſententia ſumpta etiam ex diffinitione, ſic formatur. De ratione contrariorum eſt, vt mutuo à ſubiecto ſe expellant vel ratione eſſentiæ, vel ſaltem ratione intenſionis, itavt in gradibus intenſis ſimul eſſe non valeant: ſed virtutes infuſæ & vitia nullo ex his modis ſe expellunt, ſed aliquando manent ſimul, etiam in gradibus intenſis: ergo non ſunt directè contraria. Maior habetur ex dictis num.14. Minor quoad primam partem, nimirum quòd virtutes infuſæ & vitia non ſe expellant præciſè ratione eſſentiæ, à nemine negatur: conſtabitque à fortiori ex dicendis pro ſecunda.

Hæc

Hæc autem, videlicet quòd nec ratione intenſionis ſe excludant, ita ſuadetur. Nam quæ hoc modo ſe expellunt, debet vtrumque habere latitudinem determinatam, & certum terminum ſuæ intenſionis, vltra quem, attenta ſua natura, non poſſint augeri: aliàs ſicut quantumcumque intenderentur, non peruenirent ad eum gradum, in quo de aliquo illorum, v.g. de vitio, verificaretur habere tantundem propriæ intenſionis, quantum virtuti deeſſet; ſed ſemper huic, cui nullus eſt terminus, deeſſet plus, quàm illud haberet: ita quantumcumque intenderentur, non deberent ſe excludere, vt explicuimus num.cit. atqui virtutes infuſæ non habent prædictum terminum, attenta earum natura: cum enim gratia & charitas, quas cæteræ virtutes in ſua intenſione ſequuntur, ſint formales participationes diuinæ naturæ & voluntatis, cui nullus eſt terminus, inde eſt, vt neque ipſa gratia & charitas, & conſequenter nec reliquæ virtutes aliquem terminum ſibi præfigant; ſed poſſint vltra quemcumque amplius & amplius in infinitum ſyncategorematicè intendi.

Obiectio. Nec refert ſi dicas, quòd vel loquimur de intenſione, quæ poteſt conuenire virtutibus infuſis naturaliter; vel de ea, quàm poſſunt habere per ordinem ad diuinam potentiam? ſi de prima, falſum videtur, quòd non ſit determinata: nam vt ait D.Thom. 3.p.q.7.art.12. in omnibus formis etiam ſupernaturalibus conſideratur aliquis terminus, vltra quem non eſt progredi: & ob id gratiæ Chriſti, quamuis in ratione entis eſſet finita, nulla additio fieri poterat, ſed habebat omnem intenſionem ſibi competentem, vt ibidem dicitur in ſolut. ad 1. Si de ſecunda, verum quidem eſt; non tamen ſpeciale virtutibus infuſis, nam etiam acquiſitæ de potentia abſoluta augeri poterunt amplius & amplius vſque in infinitum ſyncategorematicè: neque idcirco hæc latitudo obſtat earum contrarietati directæ cum vitiis, aut impedit, quòd in gradibus intenſis ſe excludant.

Enodatur. 18. Reſpondetur namque, ſermonem eſſe de intenſione, quæ virtutibus infuſis ex natura ſua poteſt competere. Negamus verò, hanc eſſe determinatam. Nec ſine fundamento id negamus: ſed ob rationem, quam tetigimus, quæ eſt D. Thomæ 2.2.q.24. art.7. vbi agens de charitate, probat, ex nullo capite deberi ſibi terminũ augmenti attenta ſua natura, his verbis: *Charitas ſecundum rationem propriæ ſpeciei terminum augmenti non habet: eſt enim participatio quædam infinitæ charitatis, quæ eſt Spiritus ſanctus: ſimiliter etiam cauſa agens charitatem eſt infinitæ virtutis, ſcilicet Deus: ſimiliter etiam ex parte ſubiecti terminus huic augmento præfigi non poteſt, quia ſemper charitate excreſcente, ſuperexcreſcit habilitas ad vlterius augmentum. Vnde relinquitur, quòd charitatis augmento nullus terminus præfigatur in hac vita.* Eadem autem ratio eſt de cæteris virtutibus ſupernaturalibus: quæ quoad infuſionem, augmentum, & corruptionem ſequuntur gratiam & charitatem, vt nuper diximus. Cum hoc tamen ſtat, quòd de facto gratia, & quælibet virtus infuſa habet certum terminum, vltra quem non intendetur: non quidem ex eius natura petitum, ſed præfixum à diuina ſapientia & prouidentia: quæ ſicut omnes electos prædeſtinauit ad certum gradum gloriæ, ſic vniuſcuiuſque gratiæ, charitati, & aliis virtutibus infuſis certum terminum deſignauit. Et hoc ſolùm

D.Thom.

intendit D.Thom. loco cit. ex 3.p. vt conſtabit legenti corpus articuli, vbi inter alia dicitur: *Sicut autem aliarum formarum eſt ex diuina ſapientia determinata propria menſura, ita & gratiæ, ſecundum illud Sap.11. Omnia numero, & pondere, & menſura diſpoſuiſti*, &c. *Idem.*

Confirmatio rationis. Confirmatur prædicta ſecunda ratio ab experientiis: nam experimur, hominem ante iuſtificationem infectum vitiis in gradu intenſo, manere cum eiſdem & in eadem intenſione, etiamſi ſatis probabiliter credatur, habuiſſe actum contritionis valdè intenſum, per quem vnà cum Sacramento ſit iuſtificatus, infuſaſque illi gratiam & virtutes ſupernaturales in eadem vel maiori intenſione: & ita paulò poſt patitur eandem difficultatem circa proſequutionem boni, & fugam mali, quam ante iuſtificationem patiebatur: manent ergo ſimul in illo habitus vitioſi cum prædictis virtutibus etiam in gradibus intenſis.

Duplex euaſio. 19. Dicunt nonnulli (vt occurrant huic confirmationi) in caſu poſito deſtrui vitia per aduentum virtutum infuſarum: illa verò difficultas circa bonum, & inclinatio ad malum, quæ poſt iuſtificationem ſentiuntur, non proueniunt ex permanentia vitiorum; ſed ex vehementia paſſionum, quæ non ita citò ſedantur. ¶ Alij verò dicunt, quòd aduenientibus virtutibus infuſis in gradu intenſo, pereunt vitia ſecundum propriam rationem & ſubſtantiam; remanent tamen eorum loco intenſæ quædam diſpoſitiones vitioſæ, quæ impellunt ad malum, & retardant à proſequutione boni: & ab iſtis prouenit illa difficultas, quæ tunc ſentitur. Cui ſolutioni videtur fauere D.Thom. cit.art.10. ex quæſt.de virtutibus, cuius verba adducemus num.21.

Præcluditur. Sed contra primam euaſionem vrget: quia ſi homo ille parùm poſt iuſtificationem relabatur, ſentiet eandem difficultatem per modum permanentis ad proſequendum bonum, & eandem inclinationem ad malum, quam ante iuſtificationem ſentiebat, vt experientia teſtatur: atque adeo habet tunc habitus vitioſos æquè vel ferè æquè intenſos, ſicut habebat antea: paſſiones enim ſine habitibus, quantumuis perturbatæ & vehementes, non inclinant permanenter; ſed quaſi in tranſitu & motu: cum ergo tales habitus non fuerint denuò producti per vnum dumtaxat actum peccati mortalis quo relapſus fuit, præſertim cum potuerit eſſe valde remiſſus: ſatis perſpicuè infertur, prædictos habitus, & eorum intenſionem per iuſtificationem non periiſſe quoad ſubſtantiam, ſed permanſiſſe ſaltem in eſſe phyſico, vnà cum virtutibus infuſis etiam intenſis.

Contra ſecundam verò etiam vrget, quòd ſi virtutes ſupernaturales in magna intenſione infuſæ excludunt habitus vitioſos, non eſt cur infuſæ in eadem intenſione prædictas diſpoſitiones ſecum compatiantur, aut cur eas non expellant: cum ex vna parte reſpiciant idem obiectum, quod habitus vitioſi; adeóque ex ea parte habeant eandem contrarietatem ad prædictas virtutes: & ex alia quia ſunt diſpoſitiones facilè mobiles à ſubiecto, debeant habere minorem conſiſtentiam in illo, & minorem vim ad reſiſtendum efficaciæ virtutis infuſæ. Quo circa in virtutibus acquiſitis hoc videmus, quòd cum aliqua eſt tantæ intenſionis, vt excludat habitum vitij oppoſiti, nequaquam permit-

tit ſecum diſpoſitionem intenſam circa obiectum vitij pereuntis : quia vis ſufficiens ad expellendum habitum,à fortiori ſufficit ad excludendam diſpoſitionem eodem modo intenſam. ❡ Accedit quòd vel illa diſpoſitio eſt diſtinctæ ſpeciei ab habitu ; vel eiuſdem? Si eiuſdem,non eſt cur non excludatur per virtutem habitum expellentem. Si diſtinctæ,potiori iure debet excludi:quoniam talis diſtinctio ſita eſt in eo,quòd habitus habet perfectum modum eſſendi in ſubiecto, eſtque ab eo difficile mobilis : diſpoſitio verò habet modum eſſendi imperfectum , & eſt facilè mobilis:citius autem remouetur à ſubiecto per formam contrariam, quod imperfectè ineſt, quàm quod ineſt perfectè , ſuppoſita vtriuſque æquali intenſione. Obiectionem verò, quæ aduerſus noſtram confirmationem ſtatim ſe offerebat, adducemus, & diluemus inter argumenta oppoſitæ ſententiæ. Vbi etiam locus,qui citatur ex q.de virtutibus, lucem accipiet.

Tertia ratio remittitur.

20. Tertia ratio pro aſſertione ſecunda erat ex prima particula diffinitionis contrariorum, quam primo loco aperuimus : ſed eam prætermittimus,ne,multiplicando rationes,plus debito immoremur : & quia ex doctrina tradita, n.11. quiſque eam facilè formabit. Non autem eſt ita vniuerſalis, & pro omnibus vitiis , ſicut præcedentes : ſed pro iis , quæ naturali rationi immediatè aduerſantur , & directè illa prohibentur. In quibus non erit difficile oſtendere, quomodo neque attingant immediatè illammet rationem motiuam , ſeu terminatiuam , quam attingunt virtutes infuſæ ex directione prudentiæ ſupernaturalis, etiam cum diſcrimine, & oppoſitione in modo attingendi ; ſed aliam inferiorem , & propriam virtutum acquiſitarum : neque cum conuenientia in prædicto modo attingant rationem immediatè oppoſitam ei,quàm virtutes infuſæ reſpiciunt ; ſed aliam ordinis inferioris, directeque oppoſitam illi, quam reſpiciunt acquiſitæ : atque adeo quod nullo ex his modis poſſunt prædicta vitia , & virtutes accipere ex ſuis obiectis contrarietatem directam.

§. III.

Sententiæ oppoſitæ , & duo priora argumenta.

21. ADuerſus noſtram aſſertionem ſunt duæ ſententiæ, quæ oppoſitum dicendi modum magis vel minus extendunt. Prima (quæ eſt Zumelis in præſenti diſputatione 2. concluſ.2.) ſine vlla diſtinctione affirmat, vitia directè contrariari virtutibus infuſis. Secunda diſtinguit de vitiis contra naturalia, vel contra ſupernaturalia , vt diſtinximus num.10. & quoad priora tenet nobiſcum ; quoad poſteriora verò nobis opponitur. Hanc tuetur Monteſinos in præſenti diſput.1.num.16. Araujo dub.2. & alij. Et quia argumenta vtriuſque ſententiæ ſe coadjuvant, nobiſque eodem ferè modo opponuntur , promiſcuè illa adducemus.

Primum argumentum ex D.Thom.

Arguitur ergo primò ex D.Thoma infra quæſt.73.art.4. ad 3. vbi docet, quòd odium Dei directè opponitur charitati. Idem docet de ſpe reſpectu deſperationis 2. 2. quæſt.129.art.6.ad 2. quæſt. verò 36.art.3. ad 3. de miſericordia ait , quòd opponitur illi directè inuidia *ſecundum contrarietatem principalis obiecti :* loquitur autem de miſericordia infuſa, quæ eſt charitatis effectus, vt videre eſt in fine illius ſolutionis. Sentit ergo,ſaltem inter aliqua vitia, & virtutes infuſas reperiri directam contrarietatem.

Confirmatio.

Confirmatur : nam iuxta doctrinam Angelici Doctoris aduenientibus virtutibus infuſis , pereunt vitia,vel ſaltem debilitantur & diminuuntur : ergo ſunt directè contraria. Conſequentia videtur legitima apud nos , qui hanc diximus præcipuam contrariorum legem,vt mutuò ſe expellant vel diminuant : ex eaque deſumpſimus ſecundam rationem ad negandam virtutibus infuſis prædictam contrarietatem. Pro antecedente verò ſunt plura loca, quæ adducemus.

D.Thom.

Nam 3.p.q.85.art.2.ad 3. ſic ait D.Thomas. *Qualibet virtus ſpecialis formaliter expellit habitum vitij oppoſiti : ſicut albedo expellit nigredinem ab eodem ſubiecto : ſed pœnitentia expellit omne peccatum effectiuè,*&c.Item 2.2.quæſt.53.art.1.ad 3.docet, quòd per pœnitentiam reſtituitur prudentia infuſa, & *tollitur habitus contrarius, in quo propriè conſiſtit peccatũ imprudentiæ.*Non minus expreſsè hoc tradit quæſt.1. de virtutibus art.10.ad 16. vbi ſic ait : *Actus contritionis habet,quòd corrumpat habitum vitij ex virtute gratiæ. Vnde in eo qui habuit habitum intemperantiæ, cùm conteritur, non remanet cum virtute temperantiæ infuſa habitus intemperantiæ in ratione habitus ; ſed in via corruptionis,quaſi diſpoſitio quadam,*&c. Denique in 4. diſt.14.quæſt.2.art.4. cùm dixiſſet non oportere, quòd virtutibus infuſis reſtitutis,ſtatim habitus vitiorum totaliter tollantur, addit : *quamuis impediantur, & etiam diminuantur :* ergo ex mente D.Thom. virtutes infuſæ tollunt vel diminuunt habitus vitiorum.

Exponitur D.Thom. in prioribus locis.

22. Reſpondetur , Diuum Thomam in primo, & ſecundo teſtimonio non loqui de contrarietate vel oppoſitione,quæ ſit directa abſolutè, & ſimpliciter , ſed ſecundum quid & quodammodo.Quia enim diffinitio contrariorum requirit omnia illa,quæ §.1.tam ex parte ſubiecti, quã ex parte obiecti, atque impoſſibilitatis extremorum diximus ; idcirco vt detur inter aliqua perfecta contrarietas , ſeu quæ ſit directa abſolutè, & ſimpliciter , neceſſe eſt vt omnia concurrant : nam bonum(cui hæc contrarietas aſſimilatur)debet eſſe ex integra cauſa.Si verò aliqua adſint,& aliquid deficiat ; talis contrarietas dicetur *directa* non *ſimpliciter* , ſed ex parte & ſecundum quid.Ita autẽ contingit in præſenti : nam odium Dei, & charitatis ; ſpes & deſperatio , aliaque huiuſmodi habent requiſita ad contrarietatem, quantum eſt ex parte obiecti,cùm verſentur circa idem oppoſito modo : & hoc attendens D. Thomas conceſſit illis oppoſitionem directam, quantum eſt ex iſto capite. Cæterum quia ſubiectum vtrorumque non eſt idem formaliter;deficiunt ex hac parte à contrarietate,quæ ſit directa adæquatè & ſimpliciter , de qua loquitur. ❡ Adde, in primo teſtimonio ob aliam rationem non poſſe D.Thomam intelligi de contrarietate ſimpliciter directa : quia ibi non ſit collatio habitus odij ad habitum charitatis ; ſed actus odij ad habitum charitatis : conſtat autem,directam contrarietatem debere eſſe vel actus ad actum, vel habitus ad habitum , qui ſe quaſi ex diametro & linea recta reſpiciunt ; non verò actus ad habitum , qui ſolùm ſe reſpiciunt obliquè, & indirectè.

Ad tertium teſtimonium conſtat ex modò dictis : nam eſto , loquatur D.Thomas de miſericordia infuſa;intelligendus eſt non de contrarie-

tate

tate directa ex omni capite, adeoque ſimpliciter & abſolutè;ſed quantum eſt ex parte obiecti : vt explicuit ſanctus Doctor,dum addidit *ſecundum contrarietatem obiecti principalis*:quod eſt eſſe directam ſecundum quid. ¶ Diximus *eſto loquatur de miſericordia infuſa*, &c. quia quamuis in fine illius ſolutionis de ea loquatur , dum meminit charitatis; in principio tamen & in verbis, quæ afferuntur,verius eſt loqui de miſericordia naturali : loquitur enim iuxta mentem Philoſophi, qui in 2.Rethoric.dixit,inuidiam opponi miſericordiæ & nemeſi : Philoſophus autem non fuit locutus de miſericordia infuſa,quam non agnouit; ſed de miſericordia & nemeſi,quæ ſunt virtutes acquiſitæ , vel laudabiles quædam paſſiones : vt habetur eadem 2.2.quæſt.30.art.3. ad 4. Vnde conſultò D.Thom. cùm in principio prædictæ ſolutionis , vbi loquitur iuxta Philoſophum,dixiſſet,inuidiam opponi miſericordiæ directè ; in fine,vbi applicat doctrinam miſericordiæ infuſæ,non poſuit aduerbium *directè* : vt innueret,quòd licèt inuidia collata cum miſericordia naturali (de qua Philoſophus in prædicto loco) habeat ad illam contrarietatem directam; collata tamen cum infuſa, quæ eſt charitatis effectus, habet quidem ipſi opponi aliquo genere contrarietatis, ſed non omnino directæ.

23. Ad confirmationem dato adhuc antecedente,eſſet neganda conſequentia : quia ſola expulſio vnius oppoſiti ad ingreſſum alterius non eſt ſufficiens ſignum contrarietatis directæ:cum poſſit ex aliis capitibus ſufficienter oriri,vt diximus n.14. Nos autem ex coëxiſtentia virtutis infuſæ, & vitij in gradibus intenſis rectè in noſtra ſecunda ratione negauimus illis contrarietatem directam : quia prædicta expulſio , vt numero citato dicebamus,eſt proprietas contrariorum ſecundo modo proprij atque adeo conuenit omnibus contrariis,licèt non ſolis:vnde ex eius negatione rectè infertur negatio contrarietatis directæ ; non tamen ex affirmatione infertur affirmatio : ſicut ex eo quòd aliquid non ſit bipes, infertur non eſſe hominem; non autem infertur eſſe hominem ex eo quòd ſit bipes.

Alia D. Th. loca explicantur.

Verùm quia falſitas prædicti antecedentis apud nos eſt perſpicua,negandum eſt. Teſtimonium verò ex 3.part. intelligitur de virtutibus acquiſitis : neque eſt vnde probetur,etiam infuſas ſub illa doctrina comprehendi. Solùm enim intendebat D.Thomas diſcriminare modum,quo pœnitentia expellit omnia peccata ab illo , quo cæteræ virtutes expellunt, vnaquæque ſuum vitium : quia illæ formaliter propter directam oppoſitionem circa idem obiectum,& ſubiectum ; illa verò efficienter, quatenus elicit,vel imperat actus ſatisfactorios , quos acceptans Deus , remittit offenſam,& delet peccata. Ad verificandum autem hoc diſcrimen non eſt neceſſe, vt in omnibus virtutibus ſic accidat ; ſed ſufficit vt in acquiſitis : pro quibus, non verò generaliter pro omnibus, diſtribuenda eſt illa particula *qualibet virtus.*

¶ In ſecundo teſtimonio ex 1.2.q.53.videtur mendosè legi *habitus contrarius* pro *actu contrario* : nam additur , *In quo conſiſtit propriè peccatum imprudentiæ* : peccatum autem imprudentiæ non conſiſtit in habitu,ſed in actu.Et ideo hanc lectionem ſeruant opera Seraphini excuſa Venetiis anno 1596.

¶ Sed alia admiſſa, reſpondet ibi Caietanus, habitus vitioſos ex eo dici corrumpi , & deſtrui per pœnitentiam ; & per gratiam, quia virtute earum amittunt proprium ſtatum , & complementum vitij , ſub quo erant ante iuſtificationem : adeoque pereunt formaliſſimè in eſſe vitiorum moralium ; quamuis maneant quoad ſubſtantiam , & intenſionem phyſicam. Et eodem modo intelligendus eſt locus ex quæſtione de virtut. & qui adducitur ex 4.ſentent. diſtinctione 14.

24. Verùm contra hanc ſolutionem arguit Curiel in hunc modum. Nam vel vitia poſt iuſtificationem manent cum propriis differentiis ſpecificis ; vel huiuſmodi differentiæ deſtruuntur ? Si primum , manent formaliter in ratione vitiorum : nam vitium in ratione talis conſtituitur per ſuam ſpecificam differentiam,tandiuque permanet,quandiu differentia ipſa perdurat. Secundum autem dici nequit : quia deſtructa alicuius ſpecifica differentia, implicat quòd remaneat eius entitas , & ſubſtantia. ¶ Præterea, in habitibus moralibus non eſt aliud entitas phyſica à moralitate ; ſed per primariam differentiam, qua vnuſquiſque conſtituitur phyſicè in ratione talis habitus , conſtituitur formaliter in eſſe vitij, vel virtutis ; aliàs virtus,& vitium non propriè eſſent ſpecies reſpectu habitus , ſed haberent ſe ad illum ſicut accidens ad ſubiectum, contra doctrinam D.Thomæ ſupra quæſt.54.artic.3. ergo dum vitium permanet ſecundum entitatem , & differentiam phyſicam , permanet etiam quoad moralitatem,adeoque in ratione vitij formaliſſimè.

Impugnatio Curielis.

Hæc tamen impugnatio non ſic vrget , vt prædicta ſolutio omitti debeat , ſed explicari : quæ procul dubio eſt ad mentem Diui Thomæ : & eam tuentur Aluarez diſputatione 121. Gregorius Mart. in præſenti dubio 3. & alij : Pro cuius intelligentia animaduertendum eſt, quòd quemadmodum virtus aliud dicit conſiderata præcisè ſecundum ſuam eſſentiam , vel entitatem phyſicam , videlicet quòd ſit inclinatio per modum permanentis ad actum rectum ; & aliud vt conſideratur formaliſſimè in eſſe virtutis, ſeu ſub ſtatu , & perfectione virtutis , nempe quòd ſit forma per charitatem , & ordinata ad finem vltimum , iuxta doctrinam Diui Thomæ ſupra quæſt.65.artic.2. & 4. & ideo fides, & ſpes , quæ ſunt in peccatoribus , habent quicquid pertinet ad earum entitatem phyſicam , non tamen ibi ſunt ſub ſtatu, & perfectione virtutis defectu formationis : ſic etiam vitium , de cuius ratione eſt inclinare ad actum diſſonum rationi , aliud importat conſideratum præcisè quoad ſubſtantiam , & entitatem vitij ; & aliud attentum formaliſſimè in eſſe vitij moralis , ſeu ſub ſtatu, & munere habitus vitioſi. Nam primo modo dicit inclinationem ad obiectum diſſonum , quantum eſt ex ſe difficile mobilem : & in hoc eſſentia eius ſita eſt. Secundo verò modo importat eandem inclinationem , non vtcumque, ſed per modum propenſionis practicæ & expeditæ , de facilique reducibilis ad actum, & inſuper importat, quod ita fortiter,ac præualenter ratione prædictæ propenſionis adhæreat ſuo obiecto , vt quaſi dominetur voluntati , ſibique eam ſubiiciat in ordine ad illius proſequutionem. Hic enim eſt proprius ſtatus , & complementum vitij , ſub quo habituale munus vitij moralis exercet. Quocirca quamuis ſit in ſubiecto quoad totam entitatem phyſicam ; niſi tamen prædicto modo voluntati dominetur, non

Doctrina pro tuenda ſolutione.
Aluar.
Greg.Mart.

Digitized by Google

habebit complementum, & ſtatum vitij proprium: ac proinde neque abſolutè, & ſimpliciter nomenclaturam habitus vitioſi merebitur.

25. Secundò nota, quòd vitia in peccatoribus, vbi per gratiam, & virtutes infuſas non cohibentur, & refrænantur, non vtcunque inclinant ad ſua obiecta, ſed expedite & practicè, & vt de facili reducibilia in actum. Nam quia nulla cohibente gratia, adhærent fortiter obiecto, præualent voluntati, eamque ſibi quoad proſequutionem mali; & fugam boni ſubjiciunt: ita vt voluntas quaſi famuletur vitiis; hæc verò illi dominentur. Cæterum adueniente gratia & virtutibus infuſis, è contra res ſe habet: nam voluntas, quæ prius erat vitiorum famula, præualet & confortatur contra illa. Taliter enim per iuſtificationem mutata eſt in melius, vt intimiùs & firmiùs adhæreat Deo fini vltimo, quàm cuiuis alteri obiecto: præualeatque inclinatio in talem finem omni alteri inclinationi ſubjiciendo eam ſibi, & prædicto fini. Ac per hoc vitia ipſa deſtituuntur dominio illo, quo antea pollebant: manentque deinceps ſicut famulantia (vt D.Th. loquitur) non verò vt dominantia: taliterque elongata & prohibita à ſuis actibus peccaminoſis, vt licèt quaſi ſpeculatiuè & remotè illos reſpiciant; non tamen expeditè & practicè: nec valeant in ſenſu compoſito gratiæ in aliquem prorumpere. Si verò poſtules an prædictum dominium, ſeu ſtatus vitij addat aliquid in eo ab entitate diſtinctum? Reſpondetur, in recto nihil addere in eſſe rei, ſed per connotationem abſentiæ gratiæ & virtutum ſortitur vitium illam denominationem, & illud munus dominandi voluntati.

Deſumpſimus verò hanc doctrinam ex D.Th. loco cit. de virtutibus in ſolutione ad 14. vbi poſtquam dixit, colluctationem carnis ſine miraculo nunquam deuinci ex toto, & nihilominus per virtutes modificare paſſiones, vt ab eis homo non effrænatè moueatur: & quòd virtus acquiſita præualet quantum ad hoc quòd impugnatio earum minus ſentitur, addit: *Sed præualet virtus infuſa quantum ad hoc quod facit, quòd huiuſmodi paſſiones & ſi famulentur; nullo tamen modo dominentur. Virtus enim infuſa facit, quòd nullo modo obediatur concupiſcentiis peccati: & facit hoc infallibiliter, ipſa manẽte, &c. vnde ait Apoſtolus Rom. 7. Cum eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti: nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, non in vetuſtate literæ.* In quo, vt vides, duo tribuit S. Doctor virtuti infuſæ: nempe & quòd ita vitium compeſcat, retundatque eius propenſionem, vt nequeat dari in ſenſu compoſito reductio illius ad actum: & quòd ita illud ſuppeditet, & ſubjiciat, vt quamuis famuletur voluntati ſuis paſſionibus; nequaquam tamen dominetur: quod eſt tollere ab illo complementum, & ſtatum, quem diximus: atque adeo corrumpere ipſum formaliſſimè in eſſe vitij practici, ſiue moralis.

D.Thom.

26. Adde ex Caietano vbi ſuprà, ad ſtatum vitiorum requiri, vt permaneant non retractata, ſed conſeruantia rationem voluntarij, ſicut dum fuerunt acquiſita: in iuſtificatione autem retractatur hæc ratio per pœnitentiam: quatenus retractantur actus peccaminoſi, qui voluntariè vitia genuere: vnde ſicut iam non manent vt homini voluntaria, ita nec cum prædicto ſtatu. Declarat hoc Caietanus exemplo ſcientiæ: de cuius ratione eſt, vt ſciatur per illam reductio concluſionum ad principia: & ideò ſi quis penitus obliuiſcatur medij, per quod facienda eſt reductio, peribit ſcientia formaliter in eſſe talis; quamuis maneat in ratione cuiuſdam inclinationis ad prædictas concluſiones; elongata tamen & remota ab exercitio: ſic ergo in præſenti, proportione ſeruata, philoſophandum eſt.

Ex quibus iam liquet, quomodo ſolutio Caietani congrua ſit, & ad mentem D.Thom. Non enim intendit, quòd vitia per aduentum virtutum infuſarum amittant aliquid de ſua propria, & ſpecifica ratione, aut quod non retineant propriam differentiam conſtitutiuam eſſentiæ vitij, vt quidam putaverunt (quod duntaxat impugnat Curiel) ſed quòd manent ita retractata, & cohibita per gratiam, & virtutes, vt non retineant illum ſtatum, qui proprius eſt habituum vitioſorum; & ſub quo, non verò aliter eam nomenclaturam abſolutè, & ſimpliciter ſortiuntur. ¶ Hoc autem & nihil amplius intendit etiam D. Thomas in locis adductis, præſertim quæſtione de virtutibus, vbi clariùs loquitur dicens: *corrumpi habitum intemperantiæ per vnum actum contritionis: & non manere cum virtute temperantiæ infuſæ in ratione habitus, ſed in via corruptionis quaſi diſpoſitio quædam.* Loquitur enim de prædicto habitu formaliter quoad ſtatum: eatenuſque aſſerit, hunc, & alios corrumpi per contritionem, quatenus per eam retractantur, & redduntur inuoluntarij, cohibenturque ita ab actibus, vt nequaquam deinceps voluntati dominentur; ſed potius famulentur. Quod eſt corrumpi formaliſſimè in eſſe habituum moralium vitioſorum. Cùm hoc tamen ſtat, quòd maneant quoad ſubſtantiam, & entitatem phyſicam. Et ideò conſultò Angelicus Doctor non dixit abſolutè, habitum intemperantiæ non manere, ſed addidit *in ratione habitus:* vt innueret manere quidem ſecundum eſſentiam; non tamen in eo ſtatu, & modo eſſendi, quem habitus ad ſui complementum, & ex ſe poſtulet diuturnitatem, & permanentiam; propter cohibitionem tamen ab actibus, & propter alia, quæ explicuimus, tendit ad corrumpi, & ideo ſubditur, *ſed in via corruptionis quaſi diſpoſitio, &c.* ¶ Quin imo etiamſi D. Thomas non fuiſſet loquutus cum illo addito *quaſi diſpoſitio*, ſed dixiſſet abſolutè, non manere habitum, ſed diſpoſitionem, poſſet rectè intelligi modo à nobis explicato iuxta doctrinam ſancti Doctoris ſupra quæſt. 49. art. 2. ad 3. vbi ſic ait: *Poteſt intelligi diſpoſitio propriè dicta condiuidi contra habitum dupliciter: vno modo ſicut perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie: vt ſcilicet diſpoſitio dicatur retinens nomen commune, quando imperfectè ineſt, ita quod de facili amittitur; habitus autem quando perfectè ineſt vt non de facili amittatur. Alio modo poſſunt diſtingui ſicut diuerſæ ſpecies vnius generis ſubalterni, &c.*

Applicatur doctrina.

D.Thom.

27. Sed ex dictis inſurgit noua obiectio, quam pro ſecundo argumento proponemus. Quia ſi infuſis virtutibus, manerent adhuc vitia in gradu intenſo, denominarent habentem ſimpliciter *vitioſum:* & hoc communiter non admittitur: non enim eum vocamus abſolutè & ſimpliciter *vitioſum*, qui eſt in gratia, & per illam iuſtus ſimpliciter: ergo dicendum eſt, prædicta vitia per virtutes infuſas tolli, vel diminui.

Argumentum ſecundum.

Confirmatur primò: nam denominatio alicuius

cuius formæ ſolùm importat ipſam formam vt communicatam ſubiecto: ergo ſi in iuſtificato permanent vitia, non eſt cur ei propriam denominationem non conferant.

Confirmatur ſecundò: quoniam iuſtus habens virtutes acquiſitas intenſas, ſi in aliquod mortale ex fragilitate labatur, adhuc retinet denominationem *virtuoſi*: non niſi quia prædictæ virtutes in gradu intenſo permanent ſimul cum peccato: ergo ſi vitia in prædicto gradu remanent poſt iuſtificationem cum virtutibus infuſis; retinebit non minùs iuſtificatus denominationem *vitioſi*. Imo potiori iure debet hic denominari *vitioſus* à vitiis, quàm ille à virtutibus *virtuoſus*: quia minus ſufficit ad malum, quàm ad bonum, iuxta illud, *bonum ex integra cauſa; malum autem ex quocunque defectu.*

Soluitur cũ prima confirmatione. Reſpondetur ad argumentum, eſſe aliquas denominationes ad quas non ſufficit habere formam denominantem præcisè quoad eſſentiam; niſi habeatur ſub ſtatu & complemento proprio talis formæ. Et huiuſmodi eſt denominatio *vitioſi*: ad quam vltra vitij eſſentiam requiritur quòd ſit in ſubiecto cum modo eſſendi & ſtatu, quem explicuimus. *Vitioſus* enim ſonat quaſi voluntariè deditus vitiis, vitiorum dominio ſubiectus, & ad actus vitioſos procliuis: unde qui habet vitia, & non ſic eſt illis ſubiectus propter efficaciam & virtutem gratiæ, non eſt dicendus abſolutè & ſimpliciter *vitioſus*; quamuis fortè poſſit denominari *vitiatus*, ſeu *vitiis læſus*. Per quod patet ad primam confirmationem.

Diluitur ſecunda confirmatio. 28. Ad ſecundam diximus tom. præced. in tract. de virtutib. diſp. 4. à n. 27. & 28. neminem in peccato mortali exiſtentem dicendum eſſe abſolutè & ſimpliciter *virtuoſum*; etiam ſi retineat habitus virtutum acquiſitarum in quauis intenſione: quia neque huiuſmodi habitus dicuntur ſimpliciter *virtutes*, quoties deeſt illis vita & formatio per charitatē, vt cit. loco explicuimus. Illud verò *malum ex quocunque defectu*, &c. non ita accipiendum eſt, vt quilibet defectus ſufficiat ad quamlibet mali denominationem: defectus enim peccati venialis perſpicuum eſt quòd non denominat hominem *ſimpliciter malum*, aut *ſimpliciter peccatorem*: ſed ſenſus eſt, quemlibet defectum ſufficere ad aliquam denominationem de genere mali; proportionatam tamen ipſi defectui ſecùs verò in bonis, quia non quælibet ratio ex iis, quæ ad bonitatem requiruntur, ſufficiens eſt tribuere aliquam denominationem boni. Denominatio autem *vitioſi* non eſt proportionata reſpectu vitij niſi pro vt ſtat ſub ſtatu & complemento explicato. ¶ Adde, axioma illud habere locum in actibus; non autem ſemper in ſubiecto habituum. Quia enim de ratione actus boni eſt, vt ſit conformis regulis prudentiæ, & quælibet mala circunſtantia tollit hanc conformitatem; inde eſt vt quilibet defectus deſtruat totam bonitatem actus, nihilque in eo relinquat *formaliter bonum*. Cæterum habitus vitij & virtutis poſſunt ſimul manere in ſubiecto, & conſequenter poteſt vnuſquiſque aliquam denominationem conferre: a quo verò præcipua denominatio, & quæ abſolutè & ſimpliciter ſit talis, deſumi debeat, facilè colligitur ex hucuſque dictis.

Replica. Sed vrgebis: vitia, quæ ſolùm inclinant ad actus peccati venialis, vt vitium mentiendi, non cohibentur à ſuis actibus per gratiam: quia ſicut hæc per peccata venialia non excluditur, ita non retrahit ab eis omnino voluntatem: ergo prædicta vitia manent in iuſtificato ſub ſtatu vitij, adeoque denominabunt illum *ſimpliciter vitioſum*. Et ſanè nullus dubitat appellare abſolutè *mendacem* illum, qui habet habitum mentiendi, etiam ſi ſit in gratia.

Reſpondetur (quicquid ſit de antecedente) hic nos loqui de vitiis, quæ inclinant ad mortalia: nam quæ ſolum ad venialia inclinant, etiam ſi habeant totum ſuum ſtatum, non dicuntur *vitia* ſimpliciter, ſed ſecundum quid: ſicut ipſa venialia ſecundum quid tantùm ſunt peccata, vt dicemus diſp. 19. Vnde huiuſmodi vitia etiam ſi per gratiam non omnino cohibeantur, nequeunt denominare habentem *vitioſum* ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Propterea verò appellamus abſolutè *mendacem* habentem intenſum habitum mentiendi, etiam ſi ſit in gratia, quia hæc non eſt denominatio *vitioſi* ſimpliciter, ſed ſecundum quid; quamuis ſit denominatio *mendacis* ſimpliciter. Stat enim, aliquid participare ſimpliciter rationem huius determinati generis; rationem verò generis communis ſolum ſecundum quid: ſicut mendacium officioſum ſimpliciter habet quod eſt de ratione mendacij; non tamen ſimpliciter participat peccati rationem: & ideo *peccatum* dicitur ſolùm ſecundum quid, *mendacium* verò ſimpliciter: quod in analogis frequenter contingit: ita ergo dicendum eſt de vitio mentiendi. *Enodatur.*

§. IV.

Duo alia argumenta, & interrogatio incidens.

29. TErtiò arguitur: quoniam ſcientia infuſa excludit ab intellectu omnem ignorantiam, tam priuationis quàm prauæ diſpoſitionis contrariæ circa ſuum obiectum: & idem eſt de fide theologica: ergo virtus infuſa debet omnem habitum vitioſum ab appetitu circa ſuum obiectum excludere. *Tertium argumentum.*

Reſpondetur, admiſſo antecedente, negando conſequentiam. Ratio verò diſparitatis eſt: quoniam ſcientia & fides theologica conferunt intellectui omnimodam certitudinem veritatis ſcitæ aut creditæ, per quam totaliter conuincitur ad aſſentiendum tali veritati; & efficitur ei omnino difficilis contrarius aſſenſus, ita vt non poſſit adhuc ſpeculatiuè, talem aſſenſum facilem iudicare. Hæc autem victoria totalis circa oppoſitum non patitur ſecum aliquam inclinationem ad formandum aſſenſum contra prædictam veritatem; atque adeo neque ignorantiam, neque errorem, etiam habitualiter in talem aſſenſum propendentem. At verò inclinatio, quæ fit per virtutem, non ita plenè ab initio conuincit appetitum circa ſuum actum, vt ex tunc reddat appoſitum omnino difficilem, aut excludat quod poſſit ſpeculatiuè in ſenſu diuiſo facilis iudicari: quouſque exercente virtute ſuos actus, appetitus plenè illi ſubdatur, reddaturque ei valde difficilis tendentia ad oppoſitos, & vt talis ab intellectu iudicetur. ¶ Addendum verò eſt, prædictam incompoſſibilitatem ſcientiæ aut fidei cum ignorantia & errore habitualibus, ſicut etiam cum opinione, non oriri ex aliqua contrarietate directa inter illa: quippe ratione iſtius præcisè non prohiberentur ſimul eſſe in gradibus remiſſis, ſicut de facto prohibentur: ſed ex aliis capitibus iuxta dicta n. 14. *Diluitur.*

Denique arguitur: vitia, quæ tendunt immediatè *Argumentum vltimum.*

Digitized by Google

diatè contra ſupernaturalia, ſicut eſſet habitus odio habendi Deum vt finem, vel auctorem ſupernaturalem, habitus deſperandi de diuina miſericordia, vt propitiabili per merita Chriſti, habitus intemperantiæ tendens expreſsè contra motiuum prudentiæ infuſæ,& ſimiles neceſſariò debent expelli per virtutes infuſas ipſis correſpondentes: ergo ſaltem quantum eſt ex hoc capite, non debemus illis negare contrarietatem directam. Antecedens probatur. Tum quia prædicta vitia per aliquid debent corrumpi & expelli: aliàs ſemel acquiſita manerent perpetuo, quantumuis iuſtificatus in ſanctitate creſceret: non autem apparet aliud, per quod excludantur, niſi prædictæ virtutes. Tum etiam quia effectus formalis habitus odij Dei eſt auertere animam ab eo vt fine vltimo,vt docet D.Th. 2.2.quæſt.34. art.2. ſicut effectus charitatis eſt conuertere in illum: huiuſmodi autem effectus neceſſariò ſe excludunt,cum impoſſibile ſit,animam ſimul auerſam & conuerſam ad eundem finem. Imo quamuis effectus habitus odij non ſit prædicta auerſio, ſed ſolùm inclinare ad Deum odio habendum, & effectus charitatis inclinare ad eum amore proſequendum, debent ſe excludere ſaltem in gradibus intenſis: quia impoſſibile videtur, vt voluntas ſimul ſit intensè inclinata ad vtramque operationem.

Prima ſolutio. 30. Reſpondetur negando antecedens,ſaltem loquendo de expulſione,quæ fiat à virtute infuſa directè & immediatè. Ad cuius priorem probationem perdoctus quidam Iunior D.Thomæ diſcipulus admittit in vitiis,de quibus loquimur, contrarietatem directam, ratione cuius excludantur.Hæc tamen contrarietas (inquit) non eſt reſpectu virtutum infuſarum,ſed potius reſpectu acquiſitarum, illarum nimirum, cum quibus conueniunt in materia:atque adeo ſicut per iſtarum exercitium & augmentum deſtruuntur alia vitia propter contrarietatem directam, quam dub.præced.eis conceſſimus: ita hæc,de quibus loquimur, deſtruuntur ſucceſſu temporis per prædictum exercitium & augmentum propter ſimilem contrarietatem cum eiſdem virtutibus acquiſitis, ſine eo quòd infuſæ ad illorum expulſionem concurrant.Porro prædicta vitia directè contrariari virtutibus acquiſitis,ſuaderi poteſt. Quia ex parte ſubiecti habent conuenientiam:cùm vtrorumque ſubiectum ſit potentia naturalis: ex parte verò obiecti videntur etiam directè opponi: quia ratio naturalis præſcribens obiectum virtuti acquiſitæ, v. g. temperantiæ, prohibet omnem deordinationem in cibo, dum nullum permittit: huic autem vniuerſali prohibitioni directè opponitur quælibet inordinatio circa cibum, ex quocumque motiuo intendatur: ſicut vniuerſali prohibitioni furti,à quacumque lege fiat, directè opponitur quodcumque furtum: quia ſicut negatio (vt dici ſolet) ita prohibitio eſt malignantis naturæ,& quicquid poſt ſe inuenit,deſtruit. Quæcumque ergo ſit deordinatio, ad quam tendunt vitia, de quibus loquimur,opponitur directè rectitudini naturalis rationis:atque adeo etiam ipſa vitia debent directè opponi virtutibus tendentibus ad talem rectitudinem.

Hæc ſolutio non eſt improbabilis,& propter apparentiam rationis factæ, & propter auctorem, qui magni ſemper fuit apud nos. Non tamen omnino ſatisfacere videtur. Tum quia habitui odij Dei nulla correſpondet virtus acquiſita, ſed ſola charitas ſupernaturalis & infuſa: non enim in natura lapſa datur alius habitus inclinans ad Dei dilectionem etiam naturalem, vt ſatis probabiliter tenet Bannes 2.2.q.44.art.1. concl.1. ergo pro excluſione prædicti habitus odij non licet recurrere ad aliquam virtutem acquiſitam,cui contrarietur directè. Tum etiam quia ex eo quòd ratio naturalis nullam deordinationem permittat, non habetur quod prohibeat directè omnem deordinationem poſſibilem; ſed illam dumtaxat, quæ directè cadit ſub eius obiecto, ſeu quam ipſa ratio ſeu naturali lumine poteſt attingere: quæ verò huiuſmodi lumen excedit,ſicut excedit, quæ conſiſtit in tendentia expreſſa contra motiuum ſupernaturale, nequit directè & immediatè ab illa prohiberi:ſicut nec talis ratio poteſt dictare immediatè de tali motiuo,ſed ex conſequenti & indirectè:ex eo enim quòd dictet parendum eſſe cuilibet ſuperiori præcipienti aut prohibenti, conſequenter infertur,quòd ſi ratio ſupernaturalis vtpote legitimè ſuperior, aliquod obiectum prohibeat, hoc iam cauendum eſt etiam ex præſcripto rationis naturalis, quæ ſuppoſita tali prohibitione, & mediante ipſa, extenditur ad prædictum obiectum, quod ſe ſola non attingeret. Non ergo ex hoc capite probari poteſt, inter vitia de quibus loquimur, & virtutes acquiſitas, maior contrarietas, quàm indirecta.

31. Secundò poſſet reſponderi ad eandem probationem ſuſtinendo, prædicta vitia corrumpi per virtutes acquiſitas, & eorum augmentum: quia licèt contrarietas cum iſtis non ſit formaliter directa, vt oſtendere videtur impugnatio facta: eſt tamen directa virtualiter & æquiualenter: atque adeo præſtat quantum ad effectum excluſionis, quicquid præſtaret, ſi eſſet formaliter directa. Prædicta autem virtualitas & æquiualentia poteſt ita explicari.Nam quamuis ratio naturalis non immediatè, ſed mediante ſupernaturali prohibeat illa vitia; ſemel tamen facta prohibitione, nequeunt virtutes acquiſitæ inclinare ad ſua obiecta niſi cum ſubordinatione ad rationem ſupernaturalem vt talia vitia prohibentem: ſicut autem ipſa vitia repugnant huic prohibitioni, ſic etiam repugnant illi ſubordinationi: atque adeo prædictis virtutibus ita ſubordinatis, non minus efficaciter quàm repugnarent alia vitia, quæ à ratione naturali immediatè prohibentur. Cum hoc tantùm diſcrimine, quòd hæc poſteriora repugnant prædictis virtutibus abſolutè; illa verò non niſi ex prædicta ſuppoſitione:Huiuſmodi autem diſcrimen quamuis obſtet contrarietati formaliter directæ non obſtat virtualitati & æquiualentiæ, quam diximus. *Secunda ſolutio.*

Dices, eadem ratione poſſe defendi,quòd virtutes infuſæ corrumpant vitia, quia etiam debet eis concedi hæc contrarietas virtualiter directa, quæ conceditur acquiſitis; quamuis negetur directa formaliter. ¶ Reſpondetur eſſe diſparem rationem: quia virtutes acquiſitæ, & prædicta vitia habent formaliter idem ſubiectum, & habent ex natura ſua determinatam intenſionem; ſecus verò virtutes infuſæ: contrarietas autem indirecta non obtinet virtualitatem, quam diximus,niſi ſuppoſita huiuſmodi determinatione & vnitate ſubiecti formalis. *Duplex replica.*

Dices ſecundò, non ſaluari hac via,quòd habitus odij Dei per aliquam virtutem excludatur: quia nulla datur virtus acquiſita circa eius materiam,

Digitized by Google

teriam,vt num.præced.diximus:ergo,&c. ¶ Reſpondetur, quòd quamuis nulla ſit talis virtus; poſſunt tamen in habente gratiam dari actus dilectionis Dei naturalis ex alio principio prouenientes: & tales actus præſtant quantum ad effectum, de quo agimus, quod præſtaret illa virtus: propter conuenientiam in ſubiecto, & latitudinis determinationem vnà cum contrarietate indirecta ex parte obiecti.

Tertia ſolutio & verior. 32. Tertio reſpondetur, prædicta vitia deſtrui ſucceſſu temporis etiam ab ipſis virtutibus infuſis: imo ab his potius quàm ab acquiſitis: non per ſe vt à propriis contrariis; ſed per accidens vt à remouentibus prohibentia:quatenus tales virtutes impediunt actus ipſorum vitiorum, quibus deberent conſeruari. Hoc enim eſt diſcrimen inter habitus acquiſitos & habitus per ſe infuſos: quod iſti ſicut à ſolo Deo producuntur & augentur,ita à ſolo ipſo conſeruantur; neque in ſua duratione à propriis actibus dependent: ſed permanent, quandiu permanet gratia, cum tota intenſione, quam accipiunt; etiam ſi multo tempore nullum actum eliciant. Illi verò ſicut gignuntur repetitione noſtrorum actuum, ita ad hoc vt conſeruentur, poſtulant, eoſdem actus frequenter repeti:& ideo per ceſſationem ab eis, etiam ſecluſo alio contrario, remittuntur; ac tandem ſi diuturna ſit, corrumpuntur. Quod rectè explicuit D.Thom. 2. 2. quæſt.24. art.10. *D.Thom.* conſtituens prædictum diſcrimen inter charitatem & virtutes acquiſitas, his verbis: *Per ceſſationem quidem ab actu diminuuntur virtutes ex actibus acquiſitæ, & quandoque etiam corrumpuntur,vt ſupra dictum eſt: vnde de amicitia Philoſophus dicit in 8. & hic,quòd multas amicitias inappellatio ſoluit; id eſt, non appellare amicum, vel non colloqui ei: ſed hoc ideo eſt, quia conſeruatio vniuſcuiuſque rei dependet ex ſua cauſa: cauſa autem virtutis acquiſitæ eſt actus humanus: vnde ceſſantibus humanis actibus,virtus acquiſita diminuitur, & tandem totaliter corrumpitur. Sed hoc in charitate locum non habet: quia charitas non cauſatur ab actibus humanis, ſed ſolùm à Deo*, &c. Idem docet in 1.diſt.17.quæſt.2. art.9. Hæc autem doctrina de diminutione & corruptione per ceſſationem ab actibus, potiori iure applicanda eſt habitibus vitioſis: eo quòd inſunt contra inclinationem naturalem: & ideo niſi adſit cauſa conſeruans,ipſa natura citius ab eis ſe exonerat, quam ab habitibus virtutum, qui ſunt iuxta prædictam inclinationem. Quia ergo virtutes infuſæ dum exiſtunt, cohibent vitia a ſuis actibus, neque in eos proſilire permittunt, in cauſa ſunt, vt vitia ipſa per ceſſationem à prædictis actibus diminuantur,quouſque diuturna eorum priuatione tandem euaneſcant.

Replica. 33. Dices, D.Thomam non velle, quòd per ſolam ceſſationem ab actibus, nullo contrario inſurgente, habitus corrumpantur; ſed quòd ceſſantibus actibus alicuius habitus, tanquam remoto prohibente,inſurgunt actus contrarij,& generando habitum oppoſitum, corrumpunt præexiſtentem. Vt declarat S.Doctor hac 1. 2. q.53.art.3. ad quem locum ſe remittit in eo,quẽ ex 2. 2.attulimus. ¶ Reſpondetur, ex vtroque capite corrumpi habitum acquiſitum, ceſſantibus propriis actibus, & quia inſurgunt actus contrarij, & quia deeſt cauſa conſeruans. Quod ſi D.Thom. cit. quæſt.53. ſolum expreſſit primum modum corruptionis, quia is ſatis erat ad verificandam concluſionem illius articuli; non tamen ibi aut alibi negauit ſecundum: & quem ibi neque expreſſit neque negavit; expreſſit 2.2. cit. quæſt.24. Quod ſi inter prædicta loca eſſet diſſenſus,prior deberet accommodari poſteriori, & per eum declarari, potius quam è converſo. Neque verum eſt quod D. Thom. recurrit ad actus contrarios inſurgentes propter habitum ab eis generatum, quaſi tribuens huiuſmodi habitui prædictam corruptionem: quia re vera nec talis habitus mentionem fecit. Sed vim expellendi habitum præexiſtentem tribuit ipſis actibus, quatenus removent apprehenſionem ab obiecto illius, diſtrahúntque & deordinant ſpecies quibus apprehendebatur ut conveniens, & facilè proſequibile: atque hac via efficiunt, vt intellectus oblitus conuenientiæ talis objecti, aut nullo modo, aut non niſi difficulter formet eius iudicium, (cum qua difficultate non ſtat habitus) iudicium verò de oppoſito, & ſpecies ad illud efformandum in promptu habeat.

Ad ſecundam argumenti probationem negatur antecedens: quia effectus formalis habitus odij Dei non eſt avertere formaliter ab illo, ſed inclinare per modum actus primi, & quaſi in potentia ad talem auerſionem: Hæc autem ſolum eſt effectus peccati mortalis: vel actualis, ſi ſit *in fieri*; vel habitualis, ſi ſit *in facto eſſe*, vt diſput. 6. dub. 5. declarabitur. Cùm autem Div. Thom. loco in argumento citato ait, odium Dei importare directè auerſionem ab illo, non loquitur de odio habituali, quod eſt vitium, de quo agimus; ſed de actuali, quod eſt mortale peccatum: & quia tendit immediate contra Deum, importat directiùs, quàm alia, quæ ſunt circa objecta creata, prædictam averſionem. ¶ Ad ſecundum, quod tangitur in eadem probatione,reſpondetur,nullum eſſe inconveniens, quòd voluntas per aliquod breve tempus ſit intensè inclinata ad Deũ odio proſequendum; & ſimul in eodem gradu ad ipſum diligendum: dummodo hæc poſterior inclinatio priori illi dominetur, ſibíque eam quoad uſum ſubjiciat: adeóque hæc ſola ſit inclinatio practica & expedita, illa verò ſpeculativè tantùm & remotè in ſuum actum propendat,omninóque ab illo cohibeatur. Nam eo ipſo nulla eſt ibi formalis auerſio à Deo, cui repugnat ſimul eſſe cum gratia.

34. Si autem inquiras, utrum vitia ſaltem indirectè contrarientur virtutibus infuſis? Reſpondendum eſt affirmatiuè: ſive fiat ſermo de vitiis directè oppoſitis rectitudini naturali, ſive de illis quæ ſupernaturalibus motivis immediatè aduerſantur. *Satisfit interrogationi* Conſtat enim ex argumentis in hac diſp.tam ex auctoritate D.Thomæ, quam ex ratione adductis,omnia prædicta vitia habere aliquam contrarietatem cum virtutibus infuſis, & ſupernaturalibus donis: cúmque hæc contrarietas non poſſit eſſe directa & immediata, vt probatum eſt, oportet vt ſit mediata & indirecta. Et ita aſſerunt N.Cornejo diſp.1. dub. 2. & 3.Gregorius Mart.dub.3.concluſ. 6. & 7. Lorca diſp.2.concluſ.2.& alij. *Corneio. Greg.Mart. Lorca.* Et quidem in vitiis,quæ expresſè tendunt contra ſupernaturalia, citò apparet prædicta contrarietas.Nam ea vitia vel reſpiciunt obiectum immediatè oppoſitum obiecto virtutis infuſæ cum eodem modo tendendi: vel cum modo oppoſito tendendi reſpiciunt idem obiectum:quorum quodlibet neceſſariò refundit contrarietatẽ in habitibus ſic tẽdentibus, ut diximus *n.*11.cũmq;hæc cõtrarietas defectu unitatis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

tis ſubiecti formalis,& defectu aliorum non poſſit eſſe adæquata & directa,oportet vt ſit indirecta,& inadæquata. Sed & in aliis vitiis apparet prædicta contrarietas.Quoniam rectitudo naturalis,cui immediatè repugnant talia vitia,ſubordinatur rectitudini ſupernaturali, quam intendunt virtutes infuſæ: ergo nequeunt non eadem vitia ex conſequenti, & mediante prædicta ſubordinatione ipſi ſupernaturali rectitudini,prædictiſque virtutibus eam intendentibus contrariari. Quemadmodum quia Deus vt finis & auctor naturæ quaſi ſubordinatur ſibi ipſi vt fini ſupernaturali, qui cognoſcens in eo ſolam illam primam rationem, peccat mortaliter immediatè contra illam; ex conſequenti & indirectè delinquit contra ſecundam: & ab vtraque eodem ordine auertitur: adeoque remitti non poteſt tale peccatum ſine gratia conuertente ad vtramque.

35. Confirmatur: nam lex ſupernaturalis & dictamen prudentiæ infuſæ non ſolùm prohibet peccata & vitia tendentia contra motiua ſupernaturalia,ſed etiam quæ tendunt contra ordinem naturalem: nam quia dictamen illud eſt lumen ſuperius,ad omnia ſe extendit ſub motiuo altiori.Quicquid autem prohibetur per lumen & dictamen prudentiæ ſupernaturalis, contrariatur virtutibus infuſis, quæ eo dictamine reguntur. Hac ratione odium proximi,quo illi mortem,infamiam,aut aliud malum naturale optamus,ſicut directè & immediatè opponitur naturali amicitiæ; ita indirectè & mediatè contrariatur amicitiæ ſupernaturali,ſeu charitati.Cultus etiam plurium Deorum,violatio voti,& ſimilia directè opponuntur naturali religioni illa prohibenti ex motiuo naturali; mediatè verò opponuntur etiã religioni infuſæ, quæ ex ſupernaturali motiuo eadem prohibet: & ſic de aliis.

Dices cum Curiele: ſi vitia contrariarentur indirectè virtutibus infuſis,indirectè per eas excluderentur: non modo propter ceſſationem ab actibus iuxta dicta,n.32.ſed propter ipſorum habituum repugnantiam ad coëxiſtendum in gradibus intenſis.Nam contrarietas indirecta debet ſuo modo, ſcilicet indirectè, operari id ipſum, quod directa operatur directè: atque adeo ſicut quæ directè contrariantur, directè ſe expellunt; ſic quæ indirectè opponuntur, debent indirectè ſe excludere. ¶ Reſpondetur, non ſemper contrarietatem indirectam operari adhuc indirectè, quicquid directè operatur directa: nam eo ipſo quod indirecta, & inadæquata ſit, non tenetur ſequi omnes leges rigoroſæ contrarietatis; ſed deficit in aliquibus: ac præſertim in ea, de qua loquimur: niſi habeat æquiualentiam,& virtualitatem,quam explicuimus num.31. quæque virtutibus ſupernaturalibus propter ibidem dicta non competit.

Articulus II.

Vtrùm vitium ſit contra naturam?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd vitium non ſit contra naturam. Vitium enim contrariatur virtuti,vt dictum eſt: ſed virtutes non ſunt in nobis à natura; ſed cauſantur in nobis per infuſionem, aut ab aſſuetudine, vt dictum eſt: ergo vitia non ſunt contra naturam.

2. Præterea:ea quæ ſunt contra naturam,non poſſunt aſſueſieri, ſicut lapis nunquam aſſueſcit ferri ſurſum, vt dicitur in 2.Ethic.ſed aliqui aſſueſiunt ad vitia: ergo vitia non ſunt contra naturam.

3. Præterea: nihil quod eſt contra naturam, inuenitur in habentibus illam naturam, vt in pluribus: ſed vitia inueniuntur in hominibus vt in pluribus: quia ſicut dicitur Matth.7. lata eſt via, quæ ducit ad perditionem, & multi vadunt per eam: ergo vitium non eſt contra naturam.

4. Præterea: peccatum comparatur ad vitium, ſicut actus ad habitum, vt ex ſupradictis patet: ſed peccatum diffinitur eſſe dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, vt patet per Auguſtinum 22.contra Fauſtum: lex autem Dei eſt ſupra naturam: magis ergo dicendum eſt, quòd vitium ſit contra legem, quàm quod ſit contra naturam.

Sed contra eſt quod Auguſtinus dicit in 3.de liber.arbit. Omne vitium, eo ipſo quòd vitium eſt, contra naturam eſt.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt, vitium virtuti contrariatur: virtus autem vniuſcuiuſque rei conſiſtit in hoc,quòd ſit bene diſpoſita ſecundum conuenientiam ſuæ naturæ, vt ſupra dictum eſt.Vnde oportet,quòd in qualibet re vitium dicatur ex hoc,quòd eſt diſpoſita contra id, quod conuenit ſuæ naturæ: vnde & de hoc vnaquæque res vituperatur: à vitio autem nomen vituperationis detractum creditur, vt Auguſt.dicit in 3.de liber.arbit. ¶ Sed conſiderandum eſt, quòd natura vniuſcuiuſque rei potentiſſimè eſt forma, ſecundum quam res ſpem ſortitur, homo autem in ſpem conſtituitur per animam rationalem: & ideo id quod eſt contra ordinem rationis, propriè eſt contra naturam hominis, in quantum eſt homo: quod autem eſt ſecundum rationem, eſt ſecundum naturam hominis,in quantum eſt homo. Bonum autem hominis eſt ſecundum rationem eſſe,& malum hominis eſt præter rationem eſſe,vt Dionyſ.dicit 4. cap.de diuin.nomin. Vnde virtus humana, quæ hominem facit bonum, & opus ipſius bonum reddit, in tantum eſt ſecundum naturam hominis, in quantum conuenit rationi: vitium autem in tantum eſt contra naturam hominis, in quantum eſt contra ordinem rationis.

Ad primum ergo dicendum, quòd virtutes etſi non cauſentur à natura ſecundum ſuum eſſe perfectum; tamen inclinant ad id, quod eſt ſecundum naturam, id eſt, ſecundum ordinem rationis. Dicit enim Tullius in Rhetor.ſua, quod virtus eſt habitus in modum naturæ rationi conſentaneus: & hoc modo virtus dicitur eſſe ſecundum naturam, & per contrarium intelligitur, quod vitium ſit contra naturam.

Ad ſecundum dicendum, quòd Philoſophus ibi loquitur de his,quæ ſunt contra naturam,ſecundùm quòd eſſe contra naturam opponitur ei, quod eſt eſſe à natura: non autem ſecundùm quòd eſſe contra naturam opponitur ei, quod eſt eſſe ſecundum naturam, eo modo quo virtutes dicuntur eſſe ſecundum naturam,in quantum inclinant ad id, quod naturæ conuenit.

Ad tertium dicendum,quòd in homine eſt duplex natura, ſcilicet rationalis, & ſenſitiua. Et quia per operationem ſenſus homo peruenit ad actus rationis,ideo plures ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitiuæ, quàm ordinem rationis: plures enim ſunt, qui aſſequuntur principium rei, quàm qui ad conſummationem perueniunt: ex hoc autem vitia, & peccata in hominibus proue

prouenient, quòd ſequuntur inclinationem naturæ ſenſitiuæ contra ordinem rationis.

Ad quartum dicendum, quòd quicquid eſt contra rationem artificiati, eſt etiam contra naturam artis, qua artificiatum producitur: lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ, ſicut ars ad artificiatum. Vnde eiuſdem rationis eſt, quòd vitium & peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quod ſit contra legem æternam. Vnde Auguſtinus dicit in 3. de liber. arbit. quòd à Deo habent omnes naturæ, quòd naturæ ſunt: & in tantum ſunt vitioſæ, in quantum ab eius, qua factæ ſunt, arte diſcedunt.

Concluſio. Cum vitium ſit contra ordinem rationis, contrariatur naturæ hominis, in quantum homo eſt.

Ea, quæ circa hunc articulum poſſemus adnotare, directiùs contra concluſionem, quàm contra literam militare videntur: & ita non tam opus eſt commentario, quàm diſputatione.

DISPVTATIO II.

De contrarietate vitij ad naturam hominis.

DIcitur hic *hominis natura* ſola anima, vel pars rationalis: non animalis & ſenſitiua. Natura enim vniuſcuiuſque rei (vt docet D. Thomas in corp.) potiſſimè eſt forma, ſecundum quam ſortitur ſpeciem: homo autem ſpeciem habet ab anima rationali, per quam à cæteris animalibus ſeparatur, & in proprio *eſſe* hominis conſtituitur: vnde hæc abſolutè & ſimpliciter dici debet eius natura. Quod ex antiquis non pauci vt innuerent, ſolam animam totum hominem dicebant, quaſi nobiliſſima hæc pars pro toto homine ſupponat. Et ideo Plato in 1. Alcibiadæ per ſolam animam rationalem diffiniuit illum dicens: *Homo eſt anima ratione prædita, mentis particeps.* Et D. Auguſt. lib. 1. de moribus Eccleſiæ: *Homo* (inquit) *anima rationalis eſt mortali corpore vtens.* Mercurius quoque Trimegiſter appellauit corpus *viuens cadauer*, & *ſepulchrum ab anima expectatum*: ſicque alij plures. De contrarietate igitur vitij ad rationalem hanc partem, quam in præſenti dicimus *hominis naturam*, procedit diſputatio. Licet enim ſint aliqua vitia admodum turpia, vt etiam naturæ ſenſitiuæ & animali repugnent, ſicut beſtialitas, ſodomia, & alia, quæ propterea (teſtè D. Thoma infra quæſt. 94. art. 3. ad 2.) abſolutè dici ſolent *vitia contra naturam*, ſumpto nomine generico (vt ſæpe fit) pro ſpecie imperfectiori: at certum eſt, non eſſe de omnium ratione repugnantiam ad hanc naturam. Quin potius maiori ex parte vitia & peccata conſonant eius bono delectabili & ſenſibili. Si quæ verò aduerſantur, id efficiunt non vt ſunt formaliter in genere moris, ſed phyſicè & materialiter.

Plato. D. Thom. Merc. Trim.

DVBIVM I.

Vtrùm vitia oppoſita virtutibus acquiſitis, ſint contra naturam hominis: & ex quibus capitibus?

NOmen *contrarietatis* deinceps non ita ſtrictè accipimus, ſicut diſputatione præcedenti; ſed latiùs pro repugnantia, vel diſſonantia, ſiue diſconuenientia vnius rei ad alteram. Quia verò in vitiis immediatè oppoſitis virtutibus acquiſitis repugnantia ad naturam rationalem faciliùs deprehenditur, & ex pluribus capitibus deſumitur, quàm in aliis, quæ immediatè tendunt contra ſupernaturalia, ſejungimus hæc dubia, incipiendo à faciliori. Quicquid autem dicemus de vitiis, intelligendum eſt ſimiliter de peccatis: imo promiſcuè de vtriſque dicemus: quia prædicta repugnantia, aut diſconuenientia non ad horum, vel illorum ſpecialem rationem, ſed ad gradum vtriſque communem conſequitur.

§. I.

Vera & communis aſſertio.

1. DIcendum eſt primò, vitia, de quibus in titulo, & ſimiliter peccata eſſe contra naturam rationalem, atque adeo contra naturam hominis, vt homo eſt. Hæc aſſertio eſt communis apud ſanctos Patres, & Theologos. Nam illam tuentur Diuus Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio, cap. 13. & de Ciuitate Dei, lib. 12. cap. 1. & lib. 14. cap. 11. Gloſſa Gregorij ſuper illud Geneſ. 8. *Senſus & cogitatio hominis intenta eſt ad malum*, &c. Damaſcenus lib. 2. de Fide, cap. 4. & cap. 30. & 31. & lib. 4. cap. 21. D. Thom. in præſenti, inducens ad hoc auctoritatem Dionyſij, cap. 4. de diuin. nomin. & infra cit. quæſt. 94. art. 3. ad 2. ibi. *Natura hominis poteſt dici illa, quæ eſt propria hominis: & ſic omnia peccata in quantum ſunt contra rationem, ſunt contra naturam.* Ad Romanos verò cap. 8. lect. 1. id probat ex illo Iſaiæ 24. *Mutauerunt ius, diſſipauerunt pactum ſempiternum, &c.* quod exponit de iure naturali, & ſubdit: *Eſt autem conſiderandum, quod dupliciter eſt aliquid contra naturam hominis: vno modo contra naturam differentiæ conſtitutiuæ hominis, quæ eſt rationale: & ſic omne peccatum dicitur eſſe contra naturam hominis, &c.* Quod etiam docet ſuper ad Galat. 5. lect. 6. de mal. quæſt. 14. art. 2. ad 8. & quæſt. 15. art. 1. ad 7. & in 4. diſt. 41. quæſt. 1. art. 3. q. 1. ad 1. aliiſque in locis. Quem ſequuntur communiter expoſitores hoc loco, & plures alij.

D. Auguſt. Hieron. Gregor. Damaſc. D. Thom.

Iſaiæ 24.

Probatur ex ipſa natura vitij, de cuius ratione eſt, quòd ſit mala diſpoſitio naturæ rationalis, vt conſtat ex eius diffinitione, & ex doctrina præcedentis articuli: id autem, quod eſt alicui mala diſpoſitio, non poteſt non eſſe illi diſſonum, & contrarium.

Ratio aſſertionis.

Confirmatur: nam propterea virtus eſt iuxta naturam hominis, quia diſponit illum conſonè & conuenienter ad prædictam naturam: cum ergo vitium virtuti contrarietur, adeoque diſponere debeat contrario & oppoſito modo, nequit non eidem naturæ aduerſari & diſconuenire.

Confirmatio.

¶ Confirmatur ſecundò: id, per quod natura aliqua

Digitized by Google

qua redditur debilis & infirma, neceſſario diſſonat & diſconuenit tali naturæ: ſed natura rationalis redditur infirma & debilis per vitia, de quibus loquimur: & ideo in natura omnino integra & ſana nullum eſſe tale vitium: ergo,&c.

Obiectio. 2. Sed objicies primò, quod malitia in ſacra Scriptura dicitur quibuſdam hominibus naturalis, iuxta illud Sap.12. *Erat enim naturalis malitia eorum.* Et ad Epheſ.2. *Eramus natura filij iræ.* Quod autem naturale vel à natura eſt, non poteſt dici contra naturam. Eo præſertim quia quod eſt contra aliquam naturam, in habentibus illam contingit in paucioribus: vitia autem & peccata plures hominum ſequuntur:ergo non habent eſſe contra illam. *Sapient. 12. Ad Epheſ.2.*

Diluitur ex D.Thom. Reſpondetur ex D.Thoma quæſt.1. de virtutibus art.8. ad 16. vbi prædicta Scripturæ teſtimonia ita exponit: *Dicendum, quòd malitia eorum erat naturalis, in quantum erat in conſuetudinem reducta, pro vt conſuetudo eſt altera natura. Nos autem eramus natura filij iræ per peccatum originale, quod eſt peccatum naturæ.* Peccatum naturæ dicitur, non quia contra rationalem naturam non ſit; ſed quia inficit totam naturam humanam. Et rurſus quia commiſſum fuit non voluntate perſonali vniuſcuiuſque, ſed voluntate capitis naturæ, ſcilicet Adami. Et denique quia dicendi ad nos ſimul cum natura per ipſius propagationem: de quo infra diſp.14. ¶ Ad ſecundam probationem, quæ flebilem ingerit difficultatem (vt Caietanus loquitur) de ea, quam experimur in noſtra ſpecie ſingulari miſeria, reſpondetur, hoc eſſe ſpeciale in natura humana, vt bonum ſibi conſonum aſſequatur in paucioribus; malum verò in pluribus ei contingat: cum tamen in omnibus aliis tam ſupra quàm infra hominem bonum ſtatutum ſit vt in pluribus, malumque in paucioribus accidat. Cuius diſcriminis ratio reducenda eſt ad dualitatem naturarum inter ſe adeo diuerſarum,vt ſenſitiua & rationalis,quæ in homine concurrunt. Ex quibus ſenſitiua,cui vitia conſonant, præualet in pluribus; rationalis verò, cui aduerſantur, præualet in paucioribus. *Quia enim*(verba ſunt D.Thom. in ſolut.ad 3.) *per operationem ſenſus homo peruenit ad actus rationis, ideo plures ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitiuæ, quàm ordinem rationis: plures enim ſunt, qui aſſequuntur principium rei, quàm qui ad conſummationem perueniunt. Ex hoc autem vitia & peccata in hominibus proueniunt, quòd ſequuntur inclinationem naturæ ſenſitiuæ contra ordinem rationis.*

Addit Caietanus, bona naturæ ſenſitiuæ eſſe quoad nos quodammodo magis connaturalia: non quia magis ſunt iuxta noſtrã naturam; ſed quia ab ineunte ætate ſunt nobis in vſu:& quia magis nota, vtpote euidenti ſenſuum experientia: & quia magis mouentia ratione promptæ delectationis, & ratione oppoſiti imminentis & contriſtantis in promptu. Bonum autem rationis non niſi poſt ætatem percipitur, & parum cognoſcitur: parumque mouet tam ipſum quàm oppoſitum malum, ſiue culpæ ſiue pœnæ vt experimur.

Obiectio alia. 3. Objicies ſecundò: ſi peccata ſunt contra naturam hominis,erunt illi violenta: violentum enim dicitur,quod eſt contra naturam patientis, & cui naturalis eius inclinatio reſiſtit: at contra rationem peccati eſt,vt ſit violentum: ergo,&c. Minor probatur: nam de ratione peccati eſt voluntarium: huic autem repugnat violentum, vt docet Diuus Thomas ſupra quæſt.6. artic.4.

Circa hanc obiectionem aliqui, de quorum numero eſt Gregor.Mart. in præſenti dub.1.non morantur admittere abſolutè ſequelam, nempe quòd peccatum ſit violentum, eo ipſo quòd ſit contra naturam: qui tamen ad impugnationem contentam in minoris probatione non ſatis occurrunt.Vnde melius reſpondetur negando maiorem: quia ad rationem violenti non ſufficit vtcumque eſſe contra naturam;ſed debet inferri ab extrinſeco, iuxta communem diffinitionem, nempe *quod eſt ab extrinſeco paſſo non conferente vim.* Peccatum autem cum ſit voluntarium,potius eſt ab intrinſeco: ne dum quoad entitatem, ſed etiam quoad malitiam & defectum. Cum enim voluntas creata ab intrinſeco ſit defectibilis, ab intrinſeco eſt ipſi quidquid eſt ex tali defectibilitate,ſicut eſt peccatum.Et quamuis omne peccatum re vera malum ſit, proindeque repugnet naturali inclinationi, quæ ſemper eſt ad bonum; quia tamen intellectu apprehenditur,& proponitur voluntati ſub ſpecie boni & conuenientis,ſaltem in reſpectu ad prædictam defectibilitatem,vel ad aliquam affectionem prauam in modum naturæ inſidentem, idcirco ab intrinſeco ſimpliciter, ſuaque ſponte voluntas in ipſum peccatum fertur;non ab extrinſeco coacta. Quæ ſolutio eſt D.Thomæ loco in obiectione citato: vbi tertium argumentum, quod ex prædicta obiectione deſumpſerat,ita diluit: *Ad tertium dicendum, quòd id, in quod voluntas tendit peccando, & ſi ſit malum & contra rationalem naturam ſecundum rei veritatem; apprehenditur tamen vt bonum & conueniens homini ſecundum aliquam delectationem ſenſus, vel ſecundum aliquem habitum corruptum.* ¶ Adde,in peccato duo reperiri, nempe entitatem phyſicam, & malitiam moralem: quòd autem ſit voluntarium vel violentum, non attenditur primario ex parte malitiæ, ſed ex parte entitatis,ad quam illa conſequitur: & ideo ille actus dicendus eſt voluntarius, & non violentus, cuius entitas phyſica ab intrinſeco fit, & ſine patientis reſiſtentia; quicquid ſit de malitia ſubſequuta: quia ergo peccatum ex parte entitatis ſimpliciter eſt ab intrinſeco, neque ex ea parte habet repugnantiam cum natura rationali, dicendum eſt ſimpliciter voluntarium, & non violentum; quanquam illi repugnet ex parte malitiæ. *Vera ſolutio.* *D.Thom.*

§. II.

Deciditur ſecunda pars dubij.

4. Dicendum eſt ſecũdò,prædicta vitia & peccata ex multiplici capite habere,quòd repugnent naturæ rationali. Primo ex parte ordinis ſeu luminis rationis, quo natura ipſa dirigitur:ſecundò ex parte boni honeſti,quod eſt proprium bonum talis naturæ: tertiò ex parte inclinationis naturalis ad huiuſmodi bonum. Hæc etiam concluſio quoad omnia,recipitur communiter à Theologis. Primum autem caput aſſignat D.Thomas in hoc articulo, dum ait. *Vitium autem in tantum eſt contra naturam hominis,in quantum eſt contra ordinem rationis.* Et cit. loco ad Roma.lect.8. *Omne peccatum dicitur eſſe contra naturam hominis, in quantum eſt contra rationem rectam.* Quod magis explicat quæſt.14. de mal. art.2. ad 8. Probatur facilè: nam quod eſt contra propriam formam per quam naturaliter *Primum caput contrarietatis.* *D.Thom.*

Digitized by Google

liter agit aliqua natura, contrariatur tali naturæ: ſicut quod eſt contrarium calori, per quem ignis naturaliter agit, contrariatur eo ipſo naturæ ignis: propria autem forma naturæ rationalis in ordine ad agẽdum eſt lumen ſeu dictamen rationis, quod vocatur *lex naturalis*, eſtque nobis ab auctore naturæ, vt quædam participatio diuinæ legis & diuini luminis: ergo quod eſt contra huiuſmodi lumen & legem, erit eo ipſo contra prædictam naturã. Cum igitur omnia vitia & peccata oppoſita virtutibus acquiſitis diſſonent prædicto lumini, prædictaque lege prohibeantur; nequeunt non ex iſto capite habere contrarietatem, quam diximus.

Obiectio. Neque obeſt ſi dicas, quòd peccata, quæ ſunt talia ſolum quia prohibita per legem poſitiuam, non repugnant naturali: alias ex vi iſtius etiam ante illius prohibitionem eſſent peccata: ergo huiuſmodi non habent ex prædicto capite, quod ſint contra rationalem naturam. *Diluitur.* ¶ Reſpondetur enim, quòd licèt prædicta peccata antequam lege poſitiua prohibeantur, non repugnent naturali; repugnant tamen ſemel facta tali prohibitione. Nam lex naturalis etiam dictat parendum eſſe legi poſitiuæ, & cuilibet legitimè præcipienti: vnde ſicut non obedire legi poſitiuæ eſt contra naturalem, ita facere quòd illa prohibet, aut omittere quæ præcipit, poſtquam prohibitum vel præceptum eſt, huic repugnat.

Replica. 5. Vrgebis: quia ſi prædicta peccata non habent eſſe contra dictamen naturalis rationis, niſi ſuppoſita prohibitione legis poſitiuæ, ſecundum quid tantummodo erunt contra illud & contra naturam rationalem: quod enim non eſt tale niſi facta aliqua ſuppoſitione, non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundum quid & ex prædicta ſuppoſitione habet eſſe tale. *Eneruatur.* ¶ Reſpondetur negando ſequelam: plura enim ſunt talia dependenter ab aliqua ſuppoſitione; quæ tamen, ſuppoſitione iam completa, ſunt talia ſimpliciter: ſicut obedientia non erit, niſi ſupponatur præceptum: eo verò ſuppoſito, abſolutè & ſimpliciter eſt obedientia: peccata etiam contra legem naturæ non eſſent formaliter peccata, niſi ea lege prohiberentur; & tamen ſemel prohibita, ſunt ſimpliciter peccata. Ita ergo quæ prohibentur lege poſitiua, licèt ante hanc prohibitionem non repugnent naturali; poſt illam tamen ſimpliciter ei repugnant. Ratio verò eſt, quia multoties ſuppoſitio eſt talis conditionis, vt mutet omnino naturam rei, & nouam naturam conſtituat: ſicut ſuppoſitio præcepti conſtituit actum obedientiæ: tunc autem, quia talis ſuppoſitio reſpectu illius nouæ naturæ omnino per ſe habet, eſſe tale ex ea ſuppoſitione idem eſt atque eſſe tale abſolutè & ſimpliciter.

Secundum caput. Secundum cap. prædictæ repugnantiæ conſtat ex dictis tota diſp. præced. cum enim bonum honeſtum non ſit aliud quàm virtutes & earum actus, ſitque huiuſmodi bonum valde conſonum & conueniens, ac iuxta rationalem naturam, vt quo ipſa maximè perficitur; nequeunt non vitia & peccata oppoſita tali bono, etiam opponi & repugnare prædictæ naturæ. De hoc tamen dicemus iterum dub. ſequenti circa vitia & peccata oppoſita virtutibus infuſis.

Tertium. 6. Denique tertium caput prædictæ contrarietatis probatur ratione deſumpta ex D.Thom. ſupra quæſt. 50. art. 5. Quoniam homo naturaliter inclinatur ad videndum ſecundum rationem: & propterea vt velit huius bonum ſaltem in communi, non eget habitu virtutis ſuperaddito: ſicut neque in ordine ad dilectionem ſui: quia ad hoc eſt ab ipſa natura ſufficienter propenſus & inclinatus, vt oſtendimus in tract. de virtutib. diſp. 2. dub. 3. ergo cum vitium dicat inclinationem ad oppoſitum malum, erit ex hac parte contra prædictam naturam.

Confirmatur: nam quælibet natura habet inclinationem naturalem per modum ponderis, ſeu innatam ad eam operationem, quæ competit ſibi ratione propriæ formæ, ſeu cuius principium eſt propria forma & natura: ſicut ignis naturali inclinatione fertur in calefactionem, quia principium calefaciendi eſt propria forma & natura ignis: cum ergo virtutes & earum operationes, in quibus ſita eſt ratio boni honeſti, conueniant naturæ rationali ſecundum formam ſibi propriam, quæ eſt ipſum lumen naturale, nequibit non talis natura naturali pondere inclinari ad prædictum bonum; atque adeo repugnare illi ex vi huius inclinationis vitia, quæ contra tale bonum, & ad oppoſitum malum inclinant. Quæ etiam confirmatio eſt D.Thomæ infra cit. q. 94. art. 3. vbi videri poteſt.

7. Sed inquires, an præter inclinationem per modum ponderis, quæ eſt in natura rationali ad bonum virtutis, ſit etiam aliquis appetitus elicitus: qui ea ratione dicatur *naturalis*, quia ſit neceſſarius quoad ſpecificationem? *Dubitatio.* ¶ Ad hoc Lorca & alij nullum talem appetitum agnoſcunt niſi reſpectu beatitudinis in communi, & ita in ordine ad amandum bonum honeſtum, negant voluntatem manere aliquo modo neceſſitatam.

Sed meliùs Monteſinos & alij in præſenti reſpondent affirmatiuè: quod etiam admittit Vaſquez diſp. 90. cap. 1. Sumiturque ex Philoſoph. 1. Metaphyſ. cap. 1. vbi inquit, quòd *omnis homo naturaliter ſcire deſiderat.* *Vera reſpõſio. Monteſ. Philoſ. Vaſquez.* Quod non ſolùm de inclinatione innata, ſed etiam deſiderio elicito debere intelligi conuincitur per eius probationem, videlicet quia naturale eſt vnicuique, viſis effectibus, deſiderium videndi cauſam: loquitur ergo de deſiderio, quod oritur ex viſione & cognitione, atque adeo elicito. Conſtat autem non eſſe minus naturale homini bonum rationis, quàm cognitio veri: & ita ſi circa hanc admittitur prædictus appetitus, non eſt cur negetur circa illud. Quod etiam ratio ſuadet: nam cum appetitus innatus ſit propter elicitum, nequit hic poſterior illi priori directè & immediatè repugnare: ita vt quod ille immediatè amplectitur, iſte ſecundum ſe refugiat. Si ergo voluntas per appetitum innatum fertur ad bonum honeſtum, ſecundùm quòd tale eſt, impoſſibile erit vt idem bonum ſecundum ſe, & quatenus tale eſt, per appetitum elicitum reſpuat. Et ſanè quòd natura rationalis appetitu innato feratur ad bonum virtutis, non aliunde oritur, niſi quia prædictum bonum dicit perfectionem conſonam & connaturalem tali naturæ, & vnumquodque propendit naturaliter in talem perfectionem. Hæc autem ratio æquè militat reſpectu appetitus eliciti: nullus enim poteſt odio habere perfectionem naturaliter ſibi conſonam & conuenientem ſecundum ſe acceptam, ſeu ſecundum id præciſè, quod habet conuenientiæ & perfectionis: hoc eſt autem neceſſitari quoad ſpecificationem ad talem perfectionem amandam: ergo &c. Ex quo etiam fit, vitia & peccata non ſolùm cõtrariari naturæ rationali propter inclinationem innatam ad bonum honeſtum, ſed etiam propter hanc elicitam.

Digitized by Google

Sed de hac inclinatione naturali ad bonum, quam voluntati tribuimus, iterum redit ſermo infra diſp.17. dub.2. ibique magis declaratur: dum diſtinguitur inclinatio moralis, cui opponitur malum culpæ, & inclinatio phyſica, cui opponitur malum pœnæ.

§. III.

Diluuntur aliquæ obiectiones.

Prima obiectio. 8. Contra hanc poſteriorem partem ſecundæ aſſertionis objicies primò, quòd potius in homine eſt naturalis inclinatio ad ea, quæ ſunt contra rectam rationem: ergo vitia & peccata ex hoc capite non erunt contra eius naturam, ſed potius iuxta illam. Conſequentia liquet: & antecedens probatur: quia appetitus ſenſitiuus hominis naturaliter inclinatur ad bonum delectabile & ſenſibile quod ſæpè eſt diſſonum rationi: multotieſque ſuis motibus extorquet, voluntatis conſenſum, & ſolicitat vt peccet. Et ideo Concil. Trid. ſeſſ.5. decreto de peccato orig. docet, concupiſcentiam appellari *peccatum*, vt vocat Apoſtolus ad Rom.6.7.& 8. quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. ¶ Dices, vitia & peccata non eſſe contra naturam hominis ex parte appetitus ſenſitiui, ſed ex parte rationis: in hac autem nulla eſt inclinatio naturalis; ſed potius repugnantia ad obiecta rationi diſſona. ¶ Sed contra: nam vt aliquis defectus dicatur homini naturalis, ſatis eſt quòd ſit iuxta inclinationem alicuius partis ſuæ naturæ, licèt minùs præcipuè: vt patet in morte & ægritudine, quæ ſunt nobis naturales; quamuis inclinatio ad illas ſolum ſit ex parte minus præcipua, ſcilicet ex parte corporis.

Conc Trid. ſeſſ.5. *Roman.6.7. & 8.*

Vera ſolutio. 9. Ad hanc obiectionem reſpondetur negando antecedens. Cum enim inclinatio naturalis ſit ab auctore naturæ, repugnat eam vbicumque ſit ſiue in voluntate, ſiue in appetitu ſenſitiuo, ad malum rationis tendere: aliàs tale malum & tendentia ad ipſum tribueretur eidem naturæ auctori, à quo eſſet talis inclinatio. Ad probationem verò dicendum eſt, appetitum ſenſitiuum poſſe conſiderari dupliciter: vel ſecundum ſe præciſè, quo pacto eſt communis homini & cæteris animalibus: vel provt in homine participat aliquid de appetitu rationali, iuxta ea, quæ dicemus infra diſp.10. dub.2. Hoc ſecundo modo prædictus appetitus conformatur cum voluntate, à qua participat: & ideo ſicut in hac inclinatio naturalis determinatè eſt ad bonum rationi conſonum, ita etiam in illo prædicto modo ſumpto. In vtroque verò eſt ex propria defectibilitate, & contra naturalem inclinationem tendentia in id, quod rectæ rationi repugnat. Conſideratus autem prædictus appetitus primo modo, habet quidem inclinare naturaliter ad bonum ſenſibile, quod ſæpe eſt contrarium rationi; non tamen vt eſt illi contrarium, ſed præciſè ſecundum ſe, vt eſt dumtaxat bonum naturæ ſenſitiuæ: eſſe verò conſonum, aut diſſonũ rationi, omnino eſt ſupra conditionem talis appetitus. Et ideo in aliis animalibus, vbi expers eſt participij, quod in homine ei tribuimus, non inclinat ad bonum ſenſibile, formaliter vt contrarium rationi, neque huiuſmodi contrarietatem aliquo modo attingat. Quod autem dicitur ſolicitare ſuis motibus voluntatem, vel etiam extorquere eius conſenſum in peccatum, non ita accipiendum eſt, quaſi talẽ conſenſum directè appetat, & multò minùs formalem malitiam: vel quia dum, modo dicto, inclinat ad obiecta ſenſibilia, quæ aliàs ſunt peccata, in cauſa eſt, vt huiuſmodi obiecta ab intellectu apprehendatur, proponanturque voluntati tanquam bona & conuenientia, ſicque ab ea liberè & peccaminosè appetantur. ¶ Concilium verò Tridentinum vel non loquitur de inclinatione naturali appetitus ſenſitiui, ſed de tendentia contra talem inclinationem: quam tendentiam in nobis ex voluntatis defectibilitate participat. Vel loquitur de inclinatione ad peccatum materialiter ſumptum, quatenus præciſè dicit bonum ſenſibile, præſcindendo omnino à malitia. Quicquid verò horum dicatur, nihil ſequitur contra id, quod ſtatuimus. Per quod patet ad impugnationem inter arguendum factam.

Quod autem dicitur de morte & ægritudine, non eſt contra nos. Tum quia huiuſmodi defectus eatenus dicuntur homini *naturales*, quatenus conſequuntur in omnibus ex imperfectione naturæ, quæ non eſt tantæ efficaciæ & virtutis, vt excludat illos. Cum quo optimè ſtat: quòd abſolutè & ſimpliciter ſint contra naturam & contra inclinationem naturalem, quam habet ad conſeruandum proprium *eſſe*. Tum etiam quia adhuc eſt diſpar ratio: nam ad mortem & ægritudinem datur in homine ex parte materiæ primæ inclinatio naturalis: materia enim non ſatiata forma, quam habet, naturaliter appetit nouæ formæ acquiſitionem, & per conſequens corruptionem præexiſtentis: ob idque dixit D.Th. infra q.85. art.6. quòd corruptiones & defectus rerum ſunt naturales non ſecundum inclinationem formæ, quæ eſt principium eſſendi & perfectionis, ſed ſecundum inclinationem materiæ. Ad peccatum autem & vitium pro formali neque ex parte naturæ rationalis, neque ex parte ſenſitiuæ datur aliqua naturalis inclinatio, vt dictum eſt. Et ita ex nullo capite dici poſſunt *iuxta naturam hominis*. Cumque aliàs ex parte naturæ rationalis repugnent, abſolutè & ſimpliciter dici debent *contra hominis naturam*.

10. Secundò obiicies, quòd etiam ex parte naturæ rationalis datur in homine naturalis inclinatio ad bonum ſenſibile rationi contrarium: ergo adhuc ex hac parte non habent vitia & peccata repugnantiam ad talem naturam. Conſequentia videtur perſpicua: & antecedens ſuadetur: tum quia voluntas, quæ eſt appetitus vniuerſalis ſuppoſiti in quo eſt; ita naturaliter debet inclinare in bonum cuiuſlibet partis ipſius ſuppoſiti, atque adeo etiam in bonum partis ſenſitiuæ, quod ſæpè diſſonat rationi. Tum etiam quia in voluntate admittuntur motus primo primi, quos appellamus *naturales*, quaſi ex naturali inclinatione prouenientes: & tamen motus iſti verſantur multoties circa bonum ſenſibile oppoſitum rationi: & niſi obſtaret indeliberatio, eſſent formaliter peccata. Tum denique nam quælibet potentia inclinatur naturaliter ad ſuum obiectum ſpecificatiuum, & ad id, quod ſub illo continetur: ſub obiecto autem ſpecificatiuo voluntatis cõtinetur non ſolùm bonum honeſtum, ſed etiam bonum delectabile honeſto contrarium: aliàs nequiret voluntas etiam peccaminosè ad huiuſmodi bonum extendi: ergo ad vtrumque inclinatur naturaliter. *Secunda obiectio.*

Confirmatio. Confirmatur: nam ab anima rationali oritur potentia peccandi conueniens ipſi ab intrinſeco, ex eo ſcilicet quia non eſt ſuũ *eſſe*, ſed habet eſſe ex

Digitized by Google

ex nihilo, vt dicemus diſp.12.dub.2. hæc autem potentia vt talis naturaliter inclinat ad peccatum:cùm nullum alium habeat terminum,quem primario,aut magis connaturaliter reſpiciat.

Soluitur obiectio. 11. Reſpondetur ad obiectionem negando antecedens. Ad primam verò probationem(prætermiſſa ſolutione, quam adhibent Greg.Mart. dub.1. Salas diſp.2.ſect.10.& alij) dicendum eſt, voluntatem, quia eſt appetitus vniuerſalis ſuppoſiti, in quo eſt, inclinare naturaliter in bonum cuiuſlibet partis,non vtcumque,ſed ſecundum quòd bonum partis cedit in bonum totius, & ei ſubordinatur: bonum autem totius in homine attendi debet ex ordine ad rationem,penes quam reſidet totius bonitatis dominium: adeoque illud abſolutè dicendum eſt eius bonum, quod ratio approbat; ſiue pro parte rationali, ſiue pro ſenſitiua; quod autem pro qualibet ex illis reprobat, abſolutè dicetur eius malum:cum igitur ratio non approbet, ſed reprobet bona ſenſibilia peccaminoſa,ſeu quæ lege aliqua prohibentur; inde eſt vt voluntas,quantumuis vniuerſalis appetitus ſit, nullam habeat naturalem inclinationem ad prædicta bona.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, motus illos ſubitos tendentes ad obiecta illicita, non dici *naturales*, quia ex naturali voluntatis inclinatione proueniant;ſed quia neceſſarij ſunt, & deliberationem præueniunt: vnde dicuntur *naturales*, provt *naturale* opponitur *libero*; non provt dicit quod eſt iuxta naturam. ¶ Ad tertiam dicendum eſt,naturalem inclinationem voluntatis non eſſe ad totum obiectum ſpecificatiuum & extenſiuum: aliàs extenderetur etiam ad bonum ſupernaturale, quod ſub tali obiecto continetur.Solùm ergo ſe extendit prædicta inclinatio ad bonum conſonum naturæ rationali proportionatum eius viribus:ſub quo neque includitur bonum ſupernaturale, neque bonum delectabile contrarium honeſto.Cùm hoc tamen ſtat, & quòd voluntas poſſit eleuari per gratiam ad attingendum bonum ſupernaturale,operando ſupra naturalem inclinationem: & quod poſſit etiam excidendo ab ea deflecti ad bona ſenſibilia rationi diſſona: quia ad hoc ſatis eſt,prædicta bona contineri ſub obiecto extenſiuo,& ſpecificatiuo voluntatis.

Diluitur cōfirmatio. Ad confirmationem reſpondetur, potentiam peccandi,vt ſtat ſub hoc conceptu,ſeu formaliſſimè vt continet malitiam (etiamſi exprimat aliquid poſitiuum,de quo diſp.12.)non eſſe propriè inclinationem naturalem, neque veram potentiam;ſed magis imperfectionem, defectibilitatē, & imbecillitatem veræ potentiæ,& naturalis inclinationis.Vnde etiamſi peccatum huic defectibilitati & imperfectioni correſpondeat, ipſaque in illud inclinetur,non ideo dicendum erit iuxta aliquam naturalem inclinationem, aut quòd ſit in homine naturalis inclinatio ad illud.

Replica. 12. Sed vrgebis: huiuſmodi qualis qualis potentia, quantumuis ſit imperfecta & imbecillis, oritur per ſe ex principiis naturæ rationalis,oritur enim ab illa, quatenus habet eſſe ex nihilo, & quatenus fundat liberum arbitrium flexibile ad malum,quod conuenit ei omnino ex propriis: ergo admiſſo quòd formalitas poſitiua, & eo modo quo eſt,ad peccatum inclinet, non debet negari,quòd ſit inclinatio naturalis ad illud.

Eneruatur. Reſpondetur potentiam peccandi ſecundum eam rationem, qua eſt ad peccandum, non oriri ab anima rationali formaliſſimè vt dicit conceptum naturæ:vnde neque iſto modo dici poterit inclinatio naturalis. Et ratio eſt, quia natura,vt ſtat ſub hoc conceptu, & vt ſignificatur per naturæ nomen, ſolùm dicit illud, quod habet ex Deo auctore naturæ, & quod eſt effectus omnipotentiæ & artis diuinæ,ſicut *eſſe,viuere,radicaliter operari*,& alia;quæ perfectionē exprimunt. Quod verò propter imperfectionem & defectum non eſt à naturæ auctore,ſed aliunde aſcendens, neque dicendum eſt *natura* neque *naturale*; ſed *innaturale* aut *præter* vel *contra naturam*.Vt enim ait D.Auguſt.lib.3. de liber.arbit.cap.15.refertque D.Thomas ad 4. huius art. *A Deo habent omnes naturæ quòd naturæ ſunt; & in tantum ſunt vitioſæ, in quantum ab eius, qua factæ ſunt, arte diſcedunt.* Et gloſſa ad Rom.11. quam adducit 2.2.q.104.art.4. ad 2. *Hoc eſt natura vniuſcuiuſque rei, quod in ea Deus operatur.* Quaſi dicant, res creatas non ſolùm habere à Deo quòd ſint; ſed etiam quòd ſint naturæ: eaque ſolum ratione eſſe & vocari *naturas*, quam à diuina omnipotentia & arte accipiunt:eſſe autem peccabiles & defectibiles, in quantum ab ipſa diuina arte, quia factæ ſunt,adeoque à ratione naturæ diſcedunt. ¶ Adde ex eodem D.Thom.3. contra gentes cap.100.vbi ſic ait: *Prima menſura eſſentiæ & naturæ cuiuſlibet rei eſt Deus, ſicut primum ens, quod eſt omnibus cauſa eſſendi: cum autem per menſuram de vnaquaque re ſumatur iudicium, oportet hoc naturale dici vnicuique, per quod conformatur ſuæ menſuræ: hoc igitur erit naturale unicuique rei, quod à Deo ei inditum eſt.* *D.Auguſt. D.Thom. Idem.*

Poteſtque hoc explicari in effectibus humani artificis. Nam teſte D.Thom.quodlib.8.art.1.ita ſe habet diuina ars & diuinus intellectus ad naturas creatas, ſicut intellectus & ars artificis creati ad artificiata. Et 3.contra gent.cit.c.100. *Omnes creaturæ* (inquit) *comparantur ad Deum ſicut artificiata ad artificem: vnde tota natura eſt ſicut quoddam artificiatum diuinæ artis.* In humanis autem effectibus id ſolùm vocamus *artificiale*, quod correſpondet arti,& formam eius participat: defectus verò ex parte materiæ vel aliunde incidentes, quia non ſunt ab arte,ſed potius per receſſum ab illa,non ſunt aliquid artificiale. Similiter ergo in omnibus creaturis, quia ſunt effectus artis naturalis Dei, *natura* & *naturale* dicitur, quod huic diuinæ arti correſpondet, quodque eius formam & ſimilitudinem participat: quòd verò ab illa recedit, nec *natura*, nec *naturale*, nec *iuxta naturam*; ſed *innaturale*, aut *contra*,vel *præter naturam* nominandum eſt.Cùm igitur potentia peccandi quoad ſuum formale,& illa qualis qualis inclinatio ad peccatum,non ſit ex Deo, neque eius artem participet, ſed ab ea recedat, conſurgens immediatè ex nihilo, vt infra diſp.12,dub.2.habetur non eſt dicenda *inclinatio naturalis*, ac proinde neque peccatum ex eo quòd iuxta illam ſit, dicendum eſt *iuxta naturam*, vel *iuxta naturæ inclinationem*.

Tertia obiectio. 13. Tertiò obiicies,quòd ſi eſſet in natura rationali inclinatio innata ad bonum virtutis;neque indigeret habitibus, vt illud promptè & faciliter proſequeretur; neq; poſſet ad actus vitiorum aſſueſieri,quantumcumque in illis exerceretur:vtrumque autem eſt falſum:ergo,&c.ſequela quoad primam partem probatur:nam habitus ad hoc ſuperadditur naturæ,vt illam inclinet & determinet circa actum: ſi ergo ipſa natura per ſe eſſet inclinata,talis habitus ſuperflueret. Quoad ſecundam etiam ſuadetur:quia contra naturalem incli

inclinationem nullus aſſueſit, etiam ſi multoties eliciat actus oppoſitos: vt patet in graui, quod & ſi multoties aſcendat, nullam acquirit aſſuefactionem ad aſceſum, eò quod aſcenſus eſt contra naturalem inclinationem ipſius grauis, ergo, &c.

Soluitur. Ad hanc obiectionem diximus in tractat. de bonit. & malit. diſp. 3. à num. 26. Et in tract. de virtut. diſp. 2. toto dub. 3. Ex doctrina verò ibidem tradita breuiter nunc reſpondetur, inclinationem naturæ rationalis ad bonum honeſtum non ſemper eſſe conſummatam & completam; ſed reſpectu multorum eſſe tantùm incompletam & inchoatam: vnde licèt circa illa, ad quæ completè inclinatur, neque acquirat habitum virtutis per actus honeſtos, neque per inhoneſtos ad oppoſitum aſſuefiat, propter rationem tactam in obiectione; circa alia tamen; circa quæ prædicta inclinatio eſt ſolùm incompleta, vtrumque habere poteſt: quia & per actus bonos poteſt acquirere habitum virtutis, quo prædicta inclinatio compleatur; & per actus malos habitum vitij, quo huiuſmodi complementum expellatur, vel eius acquiſitioni obſtetur. Obiecta verò, ad quæ natura rationalis quantum ad voluntatem eſt completè inclinata, eſt non ſolùm bonum honeſtum in communi, ſed etiam bonum cuiuſlibet virtutis in communi, & abſtractè acceptum: imo & totum bonum proprij ſuppoſiti, quolibet modo in ordine ad ſe accipiatur. Et propterea diſputatione citata de virtut. dubio 3. relegauimus à prædicta potentia omnes virtutes acquiſitas verſantes circa proprias paſſiones; tantumque ei conceſſimus virtutes verſantes circa bonum alienum, vti ſunt ſpecies & partes iuſtitiæ. At verò quantum ad appetitum ſenſitiuum, neque etiam erga proprium bonum honeſtum eſt completa inclinatio, ſed ſolùm inchoata: & ideo citata diſputatione, dub. 2. poſuimus in illo omnes virtutes attingentes prædictum bonum. Videantur quæ ibidem diximus.

Obiectio quarta. 14. Quartò contra id, quod de appetitu elicito reſoluimus, objicies ex Lorca, & ex aliis, quòd voluntas in via non neceſſitatur etiam quoad ſpecificationem niſi reſpectu boni, & beatitudinis in communi, quod eſt obiectum eius adæquatum; reſpectu verò cuiuſcumque boni particularis manet omnino libera: cùm ergo bonum honeſtum quouis modo acceptum, ſit aliquid inadæquatum reſpectu prædicti obiecti, non debet reſpectu illius talis neceſſitas admitti.

Confirmatur: nam videmus plures homines odio habentes virtutes, & talis complexionis, vt quaſi naturali antipathia aliquibus earum actibus valde repugnent: ergo non neceſſitantur quoad ſpecificationem ad amorem boni honeſti conſiſtentis in prædictis actibus.

Confirmatur ſecundò: nullus diligit magis neceſſariò bonum honeſtum, quàm ſeipſum, proprium *eſſe*, & *viuere*: ſed hæc non diligimus neceſſariò, etiam quoad ſpecificationem: & ideo ab aliquibus odio habentur: ergo, &c.

Diluitur. Reſpondetur, bona particularia poſſe ſumi dupliciter: vel vt præciſè dicunt bonitatem, & conuenientiam: vel vt habent annexa laborem, & difficultatem, aut ſaltem alicuius alterius boni excluſionem. Hoc ſecundo modo nó neceſſitant: & ideo poſſunt odio haberi ratione adiuncti. Primò autem nihil habent, ratione cuius reſpuātur: & ſic dicimus neceſſitare quoad ſpecificationem.

Vtraque confirmatio. ¶ Per quod patet ad vtramque confirmationem: quia licèt *eſſe*, & *viuere* ratione alicuius mali adiuncti poſſint odio haberi; non tamen ſumpta ſecundum ſe: vt explicuimus in tract. de volunt. diſp. 2. dub. vlt. Virtus etiam quælibet ſecundum ſe ſumpta omnibus placet; & ſi oculis cerneretur, vt dixit Plato, mirabiles ſui excitaret amores; ratione verò laboris, & difficultatis, vel quia in exercitio excludit bona delectabilia, à multis deſeritur, & faſtiditur. Cum quo rectè cohæret inclinatio elicita neceſſaria quoad ſpecificationem, quam aduiſimus in voluntate circa virtutem, & eius bonum ſumpta ſecundum ſe.

Replica. Sed vrgebis ex Vaſquez, hinc fieri, quòd vitia, & peccata non ſint contra naturam ratione prædictæ inclinationis elicitæ: ſiquidem ſunt contra virtutes, vt habent in exercitio annexa difficultatem, & laborem; & ad eas ſic ſumptas non extenditur prædicta inclinatio.

Enodatur. ¶ Reſpondetur negando ſequelam. Cuius probatio ad ſummum conuincit, vitia, & peccata, vt mandata executioni non eſſe directè, & immediatè contra prædictam inclinationem elicitam; non autem quod ex conſequenti, & indirectè illi non repugnent. Quia hoc ipſo quòd in exercitio ſunt contra virtutes, vt inuoluentes difficultatem, & laborem, aut aliquid ſimile; ex conſequenti etiam repugnant eiſdem virtutibus ſecundum ſe acceptis. Et ratio naturalis dictans immediatè, vt virtutes ſecundum ſe amentur, dictat etiam vt propter inſurgentes difficultates non delinquantur, neque illis vitia, & peccata vllo modo præponantur.

Obiectio vlt. 15. Denique objicies, ſupereſſe aliud caput, idque principaliſſimum, vnde vitia, & peccata ſint contra naturam rationalem: videlicet ipſam naturam ſecundum ſe antecedenter ad dictamen rationis, & ad inclinationes, quas diximus. Nam ſicut de ratione virtutis eſt diſponere prædictam naturam conuenienter ad ſe ipſam, & ex hoc ipſo habet eſſe iuxta illam; ita de ratione vitij eſt diſponere eam diſconuenienter; eſtque proinde ex iſto capite contra talem naturam.

Soluitur. Reſpondetur ita eſſe, nec nos hoc caput ſiluimus, ſed explicuimus in noſtra ratione. Non tamen diſtinguimus illud ab aliis, quæ relata ſunt: quia tota illa diſconuenientia, quam natura ex vitio accipit, redundat contra inclinationem, quā diximus: eo quòd eſt diſconuenientia non reſpectu naturæ ſubſtantialis (hæc enim non afficitur immediatè habitibus vitij, aut virtutis) ſed reſpectu potentiæ operatiuæ, cuius totum *eſſe* eſt propter operationem, ad quam inclinat. Et quamuis quilibet habitus primariò reſpiciat diſponere ſubiectum in ſe, vt diximus circa literam primi art. non tamen ille reſpectus ſiſtit in ipſo ſubiecto, ſed extenditur vſque ad actum, & inclinationem ad ipſum. Vnde merito pro eodem reputamus, quòd vitium contrarietur naturæ rationali, eò quòd malè diſponat eius potentias in ſeipſis; & quòd contrarietur illi, eo quòd repugnet naturali ipſius inclinationi ad bonum honeſtum, & ad actus virtutum.

Dubium à quibuſdam motum. Hîc diſputant aliqui, quomodo peccata omiſſionis, quæ nō conſiſtunt in poſitiuo, contrarientur naturæ rationali? Sed facilis eſt reſolutio. Tū quia prædictis peccatis ſēper admiſcetur aliquis actus, qui eſt cauſa omittendi, vt dicemus diſp. 5. & ita ratione talis actus poſſunt contrariari prædictæ naturæ, ſicut peccata cōmiſſionis. Tum etiā quia cum omiſſio peccaminoſa ſit carētia formæ debitæ, eo ipſo repugnat naturali inclinationi ſubie

ſubiecti ad talem formam : ſicut quia cæcitas eſt carentia viſus debiti animali, eo ipſo repugnat naturæ ſenſitiuæ, & naturali eius inclinationi ad videndum. Nomine autem *contrarietatis* in præſenti etiam comprehendimus huiuſmodi repugnantiam, vt initio dubij animaduertimus.

Dubium II.

Vtrùm vitia oppoſita virtutibus infuſis ſint contra naturam rationalem?

PRopter eminentiam & ſupernaturalitatem virtutum infuſarum militat ſpecialis difficultas in vitiis eis oppoſitis circa contrarietatem ad rationalem naturam : quam decidemus in hoc dubio.

§. I.

Vera D.Thomæ ſententia.

16. DIcendum eſt, etiam vitia & peccata oppoſita virtutibus infuſis contrariati rationali naturæ. Ita Diuus Thomas in hoc articulo, vbi abſolutè de omni vitio profert eſſe contra prædictam naturam. Idque oſtendit in argumento *ſed contra* auctoritate Diui Auguſtini libro 3. de libero arbitrio, capite decimo-tertio, dicentis, *omne peccatum, eo ipſo quòd peccatum eſt, eſſe contra naturam.* Et ſecunda ſecundæ, quæſtione decima, articulo primo ad primum, docet id de infidelitate, quæ fidei infuſæ opponitur. Quod etiam inſinuat infra quæſt.100.art.1. & 3.p.quæſt.84.art.7. quatenus ait, omnia præcepta moralia, etiam quæ ſunt de actibus ſupernaturalibus, vt præceptum habendi fidem,& præceptum pœnitendi de peccatis pertinere (modo infra explicando) ad legem naturæ : ex hoc namque bene infertur, vitia & peccata contra huiuſmodi præcepta contrariari naturæ rationali, cuius lumine dictatur prædicta lex. Vnde hanc ſententiam tuentur Caietanus loco citato ex 3. parte. Sotus in 4. diſtinctione 14. quæſtione 1. articulo 7. & libro 1. de Iuſtitia, & Iure, quæſtione 4. art.3. ad 2. Aluarez in præſenti diſput.119. Curiel dub.vnico concluſ.1. Zumel diſput.1.concluſ.2. Monteſ.diſp.1.quæſt.2.Lorca diſp.3.Greg.Mart. dub.2. & plures alij : quamuis non omnes eodem tramite incedant.

Caiet. Sotus. Aluar. Curiel. Zumel. Monteſ. Lorca. Greg.Mart.

Ratio.

Probatur ratione, qua dubio præced. vſi fuimus : quia prædicta vitia diſponunt malè naturam rationalem, ſuntque illi diſſona & diſconuenientia : hoc enim eſt de ratione cuiuſcumque vitij, vt ſit mala naturæ diſpoſitio : ergo repugnant & contrariantur tali naturæ: idem enim eſt repugnantia ſiue contrarietas ad aliquam naturam atque diſſonantia & diſconuenientia reſpectu illius, vt initio dubij præced.animaduertimus.

Confirmatio.

Confirmatur: nam virtutes infuſæ verè ſunt iuxta naturam rationalem, & perficiunt hominem conſonè & conuenienter ad illam : ergo vitia oppoſita contrariantur & repugnant tali naturæ : quod enim opponitur perfectioni exiſtenti iuxta aliquam naturam, etiam opponitur eidem naturæ : & ſicut talis perfectio eſt iuxta, ita eius oppoſitum eſt contra prædictam naturam.

Effugium.

Dices, virtutes infuſas non eſſe eiuſdem ordinis cum natura rationali, ſed ſuperioris & diuini : vnde ſicut ob hanc rationem non ſunt homini connaturales, ita non ſunt dicendæ iuxta eius naturam, ſed ſupra illam : atque adeo nec vitia oppoſita dicenda erunt contra talem naturam ſecundum ſe conſideratam, ſed contra aliam ſuperiorem & deificam, qualis eſt gratia; vel ad ſummum contra ipſam naturam rationalem vt eleuatam & perfectam per ipſam gratiam.

Impugnatur

17. Sed contra : quia aliud eſt an virtutes infuſæ ſint connaturales homini; aliud verò an ſint conſonæ & conuenientes : quamuis enim ſupernaturalitas illarum obſit prædictæ connaturalitati, quia non dicitur connaturale alicui, illud quod eſt ſupra eius naturam; non tamen obeſſe poteſt conſonantiæ, & conuenientiæ, aut huic, quod vocamus *eſſe iuxta naturam* : quia ad hoc ſufficit, vt prædictæ virtutes ſint formæ perfectiuæ, quibus natura bene ſe habeat, & quibus conſonè ad ſe ipſam perficiatur & ornetur : hæc autem munia optimè præſtantur à prædictis virtutibus : nam quò forma aliqua eſt ſuperior, eò magis perficit; & quò magis perficit, eò magis conſonat & congruit rei perfectibili, adeoque magis eſt iuxta eius naturam : quod Hiſpanè dicimus *eſta le mui bien.* Et conſequenter vitium, quod huiuſmodi conuenientiam aufert, nequit non prædictæ naturæ diſſonare, & diſconuenire, hiſpanè *eſtar le mal.* Vnde D.Auguſt.lib.12. de Ciuit.Dei cap.1. appellat vitium Angelicæ naturæ; quod non adhæſit Deo per charitatem, quia ſic illi adhærere valde conſonat tali naturæ.

Poteſtque hæc impugnatio & ratio noſtra confirmari animaduertendo ex D.Thoma 2. 2. quæſt.2. art.3. quòd in naturis ſubordinatis, ad perfectionem inferioris duo concurrunt : vnum, quod eſt ſecundum proprium motum; & aliud, quod eſt ſecundum motum naturæ ſuperioris. Aqua maris v. g. ſecundum proprium motum tendit ad centrum; ſecundum verò motum lunæ, cui ſubordinatur, mouetur per fluxum & refluxum circa centrum : & vterque motus ſpectat ad perfectionem illius aquæ. Idem cernitur in orbibus Planetarum, qui proprio motu tendunt ab Occidente in Oriens; motu verò primi mobilis ab Oriente in Occidens. Secundò obſerua, quòd inter omnes creatas naturas ſola rationalis habet immediatum ordinem ad Deum : atque adeo conuenit illi vt non ſolùm per ſibi connaturalia, ſed etiam per illa, quæ ſunt Dei propria, perficiatur. Cuius rationem tradit Ang. Doctor loco cit. *Quia cæteræ creaturæ non attingunt ad aliquid vniuerſale, ſed ſolùm ad aliquid particulare, participantes diuinam bonitatem vel in eſſendo tantùm, ſicut inanimata, vel etiam in viuendo & cognoſcendo ſingularia, ſicut plantæ & animalia : natura autem rationalis, in quantum cognoſcit vniuerſalem boni & entis rationem, habet immediatum ordinem ad vniuerſale eſſendi principium. Perfectio igitur rationalis naturæ non ſolùm conſiſtit in eo, quod ei competit ſecundum ſuam naturam; ſed in eo etiam, quod ei attribuitur ex quadam ſupernaturali perfectione diuinæ bonitatis*, &c.

D.Thom.

18. Hinc ſequēs confirmatio deducitur: nā quod præbet impedimēt. naturę inferiori, ne perficiatur à ſu

à ſuperiore, cui ſubordinatur, neceſſario eſt illi diſconueniens: ſicut è contra quod eſt ei ratio vt perficiatur à tali ſuperiore, non poteſt non eſſe conueniens: ſed vitia contra ſupernaturalia ponunt impedimentum in humana natura, ne perficiatur per gratiam & virtutes infuſas à Deo auctore ſupernaturali, cui ſubordinatur: ergo huiuſmodi vitia diſſonant & diſconueniunt prædictæ naturæ, atque adeo ſunt contra illam. Neque obeſt, quòd huiuſmodi perfectio ſit ſupra naturam, in qua recipitur, vt in euaſione tangitur: quia ſicut acquirere vires propriis viribus ſuperiores, reddique potentius & efficacius ad bonum proſequendum, cuique eſt valde conſonum; ita etiam perfici & eleuare ſupra propriam naturam per formam & naturam ſuperiorem. Et conſequenter vnicuique erit diſſonum id, quod talem eleuationem & perfectionem impedit. Quod non parum confirmat exemplum, quo D. Thom. loco cit. vtitur, aquæ maris: nam motus conueniens illi ex influxu lunæ, quamuis non ſit ſupernaturalis abſolutè; eſt tamen ſupra naturam propriam ipſius aquæ: quatenus ex propria grauitate nequit ſic moueri: & nihilominùs talis motus & influxus valde ei conſonat, eſſetque contra naturam eiuſdem aquæ, & aliquo modo illi violentum, quicquid prædictum motum & influxum impediret. Eodem ergo proportionali modo ad præſens philoſophandum eſt de formis ſupernaturalibus, & de vitiis oppoſitis reſpectu naturæ rationalis. Obiectiones vero contra hanc doctrinam adducemus pro contraria ſententia, & ibi diluemus.

D. Thom.

Secunda aſſertionis ratio.

Secundò probatur concluſio; & explicatur alia via repugnantia prædictorum vitiorum ad naturam hominis. Quia eadem naturalis ratio, immediatè dictat virtutes acquiſitas, & prohibet vitia oppoſita, habet mediatè, & ex conſequenti dictare de virtutibus infuſis, & contraria vitia prohibere: & eadem naturæ inclinatio, quæ eſt per ſe ad virtutes acquiſitas, extenditur eodem modo, nempe ex conſequenti, & mediatè, ſeu indirectè ad infuſas: quamuis enim prædicta ratio non attingat immediatè dona, aut præcepta ordinis ſupernaturalis, vtpote excedentia illius captum; nihilominus, ſuppoſita hominis eleuatione ad talem ordinem gratia à Deo facta, ex conſequenti, & mediatè habet dictare de prædictis donis, & præceptis, eorumque actibus: atque adeo condemnare vitia, & peccata, quæ eiſdem donis, & præceptis immediatè opponuntur: erunt igitur hac via, ſcilicet mediatè, & indirectè, ſiue ex conſequenti, prædicta vitia contra naturam rationalem. Conſequentia patet: nam cum prædicta natura ex ſe inclinetur ad ſequendum dictamen ſuæ rationis, oportet vt quicquid opponitur huiuſmodi dictamini, aut per ipſum prohibetur, repugnet, & opponatur eidem naturæ, & inclinationi. Antecedens verò ita explicatur, & ſuadetur: quia eo ipſo quod ratio naturalis per ſe, & immediatè dictet parendum eſſe cuilibet ſuperiori legitimè percipienti, ſicut dictat de facto, ibidem virtualiter, & ex conſequenti dictat, quòd natura eleuata ad ordinem ſupernaturalem, & ſubdita Deo legiſlatori huius ordinis debet ei parere, obſeruareque eius leges ſupernaturales, adeoque vitare peccata contra huiuſmodi leges. Vnde ſi eidem rationi naturali ſub modo ſibi proportionato proponatur, *an voluntas eleuata ad ordinem, qui dicitur ſupernaturalis, teneatur obedire legiſlatori illius ordinis; pecceique non obediendo, aut violando aliquod eius præceptum?* ſe ipſa, ſuoque naturali lumine iudicabit teneri, & peccare.

19. Dices: ratio naturalis per eleuationem naturæ ad illum ordinem ſæpe nihil intrinſecum recipit, ſed deputatione Dei extrinſeca dicitur eleuata: ergo ſicut non ſuppoſita eleuatione nullo modo dictaret de virtutibus aut præceptis ſupernaturalibus, ita neque ex eleuationis ſuppoſitione id habebit. *Replica.*

Reſpondetur, quicquid ſit de antecedente, negando conſequentiam: hoc enim eſt ingenium (vt ita dicamus) naturalis rationis, vt eo ipſo quòd detur illa ſuppoſitio, bonaque & præcepta ſupernaturalia ſub aliqua naturali ratione, puta ſub ratione cuiuſdam magni boni, vel alia ſimili ei proponantur, ſtatim ſe ipſa dictet eſſe proſequenda, & illorum auctori obediendum, ac proinde oppoſita vitia & peccata fugienda. Poteſtque hoc explicari aliquibus exemplis. Simonia, verbi gratia, qua poteſtas ſpiritualis, & ad ſupernaturalem ordinem pertinens venderetur, directè eſt contra præceptum ſupernaturale: & tamen ſi naturali rationi proportionatè ad ſuum modum cognoſcendi proponatur, ipſa etiam prohibebit illam: quatenus dictat peccatum eſſe vendere res inuendibiles, quarum domini non ſumus; & ea, quæ ſunt ſuperioris ordinis pro inferioribus commutare: vt docet Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione 100. articulo 2. Similiter reuelatio ſigilli confeſſionis directè eſt contra religionem ſupernaturalem; & tamen etiam naturalis ratio indirectè & ex conſequenti illam prohibet: quatenus dictat, peccatum eſſe prodere illa, quæ fidei noſtræ vt omnino ſeruanda committuntur. Satisfactio quoque & dolor de peccatis commiſſio contra Deum authorem ſupernaturalem, præcipitur ſuo modo à naturali ratione: quatenus dictat reſarciendam eſſe cuilibet offenſam iniuſtè illatam, vt docuit Diuus Thomas 3. parte, quæſtione 84. articulo 7. de quo videndus eſt ibi Caietanus. Et tandem poſtquam Angelus per euidentiam in atteſtante cognouit, aliqua ſupernaturalia myſteria eſſe ſibi à Deo reuelata, ſi fortè diſcrederet, delinqueret etiam contra lumen naturale: nam ius naturæ dictat præſtandam eſſe omnimodam fidem Deo quouis modo loquendi; de quolibet nec fallere poſſe, nec falli: & ita in aliis. *Enodatur.*

§. II.

Sententia aduerſa cum ſuis argumentis.

10. Contrariam ſententiam: nempe vitia, & peccata oppoſita virtutibus infuſis non eſſe contra naturam rationalem, tuentur Medina in hoc articulo 2. Conradus infrà, articulo 6. & quæſtione 72. articulo 4. in quam etiam inclinat Durandus in 4. diſtinct. quæſtione 6. Videturque inſinuari à Diuo Thoma, citato articulo 6. vbi ait, peccatum rectiùs diffinitum fuiſſe ab Auguſtino per *eſſe contra legem æternam*, quam diffiniretur per *eſſe contra rationem naturalem*: quia in multis regulamur per illam, ad quæ hæc non pertingit: atque adeo ſentit, non omnia peccata contrariari prædictæ

Medina.
Conrad.
Durand.
D. Thom.

ctæ rationi. Verùm ex hoc Diui Thomæ loco ad ſummum poteſt colligi, non omnia peccata eſſe directè & immediatè contra naturalem rationem; non autem quòd non ſint contra illam indirectè, modo num. præced. explicato. Quia enim quæ ita ſunt contra prædictam rationem, expreſſiùs pugnant cum lege æterna, quàm cum illa, & aliàs omnia, quæ prohibentur per prædictam rationem, prohibentur etiam per talem legem, rectè peccatum in ſua generalitate ſumptum diffinitum fuit potius per *eſſe contra legem æternam*, quàm per *eſſe contra rationem naturalem*.

Primum argumentum. Probatur ergo prædicta ſententia: quoniam lex gratiæ habet peculiaria præcepta, ad quæ ratio naturalis non extenditur: ſicut reſpicit ſpecialem naturam omnino ſupra ordinem naturalem, ſcilicet gratiam: ergo prædicta ratio non pertingit ad prohibenda peccata contra talia præcepta: aliàs præcepta hæc ſuperfluerent, ſoláque naturalis lex omnia præcipienda præciperet, & prohibenda prohiberet.

Solutio. Reſpondetur, hinc ſolùm haberi, præcepta ordinis gratiæ non dictari à rationi naturali immediatè & directè, atque adeo nec peccata commiſſa immediatè contra illa, opponi directè prædictæ rationi; ſecus autem indirectè modo explicato.

Secundum. 21. Secundò probatur: nam ex oppoſito ſequeretur, pueros exiſtentes in limbo habere remorſum conſcientiæ de peccato originali, & hæreticos in hac vita de peccato ſuæ hæreſis: nam conſcientiæ vermis murmurat de iis, quæ ſunt contra ius naturæ: hoc autem falſum eſſe quoad primam partem conſtabit infra diſput.18. & quoad ſecundam docet D.Thom.in 2.diſt.39. quæſt.3.art.1. ad 3. Sequeretur etiam, dominos poſſe cogere ſeruos infideles, vt fidem ſuſcipiant: ſicut poſſunt cogere illos, ne in alia peccata contra ius naturæ labantur. Quod etiam eſſe falſum tradunt communiter Theologi cum eodem Diuo Thoma 2.2.quæſtione 10.articul.8. & 10.

Enodatio. Reſpondetur negando vtramque ſequelam. Et ad probationem prioris quoad pueros in limbo exiſtentes dicendum eſt, vermem conſcientiæ non eſſe niſi de illis peccatis, quæ propria voluntate commiſſa ſunt: & ita peccatum originale, quod aliena voluntate commiſſum fuit, etiamſi directè eſſet contra legem naturæ, non generaret conſcientiæ remorſum. Hæretici verò in alia vita, vbi errorem ſuum agnoſcent, murmure vermis conſcientiæ augentur: modò verò quandiu hæretici ſunt, non oportet, quòd vermis iſte de ipſo hæreſis peccato murmuret: quia adhuc de peccatis immediatè contra ius naturale ſæpè non eſt conſcientiæ remorſus; eo quòd errore, vel ignorantia, aut obliuione culpabili teguntur. Ad probationem poſterioris ſequelæ reſpondetur, integrum eſſe dominis cohibere ſeruos à peccatis, quæ directè ſunt contra ius naturæ; ſecùs verò ab aliis, quæ ſolùm indirectè & mediatè illi aduerſantur: & præſertim ab infidelitate: eo quòd fides poſtulat, vt ſine coactione & ſatis ſpontaneè recipiatur, vt habetur loco cit. ex 2.2.

Tertium. 22. Tertiò arguitur in hunc modum (& erit obiectio contra noſtram primam rationem, & eius confirmationem.) Si vitia, de quibus loquimur, eſſent contra naturam rationalem, maximè quia virtutes infuſæ, quibus opponuntur perficiunt prædictam naturam, ſuntque illi conſonæ & conuenientes: ſed hæc ratio eſt nulla; dantur enim plura eodem modo ſubiectum perficientia, quorum oppoſita non idcirco tali naturæ contrariantur: ergo, &c. Minor, in qua eſt difficultas, ſuadetur multis inſtantiis. Nam modus cognoſcendi per diſcurſum, & conuerſionem ad phantaſmata, quem habet anima vnita corpori paſſibili, opponitur modo cognoſcendi per ſimplicem intuitum, & ſine dependentia à phantaſmatibus, quo vtitur in ſtatu ſeparationis, quique eſt magna eius perfectio: ſimiliter fides & ſpes opponuntur viſioni & poſſeſſioni, quibus natura rationalis maximè perficitur: ſtatus etiam naturæ in puris opponitur iuſtitiæ originali & gratiæ, quibus eadem natura valde decoratur: & nihilominùs nec modus cognoſcendi per diſcurſum & phantaſmata, nec fides & ſpes, neque ſtatus in puris habent eſſe contra prædictam naturam.

Confirmatur: nam ſcientia, cognitio certa futurorum contingentium, diſcretio cogitationum, & ſimilia perficiunt valde naturam humanam: & tamen quæ illis opponuntur, vt opinio, & futurorum aut cogitationum neſcientia non ſunt contra prædictam naturam, neque eam malè afficiunt. Similiter matrimonium opponitur virginitati, & aliqua opera præcepti aliquibus operibus conſilij: & tamen nullum iſtorum importat contrarietatem, quam diximus. *Confirmatio.*

Hoc argumento conuicti Gregorius Mart. & quidam alij, negant ſufficere, quòd aliqua forma ſit perfectio, quantumuis naturæ conſona, vt oppoſitum ſit contra talem naturam; niſi in ea detur ſimul inclinatio ad talem formam. Qualiter verò in natura rationali ſit inclinatio ad virtutes infuſas, ratione cuius vitia oppoſita illi contrarientur, duabus viis conatur citatus auctor explicare. Prima, quam vt optimam nouiſſimo loco adducit, eſt quod ſicut in homine datur inclinatio ad beatitudinem in communi, & ratione huius, adeóq; mediatè & ex conſequenti ad hanc beatitudinem in particulari, quæ eſt Deus, ita ſimiliter datur per ſe inclinatio ad bonum virtutis in communi; ex conſequenti autem & inadæquatè ad virtutes particulares, quæ ſub communi ratione virtutis continentur, ac proinde etiam ad virtutes infuſas tanquam contentas ſub illa communi ratione. Secunda via, quam ex iuniore quodam doctiſſimo adducit, diſtinguit in natura humana triplicem gradum: primum ſpecificum & proprium ipſius hominis: ſecundum genericum, in quo conuenit cum Angelis: tertium communiſſimum, in quo cum ipſo Deo analogatur. Licèt ergo ex primo vel ſecundo gradu nulla oriatur inclinatio ad virtutes ſupernaturales: quia naturalis inclinatio conſequens prædictos gradus, non tranſcendit naturales limites: bene tamen poteſt oriri ex tertio: quia cum ſit communis tam creatæ quàm diuinæ naturæ, non reſtringitur eius inclinatio ad ea, quæ ſunt ordinis naturæ, ſed pertingit vſque ad ſupernaturalem, in quo ſunt virtutes infuſæ. *Solutio prima.*

23. Verum enim vero neque argumentum trahit in huiuſmodi anguſtias: neque duo modi relati ſufficienter explicant, qualiter in natura rationali detur prædicta inclinatio: nec tandem dato eam ad intentum requiri, deeſſet congruentior modus ipſam explicandi. Primum iſtorum *Deſeritur.*

conſtabit ex ſolutione, quam ſtatim adducemus. Vltimum verò habetur ex noſtra ſecunda ratione: eodem enim modo, quo ibi diximus peccata prædictorum vitiorum, ipſáque vitia contrariari dictamini naturalis rationis, ſcilicet indirectè & mediatè, dicemus quoque contrariari inclinationi naturæ ad ſequendum prædictum dictamen.

Secundum autem, videlicet vtrumque dicendi modum nuper aſſignatum inſufficientem eſſe, conuincitur ex illis, quæ in tract. de viſione Dei diſp.2. dub.4. & 5. diſcuſſimus: vbi oſtenſum fuit non dari in nobis appetitum naturalem innatum vel elicitum ad claram Dei viſionem: atque adeo neque ad virtutes infuſas, in quibus militat eadem ratio, vt intuenti conſtabit. Sed & nunc arguitur contra primum modum, quem adducit Martinet. Quia appetitus vel inclinatio naturalis determinatè eſt reſpectu obiecti proportionati; ſeu in ordine ad quod inſunt naturæ vires: fruſtrà enim daret natura appetitum ad illud, quod ipſius naturæ viribus non eſſet conſequibile: virtus autem communiſſimè accepta, vt abſtrahit à naturali & infuſa, abſtrahit etiam à ratione obiecti proportionati & ſuperexcedentis, & vtrumque complectitur: ergo ad eam ſic ſumptam non datur in natura talis inclinatio. ¶ Accedit, quòd ſi virtutes infuſæ idcirco dicerentur eſſe iuxta inclinationem naturæ, quia in iſta eſt inclinatio ad bonum virtutis, vt abſtrahit à naturali & infuſa; pari ratione vitia & peccata dicerentur iuxta naturæ inclinationem: quãdoquidem iuxta hunc modum dicendi etiam erit admittenda naturalis inclinatio ad bonum communiſſimè ſumptum, vt abſtrahit à delectabili & honeſto, ſub quo comprehenditur tam vitium morale quàm virtus.

Secundus etiam dicendi modus videtur contra D.Thomam ſupra quæſt.63.art.1. vbi in ordine ad virtutes Theologicas & infuſas nullam admittit in natura inclinationem adhuc inchoatam; ſed dicit eſſe totaliter ab extrinſeco. Et ſanè ſi daretur talis inclinatio, prædictæ virtutes eſſent aliquo modo debitæ naturæ: quia naturæ inclinatæ ad aliquam formam debita eſt iuxta modum inclinationis ipſa forma. Ex quo rurſus fieret, tales virtutes non omnino eſſe ſupra naturam, ſed potius connaturales: ſiquidem in ipſa natura præexiſteret non nuda potentia obedientialis, ſed naturalis inclinatio, adeóque debitum aliquod exigendi illas.

Animaduerſio pro vera ſolut.

24. Hac igitur reſponſione prætermiſſa, pro vera ſolutione animaduertendum eſt, dupliciter poſſe aliquid opponi ei, quod eſt perfectio conſona naturæ: vel ita quod vtrumque oppoſitorum aptum ſit in eſſe pro eodem ſtatu, eidémque ſuppoſito: vel ſolùm pro diuerſis ſtatibus, aut in ſuppoſitis diſtinctis. Quod ergo priori modo perfectioni naturæ opponitur, contrariatur etiam ipſi naturæ: quia vni & eidem naturæ in eodem ſtatu & ſuppoſito nequeunt congruere formæ oppoſitæ: & ideo ſi ab vna ex prædictis formis diſponitur bene, non poteſt non ab oppoſita prauè affici. At verò quod poſteriori modo opponitur formæ perficienti naturam, non eo ipſo naturæ contrariatur: quia talis natura nata eſt habere diuerſos ſtatus inter ſe incompoſſibiles, & pro eis diſtinctis & incompoſſibilibus formis perfici: & ſicut nullus prædictorum ſtatuum eſt contra naturam; ſed omnes ab ea pro diuerſis temporibus exiguntur; ſic etiam nulla ex prædictis formis illi aduerſatur, ſed unaquæque pro ſuo ſtatu congruit ipſi, & eam perficit: adeóque omnes ſunt juxta prædictam naturam.

Alia animaduerſio.

Secundò nota, quòd quia anima rationalis ſpiritualis eſt, & ſimul forma corporis corruptibilis, duplicem ſtatum ex propria natura ſibi vendicat: nempe ſtatum coniunctionis ad prædictum corpus, & ſtatum ſeparationis ab ipſo. In primo alligata eſt corpori quoad omnem ſuam operationem, etiam partis intellectiuæ: quatenus oportet intelligentem in corpore, ſenſibilium phantaſmata ſpeculari. In ſecundo verò ſoluta eſt à lege corporis, & habet alium modum intelligendi, qui eſt proprius ſubſtantiarum ſeparatarum: nempe per ſimplicem intuitum, & ſine prædictis phantaſmatibus. Ex quibus ille prior ſtatus habet ſe ſicut via: quia dum ſumus in corpore, peregrinamur. Poſterior verò ſicut terminus: quatenus poſt ſeparationem à corpore nullus eſt iam profectus; ſed ubi ceciderit lignum, ibi manebit. In ipſo etiam ſtatu coniunctionis ad corpus corruptibile, qui eſt ſtatus viæ, plures alij ſtatus quaſi partes eius diſtingui ſolent: vt ſtatus naturæ in puris, ſtatus juſtitiæ originalis, ſtatus naturæ lapſæ, &c. Et adhuc in iſtorum aliquibus eſt conſiderare ſtatum exiſtentis in potentia, & ſtatum exiſtentis in actu: quia cum homo non habeat ſibi congenitas formas intelligibiles, quibus intellectus actuatur; nec bonum apprehenſum, quo voluntas determinetur, prius habet eſſe in potentia ad hæc; & poſtea per motum & ſucceſſionem reducitur ad actum. Et quoniam gratia naturam afficit iuxta modum ipſius naturæ, pro diuerſis ſtatibus diuerſimodè illam donis ſuis perficit: in via quippe per fidem & ſpem, quibus ambulamus: in termino autem per viſionem claram, qua comprehendimus & poſſidemus: ſicut etiam aliter perficitur modo per ipſam gratiam natura lapſa; & aliter perficeretur per juſtitiam originalem natura, quæ non cecidiſſet.

Anima[illegible] tertia

25. Denique obſerua ex eodem principio oriri in natura humana, vt non poſſit habere in vnico indiuiduo totam eam perfectionem, quam infra latitudinem ſuæ ſpeciei nata eſt adipiſci; ſed exigat diſtincta ſuppoſita pro diuerſis muniis exequendis. Nam ex qua parte homo intellectualis eſt, & Angelorum ordinem attingit, conuenit ei diuinis rebus in ſeceſſu à multitudine vacare; &, vt attentiùs contemplationi veritatis inſiſtat, à carnalibus delectationibus & matrimonij curis per virginitatem abſtinere. Ex qua verò eſt animal politicum & ſociabile, congruit etiam ſuæ naturæ rebus communibus, eiuſdémque naturæ conſeruationi, ac propagationi incumbere. Quæ quia in uno eodémque ſuppoſito incõpoſſibilia ſunt, ipſa natura poſtulat diuerſa indiuidua, ut in vno huius muneris, & in alio illius perfectionem aſſequatur. Quod rectè explicuit D.Thom.2.2.quæſt.152.art.2.ubi vt oſtenderet, virginitatem non eſſe contra naturale præceptum propagationis humanæ, quia natura vtrumque poſtulat, per diuerſos tamen adimplenda, ſic ait: *Multa ſunt multitudini neceſſaria, ad quæ implenda vnus non ſufficit; ſed impletur à multitudine, dum vnus hoc, alius illud facit. Præceptum igitur datum de generatione reſpicit totam multitudinem hominum: cui neceſſarium eſt, non ſolum quòd multiplicetur corporaliter, ſed etiam quòd ſpiritualiter proficiat. Et ideo ſufficiẽter prouidetur* D.Thom.

prouidetur humanæ multitudini, ſi quidam carnali operationi operam dent; quidam verò ab hac abſtinentes, contemplationi diuinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem & ſalutem. Sicut etiam in exercitu quidam caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gladiis decertant: quæ tamen omnia debita ſunt multitudini, ſed per vnum impleri non poſſunt.

Solutio argumenti. 26. Ex his habetur legitima argumenti ſolutio: omnia enim, quæ in eo referuntur tanquam oppoſita vt modus cognoſcendi per diſcurſum & phantaſmata, & modus cognoſcendi ſine illis, fides & vitia, ſpes & poſſeſſio, iuſtitia originalis & nuditas naturæ, aliaque huiuſmodi conueniunt illi ſecundum diuerſos ſtatus: vt viæ & termini coniunctionis ad corpus & ſeparationis, naturæ puræ & naturæ integræ, &c. Vnde non mirum quòd licèt ſint inter ſe incompoſſibilia, nullum eorum naturæ contrarietur, ſed omnia conſonent; ſucceſſiuè tamen & pro diuerſis ſtatibus, vt dictum eſt. At verò virtutes infuſæ & vitia oppoſita apta ſunt ineſſe naturæ rationali pro eodem ſtatu, & ideo ſi prædictæ virtutes habent eſſe conſonæ, vel iuxta illam; vitia debent eſſe diſſona & contraria.

Soluitur confirmatio. Similiter dicendum eſt ad Confirmationem: nam ſcientia, & opinio (eſto opinio ſit iuxta naturam: de quo alibi) non conueniunt homini omnino ſecundum eundem ſtatum: opinio enim eſt via ad ſcientiam, & ita congruit naturæ ſecundùm quòd eſt in potentia ad *ſcire*; ſcientia verò habet ſe ſicut terminus, & conſtituit intellectum in actu. Neſcientia autem futurorum, & cogitationum cordis, vbi iſtorum cognitio non eſt debita, eſt pura negatio: & ideo neque eſt contra, neque iuxta naturam: neque propriè impedit, vel indiſponit ad habendam ſcientiam, ſed eſt ipſum *non habere* illam.

¶ Ad illud de virginitate, & matrimonio conſtat ex tertio notabili, quomodo natura vtroque perficitur, & vtrumque exigit; ſed in ſuppoſitis diſtinctis: & ideo neque poſſunt haberi in vno, neque aliquod eorũ naturæ contrariatur. Quemadmodum ſexuum diuerſitas exigitur à natura, & eſt iuxta illam; non tamen vterque ſexus per ſe in eodem indiuiduo concurrit. ¶ Ad id, quod tangitur de actibus conſilij, reſpondetur, rationem noſtram procedere in formis, & perfectionibus habitualibus; non verò in motibus, & actibus ſecundis: quia in iſtis quòd ſe excludant, poteſt prouenire ex ſola ipſorum incompoſſibilitate, etiam ſine diſconuenientia alicuius eorum ad naturam: in illis verò eo ipſo quò vna impediat aliam, vel ad eam indiſponat, eſt euidens ſignum, quòd ſi vna congruit naturæ, alia diſſonat: quia formæ habituales quoties natæ ſunt conuenire pro eodem ſtatu, & ſuppoſito, ſi nulla contrariatur naturæ, omnes ſe iuuant & connectuntur: vt patet in virtutibus, quæ omnes quantum ad habitus ſunt connexæ; licet aliquarum actus ſint incompoſſibiles.

Argumentum vltimum. 27. Denique arguitur objiciendo etiam contra primam rationem: quia ex illa ſequitur, vitia oppoſita temperantiæ, fortitudini, & earum partibus eſſe contra naturam ſenſitiuam: hoc autem ex ſe, & ex dictis in principio diſputationis conſtat eſſe falſum: ergo, &c. Sequela probatur: tum quia prædictæ virtutes perficiunt naturam ſenſitiuam, & eius appetitum, in quo & ſubiectantur: ergo cùm vitia oppoſita tollant, vel impediant huiuſmodi perfectionem, habebunt eſſe contra talem naturam. Tum etiam quia prædicta vitia ponunt obicem in illa natura, ne perficiatur per virtutes à rationali, cui ſubordinatur: ergo ſi vera diximus n. 18. non poſſunt non malè illam diſponere, & eſſe contra ipſam.

Reſpondetur, naturam ſenſitiuam, & eius appetitum poſſe conſiderari dupliciter: vel præcisè ſecundum ſe: vel prout in homine participat aliquid voluntatis, & rationis. Primo modo non eſt ſubiectum alicuius virtutis, nec perficitur per eam: quia ſubiectum virtutis debet eſſe rationale ſaltem per participationem: & in 1. & 2. Ethic. Philoſophus dicit: vnde nec vitia ex ratione à nobis facta habebunt eſſe contra naturam ſenſitiuam ſic ſumptam. Secundò verò modo concedimus, prædicta vitia contrariari huiuſmodi naturæ: quia appetitus ſenſitiuus ſecundùm quòd participat rationẽ naturaliter inclinatur ad eius bonum: & ita vitium, quod huiuſmodi inclinationi aduerſatur, contrariabitur etiam prædicto appetitui. Sumiturque ſolutio ex D. Thoma ſupra q. 56. art. 4. ¶ Per quod patet etiam ad ſecundam probationem: quoniã vitia non impediunt immediatè naturam ſenſitiuam, præcisè vt ſenſitiua eſt, ne perficiatur per illas virtutes; ſicut impediunt naturam rationalem, ne perficiatur per virtutes infuſas: non enim natura ſenſitiua immediatè ſecundum ſe eſt perfectibilis per virtutes, ſed mediante participatione, quàm diximus: atque adeo vitia contrariabuntur huiuſmodi participationi, vel naturæ ſenſitiuæ, vt per eam eleuatæ; non verò ipſi naturæ immediatè, & in ſe. *Enodatur.*

Articulus III.
Vtrùm vitium ſit peius quàm actus vitioſus?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd vitium (id eſt habitus malus) ſit peius quàm peccatum, id eſt actus malus. Sicut enim bonum, quod eſt diuturnius, eſt melius; ita malum, quod eſt diuturnius, eſt peius: ſed habitus vitioſus eſt diuturnior, quàm actus vitioſi, qui ſtatim tranſeunt: ergo habitus vitioſus eſt peior quàm actus vitioſus.

2. Præterea: plura mala ſunt magis fugienda quàm vnũ malum: ſed habitus malus virtualiter eſt cauſa multorum malorum actuum: ergo habitus vitioſus eſt peior quàm actus vitioſus.

3. Præterea: cauſa eſt potior quàm effectus: ſed habitus perficit actum tam in bonitate quàm in malitia: ergo habitus eſt potior actu, & in bonitate, & in malitia.

Sed contra: pro actu vitioſo aliquis iuſtè punitur, non autem pro habitu vitioſo, ſi non procedat ad actum: ergo actus vitioſus eſt peior quàm habitus vitioſus.

Reſpondeo dicendum quòd habitus medio modo ſe habet inter potentiam & actum. Manifeſtum eſt autem quòd actus in bono & malo præeminet potentiæ, vt dicitur in 9. Metaphyſ. melius eſt enim bene agere quàm poſſe bene agere: & ſimiliter vituperabilius eſt malè agere quàm poſſe male agere. Vnde etiam ſequitur, quòd habitus in bonitate & in malitia medium gradum obtineat inter potentiam & actum: vt ſcilicet ſicut habitus bonus vel malus præeminet in bonitate vel malitia potentiæ, ità etiam ſubdatur actui. Quod etiam ex hoc apparet, quòd habitus non dicitur bonus vel malus niſi ex hoc quòd

quòd inclinat ad actum bonú, vel malum. Vnde propter bonitatem, vel malitiam actus dicitur habitus bonus, vel malus: & ſic potior eſt actus in bonitate, vel malitia quàm habitus: quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, eſt.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet, aliquid eſſe ſimpliciter altero potius, quod tamen ſecundum quid ab eo deficit: ſimpliciter enim pótius iudicatur quod præeminet, quãtum ad id, quod per ſe conſideratur in vtroque: ſecundum quid autem quod præeminet ſecundum id, quod per accidens ſe habet ad vtrumque. Oſtenſum eſt autem ex ipſa ratione actus, & habitus, quòd actus eſt potior in bonitate, & malitia quàm habitus: quòd autem habitus ſit diuturnior quàm actus, accidit ex eo, quòd vtrumque inuenitur in tali natura, quæ non poteſt ſemper agere, & cuius actio eſt in motu tranſeunte. Vnde ſimpliciter actus eſt potior tam in bonitate quàm in malitia; ſed habitus eſt potior ſecundum quid.

Ad ſecundum dicendum, quod habitus non eſt ſimpliciter plures actus, ſed ſecundum quid, id eſt virtute: vnde ex hoc non poteſt concludi, quòd habitus ſit ſimpliciter potior in bonitate, vel malitia quàm actus.

Ad tertium dicendum, quòd habitus eſt cauſa actus in genere cauſæ efficientis: ſed actus eſt cauſa habitus in genere cauſæ finalis, ſecundum quam conſideratur ratio boni & mali: & ideo in bonitate, & malitia actus præeminet habitui.

Concluſio. Actus ſecundus abſolutè, & ſimplicite excedit habitum, ſiue in bonitate, ſiue in malitia.

Nihil aliud in litera huius articuli ingerit dubitationem, niſi ipſa concluſio: pro cuius examine erit.

DISPVTATIO III.

De exceſſu inter actum, & habitum quoad bonitatem, vel malitiam.

EXceſſum actus ſecundi ſupra habitum, & potentiam quoad perfectionem entitatiuam, ſeu in *eſſe phyſico* explicuimus in tract. de Beatitud. diſp.1. à num.28. occurrit modo breuis diſputatio de exceſſu, & comparatione illorum in genere moris, ſiue quoad bonitatem, & malitiam moralem: quam ex ibidem dictis, & ex iis, quæ docet in præſenti D.Thom. vnico dubio abſoluemus.

DVBIVM Vnic.

Vtrùm actus ſecundus excedat ſimpliciter habitum in ratione boni, vel mali?

ESſe inter actum, & habitum tam vitij, quàm virtutis mutuum aliqualem exceſſum quantum ad bonitatem, & malitiam, ſatis conſtat: quia habitus eſt cauſa efficiens actus, & aliquid permanens; debetque proinde eum excedere, quantum eſt ex iſto capite: cùm (teſte Auguſt. lib.83. quæſtionum q.2.) nullum quod fit, ei à quo fit, modis omnibus par eſſe poſſit. Habitus etiam ordinatur ad actum ſicut ad finem: vnde quia finis potior eſt iis, quæ ſunt ad finem, debet ex hoc capite actus habitum ſuperare. Quare ſolùm examinandum ſupereſt, quis eorum abſolutè & ſimpliciter ſit melior, vel peior? ſeu quis prædictorum exceſſuum, attentis omnibus præferendus ſit.

§. I.

Vera & communis ſententia.

1. DIcendum eſt actum ſecundum ſiue bonum ſiue malum ſuperare abſolutè & ſimpliciter ſuum habitum in bonitate vel malitia. Ita D.Tho.1.p.q.48.art.6. De mal.q.1.art.2. ad 9. & art.5.ad 8. & q.1.art.5.vbi ſic ait: *Simpliciter ergo bonum vel malum dicimus ſecundùm actum ſecundum, qui eſt operatio, ſecundùm vero actum primum attenditur bonum vel malum quodammodo ſecundum quid.* Et in hoc art. *Potior eſt actus in bonitate vel malitia, quàm habitus.* Et in ſolut. ad vlt. *In bonitate & malitia actus præeminet habitui.* Idem docuit Philoſophus 9. Metaphyſ.c.10.& lib.1.magn.moral.cap.3. quos ſequuntur Capreolus in 4.diſt.49.q.1. art.3. ad 2. Scoti contra primam concluſionem. Sotus ibid. q.1.art.2. Caiet. Medina, & Curiel ſuper hunc articulum: vbi etiam Zumel diſp.vnic. concl.4. Aluar. diſp.120. Greg.Mart.dub.1. Monteſ. Lorca, Vaſquez & alij.

D.Thom. — Philoſ. — Capreol. — Sotus. — Caiet. — Medina. — Curiel. — Zumel. — Aluar. — Greg.Mart. — Monteſ. — Lorca. — Vaſquez. — *Ratio.*

Probatur ratione, qua D.Thom. vtitur. Quoniam actus ſecundus in bonitate & malitia excedit ſimpliciter potentiam: ergo etiam excedit habitum. Antecedens eſt Philoſophi loco cit. ex 9 Metaph. vbi de actu bono ſic ait: *Quod autem & melior, & nobilior, & honorabilior ſtudioſa potentia actus, ex his eſt palam: quæcumque enim ſecundum poſſe dicuntur, idem eſt potens contraria: vt quod dicitur poſſe conualeſcere, idem eſt & languens & ſimul: eadem enim potentia & conualeſcendi & laborandi: poſſe igitur contraria ſimul exiſtere; contraria verò impoſſibile ſimul exiſtere, vt ſanum eſſe & laborare: quare neceſſe bonum alterum eſſe bonum: poſſe verò ſimiliter vtrumque aut neutrum; actus verò melior eſt.* De actu verò malo ita ait: *Neceſſe autem & in malis finem & actum eſſe deteriorem potentia: quod enim potens, idem contraria ambo.*

Philoſ.

Cuius rationis vim aperuit ibi Ang.Doctor. lect.10. & ex eius Gloſſa poſſumus ſic illam explicare. Nam eò magis participat aliquid rationem boni, quò magis excludit rationem mali, minuſque eſt malo permixtum; & eò magis accedit ad rationem mali, quò magis à ſe excludit rationem boni, & minus ei admiſcetur: ſicut ille color magis accedit ad rationem albi, qui minus admittit de permixtione nigri: & regulariter vnumquodque in ſua ratione eo magis perficitur, quò magis à ſuo contrario purificatur: atqui actus nullam admittit contrarij permixtionem, ſed malus omnem bonitatem moralem; & bonus omnem malitiam excludit (nullus quippe poteſt ſimul eſſe bonus, & malus, vt in tract.de bonit.& malit.diſp.6.dub.1.oſtendimus) potentia autem permixta eſt: eadem enim, quæ eſt ad bonum, eſt etiam ad malum: ergo magis participat de ratione boni, vel mali actus quàm potentia. ¶ Præterea quod eſt in potentia bonum, ſolùm eſt bonum ſecundum quid, atque idcirco poteſt etiam eſſe malum in potentia, quia contraria in aliquo *eſſe ſecundum quid* non repugnat eſſe ſimul: quod verò eſt bonum in actu, eſt bonum

Exponitur.

Digitized by Google

num ſimpliciter; propterea quæ non poteſt ſimul eſſe malum: neque è contra quod actu eſt malum, poteſt ſimul eſſe bonum: quia contraria in *eſſe ſimpliciter* mutuo ſe expellunt: actus igitur quantum ad rationem boni vel mali ita ſe habet ad potentiam, ſicut quod eſt ſimpliciter tale ad id, quod eſt tale ſecundum quid. *Relinquitur ergo* (ait D.Thom.) *quòd actus eſt melior potentia: quia quod eſt ſimpliciter & purè bonum, melius eſt eo, quod eſt ſecundum quid bonum & coniunctum malo. E contrario in malis actus eſt peior potentia ex ratione ſupra inducta: quia id, quod eſt ſimpliciter malum, & non ſe habens ad malum & ad bonum, eſt peius eo, quod eſt ſecundum quid malum, & quod ſe habet ad vtrumque: vnde cum potentia ad malum nondum habeat malum niſi ſecundum quid, & eadem eſt ad bonum, relinquitur quòd actus malus eſt peior quam potentia.* D.Thom.

2. Conſequentia verò ita ſuadetur ab eodem D.Thoma in hoc art. nam habitus medius eſt inter actum & potentiam, & medio modo ſe habet, quia neque eſt ita actualis, & ita determinatus ad bonum vel malum, ſicut actus ſecundus; neque ita potentialis, & ad vtrumque indifferens, ſicut ipſa potentia: debet ergo medium gradum inter illa obtinere, adeoque taliter ſuperare potentiam, vt cedat actui, & ab eo ſuperetur. Eò præſertim quia habitus non aliunde ſuperat in bonitate & malitia potentiam, niſi quia magis accedit ad actum, magiſque huius rationem participat: cum ergo in huiuſmodi ratione actus ſecundus non ſolùm potentiam, ſed etiam ipſum habitum ſuperet, oportet vt tam in bonitate quàm in malitia vtrumque excedat.

Dices, habitum virtutis determinatum eſſe ad bonum, & habitum vitij ad malum: & ita repugnat, quòd vel ille ad malum, vel iſte ad bonum concurrat: ergo ex ratione facta potius habitus conuenit cum actu ſecundo; quàm ſit medius inter illum & potentiam. ¶ Sed contra: tota determinatio habitus ſumitur per ordinem ad actum ſecundum: ideo enim habitus dicit maiorem determinationem ad bonum vel malum quàm potentia, quia magis appropinquat prædicto actui: ergo magis determinatus eſt ipſe actus: *nam propter quod vnumquodque tale & ipſum magis.* Deinde habitus ſolùm dicitur determinatus ſiue ad bonum ſiue ad malum quoad ſpecificationem, quatenus non poteſt ad oppoſitum concurrere: at verò actus ſecundus importat determinationem etiam qnoad exercitium, quia exercitium ſiue boni ſiue mali in ipſo actu ſecundo conſiſtit: conſtat autem maiorem determinationem eſſe hanc ſecundam quam illa prima.

Alia ratio. 3. Secunda ratio D.Thomæ eſt huiuſmodi. Habitus non eſt malus aut bonus niſi per ordinem ad actum & propter illum: dicitur enim *bonus* habitus, quia inclinat ad actum bonum: & *malus*, quia inclinat ad malum: ergo in bonitate aut malitia potior eſt ipſe actus. Patet conſequentia ex prædicto axiomate *propter quod vnumquodque tale*, &c. Quod axioma verum habet, quoties id, propter quod aliquid dicitur, eſt formaliter tale: ſicut quia media ſunt bona & quæruntur propter finem, & finis etiam quæritur, & eſt bonus, melior eſt, & magis quæritur ipſe finis: cum ergo habitus ſit bonus vel malus propter actum, qui eſt formaliter malus aut bonus, ſit huiuſmodi denominationes magis conuenire actui, quàm habitui.

Confirmatur: quia finis in bonitate & malitia potior eſt iis, quæ ſunt ad finem: actus autem reſpectu habitus habet rationem finis: ergo in vtraque ratione debet illum ſuperexcedere. Maior facile ſuadetur: quoniam finis bonus ex ſe & ex propriis dicit conuenientiam ad dictamen rationis: & ita *finis & per ſe bonum* conuertuntur: ſimiliter finis malus vel defectus circa finem per ſe habet rationem mali, & per ſe dicit diſconuenientiam ad prædictum dictamen: at verò ea, quæ ſunt ad finem non niſi vt collata cum illo, ex eius quæ participatione habent rationem boni vel mali: ergo in vtroque potior eſt finis. Minor autem probatur: nam habitus operatiuus non eſt inſtitutus à natura niſi propter actum: quæritur enim non per ſe primo vt ipſe ſit, ſed vt operetur, iuxta illud Philoſophi 2. de cœlo cap. 3. *Vnumquodque quorum eſt opus, gratia operis:* ergo ipſa operatio & actus ſecundus eſt finis habitus. Tum etiam quia collatis inter ſe actu & habitu, vnus debet eſſe finis alterius, & propter eum à natura inſtitutus: cumque actus non ſit propter habitum, vt ex ſe conſtare videtur; relinquitur vt habitus ſit propter actum, & hic finis illius. *Confirm.*

Confirmatur ſecundò animaduertendo ex D. Thoma 1. p. quæſt. 5. art. 1. ad 1. quòd *bonum* ſicut & *perfectum* dicit rationem vltimi: & ideo res quælibet tunc abſolutè dicitur *bona*, quando intelligitur vltimatè completa, & cum vltima perfectione, quæ illi debetur. Quod adeo verum eſt, vt ipſa forma ſubſtantialis, quæ in entitate accidentales valde ſuperat, conſtituitque ens ſimpliciter, non conſtituat ſimpliciter bonum, neque res dicatur *bona* per illam, niſi *ſecundum quid*; quia *eſſe*, quod tribuit, non eſt vltimum: è contra verò vltima forma accidentalis licèt ſolùm tribuat *eſſe ſecundum quid*, conſtituit bonum ſimpliciter, & res dicitur per illam *ſimpliciter bona*, quia *eſſe*, quod tribuit, eſt vltimum. Ex hac ergo doctrina infirmatur noſtra ratio: nam illud, cæteris paribus, magis participat de ratione boni ſiue in phyſicis, ſiue in moralibus, quod plus accedit ad rationem vltimi; in illo verò defectu plus mali ſplendet, quæ eſt circa magis vltimum: contraria enim, vti ſunt bonum, & malum, verſantur circa idem: ſed actus, ſiue malus, ſiue bonus, vltimior eſt habitu, cùm ſit eius finis: ergo ſuperat illum tam in bonitate quàm in malitia.

§. II.

Principalis objectio contra aſſertionem.

4. PRo oppoſita ſententia refert nonnullos Gregor. Matt. quorum ſuppreſſit nomina: ſed, vt vidimus, noſtra concluſio eſt ſatis communis inter Theologos. Sunt tamen contra illam & cõtra rationes aliquæ objectiones, quas oportet diluere. Primò ergo objicies, quòd omnis effectus in ſua cauſa effectiua ſortitur nobilius *eſſe*; vel ſaltem æquè nobile atque habet in ſe: ergo cùm habitus ſit cauſa effectiua actus quoad bonitatem, & malitiam, debet nobiliori modo, vel ſaltem æquè nobili vtramlibet in ſe continere; eſſeque proinde ſaltem æquè bonus, vel malus. Conſequentia videtur perſpicua. Et antecedens probatur. Tum ex ipſa conditione cauſæ actiuæ: quæ ſi ſit principalis, debet in ea ratione,

Digitized by Google

ne, in qua eſt cauſa, adæquate vel ſuperare ſuum effectum. Cauſa enim efficiens continet & cauſat non prout eſt in potentia, ſed prout eſt in actu: unde ſi eſt cauſa principalis, & producit effectum virtute propria, debet illum præhabere vel in actu formaliter, & ſic æquè perfectè; vel in actu eminenter, adeóque perfectiùs. Quod ſi ſolum continet in actu virtuali & minus perfecto, non continebit virtute propria, ſed in virtute alterius cauſæ, & vt inſtrumentum illius, ad quam erit recurrendum. Tum etiam probatur inductione: nam calor nobiliori modo eſt in ſole, qui eſt calidus eminenter, quàm in ſe vel in ſuo *eſſe* formali: & creaturæ nobilius *eſſe* habent in Deo, vbi ab eo non diſtinguntur, quam in ſe ipſis, vbi ſunt formaliter creaturæ.

Confirmatur: vel habitus eſt cauſa univoca actus; vel æquivoca? ſi primum, erit eiuſdem conditionis, bonitatis, aut malitiæ cum actu: nam cauſa vniuoca in perfectione vel imperfectione eſt æqualis rationis cum ſuo effectu. Si ſecundum, debet illum excedere: quia cauſa æquiuoca ſuperat effectum in ea ratione, in qua eſt cauſa.

Duplex ſolutio. 5. Ad hanc obiectionem Medina, Lorca, & alij reſpondent, habitum non eſſe cauſam actus principalem, ſed inſtrumentalem: cauſa autem inſtrumentalis non eſt neceſſe, quòd ſuperet vel adæquet in perfectione effectum. Alij verò dicunt, habitum non eſſe cauſam actus quoad ſubſtantiam moralitatis, ſed ſolùm quoad modum, ſcilicet quoad facilitatem, vel delectabilitatem.

Impugnatur. ¶ Sed vtraque ſolutio aſſumit falſum: nam habitus & eſt cauſa principalis; & non concurrit præcisè ad modum, ſed etiam ad ſubſtantiam moralitatis actus, vt oſtendimus in tract. de virtut. diſp. 1. dub. 2. & 3. Et quicquid ſit de habitibus acquiſitis, attamen ſaltem infuſis negari non poteſt concurſus cauſæ principalis etiam ad prædictam moralitatis ſubſtantiam: quandoquidem & dant *poſſe ſimpliciter* ad illam, & ſunt tota ratio proxima agendi. ¶ Adde, quòd ſicut actus in bonitate & malitia ſuperat habitum, ita actus & habitus excedunt in vtraque potentiam: cum ergo hoc non obſtet, quominus potentia ſit cauſa principalis vtriuſque, & concurrant ad ſubſtantiam entitatis & moralitatis; ſignum euidens eſt, exceſſum actus ſupra habitum in bonitate & malitia non dependere ex eo, quòd habitus ſit vel non ſit cauſa principalis; neque ex eo, quòd concurrat ad modum vel ad ſubſtantiam. Et ſanè obiectio militat à fortiori in exceſſu actus ſupra potentiam: neque quantum ad hunc exceſſum ſolui poteſt aliqua ex prædictis vitiis, vt intuenti conſtabit.

Tertia ſolutio. Aliter ergo reſpondent Curiel, Zumel, Cornejo & alij: dicunt enim, habitus eſſe cauſas effectiuas bonitatis & malitiæ moralis ſuorum actuum; non tamen per ſe primò, ſed quaſi ſecundariò & conſequenter: quia cum bonitas & malitia moralis in actibus ſint relationes, vel modi ſupponentes entitatem naturalem ipſorum actuum, non poſſunt aliter produci. Et quoniam ea, quæ hoc modo producuntur, non debet contineri formaliter aut alio perfectiori modo in ſuis cauſis, non eſt neceſſe, quòd habitus, quia ſit cauſa bonitatis & malitiæ actus, contineat illas in ſe, vel perfectiori modo, vel æquè perfectè. Exemplis id explicat Curiel: nam ſol v. gr. producit calorem in his inferioribus formaliter ſimilem alteri calori: & tamen non adæquat ipſum calorem in relatione iſta ſimilitudinis, quæ conſequitur: non enim ſol eſt ita perfectè ſimilis calori à ſe producto, ſicut vnus calor alteri. Idémque eſt de quacumque cauſa æquiuoca quantum ad relationem identitatis vel ſimilitudinis, quæ conſequitur ad effectum, reſpectu aliorum, cum quibus ipſe effectus conuenit in natura. Similiter habitus ſcientificus, quamuis concurrat efficienter ad actualem aſſenſum, non adæquat ipſum in veritate formali, quæ conſiſtit in relatione adæquationis ad obiectum: perfectiùs enim inuenitur veritas in actu ſcientifico, vbi eſt formaliter & per ſe, quàm in habitu ſcientiæ, in quo eſt ſolùm cauſaliter & per ordinem ad actum.

6. Sed neque hæc ſolutio (quamuis ſit probabilis) tollit obiectionem. Nam ſiue cauſa efficiens producat effectum primò & per ſe, ſiue ſecundario aut ex conſequenti; omnino tamen ei repugnat producere per modum cauſæ principalis id perfectionis vel imperfectionis, quod in ſe non continet: nullus enim dat quod non habet; nec ſuperare poteſt in agendo per propriam virtutem ſe ipſum in eſſendo & continendo. Et ita repugnat, calorem per modum cauſæ principalis attingere productionem formæ ignis, quia non eſt æquè perfectus ſicut ipſa forma; quamuis talis forma non producatur per actionem terminatam ad illam per ſe primò; ſed per reſultantiam & emanationem: vt docent N. Complutenſes 2. Phyſic. diſp. 10. quæſt. 3. Ergo ſiue habitus producat moralitatem actus primariò, ſiue ſecundariò, nequibit communicare illi plus aliquid, quàm in ſe contineat. Vide infra diſput. 12. num. 6. vbi prædicta ſolutio neruoſiùs impugnatur. *Deſeritur.*

Neque exempla, quæ inducit Curiel, fauent huic ſolutioni. Nam relatio illa ſimilitudinis licèt non formaliter, eminenter tamen & ſub alio perfectiori *eſſe* continetur in virtute ſolis: non tamen propterea debet denominare illum æquè aut magis ſimilem, quia huiuſmodi denominatio non tribuitur à relatione ſimilitudinis, niſi vt habita formaliter & ſub proprio *eſſe*. Et eſt manifeſta inſtantia in Deo: in quo planum eſt contineri eminenter, & ſub modo eſſendi longè perfectiori prædictam relationem: cum in eo eminentiſſimè contineatur omne *eſſe* creaturarum tam relatiuum quàm abſolutum: & non idcirco denominatur Deus ab illa *ſimilis*, vel *magis ſimilis*, propter rationem dictam. Illud verò de habitu ſcientifico eandem patitur difficultatem, & non minus eget ſolutione; quomodo ſcilicet poſſit eſſe cauſa effectiua actus ſcientifici quoad rationem veritatis, dum hæc perfectiori modo reperitur in actu, vbi eſt formaliter, quàm in habitu, vbi eſt ſolùm cauſaliter. Vnde hoc ſimile, vtpote de re æquè dubia & difficili, potius debet ſolui, quàm adduci vt inſtantia ad rem, de qua agimus.

7. Vera ergo ſolutio ea eſt, quam D Thom. tradit in præſenti in reſponſ. ad 3. vbi propoſitam obiectionem ita diluit: *Dicendum, quod habitus eſt cauſa actus in genere cauſæ efficientis; ſed actus eſt cauſa habitus in genere cauſæ finalis, ſecundum quam conſideratur ratio boni & mali: & ideo in bonitate & malitia actus præeminet habitui.* Igitur iuxta hanc D. Thomæ doctrinam tunc ſolùm effectus habet perfectius *eſſe*, vel æquè perfectum in ſua cauſa effectiua, quàm in ſe, quando *Vera ſolutio D. Thom.*

talis

talis effectus non eſt ſimul cauſa finalis ipſius cauſæ effectiuæ : & ideo calor perfectius *eſſe* habet in ſole , & omnes creaturæ in Deo , quàm in ſe ipſis : quia ita ſunt effectus Dei & ſolis, vt non ſint eorum cauſa finalis. Quando verò effectus ſimul eſt cauſa finalis , perfectius habet eſſe in ſe , quàm in illa cauſa effectiua, cuius eſt finis : nam finis (vt in ſecunda noſtra ratione dicebamus) ſemper eſt potior tam in bono quàm in malo iis, quæ ſunt ad finem. Vnde quia actus ſecundus ita eſt effectus ſui habitus in genere cauſæ efficientis , vt ſimul reſpectu illius ſit cauſa finalis , præſtantius *eſſe* obtinet in ſe , quàm in ipſo habitu.

Obiectio. Dices : maior illa perfectio , qua finis ſuperat efficientem , & per quam actus ſecundus excedit habitum , debet in ipſum efficientem reduci , atque adeo debet in illo præcontineri : ergo vel cauſa effectiua debet eſſe ita perfecta ſicut finalis , & habitus ſicut actus ſecundus ; vel non ſtat , id , quòd eſt effectus in genere cauſæ efficientis , habere rationem finis.

Diluitur. ¶ Reſpondetur ex D. Thoma quæſtion. 1. de virtut. artic. 1. maiorem illam perfectionem actus ſecundi eſſe quidem reducendam in aliquem efficientem ; non tamen in illum , reſpectu cuius eſt cauſa finalis ; adeóque non in habitum vel potentiam , ſed in cauſam primam, reſpectu cuius prædictus actus nullo modo eſt finis, ſed habet dumtaxat rationem effectus.

8. Explicatur hoc : etenim actus ſecundus conuenit in aliquo cum habitu , & in aliquo illum excedit : conueniunt , quia vterque reſpicit idem obiectum formale , & vterque eſt tendentia ad illud : excedit verò actus ſecundus , quia eſt actualior, dicitque prædictam tendentiam per modum vltimæ actualitatis , quam actualitatem habitus non importat , ſed habet plus potentialitatis admixtum : & ita eſt medium , vt numero 2. dicebamus , inter actum & potentiam. Quoad illud ergo, in quo actus ſecundus conuenit cum habitu videlicet quoad præciſam rationem tendentiæ ad obiectum , continetur ſufficienter in ipſo habitu , qui eſt ſimiliter tendentia formalis ad idem obiectum : & ita quoad hoc ſufficienter poteſt in eum reduci. Neque præciſè ſecundum hanc rationem actus ſecundus eſt finis habitus : quia æquale non eſt propter omnino æquale. Quoad actualitatem non verò , in qua actus habitum ſuperat , & per quam complectur in ratione finis illius, neque in ipſum habitum , neque in aliquam creatam virtutem poteſt vt in cauſam principalem reduci : quia cum nulla virtus operatiua creata ſit ita actualis , ſicut actus ſecundus, nulla poteſt adæquatè illum continere. Quare ſecundum hanc rationem reducendus eſt immediatè in cauſam primam, & in eius motionem , vel auxilium. Sicut exiſtentia cuiuſlibet creaturæ ob eandem rationem immediatè eſt effectus eiuſdem cauſæ primæ : quia cum nulla virtus operatiua creata ſit ita actualis ſicut ipſa exiſtentia , nulla poteſt eam vt cauſa principalis efficere. Reſpectu verò cauſæ primæ nullus actus creatus habet rationem finis , ſed nudi effectus : & ideo ſemper ſaluatur , quòd actus ſecundus vt exercet rationem finis , nobilius *eſſe* habet in ſe ipſo , quam in ea cauſa effectiua , cuius eſt finis : & quod vt habet rationem effectus , non minorem perfectionem dicit in ſua cauſa effectiua quàm in ſe ipſo. Cum autem dicimus , exceſſum prædicti actus ſupra habitum reduci in ſolam cauſam primam , ſermo eſt de cauſa principali : quia per modum inſtrumenti non eſt inconueniens vt habitus & potentia concurrant ad prædictum exceſſum, mota & eleuata per auxilium & virtutem cauſæ primæ. Quod ſi auctores primæ ſolutionis, quam impugnauimus , hoc ſolùm voluiſſent, non eis reſtagaremur.

Replica difficilis. Sed eſt vrgens replica : quia hæc doctrina ſolum poteſt adaptari actui bono, cuius exceſſus ſupra ſuum habitum poteſt in primam cauſam reduci : at verò exceſſus actus mali ſupra ſuum habitum non poteſt eſſe effectus primæ cauſæ ; aliàs eſſet Deus cauſa malitiæ : ergo non ſolum poteſt reduci ſicut in cauſam principalem in ipſum habitum : manet igitur quantum ad huiuſmodi actum & exceſſum obiectio inſoluta.

9. Vrget ſanè prædicta replica , ſed non conuincit : quia habito ſemel , quòd exceſſus actus boni reducatur in cauſam primam , habemus ſufficiens principium , in quod totus exceſſus actus mali poſſit reduci ; ſine eo quod vel aliqua malitia reducatur in Deum ; vel in habitu æquè malè aut peiori modo , quàm in actu eſt , præcontineatur. Pro cuius luce animaduertendum eſt diſcrimen inter bonitatem & malitiam moralem quantum ad modum augmenti : nam bonitas , quæ conſiſtit in tendentia ad obiectum conſonum rationi , creſcit formaliſſimè intra propriam bonitatis lineam , per hoc quòd ſit magis actualis , ita quod ipſa maior actualitas eſt formaliſſimè maior bonitas ; & incrementum ſeu exceſſus in actualitate , eſt formaliſſimè incrementum & exceſſus in bonitate , ratióque conſtitutiua prædictæ tendentiæ in *eſſe* melioris. Et ratio eſt ; quia tam actualitas tendentiæ ad obiectum conſonum , quàm ipſa tendentia ſpectat per ſe ad lineam bonitatis : imo tendentia prædicta non eſſet bonitas , niſi eſſet actualis : eſt enim vnumquodque bonum , in quantum eſt ens , non vtcumque ſed actu : tantumque habet de bonitate , quantum dicit de actualitate. Cæterum malitia , quæ ex proprio conceptu ſita eſt in tendentia ad obiectum rationi diſſonum; quamvis eo ſit maior , quò maiori actualitati coniungitur ; non tamen formaliſſimè creſcit in ratione malitiæ per ipſam maiorem actualitatem : quia nulla actualitas ſub hoc conceptu eſt formaliter de linea malitiæ : ſed tota actualitas actus mali ſicut & tota entitas reducitur in Deum ſicut in primam cauſam ; in quem tamen nihil malitiæ poteſt reduci. Solùm ergo poteſt creſcere prædicta tendentia intra lineam malitiæ per hoc , quòd maiori actualitati tanquam rationi alterius lineæ coniungitur , & eam inficit : ſiue (quod idem eſt) per hoc quòd exiſtit in ſubiecto magis actuali , magiſque proinde bonitatem exigente : & ita in actu ſecundo eſt maior ſeu peior quàm in habitu : & adhuc in habitu peior ſeu maior quàm in potentia , iuxta maiorem vel minorem cuiuſlibet actualitatem.

Doctrina pro ſolutione. Poteſtque huius rei ratio amplius elucidari tum ex dictis: quia nimirum præciſa ab illa tendentia

Digitized by Google

dentia actualitate, quæ (vt dictum eſt) non ſpectat ad lineam malitiæ, nihil excogitabile apparet, quod poſſit prædictæ tendentiæ per modum nouæ alicuius formalitatis in recto ſuperaddi, quo intra talem lineam creſcat, ſitque ipſum quaſi *magis* malitiæ: ergo ſolùm poteſt creſcere modo explicato: per hoc ſcilicet quòd coniungitur actualitati maiori tanquam rei alterius lineæ, eſtque in ſubiecto magis actualis, & ad oppoſitam bonitatem magis determinato. Tum etiam quia per hoc præciſè quòd prædicta tendentia ſit in ſubiecto magis actuali, abſque eo quòd intelligamus ſuperaddi illi in eſſe rei aliquid ex parte ſui, repugnat magis rectæ rationi, fundátque ad illam, ſeu dicit maiorem diſconuenientiam. Nam quia de ratione mali, & præcipuè moralis, eſt quòd ſubiectetur in aliquo modo, ſitque illius quaſi læſio, infectio, & deformitas; quo bonum illud melius & actualius eſt, magiſque moralem bonitatem exigens, eo malitia magis ipſum deturpat, plus inficit, plus lædit; adeóque magis repugnat rectæ rationi, & peior cenſetur. Sicut olei macula verb. gr. quæ in rudi veſtimento vix apparet, & vix macula cenſetur; immiſſa in veſte pretioſa, reputatur maior, magiſque eam lædit & deformat, iuxta illud D. Thomæ libr. 5. de regim. Principis cap. 64. *Macula eſt turpior in veſte alba.* Non quia ipſa macula quantum ad ea, quæ ex parte ſua & in recto importat, in vtraque veſte non ſit omnino eadem, idémque oleum ſuperfuſum; ſed quia quo veſtis eſt pretioſior, eo magis qualitas maculæ ei diſſonat, magiſque eam deformat; dum maiorem in illa quàm in alia fœdat pulchritudinem, & impedit ſplendorem.

Solutio. 10. Ex his ad replicam (aliàs difficilem) non erit difficilis ſolutio. Dicimus namque, exceſſum actus ſecundi mali ſupra habitum quantum ad actualitatem reducendum eſſe in cauſam primam, & in eius motionem; ſicut reducitur exceſſus actus boni, vt numero 7. dicebamus: exceſſum verò eiuſdem quoad malitiam, poſita actualitate, ſufficienter reduci in ipſum habitum, quia malitia actus ſecundi, & eius exceſſus in recto, & per modum formæ nihil aliud dicit intra lineam malitiæ, niſi formalem tendentiam ad obiectum rationi diſſonum, connotando ſicut rationem alterius lineæ actualitatem ipſius actus ſecundi, quæ eſt à Deo: hæc autem tendentia quoad prædictum rectum ſufficienter continetur in habitu, qui ſimiliter eſt tendentia ad idem obiectum, iuxta dicta numero 8. & ita non opus eſt pro eius continentia aliam cauſam inquirere. Neque hinc fit, habitum, quia habet eandem formam malitiæ in eſſe rei, ſcilicet candem tendentiam, quam habet actus, eſſe ita malum, ſicut ille: ſufficit enim ad hoc vt actus per prædictam tendentiam reddatur peior, imo vt ipſamet tendentia in ratione malitiæ in eo cenſeatur maior quàm in habitu, quod actus ipſe ſit magis actualis: magiſque determinatus iuxta prudentiæ regulas ad bonum rationis: nam eo ipſo prædicta tendentia magis lædit & deformat actum quàm habitum, magiſque in illo explicat vim, quam habet, infectiuam & (vt ita dicamus) malificatiuam: atque ita reddit illum peiorem. Quemadmodum eadem labes ſeu macula magis lædit & coinquinat veſtem pretioſam, quàm rudem & vilem: non quia macula ex parte ſua & in eſſe rei non ſit omnino eadem in vtraque veſte; ſed quia iuxta maiorem vel minorem ſubiecti capacitatem magis vel minus ipſum lædit & deformat.

Et quamvis (vt ita obiectionem aliam diluamus) tota forma conſtitutiua malitiæ actus ſit etiam in habitu; non tamen in hoc eſt totaliter ſub munere & conceptu malitiæ, ſicut eſt in illo: quia ex defectu & incapacitate habitus non explicat in eo prædicta forma totam ſuam vim infectiuam & deformatiuam, nec eam totaliter ad exercitium & munus inficiendi reducit, ſicut reducit quando eſt in actu. Quod ſufficit, tum vt actus malus abſolutè & ſimpliciter ſit peior, quàm habitus; licèt vterque habeat eandem malitiam ex parte formæ: quia denominatio *mali* vel *peioris* non tribuitur à prædicta forma niſi vt ſtante ſub eo munere & exercitio. Tum etiam vt tota malitia actus poſſit in habitum reduci, nullâque alia cauſa indigeat: quia continentia effectus in cauſa attenditur ſecundum formam & realitatem ſecundum ſe: ex parte autem ipſius formæ conſtitutiuæ malitiæ nihil inuenitur in actu, quod in habitu etiam non ſit.

Sed vrgebis adhuc: quia actu inuenitur noua & maior diſconuenientia ad rationem, quàm erat in habitu: ergo noua & maior malitia. Deinde, vel ipſum exercitium, & applicatio, ſeu explicatio malitiæ, quæ eſt in actu, reperitur in habitu; vel non? ſi primum, ita malus erit habitus ſicut actus, cum habeat eandem malitiam cum eodem exercitio & munere malitiæ: ſi ſecundum, in quod ergo ſicut in cauſam reducendum eſt prædictum exercitium? *Alia replica.*

11. Reſpondetur ad primum diſtinguendo antecedens: *in actu eſt maior aut noua diſconuenientia ad rationem* præciſe ex parte formæ conſtitutiuæ illius diſconuenientiæ, negamus: ſed vna & eadem ſecundum ſpeciem forma malitiæ, ſcilicet tendentia ad obiectum diſſonum, conſtituit tam actum quàm habitum in ratione diſconuenientiæ ad rationem: ex parte applicationis ad exercitium & munus inficiendi & deformandi, concedendum eſt: quia re vera magis diſſonat rationi, quòd illa forma & tendentia ſit in actu, vbi magis explicat vim ſuam infectiuam, quàm in habitu, propter maiorem illius actualitatem, maiorémque determinationem, & exigentiam bonitatis oppoſitæ: ſicut magis diſſonat viſui labes eadem in veſte candida, quàm in ſubobſcura; quæ tamen ex parte formæ vel quaſi formæ maculantis vna eſt & eadem. Atque eodem modo diſtinguendum eſt conſequens, & concedenda vel neganda conſequentia. Ad ſecundum dicas, prædictum exercitium non ponere in numero cum ſua forma, neque eſſe aliquid in eſſe rei aliquo modo ab ea diſtinctum, aut illi ſuperadditum: vnde non requirit aliam cauſam præter cauſam ipſius formæ: in eſſe tamen exercitij importat per modum connotati actualitatem actus ſecundi, quæ eſt à Deo: vnde poſita & connotata hac actualitate, abſque nouo alterius cauſæ efficientis influxu ponitur prædictum exercitiũ in eſſe exercitij, tribuitque complete *Enodatur.*

Digitized by Google

complete forma ejus denominationem *mali*; eà verò non poſita & connotata, prædictum exercitium in eſſe exercitij ſuſpenditur, manetque ſolùm in eſſe rei: & ita ſuſpenditur etiam prædicta denominatio.

Ad confirmationem principalis obiectionis reſpondetur admittendo, habitum eſſe cauſam actus æquiuocam; non tamen propterea debet illum tam in bonitate quàm in malitia ſimpliciter excedere: neque hoc eſt de ratione cauſæ æquiuocæ: nam ſol eſt cauſa æquiuoca reſpectu hominis, iuxta illud *ſol & homo generant hominem*: & tamen homo abſolutè & ſimpliciter eſt ſole perfectior. Sufficit ergo ad rationem cauſæ æquiuocæ, quòd aliquo modo excedat ſuum effectum in ea præciſa ratione, in qua eſt effectus; ita quòd huic rationi cum præciſione ſumptæ aliquid iungatur in cauſa ſuprà id, quod habet in effectu. Habitus autem non eſt cauſa actus adæquatè, ſed ſolùm quoad rationem tendentiæ in obiectum, vt numero 8. dicebamus: & ita ex eo quod ſit cauſa æquiuoca, ſolùm habetur, quod hæc ratio tendentiæ debet eſſe in eo perfectiori aliquo modo quàm in act. 1. Quod non negamus: nam in habitu eſt permanenter; in actu verò citò tranſit: rurſus, in habitu habet maiorem latitudinem, quia ſe extendit ad quodcunque obiectum contentum ſub ſua ratione formali, & poteſt influere in omnes actus intendentes ad huiuſmodi obiectum, quam tamen extenſionem non habet actus. Cæterùm cum hoc ſtat, quòd actus ex aliis capitibus abſolutè & ſimpliciter habitum excedat: tum propter longè maiorem actualitatem: tum etiam quia adhuc ipſa tendentia in ratione bonitatis vel malitiæ in actu eſt magis explicata, magiſque reducta ad exercitium bonificandi, vel deformandi; atque ita magis ſub conceptu bonitatis aut malitiæ, & hic exceſſus cum ſit quaſi intenſiuus & in iis, quæ magis per ſe habent ad bonitatem & malitiam, præminet abſolutè: vt docet hîc D. Thom. in ſolution. ad 1.

Secundò ad eandem confirmationem reſpondetur ex Caietano 1. p. quæſtion. 27. artic. 1. & aliis Thomiſtis, habitum & actum verſantes circa idem formaliter obiectum, licèt differant quantum ad modum eſſendi; non tamen differre quoad eorum formalem rationem cum præciſione ſumptam, quæ eſt tendentia ad hoc eſſe eiuſdem atomæ ſpeciei: & ita ſi conſiderentur formaliter quantum ad hanc rationem, ſecundum quam per ſe primò habitus eſt cauſa actus, potiùs habitus debet dici cauſa vniuoca, quàm æquiuoca. Ad rationem autem cauſæ vniuocæ ſatis eſt, ſi adæquet effectum quantum ad realitatem in ea præciſa ratione, in qua eſt cauſa: vnde ſatis eſt in præſenti, quòd habitus adæquet actum præciſè quantum ad rationem tendentiæ in eſſe rei ſumptæ, vt iam diximus; quamvis ex parte actualitatis, & ex aliis capitibus explicatis actus abſolutè & ſimpliciter habitum excedat.

* *
*

§. III.

Alia obiectio proponitur & eneruatur.

12. SEcundò obiicies contra vtramque noſtram rationem, ex illis ſequi, obiecta tam in bonitate quàm in malitia præeminere actibus, ſicut actus præeminent habitibus: ſed hoc videtur falſum: ergo &c. Sequela probatur: tum quia obiecta maiorem determinationem habent ad bonum vel ad malum, quàm actus: cum tota determinatio actus ſit ex obiectis & *propter quod vnumquodque tale*, &c. Tum etiam quia obiecta magis accedunt ad rationem vltimi: ſunt enim fines actuum, ſicut iſti habituum; finis autem tam in bonitate quàm in malitia iuxta ſecundam rationem præeminet iis, quæ ſunt ad finem: ſicut etiam quod magis accedit ad rationem vltimi, magis participat de ratione boni aut mali. Minor autem ſuadetur: quia in obiectis bonitas & malitia tantum eſt obiectiuè & radicaliter & quaſi in potentia; in actibus verò proximè & formaliter: ob idque objectis ſecundum ſe non efficimur boni vel mali; ſicut nec meremur aut demeremur; bene tamen actibus: ergo perfectiori modo eſt in his bonitas & malitia, quàm in obiectis.

Vt huic obiectioni (quæ difficultate non caret) reſponſum præbeamus, animaduertendum eſt rem, quæ eſt obiectum alicuius actus voluntatis, poſſe multipliciter ſumi. Primò omnino materialiter & in *eſſe* rei, ſecundum quòd præciſè dicit materiam, circa quam **Duplex animaduerſio.** actus ille exercetur: ſicut cibus & potus ſunt materia, circa quam exercetur actus temperantiæ. Secundò formaliter, ſiſtendo tamen in ratione obiecti in actu primo: & hoc modo dicit prædictam materiam, ſecundum quod cadit ſub regula rationis, & per illam voluntati proponitur tanquam obiectum debitis circunſtantiis veſtitum. Tertiò poteſt ſumi, prout actu mouet & exercet rationem finis: qua ratione includit non ſolùm ea, quæ diximus, ſed etiam ipſum actum, per quem attingitur à voluntate. Intendit enim agens, non tam vt obiectum in ſe ipſo ſit, adhuc prout à ratione regulatum, quàm vt voluntas ſequendo hanc regulam, amore & effectu illi vniatur & conformetur: nam re vera potius hæc conformatio, & vnio affectiua, eiuſque rectitudo; quàm ipſummet obiectum nude ſumptum eſt proprium & per ſe bonum voluntatis, completque obiectum in ratione finis: vnde dixit D. Thom in 3. ad **D. Thom.** Anibal. diſtinct. 23. artic. 1. ad 2. loquens de virtute, *quòd bonum illud, ad quod ordinatur, non eſt obiectum alicuius actus; ſed eſt ipſe actus perfectus, quem virtus elicit*: per quem ſanè actum fit vnio, quam dicimus. Idem docet 2. 2. quæſt. 123. art. 7. de quo videndus eſt ibi Caietanus.

Secundò ad idem notà, quòd proceſſus & ordo alicuius intentionis poteſt eſſe duplex: poteſt enim intentio agentis procedere vel ab extremo ad extremum alicuius lineæ; vel ab extremis ad medium. In primo proceſſu vnum extremum

habet rationem initij, à quo intentio incipit; & aliud rationem, in quo ſiſtitur. Et hic ordo ſeruatur in potentiis & actionibus tranſeuntibus: nam potentia eſt propter operationem, & operatio tranſiens propter effectum: ſicut potentia generatiua eſt propter generationem, & generatio propter ſubſtantiam geniti, & in hac terminatur intentio generantis. In ſecundo autem proceſſu vtrunque extremum habet rationem initij, & medium lineæ habet rationem finis: non enim vnum extremum intenditur propter aliud; ſed vtrunque propter medium: intendit enim agens, non quòd extrema abſolutè ſint; ſed quòd accedant ad medium, in illóque vniantur: & ita ipſa vnio ſeu medium, in quo vniuntur, eſt finis intentus. Et hic ordo obſeruatur in potentiis & operationibus immanentibus, vt intellectus & voluntatis: intendit enim natura potentiam immanentem propter operationem: ipſa verò operatio non intenditur primario vt producat obiectum, vel propter aliquem effectum ab ea omnino diſtinctum; ſed propter ſe vt medium & vnio, cui ſubduntur obiectum & potentia, verbi gratia, intelligens, præcisè vt intelligens, non intendit, quòd res, quæ intelligitur, in ſe ipſa ſit; ſed quòd ſit intellecta, ſeu quòd vniatur cum intellectu media intellectione: quod eſt intendere per ſe ipſam intellectionem, & propter eam potentiam & obiectum in *eſſe* obiecti. Similiter volens, præcisè vt volens, non habet pro fine ſuæ intentionis in ordine morali, quòd res volita vtcunque ſit in rerum natura; ſed quòd ſit volita iuxta rectam rationem, & quòd voluntas ei per affectum iuxta rationis præſcriptum vniatur: & ita ipſemet affectus ſequens præſcriptum rationis, ipſáque vnio obiecti cum potentia includitur in fine, quem volens intendit: ad conſtituendamque huiuſmodi vnionem & ad eius exiſtentiam tam potentia volitiua quàm obiectum & res volita quodammodo tendunt.

Diluitur obiectio. 13. His prænotatis, ad obiectionem reſpondetur negando ſequelam intellectam de obiectis, vt præcisè dicunt rationem obiectorum. Neque vrgent probationes: nam obiecta virtutum vel vitiorum, vt præcisè exprimunt rationem obiecti, minorem determinationem dicunt ad bonum vel ad malum morale, minúſque accedunt ad rationem vltimi in hac linea, quàm actus. Quod quidem, loquendo de obiectis materialiter & *in eſſe rei* ſumptis, videtur perſpicuum. Tum quia idem obiectum *in eſſe rei* terminat actum bonum & actum malum: vt circa eundem cibum aut potum, verbi gratia, verſari poteſt actus temperantiæ & actus intemperantiæ: quæ indeterminatio & indifferentia non eſt in actibus. Tum etiam quia obiectum & materia, circa quam verſatur actus, antequam intelligatur cadere ſub ordine & determinatione rationis, non ſpectat adhuc obiectiue, ad genus morale, niſi remotè & in potentia: prædictam verò determinationem fit morale obiectiuè in actu primo proximo, vt tradit D. Thom. ſupra quæſtion. 19. artic. 1. ad 3. Si verò loquamur de obiectis vt iam cadentibus ſub determinatione rationis; nondum tamen actu voluntatem mouentibus, quamvis magis determinata ſint, magiſque accedant ad vltimum; adhuc tamen non ita ſicut actus. Cuius ratio tradita eſt num. præced. quia proceſſus in linea morali non eſt ab extremo ad extremum; ſed ab extremis ad medium: & ita quæ magis diſtant à ratione medij, minùs accedunt ad rationem finis & vltimi, minorémque proinde determinationem dicunt ad bonum vel ad malum: & huiuſmodi ſunt obiectum in *eſſe* rei ſumptum, & potentia ante habitum. Quod autem eſt ipſum medium, habet perfectè rationem finis & vltimi, Eſtque omnino ad malum vel bonum determinatum: & hic eſt actus ſecundus, qui vnit obiectum cum potentia. Quæ verò inter hoc medium & prima illa extrema interiacent, medio modo ſe habent, neque ita accedendo ad vltimum, adeóque ad bonitatem vel malitiam ſicut prædictus actus; neque ita recedendo ſicut potentia & obiectum *in eſſe rei*. Sunt verò hæc intermedia habitus, & obiectum *in eſſe obiecti* præſcripti à ratione. ¶ Diximus negandam eſſe ſequelam intellectam *de obiectis præcisè in ratione obiectorum*: quia ſi ſermo eſſet de obiectis, quatenus habent formaliſſime rationem finis, non eſt eis neganda æqualis vel maior bonitas, atque tribuitur actibus: quia prout ſic includunt perfectionem ipſorum actuum voluntatis, quibus attinguntur. Nam vt diximus, in hoc proceſſu finis præcipuè intentus eſt conformatio & vnio potentiæ cum obiecto ſecundum regulas rationis, quæ quidem vnio & conformatio fit immediatè per prædictos actus, & in eis conſiſtit.

Sed vrgebis primò: quia in moralibus obiecta habent rationem finis: ergo malè hic diſtinguimus finem ab obiecto. Deinde omnes actus voluntatis ſunt propter finem, vt docet D. Thom. ſuper quæſtion. 1. artic. 1. non autem ſunt propter ſe ipſos, quia nihil poteſt eſſe finis ſui ipſius, cùm finis & id, quod eſt ad finem, diſtinguantur: ergo ſolùm ſunt propter obiectum: hoc ergo dumtaxat habebit rationem finis. Præterea, voluntas intendens vel deſiderans aliquam rem non intendit ſuam intentionem, neque deſiderat ſuum deſiderium; ſed rem illam, quæ eſt obiectum talis deſiderij & intentionis: ergo res ipſa intenta vel deſiderata; non deſiderium vel intentio, eſt, quæ habet rationem finis: aliàs cum aſſequuto fine, voluntas quieſcat, quieſceret per ipſum deſiderium vel intentionem, neque ad aſſequutionem rei deſideratæ procederet. *Replica.*

14. Reſpondetur ad primum, obiecta in moralibus habere rationem finis non nudè ſumpta, ſed vt voluntariè & iuxta præſcriptum rationis attracta, atque vnita potentiæ: in hoc autem (vt diximus) clauduntur ipſi actus, quibus attinguuntur. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, in actu voluntatis duo reperiri. Primum eſt eius entitas, ſeu illud, quod habet præcisè de linea appetitiua. Secundum eſt rectitudo ſiue ordo, quem participat à prudentia, per quem redditur formaliter bonus & honeſtus. Primum iſtorum non habet rationem finis; ſed eſt propter finem: & de hoc procedit replica. Secundum verò non tam eſt propter finem, quam ipſe finis proximus, ad quem *Enodantur.*

quem tam habitus quàm entitas actus debent ordinari. Quiſquis enim rectè operit, hoc potiſſime debet intendere in ratione finis proximi, vt ſcilicet in ſuis actibus & affectibus ordo & rectitudo rationis ſplendeat. Diximus *in ratione finis proximi* &c. quia non negamus, totum hoc iterum referri poſſe ad alium finem magis vltimum, in quo maior bonitas & rectitudo rationis eniteat: vti erit vel aliquis alius actus præſtantioris virtutis, aut ſaltem maioris perfectionis; vel ipſe Deus, qui eſt omnium vltimus finis.

Ad tertium dicas, voluntatem bene & ordinatè aliquid intendentem aut deſirantem neque habere pro fine principali ipſam intentionem vel deſiderium quantum ad illud præcisè, quod dicunt de linea appetitiua; neque obiectum, circa quod directè verſantur, ſumptum ſecundum ſe (niſi fortè tale obiectum ſecundum ſe ſit aliquid nobilius) ſed rectitudinem & bonitatem, quæ in prædictis actibus relucet. Meritóque hæc rectitudo diceretur *intenta* potiùs quàm res, quæ habet rationem obiecti voliti. Nam qui virtuosè agit, non fugit potiſſimum intententionem in aſſequutione huius vel illius rei creatæ, quam conſequi deſiderat; ſed in rectificatione ſui appetitus circa tale deſiderium. Propterea verò multoties non ſic loquimur, quia vel voluntas invertens debitum ordinem, non curat de prædicta rectitudine, conſtituitque finem, ubi conſtitui non debet: vel quia ut compertum ſupponentes, finem principalem eſſe ipſam rectitudinem, pergimus ad declarandum finem effectum, ſiue ſecundarium, qui eſt conſequutio hujus vel illius rei. Neque hinc fit, quòd voluntas quieſcat per deſiderium vel intentionem. Tum quia quies voluntatis non eſt niſi in ultimo: rectitudo autem deſiderij vel intentionis non eſt vltima; ſed poteſt ordinari ad alium finem præſtantiorem, vt diximus. Imo adhuc ſi eſſet vltima, & in ea quieſcendum, non hoc fieret per ipſam intentionem; ſed per alium actum, qui eſſet fruitio & quies in tali intentione & rectitudine. Tum etiam quia ſæpe ratio dictat, vt intentio ſit efficax, pertingátque proinde vſque ad executionem effectus: tunc autem non erit in ea ſufficiens rectitudo & conformitas cum ratione, ſi voluntatem quieſcere ſinat, priuſquam faciat totum, quod in ſe eſt, ad conſequendum effectum. Si autem recta ratio prædictam efficaciam non poſtulet, voluntas bene ordinata quieſcet proculdubio in deſiderio & intentione rectis, neque erit nimium ſolicita de alterius effectus conſequutione. Vt videmus in viris egregiæ virtutis, qui nullis rerum eventibus perturbantur; neque eorum ſpe vel timore anguuntur, dummodo in ſuis internis actibus & coram Deo rectè ſe geſſerint.

ARTICVLVS IV.

Vtrum peccatum ſimul eſſe poſſit cum virtute?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd actus vitioſus, ſiue peccatum non poſſit ſimul eſſe cum virtute. Contraria enim non poſſunt eſſe ſimul in eodem: ſed peccatum quodammodo contrariatur virtuti, vt dictum eſt: ergo peccatum non poteſt ſimul eſſe cum virtute.

2. Præterea: peccatum eſt peius quàm vitium, id eſt actus malus quàm habitus malus: ſed vitium non poteſt ſimul eſſe in eodem cum virtute: ergo neque peccatum.

3. Præterea: ſicut peccatum accidit in rebus voluntariis, ita & in rebus naturalibus, vt dicitur in 2. Phyſic. ſed nunquam in rebus naturalibus accidit peccatum, niſi per aliquam corruptionem virtutis naturalis: ſicut monſtra accidunt, corrupta aliquo principio in ſemine, vt dicitur in 2. Phyſic. Ergo etiam in rebus voluntariis non accidit peccatum, niſi corrupta aliqua virtute animæ: & ſic peccatum & virtus non poſſunt eſſe in eodem.

Sed contra eſt, quod Philoſophus dicit in 2. Ethic. quòd per contraria virtus generatur & corrumpitur: ſed vnus actus virtuoſus non cauſat virtutem, vt ſupra habitum eſt: ergo neque vnus actus peccati tollit virtutem: poſſunt ergo ſimul in eodem eſſe.

Reſpondeo dicendum, quòd peccatum comparatur ad virtutem ſicut actus malus ad habitum bonum; aliter autem ſe habet habitus in anima, & forma in re naturali: forma enim naturalis ex neceſſitate producit operationem ſibi conuenientem, vnde non poteſt eſſe ſimul cum forma naturali actus formæ contrariæ, ſicut non poteſt eſſe cum calore actus infrigidationis, neque ſimul cum levitate motus deſcenſionis, niſi fortè ex violentia exterioris mouentis: ſed habitus in anima non ex neceſſitate producit ſuam operationem, ſed homo vtitur eo cum voluerit: vnde ſimul habitu in homine exiſtente, poteſt non vti habitu, aut agere contrarium actum, & ſic poteſt habens virtutem procedere ad actum peccati: actus verò peccati ſi comparetur ad ipſam virtutem, prout eſt habitus quidam, non poteſt ipſam corrumpere, ſi ſit vnus tantùm: ſicut enim non generatur habitus per vnum actum, ita nec per vnum actum corrumpitur, vt ſupra dictum eſt. Sed ſi comparetur actus peccati ad cauſam virtutum, ſic poſſibile eſt, quòd per vnum actum peccati aliquæ virtutes corrumpantur: quodlibet enim peccatum mortale contrariatur charitati, quæ eſt radix omium virtutum infuſarum, in quantum ſunt virtutes: & ideo per vnum actum peccati mortalis excluſa charitate, excluduntur per conſequens omnes virtutes infuſæ, in quantum ſunt virtutes: & hoc dico propter fidem & ſpem quarum habitus remanent informes poſt peccatum mortale, & ſic non ſunt virtutes; ſed peccatum veniale, quod non contrariatur charitati, neque excludit ipſam, per conſequens etiam non excludit alias virtutes: virtutes verò acquiſitæ non tolluntur per vnum actum cuiuſcunque peccati. Sic igitur peccatum mortale non poteſt ſimul eſſe cum virtutibus infuſis; poteſt tamen ſimul eſſe cum virtutibus acquiſitis: peccatum verò veniale poteſt ſimul eſſe & cum virtutibus infuſis, & cum acquiſitis.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatū non contrariatur virtuti ſecundū ſe, ſed ſecundū ſuū actum:

Digitized by Google

actum: & ideo peccatum non poteſt ſimul eſſe cum actu virtutis; poteſt tamen ſimul eſſe cum habitu.

Ad ſecundum dicendum, quod vitium directè contrariatur virtuti, ſicut peccatum actui virtuoſo: & ideo vitium excludit virtutem, ſicut peccatum excludit actum virtutis.

Ad tertium dicendum, quòd virtutes naturales agunt ex neceſſitate, & ideo integra exiſtente virtute, nunquam peccatum poteſt in actu inueniri: ſed virtutes animæ non producunt actus ex neceſſitate, unde non eſt ſimilis ratio.

Prima concluſio. Peccatum mortale non poteſt eſſe ſimul cum virtutibus infuſis, ſaltem in ratione virtutum.

Secunda concluſio. Peccatum mortale poteſt eſſe cum virtutibus acquiſitis.

Tertia concluſio. Peccatum veniale & cum infuſis virtutibus & cum acquiſitis poteſt coniungi.

Commentarius.

De materia huius articuli quantum ad primam & ſecundam concluſionem egimus in tract. de virtutibus diſp. 4. dub. 2. vbi de omnibus moralibus infuſis diximus eſſe neceſſario connexas cum charitate, adeóque incompoſſibiles cum quolibet peccato mortali. De fide verò & ſpe ſi conſiderentur præcisè quoad ſubſtantiam, etiam vt certum tenendum eſt poſſe manere in peccatoribus: vt docet D. Thom. in præſenti, & ſupra quæſtion. 65. artic. 4. Docet verò vtrobique, fidem & ſpem non manere in ratione virtutum, amiſſa charitate: quia manent mortuæ & informes ſine ordine ad finem vltimum, quem illa tribuebat. Quia enim virtus in ſua perfectione poſtulat *bonum facere habentem*, vt ſonat ejus diffinitio: & nemo & ſimpliciter bonus niſi in ordine ad finem ſimpliciter vltimum, quandiu fidei & ſpei deeſt prædictus ordo, non vocantur abſolutè virtutes: non quòd careant eſſentia & entitate virtutis; ſed quia non habent perfectionem & ſtatum. Similiter etiam virtutes acquiſitas diximus loco cit. non amitti vnico peccato mortali, ſed poſſe manere cum illo pro aliquo tempore: quamvis neque iſtæ pro tempore illo conſervent perfectionem & ſtatum virtutis, iuxta dicta diſp. 1. num. 28.

Sed obiicies, quòd D. Thom. non negat virtutibus acquiſitis poſſe manere cum peccato mortali, etiam in ratione virtutum ſicut negat fidei & ſpei: ſed abſolutè & ſine addito dicit poſſe manere cum illo: ergo non ſolùm quoad eſſentiam, ſed etiam quoad perfectionem & ſtatum ſunt compoſſibilia: aliàs eodem modo de vtriſque virtutibus loquutus fuiſſet, & non cum prædicto diſcrimine.

Reſpondetur potuiſſe D. Thomam diverſo modo loqui de prædictis virtutibus; etiamſi nullæ earum maneant in peccatore cum perfectione & ſtatu, quæ diximus. Quia fides & ſpes cum ſolùm in ordine ſupernaturali ſint virtutes, non habent aliam formationem & perfectionem conſtituentem virtutis ſtatum, niſi quam à charitate recipiunt: & ideo hac deficiente, in nullo ordine dici debent *virtutes ſimpliciter*, ſed ſemper cum addito excluſivo prædicti ſtatus. Virtutes verò acquiſitæ ſpectant ad vtrumque ordinem naturalem & ſupernaturalem, & in vtróque habent ſuam formationem & aliqualem ſtatum, in naturali ſcilicet per prudentiam acquiſitam, & in ſupernaturali per charitatem: vnde quamuis ablata ab eis per peccatum hac poſteriori perfectione, non maneant in eſſe virtutum, loquendo apud Theologos, qui virtutem conſiderant in ordine ad finem ſupernaturalem; loquendo tamen apud Philoſophos, qui non niſi naturalia attendunt, poſſunt ſine addito *virtutes* nuncupari propter prædictam prudentiæ formationem, & quia humano & philoſophico more reddunt bonum habentem: quamvis tota hæc bonitas diminuta ſit reſpectivè ad ſupernaturalia. Quòd diſcrimen vt innueret D. Thom. cum de fide & ſpe dixiſſet poſſe manere cum peccato mortali, *ſed non in ratione virtutum*; de virtutibus acquiſitis ſubticuit hanc reſtrictionem, & ſolùm dixit *poſſe manere cum illo*, neque negando, neque aſſerendo an maneant in ratione virtutum; vel rationem hanc amittant.

Obiicies ſecundo, quòd juxta doctinam D. Thomæ 2.2. quæſt. 47. artic. 13. prudentia adhuc acquiſita non manet in peccatoribus atque adeo deſtruitur per quodlibet peccatum mortale: deſtructa autem prudentia, nequeunt manere virtutes morales: dependent enim ab illâ in *eſſe*, *fieri*, & *conſeruari*. Similiter virginitas, provt eſt virtus diſtincta à caſtitate, per vnum actum ſtupri deperditur, amittiturque irreparabiliter virginitatis aureola: ergo non eſt verum, quod virtutes acquiſitæ maneant cum peccato mortali.

Reſpondetur prudentiam acquiſitam non deſtrui quoad ſubſtantiam, communiter loquendo, per unum peccatum mortale; ſed ſolùm quoad ſtatum & perfectionem, vt explicuimus diſput. 1. dub. 2. Idémque dicendum eſt de virtutibus moralibus acquiſitis. Ad locum verò D. Thomæ reſpondet Caietanus, S. Doctorem loqui de prudentia infuſa poſſe verò doctrinam ejus extendi ad acquiſitam, ſi nomine *peccatoris* intelligatur, non qui vnum tantùm mortale commiſit; ſed qui per plura acquiſiuit habitus peccaminoſos: hunc enim intelligimus frequentiùs nomine *peccatoris*. Ad illud de virginitate reſpondetur ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 152. artic. 3. in ſolutionibus argumentorum, per vnum actum ſtupri deſtrui virginitatem quoad id, quod in ea eſt materiale, ſcilicet ſignaculum clauſtri virginei, & venereorum inexperientiam: poteſt tamen manere quantum ad habitualem appetitus inclinationem, venerea non experiendi, quæ eſt ipſe habitus & ratio conſtitutiua prædictæ virtutis. Videantur quæ diximus loco citato de virtut. numer. 23. Hic diſputant aliqui, quo pacto peccatum mortale expellat gratiam & virtutes infuſas, an phyſicè; vel moraliter: effectiuè; vel ſolùm demeritoriè? Quod nos, Deo dante, examinabimus in tract. de iuſtificatione.

¶ Tertia concluſio de peccatis venialibus, quamvis ex parte ſit notiſſima; ex parte etiam difficultatem ingerit: quam ſequens diſputatio elucidabit.

* *
*

DISPVT.

Digitized by Google

DISPVTATIO IV.

De efficacia peccatorum venialium ad expellendam virtutem acquiſitam.

MOVETVR diſputatio de ſolis peccatis venialibus: pro mortalibus enim ſufficiunt, quæ uſque modò diximus. De illis verò ſupponenda ſunt duo tanquam certa & demonſtrata in litera D. Thomæ. Primum eſt, peccata venialia, quantumvis gravia, & repetita, non expellere, aut minuere intrinſecè virtutes infuſas: quia cùm hujuſmodi virtutes habeant nexum cum gratia, & illam neceſſario comitentur; ſicut nulla venialia ſufficiunt corrumpere, vel diminuere ipſam gratiam, ita nec prædictas virtutes. Secundum eſt, unum vel alterum peccatum veniale compati cum qualibet virtute acquiſita: quia ſi unicum peccatum mortale communiter non generat habitum vitij expellentem oppoſitam virtutem; non eſt cur id efficiat unum, vel alterum veniale. Cæterum an ſicut mortalia repetita generant prædictum habitum, & deſtruunt virtutem acquiſitam oppoſitam, id etiam præſtet repetitio venialium? requirit examen dubij ſequentis.

DVBIVM Vnic.

Vtrum peccata venialia repetita deſtruant virtutem acquiſitam ſibi oppoſitam?

EX peccatis venialibus quædam ſunt talia ex genere: illa nimirum, quæ præcisè in ſua materia, quantumcunque creſcant, aut quantalibet deliberatione exerceantur, non egrediuntur limites peccati venialis: quamvis ex adjunctis circunſtantiis poſſint ad aliud genus transferri, & fieri mortalia. Hujuſmodi ſunt ſimplex mendacium, verbum otioſum, avaritia, & ſimilia: quæ licet aliquando ratione finis adjuncti, vel alterius circunſtantiæ mortalia efficiantur: ut ſi quis ſimplex mendacium juramento affirmet: ſi eò uſque avarus exiſtat, ut aliena rapiat, &c. ex ſe tamen & ut ſiſtunt præcisè in ſuo objecto proximo, non excedunt, culpam venialem: ut habet D. Thom. 2. 2. quæſt. 110 & 117. & 143. Alia ſunt peccata, quæ ex propria materia ſine egreſſu ad aliam accipiunt gravem malitiam: ob idque dicuntur *mortalia ex genere*: ut infidelitas, furtum, & ſimilia. Quæ tamen aliquando à prædicta gravitate deficiunt, redduntur que venialia. Et hoc ex duplici capite: nimirum vel defectu plenæ deliberationis, quæ ad culpam mortalem omnino neceſſaria eſt: qua ratione excuſantur ſæpe à prædicta culpa motus fidelitatis, blaſphemiæ, & alij, qui ſi cum plena deliberatione acceptaverunt, nequirent ab illa excuſari. Vel ex paritate materiæ: ut ſi quis de re aliena parum ſurripiat: non enim defectus circa materiam omnino levem apud prudentem judicem gravis offenſa reputatur. De his ergo tribus modis peccatorum venialium, nimirum ex genere, ex imperfecta deliberatione, & ex materiæ parvitate, procedit dubium: quod proinde tribus aſſertionibus decidemus.

§ I.

Aſſertio communis pro venialibus ex genere.

1. DIcendum eſt primò, peccata venialia ex genere ſæpius iterata deſtruere oppoſitam virtutem acquiſitam. Hæc aſſertio eſt communis, ut teſtantur ſequentes illam Medin. in præſēti, Curiel dub. un. Alv. diſp. 122. Greg. Mart. dub. 2. Zumel diſp. unic. concl. 2. & alij. Deducitur que ex D. Th. ubicumque agit de corruptione virtutum acquiſitarum per vitia contraria. Et probatur ratione: quia virtus acquiſita deſtruitur per actus, quibus generatur oppoſitum vitiū: cùm enim prædicta virtus & vitium ſint directè contraria, debent à ſubjecto mutuò ſe expellere: ſed plures actus veniales ex genere, v. gr. plura mendacia, generant habitū vitij mentiendi: ergo deſtruunt oppoſitam virtutem veracitatis. Patet conſequentia: quia neque hæc virtus habet aliud vitium directè oppoſitum, per quod corrumpatur, niſi vitium mentiendi: neque hujuſmodi vitium acquiritur aliis actibus quàm mendaciis. Medina. Curiel. Alvar. Greg. Mart. Zumel. D. Thom. *Ratio.*

Confirmatur: non eſt minus efficax in genere mali actus mentiendi, quàm in genere boni oppoſitus actus dicendi verum: ſed per plures actus dicendi verum acquiritur virtus veracitatis, & corrumpitur vitium oppoſitum, ut eſt per ſe notum: ergo per plures actus mendacij generabitur habitus mentiēdi, & virtus oppoſita expellitur. *Confirmatio duplex.*

Confirmatur ſecundò: actus, qui omnino deviant à medio rationis præſcripto alicui virtuti, generant habitum pariter deviantem à prædicto medio; adeoque corrumpunt virtutem in illud inclinantem: ſed actus mendacij deviat omnino à medio, quod ratio virtuti veracitatis præſcribit, ita ut dari non poſſit major deviatio à prædicto medio propria illius materiæ: ergo prædictus actus ſæpe repetitus generabit habitū vitij contrarium veracitati eam expellentem. ¶ Hæc intelligenda ſunt de peccatis, quæ præcisè ſunt venialia ex genere: ſi enim ejuſmodi peccata aliunde etiam habeant diminutionem, ut cùm fiunt ſine plena advertentia, vel circa materiam tenuiſſimam, ſequentur leges aliorum venialiū, de quibus dicemus in ſecunda & tertia aſſertione.

2. Sed obiicies ex D. Th. q. 14. de malit. art. 2. ad 5. ubi ait, ſolùm illud peccatum tollere habitum virtutis, quod contrariatur charitati, à qua omnes virtutes dependent: ſed hoc eſt peccatum mortale, & non veniale: ergo, &c. *Obiectio.*

¶ Reſpondetur, in hoc teſtimonio ſermonem eſſe de virtutibus infuſis. Expreſsè enim loquitur D. Th. de illis virtutibus, quæ à charitate dependent: hæc autem dependentia propria eſt virtutum infuſarum: nam acquiſitæ ſecundum ſuas entitates poſsūt eſſe ſine illa. ¶ Vel dicas, ſermonem eſſe de peccato, quod ſecundum ſe, & quia tale eſt, atq; adeo etiamſi non multiplicetur, deſtruit habitum virtutis ſaltem quoad eam perfectionem & ſtatū quæ provenit ex charitate: hoc autem proprium eſt ſolius mortalis. Cùm quo ſtat ut etiam peccatum veniale non præcisè ſecundum ſe, ſed quatenus per ſui repetitionem generat habitum vitij, deſtruat aliquam virtutem acquiſitam: non per ſe quoad illum ſtatum, ſed quoad entitatem qua ſublata, ex conſequenti tollitur etiam prædictus ſtatus, prout in tali virtute: ſicut ad deſtructionem cujuſlibet ſubjecti perit conſequenter quicquid in eo ſubjectatur.

Secunda obiectio.

3. Secundò obiicies, quòd virtus acquiſita non deſtruitur niſi per habitum vitij adæquatè, & ſimpliciter ſibi contrarium: ſed nullum vitium genitum per ſola peccata venialia habet prædictam contrarietatem cum virtute: ergo, &c. Minor probatur: nam virtutes quælibet, v. gr. veracitas, inclinat ad actus ſimpliciter conformes legi, & rationi, indeque eſt bonus habitus ſimpliciter: vitium verò per peccata venialia acquiſitum, puta vitium mentiendi, ſolùm inclinat ad actus diſſonos legi ſecundum quid: ſicut ipſa venialia ſecundum quid tantùm ſunt contra legem: non eſt autem perfecta contrarietas inter *ſecundum quid* & *ſimpliciter*.

Soluitur.

Reſpondetur negando minorem: nam ut habitus veracitatis v. gr. & habitus mentiendi ſimpliciter & adæquatè ſibi contrarientur, ſatis eſt quod ſicut unus inclinat ad perfectè ſervandum medium rationis, prout inveniri poteſt in illa materia, ſic alius inclinet ad omnino recedendū à tali modo: quod habet de facto vitium mentiendi. Vnde ad probationem dicendum eſt, non magis ſimpliciter, & adæquatè habitum veracitatis accedere ad medium conſtitutū per rationem in illa materia, quàm habitus mendacij recedit à tali medio. Cùm verò communiter dici ſolet, *peccatum veniale non eſſe contra legem ſimpliciter*, vel ſermo non eſt de ipſa lege, per quam immediatè prohibetur; ſed de lege, quæ neceſſariò obſervari debet ad aſſequendam æternam ſalutem. De qua loquitur D. Th. dicens, prædictum peccatum non eſſe *contra*, ſed *præter legem*. Vel ly *ſimpliciter* non cadit ſupra *eſſe contra*, ſed ſupra *legem*: ut ſit ſenſus, non quòd tale peccatum ſimpliciter non ſit contra rectam rationem, & contra legem illud immediatè prohibentem, ſed quod talis lex non eſt lex obligans ſimpliciter, ſeu tanquam omnino neceſſaria ad finem ultimum aſſequendum de quo dicemus diſp. 19.

Tertia obiectio. | *D.Thom.*

4. Tertiò obiicies, quòd ſi peccata venialia deſtruerent oppoſitam virtutem, relinquerent aliquam maculam in anima, nempe carentiam nitoris ab illa virtute provenientis: hoc autem videtur contra D. Thomam infra q. 89. art. 1. ergo, &c. ¶ Confirmatur: nam propter hanc rationem Ang. Doctor in 4. diſt. 16. q. 2. art. 1. inquit, animam non ſanari per venialium remiſſionem: quia per ipſa venialia non redditur ſauciata & infirma, debetque infirmitas præcedere, ut ſanitas ſubſequatur: ſi autem peccata venialia virtutem corrumperent; ex hac corruptione maneret anima ſauciata, & infirma: ergo, &c.

Soluitur. | *Matth 9.*

Ad objectionem dicemus infra q. 89. art. 1. Ad confirmationem verò reſpondetur, peccata venialia reddere aliquo modo animam infirmam: quamvis infirmitas hæc non ſit ad mortem, neque ab intrinſeco irreparabilis (de qua infirmitate loquutus eſt D. Thom. loco cit.) unde ad reparationem venialium egemus gratia per Chriſtum; qua tamen non indigeremus, niſi eſſent aliqualis animæ infirmitas, juxta illud Matth. 9. *Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus*: ob eandemque rationem remiſſio venialium poteſt eſſe effectus ſacramentorum; quæ inſtituta ſunt per modum medicinæ.

Vltima. | *Reſervatur.*

Tandem obiici poteſt, quòd juxta commune proloquium virtutes ſunt connexæ, nec poteſt una amitti, niſi cæteræ deſtruantur: ſed peccata venialia quantumvis repetita, non corrumpunt omnes virtutes: ergo nullam deſtruunt. ¶ Reſpondetur, virtutes acquiſitas dici connexas non quantum ad entitatem præciſè ſumptam, ſed quantum ad perfectionem: quatenus nulla perveniet ad ſtatum virtutis perfectæ, ſi reliquiæ defuerint. Cæterùm tam in hujuſmodi perfectione, quàm in prædicta connexione eſt aliqua latitudo. Nam ut virtutes ſint in ea perfectione, quæ ſufficit ad denominandum ſubjectum abſolutè, & ſimpliciter, *virtuoſum* ſatis eſt concurſus illarum, quæ peccatis mortalibus opponuntur; quamvis deſint aliquæ aliæ ex iis, quæ opponuntur venialibus: ut verò habeantur in ſtatu perfectiſſimo, debent etiam iſtæ concurrere. Sed ex hoc nihil contra aſſertionem: ad cujus veritatem ſufficit, ut manentibus reliquis virtutibus in primo illo perfectionis ſtatu, poſſint peccata venialia corrumpere unam vel alteram, quæ ſibi & non mortalibus opponuntur: non enim cum ſtatu illo compatietur, ut quis in tantum venialia committat, ut generet quam plures habitus vitioſos, etiam ex illis, quæ inclinant ad venialia ex genere: quia cùm peccata venialia ad mortalia inducant & diſponant; difficile erit ut in mortalia ſæpe non labatur, qui tot venialia ex advertentia committeret.

§. II.

Secunda aſſertio pro venialibus ex imperfecta deliberatione.

D.Thom. | *Ratio.*

4. Dicendum eſt ſecundò, peccata venialia ex defectu plenæ deliberationis, quantumvis repetantur, non corrumpere oppoſitam virtutem: ut ſi quis habeat plures motus non plenè delibaratos contra juſtitiam, non idcirco virtus juſtitiæ deſtruetur. Aſſertio hæc etiam eſt communis: ut videre eſt apud Authores, quos pro præcedenti retulimus. Deſumiturque ex D. Th. 1. 2. q. 24. art. 9. & q. 7. de malit. art. 6. ad 1. Probatur ratione: quoniam prædicta peccata eo ipſo quòd ſint actus indeliberati, non habent vim ad tribuendam habitui firmitatem: nam propter quæ indeliberatè volumus, facilè revocamus: ergo nequeunt generare habitum vitij: de cujus ratione eſt, ut ſit firmus, & permanens: atque adeo neque etiam poterunt excludere virtutem oppoſitam: cùm talis excluſio fieri deberet medio prædicto habitu.

Confirmatio.

Confirmatur: de ratione habitus moralis, ſive vitij, ſive virtutis eſt, ut plenè quoad uſum ſubdatur voluntati: & propterea diffinitur, *habitus eſt, quo utimur, cum volumus*: proptereaque etiam dicemus infra q. 78. art. 2. peccantem ex habitu ſemper peccare ex electione, & ex certa malitia: quia proprium eſt habitus non elicere ſuam operationem, niſi ex imperio & electione volūtatis: ſed per actus ſemiplenè liberos nequit hujuſmodi habitus generari: ergo, &c. Minor probatur: nam cùm tales actus non ſubdantur plenè dominio voluntatis, ſed tantùm ſemiplenè, nequeunt tribuere effectui à ſe producto majorem ſubjectionem, quàm ſemiplenam: non igitur poterunt generare habitum, de cujus ratione eſt plena ſubjectio. ¶ Ad hæc: fœcunditas ad generandum ſibi ſimile propria eſt ſolius rei in ſua ſpecie perfectæ: & ideo vir poteſt generare ſibi ſimilē: nō autē puer: ergò cùm peccata venialia, de quibus loquimur, non ſint actus perfecti; ſed valdè imperfecti intra ſuam ſpeciem, nequibunt producere habitum vitij ſimilem ipſis peccatis.

6. Vnde non obeſt, ſi cum aliquibus obiicias, quòd

Digitized by Google

quòd motus ſemideliberati contra aliquam virtutem poſſuat exerceri cum tanta vel majori intenſione, atq; exercentur actus plene liberi, qui ſunt peccata mortalia: ergo cum aliàs ſint ejuſdem ſpeciei cum iſtis utpote verſantes circa idem objectum, generabunt non minus habitum vitioſum expellentem contrariam virtutem, ſicut ipſa peccata mortalia illum genuiſſent. ¶ *Confirmatio.* Confirmatur nam amentes, in quibus eſt ſemiplenum lumen rationis, ex frequentatione actuum circa objecta diſſona ſentiunt promptitudinem & facilitatem erga talia objecta: ergo ſignũ eſt generari in illis per prædictos actus habitus vitioſos.

Diluitur. Reſpondetur enim ad objectionem, quòd etiamſi demus, actus ſemiplenè liberos in materia v.g. juſtitiæ eſſe ejuſdem ſpeciei quantum ad malitiam moralem cum actibus plenè liberis circa eandem materiam (de quo infra diſp. 19.) adhuc non poterit per illos quantuncunque intenſos generari habitus injuſtitiæ: quia prædicti actus ſemper ſunt in ſua ſpecie diminuti & imperfecti, & fœcunditas ad producendum habitum propria eſt actuum in ſua ſpecie provectorum, ut dicebamus. Quemadmodum actus valde remiſſi propter hanc imperfectionem non generant habitum, quem generarent intenſi: quamvis omnes ſint ejuſdem ſpeciei. ¶ Ad confirmationem dicas, illam facilitatem amentium non provenire ex habitu; ſed vel ex imperfecta aliqua diſpoſitione, quæ eo ipſo quòd eſt tantùm diſpoſitio, non excluderet contrarium habitum, quamvis eſſet in illis; vel ſi nec talis diſpoſitio in eis producitur (de quo alibi) provenit ex aſſuefactione, quæ non minus locum habet in homine quàm in brutis, in quibus nullus gignitur habitus; & nihilominus ex apprehenſionibus de convenientia objecti & ex memoria perceptæ delectationis per actus præcedentes, reperitur quædam aſſuefactio & propenſio ad tale vel tale objectum: prout declarat Divus Thom. ſupra quæſt. 70. art. 6. ad 2.

Replica. 7. Sed urgebis: etiam peccata venialia ex genere ſunt aliquid imperfectum in ratione peccati: & nihilominus generant habitum ſibi ſimilem, ut diximus in aſſertione præcedenti: ergo talis imperfectio non impedit hujuſmodi generationem. ¶ Deinde, qualitates naturales; ut calor, eo ipſo quòd habeant ſufficientem intenſionem, poſſunt ſe communicare & producere ſibi ſimiles ergo etiam actus morales eo ipſo quòd ſint ſufficienter intenſi, poterunt producere habitum ſibi ſimilem, non obſtante quacunque alia imperfectione.

Enodatur. Reſpondetur ad primum, prædicta peccata, ſi ſint plenè deliberata habere totum, quod eſt ſuæ lineæ: & ideo non ſunt actus perfecti in genere proprio: dicũtur verò imperfecti in genere peccati, quia nõ pertingunt ad gradum culpæ mortalis, neq; Deum graviter offendunt. Sicut linea, verbi gratia, quãvis in ſuo proprio genere, ſcilicet quantitatis, ſit perfecta, dicitur tam ipſa quã reliqua accidentia imperfecta in genere entis, quia nõ pertingunt ad gradum ſubſtantiæ. Hæc tamen imperfectio ſicut non tollit, quod accidens habeat totum, quod eſt ſui generis accidentis; & peccatum ex genere veniale totum, quod eſt de ratione peccati in tali genere: ita non obeſt fæcunditati ad generandum ſimile in ſpecie. Cæterum peccata venialia ex indeliberatione, in ſuo proprio genere ſunt actus imperfecti: eo quòd deliberatio eſt de ratione actus moralis, in quacunque ſpecie ſit. ¶ Ad ſecundum reſpondetur qualitates naturales, ut calorem, ſolum ex defectu intẽſionis poſſe eſſe imperfectas: & ita eo ipſo quòd habeant ſufficientẽ intenſionem, habent ſimpliciter perfectionẽ ſuæ ſpeciei, & quidquid requiritur ut generent ſibi ſimile. At verò peccata venialia, de quibus loquimur, etiam ſi ſint intenſa, habent intra proprium genus aliam imperfectionem, nempe ex parte materiæ: ſicut etiam poſſent illam habere ex defectũ deliberationis. Et ideo quicquid ſit de intenſione, manent in ſuo genere imperfecta ſimpliciter, adeoque impotentia ad generandum habitum qui ſit ſimpliciter vitium illius ſpeciei.

Alia objectio. 8. Secundò obiicies, quòd per hujuſmodi peccata ſemiplene libera minuitur oppoſita virtus: & ideo ſecundum communem modum concipiendi reputamus minus caſtum illum, qui in motus ſemiplenè deliberatos ſæpe labitur contra caſtitatem, quàm eum, qui abſtinet etiam à ſimilibus motibus: poterit ergo per majorem & majorem eorum repetitionem tandem virtus deperdi. Patet conſequentia: nam habitus acquiſitus ex eiſdem cauſis corrumpitur, ex quibus minuitur: ſicut per eaſdem augetur, per quas generatur.

Solvitur. Reſpondetur, virtutem non diminui intrinſecè per prædicta peccata, quaſi aliquid de ejus intrinſeca perfectione & realitate ſubtrahatur. Poteſt tamen dici, quòd diminuatur quodammodo; quaſi extrinſecè propter appoſitionem impedimenti ſcilicet illius imperfectæ diſpoſitionis vel aſſuefactionis, quam talia peccata relinquere diximus. Nam ratione hujus impedimenti caſtitas v.g. non eſt ita expedita ad exercendos proprios actus, & motus illos compeſcendos, ſicut eſſet ſecluſa prædicta aſſuefactione: ob idque cenſetur minus perfecta; quamvis retineat totam ſuam intenſionem & perfectionem ſeu realitatem intrinſecam. Sed hæc intelligenda ſunt juxta dicenda inferius quæſt. 85. in comment. art. 2.

§. III.

Quid de venialibus ex materiæ parvitate?

9. DIcendum eſt tertiò, neque peccata venialia ex parvitate materiæ, quantumcunque multiplicantur, corrumpere virtutem acquiſitam abſolutè & ſecundum ſuam ſubſtantiam: ut per plura levia furta, dum manent levia, non corrumpitur ſimpliciter juſtitia. Hæc concluſio non eſt ita communis ſicut præcedentes. Tuentur tamen illam Capreolus in 2. diſt. 43. q. unica art. 3. Et in præſenti Medina, Curiel. Alv. Monteſ. & Greg. Mart. quos jam retulimus. Sumiturque ex D. Thoma in 2. diſt. 42. q. 1. art. 4. ad 1. ubi ait: *Dicendum, quod veniale non corrumpit virtutem quantum ad habitum: hoc enim mortalis eſt proprium: ſed exit ab æqualitate, quam ratio ponit in actu virtutis.* Loquimur autem etiam de virtutibus obligantibus ſub mortali, ut juſtitia: cumque has corrumpere proprium eſſe dicat peccati mortalis, & non competere venialibus; proculdubio excludit à prædicto affectu omnia venialia illis oppoſita, ex quocunque capite proveniant: atque adeo ſive ex imperfecta deliberatione, ſive ex materiæ parvitate.

Capreol. Medina, Curiel. Alvar. Monteſ. Greg. Mart. D.Thom.

Ratio. Probatur ratione, quam pro præcedenti aſſertione adduximus. Quia etiam hujuſmodi peccata venialia in ſuo genere v. gr. injuſtitiæ ſunt aliquid

Digitized by Google

quid diminutum & imperfectum: ergo quantuncunque multipliciter, nequeunt generare habitum, qui ſit ſimpliciter injuſtitia; a quo proinde virtus juſtitiæ corrumpatur. Antecedens conſtat: quia illud circa quod verſantur prædicta peccata, non eſt abſolutè & ſimpliciter materia injuſtitiæ, ſed ſecundum quid & diminutè: levis enim materia alicujus generis, ſecundum quid tantũ poteſt dici materia talis generis: ergo neq; ipſa peccata participant ſimpliciter rationem illius generis; ſed manent in eo ut aliquid ſecundum quid, & diminutum: non enim ratio, & quãtitas alicujus actus excedere poteſt quantitatem materiæ, ſeu objecti talis actus. Conſequentia verò ſuadetur. Tum quia fœcunditas ad producendum habitum propria eſt actuum in ſuo genere completorum. Tum etiam quia per actus in materia injuſtitiæ ſimpliciter imperfectos, eſto aliquis habitus producatur, ſolùm poteſt eſſe habitus eodem modo imperfectus, & ſecundum quid tantùm habens rationem injuſtitiæ: conſtat autem per hujuſmodi habitum non poſſe deſtrui illum, qui eſt juſtitia ſimpliciter.

Evaſio. 10. Dices, peccata venialia, de quibus loquimur, ſolùm eſſe diminuta ex parte objecti materialis; non verò ex parte objecti formalis: quia ratio formalis objectiva injuſtitiæ, quæ eſt lædere alienum jus, ſufficienter ſaluatur in qualibet materia ſive magna, ſive parva. Hoc autem ſufficit ut prædicta peccata generent habitum, qui ſit ſimpliciter injuſtitia quantum ad rationem formalem, adeoque expellentem formalem rationem juſtitiæ habitus oppoſiti. Poteſtque juvari hæc ſolutio ex eo, quod in ſcientiis contingit: in quibus per quamlibet demonſtrationem v. g. metaphyſicæ etiam minimæ veritatis, poteſt generari ſcientia metaphyſicæ: eo quòd ratio formalis objectiva talis ſcientiæ ſaluatur in illa demonſtratione.

Præcluditur. Verùm ſi ratio facta expendatur, facilè conſtabit, nullam eſſe hanc evaſionem. Pro quo nota, quòd ſicut virtuti juſtitiæ v. g. per ſe, & ex ſua primaria, ac ſubſtantiali ratione convenit inducere obligationem ſub culpa mortali, neque erit ſimpliciter juſtitia, quæ non habeat vim talem obligationem inducendi: ita ratio formalis objectiva juſtitiæ: quæ eſt jus alienum ſervandum, debet habere eandem vim obligandi ſub mortali; neque aliter poterit ſpecificare prædictam virtutem: quandoquidem tota vis obligandi ipſius virtutis oriri debet ex prædicta ratione. Quocirca nec virtus poterit conſervari, læſa, & deſtructa tali ratione, & vi obligandi: neque hac conſervata, & illæſa, poteſt virtus ipſa corrumpi. Cùm autem vis obligandi ſub mortali non ſaluetur in materia parva, neque ab ea dependeat, conſequenter idem dicendum eſt de prædicta formali ratione. Eſt igitur de conceptu virtutis juſtitiæ reſpicere alienũ jus ſervandum in materia gravi, ex quo poſſit cogere ſub mortali ad ſui obſervationem: Quòd verò ad materias leves extendatur, eſt quid ſecundàrium: à quo proinde neque ſpecificatur, neque dependet.

11. Hinc apparet vis noſtræ rationis: nam ſicut ratio formalis objectiva juſtitiæ non eſt quodcunque alienum jus, ſed jus ſervandum in materia gravi, ſufficienſque ad inducendam gravem obligationem: ita ratio formalis objectiva injuſtitiæ ſimpliciter dictæ non eſt quæcunque læſio alieni juris, ſed quæ violat prædictam obligationem, atque adeo læſio alieni juris in materia gravi. Cùm ergo peccata venialia, de quibus loquimur, non attingant talem materiam, manifeſtè fit non attingere ſimpliciter prædictam formalem rationem: neque proinde generare habitum verſantem circa illam, quique ſit injuſtitia ſimpliciter.

Confirmatur: nam bonum, quod virtus juſtitiæ indiſpenſabiliter reſpicit, eſt cõſervatio alieni juris in materia gravi: quòd autem etiam ad materiam levem ſe extendat, non eſt ex inclinatione primaria, ſicut neque ex præcipua obligatione; ſed quaſi ex dignatione & abundantia; vel ad ſummum ex obligatione ſecundaria, & minus præcipua: ergo ſola illa peccata poſſunt corrumpere prædictam virtutem, quæ lædunt jus alienum in materia gravi: quippe hæc duntaxat deſtruere poſſunt illud bonum, à quo prædicta virtus in ſuo primario conceptu dependet.

Neque illud, quod in favorem evaſionis adducitur, ei opitulatur: idcirco enim per quamlibet demonſtrationem (ſaltem *propter quid*) generatur habitus ſcientiæ, quia quælibet ſimpliciter eſt actus ſcientificus omnino convincens intellectum, ac proinde ſimpliciter eſt perfecta intra ſuam lineam, reperiturque in illa ratio formalis ſubſtantialis, circa quam habitus ſcientiæ verſatur. At peccata venialia, de quibus loquimur, ſimpliciter ſunt imperfecta intra lineam injuſtitiæ, nec verſantur circa rationem formalem ſubſtantialem indiſpenſabiliter inſpectam ab injuſtitia, quæ virtuti juſtitiæ opponitur, ut explicatum eſt. Vnde quemadmodum ſi daretur demonſtratio, quæ non verſaretur circa formalem, & ſubſtantialem rationem objectivam, per ſe, & indiſpenſabiliter ab habitu ſcientiæ inſpectam, aut non attingeret illam ut applicatam materiæ à prædicta ratione formali indiſpenſabiliter petitæ, non gigneretur per illam hujuſmodi habitus, neque oppoſitus deſtrueretur; ſic in præſenti, proportione ſervata, dicendum eſt.

§. IV.

Quæ obſtent ultimæ aſſertioni?

12. Contra tertiam aſſertionem ſentire videntur Durandus in 2. diſt. 27. quæſt. 10. num. 18. Gregorius quæſt. 5. dub. 2. & Zumel in præſenti diſp. unica, concluſ. 3. quos refert, & ſequitur Salas tr. 13. diſp. 2. ſect. 3. Probatur primò hæc ſententia: quia per peccata venialia ex parvitate materiæ producitur habitus vitioſus deſtruens rationem formalem obiectivam virtutis oppoſitæ, v. g. juſtitiæ: ergo corrumpitur ipſa virtus. Conſequentia liquet: nam quilibet habitus deſtruitur per alium evertentem ſuam rationem formalem objectivam. Antecedens verò probatur: quia virtus iuſtitiæ inclinat ad hoc, ut reddatur unicuique ius ſuum, quodcunque illud ſit, ſive magnum, ſive parvum: conſtat autem, hanc rationem deſtrui per quoſlibet actus contra iuſtitiam. *Durand. Gregor. Zumel. Salas. Primum argumentum.*

Confirm. Confirmatur: nam aliàs (ait Salas) dandus eſſet duplex habitus injuſtitiæ: alius inclinãs ad parva contra iuſtitiam; & alius ad magna: hoc autẽ videtur voluntarium, & inauditum: ergo, &c. Sequela probatur: quia per prædicta venialia non poteſt non produci habitus inclinans ſaltem ad ſimilia venialia, cùm ſint actus plenè deliberati, & ſufficienter intenſi, ut ſupponimus: quinimo experientia teſtatur eum, qui prædicta venialia ſæpe

Digitized by Google

ſæpe committit, aſſuefieri, & habituari ad illa: ſi ergo hujuſmodi habitus non expellit virtutem juſtitiæ, dari neceſſe eſt alium habitum acquiſitum per peccata mortalia, qui prædictam virtutem corrumpat: atque adeo duplicem habitum iniuſtitiæ intra eandem materiam.

Prima ſolutio. 13. Reſpondetur primò negando antecedens: ſatis enim probabile eſt, per prædicta venialia nullum habitum produci; ſed ad ſummum imperfectam aliquam diſpoſitionem ad actus ſimiles: ut de venialibus ex imperfecta deliberatione diximus n. 6. Et ratio eſt, quam jam tradidimus: quia cùm hujuſmodi actus ſint in ſuo genere imperfecti, nequeunt eſſe fœcundi ad generandũ habitum, qui debet eſſe qualitas perfecta. Tum etiam quia ipſa parvitas materiæ obſtare videtur firmitati, quam habitus requirit: ſicut obſtat illi imperfectio deliberationis. Nam ſicut actus ſemideliberatus non procedit ex cauſa firma, & ideo nequit conferre habitui firmitatem: ſic etiã affectus præcisè circa parva videtur ex levi cauſa procedere: leve enim eſt, & facile mobile, quod inducit ad parvum cum excluſione magni.

Ad confirmationem negari poteſt ſequela. Cujus probatio non urget: quia ſatis eſt, quòd prædicta venialia habeant imperfectioné, quam diximus, ut licet fiant cum deliberatione, & intenſione, non generent habitum. Neque experientia ſuadet oppoſitum: quia aſſuefactio illa, quæ ſentitur, poteſt aliunde provenire, etiamſi non generetur habitus, juxta dicta n. 6.

Alia ſolutio. 14. Secundò reſpondetur ad argumentum admittendo, per prædicta venialia generari habitum vitioſum; imperfectè tamen & ſecundum quid habentem rationem injuſtitiæ: qui proinde neque deſtruit ſimpliciter rationem ſubſtantialem objectivam juſtitiæ, neque habitui juſtitiæ ſimpliciter opponitur, aut illum ſecundum ſubſtantiam excludit. Quamvis aliquo modo diminuat: ſcilicet vel quaſi extrinſecè, ut dicemus in ſolutione ſecundi argumenti: vel quantum ad aliquam extenſionem ſecundariam, & accidentalem ad materias parvas.

Ad confirmationem ſequendo hanc viam (quàm cenſemus probabilem) reſpondetur non eſſe inconveniens admittere intra genus injuſtitiæ duplicem illum habitum: quorum unus, ille nimirum, qui per peccata venialia acquiritur, præcisè inclinet ad materiam parvam cum excluſione magnæ, participetque rationem injuſtitiæ ſecundum quid, & imperfectè. Alter verò, qui per mortalia generatur, inclinet primariò ad ſolos actus in materia gravi; & ab his ſpecificetur; quamvis ſecundariò poſſit extendi ad materiam levem cum præciſione gravis, non tamen cum excluſione. Neque hoc eſt voluntarium; ſed rationi conſonum: nam de habitibus philoſophandum eſt proportionatè ad actus, quibus gignuntur; quare ſicut non invenit dari intra lineam injuſtitiæ peccatum mortale, quod eſt injuſtitia ſimpliciter; & peccatum veniale, quod eſt injuſtitia ſecundũ quid quæ juxta probabilem ſententiam ſpecie differant: ita non eſt inconveniens admittere probabiliter intra eandem lineam injuſtitiæ prædictos duos habitus ſpecie diverſos, duobus iſtis peccatorum generibus correſpondentes: præſertim admiſſo, quòd tam peccatum veniale quàm mortale repetita habitum generent, ut arguens exiſtimat.

Replica. 15. Sed urgebis: ille qui per peccata mortalia acquirit habitum injuſtitiæ circa materiam gravem, per ipſum manet facilis ad actus injuſtitiæ tam in materia gravi, quàm in materia levi: ergo ſuperfluum eſt ponere alium habitum injuſtitiæ circa hujuſmodi actus.

Enodatur. Ad hanc replicam dici poſſent primò, quòd ubi peccata mortalia præcedunt, & generant habitum; peccata venialia, quæ ſuperveniunt, non producunt alium habitum diſtinctum; ſed jam productum quaſi formant, & quodammodo extendunt. Vnde hic habitus licèt primariò ſolùm ſit in ordine ad mortalia, quibus acquiritur, & à quibus ſpecificatur, ſecundariò tamen poteſt extendi ad venialia, quæ virtualiter in mortalibus continentur. Si verò peccata venialia præcedãt, & generent habitum illum imperfectum, quem admiſimus; probabile eſt, quòd adveniente habitu perfecto acquiſito per mortalia, prædictus habitus imperfectus tanquã ſuperfluus deſtruatur: ſicut in intenſione qualitatum adveniente modo majoris radicationis, v.g. ut quinque, deſtruitur modus radicationis, ut quatuor: eo quòd quicquid perfectionis in iſto eſt, in illo eminenter continetur. Quod maximè locum habere videtur in præſenti: eo quòd ſicut peccata venialia ab intrinſeco habent, quòd ſint diſpoſitio ad mortalia; ſic prædictus habitus imperfectus acquiſitus per venialia, licèt ſecundùm ſubſtantiã ſit habitus; plurimum tamé habet diſpoſitionis, & ab intrinſeco importat, quòd ſit quaſi via ad habitum perfectum, qui per mortalia acquiritur: atq; adeo ſicut via ceſſat, adveniente termino; & accedente habitu, corrumpitur diſpoſitio: ita habitus hic imperfectus, quem gignunt peccata venialia, ſolùm durat, donec habitus perfectus per mortalia producatur: hoc verò acquiſito, ceſſat conſervatio illius, & deſtruitur. Quamvis etiam ſit probabile, quòd uterq; habitus ſimul coëxiſtat: quia ut imperfectus, perfecto acquiſito, non ſit ſuperfluus, ſatis eſt quòd inclinet per ſe primò ad venialia, & quòd ad hæc perfectus non inclinet primariò, quamvis ſecundariò poſſit ad ea extendi. Sicut licèt habitus charitatis ſecundariò inclinet ad deſtructionem peccati, & ad ſatisfaciendum Deo, non propterea ſuperfluit habitus pœnitentiæ qui inclinat ad hæc primariò.

Enodatur alia via. Secundò dici poſſet, habitum injuſtitiæ acquiſitum per mortalia ſolùm inclinare ad furandum materiam gravem & etiam levem: quatenus eſt, aut eſſe poteſt pars materiæ gravis: ſive (quod idem eſt) quatenus materia levis, licèt præſcindat à materia gravi; non tamen illam poſitivè excludit: habitum verò iniuſtitiæ acquiſitum per venialia inclinare ad furandam materiam levem reduplicativè, ut levem, adeoque cum excluſione materiæ gravis: & hac ratione uterque habitus, quovis ordine acquiratur, poteſt ſimul permanere pro diverſis actibus iuſtitiæ.

Secundum argumentũ. 16. Secundò probatur eadem ſententia, & ſimul præcedens argumentum confirmatur: quia per actus iuſtitiæ in materia parva, ut eſt actus, quo quis vult media reſtituere, acquiritur habitus iuſtitiæ: ergo per illos excluditur habitus iniuſtitiæ: ergo etiam è contrario per actus iniuſtitiæ in materia parva generari debet habitus iniuſtitiæ, per quem iuſtitiæ virtus deſtruatur. Vtraque conſequentia videtur ſatis nota: & antecedens ſuadetur: quoniam actus illi ſunt virtuoſi, & omnino liberi, verſanturque circa objectum, & rationem formalem iuſtitiæ, ſcilicet ius alienum ſervandum: ergo reperiri debent iuſtitiæ habitum generare.

Reſpon

D.Thom. Reſpondetur ex dictis negando antecedens cum M.Curiela & aliis:minus enim proportionati ſunt actus iſti ad generandum juſtitiæ habitum, quàm illi,de quibus in argumento præcedenti,ad producendum habitum injuſtitiæ.Tum quia etiam ſunt in ſuo genere quid imperfectum, & ideo infæcundi ad habitus generationem. Tum etiam quia cauſa, ex qua procedunt, non poteſt habitui conferre firmitatem: facilè enim amovetur materia levis: & quod ex levi cauſa volumus,non difficulter retractamus.Tum denique quia ut D.Thomas ſupra quæſt.66.inſinuat, quælibet virtus moralis debet, quantum eſt de ſe inclinare ad omnia,quæ cadunt ſub ſuo objecto: & ideo hujuſmodi virtutes per ordinem ad objectum non ſuſcipiunt magis & minus ſed *quicunque habet aliquam virtutem*(ait D.Thom.loco cit.) *puta temperantiam, habet ipſam quantum ad omnia, ad quæ ſe extendit: quod de ſcientia & arte non contingit.* Si autem aliqua virtus ex his,quæ ex ſuo genere obligant ad mortale, ut eſt juſtitia, per actus præciſè circa materiam leuem gigneretur; non poſſet(adhuc quantum eſt ex ſe) inclinare ad totam latitudinem ſui objecti:quia cum ſub hac latitudine quædam gravia & ſumma,quædam levia & infima contineantur,& hujuſmodi actus præciſè verſentur circa levia, nequit habitus per illos productus inclinare ad gravia:ut ſiquis exerceat vires corporis in re facili, portando v.g.leve pondus, non aſſueſcit ad difficiliora,ut ad portandum grave. Et licèt habens virtutem moralem acquiſitam non ſemper ſe ſentiat expeditus ad omnia, quæ ſub objecto illius continentur: quia hæc expeditio poteſt extrinſecè diminui per peccata venialia, & per aliquam aſſuefactionem ad oppoſitum,juxta dicta n.6. & 7.ipſa tamen virtus, quantum eſt ex ſe,ad omnia illa debet inclinare: ita ut remotis illis impedimentis,ſine additione aliqua intrinſeca ex parte ſui ad omnia ſe extendat:quod ſanè non haberet, ſi per actus verſantes præciſè circa materiam levem, ut ſunt actus reſtituendi modica,gigneretur. Quare per hujuſmodi actus repetitos, ſolùm generetur quædam diſpoſitio ex ſe facilè mobilis, ad ſimiles actus inclinans: quæ tandiu durat, donec per actus perfectiores habitus virtutis acquiratur.

Solutio. 17. Adde, quòd licèt demus,non eſſe de ratione virtutis moralis conſideratæ præciſè ſecundum ſuam eſſentiam inclinare proximè ad omnia, quæ ſub ſuo objecto continentur; ſed intrinſecè per ordinem ad illud augeri & diminui,ſicut augetur & minuitur virtus intellectualis: atque adeo doctrinam illam D. Thomæ. ex quæſt.66. poſſe intelligi de virtute morali, non attenta præciſè ſecundum ſuam ſubſtantiam; ſed ut habet ſtatum & perfectionem, virtutis, prout Caietanus ibi exponit:adhuc tamen non eſt dicendum, quòd per actus, de quibus loquimur, habitus virtutis generetur: quia ad generandam virtutem etiam ſecundum ſubſtantiam ſaltem requiritur ut actus, quibus acquirenda eſt, attingant rationem objectivam ſubſtantialem talis virtutis; quæ reſpectu juſtitiæ eſt jus alienum ſervandum,non utcunque, ſed ſimpliciter: atque adeo ſaltem in materia gravi:unde cum actus verſantes ſolùm circa materiam levem, non attingant prædictum jus, nullum poſſunt generare habitum juſtitiæ.

Replica. Sed obiicies:cum in materia injuſtitiæ duplicem admittamus rationem formalem objectivam,aliam circa materiam gravem,& aliam circa levem cum excluſione gravis;proindeque duplicem injuſtitiæ habitum,juxta dicta a n.4.cur non eodem modo in materia juſtitiæ ſimiles rationes objectivas diſtinguemus, quæ ſpecificent duos habitus juſtitiæ, alium circa materiam gravem & alium præciſè circa levem?

Diluitur. Reſpondetur in promptu eſſe diſcrimen. Primò propter ea,quæ ex D.Thoma nuper dicebamus: quia de ratione virtutis moralis eſt, ut ad totam materiam ſui objecti ſe extendat, quod tamen non eſt de ratione vitij. Deinde quia ſicut plura requiruntur ad bonum quàm ad malum;ſic ad multiplicationem vitij minus ſufficit, quàm exigitur ad multiplicationem virtutis: & ita uni eidemque virtuti plura vitia ſolẽt opponi:ut fidei, quæ eſt una virtus ſecundum ſpeciem, opponuntur plures ſpecies infidelitatis, juxta doctrinam D.Thom 2.2. q.10. art.5. & eidem commutativæ juſtitiæ opponuntur vitia furandi, rapiendi, detrahendi, conviciandi,ſuſurrandi,irridendi,& alia, quæ ſunt diſtinctæ injuſtitiæ ſpecies,ut docet S.Doctor eadem 2.2. qu. 64.& ſequentibus.Et regulariter in materia cujuſlibet virtutis plura vitia diſtinguuntur. Sicut ergo non diſtinguimus duos habitus juſtitiæ penes hoc, quod eſt ſervare, aut non lædere alienum jus verbo & facto; diſtinguimus autem duos habitus injuſtitiæ; alium lædendi facto, & alium verbo:ita quamvis circa materiam gravem & leuem duo vitia, & duas rationes formales injuſtitiæ admittamus;non ideo debemus admittere duos habitus juſtitiæ pro eiſdem materiis.

ARTICVLVS V.

Vtrum in quolibet peccato ſit aliquis actus?

AD quintum ſic proceditur. Videtur quòd in quolibet peccato ſit aliquis actus. Sicut enim meritum comparatur ad virtutem,ita peccatum ad vitium comparatur:ſed meritum non poteſt eſſe abſque aliquo actu: ergo nec peccatum poteſt eſſe abſque aliquo actu.

2. Præterea: Auguſtinus dicit in lib.de liber. arbit. quod omne peccatum adeo eſt voluntarium, quòd ſi non ſit voluntarium,non eſt peccatum.ſed non poteſt eſſe aliquid voluntarium, niſi per actum voluntatis: ergo omne peccatum habet aliquem actum.

3. Præterea: ſi peccatum eſſet abſque aliquo actu, ſequeretur quòd ex hoc ipſo quòd aliquis ceſſat ab actu debito, peccaret:ſed continuè aliquis ceſſat ab actu debito,ille ſcilicet, qui nunquam actum debitum operatur:ergo ſequeretur quòd continuè peccaret, quod eſt falſum. Non ergo eſt aliquod peccatum ſine actu.

Sed contra eſt, quod dicitur Iacob.4. ſcienti bonum facere,& non facienti,peccatum eſt illi: ſed non facere non importat aliquem actum: ergo peccatum poteſt eſſe abſque actu.

Reſpondeo dicendum,quòd quæſtio iſta principaliter movetur propter peccatum omiſſionis, de quo aliqui diverſimodè opinantur. Quidam enim dicunt, quòd in omni peccato omiſſionis eſt aliquis actus,vel interior, vel exterior. Interior quidem, ſicut cum aliquis vult non ire ad Eccleſiam, quando ire tenetur. Exterior autem, ſicut

ſicut cùm aliquis illa hora, qua ad Eccleſiam ire tenetur, vel etiam ante, occupat ſe talibus, quibus ab eundo ad Eccleſiam impeditur. Et hoc quodammodo videtur in primum redire. Qui enim vult aliquid, cum quo aliud ſimul eſſe non poteſt, ex conſequenti vult illo carere: niſi fortè non perpendat, quod per hoc, quod vult facere, impeditur ab eo, quod facere tenetur, in quo caſu poſſet per negligentiam culpabilis judicari. Alij verò dicunt, quòd in peccato omiſſionis non requiritur aliquis actus: ipſum enim non facere, quod quis facere tenetur, peccatum eſt.

§. Vtraque autem opinio ſecundum aliquid veritatem habet. Si enim intelligatur in peccato omiſſionis illud ſolum, quod per ſe pertinet ad rationem peccati, ſic quandoque omiſſionis peccatum eſt cum actu interiori: ut cum aliquis vult non ire ad Eccleſiam. Quandoque verò abſque omni actu vel interiori vel exteriori: ſicut cùm aliquis hora, qua tenetur ire ad Eccleſiam, nihil cogitat de eundo, vel non eundo ad Eccleſiam. Si vero in peccato omiſſionis intelligãtur etiam cauſæ vel occaſiones omittendi, ſic neceſſe eſt in peccato omiſſionis aliquem actum eſſe: non enim eſt peccatũ omiſſionis, niſi cum aliquis prætermittit, quòd peccatũ poteſt facere, & non facere, quod autem aliquis declinet ad non faciendũ illud, quod poteſt facere, & non facere, non eſt niſi ex aliqua cauſa vel occaſione conjũcta vel præcedente: & ſiquidẽ cauſa illa non ſit in poteſtate hominis, omiſſio non habet rationẽ peccati: ſicut cum aliquis propter infirmationẽ prætermittit ad Eccleſiam ire. Si vero cauſa vel occaſio omittendi ſubjaceat voluntati, omiſſio habet rationem peccati, & tunc ſemper oportet; quòd iſta cauſa in quantum eſt voluntaria, habeat, aliquem actum ad minus interiorem voluntatis. Qui quidem actus quandoque directè fertur in ipſam omiſſionem, puta cum aliquis vult non ire ad eccleſiam, vitans laborem; & tunc talis actus per ſe pertinet ad omiſſionem: voluntas enim cujuſcunque peccati per ſe pertinet ad peccatum illud, eò quòd voluntarium eſt de ratione peccati. Quandoque autẽ actus voluntatis directe fertur in aliud, per quod homo impeditur ab actu debito, ſive illud, in quod fertur voluntas, ſit conjunctũ omiſſioni, puta cum aliquis vult ludere, quando ad eccleſiam debet ire: ſive etiam ſit præcedens, puta cum aliquis vult diu vigilare de ſero, ex quo ſequitur, quod non vadat hora matutinali ad Eccleſiam; & tunc actus iſte interior vel exterior per accidens ſe habet ad omiſſionem: quia omiſſio ſequitur præter intentionem. Hoc autem dicimus per accidẽs eſſe, quod eſt præter intentionem, ut patet in 2. Phyſ. Vnde manifeſtum eſt, quòd tunc peccatum omiſſionis habet quidem aliquem actum conjunctũ vel præcedentem, qui tamen per accidens ſe habet ad peccatũ omiſſionis: judicium autem de rebus dandum eſt ſecundum illud, quod eſt per ſe; & non ſecundum illud, quod eſt per accidens. Vnde veriùs dici poteſt, quod aliquod peccatum poſſit eſſe abſque omni actu: alioquin etiam ad eſſentiam aliorum peccatorum actualium pertinerent actus, & occaſiones circunſtantes.

Ad primum ergo dicendum, quòd plura requiruntur ad bonum quam ad malum, eo quòd bonum contingit ex tota integra cauſa; malum autem ex ſingularibus defectibus: ut Dionyſius dicit 4. cap. de divin. nomin. Et ideo peccatum

poteſt contingere, ſive aliquis faciat quod non debet, ſive non faciendo quod debet: ſed meritum non poteſt eſſe, niſi aliquis faciat voluntariè, quod debet: & ideo meritum non poteſt eſſe ſine actu.

Ad ſecundum dicendum, quod aliquid dicitur voluntarium, non ſolùm quia cadit ſuper ipſum actus voluntatis, ſed quia in poteſtate noſtra eſt ut fiat, vel non fiat, ut dicitur in 3. Ethic. unde etiam ipſum non velle poteſt dici voluntarium, in quantum in poteſtate hominis eſt velle, & non velle.

Ad tertium dicendum, quòd peccatum omiſſionis contrariatur præcepto affirmativo, quod obligat ſemper; ſed non ad ſemper: & ideo ſolùm pro tempore illo aliquis ceſſando ab actu peccat, pro quo præceptũ affirmativum obligat.

Prima concluſio. Si intelligatur in peccato omiſſionis illud ſolùm, quod per ſe pertinet ad rationem peccati, poteſt eſſe abſque omni actu.

Secunda concluſio. Si in peccato omiſſionis intelligantur etiam cauſæ, vel occaſiones omittendi, neceſſe eſt aliquem actum ibi reperiri.

Hic articulus præbet materiam non brevi diſputationi circa omiſſionis peccatum: ubi utriuſque concluſionis veritas innoteſcet.

DISPVTATIO V.

De peccato omiſſionis.

HACTENUS de vitiis, & peccatis in collatione ad virtutes: ab hoc verò articulo agit jam Divus Thomas de ipſis peccatis ſecundum ſe. Quæ quidem ſunt in duplici differentia: nam alia opponuntur immediatè præceptis negativis, ut furtum, homicidium, &c. & hæc vocantur *peccata commiſſionis*: quia conſiſtunt in actu, qui committitur contra talia præcepta. Alia verò immediatè opponuntur præcepto affirmativo, conſiſtuntque in prætermiſſione actus, qui præcipitur hujuſmodi præcepto; ut cum quis amittit audire Sacrum, vel omittit reſtituere, tempore quo hæc jubentur: indeque dicuntur *peccata omiſſionis*. Et licet ordine quaſi dignitatis, & etiam naturæ peccatum commiſſionis ſit prius; præmiſit nihilominus Divus Thomas articulum de peccato omiſſionis: quia intelligentia diffinitionis peccati, quæ traditur articulo ſequenti, eam quæſtionem præexigebat, *an ſcilicet in quolibet peccato ſit aliquis actus?* Quod cùm de ſolo peccato omiſſionis in dubium verti poſſit, operæpretium fuit ab eo initium ſumere.

DVBIVM I.

Vtrum in peccato omiſſionis importetur per ſe aliquis actus.

DVpliciter poteſt intelligi, quod actus ad peccatum omiſſionis cõcurrat. Vel tanquã aliquid ſpectans per ſe ad tale peccatum, ſive ut ratio cõſtituens, aut complens, ſive ut forma denominãs, juxta ea quæ ſtatim declarabimus. Vel

E ſolum

ſolum tanquam cauſa, ſeu occaſio, unde originetur, & ſine qua in rerum natura non exiſteret: ſive talis cauſa per ſe ad id tendat, ſive ſolùm per accidens. De hoc ſecundè dicemus ſub ſequenti: nunc verò illud prius examinandum eſt.

§. I.

Vera & communis ſententia.

1. Dicendum eſt, ad peccatum omiſsionis nullum requiri actum, qui per ſe ad ipſum pertineat. Hæc concluſio eſt D. Thomæ in hoc art. & ubicunque egit de prædicto peccato: ut 2.2.q.79.art.3.& 4. De mal.q.2.art.1. In 2.diſt. 35.q.1.art.3.& diſt.41.art.1.ad 4. Et eſt jam communis inter Theologos. Sumitur etiam ex ſacra Scriptura, in qua peccatum omiſſionis non per actum poſitivum, ſed per ſolam carentiam actus
Iob. 4. Matth. 25. debiti ſignificatur: ut Iacobi 4. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* Et Matth. 25. damnantur impij, quia debitos virtutum actus non exercuerunt: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi bibere*, &c. Idemque
Apocal. 2. Proverb. 1. videre eſt Apocalypſ.2.num.21. Proverb.1. num.24.& alibi.

Animadverſio. Vt autem ratione probetur, animadvertendum eſt, multipliciter poſſe intelligi, quod actus per ſe ad omiſſionem concurrat. Vel quia ſit prædicatum, aut pars componens eam intrinſecè, quòd proinde de illa prædicetur: vel quia ſit ſubjectũ, quod omiſſioni ſubſternitur, & in quo recipitur: ſicut in peccato commiſſionis entitas actus ſubſternitur malitiæ: vel quia ſit illud, à quo omiſſio recipit immediatè denominationẽ *voluntariæ*, vel *peccaminoſæ*, non ut à prædicato intrinſeco; ſed ut à forma extrinſeca: ſicut actus exterior denominatur *voluntarius* & *peccatum* ab actu interiori? vel quia ſe habeat ut terminus & complemẽtum talis peccati; ſicut ſubſiſtentia ſe habet ad naturam, & ſicut actus exterior ad interiorem: vel denique quia prædictus actus dicat per ſe habitudinem & reſpectum ad omiſſionẽ, ſive ut ad objectum, à quo ſpecificatur; ſive ut ad effectum, quem cauſat: ſicut volitio expreſſa furandi per ſe reſpicit furtum. Non autem facile excogitabitur alius modus, quo actus ad peccatum, de quo loquimur, poſſit per ſe concurrere: adeoque ſufficienter manebit probata aſſertio per excluſionem omnium, quos adduximus.

Alia. Deinde nota, præſentem difficultatem non procedere de omiſsionibus purè externis, ſeu quæ ſunt carentiæ actuũ omnino externorũ: nã ſicut hujuſmodi actus apud nos non habent voluntarietatem, aut malitiam intrinſecam; ſed denominantur *voluntarij* & *peccata* ab actibus internis, à quibus imperantur: ita eorũ omiſsiones non habent in ſe formalem malitiam, aut volũtarietatem, ſed utriuſque denominationem ſumunt immediatè ab actibus vel omiſsionibus internis, unde imperantur: adeoque ipſe actus vel omiſsio interna importari debet tãquam forma denominans in illo, quod omiſsionem externam conſtituit liberam & peccaminoſam: non enim quoad hoc potioris cõditionis eſſe debet omiſsio externa, quàm actus ipſe externus, cujus eſt carentia. Quare ſolum procedit dubium de omiſsionibus, quæ ſunt carentiæ actuum internorũ, manentque proinde in potentiis habentibus intrinſecè malitiam & libertatẽ, ſicut & voluntas.

2. Probatur ergo hujuſmodi omiſsiones, ut ſunt peccata, non poſtulare actum, qui per ſe Ratio pro aſſertione.
ullo ex modis recenſitis ad id concurrat. Et quidem non requiri, ut prædicatum componens intrinſecè ipſam omiſsionem, eſt per ſe notum: quia cùm omiſsio ſit carentia & *non ens*, omnino repugnat, ut aliquid poſitivum illam intrinſecè componat, aut eſſentialiter de ea prædicetur: ſicut repugnat, ens componi ex non ente, vel de illo prædicari. In quo, quia res eſt perſpicua, non immoramur.

Deinde quod nec per modum ſubjecti omiſsionis requiratur actus per ſe ad ejus peccatum, ſuadetur. Tum quia ſubjectum omiſsionis non poteſt eſſe aliquis actus, ſed ſola potentia: illud enim debet eſſe ſubjectum omiſsionis, quod eſſet ſubjectum actus omiſsi: ſicut univerſaliter illud eſt ſubjectum privationis alicujus formæ, quod eſſet ſubjectum ipſius formæ: atqui ſubjectum actus omiſsi non eſſet aliquis alius actus; ſed immediatè ipſa potentia: ergo hæc ipſa & non aliquis actus erit ſubjectum omiſsionis. Tum etiam quia in hoc differt peccatum commiſsionis à peccato omiſsionis, quod illud dicit actum indebitum, & prohibitum; adeoque malitia ibi reperta ſubjectari debet in actu, qui reddatur per eam deformis, ſcilicet in ipſo actu prohibito: ſive talis malitia conſiſtat in aliqua deordinatione poſitiva, ſive in carentia alicujus rectitudinis debitæ tali actui, de quo diſputatione ſequenti: at verò peccatum omiſsionis non dicit actum prohibitum; ſed carentiam, & prætermiſsionem actus præcepti: atque adeo malitia talis peccati non eſt aliqua deformitas actus poſitivi, & indebiti; ſed carentia & *non eſſe* actus præcepti: non ergo ſubjectari debet in aliquo actu, quem modificet, & reddat deformem; ſed immediatè in ipſa peccata.

Præterea quòd non requiratur actus ad peccatum omiſsionis per modum termini, aut complementi, patet: quia terminus, & complementum alicujus rei non præcedit; ſed ſubſequitur rem, quam complet, & terminat: ut patet in ſubſiſtentia reſpectu naturæ, in actu externo reſpectu interioris, & in aliis: at verò actus, qui ad omiſsionem concurrit, non ſubſequitur; ſed præcedit, & infert ipſam omiſsionem: ergo non ſe habet per modum complementi.

3. Vlterius quòd neque ſit forma denominans extrinſecè *voluntariam* omiſsionem, de qua loquitur, probatur: nam talis omiſsio licèt ut fluat à voluntate, requirat actum; hoc tamen præſuppoſito, ipſa omiſsio prout diſtincta ab actu eſt intrinſecè volũtaria: eſt enim ita intrinſecè unita voluntati, ſicut eſſet actus, cujus eſt omiſsio: atque adeo non ſolùm de actu, ex quo cauſatur; ſed etiam de ipſa omiſsione verificatur, quòd eſt à principio ſibi intrinſeco & conjũcto, non minus quàm prædictus actus: quare ſicut actus propter hanc rationem eſt voluntarius intrinſecè, ſic etiam omiſsio. Porrò prædictam omiſsionem eſſe ita immediatè & intrinſecè cõjunctã, & unitam voluntati, ut diximus, conſtat: nam cum ſit carentia & *non eſſe* actus omiſsi ſecundum omnes ejus rationes, eo uſque potentiæ ſuæ ingredi debet, quò ingrederetur talis actus: quare ſicut actus, ſi daretur, ingrederetur per ſuum *eſſe* uſque ad intima voluntatis, uniretur q, illi ſeipſo immediatè ita cùm non datur, ingreditur non minus omiſsio per ſeipsã uſque ad intima

Digitized by Google

tima ejuſdem voluntatis, uniturque illi æquè intrinſecè: de quolibet enim ejus ſinu (ut ita dicamus) ad quem uſque penetraturus eſſet actus omiſſus, verificatur quod attingitur, & pervaditur à *non eſſe* ejuſdem actus, proindeque ab omiſſione. Neque ad hujuſmodi ingreſſum & intimam conjunctionem omiſſionis cum voluntate neceſſarius eſt aliquis reſpectus poſitivus; ſed quod in actu præſtaret hujuſmodi reſpectus, præſtat omiſſio per ipſam: quatenus dum ſeipſa immediatè eſt ablatio totius actus, & cujuſlibet ejus reſpectus; ſeipſa quoque pertingit & intrat, quo uſque intraret & pertingeret talis reſpectus: ſeque ipſa manet conjuncta & unita eidem principio, cui uniretur actus. Nihil ergo deeſt, quominus prædicta omiſſio immediatè & ſecundum ſe ſit à principio intrinſeco: atque adeo à ſe & non ab alio ſuſcipiat immediatè denominationem *voluntarii*.

Ex hoc autem manet etiam probatum, prædictam omiſſionem habere in ſe intrinſecam malitiam, à qua & non ab actu denominetur *peccaminoſa*. Quia cùm talis omiſſio ſecundum ſe ſit contra præceptum, ex nullo alio capite poterat illi negari intrinſeca malitia, niſi ex denegatione voluntarij intrinſeci, ut intuenti conſtabit: ergo oſtenſo quòd ſit intrintrinſecè voluntaria, manet probatum, quòd habeat intrinſecam malitiam, à qua & non ab aliquo actu ſumat peccati denominationem. Eò præſertim quia malitia ex ſua communi ratione non poſtulat fundari in actu, ſicut poſtulat bonitas; ſed ſufficit ad illam quilibet voluntarius defectus: unde cùm in omiſſione; etiam prout diſtincta & præciſa ab actu, ſufficienter ſalvetur ratio voluntarij, & ratio defectus; nihil illi deeſt, quominus in ea ſic præciſa ſalvetur tota ratio malitiæ, & totum, quod conſtituit peccatum omiſſionis.

4. Denique quòd actus non requiratur ad omiſſionem ut per ſe reſpiciens illam, probatur: quia ad hoc ut aliquis peccaminoſe omittat, nõ eſt neceſſe, ut habeat actũ, quo expreſsè & directe velit omittere; ſed ſufficit ut habeat quécunque actum incompoſſibilem cum actu omiſſo, etiamſi nihil curet de omiſſione: ut patet in eo, qui animadvertens obligationem audiendi ſacrum; & non curans de tali obligatione, occupatur ludo vel ſtudio: tunc enim ille omittens nullum habet actum tendentem per ſe ad prædictã omiſſionem, aut illam per ſe reſpicientem: & tamen nemo dubitat eſſe omiſſionem peccaminoſam: ergo non eſt neceſſarius ad omiſſionis peccatum actus, qui per ſe ad omiſſionẽ tendat, vel per ſe eam reſpiciat. ¶ Diximus *non eſſe neceſſarium*: quia perſpicuum eſt dari multoties talem actum, ut cum voluntas expreſſe & formaliter vult omittere. Adhuc tamen talis actus non ſpectat per ſe ad prædictum peccatum, tanquam forma vel ratio denominans, aut tanquam aliquid complens intrinſecè; ſed præcisè ut cauſa effectiva, quæ quantumvis ſit per ſe, ſemper manet extra eſſentiam. Vel poteſt dici pertinere per ſe ad prædictum peccatum non quidem ex parte ipſius peccati: nam tota hujus eſſentia ſalvatur in omiſſione ut præciſa ab illo: ſed ex parte ipſius actus, qui per ſe dependet ab omiſſione, tanquã à proprio ſpecificativo; & per ſe ad illam reducitur: quod non habent cæteri actus, qui ſolum per accidens habent eſſe cauſa omittendi.

Confirmatio. Confirmatur: nam eo ipſo quòd intelligamus aliquem prætermittere actum debitum, ſeu quòd intelligamus *poſſe teneri, & non facere*, & quòd hæc prætermiſſio ſit voluntaria, intelligimus ſufficienter conſtitutum peccatum omiſſionis: ſed in his, quæ diximus, nullus importatur actus; ſed ſola carentia cum debito non omittendi: ergo hæc ſola, & non aliquis actus intrat per ſe ad tale peccatum conſtituendum.

Confirmatur ſecundò: tunc intelligimus ſufficienter conſtitutum peccatum omiſſionis, quando intelligimus in omittente voluntariam oppoſitionem ad præceptum affirmativum: ſicut cum intelligimus talem oppoſitionem ad præceptum negativum, intelligimus ſufficienter peccatum commiſſionis: ſed prædictam oppoſitionem intelligimus, nullo incluſo actu, ex eo ſolum quòd voluntas liberè non faciat illum, ad quem tenetur: ergo, &c.

§. II.

Obiectiones pro parte affirmativa.

5. PArtem affirmativam tenuiſſe aliquos ex antiquis, ſumitur ex D. Thoma in præſenti, & in 2. diſt. 35. art. 3. Nam revera opinio, quam Aug. Doctor ut ab aliquibus receptam illic deſerit, & hîc reformat, non utrunque poſtulabat actum, ſed ut aliquid eſſentialiter aut ſaltem per ſe ſpectans ad peccatum omiſſionis. Modò autem prædicta opinio communiter deſeritur. Poteſt tamen pro illa obiici primò, quòd omne peccatum debet eſſe *dictum, factum, aut concupitum contra legem*, &c. ut patet ex communi diffinitione: ſed ly *dictum, factum, aut concupitum* ſignificat actum poſitivum: ergo in omni peccato debet talis actus includi. ***Prima obiectio, & confirmatio.***

Confirmatur: nam duo ponuntur in prædicta diffinitione: unum ad denotandum ipſam deordinationem & malitiam, ſcilicet *contra legem æternam*: aliud verò ad denotandum id, quod huic deordinationi ſuſternitur, & ab ea *peccatum* denominatur, nempe *dictum, factum, vel concupitum*: quamvis autem primum illud in ſola privatione rectitudinis ſalvetur; hoc tamen poſterius neceſſario requirit actum, qui ſit ſubjectum talis privationis & deordinationis: ergo, &c.

Reſpondetur prædictam diffinitionem primò traditam fuiſſe pro ſolo commiſſionis peccato, quod opponitur præcepto negativo, quo actus mali prohibentur: unde non opus eſt, ut verba illa *dictum, factum, vel concupitum* conveniant propriè & rigoroſè peccato omiſſionis. Cæterũ quia negatio ſolet ad affirmationem reduci, & affirmatio pro negatione etiã ſupponere, potuit prædicta diffinitio extendi ad peccata omiſſionis, ſubintelligendo in affirmatione actus indebiti negationem actus debiti: pro eodemque accipiendo *dictum, factum, vel concupitum* contra legem tales actus prohibentem; ac *non dictum, non factum, vel non concupitum* contra legem hujuſmodi actus præcipientem. Quæ ſolutio eſt D. Th. ar. ſeq. ad 1. & quæſt 2. de malit. art. 1. ad 1. ***Diluitur.***

6 Ad confirmationem reſpondetur, quòd ſicut in actu indebito, qui eſt peccatum commiſſionis, reperiuntur duo: nempe ipſa ſubſtantia, ſeu entitas talis actus; & reſpectus, quẽ dicit ad legem illum prohibentem per modum diſcõvenientis & difformis: ex quibus prima ratio ſe habet ut materia & ſubjectũ poſterioris; poſterior autem ut forma conſtitutiva peccati: ita in omiſſione actus debiti poſſunt duo conſiderari: ſcili-

Digitized by Google

cet ipſa carentia actus ſecundum ſe, quæ eſt veluti ſubſtantia omiſſionis ; & ſubjectio ejus per modum difformis ad legem præcipientem talem actum : & prima habet ſe quaſi ſubjectum & materia, quæ dominatur *peccatum*, denotaturque in diffinitione per *dictum , factum , vel concupitum* , quatenus eſt carentia dicti , facti, vel concupiti, pro ut in præced. ſolutione explicuimus. Secunda verò eſt ipſa deformitas & malitia conſtitutiva talis peccati : & explicatur in diffinitione per *eſſe contra legem.* Coaleſcit ergo concretum prædicti peccati non ex actu vel aliquo poſitivo etiam pro materiali: ſed ex duabus præ. dictis rationibus privativis ſicut ex materiali & formali, ut explicatum eſt.

Replica.

Si vero urgeas, quòd omne privativum debet fundari in aliquo poſitivo, ſicut omnis negatio fundatur in affirmatione: ergo ſi utraque ratio à nobis in omiſſione explicata eſt privativa, utrique aſſignare debemus aliquod fundamentum poſitivum : & hoc erit aliquis actus. ¶ Reſpondetur , duplex fundamendum aſſignandum eſſe reſpectu omiſſionis : aliud per modum cauſæ, ex qua originetur: & hoc licèt ſit actus; non tamen intrat eſſentiam peccati omiſſionis adhuc pro materiali ; ſed habet ſe ut occaſio extrinſeca: & adhuc iſto modo non eſt neceſſe ut per ſe ad omiſſionem concurrat, ſed ſufficit ut concurrat per accidens juxta ea, quæ dicemus dub. ſequenti. Aliud eſt fundamentum per modum ſubjecti, in quo omiſſio recipitur : & hoc non debet eſſe aliquis actus, ſed potentia ipſa, v.g. voluntas ſecundum ſe: ſicut enim actus, qui omittitur , erat immediatè recipiendus in prædicta potentia, & non in aliquo alio actu, ſic etiam omiſſio : nam idem bebet eſſe ſubjectum omiſſionis, quod eſſet ſubjectum actus omiſſi. Quæ ſolutio eſt D.Thomæ quæſt.2. de mal. art.1. ad 4. ubi propoſitam replicam ſic diluit , *In peccato omiſſionis per ſe loquendo eſt ſola privatio : ſubjectum autem privationis non eſt actus, ſed potentia: ſicut ſubjectum cæcitatis non eſt viſio; ſed id , quod eſt aptum natum videre : omiſſionis ergo ſubjectum eſt non quidem actus aliquis, ſed poteſtas voluntatis.* Videatur etiam ſolutio ad 9 Neque hinc fit, ipſam potentiam denominari *peccatum* ab omiſſione in ſe recepta : quia denominatio *peccati* ſolùm tribuitur ſubjecto , quod ſe habet ut exercitium potentiæ liberæ. Ipſa autem potentia denominatur *peccans* & *omittens.*

D.Thom.

Secunda objectio.

7. Secundò obiicies : omiſſio non eſt voluntaria niſi ratione actus: ergo non niſi ratione illius erit peccaminoſa: voluntarium enim omnino eſt de ratione peccati. Antecedens ſuadetur: quoniam voluntarium dicit egreſſum à volũtate ut à principio conjuncto, cum cognitione, &c. omiſſio autem non poteſt egredi à volũtate per ſe ipſam ſive eo quòd adſit vel præcedat aliquis actus, ut videbimus dub. ſequenti : ergo, &c.

¶ Poteſtque hæc objectio confirmari ex D. Thoma in hoc art. ubi ait , quòd quando actus voluntatis directè fertur in omiſſionem, pertinet per ſe ad illam: Sicut voluntas cujuſcunque peccati per ſe pertinet ad tale peccatum : ergo cum nulla omiſſio ſit voluntaria niſi ratione actus , nulla erit peccaminoſa , niſi illum includat.

Solutio.

Reſpondetur negando antecedens in ſenſu formali, ut conſtat ex dictis, n. 3. Ad probationem verò dicendum eſt, quòd licèt omiſſio : ut egrediatur à voluntate, prærequirat actum, tanquam cauſam, vel occaſionem, ex qua originetur ; ſemel tamen præſuppoſito , & connotato hujuſmodi actu, ſeipſa fluit, & emanat ab illa per proprium egreſſum diſtinctum ab egreſſu , & emanatione actus : ſeipſaque immediatè unitur eidem voluntati , tanquam principio ſibi conjuncto (ſicut actus , quo privat , immediatè illi uniretur) & ab hac conjunctione , & egreſſu ; non verò ab egreſſu actus prærequiſiti denominatur immediatè, & formaliter *voluntaria.* Poteſtque hoc explicari exemplo actus electionis: qui licet non oriatur à voluntate, niſi præſuppoſita intentione finis ; non tamen formaliter oritur per egreſſum, aut emanationem ipſius intentionis ; ſed hac cum ſua emanatione præſuppoſita, actus, qui eſt electio, ſeipſo à voluntate fluit, & jungitur illi immediatè , abſque eo quòd in ejus egreſſu, & conjunctione egreſſus , vel conjunctio intenſionis includatur. Ita ergo quoad præſens philoſophandum eſt in omiſſione, & actu , qui fuit cauſa omittendi.

Solutio confirmationis.

8. Ad confirmationem reſpondetur verum eſſe, quòd cùm voluntas directè fertur ad omiſſionem , volendo illam , talis actus pertinet ad eam per ſe, non quaſi de eſſentia; ſed quia per ſe eſt cauſa influens in illam, & per ſe eam reſpicit tanquam objectum, à quo ſpecificatur, & ſumit malitiam: adeóque per ſe reducitur ad illud peccatum, quod omiſſio conſtituit. Cæterum nulla eſt omiſſio , quæ talem actum neceſſariò requirat ; ſed ſufficit quilibet alius, qui per accidens ſit occaſio omittendi propter incompoſſibilitatem cum actu omiſſo: quamvis neque tendat per ſe ad omiſſionem , neque eam per ſe reſpiciat. Loquimur autem de omiſſionibus actuum internorum , quæ in ſe ipſis ſunt voluntariæ intrinſecè ; non autem de omiſſionibus externis quæ vel non ſunt voluntariæ in ſe , ſed ſolùm in cauſa ; vel non ſunt tales intrinſecè.

Sed urgebis , quòd potius omnes omiſſiones ſunt voluntariæ in cauſa , ſiquidem omnes requirunt actum , qui ſit cauſa omittendi, in quo ipſæ ſunt voluntariæ, & volitæ: ergo nulla omiſſio erit voluntaria in ſe, & extrinſecè. ¶ Reſpondetur, quòd ſicut eadem electio eſt voluntaria in ſe & intrinſecè, quia ſeipſa, ſuppoſita intentione finis , egreditur à voluntate , & conjungitur cum ea ; & ſimul eſt voluntaria in prædicta intenſione , à qua imperatur : ita eadem omiſſio actus interni poteſt habere utrumque : & quòd ſit voluntaria in ſe intrinſecè propter rationem dictam , quod eſt ſatis ad intentum ; & quòd etiam ſit voluntaria in actu , qui fuit cauſa omittendi : quod nobis non officit.

Tertia objectio.

9. Obiicies tertiò : peccata omiſſionis ſæpius repetita generant habitum vitij inclinantem ad ſimilia peccata: ergo includunt in ſe aliquem actum. Conſequentia liquet : quia per ſolam carentiam actus nequit habitus, qui eſt qualitas poſitiva, generari. Antecedẽs verò ſuadetur : tum quia prædicta peccata reddunt omittentem promptum & facilem ad amplius omittendum: promptitudo autem & facilitas oritur ex habitu. Tum etiam quia per talia peccata repetita deſtruitur virtus oppoſita: ut per plures omiſſiones reddendi alicui jus ſuum corrumpitur habitus juſtitiæ : ergo generatur oppoſitum vitium injuſtitiæ inclinans ad non reddendum : virtus enim acquiſita , ut diſp. præced. vidimus , non corrumpitur, niſi contrarius habitus generetur.

Evertatur.

Reſpondetur concedendo , prædicta peccata poſſe generare habitum, non tamen ratione ſui aut

aut alicujus, quod eorum eſſentiam intret; ſed ratione actus, qui eſt cauſa omittendi, quique omnino manet extra talem eſſentiam. Sufficit enim ad prædictum effectum, quòd talis actus prout eſt cauſa, aut volitio omittendi, contineat in ſe omiſſionem & ejus malitiam; quamvis ſit omnino præter eſſentiam omiſſionis: ſicut cauſa efficiens eſt extra eſſentiam effectus. Quod quidem (loquendo de actibus, qui per ſe ad omiſſionem tendunt, ut cùm aliquis expreſsè vult omittere) à nemine vidimus negari. Loquendo verò de actibus, qui ſolùm per accidens ad eam concurrunt, ut cùm quis occupatur ludo omittit ſacrum ſine alia expreſſa volitione omittendi, non eſt

Difficultas. Curiel. Zumel.

ſic certum, an generent prædictum habitũ. Partem enim negativam tenet Curiel in præſenti dub 1. concl. 5. & eſſe valde probabilem docet Zumel diſp. 2. concl. 3. Poteſtque ſuaderi: quia ſi per tales actus habitus gigneretur, aut hujuſmodi habitus inclinaret ad quamcumque occaſionẽ omittendi; vel dumtaxat ad actus ſimiles iis, ex quibus genitus fuit. Non primum: quia ſicut per actum venandi v.g. non aſſuefit aliquis ludo; neque per actum ludendi aſſuefit venationi: ita neque per primum poteſt acquirere habitum inclinantem ad ſecundum; neque per ſecundum inclinantem ad primum: & tamen uterque actus æqualiter poteſt eſſe cauſa ſacrum omittendi. Neque etiam dici poteſt ſecundum. Tùm quia tot eſſent habitus inclinantes ad omittendum ſacrum, quot eſſent occaſiones omittendi ſpecie diverſæ, quæ poſſunt eſſe innumeræ. Tum etiam quia per accidens eſt cuilibet ex prædictis actibus conjungi cum omiſſione: ergo nequit, quantùvis iteretur, inclinare per ſe ad omittẽdũ: ſicut deberet inclinare habitus, de quo loquimur.

Verior pars. Medina. Zumel. Greg. Mart.

Sed licèt hæc pars ſit probabilis, oppoſita videtur nobis probabilior: quam tuetur Medina in præſenti, ſequiturque abſolutè Zumel concluſ. 6. & Greg. Mart. dub. 2. cum aliis ex Thomiſtis. Et ratio eſt: quia actus, qui eſt occaſio omittendi, quamvis ſecundum ſe conſideratus, per accidens conjungatur cum omiſſione; ut tamen hic & nunc concurrit cum præcepto non omittendi, factaque hac ſuppoſitione, per ſe eſt jam reſpectu illius talis conjunctio, influxuſque in ipſam omiſſionem: quia jam eſt virtualis volitio omittendi, continetque omiſſionem & ejus malitiã: ergo repetitus talis actus generabit ratione prædictæ continentiæ habitum inclinantem ad omittendum. Idem enim præſtare debet quantum ad effectum, de quo loquimur, volitio omittendi virtualis, quod præſtaret, ſi adeſſet, volitio formalis, quam nemo ambigit genituram prædictum habitum.

Alia difficultas.

10. Supereſt tamen declarandum, quis ſit terminus, ad quem primario inclinat iſte, quem dicimus *habitum omittendi*, ſive acquiratur per volitiones omittendi formales, ſive per alios actus, qui ſunt dumtaxat volitiones virtuales ſeu occaſiones: Et in primis non eſt dicendum, quòd talis terminus ſit ipſa omiſſio: quia habitus poſitivus debet primo per exercitium poſitivum influere; omiſſio autem non eſt capax terminãdi directè & per ſe primo talem influxum, ſed ſemper fit ex conſequenti & ſecundario: ſicut fiunt communiter privationes. Neque etiam poteſt prædictus habitus inclinare aut influere per ſe primo in actus ſimiles quoad entitatem & ſubſtantiam iis, per quos genitus fuit, quando iſti non fuerunt volitiones formales omittendi ſed actus v.g ludendi, venandi, & ſimiles. Tum quia ſequeretur inconveniens nuper tactum, videlicet multiplicandos & diſtinguendos eſſe habitus omittendi, ſicut multiplicantur & diſtinguntur occaſiones: ita ut qui acquireretur per actus ludendi, inclinaret non niſi ad omittendum propter ludum, qui verò per actus venandi, non niſi ad omittendum propter venationem. Tum etiam quia prædicti actus non habent generare illum habitum ſecundum ſe, aut quatenus ſunt talis vel talis ſpeciei, putà ludi, aut venationis; ſed quatenus ſunt virtualiter volitiones omittendi, in quo omnes conveniunt: quòd verò aliàs ſint actus venandi aut ludendi omnino eſt per accidens & de materiali: habitus autem non inclinat per ſe ad id, quod eſt de materiali & per accidens in ſua cauſa; ſed ad id, quod eſt per ſe & de formali. Tum denique quia cum actus, de quibus loquimur, non ſint cauſa habitus, niſi in quantum ſunt virtuales volitiones omittendi, atque adeo in quantum virtualiter continent volitionem omittendi formalem, non alium habitum generare habent niſi quem generaret prædicta formalis volitio: hæc autem non generaret habitum inclinantem per ſe ad ludum vel venationem ſecundum ſuas proprias ſpecies, quo pacto per accidens junguntur cum omiſſione; ſed ad aliquid per ſe connexum cum illa, ſicut ipſa volitio per ſe illi connectitur: ergo idem debemus dicere de prædictis actibus.

11. Quare dicendum eſt habitum omittendi *Reſ. ſimiliter.* ſacrum v.g per quoſcunque actus generetur, inclinare per ſe primo ad hoc, quod eſt velle formaliter omittere ſacrum; ſecundariò verò extendi ad quoſcunque alios actus, qui per accidens ſint cauſa omittendi illud: non ſecundum ſe prout ſunt ludus, aut venatio, &c. qua ratione differunt; ſed in quantum ex incompoſſibilitate cum actu debito, & ex ſuppoſitione præcepti, habent vim inferendi omiſſionem; continentque volitionem ejus virtualem, ſeu interpretativam. Vel poteſt dici, prædictum habitum inclinare per ſe actum, qui ſit cauſa omittendi, in quantum cauſam, abſtrahendo ab hoc quòd talis actus ſit volitio formalis, vel virtualis, aut ſit cauſa per accidens, vel per ſe: quæcunque verò differentia hujus, vel illius determinati actus de materiali ſe habet ad prædictam rationem terminativam: atque adeo nequit talis differentia habitum diſtinguere. Et hoc poſterius magis nobis arridet: quia ſic melius ſaluatur, quod intendimus, nempe habitum omittendi poſſe generari per quoſcunq; actus ex his, qui ad omiſſionem concurrunt; eſſeque ejuſdem ſpeciei, per quoſcunque generetur: ſicut terminus ille, in quẽ primariò inclinat, abſtrahit à quibuſcunque.

Per quod ſatis patet ad primum quod in contrarium dicebatur. Et etiam ad ultimum: nam licet actui ludendi, verbi gratia, ſecundum ſe per accidens ſit jungi cum omiſſione peccaminoſâ ſacri, & influere in illam; attamen ex ſuppoſitione quod talis actus concurrat cum præcepto non omittendi, & ſit incompoſſibilis cum actu debito; non jam per accidens ſed per ſe convenit ei prædictus influxus: unde nihil poteſt obeſſe quominus ſecundũ hanc rationem generet habitum inclinantẽ per ſe ad id, quod diximus.

Vltima obiectio. D Thom. Matth 7.

12. Denique obiicies, quòd peccato omiſſionis correſpondet in inferno non ſolùm pœna damni, ſed etiam pœna ſenſus: at docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 79. articulo 4. ex illo Matth. 7.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: ut pœna ſenſus non debetur niſi propter actum: debetur enim (ut docet ipſe Angelicus Doctor ibidem, & in hac 1. 2. quæſt. 87. art. 4 necnon de malit. quæſt. 5. art. 4. ad 4. propter inordinatam delectationem, & converſionem ad bonum commutabile, juxta Apocalypſ. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum*: ergo de ratione peccati omiſſionis debet eſſe aliquis actus.

Apoc. 18.

Solvitur.

Reſpondetur, ex hac objectione ſolùm probari, ad omne peccatum omiſſionis requiri aliquē actum, qui ſit cauſa, vel occaſio omittendi: nam propter talem actum, qui ſimiliter eſt peccaminoſus, etiam omiſſio punietur pœna ſenſus; quamvis in illa, aut in per ſe ad eam pertinentibus non includatur aliqua converſio formalis. Quæ ſolutio inſinuatur à D. Thoma loco cit. ex 2. 2. ubi cùm dixiſſet, etiam peccato omiſſionis deberi pœnam ſenſus, ſubdit rationem dicens: *Et hoc propter radicem, ex qua procedit; licet non habeat de neceſſitate actualem converſionē ad aliquod bonum commutabile.* Radix autem, ex qua procedit omiſſio, eſt actus, qui eſt cauſa omittendi, per quem omittens convertitur ad aliquod objectū creatum, ob cujus amorem actum debitum prætermittit. Nomine verò *actualis converſionis*, quam D. Th. dicit non ſemper de neceſſitate haberi, intelligit actum, qui per ſe ad omiſſionem pertineat, uti eſt expreſſa volitio omittendi; vel ſaltem actum omiſſionem concomitantem, non autem excludit neceſſitatem cujuſlibet actus etiam antecedentis, actum debitum impedientis.

D. Thom.

Replica.

Sed urgebis, quòd non ſolùm actui, qui eſt cauſa omittendi, ſed etiam omiſſioni propter ſe ipſam debetur pœna ſenſus. Tū quia ipſa omiſſio ſecundū ſe eſt voluntaria propria peccatoris voluntate: quod autē ſic eſt voluntarium propter ſe, punitur pœna ſeſus: ideo enim originale peccatum punitur pœna ſolius damni, quia non fuit commiſſum volūtate propria; ſed voluntate capitis: ut docet D. Thom. de mal. q. 5. art. 2. ad 2. Tum etiam quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile daretur omiſſio mortaliter peccaminoſa abſque omni actu, & peccator cum illa etiam abſque alio peccato decederet, puniretur in inferno damnatorum, ubi nemo punitur pœna ſolius damni: ergo in ipſa omiſſione, & non in ſolo actu, qui eſt cauſa omittendi, debet inveniri ratio & condignitas talis pœnæ ſenſus, atque adeo actualis converſio ad bonum commutabile.

Diluitur.

11. Ad hanc replicam dici poſſet primò, quòd & ſi pœna ſenſus debeatur etiam omiſſioni, & non ſolùm actui; non tamen omiſſioni debetur ratione ſui, ſed ratione actus: unde nō in illa, ſed in actu reperiri debet ratio hujus pœnæ, quæ eſt converſio ad bonum commutabile. Quemadmodum in peccato commiſſionis punitur tam actus exterior, quàm interior: quia verò exterior non punitur, niſi propter interiorē; idcirco ratio culpæ, & malitiæ, ad quam conſequitur pœna, non in utroque actu, ſed in ſolo interiori intrinſecè invenitur. Et hoc voluiſſe videtur D. Th. loco cit. ex 2. 2. dum dixit, quòd etiam omiſſioni debetur pœna ſenſus, non propter aliquam actualem converſionem, quæ in illa ſit; ſed propter converſionem actus, qui fuit cauſa, & radix omiſſionis. Unde juxta hunc dicendi modum, ut aliquod peccatum puniatur ratione ſui pœna ſenſus, non eſt ſatis, quòd ratione ſui ſit utcunque voluntarium, etiam voluntate propria; ſed debet eſſe voluntarium per modum converſionis ad bonum commutabile. Imo originale peccatum non ea potiſſimum ratione caret pœna ſenſus, quia non ſit voluntarium voluntate propria; ſed magis quia non eſt in illo prædicta converſio: ut docuit expreſſe D. Th. cit. art. 2. ex q. 5. de malit. in corp. ubi ſic ait: *Pœna proportionatur culpæ: & ideo peccato actuali mortali, in quo invenitur averſio ab incommutabili bono, & converſio ad bonum commutabile, debetur, & pœna damni, ſcilicet carentia viſionis divinæ reſpondens averſioni, & pœna ſenſus reſpondens converſioni; ſed in peccato originali non eſt converſio, ſed ſola averſio, vel aliquid averſioni reſpondens: & ideo peccato originali non debetur pœna ſenſus; ſed ſolùm pœna damni*, &c.

D. Thom.

Secundò dici poteſt, quòd etiam omiſſioni ſecundum ſe, & non ſolùm actui, qui fuit cauſa omittendi, correſpondet propria pœna ſenſus, non quia in omiſſione ſecundum ſe ſumpta, ſit aliqua converſio formalis; ſed propter converſionem interpretativam ad bonum commutabile, quæ eſt ſufficiens ratio proxima hujus pœnæ: quæque in omni voluntaria omiſſione, hoc ipſo quòd voluntaria ſit voluntate propria, debet includi. Neque hoc videtur repugnare D. Thomæ locis citatis. Tum quia nomine *converſionis*, cui pœnam ſenſus dicit correſpondere, poteſt intelligi, vel converſio formalis, vel interpretativa. Tum etiam quia eo ipſo quòd omiſſio non poſſit eſſe volūtaria, niſi præcedat aliquis actus, qui ſit cauſa, & radix omittendi, ſaluatur quòd pœna ſenſus debetur omiſſioni propter actum, tanquā propter radicem, ut ſonant verba D. Thomæ; quamvis proxima, & immediata ratio, ſeu cōdignitas hujus pœnæ intrinſecè ſit in ipſa omiſſione. Ex quo ad ſecundā antecedētis probationē juxta primam ſolutionem reſpondetur, quòd admiſſa per poſſibile, vel impoſſibile omiſſione volūtaria ſine actu, nulla correſpōderet illi pœna ſenſus, ſed ſolùm pœna dāni: ſicut in ea nulla eſſet realis converſio; ſed tantum averſio: quod ſatis convincit impoſſibilitatem prædictæ puræ omiſſionis; cùm aliunde urgeat ratio ad convincendum, talem omiſſionem debere puniri in inferno damnatorum, ubi nemo expers eſt pœnæ ſenſus. Iuxta ſecundam verò dicendum eſt, adhuc tunc deberi omiſſioni prædictam pœnam propter converſionē interpretativam, quàm omiſſio voluntaria in nulla ſententia poteſt excludere.

DUBIUM II.

Utrum peccatum omiſſionis neceſſariò requirat actum, qui ſit cauſa, vel occaſio omittendi?

Excluſa à peccato omiſſionis indigētia actus, qui vel ſit de eſſentia, vel per ſe ad illud pertineat, ſuccedit dubium difficilius circa actum, qui ſit cauſa, vel occaſio omittendi. Cujus neceſſitatem tametſi in tr. de voluntar. diſp. 4. dub. 1. ſufficienter probaverimus, placet iterum ad examē vocare. Tum ne præſens diſputatio, ubi propriam ſedem habet illa difficultas, ejus notitia omnino deſtituta remaneat. Tum etiam ut peculiarem doctrinam, quam tradidimus loco cit. à n. 36. quamque ab aliquibus impugnari, ab aliquibus ægrè recipi animadvertimus, ab objectionibus

nibus in illam meditatis,& à ſiniſtra intelligentia tueamur. Curabimus verò dum actum agimus breuitati conſulere: & ideo paucis ex prædicto loco mutuatis, illa dumtaxat adiiciemus, quæ ab aliquibus deſiderari cognouimus.

§. I.

Veritas Thomiſtica ſtabilitur.

14. **D**Icendum eſt non poſſe dari peccatum omiſſionis ſine actu præcedente aut cõiuncto, qui ſit cauſa vel occaſio omittendi. Et intelligitur concluſio attenta qualibet potentia ſeu lege, etiam metaphyſica:non negemus poſſe dari de lege abſoluta ſuſpenſionem voluntatis ab omni actu, quæ dici poteſt *pura omiſſio*: ſed admiſſa prædicta ſuſpenſione,aſſerimus eam aut aliam quamcumque ex actu voluntario non cauſatam, neque voluntariam fore, neque formaliter peccaminoſam.Ita docuerũt ex antiquis Magiſter in 2.diſt.25. Albertus eadem diſt.art.3. Bonauent.dub.1.circa literam,Alenſ.2.p.quæſt. 114.memb.10.Enriq.quodlib.12. quæſt.24.Abulenſ.ſuper 25. caput Matth. quæſt. 667. & 658. Idem tuentur grauiores D.Thomæ diſcipuli,Capreol.& Hiſpalenſ diſt cit.Caiet & Bannez 1.p. quæſt.63. art.5. Victoria relect.de puero perueniente ad vſum rationis p.2. n.3. Conrad.ſuper hunc art.vbi Zumel diſp.1.concl.5. Aluar. diſp. 124.Greg.Mart.dub.2. Sapientiſſimus,& Reuerendiſſimus P M.F. Ioannes à S.Thoma Tenent etiam Vaſq.diſp 92.cap.2.Lorca diſp.5. Putean. dubitat.1.& plures alij.Probatur ex D.Thom.in hoc art.vbi relatis duabus opinionibus,quæ circa præſentem difficultatem ſuo tempore circunferebantur: alia negante poſſe dari peccatum omiſſionis ſine actu; alia id aſſerente, fert de vtraque iudicium his verbis:*Vtraque autem opinio ſecundum aliquid veritatem habet: ſi enim intelligatur in peccato omiſſionis illud ſolum, quod per ſe pertinet ad rationem peccati, ſic quandoque eſt abſque omni actu.Si vero intelligantur cauſæ vel occaſiones omittendi,ſic neceſſe eſt in peccato omiſſionis aliquem actum eſſe*, &c.Ecce D.Thom. eligit & approbat opinionem requirentẽ actum ad peccatum omiſſionis,ſi hæc exigentia intelligantur ſolum per modum cauſæ,vel occaſionis omittẽdi, quamvis reiiciat illam ſi intelligatur de exigentia actus, qui ſit per ſe, ſeu tanquam de eſſentia,iuxta dicta dub. præced.Econtra verò extremam opinionem negantem neceſſitatem prædicti actus,ſolùm approbat quoad actum,qui ſit per ſe & tanquam de eſſentia;quoad actum verò per modum cauſæ vel occaſionis omittendi reiicit & impugnat.Eodem modo diſtinguit inter prædictas opiniones q.2. de mal. art.1.dicens: *Poteſt eſſe aliquod peccatum,ad quod non requiritur aliquis actus de eſſentia peccati: & in hoc veritatem habet ſecunda opinio. Si autem conſideretur id quod requiritur ad peccatum, vt cauſa peccati;ſic oportet quòd ad quodlibet peccatum etiam omiſſionis aliquis actus requiratur.* Et inferius: *Ad hoc ergo quòd omiſſio ſit peccatum, requiritur quòd cauſetur ex aliquo actu voluntario* &c.Et tandem concludit: *Sic ergo quantum adhoc prima opinio vera eſt,quod ad omiſſionem requiritur actus voluntarius vt cauſa.* Quæ teſtimonia adeo perſpicua ſemper nobis viſa ſunt. vt nihil ambiguitatis circa mentem Ang. Doctoris relinquant.

Magiſt. Albert. Bonauent. Alenſ. Enriq. Abulenſ. Capreol. Hiſpal. Caiet. Bonav. Victor. Conrad. Zumel. Aluar. Greg. Mart. Vaſq Lorca. Putean. D.Thom.

Euaſionem verò, quam aduerſarij tradunt, videlicet quòd D.Thom.loquutus ſit de eo,quod regulariter & ſecundum communem legem contingit; non verò de eo quod fieri poſſet, metaphyſicè loquendo,& de potentia abſoluta,ſufficienter impugnauimus loco cit.de voluntar. à num.3. oſtendentes, rem hanc non morali modo, aut attentis dumtaxat iis, quæ regulariter contingunt; ſed valde metaphyſicè, petitiſque rationibus ex ipſis eſſentiis & naturis rerum ab Angelico Doctore tractari, & diſcuti: adeoque ſiniſtrè exponi eius doctrinam aliter quàm in ſenſu,& rigore metaphyſico.Eò præſertim quia D.Thom. in tota hac litera non ſolùm intendit recedere à prima opinione ex ea parte, qua requirebat actum, tanquam de eſſentia peccati omiſſionis;ſed etiam à ſecunda ex ea parte, qua negat requiri ſemper actum per modum cauſæ: & ideo ſoluit eius argumẽta, quatenus hoc ſuadere nitebantur: conſtat hanc ſecundam opinionem non potuiſſe negare talem actum, attento eo,quòd moraliter, & ſecundum communem legem contingit: ſiquidem hoc erat contra euidentem experientiam: ſed ſolùm potuit negare eſſe ita neceſſarium, vt in aliquo caſu metaphyſico omiſſio peccaminoſa non poſſet ſine illo inveniri: cum ergo D.Thom. deſerat quoad prædictam opinionem, planum eſt ſenſiſſe in nullo euentu poſſe dari peccatum omiſſionis ſine actu,qui ſit eius cauſa:alias nihil remanet, in quo ſententia S. Doctoris à ſecunda opinione declinet neque in quo conueniat cum prima quatenus ei contraria.

15. Deinde probatur ratione,quam diſp.cit. primo loco expendimus. aliquibus prænotatis: Primum eſt,quòd vt omiſſio aliqua ſit peccatum debet eſſe voluntaria in actu ſecundo:atque adeo debet oriri & egredi à voluntate, in quantũ habet eſſe principium voluntarium per modum exercitij ipſius:quoniam neque peccatum poteſt intelligi ſine voluntario, vt omnes fatentur,neque voluntarium ſine egreſſu à prædicto principio: vel vt habet diffinitio, ſiue eo quòd ſit *à principio intrinſeco influente ex obiectis cognitione.* Per quæ verba denotatur,ad rationem voluntarij non ſufficere quòd ſit in voluntate; & ideo plura reperiuntur in illa, quæ voluntaria non ſunt;ſed vltra hoc requiri quòd ſit aliquid ortũ & egreſſum ab ipſa voluntate, adeoque terminans aliqualiter ipſius voluntatis cauſalitatem & influxum.Quare niſi de omiſſione hoc verificetur,nequaquam cenſebitur voluntaria.Et ideo ad præſens idem eſt inquirere vtrum requiratur actus,vt omiſſio ſit peccaminoſa? atque inquirere, vtrum ſit neceſſarius ad hoc vt oriatur ex voluntate tanquam ipſius exercitium; eiuſque aliqualem influxum terminet?

Doctrina prò eſſormanda ratione.

Deinde nota,quòd licet voluntas non tantum ſe exerceat per actum poſitiuum, qui eſt exercitium directum, ſed etiam per omiſſionem, quæ eſt exercitium indirectum;vtrumque tamen debet fieri dependẽter ab obiecto ſpecificatiuo ipſius voluntatis: atque adeo ex motione,cauſalitate,& influxu talis obiecti. Hoc etiam videtur per ſe notum:nam cùm voluntas in ſuo exercitio egredi non valeat limites ſui obiecti ſpecificatiui, neque mouere, aut influere quovis modo, niſi mota;& excita ab ipſo obiecto,manifeſtè repugnat intelligi in ea aliquod genus exercitij, ſiue directi,ſiue indirecti,poſitiui,vel privatiui; niſi prædictum obiectum ſua motione, & allicientia in id concurrat;præſtetq;in genere cauſæ

ſæ obiectiuæ, quicquid illa præbet, in genere efficientis. Vnde eo ipſo quod ab aliquo ſiue actu ſiue omiſſione excludatur ordo ad prædictum obiectum adeoque dependentia & accuſatio ab illo tollitur per locum ab intrinſeco dependentia & emanatio à voluntate, & conſequenter tota ratio voluntarij, quæ in tali emanatione & dependentia conſiſtit. ¶ Adde quòd ſi voluntas ad omiſſionem concurreret abſque motione & concurſu ſui obiecti ſpecificatiui, eo ipſo non concurreret vt principium voluntarium: de cuius ratione prout diſtincti à principio naturali eſt, vt ſit mobile intentionaliter, neque aliter moueat aut exerceatur, quàm excitatum per obiecti apprehenſionem. Vel ergo voluntas non concurret ad omiſſionem, tanquam principium voluntarium, proindeque nec voluntariam eam reddet; vel debet prædictus concurſus oriri ex motione prædicti obiecti.

16. Tertiò obſerua, obiectum formale adæquatum & ſpecificatiuum volũtatis præciſè eſſe bonum, quod habet rationem finis: vt latè oſtẽdimus in tract. de vlt. fine, diſp. 1. dub. 2. Vnde in quolibet voluntatis exercitio, etiam cum per tale exercitium verſatur circa malum, ipſum fugiendo & reſpuendo debet intervenire motio, & cauſalitas prædicti boni, debetque huiuſmodi exercitium à prædicta motione inchoari: aliàs per illud diuagaretur voluntas extra totum ſuum ſpecificatiuum, & tanquam ab eo independens, quod eſt impoſſibile. Hac ratione probauit D. Thom. ſupra quæſt. 25. art. 2. paſſiones verſantes circa malum: quia appetitus in fugam mali non tendit, niſi in virtute proſequutionis boni. *Quia enim bonum quæritur* (ait S. Doctor) *ideo refutatur oppoſitum malum.* Et eadem ratione qu. 29 ar. 2. probat, odium cuiuſlibet mali cauſari ex more alicuius boni, & eſſe illo poſterius. *Neceſſe eſt* (inquit) *quòd amor ſit prior odio: & quòd nihil odio habeatur niſi hoc, quod contrariatur conuenienti, quod amatur, & ſecundum hoc omne odium ex amore cauſatur.* Eadem autem debet eſſe ratio de quolibet voluntatis exercitio habente rationem fugæ, & receſſus, ſiue ſit actus, ſiue omiſſio: ſemper enim fuga, & receſſus à malo fit in virtute proſequutionis oppoſiti boni. ¶ Denique obſerua, quòd cùm voluntas actum debitum omittit, non ſe habet circa illum tanquam circa bonum & conueniens; ſed tanquam circa malum & diſconveniens ſecundum apprehenſionem omittentis: quia omiſſio eſt quædam fuga, & receſſus ab eo, quòd omittitur & deſeritur: fuga autem ſemper eſt à malo & diſconueniente: nam bonum vt tale apprehenſum non poteſt abiicere, vel retrahere appetitum; ſed potius illum trahit, & ad ſe conuertit.

Formatur ratio. 17. Ex his formatur ratio ferè (vt credimus) demonſtratiua pro noſtra aſſertione in hunc modum. Vt aliqua omiſſio ſit voluntaria, & peccaminoſa, debet procedere & oriri à voluntate tãquam eius exercitiũ ſaltem priuatiuum & indirectũ: ſed à voluntate nequit vllo modo oriri ſine actu, qui ſit eius occaſio vel cauſa: ergo vt ſit peccaminoſa, requiritur indiſpẽſabiliter talis actus. Maior videtur certa ex primo notabili. Minor vero probatur ex ſequentibus: ex quibus cõſtat, nihil poſſe oriri à volũtate quouis genere exercitij ſine motione & influxu ſui obiecti ſpecificatiui in tale exercitium, quod quidem obiectum eſt bonum & finis: ſed hæc motio & influxus nõ fit niſi medio actu, qui ſit amor & proſequutio ipſius boni: ergo, &c. Probatur minor huius ſecundi ſyllogiſmi. Tum quia bonum & finis non mouet voluntatem, niſi trahendo illam ad ſe: in hoc enim conſiſtit propria cauſalitas boni; vt appetitum ad ſe trahat & conuertat: voluntas autem nõ trahitur niſi per actum: nam per omiſſionem potius retrahitur ab eo, quod omittit: & ideo eſt implicatio in terminis, vt id, quod mouet ſub ratione boni, moueat ad ſui omiſsionẽ, & non ad ſui proſequutionem. Tum etiam quia ut intelligamus, voluntatem moueri à fine, & ex hac motione exercere ſe circa alia quæ non ſunt finis, ſiue proſequendo, ſiue fugiendo aut omittendo, prius debemus eam intelligere vt ſe exercentem erga ipſum finem, recipientem eius influxum medio aliquo effectu, qui ſit ratio cuiuſlibet alterius exercitij ſitque prima cauſalitas finis, media qua finalizet omne, quod ab ipſa voluntate, ſiue directè, ſiue indirectè exercetur: ſed talis affectus circa finem non poteſt eſſe omiſſio: hæc enim ſicut & quælibet fuga non eſt reſpectu boni finalizantis; ſed reſpectu eius, quod impedit talem finem, ob idque apprehenditur ſub ratione mali: ergo debet eſſe proſequutio & actus; ac proinde huiuſmodi actus erit indiſpenſabilis, ut voluntas quovis modo, ſive per actum, ſive per omiſſionem ſe exerceat. ¶ Ad hæc: quod influit in voluntatem ut bonum & finis; influit trahendo illam & convertendo ad ſe, non à ſe abiiciendo: eſt enim de ratione boni, ut dicebamus, appetitum allicere & attrahere; contra eius verò rationem appetitum repellere: ſed voluntas non trahitur aut convertitur niſi per amorem, quo unitur bono, in quod trahitur; per omiſſionem verò removetur & retrahitur ab eo, quod omittit, ut eſt per ſe notum: ergo ubi eſſet ſola omiſſio abſque ullo actu, qui ſit amor & proſequutio talis boni, nullatenus poſſet voluntas ex eius influxu, & motione exerceri, ac proinde neque aliquid quovis modo voluntarium efficere.

§. II.

Evaſiones diverſæ præcluduntur.

18. Dices primò argumentum habere locum in actibus, qui cum fiant per verum influxum voluntatis, requirunt motionem obiecti ſpecificativi: ſecùs in omiſſione, quæ non dicitur *voluntaria*, quaſi terminet aliquem influxum; ſed quia voluntas poteſt & tenetur illam prohibere, ponendo actum, quem, omittit: neque eſt à voluntate tanquam ab agente; ſed potius tanquam à non agente. *Prima euaſio.*

Præcluditur. Sed contra: nam qualitercunque omiſſio dicatur voluntaria, ut ſit talis in actu ſecundo & in exercitio, debet oriri à voluntate, in quantum iſta habet eſſe principium voluntarium: aliàs nullo pacto conveniet illi diffinitio voluntarij, ſcilicet *eſſe ab intrinſeco*, &c. qua denotatur, *voluntarium* ſupra *volitum* addere emanationem & originem à prædicto principio; ſed à principio voluntario ut talis non poteſt aliquid oriri niſi ex motione obiecti: in hoc quippe ſita eſt eſſentia principij voluntarij, prout à principio mere naturali diſtinguitur, ut non ſe exerceat, neque aliquid ab eo emanet niſi ex apprehenſione obiecti, media qua ab ipſo obiecto moveatur: igitur excluſa hac motione, nequit intelligi ratio voluntarij, ſive per modum actus, ſive per modum omiſſionis: cum in utroque includi debeat origo à

à principio voluntario, & aliquod ejus exercitium. Ex quo patet, noſtram rationem & ejus efficaciam non dependere,ex eo quòd voluntarium, de quo militat, ſit actus vel omiſſio; ſit propriè vel non propriè factum; ſed ex eo tantùm quòd ſit exercitium principij voluntarij,& emanatio ab ipſo:quod totum poſtulatur eſſentialiter ex voluntarij diffinitione per illa verba *ab intrinſeco*,&c. Vnde ſicut nihil, ſiue ſit actus ſiue omiſſio, cui prædicta definitio propriè & cum veritate non competat, dicendum eſt verè & cum proprietate *voluntarium*; ita nihil eſt verè dicendum tale quod emanationem & egreſſum à prædicto principio non claudat; adeóque dependentiam & motionem ab obiecto eiuſdem principij.

19. Nec refert quod tangitur in hac euaſione, videlicet omiſſionem non eſſe à voluntate ſicut ab agente, ſed ſicut à non agente. Quoniam ratio à nobis expenſa non præcipuè vim facit in eo quòd voluntas debeat concurrere ad quodcunque voluntarium vt principium actiuum & vitale (quæ eſt alia ratio pro noſtra aſſertione,eaque efficaciſſima,ſolúmque brevitatis gratia omittimus maiorem eius expenſionē) ſed in eo quòd in omni concurſu exercitij voluntarij debet concurrere motio obiecti ſpecificativi, & in hac motione amor & proſequutio talis obiecti: quam ſanè (rationem) ex terminis conſtat eſſe vniuerſalem pro omni voluntario, ſiue ſit actus, ſiue remiſſio. Deinde prædicta loquutio, videlicet omiſſionem non eſſe à voluntate vt ab agente, ſed vt à non agente, poteſt dupliciter intelligi. Vel ita quòd omiſſio non referatur ad voluntatem vt actiuam, neque mediatè neque immediatè: & hoc manifeſtè eſt falſum. Tum quia principium voluntarium, in quantum tale,eſſentialiter & adæquatè eſt vitale & actiuum,ſicut eſſentialiter & adæquatè eſt appetitiuum: vnde eo ipſo quòd omiſſio non referretur ad voluntatem vt actiuam,non reſpiceret eam tanquam principium voluntarium: neque proinde voluntaria euaderet ex vi talis principij. Tum etiam quia cum in diffinitione voluntarij dicitur, quòd ſit *ab intrinſeco*,&c. ly *ab* denotat ordinem ad cauſam efficientem, vt diximus in ipſo tract.de volunt.diſp.1.num.5.ex quo deduximus, quòd ſi in voluntate poneretur aliquis actus, quem ipſa non efficeret,non eſſet voluntarius, defectu prædictæ conditionis: ergo vt omiſſio ſit voluntaria, & conveniat ei illa particula, debet referri ad voluntatem tanquam ad principium activum. Vel poteſt ita intelligi, vt actiuitas & influxus voluntatis non ſit directè & primario in omiſſionem: & hoc eſt veriſſimum,quia cum omiſſio ſit *non eſſe*,non eſt capax terminandi directè & immediatè veram efficientiam: ſed dicitur fieri indirectè, in quantum actus, ex quo occaſionatur, & medio quo emanat à voluntate, & reducitur in illam, directè & immediatè fit. Et juxta hæc intelligendus eſt D.Thom.ſi quando ait,voluntarium indirectum,ſiue omiſſionem non eſſe à voluntate ſicut *ab agente*,ſed ſicut *à non agente*:quoniam licèt voluntas prius debeat agere, quàm voluntariè omittat;ipſum tamen *omittere* non eſt formaliter *agere*,ſed eſt quoddam *non agere* occaſionatum emanatum ex priori actione, media qua reducitur ad voluntatem vt ad principium ipſius actionis,adeóque vt activam.

Roboratur aſſertio.

Per quod ratio & aſſertio noſtra magis roboratur: nam ſi voluntas non eſt principium voluntariæ omiſſionis, niſi vt vitalis & actiua, & hæc actiuitas non poteſt eſſe directè in ipſam omiſſionem; neceſſariò debet eſſe in aliquem actum,ratione cuius ſit cauſa non agendi actum debitum, & ipſum *non agere talem actum* ſit ab illa vt ab agente oppoſitum. Quòd ſi actum omnino ſecludas; ſicut nulla relinquitur via reducendi omiſſionem ad voluntatem in quantum actiuam,ita non eſt quo pacto ſit ab ea vt à principio voluntario.

Secunda euaſio.

20. Dices ſecundò,in voluntate diſtinguendas eſſe duas rationes inadæquatas: aliam, ſecundum quam eſt vitalis & actiua; aliam verò, ſecundum quam ſolùm eſt omiſſiua actus & exercitij vitalis:ex quibus illa prior dependet à motione boni & finis, neque aliter poteſt in exercitium prorumpere: quia agens vt agens non cauſat, niſi finis moueat: poſterior verò non dependet à prædicta motione: quia non eſt ad agendum; ſed ad nòn agendum: ad quod nulla exigitur motio.

Impugnatur.

Sed hoc etiam effugium facile refutatur.Tum quia ex modò dictis conſtat voluntatem,ſecundum eam rationem,ſecundum quam eſt principium voluntariæ omiſſionis,eſſe vitalem & actiuam,& vt talem terminare reſpectum cuiuſlibet voluntarij exercitij: vnde quæcunque ratio aſſignetur in ea non actiua & vitalis, excluditur eo ipſo à linea principij voluntarij. Tum etiam quia ſine fundamento diſtinguitur in voluntate illa duplex ratio inadæquata: alia vitalis;& alia non vitalis. Cum enim tota voluntas ſit vna ſimplex & indiuiſibilis potentia, adæquatè ſpecificata ab vnico obiecto,ſub vna ſimplici & indiuiſibili ratione formali,oportet,vt vel ſecundum ſe totam, vel ſecundum nihil ſui ſit vitalis & actiua,adeóque dependens in omni ſuo exercitio ab influxu & motione obiecti & finis. Et licèt ſit etiam omiſſiua; tamen quia hoc ipſum debet ab ea exerceri actiuè & vitaliter, vt nuper probauimus; conſequenter debet ibi interuenire aliquis actus, per quem, etiam dum omittit,viuat & ſe moueat ex prædicta finis motione: & per quem dum directè fertur ad aliquod bonum delectabile incompoſſibile cum adimpletione præcepti, ſecundario & indirectè cauſet & exerceat omiſſionem talis adimpletionis.

Impugnatur rurſus.

21. Deinde impugnatur euaſio: nam vel illa ratio ſeu facultas non vitalis, ſecundum quam voluntas dicitur *omiſſiua*, habet idem ſpecificatiuum, quòd habet alia ratio actiua & vitalis; vel habet ſpecificatiuum diuerſum; aut caret omni ſpecificatiuo? ſi primum, eo ipſo (quicquid ſit de vitalitate & actiuitate) conuincit noſtra ratio non poſſe prædictam facultatem exerceri & omitti ſine motione & influxu talis ſpecificatiui, atque adeo ſine actu, per quem fiat talis motio. Secundum autem dici non poteſt: nam ſi rationes illæ haberent diuerſa ſpecificatiua, eſſent diuerſæ potentiæ: diſtinguuntur enim potentiæ ſecundùm diſtinctionem illorum, à quibus ſpecificantur: vnaque illarum, ſcilicet omiſſiua, non eſſet voluntas, & conſequenter non eſſet principium alicujus voluntarij: quia de ratione voluntatis eſt, vt ſit potentia adæquatè ſpecificata à bono. Sicut etiam dici non poteſt, quòd prædicta ratio nullum habeat ſpecificatiuum: nam eo ipſo tolleretur etiam ab ea, quòd ſit principium voluntarij, de cuius

Digitized by Google

cuius principij ratione eſt, vt ſit mobile ab objecto cognito, adeóque ab ſpecificatiuo: ſicut de ratione ipſius voluntarij eſt oriri à tali principio cum cognitione objecti. Præterea: vel duæ illæ rationes, quas diſtinguit prædicta euaſio (quarum vtraque cum ſit facultas libera & cum voluntate identificata, debet eſſe poſitiua) re vera ſunt diſtinctæ, & alia præcisè ad agendum, alia præcisè ad omittendum: vel eſt vna ſimplex facultas, quæ ſimul eſt ad agendum, & ad omittendum? Primum dici non poteſt: quia nulla ratio poſitiua poteſt primario tendere ad *non agere*, proindéque ad omittendum. Secundum autem eſt pro nobis: quia ſimplex illa facultas etiam non poteſt eſſe primario ad non agendum, propter conditionem poſitiuæ: neque diſparatè ad agendum & non agendum, propter ejus indiuiſibilem vnitatem. Debet ergo primario exerceri agendo, & ex conſequenti omittendo: quatenus vt proſequatur bonum, quod amat prætermittit actum debitum cum eo incompoſſibilem: quem, quia illius eſt impeditiuus, reputat malum.

Præcluditur quædā euaſiuncula. Confirmatur: quælibet ratio in voluntate reperta vel conuenit illi ratione prædicati generici, vel ratione differentialis: at ex nullo istorum poteſt ei conuenire ratio, quæ non ſit vitalis & actiua: genus enim voluntatis eſt potentia actiua vitalis vt ſic, in quo proinde quicquid importatur, eſt actiuum vitale: differentia verò cum ſit per ſe contractiua & determinatiua talis generis, etiam debet eſſe de linea vitali & actiua, addens ſupra rationem illam communem & genericam ſpecialem modum agendi & viuendi: ſicut ergo in voluntate nulla poteſt diſtingui ratio, quæ non contineatur ſub gradu potentiæ actiuæ & vitalis, aut quæ non contrahat & determinet huiuſmodi gradum: ita nulla poteſt diſtingui, quæ vitalis & actiua non ſit.

22. Confirmatur ſecundò: omne, quod exprimit rationem liberi, exprimit vitam & actiuitatem: clauditur enim in ratione liberi, quòd ſit cauſa ſui, adeóque quod moueat & determinet ſe ipſum; nihilque aliud eſt de ratione agentis & viuentis: ſed voluntas etiam quoad eam facultatem, ſecundum quam eſt principium voluntariæ omiſſionis, eſt principium liberum, aliàs omittendo non peccaret: ergo etiam quoad prædictam facultatem exprimit actiuitatem & vitam.

Nec refert ſi dicas, quòd licèt prædicta ratio ſpecificatiuè & aliàs ſit actiua & vitalis, non tamen concurrit ad omiſſionem vt vitalis & actiua reduplicatiuè: quia non exercet actiuitatem & vitam in illo concurſu. ¶ Non itaque hoc refert: nam cum libertas non poſſit intelligi ſine vita & actiuitate, per quam eius principium in ſuo exercitio ſe moueat; vel prædicta ratio in eo concurſu non exercebit libertatem, neque proinde omiſſio ex vi illius euadet libera; vel debet in eo exercere vitam & actiuitatem. ¶ Ad hæc: voluntas in liberam omiſſionem influit mouendo ſeu applicando ſe ad illam: non enim compatitur cum libertate actuali, vel quòd voluntas non applicetur ad exercitium liberum; vel quòd applicetur ab alio & non à ſe ipſa: inſuper non influit vt principium ſeparatum; ſed vt coniunctum & vnitum omiſſioni: quid ergo illi deeſt, quominus influat in eam vt actiua & vitalis?

Tertia euaſio. 23. Tertiò occurres, ad voluntarium indirectum, cujuſmodi eſt omiſſio, non requiri emanationem phyſicam à principio intrinſeco, neque influxum phyſicum talis principij, vti requiritur ad voluntarium directum; ſed ſufficere influxum moralem: quatenus eo ipſo quòd voluntas teneatur impedire omiſſionem, & non impediat, ita ſe habet ſecundum prudentis æſtimationem & interpretationem, ac ſi reipſa influeret. Hac enim ratione ſubmerſio nauis dicitur nautæ negligenti voluntaria, non quia phyſicè præbeat in eam aliquem influxum; ſed quia cum teneatur impedire illam, & non impediat, ita ſe habet quantum ad moralem & prudentem æſtimationem, ac ſi revera influeret.

Redarguitur. Sed neque iſta euaſio enervat noſtram rationem. Tum quia potius ex ratione voluntarij indirecti infertur non poſſe dari ſine actu, qui ſit illius cauſa. Propterea enim hujuſmodi voluntarium *indirectum* appellatur, quia quod eſt de ratione voluntarij, ſcilicet *egredi ab intrinſeco*, non conuenit illi per directum influxum voluntatis in ipſum; ſed per influxum indirectum & obliquum, qui prius & directè ſit in aliud voluntarium directum, & ratione illius quaſi per viam obliquam ad indirectum perueniat: debet ergo hoc ſemper illud ſupponere, ac proinde debet ſemper ſupponere actum. Tum etiam quia ſicut omiſſio, de qua agimus, non tantùm ſecundum prudentis æſtimationem vel interpretationem; ſed verè & reipſa, independentérque ab hujus vel illius exiſtimatione habet eſſe peccaminoſa: ita re ipſa & independenter ab aliqua interpretatione debet eſſe voluntaria: debétque proinde habere in ſe phyſicè & realiter, quicquid exigitur ad ſalvandam voluntarij diffinitionem eſſentiam: cum ergo in hac poſtuletur origo & emanatio à principio intrinſeco, ſit huiuſmodi emanationem non tantùm moraliter ſeu ſecundum prudentis exiſtimationem vel interpretationem, ſed phyſicè & re ipſa debere prædictæ omiſſioni competere. Deinde prædicta exiſtimatio, quantumvis prudens & moralis, nó dat omiſſioni voluntarietatem; ſiſtit enim in intellectu & judicio interpretantis: voluntarietas autem vbicumque ſit, non alieni intellectus judicio aut interpretatione, ſed à propria voluntate debet ortum ducere: ergo niſi verè & re ipſa detur hujuſmodi hortus & emanatio à voluntate propria, quicquid ſit de aliena interpretatione, non ſalvabitur vera ratio voluntarij in omiſsione, de qua loquimur.

Effugium. 24. Dices, voluntarium omiſsionis non conſiſtere in ipſa formali interpretatione, quæ eſt in alieno intellectu, ſed in fundamento ad ita interpretandum: quòd ſanè fundamentum adeſt in voluntate propria, quoties adeſt potentia & debitum operandi, & non operatur.

Refellitur. Sed contra: nam vel eſt ſermo de fundamento, quod nobis præbetur, vt prudenter & ſine temeritate judicemus, aliquem voluntariè omittere? & ad hoc fatemur ſufficere illa, quæ dicuntur, ſcilicet *potentia, debitum,* & *non facere*: quia his viſis prudenter judicamus adeſſe in illo omittente actum verum & realem, per quem ab agendo ſe impediat, & illa omiſſio à voluntate oriatur: quòd ſi re ipſa talis actus non detur, prædictum judicium, quamvis prudens & probabile, erit falſum: tantúmque deſervient illa fundamenta, vt à temeritate excuſetur; non verò ut omiſſio voluntarietatem inde accipiat: Vel eſt ſermo de fundamento, quod actu & re ipſa, independentérque

pendentérque ab alienis judiciis omiſſionem voluntariam reddat? Et hoc nequaquam reperitur ſecluſo omni actu: quia cum omiſſionem eſſe realiter voluntariam, nihil ſit aliud, quàm quòd re ipſa emanet & procedat à voluntate, hujuſmodi vero emanatio omnino ſit impoſſibilis ſine motione & amore finis, conſequens eſt, vt hujuſmodi actu ſecluſo, nullatenus poſſit omiſſio re ipſa & coram Deo voluntaria cenſeri.

Adde, ex tribus illis quæ referuntur, ſcilicet *potentia, debitum, & non facere*, duo priora non ſufficere ad rationem fundamenti proximi: quia hujuſmodi fundamentum debet eſſe tale, vt non ſeparetur ab omiſſione, ſed infallibiliter eam inferat: potentia autem & debitum ſeparantur ab illa, reperiuntúrque tam in eo qui omittit, quàm in eo qui non omittit. Tertium verò ſcilicet *non facere*, eſt ipſa omiſſio, cujus inueſtigamus fundamentum, ideóque non debet inter fundamenta numerari, ſed quæri aliquid aliud, quod trahat ſecum ipſum *non facere*, & ſit ratio vt à voluntate procedat, eoque proceſſu voluntarium euadat: & hoc dicetur *fundamentum proximum*. Sed hoc non poterit eſſe aliud, niſi actus, qui ſit cauſa omittendi, vt intuenti conſtabit. Videantur quæ diximus loco citato de Voluntar. a num.17. vbi hanc impugnationem latiùs proſequimur.

Confirmatio impugnationis.

25. Confirmatur: vt voluntas quæ nondum omittit voluntariè, ſic omittat, tranſeatque re ipſa ab ſtatu non omittentis in actu ſecundo, ad ſtatum ſic omittentis, debet in ea intelligi aliqua mutatio realis & intrinſeca, adeóque ratio aliqua per quam fiat immediatè talis mutatio: ſed hæc ratio non eſt potentia, neque debitum, neque etiam *non facere* ſecluſum ab emanatione ab intrinſeco: ergo recurrendum eſt ad prædictam emanationem. Maior conſtat: nam cũ tale *omittere* ſit aliquis effectus verus & realis ſive poſitiuus, ſive priuatiuus, & non ſit alibi quàm in voluntate; nequit non per ejus ſuſceptionem ſeu affectionem mutari ipſa voluntas intrinſecè. Minor autem quoad potentiam & debitum probatur: vtrunque enim & antecedit omiſſionem, & permanet cum illa, & etiam cum adimpletione: ergo ex vi neutrius fit ſufficienter prædicta mutatio. Prætercuàm quòd debitum cum ſit aliquid extrinſecum, nequit eſſe ratio immediata mutationis intrinſecæ. Quod autem neque ipſum *non facere*, ſecluſa emanatione, ſit prædicta ratio, ex eo liquet: quia *non facere* ſic acceptum etiam eſt, antequam voluntas in actu ſecundo omittat, quando nondum adeſt præceptum, neque actus, qui poſtmodum præcipitur. Novum ergo aliquid addẽdum eſt, quo fiat prædicta mutatio: nempè emanatio ipſius *non facere*: ita vt quod antea præciſè erat *non facere* non emanans ab aliquo, neque habens principium, poſtea ſit *non facere* emanans & procedens à voluntate vt à principio intrinſeco: & quod ante præceptum & tempus operãdi defectu emanationis non erat voluntarium; poſt reddatur voluntarium ab ipſa emanatione.

Confirmatio alia.

Confirmatur ſecundò: omiſſio intrinſecè voluntaria, vti eſt illa de qua loquimur, intrinſecè habet malitiam veram & realem, quamvis priuatiuam, per quam conſtituitur in ratione peccati, hæc autem malitia phyſicè & re ipſa oriri debet ex aliquo principio, vt eſt per ſe notum: cumque non ſit aliud, à quo oriri poſſit, niſi voluntas, neque alia via oriri poſſit, niſi quatenus oritur ipſa omiſſio, planè ſequitur, hujuſmodi ortum, & quicquid ad illum deſideratur, indiſpenſabiliter requiri ad peccatum omiſſionis. ¶ Illud autem quod de ſubmerſione navis dicebatur, parùm refert: quoniam talis ſubmerſio non eſt voluntaria intrinſecè, ſed denominatur extrinſecè ab interna omiſſione actus volendi nauem dirigere: vnde ratio ſeu emanatio conſtitutiua voluntarij non in ipſa ſubmerſione externa, ſed in prædicta omiſſione interna quærenda eſt: & ideo ſi etiam ab hac ſecludamus emanationem ab intrinſeco phyſicam & realem, tollitur omnino prædicta ratio, ac proinde nihil erit, quod ſubmerſionem adhuc intrinſecè *voluntariam* denominet: ſecùs autem manente prædicta emanatione in omiſſione interna, quamvis non detur in externa ſubmerſione.

---

§. III.

Contraria ſententia, & ejus præcipuum argumentum.

26. OPpoſitam ſententiam negantem requiri indiſpenſabiliter ad peccatum omiſſionis actũ, qui ſit cauſa & occaſio omittẽdi, tuentur Durandus in 2.diſt.35.qu.2. Ægidius ibidem qu.1.art.1. Richardus art.1.qu.1. Curiel in præſenti dub.1.& ſupra q.6.art.3.dub.1.& alij quos retulimus in tract. de Voluntar. cit. diſp.4. à n.22. vbi etiam præcipua hujus ſententiæ argumenta cùm ex authoritatibus D.Thomæ, tum ex rationibus petita adduximus, & ſoluimus: à quibus propterea nunc abſtinemus. Prætercuàm ab vltimo ibi eneruato, quod vrgere adhuc quibuſdam viſum eſt. Ob hoc igitur, & quia peculiarẽ quandam doctrinam, quam in ſolutione cujuſdam replicæ, licet non ex neceſſitate, ſed magis exercendi ingenij gratia tradidimus, ſcrupulum ingeſſiſſe animaduertimus, adducemus iterum argumentum & ſolutionem ſi fortè prædicta doctrina magis enucleata animum ſedet. Argumentum ergo eſt hujuſmodi: Poteſt quis vrgẽte præcepto dilectionis Dei v.g. & aduertens obligationem, nullum actum elicere, quo vel illud adimpleat, vel adimpletionem impediat: ergo poterit dari omiſſio peccaminoſa ſine actu, qui ſit eius cauſa. Conſequentia videtur nota: nam qui poteſt, & non facit id ad quod ſe teneri cognoſcit, non eſt vnde excuſetur à culpa, ſecundùm illud Iacobi 4. *Scienti facere bonum & non facienti, peccatum eſt illi.* Antecedens verò probatur: quoniam voluntas ſtante cognitione manet quoad exercitium libera reſpectu cuiuſcunque actus atque adeo ſicut poteſt quemlibet, poteſt omnes illos ſuſpendere: poterit ergo etiam ſi præceptum non adimpleat, nullum elicere actum, per quem adimpletionem impediat.

Durand. Ægidius. Richardus. Curiel.

Argumentũ.

Iacobi 4

Confirmatio.

Confirmatur: nam eſto voluntas, quando intellectus non ceſſat ab obiecti propoſitione nõ poſſit manere ſuſpenſa ab omni actu, ſed neceſſitetur ad habendum aliquem vagè & in cõmuni; non eſt tamen cur ſit neceſſitata ad eliciendum actum impeditiuum adimpletionis præcepti, etiam ex ſuppoſitione quòd præceptum non adimpleat; ſed poterit elicere alium compoſſibilem cum adimpletione, & cum tranſgreſſione: vt ſiquis tempore quo tenetur recitare calculum Virgineum, velit deambulare aut ſedere: aut cum

tenetur

Digitized by Google

tenetur credere aliquod myſterium fidei, velit prehendere terminos illius veritatatis: aut ſi inſtante præcepto recitandi vocaliter orationem dominicam: ſolum mentaliter percurrat verba illius orationis: in his enim & ſimilibus, actus quem voluntas exercet, quique ſufficit ad tollendam omnimodam eius ſuſpenſionem, neque eſt incompoſſibilis cum adimpletione præcepti, nec trahit ſecum talem adimpletionem. Poterit ergo voluntas occupata prædicto actu nullum alium elicere, quo vel præceptum adimpleat, uel adimpletionem impediat. Quinimò poterit occupari in volitione inefficaci adimplendi præceptum, quæ neque perueniat ad executionem, neque impediat illam.

Solutio argumenti. 27. Huius argumenti communis ſolutio inter Thomiſtas negat poſſe voluntatem, ſtante aduertentia & præcepto, nullum habere actum, quo vel adimpletionem imperet, vel impediat. Nam ſicut intellectus naturaliter eſt determinatus ad intelligenda obiecta, quorum phantaſmata ab imaginatione ſibi præſentantur, nec poteſt quandiu imaginatio & ſenſus communis ligata non ſunt, omnino ab operatione ceſſare: ita voluntas propter correſpondentiam & ſympathiam cum intellectu, natura ſua eſt determinata ad operandum modo ſibi proportionato, circa quodcunque obiectum ſibi proponatur: & ideo repugnat ſaltem naturaliter loquendo, vt ſtante intellectus cognitione, omnem actum ſuſpendat. ¶ Diximus *modo ſibi proportionato*, quia cum voluntas ſit potentia libera, determinatio eius ad operandum debet eſſe talis conditionis, vt non officiat libertati: atque adeo requirit, vt licet ſit determinata ad habendum aliquem actum vagè & indeterminatè; non tamen ad hunc vel illum in particulari: ita vt nullus ſit, ſine quo eſſe non poſſit; quamvis ſine aliquo, quiſquis ille ſit, eſſe non poſſit.

Nec mirum ſi nos, ſalua libertate, prædictam determinationem voluntati tribuamus: quia etiam in ſententia aduerſariorum dum intellectus cognoſcit vrgere præceptum, nequit voluntas negatiue ſe habere; ſicut ſe haberet, quando nulla eſſet cognitio: ſed debet correſpondere ex parte ſua cum aliquo exercitio voluntario, ſiue per actum, ſiue per omiſſionem: quamvis quia ad nullum in particulari determinatur, maneat ſimpliciter libera: ſicut ergo contrarij Authores dicunt non poſſe voluntatem, ſtante præcepti cognitione, ſuſpendere omne exercitium liberum circa illud, aut manere in ſtatu ſolius potentiæ: ita aſſerimus, non poſſe ſuſpendere omnem actum, quo vel adimpletionem imperet, vel impediat; neque hoc libertati contradicere. Hucuſque loco citato.

Ratio à priori. 28. Adde ex ipſa voluntatis natura poſſe deſumi rationem à priori, cur propoſito aliquo obiecto, repugnet omnimoda ſuſpenſio circa illud. Nam cum voluntas eſſentialiter ſit inclinatio & propenſio in bonum, ex vi hujus inclinationis habet, vt eo ſibi ab intellectu propoſito, feratur in ipſum, niſi ſit aliquid impediens eius proſequutionem. Quod non inefficaciter ſuadent motus indeliberati ipſius voluntatis: qui idcirco ſequuntur neceſſariò, etiam neceſſitate quoad exercitium, quia pro illo inſtante ſolùm apprehenditur & proponitur ab intellectu ratio boni allicientis, nihilque aliud animaduertitur, ex quo oriri poſſit impedimentum retardans: & his ita ſe habentibus, ſtatim voluntas ſuo pondere fertur in prædictum bonum per modum naturæ; nec ſecum patitur ab eius proſequutione abſtinere: ſicut etiam vbi intellectus ſolùm apprehenderet & proponeret ratione mali & diſconuenientis, nihil animaduertens de ratione boni potentis allicere, ſtatim ſine cunctatione voluntas illud reſpuit, quia pro illo inſtante non eſt vnde poſſit oriri impedimentum huius refutationis. Hinc non inefficaciter conuincitur, quòd etiam dum intellectus deliberatè proponit voluntati aliquod obiectū, in quo aliquid boni appareat, puta præcepti adimpletionem, incunctanter voluntas feratur in illud, niſi adſit aliquid impediens & retardans eius proſequutionem. Hoc autem impediens nō poteſt eſſe niſi alius actus ipſius voluntatis talis conditionis vt non patiatur ſecum proſequutionem aut imperium efficax prædictæ adimpletionis: ſiue quia per illum voluntas talem adimpletionem directè reſpuit: ſiue quia fertur in aliud obiectum cum ea incompoſſibile ſiue quia in quodcunque tendat prædictus actus, ex vi proprij exercitij & modi tendendi ita ligat & detinet voluntatem, vt non ſinat in ſenſu compoſito talis modi & exercitij prædictam adimpletionem efficaciter amplecti. Si enim prædictus actus non habeat huiuſmodi incompoſſibilitatem cum adimpletione, ſed poſſit hìc & nunc illi adiungi, non erit quo pacto voluntatem ab eius proſequutione impediat, aut cur retardet illam ab exequutione; cum nihil impediat illud, cum quo rectè poteſt coniungi.

29. Per quod patet non modò ad argumentum ſed etiam ad confirmationem: vt enim propoſita voluntati adimpletione præcepti, ab eius proſequutione ſe contineat, debet eſſe non quicunque alius actus, ſed talis vt vel propter obiectum, vel propter modum tendendi ſit incompoſſibilis cum prædicta adimpletione, & cum volitione eius efficaci: aliter non efficiet vt voluntas ab huiuſmodi volitione ſe ſuſpendat. Porro actus, qui in confirmatione referuntur, quamvis ex parte obiecti non videantur incompoſſibiles cū prædicta volitione, ex modo tamen tendendi eam excludunt, quoties voluntas in eis ſiſtit. v. g. volitio deambulandi, aut ſedendi, aut percurrēdi mentaliter verba ſacra tempore, quo vrget præceptum ore recitandi, quantum eſt ex parte obiecti, rectè poſſet coniungi cum ea recitatione; at quia ex modo tendendi & exeundi à voluntate ſine vi aut intentione vlteriùs tranſeundi, imò & cum virtuali quadam huius tranſitus nolitione, ligat ipſam voluntatem ad deambulationem, vel ſeſsionem negligentem & otioſam, ideo ex vi ejuſdem modi relegat à ſe volitionem efficacem recitandi, & fit cum ea incompoſsibilis. Et idem eſt de cæteris in exemplum adductis. Quinimo ipſa volitio inefficax adimplendi præceptum, quandiu voluntas in ea ſiſtit, habet quaſi imbibitam nolitionem tranſeundi ad opus; & hac ratione præbet impedimentum volitioni efficaci. Et niſi tales actus ex vi ſui modi tendendi prædictam nolitionem virtualem includerent, ratione cuius vt hìc & nunc exerciti eſſent incompoſsibiles cum præcepti adimpletione, nullatenus detinerent voluntatem ab efficaci proſequutione illius ob rationem dictam: voluntas enim ad bonum ſibi propoſitum naturali pondere fertur volitione efficaci, niſi ab ea impediatur, vel

Solutio confirmationis.

Digitized by Google

vel per volitionem ineſſicacem inibi detenta, vel per alium actum incompoſſibilem, vt dicebamus.

Replica. 30. Dices de ratione potentiæ liberæ eſt, vt propoſito quouis obiecto, pro libito poſſit ferri vel non ferri in illud: ergo ſi voluntas, propoſita adimpletione præcepti, & non elicito alio actu, non poteſt non ferri efficaciter in illam, non operatur omnino liberè. ¶ Deinde vt voluntas, propoſita prædicta adimpletione, poſſit non ferri in eam, ſufficit quòd appareat ibi aliqua ratio mali aut diſconuenientis, ſaltem reſpectu ſenſitiui appetitus: vti apparet, quoties proponitur cum indifferentia & deliberatione: propterea enim in motibus ſubitis nequit voluntas à proſequutione obiecti detineri, quia ſolùm apparet ratio boni, nihilque diſconuenientis aut mali deprehenditur, propter imperfectionem actus cognoſcitiui: ergo in actibus deliberatis, vbi ex parte obiecti proponitur conuenientia ſimul cum diſconuenientia, ſufficiet hæc propoſitio, vt voluntas ab illo ſe contineat, etiam ſine impedimento alterius actus incompoſſibilis cum proſequutione.

Eneruatur. Reſpondetur, ſufficienter ſaluari libertatem voluntatis per hoc, quòd propoſita adimpletione præcepti ſub illa indifferentia, poſſit pro libito aſſumere vel actum proſequutione, quo fugam ablegat; vel actum oppoſitum, per quem à proſequutione ſe impediat: quamuis ex ſuppoſitione quòd hanc poſteriorem non aſſumat, nequeat priorem ſuſpendere. Neceſſitatem enim ex ſuppoſitione, in comperto eſt, non obeſſe libertati: vt patet in voluntate diuina, quæ circa nullum obiectum potuit manere ſuſpenſa, aut ſine actu, qui eſſet proſequutio vel fuga: & ex ſuppoſitione quòd non haberet actum fugæ, non potuiſſet non habere actum proſequutionis; & econtra: & tamen in vtrouis actu fuiſſet liberrima.

Ad ſecundum reſpondetur, propoſitionem obiecti ſub indifferentia conuenientis & diſconuenientis ſolùm tribuere voluntati quòd non ſit abſolutè neceſſitata ad eliciendum determinatè actum proſequutionis, vel determinatè actum fugæ circa illud: ſed ad vtrumlibet indifferens: nequaquã tamen efficit, vt ſine vno ex prædictis actibus poſſit oppoſitum ſuſpendere: quia prædicta indifferentia ſecundùm ſe non habet in voluntatem influere, aut illam ab obiecto retrahere pluſquam in actu primo, atque adeo dependenter ab aliquo exercitio actuali ipſius voluntatis, quod ſit ratio in actu ſecundo talis retractionis: ſitque proinde actus fugæ, vel alius cum proſequutione incompoſſibilis. Quia verò dum adeſt prædicta indifferentia, ſemper ſubeſt dominio voluntatis, aut non proſequi obiectum, eliciendo actum proſequutionis impeditiuum; aut proſequi illud, non eliciendo talem actum: idcirco ſiue proſequatur, ſiue non proſequatur, ſemper tendit liberè. Quo contra ſe habet in motibus ſubitis, nam cum ibi nulla ſit indifferentia ex parte obiecti, ſed præciſè apprehendatur in eo ratio boni, non ſubeſt dominio voluntatis habere actum, per quem ab illo ſe retrahat; & ita manet abſolutè neceſſitata ad proſequutionem.

Alia replica vrgentior. 31. Dices ſecundò, (& eſt vrgentior replica) quid ſi Deus, ſtante præcepti cognitione, & potentia ad adimplendum, deneget voluntati præmotionem phyſicam ad omnem actum, aut ſaltem ad actum volendi efficaciter adimplere, & ad actum per quem ab adimplendo ſe impediat? Sanè in hoc caſu neque voluntas adimplebit præceptum, neque eliciet actum cum adimpletione incompoſſibilem; cum ad vtrumque præmotio denegetur: ergo dabitur tunc omiſſio peccaminoſa ſine actu. Patet conſequentia: quoniam ad talem omiſſionem ſufficit, quòd voluntas poſſit, teneatur, & non faciat: quæ omnia adeſſent in prædicto caſu: ſiquidem prædeterminatio, quæ ſola deficeret, ad nullum eorum ſpectat, ſed ſupponit præceptum & potentiam. ¶ Confirmatur: nam in prædicto caſu non eſt vnde homo excuſetur à peccato omiſſionis: ſi enim interrogaretur hoc modo: *potuiſti, & debuiſti; quare ergo non feciſti?* nullam haberet excuſationem: igitur omittit voluntariè & ſine actu.

Dices, reſponſurum *non potui* defectu præmotionis efficacis. ¶ Contra, quia vt dicebamus, phyſica præmotio non dat *poſſe*, ſed ſupponit illud. Quod ſi eius defectus omiſſionem à malitia excuſaret, nunquam homo peccaret omittendo: quia dum omittit, ſemper ei negatur præmotio ad adimplendum. Nec poteſt dici, præmotionem ad actum oppoſitum, ſi tunc adſit, dare *poſſe* ad iſtum; quia potiùs eſt cum eo incompoſſibilis.

32. Reſpondetur admittendo caſum de potentia abſoluta (quamuis de facto, dum adſit cognitio, nec Deus deneget, nec de lege ordinaria denegare poſſit voluntati præmotionem ad omnem actum, qui vel ſit adimpletio præcepti, vel impeditiuus adimpletionis) negando verò conſequentiam. Ad cuius probationem reſpondetur, ad voluntarietatem & malitiam omiſſionis aliquid requiri vltra *poſſe, teneri, & non facere*, nempe motionem obiecti ſpecificatiui, ratione cuius illud *non facere* à voluntate oriatur, ſitque actuale eius exercitium: cum ergo ablata præmotione ad omnem actum, nulla ſit motio prædicti obiecti (quæ per actum, & non aliter futura erat) conſequenter nullum poteſt eſſe exercitium voluntatis, nullumque voluntarium ſiue per modum actus, ſiue per modum omiſſionis. Neque aliter quoad præſens philoſophandum eſt de neceſſitate aut ſuſpenſione præmotionis, quàm de neceſſitate vel ſuſpenſione actus, pro quo exhibetur. ¶ Cum verò dicitur ſufficere ad peccatum omiſſionis *poſſe, teneri, & non facere*, vel eſt ſermo de requiſitis ſolùm ex parte actus primi, non excludendo ipſum actuale exercitium, neque proinde motionem obiecti, & actum, à quibus debet incipere: vel ly *non facere* non ſumitur pro carentia actus debiti nudè ſumpta, ſed vt aſſociata omnibus, quæ neceſſaria ſunt, vt terminet prædictum exercitium: in quibus neceſſariò includitur actus. *Vera ſolutio*

Ex quo ad confirmationem dicendum eſt, hominem pro iis dumtaxat indigere excuſatione; quæ ſunt ab ipſo & ab eius voluntate: pro illis enim quæ eſſent ab alio, vel à nullo, nemo prudens excuſationem ab eo exigeret: vnde cum ſublato omni actu, omiſſio à voluntate non ſit, non eget excuſatione, & quæcumque excuſatio poſtuletur, erit de ſubiecto non ſupponente. Cum enim quæritur ab aliquo, *quare omiſiſti*, vel *quare non feciſti?* ſupponitur illam omiſſionem, vel illud *non facere* emanaſſe ab illo: quòd ſi non emanauit, tantùm eſt quædam negatio à nemine vllo modo cauſata: & ideo fruſtrà ei quæritur excuſatio, aut quare ſit; cum à nullo, & nihil ſit. *Ad confirmationem.*

Digitized by Google

§. IV.

Einſdem replicæ alia ſolutio.

33. HAc via (in qua neminem offendiſſe vidimus) ſoluimus propoſitam replicam ſeriò & ex propriis tom.præced. in tract.de Volunt.diſp.4.n.35.quia ſecurior eſt,& difficultatibus minùs obnoxia. Addidimus verò n.36.alium dicendi modum: quem tametſi proprio calculo non approbauimus, ſed lectoris iudicio remiſimus; curauimus vt potuimus,exponere & enucleare, ab illis verbis: *Secunda ſolutio (cuius iudicium lectori remittimus) admiſſo etiam caſu de potentia abſoluta, negat manere tunc in voluntate ſufficientem potentiam proximam ad adimpletionem præcepti: quæ potentia neceſſariò requirebatur, vt omiſſio eſſet voluntaria. Nam licet prædeterminatio prout eſt determinatè ad hunc actum, non tribuat, ſed ſupponat poſſe ad ipſum; vt tamen eſt ad gradum communem, eidem actui & oppoſito dat,vel ſecum affert proximum poſſe ad vtrumque. Vnde negata prædeterminatione tam ad actum adimpletiuum, quàm ad materiale actus impeditiui, ac proinde ad gradum vtrique proximè communem non manet ſufficiens poſſe ad adimplendum. ¶ Per quod patet ad confirmationem: cui enim negaretur prædeterminatio tam ad actum adimpletiuum præcepti, quàm ad materiale actus impeditiui adimpletionis, interrogatus cur non feciſti? optimè reſponderet, quia non potui.* Quam ſolutionem & eius declarationem proſequimur ibi vſque ad num.38. vbi ſi fortè arriſerit, videri poterit, ne plura hîc tranſcribamus.

34. Verùm quia vt nuper accepimus, perdoctus quidam Theologus,cuius eruditas diſputationes in 3.p. D.Thomæ ſub prælo iam gemere audiuimus,tom.2. diſp.3.dub.3.ſect.1. in prædictam ſolutionem ſeueriori calamo inuehitur, nullumque non mouet lapidem, vt nos in ea doctrina & à præiactis alibi principiis, & à communibus Thomiſtarum ſemitis in materia de Auxiliis longè abire oſtendat, ſemelque & iterum inconſequentiæ & contradictionis inſimulat; operæpretium duximus,omiſſis non paucis quæ extra chorum ab illo acta videntur, iis quæ alicuius difficultatis præſeferunt ſpeciem, breuiter occurrere: & illa in quibus offendit, pleniùs declarare. Ex ſiniſtra enim aliquorum intelligentia, ſimul & ex falſa aliorum ſuppoſitione ortum habent præcipua, quæ nobis objiciuntur.

Poſſemus verò de prædicto Iuniore amicabiliter conqueri: quòd oblitus primæ ſolutionis, quam vt propriam & legitimam, mentemque noſtram ex confeſſo dantem,ibidem tradidimus; aduerſus ſecundam,quam noſtram non fecimus, dum Lectoris iudicio approbandam reliquimus, ac ſi noſtra omnino fuiſſet, noſtramque eſſe, & nullam aliam à nobis datam ſupponens vel diſſimulans, ex profeſsò inſurrexerit, & nos ibi exagitauerit, fingens hoſtem quem feriret. Quaſi animaduerſione, & non gratificatione potiùs dignum fuerit, præmiſſa propria & legitima argumenti enodatione, nouam detexiſſe viam alieno iudicio luſtrandam, alboque vel nigro lapillo, vt placuiſſet conſignandam: quicquid ſit de veritate, à cuius aſſertione pro modeſtia potiùs, quàm pro incertitudine voluimus abſtinere.

Sed querela hac manumiſſa,quia non queſtus, ſed quæſtiones Theologum mouere debent, ad rem deueniamus: ſemper enim prædictam ſolutionem in eo ſaltem probabilitatis gradu,quem cit. loco vel verbis vel facto ipſo illi tribuimus, tueri conabimur. Igitur citatus Iunior vt eam impetat, ſupponit primò veluti de omnibus & à nobis etiam conceſſum, illum cui Deus,iniuncto præcepto alicuius operis, denegaret phyſicam præmotionem ad omnem actum, ſeu tam ad actum adimpletiuum præcepti, quàm ad materiale actus impeditiui, gaudere nihilominùs auxilio ſufficienti ad adimplendum tale præceptum: non ſecùs atque ille, qui adimplet de facto. Et rationem dat,quia præcepta non imponuntur legitimè & prudenter niſi valentibus ea adimplere: denegato autem tali auxilio, non poſſet homo præceptum adimplere, cum ipſum auxilium eo quòd eſt tantùm ſufficiens, requiratur ad id ex parte *poſſe*; imò tribuat huiuſmodi *poſſe*: eſſet ergo imprudens,prædicto auxilio denegato, impoſitio præcepti. *Falſa ſuppoſitio.*

35. Sed hoc quod ſupponit vt ab omnibus conceſſum, negauimus in primis in prædicta ſolutione: ſiquidem in caſu argumenti, vbi ſupponitur negatio prædeterminationis tam ad actum adimpletiuum,quàm ad impeditiuum,negamus manere potentiam proximam ad adimplendum, quæ potentia nullatenus deeſſet,ſi daretur auxilium ſufficiens proximum & completum (de hoc enim loquimur) ad prædictam adimpletionem. Cum verò dicitur, præcepta non imponi prudenter & legitimè niſi valentibus adimplere: vel ſermo eſt ſecundùm legem communem, attentáque regulari prouidentia: & ſic verum dicit; ſed non eſt contra nos: cum caſus de quo loquimur, ſolùm admittatur de potentia abſoluta; de lege verò communi potiùs negetur. Vel eſt ſermo, (vti eſt reuera) attenta qualibet lege? & tunc oſtendendum ſupereſt, vnde implicet contradictionem, ſitque proinde diuinæ potentiæ negandum, quòd ſtatuta & impoſita hominibus aliqua lege,tollat Deus ab aliquo,vel non conferat illi vires & auxilia ſufficientia ad implendam talem legem, ob hoc ſaltem vt in negatione huiuſmodi auxiliorum ſuam oſtendat libertatem, etiamſi per talem negationem homo ipſe reddatur incapax delinquendi formaliter contra prædictam legem. Dum enim in hoc non oſtenditur implicatio, non eſt Deo negandum. Semel verò conceſſo, redit caſus propoſitus,cur ſcilicet omiſſio adimpletionis illius legis, ſiue viatori, ſiue Beato impoſitæ, voluntaria & peccaminoſa non ſit? Optiméque reſpondetur,quia deficit potentia ad adimplendum: & hac deficiente, nulla omiſſio eſt voluntaria.

Poteſtque hoc inſtari in illo, qui oblitus naturali obliuione alicuius legis, eam non adimplet. Tunc enim non eſt ablata lex, ſed manet etiam reſpectu illius qui ita obliuiſcitur: & tamen ob impotentiam adimplendi ratione obliuionis, neque ipſe eſt capax delinquendi formaliter contra talem legem; neque omiſſio adimpletionis eſt ei voluntaria. Stat ergo, omiſſionem aliquam reddi non voluntariam ex defectu potentiæ,permanente adhuc lege & eius præcepto: vel quod idem eſt, ſtat legem & eius præceptum impoſita eſſe etiam iis, qui ex aliquo accidente carent ſufficienti potentia & auxilio ad adimplendum,excuſarique eius omiſſionem ex tali carentia & accidente à voluntarietate & à culpa.

Præcipua obiectio.

36. Deinde opponit nobis vt potiſſimum diſſidij caput, quòd dixerimus, præmotionem phyſicam ſecundùm quòd applicat voluntatem ad gradum actus communem, non ſupponere, ſed potiùs tribuere ſeu complere potentiam proximam ad gradus differentiales: quia donec voluntas ſit conſtituta in primo gradu operationis, non intelligitur proximè potens ad aliquem ex ſubſequentibus: vnde ablata præmotione ad gradum communem actui adimpletiuo præcepti, & actui impeditiuo, ſicut auferretur in caſu propoſito, vbi ad nullum eorum in particulari tribueretur, conſequenter diximus non manere ibi potentiam proximam ad gradum particularem actus adimpletiui, neque proinde eius omiſſionē poſſe eſſe voluntariam. In hac doctrina plurimùm offendit cit. Iunior, multiſque eam impugnare nititur, & vt falſam, & vt aſſertis noſtris, communibuſque Thomiſtarum principiis in tract. de Scientia & Voluntate Dei è regione aduerſam. Quia iuxta prædicta aſſerta & principia omnino tenendum eſt, phyſicam præmotionem ſupponere potentiam & auxilium ſufficiens ad actum pro quo exhibetur, eſſeque dumtaxat applicationem prædictæ potentiæ & auxilij: dum ergo nos eidem præmotioni tribuimus non ſolùm rationem applicationis, ſed etiam rationem potentiæ & auxilij ſufficientis, prædictis principiis & aſſertis apertè derogamus.

Vt autem lapidem iſtum offenſionis, in quem omnia tela hactenus vibrata collineant, omnino amoueamus, nullaque, niſi fortè accepta ſcandali occaſio lectori remaneat, oportet prædictam doctrinam aliquantulùm magis declarare, legitiméque expoſitam, authoritate & ratione denuò communire. Pro quo nota primò, quod cum dicimus, phyſicam præmotionē ſecundùm aliquid ſui acceptam, & reſpectu alicuius gradus operationis, ad quam præmouet, non ſupponere, ſed tribuere *poſſe* proximum & expeditum ad talem gradum, non intendimus quòd ipſa præmotio ſit propriè potentia aut virtus elicitiua operationis, ſed quòd ſit aliquid requiſitum ad operandum, tenens ſe ex parte ipſius potentiæ, ſpectanſque ad rationem actus primi: & talis conditionis, vt antecedat prioritate rationis vel naturæ formalem eius applicationem ad illum operationis gradum, & vt non intelligatur potentia completa etiam in actu primo ſine tali requiſito. Quicquid enim hoc modo ſe habet, poteſt dici dare proximum *poſſe*, quatenus eſt aliquid complementum requiſitum ex parte potentiæ, ſine quo non intelligitur ſufficienter completa & conſtituta in actu primo proximo.

Animaduerſio.

Animaduerſio alia.

37. Secundò nota, dupliciter poſſe intelligi, quòd præmotio phyſica modo dicto tribuat voluntati proximum *poſſe* ad aliquem actum, aut ad aliquem eius gradum. Vel ita vt ſecundùm eandem formaliſſimam rationem ſecundùm quam eſt præmotio & applicatio potentiæ ad talem actum ſiue gradum, tribuat *poſſe* ad eundem. Vel ita vt ſecundùm diuerſas rationes in eadem phyſica qualitate concurrentes, aut in ordine ad diuerſos actus ſiue gradus diuerſa illa munia exerceat. Primum iſtorum rejiciunt cōmuniter Thomiſtæ, noſque in tract. de Volunt. & de Scientia Dei multoties negauimus, aſſerentes, phyſicam prædeterminationem tributam voluntati ſupponere in ea potentiam, & omnia quæ ex parte actus primi ad agendum requiruntur, vna cum indifferentia vt applicetur ad hunc actum ſecundum, vel illum. Loquebamur enim de præmotione præcisè vt tali, & vt exercet formaliſſimè munus præmouendi & applicandi potentiam ad actum ſecundum: quo pacto verum eſt ſupponere omnia prædicta. Poſterius verò nec nos, neque alius D.Tho. diſcipulus alicubi negauimus. Imo multi & graues, qui rem tangunt, expreſsè dicunt, poſſe in eadem entitate abſque reali diſtinctione concurrere rationem auxilij ſufficientis dantis vires & *poſſe* ad agendum, & rationem auxilij efficacis applicantis potentiam, etiam reſpectu eiuſdem actus ſecundi v.g. attritionis: & de facto ita contingere, quoties auxilium ſufficiens datur per modum tranſeuntis, & in eodem inſtante, in quo datur auxilium efficax.

Quò circa Aluar. lib.8. de Auxil. diſp.73. n.4. cum ſtatuiſſet, auxilium quod tantùm eſt ſufficiens, & non efficax, diſtingui ex natura rei ab auxilio & præmotione efficaci, objicit ſibi hunc modum. *Etſi fiat argumentum: nam cum peccator ſubitò ad Deum perfectè conuertitur, abſque diſpoſitionibus tempore antecedentibus infuſionem gratiæ; idem auxilium, quod tribuit actualiter operari, tribuit etiam poſſe operari: cum in illo non conſtituantur duo auxilia diuerſa, aliud tribuens poſſe, aliud tribuens operari: ergo in eo caſu auxilium ſufficiens, & efficax ſolùm diſtinguntur ſecūdùm diuerſos effectus; ſicut gratia operans, & cooperans; ac per conſequens auxilium gratiæ ſolùm ab effectu dicetur ſufficiens, vel efficax, non autem propter realem diſtinctionem ipſius auxilij. Reſpondetur, quod auxilium efficax continet eminenter omnem perfectionē ſufficientis auxilij, ſicut omne perfectum alicuius generis eminenter continet quicquid perfectionis eſt in quolibet imperfecto eiuſdem generis. Vnde non oportet, quòd auxilium, quod eſt formaliter efficax, & eminenter ſufficiens, ad inuicem diſtinguantur realiter.* Idem dicit Nauarrete tom.2. in 1.p. controu.19.§.1. *Si auxilium ſufficiens datur in eodem inſtanti, in quo homo recipiens ipſum, operatur, atque adeo datur per modum concurſus tranſeuntis, actuando potentiam, vt operetur; tunc in eadem entitate poſſunt inueniri tam efficacia, quàm ſufficientia ad operandum.* Quo etiam modo loquuntur Ledeſm. tr. de Auxil. art.13. in ſolut. ad 7. arg. pag.286. Zumel tom. variarum diſp. diſp.5. ſect.1. concl.4. Nazar. 1.p. q.62. art.2. concl. . Ioan. à S.Thoma to.2. in 1.2. diſp.24. art.3. in ſol.4. arg. & alij. Non ergo aduerſatur, ſed valde conſonat Thomiſtarum doctrinæ, vt eadem qualitas, quæ eſt præmotio & auxilium efficax, ſimul gerat rationem auxilij ſufficientis dantis *poſſe* ad agendum, etiam reſpectu eiuſdem actus.

Aluar.

Nauarrete. Ledeſma. Zumel. Nazar. Io. à S. Thoma.

38. Quòd ſi reſpectu diuerſorū fiat ſermo, adhuc id eſt magis per ſe notum. Negari enim non poteſt, quòd ſæpe vnus actus ſecundus ſit requiſitus ex parte potētiæ ad alium actum ſecundum. Sicut ad hoc vt voluntas poſſit amare aliquod obiectum, neceſſariò prærequiritur, quòd intellectus apprehendat, & proponat illi tale obiectum: & ſine hac propoſitione, quæ eſt actus ſecundus intellectus, non eſt voluntas completa in ratione actus primi, & in ratione potentis ad eliciendum ſuum actum ſecundum amoris. Similiterq; dicendum eſt in ipſa voluntate de actu intentionis reſpectu actus electionis: quia niſi intētio alicuius finis adſit, vel præceſſerit in illa, non intelligitur proximè & cōplerè potens ad eligendū media propter talē finem: ſicque ipſa intētio, quæ reſpectu finis conſtituit voluntatem in actu ſecundo, in ordine ad media conſtituit in actu primo,

primo,& in ratione potentiæ.Eodem autẽ modo philoſophandum eſt quoad præſens de præmotionibus ad prædictos actus : nam cum quilibet actus ſecundus ſupponat prædeterminationem applicantem potentiam ad ipſum, neceſſe eſt, vt vbi talis actus prærequiritur ad alium ex parte potentiæ, requiratur non minùs ex parte eiuſdẽ potentiæ dicta præmotio. Siue ergo reſpectu eiuſdem actus, ſiue reſpectu diuerſorum fiat ſermo, habemus ſatis comprobatum, quòd eadem qualitas,quæ eſt præmotio phyſica,poſſit ſecundùm diuerſas rationes applicare potentiam ad actum ſecundum, & complere illam in ratione actus primi:& ſecundùm vnum munus ſupponere *poſſe* & auxilium ſufficiens,quod applicat ; ſecundũ aliud verò non ſupponere,ſed tribuere & complere.Hoc autem,& nihil aliud nos in prædicta ſolutione adſtruximus, vt legenti cõſtabit.

Quod ſi attendiſſet cit.Iunior , & doctrinam prædictorum Thomiſtarum notã haberet , benignius nobiſcum egiſſet. Non enim intendimus, quòd præmotio phyſica formaliter vt applicat voluntatẽ ad actum ſecundum abſque interuentu alicuius diſtinctionis, tribuat *poſſe* ad illum ; ſed diſtinguentes in tali præmotione,ſicut in actu ad quem applicat,gradum communẽ & differentialem,diſtinguimus etiã munus applicandi ad vnũ, & munus applicandi ad alium:ita vt prout applicat ad vnumquemque,in quãtum præcisè applicat,ſupponat *poſſe* ad ipſum, ad quem applicat : non autem pr. vt applicat ad gradum communem,ſupponat *poſſe* ad differentialem ; ſed potius vnà cum ipſo gradu communi compleat potentiam ad gradum differentialem:vt verò applicat ad iſtum, ſupponat iam talem potentiam completam.Neque eſt cur nobis iuxta Thomiſtica principia non liceat ita diſtinguere & diſcurrere penes diuerſos gradus eiuſdem actus & præmotionis,cum videamus tot D.Th.diſcipulos,quos num. præced. adduximus , tribuentes prædictæ præmotioni , etiam reſpectu eiuſdem actus , & eiuſdem gradus differentialis v. gr. attritionis , vtrumque illud munus , ſcilicet & auxilij ſufficientis dantis *poſſe*,& auxilij efficacis ſupponentis & applicantis prædictum *poſſe*.

39. Eo præſertim, quia quòd voluntas noſtra dum non ſupponitur conſtituta ſaltem in gradu communi volitionis , non ſit ſufficienter completa, vt poſſit mouere ſe ipſam ad hanc vel illam volitionem particularem , ac proinde quòd gradus ille communis & præmotio ad ipſum ſit requiſitũ ex parte potentiæ ad attingendos gradus differentiales , deſumitur ſatis probabiliter ex D.Th.1.2.q.9.art.6.ad 3. vbi dicit,quòd cum voluntas non eſt actu volens aliquid , ſed ſolùm in potentia,indiget ſpecialiter moueri à Deo, ad hoc vt velle incipiat, nec poſſe ſine tali motione reducere ſe ipſam de potentia ad actum ; qua tamen motione non indiget in ordine ad particulares actus,quando iam ſupponitur conſtituta in communi actu volendi. *Deus* (inquit) *mouet voluntatem hominis ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum,& ſine hac vniuerſali motione non poteſt aliquid velle : ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud,* &c. Rationem verò tradiderat art.4. præced. dicens : *Omne enim quod quandoque eſt agens in actu , & quandoque in potentia , indiget moueri ab aliquo mouente : manifeſtum eſt autem, quòd voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet : neceſſe eſt ergo quòd ab aliquo moueatur ad volendum.* Et inferiùs : *Et ſi quidem ipſa moueret ſe ipſam ad volendum, portuiſſet quòd mediante conſilio hoc ageret ex aliqua voluntate præſuppoſita:hoc autem non eſt procedere in infinitum: vnde neceſſe eſt ponere,quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex inſtinctu alicuius exterioris mouentis.* Scilicèt ex motione Dei.

Roboratur præcedens doctrina ex D.Thoma.

Idem.

Idem.

40. Loquitur autem non de motione , quæ ſupponit *poſſe* completum , & ſolùm applicat illud,quod eſt propriiſſimum munus prædeterminationis phyſicæ : quia hac motione non ſolùm indiget voluntas ad primum actum,quo velle incipit, ſed etiam ad omnes ſubſequentes : ſed de motione, quæ ita applicat, vt tribuat etiam *poſſe* ad volendum : ſicut eſt illa,quæ mouet & applicat ad volitionem in communi , ſeu ad primum eius gradum:atque adeo ſimul eſt præmotio efficax,& auxilium ſufficiens. Et ita intellexiſſe videtur Caiet.ſuper cit.art.6. vbi ſic ait. *In reſponſione ad tertium habetur, quod Deus non ſolùm potentiam voluntatis dat, ſed actum volendi clauſum in omni actu volendi,ipſam ſcilicet volitionem boni. In omni enim volitione hæc volitio clauditur , vt principium in concluſione. Et propterea in littera dicitur,quòd ex hac volitione voluntas per rationẽ ſe determinat ad hoc vel illud bonum , & ſine illa præſuppoſita,nihil omnino velle poteſt. Et hæc volitio eſt illa,ad quam dictum eſt oportere voluntatem moueri ab alio etiam quoad exercitium actus.* ¶ Ex his credimus manere ſufficiẽter roboratã probabilitatem prædictæ ſolutionis;facilique negotio ruere quicquid cit. Iunior pro eius euerſione,& contra exemplum informationis materiæ,quo illam elucidare conati fuimus, prolixius inculcat.

Caiet.

In eo verò vnde impugnationem inchoat, iteratò addens,committit à nobis petitionem principij, & quæſtionẽ pro ſolutione reddi,quaſi interrogati,*cur Beati voluntas non poſſit elicere actũ, qui ſit cauſa peccaminoſæ omiſſionis,ob idque peccaminoſus?* reſpondeamus,*quia Deus non poteſt prædeterminare illam ad materiale talis actus* , proculdubio deceptus fuit. Quamuis enim ſimpliciter dixerimus(quia ſimpliciter verum eſt) non poſſe voluntatẽ Beati ita à Deo prædeterminari: nullibi tamen eam rationem vt cauſam illius aſſerti reddimus : ſed tribus aliis ſatis efficacibus, quarum Iunior non meminit, oſtendimus , prædictam voluntatem eſſe ita determinatam ad bonum honeſtum ratione beatificæ viſionis,vt nulla potentia valeat ad malum deflecti,neque proinde in aliquem actum ex quocumq; capite peccaminoſum prodire. Et ex hoc oritur, vt neque Deus poſſit prædeterminare illam ad materiale talis actus ; non autem è conuerſo. ¶ In calce etiam impugnationis nonnulla adducit verba ex 1.tom.huius noſtri operis,vt oſtendat repugnantiam illorum ad præſentem ſolutionem:ſed omnia illa habent ſenſum nuper hic expoſitum , iuxta quem nulla adeſt contradictio.

DUBIUM III.

Vtrùm actus , qui eſt cauſa omiſſionis , per ordinem ad illam ſit peccatum?

ACtus,qui eſt cauſa omiſſionis peccaminoſę, quandoq; eſt malus ſecundũ ſe : ſicut dum quis omittit ſacrũ propter furtũ : quandoq; verò ſecundũ ſe eſt bonus : vt ſi idem ſacrum propter ſtudium omittatur(ſi autẽ fuerit actus indifferẽs, quia in indiuiduo eſt malus & otioſus propter

carentiam

Digitized by Google

carentiam finis debiti,reducitur ad illum,qui eſt malus ſecũdum ſe, & idem iudicium eſt de vtroque ferendum.) Licet ergo de primo actu dubitari non poſſit, quin in ſeipſo ſit malus, dum eſt omiſſionis cauſa,quia per hoc quòd ſit cauſa illius,non amittit ſuam propriam malitiam,vt eſt per ſe notum : de vtroque tamen quærimus , an ſit malus in quantum cauſa omittendi, adeoque malitia deſumpta ex ordine ad omiſſionem , & pertinente ad illam ? Eſt autem ſermo de actibus, qui ſolùm per accidens ſunt cauſa omiſſionis,vt ſtudium,furtum,& alij ſimiles:nam actus, qui directè & per ſe tendunt ad illam : vt cùm aliquis expreſsè vult omittere , nemò ambigit vitiari ab ipſa omiſſione.Neque etiam loquimur, quando actus bonus, qui per accidens eſt cauſa omittendi , ita eſſet neceſſarius , vt excuſet ab obligatione exequendi actum omiſſum : ſicut dum aliquis vt moribundo aſſiſtat, cui alius non ſubuenit,non audit Sacrum. Tum enim planum eſt, talem actum non effici peccaminoſum,ex eo quòd ſit cauſa omittendi, quia neque ipſa omiſſio in eo euentu eſt prohibita: & neceſſitas,quæ eam excuſat extrahens actum omiſſum à præcepti obligatione, excuſat à fortiori actum, qui in omiſſionem influit.

§. I.

Vera & communis ſententia.

41. Dicendum eſt,actum,qui eſt cauſa omittendi,ſiue aliàs ex genere ſit bonus, ſiue malus, ſiue otioſus , eſſe peccatum per ordinem ad omiſſionem , quam cauſat. Hæc aſſertio eſt communis inter Theologos,paucis exceptis, quos infra referemus. Deſumiturque ex D.Tho. infra quæſt.62.art.6. & q.2. de malit.art.1. vbi actus aliàs bonos, ſicut laudare Deum ore, dicit malè fieri,eſſeque proinde peccata,ſi eo tempore fiant,vt ſint cauſa omittendi actum debitum : & ideo in ſolut.ad 7.ait : *Hoc ipſum quod eſt laudare Deum ore, poteſt male fieri, ſi hoc ſint quando non debet,quando ſcilicet homo alia facere tenetur.* Idem inſinuat 2.2.quæſt.154.artic.5. & 3.part. quæſt.80.artic.7. quem ſequuntur Capreolus in 2.diſtinct.35.artic.3.ad 2.Durandi contra ſecundam concluſionem,& in præſenti Medina dub.2. Curiel dub.etiam 2. Gregor.Matt. dub.3. Aluarez diſp.126. Monteſ.diſput.2.quæſt.3. Vaſquez diſput.93.cap.2. N.Cornejo diſp.3.dub.3.Lorca diſp.6.& alij.

D.Thom.

Capreol. Medina. Curiel. Greg.Mart. Alvar. Monteſ. Vaſq. Corneio. Lorca.

Ratio aſſertionis.

Probatur ratione : nam qui liberè dat cauſam omiſſioni peccaminoſæ , virtualiter ſaltem , ſeu interpretatiuè vult ipſam omiſſionem in illa cauſa : ſed velle quouis modo omiſſionem peccaminoſam eſt peccatum,ſicut eſt velle *furari*,& velle quodcumque aliud obiectum diſſonum : voluntas enim in bonitate vel malitia ſequitur conditionem obiecti voliti : ergo etiam eſt peccatum prædicta cauſa. Minor & conſequentia conſtant. Maior autem ex ſe etiam liquet,& ex dicendis infrà, diſput.10. num.251. clariùs patebit.

Confirmatur : qui ſe exponit periculo peccandi, etiamſi peccatum aliud non ſequatur,eo ipſo peccat propter periculum , cui ſe exponit : & ita dicitur Eccleſ.3. *Qui amat periculum , in illo peribit* : ergo multò magis peccat, qui dat cauſam omiſſioni peccaminoſæ : magis enim coniuncta eſt peccato cauſa,quæ ad illud determinat,quàm periculum ; magiſque in illa quàm in hoc volitio peccandi continetur.

Eccl 3.

Confirmatio triplex,

Confirmatur ſecundò : actus ex ſe bonus , vt ingredi domum fœminæ ob cauſam piam , ſi det ſcandalum alicui , & præbeat occaſionem peccandi,eſt peccatum,& debet euitari : ergo etiam erit peccatum actus , quo quis ſibi ipſi eſt cauſa peccaminoſè omittendi : cùm non minus teneatur vnuſquiſque proprium peccatum vitare , quàm alienum.

Confirmatur tertiò : omnis actus , qui afficitur mala circunſtantia,fit malus ratione circunſtantiæ, qua afficitur : nam malum ex quocumque defectu : ſed actus, qui eſt cauſa omittendi , afficitur mala circunſtantia omiſſionis , quam cauſat , quæ eſt circunſtantia *quid* : ergo fit malus , & peccaminoſus ratione talis omiſſionis.

42. Dices huiuſmodi rationes habere locum in actibus,qui per ſe ſunt cauſa omittendi,ſecus verò in illis,qui ſunt cauſa per accidens,vti ſunt, de quibus nunc loquimur:nam ea, quæ ſunt per accidens , non dant ſpeciem. Poteſtque iuuari hæc ſolutio tum ex Diuo Thoma citato loco ex quæſt.2. de Malitia : vbi poſtquam dixit , omnem actum poſſe male fieri , ſi fiat quando non debet,addidit : *Si tamen detur,quòd aliquis actus non poſſet male fieri, non eſſet inconueniens , ſi eſſet cauſa per accidens omiſſionis : quia bonum poteſt eſſe per accidens cauſa mali.* Id quod in peccatis commiſſionis cernere licet : nam actus , qui per accidens eſt cauſa pollutionis præciſè ex hoc capite non imputat ad peccatum , quamuis ſit peccatum dare cauſam pollutioni per ſe. Tum etiam quia bona intentio ſæpè eſt cauſa per accidens malæ electionis : vt cùm aliquis ex intentione bona, quam habet , liberandi alium à morte, mouetur ad mentiendum. Qua ratione docet Angelicus Doctor infra quæſt.114. articul.10. & ſecunda ſecundæ, quæſtione 110.articulo 4. Ægyptiacas obſtetrices non peccaſſe ; ſed potius meruiſſe apud Deum per affectum beneuolentiæ in Iudæos , & per bonam intentionem, qua pueros illorum voluerunt à morte liberare ; ex qua tamen intentione,& affectu proceſſit in eis peccatum mendacij. Tum denique quia peccatum Luciferi fuit cauſa peccandi omnibus aliis , qui cum eo ceciderunt , vt docet Diuus Thomas 1.part.quæſtione 63. articulo 8. nec tamen in quantum cauſa talis effectus habet in ſe ſpecialem malitiam ; aliàs in prædicto peccato tot eſſent malitiæ,quot fuiſſent aliorum Angelorum peccata : quod non videtur admittendum.

Solutio.

D.Thom.

Sed contra : nam ſiue id, quod dicitur cauſa peccati, ſit cauſa illius per ſe, ſiue per accidens; ſi tamen eſt actus voluntarius , & voluntariè in peccatum influit, eo ipſo eſt virtualis, vel interpretatiua volitio peccandi ; & qui prædictum actum apponit, in eo iam virtualiter vult peccare:ſed velle quouis modo peccare eſt peccatum; ergo, &c.

Impugnatur

Deinde : actus , qui per ſe eſt cauſa omiſſionis,habet per ſe rationem peccati : ergo qui fuerit cauſa illius per accidens , dummodo in eam verè influat , per accidens ſaltem erit peccatum. Eò præſertim quia ad rationem peccati non eſt neceſſarium velle malum per ſe;ſed ſufficit velle illud per accidens:malum enim & peccatũ accidit ex quocumq; defectu;quicumq; actum autem ponit incõpoſſibilẽ cum adimpletione præcepti; vult

vult ſaltem per accidens & ex conſequenti omiſſionem: quatenus potius vult omittere, quàm non exercere talem actum: ergo, &c. Illud autem principium, ſcilicet quòd *ea, quæ ſunt per accidens, non dant ſpeciem*, debet intelligi vt infra diſp. 13. à n. 57. & nequaquam huic doctrinæ aduerſabitur.

Satisfit obiectis. 43. Ad illa verò, quæ pro euaſione adduximus, vt reſponderemus, & verba D. Thomæ explicemus, animaduertendum eſt ex eodem D. Th. q. 3. de malo art. 6. ad 6. duplicem eſſe cauſam per accidens: aliam, quæ verè & propriè eſt cauſa, proindeque verè influit in effectum; dicitur tamen *cauſa per accidens*, quia huiuſmodi influxus non omnino per ſe ei conuenit, ſed quibuſdam ſuppoſitis, quæ ad illam ſecundum ſe ſumptam, per accidens ſe habent: ſicut effoſſio terræ alio fine intenta dicitur cauſa per accidens inuentionis theſauri: non quia reuera in illam inuentionem non influat, ſitque proinde vera eius cauſa; ſed quia huiuſmodi influxus non conuenit effoſſioni omnino ſecundum ſe: ſed ſuppoſita exiſtentia theſauri in illo loco, quæ reſpectu effoſſionis ſecundum ſe ſumptæ, & reſpectu intentionis effodientis, eſt per accidens. Et hæc propriè dicitur *cauſa per accidens*: quia ly *per accidens* non extrahit à vera ratione cauſæ, ſed modum cauſandi determinat. Alia dicitur *cauſa per accidens* impropriè: quia licet nullum habeat influxum in effectum, proindeque vera cauſa non ſit; accidit tamen alteri, quæ eſt vera cauſa, vereque influit: ſiue (quod idem eſt) accidit vt id, quod eſt vera cauſa, vereque influit, ſumat ab ea occaſionem cauſandi & influendi. Qua ratione virtus & ſanctitas dicitur per accidens *cauſa ſuperbiæ*: non quia ſanctitas ipſa in ſuperbiam influat, vel ad eam inclinet; ſed quia voluntas ob ſuam malitiam ſumit inde occaſionem & cauſam ſuperbiendi. Et peccatum dicitur aliquando *cauſa per accidens* pœnitentiæ: non quia ad pœnitentiam moueat; ſed quia eſt homini materia & occaſio, vt de illo pœniteat per gratiã: & in naturalibus vnum contrarium ſolet hoc modo eſſe cauſa alterius: vt frigus circunſtans in hyeme eſt cauſa caloris; & calor circunſtans in vere, cauſa frigiditatis. Huiuſmodi autem valde materialiter & impropriè *cauſæ* appellantur, cùm nullum influxum præſtent in effectum: & ideo quòd illis additur *per accidens* non eſt ſolùm additum diminuens; ſed eſt remotio extrahens illas à vera ratione cauſæ: vt cùm dicitur *homo pictus*, ly *pictus* totaliter aufert veram rationem hominis.

44. Ad rem ergo cùm dicimus, actum, qui per accidens eſt cauſa peccati, peccatum eſſe, loquimur de cauſa per accidens primo modo ſumpta: quæ licet per accidens, verè tamen influit in peccatum. Et huiuſmodi eſt actus impediens adimpletionem præcepti. Nam licet huiuſmodi actui non cõueniat influere, niſi ſuppoſitis præcepto, & quòd actus tali tempore exerceatur; quæ ſunt ei per accidens; his tamen præſuppoſitis, reuera cauſat omiſſionem, habetque in illam verum & realem influxum (eo modo quo omiſſio influxus realis eſt capax) atque ita ſumit ab ea rationem peccati. Cùm verò D. Thomas ait, actum, qui non poteſt malè fieri, poſſe eſſe per accidens cauſam malæ omiſſionis; loquitur de cauſa per accidens ſecundo modo accepta: quæ cum nullum influxum habeat in omiſſionem, non poteſt ab illa vitiari. Poteſt enim voluntas ab actu ex omni parte bono, quem deſiderat, ſumere occaſionem omittendi actum præceptum, exercendo alium actum cum adimpletione præcepti incompoſſibilem: vbi non ille primus actus, ſed hic poſterior influit in omiſſionem, habetque proinde rationem peccati. Deſumiturque expoſitio ex ipſo D. Thoma 2. 2. quæſt. 162. art. 5. vbi hac ratione explicat, quomodo virtutes per accidens poſſint eſſe cauſa ſuperbiæ: nam quia in eam verè influant, cùm potius omnino illi aduerſentur; ſed quia voluntas ex ipſis virtutibus occaſionem accipit ſuperbiendi. Et ita in ſolut. ad 3. ait: *Dicendum quòd ſuperbia non oritur ex virtutibus ſicut ex cauſa per ſe, ſed ſicut ex cauſa per accidens, in quantum ſcilicet aliquis ex virtutibus occaſionem ſuperbiæ ſumit: nihil autem prohibet, quin actus contrariorum ſit alterius cauſa per accidens: vt dicitur 8. Phyſic. Vnde etiam de ipſa humilitate aliqui ſuperbiunt.* D.Thom.

Neque eſt diſcrimen quantum ad hoc inter peccata commiſſionis & omiſſionis: nam etiam actus, qui per accidens eſt cauſa peccati commiſſionis, dummodo verè in illud influat, habet ex hac parte rationem peccati: vt patet in eo, qui intendens occidere feram, cum ignorantia craſſa, aut vincibili hominem occideret. Ideo verò actus, qui per accidens eſt cauſa pollutionis, poteſt non eſſe peccatum: quia vel pollutio ex tali actu ſequuta, non eſt adhuc obiectiuè peccaminoſa; vel adeſt ſufficiens cauſa excuſans illum, reddenſque inuoluntarium ex ea parte qua in pollutionem influit: de quo infra diſp. 10. dub. vlt. Omiſſio autem, de qua nos loquimur, ſupponitur eſſe peccaminoſa, nullamque habere ſufficientem excuſationem: & ideo actus incompoſſibilis cum adimpletione præcepti, ſiue per ſe, ſiue per accidens in eam influat, debet eſſe peccatum.

45. Per quod patet etiam ad ſecundum: nam bona intentio, quamuis poſſit eſſe cauſa per accidens malæ electionis ſecundo modo explicato: non tamen primo: *non* enim *poteſt arbor bona malos fructus facere*, vt dicitur Matth. 7. quia *ex voluntate* ſeu intentione *bona* (exponit D. Tho. 1. p. q. 49. art. 1.) *non producitur actus moralis malus; cum ex ipſa voluntate bona iudicetur actus moralis bonus.* Imo eo ipſo quòd intentio in malam electionem influat, eſt intentio mala, quia eſt intentio conſequendi finem malè, per mala ſcilicet media. Sed circa hæc videnda ſunt, quæ diximus de bonit. & malit. diſp. 5. n. 1?. ¶ Ad illud verò de obſtetricibus etiam conſtat: nam affectus beneuolentiæ in Iudæos, per quem meruerint, non fuit cauſa mendacij adhuc per accidens propriè dicta, ita quòd in illud verè influeret; ſed ad ſummum fuit cauſa eius per accidens impropriè: quatenus ex affectu illo bono potuerunt obſtetrices ſumere occaſionem ad proferendum mendacium, vt ita mentiendo, pueros à morte liberarent. Matth. 7. D. Thom.

Si verò vrgeas, quòd electio illa mendacij præſupponere debuit aliquam intentionem, in cuius virtute fieret, & quæ in talem electionem influeret: ergo cùm non præſupponat aliam præter prædictum affectum beneuolentiæ, qui fuit actus bonus; conſequens eſt, quòd huiuſmodi actus in prædictam electionem influat. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quia intentio, virtute cuius facta fuit electio illa mendacij, non fuit prædictus bonus affectus; ſed alius actus ex ipſo occaſionatus, qui in voluntate illarum mulierum exiſtere debuit: quique fuit volitio ſaltem implicita liberandi pueros mentiendo; ac proinde actus *Leuis replica diluitur.*

Digitized by Google

actus malus. Videantur quæ diximus loco citato.

46. Ad tertium dicas, peccatum Luciferi habuiſſe ſpecialem grauitatem propter circunſtantiam ſcandali; longeque maiorem malitiam, quàm haberet, ſi talis circunſtantia illi defuiſſet: manſit tamen tota hæc malitia intra eandem ſuperbiæ ſpeciem, adeoque non fuit niſi vna numero, quamuis grauiſſima: quia prædicta circunſtantia non mutat ſpeciem, neque conſtituit ſpeciale peccatum ſcandali, niſi ruina aliorum ſit per ſe intenta: quod in primo Angeli peccato locum non habuit: eo quòd nihil malum ex parte obiecti potuit ibi appeti; ſed tota malitia incidit ex modo volendi: vt oſtendimus in tract. de Angel. diſp. 10. dub. 1.

Alia cauſa præcluditur. Dices ſecundò, actum, qui per accidens eſt cauſa omittẽdi, v.g. ſtudium, ideo eſſe peccatum, quia fit quando non oportet, adeoque ratione circunſtantiæ temporis indebiti; non verò ratione omiſſionis. ¶ Sed contra: quia quòd non oporteat exerceri illo tempore prædictum actũ, non aliunde oritur, niſi ex eo quòd tunc exercitus, eſt cauſa omittendi: & ideo ſi non eſſet omiſſionis cauſa, quamuis illo eodem tempore exerceretur, non haberet aliquam malitiam, neque diceretur *exerceri quando non oportet*: ergo tota deordinatio in tempore & in actu ſumitur ex cauſalitate in omiſſionem.

§. II.

Placitum Durandi & aliorum.

Durand. Marſil. Hebræus. D.Thom. Primum argumentum. 47. Oppoſitam nihilominus ſententiam tenuere Durandus in 2. diſt. 33. quæſt. 2. num. 6. Marſil. quæſt. 21. & Herbæus quodlib. 7. quæſt. 25. Videturque probari ex D.Thoma 2.2. quæſt. 79. art. 3. ad 3. vbi agens de peccato omiſſionis, ait tunc incipere quando vrget præceptum, & adeſt tempus operandi; non verò quando quis ſe applicat ad actum, qui eſt omiſſionis cauſa: ergo ſenſit non actum prædictum, ſed ſolam omiſſionem eſſe peccatum.

Soluitur. Reſpondetur D.Thom. ibi loqui de prædicto peccato, vt ſtat ſimpliciter ſub conceptu & nomine *peccati omiſſionis*: quo pacto includit ipſam omiſſionem actualem, & non tantùm eius cauſam, diciturque *peccatum omiſſionis completiuè*: ſic autem acceptum prædictum peccatum, verum eſt non incipere quouſque adeſt tempus, & vrget præceptum adimplendi: ſicut peccatum furti completè & vt ſtat ſimpliciter ſub conceptu & denominatione *furti*, includit exteriorem acceptionem rei alienæ, & non ſolam voluntatem furandi: ob idque non dicitur aliquis incipere furari ante prædictam acceptionem. Per hoc tamen non negat S.Doctor, actum, qui eſt cauſa omiſſionis, per ordinem ad illam eſſe peccaminoſum, prius adhuc quàm exiſtat ipſa omiſſio: ſicut voluntas furandi eſt formaliter peccatum, priuſquam exiſtat, aut etiam ſi non exiſtat exterior actio furandi. Imo id ſatis inſinuat: tùm quia appellat prædictum actum *illicitum*; non autem eſt illicitum, quod non eſt peccatum: tum etiam quia propter illum dicit imputari ad culpam ipſam omiſſionem: id verò propter quod aliud ad culpam imputatur, à fortiori eſt culpa: nam *propter quod vnumquodque tale*, &c.

Secundum. 48. Secundò probatur: quia talis actus non eſt contra aliquod præceptum: ergo non eſt vnde ſit malus. Antecedens ſuadetur: nam vel eſſet contra præceptum affirmatiuum. Et hoc non: quia præcepta affirmatiua non prohibent actus ſed præcipiunt: & ita ſolum opponitur illis omiſſio & carentia actus. Vel eſſet cõtra negatiuum? Et neque hoc dici poteſt: quia actus, quos prohibent præcepta negatiua, ſunt actus determinati, vt *non occidere*, *non furari*, *non mentiri*, &c. actus autem, qui cauſant omiſſionem, non ſunt terminati; ſed ex quibuſlibet oriri poſſunt: poteſt enim quis omittere Sacrum, vel vt furetur, vel vt ſtudeat, vel propter innumeros alios actus, qui tunc poſſunt occurrere ergo, &c.

Reſpondetur negando antecedens: nam eodem præcepto, quo directè & primario præcipitur actus, cuius omiſſio eſt peccatum; prohibetur ex conſequenti & ſecundario actus, qui poteſt eſſe cauſa illum omittendi. Ex quo ad probationem pro prima parte dicendum, prædictum actum eſſe contra præceptum affirmatiuum, non primario & directè; ſed indirectè & ſecundario: in quolibet enim præcepto affirmatiuo exercendi aliquem actum clauditur virtualiter & implicitè præceptum negatiuum non ſe impediendi à tali exercitio per actum cum eo incompoſſibilem: & ſicut omiſſio eſt contra prædictum præceptum, qua ratione affirmatiuum eſt: ſic actus, qui eam cauſat, habet eſſe contra illud, quatenus negatiuum includit. Ad ſecundam eiuſdem probationis partem, quatenus aliquo modo poteſt eſſe contra nos, reſpõdetur, præcepta quæ per ſe primo ſunt negatiua, prohibere actus determinatos: & huiuſmodi ſunt præcepta non furandi, non mentiendi, &c. Quæ verò ſunt per ſe primo affirmatiua, & negatiua ex conſequenti & ſecundariò, non prohibent actus determinatos; ſed quicquid poteſt eſſe cauſa prætermittendi actus, quos in quantum ſunt affirmatiua, præcipiunt. *Enervatur.*

49. Tertiò probatur eadem ſententia: nam ſi actus aliàs bonus, vt ſtudium, quando eſt cauſa omittendi, ex omiſſione vitiaretur; peius eſſet omittere ſacrum propter ſtudium, quàm nudè & otiosè omittere: hoc autem ſatis conſtat eſſe falſum: ergo, &c. Sequela vel maior ſuadetur: nam qui nudè omitteret, tantùm peccaret omittendo; neque ibi daretur alia malitia præter illam, quæ eſſet in ipſa omiſſione: qui verò propter ſtudium omittit, peccat omittendo, & etiam exercendo actum ſtudij; & præter malitiam, quæ eſt in omiſſione, datur alia diſtincta in actu ſtudij: ergo peius eſſet & maius peccatum omittere ſacrum propter ſtudium, quàm nudè & otiosè omittere. *Tertium.*

Reſpondetur hoc argumentum nullum eſſe contra nos: quia iuxta ſententiam, quam præcedenti dubio ſtatuimus, nequit dari nuda omiſſio peccaminoſa; ſed neceſſariò adeſſe debet actus, qui ſit cauſa omittendi, & ex hac parte malus. Vnde cùm ſacrum omittitur propter ſtudium, non eſt maius peccatum, quamuis adſit ibi duplex illa malitia; cum vtraque reperiri debet in qualibet voluntaria ſacri omiſſione. Imo potius minus peccatum eſt omittere ſacrum propter ſtudium aut quemcumque alium actum ſecundum ſe bonum, quàm omittere abſque tali actu ſolùm ob delectationem: quia actus ille ſecundum ſe bonus diminuit voluntarium circa omiſſionem ſacri & conſequenter eius malitiam: vt latiùs explicuimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 5. n. 11. *Diluitur.*

Digitized by Google

Dubium IV.

Vtrùm actus, qui eſt cauſa omittendi, ſit diſtinctum peccatum ab omiſſione?

Quoties actus, qui eſt cauſa omittendi, aliunde etiam eſt malus, dubium non eſt, quin ita conſideratus conſtituat proprium peccatum diſtinctum ab omiſſione: vnde ſolùm quærimus de illo quantum ad eam malitiam, quam ex omiſſione deſumit, ſecundùm quod eſt eius cauſa, an efficiat diuerſum numero peccatum; vel vnicum cum ipſa omiſſione? Et quia identitas numerica peccati attendi poteſt vel phyſicè ſeu iuxta metaphyſicas vnitatis leges; vel moraliter ſecundum æſtimationem & modum communem accipiendi Theologorum; examinandus eſt vterque modus vnitatis aut diſtinctionis.

§. I.

Duæ priores aſſertiones.

Prima aſſertio. 50. Dicendum eſt primò, actum, qui eſt cauſa omittendi, habere ex hoc capite malitiam phyſicè & realiter diſtinctam ab illa, quæ eſt in omiſſione. Hæc concluſio eſt valde conſona principiis D. Thomæ, & illis, quæ diximus in tract. de bonis & malit. diſp. 1. & quæ dicemus diſp. ſequenti dub. 4. & deinceps. Quam tuentur *Greg. Mart. Valent. Cornejo.* Greg. Mart. in præſenti dub 3. concluſ. 4. Greg. de Valentia diſp. 6. quæſt. 1. punct. 4. N. Cornejo diſp. 3. dub. 5. & quidam alij docti Iuniores. Probatur ratione: actus voluntatis qui eſt cauſa omittendi, eſt formaliter & intrinſecè malus: & non per eam malitiã, quæ eſt intrinſecè in omiſſione: ergo per aliam phyſicè ab ea diſtinctam. *Eius ratio.* Conſequentia liquet: & etiam minor: nam malitia, quæ phyſicè eſt eadem numero, nequit intrinſecè efficere duplex ſubiectum re ipſa diſtinctum, vti ſe habent omiſſio & actus, qui eſt eius cauſa. Maior autem probatur. Tum quia prædictus actus intrinſecè dedit repugnantiam ad rationem: prohibet enim recta ratio non ſolùm omiſſionem, ſed etiam actum, qui eſt cauſa omittendi: ergo intrinſecè eſt malus. Tum etiam quia talis actus dicit intrinſecam tendentiam ad obiectum rationi diſſonum, nempe ad omiſſionem, vel ad aliud, quod hîc & nunc omiſſioni conjungitur, & eam infert: hæc autem intrinſeca tendentia eſt formalis malitia: ergo, &c.

Confirm. Confirmatur: nam ſæpè actus, qui eſt cauſa omittendi, eſt malus, antequam exiſtat omiſſio; imò etiam ſi hæc nunquam exiſtat: vt patet in eo, qui dedit cauſam omiſſioni ſacri, ſomno ſe tradendo; poſtea verò per accidens excitatus ab aliquo non omiſit: at tunc prædictus actus non eſt malus per malitiam, quæ intrinſecè ſit in omiſſione, vt eſt per ſe notum: ergo per aliam ſibi ipſi intrinſecam.

Effugium. 51. Dices, actum, qui eſt cauſa omittendi, etiam antecedenter ad omiſſionem denominari *malum cauſaliter* à propria forma denominatione intrinſeca; *malum* verò *formaliter* denominari ſolùm extrinſecè à malitia omiſſionis, cuius eſt cauſa: ad eum proportionalem modum, quo medicina, antequam exiſtat ſanitas animalis, dicitur intrinſecè *ſana cauſaliter* à propria virtute, qua poteſt illam cauſare, ab ipſa verò ſanitate, quæ in animali erit, denominatur extrinſecè *ſana formaliter*.

Refutatur. Verùm hoc non ſatisfacit: quoniam actus prædictus eo ipſo quòd ſit cauſa omittendi etiam ſi omiſſio fortè non ſequatur, eſt malus, & peccatum formaliter: & non extrinſecè per malitiam exiſtentem in omiſſione, quæ (vt ſupponimus) in caſu iſto non datur: ergo intrinſecè per malitiam ſibi ipſi inhærentem. Maior conſtat: quoniam ille actus, etiam ſi impediatur omiſſio, formaliter eſt contra regulas prudentiæ, & diſſonat rationi, formaliterque eſt culpabilis, vituperabilis, demeritorius, offenſa Dei, & dignus ſupplicio: quæ omnia ſolùm competunt peccato, quod eſt tale formaliter. Minor autem ſuadetur. Tum quia à forma, quæ realiter nunquam in rerum natura fuit, non poteſt immediate ſumi realis denominatio, neque intrinſeca, neque extrinſeca: ergo à malitia omiſſionis, quæ neque extitit, neque exiſtit, non poteſt aliquis actus denominari *malus* & *peccatum*, etiam extrinſecè, denominatione vera & reali. Tum etiam quia denominatio extrinſeca deſumpta ex aliqua forma, ſupponit denominationem intrinſecam eiuſdem formæ, & ab illa cauſatur: repugnat enim aliquam formam denominare extrinſecè terminum, quem reſpicit; vel principium, à quo reſpicitur, niſi denominando intrinſecè ſubiectum, in quo eſt: ſed omiſſio antequam exiſtat, nulli ſubiecto tribuit intrinſecam denominationem *mali*, vt eſt per ſe notum: ergo neque actum, qui eſt eius cauſa poteſt denominare extrinſecè *peccatum*.

Adde, malitiam, à qua prædictus actus denominatur *malus*, eſſe talis conditionis, quòd propter illam ipſi actui debetur pœna, & eſt dignus ſupplicio vero & realiter: abſurdum eſt autem dicere deberi pœnam formaliter propter malitiam, quæ nunquam in rerum natura fuit: ſicut quòd aliquis puniatur à Deo propter peccatum, quod in ratione peccati nondum eſt commiſſum: ergo malitia, à qua prædictus actus denominatur immediatè *malus*, non poteſt eſſe illa, quæ eſſet futura in omiſſione; ſed malitia diſtincta, quæ inhæreat ipſi actui.

¶ Adde ſecundò malitiam omiſſionis eſſe malitiam priuatiuam, quæ conſiſtit in carentia actus debiti; malitia verò actus debet eſſe poſitiua: conſiſtit enim in poſitiua tendentia ad obiectum diſſonum: igitur debent realiter diſtingui.

52. Neque obeſt illud de medicina & denominatione *ſani*: nam medicina ideo non redditur formaliter intrinſecè *ſana*, ex eo quòd ſanitatem cauſet, quia neque ipſa eſt ſubiectum capax ſanitatis formalis, neque cauſare ſanitatem eſt formaliter eſſe ſanum: dicitur tamen *ſana cauſaliter* ſiue *virtualiter* intrinſecè, qua habet in ſe virtutem cauſatiuam ſanitatis. Imò quia effectus poteſt recipere extrinſecè & per analogiam attributionis denominationem ſuæ cauſæ; & medicina in genere cauſæ finalis poteſt eſſe effectus ſanitatis animalis, poteſt ab ea denominari *extrinſecè ſana formaliter*, poſtquam ſanitas in rerum natura exiſtit: à ſanitate verò, quæ non exiſtit, medicina non recipit aliquam denominationem. Cæterum actus, qui eſt cauſa omittendi, cum ſit actus humanus & liber, eſt capax malitiæ formalis: & hoc ipſum quod eſt voluntatem talem actum exercere, eſt formaliter culpabile & malum: ſicut eſt exercere aliquẽ actum, quando

do non oportet,& ſine debitis aut cum indebitis circunſtantiis: vnde nihil deeſt quominus prædictus actus in ſeipſo malitiam formalem recipiat, à qua intrinſecè peccatum conſtituatur. ¶ Adde, tunc ſaltem repugnare, denominationem realem prouenire a forma non exiſtente, quando prædictæ denominationi correſpondet in denominato aliquis realis effectus: quia perſpicuum eſt realem effectum exigere formam exiſtentem alicubi realiter: denominationi autem peccati correſpondet realis effectus, nempe vituperabilitas, demeritum, & condignitas pœnæ, vt nuper diximus. Quare gratis admiſſo, quod in medicina & in aliis, vbi hæc peculiaris ratio non militat,poſſet denominatio extrinſeca ſumi à forma nunquam exiſtente; adhuc tamen in caſu, de quo loquimur,non deberet admitti.

Effugium aliud.

53. Occurres ſecundò, actum, qui eſt cauſa omittendi, denominari *malum formaliter* ab omiſſione,non vt ab effectu,qui de facto exiſtat; ſed vt ab obiecto indirectè volito per talē actū: ſecundum quam rationem omiſſio, etiamſi in exercitio non ponatur, ſemper illi connectitur.

Præcluditur

¶ Sed contra eſt: quia omiſſio vt dicit præciſè rationem obiecti,non habet malitiam formalem; ſed tantum obiectiuam:eo quòd ſecundum hanc rationem non eſt voluntaria; ſed tantùm volita: ergo nequit actus ab ea denominari *immediatè malus formaliter*: quippe hæc denominatio non ſumitur immediatè niſi à forma, quæ eſt formalis malitia. Præterea, denominatio, quam actus ſumit ab obiecto,non eſt immediatè ab ipſo obiecto;ſed forma immediatè denominans eſt tendentia & reſpectus ad illud: quæ tendentia inhæret ipſi actui: ergo ſi actus, qui eſt cauſa omittendi,denominatur *malus* ab omiſſione,non niſi vt ab obiecto; forma immediatè illum denominans, adeoque malitia eius formalis non erit ipſa omiſſio aut aliquid in ea exiſtens; ſed reſpectus & tendentia ad illam,afficiens intrinſecè ipſum actum.

Secunda aſſertio.

54. Dicendum eſt ſecundò,actum,qui eſt cauſa omittendi, ſi aliàs ex ſe malus non ſit, ſolum habere vnicam malitiam, illam nimirum, quam hactenus explicuimus deſumptam ex ordine ad omiſſionem, & eiuſdem rationis cum ipſa. Hæc aſſertio eſt ſatis communis: illam enim tuentur in præſenti Medina, Curiel, Zumel, Martinez, Cornejo,Salas,Monteſ.& plures alij. Probaturque ratione: nam prædictus actus,puta ſtudium, in caſu, de quo loquimur, præciſè habet eſſe malus, quia eſt cauſa omittendi Sacrum, verbi gratia, & eſt virtualis volitio huius omiſſionis: ergo non habet aliam malitiam niſi illam,quam ex ipſa omiſſione deſumit. Antecedens videtur perſpicuum:quia ſtudium ſi non eſſet cauſa omittendi, etiamſi eodem tempore exerceretur, non eſſet malum, vt ſupponimus: ergo præciſè eſt malum ex iſto capite.Conſequentia verò liquet: quia voluntas mali obiecti præciſè vt talis non habet aliam malitiam, niſi illam, quam deſumit ex obiecto volito: ſicut cauſa mali effectus,quæ aliàs mala non eſt, ſolùm habet malitiam ipſius effectus.

Medina. Curiel. Zumel. Greg.Mart. Cornejo. Salas. Monteſ.

Ratio.

Confirmationes.

Confirmatur: ſtudium in illo caſu ſolum eſt contra vnicum præceptum religionis de non omittendo Sacrum; & niſi exſtaret hoc præceptum,non eſſet malum: ergo ſolùmhabet vnicā malitiam contra virtutem religionis,deſumptam ex tranſgreſſione huius præcepti. ¶ Confirmatur ſecundò: qui omittit Sacrum propter ſtudium, non magis peccat, quàm peccaret, ſi manendo otioſus abſque tali actu omitteret, vt videtur per ſe notum: ſed qui omitteret Sacrum abſque tali actu per ſolam otioſitatem, ſolùm committeret vnicum peccatum, ſcilicet contra virtutem religionis:ergo,&c.¶ Confirmatur tertiò: qui furatur, vt det eleemoſynam, non committit duo peccata; vnum contra iuſtitiam, & aliud contra virtutem miſericordiæ,vt oſtenſum eſt à nobis in tract. de bonit. & malit. diſp.5. à n.10. aliàs peius eſſet furari ad dandam eleemoſynam, quàm ob ſolam auaritiam vel delectationem ex furto captam; quod videtur abſurdum; ergo qui vt ſtudeat aut exerceat aliud opus ex ſe honeſtum, omittit Sacrum, non plus delinquit, quàm qui ex ſola malitia omitteret: cumque hic poſterior non committat niſi vnicum peccatum, ſcilicet contra religionem, idem à fortiori dicendum eſt de primo.

§. II.

Aſſertio eſt communis.

Tertia aſſertio.

55. Dicendum eſt tertiò: moraliter loquendo,non ſunt duo peccata,ſed vnum numero,actus,qui eſt cauſa omittendi & ipſa omiſſio; niſi aliàs etiam ſit malus. Concluſio hæc ferè ab omnibus recipitur: & præter auctores; quos adduximus in præcedentibus,tuentur illam Azor lib.4.inſtitut.moral.cap.1.Sayrus in Claui reg.lib.2.cap.6.n.14. Bonacina diſp.2. de peccatis q.4.punct.4.& communiter Theologi morales. Probatur facilè: nam cùm plures actus, vel quaſi actus ad integrādum vnum peccatum ſubordinatè concurrunt,& vnuſquiſque habeat ſuā propriam & intrinſecam malitiam, non conſtituunt ſimpliciter plura peccata; ſed reputantur idem numero: ſed actus, qui eſt cauſa omiſſionis, & ipſa omiſſio hoc modo ſe habent: ergo moraliter loquendo non ſunt plura peccata, ſed vnum. Maior cernitur in peccato commiſſionis, v.g. in furto,ad quod concurrunt interior volitio furandi, conſilium, iudicium, electio, imperium, & vſus, habetque vnumquodque eorum propriam & intrinſecam malitiam,vt in tract.de bonit. & malit. probatum reliquimus: & tamen quia omnes ordinantur ad exteriorem actum furandi,cēſentur moraliter vnicum peccatum cum ipſo actu,quod eſt peccatum furti: ob idque neceſſe non eſt omnes prædictos actus in confeſſione explicare; ſed ſufficit ſi pœnitens dicat ſe feciſſe furtum. Et ratio huius eſt: quia vbi ſunt multa propter vnum, præſertim in moralibus, non cenſetur eſſe niſi vnum; omniaque intelliguntur in eo,ad quod tandem ordinantur.Minor autem probatur: quia actus,qui eſt cauſa omittendi,in quantum talis,totus ordinatur ad omiſſionem, ſicut omnes ſupradicti actus ordinantur ad furtum.Quam rationem adduxit D.Thom.in 2.diſt.42.q.1.art.1.vbi ſic ait: *Contingit eſſe actus plures,ſecundum quòd ad genus naturæ referuntur; qui tamen ſunt vnum, ſecundum quòd in genere moris conſiderantur: vt patet in eo, qui furatur, quia omnes actus eius, qui ad furtum ordinantur, peccatum ſunt,cùm mala intentione fiant: qui poſſunt valde multi eſſe; & tamen omnes computantur vt vnum peccatum, quia non habent rationem peccati, niſi ſecundum quod per vnam voluntatem in vnum peruerſum finem ordinantur.*

Azor. Sayr. Bonac.

Ratio.

D.Thom.

Confirm.

56. Confirmatur: nam ita ſe habent (quod

atti

Digitized by Google

attinet ad præſens) actus, qui eſt cauſa omittendi, & omiſſio, ſicut imperium & actus imperatus, & ſicut intentio & electio in ordine ad eundem finem: ſed imperium & actus imperatus, moraliter loquendo, non cenſentur diſtincti actus humani, ſed vnus numero, neque etiam intentio & electio ſunt moraliter diſtincta numero peccata: ergo,&c. Maior conſtat: quoniam omiſſio & cauſatur effectiuè à prædicto actu, proindeque ab eo imperatur, & aſſumitur ab omittente vt medium electum ad aſſequendum finem per illũ actum intentum. Minor verò quoad priorem partem eſt D.Thom. ſupra q.17. art.4. Probatque illam: quia actus imperatus habet ſe reſpectu imperij ſicut materia ad formam: ex materia verò & forma coaleſcit vnum. Sed probatur etiam quoad poſteriorem: tum ex nuper dictis: quia intentio eſt actus imperans, & electio actus ab ea imperatus. Tum etiam quia nemo dicet eum, qui intendit occidere Petrum, & ex hac intentione eligit enſem ad occidendum, tandemque occidit ſine morali interruptione iſtorũ actuum, committere plura numero peccata; ſed vnum dumtaxat, quod eſt peccatum homicidij.

Obiectio. Neque obeſt ſi objicias, potius hinc eneruari noſtram rationem: nam dum quis hodie vult Petrum occidere, & cras eligit media ad occidendum, ſequentique die occidit; omnes iſti actus tendunt ſubordinatè ad integrandum homicidium: & nihilominus conſtituunt moraliter plura numero peccata, debetque pœnitens omnes illos explicare in confeſſione: ergo prædicta ratio non eſt ſufficiens.

Diluitur. 57. Non itaque hoc obeſt: quia in hoc caſu tales actus ideo conſtituunt regulariter plura peccata, quia vt in plurimum vnus non ſubordinatur alteri, neque in eum influit, ac proinde nec formaliter nec virtualiter continuantur. Intentio enim, quæ hodie habetur, non ſe extendit efficaciter ad eligendum cras; ſed adeſt tunc noua alia intentio influens in illam electionem. Ex quo fit prædictus actus non ideo cenſeri plura numero peccata, quia ſunt intentio & electio; ſed quia intentio ipſa geminatur ſine ſubordinatione, & geminata peccatum multiplicat. Quod rectè explicuit Ang.Doct. loc.cit. ex 2.Sent. *Cum* *D.Thom.* *quæritur* (inquit) *vtrum voluntas & actus exterior ſint diuerſa peccata?* (intelligit autem per *voluntatem* intentionem, & per *actum exteriorem* omnem alium actum ab ea imperatum, etiam ſi ſimul ſit elicitus à voluntate, vt eſt electio) *aut intelligitur de voluntate coniuncta actui exteriori; aut de voluntate præcedenti. Si de coniuncta, ſic oportet quòd peccatum vnum ſit actus voluntatis interior & actus exterior: quia voluntatis* (id eſt intentionis) *non multiplicantur actus. Si autem de voluntate ſeparata, ſic eſt aliud peccatum: quia actus voluntatis* (hoc eſt intentio) *multiplicatur: quando enim actum explet exteriorẽ, etiam actum voluntatis iterat: & ideo oportet, quòd ſint duo peccata, non propter diuerſitatem actus interioris & exterioris; ſed propter diuerſitatem actuum duorum interiorum voluntatis.* Hæc D.Thom. Vnde falſa eſt maior obiectionis, intellecta de vera ſubordinatione, quæ ſit per influxum, & cum ſufficienti continuatione prædictorum actuum.

Diximus *regulariter loquendo*: nam vbi intentio occidendi, quæ exiſtit hodie, eſſet adeo efficax, tantæq; virtutis, vt ſuo reali influxu pertingeret vſque ad electionem vel executionem, quæ habenda eſt cras (quod raro continget) talis intentio, & electio, aut executio non eſſent, moraliter loquendo, plura peccata; ſed vnum. Aggrauaretur tamen valde eius malitia ex circunſtantia durationis. In noſtro verò caſu actus, qui eſt omittendi cauſa, continuatur moraliter cum omiſſione, & influit in illam: & ſimiliter intentio, electio, conſilium, cæterique actus vſque ad externam executionem omnes inter ſe continuantur, ſaltem virtualiter, eſtque vnus realiter cauſa alterius: & quæ ita continuantur, non ponunt in numero in morali conſtitutione peccati.

§. III.

Duplex ſententia contra duas priores aſſertiones.

58. Contra primam aſſertionem videntur ſentire Curiel in præſenti dub.2. §.5. concl.2. Zumel diſp.4. concl.2. & alij: quatenus negant in actu, qui eſt cauſa omittendi, malitiam numero diſtinctam ab ea, quæ eſt in omiſſione. Et quamuis prædicti Doctores poſſent ab aliquo exponi de indiſtinctione morali; plura tamen immiſcent, quæ oſtendunt eos loqui de indiſtinctione etiam phyſica. Fundamentum eorum eſt, quod actus, de quo loquimur, præcisè eſt malus, quia eſt cauſa omittendi: ergo ſolùm dicitur malus extrinſecè, à malitia, quæ eſt in omiſſione. Antecedens conſtat ex dictis, Conſequentia verò probatur ex D.Thoma ſupra quæſt.20. art.3. vbi docet, quòd quia potio amara dicitur *bona* ſolum per ordinem ad ſanitatem, quam cauſat, non eſt alia bonitas potionis à bonitate ſanitatis; ſed ab ipſa ſanitatis bonitate dicitur potio *bona*. Et eadem ratio eſt de denominatione *ſani*: quia enim medicina dicitur *ſana* ex eo dumtaxat quòd cauſat in animali ſanitatem, nulla formalis ſanitas eſt in medicina? ſed extrinſecè denominatur *ſana* à ſanitate animalis. Ita ergo dicendum erit in noſtro caſu. *Curiel.* *Primum argumentum contra primam aſſertionem.*

Confirmatur: nam ita ſe habent actus, qui eſt cauſa omittendi, & omiſſio, ſicut actus interior voluntatis, & actus exterior ab eo cauſatus: ſed in actu interiori & exteriori non eſt niſi vna numero malitia formalis, vt D.Thom. docet loco cit. ergo,&c. *Confirmatio*

59. Reſpondetur admiſſo antecedente, negando conſequentiam: & ad probationem dicendum eſt eſſe diſparem rationem: nam medicina vel potio amara non eſt capax habendi in ſe formalem ſanitatem eius: & ita hoc genere bonitatis ſolùm poteſt dici *ſana* & *bona* extrinſecè, à ſanitate animalis, cuius eſt cauſa. Cæterum actus voluntatis, qui eſt cauſa omittendi, eſt capax intrinſecæ malitiæ, ſicut eſt capax libertatis intrinſecæ: nullaque adeſt ratio, vt non eam deſumat ex ordine ad omiſſionem. Vide infra diſput. 10. dub.2. vbi doctrina illa D.Thomæ de analogia boni & ſani debitè declaratur, præſertim §.4. *Solutio.*

Per quod patet ad confirmationem: nam actus omnino exterior, de quo præcipuè agit D.Thom. in illo loco, non eſt capax bonitatis vel malitiæ formalis intrinſecæ, ob eandem rationem, quia ſcilicet non eſt intrinſecè liber: & ideo vtramque denominationem immediatè accipere debet à libertate & malitia actus interni. In noſtro verò caſu tam actus voluntatis, qui eſt cauſa omittendi, quàm omiſſio interna habet intrinſecam & diſtinctam libertatem, adeoque vtrumque poteſt, & *Solutio confirmationis.*

& debet habere diſtinctam intrinſecã malitiam. Vnde quantum ad hoc prædicta omiſſio & actus non ſe habent ſicut actus omnino exterior, & actus interior;ſed magis ſicut electio & intẽtio: quarum vtraque elicitur à voluntate,& manet in illa, eſtque proinde libera intrinſecè, & capax vnaquæque ſuæ moralitatis formalis intrinſecæ; quamuis electio imperetur ab intentione. Hoc ergo proportionali modo ſe habent actus voluntatis, qui cauſat omiſſionem, & omiſſio interna, quæ elicitur à voluntate, & eſt in ſeipſa libera. Actum verò omnino exteriorem,qui poteſt concurrere ad omiſſionem, ſicut etiam omiſſionem purè externam,vel quæ tantùm ſit libera in cauſa, fatemur non habere malitiam formalem intrinſecam: ſicut neque in eis datur intrinſeca libertas; ſed tam *libera* quàm *peccata* dicuntur extrinſecè ab actu vel omiſſione internis.

Secundum argumentum.

60. Arguitur ſecundò: actus,qui eſt cauſa boni effectus, non habet ex illo intrinſecam bonitatem: ergo neque actus, qui eſt cauſa malæ omiſſionis, recipiet ex ea intrinſecam malitiam. Conſequentia videtur bona à paritate rationis. Antecedens verò probatur in actu charitatis,qui licèt imperet & cauſet actus aliarum virtutum, nullam ab eis bonitatem recipit: aliàs cùm bonitas hæc debeat pertinere ad ſpeciem ipſorum actuum, tot eſſent in quolibet charitatis actu ſpecies bonitatis, quot ſunt virtutes, quarum actus ab ea imperentur.

Confirm.

. Et confirmatur:quia iuxta ſententiam D.Tho. quam alibi tradidimus,primus actus charitatis eſt cauſa cæterorum omnium bonorum, quos iuſtus elicit per totam vitam, ita vt verè & realiter in omnes illos influat,quandocunque in rerum natura ponantur:ergo ſi ex omnibus, quos cauſat, recipit bonitatem intrinſecam; tot intrinſecè eſſent in eo bonitates,quot iuſtus elicit actus bonos per totum vitæ curſum.

Diluitur.

61. Reſpondetur negando antecedens, quoties bonus effectus ex actu ſequutus, eſt per ſe intentus. In quo bonum à malo differt? ad iſtud enim ſufficit eſſe volitum interpretatiuè & indirectè,quia malum contingit ex quocunque defectu: illud verò debet eſſe volitum directè & per ſe, quia bonum non conſurgit niſi ex integra cauſa. Effectus ergo bonus quoties fuerit per ſe intentus, tribuet cauſæ ſuam bonitatem; malus autem, quouis modo ſit volitus, dabit ei malitiam. Ad probationem dicendum eſt,etiã actum charitatis, quoties actu & formaliter imperat actus aliarum virtutum,recipere ab illis tanquã à circunſtantiis intrinſecam bonitatem ſaltem reductiuè pertinẽtem ad ſpeciem ipſorum actuum. Neque hoc eſt inconueniens, ſicut non eſt inconueniens,quòd idem numero actus, v.gr. religionis, imperatus à charitate, à pœnitentia,& à pietate, participet bonitatem harum omnium virtutum, pertineatque reductiuè ad ſpecies illarum: vt explicuimus in tract. de bonit.& malit.diſp.6.dub.3.

Diluitur cõfirmatio.

Ad confirmationem neganda eſt conſequentia:quoniam imperare virtualiter actus omnium virtutum,ſicut fit per primum actum charitatis, non eſt circunſtantia talis actus; ſed ſpectat potiùs ad eius eſſentiam:nam de eſſentia cuiuſlibet actus charitatis eſt,vt homo per illum ſe & omnia ſua virtualiter in Deum referat: in qua relatione imperium illud virtuale continetur. Vnde ex huiuſmodi effectu prædictus actus non aliam bonitatem debet recipere præter bonitatem ſuæ eſſentiæ:quia bonitas diſtincta à bonitate eſſentiæ, cùm ſit accidentalis, non deſumitur à quocumque effectu;ſed ab illo dumtaxat,qui eſt circunſtantia actus,in quo charitas à reliquis virtutibus differt: in illis enim (ſaltem exceptis prudentia & fide)non pertinet ad alicuius eſſentiam imperare vllo modo actus cæterarum: & ideo ſiue formaliter ſiue virtualiter illos imperent, ſuperaccreſcit eis ex hoc imperio tanquam ex circunſtantia *quid* noua bonitas accidentalis: charitas verò per ſuammet eſſentiam habet, vbi primò animæ infunditur, omnes eius actus moraliter bonos ad finem ſupernaturalem virtualiter & in cauſa dirigere,omneſque illos virtualiter & in cauſa imperare: vnde quia huiuſmodi imperium non habet in ea rationem circunſtantiæ, ſed eſſentiæ; non addit aliquid bonitati eſſentiali ipſius charitatis; ſed in ea ſufficienter continetur. Nec per hoc oſtenditur charitas aliquo modo peioris conditionis,quàm cæteræ virtutes;ſed potius nobilioris:quia nobilius eſt habere per ſuam eſſentiam & vnitè eam perfectionem; quàm per circunſtantias & accidentia, vti eſt in reliquis. Quando verò charitas per ſuum actum expreſsè & formaliter imperat aliquem actum alterius virtutis, ſumit ex tali actu bonitatem illius virtutis propriam, adeoque diſtinctã à ſua bonitate eſſentiali: quia ita imperare non eſt de eſſentia actus charitatis; ſed circunſtantia *quid*.De his tamen erit ſermo ex profeſſo in tractatibus de merito & de charitate.

Argumentũ contra ſecundam concluſionem.

62. Secunda ſententia contra ſecundam concluſionem affirmat, in quolibet actu, qui eſt cauſa omittendi v.g. Sacrum, dari duas malitias ſpecie diſtinctas:alteram deſumptam ex omiſſione Sacri, & eiuſdem ſpeciei cum illa, oppoſitam virtuti religionis,& præcepto eius affirmatiuo de audiendo Sacrum: alteram deſumptam ab aliis circunſtantiis,*temporis,modi*,&c. oppoſitam propriæ virtuti, cuius fuiſſet talis actus,ſi debito modo fieret, & non eſſet cauſa omittendi: vt ſi ſit ſtudium, ſtudioſitati; ſi eleemoſyna, miſericordiæ,&c. Pro hac refertur Henr.quodlib.12. q.14.necnon Gabriel in 2.diſt.4.q.1.art.3.dub.3. Et videtur eſſe Richardi in 2.diſt.35.circa primũ principale q.1.Poteſtque probari:quia actus, qui fit quando non debet,independenter à quocumque malo effectu eſt malus: ſed actus ſtudendi, tempore quo vrget præceptũ audiendi Sacrum, fit quando non debet: dictat enim recta ratio,vt talis actus tunc non fiat: ergo independenter ab omiſſione Sacri eſt malus,adeoque per malitiam alterius ſpeciei à malitia omiſſionis.

Henr.
Gabriel.
Richard.

Confirmatur.

Confirmatur: quoniam ſtudium in caſu, de quo loquimur,non ſolùm opponitur virtuti religionis, quæ præcipit audire Sacrum; ſed etiam ſtudioſitati,quæ prohibet inordinatum modum, & effectum ſtudij: pertinet enim ad quamlibet virtutem conſtituere modum in proprio actu,vt ſcilicet fiat quando, & vbi oportet; & vt oppoſito modo non fiat: ergo ſtudium in prædicto caſu non tantum habet malitiam contrariam religioni, ſed etiam ſtudioſitati.

Eneruatur.

63. Reſpondetur ad argumentum, quòd ſi actus,qui eſt cauſa mali effectus, independenter ab ipſo effectu fiat quando non debet, independenter ab illo eſt malus: vt ſi quis quarta hora poſt meridiem celebraret Sacrum, ex quo aliis ſcandalum tribueret,celebratio illa independenter ab illo fit quando non debet:ſi tamen actus in hoc,quòd eſt fieri *quando non debet*, depẽdeat ab ipſo

ipſo effectu itavt idcirco fiat *quando non debet*, quia ex eo quòd tunc fiat, eſt cauſa talis effectus, non poteſt independenter ab effectu intelligi malus, nec habere aliam malitiam ex circunſtantia *quando* præter malitiam, quæ deſumitur ex effectu: ſicut neque circunſtantia ipſa *quando* tunc eſt mala niſi ratione eiuſdem effectus. Et ita contingit in præſenti: nam ſtudere tempore, quo vrget præceptum audiendi Sacrum, ideo præciſè fit quando non debet, ratioque illud prohibet; quia ſtudere tunc eſt cauſa omiſſionis Sacri; & niſi huius eſſet cauſa, nulla ratione prohiberetur. Vnde nec tale ſtudium poteſt intelligi vitiatum independenter ab omiſſione; neque aliunde præterquam ab omiſſione habere malitiam. In forma ergo diſtinguendæ ſunt maior & minor iuxta dicta; & neganda abſolutè conſequentia.

Confirmatio diluitur.

Ex quo ad confirmationem negandum eſt antecedens: & ad probationem in eo incluſam dicendum, pertinere ad quamlibet virtutem moderari affectum, & conſtituere modum circa proprium actum; non quidem in omnibus; ſed in iis duntaxat, quæ ſunt propriæ materiæ: & ita illas tantummodo prohibet malas circunſtantias, ex quibus intra propriam materiam poteſt vitiari eius actus: non enim pertinet ad iuſtitiam prohibere circunſtantiam ſacrilegij vel ſcandali, quibus poteſt vitiari iuſtitiæ actus, aliàs peccaret contra iuſtitiam, qui ſolueret debitum vxori cum ſcandalo, vel qui in loco ſacro ſolueret: pertinet tamen ad illam, vt debitum integrè ſoluatur, quia quantitas debiti eſt circunſtantia contenta intra propriam materiam iuſtitiæ. Quare ad virtutem ſtudioſitatis ſolùm pertinet ponere mediocritatem circa affectum ſtudendi intra propriam materiam ſtudij: moderari ſcilicet deſiderium ſciendi, ne ad res prohibitas, vel inanes, aut quæ propriam facultatem ſuperant, extendatur. Vnde vitium ſtudioſitati oppoſitum per exceſſum, eſt curioſitas, quæ nihil aliud eſt, quàm nimietas in inquirendo, vt docet D.Thom. 2.2. quæſt.167. art.1. per defectum verò opponitur ei vitium, quod appellat (q.166.) *negligentiam ſtudendi*: & ideo tunc ſolùm peccat quis contra virtutem ſtudioſitatis, quando operatur aliquo ex iſtis vitiis. Circunſtantia verò indebiti temporis eſt circunſtantia extranea reſpectu ſtudij, quia ſtudium per ſe nullum tempus determinatè excludit: & ideo prohibere hanc circunſtantiam, moderarique exceſſum ſtudij, ne ſit cauſa omiſſionis alterius actus debiti, non eſt munus ſtudioſitatis, ſed ſolius virtutis præcipientis talem actum.

Aliud argumentum.

64. Secundò probatur: nam quòd aliquis propter ſtudium omittat Sacrum, prouenit ex inordinato amore ſtudendi, & ex nimia adhæſione ad ſtudium: ergo prius intelligitur amor ille malus & vitioſus, quàm intelligatur eſſe cauſa omittendi: datur ergo in eo alia malitia antecedens malitiam omiſſionis.

Confirm.

Confirmatur: qui propter ſtudium tranſgreditur præceptum audiendi Sacrum, conſtituit in ſtudio rationem finis vltimi, diligendo illud plus appretiatiuè quàm Deum, qui eſt auctor illius præcepti: ſed diligere hoc modo ſtudium & quamlibet rem creatam eſt ſpeciale peccatum oppoſitum virtuti charitatis, quæ præcipit diligere Deum vt finem vltimum; prohibet verò conſtituere huiuſmodi finem in aliqua creatura: ergo ſaltem hoc modo erit tibi duplex malitia, alia contra religionem, & alia contra charitatem.

Solutio.

Reſpondetur ad argumentum admiſſo antecedente, negando vtramque conſequentiam; quia licet ipſum *actuale omittere* proueniat ex nimio & inordinato amore ſtudendi, ob idque prior natura aut etiam duratione ſit huiuſmodi amor, quàm omiſſio; in prædicto tamen amore nullo modo eſt prius, quòd ſit nimius & inordinatus, quàm quòd ſit cauſa vel volitio omittendi. Imo iſta duo ſunt omnino idem: nimirùm quòd talis actus ſit cauſa & volitio omittendi, & quòd ſit amor nimius & inordinatus: vel ſi quis prioritatis & cauſalitatis ordo inter ea conſtituendus ſit, primum antecedit, & eſt cauſa ſecundi; non è conuerſo: vnde hæc cauſalis eſt falſa, *quia amor ſtudendi eſt nimius & inordinatus, ideo eſt cauſa omiſſionis*: magis autem hæc eſt vera, *quia talis amor eſt cauſa omiſſionis, ideo eſt nimius & inordinatus*: non enim prædictus amor aliunde habet deordinationem vel nimietatem, niſi quia eſt cauſa omittendi.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem reſpondetur illum, qui propter ſtudium, vel aliud opus voluntarium tranſgreditur diuinum præceptum, conſtituere finem vltimum in creatura, non formaliter, ſed interpretatiuè, vt ſuo loco diximus: hoc autem non conſtituit peculiare peccatum, nec dat aliquam ſpecialem malitiam; ſed eſt generalis conditio conſequens omnia mortalia: quicumque enim mortaliter peccat, diligit hoc modo plus creaturam, quàm Deum. Vt autem prædicta circunſtantia, ſeu conditio conſtituendi in creatura finem vltimum daret ſpecialem malitiam contra charitatem, deberet eſſe expreſsè & directè volita: quod in viatoribus fidem habentibus raro aut nunquam contingit.

§. IV.

Occurritur breui interrogationi.

65. Emergit ex dictis in hoc & præced. dubio leuis interrogatio, quæ fortè non tam ad rem ſpectat, quàm ad modum loquendi: an ſcilicet actus, qui eſt omittendi cauſa, ſit peccatum omiſſionis vel commiſſionis? Quòd enim non ſit omiſſionis, videtur ſuaderi ex D.Thoma 2.2. quæſt.79. artic.3. vbi ebrietatem, quæ eſt cauſa omittendi matutinas, dicit non eſſe omiſſionem, ſed omiſſionis cauſam. Idem inſinuat hæc 1.2. quæſt.72. art.6. Quod tuentur N. Cornejo in præſenti dub.7. Aluar. diſp.127. n.4. Valent. q.1. punct.4. Salas, & alij. Poteſtque ſuaderi ratione. Tum quia omiſſio ſonat carentiam actus debiti, & non poſitiuam operationem; ſicut commiſſio è contra ſonat operationem poſitiuam, non verò carentiam: ergo cùm actus, qui eſt omiſſionis cauſa, ſit operatio poſitiua, non erit omiſſio, ſed commiſſio. ¶ Tum etiam nam quòd affirmatio ſit cauſa negationis, non tollit quòd ſit affirmatio; neque ponit quòd ſit negatio: ergo quòd poſitio & actus ſit cauſa omiſſionis, non tollit quòd ſit poſitio ſiue commiſſio; nec facit quòd ſit omiſſio.

D.Thom. *Cornejo.* *Alvar.* *Valent.* *Salas.* *Rationes dubitandi.*

66. Quòd autem ſit peccatum omiſſionis, & non commiſſionis, ſuadetur non minùs efficaciter: nam prædictus actus conſtituit vnum numero peccatum cum omiſſione: ſed peccatum per omiſſionem conſtitutum, abſolutè eſt peccatum omiſſionis, & non commiſſionis; imo nullum

aliud

Digitized by Google

aliud eſt,quod abſolutè & ſimpliciter ita appelletur,& contra peccatum commiſſionis diuidatur : ergo, &c.

¶ Deinde, voluntas omittendi,moraliter loquendo , non eſt aliud peccatum ab omiſſione : ſicut voluntas occidendi non eſt aliud peccatum ab homicidio,eo quod voluntas cuiuſcunque peccati ad ipſum peccatum pertinet : ſed actus,de quo loquimur non alia ratione eſt malus , niſi quia eſt aliquo modo voluntas omittendi : ergo non debet conſtituere ſpeciale aliquod peccatum commiſſionis ; ſed ad ipſum peccatum omiſſionis pertinere.

¶ Præterea,præceptum, cui opponitur prædictus actus, abſolutè, & ſimpliciter eſt præceptum affirmatiuum; non verò negatiuum : ergo ipſe actus abſolutè dici debet *peccatum omiſſionis* , & non *commiſſionis*. Conſequentia liquet : nam iuxta communem acceptionem , & iuxta doctrinam Diui Thomæ citato loco ex 2 2.peccatum commiſſionis dicitur , quod opponitur præcepto negatiuo, quod idcirco vocatur etiam *peccatum tranſgreſſionis* : peccatum verò omiſſionis appellatur omne id,quod eſt contra affirmatiuum. Antecedens etiam videtur manifeſtum : nam actus, qui eſt cauſa omiſſionis Sacri , nulli alteri præcepto de audiendo Sacro , quod abſolute eſt affirmatiuum.

¶ Denique,nam ipſamet omiſſio & carentia actus,quoties eſt cauſa tranſgrediendi præceptũ negatiuum,ſi aliunde non ſit mala,non eſt peccatum omiſſionis;ſed pertinet ad peccatum cõmiſſionis;cuius eſt cauſa:& hac ratione dici ſolet , negligentiam ex parte voluntatis in reprimendo appetitum ſenſitiuum,ne in obiecta illicita feratur ; quamvis fiat per ſolam ſuſpenſionem,& carentiam actus ipſius voluntatis ; eſſe peccatum commiſſionis,& non omiſſionis:ergo commiſſio,ſeu actus poſitiuus, qui ea dumtaxat ratione eſt malus, quia eſt cauſa omittendi præceptum affirmatiuum,non conſtituet peccatum commiſſionis; ſed pertinebit ad idem peccatum omiſſionis , quod cauſat. Quare ita ſentiunt Monteſinus diſputatione 2.quæſt.3 dub.3.Lorca diſp.6.concluſione vltim. Vaſquez diſputatione 93. capite 3. Gregorius Mart. dubio 3. & alij.

Monteſ. Lorca. Vaſquez. Greg.Mart.

Vtraquepars conciliatur.

67. Sed res eſt pauci momenti,in qua proinde non duximus immorandum. Poteſt autem vtraque pars non difficulter conciliari, ſi dicamus prædictum actum quaſi abſtractè acceptum, non eſſe omiſſionem; ſed magis commiſſionem, vt primæ rationes ſuadent : at verò peccatum, ad quod ſpectat,non eſſe peccatum commiſſionis, ſed omiſſionis, vt probant ſecundæ. Itaque ſi quæratur de prædicto actu abſtractè , an ſit omiſſio , vel commiſſio ? Congruè reſpondebitur, commiſſionem eſſe, & non omiſſionem : ſi autem interrogetur,quod peccatum ſit?Reſpondendum eſt eſſe peccatum omiſſionis , & non commiſſionis.

Obiectio.

Sed obiicies, quòd peccatum dicitur *omiſſionis* ab omiſſione ipſa ; *commiſſionis* verò à commiſſione : ergo non ſtat actum , de quo loquimur, eſſe commiſſionem , & eſſe omiſſionis peccatum.

Diluitur.

Reſpondetur, aliunde ſumi denominationem *commiſſionis* , & *peccati commiſſionis* : ſicut etiam denominatio *omiſſionis*, & *peccati omiſſionis* non ab eodem deriuantur. *Omiſſio* enim & *commiſſio* dicuntur ab actu:nam *commiſſio* ſonat *facere contra rationem* : & ideo vbicunque eſt actus rationi contrarius,poteſt dari *commiſſio*: Omiſſio verò dicit *non facere* , & *carere actu debito* : & ideo vbicunque datur talis carentia,poteſt dici omiſſio. Cæterum denominatio *peccati omiſſionis*, & denominatio *peccati commiſſionis* reſpiciunt præcepta,illa affirmatiuum, hæc negatiuum : atque adeo vbi commiſſio non opponitur præcepto, quod ſimpliciter ſit negatiuum , quãvis ipſa abſtractè ſumpta , quia eſt actus & non carentia, dicatur *commiſſio* , non denominat ſimpliciter *peccatum commiſſionis*;ſed potius *omiſſionis* : ſicut etiam omiſſio niſi fuerit contra præceptum , quod ſimpliciter eſt affirmatiuum , non conſtituit ſimpliciter peccatum omiſſionis; licet ipſa abſtractè ſumpta , quia non eſt actus,ſed carentia, reuera ſit omiſſio.

¶ Adde,denominationes peccatorum præcipuè deſumi ab actu vltimo,ſeu ab eo,in quo vltimatè operatio ſiſtit, quodque eſt veluti complementum , & terminus totius proceſſus : non enim ſola voluntas occidendi, abſolutè *homicidium* dicitur , niſi fuerit completa, & conſummata per actum homicidij exteriorem : & ideo vbi huiuſmodi complementum eſt *omiſſio*,quicquid antecedit,& eſt eius cauſa,denominatur ab ea *peccatum omiſſionis*,quamvis in ſe ſit actus poſitiuus : vbi verò eſt *commiſſio* ; quicquid ad eam ordinatur,recipit denominationem *peccati commiſſionis*,quamvis ſit carentia & omiſſio.

68. Secundò obiicies ex Diuo Thoma ſecunda ſecundæ , quæſtione 79. articulo 3. ad 3. vbi docet , peccatum omiſſionis tunc incipere, quando incipit ipſa omiſſio , vrgetque præceptum non omittendi;non verò quando ponitur omiſsionis cauſa : ſi autem huiuſmodi cauſa eſſet peccatum omiſsionis , inciperet in illa hoc peccatum. Deinde quodlib.1. artic. 17. & quæſtione 2. de malitia , articulo 1. ad 4. dicit : *Peccatum omiſſionis nihil aliud eſt quàm actus inordinatus* : ſed actus , qui eſt cauſa omittendi , eſt huiuſmodi : ergo eſt peccatum commiſſionis.

Alia obiectio. D.Thom.

Reſpondetur ad primum,Angelicum Doctorem ibi loqui de peccato omiſsionis completiuè ſumpto , provt includit ipſam actualem omiſſionem : de qua,non verò de toto peccato,intelligendum eſt quod ait non incipere , quovſque vrgeat tempus præceptum adimplendi.Per hoc tamen non negat actum, qui eſt cauſa omiſsionis , pertinere ad ipſum omiſsionis peccatum : neque intendit conſtituere aliud, quod ſit peccatum commiſsionis.

Enervatur.

¶ Ad ſecundum reſpondetur actum, qui eſt peccatum commiſsionis , debere eſſe inordinatum ſecundum ſe , ſeu in quantum actus eſt ; non præcisè quia ſit cauſa alicuius inordinatæ omiſsionis , ſicut eſt actus , de quo loquimur : nam huiuſmodi actus inordinatus conſtituit idem numero peccatum cum omiſsione , cuius eſt cauſa : quod cùm abſolutè ſit *peccatum omiſſionis*,ipſe etiam actus debet *peccatum omiſſionis* nuncupari.

* * *

Digitized by Google

DVBIVM V.

Vtrum actus, qui non ſunt cauſa omittendi, coëxiſtunt tamen omiſſioni, ab illa vitientur?

PRæter actus, qui ſunt cauſa omiſſionis, poſſunt alij ſimul exerceri, qui non influunt in illam, ſed habent ſe concomitanter: vt ſi quis determinatus iam non audire Sacrum, vel quia pluit, vel ob vitandum itineris laborem; ne ſit domi otioſus, ludit, ſtudet, aut recitat: ita quidem vt non propter hæc Sacrum omittat. Quærimus ergo an huiuſmodi actus, ex eo præciſè quòd tempore illo exerceantur, ab omiſſione vitientur, & reddantur peccaminoſi?

§. I.

Communis aſſertio: & varij modi eam exponendi.

69. DIcendum eſt prædictos actus non vitiari ab omiſſione & ita niſi aliunde malitiam habeant, manere bonos & honeſtos. Aſſertio hæc deſumitur ex D. Thoma ſupra q. 19. art 7. & aliis locis: tenentque illam communiter eius diſcipuli, & alij expoſitores hoc loco, quos promde ſuperfluum eſt recenſere. *Ratio.* Probatur primò: nullus actus poteſt vitiari ab omiſſione, niſi vel influat in illam, vel ſit aliquo modo eius volitio: his enim dumtaxat modis poteſt omiſſio aut quæuis alia circunſtantia obiectiua afficere actũ humanum, vt eum vitiet (ſi enim nullo modo afficiat, non erit quo pacto malitiam ei conferat) nimirum vel per modum obiecti voliti, vel per modum effectus ex eo ſequuti: ſed actus, de quibus loquimur, neutrum habent: ergo, &c. Minor, quod attinet ad influxum, ſupponitur; alias tales actus non eſſent purè concomitantes omiſſionem, ſed eius cauſa. Quod verò attinet ad volitionem, facilè ſuadetur: quoniam per prædictos actus neque eſt volita omiſſio directè & formaliter, vt eſt per ſe notum; neque indirectè & interpretatiuè quippe volitio interpretatiua in eo conſiſtit quòd liberè apponitur cauſa, quæ debuit vitari ratione effectus: actus ergo, qui nullo modo habet rationem cauſæ, nullo modo continet prædictam volitionem.

Confirm. Confirmatur: ideo circunſtãtia inculpabiliter ignorata non dat malitiam actui humano; quãuis illum comitetur, quia ratione ignorantiæ talis circunſtantia non eſt per eum volita: ergo eo ipſo quòd omiſſio non ſit volita per actum, qui cum illa exercetur, nequit ei malitiam conferre.

Alia ratio. 70. Secundò probatur: actus concomitantes omiſſionem poſſunt cadere ſub voto: & ideo ſi aliquis dum Sacrum omittit, promitteret dare tunc eleemoſynam, vel recitare calculum virgineum (ita tamen vt non ob hoc omitteret) votum illud obligaret: ergo actus prædicti ex eo quòd tunc exerceantur, non ſunt mali; aliàs ſub illa circunſtantia temporis nequirent eſſe voti materia, cum hoc ſemper debeat eſſe ne dum de re bona, ſed etiam de re meliori.

Confirm. Confirmatur: nam ex oppoſito ſequeretur illum, qui ſtatuit non audire Sacrum, debere tunc omnem alium actum, quantumvis ex ſe honeſtum, ſuſpendere, manereque otioſum: quandoquidem ſi aliquem exerceret, in ipſo etiam peccaret; quod tamen videtur abſurdum: ergo, &c.

Obiectio. Nec refert ſi obiicias, omnem actum, qui exercetur tempore omiſſionis, exerceri quando non debet: debetur enim totum illud tempus actui, qui omittitur: ergo omnis vitiatur ab omiſſione ratione prædictæ circunſtantiæ *quando*. *Diluitur.* ¶ Reſpondetur namque negando antecedens: actus enim, qui exercetur tempore omiſſionis, idcirco præciſè fieret *quando non debet*, quia quòd tunc fiat, eſſet cauſa prætermittendi actum debitum, vt n. 63. diximus: quare niſi huius ſit cauſa, ſicut non eſt cur tunc non debeat fieri; ſic non eſt cur dicatur fieri *quando non debet*. Poteſtque hoc magis explicari & roborari: quia actus, qui exercetur ſimul cum omiſſione, non habet eſſe contra aliquod præceptum, niſi impediat actum debitum, qui omittitur, influatque proinde in eius omiſſionem: quatenus eodem præcepto, quo præcipitur talis actus, prohibetur indirectè quicquid poteſt eum impedire, vt dictum eſt n. 48. ergo actus, qui non impedit, neque influit in omiſſionem; ex eo ſolum quod fiat cum illa, non eſt dicendus fieri *quando non debet*.

71. Supereſt examinemus, quinam actus ex iis, qui fiunt tempore omiſsionis, habeant ſe purè concomitanter & abſque influxu in illam? In quo non eſt omnium eadem ſententia. *Primus modus dicendi.* Quidam enim generaliter docent, omnem actum incompoſsibilem cum actu, qui omittitur, ſi tempore illo exerceatur, eſſe cauſam omiſsionis; adeoque illos duntaxat habere ſe concomitanter, qui poſſunt ſimul eſſe cum actu omiſſo. *Valent. Lorca. Azor. Granad.* Ita Greg. de Valentia punct. 4. Lorca diſp. 6. Azor to. 1. lib. 4. c. 3. Granadus tr. 4. diſp. 3. n. 7. & alij. Poteſtque hoc ſuaderi: quia eo ipſo quòd aliquis actus ſit incompoſsibilis cum actu debito, qui omittitur; eſt impeditiuus & impedit, quantum eſt ex ſe, adimpletionem præcepti: ergo eſt cauſa, & influit in omiſsionem. Patet conſequentia: nam vt aliquid dicatur habere rationem cauſæ, provt ſufficit vt omiſsione vitietur; non eſt neceſſe, quòd de facto impediat præcepti adimpletionem; ſed ſufficit vt, quantum eſt ex ſe poſsit impedire: qui enim ſe ſomno traderet præuidens fore, vt ex vi huius actus Sacrum debitum omittat, peccat in illo ratione omiſsionis; quãvis non omittat de facto, eo quòd de aliquo præter ſpem cõgruo tempore ſuſcitetur, & ſacro interſit. Cùm ergo omnis actus incompoſsibilis cùm actu præcepto poſsit quantum eſt ex ſe, illum impedire; etiamſi de facto non impediat: omnis talis actus dicetur *omiſſionis cauſa*, & ab illa vitiabitur.

Diſplicet. Hic tamen dicendi modus diſplicet. Tum quia plures actus incompoſsibiles cum adimpletione præcepti poſſunt cadere ſub voto in illo, qui determinatus eſt omittere, vt ſi quis poſtquam ſtatuit non audire Sacrum ob pluuiam, vel ob vitandum itineris laborem, vel quia ſeceſsit in locum, vnde nequit cõgruo tempore redire; voueat paſcere illic eſurientem, docere ignorantẽ, leuare infirmum, &c. tenebitur proculdubio ad huiuſmodi votum: ergo tales actus non influunt in omiſsionem, neque ab illa vitiantur; alias nequiſſet eſſe materia voti. Imo teneretur, qui omittit, ab omni actu bono incõpoſsibili cum præcepto toto illo tempore abſtinere, & manere otioſus: aut ne remaneat otioſus, teneretur exercere aliũ actum bonum cum præcepto compoſsibilem, vt recitare: quod nullus dicet. Tum etiã quia vt aliquis actus vitietur ab omiſsione tãquã eius cauſa non

non ſufficit, vt quantum eſt ex ſe, poſſit impedire adimpletionem præcepti; ſed debet re ipſa & de facto ad id concurrere, & cauſare in exercitio ſaltem inchoatiuè; quamvis fortè ante effectum ſequutum remoueatur, & ad ipſum non perueniat: aliter enim, omiſſio non erit de facto & re ipſa circunſtantia efficiens talem actum, vt exigitur ad communicandam ei malitiam. Sed hoc magis declarabitur num. 75. vbi diluemus rationem, cui innititur hic modus dicendi.

Secundus modus. 72. Secundus eſt quorundam Theologorum quos ſuppreſſo nomine refert N. Cornejo dub. 9. qui loquentes de omiſſione actus externi, dicunt, tunc actum, qui tempore illius exercetur, habere ſe purè concomitanter, quando præſupponitur alius actus exterior incompoſſibilis cū adimpletione præcepti, qui proinde ſit cauſa nō adimpletionis: quando verò huiuſmodi actus exterior non præcederet, quantumcunque voluntas eſſet determinata omittere, quicunque actus tunc exerceatur cum præcepto incompoſſibilis, eſſet cauſa omiſsionis. Fundamentum eorum eſt: quòd actus omnino interior non eſt ſufficiens cauſa omittendi actum exteriorem: ergo vt actus exterior incompoſsibilis cum adimpletione præcepti, qui comitatur omiſsionem, nō influat in illam, debet præcedere alius actus exterior, qui ſit ſufficiens eius cauſa. ¶ Sed neque hic dicendi modus placet quoniam falſum aſſumit: poteſt enim voluntas ob ſolam expetiendam libertatem, vel ob vitandū laborem, quemcunque actum exteriorem omittere ſine ordine ad alium actum exteriorem, qui huius omiſsionis ſit cauſa, vt de ſe notum eſt, ergo, &c. *Deſeritur.*

Tertius. 73. Alij denique relati à Curiel dub. 2. §. 3. per oppoſitum docent, omnem actum, qui ſubſequitur voluntatem determinatam ad omittendum, habere ſe purè concomitanter; dummodo determinatio voluntatis adeo parum diſtet ab omiſsione, vt non ſit veroſimile, quòd breui illo interuallo temporis mutabitur voluntas. ¶ Qui etiam dicendi modus deficit: & contra illum arguit Curiel loco cit. quia quòd determinatio voluntatis ad omittendum præceſſerit, ſiue multùm ſiue parùm ab omiſsione diſtans, non impedit quin alius actus exterior concurrat ad exequendam omiſsionem, & in talem exequutionem influat: ergo non eſt ſatis prædicta determinatio, vt actus, qui poſtea fiunt non ſint cauſa omiſsionis. Conſequentia liquet. Antecedens verò probatur: quia ſtante propoſito omittendi, manet voluntas libera ad exequendam omiſsionem, vel nihil exterius agendo vel exercendo actum externum cum eo, qui omittitur, incompoſsibilem, aſſumptumque à voluntate vt mediū ad omittendum: quemadmodum adhuc poſtquam aliquis decreuit occidere Petrum, v. g. remanet indifferens ad exequendam occiſionem medio hoc actu, vel illo, vt confodiendo eum gladio, vel propinando illi venenum, &c. ſicut ergo in hoc caſu quicunque actus ad exequendum deſtinatum homicidium aſſumatur, eſt cauſa occiſionis, & vitiatur ab illa: ita in eo, de quo loquimur, quicunque ſumatur vt medium ad omiſsionem, quàm voluntas decreuerat, erit eius cauſa, & ab illa vitiabitur. *Deficit.*

Legitimus modus rem explicandi. *D. Thom. Cornejo. Curiel. Monteſ. Zumel.* 74. Quare relictis his & aliis dicendi modis, legitimus rem hanc explicādi deſumitur ex doctrina D. Thomæ, & illum ſequuntur quoad rem ipſam N. Cornejo, Curiel, Monteſ. Zumel, & alij ex Thomiſtis, quamvis in modo loquendi diſcriminari videantur. Pro quo ſit vniuerſalis regula: omnis actus, qui præſupponit cauſam totalem completam, & adæquatam totius omiſſionis, ſiue interiorem, ſiue exteriorem, etiamſi talis actus incompoſsibilis ſit cum actu, qui omittitur, habet ſe purè vt comitans, & non vitiatur, ab omiſsione: qui verò prædictam cauſam non ſupponit, eſtque cum adimpletione præcepti incompoſsibilis, concurrit ad omiſſionem vt cauſa, & ab ea vitiatur. Prima pars huius regulæ ex terminis videtur nota: nam ſi actus præſupponit adæquatam, & completam cauſam omiſsionis; ergo ipſe non habet reſpectu illius rationem cauſæ; aliàs præſupponeret cauſam eius completam; & non præſupponeret, ſed illam conſtitueret vel compleret. ¶ Et confirmatur ex communi doctrina diſcipulorum D. Thomæ, quam expendunt N. Complutenſes lib 2. Phyſic. diſp. 15. quæſt. 3. quia vnus & idem numero effectus nequit procedere ex duabus cauſis totalibus & completis: ergo eo ipſo quòd aliquis actus præſupponat cauſam omiſsionis totalem & completam nequit ipſe eſſe etiam cauſa eiuſdem omiſsionis.

Euaſio. Occurrit Valentia, ſaltem effectum moralem (quicquid ſit de effectu phyſico) poſſe effici à duabus cauſis adæquatis & totalibus: nam ſi vnus homo percutiatur mortiferè ſimul à duobus, vterque dicitur homicida, & cauſa totalis illius mortis.

Impugnatur. 74. Sed hanc euaſionem impugnat N. Cornejo. Tum quia rationes, quibus oſtenditur, eundem effectū phyſicum non poſſe produci à duabus cauſis totalibus completis, conuincunt idē de effectu morali: non enim impoſſibilitas hæc prouenit ex ſpecialiratione cauſæ phyſicæ, ſed ex ratione communi cauſæ totalis & completæ. Tum etiam quia exemplum de morte cauſata à duobus, phyſicum eſt, nec conuincit: nam vel mors ſecundum effectum non eſt ab vtroque, ſed ab vno tantùm; quamvis alter etiam dicatur *homicida* propter voluntatem, quam habuit occidendi, & propter vulnus lethale, quo inferret mortem, niſi ab alio præueniretur: vel ſi eſt ab vtroque, non erit vt à cauſis totalibus, ſed vt à duabus partialibus: dabitur enim aliquid in illo effectu, reſpectu cuius vterque occidens eſt cauſa partialis, & quod nullus eorum ſolus efficeret ex vi præſentis actionis: vt quòd citiùs vel ſæviùs moriatur. ¶ Adde, neque omiſſionem eſſe ſolummodo effectum moralem; ſed potius influxus ille, quē exercet in eam actus, qui eſt cauſa omittendi, ſpectat ad ordinem phyſicum, vt influxus indirectus & ſecundarius: ſicut enim omiſſio non tantùm moraliter; ſed phyſicè & re ipſa oritur à voluntate, quamvis ſecundariò & indirectè; ſic eodem modo oritur ex prædicto actu.

Secunda verò pars prædictæ regulæ facilè etiam ſuadetur: quia actus, qui non præſupponit cauſam completam & adæquatam omiſſionis; & aliàs eſt incompoſſibilis cum adimpletione præcepti, determinat voluntatem, & eſt ei ratio vt omittat: ob idque voluntas, quæ ante prædictū actum manebat indeterminata & indifferens, poſito illo, & ex vi ipſius manet determinata ad omittendum: verè ergo talis actus eſt omiſſionis cauſa, & non ſe habet purè concomitāter. ¶ Confirmatur: quia talis actus eo ipſo quòd nō eſt compoſſibilis cum adimpletione præcepti, quantum eſt ex ſe, adeoque niſi ab alio influxus eius impediatur, eſt ſufficiens cauſare omiſſionē;

Digitized by Google

Sed vbi non ſupponitur cauſa omittendi completa & adæquata, nihil eſt quod impediat prædictum influxum:ergo exercebit illud de facto, & habebit rationem cauſæ.

§. II.

Obiectiones aduerſus traditam regulam.

Diluitur prima obiectio.

75. VErùm contra priorem partem hujus noſtræ regulæ obiicies primò id, quod in fauorem primi modi dicendi nu 71. adduximus. Sed facilè iuxta ſolutionem ibi datam reſpondetur, actum illum incompoſſibilem cum adimpletione præcepti, etiamſi aliàs quantum eſt ex ſe, eſſet ſufficiens ad cauſandum omiſſionem; non tamē ibi & tunc poſſe de facto illam cauſare, aut præbere in ordine ad hoc aliquem influxū, quia ſupponitur alia cauſa adæquata & cōpleta, quæ proinde reddit impoſſibilem influxum cuiuſcunque alterius cauſæ. Neque vrget impugnatio, quæ ibidem fit: nam licèt non ſit neceſſarium ad hoc vt actus dicatur cauſa omiſſionis, & ab ea vitietur, quòd omiſſio de facto ab illo procedat; requiritur tamen, quòd hic & nunc quādo actus ponitur, poſſit ab eo procedere, & quòd de facto procedat, niſi talis actus ante effectum ſequutum remoueatur. Siue (quod idem eſt) requiritur, vt pro illo ſigno, in quo actus ponitur, non præexiſtat aliquid, quod eius cauſalitatem & influxum in omiſſionem reddat impoſſibilē: nam eo ipſo quod in prædicto ſigno tale quid præ exiſteret, non poneretur actus vt potens ibi & tunc cauſare omiſſionem: imo neque poneretur formaliter vt cauſa adhuc in actu primo; ſed tantùm materialiter: ſiquidem quando ponitur, ſupponitur iam impotens ibi & tunc ad cauſandum. Itaque quando actus cum adimpletione præcepti impoſſibilis non præſupponit alium, qui ſit cauſa completa; adhuc dum ponitur, verificatur de eo, quòd poteſt ibi & tunc illam cauſare: & ideo ponitur vt cauſa formaliter, ipſaque omiſſio virtualiter in illo ponitur, & eſt volita: quod ſufficit vt actus ab ea vitietur. Quando verò actus prædictus præſupponit integram omiſſionis cauſam; in illo eodem ſigno in quo ponitur, repugnat iam ei cauſalitas: & ita nec ponitur vt cauſa formaliter, nec omiſſio in illo cauſaliter vel virtualiter ponitur, aut eſt volita; nec proinde poteſt ab ea vitiari talis actus.

Secunda obiectio.

76. Secundò obiicies, quòd cùm voluntas per ſuum propoſitum abſolutum eſt determinata ad non adimplendum præceptum, datur in ea ſufficiens & adæquata cauſa omittendi: & nihilominus actus ſuperueniens incompoſſibilis cum adimpletione influit in omiſſionem, & vitiatur ab illa: ergo, &c. Maior videtur perſpicua: quia ſtante determinatione illa & propoſito omittēdi, etiamſi nullus alius actus ſuperueniat, ſequetur omiſſio; nec voluntas poteſt in ſenſu compoſito non omittere: ergo eſt ibi ſufficiens, & adæquata cauſa omittendi. Minor verò probatur: nam ſi ſacerdos nauigationem faciens, initio ſtatuat in tota illa non recitare diuinum officium; & manente hoc propoſito, breuiarium in mare proiiciat, peccat in iſto actu; eſtque talis proiectio cauſa omiſſionum omnium ſubſequentium. Similiter ſi quis proponat aliena bona non reſtituere, & ſub hoc propoſito donet illa amicis, aut aliter expendat, in ea expenſione: eo quòd redditur impotens ad reſtituendum. Et idem dicendum eſt de illo, qui poſtquam ſtatuit non audire Sacrum, ſe inebriat, velit dormire, aut ita ſe elongat ab Eccleſia, vt quando vrgeat præceptum audire non poſſit: ergo huiuſmodi actus, adhuc ſtante voluntatis denominatione de omittendo, concurrunt ad omiſſionem.

Eneruatur.

Reſpondetur propoſitum voluntatis, quantumvis firmum, ſolùm poſſe eſſe completam cauſam omittendi, in ſenſu compoſito, ſeu ſuppoſito quòd duret: ac proinde reſpectu illius omiſſionis, cum qua actu coniungitur: quia verò prædictum propoſitum per ſe, & ab intrinſeco variabile eſt; ab intrinſeco habet quòd poſſit retractari, & pro libito voluntatis non pertingere ſuo influxu ad futuras omiſſiones; ideoque reſpectu harum non eſt cauſa completa. Vnde actus incompoſſibilis cum adimpletione præcepti huic propoſito ſuperueniens, quamvis non ſit cauſa illius omiſſionis, quæ eſt ſimul cum propoſito; poteſt tamen eſſe cauſa ſubſequentium: quia reſpectu iſtarum non ſupponitur cauſa completa abſolutè, & ſimpliciter; ſed ipſemet actus eam complet. Per quod patet tum ad maiorem hujus obiectionis: nam quòd voluntas, ſtante illo propoſito, nequeat in ſenſu compoſito non omittere, ſolùm probat prædictum propoſitū eſſe cauſam adæquatam illius omiſſionis, cum qua ſe ipſo coniungitur; non autem reſpectu futurarum: poſſent enim omiſſiones iſtæ ex vi illius propoſiti non ſequi. Tum etiam ad minorem: nam proiectio illa breviarij: idcirco eſt mala, & cauſa omiſſionum ſubſequentium, quia reſpectu earum non ſupponit cauſam adæquatam, & completam; ſed ſolùm incompletam, nempe propoſitum voluntatis ab intrinſeco variabile: quod proinde vt ſit cauſa completa, eget firmari per alium actum inuariabilem ab intrinſeco, ex quo futuræ omiſſiones neceſſariò, ſeu impedibiliter (ſaltem per ſe loquendo) ſuo tempore ſequantur: & huiuſmodi eſt breuiarij proiectio, & alij actus vt *dormire*, *inebriari*, &c.

77. Diximus *per alium actum inuariabilem ab intrinſeco*, &c. vt ſunt hi, quos modò retulimus: quia ſi actus ſuperueniens propoſito omittendi, eodem modo eſſet variabilis, poſſetque pro libito interrumpi, etiamſi ſit incompoſſibilis in ſenſu compoſito cum adimpletione præcepti, dummodo non ſumatur vt medium ad omittendum, non erit cauſa omiſſionis. Et ideo ſi quis determinatus non audire Sacrum propter pluuiam, vel ob vitandum itineris laborem; ſtudeat, aut ludat, ne remaneat otioſus, etiamſi huiuſmodi actus ſint incompoſsibiles cum auditione Sacri non ſunt cauſa omiſsionis, quoties durat propoſitum omittendi ob alios fines. Et ratio eſt: quia huiuſmodi actus non ſunt magis incompoſsibiles cum auditione Sacri quàm propoſitum de non audiendo; nec aliter poſſunt eſſe cauſa omittendi, quàm prædictum propoſitum: nam ſicut hoc ab intrinſeco eſt variabile, & poteſt pro libito interrūpi, & non influere in omiſsionem: ſic etiam prædicti actus poſſunt pro libito deſeri, & ad omiſsionem non concurrere. Vnde quia tales actus non magis determinant voluntatem ad omittendum, quàm nudum propoſitum; neque in ratione cauſæ addunt aliquid ſupra illud, totaque eorum vis cauſatiua omiſſionis (vt ita dicamus) in illo continetur: idcirco

quoti

quoties propoſitum omnino antecedit, & perſiſtit, nequeunt ipſi habere ſimul rationem cauſæ.

Replica.

78. Vnde non obeſt ſi vrgeas, quod manente illo propoſito omittendi, poteſt ſtudium concurrere ad exequutionem omiſſionis: ergo vel addit aliquid ſupra propoſitum in ratione cauſæ; vel poteſt duplex cauſa omnino eodem modo ad omiſſionem concurrere.

Diluitur.

¶ Reſpondetur enim propoſitum & ſtudium, quoties hoc, manente illo, concurrit ad exequutionem omiſſionis, non eſſe duas cauſas, ſed vnam & eandem: nam neque propoſitum eſt cauſa niſi in ordine ad ſtudium: neque ſtudium niſi vt exequens & implens propoſitum. Pro quo nota quòd propoſitum de non audiendo Sacro v.g. poteſt fieri dupliciter: vel ſine ordine ad aliud opus præciſè ob vitandum laborem, vel exercendam libertatem, vel poteſt fieri cum ordine ad prædictum opus: vt cum aliquis proponit omittere, vt interea ſtudeat. Similiter illud opus, puta ſtudium, poteſt exerceri vel ſine reſpectu ad propoſitum omittendi: vt cùm determinatus quis omittere ſine alio reſpectu quàm ad vitandum itineris laborem, vel alium ſimilem; ſtudet interea ad excludendum otium: vel poteſt exerceri cum reſpectu ad prædictum propoſitum: vt ſi quis eo fine ſtudeat, vt adimpleat propoſitum omittendi. Quando ergo propoſitum omittendi non fit in ordine ad ſtudendum, neque ſtudium exercetur cum reſpectu ad propoſitum, non integrant aliquam vnam cauſam; ſed diſparatè ſe habent: & ideo quia propoſitum præcedit, & eſt cauſa ſufficiens reſpectu omiſſionis; ſtudium ſuperueniẽs non poteſt habere reſpectu illius rationem cauſæ. Quoties verò propoſitũ fit cum reſpectu ad ſtudiũ, vel ſtudium aſſumitur in ordine ad adimplendum propoſitum; conſtituunt vnum numero actum in genere moris; ſicut actus interior & exterior: & ideo tunc non ſunt duæ cauſæ totales; ſed ex vtroque vna integratur: quia neque propoſitum eſt cauſa omiſſionis niſi ordine ad ſtudium, vt ad finem vel medium; neque ſtudium influit in illam niſi vt exequutio propoſiti.

Dvbivm VI.

Vtrum omiſſio quæ ſolùm eſt voluntaria in cauſa, ſit in ſe formaliter peccatum?

79. EXpediti ab actibus, qui ſunt cauſa omittendi, redimus iterum ad omiſſionem, vt plenè conſtet, qualiter ipſi competat ratio peccati. Quia licet perſpicuum ſit, omnem omiſſionem actus debiti, quovis modo accidat, eſſe obiectiuè peccaminoſam; non tamen eſt ita exploratum, an omnis talis omiſſio ſit formaliter peccatum in ſe ipſa? Quamvis enim nemo id dubitaverit de omiſſione, quæ eſt voluntaria & libera in ſe (ſiue intrinſecè, vt de omiſſione actus interni dub. 1. diximus: ſiue extrinſecè, vt diximus de omiſſione actus externi;) de omiſſione tamen, quæ ſolùm eſt libera & voluntaria in ſua cauſa, eſt non levis controuerſia. Dicitur autem omiſſio aliqua *voluntaria in ſe*; quia quando ipſa exercetur, & vrget tempus præceptum adimplendi, eſt in poteſtate volũtatis exercere vel non exercere: ſeu (quod idem eſt) exercere vel non exercere actum, ad quem tenetur. *Voluntaria* verò *ſolùm in cauſa* tunc dicitur, quando quis dedit liberè cauſam omittendi; tempore tamen non quo vrget præceptum, iam non eſt in eius poteſtate non omittere: vel quia non aduertit præcepti obligationem, vt ſi ſit dormiens aut ebrius: vel quia licet aduertat, nequit iam removere actum, qui eſt omiſſionis cauſa: vt ſi quis proiecit breuiarium in mare, & poſtea vrgente præcepto recitare non poteſt. Suppoſito ergo quòd omiſſio, quoties in ſe eſt voluntaria, ipſa & non ſolùm eius cauſa ſit formaliter peccatum, de quo (vt diximus) nullus dubitat: quæritur an vbi ſolùm eſt voluntaria in ſua cauſa, ſit etiam peccatum formaliter in ſe ipſa: ita vt omittens non ſolùm formaliter peccet, quando dat cauſam; ſed etiam quando actu vrget præceptum, & omittit: aut verò ſolùm ſit peccatum in ipſa cauſa; in ſe autem dumtaxat peccati effectus.

§. I.

Sententia Angelici Doctoris.

80. DIcendum eſt omiſſionem prædictam non tantùm in ſua cauſa, ſed etiam in ſeipſa eſſe formaliter peccatum: adeoque omittentem ex cauſa voluntaria non modò peccare, quando apponit cauſam, ſed etiam quãdo de facto omittit; licet tunc nec ſit ſui compos, neque habeat facultatem ad non omittendum. Hæc aſſertio eſt expreſſa D. Thomæ 2.2. q. 79. art. 3. ad 3. vbi ſic ait: *Pracepta autem affirmatiua non obligant ad ſemper, ſed ad tempus determinatum, & pro illo tempore peccatum omiſſionis incipit eſſe. Poteſt autem contingere, quod aliquis tunc ſit impotens ad faciendũ quod debet: quod quidem ſi ſit præter ejus culpã, non omittit quod debet, vt dictum eſt: ſi vero ſit propter ejus culpam præcedentem, puta cum aliquis de ſerò ſe inebriauit; & non poteſt ſurgere ad matutinas, vt debet; dicunt quidam, quod tunc incipit peccatum omiſſionis, quando aliquis ſe applicat ad actũ illicitum & incompoſſibilem cum illo actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum: quia dato quòd excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Vnde patet quod præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa. Vnde dicendum eſt, quod omiſſio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; tamen propter cauſam præcedentem, ex qua omiſſio ſequens redditur voluntaria.* D.Thom.

Reſpondet Vaſquez, mentem D. Thomæ in hoc loco eſſe difficilem; poſſe tamen verificari eius ſententiam, ſi intelligatur de omiſſione non vt imputabili & culpabili; ſed vt eſt priuatio quædam actus naturalis. Quam etiam ſolutionem adhibent Zumel, & Curiel dicentes, Angel. Doctorem non loqui de omiſſionis peccato quoad culpam; ſed quoad exequutionem omiſſionis. ¶ Sed cum D. Thom. expreſsè dicat omiſſionem contingentem tempore ſomni (de hac enim loquitur) tunc incipere imputari ad culpã; liquet expoſitionem hanc violentam eſſe, & manifeſtè contra textum. Idipſum docet eadem 2.2. q. 150. art. 4. & in hac 1.2. q. 76. art. 3. ad 3. & q. 77. art. 7. De mal. q. 2. art. 1. ad 11. q. 3. art. 7. ad 12. & art. 10. in corp. & quæſt. 28. de verit. art. 3. ad 7. Necnon in 2. diſt. 22. quæſt. 2. art. 1. ad 4. & diſt. 36. quæſt. 1. art. 3 ad 4. aliiſque in locis. Quem ſequuntur Caietanus 2.2. quæ. 150. art. 4. & quæſt. 154. art. 5. Soto in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. art. 7. Syluester in ſumm. verbo *omiſſio*. Durandus in 2. diſt. 35. quæſt. 1. num. 9. Corduba lib. 2. quæſt. 23.

Vaſquez. Zumel. Curiel. D.Thom. Caiet. Soto. Sylveſt. Durand. Corduba.

Conrad. Medina. Cornejo. Aluar. Monteſ. Greg. Mart. Araujo. Lorca. Suar. Valent. Salas.

Conradus in præſenti, vbi etiam Medina dub. 4. N. Cornejo diſp. 3. dub. 13. Aluar. diſp. 127. Monteſ. diſp. 2. qu. 4. Greg. Mart. dub. 4. Araujo dub. 3. Lorca diſp. 4. Suar diſp. 3. de peccatis ſect. 4. n. 9. Valent. diſp. 6. qu. 1. punct. 4. dub. 3. Salas ſect. 9. num. 199. pluresque alij tam ex Thomiſtis, quàm ex extraneis.

Prima ratio.

81. Probatur ratione: quoniam omiſſio voluntaria in cauſa, in ſe ipſa formaliter opponitur præcepto affirmatiuo exercendi actum omiſſum: ergo eſt formaliter in ſe peccatum. Conſequentia liquet: nam peccatum formaliter nihil aliud eſt quàm actus vel omiſſio voluntaria contra præceptum. Antecedens verò ſuadetur. Tum quia præceptum de audiendo Sacro, v. g. ſicut formaliter & in ſe præcipit Sacri auditionem, ſic etiam prohibet in ſe ejus omiſſionem: imo non eſt aliud prohibere in ſe omiſſionem, niſi Sacrum præcipere. Tum etiam quia actus, qui eſt cauſa prædictæ omiſſionis, eatenus prohibetur per illud præceptum, quatenus prohibetur omiſſio; & niſi hæc ſecundum ſe prohiberetur, non prohiberetur prædictus actus: ergo, &c. *propter quod enim vnumquodque tale*, &c.

Euaſio.

Dices cum Curiel, prædictam omiſſionem prohiberi per præceptum affirmatiuũ, non quia ipſa ſit peccatum & mala formaliter: ſed quia eſt obiectum actus peccaminoſi, illius ſcilicet, qui eſt cauſa omittendi.

Præciditur

¶ Sed hoc facile impugnatur. Tum quia omiſſionem prohiberi ſolùm vt obiectum, non eſt prohiberi directè & immediatè aut ratione ſui, ſed indirectè & mediante actu, cujus eſt obiectum: præcepta enim non dantur immediatè de obiectis, ſicut nec dantur immediatè de habitibus; ſed de actibus & exercitiis voluntariis: atqui præceptum affirmatiuum non prohibet omiſſionem indirectè aut mediante actu, qui eſt eius cauſa; ſed immediatè ratione ſui; potiuſque illum actum prohibet indirectè & mediante omiſſione: & ideo prius debemus intelligere hanc prohibitam eſſe per tale præceptum, quàm intelligamus prohiberi prædictum actum: ergo non prohibetur ſolùm vt obiectum. Tum etiam quia præceptum audiendi Sacrum v. g. eodem modo prohibet omnem Sacri omiſſionem in diebus feſtiuis ſiue talis omiſſio ſit voluntaria in ſe, ſiue in cauſa, imo ſiue ſit voluntaria, ſiue non: quia defectus voluntarij non aufert vel mutat prohibitionem; ſed ea inuariata permanente, excuſat à malitia præcepti tranſgreſſionem vel omiſſionem: vt magis declarabimus diſp. 13. dub. vlt. atqui omiſſio, quæ eſt volũtaria in ſe, non prohibetur præciſè vt obiectũ, ſed exercitium, & vt mala formaliter: ergo etiam ſic prohibetur, quæ eſt voluntaria in cauſa.

Alia ratio.

82. Secundò probatur noſtra concluſio, & ſimul præcedens impugnatio roboratur: quia ſi omittere Sacrũ tempore ſomni ex cauſa voluntaria non eſſet peccatum; nec etiam eſſet peccatum velle ſic omittere; nec peccaret, qui daret cauſã tali omiſſioni: at hoc concedi nequit: ergo neque illud. Minor & conſequentia conſtant: maior autem ſuadetur: quia velle id, quod in ſe (ſaltem ex aliqua circunſtantia) peccatũ non eſt, aut dare illi cauſam, non poteſt eſſe peccatum: vt enim docet D. Th. ſupra q. 19. art. 1. bonitas & malitia actus voluntatis tota dependet ex re volita: & ita repugnat talẽ actum habere malitiam, niſi res directè vel interpretatiuè volita, ſit mala: ergo niſi omiſſio, quæ dormiendo contingit, eſſet mala & peccatum, non eſſet malus actus voluntatis, qui eſſet volitio, vel cauſa talis omiſſionis.

Confirmatur

Confirmatur: nam cuilibet deſiderare licet id, quod vt ab eo exercitum, non eſt peccatum: nulli autem licitum eſt abſolutè deſiderare omittere ex cauſa voluntaria; etiamſi omiſſio, quæ deſideratur, exercenda ſit ſine libertate: imo ſi quis poſita tali cauſa, vt proiecto in mare breuiario, haberet hunc actum, *volo ex cauſa hac, quæ iam poſita eſt, diuinum officium omittere*, aut *volo omiſſionem eius, quæ neceſſariò ſequitur ex tali cauſa*, peccaret ſine dubio in ea volitione, vt dicemus diſputatione 11. num. 34. ergo talis omiſſio in ſeipſa, vt prædicto modo exercita, eſt mala & peccatum.

Effugium duplex.

83. Ad hæc Vaſquez & alij ex aduerſariis negantibus prædictam omiſſionem eſſe peccatum in ſeipſa, reſpondent, ideo non licere eam deſiderare, aut dare illi cauſam, quia eſt peccati effectus, & peccatum in ſua cauſa. Alij verò dicunt, ex ratione noſtra ad ſummum ſequi, prædictam omiſſionem eſſe malam materialiter & obiectiuè, ſeu per modum materiæ, & obiecti alterius actus: hoc enim ſufficit, vt deſiderare illam, dareque illi operam ſit omnino illicitum; non autem ſequitur; prædictam omiſſionem eſſe formaliter malam, & imputabilem ad culpam, prout nunc de ea loquimur.

Impugnatur primum.

Sed prima euaſio nullius momenti eſt: quoniam effectus peccati, qui in ſe ipſis peccata non ſunt, ſed tantum in ſua cauſa, licitè poſſunt deſiderari; licet enim mulieri, quæ per adulterium concepit deſiderare partum; quamvis ſit effectus peccati adulterij, & peccatum in illo: ſicut etiam licet ei, qui contra Eccleſiæ præceptum comedit carnes feria ſexta, deſiderare nutriri ex illis, & augeri, quamvis nutritio & augmentatio ſit effectus comeſtionis peccaminoſæ: idemque in pluribus aliis cernere licet. Ergo quod omiſsio, de qua loquimur, ſit peccati effectus, non tollit quominus ſecundum ſe licitè deſiderari poſsit, ſi ſemel in ſeipſa non participat rationem peccati. Quod autem dicitur, ideo eſſe illicitum deſiderare prædictam omiſsionem, quia ipſa eſt peccatum in ſua cauſa, eſt petitio principij: ſupponitur enim, cauſam omiſsionis vt talem eſſe formaliter peccatum ſine eo quòd ipſa omiſsio vllo modo peccaminoſa ſit: quæ ſuppoſitio involuit contradictionem. Manifeſtè namque repugnat, quòd cauſa alicujus effectus in quantum eius cauſa, adeoque ex ordine ad ipſum effectum ſit mala, niſi talis effectus ſit malus: imo nulla poteſt eſſe ratio malitiæ cauſæ, vt cauſæ, niſi malitia effectus; qui ergo ab effectu, qui eſt omiſsio, tollit omnem malitiam, à fortiori debet illam excludere ab actu, qui eſt cauſa omittendi. Sanè ſi quæratur, cur ſi malum dare cauſam omiſsioni Sacri in ſomno vel ebrietate euenturæ; non verò dare cauſam omiſsioni homicidij? nulla alia aſsignabitur, niſi quia prima omiſsio eſt mala; non autem ſecunda: ergo manifeſtè petit principium, qui vt reddat rationem cur ſit illicitum primam illam omiſsionem appetere; cùm tamen non ſit illicitum apponere ſecundam, recurrit ad ſolam malitiam cauſæ.

Impugnatur ſecundum.

84. Secunda verò euaſio quamvis maiorem probabilitatis ſpeciem præſeferat, poteſt etiam efficaciter impugnari. Quoniã omiſsio vel actus exterior, quæ ſecundum ſe & per modum obiecti conſiderata, ſunt mala obiectiuè; eo ipſo efficiũtur mala formaliter, importanturque ad culpam, ſi in rerum natura ponantur per modum actus

actus ſecundi medio aliquo influxu voluntatis, ratione cujus comparatur ad illam tanquam ejus effectus: ſed omiſſio in caſu, de quo loquimur, ponitur in rerum natura per influxum voluntatis, cum ex cauſa voluntaria ponatur: ergo ſi ſecundum ſe eſt mala objectivè, ex vi talis influxus redditur mala formaliter & imputabilis ad culpam. Minor & conſequentia conſtant: major verò probatur quia diſtinctio peccati penes formale & objectivum in eo dumtaxat conſiſtit, quòd peccatum objectivè ſumptum comparatur ad voluntatem tanquam objectum ab ea appetibile: quod proinde in genere cauſæ formalis eſt prius, & ſpecificat ejus actum, datque illi malitiam per modum termini & radicis: formaliter verò acceptum idem peccatum comparatur ad voluntatem, ſicut effectus ex illa ortus, vel elicitivè: vel imperativè: nam quia de ratione peccati formaliter ſumpti eſt, quòd ſit malum voluntarium; voluntarium autem dicit ortum à voluntate; idcirco quicquid ab *eſſe* objecti peccaminoſi voluntatis tranſit ad *eſſe* exercitij & effectus, tranſit eo ipſo à ratione peccati objectivè ad rationem peccati formalis.

Confirmatur; nam omiſſio, quæ ſecundum ſe eſt mala objectivè; eo ipſo quòd ex cauſa voluntaria procedat, habet quicquid requiritur, ut mediante prædicta cauſa tribuatur voluntati, & illi imputetur: ergo eo ipſo eſt formaliter peccatum: nihil enim aliud eſt peccatum formaliter acceptum, niſi malum prohibitum, quod poteſt tribui & imputari voluntati. Nec refert an prædictum malum ſit à voluntate, ſicut eſt actus elicitus; vel mediante alia cauſa, ſicut eſt omiſſio, de qua loquimur: quia ad rationem peccati formalis ſufficit hoc poſterius, ut patet in actibus vel motibus purè externis: qui non ſunt à voluntate immediatè; ſed mediis actibus elicitis, & non idcirco amittunt rationem peccati formalis.

§. II.

Alia ratio pro noſtra aſſertione.

85. Tertia ratio pro noſtra aſſertione poteſt ita efformari. In peccatis commiſſionis ſufficit libertas in caſu, ut aliquid ſit in ſe formaliter peccatum: ergo eadem libertas ſufficiet in peccato omiſſionis. Conſequentia (cujus bonitatem Adverſarij non negant) conſtat à paritate rationis. Antecedens verò ſuadetur: nam ſi quis voluntariè ſe inebriet, aut ſomno committat, prævidens futurum eſſe, quòd in ebrietate vel ſomno faciet homicidium: aut ſi mittat, venenum abſenti, quo illum occidat; non ſolùm peccat quando dat cauſam; ſed etiam quando de facto occidit; quamvis tunc nullam jam habeat formalem libertatem, quam habuit in cauſa. Vnde talis homicida ſi occidit clericum, manet excommunicatus, ſequuta occaſione, & non antea: ut docet gloſſa in caput *Mulieres* de ſentent. excommunicat. Paludanus in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 2. Sylveſter verbo *Excommunicatio* num. 5. & alij. Deſumiturque ex cap. *Sanè*, 15. quæſt. 1. excommunicatio autem non incurritur niſi propter peccatum formaliter: ergo in ſe eſt tale prædictum homicidium.

Palud. Sylveſt.

Confirmatio tertiæ rationis. Confirmatur: quia ſi mulier virgo eo animo inebrietur, aut ſomno ſe committat, ut ebria vel dormiens à viro defloretur; non ſolùm peccat quando ſe inebriat, vel ſomno committit; ſed etiam in ipſa actuali defloratione: ſed hujuſmodi defloratio tantùm fuit voluntaria in cauſa: ergo, &c. Major ſuadetur: nam mulier illa per talem deflorationē omittit irreparabiliter virginitatem quoad ea, quæ virginitas per ſe de materiali importat, ita ut quantumcunque poſtea pœniteat, implicet quòd remaneat ſimpliciter virgo: at virginitas extra matrimonium non amittitur irreparabiliter niſi per peccatum, ut docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 152. art. 3. & in 4 diſt. 33. quæſt. 3. art. 1. ergo non ſolùm cauſa illius deflorationis, ſed ipſa actualis defloratio eſt formaliter peccaminoſa.

86. Occurrunt Adverſarij, in caſu argumenti incurri excommunicationem, non propter exterius homicidium, ſed propter præcedentem voluntatem formalem vel interpretativam occidendi; quamvis non niſi ſequuto exteriore homicidio: quia conſequutio hujus effectus eſt conditio petita à jure, ut incurratur illa pœna. Ita Vaſq. Curiel, & alij. Confirmationem autem non videntur prævidiſſe; ex eorum tamen doctrina fortè poterit ei occurri; non quidem negando in caſu propoſito omitti irreparabiliter virginitatem (abſurdum namque videtur dicere mulierem illam, quantumcunque pœniteat, poſſe manere ſimpliciter virginem, virginitatiſque aureola in cœlo decorandum: & ideo D. Thom. cit. diſt. 33. in ſolut. ad 6. cum dixiſſet mulieres, quæ in ſomnis à viris cognoſcuntur, non amittere per hoc virginitatem, addidit: Niſi fortè hoc intentione dormitum irent ut à viro cognoſcerentur;) ſed aſſerendo vel virginitatem tunc quantum ad id, quod in ea eſt irreparabile, amitti ſine peccato: vel amitti per peccaminoſam voluntatem, quam mulier illa prius habuit, ut dormiens defloraretur; expectata tamen ut conditione neceſſaria defloratione externa. *Evaſio.*

Cæterùm evaſio, quæ adhibetur argumento, nequaquam illud ſoluit: nam excommunicatio lata in percuſſores clericorum non imponitur, neque incurritur propter ſolam interiorem voluntatem occidendi: neque enim interiores actus directe & per ſe ſubjacent humano eccleſiæ judicio, aut ab ea puniuntur: ergo incurritur propter ipſum exterius opus homicidij: non autem incurritur niſi propter id, quod eſt formaliter peccatum: ergo &c. Præterea, qui volens clericū occidere, porrexit ei venenum: ſi antequam effectus ſequatur verè pœniteat, retractetque priorem voluntatem, faciens quod in ſe eſt, ut impediat homicidium, etiam illo ſequuto, non manet excommunicatus: quia nullus verè pœnitens & reditus jam ad gratiam, incurrit majorem excommunicationem: manet tamen excommunicatus, ſi talem voluntatem non retractet. Hujus autem nulla alia ratio poteſt eſſe, niſi quia prædictum homicidium, retractata voluntate, non eſt formaliter peccatum, quamvis ſit peccati effectus; illa verò non retractata, non ſolùm eſt peccati effectus, ſed etiam formaliter peccatum: aliàs ſi in utroque caſu eſſet tãtùm peccati effectus, ut Adverſarij volunt, & in nullo formaliter peccatum; deberet occidens vel in utroque vel in nullo excommunicationem incurrere. *Impugnatur.*

87. Dices primò cum Curiel, in utroque caſu incurri excommunicationem: addit Vaſquez, ita affirmare omnes, qui tenent, retractata voluntate occidendi, eventum ſequutum non eſſe peccatum. ¶ Falsò tamen hoc ait Vaſquez: quia vix eſt noſtræ ſententiæ ſectatoribus, qui ita doceat, *Quædam evaſio.* *Præcluditur.*

doceat. Et contra prædictam ſolutionem urget ſequens ratio: nam cum ad excommunicationẽ requiratur inobedientia & contumacia, ejus, qui excommunicatur: hujuſmodi cenſura locum nõ habet, ubi aliquis reconciliatus Deo per pœnitentiam, facit totum, quod in ſe eſt, ut eccleſiæ mandatis obtemperet, manetque omnino illi ſubjectus: ſicut facit omnis, qui per pœnitentiã reditus eſt ad gratiam. Deinde qui antea dum eſſet contumax & inobediens incurreret excommunicationem; ubi primo Eccleſiæ ſubiicitur, & facit totum, quod in ſe eſt, ut mandato ejus obediat: ſtatim eum Eccleſia (exigente ipſo) à vinculo excommunicationis abſoluit: ergo non eſt credendum, Eccleſiam velle aliquem tunc hujuſmodi cenſuram incurrere, cum verè pœnitet de peccato ſuo, facitque totum, quod in ſe eſt, ut effectus talis peccati non ſequatur: manetque proinde Eccleſiæ obedientiæ plenè ſubjectus.

Alia evaſio. 88. Dices ſecundò, eſſe conditionem ad excommunicationem incurrendam ipſum exterius clericidium, non utcunque, ſed ut habet eſſe effectus voluntatis occidendi non retractatæ: & ita retractata prædicta voluntate, excommunicatio non incurritur: non quia occiſio exterior ſit vel non ſit peccatum; ſed quia deeſt prædicta conditio. *Impugnatur* § Sed contra eſt, quod adverſarij nullum admittunt in occiſione illa diſcrimen, ſive ſequatur ex voluntate occidendi retractata; ſed dicunt omnino eodem modo comparari ad talem voluntatem, & eſſe ejus effectum: quia prædicta occiſio juxta eorum ſententiam non alia ratione ad voluntatem præcedentem comparatur, niſi quia fuit ſemel, per eam volita, ſemelque voluntarie poſita fuit cauſa, quæ illam neceſſario intulit: hujuſmodi autem volitionis & poſitionis ſemel habitæ (inquiunt) nihil poteſt tollere ſequens retractatio; ſed habet ſe quantum ad hoc omnino ac ſi non eſſet: ergo quicquid aliàs ſit de probabilitate hujus ſolutionis, adverſariis, tamen nullo modo ſuffragatur. Deinde quòd ſequuta occiſione, voluntate nondum retractatã, incurratur excommunicatio retractata verò non incurratur; non aliunde poteſt provenire, niſi quia retractata voluntate, redditur occiſio involuntaria; & ita nequit eſſe peccatum, illa verò non retractata, permanet voluntaria, atque adeo capax denominationis *peccati*: recurrit ergo jam hæc ſolutio ad id, quod intendimus, ſcilicet occiſionem prædictam eſſe, aut non eſſe peccatum: & ita coincidit cum noſtra ſententia. Qualiter autem prior voluntas retractanda ſit, ut propter homicidium poſtea ſequutum non incurratur excommunicatio: & an eodem modo de irregularitate orta ex homicidio voluntario, ſicut de excommunicatione philoſophandum ſit? pertinet ad materiam de cenſuris. Videatur hic N. Corneio dub. 13. n. 29. ubi utrunque doctè & eruditè pertractat.

Refutatur ſolutio confirmationis. 89. Solutio etiam adhibita confirmationi facilè refutatur: nam integritas, quæ eſt per ſe materia virginitatis; & qua deperdita, amittitur irreparabiliter virginitas, neque amitti poteſt extra matrimonium ſine peccato; neque amittitur per ſolam voluntatem, vel deſiderium experiendi, venerea, & fornicandi: ergo ſi in caſu illo, ſequuta defloratione, deperditur, ideo eſt, quia prædicta defloratio eſt formaliter peccaminoſa. Conſequentia liquet: antecedens verò quoad primam partem ſuadetur ex D. Tho. 2. 2. quæſt. 152. art. 1. ubi corruptionem carnis, quæ *D. Thom.* virginitatem deſtruit, dicit debere eſſe voluntariam, adeoque (extra matrimonium) peccaminoſam: & quod ubi abſque voluntatis conſenſu contingit, ſive hoc per violentiam, ſive in ſomnis, aut alio quovis modo accidat, non nocet virginitati: unde in ſolut. ad 4. ſic ait: *Dicendum quod delectatio, quæ eſt ex ſeminis reſolutione, dupliciter poteſt contingere: uno modo ut procedat ex mentis propoſito; & ſic tollit virginitatem, &c. Alio modo poteſt provenire præter propoſitum mentis, vel in dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non conſentit, quamvis caro delectationem experiatur: vel etiam ex infirmitate naturæ, ut patet in iis, qui fluxum ſeminis patiuntur: & ſic non deperditur virginitas: quia pollutio non accidit per impudicitiam, quam virginitas excludit.* § Quoad ſecundam verò partem probatur idem antecedens: quia ſolus interior voluntatis conſenſus in actum vel veneream delectationem non deſtruit illud, quod eſt per ſe virginitatis materia, & irreparabile; ſed deſtruit præciſè id, quod ſe tenet ex parte animæ, nempe propoſitum virginitatem perpetuo ſervandi: quod ſe habet in virginitate per modum formæ, ut D. Thom. docet loco cit. hujuſmodi autem propoſitum reſtitui poteſt per pœnitentiam ſicut aliæ virtutes infuſæ; & ita non eſt irreparabile: ergo ſi mulier in caſu propoſito amittit virginitatem irreparabiliter, non amittit illam per ſolum deflorationis deſiderium; ſed per ipſam exteriorem deflorationem, ut habet eſſe in ſe ipſa: adeoque talis defloratio in ſe ipſa eſt peccaminoſa.

90. Dices non ſufficere peccatum præciſe interius; ſed requiri externam deflorationem, non tamen quæ ſit peccatum, ſed peccati effectus. *Effugium* § Sed contra: ponamus mulierem illam taliter ſe voluntariè expoſuiſſe deflorationis periculo, ut poſita cauſa, non eſſet in manu ejus illam effugere; eſſe tamen ei liberum pœnitere. Et ponamus, de facto per veram contritionem præcedentem voluntatem retractaſſe, ac poſtea ſine nova ejus culpa dormiens à viro cognoſci. Sanè in hoc caſu mulier prædicta non amitteret virginitatem: habet enim ſe hujuſmodi defloratio materialiter omnino & per accidens: neque eſſet magis nociva virginitati, ſicut nec magis voluntaria, quàm pollutio, quæ, nulla præcedente cauſa libera, contingit in ſomnis; nam retractata efficaciter voluntate alicujus effectus, effectus non manet per ordinem ad illam voluntarius; quamvis conſervet phyſicè & materialiter rationem effectus: & nihilominus in prædicto caſu adfuit peccatum interius, nempe voluntas fornicandi, qua ſe periculo deflorationis mulier expoſuit, & connotat tanquam effectum ejus deflorationem ſubſequutam: ergo amplius aliquid requiritur, ut virginitas irreparabiliter amittatur: hoc autem non poteſt eſſe aliud, niſi quòd defloratio ſequatur ut peccaminoſa: uti ſequitur, dum per non retractationem conſervat rationem voluntariæ in cauſa.

§. III.

Difficilis obiectio enodatur.

91. PRæter argumenta, quibus ſententia oppoſita communiter fulciri ſolet, ſunt objectiones aliquæ ad infirmanda noſtræ aſſertionis fundamenta, quas oportet primo loco diluere. Obiicies ergo primò, ſequi ex noſtra *Prima obiectio.* doctrina,

Digitized by Google

doctrina, ut illi, qui ex cauſa voluntaria incidit in infirmitatem, imputentur ad culpam remiſſiones præceptorum, quæ toto tempore infirmitatis non adimplet. v.g. ſi quis feria tertia ante cinerem inordinate comedat, prævidens vel prævidere debens inde ſibi morbum futurum, qui perduret tota quadrageſima: ſequitur imputandas eſſe huic ad culpam omiſſiones jejunij, auditionis ſacri, recitationis divini officij, & aliorum præceptorum, quæ in tota illa infirmitate adimplere prætermiſerit: hoc autem durum eſt, & contra ſatis communem Theologorum conſenſum: ergo, &c. Sequela videtur perſpicua: quia omnes iſtæ omiſſiones ſunt infirmo voluntariæ in cauſa, nempe in comeſtione inordinata, quæ cauſavit infirmitatem: & omnes ſunt contra præcepta affirmativa, quibus contrarij actus præcipiuntur: igitur habent quicquid requiſivimus, ut ſint in ſe formaliter peccata.

Confirm. Confirmatur: quia non ob aliam rationem dormienti vel ebrio imputantur juxta noſtram ſententiam, ea, quæ in ebrietate & ſomno omittit, niſi quia voluntariè ſe tradit ſomno vel ebrietati, prævidens aut prævidere debens, inde ſubſequenda eſſe talia peccata: ergo qui prævidet, vel prævidere tenetur, tot omiſſiones ſubſequendas eſſe ex morbo, quem voluntariè aſſumit; non eſt cur ſequutæ non illi imputentur.

92. Difficilis viſa eſt hæc objectio: & re bene inſpecta, etiam militat contra adverſarios: nam omiſſiones voluntarias in cauſa, quas nos ponimus eſſe peccata in ſe, illi dicunt eſſe peccata in ipſa cauſa: & ideo tot admittere debent committi ab infirmo peccata in illa cauſa, & tot in ea reperiri malitias, quot ex noſtra ſententia ſequitur committi ab eodem infirmo peccata in *Prima ſolutio.* ſe ipſis. Aliqui ergo ex iis, qui nobiſcum ſentiunt prædicta objectione convicti admittunt ſequelam, & nullum quoad hoc diſcrimen conſtituunt inter infirmum ex cauſa voluntaria ex una parte, & ebrium vel dormientem ex alia; niſi quòd infirmus poteſt retractare voluntatem, & ita efficere, ut non imputentur ei ſequentes omiſſiones: ſi tamen non retractet, imputabuntur illi, ſicut imputantur ebrio: non quidem omnes, quæ ex infirmitate, præcipuè ſi fuerit diuturna, ſequentur; ſed illæ dumtaxat, quas ſequuturas prævidere debuit: ſuperat enim moralem diligentiam, quam homo ad præcepta adimplenda adhibere tenetur, omnia prævidere, & præcavere cuncta, quæ eorum adimpletionem poterunt impedire. Sic docere videtur Caietanus alios ſuppreſsè referens 2.2. q.150. art.4. Monteſ. in præſenti diſp.2. num.90. & alij. *Caiet. Monteſ.* ¶ Et ſanè, quòd ægris, qui voluntariè in ægritudinem inciderunt, imputentur peccata, quæ committunt in infirmitate poteſt probari ex Concilio Vuormacienſi, & refertur cap. *Si quis* 15. quæſt.1. ubi *Conc. Vuorm.* dicitur, quòd ſi quis inſaniens aliquem occiderit, puniendus eſt, cum ad ſanitatem pervenerit; mitiori tamen pœna, quàm ſi ſanus occidiſſet. Quod (inquit ibi Gratianus) intelligendum eſt de eo, quem propria culpa ad inſaniam perduxit: cum autem inſania ſit quædam corporalis infirmitas, & non puniantur, niſi quæ mala & imputabilia ſunt; manifeſtè deducitur, imputari ægris ut peccata illa omnia, quæ in infirmitate ex cauſa voluntaria committunt.

Deſeritur. 93. Hæc tamen reſolutio rigida videtur, & ſcrupulis valde expoſita; ob idque pluribus aliis Theologis diſplicet. Et ſane juxta illam admonẽdus eſſet ille infirmus (ſaltem dum per veram pœnitentiam præcedens peccatum non retractat) ut etiam cum vitæ periculo jejunaret, ſacrum audiret, recitaret, &c. quorum omiſſiones imputantur ei ut peccata: quandoquidem etiam cum periculo vitæ tenetur quis peccatum ſuum vitare. Et dato quòd veram habuiſſet pœnitentiam, teneretur adhibere omnem moralem diligentiam, ut illæ omiſſiones non ſequerentur: quia pœnitentia nõ excludit obligationem vitandi, quantum poſſibile eſt, id quod ſecundum ſe eſt peccatum: quod tamen communis uſus etiam timoratorum non oſtendit. Præterea infirmi ſcrupulis valde angerentur, affligi ſque daretur magna afflictio, ſi putarent ſe peccare in tot illis omiſſionibus, quas vitare jam nequeunt, niſi priorem voluntatem per veram pœnitentiam retractent: ergo &c. Id verò, quod adducitur ex Concilio Vuormacienſi, non obſtat: quia concilium loquitur de peccato contra jus naturale, ſcilicet de peccato homicidij: non eſt autem eadem ratio de hujuſmodi peccatis, ac de peccatis contra jus poſitivum, de quibus nunc loquimur, ut ex dicendis conſtabit: & ideo quamvis peccatum homicidij & ſimilia imputentur infirmo, ſi illa prævidit, & culpa ſua incidit in infirmitatem, non ſequitur imputandas eſſe illi prædictas omiſſiones.

94. Quare hac omiſſa ſolutione, melius alij reſpondent negando ſequelam, & eſt communior Theologorum reſolutio. Ita enim ſentiunt Medina infra quæſt.77. art.7. & lib.1. Sum. Alvar. in præſ. diſp.127. Greg. dub.4. Thom. Sanch. lib. 5. conſil. conſ.1. dub.7. & lib.1. ſum. cap.11. n.35. & Ioannes Sanctius in ſelectis diſp.54. num.14. & 20. Ledeſma in ſum.2. p. tr.17. cap.2. in fine. Henriq. lib.9. cap.25. n.11. in commento literæ P. Sylveſt. verbo *jejunium* num.24. Azor tom.1. lib.7. cap.27. quæſt.9. Filliuc. tract. 27. cap 6. n. 123. Bonacin. de præcept. Eccleſiæ diſp. ult. qu.1. punct. ult. Fagund. præcept.1. lib.1. cap.7. num.7. Villalob. tom.1. tract. 23. difficult. 4. num. 11. Diana tract. de jejunio reſolut. 40. & 52. Et loquentes de obſervatione feſtorum, docent idem Suar. de relig. tom.1. lib.2. cap.13. num.6. Salas de legib. diſp.14. ſect.5. n.66. & plures alij Pro quo etiam Manuel. Rodrig. in ſum. cap.23. concluſ.9. refert. Cajetanum, Vegam, & Cordubam, & poſſet referri Monteſ. infra quæſt.77. art.4. n. 40. Zumel verò in præſ. diſp.5. non ſatis ſe explicat, & modò unum, modò alterum videtur aſſerere. Rationem verò diſcriminis inter ebrium vel dormientem ex una parte, infirmum ex alia, non eandem omnes aſſignant. Alij namque dicunt infirmitatem eſſe malum pœnæ, & ita non poſſe eſſe ſimpliciter voluntarium: quia de ratione pœnæ eſt, quòd ſit contra voluntatem: unde neque omiſſiones quæ ex ea ſequũtur, ſunt voluntariæ ſimpliciter, adhuc in cauſa; quod tamen erat neceſſarium, ut haberent rationem peccati: ebrietas verò cum ſit malum culpæ, & etiam ſomnus, poſſunt eſſe voluntaria ſimpliciter. Ita Alvarez ubi ſupra num.8. Videturque hæc ſolutio deſumpta ex D. Thoma infra quæſt. 77. art.7. ad ultimum, ubi docet, illa, quæ ex infirmitate corporis procedunt, non eſſe peccata: quia infirmitas ipſa non eſt voluntaria, ſicut eſt ebrietas.

Secunda ſolutio. *Medina.* *Alvar.* *Greg. Mart.* *Thom. Sanc.* *Ioan. Sanctius* *Ledeſma.* *Henriq.* *Sylveſt.* *Azor.* *Filliuc.* *Bonac.* *Fagund.* *Villal.* *Diana.* *Suar.* *Salas.* *Man. Rodr.* *Caiet.* *Vega.* *Corduba.* *Monteſ.* *Zumel.* *Vary modi dicendi.*

95. Hic tamen dicendi modus pluribus diſplicet, & meritò: quia quamvis illud, quod eſt pœnæ ſit contra voluntatem, ut voluntas eſt

natura; poteſt tamen licèt non ſub ratione pœnæ eſſe volitum ſimpliciter per illam, ut eſt libera, adeoque voluntarium ſimpliciter. Deinde non minus habet rationem pœnæ ignorantia, quàm morbus;& tamen quæ fiunt per ignorantiam, poſſunt eſſe voluntaria in illa, & peccata in ſe ipſis, ut videbimus diſp 13. Denique ubi prævideret infirmus,futurum eſſe,quòd in infirmitate alium occideret; & nihilominus ex cauſa voluntaria incideret in illam, peccaret occidendo, & imputaretur ei homicidium, ſicut ebrio imputatur;maneretque, illo ſequuto,irregularis:& ſi occidiſſet clericum, excommunicatus,ut de amente & furioſo infra dicemus; ergo poteſt infirmitas corporalis eſſe ſufficienter voluntaria,ut effectus mali ex ea ſequuti imputentur ad culpam.¶ Neque huic ſolutioni favet alicubi D.Thom.nam in loco allegato ſolùm reddit rationem ejus, quod regulariter contingit. Ratò namque infirmitas voluntariè aſſumitur cum præviſione eventuum futurorum,qui poſſunt eſſe peccata: non autem negat, aut quòd poſſit voluntariè aſſumi;aut quòd ſi ita aſſumatur, imputentur ad culpam effectus ſequuti ſecundum ſe peccaminoſi Quin potiùs hoc inſinuat: nam cum dixiſſet, infirmitatem corporis non eſſe voluntariam,ſicut paſſio,& ideo quoad hoc non eſſe ſimiles,addit: *Eſſet autem ſimile, ſi eſſet voluntaria, ſicut de ebrietate dictum eſt, quæ eſt quædam corporis infirmitas.*

D.Thom.

96. Alij verò,ut Gregorius Matt. reſpondent prædictas omiſſiones non imputari infirmo,quia non ſequuntur ex cauſa voluntaria proximè,ſed tantùm remotè ¶ Sed neque hic dicendi modus, ut proponitur ab iſto auctore, placet: quia infirmitas non minus proximè poteſt eſſe cauſa omittendi, quàm ebrietas; nec minus proximè poteſt eſſe voluntaria, ut intuenti conſtabit. Præterquam quod ut effectus aliquis ſecundum ſe peccaminoſus imputetur præbenti illi cauſam voluntariam, parùm refert quòd ſequatur proximè vel remotè ex illa; dummodo verè fuerit in ipſa voluntarius.

97. Denique Medina,Enriq.Sancius uterque, & alij ea ratione dicunt, omiſſiones præceptorum, de quibus loquimur, non imputari infirmo,quia jus poſitivum humanum,quale eſt præceptum jejunandi, recitandi, audiendi Sacrum, &c.non obligat infirmos,qui illud,eo ipſo quòd infirmi ſunt, ſervare non poſſunt, obligat tamen ebrios & dormientes, quia obligat omnes ſanos legitimè non impeditos: unde hi peccant omittendo; non verò illi. Et quia hic dicendi modus ritè intellectus veritatem continet;oportet illum radicitus explicare. Obiiciemus tamen prius, quæ contra illum inſurgere videntur.

Opponuntur nonnulla.

Inſurgit enim primò, quòd ſicut infirmus, quandiu infirmus eſt, non poteſt audire Sacrũ, v.g.ſic etiam dormiens,dum dormit,id non poteſt:ergo quoad hanc impotentiam par eſt ratio de utroque: atque adeo vel uterque vel nullus debet propter illã à prædicta obligatione excuſari. ¶ Deinde lex præcipiens aliquem actum prohibet eo ipſo quicquid poteſt impedire talẽ actum,& eſt cum eo incompoſſibile;præcipitq; ut nullus ab ejus exequutione ſe impediat:ergo ſicut ob hanc rationem qui voluntariè inebriatur peccat contra legem præceptivam Sacri,vel jejunij, imputanturq; illi ſequentes omiſſiones, quia ponit voluntariè impedimentum ad obſervationem prædictæ legis: ſic etiã peccare debet contra hujuſmodi legẽ, qui voluntariè infirmatur:cùm eo ipſo reddatur impeditus ad ejus obſervationem adeoque debent ei imputari omiſſiones,quæ ex tali infirmitate ſequũtur.¶ Denique peccata, quæ ſunt cõtra jus naturale,ut homicidium, imputantur infirmo in caſu,quo loquimur,ut n.95. dicebamus: non niſi quia qui voluntariè aſſumit infirmitatem, voluntariè incidit in ea, quæ ex infirmitate ſequuntur: ſed hæc eadem ratio militat in peccato contra jus poſitivum: ergo eodem modo debent imputari.

98. Verùm hæc non ſic urgent, ut prædictus dicendi modus ſit derelinquendus; oportet tamen pro ejus elucidatione nonnulla animadvertere Primò ergo nota,diſtinctum valde eſſe, quòd aliquis non obligetur lege, ſeu ſit ab ea abſolutus; & quòd excuſetur à tranſgreſſione legis; manendo tamen ſub ejus obligatione. Nam in eo, qui non tenetur lege, *non adimplere illam* non eſt malum adhuc objectivè: quia ex nullo capite rationi repugnat, me non ſervare legem,cujus obligatione non teneor,ſive poſſim adimplere,ſive non poſſim:adeoque ut hæc non adimpletio non imputetur ad culpam, nulla eget excuſatione. In eo verò, qui lege tenetur, ſive adſit ratio excuſans,ſive non, ipſum *non adimplere legem* ſecundum ſe eſt malum:quia contra rationem eſt non ſervare legem eum, qui legis obligatione adſtringitur: ſi tamen hoc ex ignorantia vel ex impotentia involuntariè fiat, non erit formaliter peccatum, neque imputabitur omittendi: quia ratio involuntarij excuſat tranſgreſſionem à malitia formali.

Animadverſiones.

Ex quo fit(nota ſecundò)dupliciter poſſe aliquem impedire ſe à legis obſervatione: vel mediatè,apponendo ſcilicet cauſam, per quã à legis obligatione extrahatur, & ſic extractus legẽ non valeat adimplere:vel immediatè,exercendo nimirum opus, quod non extrahit operantem à legis obligatione; eſt tamen cũ ejus obſervatione incompoſſibile.Exemplũ primi poteſt eſſe:ſi quis die jejunij pedeſtris iter agat: hic enim ratione itineris ita impeditur ab obſervatione jejunij,ut ſimul à jejunãdi onere eximatur. Exemplum ſecundi eſt, ſi quis die feſtivo ſtudio non omnino neceſſario occupatus,Sacrum omittat: nam talis occupatio etſi impediat auditionem Sacri; nequaquam tamen ſoluit ejus obligationem Primo ergo modo *non obſervatio legis* ſecũdum ſe non poteſt eſſe mala,etiã objectivè:quia ſupponit ex vi talis impedimenti ſubjectum à lege extractum, adeoque legem ipſam ablatam quantum ad tale ſubjectum:excluſa autem lege, omiſſio aut non adimpletio ejus non eſt mala neque contra rationem; imo nec propriè eſt omiſſio:quia non eſt jam carentia alicujus debiti. Secundo autẽ modo *non adimpletio legis* propriè eſt omiſſio,quia eſt carẽtia actus adhuc debiti per legem, manente lege ipſa; adeoque intrinſecè eidem legi repugnat,& ſic eſt mala objectivè: nam malitia objectiva ſolùm dicit hujuſmodi repugnantiam ad legem,etiam antecedenter ad voluntatem. Erit verò peccatum formaliter,ſi ſit voluntaria ſaltem in cauſa:quia malitia formalis conſequitur ad voluntarium.

99. Tertiò obſerva, non omnes leges cunctos æquè obligare:ſed lex naturalis,ut *non occidendi, non mœchandi, non mentiendi*, &c. obligat omnes ſine exceptione, ubi primum ad annos diſcretionis pervenerint:ipſum enim lumen naturalis rationis eſt quaſi hujus legis intimatio.

Vnde

de facere, quæ hæc lex prohibet, aut omittere, quæ præcipit, in omnibus poſt prædictum tempus eſt malum ſecundum ſe & objectivè; & ſi adſit voluntas vel in ſe vel in cauſa, etiam formaliter: quia in omnibus, qui lege tenentur (ut dictum eſt) ſecundum ſe malum facere aut omittere legem. Leges autem poſitivæ, præſertim humanæ, non obligant cum hac generalitate; ſed cum determinatione ad certas perſonas, valentes eas commodè ſervare: & aliquæ non niſi certo tempore, certiſque in locis, v.g. lex jejunandi tantùm obligat poſt adimpletum vigeſimum primum annum uſque ad ſexageſimum vel ſeptuageſimum: & aliquando non obligat in tota Eccleſia; ſed in aliquo regno, provincia, aut civitate: & adhuc eo loco & tempore nunquam omnes illius ætatis generaliter obligat; ſed gaudentes viribus, ut jejunium ſaluti & valetudini non noceat. Vnde infirmi, valetudinarij, operarij, prægnantes, lactentes, & aliæ ſimiles perſonæ, quibus ex parte corporis ad jejunandum vires non ſuppetunt, eo ipſo quòd in tali ſtatu ſunt, ieiunij lege non tenentur. Quare *non ieiunare* in eis etiam obiectivè non eſt malum, quia non eſt contra aliquam legem: neque proinde etiam ſi voluntariè fiat, habebit formaliter rationem peccati. Idemque, ſervata proportione, dicendum eſt de legibus audiendi Sacrum, recitandi horas canonicas, carnibus ſtatutis diebus non veſcendi, aliiſque ſimilibus, quæ impoſitæ ſunt pro ſanis; infirmos verò non ligant.

Veritas ſolutionis. 100. Ex his conſtat veritas ſecundæ ſolutionis juxta poſteriorem modum illam tuendi: & quare omiſſiones auditionis Sacri, obſervationis ieiunij, &c. non imputentur infirmo neque in ſe, neque in ſua cauſa formaliter, etiam ſi volūtariè in morbum inciderit: quia nimirum per ipſam infirmitatem extrahitur à lege præcipiente actus omiſſos: ſecluſa autem lege præcipiente aliquē actum, omiſſio eius non eſt mala adhuc obiectivè: quia non eſt carentia alicuius debiti, neque proinde rationi repugnat: unde neque exercere aut velle talem omiſſionem, neque ipſa omiſſio voluntariè exercita habet eſſe peccatum formaliter. Diximus prædictas omiſſiones non imputari infirmo *adhuc in cauſa formaliter*: quia eo ipſo quòd ſecundum ſe non comprehendantur à lege, neque ei repugnent; nequit earum cauſa puta nimia comeſtio, eſſe peccatum, in quantum cauſa illarum ſeu per ordinem ad illas: ſed tota eius malitia aliunde oritur, nempe quia eſt contra temperantiam, vel quia nocet valetudini. Quòd verò ſit cauſa omittendi, nihil addit materiali. Cæterùm ebrio & dormienti ex cauſa voluntaria, imputantur ad culpam prædictæ omiſſiones tàm in ſe, quàm in ipſa cauſa: quia adhuc in illo ſtatu manet uterque ſub legis obligatione: & ideo adhuc tunc eſt malum obiectivè, quòd legem non adimpleant. Vnde cum hæc non adimpletio ſeu omiſſio per cauſam voluntariam in exercitio ponatur, nihil deeſt quominus ita exercita, ſit peccatum formaliter, & ad culpam imputetur tam omiſſio quam cauſa.

Occurſus ad oppoſita. 101. Illa verò, quæ contra hunc dicendi modum urgere videbantur, facilè diluuntur. Nam ad primum dicendum eſt, non quamcunque impotentiam ad obſervandum præceptum extrahere ab eius obligatione; ſed illam dumtaxat, quæ eſt intrinſeca, & (ut ita dicamus) *per ſe*, ſeu quæ tollit à ſubiecto id, quod immediate lex in eo ſupponit, & ſupra quod cadit: & regulariter ſolet eſſe, quæ aufert vires neceſſarias & per ſe requiſitas ad exercendum opus præceptum, ſicut infirmitas illas aufert. Quia regulariter præcepta pœnalia imponuntur ſolùm gaudentibus viribus per ſe requiſitis ad eorum adimpletionem. Ebrietas autem vel ſomnus non ſic vires auferunt; ſed ſupponunt eas, & ligant rationem nè dormiens vel ebrius utatur illis, ſicut deberet uti. Vnde hæc impotentia non eſt ſufficiens extrahere hominem ab obligatione præcepti; benè autem infirmitas.

Ad ſecundum reſpondetur, legem præcipientem aliquem actum prohibere quicquid eſt cum eo incompoſſibile, non tamen omnibus, ſed iis præciſe, qui manent ſub obligatione talis legis: quare illud, quod ita impedit actum aliqua lege præceptum, ut prius natura extrahat impeditum ab ipſius legis obligatione, non poteſt prohiberi per talem legem: quia lex nihil præcipit vel prohibet niſi eis, quos obligat: infirmitas autem ita impedit obſervationem ieiunij, quòd prius conſtituendo hominem infirmum & debilem eximit illum à ieiunij lege, ut dictum eſt, atque adeo nequit per talem legem prohiberi. Secus eſt de ebrietate & ſomno, quæ ita impediunt legis obſervationem, ut relinquant dormientem & ebrium eadem lege adſtrictos: eo quòd talis lex nunquam à ſe eximit dormientes aut ebrios.

102. Ad tertium denique reſpondetur eſſe diſparem rationem: nam præcepta naturalia, & præſertim negativa, ut eſt præceptum non occidendi, obligat omnes abſque ulla exceptione: & ita quicunque agit contra illa, facit quod ſecundùm ſe eſt malum, ſaltem objectivè vel in ſe, vel in cauſa, non poteſt non formaliter eſſe peccatum. Præcepta verò iuris poſitivi humani admittunt exceptiones temporis, loci, perſonarum, &c. pro infirmis: exigit enim ipſe modus cum ſuavitate providendi & gubernandi, ut infirmitate ſua ſatis afflictis afflictio alia non detur: atque ita præceptis aliquo modo pœnalibus, quoad fieri poteſt, non graventur; ſed ab eis excipiantur: ſemel autem exceptione facta (ſive ea licitè fiat, ſive illicitè) jam non obligant: unde agere quæ aliàs prohibent; aut omittere, quæ jubent, utcumque voluntarium, neque in ſe, neque in cauſa eſt malum. Qualiter verò unumquodque ex his præceptis poſitivis in particulari obliget, vel non obliget; aut quibus in caſibus ceſſet ejus obligatio? non eſt præſentis loci exactiùs tradere: ſicut neque examinare; an in omnibus & ſolis præceptis juris poſitivi humani exceptio à nobis facta locum habeat, an verò etiam ad præcepta juris divini aut ad aliquod ex naturalibus poſſit extendi? ſed ſpectat ad peculiares eorum materias: de quo plura Theologi morales. Vniverſalis autem regula, etiam quoad præcepta juris humani, in hoc tradi nequit: aliud enim alio ſtrictius obligat: faciliuſque eximitur quis ab obligatione jejunij, quam ab obligatione audiendi Sacrum: quod vel ex materia vel ex fine ipſorum præceptorū, aut ex aliis iuris principiis venandum erit: maximè verò ſtandum eſt communi conſuetudini, & Theologorum acceptioni, quæ in his rebus habet regulariter vim legis.

103. Quæri etiam poteſt, num ſi data opera, ut non ieiunet, aliquis in morbum incidat, imputentur ei ieiunij omiſſiones, quas ex morbo ſecuturas prævidit. Et eſt ſimile, ſi quis abſq; ne- *Quæſitum.*

ceſſitate

Digitized by Google

ceſſitate pedeſtris iter agat, vel alium laborem aſſumat eo fine, ut à jejunij obligatione excuſetur? *Aliquorum reſponſio.* Affirmativè reſpondent Medina, Alvar. Enriq.& alij ex iis, quos *n.*94. retulimus. Quoniam fraus(inquiunt)nemini patrocinari debet, nec decet,quem ex dolo commodum reportare, ut eſt Iuris principium cap.*ſede*, & cap.*ex tenore* de reſcrip. ergo qui doloſa illa intentione & in fraudem legis jejunij vult ſe ab ejus obſervatione impedire, non debet à jejunandi obligatione exonerari. Propterea namque qui breviarium ex induſtria in mare proijcit, projectoque recitare non poteſt,non abſoluitur ab onere recitandi; ſed imputantur ei ſequentes omiſſiones, quia talis projectio fuit in fraudem legis: ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Alia opinio. Oppoſita nihilominus opinio eſt ſatis probabilis: & fortè ab intrinſeco ac metaphyſicè loquendo,probabilior: quam ſub propriis terminis tuentur locis cit.Ioannes,& Tho.Sanch. Filliucius, Fagundez, Azor, Villalobos,& alij: & in ſimili Salas,& Suar.ubi ſupra. Et ratio illam ſuadet: quia eo ipſo quòd aliquis extrahatur ab obligatione legis,ſeu lex illum non obliget (ſive hoc bona ſive mala intentione, licitè vel illicitè factum ſit) eſt incapax delinquendi in effectu contra talem legem: at infirmus extrahitur per ipſam infirmitatem a lege jejunij, quæ ſolùm pro ſanis impoſita eſt, & infirmos non obligat: ergo ex quacumque cauſa vel intentione infirmitas proveniat,nequit dum infirmus eſt, delinquere contra talem legem: atque adeo neque illius non adimpletiones poſſunt ei imputari.

Replica. 104. Dices, peccare in cauſa contra legem jejunij eum qui vult infirmari, ut ad jejunium non teneatur; & ratione iſtius peccati in cauſa, imputari illi ſequentes omiſſiones. *Enervatur.* ¶ Sed contra, quia velle aliquem exonerari ab aliqua lege,aut vel extrahi ab ejus obligatione, non eſt velle aliquid contra ipſam leg.;ſed ſolùm quòd obligatio legis illum ſub ſe non comprehendat. Vnde ſiquis ab hoc territorio,ubi ſcit inſtitutum jejunium ſpeciale pro iis duntaxat, qui in eo aſſiſtunt, diſcedat ad locum, ubi tale jejunium non obligat, quacumque intentione id faciat, non peccat non jejunando, nec facit aliquid contra legem jejunij:ſed utitur jure ſuo,quo poteſt ſe conſtituere extra talem legem, in eo ſtatu & loco, ubi ipſa non obligat, ut eſt ſatis communis opinio: ergo qui ſcit infirmos non teneri lege jejunij, adeoque poſſe infirmando extrahi ab hac lege, & eo animo infirmitatem aſſumit, non idcirco operabitur contra jejunij legem: quia re vera non vult non jejunare quando jejunium obligat; ſed vult ſe conſtituere in eo ſtatu, in quo non obliget, ut ita non jejunando non peccet, nec faciat contra talem legem. Quemadmodum etiam ſi quis peteret à Pontifice, & obtineret privilegium ad non jejunandum,ſicque à jejunij lege ſe extraheret,non peccaret contra talem legem, nec aliquid in eam committeret,ut eſt per ſe notum: quia non intendit non ieiunare, ſuppoſito quòd prædicta lex obliget; ſed vult conſtitui per illud privilegium extra talem legem, ac in eo ſtatu in quo *non ieiunare* non ſit contra illam. Et licet infirmus peccet, dum nimium comedendo vel alia nociva ſumendo, incidit voluntariè in infirmitatem; non tamen peccat adhuc in cauſa contra legem ieiunij; neque per ordinem ad ſequentes omiſſiones,& ut cauſa earum formaliter, comeſtio illa eſt peccatum: quia tales omiſſiones relatæ ad tempus,pro quo ab infirmo exercebuntur, non ſunt aliquid peccaminoſum, aut lege prohibitum, ut ex dictis conſtat. Peccat autem contra communem temperantiam, aut contra amorem naturalem, quibus tenetur comedere temperatè,& propriè ſaluti non nocere. Vel ad ſummum peccabit contra legalem iuſtitiam, quatenus ſine iuſta cauſa vult ſe à legis obligatione extrahere. Sicut peccaret, qui ſine rationabili cauſa diſcederet ab hoc loco, in quo lex obligat,ad alium, ubi non eſt ſimilis obligatio: vel qui peteret privilegium à Pontifice ad non ſervandum eius legem, eo dumtaxat fine *ne ſit ſub tali lege*. Quod peccatum(ſi quod, vel veniale eſt)ſpectabit potius ad legalem iuſtitiam,quæ dictat neminem ſine rationabili cauſa à communibus leg bus debere ſe ſubtrahere, quàm ad illam ſpecialem legem à cuius obligatione ſe ſubtrahit.

105. Dices ſecundò, infirmum in caſu prædicto non extrahi à lege ieiunij: quia infirmitas incurſa eſt in fraudem & in præiudicium prædictæ legis;& fraus nemini contra legem patrocinatur. *Diluitur alia replica.* ¶ Sed contra: quia legis obligatio non debet ex peculiari huius vel illius bona aut mala intentione ultra propriam materiam à lege ipſa determinatam extẽdi; imo pœnalia ut pote odioſa debent, quantum fas eſt coarctari & reſtringi: & lex ieiunij ex ſe & ex communi conſuetudine,qua introducta eſt, habet non obligare niſi ſanos & robuſtos ad ieiunandum,omnes alios excipit:ergo peculiaris huius vel illius intentio nequit efficere,quòd prædicta lex extendatur ad infirmos & debiles. Neque hinc fit dolum vel fraudem patrocinari alicui in præiudicium legis:quia in caſu propoſito nulla intervenit fraus vel dolus contra legem ieiunij; ſed tantum fuga quædam & receſſus à tali lege. Sicut ille,qui ab hoc territorio,ubi ieiunium obligat, aliò ubi non obligat, diſcedit ea ſolùm intentione,ut ſubterfugiat obligationem ieiunandi; nullam fraudem committit in legem ieiunij, neque operatur aliquid contra illam.Cùm enim lex eos duntaxat obliget, qui manent ſub illa; neque lex poſitiva ad hoc obliget, ut quis ſub illa maneat; receſſus & fuga à tali lege (ſive aliàs per ordinem ad aliam legem, à qua quis non poteſt fugere, licitè fiat, ſive illicitè) non poteſt eſſe contra illam. Quare is ſolùm committit fraudem in præiudicium alicuius legis, qui manens ſub eius obligatione, voluntariè efficitur impotens ad eam implendam: ut contingit in illo, qui breviarium proiicit in mare, ne poſtea recitare valeat,& in ſimilibus.

Per quod patet ad illa,quæ n.97.in oppoſitum urgere videbantur: manetque univerſalis hæc regula in morali Theologia maximè obſervanda: *Vbi cauſa impediens alicuius legis adimpletionem extrahit omittendum ab ipſa lege; ſive talis cauſa aliàs peccaminoſa ſit, ſive non; & ſive hac, ſive illa intentione apponatur; ſequentes omiſſiones, etiam ſi ſint previſæ aut intentæ, non imputantur ut peccata neque in cauſa, neque in ſeipſis. Vbi verò prædicta cauſa omittentem non extrahit à legis obligatione, & voluntariè appoſita eſt; omiſſiones ſequentes in ea præviſæ, vel prævideri debitæ, omnes imputantur, & ſunt formaliter peccata tam in cauſa, quàm in ſe ipſis.* Ex qua regula varij caſus pro morali diſciplina poſſunt deduci.

§. IV.

§. IV.

Diluitur triplex alia obiectio.

Secunda obiectio.

106. SEcundò obiicies: peccata, quæ conſiſtunt in verbis, ut blaſphemiæ, convicia, contumeliæ, &c. non imputantur, aut dormienti, ut mala in ſe ipſis; quamvis ex cauſa voluntaria proceſſerint: ergo idem dicendum erit de omiſſionibus, & de aliis peccatis. Antecedens ex eo probari videtur: quia verba, quæ dormiens vel ebrius proferret, nullus reputat ut nociva notabiliter, nec pluris ea æſtimant cordati, quàm ſi à puero non habente rationis uſum, vel à pſittaco proferrentur: æſtimarentur autem & prohiberentur, quantum fieri poſſet, ſi eſſent peccata. Conſequentia autem videtur perſpicua à paritate rationis.

Confirmatio.

Confirmatur: quia ſi quis ex prava iurandi cõſuetudine abſque plena deliberatione ſæpius peieret, non imputantur illi in ſe ipſis huiuſmodi periuria tanquam peccata mortalia, nec propter illa incurreret quis excommunicationem, ſi lata eſſet contra periuria, ut docent plures, quos refert, & ſequitur Thom. Sanch. lib. 5. ſum. cap. 5. à n 28. & nihilominus iuramenta illa quamvis in ſe non ſint plenè libera; bene tamen in ſua cauſa, nempe in prava conſuetudine voluntariè acquiſita, ex qua proveniunt: ergo, &c.

107. Sunt circa hanc obiectionem, qui nullum conſtituunt diſcrimen inter verba & facta, ſeu inter peccata oris & operis: & ſecundum horum doctrinam negandum erit antecedens.

Solutio.

¶ Melius tamen ex doctrina Ang. Doctoris 2. 2. quæſt. 72. & quæſt. 75. reſpondetur illo admiſſo, negando conſequentiam: quia re vera eadem verba, quæ prolata ab habente rationis iudiciũ, eſſent verba blaſphemiæ, contumeliæ, aut cõvicij; ubi à dormiente, amente, vel ebrio proferuntur, nihil horum continent; ſed nudum ſonum, nec bonum, nec malum adhuc obiectivè, nec proinde lege aliqua prohibitum. Quocirca eſt apertum diſcrimen inter peccata operis ſeu facta ex una parte (ſub his etiam omiſſiones comprehendimus) & inter verba, ſeu peccata oris ex alia. Nam opera, ut obſervat bene Mag. Sotus lib. 5 de iuſt. & iur. q. 9. art. 2. (idẽ eſt de omiſſionibus) ſecundũ ſe ipſa antecedenter ad hoc quòd bona, vel mala intentione, ſano vel læſo iudicio exerceantur, ſunt obiectivè bona vel mala: quia ſecundum ſe ipſa habent, quòd proficiant, vel quòd noceant: ex quo rectæ rationi conſonant, vel diſſonant. Homicidium v. g. aut adulteriũ ex ipſo externo opere & ut antecedit voluntatem & iudicium exequentis, & damnum proximi, & ex hoc rectæ rationi diſſonũ, & prohibitũ lege. Quare cùm illud, quod eſt obiectivè malum, & prohibitum, fiat malum formaliter, eo ipſo quòd ſit voluntarium vel in ſe, vel in cauſa; ſufficit quòd huiuſmodi opera ex cauſa voluntaria procedant; ut ſint peccata formaliter: ſive in vigilia, ſive in ſomno; ſano vel læſo iudicio exerceãtur.

Sotus.

Cæterũ verba non ſunt adhuc obiectivè bona, vel mala, ſicut nec ſunt formaliter verba, per id præciſe, quod in ſe ſunt, ſcilicet ſonus quidã in aëre cauſatus; ſed per hoc quòd intellectualẽ & humanum conceptum hominis loquẽtis, rationaleque eius iudiciũ ex impoſitione humana & ad placitum ſignificant: & ideo præciſa à verbis hac ſignificatione, neque conſonant rationi, neque diſſonant, nec proinde habent eſſe bona, vel mala etiam obiectivè Ex quo fit, quòd opera ut in plurimum eadem omnino ſunt quoad rationem boni, vel mali obiectivè ſumpti, ſive à ſui compote, ſive ab impote exerceantur: verba autem eo ipſo quòd à mentis impote proferantur, amittunt formalem rationẽ verborum; tantúmque materialiter *verba* dici poſſunt: quia deſinũt ſignificare ad placitum ex animo loquentis: & conſequenter amittunt diſſonantiam ad rationem, quæ reperitur in iis, quæ ſunt formaliter verba, uti eſt diſſonantia blaſphemiæ, contumeliæ, cóvicij, &c. Quare ſimilia verba licèt externo ſonu verba blaſphemiæ, contumeliæ, aut cóvicij videantur; revera tamen nihil horũ continent: & ideo cordati (ut dicitur in obiectione) eis non offenduntur: nec pluris facienda ſunt, per ſe loquendo, quàm ſi à pſittaco proferrentur, & verba non eſſent: adeoque nec per ſe loquendo, etiamſi ex cauſa voluntaria ſequantur, erũt peccata formaliter neque in ſe, neque in ipſa cauſa.

108. Diximus *per ſe loquendo*: quia per accidẽs poteſt materialis ille ſonus & ſolet eſſe valde nocivus ratione ſcandali, quod in audiẽtibus generet; aut alicuius alterius damni, vel nocumenti, quod inferat: & præſertim cùm audientes ignorant proferẽtem impotem ſui eſſe; ſed iudicant ipſum loqui formaliter, blaſphemando, exprobrando, vel id, quod habebat ſub ſigillo, detegendo. Vnde ſi huiuſmodi nocumentum fuiſſet prævisum, & voluntarium in cauſa; imputaretur tam in cauſa quàm in ſeipſo: ſicut alia peccata, quæ conſiſtunt in factis, vel omiſſionibus.

Replica.

Nec refert ſi urgeas: tum quòd familiare eſt ebriis, & amentibus loqui ex præcõceptis: & ita ex his, quæ in amentia, vel ebrietate loquuntur, ſæpe colligimus, quæ ante illas concipiebant, & in corde retinebant: ergo verba eorum verè ſunt ſignificativa horum conceptuum, & ſic verba formaliter. Tum etiam quòd ſi quis ſciret, ſe in ebrietate loqui verba blaſphemiæ, & data opera ut proferret illa, inebriaretur; nõ modò peccaret contra ſobrietatem, ſed etiam contra religionẽ, volens in ebrietate ſic loqui contra Deum; etiãſi nullus eſſet homo, qui illum audiret: ergo adhuc tunc ſunt verba, & blaſphemiæ formaliter.

Diluitur quoad primum.

109. Reſpondetur enim ad primum, per verba ab amente vel ebrio prolata aliqualiter poſſe colligi, & manifeſtari eorum conceptus rationales & humanos, quos ante ebrietatem & amentiam habuerunt: non quidem immediatè, ſed mediis aliis ſimilibus conceptibus, qui ebrietatis vel amentiæ tempore in eorũ imaginatione repræſentatur: nam propter connexionẽ, quæ ſæpe eſt inter prædictos conceptus, manifeſtatis per illa verba his poſterioribus, priores aliqualiter manifeſtantur. Huiuſmodi autẽ manifeſtatio nõ fit per illa verba tanquam per ſigna ad placitũ, & quæ humano ac rationali modo ſignificent, quæque proinde ſint verba formaliter: ſed magis vt per ſigna naturalia vel ex conſuetudine. Poſſunt enim amentes & ebrij, ſicut vtũtur aliis ſignis naturalibus, vt motibus, ploratu, riſu, &c. vt etiam illo ſonu verborũ ad manifeſtandã quæ ſẽtiunt, & quæ imaginatione percipiunt: ob conſuetudinem tamen frequentiùs verbis quàm aliis ſignis naturalibus ad hoc vtuntur. Ex quo non fit, illa eſſe formaliter verba, aut proferentem ea loqui formaliter: quia ad hoc neceſſaria erat ſignificatio ad placitum ex animo loquentis, & quòd exprimerent immediatè humanũ & rationalem conceptum proferentis qui quidem con-

ceptus & animus in ebriis, dormientibus, aut amentibus nõ reperitur:ac proinde nec malitia etiam obiectiva propria verborũ,ut v er b ſunt.

Diximus *quæ eſt propria verborum, ut verba ſunt*: quia non negamus poſſe reperiri in illis verbis materialibus eam malitiam, quæ poteſt eſſe in quodam ſigno naturali, per quod ebrius aliqualiter manifeſtet pravas cogitationes & iudicia, quæ ſobrius contra proximum & contra Deum efformavit: & ideo ſi talis manifeſtatio eſſet ab eo prævisa ante ebrietatem, imputaretur illi ut peccatum in ſe ipſa. Cæterum ſicut hæc malitia non eſt propria verborum, ut verba ſunt; ita non conſtituit blaſphemiam, contumeliam,aut convicium, quæ ſunt propriè peccata oris. Pertinebit nihilominus ad eorum ſpecies:quia huiuſmodi peccata extendunt ſe ad totum id, quod poteſt internum conceptum contra Deum vel proximum quovis modo manifeſtare:ut eſt doctrina D.Thomæ 2.2.cit.q.72. art.1.Per quod replica alia,quæ hic fieri poſſet, manet ſoluta.

Diluitur qu ad ſecundum.

110. Ad ſecundum dicas, inebriantem ſe ex intentione proferendi verba blaſphemiæ peccare ut in plurimum contra religionem: vel propter animum blaſphemandi,exiſtimans (licèt falsò) poſſe in ebrietate illum exequi (eruntque objectum illius animi blaſphemiæ cogitatæ quas ſi poſſet, in ebrietate proferret) vel per ordinem ad ipſa verba, quæ in ebrietate loquitur,quatenus modo dicto poſſunt manifeſtare aliquod iudicium contra Deum prius efformatum.Quod ſi totum hoc,& aliorum ſcandalum deficeret,nullum eſſet ibi peccatum, ſaltem grave contra religionem. Quia verò intentio ſic loquendi,vix niſi ex pravo aliquo effectu in Deum procedere poterit, rariſſimè deficiet in ea prædictum peccatum.

Solutio confirmationis.

Ex quo ad confirmationem principalis obiectionis reſpondetur, quòd ſi ille, qui ex prava conſuetudine profert periuria,actu dum ea profert,non eſt plenè ſui compos,non peccat mortaliter:quia talia periuria propter rationem hactenus traditam,non ſunt ſimpliciter verba formaliter,nec proinde ſimpliciter periuria & peccata; ſed ad ſummum ſecundum quid iuxta rationis uſum, qui eſt in ſubiecto: unde neque conſuetudo, ex qua procedunt, præcisè per ordinem ad huiuſmodi periuria eſſet mortaliter peccaminoſa. Si verò qui periuria profert, actu eſt plenè ſui compos;aliò tamen diſtractus; talia periuria ſunt obiective mortaliter peccaminoſa,quia ſola diſtractio non tollit ab eis,quod ſint formaliter verba humana & periuria ſimpliciter. Vnde,ſuppoſito quòd ex conſuetudine tanquam ex cauſa ſimpliciter voluntaria procedant, imputari debent in ſe ipſis ut ſimpliciter periuria, & ut peccata mortalia formaliter.

Replica.

111. Dices, periuria iſta actu & ſecundum id præciſe,quod habent in ſe,non ſunt ſimpliciter libera, neque actu procedunt ex aliqua intētione, quæ ſimpliciter ſit intentio iurandi: ergo nec ſunt formaliter verba nec periuria ſimpliciter.

Diluitur.

¶ Reſpondetur negando conſequentiam: aliunde enim verba habent, quòd ſint formaliter verba, adeoque periuria; aliunde verò quòd ſint libera, aut quòd liberè proferantur: nam illud habent ab intellectu, à quo habent, quod ſignificent,hoc verò à voluntate:id autem,quod eſt ex parte intellectus, non tollitur ſimpliciter per diſtractionem: quia diſtractio non efficit, quòd aliquis non concipiat humano modo, & intelligat ſimpliciter,quæ dicit; quamvis in ordine ad alia, ad quæ magis attendit:efficit tamē, ut voluntas actu ea libera non proferat:quia libertas actualis in loquendo requirit,ut loquens non utcunque percipiat intellectu, quod dicit; ſed quòd id concipiat & intelligat in ordine ad id ipſum, non præcisè in ordine ad alia, in quæ ſit diſtractus. Nam quia operatio voluntatis ibi incipit, ubi deſinit operatio intellectus,ut rectè explicat D.Thom.in 3.diſt.27.quæſt.3.art.1.ideo voluntas ab eo perfectè incipit exercere ſuam libertatem,in quo intellectus attentio ſigitur.

Tertia obiectio.

112. Tertiò obiicies,ſequi ex noſtris rationibus,unicuique imputanda eſſe in ſe ipſis ut propria peccata omnia, quæ ab aliis ex eius exemplo, conſilio, vel præcepto committuntur: ſed hoc manifeſtè eſt falſum: ergo, &c. Sequela ex eo patet, quia omnia illa ſunt voluntaria in cauſa reſpectu conſiliantis, præcipientis, aut ſcandalum præbentis, & aliàs ſecundum ſe ſunt mala obiectivè & contra legem: habent ergo, ſi vera diximus, quicquid requiritur ut tanquam propria eius peccata ipſi imputentur. Minor autem probatur: nam aliàs qui proprio conſilio, præcepto,vel peccato alios ſcandalizat,teneretur diligenter inveſtigare, quot ab illis peccata ratione prædicti ſcandali cum effectu committantur, & omnia illa tanquam propria in confeſſione explicare: quod nullus dixit; ſed ad ſummum tenebitur conſiteri, ſe iuſſiſſe, aut conſuluiſſe talia peccata, vel ſcandalum ad ea præbuiſſe, non curando an re ipſa fuerit ab aliis commiſſa, vel nonniſi fortè aliquando propter onus reſtituendi, vel aliud ſimile.

Doctrina pro ſolutione.

Ad ſolutionem huius obiectionis animadvertendum eſt, dupliciter aliquid poſſe eſſe cauſam alicuius actus vel effectus peccaminoſi: vel per modum principij & ſuppoſiti exequentis talem actum, & ejus poſtremum dominium apud ſe habentis: vel per modum obiecti moventis moraliter,& allicientis ad ſui proſequutionem; proindeque dependenter à volūtate alterius ſuppoſiti, à quo exerceatur talis actus, & penes quod ſit eius dominium. Ei ergo,qui primo modo eſt cauſa peccati, imputatur tanquam proprium peccatum,cuius eſt cauſa, diciturque ille formaliter & propriè peccare:nequaquā tamen ei,qui ſolùm eſt cauſa poſteriori modo. Et ratio eſt quia denominatio *peccantis*, & peccati dominiū non competūt cuilibet eius cauſæ; ſed ſunt propria ſuppoſiti capacis peccati, & operantis vitaliter per modum principij peccatum exercentis: & ita quod hoc modo ad peccatum non concurrit,quāvis ſit eius cauſa,non dicitur propriè peccare,nec peccatum illi imputatur, aut *ſuum* dicitur. Vt patet in obiecto,fine,& circunſtantiis, quæ licèt ſint cauſa peccati, non ideo dicuntur peccare, aut peccatum eis ut *ſuum* tribuimus quia non concurrunt modo explicato.

113. Secundò nota, quòd ex parte obiecti concurrunt ad peccatum non ſolùm obiectum ipſum & circunſtantiæ, quæ bonitate ſua appetitum movent; ſed etiam qui hæc proponit ut proſequenda,quæ præcipit,conſulit,ſuadet, aut ad ea invitat:quia conſilium, ſuaſio, aut invitatio nihil aliud ſunt, niſi quædam conditiones obiecti:quatenus ſic propoſitum,efficaciùs movet & attrahit voluntatem ſuppoſiti peccantis. Vnde qui hoc dumtaxat modo ad peccatum alicuius concurrit, quamvis aliàs ſit ſuppoſitum,

non

Digitized by Google

non concurrit modo proprio ſuppoſiti, quem explicuimus; ſed magis modo proprio obiecti. Ex parte verò principij exercentis peccatum tenet ſe in primis ipſa perſona, à cuius libertate efficientia illius ultimo dependet: necnon potentiæ eius & inſtrumenta, quibus utitur ad peccandum, ut gladius, venenum, ſagitta, &c. Et quamvis omnia hæc ad peccatum ex parte principij concurrant; ſoli tamen perſonæ imputatur, ſolaque ipſa propriè & *ut quod* peccare dicitur: quia denominatio peccantis, ut dicebamus, eſt propria ſuppoſiti moventis ſe ad peccandum, & habentis peccati dominium. Quæ enim omnino mota ab alio, & abſque proprio dominio ad peccatum concurrunt, non habent unde *ſuum* illud faciant, aut ipſis imputetur, illove peccare dicantur. Atque idem eſt; ſi quis apprehenſa manu alterius independenter ab eius voluntate tanquam à phyſicè movente, alium percutiat: peccatum iſtud non manui vel ei, cuius manus eſt, imputatur, ſed illi dumtaxat, qui manum applicuit, & ea uſus eſt ad percutiendum. Quæ omnia declarat optimè D. Thomas quæſt. 2. de mal. art. 2. ad 6. ubi videri debet.

Solutio obiectionis. Ex his ad obiectionem reſpondetur negando ſequelam: neq; ex noſtris rationibus deducitur. Ad probationem verò patet ex modo dictis non ſufficere, ut peccatum alicui tanquam ſuum imputetur, dicaturque illo proprie peccare, utcunque eſſe illius cauſam; ſed debet concurrere per modum ſuppoſiti & principij illud exequentis, habentiſque ultimum eius dominium: quod ſolùm convenit perſonæ, à qua peccatum ſive immediatè, ſive medio aliquo inſtrumento phyſicè à ſe modo exercetur. Et iuxta hæc intelligendæ ſunt noſtræ rationes. Qui autem peccatum conſulit vel præcipit, aut qui errore vel peccato ſuo alios ſcandalizat, quamvis ſit cauſa peccati, ad quod inducit; quia tamen non concurrit ut principium & ſuppoſitum exequens, modo explicato; ſed magis ex parte obiecti, monendo dumtaxat moraliter, ut diximus; idcirco tale peccatum prout in ſe ipſo, non imputatur ei ut peccatum ipſius proprium, neque ipſe dicitur propriè & formaliter illo peccare: unde nec tenetur illud per ſe confiteri. Imputatur verò illi prædictum peccatum in ſua cauſa, ſcilicet in ſcandalo, præcepto, aut conſilio: quia reſpectu huius concurrit ut principium exequens, exercetq; proprium munus ſuppoſiti, ut potè penes quem eſt poſtremum dominium talis cauſæ.

Replica. 114. Dices: qui præcipit, utitur ſervo tanquam inſtrumento ad peccandum: peccatum autem non imputatur inſtrumento, ſed cauſæ principali: non enim dicimus peccare gladium, ſed hominem: ergo peccatum, quo exercet ſervus, non ſervo, cui præcipitur, ſed domino

Diluitur. præcipienti imputandum eſt. ¶ Reſpondetur ſervum non eſſe propriè inſtrumentum, ſed cauſam principalem peccati: quia in eius poteſtate eſt poſito ſibi præcepto obedire, vel non obedire; adeoque peccare, aut non peccare: & ita ſi peccat, non peccat ut omnino motus ab alio ex parte principij, quod eſt de ratione inſtrumenti propriè dicti; ſed ut motus à ſe: quatenus poſito præcepto, & hoc movente moraliter & obiectivè, ſervus ipſe liberè ſe applicat per modum ſuppoſiti & principij. Hoc autem ſufficit ut peccatum, prout eſt in ſe ipſo, ſervo exequenti; domino autem ſolum præceptum ut peccatum proprium imputetur. Verum tamen eſt ſervum vel operantem ex præcepto nonnihil habere inſtrumenti: quatenus per præceptum moraliter videtur determinari ad unum: & ita largè & minus propriè ac moraliter ſolet appellari inſtrumentum: poteſtque in eodem ſenſu eius peccatum dici peccatum præcipientis. Sed hoc non ſufficit, ut ad illud confitendum præcipiens per ſe teneatur, cum re vera peccatum eius non ſit. ¶ Diximus *per ſe*: nam per accidens, nempe ad reſarciendum damnum illatum, vel ob aliam cauſam, aliquando oportebit prædictum peccatum exprimere.

115. Denique obiicies, quòd pollutio, quæ contingit in ſomnis, etiam ſi fuerit voluntaria in cauſa, non eſt in ſe peccatum, ſed ſolum peccati effectus: ergo neque omiſſio, de qua loquimur. Conſequentia videtur perſpicua à paritate rationis. Antecedens verò probatur tùm ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 5. in corp. ubi ita concludit: *Sic igitur patet, quod nocturna pollutio nunquam eſt peccatum, ſed quandoque eſt ſequela peccati præcedentis.* Quod etiam docet. 3. part. quæſt. 80. art. 7. Tum etiam quia aliàs teneretur quis removere omnem cauſam, ex qua poteſt ſequi pollutio, ſicut tenetur removere peccatum, & id, ex quo ſequitur: & ita teneretur abſtinere ab ſtudio circa res venereas, ab audiendis fæminarum confeſſionibus, à tali vel tali cibo aut potu, quoties in his pollutiones futuræ prævidentur: quod tamen eſt contra communem conſenſum Theologorum. Tùm denique quia licitum eſt deſiderare pollutionem in ſomnis evenientem ob aliquem honeſtum finem: at nullum autem licitum eſt deſiderare id, quod eſt peccatum: ergo, &c. *Obiectio ult.* *D. Thom.*

Enervatur. Reſpondetur negando antecedens: ſed toties pollutio, ſive in vigilia, ſive in ſomno accidat, eſt formaliter peccatum in ſe ipſa, quoties fuit voluntaria & peccatum in ſua cauſa; ſeu quoties cauſa ipſa habet eſſe peccatum, & prohibetur per ordinem ad pollutionem. Non autem quælibet cauſa etiam libera, ex qua poteſt ſequi pollutio, ſic prohibetur; ſed ſolùm cauſæ per ſe, ſeu quæ ex ſua natura ad genus luxuriæ ſpectant, & caſtitati repugnant: ut tactus, oſcula, & huiuſmodi laſciva. De quo plura reperies infrà, diſputatione 10. dubio ultimo. Ad primam verò probationem dicendum eſt, Divum Thomam loqui de peccato, quod eſt tale per malitiam formalem ſibi intrinſecam: non autem negat, quòd pollutio ſequuta in ſomnis denominetur *peccatum* extrinſecè à malitia, quæ præceſſit in cauſa, quoties hæc fuit peccaminoſa intra genus luxuriæ. Ad ſecundam conſtat: quia cauſæ illæ non ſunt cauſæ per ſe; ſed ſolùm per accidens: & ideo neque prohibentur ratione pollutionis prævisæ; neque homo tenetur præcavere illas, ne pollutio ſequatur. Imo neque pollutio ex eis ſequuta, eſt aliquid prohibitum, vel peccaminoſum adhuc obiectivè; ſed evacuatio quædam naturalis: quam proinde non eſt illicitum inefficaciter appetere propter honeſtum finem. Per quod patet ad tertiam probationem. Vide infrà, dub. cit. & diſp. 11. a num. 37.

Digitized by Google

§. V.

Oppoſita ſententia, & argumenta, quæ ſuperſunt pro illa.

116. Oppoſitam ſententiam docentem, omiſſionem contingentem ſine actuali libertate, ut tempore ſomni, etiamſi ex cauſa voluntaria procedat, non eſſe propriè & formaliter peccatum, ſed ſolùm peccati effectum, tuentur Alenſis part. 2. quæſt. 113. membr. 7. D Bonavent. in 2. diſtinct. 22. art. 1. quæſt. 3. Maior in 4. diſt. 9. concl. 4. Paludan. ibidem quæſt. 5. Adrianus quæſt. 7. de Euchariſt. in ſolut. 7. Couarruu. in Clement. *Si furioſus* par. 2. num. 4. Curiel in præſenti dub. 2. §. 2. concluſ. 3. Vaſquez diſp. 94. cap. 2. & 3. Granad. tract 4. diſp. 5. & alij. Pro qua ſententia præter objectiones, quas hucvſque diluimus, ſuperſunt alia argumenta, quibus à ſuis auctoribus fulciri ſolet. Primò, quoniam de ratione peccati eſt, quòd ſit voluntarium & liberum: atque adeo eodem modo erit aliquid peccatum, quo fuerit liberum: ſed omiſſio, de qua loquimur, non eſt libera in ſe, ſed tantùm in ſua cauſa: ergo in hac dumtaxat, non verò in ſe ipſa erit formaliter peccatum.

Alenſ. Bonavent. Maior. Palud. Adrian. Covar. Curiel. Vaſq. Granad.

Primum argumentum.

Confirmatur primò: nam libertas in cauſa, quamvis reſpectu ipſius cauſæ ſit libertas ſimpliciter; tamen reſpectu effectus ſolùm eſt libertas ex ſuppoſitione & ſecundum quid: id autem, quod eſt peccatum ſaltem mortale, debet eſſe liberum ſimpliciter: ergo non ſufficit ad illud prædicta libertas.

Confirmatur ſecundò: quia non minor libertas exigitur ad peccandum mortaliter, quàm ad merendum: ſed ad meritum non ſufficit libertas in cauſa; aliàs poſſet dormiens per actum, quem ex cauſa voluntaria exercet, in ſomnis mereri: ergo neque huiuſmodi libertas ſufficit ad peccandum ſaltem mortaliter.

Confirmatio triplex.

Confirmatur tertiò: illa libertas requiritur ad peccandum mortaliter, quæ ſufficit ad conficienda Sacramenta, ad emittendum votum, & ad contractum validè celebrandum: ad hæc autem non ſufficit libertas in cauſa: & ideo ſi quis dormiens verba conſecrationis proferat, vel aliquid promittat, etiamſi actiones iſtæ ex cauſa voluntaria procedant, non conficit Sacramentum, nec tenet eius votum, ut docent ſatis communiter Theologi: ergo, &c.

Solutio ad argumentū.

117. Reſpondetur ad argumentum negando antecedens quoad ſecundam partem: quia licèt ſit de ratione peccati, quòd ſit voluntarium ſeu liberum; diverſa tamen forma eſt, quæ tribuit denominationem *voluntarij* & *liberi*, ab ea, quæ tribuit denominationem *peccati*: unde neque inter huiuſmodi denominationes, neq; inter prædictas formas omnimoda paritas petenda eſt: & ideo in ſententia valde probabili, quæ aſſerit libertatem nihil intrinſecum ponere in actu voluntatis, talis actus eſt & dicitur peccatum intrinſecè, & liber nō dicitur niſi extrinſecè. Ratio verò diſcriminis inter utranque denominationem petenda eſt ex diverſis capitibus, unde ſumuntur. Nam denominatio *liberi* & *voluntarij* attenditur ſolùm ex parte principij, ſcilicet voluntatis: *voluntarium* enim dicitur *quod eſt à principio intrinſeco*, &c. & *liberum* dicitur *quod eſt ſub poteſtate voluntatis*: unde quod dum eſt in ſe ipſo, voluntati nō ſubeſt, & ab ea formaliter emanat, non poteſt dici *voluntarium* vel *liberum* formaliter in ſe; ſed in eo dumtaxat, ratione cuius emanavit, quodque fuit eius cauſa. At verò denominatio *peccati* ſumitur per ordinem ad legem præcipientem aut prohibentem: diffinitur enim peccatum *dictum, factum, aut concupitum contra legem*, &c. & ita quod in ſe ipſo lege prohibetur, vel legi repugnat, quomodocunque à voluntate procedat, poteſt & debet dici *peccatū in ſe*. Quare cum omiſſio, de qua loquimur, ſecundum ſe & in ſe prohibeatur per legem; à voluntate verò non oriatur, neque ei immediatè ſubdatur, prout eſt in ſe; ſed ut fuit in ſua cauſa: denominationem peccati formaliter ſuſcipit in ſe; denominationem verò volūtariæ ſolùm in ſua cauſa.

118. Ad primam confirmationem reſpondetur, libertatem in cauſa non eſſe libertatem ſecundum quid vel ex ſuppoſitione; ſed abſolutam & ſimpliciter: involuit tamen neceſſitatem ex ſuppoſitione, quæ eſt neceſſitas ſecundum quid: & ideo non obeſt libertati abſolutæ, quæ requiritur peccatum mortale: ut bene obſervat Angelicus Doctor cit. art. 10. qu. 3. de mal. ubi ſic ait: *Neceſſitas ex ſuppoſitione alicuius, quod ſubiacet voluntati, non tollit rationem peccati mortalis: ſicut ſi gladius infigatur alicui in membris vitalibus, neceſſe eſt, quod moriatur: ſed infixio cultelli eſt voluntaria: unde mors illius, qui cultello percutitur, imputatur percutienti ad culpam mortalem.*

Ad primam confirmationem. *D.Thom.*

Ad ſecundam, conceſſa maiori, neganda eſt minor: nam etiam ad meritum ſufficiet libertas virtualis & in cauſa, ſi detur reſpectu actus boni: David enim dum actu vulneravit lapide Philiſthæum, actu meruit, etiam ſi infixio illius vulneris non fuerit ei libera in ſe ipſa; ſed tantùm in ſua cauſa, nempe in emiſſione lapidis: ſemel namque iacto lapide, non amplius fuit in poteſtate eius Philiſthæum non vulnerare. Et eodem modo ſiquis dormiens exerceat ex cauſa voluntaria actum circa bonum obiectum nulla circunſtantia vitiatum, & qui in vigilia fuerit per ſe intentus, ſatis probabile eſt, poſſe talem actum denominari *bonum* & *meritorium* extrinſece à bonitate & merito ipſius cauſæ: ut inſinuat D.Thom quæſt. 28. de verit. art. 3. ad 7. Raro tamen in dormiente dabitur actus bonus voluntarius in cauſa: quia talis actus non utcunque debet oriri à voluntate, ſed directè & per ſe: hoc enim eſt de ratione boni, quòd ſit per ſe intentum & per ſe voluntarium; in ſomnis autem poteſt aliquid à voluntate oriri indirectè, ratione obligationis removēdi eius cauſam, vel exercendi actum oppoſitum: vix tamen apparet, qualiter poſſit oriri ab ea directè & per ſe, cum ad hoc neceſſarius ſit influxus poſitivus voluntatis per ſe continuatus uſque ad actum: qui influxus raro vel nunquam in dormiente reperietur.

Ad ſecundam.

119. Ad tertiam confirmationem admiſſa etiam maiori, negari debet minor. Et ad probationem in ea contentam reſpondetur, in ſomnis & in quocunque ſtatu homo ſui compos non fuerit, non poſſe cōficere Sacramentum, nec votum emittere. Hoc autē non ideo eſt, quia libertas in cauſa, ſi ſemel daretur, ad hæc nō ſufficiat: nam Sacerdos, qui animo celebrandi accedit ad altare, & mente diſtractus, ac ſine advertentia verba conſecrationis profert; verè conficit Sacramentum, ut communiter docent Theologi: & nihilominus illa prolatio non eſt formaliter libera in ſe; ſed tantū virtualiter vel in cauſa: quia libertas formalis nequit eſſe ſine formali advertentia. Similiterque dicēdum eſt de illo, qui cùm acceſ

Ad ultimā.

Digitized by Google

acceſſiſſet ad locum profeſſionis animo profitendi; ſine advertentia ad ea, quæ dicit, emittit votum. Aliunde ergo hoc provenit: ex eo nimirum quod huiuſmodi actus ex ſe & ex propria ratione petunt exerceri ab eo, qui actu eſt ſui compos, ſicut de peccatis, quæ in verbis conſiſtunt, diximus à n. 107. Et ita dum ab alio exercentur (ſive id voluntariè fiat, ſive non) amittunt propriam rationem talium actuum. Cuius ratio deſumitur ex ibidem dictis: nam ſacramenta ex parte formæ conſiſtunt in verbis, quæ formaliter ſint verba humana; illa verò, quæ dormiens, ebrius, vel amens poſſunt proferre, non ſunt verba formaliter defectu actualis ſignificationis: unde eo ipſo quòd ita proferantur, non iam defectu ſolius libertatis, ſed quia ipſa in ſe verba humana & forma ſacramenti non ſunt, nequeunt illud conſtituere. Atque idem proportionabiliter dicendum eſt de voto, iuramento, & de quacunque promiſſione & contractu: quia de ratione iſtorum actuum, adhuc prout conſiderantur obiectivè, eſt aliquod actuale iudicium rationale & humanum, quòd in dormientibus, amentibus, &c. non reperitur.

Adde, huiuſmodi actus in dormientibus, amentibus, &c. raro vel nunquam eſſe voluntarios virtualiter & in cauſa: nam cum ſint de genere boni, non poſſunt eſſe voluntarij indirectè, quia hoc genus voluntarij non habet locum in bonis, ut conſtabit infra diſp. 10. n. 241. nec ſimiliter poſſunt eſſe voluntarij directè quia hoc voluntarium petit influxum poſitivum voluntatis directè & per ſe continuatum uſque ad actus executionem: in ſomno autem non ita apparet, quomodo dari queat huiuſmodi influxus; aut quomodo actus vel effectus, qui tunc ſequitur, non ſit ſemper per accidens reſpectu voluntatis antecedentis. Secus eſt in peccatis, quæ poſſunt eſſe voluntaria indirectè, ex eo ſolùm quòd eorum cauſa potuit & debuit evitari.

Secundum argumentū. 120. Secundò probatur eadem ſententia nam tranſacto actu voluntatis, qui fuit cauſa omittendi, non eſt à quo omiſſio ſequens denominetur formaliter *peccatum* neque intrinſecè, neque extrinſecè: ergo dumtaxat dicetur *peccati effectus*. Antecedens quoad denominationem intrinſecam conſtat: quoniam talis omiſſio nullá habet in ſe malitiam formalem intrinſecam, ſicut neque intrinſecá libertatem: nec plus quoad hoc tribuendum eſt prædictæ omiſſioni, quàm actui omnino externo, v. g. furandi, cui neque malitiā, neque libertatem tribuimus intrinſecè, ut conſtabit infra diſp. 10. n. 12. Quantum ad denominationem verò extrinſecam ſuadetur: quia malitia actus voluntatis, à qua poſſet omiſſio denominari extrinſecè, non exiſtit iam in rerū natura, quando ponitur ipſa omiſſio: à forma autem, quæ non exiſtit, non poteſt ſumi realis denominatio: ut in ſimili diximus ſupra n. 51.

Solutio. Reſpondetur negando antecedens quoad hác ſecundam partem: omiſſio enim, de qua loquimur, denominatur extrinſecè *peccatum* à malitia actus voluntatis, qui fuit cauſa omittendi; ſicut actus exterior à malitia interioris. Ad probationem dicendum eſt, malitiam actus voluntatis, licèt phyſicè tranſierit, exiſtere adhuc moraliter; quatenus nondum eſt retractata, & dum non retractatur, cenſetur voluntas moraliter eam conſervare, & in illa permanere: ſufficit autem hic modus exiſtendi ad tribuendam prædictam denominationem. Aliter dicendum eſſet, quando forma, à qua ſumenda eſt denominatio, nullò modo in rerum natura exiſteret, neque extitiſſet unquam, ut contingit in caſu, de quo num. cit.

121. Neque obeſt ſi urgeas, quòd denominatione extrinſeca quilibet effectus poteſt denominari à ſua cauſa: ergo vel hoc non ſufficit, ut omiſſio propriè dicatur *peccatum* in ſe, vel omne, quod eſt alicuius peccati effectus, debet *peccatum* denominari. ¶ Reſpondetur enim non quemlibet effectum ſortiri propriè denominationem ſuæ cauſæ, aut eſſe capacem illius adhuc extrinſecè, ſed illú dumtaxat, qui eſt per ſe ſubiectum & materia talis denominationis. Reſpectu autem denominationis *peccati* propria & per ſe materia eſt actus vel omiſſio lege prohibita, nam peccatum debet eſſe contra legem: unde ille dumtaxat effectus accipit propriè in ſe eius denominationem, qui in ſe ipſo eſt contra aliquod præceptú: uti eſt omiſſio, de qua loquimur, & aliqui alij effectus; non verò omnes. ¶ Diximus *propriè*: nam largè & impropriè non incóvenit dici *peccatum*, quicquid eſt eius cauſa vel effectus. Quo ſenſu Apoſtolus aliquádo vocat *peccatum* ipſam concupiſcentiam, etiam in renatis: non quia in iis verè & propriè peccatū ſit; ſed quia ex peccato originali eſt, & ad peccatum inclinat: ut exponit Concil. Trid. ſeſſ. 5.

Probatur tertiò: quia ſuppoſita voluntate omittendi Sacrum, & poſita cauſa, v. g. ſomno, per hoc quòd omiſſio in ſe ſequatur, non magis demeretur omittens, quàm ſi non ſequatur: neque enim eſſe poteſt novum demeritum, ubi non eſt nova libertas: ergo non magis peccat ſequuta omiſſione, quàm ſi non ſequeretur: peccaret autem & demereretur magis, ſi talis omiſſio eſſet peccaminoſa: nam peccatum additum peccato maius peccatum facit: ergò, &c. *Tertium.*

122. Reſpondetur concedendo antecedens intellectum ſaltem de demerito reſpectu pœnæ eſſentialis, ſive damni, ſive ſenſus: imo poteſt etiam admitti primum conſequens, ſi ſenſus ſit, quòd non magis peccat intenſivè & formaliter: ſed neganda eſt in eodē ſenſu minor ſubſumpta. Ad cuius probationem dicendum eſt, peccatum additum peccato tunc ſolùm conſtituere maius peccatum formaliter & intenſivè, quando unū non eſt tota ratio formalis alterius, ſeu quando in utroque eſt diſtincta numero malitia: quia tunc augetur ipſa ratio cóſtitutiva peccati, creſcitque proinde formaliter per talem additionē: Quando verò unum eſt ratio alterius, eademque numero malitia utrumque conſtituit, licèt unū addatur alteri, non efficitur maius peccatū formaliter & intenſivè; ſed ſolum extenſive & materialiter: quatenus ex prædicta malitia provenit denominatio pluribus ſubiectis. Et quia hoc poſteriori modo ſe habet omiſſio, de qua loquimur, ad actū, qui eſt cauſa omittendi, & ad eius malitiam: idcirco neque efficit novum peccatū, aut maius intéſivè; neque conſtituit novum vel maius demeritum pœnæ eſſentialis. Aliqua tamen pœna accidentalis ex hoc ſuperacreſcet: quia ad hanc ſufficit augeri peccatū quomodolibet. Hoc autem rectè explicuit D. Th. qu. 2. de mal. art. 2. ad 8. in actu externo (quo proportionali modo ſe habet omiſſio, de qua loquimur.) *Si conſideretur* (inquit) *quantitas demeriti per comparationem ad pœnam eſſentialē, quæ conſiſtit in ſeparatione à Deo, & dolore exinde proveniente, non minus demeretur, qui ſola voluntate, quam qui voluntate & actu peccat: quia hæc pœna eſt contemptus* *Enodatur.* *D. Thom.*

Digitized by Google

Dei, qui reſpicit voluntatem: ſed quantum ad pœnam ſecundariam, quæ eſt dolor de quocunque alio malo: ſic magis demeretur, qui actu & voluntate peccat: habebit enim dolorem non ſolum de eo, quod malè voluit, ſed etiam de eo, quod male fecit, & de omnibus malis, quæ de ejus maleficio pervenerunt. Vnde & pœnitentem, qui pœnam futuram pœnitendo prævenit, de omnibus talibus dolet. Quod ergo dicitur, quòd quantum additum quanto facit majus, intelligendum eſt ubi utrunque dicitur quantum ſecundũ eandẽ rationem: ſed ubi unum eſt ratio alterius, quod ſit quantum, hoc non oportet: ſicut ſi lignum eſt longum, erit linea longa; nec oportet quòd lignum cum linea ſit longius quàm linea, quia linea eſt ratio longitudinis ligno: ſicut etiam dictum eſt, quod actus exterior habet rationem culpæ ab actu voluntatis.

Quartum. 113. Quartò arguitur ab inconvenientibus: nam ſequitur ex noſtra ſententia, quòd aliquis permanens in gratia poſſit peccare mortaliter: vel quòd is, qui in gratia dormire cœpit, dormiendo illam amittat: hoc autem utrumque eſt abſurdum: ergo, &c. Sequela probatur: nam demus, eum, qui voluntariè appoſuit cauſam peccati mortalis, ante effectum ſequutum pœnituiſſe, fuiſſeque proinde juſtificatum; poſtea verò ipſo dormiente, cauſam illam ſortiri ſuum effectum: tunc verò juxta noſtram ſententiam effectus iſte erit peccatum mortale, cùm ſit voluntarius in ſua cauſa: vel ergo dum ſequitur, dormiens amittit gratiam, quod eſt ſecundum inconveniens: vel non amittit; ſed permanet in illa, dum peccat, quod eſt primum.

Diluitur. Huic argumento occurrunt facilè noſtræ ſententiæ defenſores, negando ſequelam quoad utramque partem. Et ad probationem reſpõdetur, dormientem in iſto caſu non peccare; ſed manere ſemper in gratia: quia retractata per pœnitentiam cauſa effectus peccaminoſi, & ejus voluntate, talis effectus dum poſtea ſequitur, non eſt jam voluntarius; ſed potius involũtarius ratione retractationis: & ſic non eſt peccatum.

Replica. 114. Sed urget Vaſquez: quia tota ratio voluntarij, quæ eſſet in effectu illo, voluntate non retractata, adeſt poſita retractatione: neque enim (ait ille) voluntarium hoc in alio poteſt conſiſtere, niſi in eo quòd cauſa prædicti effectus fuerit appoſita voluntariè: quòd autem prædicta cauſa voluntariè appoſita ſit, non poteſt tolli per retractationem neque per aliquid aliud, quia ad præteritum non eſt potentia: ergo vel poſita retractatione, manet prædictus effectus voluntarius & peccaminoſus; vel non eſſet talis illa ſecluſa. Deinde ponamus, hominem illum ſine pœnitentia obdormiiſſe, & in ipſo ſomno, antequam effectus peccaminoſus ſequatur, Deum illi gratiam infundere, ac deinde ſequi prædictum effectum: ſanè in hoc caſu effectus ſequitur ex cauſa voluntaria non retractata, habetque proinde omnem rationem voluntarij in cauſa, quam poteſt habere: ergò vel hoc genus voluntarij non ſufficit ad peccatum; vel non vitatur prædictum inconveniens.

Enodatur. Reſpondetur tamen ad primam impugnationem negando antecedens: quia ut effectus aliquis dicatur *voluntarius*, prout ad peccatum exigitur, non ſufficit, ut cauſa, ex qua ſequitur, voluntariè applicata fuerit; ſed debet voluntas illam applicans, moraliter permanere: ab hac enim voluntate denominatur prædictus effectus *voluntarius* & *peccaminoſus*: unde ejus permanentia moralis eſt conditio ad id omnino neceſſaria. Tandiu autem cenſetur ita permanere quandiu formaliter vel virtualiter non retractatur: poſita verò retractatione, perit moralis hæc exiſtentia; & ſic jam non eſt, à quo ſumatur prædicta denominatio. Ad ſecundam reſpondetur, ipſam gratiæ infuſionem, quæ fieret in ſomnis fore tunc virtualem retractationem præcedentis voluntatis peccaminoſæ: & ideo per illam redderetur ſubſequens effectus involuntarius.

115. Denique arguitur ex alio inconveniente, quod ex noſtra ſententia ſequeretur: videlicet quòd ſi quis propinaret venenum alicui tandiu eſſet peccans, quandiu duraret actio veneni: unde ſi talis actio duraret per integrum annum, aut etiam poſt mortem ipſius, qui venenum tribuit, toto eo tempore diceretur ille continuo peccare: ſed hoc non videtur admittendum: ergo, &c. Sequela probatur nam tota illa actio ſecundum ſe eſt illicita & objectivè mala, totaque eſt voluntaria in propinatione veneni: ergo peccat in tota illa, qui præbuit talem cauſam. *Vlt. argum.*

Ad hoc argumentum (omiſſa quorundam ſolutione) reſpondetur concedendo ſequelam: neque id ſanè intellectum reputandũ eſt inconveniens, quãdiu voluntas non retractatur. Si enim ante effectum ſequutum retractetur, ceſſabit ex tunc in illa actione denominatio voluntariæ: & ita neque habebit amplius peccati rationem. *Solutio.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum convenienter diffiniatur peccatum, eſſe dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quòd inconvenienter diffiniatur peccatum, cum dicitur, peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. Dictum enim, vel factum, vel concupitum importat aliquem actum: ſed non omne peccatum importat aliquem actum, ut dictum eſt: ergo hæc diffinitio non includit omne peccatum.

2. Præterea: Auguſt. dicit in lib. de duabus animabus: Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat: ſed voluntas ſub concupiſcentia comprehenditur, ſecundum quòd concupiſcentia largo modo ſumitur pro omni appetitu: ergo ſuffeciſſet dicere; peccatum eſt concupitum contra legem æternam; nec oportuit addere, dictum, vel factum.

3. Præterea: peccatum propriè conſiſtere videtur in averſione à fine: nam bonum & malum principaliter conſiderantur ſecundum finem, ut ſupradictis patet: unde & Auguſtinus in 1. de liber. arbit. per comparationem ad finem diffinit peccatum dicens, quòd peccare nihil eſt aliud, quàm neglectis rebus æternis, temporalia ſectari. Et in lib. 83. quæſt. dicit, quòd omnis humana perverſitas eſt uti fruendis, & frui utendis: ſed in præmiſſa diffinitione nulla fit mentio de averſione à debito fine: ergo inſufficienter diffinitur peccatum.

4. Præterea: ex hoc dicitur aliquid eſſe prohibitum, quia legi contrariatur: ſed non omnia peccata ſunt mala, quia prohibita; ſed quædam ſunt prohibita, quia mala: non ergo in communi diffinitione peccati debuit poni, quòd ſit contra legem Dei.

5. Præte

Digitized by Google

5. Præterea: peccatum ſignificat malum hominis actum, vt ex dictis patet: ſed malum, hominis eſt contra rationem eſſe, vt Dionyſ. dicit 4. cap. de diuin. nomin. ergo potius debuit dici, quòd peccatum ſit contra rationem, quàm quòd peccatum ſit contra legem æternam.

In contrarium ſufficit authoritas Auguſtini.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ex dictis patet peccatum nihil aliud eſt, quàm actus humanus malus: quòd autem aliquis actus ſit humanus, habet ex hoc, quòd eſt voluntarius ſicut ex ſupradictis patet, ſiue ſit voluntarius, quaſi à voluntate imperatus, vt exteriores actus vel locutionis, vel operationis. Habet autem actus humanus, quòd ſit malus ex eo, quòd caret debita commenſuratione. Omnis autem commenſuratio cuiuſcunque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua ſi diuertat, incommenſurata erit. Regula autem voluntatis humanæ eſt duplex: vna propinqua & homogenea, ſcilicet ipſa humana ratio: alia verò eſt prima regula, ſcilicet lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei. Et ideo Auguſt. in diffinitione peccati poſuit duo: vnum, quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi materiale in peccato, cum dixit, Dictum, vel Factum, vel Concupitum: aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato, cum dixit, Contra legem æternam.

Ad primum ergo dicendum, quod affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus, ſicut in diuinis genitum & ingenitum, ad relationem, vt Auguſt. dicit in 5. de Trinit. & ideo pro eodem eſt accipiendum, Dictum & non dictum, factum & non factum.

Ad ſecundum dicendum, quòd prima cauſa peccati eſt in voluntate, quæ imperat omnes actus voluntarios, in quibus ſolùm inuenitur peccatum: & ideo Auguſtinus quandoque per ſolam voluntatem diffinit peccatum: ſed quia etiam ipſi exteriores actus pertinent ad ſubſtantiam peccati, cùm ſint ſecundum ſe mali, vt dictum eſt, neceſſe fuit, quòd in diffinitione peccati poneretur etiam aliquid pertinens ad exteriores actus.

Ad tertium dicendum, quòd lex æterna primò & principaliter ordinat hominem ad finem, conſequenter autem facit bene ſe habere circa ea, quæ ſunt ad finem: & ideo in hoc quod dicit, contra legem æternam, tangit auerſionem à fine, & omnes alias inordinationes.

Ad quartum dicendum, quòd cùm dicitur, quòd non omne peccatum ideo eſt malum, quia eſt prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per ius poſitiuum: ſi autem referatur ad ius naturale, quod continetur primò quidem in lege æterna ſecundariò verò in naturali iudicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum eſt malum, quia prohibitum: ex hoc enim ipſo quòd eſt inordinatum, iuri naturali repugnat.

Ad quintum dicendum, quòd à Theologis conſideratur peccatum præcipuè ſecundum quòd eſt offenſa contra Deum: à Philoſopho autem morali ſecundum quòd contrariatur rationi: & ideò Auguſtinus conuenientiùs diffinit peccatum ex hoc, quòd eſt contra legem æternam, quàm ex hoc quòd eſt contra rationem: præcipuè cùm per legem æternam regulemur in multis, quæ excedunt rationem humanam, ſicut in his, quæ ſunt fidei.

Concluſio eſt affirmatiua.

Cùm peccati plures diffinitiones ſancti Patres, & Doctores tradiderint, vt videre eſt apud Magiſtrum in 2. diſt. 35. D. Thomam ibidem, Alexandrum part. 2. q. 108. memb. 1. & q. 127. memb. etiam. 1. Medinam, & alios in præſenti: meritò præ aliis hanc ex D. Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. deſumptam recipiunt omnes Theologi, & ea communiter vtuntur; quia quòd in omnibus illis diffinitionibus ſparſim, & non ita ſcholaſtico modo traditum inuenitur, in hac ſub meliori forma, artificioſiorique methodo continetur. Quia enim peccatum concretum quoddam accidentale eſt (non connotatiuum, vt Monteſinos exiſtimat; ſed abſolutum: ſignificat enim per modum per ſe ſtantis, quod non eſt de ratione connotatiui) debuit, vt exactè explicaretur more concretorum accidentium diffiniri: ita videlicet vt ſubiectum, quod eſt actus humanus, & ſignificatur per ly, *dictum, factum*, vel *concupitum*, poneretur loco generis; loco verò differentiæ eius ratio formalis, quæ eſt malitia ſignificata per *eſſe contra legem æternam.*

Et licet tota hæc diffinitio ad breviorem formam poſſit reduci, conſtituendo loco generis ſubiectum commune omni peccato, quòd eſt *voluntarium* in hunc modum: *Peccatum eſt voluntarium contra legem æternam*; oportuit tamen tempore D. Auguſtini omnibus illis nominibus *dictum factum, & concupitum* in ea vti: vt clariùs daretur intelligi, non ſolùm exteriores actus, aut ſolas concupiſcentias & actus interiores, ſe tam hæc, quàm illos habere rationem peccati, & lege diuina prohiberi. Atque ita aliquorum errores, qui ſolos actus internos voluntatis, & aliorum, qui ſolos externos peccata eſſe dicebant, omnino excluderentur. Nec propterea prædicta diffinitio aliquid habet ſuperfluum aut redundans: quia loco prædicati ſuperioris licet membris eius diuidentibus (præcipue cùm pauca ſunt) in diffinitione vti: quare cùm actus humanus, ſeu voluntarium adæquatè diuidatur in actum externum oris & operis, qui eſt *dictum & factum*; & in actum internum ſiue appetitus, ſiue voluntatis, qui vocatur *concupitum*, potuit abſque vitio per hæc tria membra diffinitio tradi. Vnde *dictum, factum, & concupitum* hic non ſumuntur præcisè obiectiuè, pro re ſcilicet concupita, dicta, vel facta, quæ eſt tantùm peccati obiectum; ſed formaliter pro ipſis actibus humanis & liberis loquendi, faciendi, & appetendi. Cogitationes verò ſeu actus cognoſcendi ad peccatum appetitus reducuntur: quia cogitatio ſecũdum ſe ſumpta, cuiuſcunque obiecti ſit, neque formaliter, neque obiectivè importat rationem peccati; ſed totum hoc habet ab appetitu & fine: & ita comprehenditur ſub concupito.

Circa diffinitum verò hujus diffinitionis ſciẽdum eſt in ea per ſe primò ac ſimpliciter diffiniri ſolùm peccatum commiſſionis, non quodcunque; ſed actuale mortale. Peccatum enim omiſſionis quoad ſuum eſſentiale cùm non ſit actus poſitivus, propriè non eſt *dictum* aut *factum*; ſed in horum carentia & privatione conſiſtit. Peccatum etiam habituale ſiue originale ſiue proprium (quicquid illud ſit) potiùs ad habitum, vt eius nomen ſonat quàm ad actum ſpectat: vnde neque hoc propriè eſt *dictum, factum*, aut *concupitum*; ſed iſtorum principium vel terminus. Ac denique peccatum veniale quamvis ſit actus poſitivus, & hac ratione propriè ſit *dictum*, aut *factum, &c.* non tamẽ ſimpliciter habet eſſe *contra*

legem: ſed magis dicendum eſt *præter legem*, vt docet D.Thom.infra qu.88. art.1.ad 1.vbi propter hanc rationem excludit illud ab hac diffinitione Auguſtini de quo agemus infra diſp. 19. Diximus *per ſe primo, ac ſimpliciter*: quia ſecundario extenditur etiam prædicta diffinitio ad peccatum omiſſionis,nõ ſolùm qua ratione debet importare actum, qui ſit cauſa omittendi; ſed etiam ratione ipſius priuationis, in qua eſſentia huius peccati conſiſtit: quatenus pro eodem accipiuntur *dictum* & *non dictum*, *factum* & *non factum*,&c.vbi vtrunque eſt contra legem,vt explicat Diuus Thom.in ſolut.ad 1.pro quo videnda ſunt,quæ diximus diſp.præced.dub.1.n.5. Peccatis verò veniali & habituali ſi adaptetur hæc diffinitio, conueniet illis dumtaxat ſecundum quid & valde analogicè, vt explicat Ang. Doctor in 2.diſt.35.art.2.ad 2. Maximam autem difficultatem circa hanc diffinitionem ingerit id,quod in ea ponitur loco differentiæ,quo formalis ratio peccati deſcribitur,ſcilicet *contra legem æternam*: in cuius declarationem erit.

DISPVTATIO VI.

De eſſentia & conſtitutiuo peccati commiſſionis.

ADEST iam celebris illa inter Theologos non minus quàm ardua diſputatio de conſtitutiuo peccati commiſſionis, ſeu de malitia eius morali. Controuerſia ſanè difficilis, ſatiſque obſtruſa & implicata: tum ab intrinſeco ratione materiæ, quæ per ſe caliginoſa eſt, & obſcura: dum enim peccatum ex propria ſua ratione à diuinis recedit mandatis,& iuxta diffinitionem ab Auguſtino datam fugit à lege;fugit etiam à claritate; receditque à luce, iuxta illud
Proverb.6. Proverb. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux.* Tum etiam ab extrinſeco, ob ſententiarum maximam varietatem,quæ dum rem hanc,vnaquæque iuxta modum ſuum elucidare conatur, cuiuſdam confuſionis caligine illam circumvoluunt: & multiplicitate ipſa tenebras quodammodo offundunt veritati. Vtinam & diſputationem noſtram obſcuritas hæc non comprehendat; ſed inter peccati tenebras fulgeat ſplendor Thomiſticæ claritatis. Curabimus breuitati conſulere, vt materia patietur: minus verò neceſſaria,quæ aliqui immiſcent, reſecabimus.

DVBIVM I.

Vtrum in peccato commiſſionis ſit aliqua malitia priuatiua?

NVlla alia via clariùs & faciliùs *quod quid eſt peccati* inueniemus, quàm examinando prius rationes & formalitates de genere mali in peccato ipſo repertas: atque vt à facilioribus incipiamus, quærimus primo loco de malitia priuatiua, an re ipſa detur in peccato commiſſionis?

§. I.

Deciſio dubij iuxta doctrinam Diui Thomæ.

1. DIcendum eſt dari in peccato commiſſionis malitiam priuatiuam, quæ eſt carentia formæ debitæ. Hanc ſententiam tenent omnes Theologi,qui eſſentiam peccati commiſſionis in priuatione conſtituunt, quos citabimus dub.4.& etiam ferè omnes Thomiſtæ,qui dicunt eſſe poſitiuum,vt Caiet.Bannez,Medina,Aluar. Zumel,Greg.Matt.& alij,quos dub.3.referemus. Docetque eam expreſsè D. Thom. in hoc art. D.Thom.
vbi explicans peccati diffinitionem, ſic ait: *Habet actus humanus, quòd ſit malus,ex eo quòd caret debita commenſuratione.* Et qu.71.ſequenti art.1. ad 2.cum dixiſſet peccatum non eſſe puram priuationem, addit: *Sed eſt actus debito ordine priuatus.* Idem tenet ſupra q.18. art.1.& 5.& infra quæſt.73. art.2.& 3.&.7.quæſt.79.art.1.ad 3. Et 2.2.q.6.art.2.ad 2.q.10.art.3.& 5.q.20.art.1.& 3. q.24.art.12.ad 5.q.118. art.5. in corp.ibi: *Omne peccatum ex hoc ipſo quòd eſt malum, conſiſtit in quadam corruptione ſeu priuatione boni.* Idem docet 1.p.quæſt.48.art.1.De mal.q.2.art.1.ad 4.In 2.diſt.35.qu.1. art.2. aliiſque in locis. ¶ Probatur primo ex ſacra Scriptura, in qua ſæpe peccatum appellatur nominibus ſignificantibus priuationem,carentiam, & defectum:vt nomine *auerſionis* 3.Reg.cap.9.Ierem.c.2.& 3.& 14.Ezechiel.cap.9.Nomine *derelictionis Dei*,& nomine *receſſus a Deo*, Deuteron. cap.11. & 29. & 32.3. Reg cap.12.2.Paralip.c.25.& 30.Iſai.36. Ierem. 1.& 2.& alibi frequenter etiam vocatur *vanitas*, *mendacium*,*tenebræ*,*vmbra*,*nihil*, & ſimilia: quæ vel ſignificant, vel ſecum afferunt priuationem. Atque eodem modo loquuntur vnanimiter ſancti Patres, vt Dionyſius, Epiphanius, Baſilius, Auguſtinus,Athanaſius,Gregorius magnus, & Niſſenus,Fulgentius,Anſelmus, & alij,quorum verba adducemus,& examinabimus dub.4.

Deinde probatur ratione ſumpta ex D. Thoma. Ratio.
Nam cuilibet actui humano procedenti ex deliberatione rationis debetur bonitas & rectitudo ipſius rationis, à qua procedit: & ita ſi illam non habeat,caret forma ſibi debita:ſed peccatum commiſſionis eſt actus humanus ex deliberatione rationis procedens,& non habet huiuſmodi rectitudinem:ergo caret forma ſibi debita, adeoque importat malitiam priuatiuã. Minor & conſequentia conſtant:maior verò ſuadetur.Tùm quia cuilibet actioni debetur commenſuratio & cõformitas cum principio talis actionis:& ita actui humano procedenti ex principiis rationis debita eſt commenſuratio & conformitas cum huiuſmodi principiis:in hac autem cõformitate ſita eſt bonitas & rectitudo rationis. Tum etiam quia cuilibet actioni in quocunque ordine ſit,debita eſt adæquatio cum propria regula & menſura: & ita actionibus artificialibus debitum eſt, quicquid exigunt regulæ artis: & actionibus naturalibus, quicquid natura exigit, quæ eſt earũ regula: ergo actionibus moralibus & humanis debita erit adæquatio cum menſura & regulis morum: nihilque aliud eſt bonitas quam rectitudo rationis.

2. Confirmatur: nam ea potiſſimum ratione Confirmatur
probat D.Thom.ſupra quæſt.18.art.9.non poſſe dari actum humanum in indiuiduo indifferentem;

Digitized by Google

tem;ſed omnem debere eſſe bonum, vel malum: quia cùm talis actus à ratione deliberatiua procedat, debetur ei ex hoc principio terminatio ad finem conformem ipſi rationi, adeoque bonum & honeſtum: & ita ſi ſiſtat in fine præcisè delectabili ſeu indifferente, eo ipſo caret terminatione & perfectione ſibi debita, manetque priuatus tali perfectione: cũ ergo omnis actus peccaminoſus procedat à ratione deliberatiua, ac proinde debita ſit illi ex hoc capite terminatio ad finem honeſtum, careatque huiuſmodi terminatione: conſequens eſt, vt omnis talis actus euadat priuatus prædicta terminatione & perfectione, ac proinde cum malitia priuativa.

Alia. Confirmatur ſecundò & explicatur, animaduertendo ex Angelico Doctore 1. part. quæſt. 79. art. 12. quòd ſicut in ratione ſpeculatiua ſunt quædam principia per ſe nota, quaſi ſemina & initium totius ſpeculativæ cognitionis, ex quibus intellectus ſpeculativus ad cõcluſiones procedit: ita in ratione practica adſunt principia quædam naturaliter nota, quæ ſe habent in ordine ad praxim quaſi ſeminarium & initium humanæ operationis. *Nam quia ratiocinatio hominis eſt quidam motus* (ait D.Thom. loco cit.) *ab intellectu progreditur aliquorum, ſcilicet naturaliter notorum abſque inueſtigatione rationis, ſicut à quodam principio immobili; & ad intellectum etiam terminatur, in quantum iudicamus per principia per ſe naturaliter nota de his, quæ ratiocinando inueniuntur. Conſtat autẽ, quòd ſicut ratio ſpeculatiua ratiocinatur de ſpeculatiuis: ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Oportet igitur naturaliter nobis eſſe indita, ſicut principia ſpeculabilium, ita & principia operabilium.* Hæc D.Tho. Vbi ſecundò nota, quòd ſicut principia rationis ſpeculatiuæ ſũt propoſitiones ſpeculatiuæ per ſe notæ, vt quòd *quodlibet eſt vel non eſt*, quòd *totum eſt maius ſua parte*, &c. de quibus iudicat habitus intelligentiæ: ſic principia rationis practicæ ſũt ipſa principia boni honeſti, & communes propoſitiones practicæ per ſe notæ, quæ ad habitum ſynthereſis pertinent: vt quòd *bonum eſt faciendum*, quòd *malum eſt fugiendum*, quòd *eſt honeſtè viuendum*, quòd *nulli eſt nocendum*, &c. Potiſſimè verò obtinet rationem principij in ordine practico amor finis vltimi humanæ naturæ, qui eſt bonum honeſtum: finis enim ſicut eſt vltimus in exequutione, ita eſt primus in naturæ intentione.

D.Thom.

3. Hinc ergo confirmatur ratio facta: quia omnis actus à ratione prouenieus oriri debet ex principiis boni honeſti, & ex amore finis vltimi naturæ rationalis: ergo poſtulat terminari ad bonum honeſtum & ad prædictum finem: & ita ſi illi deſit huiuſmodi terminatio, carebit eo ipſo forma ſibi debita. Sed omnis actus peccaminoſus proficiſcitur à ratione, & caret practica terminatione: cùm eo ipſo quòd peccaminoſus eſt, non recipiat bonum honeſtum: ergo caret perfectione & forma ſibi debita, quod eſt eſſe malum priuatiuè. Minor & hæc ſecunda conſequentia conſtant: prima verò probatur: quia cuilibet actioni debetur terminus proportionatus cum principio talis actionis, & quòd finis principio correſpondeat: ſi igitur omnis actus prouenieus à ratione procedit, aut procedere debet ex amore boni honeſti: omnis talis actus debet terminari ad huiuſmodi bonum.

Euaſio. Dices, non omnem actum procedentem à ratione oriri ex principiis boni honeſti, quia non ſemper homo deliberat ex his principiis. Nam cùm prædicta principia habeant rationem habitus, ſicut etiam ſynthereſis, cuius obiecta ſunt, eſt quidam habitus, poteſt quis pro libito illis vti, vel non vti ad operandum: habitibus enim vtimur, cùm volumus. Eò præſertim quia vt homo deliberet, ſufficiunt ei principia boni vt ſic, quod abſtrahit à delectabili & honeſto. Ratio verò facta tunc ſolùm conuincit deberi actibus humanis ordinem ſeu terminationem ad bonum honeſtum, quando actu procedunt ex principiis iſtius boni.

Precluditur. Sed contra: nam etſi actus humani poſſint abſolutè non procedere ex principiis boni honeſti; debetur tamen illis, vt ab eis procedant: & ideo ſi non procedant, eo ipſo carent perfectione ſibi debita tam ex parte principij, quàm ex parte terminationis. Rationem verò cur prædictis actibus id debeatur, reddidimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 7. n. 20. Quia nimirũ licèt homo pro libito deliberare poſſit ex aliis principiis, lege tamen naturali tenetur vti in omni ſua operatione libera principiis boni honeſti, inchoareque ab eis omnem talem operationem. Tum quia prædicta principia collata ſunt homini ad deliberandum, & vt ſint in eo initium & fons totius practicæ cognitionis: ergo recta ratio præcipit vt eis vtatur, eo ipſo quòd deliberet. Tum etiam quia ſynthereſis, quæ eſt habitus inditus à naturæ auctore, vim habet ſuperioris & regulæ in tota ratione practica: debetque proinde tota hæc ratio illi ad plenum ſubordinari, ſicut debet ſubordinari ipſi auctori naturæ: non autem ſubordinatur, quoties homo deliberat inconſultis eius principiis: jure ergo naturali tenetur illa conſulere, & eis vti, ſi ſemel ſe applicat ad deliberandum. Vide quæ diximus loco cit.

§. II.

Communis obiectio pro oppoſita ſententia.

4. Oppoſitam ſententiam tuentur Almaynus tract. 1. moral. cap. 15. Vaſq. in præſenti diſp. 95. c. 6. & alij: qui licèt in peccatis contra jus poſitiuũ ſeu quæ præciſe ſũt mala, quia prohibita, admittant priuationem alicujus formæ debitæ; eam tamen negant in aliis peccatis, quæ ſunt alia ab intrinſeco, & prohibentur ipſo jure naturæ: vt eſt odium Dei, furtum, & ſimilia. Argumenta verò pro hac ſententia, quæ ſolutione egent (plura enim ex iis, quæ tangit Vaſq. nobis non officiunt) reducuntur ad ſequentem obiectionem. Actus peccati commiſſionis non eſt capax conformitatis ad rationem, neque illius rectitudinis: ergo nec talis rectitudo poteſt eſſe illi debita, neque ejus carentia habere in eo rationem priuationis. Conſequentia quoad vtramque partem eſt perſpicua: quoniam debitum alicujus formæ ſupponit in ſubjecto capacitatem ad illam: priuatio verò capacitatem & debitum: eſt enim carentia formæ debitæ in ſubjecto apto nato habere illam: & ideo vbi non eſt capacitas ad aliquam formam, nec poteſt eſſe debitum nec priuatio. Antecedens autem probatur, quoniam actus odij Dei v. g. aut quicunque alius malus ex objecto implicat, quòd ſit conformis rationi: ſicut implicat, quòd non ſit malus, aut quòd ſit moraliter bonus: ergo omnino eſt incapax prædictæ conformitatis.

Almayn. Vaſquez.

Hac objectione conuicti Gregorius in 2. diſt. 35. qu. 1. art. 2. & Okam ab eo relatus, quodl.

Prior ſolutio Gregor. Okam.

quæſt.

quæſt.14.& quodlib.4. qu 6. dicunt conformitatem prædictam non deberi ipſi actui peccaminoſo;ſed potentiæ vel ſuppoſito peccanti:adeoque ſubjectum priuationis talis conformitatis non eſſe actum, ſed potentiam vel ipſum ſuppoſitum.

Diſplicet. Verùm ſolutionem iſtam meritò impugnant recentiores: quia potentia vel ſuppoſitum non eſt capax conformitatis, de qua loquimur, niſi mediante actu non enim voluntas dicitur conformis rationi per ſe ipſam;ſed quia elicit actum rationi conſonum & cõformem:ergo neque potentia neque ſuppoſitum;ſed actus dumtaxat habet eſſe immediatum ſubiectum prædictæ conformitatis & ejus priuationis: idem enim debet eſſe ſubjectum priuationis, & formæ cujus eſt priuatio. Deinde priuatio, quæ ſpectat per ſe ad peccatum commiſſionis, & ex qua hujuſmodi peccatum habet rationem mali,non eſt carentia actus debiti.hæc enim potius eſt peccatum omiſſionis;ſed eſt carentia ordinationis & rectitudinis actus ſicut & hujuſmodi peccatum non eſt priuatio alicujus actus;ſed actus quidam inordinatus & carens debita rectitudine: at priuatio, quæ immediatè recipitur in potentia ſolùm poteſt eſſe carentia actus: nam potentia ſolùm eſt immediatum ſubiectum reſpectu actus,& carentiæ actus: ergo ſubjectum immediatum rectitudinis & priuationis,de quibus loquimur, actus debet eſſe,non potentia. Specialiter verò diſplicet hæc ſolutio,quià eſt expreſſe contra D.Tho. vt videre eſt q.72. ſequenti art.1.vbi loquens de hac inordinatione priuatiua, dicit quòd exiſtit in ipſo peccato.Et in ſolut.ad 2.quòd *peccatum eſt actus debito ordine priuatus*. Et in diſtinct.35. quæſt.1.art.2.in corp.ſic ait: *Defectus, qui cauſat rationem mali in peccato,eſt defectus rectitudinis in actu*. Quod etiam docet diſt.37. quæſt. 1. art.1. ad 2.& ad 4. Et 2.2.quæſt.6.art.2.ad.2. De mal. quæſt.1. art.1. ad 13. & art.5. in corp.aliiſque in locis: non ergo dici poteſt,rectitudinem & priuationem de quibus loquimur,afficere immediatè potentiam, & non actum.

D.Thom.

Solutio alia. 5. Quare melius alij reſpondent,ſubjectum prædictæ priuationis eſſe ipſum actum peccaminoſum, furtum v. g. quia licèt hujuſmodi actus non ſit capax rectitudinis, conſideratus ſecundum ſuam ſpecificam differentiam furti; eſt tamen illius capax ſecundum gradum communem actus humani: & hoc ſufficit vt carentia prædictæ rectitudinis habeat in eo rationem priuationis.Quemadmodum carentia viſus in talpa habet rationem priuationis:quia licèt ratione ſuæ ſpecificæ differentiæ talpæ repugnet viſus; non tamen repugnat, ſed potius illi debetur ſecundū gradum communem animalis.Ita Monteſ.Greg. Mart.& alij in præſenti.Quæ etiam eſt doctrina Scoti in 1.diſt.37.quæſt.vnica §.*Ex iſta ſolutione*, & quodlibet.17.§.*de primo*.

Monteſ. Greg.Mart. Scotus.

Non euacuat difficultatẽ. Sed neque iſta ſolutio, niſi amplius declaretur, euacuat omnem difficultatem vt conſtabit animaduertenti,quòd & carentia alicujus formæ habeat rationem priuationis,non ſufficit ex parte ſubjecti capacitas vel non repugnantia ad formam illam ratione alicujus gradus communis; ſed requiritur vlterius,quod forma ipſa debeatur ſubjecto ſaltem ratione prædicti gradus eſt enim priuatio carentia formæ debitæ. Vnde licèt in equo ratione gradus cõmunis animalis, in quo conuenit cum homine, adſit capacitas ſeu non repugnantia ad ratiocinandum, & in nigredine ratione communis gradus coloris ad diſgregandum; non tamen ob id carentia rationalitatis in equo,aut virtutis diſgregatiuæ in nigredine habet rationem priuationis: quia neque equo adhuc ratione prædicti gradus debita eſt rationalitas;nec nigredini virtus ad diſgregandum,etiam ratione coloris. Ex hoc autem habetur efficax impugnatio prædictæ ſolutionis,dum vltra non pergit.Nam etiam ſi actui peccaminoſo,v.g.furti,ex communi ratione actus humani non repugnet rectitudo & conformitas; nequit tamen adhuc ratione prædicti gradus eſſe illi debita:ergo carentia illius non poteſt habere rationem priuationis. Conſequentia liquet Antecedens vero probatur:quia prædicatum,quod alicui debetur ratione gradus generici & communis, nequit illi repugnare ex propria & ſpecifica ſua differentia: aliàs neque genus eſſet radix talis differentiæ vti eſſe debet;neque ipſa,vt debet eſſet perfectiua ſui generis; ſed magis deſtructiua: vnde quia ex communi ratione animalis debita eſt proprietas ſenſitiua,non eſt poſſibile animal, cui ratione ſuæ ſpecificæ differentiæ repugnet potentia ad ſentiendum: ſed peccato furti ex propria differentia ſpecifica repugnat cõuenientia ad rationem,vt eſt per ſe notum:ergo nequit talis conuenientia deberi illi ratione cujuſcunque gradus communis & generici. ¶ Ad hæc: ſi prædicatum, quod alicui debetur ratione generis poſſet eidem impugnare ratione differentiæ ſpecificæ, non poſſent proprietates generis de ſpeciebus demonſtrari;neque proinde eſſet legitimus modus arguendi, *Omne animal eſt ſenſitiuum: equus eſt animal: ergo equus eſt ſenſitiuus*, vt intuenti conſtabit: hoc autem eſt contra communem conſenſum Dialecticorum: ergo,&c.

6. Illud verò, quod adducitur de talpa, parum refert.Tum quia talpæ ratione ſuæ ſpecificæ differentiæ fortè non repugnat viſus; ſed quòd naſcatur ſine oculis, oritur ex indiſpoſitione materiæ, vt volunt nonnulli:& ita potius pertinebit ad conditionem indiuidualem, quæ materiam ſequitur,quàm ad differentiam ſpecificam,quæ ſumitur à forma. *Imo talpa* (verba ſunt D.Thom.lib.3. de anima lect.1.) *videtur habere oculos ſub pelle:ſed propter hoc quòd conuerſatur ſub terra, non fuit ei neceſſarius viſus:& ſi haberet oculos diſcoopertos, ejus oculos offenderet*. Tum etiam prædictum exemplum non refert: quia facultas ſẽſitiua,quæ debetur animalibus ratione gradus communis tam perfectis, quàm imperfectis,ſolum eſt virtus ad ſentiendum vtcunque, abſtrahendo ab hoc vel illo determinato modo ſentiendi, adeoque ab hoc quod eſt ſentire tribus, quatuor,aut quinque ſenſibus externis.Hæc autem facultas non repugnat,imo nec deeſt alicui animalium,quantumvis imperfecto,etiamſi vno vel altero,aut pluribus ſenſibus careat:cùm nullum ſit,quod aliquos non conſeruet.Perfecta verò facultas ſentiendi omnibus quinque externis ſenſibus non eſt proprietas animalis vt ſic, abſtrahentis à perfecto & imperfecto; ſed dumtaxat animalis perfecti: & ideo non mirum,quòd aliquibus imperfectis repugnet:reperitur autem in omnibus perfectis.Quare in talpa,aut in quovis alio animalſli, cui viſus, vel alius ſenſus ex propria differentia repugnet,non eſt debitus ille ſenſus ratione generis;atque adeo neque eius carentia propriè erit priuatio:licèt ita appelletur, largè & impropriè:quod ad præſens nõ ſufficit.

D.Thom.

Dices:diuiſibilitas in partes eiuſdem rationis

eſt

eſt proprietas quantitatis continuæ ex communi ſua ratione: & nihilominus datur quantitas continua, cui omnino repugnat; nempe quantitas cœli, aut minimi naturalis, quibus ex propria ſua ratione repugnat diuidi. ¶ Reſpondetur prædictam proprietatem non tam eſſe diuiſibilitatem phyſicam & naturalem, quàm mathematicam, ſiue per deſignationem: vt bene obſeruarunt N. Complutenſes in Logica diſp. 7. nu. 37. hæc autem diuiſibilitas nulli quanto, etiam cœleſti vel naturaliter minimo, repugnat. Aliam ſolutionẽ reperies apud eoſdem Complutenſes loco cit.

Doctrina pro adæquata ſolutione.

7. Pro vera ergo & adæquata ſolutione primò diſtinguendum eſt duplex debitum: aliud morale, ſiue legale; & aliud phyſicum. Debitum morale, ſeu regale eſt quod prouenit ex lege: vt ex lege juſtitiæ debetur vnicuique jus ſuum, & ex lege temperantiæ tenetur quilibet temperatè comedere, &c. Debitũ phyſicum eſt, quod fũdat quælibet natura per ſua principia phyſica reſpectu illorum, quæ ab ipſa emanant: ob idque dici poteſt *debitum naturale*: quo genere debiti cuilibet eſſentiæ debentur naturales paſſiones. Vnde etiam priuatio eſt duplex: alia moralis, quæ eſt carentia formæ debitæ ex aliqua lege: vt dum quis non apponit actui, quem exercet, circunſtantias, quas lex jubet apponere. Et alia phyſica, quæ eſt carentia formæ debitæ ex ſolis principiis phyſicis naturæ: ſicut eſſet in qualibet eſſentia carẽtia alicujus proprietatis. Secundò obſerua, quòd licèt illud, quod alicui repugnat ex ſua differẽtia ſpecifica, nequeat illi deberi ratione prædicati communis, debito phyſico propter rationem nuper tactam, ſecùs tamen debito morali. Poteſt enim lex præcipere vt cõmune prædicatum, quod ſecundum ſe phyſicè loquendo, eſt indifferens ad malum & ad bonum, per hujus & non per illius differentiã contrahatur & determinetur ad ſpeciem: & ideo ſi contra hujuſmodi præceptum prædicatum illud contrahatur per differentiam mali, carebit differentia & contractione boni ſibi debita ex prædicta lege: habebitque proinde hujuſmodi carentia rationem priuationis moralis reſpectu talis prædicati: quamvis prout ſic jam contracto per illam primam differentiam, altera ei repugnet.

Hoc ſuppoſito ad objectionem reſpondetur cuilibet actui peccaminoſo, qua ratione actus humanus eſt, debitum eſſe rectitudinem & conformitatem cum recta ratione, non quidem debito phyſico per modum naturalis proprietatis; ſed debito morali: ex ipſa lege rationis, quæ dictat vt eo ipſo quòd homo in quãtum rationalis eſt, operetur, id faciat in ordine ad objectum & finem conſonum rationi, ſeruatiſque omnibus, quæ recta ratio exigit: adeoque cum rectitudine rationis, hac vel illa, juxta exigentiam materiæ, circa quam operatio exercetur. Hoc autem ſufficit, vt in omni operatione humana, quæ ſine hujuſmodi rectitudine fit, ſicut fit omnis actus peccaminoſus, carentia illius habeat rationem priuationis moralis, ſaltem reſpectu prædicati communis; quamvis ex differentia ſpecifica talis rectitudo repugnet.

Noua obiectiones.

8. Verùm contra hanc etiam ſolutionem objicies, tum quòd nulli poteſt deberi ex lege, quòd abſolutè ei repugnat: ſicut nec lex poteſt facere vt quod alicui ſecundum rem repugnat, re ipſa illi conueniat; ſed actui peccati re ipſa repugnat rectitudo: ergo ex nulla lege poteſt illi deberi. ¶ Deinde vel iſta lex ſupponit jam actũ malum exiſtere in voluntate, & præcipit, vt tali actui rectitudo adhibeatur: vel non ſupponit illum, ſed antecedit & prohibet, ne fiat: Primum dici nequit; alias talis lex præciperet impoſſibile, cùm impoſſibile ſit actui malo, ex ſuppoſitione quòd malus eſt rectitudinem adhiberi. Secũdum verò non eſt ad rem: quia ex vi legis prohibentis ex toto aliquem actum, non eſt debita rectitudo; ſed carentia & negatio talis actus: ergo, &c. ¶ Denique nulla apparet lex, ratione cujus deberi poſſit illa rectitudo. Nam vel eſſet affirmatiua: Et hæc non: quia lex affirmatiua præcipit actum bonum, & violatur per peccatum omiſſionis; prædicta verò lex nullũ actum præcipit; ſed prohibet actum malum: & ideo violatur per peccatum commiſſionis. Vel eſſet lex negatiua: Et neque hoc dici poteſt; quia lex negatiua ſolùm habet prohibere actum inordinatum, nullamque præcipit poſitiuam rectitudinem. Præterquam quod lex negatiua obligat pro ſemper; prædicta vero rectitudo non ſemper eſt debita; ſed tunc ſolùm cùm homo ex deliberatione operatur: ergo non datur talis lex.

Ad primum.

Reſpondetur tamen ad primum, ſolum conuincere nõ deberi adhuc ex lege actui peccaminoſo rectitudinem, ſecundùm quòd peccaminoſus eſt reduplicatiuè; non autem quòd non debeatur illi, vt eſt actus humanus: ſecundum quam rationẽ non magis ei repugnat rectitudo, quàm defectus: & differentia boni quàm mali. Etenim lex eatenus facit, quòd prædicto actui rectitudo debeatur, quatenùs præcipit, vt gradus ille communis actus humani, ex ſe phyſicè indifferens ad malum & bonum, contrahatur & determinetur per differentiam boni, & non per differentiam mali, ſitque proinde rectus, & non inordinatus: in quo nulla eſt impoſſibilitas aut repugnantia. Et ideò cùm voluntas peccando determinat prædictum gradum ad ſpeciem mali, priuat illum rectitudine & determinatione ad bonum, quam ex ſe poterat habere, quamque lex poterat præcipere, & præcipiebat de facto, ſuppoſito quòd voluntas operaretur.

Ad ſecundum.

9. Ad ſecundum reſpondetur, quòd quia lex (in caſu quo loquimur) non abſolutè præcipit rectitudinem actus humani, ſed ex prædicta ſuppoſitione; quodammodo ſupponit, actum ipſum exiſtere jam in voluntate nempe quoad gradum communem operationis liberæ, & quodammodo illum antecedit. Pro quo nota, quòd ſicut in generatione compoſiti materialis, animalis v.g. prius natura producitur gradus communis, nẽpe gradus corporis, quàm gradus magis particularis puta viuentis; & gradus viuentis quàm gradus ſenſitiui: ita voluntas eliciens actum peccaminoſum, prius quodammodo attingit in illo gradum communem actus humani, quàm gradũ ſpecificum peccaminoſi: daturque proinde ſignum quoddam rationis, in quo voluntas intelligitur jam operans humano modo, ſine eo quòd pro tali ſigno intelligatur operans bene vel malè. Igitur omnino antecedenter ad hujuſmodi ſignum, & ad hoc quod voluntas vtcũque operetur, non intelligitur lex determinans ad operãdum cum rectitudine: quia voluntas, in caſu quo loquimur, nõ tenetur abſolutè bene operari; licèt teneatur abſolutè non operari malè. Cæterũ in prædicto ſigno, vbi intelligitur voluntas jam operans & eliciens primũ gradum operationis, intelligitur ſimul adeſſe lex præcipiens, quod talis operatio ſit recta, atque adeò quod prædictus

gradus

gradus communis,qui ad legem ſupponitur,determinetur ad ſpeciem per differentiam boni,& non per differentiam mali.Quia reuera ſuppoſito quòd voluntas operatur,recta ratio & lex dictat, vt bene & non malè operetur. Vnde lex præcipiens rectitudinem vt talis, nec totaliter antecedit actum malum,nec ex toto illum præſupponit ſed ſupponit quantum ad gradum communem,& antecedit quantum ad differentialem, & in illo ſigno intermedio prohibet ne gradus communis contrahatur per differentiam,cui repugnat rectitudo; præcipit verò vt contrahatur per differentiam,quàm rectitudo comitetur.

Aliter explicatur ſolutio. Aliter etiam poteſt hoc explicari, ſi dicamus prædictam legem, quamvis in ratione legis negatiuæ ſit abſoluta, quia abſolute ſeu independenter à qualibet ſuppoſitione prohibet ne fiat actus malus; in ratione tamen affirmatiuæ & præcipientis rectitudinem,de qua loquimur, eſſe conditionalem: quia non præcipit abſolutè eam rectitudinem; ſed ſub hac conditione *ſi voluntas operatura ſit.* Itaque eius imperium non debet explicari hoc abſoluto *operator bene*, ſeu *elicito actum bonum*, ſed hac conditionali *ſi operaturus ſis, operator bene*: vnde non ille, qui non operatur bene, eo quòd abſolutè non operatur, delinquit contra prædictam legem, ſed ille,qui operando non operatur bene.Sic autem expoſita prædicta lege, non opus eſt pro eius imperio expectare illud ſignum inter gradum communem & differentialem operationis, quod diſtinximus; ſed antecedenter ad totam operationem poteſt præcipere rectitudinem ſub prædicta conditione. Vide ſi placet, quæ diximus in tract.de bonit.& malit.diſp.1.à num 7.

Ad tertiam. 10. Ex quo ad tertium dicendum eſt,in qualibet materia ipſammet legem peccati commiſſionis, quæ prohibet abſolutè male operari,extendi ad præcipiendam rectitudinem in illa materia, ſuppoſita operatione,ſeu ſub conditione, quam diximus. Nam cum voluntas ex ſuppoſitione, quòd liberè agat, non poſſit non bene vel male operari;eadem lex,quæ abſolutè & primario prohibet in hac materia,v.g.juſtitiæ malam operationem;ex conſequenti & ſub conditione præcipit,quòd ſi voluntas circa eam operatura ſit,bene & non malè operatur, adeoq; cũ rectitudine, cujus actus humanus eſt capax in materia juſtitiæ. Vnde prædicta lex licèt directè & per ſe ſit negatiua; ex conſequenti tamen & indirectè habet vim affirmatiuæ:& hoc ſufficit, tùm vt ex vi illius aliqua poſitiua rectitudo poſſit eſſe debita modo explicato:tùm etiam vt carentia talis rectitudinis,ſicut etiam prædicta lex non ad peccatum omiſſionis abſolutè & ſimpliciter; ſed ad peccatum commiſſionis pertineat.

Replica ex Vaſq. Sed vrgent Vaſquez & alij ex iis, qui nobis opponuntur,tùm quòd malitia priuatiua,ſi quæ datur in peccato commiſſionis, non debet eſſe malitia generalis, quæ ſit priuatio cujuſcunque rectitudinis haberi poſſibilis; ſed malitia determinata ad certam ſpeciem, atque adeo quæ ſit priuatio alicujus rectitudinis ſpecialis:rectitudo autem,quæ deberi poteſt actui peccaminoſo ſecundum communem gradum actus humani,tantùm poteſt eſſe rectitudo in communi:quandoquidem talis gradus tàm ex ſe quàm ratione legis, quæ prohibet malè operari,indifferens eſt ad quancunque rectitudinem,& nôn magis poſtulat hanc determinatè, quàm illam:non ergo ratione hujus gradus actus peccati poteſt eſſe ſubiectum priuationis. Tum etiam quia iuxta hunc dicendi modum in diuerſis ſpecie peccatis non poterunt aſſignari diſtinctæ ſpecie priuationes; cum neque ex parte rectitudinis, qua priuantur per malitiam: nec ex parte ſubiecti ſeu gradus, cui talis rectitudo debetur, poſſint diſtingui. ¶ Adde, quòd ſi ſoli gradui communi debetur rectitudo, ſolus ipſe erit ſubiectum priuationis,adeoque ſolus ipſe, non verò differentialis, denominabitur ab ea *peccaminoſus*: cum tamen potius hic, quàm ille debeat ita denominari. ¶ Adde ſecundò ex Vaſq. quià ſi ſupponamus, hominem poſſe peccare peccato commiſſionis, non poſſe bene operari: in hoc caſu nulla erit malitia priuatiua: ſiquidem rectitudo, cuius priuatio eſſe deberet; ſupponitur impoſſibilis.

11. Reſpondetur primò ad hanc replicam, hactenus ſatis nobis fuiſſe oſtendere, quòd omni actui peccaminoſo ex aliquo capite debeatur aliqua rectitudo, quæcunque illa ſit: cùm eo ipſo conſtet, carentia talis rectitudinis debere habere in illo rationem priuationis: quod fuit aſſumptum hujus dubij; quicquid ſit de ſpecie vel determinatione talis priuationis aut rectitudinis,de qua dubio ſequenti. Deinde reſpondetur priuationem, quam ponimus in actu peccaminoſo,non eſſe ſolius rectitudinis vt ſic: ſicut neque rectitudo,quæ tali actui debetur,præcisè eſt rectitudo vt ſic ſeu vagè ſumpta; ſed ſpecialior & magis determinata. Hæc verò determinatio ſumitur ex ipſa materia,in qua actus exercetur:vt ſi exerceretur in materia iuſtitiæ, rectitudo,quæ illi debetur, erit de linea juſtitiæ. Sicut enim lex præcipit, quòd actui humano, attenta communi eius ratione,adhibeatur rectitudo aliqua vagè ſumpta:ſic etiam præcipit,vt tali actui determinato jam ad hanc, vel illam materiam adhibeatur rectitudo propria talis materiæ.Vnde quia omnis actus peccaminoſus debet circa aliquam ſpecialem materiam exerceri; idcirco rectitudo, quæ illi debetur & priuatio talis rectitudinis ſemper erunt determinatæ. Excipe tamen actus otioſos;qui nullam materiam moralem determinant: quibus proinde nulla debetur determinata rectitudo(quamvis nec rectitudo,quæ illis debetur, & quæ debetur aliis ex ſola ratione communi humano actui,ſit rectitudo vniuerſalis,vt Authores huius replicæ inſinuãt) ſed rectitudo aliqua particularis, vagè tamen ſumpta & ſine determinatione potius ad hanc, quàm ad illam:cuius proinde priuatio in omnibus eſt eiuſdem ſpeciei: imo ipſi actus otioſi pertinent omnes ad eandem ſpeciem peccati. *Diluitur prima pars.*

Ad ſecundum huius replicæ reſpondetur,non eſſe nobis neceſſarium diſtinguere in qualibet materia tot ſpecies priuationis rectitudinis,quot in ea dantur peccata ſpecificè diſtincta; imo libenter admittimus oppoſitum. Ex qua Caietanus & alij deſumunt non parùm efficax argumẽtum ad probandum malitiam priuatiuam non eſſe rationem conſtitutiuam peccati omiſſionis (quæ erit etiam noſtra ſententia)quia conſtitutiuum debet etiam eſſe diſtinctiuum; ſola autem malitia priuatiua nequit ſemper peccata diſtinguere: cùm vna & eadem ſecundum ſpeciem priuatio reperiatur in peccatis ſpecificè diuerſis. Authores verò tenentes prædictum peccatũ per priuationem conſtitui recurrẽt pro diſtinctione (ſemper tamen infeliciter)vel ad diuerſum modum,quo diuerſa peccata habent priuare eadem recti- *Diluitur ſecunda.*

Digitized by Google

rectitudine : vel in materia eiuſdem virtutis diſtinguent diuerſas rectitudines , adeoque diuerſas priuationes : vel fortè dicent, quòd licèt rectitudo cuiuſlibet virtutis pro formali ſit vna & indiuiſibilis ; pro fundamento tamen ex pluribus coaleſcit, vt ex obiecto, fine,circunſtantiis, &c. & hac via manere locum priuationum multiplicari; de quo ipſi.

Ad primum additum. 12. Ad illud,quod additur,reſpondetur, quòd ſicut cæcitas denominat totum hominem *cæcum*; quamuis ſolùm ſit in oculis:ita licèt malitia priuatiua conueniret actui humano ratione ſolius gradus communis , poſſet denominare totum illum *peccaminoſum* : quia denominatio de genere mali, vndecumque oriatur,totum ſubiectum inficit : & ideo dicitur,quòd *malum ex quocumque defectu*. ¶ Adde prædictam priuationem non ſolùm conuenire actui humano ratione prædicati communis,ſed etiam ratione differentialis : quia licèt exigentia rectitudinis ex primo illo gradu oriatur, priuatio tamen originatur ex poſteriori : cum idcirco actus peccaminoſus careat rectitudine ex gradu communi ſibi debita , quia contractus eſt per talem differentiam, cui rectitudo repugnat. ¶ Adde ſecundò , potiſſimum, à quo actus denominatur *peccaminoſus* , non eſſe priuationem, ſed malitiam poſitiuam , quam infra dari oſtendemus : hæc autem omnino conuenit actibus ratione ſuæ differentiæ.

Ad vltimū. Ad vltimum dicas, caſum in viatoribus repugnare , quia libertas neceſſaria ad peccandum requirit iudicium diſcernens inter bonum & malum, adeoque præbens voluntati indifferentiam & facultatem ad vtrumque à qua indifferentia ſola diuina gratia poteſt voluntatem extrahere, omnino eam à malo reuocando,& confirmando in bono , cum libertate ſolius contradictionis circa iſtud. A bono autem nihil eſt , per quod voluntas viatoris poſſit ita remoueri, vt maneat ad malum determinata ; niſi defectus totius libertatis ; cum quo non ſtat poſſe peccare. Diximus *voluntas viatoris*:quia in damnatis voluntas ita eſt obſtinata in malo,vt conſeruet libertatem contradictionis erga ipſum ; maneat verò impotens ad operandum bonum. Hæc tamen impotentia ſolum eſt impotentia conſequens, orta ex electione voluntaria,per quam damnatus liberè ſe ad malum applicuit,& in eo vult permanere : vnde non obeſt quominus potentia antecedente & abſoluta oppoſitum ſit poſſibile.Quemadmodum in diuina voluntate etiam ſi ex ſuppoſitione quod aliquem ad beatitudinem elegerit , non poſſit in ſenſu compoſito non ſemper id velle, abſolutè tamen & in ſenſu diuiſo poteſt velle oppoſitum:quia impotentia illa præcisè eſt conſequens ad electionem liberam, & ita non tollit potentiam antecedentem: de quo alibi.

DUBIUM II.

Vtrùm malitia priuatiua peccati commiſſionis ſit vna,vel plures : & cuius formæ ſit priuatio ?

VT hanc difficultatem clariùs decidamus, quædam ante dubij reſolutionem prænotare opus eſt.

§. I.

Præmittuntur nonnulla pro dubij deciſione.

13. RES eſt perſpicua , peccatum commiſſionis,& præcipuè ſi ſit mortale, non vnam tantùm,ſed plures diuerſarum perfectionum priuationes inducere.Priuat enim (ſaltem quantum eſt ex ſe) animam gratia, priuat charitate, cæteriſque virtutibus infuſis, ac donis,quæ ſine gratia eſſe non poſſunt : & aliquando etiam deſtruit oppoſitam virtutem acquiſitam.Verùm cùm huiuſmodi priuationes non in ipſo actu peccati,ſed in anima vel in eius potentiis immediatè ſubiectentur ; ex dictis dub. præcedenti conſtat, nullam earum poſſe eſſe malitiam priuatiuam , de qua loquimur : quæ vt oſtenſum eſt num.4. immediatè afficere , & denominare debet actum peccaminoſum. Præterquam quod prædictæ priuationes , vtpote habituum & habituales , potiùs ad habituale peccatum ſpectare deberent quàm ad actuale , de quo loquimur cuius malitia cum ipſo tranſit. Quòd ſi alicubi ſancti Patres docere videantur peccatum eſſe priuationem virtutis aut gratiæ , vt docere videntur D. Dionyſ.cap.4. de diuin.nomin. Baſilius in conſtitutionibus monaſticis cap.3. Ambroſius lib.7. in Lucam cap.10. & alij ; intelligendi ſunt cauſaliter : quia ſcilicet priuatio gratiæ & virtutis cenſeatur ex peccato , & illud conſequitur ; quamuis nec ſit in ipſo, nec formaliter illud denominet. Vel exponendi ſunt de peccato habituali : quod vt diſput.16. dicemus, in priuatione gratiæ conſiſtit. *Animaduerſio.* *Dionyſ. Baſil. D.Ambroſ.*

Neque obeſt, quòd S.Thom.infra q.87.art.4. & 2.2.quæſt.20.art.1. & 3. necnon 3.part. q.86. & aliis locis in ſequentibus referendis , aſſerit peccatum mortale importare formaliter auerſionem à Deo : hæc autem auerſio non poteſt eſſe aliud , quam priuatio gratiæ. ¶ Reſpondetur enim Angel.Doctorem vel loqui de peccato habituali , vt videre eſt loco cit.ex 3.part. vel non loqui de peccato mortali quantum ad moralem malitiam, prout nunc de eo loquimur ; ſed reduplicatiuè vt mortali : quo pacto inuoluit quodammodo ipſam animæ mortem , quæ conſiſtit in ſeparatione à Deo, & priuatione gratiæ : vel denique auerſio, de qua loquitur,non eſt auerſio formalis , aut *in facto eſſe* , quæ eſt priuatio gratiæ ; ſed auerſio quædam effectiua , quæ poteſt dici auerſio *in fieri* , & inducit gratiæ priuationem, vt magis declarabitur dub.3. *D.Thom.*

Duplex alia priuatio. Præter has autem priuationes aſſignant nonnulli in peccato commiſſionis duplicem aliam quaſi actualem : videlicet carentiam actus virtutis oppoſitæ:& carentiam conformitatis ad legem negatiuam, prohibentem ipſum peccatum : ſiue (quod idem eſt) carentiam omiſſionis actus prohibiti : vt peccatum iniuſtitiæ dicunt priuare oppoſito actu iuſtitiæ , & conformitate quadam negatiua , qua voluntas omittendo actum iniuſtitiæ prohibitum , conformari debuit cum lege iuſtitiæ prohibente tale peccatum.

Quid de prima ? 14. Cæterum prima ex iſtis carentiis licèt ſit vera carentia,non tamen ſemper, dum peccatum committitur,eſt priuatio:quia non ſemper quando aliquis peccat peccato omiſſionis , abſolutè debet habere actum oppoſitæ virtutis ; cum tamen priuatio ſemper ſit carentia formæ debitæ. Et licèt ex ſuppoſitione quòd aliquis operetur, teneatur operari bene;& ſi operetur circa mate-

Digitized by Google

riam determinatæ virtutis, puta iuſtitiæ, debeat elicere actum cum rectitudine huius virtutis: quia tamen huiuſmodi obligatio non eſt ad operandum bene abſolutè;ſed ſub conditione quòd voluntas operetur, adeoque ſupponendo operationem ipſam quoad gradum communem actus humani iuxta dicta n.9. idcirco ex vi prædictæ obligationis ſola differentia & rectitudo talis operationis poteſt eſſe debita; non verò integra aliqua operatio: & conſequenter ſola carentia prædictæ rectitudinis, ſuppoſito actu; non verò carentia actus habet rationem priuationis.¶ Adde,quòd etiamſi integer actus iuſtitiæ eſſet debitus, quando quis committit actum iniuſtitiæ, vt ſi aliquis tempore quo debet reſtituere, furaretur,atque ita carentia prædicti actus iuſtitiæ haberet rationem priuationis; hæc tamen priuatio nequaquam ad peccatum commiſſionis pertineret, neque illud denominaret;ſed eſſet peccatum omiſſionis valde diſtinctum contra præceptum affirmatiuum,præcipiens abſolutè talem actum: vnde nec ſubiectum iſtius priuationis eſſet actus peccati commiſſionis; ſed ſola potentia,quæ eſt immediatum ſubiectum actus debiti.

Impugnatur ſecunda.

Secunda verò,quæ dicitur *carentia conformitatis ad legem prohibentem peccatum commiſſionis*, ſeu *carentia omiſſionis huius peccati*,neq; eſt vera carentia, neque aliquid negatiuum; ſed eſt ipſe actus poſitiuus prohibitus & contrarius tali legi. Et ratio eſt perſpicua: quia negatio negationis non eſt negatio; ſed eſt ipſum poſitiuum, quod bis negatur: nam duæ negationes affirmant: omiſſio verò actus prohibiti,ſeu conformitas cũ lege negatiua illum prohibente non eſt aliquid poſitiuum; ſed mera carentia & negatio talis actus: & ideo ſemel data huiuſmodi negatione & carentia, etiam nullo poſitiuo interueniente, datur prædicta conformitas:vnde negatio & carentia iſtius conformitatis ſeu omiſſionis eſt carentia carentiæ, & negatio negationis: adeoque coincidit omnino cum poſitiuo bis negato, ſcilicet cum actu prohibito, qui debuit omitti, & omiſſus non fuit. Quòd ſi omiſſionis alicuius actus daretur vera priuatio; etiam iſtius priuationis poſſet dari alia omiſſio; & huius omiſſionis alia priuatio; & ita in infinitum malitiæ priuatiuæ multiplicarentur. Vt ergo ſimilis proceſſus tollatur, ſiſtendum eſt in actu,& in prima omiſſione, quæ eſt vera carentia ipſius actus: cæteræ verò negationes, quæ replicari poſſunt, debent reduci ad iſta; & vnaquæque cum ſuo bis negato conuerti.

Molina.

15. His credidimus, ſufficienter impugnari hanc vltimam priuationem, quæ dicitur *carentia omiſſionis peccati*,ſeu *conformitatis ad legem illum prohibentem:* cuius auctorem reperimus Molinam 1.part.q.5.diſp.vnica. Vidimus tamen perdoctum & grauem Theologum ex recentioribus huius Vniuerſitatis ſuſcipientem eius patrocinium: quòd ſibi prædicta priuatio, ſicut etiam Molinæ, aptior viſa ſit ad peccatum commiſſionis conſtituendum.

Occurſus ad impugnationem.

Vnde vt noſtræ impugnationi occurrat,animaduertit omiſſionem actus prohibiti, ad quam voluntas tenetur,quamuis phyſicè ſit carentia & *non ens*;moraliter tamen poſſe dici *ens* & poſitiuum.Tum quia oritur à voluntate,cum ſit libera. Tum etiam quia denominatur debita à lege prohibente peccatum: & cùm lex ſit poſitiua, etiam prædicta denominatio debet eſſe poſitiua. Imo habet ab eadem lege,quòd ſit amabilis, adeoque quod ſit bona & ens: nam quod eſt debitum, amabile eſt;& quod amabile, ens & bonum.Cumque huiuſmodi ens ſolùm ſit per ordinem ad voluntatem & ad legem,erit ſolùm ens morale, eritque eius carentia priuatio moralis:dicitur enim priuatio aliqua moralis, eo quòd priuat forma morali. ¶ Deinde hoc explicat exemplo deſumpto ex artificialibus: nam foramina, quæ in domo relinquuntur, vt luci aditus pateat, phyſicè quidem ſunt *non ens*: ſolùm enim important carentiam corporis ſolidi ſpatium illud occidentis: & tamen in ordine ad artem cenſentur entia & bona, vtpote conformia eius regulis. Sed & in naturalibus carentia motus, per quam corpus in ſuo loco quieſcit, habet eſſe illi bona & conſona naturali,quæ eſt in corpore ad quieſcendum: atque adeo etiam eſt aliquo modo ens,cùm bonum ſit paſſio entis; quamuis aliàs ſit carentia. Eodem ergo proportionali modo omiſſio,de qua loquimur,quamuis phyſicè ſit carentia & priuatio, poterit dici *ens morale:* & hoc ſufficiet, vt eius oppoſitum, per quod negatur & aufertur, ſit priuatio moralis. Sic prædictus Iunior ſubtiliùs quàm ſolidè rem meditabatur.

Diſplicet diſcurſus.

Eius tamen diſcurſus non omnino ſatisfacit: nam quicquid ſit, an omiſſio actus prohibiti denominationibus illis *liberæ*, *præceptæ*, *amabilis*, &c. ſubſternatur (quod non diſquirimus) per hoc tamen nihil intrinſecum poſitiuum ponitur realiter in illa; nec tribuitur ei aliquid,quo verè exuat conceptum carentiæ & negationis: quicquid enim ibi ſonat, aut excogitari poteſt de linea poſitiui, ſiſtit in denominatione extrinſeca deſumpta à lege: ergo neque per hoc eius oppoſitum quantum ad intrinſeca verè exuet conceptum poſitiui, aut fiet vera & realis negatio. Non enim vnum oppoſitum verius habere poteſt, quòd ſit *non ens* & *negatio*, quàm alterum habeat, quod ſit affirmatio & ens.

Confirmatio impugnationis.

16. Confirmatur, & explicatur. Etenim cùm dicitur prædictam omiſſionem, quæ phyſicè eſt *non ens*, eſſe *ens* per ordinem ad voluntatem & ad legem, ſeu *ens morale*, non poteſt eſſe ſenſus, quòd talis omiſſio à lege, vel à voluntate, aut aliunde realiter accipiat in ſe aliquid de linea poſitiui, per quod intrinſecè à ſua non entitate diſtinguatur: huiuſmodi enim poſitiuum omnino eſt inexcogitabile in prædicta omiſſione:imo ſi daretur, iam illa non verè eſſet omiſſio & negatio actus prohibiti; ſed eſſet poſitio & affirmatio alicuius alterius actus. Solùm ergo poteſt eſſe ſenſus, quòd illa, quæ intrinſecè reaptè eſt carentia & *non ens*; noſtro modo concipiendi,& moraliter appretiandi quaſi *ens* habeatur; & ita æſtimetur, ac ſi eſſet actus poſitiuus: ergo eſto ob hanc rationem eius oppoſitum poſſit à nobis haberi, & æſtimari vt carentia & *non ens*; nequaquam tamen fiet,vt verè & intrinſecè rationem poſitiui amittat, tranſeatve in realem carentiam, aut fiat vero aliquo modo *priuatio*, & *non ens*. Neque enim vnum oppoſitorum magis à ſe abjicere poteſt rationem poſitiui, & rationem entis, quàm alterum illam ad ſe trahat, & in ſe ſuſcipiat.

Pergit impugnatio.

Ad hæc: omiſſio actus debiti non ita fit moraliter *ens*,vt differat reipſa ab eo,quod eſt verè & realiter carentia & *non eſſe* talis actus:ſiue (quod idem eſt)vt non omnino coincidat cum prædicta carentia & negatione: ergo eius oppoſitum non ita fiet moraliter priuatio & *non ens*, vt realiter differat ab ipſo actu, ſiue vt non omnino cum illo

illo coincidat : quandoquidem non magis oppoſitum omiſſionis poteſt recedere ab *eſſe* actus omiſſi, quàm omiſſio à *non eſſe*. Si igitur prædictum oppoſitum, quod explicatur per priuationem omiſſionis actus prohibiti, manet realiter ab eo indiſtinctum, & cum illo coincidit ; ſolo nomine , vel apparentia dicendum eſt *priuatio* ; reuera autem eſt ipſe actus, qui prohibetur. Neque obeſt illud de denominatione *præceptæ* ratione legis : quia cùm ſit denominatio pure extrinſeca, non variat intrinſecè naturam omiſſionis, neque extrahit illam à ſua *non entitate*: vnde neque oppoſitum illius poterit à ſua entitate extrahere, aut mutare intrinſecè. Idemque dicendum eſt de denominationibus *amabilis*, & *bona* : quia etiam ad ſummum poſſunt eſſe extrinſecæ deſumptæ, vel à bonitate finis, ob quem omittendus eſt actus prohibitus : & ideo nihil arguunt bonitatis aut entitatis etiam moralis , afficiens intrinſecè omiſſionem.

17. Exemplum verò ex artificialibus deſumptum confirmat potius ea , quæ diximus. Nam quicquid ſit; an illa foramina & vacuitates largè, & impropriè poſſint dici *entia*, aut *bona*; quia tamen reuera ſunt carentiæ, eius oppoſita, per quæ tolluntur, nequaquam ſunt carentiæ: ſed ipſamet corpora poſitiua ſolida, quibus occluduntur. Et idem præſtat aliud exemplum ex naturalibus deſumptum : nam oppoſitum , per quod poteſt negari, & auferri carentia motus naturalis , non poteſt eſſe aliud, quàm ipſe motus.

Addendum verò eſt , prædictam priuationem omiſſionis actus prohibiti , ſi ſemel eſſet vera priuatio , nequaquam habituram pro ſubiecto ipſum actum prohibitum; ſed ſolam potentiam, quæ eſt ſubiectum actus. Et ratio eſt perſpicua: nam idem debet eſſe ſubiectum priuationis , & illius, cuius eſt priuatio : ſicut ergo omiſſio actus prohibiti non haberet pro ſubiecto ipſum actũ, qui omitti debuit , ſed ſolam potentiam , vt eſt per ſe notum ; ita etiam priuatio huius omiſſionis (eſto eſſet vera & realis) haberet pro ſubiecto non actum ; ſed nudam potentiam. Ex quo fit prædictam omiſſionis priuationem nedum eſſe fictitiam & chimæricam : vtpote ſub cuius nomine nihil clauditur priuationis ; ſed etiam eſſe inutilem ad denominandum intrinſecè *peccaminoſum* actum prohibitum , adeoque ad illum in *eſſe* peccati conſtituendum (adhuc in ſententia eorum, qui negant malitiam poſitiuam) quia ratio ita conſtituens & denominans debet in prædicto actu ſubiectari , & illum intrinſecè afficere, vt ex ſe liquet.

Reiecta ergo fictitia hac & inutili priuatione omiſſionis actus prohibiti ſeu conformitatis cum lege negatiua illum prohibente, omiſſiſque aliis, quas extra prædictum actum diſtinximus: in ipſo actu requirenda eſt illa, quam inueſtigamus. Pro quo nota, quòd omnis actus peccaminoſus videtur carere pluribus perfectionibus : caret enim bonitate morali oppoſitæ virtutis , & eius rectitudine : caret conuenientia ad rationem , & ad naturam rationalem, conformitate ad legem, ordine ad finem vltimum , & informatione charitatis. Poſſuntque perfectiones iſtæ conſiderari vel formaliter, vel fundamentaliter. Videndum ergo eſt, an prædictæ carentiæ vnam duntaxat, vel plures priuationes conſtituant : & quæ ſit ex enumeratis forma, cuius eſt priuatio ?

§. II.

Expeditur prima pars dubij.

18. Dicendum eſt primò, malitiam priuatiuam in quolibet peccato commiſſionis tantum eſſe vnicam priuationem adæquatam & totalem : quæ diuerſis nominibus à D.Th. & aliis DD. ſignificatur. Hæc poſterior pars concluſionis ex probatione prioris, & ex dicendis per totam diſputationem ſatis conſtabit. Prior autem probatur animaduertendo nos loqui de peccato, *Animaduerſio.* quod formaliter eſt vnum, ſeu quod ſolùm pertinet ad vnam peccati ſpeciem : ſtat enim actum, qui eſt vnus numero in *eſſe* phyſico , eſſe multiplicem in genere moris, & habere plures malitiæ ſpecies ob materias vel circumſtantias ſpecie diuerſas, quas tangit: vt homicidium commiſſum in loco ſacro propter fornicationem: in quo ſunt tres ſpecies malitiæ , eſtque formaliter triplex peccatum. In hoc autem non reſtringimus malitiam priuatiuam ad vnam priuationem; ſed multiplicabuntur , ſicut multiplicantur peccati ſpecies, & malitiæ poſitiuæ. Deinde etiam habendũ eſt præ oculis, quod ſæpe diximus , videlicet in quolibet peccato alicuius materiæ illam ſolam carentiam habere rationem priuationis, quæ eſt carentia formæ debitæ ex ipſa ratione actus humani vt exerciti in tali materia. Nam nec carentia formæ non debitæ ſufficit ad priuationem ; nec aliunde poteſt deberi actui peccaminoſo formæ oppoſita malitiæ priuatiuæ , niſi ex eo quod eſt actus humanus procedens à ratione circa hanc materiam, vel circa illam.

Hoc ſuppoſito , probatur ita noſtra aſſertio. *Ratio aſſertionis.* Actui humano ex ſua ratione, adhuc prout exercito in tali materia , non debetur niſi vnica forma perfectiua : ergo in vno peccato non eſt niſi vnica malitia priuatiua. Conſequentia liquet : quoniam priuationes indiuiduantur ſicut cætera accidentia à ſubiecto ; & ſpecificantur à forma, qua priuant : atque ita vnius formæ in eodem ſubiecto nõ poteſt eſſe niſi vnica priuatio. Antecedens verò probatur : quia actui humano ex ſua cõmuni ratione ſolùm debetur, quòd in illa materia, in qua exercetur, contrahatur per differentiam boni, & non per differentiã mali: ſiue (quod idem eſt) debetur ei, quòd habeat bonitatẽ moralem illius materiæ, & non oppoſitam malitiam : at huiuſmodi differẽtia ſeu bonitas reſpectu vnius actus tantum eſt vna forma; aliàs ſi eſſent plures, conſtituerent plures actus formaliter: ergo, &c.

Confirmatur : actus virtutis iuſtitiæ v.g. per vnam duntaxat formam, quæ eſt bonitas & re- *Confirm.* ctitudo ipſius iuſtitiæ, habet totum , quod recta ratio præcipit habere actum humanum exercitũ in materia iuſtitiæ: ergo oppoſitum peccatum iniuſtitiæ per vnam duntaxat priuationem caret tota rectitudine ſibi debita, tam ex communi ratione actus humani, quam ex hoc quòd exercetur in materia iuſtitiæ. Patet conſequentia : nam neque actui peccaminoſo in vna materia plus poteſt deberi, quàm quòd ſit rectus in tali materia : neque vt ita ſit rectus, poteſt plus rectitudinis deſiderari, quam ſufficit in actu virtutis talis materiæ : ſicut ergo in hoc ſufficit vnica rectitudo ; ſic etiam in illo vnica tantum poteſt habere rationem debitæ.

19. Occurres fortè negando antecedens: quia *Effugium.* potius cuilibet actui humano debentur plures formæ : nam præter differentiam boni , ſeu bonitatem moralem propriæ materiæ , debetur illi

conformitas cum lege præſcribente & regulante talem actum,& etiã cum natura rationali ipſum eliciente. Et prætèrea ipſa bonitas moralis, per quam actus virtutis habet,quòd ſit bonus & rectus, non eſt vna ſimplex forma,ſed multiplex: nam alia eſt bonitas eſſentialis, quæ deſumitur ex obiecto;alia accidentalis deſumpta ex circunſtantiis: alia ex fine,&c. Vnde Ang.D. diuerſis in locis diuerſas aſſignat in peccato priuationes, propter diuerſas illi formas debitas. Nam 1.p. q.48. Et 3.contra Gent.c.9.Et in 2.d.35.q.1.a.2. malitiam priuatiuam appellat *carẽtiam debiti finis*, ſeu *debitæ directionis ad finem*: in hoc 6. art. *carentiam debitæ commenſurationis*: q.verò 72. ſeq.art.1. necnon de mal.q 2. art.1. ad 4. *priuationem ordinis debiti*: & in 2.diſt.37. q.1. art.2. dicit *eſſe priuationem formæ, per quam actus bonitatem habet in genere moris.* Falſum ergo eſt, quod peccato commiſſionis vnica tantum forma perfectiua debeatur; aut quòd in eo non ſit niſi vna priuatio.

Refutatur. Hæc tamen euaſio facile refutatur:quia actus humanus per eandem formam, per quam habet quòd ſit bonus;habet quòd ſit conformis legi,& naturæ rationali:nam nec lex,nec prædicta natura aliud petit in ſuo actu,niſi quòd ſit bonus,ſeu quod terminetur ad obiectum,vnde ſumat bonitatem & non malitiam: nec in actu poteſt eſſe aliud conſonantia ad naturam, & conformitas cum lege,niſi huiuſmodi bonitas petita ab ipſis: ergo ex his principiis nequeunt deberi actui humano plures formæ. Nec refert, quòd in eodem actu virtutis dentur aliquando plures bonitates morales: quia non omnes abſolutè ſunt debitæ; ſed illa dũtaxat, quæ eſt eſſentialis,& deſumitur ex obiecto; aut etiam quæ deſumitur ex aliqua intenſione, vel duratione indeterminata: quæ quoad præſens non ponit in numero cum eſſentiali;ſed ad eam quaſi modus reducitur. Reliquæ autem bonitates, quæ vel ex fine operantis, vel ex aliis circunſtantiis extrinſecis proueniunt,abſolutè non ſunt debitæ: quia neque ad bonificandum abſolutè actum deſiderantur; neque ex communi ratione actus humani plus debetur, quàm quod ſufficit, vt abſolutè ſit bonus. ¶ Diximus *reliquas bonitates non deberi abſolutè*: quia ex ſuppoſitione quòd actus tranſeat per plures materias,poterunt eſſe debitæ.Tunc verò prædictus actus fit iam multiplex in genere moris, ſpectatq; ad diuerſas virtutes.Vnde etiam actus cõtrarius in tot illis materiis peccaminoſus, erit multiplex in ratione peccati: & ita non mirum ſi multis afficiatur priuationibus. Quod autem adducitur ex D.Th.non obeſt: non enim intendit, quòd actui peccaminoſo debeantur plures formæ perfectiuæ; aut quod dentur in eo plures priuationes: ſed vtitur tot illis nominibus ad vnam, quam diximus,ſignificandam: nam licet huiuſmodi forma ſit vna; plura tamen reſpicit; vt obiectum,ſeu materiam, in qua actus exercetur: finem operis & intrinſecum, à quo ipſa deſumitur: legem,& dictamen rationis, quo præcipitur: & etiam ſubiectum,ſcilicet naturam rationalem, quam bene diſponit: vnde per ordinem ad hæc potuit diuerſis illis nominibus,quibus D.Th.vtitur,inſignari,& diuerſo modo omnibus illis explicari.

Obiectio. 10. Sed objicies primò, habitudinem conuenientiæ ad naturam rationalem,quæ eſt de ratione actus boni, non poſſe non diſtingui à rectitudine quæ conuenit illi ex propria materia: nam prædicta habitudo eſt relatio prædicamentalis fundata in ipſa rectitudine: cùm ergo prædicta relatio deſit actui peccaminoſo, erit in illo huiuſmodi defectus alia priuatio à priuatione prædictæ rectitudinis.

Reſpondetur relationes prædicamentales non poſſe eſſe debitas immediatè ratione ſui debito morali;ſed duntaxat ratione fundamenti,ex quo naturali ſequela reſultant:& ideo illarum carentia non conſtituit aliam priuationem moralem à priuatione ipſius fundamenti: vnde ex eo quòd prædicta conuenientia ad naturam rationalem ſit relatio prædicamentalis, adeoque diſtincta à rectitudine, ſupra quam fundatur; non ſequitur illius carentiam eſſe diſtinctam priuationem: vt in fine huius dubij magis explicabimus. *Diluitur.*

Secundò objicies,quòd ex præcepto charitatis tenetur vnuſquiſque dirigere omnes ſuos actus ad finem vltimum ſupernaturalem, vt eſt ſatis recepta D.Tho.opinio: atque adeo tenetur apponere illis vltra bonitatem propriæ materiæ formam charitatis, per quam fit prædicta directio: ergo cùm omnis actus peccaminoſus careat huiuſmodi directione, ponẽnda erit in illo ſaltem duplex priuatio: alia bonitatis propriæ materiæ; & alia prædictæ directionis,ſeu informationis charitatis. *Obiectio alia.*

Reſpondetur, neque ex præcepto charitatis, neque ex alia lege teneri hominem dirigere in ſe ipſis omnes ſuos actus ad finem charitatis directione proxima,& actuali,formali,vel virtuali, quæ eſt charitatis effectus: alioqui peccator,qui dum eſt in peccato mortali,nullum actum ſic dirigit, in omnibus peccaret defectu prædictæ ordinationis. Tenemur tamen dirigere omnes illos directione in cauſa:de qua directione D.Th.ſæpe loquimur: cuius doctrinam in tr.de merit. & in tr.de charit. Deo dante, tuebimur & declarabimus.Hæc autem directio in cauſa tunc fit,quando quis elicit primum actũ charitatis:vnde licet carentia iſtius actus initio vitæ, quando præceptum charitatis ad illum obligat, ſit priuatio,& peccatum omiſſionis; carentia tamen directionis actuum ſubſequentium in ſe ipſis non habet rationem priuationis, ſed eſt quidam defectus negatiuus: ſicut fidem non eſſe formatam eſt defectus negatiuus in illa,& non propriè priuatio: alias omnis actus fidei informis eſſet peccaminoſus. ¶ Diximus *directione proxima & actuali, quæ eſt charitatis effectus*: quia directione quadam aptitudine ſeu radicali omnes actus tenemur dirigere ad prædictum finem: quatenus tenemur apponere illis bonitatem propriæ materiæ, per quam apti nati ſunt à charitate imperari, & ad eius finem per ipſius charitatis formam proximè dirigi. Et de hac aptitudinali directione, non de actuali loquutus eſt D.Thom. in 2. diſtinct.35. art.2. vbi inquit, quòd *defectus, qui cauſat rationem mali in peccato, eſt defectus rectitudinis in actu, per quam dirigebatur ad finem.* Cæterum hæc aptitudinalis directio eſt ipſamet bonitas & rectitudo propriæ materiæ cuiuſcumque actus; & ideo priuatio illius non eſt diſtincta à priuatione rectitudinis, quam diximus. *Eneruatur.* *D.Thom.*

§. III.

Secunda pars determinatur.

11. DIcendum eſt ſecundò, formam in cuius carentia conſiſtit malitia priuatiua peccati

cati commiſſionis, eſſe rectitudinem ſeu bonitatē moralem materiæ, in qua actus peccaminoſe exercetur. Hæc concluſio, quæ eſt ſatis communis, habetur ex D.Thoma locis cit.dub.præced. præſertim in 2.diſt.37.q.1.art.2.ad 4. vbi ſic ait: *Priuatione, qua peccatum malum dicitur, priuatur forma, per quam actus in genere moris bonitatem habet.* Atque ita ſentiunt maiori ex parte auctores, quos dub.præced.pro noſtra ſententia adduximus. Ratio verò ſumitur ex ibidem dictis. Nam ſicut actus humanus ex ſua communi ratione petit rectitudinem & bonitatem in communi, ſic ex determinatione ad hanc materiam, circa quam exercetur, poſtulat rectitudinem eiuſdem materiæ: & lex, quæ præcipit, vt actus ex deliberatione procedens ſit conformis rectæ rationi, iubet etiam, quòd ſi deliberatio ſit circa talem aut talem materiam, prædicta conformitas cum ratione ſit iuxta exigentiam ipſius materiæ: ergo ſicut cuilibet actui peccaminoſo ex communi ratione actus humani debetur aliqua rectitudo vagè & in communi; ſic ex determinatione ad hanc vel illam materiam, circa quam exercetur, debita erit illi rectitudo propria & ſpecialis ipſius materiæ: cum ergo huiuſmodi rectitudine careat, ipſa vtique erit forma, cuius carentia prædictam malitiam conſtituit. ¶ Et confirmatur: quia neque aſſignari poteſt alia forma debita actui peccaminoſo, qua ſit priuatus, præter prædictam rectitudinem: neque de hac dubitari poteſt, quòd illi debeatur; & quod ipſa priuetur: ergo, &c. ¶ Hæc tamen doctrina intelligenda eſt de actibus peccaminoſis ex obiecto vel fine, qui habent materiam moralem determinatam: nam actibus indifferentibus, & qui præciſe ſunt mali, quia otioſi, non debetur aliqua determinata bonitas; ſed quælibet eis ſufficeret: eo quòd nullam materiam moralem ſibi determinant. Vnde eorum malitia priuatiua ſolùm dicit carentiam alicuius rectitudinis vagè ſumptæ: ob idque in omnibus eſt eiuſdem rationis, vt alibi tetigimus.

D.Thom.

Ratio aſſertionis.

Conſultò autem diximus in concluſione, prædictam formam eſſe rectitudinem materiæ, in qua actus peccaminoſè exercetur, non verò rectitudinem virtutis tali actui oppoſitæ: quia multoties non erit debita hæc poſterior rectitudo; ſed ſufficiet alia minor circa eandem materiam, v.g. actui odij Dei debetur rectitudo alicuius boni affectus in Deum: quia eo ipſo quòd voluntas per talem actum circa Deum verſetur, debet verſari conuenienter ad rationem, ac proinde non actu fugæ; ſed proſequutionis affectu. Cæterum non ſtatim debetur ei rectitudo, quæ eſt propria virtutis charitatis attingentis Deum vt finem ſupernaturalē dilectum ſuper omnia: quia præter huius actum ſuperſunt alij affectus boni erga Deum, qui ad prædictam rectitudinem non attingunt, ſed ſiſtunt vel in amore præcisè naturali, vel in amore concupiſcentiæ, vel in ſimplici affectu complacentiæ inefficacis, quorum cuiuslibet rectitudo ſufficeret ad bonificandum actum illum, qui eſt odium: ſicut cuiuslibet differentia eſſet ſat, vt non eſſet odium; ſed affectus proſequutionis. Satisfiet ergo debito rectificandi prædictum actum per rectitudinem cuiuſcumq; affectus erga Deum, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, efficacis, vel inefficacis, &c. Et proportionali modo in alijs virtutibus ad bonificandum actum, qui in materia illarum exercetur, quantum ſufficit, vt non ſit peccatum, non ſemper erit neceſſaria rectitudo omnino propria ipſius virtutis: præſertim ſi ſermo ſit de virtutibus ſupernaturalibus, ſed ſufficiet rectitudo cuiuslibet affectus boni, qui poſſit circa talem materiam exerceri. Verùm quia omnis bonus affectus reduci poteſt ad illam virtutem, cuius obiectum, vel materiam attingit; non damnamus modum dicendi illorum, qui aſſerunt, priuationem in peccato commiſſionis repertam, eſſe carentiam rectitudinis virtutis oppoſitæ, latius ſumentes nomen virtutis, vt comprehendit etiam actus minus perfectos, qui ad virtutem reducuntur.

Exponitur aſſertio.

Atque hinc præcluditur aditus difficili obiectioni, quæ aduerſus prædictum modum dicendi poſſet efformari, ſi nomine *rectitudinis virtutis oppoſitæ* intelligeretur rectitudo omnino propria, & ſpecifica talis virtutis: vt ſi diceremus, actui qui eſt odium Dei deberi rectitudinem propriam charitatis. Fieri enim poteſt, vt ille, qui Deum odio proſequitur, non habeat ſufficientem potentiam ad diligendum ipſum per charitatem: vt contingit iis ſaltem, qui nihil audierunt de fide: ergo in hoc caſu non poterit actui illi deberi rectitudo virtutis oppoſitæ, ſcilicet charitatis. Hæc igitur obiectio, (præterquàm quòd ſit an alia via poſſet eneruari) ex noſtra explicatione manet omnino præcluſa, dum non aſſerimus, actum peccaminoſum priuari rectitudine omnino propria oppoſitæ virtutis: ſed dumtaxat rectitudine aliqua ex poſſibilibus in illa materia, ſiue ſit ipſa rectitudo prædictæ virtutis, ſiue alia minor, quæ ad virtutem reducatur: ſicut ad charitatem poteſt reduci quilibet bonus affectus erga Deum, etiam naturalis.

Præcluditur aditus obiectioni.

Dices, hinc fieri vt malitia priuatiua cuiuslibet peccati commiſſionis non ſit determinatæ ſpeciei; ſed vaga & incerta, ſicut rectitudo, qua priuat, non eſt determinatè hæc, vel illa; ſed quælibet reperiri poſſibilis in illa materia. Hoc autem videtur impoſſibile. Tum quia nihil eſt in rerum natura ſine determinatione ad certam ſpeciem. Tum etiam quia quodlibet peccatum debet eſſe vnum athomè & ſpecificè: non autem eſſet ita vnum, niſi haberet malitiam ſpecificè determinatam.

Obiectio alia.

Reſpondetur fortè non eſſe inconueniens, quod in hac obiectione deducitur: quia neceſſitas determinationis ad certam ſpeciem non ita viget in entibus rationis, & priuationibus, quæ realiter nihil ſunt, & ſub nullo reali genere continentur, ſicut in formis poſitiuis, quæ verè conſtitui debent ex genere & differentia, & ſic ad certam trahi ſpeciem. Nec propterea deeſſet peccato vnitas athoma & ſpecifica: quia hæc non ſumitur à malitia priuatiua, ſed à poſitiua, quam diſput.3. & 4. dandam eſſe oſtendemus: cuiuſque vnitas ſemper habet certum & determinatum principium, a quo ſumatur, nempe obiectum.

Duplex ſolutio.

Secundò & melius reſpondetur, non ſequi prædictum inconueniens. Nam licèt rectitudo, quæ deberet actui peccaminoſo ex ſua materia, non habeat vnam illam omnimodam determinationem in eſſe entis; ſed in hoc ordine ſit aliquid vagum & indeterminatum: attamen in eſſe termini priuationis, & in ratione ſpecificatiui illius habet adæquatam vnitatem: quia quælibet rectitudo reperiri poſſibilis in illo actu, reſpicitur à priuatione præciſè ſub ratione rectitudinis illius materiæ; ita vt hæc ſic accepta, ſit ratio formalis,

lis,vltima,& athoma in *eſſe* termini,per ordinem ad quam attenditur ſpecificatio,& vnitas prædictæ priuationis:quod autem talis rectitudo aliàs & in *eſſe* entis conſiderata, ſit generica & communis, diuidatúrque vlterius in alias ſpecies; omnino ſe habet de materiali. Et ratio eſt, quia priuatio non reſpicit formam oppoſitam vt terminum ſuæ ſpecificationis, niſi in quantum habet rationem debitæ: & ideo quoties forma ſub hac ratione non diuiditur,quamuis aliàs ſit multiplex,reſpicitur à priuatione vt quid vnum ſpecificè & athomè: rectitudo autem,de qua loquimur, quamuis aliàs ſit multiplex, non diuerſificatur in ratione debitæ: nulla enim debetur, in quantum eſt hæc,vel illa, aut in quantum differunt inter ſe; ſed præciſè in quantum rectitudo talis materiæ: in quo omnes conueniunt.Si verò ex hac doctrina inferas, in peccatis ſpecificè diuerſis poſſe reperiri malitias priuatiuas eiuſdem ſpeciei, quoties talia peccata in materia eiuſdem virtutis contingunt; inficias non ibimus: confirmat enim hæc illatio ſententiam inferius propugnandam de conſtitutione peccati commiſſionis per malitiam poſitiuam, vt intuenti conſtabit. Nonnulla alia objicit Vaſq. quæ videntur repugnare huic ſecundæ aſſertioni: ea tamen facile dilues ex doctrina dub.præced.

§. IV.

Abſoluitur dubium.

Declaratur aſſertio.

24. Dicendum eſt tertiò, hanc rectitudinem, cuius carentia conſtituit malitiam priuatiuam,non eſſe bonitatem moralem formalem; ſed fundamentalem. Pro intelligentia huius aſſertionis nota,bonitatem moralem alicuius actus poſſe ſumi dupliciter: vel formaliter,quo pacto dicit tendentiam formalem ad obiectum vt actu propoſitum & regulatum per rationem,quæ proinde formaliter eſt tendentia moralis: vel poteſt ſumi fundamētaliter, qua ratione importat concurſum & adæquationem earum rerum, ſcilicet obiecti, finis, & circunſtantiarum, ex quarum phyſica & libera attingentia prædicta tendentia moralis reſultat, ſeu ipſam attingentiam phyſicam, ex qua reſultat. Malitia ergo priuatiua, de qua loquimur, non conſiſtit in carentia illius prioris tendentiæ, quæ eſt bonitas moralis formalis, ſed in carentia bonitatis fundamentalis, videlicet in carentia attingentiæ phyſicæ alicuius eorum,quæ debent concurrere,videtur commenſuratio & adæquatio,quam ratio poſtulat,vt prædicta bonitas formalis reſultet.

D.Thom.

Sumitur autem concluſio ex D.Thoma ſupra quæſt.18.art.8. & infra q.73.art.2. in 2.diſt.42. quæſt.2. art.5. necnon de mal.q.2.art.9. in quibus & aliis locis docet S.Doctor, malitiam priuatiuam peccati commiſſionis non eſſe priuationem *in facto eſſe*, ſed tantùm *in fieri*, quæ non ex toto deſtruit formam, qua priuat; ſed relinquit eius aliquid in ſubiecto: atque huiuſmodi priuationem eò eſſe maiorem vel minorem, quò plus vel minus prædictæ formæ aufert,vel relinquit. Si autem forma illa eſſet ipſa bonitas moralis formalis, prædicta malitia eſſet priuatio *in facto eſſe*, & non ſolùm *in fieri*: quia huiuſmodi bonitas per quamlibet malitiam tota corrumpitur, nec poteſt aliquid illius in actu peccaminoſo remanere: aliàs talis actus ſimul eſſet bonus & malus formaliter:quod omnino repugnare oſtendimus in tract de bonit.& malit. diſp.6. dub.1. Cæterùm bonitas fundamentalis cum coaleſcat ex pluribus, poteſt quoad aliquid per malitiam corrumpi, & quoad aliquid remanere: vt deſtructa vna debita circunſtantia poteſt remanere alia. Nec fieri poteſt, quòd permanente actu, cuncta, quæ ad hanc fundamentalem bonitatem integrandam concurrunt, ex toto deficiant; vt videbimus diſp.9.dub.1.

Prima ratio

Deinde probatur: nam malitia priuatiua immediatè conſiſtere debet in carentia illius bonitatis,quam homo immediatè tenetur ſuis actibus apponere: ſed non tenetur immediatè apponere illis niſi bonitatem fundamentalem:ergo in ſola iſtius carentia debet prædicta malitia immediatè conſiſtere. Maior & conſequentia conſtant: minor autem probatur.Tum quia lex tantùm obligat ad ſubſtantiam boni actus;non verò ad modum, niſi quatenus modus ſequitur ex ipſa ſubſtantia:at bonitas formalis eſt modus boni actus; fundamentalis verò pertinet ad ſubſtantiam:ergo,&c. Tum etiam quia homo ad id ſolùm immediatè tenetur, quod per ſe eſt in eius poteſtate, ſubeſtque eius dominio: ſed ponere formalem bonitatem, non eſt immediatè in poteſtate hominis: quippe huiuſmodi bonitas non eſt poſſibilis immediatè per ſe; ſed reſultat,poſita fundamentali: ſicut poſitis fundamento & termino, reſultat relatio:eſt autem immediatè & per ſe in poteſtate eius ponere fundamentalem:ergo, &c.

Confirmatur à ſimili:nam etſi lex, cui apponitur peccatum omiſſionis, præcipiat actum bonum, vt audire Sacrum,non tamen præcipit bonitatem eius formalem; ſed ſolùm bonitatem fundamentalem, quæ eſt ipſamet ſubſtantia talis actus,puta audire Sacrum, ieiunare, &c. & ideo qui poneret huiuſmodi actus quantum ad ſubſtantiam,quicquid ſit de formali bonitate, ſatisfaceret prædictæ legi: ergo lex peccati commiſſionis,quæ ex ſuppoſitione quòd voluntas in hac materia operetur, præcipit operari actum bonum in tali materia, ſolùm præcipiet bonitatem fundamentalem: ſola igitur huius carentia habebit rationem moralis priuationis.

Ratio alia.

25. Secundò probatur alia ratione: quia datur actus elicitus circa materiam alicuius virtutis, puta temperantiæ,carens omni bonitate formali talis virtutis: & tamen quia non caret bonitate fundamentali,non habet malitiam priuatiuam intemperantiæ: ergo huiuſmodi malitia non conſiſtit in carentia prædictæ bonitatis formalis.Conſequentia ſatis conſtare videtur.Vtraque verò præmiſſa probatur: nam ſi quis,ſeruatis omnibus, quæ in propria materia petit virtus temperantiæ, comedat apponendo aliquem prauum finem extrinſecum, vt propter inanem gloriam, eius actus nullam habet malitiam intemperantiæ, neque priuatiuam, neque poſitiuam; ſed ſolùm malitiam inanis gloriæ: & tamen neque habet bonitatem formalem temperantiæ, in cuius materia exercetur, ſed ſolam bonitatem fundamentalem: aliàs eſſet ſimul formaliter bonus & malus, quod implicat: ergo,&c.

Obiectio quadruplex.

Objicies primò, quòd bonitas fundamentalis, quam dicimus,nō eſt vna forma, ſed plures:coaleſcit enim ex obiecto,fine,circunſtantiis,&c. at malitia priuatiua debet eſſe carentia vnius dumtaxat formæ:ergo non eſt carentia prædictæ bonitatis fundamentalis. ¶ Deinde, bonitas, qua malitia priuat, eſt debita ineſſe intrinſecè actui,

Digitized by Google

in quo eſt malitia:ſed ea,in quibus conſiſtit bonitas fundamentalis ſcilicet obiectum,finis, circunſtantiæ,&c. ſunt quid extrinſecum reſpectu actus:ergo,&c. ¶ Tertiò, priuatio moralis debet eſſe carentia formæ moralis, ſicut priuatio phyſica eſt carentia formæ phyſicæ : ſed bonitas fundamentalis non eſt aliquid morale , ſed phyſicum : ergo carentia illius ſolum eſt priuatio phyſica ; non verò moralis: non ergo habet rationem malitiæ. ¶ Denique, cui debetur fundamentum ad aliquam formam,etiam debetur forma , quæ reſultat ex tali fundamento : ergo ſi actui peccaminoſo debetur bonitas fundamentalis,ex qua formalis reſultat, etiam erit illi debita bonitas ipſa formalis : atque ita malitia priuatiua , quæ eſt carentia formæ debitæ , in vtriuſque priuatione conſiſtet.

Solutio ad primam.

Reſpondetur ad primum,omnia illa ex quibus bonitas fundamentalis circa vnam materiam neceſſario coaleſcit,integrare vnam formam : quia nec tendentia phyſica ad obiectum fundat bonitatem formalem, niſi vt completa & determinata per circunſtantias debitas ; nec tendentia ad prædictas circunſtantias habet rationem fundamenti, niſi vt complens & determinans obiectum : vnde quoad præſens non ponunt in numero ; ſed cenſentur vna integra forma:& conſequenter carentia illius tantùm cenſetur vnica priuatio,maior,vel minor,ſecundùm quòd plus, vel minus de prædicta forma, & de partibus illam quaſi integrantibus corrumpit. ¶ Diximus *circa vnam materiam*, propter illa,quæ n.18. reſoluimus. ¶ Diximus etiam *neceſſario coaleſcit* : quia non quæcumque circunſtantia quæ poteſt conferre actui humano bonitatem, eſt illi debita ; ſed illæ dumtaxat, ſine quibus abſolutè nequit eſſe bonus , vt tetigimus num.19.

Solutio ſecunda & tertia.

Ad ſecundum conceſſa maiori , neganda eſt minor : nam licet obiectum,& aliæ circunſtantiæ ſecundum ſe ſumptæ , ſint quid extrinſecum reſpectu actus ; eorum tamen attingentia phyſica intrinſecè debet eſſe in illo : actus enim per intrinſecam tendentiam in ordine phyſico attingit illa, prius ſaltem natura , quàm tendentia moralis reſultet : hæc autem phyſica attingentia potius quàm ipſum obiectum , vel circunſtantiæ eſt proximum fundamentum bonitatis moralis. ¶ Ad tertium negatur maior : quia etiam carentia formæ phyſicæ poteſt eſſe priuatio moralis, ſi talis forma debeatur ex lege, & non ſolùm ex principiis naturæ : vt patet in malitia peccati omiſſionis , quæ eſt carentia actus ſolùm quoad *eſſe* phyſicum, & tamen eſt priuatio moralis:vnde hæc priuatio non rectè diffinitur,quòd ſit *carentia formæ moralis debitæ*; ſed *formæ debitæ debito morali*, ſeu *ex lege*. Imo carentia formæ moralis poteſt eſſe ſolùm phyſica , ſi talis forma non ex lege,ſed naturali tantùm ſequela debeatur.

Solutio vltima.

Ad vltimum reſpondetur,formam, quæ naturaliter reſultat , poſito aliquo fundamento , deberi non immediatè & ratione ſui (loquendo de debito morali) ſed præciſè ratione fundamenti, quatenus debetur ipſum fundamentum : & ideo carentia talis formæ non habet rationem priuationis moralis , niſi per ordinem ad carentiam fundamenti,neque eſt alia priuatio à priuatione ipſius fundamenti : etſi poſito fundamento , prædicta forma non reſultet , eius carentia non erit priuatio moralis. Vnde ſicut cum actus humanus habens bonitatem fundamentalem alicuius materiæ , caret formali , non eſt ibi aliqua priuatio moralis illius materiæ : ita cum carens bonitate fundamentali caret etiam formali, non ſunt ibi duæ priuationes morales intra vnam materiam, ſed vna dumtaxat, quæ per ſe & immediatè eſt priuatio bonitatis fundamentalis ; mediatè verò & ex conſequenti bonitatis formalis. ¶ Diximus *loquendo de debito morali* : quia debito phyſico , poſito fundamento omnino proximo, per ſe debetur forma,quæ ex eo reſultat : & ita ſi poſita in actu humano bonitate fundamentali omnino proxima, bonitas formalis per poſſibile vel impoſſibile non reſultaret, eius carentia eſſet per ſe priuatio ; phyſica tamen,quæ non habet rationem malitiæ.

Replica.

Sed vrgebis : quia ſi poſita bonitate fundamentali, naturali ſequela reſultat formalis, non habebit locum ſecunda noſtra ratio,vbi diximus poſſe dari in aliquo actu bonitatem fundamentalem alicuius materiæ ſine bonitate formali : quod enim naturali ſequela ex aliquo fundamento reſultat,non poteſt non adeſſe,poſito illo fundamento.

Enodatur.

Reſpondetur, bonitatem fundamentalem alicuius materiæ poſſe poni dupliciter : vel ſolùm materialiter,ſeu in eſſe rei : vel formaliter in ratione fundamenti. Tunc ponitur primo modo, quando ponuntur omnia quæ lex præcipit in illa materia,non curãdo de iis,quæ ad alias materias pertinent. Secundo autem modo ponitur, quando vltra prædicta connotatur,quòd ex nulla alia materia adſit aliqua circunſtantia praua ; ſed ex omni capite conſonantia & adæquatio. Bonitas ergo fundamentalis alicuius materiæ in *eſſe* rei poteſt dari ſine formali : quia hæc non reſultat, quouſque adſit connotatio , quam diximus : & iuxta hoc loquuti ſumus in ſecunda ratione.Bonitas autem fundamentalis formaliter in ratione fundamenti nequit dari ſine formali:quia poſito fundamento in ratione fundamenti , ſtatim ſine noua libertate forma illa reſultat.Ratio verò cur prædicta bonitas fundamentalis in ratione fundamenti requirit connotationem,quam diximus, facilè reddi poteſt:quia prædicta bonitas non ſic ponitur , quouſque adſint omnia , quæ requirit prudentia,quæ eſt proxima & vltima regula moralitatis : prudentia autem non ſolùm attendit illa, quæ ſunt huius,vel illius materiæ;ſed omnia quæ ad actum ex quocumque capite,& ex qualibet materia concurrunt : vnde quouſque omnia hæc connotentur,aut ſaltem quouſque connotetur, quod ex nullo capite,& in nulla materia adeſt aliqua circunſtantia praua , non habet locũ dictamen prudentiæ ; atque adeo nec bonitas fundamentalis formaliter in ratione fundamẽti. Secus dicendum eſt de aliis legibus , quarum quælibet ſolùm præcipit ea , quæ ſunt propriæ materiæ, nec de aliis curat : quibus proinde fit ſatis , poſita bonitate fundamentalis talis materiæ abſque aliorum connotatione,quæ eſt bonitas fundamentalis materialiter in *eſſe rei*.

DUBIUM III.

Vtrùm iuxta doctrinam D.Thomæ concedenda ſit malitia moralis poſitiua?

OStenſo dari in peccato commiſſionis malitiam priuatiuam,pergimus vltra inueſtigare,an ſimul detur in eo aliqua ratio poſitiua,quæ propriè & formaliter ſit etiam malitia moralis ?

I 4   Et

ex huius enim exiſtentia vel negatione potiſſimũ dependet prædicti peccati conſtitutio,& eius notitia.Ne autem hæreamus nominibus, *malitiam moralem formalem* vocamus quamcumque rationem,quæ cum in libertate actus fundetur,diſſonat & repugnat diuinæ legi, & eſt extra ſphæram diuinæ cauſalitatis : hanc enim vnanimis conceptio *malitiam moralem* appellat. Vt verò rem ipſam ſecurè decidamus , quærimus primò loco quid Ang.Doctor ſenſerit circa difficultatẽ propoſitam? quia dum mens ipſius latitat, difficile erit ſcopum veritatis attingere. Adducemus autem pro vtraque parte teſtimonia,quæ in operibus S.Doctoris reperire potuimus, fideliter & accuratè expenſa : vt & cuique ſit liberum de vtriuſque probabilitate iudicium ferre , & nos, attentis omnibus, maturiùs eligamus.

§. I.

Teſtimonia partis affirmatiuæ.

Primum teſtimonium D.Thomæ.

28. PRimum teſtimonium pro parte affirmatiua habetur 2.2.q.6. art.2. vbi loquens D.Th. de malitia , ſeu deformitate actus peccaminoſi,in ſecunda ſolut.ad 2. ſic ait: *Dicendum quòd deformitas non ſolum importat priuationem debitæ formæ,ſed etiam contrariam diſpoſitionem: vnde deformitas ſe habet ad actum,ſicut falſitas ad fidem*,&c. Ecce in actu peccaminoſo deformitas duplex , adeóque duplex malitia moralis : alia priuatiua, quæ eſt carentia formæ debitæ:& alia poſitiua, quæ eſt diſpoſitio contraria eidem formæ, & diuinæ legi repugnans.

Occurrunt Lorca,& Monteſ. D.Tho.nomine *diſpoſitionis contrariæ* intellexiſſe deformitatẽ & malitiam materialem,non verò formalem. ¶ Sed contra:quia Ang.Doct.loquitur expreſsè de illa deformitate,cuius Deus non poteſt eſſe cauſa,& per cuius excluſionẽ à diuina cauſalitate, excluditur ab ea peccatum: quod euidens erit legenti argumẽtum & ſolutionem:ſed deformitas, cuius Deus nõ eſt cauſa,ſed malitia formalis:non verò materialis:hanc enim poſteriorẽ etiam auctores contrariæ ſententiæ dicunt cauſari à Deo : ergo ſiniſtrè exponitur de malitia dumtaxat materiali. Deinde impugnatur hæc expoſitio : nam ita loquitur D.Th. de deformitate & malitia reſpectu peccati,ſicut de falſitate reſpectu erroris in fide: vt conſtat ex illis verbis : *Deformitas ſe habet ad actũ, ſicut falſitas ad fidem*.Sed de falſitate nullus negabit loqui formaliter : ergo, &c. ¶ Aliunde forſitan videbitur minus efficax hoc teſtimoniũ: ex eo ſcilicet quia continetur in ſecunda argumenti ſolutione : quaſi vt aliquid ſecundo loco traditum,minoris ſit habendum,quàm quod traditur primo.Huiuſmodi tamen ſcrupulus peritos non purget:quibus notum eſt,ſecundam alicuius argumenti ſolutionem regulariter continere poſtremum auctoris iudicium, tantóque firmiorem eius aſſenſum,quanto magis vltimum.Præſertim cum ſecundæ ſolutiones communiter eo fine tradantur, vt quietent omnino animum arguentis; ſi fortè in prima reſponſione non fuit illi ita plenè ſatisfactum. Vnde ex hoc capite adductũ teſtimonium potius robur accipit,quàm amittat.

Secundum.

29. Secundo probatur hæc pars alio teſtimonio ex ead. 2.2.q.20. art.1. ad 1. vbi poſtquam ſpecialiter de quibuſdam peccatis dixit Ang. Doct.quòd conſiſtunt principaliter in auerſione à Deo; de omnibus aliis ita concludit : *Peccata verò alia principaliter conſiſtunt in conuerſione ad bonum commutabile? ex conſequenti verò in auerſione ab incommutabili bono.* En etiam duas malitias : aliam,quæ eſt conuerſio,adeóque poſitiua, quæ in prædictis peccatis habet ſe principaliter: aliam,quæ eſt auerſio ſeu priuatio,quæ in illis ſe habet ex conſequenti. Quod ſi hæc conſequens & minus principalis apud omnes eſt propriè & formaliter malitia ; quo pacto illa,in qua peccatum principaliter conſiſtere dicitur,à linea prædictæ malitiæ poterit excludi?

Duplex aliud.

¶ Confirmat hoc teſtimonium duplex aliud ex q.2.de mal.art.7. ad 1. & ex 4.diſt.16.q.3.art.2. quæſtiunc.1.ad 2.vbi D.Th.ait,quod *inordinata conuerſio ad bonum commutabile eſt cauſa auerſionis* : & quòd *ex conuerſione inordinata redditur actus improportionatus ad debitum finem : & ideo fundamentum auerſionis eſt conuerſio*.In quo vtroque loco inordinatio auerſionis,quæ eſt malitia priuatiua,dicitur ſupponere vt cauſam & fundamentum,ac proinde vt omnino priorem conuerſionem , etiam inordinatam & peccaminoſam : cúmque in illo priori talis conuerſio non ſit inordinata per priuationem ſubſequentem ſequitur habere antecedenter ad illam,adeóque ex ſeipſa propriam deordinationem, propriámq; malitiam , quæ ſit ipſa poſitiua conuerſio ad obiectum diſſonum. Quod ſatis declarant verba illa ex 4.*Ex inordinata conuerſione ad bonum commutabile redditur actus improportionatus ad conuerſionem ad finem*,&c. Hæc enim improportio actus ad finem,quæ eſt in conuerſione,& antecedit,ac fundat priuationem,proculdubio eſt malitia moralis poſitiua,quandoquidem & eſt poſitiua tendentia libera ad obiectum;& eſt diſſonantia actus à recta ratione, & à diuina lege. Eodem modo loquitur q.73.huius 1.2.art.3.ad 2.

Tertia probatio.

30. Tertiò probatur ex q.1.de mal.art.1.ad 12. vbi ita habetur:*Bonũ & malũ non ſunt differentiæ niſi in moralibus,in quibus malum poſitiuè aliquid dicitur,ſecundũ quòd ipſe actus voluntatis denominatur malus à volito*,&c. Et q.2.art.11.ad 13.*Peccatũ non eſt priuatio pura,ſicut tenebra,ſed eſt aliquid poſitiuum*.Vterque iſte locus,& primus præſertim valde expreſſus eſt pro hac ſententia:non enim poteſt exponi de malo præciſè pro materiali:nam verba illa *malum poſitiuè dicitur* exprimunt ipſam mali denominationem ; debentque proinde referri ad illud,vnde *malum* dicitur,& à quo ſumitur hæc denominatio:quod eſt ipſa formalis malitia.Et hoc magis oſtendunt ſequentia verba D.Th. *ſecundum quòd ipſe actus voluntatis denominatur malus à volito* : ac ſi diceret, ideo in moralibus dici aliquid malũ poſitiuè , quia eam denominationem ſumit ab obiecto volito,& denominatio ſumpta ab obiecto eſt denominatio poſitiua:fit enim media tendentia actus ad ipſum obiectum, quæ eſt poſitiua. Hoc etiam docuerat in ſolut.ad 4.eiuſd.art.vbi hæc habet:*Omnis autẽ actus denominatur,& ſpeciem recipit ab obiecto:ſic ergo actus voluntatis,in quantum fertur in malum, recipit rationẽ,& nomen mali:& hoc malũ contrariatur propriè bono : & hæc contrarietas ex actibus in habitus tranſit,in quantũ actus & habitus aſſimilantur*. Planè ergo concedit D.Th. in moralibus aliquã rationem poſitiuam,quæ tribuat denominationem *mali*, ſitque proinde formalis malitia.

Quarta.

31. Quartò probatur aliis D.Th. teſtimoniis, vbi agẽs de ſpecificatione,& diſtinctione peccatorum, diſtinguit in eis duas rationes formales : aliam poſitiuam, quæ eſt conuerſio & tendentia ad obiectum diſſonum , in quod fertur voluntas peccan-

peccan-

Digitized by Google

peccantis:& ſecundum hanc dicit peccata ſortiri ſuam ſpeciem & diſtinctionem. Aliam verò priuatiuam, quæ eſt auerſio & receſſus à lege, & à bono incommutabili, ſecundum quam non habent diſtinctionem, aut ſpeciem; ſed eſt aliquid ad eam conſequutum. Ita 2.2.q.10.art.5.ad 1.ibi: *Formalis ratio alicuius peccati poteſt accipi dupliciter: vno modo ſecundum intentionem peccantis: & ſecundũ hoc id, ad quod conuertitur peccans, eſt formale obiectum peccati, & ex hoc diuerſificatur eius ſpecies. Alio modo ſecundum rationem mali: & ſic illud bonum, à quo receditur, eſt formale obiectum peccati: ſed ex hac parte peccatum non habet ſpeciem*, &c. Et 4.in diſt.16.q.3.art.2.quæſt.4.ad 5. *Peccata ſpeciem ſortiuntur ex parte conuerſionis: quia ex parte auerſionis non differunt.* In hac 1.2. q.72.art.6.ad 2. *Peccatum*(inquit)*non habet ſpeciẽ ex parte auerſionis, quia ſecundum hoc eſt negatio, vel priuatio; ſed ex parte conuerſionis.* Eodẽ modo loquitur art.8.in corp.& art.9.ad 1.ibi: *Peccatum non ſortitur ſpeciem ex parte priuationis, vel auerſionis, vt ſupra dictum eſt; ſed ex conuerſione ad obiectum actus.* Quæſt.18.art.5. *Omnis actus ſpeciem habet ex ſuo obiecto*, &c. Et ad 2. *Dicitur malus actus ſecundum ſuam ſpeciem, non ex eo quòd nullũ habeat obiectum; ſed quia habet obiectum non conueniens rationi, ſicut tollere aliena: vnde in quantũ obiectum eſt aliquid poſitiuè, poteſt conſtituere ſpeciem mali actus.* Quæſt.73.art.1. *Cum vitia & peccata ſpeciem habeant ſecundum illud, ad quòd conuertuntur; manifeſtũ eſt, quòd ſecundum illud, quod perficit ſpeciem peccatorum, nullam connexionem habent peccata ad inuicem.* Similiter ad 2. & 3. Idem tradit de mal.q.1.art.6.& q.14.art.3. In 2. diſt.34.q.1.art.2.ad 3. & diſt.42.q.2.art.2. quæſtiunc.1.ad 2.& quæſt.2. in corp.aliiſq; in locis.

Ex quibus ſumitur pro hac parte valde efficax argumentum: quia conſtitutio, ſpecificatio, & diſtinctio peccati in ratione talis fieri debet per illud, quod eſt formale in ipſo, adeóq; formaliter malitia & deformitas moralis: fit autem ſecundũ D.Th.per conuerſionem & tendentiam ad obiectum diſſonum, quæ eſt ratio poſitiua; non verò per auerſionem, ſiue priuationem: ergo prædicta conuerſio vt poſitiua, & vt diſtincta à priuatione, habet formaliter rationem malitiæ.¶ Ad hæc ſi in via D.Thom. ſola priuatio eſſet formaliter malitia, ipſa vtique conſtitueret formaliter peccatum, ipſa illud in ratione talis ſpecificaret, & diſtingueret, vt eſt per ſe notum volúntq; auctores contrariæ ſententiæ: cum ergo Ang. Doctor deneget priuationi munus hoc ſpecificãdi & diſtinguendi, planè denegat illi munus conſtituendi: ac proinde ſentit dari aliam rationem diuerſam à priuatione, adeóq; poſitiuam, quæ conſtituat peccatũ in ratione talis, ſitque proinde formaliter malitia. Hæc autem ratio poſitiua eſt tendentia ad obiectum diſſonum, vt docet D.Th. in teſtimoniis adductis, & ſatis clarè in 2.diſt.34. q.1.art.2.ad 3.his verbis: *Mala actio ſpecificatur ex ordine ad finẽ indebitum; cui admiſcetur priuatio finis debiti, ex quo ratio mali incidit: vnde patet, quòd nõ alia priuatio ſpecificat malum habitum, & actionem; ſed poſitio quædam ad finem quendam cum priuatione debiti finis.* Huc etiam ſpectare poſſunt aliqua teſtimonia, vbi D.Thom.docet, bonum, & malum in moralibus eſſe oppoſita contrariè, & non tantùm priuatiuè: vti docet lib.3. contra gent. cap.9. & quæſt.1. de mal.art.1. ad 4. nam contraria debent vtrumque importare rationem poſitiuam.

32. Dices D.Thom. non loqui de ſpecificatione, aut diſtinctione formaliter, vt eſt in genere moris; ſed ſolùm materialiter, & in eſſe phyſico: quo pacto certum eſt ſumere ſpeciem ex conuerſione & tendentia ad obiectum. Cum quo tamen ſtat, vt in ratione mali & peccati ſumat illam à priuatione. *Euaſio.*

Hæc eſt communis euaſio oppoſitæ opinionis. Contra quam tamen vrget primò, quòd Aug. Doctor vtramque rationem poſitiuam & priuatiuam, quam in peccato diſtinguit, appellat *rationem formalem peccati*: vt conſtat ex illis verbis 2.2. *formalis ratio alicuius peccati poteſt accipi dupliciter.* Loquitur ergo ſecundum vtramque rationem de peccato pro formali. Nec bene diſtinguitur ly *formalis ratio* in formalem & materialem: ſi enim diuiſum eſt ſola ratio formalis; vtrumque membrum diuidens debet etiam eſſe ratio formalis; neutrum verò ratio materialis. Deinde aſſumptum illius loci eſt aſſignare diuerſas infidelitatis ſpecies, quæ non tantùm materialiter, ſed formaliſſimè in ratione peccati diſtinguntur, ſicut diſtinguntur infidelitas Paganorum, Iudæorum, & hæreticorum: & quia huiuſmodi diſtinctio non poterat deſumi ex ſola priuatione, ſeu ex auerſione à fide, & à prima veritate, vt argumentum primo loco poſitum oſtendebat; recurrit D.Thom. ad obiectum infidelitatis, quæ eſt ſententia falſa; & ad diuerſas conuerſiones in illud tanquam ad ſpecificatiua & diſtinctiua prædictorum peccatorum. Et ideo immediatè poſt verba adducta ſubiungit: *Sic ergo dicendum eſt, quòd infidelitatis obiectum eſt veritas prima, ſicut à qua receditur; ſed formale eius obiectum, ſicut ad quòd conuertitur, eſt ſententia falſa, quam ſequitur: & ex hac parte eius ſpecies diuerſificantur.* Vnde ſicut negari non poteſt, prædictas infidelitatis ſpecies diſtingui inter ſe in genere moris, & in ratione formaliſſima peccati: ſic negari non debet, huiuſmodi moralem diſtinctionem & ſpecificationem deſumi ex conuerſione ad obiectum. *Impugnatur primò.*

33. Præterea impugnari poteſt dicta euaſio: quia D.Thom. locis adductis potiſſimùm tractat de ſpecificatione & diſtinctione peccatorum, vt ſunt formaliter peccata, & in genere moris: ergo non rectè exponitur de ſpecificatione ſolùm phyſica & materiali. Conſequentia liquet. Antecedens verò probatur: nam ita exigit ordo, quem in tradenda doctrina de actibus humanis obſeruat: ab initio enim huius 1.2. vſque ad q.17. egit de illis, & de eorum ſpecificatione, vt ſunt actus naturales, & in genere phyſico: finitúrq; hæc conſideratio in ipſa q.17. A q.verò 18.vſque ad 21.& ab initio huius materiæ per totam agit de prædictis actibus, & de eorum habitibus, vt ſunt in ordine morali, mali, vel boni; virtuoſi, aut vitioſi; laudabiles, vel vituperabiles, &c. Idémq; aſſumptum præcipitur tota 2.2. ſpecialiùs inquirens vniuſcuiuſque ſpeciem & eſſentiam, ſemper ſub conſideratione morali, vt intuenti patebit. Potiſſimè verò in art.5.q.18. huius 1.2. vnde verba accepimus, ſermonem eſſe de ſpecie morali; agnoſcet quilibet ex titul.ex corp.& ex ſolutionib. ad 2.& 3. Titulus enim eſt, *vtrum aliqua actio humana ſit bona vel mala in ſua ſpecie?* Imo titulus quæſtionis, & omnium articulorum quærunt *de bonitate & malitia humanorum actuum*: abſurdum autem videtur, omnes huiuſmodi titulos nõ de ipſa bonitate & malitia formaliter vt ſonant; ſed de phyſica & materiali entitate accipe- *Alia impugnatio.*

re:

Digitized by Google

re. In corpore verò id ex profeſſo declaratur, cum dicitur: *In actibus autem bonum & malum dicitur per comparationem ad rationem: quia vt Dionyſius dicit, bonum hominis eſt ſecundum rationem eſſe; malum autem, quod eſt præter rationem,* &c. *Patet ergo, quòd differentia boni & mali circa obiectum conſiderata comparatur per ſe ad rationem, ſcilicet ſecundum quòd obiectum eſt ei conueniens, vel non conueniens: dicuntur autem aliqui actus humani vel morales, ſecundum quòd ſunt à ratione: vnde manifeſtum eſt, quòd bonum & malum diuerſificant ſpeciẽ in actibus moralibus.* Quis neget hîc fieri ſermonem de ſpecificatione & diſtinctione in genere morali? Non minus clarè loquitur in ſolut. ad 2. cuius verba adduximus ſupra. Et in ſolut. ad 3. vbi inter actum conjugalem & adulterinum ponitur differentia ſpecifica: quia licèt in eſſe phyſico non diſtinguantur, tamen *ſecundum quod comparantur ad rationem, differunt ſpecie, & habent effectus ſpecie differentes, quia vnum eorum meretur laudem & præmium: aliud vituperium & pœnam.*

Deinde in q 72. vbi per nouem articulos agitur de diſtinctione peccatorum, ex titulis, ex corp. & ex ſolutionibus clariſſimè conſtat fieri ſermonem de peccatis, vt ſunt formaliter peccata, ſpectántq. ad genus moris. Maximè verò dubitare id non licet in 6. art. cuius verbis vſi fuimus: ſic enim loquitur D.Th. in corp. *Dicendum, quod in peccatis inueniuntur duplex differentia: vna materialis, & alia formalis. Materialis quidem attenditur ſecundum naturalẽ ſpeciem actuum peccati, formalis autem ſecundum ordinem ad vnum finem proprium, quod eſt obiectum proprium. Vnde inueniuntur aliqui actus materialiter ſpecie differẽtes, qui tamen formaliter ſunt in eadem ſpecie peccati, quia ad idem ordinantur: ſicut ad eandem ſpeciem homicidij pertinet iugulatio, lapidatio, & perforatio.* Quid clarius vt conſtet S. Doctorem loqui omnino formaliter de peccato, & de eius ſpecificatione ac diſtinctione, cum aſſerit in his verbis, eam deſumi ex ordine ad obiectum: repetítque in ſolut ad 2. vnde accepimus illa ſuperius relata, *peccatum non habet ſpeciem ex parte auerſionis, quia ſecundum hoc eſt negatio, vel priuatio, ſed ex parte conuerſionis,* &c.

34. Denique tota q. 73. vnde etiam accepimus teſtimonium, perſpicuè eſt ſermo de peccatis formaliter. Agit enim D.Th. per decem illius articulos de comparatione peccatorum quantum ad eorum connexionem, vel non connexionem; & quantum ad æqualitatem, vel exceſſum in grauitate, & de iis, vnde talis grauitas deſumitur. Quocirca in 3. art. ſic ait: *Quia peccata habent ſpeciem ex obiectis, differentia grauitatis, quæ attenditur penes obiecta, eſt prima & principalis quaſi conſequens ſpeciem.* At grauitas non competit peccato ratione eius, quòd dicit de materiali, nec prout eſt in genere phyſico; ſed vt eſt formaliſſimè peccatum, & ſpectat ad ordinem moralem. Id quod magis explicat art. 4. dicens: *Sicut enim ex parte obiecti attenditur maior paruitas peccati; ita etiã maior dignitas virtutis: vtrumque enim ex obiecto ſpeciem ſortitur.* Igitur ſicut ſpecies & dignitas deſumpta ex obiecto virtutis, apud D.Th. eſt ſpecies & dignitas moralis, propriáque virtutis in ratione virtutis: ſic dicendum eſt de ſpecie & grauitate peccati, quam docet deſumi ex obiecto. Hoc idem conſtabit aliis locis, quæ citauimus, cuicumque illa aſpicienti.

Quòd ſi dictis aliquis nondum acquieſcat: contendat verò, D.Thom. in omnibus prædictis locis exponendum eſſe in ſenſu præcisè materiali: animaduertat indignum eſſe tanto Doctore ita exactè, ex profeſſo, & ad longum egiſſe de entitate phyſica peccatorum, déque eorum ſpecificatione & diſtinctione in hoc genere, quæ Theologis minus neceſſaria eſt; ſpecificationis verò, & diſtinctionis formalis & moralis, quæ ad theologicum inſtitutum plurimum refert, penè obiectum fuiſſe. Quin etiam ſatis indignum videtur adeo ſæpenumero in hac materia de peccatis per quæſtionum & articulorum titulos, pérque eorum deciſiones & reſponſiones vti nominibus *peccati* & *ſpeciei peccati* in ſenſu ita materiali & inutili ad peccatorum cognitionem. Sicut manifeſtè eſſet abuſus, ſi quis longam texens diſputationem de artefactis, eorum ſpeciebus, & figuris; ſub his nominibus ſolùm intelligeret ligna, & lapides, quæ ſunt artefactorum materia.

Probatio vltima.

Denique pro hac parte ſtant plura alia teſtimonia, vbi D.Th. diſtinguit duplex malum: aliud, quod eſt tale abſolutè, ſeu ſecundum ſe totum, eo quòd nihil boni includit: neque proinde eſt ens, vel alicuius entis differentia, neque aliquid poſitiuum; ſed priuatio & carentia boni: aliud verò, quod appellat *malum morale*, ſeu *malum in moralibus*, quod vltra priuationem boni dicit aliquid poſitiuum repugnans rationi, claudens in ſe rationem entis & boni tranſcendentalis, quodque reſpectu actuum humanorum habet rationem differentiæ conſtitutiuæ in genere moris. Ita 1. p. q. 48. art. 1. vbi in corp. ſtatuit, malum non eſſe naturam poſitiuam (agebat enim de malo abſolutè) & cum in ſecundo argumento obiecíſſet hoc modo: *Omnis differentia conſtitutiua alicuius ſpeciei eſt natura quædam: malum autem eſt differentia conſtitutiua: ergo ſignificat naturam quandam*: fatetur argumentum conuincere de malo morali, non autem de malo abſolutè: vnde in ſolutione ſic inquit: *Ad ſecundum dicendum, quòd bonum & malum non ſunt differentiæ conſtitutiuæ, niſi in moralibus, quæ recipiunt ſpeciem ex fine, qui eſt obiectum voluntatis, à quo moralia dependent.* Et infra: *Si igitur malum, quod eſt differentia conſtitutiua in moralibus, eſt quoddam bonum* (intellige tranſcendentaliter) *coniunctum priuationi alterius boni*, &c. ¶ Proinde hac 1. 2. q. 54. art. 3. ſtatuit bonum & malum eſſe differentias conſtitutiuas & diuiſiuas habituum: & cum poſuiſſet ſecundum argumentum ad probandum oppoſitum, ex eo quòd *malum cum ſit priuatio, & non ens, non poteſt eſſe alicuius entis differentia*: in ſolut. ſic ait: *Malum, quod eſt differentia conſtitutiua habitus, non eſt priuatio pura: ſed eſt aliquid determinatum, repugnans determinatæ naturæ.* Ecce prædictum duplex malum: aliud, quod eſt priuatio pura, nihil in eo includens poſitiui, adeóque malum abſolutè: aliud verò, quod in ſe includit aliquid poſitiuum contrarium & repugnans alicui particulari naturæ, ſcilicet rationali.

Præterea lib. 3. contra gent. cùm c. 7. ſtatuiſſet Ang. Doct. malum eſſe priuationem, & non naturam poſitiuam: arguit c. 8. vt excipiat ab hac regula prædictum malum morale in hunc modum: *Malum eſt differentia ſpecifica in aliquibus generibus, ſcilicet in habitibus & actibus moralibus: ſicut enim virtus ſecundum ſuam ſpeciem eſt bonus habitus; ita contrarium vitium eſt malus habitus ſecundum ſuam ſpeciem: & ſimiliter de actibus virtutum, & vitiorum. Malum igitur eſt dans ſpeciem*

Digitized by Google

ciem aliquibus rebus: eſt igitur aliqua eſſentia. Sic cap.8.& 9. vbi obiectis occurrit, concedit totũ, quod arguens intenderat, loquendo de malo morali. *Malum enim & bonum* (ait) *in moralibus ſpecifica differentiæ ponuntur, vt ſupra ratio proponebat, quia moralia à voluntate dependent ſecundum hoc enim aliquid ad genus moris pertinet: quod eſt voluntarium: voluntatis autem obiectum eſt finis & bonum: vnde à fine ſpeciem moralia ſortiuntur, ſicut & naturales actiones à forma principij actiui, vt calefactio à calore. Quia igitur bonum & malũ diuiditur ſecundum ordinem ad finem, vel priuationem ordinis: oportet quòd in moralibus primæ differentiæ ſint bonum & malum: vnius autem generis oportet eſſe vnam menſuram primam: moralium autem menſura eſt ratio. Oportet igitur, quòd à fine rationis dicantur aliqua in moralibus bona vel mala: quod igitur in moralibus ſortitur ſpeciẽ à fine, qui eſt ſecundum rationem, dicitur ſecundum ſpeciem ſuam bonum: quod verò ſortitur ſpeciem à fine contrario fini rationis, dicitur ſecundum ſpeciem ſuam malam.* Eandem doctrinam habet de mal. q.1.art.1. ad 1. ad 4. ad 10. ad 12.& 18. & q.2.art.11.ad 13. in 2.diſt.34.q.1.art.2.in corp.& ad 3. & aliis quampluribus in locis.

Euaſio. Occurres repetita ſolutione, totum hoc poſitiuum, quod Ang.Doctor ponit in malo morali, ratione cuius poteſt eſſe differentia, & dare ſpeciem actui humano, pertinere ad illud pro materiali quaſi malitiæ ſubiectum & fundamentum; non quia ſit formaliter ipſa malitia. ¶ Sed impugnatur ſolutio: quia mens D.Thomæ in prædictis teſtimoniis eſt conſtituere diſcrimen inter *malum abſolutè* dictum, & *malum morale* penes hoc, quòd illud importat dumtaxat priuationem boni; hoc verò præter priuationem includit poſitiuum: ſi autem huiuſmodi poſitiuum pertineret ad prædictum malum ſolùm pro materiali per modum ſubiecti vel fundamenti malitiæ, nullum eſſet prædictum diſcrimen: nam etiam *malum abſolute* dicit hoc modo poſitiuum, cum omne malum in aliquo bono ſubiectetur, & omne priuatiuum requirat pro materia & ſubiecto poſitiuum, cui debeatur forma, qua priuat.

Dices, diſcrimen eſſe, quòd *malum abſolutè* ſignificat ſolam priuationem, connotando poſitiuum pro ſubiecto: *malum* verò *morale* vtrumque ſignificat; quia dicit actionem defectuoſam, & non ſolùm actionis defectum. ¶ Contrà: nam vel *malum morale* ſignificat pro formali & in recto vtrumque, ſcilicet poſitiuum & priuationem; vel ſolam priuationem formaliter & in recto; de materiali verò ſeu in obliquo poſitiuum? Si hoc poſterius, nullum eſt prædictum diſcrimen: quia etiã *malum abſolutè* ſignificat hoc modo vtrumque. Si primum, habemus intentum: nam quicquid *malum* pro formali & in recto ſignificat, eſt formaliter malitia: concreta enim accidentalia, quale eſt malum, non ſignificant ſubiectum; ſed ſolam formam, connotando ſubiectum: quo ſenſu dixit Philoſophus cap. de ſubſtant. quòd *album ſolam qualitatem*, ſcilicet albedinem, *ſignificat*, vt bene explicant N.Complut. in Logica diſput.4. q.3. vnde ſi *malum morale* non tantùm connotat, ſed etiam ſignificat poſitiuum; nequit non huiuſmodi poſitiuum eſſe formaliter malitiæ.

Deinde impugnatur prædicta ſolutio: nam poſitiuum, quod in prædictis teſtimoniis dicitur pertinere ad rationem mali moralis, eſt talis conditionis, vt ſe ipſo, etiam prout à qualibet priuatione præſcindit, repugnet rectæ rationi & legi diuinæ, ſitque aliquid inordinatum, & irreferibile in Deum: ergo ſe ipſo & antecedenter ad priuationem habet rationem malitiæ moralis. Conſequentia liquet: non enim prædicta malitia plura exigit, quàm quæ in antecedente referuntur. Antecedens autem ex eo conſtat: quia prædictum poſitiuum ſe ipſo eſt tendentia actus ad finem indebitum, & ad obiectum diſſonum & prohibitum per rationem & legem, ſicut ipſum obiectũ, quod eſt terminus talis tendentiæ: certum eſt autem, tendentiam iis affectam conditionibus eſſe aliquid inordinatum, irreferibile in Deum, diſſonum legi & rationi, iuxta inordinationem & diſſonantiam ipſius obiecti: ergo, &c. ¶ Adde, illud, quod D.Th. appellat *malum morale*, ita eſſe malum reſpectu rationis, vt tamen adhuc ex parte formæ ſit in ſe tranſcendentaliter bonum propter entitatem, quam includit: at malum, quod conſtituitur per priuationem, ex parte formæ nihil boni includit, ſicut neque includit ens; ſed ſolam priuationem & carentiam: ergo prædictum malum morale non eſt de genere illorum, quæ præciſè dicuntur *mala* à priuatione. Hæc ſunt præcipua D.Tho. teſtimonia, quæ ſuadent concedendam eſſe malitiam poſitiuam: ad eáque reducuntur nonnulla alia, quæ breuitatis cauſa omittimus. Videamus iam illa, quæ prædictam malitiam excludunt.

§. II.

Teſtimonia pro parte negatiua.

37. Partem verò negatiuam ſuadent in primis plura loca, vbi agens D.Thom. de malo, dicit eſſe *carentiam*, & *non ens*, nullámq; habere eſſentiam vel naturam; ſed in ſola priuatione conſiſtere. Innumera ſunt hæc teſtimonia, vt videre eſt 1.p.q.48.art.1. *Non poteſt eſſe quod malũ ſignificet quoddã eſſe, aut quandam formam, ſeu naturam: relinquitur ergo, quod nomine mali ſignificetur quadã abſentia boni*, &c. Lib.3.cont.gent.c.7. *Malum, vt dictum eſt, nihil eſt aliud, quã priuatio eius, quod quis natus eſt, & debet habere: ſic enim apud omnes eſt vſus huius nominis malũ.* Quæſt.1. de mal.art.1. *Malum vno modo poteſt intelligi id, quod eſt ſubiectum mali; & hoc aliquid eſt: alio modo poteſt intelligi ipſum malum; & hoc non eſt aliquid, ſed eſt ipſa priuatio alicuius particularis boni.* Eodem modo loquitur q.3.de potent. art.6. In 1.diſt.46.quæſt.1.art.3. In 2.diſt.34.q.1.art.2. Opuſc.2.cap.114.& 115. & paſſim alibi. **Primum argumentum.**

Secundum. Dices cum auctoribus oppoſitæ ſententiæ, in his omnibus teſtimoniis loqui D.Thom. de *malo abſolutè*; non verò de *malo morali* iuxta diſtinctionem n.35. inſinuatam: & ideo non excludere malitiam poſitiuam, quam inquirimus. ¶ Sed contra hanc ſolutionem (quicquid ſit de prædicta diſtinctione) vrget, quòd malum abſolutè ſumptum, eſt commune & ſuperius ad quælibet mala determinata, adeóque ad malum tam phyſicum, quàm morale: non ſtat autem prædicatum ſuperius eſſe priuationem, & aliquod ex inferioribus ſub illo contentis eſſe poſitiuum. Tum etiam quòd D.Tho. malum, de quo agit in prædictis locis, diuidit aliquando in malum culpæ, & malum pœnæ: vt videre eſt 1.p. quæſt. citata, art.5.& q.1.de mal.art.4. ſed malum morale, vt eſt per ſe notum: ergo etiam hoc malum comprehenditur à D.Thoma ſub illo, quod aſſerit eſſe priuationem.

38. Secun

38. Secundò ſpecialiter huc conducit doctrina præſentis articuli, vbi D.Tho. tradit peccati diffinitionem, dicens eſſe *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*: exponénſque illam aſſerit, per ly *dictum, factum, vel concupitum* ſignificari actum humanum, qui in peccatis commiſſionis habet ſe ſicut materiale: per ly verò *contra legem* ſignificari carentiam debitæ commenſurationis, quæ ſe habet vt formale; nullámque mentionem facit malitiæ poſitiuæ: ergo non agnoſcit talem malitiam. Patet conſequentia. Tum quia hic erat proprius locus, vbi prædicta malitia, ſi daretur, deberet explicari: vtpote vbi ex profeſſo diſquiritur, quod ſit peccatum, quæ eius eſſentia, & diffinitio? Tum etiam quia prædicta malitia ſi ſemel datur, debet eſſe prior & eſſentialiter, quàm malitia priuatiua: vnde non rectè diffinitio peccati per hanc, relicta illa, traderetur, aut exponeretur; cum diffinitio eſſentialis tradi debeat per id, quod in re diffinita eſt primum, & magis eſſentiale.

Tertium.

39. Tertiò ita eſſe probatur alio teſtimonio, quod habetur infra quæſt. 79. art. 2. vbi D.Tho. docet, totum actum peccati, quatenus actus humanus eſt, eſſe ex Deo; non autem eius deordinationem & malitiam: & objicit ita in oppoſitum: *Aliqui actus ſecundum ſuam ſpeciem ſunt mali & peccata: ſed quicquid eſt cauſa alicuius, eſt cauſa eius, quod conuenit ei ſecundũ ſuam ſpeciem: ſi ergo Deus eſſet cauſa actus peccati, ſequeretur quòd eſſet cauſa peccati*, &c. Reſpondet vero: *Ad tertium dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, actus & habitus non recipiunt ſpeciem ex ipſa priuatione, in qua conſiſtit ratio mali; ſed ex aliquo obiecto, cui coniungitur talis priuatio: & ſic ipſe defectus, qui dicitur non eſſe a Deo, pertinet ad ſpeciem actus conſequenter, & non quaſi differentia ſpecifica.* Qua reſponſione non ſolùm docet D. Thom. peccatum habere rationem mali ex priuatione (quod fortè exponeretur de malo abſolutè) ſed fatetur omne aliud, quod in peccato reperitur, etiam ipſam ſpecificam differentiam deſumptam ab obiecto, cui coniuncta eſt priuatio, eſſe Dei effectum, & ab eo cauſari: cúmq; nulla malitia poſſit cauſari à Deo, fit vt iuxta doctrinam huius teſtimonij nihil præter priuationem habeat rationem malitiæ. ¶ Ad hæc: malitia poſitiua ſi daretur, in nullo alio conſiſteret, quàm in tendentia ad obiectum diſſonum, quæ eſt differentia conſtitutiua actus peccati, & dat illi ſpeciem: ſed huiuſmodi tendentiam, differentiam, & ſpeciem admittit D.Tho. cauſari à Deo, tantúmque excludit ab eius cauſalitate defectum priuatiuum, qui conſequitur ad prædictam ſpeciem: ergo ſentit, ſolum huiuſmodi priuatiuum defectum habere rationem malitiæ.

Quartum argumentum ex variis teſtimoniis.

40. Quartò probatur animaduertendo, quòd ſi ſemel datur malitia poſitiua conſiſtens in conuerſione & tendentia ad obiectum diſſonum, vt ſupra dicebamus, ipſa potius quàm priuatio ſeu aſſertio debet eſſe ratio eſſentialis & conſtitutiua peccati, vt nuper tetigimus: debétque proinde habere ſe in illo non vt aliquid materiale vel conſequens; ſed vt ratio formalis & primaria, in qua peccatum principaliter conſiſtat: quod libenter fatentur auctores contrariæ ſententiæ. Vnde ad oſtendendum prædictam conuerſionem & tendentiam non eſſe formaliter de linea malitiæ, adeóque nullam dari in via D.Thomæ malitiam poſitiuam; ſufficiet probare, quòd talis conuerſio non ſe habeat in peccato vt ratio eſſentialis, formalis, & primaria; ſed totum hoc priuationi & averſioni competere. Quod ſuadetur ſequentibus teſtimoniis. Etenim q. 85. huius 1.2. art. 4. ſic ait D.Tho. *Priuatio eſt eſſentialiter ipſum peccatum.* Quid clarius?

Reſpondent Caietanus & alij, priuationem dici eſſentialiter peccatum non primario, quaſi conſtituat eius eſſentiam, ſed conſequenter: quia ad illam neceſſariò conſequitur. Hæc tamen ſolutio non caret violentia: quia in qualibet re id ſolùm dicitur *eſſentiale*, quod eſt primarium, conſtituítque eſſentiam: ſecundarium verò & conſequens eo ipſo non eſt eſſentiale; ſed accidentale: violenter ergo diſtinguitur *eſſentiale* & *non eſſentiale.* ¶ Secundò reſpondet Ioan. à S.Thom. priuationem, de qua in illo loco Ang. Doctor, non eſſe priuationem phyſicam, quæ eſt tantùm carentia formæ debitæ; ſed moralem, quæ vnà cum prædicta carentia includit poſitiuam contrarietatem ad legem & virtutem, ex eáque reſultat: & ratione huius poſitiui dicitur, quòd eſt eſſentialiter ipſum peccatum. Sed neque hæc ſolutio violentiam omnino effugit: quia *priuatio*, niſi vox à ſua ſignificatione abſtrahatur, non dicit, neque includit poſitiuum; ſed carentiam dumtaxat: vnde eſſet abuti nominibus, ſub priuationis voce formam poſitiuam intelligere: nihilque firmum haberemus in teſtimoniis Doctorum, quantumuis manifeſta ſint, ſi ſemel admittatur iſte modus interpretandi. Sed addamus teſtimonia alia non minus perſpicua.

41. Secunda ſecundæ quæſt. 6. art. 3. ad 2. in 1. ſolut. de malitia priuatiua ſic inquit: *Deformitas actus eſt de ratione ſpeciei ipſius actus, ſecundum quòd eſt actus moralis: dicitur enim actus deformis per priuationem formæ intrinſecæ, quæ eſt debita commenſuratio circunſtantiarum actus: & ideo non poteſt dici cauſa actus deformis Deus, qui non eſt cauſa deformitatis.* Vbi primò facit ad rem, quòd priuatio dicitur eſſe de ratione ſpeciei actus moralis, atque adeò dat illi ſpeciem, & rationem peccati. Deinde quòd ſolùm excluditur à diuina cauſalitate prædicta priuatio, & per eius excluſionem cenſetur excluſa tota malitia: quod verum non eſſet, ſi præter priuationem aliqua ratio poſitiua eſſet etiam malitiæ formalis. Eadem etiam 2. 2. quæſt. 20. artic. 1. ad 2. de peccatis, quæ opponuntur virtutibus theologicis expreſsè affirmat, quòd conſiſtunt principaliter in auerſione à bono incommutabili; & quod ex conſequenti important conuerſionem ad bonum commutabile. Et idem repetit art. 3. in corp. Quæſt. verò 10. art. 3. ſic inquit: *Omne peccatum formaliter conſiſtit in auerſione à Deo.* Et idem habet quæſt. 24. art. 12. ad 5. Quæſt. autem 118. art. 5. primò ſic dicit: *Omne peccatum ex hoc ipſo quòd eſt malum, conſiſtit in quadam corruptione, ſeu priuatione boni.* Deinde ait, quòd *corruptio, vel priuatio boni formaliter ſe habet in peccato: conuerſio autem ad bonum commutabile, materialiter.* Item quæſt. 162. art. 6. *In peccato* (inquit) *duo attenduntur: ſcilicet conuerſio ad commutabile bonum, quæ materialiter ſe habet in peccato: & auerſio à bono incommutabili, quæ eſt formalis & completiua ratio peccati.* Idem repetit 3. p. q. 86. art. 4. ad 1. ibi: *Culpa mortalis vtrumque habet: & averſionem à Deo; & conuerſionem ad bonum creatum: ſed auerſio à Deo eſt ibi ſicut formale, conuerſio autem ſicut materiale.* Nec deerunt alia loca, in quibus D.Thom. eodem ferè modo loquatur.

Vltimò

Vltimum. 42. Vltimò hæc pars ſuadetur aliquibus teſtimoniis, quæ ex parte ſolent pro affirmativa adduci; ſi verò integrè legantur, potius ei contradicunt: quatenus adhuc in ipſa tendentia ad obiectum diſſonum, quæ aſſignatur ut ſpecificativa & diſtinctiva peccati, tandem tota malitia reducitur ad privationem. Conſtat hoc 1. p. quæſt. 48 art. 1. ad 2. unde præced. §. verba aliqua accepimus, reliquimus verò ſequentia: *Malum, in quantum malum, non eſt differentia conſtitutiva; ſed ratione boni adiuncti.* lib. 3. contra gent. cap. 9. aliis inde acceptis, hæc reliquimus: *Nec malum, ſecundum quod eſt differentia ſpecifica in genere moralium, importat aliquid, quod ſit ſecundum eſſentiam ſuam malum; ſed aliquid, quod ſecundum ſe eſt bonum; malum autem hominis, in quantum privat ordinem rationis, quod eſt hominis bonum.* Ecce qualiter tota ratio mali ad privationem reducitur; excluditur verò à ratione poſitiva, quæ dicitur ſpecificare, & diſtinguere actum peccati.

Clariùs loquitur in 2. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. unde etiam verba aliqua accepimus pro parte affirmativa; omiſimus verò alia, quæ negativæ valde opitulantur. Ibi enim dividit malum in *malum per ſe*, & *malum per accidens. Malum per ſe* appellat ipſam privationem boni abſtractè ſumptam: *malum* verò *per accidens* vocat ſubiectum, quod ſubſternitur privationi, & ab ea *malum* denominatur ita quidem ut tota ratio, à qua accipit *mali* denominationem, penes privationem ſit. *In malis ergo* (ait circa finem corporis) *eſt talis ordo, quod id, quod eſt per ſe malum* (ſcilicet privatio) *primo dicitur, & omnia alia per relationem ad id: ſecundum gradum tenet malum per accidens, quod eſt ſubiectum mali, quod dicitur malum ex hoc, quod privationem, quæ per ſe malum eſt, in ſe habet*, &c. Et inferius: *Dicendum ergo, quod malum nomine non ens: unde illud, quod per ſe malum eſt, non ponit aliquid, ſed dicitur eſſe ut privatio: malum vero, quod eſt ſubiectum privationis, eſt aliquid poſitivè; ſed ex eo quod malum eſt: ſicut oculus eſt aliquid; ſed non ex eo quòd cæcus eſt, quia cæcitas non eſt in eo niſi ut negatio viſionis.* De huiuſmodi igitur malo per accidens profert in ſolut. ad 3. verba, quæ ſupra attulimus, ubi ait eſſe converſionem ad finem, diſtinguere peccata, & dare illis ſpeciem non ratione privationis, à qua *malum* dicitur; ſed ratione entitatis, quæ malitiæ ſubſternitur.

Eſt etiam ad hoc ſatis apertus locus in compend. Theologiæ cap. 11[illegible]. ubi initio partem inſinuat affirmativam; in reliquo verò negativæ ſuffragatur his verbis: *Sciendum eſt igitur, quod ſicut naturalia conſequuntur ſpeciem à forma; ita moralia à fine, qui eſt voluntatis obiectum, a qua omnia moralia dependent. Sicut autem in naturalibus uni formæ adiungitur privatio alterius, puta formæ ignis privatio formæ aëris: ita in moralibus uni fini adiungitur privatio finis alterius: cum igitur privatio perfectionis debitæ ſit malum, in naturalibus formam accipere, cui adiungitur privatio formæ debitæ, malum eſt non propter formam; ſed propter privationem ei adiunctam; & in moralibus etiam inhærere fini, cui adiungitur privatio finis debiti, malum eſt non propter finem; ſed propter privationem adiunctam: & ſic duæ actiones morales, quæ ad contrarios fines ordinantur, ſecundum bonum & malum differunt: & per conſequens contrarij habitus differunt bono & malo, quaſi differentiis exiſtentibus, & contrarietatem ad invicem habentibus, non propter privationem, qua dicitur malum; ſed propter finem, cui privatio adiungitur.* En tota cura Ang. Doctoris in eo ſita, ut tribuat rationibus poſitivis munus ſpecificandi, diſtinguendi, & contrariandi in vitiis & peccatis; avertat verò ab eis totum id, unde dicitur malum: atque adeo ſentit, nihil de linea poſitiva per ſe, & ut præſcindit à privatione, habere rationem malitiæ. Aliqua alia offendes teſtimonia pro hac parte, quæ referre omittimus, quia ad præmiſſa ſufficienter reducuntur, neque illis robur addunt.

§. III.

Veritatis trutina & iudicium.

43. Faciliora tantùm peregimus, dum utriuſque partis teſtimonia in medium produximus: ferre autem inter eas iudicium, & cui Ang. Doctor tantum ſubſcribat, liquidò diſcernere; hoc opus, hic labor eſt, quem ſemper maximum iudicavimus. Adeò enim ſuis teſtimoniis unaquæque pars convinci videtur, adeo illis redditur probabilis & probata, ut nemo, quamlibet elegerit, quaſi non Thomiſta iure reprehendi poſſet. Quinimo Divum Thomam neutri omnino firmiter adhæſiſſe; ſed utranque problematicè propugnaſſe; & modò huic, modò illi tuliſſe ſuffragium, non pœnitendi Theologi crediderunt: cum quibus calamus difficultatis mole oppreſſus, fortè oneri ſuccumberet; niſi & Magiſtri dignitas aliud expoſceret; & aſſequendæ veritatis ſtudium in eam currentibus calcar adderet. Cum enim quæſtio agitata inter contradictoria verſetur, an ſcilicet *detur, vel non detur malitia poſitiva?* cuius proinde una pars determinatè debet eſſe vera; alia determinatè falſa: inde inferremus D. Thomam neutram exactè calluiſſe, ſi utranque problematicè veram aſſeruiſſet. Præter quam quòd ſtylus problematicè dubia decidendi minus eſt doctrinalis: quia intellectus paratus utrique extremo pro libito aſſentire, nullum eorum accuratè examinat, nullius cauſam omnino propriam ſuſcipit; &, ut aiunt dum duos ſequitur lepores, neutrum capit. Hanc ob cauſam à prædicto decidendi more, quantum licuit, uſque modò abſtinuimus: eàque in præſentiarum magis urget: ubi omnes utriuſque partis probabilitatem agnoſcunt, nemóque non ſciet, quam maluerit, probabiliter defendere: deſiderant autem iudicium ad verum determinans; idque à nobis, non problematicum aſſenſum, efflagitant.

Præſectio, & eius motiva. 44. Poſt rem igitur maturè conſultam, aſſiduéque meditatam, & attentis omnibus, quæ adduximus, convincimur teſtimoniis partis affirmativæ: ex eiſque perſpicuum habemus agnoviſſe Ang. Doctorem in peccato commiſſionis aliquid poſitivum, quod non tantum à privatione formæ debitæ; ſed à ſe ipſo, antecedentérque ad ipſam privationem ſit inordinatum, diſſonum, & repugnans rationi: & quod ſecundum aliquam formalitatem, & expreſſionem poſitivam à Deo non ſit: ac proinde quòd propriè & formaliter ſit malitia

malitia moralis. Ducimur primò ad ita exiſtimandum, quia prædicta teſtimonia, ut ex ipſis conſtat, poſitivè adſtruunt aliquam malitiam poſitivam; nec poſſunt convenienter ac ſine violentia exponi de privativa, vel ſolùm de malitia pro materiali: adeóque vel verificanda non ſunt; vel debet prædicta malitia poſitiva in ſenſu formali admitti. Contraria verò teſtimonia non ita poſitivè eam malitiam impugnant; ſed magis negativè: quatenus quædam ſolius privativæ mentionem faciunt: quædam huic ſupra poſitivam primatum tribuunt: aut ſi verò aliqua expreſſè negent poſitivam; non tamen omni modo, vel in omni ſenſu, in quo verè vel falſò poſſet affirmari. Vnde ſufficiet ad eorum veritatem, ut prædicta malitia in ſenſu aliquo non vero, in quo illa loquuntur, denegetur: quamvis in aliquo alio ſenſu vero, in quo loquuntur alia, concedatur. Eſt enim manifeſtum diſcrimen inter affirmationem & negationem alicuius rei in ordine ad excludendam, vel adſtruendam eius exiſtentiam: nam ut ſit talis res, ſufficit ut quovis modo affirmetur, etiam ſi negetur multis aliis: ut autem non ſit, neceſſe eſt ut modis omnibus negetur. Cum ergo nullus appareat locus D. Thomæ, in quo malitia poſitiva omnibus modis & in omni ſenſu negetur; ſint autem plura, in quibus affirmetur: poteſt prædicta malitia ſine alicuius præiudicio concedi; non autem ſine multorum iniuria omnino denegari.

Ducimur deinde: quia teſtimonia partis affirmativæ, etiam adhibitis ſolutionibus, quas auctores oppoſitæ ſententiæ uſque modò excogitarunt, & quæ nobis potuerunt occurrere, permanent in ſuo robore, ut vidimus §. 1. ubi illas adduximus, & refellimus: nec prædictæ ſolutiones adeo ſunt doctrinales & formales, ut deceant D. Thomam, debeántque illi attribui. Econtra verò ſolutiones, quibus §. ſequenti teſtimoniis partis negativæ occurremus, formaliores & ſubtiliores ſunt refertæque D. Thomæ doctrina, ut merito ei adſcribi valeant. Inſupérque illa teſtimonia ita prædictis ſolutionibus enervantur, ut etiam rigorosè intellecta non convincant, ut ibidem conſtabit.

45. Tertio movet, quod argumenta & rationes, quibus dub. ſequenti ſententiam noſtram re ipſa, independentérque adhuc à doctrina D. Thomæ veram eſſe confirmabimus, efficaciores multò ſunt quàm oppoſitæ, ut ibidem patebit. Quod genus probationis plurimum iuvat ad venandum legitimum ſenſum Doctoris & Magiſtri, quoties per eius teſtimonia perſpicuè non conſtat: maximè verò Doctoris noſtri Angelici, cuius verba & ſententiæ nullibi rectæ rationi contradicunt.

Denique impellit, imo & compellit nos affirmativam partem Divo Thomæ adſcribere auctoritas plurium & graviorum Thomiſtarum, qui in eam ſententiam ſatis concorditer abierunt: quibus utpote in ſcriptis S. Doctoris aſſiduè verſatis, eáque perpetuò tenentibus, plurimum circa Magiſtri mentem deferendum eſt. Quinimo ſicut in obſcuris & difficilibus ſacræ Scripturæ locis ad ſanctos Patres, & Catholicos Eccleſiæ Doctores loca illa exponentes uti ad veros & fideles Spiritus ſancti diſcipulos conſuevimus recurrere; & quem illi concorditer amplexati fuerint, legitimum ſacri textus ſenſum putamus, haud credentes divini verbi intelligentiam ipſis a cœleſti Spiritu denegandam: ita, ſervata proportione, circa Divi Thomæ ſcripta quoties occurrit difficultas, & de eius mente perſpicuè non conſtat, validiſſimum argumentum erit pro vera ſententia communis, aut ferè communis diſcipulorum ipſius intelligentia & expoſitio: illorum præcipuè, qui in hac parte Catholici credendi ſunt, quòd tuendæ, & enucleandæ Thomiſticæ doctrinæ perpetuo invigilant; neque à ſequendis S. Doctoris veſtigiis ex animo unquam recedunt. Hos autem communiter eſſe pro noſtra ſententia conſtat: nam illam expreſſè tuentur Caietanus in comment. huius articul. & quæſt. 72. ſequent. art. 1. quæſt 79. art. 1. nec non ſupra quæſt. 18. art. 5. aliiſque in locis. Bannez 1. p. quæſt. 48. art. 1. ubi etiam Nazarius controv. unica, Ripa, & alij: & in præſenti Medina §. *impugnatis tam.* Curiel dub. 1. §. 5. Alvar. diſp. 128. Zumel diſp. 5. & ſequentibus. N. Cornejo diſp. 4. dub. 8. Greg. Mart. dub 1. concluſ. 5. Ioannes à S. Thoma tract. de actibus humanis diſp. 9. art. 2. Aragon. 2. 2. quæſt. 6. articul. 2. Hieronym. à Rua tom. 1. controv. 5. Scholaſtica, & alij. Fuit etiam hæc ſententia M. Cani, Victoriæ, & Orellana, & Bannez, Medina, & Alvar. teſtantur: & M. Petri de Herrera in manuſcriptis ſuper hunc art. quæ à multis præ manibus habentur. Capreolus autem & Ferrara ab aliquibus pro oppoſita referri ſolent; ſed noſtræ apertè ſuffragari, illum in 2. diſt. 35. quæſt. 1. art. 3. ad 2. & 6. Gregorij contra 1. concluſionem: iſtum verò 3. contra gent. cap. 9. affirmant Curiel, & Ioan. à S. Thoma, & nos ita eſſe haud dubitamus. Nam licèt circa peccati conſtitutionem obſcura ſit eorum ſententia; in eo tamen quòd iuxta mentem D. Thomæ non ſola privatio, ſed etiam aliquid poſitivum ſit de ratione formali peccati, proindéque formalis malitia, quod eſt aſſumptum huius dubij, ſatis apertè loquuntur. Favet etiam Conradus ſupra quæſt. 18. articul. 5. nec contradicit in præſenti, ut Monteſ. & Araujo exiſtimant. Scimus pro oppoſita ſententia eſſe etiam aliquos Thomiſtas; perpaucos tamen, & non ita primæ claſſis: quamvis etiam ſint pro illa Suar. Valent. Azor, Salas, Granad. & alij, quos ſequenti dubio referemus. Vnde nihil obeſt, quominus aſſertio noſtra, quam ferè viginti D. Thomæ aſſeclæ tuentur, in eius ſchola cenſenda ſit communis, & verum D. Thomæ ſenſum continere credatur.

Caiet. Bannez. Nazar. Ripa. Medina. Curiel. Alvar. Zumel. Cornejo. Greg. Mart. Ioan. à S. Thom. Aragon. Hieron. à Rua. Canus. Victor. Orellana. Petrus de Herrer. Capreol. Ferrar. Conrad.

46. Audivimus etiam aliquos ex adverſariis dubios circa Caietani mentem: ſed eius verba adeò ſunt perſpicua, ut interpretationi, aut tergiverſationi non ſubiaceant. Sic enim ait in præſenti: *Cave in tract. de vitiis & peccatis ne erres in principio, putans vitium & peccatum habere tantum rationem mali ratione privationis. Oportet namque dicere, quid peccatum eſt actus malus dupliciter: ſcilicet contrariè, & privativè. Intemperantia enim eſt actus malus contrariè, pro quanto eſt actus habens contrarium obiectum formali obiecto temperantiæ: eſt verò actus malus privativè, pro quanto eſt actus privatus rectitudine, quam deberet habere. Eſt*

autem

autem inter has duas mali rationes tanta differentia, quòd prima, ut dictum fuit, eſt res quædam poſitiva & à Deo &c. quòd ſecunda eſt privatio, eſt nihil, & non à Deo. Prima quoque eſt prior naturaliter ſecunda, & fundamentum eius: eo quod omne peccatum eſt actus contrarius alicui virtuti; & ad huiuſmodi contrarietatem ſequitur privatio debitæ rectitudinis. Prima rurſus ſpectat ad converſionem; ſecunda autem ad averſionem inventam in peccato: & utraque vocatur inordinatio; ſed prima contrariè, ſecunda privativè: quamvis uſitato vocabulo cum de peccato eſt diſputatio, inordinatio, deformitas, malitia, ratio mali, & ſi quid eſt huiuſmodi, privativè ſumantur. In litera ergo cum dicitur, quod peccatum eſt actus humanus malus, intellige quod eſt malus & inordinatus utroque modo: utramque enim inordinationem habet actus ex incommenſuratione ad ſuam regulam. Nam inordinationem contrariè habet ex obiecto, quod eſt aliquid appetitum diſſonans regulæ: & ex hoc comitatur inordinatio privativè, quia ex hoc actus privatur rectitudine regulæ, qua deberet informari. Et hoc bene nota, & fige menti, ſi vis auctorem intelligere, & ſi vis contradictores convincere, &c.

Deinde q. 72. ſeq. art. 1. inter alia ait: *Eſt in peccato intemperantiæ actus voluntarius, qui eſt materia bonitatis, & malitiæ moralis: eſt & malitia moralis contraria temperantiæ, puta intemperantiæ forma: eſt & conſequens privatio rectitudinis temperantiæ debitæ illi actui voluntario. Et licèt primum non ſit formale peccatum, non ſequitur, ergo tertium. Stat enim quòd ſit ſecundum, ſicut in veritate probatum eſt eſſe.* ¶ Vlteriùs quæſt. 79. art. 1. hæc habet: *Quia peccatum conſtat ex converſione ad obiectum contrarium obiecto virtutis, & ex averſione à lege, ſunt in peccato duæ malitiæ. Primò malitia ex obiecto: ſecundò malitia in ipſa privatione obſervationis legis. Prima eſt poſitiva & in certo entis genere: ſecunda eſt privativa, & eſt ipſa deformitas peccati, in qua conſiſtit ratio mali ſimpliciter. Ad primam neceſſario ſequitur ſecunda*, &c. Eodem modo loquitur ſupra quæſt. 18. articul. 5. Transcripſimus verò verba Caietani, non ſolum ut de ſententia conſtet; ſed quia rem optimè explicant, & rationem utriuſque malitiæ, earúmque ordinem & conſequutionem tam inter ſe, quam reſpectivè ad conſtitutionem peccati apprimè declarant. Tum etiam quia cum cæteri Thomiſtæ à nobis citati, qui poſt Caietanum ſcripſerunt, eius ſententiam ſequi profiteantur: eo ipſo conſtat omnes illos in eodem ſenſu loqui, & aſſertionem noſtram tueri.

Dubitandi ratio.

47. Fortè in Caietani verbis fecit ſcrupulum, quòd prædictum poſitivum, in quo conſtituit malum morale, dicit cauſari à Deo; à quo tamen nequit cauſari aliqua vera & formalis malitia: aut etiam quòd cit. quæſt. 18. art. 5. agens de hoc eodem malo poſitivo, diſtinguit illud ab eo, quod eſt malum verè & propriè: atque adeo videtur ſentire, iſtud, de quo loquimur, non eſſe verè & propriè malum. ¶ Sed iſte ſcrupulus ſine ratione pungit: adeo enim perſpicuè Caietanus pro nobis loquitur, ut dubitationi locus non remaneat. Quod autem dicit prædictum malum eſſe à Deo, diverſi diverſimodè accipiunt, & aliqui ægrè ferunt, quaſi Deum faciat auctorem & cauſam peccati. Sed re vera eius verba poſſunt & debent in ſano ſenſu exponi. Solùm enim intendit, rem illam, quæ reſpectivè ad rationem, & ut exprimit tendentiam ad obiectum diſſonum, eſt malitia moralis, eſſe in ſe tranſcendaliter ens: & in quantum ens, tranſcendaliter bonam; & in quantum ens & bonam tranſcendentaliter, cauſari à Deo: ſecus autem in quantum exprimit prædictam tendentiam & malitiam. Ex hoc vero non fit, Deum poſſe dici abſolutè cauſam peccati vel malitiæ: quamvis dicatur cauſa illius rei, quæ eſt malitia & peccatum: quia ad hanc poſteriorem loquutionem ſufficit utcunque eſſe cauſam prædictæ entitatis & bonitatis: ad priorem verò oportebat, ut cauſaret illam non utcunque; ſed in quantum exprimit deordinationem & malitiam, & ut fundat privationem: quod Caietanus nuliibi concedit. Quod autem hæc fuerit eius mens patet citata quæſt. 79. art. 1. ubi latiùs examinans peccati efficientiam, diſtinguit in ipſa malitia morali poſitiva illud, quod habet perfectionis; & illud, quod exprimit ſecundum ſuam ſpeciem malitiæ: & quantum ad primum dicit cauſari à Deo; quantum verò ad ſecundum à voluntate deficiente: quam doctrinam repetit non ſemel in illo commentario. Cum autem hoc malum morale diſtinguit ab eo, quòd verè & propriè eſt malum, non negat illi veram & propriam moralis malitiæ rationem; ſed inſinuat, nomen *mali* in ſua primæva acceptione ſtare pro malo abſolutè & ſimpliciter dicto: quod quia nihil entitatis aut bonitatis tranſcendentalis; ſed ſolam privationem includit, veriùs & propriùs dicitur *malum*, quàm prædictum malum morale. Supereſt ergo ut occurramus teſtimoniis adductis pro parte negativa, & eorum legitimum ſenſum declaremus.

§. IV.

Teſtimonia partis negativæ in tribus prioribus argumentis legitime exponuntur.

Ad teſtimonia primi argumenti.

48. Sententia, quam præced. §. ſtabilimus, firmitatem accipiet ex ſolutionibus argumentorum, quæ in illam militare videbantur. Ad primum ergo coaleſcens ex teſtimoniis adductis num. 37. bene reſpondetur ibidem per diſtinctionem duplicis mali: ſcilicet *mali abſolutè dicti*, & *mali reſpectu alicuius* ſeu mali, quod ita eſt malum, ut nihil entitatis & bonitatis in ſe includat; & mali, quod ita eſt malum reſpectu alicuius naturæ, puta rationalis, ut tamen in ſe ſit aliquod ens, & bonum tranſcendentale. Et quamvis Vaſq. diſp. 95. cap. 2. prædictam diſtinctionem commentitiam appellet, & dicat fuiſſe primò excogitatam à Caietano: in utroque tamen decipitur: ut conſtat ex D. Thoma quæſt. 1. de mal. art. 1. ad 1. & ad 18. lib. 3. contra gent. cap. 9. & in hac 1. 2. quæſt. 54. art. 3. ad 2. ubi & aliis locis, quos num. 35. citavimus, uſus fuit prædicta diſtinctione: indéque illam deſumpſerunt Caietanus, & alij Aug. Doctoris diſcipuli, ut Caiet. ipſe teſtatur ſupra quæſt. 18. art. 5. Quòd ſi etiam primò fuiſſet à Caietano excogitata, non ideo ſperni deberet, ut eam ſpernit Vaſq. cit. cap. 2. qui tamen cap. 9. eiuſdem diſp. eadem ferè diſtinctione utitur

ad propriam ſententiam declarandam, dicens malum accipi dupliciter: vel abſolutè, quo pacto eſt negatio vel privatio: vel relatè ad aliquam naturam, qua ratione eſt poſitivum: & qui noſtram diſtinctionem fundatam in D. Th. appellaverat commentitiam; ſuam hanc, vel eandem ut à ſe depictam credit omnino rationabilem. Per prædictam ergo D. Thomæ diſtinctionem facilè explicantur plura eius loca, quæ noſtræ aſſertioni contraria videntur. Nam quotieſcunque ait malum eſſe privationem, & *non ens*, etiamſi de peccato commiſſionis loquatur, loquitur de illo quoad rationem mali abſolutè; non verò quoad totum, quod in eo habet rationem mali moralis: adeóque non excludit malitiam poſitivam, quam nos aſſeruimus.

49. Pro quo, & ut impugnationibus num. 37. huic ſolutioni adhibitis occurramus, obſerva, *malum abſolutè*, & malum, quod appellamus *reſpectu alicuius*, non conferri inter ſe ut ſuperius & inferius, neque unum de alio prædicari; ſed potius quaſi diſparatè ſe habent: & æquivocè applicatur utrique nomen *mali*, ut Caietanus obſervat cit. quæſt. 18. & ſequenti dubio latiùs dicemus. Neque etiam *malum abſolutè* convertitur cum malo phyſico; & *malum alicuius* cum malo morali: ſed tam in phyſicis quàm in moralibus utrunque malum reperitur. Nam in aqua calida v. g. privatio frigiditatis habet rationem *mali abſolutè*, quia nihil eſt, & nulli bona iſta privatio: calor autem non eſt malus abſolutè, quia in ſe eſt ens & bonus; ſed eſt *malum alicuius*, quia eſt malus & diſconveniens ipſi aquæ. Similiter in actu humano carentia rectitudinis debitæ eſt *malum abſolutè*, utpote quæ neque in ſe eſt ens, neque bona alicui: tendentia verò poſitiva ad obiectum lege prohibitum, eſt *malum alicuius*, ſcilicet hominis, quia naturæ rationali & rectæ rationi repugnat; non tamen eſt *malum abſolutè*, quia includit ens & bonum tranſcendentale. Dum ergo Caietanus & alij Thomiſtæ agentes de peccato, diſtingunt *malum morale*, & *malum ſimpliciter* ſeu *abſolutè*; per *malum abſolutè* non intelligunt malum in communi ſumptum, quod ſit ſuperius ad omne malum; neque etiam malum phyſicum, quod eſt præciſè in rebus naturalibus: ſicut nec per *malum morale* intelligunt totum id, quod in actu humano habet rationem mali, & ad genus moris pertinet (in quo decepti ſunt aliqui ex adverſariis) ſed in ipſo actu humano diſtingunt duas malitias: aliam privativam, quæ eſt carentia formæ debitæ, & nullo modo etiam tranſcendentaliter eſt bona: aliam verò poſitivam, quæ dicit tendentiam ad obiectum diſſonum, & prohibitum per legem, adeóque includit eos, & bonitatem tranſcendentalem. Et licèt utraque hæc malitia ad ordinem moralem ſpectet, ob idque *malitia moralis* dici poſſit; quia tamen poſitiva eſt prima & eſſentialis in actu humano, conſtituitque illud primario in ordine morali; privativa verò ad eam conſequitur: idcirco inter Thomiſtas nomen *malitia moralis* frequentiùs ſumitur pro malitia poſitiva; privativa verò, etiam dum in moralibus reperitur, retinet nomen *mali abſolutè*.

Ex his ad primam impugnationem reſpondetur, negando antecedens: quia quod appellamus *malum abſolutè*, non eſt ſuperius ad omnia mala; ſed ad ea dumtaxat, quæ etiam ſunt *mala abſolutè*, adeóque privativè: unde non debet comprehendere illud, quod ſolùm vocamus *malum alicuius*, ſive ſit phyſicum, ſive morale. § Ad ſecundam reſpondetur potuiſſe D. Thomam dividere *malum abſolutè*, de quo loquebatur, in malum culpæ, & malum pœnæ; quia in utroque invenitur privatio, quæ eſt mala in iſto genere: non tamen hæc eſt tota malitia reperta in malo culpæ; ſed datur etiam malitia poſitiva, quæ non eſt mala abſolutè, ſed reſpectivè ad rationem, & ad naturam rationalem.

50. Ad ſecundum argumentum reſpondetur D. Thomam in præſenti explicuiſſe diffinitionem peccati per malitiam privativam: non quia hæc ſola reperiatur in peccato commiſſionis, aut ſit eius conſtitutiva; ſed quia apud omnes notior eſt: & per eam clariùs oſtendebatur, peccatum rectè diffinitum fuiſſe à D. Auguſtino verbis illis *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*. Nam licèt hæc diffinitio poſſet exponi in ſenſu quidditativo per malitiam poſitivam peccato eſſentialem (eſſe enim contra legem in peccato commiſſionis non ſolùm importat privationem conformitatis; ſed etiam & per prius diſſonantiam & deviationem poſitivam ab ipſa lege per tendentiam ad oppoſitum) voluit nihilominus D. Thom. explicare illam ut deſcriptivam per prædictam privationem, quæ in eodem peccato habet ſe ex conſequenti & quaſi proprietas. Tum quia cum ferè apud omnes perſpicuum eſſet, quòd peccatum importet privationem, clariùs & faciliùs per eam oſtendebatur, prædictam diffinitionem, ſaltem ut deſcriptivam, eſſe bonam & adæquatam, quàm ſi id reduceretur ad malitiam poſitivam tempore illo minùs notam. Fuitque hoc ſatis intento huius articuli, ubi Ang. Doctor non tam diſquirit peccati naturam & eſſentiam, quàm bonitatem communis diffinitionis: ut conſtat ex titulo, & ex deciſione articuli. Non enim quærit, aut reſoluit *quid ſit peccatum?* ſed *an rectè diffiniatur*, quòd ſit *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam?* Tum etiam quia inveſtigare ex profeſſo, an ſimul cum privatione detur in peccato alia malitia poſitiva prior & eſſentialis, dependebat ex pluribus nondum examinatis, quæ circa ſpecificationem & diſtinctionem peccatorum Ang. Doctor in ſequentibus traditurus erat: unde non oportuit hìc per rem adhuc obſcuram, & nondum plenè examinatam, neque omnibus notam, receptiſſimam Auguſtini diffinitionem explicare.

Ad teſtimonium ſecundi argumenti.

Adde, quòd prædicta diffinitio, ut habetur in litera in reſponſ. ad 3. extenditur etiam ad peccatum omiſſionis: & ita convenientius fuit illam explicare per rationem *mali abſolutè ſumpti*, ſeu per malitiam privativam utrique peccato communem, quàm per poſitivam, quæ non datur in omiſſione. Nec D. Thom. ſubticuit omnino hanc malitiam poſitivam: nam in corpore articuli probat tanquam per rationem à priori, peccatum importare carentiam commenſurationis cum regula, in quo conſiſtit malitia privativa, quia importat digreſſionem & tendentiam poſitivam ad oppoſitum regulæ: ut non obſcurè ſonant

verba

verba illa, *Omnis autem commenſuratio cuiuſcunque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua ſi divertat, incommenſurata erit* &c. Ly enim *divertat*, quòd ponitur ut ratio incommenſurationis, motum indicat contrarium, & tendentiam ad oppoſitum regulæ, in quo ſita eſt malitia poſitiva. Atque ideo fortaſsè in fine corporis non abſolutè concludit, carentiam debitæ commenſurationis eſſe formale peccati, ſed dixit eſſe *quaſi formale*: ut innueret, proprium formale peccati conſtitutivum eſſe aliam formam poſitivam, videlicet prædictam tendentiam, ex qua privatio reſultat, & in qua fundatur.

Ad teſtimonium tertij. 51. Teſtimonium tertio loco adductum ex quæſt. 79. huius 1. 2. ſemper nobis viſum fuit difficile, uſque dum ab ipſo D. Thoma ſolutionem accepimus. Reſpondetur ergo, S. Doctorem ſolùm velle, quòd totus actus peccati tam ſecundum gradum communem & genericum, quàm ſecundum ſpecificum, quatenus actus phyſicus eſt, cauſatur à Deo, non autem quatenus eſt actus malus moralis: ſecundum quam rationem dicit tàm malitiam privativam, à qua denominatur *malus ſimpliciter*: tùm etiam tendentiam moralem poſitivam ad obiectum diſſonum, per quam conſtituitur in ſpecie mali moralis, & eſt proximum fundamentum prædictæ privationis: utraque enim hæc ratio cauſatur à ſolo libero arbitrio ut deficienti, & non à Deo: ut ipſe D. Thom. optimè *D. Thom.* explicuit quæſt. 3. de mal. art. 2. ubi ad idem intentum proponit ſupradictum argumentum, & ſoluit in hunc modum: *Ad ſecundum dicendum, quod deformitas peccati non conſequitur ſpeciem actus, ſecundum quod eſt in genere naturæ, ſic autem à Deo cauſatur; ſed conſequitur ſpeciem actus, ſecundum quod eſt moralis, prout cauſatur e libero arbitrio*, &c. Vbi, ut vides, tria diſtinguit in actu peccaminoſo: primò ſpeciem eius in genere naturæ: ſecundò ſpeciem moralem: tertiò deformitatem ſive malitiam privativam, quæ ad ſpeciem moralem immediatè conſequitur. Ex quibus primum dicit cauſari à Deo; duo autem poſteriora à ſolo libero arbitrio. Inter quæ ſpecies moralis neceſſariò eſt poſitiva: tùm quia privatio neque eſt, neque dat ſpeciem: tùm etiam quia talis ſpecies eſt proximum fundamentum privationis, & privatio debet fundari in poſitivo. Nec neceſſe fuit in teſtimonio, quod explicamus, ex hac 1. 2. expreſſiùs mentionem facere huius ſpeciei moralis poſitivæ, ut excluderetur à divina cauſalitate: quia cum privatio non cauſetur, niſi quatenus cauſatur eius fundamentum, & hæc ſpecies moralis ſit proximum fundamentum privationis; excluſa privatione ab influxu Dei, manebat etiam excluſa talis ſpecies. Et ita in eodem articulo in fine corporis reddens rationem D. Thom. quare Deus cum ſit cauſa actus peccati, non eſt cauſa ipſius peccati? non dixit, *quia non eſt cauſa privationis*, ſeu *defectus privativi*; ſed ait: *quia non eſt cauſa huius, quòd actus ſit cum defectu*. Quo dicendi modo ſatis inſinuat dari aliquod medium inter privationem, & entitatem phyſicam actus, connectens actum cum privatione, quod ſit ipſius privationis proximum fundamentum, & ratione cuius licèt Deus ſit cauſa actus quantum ad ſpeciem phyſicam; non tamen ſit cauſa peccati, neque privationis: quia non eſt cauſa iſtius medij, ſive fundamenti, ex quo privatio immediatè reſultat. Huiuſmodi autem fundamentum non poteſt eſſe aliud niſi malitia poſitiva, ſeu ſpecies moralis, quam D. Thom. cit. loco de mal. dicit cauſari ſolùm à libero arbitrio, & ad eam conſequi deformitatem privativam.

Ad ſecundum, quod expenditur in prædicto teſtimonio, reſpondetur malitiam poſitivam conſtituere in tendentia ad obiectum, non ut eſt obiectum phyſicum; ſed ut eſt obiectum morale prohibitum lege: proindéque ipſa tendentia eſt tendentia & differentia in genere moris, dans ſpeciem moralem, quæ eſt propria & formalis ſpecies peccati. Huiuſmodi verò differentiam ſeu tendentiam non aſſerit D. Thom. cauſari à Deo, nec de illa argumentum procedebat; ſed aliam tendentiam, quam dicit actus peccati ad ſuum obiectum, ut eſt obiectum phyſicum, præſcindens à prohibitione: quæ eſt differentia & tendentia dumtaxat phyſica, ſpecificátque prædictum actum, quatenus eſt in genere naturæ: de hac enim tendentia & ſpecie phyſica procedebat argumentum, cui adhibetur illa ſolutio.

52. Dices D. Thomam in illo teſtimonio ex *Replica.* quæſt. 79. referre ſe ad quæſt. 72. antecedentem: ubi in primo articulo egit ex profeſſo de ſpecificatione peccatorum, prout deſumitur ex obiecto: adeóque utrobique debet exponi de eadem ſpecie vel phyſica, vel morali: ſi autem in quæſt. 72. exponatur de ſpecie phyſica, ruent, quæ diximus pro noſtra ſententia à num. 53. ubi oſtendimus Ang. Doctorem in illa quæſt. & in quæſt. 73. ſequenti loqui formaliter de peccato, & de eius ſpecie morali: Ergo non rectè in prædicto teſtimonio exponitur de ſpecie phyſica. ¶ Reſpondetur de utraque ſpecie eſſe ſermonem in quæſt. 72. ex eo enim probat ibi D. Thom. peccatum, ut pecca- *Enervatur.* tum eſt, habere ſpeciem ex obiecto, quæ eſt ſpecies moralis: quia ut eſt actus voluntarius, habet ab eo ſpeciem phyſicam. Nam per ſpeciem peccati intelligit ſpeciem moralem; & per ſpeciem actus voluntarij ſpeciem phyſicam: unde etiam ſi locus ex quæſt. 79. loquatur de ſpecie phyſica potuit ſe referre ad prædictam quæſt. 72.

§. V.

Exponuntur teſtimonia quarti, & ultimi argumenti.

QVartum argumentum conſtat diverſis teſtimoniis, quæ diverſa explicatione egent. Primum ex quæſt. 85. niſi fallimur, fa- *Ad primum teſtimonium.* ciliorem & veriorem habet ſolutionem, quàm quæ ibi impugnantur: fit enim eo loco ſermo de peccato omiſſionis, de quo non dubitamus conſiſtere in privativo; non autem de peccato commiſſionis, de quo eſt præſens controverſia. Deſumitúrque locutio ex ipſo contextu: nam privatio, de qua ibi loquitur D. Thom. non eſt ſolùm privatio rectitudinis, vel ordinationis debitæ actui humano, qualis eſt omnis privatio, quæ ſpectat ad peccatum commiſſionis; ſed eſt privatio ipſius actus ordinati & recti: ut conſtat ex verbis antecedentibus, quæ ſic ſe habent: *Eſt etiam quoddam bonum, quod eſt ipſe, actus ordinatus;*

ordinatus, quod etiam habet ſuum modum, ſpeciem, & ordinem : & huius privatio (id eſt prædicti actus) *eſt eſſentialiter ipſum peccatum.* Huiuſmodi verò privationem, apud omnes ferè perſpicuum eſt, eſſe peccatum omiſſionis; non commiſſionis. Nam peccatum commiſſionis (ut ait D.Thom.in hac eadem 1.2. quæſt.71. art.1. ad 2. & adverſarij etiam fatentur) non eſt privatio alicuius actus debiti; ſed eſt actus poſitivus debito ordine privatus. Vide notata inferius ad art. 4. quæſt.85.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum teſtimonium, ſeu primum ex 2. 2. quæſt. 6. reſpondetur deformitatem privativam dici *de ratione ſpeciei peccati*, non quia illam conſtituat, adeóque non per ſe primò; ſed quia per ſe quodammodo ad eam conſequitur : ſicut ſi intellectivum diceretur eſſe de ratione ſpeciei hominis, non quia eam immediatè conſtituat; ſed quia per ſe illam conſequitur, & eſt eius proprietas. Hinc autem rectè intulit D.Thom. Deum, qui non cauſat prædictam privationem, non cauſare ſpeciem peccati. Nam ſicut bene deduceretur non eſſe cauſam ſpeciei hominis eum, qui non eſt cauſa intellectivi, eo ipſo quòd intellectivum per ſe ſequatur ad ſpeciem hominis : ita ex eo quòd Deus non ſit cauſa deformitatis privativæ conſequentis ſpeciem actus mali, legitimè deducitur non eſſe cauſam talis ſpeciei : quod D. Thom. cit. loco intendit. Et utriuſque ratio eſt : quia qui dat formam, dat etiam conſequentia ad formam : & qui cauſat eſſentiam vel ſpeciem, debet cauſare proprietates, quæ ex illa conſequuntur : unde ſi has non cauſet, argumentum eſt, quòd nec cauſat ſpeciem.

Pro aliis teſtimoniis animadverſio prima.

53. Maioris negotij erit explicare reliqua teſtimonia allata in hoc quarto argumento, quæ de averſione & converſione loquuntur. Pro quo ſciendum eſt primò, duplicem eſſe averſionem à Deo : aliam privativam, quæ conſiſtit in receſſu, & ſeparatione, ſeu in carentia coniunctionis cum illo, ſoléque dici *averſio formalis* : aliam verò contrariam, quæ importat tendentiam poſitivam, offenſivam, & nocivam ſecundum affectum Deo, à quo avertit; ſeu adverſus, quem convertit : ob idque dici poteſt *averſio converſiva*. Etenim nomen hoc *averſio* aliquando deducitur ex verbo *averto*, quod propriè eſt ſeparare aliquid ab aliquo : aliquando ex præpoſitione *adverſus*, vel ex verbo *averſo*, prout eſt idem, quod tendere adverſus aliquem effectu nocivo, abominari illum, & odio proſequi. Qua ratione Exod. 23. num. 7. dicitur, *averſor impium*, id eſt, odio proſequor. Iob. 19. num. 19. *Abominati ſunt me quondam conſiliarij mei : & quem maximè diligebam, averſatus eſt me.* Et Ierem. 8. num. 5. *Averſus eſt populus iſte averſione contentioſa.* Vnde averſio à Deo iuxta primam ex iſtis acceptionibus formaliter ſignificat carentiam coniunctionis cum illo, & receſſum ac ſeparationem privativam ab eo. Iuxta ſecundam verò ſignificat tendentiam poſitivam adverſus illum, & quendam motum, ſeu affectum nocivum & deſtructivum ipſius eſſe Dei. Quare non immeritò Caietanus cit. quæſt. 20. ex 2. 2. appellat hanc averſionem *obiectivam* : quia per illam intenditur directè *non eſſe*, ſeu averſio & deſtructio *eſſe* obiecti, à quo talis averſio.

Exod 23. n.7. Iob. 19. n 19. Ierem.8.n.5.

Secunda.

Secundò nota, quòd averſio privativa alia eſt habitualis, conſiſtens *in averſo eſſe*, quæ eſt carentia illius formæ, per quam homo habitualiter, & in facto eſſe Deo coniungitur : & quia homo ſic coniungitur Deo per charitatem & gratiam, prædicta averſio in earum privatione conſiſtit. Alia eſt auerſio actualis, quæ conſiſtit quaſi in *averti* ſeu *in fieri* : & hæc eſt privatio illius rectitudinis actualis, quæ ipſi actui peccaminoſo debetur, iuxta ea, quæ in dubiis præcedentibus diximus : nam ſicut omnis actus humanus rectus per ſuam rectitudinem tendit mediatè vel immediatè poſitivè in Deum; ita per carentiam prædictæ rectitudinis recedit & fugit ab eo, & ab eius lege privativè. Similiter averſio converſiva ſeu contraria, alia eſt talis formaliter & expreſsè, qualis reperitur in odio Dei, quo quis expreſsè & formaliter tendit contra Deum, volendo illum non eſſe : & alia interpretativa ſive virtualis, quæ in omni peccato mortali reperitur. Quicunque enim mortaliter peccat, diligit plus appretiativè creaturam, quam creatorem : potiuſque eligeret ex vi talis peccati Deum non eſſe Deum, quàm peccatum relinquere; in quo virtualiter & interpretativè vult Deum non eſſe.

Tertia.

54. Tertiò obſerva, quòd tam averſio privativa, quàm contraria affert ſecum, vel ſupponit converſionem ad creaturam : ſupra quam converſionem fundatur, & in cuius virtute fit : eo quòd omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione : & omnis fuga, odium, & receſſus fit in virtute alicuius proſequutionis & amoris : niſi enim voluntas diligeret bonum aliquod commutabile à Deo prohibitum, non ſepararetur & averteretur à Deo, neque adverſus illum odio converteretur. Hæc autem converſio ad creaturam ſumi etiam poteſt vel omnino materialiter, ut præcisè eſt amor huius vel illius particularis boni ſecundum ſe ſumpti, terminatúrque ad illud ſolùm in eſſe phyſico : quæ proinde dici poteſt *converſio phyſica*. Vel poteſt ſumi formaliter, ut fundat auerſionem à Deo, éſtque tendentia in tale vel tale bonum ut lege Dei prohibitum : & ſic eſt converſio moralis contraria rationi, quia terminatur ad obiectum morale rationi diſſonum : imo quia prout ſic fundat, & cauſat auerſionem, poteſt dici *averſio cauſalis & fundamentalis*.

Quarta.

Ex quo fit (& eſt quartò obſeruandum) cum unoquoque peccato commiſſionis mortali quatuor hæc vel quinque reperiri : videlicet conuerſionem ad bonum commutabile ſumptum ſecundum ſe, quæ eſt converſio phyſica : converſionem ad idem bonum ut prohibitum, quæ eſt converſio moralis : averſionem à Deo contrariam ſive converſivam, quæ eſt poſitiva tendentia contra ipſum vel interpretativa, vel formalis : averſionem privativam actualem ſeu *in fieri*, quæ eſt carentia rectitudinis debitæ ipſi actui : & averſionem privativam habitualem ſive *in facto eſſe*, quæ eſt privatio gratiæ. Inter huiuſmodi autem converſiones & averſiones reſpectu peccatorum, quæ opponuntur virtutibus moralibus, communiter ſeruatur hic ordo. Converſio phyſica ad creaturam eſt prima, & veluti ſubiectum cæterarum : nam primum, quod in prædictis peccatis reperitur, eſt

proſe

Digitized by Google

proſequutio & amor alicujus boni creati ſumpti ſecundum ſe: & ex hoc amore reliquæ conuerſiones & auerſiones veluti originantur; non tamen iſta conuerſio ſecundum ſe ſumpta ſpectat formaliter ad rationem peccati; ſed habet ſe materialiter per modum fundamenti vel ſubiecti malitiæ: ſicut ordo entitatiuus & Phyſicus eſt fundamentum ordinis moralis. Deinde primum, quod ſupra hanc conuerſionem phyſicam fundatur, eſt conuerſio moralis, quæ eſt prima malitia, & prima forma peccati conſtitutiua. Ad hanc quaſi conſequitur auerſio à Deo contraria, quæ in peccatis, de quibus nunc loquimur, non eſt formalis; ſed interpretatiua: nec differt re ipſa à conuerſione morali ad creaturam; ſed eam veluti tranſcendit: nam ſecundum rem idem formaliter eſt auerti hoc modo à Deo, & conuerti ad obiectum creatum vt diſſonum, & prohibitum lege Dei, ac per hoc ipſi Deo contrarium: vt docet Diu. Thom. Quodl. 6. artic. 16. & in 2. diſt. 41. quæſt. 2. art. 1. ad 7. vbi ait, quòd conuerſio & auerſio ſunt vnum ſecundùm rem: ſed differunt ſecundùm diuerſos terminos. Succedit quarto auerſio priuatiua actualis, quæ recipitur in ipſo actu peccaminoſo, & fundatur ſupra conuerſionem: nam hæc cauſalis eſt vera, quia actus peccati importat tendentiam ad obiectum diſſonum, caret rectitudine ſibi debita, ſcilicet tendentia ad objectum conſonum, & conformitate ad legem; in qua carentia hæc auerſio conſiſtit. Vltima eſt auerſio priuatiua habitualis, quæ eſt terminus & complementum peccati: de qua ſtatim rurſus dicemus.

55. In peccatis vero, quæ opponuntur virtutibus theologicis, vt eſt odium Dei, infidelitas & deſperatio; quia ſunt immediatè contra Deum (& fortè in quibuſdam aliis) alius ordo ſeruatur. Nam primum, quod in eis reperitur, eſt auerſio à Deo conuerſiua ſeu contraria, quæ in huiuſmodi peccatis eſt formalis, & non ſolùm interpretatiua: habétque duplicem conſiderationem, moralem, & phyſicam: ſicut de conuerſione ad creaturam in aliis peccatis diximus: vt phyſica eſt, habet rationem ſubiecti & materiæ peccati; & vt moralis, rationem formæ, & eſt prima malitia peccati conſtitutiua. Deinde ſequitur auerſio priuatiua actualis: nam actus odij Dei v. gr. ex hoc quòd tendit contra Deum, habet quòd careat rectitudine ſibi debita. Vltima eſt auerſio priuatiua habitualis, quæ conſequitur ad omne peccatum mortale, éſtque veluti complementum & terminus omnium aliarum formalitatum, quæ in tali peccato reperiuntur; ſubjectatur verò non in actu peccaminoſo; ſed in anima, vel in voluntate. Et quia hujuſmodi auerſio conſiſtit in priuatione gratiæ, quæ eſt vita animæ; ipſa dicitur *eius mors*, & ab ea prædictum peccatum denominatur *mortale*. Vnde ſi huiuſmodi peccatum ſumatur reduplicatiuè, vt mortale eſt, formaliter dicit hanc auerſionem: quamvis ſæpe etiam dicatur *mortale* ex eo quod ad mortem animæ tendit, induciтque hanc mortem: ſicut in corporalibus dicimus *vulnus mortale* illud quod mortem corporis inducit.

Diximus *& fortè in quibuſdam aliis* propter peccata ſuperbiæ, & quædam ſimilia, in quibus propter affinitatem cum peccatis oppoſitis virtutibus theologicis ſatis probabile eſt reperiri auerſionem formalem contrariam, eámque primum locum tenere: imò videtur in illis omnino coincidere cum conuerſione formali: nam ſuperbus eodem motu, quo appetit inordinatam excellentiam, tendit etiam directè contra Deum, expreſséque illi aduerſatur, & ſe illi opponit, nolens habere illum ſuperiorem, cui ſe ſubmittat, quíque ſit regula & menſura propriæ excellentiæ. Et hac ratione ait D. Thom. cit. quæſt. 162. artic. 6. quòd *ex parte auerſionis ſuperbia habet maximam grauitatem: quia in aliis peccatis homo à Deo auertitur vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, ſiue propter deſiderium cuiuſcunque alterius boni: ſed ſuperbia habet auerſionem à Deo ex hoc ipſo, quòd non vult Deo, & eius regulæ ſubiici. Vnde Boetius dicit, quòd cum omnia vitia fugiant à Deo; ſola ſuperbia ſe Deo opponit. Propter quod etiam ſpecialiter dicitur Iacobi 4. quod Deus ſuperbis reſiſtit. Et ideo auerti à Deo & eius præceptis, quod eſt quaſi conſequens in aliis peccatis, per ſe ad ſuperbiam pertinet, cuius actus eſt Dei conceptus.* Hæc tamen auerſio ſeu tendentia contra Deum, vt diximus, non differt à conuerſione ad creaturam, ſcilicet ad propriam excellentiam: quia ipſum non habere Deum ſupra ſe, reputat ſuperbus vt partem ſuæ excellentiæ: & ita eodem omnino motu, quo Deum abiicit, in excellentiam tendit: & quo tendit in excellentiam, Deum à ſe repellit. D.Thom.

Si autem inquiras, an in peccatis, quæ ſunt immediatè contra Deum detur etiam conuerſio ad creaturam? ¶ Reſpondetur, in ipſo actu odij Dei verbi gratia non dari formalem conuerſionem: quia talis actus non eſt actus proſequutionis; ſed fugæ. Cæterùm antecedenter datur prædicta conuerſio nam quòd aliquis Deum odio proſequatur, oritur ex amore creaturæ: & etiam datur conſequenter, *in quantum anima deſerens Deum, conſequenter neceſſe eſt, quòd alia conuertatur*, vt ait D. Thom. 1. 2. quæſt. 20. cit. artic. 1.

56. Denique obſeruandum eſt (id quod in tract. de bonit. & malit. diſp. 6. dub. 4. latiùs explicuimus) in actibus humanis non ſemper dici *formale* illud, quod eſt eſſentiale; nec ſemper id, quod *materiale* dicitur, eſſe extra eſſentiam: imo ipſa forma eſſentialis & conſtitutiua dicitur aliquando *materialis* reſpectu alterius formæ accidentalis ſuperuenientis; & hæc reſpectu illius dicitur formalis. Hac ratione D. Thom. ſupra quæſt. 18. art. 6. ſpeciem bonitatis vel malitiæ, quam actus habet ex obiecto, quæ eſt ei eſſentialis, appellat *materialem*: eam verò, quam habet ex fine operantis, quæ abſolutè accidentalis eſt, dicit eſſe *formalem*. Et ſupra quæſt. 13. artic. 1. inquit, quòd *ſi aliquis actum fortitudinis exerceat propter Dei amorem: actus ille materialiter eſt fortitudinis; formaliter vero charitatis*: & tamen in iſto actu (vt cit. loco oſtendimus) bonitas ſpecifica & eſſentialis eſt bonitas fortitudinis; bonitas verò charitatis abſolutè eſt accidentalis. Cujus rationem ibidem tradidimus: quia nimirum ſpecies, quæ ex obiecto deſumitur, habet ſe ſicut ſubiectum & materia, quæ actuatur & formalizatur per eam, quæ ex fine ſuperuenit: & ideo illa, licèt eſſentialis, *Vltima animaduerſio.* D.Thom.

Digitized by Google

eſſentialis dicitur, *materialis* reſpectu iſtius quæ abſolutè eſt accidentalis. Cum igitur in peccato commiſſionis tàm malitia poſitiua quàm priuatiua concurrant; & poſitiua ſit veluti ſubjectum, & materia, cui aduenit priuatiua, poterit hæc dici *formalis* reſpectu illius: quamvis abſolutè loquendo, ſola poſitiua ſit eſſentialis & conſtitutiua peccati priuatiua verò abſolutè ſit extra eſſentiam. Imo quia in quolibet peccato mortali auerſio à Deo priuatiua ſuperuenit conuerſioni, eamque veluti formalizat & complet: auerſio eſt ſicut forma, & conuerſio ſicut materia: ob idque D. Thom. ſæpe ait, auerſionem in peccato habere ſe formaliter; converſionem vero materialiter.

Applicatur doctrina primo teſtimonio. Ex his habetur legitima intelligentia omnium teſtimoniorum, quæ in argumento quarto ſuperſunt. Nam 2. 2. quæſt. 20. art. 1. & 3. loquitur D. Thom. de auerſione contraria & conuerſiua: & hanc dicit eſſe principalem in peccatis, quæ opponuntur virtutibus theologicis: eo quòd hæc peccata directè conſiſtunt in tendentia poſitiua contra Deum: vt rectè ibi Caiet. & Bannez exponunt. ¶ Adde, hunc locum priori iure adductum fuiſſe num. 29. pro noſtra ſententia: ſiquidem quoad alia peccata, quæ opponuntur virtutibus moralibus, expreſsè in eo dicitur conſiſtere principaliter in conuerſione; ex conſequenti verò in auerſione: adeoque ſaltem in huiuſmodi peccatis negari non poteſt ex vi prædicti teſtimonij malitia poſitiua. Voluimus autem illum exponere, vt liqueat, ex nulla parte nobis officere.

D. Thom.

Obiectio. 57. Si verò contra expoſitionem objicias, quòd de illa auerſione loquitur in peccatis oppoſitis virtutibus theologicis; quæ in aliis habet ſe ex conſequenti: hæc autem eſt auerſio priuatiua, & non contraria: ergo &c. ¶ Reſpondetur primò, quòd etiam in aliis peccatis datur ex conſequenti auerſio contraria non formalis; ſed interpretatiua, vt num. 54. explicuimus: vnde admiſſo, D. Thomam loqui de eadem auerſione reſpectu omnium peccatorum, rectè exponitur de conuerſione contraria: quæ in peccatis oppoſitis virtutibus theologicis, quia eſt auerſio formalis, habet ſe principaliter tanquam eorum forma conſtitutiua: in aliis verò, quia ſolùm eſt auerſio virtualis & interpretatiua, proinde fundata in aliquo, quod ſit formaliter conuerſio, habet ſe ex conſequenti: ſicut omne, quod eſt tale dumtaxat virtualiter, eſt quaſi conſequens ad aliquid, quod eſt formale.

Diluitur.

Alia ſolutio. Secundò reſpondetur, quòd cum D. Thom. generaliter, inquit, in peccato mortali reperiri auerſionem a Deo; loquitur abſolutè, non determinando hanc vel illam auerſionem, priuatiuam, vel contrariam: & ſenſus eſt, quod in omni peccato mortali debet reperiri aliquo modo auerſio à Deo: ſiue talis auerſio ſit contraria, ſiue ſolùm priuatiua: ſiue priuatiua ſimul & contraria: & ſiue ſit formalis; ſiue ſolùm virtualis aut interpretatiua. Cum autem deſcendit ad determinata peccata, determinat ſpeciem auerſionis, quæ in illis inuenitur; & modum, quo ipſis conuenit. Vnde conſtituit diſcrimen inter peccata, quæ opponuntur virtutibus theologicis; & ea quæ opponuntur moralibus: nam in primis auerſio, quæ datur, eſt auerſio contraria, & habet ſe principaliter: eo quòd peccans directè & immediatè tendit in ſuo actu contra Deum, intendens per ſe ejus euerſionem & deſtructionem: in ſecundis verò auerſio, quæ reperitur formaliter, ſolùm eſt priuatiua, fundata in aliqua conuerſione: & ideo habet ſe ex conſequenti. Et ratio eſt: quia cum huiuſmodi peccata non ſint immediatè contra Deum, eorum eſſentia non poteſt eſſe aliqua tendentia aduerſus illum, in quo conſiſtit auerſio contraria; ſed eſt tendentia in bonum commutabile diſſonum rationi: & hanc tendentiam conſequitur receſſus & ſeparatio à Deo & ejus lege, quæ eſt auerſio priuatiua.

Secunda obiectio. Objicies ſecundò, quòd auerſio priuatiua debet reperiri in omni peccato mortali: cum omne hujuſmodi peccatum ſeparet à Deo: ergo etiam in peccatis, quæ opponuntur virtutibus theologicis, debet dari prædicta auerſio: non ergo in eis habebit locum auerſio contraria.

Eneruatur. ¶ Reſpondetur conceſſo antecedente, & prima conſequentia, negando ſecundam. Nam reuera in peccatis, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, vtraque auerſio reperitur; ſed contraria primò & principaliter: ita enim ſe habet in hujuſmodi peccatis prædicta auerſio, ſicut in aliis, quæ opponuntur virtutibus moralibus, habet ſe conuerſio ad creaturam. Auerſio autem priuatiua in omnibus ſe habet ſecundario, quaſi conſequens eſſentiam: quamvis aliquibus magis per ſe; aliquibus verò magis per accidens competat.

Pergit aliorum teſtimoniorum expoſitio. 58. Ad alia autem teſtimonia ex quæſt. 10. & 24. reſpondetur, D. Thomam loqui ibi de peccato mortali, vt mortale eſt: ſecundum quam rationem pro formali importat auerſionem à Deo, juxta illa, quæ in quarto notabili num. 55. diximus. Cum quo tamen ſtat, quòd ſecundum ſuam eſſentialem malitiam moralem conſiſtat in poſitiuo. Vel ſecundo reſpondetur ad hæc & ſimilia teſtimonia ex dictis nu. 54. in tertio notabili, quòd ipſamet poſitiua conuerſio inordinata ad bonum commutabile, quæ in peccato mortali reperitur, poteſt etiam dici *auerſio à Deo*, non *formaliter*; ſed *cauſaliter*, vel *fundamentaliter*, quia fundat, & inducit formalem auerſionem: ob idque dicitur ab aliquibus *conuerſio auerſiua*: & hac ratione de omni peccato mortali verum eſt, quòd conſiſtit in auerſione à Deo, etiam ſecundum ſuam poſitiuam & eſſentialem malitiam: quia talis malitia in nullo alio ſita eſt niſi in hac conuerſione auerſiua, vel auerſione fundamentali.

Ad locum ex quæſt. 118. dicendum eſt, in prioribus verbis ſermonem eſſe de peccato, non vt per ſe primò malum rationis, ſeu malum morale eſt; ſed vt habet rationem mali abſolutè: ob idque D. Thom. non vtrumque dixit, peccatum conſiſtere in priuatione boni; ſed addidit, *ex hoc ipſo quòd eſt malum*: vt innueret ſe loqui in ſenſu à nobis dicto: cum quo rectè cohæret, vt peccatum ſecundum aliam malitiam in eo priorem ſit poſitiuum. Imo hoc inſinuat Ang. Doctor toto illo art. 5. nam diſtinguit in peccato duas quodammodo grauitates ratione duplicis inordinationis, quæ in eo reperitur: aliam ex parte priuationis ſeu ex parte boni, quod per peccatum corrumpitur: & aliam ex parte conuerſionis & ex parte boni, cui inordinatè ſubjicitur appetitus:

titus: ex quibus ſaltem hæc poſterior non poteſt non eſſe poſitiua. Quod autem in verbis poſterioribus relatis in argumento ait, *priuationem & corruptionem boni habere ſe formaliter in peccato; conuerſionem verò ad bonum commutabile materialiter*, intelligendum eſt juxta dicta in vltimo notabili: vnde non eſt ſenſus, quòd priuatio eſt ratio primaria & conſtitutiua peccati; ſed quod eſt ratio vltima & completiua, quæ proinde veluti formalizat conuerſionem, & alias rationes in illo repertas: ob idque licèt ſit extra eſſentiam, poteſt dici *formalis*, & num. 56. explicuimus. ¶ Hæc eadem expoſitio adaptari poſſet teſtimonio ex quæſt. 162. vbi auerſio dicitur *formalis & completiua ratio peccati*, & conuerſio dicitur *materialis*. Sed quia in prædicto loco poſt hujuſmodi verba, quæ initio articuli de peccato indefinitè proferuntur, deſcenditur ad peccatum ſuperbiæ, eique doctrina applicatur: idcirco pro reliquo totius articuli vtendum eſt doctrina, quam tradidimus numer. 55. vbi peccata ſuperbiæ, & quædam ſimilia annumeranda eſſe diximus peccatis, quæ opponuntur virtutibus Theologicis.

Obiectio. 59. Sed objicies, quòd in illo teſtimonio quæſtionis 118. ex eo quòd priuatio & corruptio habent ſe formaliter in peccato; conuerſio verò materialiter, concludit D. Thom. magis eſſe judicandam grauitatem peccati ex parte boni, quod corrumpitur, quàm ex parte boni, cui ſubiicitur, & ad quod conuertitur appetitus. Quod etiam docet hac 1. 2. quæſt. 77. artic. 6. ad 1. at ſi conuerſio eſſet malitia conſtitutiua peccati; ex illa & ex objecto, ad quod appetitus conuertitur, potius quàm ex parte boni, quod corrumpitur, attendenda eſſet prædicta grauitas: quandoquidem ab eodem ſumitur prima grauitas alicujus peccati, à quo ſumitur ſpecies.

Solutio. Reſpondetur D. Thomam vtroque iſto loco ſolùm voluiſſe, malitiam poſitiuam, quæ ſita eſt in conuerſione ad aliquod bonum inordinatum, cui appetitus ſubjicitur, judicandam eſſe maiorem vel minorem, grauioremque aut minus grauem veluti à ſigno & ab effectu ex priuatione boni, quam inducit, ita vt (cæteris paribus) illa conuerſio ad bonum commutabile ſit peior, vel habeat plus de ratione malitiæ poſitiuæ, quæ ex ſe habet inducere priuationem maioris boni. Vel (quod in idem redit) voluit quod ad dignoſcendam grauitatem peccati, non tam attendi debet improportio boni appetiti ad appetitum ſumpti præciſe ſecundum ſe, quàm efficacia & vis, quæ eſt in prædicto bono appetito ad inducendam in actu peccati priuationem, auerſionémque à Deo, ſeu ab eius lege; ita vt (cæteris paribus) illa conuerſio ſit grauior malitia, quæ habet obiectum magis auerſiuum à Deo & eius lege, inducénſque proinde priuationem maioris boni oppoſiti, quicquid ſit de improportione, quam prædictum obiectum ſecundum ſe ſumptum dicit ad appetitum.

Declaratur. 60. Explicatur hoc animaduertendo, objectum alicujus peccati ex duobus capitibus habere, quòd ſit obiectiuè malum: ſcilicet ex improportione, quam ſecundum ſe ſæpe dicit ad appetitum: eo quod aut altius eſt, aut inferius, quàm decet appetentem; & ex oppoſitione ad legem, quæ tale objectum reddit illicitum. Neque hæc eſt duplex malitia objectiua adæquata; ſed vna dumtaxat, quæ in improportione obiecti ad appetitum quaſi inchoatur, & in oppoſitione ad legem prohibentem completur. Vnde obiectum prædictum licèt ſecundum primam conſiderationem intelligatur vt improportionatum appetitui, & malum initiatiuè; non tamen intelligitur vt oppoſitum legi prohibenti, nec proinde vt auerſiuum ab illa & à Deo legiſlatore, inductiuúmque in actu peccati priuationis rectitudinis & conformitatis cum lege. Ex quo fit, quòd in actu peccati, per quem appetitus conuertitur ad tale obiectum, duplex conuerſio, ſeu duplex ratio inadæquata eiuſdem conuerſionis diſtinguenda eſt: alia, qua tendit in prædictum objectum vt malum ſolùm initiatiuè, ſcilicet vt ſecundum ſe dicit improportionem reſpectu appetentis: & alia, qua tendit in ipſum vt malum completiuè, videlicet vt prohibitum per legem, auerſiuúmque ab ea: quæ duæ rationes quaſi integrant malitiam poſitiuam peccati, quæ ex duplici iſta conuerſione inadæquata coaleſcit: habéntque inter ſe talem ordinem, vt prima quaſi formalizetur, determinetur, & compleatur per ſecundam, ſicut materia per formam, vel ſicut vna ratio inadæquata magis materialis per aliam etiam inadæquatam formaliorem & vltimiorem.

Ad objectionem ergo, cum D. Thom. loc. cit. ait conuerſionem habere ſe in peccato materialiter; auerſionem verò formaliter, ac proinde ex hac potius quàm ex illa attendendam eſſe eius grauitatem, loquitur juxta modò dicta, & conuerſionem ſumit pro ſola tendentia ad obiectum diſſonum, vt ſecundum ſe dicit improportionem ad appetitum, proindéque vt obiectiuè malum initiatiuè: auerſionem verò pro tendentia ad idem obiectum vt oppoſitum legi, & ab ea auerſiuum. Nam cum hujuſmodi tendentia formaliter ſit tendentia auerſiua, potuit dici *auerſio*, & tenet ſe quodammodo ex parte auerſionis & priuationis. Ad illud ex quæſt. 77. dicemus infra in commentario illius articuli 6. *Applicatur doctrina.*

Vltimum huius argumenti teſtimonium ex quæſt. 86. tertiæ partis manifeſtè loquitur de peccato habituali, quod eſt terminus *a quo* iuſtificationis: de quo dicemus infra conſiſtere in priuatione gratiæ, quæ eſt auerſio à Deo *in facto eſſe*. Quòd ſi etiam de actuali intelligeretur, deberet exponi de eo, non vt malum morale eſt, ſed vt eſt mortale reduplicatiuè: quo pacto includit eandem gratiæ priuationem, juxta dicta num. 55. *Senſus vltimi teſtimonij.*

61. Ad vltimum argumentum fatemur, aliqua ex illis teſtimoniis, prout contra noſtram ſententiam expenduntur, fauere oppoſitæ, quæ ex ſimilibus teſtimoniis vendicat ſibi probabilitatem, quam num. 4. illi conceſſimus. Non tamen adeo ſunt expreſſa prædicta teſtimonia, quin valeant ſufficienter exponi, vt nobis non officiant. In primo ergo ex 1. p. nomine *mali* intelligit D. Thom. *malum abſolute*, & ideo reducit illud ad priuationem: nomine autem *boni adiuncti* intellexit ipſam poſitiuam tendentiam peccati conſtitutiuam: quæ quoniam entitatem & bonitatem tranſcendentalem includit, quamvis ſit inordinata, *Exponuntur duo priora teſtimonia vltimi argumenti.*

Digitized by Go

dinata, potuit cum proprietate & rigore appellari *bonum*, habita potius ratione ad id, quod imbibit, quam ad id, quod exprimit: & vt ea appellatione extraheretur à linea *mali abſolutè*, in quo nihil clauditur de ratione boni.

Secundum teſtimonium ex 3. contra gent. neque externa ſpecie nobis officit; ſed confirmat diſtinctionem duplicis mali, qua hucuſque vſi fuimus: diſtinguitur ſiquidem in eo quoddam malum, quod non eſt niſi malum, ſeu quod nihil habet boni: & hoc vocatur *malum ſecundum ſuam eſſentiam*; nos autem vocamus illud *malum abſolutè*: quoddam verò, quòd etiam ſi ſit malum, dicitur ſecundum ſe bonum, quia attento eo, quod in ſe claudit, bonum tranſcendentale eſt: dicitur autem *malum homini*, quia vt exprimit tendentiam ad objectum diſſonum, rectæ rationi & naturæ rationali repugnat: & hoc eſt malum poſitiuum, quod adſtruimus. Cùm verò additur, *in quantum priuat ordine rationis, quod eſt hominis bonum*, &c. loquutio eſt tranſitiua, & reddit ſenſum non formalem; ſed cauſalem; ac ſi diceret, ideo illud, quod tranſcendentaliter eſt bonum, eſſe malum homini, ſeu malum morale, quia habet cauſare & inducere priuationem boni oppoſiti: ita quòd non priuatio ipſa cauſata & inducta; ſed vis poſitiua cauſandi, & inducendi, ſeu fundandi illam ſit formalis & immediata ratio conſtitutiua prædicti mali.

Secundo reſpondetur, ſeu magis præcedens ſolutio explicatur animaduertendo, quòd juxta doctrinam Divi Thomæ *priuare* dicitur dupliciter: vel *formaliter*, & ſic dicitur de ipſa priuatione: vel *effectiuè* & ſic dicitur de actione poſitiua, quæ priuationem inducit. Malum ergo, de quo loquimur, priuat hominem bono rationis ſecundo modo: non verò primò: adeóque conſiſtere debet non in priuatione formali, quæ eſt carentia boni rationis; ſed in priuatione actiua, quæ eſt actio contraria rectitudini rationis, & eius priuationem inducens. Quæ eſt doctrina D. Thom. in 2. diſt. 35. artic. 1. vbi explicans qualiter culpa dicatur nocere, ſeu priuare bono rationis, ſic ait: *Ad tertium dicendum, quod nocere dicitur dupliciter, ſcilicet effectiuè, & formaliter: formaliter autem nocere dicitur ipſum nocumentum, ſicut ipſa ademptio boni, vel priuatio, ſicut albedo facit album, &c. Effectiuè autem dicitur nocere id, quod cauſat priuationem alicuius perfectionis in re: & hoc modo culpa nocet, quia per actum deordinatum aufertur aliqua perfectio: & hoc eſt, quod Magiſter dicit, quòd culpa eſt corruptio boni actiue*, &c.

D. Thom.

Explicantur duo poſteriora.

62. Ad tertium teſtimonium ex 2. diſt. 34. reſpondetur, ibi nomen *mali* ſumi pro malo abſolutè: quia cum hæc fuerit primæua ejus nominis acceptio, frequentiùs Diuo Thomæ, & aliis antiquis Doctoribus vſuuenit: & de hoc malo loquendo, verum eſt reduci ſemper ad priuationem. Cæterùm hoc non tollit quominus in ipſo actu, qui eſt ſubjectum huius mali, aliqua ratio repugnans ſe ipſa rectæ rationi, adeóque mala & diſſona in ordine morali: quæ ſane ratio, quia à ſuperueniente priuatione redditur etiam accidentaliter mala, vocatur à D. Thoma loco cit. *malum per accidens, & mali ſubiectum*, accepto, vt diximus, nomine *mali* non pro omni eo, ad quod cum proprietate extenditur; ſed pro *malo abſolutè* iuxta primæuam impoſitionem. ¶ Ex quo ad vltimum ex compendio Theologiæ dicendum eſt, etiam eo loco nomen *mali* reſtringi ad *malum abſolutè*: & ideo quicquid ibi *malum* ſonat, reducitur ad priuationem: malum verò poſitiuum ſubticetur; non tamen idcirco omnino negatur. Hoc autem ſufficit, vt hic locus non repugnet aliis, quæ aſſertionem noſtram fundant: iiſque ſtandum ſit, in quibus prædictum malum poſitiuum ſatis expreſsè adſtruitur.

Secundò reſpondetur ad hæc duo vltima teſtimonia, ideo totum malum reduci in eis ad priuationem, quia vel eſt priuatio, vel ex illa originatur, aut ad eam tendit. Pro quo nota, nomen mali primo dictum fuiſſe de eo, quod eſſentialiter eſt malum, ſeu quod nullam habet boni eſſentiam, ob idque dicitur *malum abſolutè*. Et hoc non poteſt eſſe niſi priuatio, cuius nullum eſt *eſſe*: omne enim, quod habet *eſſe*, ſicut habet omne poſitiuum, habet quoque ratione talis *eſſe* eſſentiam boni. Deinde prædictum nomen extenſum fuit ad alia, quæ ex ſe prædictam priuationem concernunt: quatenus vel eam inferunt alicui ſubjecto; vel ex ea inferuntur: & hæc ſunt, quæ dicimus mala *reſpectu alicuius*, quia ſolùm ſunt mala reſpectu ſubiecti, cui inferunt priuationem: aliàs autem ſunt tranſcendentaliter bona. Secundò nota, tendentiam actus peccaminoſi ad objectum diſſonum, in qua conſiſtit malitia poſitiua, ex duplici capite priuationem concernere: nempe ex parte ipſius obiecti, in quo vt ſit diſſonum, ſemper adeſt aliqua priuatio vel circunſtantiæ, vel finis, vel ordinis, &c. & ex parte ſubjecti, quia talis tendentia inducit in ipſo actu priuationem rectitudinis oppoſitæ. Hinc ergo conſtat potuiſſe D. Thomam reducere ad priuationem totum, quod in peccato eſt de ratione mali: non quia totum ſit priuatio; ſed quia nihil eſt de genere mali, quod vel ex priuatione ortum non habeat; vel priuationem non inferat: adeóque ex vtroque capite poteſt priuatio dici *ratio totius malitiæ*, & pro illa vſurpari, non vt ratio immediatè eam conſtituens; ſed vt terminus, vel radix, vnde conſurgit. Et hæc de mente Ang. Doctoris: pro re verò ſit.

* * *

DVBIVM

Digitized by Google

DVBIVM IV.

Vtrum abſolutè loquendo, detur in peccato commiſſionis malitia poſitiua?

DVbium hoc poſt deciſionem præcedentis non dubij circa reſolutionem; ſed ad vnum determinati excitamus: neque enim aliud poteſt eſſe, abſolutè loquendo, verum de re judicium, præſertim apud nos, niſi quod ſententia Ang. Doctoris firmauerit.

§. I.

Vera ſententia auctoritatibus & ratione fulcitur.

63. Dicendum eſt dari in peccato commiſſionis formalem malitiam poſitiuam. Hæc concluſio deducitur ex ſacra Scriptura, quæ ſæpe explicat peccatum, tam in communi quàm in particulari ſumptum per poſitiuum, vt nominibus *tranſgreſſionis, præuaricationis, abominationis, adulterij, fornicationis*, & ſimilibus, quæ frequentiſſima ſunt in tota Scriptura, & ſonant poſitiuum. Sæpe etiam vtitur nomine *conuerſionis ad obiectum diſſonum*: vt Iſaiæ 42. vbi de peccatoribus dicitur: *Conuerſi ſunt retrorſum.* Ierem. 8. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti, omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Ezech. 8. *Conuerſi ſunt ad irritandum me.* 1. ad Timoth 1. *Aberrantes conuerſi ſunt in vaniloquium.* Et Epiſt. 2. cap. 4. *Ad fabulas conuertentur.* Similia habentur ad Galat. 4. num. 9. 2. Petri cap. 2. num. 21. aliiſque in locis. Aliquando etiam ſignificatur peccatum nomine *tendentiæ contra Deum*: ſicut Iob. 15. num. 15. *Tendit aduerſus Deum manum ſuam*: & num. 16. *Cucurrit aduerſus eum erecto collo*, atque aliis ſimilibus nominibus vtitur ſæpe Scriptura, quæ propriè accepta ſignificant pro formali poſitiuum. Id etiam inſinuatur Ierem. 2. verbis illis: *Duo mala fecit populus meus*, &c. Per hæc enim duo mala quæ Propheta in peccato diſtinguit, ſatis conſonè intelliguntur duæ malitiæ morales, quas inueſtigamus: alia priuatiua, conſiſtens in auerſione ſeu derelictione Dei, de qua ibi dicitur: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*: & alia poſitiua, conſiſtens in tendentia & proſequutione boni commutabilis: de qua ſubditur: *Et foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*, &c. ¶ Modus etiam loquendi ſanctorum Patrum ſatis eſt pro malitia poſitiua: præſertim Baſilij homil. 2. Hexaem. vbi ait: *Quid igitur eſt dicendum? nempe malum non eſſentiam viuentem, animique præditam eſſe; ſed affectionem animæ virtuti contrariam.* Ambroſ. lib. de paradiſo nihil aliud dicit eſſe peccatum, niſi *diuinæ legis præuaricationem, & inobedientiam cæleſtium mandatorum.* Hieron. lib. 1. ſuper Amos: *Primum peccatum* (inquit) *eſt cogitare quæ mala ſunt: ſecundum cogitationibus acquieuiſſe*, &c. D. Bernardus in quodam ſermone ſic fatur: *Quare peccas? quia neſcis quid facias? abſit: ſed quia placet, vt ſic facias.* Quo dicendi modo ſatis inſinuant, peccatum, vt peccatum eſt formaliter, in actu conſiſtere, & eſſe aliquid poſitiuum. Clarius loquitur D. Auguſt. diffiniens peccatum, *dictum, factum, aut concupitum contra legem*: nam particula *contra legem*, quæ ponitur vt differentia conſtitutiua peccati, ſi in rigore ſumatur, non tam dicit priuationem, quàm oppoſitionem contrariam legi, & poſitiuam tendentiam ad obiectum per illam prohibitum. Idem ſentit Nicetas in ſcholiis D. Gregorij Nazianz. ad orat. 40. vbi malum morale dicit eſſe *affectionem animæ virtuti contrariam.* Ex Doctoribus verò ſcolaſticis tenent noſtram ſententiam Caietanus, Bannez, Ripa, Nazarius, Aluarez, Medina, Zumel, Cornejo, Martinez, Ioan. à S. Thoma, & alij Thomiſtæ, quos adduximus num. 45. Additque Zumel, fuiſſe ſemper communem inter Doctores hujus Salmantinæ Vniuerſitatis. Tenent etiam Gregorius in 2. diſt. 34. quæſt. 1. art. 5. ad 2. Ciſtercienſis eadem diſt. quæſt. 2. artic. 1. diuiſ. 3. Vaſq. in præſenti diſp. 95. & alij. Fauet etiam D. Bonauent. cit. diſt. 34. art. 1. quæſt. 2. quamvis diſt. 35. oppoſitam ſequi videatur. Fauet etiam Scotus quodlib. 18. art. 1. vbi in aliquibus peccatis concedit duas malitias: aliam priuatiuam, & aliam contrariam: qui tamen cit. diſt. 35. ſolet in oppoſitum adduci.

Iſai. 42. Ierem. 8. Ezech. 8. 1. ad Tim. 1. & 2. cap. 4. Galat. 4. 2. Pet. cap. 2. Iob. 15. Ierem. 2. Baſil. Ambroſ. Hieron. Bernard. Auguſt. Nicet. Caiet. Bann. Nazar. Alvar. Medina. Zumel. Corneio. Mart. Ioan. à S. Thom. Gregor. Ciſtercienſ. Vaſq. D. Bonau. Scot.

64. Probatur deinde ratione deſumpta ex D. Thoma. Actus peccaminoſus dicit tendentiam poſitiuam ad objectum lege prohibitum, & diſſonum rationi: ſed hujuſmodi tendentia eſt formaliter malitia moralis: ergo datur in prædicto actu malitia moralis poſitiua. Maior & conſequentia conſtant. Minor verò probatur. Tum quia omnis tendentia ſpecificatur à ſuo termino, ſumitque ſuam rationem ab eo, in quod tendit: atque adeo tendentia ad objectum diſſonum rationi, & lege prohibitum nequit non accipere ab illo ſpeciem diſconuenientiæ, & diſſonantiæ eidem rationi & legi: hæc eſt autem formalis malitia: ergo, &c. Tùm etiam quia prædicta tendentia eo ipſo quòd ſit ad objectum prohibitum diſſonat per ſe ipſam legi illud prohibenti; repugnátque naturæ rationali vt operanti per talem legem: quid ergo illi deeſt, quominus ſit formaliter malitia? Tùm denique, nam illa tendentia, eo ipſo quòd reſpiciat objectum vt prohibitum, reſpicit illud vt ſtans ſub regulis morum adeoque vt objectum morale: vnde ipſa quoque debet eſſe tendentia moralis: debet ergo formaliter contineri in aliqua moralitatis ſpecie, quæ ſunt bonitas & malitia: non in prima, vt eſt per ſe notum: ergo in ſecunda. *Prima ratio.*

Confirmatur & declaratur: nam actus, de quo loquimur, per id eſt formaliter peccaminoſus, & in ſpecie malitiæ moralis, per quod primò & immediatè opponitur regulis morum, nempe legi & præcepto negatiuo prohibenti talem actum: hoc autem habet ratione tendentiæ poſitiuæ, & non ratione priuationis: ſicut enim præcepto affirmatiuo iniungenti talem vel talem actum immediatè & per ſe opponitur priuatio ipſius actus; ita præcepto negatiuo prohibenti actum circa tale vel tale objectum, per ſe & immediatè opponitur ipſe actus, vt tendens in prædictum objectum,

Digitized by Google

objectum, quatenus prohibitum: & generaliter loquendo, ſicut quod immediatè opponitur affirmationi, eſt negatio, & non aliquid poſitiuum; ita quod negationi & prohibitioni immediatè contrariatur, debet eſſe affirmatio & tendentia poſitiua in id, quod prohibetur.

Ad hæc: præceptum negatiuum, v.g. non furandi, non prohibet directè & immediatè aliquam priuationem: ſicut nec directè & immediatè præcipit aliquem actum; ſed prohibet directè & immediatè actum voluntatis vt tendentem cir a rem alienam prohibitam: ergo hujuſmodi tendentia, & non aliqua priuatio eſt, quæ immediatè opponitur & repugnat tali præcepto: nihil autem aliud eſt malitia moralis, niſi hujuſmodi repugnantia & oppoſitio: ergo &c. ¶ Adde ſecundò, quòd actus voluntatis ratione illius tendentiæ etiam antecedenter ad priuationem eſt vituperabilis, & dignus pœna, puniretúrque à Deo tanquam violatio præuaricatio legis, quamvis nulla priuatio in illo ſequeretur: quis hoc neget? ſed dignitas pœnæ & vituperij conſequitur ad malitiam moralem: ergo, &c.

§. II.

Præcluduntur nonnullæ euaſiones.

Prima euaſio.

65. Huic argumento occurrunt aliqui ex adverſariis negando minorem: quia tendentia illa ad obiectum (inquiunt) ſolùm eſt malitia materialiter; efficitur autem formaliter mala per adiunctam priuationem. Ad probationem verò dicunt prædictam tendentiam non reſpicere obiectum formaliter vt diſſonum rationi, neque vt ſubditum regulis morum ſed ſolùm materialiter, quatenus eſt quoddam bonum delectabile, aliàs prohibitum. Et reddunt rationem: quia cum obiectum voluntatis ſit bonum, nullúſque reſpiciens ad malum operetur juxta doctrinam Dionyſij 4. cap. de diuin. nomin. nequit actus illius terminari ad objectum formaliter vt diſſonum, & vt prohibitum: ſicut non poteſt velle malum, in quantum malum.

Impugnatur primò.

Hæc tamen euaſio non eneruat noſtram rationem: poteſt enim primò impugnari. Quoniam prædicta tendentia, vt poſitiua eſt, oritur à voluntate tanquam ab agente morali, cum ab ea oriatur liberè & cum ſubjectione ad regulas morum: igitur debet terminari ad obiectum etiam ſub ratione morali: actus enim quicunque ſub eadem rationem reſpicit objectum, ſub qua oritur à principio actiuo: eò quòd agens, & objectum, ſeu finis mutuò ſibi correſpondent in ratione terminandi & reſpiciendi: & ita ſi actus voluntatis oritur ab illa ſub ratione morali; terminari etiam debet ad obiectum ſub eadem ratione. Debet ergo ex ea terminatione accipere ſpeciem moralem: non bonitatis, vt eſt per ſe notum: ergo malitiæ.

Deinde efficacius impugnatur prædicta euaſio, animaduertendo id, quod eſt ſatis notum: nempè quòd objectum actus mali non ſolum afficit illum, influitque in eum, vt objectum phyſicum eſt, dando illi ſpeciem phyſicam; ſed etiam vt objectum morale & diſſonum; conferendo ſpeciem malitiæ moralis: ſi namque objectum ſolùm vt phyſicum afficeret actum, & ſolùm phyſicum influxum in eum exerceret; nullam actus ab eo ſumeret malitiam, neque moralitatem contra id, quod tota moralis Philoſophia, & Theologia proclamat: quia moralitas deſumi nequit ex principio vel objecto præcisè vt phyſico, & vt influente dumtaxat in hoc genere. Quin etiam omnino eſſet materiale & per accidens reſpectu malitiæ actus, quòd objectum eſſet, vel non eſſet morale: malum, aut non malum: prohibitum, vel non prohibitum: ſi nihil iſtorum ſed ſola entitas, & bonitas phyſica in illum influeret. Quod cum ſit planè abſurdum, vt certum tenendum eſt prædictum objectum influere in actum, & afficere illum non modo ratione ſuæ bonitatis phyſicæ; ſed etiam ratione ejus quod habet malitiæ & diſſonantiæ ad rationem, ſeu inquantum objectum morale & diſſonum.

Impugnatur efficacius.

66. Ex hoc præſuppoſito impugnatur efficaciter prædicta euaſio. Quia objectum actus mali, niſi efficiat illum, & in fluat in eum, vt eſt objectum morale & diſſonum, non poteſt ei conferre malitiam, neque moralitatem: ſed objectum non aliter afficit prædictum actum, aut influit in illum, niſi terminando tendentiam ejus poſitiuam, & ratione hujus tendentiæ: ergo debet hæc tendentia terminari ad prædictum objectum vt morale & diſſonum, ſpecificaríque ab illo ſub hac ratione. Major conſtat ex dictis. Minor verò probatur. Tùm quia objectum, ſiue vt phyſicum; ſiue vt morale, non ſic afficit actum, aut in eum influit, quaſi objectum ipſum vel aliquid in eo exiſtens illum immediatè informet & denominet: ſed influit & aſſicit objectiuè nempe per per modum termini inſpecti & attacti ab ipſo actu: neque aliud eſt in objecto *afficere*, & *influere*, quam *inſpici*, & *tangi*, ſeu terminare reſpectum & tendentiam actus: quinimo ipſe reſpectus & attingentia eſt actualis influxus & cauſalitas objecti: ſi ergo objectum vt morale & diſſonum influit in prædictum actum, & afficit illum; totum hoc debet eſſe ratione attingentiæ ipſius actus, terminandóque ejus tendentiam & reſpectum. Tùm etiam quia nihil eſt ex parte actus, per quod immediatè comparetur ad objectum ſiue vt phyſicum, ſiue vt morale, aut medio quo recipiat ejus influxum, niſi prædicta tendentia: ergo non niſi media hac tendentia objectum, ſiue vt phyſicum, ſiue vt morale, afficit actum, & influit in illum.

Replica & eius deſtructio.

Dices objectum, vt eſt bonum phyſicum, afficere actum ratione tendentiæ; vt verò eſt objectum morale & diſſonum, afficere illum ratione priuationis rectitudinis, quàm in eo cauſat. ¶ Sed contra: quia priuatio iſta rectitudinis non comparatur ad objectum neque attingit illud, aut ab eius cauſalitate attingitur, niſi mediante tendentia actus, & ratione hujus tendentiæ: hac enim ſecluſa, nulla remanet via, per quam priuatio, ſiue vt effectus, ſiue alio quovis modo ad objectum comparetur, illius vt influxum recipiat: ergo ſi objectum, vt morale eſt, cauſat prædictam priuationem, communicatque ei moralitatem & malitiam, etiam vt morale eſt, debet perprius influere in prædictam tendentiam, eámque moralem & inordinatam reddere: ſiue

vt

vt ita dicamus, moralizare & inficere illam, priuſquam moralizet & inficiat priuationem: illud ſiquidem debet prius moralizari & infici ab obiecto, à quo ipſum obiectum, vt morale & diſſonum eſt, prius tangitur & reſpicitur.

67. Poteritque hoc magis explicari, ſi iterum animaduertatur, quòd priuatio rectitudinis exiſtens in actu malo non comparatur ad obiectum diſſonum directè & immediatè, quaſi ab eo ſpecificetur: priuatio enim ſolùm ſpecificatur à forma, qua priuat: conſtat verò eam, de qua loquimur, neque priuare prædicto obiecto, neque aliquo exiſtente in illo; ſed ſolùm rectitudine debita ineſſe actui: quæ rectitudo, vt dub. 2. explicuimus, eſt tendentia ad oppoſitum obiectum bonum. Ad hanc ergo rectitudinem comparatur prædicta priuatio immediatè & directè: ad obiectum verò diſſonum ſolùm comparatur indirectè & mediatè, quatenus ex eo quòd huiuſmodi obiectum terminet tendentiam actus ad ipſum, ſequitur quòd cauſet ex conſequenti priuationem tendentiæ ad oppoſitum. Vnde ſicut priuatio & receſſus à termino *à quo* in motu, non aliter comparatur ad terminum *ad quem*, niſi mediante acceſſu & tendentia eiuſdem motus ad ipſum terminum *ad quem*, nec terminus *ad quem* aliter influit in receſſum, vel priuationem termini *à quo*, niſi per acceſſum & tendentiam ipſius motus ad eundem terminum *ad quem*: nec denique fieri poteſt, vt prædictus receſſus vel priuatio aliquid in termino *ad quem* quouis modo attingat vel reſpiciat, niſi id ipſum prius reſpiciat & attingat acceſſus & tendentia: ita in actu malo fieri nequit, vt receſſus à bono obiecto, quod ſe habet vt terminus *a quo*, & priuatio tendentiæ in illud cauſetur ab obiecto diſſono, quod ſe habet vt terminus *ad quem*, aut ad ipſum quouis modo comparetur, vel eius moralem diſſonantiam attingat; niſi ratione tendentiæ & acceſſus in idem obiectum diſſonum; & niſi huiuſmodi tendentia prius attingat moralitatem & diſſonantiam talis obiecti. Atque adeo repugnat, quòd prædictum obiectum, quatenus morale & diſſonum, influat in priuationem, afficiatve illam quouis modo, niſi prius ſecundum eandem rationem moralis & diſſoni afficiat tendentiam, & in eam influat. Vel ergo dicendum eſt, obiectum vt morale & diſſonum nulla via influere in actum & in priuationem, nullamque proinde conferre illis malitiam; quod nemo admittet: vel eſt fatendum, prædictum influxum, & malitiæ communicationem exerceri media tendentia, quam diximus: adeoque huiuſmodi tendentiam terminari ad obiectum vt diſſonum & morale formaliſſime. Quo pacto igitur talis tendentia non erit formaliter moralitas & malitia, cuius terminus & ſpecificatiuum eſt obiectum formaliter vt morale & malum.

Ad id, quod afferebatur pro euaſione.

68. Neque obeſt, quod adducitur pro prædicta euaſione: videlicet quòd voluntas, cuius obiectum eſt bonum, nequit appetere malum vt tale, & conſequenter neque eius actus terminari ad obiectum diſſonum vt diſſonum. Hoc igitur non obeſt: quia vt conſtat ex doctrina, quam in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. à numero 4 . tradidimus, in actu voluntatis terminato ad obiectum diſſonum eſt duplex tendentia formaliter diſtincta. Alia, quam ibi appellauimus *de linea & de munere volendi:* quia eſt omnino propria talis actus, vt volitio eſt, reſpicitque obiectum vt volibile, & appetibile, & denominat illud *volitum*, & *appetitum*: & hæc eſt tendentia phyſica, quæ non differt ab entitate volitionis. Alia eſt tendentia per modum menſurationis paſſiuæ, ſeu per modum continentiæ ſub lege tanquam ſub regula & menſura; reſpicitque in obiecto prauo non rationem appetibilis; ſed ſubiectionem, quæ in eo eſt ad legem per modum difformis ipſi legi: ſicut obiectum bonum ſubeſt illi per modum conformis. Etenim priuſquam lex dictet de aliquo obiecto, ſolùm conſideramus in illo entitatem & bonitatem phyſicam, ob quam eſt appetibile: vbi primò verò lex illud præcipit, vel prohibet; intelligimus quaſi reſultare in eo quendam modum ſubiectionis ad ipſam legem ſicut ad regulam moralem, ſub qua & non aliter habet iam appeti prædictum obiectum: qui ſanè modus in obiecto præcepto eſt conformitas cum prædicta regula; in obiecto verò prohibito eſt difformitas & diſſonantia ab illa. Vtrobique autem ſuperuenit quodammodo entitati obiecti, extrahitque illud ab ordine phyſico, & conſtituit in ratione obiecti moralis: modus quidem conformitatis in ratione boni; modus verò difformitatis in ratione mali: habetque ſe prædictus modus in obiecto, non vt id, quod voluntas directè appetit; ſed vt modus ſubiectionis & menſurationis, ſub quo appetitur bonitas phyſica talis obiecti. Huic ergo duplici rationi repertæ in obiecto diſſono (de hoc præcipuè loquimur) alteri phyſicæ, quæ eſt bonitas appetibilis; alteri morali conſtituenti phyſicam ſub regula per modum difformis, correſpondet in actu voluntatis duplex tendentia & habitudo: alia phyſica indiſtincta ab entitate volitionis, adeoque de linea & munere volendi (præſtat aliquando non ita propriè loqui, & vti claui lignea, ſi ita quod volumus, aperire licet) quæ tendentia terminatur ad obiectum in eſſe phyſico, ſeu ſecundum id, quòd habet bonitatis & appetibilitatis. Alia eſt tendentia huic ſuperaddita, quæ terminatur ad illud vt morale, ſeu ſecundum illum modum ſubiectionis difformis ad regulam, quo conſtituitur malum obiectiuè: vnde ipſa eſt tendentia moralis: & habet ſe in actu tanquam modus menſurationis difformis, ratione cuius ipſe actus conſtituitur ſub regula morali per modum diſſonantis & repugnantis tali regulæ. Quæ omnia latiùs conſtant ex dictis loco cit. de bonit. & malit.

Ad rem ergo, cum dicitur obiectum voluntatis eſſe bonum, & ideo non tendere ad malum vt malum, nemineque reſpicientem ad malum operari; intelligendum eſt de prima illa tendentia ſub munere volendi & appetendi, quæ eſt tendentia phyſica omnino propria volitionis, vt volitio eſt: hæc enim tendentia ſicut non terminatur ad obiectum, niſi vt volibile & appetibile; ita non reſpicit illud, niſi vt bonum: quia vt malum, non eſt per ſe appetibile. Cæterùm alia tendentia, quæ non dicit munus volendi; ſed eſt de linea ſubiectionis & menſurationis, poteſt & debet per ſe terminari ad prædictum obiectum vt malum & diſſonum, ita vt ipſa diſſonantia

obiecti ad regulam, in qua conſiſtit malitia obiectiua, ſit formalis & primarius terminus prædictæ tendentiæ. Nam ſicut tendentia iſta in actu formaliter ſe habet, non vt volitio, neque vt eius extenſio ſub munere volendi, à qua obiectum denominetur *volitum*; ſed vt modus ſubiectionis & menſurationis difformis ad regulam: ita in obiecto per ſe & formaliter debet reſpicere non bonitatem phyſicam, à qua habet quòd ſit volibile; ſed ſubiectionem eius ad regulam per modum difformis, qua conſtituitur obiectiuè diſſonum & malum. Debet igitur prædicta tendentia ſpecificari ab hac diſſonantia & malitia morali obiectiua, eſſéque proinde diſſonantia & malitia moralis formaliter, & non tantùm materialiter.

Secunda euaſio. 69. Secundò occurrunt alij, actum peccaminoſum, etiam ſi terminetur ad obiectum vt morale & diſſonum, non accipere malitiam moralem poſitiuam; ſed tantùm priuatiuam: quia in ipſomet obiecto eſſe obiectiuè malum & diſſonum, ſolùm dicit priuationem conformitatis ad legem: & ita ſolùm poteſt cauſare in actu aliam ſimilem priuationem.

Præluditur. Sed hoc effugium facilè impugnatur: nam quicquid ſit in obiecto diſſonantia & malitia obiectiua, admiſſóque pro nunc eſſe ſolam priuationem (cuius oppoſitum oſtendimus de bonit. & malit. diſp. 1. dub. 6.) tendentia tamen ad obiectum ſecundum eam rationem, adeóque ſpecies moralis in ea tendentia conſiſtens non poteſt non eſſe poſitiua: ſicut tendentia actus intellectus ad illud, quod cognoſcit, ſemper eſt tendentia realis & poſitiua, quamuis obiectum cognitum, ad quod terminatur, ſæpè non ſit poſitiuum aut reale; ſed vel ens rationis, vel aliqua priuatio aut negatio. Et ratio eſt: quia, vt nuper dicebamus, actus per priuationem neque tendit ad obiectum, neque attingit aut reſpicit illud, neque aliquid in eo exiſtens, ſiue poſitiuum, ſiue priuatiuum; ſed quicquid horum attingatur vel reſpiciatur, debet eſſe media aliqua habitudine poſitiua: huiuſmodi enim voces *terminari, tendere, reſpicere, attingere*, & ſimiles ſemper exprimunt poſitiuum; priuatio verò potius dicit carentiam reſpectus, terminationis, & tendentiæ: ergo ſi actus malus reſpicit & attingit obiectum vt morale & diſſonum (quicquid in eo ſit hæc diſſonantia) debet illud attingere per reſpectum & tendentiam poſitiuam; non verò per priuationem: adeóque per prædictam tendentiam & reſpectum potiùs quàm per priuationem debet conſtitui in ratione actus diſſoni moralis.

Replica. Dices: quamuis actus per priuationem non attingat obiectum diſſonum poſitiuè; attingit tamen illud priuatiuè: & hoc ſufficit vt immediatè ſumat ab eo ſpeciem malitiæ priuatiuæ. ¶ Contra: nam hoc ipſum, quod eſt *Euertitur.* attingere obiectum, determinat aliquid poſitiuum, nempe reſpectum & tendentiam: ergo quouis modo actus attingat illud, ſi verè & realiter attingit, nequit hoc fieri per ſolam priuationem. ¶ Ad hæc: quòd actus priuatiuè attingat obiectum diſſonum, non eſt attingere illud realiter; ſed ſolùm eſt non attingere realiter oppoſitum: vt ſi diceremus lapidem moueri deorſum negatiuè, quando quieſcit, quia non mouetur ſurſum: & aërem ſecundum ſe negatiuè eſſe nigrum, quia non eſt albus. Vnde prædictus modus priuatiuè attingendi obiectum diſſonum ad ſummum deſeruiet, vt actus ab obiecto oppoſito non accipiat bonitatem; non verò vt ab ipſo obiecto diſſono recipiat malitiam. Si igitur prædictus actus verè & realiter attingere debet obiectum diſſonum, & per hanc attingentiam malitiam ex eo recipere; non debet attingere ſolùm priuatiuè; ſed poſitiuè per tendentiam veram & realem.

70. Fortè occurres tertiò, ex noſtra ratione & impugnationibus conuinci dandam eſſe *Tertia euaſio.* prædictam tendentiam poſitiuam ad obiectum diſſonum: non tamen quòd talis tendentia ſit formaliter malitia; ſed erit malitia cauſalis vel fundamentalis. Tum quia ex eo quod obiectum diſſonum non aliter quàm media prædicta tendentia afficiat actum, & cauſet in eo priuationem, ſolùm habetur ipſam tendentiam eſſe cauſam malitiæ formalis conſiſtentis in prædicta priuatione, ac proinde eſſe malam cauſaliter & fundamentaliter: quòd verò ſit formaliter ipſa malitia, oſtendendum ſupereſt. ¶ Tum etiam quia quod prædicta tendentia primariò attingit obiectum in obiecto, non eſt malitia obiectiua formaliter, ſeu malitia obiecti proxima, à qua ſumitur ſpecies malitiæ formalis; ſed eſt malitia obiectiua fundamentalis: vnde & ipſa tendentia inde ſpecificata, ſolùm euadet fundamentaliter mala. Quod verò ſola malitia obiectiua fundamentalis ſit primariò attracta, ex eo liquet, quia malitia formaliter obiectiua, ſeu malitia obiectiua proxima potius erit illa priuatio quam in obiectis diſſonis dub. præced. reperiri conceſſimus quàm aliquid poſitiuum: priuatio autem à nulla tendentia attingitur primariò. Et ſanè proportio inter actum & obiectum ſeruanda, exigere videtur, vt in ſuis malitiis ſibi correſpondeant: ac proinde quòd ſicut in obiecto proxima eſt priuatiua, & fundamentalis poſitiua, ita in actu.

Verùm neque iſta euaſio vllius momenti *Refellitur.* eſt: ſi enim tendentia, de qua loquimur, terminatur ad obiectum formaliter vt rationi diſſonum, nequit non ſpecies immediatè inde accepta, quæ eſt ipſa tendentia, eſſe formalis diſſonantia ad rationem, atque adeo formalis malitia. ¶ Deinde prædicta tendentia formaliter conſtituit actum ſub regulis morum, ſcilicet ſub lege, & ratione tanquam eis diſſonum; ſicut malitia obiectiua, ad quam terminatur, conſtituit obiectum ſub eiſdem regulis, tanquam aliquid eis repugnans: ergo eſt moralitas, & malitia formaliter. Patet: nam moralitas formalis, vt in tract. de bonit. & malit. diſput. cit. dub. 3. oſtendimus, nihil aliud dicit niſi prædictam ſubiectionem in actu, ſicut moralitas obiectiua dicit ſimilem ſubiectionem in obiecto: malitia autem formalis nihil eſt aliud niſi formalis moralitas per modum diſſonantiæ ad prædictas regulas. ¶ Ad hæc: eo ipſo quòd illa tendentia ſit ad obiectum formaliter vt diſſonum & prohibitum per legem, repugnat formaliter ipſi legi, éſtque irreferibilis in Deum finem & auctorem talis legis; & conſequenter etiam eſt incapax, vt ſecundum id, quod exprimit, ab ipſo Deo cauſetur: quid ergo illi deeſt, quominus ſit formaliter malitia? Aut quæ maior vel

Digitized by Google

vel formalior diſſonantia ad rationem & ad legem datur in priuatione rectitudinis (quam aduerſarij nobiſcum appellant formaliter malitiam) quàm in prædicta tendentia oſtenſum eſt reperiri?

Secunda autem pars eiuſdem euaſionis non minus efficaciter impugnatur. Tum quia falsò ſupponit, malitiam formaliter obiectiuam, ſeu malitiam obiecti proximam eſſe priuationem: quin potius eſſe modum poſitiuum indiſtinctum re ipſa ab entitate obiecti diſſoni, ſatis oſtendimus in tract. de bonit. & malit. diſp.1. dub.6. idque doctrina ſequentis §. efficaciter confirmabit, applicatis obiecto, & eius moralitati, ac malitiæ proximæ, quæ de moralitate & malitia formali actus dicuntur. Vnde quòd dub. præced. conceſſerimus obiectis diſſonis aliquam priuationem, non ita eſt accipiendum, quaſi talis priuatio ſit eorum malitia primaria; etiam proxima, ac proinde ſpecificatiua formalis malitiæ actus; ſed ſecundaria & conſequens ad ſpecificatiuam. Tum etiam quia non ex eo quòd malitia obiectiua formaliter, ſeu proxima eſſet priuatio, deberet non primario attingi per tendentiam, de qua loquimur: quia, vt dictum eſt num.68. malitia obiectiua, in quantum talis, non attingitur vt aliqua ratio per ſe volita; ſed vt modus diſconuenientiæ ad rationem, ſub quo & non aliter eſt volitum obiectum: hoc autem pacto non repugnaret priuationem eſſe primario attactam: ſicut non repugnaret eam eſſe diſſonantiam ad rationem, ſub cuius menſuratione obiectum eſſet volitum primariò. Quod verò communiter dicitur, priuationem non poſſe primariò attingi ab actu, intelligendum eſt de attingentia in ratione obiecti voliti; non autem in ratione modi, vel diſſonantiæ, ſub qua aliud volibile attingitur: vel (quod idem eſt) de attingentia, quæ fit immediatè per tendentiam actus phyſicam; non verò de illa, quæ fit per tendentiam eius moralem.

Sed age, & omittamus, an malitia formaliter obiectiua, ſeu malitia obiecti proxima, ſit poſitiuum, vel priuatio: & an tendentia actus attingat primario, vel ſecundario talem malitiam: adhuc euaſio manebit facilè præcluſa, ſi ſupponamus id, quod ab omnibus concedi debet, nempe malitiam formalem actus ſumendam eſſe à prædicta malitia obiecti vt afficiente ipſum actum, & vt ab eo attacta, eo modo quo poteſt afficere, & quo eſt attingibilis, ſiue hoc ſit primario, ſiue ſecundario. Quod & eſt per ſe notum, & probatum num 65. & 66. Hinc igitur ſequens habetur impugnatio. Actus non ſumit malitiam formalem ſecundum aliquam ſui rationem ab obiecto, niſi in quantum talis ratio afficitur à malitia proxima ipſius obiecti; neque ab hac malitia afficitur, niſi in quantum eam attingit eo modo, quo eſt attingibilis, adeóque ſiue primariò, ſiue ſecundariò: ergo illi rationi ex iis, quæ ex parte actus ſe tenent, debet prius communicari ab obiecto prædicta formalis malitia, ibique prius ſplendere, per quam fit prius & immediatiùs prædicta attingentia, & affectio: hæc autem non fit per priuationem; ſed per tendentiam poſitiuam: igitur in hac priuſquam in illa debet ſplendere ratio malitiæ formalis. Antecedens & prima conſequentia ex ſe ſunt ſatis nota & notiora ex dictis in hoc eodem §. à num.65. Minor verò ex num 66. & 67. etiam conſtat. Nam priuatio in actu reperta nulla alia via comparatur ad malitiam obiecti, neque attingit illam, aut ab ea afficitur, niſi media tendentia poſitiua, & in quantum conſequitur ad talem tendentiam: vnde hac ſecluſa, aut non intellecta, nulla poterit prima intelligi, per quam influxus & cauſalitas malitiæ obiecti perueniat ad priuationem, vel ad aliquid repertum in actu. Prius igitur quàm huiuſmodi influxus & cauſalitas in ordine ad quemcumque effectum afficiat priuationem, debet afficere prædictam tendentiam, ac proinde communicare immediatè huic eandem formalem malitiam, quæ ad illam ex conſequenti deriuatur.

Ad hæc: ille modus attingendi malitiam obiectiuam ratione tendentiæ poſitiuæ, quem habet priuatio reperta in actu, ſufficit vt communicetur ei ab obiecto ſpecies malitiæ formalis: ergo à fortiori ſufficiet, vt talis ſpecies communicetur ipſi tendentiæ: *propter quod enim vnumquodque tale*, &c. Præſertim cum priuatio neque primario, neque ſecundario adhuc mediatè, & per aliud aliquid attingat ex malitia obiecti, niſi quod tendentia ſe ipſa immediatè, primariò, vel ſecundariò attingit.

Unde cum in obiectione dicitur, tendentiam non attingere primariò; ſed tantum ſecundariò malitiam obiectiuam proximam; nihil contra nos: quia ſi ita eſt, neque etiam priuatio, adhuc mediante tendentia, attinget aliter quàm ſecundario talem malitiam: & tamen hic modus attingendi ſufficit communicare ei malitiam formalem: ergo à fortiori ſufficiet, vt communicetur tendentiæ attingenti ſe ipſa prius & immediatiùs prædictam malitiam obiectiuam. Quicquid igitur aduerſarij conceſſerint tranſire de malitia proxima obiecti in priuationem actus, quo hæc reddatur mala formaliter, tenentur fateri aduenire immediatius tendentiæ, & hanc per prius conſtituere in ratione malitiæ formalis.

Jam verò ſi aduerſarij contenderint tendentiam de qua loquimur, terminari primariò ad malitiam obiectiuam radicalem, ad proximam verò non niſi ſecundariò; & hoc eis gratis admiſerimus, non ideo conuincent, prædictam tendentiam non eſſe ipſam formalem malitiam ex termino illo ſecundario acceptam; ſed ad ſummum ſuadebunt, quòd talis malitia habeat ſe in illa tendentia quaſi ſpecies ſecundaria; primaria verò ſit malitia fundamentalis. Nam tendentia, quæ formaliter attingit duos terminos, quamuis vnum primariò, & alium ſecundariò, nequit non affici formaliter in ſe ipſa omnibus illis rationibus & formalitatibus, quæ ex vtroque termino deſumuntur: præſertim cum in tali tendentia nulla eſt incapacitas, vt omnibus prædictis rationibus ſic formaliter afficiatur; ſicut oſtendi nequit in ea, de qua loquimur. Nec tunc cenſendum erit inconueniens, quòd malitia formalis, & malitia fundamentalis in eadem tendentia concurrant cum ſola diſtinctione virtuali: ſicut in multis aliis ratio formalis, & eius fundamentum coincidunt in eadem realitate cum ſola prædicta diſtinctione.

Vel ſi hoc ſit inconueniens, prædictæque malitiæ poſtulent diſtingui ex natura rei; hoc ipſum conuincet non eſſe admittendum aduerſariis, quod nuper gratis admiſimus: quin potius ex ipſo inconueniente cogendi ſunt fateri, obiectum diſſonum exigere in actu terminato ad illud duas tendentias ex natura rei diſtinctas: quarum prima ſit ipſa entitas, ſeu tendentia phyſica actus reſpiciens primariò bonitatem phyſicam objecti, quæ aliàs eſt malitiæ obiectiuæ fundamentum, & ſecundariò ipſammet bonitatem, quatenus habet eſſe in actu primo fundamentum talis malitiæ. Secunda verò ſit tendentia moralis reſpiciens primariò malitiam obiectiuam proximam, vt fundamentali adnexam; vel ipſam fundamentalem vt indutam & affectam proxima. Quouis enim modo hoc fiat, ſpecies illius tendentiæ, quæ ſuperadditur entitati phyſicæ, erit moralitas & malitia formalis: vtpote in cuius termino habet ſe de formali malitia formaliter obiectiua, ſeu malitia obiecti proxima: dicetur autem *malitia fundamentalis* in actu ipſa tendentia phyſica, propter illum ſecundarium reſpectum ad bonitatem obiecti, vt habet eſſe in actu primo malitiæ obiectiuæ fundamentum.

Illud autem, quod in euaſione tangitur de proportione inter actum & obiectum ſeruanda, iuxta noſtram ſententiam non indiget ſolutione: nam iuxta eam vtriuſque malitia primaria nedum radicalis,ſed etiam formalis, & proxima, eſt ratio poſitiua: priuatio verò in vtroque reperta pertinet ad malitiam ſecundariam. Admiſſo verò malitiam primariam obiecti eſſe priuatiuam non eſt vnde probetur ſeruandam eſſe illam proportionem; imò oppoſitum ex modò dictis manifeſtè conuincitur: cùm & ſit perſpicuum illam rationem ex parte actus debere eſſe malitiam formalem primariam, quæ prius attingit in obiecto talem priuationem; & etiam à nobis oſtenſum ſit, huiuſmodi attingentiam per prius & immediatius fieri per tendentiam poſitiuam actus, quàm per eius priuationem. Vnde quicquid ſit in obiecto malitia proxima; prima tamen ratio ex parte actus ab hac malitia ſpecificata, adeoque prima eius malitia formalis debet eſſe prædicta tendentia.

§. III.

Secunda ratio pro vera ſententia.

71. SEcunda ratio pro noſtra aſſertione ſic formatur. Moralitas, quæ eſt prædicatum ſuperius ad bonitatem & malitiam, & in eas diuiditur, eſt forma poſitiua: ergo differentiæ bonitatis & malitiæ, per quas contrahitur, adeoque ipſæ bonitas & malitia morales, in quas diuiditur, debent eſſe poſitiuæ. Conſequentia eſt perſpicua: quia prædicatum poſitiuum non poteſt contrahi niſi per poſitiuum, & ad poſitiuum: ſicut nec poteſt de alio quam de poſitiuo prædicari. Antecedens verò probatur: nam prædicta moralitas in communi præcisè eſt quidam ordo, quem actus liber dicit ad obiectum vt morale, ſeu vt ſubiectum regulis morum, præſcindendo à conformitate vel difformitate cum prædictis regulis: & ita eo ipſo quòd talem ordinem concipiamus, nullo alio intellecto, intelligimus actum vt moralem: & eo ipſo quòd actus concipiendus ſit ſolùm vt moralis in communi, abſtrahendo à differentiis boni & mali, non poſſumus amplius aliquid quàm prædictum ordinem concipere: ſed ordo ad obiectum dicit formam poſitiuam, & non priuationem: ergo etiam moralitas in communi.

Confirmatur: nam cum concipimus actum humanum præcisè vt moralem, abſtrahendo à differentiis bonitatis & malitiæ, in quo concipimus gradum communem moralitatis; vel concipimus aliquid poſitiuum; vel aliquid priuatiuum: determinatè enim debemus concipere vnum ex his, ſicut determinatè debemus còncipere *ens, vel non ens:* ſed non concipimus priuatiuum: ergo poſitiuum: eſt igitur prædictus gradus forma poſitiua. Minor, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, ſuadetur: quia ſi tunc conciperemus priuationem, talis actus conciperetur determinatè vt malus priuatiuè, & non ſecundum communem rationem actus moralis: ſiquidem conciperetur vt priuatus & carens forma ſibi debita: in quo conſiſtit formaliſſimè ratio huius mali. Vnde apertè contradictionem inuoluit, quòd concipiamus actum moralem in communi, abſtrahentem à bono & malo, proindéque indifferentem ad vtrumque; & quòd in hoc concipiamus aliquam priuationem.

Dices primò cum aliquibus, moralitatem, prout eſt gradus communis ad bonitatem & malitiam, nec dicere determinatè poſitiuum, nec determinatè priuationem; ſed vel aliquid abſtrahens, quod proinde poteſt contrahi per vtrumque: vel dicit vtrumque ſimul: ſicut conceptus analogus proportionalitatis immediatè dicit ipſa inferiora analogata, à quibus abſtrahit. Vnde licèt moralitas, qua ratione dicit poſitiuum, non poſſit contrahi niſi per poſitiuum; vt tamen includit priuationem,vel ab ea & à poſitiuo abſtrahit, poteſt contrahi per priuatiuum. *Aliquorum effugium.*

72. Sed hoc facilè refellitur: quia ratio noſtra rectè expenſa non tantum probat, prædicatum ſuperius ad bonitatem & malitiam actus humani non poſſe eſſe determinatè priuatiuum; ſed probat debere eſſe determinatè poſitiuum, & non abſtrahens, neque includens vtrumque: hoc verò ſic oſtenditur. Nam cum à duobus actibus, altero bono & altero malo, abſtrahimus communem rationem actus humani, concipimuſque ibi hoc ſolùm, quòd tendunt ad obiectum, pro vt cadit ſub regulis morum, præſcindendo ab eo, quòd ſit conſonum, vel diſſonum: in quo vterque actus conuenit: verè concipimus actus illos morales in communi: ſiquidem concipimus eos non modo vt liberos; ſed vt ſub regulis morum conſtitutos, terminatoſque ad obiectum vt morale: at quod in prædictis actibus ita acceptis abſtrahimus & concipimus, non eſt indifferens ad poſitiuum & priuatiuum, neque ex vtroque coaleſcens; ſed determinatè poſitiuum: eſt enim ordo & tendentia ad obiectum per modum ſubiectionis ad regulas morum: in quo determinatè exprimitur poſitiuum: ergo, &c. *Impugnatur.*

Confirmatur: nam illud, quod re ipſa eſt priuatio, ſecundum quemcumque gradum conſideretur,

Digitized by Google

conſideretur , non poteſt tribuere actui humano gradum communem actus moralis : ergo talis gradus , vbicumque ſit , ſiue in actu bono , ſiue in malo , debet prouenire à forma poſitiua : atque adeo moralitas , quæ eſt prædicatum ſuperius ad bonitatem & malitiam , tribuitque talem gradum , determinatè erit forma poſitiua. Vtraque conſequentia eſt perſpicua. Antecedens verò probatur & explicatur animaduertendo , quòd ſicut in actu malo , quatenus eſt in genere moris , diſtinguimus duplicem gradum : alium actus moralis, vt ſic , in quo conuenit cum actu bono : & alium actus moralis vt mali & peccaminoſi , per quem ab actu bono diſtinguitur : per prius quæ concipimus talem actum vt moralem , quàm concipiamus illum vt malum : ita in moralitate ſeu malitia conſtituente ipſum debet duplex ſimilis gradus diſtingui : alius formæ moralis vt ſic , in quo conuenit cum bonitate : & alius formæ moralis vt malæ , per quem à bonitate differt : ex quibus ille vtpote communis debet eſſe prior ; hic verò tanquam particularis debet eſſe poſterior. Hoc prænotato probatur illud antecedens : quia in ratione , quæ re ipſa eſt priuatio , non datur duplex iſte gradus ; nec prius eſt in illa quòd ſit moralis , quàm quòd ſit mala : ſed ſicut primum , quòd in ea concipitur , eſt quòd ſit priuatio & carentia formæ debitæ ; ſic primus eius conceptus eſt conceptus malitiæ ; quòd autem talis priuatio ſit moralis , ſicut & quòd forma, qua priuat , ſit debita moraliter , omnino eſt quid poſterius , vt intuenti patebit : ergo nequit per eam actus humanus conſtitui in ratione moralis.

Diluitur leuis obiectio.

73. Sed objicies : peccatum omiſſionis habet primò quòd ſit morale , & deinde quòd ſit malum , & vtrumque accipit à priuatione , in qua conſiſtit : ergo poteſt priuatio tribuere vtrumque iſtum gradum ordine quo diximus. ¶ Reſpondetur, nomine *peccati omiſſionis* poſſe intelligi vel actum , qui eſt cauſa omittendi ; vel ipſam omiſſionem : ſi loquamur de actu , maior eſt vera , & minor falſa : quia prædictus actus habet ſuam malitiam poſitiuam , vt dicemus infra ; ab eaque & non à priuatione : accipit gradum moralis & gradum peccaminoſi ordine prædicto. Si verò loquamur de ipſa omiſſione , maior eſt falſa : quia omiſſio prius eſt mala , quàm moralis : ſicut prius in ea concipimus , quòd eſt carentia formæ debitæ ; quàm intelligamus , illam formam eſſe debitam debito morali : vt de alia malitia priuatiua dicebamus.

Alia impugnatio.

Deinde impugnatur prædicta euaſio quoad vtramque partem : quia repugnat gradus communis , ſiue vniuocus , ſiue analogus , qui non ſit aliquo modo abſtractus & præciſus à ſuis inferioribus , ſaltem penes noſtrum modum concipiendi , & penes implicitum & explicitum : ſicut repugnat dari talem gradum , qui non ſit aliquo modo vnus ; alioqui inferiora nullo modo in eo conuenirent , nec proinde eſſet communis. Rurſus repugnat conceptus communis aliquo modo vnus , quantumcumque abſtractus & præciſus , qui non determinatè exprimat vel poſitiuum , vel priuatiuum, ſiue negatiuum : nam ſicut inter *ens* & *non ens* nullum cadit medium neque in ordine ad *concipi* neque in ordine ad *eſſe* ; ſed quicquid intellectus concipit , debet expreſsè concipere per modum entis , vel per modum non entis : ita inter poſitiuum & priuationem vel negationem non eſt imaginabilis conceptus medius , qui non exprimat determinatè vnum vel alterum. Cum ergo gradus moralitatis communis actui bono & malo non exprimat determinatè priuatiuum , vt oſtenſum eſt ; debet determinatè exprimere poſitiuum : & ſic quælibet eius differentia vel ſpecies debet eſſe determinatè poſitiua. ¶ Ad obiectionem verò, quæ ſtatim ſe offert de malitia priuatiua , quæ verè eſt malitia moralis , adeoque collocanda videtur ſub communi moralitatis gradu , conſtabit num. 95. & 96.

Effugium aliorum.

74. Dices ſecundò cum aliis , differentiam diuiſiuam moralitatis, & ſpeciem per ſe ſub ea contentam , non eſſe malitiam formalem ; ſed malitiam fundamentalem , quæ eſt ipſa entitas phyſica humani actus , vt fundat priuationem, & malitiam formalem.

Præcluditur.

Sed neque hoc effugium aliquid præſtat : quoniam moralitas, quæ per ſe diuiditur in bonitatem & malitiam , non eſt moralitas ſolùm fundamentalis ; ſed eſt moralitas formalis (de hac enim ratio à nobis facta conuincit) ergo debet diuidi in ſpecies , quarum quælibet formaliter , & non ſolùm fundamentaliter ſit in genere moris : hoc enim eſt de ratione cuiuſcumque generis , ſcilicet quòd debet formaliter prædicari de ſuis ſpeciebus , debentque eius ſpecies formaliter eſſe in tali genere : ſicut ſpecies coloris formaliter ſunt in genere coloris, & ſpecies animalis formaliter ſunt in genere animalis, & ſic de aliis : atqui non malitia fundamentalis ; ſed ſolùm malitia formalis eſt formaliter in genere moris : ergo hæc , & non illa eſt differentia diuiſiua moralitatis , ſeu ſpecies ſub illa contenta. Minor ſuadetur. Tum quia malitia fundamentalis formaliter tantùm eſt in genere phyſico , neque aliud dicit niſi entitatem phyſicam actus mali , quatenus fundat moralitatem & malitiam formalem : ſicut etiam bonitas fundamentalis non dicit aliquid pertinens formaliter ad genus moris , ſed entitatem phyſicam actus boni , vt fundat moralitatem & bonitatem formalem : ergo non eſt formaliter in genere moris. Tum etiam quia malitia fundamentalis præſupponitur non ſolùm ad malitiam formalem ; ſed etiam ad moralitatem formalem : prius enim quam intelligamus actum odij Dei verb. gr. vt formaliter moralem , intelligimus illum vt fundamentaliter malum ratione entitatis phyſicæ , quæ de ſe , vt hic & nunc à voluntate creata liberè exercetur , eſt determinata ad fundandam malitiam : ſi autem malitia fundamentalis eſſet ſpecies moralitatis , nequaquam ad illam præſupponeretur ; ſed potius è conuerſo : nam genus præſupponitur ad ſpeciem, & non è contra : ergo, &c.

Confirmatur : bonitas , quæ eſt ſpecies moralitatis , eſt bonitas formalis , & non fundamentalis : idem ergo à paritate rationis dicendum erit de malitia. Eò vel maximè quia omne genus diuiditur per differentias formaliter oppoſitas : & conſtat quòd bonitati formali non eſt formaliter oppoſita malitia fundamentalis ; ſed malitia formalis.

Tertium effugium.

75. Tertiò reſpondent alij diuiſionem humani actus in bonum & malum non eſſe diui-

Digitized by Google

ſionem eſſentialem generis in ſpecies , aut analogi in analogata ; ſed accidentalem , hoc eſt, ſubiecti in accidentia. Vnde licèt diuiſum,nempe actus humanus , ſit determinatè poſitiuum, poteſt aliquod membrum diuidens eſſe priuatiuum. Quemadmodum ſi animal diuideretur per *videns* & *cæcum*, eſſet bona diuiſio accidentalis, quamuis animal ſit poſitiuum , & cæcum priuatiuum.

Multiplex impugnatio.

Verùm neque hac via eneruabitur noſtra ratio : nam etſi reſpectu actus humani, vt præcisè actus phyſicus eſt,diuiſio per bonum & malum ſit accidentalis , vt in tract. de bonit. & malit. diſput.6. dub.2. oſtendimus ; attamen reſpectu illius, vt moralis eſt reduplicatiuè , ſeu reſpectu moralitatis proculdubio eſt diuiſio per ſe & eſſentialis , vel generis in ſpecies , vel analogi in analogata. Tum quia i d docet expreſsè D.Tho. ſupra quæſt.18.artic.5. in corp. vbi ex eo quòd differentiæ *boni* & *mali moralis* deſumptæ ex obiecto,per ſe ſe habent ad rationem,probat eſſe differentias actus moralis eſſentiales & ſpecificas, & concludit : *Vnde manifeſtum eſt,quòd bonum & malum diuerſificant ſpeciem in actibus moralibus : differentiæ enim per ſe & ſpecificæ diuerſificant ſpeciem.* Et in ſolut. ad 1. *Bonum, in quantum eſt ſecundum rationem ; & malum , in quantum eſt præter rationem, diuerſificant ſpeciem moris.* Conſtat autem , quòd differentiæ , quæ diuerſificant ſpeciem , ſunt differentiæ eſſentiales : & quòd diuiſio, quæ datur per eas,eſt etiam diuiſio eſſentialis. Tum etiam gradus communis entis moralis, ſicut & quicumque alius gradus communis diuiſibilis eſt aliqua diuiſione eſſentiali ; aliàs prædictus gradus non eſſet communis : ergo debent illi aſſignari aliquæ differentiæ eſſentiales, per quas diuiſione eſſentiali, vel generis in ſpecies , vel analogi in analogata diuiditur. Sed huiuſmodi differentiæ nullæ aliæ eſſe poſſunt præter *bonum & malum morale :* ergo,&c. Tum denique quia ab his duabus differentiis , vel earum conſtitutis abſtrahibilis eſt aliqua ratio communis,in qua conueniant,quæque per eas eſſentialiter diuidatur : huiuſmodi verò ratio communis non poteſt eſſe alia niſi ratio entis moralis, vt intuenti patebit : ergo.

D.Thom.

Confirmatur : illa diuiſio eſt eſſentialis , quæ datur per differentias per ſe & intraneas , ac eiuſdem generis cum diuiſo : ſed talis eſt diuiſio actus moralis per bonum & malum , & diuiſio moralitatis per bonitatem & malitiam : ergo, &c. Maior conſtat. Minor verò probatur : quia ratio *boni & mali moralis* non eſt intra genus phyſicum, neque per ſe ad illud pertinet : ergo pertinet ad genus entis moralis , & continetur intra illud : quandoquidem extra genus phyſicum nullum aliud eſt, ad quod per ſe pertineat, & in quo contineatur, niſi genus entis moralis. Deinde ratio moralitatis , quæ conſiſtit in ſubjectione ad regulas moris , per ſe ſe habet ad hoc, quòd talis ſubjectio ſit per modum conformitatis, in quo ratio boni conſiſtit ; vel per modum difformitatis , in quo conſiſtit ratio mali : ergo duæ iſtæ differentiæ per ſe comparantur ad prædictum genus moralitatis , atque adeo diuidunt illud diuiſione per ſe & eſſentiali.

§. IV.

Duo poſteriora eiuſdem veræ ſententiæ fundamenta.

76. Tertia ratio deſumitur ex Philoſopho, eáque ſæpè vtitur D.Thom. & eſt huiuſmodi. Actus bonus & actus malus opponuntur inter ſe contrariè : ergo vterque pro formali dicit aliquid poſitiuum : cúmque actus malus pro formali dicat malitiam moralem , erit huiuſmodi malitia forma poſitiua. Hæc ſecunda conſequentia manifeſta eſt ex priori : & prior ex antecedente deducitur : nam oppoſitio contraria requirit vtrumque extremum poſitiuum : in quo differt à priuatiua & contradictoria , quæ verſantur inter poſitiuum & priuationem vel negationem. Antecedens verò aſſeritur ab Ariſtot. 2. Ethicor. cap.7. & 8. & lib.7. cap. 8. in prædicam. cap. de qualit. & in poſtprædicam. cap. de oppoſit. vbi loquens de propria contrarietate, prout diſtincta à tribus aliis oppoſitionum generibus , claudit ſub illa *bonum* & *malum* , *ſtudioſum* & *vitioſum* , *iuſtitiam* & *iniuſtitiam* ; ſicut *album* & *nigrum* , *dulce* & *amarum*, &c. *Tertia ratio ex Philoſopho.*

Huic teſtimonio occurrunt nonnulli , quos ſuppreſſo nomine refert Monteſ. quòd Ariſtoteles non loquitur de actibus bonis & malis ; ſed de habitibus vitij & virtutis , iuſtitiæ & iniuſtitiæ. ¶ Sed hoc facilè rejicitur : quoniam Philoſophus in poſtprædicamentis loquitur generaliter de bono & malo , ſub quo non tantùm habitus ; ſed etiam & per prius actus comprehenduntur. Præterquam quòd ſi habitus opponuntur contrariè , à fortiori debent ſic opponi actus : cum tota ratio & oppoſitio illorum ab iſtis deſumatur. *Refellitur quædam reſponſio.*

Reiecta ergo hac expoſitione , triplicem aliam adhibent Lorca & Monteſ. deſumptam (vt ipſi aiunt) ex D.Thoma. Primam videtur tradere 1.part. quæſt.48. art.1. ad 1. & 3. contra gent. cap.9. vbi ait Ariſtotelem non fuiſſe loquutum ex propria ſententia ; ſed iuxta opinionem Pythagoricorum , qui malum exiſtimabant eſſe naturam quandam. Secundò melius (inquit Monteſ.) idem D. Thom. de mal. quæſt.1. art.1. ad 5. dixit , quòd Ariſtoteles nomen *contrarij* vſurpauit latè pro priuatione : & ita oppoſitionem priuatiuam appellauit largo modo *contrariam*. Tertia expoſitio (quam etiam tradunt Araujo & alij) eſt , quòd Ariſtoteles loquutus eſt de actu malo non formaliter , ſed materialiter , vel fundamentaliter : quo modo verum eſt eſſe aliquid poſitiuum , & opponi contrariè actui bono. Quam etiam explicationem exiſtimant prædicti auctores deſumi ex D. Thoma cit. loco de mal. ad 2. & 3. & quæſt.3. de potent. art.6. ad 11. *Triplex alia expoſitio.*

77. Sed contra primam expoſitionem vrget , quòd D.Thom. conuictus fuit teſtimonio illo Ariſtotelis ad aſſerendum , quòd bonum & malum , prout in moralibus inueniuntur , ſunt propriè contraria ; quamuis ſimpliciter accepta , hoc eſt , pro bono & malo tranſcendentalibus ſeu abſolutè dictis ſolùm opponantur priuatiuè : vt videre eſt cit. loco 1. partis ad 2. & 3. contra gentes prædicto cap.9. *Reiicitur prima.*

cap.9. vbi cum obiecíſſet cap.8. quòd in contrariis vtrumque debet eſſe natura aliqua poſitiua : & quòd iuxta doctrinam Philoſophi bonum & malum ſunt contraria, & contrariorum genera : ergo malum eſt aliqua natura, & non priuatio. Reſpondet, quòd malum & bonum ſunt contraria, ſecundùm quòd in genere moralium accipiuntur : non autem ſimpliciter accepta. Et infra : *Eodem modo poteſt accipi dictum, quòd bonum & malum, prout ſunt in moralibus ; ſunt genera contrariorum. Ex quo tertia ratio procedebat : omnium enim contrariorum moralium vel vtrumque eſt malum, ſicut prodigalitas & illiberalitas ; vel vnum bonum & alterum malum, ſicut liberalitas & illiberalitas. Eſt igitur malum morale & genus & differentia*, &c. Sentit ergo Ang. Doctor, Ariſtotelem quantum ad malum morale loquutum fuiſſe in propria & vera opinione ; alioquin non conuinceretur eius teſtimonio ad ita aſſerendum. Quia verò propoſitio illa Philoſophi, quòd *bonum & malum ſunt contraria, & contrariorum genera*, extendi poterat ad bonum & malum tranſcendentale : addit D.Tho. prædictam propoſitionem quoad hanc extenſionem non fuiſſe ab illo prolatam ex propria ſententia ; ſed iuxta opinionem Pythagoræ, qui bonum & malum tranſcendentale ponebat eſſe prima genera. Cum quo optimè cohæret, vt eadem propoſitio magis coarctata, & intellecta de bono & malo morali, verè ſit de mente Philoſophi : & quòd D.Thom. qui prædictam propoſitionem, prout extendi poteſt ad bonum & malum tranſcendentale, Pythagoræ attribuit, ſumptam cum hac reſtrictione ad bonum & malum morale, vt propriam ipſius Ariſtotelis admittat.

Secunda expoſitio omnino eſt violenta : quia Philoſophus in poſtprædicam. agit de contrariis vt diſtinctis à reliquis oppoſitis ; nempe ab oppoſitis priuatiuè, contradictoriè, & relatiuè : vt patet ex toto illo cap. de oppoſit. ergo ſumit nomen *contrarij* propriè, & non vt eſt omnibus illis commune. Locus verò D. Thomæ, quem adducit pro ſe Monteſ. eſt extra rem : quia Ang. Doctor exponebat aliud teſtimonium valdè diſtinctum, nempe ex 2. de Anima, vbi Ariſtoteles obiter dixit tenebram contrariari lumini : non autem ſequitur, quòd ſi Philoſophus in illo vel alio loco ſumpſit nomen *contrarij* impropriè ; in omnibus ita illud acceperit : præſertim vbi ex profeſſo agit de re propriè ſignificata per tale nomen, vti agit in prædicto cap. de oppoſit. & in cap. de qualit.

Denique tertia expoſitio impugnata manet ex illis, quæ diſp.1. dub. 1. num.2. diximus : vbi probauimus contrarietatem vitij cum virtute attendi debere inter ea formaliter, vt vtrumque eſt in genere moris : adeóque ſecundum ipſas formales rationes vitij & virtutis ; non verò ſecundum rationes materiales & phyſicas : eadem enim ratio quantum ad hoc militat in actibus, quæ procedit in habitibus. Nec D.Thom. fauet prædictæ expoſitioni quia vbicumque loquitur de bono & malo morali, docet opponi inter ſe contrariè : addit verò, huiuſmodi contrarietatem non attendi ex parte mali ratione priuationis ; ſed ratione entitatis & tendentiæ ad obiectum, quæ cum ſit poſitiua & ens, debet eſſe tranſcendentaliter bona : quòd autem prædicta tendentia poſitiua non ſit formaliter mala in genere moris, & in hoc genere contraria bonitati, nullibi aſſeruit.

78. Vltima denique ratio pro noſtra ſententia ſumitur ex euerſione principalis fundamenti aduerſæ opinionis in hunc modum. Si ob aliquam rationem non deberet admitti malitia formalis poſitiua, maximè, quia ſi daretur, cauſaretur à Deo, à quo cauſari debet omne ens poſitiuum : hoc inconueniens eſt validiſſimum aduerſariorum fundamentum contra noſtram ſententiam, vt infra videbimus : ſed prædictum inconueniens æquè militat contra oppoſitam in malitia fundamentali ; imo re bene inſpecta, in neutra ſententia militat : ergo, &c. Minor quoad ſecundam partem conſtabit §.6. vbi prædictum fundamentum diluemus. Quoad primam verò ſuadetur : quia non minus repugnat Deo cauſare malitiam fundamentalem in ratione talis, quàm cauſare malitiam formalem poſitiuam, ſiue priuatiuam : imò ſi cauſaret fundamentum priuationis in ratione fundamenti, eo ipſo cauſaret ipſam priuationem : priuatio enim ſolùm cauſatur ad poſitionem fundamenti, adeóque ab ipſomet, qui ponit fundamentum : & tamen huiuſmodi fundamentum etiam in ratione fundamenti eſt poſitiuum, ſiquidem omnis priuatio debet fundari in aliquo poſitiuo, ſicut omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione : ergo vel ex eo quòd malitia formalis ſit aliquid poſitiuum, non ſequitur prædictum inconueniens ; vel quamuis ſit tantùm priuatio, ſequitur ratione fundamenti. *Ratio vltima.*

Confirmatur : habitus vitij conſtituitur formaliter in ratione vitij per aliquid poſitiuum, ſcilicet per habitudinem ad actum & obiectum vitioſum, vt docet D.Thom. ſupra quæſt.54. art.2 & 3. concedúntque ex aduerſariis Lorca, Valentia, Araujo, & alij : & nihilominus hæc ratio vitij conſtitutiua ſub ratione talis non eſt à Deo ; aliàs Deus diceretur & eſſet auctor & cauſa vitij : ergo non eſt inconueniens, etiam in ſententia aduerſariorum, admittere rem poſitiuam, quæ ſecundum aliquam formalitatem & expreſſionem non ſit à Deo. Et idem argumentum fieri poteſt de potentia peccandi : quæ, vt ſtat ſub hoc conceptu, dicit rationem poſitiuam, vt probabimus diſp.12. dub.1. & tamen ſecundum hanc rationem non eſt à Deo, vt ibidem dub.2. oſtendemus. *Confirm.*

79. Ab hoc argumento facili negotio exiſtimat Araujo expediri aduerſarios vna ex duabus viis : vel admiſſo fundamentum malitiæ priuatiuæ cauſari à Deo ; negando cauſari ab illo ipſam malitiam priuatiuam : quia tunc ſolùm qui cauſat fundamentum, cauſat formam, quæ ex eo reſultat, quando talis forma eſt capax eiuſdem cauſalitatis & influxus, quæ terminantur ad fundamentum : vnde quia malitia priuatiua non eſt capax diuini influxus, non ſequitur quòd ſi Deus eſſet cauſa prædicti fundamenti, debeat eſſe cauſa talis malitiæ. Vel negando fundamentum malitiæ priuatiuæ formaliter in ratione fundamenti eſſe aliquid poſitiuum, quod diuina vel creata indigeat cauſalitate : quia ſolùm (inquit prædictus auctor) eſt denominatio extrinſeca deſumpta ex voluntate peccantis : & in eo ſita, *Euaſio.*

vt ille actus, qui eſt malitiæ fundamentum, oriatur à prædicta voluntate vt deficiente, & ab illa dependeat. Quare cum diuinus influxus non ad extrinſecas denominationes, quæ nihil ponunt in rebus; ſed ad ſolas poſitiuas formalitates & modos neceſſariò ſe debeat extendere: idcirco in eorum ſententia neque Deus cauſat fundamentum malitiæ in ratione fundamenti, nec relinquitur formalitas aliqua poſitiua & realis, cuius non ſit cauſa. Ita Araujo. ¶ Ex cuius etiam doctrina poſſet confirmationi occurri, quòd habitus vitij non eſt formaliter malus; ſed tantum cauſaliter: neque eius ratio conſtitutiua eſt formalis malitia; ſed ſolùm cauſalis: & ita licèt prædicta ratio ſit poſitiua & à Deo, non ſequitur, quòd ſit ab illo aliqua malitia formalis.

Impugnatur prima.

Omnes tamen huiuſmodi euaſiones deficiunt. Contra primam enim vrget, quia non ſtat, fundamentum malitiæ formaliter in ratione fundamenti terminare diuinum influxum vel cauſalitatem, & quòd ipſa malitia talis influxus capax non ſit: ergo qui ponit, Deum cauſare fundamentum in ratione fundamenti, conſequenter debet admittere cauſare etiam malitiam: vel ſi negat, malitiam eſſe capacem prædictæ cauſalitatis; à fortiori tenetur id negare de fundamento in ratione fundamenti. Conſequentia liquet. Antecedens verò ſuadetur. Tum quia fundamentum alicuius formæ, malitiæ v. g. ſumptum in ratione fundamenti, non vtcumque dicit rem, quæ fundat talem formam; ſed reduplicatiuè, quatenus eam fundat, atque adeo quatenus forma ipſa reſultat ex tali fundamento: vnde ille duntaxat attingit fundamentum prædictæ formæ in ratione fundamenti, qui ſua cauſalitate facit, vt ex eo fundamento forma ipſa reſultet. Non ergo cohæret, quòd diuinus influxus attingat fundamentum malitiæ in ratione fundamenti; & quòd non attingat conſequenter ipſam malitiam. Tum etiam quia formæ, quæ non directè terminant influxum ſuæ cauſæ, ſed reſultant poſito fundamento (qualis eſt malitia formalis, & ſunt etiam omnes priuationes) non aliter recipiunt in ſe prædictum influxum; niſi quia earum fundamentum in ratione fundamenti illum recipit: neque maior vel nouus influxus requiritur ad attingendam formam, quàm ad attingendum fundamentum in ratione fundamenti: ergo vbi forma non eſt capax prædicti influxus; nec fundamentum in ratione fundamenti poterit illum terminare.

80. Ad hæc: vel cauſalitas diuina ita attingit materiale peccati, quod eſt malitiæ fundamentum, vt connotet quòd ex vi eiuſdem cauſalitatis reſultat (ſaltem quantum eſt ex ſe) ab illo fundamento malitia formalis; vel non? Primum dici nequit; aliàs eſſet Deus formaliſſimè cauſa malitiæ: ergo dicendum eſt ſecundum: & ita Deus ſolùm cauſabit materiale peccati, quod eſt aliàs malitiæ fundamentum; non tamen in ratione fundamenti: quia cauſalitas in ratione fundamenti connotat, vt ex vi ipſius reſultet (ſaltem quantum eſt ex ſe) forma, cuius eſt fundamentum: aliàs ſi id non connotet, ſolùm erit cauſalitas illius rei, quæ eſt fundamentum; non autem in ratione fundamenti.

Impugnatur ſecunda.

Secunda ſolutio etiam deficit. Tum quia eſſe fundamentum malitiæ non eſt in actu humano nuda denominatio extrinſeca; ſed realis dependentia à voluntate creata vt deficiente & libera: quæ dependentia ſine dubio eſt intrinſeca in ipſo actu: vt in ſimili oſtendimus tract. de volunt. Dei diſput.10. num.59. Deinde omnis extrinſeca denominatio reducitur ad aliquam intrinſecam, & eam ſupponit: neque alius cauſat denominationem extrinſecam, niſi qui cauſat intrinſecam: & qui cauſat formam, à qua proueniunt tàm intrinſeca quàm extrinſeca: ergo etiam admiſſo, quòd in actu peccati eſſe fundamentum malitiæ ſit denominatio extrinſeca; debet admitti ab aduerſariis, vel quòd Deus ſit cauſa huius extrinſecæ denominationis, & ſic fundamenti malitiæ in ratione fundamenti; vel quòd forma, à qua eſt talis denominatio, ſecundum aliam intrinſecam denominationem, & ſecundum eam formalitatem, ſecundum quam cauſat hanc extrinſecam, non ſit ab illo. Vide infra diſput.12. à numero 11. vbi hoc argumentum & impugnationem latiùs proſequimur.

Denique ſolutio, quæ adhibetur confirmationi, nullius roboris eſt: quia ſiue ratio formaliter conſtitutiua habitus vitioſi ſit malitia formalis, ſiue ſolum cauſalis; nunquam tamen eſt concedendum, quòd talis malitia ſit à Deo; alioqui eſſet Deus auctor & cauſa vitij. Imo eſſet etiam cauſa peccati & malitiæ eius formalis: quia cum cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati, ſi ſemel Deus ponitur cauſa malitiæ cauſalis, quæ eſt malitia vitij; conſequenter erit cauſa malitiæ formalis, quæ eſt malitia peccati. Vnde admiſſo, quòd hæc ratio conſtitutiua vitij ſit ratio poſitiua, vt plures aduerſariorum admittunt; admitti etiam debet, quòd aliqua ratio poſitiua in rerum natura exiſtens, ſub aliqua formalitate & expreſſione non ſit à Deo.

§. V.

Aduerſa opinio aliquibus Patrum teſtimonijs ſubnixa.

Alexand. Altiſiodor. Durand. Richardus. Gabriel. Bonauent. Scot. Henric. Monteſ. Araujo. Valent. Suar. Granad. Lorca. Azor. Salas.

81. Oppoſita ſententia, videlicet ſolam priuationem habere rationem malitiæ, & nullam dari malitiam formalem poſitiuam, tribuitur Alexandro 2.part. quæſt.94. Altiſiodorenſi lib.2. ſum. tract.7. cap.1. Durando in 2.diſt.34. quæſt.2. Richardo ibidem art.1. quæſt.7. Gabrieli diſtinct.35. quæſt.1. art.1. & 2. Bonauent. art.1. quæſt. 2. Scoto quæſt.1. Henrico quodlib.2. quæſt.25. & aliis antiquis: de quibus perſpicuum eſt adſtruere malitiàm priuatiuam; quod verò negent poſitiuam, minus eſt certum. Tuentur autem prædictam ſententiam ex Thomiſtis Monteſ. in præſenti diſp.34. & Araujo dub.1. Ex aliis verò Valentia diſput.2. quæſt.13. punct. 3. & diſput.6.quæſt.1.punct.2. Suar.tract. de bonit. & malitia diſput.7. ſect.6. Granad.controu.6. tract.1. diſput.1. ſect.2. Lorca de actibus humanis diſp.25. Azor lib.4.ſum.cap.1. quæſt.6. Salas tract.13.diſp.2.ſect.3. vbi refert longum catalogum auctorum: quorum verba ſi ſingillatim expendenda eſſent, facile conſtaret, plures ex illis parùm vel nihil huic opinioni ſuffragari: eaque duntaxat ratione pro illa referri,

Digitized by Google

referri, quia aſſerunt malitiam priuatiuam, quam nos etiam admiſimus: ſicut etiam referuntur alij, qui rem non examinant; ſed quaſi in fide parentum huic parti ſubſcribunt.

Præcipuum autem pro hac ſententia fundamentum ſumitur ex ſanctis Patribus, qui loquentes de malo, appellant illud *corruptionem, defectum, deſertionem, & abſentiam boni, carentiam, vacuitatem, tenebras, nihil,* aliiſque ſimilibus nomenclaturis, quæ excludunt omne poſitiuum, & ſignificant ſolam priuationem. Frequenter etiam aſſerunt nullam mali eſſe naturam, neque habere ſubſtantiam, neque eſſentiam, neque eſſe aliquid, neque exiſtere. Sic loquuntur D. Dionyſ. cap.4. de diuin. nomin. vbi ait: *Malum, quemadmodum ſæpe diximus, infirmitas, imbecillitas, at priuatio eſt.* Baſil. homil.9. & in conſtitutionibus monaſticis cap. 3. *Vitium* (inquit) *nihil eſt aliud, quàm virtutis deſertio.* Nyſſenus orat. catechetica cap. 5. ſic loquitur: *Non poſſumus cogitare aliam vitij generationem, quàm virtutis abſentiam.* Et cap.7. *Vitium omne & improbitas in boni priuatione ſuam habet formam & caracterem: cum per ſe non ſit, neque conſideretur in eo, quòd conſiſtat: nullum enim malum per ſe ſitum eſt extra liberam arbitrij electionem; ſed ita denominatur ex eo quòd non ſit bonum.* Damaſc. lib.2. de fide cap.4. *Neque enim aliud eſt malum, quàm boni priuatio.* Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap.21. *Malum* (ait) *nihil aliud eſt, quàm boni priuatio: vnde conſtat geminum eſſe creaturæ rationalis malum: vnum, quo voluntariè ipſa deficit à ſummo bono.* Clarius adhuc loquitur Anſelm. de caſu diaboli cap.7. vſque ad 11. nec non cap.14.& 19. ibi: *Nihil eſt apertius, quàm nullam rem eſſe malam; nec aliud eſſe malum, quàm abſentiam iuſtitiæ derelictam in voluntate*, &c. Idem habet cap.20. & lib. de præſcientia cap.1. lib. de conceptu virginali cap.3. vſque ad 6. aliiſque in locis. Et eodem ferè modo loquuntur alij Patres, vt Nazianzen. orat.9. numero 36. & orat. 40. circa finem. Iuſtinus martyr in lib. quæſtionum à gentibus Chriſtianis oppoſitarum. Athanaſ. in orat. contra illa idola. Auguſt. lib.1. Soliloq. cap.4. & 5. & tract.1. in Ioan. ad illa verba *ſine ipſo factum eſt nihil*, id eſt, *peccatum* (exponit ibi) *quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cum peccato.* Leo primus epiſt.9. ad Turibium Epiſcopum cap.9. Gregor.Magn. lib.26. moral. cap.24. alias 32. Ex quorum verbis, quæ adducunt Aluar.Monteſ. Vaſq. & alij, manifeſtè conſtant ſanctos Patres negare omnem malitiam poſitiuam. Ita enim aſſerunt, malum & peccatum eſſe priuationem, corruptionem,carentiam,&c. vt ſimul negent, aliquid aliud præter hæc habere rationem mali.

D. Dionyſ. — Baſil. — Nyſſen. — Damaſc. — Fulgent. — Anſelm. — Nazianz. — Iuſtin. — Athanaſ. — D. Auguſt. — Leo primus. — Greg. Magn.

Solutio impugnata.

82. Nec refert ſi occurras, ſanctos Patres intelligendos eſſe de malo abſolutè, quod opponitur bono tranſcendentali; non verò de malitia morali, de qua nunc loquimur. ¶ Nam contra eſt, quòd plures ſancti Patres expreſsè loquuntur de malo, quod eſt peccatum, iniuſtitia, vitium, malum creaturæ rationalis, & malum culpæ, vt ex eorum verbis apertè conſtat: hoc autem non eſt niſi malum morale: ergo ſiniſtrè exponuntur de alio *malo abſolutè* cum iſtius excluſione.

Ex quibus pro hac ſententia ſequens conficitur argumentum. Communis Patrum conſenſus negat malitiam poſitiuam, aſſeritque omnem malitiam in ſola priuatione conſiſtere, idque ſonant eorum teſtimonia, iuxta literam ac ſine interpretatione intellecta: ergo non eſt admittenda malitia poſitiua. Antecedens habetur ex dictis. Conſequentia verò eſt perſpicua: quia ſicut à communi Patrum conſenſu nefas eſſet diſcedere; ſic eorum teſtimonia in alieno & improprio ſenſu interpretari nec poſſumus, nec debemus abſque vrgenti neceſſitate, magnoque cum fundamento in ipſis Patribus: quod in præſenti non reperitur. Tunc enim verba ſanctorum Patrum in alieno ſenſu interpretari licet; quando id, quod eorum aliqui negare videntur, alij affirmant: vt illorum explicatione omnes ad concordiam reducantur. Cum verò vnanimiter omnes, vel ferè omnes idem aiunt, vel negant, nec alij contradicunt, vt in præſenti contingit; eſſet inconueniens eorum verba ad alienum ſenſum deducere, aut aſſerere omnes illos fuiſſe impropriè loquutos.

Retorquetur argumentum.

Antequam occurramus huic argumento (quod iudicio noſtro debet eſſe validiſſimum pro hac opinione) animaduertere placuit, illud ſuo modo vrgere etiam aduerſarios: qui velint, nolint, eodem modo ac nos fateri tenentur, ſanctos Patres in adductis teſtimoniis non loqui de malitia eſſentiali peccati commiſſionis, atque adeo nec diffiniſſe per ſe ipſam eius eſſentiam, nec totam eius rationem adæquatè tradidiſſe; ſed per aliquam quaſi proprietatem, aut per aliquid magis notum illi adiunctum eam explicuiſſe. Hoc verò ſic oſtenditur: quoniam priuatio, in qua ſecundum aduerſarios malitia conſtitutiua peccati commiſſionis debet conſiſtere, non eſt priuatio alicuius habitus boni, aut alicuius boni actus, vel operationis (hæc enim priuatio ad peccatum omiſſionis, vel ad peccatum habituale ſpectat) ſed eſt tantum priuatio rectitudinis debitæ ineſſe actui, vt dub.1. & 2. explicuimus: at priuatio, de qua Patres loquuntur, non eſt immediatè priuatio huius rectitudinis; ſed eſt priuatio habitus virtutis, vel actus, aut alicuius operationis rectè, vt ex eorum verbis apertè conſtat: Dionyſius enim appellat illam *priuationem bonarum affectionum & actionum*: vel vt habet antiqua tranſlatio, *bonorum habituum & actionum, aut ſcientiæ, aut fidei, aut actionis boni.* Baſilius dicit eſſe *virtutis deſertionem*: Nyſſen. *virtutis abſentiam*: Anſelmus *priuationem iuſtitiæ*: & ſic de reliquis. Nullus autem eorum expreſsè aſſignat illam priuationem rectitudinis debitæ ineſſe actui, in qua aduerſarij eſſentiam peccati commiſſionis conſtituunt: ergo vel non loquuntur de huiuſmodi peccato, & de eius malitia eſſentiali; vel debent ab omnibus exponi.

Doctrina pro ſolutione.

83. Pro legitima ergo eorum intelligentia obſeruandum eſt, ſanctos Patres & Doctores Eccleſiæ, quia poſt exortam Manichæi hæreſim, adeoque poſt annum Domini 280. ſcripſerunt, vti ſunt Athanaſius, Baſilius, Epiphanius, Nazianzenus, Nyſſenus, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Fulgentius, ferè qui negant malum eſſe aliquam rem; potiſſimum intendere confutare errorem illius hæretici, qui ponebat duo prima rerum principia ſubſtantialia, alterum bonorum, & alterum

rum malorum: aiebátque quaſdam res ſecundum ſubſtantiam & naturam ſuam eſſe malas, & quaſdam bonas. Quem errorem vt prædicti Patres extirparent, ita frequenter aſſerebant nullam eſſe mali naturam, neque eſſentiam, neque ſubſtantiam, id eſt, nullam rem eſſe, quæ ſecundum eſſentiam & naturam ſubſtantialem mala ſit. Vnde pro eodem accipiebant nomen *eſſentiæ* vel *naturæ*, ac nomen *ſubſtantiæ*, ſcilicet pro ſubſtantia propriè dicta, ſeu pro natura ſubſtantiali: neque ſub prædictis nominibus comprehenduntur accidentia & operationes. Et quòd iuxta hæc Patres prædicta nomina vſurpauerint, teſtatur

D. Auguſt. Auguſtinus lib. 2. de moribus Manich. cap. 2. vbi ſic ait: *Itaque vt nos iam nouo nomine ab eo, quod eſt eſſe, vocamus eſſentiam, quam plerumque ſubſtantiam etiam nominamus; veteres, qui hæc nomina non habebant, pro eſſentia & ſubſtantia naturam vocabant.* Quo etiam ſenſu loqui Manichæos, cum aiebant malum eſſe aliquam naturam, oſtendit ibidem dicens: *Vos autem aſſeritis quandam naturam atque ſubſtantiam malum eſſe.* Et infra arguit contra illos in hunc modum: *At verò illa veſtra gens mali, quam vultis eſſe ſummum malum, quomodo erit contra naturam, id eſt, contra ſubſtantiam, cum eam naturam atque ſubſtantiam eſſe dicatis.* Hac quoque ratione dicebant iidem Patres malum non eſſe *aliquid:* quia pronomina *quid*, *aliquid*, *hoc aliquid*, & ſimilia conſueuerunt etiam ſumi pro ſubſtantia: vt patet per Philoſophum in prædicament. cap. de ſubſtant. & lib. 1. metaphyſ. text. 8. Vnde dicunt dialectici proprium eſſe ſubſtantiæ, prout diſtinguitur ab accidentibus, quòd ſignificet *hoc aliquid*, & quòd prædicetur *in quid.* Hucque alluſiſſe videtur D. Auguſtinus loco cit. dum dixit, *naturam* (quæ apud ipſum, vt vidimus, eſt idem ac ſubſtantia) *nihil eſſe aliud, quàm quod intelligitur in ſuo genere aliquid eſſe.* Pro eodem etiam accipiebant hoc

Idem. nomen *res:* diſtinguebantque rem ab actu: vt patet per Auguſtinum lib. de perfect. iuſtitiæ ratiocinat. 4. vbi quærit *quid ſit peccatum, actus ne, an res? Quia ſi res eſt* (inquit) *neceſſe eſt habeat auctorem: & ſi auctorem habet, iam alter erit auctor quàm Deus alicuius rei: quod ſi hoc impium eſt, neceſſe eſt dicere peccatum eſſe actum, non rem.* Vbi, vt vides, diſtinguit rem ab actu, fatetúrque peccatum eſſe actum, quod negat eſſe rem. Videatur D. Tho. infra quæſt. 79. art. 2. ad 1.

Vera ſolutio. Hoc prænotato, reſpondetur primò ad argumentum, ſanctos Patres, qui dicunt malum non eſſe aliquid, neque naturam, neque habere eſſentiam, neque ſubſtantiam, &c. loqui in ſenſu hactenus explicato. Solùm enim excludunt à ratione mali ſubſtantiam, quam appellant *naturam*, *rem*, *aliquid*, &c. non verò accidentia, quæ ſunt operationes & actus liberi arbitrij: vt videre eſt loco nuper relato ex Auguſtino, & lib. 1. Hypognoſt. in fine, vbi ſic dicitur: *Opera mala, quæ vitia dicuntur, actus ſunt, non res.* Et lib. 4. in principio: *Omne malum non eſt natura; ſed actus accidens*, &c. Quem etiam ſenſum tenuiſſe Nazianzenum orat. 40. oſtendunt eius verba, dum ait: *Crede nullam mali eſſentiam eſſe; ſed opus noſtrum hoc eſſe.* Diſtinguens enim eſſentiam ab opere, non potuit nomine *eſſentiæ* aliud quàm ſubſtantiam ſignificare. Et ita intellexit illum Nicetas orat. cit. vbi hæc ait: *Ergo vt iam à nobis dictum eſt, malum non viua & animata eſſentia eſt; verum affectio animæ virtuti contraria*, &c. Sumpſitque hæc verba ex Baſilio homil. 2. Hexam. quem ſupra retulimus. Et iuxta hæc loquuntur Athanaſ. Auguſt. Epiphan. Chryſoſtom. Hieron. & plures alij.

84. Cum verò aliqui addunt, nihil habere rationem mali præter boni priuationem, nequaquam explicant ipſam eſſentiam peccati commiſſionis per ſe ipſam: quia priuatio, de qua loquuntur, vt num. 82. obſeruauimus, non eſt priuatio rectitudinis debitæ ineſſe actui; ſed eſt priuatio alicuius actus vel habitus boni: quæ priuatio licèt aliquando ſit terminus aut effectus peccati commiſſionis; nullus tamen ex Scholaſticis iam diceт eſſe ipſam malitiam eſſentialem talis peccati. Vnde vel loquuntur de peccato omiſſionis, quod conſiſtit in priuatione actus debiti; vel ſermo eſt (vt ſæpè apud Anſelmum, & Fulgentium) de peccato habituali, quod per ſe primo conſiſtit in priuatione gratiæ & iuſtitiæ habitualis; ex conſequenti verò in priuatione charitatis, reliquarúmque virtutum infuſarum, quæ ſimul cum gratia priuantur. Vel denique per huiuſmodi priuationem, quæ nobis notior eſt, tanquam per effectum explicuerunt eſſentiam peccati per ſe ſatis ignotam & obſcuram. Vt cum Ariſtoteles generationem non viuentium diffiniuit per mutationem, nóſque ſæpe aſſerimus, generationem hanc nihil eſſe aliud niſi tranſitum de *non eſſe* ad *eſſe:* cum tamen generationis eſſentia in hac mutatione non conſiſtat; imò poteſt ſine ea aliquando reperiri: vt probant N. Complut. lib. 1. de gener. diſp. 2. num. 19. Quare negationes, quibus Patres in hac re vtuntur, non excludunt omne poſitiuum; ſed illud dumtaxat, quod non eſt per ſe connexum cum priuatione, nec per ſe eam fundat: qualis eſt natura ſubſtantialis ſecundum ſe ſumpta, & etiam ratio entis, vt ens eſt: fundamentum verò priuationis in ratione fundamenti, quæ eſt malitia poſitiua à nobis aſſerta, non ponit quoad hoc in numero cum ipſa priuatione, nec per negationes illas excluditur: quia negatio & dictio excluſiua non excludit à concomitantibus.

Addendum quoque eſt, Patres in illo tempore potuiſſe inclinare quoad modum loquendi in ſententiam negantem omnem malitiam poſitiuam: non quia prædictæ ſententiæ ſuffragentur; ſed quia frequens eſt apud illos, vt efficaciùs damnent errorem aliquem emergentem, ita verbis & ſcriptis ab eo elongari, vt contrario falſo extremo accedere videantur: à quo ſimiliter effugerent, ſi tunc temporis pro ea parte error vigeret. Quod valde attendendum eſt, vt verba & loquutiones Patrum quæ alicuius erroris euertendi occaſione proferuntur, ab hyperbole & à ſonitus rigore temperentur, & ad ſenſum medium opportunum reducantur: quod fiet in præſenti ſine veritatis præiudicio, & iuxta mentem ipſorum, qui ob rationem traditam debuerunt ſic loqui.

85. Secundò reſpondetur ſuſtinendo ſolutionem inter arguendum traditam, quæ optima eſt: fauétque modus loquendi ſanctorum Patrum Secunda ſolutio.

Patrum, qui vtuntur ſæpe nomine *mali*; rarò autem nomine *peccati*: quo ſatis inſinuant ſe loqui de *malo abſolutè*; ſeu de peccato, vt habet abſolutè rationem mali. Neque vrget impugnatio, quæ ibidem fit: nam vt dub. præced.num.49. obſeruauimus, in ipſo etiam commiſſionis peccato reperitur & malum abſolutè dictum, quod conſiſtit in priuatione; & malum morale propriè dictum, quod eſt poſitiua differentia actus moralis. Itaque non negamus aliquos ex Patribus loqui etiam de malo, quod eſt peccatum, & culpa, & malum naturæ rationalis: dicimus verò loqui de illo non ſecundum omnem rationem mali ibi repertam; ſed ſolùm ſecundum rationem mali abſolutè dicti, pro quo per prius & frequentiùs ſolet accipi nomen mali. Quare ad argumentum, quod in forma fit, negandum eſt antecedens. Tum quia plures ex Patribus, quos pro noſtra ſententia num. 63. adduximus, vnà cum D. Thoma illam ſatis expreſsè tuentur, ſi eorum verba, vt ſonant, ſine interpretatione accipiantur: quod nobis vnà cum his,quæ obſeruauimus num.83. ſufficiens præberet fundamentum, vt aliorum Patrum teſtimonia, ſi opus eſſet, aliter ac ſonant, interpretaremur: id quod aduerſarij, velint nolint, debent admittere, vt conſtat ex dictis num.82. ¶ Diximus *ſi opus eſſet*, &c. quia re vera iuxta noſtram doctrinam prædicta teſtimonia nunquam à ſenſu proprio omnino alienantur: ſed iuxta primam ſolutionem ad intentum ſanctorum Patrum cum aliquali reſtrictione fundata in recepto vſu loquendi, & in doctrina ipſorum Patrum adæquantur: iuxta ſecundam autem de *malo abſolute*, vt verba ſonant, accipiuntur: negationes verò alterius mali iuxta mentem ipſorum grano ſalis temperantur.

§. VI.

Secundum eiuſdem ſententiæ fundamentum.

Argumentum. 86. SEcundò probatur eadem ſententia ratione: quia ſi malitia moralis eſſet forma poſitiua, vel Deus eſſet cauſa talis malitiæ; vel aliquod ens poſitiuum à Deo non eſſet: vtrumque hoc eſt abſurdum: ergo prædicta malitia non debet admitti. Sequela ex eo probatur, quia cum malitia illa, eo ipſo quòd ſit poſitiua, debeat eſſe ens; vel Deus illam cauſabit; vel dabitur aliquod ens, cuius non ſit cauſa. Hoc argumentum valde magnificant aduerſarij: quod tamen, velint nolint, ſoluere tenentur, cum admittant, vel admittere debeant in fundamento malitiæ, & in habitu vitioſo formalitatem poſitiuam, cuius Deus ſecundum aliquam expreſſionem vel modum cauſa non ſit, vt oſtenſum eſt à num.78. *Solutio.* Pro omnibus ergo (omiſſis variis ſolutionibus, quæ non omnino placent) reſpondetur ex illis, quæ in tractat. de volunt. Dei diſput. ro. dub.7. fusè à nobis dicta ſunt, negando ſequelam. Et ad probationem dicendum eſt, poſitiuum illud, in quo malitia conſiſtit, poſſe conſiderari, vel quatenus ens & actus eſt, ſeu quatenus exprimit hoc, quod eſt habere *eſſe* & actualitatem, omnéſque alias rationes, quæ deformitatem non explicant, nec per ſe illam afferunt: & ſic totum eſt à Deo: vel quatenus exprimit deformitatem, nempe tendentiam moralem ad obiectum rationi diſſonum, in qua conſiſtit formaliſſima ratio malitiæ poſitiuæ: & hoc modo non cauſatur à Deo; ſed à ſola voluntate creata, prout eſt potentia deſectibilis. Vnde neque admittitur aliquod ens, quod in quantum ens eſt, non ſit à Deo: neque Deus aliqua ratione ponitur cauſa malitiæ quantum ad rationem malitiæ.

87. Sed contra hanc ſolutionem objicies primò, quòd in actu peccati nullatenus differunt, etiam ratione ratiocinata, súntque omnino inſeparabilia ratio entis & munus tendendi poſitiuè ad obiectum: eo quòd ens, vtpote tranſcendens, imbibitur in omnibus differentiis & rationibus, per quas determinatur: ergo non ſtat, Deum ſua cauſalitate attingere rationem entis in illa tendentia incluſam; & non attingere ipſam tendentiam, vt eſt ad obiectum diſſonum. ¶ Deinde formalitas illa malitiæ, ſi ſemel eſt poſitiua, quantumcumque præſcindatur, & ſub quacumque expreſſione ſumatur, formaliſſimè eſt ens, & exprimit ens: aliàs nihil exprimeret, neque eſſet quoad expreſſionem poſitiua: ergo eo ipſo quod Deus prædictam formalitatem ſub aliqua expreſſione non attingat, non attingit ibi totam rationem entis. *Obijcitur contra ſolutionem.*

Confirmatur: nam ſi ſemel Deus cauſat illam entitatem, quæ eſt identificata cum malitia; non vtcumque debet illam cauſare; ſed vt eſt hæc numero entitas, & hoc numero indiuiduum contentum ſub ſpecie malitiæ: non enim Deus præcisè cauſat ens vt ſic, aut in communi; ſicut neque ipſum ens hoc modo ſumptum poteſt eſſe terminus cauſalitatis: ſed cauſat hanc numero portionem entis moralis contractam & indiuiduatam per ſuam numericam differentiam, proindéque contentam ſub hac ſpecie entis moralis, quæ eſt malitia: atqui hæc numero entitas ſic indiuiduata & determinata nullatenus eſt prinſcindibilis à ratione malitiæ; imo ſub ipſa malitia eſſentialiter continetur, ſicut indiuiduum ſub ſua ſpecie: ergo omnino repugnat, Deum ſua cauſalitate attingere huiuſmodi entitatem; & quòd non attingat malitiam. Sicut repugnat, quòd aliquis producat hoc numero indiuiduum animalis contentum ſub ſpecie hominis; & non eo ipſo producat hominem: aut quòd producat hunc numero colorem contentum ſub ſpecie albedinis; & quòd non producat albedinem. *Confirmatio.*

Confirmatur ſecundò: quia agens perfectiſſimus & vniuerſaliſſimus, qualis eſt Deus, qui attingit omnia ſub ratione entis, debet ſua cauſalitate pertingere vſque ad vltimas entis differentias; aliàs eius influxus non eſſet vniuerſaliſſimus, neque ad omnia ſub ſua ratione formali contenta ſe extenderet: ergo cum malitia adhuc ſub ratione malitiæ, ſi ſemel eſt poſitiua, ſaltem ſit differentia entis, nequibit ſubterfugere diuinam cauſalitatem. *Alia.*

88. Huic obiectioni vt occurramus, obſeruandum eſt primò, quòd cum in vno eodémque effectu, qui procedit à diuerſis cauſis, plures rationes reperiuntur; non eo ipſo quòd tales rationes ſunt indiſtinctæ & identificatæ, debet cauſa, quæ attingit aliquam aut aliquas *Doctrina pro ſolutione.*

Digitized by G

quas ex illis, attingere omnes; ſi aliunde non omnes ſub obiecto eiuſdem cauſæ continentur. Vnde licèt in eſſentia diuina idem omnino ſint abſque diſtinctione etiam virtuali ratio ſpeciei intelligibilis & ratio intellectionis, nec non ratio exiſtentiæ & ratio naturæ; nihilominus diuina potentia, vt eſt communicatiua illius, vnit illam intellectui creato in ratione ſpeciei, abſque eo quòd vniat in ratione intellectionis: & humanitati Chriſti Domini communicat prædictam eſſentiam in ratione exiſtentiæ formaliter; quam tamen nequit illi communicare, neque vnire formaliter in ratione naturæ. Similiter licet eſſentia diuina & relatio ſolùm virtualiter diſtinguantur; reapsè verò ſint vna & eadem formalitas; nihilominus potentia generatiua Patris communicat totam illam formalitatem Filio, vt eſt eſſentia; & non communicat, vt eſt relatio paternitatis. Cuius nulla aptior poteſt reddi ratio, niſi quòd etſi tam eſſentia diuina quàm relatio ſint identificatæ, & in eadem eſſentia ſint omnino idem ratio exiſtentiæ & ratio naturæ, necnon ratio ſpeciei intelligibilis & intellectionis; nihilominus tamen communicatio paternitatis eſt extra obiectum potentiæ generatiuæ Dei; & communicatio eſſentiæ in ratione naturæ, aut in ratione intellectionis reſpectu creaturæ exit latitudinem obiecti diuinæ omnipotentiæ. Nec mirum quòd rationes in eſſe rei ita coniunctæ, poſſint in ratione obiecti & termini ſeparari: quia alius eſt ordo rerum, & alius eſt ordo obiectiuus.

Secundò nota, quòd vt ratio aliqua in creaturis reperta, ſub obiecto diuinæ omnipotentiæ contineatur, proindéque terminare poſſit eius cauſalitatem, debet eſſe talis conditionis, vt poſſit in ipſum Deum ſicut in finem reduci: eo quòd quicquid Deus agit, agit propter ſe, & ordinat ad ſe tanquam ad finem: vnde quod Dei ſubterfugit cauſalitatem finalem, eo ipſo nequit ab eius omnipotentia attingi. Illæ autem rationes poſſunt prædicto modo in Deum reduci, quæ non explicant deformitatem, neque oppoſitionem ad legem & ad regulas rationis, participántque aliquo modo rationem entis & boni-tranſcendentalis: quæ verò deformitatem, prædictámque oppoſitionem exprimunt, eo ipſo Deo & eius legi repugnant: adeóque ſiue priuatiuæ ſint, ſiue poſitiuæ; & ſiue aliàs participent rationem entis, ſiue non participent; nequeunt quoad prædictam expreſſionem ordinari ad illum ſicut ad finem; & conſequenter neque eius influxum effectiuum terminare.

Applicatur doctrina. 89. His ſuppoſitis, ad obiectionem reſpondetur, ſatis eſſe vt Deus, attingens in actu peccati totam rationem entis, non attingat rationem malitiæ, quantumuis rationes iſtæ aliàs ſint identificatæ & connexæ, quòd malitia ipſa vt talis non ſit ordinabilis in Deum ſicut in finem, proindéque non cadat ſub obiecto diuinæ omnipotentiæ; ſub quo tamen continetur quicquid entitatis eſt, & in Deum prædicto modo poteſt reduci. Nec ſolùm Deus non cauſat ipſam formalem malitiam, verùm neque fundamentum eius in ratione fundamenti, nec principium in ratione principij; ſiue ſumatur per modum potentiæ, ſiue per modum habitus; imo neque obiectum in ratione obiecti: quia licèt hæc formaliter mala non ſint; ſunt tamen mala cauſaliter; & ſecum per ſe afferunt, vel inferunt malitiam formalem: & qui eſſet cauſa illorum in ratione principij, fundamenti, aut obiecti malitiæ; conſequenter eſſet cauſa ipſius malitiæ: ſicut qui eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: & qui ponit fundamentum alicuius formæ in ratione fundamenti, ponit eo ipſo formam, quæ ex tali fundamento reſultat. Vnde propter eandem rationem omnia hæc nec cadunt ſub obiecto omnipotentiæ, neque à diuina cauſalitate attinguntur; quæ tamen cauſat omnes alias rationes in actu peccati repertas, & cum prædictis identificatas, quæ neque exprimunt malitiam, neque illam per ſe inferunt, vel afferunt; cuiuſmodi ſunt ratio entis, & accidentis, ratio boni tranſcendentalis, ratio actus, ratio vitalitatis, ratio liberi, & etiam ipſa ratio entis moralis ſeu moralitatis, prout ſecundum gradum genericum abſtrahit à bonitate & malitia, tantúmque exprimit ordinem & tendentiam ad regulas rationis, præſcindítque à conformitate & difformitate. Quia cum gradus iſte ſecundum hanc præciſam rationem neque explicet deformitatem, nec per ſe eam inferat; exprimat verò aliquem modum & differentiam entis: non eſt cur nequeat in Deum vt in finem reduci, & comprehendi ſub obiecto omnipotentiæ: cúmque aliàs non ſolùm ens phyſicum, ſed etiam ens morale ſit tale per participationem, debet diuina cauſalitas (quæ quia vniuerſaliſſima eſt, extenditur ad omnia ea, quæ ſibi non repugnant) prædictum gradum attingere.

Ad ſecundum contentum in obiectione reſpondetur formalitatem malitiæ, vt ſtat ſub hac præciſione & conceptu inadæquato, formaliſſimè non exprimere ens; quamuis aliàs ſit ens formaliter: & talis conditionis, quòd ſi adæquatè totum id, quod eſt, concipiatur, debeat concipi expreſsè vt ens. Nec tamen propterea ſecundum illam formalitatem exprimit nihil: ſed exprimit poſitiuam tendentiam ad obiectum diſſonum, quæ eſt veluti differentia & modus entis: in quo ipſummet ens per modum prædicati tranſcendentis intimè imbibitur. Vnde licèt Deus attingat totam entitatem formalitatis malitiæ; non tamen attingit ipſam malitiam in ratione malitiæ: quia nec prædictam entitatem attingit totaliter & quoad omnem eius modum; ſed inadæquatè dumtaxat, vt dicit munus proprium entitatis, ſeu hoc quod eſt habere *eſſe*, præſcindendo à modo habendi illud, per modum tendentiæ ad obiectum diſſonum, & à munere & expreſſione huius tendentiæ.

Obiter autem nota, quod quamuis *ens* & *poſitiuum* quoad rem ipſam conuertantur, quia omne poſitiuum realiter eſt ens, & quicquid realiter non eſt ens, eſt negatio vel priuatio nihil ponens: non tamen conuertuntur quoad munia & quoad expreſſiones; ſed patet latiùs munus & expreſſio poſitiui. Nomen enim *poſitiuum* exprimit quicquid opponitur negationi vel priuationi, atque adeo quicquid non eſt nihil: ſiue hoc non nihil exprimat munus habendi *eſſe*, quod eſt proprium munus entis; ſiue munus cuiuſcumque alterius formalitatis modificantis aut determinantis ipſum ens. Ob ídque inter expreſſum nominis *poſitiui*, & inter negationem vel priuationem nihil aliud

poteſt

Digitized by Google

poteſt concipi. At verò nomen *ens* ſolùm exprimit prædictum munus habendi *eſſe*, infra quod poteſt concipi aliquid aliud, quod neque exprimat tale munus, neque etiam negationem aut priuationem, ſed munus alicujus tendentiæ v. g. determinantis aut modificantis, proindéque imbibentis ipſum ens. Quare licèt aſſeramus, Deum cauſare illam tendentiam ad objectum diſſonum ſecundum totum quod exprimit de munere entis, & quòd totum hoc ens ſit ens per participationem; non eſt tamen concedendum quòd cauſet illam quò ad totum quod exprimit muneris poſitiui, & quò ad totum per quod opponitur nihilitati: aut quòd totum hoc poſitiuum ſit poſitiuum per participationem *à Deo*. Quia hæc expreſſio, vt diximus, latiùs patet, quàm expreſſio entis: & ratione iſtius majoris latitudinis poteſt egredi ſub munere poſitiui ſphæram diuinæ cauſalitatis, à qua tamen nihil egredi poteſt quantùm ad expreſſionem & munus entis.

Replica. 90. Neque obeſt ſi vrgeas, quòd diſtinctio penes implicitum & explicitum, aut penes incluſionem & expreſſionem, ſolùm eſt diſtinctio penes modum concipiendi intellectus, qui poteſt eandem formalitatem magis aut minus expreſsè concipere; non autem eſt diſtinctio aliqua in ipſa re concepta: ergo non poteſt deſeruire, vt ex parte ipſius rei, cauſa, quæ attingit implicitum alicujus formalitatis, non attingat etiam explicitum: & cauſans quidquid entitatis formalitas illa imbibit, non etiam cauſet id, quod exprimit malitiæ & tendentiæ ad objectum diſſonum.

Eneruatur. Reſpondetur enim diſtinctionem hanc penes implicitum entitatis & explicitum malitiæ non omnino ſiſtere in intellectu; ſed habere aliquale fundamentum in ipſo objecto & re concepta ſufficiens ad ea, quæ diximus: non ita quod in entitate vel formalitate actus peccati ſit duo conceptus objectivi adæquati virtualiter in eſſe rei omnino diſtincti, quorum quilibet poſſit ſimpliciter præſcindi ab alio, ſicut in homine differunt *rationale* & *animal*: ſed quia eadem formalitas, quæ in eſſe rei tam formaliter quam virtualiter eſt eadem, ob ſui eminentiam exercet diuerſa muneta: & munus habendi *eſſe*, quod exercent omnes aliæ formalitates & entitates; & munus reſpiciendi objectum diſſonum, quod illæ non exercent: & ita exercet primum illud munus, ac ſi hoc poſterius ibi non eſſet. In quo ipſo præbet intellectui aliquale fundamentum, vt poſſit illammet formalitatem diuerſis conceptibus attingere: in quorum vno exprimatur quod in alio non ita exprimitur. Hoc autem ſufficit vt ex parte ipſiuſmet formalitatis ſit ſufficiens ratio, cur Deus, attingens illam, ſecundum quòd exprimit & exercet vnum munus; poſſit eam non attingere, ſecundum quòd exprimit & exercet aliud. Eò præſertim quia etſi formalitas illa, in qua malitia conſiſtit, tota ſit ens, non tamen eſt dumtaxat ens, ſed eſt etiam aliquid amplius, nempe ens cum tendentia ad objectum diſſonum: quæ tendentia nequaquam eſt de ratione entis, vt ens eſt. Vnde licèt Deus prædictam formalitatem cauſet totam, ſecundum quòd ens eſt, non tamen cauſat eam totaliter quia non cauſat quoad illud amplius, ſcilicet quoad prædictam tendentiam, prout ſupergreditur quodammodo rationem & lineam entis. Facit itaque Deus, quòd formalitas illa malitiæ, & tendentia ad objectum diſſonum tota ſit ens, ſiue (vt melius dicamus) facit totum illud ens, quod eſt prædicta tendentia; non tamen facit, quòd tale ens ſit illud amplius, ſcilicet tendentia ad objectum diſſonum: atque adeo nec facit quòd ſit malitia.

91. Dices: munus tendendi poſitiuè in objectum diſſonum etiam eſt munus entis; quia ſolùm ens poteſt exercere iſtud munus: ergo ſi Deus cauſat prædictam formalitatem ſecundum totum, quod in ea eſt de ratione & munere entis, cauſabit vtique illam quoad prædictam tendentiam. ¶ Reſpondetur, munus tendendi in objectum, formaliſſime loquendo, non eſſe proprium munus entis, vt ens eſt, quia munus iſtius tantùm eſt habere eſſe; ſed eſt munus cujuſdam modi, & quaſi differentiæ determinatiuæ entis; vel ipſius entis, vt modificati & determinati per prædictum modum: quamvis neque iſte modus poſſet exercere tale munus, aut eſſet modus entis, ſi non imbiberet per modum tranſcendentis & implicitè ipſummet ens, cujus eſt modus. Et ita ſemper ſaluatur, quòd licèt Deus cauſet totam illam formalitatem, quatenus ens eſt, & exercet proprium munus entis; non cauſat illam quoad prædictum munus reſpiciendi objectum diſſonum. — Alia replica. Diluitur.

Ad primam verò confirmationem dicendum eſt, Deum cauſare entitatem illam malitiæ, vt eſt hæc numero portio entis moralis, ſeu hoc numero ens morale ſingulare & indiuiduum, non indiuiduatione atoma & ſpecifica contenta ſub ſpecie malitiæ; ſed indiuiduatione tantùm generica, & vt eſt indiuiduum genericum contentum immediatè ſub ente morali: qua ratione neque eſt indiuiduum ſpecie malitiæ, neque eam eſſentialiter includit, aut ſub illa continetur; ſed potius ipſam antecedit, & ex modo noſtro concipiendi ab ea præſcindit. — Solutio primæ confirmationis.

Replica. 92. Dices: gradus genericus prius intelligitur determinari per gradum ſpecificum, quàm per differentiam numericam: quia quod immediatè continetur ſub genere, & de quo genus prædicatur juxta Porphyrij diffinitiones non eſt indiuiduum, ſed ſpecies: ergo portio illa ſeu gradus entis moralis identificatus cum malitia prius debet intelligi vt contractus & determinatus per ipſam malitiæ rationem, quæ reſpectu illius eſt differentia ſpecifica quàm intelligatur contrahi & indiuiduari per aliquam differentiam numericam.

Diluitur. Reſpondetur, quòd licèt in Logica conſideratione gradus genericus, v. g. animal, prius intelligatur determinari per differentiam ſpecificam rationalis, vel irrationalis: eo quòd in hac conſideratione gradus ille accipitur vt totum potentiale immediatè perfectibile per prædictam differentiam; attamen in conſideratione & compoſitione metaphyſica hominis v. g. prius intelligitur quilibet gradus genericus indiuiduari indiuiduatione ſibi proportionata, ſcilicet generica & fieri hoc numero animal, quàm intelligatur conjungi cum gradu & differentia ſpecifica; ſcilicet rationali. Et ratio eſt: quia in hac conſideratione gradus genericus non accipitur vt aliquid poten-

tiale, ſed vt pars actu exiſtens, quæ ſimul cum gradu ſpecifico actu componit totum: componitur enim hoc numero totum actuale & exiſtens ex his numero partibus actu exiſtentibus: quicquid autem intelligitur actu exiſtens, in eo gradu, in quo exiſtit, intelligitur jam ſingulare & indiuiduatum: quia exiſtentia conuenit rebus non niſi indiuiduis Quare gradus entis moralis; qui contrahitur per differentiam, vel quaſi differentiam malitiæ, prius intelligitur indiuiduatus per modum indiuidui generici contenti immediate ſub ente morali, & vt ſic terminus diuinæ cauſalitatis, quam intelligatur conjungi cum prædicta differentia, & conſtituere cum illa adæquatam ſpeciem malitiæ, quæ ex vtroque iſto gradu tanquam ex duabus quaſi partibus materiali & formali indiuiduis coaleſcit.

Alia replica

93. Dices ſecundò, quòd ille gradus entis moralis de ſe communis, fiat hic numero, adhuc per modum indiuidui generici, totum oritur ex differentia malitiæ, cum qua coniungitur: nam idcirco prædictus gradus eſt hic; & non ille: eſtque hæc numero portio entis, & non illa, quia coniungitur, aut ſaltem petit conjungi cum hac differentia ſpecifica malitiæ; & non cum alia: ſeu quia transcenditur in vna; & non in altera, ſecundùm quod prædicta differentia ſpecifica intelligitur per ſuam differentiam numericam indiuidua & ſingularis: ergo ſi Deus cauſat illam portionem entis moralis in malitia incluſam, vt eſt determinatè hæc numero, adeòque vt eſt per ſe connexa cum malitia, & eam exigit, debet etiam cauſare ipſam malitiam: ſicut qui cauſat fundamentum malitiæ in ratione fundamenti, conſequenter cauſat malitiam: quia fundamentum, vt tale eſt, per ſe nexum cum malitia, & per ſe illam exigit ſeu infert.

Reſolutio.

Reſpondetur negando antecedens: nam licèt ex eo quòd prædictus gradus entis ſit hic, & non alius, ſitque hæc numero portio moralitatis, & non illa, deducatur per legitimam conſequentiam, prædictum gradum debere eſſe talis conditionis, vt alias exigat malitiam, & eam inferat: non tamen quòd prædictus gradus ſit hæc portio numero, ſitque indiuiduus indiuiduatione ſufficienti, vt à Deo cauſetur, habet ex conjunctione ad malitiam, aut ex eo quòd per ſe illam inferat, vel exigat: imò totum hoc eſt extra indiuiduationem prædicti gradus, vt præciſè eſt terminus diuinæ cauſalitatis. Et ideo licèt Deus non cauſet prædictam portionem entis formaliter vt petit coniungi cum malitia, nec formaliter vt per eam transcendit, nec quatenus per ſe illam infert, vel fundat, vt reuera non cauſat; adhuc poteſt eam cauſare vt indiuiduam per modum indiuidui generici indiuiduatione ſaltem inadæquata, omnino tamen ſufficienti ad rationem termini diuinæ cauſalitatis. ¶ Diximus *indiuiduatione ſaltem inadæquata, omnino tamen ſufficienti*, &c. quia ſi adæquata ratio indiuiduationis illius portionis entis conſideretur, complectitur etiam coniunctionem formalem cum hac numero malitia, aut eius exigentiam, vel transcendentiam per illam: nam his poſitis, etiam ſi prædicta portio aliunde indiuidua non eſſet, ab illis indiuiduaretur: non tamen in ratione termini diuinæ cauſalitatis hujuſmodi indiuiduationem exigit; ſed ſolùm eam, quam diximus.

94. Etſi petas, à quonam prædicta portio indiuiduetur in ratione termini diuinæ cauſalitatis? Reſpondetur ſumi hujuſmodi indiuiduationem ex indiuiduatione ſubjecti, vt habet eſſe hoc in ordine phyſico, & non vt dicit ordinem ad malitiam: ſiue, quod idem eſt, ſumitur talis indiuiduatio ex eo, quòd prædicta portio entis moralis eſt coniuncta & fundata in hac numero entitate phyſica actus peccaminoſi, ſecundum quod talis entitas ſiſtit in ordine phyſico, præſcinditque omnino à ratione fundamenti malitiæ. Circa hæc tamen videnda ſunt, quæ diximus tom. 1. loco cit. à num. 19. & ea, quæ docent N. Complut. lib. 1. de generat. diſp. 2. à num. 118.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur cauſalitatem diuinam, etiamſi vniuerſaliſſima ſit, tantùm debere pertingere ad ea, quæ cadunt ſub ente conſiderato in eſſe termini ipſius diuinæ cauſalitatis: ad ea verò, quæ non cadunt ſub illo in eſſe termini, ſed præciſè in eſſe rei, non debet pertingere: quia nulla virtus egredi poteſt latitudinem ſui objecti, vt habet eſſe terminus talis virtutis: conſtat autem, quòd ſub ente, vt eſt terminus cauſalitatis Dei, non cadit malitia, neque aliqua ratio per ſe connexa cum malitia, qualis eſt ratio fundamenti illius in eſſe fundamenti, ratio principij ejuſdem vt talis, & etiam ratio transcendentis per illam formaliter in ratione tráſcendentis. Quia cum omnes hujuſmodi rationes nequeant reduci in Deum ſicut in finem; imò illi repugnent; & aliàs terminus adæquatus diuinæ virtutis ſit ſolùm ens reducibile in Deum, vt ex dictis num. 88. habetur, non continentur ſub illo, vt habet rationem termini; nec ſunt ejus differentiæ in eſſe termini; licèt ſint differentiæ, & cadant ſub eo in eſſe rei: vltima verò differentia in eſſe termini reſpectu entis, de quo loquimur, eſt illa ratio indiuidui generici, quam hactenus explicuimus, vt ſiſtit in ſua indiuiduatione generica. Quæ quidem ratio licèt in eſſe rei videatur generica, atque adeo vlterius contrahibilis per differentiam ſpecificam & numericam malitiæ, in eſſe tamen termini diuinæ cauſalitatis eſt omnino vltima, per nullam aliam iterum contrahibilis. Circa hæc tamen, & circa totum hoc argumentum legenda ſunt, quæ diximus cit. loco de volunt. Dei à num. 178. vſque ad 207. vbi aliis replicis occurrimus, & aliquas etiam ſolutiones minus idoneas euertimus: ſatiſque ad longum toto illo dub. 7. cauſalitatem Dei in materiale peccati nedum per concurſum ſimultaneum, ſed etiam per abſolutam illius prædefinitionem phyſicam, & efficacem voluntatis præmotionem abſque influxu vllo in malitiam, ſarta tectáque arbitrij humani libertate explicuimus, & defendimus: indeque quæ ad præſens ſatisfacere poterant modo reſumpſimus.

* *
*

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Tertium argumentum pro eadem ſententia.

Argumentū tertium. 95. TErtiò arguitur pro prædicta ſententia. Malum in communi ſumptum, vt abſtrahit à malitia peccati commiſſionis & omiſſionis, & ab omni malo tam phyſico, quam morali, non eſt aliquid poſitiuum; ſed tantùm priuatio: ergo neque malitia peccati commiſſionis, quæ ſub tali malo continetur, poteſt eſſe poſitiua. Antecedens ex eo liquet, quia malitia peccati omiſſionis, pluráque alia mala ſub malo in communi contenta, apud omnes ſunt quid priuatiuum: quod autem priuatiuum eſt, non continetur niſi ſub priuatiuo. Ex quo etiam patet conſequentia: quia ſi malum in communi eſt priuatio, quicquid ſub eo continetur, debet eſſe priuatiuum: poſitiuum enim non continetur ſub priuatione.

Solutio. Reſpondetur negando antecedens, vel ſuppoſitum; nempe quòd detur aliqua ratio mali communis omni malo, ſub qua tam malitia priuatiua peccati omiſſionis, quàm malitia conſtitutiua peccati commiſſionis contineantur: quia re vera hujuſmodi malitiæ, logicè loquendo, ſunt primò diuerſæ; & in nullo neque vniuocè, neque analogicè conueniunt, niſi tantùm in nomine: quod proinde æquiuocè dicitur de illis. Et ratio eſt perſpicua. Tùm quia poſitiuo & priuationi nihil poteſt eſſe commune: ſiquidem ſupremum prædicatum cujuſlibet poſitiui eſt, quòd ſit *ens*; ſupremum verò quaſi prædicatum cujuſlibet priuationis eſt, quòd ſit *non ens*: hæc autem, vt ex terminis conſtat, in nullo conueniunt. Tum etiam quia prædicatum immediatè ſuperius ad malitiam conſtitutiuam peccati commiſſionis eſt moralitas actus humani, quæ abſtrahit à bonitate & malitia: prædicatum verò ſuperius ad malitiam omiſſionis eſt priuatio vt ſic, abſtrahens à morali & non morali: & ideo actus peccati commiſſionis prius eſt moralis quàm malus, ipſáque ejus moralitas prius eſt moralitas quàm malitia: è contra verò omiſſio prius eſt mala & malitia quàm moralis: prius enim omiſſio intelligitur eſſe carentia formæ debitæ vt ſic, in quo ipſo intelligitur jam mala, quàm intelligatur eſſe carentia formæ debitæ moraliter, ex quo habet quòd ſit moralis: conſtat autem quòd moralitas actus humani non continetur ſub hac priuatione, neque ſub hoc malo; ſed abſtrahit tam à bono quàm à malo, & ita diuiditur in bonitatem & malitiam actus humani: ſicut neque è conuerſo priuatio vt ſic, continetur aliquo modo ſub moralitate; imo eſt indifferens ad hoc, vt ſit phyſica, vel moralis.

Diuiſiones mali. 96. Vnde ſi diuiſiones & arbores in quibus malitia conſtitutiua peccati commiſſionis, & malitia priuatiua omiſſionis continentur, rectè aſſignandæ ſunt, non eſt conſtituendum pro vtraque vnum dumtaxat quaſi prædicamentum, cujus ſupremum prædicatum ſit malum, vt ſic ab omni malo abſtractum, quod deinde diuidatur in malum phyſicum, & in malum morale: & hoc rurſus in malitiam commiſſionis, & malitiam omiſſionis, vt aduerſarij diuidunt: ſed debent inſtitui duo quaſi prædicamenta primò diuerſa, quorum ſuprema prædicata ſint *ens*, & *non ens*, ſeu *ens & carentia entis*, inter quæ, logicè loquendo, nulla poteſt eſſe conuenientia etiam analoga: quia ab ente & non ente nihil eſt abſtrahibile, quod poſſit eſſe illis commune. Ex quibus *ens* diuiditur in *morale* & *phyſicum*: *morale eſt*, quod importat ordinem ad regulas moris: ſub *phyſico* verò comprehenditur (quoad præſens attinet) quicquid à tali ordine præſcindit. Deinde *ens morale* aliud eſt morale ſolùm cauſaliter & effectiuè, vt ſunt omnes habitus morales aliud objectiuè, ſicut objecta actuum & habituum moralium; & aliud formaliter, vt ſunt morales actus, quorum moralitas conſiſtit in tendentia ad objectum vt ſubditum regulis morum, præſcindendo, quantum eſt ex vi hujus conceptus communis, à conformitate, vel difformitate cum prædictis regulis. Rurſus hæc moralitas formalis diuiditur in bonitatem & malitiam propriam actus humani: quia ſi tendentia prædicta ſit ad objectum vt conſonum rationi & ejus regulis, eſt bonitas; ſi verò ſit ad objectum vt prædictis regulis diſſonum, eſt malitia: vnde ad hanc malitiam ſicut etiam ad oppoſitam bonitatem non eſt deuenire, niſi per prædicata illa poſitiua communiora entis & moralitatis.

Aliud verò prædicatum, quod eſt *non ens* ſeu *carentia entis* diuiditur primò in eam, quæ eſt carentia formæ non debitæ: & hæc eſt tantùm negatio, quæ proinde non habet rationem mali: & in eam, quæ eſt *carentia formæ debitæ*: & hæc eſt priuatio, & habet rationem mali: quia vnicuique malum eſt carere forma ſibi debita; & quia hoc malum nihil boni includit, dicitur *malum abſolutè*, vt dub. præced. vidimus. ¶ Deinde hoc malum priuatiuum diuiditur in *phyſicum* & *morale*. Illud eſt priuatio formæ debitæ debito phyſico, nempe ex ipſis principiis naturæ: hoc verò eſt priuatio formæ debitæ moraliter, ſcilicet ex lege vel ex regula rationis. Subdiuiditúrque malum hoc morale: nam vel forma, qua priuat, eſt aliquis integer actus, & talis privatio eſt malitia conſtitutiva peccati omiſſionis: quia omiſſio eſt carentia actus debiti: vel eſt ſola rectitudo debita ineſſe actui: & hæc eſt malitia privativa, quam dub. 1. hujus diſp. oſtendimus reperiri in quolibet peccato commiſſionis: & ut infra dicemus, conſequitur ad malitiam poſitivam conſtitutivam talis peccati. Ex quibus jam liquet quomodo nullum detur prædicatum etiam per modum analogi commune omni malo. Et rurſus quomodo malitia actus humani, quæ eſt ſpecies moralitatis, non contineatur ſub malo privativo, neque cum malitia omiſſionis in aliqua ratione conveniat, loquendo de convenientia logica.

Obiectiones contra ſolutionem. 97. Sed obiicies primò, quòd juxta doctrinam D. Thomæ quæſt. 72. ſequenti art. 6. peccatum commiſſionis & omiſſionis, quoties ex eodem motivo procedunt, vel ad illud ordinantur, formaliter ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo conveniunt non tantùm analogicè, vel genericè; ſed etiam ſpecificè in ratione mali & peccati. ¶ Secundò, quæ diffiniuntur

eadem definitione, habent eandem eſſentiam, quia diffinitio explicat eſſentiam rei : vnde æquiuoca, quæ non conueniunt in eſſentia, nunquam habent eandem diffinitionem : atqui peccata commiſſionis & omiſſionis eadem diffinitione diffiniuntur : nam vt docet D. Thom. in hoc art. in ſolut. ad 1. diffinitio peccati tradita ab Auguſt. ſcilicet *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*, vtrique peccato eſt communis, conueniunt ergo in eſſentia, & non ſunt purè æquiuoca. ¶ Tertiò, peccatum commiſſionis & omiſſionis habent eaſdem proprietates, eoſdémque effectus: vtrunque enim eſt per ſe vituperabile, vtrunque fundat demeritum & reatum pœnæ, & vtrunque, ſi ſit morale, priuat animam gratia, & inducit in ea maculam, & peccatum habituale, ac denique vtrunque offendit & injuriat Deum : ergo vtrunque participat eandem eſſentiam : nam proprietates & effectus conſequuntur eſſentiam rei : & ideo vbi ſunt iidem effectus, eædémque proprietates, non poteſt non eſſe eadem eſſentia. ¶ Præterea, vtraque malitia commiſſionis & omiſſionis eſt propriè malitia moralis, & opponitur regulis morum, éſtque malum creaturæ rationalis : ergo in his conueniunt, & non ſunt purè æquiuoca. ¶ Denique hujuſmodi prædicatio *Commiſſio vel malitia commiſſionis eſt malitia moralis* eſt formalis prædicatio ſuperioris de inferiori : ergo prædicatum latiùs patet quàm ſubjectum, & poteſt prædicari etiam de aliis : cum ergo prædicatum ſit malitia moralis, ſubjectum verò malitia commiſſionis, planè ſequitur malitiam moralem, quæ dicitur de malitia commiſſionis, in plus eſſe & magis communem, quàm ipſa malitia commiſſionis : adeóque poſſe etiam prædicari de aliqua alia malitia morali, ſcilicet de malitia omiſſionis.

Diluitur prima obiectio.

98. Has objectiones adduximus in fauorem oppoſitæ ſententiæ, vt ex earum enodatione ſolutio & doctrina tradita melius capiatur. Reſpondetur ergo ad primam, peccatum commiſſionis & omiſſionis, quoties circa idem motiuum verſantur, dici *eiuſdem ſpeciei*, non logicè quaſi in aliquo prædicato quantumvis ſuperiori conueniant; ſed moraliter : quia juxta communem reputationem pro eodem æſtimantur *facere & omittere* ex eodem motiuo aut *facere & non facere* contra eandem legem, & cum æquali obligatione ad oppoſitum. Et hoc tantùm voluit D. Thom. loco cit. vbi propterea non dixit abſolutè commiſſionem & omiſſionem, de quibus ibi loquitur, eſſe ejuſdem ſpeciei; ſed *eſſe eiuſdem ſpeciei formaliter differre verò materialiter* : nam per *formalem vnitatem* intelligit conuenientiam moralem, ſcilicet quoad æquiualentiam, appretiationem, & æſtimationem : per *differentiam* verò *materialem* intelligit omnimodam diuerſitatem; quam habent ſecundum ſuas rationes quidditatiuas, & ſecundum ſua metaphyſica prædicata, in quorum nullo conueniunt abſolutè & in eſſe rei. Prædicta autem moralis conuenientia nobis non efficit : nam etſi loquamur de rebus & formalitatibus moralibus; loquimur tamen de illis non moraliter; ſed valde metaphyſicè inueſtigando earum quidditates & naturas in genere moris, & quid re ipſa ſint; vel non ſint, earumque conuenientiam, vel diſconuenientiam in tali genere, attentis legibus dialecticæ & metaphyſicæ; quæ de rebus in quocunque ordine quærunt; non pro quo æſtimentur aut reputentur; ſed quid in ſuis formalibus rationibus re ipſa ſint, & includant : Vide infra diſp. 8. dub. 1. vbi conuenientia & diſtinctio commiſſionis & omiſſionis ex profeſſo tractatur.

Diluitur Secunda.

Ad ſecundam reſpondetur diffinitionem *dictum, factum,* &c. vt eſt tantum vnica diffinitio, non conuenire niſi ſoli peccato commiſſionis, quia ſolùm hoc eſt *dictum, factum, aut concupitum* : & hoc ſolùm dicit tendentiam rationi contrariam, quam exigunt verba illa *contra legem* propriè intellecta. Quia tamen omnis negatio, vt nuper dicebamus, reducitur ad affirmationem, & in æſtimatione morali pro eodem reputatur *facere contra legem*; & *non facere iuxta præſcriptum legis*; ideo ſub hac diffinitione *dictum, factum, vel concupitum contra legem*, intelligunt Doctores aliam, ſcilicet *non dictum, non factum, aut non concupitum iuxta præſcriptum legis* : & per illam diffiniunt ſolùm peccatum commiſſionis; per hanc autem peccatum omiſſionis : quamvis breuitatis gratia hæc in illa ſubintelligatur. Hæ verò duæ diffinitiones, vt in ipſis cernitur, ita differunt ſicut *dictum* & *non dictum*, *factum* & *non factum*, &c. & ſicut *eſſe* & *non eſſe* : quæ vt ex terminis conſtat, metaphyſicè loquendo, in nullo prædicato abſolutè & in eſſendo conueniunt.

Diluitur Tertia.

99. Tertia objectio non obſtat : quia vt effectus ibi enumerati, ſint vtrique peccato communes; non eſt inter illa neceſſaria aliqua conuenientia logica vel metaphyſica; ſed ſufficit conuenientia moralis, quam num. præced. explicuimus : eo quòd prædicti effectus (excepto vno vel altero) ſolùm ſunt effectus morales, qui non originantur ex peccato niſi ratione moralis appretiationis. Nã quia in morali & prudenti æſtimatione pro eodem reputatur *facere* & *non facere* contra eandem legem, idcirco vtrunque eodem modo vituperatur, & eodem modo demeretur gratiam & gloriam, meretúrque earum priuationem, & eadem pœna dignum cenſetur : ac tandem eodem modo Deus per vtrunque offenditur & iniuriatur. Neque ad conuenientiam iſtam moralem aliqua requiritur conuenientia logica etiam analoga abſolutè & in eſſendo; ſed poteſt in rebus valde diuerſis, quatenus diuerſæ omnino ſunt, fundari : & ideo licèt equus & aurum v. g. ſecundum ſuas proprias & ſpecificas differentias in nullo conueniant; fundant ratione ipſarum differentiarum eandem æſtimationem & appretiationem : nec minus æſtimatur pars auri, quàm equus, attenta præcisè differentia vtriuſque.

Diximus *excepto vno vel altero*, &c. propter gratiæ priuationem, quæ non ſolum moraliter (hoc eſt demeritorie) ſed etiam phyſicè ſeu effectiuè eſt effectus peccati mortalis. Hæc tamen gratiæ expulſio, vt eſt effectus phyſicus, non eſt ab omiſſione ratione ſuæ malitiæ priuatiuæ : quia priuatio ſola nequit effectiuè phyſicè expellere formam poſitiuam; ſed eſt ab actu, qui eſt cauſa omittendi, & ab eius malitia poſitiua : nam etiam in actu prædicto datur ſemper hæc poſitiua malitia, vt num. 124. dicemus.

Digitized by

dicemus. ¶ Adde non eſſe ſufficiens ſignum conuenientiæ logicæ inter prædictas malitias, quòd habeant pro effectu phyſico eandem gratiæ priuationem: quia effectus iſte vtpote priuatiuus ſolùm requirit pro cauſa aliquid præſtans gratiæ impedimentum, hoc autem præſtari poteſt à cauſis primo diuerſis, quæ in nullo prædicato logicè conueniant, eo ipſo quòd conueniant moraliter in ratione offenſæ. Vnde etiamſi omiſſio ratione malitiæ priuatiuæ expelleret phyſicè gratiam, ſicut expellit malitia poſitiua: non idcirco deberet illis concedi prædicta conuenientia logica.

Soluuntur quarta & vltima.

100. Ad quartam dicas, nomen *malitiæ* & nomen *moralitatis*, prout applicantur malitiæ & moralitati poſitiuæ & priuatiuæ, ſeu commiſsionis & omiſſionis, logicè loquendo, eſſe ſimpliciter æquiuoca: & ideo licèt vtraque ſit propriè malitia, & propriè moralitas; in nullo tamen abſolutè & in eſſe rei ſumptæ præterquam in nominibus conueniunt. Vnde quod vtraque malitia noceat naturæ rationali, & vtraque opponatur regulis morum; totum hoc in eis eſt æquiuocum & primò diuerſum: quia vnius oppoſitio & nocumentum eſt *ens*; alterius verò eſt *non ens*: quibus, vt diximus, nihil poteſt eſſe commune præter nomen. ¶ Ad vltimam denique dicendum eſt hujuſmodi prædicationem *Commiſſio vel malitia conſtitutiua peccati commiſſionis eſt malitia moralis* non eſſe ſuperioris de inferiori; ſed æqualis de æquali; & quaſi diffinitionis de diffinito: vt ſi de homine prædicaretur animal rationale. Nam illa prædicatio æquiualet huic. *Commiſſio eſt moralitas mala*, vel *eſt moralitas contraria rationi*, quæ eſt propria diffinitio malitiæ conſtitutiuæ peccati commiſſionis. Quare nec prædicatum ex parte rei ſignificatæ eſt in plus, quàm ſubjectum; nec poteſt applicari malitiæ omiſſionis aut alteri malitiæ priuatiuæ: quia licet ex parte modi ſignificandi prædictum prædicatum videatur communis eſſe, quàm ſubjectum: poſſetque quantùm eſt ex parte nominis extendi ad moralitatem & malitiam priuatiuam; reſtringitur tamen ratione ipſius ſubjecti, vt ſtet pro ſola poſitiua: quia hæc ſola prædicari poteſt de tali ſubjecto. Vt ſi de cane latrabili prædicetur *quòd eſt canis*, prædicatum non eſt in plus, quàm ſubjectum; imo eſt omnino idem, & prædicatio eſt identica: ac ſi diceretur, *canis latrabilis eſt canis latrabilis*: quia licet nomen *canis*, quantum eſt ex vi ſua, extendi poſſet ad marinum; ratione tamen ſubjecti, cui applicatur, reſtringitur vt ſtet pro ſolo latrabili; & non pro aliquo vtrique communi, quod poſſit extendi ad marinum.

Objectiuncula.

Supereſt leuis objectiuncula: quia peccatum commiſſionis abſolutè eſt malum, & non tantùm reſpectu hujus vel illius naturæ: ergo debet contineri ſub malo abſolutè dicto, adeóque ſub malo priuatiuo. ¶ Sed facilè diluitur: quia cum in prædicto peccato admittamus vtranque malitiam poſitiuam & priuatiuam; poteſt ratione hujus, quamvis non ratione illius, contineri ſub malo priuatiuo, & ſic prædicari de illo malum abſolutè dictum.

§. VIII.

Reliqua eiuſdem ſententiæ argumenta.

Quartum argumentum.

101. PRobatur quartò eadem ſententia: quia peccatum habituale, quod eſt terminus peccati actualis, non dicit pro formali aliquid poſitiuum, ſed ſolam gratiæ priuationem: ergo etiam malitia actualis cujuſcunque peccati debet eſſe priuatio; & non aliquid poſitiuum. Antecedens, quia à nobis oſtendendum eſt infra diſp. 16. non indiget modò probatione. Conſequentia autem videtur perſpicua. Tùm quia tendentia & motus poſitiuus debet habere terminum poſitiuum: & ideo ſi malitia actualis eſſet tendentia poſitiua; malitia habitualis, quæ eſt ejus terminus, non poſſet non eſſe poſitiua. Tùm etiam quia peccatum habituale verè & propriè eſt peccatum, vt patet per Tridentinum ſeſſ. 5. decreto de peccato origin. can. 5. atque adeo malitia ejus debet eſſe vera & propria malitia: ergo ſi hæc ſaluatur in ſola priuatione, non eſt cur ad malitiam & peccatum actuale requiratur poſitiuum.

Eneruatur.

Reſpondetur admiſſo antecedente, negando conſequentiam. Et ad primam probationem dicendum eſt, peccatum habituale non eſſe terminum primarium peccati actualis; ſed ſecundarium: qui bene poteſt eſſe priuatiuus, quamvis cauſa ſit poſitiua. Terminus verò primarius, quoties peccatum actuale illum habet, eſt habitus vitioſus, vel diſpoſitio facilè mobilis, aut ejus augmentum, quæ non habent rationem peccati, adhuc habitualis, vt omnes fatentur. ¶ Diximus *quoties peccatum actuale terminum habet*: quia actus immanentes, cujuſmodi eſt peccatum, licèt ex eo quòd ſunt fœcundi poſſint generare habitum vel diſpoſitionem, aut illa augere; per ſe tamen non indigent termino à ſe producto, eo quòd ſunt actus perfecti de genere qualitatis: & ideo quoties procedunt ab habitu magis vel æquè intenſo, neque augent illum, neque alium terminum habitualem producunt. Vt patet in actu virtutis, qui licèt formaliter & ſecundum ſe totum ſit poſitiuus, nullum alium producit terminum habitualem, niſi habitum virtuoſum, vel diſpoſitionem, aut eorum argumentum: vbi verò hæc iam producta ſunt, nihil habituale producit. Et addimus conſultò *habituale*: quia non negamus per quemlibet actum immanentem (ſaltem intellectus & voluntatis) produci ſemper in viatoribus quendam terminum actualem, qui reſpectu actus intellectus eſt verbum; reſpectu verò voluntatis eſt impulſus in rem amatam, & inſigniri ſolet nomine *amoris*, per quem amatum eſt in amante: de quo plura diximus in tract. de Trinit. diſputat. 3. dub. 1. à num. 6. Cæterum hic terminus eſt omnino actualis, & tranſit vna cum ipſo actu: atque ita nequit ſpectare ad peccatum habituale, quod tranſacto actu manet in anima, & denominat hominem habitualiter *peccatorem*.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, non ideo nos aſſerere malitiam conſtitutiuam peccati commiſſionis eſſe poſitiuam, quia ratio malitiæ propriè dictæ non ſalvetur in

Digitized by Google

priuatione: nam malitia omiſſionis eſt propriè malitia, & eſt priuatio: ſed quia ex aliis principiis à nobis adductis conſtat, tendentiam poſitiuam actus ad objectum diſſonum eſſe etiam propriè & formaliter malitiam: ac proinde admittendam eſſe ſimul cum malitia priuatiua malitiam poſitiuam: quamvis ratio malitiæ æquiuocè de illis dicatur: ſicut etiam dicitur æquiuocè de malitia actuali & habituali, etſi vtraque propriè malitia ſit.

Vltimum argumentum.

102. Tandem probatur: quia omne malum & omnis malitia habet eſſe præter intentionem voluntatis: eo quòd *nemo* (vt Dionyſius ait) *intendens ad malum operatur*: omne autem poſitiuum poteſt eſſe per ſe intentum: ergo nihil poſitiuum habet formaliter rationem malitiæ. Major & conſequentia conſtant. Minor verò probatur: quia omne poſitiuum eſt ens, & omne ens eſt bonum, ſaltem tranſcendaliter: nam ens & bonum tranſcendentale conuertuntur: quicquid autem per ſe eſt bonum, poteſt per ſe à voluntate intendi: ergo, &c.

Confirmatur: nam juxta communem doctrinam Dionyſij, Auguſtini, D. Thomæ, & aliorum Patrum peccati & mali nulla datur cauſa efficiens; ſed deficiens: omnis autem poſitiui, quod non eſt ens à ſe, debet dari cauſa efficiens: ſiquidem omne tale poſitiuum debet ab aliquo produci: ergo nullum poſitiuum poteſt habere rationem malitiæ.

Confirmatur ſecundò: quia prima potentia ad peccandum, vt ſtat formaliter ſub hoc conceptu, non eſt aliquid poſitiuum: ergo neque ipſum peccatum pro formali poteſt eſſe poſitiuum. Conſequentia videtur perſpicua: quia omne poſitiuum reduci debet in cauſam poſitiuam: & ideo cum peccatum pro formali reducatur in prædictam potentiam, ſi illud eſſet poſitiuum, deberet hæc etiam eſſe poſitiua. Antecedens autem probatur: nam ſi potentia prima ad peccandum eſſet poſitiua, cum non detur aliud poſitiuum creatum in quod reduci valeat, aliàs non eſſet prima, deberet reduci in Deum, eſſétque Deus cauſa potentiæ peccandi vt talis, & conſequenter ipſius peccati: ergo, &c.

Solutio argumenti.

Reſpondetur primò ad argumentum, quod etſi loquendo de intentione voluntatis, quæ eſt juxta inclinationem naturæ, atque adeò quæ eſt etiam intentio ipſius auctoris naturæ, omne malum culpæ ſit præter hanc intentionem; tamen loquendo de qualibet alia intentione; quæ poteſt eſſe in voluntate creata ab intrinſeco defectibili, non omne malum morale habet eſſe præter illam; ſed ſolùm malum abſolutè dictum, quod eſt malum priuatiuum. Imo D. Thom. quæſt. 71. ſequenti ex eo probat, peccatum non habere ſpeciem ex priuatione; ſed ex tendentia ad objectum: quia priuatio & defectus priuatiuus per accidens ſe habet ad intentionem peccantis: id verò, quod dat ſpeciem, debet eſſe per ſe intentum: atque adeo ſentit quòd malitia poſitiua, quæ dat peccato ſpeciem, non eſt totaliter extra intentionem peccantis. Quare axioma illud *nemo intendens ad malum operatur* vel debet reſtringi ad malum abſolutè dictum, ſeu priuatiuum (& de hoc accepit prædictum axioma D. Thom. loco nuper cit.) vel intelligitur de ſola ea intentione, quæ eſt juxta naturalem inclinationem voluntatis, quæ proinde ſimul eſt intentio auctoris naturæ.

Alia ſolutio.

103. Secundò poteſt reſponderi admiſſa majori, negando minorem; quia non omne poſitiuum debet eſſe per ſe intentum: relatio enim prædicamentalis ens poſitiuum eſt, & non eſt per ſe intenta, nec datur ad illam per ſe motus; ſed reſultat poſito fundamento & termino præter agentis intentionem. Et quicquid ſit de hoc, & admittamus, omne ens poſitiuum, qua ratione eſt ens & bonum tranſcendentale, poſſe intendi à voluntate per ſe; non tamen id tenemur admittere de qualibet formalitate & ratione poſitiua modificatiua talis entis, ſecundum ſuum conceptum explicitum, quoties hujuſmodi conceptus exprimit deformitatem & malitiam: ſicut licèt concedamus, totum illud poſitiuum, in quantum ens & bonum, cauſari à Deo; non ob id tenemur concedere, quòd cauſetur ab illo quoad deformitatem & malitiam moralem poſitiuam identificatam cum ejus entitate & bonitate tranſcendentali. Adde etiam id, quod diximus in hoc dub. à num. 68.

Diluitur confirmatio.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd defectus, ſeu hoc quod eſt *deficere*, ſtat dupliciter: vel ſolùm priuatiuè, per carentiam debitæ perfectionis: vel etiam contrariè, per indebitam & contrariam diſpoſitionem: dicitur enim manus defectuoſa, vel quia non habet niſi quatuor digitos, petens quinque; vel quia habet ſex, cum petat non habere niſi quinque. Vnde etiam cauſa, quæ attingit prædictum defectum, duplici modo dicetur *deficiens*: & *priuatiuè*, quia ibi non producit debitam perfectionem: & *contrariè*, quia producit illum cum diſpoſitione contraria & indebita. Et quia quod ex cauſa deficiente procedit, habet eo ipſo rationem mali: potius inde ſumitur, quòd eſt duplex malum: aliud priuatiuum, quod ſequitur ex cauſa deficiente priuatiuè: & aliud poſitiuum bono contrarium, quod ex cauſa deficiente contrariè ortum ducit. Cum ergo dicunt ſancti Patres, mali & peccati nullam dari cauſam niſi deficientem, vniuerſaliter verum eſt, cum debita diſtributione intellectum juxta dicta: vnde non omnem efficientiam reſpectu peccati excludunt; ſed cuilibet ejus cauſalitati admiſcent aliquam deficientiam, ſiue priuatiuam, ſiue contrariam.

Remittitur ſecunda.

¶ Ad ſecundam confirmationem conſtabit diſp. 11. vbi ex profeſſo examinatur, quid ſit potentia peccandi, & vnde ortum ducat? Alia verò argumenta, quæ hîc poſſemus adducere, vel manent ſoluta ex dictis pro noſtra aſſertione; vel ſi quæ adhuc egent ſolutione, in reliquo diſputationis diluentur.

* * *

DVBIVM

DVBIVM V.

In qua peccati ratione conſtituenda ſit eius malitia poſitiva?

QVæ uſque modo diximus, convincunt dandam eſſe malitiam moralem poſitivam: quid ſit verò hæc malitia, aut in qua formalitate vel ratione peccaminoſi actus conſiſtat, declarandum ſupereſt. Et licèt non obſcurè habeatur ex doctrina utriuſque dubij præcedentis, & ex illa, quam in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. & 2. tradidimus: ut tamen id in præſentiarum liquidò conſtet, placuit ſpeciale dubium inſtituere: quod breviter abſoluemus. Illa vero quæ examinari poſtulant, ad hæc reducuntur. An ſcilicet prædicta malitia ſit ens reale, vel rationis? an aliquid abſolutum, vel relativum? an denominatio extrinſeca, vel forma intrinſeca? an modus, vel entitas? & ſi modus, cuius ſit? & unde ſicut ex termino & ſpecificativo ſumat ſuam rationem.

§. I.

Aliquibus aſſertionibus difficultas expeditur.

104. DIcendum eſt primò prædictam malitiam non eſſe ens rationis; ſed verum ens reale. Hæc concluſio ſtatuitur contra Vaſq. in præſenti, & ſupra quæſt. 18. qui totum genus morale adeoque tam bonitatem, quam malitiam, ad entia rationis reducit. Eſt tamen communis inter alios Doctores, quos, quia in dubiis præcedentibus retulimus, conſultò prætermittimus. Deſumiturque ex D. Thoma locis cit. toto dub. 3.

1ma ratio. Probatur ratione primo: quia totum *eſſe* entis rationis eſt eſſe obiectivè in intellectu, ſeu eſſe objectum terminans cognitionem: ut probant N. Complut. in logica diſp. 2. quæſt. 2. atqui malitia non eſt tantùm objectivè in intellectu; imò nec ſemper habet hoc *eſſe* objectivum; ſed proprium eius *eſſe* eſt ſubjectivè & inhæſivè in voluntate & in aliis potentiis, prout à voluntate moventur: ut D. Th. ab omnibus receptus docet infra quæſt. 74. noſque ibidem oſtendemus: ergo non eſt ens rationis.

Confirm. Confirmatur: nam ſi malitia moralis eſſet ens rationis, quicunque cognoſceret peccatum, faceret illud, ac proinde peccaret: quod eſt abſurdum. Sequela ex eo patet, quia reſpectu entis rationis idem eſt *fieri* & *cognoſci*: ſicut enim prædictum ens non habet aliud *eſſe*, quàm eſſe objectivè in intellectu; ita eius *fieri* non eſt aliud, quàm cognoſci & fieri objectum intellectus.

Secunda ratio. Secundò probatur: quia peccatum ratione malitiæ habet effectus reales: realiter enim generat habitum vitij, realiter (ſi ſit mortale) expellit gratiam, realiter eſt vituperabile, realiter inducit pœnæ reatum, & eſt demeritorium: ergo prædicta malitia debet eſſe aliquid reale: reales enim effectus cauſam exigunt realem.

105. Probatur tertiò ad hominem contra Vaſq. qui prædictam malitiam dicit eſſe relationem diſconvenientiæ actus ad naturam rationalem. *Tertia.* Quia diſconvenientia actus mali ad prædictam naturam non eſt diſconvenientia ficta & ſolius rationis; ſed vera & realis: realiter enim talis actus habet quòd ſit naturæ humanæ diſconveniens, realiterque illi diſſonat & nocet: ut patet ex illis, quibus diſp. 2. probavimus vitia & peccata eſſe contra naturam hominis: ergo admiſſo (quod non concedimus) malitiam moralem conſiſtere in prædicta relatione, non debet à linea entis realis excludi.

Dices ex Vaſq. totum *eſſe* malitiæ dependet ex ratione, & ex deliberatione operantis: *Evaſio.* ſi enim ratio advertens & libertas deficeret, non eſſet peccatum: ergo eſt ens rationis.

¶ Quo eodem argumento (ſi alicuius momenti eſſet) probaret Vaſq. omnes actus liberos *Refellitur.* intellectus & voluntatis eſſe entia rationis: ſiquidem omnes ex deliberatione & ratione dependent; & niſi eſſet ratio deliberans, tales actus non eſſent: quod indignum eſt viro docto, & manifeſte abſurdum. Neque enim *ens rationis* dicitur totum id, quod dependet à ratione: ſed quod nullum aliud *eſſe* habet, quàm eſſe intellectus objectum, & objective in ipſo: quod eſt dumtaxat *eſſe* fictum, & *non ens* apprehenſum per modum entis. Peccatum autem & malitia etſi dependeat à ratione, ſicut omnes alij actus liberi dependent, non tamen eius *eſſe* eſt huiuſmodi *eſſe* objectivum; ſed exiſtit, ut diximus, in voluntate & in aliis potentiis; & quando eſt peccatum intellectus, non eſt in eo objectivè tantùm; ſed etiam ſubjectivè.

106. Dicendum eſt ſecundo, prædictam *Secunda aſſertio.* malitiam non eſſe extrinſecam denominationem; ſed formam realem & intrinſecam actui peccaminoſo. Hæc etiam aſſertio ponitur ſpecialiter contra Vaſq. qui illud ens rationis, quod apud ipſum eſt moralis malitia, dicit conſiſtere in ſola denominatione extrinſeca deſumpta ex libertate. In quo ſanè bis peccat: nam ut oſtendunt N. Complut. loco cit. denominationes extrinſecæ non ſunt entia rationis; ſed continentur in ordine entium realium: danturque verè à parte rei, ſicut dantur à parte rei formæ, ex quibus proveniunt, & denominationes intrinſecæ, ad quas reducuntur. Ergo ſi Vaſq. (licèt falsò) ponit prædictam malitiam in ſolo *eſſe* rationis; non debebat aſſerere eſſe extrinſecam denominationem deſumptam à libertate, quæ eſt forma realis.

Sed probatur, hoc etiam eſſe falſum, animadvertendo duo: primum eſt, quòd omnis denominatio realis exigit formam realem alicubi realiter exiſtentem: quia à forma, quæ ſecundum rem nullibi eſt, neque extitit; nulla poteſt ſumi realis denominatio. Vnde nunquam forma denominat extrinſecè terminum, quem reſpicit; niſi prius aut ſimul denominet intrinſece ſubiectum, cui ineſt. Secundo animadvertendum eſt, omnem denominationem, ſive intrinſecam, ſive extrinſecam, debere eſſe eiuſdem rationis, & eiuſdem ordinis, ac in eodem genere cum forma, à qua deſumitur:

Digitized by Google

tur: debetque habere proportionem cum tali forma. Et ratio eſt: quia denominatio (ut pertinet ad ordinem rerum, pro ut nunc de ea loquimur) non eſt aliud ſecundum rem & in recto à ſua forma; ſed eſt ipſamet forma vel ut recepta in ſubjecto, ſi denominatio ſit intrinſeca; vel ut reſpiciens terminum, & terminata ad illum, ſi fuerit extrinſeca.

Ratio pro aſſertione. Ex his probatur concluſio. Quia denominatio *mali actualis* in peccato non poteſt aliunde provenire, niſi à forma, quæ ſit actualis malitia; neque huiuſmodi forma poteſt alibi eſſe quàm in ipſo peccato: ergo non eſt denominatio extrinſeca; ſed intrinſeca. Antecedens quoad primam partem ſuadetur ex modò dictis: nam ſola malitia actualis eſt ejuſdem rationis & in eodem genere cum denominatione *mali actualis*. Quoad ſecundam etiam probatur: quia malitia actualis non poteſt non ſubjectum, in quo eſt, reddere actualiter malum: cum ergo ſolus actus peccati ſit capax hujus denominationis, fit, quòd nec prædicta forma poſſit alibi quam in tali actu intrinſecè exiſtere.

Evaſio præcluditur. 107. Dices cum Vaſq. prædictam denominationem deſumi à libertate, quæ eſt in ipſa potentia. ¶ Sed hoc facile rejicitur: quoniam libertas non pertinet ad genus mali; imò eſt indifferens per modum ſubjecti ad bonum & ad malum, idemque numero actus liber poteſt tranſire ab uno in aliud: ut probavimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 6. dub. 2. ergo non poteſt ab ea deſumi denominatio *mali*. ¶ Deinde libertas pertinet ad genus phyſicum; malitia verò eſt ordinis moralis: ergo non ſunt ejuſdem generis aut ordinis: atque adeo nequit malitia conſiſtere in denominatione ſumpta à libertate.

Evaſio alia impugnatur. Secundò reſpondet Iunior quidam, illam denominationem deſumi à lege prohibente actum peccati, quia eſſe aliquid malum & peccatum, non eſt aliud, quàm eſſe prohibitum per legem. ¶ Sed neque hæc ſolutio alicujus momenti eſt. Tùm quia lex ſecundum totum, quod in ea eſt, eſt bona & eſt à Deo: ergo nequit tribuere denominationem *mali* & *peccati*: alioqui ſicut Deus eſt auctor & cauſa legis, eſſet etiam cauſa prædictæ denominationis, & conſequenter cauſa peccati. Patet conſequentia: nam qui cauſat aliquam formam ſecundum totum, quod in ea eſt debet cauſare omnes denominationes, ſive intrinſecas, ſive extrinſecas, quæ deſumuntur ex tali forma: & ideo qui eſt cauſa viſionis in animali, cauſat non ſolùm intrinſecam denominationem *videntis* in ipſo animali; ſed etiam denominationem *viſi* in pariete, quæ eſt denominatio extrinſeca. Et ratio eſt, quam num. præced tetigimus: quia omnis denominatio ſecundum rem non differt à forma immediatè denominante; neque aliud dicit in recto præter ipſam formam, vel ut reſpicit terminum, ſi ſit extrinſeca; vel ut connotat ſubjectum, ſi fuerit intrinſeca: proinde que idem omnino eſt cauſare denominationem, vel extrinſecam, vel intrinſecam; ac cauſare formam denominantem, connotando terminum vel ſubjectum. Ergo ſi lex eſſet forma denominans actum *malum* & *peccatum*, Deus, qui eſt auctor & cauſa legis, eſſet cauſa & auctor peccati. Tùm etiam impugnatur iſta ſolutio: quia denominatio *prohibiti*, quæ deſumitur ex lege, non eſt denominatio mala, nec peccaminoſa: eſt enim malum & peccatum, quòd aliquid fiat contra legem, & contra ejus prohibitionem: quòd verò ſit prohibitum, non poteſt eſſe malum neque peccatum: alias prohibens & imponens legem peccaret, & malum faceret, quod eſt abſurdum: ergo neque talis denominatio poteſt eſſe ipſa malitia & ratio peccati.

108. Dicendum eſt tertiò, malitiam moralem, de qua loquimur, non eſſe relationem, prædicamentalem ſeu *ſecundum eſſe*, ſed in alio prædicamento collocandam. *Aſſertio tertia.* Huic quoque aſſertioni contradicit. Vaſq. qui ſuum illud ens rationis, & extrinſecam denominationem, quæ pro malitia aſſignat, dicit eſſe relationem prædicamentalem diſſonantiæ ad naturam rationalem. Sed probatur contra illum & alios noſtra concluſio primò: quia relatio ſecundum ſuum formaliſſimum conceptum non exprimit aliquid de genere boni, neque de genere mali; ſed ab utroque præſcindit: ut probavimus in tract. de Trinit. diſp. 6. dub. 2. ubi hac ratione oſtendimus divinas rationes ſecundum formaliſſimum conceptum & munus *ad* nullam dicere perfectionem: ergo forma conſtitutiva malitiæ conſiſtere nequit in prædicta relatione: debet enim conſiſtere in aliqua ratione exprimente malum, ut ex ſe liquet.

Secundò ſæpe exiſtit peccatum & ejus malitia, ſine eo quòd detur à parte rei relatio prædicamentalis; ergo non conſtituitur per hujuſmodi relationem. Conſequentia eſt perſpicua. Antecedens verò probatur: nam relatio prædicamentalis non poteſt dari à parte rei, niſi ejus terminus realiter exiſtat, ut ex Philoſopho, & ex D. Thoma docent N. Complut. in log. diſp. 14. quæſt. 2. ſæpe autem exiſtit peccatum ſine eo quòd ejus obiectum, quod deberet eſſe terminus prædictæ relationis, realiter exiſtat: imò etiam ſi ejus exiſtentia repugnet, ut ſæpe fit: ergo, &c.

Dices hanc rationem procedere de relatione ad objectum; non verò de relatione diſconvenientiæ ad naturam rationalem, in qua Vaſq. conſtituit malitiam: quia natura ſemper exiſtit. ¶ Reſpondetur prædictam naturam excludi à ratione termini ſpecificativi malitiæ ex aliis capitibus, quæ vidimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. num. 58. & 61. Quibus addi poteſt, quòd terminus malitiæ ſpecificativus debet eſſe prima ratio, ut ipſa ſit malitia, & ut ſit diſconveniens naturæ rationali: ſiquidem quicquid malitia habet, ſumit ut à prima ratione à prædicto ſpecificativo: natura autem non poteſt eſſe ratio, ut ſibi diſconveniens ſit illud, quod aliunde non habet, per quod ei diſconveniat. Quocirca prius quærendus eſt alius terminus ſecundum ſe diſconveniens naturæ rationali, & naturali ejus inclinationi, uti eſt obiectum rationi diſſonum, ex quo habitudo conſtitutiva malitiæ accipiat ſuam malitiæ rationem, per quam diſconveniat & repugnet prædictæ naturæ, quam intelligamus, prædictam habitudinem reſpicere ipſam naturam ut relatio diſconvenientiæ, aut fundare ad illam ſimilem relationem.

Sed probatur ulterius non poſſe malitiam conſiſtere

Digitized by Google

conſiſtere in relatione prædicamentali, ſive ad naturam, ſive ad alium quemcumque terminum. Quia antequam intelligamus, actum peccaminoſum referri relatione prædicamentali ſive ad obiectum, ſive naturam; intelligimus referri habitudine quadam tranſcendentali, quæ eſt fundamentum relationis prædicamentalis: ſed ex hac habitudine intelligitur iam *malus* & *peccatum*: ſiquidem intelligitur per illam terminari ad obiectum diſſonum & contra legem: ergo ante relationem prædicamentalem datur prædicta malitia.

Aſſertio ultima. 109. Sit ergo ultima concluſio. Propria forma, in qua malitia moralis conſiſtit, eſt modus realis poſitivus de prædicamento qualitatis, reſpectivus tranſcendentaliter, & ſuperadditus entitati phyſicæ actus peccaminoſi: conſiſtitque talis modus in tendentia actus ad objectum, ut habet eſſe diſſonum legi, adeóque objectivè malum in genere moris. Hæc aſſertio quoad omnes ferè ſuas partes habetur ex dictis in hac diſp. ubi dub. 3. & 4. oſtenſum eſt prædictam formam debere eſſe poſitivam tendentiam ad obiectum modo dicto acceptum, adeóque reſpectivam ipſius objecti; & non omnino abſolutam: non eſſe autem huiuſmodi reſpectum prædicamentalem, neque purè extrinſecum, conſtat ex dictis in hoc dubio. Quòd verò non ſit ipſa entitas phyſica actus mali; ſed modus ſuperadditus, habetur ex illis, quæ diximus in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. dub. 1. & 2. & 3. ubi oſtendimus moralitatem, quæ eſt genus ad bonitatem & malitiam, eſſe modum de prædicamento qualitatis, diſtinctum a libertate & entitate phyſica actus liberi: ibidémque dub. 4. ſufficienter probavimus, proprium terminum ſpecificativum iſtius modi, directéque & immediate ab eo inſpectum, neque eſſe ipſam naturam rationalem, neque dictamen aut regulam rationis, vel legem; ſed obiectum actus, ut ſubeſt huic dictamini & legi: éſtque proinde in genere moris objectivè: vel per modum conformis cum prædictis regulis, ut reſpectu actus boni; vel per modum deformis & diſſoni, ut reſpectu actus mali. Vnde in confirmanda hac concluſione, ut quæ epilogus eſt multorum, quæ probata jam ſunt, non eſt neceſſe immorari. Oportet tamen obiectiones aliquas contra aſſerta diluere.

§. II.

Triplex objectio contra aſſertiones.

Prima obiectio. 110. OBiicies primò: quia malitia moralis eſt illud, per quod peccatum formaliter & immediate opponitur legi illud prohibenti: nam de ratione peccati, ut talis, eſt quòd ſit contra legem: ſed opponitur legi immediatè & formaliter per ipſam ſubſtantiam actus, & non per aliquem modum ſuperadditum: ergo in illa, & non in iſto debet prædicta malitia conſiſtere. Minor probatur: quia peccatum per illud formaliter opponitur legi, quod in eo lex immediatè prohibet: at lex prohibet immediate ipſam ſubſtantiam actus: lex enim prohibens homicidium; immediatè prohibet ne huiuſmodi actus ſecundum ſubſtantiam exerceatur: & lex, quæ prohibet veſci carnibus feria ſexta, immediatè prohibet ſubſtantiam & entitatem iſtius comeſtionis: ergo, &c. ¶ Confirmatur: nam quia lex peccati omiſſionis immediatè prohibet carentiam actus boni idcirco malitia iſtius peccati conſiſtit in ipſa carentia; & non in aliquo illi ſuperaddito: ergo ſi lex peccati commiſſionis immediatè prohibet ſubſtantiam actus mali; & non aliquem modum, in illa & non in iſto collocanda eſt eius malitia.

Solutio. Reſpondetur admiſſa majori, negando minorem. Ad probationem verò dicendum eſt, peccatum non opponi legi immediatè & formaliter ratione illius, quod directè lex prohibet; neque ut ſecundum ſe ſumptum; neque ut habet eſſe prohibitum tali lege: ſed hoc tantùm eſt ſubjectum & materia, in qua prædicta oppoſitio exercetur: unde etſi lex immediatè prohibeat ſubſtantiam actus; non ideo actus opponitur legi formaliſſimè per ipſam ſubſtantiam. Et ratio eſt perſpicua: quia oppoſitio actus ad legem, proindéque forma, quæ immediatè conſtituit talem oppoſitionem, non antecedit ipſam legem; ſed eam ſupponit: ſicut omnis oppoſitio ſupponere debet extrema: inter quæ fit: id autem, quod lege prohibetur; quódque eſt propria materia legis, ſupponitur ad illam, ſaltem in eſſe obiectivo: priùs enim eſt, quòd res aliqua ſit materia apta prohiberi per legem, quàm quòd lege prohibeatur, ut ex ſe conſtat. Neque etiam oppoſitio prædicta aut ejus forma poteſt in eo conſiſtere, quòd talis res connotet legem prohibentem; aut in eo quòd ſit prohibita per illam: quia hoc, quod eſt *rem aliquam eſſe prohibitam*, non opponitur legi, imò eſt denominatio deſumpta ab ipſa lege, & illi valde conſona, ut num. 107. dicebamus. Conſiſtit ergo prædicta forma, prædictáque oppoſitio in hoc, quòd res prohibita, quæ eſt ſubſtantia actus mali, fiat formaliter ſub prohibitione tanquam ei repugnans: fit autem formaliter ſub prohibitione ut ei repugnans per reſpectum & tendentiam ad obiectum, ut objectivè diſſonum & repugnans eidem prohibitioni & legi prohibenti. Hic autem reſpectus neceſſariò differt à ſubſtantia actus: quia actus per ſuam eſſentiam & ſubſtantiam ſolùm habet reſpicere entitatem & bonitatem phyſicam obiecti, ut num. 68. dicebamus: & ideo ut reſpiciat illud, ſecundum quòd eſt morale, dicitque prædictam ſubjectionem & repugnantiam, opus eſt novo reſpectu ſuperaddito.

Ad confirmationem reſpondetur, malitiam peccati omiſſionis non conſiſtere formaliter in nuda carentia actus, quam lex prohibet; ſed in carentia illa, ut ſit ſub prohibitione, & cum oppoſitione privativa ad legem. Quæ ſanè oppoſitio diſtinguitur quodammodo ab ipſa carentia nudè ſumpta, & eſt veluti modus ſuperadditus: ut ex dictis diſp. præced. num. 6. conſtat.

Secunda obiectio. 111. Obiicies ſecundò, quòd peccatum diffinitur immediatè per eſſe contra legem; & non per ordinem ad obiectum: ergo malitia illius potius ſumi debet per reſpectum ad legem, quàm ad obiectum. ¶ Confirmatur: quia ab objecto, ut habet eſſe per legem prohibitum, non videtur deſumi poſſe aliqua malitia intrinſeca & realis: ergo aliunde debet deſumi. Antecedens probatur. Tùm quia hoc,

Digitized by Google

hoc, quòd eſt *eſſe prohibitum* in objecto non eſt aliquid reale intrinſecum; ſed extrinſeca denominatio, ergo quod à tali objecto deſumitur, tantùm poteſt eſſe denominatio extrinſeca. Tùm etiam quia *eſſe prohibitum* in objecto non habet rationem mali; ſed eſt denominatio deſumpta ex lege, & illi valde conſona, ut nuper diximus: ab eo autem, quod non eſt malum, nulla poteſt ſumi malitia: ergo &c.

Diluitur. Reſpondetur peccatum diffiniri per *eſſe contra legem* non quia lex ſit ejus ſpecificativum, proindeque terminus à peccato directè & immediatè inſpectus, ſed quia dicit tendentiam ad objectum contrarium legi: ex quo tendentia ipſa, in qua malitia conſiſtit, legi contrariatur. Atque ita tota contrarietas peccati ad legem, totaque ejus malitia poſitiva deſumitur & ſpecificatur immediatè ab objecto.

Ad confirmationem negandum eſt antecedens. Et ad probationem dicendum, quòd licèt in objecto *eſſe prohibitum* ſit denominatio extrinſeca; eſſe tamen ſub prohibitione per modum repugnantis, in quo conſiſtit malitia objectiva, aliquid eſt in illo intrinſecum: ut oſtendimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. dub. 6. Sed quicquid de hoc ſit, & admiſſo antecedente hujus probationis, negatur conſequentia: quia tendentia actus ad objectum ut diſſonum & prohibitum, quicquid hoc ſit in illo intrinſeca eſt actui peccaminoſo tendenti in tale objectum: & in hac tendentia conſiſtit malitia formalis.¶ Ad ſecundam reſpondetur, quòd licèt denominatio *prohibiti* in objecto non ſit mala; habitudo tamen ipſius objecti ad prohibitionem & ad legem prohibentem, verè eſt de genere mali: nam eſt habitudo per modum difformis & repugnantis ipſi legi. Et ab hac habitudine potius quàm à prædicta denominatione ſumitur malitia actus.

Tertia objectio. Denique objicies, quòd juxta doctrinam D. Thomæ in 1. art. hujus quæſt. 71. primaria ratio habitus moralis, ſive boni, ſive mali, deſumitur per ordinem convenientiæ vel diſconvenientiæ ad naturam: ordo vero & tendentia ad actum & objectum habet ſe ex conſequenti, & eſt quodammodo ſecundarius, ut in commentario prædicti articuli explicuimus: ergo etiam in actibus principalis bonitas, aut malitia deſumenda erit ex convenientia vel diſconvenientia ad eandem naturam, ut vult Vaſq; non ex tendentia ad objectum.

Enervatur. Reſpondetur, quicquid ſit de antecedente, negando conſequentiam: alia enim ratio eſt de habitibus, qui eſſentialiter ſunt diſpoſitiones naturæ, & determinationes potentiæ ad operandum; & alia de actibus ſeu operationibus, quæ ſunt actuales tendentiæ habituum ad objecta, proindeque termini, & ſpecificativa ipſorum habituum, atque illis abſolutè & ſimpliciter priores. Vnde non ſequitur, quòd ſi ratio habitus ſumitur per ordinem ad naturam; debeat etiam malitia actus per ſe primò ex eodem capite deſumi.

Corollarium. 112. Ex dictis in hoc & præcedenti dubio infertur, quòd ſicut malitia privativa reperta in quolibet peccato commiſſionis, non eſt niſi unica privatio, quæ diverſas habet appellationes, ut explicuimus dub. 2. ita malitia ejus poſitiva non eſt niſi unica forma, quæ diverſa exercet munia, ob idque diverſis nominibus inſignitur. Vocatur enim *malitia*, vel quia à recta ratione exorbitat: nam juxta D. Dionyſium, malum hominis eſt præter rationem eſſe: vel quia inductiva eſt privationis, cui primò adaptatum fuit nomen *mali*. Vocatur etiam *deformitas*: quia actum, in quo eſt, vitiat & deturpat. Vocatur *inordinatio*: quia illum à debito rationis ordine extrahit. Vocatur *averſio à Deo contraria*: quia eſt tendentia contra illum, & contra ejus legem: ob quam etiam rationem dicitur *diſſonantia ad legem*, quia ejus prohibitioni repugnat. Sicut quia pravè & diſconvenienter afficit naturam rationalem & ejus potentias, appellatur *diſconvenientia ad talem naturam*. Et denique nominatur *converſio ad bonum commutabile*: quia eſt tendentia ad objectum diſſonum, quod ſolùm apparenter eſt bonum.

Cæterùm quòd his nominibus non plures formæ; ſed unica dumtaxat ſignificetur, cujus conceptus omnino primarius eſt hic poſterior, quem diximus, ſcilicet *tendentia ad objectum diſſonum*, ex eo conſtat: quia prædicta tendentia ſine alterius formalitatis ſuperadditione præſtat ſufficienter munia omnia, quæ explicuimus, quæque prædictis nominibus denotantur. Nam eo ipſo quòd ſit tendentia ad prædictum objectum, habet eſſe contra rationem, & contra legem illud prohibentem: repugnat etiam Deo legiſlatori, & avertit ab illo, convertendo ad oppoſitum: per hoc etiam excludit ab actu, in quo eſt, ordinem rationis; inducitque in eo privationem rectitudinis: & per id ipſum diſconvenit rationali naturæ, quæ ex ſe poſtulat ratione regi, & illi in ſuis actibus conformari: non ergo neceſſe eſt ſuperaddere aliquid prædictæ tendentiæ, ut munia illa omnia exequatur.

Si autem objicias, quòd ultra prædictam tendentiam, quæ tantùm eſt relatio *ſecundum dici*, debet dari in actu peccaminoſo aliqua relatio *ſecundum eſſe*, fundata in illa, ſive ad objectum, quando exiſtit; ſive ad naturam, quæ ſemper exiſtit: quæ quidem relatio cum fundetur in malitia morali, ipſa etiam erit in genere morali, & malitia poſitiva. ¶ Reſpondetur hujuſmodi relationem (eſto admitti debeat) non eſſe formaliter malitiam: quia relatio prædicamentalis ſecundum ſe neque exprimit perfectionem, neque imperfectionem: convenientiam, vel diſconvenientiam, ſed dumtaxat ratione fundamenti: ſecundum ſe verò eſt purus reſpectus ad alterum, ut dicebamus num. 108. Vnde ſolùm erit aliquid conſequens ad malitiam, & ejus veluti corollarium: & hac via reducetur ad illam, eritque in genere mali moralis non per ſe; ſed reductivè: ſicut fundamentum malitiæ in ratione fundamenti reducitur ad illud per modum cauſæ & principij talis generis.

* * *

DVBIVM

Digitized by Google

DVBIVM VI.

Quæ ſit ratio formalis conſtitutiva peccati commiſſionis?

HVc ſpectavit integræ diſputationis labor: propterea enim utranque malitiam peccati commiſſionis poſitivam & privativam ita ex profeſſo inquiſivimus, propterea utriuſque rationem & eſſentiam ſic accuratè examinavimus, ut clariùs & faciliùs conſtare poſſit, quæ ſit ratio eſſentialis & conſtitutiva prædicti peccati? Neceſſariò quippe penes aliquam ex prædictis malitiis conſiſtere debet; vel utranque includere. Et licèt hoc dubium præcipuam diſputationis difficultatem continere videatur, non multis abſoluendum erit: quia graviora & ardua, quæ deciſionem retardare poterant, dub. 3. & 4. ſuperata jam ſunt; ut non niſi pauca & minus difficilia diſcuſſioni obnoxia ſuperſint.

§. I.

Aſſertio prior pro ſententia communi.

113. DIcendum eſt primò, rationem formalem conſtitutivam peccati commiſſionis non eſſe aliquid coaleſcens ex poſitivo & privatione. In hac aſſertione (quæ ferè eſt communis) conveniunt omnes, qui negant formalem malitiam poſitivam, quos dub. 4. num. 81. retulimus; & etiam ferè omnes, qui eam admittunt, quos citavimus dub. 3. Deſumitur verò ex D. Thoma pluribus in locis, quæ eodem dub. 3. §. 1. adduximus: iterumque in hoc dubio §. 2. commemorabimus. Probatur autem hac unica & efficaci ratione. Peccatum commiſſionis debet eſſe aliquid per ſe unum: ſed ex poſitivo & privativo non poteſt fieri unum per ſe: ergo nec ratio conſtitutiva talis peccati poteſt ex utroque coaleſcere. *Ratio aſſertionis.* Major fere ab omnibus recipitur, & eſt per ſe ſatis nota: quia ſi prædictum peccatum non eſſet unum per ſe, eſſet ens per accidens, proindeque non poſſe unica diffinitione diffinire. Conſequentia verò eſt perſpicua: quia nequit eſſe major unitas in re conſtituta, quàm habeat ratio conſtitutiva. Minor autem ſuadetur animadvertendo, duobus modis tantùm, quoad præſens attinet, poſſe reſultare ex duobus unum per ſe: vel tanquam ex partibus metaphyſicis, quæ ſunt genus & differentia: vel tanquam ex partibus phyſicis, aut quaſi phyſicis, quæ ſunt potentia & actus.

Probatur ergo, neutro ex his modis poſſe fieri per ſe unum ex privatione & poſitivo: etenim quoad primum res eſt perſpicua: quia genus & differentia in quacunque re non differunt realiter; ſed ſunt omnino idem ſecundum rem cum ſola diſtinctione rationis: & ideo poteſt unum de alio quidditativè prædicari tam in abſtracto, quàm in concreto, prædicatione ſaltem identica. Vnde hæ ſunt veræ prædicationes, *rationale eſt animal, animal eſt rationale: rationalitas eſt animalitas, hac animalitas eſt rationalitas*, &c. Atqui privatio & poſitivum non ſunt realiter idem; ſed differunt omnino, ſicut *eſſe* & *non eſſe*; nec poteſt unum de alio quiditativè prædicari, ut eſt per ſe notum: ergo non ſe habent per modum generis & differentiæ, neque hoc modo poteſt unum per ſe ex illis componi. ¶ Quoad ſecundum verò modum etiam conſtat. Tùm quia actus & potentia, quæ conſtituunt unum per ſe, debent eſſe in eodem prædicamento: & ideo ex ſubſtantia & accidente non fit unum per ſe, licèt illa ſe habeat per modum potentiæ, & hoc per modum actus, quia pertinent ad diſtincta prædicamenta: conſtat autem poſitivum & privationem non pertinere ad idem prædicamentum; imò privatio eſt extra omnia prædicamenta: ergo. Tum etiam quia quæ per modum actus & potentiæ conſtituunt unum per ſe, utrunque in ſuo genere eſt aliquid incompletum, habens ſimpliciter rationem partis: nam ex entibus totalibus & in ſuo genere completis non fit unum per ſe: ſed malitia poſitiva & privativa non habent ſimpliciter rationem partium; imo unaquæque in ſuo ordine eſt forma totalis, & completa in ſuo genere: ergo, &c. Tùm denique quia privatio cum ſit nihil, nullamque habeat perfectionem, neque actualitatem, nequit habere rationem actus: de cujus ratione eſt actuare & perficere potentiam. Nec ſimiliter poteſt habere rationem potentiæ: (nam potentia dicit realem habitudinem ad ſuum actum, eſtque per illum actuabilis & perfectibilis; privatio verò neque fundat prædictam habitudinem, imò ipſa eſt carentia habitudinis, neque eſt ulla ratione in ſe ipſa perfectibilis, aut capax recipiendi aliquam actualitatem: non ergo ſe habent per modum actus & potentiæ.

114. Confirmatur: illa, quæ per modum actus & potentiæ in alicujus conſtitutione concurrunt, indigent aliquo nexu reali, quo uniantur, qui ex parte utriuſque ſe teneat: inter poſitivum autem & privationem non eſt excogitabilis talis nexus: nam vel eſſet poſitivus, & hic non teneret ſe ex parte privationis, neque eam uniret: vel eſſet privativus; & iſte (præterquam quòd privatio nihil unit) non poſſet tenere ſe ex parte poſitivi: ergo, &c. *Duplex confirmatio.*

Confirmatur ſecundo: quia non magis, imò minus poteſt fieri unum ex privatione & poſitivo, quocunque modo comparentur, quàm ex ſubſtantia & accidente, aut quàm ex ente reali & rationis: magis enim differunt illa inter ſe, quæ in nullo conveniunt, quàm hæc, quæ ſaltem analogicè conveniunt in ratione entis: atqui ex ſubſtantia & accidente, aut ex ente reali & rationis nullo modo, neque tanquam ex genere & differentia, neque tanquam ex potentia & actu, poteſt fieri unum per ſe propter rationem dictam: ergo, &c.

Dices, privationem habere ſe per modum termini & complementi reſpectu poſitivi, & hoc modo conſtituere unum per ſe cum illo: ſicut punctum cum linea, ſubſiſtentia cum natura, & exiſtentia cum eſſentia. *Effugium.* ¶ Contra eſt: quia unio per modum termini, & rei terminabilis (ſaltem in creatis) reducitur ad unionem actus & potentiæ, & ferè eaſdem conditiones requirit; ut quòd utrunque ſit incompletum, *Refellitur.*

pletum, quòd ſint in eodem prædicamento, quòd unum ſit perfectivum & aliud perfectibile, ut patet in exemplis adductis: ergo propter eandem rationem non poteſt habere locum inter poſitivum & privativum.

Obiectio. 115. Sed obiicies tùm quòd fides in ſuo conceptu includit carentiam evidentiæ & claritatis, eo quòd fides eſſentialiter eſt aſſenſus obſcurus: ſicut etiam opinio includit carentiam certitudinis, & error carentiam veritatis: & tamen omnia hæc ſunt aliquid per ſe unum. Tùm etiam quòd de conceptu creaturæ eſt negatio perfectionis increatæ Dei, & in quolibet contrario includitur alterius negatio vel privatio: unde dixit Philoſophus 10. metaphyſ. quòd omnis contrarietas habet alterius contrariorum privationem: ergo ex poſitivo & privatione vel negatione poteſt fieri per ſe unum.

Diluitur Reſpondetur, neque carentiam evidentiæ eſſe de conceptu quidditativo fidei, neque carentiam certitudinis aut veritatis de conceptu opinionis vel erroris: ſed omnes hujuſmodi negationes vel privationes ſupponunt eſſentiam adæquatè conſtitutam, & conſequuntur ut aliquid omnino extra illam. Vnde de conceptu quidditativo fidei tantùm eſt, quòd ſit aſſenſus talis conditionis, ut neceſſario fundet, & ſecum ferat obſcuritatem. Idémque eſt de opinione reſpectu carentiæ certitudinis, & de errore reſpectu carentiæ veritatis. Similiter licèt omnis perfectio limitata & creata trahat ſecum carentiam increatæ perfectionis Dei, & omne contrarium carentiam ſui contrarij; non tamen hujuſmodi carentiæ, aut aliqua alia eſt de eorum conceptu quidditativo; ſed fundantur in illo, & ad eum conſequuntur. Prædictus verò conceptus quidditativus adæquatè ſiſtit in eo, quòd ſit res tantæ vel tantæ perfectionis per ſuum genus & differentiam poſitivè limitatâ: ex quo ſequitur quòd non ſit alterius, nec majoris, ac proinde quòd habeat prædictam carentiam.

§. II.

Vera & Thomiſtica ſententia.

Caiet. Bann. Ripa. Zumel. Alvar. Curiel. Cornejo. Mart. Gregor. de Arim. Vaſq. D.Thom.

116. Dicendum eſt ſecundo peccatum commiſſionis adæquatè conſtitui in ſua ratione formali per ſolam malitiam poſitivam; malitiam verò privativam eſſe extra conceptum eſſentialem. Aſſertionem hanc tuentur plures & graviores D. Thomæ diſcipuli: ut Caiet. Bannez, Ripa, Zumel, Alvar. Curiel, Cornejo, Martinez, & alij, quos adduximus dub. 3. num. 45. Et præterea illam defendunt Greg. de Arimino, Vaſq. & alij relati à nobis dub. 4. num. 63. Ex teſtimoniis verò D. Thomæ, quibus dub. 3. oſtendimus dandam eſſe malitiam poſitivam, plura ſuadent hanc aſſertionem: præſertim illud ex 2. 2. quæſt. 20. art. 1. *peccata verò alia* (id eſt quæ opponuntur virtutibus moralibus) *principaliter conſiſtunt in converſione ad commutabile bonum: ex conſequenti verò in averſione*, &c. Ecce D. Th. ponit ut principalem, atque adeo ut conſtitutivam peccati commiſſionis converſionem, quæ eſt malitia poſitiva; averſionem verò ſeu privationem dicit conſequi ad illud, & ſic eſſe extra eſſentiam. Vide ſupra num. 56. & 57. plenam intelligentiam hujus teſtimonij, & ceſſabit ſcrupulus, quem generat illa reſtrictio, *peccata vero alia*. Item in hac 1. 2. tota quæſt. 72. & 73. oſtendere conatur peccata commiſſionis (nam de his præcipue loquimur) non ſpecificari ex privatione; ſed ex converſione ad objectum diſſonum. Vnde in art. 6. quæſtionis 72. ad 2. ſic loquitur. *D. Thom.* *Peccatum non habet ſpeciem ex parte averſionis: quia ſecundum hoc eſt negatio vel privatio; ſed ex parte converſionis*, &c. Et art. 8. *Species peccati attenditur non ex parte inordinationis* (ſcilicet privativæ) *quæ eſt præter intentionem peccantis; ſed magis ex parte ipſius actus, ſecundum quod terminatur ad objectum.* Art. 9. ad 2. *Peccatum non ſortitur ſpeciem ex parte privationis, ſed ex parte converſionis ad objectum.* Conſequenter ad hæc loquitur quæſt. 73. art. 1. & 2. & 3. & 4. & ſupra quæſt. 18. art. 5. quæſt. 2. de mal. art. 6. & quæſt. 14. art. 3. aliiſque in locis.

Prima ratio. Præter rationes autem, quas adduximus dub. 4. pro noſtra ſententia, quæ pro præſenti apertè militant, poſſunt aliæ efformari. Prima ſic. Illud eſt conſtitutivum alicujus rei, quod eſt primum in tali re; quod verò hoc præſupponit, jam eſt extra prædictum conſtitutivum: ſed primum, quod invenitur in peccato commiſſionis ut tali, eſt ejus malitia poſitiva; eſtque omnino prior, quàm malitia privativa: ergo non hæc; ſed illa conſtituit prædictum peccatum. Conſequentia eſt perſpicua, & etiam major: nam ſicut eſſentia rei nihil in ea ſupponit; omnia verò alia, ut proprietates, effectus, &c. ſupponunt eſſentiam: ita ejuſdem eſſentiæ conſtitutivum debet eſſe primum, quod in tali re invenitur; & quod non præſupponit aliquid aliud. Minor autem, ſuppoſitis illis, quæ toto dub. 4. diximus, facile oſtenditur. Tùm quia in quolibet peccato commiſſionis, ut tale eſt, primum quod excogitari poteſt, eſt tendentia ad objectum diſſonum, quæ eſt malitia poſitiva; privatio verò oppoſitæ rectitudinis, in qua privativa conſiſtit, conſequitur ad prædictam tendentiam, & in ea fundatur: ſicut omnis privatio vel negatio fundatur in affirmatione, & ad illam conſequitur. Ob idque dixit D. Thom. cit. art. 3. quæſtionis 73. quòd *ex indebita converſione ad aliquod bonum commutabile ſequitur averſio ab incommutabili bono.* *D.Thom.* Vnde hæc cauſalis eſt vera, *quia actus furti v. g. tendit ad rem prohibitam lege juſtitiæ; caret oppoſita rectitudine ſibi debita ex lege ipſius juſtitiæ*: ergo, &c. Tùm etiam quia malitia poſitiva & privativa, quoties in eodem junguntur, habent inter ſe ordinem prioris & poſterioris, eſtque una fundamentum & cauſa alterius: conſtat autem, quòd privativa non poteſt eſſe prior, quàm poſitiva, ſicut neque eſſe poteſt fundamentum & cauſa illius: ergo, &c.

Evaſio. 117. Dices: in concretis accidentalibus prius eſt ſubjectum, quàm forma: prius namque eſt reſpectu albi corpus, quàm albedo: & tamen hujuſmodi concreta non conſtituuntur per ſubjectum; ſed per ſolam formam; nó enim conſtitutivum albi eſt corpus, ſed ſola albedo. Similiter in omni compoſito ſubſtantiali prior eſt materia prima, quàm forma ſubſtantialis: & nihilominus potiſſimum ejus conſtitutivum eſt forma. Ac denique in ipſomet peccato

Digitized by Google

peccato commiſſionis priùs eſt entitas phyſica, quàm aliqua moralitas: & tamen in ratione peccati conſtituitur per moralitatem; & non per prædictam entitatem. Ergo quòd in peccato ſit prior malitia poſitiva, quàm privativa, non convincit, per illam & non per hanc debere conſtitui.

Refellitur. Hoc tamen non obeſt: nam cum dicimus, *primum in aliqua re eſſe ejus conſtitutivum*, intelligendum eſt formaliter de eo, quod eſt primum in illa re, prout talis res eſt; ac proinde de eo, quod eſt primum in genere & ſpecie illius rei. Vnde quia in concretis accidentalibus etſi ſubjectum ſit prius quàm forma; non tamen eſt per ſe in illo genere, ſed in alio (corpus enim non per ſe eſt in genere albi; ſed in genere ſubſtantiæ) idcirco nec prædictum ſubjectum, formaliter loquendo, eſt primum, quod invenitur in tali re; licèt ſit prius quàm tota illa res: nec competit illi munus conſtituendi; ſed relinquitur formæ. In compoſitis verò ſubſtantialibus etſi materia prima ſit prior quàm forma, & in eodem genere cum illa; quia tamen eſſentialiter eſt pars & incompleta, non poteſt per ſe ſolam conſtituere; ſed cum alia comparte, quæ eſt ipſa forma: & ideo adæquatum conſtitutivum debet ex utraque coaleſcere; tribuitur vero munus conſtituendi potius formæ quam materiæ, quia non hæc ſed illa actuat, & diſtinguit. Hoc autem non habet locum in peccato: quia ut in aſſertione præcedenti probatum reliquimus, malitia poſitiva & privativa nequeunt habere rationem partium in ordine ad peccati conſtitutionem; ſed utraque in ſuo genere habet eſſe totalis: cúmque ex alia parte malitia poſitiva per ſe ſit in eodem genere peccati, planè ſequitur, quòd ſi ſemel eſt prior quàm privativa, non hæc ſed illa dumtaxat debeat conſtituere.

Ad illud verò de entitate phyſica actus peccati jam conſtat. Nam hujuſmodi entitas ſecundum ſe omnino eſt extra genus peccati: & ideo quamvis abſolutè ſit prior quàm moralitas, & quàm malitia tam poſitiva quàm privativa; non tamen propriè & formaliter loquendo, eſt prius in ipſo peccato; ſed magis extra illud: & ideo mirum non eſt quòd non conſtituat. ¶ Adde, conſtitutivum alicujus rei debere eſſe talis conditionis, ut poſſit eam ab aliis diſtinguere: nam conſtitutivum & diſtinctum idem ſunt: unde quia nec materia prima per ſe ſolam nec ſubjectum accidentis poſſunt ſua compoſita diſtinguere, cum etiam ſint communia aliis, ideo nec poſſunt illa conſtituere, ſed formale conſtitutivum ſemper eſt forma. Malitia verò poſitiva ſufficienter diſtinguit peccatum commiſſionis ab aliis: & ita ſi alias habet quòd in prædicto peccato ſit prima, debet conſtituendi munus ei tribui.

Secunda ratio. 118. Secundò probatur eadem aſſertio: quia priuſquam intelligamus in peccato commiſſionis aliquam privationem, intelligimus illud adæquatè conſtitutum in ſpecie peccati & mali moralis: ergo non conſtituitur per malitiam privativam. Conſequentia eſt perſpicua. Antecedens verò probatur: quia antequam intelligamus in prædicto peccato aliquam privationem, intelligimus quòd ſit actus moralis contrarius rationi, & tendens ad objectum prohibitum per legem: hoc enim totum eſt poſitivum; ſed in hoc concipitur jam formaliſſimè ut peccatum: convenitque illi ſic concepto peccati diffinitio, ſcilicet *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*: ergo, &c.

Confirmatur: tunc intelligitur aliqua res conſtituta in ſua ſpecie, quando intelligitur ut conſtans ex proprio genere & ex propria differentia diviſiva talis generis: ſed ante omnem privationem intelligimus in peccato commiſſionis genus & differentiam: ergo intelligimus illud conſtitutum in ſpecie peccati. Major & conſequentia conſtant: minor verò quoad primam partem, nempe quoad genus, etiam eſt perſpicua: nam proprium genus peccati commiſſionis eſt, quòd ſit ens morale, ſeu actus moralis, in quo cum actu bono convenit, ut conſtat ex dictis à num. 71. conſtat autem quòd ut intelligamus in peccato commiſſionis rationem actus moralis, prout communis eſt ad bonum & ad malum, non requiritur aliqua privatio; imò ſi in hoc includeretur privatio, non conciperemus gradum illum actus moralis ut communem; ſed ut determinatè malum per talem privationem, ut vidimus cit. num. 71. Quoad ſecundam verò partem, ſcilicet quoad differentiam, ſuadetur eadem minor: quia gradus communis actus moralis prius intelligitur determinari per ſuam propriam differentiam, quæ eſt talis vel talis modus tendendi ad objectum, quàm intelligatur fundare aliquam privationem: ideo namque fundat privationem, quia tendit ad tale vel tale objectum, ad quod debebat non tendere: ergo prius eſt hujuſmodi tendentia & differentia, quàm prædicta privatio. *Confirmatio.*

Confirmatur ſecundo: tunc intelligimus peccatum commiſſionis adæquatè conſtitutum in ſua ſpecie, aut ſaltem formam illam per quam conſtituitur, quando intelligimus illud ſufficienter diſtinctum ab aliis, quæ non ſunt ejuſdem ſpeciei, ſcilicet ab actu bono, & à peccato omiſſionis: nam conſtitutivum & diſtinctivum, ut dicebamus ſecundum rem idem ſunt: ſed per ſolam tendentiam poſitivam actus ad objectum prohibitum, ſine aliqua privatione, intelligimus prædictum peccatum ſufficienter ab aliis diſtinctum: ergo, &c. Minor ex eo probatur, quia nec actus bonus nec peccatum omiſſionis importat prædictam tendentiam; imo actus bonus dicit tendentiam omnino oppoſitam, peccatum verò omiſſionis carentiam totius actus & tendentiæ: ergo, &c. *Confirmatio.*

119. Tertiò probant noſtram aſſertionem Caietanus & alij ſequenti ratione, quæ eſt etiam præcedentis confirmatio: quoniam privatio non poteſt ſufficienter diſtinguere ſpecies peccatorum: ergo nec poteſt illas conſtituere. Antecedens ex eo probatur, quia dantur plura peccata ſpecificè diſtincta, in quibus non eſt niſi una ſecundum ſpeciem privatio rectitudinis. Vt patet, quando eidem virtuti plura peccata ſpecificè diſtincta opponuntur: ſicut liberalitati opponitur peccatum prodigalitatis, & peccatum avaritiæ: & magnanimitati opponitur puſillanimitas & præſumptio: & regulariter inveniemus uni virtuti plura vitia & peccata opponi: in his enim *Tertia ratio.*

Digitized by Google

enim quamvis ſpecificè ſint plura, non invenitur niſi unica ſecundum ſpeciem privatio, videlicet privatio rectitudinis illius virtutis, cui opponuntur. Cum enim privationes ſpecificentur per formas, quibus privant; ubi non eſt niſi unica forma & unica rectitudo ſecundum ſpeciem, repugnabit eſſe plures ſpecies privationis. ¶ Sed nos hanc rationem conſultò non proſequimur: tùm quia eam ſatis expendunt in præſenti Curiel, N. Cornejo, Vaſq. & alij: tùm etiam quia neque adverſariis admodùm difficile erit prædictæ rationi ſatis probabiliter occurrere, & aſſignare reſpectu ejuſdem formæ plures privationis ſpecies: vel ex diverſo modo illam privandi: vel ex aliis capitibus, quæ in hac eadem diſp. dub. 1. tetigimus: nec nobis erit adeo utile in eorum impugnandis evaſionibus ſine ſpe magni fructus diutiùs immorari. Eò præſertim quia ſuppoſita exiſtentia malitiæ poſitivæ, quam dub. 3. & 4. oſtendimus: & ſuppoſito etiam quòd eſſentia peccati commiſſionis ex privativo & poſitivo ſimul non conſtituatur, ut probavimus aſſertione præced. vix pro præſenti remanet difficultas: ex ſe enim ſatis liquet, malitiam poſitivam, ſi ſemel datur, aptiorem eſſe ad prædictam conſtitutionem quælibet malitia privativa.

§. III.

Duplex ſententia adverſa: & argumenta utriuſque.

Prima ſententia oppoſita. Capreol. 120. Contra propoſitas aſſertiones duæ militant ſententiæ. Prima contra priorem aſſerit conſtitutivum peccati commiſſionis conflari ſimul ex poſitivo & privatione. Citatur pro hac Capreolus in 2. diſt 35. quæſt. 1. art. 3. ubi ei non multum favet. Nam licèt videatur utranque malitiam admittere; non tamen vult utranque ex æquo ad peccatum pertinere: ſed poſitivam in recto, privationem verò in obliquo. In quo potius videtur eſſe pro nobis: quia conſtitutivum cujuſlibet rei non debet ad eam pertinere ſolùm in obliquo; ſed in recto. Citatur etiam Ferrara 3. contra gent. cap. 9. ubi ſatis obſcure loquitur. Pro eadem ſententia referri ſolet M. Victoria, qui ponebat formale peccati coaleſcere ex privatione tanquam ex genere, & ex poſitivo tanquam ex differentia. Ex junioribus verò illam ſequuntur (non tamen hunc dicendi modum Victoriæ) Nazarius 1. p. quæſt. 48. art. 1. controverſia unica concluſ. 2. & 4. Hieronymus à Rua tom. 2. controverſ. controu. 5. ſcholaſtica p. 1. concluſ. 3. & quidam alij. Præcipuum verò illorum fundamentum eſt, quòd juxta hanc ſententiam videntur ad concordiam reduci ferè omnia, quæ tam in favorem noſtræ ſententiæ, quàm pro ſententia adverſariorum in præcedentibus adduximus: compluráque D. Thomæ teſtimonia dub. 3. relata, in quibus pro conſtitutivo peccati commiſſionis modò poſitivum, modò privationem aſſignat, abſque interpretatione alia verificantur, ſi prædictum conſtitutivum ex utroque coaleſcat. ¶ In cujus etiam favorem efformari poteſt ſequens ratio. Peccatum commiſſionis habet eſſe in duplici genere, ſcilicet in genere entis moralis, quod eſt aliquid poſitivum, & in genere mali ſimpliciter, quod eſt privativum: eſt enim prædictum peccatum actus moralis ſimpliciter malus: ergo debet conſtitui per aliquid contentum ſub utroque iſto genere, atque adeo coaleſcens ex privatione & poſitivo.

(Ferrar. Victor. — Nazar. Hieron. à Rua. — *Eius fundamentum.*)

Cæterùm primum ex iſtis fundamentis nullius roboris eſt: nam potius contra hanc ſententiam militant ferè omnia argumenta tam ab authoritate quàm ex ratione, quæ pro aliis fiunt: & in utriuſque, velit nolit, labitur incommoda. Nam ex qua parte admittit, prædictum peccatum conſtitui per poſitivum, habet contra ſe argumenta illius ſententiæ, quæ negat malitiam poſitivam: ex qua verò aſſerit conſtitui etiam per privativum, militant contra eam rationes, quibus oſtendimus, privationem ſupponere peccatum conſtitutum. Inſuperque militat contra hanc ſententiam ſpeciale argumentum, quo unionem poſitivi cum privativo in ordine ad conſtitutionem alicujus rei num. 113. impugnavimus. *Enervatur.*

121. Nec ratio in ejus favorem nuper adducta, eſt alicujus roboris. Quia omnino repugnat id, quod eſt per ſe unum, ſicut eſt peccatum commiſſionis, in duobus generibus non ſubordinatis eſſentialiter contineri: alias non haberet unam eſſentiam; ſed eſſet purum ens per accidens: ſiquidem *diverſorum generum non ſubalternatim poſitorum diverſæ ſunt ſpecie differentiæ*, ut Philoſophus ait in anteprædicam. cap. de regulis: ubi verò diverſum genus & differentia invenitur repugnat eſſe eandem ſpecificam eſſentiam: ſiquidem eſſentia & ſpecies nihil aliud eſt niſi differentia & genus. Vnde peccatum commiſſionis eſſentialiter tantummodo continetur ſub genere entis moralis: quod quia poſitiuum eſt, petit contrahi per differentiam poſitivam: & ex ea ſimul cum illo genere eſſentia prædicti peccati adæquatè conſurgit. Sub malo verò *abſolute dicto* continetur accidentaliter. Sicut homo cæcus eſſentialiter continetur ſub genere ſubſtantiæ; & accidentaliter ſub genere mali privativi. Vnde ſicut hæc prædicatio *homo eſt ſubſtantia* eſt eſſentialis; hæc verò *homo eſt cæcus*, aut *eſt privatus viſu* eſt accidentalis & denominativa: ſic iſta *peccatum commiſſionis eſt actus moralis contra legem æternam*, aut *contra rectam rationem* eſt prædicatio eſſentialis & quidditativa; hæc verò *peccatum commiſſionis eſt carens debita rectitudine*, aut *eſt malum abſolutè*, eſt prædicatio denominativa & accidentalis. Philoſ.

Secunda ſententia oppoſita ſecundæ aſſertioni ait peccatum non conſtitui per aliquid poſitivum; ſed per illam privationem rectitudinis. Hanc tuentur omnes, qui negant malitiam poſitivam, quod adduximus dub. 4. num. 81. Eorum autem præcipua fundamenta tam ex authoritate quàm ex ratione propoſita & ſoluta ſunt dub. 3. & 4. ſpecialiter verò pro eis eſſe videntur illa D. Thomæ teſtimonia, quæ dub. 3. num. 40. & 41. in quarto argumento adduximus: quibus eodem dubio ſatisfactum eſt à num. 52. Ratione verò argui poteſt pro hac ſententia, adhuc ſuppoſita malitia poſitiva, in hunc modum. Illud debet eſſe conſtitutivum peccati, quod in eo eſt pejus, quòdque plus habet de ratione mali: *Secunda ſententia.* *Argumentũ.*

mali : ſed pejor eſt , & plus habet de ratione mali malitia privativa quàm poſitiva : ergo non per hanc , ſed per illam debet conſtitui. Major conſtat : nam ſicut in genere boni eſſentia præeminet ſuis proprietatibus, & quicquid in his eſt perfectionis , in illa virtualiter continetur : ita in genere mali id , quod conſtituit eſſentiam peccati , debet quaſi præeminere omnibus aliis malitiis , quæ ex tali eſſentia originantur , & eas in ſe veluti præcontinere : atque adeo debet eſſe pejus omnibus illis , & habens plus de ratione mali. Minor verò probatur. Tùm quia illam docere videtur D.Thom.2.2.quæſt.29. art.3. ubi ait, quòd *principalis ratio mali in peccato eſt ex hoc, quod avertit ſe à Deo.* Conſtat autem , quòd averſio à Deo fit per malitiam privativam. Tùm etiam quia malitia privativa habet rationem mali abſolutè & ſimpliciter ; malitia verò poſitiva non niſi reſpectu hujus vel illius naturæ , ac proinde ſecundum quid. Tùm denique quia id habet plus de ratione mali, quod minùs habet de ratione boni : ſicut è converſò illud habet plus de ratione boni, quod minus participat de ratione mali : & ita Deus eſt ſummum bonum , quoniam nihil mali participat : ſed malitia privativa nihil boni participat ; malitia autem poſitiva cum includat ens , includit etiam aliquid boni : ergo, &c.

D.Thom.

Confirmatio.

Confirmatur : per illud debet conſtitui peccatum , per quod diſtinguitur , & immediatè opponitur actui bono : ſed opponitur immediatè per malitiam privativam: bono enim immediatè opponitur privatio boni: ergo per illam debet conſtitui.

Solutio argumenti.

122. Reſpondetur ad rationem , majorem eſſe veram intellectam de eo, quod eſt pejus in genere moris ; non præciſe in eſſe rei : nam peccatum eſſentialiter eſt malum morale. Et juxta hunc ſenſum negari debet minor : quia licet in eſſe rei plus habeat de ratione mali malitia privativa , quæ nihil boni includit ; attamen in genere moris magis mala ſeu pejor dici debet malitia poſitiva. Et ratio eſt : quia malum in hoc genere ſumitur per oppoſitionem ad regulas rationis : & ideo illud malum eſt majus ſive pejus , quod rectæ rationi & ejus regulis magis contradicit : conſtat autem, quòd malitia poſitiva magis contradicit prædictis regulis , ſiquidem opponitur illis contrariè , quàm malitia privativa , quæ opponitur privativè : ſicut albo magis repugnat nigrum , quàm aliud præciſè non album : & Deo magis repugnat odium ipſius , quàm carentia amoris etiam privativa. ¶ Adde , quòd de ratione mali moralis eſt quòd ſit voluntarium : & ideo , cæteris paribus , illud malum cenſetur pejus in genere moris, quod plus habet de ratione voluntarij. Hac ratione , inter alias, actus eſt pejor habitu vitioſo, & habitus potentia : quia in ratione voluntarij actus habitum ſuperat , & uterque potentiam excedit. Conſtat autem, quòd malitia poſitiva plus habet de ratione voluntarij quàm privativa : nam illa eſt voluntaria per ſe (ſaltem ſecundàrio) hæc verò per accidens : illa directè ; hæc indirectè : illa quodammodo immediatè & ratione ſui ; hæc verò mediatè & ratione poſitivæ.

Ad primam verò probationem dicendum eſt , D. Thomam vel loqui de peccato mortali , ut mortale eſt reduplicativè , & non tantùm in ratione mali moralis , juxta dicta num. 55. vel nomine *averſionis* , quam dicit eſſe principalem in peccato , non intelligere ſolam averſionem privativam; ſed magis averſionem contrariam , ut explicuimus num. 53. Vnde legitimus ejus ſenſus eſt , quem tradidimus à num. 58. videlicet quòd principalis ratio peccati eſt converſio , non ut eſt præcisè tendentia ad bonum commutabile improportionatum appetenti , & malum ſolùm initiativè ; ſed ut trahit ſecum averſionem & ſeparationem à bono incommutabili : proindéque dici poteſt *averſio cauſalis* vel *converſio averſiva.*

123. Ad ſecundam probationem reſpondetur , non ideo malum privativum appellari *malum abſolutè* , quaſi plus habeat de ratione mali in genere moris , quàm poſitivum : ſicut nec malitia poſitiva adeo condiſtinguitur à *malo abſolutè* , quia tantùm ſit mala ſecundum quid : nec nos eam aliquando *ſecundum quid* appellavimus : nam in genere moris ſimpliciter opponitur rectæ rationi & legi. Sed malum privativum dicitur *malum abſolutè* , quia nulli eſt bonum : malum verò poſitivum dicitur non eſſe abſolutè malum , quia cum includat ens , poteſt eſſe alicui bonum bonitate tranſcendentali : unde dicitur malum non abſolutè ; ſed reſpectu determinatæ naturæ , cui opponitur , ſcilicet rationali : & in certo genere , nempe in genere moris : in hoc autem genere abſolutè & ſimpliciter eſt malum : & multò pejus , magìſque regulis rationis repugnans , quàm malum privativum, quod alias in genere rei dicitur *malum abſolutè.*

Ad tertiam dicas , malum morale non deſumi per ſe primò ex excluſione boni ; ſed ex oppoſitione ad rationem & ad legem : & ideo in genere moris illud ſimpliciter eſt pejus , quod rectæ rationi & legi plus repugnat: ſive aliàs participet aliquid boni ; ſive non. Vnde quia quoad hanc repugnantiam malum poſitivum privativum ſuperat , cenſetur pejus in genere moris. ¶ Adde , quòd cum dicitur *id plus habere de ratione mali* , *quod minus habet de ratione boni*, intelligendum eſt formaliter de bono , quod opponitur tali malo , & habet eſſe in eodem genere cum illo : atque adeo reſpectu mali moralis intelligendum eſt de bono etiam morali : conſtat autem , quòd ſicut malitia privativa nihil habet iſtius boni ; ſic nec malitia poſitiva aliquid ejus includit.

Ad confirmationem reſpondetur , peccatum debere conſtitui per illud , per quod opponitur actui bono , non privativè ; ſed contrariè : ſic autem non opponitur per privationem ; ſed per tendentiam poſitivam ad objectum diſſonum : ſicut ipſe actus bonus conſtituitur in ratione talis per tendentiam poſitivam ad objectum conſonum.

Solutio confirmationis.

§. IV.

Inferuntur nonnulla ex dictis.

Prima illatio. 124. Ex dictis inferre licet primò, qualiter privatio rectitudinis in peccato commiſſionis reperta, ad illud ſe habeat? Nam ſi prædictum peccatum conſideretur in ratione mali abſolutè dicti conſtat quòd conſtituitur per ipſam privationem: & ita reſpectu peccati ſic accepti privatio poteſt dici ratio conſtitutiva. Sicut etiam ſi ſermo ſit de peccato mortali, & conſideretur in ratione mortalis formaliſſimè, poteſt dici conſtitui per privationem gratiæ: quia in hac privatione ſita eſt mors animæ, à qua prædictum peccatum dicitur *mortale*, ut tetigimus num. 55. Si verò conſideretur in ratione peccati abſolute, ſeu in ratione mali moralis per ſe primò dicti, ut denotat jam ipſum nomen *peccati*, & ut de illo agitur in hac diſputatione, privatio habet ſe ex conſequenti per modum proprietatis, vel quaſi proprietatis. Ex eo namque quòd actus peccaminoſus dicit tendentiam ad objectum diſſonum, per quam conſtituitur in ratione peccati; ſequitur quòd careat rectitudine ſibi debita, ſcilicet tendentia ad objectum conſonum: & ita privatio hujus poſterioris tendentiæ eſt quaſi proprietas conſequens ad illam priorem, & ab ea inſeparabilis; omnino tamen poſterior illa, adeóque extra peccati eſſentiam.

Secunda. Secundò infertur, quòd etſi in tota hac diſputatione de ſolo peccato commiſſionis loquuti fuerimus; quicquid tamen de illo dictum eſt, debet ſuo modo applicari peccato omiſſionis, qua ratione includit actum. Nam licèt hujuſmodi peccatum quantum ad eſſentialia, & quantum ad id, quod propriè eſt *omiſſio*, conſtituatur per ſolam privationem actus debiti; actus tamen, qui eſt omittendi cauſa, habet ſuam malitiam poſitivam intrinſecam, per quam conſtituitur ratione peccaminoſi & mali moralis, ut diximus diſp. præced. dub. 3. habétque ſimul privationem rectitudinis, ratione cujus collocatur in genere mali abſolutè. Ob idque talis actus, etiamſi omiſſio, cujus eſt cauſa, non ſequatur, ſemper eſt utroque modo malus formaliter: ſcilicet & poſitivè per tendentiam ad objectum diſſonum: & privativè per carentiam rectitudinis debitæ: & prima malitia eſt illi eſſentialis, & conſtitutiva in ratione peccaminoſi; ſecunda verò eſt conſequens & extra eſſentiam, juxta ea, quæ nuper explicuimus.

Neque obeſt ſi dicas, tùm quòd actus, qui ex eo ſolùm eſt malus, quia eſt cauſa omittendi, non poteſt habere objectum diſſonum: alioqui talis actus eſſet malus ex objecto, & non tantùm ut eſt cauſa omiſſionis: ergo nequit ſumere ab objecto malitiam poſitivam. Tùm etiam quòd ſi prædictus actus haberet hanc malitiam, non eſſet peccatum omiſſionis, neque a peccato commiſſionis diſtingueretur: ergo, &c. ¶ Reſpondetur enim ſufficere, ut actus, de quo loquimur, ſumat ab objecto malitiam poſitivam, quod prædictum objectum ſit diſſonum & malum ratione circunſtantiæ omiſſionis; quamvis ſecundum ſe malum non ſit: quia tunc prædicta circunſtantia tranſit in conditionem objecti, & conſtituit objectum ipſum in genere moris. Sed circa hæc videantur quæ diximus diſp. præced. dub. 3. & 4. ubi etiam num. 67. explicuimus, an prædictus actus re ipſa ſit omiſſio, vel commiſſio: & utrum dici debeat *peccatum commiſſionis*; vel *omiſſionis*?

125. Tertiò infertur, quòd dum agitur de conſtitutivo peccati commiſſionis, non eſt diſtinguendum inter peccata, quæ ſunt mala ex genere, & illa, quæ ſunt mala ſolùm ex circunſtantiis: ſicut diſtinguit Scotus, concedens prioribus malitiam poſitivam, & negans eam poſterioribus. Neque etiam cum aliis debet diſtingui inter illa, quæ ſunt mala ſolùm, quia prohibita per legem poſitivam; & ea, quæ ex ſe ſunt mala, & contra legem naturalem: ut his tribuatur prædicta malitia; & illis negetur: ſed de omnibus actibus peccaminoſis ferendum eſt idem judicium quoad præſens: adeóque omnibus illis concedenda eſt prædicta malitia poſitiva ſimul cum privativa juxta ordinem, quem explicuimus: ita ſcilicet ut poſitiva ſit omnino prior & propria forma, per quam tales actus in genere moris & in ratione peccati conſtituantur; privativa verò ſit conſequens, & extra peccati eſſentiam. Et ratio eſt: quia in actibus, qui ſolùm ſunt mali ex circumſtantia, quia circunſtantia tranſit in conditionem & differentiam eſſentialem objecti: & ita res, quæ ſecundum ſe, & aliàs eſſet objectum conſonum; ratione illius hic & nunc fit objectum diſſonum: & ut ſic diſſonum, terminat & ſpecificat tendentiam moralem actus; debetque proinde hujuſmodi tendentia eſſe formaliter malitia, juxta illa, quæ diximus à num. 64. Inter hujuſmodi verò actus malos ex circunſtantia, numerandi ſunt actus purè otioſi: nam malitia iſtorum contingit ob defectum finis rationis; cum tamen res illa, quæ eſt objectum ſecundum ſe non ſit mala, ſed differens: prædictus autem defectus eſt quædam circunſtantia prava, afficiens rem illam indifferentem, & conſtituens eam objectum diſſonum, à quo ſpecificetur tendentia actus. Similiter in illis, qui ſola lege poſitiva prohibentur, quamvis prohibitio ſit accidentalis, & quaſi omnino ab extrinſeco; ſemel tamen facta, eodem modo tendit voluntas per ſuum actum in rem prohibitam, ac ſi ab intrinſeco eſſent mala, & debita prohiberi: eodémque modo objectum eſt aliquid diſſonum & repugnans legi: unde nihil obeſt, quominus ſic attactum communicet actui, per quem attingitur, malitiam poſitivam conſiſtentem in illa met attingentia. *Tertia.*

Denique infertur, doctrinam traditam communem eſſe omnibus & ſolis peccatis actualibus tam mortalibus quàm venialibus: quia in omnibus militat eadem ratio, ut intuenti conſtabit. Nequaquam tamen comprehendit peccata habitualia, ſive originalia, ſive propria: neque ab illis ad hæc valet conſequentia, ut vidimus n. 101. Vnde ſi prædictis peccatis habitualibus tribuenda vel neganda ſit malitia poſitiva, aliunde quàm ex noſtris rationibus probandum erit: de quo latè infra diſp. 16. dub. 3. & 5. Pro hac verò ſatis hucuſque diximus. *Illatio ultima.*

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO VII.

De contrarietate peccati ad Deum & ad legem.

QVIA in peccati diffinitione dicitur *eſſe contra legem*, & conſequenter eſſe debet contra Deum legiſlatorem; operæ pretium eſt, poſtquam egimus de illius, malitia & conſtitutione, de hoc termino extrinſeco, cui opponitur, & de modo oppoſitionis ad illum aliquid differere: id quod ad pleniorem ipſius peccati notitiam non parum conducet.

DVBIVM I.

Vtrum ſit de eſſentia cuiuſlibet peccati eſſe contra legem æternam?

ANtequam reſolutionem dubij tradamus, opus eſt pro illius intelligentia nonnulla prænotare.

§. I.

Præmittuntur quædam ad dubij deciſionem.

Quid ſit lex æterna? 1. PRimò igitur ſciendum eſt, quòd lex (ut dicitur à D.Thoma infra quæſt.90.art.1.) eſt quædam regula vel menſura actuum humanorum, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum; vel ab agendo retrahitur: vel ut idem Ang. Doctor infra quæſt. 91. art. 1. deſcribit, *lex nihil aliud eſt, quàm dictamen practicæ rationis exiſtens in Principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam.* Sicut enim in intellectu ſpeculativo dantur quædam principia naturaliter nota: ut *quodlibet eſt, vel non eſt: totum eſt majus ſua parte,&c.* quæ ſunt cauſa & principium totius cognitionis ſpeculativæ: ita in intellectu practico dantur quædam principia practica per ſe nota ut quòd *bonum eſt faciendum,* quòd *malum eſt fugiendum,* & ſimilia, quæ ſunt menſura & regula practicæ operationis. Et hujuſmodi principia in nobis per ſe primò dicuntur *lex.* Ex quo infert D.Thom. loco cit. quòd *ipſa ratio gubernationis rerum in Deo ſicut in Principe univerſitatis exiſtens, legis habet rationem: & quia divina ratio nihil concipit ex tempore; ſed habet æternum conceptum, ut dicitur Proverb. 8. inde eſt quod hujuſmodi legem oportet dicere æternam.* D.Thom.

Differt lex à virtute. Differt verò hæc æterna lex à providentia (quæ eodem fere modo deſcribitur ab ipſo D.Thoma 1. p. quæſt. 2.2. art.1.) quia lex eſt prior & veluti ratio in genere cauſæ, vel quaſi cauſæ formalis objectivæ, ex qua deſumitur providentia. Rurſus lex tenet ſe ex parte objecti: & ideo neque eſt propriè virtus intellectualis, neque ſe habet per modum actus vel habitus, neque eſt per ſe alicujus operationis immediate elicitiva. Econtra verò providentia tenet ſe ex parte potentiæ & principij operativi, eſtque proinde virtus intellectualis: cujus actus præcipuus eſt *imperare & diligere.* Vnde lex hoc modo comparatur ad providentiam ſicut principia demonſtrationis ad habitum reſpicientem talia principia? aut ſicut idea exiſtens in mente artificis comparatur ad artem. Et ſicut actiones artis attribuuntur ideæ, non quia ab ea eliciantur; ſed quia ex illa veluti ex forma deſumuntur, & per illam regulantur: ſic actus eliciti à providentia attribuuntur legi. Et hac ratione ponuntur à D. Thoma quæſt. 92. art. 2. ut proprij actus legis *præcipere & prohibere*: quia licèt eliciantur ſolùm à providentia; deſumuntur tamen ex lege tanquam ex forma objectiva, & regulantur per illam. Quod optimè explicuit Ang. Doctor de verit. quæſt. 5. art. 1. ad 6. ubi ſic ait: *Dicendum quòd providentia in Deo propriè non nominat legem æternam; ſed aliquid ad legem æternam conſequens. Lex enim æterna eſt conſideranda in Deo, ſicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota: ex quibus procedimus in conſiliando & eligendo, quod eſt prudentiæ, ſive providentiæ. Vnde hoc modo ſe habet lex intellectus noſtri ad prudentiam, ſicut principium in demonſtratione. Et ſimiliter etiam in Deo lex æterna non eſt providentia; ſed providentiæ quaſi principium: unde & convenienter legi æternæ attribuitur actus providentiæ, ſicut omnis effectus demonſtrationis principiis indemonſtrabilibus attribuitur.* Ex his habes, quid propriè ſit lex: quod non ubique offendes. D.Thom.

2. Secundo notandum eſt, quòd licèt hujuſmodi lex ſecundum ſe & reſpectu ipſius Dei ſit æterna & omnino neceſſaria, ita ut nulla ratione potuerit ab ejus intellectu deficere: quia tamen nobis in tempore & dependenter à libera Dei voluntate notificatur & quaſi intimatur; idcirco liberè omnino, quantum eſt ex parte Dei, dependenterque ab ejus voluntate, nos obligat. Nam ut lex obliget, debet eſſe manifeſtata & intimata: & ita potuit Deus ad obſervationem prædictæ legis non obligare; ſicut potuit illam non intimare, neque manifeſtare. *Animadverſio.*

Fit autem hæc æternæ legis intimatio mediis aliis legibus tempore incipientibus, quæ ſunt illius quædam participationes: cujuſmodi ſunt lex humana, per quam humani legiſlatores, poteſtate à Deo & ab ejus æterna lege accepta, aliis in humanis rebus moderantur, juxta illud Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt:* lex divina, quæ in ſacra Scriptura & ſacris traditionibus continetur, per quam ea præcipuè, quæ fidei ſunt, & humanam rationem excedunt, nobis à Deo præcipiuntur: & lex naturalis, quæ eſt ipſum naturale lumen practicæ rationis ſignatum in mentibus noſtris, juxta illud Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* De hac lege inquit D. Ambroſius lib. 5. de paradiſo cap. 14. *Non inſcribitur, ſed innaſcitur: nec aliqua lectione percipitur; ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur.* Igitur omnes iſtæ habent rationem legis, prout participant legem æternam, & ab ea derivantur: & in virtute ejus habent vim obligandi, prohibendi, & præcipiendi. Vnde quicquid fuerit contra aliquam hujuſmodi legem, eo ipſo erit contra legem æternam. Habetque ſe lex æter- Proverb. 8. Pſal. 4. D. Ambroſ.

na reſpectu noſtrorum actuum ut menſura prima & heterogenea ſuperioris omnino ordinis: aliæ verò leges habent ſe ſicut menſura proxima & homogenea, ac ejuſdem ordinis cum prædictis actibus. Et licet in ipſa æterna Dei lege multò plura quàm in omnibus aliis legibus comprehendantur; eo quòd omnes illæ adhuc ſimul ſumptæ tantùm inadæquatè & diminutè eam participant: quoad nos tamen propter rationem nuper tactam, illa dumtaxat æterna lex præcipit, vel prohibet, quæ in aliqua ex prædictis legibus continentur: nam ex ſolùm nobis manifeſtantur, & intimantur ut præcepta vel prohibita per æternam legem. Vnde hi ſolummodò actus habent eſſe formaliter contra legem æternam, vel juxta illam, qui ſunt contra vel juxta aliquam ex prædictis legibus temporalibus: ſicut è converſo quòd fuerit contra aliquam ex hujuſmodi legibus, conſequenter erit contra legem æternam, ex qua, ut diximus, habent legis rationem, & vim obligandi, præcipiendi, & prohibendi.

Animadverſio alia. 3. Tertiò obſerva, quòd de facto certum eſt, omne peccatum eſſe contra aliquam legem: nam nullum eſt aſſignabile, quod lege divina vel humana, poſitiva aut naturali non ſit prohibitum. Vnde cum Paulus ad Roma. 2. gentes prædicat ſine lege, & ait, *qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*, intelligendus eſt de lege ſcripta per Moyſem, ut exponunt Ambroſ. Auguſt. Anſel. D. Thom. & alij. *Sed ſi non habent legem ſcriptam* (ait gloſſa) *habent tamen legem naturalem, qua quilibet intelligit, & ſibi conſcius eſt quod ſit bonum, & quod ſit malum.* Quod ſatis explicuit Apoſtolus in verbis ſequentibus: *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, &c. De quo legendus eſt D. Auguſt. Pſal. 118. conc. 25. ad illa verba: *Prævaricantes reputavi*, &c. Ad objectionem verò, quæ hic fieri poterat de peccato veniali, de quo D. Thom. infra quæſt. 88. art. 1. ad 1. ait non eſſe contra legem, ſed præter legem; diximus ſupra diſp. 4. num. 2. dicemuſque iterum diſp. 19. dub. 1. ſuppoſito igitur quòd de facto omne peccatum eſt prohibitum aliqua lege; difficultas non modica eſt, an hæc prohibitio fuerit omnino neceſſaria ad rationem peccati, ita ut ſine illa intelligi nequeat: adeoque de omnibus peccatis ſit vera iſta cauſalis, quòd *ideo ſunt formaliter peccata, quia ſunt contra legem æternam*, ſeu *quia ſunt lege aliqua prohibita*.

Alia obſervatio. Denique obſerva, quòd licèt hæc nomina *malum, peccatum*, & *culpa* ſecundum ſe præcisè ſumpta non convertantur; ſed *malum* ſit in plus quàm *peccatum*, & *peccatum* quàm *culpa*, ut docet D. Thom. ſupra quæſt. 21. art. 1. in moralibus tamen & in actibus liberis idem omnino ſunt, vel ſaltem ad convertentiam dicuntur, ut Ang. Doctor probat loco cit. art. 2. ubi in fine corporis ita concludit: *Vnde relinquitur, quòd bonum vel malum in ſolis actibus voluntariis conſtituit rationem laudis vel culpæ, in quibus idem eſt malum, peccatum, & culpa.* (D. Thom.) In quo ſanè decepti ſunt nonnulli, qui admittentes (ut Medina refert ſupra quæſt. 19. art. 4.) odium Dei v.g. ſecluſa omni lege, non fore peccatum; dicunt tamen futurum eſſe tunc malum morale: & alij, quos refert Vaſq. in præſenti diſp. 97. qui dicunt prædictum odium in illo caſu fore quidem peccatum & malum morale; non tamen habiturum rationem culpæ. Vt enim D. Thom. docet loco cit. malum omne ſi ſit in operatione vel in actu, habet rationem peccati: & peccatum eo ipſo quòd ſit in operantis poteſtate, eſt illi imputabile ut culpa: unde repugnat in actibus liberis id, quod ſecluſa lege non haberet rationem culpæ, haberet rationem peccati, vel mali moralis.

§. II.

Deciſio dubij ex mente Auguſtini, & D. Thomæ.

4. Dicendum ergo eſt, de ratione omnis peccati eſſe, quòd ſit prohibitum aliqua lege, atque quòd ſit contra legem æternam: unde ſi omnis lex deficeret, & id, quod modò eſt peccatum, non eſſet prohibitum; eo ipſo non haberet rationem peccati neque mali moralis. Ita D. Thom. in hoc art. in ſolut. ad 4. ubi ait: *Quòd ſi prohibitio referatur ad jus naturale, quod primò continetur in lege æterna; ſecundario verò in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum eſt malum, quia prohibitum.* (D. Thom.) Quæ etiam eſt ſententia D. Auguſtini pluribus in locis, præſertim l. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 16. ubi ſic ait: *Sed neque peccatum erit, ſiquid, erit niſi divinitus jubeatur ut non ſit.* Et lib. 22. contra Fauſt. cap. 27. ubi diffinit peccatum per hoc, quod ſit *contra legem æternam*. Idem docet D. Ambroſius lib. 1. de paradiſo cap. 8. (D. Auguſt.) *Non enim (ait) conſiſteret peccatum ſi interdictio non fuiſſet.* (D. Ambroſ.) Et ſubdit rationem dicens: *Quid enim eſt peccatum niſi divinæ legis prævaricatio, & cœleſtium inobedientia præceptorum.* Idem tenet D. Bonavent. in 2. diſt. 35. dub. 4. circa literam Magiſtri, Okam, Almaynus, & alij antiqui: quos referunt & ſequuntur Iuniores in præſenti, Medina difficult. 4. Alvar. diſp. 130. Cutiel dub. 2. Zumel diſp. 10. concluſ. 4. & 5. N. Cornejo diſp. 4. dub. 2. Greg. Mart. dub. 2. Antonius Perez in ſua laurea certamine 8. ſcholaſtico. Vega lib. 6. in Concil. Trident. cap. 39. & plures alij. (D. Bonavent. Okam. Almayn. Medina. Alvar. Cutiel. Zumel. Cornejo. Greg. Mart. Ant. Perez. Vega.)

Probatur primò: quoniam peccatum diffinitur per eſſe contra legem æternam: ergo de ratione & eſſentia omnis peccati eſt, quòd ſit contra talem legem: diffinitio enim nihil aliud explicat niſi naturam & eſſentiam rei. *Ratio aſſertionis.* ¶ Dices ex Vaſq. peccatum potuiſſe ita diffiniri: non quia hoc ſit de ratione peccati; ſed quia de facto omne peccatum habet eſſe contra aliquam legem. *Evaſio præcluſa.* ¶ Sed hoc nullius momenti eſt: nam vel eſſe contra legem, quod de facto habent omnia peccata, pertinet ad eorum eſſentiam; vel non pertinet, ſed convenit eis contingenter & accidentaliter? ſi primum, habemus intentum. *Secunda ratio.* Secundum autem dici non poteſt: quia diffinitio non attingit illa, quæ accidentaliter contingunt etiam in omnibus; ſed quæ inſunt rei per ſe & neceſſario: aliàs non erit invariabilis, neque declarabit naturam & eſſentiam diffiniti, quod potuit aliter ſe habere.

Secundo

Secundo probatur: quia omne peccatum, in quantum peccatum eſt, eſt præuaricatio, (Pſal. 118.) ſecundum illud Pſal. 118. *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ:* præuaricatio autem eſſentialiter eſt tranſgreſſio legis: & ideo (Roman. 4.) *vbi non eſt lex* (ait Apoſtolus ad Roma. 4.) *nec* (D. Auguſt.) *præuaricatio.* Vnde D. Auguſt. Pſal. cit. conc. 25. *Si præuaricantes ſunt* (inquit) *omnes peccatores terræ, nullum eſt vtique ſine præuaricatione peccatum: nulla eſt autem præuaricatio ſine lege: nullum eſt igitur niſi in lege peccatum.* ¶ Et con- (1. Ioan 3.) firmari poteſt ex illo 1. Ioan. 3. *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum* (Montan.) *eſt iniquitas.* Vbi Montanus & alij ſic vertunt: *Omnis, qui facit peccatum, & tranſgreſſionem legis facit, & peccatum eſt tranſgreſſio legis:* ergo repugnat intelligi peccatum, niſi intellecta oppoſitione ad legem.

(*Tertia.*) 5. Tertiò probatur aſſertio: quia in quolibet peccato datur inſeparabiliter malitia priuatiua, quæ eſt priuatio, vel actus debiti ſi peccatum ſit omiſſionis, vel rectitudinis debitæ in eſſe actui, ſi ſit commiſſionis: ſed hujuſmodi malitia non poteſt intelligi, niſi intelligatur debitum ex aliqua lege: ergo omnino repugnat dari peccatum, & non eſſe contra legem. Major quoad peccata omiſſionis ex ſe liquet: quoad peccata verò commiſſionis ſatis probata fuit diſp. præced. dub. 1. Minor autem facile ſuadetur: quia priuatio eſſentialiter eſt carentia formæ debitæ & priuatio moralis, de qua loquimur, carentia formæ debitæ debito morali, ſcilicet ex lege: ergo repugnat intelligi hujuſmodi priuationem abſque prædicto debito.

(*Vltima.*) Quartò: de ratione omnis peccati eſt, vt ſit contra dictamen rationis: idcirco habet eſſe peccatum, quia eſt contra prædictum dictamen; ſed dictamen rationis habet rationem legis; imò eſt ipſa lex naturalis, quæ eſt participatio legis æternæ: ergo, &c. Major ſuadetur: tùm quia omnis moralitas ſumitur per ordinem ad rationem, quæ eſt proxima regula actuum moralium: vnde ſicut bonitas moralis conſiſtit in conformitate actus cum ratione; ſic malitia conſiſtere debet in difformitate vel diſconuenientia ad illam, ſeu in hoc quòd ſit contra ejus dictamen. Tùm etiam quia non ſolùm ea, quæ ſunt mala, præciſè quia prohibita lege poſitiua; ſed etiam illa, quæ prohibentur vt intrinſecè mala, vt mendacium, furtum, adulterium, &c. deſinunt eſſe formaliter peccata, eo ipſo quòd non ſint contra dictamen rationis: & ideo ſiquis inuincibiliter exiſtimans non eſſe illicitum mentiri ad tuendam proximi vitam, aut furari ad tribuendam eleemoſynam, mentiatur, vel furetur; non peccat: non ob aliud niſi quia in hoc caſu nullum eſt dictamen rationis prohibens hujuſmodi actus: ergo ſignum eſt, omnino requiri prædictum dictamen ad rationem peccati.

(*Confirmatio.*) Confirmatur à paritate rationis ex his, quæ in aliis generibus dicuntur peccata. Nam in genere naturæ non poteſt aliquid intelligi vt defectuoſum & peccatum, niſi per oppoſitionem vel defectum a regulis naturæ, quæ ſunt ipſa principia & virtutes naturales: ſimiliter in genere artificialium nullus intelligitur defectus niſi per oppoſitionem ad regulas artis: vnde ſi deficerent hujuſmodi regulæ, nullaque eſſet ars; nullum poſſet intelligi peccatum artis, neque aliquid poſſet concipi vt in hoc genere defectuoſum: ergo neque in genere morali poterit aliquid intelligi vt peccatum & defectuoſum, niſi per defectum vel oppoſitionem cum dictamine rationis, quæ eſt proxima & immediata regula iſtius generis. Deſumiturque hæc ratio & confirmatio ex D. Thoma quæſt. 2. de mal. art. 3.

6. Occurres ex aduerſariis, dictamen rationis ad peccandum requiſitum, ex cujus de- (*Effugium.*) fectu *furari* & *mentiri* in caſu argumenti non ſunt formaliter peccata, non habere rationem legis; ſed cujuſdam judicij enuntiatiui, quo judicamus non eſſe mentiendum, non eſſe furandum, &c. ſine eo quòd tale judicium aliquid horum per modum legis prohibeat, vel oppoſitum præcipiat. Vnde ex eo quòd hujuſmodi dictamen debeat in ratione præexiſtere ad hoc, vt detur peccatum, non concluditur neceſſariam eſſe ad id prohibitionem alicujus legis.

Sed contra: nam prædictum dictamen eſt (*Impugnatur*) ipſa lex naturalis, quæ eſt participatio legis æternæ, juxta dicta num. 2. vt rectè vidit D. Thom. in hoc art. vbi expreſsè dicit, jus naturale primò contineri in lege æterna; *ſecundario verò in naturali iudicatorio rationis humanæ.* Et infra quæſt. 91. art. 2. ea ratione probat dari in nobis legem naturalem ex impreſſione legis æternæ, quia datur prædictum dictamen & lumen rationis, diſcernens quid ſit bonum; & quid malum: quid faciendum; vel non faciendum: de quo lumine dixit Pſalmiſta. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: Quaſi lumen rationis naturalis* (proſequitur Ang. Doctor) *quo diſcernimus quid ſit bonum; & quid ſit malum, quod pertinet ad* (Pſal. 4.) *naturalem legem, nihil aliud ſit, quàm impreſſio diuini luminis in nobis. Vnde patet, quod lex naturalis nihil aliud eſt quàm participatio legis* (D.Thom.) *æternæ in rationali creatura.* Hoc etiam modo intellexit legem naturalem Hugo de S. Vict. lib. 1. de ſacramentis parte 6. cap. 7. vbi ſic ait: *In præcepto naturæ tria ſunt: præceptio, prohibitio, & conceſſio: per præceptum autem naturæ nos nihil aliud intelligimus quàm ipſam diſcretionem naturalem, quæ intrinſecus inſpirata eſt, vt per eam homo erudiretur de his, quæ ſibi vel appetenda, vel fugienda fuerant.* Et ſane niſi hujuſmodi lumen & dictamen rationis dicamus *legem naturalem*; nihil apparet, quod in (Hugo de S. Vict.) rationali creatura, quatenus rationalis eſt, habeat rationem talis legis, vt intuenti conſtabit.

Deinde impugnatur prædicta euaſio. Nam vel judicium dictans non eſſe mentiendum (quod requiritur vt mentiri ſit formaliter peccatum) dictat hoc ſolùm ſpeculatiuè per modum ſimplicis enuntiationis de futuro, ita vt ſenſus ſit, quòd mendacium non erit, aut quòd non eſt futurum? Et hoc dici nequit: alioqui tale judicium, quoties mendacium poſtea ſequitur, eſſet omnino falſum. Vel eſt judicium practicum inducens & mouens ad non mentiendum, vt ſit ſenſus neminem debere mentiri; ſed omnes teneri ad non mentiendum. Et ſi hoc dicamus, jam prædictum judicium habet rationem legis, aut intimationis legis: ſiquidem imponit vel notificat obligationem non mentiendi.

N 4 7. Con

7. Confirmatur: vel illud judicium mouet ad non mentiendum per modum præcepti; vel ſolùm per modum conſilij, conſulendo ſcilicet oppoſitum? Hoc ſecundum dici non poteſt, quia ad peccandum non ſufficit conſilium de eligendo oppoſitum: alias omittere quæ cadunt ſub conſilio eſſet peccatum: ergo dicendum eſt primum: & ita nihil deerit prædicto judicio ad rationem legis.

Aliud effugium. Dices ſecundò, judicium requiſitum ad peccandum nec prohibere mendacium, nec ſolùm conſulere oppoſitum; ſed intimare & manifeſtare mendacium eſſe malum, & ideo non proferendum. *Refellitur.* ¶ Sed hoc etiam facile refellitur: quia niſi homo judicet illicitum eſſe facere malum, aut ſe teneri ad non faciendum id, quod appellatur *malum*, quancuntumq; ſciat mendacium eſſe malum, non peccabit mentiẽdo, nec mendacium illi ad culpam imputabitur: imò ſi aliquis per errorem inuincibilem judicaret, hîc & nunc licere ſibi facere hoc malum, quod eſt mentiri, propter aliquod majus bonum; operaretur bene mentiendo: ergo non ſufficit ad peccandum judicium judicans quòd hoc ſit malum, niſi ſimul habeat vim præcepti & legis de non faciendo tale malum. ¶ Deinde aut prædictum judicium proponit vitandum eſſe mendacium neceſſariò & ſub obligatione aliqua; aut omnino liberè nulla interpoſita obligatione? Si neceſſariò, erit lex vel intimatio legis: ſola enim lex proponit objectum vt neceſſario faciendum, vel non faciendum. Si liberè, non erit peccatum mentiri: quia nulli imputatur ad peccatum, quod ſibi proponitur vt omnino liberè faciendum, vel non faciendum.

Neque obeſt, ſi objicias, tùm quòd omnis lex includit, vel ſupponit actum voluntatis: eo quòd eſt de ratione legis mouere ſibi ſubditos, quod pertinet ad voluntatem: ſed judicium, de quo loquimur, non neceſſariò includit aut ſupponit prædictum actum: ergo non habet rationem legis. Tùm etiam quòd actus legis pertinent ad prudentiam vel prouidentiam, cujus eſt præcipere & prohibere: atqui prædictum judicium omninò antecedit prudentiam, & eſt actus ſynderefis: ergo. Tùm denique quòd prædictum judicium ſæpe eſt erroneum: vt patet in eo, qui judicat ſe teneri ad mentiendum propter tuendam próximi vitam: ergo non poteſt habere rationem legis. Patet conſequentia; quoniam lex omnis creata reducitur in Deum, & eſt participatio legis ejus æternæ: conſtat autem, errorem nec participare aliquid Dei, nec in eum poſſe reduci: ergo, &c.

8. Reſpondetur enim ad primum, judicium naturalis rationis eſſe quaſi intimationem legis æternæ Dei, vt num. 2. dicebamus; & non niſi in virtute talis legis habere vim obligandi & præcipiendi; vnde ſatis eſt, quòd in Deo, in quo eſt ipſa lex æterna, & qui eſt immediatus autor legis naturalis, præſupponat actum voluntatis diuinæ, vt poſſit modo dicto mouere, & habeat rationem legis. ¶ Ad ſecundum dicendum eſt, quòd licèt in ipſo legiſlatore actus legis ſint actus prudentiæ, cujus eſt imperare; & ita in Deo, qui eſt auctor legis naturalis, ſint actus diuinæ prouidentiæ, juxta dicta num. 1. in ſubditis tamen quilibet actus, qui ſuperioris imperium manifeſtat, & virtutem ejus participat, habet vim legis: quatenus per ipſum lex & præceptum ſuperioris cum quadam motione & obligatione inferiori intimatur. Vnde quia per actus ſynderefis lex æterna Dei & præceptum ejus creaturæ rationali manifeſtatur, & intimatur modo dicto; idcirco prædicti actus habent rationem ſiue vim legis, & dicuntur lex naturalis vel ejus actus. Licet enim hujuſmodi actus antecedant prudentiam ipſius creaturæ; ſubſequuntur tamen diuinam prouidentiam, ſúntque ejus veluti actus imperati: & ita in virtute iſtius poſſunt imperare, & habere vim legis. ¶ Ad tertium admittimus, prædictum judicium poſſe eſſe erroneum vel vincibiliter, vel inuincibiliter: tunc autem non per ſe, aut quatenus erroneum eſt, habet rationem legis; ſed in virtute alterius judicij ſemper veri, dictantis conſcientiam eſſe ſequendam, dum non apparet mala; propter euidens periculum incidendi in peccatum, operando contra illam; & ad cauendum temerarium modum ſic operandi: Sufficit autem, quòd hoc poſterius judicium verum ex Deo ſit, & participatio legis æternæ, vt vis obligandi, quæ reperitur in judicio illo falſo, etiam ſit à Deo; ſine eo quòd error, quatenus error eſt, poſſit ei aliquo modo attribui.

§. III.

Aliorum opinio cum ſuis fundamentis.

9. Oppoſitam ſententiam tenuere Gregorius in 2. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. Corduba lib. 3. quæſt. 10. Almaynus verò tract. 3. moral. cap. 16. eam probabiliorem exiſtimat. *Greg. Cordub. Almayn.* Qui & alij non omnino negant eſſe de ratione peccati, quod ſit contra legem; ſed aiunt, non ſemper legem, cui debet opponi, eſſe propriè legem prohibentem, vel imperantem; ſed ſufficere judicium enuntians quid liceat facere; vel non liceat, abſque imperio tamen: quod eſt de ratione legis propriè dictæ. Vaſquez verò in præſenti diſp. 97. magis directè opponitur ſententiæ D. Thomæ: *Vaſquez.* negat enim abſolute eſſe de ratione peccati in his, quæ ſunt intrinſecè mala, quòd ſit contra aliquam legem, quocunque modo lex ſumatur: ſed eſſentialem peccati rationem dicit deſumi ex oppoſitione ad naturam rationalem, nullo habito reſpectu ad legem. Et eandem ſententiam tenet re ipſa Monteſ. diſp. 3. quæſt. 8. quamvis in modo loquendi oppoſitum aſſerere videatur. *Monteſ.* ¶ Probatur primò ex communi axiomate, quòd peccata, quædam ſunt mala ſolum quia prohibita; quædam verò prohibentur, quia ſunt ſecundum ſe mala: ergo in his prius eſt, quòd ſint mala & peccata, quàm quòd lege prohibeantur.

Primum argumentum. Confirmatur: quia illa, quæ prohibentur quia mala; adhuc eſſent mala, quamvis non prohiberentur: ſemper enim odium Dei v. g. ſiue prohibitum ſit, ſiue non prohibitum, habet rationem mali: ergo vt ſint mala non neceſſariò dependent à prohibitione legis.

Solutio ex D. Thom. Huic argumento reſpondet D. Thom. in præſenti in ſolut. ad 4. *Dicendum, quòd cum dicitur, quòd non omne peccatum ideo eſt malum, quia eſt prohibitum, intelligitur de prohibitione facta*

Digitized by Google

facta per ius poſitiuum : ſi autem referatur ad ius naturale ; tunc omne peccatum eſt malum , quia prohibitum. Vnde axioma Theologorum quoad illam partem quòd *quædam prohibentur , quia mala* , habet locum ſolùm in jure poſitiuo, cum prohibet ea,quæ jure naturali erant etiam prohibita , & ex hac prohibitione habebant jam rationem mali : jus verò naturale nihil prohibet formaliter quia malum ; ſed omne quod prohibet , ideo eſt malum , quia per tale jus eſt prohibitum. ¶ Per quod patet ad confirmationem : nam illa , quæ jus poſitiuum prohibet,quia mala, priùs per legem naturalem fuerunt prohibita : & ideo ex vi iſtius prohibitionis remanerent mala , quamvis illa non accederet.

Secundum argumentū.

10. Sed ſurgit hinc objectio , quæ erit ſecundum argumentum : quia etiam reſpectu juris naturalis debet inueniri in rebus prohibitis aliqua ratio ſuæ prohibitionis : aliàs non eſſet cur potius odium Dei , furtum , mendacium , & ſimilia , quàm oppoſita prohiberentur : hæc autem ratio non poteſt eſſe alia , niſi quòd odium , furtum , mendacium , & ſimilia ex ſe ante omnem prohibitionem ſunt mala & digna prohiberi : quod non habent eorum oppoſita. Imò ipſe D. Thom. hoc loco videtur recurrere ad prædictam rationem : nam cum dixiſſet , reſpectu juris naturalis omne peccatum eſſe malum , quia prohibitum ; ſubdit : *Ex hoc enim ipſo quod eſt inordinatum , iuri naturali repugnat.* Sentit ergo aliqua peccata prius eſſe inordinata , ac proinde mala in ſe ipſis , quàm repugnent juri naturæ.

D.Thom.

Confirmatio duplex.

Confirmatur : ponamus Deum neque lege poſitiua neque naturali prohibuiſſe odium ſui, quod nullam videtur repugnantiam inuoluere : adhuc tale odium liberè exercitum , eſſet malum & peccaminoſum. Quis hoc dubitet ? & tamen non per ordinem ad aliquam legem, vt ſupponimus : ergo, &c. ¶ Confirmatur ſecundò : in illo priori , in quo diuinus intellectus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit odium Dei , præcisè ſecundum ſua prædicata eſſentialia ; verè cognoſcit illud vt oppoſitum ſuæ bonitati , & vt auertens ab ea creaturam rationalem , ipſique rationali creaturæ diſconueniens & diſſonum : ergo cognoſcit illud formaliſſimè vt malum & peccatum: ſed pro illo priori nondum intelligitur tale odium prohibitum : nam prohibitio & lex neceſſario ſupponit in Deo ſaltem ſcientiam ſimplicis intelligentiæ , & objectum cognitum per illam ſecundum ſe , & vt dignum prohiberi : igitur antecedenter ad omnem prohibitionem & legem prædictum odium habet eſſe malum & peccatum.

Solutio argumenti.

11. Reſpondetur ad argumentum , ſufficientem rationem eſſe , vt ea, quæ lex naturalis prohibet , ritè prohibeantur , quòd prædicta lex ſit participatio legis æternæ & increatæ Dei : nam eo ipſo poteſt in virtute ejus , quod illa prohibet , prohibere. Cæterum reſpectu ipſius legis æternæ nulla aptior ratio aſſignari poteſt,cur hæc prohibeat;& illa non prohibeat ; niſi quòd ipſa eſt prima regula : & ideo per ſe ipſam eſt determinata ad hoc vt quædam illi diſſonent ; quædam verò non diſſonent : atque adeo vt illa prohibeat ; & hæc non prohibeat. Et quia hujuſmodi prima regula eſt omnino inuariabilis; fieri non poteſt, vt ea, quæ ſemel ei directè & per ſe diſſonant, non ſemper diſſonent : & quæ ſemel directè & immediatè prohibet,quantum eſt ex parte ſua, non ſemper prohibeat. Quare nec prohibere vnquam poterit actum amoris Dei ; nec ejus odium , quantum eſt ex parte ſua, non ſemper reprobare & prohibere. ¶ Adde, etiam antecedenter ad omnem legem aſſignari poſſe in ipſis rebus prohibitis per legem naturalem ſufficientem rationem , vt prohibeantur : non quidem quia ante talem prohibitionem ſint mala & peccata formaliter ; ſed quia ſunt talia initiatiuè & fundamentaliter : & per hoc ab intrinſeco determinata , vt à lege æterna diſcordent ; & apta nata vt per illam prohibeantur , poſt cujus prohibitionem erunt mala & peccata completiuè.

Si autem petas , in quo conſiſtat malitia hæc initiatiua & fundamentalis ? Reſpondetur conſiſtere in eo quod prædictæ res ſecundum ſe repugnent alicui ex diuinis perfectionibus : vt odium Dei ſummæ bonitati , mendacium ſummæ veracitati, furtum ſummæ juſtitiæ & æquitati , & ſic de reliquis. Quæ tamen repugnantia nequaquam inuenitur in actibus oppoſitis : & hæc fortaſſis eſt illa inordinatio, quam Ang. Doctor hoc in loco videtur concedere peccato ante prohibitionem juris naturalis , vt tangitur in argumento. Quamvis etiam dici poſſit , quòd illa propoſitio *peccatum ex eo quod eſt inordinatum , iuri naturali repugnat* non eſt propriè cauſalis, nec probat repugnantiam peccati ad legem per inordinationem tanquam per aliquid prius ; ſed reddit ſenſum omnino formalem , ſicut redderet hæc propoſitio *ex eo quod Petrus eſt homo , eſt animal rationale* : vnde ſenſus prædictæ propoſitionis eſt , quòd peccatum per id ipſum,per quod habet eſſe inordinatum, repugnat juri naturali , & opponitur illi : & quòd nihil aliud eſt in peccato inordinatum eſſe , quàm hujuſmodi repugnantia & oppoſitio : quod veriſſimum eſt , & confirmat noſtram aſſertionem.

Quæſitum.

12. Ad primam confirmationem aliqui ex Thomiſtis negant potuiſſe Deum non prohibere odium ſui : quia lex æterna eſt omnino neceſſaria in illo,& ab intrinſeco determinata ad prohibendum ea , quæ repugnant diuinis attributis. ¶ Sed hæc ſolutio quamvis ex parte verum contineat , non euacuat difficultatem. Nam etſi lex æterna ſecundum ſe & pro vt in Deo , ſit omnino neceſſaria : & ita intellectus & voluntas diuina , quantum eſt ex parte ſua, neceſſario reprobent odium Dei; manifeſtare tamen & intimare creaturæ rationali talem legem, liberum fuit Deo, vtpote ad quod, abſolute loquendo , & attenta potentia ejus abſoluta , nulla neceſſitate tenetur : lex autem non manifeſtata non obligat : & ideo in ordine ad operandum formaliter contra illam,ita ſe habet , ac ſi non eſſet. Supponamus ergo, Deum non manifeſtaſſe homini ſuam legem æternam , ſecum quòd habet prohibere odium ipſius Dei : & ponamus,hominem tunc feciſſe actum talis odij , & redit caſus hujus confirmationis.

Solutio inſufficiēs primæ confirmationis.

Dices , ex ſuppoſitione quòd Deus condiderit creaturam rationalem intellectu & voluntate præditam , non potuiſſe abſcondere illi

illi legem naturalem : quia ipſum naturale lumen intellectus habet rationem hujus legis. ¶Contra: quia lumen rationis, in quo conſiſtit prædicta lex, non eſt ipſemet intellectus præciſè ſecundùm ſuam eſſentiam; ſed pertinet ad habitum ſynderesis, qui diſtinguitur realiter ab intellectu, & eſt habitus illi ſuperadditus : vt D.Thom. docet quæſt. 16. de verit. art.1. & 1. p. quæſt.79. art.12. De quo videri poſſunt N. Complut. in logica diſput.10. quæſt.1.& 2. & quæ diximus in tract. de virtut. diſp.2. à num. 38. Cur ergo non potuiſſet Deus etiam ſi crearet rationem naturalem cum ſua potentia intellectiua, non communicare illi hujuſmodi lumen & legem?

Vera ſolutio. Omiſſa igitur hac ſolutione, reſpondetur, neque odium Dei neque alium quencunque actum in caſu illo futurum eſſe peccatum, vel malum morale complete & formaliter: quia vbi nulla eſſet lex, nulla poſſet eſſe præuaricatio aut peccatum. Eſſet tamen prædictum odium peccatum, & malum morale fundamentaliter & entitatiuè juxta dicta num. præced. imò eſſet etiam mala diſpoſitio phyſica naturæ rationalis, ſicut eſt error inuincibilis. Vnde neq; Deus cauſaret tale odium quantum ad ſuam differẽtialem rationem ſecundum id, quod exprimit; nec poſſet illud alicui præcipere: quia non ſolum diuinæ cauſalitati repugnat id quod eſt formaliter peccatum, ſed etiam quod habet eſſe tale initiatiuè & fundamentaliter.

13. Sed vrgebis : odium Dei in illo caſu auerteret formaliter ab illo auerſione contraria : ergo eſſet formaliter malum morale & peccatum : cum ratio hujus mali in hac auerſione conſiſtat. Reſpondetur, non quamlibet auerſionem à Deo eſſe formaliter malitiam moralem; ſed quæ auertit ab illo vt objecto & fine morali, hoc eſt, præſcripto & deſignato per legem, proindeque vt à legiſlatore: odium autem in prædicto caſu auerteret à Deo vt objecto phyſico; non verò vt objecto morali: vnde non eſſet formaliter auerſio moralis, qualis exigitur ad peccatum; ſed phyſica dumtaxat, quæ ſolùm initiatiuè & fundamentaliter peccatum conſtituit.

Alia replica. Vrgebis ſecundò : ſi Deus ab initio potuit (ſaltem quoad nos) non prohibere odium ſui, etiam nunc poſtquam ab ipſo prohibitum eſt, poterit in hac lege diſpenſare: nam qui liberè imponit legem, ſicut potuit eam non imponere, poteſt, poſtquam poſita eſt, eam ex toto abolere, adeóque multò melius ſuper ea diſpenſare. Hoc autem expreſſe eſt contra D. Thomam infra quæſt. 10. art. 8. vbi tenet, præcepta Decalogi etiam reſpectu Dei eſſe indiſpenſabilia: ergo. ¶ Reſpondetur negando

Eneruatur. maiorem, loquendo de diſpenſatione propriè & ſtrictè dicta, de qua D.Thom. loco cit. Quia ad hanc diſpenſationem neceſſarium eſt, vt per eam honeſtum & licitum reddatur, quod per legem erat illicitum: vnde cum odio Dei & aliis peccatis, quæ ſecundum ſe diuinis attributis opponuntur, omnino repugnet honeſtari & fieri licita; idcirco nequit Deus ſuper illa propriè diſpenſare. Quamvis poſſit, vel non manifeſtare nobis ſuam legem, qua illa prohibet: vel poſtquam manifeſtata eſt, iterum ſubſtrahere, & quaſi ſuſpendere hanc manifeſtationem. Remanerentque tunc prædicta peccata vt initiatiuè & fundamentaliter mala & prohibita, ſicut ante prohibitionem legis; non tamen vt à Deo approbata tanquam licita, atque adeo neque vt diſpenſata.

Solutio ſecundæ confirmationis. 14. Per quod patet ad ſecundam confirmationem: ſolùm enim conuincit, quòd in illo priori ante omnem prohibitionem legis cognoſcit Deus odium ſui vt peccatum & malum morale fundamentaliter & intiatiuè, & ad ſummum vt malum formaliter in ordine phyſico, vt pote male afficiens & diſponens creaturam rationalem in hoc ordine. Non autem pro illo ſigno cognoſceret illud vt peccatum & malum morale formaliter: ſed hac ratione ſicut *eſſe* peccati, ita ejus cognitio dependet à lege. Neque aliter cognoſci poteſt in quocunque ſigno vt formaliter peccatum, niſi eo modo quo cognoſcitur prohibitum per legem. Vnde ſi cognoſcitur vt peccatum ſolùm poſſibile, ſicut cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, lex etiam vel ejus intimatio cognoſci debet ſaltem vt poſſibilis: ſi verò cognoſcatur vt futurum vel exiſtens, ſicut cognoſcitur in ſigno ſequenti per ſcientiam viſionis ſeu liberam, debet etiam cognoſci prohibitio & intimatio legis, eodem ſaltem modo exiſtens vel futura. Quamvis enim æterna Dei lex, vt habet eſſe in ſe ipſa, ſit ſempiterna & omnino neceſſaria, proindeque cognoſci non poſſit neque ſolum vt poſſibilis, neque vt propriè futura; ejus tamen intimatio ad extrà eſt omnino libera, ſicut eſt libera permiſſio peccati: & ideo non minus quàm peccatum & ejus permiſſio poteſt à Deo vel vt poſſibilis, vel vt futura, aut exiſtens cognoſci. Per quod tacita replica manet ſoluta.

Leuis objectio. Si verò vrgeas, quòd reſpectu naturæ rationalis talis omne malum eſt malum morale: quia malum morale nihil aliud eſt niſi malum rationalis creaturæ: ergo vel odium Dei, vt cognoſcitur à Deo ante omnem legem, non cognoſcitur vt formaliter malum naturæ rationalis, adhuc phyſicè, vel cognoſcitur formaliſſimè vt malum morale. ¶ Reſpondetur

Tollitur. negando antecedens: nam ſicut ordo moralis ſupponit phyſicum, ipſaque rationalis creatura & actus ejus ad vtrumque ordinem ſpectant: ita ejus perfectio & imperfectio; bonum & malum poteſt in vtroque iſto ordine attendi, poteſtque aliquid, quod eſt bonum illi in ordine phyſico, eſſe malum in ordine morali; & è conuerſo. Vt patet tùm in actu fidei infuſæ elicito propter inanem gloriam: qui in ordine phyſico, & ſecundum quòd fidei eſt, habet eſſe bonus creaturæ rationali, & maxima perfectio intellectus: vt verò fit propter inanem gloriam, eſt malus moraliter & demeritorius. Tùm etiam in errore inuincibili, qui in ordine phyſico eſt mala diſpoſitio intellectus; & tamen in genere moris poteſt eſſe bonus & laudabilis. Vnde cum dicitur malum morale idem eſſe ac malum rationalis creaturæ intelligendum eſt de malo ejus vt operantis per lumen naturalis rationis, quòd habet vim legis; non verò de quocunque potente diſconuenienter afficere prædictam naturam, quolibet modo ſumptam.

Tertium argumentum. 15. Tertiò probatur eadem ſententia: quia non eſt de ratione boni moralis, quòd ſit juxta legem præcipientem: aliàs opera conſilij, & quæ non cadunt ſub præcepto, non eſſent bona:

Digitized by

bona: ergo neque erit de ratione peccati, quòd ſit contra legem ipſum prohibentem. Patet conſequentia: nam contrariorum eadem eſt ratio & menſura: & per oppoſitionem ad eandem regulam actus debet dici malus; ex cujus conformitate habet, quòd ſit bonus. ¶ Hoc argumentum ſoluimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. num. 77. Nunc breuiter reſpondetur negando antecedens: nam etiam opera conſilij & quodcunque opus bonum cadunt aliquo modo ſub lege præcipiente. Quia etſi lex non abſolutè præcipiat hujuſmodi opera, & ideo, abſolutè loquendo, non ſit peccatum illa omittere; præcipit tamen eorum rectitudinem & bonitatem, ſuppoſito quòd voluntas in tali materia operetur; prout etiam explicuimus diſput. præced. à num. 9.

Remittitur.

Argumentū vltimum.

Vltimo probatur: nam ex noſtra ſententia ſequitur, omnia peccata eſſe ejuſdem ſpeciei, & pecatum inobedientiæ non diſtingui ab aliis peccatis: at vtrunque hoc eſt manifeſte falſum: ergo, &c. Sequela quoad primam partem ſuadetur; nam cum peccata ſpeciem ſumant ab objectis ſecundum eam rationem, ſecundum quam ad illa terminantur: ſi eſſet de ratione omnis peccati reſpicere objectum vt prohibitum per legem, omnia terminarentur ad illud ſub eadem ſpecifica ratione, ſcilicet ſub ratione prohibiti: proindeque omnia eſſent ejuſdem ſpeciei. Ex quo ſecunda pars prædictæ ſequelæ etiam probatur. Quia peccatum inobedientiæ ſpecificatur ab objecto ſub ratione prohibiti: ergo cum in iſta ratione juxta noſtram ſententiam omnia peccata conueniant, omnia erunt inobedientiæ peccata, nec erit aliquid, per quod à peccato inobedientiæ condiſtinguantur.

Eneruatur.

16. Reſpondetur negando ſequelam quoad vtranque partem. Et ad probationem prioris dicendum eſt legem, quamvis in ſe ſit vna, in prohibendo tamen peccata eſſe multiplicem juxta diuerſas materias, in quibus prohibentur, aut juxta diuerſa prohibendi motiua: vnde licet peccata reſpiciant objecta vt prohibita; poſſunt adhuc per ordinem ad illa ſpecificè diſtingui. ¶ Adde, peccata non ita dependere à lege, quaſi illam vel ejus prohibitionem reſpiciant per modum objecti ſpecificatiui, vel per modum termini, ad quem conuertunt: ſed quia ſunt receſſus ab illa vt à termino *à quo*. Vnde proprium ſpecificatiuum & diſtinctiuum peccati non eſt lex, nec prohibitio; ſed objectum peccati vt repugnans prohibitioni: & quia objecta diuerſa ſunt; poſſunt optimè peccata per ordinem ad illa ſpecie diſtingui, quamvis non diſtinguantur per ordinem ad legem. Sed de hoc dicemus diſput. ſequenti dub. 2 & videri poſſunt, quæ diximus in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. dub. 4. & dub. 6. à num. 9.

Ad probationem ſecundæ partis reſpondetur, inobedientiam propriè dictam condiſtingui ab aliis peccatis; quia non vtcunque reſpicit objectum vt prohibitum, ſed ita quòd ipſamet prohibitio, vt ejus violatio habet reſpectu illius rationem materiæ & objecti per ſe inſpecti ab inobedientia: cum tamen reſpectu aliorum peccatorum prohibitio tantùm ſit veluti generalis conditio concomitans illorum objecta: quæ proinde juxta diuerſitatem ipſorum objectorum modificatur & diuerſificatur. ¶ Adde ex D. Thoma 2.2. quæſt. 104. & 105. quòd ſicut de ratione obedientiæ propriè dictæ vt non vtcunque eſt facere juxta legem, adimplendo rem præceptam; ſed debet obediens hoc per ſe intendere: ita ad inobedientiam propriè & ſpecialiter dictam non ſufficit vtcunque facere rem prohibitam; niſi peccans intendat facere contra ipſam prohibitionem: quod tamen non requiritur in aliis peccatis. ¶ Diximus, *ad inobedientiam proprie & ſpecialiter dictam*: quia ſi inobedientia largè & minus propiè accipiatur, eſt generalis conditio conſequens omnia peccata, & non peccatum ſpeciale, vt D. Thom. docet cit. quæſt 104. art. 2. ad 1. Ex quo potius confirmatur noſtra aſſertio: quia ſi in quolibet peccato includitur, quòd ſit hoc modo inobedientia, etiam erit de ratione ipſius, quòd ſit contra legem: nam inobedientia, etiam hoc modo ſumpta, nequit intelligi ſine tranſgreſſione præcepti & legis.

Dubitant hic nonnulli, an peccatum eò ſit contra rationem, quò eſt contra legem; & è conuerſo? Sed juxta dicta non eſt difficilis reſponſio: nam cum ipſa ratio habeat vim legis, planum eſt eo ipſo aliquid opponi cum ratione, quo opponitur legi. Quod quomodo verum ſit, etiam in illis peccatis, quæ lege poſitiua, ſiue diuina, ſiue humana prohibentur, explicuimus diſp. 2. num. 4. & numer. 18. & 19.

DVBIVM II.

Qua ratione peccatum ſit contra Deum, & eius offenſa?

17. Extra controuerſiam eſt, peccatum eſſe aliquo modo contra Deum & offenſam illius: *Conſtat Deum noſtrum peccatis offenſum*, dicitur Iudith cap. 11. Quo ſuppoſito, quærimus, qua ratione? an nimirum per ſe, & ex propria ſua eſſentia; an verò aliunde & quaſi per accidens? ex quibuſque capitibus hoc peccato conueniat? & inſuper qualiter ad illud ſe habeat ratio offenſæ diuinæ? Neque ita accipiendum eſt, cum dicimus peccatum eſſe contra Deum, quaſi ipſi Deo ſecundum ſe & in ſe directè & formaliter opponatur, ſicut vnum contrarium opponitur alteri: Deo enim, vt eſt in ſe ipſo nihil poteſt eſſe contrarium. Sed dicitur contrariari illi objectiuè, aut quatenus ei diſplicet per modum objecti; aut quatenus contrariatur charitati vel aliis virtutibus, quæ habent ipſum Deum pro objecto vel fine. Sicut etiam offenſa & injuria Dei non ideo appellatur, quia effectiuè ei noceat: *Si enim peccaueris* (inquit Iob cap. 35.) *quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Sed dicitur injuria & offenſa, quia nocet in affectu peccantis. Omnis enim, qui mortaliter peccat, vellet, quantum eſt ex parte affectus ſaltem interpretatiui, Deo malum inferre, illumque honore debito priuare, ſi hujuſmodi nocumenti eſſet capax. In quo ipſo ſecundùm prudentem æſtimationem injuriam ei irrogat, & Deus ille reputat ſe vt ab illo offenſum.

Iudith. 11.

Iob. 35.

offenſum. Quia verò ſolum peccatum mortale habet eſſe hoc modo offenſiuum Dei, & ſimpliciter contra ipſum; peccatum autem veniale non tam habet eſſe contra, quàm præter Deum, nec ſimpliciter offenſa ejus dicitur: de illo per ſe primo agemus in hoc dubio; de iſto verò nonnihil tangemus.

§. I.

Deciditur prima pars dubij.

DIcendum eſt, peccatum non aliunde & quaſi per accidens: ſed ſecundum ſe & ex propria ſua ratione eſſe contra Deum & offenſam ipſius modo explicato. Hæc aſſertio eſt adeo communis, vt ſuperuacaneum ſit aliquem in particulari pro ea recenſere. Deſumitur ex ſacra Scriptura, in qua paſſim peccata dicuntur *offenſiones*, *iniuſtitiæ*, *iniuriæ*: vt videre eſt Iſai. 41. Ierem. 21. Ezechiel 11. & 18. & 20. Matth. 5. Ad Roman. 1. Iacobi 2. & alibi frequenter. Probatur ratione. Quia peccatum formaliter, quatenus tale eſt, & ex propria ſua ratione habet eſſe contra legem æternam, vt probatum eſt toto dub. præced. ergo ex propria ſua ratione habet eſſe contra Deum ipſius legiſlatorem & contra ejus voluntatem. Cum enim in qualibet lege voluntas legiſlatoris contineatur, non poteſt non quicquid eſt contra legem, eadem ratione eſſe contra legiſlatoris voluntatem. ¶ Confirmatur: quia homo per peccatum, vt eſt formaliter contra legem, atque adeo ex propria ratione peccati, negat Deo debitam ſubjectionem & obedientiam: ergo offendit illum, & irrogat ei injuriam.

Iſai. 41. Ierem. 21. Ezech. 11. & 18. & 20. Matth. 5. *Ratio aſſertionis.*

Obiectiones.

18. Sed objicies primò, quòd Philoſophi naturales cognouerunt eſſentiam peccati: & tamen non cognouerunt eſſe Dei offenſam: nam hoc proprium eſt theologici inſtituti, vt D. Thom. docet hic in ſolut. ad vltim. ergo hoc quod eſt eſſe contra Deum, ſiue offenſam ipſius non pertinet ad eſſentiam peccati. ¶ Deinde, ſiquis inuincibiliter Deum ignorans, peccaret, hujuſmodi peccatum eſſet contra legem; aliàs non eſſet peccatum: & nihilominus non eſſet offenſa Dei, nec Deus per illud injuriaretur: ergo, &c. Minor probatur: nam de ratione offenſæ eſt, quòd ſit voluntaria: ignoranti autem Deum non eſſet voluntaria ejus offenſa, cùm ignorantia tollat voluntarium: ergo. ¶ Præterea, peccatum veniale formaliter eſt peccatum: & tamen non eſt contra Deum; ſed tantùm præter Deum, alioqui deſtrueret charitatem. ¶ Denique peccatum commiſſionis ea ratione habet eſſe contra Deum, quia eſt auerſio ab illo & ab ejus lege: ſed auerſio eſt extra eſſentiam prædicti peccati, ſiquidem talis eſſentia conſtituitur per aliquid poſitiuum, vt diſp. præced. vidimus: ergo non eadem ratione aliquid eſt peccatum, & Dei offenſiuum.

Diluuntur. Plat. Cicero.

Reſpondetur ad primam ex his objectionibus, Philoſophos qui vere cognouerunt eſſentiam peccati, cognouiſſe etiam eſſe contra Deum: vt videre eſt in Socrate apud Platonem in Phædone ſiue dialogo de anima: & Cicero in ſomnium Scipionis poſt alia ad hoc propoſitum ſic ait: *Eorum animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderunt, earúmque ſe quaſi miniſtros habuerunt, &c. Deorum & hominum iura violauerunt.* Neque D. Thom. aliquo modo oppoſitum inſinuat; ſed ſolùm ait peccatum, vt offenſa Dei eſt, potius ad Theologum quam ad Philoſophum pertinere. In quo non negat potuiſſe adhuc ſecundum hanc rationem etiam à Philoſophis ſuo modo cognoſci. Quamvis etiam poſſet dici, D. Thomam loqui de peccato, vt eſt offenſa Dei etiam auctoris ſupernaturalis: ſecundum quam rationem admittimus, Philoſophos lumine fidei deſtitutos illud non cognouiſſe: neque hoc officit aliquo modo veritati noſtræ aſſertionis.

Ad ſecundam negandum eſt poſſe aliquem peccare, qui non eo ipſo, ſaltem in actu exercito, cognoſcat eſſe aliquem ſuperiorem legitimè præcipientem per legem, cui obedire tenetur: in quo virtualiter ad minus & implicite cognoſcit Deum legiſlatorem: & ſcit, vel ſcire poteſt, ſe violando legem facere contra ipſum, & eum offendere. ¶ Ad tertiam reſpondetur peccatum veniale, eo modo quo eſt peccatum & contra legem, eſſe, etiam contra Deum vt legiſlatorem: quia tamen non habet eſſe contra illum vt vltimum finem, vt tetigimus diſp. 4. num. 3. & iterum dicemus diſp. 19. idcirco neque deſtruit charitatem, neque dicitur abſolutè contra Deum; ſed magis præter Deum: nec ſimpliciter habet rationem offenſæ; ſed tantùm ſecundum quid. ¶ Ad vltimam reſpondetur ex doctrina diſputationis præced. dub. 3. vbi in peccato commiſſionis diſtinguimus auerſionem priuatiuam conſequentem, & auerſionem contrariam conſtituentem: ex vtraque enim habet prædictum peccatum eſſe contra Deum.

§. II.

Ex quibus capitibus peccatum ſit contra Deum?

19 SIcut in Deo plures ſunt rationes perfectionis & bonitatis, ob idque multis modis bonum ei placet, & habet eſſe juxta ipſum: ſic etiam plures habet rationes oppoſitionis ad malum per ordinem ad quas peccatum multis ex capitibus ei aduerſatur, ipſumque offendit. Primò namque (vt dictum eſt) peccatum contrariatur Deo vt legiſlatori, tollens ab eo debitam ſubjectionem & obedientiam: indéque in quolibet peccato includitur vt generalis circunſtantia ratio inobedientiæ, vt num. 16. dicebamus. Secundò vt Iudici: offendit enim juſtum judicem, qui peccat, non verendo ejus pœnam & ſupplicium. Tertiò offendit eum vt teſtem, non reuerendo præſentiam ipſius, in cujus oculis peccat. Quæ duo capita tetigit D. Thom. Pſalm. 50. ad illa verba: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci*: vbi ſic dicit: *Videtur autem Deum iudicem contemnere, qui non timet peccare propter iudicium eius: & ſimiliter contemnit Deum vt teſtem, qui peccat in oculus eius.* Quartò injuriat illum vt ſummè bonum: cui neceſſarium eſt vt omne malum culpæ diſplicea t: & cui magna irrogatur injuria, dum minus bonum, quod eſt in creatura, illi præfertur, & pluris à peccatore æſtimatur: in quo ipſo Deum priuat debito honore & appretiatione. Pſal. 50. D. Thom.

Quartò

Quintò peccatum habet eſſe contra Deum vt finem: quia per quodlibet mortale peccatum conuertitur peccans ad bonum creaturæ tanquam ad finem vltimum, & à Deo vero fine vltimo auertitur: in quo Deus ipſe offenſus remanet. Quæ etiam duo capita ponit D.Th. quæſt.28.de verit.art.2. vbi ait: *Quicumque rem aliquam digniorem indigniori poſtponit, iniuriam ei facit: & tanto amplius, quanto res eſt dignior: quicumque autem in re temporali finem ſibi conſtituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipſo quantum ad affectum ſuum præponit creaturam creatori, diligens plus creaturam, quàm creatorem.*

Idem.

Sextò Deus offenditur per peccatum, in quantum eſt ſupremus & vniuerſalis dominus creaturæ rationalis: cui propterea iure ſeruitutis debita eſt omnis actio talis creaturæ. Vnde ſupremum Dei dominium læditur per quamlibet actionem rationalem & liberam, quæ Deo ſubtrahitur; & ad oppoſitum finem ordinatur: ſicut ordinatur omnis actio peccaminoſa. ¶ Denique per quodlibet peccatum offenditur Deus vt benefactor & amicus: cui nefas eſt poſt tot accepta beneficia inimicum ſe exhibere & ingratum. Et ideo in quolibet peccato inuenitur (ſaltem de materiali) quædam ingratitudo: *In quantum facit homo aliquid, quod poteſt ad ingratitudinem pertinere*, vt D.Thom.ait 2.2.quæſt.107.art.2. ad 1.

Obiectio.

20. Sed objicies primò, quòd non videtur vnum & idem peccatum tot modis poſſe eſſe contra Deum. Nam peccatum ſolùm contrariatur Deo obiectiuè, in quantum opponitur rectitudini virtutis, quæ eſt in ordine ad Deum: ſed vnum peccatum non opponitur contrariè niſi vni dumtaxat virtuti: quia vnum vni tantùm eſt contrarium, teſte Philoſopho 10. metaphyſ. ergo nequit vnum peccatum tot ex capitibus Deo contrariari.

Diluitur.

Reſpondetur negando conſequentiam. Tum quia vni virtuti contrariantur ſæpe plura peccata, vt diſput.1. dictum eſt, vbi num.7. axioma Philoſophi explicuimus: & ita non mirum, quòd idem peccatum pluribus virtutibus ſaltem interpretatiuè, & virtualiter, mediatè, & indirectè contrarietur. Tum etiam quia in eadem virtute & in eius rectitudine poſſunt, ſaltem noſtro modo concipiendi, diſtingui plures reſpectus in ordine ad Deum: nempe vt ad obiectum, vt ad finem, vt ad efficientem, vt ad præcipientem, vt ad Dominum, &c. & per ordinem ad huiuſmodi reſpectus poterunt tot alij reſpectus contrarietatis ad Deum & ad ipſam virtutem in peccato inueniri.

Obiectio alia.

21. Objicies ſecundò: quia ſi quodlibet peccatum tot ex capitibus Deo & virtuti contrariaretur; in quolibet reperirentur plures ſpecies malitiæ, puta inobedientiæ, ingratitudinis, iniuſtitiæ, irreuerentiæ, &c. quæ proinde deberent in confeſſione explicari: hoc autem non debet admitti: ergo. Maior ſuadetur: nam ex qua parte tale peccatum eſſet contra Deum vt præcipientem & legiſlatorem, haberet malitiam inobedientiæ: in quantum verò eſſet contra illum vt teſtem, malitiam irreuerentiæ: vt contra Dominum, malitiam iniuſtitiæ: vt contra benefactorem, malitiam ingratitudinis, &c.

Reſpondetur negando maiorem: nam huiuſmodi circunſtantiæ cum ſint conditiones generales tranſcendentes omnia peccata, non dant ſpeciem, niſi fuerint volitæ directè & in ſe ipſis: vt puta cum aliquis directè peccat eo fine, vt frangat diuinum præceptum, vel vt faciat Deo irreuerentiam, aut ob aliud huiuſmodi motiuum: quod rarò continget. Vnde licèt in quolibet peccato tot illæ rationes oppoſitionis ad Deum inueniantur; non tamen ex hoc habet neceſſariò plures malitiæ ſpecies aut circunſtantias, quæ debeant in confeſſione explicari.

Enervatur.

Dubitant hîc Caietanus & alij, vtrum ſit de ratione peccati eſſe contra Deum non ſolum vt auctorem & finem naturalem; ſed vt finem & auctorem ſupernaturalem? Sed deciſio huius difficultatis non obſcurè habetur ex dictis diſput.1. num.34. vbi probatum eſt vitia omnia & peccata, etiam quæ virtutibus acquiſitis directè opponuntur, ex conſequenti & indirectè contrariari virtutibus ſupernaturalibus, ac proinde etiam Deo vt auctori & fini huius ordinis.

Quæſitum.

§. III.

Qualiter ratio offenſæ Dei ſe habeat ad peccatum?

22. HÆc difficultas tangitur hîc ab aliquibus, & defectu diſtinctionis confunditur. Sciendum ergo eſt, offenſam poſſe ſumi dupliciter: vel paſſiuè, pro damno & nocumento perſonæ offenſæ illatis, à quibus perſona ipſa denominatur formaliter *offenſa & damnificata*: & hæc eſt offenſa formalis: vel poteſt ſumi actiuè pro ipſa actione nociua & inductiua talis damni, à qua denominatur aliquis *offendens*: quæ proinde dici poteſt *offenſa cauſalis* vel *actiua*. Igitur ſi loquamur de offenſa hoc poſteriori modo ſumpta, ferè omnes conueniunt eſſe ipſum peccatum ſecundum aliquam rationem exiſtentem in illo. Et videtur ſatis per ſe notum: quia notum per ſe eſt, peccatorem per ſuummet peccatum Deum offendere, & inferre illi iniuriam.

Diſſidium tamen nonnullum eſſe poteſt, an hæc ratio offenſæ actiuæ ſit ipſamet ratio conſtitutiua peccati; an verò aliquid aliud eam conſequens? Hoc poſterius aſſerere videntur Lorca in præſenti diſput.11. Vaſquez diſput.96. & quidam alij: debéntque illud admittere omnes, qui ex vna parte nobiſcum tenent, peccatum conſtitui per poſitiuum; & ex alia dicunt rationem offenſæ in peccato nihil aliud eſſe quàm auerſionem à Deo priuatiuam.

Dubitatum.

Melius tamen N. Cornejo in præſenti dub.4. magíſque ad mentem D. Thomæ rationem offenſæ actiuæ dicit non diſtingui à malitia peccati; neque eſſe aliquid ſecundum rem eam conſequens; ſed illam intimè tranſcendere: quamuis modo noſtro intelligendi nonnihil conſequutionis & poſterioritatis habere videatur. Ad eum proportionalem modum, quo proprietates entis modo noſtro concipiendi illud ſupponunt, & conſequi dicuntur; quamuis ſecundum rem per ipſum tranſcendant, & ſint omnino idem. Conſonat hic dicendi modus doctrinæ D.Thomæ in iſto

Vera reſponſio.

iſto art. vbi in ſolut. ad 3. ait, peccatum idcirco diffinitum fuiſſe ab Auguſtino per eſſe *contra legem æternam*, potius quam per eſſe *contra rationem*: quia conſiderauit illud, in quantum erat offenſa Dei: atque adeo ſentit, quòd eſſe contra prædictam legem, in quo formaliter conſiſtit ratio malitiæ & peccati, & eſſe offenſam ſeu offenſiuum Dei non diſtinguuntur. Ratione etiam ſuadetur ex dictis §. præcedenti: quoniam peccatum eò habet eſſe offenſiuum Dei, quò habet eſſe contra illum, ſiue vt legiſlatorem, ſiue vt dominum, ſiue vt finem, &c. cum ergo per ipſammet rationem peccati habeat his modis eſſe contra Deum, vt oſtenſum eſt num. 17. conſequens fit, quòd per eandem ſecundum rem ſit Dei offenſiuum, & offenſa eius actiua. ¶ Diximus *ſecundum rem*: quia nos ſicut prius quodammodo concipimus peccatum eſſe contra legem, quàm eſſe contra perſonam legiſlatoris, & hoc poſterius intelligimus conſequi ad illud prius: ita prius concipimus aliquid vt peccatum, quàm vt Dei offenſiuum: hocque ad illud veluti conſequitur.

23. Nec refert, ſi objicias quòd homicidium v.g. non eſt offenſa Dei, niſi vt eſt auerſio ab illo: eſt autem peccatum eſſentialiter, ſecundum quòd eſt conuerſio ad obiectum diſſonum: ergo non eſt eadem ratio peccati, & ratio offenſæ. ¶ Reſpondetur enim vtramque rationem, tam conuerſionem, quam auerſionem, in peccato habere rationem offenſæ actiuæ, ſicut vtraque habet rationem malitiæ: quia tamen conuerſio non habet rationem prædictæ offenſæ, niſi prout eſt auerſiua à Deo, inducitque ipſam formalem averſionem, ac per eam veluti conſummatur & completur: idcirco ratio talis offenſæ potius attribui ſolet auerſioni quàm conuerſioni: quamuis in exequutione & ſecundum rem prius in hac quàm in illa reperiatur. At verò in ordine ad conſtituendum peccatum prior eſt conuerſio quàm auerſio: quia peccatum ſecundùm ſuam eſſentialem rationem per ſe primò ſumitur in ordine ad obiectum diſſonum, in quo ordine potior eſt conuerſio, quæ prædictum obiectum per ſe reſpicit, quàm auerſio quæ ſequitur per accidens. Cæterùm ratio offenſæ actiuæ dicitur in ordine ad offenſam paſſiuam, quàm inducit in perſona, quæ offenditur: & ideo illi formalitati primario tribuenda eſt ratio offenſæ actiuæ in peccato, quæ offenſam paſſiuam directiùs concernit, & ad eam magis appropinquat: in quo potior eſt averſio à Deo, quàm conuerſio ad oppoſitum.

Difficultas. Maior difficultas eſt (quam Doctores citati non videntur hic tetigiſſe) circa offenſam formalem ſeu paſſiuam, qualiter ſe habeat ad peccatum? an nimirum ſit ipſamet offenſa actiua vt ad Deum tanquam ad obiectum terminata; vel aliqua alia ratio in actu peccati exiſtens, à qua Deus extrinſecè denominetur *offenſus*: ſicut ab actu charitatis denominatur extrinſecè *amatus*? an verò comparetur ad prædictum actum ſolùm per modum termini & effectus, qui in ipſa perſona, quæ offenditur, ſcilicet in Deo moraliter reſultat, & in ea ſubiectatur: ita quòd Deus reſpectu talis offenſæ non ſe habeat omnino extrinſecè & per modum obiecti; ſed magis per modum ſubiecti, & quodammodo intrinſecè? Sed quia grauis hæc difficultas propriam ſedem habet in materia de Incarnatione, & à nobis ex profeſſo ibidem (Deo dante) examinanda eſt; breuiter hic ea ſolùm, quæ ad præſens neceſſaria videntur, tangemus, eligendo (ſaltem pro nunc) hunc poſteriorem modum dicendi, quem graues Theologi ſequuntur.

24. Dicendum itaque eſt, offenſam formalem ſeu paſſiuam non eſſe intrinſecè in actu peccati; ſed ex illo, vt eſt offenſa actiua, veluti reſultare in Deo ſecundum affectum peccantis per modum quaſi moralis læſionis iuris diuini à peccante intentatæ, à qua Deus intrinſecè quodammodo denominatur *offenſus*, *iniuriatus*, & *damnificatus*. Vnde reſpectu ipſius Dei huiuſmodi offenſa habet ſe veluti forma ſeu priuatio in eo recepta; reſpectu verò peccati & offenſæ actiuæ habet ſe tanquam terminus & effectus. *Reſolu.*

Probatur ita eſſe dicendum: quoniam huiuſmodi offenſa paſſiua non tàm habet eſſe malum peccantis vel actionis peccati, quàm ipſius Dei, qui per peccatum offenditur & damnificatur: & ideo non tam debetur pro ea peccanti aut peccato pœna, quàm ſatisfactio & reſtitutio Deo offenſo; vt infra ad quæſt. 87. diſp. 17. oſtendemus: ergo prædicta offenſa non debet eſſe ſubiectiuè in peccante aut in peccato; ſed magis in Deo. Patet conſequentia: nam malum in eo eſt tanquam in ſubiecto, cuius eſt malum: ſicut etiam damnum in eo eſt, quem damnificat, & cui lædit. *Prima ratio.*

Secundò probatur ſupponendo, offenſam mortalem (de hac enim præcipuè loquimur) in ratione offenſæ eſſe ſimpliciter infinitam: id enim ad ſui æqualem compenſationem infinitam ſatisfactionem requirit: quod quia in tract. de Incarnat. ex profeſſo à nobis probandum eſt, modò ſupponitur: ex hoc autem ſequens conficitur argumentum. Nulla ratio in actu peccati aut in peccatore exiſtens poteſt eſſe ſimpliciter infinita: ergo ratio diuinæ offenſæ inducta per peccatum mortale non eſt ſubiectiuè in peccatore, neque in peccato; ſed in Deo per illam offenſo. Conſequentia quoad priorem partem liquet ex præſuppoſito: quoad poſteriorem verò etiam conſtat: nam ratio prædictæ offenſæ, eo modo quo eſt, alicubi eſſe debet: & ſi non ſit in peccatore offendente, neque in peccato; non poteſt alibi eſſe quàm in ipſo Deo offenſo. Antecedens autem probatur. Tum quia neque peccator, neque actus peccati capax eſt alicuius rationis infinitæ ſimpliciter; cum vterque ſit ſubiectum ſimpliciter finitum. Tum etiam quia aut illa ratio eſſet forma poſitiua? Et ſic implicaret, quòd eſſet ſimpliciter infinita: omnis enim forma poſitiua recepta in ſubiecto finito, neceſſariò limitatur & finitur per ipſum ſubiectum: & ideo repugnat produci à Deo gratiam actu infinitam; quamuis ipſa ſecundum ſuam rationem nullum habeat terminum: quia cum producenda ſit in natura creata, & hæc ſimpliciter ſit ſubiectum finitum, non poteſt non ab ea finiri & limitari. Aut talis ratio eſſet aliqua priuatio? Et neque iſto modo poſſet eſſe infinita. Nam cum priuatio ſit carentia formæ debitæ, non poteſt eſſe maior quàm ipſa forma debita, qua priuat: quare ſicut repugnat deberi actui humano vel alteri finito ſubiecto formam poſitiuam *Secunda.*

Digitized by Google

ſitivam infinitam ſimpliciter, aut dari in eo capacitatem ad hujuſmodi formam; ita repugnat reperiri in illo privationem ſimpliciter infinitam.

Confirmatio.

25. Confirmatur; quoniam ſi offenſa formalis eſſet aliqua ratio exiſtens in peccato, talis ratio vel eſſet converſio, vel averſio: ad has enim reducitur quicquid eſt in actu peccati: ſed neque conuerſio, neque averſio reperta in peccato poteſt eſſe ſimpliciter infinita: ergo neutra ex illis poteſt habere rationem prædictæ offenſæ. Minor quoad converſionem videtur per ſe nota: nam converſio & habet objectum ſimpliciter finitum, ſcilicet bonum commutabile; & attingit illud modo finito & per tendentiam finitam: ergo ex nullo capite poteſt habere infinitatem: in quo omnes conveniunt. Quoad averſionem verò, de qua nonnihil difficultatis eſſe poteſt, ſic ſuadetur. Quoniam averſio à Deo reperta in peccatore vel in peccato, nihil aliud eſt quàm privatio converſionis in ipſum Deum: conſtat autem, quòd huiuſmodi converſio ſicut & forma, per quam fit ſimpliciter eſt finita: fit enim talis converſio vel per rectitudinem & conformitatem actus cum lege debitam ipſi actui; vel per charitatem & gratiam debitam haberi ab operante talem actum: quæ omnia ſimpliciter ſunt aliquid finitum: ergo etiam prædicta averſio eſt ſimpliciter finita: quandoquidem (vt nuper dicebamus) nulla privatio poteſt eſſe maior, forma, qua privat.

Confirmatio alia.

Confirmatur ſecundò: nequit eſſe major averſio, quæ reperitur in peccatore vel in peccato, quàm pœna damni illi correſpondens, ſcilicet carentia viſionis divinæ: ſed huiuſmodi pœna, quamvis ſit infinita ſecundùm quid, ſicut viſio, qua privat, eſt etiam infinita ſecundùm quid, ſimpliciter tamen & abſolutè eſt finita, vt *diſp.*17. *dub.* 4. agentes ex profeſſo de hac pœna probabimus: ergo, &c.

Effugium.

Dices averſionem à Deo in peccatore repertam, non vtcumque eſſe privationem gratiæ, ſed omnis gratiæ poſſibilis haberi ab ipſo peccatore; ſiquidem omnis iſta gratia eſt incompoſſibilis cum tali averſione: hujuſmodi autem gratia poſſibilis ſimpliciter eſt infinita: quia nunquam Deus tantam gratiam communicabit, quin majorem & majorem vſque in infinitum communicare valeat.

Refellitur.

¶ Sed hoc effugium nullum eſt: quia neque averſio neque pœna damni, quæ ei correſpondet, privant formaliter tota gratia aut tota gloria haberi poſſibili, aliàs cùm privatio non auferatur niſi per formam, qua privat, quandiu non ponitur in peccatore tota iſta gratia, non auferetur ab eo totaliter prædicta averſio. Privatio ergo gratiæ, quæ conſtituit averſionem (& idem eſt de privatione gloriæ, quæ conſtituit pœnam damni) tantùm eſt privatio gratiæ abſolutè ſumptæ, ſeu quantum ad eſſentiam: vnde poſita in peccatore gratia, quantumvis minima, aufertur totaliter prædicta privatio, & deſtruitur auerſio. Non ergo ex hoc capite poteſt talis auerſio eſſe ſimpliciter infinita. Vide infra *diſp.*18.*num.*11.

Prima obiectio.

26. Verum contra hanc doctrinam obiicies primò, quod D. Thom. infra *quæſt.* 87. *art.*4. vbi probat peccatum, qua ratione eſt contra Deum, adeoque offenſa ipſius, eſſe infinitum; expreſsè dicit, totum hoc convenire illi ex parte averſionis: ergo tam ratio infinitudinis quàm ratio offenſæ conſtituenda eſt in averſione, quæ reperitur in ipſo peccato.

Diluitur.

Reſpondetur D. Thomam *in illo art.* non loqui de offenſa formali; ſed de offenſa activa, quæ eſt ipſummet peccatum, vt habet eſſe objectivè contra Deum, avertitque ab illo per ſuam malitiam: & hanc offenſam ſeu malitiam dicit eſſe infinitam, non ſimpliciter, ſicut eſt offenſa formalis, pro qua debetur Deo infinita ſatisfactio; ſed ſecundùm quid, ſicut dicitur infinita pœna damni, quæ correſpondet prædictæ averſioni & malitiæ; vt latiùs explicabimus *diſp.*17.*dub.*4.

Secunda obiectio.

Secundò objicies: quia honor, quo Deum honoramus, non ſubiectatur in ipſo Deo; ſed in nobis: nam honor eſt in honorante: ergo neque injuria, quà ipſum offendimus, debet eſſe aliquid in illo; ſed in nobis. Patet conſequentia. Tum quia contraria debent habere idem ſubjectum. Tum etiam quia non videtur aliud eſſe iniuria & offenſa Dei, niſi divini honoris ablatio vel privatio: ablatio verò & privatio alicuius formæ ibi tanquam in ſubjecto eſſe debet, vbi eſſet ipſa forma.

Confirmatio duplex.

Confirmatur: quia peccator per ſuum actum nihil intrinſecum ponit in Deo, à quo ille denominetur *offenſus*; aliàs Deus per tale intrinſecum mutaretur: ergo ſolùm poteſt denominari *offenſus* extrinſece ab offenſione exiſtente in ipſo peccatore & in ejus actu: ſicut *honoratus* & *cultus* dicitur ab honore & cultu exiſtente in honorante.

Confirmatur ſecundò: nam ſi ex peccato reſultaret in Deo aliquid, quod haberet rationem offenſæ: aut aliud eſſet forma poſitiva? & hæc non videtur excogitabilis: aut eſſet aliqua privatio, putà quia Deus privaretur ratione cauſæ finalis; vel quia tolleretur ab eo ſupremum dominium, vel aliquid huiuſmodi? & neque hoc dici poteſt. Nam cùm hæc ſint in Deo neceſſaria & à ſe; repugnat omnino introduci in illo alicuius eorum priuationem. ¶ Adde quòd Deus nequit eſſe objectum alicuius mali, ſicut nequit eſſe, aut denominari *malus*: offenſa autem habet rationem mali: ergo nequit habere Deum pro ſubjecto.

Solutio obiectionis.

27. Reſpondetur ad objectionem conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: eſt enim quoad hoc inter honorem & offenſam tam activam quàm paſſivam manifeſta diſparitas. Quoniam honor habet ſe per modum actionis immanentis ipſius honorantis: nihil enim aliud eſt honor (teſte D. Thoma 2. 2. *qu.* 103. *art.* 1. *ad* 2.) niſi teſtificatio & proteſtatio de excellentia aut bonitate alicujus: vbi ipſa actio, quæ tantùm eſt immanens, ſupponit ſuum objectum, & nihil in eo ponit præter dænominationem extrinſecam. Quapropter licet honor ex parte perſonæ honoratæ ſupponat tanquam obiectum excellentiam, quam teſtificatur; non tamen ibi aliquid ponit; ſed ſiſtit omnino in honorante: neque honoratum reſpicit vt ſubiectum; ſed ſolùm vt objectum. Cæterum offenſa activa, quamvis ſit formaliter actio immanens; virtualiter tamen ſecundùm affectum peccantis eſt actio tranſiens: actio verò tranſiens, in quantum talis eſt, non ſupponit objectum: ſed eſt factiva illius, reſpicitque materiam, circa quam verſatur, vt paſſum & ſubjectum,

Digitized by Google

in quo producit effectum, quo mediante illud denominat. Vt patet in calefactione, quæ quia eſt actio tranſiens, non denominat calidum immediatè per ſe ipſam; ſed medio calore, quem in ligno producit: & ideo quamuis calefactio, in quantum actio eſt, ſubiectaretur in calefaciente; terminatiuè tamen poneret aliquid in calido, nempe calorem vel calefactionem paſſiuam, medio quo illud intrinſecè denominaret. Vnde quia offenſa actiua habet eſſe prædicto modo tranſiens, reſpicit perſonam offenſam, non præcisè vt obiectum; ſed magis vt paſſum & ſubiectum, in quo recipitur eius terminus & effectus, qui eſt offenſa paſſiua, velut quædam læſio & damnum illatum tali ſubiecto. ¶ Poſſet etiam dici, quòd licèt honor ſecundum ſe ſit in honorante, ſicut offenſa actiua eſt in offendente; gloria tamen, quæ eſt effectus honoris (vt D.Thom. docet loco cit.) non ſiſtit in ipſo honorante; ſed tranſit moraliter ad perſonam honorificatam, & quodammodo in ea recipitur: & huic, ſcilicet gloriæ, potius quàm honori contrariatur offenſa formalis.

Per quod patet tùm ad primam antecedentis probationem. Nam licèt offenſa actiua, ſecundum quòd manet in peccante, contrarietur diuino honori, qui in eo eſſe debet; offenſa tamen formalis (vt dicebamus) non contrariatur immediatè honori; ſed magis gloriæ, quæ eſt honoris effectus. Diximus *magis gloriæ*, &c. quia propriè & formaliſſimè loquendo, offenſa formalis neque contrariatur honori neque gloriæ, quam honor ponit; ſed alicui, quod honor ſupponit. Contrariatur enim, eo modo quo eſt, diuinæ excellentiæ, ratione cuius Deus eſt dignus laude & honore: & contrariatur iuri, quod Deus habet, vt veneretur, diligatur, & honoretur. Et ideo ſi contraria habere debent idem ſubiectum; potius hinc deducitur offenſam formalem in Deo eſſe, in quo eſt prædictum ius. Tùm etiam ad ſecundam: quia offenſa formalis non eſt formaliter ablatio aut priuatio finiti honoris Dei, qui exiſtit in creatura: hoc enim proprium eſt offenſæ actiuæ; ſed eſt ablatio & priuatio (quantum eſt ex affectu peccantis) infiniti iuris, quod diximus: & ita ibi debet eſſe ſicut in ſubiecto, vbi eſt prædictum ius.

28. Ad primam confirmationem reſpondetur, peccatorem per ſuum actum nihil in Deo ponere effectiuè & efficaciter; ponere tamen vel auferre ab eo aliquid affectiuè. Nam quicumque mortaliter peccat, quantum eſt ex parte affectus vel formalis, vel interpretatiui, tollit à Deo rationem vltimi finis, quæ eſt Deo intrinſeca, conſtituendo ſibi finem vltimum in creatura: tollit etiam ab illo ex parte eiuſdem affectus ius, quod habet, vt colatur, honoretur, & ſuper omnia diligatur, dum hæc illi negat. Et quia ſi ita poſſet eſſe, ſicut peccator intentat; Deus de facto prædicto iure priuaretur, & in propriis & intrinſecis læderetur; prudenter eum reputamus vt læſum & damnificatum in illis: & ſicut ipſa ſunt bona intrinſeca; ſic prædicta læſio, prædictumque damnum intentatum æſtimatur vt intrinſecum. Quòd enim effectiuè peccator non lædat intrinſecè ius diuinum, non ſtat per ipſum, qui facit, quantum poteſt, vt illud deſtruat: & abſolutè deſtrueret, ſi eſſet deſtructibile. Vnde

Soluitur prima confirmatio.

quoad æſtimationem non minus Deus ſe reputat offenſum, iniuriatum & læſum ab illo; ac ſi effectiuè eius dominium deſtrueretur: nec minus eſt infinitè grauis hæc offenſa in ratione offenſæ & iniuriæ moralis, aut minorem requirit ſatisfactionem, quàm illa. Et hoc modo dicimus offenſam formalem eſſe in Deo tanquam in ſubiecto, & afficere illum quodammodo intrinſecè.

Ad ſecundam confirmationem iam conſtat, offenſam non eſſe iudicandam in Deo ad modum formæ poſitiuæ; ſed vt quædam læſio iuris diuini, adeoque per modum priuationis & ablationis rationis finis vltimi, ſupremæque excellentiæ & dominij Dei: prout alibi magis explicabitur. Neque vrget probatio, quæ ibi adducitur: nam quòd diuinæ perfectiones ſint à ſe, & omnino neceſſariæ, oſtendit non poſſe deſtrui effectiuè, non verò probat, quòd peccator non poſſit Deum illis priuare effectiuè & modo explicato. ¶ Ad id vero, quòd additur, dicendum eſt eodem modo: quòd etſi Deus non ſit ſubiectum alicuius mali effectiuè, ita vt poſſit cum exequutione illud in ſe recipere; peccator tamen poteſt intentare, illud Deo inferre. Et hoc modo offenſa eſt in Deo, ſcilicet vt malum intentatum ex affectu peccantis. Neque hinc fit vt Deus *malus* denominetur, etiam eo modo quo malum offenſæ habet eſſe in illo: quia hæc denominatio in moralibus ſolùm tribuitur facienti malum; non verò illud ſuſtinenti: vt patet in malo pœnæ, quod etſi ſit in patiente, non ideo illum denominat *malum*. Propria ergo denominatio, quam prædictum malum Deo tribuit, eſt denominatio *offenſi, damnificati, iniuriati, læſi*, & huiuſmodi.

Soluitur ſecunda.

Dices: omne malum aut eſt culpa, aut eſt pœna eius, in quo eſt: adæquatè enim diuiditur in hæc duo ratio mali: ſed in Deo non eſt culpa nec pœna, etiam affectiuè: ergo neque vllum malum. ¶ Reſpondetur diuiſionem mali per culpam & pœnam non eſſe adæquatam niſi tantùm reſpectu mali, quod inuenitur in rationali creatura: vt D.Thom. docet 1.part. quæſt.48. art.5. & ita non comprehendit malum diuinæ offenſæ, quòd eſt malum Dei. Poteſt tamen reduci & ad malum culpæ, quatenus eſt effectus culpæ exiſtentis in creatura; & ad malum pœnæ vel pœnalitatis, quatenus eſt contra voluntatem diuinam: quia de ratione mali pœnæ eſt vt ſit contra voluntatem patientis; propriè tamen neque eſt pœna, nec culpa; ſed damnum Dei intentatum à peccatore, & illi affectiuè & ſecundum moralem æſtimationem illatum. Plures aliæ obiectiones ſe ſe offerebant contra id, quod ſupponimus de infinitate offenſæ formalis, quæ etiam tangunt doctrinam modo ſtatutam circa eius ſubiectum: ſed quia prædicta difficultas, vt diximus, propriam ſedem habet in materia de Incarnat. illuc vſque differendæ ſunt.

Diluitur quædam replica.

* *
*

QUÆSTIO

QVÆSTIO LXXII.

DE DISTINCTIONE PECCATORVM in nouem Articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de diſtinctione peccatorum vel vitiorum. Et circa hoc quæruntur nouem.

ABſolutis quæ ad communem & generalem peccati conſiderationem, proindéque ad primam partem huius Tractatus ſpectant, exorditur iam Ang. Doctor ſecundam: vbi magis diſtinctè & in particulari quæ ad eſſentiam & conditiones illius attinent, examinantur. Vnde in tota hac quæſt. 72. agit de diſtinctione peccatorum, non omnino in ſpeciali determinando quæ ſint huius vel illius ſpeciei athomæ & ſpecificæ (hoc enim longioris negotij eſt, & in eo magna pars ſecundæ ſecundæ abſumitur) ſed aſſignando præcipua capita, ex quibus ſpecifica diſtinctio in qualibet materia debet deſumi. Quocirca nouem mouet articulos, tùm vt præcipuam difficultatem, & quid re ipſa tenendum ſit, nobis aperiat: tum etiam vt varias peccatorum diuiſiones, quæ ex ſanctis Patribus Gregorio, Hieron. & Iſidoro, aut ex aliis Doctoribus circunferuntur, ad legitimum ſenſum reducat. De diſtinctione peccatorum numerica non extat apud Ang. Doctorem ſpecialis tractatus: ex eius tamen communi doctrina de indiuiduatione accidentium, adiunctis illis, quæ circa vnitatem & diſtinctionem imperij & actus imperati ſupra quæſt.17. art.4. ſtatuit, & aliis, quæ ſparſim in pluribus eius locis habentur, non difficile erit prædictam diſtinctionem venari. Quod potius pertinere videtur ad materiam de pœnitentia, vbi ex profeſſo agitur, qualiter in Confeſſione ſacramentali numerus peccatorum aperiri debeat: ibique à nobis (Deo dante) commodius examinabitur. De diſtinctione verò ſpecifica, quæ eſt propria materia huius quæſtionis, haud breuiter diſſerendum eſſet, niſi id à nobis magna ex parte præſtitum fuiſſet in tr. de bon. & malit. vbi de ſpecificatione & diſtinctione humanorum actuum in communi, prout ad genus moris ſpectant, ex profeſſo egimus: inde enim accipi debent, & quæ ad actuum bonorum, & quæ ad peccatorum ſpecificationem & diſtinctionem ſpectant. Vnde in præſenti circa priores quinque & tres poſteriores articulos huius quæſtionis ſufficiet literam Ang. Magiſtri breui commentario, aut aliquibus adnotationibus elucidare. Circa ſextum verò articulum, vbi de diſtinctione peccati commiſſionis & omiſſionis, & de diuerſitate ex parte præceptorum agitur, erit non longa diſputatio.

* * *

ARTICVLVS I.

Vtrùm peccata differant ſpecie ſecundum obiecta?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd peccata non differant ſpecie ſecundum obiecta. Actus enim humani præcipuè dicuntur boni vel mali per comparationem ad finem, vt ſuprà oſtenſum eſt: cum igitur peccatum nihil aliud ſit quàm actus hominis malus, ſicut dictum eſt, videtur quòd ſecundum fines peccata debeant diſtingui ſpecie magis quàm ſecundum obiecta.

2. Præterea: malum cum ſit priuatio, diſtinguitur ſpecie ſecundum diuerſas ſpecies oppoſitorum: ſed peccatum eſt quoddam malum in genere humanorum actuum: ergo peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundum oppoſita, quàm ſecundum obiecta.

3. Præterea: ſi peccata ſpecie differant ſecundum obiecta, impoſſibile eſſet idem peccatum ſpecie circa diuerſa obiecta inueniri: ſed inueniuntur aliqua huiuſmodi peccata: nam ſuperbia eſt in rebus ſpiritualibus & in corporalibus, vt Gregorius dicit in libro 34. moral. auaritia etiam eſt circa diuerſa genera rerum: ergo peccata non diſtinguuntur ſpecie ſecundum obiecta.

Sed contra eſt, quòd peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: ſed dicta, vel facta, vel concupita diſtinguuntur ſpecie ſecundum diuerſa obiecta: quia actus per obiecta diſtinguuntur, vt ſupra dictum eſt: ergo etiam peccata ſecundum obiecta ſpecie diſtinguuntur.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, ad rationem peccati duo concurrunt: ſcilicet actus voluntarius, & inordinatio eius, quæ eſt per receſ-

ſum à lege Dei. Horum autem duorum vnum per ſe comparatur ad peccantem, qui intendit talem actum voluntarium exercere in tali materia: aliud autem, ſcilicet inordinatio actus, per accidens ſe habet ad intentionem peccantis: nullus enim intendens ad malum operatur, vt Dionyſ. dicit 4. cap. de diuin. nomin. Manifeſtum eſt autem, quòd vnumquodque conſequitur ſpeciem ſecundum illud quod eſt per ſe; non autem ſecundum id, quod eſt per accidens: quia ea, quæ ſunt per accidens, ſunt extra rationem ſpeciei: & ideo peccata ſpecie diſtinguuntur ex parte actuum voluntariorum magis, quàm ex parte inordinationis in peccato exiſtentis. Actus autem voluntarij diſtinguuntur ſpecie ſecundum obiecta, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt: vnde ſequitur, quòd peccata propriè diſtinguantur ſpecie ſecundum obiecta.

Ad primum ergo dicendum, quòd finis principaliter habet rationem boni: & ideo comparatur ad actum voluntatis, qui eſt primordialis in omni peccato ſicut obiectum: vnde in idem redit, quòd peccata differant ſecundum obiecta, vel ſecundum fines.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum non eſt pura priuatio; ſed eſt actus debito ordine priuatus: & ideo peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundum obiecta actuum, quàm ſecundum oppoſita: quamuis etiam ſi diſtinguantur ſecundum oppoſitas virtutes, in idem rediret: virtutes enim diſtinguuntur ſpecie ſecundum obiecta, vt ſupra dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet in diuerſis rebus ſpecie vel genere differentibus, inuenire vnam formalem rationem obiecti, à qua peccatum ſpeciem recipit: & hoc modo ſuperbia circa diuerſas res excellentiam quærit: auaritia verò abundantiam eorum, quæ vſui humano accommodantur.

Prima Conclusio.

Peccata ſpecie diſtinguuntur ex parte actuum voluntariorum magis quàm ex parte inordinationis in peccato exiſtentis.

Secunda Conclusio.

Peccata propriè diſtinguuntur ſpecie ſecundum obiecta.

Tertia Conclusio.

In ſolutione ad ſecundum. Peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundùm obiecta actuum, quàm ſecundum oppoſita.

Commentarius.

1. Circa primam & ſecundam concluſionem nota primò, quòd licèt intentum D. Thomæ in hoc art. tantùm ſit agere de diſtinctione peccatorum formaliter, vt peccata ſunt, & vt ad genus moris pertinent; obiter etiam tangit diſtinctionem eorum, ſecundum quòd ſunt actus voluntarij, ſpectántque ad genus phyſicum. Atque ex eo deducit peccata formaliter vt talia debere diſtingui per obiecta ſecundum eorum *eſſe* morale: quia vt ſunt actus voluntarij in genere phyſico per eadem obiecta phyſicè conſiderata diſtinguuntur. Vnde arguit virtualiter in hunc modum. Actus voluntarij ſecundum ſe, & vt ſpectant ad genus phyſicum, ſpecificantur & diſtinguuntur per obiecta conſiderata ſub eſſe phyſico: ergo iidemmet actus, vt pertinent ad genus moris, atque adeo vt ſunt formaliter peccata, debent à paritate rationis ſpecificari etiam & diſtingui per obiecta conſiderata in eſſe morali.

Secundò nota, quòd Ang. Doctor non omnino negat peccata diſtingui ex parte inordinationis priuatiuæ. Nam cum in quolibet peccato detur priuatio rectitudinis virtutis oppoſitæ, per quam conſtituitur in ratione mali abſolutè dicti, debent, ſaltem prout ſunt in hoc genere, per prædictam priuationem & per formam, qua priuat, ſuo modo diſtingui. Hæc tamen diſtinctio ſecundùm ſe tantùm eſt diſtinctio accidentalis reſpectu peccati: quod iuxta noſtram ſententiam conſtituitur per poſitiuum; quamuis à poſteriori inferat diſtinctionem eſſentialem: quia vbi ſunt diſtinctæ ſpecie priuationes, neceſſe eſt inueniri diſtincta obiecta, diuerſis virtutibus vel eidem diuerſo modo oppoſita, adeóque diſtincta ſpecificè peccata. An verò è conuerſo quoties dantur diſtincta obiecta & peccata, dentur etiam ſemper diſtinctæ priuationes: atque ita diſtinctio priuationum ſit omnino adæquatum ſignum diſtinctionis inter peccata? diſp. 6. n. 11. tetigimus. Et quicquid circa hoc dicatur, verum eſt ſemper quod D. Thom. ait, peccata magis diſtingui ex parte obiecti ipſorum peccatorum, quàm ex parte priuationis, aut formæ oppoſitæ: ſiquidem illa eſt diſtinctio à priori & eſſentialis; hæc verò accidentalis & à poſteriori.

2. Circa rationem huius articuli non eſt modica difficultas, quo pacto verum ſit, ſpeciem peccati ſecundum id debere attendi, quod eſt per ſe; & non ſecundum illud, quod eſt per accidens, ſeu præter intentionem peccantis. Et arguitur primò ad hominem in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 3. vbi Ang. Doctor impugnans modum dicendi aliquorum, qui aſſerebant, circunſtantiam tunc ſolùm dare ſpeciem peccato, quando eſt per ſe intenta, ſic ait: *Quidam enim dicunt, quòd hoc accidit, in quantum circunſtantiæ accipiuntur vt fines* D. Thom. *voluntatis:*

voluntatis : quia à fine actus moralis accipit ſpeciem. Sed hoc non videtur ſufficienter dictum : quia aliquando variatur ſpecies peccati, ſine hoc quòd intentio feratur ad circunſtantiam illam : ſicut fur ita libenter accipit vas aureum non ſacratum, ſicut ſacratum : & tamen in aliam ſpeciem peccatum mutatur, ſcilicet de furto ſimplici in ſacrilegium, &c. Idem docet de mal. quæſt. 2. art. 6. ad 6. ergo iuxta hanc doctrinam id, quod dat peccato ſpeciem, non neceſſario eſt per ſe intentum. ¶ Arguitur deinde ratione : quia ſi ſpecies peccati deſumitur ab obiecto, vtique deſumi debet ab illo, quatenus eſt obiectiuè malum & diſſonum rationi : non vt præcisè eſt in ordine phyſico bonum quoddam delectabile ; alioqui talis ſpecies ſolum eſſet ſpecies phyſica, & non mali moralis : atqui obiectum ſecundum primam illam rationem non poteſt eſſe per ſe intentum, quia nullus intendens ad malum operatur, & omne malum eſt præter intentionem : ergo, &c. ¶ Tertiò, qui ex ignorantia culpabili exiſtimans occidere ceruum, occidit hominem, peccat peccato homicidij : & nihilominus occiſio illa, quatenus eſt occiſio hominis, non eſt per ſe volita ; ſed ſequitur per accidens & præter intentionem agentis : ergo. ¶ Denique, proprium eſſe dicitur quorundam peccatorum, videlicet ſcandali, inobedientiæ, odij, & aliorum huiuſmodi, quòd malum ſit per ſe volitum à peccante, vt illis tribuat ſpeciem : & ideo quod in aliis, puta furti, homicidij, ſacrilegij, &c. ſatis eſt ad ſpeciem talis peccati ; in his non ſufficit. Si autem doctrina huius articuli vniuerſaliter vera eſſet, nullum quoad hoc deberet conſtitui diſcrimen ; ergo, &c.

3. His verò non obſtantibus ; doctrina D. Thomæ veriſſima eſt, & ratio eius bene intellecta optimè ſuadet intentum. Pro quo animaduertendum eſt, quòd cum D. Thom. ait in corp. huius art. ſpeciem peccati debere attendi ſecundum id, quod eſt per ſe ; non loquitur de illis, ad quæ peccatum dicit ordinem tanquam ad obiectum, finem, vel circunſtantiam, quæque proinde obiectiuè ſolùm & per modum termini extrinſeci habent ſpecificare : (de quibus obiectiones modò propoſitæ procedunt, vt conſtabit intuenti) ſed loquitur de his, quæ intrinſecè reperiuntur in ipſo peccato : cuiuſmodi ſunt ratio actus voluntarij tendentis ad tale vel tale obiectum, & priuatio rectitudinis ſeu conformitatis cum lege exiſtens in ipſo actu : ſecundúmque conuenit illi, aut non conuenit ſpecificari, & habere ſpeciem. Prius enim inueſtigare oportebat rationem ex parte peccati (vt ſic dicamus) ſpecificandam, ſeu rationem, ſecundum quam peccatum ſpecificari debeat, quàm ſpecificatiuum talis rationis determinaretur. Supponit ergo Ang. Doctor, quòd in peccato, vt peccatum eſt, duplex tantùm ratio ſpecificationis capax inuenitur : altera poſitiua, quæ eſt tendentia voluntaria actus ad obiectum : & altera priuatiua, quæ eſt carentia conformitatis cum lege : ex quibus hæc poſterior habet ſe in peccato per accidens ; prior verò per ſe. Cuius ratio eſt (vt D. Thom. ait, & Caietanus exponit) quia cum peccatum eſſentialiter ſit à peccante, illud eſt in peccato per ſe, quod per ſe ad peccantem comparatur. Et huiuſmodi eſt actus voluntarius & eius tendentia : intendit enim peccans talem actum in tali vel tali materia exercere. Quod verò ad peccantem ſe habet per accidens, ſicut ſe habet priuatio, quæ eo ipſo quòd priuatio eſt, eſt præter intentionem, etiam eſt per accidens reſpectu peccati. Vnde cum vnumquodque ſortiatur ſpeciem ſecundum id, quod eſt in eo per ſe ; & non ſecundum id, quod eſt per accidens (nam quod eſt per accidens, eo ipſo eſt extra eſſentiam, & extra ſpeciem) infert Ang. Doct. primam concluſionem articuli, videlicet quòd ſpecificatio & diſtinctio peccatorum magis attendi debet ex parte actuum voluntariorum, quam ex parte priuatiuæ inordinationis in peccato exiſtentis. Ac ſi dicat, quòd ratio, ſecundum quam peccatum debet ſpecificari, ſeu accipere ſpeciem à ſuo ſpecificatiuo extrinſeco ; non eſt inordinatio priuatiua : quia hæc conuenit peccato per accidens ; ſed tendentia voluntaria, quæ ad peccantem & ad peccatum comparatur per ſe.

4. Et quia actus voluntatis & eorum tendentiæ ſumunt ſpeciem ab obiecto, vt in ſuperioribus à D. Thoma probatum eſt ; concludit ſecundam aſſertionem dicens : *Vnde ſequitur, quòd peccata propriè diſtinguantur ſpecie ſecundum obiecta*. Quæ aſſertio remanet perſpicua ex dictis : nam ſi peccata ſpecificantur ſecundum tendentiam poſitiuam actus, & non ſecundum priuationem propter rationem dictam, ab illo vtique ſpecificari debent ; ad quod eſt, & à quo ſpecificatur talis tendentia, quod eſt eius obiectum ; non ab eo, cuius eſt ; & à quo ſpecificatur priuatio, qualis eſt rectitudo virtutis oppoſitæ : atque adeo per illud ; non verò per hanc debent ſpecie diſtingui. Hic eſt legitimus ſenſus huius literæ, quæ aliquibus non ſatis eam penetrantibus difficilis admodum viſa eſt.

Verùm quia ab his, quæ ſe tenent ex parte actus, ad ea, quæ ſunt ex parte obiecti ; adeóque ab illo, ſecundum quod peccatum accipit ſpeciem, ad id, à quo talis ſpecies tanquam ab obiecto vel termino deſumitur, trahi poteſt argumentum (quia non videtur poſſe eſſe magis per ſe in actu voluntario id, ſecundum quod ſpecificatur in ratione peccati, quàm ſit volitum per ſe obiectum vel terminus, à quo talis ſpecificatio deſumitur : & ideo ipſe Ang. Doctor 2. 2. quæſt. 43. art. 3. loquens de eo, à quo obiectiuè peccatum ſpecificatur, expreſsè dicit debere eſſe per ſe volitum) ex quo obiectiones in aduerſum propoſitæ redire videntur ; oportet rem hanc magis explicare.

5. Pro quo iterum animaduertendum eſt, quòd ſicut in homine v. g. quamuis plures ſint formæ ſpecie differentes, vt anima, quantitas, color, &c. non de omnibus dicimus dare illi ſpeciem ; quamuis omnes conferant ei perfectiones ſpecificè diſtinctas : ſed de ſola prima, quæ conſtituit ipſam eſſentiam hominis, & qua ſublata, homo non remanet : cæteræ verò abſolutè dicuntur *extra ſpeciem*, & eſſe eius accidentia : ſic in actu peccaminoſo (qui in genere morali habet ſe vt quoddam ſubſiſtens) & ſi plures malitiæ ſpecificè diuerſæ aliquando inueniantur, alia deſumpta ex obiecto vel fine, aliæ ex circunſtantiis ; non tamen ſecundum omnes abſolutè dicitur

peccatum habere ſpeciem; neque omnes dicuntur abſolutè conſtituere peccatum aut ſpeciem peccati, ſicut neque omnes ſunt illi per ſe & eſſentiales; ſed prima dumtaxat, quæ (ſaltem in illis actibus, quæ ex genere ſunt peccata) deſumitur ex obiecto vel fine per ſe volito: cæteræ verò, quæ ſumuntur ex circunſtantiis non per ſe inſpectis à peccante, abſolutè ſunt extra eſſentiam peccati, & quædam eius accidentia, ſine quibus eſſentia ipſius & propria ſpecies conſiſtere poteſt: & ideo quamuis dicantur mutare ſpeciem, & ratione illarum peccatum denominatiuè & accidentaliter ſit in pluribus ſpeciebus malitiæ, quæ debeant in confeſſione explicari; non tamen abſolutè dicendæ ſunt dare vel conſtituere ſpeciem peccati propter rationem dictam. Quare dum ab eo, ſecundum quod peccatum habet ſpeciem, trahitur argumentum ad probandum debere eſſe per ſe volitum id, à quo talis ſpecies deſumitur, intelligendum eſt iuxta dicta de prima ſpecie, quæ abſolutè conſtituit actum in ratione peccati: vt eſt in actu furandi ſpecies furti, in actione occidendi ſpecies homicidij, & ſic de aliis: huiuſmodi enim ſpecies in illis actibus, qui per ſe ſunt peccata, ſemper ſumitur à per ſe volito (hoc intendit D.Thom. locis cit. ex 2. 2. & aliis.) Non autem intelligendum eſt de aliis ſpeciebus malitiæ, quæ ſuperueniunt peccato iam conſtituto. Nam huiuſmodi ſpecies ſicut ſunt accidentales peccato, ita deſumi poſſunt ex qualibet circunſtantia obiecti, etiam ſi tantùm ſit volita per accidens. Et de iſtis ſpeciebus loquebatur D.Th. in 4. vbi ſupra, & quæſt. 2. de mal. Et per hoc conſtat ad primum argumentum, quod ad hominem propoſitum fuit contra rationem huius articuli.

6. Ad ſecundum, quatenus poteſt eſſe contra nos, reſpondetur ex dictis diſp. 6. num. 68. quòd licèt obiectum diſſonum, a quo peccatum ſumit primam ſpeciem, debeat eſſe per ſe volitum; non eſt hoc ita intelligendum, quaſi volitio, vt volitio eſt, directè terminetur ad ipſam diſſonantiam, qua conſtituitur malum obiectiuè; ſed quia terminatur ad bonitatem phyſicam, vt ſtat ſub prædicta diſſonantia: ex eo enim quòd volitio ſecundum id, quòd habet de munere volendi, terminetur ad prædictam bonitatem, connotando quòd ſit ſub prædicta diſſonantia, quæ eſt terminatio phyſica; reſultat in ipſa volitione alia tendentia & reſpectus ad diſſonantiam & malitiam obiecti, in qua conſiſtit malitia & ſpecies moralis: quæ quidem tendentia non eſt de munere volendi, neque reſpicit obiectum vt volibile, neque illud denominat *intentum* aut *volitum*; ſed eſt dumtaxat de linea menſurationis & ſubiectionis ad legem per modum difformis, vt dictum eſt à num. cit. Itaque cum concedimus, obiectum dans peccato primam ſpeciem debere eſſe per ſe volitum, referendum eſt ad illud vt phyſicum, non vtcumque, ſed vt connotatur ſub diſſonantia & malitia obiectiua: hoc enim ſufficit, vt prædicta ſpecies ab ipſa diſſonantia obiecti deſumatur. ¶ Ad tertium dicemus infra diſp. 13. dub. 3. vbi examinandum eſt, quam habeant ſpeciem peccata commiſſa ex ignorantia? Nunc verò reſpondetur non eſſe contra nos: quia actus ille, ſicut per accidens eſt occiſio hominis (per ſe namque ſolùm tendit ad occiſionem feræ) ita ſolùm per accidens habet eſſe peccatum: & ipſa prima ſpecies malitiæ comparatur ad illum, quatenus actus voluntarius eſt per accidens: vnde non mirum, quod ab aliquo per accidens volito ſpecificetur in ratione peccati. Doctrina verò Diui Thomæ, quod prima ſpecies peccati deſumitur ab objecto per ſe volito, non eſt neceſſe, quòd in omnibus verificetur; ſed in illis actibus, qui per ſe ſunt peccata, vt eſt actus furandi, actus fornicandi, & ſimiles. ¶ Ad quartum dicas diſcrimen inter peccata inobedientiæ, odij, ſcandali, & alia hujuſmodi ab aliis in eo conſiſtere, quod propria & ſpecifica illorum malitia, neque vt primaria, neque vt ſecundaria; per ſe, aut per accidens aderit in peccato; niſi directè & expreſsè intendatur à peccante: quod tamen non eſt neceſſe, vt adſit malitia propria aliorum peccatorum, ſaltem vt ſecundaria & accidentalis.

7. Aliter poſſet explicari mens D. Thomæ, diſtinguendo duplex volitum, vtrumque per ſe: aliud per ſe primò; & aliud per ſe ſecundò. Volitum per ſe primo eſt objectum vel finis, qui directè & expreſsè intenditur à peccante. Volitum per ſe ſecundò eſt omne illud, quòd ex parte talis objecti vel finis ſe tenet. Quia ergo ſpecies peccati ſemper deſumitur ab objecto vel fine, aut ab aliquo, quod ex parte illorum ſe tenet; ideo ſemper ſumitur à per ſe volito, vel per ſe primò, vel per ſe ſecundò. Quicquid verò neque eſt objectum aut finis, neque ex parte horum ſe tenet, qualis eſt priuatio rectitudinis exiſtens in peccato, neutro modo habet rationem voliti per ſe; ſed eſt omninò per accidens: & ideo incapax tribuendi ſpeciem. Et quia hanc ſecundam expoſitionem latiùs proſequitur infra *diſp. & dub. citatis*, non eſt hic immorandum. ¶ Contra ipſas verò D. Thomæ aſſertiones non deſunt inſtantiæ ad probandum, diſtinctionem ſpecificam peccatorum non ſemper deſumi ex obiectis: illas tamen adduximus & ſolvimus *in tract. de bonit. & malit. diſput. 1. dub. 4.* & *diſput. 3. dub. 1.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm conuenienter diſtinguantur peccata ſpiritualia à carnalibus?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd inconuenienter diſtinguantur peccata ſpiritualia à carnalibus. Dicit enim Apoſtol. ad Galat. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, &c. ex quo videtur, quòd omnia peccatorum genera ſunt opera carnis: ſed peccata carnalia dicuntur opera carnis: ergo non ſunt diſtinguenda

ſtinguenda peccata carnalia à ſpiritualibus.

2. Præterea: quicumque peccat, ſecundum carnem ambulat, ſecundum illud Roman. 8. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: ſed viuere vel ambulare ſecundum carnem, videtur pertinere ad rationem peccati carnalis: ergo omnia peccata ſunt carnalia: non ergo ſunt diſtinguenda peccata carnalia à ſpiritualibus.

3. Præterea: ſuperior pars animæ, quæ eſt mens vel ratio, ſpiritus nominatur, ſecundum illud Epheſ.4. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ: vbi ſpiritus pro ratione ponitur, vt ibi gloſſa dicit: ſed omne peccatum, quod ſecundum carnem committitur, à ratione deriuatur per conſenſum: quia ſuperioris rationis eſt conſentire in actum peccati, vt infra dicetur: ergo eadem peccata ſunt carnalia & ſpiritualia: non ergo ſunt diſtinguenda ad inuicem.

4. Præterea: ſi aliqua peccata ſpecialiter ſunt carnalia, hoc potiſſime intelligendum videtur de illis peccatis, quibus in corpus ſuum peccat aliquis: ſed ſicut Apoſtol. dicit 1. ad Corinth.6. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat: ergo ſola fornicatio eſſet peccatum carnale; cum tamen Apoſtolus ad Epheſ. 5. etiam auaritiam carnalibus peccatis annumeret.

Sed contra eſt, quod Gregor. 31. moral. dicit, quòd ſeptem capitalium vitiorum quinque ſunt ſpiritualia, & duo carnalia.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt, peccata recipiunt ſpeciem ex obiectis. Omne autem peccatum conſiſtit in appetitu alicuius commutabilis boni, quod inordinatè appetitur, & per conſequens in eo iam habito inordinatè aliquis delectatur. Vt autem ex ſuperioribus patet, duplex eſt delectatio. Vna quidem animalis, quæ conſummatur in ſola apprehenſione alicuius rei ad votum habitæ, & hæc etiam poteſt dici delectatio ſpiritualis: ſicut cum aliquis delectatur in laude humana, vel in aliquo huiuſmodi. Alia verò delectatio eſt corporalis, ſiue naturalis, quæ in ipſo tactu corporali perficitur, quæ poteſt etiam dici delectatio carnalis. Sic igitur illa peccata, quæ perficiuntur in delectatione ſpirituali, vocantur peccata ſpiritualia: illa verò, quæ perficiuntur in delectatione carnali, vocantur peccata carnalia: ſicut gula, quæ perficitur in delectatione ciborum: & luxuria, quæ perficitur in delectatione venereorum: vnde & Apoſtolus dicit 2. ad Corinth. 7. Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut gloſſa ibidem dicit, illa vitia dicuntur opera carnis, non quia in voluptate carnis perficiantur, ſed caro ſumitur ibi pro homine, qui dum ſecundum ſe viuit, ſecundum carnem viuere dicitur, vt etiam Auguſt. dicit 14. de Ciuit. Et huius ratio eſt ex hoc, quòd omnis rationis humanæ defectus ex ſenſu carnali aliquo modo initium habet. Et per hoc etiam patet reſponſio ad ſecundum.

Ad tertium dicendum, quòd in peccatis carnalibus eſt aliquis actus ſpiritualis, ſcilicet actus rationis: ſed finis horum peccatorum, à quo denominantur, eſt delectatio carnis.

Ad quartum dicendum, quòd ſicut gloſſa ibidem dicit, ſpecialiter in fornicationis peccato ſeruit anima corpori, in tantum vt nihil aliud in ipſo momento cogitare homini liceat: delectatio autem gulæ, etſi ſit carnalis, non ita abſorbet rationem. Vel poteſt dici, quòd in hoc peccato etiam quædam iniuria fit corpori, dum inordinatè maculatur: ideo per hoc ſolùm peccatum dicitur ſpecialiter homo in corpus peccare. Auaritia verò, quæ carnalibus peccatis connumeratur, pro adulterio ponitur, quod eſt iniuſta vſurpatio vxoris alienæ. Vel poteſt dici, quod res, in qua delectatur auarus, corporale quoddam eſt: & quantum ad hoc connumeratur peccatis carnalibus: ſed ipſa delectatio non pertinet ad carnem; ſed ad ſpiritum: & ideo Gregorius dicit, quòd eſt ſpirituale peccatum.

Prima Conclusio.

Peccata illa, quæ perficiuntur in delectatione ſpirituali ſeu animali, vocantur ſpiritualia: illa verò, quæ conſummantur in delectatione carnali, vocantur carnalia.

Secunda Conclusio.

Ex ſeptem capitalibus vitiis quinque ſunt ſpiritualia, & duo tantùm carnalia: ſcilicet gula, quæ perficitur in delectatione ciborum

Digitized by Google

ciborum : & luxuria , quæ conſummatur in delectatione venereorum.

Nota hic, quòd peccata quæ dicuntur *ſpiritualia*, non ex eo ſic appellantur, quia in actu ſpirituali conſiſtant, vel illum includant: hac enim ratione etiam alia peccata ſpiritualia dicerentur: cum in eis includantur actus voluntatis & intellectus, qui ſunt ſpirituales: ſicut nec *carnalia* ex eo vocantur, quia dicunt actum corporalem: nam etiam ira & auaritia includunt hunc actum; & nihilominus ſunt ſpiritualia; ſed vtraque denominatio deſumitur ab vltimo complemento peccati, quæ eſt delectatio ad ipſum ſequuta, vt habetur in ſolut. ad 3. Et ideo illa ſolummodo peccata appellantur *carnalia*, quæ in delectatione omnino corporali ſiſtunt, vt eſt delectatio guſtus & tactus: & huiuſmodi ſunt peccata gulæ & luxuriæ cum ſuis filiabus, quæ in ipſa carne conſummantur. *Spiritualia* verò vocantur, quæ ſiſtunt in delectatione intentionali ſequuta ex interna apprehenſione: ſiue talis delectatio ſit omnino ſpiritualis, vt eſt delectatio elicita à voluntate: ſiue ſit delectatio animalis, quæ eſt actus appetitus ſenſitiui. Vtraque enim eleuationem, quam habet ſupra materiam, & ſupra delectationem omnino materialem, *ſpiritualis* appellatur. Et quia ſola peccata gulæ & luxuriæ, quæ in apprehenſione & delectatione tactus & guſtus terminantur, ſiſtunt in hac materiali delectatione; ſola hæc dicuntur peccata carnalia: reliqua verò omnia ſub ſpiritualibus comprehenduntur. Quæ diuiſio deſumpta eſt ex D. Gregor. lib. 31. moral. cap. 31. Et eſt circa illam obſeruandum, quòd ſi ſumatur per ordinem ad actualem delectationem, vt ſumi videtur in hoc art. non eſt diuiſio eſſentialis: quia actualis delectatio non intrat eſſentiam peccati; ſed eam conſequitur. Si verò attendatur ſecundum radicem & cauſam delectationis, proculdubio eſt diuiſio eſſentialis: nam peccata, quæ petunt conſummari in delectatione carnali, eſſentialiter differunt ab illis, quæ in delectatione animali vel ſpirituali conſummantur: quamuis diſtinctio ſic intellecta, non tam ex prædictis delectationibus, quàm ex obiectis, quæ illas inferunt, ortum ducat.

ARTICVLVS III.

Vtrùm peccata diſtinguantur ſpecie ſecundum cauſas?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd peccata diſtinguantur ſpecie ſecundum cauſas. Ab eodem enim habet res ſpeciem, à quo habet eſſe: ſed peccata habent eſſe ex ſuis cauſis: ergo ab eis etiam ſpeciem ſortiuntur: differunt ergo ſpecie ſecundum diuerſitatem cauſarum.

2. Præterea: inter alias cauſas minus videtur pertinere ad ſpeciem cauſa materialis: ſed obiectum in peccato eſt ſicut cauſa materialis: cum ergo ſecundum obiecta peccata ſpecie diſtinguantur, videtur, quòd peccata multò magis ſecundum alias cauſas diſtinguantur ſpecie.

3. Præterea: Auguſtinus ſuper illud Pſalm. Incenſa igni & ſuffoſſa dicit, quòd omne peccatum eſt ex timore male humiliante, vel ex amore male inflammante: dicitur enim 1. Ioan. 2. quòd omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut eſt concupiſcentia oculorum; aut ſuperbia vitæ. Dicitur autem aliquid eſſe in mundo propter peccatum, ſecundum quòd mundi nomine amatores mundi ſignificantur, vt Auguſt. dicit ſuper Ioannem. Gregorius etiam 31. moral. diſtinguit omnia peccata ſecundum ſeptem vitia capitalia: omnes autem huiuſmodi diuiſiones reſpiciunt cauſas peccatorum: ergo videtur, quòd peccata differant ſpecie ſecundum diuerſitatem cauſarum.

Sed contra eſt, quia ſecundum hoc omnia peccata eſſent vnius ſpeciei, cum ex vna cauſa cauſentur. Dicitur enim Eccleſ. 10. quòd initium omnis peccati eſt ſuperbia. Et 1. ad Timoth. vltimo, quòd radix omnium malorum eſt cupiditas. Manifeſtum eſt autem eſſe diuerſas ſpecies peccatorum: non ergo peccata diſtinguuntur ſpecie ſecundum diuerſitates cauſarum.

Reſpondeo dicendum, quod cum quatuor ſint cauſarum genera, diuerſimodè diuerſis attribuuntur. Cauſa enim formalis & materialis reſpiciunt propriè ſubſtantiam rei: & ideo ſubſtantiæ ſecundum formam & materiam ſpecie & genere diſtinguuntur. Agens autem & finis reſpiciunt directè motum & operationem: & ideo motus & operationes ſecundum huiuſmodi cauſas ſpecie diſtinguuntur; diuerſimodè tamen: nam principia actiua naturalia, ſunt determinata ſemper ad eoſdem actus: & ideo diuerſæ ſpecies in actibus naturalibus attenduntur non ſolùm ſecundum obiecta, quæ ſunt fines vel termini; ſed etiam ſecundum principia actiua, ſicut calefacere & infrigidare diſtinguuntur ſpecie ſecundum calidum & frigidum. Sed principia actiua in actibus voluntariis, cuiuſmodi ſunt actus peccatorum, non ſe habent ex neceſſitate ad vnum: & ideo ex vno principio actiuo vel motiuo poſſunt diuerſæ ſpecies peccatorum procedere: ſicut ex timore malè humiliante poteſt procedere

Digitized by Google

cedere, quòd homo furetur, & quòd occidat, & quòd deſerat gregem ſibi commiſſum: & hæc eadem poſſunt procedere ex amore. Vnde manifeſtum eſt, quòd peccata non differant ſpecie ſecundum diuerſas cauſas actiuas vel motiuas; ſed ſolùm ſecundum diuerſitatem cauſæ finalis: finis autem eſt obiectum voluntatis: oſtenſum eſt enim ſupra, quòd actus humani habent ſpeciem ex fine.

Ad primum ergo dicendum, quòd principia actiua in actibus voluntariis, cum non ſint determinata ad vnum, non ſufficiunt ad producendum humanos actus, niſi determinetur voluntas ad vnum per intentionem finis, vt patet per Philoſophum in 9. metaphyſ. & ideo à fine perficitur & eſſe, & ſpecies peccati.

Ad ſecundum dicendum, quòd obiecta, ſecundum quòd comparantur ad actus exteriores habent rationem materiæ circa quam; ſed ſecundum quòd comparantur ad actum interiorem voluntatis, habent rationem finium: & ex hoc habent, quòd dent ſpeciem actui. Quamuis etiam ſecundum quòd ſunt materia circa quam, habeant rationem terminorum, à quibus motus ſpecificantur, vt dicitur in 5. Phyſic. & in 10. Ethicor. ſed tamen etiam termini motus dant ſpeciem motibus, in quantum habent rationem finis.

Ad tertium dicendum, quòd illæ diuiſiones peccatorum non dantur ad diſtinguendas ſpecies peccatorum; ſed ad manifeſtandas diuerſas cauſas eorum.

Conclusio.

Peccata non differunt ſpecie ſecundum cauſas diuerſas actiuas vel motiuas; ſed ſolùm ſecundum diuerſitatem cauſæ finalis.

Hæc diſtinctio proculdubio eſt eſſentialis, & coincidit cum illa, quæ ſumitur ex obiecto. Nam cum finis ſit proprium obiectum voluntatis; in ordine ad ſpecificandos & diſtinguendos actus humanos, finis operis & obiectum non differunt. Obſeruat bene Caietanus, cauſam motiuam non ſumi hic à D. Thoma pro illa, quæ mouet in genere cauſæ finalis: quia ab hac non negaret quòd peccata ſumant ſpecificam diſtinctionem; imò frequenter aſſerit, illa diſtingui ſecundum motiua: quod intelligendum eſt de motiuis in hoc genere. Appellat ergo in præſenti cauſam motiuam illam, quæ mouet in genere efficientis: & ita pro eadem ſumit cauſam motiuam & cauſam actiuam ſeu effectiuam: hæc enim præciſè vt actiua eſt, non diſtinguit, propter rationem articuli. Diximus *præciſè vt actiua eſt*, &c. quia aliquando cauſa actiua inducit diuerſam cauſam finalem: & tunc propter finem, quem inducit, diſtinguet. § Solutio ad 1. confirmat doctrinam, quam in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. dub. 4. & alibi tradidimus: nimirùm quòd ſpecificatiuum actus moralis in ratione talis non eſt principium, ſcilicet voluntas ſumpta ſecundum ſe; ſed obiectum vel ipſa voluntas vt informata & determinata per illud: quæ doctrina ſumitur etiam ex corpore articuli.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm peccatum conuenienter diſtinguatur in peccatum in Deum, in ſe ipſum, & in proximum?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd conuenienter peccatum diſtinguatur per peccatum, quod eſt in Deum, in proximum, & in ſe ipſum. Illud enim, quod eſt commune omni peccato, non debet poni quaſi pars in diuiſione peccati: ſed commune eſt omni peccato, quòd ſit contra Deum: ponitur enim in diffinitione peccati, quòd ſit contra legem Dei, vt ſupra dictum eſt: non ergo peccatum in Deum debet poni quaſi pars in diuiſione peccatorum.

2. Præterea: omnis diuiſio debet fieri per oppoſita: ſed iſta tria genera peccatorum non ſunt oppoſita: quicumque enim peccat in proximum, peccat in ſe ipſum, & in Deum: non ergo peccatum conuenienter diuiditur ſecundum hæc tria.

3. Præterea: ea, quæ ſunt extrinſecus, non conferunt ſpeciem: ſed Deus & proximus ſunt extra nos: ergo per hæc non diſtinguuntur peccata ſecundum ſpeciem: inconuenienter igitur ſecundum hæc tria peccatum diuiditur.

Sed contra eſt, quod Iſidorus in lib. de ſummo bono diſtinguens peccata, dicit quòd homo dicitur peccare in ſe, in Deum, & in proximum.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, peccatum eſt actus inordinatus: triplex autem ordo in homine debet eſſe. Vnus quidem ſecundum comparationem ad regulam rationis, prout ſcilicet omnes actiones & paſſiones noſtræ debent ſecundum regulam rationis commenſurari. Alius autem ordo eſt per comparationem ad regulam diuinæ legis, per quam homo in omnibus dirigi debet. Et ſi quidem homo

homo naturaliter eſſet animal ſolitarium, hic duplex ordo ſufficeret; ſed quia homo eſt naturaliter animal politicum & ſociale, vt probatur in 1. Politic. ideo neceſſe eſt quòd ſit tertius ordo, quod homo ordinetur ad alios homines, quibus conuiuere debet. Horum autem ordinum primus continet ſecundum, & excedit ipſum: quæcumque enim continentur ſub ordine rationis, continentur ſub ordine ipſius Dei: ſed quædam continentur ſub ordine ipſius Dei, quæ excedunt rationem humanam, ſicut ea, quæ ſunt fidei, & quæ debentur ſoli Deo: vnde qui in talibus peccat, dicitur in Deum peccare, ſicut hæreticus, & ſacrilegus, & blaſphemus. Similiter etiam ſecundus ordo includit tertium, & excedit ipſum: quia in omnibus, in quibus ordinamur ad proximum, oportet nos dirigi ſecundum regulam rationis: ſed in quibuſdam dirigimur ſecundum rationem quantum ad nos tantum; non autem quantum ad proximum: & quando in his peccatur, dicitur homo peccare in ſe ipſum: ſicut patet de guloſo, luxurioſo, & prodigo. Quando verò peccat homo in his, quibus ad proximum ordinatur, dicitur peccare in proximum: ſicut patet de fure, & homicida. Sunt autem diuerſa, quibus homo ordinatur ad Deum, ad proximum, & ad ſe ipſum. Vnde hæc diſtinctio peccatorum eſt ſecundum obiecta, ſecundum quæ diuerſificantur ſpecies peccatorum: vnde hæc diſtinctio peccatorum propriè eſt ſecundum diuerſas peccatorum ſpecies: nam & virtutes, quibus peccata opponuntur, ſecundum hanc differentiam ſpecie diſtinguuntur. Manifeſtum eſt enim ex dictis, quòd virtutibus Theologicis homo ordinatur ad Deum: temperantia verò & fortitudine ad ſeipſum: iuſtitia autem ad proximum.

Ad primum ergo dicendum, quod peccare in Deum, ſecundum quod ordo, qui eſt ad Deum, includit omnem humanum ordinem, commune eſt omni peccato: ſed quantum ad id quòd ordo Dei excedit alios duos ordines, ſic peccatum in Deum eſt ſpeciale genus peccati.

Ad ſecundum dicendum, quòd quando aliqua, quorum vnum includit alterum, ab inuicem diſtinguuntur, intelligitur fieri diſtinctio non ſecundum illud, quòd vnum continetur in altero; ſed ſecundum illud, quòd vnum excedit alterum, ſicut patet in diuiſione numerorum & figurarum. Non enim triangulus diuiditur contra quadratum, ſecundum quod continetur in eo; ſed ſecundum quod exceditur ab eo: & ſimiliter eſt dicendum de ternario & quaternario.

Ad tertium dicendum, quòd Deus & proximus, quamuis ſint exteriora reſpectu ipſius peccantis; non tamen ſunt extranea reſpectu actus peccati; ſed comparantur ad ipſum ſicut propria obiecta ipſius.

Conclusio est affirmativa.

Hæc etiam diſtinctio coincidit cum illa, quæ deſumitur ab obiecto: & ideo etiam eſt eſſentialis, vt Ang. Doctor animaduertit. Non quidem ita vt diſtinctiuum eſſentiale ſint immediatè ipſæ perſonæ, propria, Dei, & proximi, in quas peccatur, huiuſmodi enim diſtinctiuum ſolum ſunt obiecta, ſeu res, quibus homo ordinatur ad Deum, ad proximum, & ad ſe ipſum) ſed quia exiſtente prædicta perſonarum diſtinctione, neceſſario obiecta, quibus homo ad illas ordinatur, debent diſtingui. Eſt autem prædicta diſtinctio omnino adæquata: quia nullum eſt excogitabile peccatum, quod ſub aliquo ex illis tribus membris non contineatur, aut ad illud reducatur: cuius optima ratio habetur in litera.

ARTICVLVS V.

Vtrùm diuiſio peccatorum quæ eſt ſecundum reatum, diuerſificet ſpeciem.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quòd diuiſio peccatorum, quæ eſt ſecundum reatum, diuerſificet ſpeciem, puta cum diuiditur ſecundum veniale & mortale. Ea enim, quæ in infinitum differunt, non poſſunt eſſe vnius ſpeciei, nec etiam vnius generis: ſed veniale & mortale peccatum differunt in infinitum: veniali enim debetur pœna temporalis; mortali pœna æterna: menſura autem pœnæ reſpondet quantitati culpæ, ſecundum illud Deuteron. 25. Pro menſura delicti erit & plagarum modus: ergo veniale & mortale non ſunt vnius generis, nec dum quòd ſint vnius ſpeciei.

2. Præterea: quædam peccata ſunt mortalia ex genere, ſicut homicidium & adulterium: quædam verò ex ſuo genere ſunt peccata venialia, ſicut verbum otioſum, & riſus ſuperfluus: ergo peccatum veniale & mortale ſpecie differunt.

3. Præterea: ſicut ſe habet actus virtuoſus

tuoſus ad præmium; ita ſe habet peccatum ad pœnam, ſed præmium eſt finis virtuoſi actus: ergo & pœna eſt finis peccati: ſed peccata diſtinguuntur ſpecie ſecundum fines, vt dictum eſt: ergo etiam diſtinguuntur ſpecie ſecundum reatum pœnæ.

Sed contra: ea, quæ conſtituunt ſpeciem, ſunt priora, ſicut differentiæ ſpecificæ: ſed pœna ſequitur culpam, ſicut effectus eius: ergo peccata non differunt ſpecie ſecundum reatum pœnæ.

Reſpondeo dicendum, quòd eorum, quæ ſpecie differunt, duplex differentia inuenitur. Vna quidem, quæ conſtituit diuerſitatem ſpecierum: & talis differentia nunquam inuenitur niſi in ſpeciebus diuerſis, ſicut rationale & irrationale, animatum & inanimatum. Alia autem differentia eſt conſequens diuerſitatem ſpeciei: & talis differentia etſi in aliquibus conſequatur diuerſitatem ſpeciei; in aliis tamen poteſt inueniri in alia ſpecie: ſicut album & nigrum conſequuntur diuerſitatem ſpeciei corui & cygni; tamen inuenitur huiuſmodi differentia in eadem hominis ſpecie. Dicendum ergo eſt, quòd differentia venialis, & mortalis peccati, vel quæcunque alia differentia, quæ ſumitur penes reatum, non poteſt eſſe differentia conſtituens diuerſitatem ſpeciei. Nunquam enim id, quod eſt per accidens, conſtituit ſpeciem: id autem, quod eſt præter intentionem agentis, eſt per accidens, vt patet in 2. Phyſic. Manifeſtum eſt autem, quòd pœna eſt præter intentionem peccantis: vnde per accidens ſe habet ad peccatum ex parte ipſius peccantis. Ordinatur tamen ad peccatum ab exteriori, ſcilicet ex iuſtitia iudicantis, qui ſecundum diuerſas conditiones peccatorum diuerſas pœnas infligit. Vnde differentia, quæ eſt ex reatu pœnæ poteſt conſequi diuerſam ſpeciem peccatorum; non autem conſtituit diuerſitatem ſpeciei. Differentia autem peccati venialis, & mortalis conſequitur diuerſitatem inordinationis, quæ complet rationem peccati. Duplex enim eſt inordinatio: vna per ſubtractionem principij ordinis: alia, qua etiam ſaluato principio ordinis fit inordinatio circa ea, quæ ſunt poſt principium: ſicut in corpore animalis quandoque quidem inordinatio complexionis procedit vſque ad deſtructionem principij vitalis, & hæc eſt mors: quandoque vero ſaluo principio vitæ fit deordinatio quædam in humoribus, & tunc eſt ægritudo. Principium autem actus totius ordinis in moralibus eſt finis vltimus, qui ita ſe habet in operatiuis, ſicut principium indemonſtrabile in ſpeculatiuis, vt dicitur in 7. Ethic. Vnde quando anima deordinatur per peccatum vſque ad auerſionem ab vltimo fine, ſcilicet Deo, cui vnimur per charitatem; tunc eſt peccatum mortale: quando verò fit deordinatio citra auerſionem à Deo, tunc eſt peccatum veniale. Sicut enim in corporibus deordinatio mortis, quæ eſt per remotionem principij vitæ, eſt irreparabilis ſecundum naturam: inordinatio autem ægritudinis reparari poteſt propter id, quòd ſaluatur principium vitæ, ſimiliter eſt in his, quæ pertinent ad animam. Nam in ſpeculatiuis qui errat circa principia, imperſuaſibilis eſt: qui autem errat ſaluatis principiis, per ipſa principia reuocari poteſt. Et ſimiliter in operatiuis qui peccando auertitur ab vltimo fine, quantum eſt ex natura peccati, habet lapſum irreparabilem: & ideo dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus: qui verò peccat citra auerſionem à Deo, ex ipſa ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia ſaluatur principium: & ideo dicitur peccare venialiter, quia ſcilicet non ita peccat, vt mereatur interminabilem pœnam.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum mortale & veniale differunt in infinitum ex parte auerſionis; non autem ex parte conuerſionis, per quam reſpicit obiectum, vnde peccatum ſpeciem habet. Vnde nihil prohibet, in eadem ſpecie inueniri aliquod peccatum mortale & veniale: ſicut primus motus in genere adulterij eſt peccatum veniale, & verbum otioſum, quod plerunque eſt veniale, poteſt etiam eſſe mortale.

Ad ſecundum dicendum, quòd ex hoc quòd inuenitur aliquod peccatum mortale ex genere, & aliquod peccatum veniale ex genere, ſequitur quòd talis differentia conſequatur diuerſitatem peccatorum ſecundum ſpeciem, non autem quod cauſet eam. Talis autem differentia poteſt inueniri etiam in his, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, vt dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd præmium eſt de intentione merentis, vel virtuosè agentis: ſed pœna non eſt de intentione peccantis; ſed magis eſt contra voluntatem ipſius: vnde non eſt ſimilis ratio.

PRIMA CONCLVSIO.

Differentia, quæ eſt ex reatu pœnæ, poteſt conſequi diuerſam ſpeciem peccatorum; non tamen conſtituit diuerſitatem ſpeciei.

SECVNDA CONCLVSIO.

Peccatum veniale & mortale poſſunt inueniri in eadem ſpecie.

Prima concluſio optime probatur in litera, cui nihil occurrit ſuperaddendum. Circa ſecundam poterat diſputari, num peccatum mortale & veniale circa eandem materiam eſſentialiter diſtinguantur in ratione offenſæ: vel ſolùm ſecundum magis & minus intra eandem ſpeciem? Sed de hoc agimus infra diſp. 19. dub. 2.

ARTICVLVS VI.

Vtrum peccata commiſſionis & omiſſionis differant ſpecie?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quòd peccatum commiſſionis & omiſſionis ſpecie differant. Delictum enim contra peccatum diuiditur Epheſ. 2. vbi dicitur: Cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris: & exponit ibi gloſſa: Delictis, id eſt, dimittendo quæ iubentur: & peccatis, ſcilicet agendo prohibita. Ex quo patet, quòd per delictum intelligitur peccatum omiſſionis: per peccatum, peccatum commiſſionis: differunt igitur ſpecie, cum ex oppoſito diuidantur tanquam diuerſæ ſpecies.

2. Præterea: peccato per ſe, conuenit, quòd ſit contra legem Dei: ponitur enim in eius diffinitione, vt ex ſupradictis patet: ſed in lege Dei alia ſunt præcepta affirmatiua, contra quæ eſt peccatum omiſſionis; & alia præcepta negatiua, contra quæ eſt peccatum commiſſionis: ergo peccatum omiſſionis & peccatum commiſſionis differunt ſpecie.

3. Præterea: omiſſio & commiſſio differunt, ſicut affirmatio & negatio: ſed affirmatio & negatio non poſſunt eſſe vnius ſpeciei, quia negatio non habet ſpeciem: non entis enim non ſunt ſpecies, neque differentiæ, vt Philoſophus dicit: ergo omiſſio & commiſſio non poſſunt eſſe vnius ſpeciei.

Sed contra: in eadem ſpecie peccati inuenitur omiſſio & commiſſio: auarus enim & aliena rapit, quod eſt peccatum commiſſionis; & ſua non dat, quibus dare debet, quod eſt peccatum omiſſionis: ergo omiſſio & commiſſio non differunt ſpecie.

Reſpondeo dicendum, quòd in peccatis inuenitur duplex differentia: vna materialis; & alia formalis. Materialis quidem attenditur ſecundum naturalem ſpeciem actuum peccati: formalis autem ſecundum ordinem ad vnum finem proprium, quod eſt obiectum proprium: vnde inueniuntur aliqui actus materialiter ſpecie differentes; qui tamen formaliter ſunt in eadem ſpecie peccati, quia ad idem ordinantur: ſicut ad eandem ſpeciem homicidij pertinet iugulatio, lapidatio, & perforatio; quamvis actus ſint ſpecie differentes ſecundum ſpeciem naturæ. Sic ergo ſi loquamur de ſpecie peccati omiſſionis & commiſſionis, materialiter differunt ſpecie; largè tamen loquendo de ſpecie, ſecundum quod negatio, vel priuatio ſpeciem habere poteſt. Si autem loquamur de ſpecie peccati omiſſionis, & commiſſionis formaliter; ſic non differunt ſpecie: quia ad idem ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt. Auarus enim ad congregandum pecuniam & rapit, & non dat ea, quæ dare debet. Et ſimiliter guloſus ad ſatisfaciendum gulæ & ſuperflua comedit, & ieiunia debita prætermittit: & idem eſt videre in cæteris. Semper enim in rebus negatio fundatur ſuper aliqua affirmatione, quæ eſt quodammodo cauſa eius: vnde etiam in rebus naturalibus eiuſdem rationis eſt, quòd ignis calefaciat; & quòd non infrigidet.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa diuiſio, quæ eſt per commiſſionem & omiſſionem, non eſt ſecundum diuerſas ſpecies formales; ſed materiales tantùm, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd neceſſe fuit in lege Dei proponi diuerſa præcepta affirmatiua, & negatiua, vt gradatim homines introducerentur ad virtutem, prius quidem abſtinendo à malo, ad quod inducimur per præcepta negatiua; & poſtmodum faciendo bonum, ad quod inducimur per præcepta affirmatiua. Et ſic præcepta affirmatiua & negatiua non pertinent ad diuerſas virtutes; ſed ad diuerſos gradus virtutis: & per conſequens non oportet quòd contrarientur diuerſis peccatis ſecundum ſpeciem. Peccatum etiam non habet ſpeciem ex parte auerſionis, quia ſecundum

Digitized by

ſecundum hoc eſt negatio vel priuatio; ſed ex parte conuerſionis, ſecundum quod eſt actus quidam. Vnde ſecundum diuerſa præcepta legis non diuerſificantur peccata ſecundum ſpeciem.

Ad tertium dicendum, quòd objectio illa procedit de materiali diuerſitate ſpeciei. Sciendum eſt tamen, quòd negatio etſi propriè non ſit in ſpecie, conſtituitur tamen in ſpecie per reductionem ad aliquam affirmationem, quam ſequitur.

PRIMA CONCLVSIO.

Peccatum commiſſionis & omiſſionis materialiter differunt ſpecie: formaliter verò ſunt eiuſdem ſpeciei, quia ad idem ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt.

SECVNDA CONCLVSIO *in ſolutione ad ſecundum.*

Non diuerſificantur ſpecie peccata ſecundum diuerſa præcepta legis.

Doctrina hujus ſexti articuli, & ejus conſequentia aliquibus difficilis viſa eſt: fiet autem perſpicua, vt credimus, ſequenti diſputatione.

DISPVTATIO VIII.

De diſtinctione peccatorum per ordinem ad præcepta.

DVPLICI jure poſſunt peccata per præcepta diſtingui: vel quia circa eandem legem aliud ſit contra affirmatiuum, & aliud contra negatiuum: quo pacto ſe habent omiſſio & commiſſio: vel quia opponuntur diuerſis legibus, vt naturali, poſitiuæ, diuinæ, humanæ, &c. Duo igitur dubia, aliud pro commiſſionis & omiſſionis diſtinctione, aliud pro reliquis, excitabimus.

DVBIVM I.

Vtrum peccata commiſſionis & omiſſionis procedentia ex eodem motiuo pertineant ad eandem ſpeciem?

1. NOn quærimus de commiſſione & omiſſione in eſſe phyſico conſideratis, in quo perſpicuum eſt omnino diſtingui: habent enim ſe in hoc genere, ſicut affirmatio & negatio, & ſicut ens & non ens, inter quæ nulla datur conuenientia. Loquimur ergo de illis, vt ſunt in genere moris. In quo adhuc certum eſt pertinere ad diſtinctas ſpecies, quoties verſantur circa diuerſas materias, prouenientque ex diuerſis motiuis. Eſt autem difficultas; vtrum ſint ejuſdem ſpeciei in hoc genere, quoties circa idem verſantur, & ex eodem motiuo proueniunt? Motiuum verò appellat hîc D. Thom. non quod ſe habet per modum principij efficientis; ſed quod mouet per modum finis, vel operis, vel operantis.

Elucidatur titulus.

Vbi ſecundò ſupponendum eſt, nomine peccati *commiſſionis & omiſſionis* in præſenti non intelligi ſolùm actum, qui eſt omittendi cauſa, & omiſſionem ex tali actu ſequutam; vel è conuerſo, v. g. cum aliquis propter ludum omittit ſacrum: vt exponunt cum Victoria, Curiel, Zumel, & alij. Et multò minus per commiſſionem intelligitur malitia poſitiua, & per omiſſionem malitia priuatiua, quæ in quolibet actu peccati intrinſecè inueniuntur: aut per commiſſionem tendentia actus ad objectum, & per omiſſionem carentia circumſtantiæ debitæ: puta cum aliquis celebrat ſine veſtibus, aut recitat ſine attentione: vt Vaſquez D. Thomam ſiniſtrè interpretatur. Et ratio eſt: quia Ang. Doctor loquitur de illis, quorum aliud abſolutè eſt peccatum commiſſionis, & aliud abſolutè eſt peccatum omiſſionis: eſtque vnum ſimpliciter contra præceptum negatiuum; aliud verò ſimpliciter contra affirmatiuum: conſtat autem non ita ſe habere ea quæ diximus; ſed quælibet illorum opponuntur vnico præcepto, quod vel ſimpliciter eſt affirmatiuum, vel ſimpliciter eſt negatiuum: ſicut etiam quælibet ſpectant ad vnicum peccatum, quod abſolutè vel eſt ſolùm peccatum commiſſionis, vel ſolùm peccatum omiſſionis. Non ergo ita exponendus eſt D. Thom. ſed per omiſſionem intelligit totum, quod in eo peccato neceſſario concurrit, adeóque tam omiſſionem quàm actum, qui eſt ejus cauſa, præciſè vt talem: per commiſſionem verò intelligit integrum actum peccaminoſum contra præceptum negatiuum, & vtramque ejus malitiam: de quibus quærimus, quod refert dubij titulus. Pro cujus decitione recolenda ſunt, quæ diſput. 5. dub. 4. obſeruauimus: vbi diximus vnitatem, aut diſtinctionem peccatorum, adhuc prout in genere moris ſunt, poſſe attendi vel omnino rigoroſè, conſiderando præciſè eorum formalitates, & prædicata quiditatiua ſecundum regulas dialecticæ, vel metaphyſicæ: vel ſolùm moraliter, modo inſinuato: quæ infrà magis declarabimus.

§. I.

Abſoluitur difficultas duplici aſſertione.

2. DIcendum eſt primò, malitiam moralem conſtitutiuam peccati commiſſionis, & malitiam conſtitutiuam omiſſionis, logicè vel metaphyſicè loquendo, nunquam eſſe ejuſdem ſpeciei, imò neque ejuſdem generis; ſed differre omnino, ſicut diſput. 6. à num. 95. differre diximus malum poſitiuum & priuatiuum. Hæc aſſertio ſumitur ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 79. art. 2. vbi in ſolut. ad 3. ait: *Peccatum autem omiſſionis omnino à tranſgreſſione diſtinguitur.* Et loquitur de diſtinctione ſpecifica: vt inuenienti argumentum, cui ſolutio illa adhibetur, conſtabit. Idem inſinuat art. 3. in corp. & alibi: quem ſequuntur *Prima aſſertio.* *D. Thom.*

Digitized by Go

Cuiel. Zumel. Vaſquez. tur in præſenti Curiel, Zumel, Vaſq. & alij. Probatur primo: nam malitia commiſſionis, adhuc in genere moris, eſt malitia poſitiua; malitia verò omiſſionis eſt malitia priuatiua: *Ratio.* ſed poſitiuum & priuatiuum, in quocunque genere ſint, logicè loquendo in nullo conueniunt; ſed differunt ſicut *eſſe* & *non eſſe*, & ſicut affirmatio & negatio, inter quæ nulla datur vniuocatio aut conuenientia: ergo, &c.

Confirmatio. Confirmatur: non eſt aſſignabilis aliqua ratio communis, in qua malitia poſitiua & priuatiua logice conueniant, & quæ de illis vt ſuperior vniuoce prædicetur: ergo nequeunt eſſe hoc modo ejuſdem ſpeciei. Conſequentia liquet. Antecedens verò probatur: nam vel illa ratio communis eſſet determinatè poſitiua? & ſic non eſſet communis, neque de malitia priuatiua prædicaretur. Vel eſſet determinatè priuatiua? & neque hoc modo eſſet communis, ſiquidem non poſſet prædicari de poſitiua. Vel eſſet abſtrahens ab vtroque? Et neque hoc poteſt dici: tum quia à poſitiuo & priuatione non eſt abſtrahibilis ratio, quæ non determinatè exprimat vnum vel alterum: vt diſp. 6. à num.71. probauimus. Tùm etiam quia talis ratio à poſitiuo & priuatiuo abſtracta, eſto quòd haberet aliquam vnitatem, ad ſummum hæc vnitas eſſet ſecundum quid, & analoga; non verò generica, aut ſpecifica, quæ eſt vnitas ſimpliciter, vt ex ſe conſtat: ergo, &c.

Effugium. 3. Dices rationem poſitiui & priuatiui materialiter ſe habere in genere moris: quia in iſto genere non attenditur, qualiter peccatum ſit *ens* vel *non ens*, *aliquid* aut *nihil*; ſed qualiter rationi opponatur: & quia hujuſmodi oppoſitio ejuſdem rationis eſt, ſiue malitia ſit poſitiua, ſiue priuatiua, dummodo procedant ex eodem motiuo: idcirco quoties hoc habuerint, vtraque erit ejuſdem ſpeciei in genere moris, & in ratione malitiæ. *Euaneſcit.* ¶ Sed contra: quia genus, moris, vt tale genus eſt, & vt condiſtinctum à genere phyſico, diſtinguitur per poſitivum & priuatiuum: formaliter enim peccatum commiſſionis conſtituitur in ratione peccati & mali moralis per tendentiam poſitiuam ad objectum diſſonum; ſicut peccatum omiſſionis conſtituitur formaliter in ratione talis per carentiam & priuationem actus debiti: ergo ratio poſitiui & priuatiui non omnino ſe habet de materiali ad hoc genus.

Confirmatur impugnatio tripliciter Confirmatur primò: actus peccati commiſſionis formaliſſimè vt malus, & vt habet eſſe in genere moris, opponitur contrariè actui bono, vt diſput. 6. num. 76. diximus: ſed oppoſitio contraria exigit pro formali terminos poſitiuos: ergò quòd malitia talis actus ſit poſitiua, non omnino eſt de materiali intra prædictum genus. ¶ Confirmatur ſecundo: differentia per ſe diuiſiua alicujus generis, non poteſt habere ſe de materiali in tali genere: ſed malitia poſitiua, vt poſitiua eſt, formaliſſimè eſt differentia per ſe diuiſiua moralitatis: atque ideo malitia priuatiua peccati commiſſionis non eſt ejus differentia, quia non eſt poſitiua vt vidimus diſp.cit. num.113. ergo idem quod prius. Confirmatur tandem: nam ferè omnes Doctores, qui nobiſcum tenent peccatum conſtitui formaliter per poſitiuum, conſequenter dicunt dari rationem poſitiuam, quæ à Deo non ſit; quæque ſi eſſet ab illo, eſſet Deus cauſa peccati: Ergo hujuſmodi ratio poſitiua non ſe habet ad peccatum purè materialiter: aliàs cauſaretur a Deo, qui cauſat totum, quod in illo de materiali ſe habet.

4. Dicendum eſt ſecundò, peccatum commiſſionis & omiſſionis, quoties ex eodem motiuo procedunt, moraliter loquendo non conſtituere diſtinctas omnino ſpecies peccatorum; ſed pertinere ad vnam & eandem, juxta identitatem motiui. *Secunda aſſertio.* Hæc proculdubio eſt mens Ang. Doctoris in præſenti, & 2.2.cit. quæſt.79. vt ſequenti §. explicabimus. Quem communiter ſequuntur ejus diſcipuli. Cajet. Conrad. Medin. Aluar. Greg. Mart. Monteſ. Araujo, & alij ſuper hunc articulum. *Ratio.* Probatur primò ratione, qua D. Thom. vtitur, quia ſpecies peccati per ſe primò attenditur ſecundum motiuum, ſeu objectum, circa quod verſatur: & ideo peccata, quæ in objecto & motiuo aliquo modo conueniunt, debent eodem proportionali modo conuenire in ſpecie, quæ deſumitur ex tali motiuo: ergo commiſſio & omiſſio, quoties circa idem motiuum vel objectum verſantur, erunt aliquo modo ejuſdem ſpeciei: non logicè vel metaphyſicè, vt probatum eſt: ergo moraliter.

Confirm. Confirmatur, & explicatur animaduertendo, quòd malitia priuatiua peccati omiſſionis, ſicut non oritur à voluntate niſi mediante actu poſitiuo, qui fuit cauſa omittendi; ita neque attingit proprium motiuum, à quo ſumit ſpeciē, niſi ratione tendentiæ & malitiæ poſitiuæ ejuſdem actus: vnde tota malitia priuatiua, quæ ex prædicto motiuo refunditur in omiſſionem, veluti tranſit per prædictam tendentiam & malitiam poſitiuam. Ex quo fit, quòd tam ex parte actus, & omiſſionis, ac malitiæ vtriuſque, quàm ex parte motiui, eadem debet eſſe ratio reſpiciendi, & terminandi, proindéque ratio ſpecificandi: eadem ergo erit illis ſpecies ſumpta ex tali motiuo.

5. Dices primò, ſufficere diuerſum modum reſpiciendi idem objectum ad diſtinguenda ſpecificè peccata: vt patet in ſpeciebus infidelitatis, quæ ex diuerſo motiuo reſpiciendi errorem contrarium fidei ſpecificatur, & alia ſecundum ſpeciem eſt infidelitas Paganiſmi, alia Iudaiſmi, & alia hæreticorum: vt docet D. Thom. 2.2. quæſt.10. art.5. ergo cum commiſſio & omiſſio diuerſo modo objectum vel motiuum reſpiciant (nam illa reſpicit directè; hæc indirectè: illa poſitiuè & formaliter; iſta verò priuatiuè & interpretatiuè) conſtituunt diuerſas peccatorum ſpecies.

Impugnatur. Sed contra: nam modus reſpiciendi objectum tunc diſtinguit moraliter ſpecies peccatorum, quando eſt diuerſus omnino formaliter, refunditque in ipſum objectum diuerſam rationem terminandi & ſpecificandi (qua ratione ſe habet in illis tribus infidelitatis ſpeciebus) ſecùs tamen quando prædictus modus tantùm diſtinguitur materialiter; neque in objecto inſpecto arguit vel refundit diuerſam formaliter rationem terminandi & ſpecificandi: vt in præſenti contingit. Diſtinctio enim penes modum reſpiciendi directè vel indirectè poſitiuè aut priuatiuè, ſatis materialis eſt in ordine ad moralem appretiationem & reputationem: neque in objecto arguit diuerſam

diuerſam rationem ſpecificandi, aut reſpiciendi; ſed vtroque illo modo inſpicitur ſub eadem formaliſſima ratione. Vnde talis diſtinctio non poteſt eſſe ſufficiens ad diſtinguendas moraliter ſpecies peccatorum. Quemadmodum juxta doctrinam D.Thomæ art. 7. ſequenti, peccatum cordis, oris, & operis circa idem motiuum non conſtituunt diuerſas ſpecies, quamvis diuerſo modo illud reſpiciant: quia talis diuerſitas reſpiciendi habet ſe de materiali, & non refundit in objectum rationes ſpecificandi diſtinctas.

Euaſio alia. Dices ſecundò, rationem D.Thomæ, vt à nobis confirmata eſt, ad ſummum conuincere, omiſſionem & actum, qui eſt cauſa omittendi, eſſe ejuſdem ſpeciei moraliter, quod aduerſarij non negant: non autem id conuincit de peccatis commiſſionis & omiſſionis propriè dictis quæ licèt procedant ex eodem motiuo; vnum tamen non eſt cauſa alterius, ſed habent ſe quoad hoc diſparatè: ſicut non reſtituere depoſitum, & furari: & ita prædicta ratio, vel ſaltem ejus confirmatio non videtur efficax.

Refellitur. 6. Sed hæc etiam euaſio refellitur: nam quòd malitia priuatiua omiſſionis, & malitia poſitiua actus, qui eſt cauſa omittendi moraliter ſit ejuſdem ſpeciei, non oritur (ſaltem per ſe primo) ex eo quòd vna ſit cauſa alterius: quandoquidem vna ſpecies peccati ſæpe eſt cauſa peccati alterius ſpeciei: & ab eadem cauſa procedere poſſunt diuerſæ peccatorum ſpecies: ſicut ex timore male humiliante procedere poteſt, quòd aliquis furetur, & quòd occidat: ſed oritur per ſe primò prædicta conuenientia ex eo, quòd tam actus quàm omiſſio, & tam malitia vnius quàm alterius ab eodem motiuo, & ſub eadem ratione procedunt: vnde quia in hoc par eſt ratio de aliis peccatis commiſſionis propriè dictis, quæ non ſunt cauſa omittendi, quoties habent idem motiuum cum omiſſione: idcirco noſtra confirmatio de omnibus intentum conuincit. ¶ Præterea, malitia poſitiua actus, qui eſt cauſa omittendi, & malitia peccati commiſſionis verſantis circa idem motiuum ſunt eiuſdem ſpeciei: cum enim vtraque hæc malitia poſitiua ſit, ſuppoſito quòd verſentur circa idem motiuum & ſpecificatiuum, non eſt à quo poſſint intra genus moris ſpecie diſtingui: ergo ſi malitia priuatiua omiſſionis conuenit ſpecificè moraliter cum malitia poſitiua talis actus, debet eodem proportionali modo conuenire cum malitia prædicti peccati commiſſionis: nam quæ ſunt eadem, & conueniunt in vno tertio, pariter inter ſe ipſa debent conuenire. ¶ Adde, fundamentum Gabrielis Vaſq. & aliorum, qui negant prædictam conuenientiam inter peccatum commiſſionis & omiſſionis, ex eo potiſſimum deſumi, quia vnum ex illis conſtituitur per poſitiuum, & aliud per priuatiuum: atqui hujuſmodi differentia poſitiui & priuatiui eodem modo reperitur inter actum, qui eſt cauſa omittendi, & ipſam omiſſionem: ergo vel hæc non debent adhuc moraliter eſſe vnius ſpeciei, vel nulla eſt ratio, vt illa nequeant moraliter ſpecificè conuenire.

Alia ratio. Secundo probatur alia ratione deſumpta ex Ang. Doctore 1. 2. cit. quæſt. 79. artic. 1. quæ poteſt ad hanc formam reduci. Ita proportionabiliter ſe habent in genere mali facere malum, & omittere bonum ex eodem motiuo, puta furari, & non reſtituere, ſicut in genere boni ſe habent facere bonum, & omittere ex eodem motiuo oppoſitum malum: at hæc duo non conſtituunt diſtinctas moraliter ſpecies: ergo neque illa debent eas conſtituere. Major conſtat à paritate rationis. Minor verò probatur ex doctrina D. Thomæ loco cit: quia facere bonum & omittere malum ſunt partes integrantes ejuſdem juſtitiæ juxta illud Pſ. 33. *Diuerte à malo, & fac bonum: Quorum vtrumque* (ait Ang. Doctor) *requiritur ad perfectum actum iuſtitiæ.* Partes verò integrales alicujus totius, quatenus tales ſunt, non conſtituunt diuerſas ſpecies; ſed ſpectant ad vnam & eandem: ſicut partes integrales domus, quatenus in genere artificiali ſunt, pertinent ad eandem ſpeciem artefacti: & partes integrales pœnitentiæ, vt contritio, confeſſio, & ſatisfactio, pertinent ad eandem ſpeciem ſacramenti: & in noſtro caſu ad eandem ſpeciem juſtitiæ commutatiuæ, ad quam pertinet reddere vnicuique, quod ſuum eſt, ex motiuo conſtituendi æqualitatem, pertinet illud non auferre ex motiuo eandem æqualitatem conſeruandi: & illud prius habet ſe tanquam pars formalis completiua juſtitiæ; poſterius verò tanquam pars materialis. Redditque hujus optimam rationem D. Thom. loco cit. in fine corp. dicens: *Ad iuſtitiam enim pertinet æqualitatem conſtituere in his, quæ ſunt ad alterum, vt ex ſupradictis patet; eiuſdem autem eſt conſtituere aliquid, & conſtitutum conſeruare in his, quæ ſunt ad alterum: conſtituit autem quis æqualitatem iuſtitiæ, faciendo bonum, id eſt, reddendo alteri, quod ei debetur: conſeruat autem æqualitatem iuſtitiæ iam conſtitutæ declinando à malo, id eſt, nullum nocumentum proximo inferendo.*

Pſal. 33. D.Thom. — Idem.

Obiectio. 7. Neque obeſt ſi objicias, ſequi ex hac ratione non tantùm moralem, ſed etiam logicam conuenientiam inter commiſſionem & omiſſionem, prout in genere moris ſunt: quandoquidem facere bonum & omittere malum, vt reſtituere & non furari ex eodem motiuo juſtitiæ adhuc logicè non differunt ſpecie intra genus moris, vt intuenti conſtabit.

Diluitur. Reſpondetur enim negando ſequelam, propter apertam diſparitatem inter bonum & malum, conſiderata adhuc in genere moris: quia bonum ſeu bonitas moralis nunquam eſt ſola carentia vel priuatio, neque hoc quod eſt non facere malum ex motiuo boni, dicit aliquam bonitatem de genere carentiæ exiſtentem in ipſo *non facere*; ſed denominatur extrinſecè *bonum* à bonitate poſitiua, quæ eſt in actu bonum faciendi, aut malum ex motiuo boni repudiandi: atque adeo omnis bonitas moralis, ſiue reſpectu proſequutionis boni, ſiue reſpectu fugæ mali, ſemper eſt forma poſitiua: vnde quia à formis poſitiuis non repugnat abſtrahi vna ratio poſitiua, in qua logicè conueniant; idcirco quantum eſt ex hac parte, nihil obſtat quominus *facere bonum & non facere malum* ex eodem motiuo dicant bonitates omnino ejuſdem ſpeciei. Cæterùm malitia conſtitutiua peccati commiſſionis eſt poſitiua: malitia verò conſtitutiua omiſſionis eſt priuatiua: & quia à poſitiuo & priuatiuo nulla eſt abſtrahibilis ratio, in qua logicè

logicè conueniant ; ideo omnino repugnat, quòd prædicta peccata logicè ſint ejuſdem ſpeciei:non autem repugnat eſſe ejuſdem ſpeciei moraliter : nam in morali conſideratione peccatorum non tam attenditur , quid ſint peccata in ſe ipſis,quàm pro quo æſtimentur, & reputentur , qualitérque inter ſe ſubordinentur. Vnde quia malitia commiſſionis & omiſſionis procedentium ex eodem motiuo reputantur vt vnius formalis rationis , quamvis in diuerſis gradibus , & vna ſubordinatur alteri modo ſtatim explicando, poſſunt ſecundum moralem conſiderationem dici ejuſdem ſpeciei.

§. II.

Maior declaratio praecedentis doctrinæ.

8. DVo in his , quæ tradidimus , diligentius examinare opus eſt : nimirum qua ratione commiſſionis & omiſſionis peccata cenſeantur habere idem motiuum? & quo pacto cum habent idem motiuum, dicantur pertinere moraliter ad eandem ſpeciem ? Pro primi ergo intelligentia (ſecundum enim declarabitur §. 3.) animaduertendum eſt, motiuum peccati (quòd in præſenti idem eſt ac finis , vt num. 2. diximus) duplex eſſe : aliud intrinſecum & proximum,quod appellatur *finis operis*, coinciditque cum objecto : & aliud extrinſecum & quaſi remotum , quod eſt finis totius operantis , diſtinguitúrque ab objecto actus , & habet rationem circumſtantiæ. Ex quibus illud prius tribuit peccato ſpeciem eſſentialem & primariam ; poſterius verò tribuit quandam ſpeciem ſecundariam & accidentalem : de quo plura diximus in tract. de bonit. & malit diſput. 6. dub. 4. Igitur perdoctus quidam junior (quem ſemper veneramur) totam doctrinam, quam in ſecunda aſſertione explicuimus intelligendam eſſe cenſet de ſola ſpecie ſecundaria commiſſionis & omiſſionis deſumpta ex motiuo extrinſeco : quoad ſpeciem verò primariam , quæ deſumitur ex intrinſeco , non admittit prædicta peccata eſſe ejuſdem ſpeciei. Et juxta hæc interpretatur D. Thomam cum ait diſtingui ſpecie materialiter ; eſſe verò ejuſdem ſpeciei formaliter : quia differunt in ſpecie prima deſumpta ex objecto & motiuo intrinſeco ; conueniunt autem ſpecie ſecundaria , quæ deſumitur ex motiuo extrinſeco , & illa reſpectu hujus habent ſe ſicut materiale ad formale : vt nos etiam loc. cit. explicuimus.

Petrus. Cornejo.

Quidam dicendi modus.

Cæterùm hic dicendi modus , quamvis nobis (maximè propter ſuum auctorem, ſit probabilis,non placet aliis Thomiſtis : nec poſſumus illum vt proprium ſuſtinere. Tùm quia D.Thom.in præſenti expreſſe loquitur de motiuo intrinſeco,& proprio actus peccati,quod coincidit cum objecto : & conuenientiam deſumptam ex iſto motiuo appellat conuenientiam formalem , vt patet ex illis verbis : *formalis autem* (ſcilicet diſtinctio vel vnitas) *attenditur ſecundum ordinem ad vnum finem proprium , quod eſt objectum proprium.* Quod ſtatim apertius declarat exemplo homicidij , quòd ſiue jugulatione fiat , ſiue lapidatione, vel perforatione, ſemper eſt ejuſdem ſpeciei : nempe homicidij propter motiui identitatem, quo in exemplo manifeſte eſt ſermo de ſpecie primaria , & de motiuo intrinſeco : ergo non rectè exponitur de conuenientia in ſola ſpecie ſecundaria , & de motiuo extrinſeco. Tùm etiam quia nulla eſt ratio , vt concedamus, peccata commiſſionis & omiſſionis procedentia ex eodem motiuo extrinſeco conuenire in ſpecie ſecundaria , quæ ſumitur ex hoc motiuo ; negemus verò , procedentia ex eodem motiuo intrinſeco conuenire in ſpecie primaria , quæ ex tali motiuo deſumitur Et ſanè fundamenta ſecundæ aſſertionis non minus hoc , quàm illud probant ; nec minus aduerſariorum objectiones militant contra primum , quàm contra ſecundum , vt intuenti conſtabit. Maneat ergo , doctrinam prædictæ aſſertionis vniuerſalem eſſe de vtraque ſpecie, & de vtroque motiuo, ſeruata proportione. Vnde ſi commiſſionis & omiſſionis peccata habuerint idem motiuum proximum , erunt ejuſdem ſpeciei quoad eſſentialem & primariam ſi autem motiuum proximum diuerſum fuerit , & habuerint idem motiuum remotum , erunt ejuſdem ſpeciei ſolum quoad ſecundariam & accidentalem. Quod ſi in vtroque motiuo conuenerint , vtroque modo conuenient moraliter in ſpecie. Et in hac latitudine recipiunt doctrinam hujus art. Cajet. Medina , Alvar. Monteſ. Greg. Mart. & communiter Thomiſtæ : nóſque ad id inſinuandum diximus in aſſertione prædicta peccata, quoties ex eodem motiuo procedunt , pertinere ad eandem ſpeciem juxta identitatem motiui.

Deſeritur.

Animaduer. 1.

9. Ad inueſtigandum verò prædictum motiuum nota , quòd licet omiſſio præciſè ſecundum ſe , vt dicit ſolam carentiam actus , nullum reſpiciat motiuum : adhuc tamen dicimus omiſſionem peccaminoſam ſemper procedere ex aliquo motiuo : vel interpretatiuè , in quantum interpretamur omittentem moueri ad non operandum ex tali aut tali fine : vel ratione actus , qui eſt cauſa omittendi : nam ſicut ratione iſtius actus dicitur oriri à voluntate, & eſſe indirectè voluntaria : ſic ratione ejuſdem dicitur reſpicere objectum vel motiuum , & ab eis procedere. Quoad motiuum ergo extrinſecum nulla eſt in præſenti difficultas : quia cum hoc expreſsè intendatur à peccante ex ipſa ejus intentione ſufficienter dignoſcitur : vnde quoad malitiam accidentalem deſumptam ex hoc motiuo , tam omiſſio quàm actus , qui eam cauſat , pertinent moraliter ad illam ſpeciem peccati , ad quam pertinet intentio peccantis , quæ eſt peccatum commiſſionis. Vt ſiquis ex intentione furandi velit omittere ſacrum ; tam omiſſio quam volitio omittendi pertinent accidentaliter ad ſpeciem furti , ad quam pertinet prædicta intentio : in quo ferè omnes conueniunt.

Eſt autem difficultas non modica circa proprium & intrinſecum motiuum , ex quo quælibet omiſſio ſumit ſuam primariam & eſſentialem malitiam : & quodnam ſit proprium peccatum commiſſionis , habens pro objecto prædictum motiuum , & conſtituens moraliter vnam ſpeciem peccati cum omiſſione ? Atque in primis ſupponendum eſt, hoc motiuum non eſſe objectum , circa quod expreſsè & formaliter verſatur actus , qui eſt cauſa omittendi

Doctrina.

omittendi, quando talis actus per accidens ſe habet ad omiſſionem. v. g. ſiquis ut ludat, omittat facere reſtitutionem; proprium motivum, à quo omiſſio reſtituendi habet ſuam primariam malitiam, non eſt ludus, nec res, quæ eſt materia ludi ſecundum ſe ſumpta. Et ratio eſt perſpicua: quia id, quod tribuit malitiam tanquam motivum, ſecundum ſe eſt objective malum: at verò res,quæ eſt materia ludi, non eſt mala ſecundum ſe; ſed ſi quam habet malitiam, ſumit eam ab omiſſione, ſicut ab objecto. Tùm etiam quia motivum, à quo omiſſio v g. reſtituendi habet ſuam primariam malitiam, ſemper eſt idem, quantumcunque actus, qui eſt cauſa omittendi, & res, quæ eſt materia talis actus, varientur: ſicut ipſa omiſſio reſtituendi quoad ſpeciem primariam ſemper eſt ejuſdem ſpeciei, ſive ex ludo, ſive ex venatione, aut ex quocunque alio procedat: ergo res, quæ eſt materia iſtorum actuum, non poteſt eſſe prædictum motivum.

Alia doctrina. 10. Secundò ſupponendum eſt,prædictum motivum neceſſario debere eſſe aliquod ex objectis contrariis virtuti, cujus actus omittitur: puta ſi omittitur actus juſtitiæ, intrinſecum motivum omiſſionis erit objectum alicujus actus injuſtitiæ: nam peccatum commiſſionis, & peccatum omiſſionis, quæ conſtituunt eandem ſpeciem, & habent idem motivum, ſemper ſunt contra eandem virtutem: & ideo ſicut motivum actus commiſſionis, ſic etiam motivum omiſſionis debet eſſe aliquid tali virtuti contrarium: quæ etiam eſt communis Thomiſtarum doctrina. Ratio verò eſt:quia proprium motivum alicujus omiſſionis duo debet habere: primò,quòd omiſſio ſit per ſe cum illo connexa, ita ut ab eo ſemper ſumat ſpeciem. Secundò, quòd ſit interpretativè volitum in ipſa omiſſione, ita ut ſecluſo omni alio cordatè interpretemur, eum, qui ſic omittit, velle tale motivum. Conſtat autem duo hæc in nullo reperiri niſi in objecto contrario virtuti, cujus actus omittitur: ex eo enim quòd aliquis omittat actum juſtitiæ, nihil aliud cordatè interpretamur appetere, niſi oppoſitum malum injuſtitiæ: ut ſi medicus, cui ex juſtitia incumbit mederi infirmo, voluntariè omittat porrigere illi medicinam neceſſariam ad vitam & ſalutem, nihil aliud illum velle interpretamur, niſi quòd infirmus moriatur, aut quòd non convaleſcat: quod eſt malum contrarium virtuti juſtitiæ, cujus actum omittit: atque in cæteris ſimili modo: ergo hoc malum contrarium virtuti, cujus actus omittitur, univerſaliter aſſignandum eſt pro intrinſeco motivo cujuſlibet omiſſionis.

Adde, quòd cum omiſſio boni ſit quædam inchoatio mali, illud malum debet poni ut proprium cujuſlibet omiſſionis motivum, quod per ſe inchoatur in tali omiſſione: hoc autem eſt malum contrarium bono omiſſo: ſicut bonum,quod inchoatur in prætermiſſione alicujus mali, eſt quod opponitur tali malo: ſicut enim non ſuperbire, quando occurrit occaſio, eſt veluti inchoatio quædam humilitatis; ita non humiliari quando quis tenetur, eſt initium ſuperbiendi.

11. Cæterùm quia multoties in materia ejuſdem virtutis dantur plura objecta illi contraria; ſupereſt adhuc explicare, quod ex illis ſit motivum, de quo loquimur? Pro quo obſervanda eſt duplex regula. Prima, quando in materia ejuſdem virtutis dantur plures actus boni ſpecie diſtincti, adeóque plures eorum omiſſiones ſpecie diverſæ; proprium motivum iſtarum non deſumitur ex ſola contrarietate ad actum bonum, qui omittitur, v. g. religio habet plures actus diſtinctos in ſpecie,ut *ſacrificare,ſolvere decimas,vovere*,&c. adeóque dantur in ejus materia plures omiſſiones talium actuum ſpecificè etiam diſtinctæ: motivum ergo omiſſionis ſolutionis decimarum v. g. non eſt quodcunque objectum contrarium religioni; ſed quod ſpecialiter contrariatur ipſi actui ſolvendi decimas, puta peccatum illas auferendi, vel furandi rem ſacram: & conſequenter hujuſmodi erit peccatum commiſſionis, cum quo prædicta omiſſio conſtituit moraliter unam ſpeciem. *Prima regula.* Hæc regula ex eo conſtat, quia ſi motivum prædictæ omiſſionis eſſet quodcunque objectum religioni contrarium, omnes omiſſiones contra talem virtutem haberent idem motivum, eſſentque proinde ejuſdem ſpeciei: & rurſus quælibet omiſſio in materia religionis eſſet ejuſdem ſpeciei cum quolibet peccato commiſſionis contrario huic virtuti, ut intuenti conſtabit: quod eſt inconveniens.

12. Secunda regula ſit: quando in materia alicujus virtutis omnes actus boni ſunt ejuſdem ſpeciei, ac proinde non datur in illa materia niſi una ſpecies omiſſionis: aut etiam ſi dentur plures actus boni ſpecificè diſtincti, contra quemlibet ex illis dantur plura peccata commiſſionis ſpecie diverſa proprium motivum cujuſlibet omiſſionis eſt illud peccatum commiſſionis, quod minus diſtat ab actu omiſſo, & minus addit deformitatis ſupra ipſam omiſſionem. *Secunda.* v. g. actui juſtitiæ commutativæ, qui eſt ſervare vel reſtituere rem alienam, contrariatur duplex peccatum injuſtitiæ, nempe furtum, & rapina: cum ergo aliquis prædictum actum juſtitiæ omittit, proprium motivum talis omiſſionis eſt furtum; non verò rapina: quia illud, utpote minus grave, diſtat minus quàm hæc ab actu juſtitiæ, qui omittunt, minúſque addit deformitatis ſupra ejus omiſſionem. Quare talis omiſſio moraliter pertinebit ad ſpeciem furti, & non ad ſpeciem rapinæ. Similiter actui fidei, qui eſt credere, aut confiteri fidem, opponitur duplex peccatum commiſſionis, videlicet negare fidem, & illam blaſphemare: cum ergo aliquis omittit credere, aut confiteri fidem, urgente præcepto, intrinſecum motivum omiſſionis erit illud, quod eſt objectum primi peccati; non verò quod eſt objectum ſecundi: & ideo talis omiſſio pertinebit ad aliquam ſpeciem infidelitatis, & non ad ſpeciem blaſphemiæ. Quia ab actu debito, qui omittitur, minus diſtat primum peccatum, quo ſolùm negatur fides, quam ſecundum, quo etiam blaſphematur: & ſupra prædictam omiſſionem minorem deformitatem addit ſola fidei negatio, quàm ejus blaſphemia.

Veritas hujus regulæ ex eo etiam probatur, quia aliter manifeſtè ſequitur unum & idem peccatum omiſſionis ſecundum ſuam propriam & eſſentialem malitiam pertinere ad plures

plures ſpecies peccatorum : ad tot nimirum, quot ſunt peccata commiſſionis, quæ actui omiſſo contrariantur : & ita eadem omiſſio reſtituendi erit in ſpecie furti, & in ſpecie rapinæ : & eadem omiſſio confitendi fidem in ſpecie infidelitatis, & in ſpecie blaſphemiæ : & ſic de aliis. Sed præterea probatur : quia cum reſpectu unius omiſſionis non poſſit eſſe niſi unicum motivum intrinſecum, ſicut ipſa omiſſio non poteſt habere niſi unam ſpeciem malitiæ eſſentialem & primariam, illud debet aſſignari pro prædicto motivo, ad quod omittens proximius accedit, & cum quo omiſſio ipſa majorem habet connexionem : conſtat autem omittentem actum alicujus virtutis ad nullum ex contrariis ita proximè accedere, ſicut ad illud, quod minus diſtat ab actu omiſſo: ſicut neque ipſa omiſſio eſt ita cum aliquo alio connexa, ut intuenti conſtabit: ergo, &c. Ex qua doctrina facilè diluuntur objectiones adverſariorum, quæ inferius proponentur.

§. III.

Declaratur ſecunda difficultas.

Declaratur ſecūda pars.

13. SEcundum, quod propoſuimus, nimirum qua ratione commiſſionis & omiſſionis peccata procedentia ex eodem motivo, moraliter ad unam ſpeciem pertineant, poſſumus duobus modis explicare. Primò ſi dicamus, quòd ſunt ejuſdem ſpeciei appretiativè, eo quòd ſecundum prudentum æſtimationem pro eodem formaliter, & ut ejuſdem rationis habetur *facere contra aliquam legem*, & *omittere contra eandem ex eodem motivo* : eodem enim modo (quamvis non in eodem gradu) inobedientem reputamus illum, qui ex motivo contemnendi legiſlatorem privativè non obedit, omittendo actum præceptum; & qui inobediens eſt poſitivè, exercendo actum prohibitum : & eodem modo judicamus frangere votum, qui non exercet actum, quem vovit; & qui exercet actum, a quo vovit abſtinere : utrunque enim ejuſdem ſpeciei reputatur in materia irreligioſitatis. Similiter ſi medicus, cui incumbit ex officio cura infirmi, ex propoſito omittat propinare illi medicinas neceſſarias ut moriatur : & ex propoſito occidat propinando noxias : utrunque pro eodem reputatur in materia injuſtitiæ, & utrunque prudenti judicio ut homicidium habetur. Iuxta hunc ergo dicendi modum cum D. Thom. ait, peccata commiſſionis & omiſſionis procedentia ex eodem motivo eſſe ejuſdem ſpeciei formaliter, & differre materialiter; idem eſt, ac ſi diceret, quòd licèt prædicta peccata, conſideratis præcisè eorum formalitatibus & prædicatis metaphyſicis tàm ſpectantibus ad genus entis phyſici, quàm ad genus entis moralis, ſpecificè non conveniant; ſi tamen in ordine ad prudentis judicium & appretiationem conſiderentur, habent ſe, ac ſi eſſent unius ſpeciei. Et quia prior illa conſideratio ad iſtam poſteriorem ſupponitur, & habet ſe ad eam ſicut materiale ad formale; idcirco convenientia & unitas, quæ ſecundum hanc attenditur, dicitur à D. Thom. *formalis* : & diverſitas, quæ ſecundum illam conſideratur, dicitur *materialis*.

Eſt autem obſervandum, quòd licèt juxta hunc dicendi modum peccata commiſſionis & omiſſionis ſint moraliter ejuſdem ſpeciei; non tamen in eodem gradu malitiæ. Nam ſicut in genere boni (cæteris paribus) perfectius eſt proſequi bonum, quàm præcise omittere malum, ſic in genere peccati facere malum (cæteris paribus) ſemper eſt pejus, quàm omittere bonum : & ſicut illa in doctrina D. Thomæ in præſenti in ſolut. ad 2. pertinet ad eandem virtutem, non tamen ad eundem virtutis gradum; ita hæc ſpectant quidem ad eandem peccati ſpeciem, ſed ſecundum diverſum gradum malitiæ. Cujus optimam rationem tradit Ang. Doctor 2. 2. cit. quæſt. 79. art. 4. ubi ut probet peccatum commiſsionis ſeu tranſgreſsionis gravius eſſe peccato omiſsionis, ſic ait : *Dicendum, quod peccatum in tantum eſt grave, in quantum à virtute diſtat: contrarietas autem eſt maxima diſtantia, ut dicitur 10. metaphyſ. unde contrarium magis diſtat à ſuo contrario, quàm ſimplex ejus negatio. Sicut nigrum plus diſtat ab albo, quàm ſimpliciter non album : omne enim nigrum eſt non album; ſed non convertitur. Manifeſtum eſt autem, quòd tranſgreſſio contrariatur actui virtutis; omiſſio autem importat negationem ipſius. Vnde manifeſtum eſt, quod ſimpliciter & abſolute loquendo, tranſgreſſio eſt gravius peccatum, quàm omiſſio; licet aliqua omiſſio poſſit eſſe gravior aliqua tranſgreſſione.*

Obſervat.

D.Thom.

14. Aliter explicari poteſt hæc moralis convenientia peccati commiſsionis & omiſſionis, animadvertendo, duobus modis (quoad præſens attinet) poſſe aliqua dici unius ſpeciei : vel quia propriè ſunt inferiora & partes ſubjectivæ, in quarum qualibet tota ratio ſpecifica invenitur, tantúmque differunt accidentaliter, ſicut duo individua ejuſdem ſpeciei: puta homo albus & homo niger conveniunt in ſpecifica ratione hominis, hæcque de quolibet eorum integre prædicatur; quamvis diſtinguantur inter ſe accidentaliter ratione albi & nigri. Vel quia tanquam partes, aut quaſi partes integrales componunt & adæquant talem ſpeciem, ſuntque proinde talis conditionis, ut in nulla earum ſeorſim ſumpta inveniatur completè ratio ſpeciei; ſed ex omnibus quaſi conſtituitur, integratur, & coaleſcit. Hac ratione pertinent ad eandem ſpeciem ſacramenti pœnitentiæ contritio, confeſsio, & ſatisfactio : quæ propterea dicuntur *partes ejus integrales*, quia in nulla earum ſeorſim ſumpta ſpecifica ratio hujus ſacramenti adæquate invenitur; ſed ex omnibus conſurgit. Et hac etiam ratione *facere bonum*, & *declinare ab oppoſito malo* ponuntur à D. Thoma cit. quæſt. 79. art. 1. partes integrales juſtitiæ : *Quia utrunque eorum* (ait ille) *requiritur ad perfectum actum juſtitiæ.* Cum igitur in ſecunda concluſione aſſerimus peccata commiſsionis & omiſsionis procedentia ex eodem motivo eſſe ejuſdem ſpeciei, intelligendum eſt hoc ſecundo; non primo.

Alia explicatio.

Congruitque hæc expoſitio doctrinæ D. Thomæ loco cit : ubi per omnia æquiparat omiſsionem boni, & commiſsionem mali reſpectu peccati, cum fuga mali, & proſequutione boni reſpectu virtutis : & ideo art. 3. in corp. ſic ait : *Vnde eo modo, quo juſtitia eſt ſpecialis virtus; omiſſio eſt ſpeciale peccatum diſtinctum à peccatis, quæ opponuntur aliis virtutibus:*

eo

Digi

eo verò modo quo facere bonum, cui opponitur omiſſio, eſt quædam ſpecialis pars juſtitiæ diſtincta à declinatione mali, cui opponitur tranſgreſſio, etiam omiſſio à tranſgreſſione diſtinguitur. Ergo ſicut *bonum facere* & *malum omittere* non ſunt partes juſtitiæ ſubjectivæ; ſed tantùm integrales, & hoc duntaxat modo habent eſſe ejuſdem ſpeciei: ita juxta doctrinam D. Thomæ *omittere bonum* & *malum committere ex eodem motivo* erunt partes peccati, & pertinebunt ad eandem ſpeciem, non ut partes ſubjectivæ; ſed ut partes integrales, vel quaſi integrales. Ex quibus omiſſio habet ſe ſicut pars materialis & minus principalis, ſupponiturque ordine generationis ad commiſſionem: commiſſio verò habet ſe tanquam pars formalis & completiva, quæ ſupponit omiſſionem, & eam complet: prius enim eſt bonum deſerere, quam malum committere. Et hoc ordine ex utraque ſimul adæquata ratio ſpeciei peccati moraliter coaleſcit. Sicut eodem ordine conſtituitur adæquata ratio ſpeciei juſtitiæ ex fuga mali, & proſequutione boni, ut Ang. Doctor cit. art. 1. in ſolut. ad 3. explicuit his verbis: *Dicendum, quod facere bonum eſt actus completivus juſtitiæ, & quaſi pars principalis ejus. Declinare autem à malo eſt actus imperfectior, & ſecundaria pars ejus: & ideo eſt quaſi pars materialis, ſine qua non poteſt eſſe pars formalis completiva.*

D. Thom.

Idem.

Ratio dictorum.

15. Horum verò ratio illa eſt, quam num. 4. tetigimus. Quia nimirum ſpecies in genere moris deſumitur ex objecto formali, & cum eo convertitur: unde ſicut eadem ſpecies deſumi non poteſt à diverſis objectis formalibus & adæquatis, ita neque ab eodem objecto formali poſſunt diſtinctæ ſpecies adæquatæ provenire. Cum igitur omiſſio & commiſſio, de quibus loquimur, habeant omnino idem objectum, terminenturque utraque ad ipſum ſub eadem formali ratione, ut num. cit. explicuimus: impoſſibile eſt, quòd inter ſe differant tanquam duæ ſpecies adæquatæ, aut quòd non pertineant ad eandem adæquate ſumptam. Cumque aliàs non omnino eodem modo neque ad objectum, neque ad ſpeciem ex eo deſumptam comparentur; ſed una, ſcilicet omiſſio, indirectè; alia, nempe commiſſio, directè & per ſe: una privatio; alia ut poſitivum; illa ut pars materialis; hæc ut formalis, illa ut initium; iſta verò ut complementum: ſit inde quòd neque eodem modo & uniformiter talem ſpeciem participent, neque hujus tota ratio adæquatè in qualibet earum inveniatur: nec proinde habeant ſe ut partes ſubjectivæ, prædictam ſpeciem contrahentes & dividentes; ſed ut partes integrales, moraliter eam conſtituentes: quæ adeſſe ſimul debeant, ut integra ratio ſpecifica totius exiſtat.

Id quod magis explicare & confirmare poſſumus exemplo motus phyſici verſantis inter duos terminos poſitivos contrarios. Etenim adæquata ratio iſtius motus duo includit: videlicet receſſum ſeu fugam a termino *a quo*; & acceſſum ac proſequutionem termini *ad quem*. Et licèt in hoc involuantur duæ mutationes, alia ab *eſſe* ad *non eſſe*; & alia à *non eſſe* ad *eſſe*; non tamen conſtituunt duas ſpecies motus; ſed ſpectant ad unam & eandem, quæ incipit in receſſu à termino *a quo* & in acceſſu ac conſequutione termini *ad quem* conſummatur & completur: atque ita utranque mutationem ad ſui plenam rationem requirit, & ex utraque tanquam ex partibus integralibus coaleſcit. Cujus nulla aptior ratio reddi poteſt, niſi quòd utraque mutatio fit (ut ſic dicamus) in ordine ad idem formale motivum, qui eſt terminus *ad quem*; & neutra totum proceſſum ad hujuſmodi terminum, atque adeo totam ejus formalem & ſpecificam rationem adæquat. Vnde ut ratio prædicti proceſſus ſpecificata per talem terminum *ad quem* ſit integra, utraque mutatio veluti pars ejus requiritur. Ad hunc ergo proportionalem modum in moralibus tàm reſpectu virtutis, quàm reſpectu peccati philoſophandum eſt. Nam utrunque dicit motum a contrario in contrarium ſub eadem proportionali ratione; peccatum dicit motum à bono ad oppoſitum malum; virtus vero à malo ad contrarium bonum, juxta illud *Declina a malo, & fac bonum*: unde Pſal. 33. utriuſque ſpecifica ratio ſi adæquatè ſumatur, pertingere debet à ſuo termino *a quo*, uſque ad proprium terminum *ad quem*: debetque includere totum proceſſum, qui eſt ab uno in alium terminum ut illius deſertio, & iſtius proſequutio: aliàs manebit talis ratio, moraliter loquendo, veluti trunca & inadæquata. Cum igitur mali proſequutio fiat per peccatum commiſſionis; & receſſus à bono debito fiat per peccatum omiſſionis: conſequens eſt, ut ſi utrunque hoc peccatum ex eodem motivo, ac proinde in ordine ad idem ſpecificativum procedit, utrunque conſtituat eundem moralem proceſſum, & utriuſque malitia ad eandem ſpeciem moraliter pertineat. Ex quibus omiſſio ſeu fuga boni prior eſt ordine generationis, quàm commiſſio: nemo enim repentè fit ſummus, ſed prius eſt bonum deſerere, & deinde oppoſitum malum perpetrare. Vnde illa ſe habet ſicut pars materialis peccati; hæc verò ſicut pars formalis, complens & formalizans totum proceſſum peccaminoſum.

Replica.

16. Dices eſſe diſparem rationem: quia in motu phyſico totus proceſſus à termino *a quo* uſque ad terminum *ad quem* eſt idem actus continuus: unde non mirum, ſi totus pertineat ad eandem ſpeciem motus. At in noſtro caſu fuga boni, quæ fit per omiſſionem, & proſequutio mali, quæ conſtituit commiſſionem, non fit eodem actu, neque una habet continuationem cum alia: & ideo non eſt eadem ratio unitatis in utroque caſu. Vnde ex hoc exemplo ad ſummum habetur, quòd cum commiſſio continuatur cum omiſſione, & in eam influit; ſicut continuantur actus, qui eſt cauſa omittēdi; & omiſſio ex illo ſequuta, utraque ſit ejuſdē ſpeciei & pars prædicti proceſſus peccaminoſi; ſecùs quando diſparatè ſe habent abſque influxu unius in aliam. ¶ Hoc tamen non obeſt: nam quod in motu phyſico totus proceſſus, & tam fuga, quàm proſequutio pertineant ad eandem ſpeciem, non oritur per ſe primò ex continuatione: quia continuatio ſolùm concurrit ad unitatem numericam motus; non verò ſpecificam: ſed oritur per ſe primò, quia habent idem motivum, nempe eundem terminum *ad quem*. Vnde cum hæc unitas motivi ſaluetur in quolibet proceſſu à contrario in contrarium, etiam ſine continuatione fugæ & acceſſus: in

Diluitur.

quolibet

quolibet etiam ſaluari debet unitas ſpecifica.

Alia replica. Dices ſecundò, hanc explicationem non congruere exemplo, quo ad explicandam rem, de qua agimus, D. Thom. utitur: ſcilicet homicidij, quod poteſt fieri jugulatione, lapidatione, perforatione, &c. quæ licèt in genere naturæ, adeóque materialiter diſtinguantur; formaliter & in genere moris ſunt ejuſdem ſpeciei homicidij: atqui hujuſmodi peccata non ſpectant ad ſpeciem homicidij ut partes integrales, ſed ut ſubjectivæ: in quarum qualibet adæquata ratio ſpecifica homicidij invenitur: ergo eodem modo dicendum eſt de commiſſione & omiſſione.

Enodatur. ¶ Sed neque hoc etiam obeſt: quia exemplorum non requiritur omnimoda paritas; ſed aliqualis ſimilitudo: hæc autem in præſentiarum præciſè ſtat in hoc, quòd ſicut actus illi jugulationis, lapidationis, &c. materialiter conſtituunt diverſas ſpecies; formaliter verò pertinent ad eandem: ita commiſſio & omiſſio materialiter, in quantum ſcilicet una eſt forma poſitiva, & alia privativa, omnino differunt; formaliter verò, hoc eſt, per ordinem ad objectum vel motivum pertinent ad eandem ſpeciem peccati adæquatè ſumptam. An verò id habeant tanquam partes ſubjectivæ, vel ut integrales, Ang. Doctor in præſenti non explicat, neque ad id prædictum exemplum adducit; ſed agit de hoc 1.2. loco cit. Et quia ſecundus hic dicendi modus continet ſine dubio mentem Ang. Doctoris, occurrendum eſt juxta illum adverſariorum objectionibus, quæ contra utranque aſſertionem, & præſertim contra ſecundam ſolent affirmari.

§. IV.

Obiectiones & rationes dubitandi contra doctrinam traditam.

Prima obiectio. 17. Obiicies ergo primo contra primam aſſertionem, quòd cum D. Thom. in præſenti ait, peccatum commiſsionis & omiſſionis diſtingui materialiter, & ejuſdem ſpeciei formaliter; per diſtinctionem materialem intelligit ſolam diſtinctionem in genere phyſico; per formalem verò convenientiam intelligit illam, quæ eſt in genere moris, ut intuenti contextum ſatis conſtabit: ergo non rectè in prima aſſertione diximus diſtingui prædicta peccata, etiam in hoc genere. ¶ Ad hæc exemplum illud homicidij, quod in genere moris ſemper eſt ejuſdem ſpeciei, ſive jugulatione, ſive lapidatione fiat, vel non eſt ad rem; vel convincit commiſsionem & omiſsionem in genere moris adhuc logicè non diſtingui ſpecie: ſicut prædictum homicidium etiam logicè non differt in eo genere: ergo, &c.

Solutio. Reſpondetur D. Thomam per diſtinctionem aut convenientiam materialem intelligere eam, quæ de materiali ſe habet reſpectu moralis conſiderationis; ſive talis diſtinctio aut convenientia ſolum ſit in genere naturæ, ſive ſit etiam diſtinctio, aut convenientia logica in ipſo genere moris. E contra verò per convenientiam aut diſtinctionem formalem intelligit illam, quæ in genere moris attenditur penes motivum: ſive ea ſit ſecundum moralem conſiderationem tantùm, qualis eſt convenientia commiſsionis & omiſsionis: ſive ſit ſimul ſecundum conſiderationem logicam, ut reperitur inter duo peccata commiſsionis, aut omiſsionis: in quibus ſicut conſideratio unitatis moralis, & conſideratio unitatis logicæ in genere moris coincidunt: ſic etiam diſtinctio & convenientia logica in prædicto genere moris, & diſtinctio ac convenientia moralis eædem ſunt. ¶ Exemplum verò de homicidio tenet in hoc, quòd ſicut duo homicidia, aliud jugulatione, & aliud lapidatione perpetratum, quodammodo differunt, quia differunt in genere naturæ; & quodammodo conveniunt, quia conveniunt in genere moris: & hæc convenientia eſt formalis; illa verò diſtinctio eſt materialis: ita commiſsio & omiſsio procedentes ex eodem motivo aliquo modo differunt, quatenus una eſt affirmatio, & alia negatio; & aliquo modo ſunt ejuſdem ſpeciei, in quantum utraque reſpicit idem formale motivum: & hæc convenientia habet ſe formaliter reſpectu illius diverſitatis: quod erat aſſumptum hujus articuli: ſive talis differentia ſiſtat in genere naturæ; ſive aliquo modo pertingat etiam uſque ad genus moris: & ſive prædicta convenientia ſit convenientia intra genus moris adæquatè, excludens proinde omnem diverſitatem in hoc genere: ſive inadæquatè, & ſolùm ſecundum conſiderationem moralem, admittens ſecum diverſitatem in eodem genere ſecundum conſiderationem logicam. Hoc enim ad intentum D. Thomæ haud referebat.

Secunda obiectio. 18. Deinde contra ſecundam aſſertionem obiicies ex Curiele, Vaſquezio, & aliis (quibus placet oppoſita opinio) vulgare argumentum. Quia privatio & forma poſitiva, ubicunque ſint, debent diſtingui plus quam ſpecificè, imò adhuc analogicè non poſſunt convenire in aliquo reali prædicato: nam enti & non enti nihil poteſt eſſe commune: ergo cum malitia peccati cōmiſsionis ſit forma poſitiva; omiſsio verò ſit privatio, in nullo poterunt convenire, nec proinde eſſe ejuſdē ſpeciei.

Sed hæc objectio probat noſtram primam aſſertionem, & nullam vim habet contra ſecundam. Quia ut peccata cōmiſsionis & omiſſionis moraliter dici poſsint *unius ſpeciei*, non requiritur quòd conveniant in aliquo prædicato, quantumvis ſuperiori; ſed ſatis eſt vel quòd ſecundum prudentem æſtimationem reputentur ut unius rationis formalis modo dicto num. 13. vel quòd per modum partium quaſi integralium conſtituant moraliter unam totalem ſpeciem, ut à num. 14. explicuimus. Et ſanè ſi objectio in nos convinceret, probaret, non minus contra doctrinam adverſariorum, qui dicunt tunc commiſsionis & omiſſionis peccatum eſſe ejuſdem ſpeciei, quando unum eſt cauſa alterius: nam etiam in hoc caſu malitia unius eſt poſitiva, & alterius privativa. Et contra doctrinam Gabrielis Vaſq. qui intelligit per commiſsionem malitiam poſitivam exiſtentem in peccato commiſsionis; & per omiſsionem carentiam circunſtantiæ debitæ, vel malitiam privativam ejuſdem peccati: & has duas malitias dicit pertinere ad eandem ſpeciem. Non ergo evadunt argumentum, quod nobis obiiciunt; ſed tenentur diſtinctione noſtra uti, & admittere poſitivum & privativum poſſe eſſe moraliter unius ſpeciei.

19. Tertiò

Digitized by Google

19. Tertiò obiiciunt: quia ſi peccata commiſſionis & omiſſionis eſſent ejuſdem ſpeciei, non neceſſe eſſet utrunque ſeorſum in confeſſione explicare; ſed ſufficeret pœnitenti dicere ſe peccaſſe peccato talis ſpeciei: atqui hoc videtur manifeſtè falſum: ergo, &c. Sequela probatur: quia in confeſſione ſufficit aperire numerum & ſpecies peccatorum; nec neceſſe eſt (in ſententia valde probabili) explicare circunſtantias, quæ non mutant ſpeciem: ergo ſi commiſſio & omiſſio non variant ſpeciem,non erit neceſſe explicare illas, ut ritè fiat confeſſio. Minor verò ſuadetur: quia ſi quis tempore quo urget præceptum omitteret ejus actum, & ex eodem motivo Deum odio haberet; nequaquam confeſſioni ſatisfaceret dicendo, ſe peccaſſe ſemel aut bis contra charitatem Dei; ſed teneretur explicare, an id feciſſet per actum odij; vel per ſolam omiſſionem amoris debiti. Sicut etiam ſi quis omitteret ſacrum, & ex eodem motivo maledictis illud proſequeretur; deberet utrunque explicare: & nequaquam ſufficeret ei dicere, ſemel aut bis peccaviſſe circa ſacrum.

In hac objectione Atanjo non recuſat admittere ſequelam, ſuppoſito quòd prædicta peccata procedant ex eodem motivo, & ſuppoſita probabilitate illius ſententiæ,quæ dicit circunſtantias non variantes ſpeciem non eſſe neceſſariò in confeſſione detegendas. Illamquoque admittere videtur Monteſ. ſuppoſitis duobus prædictis. Addit verò peccatum commiſſionis odij Dei, & peccatum omiſſionis actus charitatis regulariter non procedere ex eodem motivo, & ita regulariter non eſſe ejuſdem ſpeciei. Addit ſecundò, etiam ſi prædicta peccata ex eodem motivo procedant, debere in confeſſione explicari: quia ſaltem ſunt peccata numero diſtincta, & pœnitens tenetur dicere numerum peccatorum.

Hic tamen dicendi modus nobis non placet. Quia adhuc ſuppoſita prædicta ſententia, quæ tenet circunſtantias non variantes ſpeciem non debere neceſſariò explicari, non videtur tutum reticere unquam in confeſſione differentiam peccati commiſſionis, vel omiſſionis: & ſaltem id eſſet contra communem timoratorum uſum. Et ideo melius cum aliis reſpondetur negando ſequelam. Ad probationem verò reſpondet Greg. Mart. quòd ut conditio aliqua peccati in qualibet opinione debeat in confeſſione explicari, non ſemper requiritur, quòd mutet moraliter ſpeciem; neque etiam ſufficit,quòd intra eandem aggravet notabiliter.Sed ſufficit & requiritur,quòd aut mutet ſpeciem, aut intra eandem ſpeciem mutet gradum malitiæ, juxta dicta num. 14. & 15. Nam eo ipſo talis conditio non omnino ſe habet per modum circunſtantiæ; ſed ſpectat ad ipſam ſubſtantiam ſpeciei peccati ut pars integrans talem ſubſtantiam, diverſo modo ſubſtantialiter, atque integrat alia pars: ob idque debet utraque ut ſic diverſa in confeſſione aperiri: ut in tract. de pœnit. latiùs declarabitur.

Argumentum quartum. 20. Quartò arguitur: dantur plura peccata commiſſionis & omiſſionis procedentia ex eodem motivo, quæ adhuc moraliter non ſunt ejuſdem ſpeciei: ut videre eſt in his, quæ ſequuntur. Etenim non pœnitere de peccato, & habere animum permanendi in illo habent ſe ut omiſſio & commiſſio ex eodem motivo: & tamen primum non eſt peccatum in Spiritum ſanctum; bene autem ſecundum: adeóque non ſunt ejuſdem ſpeciei. ¶ Deinde, teſtis, qui legitimè vocatus non vult jurare veritatem, ſolùm peccat contra juſtitiam legalem per omiſſionem: qui autem contra veritatem jurat, peccat peccato commiſſionis contra religionem, adeóque diverſæ ſpeciei: & tamen utriuſque poteſt eſſe idem motivum. ¶ Vlterius, Deum non colere, & offerre cultum idolo: non celebrare cum aliquis debet; & celebrare quando non debet, aut cum veſtibus & ceremoniis prohibitis: non audire ſacrum in die feſto, & proſequi illud maledictis: non exhibere honorem debitum parentibus, & contumeliis illos afficere: aliáque id genus peccata procedunt ex eiſdem motivis: & tamen non ſunt earundem ſpecierum, ut conſtabit diſcurrendo per ſingula. Nam in duobus primis commiſſio eſt in ſpecie idololatriæ; non autem omiſſio. Et in duobus ſequentibus commiſſio eſt peccatum ſuperſtitionis; cum tamen omiſſio non pertineat ad hanc ſpeciem. In tertio exemplo commiſſio eſt ſpecies blaſphemiæ; omiſſio verò nihil hujus participat. Et in ultimo omiſſio ſolùm eſt contra pietatem: at verò commiſſio eſt etiam contra juſtitiam, atque adeo diverſæ ſpeciei: ergo, &c.

Confirmatur iiſdem exemplis, quibus D. Thom. in præſenti utitur: quæ vel non videntur eſſe ad rem; vel ſuadent oppoſitum. Etenim quòd avarus rapiat, & non de ea, quæ dare decet, non ſunt ejuſdem ſpeciei: nam primum eſt peccatum injuſtitiæ, & ſecundum avaritiæ. Similiter *non jejunare*, & *ſuperflua comedere*, unum eſt mortale, & aliud veniale, quæ plus quàm ſpecie differunt: ergo hujuſmodi exemplis potius convincitur oppoſitum ejus,quod D.Thom. intendit. ¶ Adde, *non jejunare* ſecundum rem non eſſe peccatum omiſſionis; ſed commiſſionis: nam præceptum jejunij non obligat ad aliquem actum; ſed ad non pluries comedendum: & ita frangitur operandò, ſcilicet comedendo pluries; non verò aliquid omittendo.

21. Reſpondetur ad argumentum negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum eſt, duo illa peccata, ſcilicet *non pœnitere*, & *habere animum non pœnitendi*, aut non procedere ex eodem motivo, aut eſſe ejuſdem ſpeciei moraliter. Pro quo nota, hoc, quod dicimus non pœnitere, duobus tantùm modis eſſe peccatum per ſe vel quatenus dicit omiſſionem actus pœnitentiæ eo tempore, quo pœnitentiæ præceptum per ſe obligat,puta in fine vitæ: qua ratione prædictum peccatum propriè eſt peccatum omiſſionis: vel quatenus dicit permanentiam in aliquo peccato actuali, aut ejus non interciſionem longo tempore: tranſacto enim peccato, non pœnitere de illo, niſi præceptum pœnitentiæ urgeat, peccatum non erit. Primo modo concedimus, prædictum peccatum habere idem motivum cum peccato in Spiritum ſanctum, quod conſiſtit in propoſito nunquam pœnitendi. Sed negamus non eſſe moraliter ejuſdem ſpeciei,aut non eſſe etiam ſuo modo peccatum in Spiritum ſanctum. Secundo verò *Solutio argumenti.*

modo

modo admittimus, tale peccatum eſſe diverſæ ſpeciei, & non eſſe peccatum in Spiritum-ſanctum; negamus tamen habere idem motivum: nam prout ſic non eſt diſtinctum peccatum ab eo, in quo peccator perſeverat; ſed eſt ejus circunſtantia, aut ipſummet ut continuatum. Vnde neque habet motivum à motivo ejus diſtinctum; neque ad aliam ſpeciem pertinet: de quo videndus eſt Ang. Doctor in 2. diſt. 43. quæſt. 1. art. 3. ad 3. & ad Anibal. eadem diſt. quæſt. unica art. 2.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, peccatum teſtis nolentis jurare, quando ex juſtitia legali ad id tenetur, & peccatum jurantis contra veritatem non habere idem motivum proximum: nam motivum primi peccati eſt malum juſtitiæ legali contrarium, ſcilicet damnum illatum bono communi; motivum verò ſecundi eſt falſitas ut invocatione Dei teſtificata; vel eſt ipſa Dei invocatio in teſtimonium & confirmationem falſitatis: quod pertinet ad divini nominis irreverentiam; ac proinde eſt malum oppoſitum virtuti religionis. De quo videndus eſt D. Thom. 2. 2. quæſt. 98. art. 1. & 2. Vnde quoad ſpeciem primariam deſumptam ex hoc motivo prædicta peccata adhuc moraliter non ſunt ejuſdem ſpeciei. Quòd ſi ex parte intentionis operantis habuerint idem motivum extrinſecum, puta ſi utrunque ordinetur ad inferendum proximo nocumentum erunt ex hac parte ejuſdem ſpeciei ſecundariæ tantùm & accidentalis, juxta dicta num. 8.

22. Per quod patet ad tertiam probationem: quia peccatum offerendi cultum idolo, habet pro motivo intrinſeco ipſum cultum creaturæ oblatum: peccatum verò celebrandi tẽpore aut modo indebito habet inordinatum cultum veri Dei: & ideo hoc pertinet ad primam ſpeciem ſuperſtitionis, quæ eſt illegitimus cultus; & illud ad idololatriam, quæ eſt ſecunda ſpecies ejuſdem vitij: de quo D. Th. 2. 2. quæſt 93. & ſequentibus. Qui verò præcisè Deum non colit, vel omittit debitum ſacrificium, habet pro intrinſeco motivo inhonorationem ipſius Dei, quod eſt malum divino cultui immediatè contrarium. Vnde tales omiſſiones potius conveniunt in ſpecie cum peccato commiſſionis, quo quis poſitivè Deum inhonorat, aut vult eum non eſſe honore & cultu dignum, quàm cum peccatis idololatriæ vel ſuperſtitionis.

Ad tertium exemplum dicendum videtur, motivum intrinſecum omiſſionis ſacri in die feſto eſſe inhonorationem hujus diei: quod etiam eſt motivum laborandi in tali die: ſicut è contra motivum ad non laborandum, & ad ſacrum audiendum eſt honoratio & veneratio ipſius diei feſtivi: atque ita prædictum motivum diſtinguitur à motivo illius, qui diem feſtum vel ſacrum proſequitur maledictis. ¶ Alia verò duo peccata non exhibendi debitum honorem parentibus, & contumeliis eos afficiendi ejuſdem ſpeciei ſunt, moraliter loquendo, ſcilicet impietatis: ut indicat D. Thom. 2. 2. quæſt. 79. art. 4. neque aliquod illorum habet rationem injuſtitiæ proprie dictæ; niſi fortè ut ſpeciem ſecundariam & accidentalem.

23. Ad confirmationem negandum eſt antecedens quoad utranque partem. Et ad primam probationem reſpondetur, duo illa peccata avari, ſcilicet *rapere quæ non debet* & *non dare quæ debet*, ejuſdem ſpeciei eſſe moraliter, aut injuſtitiæ, aut avaritiæ, vel quo ad malitiam primariam; vel ſaltem quoad ſecundariam juxta identitatem motivi, à quo procedunt. *Solutio confirmationis.* Pro quo nota, hoc, quod dicimus *rapere*, quamvis videatur ſonare actum injuſtitiæ, quo res aliena accipitur invito Domino, etiam poſſe ſumi pro eo, quod eſt avidè congregare plus quam oportet; non tamen inferendo proximo injuſtitiam: qua ratione tantùm eſt peccatum avaritiæ. Et ſimiliter *non dare quæ dari debent* poteſt ſumi aut pro omiſſione actus juſtitiæ, quo alteri non redditur quod ſuum eſt, qua ratione eſt peccatum injuſtitiæ: aut pro nimia tantùm retentione eorum, quæ ſecundum leges liberalitatis dari oportebat: & ſic pertinet ad avaritiam. Secundò nota, quòd ſi in exemplo D. Thomæ ly *rapere* & ly *non dare* ſumantur primo modo, prout unum dicit actum, & aliud omiſſionem contra juſtitiam, habent duas malitias: unam injuſtitiæ deſumptam ex motivo intrinſeco, quod eſt nocumentum proximo illatum: & aliam avaritiæ deſumptam ex fine operantis, qui eſt nimis congregare divitias: unde prædicta peccata quoad ſpeciem eſſentialem & primariam erunt in eadem ſpecie juſtitiæ; quoad ſecundariam verò in eadem ſpecie avaritiæ juxta dicta num. Si autem in prædicto exemplo *rapere & non dare* poſteriori modo accipiantur, proximum motivum utriuſque eſt nimia congregatio divitiarum: & ita pertinent ad ſolam avaritiam. Quòd ſi *rapere* primo modo; & *non dare* poſteriori ſumatur, etiam erunt ejuſdem ſpeciei, ſcilicet avaritiæ: illud ſecundario: & hoc primario: quia congregare divitias, quod eſt finis avari in utroque peccato, reſpectu actus rapiendi vel furandi eſt finis extrinſecus; reſpectu verò omiſſionis eſt intrinſecus.

24. Ad ſecundam probationem pro nunc dicas primò ſaltem actum comedendi ſuperflua in die jejunij poſſe eſſe peccatum mortale, ſicut jejunium omittere: unde ex hac parte nihil obeſt, quominus poſſint eſſe ejuſdem ſpeciei. ¶ Vel dicas ſecundò, aliqua jejunia non obligare ſub mortali; ſed tantùm ſub veniali: ut ſunt jejunia noſtræ regulæ: & horum omiſſio erit ejuſdem ſpeciei in ratione peccati cum actu comedendi ſuperflua diebus non jejunij. Quod ſufficit ad intentum D. Thomæ, quicquid ſit de illa quæſtione, utrum peccatum veniale & mortale poſſint eſſe unius ſpeciei? de quo agemus infra diſp. 19. ¶ Ad illud, quod additur, reſpondetur, quòd duplex eſt jejunium: aliud naturæ, quod dicitur *jejunium jejuni*: & aliud virtutis, quod vocatur *jejunium jejunantis*. Primum conſiſtit in ſola negatione comedendi: & ideo frangitur per poſitivum actum comeſtionis. Secundum verò eſt actus poſitivus elicitus à virtute abſtinentiæ, quo ex voluntatis propoſito abſtinet quis à cibis prohibitis: & hoc jejunium tollitur per omiſſionem prædicti actus. Quia igitur motivum ad omittendum hoc jejunium eſt ipſum motivum actus gulæ, quod eſt peccatum commiſſionis: idcirco talis omiſſio & commiſſio moraliter ſunt ejuſdem ſpeciei in ratione peccati. Deſumiturque hæc ſolutio ex D. Thoma

D.Thom. D. Thoma 2.2. quæſt. 147. art, 1. ad 3. ubi ſic ait : *Dicendum quod jejunium naturæ , quo quis dicitur jejunus , antequam comedat , conſiſtit in pura negatione. Vnde non poteſt poni actus virtutis ; ſed ſolum illud jejunium, quo quis ex rationabili propoſito à cibis aliqualiter abſtinet. Vnde primum dicitur jejunium jejuni , ſecundum verò jejunium jejunantis , quaſi ex propoſito aliquid agentis.* Videatur etiam in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 2.

Obiectio. Sed dices : jejunium, quod cadit ſub præcepto, non eſt jejunium jejunantis, quod conſiſtit in prædicto actu, ſed ſolum jejunium jejuni quod conſiſtit in negatione multiplicis comeſtionis : ergo non jejunare , ſecundum quod eſt peccatum, non eſt omiſſio ; ſed actus poſitivus pluries comedendi. Antecedens patet: quia præceptum jejunandi tantùm obligat ad non comedendum bis eadem die : & ita adimpletur ſufficienter à quocunque ſemel tantùm comedente, ſive habeat, ſive non habeat prædictum actum volendi abſtinere. ¶ Adde, Eccleſiam ſolùm præcipere ſubſtantiam jejunij , ſcilicet non pluries comedere : quòd verò hoc fiat ex electione , quæ ſit actus virtutis abſtinentiæ , non præcipitur : nam modus virtutis non cadit ſub præcepto : ergo nulla datur in fractione jejunij omiſſio peccaminoſa , quæ poſſit eſſe ejuſdem ſpeciei cum actu gulæ.

Diluitur. 25. In ſolutione hujus objectionis laborat Monteſ. loco nuper cit. nititúrque defendere , præceptum jejunij eſſe præceptum affirmativum , & violari per omiſſionem. Sed (quicquid ſit de hoc , & admiſſo , quòd prædictum præceptum ſecundum rem tantùm ſit negativum) reſpondetur præceptum negativum poſſe obligare ad aliquem actum poſitivum , quando talis actus ad evitandum actum prohibitum neceſſarius eſt : unde in tali caſu poteſt prædictum præceptum violari per omiſſionem. Hac ergo ratione actus , quo quis vult à multiplici comeſtione abſtinere, poteſt, & ſæpe cadit ſub præcepto jejunandi : quia ſæpe non poſſet jejunans abſtinere à multiplici comeſtione , vel ſaltem à comeſtione extra tempus præſcriptum , niſi adhibeat prædictum actum. Nam cum appetitus comedendi aliquos vehementer in id inclinet , non eſſe eis moraliter poſſibile cohibere tota die talem appetitum abſque actu poſitivo volendi jejunare. Quoties ergo talis actus neceſſarius fuerit ad vitandam fractionem jejunij , cadit ſecundario ſub ejus præcepto : & omiſſio illius eſt peccatum ejuſdem ſpeciei cum commiſſione, qua jejunium frangitur, quia procedit ex eodem motivo : & hoc ſufficit ad intentum D. Thomæ. ¶ Ad id , quod additur , reſpondetur , ſolùm convincere actum abſtinentiæ nunquam cadere ſub præcepto jejunij quantum ad modum virtutis; non autem quòd ſæpe non cadat quantum ad ſubſtantiam volendi abſtinere à duplici comeſtione : & hoc ſatis eſt , ut omiſſio talis actus poſſit eſſe peccaminoſa.

Replica. Neque obeſt ſi urgeas , omiſſionem iſtam revera eſſe peccatum commiſſionis contra præceptum negativum , ut diſp. 5. dub. 4. probavimus : ergo cum D.Thom. loquatur de peccato omiſſionis, quod opponitur præcepto affirmativo, & à peccato commiſſionis diſtinguitur ; ſed non debet prædicto modo exponi; vel ejus exemplum non eſt ad rem. ¶ Reſpondetur enim, quòd licèt prædicta omiſſio , abſolutè loquendo , ad peccatum commiſſionis pertineat, revera tamen eſt omiſſio, & non commiſſio , ut cit. dubio explicuimus : hoc autem ſufficit , ut D. Thom. prædicto exemplo aptè uſus fuerit. Nam ſi commiſſio & omiſſio procedentes ex eodem motivo , eo ipſo moraliter ſunt ejuſdem ſpeciei ; non eſt cur id negetur peccatis commiſſionis & omiſſionis. ¶ Adde quòd exemplorum ſufficit aliqualis ſimilitudo. Enodatur.

DVBIVM II.

Vtrum ex diverſitate præceptorum peccata ſpecie diſtinguantur ?

NOn loquimur de diverſitate præceptorum præcisè numerica & materiali : ut cum eadem res ſecundum eandem rationem, ac ſub eodem motivo ab eodem legiſlatore iterum & iterum præcipitur vel prohibetur : hæc enim non tam eſt diſtinctio diverſorum præceptorum , quàm ejuſdem præcepti multiplicatio & repetitio : & ideo apud omnes ferè perſpicuum eſt non diſtinguere ſpecificè peccata , neque illa adhuc numericè multiplicare , ut dici ſolet de multiplicatione voti ſuper eadem materia. Alia eſt diſtinctio præceptorum magis formalis , & aliquo modo ſpecifica , quæ abſolute conſtituit diverſa præcepta : & de hac procedit dubium. Poteſt autem talis diverſitas attendi vel ex parte ipſorum præceptorum : ut ſi unum ſit affirmativum , & aliud negativum , per ordinem ad quæ ſumitur diſtinctio peccati commiſſionis & omiſſionis , de quibus diximus dub. præced. Vel ex parte principij, aut præcipientis : qua ratione differunt præcepta juris divini & humani, naturalis & poſitivi , eccleſiaſtici & civilis, &c. Vel ex parte rei præceptæ : ſicut diſtinguuntur præcepta quæ dantur de actibus diverſarum virtutum, aut de actibus ejuſdem virtutis ſpecie diverſis. Inquirimus ergo de hac duplici diverſitate , an præcepta , quæ ita differunt , diſtinguant ſpecificè peccata.

§. I.

Abſolvitur dubium duabus aſſertionibus.

26. Dicendum eſt primò , diſtinctionem præceptorum ſolùm ex parte principij aut præcipientis non diverſificare peccata, neque multiplicare malitias. Ita Ang. Doctor in hoc art. in ſolut. ad 3. ubi concludit : *Vnde ſecundum diverſa præcepta legis , non diverſificantur peccata ſecundum ſpeciem.* Vbi quia univerſaliter & abſolute loquitur, dicunt communiter Thomiſtæ reprobaſſe ſententiam, quam inſinuaverat quæſt. 2. de mal. art. 6. dicens : *Quod ſi aliqua eſſent peccata ſolum quia prohibita , in his rationabile eſſet , ut ſecundum differentiam præceptorum ſpecie peccata differrēt.* Niſi dicamus loqui de diſtinctione præceptorum non ſolùm ex parte principij ; ſed etiam ex parte rei præceptæ , ut nonnulli exponunt iuxta ea , quæ ſequenti aſſertione dicemus. Prima aſſertio. D.Thom.

Caiet. Medin. Alvar. Curiel. Zumel. Cornejo. Vaſq. Monteſ. Mart. Ang. Doctorem ſequuntur communiter ejus expoſitores, Caiet. Medin. Alvar. Curiel, Zumel, N. Cornejo, Vaſq. Monteſ. Mart. & alij in præſenti.

Ratio. Probatur ratione, qua D. Thom. utitur: quia diſtinctio ſpecifica peccatorum non ſumitur ex averſione, quæ in illis invenitur; ſed ex converſione ad objectum: ſed peccata non reſpiciunt, neque attingunt præcepta ex parte converſionis, ſed ex parte averſionis: ergo ex ſola præceptorum diverſitate prædicta diſtinctio non poteſt deſumi. Conſequentia liquet: & major ex illis, quæ tota diſp. 6. maximè verò dub. 3. & 4. & 6. diximus, ſatis conſtat. Nam peccata ſpecificantur & conſtituuntur per converſionem ad objectum, & non per privationem vel averſionem: per id autem diſtinguuntur ſpecie per quod conſtituuntur & ſpecificantur. Minor verò ſuadetur: quia ille, qui peccat, non convertitur ad legem vel præceptum; ſed ad objectum contrarium legi, & prohibitum per illam: à lege verò & ab ejus præcepto ſeparatur & avertitur: ſicut qui convertitur ad unum contrarium, avertitur & recedit ab alio: ergo reſpectus peccati ad legem vel præceptum ſolum eſt per modum averſionis.

Confirm. Confirmatur: quia motus non ſpecificantur, neque diſtinguuntur ex terminis *à quo*; ſed ex terminis *ad quem*: & ideo etiam ſi termini *à quo* ſpecie differant; ſi tamen termini *ad quem* ejuſdem rationis ſunt, motus ſunt ejuſdem ſpeciei: ut ex Philoſopho & D.Thoma probant N. Complut. lib. 5. Phyſic. diſp. 13. quæſt. 1. ſed lex & præceptum reſpectu peccati habent ſe ut terminus *à quo* peccator recedit: ergo per ordinem ad illa nequeunt peccata diſtingui.

Obiectio. 27. Sed dices: terminus, ad quem peccator convertitur, non eſt quodcunque objectum; ſed prohibitum, adeóque ipſa prohibitio ſeu præceptum tenet ſe ex parte prædicti termini: ergo nihil obeſt quominus inde peccatum ſumat diſtinctionem. ¶ *Diluitur.* Reſpondetur, hoc quod eſt *eſſe prohibitum*, non dicere in objecto aliquid tenens ſe ex parte ipſius objecti, ad quod ſicut ad terminum *ad quem* peccator accedat; ſed potius dicit extremum, cui prædictum objectum opponitur: revera enim peccator non convertitur ad prohibitionem, neque vult hoc quod eſt objectum eſſe prohibitum; ſed convertitur ad ipſum objectum poſitum ſub prohibitione, vel (ut melius dicam) prohibitioni oppoſitum & repugnans. Unde ſicut in motu calefactionis illud, cui opponitur terminus *ad quem*, non ſe tenet ex parte ipſius termini *ad quem*; ſed ex parte termini *à quo*: ita reſpectu peccati prohibitio, cui objectum opponitur, & à quo extrinſecè denominatur *prohibitum*, non ſe tenet ex parte ipſius objecti, ſed ex parte termini à quo recedunt tam objectum quàm peccatum.

Secundò probatur aſſertio: nam eo ipſo quòd præcepta ſolùm ex parte principij diſtinguuntur prohibent peccatum ſub una & eadem ratione: aliàs ſi illud ſub diverſa ratione prohiberent, diſtinguerentur ex parte rei præceptæ, & non tantum ex parte principij, ergo etiam peccatum prohibitum reſpicit ipſa præcepta, & opponitur illis ſub eadem ratione: ſub eadem enim ratione res aliqua à præcepto reſpicitur, ſub qua ab illo prohibetur: ergo ex hac oppoſitione nequeunt peccata diſtingui ſpecie.

Confirmatur: furtum prohibetur de facto lege divina, naturali, & humana: & tamen non eſt niſi unicum peccatum: ergo prædictarum legum diſtinctio non ſufficit peccata diſtinguere. ¶ Adde, in lege Decalogi diſtinctis præceptis prohiberi exteriùs furtum, & adulterium, ac prohibetur interius deſiderium furandi & mœchandi: & tamen non idcirco differunt ſpecie deſiderium furandi & furtum; neque adulterium & deſiderium adulterandi: ergo: &c.

Secunda aſſertio. 28. Dicendum eſt ſecundò diſtinctionem præceptorum ex parte rei prohibitæ vel ex parte motivi prohibendi inferre diſtinctionem ſpecificam inter peccata: quamvis hæc diſtinctio non ſumatur per ſe primo ex præceptis; ſed ex objectis & motivis. Hæc aſſertio non eſt minus communis quàm præcedens. Et quidem ſecunda pars habetur ex dictis: quia præcepta ſecundum ſe reſpiciuntur à peccante ſolùm ex parte averſionis & termini *à quo*: ergo undecunque differant, nequeunt ſecundum ſe & à priori ſpecificare & diſtinguere peccata. *Ratio.* Prima verò pars ejuſdem aſſertionis facile probatur: nam quoties præcepta differunt ex parte motivi, peccata illis oppoſita habent diſtinctum objectum vel motivum: ergo cum ab objectis & motivis peccata ſpecificentur, conſequens eſt, ut præcepta ita diſtincta inferant in illis ſpecificam diſtinctionem.

Confirm. Confirmatur animadvertendo, hoc eſſe de ratione legis, ut eo ipſo quòd præcipiat aliquem actum ex motivo alicujus virtutis, faciat talem actum materiam neceſſariam ipſius virtutis: & conſequenter facit ut ejus omiſſio ſit peccatum contra talem virtutem: ut quia lex eccleſiaſtica v.g. ex motivo religionis præcipit clericis portare tonſuram, eo ipſo talis actus efficitur materia neceſſaria virtutis religionis, & ejus omiſſio peccatum contra illam, non primariò ratione præcepti; ſed ratione motivi, ex quo actus præcipitur, & omiſſio prohibetur. Hinc confirmatur ratio facta: nam quodlibet peccatum habet ſpeciem juxta proprium motivum, ex quo prohibetur: & ideo eo ipſo quòd prohibeatur ſub diverſo motivo, habet diverſam ſpeciem: ſed præcepta, quæ diſtinguuntur ex parte rei præceptæ, ſeu rationis præcipiendi aut prohibendi, prohibent peccata ſub diverſo motivo: ergo inferunt in illis ſpecificam diſtinctionem.

Confirmatio alia. 29. Confirmatur ſecundò & explicatur exemplis. Etenim violenta clerici percuſſio, quæ jure naturali prohibetur ex motivo juſtitiæ, eo quòd eſt malum illatum contra perſonam proximi, eo ipſo quòd jure poſitivo prohibeatur ex motivo religionis, & in honorem perſonæ Deo mancipatæ, efficitur peccatum ſacrilegij religioni contrarium. Et idem eſt de effuſione ſanguinis, aut ſeminis in loco ſacro: quæ licèt ſecundum ſe & ex vi juris naturalis primum ſit in ſpecie injuſtitiæ, & ſecundum in ſpecie luxuriæ; ubi tamen ab eccleſia ex motivo religionis & in honorem talis loci prohibentur, jam ſunt peccata religioni oppoſita, & habent ſpeciem ſacrilegij.

Similiter

Similiter jejunium quadrageſimale, quod ab eccleſia imponitur ex motivo abſtinentiæ, & ideo ejus omiſſio ex vi hujus præcepti eſt peccatum gulæ: ſi injungatur à confeſſario in ſatisfactionem peccatorum, ratione hujus motivi ſpectat ad virtutem pœnitentiæ, & ejus omiſſio eſt peccatum contra hanc virtutem. Quòd ſi ille, qui jejunat, intuitu religionis ſuperaddat votum, ex vi hujus motivi pertinebit etiam ad virtutem religionis, & erit ejus violatio peccatum irreligioſitatis. Hac quoque ratione quoties Prælatus ſub præcepto imponit opus alias debitum, vel prohibet actum aliàs prohibitum; adeſt in tranſgreſſione hujus præcepti duplex ſpecies malitiæ: alia contra illam virtutem, ad quam ex vi legis tale opus pertinebat: & alia contra religionem ratione voti obedientiæ præſtiti à ſubdito, quod obligat ex motivo religionis. Poſſemúſque eodem proportionali modo philoſophari in aliis legibus, & præceptis: ergo univerſaliter verum eſt, quòd ubi actus præcipiuntur aut prohibentur ſub diverſo motivo, ac proinde præcepta ex parte objecti & motivi differunt, peccata illis oppoſita diſtinguuntur ſpecie: quamvis hæc diſtinctio non per ſe primo ortum ducat ex diverſitate præceptorum, ſed ex diverſitate motivi, ut dictum eſt.

Duo tamen hic obſervanda ſunt. Primum eſt hanc doctrinam intelligendam eſſe de diverſitate præceptorum ex parte motivi proximi & intrinſeci, quod dicitur *motivum præcepti & operis*: non vero de diverſitate ſolius motivi extrinſeci operantis & præcipientis. Nam cum hæc motiva extrinſeca non cadant ſub præcepto, nec præcepta ex vi ſua illa reſpiciant; ex eorum diverſitate non deducitur diverſitas ſpecifica peccatorum: niſi peccans intenderet operari contra talia motiva. Secundum eſt, quòd adhuc ex diverſis præceptis ratione motivi intrinſeci non diverſificantur peccata, niſi illis immediatè opponantur. Vnde ex eo quòd aliquis actus ſit contra diverſa præcepta mediatè, aut immediatè contra unum, & mediatè contra aliud, non ſequitur dari in tali actu diverſas ſpecies malitiæ; etiam ſi hujuſmodi præcepta habeant diverſa motiva intrinſeca, & pertineant ad diverſas virtutes: ut ſi unum eſſet naturale, & aliud ſupernaturale, ut in ſequentibus magis declarabitur.

§. II.

Oppoſita ſententia, & rationes pro illa.

Navar.

30. ADverſus primam aſſertionem eſt quædam oppoſita ſententia, quam ſequuntur Navar. in ſum. latina cap. 6. num. 3. & cap. 11. num. 4. & auctor inſtructorij conſcientiæ part. 1. cap. 29. aſſerentes peccata vel malitias multiplicari ad multiplicationem præceptorum: atque ita tot eſſe in quolibet peccato malitias in confeſſione detegendas, quot fuerint præcepta, quibus tale peccatum prohibetur. Eandémque ſententiam ex parte tenuiſſe videtur Durandus in 4. diſt. 25. quæſt. 5. In cujus favorem poteſt nobis objici primò: quia de ratione peccati eſt opponi legi: & ideo omne peccatum eſt tale, quia eſt contra aliquam legem, ut diſp. 7. dub. 1. oſtendimus: ergo juxtà diverſitatem legum; puta divinæ, naturalis, humanæ, &c. erit diverſitas peccatorum. Patet conſequentia: tum ex communi axiomate, quòd *unum uni tantum eſt contrarium*: ergo ſi peccatum eſt contrarium legi, diverſis legibus diverſa peccata debent contrariari. Tùm etiam quia peccatum, quod opponitur diverſis legibus, habet diverſas rationes, ſecundum quas unicuique ex illis adverſatur: ergo cum in hac ratione oppoſitionis ad legem malitia conſiſtat, conſequens eſt ut dentur in tali peccato plures malitiæ. Tùm denique quia ubi peccatum opponitur diverſis legibus, violantur diverſæ obligationes (unaquæque enim lex ſuam obligationem imponit, & omnes per prædictum peccatum violantur) ergo dantur in illo plures malitiæ: malitia enim nihil aliud eſt niſi violatio legis.

Durand.

Prima objectio.

Confirmatio.

Confirmatur: quoniam ſola diſtinctio præceptorum ex parte principij ſufficit ad diſtinguendas ſpecies inobedientiæ: ita ut alterius ſpeciei ſit inobedientia contra legem divinam ab inobedientia contra legem humanam: ſicut alia ſecundum ſpeciem eſt obedientia, qua obedimus Deo ab ea, qua obedientes ſumus hominibus: ergo etiam ſufficit prædicta diſtinctio ad diverſificanda alia peccata.

Diluitur objectio.

31. Reſpondetur ad objectionem negando conſequentiam, quando tales leges non habent diverſa motiva intrinſeca, ut conſtat ex dictis num. 26. & 27. Ad primam verò probationem dicendum eſt diverſa illa præcepta, quoties habent idem motivum; non habere niſi unam rationem formalem oppoſitionis ad peccatum: ſicut non prohibent illud niſi ſub una tantùm ratione. Vnde etſi peccatum diverſis legibus prohibitum, omnibus illis ſecundum eandem malitiæ rationem opponatur; adhuc verificatur, quòd unum tantùm contrariatur uni: quia non opponitur ipſis formaliter, ut diverſæ ſunt; ſed ut omnes conveniunt in uno motivo & ratione prohibendi. Per quod patet ad ſecundam probationem: quia tam ex parte legum quam ex parte peccati prohibiti eſt tantùm una ratio oppoſitionis, quando ſolum eſt unum motivum, & ratio prohibendi. ¶ Ad tertiam dicas plures leges, quando ſolùm differunt ex parte principij, non inducere plures nec diverſas obligationes; ſed unam & eandem: quam prima lex de novo imponit, & aliæ confirmant. Poſſet autem quælibet ex illis legibus prædictam obligationem de novo imponere; niſi alia præceſſiſſet. Quòd ſi omnes ſimul proferantur, habebunt ſe ut cauſæ partiales prædictæ obligationis. Nec propterea ceſſabit talis obligatio, ceſſante aliqua ex prædictis legibus, dummodò alia remaneat: quia quælibet, quantum eſt ex ſe, eſt cauſa ſufficiens: & eo ipſo quòd ſola remaneat, fit totalis. Per quod replica, quæ hîc fieri poterat, manet obiter ſoluta.

Solvitur confirmatio.

Ad confirmationem poſſet negari antecedens: ut ſatis apertè inſinuat D. Thom. 2. 2. quæſt. 104. art. 2. ad 4. Caiet. ibidem: & nos etiam tetigimus tom. præced. in arbore virtutum num. 80. Sed illo admiſſo, quia ad præſens non refert, reſpondetur negando conſequentiam. Ratio verò diſparitatis eſt: quia hoc eſt ſpeciale in inobedientia propriè dicta,

ut præceptum ſuperioris ſecundum ſe ſumptum, adeóque præſcindendo à motivo præcipiendi vel prohibendi, reſpiciat ut violandum non ſolum per modum termini *a quo*, ſicut alia vitia; ſed magis per modum termini *ad quem*, & per modum objecti, circa quod verſatur. Sicut enim propria materia & proprium objectum obedientiæ eſt obſervatio & amplexatio præcepti ſuperioris, & ex hoc præcepto ſecundum ſe ſumpto ſpecificatur & diſtinguitur: ſic proprium objectum & materia inobedientiæ eſt violatio talis præcepti, vel præceptum ipſum ut violandum: unde cum peccata ſpecificentur & diſtinguantur ex terminis *ad quem*, non mirum, quòd inobedientia propriè dicta ex diverſitate præceptorum ſeu præcipientium diſtinguatur. Cæterùm cum alia peccata ſolùm reſpiciant violationem præcepti ex parte averſionis, & per modum termini *a quo*, ut dictum eſt, nequeunt per præcepta ſecundum ſe ſumpta diſtingui, niſi adſit diverſitas motivi, quod tranſit in rationem objecti & termini *ad quem* ſpecificativi peccati.

Secunda objectio. 32. Obiicies ſecundò contra eandem aſſertionem: dantur plures caſus, in quibus peccata vel malitiæ diſtinguuntur ſpecie ex ſola præceptorum diverſitate: ergo hæc ſufficit. Antecedens ſuadetur primò: nam religioſus Franciſcanus, qui non jejunat feria ſexta occurrente in quadrageſima, ubi ex præcepto eccleſiæ jejunare tenetur, committit duplex peccatum, ut communior opinio fert: & hoc non niſi quia ad tale jejunium duplici præcepto, altero eccleſiæ, & altero ſuæ regulæ, adſtringitur. Atque idem eveniret, ſi prælatus alterius cujuſcunque ordinis ad præceptum Eccleſiaſticum, ex quo omnes jejunare tenentur, proprium præceptum ſuperadderet: tunc enim propter duo iſta præcepta eſſet duplex peccatum in fractione illius jejunij. ¶ Deinde, qui frangeret votum juramento firmatum de eroganda eleemoſyna, committeret duo peccata propter duplex vinculum, ex quo prædictam eleemoſynam erogare tenetur: ergo idem eſſet, ſi ad id teneretur duobus præceptis. Vlteriùs, ſatis probabile eſt committere duo peccata illum, qui in feſto alicujus ſancti occurrente in die dominica omitteret ſacrum: quia tenetur illud audire duobus præceptis, & ratione diei, & ratione feſti. Atque hoc tenore adducere poſſemus plures alios caſus, in quibus ſola præceptorum diſtinctio videtur diſtinguere peccata: ergo, &c.

Confirmatio. Confirmatur argumento Durandi in 4. ubi ſupra: quia quoties præcepto naturali non furandi v. g. ſuperadditur præceptum poſitivum; qui violat duo iſta præcepta; ſimul cum peccato furti contra primum, committit peccatum inobedientiæ contra ſecundùm: ergo propter duplex præceptum datur duplex ſpecies malitiæ. Antecedens probat Durandus: nam ſi præceptum poſitivum prohiberet opus aliàs bonum vel non prohibitum, in ejus violatione eſſet malitia inobedientiæ: imò nulla alia malitia præter hanc ibi eſſet: quia prædictum opus nulla alia ratione eſſet tunc peccatum, niſi quia opponitur præcepto; quod propriè pertinet ad inobedientiam: ergo cum hæc malitia inobedientiæ non tollatur ex eo quòd opus, quod jure poſitivo prohibetur, aliàs ſit malum, & jure etiam naturali prohibitum; conſequens eſt, ut ſi aliquod peccatum his duobus præceptis prohibeatur, detur in illo duplex ſpecies malitiæ.

33. Reſpondetur ad hanc objectionem negando antecedens. Neque urget prima probatio: tùm quia ſatis veroſimile videtur fratres Franciſcanos præcepto ſuæ regulæ ſolùm teneri ad jejunandum illis ſextis feriis, quæ ex Eccleſiæ præcepto non jejunantur: nam ubi extat Eccleſiæ præceptum, non fuit opus præcepto regulæ: id quod ex ipſa beati Franciſci regula nõ obſcure colligitur. Tùm etiam, quia eſto quòd teneantur aliis ſextis feriis ex utroque præcepto, valde probabile eſt ſolùm committere non jejunando unicum peccatum: eo quòd utrunque præceptum obligat ex eodem motivo, quòd eſt motivum abſtinentiæ: & ideo utrunque reponit jejunium, quod præcipit, in ſpecie hujus virtutis; & oppoſitum peccatum in ſpecie gulæ. Quod docet inter alios Caietanus 2. 2. quæſt. 186. art. 9. §. *ad hoc dicitur.* Tùm denique, quia admiſſo prædictos patres duplex peccatum contra duplex illud præceptum committere, ut plures alij ſatis probabiliter judicant; conſequenter dicendum eſt prædicta præcepta habere diverſa motiva: ex quibus potius quam ex præceptis peccata illa diverſificantur. ¶ Et ſi petas, quæ ſint iſta diverſa motiva reſpectu illius duplicis peccati? Reſpondetur motivum præcepti Eccleſiaſtici eſſe motivum abſtinentiæ; motivum verò præcepti contenti in regula eſſe motivum religionis: quia hoc præceptum non obligat niſi ratione voti obedientiæ, aut obſervandi regulam in profeſſione emiſſi. Vnde ſicut votum eſt actus religionis, & ſervare illud ſpectat per ſe & intrinſecè ad hanc virtutem: ita præceptum, quod virtute ipſius voti à regula vel à prælatis imponitur, obligat per ſe primò ex motivo ejuſdem virtutis; & violatio prædicti præcepti eſt violatio voti, adeóque peccatum irreligioſitatis: quòd ſi religioſi non emiſiſſent tale votum; ſed regula more alterius legis, adeóque ex motivo ſolius abſtinentiæ ad jejunium obligaret; nequaquam in fractione prædicti jejunij eſſet duplex malitia. Eſtque hoc diſcrimen valde obſervandum inter obligationem, quæ eſt ex voto vel juramento, & illam, quæ præciſe eſſet ex lege: hæc enim non ſuperaddit novum motivum; ſed confunditur cum motivo virtutis, in cujus materia actus exercetur: ſecus autem juramentum & votum. Et per hoc patet ad illud, cum prælatus ſuperaddit proprium præceptum ad præceptum naturale vel Eccleſiaſticum, ut explicuimus num. 29.

Ad ſecundam probationem reſpondetur cum Enriquez lib. 5. de pœnitentia cap. 5. num. 6. votum & juramentum obligare ex diverſo motivo: nam obſervatio voti præcipitur, ut fides debita Deo ſervetur; juramenti autem, ne Deus in falſum teſtem adhibeatur. Neque obeſt, quòd utrunque hoc motivum ſpectat ad objectum ejuſdem virtutis, ſcilicet religionis: nam ſicut intra hanc virtutem dantur plures actus ſpecie diverſi, ut votum, juramentum, ſacrificium, &c. ſic intra ejus obiectum poſſunt diſtingui diverſa motiva, per

Digitized by Google

per ordinem ad quæ prædicti actus & peccata illis oppoſita diſtinguantur. ¶ Ad tertiam admiſſa probabilitate illius opinionis (quam ſequitur Ægidius Coninchus de pœnit. diſp. 7. dub. 6. num. 46. & quidam alij) dicendum eſt duo illa præcepta audiendi Sacrum die Dominica, in qua incidit feſtum alicujus Sancti, habere diſtincta motiva: quia unum præcipit audire Sacrum in venerationem Reſurrectionis Dominicæ, adeóque ex motivo latriæ & virtutis religionis; & aliud in honorem Sancti tali die concurrentis: quod pertinere videtur ad duliam vel hyperduliam.

34. Vel ſecundo & melius reſpondetur negando antecedens: quia probabilius multò eſt utroque præcepto præcipi tunc auditionem Sacri ex eodem motivo religionis: & ita non eſſe ibi niſi unicum peccatum. Sicut cum duobus præceptis præcipitur jejunium in vigilia S. Mathiæ, eo quòd occurrit in Quadrageſima, non eſt in violatione utriuſque præcepti niſi unicum peccatum contra virtutem abſtinentiæ: quia utrunque obligat intrinſecè ex ejus motivo. Et ratio videtur perſpicua: nam cultus cujuſcunque diei feſti non eſt per ſe primò inſtitutus in honorem Sanctorum præcisè ſecundum ſe (quod pertineret ad duliam vel hyperduliam) ſed in honorem Dei, quæque ex virtute latriæ in Sanctis ſuis venerari jubemur. Vnde ſicut jurare per Sanctos, ut ſunt aliquid Dei, pertinet ad religionem; & non ad duliam, & falſum jurare per illos eſt peccatum oppoſitum religioni, & non duliæ: ita etiam Sanctos colere, aut illis dies feſtos conſecrare, atque in hujuſmodi diebus Sacrum audire, & à ſervilibus vacare, &c. ſpectat per ſe primo ad religionem, & non ad duliam; oppoſitáque peccata non duliæ, ſed religioni directè contrariantur: neque ex illius motivo, ſed ex motivo iſtius dumtaxat immediatè prohibentur: & ideo non datur in eis, quantum eſt ex hoc capite, niſi unica malitia.

Soluitur confirmatio. Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens: quia ad peccatum inobedientiæ propriè dictæ non ſufficit violare præceptum poſitivum: niſi quis hoc directe & per ſe intendat. Tunc autem jam erit ibi duplex motivum, ut diximus num. 31. Ad probationem verò negandum eſt etiam antecedens: nam cum lex poſitiva prohibet actum aliàs bonum, aut præcipit indifferentem; ex vi talis prohibitionis vel præcepti pertinet jam prædictus actus aut ejus omiſſio ad determinatam virtutem: ad illam nimirum, ex cujus motivo immediatè præcipitur vel prohibetur, juxta dicta num. 28. Et quia hujuſmodi virtus non ſemper eſt obedientia; ſed poteſt eſſe quæcunque alia, ad cujus finem ordinabilis eſt talis actus vel omiſſio: idcirco oppoſitum peccatum non neceſſariò habet propriam malitiam inobedientiæ; ſed poteſt pertinere ad aliud vitium.

Tertia obiectio. 35. Tertio objicies: quia quoties præcepta diſtinguuntur ex parte principij, habent diverſa motiva: ergo malè ſupponimus poſſe illa diſtingui ſolum ex parte principij. Antecedens ſuadetur: nam quilibet legiſlator habet in præcipiendo motivum & finem ſibi proportionatum: & ita videmus, quòd in lege divina finis eſt rectificare voluntatem creatam in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem: in lege autem naturali finis eſt ipſa naturalis hominis rectitudo in ordine ad beatitudinem naturalem: in lege verò humana finis eſt rectificare homines politicè, hoc eſt, in ordine ad pacem & quietem reipublicæ vel communitatis: & ſic cum proportione in aliis legibus: ergo, &c.

Reſpondetur negando antecedens, loquendo de motivo intrinſeco, quod dicitur *finis operis*: prohibitio enim furti, ſive fiat lege divina, ſive naturali, vel humana, ſemper habet idem motivum intrinſecum, quod eſt conſervatio boni proximi, aut vitatio damni illius; ut diximus num. 27. Ad probationem dicendum eſt, fines illos eſſe tantum extrinſecos; potiúſque dicendi ſunt fines legiſlatorum, quàm ipſarum legum.

Dubitant hîc ferè omnes, utrum hæc diſtinctio præceptorum ex parte principij (eſto non multiplicet peccati ſpecies) ſaltem intra eandem adaugeat malitiam? Et communiter reſpondent affirmativè: tum quia fit irreverentia pluribus præcipientibus: tùm etiam quia qui ſic transgreditur plura præcepta, frangit fortius vinculum, & majorem ſoluit obligationem; proindéque graviùs peccat: non tamen circunſtantia hæc ita notabiliter aggravat, ut debeat in confeſſione explicari: in quo etiam ferè omnes conveniunt.

§. III.

Obiectio in ſecundam aſſertionem.

Obiectio vltima. 36. Contra ſecundam aſſertionem nulla militat ſententia. Eſt tamen non leuis objectio. Quia præceptum naturale & ſupernaturale circa materiam eiuſdem virtutis, puta temperantiæ, habent diuerſa motiua intrinſeca: ſicut virtus infuſa & acquiſita circa eandem materiam habent formaliter diſtincta objecta: & nihilominus peccatum contra vtrunque præceptum non habet niſi vnicam malitiam: ergo prædicta diſtinctio ex parte motiui non ſemper diuerſificat ſpecies peccati. Minor, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, ſuadetur: nam qui frangit Eccleſiæ jejunium, immoderate vſque ad crapulam comedendo, peccat, & contra præceptum naturalis temperantiæ, quo prohibetur in quocunque euentu immoderatus cibus; & contra præceptum ſupernaturale temperantiæ infuſæ, ex cujus motiuo Eccleſia præcipit jejunium: & tamen non committit niſi vnicum peccatum: ergo, &c.

Confirmatio. Confirmatur: quia in inſtante vſus rationis datur præceptum naturale & ſupernaturale de dilectione Dei: vt tenet communis Thomiſtarum opinio, nóſque infra diſp. 20. dicemus: & tamen qui neutrum præceptum adimplet, tantùm committit vnicum peccatum: ergo cum diuerſitate præceptorum ex parte motiui ſtat vnitas ſpecifica peccati.

Prima ſolutio. Circa hanc objectionem Medina in præſenti §. *ſed ex hoc oritur*, & quidam juniores Thomiſtæ abſolutè tenent, peccata diuerſificari ſpecie ex ſola diuerſitate præcepti naturalis & ſupernaturalis. Et ita ex eorum doctrina neganda eſt minor objectionis & probationis:

¶ Hæc tamen doctrina ita abſolutè tradita, & non magis explicata non placet aliis Thomiſtis. Et meritò: nam diſtinctio præceptorum etiam ex parte motivi non eſt ſufficiens diſtinguere ſpecies peccati; niſi peccata, quæ diſtinguenda ſunt prædictis præceptis immediate opponantur, ut diximus num. 29. alias nullum eſſet peccatum (ſaltem in materia virtutum moralium) in quo non eſſet duplex malitiæ ſpecies: quia nullum eſt peccatum contra præceptum naturale virtutis acquiſitæ, quod mediatè & indirectè non etiam opponatur virtuti infuſæ, & præcepto ejus ſupernaturali; & è converſo: ut conſtat ex dictis diſp. 1. num. 34. & diſp. 2. à num. 18. hoc autem non videtur admittendum, cum plurima ſint peccata habentia tantùm unicam malitiam: ergo, &c.

Alia ſoluti. 37. Secundò reſpondet Monteſ. in præſenti quæſt. 4. num. 72. opus eſſe diſtinctione: quia aut præcepta ſunt de actibus virtutum moralium, aut de actibus theologicarum. Quoad actus virtutum moralium nullum extat præceptum ſupernaturale: ſed quodcunque præceptum in materia harum virtutum ſufficienter adimpletur per actum naturalem, & ex motivo merè naturali. Quoad actus verò theologicarum ſunt præcepta ſupernaturalia, & non adimplentur niſi actibus ſupernaturalibus. Hæc Monteſ. Vnde juxta ejus doctrinam objectio non videtur habere locum, quia non admittitur in eadem materia duplex obligatio præcepti naturalis & ſupernaturalis. ¶ Sed neque hæc doctrina ex toto vera eſt. Tùm quia negari non poteſt, quòd etiam in materia virtutum moralium dentur præcepta ſupernaturalia, ſaltem negativa, quæ immediatè prohibent operari contra motivum ſupernaturale virtutis moralis infuſæ: imò in materia pœnitentiæ admittendum eſt præceptum affirmativum de eliciendo actum contritionis ſupernaturalis. Tùm etiam quia in ordine ad dilectionem Dei negari non poteſt, quòd præter præceptum ſupernaturale virtutis theologicæ, detur etiam præceptum naturale de diligendo Deo ut auctore naturæ: aliàs infidelis negativè, qui quandiu talis eſt, non obligatur ad amorem ſupernaturalem, ad nullam Dei dilectionem teneretur: quod videtur abſurdum. ¶ Legitima ergo ſolutio ea eſt, quam tangit Alvar. diſp. 112. immediatè ante reſponſionem ad 1. quòd ſcilicet tunc ſolùm ex diverſitate præcepti naturalis & ſupernaturalis diſtinguuntur peccata, quando utrique præcepto ut diſtinctis immediatè opponuntur: ſecùs ſi peccatum uni præcepto opponitur immediatè, & alteri immediatè: aut ſi opponitur uni ſolum prout in alio incluſo.

Vera ſolutio.

Doctrina. 38. Pro cujus explicatione animadvertendum eſt primò, quòd ſicut virtus poteſt dupliciter concurrere ad efficiendum aliquem actum: vel immediatè, eliciendo ipſum, ſicut temperantia acquiſita concurrit ad actum naturalem temperantiæ: vel mediatè & imperativè, movendo aliam, ut talem actum eliciat: ita ad præcipiendum prædictum actum, vel prohibendum oppoſitum poteſt dupliciter ſe habere. Aut immediatè, & quaſi elicitivè: quia per ſe ipſam (intellige ſimul cum ſynderesi vel prudentia) dictat & imponit præceptum: ſicut virtus temperantiæ acquiſitæ immediatè per ſe ipſam prohibet actum gulæ, & præcipit temperatè comedere. Aut mediatè & imperativè, movendo aliam ad hoc ut præceptum imponat: qua ratione temperantia infuſa dici poteſt præcipere actum temperantiæ acquiſitæ, & prohibere oppoſitum, in quantum movet ipſam temperantiam acquiſitam ad præcipiendum vel prohibendum. Vnde ſicut actus elicitus à temperantia acquiſita abſolutè eſt actus naturalis, & habet motivum intrinſecum naturale, quamvis ex imperio temperantiæ infuſæ poſſit ordinari ad aliquid ſupernaturale tanquam ad motivum & finem extrinſecum: ita præceptum, quod ab eadem temperantia acquiſita immediatè & quaſi elicitivè imponitur, abſolutè loquendo tantùm eſt præceptum naturale: & proprium ac intrinſecum ejus motivum eſt motivum naturale, nempe ipſum bonum temperantiæ acquiſitæ: quamvis ex imperio & motione temperantiæ infuſæ tale præceptum poſſit etiam reſpicere bonum ſupernaturale ipſius virtutis infuſæ tanquam motivum & finem extrinſecum. Vt autem præceptum aliquod ſit ſupernaturale, debet immediatè & elicitive dictari à virtute ſupernaturali.

Quando autem præceptum in aliqua materia immediatè imponatur à virtute acquiſita, adeóque ſit abſolutè naturale; quando verò dictetur immediatè ab infuſa, ſitque proinde ſupernaturale: ex actibus, quibus tale præceptum vel impletur, vel violatur, dignoſcendum eſt. Si enim præceptum affirmativum ſufficienter adimpletur per actum mere naturalem; ſufficienter poteſt dictari à virtute acquiſita. Quia ſi virtus hæc ſufficit ad adimplendum præceptum; non eſt cur non illud immediatè imponat; aut cur pro hoc recurramus ad virtutem infuſam. Similiter ſi præceptum negativum violatur per actum non dicentem ordinem ad ſupernaturalia; ſed ſolum motivum virtutis acquiſitæ immediatè deſtruentem, ſufficienter poteſt dictari ab ipſa virtute acquiſita: quia quælibet virtus ſufficienter prohibet, quod immediatè & directè eſt deſtructivum proprij boni. Quare tunc ſolum præceptum affirmativum immediatè tribuendum eſt virtuti infuſæ, quando obligat ad aliquid ſupernaturale. Et hujuſmodi ſunt præcepta Fidei, Spei, & Charitatis: quæ propterea non poſſunt adimpleri niſi actibus ſupernaturalibus. Sicut etiam præceptum negativum tunc eſt ſupernaturale & virtutis infuſæ, quando prohibet aliquid directè repugnans ordini ſupernaturali, & motivo talis virtutis: ut præceptum, quod prohibet odium Dei auctoris ſupernaturalis; & præceptum, quod in materia temperantiæ prohibet, ne quis inordinate comedat eo animo, ut agat contra motivum ſupernaturale.

39. Secundò obſervandum eſt, quòd in materia ejuſdem virtutis rarò vel nunquam dantur duo præcepta affirmativa, aliud naturale, & aliud ſupernaturale omnino diſtincta, quæ ſimul obligent: quia ubi præceptum ſupernaturale obligat, in eo veluti includitur præceptum naturale: ſicut actus naturalis eminenter in ſupernaturali continetur: & ideo ubi adeſt de actu *Animadverſio alia.*

ſuper

ſupernaturali præceptum, ſupernaturalis de actu naturali. ❡ Accedit quòd ſicut exiſtente in eodem medio aliquo luminoſo valde intenſo, luminoſum minus intenſum ſuſpendit ſuum influxum, & ceſſat illuminare tale medium, nullumque in eo lumen producit: quia major lux comprehendit minorem, & quaſi præoccupat eam in illuminando: ita quoties extat in aliqua materia præceptum affirmatiuum ſupernaturale, comprehendit & præoccupat præceptum naturale, ſuſpenditque ejus obligationem: quia totum id ad quod naturale obligare poterat, perfectiùs & eminentiùs continetur in eo, ad quod obligat ſupernaturale.

Vnde quia in materia virtutum theologicarum extant præcepta affirmatiua ſupernaturalia de actibus fidei, charitatis, & ſpei: idcirco in tali materia nullum datur præceptum affirmatiuum naturale à ſupernaturalibus diſtinctum, per ſe obligans ❡ Diximus *à ſupernaturalibus diſtinctum per ſe obligans*: nam per accidens aliquando obligat præceptum naturale diligendi Deum prout diſtinctum à ſupernaturali: vt contingit in illis, qui etiam poſt annos diſcretionis manent infideles negatiuè: quibus cum præceptum ſupernaturale diligendi Deum notificatum non ſit, tenentur ex vi præcepti naturalis ad diligendum illum ſolo amore naturali. ❡ In materia verò virtutum moralium præcepta affirmatiua vt plurimum ſunt naturalia dictata à virtute acquiſita; quamvis ſoleat ad id mouere virtus infuſa: quia communiter in hac materia præcepta adimplentur per actus præciſè naturales.

40. Cæterùm præcepta negatiua in qualibet materia duplicantur: & ſimul cum præcepto naturali virtutis acquiſitæ prohibente actum contrarium rectitudini naturali datur præceptum ſupernaturale à virtute infuſa immediatè dictatum, quo prohibetur actus immediatè oppoſitus rectitudini ſupernaturali. Et ratio eſt: quia ex vna parte, cum vterque iſte actus immediatè & per ſe malus ſit, vterque debuit immediatè prohiberi: & ex alia neque præceptum virtutis infuſæ prohibendo actum rectitudini ſupernaturali oppoſitum, cenſetur ibi prohibere actum minus malum oppoſitum dumtaxat rectitudini naturali: neque præceptum virtutis acquiſitæ, prohibendo actum huic virtuti oppoſitum prohibet etiam oppoſitum infuſæ: nam ſicut hic poſterior actus dicit ordinem ad ſupernaturalia: ita ejus prohibitio debet intrinſecè motiuum ſupernaturale reſpicere, ac proinde nequit dictari à virtute naturali.

His prænotatis, ad objectionem juxta tertiam ſolutionem reſpondetur admiſſa maiore, negando minorem, quotiès in aliqua materia dantur duo præcepta, & peccatum vtrique immediatè opponitur. Ad probationem verò dicendum eſt illum, qui immoderatè comedit, & ſimul frangit Eccleſiæ jejunium, ſi non intendat agere contra motiuum ſupernaturale, non violare niſi præceptum naturale: quia præceptum non comedendi immoderatè, & obſeruandi Eccleſiæ jejunium non eſt præceptum immediatè dictum & impoſitum à virtute infuſa; ſed dumtaxat ab acquiſita, quamvis ad id moueat infuſa, & ita ſolum eſt præceptum naturale: vnde violare tale præceptum, etiam ſi hoc fiat immediatè vſque ad crapulam comedendo, non eſt niſi vnum peccatum. ❡ Diximus *ſi non intendat agere contra motiuum ſupernaturale*: quia vbi aliquis eo fine jejunium violaret, vt ageret contra prædictum motiuum, committeret peccatum immediatè oppoſitum præcepto ſupernaturali, adeóque alterius ſpeciei.

41. Neque obeſt, quòd Eccleſia præcipiens fidelibus jejunium, intendit finem ſupernaturalem virtutis infuſæ, vt ſatis oſtendunt illa verba, quæ adducuntur in præfatione, pro tempore quadrageſimæ: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.* Quoniam hujuſmodi finis reſpectu præcepti præciſè eſt extrinſecus, qui nullo modo cadit ſub illo. Vnde tantùm arguit, quòd virtus infuſa in iſto caſu mouet acquiſitam ad præcipiendum prædictum jejunium; non verò quòd ipſa virtus infuſa immediatè & elicitiuè præceptum imponat.

Neque etiam obeſt ſi vrgeas, quòd præceptum naturalis temperantiæ non videtur poſſe obligare ad culpam mortalem quia gula, ſicut & auaritia, aut inanis gloria ſecundum ſuum genus non tranſcendunt limites peccati venialis: ergo cum præceptum jejunij Eccleſiaſtici obliget ſub mortali, erit vtique dictatum à temperantia infuſa, adeóque ſupernaturale. ❡ Reſpondetur enim, etiam temperantiam acquiſitam poſſe imponere prædictam obligationem: non quidem ex vi ſolius juris naturalis; ſed vt adjuta per legem poſitiuam, quæ in ordine ad finem altiorem extrinſecum poteſt eligere jejunium vt medium ſimpliciter neceſſarium, adeóque vt obſeruandum ſub culpa mortali: tunc præſertim quando ſimul cum temperantia acquiſita concurrit ad præceptum temperantia infuſa, non vt eliciens; ſed vt imperans, ſicut in præſenti contingit.

42. Adde eſſe etiam probabile, illum qui frangit Eccleſiæ jejunium, nimium extra debitum tempus comedendo, committere duo peccata, alterum mortale, & alterum veniale per ordinem ad duo præcepta temperantiæ acquiſitæ diſtincta ex parte motiui: quorum vnum prohibet nimium comedere, quocunque tempore id fiat: & aliud comedere extra debitum tempus, etiam ſi non ſit nimium. Sicut in illo, qui comedendo carnes, violat Eccleſiæ jejunium, dantur duo peccata, quæ debent in confeſſione explicari, contra duo præcepta poſitiua, quorum vnum præſcribit tempus & horam comedendi; & aliud ſub diuerſo motiuo cibi qualitatem. Dantur enim intra genus gulæ plura vitia & peccata ſpecie diſtincta, quæ habent diuerſa motiua oppoſita temperantiæ acquiſitæ, diuerſiſque ejus præceptis prohibentur: ſignificantur autem communi illo verſiculo: *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.* De quo videndus eſt D. Thom. 2. 2. quæſt. 148. art. 4. & nos aliquid diximus tom. præced. in arbore virtut. num. 113.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd in ordine ad dilectionem Dei non datur niſi vnicum præceptum affirmatiuum; quamvis in ordine ad prohibendum ejus odium detur duplex præceptum negatiuum juxta dicta num. 40. Prædictum verò affirmatiuum præceptum,

ceptum, ſuppoſita eleuatione naturæ humanæ ad finem ſupernaturalem, per ſe loquendo eſt præceptum ſupernaturale, & non adimpletur niſi per actum dilectionis ſupernaturalis: & ideo ad hanc tenentur omnes, per ſe loquendo, ſtatim vt ad annos diſcretionis peruenerint. Quòd ſi hujuſmodi ſupernaturale præceptum inuincibiliter ignoretur, per accidens tunc loco ejus obligat præceptum naturale: & ideo ſi homo neutro modo Deum diligat, in quocunque euentu mortaliter peccat. Non tamen iſta omiſſio habebit vnquam duas malitias, aut erit immediatè contra duo prædicta præcepta; ſed vnam dumtaxat, vel contra ſolum præceptum ſupernaturale, vt in his, quibus tale præceptum ſufficienter fuit notificatum; vel contra ſolum naturale, vt in aliis, qui ea luce & notitia caruerunt.

43. Si autem inquiras, an huiuſmodi peccata ſint ejuſdem ſpeciei? ¶ Reſpondetur negatiuè: nam cùm vnum directè & immediatè opponatur præcepto ſupernaturali, & aliud naturali; habent diuerſa motiua proxima & intrinſeca: & ita debent diſtingui ſpecie.

Et ſi rurſus quæras; cur duæ iſtæ ſpecies peccati poſſint reperiri in diuerſis ſuppoſitis, in eodem verò nunquam poſſint conjungi? ¶ Reſpondetur ex dictis: quia nimirum in eodem nunquam duo illa præcepta affirmatiua naturale, & ſupernaturale vt diſtincta concurrunt: ſed ſi ſupernaturale ſufficienter notificatum eſt, & idcirco obligat; naturale, quod non niſi loco ſupernaturalis (ſuppoſita eleuatione naturæ) & quaſi in ſubſtitutione ejus obligare poterat; propter rationem num. 39. traditam ceſſat, & quaſi extinguitur ejus obligatio. In diuerſis autem ſuppoſitis habet locum vtrunque præceptum: quia poteſt vni notum eſſe ſupernaturale; & alij non: & qui ſupernaturale non nouit, obligatur naturali; atque ita vnus poteſt peccare contra vnum, & alius contra aliud. Qualiter verò infideles negatiuè, qui ſolo naturali præcepto ad dilectionem Dei tenentur, nequeant in ſenſu compoſito adimplere illud abſque gratia & actu ſupernaturali, adeóque non niſi adimplendo ſimul præceptum ſupernaturale; & vnde impotentia hæc ortum ducat, aliáque huc ſpectantia ex profeſſò examinantur infra diſp. 10. vbi agitur de incompoſſibilitate peccati venialis cum ſolo originali, & de obligatione pueri peruenientis ad vſum rationis in ordine ad conuerſionem in Deum per actum charitatis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum conuenienter diuidatur peccatum in peccatum cordis, oris, & operis?

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter diuidatur peccatum in peccatum cordis, oris, & operis. Auguſtinus enim in 12. de Trin. ponit tres gradus peccati, quorum primus eſt, cum carnalis ſenſus illecebram quandam ingerit, quod eſt peccatum cogitationis. Secundus gradus eſt, quando ſola cogitationis delectatione aliquis contentus eſt. Tertius gradus eſt, quando faciendum diſcernitur per conſenſum: ſed tria hæc pertinent ad peccatum cordis: ergo inconuenienter peccatum cordis ponitur quaſi vnum genus peccati.

2. Præterea: Gregorius in 4. moral. ponit quatuor gradus peccati, quorum primus eſt culpa latens in corde: ſecundus, cum exterius publicatur: tertius eſt, cum conſuetudine roboratur: quartus eſt, cum vſque ad præſumptionem diuinæ miſericordiæ, vel ad deſperationem homo procedit: vbi non diſtinguitur peccatum operis à peccato oris, & adduntur duo alij peccatorum gradus: ergo inconueniens fuit prima diuiſio.

3. Præterea: non poteſt eſſe peccatum in ore, vel in opere; niſi fiat prius in corde: ergo iſta peccata ſpecie non differunt: non ergo debent contra ſe inuicem diuidi.

Sed contra eſt, quod Hieron. dicit ſuper Ezech. Tria ſunt generalia delicta, quibus humanum ſubjacet genus: aut enim cogitatione, aut ſermone, aut opere peccamus.

Reſpondeo dicendum, quòd aliqua inueniuntur differre ſpecie dupliciter. Vno modo, ex eo quòd vtrunque habet ſpeciem completam: ſicut equus & bos differunt ſpecie. Alio modo, ſecundum diuerſos gradus in aliqua generatione vel motu accipiuntur diuerſæ ſpecies: ſicut ædificatio eſt completa generatio domus; collocatio autem fundamenti, & erectio parietis ſunt ſpecies incompletæ, vt patet per Philoſophum in 10. Ethic. & idem etiam poteſt dici in generationibus animalium. Sic igitur peccatum diuiditur per hæc tria, ſcilicet peccatum oris, cordis, & operis, non ſicut per diuerſas ſpecies completas: nam conſummatio peccati eſt in opere, vnde peccatum operis habet ſpeciem completam; ſed prima inchoatio eius eſt quaſi fundatio in corde. Secundus autem gradus eius eſt in ore, ſecundùm quod homo prorumpit facile ad manifeſtandum conceptum cordis. Tertius autem gradus iam eſt in conſummatione operis. Et ſic hæc tria differunt ſecundum diuerſos gradus peccati: patet tamen, quòd hæc tria pertinent

Digitized by Google

tinent ad vnam perfectam peccati ſpeciem, cum ab eodem motiuo procedant. Iracundus enim ex hoc quod appetit vindictam, primò quidem perturbatur in corde, ſecundo in verba contumelioſa prorumpit, tertio verò procedit vſque ad facta iniurioſa: & idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato.

Ad primum ergo dicendum, quòd omne peccatum cordis conuenit in ratione occulti, & ſecundum hoc ponitur vnus gradus, qui tamen per tres gradus diſtinguitur, ſcilicet cogitationis, delectationis, & conſenſus.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum oris & operis conueniunt in manifeſtatione, & propter hoc ea Gregorius ſub vno computat: Hieronymus autem diſtinguit ea, quia in peccato oris eſt manifeſtatio tantùm, & principaliter intenta: in peccato verò operis eſt principaliter expletio interioris conceptus cordis; ſed manifeſtatio eſt ex conſequenti: conſuetudo verò & deſperatio ſunt gradus conſequentes poſt ſpeciem perfectam peccati, ſicut adoleſcentia & iuuentus poſt perfectam hominis generationem.

Ad tertium dicendum, quòd peccatum cordis & oris non diſtinguuntur à peccato operis, quando ſimul cum eo coniunguntur; ſed prout quodlibet eorum per ſe inuenitur: ſicut etiam pars motus non diſtinguitur à toto motu, quando motus eſt continuus; ſed ſolùm quando motus ſiſtit in medio.

Conclvsio.

Peccatum per hæc tria diuiditur non tanquam per diuerſas ſpecies completas; ſed tanquam per diuerſos gradus, qui pertinent ad vnam perfectam ſpeciem peccati.

Hic breuiter obſerua, quòd cum diuiſio peccati fit in hæc tria membra, ſcilicet in *peccatum cordis, oris, & operis*, ſi diuiſum eſſet peccatum in tota ſua latitudine, vt diuiſio eſſe adæquata deberent prædicta membra diuidentia ita exponi, vt ſub primo ea omnia contineantur, quæ conſummantur in corde: vt odium, infidelitas, & ſimilia. Sub ſecundo autem, quæ in ore complentur: vt murmuratio, contumelia, detractio, &c. Reliqua verò, quæ ad alicuius externi operis exequutionem ſuapte natura pertingunt, vti eſt homicidium, furtum, adulterium, & alia id genus, ſub tertio comprehendantur. Et diuiſio ſic explicata proculdubiò eſſet eſſentialis generis in ſpecies, vel ad illam reduceretur: nam prædicta peccata nequeunt non habere objecta formaliter diſtincta. Eſſet etiam adæquata: quia nullum eſt excogitabile peccatum, quod prædicta tria membra non claudant.

Cæterùm quia D. Thom. vt in littera cernitur, non ſic accepit prædictam diuiſionem, oportet juxta mentem ipſius aliter eam explicare: ita vt diuiſum ſit ſolum peccatum, quod ex natura petit ſua conſummari ad extra: & hoc diuidatur in illa tria membra, non diuiſione generis in ſpecies, vel totius vniuerſalis ſuas partes ſubjectiuas; ſed diuiſione, qua totum actuale diuiditur in ſuas partes integrales; aut quaſi integrales, ex quibus adæquata eius ratio coaleſcit. Vnde tria illa membra ſolùm ſe habent vt tres diuerſi gradus eiuſdem ſpeciei peccati: v. g. adulterij: quod primò per deſiderium vel complacentiam incipit in corde; deinde verbis ſignificatur; & tandem opere completur.

Obſeruandum tamen eſt, quòd ſi gradus iſti aliquo modo inter ſe continuentur, ita vt vnus in alium influat, non ſolùm pertinent ad eandem ſpeciem peccati; ſed conſtituunt moraliter idem peccatum numero: vnde ſufficienter totum illud peccatum in confeſſione aperitur, ſi explicetur ipſum opus externum; niſi ratione ſcandali debeant etiam verba explicari. Si autem prædicti gradus nullam habeant continuationem, vt cum dilectio, vel deſiderium in corde ſiſtunt, aut verba libidinoſa ad opus non tranſeunt: neque etiam tunc habebunt moralem vnitatem numericam: & ideo quamvis pertineant ad eandem ſpeciem (ſive vt ſpecies imperfectæ & per reductionem; ſive vt partes eiuſdem perfectæ ſpeciei: de quo videndus eſt hîc commentarius Cajetani) conſtituunt tamen diſtincta numero peccata: & ita debent ſeorſim in confeſſione declarari.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum ſuperabundantia & defectus diuerſificant ſpecies peccatorum?

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quòd ſuperabundantia & defectus non diuerſificent ſpecies peccatorum. Superabundantia enim & defectus differunt ſecundum magis & minus: ſed magis & minus non diuerſificant ſpeciem: ergo ſuperabundantia & defectus non diuerſificant ſpeciem peccatorum.

2. Præterea: ſicut peccatum in agibilibus eſt ex hoc, quòd receditur à rectitudine rationis; ita falſitas in ſpeculatiuis eſt ex hoc, quòd receditur à veritate rei: ſed non diuerſificatur ſpecies falſitatis ex hoc, quòd aliquis dicit plus, vel minus eſſe, quàm ſit in re: ergo etiam non diuerſificatur ſpecies peccati ex hoc, quòd recedit à rectitudine rationis in plus, vel minus.

3. Præterea:

Digitized by Google

3. Præterea ex duabus ſpeciebus non conſtituitur vna ſpecies, vt Porphyrius dicit: ſed ſuperabundantia & defectus vniuntur in vno peccato; ſunt enim ſimul quidam illiberales & prodigi: quorum duorum illiberalitas eſt peccatum ſecundum defectum; prodigalitas autem ſecundum ſuperabundantiam: ergo ſuperabundantia & defectus non diuerſificant ſpeciem peccatorum.

Sed contra: contraria differunt ſecundum ſpeciem: nam contrarietas eſt differentia ſecundum formam, vt dicitur in 10. metaphyſ. ſed vitia, quæ differunt ſecundum ſuperabundantiam & defectum, ſunt contraria, ſicut illiberalitas prodigalitati: ergo differunt ſecundum ſpeciem.

Reſpondeo dicendum, quòd cum in peccato ſint duo, ſcilicet ipſe actus, & inordinatio ejus, prout receditur ab ordine rationis, & legis diuinæ, ſpecies peccati attenditur non ex parte inordinationis, quæ eſt præter intentionem peccantis, vt ſupra dictum eſt; ſed magis ex parte ipſius actus, ſecundum quòd terminatur ad obiectum, in quod fertur intentio peccantis: & ideo vbicunque occurrit diuerſum motiuum inclinans intentionem ad peccandum, ibi eſt diuerſa ſpecies peccati. Manifeſtum eſt autem quòd non eſt idem motiuum ad peccandum in peccatis, quæ ſunt ſecundum ſuperabundantiam; & in peccatis, quæ ſunt ſecundum defectum: quinimo ſunt contraria motiva ſicut motivum in peccato intemperantiæ, eſt amor delectationum corporalium: motivum autem in peccato inſenſibilitatis eſt odium earum: vnde hujuſmodi peccata non ſolùm differunt ſpecie; ſed etiam ſunt ſibi inuicem contraria.

Ad primum ergo dicendum, quòd magis & minus, etſi non ſint cauſa diuerſitatis ſpeciei; conſequuntur tamen quandoque ſpecies differentes, prout proueniunt ex diuerſis formis: ſicut ſi dicatur, quòd ignis eſt leuior aëre. Vnde Philoſophus dicit in 8. Ethic. quòd qui poſuerant non eſſe diuerſas ſpecies amicitiarum propter hoc, quòd dicuntur ſecundum magis & minus, non ſufficienti crediderunt ſigno: & hoc modo ſuperexcedere rationem, vel deficere ab ea pertinet ad diuerſa peccata ſecundum ſpeciem, in quantum conſequuntur diuerſa motiua.

Ad ſecundum dicendum, quòd intentio peccantis non eſt, vt recedat à ratione, & ideo non efficitur eiuſdem rationis peccatum ſuperabundantiæ, & defectus propter receſſum ab eadem rationis rectitudine: ſed quandoque ille, qui dicit falſum, intendit veritatem occultare: vnde quantum ad hoc non refert vtrum dicat vel plus, vel minus: ſi tamen recedere à veritate non ſit præter intentionem; tunc manifeſtum eſt, quòd ex diuerſis cauſis aliquis mouetur ad dicendum plus, vel minus: & ſecundum hoc diuerſa eſt ratio falſitatis: ſicut patet de jactatore, qui ſuperexcedit dicendo falſum, quærens gloriam: & de deceptore, qui diminuit euadens debiti ſolutionem: vnde & quædam falſæ opiniones ſunt ſibi inuicem contrariæ.

Ad tertium dicendum, quòd prodigus & illiberalis poteſt eſſe aliquis ſecundum diuerſa: vt ſcilicet ſit aliquis illiberalis in accipiendo quæ non debet; & prodigus in dando quæ non debet: nihil autem prohibet contraria ineſſe eidem ſecundum diuerſa.

CONCLVSIO.

Peccata, quæ ſunt ſecundum ſuperabundantiam & defectum, non ſolum differunt ſpecie; ſed etiam ſunt ſibi inuicem contraria, quia habent diuerſa & contraria motiua.

Hæc concluſio optimè probatur in littera. Circa quam nihil obſeruand m occurrit, niſi quòd in corpore articuli diſtinguens D. Thom. ſpeciem peccati ab ejus inordinatione, per quam intelligit malitiam priuatiuam, confirmat ſententiam, quam elegimus diſp. 6. circa conſtitutiuum peccati per malitiam poſitiuam: ſi enim per priuationem conſtitueretur, non excluderet D. Thom. ab ejus ratione ſpecifica ipſam priuationem, vt eſt per ſe notum. Nec patitur littera, vt intelligatur de ſpecie peccati ſolum pro materiali: ſed de hoc ſatis diſp. cit. dub. 3.

ARTICVLVS IX.

Vtrum peccata diuerſificentur ſpecie ſecundum diuerſas circunſtantias?

AD nonum ſic proceditur. Videtur quod vitia & peccata diuerſificentur ſpecie ſecundum diuerſas circunſtantias: quia vt dicit Dionyſ. 4. cap. de diuin. nomin. malum contingit ex ſingularibus defectibus: ſingulares autem defectus ſunt corruptiones

ruptiones ſingularum circunſtantiarum: ergo ex ſingulis circunſtantiis corruptis ſingulæ ſpecies peccatorum conſequuntur.

2. Præterea: peccata ſunt quidam actus humani: ſed actus humani interdum accipiunt ſpeciem à circunſtantiis, vt ſupra habitum eſt: ergo peccata differunt ſpecie, ſecundum quòd diuerſæ circunſtantiæ corrumpuntur.

3 Præterea: diuerſæ ſpecies gulæ aſſignantur ſecundum particulas, quæ in hoc verſiculo continentur: Præpropere, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè: hæc autem pertinet ad diuerſas circunſtantias: nam præproperè eſt antequam oportet: nimis, pluſquam oportet, & idem patet in aliis: ergo ſpecies peccati diuerſificantur ſecundum diuerſas circunſtantias.

Sed contra eſt, quòd Philoſophus dicit.in 3.& 4.Ethic.quòd ſingula vitia peccant agendo plus quàm oportet, & quando non oportet, & ſimiliter ſecundum omnes alias circunſtantias: non ergo ſecundum hoc diuerſificantur peccatorum ſpecies.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt, vbi occurrit aliud motiuum ad peccandum, ibi eſt alia peccati ſpecies: quia motiuum ad peccandum eſt finis & objectum, Contingit autem quandoque, quod in corruptionibus diuerſarum circunſtantiarum eſt idem motiuum: ſicut illiberalis ab eodem mouetur, quòd accipiat, quando non oportet, & vbi non oportet, & plus quàm oportet, & ſimiliter de aliis circunſtantiis: hoc enim facit propter inordinatum appetitum pecuniæ congregandæ: & in talibus diuerſarum circunſtantiarum corruptiones non diuerſificant ſpecies peccatorum; ſed pertinent ad vnam & eandem peccati ſpeciem. Quandoque verò contingit, quòd corruptiones diuerſarum circunſtantiarum proueniunt à diuerſis motiuis: puta quòd aliquis præproperè comedat, poteſt prouenire ex hoc, quòd homo non poteſt ferre dilationem cibi propter facilem conſumptionem humiditatis: quòd verò appetat immoderatum cibum, poteſt contingere propter virtutem naturæ potentem ad conuertendum multum cibum. Quòd autem aliquis appetat cibos delicioſos, contingit propter appetitum delectationis, quæ eſt in cibo: vnde in talibus diuerſarum circunſtantiarum corruptiones inducunt diuerſas peccati ſpecies.

Ad primum ergo dicendum, quòd malum, in quantum huiuſmodi, priuatio eſt: ideo diuerſificatur ſpecie ſecundum ea, quæ priuantur, ſicut & cæteræ priuationes: ſed peccatum non ſortitur ſpeciem ex parte priuationis, vel auerſionis, vt ſupra dictum eſt; ſed ex conuerſione ad objectum actus.

Ad ſecundum dicendum, quòd circunſtantia nunquam transfert actum in aliam ſpeciem, niſi quando eſt aliud motiuum.

Ad tertium dicendum, quòd in diuerſis ſpeciebus gulæ diuerſa ſunt motiua; ſicut dictum eſt.

Prima Conclusio.

Quando corruptio diuerſarum circunſtantiarum habet idem motiuum, non diſtinguit ſpecies peccatorum.

Secunda Conclusio.

Corruptiones diuerſarum circunſtantiarum, quæ proueniunt ex diuerſis motiuis, diuerſas inducunt peccati ſpecies.

De materia hujus articuli egimus in tract. de bonit. & malit. vbi diſp.4. ex profeſſo diſcuſſimus, quo pacto circunſtantiæ tribuant humanis actibus bonitatem & malitiam. In eodémque tract. in animaduerſionibus ad art. 10. & 11. quæſt.18. explicuimus, quando prædictæ circunſtantiæ efficiant peccata ſpecie diſtincta: quandò verò ſolùm augeant malitiam intra eandem ſpeciem? Vnde non eſt opus de his iterum tractare. Ea verò, quæ de circunſtantiis culpabiliter ignoratis Cajetanus hîc movet, & non reſoluit, explicabimus diſp.13. dub.2.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXIII.

DE COMPARATIONE PECCATORVM ad inuicem, in decem articulos diuiſa.

DEinde conſiderandum eſt de comparatione peccatorum ad inuicem. Et circa hoc quæruntur decem.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnia peccata ſint connexa?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd omnia peccata ſint connexa. Dicitur enim Iacobi 2. Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus: ſed idem eſt eſſe reum omnium mandatorum legis, quòd habere omnia peccata: quia, ſicut Ambroſius dicit, peccatum eſt tranſgreſſio legis diuinæ, & cœleſtium inobedientia mandatorum: ergo quicunque peccat in vno peccato, ſubijcitur omnibus peccatis.

2. Præterea: quodlibet peccatum excludit virtutem ſibi oppoſitam: ſed qui caret vna virtute, caret omnibus, vt patet ex ſupradictis: ergo qui peccat vno peccato, priuatur omnibus virtutibus: ſed qui caret virtute, habet vitium ſibi oppoſitum: ergo qui habet vnum peccatum, habet omnia peccata.

3. Præterea: virtutes omnes ſunt connexæ, quæ conueniunt in vno principio, vt ſupra habitum eſt: ſed ſicut virtutes conueniunt in vno principio; ita & peccata: quia ſicut amor Dei, qui facit ciuitatem Dei, eſt principium & radix omnium virtutum: ita amor ſui, qui facit ciuitatem Babylonis, eſt radix omnium peccatorum, vt patet per Auguſtinum 14. de ciuit. Dei: ergo etiam omnia vitia & peccata ſunt connexa, ita vt qui vnum habet, habeat omnia.

Sed contra: quædam vitia ſunt ſibi inuicem contraria, vt patet per Philoſophum in 2. Ethic. Sed impoſſibile eſt contraria ſimul ineſſe eidem: ergo impoſſibile eſt omnia peccata & vitia ſibi eſſe inuicem connexa.

Reſpondeo dicendum, quòd aliter ſe habet intentio agentis ſecundum virtutem ad ſequendum rationem; & aliter intentio peccantis ad diuertendum à ratione. Cujuſlibet enim agentis ſecundum virtutem intentio eſt, vt ipſius rationis regulam ſequatur: & ideo omnium virtutum intentio in idem tendit, & propter hoc omnes virtutes habent connexionem ad invicem in ratione recta agibilium, quæ eſt prudentia, ſicut ſupra dictum eſt: ſed intentio peccantis non eſt ad hoc, quòd recedat ab eo, quòd eſt ſecundum rationem: ſed potius quòd tendat in aliquod bonum appetibile, à quo ſpeciem ſortitur. Hujuſmodi autem bona, in quæ tendit intentio peccantis à ratione recedens, ſunt diuerſa, nullam connexionem habentia ad inuicem; imo etiam interdum ſunt contraria. Cum igitur vitia & peccata ſpeciem habeant ſecundum illud, ad quod conuertuntur, manifeſtum eſt, quòd ſecundum illud, quod perficit ſpeciem peccatorum, nullam connexionem habent peccata ad inuicem. Non enim peccatum committitur in accedendo à multitudine ad vnitatem, ſicut accidit in virtutibus, quæ ſunt connexæ; ſed potius in recedendo ab vnitate ad multitudinem

Ad primum ergo dicendum, quòd Iacobus loquitur de peccato non ex parte conuerſionis, ſecundum quod peccata diſtinguuntur, ſicut dictum eſt; ſed loquitur de eis ex parte auerſionis, in quantum ſcilicet homo peccando recedit à legis mandato. Omnia autem legis mandata ſunt ab vno & eodem, vt ipſe ibidem dicit: & ideo idem Deus contemnitur in omni peccato: & ex hac parte dicit, quod qui offendit in vno, factus eſt omnium reus: quia ſcilicet vno peccato peccando incurrit pœnæ reatum ex hoc; quòd contemnit Deum, ex cuius contemptu prouenit omnium peccatorum reatus.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, non per quemlibet actum peccati tollitur virtus oppoſita: nam peccatum veniale virtutem non tollit:

Digitized by Google

tollit: peccatum autem mortale tollit virtutem infuſam, in quantum auertit à Deo. Sed vnus actus peccati etiam mortalis non tollit habitum virtutis acquiſitæ: ſed ſi multiplicentur actus, in tantum quod generetur contrarius habitus, excluditur habitus virtutis acquiſitæ, qua excluſa, excluditur prudentia: quia cum homo agit contra quamcumque virtutem, agit contra prudentiam, ſine qua nulla virtus moralis eſſe poteſt, vt ſupra habitum eſt: & ideo per conſequens excluduntur omnes virtutes morales quantum ad perfectum & formale eſſe virtutis, quod habent, ſecundum quòd participant prudentiam; remanent tamen inclinationes ad actus virtutum non habentes rationem virtutis. Sed non ſequitur, quòd propter hoc homo incurrat omnia vitia vel peccata. Primò quidem quia vni virtuti plura vitia opponuntur, ita quòd virtus poteſt priuari per vnum eorum, etiam ſi alterum eorum non adſit. Secundò quia peccatum directè opponitur virtuti quantum ad inclinationem virtutis ad actum, vt ſupra dictum eſt: vnde remanentibus aliquibus inclinationibus virtuoſis, non poteſt dici: quòd homo habeat vitia, vel peccata oppoſita.

Ad tertium dicendum, quòd amor Dei eſt congregatiuus, in quantum affectum hominis à multis ducit in vnum: & ideo virtutes, quæ ex amore Dei cauſantur, connexionem habent. Sed amor ſui diſgregat affectum hominis in diuerſa, prout ſcilicet homo ſe amat, appetendo ſibi bona temporalia, quæ ſunt varia, & diuerſa: & ideo vitia & peccata, quæ cauſantur ex amore ſui, non ſunt connexa.

CONCLUSIO EST NEGATIVA.

Cuius optima ratio traditur à D. Thoma in corp. articuli: eamque nos ſupra quæſt. 65. agentes de connexione virtutum elucidauimus. De compoſſibilitate verò, aut incompoſſibilitate peccati, ſiue mortalis, ſiue venialis, cum virtute vel acquiſita, vel infuſa, quæ tangitur in ſolut. ad 2. diximus diſp. 4. & in comment. ad art. 4. quæſtionis 71.

* *
*

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnia peccata ſint paria?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd omnia peccata ſint paria. Hoc enim peccare eſt, facere quod non licet: ſed facere quod non licet vno & eodem modo in omnibus reprehenditur: ergo peccare vno & eodem modo reprehenditur: non ergo vnum peccatum eſt alio grauius.

2. Præterea: omne peccatum conſiſtit in hoc, quòd homo tranſgreditur regulam rationis, quæ ita ſe habet ad actus humanos, ſicut regula linearis in corporalibus rebus: ergo peccare ſimile eſt ei, quod eſt lineas tranſilire: ſed lineas tranſilire eſt æqualiter & vno modo, etiamſi aliquis longius recedat, vel propinquius ſtet: quia priuationes non recipiunt magis, vel minus: ergo omnia peccata ſunt æqualia.

3. Præterea: peccata virtutibus opponuntur: ſed omnes virtutes æquales ſunt, vt Tullius dicit in Paradoxis: ergo omnia peccata ſunt paria.

Sed contra eſt, quod Dominus dicit ad Pilatum Ioan. 19. Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet: & tamen conſtat, quòd Pilatus aliquod peccatum habuit: ergo vnum peccatum eſt maius alio.

Reſpondeo dicendum, quòd opinio Stoicorum fuit, quam Tullius proſequitur in Paradoxis, quòd omnia peccata ſunt paria. Et ex hoc etiam deriuatus eſt quorundam hæreticorum error, qui ponentes omnia peccata eſſe paria, dicunt etiam omnes pœnas inferni eſſe pares: & quantum ex verbis Tullij perſpici poteſt, Stoici ducebantur ex hoc, quòd conſiderabant peccatum ex parte priuationis tantùm, prout ſcilicet eſt receſſus à ratione: vnde ſimpliciter æſtimantes, quòd nulla priuatio ſuſciperet magis & minus, poſuerunt omnia peccata eſſe paria. Sed ſi quis diligenter conſideret, inueniet duplex priuationum genus. Eſt enim quædam ſimplex & pura priuatio, quæ conſiſtit quaſi in corruptum eſſe: ſicut mors eſt priuatio vitæ, & tenebra eſt priuatio luminis; & tales priuationes non recipiunt magis & minus: quia nihil reſiduum eſt de habitu oppoſito: vnde non minus eſt mortuus aliquis primo die mortis, & tertio, vel quarto, quàm poſt an-

mum, quando iam cadauer fuerit reſolutum. Et ſimiliter non eſt magis tenebroſa domus, ſi lucerna ſit operta pluribus velaminibus, quàm ſi ſit operta vno ſolo velamine totum lumen intercludente. Eſt autem aliqua priuatio non ſimplex, ſed aliquid retinens de habitu oppoſito: quæ quidem priuatio magis conſiſtit in corrumpi, quàm in corruptum eſſe: ſicut ægritudo, quæ priuat debitam commenſurationem humorum; ita tamen quòd aliquid eius remaneat, alioquin non remaneret animal viuum: & ſimile eſt de turpitudine, & aliis huiuſmodi. Huiuſmodi autem priuationes recipiunt magis & minus ex parte eius, quod remanet de habitu contrario. Multum enim refert ad ægritudinem, vel turpitudinem, vtrum plus vel minus à debita commenſuratione humorum vel membrorum recedatur. Et ſimiliter dicendum eſt de vitiis & peccatis: ſic enim in eis priuatur debita commenſuratio rationis, vt non totaliter ordo rationis tollatur; alioquin malum ſi ſit integrum, deſtruit ſe ipſum, vt dicitur in 4. Ethic. Non enim poſſet remanere ſubſtantia actus, vel affectio agentis, niſi aliquod remaneret de ordine rationis: & ideo multum intereſt ad grauitatem peccati, vtrum plus vel minus recedatur à rectitudine rationis. Et ſecundum hoc dicendum eſt, quòd non omnia peccata ſunt paria.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccata committere non licet propter aliquam deordinationem, quam habent: vnde illa, quæ maiorem deordinationem continent, ſunt magis illicita, & per conſequens grauiora peccata.

Ad ſecundum dicendum, quòd ratio illa procedit de peccato, ac ſi eſſet priuatio pura.

Ad tertium dicendum, quòd virtutes ſunt æquales proportionaliter in vno & eodem: tamen vna virtus præcedit aliam dignitate ſecundum ſuam ſpeciem: vnus etiam homo eſt alio virtuoſior in eadem ſpecie virtutis, vt ſupra habitum eſt. Et tamen ſi virtutes eſſent pares, non ſequeretur vitia eſſe paria: quia virtutes habent connexionem; non autem vitia, ſeu peccata.

Prima Concluſio.

Quia peccatum non eſt priuatio in corrupto eſſe; *ſed ſolum* in corrumpi, *non deſtruit totaliter bonum rationis ſibi oppoſitum. Vnde ex parte eius, quod remanet, poteſt ſuſcipere magis & minus.*

Secunda Concluſio.

Non omnia peccata ſunt paria; ſed alia aliis grauiora, ſecundum quòd à medio rationis plus vel minus recedunt.

Hæc ſecunda concluſio citra controuerſiam eſt: quoniam de fide habemus, dari maius & minus inter peccata, & non omnia æqualia eſſe: vt conſtat ex loco, quem D. Thom. adducit in argumento, *Sed contra:* & ex aliis Scripturæ & Patrum teſtimoniis, quæ recentiores Curiel, Zumel, Monteſ. Vaſquez, Martinez, & alij in præſenti adducunt. Circa primam verò concluſionem erit in diſputatione ſpeciale dubium de efficacia diſcurſus Ang. Doctoris.

ARTICVLVS III.

Vtrùm grauitas peccatorum varietur ſecundum obiecta?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd peccatorum grauitas non varietur ſecundum obiecta. Grauitas enim peccati pertinet ad modum, vel qualitatem ipſius peccati: ſed obiectum eſt materia ipſius peccati: ergo ſecundum diuerſa obiecta peccatorum grauitas non variatur.

2. Præterea: grauitas peccati eſt intenſio malitiæ ipſius: peccatum autem non habet rationem malitiæ ex parte conuerſionis ad proprium obiectum, quod eſt quoddam bonum appetibile; ſed magis ex parte auerſionis: ergo grauitas peccatorum non variatur ſecundum diuerſa obiecta.

3. Præterea: peccata, quæ habent diuerſa obiecta, ſunt diuerſorum generum: ſed ea, quæ ſunt diuerſorum generum, non ſunt comparabilia, vt probatur in 7. Phyſ. ergo vnum peccatum non eſt grauius altero ſecundum diuerſitatem obiectorum.

Sed contra: peccata recipiunt ſpeciem ex obiectis, vt ex ſupradictis patet: ſed aliquorum peccatorum vnum eſt grauius altero ſecundum ſuam ſpeciem, ſicut homicidium furto: ergo grauitas peccatorum differt ſecundum obiecta.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ex ſupradictis patet, grauitas peccatorum differt eo modo, quo vna ægritudo eſt alia grauior. Sicut enim bonum ſanitatis conſiſtit in quadam commenſuratione

ratione humorum per conuenientiam ad naturam animalis: ita bonum virtutis conſiſtit in quadam commenſuratione humani actus ſecundum conuenientiam ad regulam rationis. Manifeſtum eſt autem, quòd tantò eſt grauior ægritudo, quantò tollitur debita humorum commenſuratio per commenſurationem prioris principij: ſicut ægritudo, quæ prouenit in corpore humanò ex corde, quod eſt principium vitæ: vel ex aliquo, quod appropinquat cordi, periculoſior eſt: vnde oportet etiam, quòd peccatum ſit tantò grauius, quantò deordinatio contingit circa aliquod principium, quod eſt prius in ordine rationis. Ratio autem ordinat omnia in agibilibus ex fine: & ideo quantò peccatum contingit in actibus humanis ex altiori fine, tantò peccatum eſt grauius. Obiecta autem actuum ſunt fines eorum, vt ex ſupradictis patet: & ideo ſecundum diuerſitatem obiectorum attenditur diuerſitas grauitatis in peccatis, ſicut patet, quòd res exteriores ordinantur ad hominem ſicut ad finem: homo autem ordinatur vlterius in Deum ſicut in finem. Vnde peccatum, quod eſt circa ipſam ſubſtantiam hominis, ſicut homicidium, eſt grauius peccato, quod eſt circa res exteriores, ſicut furtum: & adhuc eſt grauius peccatum, quod immediatè contra Deum committitur, ſicut infidelitas, blaſphemia, & huiuſmodi. In ordine quorumlibet horum peccatorum, vnum peccatum eſt grauius altero, ſecundum quòd eſt circa aliquid principalius, vel minus principale. Et quia peccata habent ſpeciem ex obiectis, differentia grauitatis, quæ attenditur penes obiecta, eſt prima & principalis, quaſi conſequens ſpeciem.

Ad primum ergo dicendum, quòd obiectum etſi ſit materia, circa quam terminatur actus, habet tamen rationem finis, ſecundum quòd intentio agentis fertur in ipſum, vt ſupra dictum eſt: forma autem actus moralis dependet ex fine, vt ex ſuperioribus patet.

Ad ſecundum dicendum, quòd ex ipſa indebita conuerſione ad aliquod bonum commutabile, ſequitur auerſio ab incommutabili bono, in qua perficitur ratio mali: & ideo oportet, quòd ſecundum diuerſitatem eorum, quæ pertinent ad conuerſionem, ſequatur diuerſa grauitas malitiæ in peccatis.

Ad tertium dicendum, quòd omnia obiecta humanorum actuum habent ordinem ad inuicem: & ideo omnes actus humani quodammodo conueniunt in vno genere, ſecundum quod ordinantur ad vltimum finem: & ideo nihil prohibet omnia peccata eſſe comparabilia.

Prima Conclusio.

Secundum diuerſitatem obiectorum attenditur diuerſa grauitas in peccatis.

Secunda Conclusio.

Differentia grauitatis, quæ attenditur penes obiecta, eſt prima & principalis, quaſi conſequens ſpeciem.

Cum in articulo præcedenti oſtenſum fuerit à D. Thoma, dari inæqualitatem inter peccata, eſſéque alia aliis grauiora; modò quærit de principiis, vnde huiuſmodi grauitas, eiuſque exceſſus, aut diminutio deſumi debeat: quod & in reliquis articulis proſequitur. Pro quo nota, quòd ſicut in aliis rebus quædam eſt perfectio eſſentialis, quæ conuenit ex principiis ſpeciei, fundatúrque ſupra earum eſſentiam; & alia accidentalis deſumpta ex proprietatibus vel accidentibus: ita in peccatis alia eſt grauitas eſſentialis, quæ conſequitur immediatè eorum ſpeciem, & deſumitur ex obiecto, à quo ſpecificantur: alia verò eſt accidentalis, quæ attenditur ex circunſtantiis, & accidentibus. De prima grauitate agit ſpecialiter D. Thom. in hoc articulo, quod etiam in duobus ſequentibus proſequitur. De ſecunda autem tractat ex profeſſo in reliquis vſque ad finem quæſtionis. Igitur circa primam concluſionem nihil addendum ſupereſt illis, quæ diximus quæſt. præced. art. 1. & in tract. de bonit. & malit. diſput. 1. & 3. Circa ſecundam verò examinabitur in diſputatione, vtrum illud peccatum ſemper abſolutè ſit maius, quod habet grauius obiectum? ſeu vtrum grauitas, quæ deſumitur ex obiecto, poſſit ſuperari, aut adæquari per grauitatem ex circunſtantiis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum grauitas peccatorum differat ſecundum dignitatem virtutum, quibus opponuntur?

AD quartum ſic procedirur. Videtur quòd grauitas peccatorum non differat ſecundum dignitatem virtutum, quibus peccata opponuntur, vt ſcilicet maiori virtuti grauius peccatum opponatur: quia vt dicitur Proverb. 15. In abundanti iuſtitia virtus maxima eſt: ſicut autem dicit Dominus

Digitized by Google

Matth. 5. Abundans iuſtitia cohibet iram: quæ eſt minus peccatum quàm homicidium, quod cohibet minor iuſtitia: ergo maximæ virtuti opponitur minimum peccatum.

2. Præterea: in 2. Ethicor. dicitur, quòd virtus eſt circa difficile, & bonum: ex quo videtur, quòd maior virtus ſit circa magis difficile: ſed minus eſt peccatum, ſi homo deficiat in magis difficili, quàm ſi deficiat in minus difficili: ergo maiori virtuti minus peccatum opponitur.

3. Præterea: Charitas eſt maior virtus quàm Fides & Spes, vt dicitur 1. ad Corinth. 13. Odium autem, quod opponitur charitati, eſt minus peccatum quàm infidelitas, vel deſperatio, quæ opponuntur Fidei & Spei: ergo maiori virtuti opponitur minus peccatum.

Sed contra eſt, quod Philoſophus dicit in 8. Ethic. quòd peſſimum optimo contrarium eſt: optimum autem in moralibus eſt maxima virtus; peſſimum autem grauiſſimum peccatum: ergo maximæ virtuti opponitur grauiſſimum peccatum.

Reſpondeo dicendum, quòd virtuti opponitur aliquod peccatum vno quidem modo principaliter & directè, quod ſcilicet eſt circa idem obiectum: nam contraria circa idem ſunt: & hoc modo oportet, quòd maiori virtuti opponatur grauius peccatum. Sicut enim ex parte obiecti attenditur maior grauitas peccati; ita etiam maior dignitas virtutis: vtrumque enim ex obiecto ſpeciem ſortitur, vt ex ſupradictis patet. Vnde oportet, quòd maximæ virtuti directè contrarietur maximum peccatum, quaſi maximè ab eo diſtans in eodem genere. Alio modo poteſt conſiderari oppoſitio virtutis ad peccatum ſecundum quandam extenſionem virtutis cohibentis peccatum. Quantò enim fuerit virtus maior, tantò magis elongat hominem à peccato ſibi contrario, ita quòd non ſolùm ipſum peccatum; ſed etiam inducentia ad peccatum cohibet. Et ſic manifeſtum eſt, quòd quantò aliqua virtus fuerit maior, tantò etiam minora peccata cohibet: ſicut etiam ſanitas quantò fuerit maior, tantò etiam minores diſcrepantias excludit: & per hunc modum maiori virtuti minus peccatum opponitur ex parte effectus.

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de oppoſitione, quæ attenditur ſecundum cohibitionem peccati: ſic enim abundans iuſtitia etiam minora peccata cohibet.

Ad ſecundum dicendum, quòd maiori virtuti, quæ eſt circa bonum magis difficile, contrariatur directè peccatum, quod eſt circa malum magis difficile. Vtrobique enim inuenitur quædam eminentia ex hoc, quòd oſtenditur voluntas procliuior in bonum, vel in malum ex hoc, quod difficultate non vincitur.

Ad tertium dicendum, quòd charitas non eſt quicumque amor; ſed amor Dei: vnde non opponitur ei quodcumque odium directè; ſed odium Dei, quod eſt grauiſſimum peccatorum.

Prima Conclusio.

Illud eſt maius peccatum, quod directè opponitur maiori virtuti.

Secunda Conclusio.

Ex parte effectus, & ſecundum virtutis extenſionem, etiam minora peccata præſtantiori virtuti contrariantur.

Pro hac ſecunda concluſione ſufficit litera articuli. Contra primam verò plura extant argumenta, & inſtantiæ, pro quibus ſoluendis, & enucleanda ratione D. Thomæ erit ſpeciale dubium in ſequenti diſputatione.

DISPVTATIO IX.

De grauitate & magnitudine peccatorum.

SICVT in rebus aliis datur ratione perfectionis quædam quantitas & magnitudo ſiue molis, ſiue virtutis, ſecundum quam eas ad inuicem comparamus, vnámque alteri vel æquamus, vel præferimus: ita in peccatis ratione malitiæ & imperfectionis ſua proportionata magnitudo, & quantitas virtualis inuenitur, ſecundum quam illa ad inuicem conferimus, vnúmque alteri vel præferimus, vel æquiparamus. Hæc autem peccati quantitas ſiue magnitudo *grauitas* appellatur: & meritò: nam ſicut corpora ſua grauitate inferius feruntur, & à ſuperiori loco remouentur; ſic rationalis creatura ſuis peccatis & eorum magnitudine infra ſe miſerè deiicitur, & à ſupremo bono ſeparatur: eóque trahitur in maiorem miſeriam, quò peccata ſunt grauiora. De hac igitur magnitudine & grauitate peccatorum præſentem inſtituimus diſputationem: vbi plura dubia pertractanda eſſent, niſi multorum deciſio & ex ipſa D. Thomæ litera, & ex illis, quæ in tract. de bonit. & malit. tradidimus, haberetur. Quapropter illa dumtaxat in

Digitized by Google

in præſenti examinabimus, quæ textus Ang. Doctoris requirit, & quæ nouam difficultatem præſeferunt.

DVBIVM I.

Vtrum ratio D. Thomæ ad probandam inæqualitatem inter peccata, ſit efficax.

QVamvis abſolutè loquendo, circa *an eſt* inæqualitatis peccatorum nulla poſſit eſſe inter Catholicos controuerſia: eo quòd de fide habemus non omnia peccata æqualia eſſe & paria; ſed alia aliis grauiora, vt art. 2. tetigimus: ratio tamen, qua D. Thom. in prædicto articulo vtitur, non omnibus placet: impugnaturque ab aliquibus iunioribus non Thomiſtis: & ideo viſum eſt, Primo loco eius efficaciam examinare.

§. I.

Dubij deciſio.

Caiet. Medin. Aluar. Curiel. Zumel. Monteſ. Greg. Mart.

1. DIcendum eſt rationem Ang. Doctoris efficacem eſſe, & intentum rectè concludere. Ita omnes eius diſcipuli, Caiet. ſupra quæſt. 18. art. 8. Medina, Aluar. Curiel. Zumel, Monteſ. Greg. Mart. & alij in præſenti ad articulum 2. vbi prædictam rationem variis modis exponunt. Hæc autem concluſio nulla alia via melius probabitur, quàm adducendo & explicando prædictam rationem. Pro cuius intelligentia animaduertendum eſt, D. Thomam potiſſimùm agere contra Stoicos, qui ex eo ponebant, peccata omnia æqualia eſſe, quia exiſtimabant, formalem rationem peccati conſiſtere in priuatione, & inter priuationes nullam admittebant inæqualitatem. Hoc ergo Stoicorum fundamentum nititur deſtruere D. Thom. euertendo principium illud, *quod inter priuationes non detur inæqualitas.* Ad quod ſupponit, duplex eſſe priuationum genus: alia enim eſt priuatio ſimplex, & pura, ſeu totalis, quæ in ſuo ſubiecto non relinquit aliquid formæ oppoſitæ; ſed totaliter eam expellit: ſicut mors totaliter excludit vitam, & tenebræ lucem: & hæc dicitur priuatio *in facto*, ſeu *in corrupto eſſe*. Alia autem eſt priuatio, quæ non totaliter corrumpit formam; ſed relinquit eius aliquid in ſubiecto: ſicut ægritudo ita priuat debitam commenſurationem humorum, vt tamen eius aliquid in ſubiecto remaneat: vnde hæc dicitur priuatio *in fieri*, vel *in corrumpi*. Inter has autem priuationes eſt diſcrimen, quia prima non ſuſcipit magis vel minus: nam cum ſtatim auferat totum, quod eſt per eam auferibile, nequit vlterius creſcere: *Et ideo* (ait D. Thom.) *non minus eſt mortuus aliquis primo die mortis, & tertio, vel quarto, quàm poſt annum, quando iam cadauer fuerit reſolutum: & ſimiliter non eſt magis tenebroſa domus, ſi lucerna ſit operta pluribus velaminibus, quàm ſi ſit operta vno ſolo velamine totum lumen intercludente*, &c. Secunda verò poteſt

Animaduerſio.

D.Thom.

eſſe maior & minor, plus vel minus auferendo de eo, quod relinquit: creſcit enim ægritudo, aut decreſcit, ſecundum quòd plus vel minus tollitur debitæ humorum commenſurationis.

2. Ex hac doctrina format D.Thom. in Stoicos ſuam rationem: quia etiamſi peccatum dicat pro formali priuationem, talis priuatio non eſt de primo genere priuationum, quæ dicuntur *in facto eſſe*, conſiſtuntque in indiuiſibili; ſed de genere priuationum *in fieri*, quæ ſuſcipiunt magis & minus: ergo ob hanc rationem non rectè negatur inæqualitas inter peccata. Conſequentia liquet, Antecedens verò ſuadetur: nam priuatio in peccato reperta non priuat tota commenſuratione rationis, quæ eſt forma ſibi oppoſita, nèque deſtruit totum eius ordinem: alioqui non remaneret actus humanus, de cuius conceptu eſt, vt à ratione procedat: proindéque peccatum ſe ipſum deſtrueret, vt D. Thom. arguit: ergo non eſt priuatio *in facto eſſe*; ſed ſolùm *in fieri*. Ratio.

¶ Ad hæc: quoties forma oppoſita priuationi non ex toto corrumpitur, priuatio poteſt magis & magis per ordinem ad illam augeri: ſicut ipſa forma poteſt per talem priuationem magis & magis priuari & diminui: ſed ordo & rectitudo rationis non corrumpitur totaliter, quantumcunque malitia creſcat: aliàs, vt diximus, corrumperetur totus actus, & non remaneret ſubiectum malitiæ: ergo data qualibet priuatione, poterit talis ordinis dari alia, & alia maior: atque adeo maius & maius peccatum conſtitutum per talem priuationem.

§. II.

Principalis obiectio contra rationem D. Thomæ; & variæ ſolutiones.

3. HÆc tamen ratio & diſcurſus D. Thomæ aliquibus diſplicet, præſertim Gabrieli Vaſq. in præſenti diſp. 99. cap. 3. vbi multis probare nititur, priuationem rectitudinis, ſi quæ in peccato admittenda eſt, non eſſe priuationem *in fieri*; ſed debere eſſe totalem & *in facto eſſe*. Unde arguit in hunc modum. Illa eſt priuatio *in facto eſſe*, quæ nihil retinet formæ oppoſitæ: ſed priuatio rectitudinis, quæ reperitur in actu malo, eſt huiuſmodi: ergo, &c. Minorem probat: quia forma oppoſita priuationi, de qua loquimur, eſt rectitudo & bonitas moralis: hæc autem tota deſtruitur in actu per quamcunque malitiam, aliàs actus ille maneret ſimul malus & bonus: ergo, &c. Obiectio.

Nec refert (inquit) quòd in peccato remaneat ſubſtantia actus liberi, vt ait D. Thom. Quoniam prædicta ſubſtantia non eſt forma oppoſita malitiæ priuatiuæ; ſed eius ſubiectum, adeóque ex illius permanentia non habetur, quòd permaneat aliquid prædictæ formæ. Tùm etiam, quia ſi permanentia ſubſtantiæ actûs efficeret priuationem *in fieri*, eò deberet eſſe maior, vel minor priuatio, adeóque maius, vel minus peccatum, quò plus, vel minus remanet prædictæ ſubſtantiæ: hoc autem manifeſtè eſt falſum: quia peccatum odij Dei v. g. maius peccatum eſt, quàm peccatum infidelitatis: & tamen non eſt minoris

Digitized by Google

entitatis aut ſubſtantiæ : ergo , &c. ¶ Ad hæc: quò intenſior eſt operatio peccaminoſa, eò plus ibi eſt ſubſtantiæ actus : & tamen non idcirco habet minorem priuationem, aut minorem malitiam : ergo , &c. Sic Vaſquez.

4. Huic obiectioni occurrit primò Caietanus vbi ſupra negando minorem. Ad probationem verò reſpondet dupliciter poſſe exponi , cum D. Thom. ait priuationem exiſtentem in peccato non corrumpere totum bonum oppoſitum : vel permiſſiuè : quia in aliquibus peccatis ſimul cum malitia remanere permittitur bonitas moralis : vt cum actus habens bonum obiectum , ordinatur ad malum finem , puta elargitio eleemoſynæ ad inanem gloriam: tunc enim ſimul cum malitia , quæ deſumitur ex fine, remanet bonitas deſumpta ex obiecto. Vel poſitiuè de omnibus peccatis : quia quamtumvis praua ſint , retinent aliquem ordinem rationis genericum , nempe ad finem vltimum, & ad bonum in communi : repugnat enim, quòd actus ſit liber ; & quòd hujuſmodi finem non reſpiciat : vnde quia hic ordo eſt aliqua bonitas moralis generica ; idcirco manente ſubſtantia actus peccaminoſi , nunquam tota bonitas moralis deſtruitur ; nec priuatio eius , quamtumvis creſcat , eſt priuatio totalis. Et hanc poſteriorem interpretationem adhibent etiam Aluar. in præſenti num. 5. Gregorius Mart. & quidam alij Juniores Thomiſtæ.

Prima ſolutio.

Sed neutra expoſitio placet. Prima verò ſatis à nobis impugnata fuit in tract. de bonit. diſp. 6. dub. 1. vbi oſtendimus , bonitatem formalem (de qua bonitate Caiet. loquitur) & formalem malitiam eſſe omnino incompoſſibiles reſpectu ejuſdem actus : vide , ſi placet, quæ ibi diximus. ¶ Addimus deinde , quòd etiam ſi vera eſſet opinio Caietani , non fieret ſatis propoſitæ obiectioni per prædictam ſolutionem. Quoniam juxta Cajetani doctrinam coexiſtentia malitiæ cum bonitate morali non inuenitur in omnibus peccatis ; ſed in illis dumtaxat actibus , qui cum habeant bonum obiectum , vitiantur ratione finis , vel alterius circunſtantiæ : vt cum aliquis dat eleemoſynam propter inanem gloriam. Vbi verò actus ex objecto fuerit malus , non admittit Cajetanus poſſe retinere bonitatem ex aliis principiis. In his ergo peccatis , quæ ſunt talia ex objecto ſemper militat propoſita difficultas, vt intuenti conſtabit.

Deſeritur.

5. Secunda expoſitio etiam corruit ex illis , quæ prædicto tract. diſp. 5. num. 46. & 47. diximus : vbi docuimus illum ordinem ad vltimum finem vel bonum in communi , qui remanet in quolibet actu libero , non pertinere formaliter ad genus moris ; ſed ad genus phyſicum : & ideo ex eo quòd talis ordo in peccato permaneat , non ſequitur , quòd maneat in illo aliqua formalis bonitas moralis , ſiue ſpecifica , ſiue generica. Sed deinde impugnatur : quia forma , quæ opponitur priuationi repertæ in peccato , eò magis corrumpitur & minuitur , quò priuatio ipſa amplius augetur : ſicut & priuatio eo amplius augetur , quò malitia peccati magis creſcit : at verò ille ordo genericus ad vltimum finem in communi non minuitur in aliquo peccato per augmentum malitiæ ; imò ſæpeſæpius augetur : multóque perfectius inuenitur in actu odij Dei plene voluntario , & valde intenſo , quàm in actu remiſſo , aut ſemiplene deliberato : cum tamen in hoc minor ſit malitia , quàm in illo : ergo prædictus ordo non eſt forma oppoſita priuationi , de qua loquimur.

Confirmatur : quoniam prædicta forma debet eſſe talis conditionis , vt ad augmentum malitiæ actus diminuatur per priuationem ; tantóque ſit minor , quantò malitia eſt major: hoc autem non verificatur de ordine illo ad finem in communi (ſaltem vt à ſuis auctoribus exponitur.) Aut dicant quid minus iſtius ordinis ſit in actu odij intenſo , & perfectè libero , quàm in remiſſo , vel libero ſemiplene , in quo eſt longe minor malitia. Quinimo cum ordo prædictus nihil ſit aliud , quàm affectus voluntatis ad bonum in communi ; ratione cuius appetit , quicquid appetit in objecto peccaminoſo , neceſſe eſt vt eò magis creſcat , quò voluntas intenſiùs & cum maiori cognitione fertur in obiectum peccati , atque adeo quò grauiùs delinquit : non ergo hæc erit forma oppoſita priuationi , de qua loquimur.

6. Secundò reſpondent Curiel in comment. huius art. Zumel dub. 1. concluſ. 3. & alij , admittendo , in ipſo actu peccati nihil bonitatis moralis remanere ; aiunt tamen priuationem eius eſſe *in fieri* : quia in ſubiecto peccati , ſcilicet in voluntate , non deſtruit totum ordinem rationis ; ſed relinquit aliquam eius partem , & aliquam bonitatem moralem, quam non corrumpit. Explicant exemplo homicidij, quod licèt deſtruat rectitudinem iuſtitiæ ; non tamen deſtruit rectitudinem temperantiæ ; ſed poteſt ſimul cum illa in voluntate permanere. Unde ſi tale peccatum ita creſceret , vt pertingeret ad malitiam intemperantiæ , adeóque ſimul cum rectitudine juſtitiæ expelleret à voluntate temperantiæ rectitudinem : eius priuatio eſſet major , minuſque formæ oppoſitæ in ſubiecto relinqueret. Quod ſatis oſtendit , prædictam priuationem non eſſe conſummatam , & *in facto eſſe* ; ſed ſuſcipere magis & minus. Poteſtque iuuari hæc ſolutio exemplo , quod D. Thom. inducit de ægritudine , quam dicit eſſe priuationem *in fieri* reſpectu commenſurationis humorum. Etenim hujuſmodi priuatio non ideo dicitur *in fieri* , quaſi in ipſamet ægritudine aliquid oppoſitæ commenſurationis remaneat ; ſed quia in eius ſubiecto , ſcilicet in animali , non tota proportio humorum deſtruitur : ergo vt dicamus priuationem , quæ eſt in peccato , eſſe priuationem *in fieri* reſpectu rectitudinis moralis , non eſt neceſſe , quòd in ipſo peccato aliquid iſtius rectitudinis remaneat : ſed quòd in ſubiecto eius , nempe in voluntate non tota deſtruatur.

Secunda ſolutio.

Hæc ſolutio ſi intendat , priuationem in peccato repertam ex eo non eſſe conſummatam , quia relinquat in voluntate aliquam moralem bonitatem , ſiue rectitudinem actualem , quam non relinquat in ipſo actu peccati , ſuſtineri non poteſt. Quoniam voluntas nequit eſſe ſubiectum huiuſmodi rectitudinis , ſicut neque oppoſitæ priuationis niſi mediante actu , vt diſp. 6. dub. 1. probauimus : ergo vel prædicta priuatio non ex toto auſert rectitudinem ab actu peccaminoſo ; vel nihil eius relinquit in voluntate. Nec licet recurrere

Iudicium huius ſolutionis.

Digitizec

rere ad alium actum non peccaminoſum, in quo permaneat illa rectitudo: quia perſpicuum eſt (ſaltem vt in plurimum) non adeſſe huiuſmodi actum, quando voluntas peccat.

¶ Cæterùm ſi prædicta ſolutio intelligatur de rectitudine voluntatis radicali, ſeu aptitudinali, & ſenſus ſit, quòd peccatum diminuat quodammodo hanc rectitudinem; nunquam verò illam ex toto corrumpat, proculdubio eſt probabilis: nam iuxta doctrinam D. Thomæ infra quæſt. 85. art. 2. & quæſt. 2. de mal. art. 11. quodlibet peccatum habet diminuere naturalem inclinationem ad bonum, in qua rectitudo radicalis & aptitudinalis voluntatis conſiſtit: cumque nullum, quantumcumque multiplicentur, totaliter eam deſtruat, quodlibet dici poteſt corruptio vel priuatio eius *in fieri*.

7. Verùm neque hoc modo explicata ſolutio eſt omnino adæquata. Tùm quia Ang. Doctor in præſenti de ea priuatione loquitur, in qua iuxta Stoicorum opinionem peccatum actuale pro formali conſiſtit: hæc autem non eſt priuatio ſolius rectitudinis radicalis voluntatis; ſed magis eſt priuatio rectitudinis actualis formalis, vel fundamentalis debitæ eius actibus, vt defendunt ferè omnes, qui prædictam opinionem tuentur: ergo non tantùm reſpectu illius primæ rectitudinis, ſed etiam reſpectu huius poſterioris verificari debet, quòd peccatum eſt priuatio *in fieri*, & quod non eam ex toto corrumpit. Tùm etiam quia adhuc in via D. Thomæ datur in quolibet actu peccaminoſo priuatio rectitudinis aliquo modo actualis, conſequens ad malitiam poſitiuam, vt diſp. 6. dub. 1. & 6. probauimus: vnde cum neque iſta priuatio ſit *in facto eſſe*; de illa etiam verificari debet, quòd non deſtruit totam formam oppoſitam: atque adeo quòd relinquit aliquid prædictæ rectitudinis in ipſo actu.

Neque exemplum de ægritudine eſt in fauorem huius ſolutionis: quia ægritudo, cum ſit nomen abſtractum, non ſignificat aliquid, quod poſſit eſſe ſubiectum neque commenſurationis humorum, neque priuationis illius; ſed ſolùm ſignificat formam oppoſitam prædictæ commenſurationi. Unde illa commenſuratio, quam relinquit, non in ipſa ægritudine; ſed in animali, quod eſt vtriuſque immediatum ſubiectum, debet remanere. Peccatum verò cum ſit nomen concretum, non tantùm dicit formam, vel priuationem oppoſitam rectitudini, quæ eſt malitia; ſed dicit etiam actum humanum, qui eſt immediatum ſubiectum malitiæ & rectitudinis. Unde ita ſe habet actus humanus reſpectu malitiæ & bonitatis, priuationis rectitudinis, & ipſius rectitudinis; ſicut animal reſpectu ægritudinis & ſanitatis, ſeu reſpectu commenſurationis humorum, & priuationis huius commenſurationis. Quare ex hoc exemplo ſolùm habetur, quòd ſicut commenſuratio illa humorum, quæ non deſtruitur per ægritudinem, non in ipſa ægritudine; ſed in animali, quod eſt ſubiectum ægritudinis, ſuſcipitur: ita rectitudo rationis, quæ non deſtruitur per malitiam, non in ipſa malitia; ſed in actu, qui eſt malitiæ ſubiectum, debet remanere.

8. Tertia & probabilior ſolutio ait priuationem peccati dici *in fieri*: non quia aliqua formalis bonitas moralis in peccato, aut in voluntate ſimul cum malitia permaneat; ſed quia nullum peccatum eſt, in quo omnes circunſtantiæ bonæ ſint corruptæ: aut quod ita deſtitutum ſit rectitudine rationis, vt non poſſit amplius & amplius illa priuari. Hanc proſequitur Monteſ. diſp. 5. quæſt. 3. & alij. Adhuc tamen non omnino rem explicat: quia non ſatis oſtendit, quæ ſit illa rectitudo, quæ ſimul cum malitia remanet in actu peccati: aut ſi nulla remanet, quare non dicatur priuari *in facto eſſe*? Quòd enim non omnes circunſtantiæ bonæ corrumpantur, quid ad rem, dum actus ab huiuſmodi circunſtantiis nullam bonitatem deſumit? alioqui ſi eam deſumeret, remaneret ſimul bonus & malus: oportet ergo rem hanc radicitùs explicare. *Tertia ſolutio probabilior.*

§. III

Legitima explicatio rationis D. Thomæ & obiectionis ſolutio.

Legitima ergo ſolutio obiectionis, & rationis D. Thomæ expoſitio petenda eſt ex illis, quæ diſp. 6. à num. 24. diximus: vbi probauimus, malitiam priuatiuam exiſtentem in actu peccati non eſſe immediatè priuationem rectitudinis, ſeu bonitatis formalis; ſed rectitudinis & bonitatis fundamentalis. Quæ, vt ibidem diximus, integratur ex omnibus illis quæ ad fundandam bonitatem formalem immediatè concurrunt, videlicet ex tendentia phyſica actus ad obiectum, finem, circunſtantias, &c. quæ apta ſunt conferre bonitatem formalem. Inter quæ etiam connumerari debet ordo & reſpectus, quem quilibet actus liber dicit ad rationem tanquam ad principium, ex quo procedit, vt infra magis declarabimus. Hoc igitur ſuppoſito; ad obiectum reſpondetur negando minorem. Ad probationem verò concedimus, in actu peccaminoſo nullam remanere bonitatem formalem ſimul cum malitia: remanet tamen aliqua bonitas & rectitudo fundamentalis: hæc enim in nullo peccato quantumcunque graui tota deſtruitur. Vnde quia hujuſmodi rectitudo fundamentalis eſt propria forma oppoſita priuationi peccati, optimè per ordinem ad illam verificatur prædictam priuationem, quantumcunque creſcat, ſemper eſſe priuationem *in fieri*; eóque maiorem vel minorem, quò plus aut minus huius fundamentalis rectitudinis tollit, vel relinquit. *Vera ſolutio.*

9. Quòd verò nullum ſit peccatum, in quo tota rectitudo fundamentalis corrumpatur, ex eo conſtat, quia nullus dabitur actus ita malus, vt omnia moralia principia, quæ ad ipſum concurrunt, & ad quæ dicit habitudinem, puta obiectum, finis, circunſtantiæ, *quis, quid, vbi, quando*, &c. ſint obiectiuè vitioſa, & conferant ei malitiam. Quodcunque verò ex prædictis principiis non det actui malitiam, eo ipſo confert bonitatem aliquam fundamentalem: quæ nihil aliud eſt, niſi tendentia phyſica actus ad tale principium. Et hoc voluit Philoſophus in 4. Ethic. cap. 5. vbi probat nullum peccatum poſſe eſſe malum vſque in ſummum: quia nullum eſt, cuius omnia principia & circunſtantiæ ſint obiectiuè mala & vitioſa: ſiue (vt ipſe loquitur) *non*

tidem vniuerſa inſunt, ſcilicet mala & contraria rationi: ſed vbi finis rationi diſſonat, non diſſonat obiectum; aut ſi vtrumque diſſonat, non diſſonat circunſtantia loci, aut circunſtantia temporis, aut aliqua alia: & ratione eius, quod non diſſonat, remanet bonitas fundamentalis.

Hoc etiam explicuit D. Thom. quæſt. 2. de mal. art. 9. exemplo illius, qui inordinatè comedit. Nunquam enim hæc inordinatio eſt adæquata, & reſpectu omnium, quæ in actu comedendi concurrunt: ſed ſi vitietur finis aut obiectum, comedendo quod non oportet, aut propter quod non oportet; aliqua alia circunſtantia remanebit non vitiata: quia ſaltem comedet vel *vbi*, vel *quantum*, vel *quomodo* oportet: & quia nunquam ex omnibus iſtis capitibus habebit malitiam; ſemper ex aliquo retinebit bonitatem fundamentalem. Quod magis declarat in 2. diſt. 42. quæſt. 2. art. 5. vbi in
D.Thom. ſolut. ad 2. ſic ait: *Dicendum, quod in quolibet peccato eſt aliquid virtutis: virtus enim conſtituitur ex æqualitate omnium circunſtantiarum: non eſt autem poſſibile, vt Philoſophus in 4. Ethic. dicit, vt omnium circunſtantiarum corruptio fiat: & ideo aliquid virtutis in actu peccati remanet, & ideo habet peccatum aliquam permixtionem ad virtutem*, &c. Quæ doctrina cum non verificetur de rectitudine aut bonitate formali virtutis, intelligenda eſt de fundamentali, vt explicuimus.

Obiectio. 10. Sed objicies, quòd non repugnat, metaphyſicè loquendo, actus, qui ex obiecto, & omnibus circunſtantiis vitioſus ſit: ergo hujuſmodi actus nullam habebit bonitatem etiam fundamentalem. Antecedens probatur: quia non repugnat, aliquem eodem actu comedere, quod non oportet, & propter finem, quem non oportet, & plus quàm oportet, & *vbi, quando*, & *quomodo* non oportet: vt ſi feria ſexta cum aliorum ſcandalo extra debitum locum comedat carnem humanam in nimia quantitate, & comedat propter inanem gloriam, & comedat *præproperè, ardenter, ſtudioſè*, &c. In quo ſane actu nulla apparet circunſtantia, quæ non ſit vitiata & corrupta, vt intuenti conſtabit.

Diluitur primò. Reſpondetur ſaltem id repugnare, moraliter loquendo; & ſaltem regulariter non continget. Hoc autem ſufficit aſſumpto D. Thomæ: quia non intendit probare, omnia peccata debere in quocunque euentu eſſe inæqualia; ſed quòd non omnia ſunt æqualia, & quòd in omnibus poteſt reperiri *magis* vel *minus* ex parte priuationis. Quod optimè verificatur, licet admitteremus non repugnare metaphyſicè actum priuatum omni rectitudine fundamentali: nam plura alia peccata non priuarentur tota illa rectitudine: & adhuc in tali peccato priuatio, quæ ſupponitur non poſſe eſſe maiorem, ſaltem poſſet eſſe minor, quo ſatis oſtenditur contra Stoicos peccatorum inæqualitas.

Alia ſolutio 11. Secundò, & melius, magiſque ad mentem D. Thomæ reſpondetur negando poſſe, adhuc metaphyſicè, dari actum peccaminoſum ſine vlla rectitudine fundamentali: quia ſaltem debet manere in illo habitudo ad rationem ſicut ad principium, vnde procedit: quia proceſſus à ratione & habitudo ad illam eſt de conceptu cuiuſlibet actus liberi: & hoc ipſum, quod eſt procedere ex principiis rationis, & cum reſpectu ad ipſam rationem, eſt aliqua bonitas & rectitudo fundamentalis: imò eſt id, ſupra quod tota bonitas moralis fundatur, & ratione cuius debetur prædicto actui, vt habeat bonum finem vel obiectum: vt diſp. 6. num. 2. & 3. explicuimus. Et hoc eſt, quod ait Ang. Doctor in D. Thom.
hoc art. 2. in fine corporis: *Similiter dicendum eſt in vitiis & peccatis: ſic enim in eis priuatur debita commenſuratio rationis, vt non totaliter ordo rationis tollatur: alioqui malum, ſi ſit integrum, deſtruit ſe ipſum, vt dicitur in 4. Ethic. non enim poſſet remanere ſubſtantia actus, vel affectio agentis, niſi aliquid remaneret de ordine rationis*. Itaque fundamentum moralis rectitudinis non ſolùm eſt tendentia actus ad obiectum, finem, & circunſtantias, à quibus tanquam à termino poteſt ſumere bonitatem & rectitudinem formalem; ſed etiam pertinet ad huiuſmodi fundamentum ordo, quem ipſe actus dicit ad rationem ſicut ad principium, vnde procedit: quia ratione iſtius proceſſus exigit finem vel obiectum bonum: adeoque fundat, & initiat eandem bonitatem, quam finis vel obiectum tribuet. Et quia prædictus ordo non omnino diſtinguitur ab ipſa ſubſtantia actus liberi, impoſſibile eſt, quòd totaliter deſtruatur, manente prædicta ſubſtantia.

Sed vrgebis primò, quòd huiuſmodi ordo ad Replica.
rationem ſecundum ſe non magis fundat rectitudinem quàm malitiam; ſed eſt indifferens ad vtranque, & æqualiter vtriuſque ſubiectum: ergo non poteſt dici rectitudo fundamentalis. ¶ Deinde talis ordo nec tollitur, nec diminuitur per priuationem; ſed ita integer perſeuerat in actu malo, ſicut in bono: ergo non eſt forma oppoſita priuationi, quæ reperitur in peccato: quippe huiuſmodi forma non poteſt non corrumpi, vel diminui per ipſam priuationem. ¶ Adde, non ſolùm non diminui prædictum ordinem; ſed augeri & creſcere ad augmentum malitiæ, & priuationis: cum enim intenditur actus peccati & eius cognitio, intenditur etiam ille ordo: & per hoc intenditur etiam & augetur malitia.

12. Reſpondetur ad primum negando an- Enodatur.
tecedens quoad primam partem: quia licèt ordo ad rationem in communi ſumptus, phyſicè ſit capax per modum ſubiecti bonitatis & malitiæ; moraliter tamen exigit determinatè primam, & repugnat illi ſecunda, vt explicuimus diſp. 6. à num. 7. & propter hanc exigentiam rectè connumeratur inter illa, quæ ad integrandam bonitatem fundamentalem concurrunt. ¶ Ad ſecundum dicas prædictum ordinem poſſe ſumi vel ineſſe rei & materialiter; vel formaliter in ratione fundamenti rectitudinis: & quamvis primo modo non diminuatur per priuationem; imo aliquando ad augmentum malitiæ augeatur, vt conuincit replica; ſecundo tamen modo verè diminuitur, quando malitia creſcit: nam quo majori malitiæ coniungitur, eò magis elongatur & impeditur à fundanda bonitate, & ratione huius elongationis diminuitur formaliter in eſſe fundamenti. Qualiter verò fiat hæc diminutio; & cur, quantumvis creſcat, nunquam prædictam rationem fundamenti ex toto corrumpat, declarat in ſimili D. Thom. infra quæſt. 85. art. 2. & ibi noſter commentarius. Per quod patet ad illud, quod additum

Digitized by Google

tum fuit in fine huius replicæ.

Dices, quòd iuxta hanc doctrinam etiam poſſet ſuſtineri ſecundus modus Caiet. quem num.5. impugnauimus: nam etſi ordo ille genericus: quem quilibet actus humanus dicit ad vltimum finem in communi, non ſit bonitas moralis formalis, neque ad augmentum malitiæ diminuatur in eſſe rei; dici tamen poterit, quòd pertinet ad bonitatem fundamentalem, & quòd in ratione fundamenti formaliter diminuitur; non ſecùs atque ordo, quem actus dicit ad rationem: non ergo debuimus prædictum dicendi modum rejicere.¶ Reſpondetur, nos impugnaſſe illum dicendi modum, vt à ſuis auctoribus proponitur, qui loquuntur de bonitate formali; neque bonitatis fundamentalis alicubi meminere: neque etiam explicant, aut inſinuant, qua ratione cum ille ordo genericus in eſſe rei augeatur ad augmentum malitiæ; in eſſe fundamenti bonitatis diminuatur. Quòd ſi ex doctrina modò tradita prædictum dicendi modum ad noſtrum volueris reducere, inficias non ibimus.

Ex quibus non ſolùm obiectio Gabrielis Vaſquez manet ſoluta; ſed & ratio D.Thomæ explicata, atque elucidata. Ad illa verò duo, quæ idem Vaſquez replicat, conſtat ex modò dictis, qualiter ſubſtantia actus peccaminoſi, vt dicit ordinem ad rationem, habeat rationem fundamenti reſpectu formalis rectitudinis, ac proinde ſit rectitudo fundamentalis, quæ eſt forma oppoſita priuationi: quamuis etiam aliàs reſpectu malitiæ ſit ſubiectum. Et quomodo in ratione prædicti fundamenti diminuatur ad augmentum malitiæ quamuis materialiter & in eſſe entis intendatur.

§. IV.

Alia via enucleatur ratio Diui Thomæ, & obiectio diluitur.

13. Alia via poſſumus explicare rationem D.Thomæ, & qualiter, quantumcumque malitia peccati creſcat, ſemper ſit priuatio *in fieri*. Ex quo ad obiectionem initio propoſitam aliter etiam occurremus. Pro quo nonnulla animaduertere opus eſt. Primò, quòd ſicut ad rationem priuationis non ſufficit non adeſſe formam in ſubiecto, niſi adſit debitum habendi talem formam: & ideo vbi deeſt debitum, abſentia formæ non habet rationem priuationis: ita ad hoc vt carentia alicuius formæ, quæ in ratione ſimplicis carentiæ eſt totalis, ſit etiam totalis in ratione priuationis, adeóque priuatio *in facto eſſe*; non ſufficit quòd nihil illius formæ in ſubiecto remaneat; ſed requiritur, quòd tota forma ſecundum totam ſuam latitudinem ſubiecto debeatur: taliter quòd huiuſmodi debitum (ſaltem quando forma ipſa in ſubiecto non ponitur) ad nihil amplius prædictæ formæ poſſit extendi. Si autem debitum non ſit adæquatum modo dicto: ſed pars formæ ſubiecto debetur, & pars non debetur, poteſt autem deberi; abſentia talis formæ non eſt priuatio totalis, quia non eſt priuatio reſpectu totius formæ: ſed reſpectu partis, quæ debetur, eſt priuatio; reſpectu verò eius, quæ non debetur, eſt nuda carentia, vel negatio.

Animaduerſio.

Quare ſicut ex duobus capitibus prouenire poteſt, quòd aliquod ſubiectum abſolutè non ſit priuatum aliqua forma, vel quia habet formam, quæ ſibi debetur: vel quia forma, quam non habet, non eſt ipſi debita: ſic quòd aliqua priuatio non ſit totalis, poteſt ex duobus ſimilibus capitibus ortum ducere: vel quia non totam formam debitam aufert à ſubiecto; ſed partem aufert, & partem relinquit: vel quia forma, quam ex toto aufert, non tota eſt debita; ſed pars debetur, & pars non debetur: quæ tamen deberi poteſt, etiam ſi nihil formæ in ſubiecto ponatur. Ex quo patet, quòd non eſt idem, ſubiectum carere tota aliqua forma, & priuari totaliter illa forma, vbi forma non eſt totaliter debita. Et rurſus quòd dum plus formæ poteſt eſſe debitum ſubiecto, priuatio illius ſemper poteſt eſſe maior, quamuis nihil talis formæ in ipſo relinquat. Sicut enim exiſtente eodem debito, priuatio, quæ non totam formam aufert, creſcit ad diminutionem eius, quod relinquit: & eo eſt maior, quò minus relinquitur: ita cum nihil formæ relinquitur, poteſt priuatio creſcere ex eo ſolum, quòd debitum formæ augeatur, ſeu ex eo quod plus formæ ſubiecto fiat debitum. Vnde quoad augendam priuationem in ratione priuationis, augmentum debiti æquiualet diminutioni formæ, cuius eſt priuatio.

14. Secundo animaduertendum eſt ex dictis diſp.6. dub.1. & 2. quòd ſicut ex eo quòd actus humanus procedit à ratione, debetur ei aliqua rectitudo rationis vagè ſumpta: ita ex hoc quòd ratione obiecti determinatur ad talem vel talem materiam, puta iuſtitiæ, debetur ei rectitudo iuſtitiæ: & ſi vlterius ratione alterius circunſtantiæ tranſit ad materiam v. g. temperantiæ, debetur illi vltra rectitudinem iuſtitiæ rectitudo temperantiæ: & ſic de aliis. Quòd ſi in materia eiuſdem virtutis diuerſas partes obiectiuas attingat, debitæ illi erunt diuerſæ rectitudines intra eandem materiam. Adeóque vniuerſaliter loquendo, tot rectitudines cuilibet actui humano debentur, quot fuerint materiæ virtutum, aut partes obiectiuæ materiæ eiuſdem virtutis, in quibus exercetur. Imò intra eandem materiam debetur cuilibet actui maior, vel minor rectitudo iuxta modum, conatum, durationem, & intenſionem ipſius actus. Vnde ſi actus habet plures gradus intenſionis, debentur ei plures gradus rectitudinis ſecundum intenſionem: & ſi habet plures partes ſecundum durationem, debentur ei plures partes rectitudinis ſecundum durationem: & ſic de aliis circunſtantiis, quæ non mutant ſpeciem, ſed pertinent ad modum actus, augéntque ex hac parte bonitatem vel malitiam. Sicut enim ex communi ratione actus humani debetur ei rectitudo rationis in communi, & ex determinatione materiæ, in qua exercetur, rectitudo propria talis materiæ: ita ex tali vel tali modo, quo actus à ratione procedit, prædictámque materiam attingit, debita eſt illi rectitudo, ſeu augmentum rectitudinis, quæ eſt propria eiuſdem modi: vt ita in omnibus debita proportio ſeruetur.

Alia animaduerſio.

Tertiò obſerua, quòd ſicut nullus dabitur actus humanus, qui circa tot materias virtutum verſetur, vt non poſſit plures & plures vſque in infinitum attingere: quia ſaltem ex parte finis poſſunt ei apponi circunſtantiæ ſyncategorematicè

Tertia obſeruatio.

maticè infinitæ: ita nullus dabitur, cui tot de facto debeantur rectitudines, quin plures & plures vſque in infinitum deberi poſſint ratione prædictarum materiarum, ad quas poteſt extendi. Imò intra eandem materiam ſicut repugnat dari actum adeo intenſum, vt non valeat amplius & amplius intendi: ſic etiam repugnat dari actum cum debito habendi tot gradus rectitudinis ex iis, qui correſpondent intenſioni, quin plures & plures poſſint illi deberi, idémque ſeruata proportione, dicendum eſt de duratione, & de aliis circunſtantiis, quæ moralitatem augent. Et ratio eſt ea, quam tradidimus: quia ſcilicet creſcente actu aut in extenſione ad nouas materias, aut in intenſione vel duratione circa eandem, aut in attingentia alicuius alterius circunſtantiæ moralis, creſcit debitum habendi nouam rectitudinem ex ſimilibus materiis vel circunſtantiis. Quare ſicut actus in hoc, quod eſt extendi ad illas, nullum terminum, vltra quem non poſſit pertingere: ſic etiam augmentum prædicti debiti nullum habet finem, vltra quem non poſſit creſcere.

Formatur diſcurſus. 15. His prænotatis, poſſumus diſcurſum D. Thomæ ita enucleare. Nam impoſſibile eſt, quòd malitia & priuatio alicuius peccati ita creſcat, vt ſaltem non relinquat indeſtructam ipſam ſubſtantiam actus peccaminoſi cum aliquo ordine ad rationem tanquam ad principium, ex quo procedit; alioqui ſi hæc corrumperentur, peccatum deſtrueret ſe ipſum: at eo ipſo quòd ſubſtantia actus cum prædicto ordine permaneat, nequit, etiamſi nihil rectitudinis retineat, eſſe ita illa priuatus, vt non poſſit magis ac magis vſque in infinitum priuari: ergo prædicta priuatio, quantumcumque malitia creſcat, non erit *in facto eſſe*; ſed dumtaxat *in fieri*. Maior & conſequentia conſtant. Minor verò ex his, quæ prænotauimus, videtur perſpicua: nam dum remanet actus cum ordine ad rationem, nunquam poteſt eſſe ei debita tanta rectitudo, neque ex tot capitibus, vt ratione extenſionis poſſibilis ad nouam materiam, aut ratione maioris intenſionis vel durationis, quam poteſt habere intra eandem, vel alicuius alterius circunſtantiæ, non poſſit maior & maior rectitudo eidem actui deberi: ergo nunquam erit ita rectitudine priuatus, vt non poſſit magis ac magis vſque in infinitum priuari. Creſcit enim priuatio, vt diximus, iuxta augmentum debiti habendi formam, cuius eſt priuatio: & ideo ſi debitum non ſiſtit; ſed poteſt eſſe ad habendum plus, ac plus rectitudinis; priuatio etiam poteſt eſſe maior, & maior iuxta augmentum debiti.

Confirmatio. 16. Confirmatur, & explicatur: nam ad hoc vt carentia alicuius formæ abſolutè non ſit priuatio, ſufficit, quòd forma ipſa abſolutè non ſit debita, etiam ſi nihil eius in ſubiecto ſit: & ad hoc vt talis carentia abſolutè tranſeat à ſimplici carentia in priuationem, ſatis eſt, vt prædicta forma abſolutè tranſeat à non debita ad eſſe debitam, & re ipſa non detur; quamuis nihil eius in ſubiecto præceſſerit, quod de facto per talem priuationem expellatur: ergo ad hoc vt carentia huiuſmodi formæ ſit priuatio reſpectu alicuius partis talis formæ, & non ſit priuatio ſed nuda carentia reſpectu alterius, ſatis erit, quòd prima illa pars ſubiecto debeatur: ſecunda verò non debeatur: quamuis nihil talis formæ fuerit in prædicto ſubiecto. Quòd ſi debitum ad aliam & aliam partem, ſeu prædictæ formæ gradum extendatur, neceſſe erit, vt priuatio creſcat, dum ſit priuatio omnium talium partium ſeu graduum, ad quæ debitum pertingit. Cum igitur debitum habendi plures ac plures partes, vel gradus rectitudinis in actu humano in infinitum creſcere poſſit, vt habetur ex vltimo notabili; conſequens eſt, vt eius priuatio ſemper etiam poſſit creſcere, adeóque quòd ſemper ſit priuatio *in fieri*.

Confirmatur, & explicatur ſecundo in iis, quæ de facto contingunt. Actus enim, qui ſolùm verſatur circa materiam iuſtitiæ, & in hac materia eſt inordinatus, ſicut non habet aliam malitiam præter malitiam iniuſtitiæ; ita carentia rectitudinis, quam habet, non eſt propriè priuatio niſi reſpectu rectitudinis iuſtitiæ: reſpectu verò rectitudinis aliarum virtutum, quamuis eam non habeat, non eſt propriè priuatio; ſed nuda carentia, vt omnes concedunt: non alia ratione niſi quia dum actus non egreditur materiam iuſtitiæ, non debetur ei rectitudo alterius virtutis: ſi autem prædictus actus extendat ſe ad materiam religionis, puta quia pertingat ad res ſacras, ſi in hac materia fuerit etiam inordinatus, & habuerit malitiam irreligioſitatis: eo ipſo habebit etiam priuationem rectitudinis religionis: eo quòd ratione materiæ debetur ei iam talis rectitudo: atque hoc modo, proportione ſeruata, quot fuerint materiæ virtutum, ad quas prædictus actus ſe extenderit, tot poterit habere priuationes rectitudinis talium virtutum: quas ſanè non haberet, ſi prædictas materias non attingeret: non quia haberet oppoſitam formam ſeu rectitudinem; ſed quia non haberet debitum habendi talem formam & ideo quamuis illa careret, hæc carentia non eſſet propriè priuatio; ſed negatio: ergo vniuerſaliter verum erit, quòd ſicut actus peccaminoſus ſemper poteſt ad plures materias vel circunſtantias extendi: ita ſemper poteſt creſcere in debito habendi ex illis plus & plus rectitudinis, adeóque in talis rectitudinis priuatione.

17. Neque obeſt ſi objicias, quod D. Thom. non ex augmento poſſibili debiti habendi rectitudinem; ſed ex ipſa rectitudine, quæ remanet in actu peccati, probat priuationem eius eſſe tantùm *in fieri*: vt patet ex illis verbis, quæ habentur in corpore articuli ſecundi: *Similiter dicendum eſt in vitiis & peccatis, ſic enim in eis priuatur debita commenſuratio rationis, vt non totaliter ordo rationis tollatur.* Ergo ſecunda hæc expoſitio non eſt ad mentem D. Thomæ. *Obiectio.* ¶ Reſpondetur enim non ita expreſsè negari à D. Thoma poſſe corrumpi in actu peccati totam rectitudinem; ſed ait non poſſe corrumpi totum ordinem rationis, manente ſubſtantia actus: poſſet autem iuxta hunc dicendi modum ſatis probabiliter defendi ordinem iſtum, qui remanet, non eſſe rectitudinem etiam fundamentalem; ſed eſſe ſubiectum huius rectitudinis, & oppoſitæ malitiæ. *Eneruatur.* Propterea tamen D. Thom. vt probet priuationem eſſe *in fieri*, recurrit ad prædictum ordinem: quia manente illo in actu peccati, poteſt ſemper creſcere in

Digitized by Google

in eo debitum habendi rectitudinem, & conſequenter ipſius rectitudinis priuatio. Quod autem dicit non tolli per priuationem totam rectitudinem, ſeu totum habitum oppoſitum; ſed aliquid eius remanere, poteſt accipi dupliciter: vel quia aliquid prædictæ rectitudinis poſitiuè maneat in ſubiecto: & hoc quamuis in pluribus priuationibus inueniatur; non tamen neceſſario requiritur ad rationem priuationis in fieri. Vel quia etſi nihil talis rectitudinis poſitiuè remaneat; manet tamen quodammodo negatiuè; quatenus non tota per priuationem formaliter, vt priuatio eſt, deſtruitur; ſed id ſolum, quod ſubiecto debetur: illud verò, quod non debetur, non propriè dicitur tolli per priuationem, cum priuatio ad illud non ſe extendat: & ita quatenus non priuatur, poteſt dici remanere.

Adde, nos non aſſignare hunc ſecundum dicendi modum tanquam contrarium præcedenti, ſed magis vt ſupponens illum, & ſuperaddens nouum caput, ex quo priuatio rectitudinis reperta in peccato, quantumcumque creſcat, ſemper erit priuatio *in fieri*. Stat enim quòd aliqua rectitudo remaneat in peccato, nempe ille ordo ad rationem, quem ponit D.Thom. & ratione iſtius rectitudinis priuatio poſſet eſſe maior, aut maior, iuxta doctrinam præcedentis §. & quòd aliunde etiam, nempe ex parte rectitudinis, quæ deſumi debet ab obiecto, fine, vel circunſtantiis, etiam ſi nihil eius in peccato ſit, poſſit prædicta priuatio magis & minus ſuſcipere ratione debiti, quod hactenus explicuimus. Neque hæc duo ſeorſim tradere ſuperfluum fuit, cum reuera diuerſum contineant dicendi modum: & ſecundum vtrumque doctrinam Ang. Doctoris ſatis ad mentem ipſius tueamur. Præſertim quia iuxta hunc poſteriorem id, quod principaliter intenditur, nimirum qua ratione priuatio reperta in peccato, magis & minus ſuſcipiat, poſſitque ſemper creſcere, quandiu ſubſtantia actus non deſtruitur, commodius explicatur, vt intuenti conſtabit: faciliuſque hac ſecunda via principali obiectioni, & aliis, quæ aduerſus rationem D. Thomæ efformari valent, poteſt occurri.

Ad principalem obiectionem. 18. In forma igitur ad obiectionem Gabrielis Vaſquez iuxta hunc dicendi modum neganda eſt maior principalis argumenti vniuerſaliter intellecta: quia vt priuatio alicuius formæ ſit adæquata & *in facto eſſe*, non ſufficit, quòd nihil talis formæ in ſubiecto relinquat, ſi aliunde debitum habendi illam poteſt creſcere: nam ad augmentum iſtius debiti, creſcet etiam prædicta priuatio. Vnde quia manente ſubſtantia peccaminoſi actus cum ordine ad rationem, poteſt in eo ſemper creſcere debitum habendi rectitudinem iuxta dicta num. 14. idcirco ex permanentia iſtius ſubſtantiæ & ordinis rectè intulit D.Thom. prædictam priuationem non eſſe *in facto eſſe*; ſed tantùm *in fieri*.

Niſi malis dicere; quòd cum D.Thom. ait, ad priuationem *in facto eſſe* ſufficere, vt corrumpat totam formam oppoſitam, intelligendus eſt non tantùm de corruptione negatiua, quæ dicit meram carentiam talis formæ; ſed de corruptione priuatiua, quæ importat carentiam eiuſdem formæ vt debitæ: ſecundum quam rationem id & non amplius dicitur de aliqua forma corrumpi, quod ſubiecto debetur: id verò, quod non debetur, non dicitur hoc modo corrumpi: quia corruptio priuatiua non eſt niſi reſpectu debiti: vnde eo ipſo quòd aliqua forma non debeatur ſecundum totum, quod poteſt deberi, non verificatur de eius priuatione, quòd totam eam corrumpat. Similiter cum D.Thom. inquit eſſe de ratione priuationis *in fieri*, vt non corrumpat totam formam oppoſitam, intelligendum eſt de corruptione priuatiua: & ideo ad verificandam prædictam loquutionem ſufficit, vt non tota forma ſubiecto debeatur, quamuis nihil eius habeatur.

Duo verò ſequentia, quæ ſupponit Vaſquez, ſecundum hunc dicendi modum minus vrgent: quia iuxta hanc viam non recurrimus ad ſubſtantiam actus, quaſi ipſa ſit rectitudo & forma oppoſita priuationi; aut quaſi ex eius augmento, vel diminutione augmentum vel diminutio priuationis inferatur: ſed quia dum prædicta ſubſtantia manet, nulla poteſt eſſe ratio, vt debitum habendi rectitudinem, proindéque eius priuatio non poſſit amplius & amplius creſcere, vt explicuimus.

§. V.

Duplex alia obiectio aduerſus Thomiſticam rationem.

19. Ex alia quoque parte objicit Vaſq. quia dato quòd priuatio rectitudinis reperta in peccato, eſſet priuatio *in facto eſſe*; adhuc peccata ratione illius poſſent diſtingui in grauitate, & vnum eſſet alio maius: ergo ob hanc rationem non eſt neceſſarium recurrere ad priuationem *in fieri*. Antecedens probat: quia licèt inter priuationes, quæ ſunt *in facto eſſe*, vna non ſit maior alia in ratione priuationum; poteſt tamen eſſe maior in ratione mali, quatenus perfectio, qua priuat, eſt maior: ſicut maius malum eſt priuatio viſus, quàm odoratus; licèt vtraque ſit priuatio *in facto eſſe*: quia non eſt tantæ perfectionis odoratus, ſicut viſus. *Alia obiectio.*

Confirmatur: nam peccata omiſſionis dicunt priuationem totalem actus omiſſi: eo quòd nihil huiuſmodi actus in ſubiecto relinquunt: & nihilominus ſunt inter ſe inæqualia: maius enim peccatum eſt omiſſio actus religionis, vel iuſtitiæ, quàm omiſſio actus liberalitatis: ergo inter priuationes totales poteſt eſſe inæqualitas in ratione mali.

Hæc tamen obiectio parum vrget. Tum quia ſaltem inter priuationes eiuſdem ſpeciei vna non poſſet eſſe maius malum quàm alia, niſi eſſet maior in ratione priuationis: atque adeo niſi plus adimeret formæ oppoſitæ. Nam cum forma, qua vtraque priuat, debeat eſſe eiuſdem ſpeciei, eiuſdemque perfectionis, vt ſupponitur (alias priuationes ſpecie diſtinguerentur) eo ipſo quòd vna non magis priuet tali forma, quam alia priuat, non habebit rationem maioris mali. Tum etiam quia ſi priuatio, de qua loquimur, eſſet priuatio *in facto eſſe*, ſeu quæ maior eſſe non poſſet, non tantùm priuaret rectitudine huius vel illius virtutis, aut huius vel illius ſpeciei; ſed priuaret omni rectitudine haberi poſſibili, *Soluitur.*

adeóque

adeoque omni genere rectitudinis iuxta dicta num.14. igitur quælibet talis priuatio eſſet tanta, ſeu priuatio tantæ perfectionis, vt nulla alia poſſet eſſe priuatio maioris, ac proinde nec maior priuatio in ratione mali.

Replica. 20. Dices: cum actus priuatus vna ſpecie rectitudinis, priuatur alia, non creſcit prima priuatio per ſecundam; ſed ſolùm augetur numerus priuationum: ergo quòd actus nunquam priuetur tot rectitudinibus, vt non poſſit alia & alia priuari, ſolùm arguit huiuſmodi priuationes in eodem actu multiplicari poſſe; non verò quòd vnaquæque in ſe ipſa poſſit augeri: quod tamen erat neceſſarium, vt eſſet priuatio *in fieri*.

Diluitur. Reſpondetur, quòd licèt vna priuatio in ſua ſpecifica ratione non creſcat, cum aduenit alia ſpecificè diſtincta, creſcit tamen in peccato per aduentum vtriuſque ratio generica priuationis: nam hæc ratio eò magis extenditur, quò in pluribus ſpeciebus inuenitur. Hoc autem ſufficit, vt dicamus actum, cui priuationes illæ adueniunt, magis priuari per vtramque, quàm per vnam dumtaxat; atque adeo per nullam totaliter & *in facto eſſe*: quod eſt aſſumptum D.Thomæ. ¶ Adde, iuxta primum dicendi modum priuationem *in facto eſſe* debere corrumpere vſque ad ipſam ſubſtantiam actus, eo quòd huiuſmodi ſubſtantia, ſecundum quòd procedit à ratione, eſt aliqua rectitudo fundamentalis: quæ proinde dum non deſtruitur, priuatio non eſt *in facto eſſe*; vt ibi explicuimus. Si autem talis priuatio corrumperet vſque ad prædictam ſubſtantiam, peccatum deſtrueret ſe ipſum; ipſaque priuatio non eſſet iam priuatio, cum non haberet ſubiectum, vt eſt per ſe notum: ergo, &c. ¶ Adde ſecundò, quòd etſi in aliquibus peccatis, quæ dicunt priuationes ſpecificè diſtinctas, poſſet aliunde aſſignari inæqualitas ex parte talium priuationum, præſcindendo ab hoc, quòd ſint, vel non ſint priuationes *in fieri* (vt de peccatis omiſſionis ſtatim dicemus;) congruentius tamen viſum fuit Ang. Doctori hac dumtaxat ratione vti: quia ſaltem pro illis peccatis, quæ ſolo numero differunt, eſt omnino neceſſaria, vt probatum eſt: & in iis, quæ ſpecie diſtinguuntur, etiam conuincit ſufficienter intentum, atque ita ſicut magis communis, & pro omnibus peccatis vniuerſalis, debuit aliis præferri.

21. Ad confirmationem reſpondetur, de peccatis omiſſionis poſſe nos loqui dupliciter: vel quatenus includunt actum, qui eſt cauſa omittendi: vel quatenus dicunt præcisè ipſas omiſſiones, in quibus prædicta peccata eſſentialiter conſiſtunt. Primo modo idem iudicium ferendum eſt de illis; ac de peccatis commiſſionis: cum vtraque conſiſtant in actu, cuius ſubſtantia ſemper debet permanere, quandiu manet ratio peccati. Secundo verò modo admittimus, multoties dari in illis priuationes *in facto eſſe*: quia prædictæ omiſſiones deſtruunt vſque ad ipſam ſubſtantiam actus debiti: negamus tamen, quod intra eandem ſpeciem omiſſio ſecundum ſe ſumpta poſſit habere inæqualitatem in ratione mali moralis; ſed omnes omiſſiones ſacri v.gr. quantum eſt ex parte earum, ſunt æqualia peccata. ¶ Diximus *intra eandem ſpeciem*: quia vbi omiſſiones pertinent ad diſtinctas ſpecies peccatorum, eo quòd actus omiſſi ſunt ſpecie diuerſi, per ordinem ad huiuſmodi actus habebunt prædictas omiſſiones inæqualitatem ſpecificam: eritque vna maius peccatum ſecundum ſuam ſpeciem, quàm alia, licèt vnaquæque reſpectu ſui actus ſit priuatio *in facto eſſe*. (Neque hoc negat D.Thom. quia ſolùm loquitur de peccatis, quæ ſunt actus prohibiti, non verò de omiſſionibus.) Cum enim priuationes & omiſſiones ſpecificentur per formas & actus, quibus priuant, tantò vnaquæque ex ſpecie ſua habet eſſe maius malum, quantò perfectior eſt actus, qui omittitur: & ideo maius peccatum eſt ſecundum ſe omiſſio actus charitatis vel religionis, quam omiſſio actus alterius inferioris virtutis. Vnde D. Thom. cit. artic. 9. ex quæſt. 2. de mal. cum reduxiſſet ad genus priuationem *in facto eſſe* omiſſiones, de quibus loquimur, oſtendit vnde ſumenda ſit in illis inæqualitas ſpecifica peccatorum, dicens: Nec tamen propter hoc omnia peccata omiſſionis ſunt paria, quia præcepta diſparia ſunt propter diuerſam dignitatem, aut neceſſitatem præceptorum, hoc eſt, propter diuerſam dignitatem actuum, qui præcipiuntur, & omittuntur. ¶ Diximus etiam *omiſſio ſecundum ſe ſumpta*: quia ratione actus, qui eſt omittendi cauſa, in omnibus peccatis omiſſionis poteſt eſſe inæqualitas ratione maioris intenſionis, durationis, conatus, voluntarij, &c. Quæ quidem inæqualitas licèt primò ſit in actu; inde tamen refunditur in omiſſionem.

22. Neque obeſt, ſi vrgeas, quòd vt aliqua priuatio ſit *in facto eſſe*, non tantùm debet priuare hac vel illa rectitudinis ſpecie, ſed toto genere rectitudinis, vt num. 19. diximus: ergo cum nulla omiſſio priuet toto genere rectitudinis, nulla poterit dici priuatio *in facto eſſe*. *Replica.*

Reſpondetur enim, antecedens procedere in priuationibus, quæ ſunt tantùm priuationes rectitudinis actus, adeóque ſubiectantur in ipſo actu, quem priuant rectitudine: non autem procedit in omiſſionibus, quæ ſunt priuationes totius actus, habentque pro ſubiecto immediato ipſam potentiam. Diſparitas verò eſt, quia in illis prioribus nomen *peccati* ſupponit pro actu, qui eſt priuationis ſubiectum: & non pro ſola priuatione: vnde quia actui poteſt eſſe debita alia & alia ſpecies rectitudinis, poteſtque in ſe ſuſcipere aliam & aliam ſpeciem priuationis, à quibus denominetur *magis & magis priuatus*: idcirco huiuſmodi peccata non cenſerentur priuari totaliter ſeu *in facto eſſe*; niſi in actu adeſſent omnes ſpecies priuationis, adeóque priuatio totius generis rectitudinis. Cæterùm in omiſſionibus peccatum ſupponit pro ipſa omiſſione: & ideo ſicut vna omiſſio nequit aliam priuationem in ſe ſuſcipere; ita prædictum peccatum nequit augeri per aliam & aliam priuationem: ſed ex vi primæ, quæ eſt omiſſio actus debiti, dicitur *priuatum*, quantum poteſt priuari, adeóque *in facto eſſe*. *Enodatur.*

23. Denique objicies, quòd peccatum non conſtituitur per priuationem; ſed per formam & malitiam poſitiuam, vt oſtenſum eſt diſp.6. ergo inæqualitas, ſi quæ in peccatis inuenitur, attendenda eſt ex hac malitia poſitiua; & non ex priuatione. ¶ Eò vel maximè, *Vltima obiectio.*

ximè, quia licet admittatur in pecatis commiſſionis ſimul cum malitia poſitiua aliqua priuatio; hæc tamen priuatio non ſemper creſcit ad augmentum ipſius malitiæ: imò quò peccatum habet maiorem malitiam, videtur minus habere priuationis: qua ratione prædictæ malitiæ debita eſt maior rectitudo, & eſt minus capax ad illam recipiendam: ergo ex æqualitate vel inæqualitate priuationum non bene deducitur inæqualitas in peccatis.

Diluitur. Reſpondetur quòd in peccatis commiſſionis ſimul cum malitia poſitiua datur priuatio rectitudnis, per quam complentur in ratione mali, juxta dicta diſp.6. dub. 1. & 6. & quia huiuſmodi priuatio creſcit, vel decreſcit ad augmentum vel diminutionem ipſius malitiæ poſitiuæ, ſupra quam fundatur; potuit optimè D. Thom. ſaltem à poſteriori ex inæqualitate priuationis inferre inæqualitatem inter peccata. ¶ Adde primò, quòd (vt rectè obſeruat Curiel) D. Thom. non abſolutè aſſeruit, inæqualitatem peccatorum deſumendã eſſe ex priuatione; ſed loquitur ex ſuppoſitione fundamenti Stoicorum, quia ea ratione aſſerebant, omnia peccata eſſe æqualia, quia formale eorum conſiſteret in priuatione. Itaque cum Ang. Doctor in hac quæ. 73. explicare vellet radices, ex quibus prouenit, quòd vnum peccatum ſit alio grauius: & ad hoc neceſſarium ſit ſupponere, non omnia æqualia eſſe, quod negabant Stoici; voluit prius in art. 2. id tanquam certum ſtatuere: & quia potiſſimum fundamentum Stoicorum erat, quòd formale peccati ſit priuatio, & quòd inter priuationes non ſit inæqualitas, oſtendit quaſi ad hominem infirmitatem huius fundamenti, & quomodo, etiam gratis admiſſo quoad primam partem, quoad ſecundam apertè ſit falſum. Rationem verò à priori prædictæ inæqualitatis non aſſignat in illo art. ſed in ſequenti: vbi docet præcipuam differentiam grauitatis inter peccata attendi debere penes obiecta.

24. Adde ſecundò, quòd peccata eſſe inter ſe inæqualia ſtatuitur hic à D.Thom.tanquam omnino certum, vtpote quod habetur ex fide vt conſtat ex teſtimonio allato in argumento *ſed contra*; & ex aliis, quæ recentiores in præſenti adducunt: vnde non oportebat ita certum dogma ad opinionem minus certam, etſi veriſſimam, quæ docet peccatum conſtitui per poſitiuum, alligare; ſed abſtrahendo ab hac opinione, & admittendo pro tunc oppoſitam, ex qua Stoici fundamentum deſumebant euertere huiuſmodi fundamentum, oſtendendo, etiam in priuationibus reperiri inæqualitatem, adeóque non rectè negari inter peccata, ex eo quòd in priuatione conſiſterent.

Nec verum eſt non augeri priuationem ad augmentum malitiæ poſitiuæ repertæ in peccato: nam cum illa in hac fundetur, & ex ea reſultet, debet juxta incrementum eius creſcere, ſicut ad eius poſitionem cauſatur. Vnde negamus, quòd actui habenti maiorem malitiam, non debeatur ſemper maior rectitudo, ſaltem fundamentalis: ſed ex omnibus illis capitibus, ex quibus creſcit malitia, vt ratione intentionis, durationis, extenſionis ad nouam materiam, aut ex aliis circunſtantiis, creſcit etiam debitum habendi prædictam rectitudinem, vt explicuimus num. 14. Cum verò dicitur actum habentem maiorem malitiam, eſſe minus capacem rectitudinis, verum quidem eſt de capacitate proxima reſpectu rectitudinis formalis: quia capacitas hæc eſt ipſa rectitudo fundamentalis, quæ priuatur per malitiam. Non autem id eſt verum de capacitate reſpectu rectitudinis fundamentalis, quæ eſt forma immediatè oppoſita priuationi: nam hæc capacitas dicit ipſam ſubſtantiam actus liberi, eiuſque intenſionem, durationem, conatum, &c. nec non attingentiam phyſicam obiecti, finis, vel alterius circunſtantiæ, quæ poſſunt conferre & augere moralitatem, vt hæc omnia conſiderantur præciſè in eſſentiis: quæ, vt conſtat, nequaquam per malitiam diminuuntur.

DVBIVM II.

Vtrum in peccatis, quæ ſolo iure poſitiuo prohibentur, detur inæqualitas: & vnde ſumatur?

DOctrina, quam hactenus tradidimus, præcipue locum habet in illis peccatis, quæ per ſe & ab intrinſeco ſunt mala, ipſoque naturali iure prohibita. De aliis verò, quæ tantum ſunt mala, quia prohibita iure poſitiuo, eſt nonnulla difficultas, quam mouent hic communiter expoſitores D.Thom.& quamvis non ſit magni momenti, ob idque à nobis paucis abſoluetur; viſum eſt tamen ſeorſim eam diſcutere: tùm vt rem ipſam diſtinctiùs tradamus: tùm etiam vt vnum vel alterum Ang. Doctoris teſtimonium, ex quibus præcipua dubitandi ratio communem doctrinam deſumi poterat, commodiùs explicemus.

§. I.

Deciditur prima pars dubij.

25. DIcendum eſt primò inter peccata, quæ tantùm ſunt mala, quia prohibita jure poſitiuo, vere reperiri inæqualitatem; & non omnia eſſe paria. Hæc aſſertio eſt communis; & eam tuentur expoſitores D. Thomæ (vno vel altero excepto,) & plures alij. Deſumiturque ex art. 2. huius quæſtionis. Tùm quia de omnibus peccatis, nulla facta exceptione, aſſerit poſſe eſſe inter ſe inæqualia. Tum etiam quia ratio, qua vtitur in toto articulo, de omnibus intentum conuincit, vt intuenti conſtabit, de quo etiam videri poteſt 2. 2. quæſt.105. art 2. Probatur primò ratione: nam illa, quæ prohibentur ſolo iure poſitiuo, poſſunt conſtituere diuerſas ſpecies peccatorum: ergo poſſunt eſſe inter ſe inæqualia in grauitate. Antecedens videtur per ſe notum: alterius enim ſpeciei eſt ieiunium violare, & laborare in die feſti; etiam ſi vtrumque ſolùm ſit contra ius poſitiuum. Conſequentia verò probatur: quia ſpecies omnes ſunt ſicut numeri inter ſe inæquales: vnde ſicut in genere boni vna ſpecies exceditur in perfectione ab alia, vel excedit illam; ita in genere mali quælibet peccati ſpecies debet aliam in grauitate ſuperare, vel ab ea excedi. *Prima aſſer-tio.* *Ratio.*

Secunda ratio. 26. Secundo probatur: quia prædicta peccata contrariantur multoties diuerſis & inæqualibus virtutibus ergo ſunt inter ſe inæqualia. Conſequentia liquet: quoniam grauitas peccati optimè attenditur ex oppoſitione ad virtutem, vt videbimus dub. 4. adeoque cæteris paribus illud eſt maius peccatum, quod præſtantiori virtuti opponitur. Antecedens verò ſuadetur animaduertendo ex dictis diſp. præced. num. 28. hoc eſſe de ratione cuiuſcunque legis, vt eo ipſo quòd prohibeat, vel præcipiat aliquid ex motiuo alicuius virtutis, efficiat illud materiam talis virtutis, & peccatum ibi repertum contrariatur tali virtuti; quamvis ſecundum ſe & aliàs res illa ad aliam virtutem pertineret. Vnde quia lex Eccleſiaſtica prohibet ex motiuo religionis effuſionem ſanguinis in Eccleſia, eo ipſo talis effuſio efficitur peccatum contra religionem: quæ tamen ſecundum ſe, & attento iure naturæ, ſolum eſſet contra juſtitiam: ſimiliter quia ex motiuo abſtinentiæ præcipit jejunium certis diebus, & prohibet carnis comeſtionem; eo *Diluitur.* ipſo violatio jejunij, & eſus carnium in illis diebus ſunt peccata contra abſtinentiam. Hoc ſuppoſito ſuadetur prædictum antecedens: quoniam leges poſitiuæ prohibent diuerſos actus ex motiuo diuerſarum & inæqualium virtutum: vt fractionem jejunij, & carnis comeſtionem ex motiuo abſtinentiæ: laborare in die feſto, celebrare ſine veſtibus ſacris ex motiuo religionis: contrahere cum conſanguinea ex motiuo pietatis, &c. Ergo hujuſmodi actus exerciti contra prædictas leges contrariantur diuerſis & inæqualibus virtutibus.

Euaſio. Tertio probatur ratione D. Thomæ, quam præced. dub. elucidauimus: quæ æqualiter conuincit in hujuſmodi peccatis, atque in illis, quæ jure naturali prohibentur. In omnibus enim priuatio rectitudinis non eſt priuatio totalis, & *in facto eſſe*; vtpote quæ non corrumpit totam formam oppoſitam; ſed debet ſaltem relinquere ſubſtantiam actus cum ordine ad rationem: ergo in omnibus poteſt eſſe *magis* & *minus* ratione prædictæ priuationis.

Denique ſuadetur, nam agere contra legem poſitiuam eſt per ſe & ab intrinſeco malum: ergo qui plus agit contra prædictam legem, ſiue quia intenſiùs, ſiue quia diutiùs, vel magis voluntariè contra illam operatur, peius agit, & grauius delinquit. Patet conſequentia: quia in iis quæ ſunt per ſe, ſicut ſe habet *ſimpliciter* ad *ſimpliciter*; ita *magis* ad *magis*.

D. Thom. 27. Dices fortè, quòd agere contra ſolam legem poſitiuam non videtur per ſe malum; ſed per accidens; non enim per ſe & ab intrinſeco eſt malum veſci carnibus feria ſexta; ſed ex ſuppoſitione tantùm præcepti eccleſiaſtici, quod potuit non eſſe. Vnde non rectè intulimus, quòd plus agere contra prædictam legem ſit magis malum: quoniam in his, quæ ſunt per accidens, non tenet axioma, *ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter; ita magis ad magis*. Videturque hæc doctrina D. Thomæ 3. contra gent. cap. 139. vbi conſtituens differentiam inter illa, quæ ab intrinſeco ſunt mala; & ea quæ tantùm ſunt mala, quia prohibita jure poſitiuo, ſic ait: *Non eſt autem ſimile virtutem tranſgredi, & terminos à iudice poſitos tranſire: nam virtus eſt ſecundum ſe bonum. Vnde virtutem tranſgredi eſt ſecundum ſe malum: & ideo oportet quòd magis à virtute recedere ſit maius malum: tranſgredi autem terminum à iudice poſitum non eſt ſecundum ſe malum, ſed per accidens, in quantum ſcilicet eſt prohibitum. In his autem, quæ ſunt per accidens, non eſt neceſſarium, quòd ſi ſimpliciter ſequitur ad ſimpliciter, & magis ſequatur ad magis; ſed ſolùm in his, quæ ſunt per ſe: non enim ſequitur, ſi album eſt muſicum, quòd magis album ſit magis muſicum, ſequitur autem, ſi album eſt diſgregatiuum viſus, quòd magis album ſit magis diſgregatiuum viſus.*

Verùm contra hanc euaſionem vrget, quòd *Refellitur.* non obedire legi poſitiuæ, dum vrget talis lex, nunquam poteſt eſſe licitum, neque per ſe neque per accidens: ergo per ſe & ab intrinſeco eſt malum operari contra talem legem. Deinde peccatum, quod ideo eſt malum, quia eſt contra legem poſitiuam, eſſentialiter diffinitur per hoc, quòd ſit contra hanc legem: ſicut peccatum, quod ideo eſt peccatum, quia eſt contra legem naturalem, diffinitur per eſſe contra talem legem: ergo eſſe contra legem poſitiuam in prædicto peccato non eſt per accidens, ſed omnino per ſe: cum nihil magis per ſe ſit in qualibet re, quàm eius eſſentia & diffinitio.

28. Nec refert quòd objectum prohibitum lege poſitiua potuerit non prohiberi, atque adeo quòd hujuſmodi prohibitio per accidens cum illo coniungatur. Quia aliud eſt obiectum eſſe per accidens prohibitum; & aliud, quòd actus voluntatis, qui verſatur circa tale objectum, ſecundum quòd eſt iam prohibitum, per accidens ſit malum. Et licèt primum ſit verum de obiectis, quæ prohibentur ſolo iure poſitiuo; ſecundum manifeſtè eſt falſum: quia ſuppoſito quòd aliquod obiectum ſit legitimè prohibitum, quacunque lege id fiat, per ſe & ab intrinſeco diſſonat rationi appetitus talis obiecti.

Poteſtque hoc explicari animaduertendo, quòd lex poſitiua non aliter prohibet actus noſtræ voluntatis (in quibus per ſe primò formalis malitia inuenitur) niſi prohibẽdo obiectum, circa quod verſatur: ſemel autem facta hac prohibitione ipſa lex naturalis prohibet, ne voluntas tale obiectum attingat: atque adeo ex lege poſitiua directè & per ſe primò tantum pendet prohibitio obiecti: prohibitio verò actus voluntatis tendentis in tale obiectum potius eſt à lege naturali. Ex quo fit, quòd quamvis in obiecto eſſe prohibitum ſit per accidens, quia ſolum oritur à lege poſitiua: in actu tamen voluntatis eſt per ſe, vtpote ex lege naturali proueniens. Vnde quia in iis, quæ ſunt per ſe tenet illud axioma *ita magis ad magis, ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter*: in illis verò, quæ ſunt per accidens, non neceſſario tenet: idcirco reſpectu actus volũtatis optimè arguitur, quòd ſi velle obiectum prohibitum per legem poſitiuam eſt malum, plus velle tale obiectum erit magis malum, & minus velle erit minus malum: ita tamen vt particulæ *plus* & *minus* præciſe cedant ſupra actum voluntatis, vel ſupra obiectum formaliter vt prohibitum.

29. Vbi autem prædictæ particulæ caderent ſupra rem, quæ eſt prohibitionis obiectum, ſecundum ſe ſumptam, axioma non teneret

Digitized by Google

teneret vniuerſaliter : ſiue collatio fiat ad prohibitionem; ſiue ad actum voluntatis. Et ideo non valent iſtæ conſequentiæ : *Lege poſitiua prohibitum eſt recedere ab Eccleſia tempore auditionis ſacri : ergo plus recedere erit magis prohibitum : aut lex ieiunij prohibet bis in die comedere : ergo pluries comedere magis prohibet* : nam cum hæc prohibitio reſpectu prædictarum rerum ſit per accidens, axioma non tenet. Similiter iſta non valet : *Velle hanc rem, quæ prohibetur lege poſitiua, eſt malum : ergo velle plus de tali re, erit magis malum*, vt patet in adductis exemplis : malum enim eſt velle tempore auditionis ſacri recedere ab Eccleſia, non tamen propterea eſt magis malum velle plus recedere : quia ly *magis* non cadit ſupra actum volendi, nec ſupra receſſum formaliter vt prohibitum; ſed ſupra ipſum præciſè ſecundum ſe. Valeret autem illa conſequentia, ſi ly *magis* applicaretur ad actum, diceretque maiorem eius intenſionem, durationem, aut conatum, vel ſupra receſſum formaliter vt prohibitum, addendo maiorem prohibitionem. Vt ſi dicas : *Velle receſſum prohibitum eſt malum : ergo magis velle* (hoc eſt) *diutius vel intentius velle huiuſmodi receſſum erit magis malum* : & ſimiter valeret iſta : *velle receſſum prohibitum, eſt malum : ergo velle magis prohibitum, erit magis malum.* Et ratio eſt, quam tradidimus : quia comparatio per ſe in ordine ad malitiam ſolùm eſt inter actum voluntatis, & obiectum vt prohibitum; non verò inter prædictum actum & rem, quæ eſt obiectum, ſumptam ſecundum ſe : neque inter talem rem & prohibitionem.

Exponitur locus D.Th.

30. Ex quibus ad teſtimonium ex 3. contra gent. quod aliis viſum eſt difficile) iuxta noſtram doctrinam facilis eſt ſolutio. Quoniam D.Thom. non abſolutè negat in peccatis, quæ ſunt contra ius poſitiuum prædictum modum arguendi; ſed ſolùm quantum ad id, quod eſt in illis per accidens : nempe quoad comparationem actus, vel prohibitionis ad rem prohibitam ſecundum ſe ſumptam. Et hoc oſtendit exemplo limitis à iudice ſtatuti : cuius tranſgreſſio, quia per accidens eſt prohibita, non valet : quod ſi tranſgredi limitem eſt prohibitum, ob idque diſſonum rationi, magis illum tranſgredi, ſit magis prohibitum, aut magis diſſonum : atque adeo quòd velle tranſgredi, eſt formaliter malum; velle maiorem tranſgreſſionem, debeat eſſe maius malum. Potuit enim iudex determinare ſuam prohibitionem ad aliquid indiuiſibile illius tranſgreſſionis, vt ad initium, & nihil amplius ſub prohibitione comprehendere. Sicut Eccleſia in lege jejunij determinat ſuam prohibitionem ad ſolam ſecundam comeſtionem, tertiam verò & reliquas comprehendere noluit. Cæterum in aliis, quæ diximus eſſe per ſe in prædictis peccatis, ſicut eſt tendentia actus ad obiectum in ratione prohibiti, nequaquam D.Thom. negat prædictum axioma; ſed magis illud affirmat : vt intuenti locum illum non obſcurè conſtabit.

Adde, in prædicto teſtimonio potius fieri ſermonem de prædictis peccatis in ordine ad æſtimationem humani judicis, qui ſolùm conſiderat materialem & externam præcepti tranſgreſſionem, quæ poteſt in indiuiſibili conſiſtere, quàm in ordine ad Deum, qui attendit ad formalem & internam malitiam, quæ ex multis aliis capitibus poteſt creſcere. Quocirca paulò ſuperius vbi D. Thom. proponit contra ſe argumentum, cui in prædicto teſtimonio occurrit, ſic ait : *Huic autem rationi videtur ſuffragari, quod in humanis iudiciis agitur : nam ſi alicui ſtatuatur limes, quem non tranſgrediatur, nihil refert apud iudicem ſiue multum ſiue modicum ſit tranſgreſſus*, &c. Vnde ex hoc teſtimonio ad ſummum poſſet deduci, aliqua peccata contra ius poſitiuum conſiſtere in indiuiſibili ex parte rei prohibitæ, aut ex parte exterioris tranſgreſſionis, quæ in humano judicio conſiderantur : non autem abſolutè, & ex omnibus aliis principiis, quæ judex diuinus attendit. *D.Thom.*

§. II.

Poſterior dubij pars abſoluitur.

31. Dicendum eſt ſecundò, peccata contra ius poſitiuum poſſe deſumere inæqualitatem ex eiſdem capitibus, ex quibus illam deſumunt peccata contra ius naturale. Quare prædicta peccata poſſunt eſſe inæqualia tàm quoad malitiam poſitiuam, quàm quoad priuatiuam : & ſecundum vtramque tàm ex parte obiecti, quàm ex parte finis, & aliarum circunſtantiarum, quæ ex parte obiecti ſe tenent : ſimiliter poſſunt eſſe inæqualia ex parte actus ratione inæqualis intenſionis, durationis, cognationis, &c. Probatur diſcurrendo per ſingula. Et primo quantum ad obiectum, ſæpe vnum ex prædictis peccatis habet peius obiectum quàm aliud, eo quòd opponitur præſtantiori virtuti : qua ratione maius peccatum eſt ex parte obiecti Eccleſiam violare, quàm ieiunium frangere. Deinde quantum ad finem, illud eſt peius, quod ad peiorem finem ordinatur : & ideo peius eſt violare ieiunium ex motiuo operandi contra virtutem ſupernaturalem, quam ex motiuo inanis gloriæ. Ex parte verò actus, num. 26. diximus qualiter peccata prædicta poſſint eſſe inæqualia ratione intenſionis durationis, &c. Vnde maius peccatum eſt velle intensè obiectum prohibitum, quàm velle illud remiſſè : & velle diutius, quàm paruo tempore : & velle actu perfectè libero, quàm actu ſemiplene deliberato, &c. Quod vero huiuſmodi inæqualitas locum habeat tam quoad malitiam poſitiuam, quàm quoad priuatiuam, conſtat ex dictis num. 24. & 26. Quia vna ex his malitiis fundatur in alia, & ad augmentum vel diminutionem illius, vniuerſaliter loquendo, creſcit, vel decreſcit. Neque quoad hoc poteſt eſſe maior difficultas in peccatis contra ius poſitiuum, quam in aliis, vt intuenti conſtabit. *Secunda aſſertio.* *Ratio per diſcurſum.*

32. Sed obiicies; quòd peccata contra ius naturale poſſunt eſſe inæqualia ex parte obiecti non tantùm quoad malitiam eſſentialem; ſed etiam quoad accidentalem, quæ ex quantitate illius deſumitur : vt inter furta vnum eſt maius alio ex maiori quantitate rei ablatæ : & peccatum impietatis ſit maius ex maiori irreuerentia, quæ irrogatur parentibus, hæc autem inæqualitas non videtur habere locum in peccatis contra jus poſitiuum : nam qui violat ieiunium, extra debitum tempus comedendo, eodem modo peccat, ſiue *Obiectio.*

Digitized by Google

parum, ſiue multum comedat: & qui peccat, comedendo antequam celebret, non ideo magis peccat, quia plus comedat: ergo, &c.

Diluitur. Reſpondetur, etiam plura alia peccata contra jus poſitiuum augeri, & aggrauari ex quantitate objecti. Nam qui carnes comedit feria ſexta, eò magis peccat, quò plus comedit. Et ſi alicui interdiceretur, ne ambularet, eò grauiùs delinqueret, quò plus ambulando procederet, vt D. Thom. ait quæſt. 2. de mal. art. 9. ad 4. *D. Thom.* Quòd verò aliqua peccata, vti ſunt quæ in obiectione referentur, non admittant prædictum augmentum, non eſt contra nos: quia non vniuerſaliter, ſed indiffinitè tantum aſſeruimus peccata contra jus poſitiuum augeri poſſe ex eiſdem capitibus, ex quibus augentur peccata contra jus naturale: ad quod ſufficit, quòd in aliquibus verificetur, quicquid ſit de aliis. Ratio verò, ob quam inter peccata contra ius poſitiuum quædam ex quantitate obiecti augeantur; quædam verò non: cum tamen in peccatis contra ius naturale ſemper ex prædicto capite creſcat malitia, tacta fuit num. 29. & 30. quia nimirum cum res, quæ lege poſitiua prohibetur, non ſit ſecundum ſe mala, ſed ex ſola legiſlatoris voluntate prohibeatur; poteſt prohiberi vel ſecundum totam latitudinem & augmentum; vel ſecundum aliquam tantum rationem indiuiſibilem pro libito legiſlatoris: vt ſi prohibeatur quoad initium, & non quoad progreſſum: vel quoad ſubſtantiam & non quoad quantitatem, &c. Cæterum res, quæ jure naturali prohibentur, ab intrinſeco id poſtulant, & ideo ad augmentum rei creſcit prohibitio: quia ſi res per ſe eſt mala & prohibita, oportet vt *magis* tali rei ſit magis malum, & magis prohibitum.

§. III.

Opinio Conradi.

33. Oppoſita nihilominus ſententia placuit Conrado ſuper art. 2. huius quæſt. & pro ea refert Vaſq. diſp. 99. cap. 2. D. Thomam 3. contra gent. cap. 139. cuius verba explicuimus num. 30. citat quoque Ferraram eodem cap. vbi nihil addit verbis D. Thomæ. *Teſtimonium D. Thom.* Magis tamen prædictæ ſententiæ fauere videtur Ang. Doctor quæſt. 2. de mal. vbi ad probandum contra ſe omnia peccata eſſe paria, in 4. argumento ſic obiicit: *Peccare nihil aliud eſt, quam tranſgredi rectitudinem rationis, vel legis diuinæ: ſed ſi interdicatur alicui ab aliquo iudice, ne certum limitem tranſgrediatur, non refert quantum ad tranſgreſſionem, vtrum in multum vel parum, limitem poſitum tranſeat: ergo nihil refert quantum ad tranſgreſſionem peccati, quicquid homo faciat, dummodo rectitudinem rationis & legis diuinæ non ſeruet.* Huic argumento duas adhibet ſolutiones: & juxta ſecundam ſic ait: *Vel aliter dicendum, quod in his, quæ non ſunt mala, niſi quia prohibita, qui præceptum non ſeruat, totaliter priuat id, ad quod tenetur: ſed in his, quæ ſunt mala per ſe, & non ſolum quia prohibita, non totaliter tollitur bonum, cui opponitur malum: & ideo tanto grauiùs peccatur, quanto plus de eo tollitur.* Et eodem modo ſoluit prædictum argumentum in 2. diſt. 42. quæſt. 2. art. 5. ad 3.

Verùm quòd D. Thom. ſit pro noſtra ſententia, docent communiter ejus diſcipuli, vno excepto Conrado. Et colligitur ex doctrina ſecundi articuli hujus quæſt. 73. quia vniuerſaliter loquitur nulla facta diſtinctione inter peccata, quæ ſunt mala, quia prohibita, aut quia ſunt mala per ſe: ſed diſtinctionem hanc, qua antea vſus fuerat, omnino hic prætermiſit. Et cum in ſecundo argumento eandem tetigiſſet difficultatem, quam cit. loco de malo, noluit vti illa ſecunda ſolutione; ſed ait: *Dicendum, quòd ratio illa procedit de peccato, ac ſi eſſet priuatio pura.* Quapropter Monteſ. diſp. 5. quæſt. 4. Aluar. diſp. 134. & alij reſpondent D. Thom. in præſenti mutaſſe ſententiam, vel modum dicendi melioraſſe. ¶ Sed melius juxta doctrinam traditam reſpondetur cum aliis Thomiſtis, S. Doctorem ibi loqui de grauitate peccati, quæ ſumitur ex quantitate objecti, & de hac non vniuerſaliter; ſed indiffinitè: eo quòd ſunt aliqua peccata, quorum objecta prohibentur ſecundum aliquam rationem indiuiſibilem, juxta dicta num. 30. in quibus proinde non refert, vtrum de eorum objectis parum vel multum attingatur. Non tamen idcirco negat, vel quòd hæc eadem peccata ex aliis capitibus recipiant inæqualitatem: vel quòd dentur plura alia etiam contra jus poſitiuum, quæ prædictam indiuiſibilitatem ex parte materiæ non obſeruent.

34. Ratione etiam ſolet probari hæc ſententia aliquibus inſtantiis, in quibus nihil refert ad grauitatem peccati, vtrum multum vel parum a prohibitione recedatur: cujuſmodi eſt violatio jejunij, quam ſupra tetigimus, & peccatum, quo quis accedit ad Euchariſtiam non jejunus. Sed ad hæc conſtat ex dictis numer. 32. & ideo non eſt neceſſe pro illis immorari. ¶ Circa peccatum verò illius, qui celebrat non jejunus, obſeruant bene Vaſq. & Monteſ. quòd licèt per ſe nihil referat, ſiue parum, ſiue multum celebrans comederit; per accidens tamen poteſt aliquando ex hoc capite aggrauari ratione majoris irreuerentiæ: vt ſi quis ad ſacrificium accederet poſt nimiam potationem, vel poſt comeſtionem vſque ad crapulam, magis peccaret, quam ſi parum comediſſet aut bibiſſet: quia tunc fieret maior irreuerentia Sacramento & ſacrificio. ¶ Hic etiam obſerua, quòd licèt doctrinam hujus dubij ſpecialiter peccatis commiſſionis applicuerimus; idem cum proportione dicendum eſt de peccatis omiſſionis, adiunctis illis, quæ diximus dub. præced. num. 21. ¶ Diſputant hìc nonnulli de inæqualitate pœnæ damni, & de inæqualitate peccatorum in ratione offenſæ. Sed de primo dicemus infra diſp. 18. de ſecundo verò agendum eſt in tract. de Incarnat. vbi de infinitate peccati mortalis in ratione offenſæ ſolet diſputari.

* *
*

DVBIVM

DVBIVM III.

Vtrum peccatum leuius ex obiecto poſſit ratione circunſtantiarum ſuperare aliud ex obiecto grauius?

HÆc difficultas non multum habet de re; quamvis nec ſolum ſit de nomine & modo loquendi, vt aliqui autumant. Vt verò vtrunque explicemus, oportet nonnihil dubij titulum elucidare.

§. I.

Elucidatio tituli.

35. STatuit D. Thom. in 3. art. huius quæſt. principalem peccati grauitatem eſſe illam, quæ ſumitur ex objecto (dicitúrque grauitas ſpecifica ſeu eſſentialis, eo quòd peccata ab objectis habent ſpeciem) aliam verò grauitatem, quæ ſumitur ex circunſtantiis & accidentibus, dicitúrque grauitas accidentalis, eſſe minus præcipuam, vel ſecundariam. Ex qua doctrina inſurgit difficultas, quam in titulo propoſuimus: an nimirùm peccatum, quod ex objecto & ſecundum ſpeciem eſt minus graue, v.g. furtum; poſſit ratione circunſtantiarum vt ratione maioris intentionis, durationis, voluntarij, &c. adeo creſcere in malitia, vt ſuperet, vel adæquet peccatum ex objecto grauius, v. g. homicidium? Eſt autem ſermo de circunſtantiis aggrauantibus intra eandem ſpeciem: quia de circunſtantiis, quæ ſpeciem peccati mutant, dubium non eſt, quin ratione earum peccatum ex obiecto leuius poſſit ſuperare aliud grauius ex objecto: vt ſi furto, quod ex ſuo obiecto eſt leuius quàm rapina, ſuperaddatur circunſtantia loci ſacri, quæ transfert illud in ſpeciem ſacrilegij, maius peccatum erit prædictum furtum, quàm peccatum rapinæ: in quo omnes conueniunt. Et ratio eſt perſpicua: quia hujuſmodi circunſtantiæ licet reſpectu hujus vel illius actus, quem ſupponunt jam conſtitutum in ratione peccati, maneant circunſtantiæ; ſecundum ſe tamen vnaquæque eſt obiectum, & poteſt conſtituere propriam ſpeciem malitiæ. Vnde quia ſpecies iſta poteſt eſſe multò ſuperior, quàm ſit ſpecies illius peccati, quod ex objecto dicitur grauius alio, non mirum ſi hoc poſterius ratione prædictæ circunſtantiæ poſſit illud in grauitate excedere. Cæterùm circunſtantiæ, quæ non mutant ſpeciem, ſunt eiuſdem rationis cum ſuo ſubiecto, & malitia deſumpta ex illis tota continetur ſub ipſa malitia ſpecifica & eſſentiali, quæ ſumitur ex obiecto: vnde non immeritò dubitatur, an illarum grauitas poſſit grauitatem ſpeciei ſuperioris ſuperare. *Animaduerſio.*

36. Nec loquimur de exceſſu præcisè quoad hanc vel illam rationem; ſed abſolutè & attentis omnibus. Si enim fieret comparatio vel ſolius grauitatis eſſentialis peccati ſpeciei inferioris ad grauitatem eſſentialem ſpeciei ſuperioris; vel grauitatis accidentalis vnius ad ſolam grauitatem accidentalem alterius, nullum etiam remaneret dubium. Nam loquendo in prima comparatione, peccatum, quod ſemel eſt grauius ſecundum ſpeciem, ſemper ex hoc capite debet eſſe grauius; & quod ex ſpecie eſt minus graue, ſemper ex hac parte erit minus graue: quia grauitas ſpecifica conſiſtit in indiuiſibili, ſicut ſpecies, ad quam conſequitur; & ita non ſuſcipit magis vel minus vnde quantumcunque grauitas accidentalis ex circunſtantiis creſcat, non propterea conſtituet grauius peccatum ſecundum ſpeciem ſeu eſſentialiter; ſed ſolùm accidentaliter, & ex parte circunſtantiarum. Loquendo verò in ſecunda comparatione, & conferendo præcise grauitatem accidentalem vnius peccati cum grauitate accidentali alterius præcisè ſumpta, perſpicuum eſt quodlibet peccatum poſſe aliud ſuperare: quia quodlibet fieri poteſt cum maiori intenſione, aut cum maiori duratione, aut magis voluntariè, &c. ex quibus circunſtantiis grauitas hæc deſumitur. Vt ergo ſit quæſtioni locus, conferri debet totum coniunctum grauitatis eſſentialis & accidentalis peccati ſpeciei inferioris cum tota grauitate eſſentiali & accidentali peccati ſpeciei ſuperioris: videndúmque an grauitas primi peccati, creſcentibus circunſtantiis, poſſit ita creſcere, vt ſuperet totam grauitatem poſterioris, cuius circunſtantiæ non ita creſcant; Et hac via conſtabit, quodnam ex prædictis peccatis ſit grauius abſolutè & non ſolùm quoad hanc vel illam grauitatem determinatam. *Alia obſeruatio.*

37. Quocircà non videtur rem hanc omnino attigiſſe Curiel in præſenti in commentario tertij articuli §. 1. vbi ea ratione probat, peccatum ex obiecto leuius, quantumcunque ex circunſtantiis creſcat, non poſſe abſolutè ſuperare peccatum ex obiecto grauius: quia tota illa grauitas, quæ ex circunſtantiis prouenit in primo peccato, eſt extra lineam grauitatis eſſentialis: & ideo non tollit quominus prædictum peccatum ſemper ex ſpecie ſit leuius. Cum tamen paulò inferius dicat, quòd ſi in peccato inferioris ſpeciei vtraque grauitas eſſentialis & accidentalis conſideretur, poterit abſolutè dici grauius peccato ſpeciei ſuperioris, quia conjunctum vtriuſque grauitatis poterit maius in illo, quàm in hoc abſolutè judicari. Hic igitur auctor (alias diſertiſſimus & doctiſſimus) non omnino videtur rem attigiſſe: quia difficultas præſens non procedit præcisè de grauitate eſſentiali vnius peccati collata cum grauitate eſſentiali alterius: neque exceſſus in ſola hac grauitate eſt exceſſus abſolute; ſed cum addito, nempe, ex parte obiecti, vel quoad grauitatem eſſentialem: vnde ex eo quòd peccatum ſuperioris ſpeciei ſemper quoad hanc grauitatem inferius peccatum excedat; non debuit inferri, quòd ſemper excedat illud abſolutè, cùm ex alia parte concedatur poſſe peccatum inferius ratione conjuncti excedere abſolutè ſuperius: de quo eſt tota difficultas: & in hoc ſenſu verſant illam communiter Doctores.

Pro quo adhuc nota, quòd licèt materia, de qua agimus, ſcilicet grauitas peccati, non propriè pertineat ad genus phyſicum, ſed ad genus moris; imò ſit ipſa moralitas: attamen cum agimus de prædicta grauitate in ordine ad ejus quantitatem & magnitudinem co- *Vltima obſeruatio.*

Digitized by Google

gnoſcendam, poſſumus loqui vel omnino moraliter, iudicando illam ſecundum prudentis æſtimationem, & appretiationem: vel ſuo modo phyſicè, conſiderando præcisè in eſſe rei & more phyſico ipſum *quid eſt* talis grauitatis, ſeu in ordine ad effectus phyſicos: ad eum modum quo in aliis formis earum perfectionem phyſicam metimur.

§. II.

Aſſertio prior pro dubij deciſione.

38. Dicendum eſt primò, ſi loquamur de grauitate peccatorum modo phyſico, conſiderando præcisè eorum magnitudinem & imperfectionem quaſi in eſſe rei, peccatum ex obiecto leuius nequit, quantumcunque malitia eius creſcat ratione circunſtantiarum aggrauantium intra eandem ſpeciem, ſuperare vel adæquare peccatum grauius ex objecto: vt furtum, quantumcunque ratione durationis, intenſionis, & ſimilium circunſtantiarum in ſuam ſpeciem aggrauetur, nunquam pertinget modo dicto ad grauitatem homicidij. Hæc concluſio videtur expreſſa D. Thomæ quæſt. 2. de mal. art. 8. in corp. vbi ea ratione probat circunſtantiam, quæ non mutat ſpeciem, non poſſe aggrauare peccatum in infinitum, neque efficere de veniali mortale: *Quia ſemper* (inquit) *maior eſt grauitas, quæ eſt ex peccati ſpecie, quàm quæ eſt ex circunſtantia ſpeciem non conſtituente*: ergo ex mente D. Thomæ in aliquo ſenſu, adeoque ſaltem phyſicè loquendo, verum eſſe debet, quod peccatum ſecundum ſpeciem inferius, nequit ratione circunſtantiarum adæquare peccatum ſpeciei ſuperioris. Eandem aſſertionem tuentur Monteſ. in præſenti diſp. 5. qu. 6. num. 72. & quoad rem Curiel, quem num. præced. retulimus. Vaſq. cit. art. 3. in dubitatione circa doctrinam articuli. Durandus in 4. diſt. 22. qu. 1. num. 8. Neque à prædicta aſſertione, vt à nobis propoſita eſt, diſſentiunt Caiet. Medina, Zumel. Greg. Mart. & alij, quos pro ſequenti referemus.

D. Thom. — Monteſ. Curiel. Vaſquez. Durand. Cajet. Medin. Zumel. Greg. Mart — *Ratio.*

Probatur ratione: nulla forma, quæ eſſentialiter eſt conſtituta in gradu inferiori, poteſt, quantumcunque infra ſuum gradum & ſpeciem creſcat, pertingere ad gradum formæ eſſentialiter ſuperioris: aliàs talis forma amitteret proprium gradum eſſentialem, ſéque ipſam deſtrueret: ſed malitia peccati leuioris ex obiecto eſſentialiter eſt conſtituta in gradu inferiori: ergo quantumcunque infra ſpeciem creſcat, nequibit pertingere phyſicè & *in eſſe rei* ad malitiam peccati ex obiecto ſuperioris.

Effugium. — *Impugnatur.*

39. Dices, etiam ſi peccatum inferioris ſpeciei in caſu, quo loquimur, non amittat gradum ſpecificum eſſentialem, poſſe per ſolam variationem & augmentum grauitatis accidentalis pertingere ad quantitatem peccati ſpeciei ſuperioris. ¶ Sed contra eſt, quòd grauitas accidentalis, quæ non mutat ſpeciem, quantumcunque varietur, ſolùm creſcit infra latitudinem grauitatis eſſentialis, totúmque augmentum illius ſub hoc gradu continetur: ergo niſi etiam gradus iſte eſſentialis varietur, & in ſuperiorem transferatur, nequibit tota illa grauitas gradum eſſentialiter ſuperiorem phyſicè adæquare.

Confirmatur exemplo deſumpto ex naturalibus: etiam forma inferioris ſpeciei, v. g. nigredo, etiam ſi multum intendatur, nunquam pertinget, abſolutè loquendo; ad perfectionem formæ ſpeciei ſuperioris puta albedinis: neque eſt ita perfecta ſimpliciter nigredo valde intenſa, ſicut albedo remiſſa: non alia ratione niſi quia totum incrementum formæ inferioris ſpeciei fit infra eandem ſpeciem: & ideo ſicut ſpecies imperfectior non adæquat gradum ſpeciei ſuperioris, ita neque prædictum augmentum poteſt illam adæquare: ergo idem dicendum erit in grauitate & malitia peccati, quæ ſunt formæ morales, quoties de illis agimus modo phyſico, & proportionatè ad formas naturales.

Confirmatur ſecundò etiam in aliis formis moralibus, vt ſunt virtutes, & earum actus. Etenim actus inferioris virtutis quantumcunque intra ſpeciem illius virtutis creſcat, non pertingit phyſicè loquendo ad perfectionem & dignitatem actus virtutis ſuperioris: neque aliquis dicet eſſe ſimpliciter ita perfectum phyſicè actum humilitatis valde intenſum, ſicut actus charitatis etiam remiſſus: ergo idem cum proportione dicendum eſt in vitiis & peccatis, quæ virtutibus & earum actibus contrariantur. ¶ Eò vel maximè; quia grauitas peccati, phyſicè loquendo, optimè conſideratur & metitur ex oppoſitione ad virtutem, ita vt tanta ſit alicuius peccati grauitas, quanta fuerit dignitas actus virtutis; cui immediatè aduerſatur: ergo ſicut in virtutibus actus inferioris, quantumcunque eius bonitas ratione circunſtantiarum intra eandem ſpeciem augeatur, non pertinget phyſicè loquendo ad perfectionem & dignitatem actus virtutis ſuperioris: ita neque in peccatis id debet admitti: nec videtur quoad hoc poſſe ſufficiens diſparitas inter illa aſſignari.

§. III.

Alia aſſertio ex Ang. Doctore.

40. Dicendum eſt ſecundo: peccatum ex obiecto leuius poteſt ratione circunſtantiarum intra eandem ſpeciem ita creſcere, vt moraliter loquendo adæquet vel ſuperet grauitatem peccati ex objecto grauioris: vt homicidium, quod ex ſua ſpecie eſt minus graue, quàm perjurium, poteſt ita augeri vel ratione voluntarij, vel ratione intenſionis, aut durationis, vel etiam ratione quantitatis objecti, puta ſi perſona occiſa, ſit maximæ dignitatis vel vtilitatis in republica, aut ſi plures occidantur, &c. vt ſecundum prudentis æſtimationem ſimpliciter grauius iudicetur, & maiori pœna dignum, quàm perjurium non multum voluntarium: & quod vel propter metum, vel propter inconſiderationem, aut alias ſimiles circunſtantias alleuietur; quamvis rationem peccati mortalis non amittat. Aſſertionem hanc tuentur Cajet. 2. 2. quæſt. 94 art. Sotus lib. 5. de juſt. quæſt. 10. art. 3. Medina in præſenti, Zumel dub. 2. dicens oppoſitam eſſe temerariam. Greg. Mart. dub. 2. concluſ. 5. Granad. tr. 3. diſput. 2. num. 11. Suar. tract. 5. de peccatis ſect. 2. num. 5. & plures alij. Nec diſſentiunt

Cajet. Sot. Medina. Zumel. Greg. Mart. Granad. Suar.

Monteſ.

Digitized by Google

Monteſ. Curiel D.Thom.

Monteſ. & Curiel, quos ſupra retulimus.

Probatur primò ex D.Thoma 2.2. quæſt.10. art. 3. ad 1. ubi ſic ait: *Nihil prohibet peccatum, quod eſt gravius ſecundum ſuum genus, eſſe minus grave ſecundum aliquas circunſtantias.* Vbi D. Thom. proculdubio loquitur abſolutè: ut ita ſolueret argumentum propoſitum ſibi ex Auguſtino, qui in lib. de baptiſmo contra Donatiſtas cap.20 dixit nolle præcipitare ſententiam circa illam quæſtionem, *an* nimirum *plus peccet peſſimus Catholicus, quàm aliquis hæreticus*; in quo præter infidelitatis peccatum, non inveniunt homines quod reprehendant? Hanc Auguſtini dubitationem obiicit contra ſe D. Thom. ad probandum peccatum infidelitatis non eſſe maximum: & reſpondet illam potuiſſe habere locum apud Auguſtinum: quia licèt peccatum infidelitatis ex ſuo genere ſit gravius aliis, quæ in Catholicis inveniuntur; ex circunſtantiis tamen poſſunt ita variari, ut peccatum Catholici ſuperexcedat. Si autem non loqueretur de exceſſu gravitatis abſolutè & ſimpliciter, non occurriſſet argumento, quod de prædicto exceſſu procedebat. Item quæſt. 142. art. 3. confert peccatum intemperantiæ cum peccato timiditatis; & concludit, quòd *intemperantia eſt ſimpliciter majus peccatum, quàm timiditas.* Hæc autem major gravitas intemperantiæ non eſt ſpecifica: quia ſecundum ſpeciem gravior eſt timiditas, ut potè quæ opponitur præſtantiori virtuti, ut dicemus dub. ſequenti; ſed eſt gravitas proveniens ex circumſtantiis intra eandem ſpeciem, ſcilicet ex majori voluntario: ut D. Thom. in illo loco explicat. Eadem etiam 2. 2. quæſt. 39. art. 2. in fine corporis peccatum ſchiſmatis, quod ex objecto minus grave eſt, quàm peccatum infidelitatis, dicit abſolutè poſſe eſſe majus, propter majorem contemptum, vel propter alias ſimiles circunſtantias, quæ non mutant ſpeciem. Favet etiam quæſt. 94. art. 3. & in hac quæſt. 73. art. 5. aliiſque in locis.

Ratio aſſertionis.

41. Probatur deinde ratione, quoniam illud peccatum moraliter eſt ſimpliciter gravius quod eſt magis demeritorium, & graviori pœna dignum: ſed peccatum ex objecto levius, v. g. homicidium, aut furtum, poteſt intra ſuam ſpeciem ita aggravari, ut ſit magis demeritorium, debeaturque illi major pœna, quàm alicui perjurio, vel blaſphemiæ: ergo, &c. Major ex eo conſtat, quia cuilibet peccato debetur pœna juxta gravitatem ipſius peccati, ſecundum illud Deuteron. 25. *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus.* Et ita optimum ſignum eſt exceſſus gravitatis in malitia, exceſſus in gravitate ex parte pœnæ. Minor verò facilè ſuadetur: nam cum pœna, quæ debetur perjurio, in caſu argumenti ſit certa & determinata; pœna autem, quæ deberi poteſt furto, poſſit eſſe major & major uſque in infinitum ſyncategorematicè, ſicut ipſa malitia furti poteſt ratione circunſtantiarum intra ſuam ſpeciem in infinitum creſcere: nulla eſt ratio, cur pœna tali furto debita, non poſſit in caſu dubij adæquare, & ſuperare quantitatem pœnæ debitæ perjurio.

Deuter. 25.

Confirmatur: nam ſaltem ratione multiplicationis non videtur poſſe negari quòd peccatum inferioris ſpeciei pervenire valeat ad gravitatem peccati ſpeciei ſuperioris. Quis enim dubitabit, mille homicidia ſimul ſumpta majorem gravitatem dicere, moraliter loquendo, & majori pœna punienda eſſe, quàm unum perjurium? Ergo etiam ſi prædicta homicidia non multiplicentur, poterit aliquod ratione circunſtantiarum ita creſcere, ut adæquet eodem modo gravitatem perjurij. Patet conſequentia. Tùm quia tota gravitas, quæ in pluribus illis homicidiis diviſim continetur, & multò major poteſt in eodem numero peccato homicidij conjungi: ut ſi quis eodem actu valde intenſo multo tempore continuato bis mille viros aut plures occideret, poſſet ſanè hoc peccatum pluribus illis homicidiis æquivalere, vel ea ſuperare, ut eſt per ſe notum. Tùm etiam quia quòd homicidia numero multiplicentur, non tollit quominus tota eorum gravitas contineatur infra ſpeciem homicidij: ergo ſi hoc non obſtante, poteſt ratione multiplicationis prædicta gravitas ita creſcere, ut adæquet vel ſuperet gravitatem ſpeciei ſuperioris: cur hoc ipſum non poterit habere ratione aliarum circunſtantiarum, quæ non minus quàm multiplicatio adaugent malitiam. Et ſanè qui prædictis circunſtantiis hoc negant, idem negare debent numericæ multiplicationi, ut intuenti conſtabit: quod etiam nos aſſerimus phyſicè loquendo, ut in caſu primæ concluſionis.

Confirmatio.

42. Sed occurrit Vaſq. ex æqualitate pœnæ non inferri æqualem gravitatem in peccatis: quia cum pœna correſpondens peccatis reſpectu omnium ſit ejuſdem rationis, nihil obeſt quominus pœna, quæ peccato inferioris ſpeciei debetur, poſſit per augmentum ſui pervenire ad quantitatem pœnæ debitæ peccato ſuperioris ſpeciei: at verò grauitas & malitia in peccatis ex obiecto diuerſis ſunt diuerſæ rationis: & ita quantumcunque grauitas peccati inferioris creſcat, non pertinget ad grauitatem ſuperioris peccati.

Evaſio.

Hæc tamen ſolutio non euadit difficultatem: nam quod prædictæ grauitates ſint diuerſæ rationis phyſicè & in eſſe rei, non tollit quominus moraliter loquendo adæquari poſſint, idque ex æqualitate pœnæ, qua puniuntur, optimè deducitur. Quia cum in judicio diuino nulli peccato maior pœna correſpondeat, quàm ſit ejus grauitas, & cuilibet correſpondeat pœna ſuæ grauitati proportionata: optimè deducitur, quòd cui maior pœna correſpondet, habet maiorem grauitatem: cui correſpondet æqualis pœna, habet grauitatem æqualem: ergo vel non eſt dicendum quòd peccato inferioris ſpeciei poſſit correſpondere æqualis, vel maior pœna, quàm peccato ſpeciei ſuperioris: vel eſt concedendum quòd grauitas illius poſſit grauitatem iſtius ſuperare.

Præcluditur.

Secundo reſpondet, ex noſtra ratione tantùm concludi, quòd peccatum inferioris ſpeciei poſſit adæquare peccatum ſpeciei ſuperioris quoad rationem demeriti, ex quo pœnæ quantitas menſuratur: quia cum demeritum ſit generalis proprietas conſequuta ad rationem communem peccati, in omnibus eſt ejuſdem rationis. Vnde quoad hoc non mirum, ſi peccatum inferioris ſpeciei per augmentum ſuæ malitiæ peccatum ſuperioris ſpeciei adæquet.

Alia evaſio.

Refellitur. Verum neque hæc ſolutio alicujus momenti eſt. Tùm quia ratio demeriti non ita eſt proprietas generalis conſequuta ad communem rationem peccati, ut non cum ſpeciali uniuſcujuſque ratione proportionetur & adæquetur: alioqui nulla eſſet ratio, cur unum peccatum eſſet magis demeritorium quàm aliud: ergo non ſtat, quòd aliqua peccata ſint æqualia in ratione demeriti, & non ſint ſimiliter æqualia aut inæqualia in gravitate. Deinde ratio demeriti, quæ reperitur in peccato, præcisè provenit ab ejus gravitate, & in ea fundatur: atque adeo repugnat prædictam rationem plus augeri aut creſcere, quàm quòd augeatur ipſa gravitas: igitur qui admittit peccatum inferioris ſpeciei poſſe ſuperare peccatum ſpeciei ſuperioris in demerito; admittere quoque tenetur, quòd poſſit illud ſuperare in ratione gravitatis.

Ratio. 43. Ex dictis infertur, in communi uſu loquendi illud peccatum abſolutè dicendum gravius, quod moraliter gravius cenſetur, undecunque hæc major gravitas proveniat. Nam communis modus loquendi ſequi debet moralem & communem modum concipiendi, & judicandi: atque adeo peccatum, quod ſecundum hujuſmodi judicium & conceptum ſimpliciter gravius cenſetur, hoc abſolute & ſimpliciter dicendum eſt gravius: in quo ferè omnes conveniunt.

Eſt autem hîc obſervandum, non quamlibet majorem gravitatem ratione circunſtantiarum ſufficere, ut peccatum inferioris ſpeciei ſimpliciter cenſeatur gravius peccato ſpeciei ſuperioris; ſed debet eſſe talis prædictus exceſſus, ut ſecundum moralem appretiationem ſuperexcedat exceſſum in gravitate ſpecifica, quo ſuperior ſpecies ſuperabat inferiorem: ubi verò ad hoc non pertingit, peccatum, quod ex objecto eſt minus grave, non dicetur gravius ſimpliciter; ſed tantùm ſecundum quid. Quo circa peccatum veniale, quantumcunque in intenſione, duratione, aut aliis circunſtantiis aliquod peccatum mortale ſuperexcedat, nunquam dicetur ita grave ſimpliciter: quia totus ille exceſſus non adæquat ſecundum prudentis æſtimationem gravitatem ſpecificam minimi peccati mortalis: id quod quantitas pœnæ correſpondens peccato mortali, & exceſſus ejus ſupra quantitatem pœnæ, quæ deberi poteſt maximo peccato veniali, ſatis oſtendit. Qualiter verò inter ipſa peccata mortalia, aut inter venialia prædictus exceſſus in particulari, atque inſpectis omnibus determinari debeat, judicio prudentis relinquendum eſt.

§. IV.

Objectiones, & rationes dubitandi.

44. QVamvis in verbis & externa ſpecie diſſidium eſſe videatur inter auctores, quos num. 38. & 40. retulimus; vix tamen poteſt aliqua ſententia ut noſtris aſſertionibus oppoſita referri. Nam qui ſecundam negare videntur, ſolùm aſſerunt primam: & qui videntur diſcedere à prima, ſolùm adſtruunt ſecundam. *Prima obiectio.* Vnus tamen Gabriel Vaſq. reprehendit illam diſtinctionem duplicis conſiderationis gravitatis peccati, *phyſicè*, & *moraliter*, qua uſi ſumus, & utuntur quam plures. Pro quo & contra noſtram doctrinam obiicies primò: quia dum agimus de malitia & gravitate peccatorum, loquimur de rebus, quæ ſecundum ſe ſunt aliquid morale, & ſpectat præcisè ad genus moris: ergo nõ bene utimur prædicta diſtinctione *phyſice*, & *moraliter*.

Confirm. Confirmatur: quia non apparet, à quo ſumi poſſit, aut penes quid attendatur prædicta diſtinctio: cum enim tota ratio gravitatis peccati ſit moralis & dependens à ratione, tota ejus quantitas, quocunque modo conſideretur, debet deſumi & graduari ex quantitate oppoſitionis cum ratione: unde ſive prædicta gravitas phyſicè ſive moraliter conſideretur, eadem debet menſurari regula, nempe judicio & appretiatione rectæ rationis: ergo vel prædicta diſtinctio non debet admitti; vel nihil conducit ad rem, de qua agitur.

Solutio. Reſpondetur ad objectionem conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: nam ſicut de auro, & argento, aliiſque ſimilibus ſpectantibus ad ordinem phyſicum, poſſumus loqui vel phyſicè, vel moraliter; & diverſo modo de eorum perfectione in una ac in alia conſideratione philoſophamur: atque ita nunquam admittimus, quòd argentum, quantumcunque in quantitate creſcat, phyſicè adæquet perfectionem auri; cum tamen moraliter & ſecundum prudentem appretiationem pluris æſtimetur copia argenti, quam modica pars auri: ita de rebus moralibus poſſumus optimè cum eadem diſtinctione loqui: & taliter judicium ferre de illis, ut quod in una conſideratione excedit, in alia excedatur. Poteſtque hoc explicari in actibus bonis, & eorum morali bonitate, quæ non minus quàm peccata, & eorum gravitas ſpectant ad genus moris: & tamen habet in illis locum prædicta diſtinctio. Vnde quamvis actus virtutis ſuperioris, v. g. religionis, phyſicè loquendo ſemper excedat in perfectione actum inferioris virtutis, puta juſtitiæ vel pietatis; poteſt tamen aliquis actus pietatis ratione circunſtantiarum ita in bonitate creſcere, moraliter & ſecundum prudentis appretiationem pluris æſtimetur, & majori præmio dignus cenſeatur, quàm aliquis actus religionis. Et ſimiliter quamvis in eſſe phyſico duo actus charitatis intenſi ut quatuor non adæquant perfectionem unius actus intenſi ut quinque; in appretiatione tamen morali & in ordine ad præmium illum ſuperant: & ideo major gloria eſſentialis dabitur pro illis ſimul ſumptis, quàm huic ſoli correſpondeat.

Solutio confirmatio. 45. Ex quo ad confirmationem dicendum eſt, ſufficiens principium prædictæ diſtinctionis reperiri in ipſa malitia & gravitate peccati, ſecundum quod importat ordinem ad diſtinctos effectus, vel connotata. Si enim malitia & gravitas peccati conſideretur in ordine ad generandum vel intendendum proprium habitum vitij, eſt conſideratio phyſica: quia hujuſmodi effectus oriuntur ab eo modo phyſico, ſine relatione ad extrinſecam æſtimationem vel appretiationem. Et idem eſt, ſi conſideretur oppoſitio, & contrarietas ejus ad actum virtutis, & efficacia qualibet ad habitum virtutis expellendum: aut ſi attendatur nobilitas materiæ, circa quam ponit inordinationem, & alia hujuſmodi. Vnde in his & ſimilibus rationibus, quæ ſunt regula & menſura

ſura

Digitized by Google

ſura gravitatis in eſſe phyſicò, quantumcunque peccatum inferioris ſpeciei creſcat, non adæquabit peccatum ſpeciei ſuperioris, nec præſtare poterit aliquem ex hujuſmodi effectibus. Si verò eadem malitia & gravitas conſideretur ut eſt per juſtitiam ordinabilis, & reparabilis per pœnam, fundátque condignitatem ad illam, ut ſic ſumitur omnino moraliter: quia ſecundum hanc rationem dicit reſpectum ad judicem, cujus eſt inordinationem per malitiam cauſatam per pœnam adæquare, & malum culpæ, quod committitur voluntariè, malo pœnæ, de cujus ratione eſt ut ſit contra voluntatem, reſarcire & ordinare. Vnde quia judex cuilibet peccato determinat pœnam juxta prudentem appretiationem ipſius peccati: idcirco hæc appretiatio & æſtimatio eſt tota menſura & regula gravitatis illius in conſideratione morali. Ex quo patet, quòd diverſa ſit menſura & regula gravitatis illius in hac morali conſideratione, atque in conſideratione phyſica. ¶ Nec refert quòd menſura prædicta gravitatis in utraque conſideratione eſt ratio & dictamen prudentiæ, cui malitia opponitur: quia ipſamet ratio poteſt diverſimodè quantitatem peccati attendere per ordinem ad diverſos terminos, & connotata, ſeu effectus, quæ modò diximus. Et ideo ipſamet poteſt eſſe diverſa in ratione regulæ & menſuræ.

Secunda obiectio ex D. Thoma.

46. Obiicies ſecundò, quòd D.Thom. ubique præfert gravitatem ex objecto aliis gravitatibus, quæ proveniunt ex circunſtantiis: ut videre eſt art.3 hujus quæſtionis, ubi ait: *Quia peccata habent ſpeciem ex obiectis, differentia gravitatis, quæ attenditur penes objecta, eſt prima & principalis.* Et 2. 2. quæſt. 163. art. 3. expreſsè dicit, quòd gravitas, quæ ſumitur ex objecto, eſt principaliter in peccato: & quòd ſecundum eam magis peccatum dicitur grave, quàm ſecundum aliam, quæ provenit ex circunſtantiis: atque hinc deducit, quòd licèt peccatum Adami ex circunſtantia perſonæ peccantis habuerit maximam gravitatem; non tamen idcirco fuit ſimpliciter graviſſimum; ſed tantùm ſecundum quid: quia dantur alia peccata graviora ex objectis. Eadem quoque 2. 2. quæſt. 39. art. 2. ſic ait: *Cum quæritur in communi de duobus peccatis, quod ſit gravius? intelligenda eſt quæſtio de gravitate, quæ attenditur ſecundum genus peccati.* Ergo ex mente D. Thomæ gravitas in peccatis ſimpliciter debet attendi ex quantitate objecti, quicquid ſit de circunſtantiis.

Exponitur primum teſtimonium.

Confirmatur teſtimonio illo ex quæſt. 2. de mal. quod pro prima concluſione adduximus: quod non tantùm concluſionem illam probat; ſed videtur militare contra ſecundam. Ibi enim D.Thom. expreſsè dicit, gravitatem provenientem ex circunſtantiis, quantumcunque creſcat, non poſſe adæquare gravitatem, quæ deſumitur ex objecto.

Reſpondetur, primum ex his teſtimoniis non eſſe contra nos: nam quòd gravitas deſumpta ex objecto ſit prima & principalis, probat hujuſmodi gravitatem eſſe primo loco conſiderandam, &, cæteris paribus, aliis gravioribus præferendam: non autem probat, quòd talis gravitas ſemper ſit major quacunque alia gravitate: aut quòd ſi aliæ valde augeantur, non poſſint eam excedere. ¶ Ad ſecundum ex quæſt. 162. quod majorem præ ſe ferre videtur difficultatem, reſpondetur, D. Thomam ibi ſolùm velle, quòd non quælibet major gravitas deſumpta ex hac, vel illa circunſtantia conſtituat peccatum ſimpliciter gravius; quamvis conſtituat illud gravius ſecundum quid: quia totus ille exceſſus poteſt ſuperari à gravitate, quæ ſumitur ex objecto. Et de facto ita accidit in peccato primi parentis: nam exceſſus ille ratione circunſtantiæ perſonæ non fuit tantus, ut non ſuperetur per alia peccata ex objecto graviſſima: uti eſt ſuperbia, qua quis Deum negat, vel blaſphemat (hæc enim ſunt peccata, cum quibus ibi fit comparatio.) Poſſet autem prædictum peccatum, vel aliud ejuſdem ſpeciei ratione illius & aliarum circunſtantiarum adeo creſcere, ut excederet ſimpliciter aliquod ex objecto gravius. Neque hoc negat Ang. Doctor, ſed loquitur de eo, quod de facto accidit: & quod attenta conditione ſtatus primi parentis ſecundum communem legem potuit accidere. Videantur quæ num. 41. obſervavimus.

Exponitur ſecundum.

Tertium ſe ipſum explicat.

47. Tertius locus ex quæſt. 39. ſe ipſum explicat, ſi attentè legatur: ita enim habet: *Dicendum quòd gravitas peccati dupliciter poteſt conſiderari: uno modo ſecundum ſuam ſpeciem: alio modo ſecundum circunſtantias. Et quia circunſtantiæ particulares ſunt infinitæ, & infinitis modis variari poſſunt; cum quæritur in communi de duobus peccatis, quod ſit gravius? intelligenda eſt quæſtio de gravitate, quæ attenditur ſecundum genus peccati, &c.* Vbi, ut vides, ratio, propter quam D.Thom. docet, cum quæritur de duobus peccatis, quod ſit gravius? intelligendum eſſe de gravitate ex objecto; non eſt quia hujuſmodi gravitas ſit major quacunque aliis ex circunſtantiis deſumpta: ſed quia communis quæſtio non attendit circunſtantias individuales, quæ ſunt incertæ, & poſſunt in infinitum variari; ſed illud, quod tribuit peccato certam & determinatam malitiam, ſicut dat objectum. Cum quo optime ſtat, ut conſideratis in particulari circumſtantiis individualibus, peccatum ex objecto levius poſſet ita aggravari, ut ſimpliciter & abſolutè excedat peccatum ex objecto gravius. Neque hoc negat D.Thom. ſed potius innuit in fine corporis, ut expendimus pro ſecunda aſſertione num. 40.

Declaratur ultimum.

Ad teſtimonium confirmationis reſpondetur ibi eſſe ſermonem de gravitate peccati phyſicè conſiderata: loquitur enim D. Thom. de illa, quatenus deſervire poteſt ad conſtituendam vel variandam ſpeciem peccati; quod pertinet ad phyſicam conſiderationem. Vnde cum dicitur, quòd ſemper major eſt gravitas, quæ eſt ex peccati ſpecie, ſenſus eſt, quòd talis gravitas phyſicè loquendo habet ſe ut ratio ſuperior, & continet ſub ſe omnem gravitatem, quæ deſumitur ex circunſtantiis, ut num. 38. & 39. explicuimus. Et ita hoc teſtimonium licèt probet primam concluſionem, pro qua illud adduximus; non convincit aliquid contra ſecundam.

Vltima obiectio.

48. Denique obiicies contra eandem ſecundam aſſertionem rationem, qua ad priorem probandam uſi ſumus: quia tota gravitas peccati inferioris ſpeciei continetur ſub ipſa ſpecie: ergo quantumcunque creſcat, ſemper erit inferioris rationis, ac gravitas ſpeciei ſuperioris,

ris. ¶ Et confirmatur: nam ptopterea dicitur, quòd ſpecies ſunt ſicut numeri, & quòd habent inter ſe diſtantiam negativè infinitam: quia quantumcumque inferior in ſua ratione creſcat, nunquam pertinget ad gradum ſuperioris: ſicut quantumcunque equus creſcat in perfectione ſuæ ſpeciei, non adæquabit ſimpliciter perfectionem hominis: & quantumcunque nigredo intendatur, aut dilatetur, non adæquabit perfectionem albedinis: ergo malitia, quæ eſt ſpeciei inferioris, quantumcunque intra ſpeciem creſcat, nunquam pertinget ad quantitatem malitiæ ſpeciei ſuperioris, neque illam ſimpliciter adæquabit. ¶ Confirmatur ſecundò: nam exceſſus inter aliquas res ſimpliciter attendi debet ſecundum ea, quæ ſunt per ſe; non verò ſecundum ea, quæ ſunt per accidens: ſed gravitas deſumpta ex obiecto, eſt per ſe in peccatis; quæ autem ex circunſtantiis deſumitur, eſt per accidens, ergo exceſſus ſimpliciter inter illa non ſecundum hanc, ſed ſecundum illam debet attendi.

Prior ſolutio. Huic obiectioni ut occurrat perdoctus junior ex ſchola D.Thomæ (quem ſequi videtur Greg. Mart. ubi ſupra ante primam concluſionem) animadvertit, in quolibet peccato reperiri duplicem malitiam: alteram communem omnibus: alteram propriam ſecundum ſpecialem uniuſcuiuſque rationem. Communis eſt (inquit) ratio offenſæ, quæ conſiſtit in obedientia ad præcepta Dei: & quia hæc inobedientia eſt ejuſdem rationis in omnibus peccatis, etiam eſt ejuſdē rationis,in omnibus illis hujuſmodi malitia. Propria autem malitia uniuſcujuſque eſt converſio ad ſpeciale ejus objectum: quæ proinde in peccatis, quæ habent diverſa objecta, debet eſſe diverſæ rationis. Hæc autem ſpecialis malitia alia eſt eſſentialis quæ conſtituit ipſum peccatum; & alia accidentalis, quæ eſſentiam peccati conſequitur. Illa deſumitur ab objecto ſecundum eſſentialem & ſpecificam ejus rationem: hæc verò à circunſtantiis, quæ vel ex parte objecti, vel ex parte actus ut tendentis ad ipſum objectum, ſe tenent. Loquendo ergo de prima malitia, peccatum inferioris ſpeciei poteſt adæquare in gravitate peccatum ſpeciei ſuperioris: quia cum hæc malitia ſit ejuſdem rationis in utroque, per augmentum unius poteſt ad alterius gravitatem perveniri. Loquendo autem de malitia ſpeciali, fatetur prædictus junior objectionem propoſitam convincere: quia talis malitia eſt diverſæ rationis in diverſis peccatis: & ideo quantumcunque in uno creſcat, nunquam ad gradum alterius pertinget.

Refellitur. 49. Hæc tamen ſolutio & doctrina non omnino placet. Tùm quia ratio inobedientiæ & ratio demeriti non ita eſt communis omnibus peccatis ut non proportionari debeat cum ſpeciali malitia & ratione uniuſcujuſque: unde vel duo peccata adæquari non debent in hac malitia communi; vel debent etiam adæquari in propria & ſpeciali. Tùm etiam quia cum creſcit gravitas peccati ſpeciei inferioris,non creſcit(ſaltem per ſe primò)ratione malitiæ communis; ſed ratione propriæ & ſpecialis: neque aliter illa augeri, aut diminui poteſt, niſi juxta hujus diminutionem, vel augmentum: ergo non ſtat, quòd unum peccatum ſuperet aliud ratione malitiæ communis,& non eodem modo excedat in malitia ſpeciali. Tùm denique quia condignitas pœnæ non minus fundatur in malitia ſpeciali, quam in malitia communi: ergo ſi in hac condignitate peccatum inferioris ſpeciei poteſt ratione circunſtantiarum adæquare, vel ſuperare peccatum ſpeciei ſuperioris, etiam poterit ipſum adæquare, vel ſuperare in utraque illa malitia.

Vera ſolutio. Hac igitur omiſſa ſolutione, reſpondetur ex dictis, quòd licèt in phyſica conſideratione peccati ita contingat, ut objectio propoſita intendit, in conſideratione tamen omnino morali aliter philoſophandum eſt. Vnde moraliter loquendo, malitia tàm communis quàm propria peccati ſuperioris ſpeciei, & malitia inferioris quodammodo dici poſſunt unius rationis, quatenus utriuſque ratio attenditur ſecundum idem prudentis judicium: & differre ſolùm penes magis & minus,ſecundum quòd prædicto judicio magis aut minus appretiantur, majorique vel minori pœna dignæ cenſentur: atque ita non mirum quòd per augmentum unius poſſit alia adæquari, vel ſuperari. ¶ Per quod patet ad primam confirmationem: nam etiam illa ratio procedit præcisè ſecundum conſiderationem phyſicam.

Ad ſecundam reſpondetur gravitatem deſumptam ex circunſtantiis, licèt phyſicè loquendo quodammodo ſit per accidens in peccato, in morali tamen conſideratione & appretiatione non minus eſſe per ſe, quàm quæ ſumitur ex objecto: & ideo prudens judex in punitione peccati, & determinatione pœnæ non minus attendit unam, quam aliam.

DVBIVM IV.

Vtrum illud peccatum ſit gravius ſecundum ſpeciem, quod opponitur præſtantiori virtuti?

QVamvis non poſſit certa regula determinari, quodnam peccatum in particulari abſolutè ſit gravius: quia, ut dictum eſt, æqualitas & exceſſus in gravitate abſolutè loquendo dependet ex circunſtantiis, quæ in infinitum variari poſſunt; gravitas tamen eſſentialis & ſpecifica in quolibet peccato eſt certa & determinata: ſicut eſt ipſa peccati ſpecies, quam conſequitur, & ſupra quam fundatur. Vnde pro hujuſmodi gravitate ſpecifica non repugnat aſſignari univerſalis regula, ex qua certò & infallibiliter ejus quantitas in ſingulis peccatis poſſit inveſtigari: Quærimus igitur, num hujus rei ſufficiens ratio eſſe poſſit oppoſitio & contrarietas ad perfectiorem, vel minus perfectam virtutem? Et quia (ut D. Thom. in præſenti art. 4. animadvertit) oppoſitio inter virtutem & peccatum eſt duplex: alia immediata & directa; alia ex conſequenti & ex parte effectus, vel ut loquitur S.Doctor, *ſecundum quandam extenſionem virtutis cohibentis peccatum*, & ſecundum hanc poſteriorem quantò virtus eſt major, tantò ſolet minutioribus etiam peccatis

tis opponi: dubij titulus non de ea, ſed de prima intelligendus eſt.

§. I.

Communis aſſertio ratione Ang. Doctoris fulcitur.

50. DIcendum eſt, illud peccatum eſſe gravius ſecundum ſuam ſpeciem, quod directè opponitur majori virtuti. Aſſertio hæc deſumitur ex Philoſopho libr. 8. Ethic. cap. 10. ubi inquit, quòd *peſſimum optimo contrarium eſt. Optimum autem* (ſubſumit D.Thom.) *in moralibus eſt maxima virtus: peſſimum verò graviſſimum peccatum.* Ergo ex mente Philoſophi quò major eſt virtus, eò peccatum illi oppoſitum ſecundum ſuam ſpeciem debet eſſe gravius. Eandem aſſertionem ſtatuit D.Thom. art. 4. hujus quæſt. & quæſt. 2. de mal. art. 10. ubi ſic ait *Gravitas ergo peccati, quam habet ex ſpecie ſua, attenditur ex parte objecti ſive materiæ: & ſecundum hanc conſiderationem gravius peccatum dicitur ex ſuo genere, quod majori bono virtutis opponitur*, &c. S. Doctorem ſequuntur communiter ejus expoſitores in præſenti, ubi Conrad. Medina, Curiel, Zumel, Alvar. Martinez, Monteſ. ſuper citatum art. 4. & plures alij. Probatur ratione, qua utitur D. Thom. in præſenti, ubi ita loquitur. *Virtuti opponitur aliquod peccatum uno quidem modo principaliter & directè, quod ſcilicet eſt circa idem objectum, nam contraria circa idem ſunt: & hoc modo oportet, quod majori virtuti opponatur gravius peccatum: ſicut enim ex parte objecti attenditur major gravitas peccati; ita etiam major dignitas virtutis: utrumque enim ex objecto ſpeciem ſortitur, ut ex ſupradictis patet. Vnde oportet quòd maxima virtuti directè contrarietur maximum peccatum, quaſi maxime ab ea diſtans in eodem genere*, &c.

Philoſ. D.Thom.

Conrad. Medin. Curiel. Zumel. Alvar. Mart. Monteſ.

Animadverſio.

Vt autem vis & efficacia hujus rationis percipiantur, animadvertendum eſt, quòd peccatum & virtus directè contraria, debent habere eandem materiam *circa quam*, ſeu idem objectum materialiter & in eſſe rei ſumptum: ita ut res, quæ eſt objectum unius, ſit etiam objectum alterius, quamvis ſub diverſa ratione: nam contraria debent verſari circa idem, licèt diverſo modo. Hac ratione temperantia, & intemperantia directè contrariantur, quia habent eandem materiam *circa quam*, utriuſque enim objectum ſunt paſſiones concupiſcibilis, quas temperantia ad medium rationis reducit; & intemperantia à prædicto medio extrahit. E contra verò intemperantia & fortitudo non ſunt directè contraria, quia verſantur circa diſtinctas materias, nempe intemperantia circa paſſiones concupiſcibilis; fortitudo verò circa paſſiones iraſcibilis, ut D. Thom. docet ſupra quæſt. 66. art. 1. Conſiſtit autem contrarietas peccati & virtutis, ſuppoſita materiæ identitate, in eo quòd prædictam materiam oppoſito modo reſpiciunt: nam virtus reſpicit illam, accedendo ad medium conſtitutum per rationem, & proſequendo illud; peccatum verò recedendo à tali medio, & evertendo ipſum: aut ſi virtus per modum acceſſus & proſequutionis; peccatum per modum fugæ & receſſus, ut diſp. 1. dub. 2. magis explicuimus.

51. Ex quò fit, quòd ſicut dignitas virtutis attenditur ex dignitate materiæ, circa quam verſatur, ita ut illa ſit præſtantior virtus, quæ reſpicit nobiliorem materiam, ita gravitas ſpecifica peccati deſumi debet ex ejuſdem materiæ dignitate & nobilitate: & ideo illud peccatum ſecundum ſpeciem erit gravius, quod verſatur circa nobilius objectum ex parte materiæ, & quod in materia ſecundũ ſe præſtantiori & altiori, evertit medium rationis, & à regula ejus recedit. Et ratio videtur perſpicua: nam ſicut magis eſt juxta rationem ſervare ejus regulam & medium in materia nobiliori, magiſque rationis participe, quàm in minus nobili, & quæ minus rationi appropinquat: ſic magis eſt contra eandem rationem, magiſque illi repugnat derelinquere ejus medium & regulam in illa materia, quàm in iſta. Quò enim materia nobilior eſt, & magis ex ſe rationi & fini ejus conjuncta; eo magis debetur illi menſura & regula ipſius rationis: ſicque proinde major inordinatio, cum privatur tali regula, vel contra eam reſpicitur.

Proſequitur doctrina.

Poteſtque hoc aliqualiter explicari ex illis, quæ diſp. 3. num. 9. diximus: ubi ea ratione probavimus potiorem eſſe in malitia actum, quàm habitum vitioſum circa idem objectum, quia actus ſecundus ratione ſuæ majoris actualitatis magis determinatus eſt ad bonitatem, ſtrictiuſque illam exigit, quàm habitus: & eò ipſo repugnat magis illi, quàm iſti oppoſita malitia & privatio rectitudinis. Ita ergo in præſenti accidit: nam quò aliqua materia eſt nobilior, & habet majorem conjunctionem ad rationem & ultimum finem; eò ſtrictiùs poſtulat, ut in ejus attingentia medium & regula ipſius rationis obſervetur: eóque magis illi repugnat oppoſitus modus attingendi, qui eſt per receſſum à prædicto medio & regula. Vnde ſicut virtus, quæ in materia nobiliori ſervat prædictam regulam & medium, eſt nobilior & magis conſona rationi, quàm quæ in materia minus nobili id præſtat: & hac ratione fortitudo, quæ habet pro materia paſſiones iraſcibilis, eſt nobilior temperantia, quæ habet pro materia paſſiones concupiſcibilis, quia iraſcibilis nobilior eſt & vicinior rationi & ejus fini, quàm concupiſcibilis: ita vitium vel peccatum, quod in materia præſtantiori prædictum medium & regulam evertit, deterius eſt, & magis rationi repugnat, quàm quæ id efficiunt in materia minus nobili.

Explicatur exemplo.

52. Ex hoc facile eſt percipere vim rationis D. Thomæ, quam majoris claritatis gratia poſſumus reducere ad hanc formam. Illud peccatum eſt gravius ſecundum ſuam ſpeciem, cujus objectum in ratione objecti ipſius peccati peius eſt, & magis repugnans rationi: ſed peccatum quod opponitur præſtantiori virtuti, habet peius obiectum, & magis rationi repugnans: ergo eſt gravius ſecundum ſpeciem. Maior conſtat: nam cum gravitas ſpecifica peccati præcisè ſumatur ab obiecto, nulla alia regula poteſt pro illius quantitate aſſignari; niſi quantitas malitiæ, & deordinationis ipſius obiecti. Minor autem ex di-

Formatur ratio.

ctis

ctis eſt perſpicua. Tùm quia objectum peccati, quod opponitur præſtantiori virtuti, ponit inordinationem circa nobiliorem materiam, cum eam ponat in materia nobilioris virtutis, cui prædictum peccatum opponitur: unde eo ipſo dicit majorem inordinationem, majorémque diſconvenientiam, & repugnantiam ad rationem: nam hujuſmodi diſconvenientia & inordinatio creſcit ex materiæ nobilitate & dignitate. Tum etiam quia quò aliqua virtus eſt nobilior, eò tam ipſa quàm oppoſitum peccatum verſantur circa materiam magis affinem rationi & ejus fini; cui propterea magis debita eſt rectitudo & commenſuratio ipſius rationis; magiſque oppoſita incommenſuratio repugnat: ergo ſicut virtus, quæ attingit hujuſmodi materiam, ponitque in ea prædictam commenſurationem, habet nobilius objectum, & eſt perfectior virtus ex ſua ſpecie: ſic etiam oppoſitum peccatum, quod talem commenſurationem deſtruit, affertque oppoſitam incommenſurationem, habebit pejus objectum, & erit ſecundum ſpeciem gravius. Tùm denique quia quò magis aliquod objectum eſt proportionatum cum regula rationis in ordine ad virtutem, eò majorem improportionem habet cum eadem regula in ordine ad oppoſitum peccatum: ac proinde quantum bonitatis objectivæ habuerit, ut eſt attingibile per actum virtutis; tantùm afferre debet malitiæ objectivæ, ut eſt attingibile per actum vitij oppoſiti: tantò ergo prædictum objectum habebit eſſe peius in ratione objecti peccaminoſi, quantò fuerit melius in ratione objecti virtutis: atque adeo quantò virtus, quæ circa illud verſatur, fuerit perfectior. Hac ratione Deus reſpectu actus odij maximam habet incommenſurationem, & improportionem in ratione objecti, quia reſpectu actus charitatis & dilectionis dicit maximam proportionem & commenſurationem tantóque magis ei repugnat odium, quanto major amor illi debetur. Vniverſaliterque loquendo, quantò aliquod objectum fuerit proſequutione & amore dignius, tantò illi repugnat oppoſita fuga & odium: & quantum bonitatis objectivæ affert reſpectu illius, tantum dicit oppoſitæ malitiæ reſpectu iſtius.

Confirmatio. 53. Poteſtque hoc confirmari & explicari animadvertendo, quòd objectum virtutis, & objectum vitij contrarij reſpiciunt eandem materiam; differunt verò formaliter in ratione objectorum: quia in illa materia, in qua virtus ponit æqualitatem & commenſurationem cum ratione; vitium hujuſmodi æqualitatem deſtruit, & ponit oppoſitam incommenſurationem: & ſicut prædicta materia conſtituitur in ratione objecti ſpecificativi virtutis per prædictam commenſurationem, ita per oppoſitam incommenſurationem conſtituitur formaliter in ratione objecti vitij. Ex quo fit, quòd ſicut inæqualitas & incommenſuratio, quam ponit vitium in illa materia, non eſt minor quàm oppoſita commenſuratio & æqualitas, quam ponit virtus: ita prædictum objectum non minus diſſonat rationi in eſſe objecti vitij, & ut attingibile eſt per actum peccati, quàm conſonat illi in ratione objecti virtutis, & ut eſt attingibile per actum bonum. Si igitur in hac ratione fuerit melius, & idcirco ſpecificet nobiliorem virtutem; conſequens fit, ut in illa priori ſit pejus, tribuátque ſpeciem gravioris peccati.

Confirmatur ſecundò: nam peccatum, quod contrariatur perfectiori virtuti, ex ſua ſpecie habet deſtruere & corrumpere majus bonum, cum deſtruat & corrumpat medium ipſius virtutis: ergo ex ſua ſpecie eſt gravius, & deterius peccatum. *Alia.*

§. II.

Obſervationes pro pleniori intelligentia aſſertionis.

54. Pro pleniori autem intelligentia aſſertionis quædam obſervare opus eſt: ex quibus objectiones, quæ contra nos fieri poſſunt, facile diluentur. Obſervandum eſt ergo primò, quòd cùm dicimus illud peccatum eſſe gravius ſecundum ſuam ſpeciem, quod opponitur perfectiori virtuti, intelligendum eſt de oppoſitione ſecundum objectum primarium & principale talis virtutis: ſi enim peccatum opponatur virtuti ſolùm quoad objectum ſecundarium, non idcirco erit gravius, quia talis virtus ſit perfectior. Et ratio eſt: quia virtus non habet, quòd ſit perfectior, ex ordine ad objectum ſecundarium; ſed ex ordine ad primarium, a quo ſuam ſumit perfectionem & ſpeciem: quare niſi peccatum opponatur virtuti, quatenus tendit in hoc objectum primarium; non opponetur illi formaliter ut perfectior eſt, adeóque non deſumet ex hac oppoſitione tantam gravitatem, quanta eſt bonitas & rectitudo ipſius virtutis. Hac ratione licèt charitas ſit perfectiſſima virtus; odium proximi, quod ei opponitur, non eſt graviſſimum peccatum: quia non contrariatur illi directè, ut tendit in Deum objectum primarium, ſed ut tendit in objectum ſecundarium. Quæ eſt expreſſa doctrina D. Thomæ in præſenti art. 4. in ſolut. ad 3. eamque apertiùs tradidit 2. 2. quæſt. 39. art. 2. ubi docet, ſchiſma, quamvis opponatur charitati, eſſe minus peccatum quàm infidelitas. Et in 3. argumento ita objicit: *Majori malo majus bonum opponitur, ut patet per Philoſophum in 8. Ethic. ſed ſchiſma opponitur charitati, quæ eſt major virtus quàm fides, cui opponitur infidelitas, ut ex præmiſſis patet: ergo ſchiſma eſt majus peccatum quàm infidelitas.* Reſpondet verò: *Ad tertium dicendum, quòd charitas habet duo objecta: unum principale, ſcilicet bonitatem divinam; & aliud ſecundarium, ſcilicet bonum proximi: ſchiſma autem & alia peccata, quæ fiunt in proximum, opponuntur charitati quantum ad ſecundarium bonum, quòd eſt minus, quàm objectum fidei, quod eſt ipſe Deus. Et ideo iſta peccata ſunt minora, quàm infidelitas. Sed odium Dei, quod opponitur charitati quantum ad principale objectum, non eſt minus.* *Prima obſervatio.* *D. Thom.*

55. Secundò obſervandum valde eſt, ut peccatum, quod opponitur inferiori virtuti, non etiam includat oppoſitionem cum alia virtute ſuperiori: nam tunc ratione hujus incluſi poſſet prædictum peccatū ſuperare illud, quod majori virtuti opponitur. Vnde adulterium, quod caſtitati opponitur, ſecundum ſuam ſpeciem gravius eſt quàm furtum, quod *Secunda.*

opponitur juſtitiæ; quamvis hæc ſit perfectior virtus quàm illa: quia etiam in adulterio ſimul cum oppoſitione ad caſtitatem clauditur oppoſitio ad ipſam juſtitiam. Similiter licèt prudentia ſit nobiliſſima inter virtutes morales; non idcirco quodcunque peccatum prudentiæ opponitur, habet eſſe gravius aliis peccatis, quæ virtutibus moralibus contrariantur: quia etiam in hujuſmodi peccatis includitur oppoſitio ad prudentiam, & aliqua ratio imprudentiæ. *D.Thom.* *Sicut enim* (ait D. Thom. 2.2.quæſt.53.art.2.) *prudentia participatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum eſt directiva earum: ita & imprudentia in omnibus vitiis & peccatis. Nullum enim peccatum poteſt accidere, niſi ſit defectus in aliquo actu rationis dirigentis: quod pertinet ad prudentiam.* Deſumiturque hæc obſervatio ex eodem Ang. Doctore 2.2. quæſt.94. art.3. ubi ea ratione probat, idololatriam, quæ opponitur religioni, eſſe gravius peccatum infidelitate, deſperatione, & aliis, quæ virtutibus theologicis contrariantur: quia in ipſa idololatria includitur etiam oppoſitio ad prædictas virtutes. Et in ſolut. ad 1. ſic ait: *Dicendum quod idololatria præſupponit interiorem infidelitatem, & adjicit exterius indebitum cultum.* Vbi obſervat Caiet. quòd D. Thom. loquitur de peccato idololatriæ non præcisè ſecundum id, quod addit ſupra peccatum infidelitatis, per quod à prædicto peccato diſtinguitur, qua ratione ſoli religioni opponitur: ſed ſecundum totum: quod claudit & præſupponit: quo modo includit etiam ipſum peccatum infidelitatis, & oppoſitionem cum fide. Qui enim cultum veri Dei idolo offert, ipſum Deum verum negat, & alium Deum ſibi conſtituit. Quod etiam videre eſt in multis aliis peccatis, & infra magis declarabitur.

Tertia. 56. Tertio obſervari debet, ut peccata, inter quæ fit comparatio, habeant eundem modum oppoſitionis ad virtutem: ita quòd aut utrunque opponatur illi contrariè; aut utrunque privativè: adeóque vel utrunque ſit peccatum commiſſionis; vel utrunque omiſſionis. Si autem unum ſit commiſſionis, quod opponitur contrariè, & aliud ſit omiſſionis, quod opponitur tantùm privativè: valde probabile eſt, quòd etiam ſi hoc poſterius perfectiori virtuti opponatur, poterit eſſe minus grave quam illud: quia diverſus iſte modus oppoſitionis mutat non parum eorum gravitatem. Nam oppoſitio privativa etſi tollat rectitudinem virtutis; non tamen ponit in ejus materia aliquam inordinationem, aut incommenſurationem cum ratione, ſicut ponit oppoſitio contraria. Vnde malitia objectiva illius materiæ diſtincto modo & in longè diverſo gradu attingitur, & participatur per unam ex prædictis oppoſitionibus, ac participatur per aliã: quia per oppoſitionẽ contrariã attingitur adæquatè, & completè totáque prædicta malitia in actum peccati derivatur: per privativam verò ſolùm attingitur initiativè & inadæquatè. Quo circa probabiliter dici poteſt, peccatum homicidij, quod juſtitiæ opponitur, eſſe gravius ſecundum ſuam ſpeciem, quàm omiſſio ſacri, quæ opponitur religioni, quamvis religio ſit perfectior, quàm juſtitia.

Quartò obſervant nonnulli, ut actus virtutis, quæ minus perfecta dicitur, non ſit magis debitus, quàm actus virtutis perfectioris: nam tunc ratione hujus majoris debiti erit gravius peccatum agere contra illam, quàm contra iſtam. *Quid alij obſervent?* Hæc tamen conditio nec videtur multum ad rem, neque omnino rectè aſſignata: ad ſummúmque poteſt deſervire pro peccatis omiſſionis: nam peccata commiſſionis eodem modo aggravantur ex oppoſitione ad præſtantiorem virtutem, ſive ipſa virtus aut ejus actus ſint parùm, ſive multum debita. Imò etiam ſi nullus actus talis virtutis abſolutè ſit debitus: quia cum hujuſmodi peccata non conſiſtant in carentia alicujus actus debiti; ſed in eo quòd ponunt in materia oppoſitæ virtutis poſitivam inordinationem, ut explicuimus à n. 50. non refert ad eorum gravitatem utrum aliquis actus prædictæ virtutis ſit debitus, aut magis debitus; ſed utrũ materia, in qua inordinationẽ conſtituũt, ſit ſecũdũ ſe nobilior, magiſque rationi, & fini ultimo conjuncta; cui proinde magis deordinatio repugnet.

57. In peccatis autem omiſſionis videtur habere locum prædicta conditio: eò quòd conſiſtunt in carentia actus debiti: & ſicut cæteris paribus eò ſunt graviora, quò actus, qui omittitur, perfectior eſt, ita quò prædictus actus ſtrictiori jure debetur. Videturque hæc doctrina D.Th. 2.2. quæſt.105. art.2. ubi poſtquam dixit inobedientiam poſſe aggravari ex duobus capitibus: uno modo ex parte præcipientis, ita ut quantò ſuperior eſt, qui præcipit, tantò ei inobedientem eſſe ſit gravius; ſubdit: *D Thom.* *Secundò ex parte præceptorum: non enim præcipiens æqualiter vult impleri omnia, quæ mandat. Magis enim unuſquiſque præcipiens vult finem, & id quod eſt fini propinquius: & ideo tantò eſt inobedientia gravior, quantò præceptum, quod quiſque præterit, magis eſt de intentione illius, qui præcipit,* &c. Verùm ſi res attentiùs conſideretur, manifeſtè conſtabit, quòd neque pro hujuſmodi peccatis (ſaltem univerſaliter loquendo) aſſignanda ſit prædicta conditio. Nam licèt admittamus, tunc peccatum omiſſionis eſſe gravius, quando actus omiſſus, eſt magis debitus; attamen quòd prædictus actus magis debeatur, non aliunde provenire poteſt (ſaltem loquendo in ordine ad præcepta Dei) niſi quia in ſe eſt perfectior, & ſpectat ad nobiliorem virtutem. *Idem.* Cujus optimam rationem tradit Ang. Doct. loco nuper cit. ubi ſic ait: *In præceptis quidem Dei manifeſtum eſt, quod quantò præceptum datur de meliori, tantò eſt ejus inobedientia gravior: quia cum voluntas Dei per ſe feratur ad bonum; quantò aliquid eſt melius, tantò Deus vult illud magis impleri,* &c. Non igitur in ordine ad divina præcepta hæc duo conjungi poſſunt, ut actus in ſe ſit perfectior: & non eo ipſo (ſi ſemel ſub præcepto cadat) ſtrictiori jure debeatur. Superflue igitur aſſignatur iſta conditio, etiam pro peccatis omiſſionis, quæ Dei præceptis opponuntur.

Poſſet verò prædicta conditio ſuſtineri in humanis præceptis, quia voluntas legiſlatoris humani non ſemper magis fertur in majus bonum; neque illud, quod melius eſt, ſemper magis præcipit. Et ideo loquendo de peccatis omiſſionis, quæ hujuſmodi præceptis contrariantur, admittimus doctrinam iſtius obſervationis: ſicut eam admittit Ang. Doctor loco cit. *Idem.* ubi poſt verba modò relata inquit: *Voluntas autem hominis non ſemper magis fertur*

in melius : & ideo ubi obligamur ex ſolo hominis precepto, non eſt gravius peccatum, ex eo quod majus bonum præteritur ; ſed ex eo quod præteritur illud, quod eſt magis de intentione præcipientis, &c.

Replica. Dices, etiam in ordine ad præcepta Dei non ſemper actum perfectioris virtutis eſſe magis debitum : nam virginitas perfectior eſt ſimplici caſtitate ; & non propterea eſt magis debita. Similiter religio eſt nobilior quàm juſtitia : & nihilominus præceptum de aliquo actu juſtitiæ aliquando ſtrictiùs obligat quàm præceptum alicujus actus religionis. Vnde judex, cui ex officio incumbit providere bono civitatis, aliquando ſtrictius ad id tenetur, quàm ad audiendum ſacrum, qui eſt actus virtutis religionis : & ideo ubi utrunque præſtare non poſſet, debet præferre actum juſtitiæ.

Diluitur. ¶ Reſpondetur negando antecedens, ſuppoſito quòd uterque actus ſit præceptus : unde ſtrictius tenetur virgo abſtinere à fornicatione, quàm ſoluta non virgo : ſicut gravius peccatum eſt ſtuprum, quàm ſimplex fornicatio. ¶ Adde peccata contra caſtitatem & contra virginitatem non eſſe peccata omiſſionis ; ſed commiſſionis. In peccatis verò commiſſionis non attenditur (ſaltem per ſe primo) ad majus debitum ex parte oppoſitæ virtutis; ſed ad excellentiam & præſtantiam materiæ, ut explicuimus.

58. Per quod patet ad illud de actibus juſtitiæ & religionis. Aliud enim eſt, quòd urgente præcepto de aliquo actu juſtitiæ, præceptum de actu religionis non obliget : aliud vero, quòd urgente utroque præcepto, ſtrictius obliget præceptum juſtitiæ, quàm religionis. Primum eſt verum, & multoties contingit : potuit enim legiſlator, urgente præcepto de aliquo actu infectioris virtutis, nolle obligare ad actum cum eo incompoſſibilem, etiam ſi ſit virtutis ſuperioris. Secundum autem manifeſtè eſt falſum: nam ſuppoſito quòd præceptum religionis obliget, ſtrictiùs obligat, quàm præceptum particularis juſtitiæ : majuſque peccatum eſt ex ſpecie ſua omittere actum religionis, v. g. ſacrum, aut ſolutionem decimarum, quando ad id aliquis tenetur, quàm omittere actum debitum ex juſtitia commutativa vel diſtributiva.

Vltima animadverſio. Denique obſervandum eſt, ut comparatio, quæ fit inter peccatum, quod opponitur perfectiori virtuti ; & illud, quod opponitur minus perfectæ, intelligitur non abſolutè ; ſed dumtaxat quoad malitiam & gravitatem ſpecificam, ut initio dubij tetigimus : aut quòd ſi intelligatur de gravitate abſolutè, cætera ſint paria : nam ut ex doctrina dubij præcedentis conſtat, peccatum ex objecto levius, adeóque oppoſitum minori virtuti, poteſt ratione circunſtantiarum ita creſcere, ut abſolutè adæquet vel ſuperet peccatum gravius ex objecto, & quod majori virtuti opponatur. Ex qua obſervatione non erit difficile explicare aliqua D. Thomæ, & aliorum Patrum teſtimonia, in quibus peccata oppoſita inferioribus virtutibus præferunt non ſemel peccatis, quæ virtutibus ſuperioribus contrariantur : frequenter enim loquuntur non de ſola gravitate ſpecifica, & cæteris paribus ; ſed abſolute de tota gravitate reperta in peccato, undecunque proveniat.

§. III.

Quæ obſtent noſtræ aſſertioni?

59. IN oppoſitum noſtræ doctrinæ inclinant recentiores nonnulli, de quorum numero ſunt Vaſq. in præſenti in annotationibus ad art. 4. num. 29. Lorca diſp. 29. memb. 2. Salas tract. 13. diſp. 5. ſect 3. & alij : qui adhuc ſuppoſitis his, quæ obſervavimus, non admittunt, peccatum oppoſitum perfectiori virtuti eſſe ſemper ſecundum ſpeciem ſuam gravius ; ſed alias adhibent limitationes & modificationes, quæ neque apud D. Thomam habent ſufficiens fundamentum, nec cum ejus ratione & doctrina poſſunt cohærere. Quiquid verò ſit de dicendi modis, nobis obſtare videtur S. Doctor 2. 2. quæſt. 118. art. 7. ad 1. & in hac 1. 2. quæſt. 84. art. 4. in ſolut. ad 1. ubi dicit non oportere *quod principalia vitia opponantur principalibus virtutibus.* Et in hac quæſt. 73. art. 2. ad 3. quòd *etiam ſi virtutes eſſent pares, non ſequeretur vitia eſſe paria* : ergo inæqualitas in gravitate ex parte peccati non bene attenditur ex oppoſitione ad inæquales virtutes. *Vaſquez. Lorca. Salas.* *Prima obiectio ex D. Thom*

Confirmatur ex Chryſoſtomo homil. 68. ad populum : ubi avaritiam, quæ opponitur liberalitati, dicit eſſe majus peccatum, quàm furtum & rapina, quæ opponuntur juſtitiæ. Et ſimiliter D. Thom. 2. 2. quæſt. 135. art. 1. in ſolut ad 3. parvificentiæ, quæ magnificentiæ opponitur, præfert illiberalitatem : conſtat autem liberalitatem non eſſe ita perfectam virtutem, ſicut juſtitia & magnificentia. Item gloſſa Levit. 15. & Zachar. 5. idololatriam dicit eſſe graviſſimum omnium peccatorum. Et idem dicit de blaſphemia gloſſa, Iſai. 18. & nihilominus religio aut fides, quibus hæc peccata contrariantur, non ſunt maximæ omnium virtutum : nam major eſt charitas : ergo, &c. *Confirmat. ex eodem, & ex Chryſoſt.*

60. Reſpondetur ad primum teſtimonium, in utroque illo loco per principalia vitia non intelligi vitia majora aut graviora ; ſed vitia capitalia, quæ aliorum ſunt cauſæ & radices : non autem oportet, quòd omnia hujuſmodi vitia ſint aliis graviora : ut loquens de gula docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 148. art. 5. ad 2. In ſecundo teſtimonio intelligendus eſt de æqualitate virtutum non ſecundum ſuas rationes ſpecificas ; ſed ſecundum quòd in ſtatu perfecto prudentia informantur, & in ea connectuntur, ut ex contextu conſtat. *Diluitur.*

Ad confirmationem dicendum eſt, Chryſoſtomum non loqui de avaritia, ut præcisè ſiſtit intra ſuum genus; ſed ut tranſit etiam ad genus injuſtitiæ, furando & rapiendo ſine verecundia & timore, ut ejus verba ſatis oſtendunt : ſic enim habet : *Nam & avarus rapax, fur eſt & latro, illo longè deterior, quantò & violentior. Ille nanque tum latendo, tum nocte graſſando multum de facinore ſuccidit, ut pote qui vereatur & timeat peccare : hic autem perfricata fronte, nudo capite, per medium forum res omnium rapit, ſe furem ſimul exhibens & tyrannum*, &c. ¶ Ad id verò, quod D. Thom. ait de illiberalitate reſpectu parvificentiæ, conſtat ex dictis num. 5. quia illiberalitas quodammodo parvificentiam includit, & ſe habet *Diluitur confirmatio.* *Chryſoſt.*

habet ex additione ad illam. Nam illiberalis eo ipſo non poteſt eſſe magnificus; parvificus autem poteſt eſſe liberalis. Vnde ratione ejus, quòd illiberalitas includit, opponitur etiam magnificentiæ, & ratione ejus, quod addit, parvificentiam ſuperat. Niſi malis dicere, quòd Ang. Doctor in hoc loco non anteponit illiberalitatem parvificentiæ quoad gravitatem ſpecificam; ſed quoad aliquam gravitatem accidentalem, quæ ratione objecti extrinſecè difficilioris diminuitur, juxta ea, quæ inferius trademus. ¶ Ad alia quoque duo de idololatria & blaſphemia deſumpta ex illis gloſſis conſtat ex dictis num. 55. Quamvis etiam poſſit dici, quòd in prædictis gloſſis non fit comparatio ad peccata, quæ ſunt contra Deum, & opponuntur immediate virtutibus theologicis; ſed ad alia, quæ homo committit in proximum, aut in ſe ipſum, quæ ſolùm contrariantur virtutibus moralibus.

Secunda obiectio. 61. Deinde obijcies, quòd intemperantia eſt gravius peccatum, quàm timiditas, ut tradit D.Thom. 2.2. quæſt. 142. art. 3. & nihilominus fortitudo, cui timiditas opponitur, eſt major virtus quàm temperantia, ut habet S. Doctor. ſupra quæſt. [illegible]. art. 2. & 2.2. quæſt. 123. art. 12. & quæſt. 5. de virtut. art. 3.

Duplex confirmatio. Confirmatur primò: nam plura peccata oppoſita prudentiæ, ut conſideratio, negligentia, & ſimilia non ſunt ita gravia ſicut aliqua, quæ opponuntur temperantiæ: & tamen prudentia eſt longè major virtus: ergo &c. ¶ Confirmatur ſecundò: quia ſchiſma, invidia, odium proximi, & alia hujuſmodi contrariantur charitati, & non propterea ſunt ita gravia ſicut infidelitas, & deſperatio, quæ fidei & ſpei opponuntur: è contra verò ſuperbia appellatur à D. Thoma 2. 2. quæſt. 162. art. 6. graviſſimum peccatorum: & tamen humilitas, cui opponitur, non eſt maxima virtutum, ut docet eadem 2.2. quæſt. 161. art 5. ergo, &c.

Solutio. Ad hanc objectionem (prætermiſſa ſolutione Gabrielis Vaſq. quæ non eſt ad rem) reſpondetur cum Medina Curiel, Zumel, Greg. Mart. & aliis ex Thomiſtis: nec non cum Sayro in clavi reg. lib. 1. & cum Franciſco de Herrera diſp. 32. quæſt. 4. peccatum intemperantiæ, ut ſiſtit præciſe intra hoc genus, non eſſe gravius timiditate quantum ad malitiam ſpecificam & eſſentialem deſumptam ex proprio & formali objecto; ſed quantum ad malitiam accidentalem, quæ deſumitur ex aliquibus circunſtantiis: maximè verò ex ratione voluntarij, ad quam D. Thom. in prædicto loco totum exceſſum intemperantiæ ſupra timiditatem reducit; non autem ad objectum ſpecificativum & formale.

Impugnatur. 62. Verùm contra hujuſmodi ſolutionem inſurgunt duo non parum difficilia. Primò quòd Ang. Doctor in loco allegato ex 2.2. loquitur tàm de gravitate, quæ deſumitur ex objecto, quàm de illa, quæ deſumitur ex circunſtantiis, ut verba ejus in principio corporis illius articuli ſatis oſtendunt: ſic enim ait: *D.Thom.* *Dicendum quòd unum vitium poteſt alteri comparari dupliciter: uno modo ex parte ipſius materiæ vel objecti: alio modo ex parte ipſius hominis peccatis. Et utroque modo intemperantia eſt gravius vitium, quàm timiditas,* &c. Ergo non rectè exponitur de ſola gravitate accidentali. ¶ Secundò quòd timiditas intra ſuum genus quantumcunque creſcat, non pertingit ad gravitatem peccati mortalis: & ideo neceſſe non eſt hujuſmodi peccatum in confeſſione aperire: cum tamen plura peccata ex his quæ opponuntur temperantiæ, ex proprio genere ſint mortalia: ut patet in fornicatione, adulterio, & ſimilibus: ergo ex objecto, & non tantùm ex circunſtantiis habent iſta eſſe graviora.

Reſpondetur ad primum, D. Thomam per gravitatem ex parte materiæ vel objecti non intelligere gravitatem ſpecificam & eſſentialem; ſed gravitatem accidentalem deſumptam ex aliquibus circunſtantiis objectivis. *Vindicatur.* Sicut enim malitia augetur, & minuitur ex aliis circunſtantiis, quæ tenent ſe ex parte principij agentis, augentque, vel diminuunt rationem voluntarij, ut eſt major vel minor impetus alicujus paſſionis, major vel minor ignorantia, vel cognitio, &c. ſic etiam diminui & augeri poteſt ex majori vel minori arduitate & difficultate extrinſeca objecti: & ex eo quòd prædictum objectum vel ejus oppoſitum magis vel minus neceſſario appetitur. Hæc enim major aut minor difficultas vel neceſſitas extrinſeca ex parte objecti, refundit in actum peccati plus vel minus de ratione voluntarij, atque ita auget vel minuit gravitatem ejus accidentalem. Vnde quia mortis & tormentorum pericula, circa quæ eſt timiditas, difficillimum eſt aggredi, eo quòd appetitus conſervandi vitam habet eſſe maximè neceſſarius, & ex alia parte timores & triſtitiæ valde diminuunt cognitionem, & mentem hominis quodammodo obſtupefaciunt: è contra verò reſpectu intemperantiæ neque ex parte objecti, neque ex parte principij adeſt aliquid, quod voluntarium ita diminuat, ut intuenti conſtabit; idcirco vitium intemperantiæ dicitur à D. Thoma gravius in malitia accidentali, quàm timiditas tam ex parte peccantis, quàm ex parte materiæ vel objecti: quia ex utroque capite in hoc diminuitur voluntarium, ſicut in illo augetur. Tantuſque eſt intemperantiæ exceſſus in hac gravitate accidentali, ut abſolutè poſſit dici gravius peccatum, quàm timiditas; etiam ſi hæc in gravitate ſpecifica & eſſentiali ſuperexcedat.

63. Deſumitur autem hæc ſolutio ex ipſo contextu: nam poſtquam dixit D. Thom. *D.Thom.* quòd intemperantia eſt gravius vitium quàm timiditas tam ex parte materiæ vel objecti, quàm ex parte peccantis, ſubdit rationem, dicens: *Primò namque ex parte materiæ: nam timiditas refugit pericula mortis, ad quæ vitanda inducit maxima neceſſitas conſervandæ vitæ: intemperantia autem eſt circa delectationes, quarum appetitus non eſt adeo neceſſarius ad vitæ conſervationem: quia ut dictum eſt, intemperantia magis eſt circa quaſdam oppoſitas delectationes ſeu concupiſcentias, quàm circa concupiſcentias ſeu delectationes naturales. Quantò autem illud, quod commovet ad peccandum, videtur eſſe magis neceſſarium, tantò peccatum levius eſt. Et ideo intemperantia eſt gravius vitium, quàm timiditas ex parte objecti, ſive materiæ moventis,* &c. Vbi ut vides, totum exceſſum gravitatis in-

Digitized by Google

temperantiæ ex parte objecti ſupra timiditatem reducitur ad hoc, quòd objectum iſtius, ſeu id, quod ad timendum inducit, magis neceſſariò movet; minuſque proinde relinquit voluntatij & libertatis, quàm objectum movens in temperantia.

Idem, Idem colligitur ex ſolut. ad 1. ubi propoſita fuerat hæc objectio: *Timiditas opponitur fortitudini, quæ eſt nobilior virtus, quam temperantia, cui opponitur intemperantia, ut ex ſupradictis patet: ergo timiditas eſt majus vitium quam intemperantia.* Et reſpondet D. Thom. *Ad primum dicendum, quod excellentia fortitudinis ſupra temperantiam poteſt conſiderari dupliciter: uno modo ex parte finis; quod pertinet ad rationem boni, quia ſcilicet fortitudo magis ordinatur ad bonum commune quam temperantia. Ex hac etiam parte timiditas habet quandam excellentiã ſupra intemperantiam: in quantum ſcilicet per timiditatem aliqui deſiſtunt à defenſione boni communis. Alio modo ex parte difficultatis: in quantum ſcilicet difficilius eſt ſubire pericula mortis, quàm abſtinere à quibuſdam delectationibus: & quantum ad hoc non oportet quòd timiditas præcellat intemperantiam. Sicut enim majoris virtutis eſt non vinci à fortiori; ita etiam è contrario minoris vitij eſt à fortiori vinci, & majoris vitij à debiliori ſuperari.* Quibus in verbis obſeruandum eſt, quòd cum D. Thom. loquitur de obiecto fortitudinis, & timiditatis in ordine ad finem, præponit illud obiecto temperantiæ: & ſicut ex hac parte tribuit fortitudini præcellentiam ſupra temperantiam; ſic etiam timiditati tribuit exceſſum ſupra intemperantiam: Tunc verò anteponit intemperantiam timiditati, cùm loquitur de prædicto objecto in ratione difficilis difficultate prouenienre ab extrinſeco motiuo: quod eſt amor delectationum, vel conſeruandi vitam. Conſtat autem, quòd neque prædictæ virtutes, neque oppoſita peccata ſumunt bonitatem & malitiam ſpecificam per ſe primo ab objecto in ratione facilis vel difficilis ab extrinſeco: alias fortitudo, quæ habet objectum omnium difficillimum, eſſet ſecundum ſuam ſpeciem maxima virtutum, vt D. Thom. arguit eadem 2. 2. qu. 123. art. 12. Exceſſus ergo fortitudinis ſupra temperantiam, & timiditatis ſupra intemperantiam, quem D.Thom. vocat ex ordine ad finem, eſt exceſſus eſſentialis, & deſumptus ex proprio earum obiecto ſecundum rationem ſpecificatiuam: exceſſus verò fortitudinis ſupra alias virtutes, & intemperantiæ ſupra timiditatem ratione facilitatis, vel difficultatis extrinſecæ obiecti, eſt exceſſus accidentalis: quamvis talis conditionis, vt ratione illius ſuperet intemperantia exceſſum eſſentialem timiditatis, ita vt omnibus inſpectis, abſolutè dici poſſit maius vitium.

Replica. 64. Neque obſtat, ſi dicas, quòd finis, de quo D. Thom. loquitur, eſt finis extrinſecus diſtinctus ab obiecto fortitudinis: ergo exceſſus fortitudinis ſupra temperantiam, & *Eneruatur.* timiditatis ſupra intemperantiam deſumptus ex ordine ad hunc finem, potius eſt exceſſus accidentalis. ¶ Reſpondet enim quòd vt in tract. de bonit. & malit. diſp. 5. dub. 1. diximus, hoc eſt ſpeciale in fortitudine, vt eſſentialiter reſpiciat aliquem finem extrinſecum: non quaſi ab illo immediatè ſpecificetur; ſed quia vt proprium objectum fortitudinis conſiſtat, neceſſarius eſt prædictus finis per modum bonificantis materiam, vt loquitur Cajet. 2. 2. quæſt. 124. art. 3. non enim poſſet eſſe laudabile ſubire mortis pericula, niſi eſſet alius extrinſecus finis, puta charitatis, vel juſtitiæ, &c. qui illam ſufferentiam rectificaret, & bonificaret, efficeretque materiam congruam fortitudini, ut cit. loco magis explicuimus. Vnde quia fortitudinem ordinari ad bonum commune ſicut ad finem bonificantem, magis quàm ordinatur temperantia; arguit in objecto ſpecificativo fortitudinis exceſſum ſupra objectum ſpecificativum temperantiæ: idcirco exceſſus ipſius fortitudinis ſupra temperantiam, adeóque timiditatis ſupra intemperantiam, qui ex connotatione prædicti finis attenditur, eſt exceſſus eſſentialis, utpote deſumptus immediate ex materia & objecto eſſentiali fortitudinis & timiditatis, licèt connotando prædictum finem. Et hoc fortè voluit Caiet. cit. quæſt. 142. art. 3. quem non ſatis intelligentes Vaſq. & alij in præſenti repugnant.

Ad ſecundum principalis impugnationis dicunt nonnulli, quòd etiam timiditas poteſt eſſe peccatum mortale, ſi materia ſit gravis: puta ſiquis propter timorem mortis vel tormentorum neget fidem, vel tradat civitatem. ¶ Sed hæc ſolutio non ſatisfacit: quia neque timiditas, neque aliud peccatum fortitudini oppoſitum præciſe intra ſuum genus habet quòd repugnet charitati, neque eſt contra bonum Dei aut proximi, quod eſt de ratione mortalis peccati: ſed conſiſtit in ſola inordinatione circa paſſiones iraſcibilis: ſicut gula conſiſtit in deordinatione paſſionum concupiſcibilis: ergo ſicut hæc propter hanc rationem non attingit intra ſuum genus ad rationem mortalis, ita neque illud attinget. Adde quòd ſi prædicta peccata præciſè intra ſuum genus poſſent eſſe mortalia, deberent, ſuppoſita gravitate materiæ, explicari in confeſſione: & ille, qui negavit fidem propter tormenta, teneretur utrunque ſeorſum fateri: ſiquidem utrunque eſſet ſpeciale & diſtinctum peccatum mortale. Quod tamen nullus dicet: nam id potius eſſet excuſare peccatum infidelitatis, quàm majus vel diſtinctum peccatum mortale confiteri.

65. Quare omiſſa hac ſolutione, reſpondetur ex doctrina Thomiſtarum & aliorum, *Vera ſolutio.* quos num. 61. citavimus, quòd neque etiam peccata temperantiæ oppoſita, ut ſiſtunt præciſè intra genus intemperantiæ, habent pertingere ad gravitatem peccati mortalis: ſicut dictum eſt de peccatis contra fortitudinem. Et ratio utrobique eſt eadem, & eſt jam tradita: quæ ſi in peccatis fortitudini oppoſitis vim habet, eo quòd ſiſtunt in deordinatione paſſionum iraſcibilis: à fortiori idem convincere debet in oppoſitis temperantiæ, quæ ſecundum quod ei dumtaxat opponuntur, ſiſtũt in deordinatione paſſionum concupiſcibilis; nec charitati ſive quoad bonum Dei, ſive quoad bonum proximi repugnant. Quòd verò peccata contra caſtitatem, aut contra aliquam aliam partem temperantiæ ſint ex ſuo genere mortalia, convenit illis, quia ſimul cum oppoſitione ad temperantiam includunt oppoſitionem ad juſtitiam, vel alias virtutes temperantia perfectiores, aut ad aliquid al-

tius

Digitized by Google

tius virtute. Et de adulterio perſpicuum eſt, cum in eo fiat injuſtitia conjugi: ſicut in ſtupro & raptu virginis fit injuria aut ipſi, aut patri: in inceſtu verò fit irreverentia ſanguini; quod pietati repugnat: & ſic de aliis.

De ſimplici autem fornicatione docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 2. in corpore, & ad 4. quòd habet rationem mortalis, quatenus importat deordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui eſt ex tali concubitu naſciturus: ſeu quatenus per eam tollitur certitudo, & impeditur bona educatio prolis procreandæ: quod etiam reducitur ad injuſtitiam. (D.Thom.) *Neque obſtat* (inquit) *ſi aliquis fornicando, ſufficienter provideat proli de educatione, quia id, quod cadit ſub legis determinatione judicatur ſecundum id, quod communiter accidit; & non ſecundum id, quod in aliquo caſu poteſt accidere.* Et quæſt. 2. de mal. art. 10. hoc ordine diſtinguit peccatorum gravitatem ex oppoſitione ad diverſa bona diverſarum virtutum: ut primum locum teneant peccata, quæ ſunt immediatè contra virtutes theologicas, utpote contra bonum ipſius Dei: deinde peccata, quæ committuntur in proximum, & repugnant juſtitiæ; inter quæ illud eſt gravius, quod majori bono proximi opponitur: ſicut homicidium, quod opponitur vitæ actuali, gravius eſt fornicatione, quæ ſolùm opponitur vitæ in potentia: & fornicatio gravior eſt furto & rapina, & aliis hujuſmodi, quæ in externis tantùm bonis proximum lædunt. (Idem.) Quod totum declarat. Ang. Doctor his verbis: *Gravius peccatum dicitur ex ſuo genere, quod majori bono virtutis opponitur: unde cum bonum virtutis conſiſtat in ordinatione amoris, ut Auguſtinus dicit; Deum autem ſuper omnia diligere debeamus; peccata, quæ ſunt in Deum, ſicut idololatria, blaſphemia, & hujuſmodi, ſecundum ſuum genus ſunt reputanda graviſſima. Inter peccata autem, quæ ſunt in proximum, tantò aliqua ſunt aliis graviora, quantò majori bono proximi opponuntur. Maximum autem bonum proximi eſt ipſa vita hominis, cui opponitur peccatum homicidij, quod tollit actualem hominis vitam; & peccatum luxuriæ, quod opponitur vitæ hominis in potentia, quia eſt inordinatio quædam circa actum generationis humanæ. Vnde inter omnia peccata, quæ ſunt in proximum, gravius eſt homicidium ſecundum ſuum genus: & ſecundum locum tenet adulterium, & fornicatio, & hujuſmodi peccata carnalia: tertium autem locum tenet furtum, & rapina, & hujuſmodi, per quæ in exterioribus bonis læditur proximus. In ſingulis autem horum generum ſunt diverſi gradus, in quibus menſuram peccati ſecundum genus ſuum oportet accipere, ſecundum quod bonum oppoſitum magis vel minus per charitatem debet amari,* &c. ¶ Vbi, ut cernis, inter peccata, quæ ſunt in proximum, adeóque juſtitiæ opponuntur, numerat fornicationem, & alia peccata luxuriæ: quia licèt non noceant vitæ actuali; nocent tamen vitæ in potentia.

(*Replica.*) 66. Nec refert, ſi urgeas primò, quòd proles, quæ nondum genita eſt, ſicut nullum habet jus ut generetur, ita neque ut generetur modo congruo ſuæ educationi: ergo ſive hoc, ſive illo modo generetur, nulla poteſt ei fieri injuſtitia. ¶ Deinde peccatum contra naturam, quod inter omnes luxuriæ ſpecies eſt graviſſimum, non poteſt hoc habere ex oppoſitione ad juſtitiam: tùm quia nulla ibi expectatur proles, cujus educatio poſſit impediri: tùm etiam quia prædictum peccatum ex ſpecie ſua eſt gravius qualibet injuſtitia; imò eſt gravius ſacrilegio, juxta doctrinam D. Thomæ cit. quæſt. 154. art. 12. conſtat autem, quòd ex oppoſitione ad juſtitiam non poſſet habere tantam gravitatem: ergo, &c. ¶ Ad hæc: inebriatio, quæ ex ſpecie ſua eſt peccatum mortale, non opponitur juſtitiæ; ſed dumtaxat temperantiæ, & ſobrietati: ergo ſufficit oppoſitio ad has virtutes, ut ſit culpa mortalis.

Reſpondetur ad primum concedendo, ſimplicem fornicationem non eſſe formaliter injuſtitiam, ut replica convincit: habet tamen inordinationem, quæ intra genus luxuriæ æquivalet injuſtitiæ: & ideo poteſt dici *injuſtitia æquivalenter, & virtualiter:* quatenus ponit circa actum generationis humanæ talem inordinationem, quæ infert damnum proli naſcituræ. (*Enodatur prima.*) Neque ad hoc neceſſarium eſt, quòd in ipſa prole detur actuale jus ad generationem, vel debitam educationem: nam, ut diximus, hæc non eſt injuſtitia formalis, quæ requirit prolem actu exiſtentem, cum actuali jure ut non lædatur; ſed virtualis dumtaxat, & per æquivalentiam: ad quam ſufficit jus late ſumptum, quod habet ipſa humana natura ad ſui congruam & debitam dilatationem, ratione cujus lex naturalis unicuique præcipit, ut ex ſuppoſitione quòd det operam generationi humanæ, hoc fiat ſervatis omnibus, quæ ipſa generatio, & bonum prolis procreandæ requirit.

Ad illud de peccato contra naturam dicas, (*Diluitur ſecunda.*) hujuſmodi peccatum includere ex una parte eandem oppoſitionem virtualem cum juſtitia, quam ſimplex fornicatio: quoniam actus ille, quantum eſt ex ſe, tendit etiam ad generationem humanam: & non minus, ſed multò magis quàm vagus concubitus obſtat educationi prolis; pro cujus generatione, & non ad alium uſum ſemen humanum inſtitutum eſt à natura. Ex alia quoque parte addit oppoſitionem ad aliquid altius virtute, quia opponitur ipſi bono ſpeciei humanæ, & naturali ordini communi, ad quem virtutes ordinantur, & qui à Deo immediatè procedit. Quod rectè vidit D. Thom. cit. art. 12. ex quæſt. 154. (D.Thom.) ubi gravitatem prædicti peccati ſupra omnes alias luxuriæ ſpecies; imò ſupra homicidium, & ſacrilegium deducit ex hac oppoſitione in ſolut. ad 1. ubi ſic ait: *Dicendum quòd ſicut ordo rationis eſt ab homine; ita ordo naturæ eſt ab ipſo Deo. Et ideo in peccatis contra naturam, in quibus ipſe ordo naturæ violatur, fit injuria ipſi Deo,* &c. Et in ſolut. ad 2. *Dicendum, quod etiam vitia contra naturam ſunt contra Deum, ut dictum eſt: & tantò ſunt graviora quàm ſacrilegij corruptela, quantò ordo naturæ humanæ inditus, eſt prior & ſtabilior quàm quilibet alius ordo ſuperadditus.*

67. Per quod patet ad aliud de ebrietate: (*Diluitur tertia.*) non enim hujuſmodi peccatum pertingeret ad mortale, ſi ſiſteret in oppoſitione ad temperantiam, & deordinatione circa potum: ſicut gula, quæ ponit inordinationem circa cibum, ad id ex ſuo genere, attenta præcisè lege naturali, non pertingit; ſed quia privat uſu rationis, adeóque opponitur bono talis uſus,

Digitized by Google

uſus, quod eſt altius virtute humana, & ejus principium. Vnde D. Thom. 2. 2. quæſt. 150. art. 2. ea ratione probat ebrietatem eſſe peccatum mortale: *Quia ſecundum eam* (inquit) *homo volens & ſciens privat ſe uſu rationis, quo ſecundum virtutem operatur, & peccata declinat.* Quomodo autem ebrietatis peccatum, quod adeo excellenti bono opponitur, non ſit omnium graviſſimum; neque ita grave, ſicut plura alia, quæ determinatis virtutibus contrariantur, explicat art. 3. ad 1. his verbis: *Dicendum quòd bonum rationis impeditur dupliciter: uno modo per id, quod eſt contrarium rationi: alio modo per id, quod aufert uſum rationis. Plus autem habet de ratione mali id, quod contrariatur rationi, quàm quod ad horam uſum rationis aufert. Vſus enim rationis poteſt eſſe & bonus, & malus, qui tollitur per ebrietatem. Sed bona virtutum, quæ tolluntur per ea, quæ contrariantur rationi, ſunt ſemper bona.*

Solutio confirmationis. Primam confirmationem principalis objectionis num. 61. propoſitam ſoluit D. Thom. 2. 2. quæſt. 119. art. 3. dicens, quòd *omnia vitia prudentiæ opponuntur; ſicut & omnes virtutes à prudentia diriguntur. Et ideo vitium ex hoc ipſo quòd opponitur ſoli prudentiæ, levius reputatur.* Quam doctrinam num. 55. magis explicuimus. ¶ Ad ſecundam reſpondetur per ea, quæ num. 54. obſervavimus. ¶ Ad illud autem de ſuperbia reſpondet Ang. Doctor loco ibidem cit. ex quæſt. 161. in ſolut. ad 2. *Dicendum quòd oppoſitio vitij ad virtutem attenditur ſecundum objectum, quod conſideratur ex parte converſionis. Et ſecundum hoc ſuperbia non habet, quòd ſit maximum peccatorum; ſicut nec humilitas, quòd ſit maxima virtutum: ſed ex parte averſionis eſt maximum, utpote aliis peccatis magnitudinem præſtans. Nam per hoc ipſum infidelitatis peccatum gravius redditur, ſi ex ſuperbiæ contemptu procedat, quàm ſi ex ignorantia, vel infirmitate proveniat.* Conſiſtit autem hujuſmodi exceſſus ſuperbiæ ex parte averſionis in eo, quòd averſio & ſeparatio à Deo, quæ in aliis peccatis ſe habet per accidens, & præter intentionem; in ſuperbia ſe habet per ſe, & intenditur à peccante: intendit enim ſuperbus Deo non ſubiici, nullúmque habere ſupra ſe: quia in hoc ipſo propriam excellentiam apprenhendit.

§. IV.

Aliæ objectiones.

Tertia obiectio. 68. Tertiò obiicies, quòd reſpectu ejuſdem virtutis non ſemper illud peccatum eſt majus, quod opponitur perfectiori actui ipſius virtutis: ergo nec reſpectu diverſarum illud erit ſemper gravius, quod contrariatur virtuti nobiliori. Conſequentia videtur perſpicua à paritate rationis. Antecedens verò ſuadetur: nam diligere inimicos ex charitate perfectior actus eſt, quàm diligere amicos, juxta illud Matth. 5. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, &c. Diligite inimicos veſtros, &c.* & tamen odium inimici minus peccatum eſt, quàm odium amici. Deinde perfectior actus gratitudinis eſt retribuere beneficium, quàm illud dumtaxat recognoſcere: & nihilominus ex parte ingratitudinis majus peccatum eſt non recognoſcere, quàm non retribuere, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. quæſt. 107. art. 1. Præterea nobiliſſimus actus fidei & fortitudinis eſt martyrium, & confiteri fidem in tormentis: non eſt autem graviſſimum peccatum contra prædictas virtutes negare fidem in tormentis, quod martyrio opponitur: nam majus peccatum eſt ultrò, ſine tormentis illam abiicere: ut docet D. Hieronymus ſuper ad Galat. 1. & eſt per ſe notum.

Confirmatur: quoniam ſæpe eidem virtuti, & ſecundum eundem actum opponuntur diſtincta & inæqualia peccata: ut liberalitati, cujus actus eſt *dare quod oportet*, opponitur per exceſſum peccatum prodigalitatis, quæ dat plus quàm oportet; & per defectum peccatum avaritiæ, vel illiberalitatis, quæ dat minus quàm oportet: ergo major vel minor gravitas horum peccatorum non ſumitur ex oppoſitione ad virtutem. *Confirmatio.*

69. Ad objectionem reſpondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum eſt ex doctrina ejuſdem D. Thomæ 2. 2. quæſt. 27. art. 7. dilectionem amici, quantum eſt ex parte objecti, perfectiorem actum eſſe, quàm dilectio inimici: *Quia amicus* (verba ſunt D. Thomæ) *& melior eſt, & magis conjunctus: unde eſt materia magis conveniens dilectioni: & propter hoc actus dilectionis ſuper hanc materiam melior eſt: unde & ejus oppoſitum eſt deterius.* Verum tamen eſt, quòd dilectio inimici præeminet ut in plurimum ex alio capite dilectioni amici, nimirum ex parte rationis diligendi. *Quia dilectionis amici* (proſequitur D. Thom.) *poteſt eſſe alia ratio quam Deus: ſed dilectionis inimici ſolus Deus eſt ratio. Secundò quia præſuppoſito, quod uterque propter Deum diligatur, fortior oſtenditur eſſe Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit, ſcilicet uſque ad dilectionem inimicorum: ſicut virtus ignis tantò oſtenditur eſſe fortior, quantò ad remotiora diffundit ſuum calorem, &c.* Hic autem exceſſus ex parte ſolius rationis diligendi non conducit ad majorem malitiam actus oppoſiti: quia oppoſitio odij proximi cum charitate non eſt directè & per ſe reſpectu rationis formalis diligendi, quæ eſt diverſa bonitas; ſed reſpectu boni creati, quod debemus in proximo non odiſſe, quódque eſt objectum ſecundarium charitatis. *Solutio obiectionis.*

Adde quòd dilectio inimici includit vel ſupponit dilectionem amici: & ita habet ſe ex additione ad illam. Vnde è contrario odium vel non dilectio amici claudit odium inimici, vel ejus non dilectionem: & ratione hujus, quod includit, poteſt eſſe gravius peccatum quàm odium, aut non dilectio ſolius inimici, juxta ea quæ num. 55. diximus. Quod rectè obſervavit D. Thom. in 3. diſt. 30. quæſt. 1. art. 3. ad 7. ubi ſic ait: *Dicendum quòd in illis, quæ ſe habent ſecundum additionem unius ad alterum, eſt conſequentia in contrario; non conſequentia in ipſo. Vnde quia conatus, qui eſt in dilectione inimicorum, ſe habet ex additione ad illum, qui eſt in dilectione amicorum: ideo ſicut diligere inimicum eſt majoris meriti, ſecundum quòd eſt major conatus: ita dimittere dilectionem amicorum eſt magis malum.* Videatur quæſt. 1. de verit. art. 8.

Per quod patet ad ſecundam probationem: nam beneficium non recognoſcere includit à fortiori illud non retribuere: & ideo non mirum

Margin notes: D. Thom. — Idem. — Matth. 5. — Idem.

rum quòd ſit peius: ¶ Ad tertiam reſpondetur, negare fidem ſine tormentis accidentaliter dumtaxat eſſe grauius, quàm negare illam in tormentis, non autem ex parte objecti: ſicut etiam ſolùm accidentaliter eſt melior actus confitendi fidem in tormentis, quàm actus confitendi illam ſine tormentis. Poteſt etiam dici, quòd illud primum peccatum habet ſe ex additione ad ſecundum: quia qui abſque tormentis negat fidem, à fortiori negaret in tormentis.

Solutio confirmationis. 70. Ad confirmationem occurrunt bene Zumel. & Monteſ. quòd cum duo peccata eidem actui virtutis, vnum per exceſſum, & aliud per defectum opponuntur, illud eſt ſecundum ſpeciem grauius, quod magis à virtute diſtat, & quod cum illa habet minorem ſimilitudinem. Quare in oppoſitis liberalitati maius peccatum erit auaritia, quàm prodigalitas: quia cum ad liberalitatem magis pertineat dare, quàm retinere; magis eſt contra illam, & longius diſtat nimium retinere, in quo ſuperat auarus; quàm nimis dare, in quo ſuperabundat prodigus. Quæ eſt expreſſa doctrina *D.Thom.* D. Thomæ 2. 2. quæſt. 119. art. 3. aliiſque in locis. Videatur etiam quæſt. 116. vbi ea ratione probat, litigium ſecundum ſuam ſpeciem eſſe grauius peccatum quàm adulatio: quia virtus amicitiæ, cui vtrunque opponitur (ait) *principalius tendit ad delectandum, quàm ad contriſtandum. Et ideo litigioſus, qui ſuperabundat in contriſtando, grauius peccat quàm placidus, vel adulator, qui ſuperabundat in delectando.*

Ad cognoſcendum autem quibus virtutibus, aut quibus earum actibus magis oppo- *Doctrina.* nantur peccata, quæ ſunt ſecundum exceſſum, quam illa, quæ ſunt ſecundum defectum; & e conuerſo, obſeruandum eſt cum D. Thoma quæſt. 2. de mal. art. 6. quaſdam virtutes principaliùs ordinari ad refrænandum & compeſcendum appetitum; quaſdam verò ad impellendum, & confirmandum. Primi generis ſunt temperantia, caſtitas, humilitas, manſuetudo, & aliæ huiuſmodi: præſertim quæ paſſiones concupiſcibilis moderantur. Secundi verò perſeuerantia, fortitudo, magnanimitas, & ſimiles: maximè quæ ſunt circa paſſiones iraſcibilis. Illis ergo virtutibus, quæ primario ordinantur ad refrænandum, & compeſcendum, diſſimilius eſt, & magis repugnans peccatum ſecundum exceſſum: vt temperantiæ, & caſtitati magis repugnat intemperantia, & luxuria, quàm inſenſibilitas: & humilitati magis diſſimilis eſt ſuperbia, quàm puſillanimitas. E contra verò virtutibus, quæ ſunt ad confirmandum & impellendum, magis diſſimilia ſunt, & magis repugnant peccata ſecundum defectum, quàm ſecundum exceſſum. Vnde perſeuerantiæ minus diſſimile eſt vitium pertinaciæ, quàm vitium, quod D. Thom. 2. 2. quæſt. 138. art. 1. appellat *mollitiem*, quo aliquis de facili à bono recedit propter aliqua difficilia, quæ ſuſtinere non poteſt. Et fortitudini magis repugnat timiditas, quàm audacia: & ſic de aliis. An ſit verò doctrina hæc vniuerſalis, & teneat in omnibus, alibi examinabitur.

Obiectio quarta. 71. Quartò obiicies argumentum, quod ſibi proponit D.Thom. in præſenti art. 4. quia de ratione virtutis eſt, quòd ſit circa difficile: & ideo illa debet eſſe perfectior virtus, quæ eſt circa magis difficile: ſed peccatum circa difficile eſt minus peccatum: minus enim peccat, qui defecit in re difficili, quàm qui defecit in re facili: ergo minus peccatum eſt, quod opponitur maiori virtuti. ¶ Reſpon- *D.Thom.* det autem his verbis: *Dicendum quod maiori virtuti, quæ eſt circa bonum magis difficile, contrariatur directè peccatum, quod eſt circa malum magis difficile: vtrobique enim inuenitur quædam eminentia, dum oſtenditur voluntas procliuior in bonum, vel in malum, ex hoc quod difficultate non vincitur.*

Quæ ſolutio difficilis apparet: nam idem *Idem.* D. Thom. 2. 2. qu. 141. art. 3. ex eo probat peccatum timiditatis habere minorem malitiam, quàm peccatum intemperantiæ quia verſatur circa rem magis difficilem, vt ſupra vidimus: & concludit in ſolut. ad 1. *Sicut enim maioris virtutis eſt non vinci à fortiori; ita etiam è contrario minoris vitij eſt à fortiori vinci, & maioris vitij à debiliori ſuperari.* Quod & ratio ipſa videtur ſuadere: nam vbi maior eſt difficultas, faciliùs animus oneri ſuccumbit; & ità defectus eſt minus voluntarius, adeóque minus culpabilis. Eò præſertim quia ſi virtutem & bonum operari eſt arduum, facile erit ab illis deflecti, & in oppoſita vitia prolabi: ergo difficultas obiecti potius diminuit, quàm aggrauet peccatum.

71. Nihilominus tamen veriſſima eſt ſolutio & doctrina D. Thomæ, cámque ſatis iuxta mentem ipſius tuentur Curiel præſenti *Curiel. Zumel.* in comment. art. 4. §. 3. & Zumel dub. 1. circa finem. Pro cuius intelligentia animaduertendum eſt, quòd obiectum alicuius actus vel ha- *Animaduerſio pro tuenda D. Thom. ſolutione.* bitus duobus modis poteſt dici *difficile*. Vel ab intrinſeco ex magnitudine operis. Vel extrinſecè propter aliquod motiuum auertens à tali obiecto, & inclinans ad oppoſitum. Primo modo illud objectum dicitur difficilius in ordine ad proſequutionem virtutis, quod ſecundum ſe eſt perfectius, altius, & nobilius: tantúmque habet difficultatis & arduitatis, quantum excellentiæ & perfectionis (non ita quòd difficultas ſit cauſa maioris perfectionis; ſed potius maior perfectio conſtituit maiorem difficultatem.) Vnde quia Deus, vt eſt attingibilis per charitatem, eſt obiectum perfectiſſimum & altiſſimum; idcirco eſt obiectum maximè arduum: & actus charitatis, qui circa illum verſatur, eſt opus ſecundum ſe omnium difficillimum: vt docet D.Thom. in 3. diſt. 30. art. 4. ad 5. Reſpectu verò vitij illud obiectum dicitur intrinſecè difficilius, quod magis repugnat rationi, maiorémque inordinationem, & malitiam obiectiuam claudit. Quia cum nihil appetatur niſi ſub ratione boni; tantò minus habet aliquod de ratione appetibilis, tantóque difficilius ex parte ſua appetetur; quantò plus habet de ratione mali. Eò præſertim quia cum malum morale ſecundum ſe repugnet naturali inclinationi voluntatis, quæ eſt ad bonum honeſtum, vt explicuimus diſp. 2. ratione huius inclinationis redditur appetitui difficile: & eò difficilius, quò magis prædictæ inclinationi repugnat; atque adeò quò plus habet malitiæ & diſconuenientiæ ad rationem. Quare cum malitia obiecti vitioſi creſcat ex nobilitate materiæ, circa quam ponitur inordinatio, vt probatum

 reliquimus,

Digitized by Google

reliquimus; creſcet ex eodem capite difficultas eius intrinſeca: tantúmque habebit hujuſmodi difficultatis, quantum fuerit in illo deordinationis & malitiæ. Vnde actus odij Dei dicendus eſt inter actus malos maximè difficilis, quia ejus obiectum ſicut in ordine ad amorem habet eſſe præſtantiſſimum; ita in ordine ad odium maximè rationi repugnat. Atque ita vniuerſaliter verum eſt, quòd peccatum grauius ex objecto, & oppoſitum virtuti, quæ eſt circa bonum difficilius, debet verſari circa malum magis difficile, vt D. Thom. ait.

Secundo autem modo redditur objectum difficile propter aliquod extrinſecum motiuum, remouens appetitum à tali objecto, & impellens ad oppoſitum. Et quia extrinſeca hæc motiua valde rapiunt voluntatem, & cogunt quodammodo; ob idque ad ea deuincenda neceſſarius eſt magnus conatus ejuſdem voluntatis, & voluntarium valde perfectum: idcirco quoties voluntas proſequitur aliquod objectum ſiue malum, ſiue bonum, vincendo hæc motiua, prædicta difficultas auget bonitatem, vel malitiam accidentalem actus: quatenus auget voluntarium, & conatum voluntatis. Vbi verò illis cedit & quaſi ab eis coacta & deuicta refugit proſequutionem, ratione hujus coactionis eſt illa fuga minus voluntaria, adeoque minus mala, vel bona quamvis hæc inæqualitas tantum ſit accidentalis.

Exemplo doctrina.

73. Quæ omnia exemplificare & explicare poſſumus in objecto fortitudinis, quod ſunt paſſiones iraſcibilis, ſuntque etiam objectum timiditatis, & audaciæ, quæ fortitudini opponuntur: & in obiecto temperantiæ, & extremorum, ſcilicet intemperantiæ, & inſenſibilitatis, quod ſunt paſſiones concupiſcibilis. Etenim paſſio appetitus iraſcibilis ſicut ſecundum ſe eſt nobilior materia, magiſque conjuncta rationi, quàm paſſio appetitus concupiſcibilis; ita ab intrinſeco eſt obiectum magis arduum tàm reſpectu virtutis, quàm reſpectu vitij: nam quò reſpectu illius eſt melius, eò reſpectu iſtius habet eſſe peius. Vnde ſicut ob hanc rationem fortitudo eſt eſſentialiter maior virtus, quàm temperantia: ſic timiditas eſſentialiter eſt maius vitium, quàm intemperantia: & audacia, quàm inſenſibilitas. Similiter quia ab obiecto fortitudinis & audaciæ, quod dicit firmitatem contra mortis pericula, magis retrahit appetitus conſeruandi vitam, quàm appetitus delectationum impellit contra intemperantiam, & inſenſibilitatem, quæ habent pro objecto vſum venereorum, & ciborum: idcirco proſequutio illius primi obiecti, ſiue fiat per actum fortitudinis, ſiue per actum audaciæ, maius voluntarium, & maiorem conatum requirit, quàm moderatio ſecundi, ſiue per actum temperantiæ, ſiue per actum inſenſibilitatis fiat. E contra verò fuga à primo illo objecto, quæ fit per actum timiditatis, minus voluntaria eſt, quàm exceſſus circa hoc poſterius, qui fit per actum intemperantiæ: quia motiuum ab illo retrahens fortius eſt, & difficilius vincitur, quàm motiuum, quod ad hoc inuitat & impellit. Ex quo fit vt loquendo de bonitate, & malitia deſumpta ex hac extrinſeca difficultate, maior ſit bonitas fortitudinis quam bonitas temperantiæ: & maior ſit malitia audaciæ, quàm inſenſibilitatis: è conuerſo autem minor ſit malitia timiditatis, quàm intemperantiæ: quæ adhuc quantum eſt ex hoc capite, minor eſt quàm malitia audaciæ, & inſenſibilitatis: quamvis abſolute loquendo, intemperantia ratione ſuæ malitiæ eſſentialis maius peccatum ſit quàm inſenſibilitas.

Applicatur doctrina.

74. Iuxta hanc doctrinam explicanda, & concilianda ſunt diuerſa D. Thomæ teſtimonia: in quibus aliquando aſſerit difficultatem reſpectu virtutis & vitij augere bonitatem & malitiam; aliquando diminuere: imò aliquando diminuere malitiam, & augere bonitatem. Nam cum loquitur de difficultate intrinſeca, tunc dicit quòd auget tàm bonitatem, quàm malitiam: & etiam cum loquitur de extrinſeca in ordine ad actum proſequutionis, per quem talis difficultas deuincitur & ſuperatur. Tunc verò dicit, quòd diminuit ſiue malitiam, ſiue bonitatem, cum loquitur de difficultate extrinſeca reſpectu actus fugæ, quo voluntas obiectum ſibi propoſitum propter talem difficultatem derelinquit. Quòd ſi objectum, quod ab extrinſeco redditur difficile, eſt bonum & conſonum rationi, & circa illud verſentur actus proſequutionis & actus fugæ; in primo auget bonitatem, & in ſecundo diminuit malitiam. Et rurſus cum loquitur de difficultate intrinſeca, ſermo eſt de augmento bonitatis, vel malitiæ eſſentialis: cum autem de extrinſeca loquitur, intelligendus eſt tàm de augmento, quàm de diminutione bonitatis, & malitiæ accidentalis.

Occurſus ad impugnationem.

Ex quo ad impugnationem ſolutionis, propter quam hæc adduximus, facile eſt occurrere. Nam cum D. Thom. in præſenti ait peccatum circa malum magis difficile eſſe grauius, loquitur de difficultate intrinſeca, quæ conſurgit ex majori objecti deformitate, & de malitia & grauitate eſſentiali, quæ ex hac deformitate & difficultate deſumitur. Cum verò 2.2. quæſt. 142. aut aliis locis aſſerit, quod minoris vitij eſt vinci à fortiori; & maioris à debiliori ſuperari; ſermo eſt de difficultate extrinſeca, quæ oritur ex aliquo motiuo remouente à proſequutione objecti, & loquitur de actibus fugæ, quibus appetitus propter illam difficultatem à bono rationis recedit: & de malitia accidentali, quæ ad diminutionem voluntarij diminuitur.

Ad illud, quod dicitur ex ratione, reſpondetur, quòd reſpectu difficultatis extrinſecæ voluntas per actus fugæ ſuccumbit oneri: & ideo talis defectus eſt minùs voluntarius, minuſque culpabilis: reſpectu verò difficultatis intrinſecæ voluntas non ſuccumbit; ſed tendit contra ipſam difficultatem, & deuincit eam: & ita ratione hujus difficultatis potius debet augeri bonitas vel malitia, quàm diminui. (*Vtrobique enim* ait D.Thom.) *inueniuntur quædam eminentia, dum oſtenduntur voluntas procliuior in bonum, vel in malum, ex hoc quod difficultate non vincitur.* Idemque dicendum eſt, quando etſi difficultas ſit extrinſeca, voluntas tendit in objectum per actum proſequutionis: ſicut contingit in fortitudine, & in audacia: quia etiam tunc difficultas deuincitur, & non vincit voluntatem. **D.Thom.**

¶ Per quod patet ad vltimum, quod additur: nam qui proſequitur objectum oppoſitum nobiliori

Digitized by Google

nobiliori virtuti, non recedit à bono arduo, quod eſt objectum ipſius virtutis, præciſè illud deſerendo; ſed proſequendo malum oppoſitum proportionali modo arduum & difficile: in cuius proinde proſequutione non minor difficultas intrinſeca deuincitur, quàm in proſequutione obiecti boni, quod propter illam deſeritur.

Vltima obiectio. 75. Denique objicies, quòd ſæpe virtuti perfectiori opponitur peccatum veniale; & virtuti minus perfectæ peccatum mortale: ſed peccatum mortale quodcunque ſuperat in grauitate ſpecifica quodcunque veniale, vt ex ſe, & ex pœna, quæ illis correſpondet, ſatis conſtat; ergo, &c. Maior probatur. Tùm quia prudentia, quæ eſt nobilior virtus, quàm juſtitia, opponitur negligentiæ, quæ ſecundum ſe tantum eſt peccatum veniale; cum tamen omne peccatum oppoſitum juſtitiæ ex ſuo genere ſit mortale. Deinde veritas ſeu veracitas nobilior virtus videtur quàm temperantia, vtpote quæ magis accedit ad rationem & nihilominus mendacium illi oppoſitum, ſolùm eſt ex genere peccatum veniale; plura verò peccata oppoſita temperantiæ ſunt mortalia: ergo, &c.

Prima ſolutio. Ad hanc objectionem reſpondet primò Gre. Mart. peccatum veniale non opponi ſimpliciter virtuti; ſed ſecundum quid: quia tantùm eſt peccatum ſecundum quid: vnde licèt opponatur virtuti maiori: non eſt maius peccatum: doctrina verò D. Thomæ intelligenda eſt de peccatis, quæ ſimpliciter majori virtuti contrariantur. *Deſeritur.* ¶ Verùm quamvis hæc ſolutio habeat locum in illis peccatis, quæ ex paruitate materiæ, aut ex imperfecta deliberatione ſunt venialia, propter illa quæ diſp. 4. dub. 2. diximus; ſecùs tamen in aliis, quæ ſunt venialia ex genere: hæc enim ſuppoſito quòd fiant cum perfecta deliberatione, ſimpliciter contrariantur propriis virtutibus acquiſitis: obidque repetita prædictas virtutes expellunt, vt oſtenſum eſt diſp. cit. dub. 1.

Alia ſolutio probabilis. 76. Secundò reſpondet, quòd cum D. Thom. ait illud peccatum eſſe maius, cuius contraria virtus eſt melior, debet intelligi ſuppoſito eodem modo procedendi: ſicut in habitibus intellectualibus ille eſt nobilior, qui habet nobilius objectum, ſuppoſito quòd eodem modo, hoc eſt, vel ſcientificè, vel opinatiuè vterque procedat: ſi nanque vnus habitus ſit ſcientia, & alter ſit opinio; quamvis hic poſterior verſetur circa nobiliorem materiam, non ideo erit perfectior: quia habet diuerſum, & imperfectiorem modum procedendi: ita ergo quia peccatum veniale & mortale habent longè diuerſum modum procedendi: mortale enim ponit inordinationem circa finem, veniale ſolùm circa media; illud inducit auerſionem à Deo vltimo fine, à quo tamen hoc non auertit: idcirco quamvis veniale contrarietur nobiliori virtuti, non ideo erit grauius quàm mortale. Sicut quamvis opinio in materia metaphyſicæ verſetur circa obiectum magis abſtractum à materia, ac proinde altius & nobilius quàm habitus ſcientificus naturalis Philoſophiæ; vel Aſtrologiæ; non propterea erit perfectior, vt dictum eſt.

Verior ſolutio. Quamvis autem hæc ſolutio ſit probabilis, probabilius tamen dicendum videtur, quòd ſicut nullum peccatum veniale ſecundum ſuum genus eſt ita graue, ſicut peccatum mortale: ita nulla virtus, cui ſolum peccatum veniale contrariatur, eſt ita perfecta in genere moris, ſicut illa, cui opponitur peccatum mortale. Et ratio eſt: quia vt docet D. Thom. quæſt. 2. de mal. art. 10. perfectio virtutis moralis attendenda eſt ex ordine ad charitatem, & ex approximatione ad vltimum finem: ita vt illa ſit perfectior, quæ magis charitati appropinquat, & quæ maiorem habet cum illa connexionem, ac proinde quæ magis neceſſaria eſt ad conſeruationem ipſius charitatis: conſtat autem nullam virtutem, cui tantùm opponitur peccatum veniale, eſſe ita neceſſariam ad charitatem, & connexam cum illa, ſicut eſt quæcunque virtus, cui opponitur peccatum mortale. Sicut nullum veniale peccatum ita repugnat charitati, & virtutibus cum illa connexis, ſicut minimum peccatum mortale.

77. Iuxta quam doctrinam ad obiectionem neganda eſt maior. Ad primam verò probationem reſpondetur, prudentiæ non tantùm opponi peccata venialia; ſed etiam omnia peccata mortalia, quæ aliis virtutibus contrariantur, vt diximus num. 55 & 67. Quòd ſi negligentia, aut aliqua alia peccata prudentiæ oppoſita aliquando non excedunt limites venialis; id prouenit ratione paruitatis materiæ: quia reſpectu prudentiæ materia grauis eſt ſolum peccatum mortale contra aliquam moralem virtutem: peccata autem venialia etiam ſi contra alias virtutes habeant eſſe talia ex genere; in ordine ad prudentiam reputantur materia parua. Et ideo formaliter loquendo nullum peccatum oppoſitum prudentiæ intra propriam prudentiæ lineam debet dici veniale ex genere; ſed aut ex imperfecta deliberatione, aut ex paruitate materiæ, vt dictum eſt.

Ad ſecundam probationem conſtat ex dictis à numer. 65. vbi explicuimus quomodo peccata contra temperantiam non habent eſſe mortalia ex ſola oppoſitione ad ipſam temperantiam; ſed quia ſimul includunt oppoſitionem ad iuſtitiam, quæ eſt perfectior virtus, quàm veritas vel veracitas. ¶ Adde non eſſe ita certum, quòd veracitas ſit perfectior in ratione virtutis moralis, quàm temperantia: imò videtur temperantia magis connexa, & magis neceſſaria ad conſeruationem charitatis, adeóque nobilior ſaltem in genere moris: quicquid ſit de illis in genere phyſico. Sicut juſtitia in ratione virtutis & in genere moris eſt nobilior, quàm ſcientia; quamvis in eſſe phyſico ſcientia ſit perfectior habitus: vt explicuimus tom. præced. in annotat. ad art. 1. quæſt. 66. hujus primæ ſecundæ.

* * *

ARTICVLVS

ARTICVLVS V.

Vtrum peccata carnalia ſint minoris culpæ, quàm ſpiritualia?

AD quintum ſic proceditur. Videtur quòd peccata carnalia non ſint minoris culpæ, quam peccata ſpiritualia. Adulterium enim grauius peccatum eſt, quàm furtum: dicitur enim Prouerb. 6. Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit: qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam: ſed furtum pertinet ad auaritiam, quæ eſt peccatum ſpirituale; adulterium autem ad luxuriam, quæ eſt peccatum carnale: ergo peccata carnalia ſunt maioris culpæ.

2. Præterea: Auguſt. dicit ſuper Leuit. quòd diabolus maximè gaudet de peccato luxuriæ, & idololatriæ: ſed de maiori culpa magis gaudet: ergo cum luxuria ſit peccatum carnale: videtur quòd peccata carnalia ſint maximæ culpæ.

3. Præterea: Philoſophus probat in 7. Ethic. quòd incontinens concupiſcentiæ eſt turpior, quàm incontinens iræ: ſed ira eſt peccatum ſpirituale ſecundum Gregorium 31. moral. concupiſcentia autem pertinet ad peccata carnalia: ergo peccatum carnale eſt grauius, quàm peccatum ſpirituale,

Sed contra eſt, quod Gregorius dicit, quòd peccata carnalia ſunt minoris culpæ, & maioris infamiæ, quàm ſpiritualia.

Reſpondeo dicendum, quod peccata ſpiritualia ſunt maioris culpæ, quàm peccata carnalia: quod non eſt ſic intelligendum, quaſi quodlibet peccatum ſpirituale ſit maioris culpæ quolibet peccato carnali; ſed quia conſiderata hac ſola differentia ſpiritualitatis & carnalitatis, grauiora ſunt quàm cætera peccata, cæteris paribus: cuius ratio triplex poteſt aſſignari. Prima quidem ex parte ſubiecti: nam peccata ſpiritualia pertinent ad ſpiritum, cuius eſt conuerti ad Deum, & ab eo auerti: peccata verò carnalia conſummantur in delectatione carnalis appetitus, ad quem principaliter pertinet ad bonum corporale conuerti: & ideo peccatum carnale in quantum huiuſmodi, plus habet de conuerſione, propter quod etiam eſt maioris adhæſionis: ſed peccatum ſpirituale habet plus de auerſione, ex qua procedit ratio culpæ: & ideo peccatum ſpirituale in quantum huiuſmodi, eſt maioris culpæ. Secunda ratio poteſt ſumi ex parte ejus, in quem peccatur: nam peccatum carnale, in quantum huiuſmodi, eſt in corpus proprium, quod eſt minus diligendum ſecundum ordinem charitatis, quàm Deus & proximus, in quos peccatur per peccata ſpiritualia: & ideo peccata ſpiritualia in quantum huiuſmodi, ſunt maioris culpæ. Tertia ratio poteſt ſumi ex parte motiui: quia quantò eſt grauius impulſiuum ad peccandum, tantò homo minus peccat, vt infra dicetur: peccata autem carnalia habent vehementius impulſiuum, ideſt ipſam concupiſcentiam carnis nobis innatam: & ideo peccata ſpiritualia, in quantum huiuſmodi, ſunt maioris culpæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd adulterium non ſolùm pertinet ad peccatum luxuriæ; ſed etiam pertinet ad peccatum iniuſtitiæ: & quantum ad hoc poteſt ad auaritiam reduci, vt gloſſa dicit ad Epheſ. 5. ſuper illud omnis fornicator, aut immundus, aut auarus: & tunc grauius eſt adulterium quàm furtum, quantò homini charior eſt vxor quàm res poſſeſſa.

Ad ſecundum dicendum, quòd diabolus dicitur maximè gaudere de peccato luxuriæ, quia eſt maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo poteſt eripi. Inſatiabilis eſt enim delectabilis appetitus, vt Philoſophus dicit in 3. Ethic.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut Philoſophus dicit, turpius eſt eſſe incontinentem concupiſcentiæ, quàm incontinentem iræ, quia minus participat de ratione: & ſecundum hoc etiam dicit in 3. Ethic. quòd peccata intemperantiæ ſunt maximè exprobabilia, quia ſunt circa illas delectationes, quæ ſunt communes nobis & brutis: vnde quodammodo per iſta peccata homo brutalis redditur: & inde eſt, quòd ſicut Greg. dicit, ſunt maioris infamiæ.

CONCLVSIO.

Cæteris paribus, grauiora ſunt peccata ſpiritualia, quàm carnalia.

Hic recole, quæ art. 2. præcedentis quæſt. breuiter annotauimus circa diſtinctionem peccati in carnale & ſpirituale. Et nota rurſus, quòd licèt peccata ſpiritualia ſecundum ſe, cæteris paribus, grauiora ſint carnalibus; homines

homines tamen, qui in peccato non tam Dei offenſam, quàm propriam ignominiam verentur, magis de his quàm de illis verecundari ſolent: & ideo plures grauius ferunt notari de fornicatione, vel ebrietate, & eiuſmodi, quàm de periurio & ſimilibus. Cujus rationem reddit hîc D. Thom. in ſolut. ad 3. Quia peccata carnalia magis ſubterfugiunt rationem & diſcurſum, eo quòd ſunt circa delectationes tactus & guſtus, quæ communes ſunt nobis & brutis. Vnde quodammodo per iſta peccata homo brutalis redditur: ob ídque ab aliis hominibus merito vt minus vtens ratione, & quaſi indignus hominis nomenclatura deſpicitur & contemnitur: in quo conſiſtit ignominia.

ARTICVLVS VI.

Vtrum grauitas peccatorum attendatur ſecundum cauſam peccati?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quòd grauitas peccatorum non attendatur ſecundum peccati cauſam: quantò enim peccati cauſa fuerit maior, tantò vehementiùs mouet ad peccandum, & ita difficiliùs poteſt ei reſiſti: ſed peccatum diminuitur ex hoc, quòd ei difficiliùs reſiſtitur: hoc enim pertinet ad infirmitatem peccantis, vt non facilè reſiſtat peccato: peccatum autem, quod eſt ex infirmitate, leuius iudicatur: non ergo peccatum habet grauitatem ex parte ſuæ cauſæ.

2 Præterea: concupiſcentia eſt generalis quædam cauſa peccati: vnde dicit gloſſa ſuper illud Roman. 7. Nam concupiſcentiam neſciebam, &c. Bona eſt lex, quæ dum concupiſcentiam prohibet, omne malum prohibet: ſed quantò homo fuerit victus maiori concupiſcentia, tantò eſt minus peccatum: grauitas ergo peccati diminuitur ex magnitudine cauſæ.

3. Præterea: ſicut rectitudo rationis eſt cauſa virtuoſi actus, ita defectus rationis videtur eſſe cauſa peccati: ſed defectus rationis quantò fuerit maior, tantò eſt minus peccatum, in tantum quòd qui caret vſu rationis, omnino excuſetur à peccato, & qui ex ignorantia peccat, leuiùs peccat: ergo grauitas peccati non augetur ex magnitudine cauſæ.

Sed contra: multiplicata cauſa, multiplicatur effectus: ergo ſi cauſa, peccati maior fuerit, peccatum erit grauius.

Reſpondeo dicendum, quòd in genere peccati, ſicut & in quolibet alio genere, poteſt accipi duplex cauſa. Vna, quæ eſt per ſe, & propria cauſa peccati, quæ eſt ipſa voluntas peccandi: comparatur enim ad actum peccati, ſicut arbor ad fructum, vt dicitur in gloſſa ſuper illud Matth. 7. Non poteſt arbor bona fructus malos facere: & huiuſmodi cauſa quanto fuerit maior, tantò peccatum erit gravius. Quantò enim voluntas fuerit maior ad peccandum, tantò homo grauiùs peccat. Aliæ verò cauſæ peccati accipiuntur quaſi extrinſecè & remotè, ex quibus ſcilicet voluntas inclinatur ad peccandum: & in his cauſis eſt diſtinguendum. Quædam enim harum inducunt voluntatem ad peccandum ſecundum ipſam naturam voluntatis ſicut finis, quod eſt proprium objectum voluntatis: & ex tali cauſa augetur peccatum: grauiùs enim peccat, cujus voluntas intenſione peioris finis inclinatur ad peccandum. Aliæ verò cauſæ ſunt, quæ inclinant voluntatem ad peccandum præter naturam & ordinem ipſius voluntatis, quæ nata eſt moueri liberè ex ſe ipſa ſecundum iudicium rationis: vnde cauſæ, quæ diminuunt iudicium rationis, ſicut ignorantia: vel quæ diminuunt liberum motum, ſicut infirmitas, vel violentia, aut metus, aut aliquid hujuſmodi, diminuunt peccatum, ſicut & diminuunt voluntarium, in tantum quòd ſi actus ſit omnino inuoluntarius, non habet rationem peccati.

Ad primum ergo dicendum, quòd objectio illa procedit de cauſa mouente extrinſeca, quæ diminuit voluntarium, cuius quidem cauſæ augmentum diminuit peccatum, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi ſub concupiſcentia includatur etiam ipſe motus voluntatis; ſic vbi eſt maior concupiſcentia, eſt maius peccatum. Si verò concupiſcentia dicatur paſſio quædam, quæ eſt motus vis concupiſcibilis; ſic maior concupiſcentia præcedens iudicium rationis, & motum voluntatis diminuit peccatum: quia qui maiori concupiſcentia ſtimulatus peccat, cadit ex grauiori tentatione; vnde minus ei imputatur. Si verò concupiſcentia ſic ſumpta ſequatur iudicium rationis & motum voluntatis, ſic vbi eſt maior concupiſcentia, eſt maius peccatum. Inſurgit enim interdum maior concupiſcentia motus ex hoc, quòd voluntas infrænatè tendit in ſuum obiectum.

Ad

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de cauſa, quæ cauſat inuoluntarium, & hæc diminuit peccatum, vt dictum eſt.

PRIMA CONCLVSIO.

Cauſa propria & per ſe peccati, quæ eſt voluntas, aggrauat ipſum: vnde illud peccatum eſt maius, quod maiori voluntate fit.

SECVNDA CONCLVSIO.

Cauſæ extrinſecæ, quæ voluntatem inducant ad peccandum ſecundum naturam ipſius voluntatis, ſicut eſt finis etiam aggrauant peccatum. Et ideo ille grauius peccat, qui ex deteriori fine ad peccandum mouetur.

TERTIA CONCLVSIO.

Cauſæ, quæ inclinant voluntatem ad peccandum præter ordinem & naturam ipſius voluntatis, minuúntque iudicium rationis, ſicut ignorantia; aut liberum voluntatis motum, ſicut infirmitas, violentia, &c. diminuunt peccatum, in quantum auferunt de ratione voluntarij.

De his cauſis peccata diminuentibus diximus aliqua tom. præced. in tractatibus de voluntar. & de bonit. & malit. rurſúſque dicemus infra diſp. 13. dub. 4. & in comment. ad art. 1. & 6. quæſtionis 677. Sed & littera huius articuli eſt adeo perſpicua, vt maiori commentario opus non ſit.

ARTICVLVS VII.

Vtrum circunſtantia aggrauet peccatum?

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quòd circunſtantia non aggrauet peccatum: peccatum enim habet grauitatem ex ſua ſpecie: circunſtantia autem non dat ſpeciem peccato, cum ſit quoddam accidens ejus: ergo grauitas peccati non conſideratur ex circunſtantia.

2. Præterea: aut circunſtantia eſt mala, aut non: ſi circunſtantia mala eſt, ipſa per ſe cauſat quandam ſpeciem mali: ſi verò non ſit mala, non habet vnde augeat malum: ergo circunſtantia nullo modo auget peccatum.

3. Præterea: malitia peccati eſt ex parte auerſionis: ſed circunſtantiæ conſequuntur peccatum ex parte conuerſionis: ergo non augent malitiam peccati.

Sed contra eſt, quòd ignorantia circunſtantiæ diminuit peccatum: qui enim peccat ex ignorantiâ circunſtantiæ meretur veniam, vt dicitur in 3. Ethic. hoc autem non eſſet, niſi circunſtantia aggrauaret peccatum: ergo circunſtantia peccatum aggrauat.

Reſpondeo dicendum, quòd vnumquodque ex eodem natum eſt augeri, ex quo cauſatur, ſicut Philoſophus dicit de habitu virtutis in 2. Ethic. Manifeſtum eſt autem, quòd peccatum cauſatur ex defectu alicuius circunſtantiæ: hoc enim receditur ab ordine rationis, quòd aliquis in operando non obſeruat debitas circunſtantias: vnde manifeſtum eſt, quod peccatum natum eſt aggrauari per circunſtantiam. Sed hoc quidem contingit tripliciter. Vno quidem modo in quantum circunſtantia transfert in aliud genus peccati, ſicut peccatum fornicationis conſiſtit in hoc, quòd homo accedit ad non ſuam: ſi autem addatur hæc circunſtantia, vt illa, ad quam accedit, ſit alterius vxor, transfertur jam in aliud genus peccati, ſcilicet in iniuſtitiam, in quantum homo vſurpat rem alterius: & ſecundum hoc adulterium eſt grauius peccatum, quàm fornicatio. Aliquando verò circunſtantia non aggrauat peccatum, quaſi trahens in aliud genus peccati; ſed ſolùm quia multiplicat rationem peccati: ſicut ſi prodigus det, quando non debet, & cui non debet; multipliciùs peccat eodem genere peccati, quàm ſi ſolùm det cui non debet, & ex hoc ipſo peccatum fit grauius: ſicut etiam ægritudo eſt grauior, quæ plures partes corporis inficit. Vnde & Tullius dicit in Paradoxis, quòd in patris vita violanda, multa peccantur: violatur enim is, qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit, qui in ſede, ac domo, atque in rempublicam collocauit. Tertio modo circunſtantia aggrauat peccatum ex eo, quòd auget deformitatem prouenientem ex alia circunſtantia, ſicut accipere alienum conſtituit peccatum furti: ſi autem addatur hæc circunſtantia, vt multum accipiat de alieno, erit peccatum grauius; quamvis accipere multum, vel parum de ſe dicat rationem boni, vel mali.

Ad primum ergo dicendum, quòd aliqua circunſtantia dat ſpeciem actui morali, vt ſupra habitum eſt; & tamen circunſtantia, quæ non dat ſpeciem, poteſt

poteſt aggrauare peccatum : quia ſicut bonitas rei non ſolùm penſatur ex ſua ſpecie, ſed etiam ex aliquo accidente: ita malitia actus non ſolùm penſatur ex ſpecie actus, ſed etiam ex circunſtantia.

Ad ſecundum dicendum, quòd vtroque modo circunſtantia poteſt aggrauare peccatum: ſi enim ſit mala, non tamen propter hoc oportet, quòd conſtituat ſpeciem peccati: poteſt enim addere rationem malitiæ in eadem ſpecie, vt dictum eſt: ſi autem non ſit mala, poteſt aggrauare peccatum in ordine ad malitiam alterius circunſtantiæ.

Ad tertium dicendum, quòd ratio debet ordinare actum non ſolum quantum ad obiectum, ſed etiam quantum ad omnes circunſtantias: & ideo auerſio quædam à regula rationis attenditur ſecundum corruptionem cuiuſlibet circunſtantiæ, puta ſi aliquis operetur, quando non debet, vel vbi non debet: & huiuſmodi auerſio ſufficit ad rationem mali: hanc autem auerſionem à regula rationis ſequitur auerſio à Deo, cui debet homo per rectam rationem coniungi.

CONCLUSIO.

Circunſtantia aliquando aggrauat peccatum, transferendo in aliud genus: aliquando multiplicando eius rationes intra eandem ſpeciem: aliquando vero ex eo ſolum, quod aggrauet deformitatem prouenientem ab alia circunſtantia.

De materia hujus articuli diximus in tract. de bonit. & malit. diſp. 4. & in animaduerſionibus ad art. 9. & 10. quæſt. 18.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum grauitas peccati augeatur ſecundum maius nocumentum?

AD octauum ſic proceditur. Videtur quòd grauitas peccati non augeatur ſecundum maius nocumentum. Nocumentum enim eſt quidam euentus conſequens actum peccati: ſed euentus ſequens non addit ad bonitatem, vel malitiam actus, vt ſupra dictum eſt: ergo peccatum non aggrauatur propter maius nocumentum.

2. Præterea: nocumentum maximè inuenitur in peccatis, quæ ſunt contra proximum, quia ſibi ipſi nemo vult nocere: Deo autem nemo poteſt nocere, ſecundum illud Iob. 35. Si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra illum? Homini, qui eſt ſimilis tibi, nocebit impietas tua. Si ergo peccatum aggrauaretur propter maius nocumentum, ſequeretur quòd peccatum, quo quis peccat in proximum, eſſet grauius peccato, quo quis peccat in Deum, vel in ſe ipſum.

3. Præterea: maius nocumentum infertur alicui, cum priuatur vita gratiæ, quàm cum priuatur vita naturæ: quia vita gratiæ eſt melior, quàm vita naturæ, in tantum quòd homo debet vitam naturæ contemnere, ne amittat vitam gratiæ: ſed homo, qui inducit aliquam mulierem ad fornicandum quantum eſt de ſe, priuat eam vita gratiæ, inducens eam ad peccatum mortale: ſi ergo peccatum eſſet grauius propter maius nocumentum, ſequeretur quòd ſimplex fornicator grauiùs peccaret, quàm homicida: quod eſt manifeſtè falſum: non ergo peccatum eſt grauius propter maius nocumentum.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in 3. de liber. arb. Quia vitium naturæ aduerſatur, tantum additur malitiæ vitiorum, quantum integritas naturarum minuitur: ſed diminutio integritatis naturæ eſt nocumentum: ergo tantò grauius eſt peccatum, quantò maius eſt nocumentum.

Reſpondeo dicendum, quòd nocumentum tripliciter ſe habere poteſt ad peccatum. Quandoque enim nocumentum, quod prouenit ex peccato, eſt præuiſum & intentum: ſicut cum aliquis aliquod operatur animo nocendi alteri, vt homicida, vel fur: & tunc directè quantitas nocumenti adauget grauitatem peccati, quia tunc nocumentum eſt per ſe obiectum peccati. Quandoque autem nocumentum eſt præuiſum, ſed non intentum: ſicut cum aliquis tranſiens per agrum, vt compendioſiùs vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quæ ſunt ſeminata in agro ſcienter, licèt non animo nocendi: & ſic etiam quantitas nocumenti aggrauat peccatum, ſed indirectè, in quantum ſcilicet ex voluntate multum inclinata ad peccandum procedit, quòd aliquis non prætermittat facere damnum ſibi, vel alij, quod

Digitized by Google

ſimpliciter non vellet. Quandoque autem nocumentum nec eſt præuiſum, nec intentum: & tunc ſi per accidens ſe habeat ad peccatum, non aggrauat peccatum directè; ſed propter negligentiam conſiderandi nocumenta, quæ conſequi poſſent, imputantur homini ad pœnam mala quæ eueniunt præter eius intentionem, ſi dabat operam rei illicitæ. Si verò nocumentum per ſe ſequatur ex actu peccati, licèt non ſit intentum, nec præuiſum, directè peccatum aggrauat: quia quæcunque per ſe conſequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipſam peccati ſpeciem, puta ſi aliquis publicè fornicetur, ſequitur ſcandalum plurimorum, quod quamvis ipſe non intendat, nec fortè præuideat directè, per hoc aggrauatur peccatum: aliter tamen videtur ſe habere circa nocumentum pœnale, quod incurrit ipſe, qui peccat. Huiuſmodi autem nocumentum, ſi per accidens ſe habeat ad actum peccati, & non ſit præuiſum, nec intentum, non aggrauat peccatum, neque ſequitur maiorem grauitatem peccati: ſicut ſi aliquis currens ad occidendum, impingat, & lædat ſibi pedem. Si verò tale nocumentum per ſe conſequatur ad actum peccati, licèt fortè nec ſit præuiſum, nec intentum; tunc maius nocumentum non facit grauius peccatum: ſed è conuerſo grauius peccatum inducit grauius nocumentum: ſicut aliquis infidelis, qui nihil audiuit de pœnis inferni, grauiorem pœnam in inferno patietur pro peccato homicidii, quàm pro peccato furti: quia enim hoc nec intendit, nec præuidit, non aggrauatur ex hoc peccatum: ſicut contingit circa fidelem, qui ex hoc ipſo videtur peccare grauius, quòd maiores pœnas contemnit, vt impleat voluntatem peccati; ſed grauitas huiuſmodi nocumenti ſolum cauſatur ex grauitate peccati.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut etiam ſupra dictum eſt, cum de bonitate & malitia externorum actuum ageretur, euentus ſequens ſi ſit præuiſus & intentus, addit ad bonitatem, vel malitiam actus.

Ad ſecundum dicendum, quòd quamvis nocumentum aggrauet peccatum; non tamen quæritur, quòd ex ſolo nocumento peccatum aggrauetur: quinimo peccatum per ſe eſt grauius propter inordinationem, vt ſupra dictum eſt. Vnde & ipſum nocumentum aggrauat peccatum, in quantum facit actum eſſe magis inordinatum: vnde non ſequitur, quòd ſi nocumentum maximè habeat locum in peccatis, quæ ſunt contra proximum, quòd illa peccata ſunt grauiſſima: quia multò maior inordinatio inuenitur in peccatis, quæ ſunt contra Deum, & in quibuſdam eorum, quæ ſunt contra ipſum. Et tamen poteſt dici, quòd etſi Deo nullus poteſt nocere quantum ad eius ſubſtantiam; poteſt tamen nocumentum attentare in his, quæ Dei ſunt, ſicut extirpando fidem, violando ſacra, quæ ſunt peccata grauiſſima. Sibi etiam aliquis quandoque ſcienter, & violenter infert nocumentum: ſicut patet in his, qui ſe interimunt, licèt finaliter hoc referant ad aliquod bonum apparens, puta ad hoc quòd liberentur ab aliqua anguſtia.

Ad tertium dicendum, quòd illa ratio non ſequitur propter duo. Primò quidem, quia homicida intendit directè nocumentum proximi: fornicator autem, qui prouocat mulierem, non intendit nocumentum; ſed delectationem. Secundò, quia homicida eſt per ſe, & ſufficiens cauſa corporalis mortis: ſpiritualis autem mortis nullus poteſt eſſe alteri cauſa per ſe, & ſufficiens: quia nullus ſpiritualiter moritur, niſi propria voluntate peccando.

PRIMA CONCLVSIO.

Si nocumentum, quod prouenit ex peccato, ſit præuiſum, & intentum, directè quantitas nocumenti adauget grauitatem peccati.

SECVNDA CONCLVSIO.

Nocumentum præuiſum, ſed non intentum, aggrauat quantitatem peccati, ſed indirectè.

TERTIA CONCLVSIO.

Vbi nocumentum neque eſt intentum, neque præuiſum, ſi per accidens ſe habeat ad peccatum, non aggrauat illud directè.

QVARTA CONCLVSIO.

Si nocumentum ſequitur per ſe ex actu peccati, aggrauat peccatum directè; quamuis neque ſit intentum, neque præuiſum.

QVINTA

QVINTA CONCLVSIO.

Nocumentum pœnale perſonale ſi per accidens ſe habet ad peccatum, & non eſt intentum; neque præuiſum, non aggrauat peccatum, neque conſequitur maiorem grauitatem.

SEXTA CONCLUSIO.

Vbi prædictum nocumentum per ſe ex actu peccati conſequitur, licèt nec ſit præuiſum, nec intentum, ſequitur grauius peccatum; quamvis illud non faciat.

SEPTIMA CONCLUSIO.

Vbi prædictum nocumentum fuerit præuiſum, quamvis non intendatur, aggrauat peccatum; & grauitas ipſius nocumenti cauſatur ex grauitate.

Materia hujus articuli coincidit ferè cum materia præcedentium: quia nocumentum, quod aggrauat peccatum, vel eſt objectum ejus, vel circumſtantia. Voluit tamen Ang. Doctor ſeorſim hunc articulum diſputare, vt explicaret ſpecialem modum aggrauandi directè, vel indirectè, qui in circunſtantia nocumenti invenitur. De quo, & qualiter prædicta circunſtantia debeat eſſe cognita, & volita, vt malitiam tribuat, dicemus diſp. 10. dub. 6. & diſp. 13. dub. 3. Pro explicatione illarum vocum *directè* & *indirectè*; quibus D.Thom. hic ſæpius vtitur, videri poſſunt Curiel, Monteſ. & Greg. Mart. in commentariis ſuper hunc articulum.

ARTICVLVS IX.

Vtrum peccatum aggrauetur ſecundùm conditionem perſonæ, in quam peccatur?

AD nonum ſic proceditur. Videtur quòd propter conditionem perſonæ, in quam peccatur; peccatum non aggrauetur. Si enim hoc eſſet, maximè aggrauaretur ex hoc, quòd aliquis peccat in aliquem virum iuſtum & ſanctum: ſed ex hoc non aggrauatur peccatum: minus enim læditur ex iniuria illata virtuoſus, qui æquanimiter tolerat, quàm alij, qui etiam interius ſcandalizati læduntur: ergo conditio perſonæ, in quam peccat, non aggrauat peccatum.

2. Præterea: ſi conditio perſonæ aggrauaret peccatum, maximè aggrauaretur ex propinquitate: quia ſicut Tullius dicit in paradoxis: In ſeruo necando ſemel peccatur, in patris vita violanda multa peccantur: ſed propinquitas perſonæ, in quam peccatur, non videtur aggrauare peccatum: quia vnuſquiſque ſibi ipſi maximè eſt propinquus, & tamen minus peccat, qui aliquod damnum ſibi infert, quàm ſi inferret alteri, puta ſi occideret equum ſuum, quàm ſi occideret equum alterius, vt per Philoſophum in 5. Ethic. ergo propinquitas perſonæ non aggrauat peccatum.

3. Præterea: conditio perſonæ peccantis præcipuè aggrauat peccatum ratione dignitatis, vel ſcientiæ, ſecundum illud Sap. 6. Potentes potenter tormenta patientur. Et Luc. 12. ſeruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis: ergo pari ratione ex parte perſonæ, in quam peccatur, magis aggrauaret peccatum dignitas, aut ſcientia perſonæ in quam peccatur: ſed non videtur grauius peccare, qui facit iniuriam perſonæ ditiori, vel potentiori, quàm alicui pauperi, quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum ſecundum cuius iudicium grauitas peccati penſatur: ergo conditio perſonæ, in quam peccatur, non aggrauat peccatum.

Sed contra eſt, quod in ſacra Scriptura ſpecialiter vituperatur peccatum, quod contra ſeruos Dei committitur: ſicut dicitur 3. Reg. 19. Altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio. Vituperatur etiam maximè peccatum commiſſum in perſonas propinquas, ſecundum illud Michææ 7. Filius contumeliam facit patri, filia conſurgit aduerſus matrem ſuam. Vituperatur etiam ſpecialiter peccatum, quod committitur in perſonas in dignitate conſtitutas: vt patet Iob 34. Qui dicit regi Apoſtata, qui vocat duces impios. Ergo conditio perſonæ, in quam peccatur, aggrauat peccatum.

Reſpondeo dicendum, quòd perſona, in quam peccatur, eſt quodammodo objectum peccati. Dictum eſt autem ſupra, quòd prima grauitas peccati attenditur ex parte obiecti, ex quo quidem tantò attenditur maior grauitas in peccato, quantò obiectum eius eſt principalior finis. Fines autem principales humanorum actuum ſunt Deus ipſe, homo, & proximus: quicquid enim facimus, propter aliquod horum facimus, quamvis etiam horum trium vnum ſub altero ordinetur. Poteſt igitur ex parte horum

Digitized by Google

horum trium conſiderari maior, vel minor grauitas in peccato ſecundum conditionem perſonæ, in quam peccatur. Primò quidem ex parte Dei, cui tantò magis aliquis homo coniungitur, quanto eſt virtuoſior, vel Deo ſacratior: & ideo iniuria tali perſonæ illata magis redundat in Deum, ſecundum illud Zachar. 2. Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei. Vnde peccatum fit grauius ex hoc, quòd peccatur in perſonam magis Deo coniunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officij. Ex parte etiam ſui ipſius manifeſtum eſt, quòd tantò aliquis grauius peccat, quanto aliquis magis in coniunctam perſonam ſeu naturali neceſſitudine, ſeu beneficiis, ſeu quacunque coniunctione peccauerit: quia videtur in ſe ipſum magis peccare, & pro tanto grauius peccat ſecundum illud Eccleſ. 14. Qui ſibi nequam eſt cui bonus erit? Ex parte verò proximi tantò grauius peccatur, quantò peccatum plures tangit: Et ideo peccatum, quod fit in perſonam publicam, puta regem, vel principem, qui gerit perſonam totius multitudinis. Eſt grauius, quàm peccatum, quod committitur contra vnam perſonam priuatam. Vnde ſpecialiter dicitur Exod. 22. Principi populi tui non maledices. Et ſimiliter iniuria, quæ fit alicui famoſæ perſonæ, videtur eſſe grauior ex hoc, quòd in ſcandalum, & in tribulationem plurimorum redundat.

Ad primum ergo dicendum, quòd ille, qui infert iniuriam virtuoſo, quantum eſt in ſe, turbat eum & interius, & exterius: ſed quòd iſte interiùs non turbetur, contingit ex eius bonitate, quæ non diminuit peccatum iniuriantis.

Ad ſecundum dicendum, quòd nocumentum, quod quis ſibi ipſi infert in his, quæ ſubſunt dominio propriæ voluntatis, ſicut in rebus poſſeſſis, habet minus de peccato, quàm ſi alteri inferatur, quia propria voluntate hoc agit: ſed in his, quæ non ſubduntur dominio voluntatis, ſicut ſunt naturalia & ſpiritualia bona, eſt grauius peccatum nocumentum ſibi ipſi inferre: grauius enim peccat, qui occidit ſe ipſum, quàm qui occidit alterum. Sed quia res propinquorum noſtrorum non ſubduntur voluntatis noſtræ dominio, non procedit ratio quantum ad nocumenta rebus illorum illata, quòd circa ea minus peccetur, niſi fortè velint, vel ratum habeant.

Ad tertium dicendum, quòd non eſt acceptio perſonarum, ſi Deus grauiùs punit peccantem contra excellentiores perſonas: hoc enim fit propter hoc, quòd hoc redundat in plurium nocumentum.

Conclvsio est affirmativa.

ARTICVLVS X.

Vtrum magnitudo perſonæ peccantis aggrauet peccatum?

AD decimum ſic proceditur. Videtur quòd magnitudo perſonæ peccantis non aggrauet peccatum. Homo enim maximè redditur magnus ex hoc, quòd Deo adhæret, ſecundum illud Eccleſ. 25. Quàm magnus eſt, qui inuenit ſapientiam & ſcientiam! ſed non eſt ſuper timentem Deum: ſed quantò aliquis magis Deo adhæret, tantò minus imputatur ei aliquid ad peccatum. Dicitur enim 2. Paral. 30. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum: & non imputabitur eis, quòd minus ſanctificati ſunt: ergo peccatum non aggrauatur ex magnitudine perſonæ peccantis.

2. Præterea non eſt perſonarum acceptio apud Deum, vt dicitur Roman. 2. ergo non magis punit pro vno & eodem peccato vnum, quàm alium: non ergo aggrauatur peccatum ex magnitudine perſonæ peccantis.

3. Præterea: nullus debet ex bono incommodum reportare: reportaret autem, ſi id, quod agit, magis ei imputaretur ad culpam: ergo propter magnitudinem perſonæ peccantis non aggrauatur peccatum.

Sed contra eſt, quod Iſid. dicit in 2. de ſummo bono: Tantò maius cognoſcitur peccatum eſſe, quantò maior qui peccat, habetur.

Reſpondeo dicendum, quòd duplex eſt peccatum. Quoddam enim ex ſubreptione proueniens propter infirmitatem humanæ naturæ: & tale peccatum minus imputatur ei, qui eſt maior in virtute: eo quòd minus negligit huiuſmodi peccata reprimere: quæ tamen omnino ſubterfugere infirmitas humana non ſinit: alia verò peccata ſunt ex deliberatione procedentia, & iſta peccata tantò magis alicui imputantur, quanto maior eſt

Digitized by Google

eſt : & hoc poteſt eſſe propter quatuor. Primò quidem quia faciliùs poſſunt reſiſtere peccato maiores, puta qui excedunt in ſcientia, & virtute. Vnde Dominus dicit Luc. 12. quòd ſeruus ſciens, voluntatem domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Secundo propter ingratitudinem, quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, eſt Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando: & quantum ad hoc quælibet maioritas etiam in temporalibus bonis, peccatum aggrauat, ſecundum illud Sap. 6. Potentes potenter tormenta patientur. Tertio propter ſpecialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem perſonæ: ſicut ſi princeps iuſtitiam violet, qui ponitur iuſtitiæ cuſtos: & ſi Sacerdos fornicetur, qui caſtitatem vouit. Quartò propter exemplum, ſiue ſcandalum: quia vt Gregorius dicit in Paſtorali: In exemplum culpá vehementer extenditur, quando pro reuerentia gradus peccator honoratur: ad plurium etiam notitiam perueniunt peccata magnorum, & magis homines indignè ferunt.

Ad primum ergo dicendum, quòd auctoritas illa loquitur de his, quæ per ſubreptionem infirmitatis humanæ negligenter aguntur.

Ad ſecundum dicendum, quòd Deus non accipit perſonas, ſi maiores plus punit: quia ipſorum maioritas facit ad grauitatem peccati, vt dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd homo magnus non reportat incommodum ex bono, quod habet; ſed ex malo vſu illius.

PRIMA CONCLVSIO.

Peccata, quæ vel ex infirmitate humanæ naturæ, vel ex ſubreptione proueniunt, potius minuuntur, quàm augeantur ex dignitate perſonæ peccantis.

SECVNDA CONCLVSIO.

Peccata, quæ procedunt ex deliberatione, aggrauantur ex perſonæ magnitudine.

Vtriuſque articuli materia reducitur etiam ad præcedentes: nam conditio perſonæ peccantis, & in quam peccatur, vel eſt circunſtantia peccati, vel pertinet ad obiectum.

QVÆSTIO LXXIV.

DE SVBIECTO PECCATORVM, in decem Articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de ſubiecto vitiorum, ſiue peccatorum. Et circa hoc quæruntur decem.

QVAMVIS præcipuæ cauſæ, quæ notificant peccati naturam, ſint illæ, vnde ſumit ſpeciem, nempe objectum, & finis, de quibus actum eſt in præcedentibus: quia tamen non parum ad idem conducit notitia ſubjecti; ſiue cauſæ materialis (quæ reſpectu actus moralis coincidit cum principio proxime effectiuo) merito D. Thom. pro hujuſmodi cauſa hanc ſpecialem quæſtionem inſtituit: vbi per varios articulos ex profeſſo quærit de illis potentiis, in quibus peccatum valet reperiri.

***

ARTICVLVS I.

Vtrum voluntas ſit ſubiectum peccati?

AD primum ſic proceditur. Videtur quod voluntas non poſſit eſſe ſubiectum peccati. Dicit enim Dionyſ. in 4. cap. de diuin. nomin. quod malum eſt præter voluntatem, & intentionem: ſed peccatum habet rationem mali: ergo peccatum non poteſt eſſe in voluntate.

2. Præterea: voluntas eſt boni vel apparentis boni, ex hoc autem quod voluntas vult bonum, non peccat: hoc autem

autem quod vult apparens bonum, quod non eſt verè bonum, magis pertinere videtur ad defectum virtutis apprehenſiuæ, quam ad defectum voluntatis: ergo peccatum nullo modo eſt in voluntate.

3. Prætérea, non poteſt eſſe idem ſubiectum peccati, & cauſa efficiens: quia cauſa efficiens, & materialis non incidunt in idem, vt dicitur in 2. phyſi. ſed voluntas eſt cauſa efficiens peccati. Prima enim cauſa peccandi eſt voluntas; vt Auguſtinus dicit in lib. de duabus animabus: ergo non eſt ſubiectum peccati.

Sed contra eſt, quod Auguſtinus dicit in lib. retract. quod voluntas eſt, qua peccatur, & recte viuitur.

Reſpondeo dicendum, quod peccatum quidam actus eſt, vt ſupra dictum eſt. Actuum autem quidam tranſeunt in exteriorem materiam, vt vrere, & ſecare: & huiuſmodi actus habent pro materia, & ſubiecto id, in quod tranſit actio, ſicut Philoſophus dicit in 3. phyſic. quod motus eſt actus mobilis à mouente. Quidam verò actus ſunt non tranſeuntes in exteriorem materiam, ſed manentes in agente: ſicut appetere, & cognoſcere: & tales actus ſunt omnes actus morales, ſiue ſint actus virtutum, ſiue peccatorum. Vnde oportet quod proprium ſubiectum actus peccati ſit potentia, quæ eſt principium actus. Cum proprium ſit actuum moralium, quod ſint voluntarij (vt ſupra habitum eſt) ſequitur quod voluntas, quæ eſt principium actuum voluntariorum ſiue bonorum ſiue malorum, quæ ſunt peccata, ſit principium peccatorum, & ideo ſequitur, quod peccatum ſit in voluntate ſicut in ſubiecto.

Ad primum ergo dicendum, quòd malum dicitur eſſe præter voluntatem, quia voluntas non tendit in ipſum ſub ratione mali: ſed quia aliquod malum eſt apparens bonum, ideo voluntas aliquando appetit aliquod malum: & ſecundum hoc peccatum eſt in voluntate.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi defectus apprehenſiuæ virtutis nullo modo ſubiaceret voluntati: non eſſet peccatum nec in voluntate, nec in apprehenſiua virtute: ſicut patet in his, qui habent ignorantiam inuincibilem: & ideo relinquitur, quod etiam defectus apprehenſiuæ virtutis ſubiacens voluntati deputetur in peccatum.

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit in cauſis efficientibus, quarum actiones tranſeunt in materiam exteriorem, & quæ non mouent ſe, ſed alia: cuius contrarium eſt in voluntate: vnde ratio non ſequitur.

Conclusio *eſt affirmatiua.*

Quæ an ſit intelligenda vniuerſaliter de omni peccato, inferius conſtabit à num.17. Circa rationem qua vtitur Ang. Doctor in corpore articuli, eſt duplex difficultas. Prima an omnis actus moralis ſit immanens? Plures enim videntur eſſe actiones tranſeuntes, vt occiſio, elargitio eleemoſynæ, & ſimiles. Secunda an actio tranſiens ſubiectetur in paſſo, vel potius in agente? Sed hæc poſterior quæſtio omnino eſt philoſophica, quam accuratè tractant N. Complut. lib. 3. phyſic. diſp. 17. vbi quæſt. 1. mentem D. Thomæ, & Ariſtot. circa hanc rem ex profeſſo examinant, doctrinámque huius articuli, nempe prædictam actionem ſubiectari in paſſo, teſtimoniis vtriuſque demonſtrant, & quæſt. 5. id ipſum rationibus oſtendunt. Ad priorem autem difficultatem dicemus à n. 12. ſequentis diſputationis.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſola voluntas ſit ſubiectum peccati?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd ſola voluntas ſit ſubiectum peccati. Dicit enim Auguſt. in lib. de duabus animabus, quod non niſi voluntate peccatur: ſed peccatum eſt ſicut in ſubiecto in potentia, qua peccatur: ergo ſola voluntas eſt ſubiectum peccati.

2. Prætérea, peccatum eſt quoddam malum contra rationem, ſed bonum & malum ad rationem pertinens eſt obiectum ſolius voluntatis: ergo ſola voluntas eſt ſubiectum peccati.

3 Prætérea, omne peccatum eſt actus voluntarius: quia vt dicit Auguſt. in lib. de libero arb. peccatum adeo eſt voluntarium, quod ſi non ſit voluntarium, non eſt peccatum: ſed actus aliarum virium non ſunt voluntarij, niſi in quantum illæ vires mouentur à voluntate: hoc autem non ſufficit ad hoc, quod ſint ſubiectum peccati, quia ſecundum hoc etiam membra exteriora, quæ mouentur à voluntate, eſſent ſubiectum peccati, quod patet eſſe falſum: ergo ſola voluntas eſt ſubiectum peccati.

Sed contra, peccatum virtuti contrariatur, contraria autem ſunt circa idem:

Digitized by Google

idem: ſed aliæ etiam vires animæ præter voluntatem ſunt ſubjecta virtutum, ut ſupra dictum eſt: ergo non ſola voluntas eſt ſubjectum peccati.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ex prædictis patet, omne, quod eſt principium voluntarij actus, eſt ſubjectum peccati: actus autem voluntarij dicuntur non ſolum illi, qui eliciuntur à voluntate, ſed etiam illi, qui à voluntate imperantur, ut ſupra dictum eſt, cum de voluntario ageretur. Vnde non ſolum voluntas poteſt eſſe ſubjectum peccati, ſed omnes illæ potentiæ, quæ poſſunt moveri ad ſuos actus, vel ab eis reprimi per voluntatem: & eædem etiam potentiæ ſunt ſubjecta habituum moralium bonorum vel malorum, quia ejuſdem eſt actus, & habitus.

Ad primum ergo dicendum, quod non peccatur niſi voluntate, ſicut primo movente, aliis autem potentiis peccatur, ſicut ab ea motis.

Ad ſecundum dicendum, quòd bonum, & malum pertinent ad voluntatem ſicut per ſe objecta ipſius: ſed aliæ potentiæ habent aliquod determinatum bonum, & malum, ratione cujus poteſt in eis eſſe & virtus, & vitium, & peccatum, ſecundum quod participant voluntate, & ratione.

Ad tertium dicendum, quòd membra corporis non ſunt principia actuum, ſed ſolum organa: unde & comparantur ad animam moventem, ſicut ſervus qui agitur, & non agit. Potentiæ autem appetitivæ intentiores comparantur ad rationem quaſi liberæ, quæ agunt quodammodo, & aguntur, ut patet per id quòd dicitur 1. Politic. Et præterea actus exteriorum membrorum ſunt actiones in exteriorem materiam tranſeuntes, ſicut patet de percuſſione in peccato homicidij; & propter hoc non eſt ſimilis ratio.

CONCLUSIO.

Non ſolùm voluntas, ſed omnes illæ potentiæ, quæ poſſunt per voluntatem moveri ad ſuos actus, vel ab eis reprimi, poſſunt eſſe ſubjectum peccati.

Huius articuli præcipua difficultas eſt, an actus aliarum potentiarum, qui imperantur à voluntate, ſint intrinſecè, & formaliter peccata, & non tantum denominatione extrinſeca à malitia actus voluntatis? Quòd examinabitur dub. 1. diſputationis. Nonnihil etiam dubij eſt in ſolutione ad tertium, quo pacto neget D.Thom. reperiri peccatum in membris externis. Ad quòd etiam dicemus num. 12.

Nota verò circa hunc, & reliquos quæſtionis articulos, nomine *voluntarij*, cujus principium dicitur eſſe ſubjectum peccati, intelligi voluntarium liberum: ſæpe enim D.Thom. voluntarium cum libero convertit: quia loquitur de voluntario proprio hominis, in quantum homo eſt conſtitutus in via ad beatitudinem, quòd eſt voluntarium perfectum, & habet indiſpenſabiliter ſibi annexam libertatem. Si autem voluntarium in tota latitudine accipiatur, invenitur etiam cum proprietate in brutis, ut in ſuo tractatu diximus: in quibus tamen certum eſt, non poſſe reperiri peccatum. Atque adeò neque in nobis quodcunque voluntarium etiam propriè dictum; ſed dumtaxat perfectum, ſive liberum ad peccandum ſufficiet.

ARTICVLVS III.

Vtrum in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd in ſenſualitate non poſſit eſſe peccatum. Peccatum enim eſt proprium homini, qui ex ſuis actibus laudatur, vel vituperatur: ſed ſenſualitas eſt communis nobis, & brutis: ergo in ſenſualitate non poteſt eſſe peccatum.

2. Præterea, nullus peccat in eo, quòd vitare non poteſt, ſicut Auguſtinus dicit in lib. de libe. arb. ſed homo non poteſt vitare, quin actus ſenſualitatis ſit inordinatus: eſt enim ſenſualitas perpetuæ corruptionis, quandiu in hac mortali vita vivimus. Vnde per ſerpentem ſignificatur, ut Auguſtinus dicit 12. de Trin. ergo inordinatio motus ſenſualitatis non eſt peccatum.

3. Præterea, illud, quòd homo ipſe non facit, non imputatur ei ad peccatum: ſed hoc ſolùm videmur nos ipſi facere, quòd cum deliberatione rationis facimus, ut Philoſophus dicit in 9. Ethic. ergo motus ſenſualitatis, qui eſt ſine deliberatione rationis, non imputatur homini ad peccatum.

Sed contra eſt, quod dicitur Roma. 7. Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio: quòd exponit Auguſt. de malo concupiſcentiæ, quòd conſtat eſſe motum quemdam ſenſualitatis: ergo in ſenſualitate eſt aliquod peccatum.

Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut ſupra dictum eſt, peccatum poteſt inveniri in qualibet potentia, cujus actus poteſt eſſe voluntarius, & inordinatus, in

Digitized by Google

in quo conſiſtit ratio peccati. Manifeſtum eſt autem, quod actus voluntatis poteſt eſſe voluntarius inquantum ſenſualitas; id eſt appetitus ſenſitivus; nata eſt à voluntate moveri. Vnde relinquitur, quod in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quòd aliquæ vires ſenſitivæ partis, etſi ſint communes nobis, & brutis; tamen in nobis habent aliquam excellentiam ex hoc, quod rationi junguntur, ſicut nos præ aliis animalibus habemus in parte ſenſitiva cogitativam, & reminiſcentiam, ut in 1. dictum eſt. Et per hunc modum etiam appetitus ſenſitivus in nobis præ aliis animalibus habet quamdam excellentiam, ſcilicet quod natus eſt obedire rationi, & quantum ad hoc poteſt eſſe principium actus voluntarij, & per conſequens ſubjectum peccati.

Ad ſecundum dicendum, quòd perpetua corruptio ſenſualitatis eſt intelligenda quantum ad fomitem, qui nunquam totaliter tollitur in hac vita: tranſit enim peccatum originale reatu, & remanet actu: Sed talis corruptio fomitis non impedit, quin homo rationabili voluntate poſſit reprimere ſingulos motus inordinatos ſenſualitatis, ſi præſentiat, puta divertendo cogitationem ad alia. Sed dum homo cogitationem ad aliud divertit, poteſt etiam circa illud aliquis inordinatus motus inſurgere: ſicut cum aliquis transfert cogitationem ſuam à delectationibus carnis volens concupiſcentiæ motus vitare, ad ſpeculationem ſcientiæ inſurgit quandoque aliquis motus inanis gloriæ impræmeditatus. Et ideo non poteſt homo vitare omnes hujuſmodi motus propter corruptionem prædictam: ſed hoc ſolùm ſufficit ad rationem peccati voluntarij, quòd poſſit vitare ſingulos.

Ad tertium dicendum, quòd illud quod homo facit ſine deliberatione rationis, non perfecte ipſe facit: quia nihil operatur ibi id, quod eſt principale in homine. Vnde non eſt perfecte actus humanus, & per conſequens non poteſt eſſe perfectus actus virtutis, vel peccati, ſed aliquid imperfectum in genere horum. Vnde talis motus ſenſualitatis rationem præveniens eſt peccatum veniale, quod eſt quiddam imperfectum in genere peccati.

CONCLUSIO *eſt affirmativa.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum in ſenſualitate poßit eſſe peccatum mortale?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum mortale: actus enim ex objecto cognoſcitur: ſed circa objecta ſenſualitatis contingit peccare mortaliter, ſicut circa delectabilia carnis: ergo actus ſenſualitatis poteſt eſſe peccatum mortale, & ita in ſenſualitate peccatum mortale invenitur.

2. Præterea, peccatum mortale contrariatur virtuti, ſed virtus poteſt eſſe in ſenſualitate: temperantia enim, & fortitudo ſunt virtutes irrationabilium partium, ut Philoſophus dicit in 3. Ethic. ergo in ſenſualitate poteſt eſſe peccatum mortale, cum contraria ſint nata fieri circa idem.

3. Præterea, veniale peccatum eſt diſpoſitio ad mortale: ſed diſpoſitio, & habitus ſunt in eodem: cum igitur veniale peccatum ſit in ſenſualitate, ut dictum eſt, etiam mortale peccatum eſſe poterit in eodem.

Sed contra eſt, quòd Auguſt. dicit in lib. retract. & habetur in gloſſ. Rom. 7. inordinatus concupiſcentiæ motus, qui eſt peccatum ſenſualitatis; poteſt etiam eſſe in his, qui ſunt in gratia, in quibus tamen peccatum mortale non invenitur: ergo inordinatus motus ſenſualitatis non eſt peccatum mortale.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut inordinatio corrumpens principium vitæ corporalis cauſat corporalem mortem, ita etiam inordinatio corrumpens principium ſpiritualis vitæ, quod eſt finis ultimus, cauſat mortem ſpiritualem peccati mortalis, ut ſupra dictum eſt. Ordinare autem aliquid in finem non eſt ſenſualitatis, ſed ſolum rationis; inordinatio autem à fine non eſt niſi ejus, cujus eſt ordinare in finem. Vnde peccatum mortale non poteſt eſſe in ſenſualitate, ſed ſolum in ratione.

Ad primum ergo dicendum, quòd actus ſenſualitatis poteſt concurrere ad peccatum mortale, ſed tamen actus peccati mortalis non habet quod ſit peccatum mortale ex eo, quod eſt ſenſualitatis, ſed ex eo quod eſt rationis, cujus eſt ordinare in finem: & ideo peccatum

catum mortale non attribuitur ſenſualitati, ſed rationi.

Ad ſecundum dicendum, quòd actus virtutis non perficitur per id, quod eſt ſenſualitatis tantum; ſed magis per id quod eſt rationis, & voluntatis, cujus eſt eligere: nam actus virtutis moralis non eſt ſine electione. Vnde ſemper cum actu virtutis moralis, quæ perficit vim appetitivam, eſt etiam actus prudentiæ, quæ perficit vim rationalem: & idem eſt etiam de peccato mortali, ſicut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd diſpoſitio tripliciter ſe habet ad id quod diſponit. Quandoque enim eſt idem, & in eodem: ſicut ſcientia inchoata dicitur eſſe diſpoſitio ad ſcientiam perfectam. Quandoque autem eſt in eodem, ſed non idem: ſicut calor eſt diſpoſitio ad formam ignis. Quandoque verò nec idem, nec in eodem: ſicut in his, quæ habent ordinem ad invicem, ut ex uno perveniatur in aliud: ſicut bonitas imaginationis eſt diſpoſitio ad ſcientiam, quæ eſt in intellectu, & hoc modo veniale peccatum, quod eſt in ſenſualitate, poteſt eſſe diſpoſitio ad peccatum mortale, quod eſt in ratione.

CONCLUSIO *eſt negativa.*

Circa utrumque iſtum articulum dubitant nonnulli, quid intelligat D. Thom. nomine *ſenſualitatis*: propterea quod hæc vox cùm ab aliis, tùm ab ipſo D. Thom. ſolet accipi diverſimodè. Quamvis enim ferè ſemper dicat appetitum ſenſitivum, qui ſequitur ſenſitivam cognitionem; diverſimodè tamen: nam aliquando ſignificat illum non abſolutè, ſed ut antevertit judicium rationis, deflectitque ad malum, ac ferè coincidit cum concupiſcentia, ut dicemus infra diſp. 16. dub. 4. Quo pacto nequit eſſe ſubjectum virtutis: imò dicitur eſſe *perpetuæ corruptionis*: & juxta expoſitionem D. Auguſtini lib. 12. de Trin. cap. 12. ſignificatur per ſerpentem inſtigantem ad peccatum. Hac acceptione utitur Ang. Doct. in 2. diſt. 24. quæſt. 2. art. 1. ad 3. ubi ait, quod licet ſenſualitas ſecundum rem ſit idem, quod iraſcibilis, & concupiſcibilis (quibus nominibus ſignificatur prædictus appetitus abſolutè ſecundum ſuam ſubſtantiam) differunt tamen ratione. Quia *iraſcibilis, & concupiſcibilis nominant appetitum ſenſitivum ſecundum quod completus eſt, & per diverſa diſtinctus, & verſus rationem tendens: unde & in homine iraſcibilis, & concupiſcibilis rationi obtemperant. Senſualitas autem nominat ſenſitivum appetitum ſecundum quod eſt incompletus, & indeterminatus, & magis depreſſus: & ideo dicitur, quod in ea non poteſt eſſe virtus, & quod eſt perpetuæ corruptionis.* Videatur quæſt. 25. de verit. art. 5. ad 8. Quem modum dicendi ſequuntur Durandus, & alij ſuper prædictam diſtinctionem.

Aliquandò verò ſignificat prædictum appetitum abſolutè ſecundum ſuam naturam: quo modo in homine habet hanc excellentiam, ut natus ſit rationi obedire: ac proinde poteſt eſſe ſubjectum & vitij, & virtutis. Et hæc acceptio eſt magis uſitata apud D. Thom. ut videre eſt 1. quæſt. 80. art. 1. ubi ait, quod ſenſualitas eſt ipſum nomen appetitus ſenſitivi. Et 3. p. quæſt. 18. art. 2. ponit in Chriſto ſenſualitatem, convertens illam cum appetitu ſenſitivo. Quem modum loquendi reperies aliis quampluribus in locis. Et juxta hanc acceptionem, non verò juxta primam loquitur proculdubio in hac quæſtione, ut colligitur ex ſolut. ad 1. & 2. articuli 4. ubi explicat qualiter in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum mortale, & etiam virtus, quamvis neutrum attribuatur illi, ſed rationi.

Addendum quoque eſt ex Magiſtro ſententiarum in 2. diſt. 24. ad finem, ubi habet hæc verba. *Non eſt autem ſilentio prætereundum, quod ſæpe in Scriptura nomine ſenſualitatis non id ſolum in anima, quod eſt nobis commune cum pecore, ſed etiam inferior portio rationis, qua temporalium diſpoſitioni intendit, intelligitur.* Notat verò D. Thom. ibidem, nomine *Scripturæ* non intelligi à Magiſtro Scripturas Canonicas: in his enim nuſquam *ſenſualitatis* vocem offendes. Sed nomen *ſenſus* ſignificat illud; quod nos *ſenſualitatem* vocamus. Quare per *Scripturas* intelligit ſcripta Doctorum, qui prædicto ſenſualitatis nomine à *ſenſu* deducto diverſimode uſi ſunt. Et aliquando pro ratione inferiori illud accipiunt propter convenientiam hujus rationis ad ſenſualitatem: quia videlicet utraque attendit ea, quæ ad corpus pertinent: licèt ratio inferior ſub rationibus univerſalibus; ſenſualitas verò ſub rationibus particularibus, & materiæ concretis. ¶ Alias graviores difficultates moveri ſolitas circa utrumque iſtum articulum relinquimus diſputationi.

ARTICVLVS V.

Vtrum peccatum poſſit eſſe in ratione?

AD quintum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum non poſſit eſſe in ratione. Cujuſlibet enim potentiæ peccatum eſt aliquis defectus ipſius; ſed defectus rationis non eſt peccatum, ſed magis excuſat peccatum, excuſatur enim aliquis à peccato propter ignorantiam: ergo in ratione non poteſt eſſe peccatum.

2. Præterea. Primum ſubjectum peccati eſt voluntas, ut dictum eſt: ſed ratio præcedit voluntatem, cum ſit directiva ipſius: ergo peccatum eſſe non poteſt in ratione.

3. Præterea. Non poteſt eſſe peccatum niſi circa ea, quæ ſunt in nobis; ſed perfectio

Digitized by Google

perfectio, & defectus rationis non eſt eorum, quæ ſunt in nobis: quidam enim ſunt naturaliter ratione deficientes, vel ratione ſolertes: ergo in ratione non eſt peccatum.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. 12. de Trin. quòd peccatum eſt in ratione inferiori, & in ratione ſuperiori.

Reſpondeo dicendum, quòd peccatum cuiuſlibet potentiæ conſiſtit in actu ipſius, ſicut ex dictis patet. Habet autem ratio duplicem actum. Vnum quidem ſecundum ſe in comparatione ad proprium obiectum, quòd eſt cognoſcere aliquod verum. Alius autem actus rationis eſt, in quantum eſt directiua aliarum virium. Vtroque igitur modo contingit eſſe peccatum in ratione. Et primo quidem in quantum errat in cognitione veri: quòd quidem tunc imputatur ei ad peccatum, quando habet ignorantiam, vel errorem circa id, quòd poteſt, & debet ſcire. Secundo quando inordinatos actus inferiorum virium vel imperat, vel etiam poſt deliberationem non coërcet.

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de defectu rationis, qui pertinet ad actum proprium reſpectu proprij obiecti, & hoc quando eſt defectus cognitionis eius, quòd quis non poteſt ſcire: tunc enim talis defectus rationis non eſt peccatum, ſed excuſat à peccato: ſicut patet in his, quæ per furioſos committuntur. Si verò ſit defectus rationis circa id, quòd homo poteſt, & debet ſcire, non omnino homo excuſatur à peccato: ſed ipſe defectus imputatur ei ad peccatum. Defectus autem, qui eſt ſolum in dirigendo alias vires, ſemper imputatur ei ad peccatum: quia huic defectui occurrere poteſt per proprium actum.

Ad ſecundum dicendum, quòd, ſicut ſupra dictum eſt, cum de actibus voluntatis, & rationis ageretur, voluntas quodam modo mouet, & præcedit rationem, & ratio quodam modo voluntatem: vnde & motus voluntatis poteſt dici rationalis, & actus rationis dici poteſt voluntarius. Et ſecundum hoc in ratione inuenitur peccatum, vel prout eſt defectus eius voluntarius, vel prout actus rationis eſt principium actus voluntatis.

Ad tertium patet reſponſio ex dictis.

Conclusio.

Dupliciter contingit eſſe in ratione peccatum. Primo quando errat, aut ignorat illa, quæ poteſt, & debet ſcire. Secundo quando actus inordinatos inferiorum virium imperat, vel poſt deliberationem non coërcet.

Quid ratio, & quò pacto differat ab intellectu, docet D. Thom. 1. p. quæſt. 79. art. 8. vbi ait, potentiam intellectiuam poſſe conſiderari dupliciter. Vel quatenus ſimplici intuitu veritatem intelligibilem apprehendit, qui actus dicitur ſimplex intelligere. Vel quatenus mediante diſcurſu ex vno aliud deducit, quod dicitur ratiocinari. Et quia potentiæ conſueuerunt nominari per actus, primo modo prædicta potentia dicitur abſolutè *intellectus*; poſteriori verò vocatur *ratio*. Ex quo infert D.Thom. huiuſmodi facultates non eſſe potentias realiter diſtinctas; ſed tantum virtualiter: ſicut differunt in eodem intellectu *practicum*, & *ſpeculatiuum*. Nam *diſcurrere* ad *intelligere* habet ſe ſicut *moueri* ad *quieſcere*, & è conuerſo: mouetur enim intellectus per diſcurſum, vt quieſcat in ſimplici rerum intelligentia; ex hacque rurſus vt alia inueniat diſcurri: vnde ſicut in naturalibus moueri, & quieſcere non requirunt principia diſtincta, ex eadem enim grauitate lapis mouetur ad centrum, & in illo quieſcit: ita neque in ipſa potentia intellectiva *ratiocinari*, & *intelligere* realem ipſius potentiæ diſtinctionem poſtulant. Cæterum in præſentiarum non videtur D.Thom. hanc nominum proprietatem attendiſſe, ſed comprehendiſſe nomine *rationis* tòtam intellectivam potentiam, & non ſolùm quatenus importat vim ad ratiocinandum, diciturque *ratio*, & non *intellectus* rigoroſe, & ſtrictè. Aliàs de ipſo intellectu ſeorſum quæreret, ſicut quæſivit de ratione, an ſit in illo peccatum? Neque enim dubitandum videtur, poſſe reperiri peccatum in potentia intellectiva ſecundum utramque rationem: imò id expreſſe aſſeritur infra art. 10. Ideo autem de ſola ratione articulos propoſuit, quia ſub hoc nomine intellexit potentiam intellectivam adæquate ſumptam.

Qualiter autem in intellectu, vel ratione ſit primum illud genus peccati, quòd D.Th. ei attribuit, ſcilicet per ignorantiam, vel errorem, dicemus late diſputatione 13. Qualiter verò conveniat ei ſecundum, videlicet per imperium, aut omiſſionem circa motus appetitus inordinatos, ex dicendis in tota hac diſputatione conſtabit.

DISPVTATIO X.

De his quæ pertinent ad ſubjectum peccati præſertim ex parte appetitus ſenſitivi.

QVamvis non pauca ex his, quæ ad ſubjectum peccati ſpectant, ab Ang. Doctore in litera articulorum præcedentium ſint ſatis diſcuſſa; aliqua tamen ſuperſunt, quæ majorèm poſtulant inveſtigationem, ſpecialemque diſputationem requirunt. Neque pro omnibus dubia ſeorſum excitabimus, ſed tantùm

Digitized by Google

tùm pro gravioribus, ut conſuevimus: minora vero, illis accuratè pertractatis, obiter lucem recipient.

DVBIVM I.

Vtrum in aliis potentiis à voluntate motis ſit intrinſecè, & formaliter peccatum: & quæ ſint hujuſmodi potentiæ?

Animadverſio. 1. SVpponimus ut rem per ſe notam, præcipuum peccati ſubjectum eſſe voluntatem, (& eſt ſermo de ſubjecto *quo*, nam ſubjectum *quod* abſolutè, & ſimpliciter eſt ipſa anima, vel ſuppoſitum.) Cùm enim tota ratio peccati, & malitiæ moralis in voluntario libero fundetur, oportet principalius inveniri in illa potentia, quæ primario, & quaſi per eſſentiam eſt libera, uti eſt apud omnes voluntas. Cæterum ſicut ab actu voluntatis actus aliarum potentiarum, quæ imperio illius ſubduntur, dicuntur etiam *liberi*, ſic quoque, ſuppoſito quod circa malum objectum verſentur, dici debent *mali*, & *peccaminoſi*: quia non eſt cur minus extendatur influxus, malitiæ, quam libertatis, & voluntarietatis. Atque hinc fit, ut omnes illæ potentiæ (loquimur de immanentibus, quarum actus in eiſdem recipiuntur) etiam ſint ſubjectum peccati: quippe ſi earum actus circa malum verſentur, nihil illis deeſſe poteſt, quominus ex actu voluntatis, à quo imperantur, malitiam, ſeu denominationem *peccati* participent. In quò fere omnes conveniunt.

Non tamen in explicando an hæc denominatio in actibus prædictarum potentiarum ſit tantùm extrinſeca: ita ut nulla eis inſit malitia formalis, ſed denominentur immediate *peccata* ab illa dumtaxat malitia, quæ in actu voluntatis exiſtit: an verò ſit denominatio aliquo modo intrinſeca: ita quòd prædictis actibus ſua etiam malitia inhæreat, diſtincta realiter à malitia actus voluntatis; licèt ab ea cauſata, & derivata. Et hoc eſt quod in titulo, inquirimus, an in aliis potentiis à voluntate motis ſit peccatum intrinſece, & formaliter: non enim eſt dubium, actus inordinatos prædictarum potentiarum immanentium quantum ad eorum ſubſtantiam in eiſdem ſubjectari, ſed ſermo eſt de inordinatione, à qua immediate habent, quod ſint formaliter peccata, quæ eſt ipſa moralis malitia.

Alia animadverſio. 2. Deinde nota, duplicem eſſe malitiam; aliam objectivam, & aliam formalem. Malitia objectiva eſt illa deformitas, & diſſonantia, quam ratio concipit in objecto, ſeu actu prohibito, v.g. in furto, ut potente à voluntate exerceri; etiam antequam intelligamus aliquem influxum voluntatis in talem actum, vel aliquod ejùs exercitium liberum. Diciturque hæc malitia *objectiva*, quia conſtituit rem, in qua eſt, non in ratione actus formaliter mali, & culpabilis, ſed in ratione mali objecti, & termini reſpectu actus voluntarij. Malitia verò formalis eſt, quæ efficit actum formaliter peccatum, & imputabilem ad demeritum: & quia ad hoc neceſſaria eſt libertas, nulli enim imputatur, niſi quod eſt ex ejus dominio, & poteſtate, ſupponit prædicta malitia tanquam fundamentum exercitium potentiæ liberæ: nullique actui poteſt competere, niſi quatenus in exercitio egreditur à tali potentia. De vtraque malitia plura diximus tomo præcedenti tract. de bonit. & mal. diſp. 1. agentes de moralitate tam formali quam objectiua: nam malitia, vt ibidem diximus, eſt ſpecies moralitatis.

Præſens autem dubium non procedit de peccato ſecundum malitiam objectiuam, neque de hac tractat D.Thom. in hac quæſtione, vt legenti conſtabit: agit enim de illa malitia, quæ competit humanis actibus prout voluntariis, & liberis, atque adeo quatenus ſunt, ſiue imperatiue, ſiue elicitiue voluntatis effectus, ex eiuſque influxu dependent: cum tamen peccatum objectiue acceptum omnia hæc antecedat, ſicut obiectum antecedit potentiam, & actum. Eo præſertim, quia cum malitia objectiua omnem voluntatis influxum præcedat, planum eſt non poſſe competere actibus aliarum potentiarum per cauſalitatem, aut denominationem à malitia, quæ in voluntate, vel eius actu exiſtit; ſed à propria, & intrinſeca diſſonantia, quam dicunt ad rationem per modum objecti, ex cuius proſequutione voluntatis malitia conſurgit. Procedit ergo quæſtio de malitia formali: ſoletque diſputari ſupra q. 20. circa moralitatem in communi, prout eſt genus tam ad bonitatem, quam ad malitiam: quia de omnibus iſtis, quantum ad præſens attinet, eſt eodem prorſus modo philoſophandum.

§. I.

Deciditur prima pars dubij.

2. DIcendum eſt primo, plura peccata etiam quantum ad malitiam formalem ſubjectari intrinſece in aliis potentiis, quæ mouentur à voluntate; vt in iraſcibili, concupiſcibili, &c. atque adeo actus prædictarum potentiarum non denominari *peccata* & *culpabiles* ſolum extrinſece ab actu voluntatis, ſed intrinſece à malitia ipſis inhærente. *1. Concluſio.* Hæc eſt proculdubio mens D. Thomæ, quoties ait *D.Thom.* prædictas potentias, non autem membra externa eſſe ſubjectum peccati: quod repetit multoties per totam hanc quæſtionem. Et in 2. diſt. 41. quæſt. 1. art. 2. De verit. quæſt. 5. art. 3. & quæſt. 25. art. 5. aliiſque in locis, vbi tradit rationem, quam ſtatim proponemus. Præterea in hac 1. 2. quæſt. 24. art. 3. ad 1. expreſſe dicit paſſionem ſenſitiui appetitus, quæ ex mala electione procedit, addere nouam malitiam ſupra malitiam voluntatis, (& loquitur de malitia formali, vt liquet ex contextu) non autem adderet, ſi tantum eſſet mala extrinſece à malitia in ipſa voluntate exiſtente. Hac quippe ratione negauerat S. Doctor qu. 20. art. 4. actui omnino externo ſimilem additionem: quia non habet in ſe intrinſecam moralitatem, ſed dicitur tantum bonus, *D.Thom.* vel malus extinſece à bonitate, vel malitia actus interni: igitur ſi paſſio appetitus addit formalem malitiam, habet eam intrinſece. Vnde hanc ſententiam tuentur Caiet. in præſenti *Caiet.*

Cajet. Medina. Monteſ. Araujo. Lorca. Greg. Mart.

ſenti art.2. Medina (qui putat Caietanum ſentire cum Scoto, immerito tamen, vt legenti conſtabit) Monteſ. diſp.6.qu.1. Araujo dub.2. Lorca diſp.21. de peccatis. Greg. Mart. dub.1. & clarius ſupra qu.56. art.4. dub.1. ad tertiam confirmationem ſecundi argumenti, pluresque alij.

Prima ratio.

Probatur ratione D. Thomæ in hunc modum. Habitus vitioſus v. g. intemperantiæ exiſtit in appetitu ſenſitiuo, & habet ibi intrinſecam malitiam habitualem, ſiue cauſalem: igitur actus intemperantiæ elicitus à tali habitu in eodem appetitu habet intrinſecam malitiam formalem: non ergo conſtituitur formaliter peccatum, & culpabilis ſola denominatione extrinſeca à malitia in voluntate exiſtente. Antecedens negari non poteſt, præſertim in via D. Thom. apud quem tam vitia quam virtutes, quæ circa paſſiones appetitus ſenſitiui verſantur, vti ſunt temperantia, intemperantia, fortitudo, timiditas, &c. Subiectantur in eodem appetitu, vt oſtendimus in tract. de virtut. diſp. dub.2.& 3. Nec minus certum eſt prædicta vitia intrinſece eſſe mala malitia habituali ſeu cauſali: quia ſicut virtus intrinſece, & eſſentialiter conſtituitur per hoc, quòd ſit habitualiter, & cauſaliter bona: hoc eſt, cauſa boni actus, & inclinatio ad ipſum, vt loco citato diſp.1. dub.1. probauimus: ita vitium intrinſece, & eſſentialiter conſtituitur per hoc quod ſit principium actus mali, & inclinatio ad illum producendum, in quo prædicta malitia habitualis, & cauſalis conſiſtit.

4. Conſequentia autem probatur. Tum quia in eadem potentia debet eſſe actus vitioſus, ſecundum quod vitioſus eſt, in qua eſt habitus vitij, à quo immediate elicitur: eo quod actio immanens ſecundum omnem rationem in ea repertam recipitur in principio proximo eliciente: cum ergo actus intemperantiæ quantum ad ſuam malitiam ab habitu intemperantiæ immediate eliciatur, oportet, quòd ſi hujuſmodi habitus intrinſece eſt in appetitu ſenſitiuo, etiam ſit intrinſece in illo prædictus actus in quantum malus, & peccaminoſus. Tum etiam: nam habitus tam vitij quam virtutis ad hoc ponitur in aliqua potentia, vt in actu talis potentiæ ponat ſuam formam, & ſpeciem, atque adeo fruſtra poneretur in illa, cujus actus non eſſet capax habendi in ſe ipſo talem ſpeciem, & formam: cum autem propria forma, & ſpecies habitus vitioſi ſit de genere malitiæ moralis, neceſſario dicendum eſt, vel quod appetitus ſenſitiuus non eſt capax prædicti habitus vel quod ejus actus capax eſt intrinſecæ malitiæ. Præterea, nam cum habitus exiſtens in appetitu, & quicumque habitus moralis eſſentialiter ſit operatiuus, debet aliquid per ſe ibi producere: non autem producit entitatem phyſicam actus, quippe hæc non correſpondet habitui, ſed potentiæ, vt tract. cit. diſp. 1. dub 3. demonſtrauimus: igitur debet producere ejus moralitatem, bonitatem, vel malitiam. Tum denique nam ex eo quòd membra externa, & eorum motus ob ſuam materialitatem, & determinationem non ſunt capacia bonitatis vel malitiæ moralis intrinſecæ, non ponitur in eis aliquis habitus moralis, ſed omnes hujuſmodi habitus reſident in potentiis immanentibus: ergo ſi ponuntur in appetitu ſenſitiuo, ſignum eſt ipſum capacem eſſe prædictæ moralitatis.

Euaſio

Neque apparet, qualiter poſſit huic rationi occurri, niſi vel negetur exiſtentia prædictorum habituum in appetitu ſenſitiuo (quo caſu adhuc ratio noſtra vim haberet reſpectu intellectus, a quo aduerſarij non minus quam ab appetitu excludunt malitiam intrinſecam, cum tamen excludere non poſſint vitia imprudentiæ, hæreſis & ſimilia) vel ipſis habitibus negetur cauſalitas effectiua: vel dicatur non concurrere per ſe ad malitiam actus, ſed ad ſolam phyſicam entitatem, atque adeo neque eſſe intrinſece, & eſſentialiter vitia, ſed denominatiue, & extrinſece.

5. Cæterum omnia hæc inſufficientia ſunt, & à nobis ex profeſſo impugnata dicto tract. de virt. vbi diſp.2. dub.2. ſatis efficaciter probauimus omnes virtutes morales verſantes circa paſſiones ſubiectari in appetitu ſenſitiuo. Quòd ſi talis appetitus capax eſt recipiendi in ſeipſo virtutem, nemo inficiabitur capacem eſſe & vitij oppoſiti, cum idem ſit ſubjectum contrariorum minuſque ſufficiat ad vitium, vt pote de genere mali, quàm ad virtutem. ❡ Deinde tam vitia, quam virtutes eſſe habitus operatiuos, qui vna cum potentia concurrunt ad eliciendos actus; oſtenſum eſt ibidem diſp. 1. toto dub.2. ❡ Quòd autem non denominatiue, & extrinſece, ſed quiditatiue tanquam differentia eſſentialis conueniat prædictis habitibus ratio vitij, & virtutis, atque adeo quòd per ſe, & eſſentialiter inclinent ad bonitatem, & malitiam actus, non vero ad ſolam entitatem phyſicam, dub.1. & 3. eiuſdem diſput. fuſe oſtendimus. Quare non oportet circa aliquid iſtorum rurſus hic immorari, aut quæ diximus loco citato, repetere: præſertim cum in via D. Thomæ indubitata ſint & à pleriſque aliis communiter recepta.

Alia Euaſio

Dices forte, habitum vitij receptum in appetitu ſenſitiuo, eſto ſit intrinſece malus cauſaliter & effectiuus malitiæ formalis; non tamen producere illam in ipſo appetitu, ſed in actibus voluntatis, qui ſunt voluntarij liberi intrinſece.

Impugnatur.

6. Sed contra eſt primò: nam habitus exiſtens in aliqua potentia nullam aliam elicit operationem; niſi quam elicit ipſa potentia, quatenus ex potentia, & habitu fit vnum principium completum talis operationis: igitur ſi habitus vitij ponitur in appetitu ſenſitiuo, malitia actualis, quæ ipſi habitui in operatione correſpondet, debet ſubjectari vna cum prædicta operatione in eodem appetitu, non verò in alia potentia, ad quam operatio appetitus non pertingit. Deinde cum habitus operatiuus inſtitutus ſit propter operationem, in illa potentia debet poni, in qua ſubſiſtit operatio talis habitus: vbi autem ſubſiſtit operatio alicujus habitus vitioſi, ibi reſidet neceſſario ejus malitia, quæ re ipſa non diſtinguitur à prædicta operatione, quatenus eſt ab habitu. Non ergo hæc duo cohærere poſſunt, nempe quòd habitus vitioſus ſit in appetitu ſenſitiuo; & ejus operatio quæ eſt ipſa actualis malitia, ſit in voluntate.

Adde, malitiam moralem, quàm efficere poteſt habitus appetitus ſenſitiui, eſſe aliquid materiale, & corporeum: repugnat enim quod res corporea, qualis eſt prædictus appetitus

titus

ritus, contineat, aut producat effectum ſpiritualem: cum ergo voluntas, & quidquid in ea ſubiectatur, ſpirituale ſit, omnino repugnabit recipi in illa talem malitiam. ❡ Adde ſecundo, neque appetitum ſenſitivum, neque eius habitus poſſe directè operari in voluntate: atque adeò operatio illorum cum ſua malitia, aut bonitate directè & primariò ſiſtere debet in ipſo appetitu. Et ratio eſt, quia cum voluntas ſit potentia ſpiritualis, & omnino ſuperior, non poteſt pati, vel moueri à potentia ſenſibili, & corporea: niſi tantum indirectè, & diſpoſitive: quatenus diſpoſito appetitu per habitum vitioſum, intellectus apprehendit vt conueniens totum id, quod huiuſmodi diſpoſitioni conſonat: & ſic voluntas illud proſequitur: ergo directa efficientia appetitus, & cuiuſlibet ſui habitus cum ſua actuali malitia manet in eodem appetitu. ❡ Adde tandem, quod etiam ſi admitteremus, habitum exiſtentem in appetitu ſenſitiuo producere malitiam in voluntate; prius tamen deberet illam producere in ipſo appetitu, quia inintelligibile eſt habitum vnius potentiæ operari in alia, niſi media operatione, quam exerceat erga potentiam vbi eſt: quæ quidem operatio, cum intrinſecè orìatur, & dependeat ab habitu vitioſo, nequit non eſſe intrinſecè vitioſa, & mala.

Secunda ratio. 7. Secundò probatur concluſio alia ratione. Actus immanentes aliarum potentiarum, v. g. appetitus ſenſitiui, quoties procedunt ex libera motione voluntatis, habent libertatem intrinſecam à voluntate participatam: ergo poſſunt habere intrinſecam malitiam deriuatam à malitia ipſius voluntatis. Conſequentia liquet. Quoniam proprium ſubiectum malitiæ & moralitatis eſt actus humanus in quantum voluntarius, & liber: atque adeò vbi libertas fuerit intrinſeca, erit etiam intrinſeca malitia. Hac enim ratione ponitur intrinſecè in actibus elicitis voluntatis, quia ſunt intrinſece liberi. Deinde, nam eo modo, quo aliquis actus eſt liber, eſt regulabilis per rationem, ac proinde capax deordinationis, vel adæquationis cum illa: igitur eodem modo erit capax malitiæ, aut bonitatis, quæ in prædicta deordinatione, vel adæquatione conſiſtunt.

Antecedens verò probatur animaduertendo, quod dum appetitus (idem eſt de intellectu) operatur ex motione libera voluntatis; talis operatio dicit intrinſecum reſpectum ad appetitum non modo conſideratum ſecundum ſe, ſed etiam prout motum à voluntate, & conſequenter ad voluntatem ipſam vt libere mouentem: cum enim actus immanens intrinſecè reſpiciat ſuum principium, oportet, vt ſecundum omnes rationes principij, à quo procedit, dentur in illo habitudines, & reſpectus intrinſeci ad tale principium: vbi autem appetitus operatur ex motione voluntatis, non tantum ipſe appetitus, ſed etiam voluntas vt libera eſt principium talis operationis: debet igitur ad vtrunque importare habitudinem, & reſpectum intrinſecum. ❡ Hinc ſequens conficitur probatio. Quicunque actus immanens dicit habitudinem ad voluntatem vt liberam, conſtituitur formaliter liber per talem habitudinem, atque adeò ſi habitudo fuerit intrinſeca, liber erit intrinſece: ſed actus appetitus ſenſitiui procedentes ex motione libera voluntatis, important ad illam prædictam habitudinem intrinſecam: ergo conſtituuntur per illam liberi intrinſece. Minor conſtat ex notabili præſuppoſito; & maior ſuadetur: illa habitudo ſpecificatur à principio libero ſub ratione liberi, ſcilicet à voluntate vt libere mouente: à principio autem libero vt libero non ſumitur niſi ſpecies libertatis. Tum etiam, nam eo ipſo quod prædicta habitudo ſit ad principium ſub ratione liberi, extrahit actum in quo eſt à linea neceſſarij: quia actus neceſſarius non reſpicit principium liberum vt liberum: igitur conſtituit illum in ratione liberi. Tum denique, nam ex vi talis habitudinis actus ille ſubiicitur voluntati; manétque quantum ad *exerceri*, vel non *exerceri* ſub eius poteſtate, & dominio: at libertas nihil aliud importat, quam huiuſmodi dominium, & ſubjectionem: ergo, &c.

8. Sed objicies: ſequitur ex hac ratione omnes actus etiam pure paternos, qui fiunt à nobis ex motione voluntatis, eſſe intrinſece liberos: hoc autem aperte eſt falſum, aliàs in omnibus eſſet bonitas, vel malitia intrinſeca; cuius oppoſitum ſequenti concluſione ſtatuemus: ergo prædicta ratio, quia nimium probat, non eſt efficax. Sequela probatur: quia omnes prædicti actus procedunt à principio libero, ac proinde important ad illum habitudinem, non ſecus atque actus appetitus, & intellectus: ergo. ❡ Et confirmatur: nam eadem ratione probaretur, reperiri libertatem in omnibus rebus à Deo ad extra productis, ſiquidem omnes dependent ab eis voluntate vt libere agente, debéntque proinde importare prædictum reſpectum ad principium liberum: ſed hoc eſt abſurdum: ergo. *Obiectio.*

Reſpondetur negando ſequelam. Non enim quicunque reſpectus ad principium liberum conſtituit libertatem, ſed debet eſſe per modum operationis, & exercitij actualis manentis per ſe in eadem potentia, aut ſaltem in eodem ſuppoſito, vbi eſt tale principium. Et ratio eſt, quia vt diximus in tract. de voluntario diſp. 3. num. 23. libertas actualis eſt quidam modus voluntarij: ſupponens illud, tanquam ſubiectum, quod afficit, & modificat: vnde quod non fuerit intrinſece voluntarium, nequit eſſe intrinſece liberum. Porro voluntarium non dicitur quidquid quomodolibet à voluntate procedit, ſed quod procedit tanquam operatio intrinſeca, ſiue coniuncta: nam voluntarium diffinitur, *quod eſt ab intrinſeco*, &c. Quidquid ergo ita procedit ſiue eliciriuè ſiue imperatiuè, vt ſit propriè & formaliter operatio eidem principio, à quo procedit, coniuncta, hoc dumtaxat poterit eſſe liberum intrinſece, & habitudo eius ad tale principium, erit intrinſece libertas. Huiuſmodi ſunt actus immanentes intellectus, & appetitus: ſiquidem ex vna parte ſunt verè, & propriè actiones: & ex alia per ſe poſtulant manere in eadem potentia, vel ſuppoſito, atque adeò coniunctæ voluntati. Cæterùm motus membrorum externorum non ſunt propriè operationes; ſed effectus, & termini actionum potentiarum immanentium, à quibus mouentur prædicta membra. Et admiſſo dari in ipſis membris virtutem elicitiuam alicuius veræ actionis, talis actio non eſt immanens, neque petit manere coniuncta principio voluntario; *Diluitur.*

Digitized by Google

voluntario; ſed tranſit in paſſum, ſicut reliquæ actiones tranſeuntes. Unde cum nullum ex his motibus, vel actionibus ſit intrinſece voluntarium, ſeu à principio intrinſeco, neque etiam poteſt eſſe liberum intrinſece: neque aliqua eius habitudo intrinſeca ad principium liberum poteſt eſſe ipſa libertas: ſed ad ſummum erit fundamentum, vt denominetur extrinſece *liberum* à libertate actuum immanentium.

Per quod patet ad confirmationem. Nam effectus ad extra diuinæ voluntatis, eſto reſpiciant illam vt principium liberum, nequaquam tamen per modum actionis, neque vt principium intrinſecum, & coniunctum, à quo dumtaxat prouenire poteſt libertas intrinſeca, vt explicatum eſt.

§. II.

Duplex alia aſſertio pro abſoluenda difficultate.

Aſſertio ſecunda.

9. Dicendum eſt ſecundò potentias, quarum actus ſunt capaces malitiæ intrinſecæ, eſſe omnes immanentes, quæ ſubduntur dominio voluntatis: iſtæ verò ſunt appetitus ſenſitiuus, tam iraſcibilis, quam concupiſcibilis, intellectus, & ex ſenſibus internis ſaltem imaginatiua, cogitatiua, & memoria, ſiue reminiſcentia. Ita docent communiter authores relati pro concluſione præcedenti. Sumitúrque ex D. Thoma locis ibi citatis. Et probatur ex vtraque ratione hucuſque facta. Ex prima quidem, nam in omnibus iſtis potentiis ponuntur habitus vitioſi, vt in iraſcibili timiditas, iracundia, temeritas, &c. in concupiſcibili intemperantia, luxuria, auaritia, & alia: in intellectu imprudentia, ſtultitia, infidelitas, & huiuſmodi: ergo ſimiliter debent poni in omnibus illis actus intrinſece peccaminoſi eliciti à prædictis habitibus.

Suadetur ex prima ratione.

Quod autem etiam in illis tribus ſenſibus habeant locum ſimiles habitus, ſumitur ex D. Thoma ſupra quæſt. 56. art. 5. vbi ait: *Dicendum quod in viribus ſenſitiuis apprehenſiuis interius ponuntur aliqui habitus. Quod patet ex hoc præcipue, quod Philoſophus dicit in libro de memoria, quod in memorando vnum poſt aliud operatur conſuetudo, quæ eſt quaſi quædam natura. Nihil autem eſt aliud habitus conſuetudinalis, quam habitudo acquiſita per conſuetudinem.* Et quæſt. 50. art. 3. ad 3. *In ipſis interioribus virtutibus ſenſitiuis apprehenſiuis poſſunt poni aliqui habitus, ſecundum quos homo fit bene memoratiuus, vel cogitatiuus, vel imaginatiuus.* Et quamvis non loquatur de habitibus vitioſis, ſed potius de quibuſdam habitibus bonis reductiue pertinentibus ad genus virtutis: his tamen admiſſis, non eſt cur habitus vitioſi negari debeant: quia vbicunque poteſt eſſe habitus acquiſitus bonus, poteſt eſſe etiam malus, eo quod idem eſt ſubiectum contrariorum.

D. Thom.

Suadetur ex ſecunda.

10. Secunda quoque ratio militat in omnibus prædictis potentiis, quia omnes libere moueri à voluntate in aliquibus actibus, quamvis in aliquibus ei repugnent, nemo ambigit: experimur enim multoties nos non intelligere, niſi quæ volumus, neque concupiſcere, aut iraſci, niſi cum volumus, neque imaginari, cogitare, aut reminiſci, niſi quia volumus: quamvis ſæpe etiam oppoſitum experiamur. Imò eo ipſo quod in omnibus iſtis potentiis ſint habitus acquiſiti, vt nuper vidimus, oſtenditur omnes eſſe aptas obedire voluntati: quia vt docet D. Thom. citata quæſt. 50. art. 5. habitus acquiſitus ex propria ratione importat ordinem ad illam: & ideò dicitur, quod habitibus vtimur cum volumus. Nihil ergo deeſſe poteſt actibus (ſaltem quampluribus) omnium prædictarum potentiarum, quominus dicant intrinſecam habitudinem ad principium liberum vt liberum, & coniunctum, conſtituantúrque intrinſecè voluntarij, & liberi per talem habitudinem: atque adeò intrinſece recipiant bonitatem, aut malitiam moralem.

D.Thom.

Exceptio ſenſus communis.

Diximus in concluſione *ex ſenſibus internis ſaltem imaginatiua*, &c. ne includeremus, aut omnino excluderemus ſenſum communem: quia de illo non ita conſtat, an ſit ſubiectum habitus, & capax obedire voluntati. Pendet enim ex quæſtione illa philoſophica, an prædictus ſenſus communis neceſſario immutetur à ſenſationibus externorum, ita quod ſentientibus iſtis, neceſſario ſentiat, & non ſentientibus ſentire non poſſit? An verò habeat aliquas operationes ab eis independentes, ita vt in abſentia externorum ſenſibilium poſſit operari operatione perfecta? Si enim hoc poſterius dicatur, videtur quantum ad prædictas operationes concedenda illi ſubordinatio aliqua ad voluntatem, atque libertas intrinſeca ex illa participata: ſicut conceditur reliquis ſenſibus internis. Si autem primum aſſeratur, conſequenter neganda erit talis ſubordinatio & libertas: ſicut negatur ſenſibus externis, quibus quantum ad hoc debebit prædictus ſenſus annumerari. Et hæc pars proculdubio conſonat doctrinæ D. Thomæ locis citatis ex hac 1. 2. & aliis. De quo poſſunt videri Caiet. lib. 2. de anima cap. 15. & lib. 3. cap. 7. Complut. ibi diſp. 5. num. 26. & Bannez 1. p. quæſt. 78. art. 4.

D.Thom. Caiet. Complut. Bann.

Obiectio.

11. Sed objicies, quòd D. Thom. in nullo articulo huius quæſtionis, vbi ex profeſſo agit de ſubiecto peccati, meminit ſenſuum internorum; ſed dumtaxat voluntatis, ſenſualitatis, & intellectus: ergo ſentit in his tantum potentiis, non vero in illis reperiri peccatum formaliter, & intrinſece.

Enodatur.

Reſpondetur, D. Thomam loqui de ſubiecto peccati completiue, hoc eſt de illis potentiis, vbi peccatum, & malitia complete habetur; non autem de his, vbi ſolum inchoatur: quamvis hæc ipſa inchoatio ſit aliqua vera, & formalis malitia. Nam ſicut peccatum, quod eſt tale initiatiuè, reducitur ad id, quod eſt tale completiuè, vt volitio ſimplex furandi ad intentionem, vel electionem, volitio omittendi ad omiſſionem, &c. neque ponunt in numero vnum cum altero: ita ſubiectum, vbi aliquod peccatum inchoatur, reducitur ad ſubiectum, vbi conſummatiuè habetur, & propterea de hoc ſolùm conſueuit fieri mentio per ſe. Unde quia peccata, quæ poſſunt eſſe in ſenſibus internis, non conſummantur in illis, ſed in intellectu, quò tendunt; conſiſtit enim eorum deordinatio in eo quòd inducunt ad errorem, & ignorantiam, quæ ſicut & ve-

ritas

Digitized by Google

ritas in ſolo intellectu complete habentur: ideò ſatis fuit de ipſo intellectu quærere *an ſit ſubiectum peccati?* vt ſubintelligerentur prædicti ſenſus, qui quantum ad hoc ad intellectum reducuntur. Congruítque hæc expoſitio doctrinæ D. Thom. ſupra art. 5. citato quæſt. 56. vbi poſtquam conceſſit generari in ſenſibus internis aliquos habitus ad rectè memorandum, cogitandum, &c. ait *eos non eſſe habitus per ſe, ſed aliquid annexum habitibus intellectiuæ partis.* Et hac ratione excludit illos ab eſſe virtutis, quamvis re vera ſint habitus de genere boni: nam *oportet* (inquit) *quod virtus ſit in illa potentia, quæ eſt conſummatiua boni operis: cognitio autem veri non conſummatur in viribus ſenſitiuis apprehenſiuis, ſed huiuſmodi vires ſunt quaſi præparatoriæ ad cognitionem intellectiuam: ideo in huiuſmodi viribus non ſunt virtutes, quibus cognoſcitur verum, ſed magis in intellectu, vel ratione.* Idem ergo proportione ſeruata de contrariis peccatis & vitiis, de eorúmque ſubiecto dicendum eſt.

D.Thom.

Vltima aſſertio.

12. Sit tertia concluſio. Neque in membris corporis, manu, lingua, &c. neque in ſenſibus externis, aut in aliqua alia potentia præter enumeratas ſubiectatur intrinſece, & formaliter peccatum: dicentur tamen illorum inordinati motus *peccata* extrinſece, quoties à voluntate imperantur, vel ſaltem in cauſa ſunt liberi. In hac concluſione conueniunt omnes diſcipuli D.Thomæ citati num. 3. nec non Curiel, & Aluar. quos referemus num. 16. Durand. in 2. diſt. 42. quæſt. 1. Ricard. ibidem quæſt. etiam 1. Gabriel quæſt. vnica art. 1. & alij. Eſtque expreſſa ſententia Ang. Doctoris in præſenti art. 2. vbi in corpore docet, eas tantùm potentias poſſe eſſe ſubiectum peccati, quæ ſunt principia voluntarij actus, poſſuntque moueri ad ſuos actus, & ab eis reprimi per voluntatem. (Quod in ſolutione ad 3. negat membris corporis, eo quòd *non ſunt principia actuum, ſed ſolum organa, quæ aguntur, ſed non agunt.*) Subditque S. Doctor. *& eadem etiam potentiæ ſunt ſubiecta habituum moralium bonorum vel malorum, quia eiuſdem eſt actus, & habitus.* Porro totum hoc non convenire neque externis ſenſibus, neque membris docuit ſupra quæſt. 50. art. 3. ad 2. vbi poſtquam dixit, vires interiores tam appetitivas, quàm apprehenſiuas ſuſceptiuas eſſe habituum: *quia mouentur ad operandum ex imperio rationis*, ſubdit: *vires autem apprehenſiuæ exteriores vt viſus, & auditus, & huiuſmodi non ſunt ſuſceptiuæ aliquorum habituum, ſed ſecundum diſpoſitionem ſuæ naturæ ordinantur ad actus determinatos: ſicut & membra corporis, in quibus non ſunt habitus, ſed magis in viribus imperantibus motum ipſorum.*

Curiel. Aluar. Durand. Ricard. Gabriel. D.Thom.

Eius ratio.

Probatur concluſio ratione. Nullus ex prædictis motibus, vel actibus eſt intrinſece liber, aut voluntarius: ergo neque intrinſece bonus, vel malus moraliter. Conſequentia liquet: nam vt repetit multoties D. Thom. maximè verò in præſenti art. 1. & 2. moralitas conuenit actibus, quatenus ſunt voluntarij, & liberi, atque adeo tunc ſolum erit eis intrinſeca, quando fuerit intrinſeca ipſa libertas, vel ſaltem ratio voluntarij. Animus autem quoad motus membrorum ſuadetur. Tùm quia tales motus non ſunt propriè actiones, ſed præciſe effectus, & termini actionum immanentium: non enim prædicta membra agunt, & mouent adhuc mota, ſed mouentur dumtaxat ad imperium voluntatis: ſubiectum autem voluntarietatis, & libertatis (ſi ſemel eſt poſitiuum) debet eſſe verè & propriè operatio, quæ eſt exercitium immediatum potentiæ actiuæ; & non tamen effectus, & terminus talis operationis, vt in tract. de voluntario ſtatim in principio ex communi ſententia explicuimus. Tùm etiam, nam eſto in membris corporis ſit aliqua vis actiua, qua poſſint veram actionem elicere, hæc tamen virtus nequaquam erit immanens, ſed tranſiens, vt eſt per ſe notum, cuius proinde actio non ſubiectabitur in agente, ſed in paſſo, & ita nequit eſſe intrinſece voluntaria: quia voluntarium debet eſſe ab intrinſeco, atque adeò manens in eodem principio, à quo elicitur: ergo, &c.

D.Thom.

Potentiæ, quæ non ſuſcipiunt in ſe malitiam.

13. Quoad actus verò aliarum potentiarum facilius probatur: nam tales potentiæ non ſubduntur dominio voluntatis, niſi quantum ad applicationem materiæ, qua ſemel applicata, ſuapte natura ſunt determinatæ ad agendum, nec poteſt voluntas earum actus impedire: certum eſt autem, quod vbi non eſt dominium voluntatis, nulla eſt libertas: ergo, &c.

Si vero inquiras quæ ſunt iſtæ potentiæ? Reſpondetur eſſe omnes vires vegetatiuæ partis, nutritiuam, augmentatiuam, & ſimiles: omnes enim huiuſmodi potentiæ ſuppoſita materia circa quam operari poſſint, natura ſua ſunt determinatæ ad agendum, nec ſubeſt voluntati applicare eas ad operationem, vel ab operando retrahere. Idem dicendum eſt de ſenſibus externis: nam etiam eorum ſenſationes in præſentia ſenſibilium ſunt omnino neceſſariæ & ex vi naturæ. Unde totum dominium voluntatis ſiſtit in applicando, vel non applicando ſenſibilia ad ſenſus; vel ſenſus ad ſenſibilia: puta aperiendo, vel claudendo oculos, aures, &c. ſemel vero applicatis, velit, nolit, recipient ipſi ſenſus ſpecies à ſenſibilibus immiſſas, eliciéntque ſuas ſenſationes: & dum non applicantur, ſicut nullas recipient ſpecies, ita nihil ſentient, quantumcunque voluntas velit ſentire. De ſenſu communi quid dicendum ſit, tetigimus num. 10.

Prima obiectio.

14. Sed objicies: quia ſi actus iſtarum potentiarum non ſubiacent dominio voluntatis, non erunt adhuc extrinſece voluntarij, & liberi: quia de ratione cuiuſcunque liberi eſt, vt ſubſit tali dominio. Unde neque extrinſece poterunt *peccata* denominari. Hoc autem videtur falſum: nam multi actus ſenſuum externorum, vt viſio rei turpis, tactus, &c. prohibentur, & damnantur tanquam peccata iuxta illud Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, mœchatus eſt*: ergo, &c.

Matth. 5.

Soluitur.

Reſpondetur prædictos actus non denominari *liberos* aut *voluntarios in ſe* adhuc extrinſece, quia in ſe ipſis dum fiunt, non ſubiacent voluntati: poterunt tamen dici *liberi in cauſa*, quoties applicatio alicuius, ex quo dependent, illi ſubiacet. Sicut contingit in viſu, tactu, &c. Quamvis enim applicata materia, & potentia non impedita, vt apertis oculis coram viſibili, vel poſito ſupra tactum tangibili, neceſſario fiat ſenſatio; ipſa tamen appli-

catio obiecti, & potentiæ expeditio multoties eſt in noſtra poteſtate: & tunc ſenſationes, & effectus inde ſequuti poterunt dici *libera in cauſa*. Præſertim cum adeſt præceptum vitandi talem cauſam per ordinem ad ipſas ſenſationes, aut effectus. Unde quia ad ſuſcipiendam extrinſece peccati denominationem ſufficit libertas, & voluntarium in cauſa, vt explicuimus diſp. 5. dub. 6. idcirco nihil deeſt, quominus prædictæ ſenſationes, & earum effectus aliquando extrinſece *peccata* vocentur, & vt talia prohibeantur. Et idem contingit in multis aliis effectibus omnino neceſſariis, ſuppoſita cauſarum applicatione: vt cum propinato alicui veneno, neceſſario ſequitur mors, projecto lapide, ſequitur neceſſario percuſſio, &c. Sufficit enim ad hoc, vt tales effectus *peccata* dicantur denominatione extrinſeca, quod in cauſa ſint liberi, ſeu quod cauſa eorum libere applicata ſit, & voluntas non retractata, quamvis ſemel facta applicatione, non ſint amplius in noſtra poteſtate.

Alia obiectio. 15. Objicies ſecundò, quod potentia loco motiua, & potentia executiua ad extra ſubduntur dominio voluntatis, atque adeò nihil deeſt, quominus earum actus intrinſece ſint liberi, & peccaminoſi: ergo præter potentias recenſitas in ſecunda concluſione dantur aliæ, quæ ſunt ſubiectum peccati, & malitiæ intrinſecæ.

Enodatur. Reſpondetur negando conſequentiam. Potentia enim loco motiua, & executiua ad extra, ſicut in brutis non diſtinguitur realiter ab æſtimatiua, & appetitu, ita in nobis & in Angelis non differt à voluntate, & intellectu; ſed ipſamet operatio intellectus à voluntate moti, quæ formaliter eſt immanens, & intrinſece libera, eſt virtualiter tranſiens, producitque ſine noua alia actione motum localem, & omnes externas executiones non tanquam actiones, ſed præciſe tanquam motus, & effectus. Quod ſi tales motus & executiones aliquam actionem à priori illa diſtinctam inuoluant, nequaquam talis actio erit immanens, ſed tranſiens formaliter iuxta dicta num. 12. Et ideo ſolum extrinſece poterit denominari *voluntaria* & *peccatum*, ſicut dictum eſt de ipſis motibus omnino externis, qui præciſe ſunt effectus.

§. III.

Sententia oppoſita primæ, & ſecundæ aſſertioni.

Curiel. Aluar. 16. Contra primam, & ſecundam aſſertionem ſentiunt Curiel in præſenti art. 2. Aluarez diſp. 138. & alij, qui ſolis actibus à voluntate elicitis concedunt malitiam formalem intrinſecam; cæteris verò etiam ſi ſint intellectus, & appetitus ſenſitiui, illam negant: aiúntque ſolum denominari *peccata* extrinſece à malitia exiſtente in actu voluntatis. Durand. Ricard. Gabriel. Okam. Refert pro hac ſententia Curiel Durandum in 2. diſt. 42. quæſt. 1. Ricard. Gabriel. & Okam. Sed omnes loquuntur de actibus omnino externis, & ſolum intendunt quod diximus in tertia aſſertione; primæ verò & ſecundæ non refragantur. D. Thom. *Primum argumentum.* Arguitur primò ex D. Thoma in præſenti art. 1. vbi ait eſſe de ratione peccati, qua ratione peccatum & voluntarium eſt, quod in voluntate ſubiectetur. Et licet locutio videatur indiffinita, ratio tamen articuli conuincit intelligendam eſſe vniuerſaliter de omni peccato: nam id probat D. Thom. quia cum peccatum ſit actus immanens voluntarius, illa potentia debet eſſe eius ſubiectum, quæ fuerit principium: voluntarium enim manet in principio, à quo elicitur, quia debet eſſe ab intrinſeco: principium autem voluntarij eſt voluntas: ergo, &c. Hæc ratio, vt conſtat, vniuerſalis eſt pro omnibus peccatis, ſicut omnia ſunt voluntaria: ex qua ſic formatur argumentum. Omne peccatum quantum ad rationem voluntarij, & malitiæ ſubiectatur intrinſece in voluntate: ergo in intellectu, aut appetitu ſenſitiuo: repugnat enim, quod vna, & eadem malitia intrinſece ſit in voluntate, & ſimul in alia potentia à voluntate diſtincta.

Confirmatur. Nam vel ibi eſt vna tantum numero malitia, vel duplex? Si vna, maniſeſte repugnat ſubiectari intrinſece in duabus potentiis: ſicut quod idem numero accidens ſit in ſubiectis realiter diſtinctis. Si autem duplex, conſequenter erunt duo peccata, vnumquodque ſua malitia conſtitutum, ex quibus vnum tantum erit in voluntate, illud nimirum, cuius malitia in ea exiſtit: aliud verò, cuius malitia exiſtit in appetitu, ſubiectabitur in illo, & non in voluntate, atque ita non erit vniuerſaliter vera doctrina D. Thomæ, quod omne peccatum eſt in voluntate tanquam in ſubiecto. *Confirmatio.*

17. Huic argumento eſt prima ſolutio ex Conrado & aliis, concluſionem primi articuli D. Thomæ intelligendam eſſe indefinitè: & ideo non eſſe inconueniens, quod aliqua peccata etiam quantum ad formalem malitiam non ſubiectentur immediatè in voluntate, dummodo aliqua in illa ſubiectentur. Neque argumentum ita vrget contra hanc ſolutionem, vt non poſſit probabiliter defendi. Nam dici poſſet rationem illam, quod voluntas eſt principium actus voluntarij, & ſic debet etiam eſſe ſubiectum (loquendo de principio proximo, quod dumtaxat cum ſubiecto coincidit) non eſſe abſolute vniuerſalem, ſed tantum reſpectu illorum actuum, qui à voluntate immediate eliciuntur. Unde non comprehendit eos, qui eliciuntur ab appetitu ſenſitiuo, vel ab intellectu, etiam ſi ſint voluntarij: quia ſicut principium proximum iſtorum non eſt voluntas, ſed appetitus vel intellectus motus ab illa, ita ſubiectum immediatum debet eſſe ipſe appetitus vel intellectus, non autem voluntas. *Prima ſolutio.* Conrad.

Secundò & melius reſpondetur cum Caietano non eſſe inconueniens, quod idem numero peccatum, ſecundum diuerſas rationes vel partes ſubiectetur intrinſece in diuerſis potentiis. Unde illúdmet peccatum, quod ſecundum vnam rationem eſt intrinſece in appetitu ſenſitiuo, vel intellectu, poteſt ſecundum aliam ſubiectari in voluntate etiam intrinſece. Hácque ratione verificabitur vniuerſaliter concluſio primi articuli, quod omne peccatum (ſaltem quando eſt liberum ſimpliciter) ſubiectatur in voluntate: & indiffinitè concluſio ſecundi: nempe quod aliqua peccata ſubiectentur in appetitu, & in aliis potentiis. Quod non ita eſt intelligendum, quaſi *Melior ſolutio.* Caiet.

Digitized by Google

quaſi ratio ſecundum quam prædictum peccatum eſt in voluntate, ſit tota formalis malitia; ratio verò ſecundum quam eſt in appetitu ſenſitiuo v. g. ſit ſola entitas actus, quæ materialiter ſe habet in peccato, ſuſcipitque à malitia denominationem. Nam hoc modo etiam poſſet poni peccatum in membris externis, quorum motus denominantur à malitia actuum voluntatis: & nihilominus quia in eis non eſt malitia intrinſeca, negat D. Thom. in præſenti art. 2. ad 3. prædicta membra eſſe ſubiectum peccati. Sed ſenſus eſt, quod de ipſa formali malitia aliquid ſit intrinſece in actu voluntatis, & aliquid etiam intrinſece in actu appetitus. Juxta quod ſemper ſaluatur omnia peccata, etiam quæ ſunt intrinſece in aliis potentiis, ſubiectari in voluntate; non quidem adæquatè ſecundum totam malitiam, ſed inadæquatè & ſecundum partem. Imò quia pars illa malitiæ, quæ in voluntate reſidet, primariò & principaliter ſe habet in peccato, quæ autem ad appetitum tranſit, habet ſe minus principaliter, poteſt dici, omne peccatum eſſe in ſola voluntate principaliter & primariò: ſine eo quod neget eſſe intrinſece in aliis potentiis; minus tamen principaliter, & quaſi ſecundariò. Qua diſtinctione vtitur Caiet. in præſenti art. 1.

D. Thom.

Caiet

Additio ex Monteſ.

18. Addit verò Monteſ. poſſe dici, quod omne peccatum eſt in voluntate formaliter, & in aliis potentiis ſolum materialiter: non quia in iſtis non ſit aliqua formalis malitia intrinſeca; ſed quia hæc ipſa malitia comparata ad illam, quæ reſidet in actu voluntatis, habet ſe ſicut materiale ad formale: nam actus voluntatis ſe habet vt imperans; actus verò aliarum potentiarum vt imperati: vnde quia imperatum ad imperium comparatur ſicut materia ad formam, ideo malitia actus voluntatis poteſt dici formalis, & malitia aliorum actuum materialis: & conſequenter peccatum per vtranque malitiam conſtitutum poteſt dici ſubiectari formaliter in ſola voluntate; in reliquis autem potentiis ſolùm materialiter. Vide quæ diximus in tract. de bonit. & malit. diſp. 6. dub. 4. vbi doctrinam huius additionis latiùs explicuimus.

Soluitur confirmatio.

Ad confirmationem reſpondetur, eſſe ibi duas malitias realiter diſtinctas metaphyſicè loquendo: negamus tamen eſſe abſolutè dicendum *duo peccata*: nam ſicut iuxta doctrinam D. Thomæ ſupra quæſt. 17. art. 4. ex imperio & actu imperato moraliter fit vnus numero actus, licèt in eſſe phyſico differant realiter, ita ex eorum malitiis quantumvis metaphyſicè re ipſa diſtinctis, fit moraliter vnum peccatum numero. Et de huiuſmodi peccato ſic moraliter conſtituto verificatur, quod ſit intrinſecè in appetitu, & in voluntate non adæquatè, ſed inadæquatè, vt diximus. Cuius rei exemplum debent adverſarij admittere, ſiquidem nullus eorum dubitat intentionem finis v. g. furandi, & electionem medij ad talem finem eſſe actus realiter diſtinctos, haberéque vnumquemque ſuam intrinſecam malitiam: ſiquidem vterque eſt actus à voluntate elicitus, voluntarius, & liber intrinſecè, atque adeò habere debent malitias realiter diſtinctas: & tamen nemo diceret eſſe ibi abſolutè duo peccata: ſufficit enim, quod prædicti actus, & eorum malitiæ ad eumdem finem intrinſecum tendant, vnúſque ab alio deriuetur vt moraliter idemmet actus, & idem numero peccatum iudicentur: ita ergo in noſtro caſu.

Secundum argumentum.

19. Secundò arguitur ex eodem D. Thoma ſupra quæſt. 20. art. 3. vbi docet, actus exteriores (nomine actus exterioris apud D. Thomam intelligitur quicumque à voluntate imperatur, ſiue ſit intellectus, ſiue appetitus, &c.) non habere diſtinctam bonitatem, vel malitiam formalem ab ea quæ eſt in actu voluntatis. Et cum poſuiſſet tertium argumentum, quod bonitas vel malitia actus externi cauſatur ab interiori, atque adeò debet eſſe alia numero, aliàs idem cauſaret ſe ipſum, reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod quando aliquid de vno deriuatur in alterum ſicut ex cauſa agente vniuoca, tunc aliud eſt quod eſt in vtroque: ſicut cum calidum calefacit, alius numero eſt calor calefacientis, & calor calefacti, licet idem ſpecie. Sed quando aliquid deriuatur ab vno in alterum ſecundum analogiam vel proportionem, tunc eſt tantum vnum numero, ſicut à ſano quod eſt in corpore animalis, deriuatur ſanum ad medicinam, & vrinam: nec alia ſanitas eſt medicinæ aut vrinæ; quam ſanitas animalis, quam medicina facit, & vrina ſignificat: & hoc modo à bonitate voluntatis* (idem eſt de malitia) *deriuatur bonitas actus exterioris, & è conuerſo, ſcilicet ſecundum ordinem vnius ad alterum.*

D. Thom.

Ex quibus verbis, & exemplo vrget contra nos in hunc modum Curiel. Quando aliquid dicitur tale ex ordine ad aliud, ſolùm dicitur denominatiuè, & extrinſecè, non quia intrinſecè in ſe ipſo tale ſit: ſed actus appetitus ſenſitiui v. g. ſolum dicitur *formaliter malus* ex ordine ad actum voluntatis, à quo procedit: igitur ſolum dicitur *malus* extrinſecè à malitia prædicti actus voluntatis. Maior probatur: nam quod habet aliquid intrinſecè in ſe, ſecundum ſe ipſum dicitur tale, non ex ordine ad aliud: ergo quod ſolum dicitur ex ordine ad aliud, non denominatur ab aliquo quod habet in ſe.

Curiel.

Confirm.

Et poteſt confirmari (ait Curiel) alia ratione, quam tangit D. Thom. ſcilicet quæ ſola attributione, & analogia vnius ad alterum dicuntur talia, non denominantur à forma ſibi inhærente, ſed à forma, quæ eſt in principali analogato: vt patet in denominatione *ſani* reſpectu medicinæ, & vrinæ: nam iſtæ non dicuntur *ſana* à ſanitate, quam in ſe formaliter habeant, ſed à ſanitate animalis, cum quo prædicta analogia analogantur: cum ergo actus exterior denominetur *malus* per analogiam, & attributionem ad interiorem, ſit talem denominationem non eſſe intrinſecam, neque ſumi à forma, vel malitia ipſi externo actui inhærente, ſed à malitia inhærente actui interiori. Nec minus clarè videtur loqui Ang. Doctor in fauorem huius ſententiæ art. 4. illius quæſtionis, vbi docet actum externum non addere bonitatem aut malitiam formalem ſuper internum efficacem: quòd verum eſſe non poſſet, ſi ipſe actus externus haberet intrinſecam malitiam diſtinctam à malitia interna:

D. Thom.

nam quodcumque finitum per additionem partium eiuſdem rationis additur maius : ergo, &c.

Prima reſponſio.

20. Reſpondetur primo hoc argumentum (quo conuictos credimus Curielem, & Aluar. vt ſuam ſententiam D. Thomæ eſſe arbitrarentur) ſolùm probare tertiam noſtram aſſertionem, vbi diximus actus ſeu motus membrorum externorum non habere in ſe ipſis malitiam formalem : nam D. Thom. tota illa quæſtione 20. ſolum agit de huiuſmodi motibus & actibus omnino externis : neque comprehendere potuit actus immanentes intellectus,& appetitus ſenſitiui : licet enim huiuſmodi actus in comparatione ad actum imperantem voluntatis poſſint dici *externi*, ſicut electio poteſt dici actus exterior reſpectu intentionis : & modo iſto loquendi non ſemel vtatur D. Thom. vt in tract. de bonit. & malit. diſp. 6. dub. 4. explicuimus : in collatione tamen ad motus membrorum externorum verè ſunt actus interni : imo abſolutè loquendo poſſunt ſic appellari, ſiquidem manent in intellectu, & appetitu, quæ abſolutè ſunt potentiæ internæ. Unde non oportet quod vbicumque de actibus externis ſermo eſt, prædicti actus immanentes ſub eo nomine comprehendantur.

21. Et ſane non fuiſſe comprehenſos à D. Thoma loco allegato, ſuaderi poteſt, tum ex exemplis quæ adducit : nuſquam enim in tota illa quæſtione 20. apponit exemplum actus externi in actibus intellectus uel appetitus, aut horum mentionem facit, cum tamen fere in ſingulis articulis exemplificet in actibus membrorum, vt in occiſione, in prædicatione, in deambulatione, & ſimilibus motibus omnino externis. Tum etiam, quia ſi attendatur ordo doctrinæ, quem circa actus humanos, corúmque bonitatem, & malitiam S.Doctor obſeruat, ſatis conſtabit, ſolos actus omnino externos pertinere poſſe ad illam quæſtionem. Nam de actibus intellectus ſufficienter dixerat vna cum actibus voluntatis quæſtione 19. De actibus verò appetitus ſenſitiui acturus erat quæſtione 22. & deinceps, vbi tractat de animi paſſionibus, quæ ſunt huiuſmodi actus : de quarum bonitate, & malitia morali agit quæſtione 24. per totam, ibique non pauca reperies, quæ noſtram ſecundam aſſertionem confirmant, præſertim art. 1. & 2. & 4. Cum ergo de actibus membrorum externorum non alibi ex profeſſo tractet, niſi dicta quæſtione 20. vtaturque per totam illam nomine *actus externi*, plane liquet voluiſſe comprehendere ſub iſto nomine ſolos actus prædictorum membrorum, qui ab omnibus abſolutè *externi* vocantur.

Adde quod in art. 3. eiuſdem quæſt. vocat *actus interiores* omnes, qui ſunt à potentiis internis ſiue cognoſcitiuis ſiue appetitiuis; *exteriores* verò illos tantum, qui ſunt à potentia exterius exequente motum. Et ideo in argumento primo ita loquitur. *Actus interioris principium eſt vis animæ interior apprehenſiua vel appetitiua : actus autem exterioris principium eſt potentia exequens motum*, &c. Et in ſecundo argumento expreſſe dicit, actum virtutis intellectualis eſſe actum interiorem, quia tam actus, quam virtus ſunt in potentia immanente. Neque in ſolutionibus huic doctrinæ contradicit, ſed eam admittens, ſoluit alia via argumenta, vt legenti conſtabit.

D.Thom.

§. IV.

Eiuſdem ſecundi argumenti alia ſolutio.

22. VErum quia prædicta doctrina Ang. Doctoris, etiam ſi nomine *actus exterioris* intelligerentur omnes; quos aduerſarij volunt (quod non concedimus) habet congruam explicationem, reſpondetur ſecundo ad idem argumentum, non poſſe ſufficienter colligi ex aliquo articulo illius quæſtionis, quod D. Thom. excludat ab actibus externis omnem malitiam formalem intrinſecam quamvis neget illis malitiam formalem, quæ a voluntate non deſcendat; & quæ moraliter conſtituat peccatum diſtinctum ab eo, quod eſt in voluntate. Pro quo nota, argumentum contra nos factum inniti tribus propoſitionibus, quæ habentur in prædicta quæſtione, & ingerunt in hac re difficultatem. Prima propoſitio eſt, quod loquendo de bonitate, vel malitia conueniente noſtris actibus ex ordine ad finem, & ex voluntatis participatione (quæ ſine dubio eſt bonitas vel malitia formalis) eadem omnino eſt reſpectu actus voluntatis; & reſpectu actus exterioris. Ita aſſeritur art. 3. in corpore. Secunda eſt, quod deriuatio bonitatis vel malitiæ ex actu voluntatis in actum exteriorem, non eſt ſicut ex cauſa agente vniuoca, ſed ſecundum analogiam, vel proportionem : ſicut à ſano, quod eſt in animali, deriuatur ſanum ad medicinam, & vrinam, abſque eo quod ibi ſit niſi vna numero ſanitas. Hæc habetur eodem articulo 3. ad 3. Tertia, quæ habetur articulo 4. eſt actum exteriorem conſideratum quantum ad prædictam bonitatem, vel malitiam nihil addere ſupra bonitatem, vel malitiam actus voluntatis, niſi ipſe actus voluntatis in ſe ipſo fiat melior, aut peior. His tribus propoſitionibus nititur tota vis argumenti, quas oportet proinde explicare.

Triplex propoſitio explicanda.

2 . Quantum ad primam ergo; bonitas, vel malitia vtriuſque actus dicitur eadem numero, non quia metaphyſice loquendo non cadat inter eas diſtinctio, ſed quia cum bonitas, vel malitia actus exterioris à bonitate aut malitia interioris deriuetur, ſitque eiuſdem rationis, & ex eodem ſpecificatiuo prouenienes, non ponit in numero cum illa, ſed reducitur ad eam, vt quædam ipſius participatio, & extenſio : & hac ratione non cenſentur abſolutè diuerſæ : quia ſicut vbi vnum eſt propter aliud, tantum dicitur eſſe vnum, ita vbi vnum reducitur ad aliud, vtrumque vnum cenſetur. Quod autem D. Thom. non maiorem vnitatem inter prædictas moralitates conſtituere voluerit, ex eo conſtat, quia art. 4. illius quæſtionis in ſolutione ad 3. expreſſe dicit bonitatem vel malitiam, quam habet actus voluntatis ex actu externo tanquam ex obiecto volito, non eſſe aliam à bonitate vel malitia conueniente ipſi actui externo ex materia, & circunſtantiis; & tamen hanc poſteriorem bonitatem vel malitiam intrinſecam eſſe actui exteriori, & illam priorem actui voluntatis, ac proinde diſtingui realiter inter ſe, fatetur Curiel, & debent tenere

Declaratur prima.

nere omnes D. Thomæ diſcipuli, quia prædicta bonitas, vel malitia actus externi eſt bonitas & malitia obiectiua conueniens illi antecedenter ad actum voluntatis, vt tradit D. Thom. art. 1. eiuſdem quæſt. ad quem ſe remittit: bonitas verò vel malitia, quam inde deſumit actus voluntatis, eſt bonitas vel malitia formalis intrinſece afficiens talem actum: neque enim negari poteſt, quod cum actus voluntatis habet pro obiecto actum exteriorem ex materia bonum vel malum, capiet à tali obiecto intrinſecam bonitatem vel malitiam. Sicut ergo vtraque hæc malitia obiectiua, & formalis dicitur eadem, negaturque inter eas diſtinctio, non quia metaphyſice non differant; ſed quia malitia formalis deriuatur ab obiectiua, & ad eam reducitur: ita malitia formalis deſumpta ex fine dicitur eadem numero in vtroque actu: quia quæ in actu exteriori inuenitur, deriuatur ab ea, quæ eſt in interiori, & ad ipſam reducitur; licet metaphyſice loquendo diſtinctio inter eas cadat.

Hoc idem colligitur ex ſolutione ad ſecundum articuli tertij, vbi dicitur, quod *recta ratio de fine virtutum* (moralium intellige) *non habet aliam bonitatem, quam bonitatem virtutis, ſecundum quod bonitas rationis participatur in qualibet virtute.* Certè negari non poteſt, quod bonitas, quam virtus moralis participat à ratione ſit ei intrinſeca, quandoquidem prædicta virtus conſtituitur eſſentialiter per talem bonitatem: & ſimiliter negari non poteſt, quod rationi ſit intrinſeca illa ſua rectitudo, cuius prædicta bonitas eſt participatio. Si namque in ipſa ratione non daretur aliqua rectitudo intrinſeca, non poſſent virtutes morales bonitatem ab ea participare. Quod ſi vtrobique ponitur rectitudo intrinſeca, neceſſario debent duæ bonitates ibi diſtingui. Et tamen quia virtus moralis à ratione deriuatur, & ad eam tanquam ad principium reducitur, dicit D. Thom. eſſe vnam, ſeu non diuerſam bonitatem vtriuſque. Sufficit ergo huiuſmodi vnitas per reductionem, vt bonitas interioris, & exterioris actus vna eſſe dicatur, etiam ſi vtrique ſit intrinſeca, & cum reali diſtinctione.

Exponitur ſecunda propoſitio.

24. Per quod manet explicata ſecunda propoſitio. Senſus enim eſt, quod quia bonitas vel malitia reſpectu actus exterioris deriuatur ab interiori, non ſicut à cauſa vniuoca, ſed ſecundum analogiam, non eſt æqualiter in vtroque actu, ſed in interiori primariò, & omnino per ſe; in exteriori verò ſecundario per modum participationis, & extenſionis: atque adeo vt aliquid non conſtituens ſecundum ſe propriam ſpeciem, & vnitatem, ſed pertinens reductiue ad ipſam vnitatem, & ſpeciem actus interioris. Neque exemplum de analogia *ſani* debet tenere in omnibus: ſed tenet in eo, quod quia ſecundaria analogata deriuantur à primo, illudque diminute participant, debent ad ipſum reduci: ſiue talis reductio ponat intrinſecam denominationem, vt in hoc exemplo: ſiue habitudinem intrinſecam, vt in caſu noſtræ aſſertionis: quod D. Thom. ibi non examinat.

25. Neque vrget contra hanc explicationem illud, quod in argumento adduximus ex Curiel: nempe *quando aliquid dicitur tale ex ordine ad aliud, ſolum dicitur denominatione extrinſeca*: nam oppoſitum poteſt inſtari innumeris exemplis actuum, habituum, & potentiarum, quæ id, quod ſunt, habent ex habitudine ad obiecta, & non ideo ſunt talia denominatione extrinſeca. Sufficit nobis pro exemplo ipſe interior actus voluntatis, cui fere omnes etiam authores contrariæ partis concedunt bonitatem vel malitiam intrinſecam; & tamen huiuſmodi bonitas vel malitia ſumitur ex ordine ad finem, qui eſt aliquid extrinſecum. Cuius ratio tam in hoc quam in aliis reſpectiuis cito occurrit. Quoniam forma tribuens immediate prædictam denominationem, non eſt illud extrinſecum, quod reſpicitur, ſed habitudo ad ipſum, quæ intrinſece ineſt reſpicienti. Et hoc eſt quod dixit D. Thom. ſupra quæſt. 18. art. 4. ad 2. ibi: *Dicendum quod quamvis finis ſit cauſa extrinſeca, tamen debita proportio ad finem & relatio in ipſum inhæret actioni.* Sicut igitur in actu voluntatis prædicta denominatio eſt intrinſeca, quia ſumitur ab hac relatione tranſcendentali ſibi inhærente, & non immediate à termino extrinſeco: ſic in actibus appetitus, & intellectus denominatio *boni* vel *mali* ſumpta ex habitudine ad actum voluntatis, eſt denominatio intrinſeca: quia licet hic actus extrinſece ſe habeat reſpectu illorum, prædicta tamen habitudo intrinſece eos afficit. Unde falſo in probatione majoris aſſeritur, quod quando aliquid habet in ſe formam denominantem, non dicitur tale ex ordine ad aliud: nam ſi talis forma ſit ipſe ordo ad aliud, vt in præſenti contingit, oportet, vt eius primaria, & eſſentialis denominatio fiat ſecundum prædictum ordinem: & tamen ſit intrinſeca reſpectu ſubiecti, in quo eſt talis ordo.

D. Thom.

Diximus *reſpectu ſubiecti*, &c. quia ab aliqua forma reſpectiua duo poſſunt denominari: nempe ſubiectum reſpiciens, & terminus inſpectus: ſicut à viſione denominatur animal *videns*, & paries *viſus*: & prima denominatio eſt intrinſeca, ſecunda verò extrinſeca: quia prædicta forma reſpectiua ſubiectum afficit intrinſece per inhærentiam, & terminum extrinſece per reſpectum, ſeu terminationem.

Solutio confirmationis.

26. Neque etiam vrget confirmatio adducta ex eodem Curiel: ſcilicet quod quæ per analogiam, & attributionem vnius ad aliud dicuntur talia, non denominantur à forma ſibi inhærente, ſed à forma exiſtente in principali analogato. Hoc enim verum eſt, ſi ibi ſolùm interuenerit analogia attributionis, iuxta quam omnia analogata ab vno principaliori immediate denominantur. Cæterum ſi hæc analogia ſecum afferat, vel ſupponat aliam, quæ eſt analogia proportionalitatis propriæ; quamvis non ex vi illius, ex vi tamen iſtius omnia analogata habent aliquid ſibi intrinſecum, licet inæqualiter eis impertitum, à quo intrinſecam denominationem ſortiuntur. Quod non ſemel contingere eſt ſatis notum: nam creaturæ analogantur cum Deo per attributionem in ratione entis, & in ratione veri, & in ratione boni: & ex vi huius analogiæ ſolùm extrinſece dicuntur *entia*, *vera*, & *bona*: nihilominus tamen; quia ſimul habent analogiam proportionalitatis propriæ, ſortiuntur ex vi iſtius propriam entitatem, veritatem, & bonitatem, à quibus intrinſece *entia*, *vera*, & *bona* denominantur. Actus ergo ſiue intellectus, ſiue appetitus

vtroque modo analogantur cum actu voluntatis in ratione boni, vel mali, & ideo quamvis ex vi vnius analogiæ denominentur ſolum extrinſece: ex vi alterius habent bonitatem, vel malitiam ſibi inhærentem, à qua intrinſece denominantur.

Exemplum de analogia ſani exponitur.

Neque prædictum exemplum de analogia ſani nobis efficit: tum quia ſufficit, quòd teneat in eo pro quo adducitur: hoc autem eſt, quod forma denominans in omnibus analogatis quodammodo ſit vna, & non conſtituat abſolutè plures ſpecies, ſiue talis vnitas ſit ita rigoroſa, vt excludat omnem diſtinctionem etiam partialem; ſiue tantùm ſit vnitas per reductionem, quæ prædictam diſtinctionem non excludit. Tùm etiam, quia adhuc in hoc exemplo poteſt attendi prædicta duplex analogia. Medicina enim v. g. & poteſt dici *ſana* à ſanitate exiſtente in animali, ad quam ordinatur, ita quòd non iſte ordo, ſed ipſa ſanitas animalis ſit forma immediate denominans. Et hoc pacto denominatio fit ſecundum analogiam attributionis, eſtque proinde extrinſeca. Et poteſt etiam denominari à virtute ſibi intrinſeca cauſatiua prædictæ ſanitatis animalis, ita vt non iſta ſanitas, ſed illa virtus (quæ non incongrue *ſanitas* dicitur) immediate denominet: & tunc denominatio fit ſecundum analogiam proportionalitatis propriæ, & eſt intrinſeca.

D. Thom.

27. Quam doctrinam ſumpſimus ex D. Thoma quæſt. 1. de verit. art. 4. vbi hoc exemplo explicat, qualiter res cognitæ ab intellectu dicantur *vera* vtroque genere analogiæ. *Denominantur* (inquit) *res veræ à veritate, quæ eſt in intellectu diuino vel humano, ſicut denominatur cibus ſanus à ſanitate, quæ eſt in animali, & non ſicut à forma inhærente* (en denominatio extrinſeca & analogia attributionis) *ſed à veritate quæ eſt in ipſa re, quæ nihil aliud eſt quàm entitas intellectui adæquata, vel intellectum ſibi adæquans, ſicut à forma inhærente: ſicut cibus denominatur ſanus à qualitate ſua, à quo ſanus dicitur*, &c. Ecce analogia proportionalitatis, & denominatio intrinſeca. Ratio vero eſt, quia analogia attributionis ſupponit pro fundamento intrinſecam habitudinem analogati minus principalis reſpectu principalioris, à quo cauſatur, ſeu deriuatur: & quia talis habitudo multoties adhuc in abſtracto ſortitur idem nomen ac forma ipſius principalioris analogati, poteſt tunc analogatum minus principale bis denominari eodem nomine: nempe & à prædicta forma: hæcque erit denominatio extrinſeca propria analogiæ attributionis: & à ſuamet habitudine: quæ erit denominatio intrinſeca propria analogiæ proportionalitatis.

Diximus, *multoties ſortitur idem nomen*, &c. quia non ſemper ita contingit: ſæpe enim habitudo analogati minus principalis, & quidquid in eo eſt intrinſecum, non meretur in abſtracto nomen formæ principalioris analogati. Quare tunc denominatio analogica tantùm eſt vna: nempe quæ ſumitur ab hac forma. Porro autem in exemplis adductis præcipuè in analogia boni vel mali moralis reſpectu actus voluntatis, intellectus, & appetitus prædicta habitudo ſecundariorum analogatorum habet quidquid requiritur, vt eis in abſtracto competat nomen bonitatis vel malitiæ non minus quàm formæ exiſtenti in analogato principali, qui eſt actus voluntatis: & ideo non ſolùm denominantur extrinſece *boni* vel *mali* à bonitate vel malitia iſtius, ſed etiam intrinſece ab habitudine ad ipſum.

28. Ex quo inferes pro maiori huius rei explicatione, quòd etſi D. Thom. dixiſſet actus externos (comprehendendo etiam actus intellectus, & appetitus ſenſitiui) denominari *bonos*, vel *malos* extrinſece à bonitate vel malitia internorum, adhuc non contradiceret doctrinæ hucuſque traditæ. *Illatio.* Tùm propter modo dicta, quia cum vna denominatione extrinſeca ex vi analogiæ proportionis, ſtat alia in intrinſeca ex vi analogiæ proportionalitatis. Tùm etiam quia extrinſeca denominatio habet latitudinem, & quædam eſt pure extrinſeca, quædam vero admiſcet aliquid formæ intrinſecæ. Quæcumque enim denominatio oritur à forma exiſtente in alio ſubiecto, poteſt non incongrue extrinſeca appellari. Porro hoc dupliciter poteſt contingere: vel ita quòd denominatio fiat per puram aſſiſtentiam talis formæ ſine aliquo reſpectu ex parte denominati ad illam: ſicut à viſione, quæ eſt in oculo, denominatur *viſus* paries ob nudam aſſiſtentiam, & terminationem; ſine eo quòd viſio cauſet aliquem reſpectum ad ſe in pariete. Vel quia ex prædicta aſſiſtentia conſurgit in re denominata aliqua habitudo ad formam: ſicut corpus dicitur *locatum* à loco, & homo *indutus* à veſte: nec tamen ibi eſt ſola aſſiſtentia vnius ad aliud, ſed ex aſſiſtentia loci conſurgit in re locata modus intrinſecus *vbicationis*, qui eſt commenſuratio locati cum loco: & ex adiacentia veſtis reſultat in re veſtita quædam habitudo ad illam, quæ conſtituit prædicamentum *habitus*. In priori ergo caſu denominatio eſt pure extrinſeca, quia nihil eſt ibi denominans niſi forma extrinſece aſſiſtens. At vero in poſteriori poteſt quidem dici extrinſeca, eo quòd originatur à prædicta forma: re vera tamen fit per aliquid intrinſecum, quia immediate denominans non eſt ipſa forma extrinſeca, ſed habitudo & modus ex ea reſultans, afficiens intrinſece rem denominatam. Hoc pacto D.Thom. opuſc. 58. tract. 6. cap. 1. & aliis locis ſex vltima prædicamenta appellat *extrinſecas denominationes*: quia licèt omnia illa importent ſuos modos intrinſecos: huiuſmodi tamen modi reſultant ex aſſiſtentia formæ extrinſecæ: vt *vbi* ex circunſcriptione loci, *quando* ex aſſiſtentia temporis, *habitus* ex adiacentia veſtis, & ſic de aliis. A quibus modis vt pote exiſtentibus in rebus denominatis denominationes deſumptæ nequeunt non eſſe intrinſecæ. Si quando ergo ipſe Ang. Doctor actus intellectus vel appetitus appellet *bonos* vel *malos extrinſece*, intelligendus erit hoc poſteriori modo, qui optime ſaluat doctrinam traditam in tota hac ſolutione.

29. Tertia denique propoſitio videlicet actum externum non addere bonitatem vel malitiam ſupra interiorem, explicatur ſicut prima: vnde ſenſus eſt, quod bonitas vel malitia proueniens ex fine actui exteriori, reducitur ad bonitatem vel malitiam interioris, & non ponit in numero cum illa, eo quòd ſunt eiuſdem rationis, & ab eodem ſpecificatiuo deſumptæ, conſtituuntque vnicam ſpeciem peccati. *Senſus tertiæ propoſitionis.*

peccati. Quò contra ſe habet bonitas vel malitia deſumpta ex obiecto & materia actus exterioris: quia cum hæc habeat diſtinctum ſpecificativum, ſitque alterius rationis & ſpeciei ab ea, quæ ſumitur ex fine, neutra reducitur ad aliam, ſed vtraque per ſe ponit in numero, conſtituitque ſuam propriam ſpeciem: & ideo quando vna iungitur alteri, non ſolùm metaphyſicè, ſed etiam moraliter cenſetur fieri illa additio. Per quæ patet ad omnia, quæ afferuntur in argumento. Cuius ſolutionem latius proſequuti ſumus, tum vt doctrinam illius quæſtionis 20. quæ aliquibus obſcura viſa eſt, explicaremus. Tum etiam quia dum cum Thomiſtis agimus, vellemus eis, quantum fieri poteſt, ſatisfacere.

§. V.

Reliqua argumenta contra eaſdem aſſertiones.

Tertium argumentum.

30. TErtiò arguitur. Si actus appetitus ſenſitiui v. g. procedénſque ex motione voluntatis, haberet malitiam intrinſecam, talis malitia ſæpe eſſet mortalis, & non tantum venialis: ſed in prædicto appetitu non poteſt eſſe malitia mortalis: ergo,&c. Maior conſtat,nam talis malitia moraliter loquendo eſt eiuſdem ſpeciei cum malitia voluntatis,à qua deſcendit, conſtituitque cum illa idem peccatum, vt ſæpe diximus: conſtat autem malitiam voluntatis ſæpe eſſe moralem: vt cum voluntas mouet appetitum ad actum luxuriæ, & ſimiles. Minor verò videtur eſſe D. Thomæ in præſenti art. 4. vbi docet, in ſenſualitate non poſſe eſſe peccatum mortale. Et reddit rationem, quia mortale peccatum importat deordinationem circa finem vltimum, averſionémque ab illo: ſicut autem referre, & ordinare ad finem vltimum non eſt ſenſualitatis, ſed voluntatis, & rationis, ita deordinari, & auerti ab illo.

Solutio.

Reſpondetur, conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem dicendum eſt,D.Thomam loqui de ſenſualitate ſecundum id dumtaxat quod habet ex ſe prout inuenitur in homine: & hoc modo negat reperiri in ea peccatum mortale. Non autem negat, quod dum actualiter à voluntate mouetur, recipiat in ſe mortalem malitiam deriuatam ex malitia voluntatis mediante illa motione. Sumitúrque hæc ſolutio ex eodem Ang.Doctore in ſolutione ad primum eiuſdem articuli, vbi ſic ait. *Actus ſenſualitatis poteſt concurrere ad peccatum mortale, ſed tamen actus peccati mortalis non habet quod ſit peccatum mortale ex eo quod eſt ſenſualitatis, ſed ex eo quod eſt rationis, cuius eſt ordinari ad finem, & ideo peccatum mortale non attribuitur ſenſualitati, ſed rationi.* Vbi, vt vides, non negat, ineſſe actui ſenſualitatis malitiam mortalem. Id quod argumentum, cuius eſt illa ſolutio, ſatis efficaciter conuincit. Sed ait, prædictam malitiam non eſſe attribuendam ſenſualitati, ſed rationi: quia licet ſit in ſenſualitate, non tamen ex propriis ipſius ſenſualitatis,ſed à ratione deriuata, & participata:vnumquodque autem debet attribui ſuo proprio, & fontali principio.

D. Thom.

Replica.

31. Sed vrgebis, neque malitiam venialem conuenire ſenſualitati ex ſe ipſa; alias reperiretur in brutis; ſed ex participatione rationis, à qua eſt tota libertas, & tota moralitas: & nihilominus quia prædicta malitia ineſt actui ſenſualitatis intrinſece, concedit abſolute D. Thom. quod ſit in ea peccatum veniale, vt conſtat ex articulo tertio: ergo cum abſolutè negat reperiri mortale, intelligendus eſt etiam ex participatione rationis: aliter nullum conſtituiſſet diſcrimen quantum ad hoc inter vtrumque peccatum. ¶ Ad hanc replicam conſtabit dubio ſequenti, vbi reddemus rationem quare ſenſualitas non quidem vt eſt communis hominibus, & brutis, ſed vt eſt propria ſenſualitas hominis, habeat ex ſe ipſa, hoc eſt, independenter ab actuali influxu, & motione voluntatis, ſufficientem vim ad peccandum venialiter, cum tamen malitiæ mortalis non ſit capax, niſi ex vi prædicti iufluxus.

Enodatur.

Ratio D. Thomæ in articulo quarto nobis non officit, quia ſolùm procedit de illa potentia,cui primariò & ex ſe conuenit malitia mortalis: nam in iſta potentia requiritur illa conditio, ſcilicet quod poſſit immediatè ordinari ad finem vltimum; & ab eo auerti; ſicut poteſt ſola voluntas. Cæterùm vt prædicta malitia ſecundariò & mediante voluntatis participatione ſit in appetitu ſenſitiuo, vel in aliqua alia potentia, ſufficit quod talis potentia attingat finem vltimum mediatè:ſiue (quod idem eſt) attingat obiectum per ſe connexum tanquàm medium neceſſarium cum tali fine. Quia deordinatio circa hoc obiectum neceſſariò trahit ſecum deordinationem, & auerſionem immediatam à prædicto fine. Et ſic vtraque deordinatio & auerſio eſt de linea mortalis;quamvis quæ eſt in voluntate primariò, & vt quid formalius; quæ verò eſt in appetitu ſecundariò, & vt aliquid minus formale, iuxta dicta num.17.& 18.

Argumentum vltimum.

32. Vltimò probatur. Nam appetitus ſenſitivus (idem eſt de intellectu) non habet libertatem intrinſecam, ſed eius actus dicuntur *liberi* à libertate voluntatis: ergo neque habere poteſt intrinſecam malitiam. Conſequentia apud nos eſt ſatis nota. Antecedens verò ſuadetur: quoniam potentiæ liberæ debet proponi obiectum cum indifferentia ad vtrumlibet: quæ propoſitio requirit iudicium vniuerſale, & indeterminatum: ſed appetitui ſenſitiuo non proponitur obiectum cum hac indifferentia: nam quidquid ei proponitur, ſit per apprehenſionem alicuius ſenſus,quæ ſemper eſt ad vnum ſingulare determinata, & ideò expers indifferentiæ, & vniuerſalitatis: ergo.

Reſponſio.

Ad hoc argumentum conſtat ex dictis à numero 7. quomodo potius ſit pro nobis, retorquendúmque in aduerſarios, Nam vt ibi oſtendimus, actus potentiarum immanentium, quoties dominio voluntatis immediate ſubiiciuntur, intrinſecè ſunt liberi. Ad probationem verò reſpondetur, ſufficere ad hanc libertatem, quod prædicti actus per habitudinem ſibi intrinſecam, reſpiciant voluntatem tanquam principium liberum præcipiens illos, poténſque prohibere. Quia cum talis reſpectus ſit ad principium liberum vt liberum, nequit non actum, in quo eſt, à linea neceſſarij extrahere, & liberum reddere. Et quamvis ad libertatem neceſſaria ſit iudicij indifferentia, non tamen requiritur, quod hæc indifferentia immediatè ſit reſpectu cuiuſlibet liberi

Digitized by Google

liberi : ſed ſufficit vt ſit reſpectu liberi principalis, quod eſt voluntas, à qua cætera ſiue habitus, ſiue actus, ſiue potentiæ libertatem participant. Non enim ideo hæc *libera* dicuntur, quia ipſa per ſe obiectum indifferenter attingant, ſed quia ſubduntur voluntati vt attingenti illud cum indifferentia : nam ratione huius ſubiectionis dicuntur ea quoque libere, & contingenter ſua obiecta attingere : quatenus ſic attingunt, vt in poteſtate voluntatis ſit, ipſa ab attingendo retrahere, vel in attingentia conſeruare : totumque hoc ratione prædictæ ſubiectionis intrinſece illa afficientis, vt magis explicabitur dubio ſequenti. Vide etiam quæ diximus in tract. de volunt. diſp. 2. num. 89. & 91.

Replica.

33. Sed vrgebis. Etiam membra externa important ordinem ſubiectionis ad voluntatem vt liberam, eſtque hic ordo eis intrinſecus : & tamen eorum actus non ſunt liberi intrinſece : ergo neque in aliis potentiis ſufficiet talis ſubiectio ad libertatem intrinſecam. Antecedens probatur : nam ſi prædicta membra non haberent illam ſubiectionem, non eſſet cur ad voluntatis nutum mouerentur, & à motu ceſſarent : aut ſaltem non eſſet cur potius ſequerentur imperium voluntatis, quàm appetitus ſenſitiui : cum tamen experientia conſtet, quod ratione aduertente, nunquam moueantur, quantumcumque appetitus id cupiat, niſi voluntas conſentiat : aliquid ergo acceperunt prædicta membra à natura ratione cuius ita obtemperent voluntati.

Diluitur.

Reſpondetur (quidquid ſit de antecedente) negando conſequentiam. Quia non quicumque ordo ad voluntatem, etiam vt liberam, ſufficit ad libertatem conſtituendam, ſed debet talis ordo fundari in potentia actiua, ſicut fundatur ordo appetitus & intellectus : principium enim liberum debet eſſe activum, & non paſſivum tantum, vt in tract. de volunt. diſp. 2. num. 32. explicuimus. Unde quia membra externa non ſunt principia actiua ſuorum motuum, ſed tantum paſſiua (vt docet D. Thom. 1. p. quæſt. 75. art. 3. ad. 3. & lib. 2. contra gentes cap. 82. ex eoque N. Complut. de anima diſp. 7. num. 29.) idcirco etiam ſi per aliquid intrinſecum voluntati ſubdantur, non ſunt capacia habendi in ſe ipſis libertatem, neque illam communicandi motibus in ſe receptis. Vide ſupra num. 8. vbi prædictis motibus ex eo negauimus libertatem intrinſecam, quia non ſunt veri actus, aut exercitia potentiæ actiuæ, ſed dumtaxat effectus. ¶ Diximus *quidquid ſit de antecedente* : quia dici poteſt, ordinem ſubiectionis membrorum externorum ad voluntatem non terminari ad eam formaliſſime vt liberam, ſed ad ipſam præciſe ſecundum ſe : & ideo eodem modo ad nutum eius efficacem mouerentur, ſiue libere, ſiue neceſſario illa ad motum applicaret.

D. Thom.
N. Complut.

§. VI.

Quæ obſtent tertiæ aſſertioni?

Scot.

34. Contra tertiam aſſertionem ſentit Scotus quod lib. 18. art. 3. vbi tenet actus omnino externos vt *furari*, *occidere*, &c. non denominari *peccata* à malitia actuum internorum, ſed in ſe ipſis habere illam intrinſece, & formaliter : atque adeò non in ſolis potentiis immanentibus, ſed etiam in membris externis, vbi ſunt prædicti actus, reperiri peccatum formaliter & intrinſece. Eamdémque ſententiam tueri Liquetum, Tartaretum, Baſolium, Rubionem, Radam, & alios Scotiſtas teſtatur illos ſequens Franciſcus Felix tract. de bonit. & malit. cap. 7. difficult. 1. Quibus ex parte ſubſcribit Vaſq. ſupra quæſt. 70. diſp. 73. cap. 5. vbi aſſerit prædictos actus eſſe formaliter malos primariò & per ſe, & non per ſolam denominationem à malitia internorum : exiſtimat enim hic author, motus externos non habere peccati rationem ex influxu voluntatis ; ſed ex diſconvenientia, quam dicunt ex ſe ipſis ad rationalem naturam, etiam pro ſigno antecedente ad voluntatis imperium, quæ eſt ſententia Scotiſtarum. Non tamen concedit ineſſe prædictis actibus malitiam intrinſecam : quia neque actibus voluntatis eam concedit, ſed totum genus morale ad extrinſecas denominationes reducit, in quo recedit ab Scotiſtis.

Liquet.
Tartaret.
Baſol.
Rubion.
Rad.
Franc. Felix.
Vaſq.

Primum argumentum contra tertiam aſſertionem.

Probatur horum ſententia primò ex diffinitione peccati *dictum, factum, vel concupitum*, &c. in qua denotatur non ſolùm interiores actus, & concupiſcentias, ſed etiam externa facta, & dicta eſſe formaliter peccata. Idem ſuadet communis diuiſio in *peccatum cordis*, *oris*, *& operis*, quam explicat D. Thom. ſupra quæſt. 72. art. 7.

Nec refert ſi dicas, quod licet omnia prædicta ſint formaliter peccata, non tamen ineſt omnibus malitia formalis, ſed ſolis actibus internis, à quibus externi denominationem *peccati* accipiunt. ¶ Contra enim eſt, quia tam in diffinitione, quam in diuiſione, actus externi diuiduntur contra internos in ratione peccati : non autem ſic diuiderentur, niſi haberent diſtinctas malitias : quia vbi eſt vna tantùm malitia, ſolùm eſt vnicum peccatum, atque adeò non eſt locus diuiſioni.

Vera ſolutio.

35. Reſpondetur admittendo omnia illa peccata habere diſtinctam malitiam : ſed negandum eſt per *peccata oris*, & *operis*, aut per *dicta*, vel *facta* intelligi ſolos actus externos, ſed vna cum actibus internis, à quibus imperantur, & in quibus malitia conſiſtit. Vnde ſenſus diffinitionis, & diuiſionis eſt ; quædam dari peccata pure interna, quæ in ſola voluntate, appetitu, vel intellectu ſiſtunt ; neque in opus ad extra prorumpunt : & hæc vocantur *peccata cordis*. Quædam verò, quæ tranſeunt vſque ad externa verba vel opera, & hæc, prout includunt tam actus interiores imperantes, quam exteriores imperatos, dicuntur *peccata oris* vel *operis*. Solutio eſt D. Thomæ citato art. 3. quæſtionis 72. ad 3. vbi cum argumentum eſſet, *non poteſt peccatum eſſe in ore vel opere, niſi fiat prius in corde : ergo iſta peccata non debent contra ſe diuidi* : reſpondet. *Dicendum quod peccatum cordis, & oris non diſtinguntur à peccato operis, quando ſimul cum eo iunguntur, ſed prout quodlibet horum per ſe inuenitur* (id eſt quando inuenitur peccatum cordis ſine aliis, & peccatum oris ſine peccato operis) *ſicut pars motus non diſtinguitur à toto motu, quando motus eſt continuus, ſed ſolum quando motus ſiſtit in medio.* Vide ſis quæ ibi adnotauimus.

D. Thom.

Secundum argum. ex D. Auguſt.

Secundò probatur ex D. Auguſt. lib. 13. de Trinit. cap. 5. vbi ſic ait : *Mala voluntate vel ſola quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium*

deſiderium malæ voluntatis impletur. In quibus verbis fatetur ſanctus Doctor actum exteriorem adimpletivum mali deſiderij addere ſupra ipſum deſiderium maiorem miſeriam, ac proinde malitiam: non autem eam adderet, niſi in ſe contineret: ergo, &c.

Hoc Auguſtini teſtimonium dicit Franciſcus Felix malè tor ſiſſe noſtræ ſententiæ defenſores ſed certè neminem vidimus eius tortura moleſtari, neque id opus erat cum habeat facilem explicationem. *Enodatur.* Reſpondetur ergo (omiſſis aliis ſolutionibus, quas citatus auctor refert, & impugnat) ſufficere ad veritatem verborum Auguſtini, quod actus exterior addat, tum novam malitiam obiectiuam, quam ipſe affert ex ſe, ratione cuius ad interiorem comparatur vt terminus & complementum, vt in ſolutione ſequentis argumenti magis declarabitur. Tum etiam nouam extenſionem malitiæ formalis: quamvis enim hæc extenſio fiat per ſolam extrinſecam denominationem; aliquod tamen incrementum eſt miſeriæ illius peccatoris: quod novus eius actus, ſcilicet exterior, per illam vitietur, & fœdetur.

36. Sed vrget Felix. Vel per hanc extenſionem ponitur in actu exteriori eadem numero malitia actus interioris, vel alia? Non primum: quia idem numero accidens nequit eſſe in ſubjectis diſtinctis. Si ſecundum (inquit) habeo intentum.

Diluitur quædam replica. Reſpondetur non poni aliam malitiam, ſed eandem numero, quæ in vno eſt intrinſecè, extendi ad alium extrinſecè, & ſic illum denominare: ſicut eadem viſio, quæ eſt intrinſecè in oculo, extenditur ad denominandum extrinſecè parietem *viſum*: cuius rei innumera ſunt exempla.

Adde primò, Auguſt. non dixiſſe, externam deſiderij adimpletionem augere malitiam; ſed miſeriam: ad miſeriam autem non pertinet ſola malitia formalis, ſed quidquid de genere mali eſt ſiue phyſicum, ſiue morale, ſiue formale, ſiue obiectiuum, ſiue culpa, ſiue pœna: quemadmodum ad felicitatem ſpectat omne quod eſt de genere boni, & non tantùm bonitas moralis formalis Sufficit ergo ad hoc vt actus exterior dicatur augere miſeriam peccatoris, quod ſit malus obiectiue, & materialiter: ſicut error etiam inuincibilis, & involuntarius miſeriam auget, quamvis in eo nulla ſit formalis malitia. ¶ Adde ſecundò, D. Auguſt. poſſe congruenter exponi, vt per ſolam voluntatem non intelligat omnem actum ab ea elicitum, ſed illos tantùm, qui pertinent ad ordinem intentionis, vt eſt ſimplex complacentia, intentio, & huiuſmodi, qui non trahunt ſecum ipſam externam executionem: vltra quos ſuperſunt alij pertinentes ad ordinem executionis: & qui nomine ipſius executionis ſæpe intelliguntur: vt eſt actus imperij, vel vſus, quo voluntas potentiam executiuam applicat: & hic vſus cum ſit actus formaliter immanens, & intrinſecè voluntarius, poteſt habere, & addere intrinſecam malitiam formalem.

Argumentum tertium ex D.Thoma. 37. Tertiò probatur ex D.Thoma ſupra quæſt. 20. vbi actibus externis, quos dicimus *bonos* vel *malos ex genere*, concedit bonitatem, vel malitiam ſibi propriam, nempe ex proprio objecto, & circumſtantiis: fateturque huiuſmodi bonitatem, vel malitiam eſſe priorem bonitate vel malitia actus voluntatis, ab eaque diſtinctam, & independentem. Ita affirmat art. 1. & 2. & 3. illius quæſt. & art. 4. dicit, actum externum ratione prædictæ bonitatis, vel malitiæ addere aliquid ſupra interiorem: non ergo prædictus actus dicendus eſt *peccatum* ſolùm extrinſecè à malitia interioris. ¶ Quod & ratione confirmat. Nam ideo iſte actus v. g. *volo furari* habet eſſe peccatum, quia ipſum *furari* eſt malum & peccaminoſum; non è contra: ſi namque *furari* non eſſet malum, neque etiam eſſet *velle furari*: ergo potius actus voluntatis ſumit malitiam ab actu exteriori, quàm è conuerſo; atque adeò per prius debet eſſe formaliter in iſto, quam in illo.

Reſpondetur (& eſt communis ſolutio diſcipulorum D. Thom.) totam illam bonitatem vel malitiam, quam Ang. Doct. concedit actibus purè externis vt ſibi propriam, independentémque à bonitate vel malitia actus voluntatis, eſſe dumtaxat obiectiuam, quæ conuenit prædictis actibus, quatenus ſunt voluntatis obiectum; non vero formalem, quæ deberet eis competere in quantum voluntariis & liberis. *Solutio ex eodem.* Eſſéque hanc mentem D.Thom. conſtabit manifeſtè legenti totam illam quæſtionem. Etenim art. 1. ſic ait. *Bonitas autem vel malitia, quam habet actus exterior ſecundum ſe propter debitam materiam, & debitas circunſtantias, non deriuatur à voluntate, ſed magis à ratione. Vnde ſi conſideretur bonitas exterioris actus ſecundum quod eſt in ordinatione, & apprehenſione rationis, prior eſt quam bonitas actus voluntatis: ſed ſi conſideretur ſecundum quod eſt in executione operis, ſequitur bonitatem voluntatis, quæ eſt principium eius.* *D. Thom.* Vbi, vt vides, ſermo eſt de actu exteriori, prout eſt in apprehenſione rationis, antecedenter ad hoc, quod voluntariè, & liberè executioni mandetur, quæ eſt propria conſideratio illius in ratione obiecti. Et ideò dicitur, quod eius bonitas vel malitia non deriuatur à voluntate, ſed à ratione: quia ad rationem pertinet determinare, & præſcribere voluntati ſuum obiectum: per quam determinationem, & præſcriptionem ipſum obiectum conſtituitur obiectiue bonum vel malum: & ratione huius bonitatis vel malitiæ obiectiuæ ſpecificat actum voluntatis ad ſe terminatum, dátque illi bonitatem vel malitiam formalem. ¶ Quod magis explicat Ang. Doct. in ſolutione ad primum, vbi cum eſſet argumentum. *D. Thom.* *Voluntas habet bonitatem ex obiecto: ſed actus exterior eſt obiectum interioris actus voluntatis, dicimur enim velle furtum, vel velle dare eleemoſynam: ergo malum vel bonum per prius eſt in actu exteriori*, &c. Reſpondet. *Dicendum quod actus exterior eſt obiectum voluntatis, in quantum proponitur voluntati à ratione vt quoddam bonum apprehenſum; & ordinatum per rationem, & ſic eſt prius quam bonum actus voluntatis: in quantum verò conſiſtit in executione operis, eſt effectus voluntatis, & ſequitur voluntatem.* En quomodo tota illa bonitas vel malitia, quam exterior actus habet à ratione antecedenter ad influxum voluntatis, conuenit illi præcisè vt obiecto, & ſic tantum eſt obiectiua.

38. Et vt nullus ſcrupulus in hac parte remaneat circa mentem D. Thomæ, placuit majorem huius doctrinæ explicationem hic adjicere, quam habet quæſt. 2. de malo art. 3. vbi ita inquit. *Quædam peccata ſunt, in quibus exteriores actus ſunt ſecundum ſe mali: ſicut patet in*

in furto, adulterio, homicidio, & ſimilibus: & in iſtis duplici diſtinctione opus eſſe videtur. Quarum prima eſt quod principaliter dupliciter dicitur, ſcilicet primordialiter, & completiue. Altera diſtinctio eſt, quod actus exterior dupliciter conſiderari poteſt: vno modo ſecundum quod eſt in apprehenſione ſecundum ſuam rationem, alio modo ſecundum quod eſt in operis executione. Si ergo conſideretur actus ſecundum ſe malus, puta furtum, vel homicidium prout eſt in apprehenſione ſecundum ſuam rationem, ſic primordialiter in ipſo inuenitur ratio mali, quia non eſt veſtitus debitis circumſtantiis. Sic enim in ſe conſideratus comparatur ad voluntatem vt obiectum prout eſt volitus. Sicut autem actus ſunt prauy potentiis, ita & obiecta actibus: vnde primordialiter inuenitur ratio mali, & peccati in actu exteriori ſic conſiderato, quam in actu voluntatis. Sed ratio culpæ & moralis mali completur ſecundum quod accedit actus voluntatis, & ſic completiue malum culpæ eſt in actu voluntatis. Sed ſi accipiatur actus peccati ſecundum quod eſt in executione operis, ſic primordialiter, & per prius eſt culpa in voluntate. Ideo autem diximus per prius eſſe malum in actu exteriori, quam in voluntate, ſi actus exterior in apprehenſione conſideretur; è conuerſo autem ſi conſideretur in executione operis, quia actus exterior comparatur ad actum voluntatis vt obiectum, quod habet rationem finis; finis autem eſt poſterior in eſſe, ſed prior in intentione. Et in ſolutione ad primum. *Dicendum quod actus habet ſpeciem ab obiecto, & propter hoc peccatum denominatur ab actu exteriori, ſecundum quod comparatur ad ipſum vt obiectum.* Habemus igitur compertum ex his teſtimoniis, tum quod loquendo de actibus externis ſecundum quod ſunt in executione, quò pacto & non aliter dicuntur *formaliter boni* vel *mali*; omnis eorum bonitas vel malitia deſcendit ab actu voluntatis, in quo primordialiter, & per prius inuenitur. Tum etiam quod non aliter prædictis actibus externis conuenit ſecundum ſe, & primordialiter, ſeu antecedenter ad bonitatis actum bonitas vel malitia, niſi quatenus conſiderantur in ratione obiecti eiuſdem actus. Atque adeo quod tota illa bonitas, vel malitia eis ſic primordialiter conueniens, eſt dumtaxat bonitas vel malitia obiectiua, ſeu bonitas vel malitia actus conſiderati in ratione obiecti.

Soluitur confirmatio ex ratione.

39. Per quod patet ad confirmationem ex ratione. Nam cum dicitur, ideo hic actus *volo furari* eſt malus, quia ipſum *furari* eſt malum, & non è contra, verum eſt ſi ly *ideo* dicat cauſam obiectiuam & ſpecificatiuam: ex eo enim quod exterior actio furandi ſecundum ſe, & vt apprehenditur à ratione, eſt obiectiue mala, refundit in actum voluntatis, quo eligitur, & cuius eſt obiectum, ſpeciem malitiæ: ſicut omne obiectum in quantum obiectum dat ſpeciem actui ad illud terminato. Si autem ſermo ſit de cauſa omnino formali, quæ per ſe ipſam denominat, propoſitio illa eſt falſa; & contraria abſolute vera: nempe quod ideo furari eſt formaliter malum, quia volitio, à qua procedit, eſt formaliter mala. Unde ſi hæc volitio ob aliquam rationem, vt propter ignorantiam inuincibilem, à malitia excuſaretur, nequaquam ipſum *furari* eſſet tunc formaliter peccatum, aut pœna dignum; licet adhuc tunc eſſet peccaminoſum obiectiue.

Adeſt itaque inter vtramque actionem mutua cauſalitas: nam exterior vt obiectum, præcedit, & ſpecificat interiorem vt actum: interior vero vt forma, & actio imperans; præcedit & ſpecificat exteriorem vt effectum: quo pacto dumtaxat ipſa actio exterior appellatur formaliſſime *actio moralis*. Differunt autem prædictæ duæ cauſalitates: quia obiectum ſeu actus exterior obiectiue ſumptus, non cauſat afficiendo immediate per ſe ipſum, ſed media tendentia actus externi: & ſic alia forma eſt in prædicto actu moralitas obiectiua, à qua denominatur obiectiue *bonus* vel *malus*, & ratione cuius cauſat in actu voluntatis moralitatem formalem: & alia ipſa moralitas formalis, quam cauſat in huiuſmodi actu. Cæterum actus interior immediate per ſe ipſum, & per ſuam moralitatem afficit exteriorem, in quantum ab eo imperatur, licet hæc afficientia extrinſeca ſit: & ita eadem prorſus forma denominat vtrumque formaliter *bonum* vel *malum*: interiorem quidem intrinſece, & exteriorem extrinſece.

Impugnatio ex Vaſq.

40. Doctrinam huius ſolutionis, quod attinet ad malitiam, late impugnat Vaſquez; nititurque probare non eſſe ad mentem D. Thomæ. Tum quia Ang. Doctor cum agit de actione exteriori, aſſignat ei obiectum & circumſtantias: quæ nequaquam aſſignaret, ſi loqueretur de illa in ratione obiecti, & non vt eſt formaliter actio moralis. Tum etiam quia eodem modo loquitur de malitia ex objecto & circumſtantiis, cum dicit conuenire per ſe primo actioni exteriori, atque de malitia ex fine, cum ait conuenire primario actui voluntatis: ſed cum aſſerit hoc poſterius, loquitur de malitia formali, & non tantum de obiectiua, vt omnes fatentur: ergo, &c. Præterea ſi de actione exteriori vt obiecto eſſet ſermo, non diceret, malitiam ex fine deriuari ab actione interiori in exteriorem, vt ſæpe affirmat, quia hæc malitia non deriuatur in obiectum, ſed in ipſam actionem formaliſſime vt eſt actio humana & moralis. Denique S. Thom. conatur oſtendere in peccato, quod conſtat actione interiori & exteriori, etiam ſi vnaquæque habeat ſuam propriam malitiam, non eſſe quatuor malitias, ſed duas tantum per deriuationem analogicam: hoc autem non poteſt intelligi niſi de actione exteriori, quatenus ſubeſt interiori, & habet eſſe actio moralis ſub ea: ergo, &c. Hæc Vaſquez. ¶ Quoad bonitatem vero (ait ille) eſt longe diuerſa ratio, quia vt actus ſit moraliter bonus, non tantum debet eſſe circa bonum obiectum, ſed debet directe ferri in ipſam obiecti honeſtatem propter ipſam: vnde ſicut hic reſpectus primario ſolùm conuenit actioni interiori voluntatis, actui vero externo non niſi per habitudinem ad illam, ac proinde ſecundariò, ſic prædicta bonitas. Quod ſi Ang. Doctor in tribus illis articulis quæſtionis 20. eodem modo loquitur de bonitate, atque de malitia, hoc ideo fuit, quia nondum tractauerat quæ requirantur, vt actus ſit vere bonus moraliter, & ita gratia exempli loquutus eſt eodem modo de vtraque, cum re vera non ſit eadem ratio. Hucuſque Vaſquez arbitratus ſe inueniſſe facilem, & accommodatiſſimam viam ad interpretandam mentem D. Thomæ alias difficilem

difficilem & obſcuram, vt ipſe loquitur.

Aperitur mens D. Thomæ. 41. Verum fruſtra laborat oſtendens ſe fidelem interpretem ejus, quem aperte impugnat. Etenim Ang. Doctor tota illa quæſt. 20. ex profeſſo agit tam de bonitate, quam de malitia actus exterioris: imo per prius, & magis principaliter de bonitate, vt conſtat ex ipſis titulis articulorum, & ex toto contextu. Nam in primo ita quærit. *Vtrum bonitas vel malitia per prius ſit in actu voluntatis, vel in actu exteriori?* Et in fine corporis abſoluit rem expreſſe de ſola bonitate his verbis. *Vnde ſi conſideretur bonitas exterioris actus ſecundum quod eſt in ordinatione, & apprehenſione rationis, prior eſt quam bonitas actus voluntatis: ſed ſi conſideretur ſecundum quod eſt in executione operis, ſequitur bonitatem voluntatis, quæ eſt principium eius.* In ſecundo etiam articulo ſic inquirit. *Vtrum tota bonitas, & malitia exterioris actus dependeat ex bonitate voluntatis?* Et in tertio. *Vtrum bonitas & malitia ſit eadem exterioris, & interioris actus?* Concluditque. *Bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem, & bonitas materiæ, & circunſtantiarum redundat in actum voluntatis.* Et in ſolutione ad tertium. *A bonitate voluntatis deriuatur bonitas actus exterioris; & è conuerſo ſcilicet ſecundum ordinem vnius ad alterum.*

Quibus in locis vbicumque fit mentio de ſola bonitate, ſupplet Vaſquez (& merito) nomen malitiæ, quia re vera de vtraque loquitur S. Doctor. Sed hoc eſt mirabile, quod cum verba Ang. Doctoris primo loco de bonitate proferantur, ſemperque bonitatem exprimant, malitiam autem non ita, contendat citatus author intelligenda eſſe de ſola malitia, bonitatem vero adduci duntaxat in exemplum. Et tamen neque vt exemplum adduci debuiſſet, ſi vt ille arbitratur contrario modo eſſet de ea philoſophandum, atque de malitia. Dicere vero non agi de bonitate, quia nondum explicuerat Ang. Doctor requiſita ad illam, proindéque non eſſe quoad hoc eodem modo de malitia ſicut de bonitate philoſophandum, proculdubio friuolum eſt. Nullibi enim ita ex profeſſo agitur de requiſitis ad bonitatem humani actus ſiue interni, ſiue externi, ſicut in quæſt. one illa 20. & in duabus antecedentibus. Quare prima ſcilicet decima octaua ſic inſcribitur. *De bonitate & malitia humanorum actuum in generali.* Decima nona vero ſic. *De bonitate & malitia actus interioris voluntatis.* Et vigeſima. *De bonitate & malitia exteriorum actuum*, hiſque titulis omnes articuli, & concluſiones eorum reſpondent. Niſi quod in quæſt. 19. priores quatuor articuli de ſola bonitate procedunt, nulla facta malitiæ mentione. Friuolum ergo eſt ad expoſitionem illam recurrere.

Obiecta eliduntur. 41. Neque vrgent quæ nobis objiciuntur. Nam ad primum reſpondetur, etiam ſi D. Thom. loquatur de actione exteriori tam mala quam bona objectiue conſiderata, potuiſſe aſſignare illi objectum, ſiue materiam, & circunſtantias. Quia prædicta actio non ſolùm vt habet eſſe in exercitio dependenter à voluntate, quo pacto eſt formaliter actio moralis, ſed etiam vt conſideratur in ratione objecti ipſius voluntatis, omnia illa concernit. Non enim ſola materia actionis exterioris, v.g. res aliena, aut ſola actio ad talem materiam terminata, puta acceptio, eſt objectum, quod proponitur voluntati vt à ſe proſequendum, ſed vtrumque ſimul, ſcilicet acceptio rei alienæ, vel res aliena vt accipienda: & hæc eadem actio eſt, quæ poſtea executioni mandatur. Quando ergo vna cum ſua materia, & circunſtantiis offertur voluntati vt amplectenda, conſideratur objectiue, ſplendetque ibi bonitas vel malitia objectiua: quando vero in ordine ad eandem materiam & cum eiſdem circunſtantiis à parte rei ponitur ex imperio voluntatis, conſideratur formaliſſime in ratione actionis moralis, & cum bonitate, vel malitia formali.

Eliditur ſecundum. Ad ſecundum dicas D. Thomam loqui eodem modo de vtraque malitia; ſed cum debita proportione: proportio autem non ſtat in hoc, quod vtraque ſit objectiua, vel vtraque formalis: ſed in eo quod ſicut formalis conuenit primario actui voluntatis, indéque extenditur ad actum exteriorem denominando illum: ita objectiua per ſe conuenit actui exteriori: nam conſiſtit in illa improportione, quæ reperitur inter hujuſmodi actum, & eius materiam: ab ipſóque actu exteriori tranſit quodammodo in interiorem, quatenus cauſat in eo malitiam formalem.

Eliditur tertium. 43. Ad tertium reſpondetur D. Thomam loqui de actu exteriori vtroque modo, ſcilicet & vt objectum, & in quantum formaliter eſt actio. Et primo modo dicit habere ſecundum ſe malitiam, ſcilicet objectiuam, ratione propriæ materiæ, eámque communicari actioni interiori dando illi malitiam formalem: ſicut objectum ratione ſuæ vis objectiuæ communicat ſpeciem formalem actui. Poſteriori vero modo dicit deriuari in prædictum actum exteriorem ab interiori malitiam, quæ eſt ex fine: quod fit per denominationem extrinſecam. Vnde nulla apud D. Thomam eſt contradictio. Neque ponitur quod malitia deriuetur, ab actione, vt actio eſt in objectum, quatenus objectum eſt: ſed hoc verificatur quod ab actione exteriori in quantum objectum eſt, deriuatur malitia ad interiorem: & quod ipſa actio exterior in quantum eſt formaliſſime actio, & non in quantum objectum, recipit ab interiori denominationem *malæ formaliter*.

Eliditur vltimum. Ad vltimum reſpondetur, optime ſaluari iuxta noſtram doctrinam, quomodo in peccato coaleſcente ex actu interiori, & exteriori (etiam ſi finis, qui eſt objectum actus interioris, ſcilicet intentionis, omnino ſit alius ab actu exteriori, vel eius obiecto, ſitque vtrumque ſecundum ſe malum, nam in hoc caſu eſt ſermo, vt cum quis ex intentione mæchandi committit furtum) non ſit niſi duplex malitia, abſolute loquendo: ſicut ſolùm eſt ibi duplex ſpecificatiuum, nempe finis, à quo primario ſpecificatur actio interior; & obiectum à quo primario ſpecificatur exterior. Sicut enim malitia ex fine, ſiue conſideretur in ipſo fine, vbi eſt obiectiue, ſiue in actu interiori, vbi eſt formaliter primariò, ſiue in exteriori, vbi eſt ſecundariò, abſolute cenſetur vna & eadem, quia ex eodem ſpecificatiuo deſcendit, & ad ipſum reducitur: ita malitia, quæ eſt ex obiecto, ſiue conſideretur prout in ipſo obiecto, hoc eſt in actu exteriori obiectiue accepto cum ſua materia vbi

Digitized by Google

in furto, adulterio, homicidio, & ſimilibus: & in iſtis duplici diſtinctione opus eſſe videtur. Quarum prima eſt quod principaliter dupliciter dicitur, ſcilicet primordialiter, & completiue. Altera diſtinctio eſt, quod actus exterior dupliciter conſiderari poteſt: vno modo ſecundum quod eſt in apprehenſione ſecundum ſuam rationem, alio modo ſecundum quod eſt in operis executione. Si ergo conſideretur actus ſecundum ſe malus, puta furtum, vel homicidium prout eſt in apprehenſione ſecundum ſuam rationem, ſic primordialiter in ipſo inuenitur ratio mali, quia non eſt veſtitus debitis circunſtantiis. Sic enim in ſe conſideratus comparatur ad voluntatem vt obiectum prout eſt volitus. Sicut autem actus ſunt priores potentiis, ita & obiecta actibus: vnde primordialiter inuenitur ratio mali, & peccati in actu exteriori ſic conſiderato, quam in actu voluntatis. Sed ratio culpæ & moralis mali completur ſecundum quod accedit actus voluntatis, & ſic completiue malum culpæ eſt in actu voluntatis. Sed ſi accipiatur actus peccati ſecundum quod eſt in executione operis, ſic primordialiter, & per prius eſt culpa in voluntate. Ideo autem diximus per prius eſſe malum in actu exteriori, quam in voluntate, ſi actus exterior in apprehenſione conſideretur; è conuerſo autem ſi conſideretur in executione operis, quia actus exterior comparatur ad actum voluntatis vt obiectum, quod habet rationem finis: finis autem eſt poſterior in eſſe, ſed prior in intentione. Et in ſolutione ad primum. *Dicendum quod actus habet ſpeciem ab obiecto, & propter hoc peccatum denominatur ab actu exteriori, ſecundum quod comparatur ad ipſum vt obiectum.* Habemus igitur compertum ex his teſtimoniis, tum quod loquendo de actibus externis ſecundum quod ſunt in executione, quò pacto & non aliter dicuntur *formaliter boni* vel *mali*; omnis eorum bonitas vel malitia deſcendit ab actu voluntatis, in quo primordialiter, & per prius inuenitur. Tum etiam quod non aliter prædictis actibus externis conuenit ſecundum ſe, & primordialiter, ſeu antecedenter ad bonitatis actum bonitas vel malitia, niſi quatenus conſiderantur in ratione obiecti eiuſdem actus. Atque adeo quod tota illa bonitas, vel malitia eis ſic primordialiter conueniens, eſt dumtaxat bonitas vel malitia obiectiua, ſeu bonitas vel malitia actus conſiderati in ratione obiecti.

Soluitur confirmatio ex ratione. 39. Per quod patet ad confirmationem ex ratione. Nam cum dicitur, ideo hic actus *volo furari* eſt malus, quia ipſum *furari* eſt malum, & non è contra, verum eſt ſi ly *ideo* dicat cauſam obiectiuam & ſpecificatiuam: ex eo enim quod exterior actio furandi ſecundum ſe, & vt apprehenditur à ratione, eſt obiectiue mala, refundit in actum voluntatis, quo eligitur, & cuius eſt obiectum, ſpeciem malitiæ: ſicut omne obiectum in quantum obiectum dat ſpeciem actui ad illud terminato. Si autem ſermo ſit de cauſa omnino formali, quæ per ſe ipſam denominat, propoſitio illa eſt falſa; & contraria abſolute vera: nempe quod ideo furari eſt formaliter malum, quia volitio, à qua procedit, eſt formaliter mala. Unde ſi hæc volitio ob aliquam rationem, vt propter ignorantiam inuincibilem, à malitia excuſaretur, nequaquam ipſum *furari* eſſet tunc formaliter peccatum, aut pœna dignum; licet adhuc tunc eſſet peccaminoſum obiectiue.

Adeſt itaque inter vtramque actionem mutua cauſalitas: nam exterior vt obiectum, præcedit, & ſpecificat interiorem vt actum: interior vero vt forma, & actio imperans; præcedit & ſpecificat exteriorem vt effectum: quo pacto dumtaxat ipſa actio exterior appellatur formaliſſime *actio moralis*. Differunt autem prædictæ duæ cauſalitates: quia obiectum ſeu actus exterior obiectiue ſumptus, non cauſat afficiendo immediate per ſe ipſum, ſed media tendentia actus externi: & ſic alia forma eſt in prædicto actu moralitas obiectiua, à qua denominatur obiectiue *bonus* vel *malus*, & ratione cuius cauſat in actu voluntatis moralitatem formalem: & alia ipſa moralitas formalis, quam cauſat in huiuſmodi actu. Cæterum actus interior immediate per ſe ipſum, & per ſuam moralitatem afficit exteriorem, in quantum ab eo imperatur, licet hæc afficientia extrinſeca ſit: & ita eadem prorſus forma denominat vtrumque formaliter *bonum* vel *malum*: interiorem quidem intrinſece, & exteriorem extrinſece.

40. Doctrinam huius ſolutionis, quod attinet ad malitiam, late impugnat Vaſquez; *Impugnatio ex Vaſq.* nititurque probare non eſſe ad mentem D. Thomæ. Tum quia Ang. Doctor cum agit de actione exteriori, aſſignat ei obiectum & circunſtantias: quæ nequaquam aſſignaret, ſi loqueretur de illa in ratione obiecti, & non vt eſt formaliter actio moralis. Tum etiam quia eodem modo loquitur de malitia ex obiecto & circunſtantiis, cum dicit conuenire per ſe primo actioni exteriori, atque de malitia ex fine, cum ait conuenire primario actui voluntatis: ſed cum aſſerit hoc poſterius, loquitur de malitia formali, & non tantum de obiectiua, vt omnes fatentur: ergo, &c. Præterea ſi de actione exteriori vt obiecto eſſet ſermo, non diceret, malitiam ex fine deriuari ab actione interiori in exteriorem, vt ſæpe affirmat, quia hæc malitia non deriuatur in obiectum, ſed in ipſam actionem formaliſſime vt eſt actio humana & moralis. Denique S. Thom. conatur oſtendere in peccato, quod conſtat actione interiori & exteriori, etiam ſi vnaquæque habeat ſuam propriam malitiam, non eſſe quatuor malitias, ſed duas tantum per deriuationem analogicam: hoc autem non poteſt intelligi niſi de actione exteriori, quatenus ſubeſt interiori, & habet eſſe actio moralis ſub ea: ergo, &c. Hæc Vaſquez. ¶ Quoad bonitatem vero (ait ille) eſt longe diuerſa ratio, quia vt actus ſit moraliter bonus, non tantum debet eſſe circa bonum obiectum, ſed debet directe ferri in ipſam obiecti honeſtatem propter ipſam: vnde ſicut hic reſpectus primario ſolùm conuenit actioni interiori voluntatis, actui vero externo non niſi per habitudinem ad illam, ac proinde ſecundariò, ſic prædicta bonitas. Quod ſi Ang. Doctor in tribus illis articulis quæſtionis 20. eodem modo loquitur de bonitate, atque de malitia, hoc ideo fuit, quia nondum tractauerat quæ requirantur, vt actus ſit vere bonus moraliter, & ita gratia exempli loquutus eſt eodem modo de vtraque, cum re vera non ſit eadem ratio. Hucuſquè Vaſquez arbitratus ſe inueniſſe facilem, & accommodatiſſimam viam ad interpretandam mentem D. Thomæ alias difficilem

Digitized by Google

difficilem & obſcuram, vt ipſe loquitur.

Aperitur mens D. Thomæ. 41. Verum fruſtra laborat oſtendens ſe fidelem interpretem ejus, quem aperte impugnat. Etenim Ang. Doctor tota illa quæſt. 20. ex profeſſo agit tam de bonitate, quam de malitia actus exterioris: imo per prius, & magis principaliter de bonitate, vt conſtat ex ipſis titulis articulorum, & ex toto contextu. Nam in primo ita quærit. *Vtrum bonitas vel malitia per prius ſit in actu voluntatis, vel in actu exteriori?* Et in fine corporis abſoluit rem expreſſe de ſola bonitate his verbis. *Vnde ſi conſideretur bonitas exterioris actus ſecundum quod eſt in ordinatione, & apprehenſione rationis, prior eſt quam bonitas actus voluntatis: ſed ſi conſideretur ſecundum quod eſt in executione operis, ſequitur bonitatem voluntatis, quæ eſt principium eius.* In ſecundo etiam articulo ſic inquirit. *Vtrum tota bonitas, & malitia exterioris actus dependeat ex bonitate voluntatis?* Et in tertio. *Vtrum bonitas & malitia ſit eadem exterioris, & interioris actus?* Concluditque. *Bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem, & bonitas materiæ, & circunſtantiarum redundat in actum voluntatis.* Et in ſolutione ad tertium. *A bonitate voluntatis deriuatur bonitas actus exterioris; & è conuerſo ſcilicet ſecundum ordinem vnius ad alterum.*

Quibus in locis vbicumque fit mentio de ſola bonitate, ſupplet Vaſquez (& merito) nomen malitiæ, quia re vera de vtraque loquitur S. Doctor. Sed hoc eſt mirabile, quod cum verba Ang. Doctoris primo loco de bonitate proferantur, ſemperque bonitatem exprimant, malitiam autem non ita, contendat citatus author intelligenda eſſe de ſola malitia, bonitatem vero adduci duntaxat in exemplum. Et tame neque vt exemplum adduci debuiſſet, ſi vt ille arbitratur contrario modo eſſet de ea philoſophandum, atque de malitia. Dicere vero non agi de bonitate, quia nondum explicuerat Ang. Doctor requiſita ad illam, proindéque non eſſe quoad hoc eodem modo de malitia ſicut de bonitate philoſophandum, proculdubio friuolum eſt. Nullibi enim ita ex profeſſo agitur de requiſitis ad bonitatem humani actus ſiue interni, ſiue externi, ſicut in quæſtione illa 20. & in duabus antecedentibus. Quare prima ſcilicet decima octaua ſic inſcribitur. *De bonitate & malitia humanorum actuum in generali.* Decima nona vero ſic. *De bonitate & malitia actus interioris voluntatis.* Et vigeſima. *De bonitate & malitia exteriorum actuum*, hiſque titulis omnes articuli, & concluſiones eorum reſpondent. Niſi quod in quæſt. 19. priores quatuor articuli de ſola bonitate procedunt, nulla facta malitiæ mentione. Friuolum ergo eſt ad expoſitionem illam recurrere.

Obiecta eliduntur. 42. Neque vrgent quæ nobis objiciuntur. Nam ad primum reſpondetur, etiam ſi D. Thom. loquatur de actione exteriori tam mala quam bona objectiue conſiderata, potuiſſe aſſignare illi objectum, ſiue materiam, & circunſtantias. Quia prædicta actio non ſolùm vt habet eſſe in exercitio dependenter à voluntate, quo pacto eſt formaliter actio moralis, ſed etiam vt conſideratur in ratione objecti ipſius voluntatis, omnia illa concernit. Non enim ſola materia actionis exterioris, v.g. res aliena, aut ſola actio ad talem materiam terminata, puta acceptio, eſt objectum, quod proponitur voluntati vt à ſe proſequendum, ſed vtrumque ſimul, ſcilicet acceptio rei alienæ, vel res aliena vt accipienda: & hæc eadem actio eſt, quæ poſtea executioni mandatur. Quando ergo vna cum ſua materia, & circunſtantiis offertur voluntati vt amplectenda, conſideratur objectiue, ſplendetque ibi bonitas vel malitia objectiua: quando vero in ordine ad eamdem materiam & cum eiſdem circunſtantiis à parte rei ponitur ex imperio voluntatis, conſideratur formaliſſime in ratione actionis moralis, & cum bonitate, vel malitia formali.

Eliditur ſecundum. Ad ſecundum dicas D. Thomam loqui eodem modo de vtraque malitia; ſed cum debita proportione: proportio autem non ſtat in hoc, quod vtraque ſit objectiua, vel vtraque formalis: ſed in eo quod ſicut formalis conuenit primario actui voluntatis, indéque extenditur ad actum exteriorem denominando illum: ita objectiua per ſe conuenit actui exteriori: nam conſiſtit in illa improportione, quæ reperitur inter hujuſmodi actum, & eius materiam: ab ipſóque actu exteriori tranſit quodammodo in interiorem, quatenus cauſat in eo malitiam formalem.

Eliditur tertium. 43. Ad tertium reſpondetur D. Thomam loqui de actu exteriori vtroque modo, ſcilicet & vt objectum, & in quantum formaliter eſt actio. Et primo modo dicit habere ſecundum ſe malitiam, ſcilicet objectiuam, ratione propriæ materiæ, eámque communicari actioni interiori dando illi malitiam formalem: ſicut objectum ratione ſuæ vis objectiuæ communicat ſpeciem formalem actui. Poſteriori vero modo dicit deriuari in prædictum actum exteriorem ab interiori malitia, quæ eſt ex fine: quod fit per denominationem extrinſecam. Vnde nulla apud D. Thomam eſt contradictio. Neque ponitur quod malitia deriuetur, ab actione, vt actio eſt in objectum, quatenus objectum eſt: ſed hoc verificatur quod ab actione exteriori in quantum objectum eſt, deriuatur malitia ad interiorem: & quod ipſa actio exterior in quantum eſt formaliſſime actio, & non in quantum objectum, recipit ab interiori denominationem *malæ formaliter*.

Eliditur vltimum. Ad vltimum reſpondetur, optime ſaluari iuxta noſtram doctrinam, quomodo in peccato coaleſcente ex actu interiori, & exteriori (etiam ſi finis, qui eſt objectum actus interioris, ſcilicet intentionis, omnino ſit alius ab actu exteriori, vel eius obiecto, ſitque vtrumque ſecundum ſe malum, nam in hoc caſu eſt ſermo, vt cum quis ex intentione mœchandi committit furtum), non ſit niſi duplex malitia, abſolute loquendo: ſicut ſolùm eſt ibi duplex ſpecificatiuum, nempe finis, à quo primario ſpecificatur actio interior; & obiectum à quo primario ſpecificatur exterior. Sicut enim malitia ex fine, ſiue conſideretur in ipſo fine, vbi eſt obiectiue, ſiue in actu interiori, vbi eſt formaliter primariò, ſiue in exteriori, vbi eſt ſecundariò, abſolute cenſetur vna & eadem, quia ex eodem ſpecificatiuo deſcendit, & ad ipſum reducitur: ita malitia, quæ eſt ex obiecto, ſiue conſideretur prout in ipſo obiecto, hoc eſt in actu exteriori obiectiue accepto cum ſua materia vbi

Digitized by Google

vbi ſolùm eſt objectiuè, ſiue prout in actu voluntatis acceptante tale objectum, vbi eſt formaliter intrinſecè, ſiue in ipſo actu exteriori provt in exercitio, ad quem extrinſecè deriuatur, non cenſetur abſolutè loquendo niſi vnica malitia, & vnius peccati conſtitutiua: quia ſimiliter ab vno ſpecificatiuo deſcendit ordine quodam: & vbi eſt vnum propter aliud, tantùm eſt vnum, juxta commune proloquium, & juxta ea quæ explicuimus, num. 23.

§. VII.

In eandem aſſertionem alia duo argumenta.

Argumentum quartum. 44. QVartò arguit Vaſquez. Illa actio ſecundum ſe & primariò eſt mala, quæ ſecundum ſe & primariò à lege prohibetur: ſed hæc eſt actio exterior: ergo in ea inuenitur primariò, & ſecundum ſe formaliter malitia. Maior non videtur poſſe negari, præſertim à Thomiſtis. Nam in via Ang. Doctoris omnia peccata ideo ſunt mala, quia prohibita, atque adeò juxta gradum prohibitionis erit gradus malitiæ. Minorem autem probat: tum in iis quæ prohibentur à lege humana: nam hujuſmodi lex non habet poteſtatem vetandi directè, & per ſe actus interiores, ſed tantùm indirectè, & mediante prohibitione externorum: ergo qui directè & immediatè prohibentur, ſunt ipſi actus externi. Tum etiam in illis quæ lex diuina prohibet, cujus præceptorum formam ſi attendamus, provt in Decalogo continetur, vt plurimum non cadit directè ſupra actus internos, vt eſt volitio furandi, volitio mœchandi, &c. Sed ſupra externos furtum, adulterium, &c. Vnde non prohibetur hæc ſub eo tenore, *ne velis furari, ne velis mœchari*; ſed ſub iſto: *non mœchaberis, non furtum facies*, &c. ſignum igitur eſt prædicta præcepta immediatè & per ſe prohibere ipſos actus externos.

Confirmatio. Confirmat in hunc modum. Illa actio eſt primariè mala, quæ primariè diſſentanea eſt naturæ rationali, & quæ ſub regulam rationis primariè cadit: ſiquidem malitia conſiſtit in diſconuenientia actionis cum natura rationali, & cum prædicta regula: omnis autem exterior operatio primariè cadit ſub regulam rationis, & diſſentanea eſt naturæ rationali, vt rationalis eſt: nam quilibet per regulam rationis judicat affectum jurandi falſum eſſe malum, quia ipſum jurare ſit malum: cum igitur actio exterior primariè cadat ſub regulam rationis, & primariè judicetur mala, conſequitur ipſam eſſe primariè malam. Hæc Vaſquez. Cujus argumentum ſi aliquid conuinceret, probaret contra illum bonitatem formalem reperiri primariò in actibus externis: quia eodem modo actus dicitur *bonus* ex conformitate ad regulam rationis, & ad legem præcipientem, vel conſulentem, ſicut dicitur *malus* ex oppoſitione ad prædictam regulam, & ad legem prohibentem: conſtat autem conſilia & præcepta affirmatiua quantum eſt ex vi verborum, quibus nobis traduntur, æque immediate præcipere actus externos bonos, vt *honorare parentes, ieiunare, reſtituere*, &c. ſicut negatiua prohibent malos: ergo ex vi argumenti propoſiti æque primariò vel ſecundariò debet conuenire illis bonitas, atque iſtis malitia: quod Vaſquez omnino negat.

45. Pro ſolutione ergo animaduertendum eſt, præceptum prohibens aliquem actum, eo ipſo prohibere ejus objectum in ratione objecti: non quod ibi ſit duplex prohibitio, alia ad actum, & alia ad objectum terminata: ſed eademmet, quæ prohibet actum in eſſe rei, id eſt vt non ſit prohibet eo ipſo objectum in ratione objecti, hoc eſt, prohibet ne ſit terminus talis actus. Neque eſt aliud prohibere ne actus à parte rei ſit quam prohibere, ne objectum talem actum terminet. Vnde licèt alias objectum ſit prius actu, non tamen in ratione prohibitorum quærenda eſt inter illa aliqua prioritas, vel poſterioritas, quia neutrum denominatur *prohibitum* ab altero; ſed vtrumque ab eadem lege: actus quidem vt *res*, & objectum vt *terminus*. Quia igitur vnumquodque denominatur *malum* juxta modum quo prohibetur, idcirco quod ſolùm prohibetur vt objectum, ſolum eſt malum objectiuè; quod vero prohibetur vt actus, & in eſſe rei, hoc eſt malum formaliter. *Notandum pro ſolutione.*

Secundò nota, actum exteriorem (vt ſæpe diximus) dupliciter ſe habere ad interiorem. Primò vt objectum ſpecificans, quo pacto eſt prius natura, & independens ab ipſo actu interiori, & ab exiſtentia in rerum natura: ſufficit enim ad munus illud objecti exercendum exiſtentia intentionalis, quam habet in apprehenſione rationis: neque provt ſic talis actus denominatur *voluntarius*, ſed *volitus*, vel *volibilis*. Alio modo ſe habet formaliſſimè vt actus libere exercitus in rerum natura ex influxu, & imperio voluntatis: qua ratione denominatur *voluntarius*, eſtque omnino poſterior & dependens ab actu interiori à quo prædictam denominationem deſumit. Vtroque ergo modo actus exterior prohibitioni ſubeſt, ſed aliter, & aliter; nam in quantum objectum, prohibetur æquè primariò atque ipſe actus interior, cujus objectum eſt: in quantum actus vero (loquendo de illa prohibitione, quæ eſt regula moralitatis) ſolum prohibetur ſecundariò, & mediante actu interiori, ex quo procedit. *Aliud notandum.*

46. Ad argumentum itaque reſpondetur, admiſſa maiori juxta dicta in priori notabili de eo quod prohibetur vt actus, & eſt malum formaliter, & de eo quod prohibetur vt objectum, eſtque proinde malum objectiuè. Sed diſtinguenda eſt minor ſcilicet quod actio exterior primariò & immediatè ſit prohibita: nam ſi ſermo ſit de prædicta actione in eſſe objecti, & de prohibitione eius etiam in ratione objecti, poteſt concedi propoſitio: hoc enim modo prohibetur æque immediate prædicta actio, atque actio interior, cujus objectum eſt. Neganda vero erit, ſi ſermo ſit de actione exteriori, formaliſſimè in quantum eſt actus voluntarius libere exercitus, & de prohibitione eius ſub hac ratione. Nam hoc modo per prius prohibetur actus interior, à quo imperatur. Ex quo neganda eſt abſolutè conſequentia: quia malitia formalis non ſequitur immediatè ad prohibitionem in eſſe objecti, hanc enim conſequitur, vt diximus, malitia objectiua; ſed ad prohibitionem in eſſe rei, & per modum actus. *Soluitur argumentum.*

Ad primam minoris probationem dicas, legem humanam poſitiuam non eſſe ſufficientem regulam moralitatis, niſi vt conjunctam dictamini rationis, ſeu prudentiæ ſuppoſiti operantis: quod quidem dictamen eſt regula per ſe, & omnino proxima, vt in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. explicuimus. Quare ad inueſtigandam malitiam cujuſcunque actus, non eſt præcipue attendendum quid vetet æterna lex, ſed quid prædictum dictamen immediatè prohibeat. Porrò dictamen rationis non prohibere immediatè actum exteriorem *in eſſe actus*, ſed mediante actu interiori, poteſt facile oſtendi. Nam illum actum immediatè prohibet, vel approbat, quem immediatè dirigit: actus verò exterior non eſt aliter dirigibilis à ratione per modum actus, niſi mediante actu interiori, à quo imperatur, & à quo oritur voluntarius, & liber. Vnde videmus quod quantumcunque actus exterior aliàs lege prohibitus ſit, vt *occidere, mœchari*, &c. niſi actus voluntatis, à quo imperatur, dictamini rationis contradicat, nequaquam ibi eſt aliqua malitia formalis: vt patet in eo, qui ex ignorantia inuincibili actus illos externos exerceret. E contra verò ſi actus interior rationi contrarietur, quantumcunque exterior aliàs lege præcipiatur, vt cum ex intentione inanis gloriæ aliquis ieiunat, non eſt ibi aliqua formalis bonitas; ſed vterque actus eſt formaliter malus. Signum igitur eſt, prædictum dictamen, quod eſt proxima moralitatis regula non afficere ſiue prohibendo, ſiue præcipiendo actus exteriores, in quantum actus ſunt, niſi mediis interioribus, à quibus imperantur: atque adeò afficiendo, ſiue prohibendo, ſiue præcipiendo ipſos actus interiores.

47. Diximus *in quantum actus ſunt*. Quia in quantum obiecta, immediatè tanguntur prædicti externi actus a prohibitione: & ob hoc conuenit eis primariò malitia obiectiua. Per quod patet ad ſecundam probationem. Tum quia adhuc lex diuina non eſt regula proxima moralitatis, niſi vt applicata per dictamen rationis, vt citato loco diximus. Tum etiam quia etſi forma illa intimandi diuina præcepta, *non occides, non mœchaberis*, &c. quantum ad ſonitum verborum videatur immediatè afficere ipſos externos actus; & in quantum objecta ſic eos afficiat: at in quantum actus re vera non afficit, niſi prohibendo prius internos. Deus enim nullum actum noſtrum condemnat, & prohibet, niſi in quantum voluntarium, & liberum: ob idque diuinum præceptum eò primariò dirigitur, vbi prius libertas elucet, atque adeò ad actus internos. Propterea autem in ipſa præceptorum ratione ſæpe fit mentio ſolius actus exterioris, vt denotetur prohiberi talem actum in quantum objectum interioris, & in quantum malum obiectiuè. Et quia cum in ratione actus non prohibeatur, niſi in quantum voluntarius & liber; quocunque modo prohibitio eius enuntietur, ſufficienter declaratur manere primariò prohibitum actum internum, ex quo accipit totam voluntarij rationem.

Soluitur confirmatio.

Ad confirmationem reſpondetur malitiam moralem non attendi immediatè penes diſconuenientiam ad rationalem naturam ſecundum ſe ſumptam: nam error inuincibilis habet ſimilem diſconuenientiam, & non eſt formaliter malus hoc genere malitiæ: ſed attenditur penes voluntariam diſconuenientiam ad dictamen rationis, quod eſt proxima moralitatis regula. Hæc autem diſconuenientia per prius eſt in actu interiori, qui eſt per ſe voluntarius, tangitúrque immediatè à prædicto dictamine, quam in actu exteriori, qui neque eſt per ſe voluntarius, neque per modum actus cadit immediatè ſub illo; licet cadat immediatè in quantum objectum. Cùm autem dicitur, quod regula rationis ideo judicat *affectum iurandi falſum* v.g. eſſe malum, quia ipſum *iurare falſum* eſt malum, verum eſt, ſi ly *quia* dicat cauſam objectiuam; ſecus ſi dicat rationem formalem, vt explicuimus num. 39.

Replica.

48. Neque obeſt replica, quæ hic fit ab aliquibus. Nempe quod ſi actio exterior v. g. *furari*, aut *inebriari*, ſecundum ſe ſolum eſt mala obiectiuè, ſolúmque hoc modo prohibetur; non aliter dicetur *mala* vel *prohibita*, atque ipſæ res externæ, ſcilicet pecunia, aut vinum: quoniam hujuſmodi res etiam ſunt malæ objectiue, ſiquidem ſunt objectum malæ actionis.

Diluitur.

¶ Non itaque hoc obeſt, quoniam res externæ propriè non ſunt objectum, ſed ſolùm materia circa quam exercetur externa actio. De qua quidem materia immediatè, & ſecundum ſe ratio nihil dictat, neque eam prohibet, aut præcipit: ſed dictat dumtaxat de actione, qua attingitur, v.g. judicat ratio non eſſe contingendam rem alienam, neque vinum vltra menſuram ſumendum, & ex hoc judicio contrectatio rei alienæ, & ſumptio vini manent prohibita, & objectiue mala: de ipſa vero rē aliena, aut de vino ſecundum ſe nihil iudicat, neque ea approbat, aut reprobat: ideò non ſunt dicenda adhuc objectiue *mala*, niſi valde remotè, & inadæquatè: proxima verò, adæquata malitiæ inchoatio eſt ab actione.

Argumentum vltimum. Fran. Felix

49. Denique arguit contra nos Franciſcus Felix ab inconuenienti. Quia ſi actus exterior non habet intrinſecam & formalem malitiam, quam addat ſupra interiorem, nulla eſt ratio quare ſit in confeſſione explicandus: hoc autem damnat communis Eccleſiæ conſuetudo; ergo, &c.

Solutio.

Reſpondetur omiſſis variis ſolutionibus, quas citatus author refert, & impugnat, parum vel nihil referre ad hoc, vt actio exterior debeat in confeſſione explicari, quod in ſe habeat, aut addat, vel non addat malitiam ſupra interiorem: dummodo enim talis actio re ipſa mala, & peccatum graue ſit, ſiue hoc habeat à forma ſibi inhærente, ſiue ab exiſtente in alio actu, debet aperiri in confeſſione: quia iſtius præceptum non ſolum malitiam, neque ſolum actum, cui inhæret; ſed quidquid denominatur abſolutè *peccatum mortale*, ſub ſe comprehendit: nec curat vnde actus accipiat hanc denominationem, ſed an re ipſa illi ſubſternatur. Nequaquam ergo infertur, ex eo quod actio exterior debeat in confeſſione explicari, dari in ea malitiam formalem diſtinctam à malitia actus interioris: neque ex eo quod talem malitiam non habeat, tantúmque extrinſece denominetur *peccatum*; infertur non eſſe neceſſario confitendam.

Putant enim aliqui D. Thomam non excludere neceſſitatem omnis actualis influxus, & conſenſus voluntatis, ad hoc vt in ſenſualitate ſit peccatum veniale; ſed excludere dumtaxat conſenſum formalem, & directum: quo oblato remanere adhuc poteſt conſenſus interpretatiuus ad id ſufficiens: nam ſi requiritur quod voluntas poſſit reprimere appetitum, eo ipſo quod non reprimat, conſentit interpretatiue. Quare malitia in motu ſenſualitatis tunc reperta reducenda erit in hunc interpretatiuum conſenſum voluntatis, & non in ipſam ſenſualitatem ſecundum ſe, aut in aliquid habitualiter eam afficiens.

Impugnatur. Verum hanc intelligentiam reiicit expreſſe Ang. Doctor. quæſt. 25. de verit. art. 5. ad 5. ibi, *Non dicitur eſſe peccatum in ſenſualitate propter interpretatiuum conſenſum rationis: quando enim motus ſenſualitatis præuenit iudicium rationis, non eſt conſenſus nec interpretatiuus, nec expreſſus: ſed ex hoc ipſo quod ſenſualitas eſt ſubijcibilis rationi, actus eius quamuis rationem præueniat, habet rationem peccati.* Vides quomodo non recurrit ad aliquam actualem ſubjectionem appetitus ſenſitiui reſpectu voluntatis (quam ſubjectionem neceſſario importaret quilibet actualis influxus ſiue formalis, ſiue interpretatiuus; illud enim in quod voluntas actu quocumque modo influit, actualiter illi ſubijcitur) ſed recurrit ad ſolam ſubijcibilitatem habitualem, quam prædictus appetitus ab origine nactus eſt ex coniunctione ad rationem.

An verò quoties ſenſualitas venialiter peccat, voluntas interpretatiue conſentiat, in quantum poteſt & tenetur illam reprimere, & non reprimit, & quid præſtet interpretatiuus iſte conſenſus dub. 5. conſtabit.

Alia euaſio. 53. Alij reſpondent in omnibus teſtimoniis adductis excludi conſenſum & influxum voluntatis perfectum, & plene deliberatum; non autem imperfectum, & ſemiplenum.

Præcluditur Sed contra, nam art. 3. hujus quæſt. in ſolut. ad 3. ait D. Th. in peccatis, quæ ſenſualitati tribuuntur, nihil operari id, quod eſt principale in homine, ſcilicet ratio, & voluntas: ob idque tunc hominem non agere niſi imperfecte: quia ſolum agit ratione partis ſenſitiuæ *Illud* (inquit) *quod homo facit ſine deliberatione rationis, non perfecte ipſe facit; quia nihil operatur ibi id, quod eſt principale in homine. Vnde non eſt perfectè actus humanus: & per conſequens non poteſt eſſe perfectè actus virtutis, vel peccati; ſed aliquid imperfectum in genere horum. Vnde talis motus ſenſualitatis rationem præueniens eſt peccatum veniale, quod eſt quiddam imperfectum in genere peccati.* Vbi cernis, quòd *D. Thom.* de ipſo homine non dixit nihil operari, ſed dixit non operari perfecte: quia cum operetur ſaltem imperfecte ratione ſenſualitatis, non poterat verificari dictio omnino negatiua. De voluntate verò dixit nihil operari, vt ita excluderet omnem eius operationem, quantumvis imperfectam reſpectu illius actus.

Maior impugnatio. 54. Ad hæc: ſi motus ſenſualitatis habet malitiam peccati venialis à conſenſu imperfecto voluntatis, & non à ſenſualitate ipſa, non eſt cur prædictum peccatum potius quam mortale ſenſualitati tribuatur: ſed vtrumque deberet voluntati, & rationi attribui: mortale quidem vt deliberanti perfectè; veniale verò vt deliberanti imperfecte, & ſic neutrum ſenſualitati. Non enim juxta aduerſariorum ſententiam minus eſt à voluntate imperfectè deliberata malitia venialis, quam à voluntate plene deliberata malitia mortalis: nec magis eſt à ſenſualitate vna quam altera. Aut ergo concedere debent vtrumque peccatum æque ſenſualitati tribuendum, contra expreſſam doctrinam D. Thomæ in hoc articulo 4. aut fateri diſcrimen inter illa à nobis aſſignatum: ſcilicet quòd ad venialis malitiam ſufficit ipſa ſenſualitas, nec requiritur, quod voluntas vel ratio actu aliquid influat: ad malitiam verò mortalis neceſſarius eſt influxus voluntatis, & imperium rationis.

Quàm impugnationem accepimus ex ipſo Ang. Doctore quæſt. 7. de malo art. 6. vbi in corpore ſic ait. *Conſiderandum quod quia actio magis attribuitur principali, & primo agenti, quam inſtrumento, quando interior appetitus, vel membrum exterius operatur ex imperio rationis, attribuitur peccatum non ſenſualitati, vel membro corporali, ſed rationi. Nunquam autem contingit, quod membrum exterius operetur niſi motum vel à ratione, vel ſaltem ab imaginatione, vel ſenſu, & appetitu ſenſitiuo. Vnde peccatum nunquam dicitur eſſe* (intellige intrinſece) *in membris exterioribus, puta manu, vel pede. Sed ſenſualitas quandoque mouetur abſque imperio rationis, & voluntatis, & tunc peccatum dicitur eſſe in ſenſualitate: ſed tamen hoc peccatum non poteſt eſſe mortale ſed veniale tantum*, &c. Et in ſolutione ad quartum. *Quando actus voluntatis vel rationis inuenitur in peccato, tunc directe poteſt attribui rationi vel voluntati, ſicut primo motiuo & primo ſubiecto: ſed quando non eſt ibi aliquis actus voluntatis vel rationis, ſed ſolus ſenſualitatis, qui dicitur peccatum, quia poteſt prohiberi per rationem, & voluntatem, tunc peccatum attribuitur ſenſualitati.* En ſublato omni prorſus rationis aut voluntatis actu, relictoque dumtaxat ſenſualitatis motu, cum facultate tantum vt poſſit prohiberi à ratione, conceditur ei malitia venialis: quæ cum à voluntate ſine eius actu actualiter oriri non poſſit, dicendum eſt oriri à ſola ſenſualitate, quatenus agit ex habituali voluntatis participatione. *D. Thom.*

Aliquorum effugium Alvar. Monteſ. 55. Nec refert ſi dicas cum Alvar. Monteſ. & aliis, quod licet vtrumque peccatum ex actuali conſenſu voluntatis dependeat, videlicet mortale ex conſenſu perfecto, & veniale ex imperfecto, meritò tamen tribuitur ſenſualitati hoc, & non illud: quia quod prædictus conſenſus imperfectus ſit, atque adeo quod voluntas venialiter peccet prouenit ab ipſa ſenſualitate, obnubilante rationem ſuis motibus, & faciente vt non plene deliberet. Quòd autem ſit perfectus, vt requiritur ad peccatum mortale, non oritur à ſenſualitate, ſed à voluntate, & ratione.

Præcluditur. Non itaque hoc refert, quia D. Thom. non vtcumque tribuit ſenſualitati veniale peccatum, ſed ita quòd eius malitia in eam refundatur, tamquam in principium, in quo continetur, & à quo oritur. Et quia hoc non poterat appetitus ſenſitiuus conſideratus præciſe ex ſua ſpecie, quo pacto communis eſt brutis, concedit illi quatenus eſt in homine rationi

Digitized by Google

rationi coniunctus, quoddam ipſius rationis, & voluntatis participium, quoddámque initium libertatis inſufficiens ob ſuam imperfectionem ad peccatum mortale, quod eſt peccatum perfectè; & ſufficiens ad veniale, quod in genere peccati eſt aliquid imperfectum. Vnde quæſt. 25. de verit. art. 5. ſic ait. *Eſt autem aliquis actus moralis per hoc quod aliquo modo eſt in nobis, ſic enim ei debetur laus, vel vituperium: & ideo actus ille, qui perfectè eſt in noſtra poteſtate perfectè eſt moralis, & in eo poteſt eſſe ratio peccati mortalis: ſicut ſunt actus, quos voluntas elicit, vel imperat. Actus autem ſenſualitatis non eſt perfectè in poteſtate noſtra, eo quod præuenit iudicium rationis: eſt tamen aliqualiter in noſtra poteſtate, in quantum ſenſualitas rationi ſubiicitur, vt ex dictis patet: & ideo actus eius attingit ad genus moralium actuum, ſed imperfectè: vnde non poteſt in ſenſualitate eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum perfectum, ſed ſolum veniale, in quo imperfecta peccati ratio inuenitur.* Et in ſolutione ad tertium. *Actus ſenſualitatis eſt in nobis aliqualiter* (hoc eſt aliqualiter eſt liber) *non ex natura ſenſualitatis, ſed in quantum ſenſualitatis vires ſunt rationales per participationem.* Idem repetit ad quartum. *Quamuis ſenſualitatis ſecundum ſe conſiderata non ſit agere* (ſcilicet liberè) *eſt tamen eius prout participat aliqualiter rationem.*

D.Thom.

56. En quoties Ang. Doctor ponit in ſenſualitate participium aliquod libertatis, vt per eam poſſit in peccatum veniale influere, iſtiúſque malitia in ipſam ſenſualitatem ratione talis participij refundatur. At juxta modum dicendi, quem nuper retulimus, non refunditur ſe ipſa in ſenſualitatem aliqua malitia, ſed tantum carentia maioris malitiæ. Solum enim fit (vt intuenti patebit) quod malitia, quæ oritur à voluntate, & quantum eſt ex hac parte poſſet grauitatem mortalis attingere, ratione ſenſualitatis minoretur, & limites venialis non tranſeat: quatenus ſenſualitas impedit deliberationem perfectam. Certum eſt enim, quod minuere deliberationem conſenſus, non eſt dare illi aliquam malitiam, ſed potius auferre illam. Nec talis conſenſus aliquam malitiam habet ex eo quod eſt indeliberatus; imo potius ex eo quod aliqualis deliberatio in eo relinquitur: quod ſi totaliter auferretur, totaliter malitia ceſſaret. Ex eo igitur quod ſenſualitas impediat perfectam deliberationem, ſi nihil aliud præſtet, non poſſet ei attribui aliqua malitia, quantumvis minima, & venialis, vt D. Thom. vbique tribuit, ſed potius carentiam & diminutionem, talis malitiæ: hæc deberet vituperari, quaſi venialiter peccans; ſed laudari, & commendari, quaſi diminuens, & impediens maius peccatum.

Qua via incedat Vaſq.

57. Alia via incedit Vaſquez in explicatione D. Thomæ. Ait enim peccatum mortale poſſe dupliciter conſiderari, vel quantum ad malitiam moralem, per quam contrariatur virtuti; vel ſecundum rationem mortalis, quæ dicit gratiæ, & charitatis priuationem. Nam ſicut gratia ſanctificans eſt ipſa vita animæ, ſic eius priuatio eſt animæ mors, ab eáque prædictum peccatum *mortale* dicitur. Quando ergo D.Thom. negat ſenſualitati peccatum mortale, concedens illi veniale, loquitur de mortali hoc poſteriori modo: quia certum eſt priuationem gratiæ non ſubiectari in illa. Si autem de mortali primo modo loqueretur, eodem pacto tribueret illud ſenſualitati, atque tribuit veniale: quia ſenſualitati abſque motione actuali voluntatis neutrum poteſt attribui, ipſi vero vt ſtat ſub voluntatis motione, non ſolum poteſt tribui veniale, ſed etiam mortale quantum ad moralem malitiam. Ita Vaſquez.

Impugnatur.

Verum omnino diſplicet: nam, vt obiicit bene Monteſ. eadem ratione dici poſſet, neque peccatum veniale ſubiectari in ſenſualitate, ſed in voluntate: quia etiam in hoc peccato eſt conſiderare priuationem feruoris charitatis, quæ ſe habet ad illud ſicut priuatio gratiæ ad mortale: priuatio autem feruoris charitatis non eſt in ſenſualitate, ſed in voluntate, vbi ipſa charitas reſidet.

58. Adde (quidquid ſit alias de hoc modo dicendi) ſaltem non poſſe eſſe ad mentem D. Thomæ, quam inueſtigamus: quia Ang. Doctor totam rationem, cur veniale peccatum poſſit eſſe in ſenſualitate, & mortale non poſſit, reducit ad imperfectionem actus: quia ſcilicet veniale eſt aliquid imperfectum in genere moris, ad quod proinde ſufficit libertas imperfecta, qualis eſt in appetitu ſenſitiuo. E contra vero mortale eſt perfectè peccatum, & ideo requirit libertatem perfectam quæ non eſt niſi in voluntate. Hæc autem ratio manifeſte procedit de prædictis peccatis quantum ad moralem vniuſcuiuſque malitiam, & non ſecundum illas priuationes, vt intuenti conſtabit: ergo, &c.

Adde ſecundò peccatum, quod tribuitur ſenſualitati, juxta D.Thomam non contrariari virtuti, vt videre eſt citato loco de malo ad 1. & de verit. ad 5. ibi: *Peccatum quod eſt in ſenſualitate virtuti non contrariatur*: ergo peccatum mortale, ne dum vt mortale, verum neque vt contrarium virtuti, poteſt in via D.Thomæ ſenſualitati tribui. Tribueretur autem ſi ſermo eſſet de ſenſualitate, quatenus à ratione mouetur, vt fatetur ipſe Vaſquez: male ergo interpretatur mentem Ang. Doctoris. Maneat igitur, legitimam eius intelligentiam eſſe quam tradidimus: videlicet peccatum veniale ideo tribui aliquando ſenſualitati (non enim Thom. loquitur vniuerſaliter, ſed indiffinitè) quia ipſa ſenſualitas prout in homine ſine nouo voluntatis influxu eſt ſufficiens principium ſuæ malitiæ. Mortale vero non tribuitur niſi voluntati, & rationi, quia licet poſſit reperiri in ſenſualitate, non tamen à ſenſualitate ipſa oritur, ſed ab actuali influxu rationis & voluntatis.

59. Dices, ſaltem requiritur juxta doctrinam D. Thomæ ad hoc vt in ſenſualitate ſit peccatum veniale, quod voluntas poſſit illam reprimere: ergo neceſſarius eſt ad prædictum peccatum actualis conſenſus voluntatis ſaltem interpretatiuus. Patet conſequentia: quia certum eſt voluntatem, eo ipſo quod poſſit, teneri ad prædictam repreſſionem, ſicut tenetur ſenſualitatem regere: ſi autem poteſt, tenetur, & non reprimit, iam conſentit ad minus interpretatiue: ſufficit enim ad iſtum conſenſum, *poſſe teneri & non facere.*

Diluitur.

Reſpondetur, aliud eſſe, an quoties ſenſualitas venialiter peccat, reperiatur concomitanter prædictus voluntatis conſenſus: aliud vero

vero an talis conſenſus ab ipſa ſenſualitate exigatur vt præſtet eius peccato malitiam. Primum non inficiamur, propter rationem huius replicæ, de quo latius infra dub. 5. Secundum autem negandum eſt, quia etiamſi intelligeremus voluntatem tunc mere negatiue ſe habere, nullúmque dari in ea etiam interpretativum conſenſum, ſed ſolum potentiam cohibendi ſenſualitatem ſine vlla obligatione, nihilominus ipſa ſenſualitas propter libertatem ſibi ab initio communicatam venialiter peccaret, venialémque malitiam ſuis motibus conferret. Et hoc duntaxat intendimus in hoc dubio: ineſſe ſcilicet noſtræ ſenſualitati propter coniunctionem habitualem cum ratione, & propter libertatem, quam ex hac coniunctione participat, ſufficientem vim ad venialiter delinquendum, non curando pro huiuſmodi peccato de aliquo conſenſu rationis: ſiue talis conſenſus alias, & concomitanter ibi interueniat, ſiue non, ſed omnimoda voluntatis ſuſpenſio. In quo diſtinguimus appetitum ſenſitivum noſtrum ab aliis potentiis, quæ adeò ſunt expertes libertatis habitualis intrinſecæ, vt ſi actualis conſenſus, & influxus voluntatis, aut motio ipſius appetitus non interueniat, vel ſolum concomitanter ſe habeat, nequaquam in earum actibus inueniri poterit malitia moralis; quantum venialis, & imperfecta.

§. II.

Ratio pro ſententia D. Thomæ.

60. PRincipalis ratio noſtræ aſſertionis ſumitur ex teſtimoniis D. Thomæ iam allatis, potéſtque reduci ad hanc formam. Appetitus ſenſitivus hominis habet habitualiter aliquam libertatem à voluntate participatam, & deriuatam: igitur poterit vtendo hac libertate abſque nouo voluntatis influxu peccare venialiter, proſequendo obiectum peccaminoſum. Conſequentia videtur perſpicua: nam proxima ratio ob quam, ſuppoſita deformitate objecti, actus eſt capax malitiæ, eſt libertas, adeò vt cæteris paribus iuxta gradum libertatis ſit gradus malitiæ: eodem ergo tenore quo conceditur ſenſualitati libertas, debet illi malitia concedi. Antecedens, præter quam quod iam vidimus eſſe D. Thomæ, probatur ratione. Quoniam generale eſt in cauſis & viribus ſubordinate vnitis, vt inferior ex coniunctione ad ſuperiorem aliquid eius participet, quo eleuetur, & perficiatur, & media hac eleuatione modum agendi ipſius ſuperioris vtcunque attingat: & ita videmus cœlum ex coniunctione ad intelligentiam motricem, & ex hujus refluentia participare in ſe virtutem ad producenda aliqua viuentia licet imperfecta & vilia, quæ tamen cælum ipſum præciſè ſecundum ſe, vtpote vitæ expers, nequaquam produceret. Phantaſma etiam ex coniunctione ad intellectum agentem accipit vim, quam ex ſe non habebat ad producendam ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili: & ſic de aliis: vnde ortum habuit proloquium illud, *Supremum infimi attingit infimum ſupremi*: ſupremum enim quod in agente inferiori inueniri poteſt, eſt virtus à ſuperiori communicata, vt intra eius ſphæram aliquem effectum ex imperfectioribus attingat: ſed appetitus ſenſitivus in homine eſt ab initio coniunctus voluntati, tanquam vis & cauſa inferior cauſæ ſuperiori: ergo participat ex tunc aliquid de eius linea, quo perficiatur, & eleuetur ſupra communes ſuas vires, ad attingendum ſaltem imperfectè modum operandi voluntatis proprium, qui eſt cum indifferentia, & libertate.

Confirmatio ratio.

61. Confirmatur à ſimili: quoniam ſenſus interni, qui ſunt intellectui viciniores, vt cogitatiua & retuiniſcentia ob hanc coniunctionem participant aliquid proprium ipſius intellectus, ratione cuius in homine extendunt ſe vltra id, quod præſtant in cæteris animalibus: nam vtuntur aliqua collatione, & diſcurſu; aliquoque iudicio imperfecto: proptereáque ſortiuntur ſpecialia nomina, & quæ in brutis vocatur *æſtimatiua*, in homine dicitur *cogitatiua* vel *ratio particularis*, quæ verò in illis nominatur *memoria*, in homine appellatur *reminiſcentia*, quibus nominibus denotatur, ineſſe his potentiis quamdam vim collatiuam particalarium rationum, & deductiuam vnius ex alio, quæ ſoli homini poteſt competere: cum ergo appetitus ſenſitivus hominis non ſit minus coniunctus voluntati, quam ſenſus iſti intellectui, participabit vtique ab illa, licet imperfectè, & diminutè proprium eius modum agendi, qui eſt cum dominio, & libertate. Neque inter exemplum, & rem, de quà agimus, facile poterit diſparitatis ratio aſſignari.

Alia confirmatio.

Confirmatur ſecundò: nam eo ipſo quod natura coniungatur cum gratia, dimanat ab ipſa gratia quædam refluentia, & participatio, per quam potentiæ, & virtutes naturales perficiuntur & eleuantur ad operandum modo proprio ipſius gratiæ, ſcilicet per reſpectum ad vltimum finem ſupernaturalem: hic enim modus operandi non ſolum inuenitur in virtutibus infuſis, quæ à gratia dimanant, ſed etiam in acquiſitis, & in omnibus potentiis immanentibus voluntati ſubiectis: per illúmque ſapiunt gratiæ conditionem, vt alibi ex profeſſo oſtendemus: ergo à fortiori inter ipſas vires naturales concedenda erit ſimilis refluentia, & participatio, vt ſcilicet inferiores, iuxta vniuſcuiuſque capacitatem, recipiant aliquid à ſuperioribus, per quod earum conditionem ſapiant, & redoleant, earúmque modum operandi ſaltem imperfectè & diminutè imitentur.

Occurſus ad rationem.

62. Occurrunt huic rationi authores contrariæ ſententiæ variis ſolutionibus. Nam aliqui abſolutè negant prædictam participationem, ſiuè in appetitu reſpectu voluntatis, ſiue in cogitatiua reſpectu intellectus: nullam his potentiis concedentes perfectionem præter eam, quæ ipſis competit ex ſua ſpecie communem hominibus, & brutis.

Præluditur.

Iſti tamen potius fugiunt argumentum, quam ſoluant relinquentes in ſuo robore eius probationes. Et ſaltem D. Thomæ manifeſtè aduerſantur, qui perpetuus eſt in adſtruendo participationem quam diximus. Præſertim 1. p. quæſt. 78. art. 4. in corp. & in ſolut. ad 5. ibi. *Illam eminentiam* (videlicet poſſe componere, diuidere, & diſcurrere, vt dicitur in argumento) *habet cogitatiua, & memoratiua in homine, non per id quod eſt propriũ ſenſitiuæ partis, ſed per aliquam affinitatem, & propinquitatẽ ad rationem vniuerſalem*

vniuerſalem ſecundum quandam refluentiam. Et ideo non ſunt alia vires, ſed eadem perfectiores, quàm in aliis animalibus. Similiter reperiri in appetitu ſenſitiuo hominis quoddam rationis; & voluntatis participium, à quo dicitur *rationalis per participationem*, docet hac 1. 2. quæſt. 46. art 4. & art. 6. & quæſt. 25. de verit. art. 5. ad 3. & ad 4. quibus in locis crebrò repetit, quod in homine vires ſenſualitatis ſunt rationales per participationem, & quod ineſt illis quædam aptitudo ad obtemperandum rationi, quam non habent in cæteris animalibus, vbi ſunt à voluntate, & intellectu ſeparatæ: non ergo ſtando in principiis Ang. Doctoris, negari omnino poteſt prædicta participatio.

S. Thom.

Alia euaſio. Curiel. Aluar. Vaſq.

63. Secundo reſpondent Curiel, Aluar. Vaſq. & alij, quod licet cogitatiua, & reminiſcentia participent ab intellectu aliquam vim diſcurrendi, non inde colligitur appetitum ſenſitiuum participare à voluntate libertatem: quia diſcurſus ille cogitatiuæ eſt ita imperfectus, vt non pertingat ad proponendum obiectum cum aliqua indifferentia, ſine qua nulla libertas quantumvis imperfecta eſſe poteſt. ¶ Addit Vaſquez, quod ſi in cogitatiua eſt aliqua ratio diſcurſus, ideo eſt, vt rectè ſeruire poſſit intellectui, qui ſpeciebus ex phantaſmatibus acceptis, & ſimul cogitatione ſenſus ad diſcurſum adiuvatur: at inter voluntatem & appetitum non eſt ſimilis connexio: quinimo, cum inter intellectum, & phantaſiam ſummam concordiam natura poſuerit in cogitando & diſcurrendo; inter appetitum & voluntatem pugna potius eſt, nam & voluntas ſæpenumero libere appetit id, quod non vellet appetitus.

Diſcrimen ex Vaſq.

Impugnatur euaſio.

Sed hoc totum non ſatisfacit: nos enim non intendimus, quod ſolus ille diſcurſus cogitatiuæ, aut eius indifferentia ſufficiat ad regendam libertatem quam in appetitu ſenſitiuo collocamus: ſed ex eo quod prædictus appetitus habet ſe ad voluntatem quantum ad vnitatem, & approximationem, radicationemque in eodem principio, ſicut cogitatiua ſe habet ad intellectum, deducimus debere vtrobique, ſeruata proportione, inueniri participationem, & refluentiam vnius potentiæ in aliam: nec ſatis cohærere, cogitatiuam propter prædictam coniunctionem recipere in ſe aliquid, quo ſapiat conditionem intellectus; & ſenſualitatem non minus coniunctam nihil recipere, ſapiens naturam voluntatis. Sicut autem id quod ponitur in cogitatiua ſapiens naturam intellectus ſolùm poteſt eſſe aliqua vis diſcurſiua, vel iudicatiua, quia per hoc tantum diſtinguitur intellectus à potentiis cognoſcitiuis inferioribus, ita illud quod ponitur in ſenſualitate ſapiens voluntatis conditionem, non poteſt eſſe aliud quam libertas, quia hæc ſola diſtinguit voluntatem ab omni inferiori appetitu. Cui verò indifferentiæ innitatur libertas hæc ſenſualitatis, & quo iudicio reguletur, conſtabit num. 101.

Reiicitur diſcrimen.

64. Neque eſt alicuius momenti illud quod addit Vaſquez: imo oppoſitum conuincit. Nam ſicut quia neceſſarium eſt, vt cogitatiua intellectui inſeruiat, conceditur ei aliqua perfectio ex ipſo intellectu deriuata per quam ſapiat eius conditionem, & in modo operandi ipſi aliqualiter conformetur: ita propter eamdem rationem concedenda eſt ſenſualitati ſimilis perfectio à voluntate participata, ſapienſque eius naturam, per quam conformetur illi in modo agendi, ipſique obediat, quia non minus neceſſaria eſt homini hæc obedientia, & conſenſio inter appetitum, & voluntatem, quam illa conformitas inter cogitatiuam, & intellectum. Imo quo magis ſenſualitas natura ſua voluntati reſiſtit, eo magis neceſſaria eſt participatio prædicta, qua illi conformetur. Quod autem inter has potentias maneat adhuc pugna, & rebellio, arguit quidem, prædictam participationem non eſſe ita adæquatam, ſicut requirebatur ad earum perfectam concordiam: & ſicut poſtea fiet per habitus virtutum moralium, qui ad hoc ponuntur in appetitu ſenſitiuo, vt plene eum rationi ſubijciant. Non tamen probat quod nullo modo detur: quia licet appetitus multoties reſiſtat voluntati, ſæpe etiam obtemperat, & eius nutum ſequitur: præſertim cum illa efficaciter imperat. Hanc autem qualem qualem obedientiam neutiquam haberet, niſi aliquid ordinis rationis in ſe participaret: ſicut eam non habet appetitus bruti, quia talis participationis expers eſt.

Adde quod licet ſenſualitas, & voluntas moraliter (vt ſic dicamus) non ſint ita connexæ ſicut cogitatiua, & intellectus, quia iſta ſuis actibus non pugnant inter ſe, illæ vero ſæpe rixantur, phyſice tamen (hoc eſt) ex parte principij, & ex parte radicis, à qua pullulant, eamdem omnino habent coniunctionem: nam ita immediate oritur ab anima ratione appetitus ſenſitiuus ratione voluntatis, ſicut cogitatiua ratione intellectus. Porro participatio quam diximus, non fundatur in coniunctione morali, tametſi ad eam efficientiam ordinetur, ſed in coniunctione phyſica: (hoc eſt) in eo quod radicantur in eadem anima rationali, & ab ea ſubordinate dimanant: nempe appetitus mediante voluntate, & ratione illius, ſicut cogitatiua ratione intellectus, & illo mediante. Cum itaque in hac coniunctione phyſica pares ſint ſenſualitas cum voluntate, & cogitatiua cum intellectu, pares quoque eſſe debent in prædicta participatione.

65. Tertio Medina, & alij fatentur, ineſſe ſenſualitati aliquam libertatem à voluntate participatam. Dicunt vero huiuſmodi libertatem eſſe ita modicam, & imperfectam, vt ſine actuali voluntatis conſenſu non ſufficiat ad peccandum etiam venialiter. Pro quo nonnulli apud Curielem diſtinguunt duos gradus libertatis. Primum dicunt conſiſtere in indifferentia quadam ad agendum, vel non agendum, & ad agendum hoc vel illud ſine vllo ordine ad honeſtatem: & hanc appellant *libertatem phyſicam*, tribuuntque eam amentibus, & pueris nondum peruenientibus ad rationis vſum. Secundum dicunt conſiſtere in indifferentia ad operandum bene vel male moraliter: propter quod hanc libertatem *moralem* appellant. Poſſe vero priorem gradum ſine poſteriori reperiri, inde probant, quia libertas, ſeu indifferentia in agendo proportionatur cognitioni: atqui poteſt reperiri lumen cognitionis ſufficiens ad iudicandum vnum eſſe magis bonum in ordine ad naturam, aut ad delectationem, & ex conſequenti magis acceptandum quam alterum, & non ad diſcernendum

Tertia euaſio ex Medina, & aliis.

Digitized by Google

diſcernendum perfecte inter bonum & malum morale; vt patet in amente, qui iudicat melius eſſe *ſedere*, quam *præcipitare ſe ipſum*; & tamen non cognoſcit diſcrimen inter bonum honeſtum, & malum oppoſitum: ergo etiam poteſt reperiri prior gradus libertatis ſine poſteriori. Hac igitur via explicant, qua ratione appetitus ſenſitivus in homine poſſideat intrinſecam libertatem, ſcilicet ſecundum priorem gradum, quæ eſt libertas phyſica, & tamen non ſit capax peccati etiam venialis, quia non pertingit ad poſteriorem, quæ eſt libertas moralis.

Refellitur. 66. Sed non minus efficaciter hæc euaſio impugnari poteſt, quam præcedentes: quia cum peccatum veniale in genere peccati ſit minimum, & valde imperfectum, oportet vt quamtumvis minima, & imperfecta libertas ad illud ſufficiat: ſi namque ad peccatum vt ſic ſufficit libertas vt ſic, & ad peccatum perfectum, quale eſt mortale, libertas perfecta; ad peccatum minimum, & imperfectum, vti eſt veniale, minima & imperfecta libertas ſufficere debet. Vel igitur nulla concedenda eſt ſenſualitati; vel ſi aliqua conceditur, quantumvis minima ſit, fatendum eſt ad prædictum peccatum ſufficere.

Maior Impugnatio eiuſdem euaſionis. Præterea: illa libertas ſufficit ad peccandum venialiter, quæ ſatis eſt, vt actus ſub dominio rationis aliquo modo cadat: ſed ad hoc ſufficit libertas, quæ ſenſualitati tribuitur, quantumcumque imperfecta ſit: ergo, &c. Maior conſtat, nam eo ipſo quod actus aliquo modo cadat ſub dominio rationis, capax eſt, vt eodem proportionali modo cadat ſub lege, quæ eſt regula moralitatis, proindéque moralitatem ſaltem malàm recipiat: lex enim totum id comprehendere valet, quod in noſtra poteſtate quoquo modo eſt, & ſubeſt dominio rationis. Minor vero probatur: nam libertas, quam ſenſualitati tribuimus, licet non requirat, quod voluntas, in eius motum actualiter influat; requirit tamen vt poſſit influere, præcipere illud, & prohibere: quod ſi hæc poteſtas voluntati deeſſet, eo ipſo deficeret in ſenſualitate omnis libertas. Et hoc eſt quod D. Thom. frequenter ait, ſcilicet ſenſualitatem in ſuis motibus, etiam cum præuenit iudicium rationis circa illos, operari libere ſaltem imperfectè; quia adhuc tunc poteſt rationi tales motus prohibere, licet de facto non prohibeat, neque ad eos plene attendat.

Confirmatio impugnationis. 67. Confirmatur, nam vt tom. præced. tract. de bonit. & malit. diſp. 1. dub. 1. explicuimus, regulæ morales ad hoc ſunt inſtitutæ, vt mediis illis detur noſtris actibus determinatio ad eſſendum, vel non eſſendum, quam natura non tribuit: & ideo quicumque actus non eſt à natura omnino determinatus, ſed poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi, manet aliquo modo contingens & indifferens, vt ſit vel non ſit, iuxta gradum talis indifferentiæ eſt determinabilis per prædictas regulas: atqui omnis actus aliquo modo liber, quantumvis minima ſit hæc libertas, manet non omnino determinatus ad eſſendum, ſed cum aliqua indifferentia: aliter in intelligibile eſt, in quo illa libertas conſiſtat: igitùr omnis talis poteſt ſubeſſe regulæ morali, & recipere ab ea determinationem, quam ex principiis naturæ non accepit. Ex quo patet diſtinctionem illam libertatis pene phyſicam & moralem, qua aduerſarij vtuntur, ſi intendant, hos eſſe diuerſos gradus, omnino voluntariam eſſe: quia nulla eſt libertas quantumvis minima, & imperfecta, quæ ſi veram rationem libertatis attingit, non ſit capax determinandi per regulas morum, ac proinde quæ non ſufficiat ad moralitatem: in quo conſiſtit, quod ſi libertas moralis. Non enim ideo *moralis* vocatur, quaſi ſit ipſa moralitas; ſed quia quantum eſt ex ſe ſufficit ad fundandam moralitatem.

Diximus *ſi intendant eſſe diuerſos gradus*, &c. quia non negamus, eumdem gradum libertatis, qui dum coniunctus eſt moralitati, poteſt dici *libertas moralis*, manere aliquando ſine moralitate aliqua: & tunc non immeritò dicetur *libertas tantum phyſica*. Hoc tamen non eſt ex defectu libertatis: non etiam libertas omnino plena, quæ apud omnes ad moralitatem ſufficit, inuenitur quandoque ab ea ſeparata, non ex defectu ſui, ſed ex ignorantia, vel inaduertentia legis, vt explicuimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 7. num. 26. vbi conceſſimus poſſe dari per accidens ex prædicta ignorantia aliquos actus plene liberos in indiuiduo indifferentes, & ſine vlla moralitate. Hoc igitur à fortiori poteſt contingere in libertate ſemiplena, vt ſcilicet & ſi intellectus ſemiplene aduertat entitatem phyſicam obiecti, & cum aliqua indifferentia; non tamen ſtatim occurrat ei mentio circa moralitatem: manebitque tunc actus ſemiplene liber, quia poteſt homo licet potentia imperfecta, plene aduertere; & ſine aliqua moralitate, quia huius regulæ pro tunc non occurrunt, vt in dubiis ſequentibus magis declarabitur. *Diſcrimen libertatis moralis, & phyſica.*

68. Diximus *etiam ſi veram rationem libertatis habet*, &c. quia illa quæ apparet in actionibus amentium, & puerorum ante vſum rationis, nequaquam eſt vera libertas; ſed ſimilitudinaria & apparens, vt quæ cernitur in actionibus aliquorum irrationabilium. Vera enim libertas ſiue moralis, ſiue phyſica requirit vt ſuppoſitum, in quo eſt, habeat verum dominium ſupra actionem liberam: ſiue hoc dominium ſit in ipſa potentia elicitiua actionis, ſiue in alia: verum autem dominium non poteſt inueniri ſine iudicio deliberato rationis, quod vel actu detur, vel ſaltem in potentia ſuo modo proxima, & expedita. Cum igitur amentes, pueri, & bruta neque habeant tale iudicium, neque potentiam expeditam ad illud eliciendum conſequens eſt vt nullatenus vera libertate gaudeant. Vnde quidquid agunt, quantumvis ordinatum & artificioſum videatur, agunt ſine electione ex ſolo inſtinctu naturæ: quod ſequi vel non ſequi non ſubeſt eorum poteſtati: ſed vbi apprehendunt aliquid vt bonum & conueniens ſuæ naturæ, v. g. manducare, ſedere, &c. neceſſario in id feruntur: vbi vero apprehendunt aliquid vt malum & diſconueniens, neceſſario id refugiunt. Nec concedenda eſt illis aliqua altior cognitio, aut magis diſcretiua inter bonum & malum, quam prædictus inſtinctus, qui ſicut non eſt indifferens in proponendo, ſed determinatus à natura, ita non poteſt eſſe radix alicuius: veræ libertatis. Maneat igitur, nullum actum eſſe, vere liberum, etiam in infimo gradu libertatis, niſi connotes dominium rationis, & poſſit regulam moralem, ſi adeſſet, attingere: atque adeo nullam eſſe veram libertatem, niſi habeat quidquid libertas *In amentibus & pueris non eſt vera libertas.*

libertas moralis præciſè in linea libertatis imperfectæ requirit. Si itaque ſenſualitati hominis conceditur aliqua vera libertas quantumvis modica & imperfecta, negari non debet, quod talis libertas ſufficiat quantum eſt ex ſe ad moralitatem imperfectam & minimam, qualis eſt malitia peccati venialis.

§. III.

Diluuntur nonnulla obiectiones.

Prima ſolutio. 69. Contra doctrinam vſquemodo traditam ſunt aliquæ obiectiones, ex quarum ſolutione non parum dilucidabitur. Obiicies ergo primo ſic. Maiorem coniunctionem habent intellectus & voluntas inter ſe, quam ſenſus interni cum ipſo intellectu, & ſenſualitas cum voluntate: ſed tota illa coniunctio non ſufficit, vt intellectus participet habitualiter à voluntate aliquam libertatem, qua poſſit abſque ipſius voluntatis applicatione in actum liberum prorumpere, neque vt voluntas ab intellectu recipiat aliquam vim diſcurrendi, vel iudicandi, vt eſt per ſe notum: ergo neque ita ſufficiet ad ſimilem participationem in ſenſibus, & in ſenſualitate.

Confirmatio. Confirmatur, quia viciniores ſunt ſenſus externi ſenſibus internis, quam ipſi interni ſenſus intellectui, & ſenſualitas voluntati: atqui in ſenſibus externis nihil ponitur ab internis participatum: ergo, &c.

Prima ſolutio. Reſpondet ad obiectionem perdoctus quidam iunior, intellectum propterea non participare libertatem, quia non dimanat ab anima mediante voluntate, ſed priùs natura quam illa: & ideo non ſupponit aliquod principium formaliter liberum, à quo libertatem recipiat. Secus vero appetitus ſenſitivus, qui ſupponit voluntatem, & dimanat mediante ipſa; ſicut & ſenſus interni ſupponunt intellectum, & medio illo procedunt. *Deſeritur.* ¶ Sed licet hæc ſolutio videatur probabilis; non eſt tamen adæquata: quia ſaltem non reddit rationem, cur voluntas, quæ ſupponit intellectum prius natura ortum nihil diſcurſus vel iudicij ab eo participet.

70. Quare melius reſponderetur dicendo, participationem habitualem quoad illas formalitates, quæ præciſè ſunt de linea potentiæ, ſicut eſt libertas, non habere locum inter potentias eiuſdem ordinis, vti ſunt intellectus & voluntas comparatæ inter ſe, quorum vtrumque ſpectat ad ordinem rationalem: & vt ſunt potentiæ ſenſitiuæ, ſiue cognoſcitiuæ, ſiue appetitiuæ inter ſe etiam collatæ, quæ omnes ad ordinem ſenſitivum pertinent. Sed ſolum inter potentias diuerſorum ordinum, ſcilicet ſuperioris, & inferioris: quo pacto ſe habent ſenſus interni reſpectu intellectus, & appetitus ſenſitivus reſpectu voluntatis.

Solutio alia. Ratio eſt, quia potentiæ quæ ſunt vnius ordinis per ſuam eſſentiam habet vnaquæque, quidquid in eo ordine apta nata eſt de linea potentiæ recipere. Natura enim virtutem, & actiuitatem cuiuſlibet ordinis ita inter eius potentias diſtribuit, vt vnicuique per ſuam eſſentiam dederit quidquid habitualiter ex tali ordine, & intra limites potentiæ ſuum eſſe poterat, nullámque perfectionis alterius famelicam reliquit: quare fruſtranea eſſet quælibet ſuperaddita & accidentalis participatio vnius ab alia, quæ ſit habitualis, & per modum potentiæ: fruſtra enim daretur alicui per modum participationis, quod per ſuam eſſentiam potuit obtinere. Cæterùm inter potentias diverſorum ordinum admittitur prædicta participatio: quia licet ſuperior ordo contineat id, quod eſt proprium inferioris, non tamen è conuerſo: & ideo opus eſt aliqua participatione accidentali à potentiis ordinis ſuperioris ad potentias inferiores deriuata, qua mediante huiuſmodi potentiæ eleuentur ad ſupremum, quò peruenire poſſunt, & ſic eleuatæ ipſum ordinem ſuperiorem imperfectè ſaltem & in ſui infimo attingant. Modus enim diuinæ prouidentiæ eſt rerum ordines inter ſe conjungere, ita vt ſupremum infimi attingat infimum ſupremi. Ob hanc igitur rationem ſenſualitas, quæ eſt appetitus ordinis inferioris nempe ſenſitiui, debet participare aliquid etiam de linea potentiæ à voluntate, quæ eſt appetitus ordinis ſuperioris ſcilicet rationalis: & ſimiliter cogitatiua, & reminiſcentia ab intellectu. Voluntas autem non debet participare aliquid ab intellectu; neque intellectus ab illa, quod ſit habituale, & de linea potentiæ, quia ſunt vnius ordinis, & vnumquodque ex illis per ſuam eſſentiam accipit quidquid potentialitatis talis ordo ei poteſt impertiri.

71. Diximus *quoad illas formalitates, quæ præciſè ſunt de linea potentiæ*, &c. ne excluderemus participationem in aliquibus aliis, quæ potius ſunt de linea habitus: vti ſunt quotquot ex propria ratione habent afficere bene vel male ſubiectum. *Animaduertendum.* In hoc quippe eſſentia habitus ſita eſt, vt diſponat bene vel male naturam. Sub quo continentur omnia vitia, & virtutes, & etiam aliqua alia, quæ licet rigoroſe habitus non ſint, determinant tamen per modum habitus, hoc eſt, ad *bene*, vel *male eſſe* ſubiecti, cui inſunt. Et ita hæc omnia egrediuntur lineam potentiæ: cuius ratio præciſè attenditur in ordine ad operationem ſecundum ſe, præſcindendo à ratione boni vel mali, conuenientiæque, aut diſconuenientiæ, vt dicitur in prædicamento qualitatis. Unde illa dumtaxat dicimus de linea potentiæ, quæ neque bonum neque malum, conuenientiam, aut diſconuenientiam determinatè reſpiciunt; ſed indiſcriminatè vtrumque: cuiuſmodi eſſe libertatem nemo ambigit. In illis ergo prioribus formalitatibus non eſt ratio ad denegandam etiam inter potentias eiuſdem ordinis participationem vnius ex alia; ſicut adeſſe diximus in poſterioribus. Quia cum illæ lineam potentiæ egrediantur, non eſt neceſſe, vt quælibet potentia habeat per ſuam eſſentiam de hoc genere perfectionis, quidquid in ſe poteſt recipere; ac proinde quod non valeat illud aliunde participare. Ex qua obſeruatione facile dilues replicas, & inſtantias, quæ contra prædictam ſolutionem poſſunt adduci.

Alia animaduerſio. Diximus, *etiam participationem habitualem*: quia actualiter non eſt inconueniens, vt potentiæ eiuſdem ordinis quomodolibet ſe inuicem participent, eo quod poſſunt ſe inuicem mouere, vt in aliquem actum ſubordinatè influant. Cum enim vnus & idem actus ſæpe poſtulet concurſum duarum potentiarum, nec poſſit immediatè & elicitiue ab vtraque procedere

Digitized by Google

cedere, oportet quod procedat ab vna mediante altera: atque adeò quod illa à qua immediatè elicitur, recipiat aliquid ab ea, à qua non elicitur, ratione cuius talis actus ab iſta quoque ſit, non eliciriuè ſicut ab illa, ſed imperatiuè. Propter hanc rationem voluntas quando operatur, recipit aliquid ab intellectu ſcilicet ordinem, quem communicat in virtute ipſius intellectus actui à ſe elicito, puta electioni. Et intellectus quando agit liberè, recipit aliquid à voluntate, nempe libertatem & efficaciam, quas in virtute eiuſdem voluntatis communicat ſuæ intellectioni. Quia oportet in quemlibet ex iſtis actibus concurrere indiuulſe totum ordinem rationis, atque adeò vtramque potentiam intellectiuam, & volitiuam, per quas ordo iſte diſperſus eſt.

Ad confirmationem patet ex dictis: nam ſenſus externi ſunt eiuſdem ordinis cum internis, & ita ceſſat ratio participationis inter illos. Neque etiam ab intellectu, qui eſt ſuperioris ordinis, debent ſenſus externi aliquid participare: quia non cuilibet potentiæ inferioris ordinis conceditur participatio ſuperioris, ſed dumtaxat ſupremæ: ſupremum enim infimi eſt, cui conceditur vt attingat infimum ſupremi. Conſtat autem in ordine ſenſibili, ſupremum locum tenere ſenſus internos, & appetitum; non vero externos, qui materialiores ſunt, & in infimo ſenſibilitatis gradu conſtituti.

72. Quod ſi neque hac ſolutione animus quieſcat (forte enim punget ſcrupulus, quod intellectus videtur habitualiter accepiſſe ex voluntate aliquem ordinem ad bonum, & aliquam efficaciam, per quæ efficitur practicus: neque ita apparet, quomodo iſta egrediantur lineam potentiæ) reſpondeas ſecundò, ex coniunctione & affinitate inter potentias tunc ſolum deduci participationem vnius ab alia, quando ratio participanda ex aliquo alio capite participanti non repugnat: quia ſemper ſupponi debet in ea quæ participat capacitas, & non repugnantia ad prædictam participationem. Porro in voluntate non eſt capacitas, vt participet ex aliquo vim iudicandi aut diſcurrendi: neque in intellectu vt participet libertatem ſufficientem ad agendum ſine voluntatis applicatione: ſicut neque in ſenſibus eſt capacitas ad ſimilem libertatem, neque in appetitu ſenſitiuo ad iudicium vel diſcurſum.

Doctrina pro veriori ſolutione. Ut vero horum omnium tradamus rationem, obſerua primo, quod cum ex vna potentia deriuatur aliquid in aliam (idem eſt de habitibus, & actibus) hoc non poteſt eſſe ipſa primaria, entitatiua, & ſubſtantialis, ac propriiſſima ratio potentiæ, à qua deriuatur. Alias enim media tali participatione vna potentia fieret formaliter & ſimpliciter altera, & vnus habitus fieret formaliter alius: quod eſſet penitus ea confundere, pluráque alia inconuenientia pararentur. Solum ergo fieri poteſt prædicta deriuatio quoad aliquam rationem, quæ ſe habeat tanquam formalitas, modus, determinatio, aut reſpectus talis potentiæ, ſupponens & veluti qualificans eius rationem entitatiuam, propriiſſimam & ſubſtantialem. Hac ratione in nullam potentiam poteſt ab intellectu deriuari vis ad intelligendum, neque ex voluntate ad amandum, neque ex charitate ad Deum formaliter diligendum, neque ex fide ad credendum. Poteſt autem deriuari ab intellectu aliqua ratio ordinis, iudicij, aut diſcurſus, & à voluntate aliqua vis mouendi vel applicandi, & à charitate aliqua relatio, & inclinatio in Deum, &c. quia huiuſmodi non ſunt ipſæ rationes ſubſtantiales omnino primariæ, & propriiſſimæ prædictarum facultatum, ſed ſupponunt eas: & addunt aliquas formalitates non ita primarias & propriiſſimas (propriiſſimas dicimus, quæ explicant primarium propriiſſimum munus potentiæ, vt in intellectu intelligere, in voluntate amare, &c.)

Deinde nota, non omnes huiuſmodi rationes participabiles poſſe indifferenter in quamlibet potentiam deriuari: nam aliquæ taliter determinant potentiam, ad quam deriuari poſſunt vt in nullam aliam valeant deſcendere: aliæ verò non ita, ſed poſſunt promiſcue participari in pluribus. v. g. ratio diſcurſus aut iudicij omnino eſt determinata ad potentias cognoſcitiuas: quia vtrumque claudit eſſentialiter cognitionem: non enim poteſt intelligi, quod aliquis iudicet vel diſcurrat niſi cognoſcendo: vnde licet hæc ratio poſſit ab intellectu deriuari in imaginatiuam, cogitatiuam, aut memoriam, quæ ſunt potentiæ cognoſcitiuæ; non tamen in voluntatem, aut in appetitum, quæ cæca ſunt. E contra vero ratio ordinis in omnes prædictas potentias poteſt ab intellectu deriuari: quia hæc ratio non eſt ſic determinata ad cognitionem; ſed poteſt diuagari per illa omnia, quæ poſſunt ab intellectu dirigi.

73. Tertiò nota, quod ſicut ratio diſcurſus eſt omnino alligata potentiis cognoſcitiuis, & ideo nequit participari, aut reperiri in appetitiuis: ita libertas habitualis, quæ dicit vim ad agendum ſine alterius potentiæ applicatione, omnino eſt determinata ad potentias appetitiuas, & ideo neque intellectui, neque aliis cognoſcitiuis poteſt eius participatio competere. Ratio eſt, quia applicare ſe ad exercitium actus, quod eſſentialiter clauditur, vel ſupponitur in prædicta libertate, nullatenus fieri poteſt niſi per appetitum, & amorem boni allicientis, & trahentis ad ſe potentiam ſe applicantem: & ita omnino fieri nequit niſi à potentia, cuius ſit amare, & appetere, quæ ſunt primariæ rationes voluntatis & appetitus: quare ſicut iſtæ rationes propter dicta in primo notabili nequeunt participari in aliqua potentia cognoſcitiua, ita nec prædicta libertas. ¶ Diximus *libertas habitualis, quæ dicit vim ad agendum ſine alterius potentiæ applicatione*, &c. Tum propter dicta num. 71. de libertate actuali intellectus ex applicatione voluntatis. Tum etiam quia non renuimus concedere eidem intellectui aliquod participium libertatis etiam habitualis, conſiſtentis, non in illa virtute ſe applicandi, ſed in reſpectu ad voluntatem reduplicatiue vt potentem libere mouere: ſicut eſt libertas aliquorum habituum ipſius intellectus, & eorum qui in appetitu & voluntate exiſtunt. Hæc tamen libertas talis eſt conditionis, vt ſine actuali voluntatis applicatione nullatenus valeat in actum prorumpere. Quo contra ſe habet illa imperfecta, quam appetitui ſenſitiuo tribuimus: nam poteſt prodire in actum ſine prædicta actuali motione; & ideo nequit eſſe

eſſe niſi in potentia appetitiua, quæ ex amore boni allicientis poteſt ſe ad exercitium applicare.

Verior ſolutio. Ex his habetur vera ſolutio obiectionis. Nam admiſſa maiori, & conceſſa minori de libertate habituali in ea explicata, neganda eſt conſequentia: eo quod talis libertas non eſt capax participandi à potentiis cognoſcitiuis; bene tamen ab appetitiuis: ſicut vis iudicandi & diſcurrendi eſt incapax vt participetur in potentiis appetitiuis, ſecus vero in cognoſcitiuis.

Ad confirmationem dicas ſenſus externos ob ſuam maiorem materialitatem eſſe incapaces participandi iudicium aut diſcurſum ab intellectu. Præterquam quod hæc participatio non competit omnibus potentiis ordinis inferioris, ſed dumtaxat ſupremis in eo: vti ſunt in ordine ſenſitiuo ſenſus interni reſpectu intellectus, & appetitus reſpectu voluntatis. An vero ab ipſis ſenſibus internis externi aliquid aliud participent, haud refert ad præſentem difficultatem: & licet non ſit euidens ratio ad id negandum; non debet tamen facile affirmari.

Secunda obiectio. 74. Secundo obiicies contra impugnationem tertiæ euaſionis numero 65. factam, ſequi ex illa doctrina, omnes motus ſenſualitatis, quos ratio potuit præuenire, & non præuenit, etiam ſi verſentur circa obiecta indifferentia, eſſe peccata venialia, non ſecus ac cum circa illicita verſatur, ac proinde nullum huiuſmodi motum manere in indiuiduo indifferentem, & extra genus moris: hoc autem videtur contra D. Thomam, & contra veritatem: ergo, &c. Sequela videtur perſpicua, nam tales motus per nos habent aliquam libertatem, ex eo quod poſſunt à ratione impediri, licet de facto nihil circa eos decernat: vel ergo iſta libertas eſt tantum phyſica, inſufficienſque ad moralitatem? Et hoc eſt quod numero citato contra Medinam & alios reiecimus. Vel eſt libertas moralis conſtituens actum ſub lege? Et ſi hoc dicatur, obiectio habet intentum, ſcilicet quod omnes prædicti motus ſint actus morales, & conſequenter boni vel mali: non enim in genere moris inter hæc duo cadit medium: cúmque non ſint boni, vt ex ſe liquet, ſequitur debere eſſe malos, ſaltem ob defectum finis honeſti, ſicut cæteri actus otioſi.

D.Thom. Minor vero ſuadetur. Tum quia D. Thom. ſupra quæſt. 18. art. 9. excludit prædictos motus à genere morali, & hac via concedit manere in indiuiduo indifferentes. *Si actus* (inquit) *non procedit à ratione deliberatiua, ſed ex quadam imaginatione, ſicut cum aliquis fricat barbam, vel mouet manum, aut lapidem, talis actus non eſt proprie loquendo moralis vel humanus, cum hoc habeat actus à ratione: & ſic erit indifferens quaſi extra genus moralium actuum exiſtens.* Item docet quæſt. 2. de malo art. 5. aliiſque in locis. Tum etiam quia abſurdum videtur damnare eodem modo motus verſantes circa obiecta indifferentia, atque verſantes cum æquali libertate circa inhoneſta & illicita: cum igitur motus circa illicita, eo ipſo quod deliberationem præueniant, non excedant limites venialis; ſit vt motus circa indifferentia neque hunc gradum malitiæ attingant.

75. Circa hanc obiectionem eſt prima ſolutio, quod omnes motus appetitus deliberationem præuenientes: dummodo potuerint à ratione præueniri, circa quæcumque obiecta verſentur, ſunt peccata venialia: quia tales motus ex vna parte habent libertatem ſaltem imperfectam, quæ ad peccatum veniale ſufficit: & ex alia carent fine honeſto debito omni actui libero: quippe finis iſte, cum ſit finis rationis, nequit ſine rationis deliberatione attingi. Hæc igitur carentia debiti finis vitiat omnes prædictos actus, & cum otioſis collocat. Quæ ſolutio non caret omni fundamento; imo videtur eſſe ad mentem D. Thomæ quæſt. 25. de verit. art. 5. ad 7. cuius hæc ſunt verba. *Cum aliquis accedit ad vxorem ſuam ex concupiſcentia, dummodo non excedat limites matrimonij, eſt peccatum veniale: vnde patet quod ipſe motus concupiſcentiæ in coniugato iudicium rationis præueniens peccatum veniale eſt. Sed quando per rationem determinatur quod eſt licitum concupiſci, etſi ſenſualitas in id feratur, nullum erit peccatum.* Vbi vt cernis, illummet motum concupiſcentiæ, qui in coniugato, præcedente rationis deliberatione, vacaret omni culpa; illa deficiente, eſt peccatum veniale: non vtique quia verſetur circa obiectum ſecundum ſe illicitum, nam reſpectu coniugati licitus eſt acceſſus ad vxorem, in quem tendit ille motus: ſed ex eo præcisè quod præueniens deliberationem non attingit prædictum acceſſum ſub ratione finis honeſti, dictati per rationem. Si igitur in motibus verſantibus circa obiectum honeſtum & licitum quantum eſt ex ſe, ex eo præciſe quod plenam deliberationem antecedant, ac proinde careant fine à ratione præſtituto, incidit malitia venialis, quanto magis vbi tales motus non habent obiectum honeſtum, ſed pure indifferens. *Solutio ex Medina.* *D.Thom.*

Iuxta quam ſolutionem conceſſa maiori ſeu ſequela, quantum ad hoc quod eſt omnes prædictos motus eſſe peccata venialia, neganda erit minor: & ad primam probationem dicendum D. Thomam per actus ex imaginatione prouenientes intelligere actus omnino neceſſarios nihil habentes libertatis, quia non vtcumque præueniunt rationem, ſed ita vt non potuerint ab ea præueniri: huiuſmodi enim motus, circa quæcumque obiecta verſentur, nullam habent moralem malitiam ob defectum totius libertatis. ¶ Ad ſecundam dici poterit, quod licet omnes motus indeliberati, qui potuerint à ratione præueniri, ſint peccata venialia, tamen infra limites venialis majorem malitiam habent, qui verſantur circa obiecta ſecundum ſe illicita, quam ſi verſentur circa pure indifferentia, vel alias honeſta: quia ſtrictiori iure tenemur refrænare appetitum ab illicitis, quam ab hoc præciſe quod eſt operari ſine fine conſtituto per rationem. Stat igitur non damnari æqualiter omnes prædictos motus, & tamen ineſſe omnibus malitiam venialem.

76. Poterit quis hac via occurrere obiectioni, ſed forte malè audiet; quia nimis rigida videtur: neque explicatio adhibita teſtimoniis ex quæſt. 18. & ex quæſt. 2. de malo animum quietat. Quare melius reſpondetur negando ſequelam, vt negat Caiet. ſupra loco nuper citato. Ad probationem dicendum eſt, *Vera ſolutio.*

quod

Digitized by Google

quod licet motus, de quibus eſt ſermo, habeant aliquam libertatem, & hæc libertas non ſit dumtaxat phyſica juxta ſenſum aduerſariorũ, ſed ſufficiat quantum eſt ex ſe ad fundandam moralitatem imperfectam, qualis eſt malitia venialis, quod & nihil aliud impugnatio à nobis facta concludit; ob aliam tamen rationem debet ab eis excludi prædicta malitia, & quæcunque moralitas. Ex eo nimirum quod licet lex attendendo præciſe ad libertatem potuerit tales motus ſub ſe cõprehendere, & prohibere, ſicut prohibuit verſantes circa obiecta inhoneſta; attẽdendo tamen ad conditionẽ obiecti, noluit prohibere de facto: nec debuit, ſaltem ſecundũ communem prouidentiam: quia nulla aderat ratio prohibitionis, ſicut adeſt in verſantibus circa objecta illicita, quos ipſa inhoneſtas, & turpitudo obiecti poſtulat prohiberi.

Replica. Dices in actibus plene liberis circa indifferentia ipſa carentia finis honeſti eſt ſufficiens ratio vt prohibeantur, & ſic de facto lex eos prohibet quamvis nulla ſit turpitudo ex parte objecti: cur ergo in iis qui rationẽ præueniunt, ſi ſemel habent ſufficientem libertatem, prædicta carentia non ſufficit ad prohibitionem?

Enodatur. Reſpondetur, carentiam finis honeſti tunc ſolum efficere, vt actus prohibeatur quando talis finis eſt debitus, carentia enim eius, quod non debetur, non habet rationem mali, & ideo non poſtulat prohiberi: finis autem honeſtus non debetur niſi actibus, qui procedunt ex deliberatione: non propterea debetur eis finis conſonus rationi, quia ex ratione deliberata proficiſcuntur, vt in tract. de bonit. & malit. diſp. 7. explicuimus. Cum igitur motus indeliberati hoc non habeant, non eſt cur prædictus finis illis debeatur. ¶ Ex quo fit doctrinam D. Thomæ negantis actus in indiuiduo indifferentes, reſtringendam eſſe ad actus plene liberos; & nequaquam extendendam ad eos, qui præueniunt deliberationem: quamvis quia ipſi præueniri potuerunt, gaudeant libertate imperfecta ſufficiente quantum eſt ex ſe ad peccatum veniale.

D Thom. explicatur. 77. Supereſt explicandus locus D. Thomæ ex quæſt. 25. de verit. pro priori ſolutione adductus, vbi damnat ad veniale motum concupiſcentiæ in coniugato præuenientem judicium rationis. Reſpondetur ergo prædictum motum, eo ipſo quod antecedat judicium rationis, habere obiectum ſecundum ſe malum: & propter hanc obiecti malitiam, non vero propter ſolam carentiam deliberationis, aut finis honeſti, effici peccaminoſum. Ad cuius intelligentiam nota, quædam obiecta eſſe, quæ ſecundum ſe abſolute conſiderata nihil exprimunt deformitatis; ſed potius bonitatem, aut indifferentiam, vt *loqui*, *ambulare*, *dare eleemoſynam* & hujuſmodi. Et in motibus ſine deliberatione ad hæc terminatis verificatur doctrina tradita: quia nec vitiantur propter carentiam finis honeſti, cùm ipſo, quod non procedant ex ratione deliberata, eis non debeatur; neque in obiecto abſolutè conſiderato, quo pacto ab ipſis attingitur, aliquid mali ſplendet, vnde poſſint vitiari. Quædam vero ſunt, quæ licet vt ordinata ad certum finem, certáque menſura regulata, careant malitia, aut explicent bonitatem; ſi tamen præciſe ſecundum ſe abſque prædicta regulatione & fine ſumantur, dicunt deformitatem. v.g. inebriatio licet ſumpta per modum medij in ordine ad ſanitatem poſſit aliquando honeſtari; abſolutè tamen conſiderata, præciſaque ab hoc fine, exprimit deordinationem: quia priuare ſe vſu rationis abſolutè eſt malum, niſi vrgentiori cauſa honeſtetur. Similiter proiectio mercium in mare, quæ ad tuendam vitam, vel ob alium ſimilem finem eſt bona; ceſſante eo fine intrinſece eſt mala, & conſtituit peccatum prodigalitatis. Huiuſmodi eſt actus carnalis; quia licet vt ordinatus ad debitam prolis procreationem ſub matrimonij menſura ſit bonus; deſtitutus tamen hujuſmodi menſura & fine manet intrinſece deformis: quia expendere humanum ſemen, eatenus dumtaxat poteſt carere deformitate, quatenus prædicto fini deſeruit.

Ex his patet veritas noſtræ ſolutionis. Motus enim concupiſcentiæ præcedens deliberationem, ſiue in ſoluto, ſiue in conjugato ſolum reſpicit actum carnalem ſecundum ſe, nullo habito reſpectu ad matrimonij finem, aut menſuram: nam ſenſualitas deſtituta judicio rationis nequit hæc attingere: vnde quia prædictus actus abſolutè & ſine reſpectu ad conditiones illas attactus, eſt malus intrinſece, non mirum quod in prædictum motum concupiſcentiæ ſemiplene liberum malitiam refundat: quamvis alij motus eodem modo liberi terminati ad obiecta, quæ nullam deformitatem important, maneant abſque malitia in ſtatu indifferentium.

Tertiò contra eamdem impugnationem tertiæ euaſionis obiicies, non ſatis cohærere cum aſſertione doctrinam ibi traditam. Nam in aſſertione ſtatuimus, ſenſualitatem taliter habere in ſe libertatem imperfectam, vt in hac ſua libertate non dependeat ex voluntatis influxu: in prædicta vero impugnatione, vt libertatem illam explicaremus, recurrimus ad voluntatis dominium, taliterque vtrumque connecti diximus, vt deficiente in voluntate poteſtate ſupra ſenſualitatis actum, nullo modo ſit libera: ergo, &c. Hæc obiectio petit vt explicemus in quo conſiſtat libertas, quam ſenſualitati tribuimus, & qualiter dependeat, vel non dependeat à voluntate.

§. IV.

Diuerſorum placita circa modum libertatis ſenſitiui appetitus.

Prior modus dicendi. 78. IN hac re varij ſunt modi dicendi. Quidam enim prædictam libertatem ita intelligunt, vt licet in ſuo initio à voluntate dependerit, quatenus appetitus ſenſitiuus non accepiſſet illam ab anima, niſi media voluntate ab ea dimanaſſet, ipſáque voluntas in illa prima emanatione aliquod ſui participium appetitui impertiretur; ſemel tamen facta illa prima communicatione omnino manet à voluntate independens, ita vt quamvis voluntas renuat, & repugnet contra appetitum, nihilominus iſte liberè in ſuum obiectum tendat. Nec deſunt qui putent fauere huic modo dicendi Ariſtot. & D. Thom. dum aſſerunt appetitum ſenſitiuum obedire voluntati non deſpoticè, ſicut membra externa, quæ in nullo valent ei reſiſtere; ſed politicè quatenus etſi multoties ei obtempe

Digitized by Google

obtemperent, in aliquibus tamen reſiſtunt: quaſi in hac facultate ad voluntati reſiſtendum libertas appetitus conſiſtat. Iuxta hunc ſenſum intelligunt authores contrarij Cajetani ſententiam, eámque acriter impugnant quaſi periculoſam in fide, aut ſaltem errori proximam, vt videbimus n.95. vbi eorum argumenta proponemus. Sed immerito ſic exponunt Cajet. cujus longe alius eſt intellectus, vt conſtabit n.83. vbi ipſius mentem, noſtrúmque dicendi modum aperiemus.

Improbatur multipliciter.

Hunc verò, quem nuper retulimus, omnino reiiciendum eſſe ſuaderi poteſt, tum quia Ang. Doctor vbicunque agit de libertate appetitus ſenſitiui, recurrit ad voluntatem; non ſolum quatenus ab ea emanauit, ſed quatenus ipſe appetitus aptus eſt voluntati obedire manétque in iſtius poteſtate permittere illum operari, & ab operatione reprimere: non ergo dici poteſt ipſum liberè operari, quando voluntati, non modo non obtemperat, ſed renuenti cõtradicit. Tum etiam quia libertas ſenſitiui appetitus, eo ipſo quod ſit à voluntate participata, habet ſe reſpectu iſtius velut famulus & miniſter, qui in quantum talis nunquam deuiat à domini voluntate: & velut mandatarius, cujus eſt exequi dumtaxat juſſa mandantis. Vnde quemadmodum ſi mandatarius à mandantis voluntate recedat, vel contra mandatum agat, non dicetur tunc operari formaliter vt mandatarius, neque ex commiſſione accepta à mandante: ita quoties ſenſualitas contra imperium voluntatis in aliquod objectũ tendit, non eſt dicendũ, quod operetur tunc ex ejus commiſſione, ſiue participatione: atque adeo neque in quantum libera: quia libertas ſenſualitati conceſſa nihil aliud eſt niſi quoddam voluntatis participium & velut quædam commiſſio ab ea emanata.

79. Adde, ex oppoſito ſequi magna inconueniẽtia, & abſurda, vti eſt quod aliquis peccet operando contra voluntatem: quod ſenſualitas noceat non conſentientibus; imo quantumvis viriliter repugnantibus: atque adeò quod non ſit nobis relicta ad agonem & pugnam; ſed ad peccatum & damnationẽ, contra decret. Conc. Trid. ſeſſ. 5. n 5. & contra doctrinam D. Thom. infra quæſt. 83. art. 3. ad 3. dicentis, quod *concupiſcentia carnis contra ſpiritum, quando ratio ei actualiter reſiſtit, non eſt peccatũ; ſed materia exercendæ virtutis.* Quæ & alia inconuenientia manifeſte ſequũtur, ex eo quod in ſenſualitate detur libertas modo nuper explicato. Si namque renitente voluntate poteſt appetitus motũ liberũ exercere, nõ eſt cur talis motus, ſuppoſito quod circa malum ſit, non imputetur ei ad peccatũ: quia ſi ſemel eſt liber, debet eſſe in hominis poteſtate illũ euitare: alias inintelligibilis eſt in eo libertas: ſi autem poteſt homo illum vitare, meritò ei ad culpam imputatur, neque erit per quod ab ea imputatione ſe excuſet.

Conc. Trid. ſeſſ. 5. D. Thom.

Quid ſit appetitum politicè obedire.

Neque in fauorem prædicti modi dicendi adduci debet doctrina illa Philoſ. & D. Th. nimirum quod ſenſualitas obedit rationi politicæ & cum facultate ad reſiſtendum: non enim in hac facultate libertatem ſenſualitatis collocant, vt aliqui minus recte arbitrantur: neque intendunt, talem reſiſtentiam exerceri liberè; ſed omnino neceſſariò: eſt enim manifeſta implicatio, quod homo ex vna parte conetur efficaciter per voluntatem, atque adeò faciat per eam quantum poteſt ad vitandam reſiſtentiam appetitus; & nihilominus quod talis reſiſtentia, quam vitare non poteſt, ſubſit hominis poteſtati, ſicut requiritur vt ſit libera: vnde ſenſus illius doctrinæ eſt, quod licet appetitus ſenſitiuus, ex qua parte in hominibus participat aliquid libertatis, aptus ſit rationi obedire, in qua aptitudine libertas ejus ſita eſt; quia tamen hæc participatio non eſt adeo perfecta, vt naturalem motum ejuſdem appetitus totaliter rationi ſubjiciat, manet adhuc in eo aliqua facultas reſiſtendi: quæ tanto erit maior, quanto prædicta participatio fuerit minor; tantóque minor quanto illa fuerit maior. Igitur quod ſenſualitas obediat rationi, habet ex vi libertatis participatæ à voluntate: & ideo tunc ſolum libere ſe exercet, quando rationi præcipienti, vel ſaltem permittenti obtemperat. Quod autem reſiſtat, habet ex naturali inclinatione non plenæ rationi ſubjecta: & ſic quoties reſiſtit, agit naturaliter, & non libere. In quo differt à membris externis: quæ cum nullã habeant propriam operationem, ſed inclinationem dumtaxat vt à ratione moueantur, adueniente hujus imperio, nihil habẽt per quod reluctentur: & ità obediunt omnino deſpoticè.

Alter modus dicendi.

80. A modo dicendi hucvſque improbato non multum differt alius, qui etſi neget appetitum operari libere, quoties voluntas efficaciter reſiſtit, ait tamen ſic operari, quoties deficit talis reſiſtentia, etiam ſi neque ratio aduertere poſſit ad appetitus operationem, neque voluntas circa eam operari, vt accidit in amentibus, & dormientibus, & in pueris, quibus vſus rationis eſt ligatus, & etiam in iis qui ita ſunt aliò diſtracti, vt animaduertere non poſſint obiectum, in quod ſenſualitas fertur.

Duplici via impugnatur.

Sed hunc quoque modum impugnant, quæ contra præcedentem diximus. Et ſaltem ex eo ſequitur amentes, dormientes, & cæteros, quibus omnino deeſt libera reſiſtentia voluntatis, peccare venialiter in motibus ſenſitiui appetitus circa malum verſantibus vt intuenti conſtabit: quod omnes Theologi reputant abſurdum. Præterea impugnari poteſt hac ratione. Nequit intelligi actus liber, niſi in ſuppoſito operante ſit facultas expedita ad illum impediendum, ſeu ad ceſſandum ab eo: deficiente enim huiuſmodi facultate talis actus neque ſubiacet dominio agentis, neque ſit cum indifferentia ad eſſendum vel non eſſendum, prout libertas requirit: ſed ligata ratione, nulla eſt in homine facultas ad impediendum ſenſualitatis motum: ergo neque talis motus libere exercebitur. Minor probatur, quia ad impediendam ſenſualitatem, & remouendam à ſuo actu requiritur deliberatio & diſcurſus quo perpendantur rationes & motiua ſufficientia illam retrahere: experientia enim notum eſt, appetitum ſenſitiuum in nobis non aliter ſedari, niſi vel remouendo à cogitatiua obiectum alliciens, quod niſi ab extrinſeco accidat, requirit diligentiam & diſcurſum intellectus: vel expendendo rationes, quæ efficacius moueant in oppoſitum: quod etiam fieri nequit ſine deliberatione & diſcurſu.

Effugium.

81. Dices ſufficere diſcurſum imperfectum, quem num. 61. tribuimus cogitatiuæ propter conjunctionem ad intellectum, vt ipſa ſenſualitas eo diſcurſu ducta, ſemetipſam ab operando retrahat. ¶ Sed contra, nam (quidquid ſit an ligata ratione poſſit cogitatiua

hoc

hoc ſuo diſcurſu vti,de quo alibi) talis diſcurſus præciſe ſecundum ſe non ſufficit ad prædictum effectum. Et ratio eſt, quia cognitio, virtute cujus potentia appetitiua poteſt ſe ab operando retrahere debet proponere objectum cum indifferentia, quod fit proponendo vtrumque extremum contradictionis ſub aliqua ratione communi, & vniuerſali, quæ eo ipſo neutri extremo alligatur,ſed poteſt indifferenter mouere ad vtrumlibet, & à quolibet retrahere. Hujuſmodi autem recognitio non poteſt eſſe actus cogitatiuæ vel alterius ſenſus,quia nulla potentia corporea, quantumcumque eleuetur poteſt apprehendere rationes vniuerſales: eo quod rationes iſtæ non repræſentantur, niſi per ſpecies ſpirituales à phantaſmatibus abſtractas, quæ in ſolo intellectu eſſe poſſunt.Igitur admiſſo cogitatiuam poſſe, adhuc ligato intellectu, vtcunque diſcurrere (quod fiet dumtaxat inter rationes particulares)hic tamen diſcurſus nequaquam pertinget ad regendam potentiam liberam,neque ad proponendum objectum cum ea vniuerſalitate & indifferentia, quam libertas inquirit. Vide, ſi placet,quod diximus tomo præcedenti in tract. de voluntario diſp.2. dub.3.

Multipliciter reiicitur.

Confirmatur nam ſi ſenſualitas per ſe ipſam virtute prædicti diſcurſus poſſet retrahere proprium motum poſſet homo per illam abſque influxu rationis peccato reſiſtere:quippe illamet retractio à motu illicito eſt ſufficiens reſiſtentia. Hoc autem negatur à D.Thom.infra quæſt.80.art.3.vbi dicit quod homo *nequit reſiſtere motiuo ad peccandum,niſi per rationem*,qua totaliter ligata,quidquid homo agat,non imputatur ei ad peccatum,quia non manet in eo facultas ad reſiſtendum.*Sed ſi ratio*(concludit) *non ſit totaliter ligata, ex ea parte qua eſt libera, poteſt reſiſtere peccato.*Sentit ergo S.Doctor,omnem facultatem reſiſtendi motui appetitus, & retrahendi illum, eſſe dumtaxat penes rationē.

D.Thom.

82. Ad hæc: ſi ſenſualitas independenter ab intellectu & voluntate,ſola cogitatiuæ cognitione ducta poſſet pro libito ſe ab operando retrahere, non tantum gauderet libertate imperfecta ſufficiente ad veniale,quam illi tribuimus,ſed etiam perfecta ſufficiente ad mortale, quam nemo illi conceſſit: non enim habemus euidentius aliud ſignum libertatis perfectæ exiſtentis in voluntate, niſi quia ſine recurſu ad aliam libertatem ſuperiorem eiuſdem ſuppoſiti, poteſt ſe applicare ad agendum, & ab agendo retrahere: vt ergo defendemus, libertatem ſenſualitatis eſſe dumtaxat imperfectam, dicendum eſt,eam non ſufficere ad cohibendā propriam operationem,ſine recurſu ad libertatem perfectam reſidentem in ipſa voluntate.

Adde ſecundò, quod licet ſenſualitas in ſua emanatione participet aliquid à voluntate conducens ad cohibendam ipſam ſenſualitatem à ſuo naturali motu,non tamen hujuſmodi participium ad id ſufficere poteſt ſine rationis iuuamine:quia tota illa participatio eſt valde diminuta & incompleta; ipſe autem naturalis motus ſenſualitatis eſt vehemens,& ſupponens cauſam & inclinationem omnino completam, atque adeo ſemper vincet prædictam participationem à voluntate ortam, niſi huiuſmodi participatio per nouum voluntatis influxum confortetur.

Adde tandem,quod ſicut libertas voluntatis creatæ eo ipſo quod non ſit prima,ſed participata ex diuina libertate,in nullum actum prodire valet ſine dependentia ab ipſa voluntate diuina,quæ eſt libertas prima & per eſſentiam: ita quia libertas ſenſualitatis non eſt prima in homine,ſed participata à voluntate,nequaquā debet in actum prorumpere ſine dependentia ab ipſa; ſaltem vt à potente reprimere motum ſenſualitatis,& illum permittente.

83. Tertius modus dicendi libertatem ſenſualitatis ita explicat, vt non tantum in ſua emanatione, ſed etiam in exercitio à voluntate dependeat, ita vt vel ea reſiſtente, vel omnino impedita,nequaquam ſenſualitatis motus liber euadat. Et quia hic modus dicendi ſane intellectus veritatem continet, oportet magis eum explicare.Pro quo nota,dupliciter poſſe intelligi, quod ſenſualitas in ſuo exercitio libero à voluntate dependeat, vel tanquam à potentia expedita ad agendum;non tamen de facto operante,aut diſponente aliquid circa motum ſenſualitatis:vel tanquam ab operante actualiter, imperando prædictum motum, aut in illum conſentiendo:non quod huiuſmodi imperium, aut conſenſus voluntatis tribuat ſenſualitati libertatem, quam ei conceſſimus; ſed quia eſt conditio, ſine qua illud participium libertatis, quod habitualiter in ea reſidet, nequit ad exercitium reduci. Hoc poſterius minus ægre ferent authores ſententiæ contrariæ, quorum aliqui forte nihil aliud intendunt, niſi quod ſenſualitas nunquam operetur libere, niſi ex parte voluntatis detur etiam exercitium liberum,& conſenſus in talem operationem:quod & nos probabile iudicamus,quatenus per hoc non derogatur, quin ſenſualitas ſortiatur ab initio intrinſecam participationem libertatis, reducibilem ad actum cum hoc vel illo modo dependentiæ à voluntate.

Tertius & verus modus dicendi.

84. Verum quia in aſſertione ſtatuimus, appetitum ſenſitiuum,nullo attento voluntatis influxu, poſſe eſſe ſubiectum peccati venialis, magis arridet illud prius,nempe prædictam dependentiam ſolum eſſe à voluntate vt à potente appetitum reprimere,ſiue habeat vel non habeat operationem circa ipſum iuxta quam doctrinam toties ſenſualitas libertatem ſuam exercebit,& ſi obiectum ſit illicitum,peccabit venialiter,quoties potuit à voluntate reprimi, & repreſſa non fuit;etiam ſi neque ratio in id concurrat, neque voluntas conſentiat.

Eligitur vera.

Hanc exiſtimamus eſſe legitimam intelligentiam teſtimoniorum D.Thom.quæ §.1. adduximus,in quibus ad explicandam libertatem ſenſualitatis, & quomodo valeat venialiter peccare,recurrit non ad aliquem actum, quem voluntas circa appetitum vel circa eius obiectum tunc exerceat; imo ſæpe hunc actum excludit; ſed ad ſolam facultatem reprimendi illum: totámque ſenſualitatis libertatem collocat in aptitudine ad obediendum rationi,& in hoc quod eſt operari cum ſubordinatione vt poſſit ab ea impediri:vt videre eſt quæſt.25 de verit.art.5.in corp.& ad 5. & quæſt.7. de malo art.6. cujus verba ſuperius adducta ſunt. Specialiter vero ad rem facit ſolutio ad ſecundum illius ſexti articuli,vbi explicat,quæ ſit in hac parte mens D. Auguſtini his verbis. *Dicendum quod Auguſtinus intelligit, omne peccatum eſſe in voluntate ſicut in primo mouente, vel mouere potente: ex hoc enim motus ſenſualitatis eſt*

eſt peccatum veniale, quia voluntas poteſt illum impedire. En quomodo non requirit, quod voluntas de facto moueat ſenſualitatem, ſed quod poſſit mouere, & impedire. Et in ſolut. ad 4. *Quando motus voluntatis, vel rationis inuenitur in peccato, tunc directe poteſt attribui rationi vel voluntati, ſicut primo motiuo & primo ſubiecto: ſed quando non eſt ibi aliquis actus volũtatis vel rationis, ſed ſolus actus ſenſualitatis, qui dicitur peccatum, quia poteſt prohiberi per voluntatem, tunc peccatum attribuitur ſenſualitati.* Non minus clare loquitur ad 6. ibi *Quando motus illicitus eſt in ſenſualitate, tripliciter ſe poteſt ad ipſum habere ratio. Vno modo ſicut reſiſtens: & tunc nullum eſt peccatum. Alio modo ſicut imperans: & tunc, ſi ſit illicitus in genere peccati mortalis, erit peccatum mortale. Aliquando autem ſe habet vt neque prohibens neque imperans, ſeu conſentiens & tunc eſt peccatum veniale.* (D. Thom.)

Ratio pro veritate. 85. Ratio etiam hoc ſuadet: nam eo ipſo quod actus ſenſitiui appetitus per ſe & ex vi ſuæ elicientiæ egrediatur cum ſubordinatione ad voluntatem reduplicatiue vt potentem eum impedire, manet per hanc ſubordinationem vere ſub dominio agentis: ac proinde extrahitur à linea actus neceſſarij, qui non ſubeſt per ſe tali dominio: igitur conſtituitur eo ipſo in ratione liberi: quidquid enim extrahit aliquem actum à linea neceſſarij, eo ipſo liberum reddit: quia non eſt dabilis actus niſi vel neceſſarius vel liber, neque inter hæc duo cadit medium.

Obiectio. Dices: plures actus ſunt in linea neceſſarij qui poſſunt ab homine impediri per voluntatem, vt v.g. deſcenſus lapidis, motus localis bruti, & hujuſmodi: ergo per hoc quod ſenſualitatis motus poſſint impediri à voluntate, non extrahuntur à tali linea.

86. Reſpondetur negando conſequentiam: actibus enim, qui in antecedenti referuntur, & aliis ſimilibus non conuenit per ſe, & ab intrinſeco, ſeu ex vi ſuæ elicientiæ poſſe impediri à voluntate; ſed omnino per accidens, & ab extrinſeco: quatenus eorum agentia non ſunt tantæ fortitudinis, quin ab aliis agentibus majoris virtutis ſiue neceſſariis, ſiue liberis poſſint ſuperari. (*Enodatur.*) Quare neque in principiis talium actuum datur aliqua inclinatio ad obediendum voluntati, neque in ipſis actibus aliquis intrinſecus reſpectus ad eamdem voluntatem in quantum liberam: qui dumtaxat reſpectus poteſt actum liberum reddere. Cæterum actus ſenſualitatis per ſe, & ex vi ſuæ elicientiæ habet totum hoc, quia ipſa ſenſualitas, ratione eius quod à voluntate participauit, petit ab intrinſeco operari cum prædicta ſubiectione, & attendendo (vt ſic dicamus) an voluntas repugnet, vel non: imo an poſſit vel non poſſit operationem impedire: ipſiſque actibus ineſt intrinſecus reſpectus ad eamdem voluntatem reduplicatiue vt liberam, & vt potentem eos reprimere. Et ideo quando de facto reprimit, non eſt ibi aliqua violentia, neque aliquid contra naturam ſenſualitatis fit, ſed illud in quod ab intrinſeco inclinatur. Cujus oppoſitum accidit in aliis motibus neceſſariis, quoties impediuntur ab alia cauſa particulari, ſiue libera, ſiue neceſſaria. Vide dub. præced. à num. 8. vbi oſtendimus, ſolos actus immanentes, & procedentes ab intrinſeco poſſe habere illum reſpectum ad voluntatem vt liberam, qui ſufficit ad conſtituendam actualem libertatem.

Alia Obiectio. 87. Dices ſecundò, non cohærere quod voluntas maneat expedita ad reprimendam ſenſualitatem; & quod non ſit in ea aliquis actus vel formalis, vel interpretatiuus. Tum quia ad id neceſſaria eſt aliqua aduertentia ex parte intellectus: non eſt autem intellectum aduertere, & voluntatem manere abſque omni actu. Tum etiam, quia eo ipſo quod voluntas poſſit, tenetur retrahere ſenſualitatem ab objecto illicito, & ideo ſi non reprimat, interpretatiue conſentit: ſemper ergo adeſſe habet prædictus conſenſus ſaltem interpretatiuus.

Diluitur. Hæc objectio ſoluta eſt num. 59. vbi diximus actum illum, ſine quo voluntas expedita inveniri non poteſt, poſtulari ex aliis capitibus, vt ex natura voluntatis, quæ exiſtente cognitione nequit eſſe ſuſpenſa: vel quia dum non eſt conſtitutiua in aliquo actu ſecundo, non ſaluatur quod ſit ſufficienter conſtituta in actu primo ad agendum: non autem exigitur propter aliquem influxum circa libertatem ſenſualitatis. Conſiſteret enim hæc libertas, etiam ſi poſita aduertentia in intellectu, voluntas omnem actum ſuſpenderet, quod ſaltem metaphyſicè non repugnare, videtur admittendum. Neque eſſet tunc in ea adhuc interpretatiuus conſenſus, qui neceſſario deberet fundari in aliquo actu phyſico, vt alibi oſtendimus; ſed nuda potentia ad reprimendam ſenſualitatem.

Replica. 88. Vrgebis, quia ſi vera diximus num. 80. ſenſualitas non reprimitur à ſuo motu ſine deliberatione rationis circa illum, atque adeò ſine motione voluntatis: igitur dependet illius libertas ab huiuſmodi actibus.

Solutio. Reſpondetur negando conſequentiam, ſi ſermo ſit de prædictis actibus vt in ſe ipſis poſitis à parte rei: quamvis poſſit concedi loquendo de illis in potentia, ſeu quatenus in facultate intellectus & voluntatis continentur, quod eſt dependere ab ipſis intellectu & voluntate quatenus poſſunt in tales actus prodire. Libertas enim ſenſualitatis non poſtulat, vt de facto reprimatur à motu quem dicitur exercere liberè: imò ſi ab hoc motu reprimeretur, nequaquam ipſe libere exerceretur: ſed poſtulat potentiam & facultatem ad reprimendum: quare cum per illos actus intellectus & voluntatis non tantum habeat homo facultatem ad prædictum motum reprimendum, ſed etiam de facto reprimat, inde eſt, vt eius libertas nequaquam ab illis dependeat, ſed à ſola potentia ad liberandum & mouendum. Sufficit ergo quod ratio & voluntas ſint in tali diſpoſitione, vt illa poſſit deliberare circa ſenſualitatem, & ita poſſit per ſuum influxum mouere; quamvis neutra de facto aliquid circa ipſam operetur.

Ex his manet ſoluta tertia obiectio propoſita num. 77. & ſufficienter explicatus modus libertatis imperfectæ, quem ſenſualitati tribuimus; & qualiter hæc libertas dependeat à voluntate vt in actu primo potente in illam influere; non tamen actuali influxu. Et hanc credimus fuiſſe mentem Caietani, non vero illam quam aduerſarij interpretantur.

§. V.

§. V.

Qua via poſſit voluntas imperare & impedire motus ſenſitiui appetitus.

89. VNum ſupereſt declarandum, videlicet qua ratione voluntas poſſit impedire motus appetitus ſenſitiui; aut eos imperare. Ad quod dicendum eſt in primis id poſſe efficere mediante ratione & diſcurſu intellectus. Nam quia appetitus ſequitur apprehenſionem, eo ipſo quod ratio poſſit, vt re vera poteſt, apprehenſionem alicuius obiecti immutare, proponendo illud ſub diuerſis conditionibus, poteſt media tali propoſitione prædictum appetitum in id inclinare; vel ab eo auertere. Quod optimè declarat D. Thom. quæſt. 25. de verit. art. 4. his verbis. *Subduntur autem appetitiuæ inferiores, ſcilicet iraſcibilis & concupiſcibilis rationi tripliciter. Prima quidem ex parte ipſius rationis: cum enim eadem res ſub diuerſis conditionibus conſiderari poſſit, & delectabilis & horribilis reddi, ratio opponit ſenſualitati mediante imaginatione rem aliquam ſub ratione delectabilis vel triſtabilis, ſecundum quod ei videtur: & ſic ſenſualitas mouetur ad gaudium, vel triſtitiam.*

Prior modus mouendi appetitum.

D.Thom.

Quam doctrinam latius proſequitur 1. p. qu. 81. art. 3. his verbis. *Appetitus ſenſitiuus in aliis quidem animalibus natus eſt moueri ab æſtimatiua virtute: ſicut ouis æſtimans lupum inimicum, timet. Loco autem æſtimatiuæ virtutis eſt in homine vis cogitatiua, quæ dicitur à quibuſdam ratio particularis, eo quod eſt collatiua intentionum indiuidualium: vnde ab ea natus eſt moueri in homine appetitus ſenſitiuus. Ipſa autem ratio particularis nata eſt moueri & dirigi in homine ſecundum rationem vniuerſalem: vnde in ſyllogiſticis & vniuerſalibus propoſitionibus concluduntur concluſiones ſingulares. Et ideo patet quod ratio vniuerſalis imperat appetitui ſenſitiuo, & hic appetitus eſt ei obediens. Hoc etiam quilibet experiri poteſt in ſe ipſo: applicando enim aliquas vniuerſales conſiderationes mitigatur ira aut timor, aut aliquod huiuſmodi; vel etiam inſtigatur*, &c.

Hoc quidem à fortiori efficiet voluntas ſeu ratio, quando non modo circa idem objectum diuerſas conſiderationes adinuenit, ſed etiam ab vno in aliud ſenſitiuam apprehenſionem transfert: quia tunc remoto priori objecto, omnino ceſſare debet motus, quo appetitus ſenſitiuus in illud ferebatur: debétque incipere alius motus juxta conditionem objecti nouiter apprehenſi.

90. Præter hunc autem modum imperandi & cohibendi motus appetitus ſenſitiui, de quo nemo ambigit, concedit D.Thom. alium, quo voluntas immediate per ſuum actum id præſtat, volendo, aut nolendo efficaciter tales motus. Sæpe enim, poſita intenſa & efficaci eorum volitione, excitantur; & poſita efficaci nolitione, ſedantur, propter ſubordinationem appetitus ſenſitiui ad voluntatem, & propter vtriuſque potentiæ connexionem. Vnde D.Thom. cit. loco de verit. poſt primum illum modum nuper traditum, ponit hunc poſteriorem his verbis. *Secundo ex parte voluntatis; in viribus enim ordinatis ad inuicem & connexis ita ſe habet, quod motus intenſus in vna earum, & præcipue in ſuperiori redundat in aliam. Vnde cum motus voluntatis per electionem intenditur circa aliquid, iraſcibilis & concupiſcibilis ſequuntur motum voluntatis: vnde dicitur in 3. de anima, quod appetitus mouet appetitum, ſuperior ſcilicet inferiorem, ſicut ſphæra ſphæram in corporibus cæleſtibus.*

Alter modus mouendi.

D.Thom.

91. Nec refert ſi obiicias, quod ſaltem juxta primum modum explicandi ſubiectionem appetitus ad voluntatem & rationem, non ſalvatur libertas eius intrinſeca. Nam talis libertas non ſolum requirit, quod ratio pro ſuo libito proponat appetitui media ſenſitiua apprehenſione hoc vel illud obiectum, ſub hac vel illa conuenientia, vel diſconuenientia, &c. Sed etiã quod propoſitione facta, ipſe appetitus libere & contingenter in id tendat: at iuxta primum illum dicendi modum non ſalvatur hoc poſterius: quia ſemel facta propoſitione, non ſubeſt amplius dominio agentis cohibere appetitum. Quare hac via potius videtur poni libertas in cogitatiua vel imaginatiua ad proponendum objectum juxta præſcriptum rationis, quam in appetitu ſenſitiuo ad ſequendum vel non ſequendum, quod ſemel ei proponitur.

Obiectio.

Reſpondetur enim negando antecedens: ſufficit namque ad libertatem intrinſecam appetitus ſenſitiui, quod ab intrinſeco habeat reſpicere propoſitionem obiecti ſenſibilis provt ſubjectam dominio rationis: (ſiue quod idem eſt) provt factam à cogitatiua vel imaginatiua ex libero rationis præſcripto. Nam eo ipſo quod appetitus per aliquid ſibi intrinſecum id reſpiciat, reſpicit principium liberum vt liberum, ſcilicet rationem libere ſenſitiuam apprehenſionem dirigentem. Neque ille reſpectus ſiſtit in objecto, vel apprehenſione ſenſibili ſed pertingit vſque ad rationem libere & cum indifferentia ad vtrumlibet ita decernentem, connotátque ab intrinſeco hujuſmodi indifferentiam. Hoc autem ſufficit ad libertatem intrinſecam, quam tribuimus appetitui ſenſitiuo: quia reſpectus intrinſecus ad principium liberum vt liberum, nequit non extrahere ſubjectum, vbi reſidet, à linea neceſſarij, & *liberum* conſtituere. Verum eſt tamen, quod iuxta ſecundum modum dicendi facilius intelligitur hæc libertas intrinſeca appetitus: nam ponitur quod immediate obtemperet voluntati vt libere mouenti: atque adeo ponitur in eo intrinſecus reſpectus immediate terminus ad principium liberum vt liberum.

Diluitur.

92. Maior difficultas eſt, an prædictus ſecundus modus explicandi dominium voluntatis ſupra appetitum ſit omnino diſtinctus & independens à priori. Nam quod ſit diſtinctus & independens inſinuatur à D.Thoma loco cit. de verit. vbi numerat vnum poſt alium, & vtrũque ponit ſeorſum. Quod autem non differant, ſuaderi poteſt. Tum quia 1. p. cit. qu. 81. vbi rem ex profeſſo examinat, ſolius primi modi mentionem facit: quia poſterior vel omnino non ſit, vel ab illo non differat. Tum etiam quia cum omnis appetitus ſemper ſequatur cognitionem, non videtur poſſe variari produci, aut ſuſpendi eius actum, niſi cognitio ſimiliter varietur, atque adeò niſi objectum aliter nunc quam prius apprehendatur. Similiter variatio cognitionis non fit niſi actu voluntatis, quo applicat vel remouet potentiã cognoſcitiuam circa tale vel tale objectum. Igitur

Alia difficultas.

igitur in omni euentu excitatio vel retractio appetitus ſenſitiui fit cum dependentia tam à voluntate quam à ratione. Quod eſt vtrumque modum relatum adunare, & confundere.

Duplex diſtinctio pro ſolutione. 93. Propter hæc credimus opus eſſe duplici diſtinctione. Prima ex parte voluntatis. Nam dupliciter poteſt concurrere ad mouendum appetitum ſenſitiuum, vt appetat; & ad retrahendum, ne appetat: vel directè volendo expreſſe quod appetat, aut non appetat: ita vt objectum proximum & immediatum talis volitionis ſit ipſa paſſio appetitus aut ejus ſuſpenſio: vel indirectè, volendo nimirum cogitare aut non cogitare de aliquo appetibili, aut volendo ſic, vel aliter de eo cogitare, vel non cogitare, ad quod ſequitur excitatio, vel expreſſio ſenſitiui motus.

Secunda diſtinctio eſt ex parte rationis, quæ etiam ad prædictam motionem vel repreſſionem poteſt concurrere directè, & indirectè. Tunc concurrit directè, quando proprium iudicium aut diſcurſum ad hoc directè ordinat, vt in imaginatiua vel cogitatiua appareat tale vel tale objectum, aut ſub tali ratione, quæ naturaliter alliciat, vel retrahat appetitum, ſine recurſu ad volitionem vel nolitionem voluntatis in id directe terminatam. Tunc verò concurrit indirectè, quando veluti non curans de cogitatiua & imaginatiua, vim ſuam altius ordinat: nimirum vel ad cognoſcendam & ſpeculandam veritatem, vel ad voluntatem mouendam, vt velit, aut nolit motum appetitus. In quo licet videatur non curare de cogitatiua & imaginatiua; nihilominus trahit illas ad ſe per quamdam abſtractionem & ſuſpenſionem. Quia licet apprehendant eadem quæ antea, & ſub eodem motiuo delectabilis, vel triſtabilis; apprehendunt tamen diuerſo, & immaterialiori modo. Antea enim apprehendebant ſolum vt præſentarent appetitui ſenſitiuo, excitarêntque illum ad proſequutionem vel fugam; atque in hoc ſiſtebant: modo autem è conuerſo cogitatiua & imaginatiua quaſi oblitæ talis appetitus, aſcendunt ad coadiuuandum intellectum: ſiue vt iſte ſuo judicio practico moueat voluntatem, vt velit vel reſpuat motum ſenſitiui appetitus: ſiue vt circa illa, quæ cogitatiua & imaginatiua apprehendunt, ſpeculatiue diſcurrat, & veritatem quærat.

Declaratur veritas. 94. Hoc prænotato dicendum eſt D. Thomam loco cit. de verit. aſſignaſſe vtrumque illum modum vt diſtinctum, quia re vera differunt. Non ex eo quod in vno ſola ratio, & in alio ſola voluntas moueat: ſed quia in primo ratio concurrit directè adiuuando & fouendo cogitatiuam aut imaginatiuam, vt talem vel talem apprehenſionem efforment, ad quam ſtatim ſine alio imperio ſequatur motus proſequutionis, vel fugæ in appetitu ſenſitiuo. Voluntas autem concurrit indirectè applicando dumtaxat potentias cognoſcitiuas ad ſuos actus, neque directè volens aut reſpiciens prædictum motum. In ſecundo vero ipſa voluntas concurrit directe, volendo aut nolendo expreſſe & immediate motum appetitus. Ratio autem indirectè mouendo & dirigendo voluntatem: vbi etiam concurrunt imaginatiua & cogitatiua miniſtrando intellectui. Per quod patet ad rationem dubitandi. Nam re vera iuxta vtrumque modum dicendi ſaluatur quod non varietur motus appetitus ſine aliquali variatione cognitionis. Quod autem D. Thom. loco cit. ex 1. p. non meminerit ſecundi modi mouendi, non conuincit eſſe reiiciendum. Tum quia argumentum eſt negatiuum. Tum etiam quia licet differant modo explicato, potuit vnum ad alium reducere, eo quod in vtroque, quamvis diuerſimode, concurrunt tam ratio quam voluntas.

Obſeruandum eſt autem, appetitum ſenſitiuum non ita ſubeſſe rationi & voluntati, quacunque via ſubjecto hæc declaretur, quin in multis ei repugnet. Vt enim ex Philoſopho docet ſæpe D. Thom. ratio & voluntas non dominantur appetitui deſpotico principatu, qualis eſt domini ad ſeruum in nullo reſiſtere potentem: ſed principatu politico, qualis eſt ad liberos: qui quidem, licet ſubdantur regimini præſidentis, habent tamen aliquid proprium, ex quo poſſunt reniti ejus imperio. Appetitus itaque ſenſitiuus licet in multis voluntati obtemperet propter ejus participium ſupra explicatum; retinet tamen propriam inclinationem, per quam ſæpe, relicta via libertatis, à prædicta obedientia ſubtrahitur, & per motum omnino neceſſarium reſiſtit. Quod vnde & qualiter eueniat, ſequenti dubio declarabitur. *Animaduerſio.*

Aduerte etiam doctrinam hujus §. non ita referre ad libertatem imperfectam, quam dedimus ſenſitiuo appetitui, ſicut quæ tradita eſt in præcedentibus: nam prædicta libertas, vt ſæpe dictum eſt, non dependet ex actuali motione vel imperio rationis aut voluntatis in talem appetitum; ſed ex poteſtate dumtaxat ad imperandum illi, vel mouendum. Placuit tamen perhibere hanc doctrinam de actuali motione. Tum vt conſtaret de prædicta poteſtate per eius actum. Tum etiam quia ad plenam eiuſdem appetitus libertatem omnino eſt neceſſaria: cum hæc non ſolum ab ea poteſtate, ſed etiam ab actuali motione, & imperio voluntatis & rationis dependeat. *Alia animaduerſio.*

§. VI.

Aduerſa opinio cum ſuis argumentis.

95. Contrariam ſententiam tuentur Vaſq. in præſenti diſp. 104. cap. 1. Suarez diſp. 5. ſect. 5. Valentia quæſt. 4. punct. 2. Salas tract. 13. diſp 6. ſect. 1. & ex Thomiſtis Aluarez diſp. 139. Curiel dub. 1. Monteſinos diſp. 5. quæſt. 3. Medina, & alij. Quorum principale argumentum ſumitur ab inconuenientibus, quæ tetigimus num. 71. nimirum quia ſi appetitui ſenſitiuo conceditur aliqua libertas habitualis & intrinſeca ſufficiens ad peccandum venialiter, iam talis appetitus poterit hoc modo delinquere vtendo illa ſua libertate, quantumcunque voluntas ei reſiſtat, vel impedita ſit. Imo poterit homo ſimul mereri per voluntatem reſiſtendo ſenſualitati; & peccare per iſtius motum libere tendentem ad objectum illicitum. Fieret etiam, nullum eſſe motum ſenſualitatis quantumvis primo primum, qui non ſit peccatum veniale: quippe in omnibus vteretur illa ſua libertate, quam dicimus ad veniale ſufficere: quod eſt contra communem *Vaſq. Suar. Valent. Salas. Alvar. Curiel. Monteſ. Medina. Argumentum primum ab inconuenientibus & authoritatibus.*

Digitized by Google

communem conſenſum Theologorum. ¶ Opponunt quoque locum Tridentini ſeſſ.5. decreto de pec. orig. vbi diffinit *concupiſcentiam, quæ in baptizatis manet, non nocere non conſentientibus*: ergo niſi adſit conſenſus voluntatis, nullus illius motus erit peccaminoſus ſeu nocivus. His addunt plura loca D. Auguſtini, in quibus docet, nullum peccatum committi ſine voluntate, vt in lib. de duabus animabus cap.10.lib.1.de libero arb.cap.25.& lib.2. cap. 17.& 18.& lib.de vera & falſa relig.cap.14.ibi. *Aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt cum voluntate committi*: igitur ſecluſa voluntate in ſenſualitatis motibus non poteſt eſſe peccatum.

Conc. Trid. ſeſſ.5.

D.Auguſt.

Solutio.

96. Cæterum quod attinet ad prædicta inconuenientia, ſufficienter probatum manet §. 4. nullatenus ſequi ex ſententia noſtra legitime intellecta. Locus Tridentini nobis non officit, tum quia Concilium non liberat à peccato non conſentientes concupiſcentiæ motibus, niſi ſimul viriliter reſiſtant, verba enim Concilij hæc ſunt: *Quæ* (ſcilicet concupiſcentia) *cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Ieſu gratiam repugnantibus non valet.* Ubi cum ad excludendum à ſenſualitate peccatum poſtuletur, quod voluntas non modo non conſentiat, ſed quod poſitiue reſiſtat, non obſcure inſinuatur, quod niſi reſiſtat (ſi ſemel poteſt) quamvis non conſentiat, nequaquam euitetur. Tum etiam quia licet voluntas non conſentiat per proprium actum; at eo ipſo quod non reprimat ſenſualitatem, cum poſſit, dicitur homo conſentire per ipſum ſenſualitatis motum: qui poteſt dici *participatiuè conſenſus*, ſicut eſt participatiue liber.

Teſtimoniis D. Auguſtini occurrit Ang. Doctor quæſt. 7. de mal. art.6. cuius verba retulimus num. 84. & ex illis conſtat D. Auguſtinum ſolum velle, quod omne peccatum dependeat à voluntate, non quidem neceſſario vt à mouente vel imperante, ſed vt à potentia, cui eſt dominium in illud, & facultas ad impediendum vel non impediendum. Vel dicas Auguſtinum nomine *voluntatis* intellexiſſe non ſolum appetitum rationalem, qui eſt eſſentialiter voluntas, ſed etiam ſenſitivum, quatenus habet participationem, quam diximus: quo pacto poteſt appellari *voluntas per participationem*: & quidquid ab ea fit, poteſt voluntati attribui: quatenus fit per virtutem & libertatem ab ea acceptam.

Secundum argumentum ex D. Thoma.

97. Secundò probant ex D. Thoma in præſenti art. 1. vbi agens vniuerſaliter de ſubiecto peccatorum, dicit eſſe voluntatem: non quia in aliis etiam potentiis plura peccata non recipiantur; ſed quia adhuc quæ in illis recipiuntur, manent quantum ad aliquid ſui in ipſa voluntate: ergo ſentit nullum peccatum ſubiectari ita in appetitu ſenſitiuo, vt in voluntate quoque non ſit, & ex motione eius procedat. ¶ Et art. 2. in ſolut. ad. 1. explicans propoſitionem illam D. Auguſtini, quod *non niſi voluntate peccatur*, ait: *dicendum quod non peccatur niſi voluntate ſicut primo mouente*: ergo niſi voluntas moueat ſenſualitatem, nequaquam iſta peccabit. ¶ Supra etiam quæſt. 24. art. 1. agens de paſſionibus appetitus, docet in huiuſmodi paſſionibus non poſſe eſſe bonum vel malum morale, niſi ſecundum quod ſubiacent imperio rationis. Idem repetit art. 4. ſequenti, & aliis quam pluribus in locis: nuſquamque apud illum reperies, quod ſenſualitas poſſit peccare venialiter, niſi quatenus eius actus ſubeſt dominio voluntatis. ¶ Ac tandem in 2.diſt.24. quæſt.3. art. 2. ſic ait. *Peccatum non eſt aliud quam inordinatus actus ad genus moris pertinens: nullus autem motus ponitur in genere moris, niſi habita comparatione ad voluntatem, quæ principium eſt moralium; & ideo ibi incipit genus moris, vbi primo dominium voluntatis inuenitur.* En quomodo ante voluntatis dominium nullam malitiam aut moralitatem admittit, quantumvis imperfectam & venialem.

D.Thom.

Enodatio.

Reſpondetur, in nullo ex iſtis locis poſtulari à D. Thoma actualem voluntatis operationem, vt ſenſualitas peccet venialiter: licet poſtulet dominium ſupra ipſam ſenſualitatem: vel, quod idem eſt, potentiam ſeu facultatem ad eam reprimendam: vt nos etiam requirimus. Quare ad primum dicendum eſt, in art.1.huius quæſt. non loqui D. Thomam omnino vniuerſaliter, ſed indiffinitè: debétque explicari ſaltem de peccatis, quæ habent plenam peccati rationem, vti ſunt mortalia: de venialibus vero, quæ ſolum ſunt peccata ſecundum quid, ibi non curat: & ideo neque omnia hæc peccata ſub illa doctrina comprehendit; neque omnia excludit relinquens id examinandum articulo 3. & 4. Eodem modo intelligendus eſt art. 2. ad 1. ſcilicet vt intelligatur illa ſolutio de peccatis, quæ plene ſunt talia. ¶ Secundo reſpondetur quod cum dicit non peccari niſi voluntate vt primo mouente, non intelligitur determinate de mouente actu; ſed vel actu, vel aptitudine, atque adeò de mouente vel mouere potente, vt dicitur in quæſtione 7. de mal. art. 6. ad 2. vbi explicatur eadem propoſitio D.Auguſtini.

98. Ad aliud ex quæſt. 24. huius 1. 2. reſpondetur, nec nos ponere, quod paſſiones appetitus ſint bonæ vel malæ, niſi vt ſubiacent imperio rationis. Sed hoc poteſt intelligi dupliciter: vel quia ratio per ſuum actum in illas influit: vel quia cum poſſit prohibere, non prohibet: in vtroque enim ſplendet aliquale rationis imperium & dominium: ſed in primo perfectum; in ſecundo vero imperfectum: & hoc poſterius eſt ſatis ad peccatum veniale: quamvis ad peccatum mortale, & ad actum virtuoſum, primum requiratur. ¶ Adde, quod D. Thom. non videtur ibi loqui de moralitate in tota ſua latitudine, prout comprehendit etiam malitiam imperfectam, ſed de ſola moralitate perfecta, ſub qua continetur bonitas actus virtutis, & malitia peccati mortalis.

Ultimum teſtimonium ex 2. ſentent. ſi integre legatur, ipſum ſe pro nobis explicat. Nam verbis illis in argumento adductis, *ibi incipit genus moris, vbi primo dominium voluntatis inuenitur*, immediate hæc ſuccedunt, *habet autem voluntas in quibuſdam dominium completum; in quibuſdam vero incompletum. Completum dominium habet in actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt: & hi ſunt actus deliberationem ſequentes, qui rationi adſcribuntur: ſed incompletum dominiū ha-*

Digitized by Google

D.Thom.

bet in illis actibus, qui non per imperium rationis procedunt; ſed tamen voluntas eos impedire poterat, vt ſic quodammodo voluntati ſubiaceant, quantum ad hoc quod eſt impedire vel non impedire; & ideo inordinatio, quæ in his actibus contingit, rationem peccati cauſat, tamen incompleti: & ideo in his actibus peccatum leuiſſimum & veniale eſt, non autem mortale, quod eſt perfectum peccatum. Deformitas autem cuiuſlibet actus illi potentiæ attribuitur vt ſubiecto, quæ actus principium eſt: & ideo cum ſenſualitas ſit principium horum actuum, conuenienter in ea peccatum eſſe dicitur vt in ſubiecto.

Tertium argumentum.

99. Tertio probatur prædicta ſententia, quia potentia libera debet operari cum indifferentia ad vtrumlibet: ad quod neceſſaria eſt indifferens propoſitio obiecti, circa quod operatur: ſed appetitus ſenſitivus nunquam agit cum hac indifferentia; ſed cum determinatione ad vnum: ergo neque libere. Maior videtur certa, & minor probatur: nam obiectum appetitus ſenſitiui proponitur illi per imaginatiuam, aut cogitatiuam, vel aliud ex ſenſibus internis: nullus autem ſenſus proponit cum indifferentia: quia ad hoc requiritur cognoſcere rationes vniuerſales, quod eſt proprium ſolius intellectus, vt num. 81. dicebabus: ergo, &c.

Confirmatio.

Confirmatur: de ratione libertatis eſt, vt agens habeat dominium ſupra actum, ratione cuius dominij poſſit pro libito ab operatione ceſſare; vel in operando permanere: atqui homo ratione appetitus ſenſitiui nullum habet tale dominium, vt tetigimus num.80.ergo neque ratione illius aliquam ſortitur libertatem.

Solutio argumenti.

Ad argumentum reſpondetur, admiſſa majori, negando minorem. Quia eo ipſo quod appetitus operetur cum dependentia à voluntate potente indifferenter agere, vel non agere, ille etiam agit ſuo modo cum indifferentia: quatenus agit dependenter à principio indifferente, & cum ſubordinatione ad illud. Ad probationem vero dicendum eſt non eſſe neceſſarium, quòd indifferentia, ratione cujus prædictus appetitus agit liberè, reſplendeat in propoſitione immediata ſui obiecti, quæ fit per cogitatiuam vel alium ſenſum: ſed ſufficere, quod reſplendeat in propoſitione obiecti voluntatis, quæ fit per intellectum. Non enim ad prædictam libertatem requiritur, quod ipſe appetitus poſſit ſe à ſua operatione retrahere; ſed quod operetur cum ſubordinatione ad principium, per quod retrahi poſſit, quod eſt voluntas: vnde quia indifferentia prædicta ad hoc deſeruit, vt agens poſſit ſuam operationem retrahere, ſufficit quod immediate ſplendeat in obiecto voluntatis, per quam retractio fieri debet; licet non reſplendeat immediatè in obiecto appetitus, à quo elicitur operatio.

Animaduerſio.

100. Quod vt melius intelligatur, nota, libertatem non conuenire eodem modo omnibus, de quibus prædicatur; ſed cum magna diuerſitate. Nam voluntas, quia primario, & quaſi per eſſentiam eſt libera, non dependet in ſua libertate ab alia potentia libera, penes quam ſit dominium agentis; ſed dependet tantum à ſe ipſa & à proprio obiecto. Unde in huius propoſitione inueniri debet tota ea indifferentia obiectiua, quam talis libertas requirit, & in ipſa voluntate tota indifferentia actiua & formalis, totúmque dominium ſupra ſuos actus. Cætera vero, in quæ libertas à voluntate deriuatur, vti ſunt actus, habitus, & potentiæ appetitiuæ inferiores, non dicuntur *libera* quaſi penes ea immediate ſit aliquod dominium, aut indifferentia ad agendum, & non agendum, aut ad agendum, hoc, & oppoſitum: ſed quia dicunt intrinſecum reſpectum ad ipſam voluntatem, penes quam eſt tale dominium, & indifferentia, vt patet diſcurrendo per ſingula.

Actus enim non dicitur *liber*, quia ipſe ſit indifferens ad ſe & ad oppoſitum, aut ad agendum, & non agendum, vt eſt per ſe notum; ſed quia oritur à principio habenti talem indifferentiam, & cum reſpectu ad ipſum formaliter vt indifferens: & quia reſpectus iſte eſt intrinſecus actui, diximus in tract. de voluntario diſp. 2. dub. 4. eſſe illi intrinſecam libertatem, quæ à prædicto reſpectu non differt. Similiter habitus v. g. charitatis non dicitur *liber*, quia ipſe ſit indifferens ad eliciendum actum amoris Dei, & ad oppoſitum: repugnat enim quod talis habitus ad aliquod ex oppoſitis prædicto amori concurrat: ſed quia eſt modificatio voluntatis vt indifferentis. Quod ſufficit vt ipſe habitus dicatur non ſolùm operari libere, ſed etiam cum indifferentia: non quidem propria, ſed ipſius voluntatis. Et quia totum hoc conuenit illi per reſpectum intrinſecum, dicitur intrinſece *liber*, communicátque actui à ſe elicito libertatem intrinſecam, vt latius explicuimus diſp. cit. num.91.

Diuerſi modi libertatis.

101. Similiter ergo libertas ſenſitiui appetitus non debet conſiſtere in eo, quod penes ſe habeat dominium ſui actus, facultatemque ad impediendum illum, & non impediendum: ac proinde neque in eo quod in ſuo obiecto, quatenus immediate ſibi propoſito reluceat indifferentia, quæ eſt ratio talis dominij & facultatis: hoc enim proprium eſt ſolius potentiæ primariò & quaſi per eſſentiam *liberæ*, qualis eſt voluntas; ſed in eo quod ex aliqua perfectione ſibi intrinſeca poſtulet operari cum dependentia & ſubordinatione ad ipſam voluntatem, penes quam reſidet immediate prædicta indifferentia, prædictumque dominium. Quare eo ipſo quod appetitus ita operetur, vt ex modo operandi concernat in obiecto voluntatis indifferentiam, ratione cuius poſſit per ipſam voluntatem ab operatione impediri, idem appetitus dicetur operari ſub iſta indifferentia, & vt impedibilis à ſuo actu pro libito agentis. Et eo ipſo verificatur quod operatur libere: non libertate primaria, & quaſi per eſſentiam, ſed ſecundaria & participata. Tum quia prædictus modus operandi nequit competere cauſæ purè neceſſariæ: nulla quippe talis cauſa pro ſe & ab intrinſeco poſtulat, vt eius actio cadat ſub dominio agentis; penes quamcumque potentiam hoc dominium ſit: ergo conſtituit principium ita operativum, intra ordinem cauſæ liberæ. Tum etiam quia nemo dicet, non eſſe imputandam homini illam actionem à ſe elicitam, quam pro libito poteſt exercere, vel non exercere, impedire, vel non impedire: ſiue facultas ad hoc reſideat immediate in potentia elicitiua actionis, ſiue in alia: hoc enim ad

ad prædictam imputabilitatem nihil refert:quia imputatio non fit potentiæ, ſed oppoſito operanti: atqui ſola actio libera poteſt homini imputari: ergo quoties homo per appetitum ſenſitivum prædicto modo operatur, vere agit libere.

Soluitur confirmatio. Ad confirmationem patet ex dictis, hominem habere dominium ſupra actum appetitus ſenſitiui, ratione cuius poſſit pro libito ab eo ceſſare. Non eſt autem neceſſarium, quod tale dominium maneat penes ipſum appetitum:quia in quacumque potentia hominis reſideat, verificatur,quod homo ſit Dominus prædicti actus, & quod habet in ſua poteſtate impedire illum, vel non impedire.

Replica. 102. Sed vrgebis: vt aliquis actus de facto & in exercitio ſit liber, debet actu cadere ſub dominio voluntatis: qui enim in potentia dumtaxat ſub illo cadunt, in potentia tantum erunt liberi, ob idque in tract. de voluntario diſp. 4. num. 57. negauimus actualem libertatem omiſſionibus illorum actuum, qui in præcepto non ſunt, quia licet poſſint impediri à nobis ponendo ipſos actus, proindéque cadant ſub dominio noſtro quaſi in facultate & in potentia; de facto tamen & in exercitio ſub eo non cadunt: ſed iuxta noſtrum modum dicendi motus ſenſualitatis non cadit actu ſub tali dominio, ſed tantum in potentia: ergo hoc dumtaxat modo, nempe in potentia erit liber; non vero de facto & in exercitio. Minor probatur, quia quamdiu voluntas nihil operatur, non exercet de facto ſuum dominium, quod conſiſtere debet in ipſa operatione: ac proinde neque cadit ſub tali dominio aliquid de facto: igitur cum modus dicendi, quem elegimus, omnem operationem voluntatis excludat, non ſaluat, quod de facto, & in exercitio cadat ſub dominio eius motus ſenſualitatis.

Reſpondetur, admiſſa maiori, negando minorem, ad cuius probationem dicas, dominium in rigore loquendo non importare operationem; ſed importat pro formali relationem, & pro fundamento potentiam coërcitiuam ſubditorum: & ideo quicumque habet ſubiectos ſibi, quibus imperare poſſit, quamvis de facto nihil imperet, neque operationem vllam in illos exerceat, dicitur actu & formaliter *Dominus.* Quod ſatis oſtendit, huiuſmodi denominationem non ſumi ab operatione aliqua, ſed à prædicta relatione. Vt ergo motus ſenſualitatis actu & formaliter cadat ſub voluntatis dominio, ſitque proinde in exercitio liber, ſufficit, quod talis motus exerceatur actu ſub prædicta relatione: ſeu quod actu referatur ad voluntatem vt potentem illum coërcere: etiam ſi nullam ipſius voluntatis operationem terminet. Toties vero ſic exercetur, quoties ex vi propriæ elicientiæ fit cum ea ſubordinatione, vt ſi voluntas renuat, vel ſi non permittat, non fiat. Neque eſt ſimile de omiſſionibus actuum non cadentium ſub præcepto: quia tales omiſſiones non oriuntur ab aliqua potentia, neque exercentur de facto in rerum natura: ſicut oriuntur & exercentur ab appetitu motus, de quibus loquimur. Et ideo non modo non terminant voluntatis operationem, verum neque ad ipſam voluntatem actu referuntur, neque hæc ad illas de facto relationem importat.

103. Quarto arguitur. Peccatum etiam veniale debet eſſe contra regulam rationis, ſed appetitus ſenſitivus non attingit huiuſmodi regulam: ergo nequit adhuc venialiter delinquere. Minor, in qua eſt difficultas, probatur: quoniam appetitus non attingit, niſi quod ſibi proponitur per imaginatiuam, vel alium ſenſum; regula autem rationis omnino eſt extra ordinem ſenſibilem: nam ſi ſermo ſit de regula prima, eſt lex æterna in mente Dei exiſtens: ſi vero de regula proxima, & homogenea, eſt dictamen ſynderesis aut prudentiæ exiſtens in intellectu: ergo, &c. *Argumentum quartum.*

Reſpondetur, ſatis eſſe ad hoc vt ſenſualitas venialiter delinquat, quod attingat obiectum ſenſibile cadens ſub regula rationis, & ab ea diſcordans, connotando adeſſe in intellectu talem regulam; quamvis eam directe & in ſe ipſa non attingat: quia eo ipſo practice, & in actu exercito attingit obiectum deforme, ipſámque deformitatem & repugnantiam ad rationem, quæ eſt in tali obiecto. Neque obeſt probatio minoris, quia licet cogitatiua præciſe ex ſe ipſa non proponat obiectum vt ſub regula rationis; poteſt tamen illud ſic proponere, quatenus in homine participat aliquid ſynderesis habitualiter, qua participatione ſupra ſe ipſam eleuatur, ſicut ſenſualitas per participationem libertatis. Eo præſertim quia ad prædictam propoſitionem per cogitatiuam faciendam, non eſt neceſſe, quod ipſa cogitatiua apprehendat regulam rationis, ſed ſufficit, quod proponat ſuum obiectum ſenſibile connotando in intellectu actum regulantem, vt magis explicuimus in tract. de virtutibus diſp. 2. à numero 25. vbi ſimile argumentum diſſolvimus. *Solutio.*

104. Denique arguitur: nam ex noſtra ſententia ſequitur, quod ſi ad motum ſenſualitatis conſenſus voluntatis accedat, ibi ſint duo peccata, aliud in ſenſualitate ex libertate ſibi propria; & aliud in voluntate propter ſuum conſenſum. Quod ſi prædictus conſenſus plenus ſit, & materia grauis, peccatum voluntatis erit mortale, peccatum autem ſenſualitatis, cuius libertas ad hoc non ſufficit, remanebit veniale. Imo in eadem ſenſualitate, & circa eamdem materiam poterit ſimul eſſe vtrumque peccatum: alterum ex libertate ſibi propria, alterum vero ex conſenſu & motione voluntatis. Hæc autem inconuenientia videntur: ergo, &c. *Argumentum vltimum.*

Confirmatur: nam ſi appetitus ſenſitivus operando circa obiectum illicitum poteſt ſine conſenſu voluntatis peccare, etiam ſine tali conſenſu poterit mereri operando circa licita, hoc autem communiter negatur: ergo, &c. *Confirmatio.*

Reſpondetur negando ſequelam: quamvis enim in caſu argumenti vtriuſque potentiæ actus ſit intrinſece & formaliter peccaminoſus, ac proinde metaphyſice loquendo ſint ibi duæ malitiæ morales, non tamen abſolute ſunt dicenda duo peccata, ſed vnum & idem, quod moraliter ex vtraque illa malitia veluti ex partibus coaleſcit. Quemadmodum licet in voluntate poſſint ſimul eſſe plures actus peccaminoſi vt intentio, conſenſus, electio, &c. verſantes circa eamdem materiam, & in vnoquoque ex iſtis ſit ſua intrinſeca malitia diſtincta realiter à malitia alterius, non ideo ſunt abſolute plura peccata, ſed ex omnibus vnum *Reſponſio argumenti.*

Digitized by Google

vnum integratur, de quo latius diximus ſupra diſp. 5. dub. 4.

105. Neque etiam eſt concedendum, quod ſecundo loco infertur (quamvis neque id eſſet magnum inconueniens) ſcilicet peccatum ſenſualitatis eſſe veniale, quando peccatum voluntatis eſt mortale, quia cum ex vtroque vnum numero peccatum conſurgat, vna debet eſſe eius grauitas, vel mortalis vel venialis. Et quamvis libertas ſenſualitatis ſecundum ſe præciſe ſumpta non ſufficiat ad mortale, ſecus tamen eo ipſo quod voluntatis conſenſus plene liber accedat: quia per huiuſmodi conſenſum illa libertas imperfecta adiuvatur, & ad ſtatum perfectæ perducitur, recipiens ex influxu voluntatis complementum, quod ex ſenſualitate non habebat. Non enim exiſtimandum eſt, quod mouente voluntate appetitum ſenſitivum, in iſto ſit duplex libertas, alia perfecta prouenicns ex prædicta motione, & alia imperfecta ex eodem appetitu orta: ſed ex vtroque capite conſurgit vna & eadem, quæ ex propriis appetitus quaſi inchoatur, & ex influxu voluntatis completur: fitque vnica tantum libertas, totáque ea perfecta, per quam ſenſualitas vnico motu plene libero tendit in ſuum obiectum, recipitque inde vnicam tantum malitiam venialem vel mortalem iuxta grauitatem obiecti, & iuxta grauitatem malitiæ exiſtentis in voluntate, cum qua componit moraliter vnum numero peccatum, ſicut materia cum forma, iuxta dicta dub. præced. numero 18. Per quod patet ad tertium inconueniens, & quomodo in ſenſualitate non dentur ſimul peccatum veniale & mortale circa idem obiectum. Circa diuerſa namque, aut ex diuerſis circunſtantiis non eſt inconueniens adeſſe ſimul in illa prædicta peccata: ſicut dantur ſæpe in voluntate.

Solutio confirmationis. Ad confirmationem reſpondetur negando maiorem, quia plura requiruntur ad meritum, quam ad peccatum. Ad hoc enim ſufficit quilibet defectus, qui ſubeſt noſtræ poteſtati ſaltem imperfectè: ad illud autem requiritur, vt omnia integre concurrant: præſertim finis honeſtus, & à ratione præſtitutus, ſine quo non poteſt eſſe bonitas moralis in actu, quæ eſt fundamentum meriti. Prædictus vero finis non apponitur niſi per actum rationis: vnde niſi hæc appetitum moueat, nullus motus ipſius appetitus attinget talem finem.

DVBIVM III.

Vtrum omnes motus ſenſitiui appetitus circa obiecta illicita ſint peccata, ſaltem venialia?

106. Poſtquam diximus de appetitu ſenſitiuo, qua ratione ſit capax peccati, videndum eſt de eius actibus, ſeu motibus, quinam formalem malitiam ſortiantur. Neque eſt quæſtio, dum tales motus verſantur circa obiecta licita & honeſta: tunc quippe nullum eſt principium, ex quo malitiam contrahant: ſed ſi fuerint plene liberi, nulláque aliunde circunſtantia vitientur, accipient ex prædictis obiectis bonitatem. Si vero non liberi, aut liberi tantum ſemiplene, neque contrahent malitiam, propter rationem tactam: neque etiam bonitatem, quia ad hanc requiritur cauſa integra, atque adeo perfecta libertas. Quare manebunt omnino extra genus moris cum ſola phyſica entitate. Quod ſi obiectum fuerit indifferens, incidit prædictis motibus malitia otioſitatis, defectu finis rationis, ſi libertas ſit plena: ſin minus manebunt ſimiliter extra genus moris, neque boni, neque mali iuxta dicta dub. præcedenti num. 74.

Procedit ergo quæſtio de motibus, quorum obiecta ſunt mala & prohibita: atque adeo ſufficientia, quantum eſt ex ſe conferre illis malitiam; niſi obſtet defectus libertatis. Porro tales motus adhuc ſunt in multiplici differentia. *Differentia motuum appetitus ratione libertatis.* Nam alij exercentur, dum nulla datur in ſubiecto libertas, aut facultas expedita ad deliberandum; ſed omne principium libertatis eſt prorſus ligatum & impeditum, vt in dormientibus, amentibus, aut ebriis, & in iis qui nondum ad vſum rationis peruenerunt. Alij exercentur, dum adeſt ſubiecto plena libertas; non tamen conſentiente eis voluntate; imo potius efficaciter renuente, per quam renitentiam ipſi motus redduntur homini involuntarij. Et tam hos quam illos expertes eſſe omnis malitiæ, eſt omnino indubitatum inter catholicos, vt conſtat ex dictis dubio præcedenti à num. 78. de quo iterum redibit ſermo num..... ¶ Præter hos ſunt alij motus, qui fiunt cum libertate plena in ſubiecto, neque eis voluntas reſiſtit; tametſi poſſit: ſed vel negatiue aut permiſſiue ſe habet: vel illis conſentit. De quibus proinde nemo ambigit, quod ſint peccata. Quamvis circa requiſita tam ex parte aduertentiæ intellectus, quam ex parte conſenſus voluntatis, vt ad gradum mortalis perueniant, ſit non parua difficultas, quam ſequentibus dubiis reſeruamus.

Superſunt itaque pro materia iſtius dubij omnes illi motus, qui fiunt ſubiecto quidem ſui compote, & habente libertatem; ita tamen aliò diſtracto, vt vel nullo modo, vel non plene eos attendat, neque circa ipſos deliberet: propteréaque tales motus dicuntur *ſubitanei*, & *indeliberati*, quia ſubitò, & ſine deliberatione ex appetitu oriuntur: idémque eſſet ſi ſuppoſitum haberet in ſe libertatem tantum ſemiplenam, vt cum homo primo euigilat nondum plene expergefactus: aut etiam ſi motus, quavis aduertentia exiſtente, non ex ſola obiecti imaginatione, ſed ex qualitatibus, ſeu alterationibus naturalibus oriretur. Eſt ergo difficultas, an inter hos motus ſint aliqui admodum neceſſarij, libertatiſque expertes, vt totaliter ex huius defectu malitia formali priventur? Vel potius omnes habeant quidquid requiritur, vt ad gradum ſaltem venialis culpæ pertingant.

§. I.

Communis & vera ſententia.

107. Dicendum ergo eſt, non omnes prædictos motus eſſe peccata adhuc venialia; ſed aliquos manere extra genus moris ſine aliqua malitia formali. Hæc aſſertio eſt iam

Digitized by Google

D.Thom. Ricard. Durand. Sot. Capreol. Medin. Curiel Greg. Mart. Araujo. Aluar. Zumel. Monteſ. Salas. Valen. Suar. Vaſq. Gabriel. Angeſt. Almayn. Cordub.

iam communis inter Theologos: quam tuentur D. Thom. in 2. diſt. 11. quæſt. 1. art. 2. & diſt. 24. quæſt. 3. art.2.& quæſt.7.de malo art. 6. ad 8. cuius verba infra referemus. Ricard. diſt. 21. cit. quæſt. 3. art. 2. Durand.ibi quæſt. 1. Scotus diſt. 24. quæſt. 1. Capreol. diſt. 40. art. 3. ad argumenta Durandi contra primam concluſionem, & expoſitores D. Thomæ hoc loco, vbi Medina ſupra art. 3. Curiel eodem articulo dub. 2.Greg.Mart.art.4.dub.2. Araujo dub. 4. Aluar. diſp. 139.Zumel diſp.2.Monteſ. diſp.6.quæſt.5. & 6. Salas diſp. 6.ſect.2.Valen. diſp.6.quæſt.4. punct. 2. Suar.de peccatis diſp. 5. ſect. 6. Vaſq. diſp. 106.cap. 3. referens Gabrielem, Angeſtum, Almaynum, Cordubam, & alios.

Prima probatio. Eccleſiaſt.18. D Auguſt. Greg. Mart. Bernard. Beda. Anſel.

Poteſtque ſuaderi primo ex illo Eccleſiaſtici 18. *Poſt concupiſcentias tuas ne eas*: vbi cum præcipiatur nobis, non quidem nullos habere concupiſcentiæ motus, ſed dumtaxat non ſequi eos, aliqualiter illis conſentiendo, aperte inſinuatur, & ſupponitur, poſſe prædictos motus inſurgere abſque vlla culpa antecedenter ad conſenſum vel diſſenſum. Si námque vbi primò inſurgunt, haberent iam rationem peccati, potius præciperemur non habere illos, quam non ſequi. Quod animaduertens D. Auguſtinus lib. 5. contra Iulia. cap. 3. ſic ait; *Fruſtra dictum eſt, poſt concupiſcentias tuas ne eas; ſi iam quiſque reus eſt, quia tumultuantes, & ad mala trahere nitentes ſentit eas.* Dantur ergo in homine aliqui concupiſcentiæ motus, quos homo ſentiat prius quam alicuius culpæ reus exiſtat. Cui intelligentiæ ſuffragantur multi alij Patres vt Gregor. Bernard. Beda. & Anſelm. quos refert, & aliqua eorum verba Curiel. vbi ſupra §. 2. ❡ Legatur idem D. Auguſtinus ſerm. 5. de verb. Apoſt. cap.8. vbi inter alia inquit. *Non eſt in poteſtate cor noſtrum, neque cogitationes, quæ improuiſo mentem, animúmque confundunt, & ideo trahunt*; Et lib. 3. de libe. arb. cap. 25. *quod quiſque ſumat vel reſpuat, in poteſtate eſt* (idest quem motum appetitus admittat per conſenſum; vel reſpuat per diſſenſum) *ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt.* Quia videlicet non ſubeſt hominis libertati præcauere omnes ſubitos motus, ne ſaltem inſurgant, & animum tangant.

Probatio alia.

108. Probari etiam poteſt aſſertio ex vulgata illa diuiſione motuum appetitus, qua Theologi frequenter vtuntur: videlicet *in motus primo primos, ſecundo primos, & deliberatos.* Nam per *primo primos* intelligunt motus præcedentes omnem aduertentiam rationis, in quibus nihil eſt malitiæ, ſed ſunt penitus neceſſarij. Et per *ſecundo primos* intelligunt eos, qui fiunt cum aliquali & ſemiplena aduertentia aut deliberatione: atque adeo ſolùm ſunt liberi imperfectè: in quibus poteſt eſſe malitia dumtaxat venialis. Per *deliberatos* vero illos, qui ſupponunt plenam deliberationem, & aduertentiam, ſuntque proinde capaces malitiæ mortalis. Ex hac igitur diuiſione (cuius non ſemel meminit D. Thom. & inter Theologos cùm antiquos, tùm iuniores valde recepta eſt) habetur veritas noſtræ aſſertionis: videlicet eſſe aliquos motus ſenſitiui appetitus, illos nimirum, quos *primo primos* appellant, qui ob libertatis defectum nullius malitiæ ſunt capaces.

109. Tertio probatur efficaci hac ratione. In appetitu ſenſitiuo dantur aliqui motus, qui nullo modo ſunt liberi: ergo tales motus etiam ſi circa illicita verſentur, non pertingent ad rationem peccati adhuc venialis. Conſequentia eſt perſpicua: nam ex communi ſententiâ de ratione peccati eſt quod ſit liberum, ita vt ſecundum gradum libertatis ſit gradus malitiæ. Antecedens vero ſuadetur, quia ſæpe inſurgunt in nobis motus appetitus ita ſubitò, vt nulla ſit circa eos etiam ſemiplena aduertentia ex parte rationis, vel ex alteratione corporis à qualitatibus naturalibus facta; vel propter vehementiam alicuius paſſionis, vel quia homo totaliter eſt aliò diſtractus: vbi vero nulla datur aduertentia rationis, non poteſt eſſe aliqua libertas etiam imperfecta. Quia vt dub. præcedenti oſtendimus, libertas imperfecta conueniens ſenſitiuo appetitui, in eo ſita eſt, vt poſſint eius motus à ratione reprimi: motus autem, quos ratio nullo modo aduertit, nequaquam poteſt eos reprimere. Non ergo tales motus gaudent aliqua libertate adhuc imperfecta. *Tertia ratio.*

Dices, nullum dari motum in appetitu ſenſitiuo; quem intellectus ſtatim non percipiat. Quia omnis talis motus ſupponit obiectum apprehenſum aliquo ex ſenſibus internis: ſtatim vero atque interni ſenſus aliquid cognoſcunt poteſt ab intellectu percipi, cui omnes illi obiecta & ſpecies mediis ſuis phantaſmatibus adminiſtrant. Si autem intellectus percipit omnem talem motum; dum primo inſurgit, non eſt cur non poſſit ſtatim circa illum deliberare, & eum reprimere. Quod ſufficit ad imperfectam appetitus libertatem. *Prima euaſio.*

110. Sed hoc cito refellitur. Quia non eſt vnde probetur, omnia obiecta, quæ ſenſus interni apprehendunt, in eodem inſtante ab intellectu percipi: prædictoſque ſenſus eſſe ita celeres & expeditos in miniſtrando intellectui, vt ſaltem multoties non ſit aliqua morula inter illorum ſenſationes, & iſtius cognitionem. Præſertim cum intellectus poſſit eſſe ita aliò diſtractus; aut ſic vehementer attentus circa aliquod obiectum, quod primo apprehendit, vt non ſtatim percipiat, quæ de nouo occurrunt, nec omnino ſubito à ſuperuenientibus phantaſmatibus immutetur. Quæcumque autem mora intercedat inter apprehenſionem ſenſus, & perceptionem intellectus, ſufficit vt in appetitu, qui ſequitur apprehenſionem ſenſitiuam, poſſit eſſe aliquis motus, quem pro tunc intellectus non cognoſcat, nec ratio proinde reprimere valeat. Et licet daremus, intellectum percipere omnia obiecta ſtatim atque ſenſibus apprehenduntur, non ſequitur percepturum in eodem inſtanti omnes motus, qui in appetitu ſenſitiuo circa illa inſurgunt. Quia ad percipiendos huiuſmodi motus vel erit neceſſaria aliqua noua ſpecies: vel ſaltem aliqua reflexio, vt ex obiectorum cognitione deueniat intellectus in cognitionem actus. Et vtrumque hoc permittit aliquam moram, in qua verificabitur, appetitum ferri in obiectum, & nondum intellectum eius motum percipere. *Refellitur.*

111. Deinde impugnatur prædicta euaſio, admiſſo eo quod aſſumit, videlicet omnem motum ſenſitiui appetitus percipi ab intelle- *Maior impugnatio.*

Digitized by Google

ctu ex primo inſtante. Adhuc enim non verificatur poſſe ſemper rationem ex tunc omnem talem motum reprimere. Et ratio eſt, quia cum hæc repreſſio debeat poſſe fieri libere (alias enim nihil conducet ad libertatem appetitus, neque ad intentum) oportet aduertentiam ad tale *poſſe* requiſitam non eſſe qualemcumque perceptionem obiecti, aut motus illiciti; ſed cum aliqua indifferentia, ex qua valeat ratio mouere ad vtrumlibet, hoc eſt, ad reprimendum, & ad exequendum talem motum: aut ſaltem poſſit mouere ſe ipſam ad abijciendum illum, & ad permittendum. Ut enim in tract. de voluntario diſp. 2. dub. 1. oſtendimus, tota radix libertatis eſt indifferentia cognitionis, qua ſublata, nulla manet facultas proxima ad exercitium liberum. Supponamus igitur, intellectum ita ſubito rapi ab oblato ſibi obiecto, vt ſolùm percipiat in eo rationem boni delectabilis, ex qua habet appetitum allicere: neque animaduertat aut diſcernat pro tunc in tali objecto, vel in exercitio appetendi ipſum aliquid mali, ſeu diſconuenientis, aut impedimentum alterius boni, vel limitationem ipſam, ob quæ poſſit reſpui: certe in eo caſu (quem eſſe frequentiſſimum experientia cuique notificat) cognitio intellectus nihil haberet indifferentiæ, ſed omnimodam determinationem, & alligationem ad vnum, quod eſt appetibilitas talis obiecti: atque adeo neque adeſſet tunc facultas proxima libere retrahendi motum circa illud, ſed potius omnimoda neceſſitas ad ipſum proſequendum. Igitur talis proſecutio nullo modo erit libera, ſed omnino neceſſaria, & incapax malitiæ.

Roboratur. 112. Adde, non quamlibet aduertentiam intellectus, etiam cum aliquali indifferentia ſufficere, vt motus appetitus imputetur ad culpam; ſed debet eſſe aduertentia circa malitiam obiecti, vel formalem vel fundamentalem: vel ſaltem circa aliquid excitans & inducens cognitionem talis malitiæ, aut periculi in eam incidendi. Quia ſi nihil iſtorum, ſed tantum phyſica bonitas in obiecto dignoſcatur, nulla erit obligatio ipſum reſpuendi: ſiquidem non præcipimur reſpuere obiecta ob ſolam bonitatem, & delectabilitatem phyſicam. Poteſt itaque accidere, vt inſurgente motu ſenſualitatis circa obiectum prohibitum, intellectus nihil malitiæ aut periculi in tali obiecto apprehendat, imo neque aliquid per ſe inducens, vel excitans malitiæ cognitionem, ſed tantum nudam entitatem ſub ratione boni delectabilis phyſici: præcipue vbi aduertentia ad entitatem phyſicam tantum eſſet ſemiplena, & imperfecta, ſicut in caſu noſtræ aſſertionis. Tunc igitur licet ſit in ratione aliqualis facultas ad cohibendum appetitum, proindéque huius motus aliqua gaudeat libertate, non idcirco erit formaliter peccaminoſus, quia tota illa libertas, ſicut & indifferentia cognitionis, ſiſtit in phyſicis obiecti: & reſpectu moralitatis (quæ cenſeri debet quaſi inuincibiliter ignorata) habet ſe ac ſi non eſſet.

Aliud effugium. Dices ſecundo: quamvis inſurgente motu appetitus, ratio non aduertat ea, quæ diximus: at poteſt & tenetur quàm primo aduertere. Hoc autem ſufficit, vt prædictus motus, ipsáque inaduertentia imputetur ad culpam venialem. Imo aduertentia, quam nos requirimus, videtur eſſe maior quàm peccatum veniale expoſcat; & ſufficiens ad mortale: quia ſi datur in intellectu actualis aduertentia malitiæ cum indifferentia ad vtrumlibet, non eſt cur motus ſubſequens, vel concomitans (ſaltem quantum eſt ex parte aduertentiæ) non ſit perfecte liber, atque adeo peccaminoſus mortaliter.

113. Verum neque hoc refert: quoniam dum intellectus de facto non aduertit modo explicato ea, quæ diximus, nequaquam eſt verum, quod poteſt libere aduertere. Quia tota facultas libera ad aliquid agendum vim ſumit ab aduertentia iudicij indifferentis: & ideo quandiu non præcedit hoc iudicium, neque ad aduertendum, neque ad aliquid aliud datur talis facultas. Ex quo fit, vt ante prædictum iudicium quælibet inaduertentia ſit tantum negatiua & inculpabilis: quia neque ipſa inaduertentia poteſt ab homine libere expelli, neque oppoſita aduertentia libere acquiri: ſed vtrumque præſtat author naturæ independenter à noſtra libertate. Et ratio eſt perſpicua. Nam cum ratio hominis ſit in potentia ad agendum, & non ſit ipſe actus, ad hoc vt poſſit agere libere ſe mouendo, oportet vt prius reducatur ab ipſo naturæ auctore de potentia ad actum, & in actu talis conditionis conſtituatur, qui ſit ſufficiens principium ſequentis motionis libere. Huiuſmodi vero actus debet eſſe aliqua cognitio, ſeu iudicium indifferens, ex quo poſſit ſequi motus in vtrumlibet, vel in fugam obiecti, vel in eius proſecutionem. Igitur vſque dum intellectus ad huiuſmodi cognitionem perueniat, æque verificatur quod homo non agit, & quod non poteſt libere agere: quod non aduertit, & quod non poteſt libere aduertere: atque adeo quod talis inaduertentia nullo modo eſt libera. Semel vero exiſtente prædicta cognitione (cuius infuſio ad authorem naturæ ſpectat) adeſt iam facultas ad libere agendum, vel non agendum, proportionata eidem cognitioni, quia adeſt ſufficiens principium mouendi ſe ad vtrumliber. *Impugnatur.*

114. Diximus *proportionata eidem cognitioni*: quia non quælibet cognitio obiecti indifferentis ſufficit ad libertatem perfectam; imo neque ad imperfectam moralem, ſeu fundantem venialem malitiam. Sed ad libertatem perfectam neceſſaria eſt cognitio firma, & cum aduertentia plena: & ideo vbi aduertentia fuit tantum ſemiplena, ſolùm poterit eſſe libertas imperfecta. Similiter ſi obiectum cognoſcatur præciſe ſecundum eſſe phyſicum ſine recordatione alicuius rationis inducentis, ſeu concernentis malitiam moralem, aut obligationem reſpuendi tale obiectum, ſiue aduertentia ſit plena, ſiue tantum ſemiplena, non erit principium ſufficiens libertatis moralis; ſed dumtaxat libertatis phyſicæ, ex vi cuius non magis conſurget malitia in actu, quam ſi obiectum non eſſet prohibitum. Et licet objecta, quæ ſunt mala ab intrinſeco (ſecluſa ignorantia inuincibili prohibitionis) aut vix, aut nullo modo poſſint cognoſci cum plena aduertentia ſecundum eſſe phyſicum, ſine eo quod cognoſcantur aliquo modo quantum ad malitiam moralem: ſecus tamen illa quæ præciſè ſunt mala quia prohibita per legem poſitiuam. *Animaduerſio.*

Digitized by Google

ſitivam : vel etiam ſi ſint mala ab intrinſeco, non attinguntur cum plena advertentia, de quo dicemus dubio ſequenti.

Neque ulla ratione verum eſt illud, quod tangitur in evaſione : videlicet advertentiam per nos requiſitam ad peccatum veniale, ſi ſemel debet eſſe actualis, & reſpectu malitiæ, vel alicujus inducentis malitiæ cognitionem, ſufficere ad peccatum mortale. Nam licet prædicta advertentia habeat totum id; quod requirimus; poteſt tamen eſſe dumtaxat ſemiplena, & ſine judicio firmo : & tunc talis advertentia minime ſufficiet ad peccatum mortale : quia uſque dum ad pleniorem gradum aſcendat, non erit ſufficiens principium libertatis perfectæ, ſed ſolius imperfectæ. ¶ Adde pro majori utriuſque evaſionis impugnatione, eſſe aliquos motus in appetitu ſenſitivo ita neceſſariò inſurgentes, ut licet intellectus plene advertat, nullatenus valeat illos reprimere : quia non ſequuntur primatiò ex vi apprehenſionis ſenſitivæ, quæ rationis dominio ſubeſt, ſed ex aliqua alteratione phyſica facta in corpore à qualitatibus naturalibus, ut ſequenti §. declarabitur.

115 Alia evaſio

Tertio ad rationem noſtram dici poſſet, non requiri advertentiam intellectus adhuc ſemiplenam, ut motus appetitus evadat imperfecte liber, ſed ſufficere cognitionem ſenſitivam imaginativæ, cogitativæ, aut reminiſcentiæ, unà cum aliquali diſcurſu, quem D. Thom. tribuit hujuſmodi potentiis propter conjunctionem ad intellectum, ut vidimus dubio præcedenti n. 61. ¶ Sed hoc effugium ex dictis in eodem dubio num. 81. & 82. manet ſufficienter impugnatum, ubi probavimus, prædictum diſcurſum independenter ab actuali advertentia intellectus nequaquam ſufficere ad regendam appetitus libertatem, quantumvis imperfectam. Videantur quæ illic diximus.

Impugnatur remiſſive.

§. II.

Quinam ex motibus appetitus ſenſitivi defectu omnis libertatis à malitia penitus excuſentur.

116 QUamvis ſit adeò conſtans dari in appetitu ſenſitivo motus exercitos ſine ulla libertate, & propterea omnis malitiæ expertes; incertum tamen eſt qui ſint hujuſmodi motus; variaque circa hoc Theologorum placita, quorum alii plus; alii minus prædictos motus extendunt, referunt in præſenti recentiores : à quibus ſuperſedebimus; ut brevius juxta D. Thomæ ſententiam rem abſolvamus. Igitur S. Doctor in 2. diſt. 21. quæſt. 1. art. 2. ad 5. ita dubium reſolvit. *Motus vis concupiſcibilis* (ibidem eſt de motu iraſcibili) *poteſt dupliciter inſurgere : vel ex qualitate organi, ſicut calefacto corpore, inſurgit motus libidinis ſine aliqua imagine : & ille motus eſt pure naturalis, nec rationem peccati habens. Alius motus concupiſcibilis eſt, qui inſurgit ex apprehenſione delectabilis : & ex parte illa appetitus habet quamdam libertatem, ad minus in homine, ſecundum quod poteſt obedire imperio rationis prohibentis : & ſic in concupiſcibili poteſt eſſe peccatum.*

Duplex cauſa motuum appetitus. D. Thom.

Eodem modo loquitur diſt. 24. quæſt. 3. art. 2. & in hac 1. 2. quæſt. 17. art. 7. & de mal. quæſt. 6. art. 6. ad 8. ubi rem latius proſequitur his verbis. *Quia appetitus ſenſitivus movetur ab aliqua apprehenſione, & tamen eſt virtus in organo corporali, dupliciter poteſt motus ejus inſurgere, uno modo ex corporis diſpoſitione : alio modo ex aliqua apprehenſione. Diſpoſitio autem corporalis non ſubjacet imperio rationis : ſed omnis apprehenſio imperio rationis ſubjacet. Poteſt enim ratio prohibere uſum cujuſlibet apprehenſivæ potentiæ, maxime in abſentia ſenſibilis ſecundum tactum, quod quandoque removeri non poteſt. Quia ergo peccatum eſt in ſenſualitate, ſecundum quod poteſt obedire rationi, primus motus ſenſualitatis, qui eſt ex diſpoſitione corporali, non eſt peccatum : & hunc appellant aliqui primo primum. Secundus autem motus, qui excitatur ex aliqua apprehenſione, eſt peccatum. Primum enim ratio nullo modo vitare poteſt. Secundum autem vitare poteſt quantum ad ſingulos, non autem quantum ad omnes : quia dum avertit cogitationem ſuam ab uno, incurrit in aliud, ex quo poteſt inſurgere motus illicitus.* Conſequenter ad hæc loquitur in multis aliis locis.

Porro prædicta verba non ita accipi debent, quaſi ſentiat D. Thom. poſſe eſſe in appetitu ſenſitivo aliquem motum ſine ulla apprehenſione objecti ſenſibilis. Cum enim objectum adæquatum ipſius appetitus ſit ſenſibile per ſenſum apprehenſum, apertè implicat, dum nulla adeſt talis objecti apprehenſio, in motum aut operationem prorumpere. Sicut quia objectum voluntatis eſt bonum cognitum ab intellectu, eſt manifeſta implicatio, quod ſine iſtius cognitione aliquis actus ab illa procedat. Quæ eſt communis doctrina Theologorum : & ipſius D. Thomæ quæſt. 25. de veritate art. 3. ubi conferens appetitum ſenſitivum cum voluntate dicit, habere ſe, *ſimiliter quantum ad hoc, quod in neutro appetitu poteſt eſſe aliquis motus, niſi præcedente aliqua apprehenſione : appetibile enim non movet appetitum vel inferiorem, vel ſuperiorem, niſi apprehenſum vel ab intellectu, vel à phantaſia, vel à ſenſu.* 117 Legitimus ſenſus verborum D. Thomæ.

Quare cum in teſtimonio ex 2. ſentent. ait, motus naturales appetitus inſurgere ſine aliqua imagine ex ſola corporali alteratione à qualitatibus naturalibus facta, vel loquitur de imagine alicujus objecti extrinſeci delectabilis, aut triſtabilis, puta cibi, mulieris, inimici, &c. non excludendo apprehenſionem ipſius alterationis corporalis, vel alicujus operationis, quæ poteſt eſſe ſufficiens objectum prædictorum motuum; vel ſolum intendit, quod apprehenſio in his motibus concurrens ſumit initium, & excitatur neceſſariò à naturali alteratione : quæ veluti cogit, & trahit ad ſe vim apprehenſivam : nec ſinit aliud apprehendere, niſi quod corporali diſpoſitioni congruit. Et quia hujuſmodi diſpoſitio eſt primaria & originalis ratio, ut motus illi inſurgant, apprehenſio vero habet ſe quaſi concomitanter, dicuntur fieri ſine aliqua imagine (utique ex primo excitante) ex ſola naturali diſpoſitione. Ad diſtinctionem aliorum motuum, quos primo excitat imaginatio: ubi tota ratio motiva eſt delectabilitas, aut contriſtabilitas objecti apprehenſi, & vis apprehenſionis, ſine eo quod diſpoſitio corporis in id peculiari

Digitized by Google

culiariter concurrat. Ita intelligunt Ang. Doct. Capreol. Monteſ. Martin. & alii diſcipuli.

118 Qui motus dicātur primo primi.

Ex ſententia ergo D. Thomæ, & Thomiſtarum inter motus neceſſarios, & primo primos debent numerari ſaltem omnes illi, qui licet ſint actus ſenſitivi appetitus, originantur tamen neceſſariò ex aliqua phyſica alteratione, quæ fit in corpore abſque noſtra libertate: ut cum calefit, infrigidatur, percutitur, &c. Ubi notanter dicimus, *originantur neceſſario:* quia fieri poterit ut alteratio corporis non ſit tanta, quæ neceſſario rapiat ad ſe apprehenſionem; ſed poſſit hæc per imperium rationis aliò diſtrahi. Et tunc ſi ratio animadvertat, & non diſtrahat, motus ſequens non eſt dicendus pure naturalis, & neceſſarius; quia cauſa ejus adæquata adhuc per modum radicis, non eſt ſola corporalis diſpoſitio; ſed adjuta ab apprehenſione, quam ratio poterat & tenebatur impedire. Contingere etiam poteſt, ut dum primò inſurgit motus, ſit purè naturalis & neceſſarius; deinde vero continuetur libere; aut è converſo. Quia multoties corporalis alteratio in ſui initio eſt adeò vehemens, ut neceſſario rapiat vim apprehenſivam: poſtmodum autem ſic remittitur, ut ratio poſſit ei obſiſtere, & apprehenſionem aliò trahere: & ſimiliter è converſo.

Quare oportet rationem eſſe pervigilem, ut quandocunque ſenſerit apprehenſionem ferri ad objectum illicitum, etiam excitatam à corporali diſpoſitione, curet, & attentet iterum & iterum eam divertere: aliquando enim, vel in principio, vel in continuatione id poterit: ſemperque facere tenetur quod in ſe eſt, ut hac vel illa via ab objecto illicito appetitum removeat. D. Thom. Quocirca D. Thom. q. 3. de mal. art. 3. ad 8. ut motus inſurgentes ex naturali alteratione à ratione omnis peccati excludat, requirit actualem voluntatis reſiſtentiam. Ait enim. *Si motus ſenſualitatis inſurgat ex aliqua tranſmutatione corporali, ratione actualiter reſiſtente, quod eſt in arbitrio voluntatis, nullum eſt ibi peccatum.* Quod eſt intelligendum, dummodo ratio tales motus animadvertat, namque ſecluſa omni advertentia, etiam abſque reſiſtentia rationis nullum erit peccatum.

¶ Diximus etiam *ex alteratione, quæ fit abſque noſtra libertate*, &c. quia ubi talis alteratio libertati ſubeſſet; eo quod homo libere applicuit ejus cauſam, vel poſt ſive libere, ſive neceſſario applicatam, non removet, cum poſſit, & teneatur; motus inde conſurgentes ſaltem erunt liberi in cauſa: poterúntque proinde ad culpam imputari.

119 Denturne alii motus etiam primo primi.

His ſuppoſitis circa prædictos motus, circa alios, qui ex ſola apprehenſione objecti ſenſibilis in appetitu inſurgunt, eſt non levis difficultas. An videlicet omnes in quocunque eventu ſint liberi, ſaltem ſemiplene: vel potius eorum aliqui, illi nimirum qui ſequuntur ex aliqua apprehenſione ſubita & inopinata, quoſque ratio nullo modo advertit, ſint omnino neceſſarii, & alieni à malitia? Non deſunt qui exiſtiment A. Doctorem ſenſiſſe illud prius locis citatis initio hujus §. Frequenter enim pro diſcernendis motibus venialiter peccaminoſis à non peccaminoſis, recurrit ad ſupradictam diſtinctionem: neque in alio diſtinguit *primo primos* à *ſecundo primis*, niſi quia illi proveniunt ex diſpoſitione naturali, quæ non ſubeſt imperio rationis; iſti vero ex apprehenſione objecti ſenſibilis, quæ rationi ſubjicitur: eo quod ratio movet potentias ſenſitivas apprehenſivas, & applicat quò voluerit. Unde ſupra quæſt. 17. art. 7. ſic ait. *Actus appetitus ſenſitivi non ſolum dependet ex vi appetitiva, ſed etiam ex diſpoſitione corporis: illud autem quod eſt ex parte potentiæ animæ, ſequitur apprehenſionem: apprehenſio autem imaginationis, cum ſit particularis, regulatur ab apprehenſione rationis, quæ eſt univerſalis: & ideo ex iſta parte actus appetitus ſenſitivi ſubjacet imperio rationis.*

Sæpe etiam aſſerit, quod licet ratio non poſſit vitare omnes iſtos motus collectivè, poteſt tamen vitare ſingulos: & hoc ſufficere, ut quemcunque non vitet, ſit peccatum ſaltem veniale. Ita quæſt. 7. de mal. art. 6. ad 8. In 2. diſt. 24. q. 3. art. 2. ad 4. & ad 3. hujus quæſt. in ſolut. ad 2. In ſolut. vero ad 3. expreſſe dicit motum ſenſualitatis, etiam ſi præveniat rationem, eſſe peccatum veniale, idque alibi non ſemel affirmat, ut vidimus dubio præcedenti §. 1. Si ergo motus adeò ſubiti & inopinati ut rationis advertentiam præveniant, non excuſantur à culpa veniali, quis alius motus ex his, qui ſequuntur ex apprehenſione, remanere poterit ſine culpa?

120 Aperitur mens D. Thomæ ex aliis ejus teſtimoniis.

Verum ſi loca omnia D. Thomæ attente legantur, plane conſtabit, non ita arcte de hac re ſenſiſſe: ſed admiſiſſe plures motus provenientes ex ſola apprehenſione, qui rationis imperio non ſubduntur, neque poſſunt ab ea reprimi; eò quòd inſurgunt ſubito, & ante omnem rationis advertentiam: quamvis ſint talis conditionis, ut ſi ratio adverteret, & prævideret, poſſet eos reprimere: tuncque haberent libertatem. Docuit hoc clariſſimè ſupra quæſt. 17. art. 7. ubi poſt verba nuper relata, quibus illos tantum motus, qui ſequuntur ex naturali diſpoſitione, à dominio rationis excluſit, pergit ulterius excipiens quoque eos, qui conſurgunt ex apprehenſione ſubita, his verbis. *Contingit autem etiam quandoque quod motus appetitus ſenſitivi ſubitò concitatur ad apprehenſionem imaginationis, vel ſenſus: & tunc ille motus eſt præter imperium rationis, quamvis potuiſſet impediri à ratione, ſi prævidiſſet.* En præter motus inſurgentes ex corporis diſpoſitione, concedit D. Thom. D. Thom. alios provenientes vi ſolius apprehenſionis, ita ſubitos, & impræmeditatos, ut nullatenus poſſint à ratione prohiberi, eò quòd non prævidentur, ſed antecedunt omnem ejus advertentiam: & ita manent totaliter extra rationis dominium: ſub quo tamen manerent, ſi fuiſſent prævisi.

Hic autem locus dat nobis non modo veram de hac re ſententiam, ſed & intelligentiam omnium aliorum, quæ poſſunt in contrarium adduci. Quotieſcunque enim D. Th. affirmat, motus ſurgentes ex apprehenſione ſubeſſe rationis imperio, quoad *poſſe* ab ea impediri, & propterea eſſe aliqualiter liberos, ſubintelligendum eſt, *ſi ratio tales motus præſentiat, aut animadvertat*, ut habetur loco nuper allegato. Quam reſtrictionem adhibet etiam Angel. Doctor articulo tertio, hujus quæſt. ubi apertius favere videbatur contrariæ parti. Cum enim dixiſſet in ſolut. ad 2. *Corruptio fomitis non impedit, quin homo*

ratio

Digitized by Google

rationali voluntate poſſit reprimere ſingulos motus inordinatos, divertendo cogitationem ab alia: addit hanc particulam *ſi præſentiat*. Simul inſinuans, poſſe aliquando non præſentire tales motus; & plane docens, quod niſi præſentiat, aut animadvertat illos, neque omnes collective, neque ſingulos diviſive poterit cohibere: ac proinde manſuros tunc extra rationis dominium, & extra omne genus liberi. Legatur etiam de mal. quæſt. 7. art. 5. ad 17. & artic. 6. ad 8. cujus verba num. 116. adduximus, ubi ſimilem exceptionem inſinuat.

121 Et ratio eſt perſpicua: nam D. Thom. non ob aliud tribuit motibus ſequutis ex apprehenſione libertatem, niſi quia ratio poteſt eos libere prohibere, ut videre eſt omnibus locis, ubi de hac re tractat; ratio autem deſtituta omni cognitione & advertentia neque valet tales motus reprimere, neque aliud libere operari. Ut enim num. 115. explicuimus, facultas ad libere agendum ſupponit aliquam cognitionem cauſatam ſpecialiter ab authore naturæ independenter a noſtra libertate. Imo non quælibet cognitio ad id ſufficit; ſed debet eſſe cum aliqua indifferentia. Nam cognitio totaliter ad unum determinata, ſicut non poteſt eſſe ratio movendi ſe ad utrumlibet; ita non eſt ſufficiens principium libere agendi. Quare hanc ſemper fuiſſe mentem D. Thomæ, cenſent graves ejus diſcipuli Capreol. Alvar. Martin. Monteſ. Araujo, & alii ſupra allegati.

Motus omnes neceſſarii recenſentur.

Ex ejus ergo ſententia excipiendi ſunt in primis a linea liberorum omnes illi motus, qui in appetitu ſenſitivo neceſſariò conſurgunt ex aliqua phyſica alteratione, dummodo hujus cauſa non fuerit libere applicata, aut conſervata. Et præterea omnes ii, qui ſequuntur ex apprehenſione ita ſubita & indeliberata; ut nulla adſit rationis advertentia, ex qua poſſit libere moveri ad admittendos, vel repellendos tales motus. Quam advertentiam debere eſſe cum aliquali indifferentia, diximus num. 111. Reliqui autem, qui ſequuntur ex vi apprehenſionis, ratione advertente, etiam ante deliberationem, omnes ſunt aliquo modo liberi, & poſſunt ab illa cohiberi: atque adeò omnibus ineſt malitia ſaltem venialis. Quæ omnia recte obſervavit Capreol. loco ſupra citato, ubi legitimum ſenſum D. Thomæ explicuit his verbis. *Actus ex ſola imaginatione ſine deliberatione procedentes ſunt duplices. Quidam enim ſunt, quos imaginatio concomitatur, potius quam cauſet, qui oriuntur ex diſpoſitione qualitatum naturalium: vel ſi cauſantur ex imaginatione, non tamen tali, quæ à voluntate potuerit impediri: nec per conſequens appetitus ſequens. Ut patet in imaginatione, quæ cauſatur ex neceſſitate in occurſu alicujus objecti, vel ex ſubita operatione phantaſmatis, vel cum audio loquentem de materia venereorum: & tales ſunt penitus extra genus moris. Alii vero ſunt, quos imaginatio non ſolum concomitatur, ſed cauſat: quæ quidem imaginatio non ſic ſubito & mere naturaliter cauſatur, quin potuerit impediri, vel ipſa, vel appetitus ſequens: & tales non ſunt extra genus moris, &c.* Et inferius. *Ex quibus infero, quod triplex motus poteſt eſſe in appetitu. Unus ſequens deliberationem: ſecundus ſequens ſimplicem apprehenſionem, qui potuit impediri: tertius procedens ex naturali diſpoſitione, vel apprehenſione, quæ nullo modo potuit impediri. Primus eſt perfecte moralis: ſecundus imperfecte: tertius nullo modo.* Hæc Capreolus omnino ad mentem Ang. Doct.

Capreol.

Ad primum vero, quod ex S. Doctore opponitur, reſpondetur D. Thomam, dum recurrit ad prædictam diſtinctionem, voluiſſe oſtendere, motus inſurgentes ex naturali alteratione per ſe & ex natura ſua eſſe primo primos, & extra dominium rationis: ita ut licet eos animadvertat (ſaltem cum alteratio eſt vehemens) reprimere non valeat: illos autem qui conſurgunt ex objecti apprehenſione, ſemper, quantum eſt ex ſe, rationi ſubjici, & poſſe ab ea impediri, dummodo ipſa ratio ex parte ſua potens ſit ad impediendum. Et quia uſque dum actu advertat, non eſt proxime potens neque ad impediendum, neque etiam ad advertendum juxta dicta num. 113. manent tunc prædicti motus per accidens inimpedibiles, & omnino neceſſarii. 122

Explicantur loca adducta in contrarium.

Ad ſecundum conſtat ex dictis, quomodo quoties D. Thom. ait rationem poſſe vitare ſingulos motus ſenſualitatis, ſubintelligitur *ſi præſentiat*: quod non ſemper accidit.

Ad tertium dicas, prædictos motus dupliciter poſſe prævenire rationem: vel ita, ut præcedant omnem ejus advertentiam, & ſimplicem cognitionem objecti indifferentis, etiam ſemiplenam, ex qua poteſt moveri ad deliberandum qualiter circa illos ſe habebit, an admittat eos, an reſpuat? Vel quia hujuſmodi advertentia ſuppoſita, præcedunt judicium decernens, vel admittere, vel cohibere. Quæ diſtinctio habet fundamentum in D. Thoma ſupra quæſtione 46. artic. 4. ad primum, ubi cum Philoſopho diſtinguit inter rationem ſolum advertentem, ſeu denuntiantem; & rationem decernentem & præcipientem. Ad rem ergo. Cum ait non officere libertati ad veniale requiſitæ, quod motus appetitus præveniat rationem, loquitur de præcedentia poſteriori modo explicata; non tamen primo. Et ita non excludit ſimplicem illam advertentiam, quam requirimus; ſed ſolam deliberationem, & judicium determinativum: pro quibus frequentius ſumitur ipſum *rationis* nomen, quam pro prædicta advertentia. Unde conſultò D. Thom. nuſquam (quod meminimus) dixit prædictos actus prævenire omnem cognitionem, aut omnem advertentiam intellectus: ſæpe vero aſſeruit, prævenire rationem, vel deliberationem, vel judicium rationis: ut inſinuaret ſe loqui in ſenſu à nobis explicato. 123

§. III.

Quæ obſtent communi aſſertioni?

124 Hæreticorum error. ASſertioni ſuperius ſtabilitæ opponitur in primis error novorum hæreticorum aſſerentium concupiſcentiam, quæ in nobis eſt, & omnes ejus motus circa illicita, quantumvis neceſſario inſurgant, imo quantumcunque voluntas eis reſiſtat, eſſe formaliter peccata, adhuc in baptizatis. Non quod tales motus ſint aliquo modo liberi: prædicti enim hæretici nullam ad peccatum libertatem requirunt: ſed quia ſecundum ſe ſunt difformes, & legi Dei repugnant.

Contra quem errorem multa ſcribunt Theologi controverſarii. Et damnatur à Conc. Trid. Conc. Trid. ſeſſ. 5. ſeſſ. 5. decreto de peccato orig. §. 5. ubi poſtquam ſtatuit, reatum peccati originalis, & totum id, quod verum & propriam peccati rationem habet, remitti & tolli per Baptiſmum, nihilque damnationis eſſe iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem, ſubjungit: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur & ſentit: quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Ieſu gratiam repugnantibus non valet, quinimò qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.* Nomine autem *concupiſcentiæ* intelligit Concilium non ſolam habitualem infectionem, quæ ex peccato originali in potentiis remanſit, ipſaſve potentias ſenſitivas ut ita infectas; ſed etiam earum motus, & actus, quoties neceſſario & voluntate renitente, ac viriliter repugnante inſurgunt: propter hujuſmodi enim motus dicitur concupiſcentia *fomes peccati*, & ad agonem nobis relicta. ¶ Falſum autem eſt prædictos motus quoties inſurgunt ſine ulla libertate, eſſe formaliter difformes, ut hæretici affirmant. Quia lex non prohibet aut præcipit niſi actus liberos: actus enim omnino neceſſarii ſunt prorſus incapaces dirigi per legem, ſicut ſunt actus brutorum, quibus propterea nulla imponitur lex. Soli ergo actus liberi, & qui fiunt cum indifferentia ad utrumlibet, poſſunt eſſe formaliter contra, aut præter legem, & formaliter illi conformes vel difformes.

Objectio. Sed dices: nemini licet de hujuſmodi motibus gaudere, aut illos deſiderare, quantumvis neceſſario eveniant: eſſet autem utrumque licitum, ſi non eſſent peccata, ergo, &c. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: ex antecedente enim ſolum infertur prædictos motus eſſe malos objective: nam eo ipſo Diluitur. tribuunt malitiam formalem actibus complacentiæ vel deſiderii, quibus libere appetuntur, quamvis in ſe nullam habeant talem malitiam.

125 Opinio Henrici. A prædicto errore non longe diſtat opinio Henrici Gandavenſis quodlib. 6. quæſtione 12. ubi ait, motus pure neceſſarios in baptizatis non eſſe peccata; ſecus in non baptizatis. Pro cujus explicatione obſervat, ante Baptiſmum duo reperiri in illis motibus, nempe deformitatem, ſeu turpitudinem, & reatum ad pœnam: ex quibus illud primum concedit manere in baptizatis; non autem poſterius. Ait præterea, eos motus in non baptizatis eſſe peccata mortalia & non venialia, ſi *mortale* dicatur, quod æterna pœna, *veniale* vero, quod temporali punitur: non tamen eſſe ipſum peccatum originale, quia conſiſtunt in operatione perſonali & propria, non voluntatis, ſed carnis. Tandem aſſerit prædictos motus eſſe ſufficienter voluntarios: tum propter voluntatem primi parentis, ex qua manavit originalis culpa, cujus ſunt effectus: tum etiam propter voluntatem proprii ſuppoſiti nolentis Baptiſmum ſuſcipere, & per ipſum ab illorum reatu expiari.

Hanc Henrici opinionem ad minus ut erroneam univerſi Theologi rejiciunt: & multis impugnatur à Vaſquez, Curiele, & aliis in præſenti. Reprobatur. Tum quia ſi prædicti motus in baptizatis retinent quod eſt deformitatis & turpitudinis, tantúmque deeſt reatus ad pœnam, proculdubio erunt formaliter peccata, ſicut dicit eſſe in non baptizatis: quia peccatum non conſtituit reatus ad pœnam, ſed turpitudo & deformitas, quam conſequitur talis reatus. Quod non minus damnat Concilium Trident. loco citato ut intuenti conſtabit. ¶ Deinde inconſequenter loquitur Henricus dicens, tales motus manere in renatis quoad peccati turpitudinem, & non quantum ad pœnæ reatum: quippe hujuſmodi reatus conſequitur neceſſario ipſam turpitudinem: neque aliter quam per illius ablationem poteſt aboleri. ¶ Falsò præterea aſſeritur, motus illos adhuc in non baptizatis eſſe voluntarios prout requiritur, ut ſint formaliter peccata. Non enim id habere poſſunt ex voluntate Adami, qui ſolam culpam originalem nobis voluntariam effecit, quatenus ejus voluntas erat voluntas capitis: hujuſmodi autem motus, ſi ſemel ſunt peccata, potius ſunt perſonalia, adhuc ex ſententia Henrici, quam ad originale pertineant. Neque ſimiliter poſſunt dici *voluntarii* ex voluntate propria, quæ in tales motus non modo non influit, ſed ſæpe iis quantum poteſt reſiſtit. Quod autem quis non ſuſcipiat Baptiſmum, nihil refert, cum talis non ſuſceptio ſæpiſſime non ſit voluntaria, ut patet de innumeris infidelibus, qui Baptiſmum penitus ignorant. Ex nullo igitur capite ineſſe poteſt prædictis motibus libertas: ea autem ſecluſa impoſſibile eſt, quod malitia peccati afficiantur.

Eſt & alia quorumdam Scholaſticorum opinio minus improbabilis, quæ omnes motus ſenſitivi appetitus, quantumvis primo primos & impræmeditatos, dicit eſſe peccata venialia, eo quod ſint actualiter liberi, non ex ordine ad voluntatem Adami, neque ex negligentia ſuſceptionis Baptiſmi, ut ponebat Henricus: ſed quia voluntas propria poteſt eos impedire, & non impedit: vel ſaltem ipſe appetitus ſenſitivus pro ſua innata libertate poteſt illos cohibere. Hæc tribuitur Alexand. 2. p. quæſt. 108. memb. 2. *Alexand.* 126 Opinio alia minus improbabilis.
Altiſiodor.

Altiſiodor. Alber. D. Bonau. Caiet.

Altiſiodor. lib. 2. tract. 28. cap. 1. Alber. in 2. diſt. 36. art. 4. & D. Bonavent. eadem diſt. art. 1. quæſt. 2. & diſt. 41. art. 2. quæſt. 1. quibus aliqui annumerant Cajetanum in præſenti art. 3. Sed credimus Cajetanum huic ſententiæ non ſuſcribere. Quæ quidem ut ab Henrici opinione differat, reſtringenda eſt ad omnes, & ſolos eos motus, qui inſurgunt, dum homo eſt in vigilia, & ſanæ mentis, licet aliò diſtractus, & quibus voluntas efficaciter non reſiſtit: ut credimus loquutos fuiſſe prædictos Doctores: aliàs & hæc ſententia cenſenda erit jam improbabilis.

117 Vltima adverſa opinio. Durand. Caiet. Petrus de Soto. D. Thom.

Minus autem à veritate aberrat quarta ſeu tertia opinio, quæ excipiens ab ſphæra peccati motus inſurgentes ex alteratione corporis à qualitatibus naturalibus facta, juxta dicta num. 118. reliquos omnes, qui ſequuntur apprehenſionem, quantumvis ſubito inſurgant, culpæ ſaltem veniali abſcribit. Et loquitur dum homo eſt ſui compos, non amens, non dormiens, &c. Hanc videntur tenuiſſe Durandus in 2. diſt. 21. quæſt. 1. numero 9. Cajet. in præſenti art. 3. & infra quæſt. 80. art. 3. Petrus de Soto de inſtitut. Sacerd. 2. p. titul. de peccat. diſcrim. lect. 8. & multi eam tribuunt D. Thomæ.

Argumentum ex D. Thom.

Cujus mentem quamvis explicuerimus à num. 120. eſt tamen adhuc unus locus, qui eget ſolutione 3. p. quæſt. 41. art. 1. ubi reddens rationem cur Chriſtus, qui paſſus eſt tentari ab externo hoſte, non admiſit unquam tentari à carne, ſic ait in ſolut. ad 3. *Sicut Apoſtolus dicit Chriſtus in omnibus tentari voluit abſque peccato: tentatio autem, quæ eſt ab hoſte, poteſt eſſe ſine peccato, quia fit per ſolam exteriorem ſuggeſtionem. Tentatio autem, quæ eſt à carne, non poteſt eſſe ſine peccato: quia hujuſmodi tentatio fit per delectationem & concupiſcentiam: & ſicut Auguſtinus dicit, nonnullum peccatum eſt, quando caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Et ideo Chriſtus tentari voluit ab hoſte, ſed non à carne.* ¶ Ex quo loco in primis habetur pro hac opinione, tentationem, quæ fit per aliquem motum ſenſitivi appetitus circa illicita (hæc enim ſola eſt quæ vocatur tentatio carnis, ſive ſit circa venerea, ſive circa alia) nunquam fieri in nobis ſine aliquo peccato. Quia idipſum quod eſt ſurgere, & excitari in appetitu motum contrarium ſpiritui & rationi, non caret aliqua malitia. Quam doctrinam invenies repetitam quæſt. 11. de mal. art. 1. ad 2. & in 4. diſt. 49. quæſt. 15. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 2. atque aliis locis. ¶ Habetur præterea, quod ſi eſſent aliqui motus circa illicita à peccato excuſabiles, tales motus poſſent poni in Chriſto Domino, quia ſecluſa omni malitia, non erat unde ei repugnarent. Cum ergo ſit conſtans D. Thomæ, & Theologorum ſententia, nullum hujuſmodi motum in ullo extitiſſe, ſequitur eos ſemper eſſe peccata, qualitercunque inſurgant.

Ob eandem rationem negat S. Doctor fuiſſe in Beata Virgine ſimiles motus, vel aliquam pugnam aut tentationem carnis, quia ſemper his admiſcetur aliqua malitia. Et ideo in 4. ubi ſupra impugnans quoſdam non ita recte de immunitate, & perfectione Virginis quantum ad hoc ſentientes, ſed admittentes fuiſſe in ea aliquam pugnam, quamvis ſibi inſenſibilem ob vehementiam virtutis, ſic ait. *Iſtud non videtur convenienter dici: quia cum B. Virgo credatur omnino fuiſſe immunis à fomitis inclinatione propter ejus ſanctificationem perfectam, non eſt pium ponere aliquam pugnam à carne fuiſſe in ea, cum talis pugna non ſit niſi ex fomitis inclinatione: nec tentatio, quæ eſt à carne, ſine peccato eſſe poſſit.* En quomodo perpetuus ſit in adſtruendo, tentationem carnis nunquam excuſari totaliter à peccato. Et hæc eſt ratio, ob quam Sancti Patres, & Theologi docent, non licere nobis appetere ſic tentari, quamvis ſit ex intentione ad reſiſtendum. D. Thom.

128 Doctrinæ pro ſolutione.

Reſpondetur ergo concedendo totum, quod ex verbis D. Thomæ poteſt deduci: videlicet tentationem carnis non contingere omnino abſque culpa: & rurſus in Chriſto Domino aut Deipara nullam fuiſſe hujuſmodi tentationem, aut ullum motum circa objectum illicitum. Negamus tamen inde ſequi quod in nobis vel omnis talis motus ſit proprie tentatio carnis; vel quod nullus inſurgat ſine peccato. Pro quo notant bene Monteſ. & Martin. quod tentatio eſt quoddam bellum, & quædam pugna, atque ita poſtulat exerceri inter duos, quorum quiſque poſſit alteri vel cedere vel repugnare: videlicet inter Dæmonem aut carnem motum illicitum excitantem ad extorquendum voluntatis conſenſum, & inter hominem ita advertentem & libere procedentem, ut poſſit talem conſenſum concedere vel negare. Quare deficiente ex parte rationis omni advertentia, ſicut non valet prout ſic tentationi cedere, aut reſiſtere, ita non dicetur proprie tentari, quantumcunque motus carnis inſurgant: ut cernitur in dormientibus, in quibus licet ſimiles motus inſurgant, non dicimus per eos tunc proprie tentari: non niſi quia cum ratio ſit ſopita & ligata, atque impotens ad cedendum vel reſiſtendum, non eſt capax, ut tentatio vel pugna ſibi inferatur. Tentatio quid requiratur?

Accedit quod, ut docet D. Thom. in 2. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. de ratione tentationis eſt, ut per eam ſumatur experimentum virtutis, vel defectibilitatis ejus, qui tentatur: dum autem ratio nullo modo advertit motum appetitus, nequit prædictum experimentum ſumi, quia cum ipſa pro tunc ſit impotens tam ad cedendum tentationi, quam ad reſiſtendum, neque poteſt ſe oſtendere defectuoſam in primo, neque fortem in ſecundo. Atque adeò per nullum motum tunc contra eam inſurgentem proprie dicenda eſt tentari: quippe per nullum exquiritur ab ea prædictum experimentum.

Alia doctrina.

Secundò nota, appetitum ſenſitivum in Chriſto Domino adeò fuiſſe ſubjectum rationi, ut ſine iſtius advertentia & imperio nullus in illo motus inſurgeret. Hujuſmodi enim privilegium, quod Adamo in ſtatu innocentiæ fuit conceſſum, potiori jure Chriſto Domino ab initio ſuæ conceptionis debebatur. Nec denegandum videtur Virgini Deiparæ, cui ob perfectiſſimam ſanctificationem, & immunitatem à culpa, in multis conceſſa eſt perfectio juſtitiæ originalis, licet non ſtatus. Ex quo ſit

ſit quod licet in nobis motus circa illicita, eo quod poſſunt inſurgere ſubito, & ante omnem advertentiam, ſæpe non ſint peccata, neque habeant propriè loquendo rationem tentationis: at in Chriſto Domino & in Virgine Deipara, ſi ſemel darentur, fierent cum advertentia & libertate: & ideo neque vacarent culpa, neque rationem tentationis amitterent.

129 Solutio argumenti. Ex his habetur ſolutio argumenti, & intelligentia doctrinæ D. Thomæ in omnibus locis ubi aſſerit tentationem carnis non eſſe abſque peccato. Loquitur enim non de omnibus motibus ſenſitivi appetitus, ſed de illis dumtaxat, qui fiunt cum aliquali intellectus advertentia: quibus proinde competit nomen & ratio tentationis. Præter quos dantur in nobis plures alij ſurgentes ſine libertate, & ſine ulla rationis advertentia: qui ſicut non meretur proprie nomen *tentationis*, ita neque ſunt formaliter peccata. Quando vero ex hoc principio negat Chriſto Domino omnes tales motus, ſupponit non potuiſſe dari in illo ſine advertentia & libertate, ſicut poſſunt dari in nobis. Et quia ubi ſunt liberi, ſemper ſunt peccata, concludit non potuiſſe ullatenus in ejus appetitu exiſtere. Quo proportionali modo philoſophandum eſt de Virgine Deipara.

Quid addant nonnulli. Addunt aliqui, prædictos motus ob aliam rationem non potuiſſe eſſe in Chriſto Domino, neque in ejus puriſſima Matre. Quia videlicet licet dum neceſſariò aut ſine ulla rationis advertentia inſurgunt, non ſint formaliter peccata, ſunt tamen adhuc tunc effectus peccati originalis, a quo concupiſcentia emanavit. Quare in his qui ab omni peccati labe immunes extiterunt, non debent admitti. ¶ An vero doctrina hujus additamenti, quæ pro Chriſto Domino neceſſariò eſt concedenda: pro Beata Virgine ſufficiat, aut ſit ad mentem D. Thomæ, atque adeò utilis ad ejus teſtimonia declaranda, non examinamus: & ideo conſulto noluimus ſolutionem argumenti ad eam alligare.

Replica. Sed urgebis contra prædictam ſolutionem: quia non videtur univerſaliter concedendum, tentationem carnis, etiam proprie dictam, non poſſe eſſe abſque peccato. Nam ſi motus illicitus inſurgat ratione advertente & repugnante, non eſt ibi peccatum, ſed meritum & corona, ut docet Tridentinum ubi ſupra: & tamen ille motus habet quidquid requiſivimus, ut ſit proprie carnis tentatio: ergo, &c.

130 Diluitur. Reſpondetur ita eſſe, quod ſi ratio efficaciter reſiſtat motui carnis, non erit proprie peccatum, ſed potius materia exercendæ virtutis, id quod expreſſe docet D. Thom. infra quæſt. 80. art. 2. ad 3. Quare illa ejus doctrina quod *tentatio carnis non eſt ſine peccato*, intelligenda eſt quandiu non adeſt totalis & efficax reſiſtentia rationis, ſed aliqua mora in reſiſtendo: quæ propter humanam fragilitatem, vel in principio tentationis, vel dum continuatur, ſaltem ſæpiſſime accidit. An vero ſemper? ſub dubio eſt. Neque improbabilis pars affirmativa. In quam valde inclinat Cajetanus infra quæſt 80. ad art. 3. Cum enim appetitus ſenſitivus natus ſit obedire rationi operando ad ejus imperium, & cohibendo ſuos motus ad ejus reſiſtentiam, ſignum valde efficax eſt, prædictam reſiſtentiam non eſſe totalem & efficacem, ſi advertente ratione tales motus inſurgant. Nam ſicut poſtquam ſemel ſurrexerint, ad efficacem reſiſtentiam voluntatis ſedantur, ut experientia oſtendit; ita ſi prædicta reſiſtentia ſemper adfuiſſet, nequaquam ſurrexiſſent.

Cæterum ut hæc doctrina ſecure ſuſtineatur, reſtringenda eſt ad eos tantum motus, qui ſequuntur ex vi apprehenſionis, rationeque advertente: neque extendi debet ad illos, qui cauſantur ex naturali alteratione, ſive intellectus advertat, ſive non. Et ratio eſt: quia apprehenſio ſenſitiva, niſi ab aliqua diſpoſitione corporali impediatur, ſubditur imperio rationis: non autem ipſa corporalis diſpoſitio. Unde in prioribus motibus ſignum ſufficiens eſt per ſe loquendo, quod vel ratio abſolutè non reſiſtit efficaciter, ſi advertente illa inſurgunt: aut ſi cum ante advertentiam ſurrexerint, ea advertente non ſedantur. In poſterioribus vero non eſt id ſufficiens ſignum, maxime cum alteratio corporalis eſt vehemens. Quia tunc licet ratio quantum valet reſiſtat, poterunt inſurgere & permanere, permanente alteratione. Reſtringitur præſens doctrina.

Diximus *ſi advertente illa inſurgunt*, &c. quia dum ratio nullo modo advertit, etiam ſi motus proveniat ex apprehenſione, non habet proprie rationem tentationis, juxta dicta num. 128. Et ideo non contradicit D. Thomæ, quod tunc inſurgat ſine aliquo peccato. Sicut non contradicit ejus doctrinæ, quod etiam ratione advertente inſurgat, aut permaneat prædictus motus ſine aliqua malitia, quando cauſa eſt naturalis diſpoſitio, ut explicuimus num. 118. ſive in eo caſu dicenda ſit propriè tentatio, ſive non. ¶ Diximus etiam *per ſe loquendo*, &c. nam per accidens ex ſpeciali Dei permiſſione aliquando continget Dæmonem ita vehementer excitare imaginationem alicujus objecti; ut non ſit in poteſtate voluntatis apprehenſionem illam aliò trahere, neque motum appetitus inde ſequutum totaliter removere. Et hæc etiam tentatio poterit vacare omni culpa. Quem caſum D. Thom. in illa generali doctrina noluit comprehendere. 131

Dices, ergo per ſe loquendo, & extra caſum diſpoſitionis naturalis, & inadvertentiæ totalis, nemo pugnans contra tentationem, quæ eſt à carne, ita vincit, quin ſimul vincatur, & ſaltem venialiter peccet: hoc autem videtur inconveniens: ſicut eſſet aſſerere, viros apoſtolicos & perfectiſſimos ut Paulum, Benedictum, Franciſcum, &c. qui adverſus ſimiles tentationes haud ſemel dimicarunt, non eas perfecte viciſſe. Sequela vero patet: nam vel tentatio illa advertente ratione de facto ſurrexit, vel non? Si non ſurrexit, nullà eſt tentatio neque locus pugnæ; ſi ſurrexit, hoc ipſum fuit ex defectu reſiſtentiæ voluntatis, & per conſequens peccatum Alia replica.

catum: quippè ſi illa ab initio perfectè reſtitiſſet, nequaquam tentationis motus ſurrexiſſet.

132 Enervatur. Reſpondetur, in hujuſmodi pugna, quæ dicitur tentatio à carne, & fit motibus ſenſualibus, vix poſſe militem omnino incolumem evadere, aut ita feliciter vincere, quin detrimentum aliquod ſaltem leve ſuſtineat. Adeo enim hujuſmodi tentationes glutinoſæ ſunt, nobiſque connaturales, & tanta eſt humana fragilitas circa earum reſiſtentiam, quod rarò voluntas faciat totum quod in ſe eſt, ut neque ipſa, neque ſenſitivus appetitus in earum delectatione, vel leviter immoretur. Aut fortè id eſt (ſaltem naturæ viribus) moraliter impoſſibile, quamvis metaphyſicè & abſolutè non repugnet. Et hac ratione communiter Patres & Theologi docent, ſimiles tentationes præ cæteris eſſe fugiendas, nullatenúſque expetendas, etiam ſub ſpe, & occaſione victoriæ: fœlicémque adverſus hunc hoſtem victoriam fuga & receſſu eſſe patrandam, non pugna, & aggreſſione. Quia vix unquam qui tentationem experitur, omnino immaculatus evadet: Salomone atteſtante Eccleſ. 13. dum ait, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

133 *Eccleſ.* 13. Ad inconveniens verò (præterquam quod nullum eſt concedere in ſimilibus viris aliqua peccata venialia ex humana fragilitate, & appetitus ſubreptione, ob quæ etiam de illis verificetur, quod *ſepties in die cadit juſtus*) reſpondetur in viris perfectiſſimis tentationes, quæ ſunt à carne, ſæpè evenire ex ſpeciali Dei diſpenſatione per vehementiſſimam Dæmonis ſuggeſtionem excitantem appetitum ſenſitivum ſine ulla eorum libertate, atque adeo ſine aliquo peccato juxta dicta numero præcedenti. Poſſent etiam perfectè vincere, quando tentatio inſurgeret ex diſpoſitione corporis, cujus cauſa libertati non ſubeſſet. Quia etiam tunc reſiſtentia (quantum ex voluntate eſt) perfecta compatitur cum ipſa tentatione. Atque ita ſtare poterit actualis pugna ſine repercuſſione. Tandem id poſſent, quando motus appetitûs ſurrexiſſet ante omnem rationis advertentiam, & ubi primò adverteretur, ſtatim ſine cunctatione aliqua expelleretur. Tunc quippè talis motus neque eſſet peccaminoſus, dum ſurgeret, quia deerat omnis advertentia ad libertatem requiſita. Neque ex advertentia ſuperveniente malitiam contraheret: quia non coëxiſteret illi, ſed ad primum ejus eſſe per reſiſtentiam voluntatis expelleretur. Quamvis enim difficillimum ſit, & in juſtis communibus videatur moraliter impoſſibile, ut inter primam advertentiam illiciti motus, & ejus ſuppreſſionem non intercedat ſaltem brevis aliqua morula; pro qua verificabitur, rationem non plenè reſiſtere motui illicito advertentiæ ſuæ coëxiſtenti, eſſéque proinde talem motum, utcumque peccatum: non tamen id ſemper negandum erit viris perfectiſſimis maximis Dei auxiliis & gratia praeditis: quamvis & multoties neque illis hoc concedamus. Et ita ſtabit quod licet ſæpius in pugna adverſus carnem, etiam cum tandem vincunt, ſaltem leviter repercutiantur; aliquoties tamen perfectiſſimam & omnino felicem victoriam reportent.

An & quando viri ſanctiſſimi tentationem à carne perfectè vincant?

Alia via poſſet verificari, viros ſanctiſſimos hujuſmodi hoſtem ſine aliqua ſui læſione vincere: quia ubi primo ſentiunt; imaginationem tangi ab objecto illicito, ſtatim quaſi obviant illi, adeoque conſtanter apprehenſioni obſiſtunt, ut non ſinant eam appetitum ad ſe trahere, neque hunc in aliquem pravum motum ſurgere. Et hæc erit perfectiſſima victoria, licet rarò contingens, qua motus carnis ſupprimitur, antequam exiſtat. Quare dum diximus num. 110. apprehenſionem ſenſitivam trahere ſecum motum appetitus, intelligendum eſt, niſi ratio in eodem momento fortiter obſiſtat, & appetitum comprimat. ¶ Alia argumenta, quæ contra principalem aſſertionem poſſent efformari, ex dictis habent facilem ſolutionem: & ita non eſt cur circa illa detineamur. — 134 Vincitur alia via ſine repercuſſione.

Poſſet hìc diſputari, an ſicut in appetitu ſenſitivo dantur motus primo primi, in quibus nulla eſt malitia neque libertas; ita etiam in voluntate: vel potius omnes hujus actus quantumcumque ſubiti habeant libertatem ſufficientem ad culpam venialem? Et licet non defuerit ex gravioribus D. Thomæ diſcipulis, qui hoc poſterius pro viribus defenderit; primum tamen eſt communiter receptum. Et convincitur facilè per ea, quæ dicta ſunt à num. 111. Inde enim conſtat, poſſe intellectum ita ſubitò rapi circa aliquod objectum, ut pro brevi duratione ſolum in eo advertat rationem boni phyſici, quæ nata eſt voluntatem ad ſe trahere ſine ulla indifferentia, & ſine advertentia alicujus mali, inconvenientis, aut incommodi, ex quo poſſit reſpui. Tunc autem voluntas non cum indifferentia ad utrumlibet, ſed cum omnimoda determinatione ad unum, proindéque neceſſariò objectum illud proſequetur. Et ideò ſive aliàs ſit moraliter pravum, ſive honeſtum, nullam ſumet ab eo bonitatem, aut malitiam. Neque adverſus reſolutionem hanc efformabitur argumentum, quod ex doctrina circa appetitum ſenſitivum in hoc dubio tradita non habeat facilem ſolutionem. — 135 Num voluntas habeat etiã motus neceſſarios?

Advertendum eſt tamen motus voluntatis non poſſe à malitia excuſari ex tot capitibus, ſicut motus appetitus ſenſitivi. Quia neque corporalis diſpoſitio, neque Dæmonis ſuggeſtio, neque alia cauſa extrinſeca, ſed dumtaxat imperfectio & ligamen judicii intellectus poteſt voluntatem immediatè neceſſitare. De quo egimus tomo præcedenti in tractatu de voluntario, diſputatione 2. dubio 1. num. 13. ¶ Diximus *immediatè*, quia multæ ſunt cauſæ, quæ mediatè concurrere poſſunt ad neceſſitandam voluntatem, quatenus concurrunt ad hoc, ut judicium rationis ſit imperfectum & ligatum: ut læſio imaginationis, paſſio appetitus, Dæmonis ſuggeſtio, & hujuſmodi. — Animadverſio.

Digitized by Google

DUBIUM IV.

Qualis advertentia intellectus neceſſaria ſit, & ſufficiat, ut motus appetitus ſit peccatum mortale?

UT motus ſenſitivi appetitus ſit peccatum veniale, ſufficere diximus advertentiam intellectus imperfectam, & ſemiplenam: reſtat videndum, an eadem ſufficiat, vel major requiratur, ut aſcendat ad gradum mortalis: præſuppoſita ſemper malitia objecti, & materiæ gravitate: quippè niſi objectum ſit materia gravis, & ſub mortali prohibitum, quantavis deliberatione attingatur, non communicabit motibus ad ſe terminatis mortalem malitiam: ut patet in iis, quæ ſunt venialia ex genere, vel ex materiæ parvitate.

§. I.

Quædam notatu digna præmittuntur.

136 *Advertentia intellectus partitur in ſemiplenam & plenam.*

ANte omnia ſupponendum eſt, præter cognitionem illam intellectus ſubitam, & omnino indeliberatam, de qua diximus num. 111. (quæ propter ſuam maximam imperfectionem, & totalem determinationem ad unum non poteſt eſſe ratio alicujus libertatis: ob idque in præſentiarum omittitur) diſtinguendam eſſe duplicem aliam, quæ ad præſens conducit. Prima dicitur *ſemiplena*, aut *ſemideliberata*: quia licet advertat in objecto aliquid indifferentiæ, ratione cujus non proponit illud voluntati cum omnimoda determinatione, ut illud amplectatur; ſed cum aliquali indifferentia, ut poſſit promiſcuè appetere, vel reſpuere, non tamen hæc indifferentia plenè cognoſcitur, neque firmo judicio tenetur: ſed potius valde debiliter, & tenui quadam ac veluti tranſeunte luce, quæ non elicit judicium attentum & ſibi conſtans, ſed debile & infirmum. Ad eum modum quo ſemiebrii, & ſemidormientes non plenè diſcernunt quæ judicant, neque ſatis capiunt ſe ipſos in his, quæ apprehendunt. Alia dicitur *plenè deliberata*, quia firmo & pleno judicio diſcernit ea, quæ diximus: ſicut diſcernunt vigilantes, & ſui compotes, cum non ſunt aliò diſtracti. Quo exemplo utuntur communiter Doctores ad diſtinguendum inter prædictas cognitiones.

Diſcrimen inter utramque advertentiam.

Poteſt etiam aſſignari aliud diſcrimen, vel aſſignatum magis explicari. Nam in cognitione plenè deliberata qui deliberat, licet de veritate objecti à ſe cogniti ſæpè dubitet, ut ſtatim declarabitur: at non dubitat de proprio actu, ſed manet omnino certus, quod tale objectum, ejuſque indifferentiam cognoverit. Sive quia ſimul cum prædicta cognitione detur alia formaliter reflexa, quia intellectus de ſuo actu certificatur, ut ſæpè contingit. Sive quia quælibet cognitio directa plenè deliberata includit quandam virtualem reflexionem ſupra ſe ipſam ſufficientem generare prædictam certitudinem. Hæc autem certitudo deficit in cognitione ſemiplenè tantùm deliberata, ſupra quam, dum adeſt, nullo modo cognoſcens reflectitur, neque deprehendit ſe ipſum, aut attendit quid agat, uſque dum poſtea per cognitionem plenè deliberatam advertit ſe non plenè advertiſſe; ſed veluti per tranſenam & obiter aliquid illius objecti percepiſſe.

137 *Maior illarum explicatio.*

Ex quo fit (& eſt ſecundo obſervandum) cognitionem in præſenti non dici *plenè deliberatam* ratione alicujus formalis diſcurſus deducentis unum ex alio, qui ſolet eſſe nobis familiaris, cum plenè advertimus: neque propter aliquam formalem conſultationem, aut inquiſitionem (quamvis ipſum *deliberationis* nomen ab his videatur deſumptum) ſicut neque *ſemiplenè deliberata* dicitur præcisè ex defectu diſcurſus, aut deliberationis formalis. Sed dicitur *plenè deliberata* ex eo quod firmo & ſano judicio perſpicit merita objecti, & ejus indifferentiam. Quod multoties fit cum formali diſcurſu, & tunc dicitur *deliberatio formalis*. Sæpè vero ſine diſcurſu ea quæ diximus uno ſimplici intuitu intellectui repræſentantur ſufficienti luce, ut ab eo attentè & ſine obſtaculo percipiantur & judicentur. Et hæc dici conſuevit deliberatio & diſcurſus *virtualis*, quia æquivalet quantum ad effectum deliberationi formali. Dicetur autem *ſemiplenè deliberata* illa cognitio, cui prædicta firmitas judicii & attentio defuerit; etiamſi aliquis imperfectus diſcurſus ibi admiſceatur. Quare nomen *deliberationis* in præſenti ſumitur, prout abſtrahit à formali & virtuali. ¶ Frequenter tamen in reliquo hujus operis quamlibet deliberationem, quæ fit cum plena advertentia ad indifferentiam objecti, ſive adſit diſcurſus, ſive non, appellabimus *deliberationem formalem*: pro eodem omnino ſumendo *deliberationem*, atque *advertentiam meritorum objecti*. Ad diſtinctionem alterius deliberationis virtualis, vel interpretativæ, quæ non dicit advertentiam formalem; ſed potius ejus carentiam cum obligatione & facultate libera ad evertendum; ratione cujus prædicta carentia advertentiæ efficitur voluntaria, & peccaminoſa, nuncupaturque *advertentia interpretativa*, de qua dicemus §. 3.

138 *Judicii infirmitas ex duplici principio.*

Sed ut hæc melius capiantur, & quædam objectio hic fieri ſolita maneat obiter ſoluta, nota tertiò, dupliciter poſſe aliquod judicium dici *imperfectum* & *infirmum*. Vel ex parte objecti: quia intellectus non ſatis illud penetrat, neque attingit propriam rationem connexionis prædicati cum ſubjecto; ſed ſolùm motiva ad dubitandum: & ideo non fert judicium certum de tali connexione; ſed dubium aut formidoloſum: quamvis ſibi ſit certus, & clarè videat ſe eo modo nempè ſub dubio & formidine de tali objecto judicare. Vel poteſt dici *infirmum* ex parte principii: quia ipſe intellectus non ſatis ſe in judicando deprehendit, neque ſuum judicium plenè agnoſcit: eo quod non firmat attentionem in illo: ſive hoc proveniat ex eo quod homo non eſt ſufficienter ſui compos, neque uſus rationis ex toto ſolutus: ut in ſemiebrio, & in ſemidormiente: ſive quia eſt aliò diſtractus. Cum enim virtus intellectus finita ſit, neceſſe eſt, ut ex magna attentione circa unum objectum minuatur & infirmetur attentio circa alia: juxta illud,

pluribus

pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. ¶ Addit bene Curiel, quod cum operatio noſtri intellectus pro hoc ſtatu omnino à phantaſmatibus dependeat, & horum uſus poſſit eſſe imperfectus, vel propter aliquam malam diſpoſitionem organi, vel propter defectum temporis, vel etiam propter ipſorum phantaſmatum confuſionem & obſcuritatem, neceſſe eſt, ut propter eaſdem cauſas judicium intellectus poſſit eſſe ex parte principii imperfectum, debile, & infirmum.

Quod autem hujuſmodi defectus, nempe ex parte objecti, & ex parte principii, ſint diſtincti, ex eo conſtat, quia bene ſtat cognitionem eſſe pleniſſimè deliberatam, & nihilominus non ferri de objecto judicium firmum & certum, ſed dubium, & formidoloſum: ut cum poſt longam conſultationem & diſcurſum non invenitur immediata ratio connexionis prædicati cum ſubjecto; ſed concluditur ita eſſe per aliquod medium contingens: aut fortaſſe ſolùm apparent ex vi talis diſcurſus rationes & motiva ad dubitandum: & ideo manet adhuc intellectus anceps & indeterminatus, *utra ſit pars vera.* Et contra vero circa veritatem clariſſimam & certiſſimam, de qua nulli plenè ſui compoti poſſit oriri dubitatio, ſæpe judicium intellectus eſt inattentum, debile, & infirmum: eò quòd non conſulit, neque apud ſe deliberat de tali judicio; ſed fertur ſine attentione in id, quod imaginatio apprehendit. Ex his ergo ſola poſterior infirmitas judicii tollit plenam deliberationem, & conſtituit ſemiplenam. Quia deliberare, vel non deliberare, aut deliberare magis vel minus, plenè, vel ſemiplenè, ſunt conditiones tenentes ſe ex parte principii cognoſcentis, & non ex parte rei cognitæ.

139 Multiplex motus attingendi objectum per cognitionem.

Denique obſerva, quod ſive cognitio ſit plenè deliberata, ſive tantum ſimplenè poteſt terminari ad objectum vel ſecundum eſſe phyſicum dumtaxat, non attingendo ullo modo malitiam neque prohibitionem: ut cum talis prohibitio & malitia invincibiliter ignorantur, vel ita naturali oblivione teguntur, ut nulla earum mentio, vel ſuſpicio occurrat. Vel poteſt teminari ad illud, etiam ſecundum eſſe mortale, attingendo ſimul malitiam, aut prohibitionem. Quæ adhuc poſſunt multipliciter cognoſci: videlicet aut ſolum in communi, ut cum cognoſcitur objectum eſſe malum, ſed ignoratur quantitas malitiæ, nimirum an ſit mortalis vel venialis. Aut in particulari, ut cum cognoſcitur determinatè peccati ſpecies, vel ſaltem prædicta quantitas. Rurſus cujuſlibet iſtorum poteſt haberi vel notitia certa, aut probabilis: vel ſolum dubium, ſcrupulus, aut ſuſpicio. Poteſtque talis notitia, ſuſpicio, aut dubium haberi de objecto peccaminoſo in ſe ipſo: ut cum quis ſciens & prudens exercet actum ſecundum ſe prohibitum. Vel tantum in ſua cauſa, ut cum ſe applicat ad actum, quem ſcit eſſe cauſam alterius prohibiti. De quo diximus aliqua ſupra diſp. 5. dub. 6.

Igitur dum in præſenti dubio interrogamus, qualis advertentia intellectus neceſſaria ſit & ſufficit, ut motus appetitus ſit peccatum mortale, ſuppoſita malitia objecti & materiæ gravitate? Hæc omnia inquirimus, nimirum *an requiritur advertentia plenè deliberata, vel ſufficiat ſemiplena? An ſufficiat advertentia entitatis objecti vel debeat quoque adverti malitia & prohibitio, ſive in communi, ſive in particulari: certo, vel probabiliter, ſub dubio, aut ſuſpicione? & an talis notitia debeat eſſe de objecto, malitia, aut prohibitione in ſe ipſis, vel ſufficit in ſua cauſa?*

§ II

Aſſertio prior & communis.

140 Dicendum eſt primò, nullum motum appetitus pertingere poſſe ad gradum peccati mortalis, niſi ex parte intellectus detur plena advertentia & plena deliberatio reſpectu talis motus: & ideo quoties advertentia fuerit tantùm ſemiplena etiam ſi materia graviſſima ſit, prædictus motus non tranſcendet malitiam peccati venialis. Hæc aſſertio eſt communis inter Theologos, & eam docet D. Thom. art. 10. hujus quæſt. ubi ob defectum plenæ deliberationis excludit à ratione peccati mortalis aliquos motus infidelitatis. Quod ſi hujuſmodi motus exiſtentes in ſuperiori parte animæ, verſanteſque circa graviſſimum objectum, propter prædictum defectum à culpa mortali excluduntur, potiori titulo excludi debent motus inferiores, remotioreſque à ratione; uti ſunt motus ſenſitivi appetitus. Clarius tradit prædictam aſſertionem infra quæſt. 88. art. 2. ibi. *Contingit, quod aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, ſit veniale propter hoc quod actus eſt imperfectus, id eſt, non deliberatus à ratione.* Et art. 6. *Poteſt id, quod eſt ex genere mortale, eſſe veniale propter imperfectionem actus: quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non ſit deliberatus*, &c. Nomine autem, *deliberationis* utroque intelligit advertentiam plenam: quia ibi eſt tantum ſemiplena, actus potius dicitur abſolute & ſimpliciter *indeliberatus*: & ſub iſto nomine comprehendit multoties D. Thom. omnes actus, quibus deeſt plena advertentia, ſive ſint omnino ſubiti; ſive habeant aliquid deliberationis imperfectæ & ſecundum quid, quam dub. præcedenti diximus requiri ad peccatum veniale.

D. Thom.

Ejuſdem ſententiæ ſunt Alenſis 2. p. q. 108. D. Bonaventura in 2. diſt. 29. Enriquez. quodlib. 6. quæſt. 32. Adrian. quolib. 7. Gerſon. alphabet. 30. litt. D. D. Antoninus 2. p. tr. 5. c. 1. §. 5. Angeſtus c. 6. moral. Almainus tract. 3. c. 24. Sylveſt. verbo *delectatio* quæſt. 1. parte 4. Petrus Sotus l. de inſtit. ſacerd. lect. 9. quos & alios referunt & ſequuntur expoſitores D. Thom. hoc loco: ubi Greg. Martinez ſuper art. 8. parte 2. dub. 1. Vaſquez diſp. 107. cap. 3. & 4. Araujo art. 10. dub. 1. Monteſinos diſp. 7. quæſt. 1. Medina art. 6. docum. 4. Conradus eodem art. Alvarez diſp. 144. Cajetanus in ſum. verbo *Delectatio.* Victoria in relect. de puero perveniente ad uſum rationis. Thom. Sanchez lib. 1. ſum. cap. 1. & cap. 16. & alii quam plurimi.

Alenſ. D. Bonav. Enriq. Adrian. Gerſon. D. Antonin. Angeſt. Almayn. Sylveſter. Petrus Sotus Greg. Mart. Vaſq. Araujo. Monteſ. Medin. Conrad. Alvar. Caiet. Victoria. T. Sanchez.

Probatur ex diviſione motuum appetitus à Theologis communiter recepta, cujus num. 108. meminimus, videlicet in *motus primò primos*, id eſt, qui antecedunt omnem deliberationem etiam imperfectam: & *ſecundo primos*, qui fiunt cum deliberatione ſemiplena & imperfecta:

Digitized by Google

perfecta : & *plenè liberos* , qui fiunt cum plena deliberatione. Ex quibus primo primi nullo modo attingunt rationem peccati ; ſecundo primi vero non attingunt rationem mortalis , ſed tantum venialis : qui autem ſunt plenè liberi , iſti dumtaxat culpæ mortalis damnantur. Ex hac igitur ſatis vulgari & recepta diviſione convincitur clarè noſtra concluſio.

141 *Prima probatio ex ratione.* Denique probatur , nam cum libertas ſit de ratione peccati , & moralitatis fundamentum , gradus malitiæ moralis in unoquoque peccato attendi debet ſecundum gradum libertatis : *Probatio alia.* atque adeo quod non fuerit liberum ſimpliciter , ſed tantum ſecundum quid, neque etiam erit peccatum ſimpliciter , uti eſt omne mortale ; ſed ſolùm ſecundum quid, ſicut eſt veniale : conſtat autem motus ſemideliberatos ſecundum quid tantum & imperfectè eſſe : eò quòd quantitas libertatis ſequitur quantitatem deliberationis : igitur tales motus, quantumcunque objectum ſit pravum, non traſcendent malitiam venialem.

Confirmatio. Confirmatur , nam peccatum mortale eſt talis conditionis , ut propter illud damnetur in perpetuum totus homo , atque adeo oportet , ut non niſi à toto homine committatur. Non poteſt autem dici totum hominem committere illud , quod plenè non advertit : quippe deficiente plena advertentia , deficit maior & principalis pars facultatis operativæ hominis , quæ eſt facultas rationalis & deliberativa : igitur quidquid hoc modo ab homine fit , nequit habere rationem peccati mortalis.

Replica. Dices : non requiritur quod totus homo peccet ad hoc ut totus damnetur ; ſed ſufficit, quod peccet ſola voluntas : nam propter voluntatem damnatur totus homo : ergo nulla *Diluitur.* eſt vis hujus confirmationis. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam , & etiam poteſt negari antecedens quoad primam partem : quia cum dicimus , peccatum mortale debere committi à toto homine , non eſt ſenſus , debere hominem incumbere in illud per omnes ſuas potentias ; ſed debere committi plena & totali voluntate. Cum enim voluntas ſit appetitus totius , & penes quam totum dominium reſidet, quidquid fit plena & totali voluntate, propriſſime dicitur fieri à toto homine. Secus autem quod fit voluntate tantùm ſemiplena. Plena autem voluntas non eſt niſi cum plena advertentia : unde quidquid ſine iſta fit , non dicitur propriè à toto homine fieri.

142 *Tertia ratio pro aſſertione.* Probatur tertiò : nam per quodlibet peccatum mortale aufert homo à Deo rationem finis ultimi , & conſtituit illam in bono creaturæ : quatenus huiuſmodi bonum diligit appretiative ſuper omnia : ſed talis appretiatio haberi nequit ex vi ſolius deliberationis imperfectæ : ergo ad omne peccatum mortale requiritur deliberatio perfecta. Maior conſtat : & minor probatur , quia dum homo imperfectè deliberat , fere nihili appretiat , quantum eſt ex vi illius deliberationis , quidquid tunc ſibi occurrit : ipſa quippe deliberationis imperfectio , & mentis diſtractio tollit , ne figatur ibi vis appretiativa : ſicut cum ratio per ſomnium , vel ebrietatem eſt ligata , in nulla appretiatione à cordato habetur , quidquid ibi concipit. Ut ergo adſit tanta alicujus rei appretiatio , quæ poſſit dici *ſuper omnia*, adeſſe debet plena ejus cognitio & deliberatio.

Sufficiatne advertentia interpretativa? Sed inquires , an hæc plena deliberatio requiſita ad mortale debeat eſſe ſemper deliberatio formalis , hoc eſt, cum actuali & poſitiva objecti advertentia : vel ſufficiat aliquando interpretativa. Dicitur autem *deliberatio interpretativa*, cum homo poteſt & tenetur deliberare circa aliquid ; & non deliberat : ita quod huiuſmodi *non deliberare* ſit illi voluntarium.

143 *Prima reſponſio.* In hac difficultate aliqui abſolutè reſpondent, ſufficere deliberationem interpretativam, nec requiri formalem. Quorum ratio eſt , quia ex parte voluntatis conſenſus interpretativus æquivalet formali : & ubi datur ille , non requiritur iſte ad peccandum : ergo ſimiliter ex parte intellectus deliberatio interpretativa æquivalebit formali : & exiſtente illa, iſta ſuperfluit. ¶ Accedit, quoniam D. Thom. ſupra quæſt.6. art. 3. ad 3. eodem modo requirit ad rationem voluntarii actum voluntatis , atque actum intellectus : & de utroque dicit non requiri quod detur de facto , ſed quod homo poſſit & teneatur habere illum : in quo conſiſtit actus , quem vocamus *interpretativum.* *D. Thom.*

Secunda. Alii vero abſolute hoc negant , quia ſecluſa omni advertentia intellectus formali & poſitiva , non eſt quo pacto voluntas poſſit affici erga objectum ſibi ignotum : aut quomodo in illud conſentiat. Imo non eſt in quo fundetur conſenſus interpretativus : qui ſaltem neceſſarius eſt ad peccandum. Ergo indiſpenſabiliter requiritur prædicta advertentia expreſſa & formalis. ¶ Ad hæc : deliberatio interpretativa nihil ponit in deliberante , niſi fundamentum ad interpretationem , ipſa vero formaliter accepta manet in intellectu ejus , qui ita interpretatur : ergo nihil conducit ad hoc , ut ille , qui ſic dicitur deliberare, peccet vel non peccet.

144 *Declaratur veritas per diſtinctionem.* Sed diſtinctione opus eſt. Poſſumus enim loqui vel de toto proceſſu intellectus , ex quo incipit cogitare , quouſque perveniat ad tale, vel tale objectum peccaminoſum ; ubi ejus operatio ſiſtat ; omninoque interrumpatur : vel de ſola advertentia , quæ eſt ad hujuſmodi objectum in ſe ipſo ; & quæ ſupponit in illo proceſſu alia objecta iam cognita. Loquendo primo modo neceſſaria eſt ſaltem in principio proceſſus deliberatio poſitiva & formalis. Tum quia , ut diſp. 5. dub. 2. & latius in tract. de voluntario diſp. 4. dub. 1. oſtendimus, omne voluntarium indirectum ſeu interpretativum ſupponit neceſſario aliquod directum & formale , ſupra quod fundetur , ſeu ex quo originetur , & in cujus virtute contineatur : & propterea defendimus ibi cum D. Thoma repugnare adhuc metaphyſice puram omiſſionem voluntariam, ideſt, quæ non cauſetur ex aliquo actu libero , formali , & expreſſo ; conſtat autem voluntarium formale & directum requirere advertentiam formalem , cum voluntas non poſſit formaliter moveri niſi in illud quod intellectus formaliter cognoſcit : igitur niſi præcedat aliqua formalis advertentia , nequit habere locum voluntarium , quod dicitur *interpretativum.*

Tum etiam quia voluntarium interpretativum prærequirit potentiam, & obligationem: nulli enim imputatur ut voluntaria omiſſio actus , quem liberè elicere non poteſt, aut ad quem nulla lege tenetur : ſed dum intellectus

nullam

nullam habet formalem advertentiam, non verificatur, aut quod poſſit liberè advertere, aut quod ad id teneatur; ergo inadvertentia, ibi reperta non poteſt eſſe voluntaria, atque adeo neque dici *advertentia interpretativa.* Major & conſequentia conſtant. Prima vero pars minoris ſuadetur ex doctrina dubii præcedentis, ubi num. 113. diximus quomodo, prioſquam intellectus actu & formaliter non habet potentiam expeditam ad advertendum libere: eò quod facultas ad quodcumque libere agendum includit actualem advertentiam alicujus quod ſit ratio ulterius procedendi & ſe movendi: & ideo prima advertentia, ex qua intellectus diſcurrere incipit, tribuitur ſpecialiter authori naturæ; quia non ſubeſt noſtræ libertati; ſed eſt totius libertatis origo, ut explicuimus num. cit. Secluſa igitur a toto proceſſu intellectus omni formali advertentia, non eſt quomodo verificetur illum poſſe liberè advertere. Secunda autem pars ſic probatur. Nam obligatio penitus non cognita non ligat voluntatem, ſed ſe habet reſpectu illius quaſi non eſſet: atqui ſecluſa omni advertentia formali, obligatio ad deliberandum penitus non cognoſcitur: igitur cenſenda eſt pro nulla quantum ad effectum obligandi.

145 Objectio. Dices hinc fieri, nunquam hominem peccare ex ignorantia, aut inadvertentia: quia quoties ſic peccat, non advertit obligationem, contra quam peccat, conſequens eſt falſum, ergo. ¶ Reſpondetur negando ſequelam: nam

Enodatur. peccata quæ dicuntur *ex ignorantia* vel *inadvertentia* non excludunt à toto proceſſu intellectus omnem advertentiam formalem reſpectu cujuſcumque obligationis, ſed advertentiam reſpectu obligationis hujus vel illius actus in ſe ipſo; præſupponendo ſemper advertentiam eorumdem, etiam quoad obligationem in ſua cauſa, ideſt, in illo quod fuit cauſa ignorantiæ, vel advertentiæ. Nemo enim ita ignoranter aut inadvertenter peccat, ut non prius cognoverit ſe poſſe, & teneri prædictam ignorantiam vel inadvertentiam excludere, virtute cujus cognitionis ignorantia; vel inadvertentia ſubſequens cenſetur voluntaria, & acceptata eſt à voluntate nolente illam repellere. Quod ſi ponamus eorum omnium, quæ diximus, nullam adfuiſſe formalem advertentiam, ignorantia aut inadvertentia ibi reperta erit invincibilis: quia non fuit in libera poteſtate hominis illam deponere: cum hæc ipſa poteſtas, ut diximus, includat advertentiam formalem: & ita totaliter excuſabit à culpa.

Cæterum loquendo poſteriori modo, & de advertentia hujus vel illius determinati objecti, habet locum quod dicitur de deliberatione interpretativa. Nam poſtquam ſemel intellectus habuit circa aliquod objectum advertentiam plenam, per hanc ipſam advertentiam poteſt ſufficienter ſe movere ad deliberandum circa alia, poteſtque adeſſe & cognoſci obligatio ad ſic deliberandum: quare ſi non deliberet, & ex hoc omittat, vel committat aliquid contra præceptum, totum eſt illi voluntarium virtute prioris advertentiæ. Et illa voluntaria omiſſio deliberationis poteſt dici deliberatio *interpretativa*: quia tunc homo ita ſe habet non deliberans circa prædictum objectum, & circa præcepti adimpletionem (ex qua deliberatione idem præceptum adimplendum erat) ac ſi deliberando ipſum vellet frangere.

Per quæ patet ad rationes dubitandi utrinque adductas. Nam ad primam dicimus, 146 Solvitur prima ratio dubitandi. conſenſum interpretativum ſufficientem ad peccatum nunquam reperiri niſi in virtute alicujus conſenſus formalis coëxiſtentis, vel præexiſtentis: & ideo ſaltem in toto proceſſu operationis, & circa aliquod objectum ſemper debet conſenſus formalis voluntatis haberi, ut ſit locus conſenſui interpretativo ſufficienti ad peccatum. Eodemque proportionali modo philoſophamur circa deliberationem intellectus, juxta doctrinam D. Thomæ in loco allegato, cujus mentem ibi nos aperuimus. Et licet admitteremus poſſe reperiri in voluntate conſenſum interpretativum ſine ullo conſenſu formali, adhuc non deberet admitti deliberatio interpretativa, omni formali ſecluſa, ſufficiens ad peccatum. Nam authorum, qui adſtruunt puram omiſſionem voluntariam, fere cuncti hoc poſterius negant; & illud prius ingenue fatentur: facilius enim concipitur, quod voluntati imputetur conſenſus in objectum ſibi præſentatum, dum illud non reſpuit, cum ad id teneatur; quam quod imputetur eidem ut voluntaria omiſſio deliberationis circa illud, cujus, aut obligationis deliberandi nulla mentio occurrit.

Quod autem dicitur deliberationem interpretativam æquivalere formali quantum ad peccandi effectum, verum eſt ſuppoſito fundamento interpretationis; in quo clauditur alia formalis deliberatio. Nam prædicta æquivalentia non convenit deliberationi interpretativæ formaliter & ſecundum ſe: quo pacto potius eſt in interpretante, quam in deliberante, ſed ratione prædicti fundamenti: & ideo ad hujuſmodi fundamentum debet ſemper pro toto hoc negotio fieri recurſus.

Ratio pro ſecunda parte probat noſtram 147 Solvitur ſecunda. reſolutionem, videlicet requiri in toto proceſſu operationis aliquam formalem advertentiam, ut voluntas peccet, poſſimuſque interpretari ei conſenſum in objectum peccaminoſum. Non tamen convincit, talem advertentiam debere eſſe circa quodcumque objectum, circa quod peccatur. Quia poſita advertentia & conſenſu formali circa unum, adeſt jam fundamentum, ut interpretetur voluntatem conſentire in aliud virtualiter in primo contentum; quamvis non ſit expreſſe cognitum. Sicut cum aliquis vult cauſam, cordatè interpretamur velle effectum per ſe connexum cum ipſa cauſa: ipſæque cognitio & volitio formales talis cauſæ ſunt cognitio & volitio virtuales ſui effectus.

Ad illud quod additur, reſpondetur, prædictum fundamentum involvens formalem advertentiam circa unum objectum, non modo efficere, quod interpretemur conſenſum circa aliud; ſed quod independenter a noſtra interpretatione detur re ipſa talis conſenſus; licet non formaliter, bene tamen virtualiter: & hoc quod re ipſa agitur ibi virtualiter, interpretamur nos, ac ſi fieret formaliter. Unde ratio culpæ & peccati non innititur noſtræ interpretationi, ſed prædictæ virtualitati: deſervit tamen illa, ut hæc cognoſcatur.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Expeditur ſecunda pars dubii.

148 Alia pars dubii petit ut explicemus, quid debeat in objecto vel actu peccaminoſo deliberatè cognoſci, ut motus appetitus imputetur ad mortale: videlicet an ſufficiat cognoſcere entitatem phyſicam, vel debeat ſemper formaliter animadverti malitia moralis, & prohibitio legis. Qua in re diviſi ſunt authores etiam Thomiſtæ, credimus tamen eorum diſſidium magna ex parte pertinere ad modum loquendi. Pro quo & pro veritate ſit ſecunda concluſio. Non ſufficit ad rationem peccati mortalis, quod intellectus expreſsè & deliberatè cognoſcat entitatem, aut delectabilitatem phyſicam objecti, vel actus peccaminoſi; niſi etiam aliqua actualis & expreſſa advertentia malitiæ moralis, vel ejus periculi certa, vel probabilis, aut ſaltem ſub dubio, ſcrupulo, vel ſuſpicione occurrat: & ideo ubi in toto proceſſu intellectus vel in aliqua ejus parte nulla mentio malitiæ occurreret, motus appetitus ibi repertus non eſſet moraliter peccaminoſus. Diximus *ubi in toto proceſſu intellectus vel in aliqua ejus parte*, &c. propter illa quæ de advertentia interpretativa §. præcedenti obſervavimus: quæ doctrina non modo intelligenda eſt de advertentia circa entitatem phyſicam; ſed etiam circa malitiam moralem. Huic aſſertioni ſubſcribunt Sylveſter, Conradus, Victoria, Curiel, Alvarez, Vaſquez, Sanchez, & alii Theologi ex his, quos pro præcedenti adduximus. Neque re ipſa diſſentire credimus, Martinez, Araujo, & Monteſinos, qui in modo loquendi videntur oppoſitum tueri; ut infra magis declarabitur.

Secunda concluſio.

Sylveſter. Conrad. Victoria. Curiel. Alvar. Vaſq. Sanchez. Martin. Araujo. Monteſ.

Probatur primo ex D. Thoma art. 6. hujus quæſt. ubi docet delectationem appetitus tunc ſolùm pervenire ad culpam mortalem, *cum aliquis poſtquam deliberavit, quod motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur.* Et quæſt. 15. de verit. art. 4. ad 10. expreſſe dicit, nunquam dari conſenſum etiam interpretativum ſufficientem ad peccatum mortale, niſi ratio perpendat de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequenti: utpote cum percipit homo ſe totaliter per *hujuſmodi delectationem in peccatum inclinari, & in praceps ruere*, &c. Ergo ex mente Ang. Doctoris neceſſaria eſt ad peccatum mortale deliberatio circa inordinationem & malitiam, atque adeo non ſufficit advertentia quantumvis plena ſolius phyſicæ entitatis, aut delectabilitatis.

Probatio ex D.Thom.

149 Ratione nititur probare hanc ſententiam Curiel in hunc modum. Major advertentia requiritur ad peccatum mortale, quam ad ſolùm veniale: ſed ad iſtud ſufficit & requiritur advertentia circa entitatem phyſicam actus vel objecti: ergo ad illud neceſſaria erit advertentia prohibitionis ſeu malitiæ moralis.

Inutilis ratio.

Hæc tamen ratio non omnino placet. Tum quia etſi utraque advertentia eſſet circa ſolam entitatem phyſicam, adhuc una poſſet eſſe major altera; ut ſi illa eſſet plenè deliberata, & iſta ſolùm ſemiplenè: igitur maneret adhuc ſufficiens diſtinctivum ex parte advertentiæ inter peccatum mortale & veniale. Tum etiam quia verius eſt (ut ex dicendis conſtabit) ad utrumque peccatum requiri advertentiam aliquam malitiæ objecti, & non ſolius entitatis phyſicæ, licet ad mortale requiratur advertentia plena, & ad veniale ſufficiat ſemiplena: ergo ex diſcrimine inter prædicta peccata non poteſt haberi efficax ratio ad probandum neceſſitatem advertentiæ circa malitiam pro peccato mortali, quæ non convincat id ipſum, proportione ſervata, pro veniali. Quare licet hoc dubium ſpecialiter pro peccato mortali inſtituatur, & doctrina prioris aſſertionis ad illud determinetur; ratio tamen hujus ſecundæ univerſalis eſſe debet pro utroque peccato, & ex principiis utrique communibus deſumi: ſervata proportione, & diſparitate deliberationis plenæ, aut ſemiplenæ.

Probatur ergo concluſio alia via. Quia ubi intellectus nullo modo advertit malitiam objecti, ſed ſolam entitatem phyſicam, tale objectum non influit in actum inquantum eſt malum moraliter, ſed præcisè in quantum eſt quoddam ens phyſicum: ergo ſolùm poteſt communicare illi ſpeciem actus phyſici, non vero ſpeciem malitiæ moralis: ut igitur etiam hanc poſteriorem communicet, neceſſarium eſt, quòd intellectus non ſolùm entitatem phyſicam objecti; ſed etiam malitiam objectivam animadvertat. 150

Legitima probatio ex ratione.

Utraque conſequentia eſt nota, & etiam videtur notum antecedens: Quia objectum peccaminoſum non influit in actum voluntatis, niſi ſecundum illam rationem, ſecundum quam ab intellectu cognoſcitur, & eidem voluntati proponitur: quippe objectum non influit niſi ut volitum, neque eſt volitum niſi ut cognitum: dum autem intellectus nullo modo advertit ad objecti malitiam, hæc ratio omnino ſe habet quaſi non cognita: ergo objectum nullatenus influit in actum ratione illius, ſed ratione ſolius phyſicæ entitatis.

Confirmatur: ubi intellectus invincibiliter ignoraret malitiam objecti, talis malitia nullatenus influeret in actum, neque iſte per ordinem ad illam efficeretur peccaminoſus, quia ignorantia invincibilis totaliter à peccato excuſat: ſed ubi intellectus nullo modo advertit malitiam, ita ſe habet quantum ad effectum, de quo agimus, ac ſi invincibiliter eam ignoraret: ergo, &c. Minor ſuadetur (major enim eſt perſpicua) nam diſcrimen quod aſſignari poſſet inter ignorantiam & inadvertentiam ſolùm conſiſtit penes hoc, quod ignorantia aufert etiam notitiam habitualem, quam tamen inadvertentia poteſt relinquere: utraque vero tollit advertentiam & notitiam actualem. Hujuſmodi autem diſcrimen nullum eſſe quoad præſens ex eo conſtat, quia ſcientia vel notitia præciſe habitualis niſi in actum prorumpat, non magis conducit ad bonitatem vel malitiam voluntatis, quàm ſi omnino non eſſet. Sicut enim voluntae habitibus non meretur aut demeretur, ſed ſolis actibus; ita intellectus præciſe ratione ſcientiæ habitualis nihil influit in voluntatem, quo cauſet in ea bonitatem vel malitiam: ſed totus iſte influxus fieri debet media advertentia, & notitia actuali: atque adeo ubi talis notitia defuerit, ſive per ignorantiam, ſive per inadvertentiam defectus contingat, nequit reperiri prædictus influxus.

Prima confirmatio.

Confirma

Digitized by Google

151 Secunda. Confirmatur ſecundo : dum nulla occurrit mentio moralitatis , ſed ſola entitas phyſica actu cognoſcitur, omnino eſt per accidens reſpectu talis cognitionis , quod objectum alias habeat vel non habeat malitiam ſibi adjunctam , ſicut quod habeat vel non habeat adjunctam bonitatem : omninóque ejuſdem rationis erit illa cognitio in uno caſu , atque in alio : ſicut omnino idem in utroque apprehendit : ergo ſicut cum objectum habens alias adjunctam bonitatem cognoſcitur præciſè quoad entitatem phyſicam, nihil moralitatis in actum influit, eò quòd hæc non attingitur à tali cognitione ; ita dicendum eſt , quando objectum cognitum præciſè quoad eandem entitatem, habuerit alias adjunctam malitiam ; quia non minus hæc exit tunc cognitionis latitudinem.

Effugium. Dices primò , ipſam advertentiam formalem entitatis phyſicæ eſſe advertentiam virtualem malitiæ moralis : quia ſicuti qui cognoſcit formaliter aliquam cauſam , cognoſcit in ea virtualiter ejus effectum : ita formaliter advertit entitatem objecti, aut actus mali , virtualiter cognoſcit malitiam contentam ſicut in cauſa in eadem entitate. Sufficit autem virtualis cognitio malitiæ objecti , ut refundat malitiam formalem in actum.

152 Impugnatur. Sed contra hoc eſt primò , quia entitas phyſica præciſè ut ſic (quo pacto duntaxat ſupponimus cognoſci expreſſe & formaliter) non eſt per ſe cauſa malitiæ moralis (licet poſſit dici ejus cauſa , vel fundamentum , in quantum eſt à voluntate creata ut defectibili & ſubjecta legi) alias Deus , qui cauſat entitatem ut entitas eſt , cauſaret quoque ipſam malitiam , juxta illud *qui eſt cauſa cauſæ* , &c. ergo admiſſo eo , quod evaſio ut principium aſſumit , non infertur quod intendit , nimirum advertentiam formalem entitatis præciſè ſecundum ſe eſſe advertentiam virtualem malitiæ.

Deinde ut cognitio formalis cauſæ ſit virtualis cognitio effectus , debet illa cognoſci formaliter in quantum cauſa talis effectus, & non ſolum materialiter id quod alias eſt cauſa : & ideo qui ſcienter projicit ſagittam ad occidendam feram , invincibiliter ignorans adeſſe ibi Petrum, quem ſimul occidit, licet cognoſcat illud quod eſt cauſa occiſionis Petri, videlicet , projectionem ipſam ſagittæ , non ideo dicitur cognoſcere virtualiter talem occiſionem ; & propterea non imputatur illi ad culpam, quia non cognoſcit prædictam actionem in quantum cauſam illius effectus, ſeu in quantum ex ea ſequi poterat occiſio Petri. Ita ergo quamvis intellectus formaliter cognoſcat entitatem phyſicam , quæ alias eſt cauſa , ſive fundamentum malitiæ moralis , non ideo dicendus eſt cognoſcere virtualiter ipſam malitiam , niſi expreſſe cognoſcat prædictam entitatem , in quantum poteſt illam cauſare. Ut autem hoc modo cognoſcatur , debet cognoſci reſpectus ad voluntatem ut defectibilem , & ad legem ut a qua poteſt deficere : in quo ipſo involvitur aliqualis advertentia formalis ipſius malitiæ & defectus , ſaltem in communi & ut poſſibilis.

Accedit quod cum cauſa in quantum talis dicat ordinem ad effectum , vel ſaltem ejus connotationem , omnino repugnat cognoſci entitatem in quantum cauſam malitiæ, niſi ex vi ejuſdem cognitionis connotetur ipſa malitia ; atque adeo niſi hujus etiam aliqualis mentio occurrat.

Dices ſecundo : eo ipſo quod quis expreſsè animadvertat entitatem phyſicam objecti peccaminoſi, poteſt & tenetur advertere ejus malitiam : atque adeo datur ibi advertentia interpretativa talis malitiæ : is enim dicitur interpretativè advertere, qui poteſt, tenetur, & non advertit : cum eo ipſo tale *non advertere* ſit ei voluntarium. Adeſſe vero totum hoc in noſtro caſu probatur. Nam advertentia circa entitatem objecti peccaminoſi eſt intellectui ſufficiens principium, ut poſſit moveri & diſcurrere circa malitiam ; deveniréque in hujus cognitionem propter connexionem inter utramque : quod ſi poteſt, non eſt cur non teneatur , ut intuenti conſtabit. Porro ad peccatum ſufficere advertentiam interpretativam malitiæ , ſi ſemel concedatur , conſtat ex dictis num. 145. 153 Effugium aliud.

Sed hæc etiam evaſio corruit : quoniam falſo ſupponit dari in prædicto caſu advertentiam interpretativam malitiæ. Sicut etiam eſt falſum , quod advertentia ſolius entitatis phyſicæ ſit intellectui ſufficiens principium diſcurrendi circa res diverſi ordinis ; & non habentes connexionem in ratione cognoſcibilis, licet alias in eſſe rei conjungantur. Entitas enim in ſui cognitione ſolùm dependet ex propria actualitate, & ex accidentibus ſenſibilibus , quibus pervenit ad ſenſus , & per ſenſus ad intellectum trahitur. Moralitas vero dependet ex aliis principiis , nempe ex lege, quæ eſt ejus regula & menſura, ſine qua neque dari poteſt, neque intelligi. Unde ſicut lex & ejus notitia diſparatè ſe habent ad entitates phyſicas objectorum, neque iſtarum cognitio ducit ſufficienter in illius cognitionem : ita dicendum eſt de moralitate , quæ omnino dependet à lege. Præcluditur.

Et hinc habetur efficax impugnatio evaſionis oppoſitæ. Nam ut inadvertentia malitiæ objecti cenſeatur voluntaria , dicaturque proinde *advertentia ejus interpretativa*, oportet quod in intellectu detur aliqua actualis cognitio, quæ ſit ei ſufficiens principium diſcurrendi circa ipſam malitiam , & deveniendi in ejus cognitionem : & cognitio ſolius entitatis non eſt ſufficiens principium deveniendi in malitiæ cognitionem : ergo neque illa ſufficit ad fundandam advertentiam iſtius interpretativam. Minor conſtat ex modo dictis : & major ex doctrina dubii præcedentis , ubi n. 113. probavimus intellectum non habere facultatem expeditam ad diſcurrendum , vel ad aliquid aliud liberè agendum , niſi ſupponatur conſtitutus in aliqua cognitione actuali talis conditionis , ut ſit ſufficiens ratio diſcurſus & operationis ſequentis. Et ideo prima cognitio tribuitur authori naturæ : quia ad ipſum ſpecialiter ſpectat reducere intellectum de potentia ad actum , & conſtituere in aliqua cognitione actuali , unde incipiat diſcurſus : & illa dicitur prima cogitatio. Quod non modo intelligendum eſt de prima cognitione abſolutè & reſpectu omnium , ut quæ habetur initio vitæ vel uſus rationis : ſed etiam de prima in qualibet rerum ſerie , & in quolibet 154 Major impugnatio.

negotio. Quia cognitio in hoc negotio v. g. litterario, non eſt ſufficiens principium cogitandi de alio, puta bellico: & ideo ut is qui cogitat de re litteraria, poſſit pro libito diſcurrere de re bellica; oportet quod vel naturaliter, vel ab extrinſeco excitante adveniat illi prima cogitatio de hac re: neque aliter valebit diſcurſum in ea exordiri.

Ad rem ergo, quia cognitio vel advertentia entitatis objecti non eſt ſufficiens principium deveniendi in cognitionem malitiæ, non verificatur quod ratione illius poſſit intellectus advertere malitiam: ac proinde quod ſi non advertat, hoc fit ei voluntarium (quod neceſſarium erat ut daretur advertentia interpretativa) uſque dum à Deo vel ab extrinſeco excitante adveniat illi prima cogitatio de ipſa malitia, ſaltem in communi aut in confuſo. Et virtute hujus cogitationis poterit deinceps diſcurrere circa particularia, quæ ad prædictam malitiam ſpectant: & ſi non diſcurrat; tunc inadvertentia vel inconſideratio erit voluntaria in virtute illius primæ cogitationis, dicetúrque proinde *advertentia interpretativa.*

155 Objectio. Sed objicies inquirendo an fieri poſſit (id quod ſupponere videmus) ut dum intellectus plene advertit entitatem objecti peccaminoſi, non occurrat ei cogitatio aliqua de malitia? Si enim non occurrat, cum neque in illo objecto cognoſcatur aliqua bonitas moralis (hanc quippe ſupponimus non adeſſe) operatio voluntatis non deſumet ab eo bonitatem, neque malitiam: dabitúrque proinde actus humanus indifferens in individuo. Si autem ſemper occurrat talis cogitatio, non videtur poſſe hujus rei aliam rationem aſſignari, niſi quod cognitio entitatis ſufficienter ducit in cognitionem malitiæ, & eam ſecum trahit; ſine eo quod opus ſit recurrere pro hujuſmodi prima cogitatione ſpecialiter ad naturæ authorem, vel ad aliud extrinſecum excitans: cujus contrarium modo ſtatuimus.

Diluitur. Reſpondetur, nullum eſſe inconveniens illud quod hic infertur, ex eo quod exiſtente in intellectu plena advertentia entitatis objecti alias peccaminoſi, aliquando non ſtatim, imo nec poſt aliquam moram occurrat aliqua cogitatio circa malitiam, neque circa aliquam bonitatem moralem, ac proinde quod ille actus maneat formaliter indifferens in individuo: quia hoc eſſet per accidens ex defectu cognitionis: quo pacto admittendo eſſe in via D. Thomæ actus in individuo indifferentes alibi oſtendimus. Neque etiam ſequitur aliquid contra hucuſque dicta, ſi hujus oppoſitum aſſeratur, videlicet nunquam intellectum plene deliberare circa entitatem phyſicam alicujus objecti, quin ei ſtatim occurrat cogitatio aliqua circa moralitatem: quia concurſus ita aſſiduus prædictæ cogitationis non fit in virtute cognitionis entitatis phyſicæ, ſed ab authore naturæ, cui incumbit proponere cuilibet liberè operanti regulam ſuæ operationis, quæ eſt lex, ne tunc maneat extra providentiam propriam creaturæ rationalis: & quia hæc propoſitio fit media prædicta cogitatione; idcirco ſtatim atque homo cum deliberatione operatur, author naturæ illâ immittit.

Iuvat quoque ad hoc, quod cum voluntas naturaliter ſit inclinata ad bonum honeſtum, & in intellectu ſemper ſint per modum habitus principia ſaltem communia hujus boni, hæc inclinatio & habitus quaſi ſolicitant authorem naturæ pro immiſſione prædictæ cogitationis, per quam valeat homo, quandiu agit liberè, operari juxta talem inclinationem & habitum; aut imputetur illi, ſi ſecus faciat. Experientia enim docemur, unicuique crebrius occurrere etiam in motibus primo primis, qui tribuuntur naturæ authori, phantaſmata & cogitationes illorum objectorum, in quæ habitualiter inclinatur: ut inclinato ad iram facillime occurrit, etiam nullo extrinſeco excitante, cogitatio de vindicta: & propenſo ad luxum prolixe adveniunt cogitationes, & phantaſmata venereorum, &c. Non quód prædictæ inclinationes præcisè habituales ſufficientes ſint cauſare hujuſmodi primas cogitationes: ſicut nec poſſunt ſufficienter reducere ſe ipſas, vel aliquam aliam facultatem de potentia ad actum ſecundum: ſed quia ſua propenſione veluti ſolicitant naturæ authorem, ut immittat potius cogitationes circa eorum objecta, quam circa alia. 156

Neque propter hoc ipſe auctor naturæ ad malum concurrit: quia primæ illæ cogitationes, quantumvis de objectis peccaminoſis, in quantum omnino primæ ſunt, non movent ad proſequenda talia objecta, ſed indifferenter ſe habent, ut voluntas poſſit eis uti ad proſecutionem, & ad fugam, atque adeò ad peccandum, & ad honeſtè agendum: totámque vim inchoativam mali accipiunt ex diſcurſu ſequenti formali vel virtuali: in quo cum intellectus moveat iam ſe ipſum, poteſt ad malum inducere. Prima cogitatio non movet ad proſecutionem mali objecti.

Hæc diximus pro diluenda objectione, & pro declaratione principii, in quod reduci debet prima cogitatio circa moralitatem. Sed an re ipſa ita ſit, quod exiſtente plena advertentia circa entitatem objecti, cuique ſtatim occurat cogitatio circa moralitatem, adhuc reſtat videndum. Quando enim advertentia ad entitatem eſſet tantum ſemiplena, facilius admitti poteſt, quod neque ſemiplena advertentia malitiæ ſemper occurrat, etiam reſpectu cujuſcunque objecti. Quia dum intellectus eſt adhuc ligatus quoad advertentiam phyſicam, non eſt quod ita infallibiliter excitet cogitationem circa moralitatem. Et hac via plures motus ſemiplenè liberi omnino à malitia excuſantur, & manent in individuo formaliter indifferentes: non ex defectu ſufficientis libertatis phyſicæ, ſed ex defectu advertentiæ ad moralitatem, ut tetigimus dubio præced. num. 112. Quamvis etiam ſæpenumero utraque advertentia ſemiplena occurrit: & ideo tot committimus venialia peccata ex defectu plenæ deliberationis. 157 Quorum objectorum ſtatim malitia cogitationi occurrat?

Quando vero advertentia phyſica eſt plena, tunc majorem ingerit difficultatem, an malitiæ cogitatio ſemper occurrat? In quo non de omnibus objectis, neque de omnibus ſuppoſitis idem ferendum eſt judicium. Sunt

Digitized by Google

Sunt enim quædam objecta, vel actus, verbi gratia odium Dei, blaſphemia, homicidium & ſimilia, quorum malitia eſt adeò per ſe nota, ut à nullo plenè advertente entitatem poſſit ſaltem ſub dubio, vel ſcrupulo non adverti. Alia vero ſunt, quorum malitia non ſic patet, quin poſſit poſt plenè cognitam entitatem, adhuc latere & non adverti. Hujuſmodi ſunt omnia illa, quæ dicuntur *mala* ſolùm *quia prohibita* per jus poſitivum. Nam ſicut hoc jus à multis ignoratur, & adhuc ſcientibus non ſtatim poſt deliberationem ſemper occurrit: ſic etiam poteſt non occurrere cogitatio circa malitiam contra tale jus. Imo etiam ſi quis deliberatè cogitet de malitia alicujus objecti orta ex prohibitione juris naturalis, poterit nulla occurrere ei cogitatio, ſed potius habere invincibilem inadvertentiam circa malitiam ejuſdem objecti ex prohibitione juris poſitivi ortam: ut ſi quis in die jejunii ſumat cibum vetitum puta carnes in ea quantitate ut ſibi noceat ad ſalutem, quo caſu objectum illud habet malitiam contra jus naturale ratione quantitatis, & contra jus poſitivum ratione qualitatis: poterit ergo quis plenè animadvertere non ſolum entitatem, & delectabilitatem phyſicam illius cibi, ſed etiam malitiam contra jus naturale ratione exceſſus, ſine eo quod illi occurrat cogitatio aliqua de præcepto poſitivo prohibente qualitatem: ac proinde neque de malitia contra tale præceptum. Cujus rei poſſent adduci plurima exempla.

158 Similiter ex objectis jure naturali prohibitis reperiuntur non pauca, quorum malitia non eſt ita per ſe nota, ut ſtatim poſt deliberatam cognitionem circa eſſe phyſicum indefectibiliter occurrat cogitatio circa malitiam. Nam licet obligatio iſtius juris quantum ad aliqua principia notiſſima ſit; quoad alia tamen ſive concluſiones, ſive principia minus communia non eſt ita patens, ut ſicut poteſt ab aliquibus invincibiliter ignorari, non poſſit etiam, oblata occaſione, non adverti: facilius enim incurritur inadvertentia circa aliquid, quam habitualis ignorantia.

Brevis difficultas. Sed an plenè deliberanti circa hujuſmodi objecta, cui non ſtatim occurrit cogitatio circa propriam eorum malitiam, ſaltem occurrat circa aliqua obligationem magis communem, videlicet apponendi cuilibet operationi liberæ honeſtum finem, aut inquirendi de quolibet objecto ſibi advertenter oblato, an ſit bonum; vel malum proſequendum, vel fugiendum, &c. minus eſt nobis certum. Dicendum autem videtur, quod neque hujuſmodi cogitatio ſtatim ſemper occurrat. Quia etiam poteſt dari ignorantia invincibilis prædictæ obligationis, quantumvis communis: & ſane de ea multi viri docti dubitabunt: à fortiori ergo dari poterit, præſertim per aliquod breve ſpatium, invincibilis inadvertentia.

159 **Iuvat diſcrimen inter ſuppoſita ut citius vel tardius** Ex parte etiam ſuppoſitorum erit circa hoc magnum diſcrimen. Nam celeribus ingenio, & diſcurſui circa moralia aſſuetis, juriſque principiis ſufficienter imbutis, & etiam iis qui profectui ſpirituali, & directioni ſuorum operum accuratè incumbunt, celerrimè occurrent prædictæ cogitationes propter inclinationes & habitus, vel aſſuefactiones, quæ in ipſis manent: & propter abundantiam, & ordinem intelligibilium ſpecierum rationum moralium quas in memoria intellectuali conſervant: quæque pungunt & ſolicitant, ut de potentia ad actum cognitionis extrahantur. Unde in hujuſmodi ſuppoſitis rarò, vel non niſi per breviſſimum tempus admittendus erit caſus, in quo plenam deliberationem circa entitatem cujuſcumque objecti non comitetur aliqua advertentia circa moralitatem: ſive hæc advertentia ſit de malitia ipſius objecti propria, ſive de obligatione illa communi, quam nuper diximus. **malitia occurrat.**

In aliis verò ingenio tardioribus, & qui nec de acquirenda notitia moralium, nec de profectu curant, admittenda eſt aliquoties circa aliqua objecta inadvertentia & oblivio cujuſcunque moralitatis, exiſtentè circa entitatem, utilitatem, aut delectabilitatem phyſicam talium objectorum plena deliberatione. Nam ſicut iſti poſſunt omnem obligationem circa prædicta objecta invincibiliter ignorare: ita etiam cum habitualiter talem obligationem non ignorant, poterunt hic & nunc penitus oblivisci. ¶ Diximus *circa aliqua objecta*, &c. quia circa illa notiſſima, ut odium Dei, homicidium, & ſimilia nulli credimus poſt plenam deliberationem circa entitatem phyſicam; non ſtatim occurrere cogitationem de malitia morali: quamvis multi neque qualitatem, neque adhuc exiſtentiam talis cogitationis in actu ſignato explicare noverint. De hoc tamen dicemus diſp. 13.

§. IV

Poſterior aſſertio ad plenam dubij deciſionem.

Sit tertia concluſio. Advertentia ſufficiens ad peccandum mortaliter non eſt neceſſarium, quod ſit cognitio malitiæ mortalis, determinatè ut mortalis: neque quod cognoſcat objectum peccaminoſum in ſe ipſo, neque quod cognitio ſit certa vel probabilis: ſed ſufficit advertere malitiam in communi non diſcernendo, quòd ſit tantùm venialis: & ſufficit quod ſit cognitio talis malitiæ in ſua cauſa: & quod de illa vel de ejus periculo occurrat dubium, ſuſpicio, vel ſcrupulus, dum non adeſt ſaltem probabile judicium ſuadens contrarium. In prima parte hujus concluſionis, nimirum quod ſufficiat advertere malitiam in communi, &c. conveniunt fere omnes Theologi, quos jam adduximus. Et ratio id apertè ſuadet. Nam qui proſequitur malum objectum abſque ſufficienti examinatione, quod non ſit mortale, exponit ſe periculo malitiæ mortalis: & quantum in ſe eſt, habet animum amplectendi talem malitiam, ſi ibi ſit: hujuſmodi vero animus cùm propter ſe, tùm propter prædictum periculum nequit à mortali excuſari. ¶ Accedit quòd, qui ita operatur, ſaltem virtualiter & ex vi modi operandi 160 **Prima pars communis.**

randi amplectitur, non ſolum eam malitiam, quæ de facto in illo objecto ſit, ſed omnem eam, quæ attenta tali cognitione eſſe poteſt, quæque per ipſam poſitivè non excluditur: ergo cum non excludatur malitia mortalis, ſed quantum eſt ex vi cognitionis poſſit ibi reperiri, ſit ut voluntas hanc malitiam ſaltem virtualiter amplectatur, ac proinde mortaliter peccet.

161 Secunda pars etiam probatur. Secunda pars, videlicet non requiri cognitionem objecti peccaminoſi in ſe ipſo, ſed ſufficere cognitionem in cauſa, habetur ex dictis ſupra diſputatione 5. toto dubio 6. ubi ad longum probavimus ſufficere voluntarium in cauſa ad hoc, ut aliquid ſit formaliter peccatum. Eatenus enim requiritur ad peccatum cognitio, quatenus requiritur, quod ſit voluntarium: unde ſi hoc ſufficit in cauſa, etiam illa ſufficiet. Et hoc dumtaxat intendunt aliqui diſcipuli D. Thomæ infra referendi, qui aſſerunt non requiri ad peccatum mortale advertere expreſsè malitiam. Loquuntur enim de advertentia malitiæ in ſe ipſa, non vero in ſua cauſa. Et ideo non contradicunt noſtræ ſecundæ aſſertioni, ſed huic tertiæ ſuffragantur. Advertendum eſt tamen, non quamcumque cognitionem cauſæ ſufficere, ut effectus in illa contentus imputetur ad peccatum: ſed debet cognoſci cauſa ut cauſa, atque adeò cum aliquo reſpectu, vel connotatione ad ipſum effectum, ſaltem ut poſſibilem. Et ideo ubi ſola entitas cauſæ cognoſceretur, & de continentia effectus peccaminoſi nulla mentio neque ſuſpicio adhuc in confuſo occurreret, nullatenus ea cognitio ſufficeret, ut talis effectus eſſet peccaminoſus, neque voluntas proſequendo, vel apponendo illam cauſam incurreret aliquam malitiam ratione talis effectus. Sed circa hæc videnda ſunt quæ diximus diſput. citata.

Objectio. Sed objicies, quia ſi cauſa effectus peccaminoſi debet cognoſci in quantum cauſa, & hæc ut talis non cognoſcitur ſine reſpectu, vel connotatione ad ipſum effectum, etiam iſte cognoſcitur in ſe, ſeu quatenus à ſua cauſa diſtinctus. Connotatio enim alicujus termini nequit expreſsè cognoſci, niſi ipſius termini connotati expreſſa mentio occurrat. ¶ Præterea D. Thom. quæſt. 73. præced. art. 8. expreſsè dicit, nocumentum ſequutum per ſe ex aliqua actione, aggravare malitiam; quamvis non ſit intentum, nec prævisum. Et idem docuit ſuperius quæſt. 20. art. 5. Ergo ut aliquid ſit peccatum, ſufficit cognoſci cauſam ſecundum ſe, quamvis nulla ipſius peccati mentio adveniat. *D. Thom.*

162 Enodatur. Reſpondetur, non ſufficere ad hoc ut peccatum, vel effectus peccaminoſus dicatur cognoſci in ſe ipſo; quod dum cognoſcitur & ponitur cauſa, etiam ipſius peccati aliqua mentio occurrat: ſed requiritur ut dum actu committitur, adſit expreſſa ejus cognitio: ratione cujus quando de facto ponitur à parte rei in ſeipſo ſit voluntarium. Et hoc dumtaxat negamus requiri ad ejus commiſſionem, cum aſſerimus ſufficere cognitionem in cauſa. Senſus enim eſt quod ut aliquid, cum ponitur actu à parte rei, ſit formaliter peccatum; non eſt neceſſarium adeſſe tunc cognitionem formalem malitiæ; ſed ſufficere appoſuiſſe cauſam, qualitercumque in ejus poſitione animadvertendo, quod ex tali cauſa ſequendum ſit, aut ſequi poterit aliquod peccatum.

Ad illud ex D. Thoma reſpondetur S. Doctorem loqui, quando cauſa eſt peccatum ratione ſui, & independenter ab ordine ad effectum: ſicut actus fornicationis, ex quo poteſt ſequi ſcandalum, ſe ipſo eſt peccaminoſus, etiamſi ordo ad ſcandalum tollatur. Tunc quippe etiamſi nullius effectus peccaminoſi mentio occurrat, ſed ſola cauſa ſecundum ſe cognoſcatur, cognoſcitur ejus malitia, cum hæc non dependeat ab effectu. Imo poteſt cognoſci illa gravitas, quam Divus Thomas ait convenire peccato ratione nocumenti per ſe ſequuti: quia re vera neque iſta gravitas à prædicto effectu dependet vel ſpecificatur: ſed convenit ipſi cauſæ ratione ſui, & abſolutè conſideratæ; quamvis à ſigno explicemus illam per virtutem inducendi tale nocumentum: non ita quod, quia cauſa inductiva eſt majoris nocumenti, ideo ſit pejor; ſed è contra quia in ſe pejor eſt, majus nocumentum inducit: *Manifeſtum eſt enim* (ait Divus Thomas) *meliorem actum eſſe ex ſuo genere, ex quo poſſunt plura bona ſequi, & pejorem, ex quo nata ſunt plura mala ſequi.* Explicatur mens Ang. Doct. D. Thom.

Adde, quod ubi cauſa eſt ſecundum ſe mala, & per ſe illativa alicujus nocumenti; qui cognoſcit expreſsè malitiam convenientem cauſæ abſolutè & ſecundum ſe (quod fieri poterit ſine expreſſa recordatione nocumenti) ibidem virtualiter & interpretativè cognoſcit malitiam ipſius nocumenti. Virtualiter quidem, quia tota malitia nocumenti continetur virtualiter in malitia cauſæ. Interpretativè etiam, quia cognita malitia cauſæ, ſufficienter poteſt intellectus devenire per illam cognitionem in cognitionem malitiæ nocumenti: proindéque iſtius oblivio, vel inadvertentia eſt ſibi voluntaria, & dicenda *advertentia interpretativa*, quia poterat & tenebatur advertere: & hoc genus advertentiæ fatemur ad peccatum ſufficere. At in noſtro caſu aliter res ſe habet: quia loquimur de cauſa, quæ præciſè ſit mala ex ordine ad effectum: ac proinde non aliter poteſt cognoſci ejus malitia, niſi effectu ipſo ſaltem in communi, & ut poſſibili expreſsè connotato.

Quod ſi volueris teſtimonia D. Thomæ in objectione adducta intelligere non ſolum de gravitate, quæ convenit cauſæ ſecundum ſe, & ſolum à ſigno explicatur per vim inducendi majus nocumentum, ſed de alia ſecundaria & accidentali, quæ ratione ipſius nocumenti ſuperaddatur, ita quod nocumentum ſit vera ejus cauſa, utendum eſt ſolutione in hac additione contenta: quia malitia vel gravitas proveniens ab effectu intelligi nequit, niſi adſit cogitatio formalis, virtualis, vel interpretativa ipſius effectus. Caſus exempli gratia eſſe poteſt, quem adducit D. Thom. de fornicatione habita in loco publico, quæ inducit majus nocumentum ſcandali, quam inducit mendacium. Dupliciter ergo verificari poteſt, quod malitia prædictæ fornicationis augeatur ſecundum majus nocumentum: vel quia Alia S. Doctor. explicatio.

Digitized by Google

quia eo ipſo quod nata eſt pejus ſcandalum inducere quam mendacium, a poſteriori colligitur eſſe in ſua propria & eſſentiali malitia graviorem, ſeu eſſe graviorem gravitate ſpecifica & eſſentiali. Et reſpectu hujus eſſentialis gravitatis dicimus nocumentum ſcandali ſolum ſe habere ut ſignum, nequaquam verò ut cauſam: atque adeò non requiri cognitionem talis nocumenti. Vel poteſt dici gravior ex eo quod, cum ipſum ſcandalum per ſe etiam ſit malum, additum fornicationi dat ei per modum circumſtantiæ quandam gravitatem; ſeu malitiam accidentalem diſtinctam à tota gravitate eſſentiali, & illi ſuperadditam. Hæc ergo accidentalis gravitas verè dependet tanquam à cauſa à circumſtantia nocumenti: & ideò ſine hujus aliquali cognitione, ſaltem virtuali vel interpretativa (quam D. Thom. non excludit; licet neget formalem) nulli peccato poteſt accreſcere. De qua verò prædictarum gravitatum loquatur ſanctus Doctor, indicabit contextus. Nobis videtur quod in artic. 5. quæſtione 20. ſermo ſit de eſſentiali: & quod in 8. quæſtionis 73. poteſt de utraque exponi.

164 *Suadetur tertia pars aſſertionis.* Tertia pars noſtræ ultimæ aſſertionis, videlicet non requiri, quod cognitio malitiæ ſit certa vel probabilis, ſed ſufficere dubium, ſuſpicionem, aut ſcrupulum; dum non adeſt probabile judicium in contrarium, eſt etiam communis inter Theologos. Suadetúrque hac ratione. Quicumque ſcit ſe poſſe in operando deficere, tenetur facere quod in ſe eſt; ut vitet talem defectum: alias merito ipſi imputabitur: ſed qui operatur cum dubio, ſcrupulo, vel ſuſpicione de malitia objecti, cognoſcit ſe poſſe deficere, amplectendo illam malitiam, ſi fortè ibi ſit, ſicut dubium, ſuſpicio, vel ſcrupulus inſinuant: igitur dum non facit quod poteſt, quærendo ſcilicet cognitionem, quæ prudenter ſuadeat non adeſſe talem malitiam, temerè & imprudenter operatur exponendo ſe ejus periculo: & quantum eſt ex vi affectus & modi operandi de facto illam amplectitur.

Confirmatio. Confirmatur, nam vel is, cui occurrit ſuſpicio, ſive ſcrupulus de malitia objecti, habet aliam cognitionem, qua certius tenet non adeſſe talem malitiam; & in virtute hujus cognitionis prudenter contra ſcrupulum operatur? Vel non habet illam, ſed agit dumtaxat ratione ſcrupuli? Si primum: cum illa certior cognitio ſaltem debeat eſſe probabilis, ratione ejus deponitur practicè ſufficienter ſcrupulus, & ita eſt caſus exceptus in concluſione. Si ſecundum, cum voluntas non alia prudentiori cognitione quam ſcrupuloſa illa ducatur, eo ipſo imprudenter agit amplectens malitiam de qua ſcrupulus pungit; vel ſaltem periculum, quod imminet ex vi ſcrupuli: & conſequenter peccat; nam qui amat periculum, peribit in illo.

165 *Objectio.* Dices, licitum eſt cuique operari contra ſcrupulum: imo id ſæpe conſulitur ſcrupuloſis, ut de ſcrupulis omnino non curent: ergo ubi non eſſet niſi ſcrupulus, non daretur ſufficiens cognitio ad peccandum, præſertim mortaliter.

Diluitur. Reſpondetur, antecedens eſſe verum ſuppoſito probabili judicio in contrarium, quod ignorantia & errore ſecluſis, regulariter adeſt, ſaltem per principia extrinſeca: nam virtute talis judicii poteſt quiſque prudenter contra ſcrupulum operari: & non magis de illo curare, quam ſi non adeſſet. Secluſo vero tali judicio, nemini licet operari contra ſcrupulum: quia periculosè & imprudenter ageret: & hoc ipſum ſufficeret ei ad peccandum. De hac tamen latius, Deo dante, dicemus in tractatu de conſcientia; ubi curabimus, quantum fieri poterit, ſcrupuloſis conſulere.

§. V.

Prima aliorum ſententia, eorúmque argumentum.

COntra noſtram primam aſſertionem eſt quædam ſententia, quæ nequit jam cenſeri probabilis: ſolet autem tribui Nominalibus, præſertim Ochamo, ut videre eſt apud Almaynum tractatu tertio, moral. cap. 14. & apud Cordubam libro primo, quæſt. 23. dubio 10. Aſſerit vero prædicta ſententia non requiri ad peccatum mortale majorem cognitionem neque libertatem, quam ſufficiat ad veniale, atque adeò nullum dari hujuſmodi peccatum ex ſola imperfecta deliberatione circa objectum grave, ſed omnia venialia eſſe talia, vel ex genere, vel ex materiæ parvitate. Probatur hoc argumento. Eo ipſo quod aliquis habeat ſemiplenam cognitionem circa malitiam alicujus objecti, habet potentiam ad deliberandum plenè circa illam: & ideo ſi non deliberet, talis indeliberatio eſt ipſi voluntaria; cenſetúrque proinde advertentia plena interpretativè: ſed hæc ſufficit ad peccatum mortale; & illa prior ad minus requiritur ad veniale: ergo nihil amplius requiritur ad illud ex parte advertentiæ intellectus, quam ad iſtud ſufficiat. 166

Argumentũ pro prima ſententia contraria.

Confirmatio. Confirmatur, nam ſicut malitia mortalis eſt major, quam malitia venialis, ita facilius percipitur, & deprehenditur ab intellectu: atque adeò plus requiritur ex parte cognitionis ad percipiendam malitiam venialem, quam mortalem: ergo ſi cognitio, quæ dicitur ſemiplena ſemel eſt ſufficiens ad peccandum venialiter, ſufficit à fortiori ad peccandum mortaliter.

Confirmatio alia. Confirmatur ſecundò: quia in actibus externis non admittitur diſtinctio plenæ, aut ſemiplenæ deliberationis, ſed quæcumque deliberatio cenſetur ſufficiens ad peccandum mortaliter: & propterea nullus à mortali excuſabit homicidium exterius cum qualibet deliberatione factum: ergo idem dicendum eſt de actibus, & motibus internis: cum nulla ſit ratio, ob quam in iſtis major deliberatio, quam in illis deſideretur.

Solutio argumenti. Reſpondetur ad argumentum, potentiam illam ad amplius deliberandum, quam tribuit cognitio ſemiplena, ſolum eſſe potentiam ſecundum quid, & valde diminutam, quæ proinde ut valeat ſufficienter in deliberationem plenam influere, indiget adhuc ſpecialiter adjuvari

à naturæ auctore: quare ſolum imperfectè & ſecundum quid reddit voluntariam carentiam hujuſmodi deliberationis, quoties in eam non prorumpit. Eóque dumtaxat modo dicetur talis carentia *deliberatio interpretativa*, nempè ſecundum quid. Sicut autem ad mortale, requiritur voluntarium ſimpliciter, ita neceſſaria eſt talis deliberatio, quæ vel ſit plena & formalis: vel eſto ſit interpretativa, fundetur ſupra inadvertentiam ſimpliciter voluntariam, ſupponentémque proindè integram & completam potentiam ad plenè deliberandum: alias neque interpretativè dicetur *deliberatio plena*. ¶ Accedit, quod ſicut prædicta potentia tantum eſt ſecundum quid & incompleta, ita etiam obligatio ad plenè deliberandum, quæ in eadem potentiâ fundatur, ſolum eſt obligatio ſecundum quid: quæ licet ſufficiat ad peccatum veniale, quod in genere peccati eſt quid diminutum & incompletum, non tamen ad mortale, quod ſicut eſt perfectè peccatum, ita requirit perfectam potentiam, plenámque obligationem ad ipſum evitandum.

168 Diluitur prima confirmatio. Ad confirmationem reſpondetur, ſolum procedere de malitia, quæ eſt venialis ex genere: quam admittimus difficilius ab intellectu percipi, quàm malitia, quæ ex genere eſt mortalis. Cæterum ipſa malitia, quæ ex genere eſt mortalis (ſicut etiam illa, quæ ex genere eſt venialis) citius & facilius percipitur cognitione ſemiplena & imperfecta, quam cognitione perfecta. Natura enim incipit ab imperfectioribus, & per cognitionem imperfectam ducit ad perfectam. Dum autem ad iſtam non pervenitur, quamvis malitia cognita aliàs ſit mortalis, non nocet mortaliter, quia ſicut ab intellectu, ſic etiam à voluntate & appetitu attingitur diminutè, & imperfectè: & ratione hujus imperfectæ attingentiæ diminuitur uſque ad gradum venialis. Et in tantum poterit diminui ratione imperfectæ attingentiæ, ut omnino non remaneat: puta ſi nulla ſit in cognitione deliberatio adhuc ſemiplena, qua ſublata neque in actu voluntatis vel appetitus aliquid libertatis remanebit. Dum autem non omninò tollitur deliberatio, quantumcumque diminuatur, ſemper manet aliquid libertatis, & conſequenter manet aliquid malitiæ magis aut minus diminutæ, etiam intra limites venialis, juxta deliberationis & libertatis diminutionem. Per quod objectio quædam, quæ hic fieri poterat, manet obiter ſoluta.

169 Diluitur ſecunda. Ad ſecundam confirmationem dicas, etiam in actibus externis habere locum prædictam diſtinctionem *deliberationis plenæ & ſemiplenæ*; & ubi eſſet tantum ſemiplena, quantumvis opus ad extra patratum eſſet grave, adeſſet tantum malitia venialis: ſicut ubi nulla eſſet deliberatio, ſed motus omnino ſubitus, nullum eſſet peccatum etiamſi ad extra in actum homicidii prorumperet. Verum eſt tamen quod circa actus externos natura ſua graves, & naturali jure prohibitos, ſicut eſt homicidium, rarò vel nunquam ſimilis inadvertentia contingit: quia ex una parte indigent non modica præparatione: neque ſic cito exteriora membra applicantur ad illos, quin detur ſufficiens ſpatium ad plenè deliberandum: & ex alia ſtatim atque ſe offerunt, occurit advertentia circa malitiam, ut num. 157. dicebamus; niſi ratio fuerit ſomno, amentia, aut ebrietate ligata, vel per aliquam vehementem paſſionem impedita, ratione cujus non ſemel aliquod externum homicidium excuſatum fuit à culpa mortali. In aliis actibus externis, qui ſolum prohibentur lege poſitiva, ut eſt fractio jejunii, violatio diei feſti, &c. facilius contingit inadvertentia circa malitiam vel obligationem, & ideo multoties à peccato excuſantur. Multo vero frequentius eliciuntur ſine deliberatione ſaltem plena actus interni, ſive voluntatis, ſive appetitus etiam circa objecta gravia: quia magis in promptu habentur: faciliméque & citiſſimè hujuſmodi potentiæ in ſuos actus prorumpunt, adeò ut ſæpeſæpius non detur locus deliberationi & diſcurſui. Omittimus alia argumenta, quæ pro hac ſententia adducit Greg. Martin. quæ ex dictis habent facilem ſolutionem.

§. VI.

Secunda ſententia adverſa, & argumenta pro illa.

Secunda ſententia contra ſecundam aſſertionem affirmat, poſſe reperiri peccatum mortale ſine expreſſa advertentia alicujus malitiæ, ratione advertentiæ virtualis vel interpretativæ. Tunc autem dicit adeſſe hujuſmodi advertentiam, quando ratio de facili poterat & tenebatur advertere, licet de facto nullam circa malitiam mentio occurreret. Pro hac ſententia citant recentiores. Almaynum tractatu 3. moral. cap. 24. Adrian. quodlibet 7. articulo primo, & Gerſonem alphab. 33. lit. H. Cum quibus ſentire videntur ex Thomiſtis Mag. Araujo, Greg. Mart. Monteſ. & alii locis citatis num. 140. Sed quia Doctores iſti diſcipuli D. Thomæ ſæpè (præſertim in ſolutionibus argumentorum) recurrunt ad advertentiam malitiæ in cauſa, diximus num. 161. eos nobis non adverſari, ſed loquutos fuiſſe juxta ſenſum tertiæ aſſertionis. 170

Arguitur autem pro prædicta ſententia primo ex D. Thoma artic. 7. hujus quæſt. in ſolut. ad 2. ubi dicit, quod ſi ratio ſuperior non dirigat actus humanos ſecundum legem divinam, dicenda eſt conſentire in peccato, ſive cogitet de tali lege, ſive non cogitet: quia ſi cogitat contemnit illam; & ſi non cogitat, negligit: ergo ad hoc ut committatur peccatum (& eſt ſermo de mortali) non requiritur actualis cogitatio legis illud prohibentis, atque adeò neque malitiæ. Primum argumentum ſecundæ ſententiæ adverſæ.

Confirmatur: nam apud S. Doctorem multoties ipſa inconſideratio eſt peccatum, ut videre eſt 2. 2. quæſt. 53. artic. 4. ubi numeratur inter peccata contra prudentiam. Et quæſt. 107. artic. 1. ad 2. & 2. ad 3. oblivio beneficiorum numeratur inter peccata oppoſita gratitudini: ergo cum oblivione & inconſideratione malitiæ, vel obligationis ſtat ratio peccati.

Confirmatur ſecundo: quia in via D. Thomæ & Thomiſtarum primum Angeli peccatum ortum habuit ex ſola inconſideratione finis Confirmatio.

Digitized by Google

finis ſupernaturalis, vel obligationis referendi in illum propriam & naturalem beatitudinem: igitur non eſt neceſſaria advertentia expreſſa obligationis, vel malitiæ.

171 Diluitur argumentum.

Reſpondetur ad argumentum, admiſſo ibi eſſe ſermonem de peccato mortali (quod non concedit Curiel) negligentiam illam cogitandi legem æternam non fuiſſe abſque omni advertentia malitiæ vel obligationis: quia dum ratio ita neglexit, ſaltem agnovit, ſe teneri ad cogitandum, & ratione iſtius actualis cognitionis illa non cogitatio fuit voluntaria & culpabilis. ¶ Adde quod etiam ſi neque legis æternæ, neque obligationis de eâ cogitandi expreſſa mentio occurreret, adhuc illud peccatum non committeretur ſine expreſſa advertentia malitiæ per ordinem ad legem naturalem vel humanam. Et licet hujuſmodi advertentia per modum judicii non exiſteret formaliter in ratione ſuperiori, ſed inferiori, adhuc negligentia & peccatum poſſent ſuperiori attribui: quia ubicumque prædicta advertentia reperiretur, eſſet intellectui ſufficiens ratio ulterius cogitandi, uſque dum perveniret ad cognitionem legis æternæ, quod eſt munus rationis ſuperioris, cuique imputari debet ſi non perveniat: imo ſicut lex naturalis eſt quædam participatio legis æternæ, & poteſt dici virtualiter ipſa æterna lex: ſic cognitio formalis illius dici poteſt cognitio virtualis iſtius, idem præſtans ac ſi eſſet cognitio ejus formalis. Nos autem non negamus ſufficere ad peccatum mortale cognitionem virtualem, quando datur alia formalis, in qua contineatur.

Et idem dicimus de advertentia interpretativa, quam ad id ſufficere libenter concedimus, ſi tamen adſit, vel præceſſerit aliqua advertentia formalis in qua fundetur: aliàs non eſt vere dicenda advertentia interpretativa. Cum enim hæc prærequirat, ut intellectus poſſit & teneatur advertere, & potentia ad libere advertendum includat aliquam advertentiam actualem, quæ ſit ratio diſcurſus ſequentis, conſequens eſt, ut hujuſmodi advertentia ſecluſa, neque ſalvetur prædicta potentia, neque fundamentum advertentiæ interpretativæ, ut explicuimus à num. 111. ¶ Et per hoc manet ſolutum aliud argumentum ex ratione, quod in præſenti fieri ſolet, ſumptum ex æquivalentia advertentiæ virtualis, vel interpretativæ ad formalem: eſt enim prædictum argumentum de ſubjecto non ſupponente, ſi excludimus à toto proceſſu intellectus omnem formalem advertentiam malitiæ.

172 Solvitur prima confirmatio.

Ad confirmationem concedimus, oblivionem & inconſiderationem ſæpe eſſe peccata: dicimus tamen nunquam id contingere, niſi obligationis conſiderandi & memorandi aliqua mentio ſaltem in communi occurrerit. Stat enim aliquem expreſſe advertere ſe teneri ad cogitandum, & inquirendum de aliquo objecto, ſive determinato, ſive vagè ſumpto; & quod non cogitet neque inquirat; ſed illud oblivioni tradat. Et tunc talis oblivio erit voluntaria & peccaminoſa: utpote quæ ratione illius qualiſcumque advertentiæ potuit, & deberet excludi. Secluſa vero prædicta advertentia, nullum fuiſſet in ratione principium, per quod ſufficienter excludi poſſet, & ſic maneret oblivio pure naturalis.

Triplex ſolutio pro ſecunda.

Ad ſecundam confirmationem tria dici poſſunt. Primum eſt, quod licet in ſecundo inſtanti, in quo Angelus primò peccavit, non animadverterit expreſſe obligationem referendi ad finem ſupernaturalem; habuit tamen expreſſam & formalem hujus advertentiam in inſtanti proxime antecedenti, quod fuit primum ſuæ creationis: & quia hujuſmodi advertentiam non conſervavit in ſecundo inſtanti, cum poſſet (ipſa quippe advertentia habita in primo erat intellectui Angelico ſufficiens ratio, ut poſſet eandem conſervare in ſecundo) meritò imputatur illi, quod non conſervaverit: & ſequens inadvertentia cenſetur advertentia interpretata. ¶ Secundo dicas, Angelum etiam in ſecundo inſtanti advertiſſe expreſſe ſuam obligationem; ſed quia non advertit practicè, & efficaciter, ſed ſolum ſpeculative, ex defectu advertentiæ practicæ deliquit. Nos autem cum ad peccandum requirimus advertentiam expreſſam malitiæ, loquimur de advertentia ſpeculativa: nam practica ſi daretur, eo ipſo impediret peccatum. ¶ Tertio poſſet dici, quod & ſi Angelus in illo ſecundo inſtanti non cogitaverit de ordine ad finem ſupernaturalem, defectu cujus cogitationis lapſus eſt, animadvertit tamen, ſe teneri ad cogitandum, eo ipſo quod vellet operari: & ratione talis advertentiæ imputatur illi ad peccatum, quod operatus fuerit amando ſe ipſum ſine prædicta cogitatione, & ſine relatione ad finem ſupernaturalem, quem debuit cogitare.

173 Argumentum ſecundum ab inconvenientibus.

Secundo arguitur ab inconvenientibus, quæ videntur ex ſententia noſtra deduci. Nam in primis ſequitur, nullum eſſe diſcrimen inter peccata, quæ committuntur ex malitia, & inter illa, quæ fiunt ex ignorantia, aut paſſione. Etenim diſcrimen inter hujuſmodi peccata in eo deberet conſiſtere, quòd qui peccat ex malitia, habet actualem peccati cognitionem; & nihilominus illud proſequitur, propter habitum vitioſum in ſe manentem: qui autem ex ignorantia vel paſſione peccat, caret prædicta cognitione, quæ ſi adeſſet, impediret peccatum: igitur ſi ad quodlibet peccatum neceſſaria eſt actualis advertentia malitiæ, nullum erit prædictum diſcrimen.

Sequeretur deinde, omnes qui peccant, habere conſcientiæ remorſum: nam illa actualis cognitio malitiæ neceſſario conſcientiam pungit, & reprehendit. Hoc autem eſſe falſum, conſtat tum ex illo Pauli 1. ad Corint. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Ubi etſi nullius haberet peccati remorſum, aut notitiam; verebatur nihilominus, ne illud admiſiſſet. Tùm etiam in hominibus valde depravatis, qui omni timore poſtpoſito, & ſine ullo ſcrupulo in peccata labuntur: nec tamen idcirco aliquis eos à malitia excuſabit. Tum præterea, nam quis dubitet, peccare graviſſime hæreticos ſectando proprias hæreſes? Sicut etiam Paganos, & Judæos Evangelium ſibi propoſitum ſpernendo, atque Catholicos perſequendo? Tantúmque abſunt à conſcientiæ remorſu, ut arbitrentur potius obſequium ſe præſtare Deo: ergo, &c.

D. Paul. 1 ad Corint. 4.

Tertio ſequitur, non peccare mortaliter illum, qui ex prava conſuetudine ſine adver-

tentia pejerat: quippe dum peccat, nulla ſubit ei mentio malitiæ. At hoc eſt contra ſatis communem Theologorum conſenſum: ergo, &c.

174 Solutio. Quid animadvertant peccans ex malitia, ex ignorantia, & ex paſſione.

Reſpondetur, nullum ex prædictis inconvenientibus, quod vere inconveniens ſit, ex noſtra ſententia deduci. Unde ad primum dicendum eſt, diſcrimen inter illa peccata conſiſtere penes hoc, quod peccans ex malitia, adhuc dum peccat, ſcit & advertit malum eſſe quod eligit; & nihilominus propter pravam voluntatis diſpoſitionem placet, & eligitur, ac ſi eſſet bonum: imo licet judicetur bonum hic & nunc ab eligente, attenta prava diſpoſitione ſui appetitus, & reſpectu talis diſpoſitionis; abſolute tamen judicatur malum, & advertitur hæc malitia. Qui autem peccat ex ignorantia, dum ſic peccat, neque advertit, neque ſcit illud quod eligit, eſſe malum; imo ſi ſciret, non eligeret: peccat tamen, quia quando ignorantiam incurrit, actu animadvertit ſe teneri ad addiſcendum, excludendámque ipſam ignorantiam. Imo animadvertit ignorantiam, quam incurrebat, fore ſibi poſtmodum cauſam delinquendi. Rationeque hujuſmodi advertentiæ prædicta ignorantia fuit voluntaria & vincibilis: & quidquid ex ea ortum habuit, fuit voluntarium & præviſum in cauſa: quod ſufficit ad peccandum. Si autem ea præviſio defuiſſet, nequaquam imputaretur ad culpam quidquid ignorantia peperiſſet.

Similiter eſt de illo, qui peccat ex paſſione. Nam licet cum paſſio jam adeſt, non conſideret malitiam; animadvertit tamen illam, vel ſaltem ejus periculum, cum in paſſione eſſe eligit: vel cum videns paſſionem inſurgere, de ea reprimenda non curavit, quæ eſt etiam advertentia malitiæ in cauſa. Quod ſi nec tunc advertit, & paſſio ſit tanta, quæ uſum rationis tollat, non erit ibi peccatum: quia fuit paſſio antecedens, & non voluntaria: & talis paſſio totaliter a peccato excuſat, ut videbimus ex D. Thoma infra quæſt. 77. art. 7.

175 Remorſus conſcientiæ quid importet: & qualis ſit in peccatoribus.

Ad ſecundum inconveniens reſpondetur animadvertendo, quod remorſus conſcientiæ importat aliquid ex parte intellectus, nempe judicium diſcernens malum, aut mali periculum: & aliquid ex parte voluntatis: videlicet angorem illum & inſultum, quo timoratæ voluntates ad præſentiam mali, vel periculi ſolent in ſe ipſis torqueri. Primum ex iſtis vere adeſt omnibus qui peccant: ſive dum actu exercent opus prohibitum; ſive dum apponunt cauſam. Et licet peccatores ſæpe diſſimulent, quaſi nihil mali advertèrint; nihilominus tamen niſi velint ſe ipſos decipere, teſte eorum conſcientia, aliqua eis notitia ſubiit, ſaltem ſub dubio vel ſcrupulo, unde poſſent, ſi vellent, amplius rem inquirere, & malitiam clarius detegere. Poſterius autem deeſt ſæpe hominibus depravatis: quorum voluntas per multitudinem peccatorum valde obdurata eſt: ipſáque peccandi conſuetudo callum timori obduxit: ob idque ſine ullo inſultu vel trepidatione in peccata labuntur, & bibunt iniquitatem ſicut aquam, ut dicitur Job 15. Ad veritatem autem noſtræ aſſertionis ſufficit prior illa notitia; ſive adſit, ſive non hic poſterior remorſus. *Iob 15.*

Ad locum Pauli occurrit bene P. Vaſquez, *Vaſq.*

Apoſtolum non dixiſſe *nihil mihi conſcius ſum*, propter peccata ex defectu advertentiæ tunc commiſſa: ſed quia verebatur, ne reus eſſet alicujus peccati à ſe antea commiſſi, quod ipſum tunc lateret: non quia ſine ulla advertentia committi potuiſſet; ſed quia factum cum illa, poterat oblivioni jam traditum eſſe: cumque Deus nullius obliviſcatur, recte ſubjunxit, *qui autem judicat me, Dominus eſt.* Quamvis ergo neque Paulus, neque alius dum actu peccat, vel cauſam peccati apponit, dicere poſſit, *nihil mihi conſcius ſum*, quia tunc cuique ſubeſt aliqua malitiæ cogitatio ſaltem in communi, aut aliqua ejus ſuſpicio, dubium, vel ſcrupulus, quæ quantum ex parte cognitionis, conſcientiam reprehendunt: poſt commiſſa tamen peccata quiſque id non ſemel dicere poterit, quia facillime ex memoria labuntur. Et præſertim venialia: de quibus loquebatur Paulus; non verò de moralibus, cum ſciret ſe eſſe confirmatum in gratia.

Ad illud de hæreticis reſpondet D. Thom. quæſt. 16. de verit. art. 3. ad 2. errorem in ratione ſuperiori exiſtentem tollere ab eis conſcientiæ remorſum: ſicut tollit ignorantia in iis qui propter ignorantiam peccant. Verum quia talis error, ut ſupponitur, eſt vincibilis & voluntarie acquiſitus (aliàs à peccato excuſaret) in ipſa acquiſitione adeſſe debuit expreſſa advertentia circa ejus malitiam, ſaltem ſub dubio vel ſuſpicione: & ratione talis advertentiæ habuit intellectus ſufficiens principium ad inveſtigandam veritatem, prædictúmque errorem deponendum: cumque ipſe ſit cauſa ſequentium peccatorum, de quibus jam ſcrupulus non occurrit, ſatis eſt illa advertentia, cum qua fuit acquiſitus, ut prædicta peccata fieri dicantur cum formali advertentia malitiæ in ſua cauſa: licet dum actu committuntur, nulla jam talis malitiæ mentio occurrat. Et hoc univerſaliter verum eſt de omnibus peccatis, quæ tam hæretici quam pagani & Judæi per errorem vincibilem committunt; nam cum hæc ſint eis voluntaria ſolùm in cauſa, quæ fuit acquiſitio talis erroris, ſatis eſt advertiſſe malitiam in ipſa cauſa & acquiſitione erroris. Ab aliis vero, quæ committunt per errorem invincibilem, ipſe error excuſat, quia eſt involuntarius, neque adhuc in ejus acquiſitione adfuit advertentia malitiæ. 176 Hæretici cur careant remorſu? *D. Thom.*

Per quod patet ad aliud de paganis, & Judæis contemnentibus Evangelium, & Eccleſiam perſequentibus: ſi enim id faciant per errorem vel ignorantiam invincibilem, ut dum veritas Catholica non eis ſufficienter propoſita fuit, conſequenter non peccant; ſed ipſo errore vel ignorantia excuſantur. Si vero per errorem vel ignorantiam vincibilem & culpabilem, dicendum eſt de illis, ſicut diximus de hæreticis. Quid de paganis & Iudæis.

Tertium inconveniens nequaquam ſequitur ex noſtra ſententia: nam qui prava conſuetudine inadvertenter pejerat, idcirco peccat mortaliter, quia omnia illa perjuria ſunt ei voluntaria & præviſa in cauſa, videlicet in acquiſitione talis conſuetudinis: quatenus dum cœpit crebrò, & ſine diſcuſſione veritatis multiplicare juramenta, animadvertit pravum illum jurandi uſum futurum ſibi cauſam proferendi poſtmodum multa inadvertenter, 177 Cur ſint læthalia perjuria prolata inadvertenter ex prava conſuetudine?

&

& cum periculo quod eſſent falſa: unde jam iſtorum malitiæ præceſſit in prædicta cauſa expreſſa & actualis cognitio. Niſi velis dicere, juramenta, quæ ſine ulla advertentia neque ad veritatem aut falſitatem, neque ad rationem juramenti proferuntur, non habere rationem peccati mortalis, etiam objectivè, vel in cauſa: quia eo ipſo quod ſine ulla advertentia proferantur, non ſunt formaliter juramenta, neque verba humana, ſed quidam ſonus in aere cauſatus ſine ulla formali ſignificatione: & ideo parum refert, quod alias ſint vel non ſint voluntaria. Sicut de blaſphemiis, contumeliis, & aliis peccatis verborum, quando ab ebrio, vel amente proferuntur, diximus diſp. 5. à num. 107.

Sententia contra tertiam aſſertione n. Vaſq.

Contra tertiam aſſertionem militant quoque duæ ſententiæ. Alia quæ negat, ſufficere ad peccatum advertentiam malitiæ in ſua cauſa. Quam tuentur Vaſquez, & plures alii relati à nobis ſupra diſp. 5. dub. 6. Ubi egimus quæſtionem illam, *an ad peccatum ſufficiat voluntarium in cauſa, etiamſi quando urget obligatio, neque adſit jam advertentia in intellectu, neque in voluntate libertas?* partémque affirmativam reſolvimus: ut argumenta contra illam, quæ hic quoque fieri poterunt, enodavimus. Alia ſententia negat, ſufficere ad peccatum mortale advertere malitiam in communi, niſi determinatè cognoſcatur eſſe mortalem, ſeu gravem. Pro hac refert Curiel in præſenti art. 8. dub. 1. Victoriam, Angeſtum, Cordubam. Sed eam alii Theologi ferè communiter reprobant: neque habet pro ſe alicujus momenti fundamentum.

Curiel, Victoria. Angeſt. Cordub.

DUBIUM V.

Quis conſenſus voluntatis neceſſarius ſit, & ſufficiat, ut motus appetitus ſenſitivi circa objectum ſub mortali prohibitum ſint peccata mortalia?

178 HÆc difficultas ſolet tractari inferius circa delectationem moroſam. Sed quia communis eſt pro omnibus motibus ſenſitivi appetitus, ſive ſint delectationes, ſive deſideria, timores, aut triſtitiæ, odium, vel amor, &c. congruentius judicavimus illam præſenti diſputationi adjicere: quam pro prædictis motibus in univerſum inſtituimus. Prius autem quam ad deciſionem accedamus, obſervandum eſt, quod poſtquam intellectus plenè advertit ſurrexiſſe in appetitu ſenſitivo motum, v. g. delectationis circa objectum ſub mortali prohibitum (utrumque in hoc dubio ſupponitur, & quod intellectus plenè advertat, & quod objectum ſit materia gravis de genere mortalis) voluntas poteſt ſe habere tripliciter. Nam vel poſitivè reſiſtit, curans efficaciter motum illum expellere. Vel poſitivè in illum conſentit: vel neque conſentit poſitivè, neque diſſentit, ſed permiſſivè ſe habet, non curans efficaciter de ejus expulſione. Sive hoc poſterius contingat, quia voluntas tunc ſuſpendit omnem actum (caſus apud nos eſt impoſſibilis) aut ſaltem circa ipſam delectationem nullum exercet: ſive quia licet habeat aliquem actum, hic tamen neque eſt conſenſus in delectationem, neque diſſenſus efficax: ſed vel volitio permittendi illam; vel aliqua ejus ſimplex diſplicentia, aut aliquid hujuſmodi.

In primo & ſecundo caſu nulla eſt difficultas: qua ſi voluntas efficaciter reſiſtit, potius ibi eſt meritum & corona, quam aliquod peccatum, ut explicuimus dub. 3. Si autem poſitivè conſentit, ſine controverſia peccat mortaliter: cum nullum ex requiſitis ad hujuſmodi peccatum tunc deficiat. Sed in tertio, quando videlicet neque efficaciter curat de expellenda delectatione, neque poſitivè illam amplectitur, merito dubitatur, an peccet mortaliter? Quia non omnino conſtat utrum voluntas ſub mortali ſolùm teneatur ad non conſentiendum; an verò etiam ad poſitivè & efficaciter reſiſtendum. Ex cognitione autem hujus obligationis dependet tota præſentis dubii reſolutio.

Deinde nota, ex duobus capitibus poſſe oriri, quod voluntas ſub mortali teneatur ad reſiſtendum prædictis motibus, vel per ſe propter inordinationem & malitiam, quæ in illis reperitur, quoties permittuntur ferri ad objectum pravum ſine voluntatis reſiſtentia: quaſi ea inordinatio talis, aut tanta ſit, ut ſecundum ſe, atque adeo etiam omni alio periculo ſecluſo, poſtulet interdici voluntati ſub mortali ejus permiſſionem. Vel per accidens, propter periculum aliquod quod immineat incidendi in aliquid grave, niſi voluntas poſitivè reſiſtat: ut ſi ob non reſiſtentiam adeſſet periculum conſenſus poſitivi ipſius voluntatis, aut alicujus effectus noxii, qui ob nocumentum grave, quod infert, poſtulat ſub mortali, ut poſitivè impediatur. Et ſanè cum ob prædictam non reſiſtentiam urget tale periculum, perſpicuum eſt, teneri voluntatem ad illam ſub mortali: quia ita tenetur unuſquiſque ad faciendum quod in ſe eſt, ne periculo incidendi in mortale ſe exponat. Remanet ergo examinandum, an etiam eo periculo ſecluſo, prædicta obligatio ſubſiſtat? Et rurſus an dum non adhibetur prædicta reſiſtentia, adſit ſemper tale periculum: proindéque hac ſaltem via teneatur ſemper voluntas ſub mortali ad reſiſtendum. 179

§. I.

Vera & communior opinio.

DIcendum eſt primo, ſecluſo periculo tam conſenſus, quam alterius nocumenti gravis, non teneri voluntatem ſub mortali ad poſitivè reſiſtendum motibus ſenſitivi appetitus, quantumvis ex objecto pravis & inordinatis: & ideo dum non conſentit, ſi non reſiſtat, ſed negativè, vel permiſſivè ſe habeat, non peccat mortaliter. Hæc concluſio eſt ſatis communis inter Theologos: eique plurimum favet D. Thom. quæſt. 15. de veritate, art. 4. ad 10. ubi ſic ait. *Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipſius, non habet interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat: ſed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequenti,* 180

ut

utpotè cum percipit homo ſe totaliter per hujuſmodi delectationem in peccatum inclinari, & in preceps ruere, niſi expreſsè reſiſtat, videtur conſentire. Ex quibus verbis conſtat, quod S. Doctor non agnoſcit in voluntate conſenſum etiam interpretativum (quod ad minus debet intelligi de conſenſu interpretativo ſufficienti ad mortale) propter ſolam non reſiſtentiam, etiam poſtquam ratio advertit motum illicitum in appetitu inſurgere, uſque dum animadvertat periculum ruinæ per inclinationem & conſenſum in illum, aut nocumentum imminens, niſi reſiſtat. Et in hac quæſt. 74. art. 6. ad 3. expreſsè dicit, delectationem non dici moroſam, atque adeò neque peccaminoſam mortaliter; uſque dum *ratio deliberans circa eam immoratur: nec tamen eam repellit, retinens & volvens libenter*, &c. Et citat pro ſe

D. Auguſt. Auguſt. lib. 12. de Trinit. c. 12. Sentit ergo quod niſi voluntas libenter teneat & volvat delectationem (quod ſanè ſine conſenſu in illam intelligi nequit) non peccat mortaliter. Idem docet in 2. diſt. 24. q. 3. art. 4. ubi in fine corporis ita concludit. *Appetitus ſenſualitatis, & delectatio conſequens appetitum ante conſenſum rationis deliberatæ peccatum mortale non eſt: ſed poſt conſenſum rationis deliberatæ peccatum mortale incurritur.* Quod repetit in ſolut. ad 2. & 2. 2. q. 35. art. 3. & alibi non ſemel. Igitur ex mente Angel. Doctoris motus ſenſitivi appetitus ſine voluntatis conſenſu, aut ſaltem ejus, vel alterius nocumenti gravis periculo nequit ad rationem peccati mortalis pertingere.

D. Bonav. Apertius id tuetur D. Bonaventura in 2. diſt. 24. in 2. part. diſtinctionis art. 2. q. 2.

Cajet. Cajet. in ſum. verbo *delectatio moroſa*, num. 4. ibi: *Si non ex complacentia, ſed ex non æſtimatione commotæ cogitationis & delectationis negligentia provenit (puta quia ſcit voluntatem ſuam conſtantem, & confidit quod propter hujuſmodi commotiones phantaſiæ & concupiſcentiæ non ruet in conſenſum malum) peccat quidem quia poteſt & debet conari ad repellendum hujuſmodi intima bella, & pericula maxima, & quantum in ſe eſt implere illud, Perſequar inimicos meos, & non convertar donec deficiant: non tamen peccat mortaliter*, &c. Eidem aſſertioni ſubſcribunt

Adrian. Gerſon. Corduba. Navarro. Roſella. Armil. Man. Rod. Th. Sanch. Gang. Hiſp. Alvarez. Araujo. Granad. Salas. Caſt. Palao. Medina. Lorca.

Adrian. quodlib. 4. quæſt. 3. de Euchar. verſ. *Et circa hæc.* Gerſon. 2. part. tract. *de delectatione moroſa* alphab. 30. lit. C. Corduba lib. 1. quæſt. 23. dub. 10. ad 7. Navar. in ſumm. cap. 11. num. 12. Roſella verbo *Delectatio*, num. 1. Armilla eodem verbo n. 2. & verbo *Cogitatio*, num. 3. Man. Rod. 1. tom. ſumm. cap. 211. Et præter alios quos refert Thomas Sanchez lib. 1. ſumm. cap. 2. num. 13. Scholiaſtes ſummæ Cajetani dictus *Gangericus Hiſpanus* cit. verbo *Delectatio*, lit. B. Alvarez in præſenti diſput. 149. n. 4. concluſ. ubi etiam Araujo art. 10. dub. 2. Granad. controverſ. 6. de peccat. tract. 4. diſp. ultima, Lorca diſp. 28. memb. 2. Salas tract. 13. diſp. 6. ſect. 3. Caſtro Palao 1. part. tract. 2. diſp. 2. punct. 10. §. 5. Solet etiam citari Medina in præſenti art. 6. docum. 5. ubi potius videtur contrarium ſtatuere; niſi quia modum dicendi Cajetani ut ſuæ ſententiæ limitationem refert, & non impugnat.

281 Probatur hac ratione. Non poteſt eſſe
Ratio pro aſſertione. major obligatio reſiſtendi motibus ſenſitivi appetitus, ſecluſo alio periculo, quam ſit inordinatio in ipſis motibus reperta: ſed hæc eſt tantum venialis: ergo prædicta obligatio non poteſt eſſe ſub mortali. Major conſtat, quia non poteſt eſſe major obligatio vitandi aliquod malum, loquendo de obligatione per ſe, quam ſit ipſum malum, quod vitandum eſt: quare ſi malum ſit grave, obligatio erit gravis, ſi vero leve, obligatio erit levis. Cum enim tota ratio inſtituendi obligationem fuerit tale malum, oportet ut cum illo commenſuretur, nullatenuſque ipſum excedat. Minor vero probatur: nam eo ipſo quod deficiat conſenſus voluntatis, non eſt à quo appetitus ſenſitivus recipiat malitiam mortalem: hæc enim ſemper debet ab actuali influxu voluntatis deſcendere: quo secluſo, quidquid aliunde oritur, eſto ſit peccatum, non poteſt excedere limites venialis. ¶ Eo præſertim, quia dum voluntas actu non influit conſentiendo & movendo appetitum, iſte non agit ut liber ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid: ea ſcilicet libertate, quam ab initio emanationis accepit: quæ, ut dub. 2. vidimus, ſolum eſt libertas ſecundum quid, atque adeo incapax malitiæ mortalis, quæ non poteſt eſſe niſi in actu ſimpliciter libero.

Confirmatur, nam ut ait D. Thom. art. 4. Confirmatio. D. Thom. hujus quæſtionis, inordinatio, quæ non deſtruit principium vitæ ſpiritualis, quod eſt ordo ad finem ultimum, non poteſt eſſe mortalis: ſicut infirmitas, quæ non corrumpit principium vitæ corporalis, non eſt ad mortem: ſed inordinatio appetitus ſenſitivi quantumcumque creſcat, dummodo voluntas & ratio non præbeant ei conſenſum, non deſtruit prædictum ordinem: igitur non eſt mortalis, atque adeo nec debet ſub mortali ejus permiſſio prohiberi. Minorem probat S. Doctor, quia inordinatio circa finem non eſt niſi ejus, cujus eſt ordinare ad finem: contraria enim circa idem verſantur; ordinare autem ad finem ultimum non competit ſenſualitati, etiam attento eo, quod in homine habitualiter participat; ſed ſoli rationi. Etenim cum potentia inferior habitualiter participat ex ſuperiori, non participat quod in iſta eſt præſtantius, ſed quod eſt infimum, juxta illud *ſupremum infimi attingit infimum ſupremi*: cum autem ſupremum, in quod ratio practica ſe extendit ſit ordinare ad finem ultimum, fit ut appetitus ſenſitivus nequaquam hoc habitualiter participet: ac proinde quod nec prædictus ordo, nec contraria inordinatio ab alia fieri poſſit, niſi à ratione per proprium actum: licet talis actus per ſuum influxum tam ordinem, quam inordinationem, quæ ipſe facit uſque ad actus appetitus ſenſitivi ab eodem imperatos diffundat.

Dices primo, majorem non eſſe undequa- Effugium. que veram: nam ſæpè ob vitandum malum, quod ſecundum ſe non excedit limites venialis, imponitur obligatio ſub mortali, ut videre eſt ſequentibus exemplis. Etenim actus gulæ, quo quis inordinatè comedit, ſecundum ſe & attenta naturali lege, ſolum eſt peccatum veniale: & nihilominus Eccleſia ob vitandum hoc peccatum ſæpè imponit obligationem ſub mortali: ut cum præcipit jejunare, quo tollitur inordinatio comeſtionis. Deinde qui relaxatione aboleret aliquam laudabilem conſuetudinem aut legem, qua obſervata multa peccata venialia caventur, uti eſt

in

in religionibus lex conticendi poſt dictum Completorium, vel abſtinendi à confabulationibus in clauſtris, dormitoriis, &c. iſte peccaret mortaliter, ut cenſent graves Theologi; etiam ſi in ſimplici tranſgreſſione talis legis vel conſuetudinis ſolùm ſit peccatum veniale: ergo ex cauſa vitandi hujuſmodi peccata poteſt imponi obligatio ſub mortali. ¶ Præterea: qui turpem effigiem, ut nudæ Veneris, ex curioſitate aſpicit, ſecluſa alia prava intentione, vel periculo ſolùm peccat venialiter: & tamen qui ſimilem effigiem communiter aſpiciendam exponit, peccat mortaliter: ergo tenetur ſub mortali ad vitandum id, quod eſt cauſa, vel occaſio peccati venialis. ¶ Adde, quod ſi in prædictis motibus ſolùm eſt malitia venialis, & hac ratione permiſſio illorum à mortali excuſatur, eadem ratione excuſabitur conſenſus in eodem: quippe conſentire in illud, quod præciſe eſt peccatum veniale, ut in ſimplex mendacium, verbum otioſum, & ſimilia, non excedit limites venialis.

183 Impugnatur. Sed hæc non enervant noſtram rationem, quæ intelligi debet non de quacumque obligatione vitandi malitiam venialem, ſed de illa, quæ à lege naturali imponitur præciſe ob iſtum finem: neque habet aliud ſuperius motivum, quàm ne ſit in aliquo ex noſtris actibus talis malitia. Nam re vera in caſu de quo agimus, ſecluſo (ut ſecludimus) omni periculo vel conſenſu voluntatis, vel alterius gravis nocumenti, nulla alia ratio apparet, ob quam voluntas teneatur reſiſtere ſingulis motibus inordinatis appetitus ſenſitivi, niſi ut non ſit in aliquo ipſorum, neque in homine ſua illa qualis qualis inordinatio.

Ad primam inſtantiam. Quare ad primam inſtantiam in contrarium propoſitam dicendum eſt, Eccleſiam non præcipere jejunia ob vitandam præciſe inordinationem gulæ: quæ, attenta naturali lege, poteſt in ſumptione cibi reperiri: nam in jentaculo matutino, in cœna, & in carnium comeſtione moderatis nulla eſt talis inordinatio, attenta præciſe illa lege; & nihilominus per legem jejunii Eccleſiaſtici prohibentur. Quin imo non ſemper per hujuſmodi legem prohibetur inordinatio gulæ lege naturæ prohibita: quia etiam ſi quis in die jejunii comedat uſque ad crapulam, dummodo non niſi ſemel, & quadrageſimales cibos, obſervat legem jejunii Eccleſiaſtici, tamen contra legem naturalem peccat peccato gulæ. Alius ergo ſuperior finis adeſt Eccleſiæ ad imponendam fidelibus prædictam obligationem ſub mortali. Quem Eccleſia ipſa declarat in præfatione pro quadrageſima verbis illis: *qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.* ¶ Diximus *de illa obligatione, quæ à lege naturali imponitur*, &c. quia loquendo de lege poſitiva non negamus potuiſſe prohiberi ſub mortali permiſſionem prædictorum motuum: quippe legiſlator poſitivus, ſi voluiſſet, inveniſſet ſufficiens motivum ad talem prohibitionem. Cæterum quia de facto nulla eſt talis lex poſitiva, ſtandum eſt ſoli naturali; ratione cujus nullum adeſt motivum prohibendi ſub mortali prædictam permiſſionem, aut motibus illis poſitive reſiſtendi, ut ſtatim magis declarabitur.

Per quod patet ad ſecundam inſtantiam. Nam etiam finis illius conſuetudinis vel legis, ſive ut melius dicamus, finis prohibendi earum relaxationes, non eſt dumtaxat vitatio peccatorum venialium, quæ illis caventur; ſed potius magna perfectio, & decor, quæ, ſimilibus legibus, vel conſuetudinibus in ſuo vigore ſubſiſtentibus, accreſcunt bono communi. Unde etiam ſi in una vel alia tranſgreſſione legis, aut conſuetudinis obligantis ſub veniali non ſit major culpa, quam venialis; imo ſi lex non obligaret ad culpam, ſed ad ſolam pœnam, adhuc venialis culpa ibi non reperiretur; nihilominus ad illas non relaxandas obligatio eſſet ſub mortali. Quod aperte oſtendit, finem, propter quem conſurgit hæc poſterior obligatio, præſtantiorem eſſe, quam evitatio hujus, vel illius peccati venialis. 184 Ad ſecundam.

Replica. Nec refert, ſi urgeas, quod etiam in noſtro caſu poteſt inveniri altior finis obligationis reſiſtendi motibus appetitus, quàm vitatio ſolius malitiæ venialis in illis repertæ: nam poſſet eſſe talis finis bonum, quod propter prædictam reſiſtentiam ipſi homini accreſcit, vel ſaltem decor, qui accedit bono communi ex conſiſtentia prædictæ obligationis: & ratione iſtius finis ita ſuperioris poterit obligatio ad reſiſtendum injungi ſub mortali.

Reſpondetur enim negando antecedens. Pro quo animadvertendum eſt primò, aliter philoſophandum eſſe (quoad præſens attinet) de obligatione legis poſitivæ, atque de obligatione legis naturalis. Nam hæc poſterior, ſi ſit affirmativa, ad illa ſolùm obligat ſub mortali, ſine quibus finis ultimus nequit abſolute & ſimpliciter obtineri. Si verò ſit negativa, ſolùm prohibet ſub mortali ea, quæ ſimpliciter impediunt prædictam aſſequutionem: atque adeo quæ important aliquod grave malum, vel Dei, vel proximi, vel ejuſdem, qui peccat. Cæterum lex poſitiva, quæ veluti in extenſionem legis naturalis inſtituta eſt, poteſt ultra pertingere: poteſtque præcipere ſub mortali non ſolùm ea, quæ ſimpliciter ſunt neceſſaria ad aſſequutionem prædicti finis, ſed etiam quæ ad melius eſſe talis aſſecutionis conducunt. Et ſimiliter poteſt ſub mortali prohibere quodcumque malum, vel indifferens, imo & aliqua de genere boni propter aliquod præſtantius motivum: & ſi aliud non ſit, ſufficiet exercitium obedientiæ. 185 Animadverſio pro ſolutione.

Animadverſio alia. Deinde nota, aliter obligari hominem ad obſervandam, ſeu non tranſgrediendam aliquam legem (idem dicimus de conſuetudine) & aliter ad non abolendam talem legem. Quia obligatio ad primum oritur præciſe ex ipſa lege, & ideo non poteſt eſſe major, quam lex determinat: quare ſi ſolùm determinat obligationem ſub veniali, prædicta tranſgreſſio, vel ejus permiſſio duntaxat poteſt eſſe culpa venialis. Obligatio vero ad non abolendam legem per relaxationem, oritur ex juſtitia legali, quæ ſicut obligat ſub mortali ad conſervationem, vel non deſtructionem boni communis, ita eodem tenore obligat ad conſervationem, aut ſaltem non deſtructionem cujuſvis legis (niſi forte ex rationabili cauſa ab ipſo legiſlatore aboleatur) quia quælibet lex eſt notabilis pars ipſius boni communis; cujus proinde deſtructione infertur grave nocumentum tali bono.

Ex

Digitized by Google

186 Enodatur replica quoad primam inſtantiam.

Ex his facile conſtabit nullam ex inſtantiis adductis, neque ex earum ſolutionibus habere locum in caſu noſtræ aſſertionis. Nam quod attinet ad primam, cum lex jejunii Eccleſiaſtici ſit poſitiva, ſatis eſt ad hoc ut obliget ſub mortali, quod adſit aliquis finis valdè conducens ad facilius beatitudinem aſſequendam: ſicut re vera conducit abſtinentia illa, quam Eccleſia præcipit: quamvis talis finis ex natura rei non ſit ſimpliciter neceſſarius ad prædictam aſſecutionem. At in noſtro caſu tota obligatio conſurgit ex lege naturali: non enim apparet lex poſitiva, quæ univerſaliter jubeat reſiſtere motibus inordinatis ſenſitivi appetitûs. Ex alia vero parte hujuſmodi lex naturalis nihil præcipit ſub mortali ob quemcumque finem, niſi quod ſecundum ſe eſt ſimpliciter neceſſarium ad beatitudinem conſequendam: neque prohibet ſimiliter ſub mortali, niſi quod grave nocumentum alicui inducit: quorum neutrum in caſu noſtræ aſſertionis locum habere, cuilibet intuenti conſtabit.

Quid de ſecunda inſtantia.

Minus autem favet propoſitæ replicæ ſecundæ inſtantia, aut ejus ſolutio. Nam tota ratio obligationis ſub mortali non abolendi legem obligantem præciſe ad veniale eſt grave detrimentum, quod fit bono communi; non autem malitia, quæ in hac, & illa legis, aut conſuetudinis tranſgreſſione (ſine relaxatione tamen) reperitur. Unde ex hac inſtantia ad ſummum poterat inferri, quod in noſtro caſu ſit ſimiliter culpa mortalis relaxare illam legem, quæ prohibet ſub veniali motus appetitus venialiter peccaminoſos; aut in tantum prædictos motus permittere, ut per hoc ea lex relaxationi exponatur. Secus autem quod hujus periculo ſecluſo, talis lex violetur, taleſque motus ſemel & iterum permittantur.

187 Diximus *ad ſummum poſſe hoc inferri*, &c. quia re bene inſpecta neque id in noſtro caſu concedendum eſt: nam prædicta doctrina de relaxatione habet locum in legibus poſitivis, & in conſuetudinibus, quæ per multiplicem tranſgreſſionem poſſunt remittere vim obligandi, & tandem amittere. Leges autem naturales, qualis eſt lex cohibendi ſupradictos motus, nequaquam, quamvis, ſæpenumero violentur, amittunt prædictam vim: ſed ſemper in ſuo vigore permanent: ipſa quippe natura, & naturalis ratio eas conſervat. Quare licet non ſervare hujuſmodi leges, ſit peccatum juxta tenorem obligationis, hoc eſt vel mortale, ſi lex obliget ſub mortali; vel veniale, ſi lex ſub hoc tantum obliget: nunquam tamen ratione periculi relaxationis erit ibi aliquod peccatum.

Quid de tertia?

Ad tertiam inſtantiam de exponente turpem effigiem dicas, illum non peccare mortaliter præciſe propter peccata venialia eorum, qui ex ſola curioſitate aſpicient; ſed propter periculum, quod multis offertur laſcive conſpiciendi, atque adeo delinquendi mortaliter.

188 Ad illud, quod additur, reſpondetur negando ſequelam. Longe enim diverſa ratio procedit de conſenſu voluntatis, atque de ſola permiſſione: nam ſicut Deus non peccat permittendo peccata; & tamen peccaret in illa conſentiendo: ita optime fieri poteſt, ut voluntas noſtra non peccet mortaliter, imo aliquando neque venialiter permittendo motum ſenſitivum circa objectum illicitum; peccet vero mortaliter conſentiendo in ipſum.

Ratio vero eſt, quia conſenſus ſumit malitiam ab objecto præciſe ſecundum eſſe objectivum: & ideo qui conſentit in aliquid objectivè mortale, etiam ſi in tali objecto nulla ſit formalis malitia, peccat mortaliter propter malitiam objectivam, in quam conſentit. Permiſſio autem, & obligatio non permittendi non habet locum reſpectu malitiæ dumtaxat objectivæ, neque hæc proprie dicitur permitti: ſed reſpectu malitiæ formalis, aut reſpectu nocumenti concernentium rei exiſtentiam, & executionem. Quia igitur motus appetitus ſenſitivi circa objectum grave eſt objectivè malus mortaliter, ſive alias habeat malitiam formalem mortalem, ſive venialem, ſive nullam, idcirco conſenſus deliberatus in illum, ſemper eſt mortalis. E contra vero quia talis motus, ſecluſo conſenſu, non habet malitiam formalem mortalem, idcirco ejus permiſſio non prohibetur ſub mortali: niſi forte ob periculum alicujus gravis nocumenti, de quo ſtatim dicemus. Exempla vero de ſimplici mendacio, verbo otioſo, & ſimilibus non ſunt ad rem: quia prædicta, adhuc objective non ſunt mortalia: & ideo non mirum, quod voluntas conſentiens in illa non peccet mortaliter: quia nullum eſt objectum, à quo conſenſus talem malitiam deſumat.

Alia via videtur poſſe infirmari noſtra ratio, negando minorem: nimirum in motibus inordinatis appetitus, quibus voluntas non reſiſtit, reperiri dumtaxat malitiam venialem. Potius enim videtur illis concedenda malitia mortalis: quia licet ad hanc non ſufficiat propria, & innata libertas ipſius appetitus, eo quod ſit imperfecta, ſufficit tamen conſenſus voluntatis interpretativus: quem adeſſe contendunt adverſarii eo ipſo; quod voluntas efficaciter non reſiſtat. Ratione igitur iſtius conſenſus, & malitiæ ejus conſurgit obligatio ſub mortali ad poſitive reſiſtendum, cum non aliter talis conſenſus excludatur, quam per prædictam reſiſtentiam. 189 Effugium aliud ad noſtram rationem.

¶ Adde, gratis negari motibus, de quibus in præſenti eſt ſermo, libertatem ſimpliciter, ac proinde mortalem malitiam: Nam eo ipſo quod tales motus fiant cum plena advertentia rationis, poteſt voluntas abſolute, & ſimpliciter illos reprimere, & imperare atque adeo cadunt ſimpliciter ſub dominio, & poteſtate agentis, quoad *fieri*, & *non fieri*: quid ergo deeſt, quominus ſint liberi ſimpliciter.

Sed neque hac via prædicta ratio vim amittit: quia manifeſte petitur principium, & ſupponitur, quod erat probandum, videlicet teneri voluntatem ſub mortali ad poſitivè reſiſtendum motibus appetitus: ratione cujus obligationis, & non aliter poterit ei interpretari conſenſus ſufficiens ad mortale. Etenim conſenſus, qui dicitur *interpretativus*, omnino præſupponit obligationem, ad reſiſtendum, tali conſenſui proportionatam, in eáque fundatur: & ideo niſi prius de obligatione conſtet, eſt manifeſta petitio principii 190 Præcluditur effugium.

recurrere

recurrere ad conſenſum : quia non obligatio probanda eſt per conſenſum interpretativum ; ſed per obligationem conſenſus. Dum igitur adverſarii independenter ab omni conſenſu interpretativo voluntatis, atque adeò attenta dumtaxat propria libertate appetitus ſenſitivi, non oſtendunt, reperiri in hujus motibus malitiam mortalem, & ob iſtam malitiam obligationem ſub mortali ad reſiſtendum, non eſt unde probent ex non reſiſtentia conſenſum interpretativum ſufficientem ad mortale : ineptéque recurrunt ad illum pro conſtituenda obligatione, cum ipſe omnibus modis ſit obligatione poſterior. Diximus *conſenſum interpretativum ſufficientem ad mortale,* &c. propter ea, quæ inferius obſervabimus admittentes conſenſum interpretativum ſufficientem ad veniale, quia is tantum fundari poteſt in obligatione, quæ de facto datur ad poſitivè reſiſtendum, quæ tantum eſt obligatio ſub veniali.

191 Quo pacto ſint liberi motus, in quo voluntas actu nō influit ?

Ad illud, quod additur, reſpondetur, motus appetitus, in quo voluntas de facto per conſenſum non influit, non eſſe liberos in actu, ſed ſolum in potentia, loquendo de libertate ſimpliciter. Quia libertas actualis ſimpliciter dicta requirit actualem influxum principii ſimpliciter liberi, qualis eſt ſola voluntas. Quod autem propter plenam advertentiam poſſit ſimpliciter illos reprimere, & imperare, ſolum convincit eſſe liberos in potentia : quatenus tales motus, & eorum omiſſiones poſſunt à voluntate libera procedere. Et eodem modo dicuntur cadere ſub pleno dominio agentis, nempe in potentia : quatenus agens per ſuum plenum dominium poteſt in ipſo, eorúmque omiſſiones influere. Quamdiu autem de facto non oriuntur à voluntate, neque ab ejus pleno dominio, nihil eſt, à quo libertatem actualem ſimpliciter recipiant ; ſed manent cum ea libertate, quam appetitus ſenſitivus ex ſua habituali elevatione poteſt eis impertiri : quæ, ut vidimus dubio ſecundo, ſolum eſt libertas ſecundum quid. Vide, ſi placet, dicta à nobis in tractatu de voluntario, diſputat. 3. num. 56. & 57.

§ II

Duplex alia aſſertio pro abſolvenda difficultate.

192 Aſſertio ſecunda.

Dicendum eſt ſecundo : quoties imminet periculum conſenſus ex permanentia illiciti motus, tenetur voluntas ſub mortali efficaciter ei reſiſtere. Quare qui, præviſo eo periculo, immoratur, & non facit quod in ſe eſt, ut appetitum comprimat, licet formaliter non conſentiat, peccat mortaliter, & cenſetur conſentire interpretativè. In hac aſſertione conveniunt ferè omnes Theologi, quos pro præcedenti adduximus : ſolus enim Bonaventura videtur circa hoc dubitaſſe. Et à fortiori tuentur prædictam aſſertionem omnes, quos pro ſententia contraria primæ aſſertioni infrà referemus. Ejus ratio. Ratio vero eſt perſpicua : nam quilibet tenetur ſub mortali facere quod in ſe eſt ; ne periculo incidendi in mortale ſe exponat : aliàs enim convincetur amare illud periculum, & eo ipſo peribit in illo : cum ergo conſenſus voluntatis in motum illicitum, de quo agimus, ſit peccatum mortale, tenetur quilibet facere quod in ſe eſt, ut ejus periculum avertat : atque adeò ut motui ipſi, ex quo periculum imminet, reſiſtat. Nec neceſſe eſt in comprobatione hujus concluſionis immorari, cum ſit adeò communis, & ferè per ſe nota.

193 Quando ex permiſſione periculum conſenſus immineat ?

Si autem inquiras, quando ex permiſſione illiciti motus periculum conſenſus immineat, atque adeò teneatur voluntas ſub mortali illi reſiſtere ? Vix poterit id certa regula determinari. Nam in diverſis ſuppoſitis, & in diverſis caſibus diverſimodè eſt circa hoc philoſophandum ; v. g. ille qui habet animum ſatis firmum in bono, proindéque nunquam, aut rarò in aliquid grave conſentit, ipſique ſenſualitatis motus faſtidio illi ſunt, non eſt cur ex qualibet permiſſione, aut non reſiſtentia motus inordinati ſtatim conſenſum pertimeſcat : quippe ea animi diſpoſitio videtur ſufficienter periculum auferre. Unde poterit ſine culpa mortali prædictos motus tanquam debilem hoſtem parvipendere : & de illorum reſiſtentia non multum curare : præſertim ſi alia via procuret prohibere voluntatem à conſenſu. Qui autem infirmo eſt animo, experientiáque didicit ſe ſenſibilibus valde allici, ſemelque & iterum conſenſiſſe, vix unquam periculum conſenſus effugiet, ſi poſtquam plene advertit, permiſcuè ſe habeat. Quia reſpectu voluntatis infirmæ, & debilis magnam vim habent motus ſenſitivi, facilimeque conſenſum ejus extorquent. Quare hic (niſi urgens cauſa excuſet) ſtatim poſt plenam advertentiam tenebitur ſub mortali ad poſitivè reſiſtendum. Quia licet aliquando etiamſi non adhibeat talem reſiſtentiam, apud Deum verum eſſet non conſenſurum ; non ideo ceſſabit periculum conſenſus : in quod nemo ſine culpa mortali voluntariè ſe conjicit.

Deinde aliter philoſophandum eſt, cum voluntas nullam habet diſplicentiam erga motum peccaminoſum : ſed vel omnem actum ſuſpendit, vel ſe exercet circa alia diſparatè ſe habentia, aut fortaſſe in volitione permittendi talem motum. Aliter vero quando ſaltem habet prædictam diſplicentiam, vel alium actum, quo poſitivè optet non conſentire. Quia cum in primo caſu nihil ſit actuale, quo voluntas a motibus ſenſualitatis ſe defendat, propriúmque conſenſum detineat ; facillimus eſt lapſus : præſertim circa motus venereos, qui efficacius pertrahunt, & alliciunt. Et ita nemo, quantavis virtute polleat, debet ſibi perſuadere, quod non ruet, dum nihil agit, per quod ab illis ſe defendat ; præſertim ſi diu manere permittantur. In ſecundo vero adeſt jam aliquid, per quod voluntas conſenſum cohibeat : videlicet ſimplex illa diſplicentia, vel volitio non conſentiendi : quæ licet ſit inefficax ad reprimendum motum appetitus, poteſt eſſe efficax ad detinendum voluntatis conſenſum, ut rectè obſervavit Thomas Sanchez ubi ſupra num. 13. *Th. Sanch.* Quare in hoc poſteriori caſu non damnaremus ad mortalé virum probatæ virtutis, qui aliquando poſt plenam advertentiam illiciti motus non adhiberet majorem diligentiam ad ejus expulſionem.

Digitized by Google

194 Negari tamen non debet, rem hanc ex ſe eſſe ſatis periculoſam: ita ut nemo facile credere debeat non ſibi imminere illud periculum, dum ſciens, & prudens non reſiſtit. Præſertim cum ſæpiſſime Deus ob nimiam alicujus confidentiam lapſum permittat. ¶ Accedit, quod ſaltem urget omnes obligatio ſub veniali ad efficaciter reſiſtendum motibus illicitis: & ideo ſicut qui advertenter labitur in peccata venialia, valde accedit ad mortalia, eo quod illa ad hæc diſponunt: ita qui poſt plenam advertentiam non reſiſtit, valde accedit ad conſenſum. ¶ Accedit ſecundò, eſſe non leve argumentum debilis, & infirmæ virtutis, quod aliquis videns ſe teneri ſub veniali ad reſiſtendum, non reſiſtat; ſicut quod advertenter venialia amplectatur: unde qui ita ſe gerit, eo ipſo non eſt cur perſuaſum habeat ineſſe ſibi conſtantiam illam, & firmitatem in bono, qua ceſſare diximus periculum conſenſus. Saluberrimum ergo pro omnibus ſaltem conſilium erit, ut ubi primo adverterint ſurgentem in appetitu motum inordinatum, incunctanter illum avertere curent: ſive firmos in virtute, ſive infirmos ſe agnoſcant. Infirmi quidem propter conſenſus periculum; firmiores autem, quia ſtatus perfectæ virtutis id expoſcit.

195 *Tertia aſſertio.* Sed ut huic rei omnem neceſſariam limitationem adhibeamus, ſit tertia concluſio. Etiam ſecluſo periculo conſenſus, aderit aliquando obligatio ſub mortali ad reſiſtendum motui ſenſitivi appetitus: tunc nimirum quando ex non reſiſtentia imminet aliquod grave nocumentum. v. g. ſi quis videns excitari in ſe motum iræ, animadvertat poſſe in tantum creſcere, niſi ei reſiſtatur, ut auferat judicium rationis, quo ſublato committet homicidium, tenebitur ſub mortali reſiſtere tali motui, ne per ſuum augmentum in hujuſmodi nocumentum perducat: etiam ſi neque in prædictum motum, neque in nocumentum adſit conſentiendi periculum. Similiter cum ex delectatione venerea animadvertit quis periculum pollutionis, etiam ſi neque in illam, neque in hanc conſenſus immineat, tenetur ſub mortali reſiſtere, ut id periculum avertat. Hæc etiam concluſio recipitur à Theologis non minus, quàm præcedens. Æqualiter enim damnant ad mortale permiſſionem delectationis v.g. venereæ, cum adeſt periculum pollutionis (niſi ſufficiens cauſa excuſet) atque cum adeſt periculum conſenſus: de quo videri poteſt Thomas Sanchez loco cit & lib. 9. de matrim. diſp. 45. num. 24. *Thom Sanchez.* Et licet communiter exemplificent in delectatione venerea, & periculo pollutionis, idem tamen tueri debent de quolibet alio motu illicito, ex quo immineat periculum cujuſvis alterius gravis nocumenti. Quia in omnibus procedit eadem ratio, dum non adeſt ſufficiens cauſa, quæ permiſſionem illiciti motus, & nocumenti prævisi à mortali excuſet.

Ratio aſſertionis. Ratio vero eſt perſpicua: nam quilibet tenetur ſub mortali non nocere alicui in re gravi: id enim lex juſtitiæ, aut ſaltem charitatis poſtulat: igitur tenebitur ſub eadem obligatione cohibere in ſe illum motum, ex quo videt quodcunque nocumentum grave alicui inferendum. Patet conſequentia: nam qui tenetur vitare aliquem effectum, tenetur etiam auferre cauſam per ſe, in qua illum prævidet: & niſi auferat, cenſetur velle ipſam cauſam, & in ea effectum: qui cum ſit nocumentum, & damnum alicujus, debet eo ipſo imputari ad peccatum.

Sed dices: majus malum eſt motus internus 196
inordinatus ſecundum ſe, etiam ſecluſo *Objectio.* periculo conſenſus, quàm ſit pollutio, vel alius effectus omnino exterior ſequutus ex tali motu: iſte enim in ſe ipſo habet malitiam moralem intrinſecam, quam tamen prædictus effectus non continet: igitur non poteſt ſtrictius teneri voluntas ad vitandum effectum nocivum, ſive, quod idem eſt, ad vitandum motum ratione periculi nocumenti, quàm ad vitandum ipſum motum ſecundum ſe, independenterque à tali periculo. Vel ergo ad hoc poſterius tenebitur ſub mortali; contra ea quæ diximus in prima concluſione: vel non tenebitur ad illud prius, niſi tantum ſub veniali; contra id quod nuper ſtatuimus.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia *Diluitur.* obligatio vitandi effectum nocivum v. g. pollutionem non eſt propter malitiam moralem formalem, ſed propter nocumentum, quod infert proli, aut naturæ: unde quia hujuſmodi nocumentum etiam ſine conſenſu grave eſt, debuit ſub mortali prohiberi. Sicut homicidium exterius, etiam ſi fiat ſine conſenſus periculo, prohibetur ſub mortali, ex eo dumtaxat, quia eſt grave proximi nocumentum, licet nullam habeat malitiam formalem intrinſecam. Cæterùm motus internus ſecundum ſe nullum affert nocumentum, & ideo prohibetur duntaxat ratione malitiæ, & inordinationis in eo repertæ: cumque talis inordinatio, ſecluſo conſenſu voluntatis, ſit levis, utpote non excedens limites venialis, non debuit ſub mortali interdici.

Ex dictis non improbabiliter inferri poſ- 197
ſet, doctrinam primæ concluſionis, etiam *Corollarium.* ab iis, qui eam amplectimur, reſtringendam eſſe ad motus illicitos in aliis materiis, præterquam in venereis delectationibus. Nam in iſtis quoties delectatio fuerit gravis ex parte actus, etiam ſecluſo periculo conſenſus, tenebitur voluntas ſub mortali reſiſtere efficaciter: quia aliter non evadet malitiam pollutionis. In aliis autem materiis, etiam ſi motus appetitus fuerit vehemens, non ſemper imminet aliud nocumentum, & ita ut plurimum tota ratio obligationis ſub mortali eſt periculum conſentiendi. ¶ Diximus inferri hoc probabiliter. Tum quia non deſunt, qui omnem delectationem veneream gravem dicunt afferre ſecum pollutionis periculum, & niſi illud afferat, gravem non appellant. In quam ſententiã valde inclinat Ioannes Sancius in ſelec. *Ioan. Sanc. Th. Sanch. Vaſq.* diſp. 21. num. 21. & 22. & allegat. Thomam Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 46. num. 9. & in ſum. lib. 1. cap. 2. num. 8. & Vaſquez hac 1. 2. diſp. 112. cap. 2. num. 5. neuter tamen illi favet, ut conſtabit legenti. Tum etiam quia ſaltem omnis ejuſmodi delectatio eſt cauſa per ſe notabiliter in pollutionem influens: & hac ratione obligatio, quæ urget ad hanc evitandam, urget ad illi reſiſtendum. Quæ ſanè rationes, præcipue poſterior, probabilem reddunt hanc partem. Noſque hanc

pro

Digitized by Google

probabilitatem ex eo libentius ſuſcipimus, quòd in rebus ita lubricis minimè oporteat, niſi veritas compellat, habenas laxare.

198 *Utilis animadverſio.* Ne autem videamur plus juſto trepidare timore, ubi non eſt timor, obſervandum eſt delectationem veneream poſſe dici gravem dupliciter. Vel ratione objecti dumtaxat, eo quod eſt de objecto gravi, ut de copula cogitata; quamvis ipſa delectatio in ſe modica, ſive remiſſa ſit, & parum commovens libidinem. Vel ex parte actus: quia videlicet ipſa paſſio delectationis vehementer carnem & libidinem commovet, quicquid ſit de gravitate objecti extrinſeci. Igitur quando delectatio ſolùm priori modo eſt gravis, veram cenſemus doctrinam primæ aſſertionis, etiam in delectationibus carnalibus: atque adeo ceſſante conſenſus periculo, non erit mortale eam delectationem permittere. Ratio vero eſt: quia prædicta delectatio non conſtituit in periculo pollutionis, neque in eam valde influit, præcisè, quia eſt circa objectum grave: cum ſtante hac gravitate poſſit eſſe valde remiſſa, & minimum commovens ſenſualitatem, aut vires pollutionis emiſſivas: ergo non eſt cur ob ſolam iſtam gravitatem teneatur voluntas ſub mortali ad poſitivè reſiſtendum ratione pollutionis. Cæterùm ubi delectatio venerea poſteriori modo eſt gravis, hoc eſt vehemens, & intenſa modo explicato, minus placet ejus permiſſionem a mortali excuſare, ob nocumentum pollutionis, in quam poteſt influere. Sive quia talis delectatio ſemper afferat pollutionis periculum. Sive quia eſto multoties id, periculum non afferat, ſecundum ſe tamen eſt cauſa per ſe, & notabiliter in pollutionem influens: ipſaque libidinis, & carnis commotio, quæ prædictam delectationem comitatur eſt quædam inchoata pollutio: ad quam proinde evitandam tenetur voluntas ſub mortali, ſicut ad vitandum tactum alienum libidinoſum.

Remittitur judiciũ doctrinæ præcedentis. Quare libenter ſubſcriberemus excipienti à doctrina primæ concluſionis omnes delectationes venereas, quæ vehementer libidinem commovent, ſive afferant proximum pollutionis periculum, ſive non. Malumus autem, dum non habemus Patronos loquentes ſpecialiter pro hac exceptione, cohibere ſententiam, & rem indeterminatam relinquere. Videatur Thomas Sanch. lib. 9. de matrim. cit. diſp. 45. ubi n. 22. & 24. ſatis apertè concedit dari delectationem veneream vacantem malitia pollutionis, eo quod non inducat ejus periculum. *Thom. Sanchez.* Et loquitur de delectatione gravi ex parte actus: nam loquitur de illa, quæ eſt cauſa per ſe notabiliter in pollutionem influens: quæ eſt ſola delectatio gravis ex parte actus. Aſſeritque prædictam delectationem non eſſe peccatum mortale ex ordine ad pollutionem, in quam poteſt influere, quoties ita parum durat, vel hæ adſunt circunſtantiæ, ut probabile non ſit, quod de facto influet; quamvis inopinatè præter ſpem pollutio ſubſequatur. Semel autem admiſſo dari aliquando veneream delectationem ſecundum ſe gravem, quæ quia non affert pollutionis periculum, non mutuatur malitiam mortalem ex ordine ad illam, conſequenter ad ſupra dicta tenendum eſt etiam in venereis poſſe permitti ſine mortali delectationem gravem, ſi ſemel abſit periculum conſenſus.

§. III.

Sententiam contrariam qui tueantur, & quibus fundamentis?

199 *Greg. Mart. Monteſ. Curiel. Zumel. Leſſius. Sayrus. Valent. Vaſq. Suar. D. Thom.* SEntentiam contrariam noſtræ primæ aſſertioni tuentur ex Thomiſtis Gregor. Martinez in præſenti artic. 8. dub. 2. concluſ. 3. Monteſinos diſput. 7. quæſt. 2. Curiel. art. 8. dub. 2. & Zumel eodem artic. diſput. 2. Ex aliis verò Leſſius lib. 4. de juſtitia, & jure, cap. 8. num. 117. Sayrus in clavi regia, lib. 8. cap. 7. Valentia 1. 2. diſput. 6. quæſtione 4. punct. 3. Vaſquez diſput. 108. cap. 2. Suarez tract. de peccat. diſp. 5. ſect. 6. punct. 2. & alii. Probant primo hanc ſententiam duplici teſtimonio Divi Thomæ à nobis pro concluſione adducto. Altero ex hac quæſt. 74. art. 6. ad 3. & altero ex quæſt. 15. de verit. artic. 4. ad 1. Sed utrumque teſtimonium pro nobis eſſe miniméque noſtræ aſſertioni officere conſtabit legenti, quæ dicta ſunt n. 180. ubi illa expendimus.

Primum argumentum ex D. Th. Aliud teſtimonium adducunt aliqui ex articulo 3. hujus quæſtionis ubi docet Angel. Doctor, quod cum ratio ſuperior poteſt deliberare circa actum peccati, & prohibere illum, & non deliberat, nec prohibet, imputatur quaſi conſenſiſſet. *Solutio.* ¶ Sed neque hic locus aliqua ex parte eſt contra nos: quia D. Thom. non loquitur de peccato, quod eſt motus appetitus ſenſitivi, & fit ſine conſenſu voluntatis, de quo nobis ſermo: ſed de peccato, quod eſt actus rationis inferioris: qui quidem actus importat prædictum conſenſum, etiamſi judicium ſuperioris rationis non accedat. Non enim ratio inferior dicitur in eo loco ſenſus, vel appetitus ſenſitivus; ſed intellectus, & voluntas, quatenus attendunt rebus temporalibus etiam cum plena deliberatione: dicuntur vero *ratio ſuperior*, quatenus attendunt rationibus æternis conſpiciendis, & conſulendis. Ex eo autem quod actus inferioris rationis ſine formali conſenſu ſuperioris ſit peccatum mortale, minimè infertur eſſe idem dicendum de motu appetitus ſenſitivi, utriuſque rationis deficiente conſenſu. Quippe ratio inferior, etiamſi ſuperioris conſenſus poſitivè non accedat, poteſt operari cum plena deliberatione, & cum plena libertate: & ideo nihil deeſt, quominus ſuppoſita materiæ gravitate, mortaliter delinquat: appetitus vero, deficiente voluntatis conſenſu, ſolum exercet libertatem ſecundum quid, & ſemiplenam, quæ ad mortale non ſufficit.

200 *Secundum argumentũ.* Secundo probatur: quia præcepta naturalia non concupiſcendi rem alienam, uxorem, &c. non tantum prohibent conſenſum voluntatis, ſed etiam & per prius paſſionem inordinatam appetitus ſenſitivi: quippè hæc, potius quam ille conſenſus, vocatur *concupiſcere*: atqui prædicta præcepta, ſicut cætera Decalogi obligant ſub mortali: ergo quicumque non reprimit ejuſmodi paſſionem, ſive voluntas conſentiat, ſive non, mortaliter delinquit.

Confirmatur: nam voluntas tenetur ad regendum appetitum, ne in aliquid inordinatè tendat; maximè cum id poteſt abſque magna difficultate: igitur quoties nulla exiſtente difficultate, non gubernat, ſed effrænem relinquit,

peccat contra talem obligationem : cúmque aliàs materia ſit gravis , & adſit ſufficiens advertentia : non apparet , unde tale peccatum poſſit à mortali excuſari.

Occurrit argumento. Reſpondetur præcepta non imponi niſi in ordine ad actus liberos, itaut juxta gradum libertatis ſit gradus obligationis : unde actus concupiſcendi illicita ſimpliciter liberos prohibent ſimpliciter, ſcilicet ſub mortali : actus vero ſecundum quid , & imperfectè liberos prohibent ſecundum quid, nempe ſub veniali. Quia ergo dum nullus accedit voluntatis conſenſus , motus appetitus ſecundum quid tantum , & imperfectè eſt liber , ut diximus, n. 181. ideirco ſolum ſecundum quid , & ſub veniali prohibetur per prædicta præcepta : & conſequenter voluntas permittens ſine cauſa talem motum ſolum venialiter delinquit : niſi adſit periculum conſenſus , vel gravis nocumenti, quæ prohibentur ſub mortali.

Ad confirmationem. Cajet. D. Thom. Sanchez. Ad confirmationem reſpondetur cum Cajetano in ſum. verbo *Delectatio*, Thoma Sanchez lib. 1. c. 2. & aliis, voluntatem teneri ad gubernandum appetitum ſenſitivum , tum ne in motum illicitum prorumpat : tum etiam ne taliter prorumpat , ut trahat ad ſe conſenſum ipſius voluntatis. Non tamen utraque eſt obligatio ſimpliciter , & ſub mortali ; ſed tantum poſterior : & ideo qui in prima deficit , non cohibendo prædictum motum , ſolum peccat venialiter. Ad ſatisfaciendum vero ſecundæ, vitandúmque proinde peccatum mortale , ſufficit cohibere conſenſum , cavereque periculum : quia nihil amplius cadit ſub tali obligatione.

201 Argumentum tertium. Tertiò probatur : quia dum voluntas poſt plenam advertentiam non reprimit motum appetitus circa illicita , etiamſi conſenſum formalem ſuſpendat, nihilominus conſentit interpretativè : ſed interpretativus conſenſus ſufficit ad peccatum mortale : ergo, &c. Major videtur adverſariis ferè per ſe nota : & ideo non pauci illam ſupponunt ; alii vero ſic ſuadent. Nam ad conſenſum interpretativum ſufficit, quod voluntas poſſit facere oppoſitum , & teneatur, & non faciat : cum igitur poſſit reprimere motum illicitum , & ad id aliquo modo teneatur (aliàs neque venialiter peccaret non reprimendo) conſequens fit, ut niſi reprimat, eo ipſo interpretativè conſentiat. Minor vero eſt ſatis recepta : quia conſenſus interpretativus æquivalet quantum ad effectum conſenſui formali, & pro eo reputatur : atque adeo ſicut ille ſufficit ad culpam mortalem, ita iſte debet ſufficere. ¶ Eo præſertim quia ſi voluntas expreſsè, & formaliter conſentiret, nulla via poſſet à mortali excuſari : igitur neque excuſari debet, dum conſentit interpretativè.

Prima ſolutio. Ioan. Sancius. Ad hoc argumentum Ioannes Sancius in ſelect. cit. diſp. 21. num. 3. negat voluntati omnem obligationem cohibendi motus appetitus etiam ſub veniali, ſecluſo periculo conſenſus : & conſequenter negat omnem conſenſum interpretativum : quia obligatio cohibendi appetitum (inquit ille) tota oritur ex obligatione non conſentiendi , & ita omnino ceſſat , ceſſante conſenſus periculo. Cui modo dicendi

D. Thom. videtur favere D. Thom. q. 25. de verit. art. 5. ad 5. cujus verba adduximus ſuprà num. 52. ubi docet motum inordinatum ſenſitivi appetitus prævenientem rationem eſſe peccatum veniale, licet tunc in voluntate nullus ſit conſenſus, neque formalis, neque interpretativus. Et eodem modo loquitur quæſt. 15. de verit. art. 4. ad 10. Secluſo autem à voluntate utroque conſenſu , nequit intelligi in ea aliquod peccatum. Idem.

Sed diſplicet ſolutio : quia ſicut negari non poteſt, prædictos motus, dum nulla juſta cauſa excuſantur, ſecundum ſe eſſe peccata venialia : ad hoc enim ſufficit innata libertas imperfecta ipſius appetitus : ſic negandum non eſt ineſſe homini obligationem ſub veniali illos cohibendi. Cumque talis cohibitio non aliter fieri debeat, quam per actum voluntatis juxta dicta num. 81. ſequitur hujuſmodi actum debitum eſſe ex vi prædictæ obligationis : atque adeo quod in ejus omiſſione voluntas venialiter delinquat. 202 Impugnatur.

Neque D. Th. in locis allegatis favet huic opinioni. Quia vel loquitur dumtaxat de conſenſu, qui ſit in ipſum motum appetitus, aut in objectum ejus, non excludendo conſenſum in omiſſionem repreſſionis talis motus. Vel intelligendus eſt de conſenſu imperativo , qui ſit cauſa peccati venialis ipſius appetitus , & in ejus malitiam influat. Quo conſenſu ſecluſo, remanet adhuc in voluntate concomitanter, & quaſi de materiali alius conſenſus peccaminoſus, vel formalis , vel interpretativus : qui licet reſpectu permiſſionis illiciti motus ſit conſenſus ſimpliciter ; reſpectu tamen ipſius motus permiſſi ſolum ſit ſecundum quid atque adeo peccatum veniale ut infrà magis declarabitur.

Et hic ſenſus congruit contextui. Nam D. Thom. volebat explicare, qualiter ſenſualitas hominis ad venialiter delinquendum non indigeat novo voluntatis influxu : quia propter habitualem ſubjectionem ad rationem habet ſufficientem vim, & libertatem ad ſic peccandum , ut verba n. 52. adducta ſatis declarant. Ad hujuſmodi verò intentum conducebat quidem , ut excluderetur conſenſus imperativus influens , & movens ; ex cujus dumtaxat neceſſitate oppoſitum convinci poterat. Nullatenus vero ad id attinebat admittere, vel excludere quemlibet alium conſenſum , qui non influat in appetitum , ſed habeat ſe ad ejus malitiam concomitanter : ut revera ſe habet ille, quem nos ponimus.

Sed dices : quid ergo , ſi voluntas ſuſpendendo in ſe omnem actum , omittat cohibere illos motus per puram omiſſionem ? Cum enim omiſſio , etiamſi ſit actus debiti , dum non cauſatur ab aliquo actu phyſico , non ſit voluntaria , juxta ea quæ ſupra diſp. 5. & in tract. de voluntario, diſp. 4. diximus, non apparet , quo pacto ſit voluntaria , ac proinde peccaminoſa omiſſio illa cohibendi appetitum, quæ daretur in voluntate per omnium ſuorum actuum ſuſpenſionem. 203 Replica.

Reſpondetur , caſum apud nos moraliter, imo & naturaliter eſſe impoſſibilem : videlicet quod intellectu plene advertente aliquod objectum, voluntas omnem actum ſuſpendat, itaut neque conſentiat , neque diſſentiat , neque exerceat alium actum incompoſſibilem cum conſenſu , vel diſſenſu : quod probavimus loco citato num. 32. Si vero fingamus Deum , poſita prædicta advertentia , denegare voluntati præmotionem circa omnem actum Diluitur.

actum ſecundum, manereque proinde omninò ſuſpenſam: cum caſus ſit purè metaphyſicus, non multum referet, ſi dicamus talem omiſſionem non fore voluntariam, neque peccaminoſam, quia licet authores communiter peccaminoſam eſſe dicant; loquuntur tamen de lege ordinaria, & caſum illum metaphyſicum nolunt comprehendere. ¶ Niſi velis prædictam omiſſionem etiam ſine ullo actu voluntatis eſſe imperfectè voluntariam, ratione actus appetitus imperfectè liberi: quatenus hic actus eſt occaſio, ut voluntas omittat: cumque ſit idem ſuppoſitum, non obeſt, actum eſſe in una potentia, & omiſſionem in alia.

Obſerva tamen, non inferri neceſſario ex oppoſito modo dicendi excludente à prædicta omiſſione in illo caſu metaphyſico puræ ſuſpenſionis omnem malitiam propter defectum voluntarii, excludendam quoque tunc à motu appetitus ſenſitivi. Quia cum ipſe appetitus habeat ſuam qualem qualem libertatem, hæc ſufficeret: etiam ſi voluntas neque per actum, neque per omiſſionem aliquid influat: dummodo non repugnet. ¶ Diximus *neceſſario:* quia probabiliter poſſet conſequens illud admitti, & defendi.

204 Doctrina pro ſolutione. Omiſſa ergo hac prima ſolutione, ut legitimam tradamus, animadvertendum eſt duplicem dari conſenſum interpretativum: alium perfectum, qui eo modo, quo eſt, ſcilicet in genere cenſenſus interpretativi, eſt talis ſimpliciter: alium imperfectum, qui adhuc interpretative dicitur conſenſus ſecundum quid. Ratio vero eſt, quia multoties conſenſus interpretativus fundatur in ſola obligatione ad oppoſitum, & cum illa commenſuratur: quare ſicut obligatio aliquando eſt ſub mortali, quæ eſt obligatio ſimpliciter; & aliquando ſub veniali, quæ eſt tantum ſecundum quid: ita etiam conſenſus interpretativus aliquando eſt talis abſolute, & ſimpliciter; aliquando vero ſecundum quid dumtaxat, juxta qualitatem obligationis.

Secundo nota, conſenſus interpretativi in caſu noſtræ difficultatis duplex objectum poſſe aſſignari. Primum eſt ipſa omiſſio reprimendi, & cohibendi ſenſitivum motum: quotieſcumque enim voluntas poteſt, & tenetur reprimere, & non reprimit, etiam ſi nullum actum circa hoc directè exerceat, interpretamur, eam voluiſſe non reprimere prædictum motum: atque adeo interpretamur voluiſſe illum permittere: & ita ipſa omiſſio reprimendi, ſive (quod idem eſt) ipſa permiſſio, aut non repreſſio eſt objectum illius interpretativæ volitionis. Secundo poteſt aſſignari pro objecto ipſe motus ſenſualitatis, qui ſequitur propter prædictam omiſſionem; quique non ſequeretur (ſaltem libere) ſi voluntas efficaciter conaretur reprimere illum. Quaſi eo ipſo quod voluntas ad reprimendum teneatur, & omittat, interpretamur voluiſſe, ne dum talis motus permiſſionem, ſeu non repreſſionem, ſed etiam motum ipſum permiſſum.

205 Vera ſolutio. His prænotatis reſpondetur ita eſſe, quod, dum voluntas poſt plenam advertentiam non reprimit motum illicitum ſenſualitatis, datur ibi conſenſus interpretativus, tum in omiſſionem, ſeu non repreſſionem; tum etiam in motum ipſum non repreſſum. Aliter tamen, & aliter: nam poſterior ſolum eſt conſenſus ſecundum quid: ratione cujus non verificatur, quod voluntas abſolute, & ſimpliciter vult talem motum; ſed ſecundum quid dumtaxat, ſicut eſt obligatio reprimendi, in qua totus hic conſenſus fundatur: quare licet materia ſecundum ſe ſit gravis, ut eſt revera prædictus motus, propter imperfectionem tamen conſenſus non efficitur peccatum mortale, ſed veniale dumtaxat: ad quod ſufficit conſenſus ſecundum quid. Prior autem eſt quidem conſenſus ſimpliciter in genere interpretativi: & ratione ejus verificatur, quod voluntas ſimpliciter vult permittere illum motum, & vult non reprimere, & vult omiſſionem repreſſionis: non ſecus ac ſi haberet actum formalem, quo expreſſe id vellet. Sed non propterea eſt ibi peccatum mortale: quia materia proxima prædicti conſenſus, ſcilicet illa omiſſio, vel non repreſſio non eſt gravis, neque prohibita ſub mortali, ſed tantum ſub veniali: ſicut ſolum ſub veniali præcipitur actus omiſſus, ſcilicet reprimere.

Itaque in caſu argumenti verificatur, quod voluntas interpretative abſolute, & ſimpliciter vult omittere repreſſionem motus ſenſualitatis: & quod abſolute, & ſimpliciter vult permittere talem motum, & quod non vult illum reprimere: quæ omnia ſolum prohibentur ſub veniali. Non autem verificatur, quod velit adhuc interpretative abſolute, & ſimpliciter ipſum motum permiſſum, qui ſolus prohibetur ſub mortali: ſed ſecundum quid dumtaxat: & ita quamvis materia ſit gravis, propter imperfectionem tamen hujus conſenſus ceſſat peccatum mortale.

Ex quo facile quiſque occurret in forma ad argumentum, diſtinguendo in utraque præmiſſa conſenſum in omiſſionem cohibitionis, & in motum non cohibitum: & rurſus conſenſum ſimpliciter: & conſenſum ſecundum quid &c. Et ulterius quæ ſit materia gravis, & ſub mortali prohibita; quæ vero levis, & tantum prohibita ſub veniali. Nec negamus omnino illam propoſitionem, quod conſenſus interpretativus æquivalet formali: ſed diſtinguimus modo explicato: nam etiam conſenſus formalis, ſi vel eſſet tantum ſecundum quid, vel circa materiam ſub veniali prohibitam, non excluderet limites peccati venialis. 206 In forma ad argumentū.

Per quod patet ad illud, quod additur, videlicet quod ſi voluntas formaliter conſentiret, non poſſet excuſari à mortali, &c. Nam ſi conſenſus formalis eſſet in ſolam omiſſionem, ſeu non repreſſionem, utique excuſaretur à mortali, ſicut excuſatur interpretativus ob levitatem materiæ. Si vero eſſet in ipſum motum illicitum, qui eſt materia gravis, tunc excuſaretur, quando eſſet conſenſus ſecundum quid, & imperfectus: ſicut ob hanc rationem excuſatur conſenſus interpretativus, quem admiſimus.

Verum eſt tamen, conſenſum formalem circa materiam gravem, ſi ſit cum plena advertentia, nunquam excuſari à mortali: quia nulla alia via poteſt eſſe imperfectus, niſi defectu advertentiæ. Cum enim talis conſenſus non dependeat ex aliqua obligatione, ſed ſe ipſo ſit exercitium poſitivum, & egreſſus à voluntate circa objectum ab intellectu propoſitum, non ob aliud amittere poteſt rationem conſenſus ſimpliciter, & in *ſecundum quid*, tranſire, niſi defectu advertentiæ, & Obſervatio.

Digitized by Google

cognitionis. Cæterum conſenſus interpretativus cum qualibet advertentia fiat, poteſt eſſe ſecundum quid, ratione obligationis, in qua fundatur, & ſine qua non conſiſtit: quæ obligatio poteſt eſſe dumtaxat ſecundum quid: ut in noſtro caſu, ubi eſt tantum obligatio ſub veniali.

207 Eſſe vero doctrinam hanc neceſſario admittendam, poteſt ſequenti exemplo confirmari. Nam ponamus, Deum præcepiſſe Petro ſub veniali dumtaxat, ut cuſtodiret puerum, vel amentem, impediretque ejus necem, ſi fortè vellet ſe occidere: cooperationem vero ad talem necem, & conſenſum formalem in illam prohibuiſſe ipſi Petro ſub mortali: non enim repugnat res & præcepta iſta hoc modo à Deo diſpoſita fuiſſe: ponamuſque rurſus, Petrum animadvertentem amentem ſe occidere, non impedire illum, ſed permittere; tantúmque cavere proprium conſenſum, vel cooperationem in illam necem. In hoc igitur caſu, qui noſtro eſt ſimillimus, poſſet ita argui, Petrus tenetur impedire necem amentis: igitur dum non impedit, licet conſenſum formalem, & cooperationem detineat, interpretative conſentit: ergo peccat mortaliter, uti peccaret, ſi formaliter conſenſiſſet. Quod argumentum ſolvendum eſt ab omnibus, negando hanc ultimam conſequentiam: nam eſt manifeſta implicatio, quod ſi obligatio injuncta Petro ad prohibendam illam mortem præciſe erat ſub veniali, ejus tranſgreſſio per non prohibitionem, ſecluſo omni alio, eſſet culpa mortalis: uti eſſet revera conſenſus formalis, ſi ibi interveniſſet. Debet ergo conſenſus ille interpretativus primi conſequentis vel negari reſpectu mortis, admiſſo dumtaxat reſpectu non prohibitionis: vel diſtingui, & explicari modo à nobis tradito (reddita diſparitate, quam diximus, inter illum, & conſenſum formalem) ita ut licet reſpectu permiſſionis mortis ſit conſenſus ſimpliciter, efficiátque illam ſimpliciter voluntariam; reſpectu tamen ipſius mortis ſolum ſit conſenſus ſecundum quid reddens eam voluntariam ſecundum quid, & imperfecte, juxta gradū obligationis non permittendi.

Replica. Dices non bene in noſtro caſu diſtingui quantum ad rationem voluntarii inter omiſſionem cohibitionis illiciti motus, quæ eſt ejus permiſſio, & motum ipſum non cohibitum, qui ſe habet ut effectus talis omiſſionis. Nam cui eſt voluntaria aliqua omiſſio, eo ipſo eſt voluntarius effectus inde ſequutus: & qui conſentit in illam, conſentit in iſtum: ergo vel utrumque, vel neutrum debet eſſe voluntarium ſimpliciter.

208 Enervatur. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem vero dicendum eſt, effectus ſequutos ad omiſſionem eſſe in duplici differentia: nam quidam ſequuntur directe & per ſe, quaſi omiſſio ſit ſufficiens eorum cauſa, & ipſi per ſe cum illa nectantur: & hujuſmodi, diximus in tractatu de voluntario diſp. 4. num. 53. non poſſe eſſe niſi effectus privativos, aut negativos: quia nihil poſitivum poteſt hoc modo ab omiſſione oriri, ſicut neque in illa contineri. Alii vero ſunt effectus per accidens, qui ſequuntur ad omiſſionem tamquam ad removens prohibens: qui non idcirco vocantur *effectus*, quaſi omiſſio in eos influat, aut ipſi per ſe cum illa nectantur, ſed quia per eam removetur actus poſitivus, quo deberent, & poterant impediri. Quando ergo dicitur in objectione effectum alicujus omiſſionis toties eſſe ſimpliciter voluntarium, quoties hoc modo eſt voluntaria omiſſio, tranſeat de effectibus illis primi generis, in quibus ſicut tota voluntarii ratio fundatur ſupra voluntarietatem omiſſionis, ita nihil amplius requiritur, ut ſimpliciter *voluntarij* denominentur: niſi quod ſit ſimpliciter voluntaria ipſa omiſſio. Negamus tamen id univerſaliter dicendum eſſe de effectibus poſterioris generis: quia tales effectus nulla alia via habent connecti cum omiſſione, & cum voluntate, niſi ratione obligationis ad actum præceptum, quo erant vitandi: & ita cum tota ratio ſuæ voluntarietatis ſit hæc obligatio, non poteſt eam excedere, ſed habet illi commenſurari. Ac proinde ubi prædicta obligatio eſt tantum ſub veniali, quæ eſt obligatio ſecundum quid, hoc dumtaxat modo extenditur conſenſus interpretativus voluntatis ad efficiendos voluntarios prædictos effectus.

Sed urgebis, quia etiam omiſſio efficitur voluntaria ratione obligationis ad non omittendum, ut in tractatu de voluntario explicuimus: & tamen licet obligatio ſit tantum ſub veniali, imo licet eſſet ad ſolam pœnam, omiſſio cum plena advertentia evaderet voluntaria ſimpliciter: ergo ſimiliter dicendum eſt de prædictis effectibus. 209 Alia replica.

Reſpondetur negando conſequentiam. Aliter enim comparatur obligatio ad omiſſionem, aliter vero ad effectus, de quibus agimus: nam reſpectu illius, licet ſit conditio, & terminus *à quo* unde omiſſio fieri debeat, non eſt tamen fundamentum, & ratio ſuæ voluntarietatis: hoc enim ſolum convenit actui qui eſt cauſa omittendi: quare voluntarietas omiſſionis debet non cum obligatione, ſed cum prædicto actu commenſurari. Cæterum reſpectu effectuum, qui ſequuntur per accidens habet ſe ut fundamentum, & ut tota ratio communicandi illi voluntarietatem: quia nihil aliud eſt, cur tales effectus nectantur cum voluntate, præter obligationem illos cohibendi. Unde eorum voluntarium omnino commenſurari debet cum prædicta obligatione: atque adeò dum hæc fuerit præciſe ſub veniali, quæ eſt obligatio ſecundum quid, nequibunt illi plus, quàm ſecundum quid *voluntarii* denominari. Labefactatur.

Tandem arguitur pro prædicta ſententia. Quia non minori obligatione tenetur quis ad reſiſtendum motui illicito, v. g. delectationi venereæ, quàm ad repellendum alienum tactum in partibus impudicis: ſed ad hoc tenetur ſub mortali, ſecluſo adhuc periculo conſenſus, & oppoſitum aſſerere eſſet ingens inconveniens in hac materia: ergo, &c. Major probatur: nam venerea delectatio non eſt ſecundum ſe objectum minus grave, neque minus turpe, quàm quicumque tactus: & aliàs eſt magis ab intrinſeco: igitur non debuit prohiberi ſub minori obligatione. 210 Argumentū ultimum.

Hoc argumentum probat, quod diximus in tertia aſſertione; & nihil amplius. Nam tactus ille adeo turpis regulariter non fieret ſine periculo pollutionis: & ita licet abeſſet periculum conſenſus, ob periculum tamen prædicti nocumenti eſſet vitandus ſub mortali. Quod ſi neque hoc periculum adeſſet in illo, qui tangitur, adhuc tenetur ad id ſub mortali Enodatio.

ex

ex lege charitatis propter nocumentum pollutionis, vel ſaltem conſenſus, pravæque intentionis illius, qui tangit. Unuſquiſque enim quantum commodè poteſt, tenetur ex prædicta lege aliena damna, & maximè peccata vitare. Porro tangentem impudicè alium ſine neceſſitate excuſari à prava intentione, ridiculum videtur. Niſi fortè inter pueros abſque delectatione venerea, ſolius joci, & levitatis cauſa id fieret: quo caſu prædictum tactum excuſant à mortali Thom. Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 46. n. 12. & alii. ¶ Ad præcavendum autem inconveniens in hoc argumento propoſitum, damnavimus in ſupradictis ad mortale delectationem veneream conſtituentem in periculo pollutionis, etiam ceſſante periculo conſenſus; niſi ſufficiens cauſa excuſet. Non tamen inde ſequitur idem dicendum eſſe de quolibet alio motu illicito, præſertim in aliis materiis: ubi ceſſante periculo conſenſus, rarò grave aliquid poterit imminere: Quod ſi immineat, id cautum jam fuit in prædicta tertia aſſertione.

D Thom. Sanchez.

DUBIUM VI.

An & quomodo motus ſenſitivi appetitus, & reliqui effectus ſecundum ſe illiciti cenſeantur voliti, imputentúrque ad culpam in applicatione cauſæ liberæ; aut ex neceſſitate, vel utilitate talis cauſæ à malitia excuſentur?

INnuimus ſæpè, permiſſionem illiciti motus ſenſualitatis, etiamſi afferat alterius mali periculum, poſſe exigente cauſa à peccato excuſari; modo abſit voluntatis conſenſus, in quem ob nullum finem poteſt cadere diſpenſatio, ut omnes fatentur. Et quia prædictus conſenſus alius eſt rei in ſe (de quo intelliguntur dicta dubio præcedenti) alius vero in ſua cauſa liberè applicata; dubium ſatis grave & implicitum examinandum occurrit, videlicet quando cenſeatur voluntas conſentire in prædictos motus, vel effectus, ſibique imputentur propter liberam applicationem cauſæ: quæve neceſſitas, aut utilitas excuſet liberam applicationem unde motus, & effectus illi ſequuntur. Neque eſt ſermo (ſaltem per ſe primò) de illis cauſis, quæ omnino ſecundum ſe, & intrinſecè ſunt deformes: harum enim libera applicatio ſine dubio nequit ab ea ſaltem malitia, quam ſecundum ſe dicunt, excuſari: ſed de illis, quæ cum ſecundum ſe malitiam non exprimant, vitiari tamen ſolent ratione effectuum.

§. I.

Præmittuntur aliqua pro elucidanda difficultate.

211 *Quæ egeant cauſa ut à peccato excuſentur?* SI vera præcedenti dubio tradidimus, tria inveniemus in motibus ſenſualitatis terminatis ad illicita, quæ ex recurſu ad neceſſitatem, vel utilitatem cauſæ poterunt à peccato excuſari, indigentque, ut excuſentur tali recurſu. Primo motum ipſum ſecundum ſe, ſive ejus permiſſionem per non reſiſtentiam, nullo attento alterius mali periculo. Deinde periculum conſenſus voluntatis, quod ex non reſiſtentia ſæpeſæpius imminet. Et tandem periculum alicujus nocumenti, ut amentiæ, homicidii, pollutionis, &c. quæ ex permanentia talium motuum aliquando conſequuntur. Ipſe autem voluntatis conſenſus cum aliqua deliberatione elicitus ſemper eſt peccaminoſus, & omnino inexcuſabilis à malitia mortali, vel veniali juxta gradum deliberationis, & objecti gravitatem.

Et quia mala prædicta inæqualia ſunt, & non æque ſtrictè omnia prohibentur; non æqualiter, neque ex eadem neceſſitate à malitia excuſantur. Et ideo multoties neceſſitas, quæ excuſat periculum pollutionis, v. g. non ideo excuſabit periculum conſenſus in illam. Et licet ſit adeo urgens, ut etiam hoc periculum excuſet, non ſequitur excuſare etiam periculum homicidii. Et rurſus poterunt hæc, vel aliquid eorum excuſari à malitia mortali propter aliquam cauſam ad id ſufficientem, & non excuſari ob illam à veniali, quia talis cauſa non eſt tantæ neceſſitatis, vel utilitatis, ut etiam à veniali excuſet: aut poterunt excuſari ab utraque, quia neceſſitas, vel utilitas cauſæ omnem malitiam aufert. Ipſe vero motus ſenſualitatis præciſè ratione ſui non indiget fine, vel cauſa, ut excuſetur à culpa mortali, ſed ſolum à veniali: quia, ut dubio præcedenti probavimus, talis motus ſecundum ſe, ſecluſo alio periculo, & voluntatis conſenſu, etiamſi gratis permittatur, non excedit limites venialis: atque adeo neceſſitas cauſæ pro excuſando à mortali tali motu præciſè oritur ratione periculi nocumenti, vel liberi conſenſus; vel ſolum requiritur pro excuſando ipſo motu etiam à veniali.

Deinde nota principia, unde hæc mala proveniunt, aliquando eſſe cauſas illorum per ſe. 212 *Cauſarum diſcrimina.* Tunc nimirum quando ex natura ſua & directè ad effectus illos tendunt: ſicut inflictio vulneris, aut propinatio veneni tendunt natura ſua ad cauſandum homicidium, & turpis tactus, omnéſque actiones luxurioſæ tendunt ad excitandam delectationem veneream, & cauſandam pollutionem. Aliquando vero ſunt cauſæ per accidens: ſicut omiſſio, aut negligentia in gubernatione navis poteſt eſſe cauſa ſubmerſionis, & cibus, vel potus immoderatus poteſt eſſe cauſa pollutionis: non quod hujuſmodi cauſæ tendant per ſe, & directè ad prædictos effectus, ſed quia, vel removent prohibens illos, nullum alium influxum exercendo, ut in primo exemplo, vel quia aliquibus effectibus, in quos per ſe influunt, junguntur præter intentionem naturæ, & agentis illi alii, qui dicuntur *effectus per accidens*: ſive hoc contingat propter ſolum influxum alterius cauſæ, quæ dicitur *cauſa per ſe*; excitatæ tamen à cauſa per accidens: ſive etiam ipſæ, quæ dicuntur *cauſa per accidens*, ſuo modo influant coadjuvando cauſas per ſe.

Et rurſus cauſæ, quæ dicuntur *per ſe*, quædam ſunt leves, quæ non influunt notabiliter in effectum gravem, v. g. pollutionem: ſeu quæ non præſtant ſufficientem influxum, ut in virtute talis influxus prædictus effectus ſequatur; ſed influunt ſolum leviter, hoc eſt, vel excitando dumtaxat aliquam modicam delectationem,

Digitized by Google

vel excitando, aut adjuvando nonnihil cauſas graviores. Hujuſmodi erunt levis tactus, v.g. digiti, vel manus fœminæ, aſpectus faciei illius, & ſimilia. Quædam autem ſunt cauſæ graves, quæ influunt notabiliter præbendo influxum ſufficientem ad prædictos effectus graves: ut propinatio veneni ad homicidium, & tactus, vel aſpectus valde turpis ad pollutionem, vel notabilem delectationem veneream.

213 Aliud diſcrimen inter prædictas cauſas. Tertio nota hujuſmodi cauſas *per ſe* aliquas eſſe ita determinatas ad effectum illicitum, ut vel in nullum alium poſſint influere, vel non niſi mediante tali effectu, ita quod ipſe effectus illicitus ſit terminus formaliter primarius in cauſando, per quem, & non aliter tranſire poſſit influxus cauſæ ad alios effectus ſecundum ſe non illicitos: ut ſi eſſet aliqua actio, vel aliqua potio ita inordinata ad occidendum, vel ad expellendum ſemen, quod vel ſolùm haberet hujuſmodi effectus: vel eſto poſſet influere in alios effectus proficuos; non tamen niſi mediante prædicta occiſione, vel expulſione tanquam termino primario, & medio, per quod tranſit influxus ad tales effectus. Aliæ vero non habent talem determinationem, ſed poſſunt immediatè influere in aliquid licitum; quamvis ſimul, vel conſequenter influant per ſe in effectum illicitum: ut tactus quo chirurgus medetur fœminæ, concurrit immediatè ad ejus curationem, quæ eſt aliquid licitum, quamvis poſſit ſimul, vel conſequenter influere per ſe in pollutionem, quæ eſt effectus illicitus.

Obſervatio pro rei materia. Tandem nota rem hanc eſſe latiſſimam, & diffuſam per plures materias: cum circa omnia objecta illicita poſſint inſurgere in appetitu motus inordinati. Non tamen in omnibus materiis erit uno modo philoſophandum; quia neque in omnibus ex permiſſione motus ſenſitivi, aut ex applicatione, vel non remotione cauſæ talis motus urget æqualiter periculum conſenſus, vel alterius nocumenti: neque adeſt æqualis obligatio omne nocumentum grave, vel ejus cauſas præcavendi. Ne ergo ſequens doctrina nimis protendatur, adducemus utplurimum exempla in illis motibus, eorúmque cauſis, & effectibus, ad quæ communiter Authores præſentem difficultatem reducunt; ut ſunt motus venerei: ſanè quia in eis plura difficilia, ſcitúque neceſſaria ſæpius occurrunt: neque ob id omnino quæ aliarum materiarum ſunt, calamus non attingit. His præmiſſis à facilioribus incipiamus.

§. II.

Prima aſſertio pro cauſis per ſe.

214 *D. Thom. Caiet. Sylveſter. Alvarez. Greg. Mart. Araujo. Th Sanch.* Dicendum eſt primo: quoties cauſa aliqualita eſt determinata ad motum, vel effectum illicitum, ut vel nullum alium effectum habeat, vel non niſi mediante ipſo effectu illicito in alium influat, neque cauſa, neque prædictus effectus, vel motus poſſunt ob quemcumque finem excuſari à peccato mortali, vel veniali juxta gravitatem materiæ. Ita ſumitur ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 88. art. 11. ad 3. docentque communiter Theologi Cajetanus in ſum. verbo *Aborſus*, Sylveſter verbo *Medicus*, quæſt. 4. Alvarez in præſenti diſp. 147. Gregor. Mart. in præſenti in quodam tract. 3. ejus parte, dub. 1. Araujo artic. 10. dub. 2. Thomas Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 17. & diſp. 20. ubi n. 2. plures refert, & alii.

Ratio vero eſt: quia in illo caſu qui ponit liberè talem cauſam, eo ipſo vult effectum illicitum: atqui velle talem effectum eſt intrinſecè malum, & peccatum juxta gravitatem materiæ: ergo, &c. Minor probatur: nam eo ipſo quod prædicta cauſa ad nihil conducat niſi medio illo effectu, & per illum, non poteſt eſſe aliter volita, quam propter ipſum: atque adeo non poteſt non ipſe effectus eſſe per ſe volitus. Eo præſertim quia cum omnis cauſa applicetur propter aliquem effectum, eo ipſo quod unum tantummodo effectum immediatè habeat, debet neceſſario applicari propter illum: debétque proinde talis effectus eſſe per ſe volitus ab applicante cauſam. Si igitur intrinſecè fuerit malus, & illicitus, non eſt quo pacto applicatio cauſæ poſſit à peccato excuſari. Ratio pro aſſertione.

Dices, poſſe eſſe alium finem, vel effectum ſecundum ſe licitum, propter quem cauſa applicetur: & tunc ſolus eſt effectus licitus erit per ſe volitus, alius vero illicitus erit præter voluntatem. Evaſio.

Sed contra: nam caſus noſtræ aſſertionis eſt, quando cauſa immediatè ſolum influit in effectum illicitum, licet illo mediante poſſet influere in alios ſecundum ſe licitos: tunc autem non habet locum hæc evaſio, quia applicans illam cauſam eligit directè effectum illicitum ut medium ad aſſequendum illum alium finem vel effectum. Cum enim talis cauſa non aliter conducat ad prædictum finem, niſi mediante effectu illicito, idem omnino eſt eligere ſimilem cauſam, atque eligere hujuſmodi effectum. Electio autem medii illiciti, etiam propter finem aliàs bonum, neceſſario eſt peccaminoſa, quia voluntas verè appetit, & vult tale medium. Imo non ſolum prædicta electio, ſed etiam intentio, qua voluntas hic, & nunc intendit finem illum ſecundum ſe bonum, non eſt intentio bona, ſed mala; quia non terminatur ad prædictum finem in quantum bonum, ſed ſub ratione mali, ſcilicet ut aſſequendum per medium illicitum: quo pacto *ineſſe termini, & aſſequibilis* induit rationem mali refuſam à medio. Quemadmodum ſi quis eligat medium aliàs bonum ad malum finem, non ſolum erit mala intentio hujus finis, ſed etiam illa electio: quia non terminatur ad prædictum medium in quantum bonum, ſed ſub ratione mali refuſa ex ipſo fine. Unde dixit D.Th. ſuprà q. 19. art. 7. ad 3. quod *ſive voluntas ſit ejus, quod eſt ſecundum ſe malum, & ſub ratione boni* (id eſt mali medii propter bonum finem) *ſive ſit boni ſub ratione mali* (id eſt boni medii propter finem malum) *ſemper voluntas erit mala. Sed ad hoc, quod ſit voluntas bona, requiritur, quod ſit boni & ſub ratione boni: id eſt quod velit bonum, & propter bonum.* 215 Præcluditur. D. Thom.

Confirmatur primò: nam ſi cauſa, quæ applicatur, ſecundum ſe eſſet intrinſecè mala, ob nullum finem liceret eam applicare: quia ob nullum finem poteſt licitè eligi aliquid intrinſecè malum: ſed in caſu, de quo loquimur non minus directè eligitur effectus ille primarius intrinſecè malus, quam ipſa cauſa: ſicut non minus per ſe dependet ab illo, quàm ab iſta finis, propter quem eligitur: igitur nullo modo poterit honeſtari talis applicatio, & electio. Prima confirmatio.

Confirma-

Secunda. Confirmatur ſecundo, & explicatur exemplis. Etenim ea ratione dicunt concorditer Theologi nunquam eſſe licitum mentiri, etiam ob finem aliàs honeſtiſſimum, & neceſſariſſimum, quia numquam licet eligere medium intrinſece malum, uti eſt mendacium, propter finem quemcumque. Et ſimiliter nemini licet directè occidere innocentem, etiam ſi ſalus totius reipublicæ ex homicidio illo ſperaretur, quia mors innocentis illata ab hominibus intrinſece eſt mala. Minime etiam licere procurare pollutionem, neque applicare aliquam cauſam, cujus is tantum ſit effectus primarius, etiam in ordine ad finem neceſſariſſimum, ut eſſet propria vita, vel ſalus, tradunt communiter Theologi: quia cum pollutio voluntaria ſit intrinſece deformis, ob nullum finem poteſt honeſtari ejus electio, de quo videri poſſunt Alvarez, Gregorius Martinez, Thomas Sanchez, & alii ex Doctoribus ſupra citatis. Denique hac ratione damnat Paulus ad Roman. 3. illos, qui dicebant, ſeu potius imponebant Apoſtolis tanquam ab eis dictum *Faciamus mala, ut eveniant bona: quorum damnatio* (inquit) *juſta eſt*. Quo loci obſervant communiter expoſitores, præſertim D. Thom. & Cajetanus, nulli fas eſſe committere etiam minimum peccatum veniale, ut mala quantumvis gravia vitentur; neque ut bona quantumvis maxima contingant: quia ex ipſis terminis repugnat aliquid eſſe malum morale, quantumvis minimum, & nihilominus licere illud facere. At ubicumque cauſa ſolum habet pro effectu primario, & immediato aliquid intrinſece illicitum, ob quemcumque finem aſſumatur, ſumitur tanquam medium ad illum ipſe effectus, ergo nequit electio, & applicatio voluntaria talis cauſæ excuſari à malitia ipſius effectus. Vide, ſi placet, quæ diximus in tract. de bonit. & malit. diſp. 5. dub. 3. §. 2.

Alvar. Greg. Mart. T. Sanchez. Roman. c. 3.

D. Thom. Caiet.

§. III.

Diluuntur nonnulla contra doctrinam præcedentem.

216 Obiectio. Verum contra doctrinam traditam objicies: tum quod multoties licet conſulere minus malum, ut majus evitetur: ergo licebit illud eligere propter aliquod majus bonum. Tum etiam quod ſæpe viri probæ virtutis in ordine ad aliquem finem honeſtum uſi ſunt mendacio, quod eſt malum intrinſece: ſicut Abraham dicens Saram eſſe ſororem ſuam, quæ non erat niſi uxor: & Jacob dicens ſe eſſe Eſau natu majorem: & Judith in multis Holoferni mentita eſt, ut ex eorum conſtat hiſtoriis, quos tamen neque ſcriptura, neque aliquis Catholicorum idcirco reprehendit. Et ſane niſi aliquando liceret eligere minus malum, multa, eaque neceſſaria bona omitterentur, quæ nequeunt aliter adipiſci: ut cum quis videt pauperem extremè indigentem, & non habet unde illi ſubveniat, niſi accipiat alienum; quod prohibetur præcepto non furandi: aut cum videt infirmum ſua præſentia indigere in die feſto, nec aliter poteſt ei ſuccurrere, niſi omittendo ſacrum: ergo, &c.

Poſſuntque hæc confirmari duplici exemplo: ebrietatis nimirum, & abortus: quod utrumque ſecundum ſe, & intrinſecè eſt malum: & tamen licet aliquando dare, & ſumere potionem inebriantem ob ſalutem conſequendam, & procurare abortum ad tuendam vitam matris: ergo, &c. Cōfirmatur exemplis.

Sed nihil horum refert: nam ad primum contentum in objectione negatur conſequentia. Qui enim conſulit minus malum, ut majus evitetur, non amplectitur ipſum minus malum, neque ab eo afficitur, imo neque abſolute aliquid mali conſulit: ſed videns illum, cui conſilium præbet, determinatum ad majus malum committendum, puta ad inferendam alteri necem, conſulit ut minori malo verbi gratia alapa contentus ſit, permittitque ei hoc malum minus, ut omiſſionem illius majoris perſuadeat. Vel dicas conſilium minoris mali ad majus evitandum non reſpicere per ſe in illo objecto ullam rationem mali: quippe ad hanc ante conſilium ſupponitur voluntas malefactoris à ſe ipſa determinata: ſed reſpicit dumtaxat rationem *minoris*, præ ſe ferentem omiſſionem majoris mali. Hæc autem ratio, & omiſſio potius eſt de genere boni ſaltem ratione motivi, quam ad genus mali pertineat. Atque ita prædictum conſilium non ſumit ſpeciem niſi à bono. Porro eligens quodcumque malum etiam ad bonum finem, abſolutè vult, & amplectitur quidquid ibi eſt mali, debetque proinde ejus actus à malo ſpeciem ſumere. 217 Diluitur obiectio quoad primum.

Ad aliud de uſu mendacii diximus tom. præced. tract. de bonit. & malit. diſp. 5. dub. 3. quomodo loquutiones illæ Abrahami, & Jacobi, aliæque ſimiles nullum mendacium contineant; ſed prophetias, & myſteria: & juxta aliquam metaphoram verum ſenſum admittunt, ut ex D. Auguſtino exponit D. Thom. 2. 2. quæſt. 110. art. 3. ad 3. Quamvis de Juditha non reputet inconveniens Aug. Doctor admittere in ejus verbis aliquod mendacium, & conſequenter aliquod peccatum veniale, ut ibidem tradit. Diluitur quoad ſecundum. *D. Thom.*

Ad tertium dicas nullum vere bonum, quale eſt bonum morale poſſe per ſe pendere ex aliquo malo morali. Cum enim hoc malum ſit per receſſum à ratione, potius in quocumque eventu ſeparat per ſe loquendo à prædicto bono, quod eſt ſecundum rationem, quam ad illud conducat. Quare ſi quæ appareant nobis bona, quæ haberi nequeunt, niſi medio aliquo illicito, vel ea non erunt vera bona, ſed fallacia, & apparentia: vel illi quod vocatur *illicitum*, quia aliàs illicitum eſſe ſolet, in tali caſu deeſt tota ratio mali, ob aliquam mutationem in eo factam: & ſic licet. Quoad tertium.

Pro quo nota quædam eſſe ita & per ſe, & ab intrinſeco mala, ut nunquam poſſint concipi ſine deformitate. Hujuſmodi ſunt mendacium, perjurium, pollutio voluntaria, occiſio innocentis (niſi forte hæc duo ex mandato Dei fierent) & ſimilia, quæ primario ex ipſa ſubſtantia operis deordinationem oſtendunt. Et hæc præcipue ſunt mala, de quibus in hoc dubio: quæ ſicut nulla via poſſunt deordinationem exuere, ita eorum electio nulla ratione poteſt à malitia excuſari. ¶ Alia vero ſunt, quæ licet, prout certis nominibus ſignificantur, malitiam referant, ſintque inhoneſtabilia, abſolute tamen ipſa ſubſtantia operis 218 Diſcrimen inter mala.

d by Goog

operis non eſt inhoneſtabilis: quia poſſunt, manente prædicta ſubſtantia, exuere omnem eam conditionem, à qua vitiantur. Hoc pacto ſe habent omnia illa, quæ ſola lege poſitiva caventur: ſicut omiſſio ſacri in die feſto, eſus carnium in diebus prohibitis, & alia, quæ licet, dum urget eorum obligatio, ſeu prohibitio propter nullum finem honeſtari valeant; illa tamen vel abolita, vel per aliam urgentiorem ſuſpenſa, ut ſæpe fit, amittunt rationem illiciti, quæ ex ſola prædicta obligatione ortum habebat. Similia ſunt non pauca ex prohibitis lege naturæ. Nam furtum v.g. licèt ut ſtat ſub iſto nomine, exprimat deformitatem, quia dicit ablationem rei alienæ invito Domino rationabiliter, quæ ſane actio ut aſſociata hac conditione nunquam poteſt honeſtari; ipſa tamen ſubſtantia actionis accipiendi rem alienam, quæ eſt materia furti, poteſt, & ſæpe honeſtatur; quia invenitur a prædicta conditione ſeparata: ut dum quis accipit rem alienam volente Domino, vel eo non invito rationabiliter: eodemque proportionali modo philoſophandum eſt de homicidio, contumelia, detractione, & ſimilibus.

Nullum vere bonum poteſt per ſe pendere ab illicito medio.

Ad rem ergo: fiet multoties, ut aliquod vere bonum dependeat ab aliquo actu, vel omiſſione, quæ, ut aſſociantur hac, vel illa conditione, ſunt intrinſece mala; non tamen fieri poteſt, ut dependeat per ſe ab illis, prout tali conditione aſſociantur: ſicut cernere eſt in exemplis in objectione adductis. Nam cum quis videt pauperem extreme indigentem, & non habens unde illi ſubveniat, accipit alienum, talis acceptio non eſt furtum: quia non eſt invito Domino rationabiliter, cum in extremis omnia ſint communia: & ita non eligitur actio ſecundum ſe illicita; ſed potius bona vel indifferens. Quod ſi adhuc in illa neceſſitate talis acceptio maneret furtiva, & mala, puta quia Dominus re ſibi ablata æque extreme indigeret, proindeque in ejus ablatione jure eſſet invitus, nullatenus poſſet honeſtari, quod quis illo medio pauperi ſuccurreret. Similiter dum quis videns infirmum ſua aſſiſtentia indigere, omittit ſacrum in die feſto, talis omiſſio non eſt mala, neque contra præceptum audiendi ſacrum: quia obligatio iſtius præcepti ceſſat in illo eventu, ſuſpenditúrque per obligationem præcepti ſuperioris, videlicet charitatis.

119

Aliquorum opinio circa uſum ebrietatis.
Alvar.
Sanchez.
Navar.

Ad confirmationem non deſunt, qui in utroque exemplo negant id unquam licere, etiam ob ſanitatem, vel vitam tuendam. Et ita ſentiunt de ebrietate abſque majori examine Alvarez ubi ſupra contra Sylveſtrum verbo *Ebrietas.* quæſt. 3. & de aborſu etiam fœtus nondum animati Navar. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. difficultat. 2. dicens eſſe communem ſententiam. Iuxta quam doctrinam nulla eſt vis prædictæ confirmationis, negando monoiem quoad utramque partem.

Doctrina pro ſolutione confirmationis.

¶. Sed ut rem expiicemus, & primò quod attinet ad ebrietatem, nota in ea duo reperiri, alterum eſt illa privatio uſus rationis, quæ relinquitur ex immoderata ſumptione potus inebriativi. Et talis privatio vel non eſt moraliter mala, aut peccatum adhuc objective, ſed ſolum peccati effectus: vel ſi quam mali rationem habet, tota conſiſtit in eo, quod ſequitur ex prædicta ſumptione immoderata: & ideo ſi ſequatur ex infirmitate, vel ſomno, vel ex ſumptione aliqua moderata, aut ex alia cauſa naturali, nullam peccati rationem habebit. Alterum eſt ipſa immoderata ſumptio potus inebriativi illativa prædictæ privationis: & hæc eſt, pro qua ſupponit ebrietas, ſecundum quod nominat peccatum. Quod ſi talis ſumptio immoderata non ſit, nihil omnino ibi erit habens formaliter rationem ebrietatis; quamvis materialiter vocetur *ebrietas*, quia datur ibi materia ebrietatis; licet non malitia: ad eum modum quo ſuſpenſio latronis facta à judice ſolet dici *homicidium* materialiter, quia eſt ibi homicidii materia, non autem deordinatio.

D. Thom.
Quis cibus, aut potus dicendus ſit moderatus, vel immoderatus.

Deinde nota ex eodem S. Doctore art. 2. ſequenti in ſolut. ad 3. & quæſt. 141. art. 6. modum obſervandum in ſumptione ſive cibi, ſive potus, ut dicatur *moderata*, non eſſe conſiderandum abſolute, ut ſit ſemper in tanta quantitate, & non in minori, vel minori, ſed reſpective ad ſubjectum ſecundum diſpoſitionem corporis: ita ut ille potus, vel cibus dicatur *moderatus*, ſive in parva, ſive in magna ſumatur quantitate, qui congruit rectæ valetudini, & corporis diſpoſitioni in ordine ad officia vitæ humanæ. Ille vero dicitur *immoderatus*, ſive in magna, ſive in parva quantitate ſit, qui prædictæ valetudini, & diſpoſitioni non congruit.

D. Auguſt.

Quocirca ajebat Auguſtinus cum Deo loquens lib. 10. confeſſ. cap. 31. *hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam:* de quo diximus aliquid tom. præced. in arbore prædicament. num. 111. dum aſſignaremus regulam temperantiæ. Quare ſæpe fit, ut idem cibus, vel potus, qui reſpectu unius eſt moderatus, reſpectu alterius ſit immoderatus; & è contra. Imo reſpectu ejuſdem, cibus vel potus, qui eſt moderatus cum valet, poteſt eſſe immoderatus dum ægrotat; & è converſo. ¶ Quis autem, & quantus cibus, & potus congruat unicuique valetudini, ſive ſanus ſit, ſive infirmus, experientia ipſa diſcitur: ubi autem ſunt rationes dubitandi, medicæ artis conſilio relinquendum eſt.

Ex quo fit, nunquam eſſe dicendam *im-* 220
moderatam illam ſumptionem cibi, vel potus cujuſcumque, quàm prudens medicus præſtituit infirmo ad reſtituendam ſanitatem, etiam ſi ſecum afferat privationem uſus rationis, quam affert ebrietas. Imo fit, talem ſumptionem eo ipſo, quod juxta medicinæ regulas ſit moderata, non eſſe dicendam proprie, & formaliter *ebrietatem*; quia de ratione iſtius eſt, ut ſit immoderata.

Caiet.
Non eſt ebrietas, quæ provenit ex potu à medicina præſcripto.

§ Addit Cajetan. ex D. Thoma cit. quæſt. 150. de ratione ebrietatis eſſe, quod procedat ex appetitu delectabili, id eſt, quod potus inebrians ſumatur ob delectationem, quæ in eo reperitur: quare quoties ex medicinæ præſcripto potus aliquis ſumitur propter ſanitatem, quantumvis inebriativus ſit, non eſt formaliter ebrietas.

Idem.

An autem (proſequitur Cajetanus) *ita ſit de facto, quod medicina diſponat in aliquo caſu neceſſariam eſſe ebrietatem materialem, id eſt, ſumptionem potus inebriativi in ea quantitate, ut privet uſu rationis; non eſt philoſophi moralis, nec Theologi, ſed ſcientia medicinæ opus.*

Debent tamen medici, & infirmi attendere,

ne ſine magna neceſſitate, & niſi ex defectu alterius medicinæ hujuſmodi remedio utantur. Sanis vero nunquam erit licitum ob quemcumque finem v. g. ad evitandam ſævitiem tyranni, vel infidelis, caſu quo per ebrietatem ab eis liberarentur: quia, ut rectè citatus auctor notavit, cum talis potus in ordine ad finem proximum, qui eſt recta corporis diſpoſitio, ſit immoderatus, & immoderatio ſemper ſit mala, nemini licet uti tali remedio: quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

Medicis, & infirmis cautè procedēdum.

Ex quibus habetur plana ſolutio confirmationis quantum ad primum exemplum. Nam ſi ſermo ſit de ebrietate formaliter, prout dicit immoderatam ſumptionem potus inebriativi, quo pacto eſt mala intrinſece, dicendum eſt minimè unquam licere ea uti. Si autem ſermo ſit de alia ſumptione potus inebriativi, quæ licet ſit in tanta quantitate, ut trahat ſecum privationem uſus rationis, eſt tamen ſecundum conſilium medicinæ neceſſaria ad ſanitatem reſtituendam, licebit uti illa; quia talis ſumptio hic & nunc cenſetur moderata: & ita neque eſt formaliter ebrietas, neque aliqua ratione mala moraliter.

221 Ad ſecundum exemplum Doctores non pauci, neque ignobiles in ea ſunt ſententia, ut ſicut in nullo eventu, ob nullumque finem, aut vitam tuendam licitum eſt procurare pollutionem, ſic neque aborſum, ſive ante, ſive poſt fœtus animationem. Ita Navar. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. difficult. 2. Leſſius lib. 2. de juſtitia & jure cap. 9. dub. 10. num. 61. referens Covarruv. clement. *ſi furioſus* part. 2. §. 3. Baſilius Pontius lib. 10. de matrimon. cap. 13. num. 2. Vaſquez opuſc. de reſtitut. cap. 2. §. 1. dub. 7. num. 28. & cap. 3. §. 2. num. 25. Azor part. 2. lib. 1. cap. 27. Eligius Baſſeus verbo *Aborſus* n. 1. Filiucius tract. 29. cap. 6. quorum aliqui cenſent, eſſe ſententiam communem. Juxta quam prædictum exemplum potius confirmat noſtram aſſertionem, quam contra eam militet.

Quid tenendum circa aborſum?

Navar. Leſſius. Covarruv. Baſil. Pont. Vaſq. Azor. Elig. Baſſ. Filiucius.

Sed licet ea opinio ſit probabilis, tutiorque videatur; nequaquam tamen dicenda eſt communis; ſed magis oppoſita, quæ aſſerit antequam fœtus animatus ſit anima rationali, ſi ex eo mors matri immineat, neque aliud ſuppetat remedium, licitum eſſe medicaminibus, vel aliis viis aborſum procurare. Quia cum id verè non ſit homicidium, fœtuſque adhuc ſit pars viſcerum, ſitque veluti aggreſſor in necem matris, non eſt cur tanto vitæ maternæ diſcrimine conſervandus ſit. Præſertim quod matre pereunte, fœtus ſimiliter peribit, neque ad lucem, vel animationem perveniet. Quam ſententiam ut probabiliorem ſequutus eſt Thom. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 20. num. 9. dicens eſſe communem, nullúmque inveniſſe diſſentientem. Adducitque pro ea Joannem de Neapoli quodlib. 10. D. Antonin. 2. p. titulo 7. cap. 2. §. 2. Sylveſt. verbo *medicus* quæſt. 4. Covarruv. Clement. cit. Armil. verbo *aborſus* num. 2. Navar. in ſum. latina & hiſpana cap. 25. num. 62. Cordub. quæſt. 173. dicit. 4. Enriq. lib. 9. de matrim. cap. 16. num. 8. Emman. Sa verbo *homicidium*, & alios.

Th. Sanch. J. de Neap. D. Antonin. Sylveſter. Covarruv. Armil. Enriq. Emman Sa.

222 Animadvertit vero dictus Thomas Sanchez ibidem num. 10. (idque prudentiſſime) prædictum aborſum nullatenus unquam licere ob alios fines, etiam ſi videantur neceſſariſſimi: ut ad vitandum periculum vitæ, quod ex partu fœmina ſibi imminere viſa eſt; vel famæ, vitæve jacturam, quam probabiliter metuit detecto crimine, ſi concipiat, fœtuſve in lucem prodeat. Quia in his caſibus fœtus non eſt aggreſſor, & periculum non eſt præſentaneum, ſed diſtans, illique aliis quæſitis coloribus, vel remediis occurri poterit. Et juxta hunc ſenſum dixit bene Navar. in ſum. cap. 16. num. 36. nullo bono fine honeſtari poſſe ſumptionem potionis, qua directè prolis conceptioni obſtetur. ¶ Et licet aliqui rejiciant diſcrimen illud à Sancio conſtitutum inter periculum mortis imminentis præſenti, & ab intrinſeco, nempe ex ipſo fœtu; & periculum aliud diſtans, aut ab extrinſeco duntaxat, vel ſoliùs honoris jacturæ; nobis tamen non diſplicet: neque illationem ex uno ad alterum, quam Leſſius, Pontius, & alii valde urgent, ita legitimam cenſemus, ut non queat ſatis probabiliter negari.

Obſervatio.

Navarr.

Aborſus propter ſanitatē quo pacto non ſit malus?

Porro autem non ignoramus, contrarium hujus animadverſionis (nimirùm in utroque caſu, ſi aliud deſit remedium, licitum eſſe aborſum fœtus inanimati) eſſe aliquorum opinionem. Nam id tuetur Torreblanca lib. 2. de Magia cap. 43. quem teſte Diana p. 6. tract. 8. reſolut. 37. ſequuti ſunt Leo Zambellus in repert. verbo *medicus* num. 10. & Bordonus in conſil. regul. reſolut. 45. quæſt. 4. num. 4. Et probabile cenſent perdoctus P. M. Lezana ex obſervanti noſtra Carmelitana familia in ſum. quæſt. regular. tom. 3. verbo *aborsus* num. 5. Trullench. in præcepta Decal. tom. 2. lib. 5. c. 1. dub. 4. & quidam alii: cui ſententiæ minimè ſubſcribimus propter gravia mala & inconvenientia, quæ adversùs commune bonum pullularent, ea licentia permiſſa. Si tamen in aliquo caſu probabilitas prædictæ opinionis deberet admitti, in eo vel maximè, qui nuper ad nos delatus fuit: ſcilicet quòd nobilis & honeſta puella viri ignara, nedum incorrupta, ſed & innocens inventa eſt habens in utero (caſum ſine miraculo haud arte dæmonis poſſe contingere haud dubitandum eſt: & in ſimili tradit D. Thom. quodl. 6. art. 18.) Sicut etiam ei quæ invita penitùs violaretur, non minùs ſuffragaretur prædicta opinio. Satis namque rigidum videtur, eam, quæ invita prorſus, vel penitus abſque voluntate id malum paſſa fuit, aliis ita gravibus, ut vitæ, famæve jacturæ obnoxiam remanere. Quæ ratio non militat in alia, quæ voluntariè ſe exponeret, prævidens vel prævidere debens, & non cavens mala inde ſequentia. Sed de hoc alibi; modò verò nihil decernimus.

223

Torreblanca. Diana. Leo Zamb. Bordonus.

Lezana.

Trullench.

Caſus ſingularis.

D. Thom.

224 Neque retenta opinione adſtruente licere aborſum, ſaltem pro tuenda vita, quæ ex fœtu ipſo periclitaretur, admittere debemus, poſſe rem intrinſecè malam licite aſſumi per modum medii ad finem quantumvis neceſſariſſimum. Quia abortio in caſu illo, quo admittimus licere, non eſt mala; secùs in quocunque alio eventu. Pro quo nota, quaſdam res vel actiones eſſe ita à natura deſtinatas ad certos fines, ut eo ipſo quòd tales fines deficiant, inordinatè exerceantur. Non quòd tales res vel actiones ex ſe ipſis, quovis modo &

Doctrina pro diluenda quadam obiectione.

& ſub quavis præciſione conceptæ, malitiam exprimant, eamque finis auferat: ſed quia cum illæ ex ſe ſub ea præciſione, antequam connotent vel finem, vel ejus carentiam, neque explicent determinate bonitatem, neque malitiam; ex ordine ad finem bonificantur, & ex ejus carentia vitiantur. Quemadmodum ſunt aliqua objecta, quæ accepta per modum finis principalis exprimunt deformitatem & malitiam objectivam; quia non habent ſufficientem dignitatem, ut in eo caſu rationem finis exerceant: & ideo in ea ratione ſunt quid improportionatum: ob idque ſic volita & appretiata communicant actui formalem malitiam: & tamen eademmet in ratione medii improportionata non ſunt, ſed potiùs adæquata & proportionata: unde neque ſic accepta malitiam objectivam exprimunt; neque ſic volita & appretiata formalem communicant, ſed potiùs bonitatem: accepta autem cum præciſione tam à ratione finis quàm medii nullam moralitatem exprimunt, de quo latiùs diximus in tract. de bonit. & malit. diſp. 5. dub. 2. Hujuſmodi ſunt divitiæ v. g. quas natura ad honeſtos ſumptus & fines deſtinavit: & ideo ſi abſque aliquo honeſto fine expendantur, quaſi ſola ipſa expenſio vel ejus delectabilitas habeatur pro fine, malum eſt & prodigalitatis peccatum: ſi verò expendantur in eleemoſynas vel alios honeſtos ſumptus, ita quòd expenſio non pro fine ſed pro medio accipiatur, nulla eſt ibi neque in objecto, neque in actu malitia, ſed potiùs bonitas moralis. Et ſi tandem prædictam expenſionem cum præciſione tam à ratione finis quàm medii conſideres, neque bonitatem, neque malitiam deprehendes. Similiter exponere ſe mortis periculo præciſè ex ſe, neque determinat bonitatem, neque malitiam; ſit autem bonum ex connotatione finis honeſti, malum verò ex ejus carentia. Et ideo dum quis vitam exponit propter fidem vel juſtitiam, honeſtiſſimè facit: cùm autem abſque alio fine niſi ut vitam prodigat; mortaliter delinquit. Ipſa namque carentia finis honeſti & neceſſarii eſt prima ratio, ut ille actus malitiam contrahat: & quæ expoſitionem vitæ quodammodò ſecundùm ſe indifferentem, prodigam efficit & inordinatam.

Ad hunc ergo modum dicimus ſe habere abortionem fœtus nondum animati. Si enim omninò ſecundùm ſe ſpectetur ante connotationem hujus finis, qui eſt tueri vitam matris periclitantis hìc & nunc ex tali fœtu, & abſque connotatione carentiæ hujus finis, neque exprimit bonitatem, neque deordinationem, ſed quodammodò eſt indifferens: aſſociata autem prædicti finis carentia, ex ea primò malificatur; aſſociata verò ipſo fine poteſt ab illo honeſtari. Qui igitur ad aliquid aliud quàm ad hujuſmodi finem procurat aborſum, eo ipſo eligit rem malam, quia aborſus deſtitutus tali fine eſt aliquid malum; qui autem procurat illum propter prædictum finem, nihil malum eligit, quia aborſus eo fine aſſociatus non habet unde exprimat malitiam. Hæc autem intelligenda ſunt de aborſu ante animationem fœtus per formam rationalem; poſt iſtam namque nullatenus admittendum eſt licere illum procurare ob quemcunque finem, ut eſt ſententia indubitata Theologorum.

§. IV.

Difficilis replica enodatur.

Sed urgebis: quia eadem ratione dici poſſet, licere ob ſimilem finem, nempe ad ſalutem vel vitam tuendam, pollutionem voluntariam: non eſt enim major ratio, cur hæc debeat eſſe mala omninò ſecundùm ſe, independentérque à carentia cujuſcunque finis, adeóque nullo fine poſſit honeſtari; abortio autem mala non ſit niſi ex tali carentia: quandoquidem natura utramque æqualiter ad finem humanæ generationis deſtinavit. Si ergo hoc non obſtante, licet abortione uti ad alium finem, ut ad vitam propriam tuendam, cur non licebit uti pollutione? Eo præſertim quia tota inordinatio pollutionis in eo conſiſtere videtur quòd per eam prodigitur ſemen ad humanam generationem deſtinatum: cum ergo propiùs accedat ad prædictam generationem fœtus etiam non animatus, in eo quippe eſt jam inchoata & valde propè hominis conceptio; potiùs deberet damnari uſus iſtius ad alium finem per aborſum, quàm uſus pollutionis; qui tamen in quovis eventu omninò ab omnibus condemnatur. 215

Plurimis hæc replica negotium faceſſit: nonnullóſque in tantum convicit, ut ob id, potiſſimùm negaverint licere aliquando aborſum, etiam fœtus inanimati propter quemcunque finem: quia hoc admiſſo, videtur ſibi per evidentem conſequentiam inferri, idem dicendum eſſe de pollutione: juxta quos proinde nec præſens replica, nec præcedens ſolutio locum habebit. Sed re vera nemo Theologorum hac via ſufficienter difficultatem evacuabit. Quia voluntariam pollutionem ob nullum finem licere, adeò eſt conſtans ſententia inter Catholicos, ut oppoſitum manifeſte ſit error; licere autem aborſum fœtus inanimati in caſu quem §. præced. explicuimus, eſt ſententia communiſſima & probabiliſſima: unde alligare evaſionem hujus replicæ contrariæ opinioni minùs probabili, nullóque alio tramite objectioni viam aperire, effugium potiùs erit, quàm difficultatis ſolutio. ¶ Eo præſertim quoniam qui ex paritate pollutionis negat licitum eſſe aliquando aborſum, debet priùs afferre rationem, cur illa in nullo caſu liceat: & niſi talis ratio eodem prorſus modo de aborſu convincat, non erit inſiſtendum prædictæ paritati. Quiſquis ergo difficultati non cedit, priùs oſtendat hanc rationem, & videamus quantum in ea ſit roboris ad prædictam paritatem convincendam: fortaſſe enim erit talis ut militet in pollutione, & in aborſu non militet. ¶ Et ſane vir doctus, qui etſi non ſequatur opinionem adſtruentem licere aborſum in caſu explicato, noſſe tamen debet eſſe ſatis communem & probabilem: ſcire etiam tenetur, quia via talis opinio diſcerni valeat ab errore pollutionem permittente, poſſitque probabiliter defenſari; ſine eo quòd aliqua ejus conſequentia prædicto errori ſuffragetur. Quare ſicut non poteſt ita firmiter adhærere propriæ opinioni negant licentiam aborſus, ſicut adhæret ſententiæ catholicæ pollutionem reprobanti: ita non eſt putandus ſatisfeciſſe 216

Effugium rejicitur.

ſuo

Digitized by Google

ſuo muneri, quouſque viam aperiat, qua ſecundùm utramque opinionem, & qualibet earum retenta, à prædicto errore recedatur.

227 *Alia ſolutio. Caramv.* Alia via videri poterit (& quidem ſine labore) difficultati occurſum iri ex doctrina Joannis Caramvelis lib. 4. theologiæ moral. num. 1603. ubi inquit, nullà ratione naturali, ſed jure tantùm poſitivo divino pollutionem interdici, adeóque ſublata juris iſtius prohibitione, poſſe eſſe bonam, & aliquando, ut in caſu de quo loquimur, debitam ſub gravi præcepto, de facto tamen nunquam licere, quia obſtat prædictum jus poſitivum. Quare diſcrimen inter illam & aborſum in prædicto caſu non ex ratione aliquâ naturali, ſed ex libera Dei voluntate petendum erit, cui placuit pollutionem perpetuò prohibere, aborſum verò aliquando permittere, verba ejus accipe. *Si Deus mollitiem non interdixiſſet, nunquam eſſet mala, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub peccato mortali.* Idem ſtatuerat n. 1600. de ſimplici fornicatione. Nec permittit textus, ut ea verba de prohibitione juris naturalis accipiamus: nam impugnat quotquot reperit (non reperit omnes) naturales rationes conducentes ad intentum, contendens prædictum effectum nullatenus rationis principiis adverſari. Neque aliter de effuſione ſeminis diſcurrit, quàm de eſu pomi, & de minoratione ſanguinis, aliiſque ſimilibus ſecundùm ſe bonis vel indifferentibus, ſi Deus ea interdixiſſet.

Refellitur. Verùm enimvero authoris iſtius animoſitatem & ingenium alii extulerint: nos erga familiam noſtram benevolentiam & affectum: quo provocati, ſed & judicio etiam incitati noſtro perſonam ex corde diligimus, & pro laudis immeritis vocibus, quas in noſtra præconia aptat, mutuæ benevolentiæ gratitudinem amiciſſimè rependimus. Sed quia major amica veritas, apagè commendet quis philoſophandi methodum, ſentiendi libertatem, opinandi licentiam, inconſultis etiam vel abjectis receptioribus Theologiæ principiis: quod paſſim offendes. Poſſemus ex utraque ejus Theologia Regulari & Morali aſſerta proferre non pauca, quæ jam expungi debuiſſent, quæque cenſuram noſtram mitiorem æquo demonſtrarent. Vide an ſit hujuſmodi, quod in Theologia morali n. 1582. aſſerit hoc juramentum *per vitam meam* ſic expoſitum *tam verum eſt quod dico, quàm quòd habeo vitam* poſſe mendaciter circa peccati vel venialis noxam emitti. Certe (quicquid ſit de ratione juramenti) nemo Catholicorum admittet, quantumvis leve mendacium ſine veniali ſaltem culpa proferri poſſe. Deinde num. 1607. hanc ponit aſſertionem, *mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, adeóque nemo tenetur in confeſſione exponere, utro ex iſtis modis peccaverit; ſed ſatisfaciet dicens procuraſſe pollutionem.* Id quod & D. Thomæ, falliſſimè tamen imponit, tantáque animoſitate affirmat, ut dicat contrarium videri errorem in Philoſophia. Ex quo ſatis apertè ſequitur, neque ſodomiam, neque beſtialitatem prohibitam eſſe ipſo jure naturæ, ſed jure tantùm poſitivo, quo dumtaxat ex ejus ſententia pollutio prohibetur: nam ſi ſunt ejuſdem omninò malitiæ, eodem jure debent prohiberi. Quin etiam matrimonii contractum non eſſe de jure naturæ, neque uxorum communitatem tali juri repugnare, contendit num. 1604. & conſequenter tenetur id ipſum concedere de adulterio. Hæc autem & ſimilia quæ adnotare poſſemus, non modò falſa & abſque fundamento, ſed & abſurda eſſe, & moribus ſatis nociva quiſque, credimus, animadvertet. Ergo Lector ſtudioſe, dum Caramvelis ſcripta evolveris, ne feſtines credere, ſed pedetentim gradere: ubique cautè legas, doctrinam examines, opiniones diſcutias, & quam ſolidiora principia non firmaverint, tantùm quia illius, ne tibi ad ſequelam in canonem adſcribas.

Porro (ut ad intentum noſtrum redeamus) 128
falſitatem ejuſmodi doctrinæ, quæ negat, pollutionem voluntariam ratione naturali prohiberi, proindeque ejus inſufficientiam ad occurrendum propoſitæ objectioni, in primis oſtendit quòd Ethnici & Gentiles, quibus nulla Dei præcepta niſi naturalia innotuerunt, ut rem peſſimam & deteſtandam prædictam pollutionem reprobarunt: ſicut videre eſt apud Martialem lib. 9. epigrammate illo 42. in Ponticum polluentem ſe; *Pontice quod numquam*, &c. ubi poſt objectam prædictæ actionis fœditatem, ſic illam reprehendit. *Marti.*

Hoc nihil eſſe putas? Scelus eſt, mihi crede, ſed ingens,
Quantum vix animo concipis eſſe tuo.

Utque oſtendat non opus eſſe lege alia interdicente, ſed ab ipſa natura & naturali ratione ſimile ſcelus reprobari, concludit inferiùs.

Ipſam crede tibi naturam dicere rerum,
Iſtud, quod digitis Pontice perdis, homo eſt.

Qui autem ductus naturali lumine pollutionem ſic damnat, quantò acriùs beſtialitatem, aut ſodomiam reprehenderet? Dolendum igitur, celaſſe naturam chriſtianum Doctorem, quod Philoſopho gentili & aliàs in moralibus ſatis depravato non occultavit.

Deinde probatur falſitas illius doctrinæ: *Procedit impugnatio.* quia ſi pollutionis interdictio non emanaret à lege naturali, nulla eſſet ratio cur in nullo eventu liceret: quippe nulla eſt lex merè poſitiva, quæ illam ita arctè & indiſpenſabiliter prohibeat. Vel enim talis lex eſſet humana? Et hæc neque obligaret cum tanto vitæ diſcrimine, neque eſſet prorſus indiſpenſabilis, ut in cæteris legibus præcisè humanis conſtat. Vel eſſet divina? Et hæc non aſſignabitur in Scriptura, quæ interdicat prædictum actum ſub ea generalitate, adeóque ſtrictè ut in nullo eventu & pro nullo fine quantumvis neceſſariſſimo liceat. Quotquot enim ſive ex veteri ſive ex novo Teſtamento adduci poterunt, loquuntur abſolutè, neque deſcendunt ad caſum ita urgentem, ut vitæ periculum. Quare ſicut aliæ leges v. g. *Non occides, non accipies rem proximi tui*, &c. quæ eodem tenore & generalitate enuntiantur, non intelliguntur neque ex vi verborum, neque ex legiſlatoris mente obligare cum vitæ diſcrimine, quoties natura ſic non obligat, & ideo permittunt defenſionem cum moderamine, etiam occidendo invaſorem, & ſuſtentationem omnino neceſſariam, etiam ex bonis alienis: quia natura has non vetat: ita lex pollutionem interdicens neque ex vi verborum, neque ex legiſlatoris animo ſimilem caſum

comprehenderet, ſi natura & naturalis ratio illum permitteret. ¶ Eo præſertim quia juxta authorem, quem impugnamus, in caſu de quo loquimur, non modò non eſt mala pollutio attento jure naturæ, ſed eſt debita & obligatoria ſub peccato mortali, ut vidimus in ejus verbis: ubi autèm lex naturalis ita obligat, ceſſat omnis obligatio legis poſitivæ. Id quod certo certius eſt, ſaltem dum poſitivus legiſlator non declarat in ſpeciali, ſe velle obligare etiam contra legem naturalem: quæ declaratio pro caſu præſenti minimè reperitur. Ergo per recurſum dumtaxat ad jus poſitivum non ſalvatur prohibitio pollutionis quoad prædictum caſum. Quare niſi à lege naturali emanet talis prohibitio, valde infirmabitur doctrina, quæ ab omnibus Catholicis tenetur, pro nullo eventu permittens talem actum. ¶ Adde, eſſe communiter receptum ex doctrina D.Thom. infrà q. 108. art. 2. in corp. & ad primum in lege gratiæ nulla extare præcepta divina merè poſitiva, niſi quæ jubent receptionem Sacramentorum: unde cum prædicta prohibitio ad nullum iſtorum pertineat, nullatenus debet inter præcepta divina de ſolo jure poſitivo numerari.

Nec refert, ſi dicas, Eccleſiam ſtatuiſſe prædictam legem cum eo rigore & indiſpenſabilitate, eo ipſo quod doctrinam oppoſitam multoties condemnavit. Non itaque hoc refert: tum quia Eccleſia nequit ſtatuere legem directè prohibentem propriæ vitæ defenſionem, ad quam lex naturalis obligat. Tum etiam quia prædicta condemnatio nequaquam eſt alicujus novi juris, aut legis conditio: neque enim Eccleſia talem legem, ut novam & à ſe ſtatutam unquam promulgavit; ſed ſemper fuiſſe ſupponit, idque negantes damnat & punit ut errantes circa veritatem naturali lumine dictatam, & hac ratione in Eccleſia perpetuò receptam. Unde ea condemnatio potiſſimùm importat declarationem ejus legis, quæ ab initio extitit, non quidem in aliquo jure poſitivo divino, vel humano, ſed in ſeminario legis naturæ, & poſt legem ſcriptam in ipſis tabulis Decalogi, quæ præcepta legis naturæ continent. Apage igitur & hunc modum objectionem diluendi, periculoſum ſatis, prorſuſque inutilem.

229 **Tertius dicendi modus.** Eſt & tertius aliorum dicendi modus, qui ex eo ſolùm negant licere in aliquo eventu pollutionem, quia hæc juxta medicinæ regulas nequit eſſe proficua ſanitati, ſed ſemper ei nocet: & ideo cum ad hujuſmodi finem nunquam conducat, in nullo eventu poterit per eum honeſtari. Ita ſentire videtur Alvarez in præſenti diſp. 147. Granad. diſputatione 6. num. 2. ex Michaële de Medina, à quo dicit rectè ex Medicorum ſententia aſſumptum probari lib. 4. *de ſacrorum hominum continentia*, controverſ. 4. cap. 23. & alii. Quibus non pigeret ſubſcribere, ſi firmo principio niterentur.

Alvar. Granad. Medin.

Non placet. Sed quàm illud infirmum ſit, teſtatur in primis valde communis Medicorum opinio ſtatuens oppoſitum ex Hippocrate, Ariſtotele, & Galeno, à quibus velut axioma jam illud confirmavit, *Venus eſt cauſa ſalutis cum opportune adeſt*, &c. Nec deeſt ſatis efficax ratio prædictam opinionem convincens. Sicut enim ſanguis & alii humores ſupra modum creſcentes, valetudini nocere ſolent, prodeſtque evacuatio tanquam removens, prohibens, vel repugnans: ita humor ſeminalis ultra debitam menſuram augmentatus poterit impedimentum eſſe ſaluti: ac proinde ejus evacuatio conferet per modum removentis prohibens ad ſalutem & vitam tuendam. Nec refert quod natura non deſtinaverit hujuſmodi remedium propter prædictum finem: quia etiam non deſtinavit plura alia ut aborſum, ebrietatem, & ſimilia, & nihilominus juxta medicinæ regulas aliquando ad ſalutem proficua & neceſſaria cenſentur.

Deinde hoc ipſum teſtantur non pauca exempla virorum eximiè caſtitatem colentium, **230**
quibus ægrotantibus proviſum eſt à Medicis, iiſque in ſua arte peritiſſimis, ut ad ſeminis effuſionem, ex cujus retentione mors imminebat, vel per pollutionem, vel per copulam niterentur: quorum proinde egregium facinus commendatur, quia deſtituti omni alio remedio elegerunt vitam diſcrimini exponere, ne iniquo illo medicamine & caſtitatis jactura uterentur. Sic B. Caſimirus Regis Poloniæ filius, & Hungarorum Rex delectus, de quo narrat ejus hiſtoria *quod gravi oppreſſus infirmitate, mori potius quam caſtitatis jacturam ex Medicorum conſilio ſubire conſtanter decrevit.* Idem de Jacobo Cardinali Ulyſſiponenſi Regis Portugaliæ filio refert Hieronymus Garimbertus **Garimbert.**
libro tertio, de vitis Pontificum. Similia traduntur de Iſaacio Comneno Imperatore: de Thoma ſecundo Epiſcopo Eboracenſi: de Michaële Verino primo inter Gallos recentiores Poëtas: cujus illud extat poſteritati conſecratum:

Sola Venus poterat lento ſuccurrere morbo:
Ne ſe pollueret, maluit ipſe mori.

Idque alii non pauci, quos brevitatis cauſa omittimus, opere impleverunt. Si autem ita eſſet, ut ſeminis effuſio nullam poſſet vitæ, aut ſaluti afferre utilitatem, non toties Medici infirmos præſertim viros graviſſimos (quibus proinde peritores in medicina adſtitiſſe haud dubitandum eſt) ad utendum ſimili remedio incitaſſent.

Et ſanè dum Theologi hujuſmodi quæſtionem diſcutiunt, planè ſupponunt, prædictam evacuationem poſſe in aliquo caſu ad ſanitatem, vel vitam tuendam omnino deſiderari, ſive per ſe, ſive ut remotio repugnantis, vel prohibentis. Et hoc præſuppoſito, nituntur reddere rationem, cur & ſi liceat uti ad prædictum finem aliis remediis, etiam alioqui illicitis, ut aborſu ante animationem, ebrietate, &c. pollutione tamen non minùs neceſſaria, aut conducente minimè uti liceat. Non igitur difficultatem ſolvit, ſed potiùs ab ea fugit, qui per negationem ſuppoſiti, nulla tradita diſparitate, quieſcit.

Legitima ergo & communis ſolutio nulli incerto principio, vel ſententiæ ſe adſtringit: **231** **Legitima ſolutio.**
ſed admiſſo licere aborſum ad vitam tuendam in caſu ſuperiùs declarato, & admiſſo pollutionem poſſe in eundem finem æqualiter conducere; ſine recurſu ad jus poſitivum, ex ipſa naturali lege deſumit rationem, quare in nullo eventu, nullúmque ob finem ea ſeminis effuſio, aut quæcumque alia extra conjugalem copulam ſit permiſſa. Et licet in tradenda hujus ratione hinc inde multorum calamus

calamus deſudet, ac quicquid tandem reperit, non omnino ſatisfaciat : nequaquam idcircò à certioribus veterum principiis nobis recedendum eſt, aut neganda eorum doctrina, quia non ſatis comprehenditur : ſed pro viribus laborandum, ut vel tantillum novæ lucis in communem utilitatem communi ſolutioni accreſcat : in quo libentiùs diſcipulorum, quàm Magiſtri munus ſuſciperemus. Ea ergo ratio communiter tradi ſolet deſumpta ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 88. art. 11. ad 3. & diſt. 31. q. 2. artic. 2. ad 4. Quia videlicet humanum ſemen, ejúſque adminiſtratio determinatè ordinata ſunt à natura propter conſervationem ſpeciei media generatione convenienti, non autem propter ſalutem, aut commodum individui, cui deſerviunt cætera omnia, quæ in ipſo individuo reperiuntur : & ideo quamvis licitum ſit pro iſtius bono ſingulas partes exponere, & membra quæcumque amputare; nequàquam tamen prædictum ſemen prodigere, aut expendere eo actu, ex quo generatio congruâ ſequi non valeat, uti eſt quicumque alius præter conjugalem, quantumcumque ex tali actu individui ſalus, vel vita dependeat : bonum quippe ſpeciei communius & divinius peculiari hujus, vel illius individui bono omnino eſt præferendum. Hæc eſt ratio Angel. Doctoris locis citatis, & communis : qua proinde utuntur Cajet. 2. 2. quæſt. 154. art. 11. Alvarez in præſenti diſp. 147. Gregor. Mart. art. 8. in 3. part. tract. dub. 2. Granad. diſp. 6. Leſſius, & plures ex iis quos ſupra citavimus.

Communis ratio pro illa D. Thom.

Cajet. Alvarez. Greg. Mart. Granad. Leſſius. Impugnatur à Thom. Sanchez.

232 Verùm perdoctus & eruditus D. Thom. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 17. num. 51. confeſſus prædictam rationem communem eſſe, negat tamen ejus efficaciam, & contra illam ſequentibus objectionibus nervosè inſurgit. *Primo* (inquit) *quia generationi deſervire cum propriæ ſalutis detrimento nemo obligatur, etiam altero conjuge debitum petente : non ergo ne fruſtretur generatio, aſtringitur homo ad ſemen retinendum cum vitæ jactura.* ¶ *Secundo quia nemo negabit fas eſſe ſirupum accipere ſemen reſolventem in ſanguinem, aliúmve humorem aliis viis expurgandum, ne æger omni remedio ad ſalutem præſervandam deſtituatur : at generationi æquè obſtatur ac nocetur reſolvendo, & expellendo ſemen.* ¶ *Accedit, licere ob individui bonum amputare ſibi teſticulos generationi neceſſarios; cum tamen in eo eventu generatio impediatur : à fortiori ergo licebit ſemel, vel iterum generationem impedire effundendo ſemen, ut vitæ propriæ conſulatur. Eo vel maximè quod vita amiſſa, prorſus generandi potentia extinguetur.* ¶ *Tertio quia magis accedit generationi perfectæ fœtus nondum animatus, quam ſemen: cum tamen expulſio illius licitè procurari poſſit, ubi ad matris ſalutem deſideraretur.* ¶ *Et confirmatur : quia ſemen eſt pars individui; ſicut fœtus eſt pars ventris : atque ita non eſt cur negetur adminiſtratio illius, ſicut hujus conceditur ob bonum totius.* ¶ *Quartò quia quod ipſa natura diſponente naturaliter efficitur, ſi ratione fiat, nullus eſt abuſus : motus enim ille naturalis authori naturæ tribuitur : ſed non obſtante generationis damno natura ſæpe, quo ſe exoneret, ſemen expellit : licebit ergo ipſum medicamentis ad id adjuvare.* ¶ *Et confirmatur : quia fas eſt, judici latronem ſuſpendenti opem ferre, eo quod actio illa ſuſpendendi licita ſit. Cur ergo actionem virtutis expulſivæ ſemen nocivum expellentis, quæ naturalis eſt, & conſequenter bona, adjuvare medicinis nefas erit?* Ita Sancius, concluditque. *Hæ rationes me valdè urgent, ut cenſeam non eſſe legitimam rationem communiter traditam,* &c.

Addi etiam poteſt : quia nulla videtur inordinatio in eo quod majus bonum præferatur minori, & hoc illi poſtponatur : ſed majus bonum eſt vita actualis iſtius individui, quàm vita ſolùm in potentia, quæ continetur in ſemine : ergo licebit aliquando iſtud expendere propter illius conſervationem.

Sed pace tanti viri (cujus authoritas in rebus moralibus, iis præcipuè quæ ad ſextum præceptum, & ad Sacramentum Matrimonii ſpectant, magni ſemper facienda eſt) nequaquam ejus objectiones contra prædictam rationem ita urgent, ut eam inefficacem oſtendant, aut non queant ſufficienter enervari. Quod ſatis ſuperque erit, ut à communi via non recedamus. Eo præſertim, quia neque ratio ab iſto authore tradita liberior eſt ab impugnationibus : quas contra illam efformat Leſſius lib. 2. de juſtit. cap. 9. num. 61. poſſentque aliæ non minùs urgentes efformari. ¶ Nobis autem (quicquid ſit de efficacia, aut inefficacia prædictæ rationis) hoc ſaltem eſt perſpicuum, quòd non procedit à priori, nec reddit propriam cauſam, cur pollutio in nullo eventu ſit permiſſa. Solùm enim deſumitur ab inconveniente augeſcendi luxuriæ peccata, ſi illa pro eventu aliquo liceret. *Quia* (inquit) *adeo vehemens in ſeminis emiſſione delectatio ſentitur, ut illam, teſte Abulenſe, cap. 5. Matth. quæſt. 184. ad primum, homines tanquam ſummum bonum proſequantur, illique veluti ſuæ felicitati adhærcant. Quare ob id natura in omni eventu ipſius adminiſtrationem homini denegavit : ea enim in aliquo caſu conceſſa, evidentiſſimum ſubeſſet periculum, ut homo à paſſione libidinis excæcatus, paſſim ſibi perſuaderet cauſam effundendi juſtam adeſſe, atque ita ſemen prodigeret : indéque fornicationes, adulteria, aliáque innumera luxuriæ vitia adverſus commune bonum pullularent. Quibus ut obviaret natura, meritò prædictam adminiſtrationem negavit, non obſtante vitæ individui periculo, quæ bono communi cedere debet,* &c. Hæc ratio, ut ex ea liquet, ſolùm eſt à poſteriori, ſicut eſt omnis ratio, quæ præcisè deſumitur ab inconvenientibus : atque adeò nequit oſtendere propriam cauſam, cur voluntaria pollutio in quocumque eventu per ſe & ab intrinſeco inordinata ſit, & juri naturali repugnet. Ob hoc igitur, & quia alia quam adduximus, à priori procedit, antiquámque, & D. Thomæ doctrinam continet, jure adſtringimur eam præeligere, & ab impugnationibus vindicare. 233

Leſſius. Sanchez.

Pro quo obſerva, naturam ad humanam generationem duo deſtinaſſe : nempe ipſam ſubſtantiam ſeminis intùs elaborati, & motum, ſeu actionem emiſſivam, qua inde progreditur, ut ad locum conceptionis perveniat. Ex quibus ſemen præcisè ſecundùm ſe remotius à generatione ſe habet, quia non confert ad illam prout remanet intra vaſa, ſed ut emiſſum & elatum per prædictum motum ad locum generationis : quo in munere ipſe motus vel actio immediatior eſt. Sicut autem 234

Elucidatur prædicta ratio.

Digitized by Google

actio immediatior eſt prædicto muneri, ita omnino eſt à natura determinata ad ejus finem, adeò ut pro nullo alio poſſit tali fine licitè privari. At verò ſemen ſolùm habet prædictam omnimodam determinationem ut ſtat ſub ea actione vel motu: ſicut hoc dumtaxat modo miniſtratum generationi deſervit: ſecundùm ſe autem, utque à tali actione & à quavis alia generationis officio deſtinata præſcindit, ſicut à generatione ipſa remotius eſt, ita minorem habet determinationem pro ejus fine; minúſque repugnat naturæ, ſi eo fine poſthabito, per aliquam aliam actionem ad alium ordinetur. ¶ Accedit, quòd ſicut motus & actiones præſertim liberæ ex propria ratione habent fieri & eſſe immediatè propter finem, quod tamen rebus permanentibus non ſic competit, ut in tract. de ult. fine diſp. 2. num. 47. explicuimus: ita ex propria actionis & motus natura habent ſtrictiùs quàm res permanentes fini alligari, & illum magis ſibi determinare. Ex hoc autem provenit, majorem determinationem præ ſe ferre quòd actio & motus deſervientes generationis bono ſeparentur ab eo fine, pro quo à natura primariò inſtituta ſunt, & illo propter quemcunque alium priventur; quàm quòd ſemen vel alia pars permanens, etiam ſi ad idem munus fuerit inſtituta, eodem fine orbetur, & per aliam actionem ad alium finem referatur.

235 Igitur (ut ad rem deveniamus) dum Ang. Doctor & cæteri Theologi negant licere ob quemcunque finem pollutionem vel copulam, niſi conjugalem, reddúntque rationem, quia natura humanum ſemen non ad individui bonum, ſed ad ſpeciei conſervationem ordinavit, fitque proinde bono communi injuria, ſi ob alium finem, prætermiſſo illo, expendatur, loquuntur non de ſemine ſecundùm ſe & ut manente intra vaſa, ſed ut moto & miniſtrato ea actione & impetu, quæ natura ad generationis officium deſtinavit: ac proinde de ipſamet actione immediatè id munus exequente. Quare ſolùm intendunt, hujuſmodi actionem ſeminis emiſſivam & adminiſtrativam taliter ex ſe adſtrictam eſſe illi fini, propter quem à natura inſtituta fuit, qui eſt conveniens & apta generatio, ut in nullo eventu, fine iſto prætermiſſo, licitè poſſit ad aliquem alium aſſumi. Nequaquam verò excludunt, quin de ipſo ſemine dum formatur, aut dum manet intra vaſa, vel etiam poſtquam ad matricem pervenit, poſſit individuum alia via vel actione in proprium commodum ſicut de reliquis partibus diſponere, ſi juſta cauſa vel neceſſitas ſecundùm materiæ gravitatem id expoſcat. Ipſa quippe minor ſeminis quàm actionis adſtrictio & determinatio ad finem, relinquit in eo nonnihil majoris indifferentiæ, ut abſque naturæ inverſione per diverſas actiones poſſit ad diverſos fines ordinari: ita ut per unamquanque ad illum finem ordinetur, ad quem ipſa actio ſuapte natura deſtinata eſt. Quod contra accidit in ipſis actionibus, propter majorem determinationem, uniuſcujuſque ad ſuum certum finem, ratione cujus determinationis nequeunt ſine perverſione, eo fine poſthabito, ad alium ordinari.

Et quod dicimus de actione ſeminis delativa ſeu adminiſtrativa, dicendum ſimiliter eſt de quavis alia ordinata per ſe ad generationem: uti eſt actio prolis formativa, quæ efficitur à ſemine in matrice recepto: nequaquam enim iſta vel alia ſimilis actio etiamſi libertati ſubeſſet, poſſet ab individuo licitè aſſumi ad alium finem, prætermiſſa congrua generatione: ſecùs ipſum ſemen, in quocunque ſtatu ſit, per aliam actionem, quam natura ad generationem non ordinavit. ¶ Quin potiùs quamvis ſemen verum non eſſet, ſed vanum & infructuoſum, ſicut eſt in ſpadonibus, non poſſet licitè expendi per illum motum & actionem, qua verum ſemen generationi miniſtratur, etiam propter individui ſalutem vel vitam; quamvis poſſet per aliam actionem intùs reſolvi & conſumi. Quod ſatis confirmat ea quæ diximus, & quomodo interdictum naturæ circa ſeminis expenſionem extra conjugalem copulam, non tam ad ipſam ſubſtantiam ſeminis ſecundùm ſe, quàm ad actionem adminiſtrativam reſpexerit.

Nec refert, ſi opponas, quòd juxta aliquorum ſententiam, quam tuetur Sanchez cit. diſp. 17. licet expellere prædicta actione ſemen corruptum: ergo licebit etiam ſpadonibus expellere illud ſemen infructuoſum & inane, utendo ea actione. *Sanch.*

Non itaque hoc refert. *Idem.* Tum quia ſententia illa nullatenus eſt ſuſtinenda, & ideo in ipſis operibus Thomæ Sanchez adeſt jam retractata lib. 5. ſummæ cap. 6. num. 12. Ideóque non nobis incumbit prædictam ſententiam cum noſtra & communi doctrina conciliare. Tum etiam quia reddi poteſt ſufficiens diſparitas inter utrunque caſum. Nam ſemen ſpadonum eſt talis conditionis, ut quicquid in eo eſt, ex propria ratione ad generationem ordinetur, & propter eam à natura deſtinetur: quamvis quia non pervenit ad ultimam & perfectam elaborationem, maneat velut quid informe & incompletum, proindéque infructuoſum & inane, quaſi inſufficiens ad effectum generationis præſtandum: ſicut eſt ſemen mulieris. At verò ſemen corruptum per ipſam corruptionem amiſit totam ſeminis rationem, omninóque in aliam naturam mutatum fuit, priori penitus deſtructa: & ideo nullo modo jam generationem reſpicit, nec plus de illo natura curat in ordine ad eum finem, quàm ſi prorſus non eſſet. Quare hoc poſterius ſemen ad verum & prolificum habet ſe, ſicut cadaver ad vitam, quam penitus amiſit: illud autem prius, ſicut embrio ad animal, ad cujus complementum non pervenit; eſt tamen ſemper in via ad ipſum: & ex hac parte ſemper manet, ſaltem inchoativè & incompletè, ſub intentione naturæ prætendentis generationem. Ex hoc autem fit, ut expulſio ſeminis corrupti non ſit (niſi tantùm apparenter) de genere actionis adminiſtrativæ ſeminis, quamque natura ad generationem deſtinavit; ſed ſit tantùm quædam purgatio humoris corrupti, ſicut expulſio urinæ: ob idque in tali actione nulla fiat inordinatio, cùm ſine reſpectu ad generationem propter alium finem aſſumitur. Cæterùm expulſio alterius ſeminis infructuoſi ſemper retinet naturam actionis ſeminis adminiſtrativæ, tendentiſque ex ſua natura ad generationis finem: & ideo quoties, hoc poſthabito, ad alium aſſumitur, manifeſte eſt abuſus talis

Digitized by Google

talis actionis, quem natura improbat.

236 Ex his non jam difficile erit communem rationem ab impugnationibus ſuprà factis vindicare: ex quarum enodatione ejuſdem rationis efficacia magis apparebit. Ad primam ergo reſpondetur, quòd licet nemo cum ſalutis diſpendio teneatur generationi vacare; quia præceptum circa hoc eſt affirmativum, & non obligat pro ſemper: quilibet tamen tenetur non abuti illa actione, quam natura ad generationem ordinavit: qui ſanè abuſus toties committitur, quoties excluſo bono convenientis generationis aſſumitur prædicta actio ad alium finem: ſive id fiat per illicitam copulam, ſive per pollutionem voluntariam: & quia præceptum circa hoc eſt negativum & de re intrinſecè inordinata, obligat omnes & pro ſemper.

Ad ſecundam conſtat ex dictis, quomodo ſemen ſecundùm ſe non ſit ita adſtrictum generationis fini, ſicut actio adminiſtrativa: & propterea quamvis illud, prætermiſſo tali fine, per reſolutionem, vel aliam viam poſſit licitè ad individui bonum ordinari; ſecus tamen prædicta actio. ¶ Illud verò quod additur de teſticulis, minùs refert: non enim partes iſtæ & aliæ ſimiles ita ſunt generationis beneficio adſtrictæ, quin per prius, vel ex æquo individui bonum reſpiciant, poſſintque proinde propter hujuſmodi bonum licitè exponi.

Ad tertiam dicas, fœtum inanimatum ideo poſſe licitè expelli ob vitam matris, quia in ea expulſione nulla admiſcetur actio earum quas natura generationi deſtinavit; ſecus verò in ſeminis effuſione. Eſſet autem ſimile de expulſione prædicti fœtus, & de conſumptione, aut reſolutione ſeminis intùs facta, in quarum nulla admiſcetur prædicta actio. ¶ Adde, fœtum poſtquam in matrice exiſtit etiam nondum animatus, conſiderari jam ut aliud ſuppoſitum individualiter determinatum: contra quod proinde, ſi ſalutem matris invadat, licitum erit pugnare, & illud perdere. Quæ ratio non militat in ipſa ſeminis, ſive virilis, ſive fœminei attractione & delatione antecedente conceptum.

Ad confirmationem conſtat, apud nos non diſcriminari quantùm ad præſens ſemen ut eſt pars individui, manétque in ipſo, & fœtum inanimatum exiſtentem in utero: & ideo licebit de utroque, urgente proportionali neceſſitate propter bonum individui diſponere: dummodò id non fiat media actione pro generationis officio primariò inſtituta, fruſtratoque ejus fine. Et quoniam pollutio voluntaria fit media prædicta actione, non autem fœtus expulſio, idcircò poterit hæc licere aliquando, illa verò nunquam; quamvis liceat alia via ſemen conſumere vel minuere.

237 Ad quartam reſpondetur, illam propoſitionem *quòd natura diſponente naturaliter efficitur, ſi ratione fiat, nullus eſt abuſus*, non eſſe univerſaliter veram: nam mors naturalis in ſene, v. g. naturaliter ipſa natura diſponente fit: & tamen ſi ratio, vel induſtria humana in id concurreret adjuvando naturæ actionem, eſſet abuſus & peccatum. Cujus rei poſſemus non pauca afferre exempla. Sunt enim quamplurima; quæ ut inordinata non ſint, poſtulant à ſola natura fieri: eo quod naturæ author non tantùm effectum, qui fieri debet, determinavit, ſed etiam modum & principium, à quo debet fieri: ſcilicet quod ſola naturæ actio influat in talem effectum: in quibus proinde ſi actio libera, vel ſe ſola, vel ut coadjuvans actionem naturæ concurrat, eo ipſo perversè fient, quia contra naturæ diſpoſitionem. Hoc autem modo ſe habet effuſio illa ſeminis, qua naturà aliquando ſe exonerat: poſtulat enim ut à ſola natura fiat ſine interventu agentis liberi, ſicut mors naturalis: & ita quæcumque admiſceatur in aliquo prædictorum effectuum actio libera, erit perverſa & inordinata.

Adde, naturam & naturæ authorem non adſtringi legibus, quibus ligatur agens creatum liberum: & ideo quod illa actionem ex ſe ad generationem tendentem ſeparet ab hoc fine propter alium ab authore naturæ intentum, nulla eſt inordinatio: ſecus autem ſi id præſtet agens liberum, cui naturæ lex prædictam ſeparationem interdixit, cuique non licet naturæ leges, & naturales operationum fines immutare. ¶ Adde etiam, naturam non ordinaſſe per ſe ad generationem quamlibet ſeminis effuſionem, ſed illam dumtaxat, quæ eſt effuſio animaſtica & libera, quia hæc ſola eſt propriè ſeminis adminiſtratio: unde hæc tantùm pervertitur, quando ſemovetur à tali fine. Alia vero, qua ex debilitate, aut morbo, vel ex ſeminis abundantia ſe exonerat, eſtque potiùs naturalis quædam evacuatio, non tendit per ſe ad generationem: & ideo ſine perverſione remanet abſque tali fine. Neque hinc fit, quod in hac ſecunda effuſione poſſit ratio juvare naturam. Quia eo ipſo talis effuſio per eam cooperationem mutaret ſtatum, tranſiretque in animaſticam & liberam, ac proinde in eam, quæ per ſe ad generationem tendit, cuique omnino debetur ejus finis.

Illud verò de judice latronem ſuſpendente 238
non refert: nam præterquam quod non omnibus licitum eſt cooperari ad illam ſuſpenſionem, ſed miniſtris ad id deputatis: & ideo ſi Sacerdos concurreret, inordinatè ageret: adhuc tamen eſt diſpar ratio: quoniam ea ſuſpenſio non eſt talis conditionis, quæ fieri poſtulet à ſolo judice, aut quod mutet ſtatum, ſi alterius cooperatio interveniat, ſicut mutat actio, de qua loquimur.

Ad ultimum quod additur, reſpondetur etiam illam propoſitionem non eſſe veram univerſaliter. Majus enim bonum eſt vita multorum, quàm unius: & tamen non licet directè occidere unicum innocentem ut multi liberentur. Et ratio eſt, quia occiſio innocentis intrinſecè eſt mala, & non eſt faciendum, vel minimum malum, ut eveniant quæcumque bona. Ita ergo in noſtro caſu, quia intrinſecè malum eſt ſeparare à ſinu generationis actionem, quam natura omnino propter illum deſtinavit, ob nullum bonum quantumcumque majus poteſt licitè fieri. ¶ Adde, quod licet vita individui, eo quod actualis, majus ſit bonum; aliunde tamen præſtat vita quæ eſt in ſemine: quia dum ibi eſt, non ſpectat ad individuum determinatum, ſed ad ſpeciem, cujus bonum ſicut communius, ita divinius.

Hæc diximus pro diluenda communi replica; reddendáque diſparitate inter voluntariam

Digitized by Google

pollutionem, & aborſum fœtus inanimis. Sufficientérque jam conſtare credimus præſertim ex dictis num. 236. quomodo ratio interdicens perpetuò pollutionem, in hoc aborſu non militet: ac proinde cur iſte aliquando licitus ſit, illa verò nunquam; quamvis poſſit licitè alia via ſemen reſolvi & conſumi. Conſtátque ſimiliter, eandem rationem eſſe de qualibet pollutione, ſive maris, ſive fœminæ, ſive veri ſeminis, ſive inanis, ſaltem non corrupti. Nec cauſeris, quaſi immiſcuerimus quæſtionem, quæ poſſet aliò reſervari, aut quod circa replicam incidentem plus debito immorati ſumus: compulit quippe nos ipſa rei difficultas: cui proinde ubicumque occaſio ſe offerat, vel tantillum novæ elucidationis præſtitiſſe, nemo ſtudioſorum ingratum habebit.

§. V.

Secunda aſſertio pro cauſis etiam per ſe.

239 Dicendum eſt ſecundò: quoties cauſa influens per ſe etiam notabiliter in aliquem effectum malum, æquè immediatè, vel per prius habet alium effectum bonum, iſque ſufficienter neceſſarius cenſetur juxta materiæ gravitatem & qualitatem, poteſt talis cauſa licitè applicari ad hunc effectum poſteriorem; etiamſi pravus ille ſuccedat: dummodo licet prævisus, non tamen ſit intentus, neque expreſsè volitus, neque medium per ſe ad finem intentum. Secluſa verò neceſſitate tenebitur voluntas à prædicta cauſa abſtinere: eritque obligatio hæc ſub mortali, ſi materia gravis ſit; ſecùs ſub veniali. Hæc etiam concluſio quoad utramque partem eſt ſatis recepta inter Doctores, quorum aliquos pro præcedenti adduximus: pluréſque alios refert Thomas Sanchez cit. diſp. 20. n. 14.

Th. Sanch.

Declaratur aſſertio.

Priùs autem quàm rationibus probetur, declaranda eſt aliquibus exemplis. Sint verbi gratia, in aliqua civitate jure expugnanda ſimul cum nocentibus aliqui innocentes: licitum erit gravi neceſſitate cogente, civitatem illam comburere eo animo ut nocentes intereant, licet æque ſimul præter agentis intentionem perituri quoque ſint innocentes: quod quidem minimè liceret ea neceſſitate ſecluſa. ¶ Similiter ubi mulier gravida etiam poſt animationem fœtus periculosè laboraret (nec ſpes foret, ut matre pereunte proles ad luſtralem aquam viva pertingeret) & eſſet aliqua medicina, quæ etſi cum aborſus periculo, at non per ſe mediante aborſu, ſed immediatè per ſe ipſam nocivum humorem, morbúmque expelleret, licitum erit præbere & ſumere talem medicinam, etiamſi ex natura rei, præter intentionem tamen præbentis & ſumentis, cooperatura ſit ad fœtus abortionem: quod ſanè eſſet iniquum, ſi neceſſitas non cogeret, poſſetve alia via periculoſo morbo occurri.

Et (accedendo magis ad materiam hujus diſputationis de motibus appetitus) reſpectu tactus, quo chirurgus ad medendum fœminæ inhoneſta tangeret, poteſt eſſe duplex effectus uterque immediatus, neuterque ex alio dependens: alter curatio fœminæ, alter delectatio venerea, aut etiam pollutio in tangente, vel patiente prævisa: licebit ergo, ſi neceſſitas urgeat, prædictus tactus, adhibitus dumtaxat ex intentione curationis: qui tamen extra caſum urgentis neceſſitatis eſt omnino illicitus. Quo etiam modo philoſophandum erit de ſumptione potionis, quæ diſparatè haberet pro effectibus & conſumptionem ſanguinis, vel alterius humoris mortem aut gravem morbum inferentis, & ſeminis expulſionem: ita quidem ut non illam mediante hac, ſed immediatè & diſparatè utramque prædicta potio operaretur, vel ſaltem per prius & immediatiùs prædictam conſumptionem.

Aſſertionem ergo his exemplis declaratam (quæ & in pleriſque aliis locum habebit) probant aliqui quoad priorem partem: 240

Probatio aliorum.

quoniam actus humani ſpecies non ſumitur niſi ab eo quod eſt per ſe in intentione agentis: ergo cum in caſu aſſertionis cauſa habens illos duos effectus, ſolùm applicetur propter effectum bonum, pravus verò præter intentionem ſit, ſequitur, prædictam applicationem nullam ab ipſo effectu pravo ſpeciem, aut malitiam deſumere; ſed potiùs ab effectu bono ſpeciem bonitatis. ¶ Secunda etiam pars ſic probatur ab aliquibus. Nam qui vult cauſam per ſe aliquorum effectuum, eo ipſo virtualiter ſaltem vult omnem effectum contentum per ſe & prævisum in tali cauſa: ſed in caſu aſſertionis agitur de cauſa per ſe tam boni quàm mali effectus, & uterque prævidetur in ejus applicatione: ergo niſi neceſſitas excuſet, uterque cenſendus eſt ſaltem virtualiter volitus: velle autem quocumque modo effectum pravum ſemper eſt illicitum: ergo, &c.

Non ſatisfacit.

Sed utraque ratio niſi declaretur, patitur difficultatem, vel potiùs ſe invicem impugnant. Prima enim ſi eſt efficax, convincit etiam independenter à neceſſitate licere applicare prædictam cauſam: quippe nulla neceſſitate exiſtente, poteſt operans à ſua intentione excludere effectum pravum: ſi ergo actus ab eo quod extra intentionem eſt, non ſumit malitiam, nulla neceſſitate opus erit, ut applicatio cauſæ, de qua loquimur, ab effectu illo pravo non vitietur. ¶ Similiter ſi ſecunda ratio ſit efficax, probat contra primam, etiam exiſtente quavis neceſſitate, prædictam applicationem fore illicitam: quia ſi volitio cauſæ per ſe eo ipſo eſt volitio omnium ſuorum effectuum, nulla neceſſitas impediet, quominùs effectus pravus, quem ſupponimus eſſe effectum per ſe, cadat ſub tali volitione: velle autem quocumque modo effectum pravum, nulla via poteſt à malitia excuſari.

Quare ut rem explicemus, animadvertendum eſt primò, dupliciter (quoad præſens attinet) dici aliquid *volitum*: vel directè, 241

Animadverſio pro vera ratione.

vel indirectè. Tunc dicitur *volitum directè*, quando volitio poſitivè & via recta ad illud terminatur, ſive immediatè, volendo illud expreſsè, ſive mediatè, volendo aliquid, in quo continetur, quatenus in eo continetur. *Indirectè* autem *volitum* dicitur, quando neque mediatè neque immediatè volitio poſitivè ex vi ſua ad id terminatur: ſed quia voluntas poteſt & tenetur illud vitare, & non vitat, hac indirecta via attribuitur ipſi voluntati quaſi ab

ea

Digitized by Google

ea exiſtens. Unde hic modus volendi omnino regulandus eſt ex potentia ſimul & obligatione ad aliquid prohibendum & evitandum. Neque habet locum reſpectu effectus boni & liciti, quia reſpectu iſtius non adeſt talis obligatio. Effectus autem pravus quocunque modo ſive directè, ſive indirectè volitus ſit, vitiat volitionem, quia malum ex quocunque defectu. Quòd ſi D. Thomas aliquando docere videatur, ſpeciem malitiæ non ſumi ab eo, quod eſt volitum per ſe, intelligendus eſt ut ſupra quæſt. 72. in annotationibus ad articulum primum, & infra diſp. 13. dub. 3.

Animadverſio alia.

Deindè nota, rationem innixam illi principio quod *qui vult cauſam per ſe, vult effectum*, ad ſummum procedere in volitione directa: indirecta enim non innititur rationi cauſæ vel continentiæ in ea, ſed potentiæ dumtaxat & obligationi ad prohibendum: & ideo poteſt inveniri in eo, qui nullam appoſuit cauſam; ſi tamen prohibere debuit effectum ex cauſa ab alio poſita, & non prohibuit. Determinata vero prædicta ratio ad volitionem directam, adhuc non convincit, ſi cauſa ſolùm eſſet volita materialiter in eſſe rei, niſi fuerit volita formaliter in quantum cauſa, & prout hic & nunc poteſt inducere effectum, ut habetur ex dictis in hac diſp. num. 152. Ut autem cauſa aliqua ſit volita formaliter in quantum cauſa, ſitque proinde volitus directè ejus effectus, in primis neceſſaria eſt cognitio prædictæ rationis, nempè cauſæ in quantum cauſæ: nihil enim volitum quin præcognitum, quæ cognitio haberi nequit, niſi connotato effectu, eóque præviſo, ſaltem ut ſub dubio vel probabiliter futuro ex poſitione cauſæ. Et ideo qui penitùs non adverteret, cauſam aliquam inductivam eſſe alicujus effectus, aut licèt adverteret, prudenter tamen crederet, prædictum effectum hic & nunc minime ſubſequendum, non eſt dicendus voluiſſe talem effectum, ex eoquod applicuerit cauſam; neque effectus ipſe, licet poſtea præter ſpem ſequatur, dici debet *voluntarius*. Ut conſtat in illo, qui ſumeret quantitatem vini vel invincibiliter ignarus, quòd inde ſequi poſſet ebrietas, vel prudenter judicans nullum hic & nunc ſubeſſe ejus periculum, ſicut accidit Noë: is namque non eſt dicendus voluiſſe in ſumptione vini ebrietatem, neque hanc poſtea ſequutam fuiſſe illi voluntariam, ſicut neque imputaretur ad culpam: non ob aliam rationem, niſi quia licèt cognoverit cauſam in eſſe rei, nempe vinum, non cognovit illam formaliter ut cauſam; quia non cognovit, quod hic & nunc inducere poſſet talem effectum.

242 Difficultas incidens.

An vero poſita hujuſmodi cognitione & præviſione effectus, eo ipſo per quamvis volitionem applicativam cauſæ cenſeatur directè volitus talis effectus, adeóque ipſa cauſa in ratione cauſæ? Non eſt facile ſtatuere. Eligimus autem pro nunc (nec ſine meditatione & conſilio) partem negativam: perſuaſumque habemus volitionem cauſæ, quantumvis efficacem & applicativam, non neceſſario tranſire directè ad denominandum volitum ejus effectum, quantumvis præviſum (& eſt ſermo de effectibus per ſe, quia de effectibus per accidens nulla eſt difficultas) ſed poſſe ſiſtere in ipſa cauſa ſumpta præcisè in eſſe rei, totieſque ita ſiſtit, ſaltem quantum ad tendentiam directam, quoties vel voluntas poſitive reiicit talem effectum: vel eſto non ſic reiiciat, habet ſe tamen quantum ad volitionem expreſſam omninò præciſivè nihil curans de effectu. Quare ut is cenſeatur directè volitus in volitione cauſæ, vel debet eſſe præintentus, ex hacque præcedente intentione cauſa eligi & applicari: vel debet eſſe volitus expreſſe unà cum ipſa: vel debet prædictus effectus eſſe medium per ſe conducens ad alium finem principaliùs intentum, ex qua intentione proceſſerit volitio & applicatio cauſæ. Quòd ſi nihil horum contingat, ſed ſola cauſa ſit expreſſe volita vel propter ſe dumtaxat, vel propter aliud in ordine ad quod ipſa cauſa, non vero effectus, de quo loquimur, per ſe conducat; non erit quo pacto volitio directa locum habeat reſpectu prædicti effectus: adeóque vel recurrendum erit ad volitionem indirectam, quæ innititur potentiæ & obligationi ad illum evitandum: vel quavis ex his deficiente, omnino manere debet talis effectus non volitus, & non voluntarius, quantumvis ejus cauſa applicata ſit liberè.

243 Ratio prædictorum ex D. Thoma.

Ducimur ad ita exiſtimandum tùm authoritate D. Thomæ ſupra quæſt. 73. art. 8. ubi aſſerit, effectum nocivum præviſum & non intentum (& eſt ſermo in communi de quovis effectu, atque adeò tam per ſe quàm per accidens) ſolum indirectè augere malitiam cauſæ: cum autem eo modo augeat, quo eſt volitus, ſequitur talem effectum quantumvis præviſum non eſſe volitum directè, ſed ſolùm indirectè, nempe ratione obligationis ad illud præcavendum. Tùm etiam ratione: nam ſi nulla adeſſet advertentia circa effectum, ſed ſola cauſa materialiter & in eſſe rei cognoſceretur, nequaquam ille cenſeretur volitus in volitione aut applicatione cauſæ: ut de effectu ebrietatis penitus ignorato nuper dicebamus: igitur neque accedente advertentia debet cenſeri directe volitus, niſi ſuperaccreſcat aliquid eorum, quæ diximus ex parte prædictæ volitionis. Patet conſequentia, quoniam denominatio *voliti* non ſumitur ab advertentia, ſed à volitione; unde novum aliquid exigitur ex parte ipſius volitionis, & non ſolùm ex parte advertentiæ, ut talis denominatio de novo in effectu conſurgat.

Roboratur.

Et confirmatur: nam ſi volitio terminata ad cauſam, eo ipſo eſſet volitio effectus; vel hoc conveniret illi eſſentialiter, omninóque ratione ſui: vel accidentaliter, ratione alicujus ſuperadditi? Primum dici nequit; aliàs etiam ignorato invincibiliter effectu, eſſet ejus volitio, cum neque ignorantia, neque aliud quid tollat, quod eſt de eſſentia prædictæ volitionis. Si vero dicatur ſecundum, habemus intentum: quoniam illud ſuperadditum ſolùm poteſt eſſe vel præintentio, vel expreſſio, quam diximus. Ad hæc: ſi voluntas ponendo cauſam, puta actionem honeſtam, prævidens ut effectum per ſe aliorum ædificationem, poſitive excluderet iſtum effectum, nolendo illum expreſſe, aut reſtringendo poſitive volitionem ad ſolam honeſtatem cauſæ, apud neminem talis effectus cenſeretur volitus, ob idque nulla propter illum nova bonitas prædictæ actioni accreſceret: at ſi volitio cauſæ quovis modo

Google

acceptæ ex ſe eſſet volitio effectus, per nullam acceſſoriam nolitionem aut reſtrictionem poſſet talis effectus, quandiu ipſa volitio duraret, à denominatione *voliti* excludi: per nullam quippe nolitionem impediri poteſt, quo minus volitio quævis creata, dum adeſt, tribuat de facto eam denominationem, quam ex vi ſuæ, eſſentiæ habet conferre, recipiátque proinde à re volita bonitatem vel malitiam. Ea vero, quæ adverſus doctrinam hujus notabilis ſe offerent, infra diluentur.

244 Vltima obſervatio. Tertiò circa indirectam volitionem obſerva, eam, ut diximus, inniti indiſpenſabiliter potentiæ & obligationi ad evitandum: & ideo quicquid vel evitare non poſſumus, vel non tenemur, non dicetur *volitum* hoc genere volitionis. Quamvis autem unuſquiſque proprium peccatum, quod formaliter tale eſt, id eſt quod fit per propriæ voluntatis conſenſum, ſemper vitare teneatur, nec ab hac obligatione poſſit ex quavis cauſa aut neceſſitate abſolvi: non tamen ita ſtrictè tenetur ad vitanda alia mala ſive propria, ſive aliena, quæ licèt ſint mala objectivè, eveniunt tamen ſine conſenſu voluntatis, proindéque ſine malitia formali: ſicut evenire poſſunt delectatio venerea ſenſitivi appetitus, pollutio, mors innocentis, & ſimilia: ſed toties poterunt hæc licitè permitti, quoties magna urget neceſſitas apponendi cauſam: eo quod ſine gravi incommodo juxta prudentis arbitrium talis cauſa omitti non valet. Permittens enim tunc cenſetur moraliter impotens ad impediendum: eóque ipſo eximitur à tali obligatione. Quanta vero eſſe debeat neceſſitas cauſæ, ut liberet ab ea obligatione, prædictámque permiſſionem excuſet, non poteſt generali regula determinari: quia in diverſis materiis & cauſis diverſimode eſt philoſophandum.

245 Suadetur prima pars aſſertionis. His ſuppoſitis probatur prima pars aſſertionis, videlicet licitum eſſe applicare cauſam boni effectus, urgente neceſſitate, etiam ſi prævideatur per ſe futurus effectus pravus; qui tamen neque eſt aut fuit expreſſe volitus, neque medium ad finem per ſe intentum. Quia in eo caſu effectus pravus nullo modo eſt volitus, ſcilicet neque directe neque indirectè; ſed tantùm permiſſus in applicatione cauſæ: ergo nullatenus vitiat actum voluntatis terminatum ad talem applicationem. Conſequentia liquet: voluntas namque non inficitur, neque ſumit malitiam ab aliquo malo, præciſe quia illud permittat, niſi aliquo modo ſcilicet directe vel indirecte velit tale malum, & ad illud afficiatur, ut eſt per ſe notum. Antecedens vero quoad utrunque volitionis modum ſuadetur ex prænotatis: & primò de volitione indirecta. Quia hæc non habet locum, ubi ceſſat obligatio vitandi malum, etiamſi cauſa mali applicetur, propter alium tamen effectum bonum: at in caſu aſſertionis ceſſat talis obligatio: ſupponimus namque neceſſitatem applicandi cauſam propter effectum licitum eſſe ita gravem & urgentem, ſicut requiritur ut liberet ab obligatione cavendi effectum pravum: non ergo hujuſmodi effectus in tali caſu poteſt dici *volitus* ratione prædictæ obligationis, ſeu indirectè. Quoad volitionem directam etiam probatur. Nam iſta poſtulat vel expreſſam volitionem ipſius pravi effectus: vel quod cauſa applicetur ex præcedente ejuſdem effectus intentione, vel ſaltem ex intentione alterius finis, ad quem talis effectus per ſe ut medium concurrat. Cum igitur in caſu aſſertionis nihil horum reperiatur, ut intuenti conſtabit, non eſt quo pacto effectus pravus cenſeatur tunc volitus directe.

Dices, rationem hanc ſolùm convincere de volitione directa formali, quæ poſtulat expreſſam terminationem ad effectum volitum; non autem de volitione virtuali: hæc enim etiam ſi ſit directa, non poſtulat prædictam terminationem; ſed ſufficit terminari expreſſe ad cauſam, in cujus virtute effectus continetur, ut iſte dicatur *virtualiter volitus*: eo quod juxta commune proloquium qui vult antecedens, vult conſequens, & qui vult cauſam, vult effectum: utique virtualiter, ſicut continetur in ipſa cauſa. Aliter nulla erit volitio virtualis directa diſtincta à formali. ¶ Adde, quòd juxta doctrinam D. Thomæ ſupra quæſt. 20. art. 5. & quæſt. 73. art. 8. quoties effectus pravus per ſe ſequitur ad aliquam cauſam, etiam ſi cogitatus non ſit, auget malitiam actus terminati ad illam cauſam: igitur cenſetur volitus in volitione cauſæ, quamvis nulla ſit terminatio expreſſa ad talem effectum. 246 Objectio. D. Thom.

Enervatio. Reſpondetur negando antecedens: nam ratio facta convincit de omni volitione, quæ non innititur obligationi, atque adeò de omni volitione directa ſive formali, ſive virtuali. Neque per hoc tollitur locus volitioni virtuali directæ, aut confunditur hæc cum formali: differunt enim, quia volitio formalis importat actualem & expreſſam terminationem ad ipſum objectum; quod denominatur ita volitum: v.g. ad effectum pravum: ceſſantéque hac expreſſa terminatione in ſe ipſa, ceſſat talis denominatio. Ad volitionem vero virtualem non requiritur actu ea terminatio, ſed quod ex præhabita intentione effectus vel finis, qui denominandus eſt *virtualiter volitus*: applicetur cauſa ſive medium conducens ad talem finem: túncque prædictus finis vel effectus, qui antea per intentionem fuit formaliter volitus, denominatur, ea tranſacta, *volitus virtualiter* ſine expreſſa terminatione actuali ad illum, ratione applicationis, medii, vel cauſæ: in qua applicatione cenſetur virtualiter manere præcedens intentio. Quòd ſi applicatio cauſæ vel medii non procedat ex præhabita intentione pravi effectus, vel ſaltem ex intentione alterius finis, ad quem effectus pravus per ſe ut medium conducat, non erit quo pacto talis effectus denominari valeat *volitus virtualiter directè*. Atque adeo vel recurrendum erit ad volitionem indirectam innixam obligationi; vel ad volitionem directam formalem, quæ tunc dum cauſa applicatur, actu & expreſſe terminetur ad prædictum effectum: vel iſte manebit omnino non volitus, & non voluntarius: ſicut manet revera in caſu aſſertionis defectu omnium eorum, quæ modo diximus.

Illud autem, *qui vult antecedens, vult conſequens, & qui vult cauſam, vult effectum*, verum eſt de volitione cauſæ ut cauſæ, & antecedentis in ratione antecedentis: id eſt quatenus inductiva ſunt conſequentis & effectus. Tunc vero & non aliter cauſa & antecedens prædicto modo ſunt volita, loquendo de volitione

directa,

Digitized by Google

directa, quando præceſſit intentio ſupradicta, in cujus virtute aſſumuntur. Diximus *loquendo de volitione directa*: quia prædictum axioma *qui vult antecedens vult conſequens*, &c. ſufficienter explicatur, ſi dicamus procedere de volitione indirecta, ubi ratione obligationis vitandi conſequens cenſetur hoc volitum in quavis efficaci volitione antecedentis. ¶ Ad illud, quod additur ex D. Thom. conſtat ex dictis: quia vel loquitur de volitione indirecta, vel intelligendum eſt ut explicuimus ſupra n. 162. & 163.

247 **Probatur aſſertionis quoad ſecundã partem.**

Secunda pars aſſertionis, nimirum non licere, ſecluſa neceſſitate, applicare cauſam boni effectus, ex qua prævidetur futurus per ſe effectus pravus, facilius ſuadetur. Quia unuſquiſque tenetur vitare, in quantum poteſt, malum, ſive proprium, ſive alienum, præcipuè quod ſequitur ex ejus actione ſicut ex cauſa per ſe: ad id enim cogit lex charitatis, & ſæpe etiam lex juſtitiæ: at extra caſum neceſſitatis nihil eſt excuſans ab ea obligatione: tenebitur ergo unuſquiſque extra hujuſmodi caſum abſtinere à prædicta actione, ut vitet tale malum: proindéque niſi abſtineat, debet illi ad culpam imputari tanquam volitum indirectè: in quo, quia res eſt perſpicua, non immoramur.

Qualis neceſſitas excuſet?

Circa gradum vero neceſſitatis requiſitæ ut excuſet à prædicta obligatione (loquendo prout uſque modo loquuti ſumus, de cauſis per ſe, notabilitérque influentibus in effectum gravem) dicendum eſt debere eſſe gravem & urgentem juxta prudentis æſtimationem, & attenta materiæ qualitate. Quare neque ſufficit ſola utilitas quantumvis maxima. Neque illa neceſſitas, etiamſi ſit gravis, cui ſine magno incommodo poteſt alia via occurri: ut in exemplis allatis pro declaranda aſſertione explicuimus, ut ex dicendis magis declarabitur. ¶ Debet autem prudens valde attendere materiæ qualitatem, & differentias virtutum, quibus malum permiſſum opponitur. Quia cum non omnes virtutes æqualiter obligent, ſed ſtrictius juſtitia; non poteſt eſſe æqualis obligatio vitandi omnia mala etiam gravia. Quare non eadem neceſſitas, quæ in materia unius virtutis pro non vitando malo ſibi oppoſito cenſetur gravis & urgens, ut in materia charitatis pro non vitando odio, vel ſcandalo; vel in materia caſtitatis pro non vitanda delectatione venerea, vel pollutione; cenſebitur nempe gravis in materia, v.g. juſtitiæ pro non vitando homicidio. Rurſus eò major exigitur neceſſitas in qualibet materia ad excuſandam permiſſionem mali, quò malum permiſſum ſecundum ſe eſt gravius, & quò cauſa liberè applicata proximius ſe habet, eſtque magis determinata ad tale malum, aut hoc certius in ea prævidetur futurum, minúſque aliis viis impedibile poſt cauſæ applicationem. Quæ & alia circa præſentem doctrinam attendenda non poſſunt ſpecialiùs hîc determinari, quam permittunt univerſales regulæ. Conſulendi autem ſunt Theologi morales, quorum eſt peculiares caſus & concluſiones pro qualibet materia ex his communibus principiis deducere.

§. VI.

Examinantur cauſæ per accidens, & obligatio eas evitandi.

Quæ uſque modo diximus de cauſis per ſe, communia ſunt pro omnibus materiis: ſecùs quæ de cauſis per accidens in reliquo dicemus. Nam in materia juſtitiæ & charitatis effectus nocivi ſecundum ſe graves, ſive per ſe ſive per accidens ex cauſa libera oriantur, regulariter eadem obligatione ſcilicet gravi & ſub mortali caveri jubentur: & ideo pro omnibus regulariter neceſſaria eſt urgens & gravis neceſſitas, ut ab ea obligatione liberet. Quod non ita accidit in materiis aliquarum aliarum virtutum, & præſertim caſtitatis, ad quam præſens doctrina, ut n. 213. animadvertimus, communiter determinari ſolet: quia impoſſibile eſt pro omnibus materiis generalis regula tradi. 248

Cavendum ſemper conſentiendi periculum.

Deveniendo ergo ad effectus nocivos prædictæ materiæ, qualis eſt pollutio, & ad motus appetitus ſenſitivi ſecundum ſe illicitos, uti ſunt deſiderium rei turpis, delectatio, &c. quoties hæc ex cauſis per accidens oriuntur, aut in eis prævidentur, unum conceditur ab omnibus, nempe quod ſi adeſſet periculum conſentiendi, vel in pollutionem, vel in delectationem, &c. tenetur quis ſub mortali prohibere tales effectus auferendo quaſlibet eorum cauſas liberas. Quia cum prædictus conſenſus ſemper ſit formaliter peccatum, undecumque proveniat, ſemper homo tenetur facere quantum poteſt ad illum evitandum: ſicut tenetur facere quantum poteſt, ne peccandi periculo ſe exponat; nam qui amat periculum peribit in illo: Quod ſi adeſſet cauſa valde urgens, ut eſſet in Medico neceſſitas medendi fœminæ, ubi alius Medicus deeſt, & in Parocho obligatio audiendi confeſſiones fœminarum, ubi id aliis committere non poteſt, licitè prædicto periculo ſe exponeret: munitus tamen oratione & firmo propoſito non conſentiendi: quia in eo caſu ita operans non amat periculum, ſed neceſſitate compulſus in illud ſe conjicit: atque eo ipſo confidere poteſt de divina miſericordia impendendum ſibi auxilium, quo à lapſu caveat. Nec diſplicet ſi dicas in ita ſe præmuniente contra conſenſum ceſſare jam iſtius periculum proximum, remotúmque eſſe quod permanet: atque adeo univerſaliter tenendum nemini ob quemcumque finem licere proximo conſentiendi in peccatum periculo ſe exponere.

Multiplices cauſæ per accidens.

Secluſo igitur conſenſus periculo, circa obligationem evitandi cauſas per accidens, in quibus pollutio aut venerea delectatio prævidentur, variæ ſunt ſententiæ, quæ ſimul cum ſuis authoribus & fundamentis ad tria, vel quatuor capita reducit Thom. Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 45. cauſæ enim quæ per accidens influere poſſunt in prædictos effectus, aliquando ſunt ſecundum ſe honeſtæ & licitæ, ut moderatus cibus, moderatus potus, audire confeſſiones fœminarum, ſtudium de prædictis rebus, & ſimilia. Aliquando vero ſunt actiones illicitæ; non quidem intra genus luxuriæ, quia iſtæ potius ſunt numerandæ inter cauſas per ſe juxta dicta n. 111. ſed in aliis materiis 249

Digitized by Google

materiis, ut nimius eſus, nimius potus, illicita equitatio, &c. Et rurſus actiones iſtæ illicitæ vel poſſunt eſſe peccata mortalia: ſicut nimius potus uſque ad ebrietatem: vel ſolùm venialia: ſicut crapula non excedens malitiam gulæ.

Prima ſententia.

Prima ergo ſententia damnat ad mortale omnes prædictas cauſas, etiam quæ ſecundum ſe ſunt licitæ, quoties in eis prævidetur futura pollutio, aut notabilis venerea delectatio, niſi juſta aliqua neceſſitas vel utilitas prædictam malitiam excuſet. Neque ad hanc excuſationem in actionibus ſecundum ſe licitis requirit prædicta ſententia neceſſitatem gravem & urgentem, ut requiſivimus in cauſis per ſe: ſed quamlibet neceſſitatem vel utilitatem juſtam & decentem, qua non ſine incommodo privaretur, qui à prædictis actionibus abſtineret. Ita apud Sanchez, Valentia, Medina, Zumel, Rodriguez, & alii. ¶ Secunda ſententia docet, teneri quempiam ſub mortali abſtinere ab omnibus illis cauſis, in quibus prævidetur pollutio, quoties de ſe important aliquid illicitum in quacumque materia: ſive illud ſecundum ſe ſit mortale, ſive ſolùm veniale. Hanc tenent Armilla, Corduba, Enriquez, & alii ab eodem Sancio citati. ¶ Tertia ſententia ait tunc ſolùm adeſſe obligationem ſub mortali ad evitandam cauſam ratione pollutionis prævisæ, quando cauſa ſecundum ſe, independenterque à ſequela pollutionis eſt peccatum mortale: ut ebrietas, eſus nimius valde nocens ſanitati, &c. Pro hac refert citatus Doctor Alexandrum, Gerſonem, Angelum, Petrum, & Bartholomæum de Ledeſma cum aliis.

Sanchez. Valen. Medin. Zumel. Rodrig. Secunda. *Armilla. Corduba. Enriq.* Tertia. *Alexand. Gerſon. Angel. Petrus. Barth. de Ledeſma.*

250 Ultima.

Denique poſtrema ſententia ait, nullam aliam cauſam vitandam eſſe ſub mortali ratione pollutionis, aut delectationis venereæ prævisæ, & non intentæ; niſi quæ ſecundum ſe ſunt actiones graviter turpes, & conſequenter peccata mortalia intra ipſum genus luxuriæ: ut aſpectus, & tactus graviter impudici, oſcula & amplexus habita ob captandam delectationem, cogitationes ſenſuales de rebus turpibus, & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi, quæ eo ipſo non ut cauſæ per accidens, ſed ut cauſæ per ſe influunt notabiliter in prædictos effectus. Cætera verò ut ea omnia, in quibus num. 112. exemplificavimus, quæ non ſunt de genere luxuriæ, atque adeo quæ ſolùm ut cauſæ per accidens concurrunt: ſive aliàs ſint peccata mortalia; ſive venialia, ſive ex objecto bona, vel indifferentia vitanda eſſe dumtaxat (quantum eſt ratione pollutionis aut delectationis prævisæ) ſub peccato veniali: neque majorem malitiam quàm venialem ex ordine ad illas habitura, ſi non vitentur. Juxta hanc ergo ſententiam nulla ex cauſis per accidens, quantum eſt ratione pollutionis aut delectationis, vitanda eſt majori obligatione quàm ſub veniali.

Diximus *quantum eſt ratione pollutionis*, &c. quia ſi prædictæ cauſæ in aliis materiis fuerint peccata mortalia, ut ebrietas, aut crapula graviter nocens ſanitati, tunc abſolute vitandæ erunt ſub mortali: non tamen id habebunt, eo quod ſint cauſa pollutionis aut delectationis, ſed ſecundum ſe & aliàs. Ab obligatione vero vitandi ſub veniali prædictas cauſas ratione pollutionis aut delectationis prævisæ excuſabit quælibet earum neceſſitas, vel pia utilitas, per quam ab otioſitate liberentur, & ſecundum objectum vel finem honeſtæ reddantur. Quod ſi neceſſitate vel utilitate exiſtente, jungeretur prædictis cauſis aliqua circunſtantia extrinſeca à qua vitiarentur, ut ſi fierent v.g. ex inani gloria; adhuc tamen non contraherent malitiam venialem ratione pollutionis vel delectationis prævisæ; neque propter ipſas vitandæ eſſent ſub aliqua obligatione (licèt aliàs ratione illius circunſtantiæ eſſent peccata venialia, & ut talia vitandæ) quia in quantum cauſæ pollutionis vel delectationis ſufficientem haberent excuſationem in neceſſitate vel utilitate prædictis.

251 Tertia aſſertio.

Et hæc ſententia, quam eligit dictus Thom. Sanchez ſequutus D. Antoninum, Cajetanum, Filiarcum, Niebam, Navarr. Suar. Vaſq. & alios, videtur nobis probabilior, atque ſtatuenda pro concluſione. Cui etiam ſubſcribunt in præſenti Alvar. diſp. 14.6. Granad tract. 4. diſp. 6. Greg. Mart. 3. parte tractatus dub. 1. Araujo, Salas diſp. 6. ſect. 18. Leſſius lib. 4. de inſtit. cap. 3. num. 100. & 101. & alii quamplures. Quamvis vero neque pro ea neque pro reliquis ſupra recenſitis facile ſit rationem metaphyſicam omnino convincentem invenire, adeo ut majus uniuſcujuſque fundamentum ab authoritate deſumi debeat; nihilominus ejus magna probabilitas potiſſime in principali aſſerto, nullam videlicet ex cauſis per accidens vitandam eſſe ratione pollutionis aut delectationis prævisæ majori obligationi quam ſub veniali poteſt facile ſuaderi. Quia licèt prædictæ cauſæ aliquo modo concurrant; at non ſunt vere & ſimpliciter cauſæ, ſed ſecundum quid dumtaxat: potiuſque ille effectus reduci debet in ipſam naturæ conditionem, quæ vi ſua quandoque in ſimiles effectus prorumpit, vel in aliam cauſam per ſe voluntatis dominio non ſubditam, quam in ipſas cauſas per accidens: ad ſummum namque iſtæ deſerviunt, ut id, quod natura per ſe effectura eſt, aliquando citiùs eveniat: in quo valde parum nocumenti naturæ ipſi infertur. Non eſt ergo ſufficiens ratio, ut ſimpliciter ſcilicet ſub mortali prohibeantur ratione talis influxus; ſed ad ſummum ſecundum quid & ſub veniali, ut ita modus prohibitionis modo influxus proportionetur.

D. Sanchez. D. Antonin. Caiet. Philiar. Nieba. Navar. Suar. Vaſq. Alvar. Granad. Greg Mart. Araujo. Salas. Leſſius.

Probatur quoad primam partẽ.

Accedit damnum prolis, quod per hujuſmodi cauſas ſeminis effuſione infertur, & ratione cujus ipſæ prohibitionem poſtulant, eſſe remotiſſimum & valde dubium, aliiſque viis facile impedibile: ergo non debuit permiſſio talis damni ita ſtrictè prohiberi, ut ſimiles cauſæ ad mortale damnarentur. ¶ Accedit ſecundò, quod cum hujuſmodi cauſæ iis etiam, qui erga caſtitatem optime ſunt effecti, ſæpiſſime occurrant (quod non evenit in cauſis per ſe) eſſet ſanè importabile onus hominibus imponere, exponereque innumeris ſcrupulis timoratorum conſcientias, ſi omnes illæ ſub mortali prohiberentur propter ſolùm prædictum influxum per accidens. Quod ſi non omnes ſub tanto crimine interdicendæ erant; neque etiam aliquæ: cum nulla eſſet ratio, cur iſtæ potius quàm illæ: ſiquidem quantum ad influxum in pollutionem, qui ſolus debet in tali prohibitione attendi, omnes ſunt æquales:

Digitized by Google

les : omnino enim impertinenter ad id ſe habet, quòd in aliis materiis quædam ſint bonæ, quædam vero malæ aut indifferentes.

252 *Probatur quoad ſecundum.* Secunda autem aſſertionis pars, videlicet adeſſe obligationem ſub veniali pro omnibus prædictis cauſis, niſi aliqua juſta ratione excuſentur, communiter ab omnibus recipitur. Et merito, quia negari non poteſt, pollutionem & veneream delectationem quovis modo ſequutas habere aliquam indecentiam, eſſeque caſtitatis inimicas, ſaltem qua parte fœdant corpus : imo & mentem quantum eſt ex ſe ad malum alliciunt : ob idque veri caſtitatis amatores quantum poſſunt, illis obſiſtunt : ergo ne ſequantur, ſaltem dum id poſſumus ſine ullo incommodo, tenemur aliqua obligatione vitare quamlibet earum cauſam : cùmque hæc obligatio in cauſis per accidens ſub mortali non ſit, erit utique ſub veniali.

Et obiter nota, quòd quia prædicta obligatio oritur ex ipſa virtute caſtitatis, quæ omnem pollutionem quovis modo culpabiliter ſequutam ut ſibi inimicam reiicit, ejus cauſæ per accidens quoties ſine ſufficiente excuſatione liberè applicantur, non ſolùm contrahunt malitiam alterius generis, ut gulæ, ebrietatis, ocioſitatis, &c. ſed etiam malitiam venialem intra genus luxuriæ : quæ in omnibus illis eſt ejuſdem ſpeciei pertinens reductivè ad ſpeciem luxuriæ contra naturam, quæ dicitur *mollities*, quam conſtituit pollutio ſimpliciter voluntaria.

Denique à prædicta obligatione eximere neceſſitatem vel utilitatem explicatam, ex eo liquet, quia cum obligatio modica ſit, modica etiam cauſa ab ea excuſat : neque omnino modica eſt quælibet neceſſitas vel utilitas dictata per rationem.

253 *Obiectio.* Sed objicies primò : quia vel pollutio prævisa in hujuſmodi cauſis per accidens (idem eſt de delectatione) eſt voluntaria in illis, vel non ? Si primum, cum materia ſit gravis, non eſt quo pacto à malitia mortali excuſetur. Si vero ſecundum, neque etiam contrahet venialem : quia ubi non eſt voluntarium ſaltem in cauſa, non poteſt eſſe aliqua malitia.

Diluitur. Reſpondetur, prædictam pollutionem eſſe voluntariam ſecundum quid, non autem ſimpliciter : cum enim ejus voluntarium utpote indirectum omnino fundetur in obligatione non permittendi, & hæc ſit tantùm ſecundum quid, ſcilicet ſub veniali, non poteſt illa evadere voluntaria ſimpliciter, ſed ſecundum quid dumtaxat juxta menſuram obligationis : ut in ſimili latius explicuimus dub. præced. num. 204. & 205. Quare licet materia alias & reſpectu conſenſus formalis voluntatis, ſeu voluntarii directi ſit gravis, in caſu tamen, de quo loquimur, non habebit majorem malitiam quàm venialem ; quia malitia mortalis poſtulat voluntarium ſimpliciter.

Obiectio alia. Obijcies ſecundò, non rectè inter cauſas per accidens collocaſſe nos num. 212. ſtudium, & audientiam confeſſionum de rebus turpibus : quia perſpicuum eſt nihil horum fieri poſſe niſi cogitando de ipſis rebus : talis autem cogitatio numerari debet inter cauſas per ſe notabiliter influentes : vix enim aſſignari poteſt aliqua cauſa ita directe & per ſe movens ad pollutionem & delectationem veneream, ſicut prædicta cogitatio : imo cæteræ cauſæ per ſe non influunt niſi excitando cogitationem, & illa mediante : ergo, &c.

Reſpondetur cogitationes de rebus turpibus eſſe in duplici differentia : nam aliæ ſunt cogitationes laſcivæ & omnino ſenſuales, quæ dici poſſunt *practicæ* : illæ nimirum, quæ non ordinantur ad acquirendam de objecto cogitato intellectualem notitiam ; ſed potius per eas ſenſus figitur in delectabilitate & turpitudine ipſius objecti, & quaſi non aſcendit ad miniſtrandum intellectui, ut prædictam notitiam acquirat ; quinimo trahit illum ad ſe & ad ſenſibilia, facitque hærere ibi ejus obtutum. Et tales cogitationes vere ſunt cauſæ per ſe, quia ſuapte natura tendunt ad excitandos in appetitu motus venereos, & cauſandam pollutionem. Et iſtæ ſunt, quas nomine *cogitationum ſenſualium* inter cauſas per ſe non ſemel in hac diſputatione recenſuimus. Aliæ ſunt cogitationes immaterialiores, quæ dici poſſunt *ſpeculativæ & ſtudioſæ* : eo quod licet verſentur circa res turpes, attingunt tamen illas immaterialiori modo : quatenus per tales cogitationes non ſinimus ſenſum aut intellectum ſiſtere in delectabilitate objecti, neque ibi obtutum figere ; ſed utimur illis ad hoc præciſe, ut intellectus per diſcurſum & conferentiam notitiam intellectualem de rebus cogitatis acquirat, earúmque aſſequatur veritatem, vel in jam acquiſita magis radicetur. Quo caſu ſenſus potius aſcendit & elevatur ad juvandum intellectum, quàm illum ad ſe trahat : eóque aſſenſu veluti ſpiritualizatus, non tam movet appetitum ad objectum delectabile per motus laſcivos & venereos, quàm ad appetendam veri acquiſitionem per effectus ſtudioſitatis, aut curioſitatis. Hujuſmodi ergo cogitationes numerandæ non ſunt inter cauſas per ſe pollutionis : quia neque pertinent ad genus luxuriæ, ſed ſunt ex objecto honeſtæ (niſi curioſitate vitientur) neque tendunt directè ad excitandam veneream delectationem aut pollutionem : licet inter earum cauſas per accidens aliquoties reperiantur. Tales autem ſunt cogitationes, quæ in ſtudio & audientia confeſſionum neceſſario interveniunt : unde merito eas nomine *cogitationum ſtudioſarum* inter cauſas per accidens num. 212. conſtituimus. Alia, quæ contra ſtabilita circa *cauſas per accidens* objici poterant, conſultò omittimus. Tùm quia ex dictis non difficile ſolvi poterunt. Tùm etiam quia ea accurate adducit & diluit Thom. Sanchez loco citato, ad quem Lectorem remittimus. 254 *Enervatur.*

§. VII.

Quid de cauſis per ſe, leviter tamen influentibus.

Dicendum eſt tamen, ubi cauſæ non notabiliter ſed leviter tantum influunt per ſe in motus appetitus, pollutionem, vel alios nocivos effectus in eis prævisos, teneri voluntatem ſub veniali, & non majori obligatione (quantum eſt ex hoc capite) evitare prædictas cauſas : unde ſi non vitet, contrahent inde malitiam dumtaxat venialem de genere luxuriæ ; 255 *Ultima aſſertio.*

luxuriæ ; à qua etiam obligatione eximet neceſſitas vel utilitas , quam in cauſis per accidens requiſivimus ; dummodo tamen hujuſmodi cauſæ per ſe leves præter effectum pravum habeant alium honeſtum priorem , vel diſparatè ſe habentem , ex cujus intentione applicentur , ut in ſecunda aſſertione pro cauſis per ſe gravibus requiſivimus. Hanc concluſionem tuentur omnes , quos pro præcedenti adduximus , & plures alii. Convincitúrque ſequenti ratione. Nam prædictæ cauſæ , quoad præſens attinet , ſolùm prohibentur , eò quod cauſæ ſunt illorum effectuum , atque adeo ratione influxus in illos : ſi ergo influxus iſte non eſt niſi modicus & levis, levi tantùm obligatione , atque adeo ſub veniali & non amplius debent prohiberi.

Confirmatio. Confirmatur : nam ubi cauſa leviter tantùm influit in effectum pravum, non eſt cauſa ſimpliciter , ſed ſecundum quid & imperfectè : ergo hoc dumtaxat modo , nempe ſecundum quid , participare debet malitiam ipſius effectus , & prohiberi propter talem malitiam : quod eſt prohiberi ſub veniali. ¶ Adde , cauſas leviter influentes in effectus illicitos graves ex objecto , verbi gratia in pollutionem aut delectationem veneream , plurimas eſſe, frequentiſſiméque occurrentes, & talis conditionis , ut neque à viris timoratis poſſint omnes niſi difficillime vitari, & fortè ſine ſpeciali privilegio nequaquam poterunt collectivè. Eſſet ergo onus importabile, ſi tot leves cauſæ ſub mortali interdicerentur ; imo quia non omnes poterant ſic prohiberi , non erat ratio cur prohiberentur aliquæ , cum inter illas nullum ſit diſcrimen , cur iſtæ & non illæ ſub mortali prohibeantur. In quo , quia res eſt perſpicua , nolumus detineri. ¶ Sicut etiam perſpicuum videtur , excuſare ab obligatione iſta ſub veniali neceſſitatem vel utilitatem in cauſis per accidens requiſitam : quia dum æqualis eſt obligatio , par quoque neceſſitas vel utilitas ab ea liberabit. ¶ Ad objectiones vero , quæ adverſus hanc doctrinam poterunt efformari , conſtabit ex dicendis in appendice ſequenti : & aliquas etiam reſervabimus ſequenti diſputatione , quæ erit de delectatione moroſa.

Appendix præcedentis dubii.

Pro diſcernendo inter cauſas per ſe graves & leves.

256 CIrca hanc ultimam aſſertionem , & etiam circa ſecundam plura adhuc eſſent tractanda , ut plenè innoteſceret , quæ ex cauſis influentibus per ſe vocentur *leves* , prohibitæque ſolùm ſub veniali : quæ vero *graves* , & prohibitæ ſub mortali : qualitérque inter eas diſcernendum ſit , an ſcilicet abſolutè , conſideratis unaquaque præciſe ſecundum ſe ; ita ut quæ ſemel eſt gravis, ſemper ſit gravis ; & quæ ſemel eſt levis , ſemper ſit levis : an vero reſpective ad influxum , quem præſtant , vel ad gravitatem , vel parvitatem materiæ, in quam influunt ; ita quidem ut eadem cauſa, quæ dum notabiliter & in materiam gravem influebat, *gravis* cenſebatur ; ſi tamen hic & nunc non nonniſi leviter influat , vel non niſi in materiam levem , eo ipſo *levis* judicetur. In quibus expoſitores D. Thomæ in præſenti , & univerſi Theologi morales circa ſextum præceptum , & in tract. de matrim. prolixè detineri ſolent ; nóſque præſens negotium libenter illis ex toto remitteremus , ut conſuleremus brevitati : præſertim cum in hac materia habenas laxare periculoſum ſit ; & habenas reſtringere fortè minus acceptum. Ne vero rem gravem communiſſimè obviam , à pluribus tactam, à paucis comprehenſam, & à nemine forſan ſufficienter diſtinctam eodem in ſtatu relinquamus , placuit pro ejus elucidatione nonnihil amplius laborare : non jam ut diverſorum placita , & rationes ad longum referamus & examinemus ; ſed ut ſuccinctè & breviter aliquot notabilibus & diſtinctionibus veritatem inquiramus.

§. I.

Rerum per ſe ad genus luxuriæ pertinentium diſcrimen : ubi de natura delectationis venereæ.

PRimo itaque ſciendum eſt ex D. Thoma quæſt. 15. de mal. art. 2. ad 18. res & actus pertinentia per ſe ad genus luxuriæ (pro hoc quippe genere , ut diximus , præſens doctrina ſpecialis traditur) eſſe in duplici differentia : alia, quæ omnino ſecundum ſe & ratione ſui , atque adeo abſolutè conſiderata quaſi ex vi propriæ ſubſtantiæ turpitudinem & malitiam referunt : alia vero , quæ non omnino ratione ſui id habent , ſed in quantum cauſant aliquid eorum , quæ omnino ratione ſui mala ſunt. Primo modo ſe habent omnis copula qualitercunque extra matrimonium habita , omnis voluntaria pollutio , prout comprehendit etiam diſtillationem , & omnis motus appetitus terminatus ad objectum laſcivum & venereum in quantum tale. Hæc quippe ex vi ſua, & præciſe quia tales res ſunt , independentérque omninò ab ordine ad aliud exprimunt deformitatem luxuriæ : ob idque nulla ratione fieri poteſt ut libere exercita , etiam propter quemcunque finem à malitia excuſentur. Neque apparet aliud in prædicto genere , quod omnino ratione ſui eam malitiam fundet. Poſteriori autem modo ſe habent omnia illa , quæ per ſe movent & excitant ad aliquid eorum , quæ nuper diximus ; & ideo non præciſe quia tales res ſunt , ſed quia talia cauſant , *luxurioſa & venerea* vocantur. Hæc ſunt oſcula , amplexus , cogitationes , & locutiones non ſtudioſæ de rebus turpibus , aſpectus inhoneſti , & potiſſimum tactus , comprehendendo ſub iſtis omnem externum motum vel geſtum ſive manibus, ſive quavis alia corporis parte, ſecum vel cum aliis citra pudicitiam exercitum. 257 *D. Thom.* Duo rerum genera ſpectantium per ſe ad luxuriam.

Deinde nota, ex rebus primæ claſſis copulam & pollutionem apud neminem admittere materiæ parvitatem (niſi in pollutione materiam parvam dicere velis diſtillationem valde modicam & ferè imperceptibilem , de quo infra) unde hæc nulla via niſi per voluntarii defectum poſſunt à mortali excuſari. De motibus autem appetitus , & præcipue de delectatione In quibus nulla ſit parvitas materiæ.

tione

tione venerea gravis extat controverſia inter Theologos, an ea omnis delectatio materiam gravem conſtituat, proindéque ex electione & voluntariè capta ſemper ſit peccatum mortiferum? an vero detur aliqua ita modica & tenuis, ut licet fuerit plenè voluntaria, nihilominus tanquam materia parva, atque ex hoc capite excuſetur à mortali? Ad cujus lucem prius videndum eſt, quæ ſit propriè delectatio venerea, & deinde quo pacto *gravis*, aut *levis* dici valeat: ac rurſus num aliqua poſſit dici materia parva in ratione peccati?

Delectationis venereæ natura. Filiuc.

258 Naturam igitur delectationis venereæ ex Galeno deſcribit Filiucius tom. 2. ſum. tr. 30. num. 180. his verbis. *Venerea autem delectatio ex Galeno lib. 14. de uſu part. cap. 9. & 10. eſt delectatio in carne conſurgens ex motu humoris ſeroſi, qualis eſt ſubſtantia ſeminis, & incaleſcens per commotionem ſpirituum deſervientium generationi*, &c. Quo etiam ferè modo deſcribit illam Thomas Sanchez cit. lib. 9. diſp. 46. num. 5. ex Cajet. Armil. & Tabiena dicens. *Delectatio venerea ſeu libidinoſa eſt quæ in ipſa carne ſentitur cum commotione ſpirituum ſubjervientium generationi circa partes libidinoſas. Ad differentiam ejus delectationis, qua placet tactus aut viſus proprii corporis vel alieni, ſine ulla libidine, ob ſolam proportionem & connaturalitatem cum organo tactus aut viſus. Sicut tactus rei blandæ; & viſus rei pulchræ organa viſus, & tactus naturaliter delectant.* Hæc illi.

Th. Sanch. Cajet. Armil. Tabiena.

Declaratur diffinitio.

Loquuntur autem in prædictis diffinitionibus de delectatione appetitus ſenſitivi, quæ quia eſt ſenſibilis paſſio, per ſe affert corporalem immutationem, habétque ex propria ratione ſentiri in ipſo corpore. Unde non comprehendunt delectationem, quæ eſt actus voluntatis: hæc enim frequentius appellatur nomine *gaudii*: cúmque ſit ſpiritualis, & non affixa organo corporeo, nequit ſecundum ſe prædictam commotionem afferre; niſi quatenus inducere ſolet delectationem ſenſibilem: quare nec præciſè ſecundum ſe in ſua ſpiritualitate ſiſtens *venerea* diceretur; ſecùs ut ad ſenſibilem delectationem deflectit. Si autem rationem quæras, ob quam delectatio venerea, ſentiri poſtulet circa partes libidinoſas, & cum commotione ſupradicta, facilè reddi poteſt animadvertendo, nullum objectum, quantumvis aliàs delectabile, poſſe hic & nunc appetitum ſenſitivum allicere, niſi ex parte corporis adſit ea diſpoſitio, cui congruit tale objectum. Delectatur enim unuſquiſque non niſi de ſuo convenienti, convenire autem appetitui corporali illud dicitur, quod convenit diſpoſitioni corporis, ubi reſidet talis appetitus, & apprehenditur ſub ea convenientia. Quocircà ſæpiſſimè accidit, ut idem objectum, quod, exiſtente in corpore tali vel tali diſpoſitione, cui congruit, attrahit appetitum & delectat, ea in contrariam mutata, nequaquam delectat, ſed potiùs contriſtat: eo quod jam apprehendi non valet ut congruum diſpoſitioni de facto exiſtenti. Hac ratione idemmet cibus, qui ſanum & bene humoratum allicit & delectat, ab infirmo patiente nauſeam reſpuitur & faſtiditur: quia licet ex parte objecti eadem ſit bonitas ad delectandum; ex parte tamen ſuppoſiti adeſt in ſano diſpoſitio conſona prædictæ bonitati, & in infirmo adverſa & repugnans, & ratione talis diſpoſitionis ſanus apprehendit illud ut ſibi conveniens, proindéque ut delectans, infirmus vero ut diſconveniens & contriſtans. Ut igitur objectum venereum alliciat appetitum ſenſitivum, conſurgátque in iſto delectatio, omnino adeſſe debet in corpore diſpoſitio, cui venerea conſonant.

Vnde habeat venerea delectatio ſentiri in carne?

Prædicta autem diſpoſitio quicquid ea ſit, oportet ut afficiat potiſſimum partes libidinoſas, lumbos, renes, genitalia, &c. Cum enim venerea omnia ad generationem reſpiciant, quæ fit medio ſemine, ſi quam in corpore diſpoſitionem conſonam requirunt, in illis ſanè partibus adeſſe debet; quæ prædictæ generationi, formationi ſeminis, conſervationi, atque emiſſioni deſerviunt: quemadmodum quia cibus ordinatur ad nutritionem, cui deſervit ſtomachus, aut palatus, in iſtis præcipuè adeſſe debet diſpoſitio conſona, ut ille apprehendatur conveniens & delectans. Debet item prædicta diſpoſitio eſſe facile alterabilis, & cito immutans corpus propter calorem, qui viget in venereis, quique citius & facilius quàm cæteræ qualitates habet alterari & commoveri: quantò enim calor plus habet de ratione activi, tantò minus poſſidet de ratione reſiſtitivi: & ita ſicut ex primo capite habet citò alterare, ita ex ſecundo citò alterari. Denique cum talis diſpoſitio, ejúſque alteratio in ratione ſenſibilis ad tactum pertineat, & hic maximè urgeat in illis partibus, faciliúſque à calore quàm ab aliis qualitatibus immutetur, oportet ut & alteratio ipſa quàm citò ſenſu percipiatur.

Ex his ergo principiis oritur, quòd delectatio, quam capit appetitus ab objecto venereo, comitem ſecum habeat ſupradictam commotionem in diffinitione poſitam: quia cum ea delectatio prærequirat in corpore diſpoſitionem, quam diximus, & hæc ſit ita facilè alterabilis (niſi etiam velis dicere importare tanquam de ſui ratione aliquid alterationis actualis: quod non examinamus) ibique reſideat, ubi tactus maximè viget, oportet ut ſtatim atque imaginativa apprehenditur, res venerea, cui omnino congruit, ob hujuſmodi convenientiam & ſympathiam à tali apprehenſione immutetur, hæcque immutatio à tactu illarum partium ſenſibiliter percipiatur. Quæ rationes quia in aliis delectationibus non ita procedunt ſicut in venerea, potuit hæc per prædictam commotionem à poſteriori ſeu tanquam per ſignum diffiniri. 259

Objectio.

Neque obeſt ſi objicias, quòd non ſemel contingit, ut dum aliquis cogitat de objecto venereo, nihil libidinoſæ commotionis percipiat, vel ob ſpecialem corporis complexionem, vel ob ſenectutem & caloris defectum, vel ob carnis macerationem, aut aliam ſimilem cauſam: & tamen in eo caſu ſi de objecto illo delectetur, talis delectatio erit propriè venerea, utpote de objecto venereo capta: non eſt ergo de ratione iſtius delectationis inferre indiſpenſabiliter talem commotionem. ¶ Et ſanè quidquid ſit de appetitu ſenſitivo, negari tamen non debet, quod voluntas poſſit de objecto illo propter aliquem finem delectari, & hæc voluntatis delectatio, præterquam quod difficile

difficile erit ut non ſecum afferat delectationem ſenſitivam, non eſt cur excludatur à linea venereæ, cum ejus objectum res venerea ſit. Adde, etiam in iis, qui prædictam commotionem ſentiunt, non ſemper comitari delectationem: hæc enim niſi reſiſtatur ſtatim atque proponitur objectum, ſolet incipere; commotio vero multoties non ſentitur niſi poſt aliquod temporis intervallum: datur ergo toto illo ſpatio delectatio venerea ſine prædicta commotione.

260 Diluitur.

Reſpondetur, in caſu aſſertionis omninò ceſſare tam in appetitu, quàm in voluntate delectationem veneream. Quia quod ad præſentiam objecti venerei cogitati non inſurgat prædicta commotio ob aliquam ex cauſis recenſitis, provenit ex eo quia talis cauſa abſtulit à corpore diſpoſitionem illam veneribus conſonam, qua ſublata nequit prædictum objectum apprehendi hîc & nunc ut conveniens, ſecundum quod venereum eſt, proindéque neque ut delectans. Quod verum eſſe credimus non modo quando objectum v.g. copula proponitur ut præſens, ſeu ut de præſenti habendum, ſed etiam ſi cognoſcatur ut præteritum: licèt enim quando actu extitit, fuiſſet delectans, quia tunc aderat diſpoſitio congrua; modo tamen quando ea abeſt diſpoſitio, neque ut præſens neque ut præteritum delectationem cauſat. Et licèt ratio à nobis facta primo aſpectu ſolùm videatur procedere in delectatione ſenſitivi appetitus; ſi tamen bene attendatur, probat æque de delectatione voluntatis. Quia voluntas cum ſit potentia ſpiritualis non allicitur ſecundum ſe ad bona ſenſibilia, neque ex eis delectationem capit: ob idque Angeli & animæ ſeparatæ omnino carent ſimilibus affectibus. Quia tamen dum anima eſt unita corpori, voluntas ſe habet ut appetitus totius, amat appetitui ſenſitivo & unicuique parti ſuum conveniens, & gaudet quod illo potiatur; de quo tamen minime gauderet, ſi prædictæ parti non conveniret. Secluſa ergo ab objecto venereo convenientia ad ſenſitivum appetitum prout in caſu objectionis ſecluditur, nulla eſt ratio cur voluntas feratur in illud ſecundum rationem delectabilis, aut ex ipſo gaudium vel delectationem recipiat.

Animadverſio.

Diximus *ſecundum rationem delectabilis*: quia non negamus poſſe voluntatem, etiam recuſante appetitu, ferri in tale objectum ſub alia ratione, nimirum ut utile ad aliquem finem à ſenſibilibus vel venereis elevatum, partique rationali immediate conſonum. Et hoc modo quantumcunque appetitus venerem faſtidiat, poterit voluntas gaudere de copula, vel eam deſiderare, non in quantum delectabilem, ſed præciſe in quantum conducit ad prædictum finem, puta ad filiorum poſſeſſionem, vel ad debiti ſolutionem, &c. Nequaquam tamen ea voluntatis delectatio, aut ſi quam aliam in appetitu infert, venerea erit: quia non ſumitur ab objecto venereo, ſed à fine illo, cui deſervit: qui cum ſit ſuperior & elevatior, nequit veneream delectationem cauſare.

Ad illud, quod additur in prædicta objectione, reſpondetur, quòd licèt motio concomitans veneream delectationem cum ea intus ſaltem incipiat, non ſemper eſt neceſſe, ut ſtatim etiam intus (quod ſufficeret) percipiatur: vel quia aliquando in initio erit valde modica, ferèque imperceptibilis. Vel quia licèt quantum eſt ex ſe ſufficienter percipi valeat; imaginatio tamen eſt ita rapta ab objecto extrinſeco, ut non ſic citò attendat aut percipiat quæ in proprio corpore aguntur. ¶ Adde, non obeſſe bonitati diffinitionis traditæ, quòd delectatio aliquantulum præcedat commotionem, dummodo hæc ſaltem poſt brevem morulam ſemper ſubſequatur: quia ſufficienter per hoc verificatur prædictam delectationem afferre ſecum eam commotionem: quod & nihil amplius diffinitio poſtulat.

261 Ex tradita doctrina perſpicue habetur, quòd licèt aliqua delectatio ſenſibilis ſit, & in corpore ſentiatur cum aliqua corporali immutatione (quæ immutatio ſive percipiatur ſive non, neceſſariò comitatur omnem paſſionem ſenſitivi appetitus) ſi tamen ea ſenſatio non contingat circa partes libidinoſas, & cum aliqua commotione ſpirituum ſubſervientium generationi, ſed dumtaxat in aliis partibus ut in manu, pede, ore, facie, &c. propter proportionem inter tactum & objectum tangibile in primis vel ſecundis qualitatibus, calore, frigore, lenitate, &c. aut inter viſum & viſibile ſecundum colorem, formam, vel figuram, &c. ſiſtendo ibi, aut ſi etiam ſentiatur in ipſis partibus obſcœnis propter aliquem tactum ibi contingentem, omnino tamen abſque prædicta commotione non eſt delectatio laſciva & venerea, ex quavis cauſa ſive ex tactibus, ſive ex aſpectibus, amplexibus, aut oſculis ortum ducat. Sed dicetur delectatio purè ſenſibilis & naturalis: quia delectatio venerea, ut vidimus, inſeparabilis eſt à prædicta ſpirituum genitalium commotione.

Nullibi cōfundendam eſſe delectationem purè ſenſibilem cum venerea.

Et quamvis in tactibus, oſculis, & ſimilibus, quoties ſola delectationis gratia habentur, aliqui authores utramque delectationem confundant, nullamque ibi agnoſcant, quæ venerea non ſit; hácque ratione eodem tenore damnent prædictos tactus ad mortale, ſicut vident damnatam ab aliquibus quamvis delectationem veneream extra matrimonium voluntariè captam: revera tamen decipiuntur. Quoniam prædictæ delectationes nedum formaliter ſed realiter differunt, potéſtque una ab alia ſeparari. Tum quia delectationem veneream, ut vidimus, indiſpenſabiliter concomitatur alteratio & commotio libidinoſa circa lumbos vel partes obſcænas, ubi potiſſimum ipſa ſentitur: at vero delectatio ex tactu ob proportionem cum objecto tangibili naturaliter conſurgens multoties invenitur ſine prædicta commotione: percipitúrque dumtaxat, ut experientia cuique notum eſt in ea parte corporis ubi contactus fit ut in manu, pede, aut facie ſine extenſione ad alias (non excludimus cor aut jecur ubi ſunt iraſcibilis & concupiſcibilis, omnéſque proinde paſſiones ſive bonæ ſive malæ ſubjectantur.)

Tum etiam quia delectatio naturalis indiſpenſabiliter conſequitur tactum reſpectu objecti proportionati: adeo ut neque ipſis corporibus beatis deſit: delectatio autem venerea ſæpiſſime deeſt etiam in viatoribus, quorum aliqui ob perfectiſſimum caſtitatis donum nihil venereum in quibuſvis ſuis vel alienis tactibus jam ſentiunt.

Tum

Digitized by Google

Ratio à priori. Tum præterea (& eſt ratio à priori) quoniam delectatio omnino naturaliter conſequens tactum non eſt alterius rationis quoad bonitatem vel malitiam, atque ipſe tactus, quem conſequitur: id quippe generale eſt omnibus delectationibus, ut ex operatione, ad quam omnino per ſe & naturaliter immediate ſequuntur, bonitatem vel malitiam recipiant; non è converſo: tactus autem ex ſpecie ſua, in quacunque contingat parte, non nominat actum malum, ſed potius indifferentem: ut docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 4. & communiter Theologi: & ita poteſt licite ſumi ad aliquem finem honeſtum, ut ad conciliandam vel fovendam honeſtam amicitiam; quod minime admitteret, ſi ex ſpecie ſua & intrinſece eſſet deformis: igitur neque prædicta delectatio naturalis habet intrinſece & ex ſpecie ſua quod ſit mala. Cum ergo omnis venerea delectatio extra limites matrimonii ſecundum ſe & intrinſece mala ſit, omninóque inhoneſtabilis propter quemcunque alium finem, conſequens eſt, hujuſmodi delectationes ſatis inter ſe differre.

262 Accedit quod in aliis rebus delectatio omnino naturaliter conſequens tactum à nemine cenſetur venerea aut libidinoſa: ut cum quis tangit roſam, ſericum, byſſum, & ſimiles res lenes, blandas, temperatas ſine ulla cogitatione, ſenſu, vel memoria actus aut commotionis venereæ, ſed attenta præciſe proportione & temperamento objecti tangibilis: igitur neque delectatio eodem modo conſurgens ex tactu carnis propriæ vel alienæ præciſe ob ſimilem proportionem ſiſtendo ibi, ſecluſáque omni alia intentione, commotione vel periculo, debet *venerea* nuncupari. Patet conſequentia: nam utraque delectatio habet idem formaliter objectum conſiſtens in temperamento rei tangibilis, cui materiale omnino eſt reperiri in carne, roſa, byſſo, &c. ergo utraque debet eſſe ejuſdem ſpeciei, atque adeo eodem modo bona, vel mala, vel indifferens.

Extenſio doctrinæ. Quæ doctrina univerſaliter intelligenda eſt de quovis tactu, etiam qui fiat in partibus obſcœnis, aut inter perſonas diſtincti ſexus, ſi ex eo præciſe conſurgat prædicta delectatio naturalis ipſius tactus propria, nulláque alia intendatur aut admiſceatur, neque ejus periculum ſubſit. Quod ſi plures hujuſmodi tactus abſque neceſſitate admiſſi communiter tamquam laſcivi & venerei ad mortale damnantur, nequaquam id habent ratione delectationis naturalis præciſe ſecundum ſe ſpectatæ, ſed quia rarò in ea ſiſtunt, ita ut non inferant ſupradictam commotionem & delectationem veneream, vel ſaltem ejus periculum, à quibus, non vero ab ipſa naturali delectatione ſolent etiam communiter *tactus laſcivi & venerei* nuncupari, indéque ad culpam imputari. Neque ut ſic imputentur, & tanquam laſcivi ad mortale damnentur, opus eſt, quod ab operante ad copulam vel alium turpem actum referantur, aut propter illum intendantur: ut exiſtimarunt nonnulli, contra quos agit latè Cajetanus. 2. 2. quæſt. 154. Caiet. art. 5. Sed ſatis eſt ſi intendantur propter delectationem veneream ex ipſiſmet immediate captam, & non ſiſtatur in ſola illa, quam diximus naturalem. Quippe venerea delectatio, quæcunque ſit, ſuapte natura independentérque ab operantis intentione tendit ad copulam & ad delectationem ex ipſa conſurgentem, cum qua eſt ejuſdem malitiæ, ſaltem reductivè. Imo licèt operans expreſsè non intenderet delectationem veneream ullam, ſi tamen abſque alia cauſa exerceret tactum, oſculum, amplexum, &c. quæ ſciret notabilem in eam influxum præbitura, peccaret contra caſtitatem; non ſecus ac ſi intendiſſet talem delectationem: imo ipſa delectatio eſſet illi voluntaria in cauſa, quantumvis in ſe ſequuta diſpliceret.

§. II.

Quo pacto in hoc genere admittenda, aut rejicienda ſit parvitas materiæ?

Excluſa ergo à linea venereæ ea delectatione, quam diximus *pure ſenſibilem* & naturalem, redeundóque ad delectationem veneream propriè dictam, obſervandum quoque eſt, ex duplici capite poſſe attendi ejus quantitatem ſive magnitudinem, ſcilicet ex parte actus ſeu effectus: & ex parte objecti. Ex parte actus attenditur ſecundum intenſionem vel remiſſionem ipſius actus, vel, ut melius dicamus, effectus inde ſequuti: potius enim magnitudo vel parvitas iſtius effectus, quàm intenſio vel remiſſio ipſius delectationis reſidentis in appetitu, hujuſmodi quantitatem conſtituit. Vnde illa dicetur *magna* ſive *notabilis*, quæ vehementem aut notabilem affert carnis commotionem: quæ vero remiſſam & modicam attulerit, dicetur ex parte actus *parva & levis*, etiam ſi circa objectum grave verſetur. Vel illa dicetur *magna ex parte actus*, quæ rationem notabiliter ad ſe diſtrahit, & attentionem rapit, vel pungit. Illa autem erit *parva*, quæ parum rapit, aut non multùm pungit attentionem. Magnitudo autem ex parte objecti attenditur ſecundum objecti quantitatem: & ideo quoties objectum, de quo capitur delectatio, fuerit res gravis in genere luxuriæ, ipſa dicetur *gravis*; ſi vero objectum in eo genere fuerit res levis, ipſa dicetur *levis* quantum eſt ex iſto capite, quicquid ſit de intentione, vel remiſſione actus. 263

Porro objecta gravia in genere luxuriæ ſunt copula carnalis, quævis pollutio, vel notabilis diſtillatio, atque etiam notabilis genitalium commotio, necnon quævis venerea delectatio gravis: poteſt enim de una delectatione cogitata alia quaſi reflexa inſurgere: atque etiam eſt objectum grave quævis cauſa in aliquid eorum, quæ modo diximus, per ſe notabiliter influens, quatenus ſic influit. Quoties ergo delectatio venerea conſurgit ex alicujus prædictorum cogitatione, dicenda eſt *gravis ex objecto*. ¶ Objecta vero levia in hoc genere non ita facilè apparent: niſi *levia* dixerimus tenuem & modicam commotionem circa partes libidinoſas, tenuémque & modicam delectationem prædictæ commotionis comitem, ſupra quam delectatio alia reflectatur, aut tenuiſſimam diſtillationem ſine cogitatione alterius objecti gravioris, de quo infra. Poſſunt etiam dici *objecta levia* cauſæ leviter influentes in effectus venereos huc- Objecta gravia & levia in genere luxuriæ.

uſque recenſitos; ut aſpectus faciei fœminæ, tactus digiti, &c. non ſecundum ſe, ſed quatenus actu influunt in prædictos effectus.

264 Circa objectum grave nulla eſt parvitas materiæ.

Igitur quoties venerea delectatio capitur de objecto gravi, certiſſimè tenendum eſt non poſſe eſſe materiam parvam in ordine ad peccatum conſtituendum, quantumvis remiſſa & modica ſit ex parte actus: neque hac via poterit unquam à mortali excuſari. Hæc eſt communiſſima Theologorum ſententia, à qua neminem Catholicum credimus diſſenſurum. Nam voluntaria delectatio de aliquo objecto importat vel ſupponit ſaltem implicitum conſenſum in ipſum objectum: qui enim voluntariè & liberè ab aliquo objecto delectationem capit, eo ipſo tale objectum ut ſuo appetitui conveniens approbat, quod eſt in illud conſentire: conſenſus autem in objectum grave apud omnes eſt materia gravis, parvitatem non admittens.

Pro certo etiam habendum exiſtimamus non poſſe eſſe materiam parvam, neque hac via à mortali excuſari quamvis delectationem veneream gravem ex parte actus ſeu effectus, quicquid ſit de gravitate objecti exiſtimati. Nam omnis ea delectatio eſt per ſe & ſufficienter emiſſiva pollutionis, adeóque notabiliter in eam influens, ut merito cenſeatur inchoata pollutio, proxime valde ad illam accedens: igitur ſicut pollutio, ſic prædicta delectatio non poteſt non gravis materia reputari.

¶ Ad objectionem vero, quæ ſtatim ſe offert, quo pacto ſcilicet delectatio ſit mortalis, ubi objectum eſt leve, cum ſpecies & malitia illius ab iſto deſumatur, facilis eſt ſolutio: nam quamvis objectum extrinſecum ſecundum ſe leve ſit; ut aſſociatum tamen prædicto effectu tanquam circunſtantia *quid*, induit rationem gravis: rationéque ejuſmodi circunſtantiæ poterit conferre gravem malitiam.

Difficultas tractanda & legitimus conſenſus.

Reſtat modò videndum, an ubi delectatio venerea tam ex parte objecti quàm ex parte actus & effectus levis eſſet (levem dicimus in eſſe phyſico, quia in eſſe moris an poſſit eſſe levis potius quæritur) cenſenda ſit materia parva in ordine ad peccatum conſtituendum, excuſetúrque hac via à mortali, etiam ſi ſit intenta. Et ſub his terminis propoſitam quæſtionem illam, à pleriſque agitatam, *num in genere luxuriæ concedenda ſit parvitas materiæ?* gravem, & maturo examine dignam cenſemus. Si autem ſermo eſſet de aliis delectationibus venereis, quæ de objecto gravi ut de copula, pollutione, vel notabili commotione ſive habita, ſive deſiderata, ſive ſolùm moroſè cogitata capiuntur, ad quas Fagundez & alii (ut facilius à difficultate ſe expediant) illam reducunt, non eſt dandus quæſtioni locus, ſed omnino ut indubitata tenenda pars negativa, ut jam diximus.

265 Qui tenticant materiæ parvitatem? Sanchez.

Porro in ſenſu à nobis propoſito prædictam materiæ parvitatem concedunt re ipſa authores non pauci, etiam ex iis, qui pro ſententia contraria adduci ſolent. Quo circa Thomas Sanchez cit. diſp. 46. poſtquam num. 7. ſtatuit oſcula & amplexus propter ſolam veneream delectationem ex illis conſurgentem, eſſe lethalia, ſequenti num. 9. ſic ait juxta primævam editionem. *Moderanda tamen eſt hæc ſententia, niſi parvitas materiæ adſit? illa enim à mortali culpa excuſabit. Poteſt enim dari modica delectatio venerea, quæ ſi abſint periculum pollutionis, & periculum conſenſus in actum carnalem, non erit culpa lethalis. Quia dari nequit ratio ſufficiens cur in cæteris præceptis detur parvitas materiæ, non tamen in hoc. Et quamvis parvitas copulæ carnalis dari nequeat; at poteſt dari parvitas delectationis venereæ, quæ ex ſolo tactu vel cogitatione inſurgat.* Hæc ille citans pro eadem moderatione Armillam, Navar. & Sotum. Armil. Navar. Sotus.

Nec refert quòd in editionibus poſthumis totus ille numerus expunctus ſit, & loco prædictæ limitationis inſerta ejus retractatio: ut ſit etiam tom. 2. ſum. ſimiliter poſthumo lib. 5. cap. 6. num. 12. Nam (præterquam quod primitivis editionibus, ut quæ partem agnoverunt, major præ poſthumis debetur fides, nec deſint qui inter ea poſthuma nedum editionem ſed & retractationem enumerent) adhuc etiam in ipſis editionibus poſthumis retinetur expreſsè prædicta ſententia de materia parva. Unde eadem diſp. 46. num. 16. propoſita hac dubitatione, *num tactus leves* (ut manuum fœminæ) *habiti ob captandam delectationem illam, quæ ex ipſis oritur, ſint peccata lethalia ſicut oſcula & amplexus?* & relatis pro ſententia affirmativa Cajet. & Tabiena, addit prædictus author. *At durum mihi videtur. Quamvis enim id affirmarim de tactibus illis gravioribus, eò quòd vehementius ad coitum incitet delectatio ex illis captata, imo ſit quadam coitus inchoatio; at alii tactus ſunt tam leviter turpes, ut excuſent à mortali propter malitiæ parvitatem, etiam ſi intendatur delectatio ex illis reſultans. Quia ea delectatio venerea modica materia eſt ad conſtituendam culpam mortalem. Aliàs nulla eſſet differentia inter hos tactus leves, & inter amplexus & oſcula*, &c. Quæ verba omnia extant in ipſis poſthumis editionibus, ubi habetur prædicta retractatio. ¶ Adde, neque ibi neque alibi apud prædictum authorem, etiam retractatione admiſſa, negari parvitatem materiæ in delectationibus venereis, quæ ſunt circa objectum leve, de quibus nunc agimus. Nam in ipſa poſtrema retractatione, quæ habetur tom. 2. ſum. loco cit. determinate eſt ſermo de delectationibus venereis, quæ ſunt circa objectum grave, ita enim loquitur. *At nunc conformius veritati judico non reperiri parvitatem materiæ in delectationibus venereis, quæ deliberatè capiuntur ex objecto gravi*, &c. Et infra: *quantumcunque modica ſit, ſi eſt de objecto mortali, erit ſemper mortalis*, &c. Quare hæc retractatio neque neceſſaria fuiſſe videtur, neque utilis: nam quod in ea negatur, nullibi aſſertum fuit à prædicto authore: & quod alicubi aſſeruit, in ea non revocatur. Quod ſatis indicat prædictam retractationem non ab ipſo Auctore, ſed ab alio, minus ejus ſenſum callente aſſutam fuiſſe. Quod alibi non ſemel factum obſervat Cardin. Lugo tom. 2. de juſt. & jur. diſp. 26. ſect. 5. num. 54. ubi cum retuliſſet ſententiam ejuſdem Thomæ Sanch. lib. 1. conſil. cap. 7. dub. 4. circa taxationem tritici, & obligationem hujus legis, ſic ait: *Quas rationes latiùs proſequitur Sanchez loco cit. qui eam ſententiam proculdubio tenuit ut jacet: licet qui illum tomum ediderunt, addiderint num. 18. jam illam legem in annis ſterilibus obligare, poſtquam Rex anno 1615. auxit pretium uſque ad 18. Iulios pro menſura: quod addiderunt* Card. Lugo. Thom. Sanchez.

Digitized by Google

runt quaſi verbis ejuſdem Sanchez non advertentes, legem illam latam eſſe triennio poſt ejus mortem, qui obiit anno 1610. Sicut & dub. ſequenti num. 4. addiderunt aliam limitationem quaſi verbis ejuſdem Auctoris propter legem novam editam anno 1620. Certè in iis, quæ auctoribus mortuis addenda videntur, deberet id fieri & charactere diverſo, & verbis ſaltem indicantibus, id ob rationes novas addendum videri: alioquin opera poſthuma minorem habent fidem apud lectorem.

266 *Ioan. de Sal.* Joannes de Salas in præſenti diſp. 6. (qui ſect. 10. num. 141. & ſect. 21. ſequenti teſtatur ſe in hac re nihil velle diffinire) poſt ſect. 23. concluſ. 5. diffinitivè concedit prædictam materiæ parvitatem. Cum enim ſtatuiſſet, quòd ſi quis turpia aſpiceret eo animo, ut in ſe gravem diſtillationem, vel magnam commotionem excitaret, peccaret mortaliter, addit. *Secus ſi levis aliqua diſtillatio, vel commotio ſpirituum intenderetur; quia tunc ex levitate materiæ, peccatum in genere luxuriæ veniale eſſet.* Ab eademque opinione minime diſſentire *Granad. Filiuc.* Granad. & Filiucium conſtat ex his, quæ habent, iſte in præſenti tract. 4. diſp. 6. ſect. 7. iſte vero in ſum. tract. 30. cap. 9. a num. 181. uſque ad finem capitis. Subſcribunt quoque *Araujo. Villalob. Leſſius.* Araujo in præſenti art. 10. dub. ultimo n. 52. Villalobos tom. 2. tract. 40. diffinit. 9. num. 4. & (licèt cum aliqua formidine) Leſſius lib. 4. cap. 3. num. 59. in reſponſione ad ſecundam rationem. *Diana. Marchant. Zanard. Lamblin. Caramv.* Refert etiam Diana variis in locis (ubi difficultatem implicat) Marchant. Zanardum, Lamblimum & alios. De ipſo vero Diana dixit amiciſſimus ejus Caramvel in Theolog. regul. num. 1053. *Dianam ſexcenties admittere quantitatem levem in materia venerea; ſemel aut iterum negare.*

267 Sed licèt huic ſententiæ magnam probabilitatem præſertim ſpeculativè negare non poſſimus; contraria tamen tutior eſt, & nobis ſemper arriſit. Debetque intelligi, quando delectatio venerea expreſsè quæritur propter ſe, ex ejuſque intentione cauſæ applicantur. Si enim alia intentione etiam abſque neceſſitate id fieret, ut ex levitate, curioſitate, aut joco, vel etiam ob delectationem purè ſenſibilem, quæ cauſis levibus correſpondet: ceſſaret tunc ratio, cui hæc ſententia potiſſimum inniti debet: ac proinde nec nos in tali caſu illi ſubſcribimus. Pro qua multos reperies *Diana. Clem. VIII.* apud Dianam, ſi bene refert, part. 3. tract. 5. reſol. 1. & 88. & part. 4. tract. 4. reſol. 136. & tract. 5. reſol. 5. & part. 5. tract. 5. reſol. 5. & 9. quibus in locis commemorat Clementem VIII. in officio ſanctæ Inquiſitionis diffiniiſſe non dari materiæ parvitatem in rebus venereis. *Baldel.* Teſtemque adducit Baldellum tom. 1. lib. 3. diſp. 14. num. 4. cujus ſicut aliorum fides ſit apud ipſos. Propterea enim diximus *ſi bene refert*, quia authoris illius incuriam in alienis dictis examinandis, verumque & legitimum ſenſum enucleandum jam alij deprehenderunt, noſque ſpecialiter animadvertimus in reſolutionibus pertinentibus ad rem, de qua agimus. ¶ Major vero tutior pro hac ſententia eſt periculum incidendi in aliquid gravius de genere luxuriæ, quoties omnino deliberatè voluntas amplectitur quamlibet delectationem propriè veneream, quantumvis modicam appareat. Quod ſi metaphyſicè res agatur, & à delectatione venerea, quam diximus modicam tam ex parte actus, quam ex parte objecti, omne ulterius periculum ſeparetur, difficile ſatis erit primam ſententiam falſitatis convincere, aut eam improbare. Non tamen omnino erit difficile hanc ſecundam ut probabilem tueri. Ea potiſſimum ratione quia quævis delectatio propriè venerea inchoat quodammodo pollutionem: unde ſicut in iſta in ordine ad conſtituendum peccatum non admittitur materiæ parvitas, ita in illa admitti non debet. De hoc tamen alibi Deo dante latius examen redibit.

§. III.

Vnde res aliæ cenſendæ ſint graves aut leves?

Modo redeamus ad res illas ſecundæ claſſis, quæ non omnino ſecundum ſe, aut quia tales res ſunt, ſed quia alia ſecundum ſe luxurioſa, ut pollutionem, delectationem, &c. cauſant, *luxurioſæ* ſeu *laſcivæ* vocatur: quo pacto ſe habere tactus, oſcula, cogitationes, & amplexus diximus num. 257. Eſtque ſermo de prædictis, quando habentur non ex intentione pollutionis vel delectationis venereæ in eis præviſæ: tunc quippe idem judicium ferendum eſt de illis, atque de ipſis pollutione & delectatione venerea: ſed ob eam delectationem, quam num. 161. diximus *purè ſenſibilem & naturalem.* Eſt igitur concors doctrina, quædam ex prædictis ita conſiderata eſſe gravia, quæ vocamus *cauſas notabiliter influentes*; quædam vero levia, quæ *cauſas leviter influentes* dicimus. Sub primo membro numerari ſolent oſcula, & amplexus, tactus omnino impudici; & etiam aſpectus valde turpes. Sub poſteriori vero levis aſpectus ut faciei vel ornatus fœminæ, tactus leviſſimus, ut in digito, manu vel pede, præſertim ſine mora, & ſimilia. 268 *Cauſarum gravis & levis exẽpla.*

Poſſunt autem hæc dici *levia* dupliciter: vel ratione effectus, quia videlicet illud, in quod influunt, leve eſt in genere peccati: ut in ſententia concedente materiæ parvitatem habet ſe modica & tenuis delectatio, vel commotio, aut tenuiſſima diſtillatio, etiam ſi influxus, quo prædictæ cauſæ ad hæc concurrunt, ſit ſufficiens ac tantus, quantum poſtulat talis effectus. Vel poſſunt dici *levia* ex parte influxus: quia licet effectus, in quem influunt, ſit materia gravis, ſicut pollutio, vel notabilis delectatio, aut commotio venerea; influxus tamen in illum eſt imperfectus & inſufficiens; potiuſque talis effectus reducendus eſt in aliam cauſam notabiliter influentem quàm in eam, quæ *levis* vocatur. *Dupliciter leves dicuntur.*

Sed difficultas præcipue declaranda in hoc appendice eſt, an prædictæ cauſæ dicantur *graves* vel *leves* ratione influxus in pollutionem vel delectationem veneream, quem exerceant de facto, aut cujus ſubiit aliquod periculum; vel potius ratione influxus (ut ſic dicamus, habitualis: quia videlicet cauſæ, quæ dicuntur *graves*, natura ſua vim habent notabiliter influendi, etiam ſi de facto, vel ſolùm leviter, vel nullo modo influant: quæ vero dicuntur *leves*, natura ſua modicam & inſufficientem vim habent, quic- 269 *Difficultas præcipue declaranda.*

Digitized by Google

quid ſit de influxu actuali, v.g. aſpectus pudendorum, præſertim inter perſonas diſtincti ſexus natura ſua vim habet influendi notabiliter in pollutionem; poteſt tamen ita celeriter contingere, aut in perſona ita ſenili vel frigidæ complexionis, ut minime inde timeatur ventura pollutio, ſed vel modica aliqua commotio, vel nulla. E contra vero tactus levis v.g. digiti fœminæ natura ſua modicam & inſufficientem vim habere poteſt ad pollutionem emittendam, poteſt autem haberi in tali caſu, ſubjectóque taliter complexionato aut diſpoſito, ut ſtatim pollutio ipſa ſubſequatur. Difficultas ergo eſt, num prima ex his cauſis judicanda ſit gravis attendendo ad influxum habitualem; vel potius levis aut nulla attendendo ad actualem: & ſimiliter an ſecunda judicanda ſit levis propter influxum habitualem; vel potius gravis propter influxum actualem ſecum trahentem pollutionem.

Ratio pro prima parte. Quod enim in prædictis denominationibus & judiciis attendendus ſit ſolus influxus actualis probat valde efficax ratio. Nam cauſæ iſtæ conſideratæ abſolutè ſecundum ſuas ſpecies & naturas non ſunt de genere luxuriæ, neque aliter ad id genus pertinerent, niſi quia influunt in pollutionem vel delectationem natura ſua luxurioſas, ut diximus n. 257. eo vero influxu omnino ſecluſo & minime ſperato, non magis luxurioſæ cenſerentur, aut à caſtitate vitarentur, quàm cæteræ res, quibus talis influxus repugnat: ergo tota illarum malitia & gravitas menſuranda eſt penes ipſum influxum.

Confirmatio. Et confirmatur: quoniam prædictæ cauſæ nullam habent luxuriæ malitiam, niſi quam deſumunt à pollutione vel delectatione venerea, ſicut ab effectu volito in ipſis, ut ex ſe liquet: ſed cauſa non vitiatur ab effectu, niſi dum iſte vel ejus periculum in ipſa cauſa, ſaltem ſub dubio vel ſuſpicione futurus prævidetur, vel prævideri debuit: ut in eo, qui dat cauſam omiſſioni, ebrietati, aut homicidio, aperte conſtat: igitur neque oſcula, & id genus alia ſument malitiam à pollutione vel delectatione venerea, niſi iſtæ, aut earum aliquod periculum futura prævideantur.

270 Ratio in oppoſitum. In contrarium quoque urget communis modus loquendi Theologorum, dum aliquas ex prædictis cauſis ſecundum ſe ſpectatas determinate appellant *graves*: ſicut tactus pudendorum, oſcula laſciva, & hujuſmodi: aliquas vero determinate leves ut aſpectum levem faciei, tactum digiti, & ſimilia: ſi autem judicium fieri deberet ſecundum influxum actualem, non eſſet ita diſtinguendum: ſed unaquæque cauſa promiſcue diceretur *gravis* & *levis*: gravis quidem quando actu notabiliter influit; levis autem quando non dat talem influxum, ſed modicum & inſufficientem. Atque adeo non eſſe cur dum explicuimus cauſas graves, potius adduceremus exempla in tactibus & aſpectibus valde impudicis, quàm in aſpectibus & actibus leviſſimis.

Roboratur. Ad hæc: aſpicere humanum concubitum, aut perſonam diſtincti ſexus nudam; & propria vel aliena verenda laſcive tangere, ab omnibus damnatur ſub mortali tanquam cauſa gravis & notabiliter influens; etiam ſi per accidens non detur actualis influxus in pollutionem, aut notabilem delectationem veneream: è contra vero leviter tangere manum fœminæ, digitum intorquere, faciem ex levitate aſpicere, &c. etiam ſi pollutio comitetur (ſecluſo periculo conſenſus) omnes excuſant à mortali tanquam cauſas leves: ergo ſignum eſt, ad diſtinguendum inter prædictas cauſas attendendas eſſe earum naturas, virtutémque ad influendum; quicquid ſit de influxibus actualibus.

Verum enim vero primæ rationes magis urgent, ut illi parti aſſenſum præbeamus. Statuimus itaque, judicium de prædictis cauſis quantum ad gravitatem vel levitatem, proindeque quantum ad prohibitionem ſub peccato mortali, vel ſub veniali; vel ſub nullo intra genus luxuriæ, omnino ferendum eſſe habito reſpectu ad influxum actualem, qui de facto detur, vel prudenter timeri debeat, quicquid ſit de virtute & natura cauſæ. Atque adeo quantumvis cauſa aliàs gravis eſſet; ſi tamen hic & nunc attentis omnibus certò cognoſcatur, vel prudenter judicetur, quod non influet in pollutionem vel notabilem commotionem, undecumque id proveniat, non eſt reputanda hic & nunc inter cauſas notabiliter influentes prohibitas ſub mortali. Verior ſententia.

Ducimur autem ad ita exiſtimandum tùm ratione & confirmatione factis, quæ efficaciſſimæ ſunt. Tùm etiam quia ſic ſentiunt graves Theologi, qui rem tetigerunt: & vix reperies contrarium aſſerentem. Quocirca Thomas Sanchez cit. diſp. 46. poſtquam ſub mortali damnarat aſpectus valde turpes, ut verendorum inter perſonas diſtincti ſexus, etiam cum non cauſa venereæ delectationis, ſed ſolius curioſitatis habentur: num. 13. hanc adhibet limitationem. *Niſi ob ſolam curioſitatem videat aliquis perſonam diverſi ſexus nudam tam brevi tempore, ut non detur occaſio magnæ commotionis in corpore. Vel ſi ratione ætatis puerilis aut ſenilis, aut frigidiſſimæ complexionis eſſet id periculum commotionis magnæ in aſpicien*te. Idem dixerat num. 14. de tangente propria verenda ex ſola curioſitate aut levitate ceſſante alio periculo. Iacobus Granad. ubi ſupra diſp. 7. num. 3. excuſata à mortali ſpectum ipſius coitus (qui eſt omnium turpiſſimus) ſi fiat ita breviter & quaſi per tranſennam, ut non ſufficiat ad notabilem commotionem. Et idem (inquit) dicendum eſt, ſi ille, qui aſpicit, attenta propria complexione, non ſubit periculum prædictæ commotionis. Idem dicit num. 5. de tactibus turpiſſimis, ſi abſque prædicta commotione & periculo fiant etiam ſine neceſſitate. Non minus pro hac re loquitur Salas cit. ſect. 23. concluſ. 2. referens D. Antoninum, Gerſon, Gabriel & alios. Subſcribit etiam Filiucius loco ſupra citato num. 200. & num. 218. nec facile invenias contrarium aſſerentem.

Vnde probanda?

D. Sanchez.

Iacob. Gran.

Salas. *D. Antonin.* *Gerſon.* *Gabriel.* *Filiuc.*

En tot actus ex gravioribus & turpioribus excuſatos à mortali, proindéque à ratione cauſæ notabiliter influentis, eo dumtaxat quia fiunt abſque actuali influxu vel ejus periculo in pollutionem, aut in delectationem veneream, vel commotionem notabilem, etiam ſi aliàs attenta eorum natura magnam vim habeant notabiliter influendi. Idem ergo dicendum erit de qualibet alia cauſa, quantumvis

ſecundum

Digitized by Google

ſecundum ſe gravis videatur, quoties prædictus notabilis influxus ejúſque periculum, ſive ob temporis brevitatem, ſive ob perſonarum complexionem, ætatem, frigiditatem, &c. hìc & nunc ceſſarit.

272 An animadverſio & conſilium circa praxim.

Adverte tamen rem hanc metaphyſicè & abſolute à nobis agi. In praxi autem maxima cautela procedendum eſt in omnibus, quæ ad caſtitatem pertinent, omninóque ab experientiis cavendum: quoniam materia eſt valde lubrica, facillimúmque eſt incautos prolabi in peccata graviora, etiam cùm periculum abeſſe credunt. ¶ Eo vel maxime quia in actu exercito difficile eſt diſtinguere inter delectationem purè naturalem, & delectationem veneream: & in hac materiam levem à materia gravi. Sicut etiam difficile erit, ut admiſſis deliberate prædictis actibus ob delectationem naturalem, non immineat periculum delectationis venereæ. Et adhuc difficilius, ut admiſſa deliberate delectatione venerea modica, non ſit ibi periculum majoris.

Cavendum ab experientiis.

Et licèt non ſtatim damnemus ſub mortali quemlibet volentem in his rebus experientiam ſumere, præſertim cum ſciret complexionem ſuam minime ad luxum propenſam, magnáque adhibita circumſpectione, ut ſtatim atque periculum veluti à longe præſentiret, cauſam repelleret: nihilominus hujuſmodi experientiæ ſemper increpandæ ſunt: tum ob periculum latens ſæpiſſime, ſicut anguis in herba: tum ob prædictam difficultatem in diſcernendo. Præterquam quod (niſi neceſſitas compellat) nunquam à culpa veniali ſatis gravi liberantur: in quo ipſo eſt magna diſpoſitio ad mortalem: vide quæ admonuimus ſupra num. 194. Et fortè ob iſtas rationes plures negant parvitatem materiæ in rebus venereis, quòd credant difficillimum eſſe in ea deliberatè capta omnino ſiſtere. Propter eaſdémque damnant ſub mortali tactus, oſcula, &c. habita propter delectationem naturalem, quia difficillimum credunt, ut appetitus in ſola ea delectatione propter ſe intenta motum ſiſtat; & ad veneream ſibi conjunctiſſimam non tranſeat.

273 Quid metaphyſicè loquendo.

At abſolutè loquendo & juxta ſuppoſitionem num. 271. factam, quòd ſcilicet in oſculis, tactibus, & cæteris ibi dictis quantumvis alias turpiſſimis & venereis, ceſſet hìc & nunc juxta prudentis æſtimationem pollutionis & delectationis venereæ, ſaltem gravis, periculum, generaliter veram credimus doctrinam ibi ſtabilitam: ſive tales cauſæ applicentur ſolùm ex levitate, curioſitate, vanitate, aut joco: ſive intendendo delectationem purè ſenſibilem & naturalem: ſive etiam (juxta ſententiam concedentem parvitatem materiæ) aliquam delectationem veneream, quæ ſit levis tam ex parte objecti, quàm ex parte actus. ¶ Diximus *juxta prudentis æſtimationem*, quia non refert, quòd aliquando prædictæ cauſæ afferant re ipſa pollutionem, aut delectationem veneream gravem, ſi re maturè examinata non fuit prævisum earum periculum: ſed potius adfuit prudens judicium, quòd non ſequerentur. Malitia enim humanarum actionum non ſumitur ex malo, quod re ipſa evenit, ſed ex eo quod juxta prudentis judicium creditur, aut timetur eventurum. Tenebitur autem voluntas ſub mortali, quando poſt applicatam cauſam, prædictam delectationem, aut pollutionem, earúmve periculum animadverterit, talem cauſam amplius non continuare: ſicut teneretur à principio excludere, ſi ex tunc animadvertiſſet.

Adveṙtendum eſt tamen, quòd licet in caſu prædictæ ſuppoſitionis non ſit culpa mortalis de genere luxuriæ, & aliquando neque venialis in applicatione prædictarum cauſarum; poterit tamen eſſe culpa mortalis ratione ſcandali. Vel adhuc, ſecluſo ſcandalo, ratione magnæ indecentiæ, ut ſi patiens ab altero, vel exercens in illum tactus vel aſpectus turpiſſimos eſſet Epiſcopus, vel talis perſona, cujus ſtatui indecentia illa etiam independenter ab aliquo effectu venereo valde repugnet. Et generaliter ex eadem cauſa damnari debet ſub mortali aſpectus humanæ copulæ tam in aſpectis, quàm in aſpicientibus, etiam ſecluſo omni periculo, quia talis aſpectus omnium reverentiam maxime offenderet. Animadverſio.

§. IV.

Alia diſcrimina cauſarum per ſe pro diluenda ratione in contrarium.

SUpereſt dicamus ad rationem n. 270. in contrarium adhibitam. Pro quo nota, cauſas per ſe pollutionis eſſe in triplici differentia. Quædam enim ſunt ita tenues & modicæ virtutis, ut non habeant ſufficientem vim ad illam in quocunque eventu per ſe cauſandam, licet coadiuvent: ob idque ſi pollutio cum illis ſequatur, non reducitur ſimpliciter in tales cauſas, ſed in alias graviores, vel in ipſam naturam, ejuſque vim expulſivam. Hujuſmodi ſunt aſpectus illarum partium humani corporis, quæ ſive in viris, ſive in fœminis communiter nudæ feruntur, & non nihil amplius: puta ſi videatur aliquid pectoris, brachii, aut pedis. Et in proprio corpore adhuc amplius, atque etiam in effigiebus, & ſculptilibus aliorum quamvis diſtincti ſexus, ut à genu deorſum, & ab ſtomacho ſurſum. Similiter tactus præſertim ſine mora, manuum, pedum, & hujuſmodi. Similiter etiam verba blanda, & oſtenſiva amoris (non tamen turpia) hujuſmodi enim & ſimiles cauſæ natura ſua adeo modicam vim habent ad immutandum corpus, libidinémque excitandam, ut nullus effectus venereus gravis poſſit in illas ſufficienter reduci. Sed ſi aliquando pollutio aut delectatio venerea gravis ipſas comitetur, reducenda erit ſimpliciter in ipſam naturalem complexionem & vim expulſivam; in prædictas verò cauſas ſolum poterit reduci ſecundum quid. Vnde tales cauſæ in nullo eventu dicendæ ſunt *cauſæ graves*, aut *notabiliter influentes*: neque ſubinde prohibitæ erunt aliquando ſub mortali, quantumvis crebrò pollutio aut delectatio venerea illas comitetur, vel in eis prævideatur, ſecluſo conſenſus periculo.

274 Differentia inter cauſas per ſe.

Quæ omnino leves?

Quædam vero ſunt cauſæ, quæ natura ſua tantam vim habent ad prædictos effectus cauſandos, ut ſine alterius cauſæ adminiculo regulariter illos inferant; quamvis aliquando ob ſpecialem ſubjecti indiſpoſitionem, vel propter modicam cauſæ durationem, influxus actualis impediatur: nulla quippe dabitur

Quæ abſolute graves?

cauſa ita effectus venereos determinata, ut aliquando vel in aliquo ſubjecto ex aliquo accidente non poſſit ejus influxus retardari, & etiam omnino impediri. Et hujuſmodi ſunt quæ cōmuniter vocantur *cauſæ graves, & notabiliter influentes*: quia communis modus loquendi attenditur ſecundum id, quod habent ex natura ſua & ut in pluribus: itque ſufficit, ut dum ſermo eſt de cauſis gravibus in exempla adducantur; & ut abſolute, quandiu de oppoſito non conſtat, atque in caſu dubii ut graves damnentur; quamuis dum earum influxus modo dicto impeditur, non excedant in malitia alias cauſas leves. Tales ſunt aſpectus nimium turpes, ut aſpectus copulæ, & inter perſonas diſtincti ſexus puberes aſpectus verendorum, partiúmque vicinarum. Et à fortiori tactus harum partium: atque etiam in propria perſona, vel in alia ejuſdem ſexus tactus pudendorum ex animo laſcivo. Inter has etiam cauſas numerari ſolent amplexus, & oſcula furtiva, quæ ſcilicet non habentur amicitiæ aut benevolentiæ gratia, ſed ex delectatione.

275
Diſtinguenda triplex delectatio.

Poteſt autem in eis triplex delectatio diſtingui: una purè ſenſibilis, de qua egimus n. 261. alia venerea, quam ſæpe afferre ſolent, ipſiſmet amplexibus & oſculis correſpondentem, etiam ſine relatione ad copulam: & alia ex cogitatione copulæ, ad quam incitant, & diſponunt. Quando intenditur hæc ultima delectatio, planum eſſe mortalia. Et tunc potiſſimum vocantur *oſcula & amplexus libidinoſa*. Imo quando intenderetur ſecunda delectatio, talia eſſe cenſemus: quia licèt ea delectatio minor ſit, quàm delectatio de copula præſenti vel cogitata; abſolutè tamen, ſaltem ut in plurimum, ipſa in ſe eſt gravis in genere luxuriæ, & ſimul eſt cauſa notabiliter influens ad pollutionem. Quando vero ſolùm intenditur delectatio ſenſibilis, & præter intentionem ſequitur delectatio venerea aut pollutio cum prævisione ſaltem periculi, non eſt ita certum an oſcula & amplexus numeranda ſint inter cauſas notabiliter influentes, damnandáque proinde ſub mortali. Sed nos partem affirmativam tenendam cenſemus: quia licèt prædicta delectatio ſenſibilis ſecundum ſe venerea non ſit, neque ceſſante alio periculo, ad genus luxuriæ ſpectet; at dum intentio in ea figitur, magnam vim habet ad excitandam delectationem veneream gravem, & etiam pollutionem. Et quoniam ſatis frequenter ita eveniet, non immerito quæque oſcula & amplexus ex delectatione, & ſine honeſto fine habita numerantur inter hujuſmodi cauſas graviores.

Cauſæ quaſi mediæ.

Aliæ denique ſunt cauſæ per ſe quaſi mediæ, quæ minorem efficaciam habent ad effectus venereos, quàm nuper præcedentes: & ideo pluſquam illæ dependent in ſua cauſalitate ab aliquibus ſubjecti diſpoſitionibus, ut à calore, robore, & ſimilibus; habent tamen eam vim, quæ ſufficit, ut in prædictos effectus abſolute & ſufficienter influant, ipſique effectus cum ſubſequuntur, in tales cauſas ſimpliciter reducantur. Quocirca tales cauſæ neque omnino graves, neque omnino leves abſolute dicendæ ſunt, ſed promiſcuè, quandoque inter has, quandoque inter illas, ſpectata potius diſpoſitione & inclinatione ſubjecti, quàm illarum natura, computandæ. Nam in aliquibus ob prædictam diſpoſitionem frequenter; in aliquibus rarò; & in aliquibus rariſſimè, vel nunquam pollutionem vel delectationem veneream gravem excitabunt. Et eodem tenore quandoque ſub mortali vinculo, quandoque ſub veniali, & aliquandò fortè ſub nullo intra genus luxuriæ habebunt prohiberi.

Certior autem regula nequit pro illis aſſignari, quàm ut unuſquiſque depoſita paſſio- 276
ne conſcientiam ſuam conſulat, & ex propria complexione, vel inclinatione, aut etiam ex experientia præſagiat, & coniiciat, an ex tali vel tali cauſa immineat ſibi periculum pollutionis, aut delectationis venereæ, eóque vel eminùs præviſo, omnino ab illa abſtineat, vel ſi applicata jam erat, quam citò eam amoveat. ¶ Si vero poſtules quantum ad hoc differentiam inter hujuſmodi cauſas medias, & inter illas quas diximus *graviores*, poteſt hæc aſſignari: quòd in gravioribus quaſi ſtat poſſeſſio pro periculo: & ita eo ipſo quòd de ſecuritate non conſtet, debet illud timeri, & cauſa ſub mortali vitari. In his autem mediis videtur potius poſſeſſio ſtare pro voluntate. Vnde quandiu non conſtat de periculo pollutionis aut gravis delectationis, etiam ſi neque de ſecuritate omnino conſtet, erit obligatio ſub veniali vitandi cauſam (ſaltem dum non conſtat de ſecuritate reſpectu alicujus pravi effectus levis, pro cujus periculo ſtat poſſeſſio in hujuſmodi cauſis) & ſub mortali attendendi diſpoſitionem ſubjecti, conjectandíque ex ea an hîc & nunc illud periculum immineat.

Diſcrimen inter cauſas medias & graviores.

Exempla.

Inter hujuſmodi cauſas medias conſtituit Thomas Sanchez diſp. cit. aſpectum proprii corporis vel alieni ejuſdem ſexus, etiam uſque ad verenda, & in alio ſexu uſque ad vicina excluſivè: in ſculpturis vero, & effigiebus, atque etiam in brutis nullus aſpectus quantumvis turpiſſimæ partis vel actionis prædictas cauſas medias excedit, ſicut nec etiam quod fœminæ lavantes in flumine quaſi tranſeunter conſpiciant viros natantes, maxime impuberes, aliáque hujuſmodi. Ex tactibus pertinent ad hoc genus cauſæ, omnes qui ſunt quaſi medii inter eos turpiſſimos, quos n. 274. & alios omnino leves, quos eodem num. paulo ſuperius memoravimus. Proferre etiam aut canere verba quantumuis turpia ex levitate, ſecluſa alia deteriori intentione, non excedit hoc genus cauſæ: erit autem ſæpiſſime mortale propter ſcandalum. Nec poſtules de his rebus prolixius examen: quas ſi neceſſitas aperire non cogeret, neſcire potius, quàm prælo dare oporteret. Poteris autem, ubi occurrerint caſus, ſufficienter ex traditis principiis ſpecialiora deducere: & per illa, quæ in exemplum adducta ſunt, de aliis, quæ reticentur, vel ſimilibus, vel parum diſtantibus judicium efformare.

Ad rationem vero factam pro parte, quam
reliquimus, facilis eſt ſolutio: & jam 277
habentur ex dictis num. 274. Nam modus ille loquendi Theologorum innititur in communiter contingentibus: & ideo aliquas ex prædictis cauſis abſolute appellant *graves*, quia ut in plurimum notabiliter influunt. Minimè tamen ignorant, illas eaſdem cauſas poſſe aliquando

Solutio cōtrariæ rationis.

Digitized by Google

quando prædictum influxum non præbere, neque ejus ſubeſſe periculo : tuncque nequaquam cenſendas fore graves in genere luxuriæ, neque ut tales ſub mortali prohiberi, in cauſis vero omnino levibus major adeſt ratio ut ita appellentur : quia cum ex ſe inſufficientes ſint ad notabilem influxum præſtandum, non ſolùm à communiter contingentibus, ſed in omni eventu dicendæ erunt *leves*. Alias vero cauſas, quas dicimus *medias*, promiſcuè Theologi appellant *graves* & *leves* : utique quia attendunt ad influxum, qui quandoque eſt vel timetur gravis, quandoque vel ſolùm levis, vel nullus timetur.

Ad illud, quod additur, reſpondetur, quod ſi inter cauſas graviſſimas aliquæ in omni eventu, independenterque ab influxu prohibitæ ſunt ſub mortali, id ſane cautum fuit, vel propter ſcandalum, quod aliis præbetur : vel quia graviter offendunt humanam reverentiam, aut ſaltem decentiam hujus vel illius ſtatus : & ita ex lege aliarum virtutum habent prædicto modo prohiberi : non vero præciſe ex lege propriæ caſtitatis, aut quia cauſæ eſſe ſoleant pollutionis vel delectationis venereæ ut tetigimus num. 173.

ARTICULUS VI.

Vtrum peccatum moroſæ delectationis ſit in ratione?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quod peccatum moroſæ delectationis non ſit in ratione. Delectatio enim importat motum appetitivæ virtutis, ut ſupra dictum eſt : ſed vis appetitiva diſtinguitur à ratione, quæ eſt vis apprehenſiva : ergo delectatio moroſa non eſt in ratione.

2. Præterea : ex objectis cognoſci poteſt ad quam potentiam actus pertineat, per quem potentia ordinatur ad objectum : ſed delectatio quandoque eſt moroſa circa bona ſenſibilia, & non circa bona rationis : ergo peccatum delectationis moroſæ non eſt in ratione.

3. Præterea : moroſum dicitur aliquid propter diuturnitatem temporis: ſed diuturnitas temporis non eſt ratio, quòd aliquis actus pertineat ad aliquam potentiam : ergo delectatio moroſa non pertinet ad rationem.

Sed contra eſt quod Auguſtinus dicit 12. de Trinit. quòd conſenſus illecebræ ſi ſola cogitatione delectationis contentus eſt, ſic habendum exiſtimo velut cibum vetitum mulier ſola comederit : per mulierem autem intelligitur ratio inferior, ſicut ibidem ipſe exponit : ergo peccatum moroſæ delectationis eſt in ratione.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut jam dictum eſt, peccatum contingit eſſe in ratione, quandoque quidem in quantum eſt directiva humanorum actuum. Manifeſtum eſt autem, quòd ratio non ſolùm eſt directiva exteriorum actuum, ſed etiam interiorum paſſionum : & ideo quando deficit ratio in directione interiorum paſſionum, dicit eſſe peccatum in ratione, ſicut & quando deficit in directione exteriorum actuum. Deficit autem in directione paſſionum interiorum dupliciter. Uno modo quando imperat illicitas paſſiones : ſicut quando homo ex deliberatione provocat ſibi motum iræ, vel concupiſcentiæ. Alio modo quando non reprimit illicitum paſſionis motum : ſicut cum aliquis poſtquam deliberavit, quod motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit : & ſecundum hoc dicitur peccatum delectationis moroſæ eſſe in ratione.

Ad primum ergo dicendum, quòd delectatio quidem eſt in vi appetitiva, ſicut in proximo principio, ſed in ratione eſt ſicut in primo motivo, ſecundum hoc quod ſupra dictum eſt, quòd actiones, quæ non tranſeunt in exteriorem materiam, ſunt ſicut in ſubjecto in ſuis principiis.

Ad ſecundum dicendum, quod ratio actum proprium illicitum habet circa proprium objectum, ſed directionem habet circa omnia objecta inferiorum virium, quæ per rationem dirigi poſſunt : & ſecundum hoc etiam delectatio circa ſenſibilia objecta pertinet ad rationem.

Ad tertium dicendum, quòd delectatio dicitur moroſa non ex mora temporis, ſed ex eo quòd ratio deliberans circa eam immoratur : nec tamen eam repellit tenens & volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt, ut Auguſt. dicit lib. 12. de Trinit.

CONCLUSIO.

Dupliciter peccatum moroſa delectationis habet eſſe in ratione : vel quia imperat illicitum paſſionis motum : vel quia poſt plenam deliberationem non rejicit, ſed immoratur circa ipſum tenens & volvens, quem ſtatim debuit repellere.

Commen

Digitized by Google

Commentarius.

CIrca titulum hujus & ſequentis articuli ſolet dubitari an D. Thom. nomine *rationis* intelligat ſolam potentiam intellectivam, vel etiam comprehendat voluntatem? Hoc poſterius viſum eſt aliquibus, Tùm quia non eſt novum apud S. Doctorem loqui ſub prædicto nomine de utraque potentia: ut videre eſt ſupra quæſt. 15. art. 4. & in 2. diſt. 24. quæſt. 3. aliiſque in locis. Tùm etiam quia ratio non eſt ſuſceptiva peccati, & conſenſus in illud, niſi in quantum habet ſecum voluntatem: ergo ubi agitur de attribuendo illi peccatum & ejus conſenſum, ſicut in utroque iſto articulo, debet ſub ejus nomine etiam voluntas comprehendi.

D. Thom.

Sed licet hæc expoſitio ſine inconvenienti ſuſtineri poſſit; contraria tamen, videlicet *rationis* nomen in præſenti non extendi ultra potentiam intellectivam, magis placet. Tùm quia nulla adeſt neceſſitas, ut in aliquo iſtorum articulorum ſub eo nomine voluntatem intelligamus: neque aliquid in eis rationi tribuitur, quod intellectui non competat, aut quod competat voluntati. Solùm enim tribuitur illi duplex actus, nempe *cognoſcere*, quod convenit illi ſecundum ſe in ordine ad proprium objectum; & *dirigere*, quod convenit ei in ordine ad alias animæ vires, quæ rationis imperio ſubduntur: at utrumque hoc munus eſt ſolius intellectus: ergo, &c. Tùm etiam quia ordo articulorum iſtius quæſtionis videtur ita exigere. Nam in primis duobus agit D. Thom. de voluntate, *qualiter ſit peccati ſubjectum*: in duobus vero ſequentibus tractat idem de appetitu ſenſitivo: ergo cum in 5. & 6. & 7. examinat *qualiter peccatum ſit in ratione*, novam & diſtinctam deſignat potentiam, neque iterum voluntatem inculcat. Tùm denique, nam ex eo deberemus extendere in præſenti nomen *rationis* ad voluntatem, quia dicitur eſſe in ea peccatum delectationis, & peccatum conſenſus, quæ quidem delectatio & conſenſus potius ſunt actus potentiæ appetitivæ, quàm intellectivæ: ſed hoc non cogit ad ita aſſerendum: ergo, &c. Minor conſtabit cuilibet animadvertenti modum inquirendi D. Thomæ in prædictis articulis. In nullo enim quærit *an delectatio & conſenſus ſit in ratione*: ſed *an ſit in ea peccatum delectationis & peccatum conſenſus*: ut innueret ſe non inquirere de ipſis conſenſu & delectatione, qui ſunt actus voluntatis & appetitus, ſed de actu intellectus dirigente conſenſum aut delectationem, qui ſimul cum eis componit prædictum peccatum. Unde ſenſus quæſiti & reſolutionis eſt, quòd peccatum conſenſus ſive in actum ſive in delectationem, non modo eſt in voluntate, à qua elicitur actus conſentiendi, & in appetitu, à quo elicitur delectatio, ſed etiam in ratione, ubi eſt imperium vel judicium dirigens conſenſum, & delectationem approbans: atque adeo quòd ſubjectum adæquatum prædicti peccati omnes hujuſmodi potentias comprehendat, & quòd prædictum peccatum coaleſcens ex delectatione, conſenſu, & judicio omnes illas partialiter afficiat: nimirum ex parte delectationis peccaminoſæ appetitum: ex parte illiciti conſenſus voluntatem: ex parte autem imperii & judicii peccaminoſi ipſam rationem ſeu potentiam intellectivam. Quia igitur à primo uſque ad quartum articulum examinatum erat, quòd attinet ad voluntatem & appetitum ſenſitivum, manebat ſolùm examinandum in reliquis, quod attinet ad potentiam intellectivam: atque adeo ea dumtaxat inſignitur hic nomine *rationis*.

Rationis nomine non venit voluntas.

Neque ex eo quòd in aliis locis comprehenderit D. Thom. ſub hoc nomine etiam voluntatem, dicendum eſt ſemper aut in præſenti idem voluiſſe: quia nec modò nec ſemper adeſt ratio ad ita aſſerendum. Eò præſertim quia dum ſupra quæſt. 15. art. cit. voluntatem ſub ratione comprehendit, id explicuit dicens *ſecundum quod in ratione voluntas includitur*, atque adeo nequit idem trahi argumentum ad ſimilem intelligentiam in aliis locis, quæ non habent, neque admittunt talem explicationem

Neque obeſt ſi obiicias, quod in art. 7. præſentis quæſt. non modo peccatum conſenſus, ſed etiam conſenſum ipſum ait D. Thom. pertinere ad rationem; idque non ſemel repetit: ergo intelligit ſub ratione voluntatem, cujus eſt conſentire. ¶ Non itaque hoc obeſt, nam conſenſus non dicitur pertinere ad rationem, quaſi ab ea eliciatur, ſed attribuitur illi, quia prærequirit judicium, quod eſt actus rationis, per quem voluntas dirigitur & determinatur ad conſentiendum. ut habetur in eodem art. 7. in ſolut. ad 1. & clarius quæſt. 15. de verit. art. 3. ubi D. Th. reddit diſparitatem quantum ad hoc inter appetitum ſuperiorem & inferiorem, & eorum actus in ordine ad ſuas potentias cognoſcitivas his verbis. *Sicut duplex eſt apprehenſiva, ſcilicet inferior, quæ eſt ſenſitiva, & ſuperior, quæ eſt intellectiva: ita etiam duplex eſt appetitivus, ſcilicet inferior, quæ vocatur ſenſualitas, & ſuperior, quæ nominatur voluntas. Hujuſmodi autem appetitiva ad ſuas apprehenſivas quantum ad aliquid ſimiliter ſe habent, & quantum ad aliquid diſſimiliter. Similiter quidem, &c. Diſſimiliter autem quantum ad hoc, quod in appetitu inferiori eſt quædam naturalis inclinatio, qua quodammodo naturaliter cogitur, ut in appetibile tendat. Sed ſuperior appetitus non determinatur ad alterum, quia liber eſt. Et inde eſt quod motus inferioris appetitus non invenitur attribui potentiæ apprehenſivæ, quia cauſa illius motus non eſt ex apprehenſione, ſed ex inclinatione appetitus: ſed motus appetitus ſuperioris attribuitur ſuæ apprehenſivæ ſcilicet rationi, quia ſuperioris appetitus inclinatio in hoc vel in illud ex judicio rationis cauſatur. Sic igitur patet, quòd aliquis actus attribuitur rationi dupliciter: uno modo quia eſt immediatè eius, utpote ab ipſa ratione elicitus, ſicut conferre de agendis vel ſcibilibus: alio modo quia eſt eius mediante voluntate, quæ per eius iudicium movetur.* ¶ Ex qua doctrina perſpicuè habemus, quòd etſi D. Thom. in hac quæſtione aut alibi attribuat rationi conſenſum, vel alium actum voluntatis, non ideo, ſecluſo alio majori fundamento, cogimur aſſerere, quòd comprehenderit nomine *rationis* ipſam voluntatem: quia tales actus non tribuuntur rationi ut elicienti illos, ſed præciſe

Obiectio. **Diluitur.** **Qualiter conſenſus pertineat ad rationem?** **D. Thom.**

Digitized by Google

præcisè ut imperanti juxta doctrinam modo traditam. Et hoc eodem modo exponitur doctrina ſequentis articuli in corpore, & ad argumenta 2. & 1. ubi conſenſus rationi tribuitur. Pro quo legenda eſt ſolutio ad 1. ejuſdem art. quæ huculque dicta confirmat.

In corpore articuli nota, quòd cùm D. Th. concedit dari peccatum moroſæ delectationis, quoties ratio advertens illicitum motum non reprimit; non intendit ſolam non repreſſionem abſque poſitivo voluntatis conſenſu, aut ejus vel alterius gravis nocumenti periculo ad peccatum mortale ſufficere: ſed loquitur de non repreſſione aſſociata prædicto conſenſu, quo voluntas tenet talem delectationem, ut dicitur expreſsè in ſolut. ad 3. nóſque diſp. præced. dub. 5. ſatis demonſtravimus.

Si autem objicias, quòd Ang. Doctor in præſenti aſſignat duplicem modum delinquendi ex parte rationis: nimirum vel quia imperat illicitas paſſiones; vel quia non reprimit: tunc autem imperat, quando adeſt poſitivus voluntatis conſenſus: ergo vel debet imperium ſemper adeſſe; eritque proinde inanis diſtinctio illa D. Thomæ: vel non eſt neceſſarium, ut detur ſemper prædictus conſenſus. § Reſpondetur non opus eſſe, quòd exiſtente voluntatis conſenſu poſitivo, exiſtat rationis imperium circa delectationem appetitus. Quia etiam ſi ratio non excitaverit ſuo imperio aut motione talem delectationem, ſed ex ſola imaginatione, vel ex alio principio ortum duxerit, poteſt voluntas de ea ita exorta complacere, & poſitive in eam conſentire, licèt non imperet illam: túncque hujuſmodi conſenſus etiam ſine imperio, ſuppoſita materiæ gravitate & plena advertentia, erit peccatum mortale moroſæ delectationis, licèt ex parte rationis non adfuerit imperium in paſſionem illam, ſed negligentia reprimendi.

Voluntatis conſenſus poteſt eſſe abſque imperio.

ARTICULUS VII.

Utrum peccatum conſenſus in actum ſit in ratione ſuperiori?

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum conſenſus in actum non ſit in ratione ſuperiori. Conſentire enim eſt actus appetitivæ virtutis, ut ſupra habitum eſt: ſed ratio eſt vis apprehenſiva: ergo peccatum conſenſus in actum non eſt in ratione ſuperiori.

2. Præterea: ratio ſuperior intendit rationibus æternis inſpiciendis & conſulendis, ut Auguſtinus dicit 12. de Trinit. ſed quandoque conſentitur in actum non conſultis rationibus æternis: non enim ſemper homo cogitat de rebus divinis, quando conſentit in aliquem actum: ergo peccatum conſenſus in actum non ſemper eſt in ratione ſuperiori.

3. Præterea: ſicut per rationes æternas poteſt homo regulare actus exteriores, ita etiam interiores delectationes, vel alias paſſiones: ſed conſenſus in delectationem abſque hoc quòd opere ſtatuatur implendum, eſt rationis inferioris, ut dicit Auguſt. lib. 12. de Trinit. ergo etiam conſenſus in actum peccati debet interdum attribui rationi inferiori.

4. Præterea: ſicut ratio ſuperior excedit inferiorem, ita ratio excedit vim imaginativam: ſed quandoque procedit homo in actum per apprehenſionem virtutis imaginativæ abſque omni deliberatione rationis: ſicut cum aliquis ex impræmeditato movet manum aut pedem: ergo etiam quandóque poteſt ratio inferior conſentire in actum peccati abſque ratione ſuperiori.

Sed contra eſt quod Auguſtinus dicit lib. 12. de Trinit. ſi in conſenſione malè utendi rebus, quæ per ſenſum corporis ſentiuntur, ita decernitur quodcunque peccatum, ut ſi poteſtas ſit, etiam corpore compleatur, intelligenda eſt mulier cibum illicitum viro dediſſe, per quem ſuperior ratio ſignificatur: ergo ad rationem ſuperiorem pertinet conſentire in actum peccati.

Reſpondeo dicendum, quòd conſenſus importat judicium quoddam de eo, in quod conſentitur. Sicut enim ratio ſpeculativa judicat & ſententiat de rebus intelligibilibus, ita ratio practica judicat & ſententiat de agendis. Eſt autem conſiderandum, quod in omni judicio ultima ſententia pertinet ad ſupremum judicatorium: ſicut videmus in ſpeculativis, quòd ultima ſententia de aliqua propoſitione datur per reſolutionem ad prima principia. Quandiu enim remanet aliquod principium altius, adhuc per ipſum poteſt examinari id de quo quæritur: unde adhuc eſt ſuſpenſum judicium quaſi nondum data finali ſententia. Manifeſtum eſt autem, quòd actus humani regulari poſſunt ex regula rationis humanæ, quæ ſumitur ex rebus creatis, quas naturaliter homo cognoſcit: & ulterius ex regula legis divinæ, ut ſupra dictum eſt. Unde cum regula legis divinæ ſit ſuperior, conſequens eſt, ut ultima ſententia, per quam judicium finaliter terminatur, pertineat ad rationem ſuperiorem, quæ intendit rationibus æternis. Cum autem de pluribus occurrit judicandum, finale judicium eſt de eo, quod ultimo occurrit. In actibus autem humanis

Digitized by Google

humanis ultimo occurrit ipſe actus, præambulum autem eſt ipſa delectatio, quæ inducit ad actum: & ideo ad rationem ſuperiorem proprie pertinet conſenſus in actum, ad rationem vero inferiorem, quæ habet inferius judicium, pertinet judicium præambulum, quòd eſt de delectatione; quamvis etiam & de delectatione ſuperior ratio judicare poſſit: quia quicquid judicio ſubditur inferioris, ſubditur etiam judicio ſuperioris: ſed non convertit.

Ad primum ergo dicendum, quòd conſentire eſt actus appetitivæ virtutis non abſolutè, ſed conſequens ad actum rationis deliberantis & judicantis, ut ſupra dictum eſt. In hoc enim terminatur conſenſus, quia voluntas tendit in id, quod eſt jam ratione judicatum: unde conſenſus poteſt attribui & voluntati, & rationi.

Ad ſecundum dicendum, quòd ex hoc ipſo quod ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundum legem divinam, impediens actum peccati dicitur ipſa conſentire, ſive cogitet de lege æterna, ſive non. Cum enim cogitat de lege Dei, actu eam contemnit: cum vero non cogitat, eam negligit per modum omiſſionis cujuſdam. Unde omnibus modis conſenſus in actum peccati procedit ex ſuperiori ratione: quia, ut Auguſtin. dicit lib. 12. de Trinit. non poteſt peccatum efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat, aut ſerviat.

Ad tertium dicendum, quòd ratio ſuperior per conſiderationem legis æternæ ſicut poteſt dirigere, vel cohibere actum exteriorem, ita etiam delectationem interiorem: ſed tamen antequam ad judicium ſuperioris rationis deveniatur, ſtatim ut ſenſualitas proponit delectationem, inferior ratio per rationes temporales deliberans, quandoque hujuſmodi delectationem acceptat, & tunc conſenſus in delectationem pertinet ad inferiorem rationem. Si vero etiam conſideratis rationibus æternis homo in eodem conſenſu perſeveret, jam talis conſenſus ad ſuperiorem rationem pertinebit.

Ad quartum dicendum, quòd apprehenſio virtutis imaginativæ eſt ſubita, & ſine deliberatione: & ideo poteſt aliquem actum cauſare, antequam ſuperior vel inferior ratio etiam habeat tempus deliberandi: ſed judicium rationis inferioris eſt cum deliberatione, quæ indiget tempore, in quo etiam ratio ſuperior deliberare poteſt: unde ſi non cohibeat ab actu peccati per ſuam deliberationem, ei imputatur.

CONCLUSIO.

Ad rationem ſuperiorem propriè pertinet conſenſus in actum; ad inferiorem vero conſenſus in delectationem.

Commentarius.

DIfficultatem hujus articuli eodem ferè modo tractatam habes ſupra quæſt. 15. art. 4. Niſi quod ibi ſermo eſt de conſenſu in eſſe phyſico, prout indifferenter ſe habet ad bonum & ad malum: hîc autem de conſenſu ut morali & peccaminoſo. Et ideo illic ſolùm quæritur de ipſo actu voluntatis, qui eſt conſentire; hîc vero de peccato conſenſus, in quo ultra prædictum actum alia includuntur, ut ſuper præcedentem articulum animadvertimus. Utrobique tamen eſt eadem ratio decidendi: quia quod prædictus conſenſus, & ejus peccatum pertineat ad rationem ſuperiorem vel inferiorem (quod tam hîc quàm ibi agitatur) non habet ex ratione peccati, ſed propter extenſionem vel ad actum, vel ad ſolum delectationem: quæ ratio indifferenter poteſt competere conſenſui, ſive ad bonum, ſive ad malum determinetur.

1 Quid ratio ſuperior, & inferior? D. Thom.

Circa literam vero occurrit primò declarandum, quid ſit ratio ſuperior, & ratio inferior: de quibus earúmque diſtinctione ſæpe in hac quæſtione fit mentio. Rem vero tractat ex profeſſo D. Thom. 1. p. quæſt. 79. art. 9. & quæſt. 15. de verit. per totam. Atque in primis docet non eſſe diverſas potentias, ſed eandem potentiam intellectivam utriuſque rationis munus gerere, & utroque vocabulo ſecundum diverſa munera inſigniri. Dicitur enim *ratio ſuperior*, quatenus attendit rebus æternis, vel conſpiciendis, ut cum eas propter earum veritatem aſſequendam contemplatur: vel conſulendis, ut inde ſcilicet accipiat regulam ad actus humanos dirigendos. *Ratio* autem *inferior* vocatur, quatenus intendit rebus temporalibus, & circa eas tanquam circa propriam materiam occupatur.

Idem.

Rationem autem hujus diſtinctionis tradit D. Thom. cit. quæſtione de verit. art. 2. ubi ſic ait. *Ratio ſuperior & inferior hoc modo diſtinguitur. Sunt enim quædam naturæ animæ rationali ſuperiores; quædam vero inferiores: cum vero omne quod intelligitur, intelligatur per modum intelligentis, rerum quæ ſunt ſupra animam intellectus eſt in anima rationali inferior ipſis rebus intellectis: earum vero quæ ſunt infra animam ineſt animæ intellectus ſuperior ipſis rebus: cum in ea tales res nobilius eſſe habeant, quàm in ſe ipſis: & ſic ad utraſque res diverſam habitudinem habet, & ex hoc diverſa ſortitur officia. Secundum enim quod ad ſuperiores naturas reſpicit, ſive ut earum veritatem & naturam abſolute contemplans, ſive ut* ab

…itized by Google

ab eis rationem & quaſi exemplar operandi accipiens, ſuperior ratio nominatur. Secundum vero quod ad inferiora convertitur vel conſpicienda per contemplationem, vel per actionem diſponenda, inferior ratio nominatur, &c.

Ex quo patet, per *res æternas*, quæ dicuntur objectum rationis ſuperioris, intelligi non tantum rationes increatas in Deo exiſtentes, ſed omnia ſerpernaturalia, quæ eo ipſo humanam rationem excedunt, & etiam Angelos, qui ejus immaterialitatem ſuperant. Ob idque habitus ſapientiæ, quæ Deum, & Angelos, & communia principia entis contemplatur, & habitus fidei, quæ tendit in omnia ſupernaturalia, ſubjectantur in prædicta ſuperiori ratione. E contra vero per *res temporales* intelligentur omnia alia, quæ neque in immaterialitate, neque in ordine humanam rationem excedunt: uti ſunt commoda & utilitates temporales, ipſa naturalis honeſtas virtutis acquiſitæ, & oppoſita vitii turpitudo, ac ſimilia. Quoties ergo intellectus per illas priores rationes, & ad earum conſpectum fert de rebus judicium, ſeu in quantum aptus natus eſt per eas judicare, dicetur *ratio ſuperior.* Quoties autem per poſteriores; vocabitur *ratio inferior.*

2 Qualiter conſenſus judicium importet?

Deinde circa literam etiam nota verba illa, quæ habentur in principio corporis, videlicet *conſenſus importat judicium quoddam*, &c. non eſſe intelligenda formaliter, quaſi conſenſus claudat in ſe formaliter judicium: ſunt enim omnino diſtincti actu, & à diſtinctis potentiis eliciti. Sed intelliguntur *præſuppoſitivè*, quia conſenſus voluntatis præſupponit judicium intellectus de conventia objecti, in quod conſentitur. Quod ſi tale objectum ſit actus prout à parte rei exequendus, conſenſus in illud dicitur *conſenſus in actum*: ſpectátque ad rationem ſuperiorem, quia ad iſtam pertinet ferre judicium de tali actu. Si vero objectum ſit delectatio conſurgens ex eodem actû præciſe ut cogitato, etiam ſine animo exequendi, conſenſus in illud dicitur *conſenſus in delectationem*: pertinétque ad rationem inferiorem, quia proprium iſtius rationis eſt de delectabilitate judicare. Hujus vero diſcriminis ratio declaratur optime in articulo. Quia inter judices ſubordinatos, quo pacto ſe habent ratio ſuperior & inferior finalis ſententia ſpectat per ſe ad ſuperiorem, poſt quem non eſt alius, qui judicet; ſententia vero præambula, & non ultima pertinet ad inferiorem, poſt quem remanet judex ſuperior: ſententia autem finalis fertur ab illo, quod ultimò occurrit, ſicut eſt actus re ipſa exequendus; præambula vero fertur de eo, quod præcedit ultimum, qualis eſt delectatio ex actu ut præcisè cogitato conſurgens: unde illa pertinere debet ad rationem ſuperiorem, & iſta ad inferiorem.

§. I.

Rationes dubitandi contra concluſionem.

3 Porro contra concluſionem D. Thomæ ſic probatam non paucæ ſe offerunt rationes dubitandi. Præcipua vero eſt, quia non redditur ſufficiens cauſa, cur ſuperiori rationi tribuendus ſit conſenſus in actum: & non in delectationem; inferiori vero è contra: aut cur non poſſit uterque conſenſus utrique rationi attribui. Conſenſus enim, in quodcunque ſit, illi rationi eſt tribuendus, cujus regitur judicio: judicium autem tam de actu quàm de delectatione indifferenter poteſt ab utraque ratione fieri; ergo indifferenter poteſt eis attribui uterque conſenſus. Minor probatur: nam per eaſdem rationes æternas, per quas iudicamus de actuum exequutione, ut quia divinæ legi congruat, aut repugnet, indéque illam imperamus vel prohibemus, poſſumus quoque iudicare de qualibet delectatione, & eam imperare vel prohibere, totúmque hoc erit munus rationis ſuperioris, quæ ſola rationes aternas attendit. Similiter per eaſdem rationes temporales, per quas iudicamus de aliqua delectatione, ut quia congruit ſenſualitati, aut repugnat virtuti acquiſitæ, poſſumus etiam iudicare de multis actibus, qui eodem modo congruunt ſenſualitati, & virtuti repugnant: ergo non eſt cur potius tribuatur alicui ex prædictis rationibus conſenſus in unum, quam in aliud.

Deinde quod dicitur *conſenſum in actum tribui rationi ſuperiori, quia ultimum judicium ſpectat ad ſupremum judicem, ultimum vero, de quo judicandum occurrit, eſt actus*: non videtur undequaque verum. Tùm quia poſterior eſt delectatio, quæ conſequitur ex ipſo actu poſito à parte rei: ergo de hac potius quàm de actu erit ultimum judicium. Tùm etiam quia adhuc illa delectatio, quæ conſurgit ex obiecti cogitatione, poteſt eſſe omnino ultima, & non ordinari ad actum: ut cùm is, qui delectatur in alicuius turpis actus cogitatione, habet firmum propoſitum neutiquam illum exequendi, ut ſæpe accidit: tunc autem nihil eſt poſterius prædicta delectatione, ac proinde ipſa erit ultimum, de quo occurrit judicandum. Et quicquid ſit de delectatione circa rem cogitatam, hoc ſaltem videtur certum, quod ſi delectatio ſolùm ſit de ipſa cogitatione ſine tranſitu ad rem cogitatam, ſed potius cum diſplicentia & odio talis rei, ut ſæpe accidit, talis delectatio nequaquam ordinatur ad actum, quia neque ex natura rei, neque ex intentione operantis in illum tendit: ergo ſaltem in hoc caſu erit ultimum, de quo ferendum eſt iudicium: atque adeo conſenſus in illam ad rationem ſuperiorem pertinebit.

Præterea: ut conſenſus in aliquid rationi ſuperiori tribuatur non eſt neceſſe, quòd talis ratio poſitive decernat aut imperet prædictum conſenſum; ſed ſufficit, quòd poſſit prohibere, & non prohibeat, ut ſatis indicat D. Thom. in ſolut. ad 2. & ad 4. huius articuli: ſed in quamcunque delectationem voluntas conſentiat, ratio ſuperior poteſt illam prohibere, & non prohibet: igitur omnis talis conſenſus tribuendus erit prædictæ rationi: & ſic nullus erit conſenſus, qui rationi inferiori tribuatur. Adde, iuxta omnium ſententiam conſenſum in delectationem moroſam de re gravi eſſe mortale peccatum: at peccatum mortale non committitur ſine ratione ſuperiori: conſiſtit enim in averſione à fine ultimo, quæ eſt propria rationis ſuperioris, ſicut proprium eius eſt reſpicere talem finem: omnis ergo huiuſmodi conſenſus tribuendus

buendus erit prædictæ rationi : ac proinde ſuperfluet diſtinctio in litera aſſignata.

4 Hæc & alia, quæ omittimus, difficilem reddunt concluſionem, & rationem hujus articuli, quem unà cum præcedenti (ut advertit Cajetanus) inſtituit D. Thom. potiſſimum in reverentiam D. Auguſtini, ut exponeret ejus doctrinam, quam habet lib. 12. de Trinit. cap. 12. ubi per analogiam ad actus viri, fœminæ, & ſerpentis circa originalem culpam format diſtinctionem hîc traditam, comparans rationem ſuperiorem viro, inferiorem fœminæ, & ſerpenti appetitum. Nam ſicut ſerpens verbis ſubdolis ſollicitavit fœminam, ut cibum vetitum guſtaret, fœmina præguſtans viro porrexit, iſque accipiens & comedens conſummavit originale peccatum : ita appetitus offerens rationi inferiori delectationem peccaminoſam, ſollicitat eam ad conſenſum : ipſa vero inferior ratio conſentiens & deguſtans ſuperiori porrigit, ut hæc ſuo imperio formali, vel interpretativo inceptum peccatum uſque ad operis conſummationem perducat. Verba autem Auguſtini ſic habent. *Cum ergo huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus & corporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate verſatur, carnalis ille ſenſus, vel animalis ingerit quandam illecebram fruendi ſe, id eſt tanquam bono quodam privato & proprio, non tanquam publico atque communi, quod eſt incommutabile bonum, tunc velut ſerpens alloquitur fœminam : huic autem illecebræ conſentire, de ligno prohibito manducare eſt. Sed iſte conſenſus ſi ſola cogitationis delectatione contentus eſt, ſuperioris vero authoritate conſilii ita membra retinentur, ut non exhibeantur iniquitatis arma peccato, ſic habendum exiſtimo velut cibum vetitum mulier ſola comederit. Si autem in conſenſione malè utendi rebus, quæ per ſenſum corporis ſentiuntur, ita decernitur quodcunque peccatum, ut ſi poteſtas ſit, etiam corpore compleatur, intelligenda eſt illa mulier dediſſe viro ſuo ſecum ſimul edendum illicitum cibum*, &c. His continetur doctrina Auguſtini, quam D. Thom. in præſentiarum ſuſcepit declarandam reddens rationem, cur conſenſus in delectationem ad inferiorem rationem pertinere dicatur; conſenſus vero in actum peccati ad ſuperiorem.

D. Tu. m. pro D. Aug.

D. Auguſt.

5 Sed & circa ipſam D. Thomæ mentem in expenendo Auguſtinum ſatis à pleriſque dubitatum eſt, pluréſque dicendi modos refert Vaſquez in præſenti diſp. 105. cap. 3. & cap. 4. ſtatuit propriam ſententiam alienam proculdubio ab Ang. Doctore, & à Cajetano, cui illam tribuit. Nos autem, brevitatis gratia omnia alia miſſa facientes, legitimam ipſius Cajetani expoſitionem, quæ & aliis Thomiſtis valde communis eſt, breviter referemus. Et quæ ad rem magis declarandam neceſſaria fuerint, de penu noſtra, ſeu potius D. Thomæ ſuppeditabimus. Igitur eminentiſſimus Cardinalis, qui ſupra circa articulum quartum quæſtionis 15. multa pro re dixerat, hîc paucis contentus præſentem doctrinam ita exponit : ut ſecundum rem uterque conſenſus tam ſcilicet in delectationem, quam in actum utriuſque rationis eſſe poſſit ſuperioris quidem quatenus fiet attentis rationibus æternis, ſeu ad earum conſpectum; inferioris vero quando fit per rationes temporales : per quamdam tamen appropriationem conſenſum in delectationem tribui rationi inferiori potius quàm ſuperiori, conſenſum vero in actum contra. Quemadmodum in divinis appropriamus potentiam Patri, ſapientiam Filio, & Spiritui Sancto amorem, quamvis ſecundum rem omnia ſint omnibus communia. Ratio autem prædictæ appropriationis in noſtro caſu eſt illa, quæ habetur in articulo. Hac via facile ſolvi videntur rationes dubitandi contra concluſionem, quia ſolùm procedunt ſecundum rem; prædictam verò appropriationem non impugnant.

Vaſq.

Cajet. expoſitio pro D. Thoma.

6 Sed ut Thomiſticam doctrinam radicitus declaremus, in primis nota Ang. Doctorem non æqualiter tribuere rationi inferiori conſenſum in delectationem, ſicut tribuit ſuperiori conſenſum in actum : ſed cum hoc diſcrimine, quòd ratio inferior ſe ſola ſufficit multoties ad conſentiendum in delectationem, ad conſentiendum vero in actum nunquam ſufficit, ratio autem ſuperior ad utrunque conſenſum poteſt ſe extendere, ut habet D. Thom. in corp. hujus articuli, ubi poſtquam dixit, conſenſum in actum propriè pertinere ad rationem ſuperiorem, & conſenſum in delectationem ad inferiorem, addit. *Quamvis etiam & de delectatione ſuperior ratio judicare poſſit : quia quicquid judicio ſubditur inferioris, ſubditur etiam judicio ſuperioris; ſed non convertitur.* Et idem dicit in ſolut. ad 3. & art. ſequenti in ſolut. ad 1. Tribuitur tamen ſpecialiter rationi ſuperiori conſenſus in actum, quia ita eſt proprius illius, ut nunquam ſine ea alteri competat. At vero conſenſus in delectationem propterea tribuitur rationi inferiori, quia ex propriis meritis poſtulat ab ea oriri : & ſi ſuperior ratio aliquando ad illum ſe extendit, id provenit propter ſuam generalitatem & eminentiam; non quia prædictus conſenſus ex ſua natura id poſtulet. Et ideo in ſolut. ad 3. hujus articuli concedit D. Thom. conſenſum in delectationem prævium ad judicium rationis ſuperioris, qui proinde ad ſolam inferiorem rationem pertinet; ut conſtat ex illis verbis. *Sed tamen antequam ad judicium ſuperioris rationis deveniatur, ſtatim ut ſenſualitas proponit delectationi, inferior ratio per rationes temporales deliberans quandoque hujuſmodi delectationem acceptat : & tunc conſenſus in delectationem pertinet ad inferiorem rationem*, &c.

Animadverſio pro enucleanda D. Thom. doctrina.

D. Thom.

Idem.

7 Deinde nota, conſenſum in actum non ideo ſemper tribui rationi ſuperiori, quia ipſa ſuo judicio ſemper poſitivè approbet opus, in quod voluntas conſentit : ſed ſufficit, quod ſciens & prudens permittat : poſtquam ad tribunal prædictæ rationis deventum eſt, illáque deberet ſuo finali judicio talem actum reprobare, omittit hanc reprobationem, ſinitque inferiorem rationem ſuum conſenſum ſeu decretum exequi : túncque talis conſenſus poſitive quidem eſt à ratione inferiori, à ſuperiori vero ſolùm permiſſivè, & interpretativè, ut habetur ex D. Thoma hîc in ſolut. ad 2. & ad 4. Nihilominus tamen prædictus conſenſus tribuitur potius rationi ſuperiori, quàm inferiori, quia niſi conſtet illam conſultam fuiſſe erga exequutionem actus, & poſt conſultationem eam permittere

Animadverſio alia.

Digitized by Google

nullatenus conſenſus in illum evadet abſolutus & efficax.

Animadverſio tertia. Pro cujus pleniori intelligentia nota tertiò, quod executio actus pertinet ſpeciali titulo ad rationem ſuperiorem, dependétque ab ea: quatenus proprium iſtius rationis eſt membra, quibus actus eſt exequendus, ad operandum applicare, vel ab hoc removere. Nam quemadmodum in bello licet unicuique duci & miniſtro ſuum munus incumbat; hoc tamen quod eſt exercitum moveri, aut quieſcere, procedere, aut ſiſtere omnino eſt proprium ſupremi & generalis ducis, neque eo inconſulto aut non conſentiente, alicujus inferioris poteſtas ad id ſufficiet: ita in homine hoc quod eſt membra ad agendum applicare, vel ab eo removere, omnino eſt proprium ſupremi ducis, ſeu judicis, qui eſt ratio ſuperior: & ideo ea inconſulta vel non conſentiente, nulla alia facultas exequutionem operis imperabit.

8 Animadverſio ultima. Tandem nota conſenſum, de quo in præſenti eſt ſermo, non dicere quamlibet volitionem aut complacentiam circa opus exequutioni mandandum, ſed illam, quæ abſolute & efficaciter infert talem executionem: unde ſicut executio ob rationem datam pendet ſpecialiter à ratione ſuperiori, nec fieri valet ſine recurſu ad illam, ita prædictus conſenſus intelligi nequit ſine tali recurſu, quo conſtet prædictam rationem vel poſitive actum exequendum approbare, vel ſaltem ei non diſſenſuram. Quandiu enim de hoc non conſtat, non intelligitur data finalis ſententia: quia adhuc non ſcitur, an ſuprema ratio conſulta, & ad conſpectum æternarum rationum examinata, exequutionem poni ſinet, vel eam ſuo ultimo judicio impediet: *quandiu enim* (ait D. Thom. ſupra quæſt. 15. art. 4.) *judicandum reſtat quod proponitur, nondum datur finalis ſententia.* (Et inferius) *Et ideo quandiu incertum eſt, an ſecundum rationes divinas reſiſtatur, vel non, nullum judicium rationis habet rationem finalis ſententiæ: finalis autem ſententia de agendis eſt conſenſus in actum*, &c. Nulla igitur volitio antecedens omnino prædictam conſultationem poterit eſſe conſenſus in actum abſolutus & efficax, ſed ad ſummum conditionatus hac conditione, *ſi ratio ſuperior non contradicat.* Cæterum ubi poſt conſultationem non contradicit, ſcitur jam ex vi præſentis diſpoſitionis non diſſenſuram: imo & de facto conſentit interpretativè: & virtute hujus interpretativi conſenſus evadit abſolutus & efficax ille formalis, quem inferior ratio præſtat: quia jam non reſtat aliud judicium ſuperius, à quo poſſit executio impediri.

D. Thom. Invenimus autem totam hanc doctrinam comprehenſam à D. Auguſtino in illis verbis, quæ adducit Angel. Doctor in præſenti ad 2. & ſupra cit. art. 4. quæſtionis 15. in argumento, *ſed contra. Non poteſt peccatum efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat aut ſerviat.* Ecce omnia, quæ docuimus, nempe quòd poteſtas membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi penes ſupremam mentis intentionem, quæ eſt ratio ſuperior, reſideat: & rurſus quòd niſi conſtet hujuſmodi rationem vel ſervire malo operi illud imperando, vel cedere non impediendo, poſtquam de eo ſibi conſtat, nequaquam poſſe eſſe efficax & abſolutum decretum aut conſenſum circa tale opus. Quod contra ſe habet in conſenſu circa ſolam delectationem, nam iſte non dependet à ratione ſuperiori, ſed ex vi ſolius inferioris, etiam ſuperiori non conſulta, poteſt eſſe abſolutus. Et ratio eſt, quia cum delectatio non ſit opus exequendum per membra, ſed actu ſolius appetitus, non indiget ad ſui exiſtentiam imperio vel permiſſu, imò ante omnem advertentiam rationis aliquando exiſtit, & ita neque ad eliciendum conſenſum in illam, opus eſt recurrere ad rationem ſuperiorem, ſed ſufficit judicium inferioris talem delectationem approbans, & proponens voluntati. Quod ſi etiam ipſa ſuperior ratio conſulta prædictam delectationem approbet, vel ab inferiori approbari permittat, illi quoque & non tantum iſti conſenſus tribuetur, ut D. Thom. ſæpe affirmat.

Sed dices: repugnat quòd ratio inferior habeat conſenſum in delectationem, niſi ſuperior permittat: ergo vel talis permiſſio non ſufficit, ut conſenſus ſuperiori rationi tribuatur; vel omnis conſenſus in delectationem debet ei tribui. Conſequentia eſt perſpicua. Antecedens vero probatur. Tùm quia ratio ſuperior eatenus permittit, quatenus non prohibet: non autem prohibet, quoties ratio inferior de facto conſentit: ſi namque illa prohiberet, nequaquam iſta conſentiret: ergo quoties inferior conſentit, ſuperior permittit. Tùm etiam quia ut ratio ſuperior dicatur permittere conſenſum in actum, & hoc modo tribuatur ei talis conſenſus, ſufficit, quòd poſſit impedire ejus executionem, & teneatur, & non impediat: ergo cum poſſit eodem modo impedire conſenſum in delectationem, & ad id ſemper teneatur, ſemper dicenda eſt illum permittere, ſempérque ipſi tribuetur. 9 Objectio.

Enodatur. Reſpondetur, dupliciter poſſe intelligi, quòd ratio ſuperior permittat conſenſum inferioris: vel negative, eo quod nondum de tali conſenſu cogitavit, neque is ad ejus judicium delatus eſt, & ita nondum prædictæ rationi incumbit illum ſuo decreto reprobare. Vel privative, quia videlicet poſtquam prædictus conſenſus delatus eſt ad judicium illius rationis, inſtatque occaſio proferendi de eo ſententiam, qua reprobetur, non profert, nec reprobat, ſed ſinit inferiorem partem in eo permanere. Vt ergo prædictus conſenſus rationi ſuperiori adhuc ut permittenti tribuatur, debet hoc poſteriori modo, & non tantum primo ab ea permitti: quia ratione omiſſionis præcisè negativæ effectus non tribuitur omittenti. Porro inferiorem rationem verſari aliquando per ſuam deliberationem & conſenſum circa delectationem appetitus acceptando illam, priuſquam ad ſuperioris judicium cauſa deferatur, docet expreſſe D. Thom. in ſolut. ad 3. hujus articuli. D. Thom. *Sed tamen* (ait) *antequam ad judicium ſuperioris rationis deveniatur, ſtatim ut ſenſualitas proponit delectationem, inferior ratio per rationes temporales deliberans quandoque hujuſmodi delectationem acceptat: & tunc conſenſus in delectationem pertinet ad inferiorem rationem*, &c. Quod autem dicitur rationem

Digitized by Google

ſuperiorem teneri ad impediendum conſenſum inferioris, eſt impropria locutio, quia obligatio ad hoc, vel illud tantùm eſt apud ſuppoſitum, & ideo homo ipſe eſt, qui debet, & qui tenetur, non autem hæc, aut illa ratio. Vnde licet homini imputetur, quoties poteſt impedire peccatum, & non impedit, rationi tamen ſuperiori non tribuitur, ex eo ſolum quod poſſit per eam impediri, ſed quia de facto in illo ſe immiſcet, vel præcipiendo, vel poſt rem ad ſe delatam non impediendo.

10 Replicatur. Si autem huic doctrinæ opponas eam, quæ habetur in ſolut. ad 4. ubi dicitur, quod licet ratio ſuperior non deliberet circa actum peccati, nihilominus tribuitur illi conſenſus, quia ad hoc ſatis eſt, quod poſſit deliberare, ſicut re vera poteſt, dum deliberat ratio inferior: ergo non requiritur, quod ratio ſuperior de facto conſulatur. Et in ſolut. ad 2. dicitur, quod, ut prædicta ratio dicatur conſentire, ſatis eſt ſi non dirigat actum rationis inferioris ſecundum legem æternam, ſive cogitet de tali lege, ſive non cogitet: ergo non eſt neceſſarium, quod cogitet, ſeu conſulatur ut omittat privativè.

Diluitur. Reſpondetur, utriuſque ſolutionis doctrinam intelligendam eſſe, poſtquam notitia actus exequendi ad ſuperiorem rationem delata eſt, atque adeo poſt aliquam ejus conſultationem: ipſa enim qualis qualis notitia actus in ratione, eſt aliqua conſultatio: poſt quam, ſive prædicta ratio deliberet conferendo actum cum rationibus æternis; ſive non deliberet (utroque enim modo poteſt ſe habere) jam omittit privativè, quia conſulta circa actum, ſinit ejus executionem abſolutè decerni. Cæterum ubi ratio ſuperior nihil adverteret circa actum, non poſſet hujus executio decerni efficaciter, ac proinde neque à voluntate elici efficax & abſolutus conſenſus in illum. Vnde hujuſmodi conſenſus ſtare nequit ſine prædicta advertentia: ſecus autem conſenſus in ſolam delectationem. Verba autem illa ex ſolut. ad 2. *ſive cogitet de lege æterna, ſive non cogitet* non excludunt omnem advertentiam rationum æternarum, aut ipſius legis; ſed ſolùm notitiam diſtinctam, & in ſpeciali conferentem cum prædictis rationibus operationes, quæ per eas dirigi deberent. Qua notitia ſecluſa, remanet adhuc alia minus diſtincta & communior, non afferens prædictam collationem. Et hæc ſufficit ut cenſeatur tunc conſulta ratio ſuperior, tribuatúrque illi conſenſus, quem non impedit.

11 Solutio ad primam rationem dubitandi. Ex his credimus manere ſufficienter declaratam doctrinam hujus articuli, omninóque enervari, quæ in oppoſitum objecta ſunt. Ad primum namque conſtat ex illis, quæ ſecundo & tertio loco notavimus, quomodo ſit ſpecialis ratio, ut conſenſus in actum, quovis judicio regatur, tribuatur ſemper rationi ſuperiori, vel ut imperanti, vel ſaltem ut privativè permittenti. Quæ ratio non militat pro conſenſu in delectationem. Quod autem dicitur judicium tam de actu, quàm de delectatione poſſe ab utraque ratione fieri, quodammodo verum eſt, non tamen univerſaliter, & loquendo de facto. De facto enim non ſemper judicium erga delectationem fit, aut permittitur privativè à ratione ſuperiori, ut dictum eſt num. 9. Nec ſimiliter judicium circa actum fit ſemper à ratione inferiori: quia aliquando datur per principia immediatè oppoſita rationibus æternis, & tunc etiam elicitivè eſt à ratione ſuperiori. Sed licet demus ut multoties contingit, quod tale judicium ſit actus inferioris rationis, ſemper tamen fieri debet cum recurſu ad ſuperiorem circa id conſultam: aliter conſenſus in actum directus eo judicio non evadet abſolutus & efficax, ut vidimus num. 8. Et ita etiam tunc verificatur propoſitio D. Thomæ, quod conſenſus in actum ſemper pertinet ad rationem ſuperiorem in ſenſu à nobis declarato. Probatio autem minoris in prima parte nihil affert contra nos, quia non negamus rationem ſuperiorem poſſe judicare de delectatione per rationes æternas, ſeu ad earum conſpectum ſicut judicat de actu: tribuetúrque ei tunc conſenſus in illam, ſicut tribuitur conſenſus in actum: ſed negamus, ſemper ita contingere. In ſecunda parte etiam nobis non officit: quia licèt per rationes temporales poſſit judicari de actu, tuncque hoc judicium eliciatur à ratione inferiori; non tamen poteſt elici in ratione decreti abſoluti & efficacis ſine recurſu ad ſuperiorem, ratione cuius huic etiam ſpecialiter tribuatur.

12 Ad ſecundam. Ad ſecundum negamus, non reddi à Divo Thoma ſufficientem rationem illius doctrinæ. Et ad primam probationem reſpondetur, hic non eſſe ſermonem de delectatione, quæ ſequitur ex actu à parte rei executo: quia iſta non ponit in numero cum ipſo actu, neque aliter de ea, quàm de actu philoſophandum eſt, ſive quoad iudicium, vel conſenſum, ſive quoad rationem ultimi. Sed de alia, quæ conſurgit ex ſola obiecti cogitatione. Hæc enim antecedit actum, & natura ſua ordinatur ad illum. Nec refert, quod ab operante ſæpe non ordinetur, quia hoc eſt per accidens, & non tollit, quod ipſa ſuaptè natura ad actum tendat, ſitque aliquid prævium & diſpoſitivum ad illum, ac proinde quod eius iudicium competat rationi inferiori. Niſi velis dicere quod cum operans omnino determinat non tranſire ad actum, & nihilominus conſentit in delectationem, iam in hoc conſenſu intervenit ratio ſuperior, ſine qua non fieret illa determinatio. Et ita poteſt concedi, quod pertineat ad prædictam rationem. Atque etiam concedimus, pertinere ad illam conſenſum in eam delectationem, quæ capitur de cogitatione, & non de obiecto cogitato, propterea quod hæc delectatio etiam eſt ultima. Per quod patet ad ſecundam probationem. Solutio autem, & cuncta in ea tradita habentur ſupra quæſtione 15. articulo 4. ad 1. ubi Divus Thomas ſic ait. D. Thom. *Dicendum, quod conſenſus in delectationem operis pertinet ad ſuperiorem rationem, ſicut & conſenſus in opus: ſed conſenſus in delectationem cogitationis pertinet ad rationem inferiorem, ſicut ad ipſam pertinet cogitare. Et tamen de hoc ipſo, quod eſt cogitare, vel non cogitare, in quantum conſideratur ut actio quadam, habet iudicium ſuperior ratio: & ſimiliter de delectatione conſequente. Sed in quantum accipitur ut ad actionem aliam ordinatum, ſic pertinet ad inferiorem rationem: quod enim ad aliud ordinatur,*

Digitized by Google

ordinatur, ad inferiorem artem vel potentiam pertinet, &c.

13 Ad tertium. Ad tertium jam diximus, quomodo licèt ut conſenſus tribuatur ſuperiori rationi, non ſit neceſſarium, quod poſitivè illum decernat, requiritur tamen, quòd conſulatur, ſciensque & prudens (ut ita dicamus) omittat prohibere: quod non ſemper accidit, quando ratio inferior conſentit in delectationem. Ad ultimum. ¶ Ad ultimum, quod additur, reſpondet Cajetanum rationem inferiorem habere in ſe participium ſuperioris, & ratione hujus participii poſſe peccare mortaliter: quia ratione ejus eſt capax conformitatis & averſionis à rationibus æternis. Quod eſt intelligendum, etiam ſuperiori ratione non conſulta, expreſſe & formaliter. D. Thom. Videtúrque ſolutio D. Thom. q. 15. de verit. art. 4. ad 6. & in hac quæſt. art. 8. ad 1. ubi ſimile argumentum ita diluit. *Ipſa ratio inferior poteſt averti à rationibus æternis, quia & ſi non intendit eis ut ſecundum eas regulans, quod eſt proprium ſuperioris rationis, intendit tamen eis ut ſecundum eas regulata. Et hoc modo ab eis ſe avertens poteſt peccare mortaliter*, &c.

Sed dices: nequit voluntas averti à lege æterna ſine ejuſdem legis cogitatione: ſed talis cogitatio pertinet ad rationem ſuperiorem: ergo hac ratione inconſulta, nullus poteſt mortaliter delinquere. ¶ Reſpondetur, ſatis eſſe ad mortaliter delinquendum cognoſci diſſonantiam peccati ad naturalem rationem, etiam ſi legis æternæ in ſe ipſa mentio expreſſa non ſubeat. Quia cum prædicta ratio ſit participatio iſtius legis, quicquid illi diſſonat, contrariabitur eidem legi, atque adeo cognita illa diſſonantia, datur ſufficiens notitia ad delinquendum contra legem æternam.

ARTICULUS VIII.

Vtrum conſenſus in delectationem ſit peccatum mortale?

AD octavum ſic proceditur. Videtur, quòd conſenſus in delectationem non ſit peccatum mortale. Conſentire enim in delectationem pertinet ad rationem inferiorem, cujus non eſt intendere rationibus æternis, vel legi divinæ, & per conſequens neque ab eis averti: ſed omne peccatum mortale eſt per averſionem à lege divina, ut patet per diffinitionem Auguſtini de peccato mortali datam; quæ ſupra poſita eſt: ergo conſenſus in delectationem non eſt peccatum mortale.

2. Præterea: conſentire in aliquid non eſt malum, niſi quia illud eſt malum, in quod conſentitur: ſed propter quod unumquodque, & illud magis, vel ſaltem non minus: non ergo illud, in quod conſentitur, poteſt eſſe minus malum, quàm conſenſus, ſed delectatio ſine opere non eſt peccatum mortale, ſed veniale tantùm: ergo nec conſenſus in dectationem eſt peccatum mortale.

3. Præterea: delectationes differunt in bonitate & malitia ſecundum differentiam operationum, ut dicit Philoſophus in 10. Ethic. ſed alia operatio eſt interior cogitatio, & alia actus exterior, puta fornicationis: ergo delectatio conſequens actum interioris cogitationis tantùm differt à delectatione fornicationis in bonitate vel malitia, quantùm differt cogitatio interior ab actu exteriori, & per conſequens etiam eodem modo differt conſentire in utrumque: ſed cogitatio interior non eſt peccatum mortale, nec etiam conſenſus in cogitationem: ergo per conſequens nec conſenſus in delectationem.

4. Præterea: exterior actus fornicationis vel adulterii non eſt peccatum mortale ratione delectationis, quæ etiam invenitur in actu matrimoniali, ſed ratione inordinationis ipſius actus: ſed ille, qui conſentit in delectationem, non propter hoc conſentit in deordinationem actus: ergo non videtur mortaliter peccare.

5. Præterea: peccatum homicidii eſt gravius, quàm ſimplicis fornicationis: ſed conſentire in delectationem, quæ conſequitur cogitationem de homicidio, non eſt peccatum mortale: ergo multo minus conſentire in delectationem, quæ conſequitur cogitationem de fornicatione, eſt peccatum mortale.

6. Præterea: oratio dominica quotidie dicitur pro remiſſione venialium, ut Auguſtinus dicit: ſed conſenſum in delectationem Auguſtinus docet eſſe abolendum per orationem dominicam: dicit enim in lib. 12. de Trinit. quòd hoc eſt longe minus peccatum, quàm ſi opere ſtatuatur implendum: & ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, pectuſque percutiendum, atque dicendum dimitte nobis debita noſtra: ergo conſenſus in delectationem eſt peccatum veniale.

Sed contra eſt quod Auguſtinus poſt pauca ſubdit. Totus homo damnabitur, niſi hæc, quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur: ſed nullus damnatur niſi pro peccato mortali:

Digitized by Google

ergo conſenſus in delectationem eſt peccatum mortale.

Reſpondeo dicendum; quòd circa hoc aliqui diverſimode opinati ſunt. Quidam enim dixerunt, quòd conſenſus in delectationem non eſt peccatum mortale, ſed veniale tantùm. Alii vero dixerunt, quòd eſt peccatum mortale: & hæc opinio eſt communior & veriſimilior. Eſt enim conſiderandum, quòd cum omnis delectatio conſequatur aliquam operationem, ut dicitur in 10. Ethic. Et iterum, cum omnis delectatio habeat aliquod objectum, delectatio quælibet poteſt comparari ad duo, ſcilicet ad operationem, quam conſequitur, & ad objectum, in quo quis delectatur. Contingit autem, quòd aliqua operatio ſit objectum delectationis, ſicut & aliqua alia res: quia ipſa operatio poteſt accipi ut bonum, & finis, in quo quis delectatus requieſcit, & quandoque quidem ipſamet operatio, quam conſequitur delectatio, eſt objectum delectationis, in quantum ſcilicet vis appetitiva, cujus eſt delectari, reflectitur in ipſam operationem ſicut in quoddam bonum, puta cum aliquis cogitat, & delectatur de hoc ipſo, quod cogitat, in quantum ſua cogitatio placet. Quandoque vero delectatio conſequens unam operationem, puta cogitationem aliquam, habet pro objecto aliam operationem quaſi rem cogitatam: & tunc talis delectatio procedit ex inclinatione appetitus, non quidem in cogitationem, ſed in operationem cogitatam. Sic igitur aliquis de fornicatione cogitans de duobus poteſt delectari. Uno modo de ipſa cogitatione: alio modo de ipſa fornicatione cogitata. Delectatio autem de cogitatione ipſa ſequitur inclinationem affectus in cogitationem ipſam. Cogitatio autem ipſa ſecundum ſe non eſt peccatum mortale, imo quandoque eſt veniale tantùm, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea: quandoque autem ſine peccato omnino, puta cùm aliquis utiliter de ea cogitat, ſicut cum vult de ea prædicare, vel diſputare. Et ideo per conſequens affectio, & delectatio, quæ ſic eſt de cogitatione fornicationis, non eſt de genere peccati mortalis, ſed quandoque eſt peccatum veniale, quandoque nullum: unde nec conſenſus in talem delectationem eſt peccatum mortale. Et ſecundum hoc prima opinio habet veritatem. Quod autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipſo actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quòd affectio ejus inclinata eſt in hunc actum. Unde quòd aliquis conſentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud eſt, quàm quòd ipſe conſentiat in hoc, quod affectus ſuus ſit inclinatus in fornicationem: nullus enim delectatur niſi in eo, quod eſt conforme appetitui ejus. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus ſuus conformetur his, quæ ſecundum ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale. Unde talis conſenſus in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale, ut ſecunda opinio ponit.

Ad primum ergo dicendum, quod conſenſus in delectationem poteſt eſſe non ſolum rationis inferioris, ſed etiam ſuperioris, ut dictum eſt: & tamen ipſa ratio inferior poteſt averti à rationibus æternis, quia etſi non intendit eis, ut ſecundum eas regulans, quod eſt proprium ſuperioris rationis: intendit tamen eis, ut ſecundum eas regulata: & hoc modo ab eis ſe avertens poteſt peccare mortaliter: nam & actus inferiorum virium, & etiam exteriorum membrorum poſſunt eſſe peccata mortalia, ſecundum quod deficit ordinatio ſuperioris rationis regulantis eos ſecundum rationes æternas.

Ad ſecundum dicendum, quòd conſenſus in peccatum, quod eſt veniale ex genere, eſt veniale peccatum: & ſecundum hoc poteſt concludi, quod conſenſus in delectationem, quæ eſt de ipſa vana cogitatione fornicationis, eſt peccatum veniale: ſed delectatio, quæ eſt in ipſo actu fornicationis, de genere ſuo eſt peccatum mortale: ſed quod ante conſenſum ſit veniale peccatum tantum, hoc eſt per accidens, ſcilicet propter imperfectionem actus: quæ quidem imperfectio tollitur per conſenſum deliberatum ſupervenientem: unde ex hoc adducitur in ſuam naturam, ut ſit peccatum mortale.

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de delectatione, quæ habet cogitationem pro objecto.

Ad quartum dicendum, quòd delectatio, quæ habet actum exteriorem pro objecto, non poteſt eſſe abſque complacentia exterioris actus ſecundum ſe, etiam ſi non ſtatuatur implendum propter prohibitionem alicujus ſuperioris. Unde actus fit inordinatus, & per conſequens delectatio erit inordinata.

Ad quintum dicendum, quòd etiam conſenſus

conſenſus in delectationem, quæ procedit ex complacentia actus homicidii cogitati, eſt peccatum mortale: non autem conſenſus in delectationem, quæ procedit ex complacentia cogitationis de homicidio.

Ad ſextum dicendum, quòd oratio dominica non ſolùm contra peccata venialia dicenda eſt, ſed etiam contra mortalia.

PRIMA CONCLUSIO.

Quando delectatio, quæ conſequitur ad cogitationem rei illicitæ, non habet pro objecto ipſam rem illicitam, ſed ſolam cogitationem, conſenſus in eam non eſt peccatum mortale; ſed vel ſolùm veniale, vel actus bonus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Quando delectatio habet pro objecto rem illicitam cogitatam, conſenſus in eam ſemper eſt peccatum mortale, vel veniale juxta gravitatem objecti.

Obſervanda circa litteram.

Utraque concluſio eſt communis, recipitúrque ab omnibus Theologis: quamvis circa earum rationem non deſint controverſiæ, quas dirimet ſequens diſputatio. Porro autem temporibus D. Thomæ veritas ſecundæ aſſertionis non erat ita explorata, quin pro contraria parte multi opinarentur exiſtimantes, moroſam delectationem de objecto quantumvis gravi & illicito, dummodo relegetur conſenſus in actum, non excedere limites peccati venialis. Ob idque Ang. Doctor propriam ſententiam ſolùm appellat communiorem, & veriſimiliorem, nec contrariæ notam aliquam inurit, ſed potius nominat eam abſolute *opinionem*. Cæterum noſtro ſæculo, multíſque retrò jam annis omnino eſt recepta prædicta veritas, neque oppoſitum poterit ſine temeritate abſolutè defendi. Et fortaſſe opinio illa, quæ temporibus D. Thomæ non erat improbata, ex æquivoco procedebat non diſtinguens inter delectationem de cogitatione, & de re cogitata: poſſétque exponi juxta primam aſſertionem, ut ſecundæ non adverſaretur: ſicut exponi videtur à S. Doctore in corp. art.

Contextura autem præſentis literæ, & quicquid in ea habetur, nihil continet obſcuritatis, quam explicatione relegare opus ſit. Niſi quod in ſolut. ad 2. mendosè legi videntur illa verba, *Delectatio, quæ eſt in ipſo actu*, pro *delectatio, quæ eſt de ipſo actu*. Nam cum ſit ſermo de actu non ut in re exequuto, ſed ut cogitatione apprehenſo, non eſt quo pacto delectatio inde conſurgens dicatur *eſſe in ipſo actu*: quia hic modus loquendi refert actum ut poſitum in executione. Quando vero in ſola cogitatione habetur, licèt appetitus delectetur circa talem actum, proindéque delectatio ſit de illo ut in cogitatione exiſtente; non tamen ita propriè dici poteſt *eſſe in illo* etiam ut cogitato, ut intuenti conſtabit. ¶ Niſi velis D. Thomam in prædictis verbis loqui de delectatione conſequente actum ut exequutum: & nihilominus ſatisfeciſſe argumento, quod procedebat de delectatione actus præcisè ut cogitati: quia utraque delectatio eſt ejuſdem malitiæ, eo quod habet idem objectum: & ita potuit fieri tranſitus ab una in aliam: & ex eo quod delectatio de actu ut exequuto ſit de genere ſuo mortalis, affirmari idem de delectatione actus duntaxat cogitati. Sed iſta expoſitio non videtur omnino apta contextui, ſi conſulatur tam in argumento, quàm in prædicta ſolutione.

In eadem autem ſolutione poteſt dubitari, num delectatio, quæ adveniente voluntatis conſenſu eſt peccatum mortale, ſit eadem numero, quæ ante conſenſum cœpit, vel ſine ulla malitia, vel cum ſola veniali; aut potius neceſſe ſit, delectationem prius cœptam per adventum conſenſus voluntatis interrumpi, & aliam diſtinctam ſuccedere? Ratio dubitandi eſt, quia in prædicta ſolutione non obſcurè conceditur permanere eandem delectationem in utroque ſtatu: quatenus dicitur, quòd *adveniente conſenſu tollitur ab ea imperfectio, ex qua per accidens venialis reddebatur, & reducitur in ſuam naturam peccati mortalis.* Idémque aſſeritur q. 15. de verit. art. 2. ad 16. Ex alia vero parte eſt locus ejuſdem D. Thom. quæſt. 15. de verit. art. 4. ad 5. ubi ait: *Dicendum, quod illa delectatio, quæ fuit venialis* (ſcilicet ante plenum conſenſum) *nunquam eadem numero erit mortalis: ſed actus conſenſus ſuperveniens erit mortalis.* D. Thom.

Sed ſine dubio tenendum eſt poſſe eandem numero delectationem, quæ cœpit ante conſenſum voluntatis, permanere quoad ſuum eſſe phyſicum & entitativum adveniente conſenſu: atque adeo poſſe incipere ſine ulla malitia, vel cum ſola veniali, & continuari cum malitia mortali. Nulla enim adduci poteſt ratio, cur delectatio exiſtens in appetitu ſenſitivo debeat quoad ſuam entitatem corrumpi, & aliam ſuccedere, ex eo ſolùm quòd voluntatis conſenſus ſuperadveniat: præſertim cum totum objectum phyſicum, & cætera principia, ex quibus entitas prædictæ delectationis dependet, poſſint manere invariata. Quinimo licèt de delectatione, ſeu gaudio exiſtente in voluntate ſermo ſit, credimus poſſe ſine interruptione quoad entitatem phyſicam permanere poſt plenam deliberationem eundem numero actum, qui vel ſine ulla deliberatione, vel ſolùm cum ſemiplena inchoatus fuit, ut probavimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 6. dub. 2.

Locus autem D. Thomæ in quæſt. de verit. debet intelligi de interruptione delectationis ſecundum eſſe morale, non autem ſecundum eſſe phyſicum. Unde ſenſus eſt, quòd adveniente conſenſu, non manet eadem delectatio quantum ad malitiam, ſive in ratione offenſæ, quia variatur de veniali in mortalem. Neque amplius voluiſſe D. Thomam in illa ſolutione conſtat ex argumento, quod erat hujuſmodi. *Cum veniale & mortale quaſi in infinitum diſtent, veniale non poteſt fieri mortale:*

ſed delectatio ante conſenſum eſt venialis : ergo conſenſu adveniente non poteſt fieri mortalis. Ex hoc ergo argumento, cui adhibetur prædicta ſolutio, planè conſtat non eſſe ſermonem de variatione quoad entitatem phyſicam : quia ſecundum hanc planum eſt veniale & mortale non diſtare in infinitum : & ideo neceſſario debet intelligi de mutatione & variatione ſolùm quantum ad malitiam ; vel quantum ad rationem offenſæ. De quo rurſus dicemus infra quæſt. 88. art. 4.

DISPUTATIO XI.

De delectatione moroſa.

NON pauca, quæ circa delectationem moroſam ſolent ab aliquibus in præſenti examinari, ſicut eſt, quæ advertentia requiratur ex parte intellectus, & quis conſenſus ex parte voluntatis, ut gradum peccati mortalis attingat, aliáque hujuſmodi, diſcuſſa jam à nobis in præcedenti diſp. Quia enim ſimiles difficultates communes ſunt pro omnibus motibus ſenſitivi appetitus, nec circa delectationem peculiare aliquid continent, congruum judicavimus illas tunc diſcutere, quando de prædictis motibus, eorúmque malitia univerſaliter agebatur, reſervando duntaxat huic diſputationi quædam alia, quæ peccatum moroſæ delectationis ſpecialius concernunt. Ejus tamen occaſione de aliquibus aliis actibus ſive appetitus, ſive voluntatis nonnulla dicere opus erit. Porro autem moroſa delectatio non ideo ſic appellata eſt, quia mora temporis menſuretur : ſtat enim diu perſiſtere ; & moroſam non eſſe, ſi voluntas non præbeat conſenſum : ſicut etiam ſtaret durare ſolùm per inſtans, & eſſe moroſam, ſi voluntas plenè conſentiret. Ex prædicto ergo conſenſu, non ex mora temporis judicanda eſt per ſe moroſitas delectationis. Quapropter delectatio illa, cui voluntas ſtatim atque animadvertitur, efficaciter reſiſtit, etiam ſi eam repellere non valens diu ſuſtineat, nullatenus *moroſa*, aut *peccaminoſa* cenſeri debet. Illa autem, cui licèt non reſiſtat, non tamen præbet conſenſum plenè liberum, ſed tantùm ſemiplenè, *ſecundum quid* duntaxat *moroſa* dici debet, quantumcunque in eo ſtatu perduret. Illa ergo dicenda eſt abſolutè & ſimpliciter *moroſa*, in quam voluntas conſentit conſenſu plenè libero, atque adeò poſt plenam advertentiam intellectus.

Animadvertimus quoque, quòd & ſi delectatio ſumpta pro paſſione tantùm ſit in appetitu ſenſitivo ; communius tamen accepta comprehendit etiam actum voluntatis, qui dicitur *gaudium*, pro quo non minus quàm pro delectatione ſenſitiva deſerviet examen, quod fiet in hac diſputatione. Licet autem utraque delectatio ſit circa rem præſentem, nam eſt quies in bono poſſeſſo, non tamen hæc præſentia debet neceſſario eſſe realis, ſed ſufficit cogitata & apprehenſa : delectamur enim de objecto nobis conveniente, quando de eo cogitamus, & in memoria præſens habemus, etiam ſi re vera non ſit præſens : ipſa quoque boni apprehenſio & cogitatio eſt quædam inchoata poſſeſſio, ſeu eſt poſſeſſio in intentione, ut loquitur D. Th. ſupra q. 11. art. 4. Et hæc delectatio conſurgens ex ſola objecti cogitatione, etiam ſine animo exequendi opus, quod cogitatur, eſt quæ propriè dicitur *delectatio moroſa*, & de qua in præſenti fit ſpecialis diſputatio : non vero illa, quæ ſequitur ex reali præſentia objecti per operis exequutionem : nam hæc poſterior non ponit in numero cum ipſo opere, nec cenſetur peccatum diſtinctum, aut alterius malitiæ, quàm ſit opus, ex quo conſurgit

DUBIUM I.

Utrum delectatio moroſa ſumat ſpeciem ab objecto?

REm quærimus notiſſimam, quæ deberet potius ſupponi, niſi Doctoris cujuſdam, nempe Gabrielis Vaſq. infra referendi ſingularis opinio à communi via, & ab antiquo ſentiendi modo diſcedens, compelleret nos certa dubitare : dum pro ſpecificandis aliquibus actibus voluntatis, & appetitus non ad objectum, ſed ad alia capita recurrit. Nec vero exorta jam lite, licitum erit præterire deciſionem : præſertim circa principium valde conducens in moralibus, & ex cujus firmitate multarum concluſionum veritas dependet. Procedit autem dubium de ſpecie malitiæ, ſeu peccati, quæ eſt ſpecies moralis : nam ſpecies phyſica cujuſcunque actus, nemo hactenus cogitavit, quòd non ſit ex objecto. Procedit etiam de ſpecie primaria : quia non dubitamus, poſt malitiam deſumptam ab objecto poſſe ſupervenire delectationi ex aliquibus circunſtantiis alias malitiæ ſpecies ſecundarias, & accidentales, ſicut in cæteris actibus contingit. Denique loquimur, ſuppoſito quod objectum delectans ſit malum & prohibitum : ſi namque eſſet bonum vel indifferens prava aliqua circunſtantia, vel ſine aſſociatum, nullam ſecundum ſe ſpeciem moralem conferret ; ſed prima ſpecies malitiæ illius peccaminoſæ delectationis deſumetur ex prima circunſtantia tranſeunte pro tunc in conditionem eſſentialem objecti, ut in tract. de bonit. & malit. de omnibus actibus moralibus diximus.

§. I.

Communis, & vera ſententia.

1 DIcendum eſt moroſam delectationem, ſive quæ in appetitu ſenſitivo, ſive quæ in voluntate exiſtit, ſpecificari ab objecto, indeque ſuam primariam malitiam deſumere. Hæc concluſio aſſeritur communiter à Theologis, præſertim à D. Thoma, qui perpetuus eſt in adſtruendo, omnes actus ſine reſtrictione ad aliquos, aut aliquorum excluſione, tam juxta Ariſtotelis principia, quàm ſecundum veritatem ſpecificari ab objectis : ut videre eſt 1. p. q. 77. art. 3. & in hac 1. 2. q. 1. art. etiam 3. ubi de omnibus actibus moralibus id tradit : & q. 18. art. 2. & 5. & 6. non art. 8. ubi ſic ait : *Dicendum quòd ſicut dictum eſt, actus omnis habet ſpeciem ab objecto relato ad principium actuum*

Caiet.

D. Thom.

actuum humanorum, quod eſt ratio. Vnde ſi objectum actus includat aliquid, quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus ſecundum ſuam ſpeciem: ſi autem includat aliquid, quod repugnet ordini rationis, erit malus actus ſecundum ſpeciem, &c. Idem repetit quæſt. 19. art. 1. & 2. quæſt. 24. art. 4. quæſt. 72. art. 1. & 2. & 7. in præſenti art. 8. nec non quæſt. 2. de mal. art. 6. atque alibi multoties.

Neque ulla ratione poteſt explicari juxta adverſam opinionem; quòd loquatur ſolùm de actibus efficacibus pertingentibus uſque ad opus, & inferentibus objecti exequutionem, qualis non eſt delectatio moroſa, & alii actus inefficaces, qui non tranſeunt ad opus exequendum, ſed interius conſummantur. ¶ Non igitur poteſt hac via explicari Ang. Doctor. Tum quia ubique loquitur univerſaliter, adhibens multoties ſignum diſtributivum *omnis actus*: nullibíque ab ea univerſali doctrina fecit, aut permiſit exceptionem: quinimo ſemper uſus eſt ratione, quæ in omnibus actibus æqualiter procedit, ut conſtabit infra; dum eam proponemus: ergo manifeſte eſt contra ejus mentem prædictam doctrinam ad hos vel illos actus reſtringere, & non omnibus ſine diſcrimine applicare. Tum etiam quia aliquando explicans qualiter paſſiones ſpecificentur ab objectis, ſumantque ab eis ſpeciem bonitatis, & malitiæ, apponit exemplum in illis, quæ interius conſumantur: ſicut eſt (etiam juxta oppoſitam ſententiam) verecundia, & invidia: ut videre eſt ſupra

D. Thom.

quæſt. 24. art. 4. ubi ſic ait. *Sicut de actibus dictum eſt, ita & de paſſionibus dicendum videtur, quod ſcilicet ſpecies actus, vel paſſionis dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo ſecundum quod eſt in genere naturæ, &c. Alio modo ſecundum quod pertinet ad genus moris, prout ſcilicet participant aliquid de voluntario, & judicio rationis: & hoc modo bonum & malum morale poſſunt pertinere ad ſpeciem paſſionis, ſecundum quod accipitur ut objectum paſſionis aliquid de ſe conveniens rationi, vel diſſonum à ratione: ſicut patet de verecundia, quæ eſt timor turpis, & de invidia, quæ eſt triſtitia de bono alterius: ſic enim pertinent ad ſpeciem exterioris actus.* Idem aſſerit quæſt. 7. art. 7. de omnibus, quæ dicuntur *peccata cordis*, eo quòd interius conſummantur, neque ad opus, aut verba pertingunt: Perperam ergo actus inefficaces, & interius conſummati juxta Ang. Doctorem à generali doctrina excipiuntur quos ipſe expreſsè & in particulari ſub illa comprehendit.

Denique agens ſpecialiter de delectatione docet hoc ipſum ſupra quæſt. 34. art. 2. ubi ex bonitate vera, vel apparente objecti, in quo appetitus delectatur, infert delectationem eſſe verè aut apparenter bonam, ac proinde bonam, vel malam moraliter. Et in præſenti art. 8. ex quantitate malitiæ objecti, de quo ſumitur delectatio, deducit omnino gradum, & ſpeciem malitiæ delectationis. Exindéque infert, delectationem habentem pro objecto non rem illicitam cogitatam, ſed ſolam cogitationem, non eſſe mortalem, quia cogitatio ſecundum ſe non eſt mortalis; quæ vero habet pro objecto rem cogitam, mortalem eſſe, quando res ipſa eſt prohibita ſub mortali. Eſtque ubique perpetuus in adſtruendo adæquationem malitiæ cujuſuis actus cum malitia objecti formalis illiuſque hoc ſpecificationem.

3 Sequuntur D. Thomam Bonaventura in 2. diſt. 24. quæſt. 2. art 2. Durandus ibidem quæſt. 6. Ricardus eadem diſt. circa quartum princip. quæſt. 4. Scotus diſt. 42 §. *ſequitur.* D. Antoninus p. 2. titul. 5. cap. 1. §. 5. Cajetanus 2. 2. quæſt. 154. art. 4. & in ſum. verbo *delectatio* § *rurſus*, & tom. 1. opuſcul. tract. 14. Et expoſitores omnes D. Thomæ (uno Vaſquez excepto) ſuper hunc artic. ubi Medina, Alvarez diſp. 111. Curiel dub. ultimo Montesinos diſp. 7. quæſt. 3. §. 3. Gregorius Mart. dub 1. Zumel diſp. 3. Araujo dub. 8. Lorca diſp. 28. memb. 3. Granadus tract. 4. diſp. 4. Salas diſp. 6. ſect. 6. dicens oppoſitum eſſe inopinabile, & adverſus omnes Theologos. Atque idem tuentur cuncti fere Theologi morales, Sylveſter in ſum. verbo *delectatio.* Navarrus cap. 11. num. 12. Thomas Sanch. lib. 1. ſummæ cap. 2. num. 11. Ioannes. de Medina cod. de reſtitut. quæſt. 21. Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 6. Rodriguez tom. 3. cap. de delectatione moroſa concluſ. 3. Petrus de Soto de inſtitut. Sacerd. tract. de peccatorum diſcrimine lect. 8. & 9. Baſilius Pontius lib. 10. de matrim. cap. 16. Coninchus de Sacrament. diſp. 34. dub. 11. Fagundez in præcepta Decalogi tom. 2. lib. 9. cap. 4. Villalobos tom. 1. tract. 3. difficult. 3. Sa verbo *luxuria* num. 12. Ochagavia de Sacram. tract. 5. quæſt. 12. Filiucius tract. 30. cap. 10. Leſſius de juſtit. & jure lib. 4. cap. 3. num. 124. Armilla verbo *delectatio* num. 2. Angelus verbo *cogitatio* num. 2. Tabiena eodem verbo num. 2. & 6. Bonacina quæſt. 4. de matrim. punct. 8. num. 19. Joannes Sancius in ſelectis diſp. 2. innumerique alii id tradunt; vel ſupponunt.

D. Bonav. Durand. Ricard. Scot. D. Antonin. Caiet. Medina. Alvar. Curiel. Monteſ. Greg. Mart. Zumel. Lorca. Araujo. Granad. Salas. Sylveſter. Navar. Th. Sanch. Ioan. de M. Azor. Rodrig. Petr. de Sot. Baſil. Pont. Coninch. Fagund. Villalob. Sa. Ochagab. Filiuc. Leſſius. Armil. Angel. Tabiena. Bonac. Ioan. Sancius.

Ratio aſſertionis.

Probatur ratione Ang. Doctoris. Omne quod eſt eſſentialiter reſpectivum, ſpecificatur à termino, quem reſpicit; ſed delectatio, & quicunque actus moralis eſſentialiter eſt reſpectivus ſui objecti: ergo neceſſariò ſumit ſpeciem ab ipſo objecto: atque adeo ſecundum quòd hoc fuerit malum, erit ſpecies malitiæ delectationis. Major conſtat, tum inductivè in relationibus, motibus, habitibus, potentiis, & cæteris reſpectivis, quæ ſine ulla exceptione à ſuis terminis ſpecificantur. Tum etiam, quia quod eſſentialiter eſt reſpectivum alicuius termini, non aliter habet eſſentiam, quàm iuxta exigentiam, & proportionem ipſius termini, illique adæquatam, & commenſuratam: atque adeo ipſe terminus eſt radix & menſura talis eſſentiæ: hoc autem eſt ſpecificari à prædicto termino, habere ſcilicet eſſentiam & ſpeciem commenſuratam & adæquatam cum illo, ſeu habere talem eſſentiam & ſpeciem, qualem ſibi vendicat terminus. Minor autem eſt perſpicua: nam delectatio & quicumque actus potentiæ appetitivæ non eſt aliud, niſi quædam actualis affectio, per quam prædicta potentia actualiter ſuum obiectum tangit, fertúrque ad illud ſive amando, ſive deſiderando, ſive in eo quieſcendo: prædicta autem affectio eſſentialiter eſt reſpectus ad tale obiectum: ſicut omnis tendentia, aut attingentia eſſentialiter habet reſpicere illud, quod tangit, & in quod tendit. ¶ Eò præſertim quia prædictus actus ſecundum ſuam eſſentiam dependet ab obiecto, & ideo nullatenus

poteſt

Digitized by Google

poteſt intelligi, aut diffiniri niſi per illud: quicquid autem ſecundum eſſentiam dependet ab aliquo, reſpicit illud eſſentialiter: ipſa quippe dependentia eſt habitudo, & reſpectus: ergo, &c.

4 Confirmatio. Confirmatur: omnis effectus accipit ſpeciem ex ſua cauſa formali; vel immediatè ſi ſit cauſa, & forma intrinſeca; vel mediante habitudine, qua illam reſpicit, ſi ſit cauſa extrinſeca: ſed omnis actus præſertim potentiæ appetitivæ dependet ab objecto; circa quod verſatur, ut à cauſa formali extrinſeca: igitur omnis talis actus ſumit ſpeciem à prædicto objecto. Major eſt adeo nota, ut à nemine in quæſtionem vocetur: cauſa enim formalis ex eo dicitur, quia vel per ſui exhibitionem, vel per habitudinis terminationem format, determinat, & in certa ſpecie conſtituit eſſentiam & naturam rei: unde quia diffinitio continet, & notificat eſſentiam, & naturam rei, omnes res diffinimus per ſuas cauſas formales: & ubi cauſam formalem ignoramus, per aliquid gerens vices talis cauſæ. Minor eodem modo debet recipi ab omnibus: quia perſpicuum eſt, objectum reſpectu actus exercere aliquod genus cauſæ: cumque non ſit cauſa efficiens, aut materialis, oportet ut ſit cauſa formalis: quæ reſpectu potentiæ appetitivæ, & actuum ejus cum finali coincidit. Dicitur enim *cauſa finalis*, quia ſua bonitate allicit, & movet appetitum ad ſe; formalis vero, quia ea motione & allicientia metitur, & determinat motum & tendentiam ipſius appetitus. Quælibet autem prædictarum cauſalitatum hoc præſtat, ut talis ſit motus, & affectio appetitus, quale eſt objectum, cui afficitur, & in quod movetur.

Confirmatio alia. Confirmatur ſecundò: nam potentia appetitiva prout elicitiva cujuſcunque actus, & ſecundum ſe totam ſpecificatur ab objecto: ergo omnes ejus actus debent ab eo ſpecificari. Antecedens ab omnibus eſt indubitatum. Et probatur conſequentia. Tum quia potentia non ſpecificatur ab objecto, niſi mediante actu, ſicut non reſpicit illud niſi mediante iſto, ſeu quia iſtum reſpicit: ergo à fortiori & per prius debet ipſe actus ab objecto ſpecificari: *propter quod enim unumquodque tale*, &c. Tum etiam quia proximior eſt objecto actus, quàm potentia: hæc quippe ſolùm eſt elicitiva actus, quo objectum attingitur; ille vero eſt ipſa actualis attingentia objecti: ſi ergo potentia, quæ remotior eſt, ſumit ſuam ſpeciem ab objecto, à fortiori actus, qui propinquior eſt, debet eam inde deſumere. Et ſane Ariſtoteles prædictam ſpecificationem hoc ordine diſtribuit, ut potentiæ immediatè ab actibus, actus vero ab objectis ſpeciem recipiant: ut oſtendunt verba illa, quæ habentur lib. 2. de anima textu 33. *Priores potentiis actus, & operationes ſecundum rationem ſunt: & adhuc his priora ſunt oppoſita, ſive objecta.* Quæ verba adducit D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. in argumento *ſed contra*; & ex illis in corpore hanc rationem efformat. *Potentia ſecundum illud quod eſt potentia, ordinatur ad actum: unde oportet rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur: & per conſequens oportet, quod ratio potentiæ diverſificetur, ut diverſificatur ratio actus: ratio autem actus diverſificatur ſecundum diverſam rationem objecti, &c. Unde neceſſe eſt, quod potentiæ diverſificentur ſecundum actus & objecta*, &c. Ideſt potentiæ immediatè ab actibus, & quia *actus* immediatè ab objectis, potentiæ quoque ab his mediatè. Sed quamvis hæc ratio cum ſuis confirmationibus adeò ſit efficax, ut bene perpenſa demonſtrativa cenſeri debeat; auctor tamen ſententiæ contrariæ conatus eſt adhibere illi ſuas evaſiones, quas adducemus, ut earum impugnatione veritas magis eluceat.

Ariſt.

D. Thom.

§. II.

Adverſariorum evaſiones.

Occurrit Vaſquez in præſenti diſp. 110. & ſequentibus, communem doctrinam uſque modo traditam ſolùm probare in actibus ſive voluntatis, ſive appetitus, qui ſunt abſoluti & efficaces, eò quòd tranſeunt ad operis exequutionem: ſecus vero in illis, quæ dumtaxat ſunt ſimplices quidam, & inefficaces affectus ſive complacentiæ, ſive diſplicentiæ: atque idcirco ad opus exequendum non pertingunt, ſed intus conſummantur. Et quia delectatio eſt hujuſmodi, ait hunc affectum non ſpecificari ab externo opere, quod habet pro objecto, ſed aliunde ſuam malitiam deſumere. Ratio apud illum eſt: quia cum actus abſolutus & efficax ſit cauſa operis, refunditur in eum iſtius malitia; ſimplex vero, & inefficax affectus quia in opere externo nihil cauſat, nullam ex eo malitiam participat. Ex qua doctrina mirum eſt quanta inferat citatus auctor velut concluſiones ex optimis principiis deductas, ut loquitur diſput. 111. cap. 1. additque ibi. *Qui enim ex principiis non certis, aut non bene confirmatis ſuam deducit doctrinam, mirum non eſt, ſi vel aliqua temerè damnet, quæ approbare, alia vero approbet, quæ damnare potius debebat.* 5 Prima evaſio. Vaſq.

Impugnatur. Sed quàm incerta, vel potius falſa ſint ejus principia, quantumque à veritate exulent concluſiones, quas infert, conabimur deinceps oſtendere. Porro autem rationem noſtram, & utramque confirmationem univerſales eſſe pro omnibus actibus, nullamque admittere exceptionem efficacium vel inefficacium, ex illis benè perpenſis facilè conſtabit. Non enim innituntur ſpecialibus principiis hujus vel illius actus, quæ proinde aliis non competant, ſed univerſaliſſimis, & omnibus communibus: uti eſt dependentia, & habitudo actus ad objectum, motióque & cauſalitas objecti in actum, ſine quibus nullus quantumvis inefficax affectus poteſt intelligi. Nec minus eſt commune pro omnibus illud de ſpecificatione potentiæ, cui innititur ſecunda confirmatio: quoniam potentia non habet ſpecificari ab objecto inadæquatè, ut ita dicamus, prout eſt horum tantum, vel illorum actuum elicitiva; ſed adæquatè, & ut eſt elicitiva omnium. Ex hoc autem principio rectè infertur omnes ipſos actus, & non tantùm hos, vel illos ab eodem objecto ſpeciem deſumere.

Refellitur diſtinctio. Vaſq. Præterea nullam eſſe ad præſens diſtinctionem à prædicto auctore excogitatam inter actus efficaces, ſeu qui ſunt cauſa objecti, & inefficaces, qui illud non cauſant, facilè ſuadebimus. Quoniam actus non habet ſpecificari ab

ab objecto, in quantum ipſe actus eſt cauſa, & objectum effectus; ſed è contra in quantum, ille ſe habet ut effectus, iſtud vero ut cauſa formalis, vel finalis: unumquodque enim ſpecificatur ab eo, quod eſt prius ſe, & à quo dependet & recipit, ſicut effectus à cauſa. Quod

D. Thom.

rectè vidit Ang. Doctor ſupra quæſt. 1. art. 3. ubi cum poſuiſſet ſecundum argumentum ad probandum contra ſuam concluſionem, actus humanos non ſpecificari à fine hunc in modum. *Illud, quod dat ſpeciem, oportet eſſe prius: ſed finis eſt poſterior in eſſe: ergo actus humanus non habet ſpeciem à fine.* Reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quod finis, ſecundum quod eſt prior in intentione, ut dictum eſt, ſecundum hoc pertinet ad voluntatem: & hoc modo* (ſcilicet in quantum prior) *dat ſpeciem actui humano, ſive morali.* En qualiter ſpecificare actus voluntatis non competit fini, ſeu objecto, in quantum eſt poſterius, & habet rationem effectus; ſed in quantum eſt aliquid prius, habétque proinde rationem cauſæ. Sed in hoc quod eſt reſpicere objectum ut cauſam, & ut aliquid prius ſe, æqualiter ſe habent omnes actus voluntatis, & appetitus, ſive ſint efficaces, ſive inefficaces: omnes enim ordinantur ad illud ſicut ad finem ob cujus bonitatem, ſeu appetibilitatem eliciuntur: & determinantur per illud ſicut per cauſam formalem extrinſecam, à qua menſurantur: tantúmque eſt inter eos diſcrimen, quòd inefficaces comparantur ad objecta præciſè ut effectus ad cauſam in genere formalis, & finalis; efficaces vero ultra hanc habitudinem comparantur etiam illa ut cauſa ad effectum in genere efficientis. Cum ergo, ut diximus, objectum non ſpecificet in quantum effectus, ſed in quantum cauſa, planè ſequitur omnibus prædictis actibus æqualiter competere, quòd ab objecto ſpeciem deſumant.

6 Confirmatio impugnationis.

Confirmatur & explicatur. Etenim objectum actus inefficacis non minus allicit & movet, nec minus determinat voluntatem ad talem actum, quàm ad actum efficacem movet & determinat ejus objectum: ſed penes hanc motionem, & determinationem conſiſtit tota ratio ſpecificationis, quam dicimus: igitur non minus actibus inefficacibus, quàm efficacibus debet ſpecificatio prædicta competere. Imo potius major videtur adeſſe titulus, ut conveniat inefficacibus. Efficaces enim eo ipſo quòd ſunt cauſa efficiens operis externi, quod habent pro objecto, communicant illi in ſuo genere ſpeciem moralitatis, quam in ſe continent: unde non ita facile percipitur, quod in alio genere cauſæ ab eodem opere receperint illammet ſpeciem, quam communicant. Cæterum inefficaces cum in nullo genere influant in objectum, neque ei aliquid communicent, ſed ſolùm ab eo dependeant, & recipiant, nulla vel apparens ratio impedire poteſt, quominus ab illo deſumant ſuam ſpeciem.

Confirmatio alia.

Confirmatur ſecundo ex his, quæ cernimus in actibus potentiæ cognoſcitivæ, ſive ſenſitivæ, ſive intellectivæ, qui omnes ſine diſcrimine ſpecificantur ab objectis: & tamen ſaltem quamplurimi nullam circa ipſa objecta exercent efficientiam, aut habent efficaciam, ſed ſunt ſimplices quidam intuitus, vel judicia, ſive notitiæ, quæ conſummantur interiùs: ergo quòd actus ſit efficax, vel inefficax reſpectu ſui objecti, quod conſummetur interiùs, vel extra pertingat, omnino impertinenter ſe habet ad prædictam ſpecificationem. Manet itaque univerſalis, & inconcuſſa ratio pro concluſione facta, diſtinctio vero ad eam enervandam adhibita frivola & inanis.

7 Secundæ evaſio.

Secundo occurres, rationem noſtram convincere de ſpecificatione delectationis in *eſſe* phyſico; ſecus vero in *eſſe* morali, & peccaminoſæ: ſtat enim hujuſmodi rationes, & ſpecies ex diverſis capitibus provenire: ut conſtat etiam in aliquibus aliis actibus, qui licet ſpeciem phyſicam ſemper accipiant ab objecto; ſpeciem tamen bonitatis, vel malitiæ non ſemper ab illo deſumunt, ſed ex fine, vel aliis circumſtantiis. Quod contingere neceſſe eſt, ſaltem quoties objectum eſt aliquid indifferens, ut in tract. de bonit. & malit. diſp. 3. dub. 1. diximus.

Præcluditur.

Verùm neque iſta evaſio alicujus momenti eſt, quia non ob aliam rationem omnis actus in genere phyſico ſumit ſpeciem ab objecto, niſi quia in hoc genere eſt eſſentialiter reſpectivus, debétque proinde ſpecificari à termino, quem reſpicit, quod eſt ipſum objectum: ſed non minus in genere morali habet eſſe reſpectivus objecti, vel ejus quod objecti vices gerit; ipſa enim moralitas eſt tendentia, & habitudo ad illud, ut late probavimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. dub. 3. Ergo eadem eſt ratio ſpecificationis ab objecto pro utroque genere. Videantur quæ diximus in eadem diſp. dub. 4. Neque obeſt illud, quod dicitur de ſpecificatione aliquorum actuum à circunſtantiis: nam cum dicimus actum in eſſe moris debere ſpecificari ab objecto, loquimur de objecto, quod eſt morale, & ut morale terminat actum: uti ſunt adulterium, homicidium, furtum, & ſimilia, de quibus in præſenti eſt ſermo. Quando autem objectum immediate volitum eſt aliquid indifferens, aut eſto ſit bonum, impeditur tamen ejus influxus per aliquam circunſtantiam pravam, ſpecies moralis ſumitur ab ipſa circunſtantia prava, vel alia, quæ tunc tranſit in conditionem eſſentialem objecti, geritque illius vices, ut obſervavimus ſupra quæſt. 18. art. 5. circa tertiam concluſionem. ¶ Adde, in præſenti nomen *obiecti* non ſumi ſtrictè pro ſolo objecto primario volito, ſed largius pro quocunque volito ſive primario, ſive ſecundario: quo pacto comprehendit etiam circunſtantias obiectivas, & omnes conditiones actus externi. Ab obiecto autem ſic ſumpto nullus eſt actus, qui non deſumat ſuam moralem ſpeciem.

8 Nova impugnatio utriuſque evaſionis.

Deinde impugnari poteſt tam præſens, quàm præcedens evaſio. Quia niſi delectatio ſumat ſpeciem malitiæ ab obiecto, non eſt à quo illam accipiat: ac proinde non erit, cur hæc delectatio ſit peccatum huius ſpeciei, & illa alterius, potius quàm è contra: ergo, &c. Antecedens conſtabit diſcurrenti per ſingula: non enim reperiet aliud caput, vel principium omnino determinans delectationem ad talem, vel talem peccati ſpeciem, niſi tale, vel tale obiectum, de quo capitur delectatio.

Effugium inſufficiens.

Dices primò (& inſinuatur à Vaſquez) delectationem non indigere ſpecificativo extrinſeco,

Digitized by Google

ſeco, ſed per ſe ipſam conſtitui in propria ſpecie. ¶ Sed contra: quia res eſſentialiter reſpectivæ nequeunt determinari ad ſpeciem, niſi juxta exigentiam termini, quem reſpiciunt: ut patet in relationibus, habitibus, potentiis, & in cæteris omnibus reſpectivis. Hoc quippe eſt diſcrimen inter res abſolutas, qualis eſt ſubſtantia completa, & inter reſpectivas, uti ſunt illa, quæ commemoravimus, quòd abſolutæ ſe ipſis ſine dependentia ab aliquo extrinſeco determinante conſtituuntur in propriis ſpeciebus: & ideo in earum diffinitione non ponitur aliquid extrinſecum: è contra vero reſpectivæ conſtituuntur per habitudinem ad terminum, quem reſpiciunt: & ideo nequit earum diffinitio efformari, niſi in ea ponatur talis terminus. Cum ergo delectatio, & quæcunque alia operatio eſſentialiter ſit repectiva objecti, impoſſibile eſt, ut ſpecificetur omnino per ſe ipſam ſine dependentia à termino, quem reſpicit, qui eſt prædictum objectum.

Confirmatio. Confirmatur: nam ſi quæratur, quare hæc delectatio, puta qua quis delectatur de re venerea, mala, & in tali ſpecie, ſcilicet luxuriæ: alia verò, qua delectatur de elargitione eleemoſynæ, ſit honeſta, & in ſpecie miſericordiæ, quilibet hanc reddent rationem, quia prima capitur de objecto venereo, & luxurioſo; ſecunda vero de objecto honeſto, & ſublevativo alienæ miſeriæ: nullaque alia reſponſione quæſito ſatisfaciet: quinimo ridiculum eſſet reſpondere unamquamque eſſe talem per ſe ipſam: nam eſſet dicere unamquamque eſſe talem, quia eſt talis, & eſſe in tali ſpecie, quia eſt in ea ſpecie: igitur non per ſe ipſas, ſed per reſpectum & habitudinem ad objecta debent prædictæ delectationes ſpeciem deſumere.

9 Effugium aliud. Dices ſecundò, delectationem peccaminoſam habere ſuam ſpeciem ex oppoſitione ad contrariam virtutem: ita ex virtute, cui opponitur, & ex modo oppoſitionis venanda eſt ſpecies ſuæ malitiæ, quicquid ſit de objecto. Hanc doctrinam tradit non ſemel citatus auctor, præſertim diſp. 111. cap. 4.

Præcluditur. Sed ejus inſufficientia conſtabit citò, ſi animadvertamus ex D. Thoma in hac 1. 2. quæſt. 74. art. 4. dupliciter poſſe aliquod peccatum opponi alicui virtuti: uno modo principaliter & directè, quæ eſt propria & immediata oppoſitio, de qua egimus ſupra diſp. 1. Alio modo ex conſequenti, & ſecundum quandam extenſionem virtutis cohibentis peccatum: quantò enim virtus major eſt, tantò magis elongat hominem à peccato ſibi contrario. Quando ergo ex oppoſitione peccati cum aliqua virtute deducitur illius gravitas, & ſpecies, certum eſt non attendi hunc ſecundum oppoſitionis modum, juxta quem potius majori virtuti opponitur peccatum minus, quod non opponeretur virtuti minori. D. Thom. *Manifeſtum eſt enim* (ait D. Thom.) *quod quantò aliqua virtus fuerit major, tantò etiam minora peccata cohibet: ſicut etiam ſanitas quantò fuerit major, tantò etiam minores diſcrepantias excludit. Et per hunc modum majori virtuti minus peccatum opponitur ex parte effectus.* Non ergo ex iſto modo oppoſitionis ad virtutem deduci poteſt ſpecies & gravitas alicujus peccati: atque adeo attendendum eſt ad primum, quæ eſt oppoſitio directa: ſecundum quam an & qualiter prædicta ſpecies & gravitas menſuretur, explicuimus ſupra diſp. 9. dub. 4. Deinde nota, primam & adæquatam rationem hujuſmodi oppoſitionis directæ peccati ad virtutem attendendam eſſe ex objecto, quatenus & utrunque circa idem objectum, ſeu materiam ſervatur: (oppoſita enim debent circa idem verſari:) & contrario modo illud attingit: nempe virtus ſecundum præſcriptum, & menſuram rationis, peccatum autem contra talem menſuram: quod eſt reſpicere idem objectum materialiter, & diverſa, ac contraria formaliter. Ob idque D. Thom. hoc jacto principio intulit. *Oportet quòd maxima virtuti directè contrarietur maximum peccatum, quaſi maximè ab ea diſtans in eodem genere.* Ac ſi diceret, quia eandem materiam, & objectum contrario valde modo reſpiciunt. Quare ſi hujuſmodi reſpectum ad objectum, & ad modum attingendi illud à peccato, aut à virtute ſecludamus, nequibit inter ea ſalvari prædicta contrarietas.

Ex his facile erit oſtendere inſufficientiam evaſionis adductæ. Nam contrarietas directa peccati ad virtutem omnino oritur ex contrarietate circa objectum, ex eo ſcilicet quod verſantur circa eandem materiam contrario modo; quod eſt reſpicere objecta formaliter contraria: & quia reſpectus ad contraria ſibi contrariantur, neceſſe eſt ex prædictis objectis oriri contrarias ſpecies conſtitutas per illos reſpectus: igitur omnino prior eſt quolibet peccato reſpectus ad objectum contrarium objecto virtutis, atque adeo ſpecies malitiæ conſtituta per talem reſpectum, quàm oppoſitio & contrarietas ad ipſam virtutem. Qui ergo negaverit, delectationem moroſam, vel aliud quodcunque peccatum ſpecificari ab objecto, perperam recurrit ad oppoſitionem cum virtute: cum hæc oppoſito illam ſpecificationem omnino præſupponat, ex eáque, & non aliunde conſurgat. Quocirca D. Thom. loco cit. ad probandam gravitatem peccati propter oppoſitionem cum virtute recurrit ad ſpecificationem utriuſque ab objecto: quaſi hæc ſit tota illius ratio, & principium. Et ideo poſtquam dixit, *oportet quod majori virtuti opponatur gravius peccatum.* Proſequitur ita. *Sicut enim ex parte objecti attenditur major gravitas peccati, ita etiam major dignitas virtutis, utrunque enim ex objecto ſpeciem ſortitur ut ex ſupra dictis patet*, &c. Clarius id tradit quæſt. 72. art. 1. ubi generaliter ſtatuit, omnia peccata diſtingui ſpecie ſecundum diſtinctionem obiectorum, circa quæ verſantur. Et cum in ſecundo argumento obieciſſet, quòd mala eo quod dicunt privationem, debent diſtingui ſecundum oppoſita: ergo peccata magis diſtinguntur ſpecie ſecundum oppoſita, quàm ſecundum obiecta. Reſpondet in primis peccatum non eſſe privationem puram, ſed actum debito ordine privatum: & ideo magis debere diſtingui ſecundum obiecta actuum, quàm ſecundum oppoſita. Deinde vero ſic addit. *Quamvis etiam ſi diſtinguantur ſecundum oppoſitas virtutes, in idem rediret: virtutes enim diſtinguntur ſpecie ſecundum objecta, ut ſupra dictum eſt.* En quomodo tota ratio diſtinctionis inter peccata, ac proinde eorum ſpecificatio etiam cum attenditur penes oppoſitionem ad virtutes, tandem devolvitur ad objecta.

Confirma-

Cõfirmatio eiuſdem doctrinæ.

Confirmatur : nam delectatio de damno proximi, puta de homicidio, furto, &c. quam, ait Vaſquez, deſumere ſpeciem malitiæ ex oppoſitione ad juſtitiam, vel charitatem, nequit intelligi ut oppoſita iſtis virtutibus niſi ratione ſui objecti, quod eſt illud damnum : ergo ipſum objectum eſt prima ratio prædictæ oppoſitionis. Conſequentia eſt ſatis nota. Antecedens vero probatur : quia prædicta delectatio non habet opponi juſtitiæ, niſi in quantum eſt malum proximi : non eſt autem malum proximi niſi ratione ſui objecti, ſcilicet furti, vel homicidii : ipſa enim delectatio interior præciſè ſecundum ſe, & ut ſiſtit intùs, ſicut nullum infert proximo nocumentum, [illegible] : igitur niſi fiat recurſus ad objectum, quod eſt tale malum, nequit intelligi contrarietas ad charitatem, aut juſtitiam. Vel dicat adverſarius, quare delectatio de homicidio contrarietur juſtitiæ, delectatio vero de fornicatione illi non contrarietur ? Certè aut nullam reddet rationem, aut recurret ad objecta : quorum aliud ſcilicet homicidium eſt malum proximi, & contrariatur juſtitiæ ; aliud vero nempe fornicatio non eſt malum illius, neque iſti opponitur.

11 Cõfirmatio alia.

Confirmatur ſecundo : quoniam ſi ſola oppoſitio ad virtutem ſine recurſu ad objectum eſſet ſufficiens ratio ad ſpecificandam, & diſtinguendam malitiam delectationis, omnes illæ delectationes eſſent ejuſdem malitiæ, quæ eidem virtuti opponuntur : atque adeo non differrent ſpecie delectatio de ſimplici fornicatione, & delectatio de peccato contra naturam, quæ opponuntur eidem virtuti caſtitatis : neque delectatio de homicidio, & delectatio de furto, quæ opponuntur eidem virtuti juſtitiæ : hoc autem manifeſte eſt falſum, & inauditum etiam apud auctorem, quem impugnamus : ergo, &c.

Dices, prædictas delectationes opponi virtuti diverſo modo : & ex hoc diverſo oppoſitionis modo diſtingui ſpecie inter ſe. ¶ Sed contra : diverſitas hæc in modo oppoſitionis non aliunde poteſt deſumi niſi ex diverſitate ſecundum objecta delectationum : ex eo ſcilicet quia peccatum contra naturam eſt objectum alter improportionatum, alterque repugnans generationis fini, & bono caſtitatis, quam peccatum ſimplicis fornicationis, ſimiliterque in furto, & homicidio : ſeclula vero hac diverſitate objectivæ oppoſitionis, inintelligibilis eſt diverſitas in modo oppoſitionis ex parte prædictarum delectationum : ergo quocumque modo attendatur earum ſpecificatio & diſtinctio, debet fieri recurſus ad objecta tanquam ad ejus cauſam & radicem. ¶ Adde, contrarietatem unius rei ad aliam nunquam eſſe primam rationem ſuæ ſpecificationis : quia nulla res habet eſſe talis, vel talis ſpeciei ex eo quod huic, vel illi repugnat, quia eſt talis vel talis ſpeciei : nemo enim dixit albedinem eſſe in tali ſpecie coloris, quia contrariatur nigredini, aut calorem eſſe in tali ſpecie, quia eo contrariatur frigori, aut virtutem, quia contrariatur vitio ; ſed omnia è converſo : igitur neque in delectationibus poteſt eſſe prima ratio, cur ſint hujus aut illius ſpeciei, contrarietas cum hac vel illa virtute ; ſed potius talis contrarietas oriri debet ex propriis, & ſpecificis differentiis deſumptis ex alio principio : quod, ut oſtenſum eſt, non poteſt eſſe aliud niſi objectum.

Confirmatur tertio in delectationibus virtuoſis & honeſtis : has enim nemo dicet ſpecificari à contrarietate cum vitiis, quinimo ejuſdem ſpeciei eſſent, licèt nulla dari poſſent vitia, cui contrariarentur : unde ſolum poteſt aſſignari pro eorum ſpecificativo objectum, de quo capiuntur. Ergo ſimiliter dicendum eſt de delectationibus peccaminoſis : cum omnes æqualiter ſint affectus inefficaces, & conſummati interius, quæ eſt tota ratio doctrinæ auctoris, quem impugnamus. 12 Tertia confirmatio.

Tandem poſſemus prædictam impugnationem confirmare diſcurrendo ſicut diſcurrit Monteſinos per delectationes, quas Vaſquez diſput. 111. c. 4. in exempla ſuæ opinionis adducit, ut explicet qualiter deſumant malitiam ex prædicta oppoſitione. Hujuſmodi ſunt delectatio de propria excellentia ſupra debitam menſuram, vel æquando illam Deo, quæ contrariatur humilitati : delectatio de quocumque peccato, quatenus eſt offenſa Dei, quæ contrariatur charitati : aut quatenus eſt contra legem & præceptum ſuperioris, quæ contrariatur obedientiæ : delectatio de furto, homicidio, aut quovis alio malo proximi, quatenus malum illius eſt, quæ contrariatur charitati, aut beneficentiæ : delectatio de exceſſu tormentorum in alicujus punitione, quæ contrariatur clementiæ : & (omiſſis aliis) delectatio venerea, quæ contrariatur caſtitati. Quas omnes delectationes adducit Vaſquez ad declarandam ſuam doctrinam. Sed quàm immeritò, animadvertit bene Monteſinos, oſtendens omnes illas ſpecificari à propriis objectis. Et ſanè cum nulla ſit, quæ objectum pravum non reſpiciat, indéque oppoſitionem ad virtutem deſumat, frivolum videtur, prætermiſſo objecto & reſpectu ad ipſum, recurrere pro ſpecificatione illarum ad prædictam oppoſitionem. Quinimo ipſi adverſarii, qui verbis negant delectationem ſumere ſpeciem ab objecto, recurrunt ſæpeſæpius pro diluendis argumentis, ad noſtram doctrinam, diſtinguendo in objectis diverſas rationes, ut poſſint attingi à delectatione ſecundum unam, & non attingi ſecundum aliam, conferréque bonitatem, vel malitiam ſecundum rationem, ſecundum quam attinguntur, & non conferre ſecundum omnes : In quo ipſo tenent in re communem doctrinam ; licet verbis contradicant. Vltima.

13 Vltima evaſio.

Tandem dicet aliquis, ſupereſſe aliud principium pro ſpecificanda delectatione, videlicet operationem, ad quam conſequitur. Ut enim ait in præſenti D. Thom. omnis delectatio conſequitur aliquam operationem, ſive internam, ſive externam : per reſpectum ergo ad hujuſmodi operationem etiam ſine recurſu ad objectum poterit ſpecificari.

Hæc tamen evaſio minime enervat noſtram doctrinam : quia operatio, quam delectatio conſequitur, [illegible] hac [illegible] adem ſpecifi[illegible] poteſt e[illegible] talis c[illegible] ad op[illegible] Impugnatur.

ctatione ſiſtitur, non eſt alia, quàm cognitio objecti illiciti, ſupra quam ſi reflectatur appetitus, poterit ſumere ex ea delectationem, etiamſi de objecto cogitato non delectetur: tunc autem objectum delectans eſt ipſa cogitatio; & in quantum habet rationem objecti, in tantum poteſt ſpecificare: deficiente vero prædicta reflexione appetitus ſupra cogitationem, & quod iſta in objectum aſſumatur, ſed maneat in ratione principii, nequit eſſe ſpecificativum delectationis: quia actus immanentes, ut alibi oſtendimus, non ſpecificantur à principio activo, ſed à cauſa formali, quæ eſt objectum. Habetúrque tota hæc impugnatio apud D. Thom. in præſenti: nam cum in tertio argumento objeciſſet ſibi occaſionem propoſitam, reſpondet. *Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de delectatione, quæ habet cogitationem pro objecto.* Ac ſi apertè diceret, operationem internam, ad quam ſequitur delectatio, quæ eſt ipſa cogitatio objecti illiciti, tunc ſolùm dare ſpeciem, quando ipſa fit objectum delectationis; ſecus quando manet præcisè in ratione propoſitionis alterius objecti.

D.Thom.

Adde cogitationem, quæ non ſumitur ut objectum, ſed ſiſtit in ratione cognitionis, ſolum concurrere ut applicationem objecti, quatenus nihil volitum, quin præcognitum, non vero habet ſe ut cauſa & ratio formalis: quo pacto ſe habere debet illud, quod dat ſpeciem. ¶ Adde ſecundò, ex oppoſito ſequi, delectationem de objecto peccaminoſo & turpiſſimo non fore peccaminoſam: quia cognitio, ad quam ſequitur, ſecundum ſe non eſt mala, ſed ſi quam habeat malitiam, erit ratione objecti: ſi ergo in ſpecificatione non eſt recurſus ad objectum, ſed in ſola cognitione ſiſtitur, nihil eſt unde oriatur ſpecies malitiæ. ¶ Adde tandem, diſcrimen inter delectationem, quia quis gaudet de cognitione peccatorum, & qua gaudet de ipſis peccatis (ratione cujus diſcriminis illa ſæpe erit bona; iſta vero neceſſario eſt mala) non poſſe eſſe aliud, niſi quod prima habet pro objecto aliquid bonum, ſcilicet cognitionem; ſecunda vero aliquid malum, nempe ipſum peccatum, & utraque à ſuo objecto capit ſpeciem: ergo ne omnia confundantur, & in aſſignandis ſpeciebus delectationum, cæterorúmque peccatorum cœco modo procedatur, recurrendum eſt pro omnibus ad objecta, ſtandúmque omnino noſtris principiis.

§. III.

Opinionem adverſam qui tueantur?

14 PRo adverſa opinione ante Gabrielem Vaſquez neminem repetimus, cui poſſit jure adſcribi. Illum vero ſequuntur Sayrus in clavi regia, lib. 8. cap. 7. num. 7. Caſtro Palao tom. 1. tract. 2. diſput. 2. punct. 10. tribuens eam Joanni de Salas in præſenti diſp. 6. ſect. 5. ubi referens prædictam opinionem neque approbat, neque impugnat. Sed oppoſitam & communem tenet expreſsè ibidem ſect. 6. Adducit etiam dictus Palao Baſilium Legionenſ. lib. 1. de matrim. cap. 16. §. 1. & Bonacin. de matrim. q. 4. punct. 8. Sed neque iſti auctores à communi ſententia recedunt: ſolùm enim intendunt, non opus eſſe quod delectatio ſumat malitiam à circunſtantiis objecti, itaut ſemper ſit in tot ſpeciebus malitiæ, quot fuerint prædictæ circunſtantiæ. Pro quo dicendi modo etiam alios reperies, præſertim loquendo de delectatione, quæ eſt actus voluntatis. Nequaquam tamen ad id nituntur principio, cui innititur Vaſquez negans, actus inefficaces ſumere ſpeciem ab objecto, ſed alii cohærenti magna ex parte cum noſtra doctrina: nempe quod quia actus inefficax eſt præciſivus, & poteſt attingere unam rationem non attingendo aliam, neceſſe non eſt ut ab omni eo, quod in objecto reperitur, vel quod illud circunſtat, ſumat malitiam: ſicut debet ſumere actus efficax, cui non conceditur illa præciſio. Hoc autem neque doctrinæ noſtræ uſque modo traditæ adverſatur, neque in favorem contrariæ opinionis debet aſſumi.

Sayr. Caſt. Palao. Salas. Baſil. Leg. Bonacin.

Cujus opinionis fundamenta reducuntur ad aliquos caſus, in quibus longè aliter videntur ſe habere delectatio, & objectum quoad ſpeciem malitiæ. Nam poteſt dari delectatio mala de objecto bono, aut non malo; & è contra de objecto, quod eſt opus malum, poteſt dari delectatio bona: ergo non ab objectis, ſed aliunde ſumitur bonitas, aut malitia delectationis. Antecedens quoad primam partem probatur: tum in vidua, quæ nunc delectaretur de copulâ habita tempore conjugii, & in ſponſa de futuro, quæ ante ratum matrimonium delectaretur de copula futura poſt ipſum: utraque enim delectatio eſt peccaminoſa, & tamen utriuſque objectum pro tempore, ad quod refertur, eſt honeſtum & licitum. Similitérque dicendum eſt, ſi quis delectaretur de copula cum ea, quæ neque eſt, neque erit ſua uxor, ſub conditione tamen *ſi eſſet ſua:* talis quippe delectatio eſſet peccaminoſa, & nihilominus copula, ut ſtat ſub illa conditione, quo pacto habet eſſe objectum, non eſt illicita: & ideo poteſt eſſe licitus conſenſus in illam ut affectam prædicta conditione. Tum etiam, nam ſi mulier invita, & abſque conſenſu in opus violaretur, hæc violatio non eſſet ei peccatum: & tamen ſi admitteret delectationem & complacentiam inde ortam, peccaret: ergo, &c.

Fundamentum primũ.

Secunda autem pars antecedentis probatur pluribus inſtantiis: nam poteſt quis licitè delectari de aliena morte propter aliquod bonum inde conſurgens: ut de morte tyranni propter libertatem Reipublicæ: de morte cujuſlibet proximi, etiam fratris, vel parentis ob ſecuritatem æternæ vitæ: de pollutione eveniente in ſomnis propter ſalutem corporalem: de aſpectu duelli, aut belli injuſti, ut inde diſcat rarum & ſubtilem modum pugnandi, aliiſque hujuſmodi, quæ quidem ſunt objecta mala, eſſetque omnino peccaminoſus conſenſus efficax in illa: & tamen delectatio de illis, eo quod eſt affectus inefficax, poteſt eſſe ſine peccato. 15

Confirmatur: nam quod ſanus cogitans, aut videns infirmum veſcentem carnibus die prohibito delectetur de earum comeſtione; aut quod monachus cogitans ſe divitem, & elargientem pauperibus ſummam pecuniæ delectetur

Confirmatio.

Digitized by Google

lectetur de ea elargitione, non eſt peccatum: & tamen ipſa comeſtio, & elargitio exequuta, aut efficaciter intenta nequiret à peccato liberari. Cuius rei innumera alia ſunt exempla.

Secundum. Arguitur ſecundò pro prædicta ſententia. Ita ſe habet quantum ad ſpecificationem delectatio de obiecto malo & prohibito, ſicut triſtitia, aut diſplicentia de bono & præcepto; ſed hæc non ſumit ab obiecto malitiam: igitur neque illa. Maior conſtat à paritate rationis. Minor vero inſtantiis ſuadetur, non enim peccat qui triſtatur de ieiunio; aut de auditione ſacri, aut de voto à ſe emiſſo ob laborem & pœnalitatem in eorum adimpletione repertam: qui tamen omnes ſunt actus boni & debiti. ¶ Confirmatur: nam Chriſtus Dominus habuit triſtitiam de ſua morte, ut patet Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea*, &c. quæ quidem mors erat illi præcepta, & valde bona: & tamen in ea triſtitia nullum fuit, nec potuit eſſe peccatum: ergo, &c.

Tertium. Tertiò: ſi delectatio ſumeret malitiam ex obiecto, tot in unaquaque eſſent malitiæ ſpecies, quot in obiecto ſunt circunſtantiæ mutantes ſpeciem: hoc autem multi non concedunt: ergo, &c. Hæc argumenta, & alia, quæ efformari poſſent, poſtulant deciſionem dubii ſequentis, ex cuius doctrina in dub. 3. ſubſequenti facile diluentur.

DUBIUM II.

Vtrùm omnis delectatio moroſa de objecto ſub mortali prohibito ſit peccatum mortale.

QUærimus determinatè de obiecto prohibito, ſub mortali, & de mortali peccato: quia delectationem de quovis obiecto illicito debere eſſe ſaltem peccatum veniale nemo eſt qui ambigat. An vero debeat eſſe mortale, eo ipſo quod obiectum ſit mortale, poteſt meritò controverti. Et quamvis reſolutio huius dubii poſt præcedentis deciſionem certa & indubitata videatur, debuimus tamen ſeorſum illud excitare: tum ut communis doctrina ſpeciali materiæ applicata magis eniteat: tum etiam ut prædicta applicatione difficultatibus non paucis hinc inde ebullientibus occurramus.

§. I.

Vera & communior ſententia.

16 DIcendum eſt, omnem delectationem moroſam de obiecto prohibito ſub mortali ſecundum eam rationem, qua tale obiectum ſub prohibitione continetur, eſſe peccatum mortale. Hæc concluſio aſſeritur à D. Thom. (D. Thom.) in præſenti art. 8. & 2. 2. quæſt. 154. art. 4. de verit. quæſt. 15. art. 4. de mal. quæſt. 15. art. 2. ad 16. & 17. in 2. diſt. 24. quæſt. 3. art. 4. & alibi: quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, pluréſque alii, quos dubio præcedenti adduximus. Conſultò autem in titulo dubii & in concluſione loquuti ſumus abſque limitatione de quovis obiecto prohibito ſub mortali: quia non putamus diſtinguendum eſſe, ſicut aliqui diſtingunt inter ea, quæ ſolùm ſunt mala, quia prohibentur per jus poſitivum, ut eſus carnium in die prohibito, laborare in die feſto, & hujuſmodi, & inter illa, quæ ſunt mala ſecundum ſe, ut fornicatio, homicidium, & ſimilia, quæ ab intrinſeco & ex propria ratione juri naturali repugnant. Licet enim alias inter prædicta non pauca diſcrimina aſſignentur; in eo tamen, quod eſt tribuere malitiam delectationibus terminatis ad illa ſecundum omnem eam rationem, quæ à prohibitione comprehenditur, nequaquam diſcriminantur. Unde ſicut quia fornicatio ſecundum ſe eſt mala, & à natura prohibita ſub mortali, delectatio de illa capta eſt mala mortaliter: ita quia comedere carnes in quadrageſima reſpectu ſani eſt malum, & ſub mortali prohibitum per jus poſitivum, erit etiam mortalis delectatio de tali comeſtione ut aſſociata prædictis circunſtantiis. Quemadmodum etiamſi utrumque eſſet prohibitum tantùm ſub veniali, utriuſque delectatio venialis eſſet.

Ratio aſſertionis. Ratio autem ex dictis dubio præcedenti eſt perſpicua: nam delectatio ſumit ſpeciem ab objecto, circa quod verſatur: ideóque talis debet eſſe in bonitate, vel malitia, quale fuerit ipſum objectum: ergo exiſtente hoc malo & prohibito ſub mortali, illa quoque eo ipſo erit mala & mortalis: ea eſt enim appetitus conditio, ut omnino conformetur objecto amato, fiatque talis in ſuis affectibus, quale eſt id quod amat: juxta illud Auguſt. ſerm. 27. de diverſ. (D. Auguſt.) *Homines amando Deum efficiuntur dii: amando mundum mundus dicuntur.*

Confirmatio. Confirmatur: ejuſdem malitiæ ſecundum ſpeciem eſt delectatio, quæ capitur ex aliquo objecto, vel opere præciſè ut cogitato, & quæ ſumitur ex eodem objecto, vel opere ut exequuto à parte rei: ſed hæc ubi objectum, vel opus prohibetur ſub mortali, ſemper eſt mortalis: ergo illa ſimiliter debet eſſe mortalis. Minor & conſequentia conſtant. Major vero eſt D. Thomæ: tum ſuprà quæſt. 72. art. 7. ubi (D. Thom.) docet peccatum *cordis*, ſub quo comprehendit delectationem, quæ ſumitur de objecto præciſè ut cogitato, & peccata *oris* & *operis*, quæ important ipſam rei exequutionem, pertinere ad eandem ſpeciem, tantúmque inter ſe differre penes magis & minus, ſeu ſecundum diverſos gradus intra eandem ſpeciem, quia ratio formalis motiva in omnibus eſt eadem. *Et ſi hæc tria* (inquit) *differunt ſecundum diverſos gradus peccati, patet tamen quod hæc tria pertinent ad unam perfectam peccati ſpeciem, cum ab eodem motivo procedant*, &c. Tum etiam quæſt. 15. de verit. art. 4. ubi ſic ait: *Illa delectatio, quæ ſequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ, in idem genus coincidit* (ſumit autem genus pro ſpecie) *cum delectatione exterioris actus. Vt enim dicitur in 11. metaphyſ. delectatio per ſe in actu conſiſtit, ſed ſpecies & memoria propter actum delectabilia ſunt. Vnde conſtat quod talis delectatio ſecundum genus ſuum inordinata eſt eadem inordinatione, qua eſt inordinata delectatio exterior. Dato igitur quod delectatio exterior ſit delectatio peccati mortalis, & tunc etiam interior delectatio in ſe & abſolutè conſiderata de genere peccati mortalis erit*, &c.

17 Nec deeſt efficax ratio convincens hanc D. Thomæ doctrinam. Quia objectum non ſub alia ratione formali; ſed ſub eadem prorſus movet ad delectationem; quando in exequutione ponitur, & quando ſola cogitatione apprehenditur: utrobique enim movet ſecundum propriam delectabilitatem, & convenientiam ad appetitum propoſitam & repræſentatam eidem appetitui per imaginationem, ad quam repræſentationem materiale quid eſt, quod res apprehenſa exiſtat à parte rei, vel in ſola apprehenſione: quippe etiam dum à parte rei exiſtit, non movet ratione phyſicæ exiſtentiæ, ſed ut in apprehenſione ſplendet: quod adeo verum eſt, ut licet homo re ipſa exerceat opus delectabile, ſi tamen vel propter diſtractionem, vel propter aliam cauſam illud non apprehendat, & appetitui proponat, nequaquam in iſto delectationem generabit. Quod ſatis oſtendit, exiſtentiam phyſicam non variare rationem formalem movendi, aut delectandi in objecto. Solet tamen deſervire, ut vivacius, & efficacius apprehendatur: hacque ratione conſuevit vehementiorem delectationem cauſare opus exequutum à parte rei, quàm exiſtens in ſola apprehenſione. Quia tamen ratio motiva & terminativa utrobique eſt eadem formaliter, nempe prædicta convenientia ut apprehenſa, idcirco utrobique cauſat delectationes ejuſdem ſpeciei: tantúmque eſt inter eas diſcrimen penes magis & minus, quæ non mutant ſpeciem.

Confirmatio alia. Confirmatur: nam ubi peccata differunt ſpecie, poſtulant vitia ſpecificè diſtincta: quia cum habitus per actus ſpecificetur, nequeunt actus & peccata diverſarum ſpecierum ab eodem vitio immediatè oriri: ſed pro delectatione de opere peccaminoſo cogitato, & pro opere ipſo ut executo non ponuntur vitia diſtincta, ſicut neque pro opere virtuoſo ut executo, & pro delectatione ejus ut cogitati ponuntur diſtinctæ virtutes: igitur non ſunt ibi peccata, aut malitiæ ſpecificè diverſa.

18 Alia ratio. Secundò probatur alia ratione, qua utitur D. Thom. in hoc articulo animadvertens, quod cum aliquis delectatur de aliquo objecto à ſe cogitato, neceſſario habet appetitum conſonum, & conformem ipſi objecto, inclinatúmque & propenſum in illud. Et ratio eſt perſpicua. Tum quia res, quæ non conſonat appetitui, non delectat, ſed potius cauſat in eo averſionem & triſtitiam. Tum etiam quia omnis delectatio ſupponit amorem rei delectabilis: cum delectatio non ſit aliud, quàm quies appetitus in re amata; ipſéque amor ex propria ratione habet ſupponi reliquis animæ paſſionibus: quia illæ reſpiciunt objectum ſub aliqua determinatione, puta *præſentis*, vel *abſentis*, &c. amor autem ut *bonum abſolutè* abſque tali determinatione: & ideo ſicut bonum ut *tale* vel *tale* ſupponit *bonum ſecundum ſe & abſolutè:* ita quælibet alia paſſio præſupponit amorem, & ex ipſo amore cauſatur: ut docet D. Thom. ſuprà q. 25. art. 4. Porro amor non eſt aliud niſi coaptatio quædam, ſeu propenſio appetitus ad objectum, per quam illi conformatur, unitur, & adæquatur: debet ergo omnis delectatio hujuſmodi coaptationem, propenſionem, & conformitatem ſupponere. Ex quo infert D. Thom. (eſtque illatio evidentiſſima) quod quicumque in delectationem conſentit, conſentit in hoc, quod ſuus appetitus conformetur, & coaptetur objecto, de quo capitur delectatio: induátque proinde ejus conditionem, probitatem, vel malitiam: quippe id eſt de ratione amoris conformantis appetitum cum objecto, talem reddere ipſum appetitum in bonitate, vel malitia, quale fuerit objectum, & res amata, juxta illud Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Oſe. 9.

Ex hoc formatur valde efficax ratio ad intentum. Nam qui conſentit in delectationem de objecto prohibito ſub mortali, quodcumque illud ſit, conſentit in hoc quod ſuus appetitus conformetur tali objecto, fiatque proinde peccaminoſus in eo gradu, in quo eſt peccaminoſum ipſum objectum: atque adeo approbat, & eligit per talem conſenſum rem mortaliter peccaminoſam: ſed in hanc conſentire, & eam approbare nequit non eſſe culpa mortalis, ut eſt per ſe notum: ergo, &c.

Confirmatur: nam dum voluntas conſentit in rem mortaliter peccaminoſam, & eam approbat, non modo appetitus ſenſitivus, ſed etiam ipſa voluntas per talem conſenſum conformatur liberè tali rei: qua enim ratione appetitus amat rem, de qua delectatur, & exhibet ſe illi conformem, induitque proinde ejus bonitatem, vel malitiam: eadem quoque ratione voluntas amat rem, in quam conſentit, & conformatur tali rei, induitque proinde ejus conditionem, ſive in bono, ſive in malo. Nequit autem à mortali excuſari, quod voluntas liberè ſe conformet rei peccaminoſæ mortaliter, & quod liberè fiat talis per affectum, qualis illa res: ergo, &c. Et quia hæc ratio rectè intellecta non modo eſt efficax, ſed ex ea deſumi poteſt optima regula ad cognoſcendum gradum malitiæ in quacumque moroſa delectatione, oportet eam amplius declarare: ex qua declaratione non pauca ad intentum legitimè inferemus.

§ II.

Declaratur magis præcedens ratio, nonnullaque inferuntur.

Quia diximus, tam appetitum ſenſitivum, dum de objecto aliquo delectatur, quàm voluntatem, dum in eam delectationem conſentit, conformari per affectum tali objecto, de quo delectatio ſumitur, induereque per hanc conformitatem ejus conditionem, & malitiam: optima erit regula ad diſcernendum gradum malitiæ in quavis delectatione, & in ejus conſenſu, attendere in prædicto objecto illam rationem, cui appetitus, dum ſic delectatur, & voluntas dum conſentit, ſe conformant, ſeu quam per affectum amplectuntur. Quia cum hæc ratio ſit propria delectationis materia, ex ea & ex ejus objectiva malitia venanda eſt ſpecies & gravitas malitiæ formalis in toto illo peccato. Pro quo nota, omne objectum prohibitum ſub mortali ſi ſumatur quantum ad eam rationem, quæ à prohibitione comprehenditur, connotata ipſa prohibitione, importare in ſuo conceptu malitiam mortalem objectivam: quia hæc malitia, ut alibi explicuimus, non eſt 19 Doctrina pro elucidanda ratione.

Digitized by Google

eſt aliquid ab objecto diſtinctum, ſed ipſummet, ut ſtat ſub prohibitione: non quod prohibitio ſpectet quaſi forma, vel pars ad conceptum malitiæ; ſed quia ea poſitâ & connotata, ipſummet objectum à ſe ipſo, & quia eſt talis eſſentiæ, reſultat malum & peccaminoſum juxta gradum prohibitionis. Itaque ut appetitus, vel voluntas feratur ad illud, quod in objecto eſt peccaminoſum, non eſt neceſſe ut attingat ipſam prohibitionem, eam appetendo, vel reſpuendo, aut appetendo, vel reſpuendo objectum ſub hac reduplicatione *qua prohibitum*; ſed ſatis eſt, quod connotata prohibitione, afficiatur & inclinetur ſuo amore ad illud, ſupra quod immediatè cadit ipſa prohibitio, quodque eſt ejus materia proxima, & malitiæ fundamentum. Neque etiam eſt neceſſe, ut directè afficiatur ad ipſam malitiam volendo illam expreſsè, aut volendo objectum ſub hac expreſſione *quia malum*: quia cum nullus reſpiciens ad malum operetur, malitia, aut objectum *quia malum*, nequeunt eſſe hoc modo volita. Unde ſufficit, quod affectus feratur, & terminetur ad eam rationem, quæ per ſe connectitur cum malitia, ſeu quæ immediatè à prohibitione comprehenditur. Nam eo ipſo appetitus & voluntas amplectentes eam rationem, amplectuntur, ſaltem implicitè & virtualiter, malitiam objectivam in ea incluſam.

Nec refert, an ipſa eadem ratio ſit ratio motiva, vel ſit tantùm ratio terminativa, motivum vero ſit aliqua alia ratio: quia ut affectus vitietur ex aliqua ratione prava reperta in objecto, ſufficit quod terminetur ad talem rationem volendo & amplectendo illam; etiamſi ratio motiva aliunde ſit. Ut patet cum aliquis occidit ut furetur, aliàs non occiſurus: tunc quippe licet ratio motiva non ſit homicidium, ſed furtum, quia tamen homicidium ſaltem eſt ratio terminativa, illudque voluntas re ipſa amplectitur, eligens potius occidere, quàm furtum deſerere: idcirco non ſolum furtum, ſed etiam homicidium vitiat affectum, tribuitque illi actui ſuam propriam malitiam. Igitur attenta hac doctrina & noſtra ratione, omnis delectatio terminata ad objectum immediatè prohibitum, vel ad aliquam rationem in eo repertam ex his, quæ immediatè à prohibitione comprehenduntur, connotata prohibitione, erit peccaminoſa juxta gradum prohibitionis: atque adeo mortaliter, ubi prohibitio fuerit ſub mortali: nam eo ipſo appetitus & voluntas per ſuum affectum amplectuntur illam rationem, & in ea ſaltem implicitè & virtualiter malitiam objectivam ſibi adnexam: etiamſi nec de hac expreſsè curetur, neque illa moveat, ſed terminet dumtaxat.

10 Ex his inferre licet primò, non eſſe ad rem diſcrimen ab aliquibus conſtitutum inter illa, quæ ſunt mala ſolùm quia prohibita jure poſitivo, ut eſus carnium; & ea, quæ ex propria ratione juri naturali repugnant, ſicut adulterium: videlicet quod delectari de illis non ſit peccatum mortale; ſecus vero de iſtis: nam re vera quantum ad hoc eodem modo eſt de utriſque philoſophandum, ſi utraque ſumantur ſecundum eam rationem, quæ immediatè à prohibitione comprehenditur. Quoniam prædicta ratio, ſuppoſita & connotata prohibitione, utrobique continet & fundat malitiam objectivam: atque adeo qui de tali ratione delectatur, amplectitur ſaltem implicitè & virtualiter ipſam malitiam. Non ergo quantum ad hoc inter prædicta ſtat diſcrimen: Sed aliunde poterit non leve aſſignari: quia quæ jure naturali prohibentur, ſecundum ſe & ab intrinſeco poſtulant prohiberi, eo quod ſecundum ſe, & quaſi ex propria ſubſtantia habent ut rectæ rationi repugnent: & ideo qualitercumque de iſtis ſumatur delectatio, ſumitur de eis, quatenus cadunt ſub prohibitione, & ut involventibus malitiam objectivam. At vero quæ ſolo jure poſitivo prohibentur, non ab intrinſeco aut ex propria ratione id poſtulant; ſed advenit illis prohibitio omnino accidentaliter; & ſæpe non niſi ſuppoſitis aliquibus circunſtantiis, & conditionibus extrinſecis, à quibus denudari poſſunt, ſalva propria ſubſtantia. Unde quia ſic nudata non cadunt immediatè ſub prohibitione, neque eam connotant, nullam involvunt malitiam objectivam, adeoque licebit ea prout ſic appetere, & de eis delectari.

Et hinc ſolvitur illa difficultas, quæ in præſenti communiter agitatur: *an liceat delectari de objecto prohibito ſub hac conditione ſi non eſſet prohibitum, vel ſi non eſſet malum?* Et communiter etiam reſpondetur licere in iis, quæ prohibentur jure tantum poſitivo, ut eſus carnium; ſecus in illis, quæ prohibentur ipſo jure naturæ, ut fornicatio, homicidium, blaſphemia, & ſimilia. Sumitúrque ſolutio ex diſparitate, quam tradidimus: nam quæ prohibentur jure naturæ, cum ab intrinſeco & ex vi propriæ ſubſtantiæ id poſtulent, per nullam conditionem, aut abſtractionem poſſunt, ſalva eorum ſubſtantia, ab hac exigentia, proindéque à malitia objectiva denudari. Et ideo qualitercumque appetitus ibi delectetur, amplectitur rem objectivè malam: imo neque ſimilia objecta deſiderari, aut in ea conſentire etiam ſub prædicta conditione unquàm licebit: & ideo ſi quis haberet hujuſmodi actus *occiderem, furarer, fornicarer*, &c. *ſi hæc non fuiſſent prohibita*, aut *vellem Deum non eſſe, ſi hoc non eſſet malum*, in quolibet mortaliter peccaret: quia tales actus, quantumvis conditionati videantur, oſtendunt affectum abſolutè & de facto inclinatum & conformem illis objectis ſecundum eorum ſubſtantiam, in qua ita clauditur malitia, ut per nullam conditionem ipſis manentibus poſſit ſeparari.

Solvitur quædam difficultas

At vero quæ prohibentur ſolo jure poſitivo, cum non ab intrinſeco, ſed ex aliqua conditione accidentali hoc poſtulent, poſſunt, integra manente ſubſtantia, per aliquam abſtractionem denudari à prædicta exigentia: in qua abſtractione quia nullam jam retinent objectivam malitiam, poſſunt licitè appeti, & terminare delectationem. Hac ratione ſanus videns infirmum veſcentem carnibus die quadrageſimæ poteſt ſine peccato de objecto illo delectari, apprehendendo ſe ipſum eiſdem carnibus veſcentem: quia poteſt objicere ſibi ſolam ipſam carnis comeſtionem ſecundum ſe abſtractam à conditione illa temporis prohibiti, in qua abſtractione non concernit prohibitionem, neque ab illa immediatè comprehenditur: & ita nullam importat 11

Digitized by Google

importat objectivam malitiam. Et ſimiliter Monachus poſſet delectari apprehendendo ſe ipſum ut poſſidentem ſummam pecuniæ, expendentémque auctoritate propria in paupéres, vel alios uſus; non prout eſt Monachus ligatus voto paupertatis, qua ratione interdicitur ei talis poſſeſſio & elargitio: ſed ſecundum ſe abſtrahendo à conditione ſtatus & voti, quo pacto non eſt illi prohibita, atque adeo nec mala objective. Quod ſi hujuſmodi objecta, quæ ſolo jure poſitivo prohibentur, non ita abſtrahantur, ſed ſumantur cum omnibus ſuis conditionibus, quibus hic & nunc prohibitioni immediatè ſubſtant, puta eſus carnium die quadrageſimæ reſpectu ſani, aut poſſeſſio pecuniæ reſpectu Monachi ſub paupertate conſtituti, nequaquam licebit delectari de illis etiam ſub conditione *ſi non eſſent prohibita:* quia prout ſic abſolutè connotant prohibitionem, includúntque malitiam objectivam: ſicut alia, quæ prohibentur jure naturali.

Diximus *etiam ſub conditione*, &c. quia conditio præcisè ſecundum ſe nihil confert ut liceat, vel non liceat delectari de objecto prohibito, eo quod delectatio, ut infrà dicemus, reſpicit objectum abſolutè, & non ſub hac, vel illa conditione poſſibili, vel impoſſibili. Quare objecta, quæ abſolutè conſiderata ſaltem in aliqua abſtractione, in qua apprehenduntur, non exuunt reſpectum ad prohibitionem, omnémque objectivam malitiam, adhuc ſub conditione nequeunt licitè delectationem terminare. Quando vero Theologi dicunt, in prohibitis ſolo jure poſitivo licitum eſſe delectari ſub ea conditione *ſi non eſſent prohibita*, non loquuntur de nuda conditione, ſed una cum abſtractione, quam diximus: quæ quidem abſtractio, non ita locum habet in prohibitis jure naturali: vel ſi in aliquibus locum habeat, licebit etiam de eis ſic abſtractis delectationem ſumere; de nullis vero præcisè ratione conditionis. ¶ Alia ratione dicunt aliqui non licere delectari de objectis jure naturali prohibitis, etiam ſub conditione *ſi non eſſent prohibita:* quia qui ita delectaretur, eo ipſo convincebatur velle, Deum talia objecta non prohibuiſſe, ſed potius approbaſſe, aut permiſiſſe illa: & quia hoc derogat divinæ providentiæ & bonitati, nequiret talis volitio incluſa in ipſa delectatione à peccato excuſari. Quæ ratio non militat in prohibitis ſolo jure poſitivo: quia cum Deus liberè potuerit hæc non prohibere, imo potuerit ea approbare, non eſſet inordinatum velle, quod ita ſtatueret: & ſic neque delectatio eam volitionem includens eſſet peccaminoſa. Sed licet hæc ratio ſufficientem vim habeat ad intentum; credimus tamen immediatius & firmius probari per aliam, quam tradidimus. De his tamen, aut ſimilibus actibus conditionalibus dicemus iterum à num. 67.

22 Illatio alia. Secundò ex eadem doctrina infertur, etiam in objecto mortaliter prohibito jure naturali poſſe aliquem delectari abſque mortali peccato, ſi delectatio terminetur non ad ipſam ſubſtantiam objecti, ſed ad aliquem modum ibi repertum, qui ſecundum ſe non importat deformitatem, v. g. ſi quis in cogitatione, vel aſpectu duelli, aut belli injuſti delectetur, non quidem de vulneribus, homicidiis, vel injuriis ibidem factis, ſed de dexteritate, & ſtrenuitate modi pugnandi, aut de inventionibus, & ſtratagematibus, aliiſque ſimilibus ingenioſè repertis; non peccabit mortaliter: neque etiam ſi in furto, vel in rapto delectetur de artificio, ſubtilitate, & ingenio, quæ ibi ſplendent: quia re vera talis modus ſecundum ſe non continet deformitatem, neque eam auget; ſed eſt quid indifferens: nec magis eſt per ſe connexus cum illis objectis pravis, quàm cum bonis, aut indifferentibus, & ideo poſſet æque bene in utriſque reperiri. Unde ex eo quod ille modus ſecundum ſe delectet, non ſequitur, quod appetitus inclinetur in aliquid objectivè malum. Quæ eſt doctrina Cajetani in ſum. verbo *delectatio*, eámque Theologi ſatis communiter ſequuntur. Quare dum diximus delectationem ſpecificari ab objecto, conformarique illi in bonitate, vel malitia, intelligendum eſt formaliter: nempe quantum ad eam, vel eas rationes, quæ delectationem terminant. Si namque in eodem objecto ſint plures rationes, quæ poſſint ſufficienter præſcindi, & earum aliqua non contineat malitiam, nec ſit immediatè prohibita, delectatio ſumpta de hac ratione cum præciſione ab aliis, non contrahet malitiam cæterarum: quæ eo ipſo habebunt ſe omnino de materiali ad rationem terminativam, & ſpecificativam delectationis: nec delectatio illas attinget etiam propter talem rationem, ſed in ipſa omnino ſiſtet: ſicut accidit in caſu propoſito, ubi delectatio ſiſtit adæquatè in illo modo ingenioſo, vel ſubtili, & nequaquam pertingit ad rationem homicidii, vel furti ſecundum ſe, & etiam propter ipſum modum. ¶ Diximus *etiam propter ipſum malum*, &c. quia ſi quis allectus delectabilitate prædicti modi eò tranſiret, ut vellet etiam ipſum homicidium, eligeris potius homicidium eſſe, quàm carere prædicta delectabilitate, procul dubio peccaret mortaliter: quia appetitus & ejus affectus non ſiſtebat in modo, ſed ſub modo, & ratione illius amplectebatur etiam homicidium; erátque hoc ſaltem ratio terminativa, quamvis ratio motiva eſſet ſolus modus.

Sed objicit Vaſquez (volens ex prædicta Cajetani doctrina propriam confirmare, nempe quod delectatio non ſumat ſpeciem ab objecto, ſeu opere externo, de quo capitur:) quia modus ille ſubtilis, vel ingenioſus occidendi, furandi, &c. ita eſt peccatum mortale, ſicut ipſum opus: eſt enim conjunctus operationi, quæ peccatum mortale eſt, & eſt ejus circunſtantia, quæ dicitur *quomodo:* hæc autem circunſtantia non ponit in numero cum ipſo opere, ſed ejus ſubſtantiam ingreditur, atque adeo non eſt alterius bonitatis, aut malitiæ, ſed ejuſdem cum opere: ergo, vel delectatio de homicidio non erit peccatum mortale; vel erit quoque delectatio de modo. ¶ Ad hæc: ſi quis affectu efficaci ferretur in illum modum, eſſet peccatum mortale: cur ergo etiam non erit delectatio, & affectus inefficax, ſi uterque affectus ſumit malitiam ab externo opere, quod habet pro objecto. ¶ Præterea: qui delectatur in aſpectu belli injuſti, aut duelli, non delectatur tantùm de exercitus, & caſtrorum ordine, de ſtratagematibus, & aliis rebus pulchris, quæ in ipſo ordine conſiderantur; ſed etiam ipſæ ſtrages, & cędes quodammodo illum delectant: 23 Objectio.

affert

affert enim ſtuporem admirationis cum quodam genere delectationis conjunctum, qualis ex rebus novis oriri ſolet, videre ſtrenuum & robuſtum militem abſcindentem membra, hoſtes occidentem, & fugam inimicis injicientem: quæ omnia etiam narrata delectare ſolent: ut patet ex aſſidua lectione librorum, in quibus conficta bella deſcribuntur: quam damnare peccati mortalis nimis durum & ſeverum eſſet. Hæc Vaſquez.

Enodatur. Quæ tamen non obſtant: negandum eſt enim antecedens. Nam homicidium ſecundum ſe prohibetur ſub mortali, & ſecundum ſe repugnat rationi, atque adeo ſecundum ſe eſt peccatum mortale: prædictus vero modus ſecundum ſe neque prohibetur, neque habet aliquid, unde rationi repugnet, aut unde ſit objectivè malus. Ex eo autem quòd ſit conjunctus operationi mortaliter peccaminoſæ, ad ſummum ſequitur, quòd ut ſic conjunctus reduplicativè, ab ipſáque operatione *peccaminoſus* denominetur, & quod ut ponitur in exequutione veſtitus & aſſociatus prædicta conjunctione, ſubeat eandem denominationem peccati, quàm prædicta operatio. Hoc tamen non tollit quominus etiam dum eſt ſic conjunctus, poſſit ab intellectu, & imaginatione apprehendi ſecundum ſe, & quoad ſibi propria, prout eſt capax exiſtendi in bona & mala operatione, & ſecundum hanc rationem proponi appetitui ut quid conveniens, & delectans, nulla apprehenſa convenientia, aut delectabilitate in prædicta conjunctione, ſed potius diſconvenientia retrahente ipſum appetitum: ſic autem apprehenſus talis modus nullam continet deformitatem, atque adeo licitè poterit voluntas illum approbare, & appetitus in eo complacere.

14 Quod autem dicitur de circunſtantia *quomodo*, nihil refert. Tum quia prædictus modus non eſt propriè circunſtantia moralis: quippe nec ſecundum ſe importat convenientiam, aut diſconvenientiam ad rationem, neque eam auget, ſicut eſt de ratione circunſtantiæ, ut ſuo loco diximus. Tum etiam quia hic modus ſive ſit circunſtantia, ſive non, non eſt de genere illorum, qui ſequuntur conditionem rei, quam modificant, & ejus ſubſtantiam ingrediuntur. Pro quo nota modos eſſe in duplici differentia: quidam enim ſunt, qui non habent rationem formæ, ſed puri modi, & conditionis alterius formæ, quam

Duplex genus modi. afficiunt, ut quoddam *magis* talis formæ. Hujuſmodi autem ſunt intentio actus, major ejus duratio, & ſimiles, quæ ſecundum ſe nihil afferunt bonitatis, aut delectabilitatis, neque aliud præſtant, quàm augere ipſam rem, quam modificant intra propriam lineam talis rei. Alij verò non ſunt ita puri modi, ſed habent rationem formæ afferentis aliquam bonitatem, aut delectationem ſibi propriam, proindéque alterius lineæ à bonitate, vel delectabilitate rei, quam modificant. Et hoc pacto, non verò primo ſe habent modi illi ſubtilitatis, dexteritatis, ingenii, &c. de quibus in præſenti eſt ſermo. Primi ergo modi omnino ſequuntur conditionem rei modificatæ, & quodammodo ingrediuntur ejus ſubſtantiam, ut ejuſdem augmentum. Et ideo ubi delectatio de aliquo objecto, vel opere fuerit peccatum mortale, à fortiori id habebit delectatio de prædictis modis: ut ſi quis delectetur de intenſione, vel diuturnitate odii Dei, de magnitudine furti, de intenſione vel acerbitate illati vulneris, &c. cum enim modi iſti non afferant propriam delectabilitatem, neque aliud præſtent quàm augere, ſeu eſſe ipſum *magis*, non ſiſtit in eis delectatio, ſed tranſit ad rem, cujus ſunt modi. Et de iſtis procedit objectio propoſita à Vaſq. nequaquam vero de aliis poſterioribus, qui cum afferant ſecundum ſe propriam delectabilitatem abſtrahibilem ab opere, quod modificant, poteſt delectatio in eis ſiſtere, & ultra ad rem modificatam non progredi.

Ad primum, quod additur, reſpondetur eſſe quidem conſtituendum diſcrimen inter affectum efficacem, & delectationem, quæ eſt actus inefficax; non tamen illud, quod Vaſquez conſtituit, quodque dub. præced. à num. 5. ſatis impugnavimus; ſed aliud petitum ex propria natura utriuſque actus: & conſiſtit in hoc, quòd affectus efficax, qui tendit ad exequutionem rei, & eam infert, non eſt præciſivus, ſed terminatur ad objectum ut aſſociatum omnibus conditionibus, & circunſtantiis, cum quibus à parte rei eſt exequendum: & ideo quacunque ex parte in tali objecto ſit malitia, attingitur per talem affectum, & vitiat illum: affectus vero inefficax, ſicut eſt delectatio, propter oppoſitam rationem eſt abſtractivus, & præciſivus, poteſtque in objecto, ubi plures rationes concurrunt, ſeparare unam ab aliis, & terminari ad eam, quæ non importat deformitatem, non attingendo alias, quæ malitiam continent. Quare ratio, propter quam prædicta delectatio in caſu propoſito non ſumit malitiam ab objecto, non eſt quia aliunde quàm ab illo habeat ſpeciem, ſed quia ipſum objectum, ſecundum quod attingitur ab ea, non eſt malum.

Ad ſecundum, quod additur, diximus num. 12. nequaquam eſſe licitum, ſed potius culpam mortalem delectari de ipſis ſtrage, cæde, aut injuriis injuſte illatis, vel de his gaudere, aut in ea conſentire, etiam ſi ratio motiva ſit ille modus ingenioſus in eis, repertus. Quia eo ipſo appetitus amplecteretur, & voluntas approbaret rem objectivè malam: & hoc ſufficit, ut inde malitiam deſumat, quicquid ſit de ratione motiva, ut vidimus num. 19. Quare ut delectatio prædicta à mortali excuſetur, debet ſiſtere in ipſo modo, & ad cætera objecta ſecundum ſe mala etiam propter modum non tranſgredi. Neque hoc nimis durum, aut ſeverum videatur, quod recta ratio convincit. ¶ Advertendum eſt tamen, multoties in prædictis objectis delectationem non ſumi de ipſis rebus injuſtis, vulneribus, homicidiis, furtis, &c. ſed de eorum cogitatione, narratione, aut viſione ſiſtendo ibi: quod eſt longè diſtinctum, & liberum à culpa mortali, ut dicemus num. ſequenti. Adverte ſecundò, etiam delectationem de illo modo ingenioſo, aut ſubtili reperto in operibus illicitis poſſe eſſe culpam mortalem: cùm ob periculum tranſeundi ad res ipſas: tum etiam ob alias cauſas juxta ea, quæ de cogitatione, aut viſione talium rerum ſtatim dicemus. Erit autem ſatis evidens ſignum, quod affectus & delectatio non ſiſtat in ſolo modo, ſi plus delectet, dum reperitur 15

Digitized by Google

ſed delectatio ante conſenſum eſt venialis: ergo conſenſu adveniente non poteſt fieri mortalis. Ex hoc ergo argumento, cui adhibetur prædicta ſolutio, planè conſtat non eſſe ſermonem de variatione quoad entitatem phyſicam: quia ſecundum hanc planum eſt veniale & mortale non diſtare in infinitum: & ideo neceſſario debet intelligi de mutatione & variatione ſolùm quantum ad malitiam; vel quantum ad rationem offenſæ. De quo rurſus dicemus infra quæſt. 88. art. 4.

DISPUTATIO XI.

De delectatione moroſa.

NON pauca, quæ circa delectationem moroſam ſolent ab aliquibus in præſenti examinari, ſicut eſt, quæ advertentia requiratur ex parte intellectus, & quis conſenſus ex parte voluntatis, ut gradum peccati mortalis attingat, aliáque hujuſmodi, diſcuſſa jam à nobis in præcedenti diſp. Quia enim ſimiles difficultates communes ſunt pro omnibus motibus ſenſitivi appetitus, nec circa delectationem peculiare aliquid continent, congruum judicavimus illas tunc diſcutere, quando de prædictis motibus, eorúmque malitia univerſaliter agebatur, reſervando dumtaxat huic diſputationi quædam alia, quæ peccatum moroſæ delectationis ſpecialius concernunt. Ejus tamen occaſione de aliquibus aliis actibus ſive appetitus, ſive voluntatis nonnulla dicere opus erit. Porro autem moroſa delectatio non ideo ſic appellata eſt, quia mora temporis menſuretur: ſtat enim diu perſiſtere; & moroſam non eſſe, ſi voluntas non præbeat conſenſum: ſicut etiam ſtaret durare ſolùm per inſtans, & eſſe moroſam, ſi voluntas plenè conſentiret. Ex prædicto ergo conſenſu, non ex mora temporis judicanda eſt per ſe moroſitas delectationis. Quapropter delectatio illa, cui voluntas ſtatim atque animadvertitur, efficaciter reſiſtit, etiam ſi eam repellere non valens diu ſuſtineat, nullatenus *moroſa*, aut *peccaminoſa* cenſeri debet. Illa autem, cui licèt non reſiſtat, non tamen præbet conſenſum plenè liberum, ſed tantùm ſemiplenè, *ſecundum quid* dumtaxat *moroſa* dici debet, quantumcunque in eo ſtatu perduret. Illa ergo dicenda eſt abſolutè & ſimpliciter *moroſa*, in quam voluntas conſentit conſenſu plenè libero, atque adeò poſt plenam advertentiam intellectus.

Animadvertimus quoque, quòd & ſi delectatio ſumpta pro paſſione tantùm ſit in appetitu ſenſitivo; communius tamen accepta comprehendit etiam actum voluntatis, qui dicitur *gaudium*, pro quo non minus quàm pro delectatione ſenſitiva deſerviet examen, quod fiet in hac diſputatione. Licèt autem utraque delectatio ſit circa rem præſentem, nam eſt quies in bono poſſeſſo, non tamen hæc præſentia debet neceſſario eſſe realis, ſed ſufficit cogitata & apprehenſa: delectamur enim de objecto nobis conveniente, quando de eo cogitamus, & in memoria præſens habemus, etiam ſi re vera non ſit præſens: ipſa quoque boni apprehenſio & cogitatio eſt quædam inchoata poſſeſſio, ſeu eſt poſſeſſio in intentione, ut loquitur D. Th. ſupra q. 11. art. 4. Et hæc delectatio conſurgens ex ſola objecti cogitatione, etiam ſine animo exequendi opus, quod cogitatur, eſt quæ propriè dicitur *delectatio moroſa*, & de qua in præſenti fit ſpecialis diſputatio: non vero illa, quæ ſequitur ex reali præſentia objecti per operis exequutionem: nam hæc poſterior non ponit in numero cum ipſo opere, nec cenſetur peccatum diſtinctum, aut alterius malitiæ, quā ſit opus, ex quo conſurgit

DUBIUM I.

Utrum delectatio moroſa ſumat ſpeciem ab objecto?

REm quærimus notiſſimam, quæ deberet potius ſupponi, niſi Doctoris cujuſdam, nempe Gabrielis Vaſq. infra referendi ſingularis opinio à communi via, & ab antiquo ſentiendi modo diſcedens, compelleret nos certa dubitare: dum pro ſpecificandis aliquibus actibus voluntatis, & appetitus non ad objectum, ſed ad alia capita recurrit. Nec vero exorta jam lite, licitum erit præterire deciſionem: præſertim circa principium valde conducens in moralibus, & ex cujus firmitate multarum concluſionum veritas dependet. Procedit autem dubium de ſpecie malitiæ, ſeu peccati, quæ eſt ſpecies moralis: nam ſpecies phyſica cujuſcunque actus, nemo hactenus cogitavit, quòd non ſit ex objecto. Procedit etiam de ſpecie primaria: quia non dubitamus, poſt malitiam deſumptam ab objecto poſſe ſupervenire delectationi ex aliquibus circunſtantiis alias malitiæ ſpecies ſecundarias, & accidentales, ſicut in cæteris actibus contingit. Denique loquimur, ſuppoſito quod objectum delectans ſit malum & prohibitum: ſi namque eſſet bonum vel indifferens prava aliqua circunſtantia, vel ſine aſſociatum, nullam ſecundum ſe ſpeciem moralem conferret; ſed prima ſpecies malitiæ illius peccaminoſæ delectationis deſumetur ex prima circunſtantia tranſeunte pro tunc in conditionem eſſentialem objecti, ut in tract. de bonit. & malit. de omnibus actibus moralibus diximus.

§. I.

Communis, & vera ſententia.

DIcendum eſt moroſam delectationem, ſive quæ in appetitu ſenſitivo, ſive quæ in 2
voluntate exiſtit, ſpecificari ab objecto, indéque ſuam primariam malitiam deſumere. Hæc Caiet.
concluſio aſſeritur communiter à Theologis, præſertim à D. Thoma, qui perpetuus eſt in adſtruendo, omnes actus ſine reſtrictione ad aliquos, aut aliquorum excluſione, tam juxta Ariſtotelis principia, quàm ſecundum veritatem ſpecificari ab objectis: ut videre eſt 1. p. q. 77. art. 3. & in hac 1. 2. q. 1. art. etiam 3. ubi de omnibus actibus moralibus id tradit: & q. 18. art. 2. & 5. & 6. non art. 8. ubi ſic ait: D. Thom.
Dicendum quòd ſicut dictum eſt, actus omnis habet ſpeciem ab objecto relato ad principium actuum

Digitized by Google

actuum humanorum; quod eſt ratio. Vnde ſi objectum actus includat aliquid, quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus ſecundum ſuam ſpeciem: ſi autem includat aliquid, quod repugnet ordini rationis, erit malus actus ſecundum ſpeciem, &c. Idem repetit quæſt. 19. art. 1. & 2. quæſt. 24. art. 4. quæſt. 72. art. 1. & 2. & 7. in præſenti art. 8. nec non quæſt. 2. de mal. art. 6. atque alibi multoties.

Neque ulla ratione poteſt explicari juxta adverſam opinionem; quòd loquatur ſolùm de actibus efficacibus pertingentibus uſque ad opus, & inferentibus objecti exequutionem, qualis non eſt delectatio moroſa, & alii actus inefficaces, qui non tranſeunt ad opus exequendum, ſed interius conſummantur. ¶ Non igitur poteſt hac via explicari Ang. Doctor. Tum quia ubique loquitur univerſaliter, adhibens multoties ſignum diſtributivum *omnis actus*: nullibique ab ea univerſali doctrina fecit, aut permiſit exceptionem: quinimo ſemper uſus eſt ratione, quæ in omnibus actibus æqualiter procedit, ut conſtabit infra; dum eam proponemus: ergo manifeſte eſt contra ejus mentem prædictam doctrinam ad hos vel illos actus reſtringere, & non omnibus ſine diſcrimine applicare. Tum etiam quia aliquando explicans qualiter paſſiones ſpecificentur ab objectis, ſumantque ab eis ſpeciem bonitatis, & malitiæ, apponit exemplum in illis, quæ interius conſumantur: ſicut eſt (etiam juxta oppoſitam ſententiam) verecundia, & invidia: ut videre eſt ſupra

D. Thom.

quæſt. 24. art. 4. ubi ſic ait. *Sicut de actibus dictum eſt, ita & de paſſionibus dicendum videtur, quod ſcilicet ſpecies actus, vel paſſionis dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo ſecundum quod eſt in genere naturæ, &c. Alio modo ſecundum quod pertinet ad genus moris, prout ſcilicet participant aliquid de voluntario, & judicio rationis: & hoc modo bonum & malum morale poſſunt pertinere ad ſpeciem paſſionis, ſecundum quod accipitur ut objectum paſſionis aliquid de ſe conveniens rationi, vel diſſonum à ratione: ſicut patet de verecundia, quæ eſt timor turpis, & de invidia, quæ eſt triſtitia de bono alterius: ſic enim pertinent ad ſpeciem exterioris actus.* Idem aſſerit quæſt. 7. art. 7. de omnibus, quæ dicuntur *peccata cordis*, eo quòd interius conſummantur, neque ad opus, aut verba pertingunt: Perperam ergo actus inefficaces, & interius conſummati juxta Ang. Doctorem à generali doctrina excipiuntur quos ipſe expreſsè & in particulari ſub illa comprehendit.

Denique agens ſpecialiter de delectatione docet hoc ipſum ſupra quæſt. 34. art. 2. ubi ex bonitate vera, vel apparente objecti, in quo appetitus delectatur, infert delectationem eſſe verè aut apparenter bonam, ac proinde bonam, vel malam moraliter. Et in præſenti art. 8. ex quantitate malitiæ objecti, de quo ſumitur delectatio, deducit omnino gradum, & ſpeciem malitiæ delectationis. Exindéque infert, delectationem habentem pro objecto non rem illicitam cogitatam, ſed ſolam cogitationem, non eſſe mortalem, quia cogitatio ſecundum ſe non eſt mortalis; quæ vero habet pro objecto rem cogitam, mortalem eſſe, quando res ipſa eſt prohibita ſub mortali. Eſtque ubique perpetuus in adſtruendo adæquationem malitiæ cujuſuis actus cum malitia objecti formalis illiuſque hoc ſpecificationem.

Sequuntur D. Thomam Bonaventura in 2. 3
diſt. 24. quæſt. 2. art 2. Durandus ibidem quæſt. 6. Ricardus eadem diſt. circa quartum princip. quæſt. 4. Scotus diſt. 42 §. *ſequitur*. D. Antoninus p. 2. titul. 5. cap. 1. §. 5. Cajetanus 2. 2. quæſt. 154. art. 4. & in ſum. verbo *delectatio* § *rurſus*, & tom. 1. opuſcul. tract. 14. Et expoſitores omnes D. Thomæ (uno Vaſquez excepto) ſuper hunc artic. ubi Medina, Alvarez diſp. 111. Curiel dub. ultimo Montesinos diſp. 7. quæſt. 3. §. 3. Gregorius Mart. dub 1. Zumel diſp. 3. Araujo dub. 8. Lorca diſp. 18. memb. 3. Granadus tract. 4. diſp. 4. Salas diſp. 6. ſect. 6. dicens oppoſitum eſſe inopinabile, & adverſus omnes Theologos. Atque idem tuentur cuncti fere Theologi morales, Sylveſter in ſum. verbo *delectatio*. Navarrus cap. 11. num. 12. Thomas Sanch. lib. 1. ſummæ cap. 2. num. 11. Ioannes de Medina cod. de reſtitut. quæſt. 21. Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 6. Rodriguez tom. 3. cap. de delectatione moroſa concluſ. 3. Petrus de Soto de inſtitut. Sacerd. tract. de peccatorum diſcrimine lect. 8. & 9. Baſilius Pontius lib. 10. de matrim. cap. 16. Coninchus de Sacrament. diſp. 34. dub. 11. Fagundez in præcepta Decalogi tom. 2. lib. 9. cap. 4. Villalobos tom. 1. tract. 3. difficult. 3. Sa verbo *luxuria* num. 12. Ochagavia de Sacram. tract. 5. quæſt. 12. Filiucius tract. 30. cap. 10. Leſſius de juſtit. & jure lib. 4. cap. 3. num. 124. Armilla verbo *delectatio* num. 2. Angelus verbo *cogitatio* num. 2. Tabiena eodem verbo num. 2. & 6. Bonacina quæſt. 4. de matrim. punct. 8. num. 19. Joannes Sancius in ſelectis diſp. 2. innumerique alii id tradunt; vel ſupponunt.

D. Bonav. Durand. Ricard. Scot. D. Antonin. Caiet. Medina. Alvar. Curiel. Monteſ. Greg. Mart. Zumel. Lorca. Araujo. Granad. Salas. Sylveſter. Navar. Th. Sanch. Ioan. de M. Azor. Rodrig. Petr. de Sot. Baſil. Pont. Coninch. Fagund. Villalob. Sa. Ochagab. Filiuc. Leſſius. Armil. Angel. Tabiena. Bonac. Ioan. Sancius.

Ratio aſſertionis.

Probatur ratione Ang. Doctoris. Omne quod eſt eſſentialiter reſpectivum, ſpecificatur a termino, quem reſpicit, ſed delectatio, & quicunque actus moralis eſſentialiter eſt reſpectivus ſui objecti: ergo neceſſariò ſumit ſpeciem ab ipſo objecto: atque adeo ſecundum quod hoc fuerit malum, erit ſpecies malitiæ delectationis. Major conſtat, tùm inductivè in relationibus, motibus, habitibus, potentiis, & cæteris reſpectivis, quæ ſine ulla exceptione à ſuis terminis ſpecificantur. Tum etiam, quia quod eſſentialiter eſt reſpectivum alicuius termini, non aliter habet eſſentiam, quàm iuxta exigentiam, & proportionem ipſius termini, illique adæquatam, & commenſuratam: atque adeo ipſe terminus eſt radix & menſura talis eſſentiæ: hoc autem eſt ſpecificari à prædicto termino, habere ſcilicet eſſentiam & ſpeciem commenſuratam & adæquatam cum illo, ſeu habere talem eſſentiam & ſpeciem, qualem ſibi vendicat terminus. Minor autem eſt perſpicua: nam delectatio & quicumque actus potentiæ appetitivæ non eſt aliud, niſi quædam actualis affectio, per quam prædicta potentia actualiter ſuum obiectum tangit, fertúrque ad illud ſive amando, ſive deſiderando, ſive in eo quieſcendo: prædicta autem affectio eſſentialiter eſt reſpectus ad tale obiectum: ſicut omnis tendentia, aut attingentia eſſentialiter habet reſpicere illud, quod tangit, & in quod tendit. ¶ Eò præſertim quia prædictus actus ſecundum ſuam eſſentiam dependet ab obiecto, & ideo nullatenus

poteſt

Digitized by Google

poteſt intelligi, aut diffiniri niſi per illud: quicquid autem ſecundum eſſentiam dependet ab aliquo, reſpicit illud eſſentialiter: ipſa quippe dependentia eſt habitudo, & reſpectus: ergo, &c.

4 Confirmatio. Confirmatur: omnis effectus accipit ſpeciem ex ſua cauſa formali; vel immediatè ſi ſit cauſa, & forma intrinſeca; vel mediante habitudine, qua illam reſpicit, ſi ſit cauſa extrinſeca: ſed omnis actus præſertim potentiæ appetitivæ dependet ab objecto, circa quod verſatur, ut à cauſa formali extrinſeca: igitur omnis talis actus ſumit ſpeciem à prædicto objecto. Major eſt adeo nota, ut à nemine in quæſtionem vocetur: cauſa enim formalis ex eo dicitur, quia vel per ſui exhibitionem, vel per habitudinis terminationem format, determinat, & in certa ſpecie conſtituit eſſentiam & naturam rei: unde quia diffinitio continet, & notificat eſſentiam, & naturam rei, omnes res diffinimus per ſuas cauſas formales: & ubi cauſam formalem ignoramus, per aliquid gerens vices talis cauſæ. Minor eodem modo debet recipi ab omnibus: quia perſpicuum eſt, objectum reſpectu actus exercere aliquod genus cauſæ: cùmque non ſit cauſa efficiens, aut materialis, oportet ut ſit cauſa formalis: quæ reſpectu potentiæ appetitivæ, & actuum ejus cum finali coincidit. Dicitur enim *cauſa finalis*, quia ſua bonitate allicit, & movet appetitum ad ſe; formalis vero, quia ea motione & allicientia metitur, & determinat motum & tendentiam ipſius appetitus. Quælibet autem prædictarum cauſalitatum hoc præſtat, ut talis ſit motus, & affectio appetitus, quale eſt objectum, cui afficitur, & in quod movetur.

Confirmatio alia. Confirmatur ſecundò: nam potentia appetitiva prout elicitiva cujuſcunque actus, & ſecundum ſe totam ſpecificatur ab objecto: ergo omnes ejus actus debent ab eo ſpecificari. Antecedens ab omnibus eſt indubitatum. Et probatur conſequentia. Tum quia potentia non ſpecificatur ab objecto, niſi mediante actu, ſicut non reſpicit illud niſi mediante iſto, ſeu quia iſtum reſpicit: ergo à fortiori & per prius debet ipſe actus ab objecto ſpecificari: *propter quod enim unumquodque tale*, &c. Tum etiam quia proximior eſt objecto actus, quàm potentia: hæc quippe ſolùm eſt elicitiva actus, quo objectum attingitur; ille vero eſt ipſa actualis attingentia objecti: ſi ergo potentia, quæ remotior eſt, ſumit ſuam ſpeciem ab objecto, à fortiori actus, qui propinquior eſt, debet eam inde deſumere. Et ſane Ariſtoteles prædictam ſpecificationem hoc ordine diſtribuit, ut potentiæ immediatè ab actibus, actus vero ab objectis ſpeciem recipiant: ut oſtendunt verba illa, quæ habentur lib. 2. de anima textu 33. *Priores potentiis actus, & operationes ſecundum rationem ſunt: & adhuc his priora ſunt oppoſita, ſive objecta*. Quæ verba adducit D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. in argumento *ſed contra*; & ex illis in corpore hanc rationem efformat. *Potentia ſecundum illud quod eſt potentia, ordinatur ad actum: unde oportet rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur: & per conſequens oportet, quod ratio potentiæ diverſificetur, ut diverſificatur ratio actus: ratio autem actus diverſificatur ſecundum diverſam rationem objecti, &c. Unde neceſſe eſt, quòd potentiæ diverſificentur ſecundum actus & objecta*, &c. Ideſt potentiæ immediatè ab actibus, & quia *actus* immediatè ab objectis, potentiæ quoque ab his mediatè. Sed quamvis hæc ratio cum ſuis confirmationibus adeo ſit efficax, ut bene perpenſa demonſtrativa cenſeri debeat; auctor tamen ſententiæ contrariæ conatus eſt adhibere illi ſuas evaſiones, quas adducemus, ut earum impugnatione veritas magis eluceat.

Ariſt.

D. Thom.

§. II.

Adverſariorum evaſiones.

5 Prima evaſio. Occurrit Vaſquez in præſenti diſp. 110. & ſequentibus, communem doctrinam uſque modo traditam ſolùm probare in actibus ſive voluntatis, ſive appetitus, qui ſunt abſoluti & efficaces, eò quòd tranſeunt ad operis exequutionem: ſecus vero in illis, quæ dumtaxat ſunt ſimplices quidam, & inefficaces affectus ſive complacentiæ, ſive diſplicentiæ: atque idcirco ad opus exequendum non pertingunt, ſed intus conſummantur. Et quia delectatio eſt hujuſmodi, ait hunc affectum non ſpecificari ab externo opere, quod habet pro objecto, ſed aliunde ſuam malitiam deſumere. Ratio apud illum eſt: quia cum actus abſolutus & efficax ſit cauſa operis, refunditur in eum iſtius malitia; ſimplex vero, & inefficax affectus quia in opere externo nihil cauſat, nullam ex eo malitiam participat. Ex qua doctrina mirum eſt quanta inferat citatus auctor velut concluſiones ex optimis principiis deductas, ut loquitur diſput. 111. cap. 1. additque ibi. *Qui enim ex principiis non certis, aut non bene confirmatis ſuam deducit doctrinam, mirum non eſt, ſi vel aliqua temerè damnet, quæ approbare, alia vero approbet, quæ damnare potius debebat*. Vaſq.

Impugnatur. Sed quàm incerta, vel potius falſa ſint ejus principia, quantúmque à veritate exulent concluſiones, quas infert, conabimur deinceps oſtendere. Porro autem rationem noſtram, & utramque confirmationem univerſales eſſe pro omnibus actibus, nullámque admittere exceptionem efficacium vel inefficacium, ex illis benè perpenſis facilè conſtabit. Non enim innituntur ſpecialibus principiis hujus vel illius actus, quæ proinde aliis non competant, ſed univerſaliſſimis, & omnibus communibus: uti eſt dependentia, & habitudo actus ad objectum, motióque & cauſalitas objecti in actum, ſine quibus nullus quantumvis inefficax affectus poteſt intelligi. Nec minus eſt commune pro omnibus illud de ſpecificatione potentiæ, cui innititur ſecunda confirmatio: quoniam potentia non habet ſpecificari ab objecto inadæquatè, ut ita dicamus, prout eſt horum tantum, vel illorum actuum elicitiva; ſed adæquatè, & ut eſt elicitiva omnium. Ex hoc autem principio rectè infertur omnes ipſos actus, & non tantùm hos, vel illos ab eodem objecto ſpeciem deſumere.

Refellitur diſtinctio Vaſq. Præterea nullam eſſe ad præſens diſtinctionem à prædicto auctore excogitatam inter actus efficaces, ſeu qui ſunt cauſa objecti, & inefficaces, qui illud non cauſant, facilè ſuadebimus. Quoniam actus non habet ſpecificari ab

Digitized by Google

ab objecto, in quantum ipſe actus eſt cauſa, & objectum effectus; ſed è contra in quantum, ille ſe habet ut effectus, iſtud vero ut cauſa formalis, vel finalis: unumquodque enim ſpecificatur ab eo, quod eſt prius ſe, & à quo dependet & recipit, ſicut effectus à cauſa. Quod recte vidit Ang. Doctor ſupra quæſt. 1. art. 3. ubi cum poſuiſſet ſecundum argumentum ad probandum contra ſuam concluſionem, actus humanos non ſpecificari à fine hunc in modum. *Illud, quod dat ſpeciem, oportet eſſe prius: ſed finis eſt poſterior in eſſe: ergo actus humanus non habet ſpeciem à fine.* Reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quod finis, ſecundum quod eſt prior in intentione, ut dictum eſt, ſecundum hoc pertinet ad voluntatem: & hoc modo* (ſcilicet in quantum prior) *dat ſpeciem actui humano, ſive morali.* En qualiter ſpecificare actus voluntatis non competit fini, ſeu objecto, in quantum eſt poſterius, & habet rationem effectus; ſed in quantum eſt aliquid prius, habétque proinde rationem cauſæ. Sed in hoc quod eſt reſpicere objectum ut cauſam, & ut aliquid prius ſe, æqualiter ſe habent omnes actus voluntatis, & appetitus, ſive ſint efficaces, ſive inefficaces: omnes enim ordinantur ad illud ſicut ad finem ob cujus bonitatem, ſeu appetibilitatem eliciuntur: & determinantur per illud ſicut per cauſam formalem extrinſecam, à qua menſurantur: tantúmque eſt inter eos diſcrimen, quòd inefficaces comparantur ad objecta præciſè ut effectus ad cauſam in genere formalis, & finalis; efficaces vero ulta hanc habitudinem comparantur etiam illa ut cauſa ad effectum in genere efficientis. Cum ergo, ut diximus, objectum non ſpecificet in quantum effectus, ſed in quantum cauſa, planè ſequitur omnibus prædictis actibus æqualiter competere, quòd ab objecto ſpeciem deſumant.

D. Thom.

6 Confirmatio impugnationis.

Confirmatur & explicatur. Etenim objectum actus inefficacis non minus allicit & movet, nec minus determinat voluntatem ad talem actum, quàm ad actum efficacem movet & determinat ejus objectum: ſed penes hanc motionem, & determinationem conſiſtit tota ratio ſpecificationis, quam dicimus: igitur non minus actibus inefficacibus, quàm efficacibus debet ſpecificatio prædicta competere. Imo potius major videtur adeſſe titulus, vt conveniat inefficacibus. Efficaces enim eo ipſo quòd ſunt cauſa efficiens operis externi, quod habent pro objecto, communicant illi in ſuo genere ſpeciem moralitatis, quam in ſe continent: unde non ita facile percipitur, quod in alio genere cauſæ ab eodem opere receperint illammet ſpeciem, quam communicant. Cæterum inefficaces cum in nullo genere influant in objectum, neque ei aliquid communicent, ſed solùm ab eo dependeant, & recipiant, nulla vel apparens ratio impedire poteſt, quominus ab illo deſumant ſuam ſpeciem.

Confirmatio alia.

Confirmatur ſecundò ex his, quæ cernimus in actibus potentiæ cognoſcitivæ, ſive ſenſitivæ, ſive intellectivæ, qui omnes ſine diſcrimine ſpecificantur ab objectis: & tamen ſaltem quamplurimi nullam circa ipſa objecta exercent efficientiam, aut habent efficaciam, ſed ſunt ſimplices quidam intuitus, vel judicia, ſive notitiæ, quæ conſummantur interiùs: ergo quòd actus ſit efficax, vel inefficax reſpectu ſui objecti, quod conſummetur interiùs, vel extra pertingat, omnino impertinenter ſe habet ad prædictam ſpecificationem. Manet itaque univerſalis, & inconcuſſa ratio pro concluſione facta, diſtinctio vero ad eam enervandam adhibita frivola & inanis.

7 Secunda evaſio.

Secundo occurres, rationem noſtram convincere de ſpecificatione delectationis in *eſſe* phyſico; ſecus vero in *eſſe* morali, & peccaminoſæ: ſtat enim hujuſmodi rationes, & ſpecies ex diverſis capitibus provenire: ut conſtat etiam in aliquibus aliis actibus, qui licet ſpeciem phyſicam ſemper accipiant ab objecto; ſpeciem tamen bonitatis, vel malitiæ non ſemper ab illo deſumunt, ſed ex fine, vel aliis circumſtantiis. Quod contingere neceſſe eſt, ſaltem quoties objectum eſt aliquid indifferens, ut in tract. de bonit. & malit. diſp. 3. dub. 1. diximus.

Præcluditur.

Verùm neque iſta evaſio alicujus momenti eſt, quia non ob aliam rationem omnis actus in genere phyſico ſumit ſpeciem ab objecto, niſi quia in hoc genere eſt eſſentialiter reſpectivus, debétque proinde ſpecificari à termino, quem reſpicit, quod eſt ipſum objectum: ſed non minus in genere morali habet eſſe reſpectivus objecti, vel ejus quod objecti vices gerit; ipſa enim moralitas eſt tendentia, & habitudo ad illud, ut late probavimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 1. dub. 3. Ergo eadem eſt ratio ſpecificationis ab objecto pro vtroque genere. Videantur quæ diximus in eadem diſp. dub. 4. Neque obeſt illud, quod dicitur de ſpecificatione aliquorum actuum à circunſtantiis: nam cum dicimus actum in eſſe moris debere ſpecificari ab objecto, loquimur de objecto, quod eſt morale, & ut morale terminat actum: uti ſunt adulterium, homicidium, furtum, & ſimilia, de quibus in præſenti eſt ſermo. Quando autem objectum immediate volitum eſt aliquid indifferens, aut eſto ſit bonum, impeditur tamen ejus influxus per aliquam circunſtantiam pravam, ſpecies moralis ſumitur ab ipſa circunſtantia prava, vel alia, quæ tunc tranſit in conditionem eſſentialem objecti, geritque illius vices, ut obſervavimus ſupra quæſt. 18. art. 5. circa tertiam concluſionem. ¶ Adde, in præſenti nomen *objecti* non ſumi ſtrictè pro ſolo objecto primario volito, ſed largius pro quocunque volito ſive primario, ſive ſecundario: quo pacto comprehendit etiam circunſtantias objectivas, & omnes conditiones actus externi. Ab objecto autem ſic ſumpto nullus eſt actus, qui non deſumat ſuam moralem ſpeciem.

8 Nova impugnatio utriuſque evaſionis.

Deinde impugnari poteſt tam præſens, quàm præcedens evaſio. Quia niſi delectatio ſumat ſpeciem malitiæ ab objecto, non eſt à quo illam accipiat: ac proinde non erit, cur hæc delectatio ſit peccatum huius ſpeciei, & illa alterius, potius quàm è contra: ergo, &c. Antecedens conſtabit diſcurrenti per ſingula: non enim reperiet aliud caput, vel principium omnino determinans delectationem ad talem, vel talem peccati ſpeciem, niſi tale, vel tale obiectum, de quo capitur delectatio.

Effugium inſufficiens.

Dices primò (& inſinuatur à Vaſquez) delectationem non indigere ſpecificativo extrinſeco,

Digitized by Google

ſeco, ſed per ſe ipſam conſtitui in propria ſpecie. ¶ Sed contra: quia res eſſentialiter reſpectivæ nequeunt determinari ad ſpeciem, niſi juxta exigentiam termini, quem reſpiciunt: ut patet in relationibus, habitibus, potentiis, & in cæteris omnibus reſpectivis. Hoc quippe eſt diſcrimen inter res abſolutas, qualis eſt ſubſtantia completa, & inter reſpectivas, uti ſunt illa, quæ commemoravimus, quòd abſolutæ ſe ipſis ſine dependentia ab aliquo extrinſeco determinante conſtituuntur in propriis ſpeciebus: & ideo in earum diffinitione non ponitur aliquid extrinſecum: è contra vero reſpectivæ conſtituuntur per habitudinem ad terminum, quem reſpiciunt: & ideo nequit earum diffinitio efformari, niſi in ea ponatur talis terminus. Cum ergo delectatio, & quæcunque alia operatio eſſentialiter ſit repectiva objecti, impoſſibile eſt, ut ſpecificetur omnino per ſe ipſam ſine dependentia à termino, quem reſpicit, qui eſt prædictum objectum.

Confirmatio.

Confirmatur: nam ſi quæratur, quare hæc delectatio, puta qua quis delectatur de re venerea, mala, & in tali ſpecie, ſcilicet luxuriæ: alia verò, qua delectatur de elargitione eleemoſynæ, ſit honeſta, & in ſpecie miſericordiæ, quilibet hanc reddent rationem, quia prima capitur de objecto venereo, & luxurioſo; ſecunda vero de objecto honeſto, & ſublevativo alienæ miſeriæ: nullâque alia reſponſione quæſito ſatisfaciet: quinimo ridiculum eſſet reſpondere unamquamque eſſe talem per ſe ipſam: nam eſſet dicere unamquamque eſſe talem, quia eſt talis, & eſſe in tali ſpecie, quia eſt in ea ſpecie: igitur non per ſe ipſas, ſed per reſpectum & habitudinem ad objecta debent prædictæ delectationes ſpeciem deſumere.

9 Effugium aliud.

Dices ſecundò, delectationem peccaminoſam habere ſuam ſpeciem ex oppoſitione ad contrariam virtutem: ita ex virtute, cui opponitur, & ex modo oppoſitionis venanda eſt ſpecies ſuæ malitiæ, quicquid ſit de objecto. Hanc doctrinam tradit non ſemel citatus auctor, præſertim diſp. 111. cap. 4.

Præcluditur.

Sed ejus inſufficientia conſtabit citò, ſi animadvertamus ex D. Thoma in hac 1. 2. quæſt. 74. art. 4. dupliciter poſſe aliquod peccatum opponi alicui virtuti: uno modo principaliter & directè, quæ eſt propria & immediata oppoſitio, de qua egimus ſupra diſp. 1. Alio modo ex conſequenti, & ſecundum quandam extenſionem virtutis cohibentis peccatum: quantò enim virtus major eſt, tantò magis elongat hominem à peccato ſibi contrario. Quando ergo ex oppoſitione peccati cum aliqua virtute deducitur illius gravitas, & ſpecies, certum eſt non attendi hunc ſecundum oppoſitionis modum, juxta quem potius majori virtuti opponitur peccatum minus, quod non opponeretur virtuti minori. (D. Thom.) *Manifeſtum eſt enim* (ait D. Thom.) *quod quantò aliqua virtus fuerit major, tantò etiam minora peccata cohibet: ſicut etiam ſanitas quantò fuerit major, tantò etiam minores diſcrepantias excludit. Et per hunc modum majori virtuti minus peccatum opponitur ex parte effectus.* Non ergo ex iſto modo oppoſitionis ad virtutem deduci poteſt ſpecies & gravitas alicujus peccati: atque adeo attendendum eſt ad primum, quæ eſt oppoſitio directa: ſecundum quam an & qualiter prædicta ſpecies & gravitas menſuretur, explicuimus ſupra diſp. 9. dub. 4. Deinde nota, primam & adæquatam rationem hujuſmodi oppoſitionis directæ peccati ad virtutem attendendam eſſe ex objecto, quatenus & utrunque circa idem objectum, ſeu materiam verſatur: (oppoſita enim debent circa idem verſari:) & contrario modo illud attingit; nempe virtus ſecundum præſcriptum, & menſuram rationis, peccatum autem contra talem menſuram: quod eſt reſpicere idem objectum materialiter, & diverſa, ac contraria formaliter. Ob idque D. Thom. hoc jacto principio intulit. *Oportet quòd maximæ virtuti directè contrarietur maximum peccatum, quaſi maximè ab ea diſtans in eodem genere.* Ac ſi diceret, quia eandem materiam, & objectum contrario valde modo reſpiciunt. Quare ſi hujuſmodi reſpectum ad objectum, & ad modum attingendi illud à peccato, aut à virtute ſecludamus, nequibit inter ea ſalvari prædicta contrarietas.

Ex his facile erit oſtendere inſufficientiam evaſionis adductæ. 10 Nam contrarietas directa peccati ad virtutem omnino oritur ex contrarietate circa objectum, ex eo ſcilicet quod verſantur circa eandem materiam contrario modo; quod eſt reſpicere objecta formaliter contraria: & quia reſpectus ad contraria ſibi contrariantur, neceſſe eſt ex prædictis objectis oriri contrarias ſpecies conſtitutas per illos reſpectus: igitur omnino prior eſt quolibet peccato reſpectus ad objectum contrarium objecto virtutis, atque adeo ſpecies malitiæ conſtituta per talem reſpectum, quàm oppoſitio & contrarietas ad ipſam virtutem. Qui ergo negaverit, delectationem moroſam, vel aliud quodcunque peccatum ſpecificari ab objecto, perperam recurrit ad oppoſitionem cum virtute; cum hæc oppoſito illam ſpecificationem omnino præſupponat, ex eâque, & non aliunde conſurgat. Quocirca D. Thom. loco cit. ad probandam gravitatem peccati propter oppoſitionem cum virtute recurrit ad ſpecificationem utriuſque ab objecto: quaſi hæc ſit tota illius ratio, & principium. Et ideo poſtquam dixit, *oportet quod majori virtuti opponatur gravius peccatum,* Proſequitur ita. *Sicut enim ex parte objecti attenditur major gravitas peccati, ita etiam major dignitas virtutis, utrunque enim ex objecto ſpeciem ſortitur ut ex ſupra dictis patet*, &c. (D. Thom.) Clarius id tradit quæſt. 72. art. 1. ubi generaliter ſtatuit, omnia peccata diſtingui ſpecie ſecundum diſtinctionem obiectorum, circa quæ verſantur. Et cum in ſecundo argumento obieciſſet, quòd mala eo quod dicunt privationem, debent diſtingui ſecundum oppoſita: ergo peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundum oppoſita, quàm ſecundum obiecta. Reſpondet in primis peccatum non eſſe privationem puram, ſed actum debito ordine privatum: & ideo magis debere diſtingui ſecundum obiecta actuum, quàm ſecundum oppoſita. Deinde vero ſic addit. *Quamvis etiam ſi diſtinguantur ſecundum oppoſitas virtutes, in idem rediret: virtutes enim diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta, ut ſupra dictum eſt.* En quomodò tota ratio diſtinctionis inter peccata, ac proinde eorum ſpecificatio etiam cum attenditur penes oppoſitionem ad virtutes, tandem devolvitur ad obiecta.

Confirma

Digitized by Google

Cõfirmatio eiuſdem doctrinæ.

Confirmatur: nam delectatio de damno proximi, puta de homicidio, furto, &c. quam, ait Vaſquez, deſumere ſpeciem malitiæ ex oppoſitione ad juſtitiam, vel charitatem, nequit intelligi ut oppoſita iſtis virtutibus niſi ratione ſui objecti, quod eſt illud damnum: ergo ipſum objectum eſt prima ratio prædictæ oppoſitionis. Conſequentia eſt ſatis nota. Antecedens vero probatur: quia prædicta delectatio non habet opponi juſtitiæ, niſi in quantum eſt malum proximi: non eſt autem malum proximi niſi ratione ſui objecti, ſcilicet furti, vel homicidii: ipſa enim delectatio interior præciſè ſecundum ſe, & ut ſiſtit intùs, ſicut nullum infert proximo nocumentum, ita nequit dici ejus malum: igitur niſi fiat recurſus ad objectum, quod eſt tale malum, nequit intelligi contrarietas ad charitatem, aut juſtitiam. Vel dicat adverſarius, quare delectatio de homicidio contrarietur juſtitiæ, delectatio vero de fornicatione illi non contrarietur? Certè aut nullam reddet rationem, aut recurret ad objecta: quorum aliud ſcilicet homicidium eſt malum proximi, & contrariatur juſtitiæ; aliud vero nempe fornicatio non eſt malum illius, neque iſti opponitur.

11 Cõfirmatio alia.

Confirmatur ſecundo: quoniam ſi ſola oppoſitio ad virtutem ſine recurſu ad objectum eſſet ſufficiens ratio ad ſpecificandam, & diſtinguendam malitiam delectationis, omnes illæ delectationes eſſent ejuſdem malitiæ, quæ eidem virtuti opponuntur: atque adeo non differrent ſpecie delectatio de ſimplici fornicatione, & delectatio de peccato contra naturam, quæ opponuntur eidem virtuti caſtitatis: neque delectatio de homicidio, & delectatio de furto, quæ opponuntur eidem virtuti juſtitiæ: hoc autem manifeſte eſt falſum, & inauditum etiam apud auctorem, quem impugnamus: ergo, &c.

Dices, prædictas delectationes opponi virtuti diverſo modo: & ex hoc diverſo oppoſitionis modo diſtingui ſpecie inter ſe. ¶ Sed contra: diverſitas hæc in modo oppoſitionis non aliunde poteſt deſumi niſi ex diverſitate ſecundum objecta delectationum: ex eo ſcilicet quia peccatum contra naturam eſt objectum aliter improportionatum, aliterque repugnans generationis fini, & bono caſtitatis, quam peccatum ſimplicis fornicationis, ſimiliterque in furto, & homicidio: ſecluſa vero hac diverſitate objectivæ oppoſitionis, inintelligibilis eſt diverſitas in modo oppoſitionis ex parte prædictarum delectationum: ergo quocumque modo attendatur earum ſpecificatio & diſtinctio, debet fieri recurſus ad objecta tanquam ad ejus cauſam & radicem. ¶ Adde, contrarietatem unius rei ad aliam nunquam eſſe primam rationem ſuæ ſpecificationis: quia nulla res habet eſſe talis, vel talis ſpeciei ex eo quod huic, vel illi repugnat, quia eſt talis vel talis ſpeciei: nemo enim dixit albedinem eſſe in tali ſpecie coloris, quia contrariatur nigredini, aut calorem eſſe in tali ſpecie, quia contrariatur frigori, aut virtutem, quia contrariatur vitio; ſed omnia è converſo: igitur neque in delectationibus poteſt eſſe prima ratio, cur ſint hujus aut illius ſpeciei, contrarietas cum hac vel illa virtute; ſed potius talis contrarietas oriri debet ex propriis, & ſpecificis differentiis deſumptis ex alio principio: quod, ut oſtenſum eſt, non poteſt eſſe aliud niſi objectum.

Confirmatur tertio in delectationibus virtuoſis & honeſtis: has enim nemo dicet ſpecificari à contrarietate cum vitiis, quinimo ejuſdem ſpeciei eſſent, licèt nulla dari poſſent vitia, cui contrariarentur: unde ſolum poteſt aſſignari pro eorum ſpecificativo objectum, de quo capiuntur. Ergo ſimiliter dicendum eſt de delectationibus peccaminoſis: cum omnes æqualiter ſint affectus inefficaces, & conſummati interius, quæ eſt tota ratio doctrinæ auctoris, quem impugnamus. 12 Tertia confirmatio.

Tandem poſſemus prædictam impugnationem confirmare diſcurrendo ſicut diſcurrit Monteſinos per delectationes, quas Vaſquez diſput. 111. c. 4. in exempla ſuæ opinionis adducit, ut explicet qualiter deſumant malitiam ex prædicta oppoſitione. Hujuſmodi ſunt delectatio de propria excellentia ſupra debitam menſuram, vel æquando illam Deo, quæ contrariatur humilitati: delectatio de quocumque peccato, quatenus eſt offenſa Dei, quæ contrariatur charitati: aut quatenus eſt contra legem & præceptum ſuperioris, quæ contrariatur obedientiæ: delectatio de furto, homicidio, aut quovis alio malo proximi, quatenus malum illius eſt, quæ contrariatur charitati, aut beneficentiæ: delectatio de exceſſu tormentorum in alicujus punitione, quæ contrariatur clementiæ: & (omiſſis aliis) delectatio venerea, quæ contrariatur caſtitati. Quas omnes delectationes adducit Vaſquez ad declarandam ſuam doctrinam. Sed quàm immeritò, animadvertit bene Monteſinos, oſtendens omnes illas ſpecificari à propriis objectis. Et ſanè cum nulla ſit, quæ objectum pravum non reſpiciat, indéque oppoſitionem ad virtutem deſumat, frivolum videtur, prætermiſſo objecto & reſpectu ad ipſum, recurrere pro ſpecificatione illarum ad prædictam oppoſitionem. Quinimo ipſi adverſarii, qui verbis negant delectationem ſumere ſpeciem ab obiecto, recurrunt ſæpeſæpius pro diluendis argumentis, ad noſtram doctrinam, diſtinguendo in obiectis diverſas rationes, ut poſſint attingi à delectatione ſecundum unam, & non attingi ſecundum aliam, conferréque bonitatem, vel malitiam ſecundum rationem, ſecundum quam attinguntur, & non conferre ſecundum omnes: In quo ipſo tenent in re communem doctrinam; licet verbis contradicant. Vltima.

13 Vltima evaſio.

Tandem dicet aliquis, ſupereſſe aliud principium pro ſpecificanda delectatione, videlicet operationem, ad quam conſequitur. Ut enim ait in præſenti D. Thom. omnis delectatio conſequitur aliquam operationem, ſive internam, ſive externam: per reſpectum ergo ad hujuſmodi operationem etiam ſine recurſu ad obiectum poterit ſpecificari.

Impugnatur.

Hæc tamen evaſio minus enervat noſtram doctrinam: quia operatio, quam delectatio conſequitur, eatenus dumtaxat poteſt illam ſpecificare, quatenùs poteſt eſſe eius obiectum: talis enim operatio, quoties non pervenitur ad opus exterius, ſed in cogitatione & delectatione

Digitized by Google

ctatione ſiſtitur, non eſt alia, quàm cognitio objecti illiciti, ſupra quam ſi reflectatur appetitus, poterit ſumere de ea delectationem, etiamſi de objecto cogitato non delectetur: tunc autem objectum delectans eſt ipſa cogitatio; & in quantum habet rationem objecti, in tantum poteſt ſpecificare: deficiente vero prædicta reflexione appetitus ſupra cogitationem, & quod iſta in objectum aſſumatur, ſed maneat in ratione principii, nequit eſſe ſpecificativum delectationis: quia actus immanentes, ut alibi oſtendimus, non ſpecificantur à principio activo, ſed à cauſa formali, quæ eſt objectum. Habetúrque tota hæc impugnatio apud D. Thom. in præſenti: nam cum in tertio argumento objeciſſet ſibi occaſionem propoſitam, reſpondet. *Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de delectatione, quæ habet cogitationem pro objecto.* Ac ſi apertè diceret, operationem internam, ad quam ſequitur delectatio, quæ eſt ipſa cogitatio objecti illiciti, tunc ſolùm dare ſpeciem, quando ipſa ſit objectum delectationis; ſecus quando manet præcisè in ratione propoſitionis alterius objecti. *D. Thom.*

Adde cogitationem, quæ non ſumitur ut objectum, ſed ſiſtit in ratione cognitionis, ſolum concurrere ut applicationem objecti, quatenus nihil volitum, quin præcognitum, non vero habet ſe ut cauſa & ratio formalis: quo pacto ſe habere debet illud, quod dat ſpeciem. ¶ Adde ſecundò, ex oppoſito ſequi, delectationem de objecto peccaminoſo & turpiſſimo non fore peccaminoſam: quia cognitio, ad quam ſequitur, ſecundum ſe non eſt mala, ſed ſi quam habeat malitiam, erit ratione objecti: ſi ergo in ſpecificatione non eſt recurſus ad objectum, ſed in ſola cognitione ſiſtitur, nihil eſt unde oriatur ſpecies malitiæ. ¶ Adde tandem, diſcrimen inter delectationem, quia quis gaudet de cognitione peccatorum, & qua gaudet de ipſis peccatis (ratione cujus diſcriminis illa ſæpe erit bona; iſta vero neceſſario eſt mala) non poſſe eſſe aliud, niſi quod prima habet pro objecto aliquid bonum, ſcilicet cognitionem; ſecunda vero aliquid malum, nempe ipſum peccatum, & utraque à ſuo objecto capit ſpeciem: ergo ne omnia confundantur, & in aſſignandis ſpeciebus delectationum, cæterorúmque peccatorum cœco modo procedatur, recurrendum eſt pro omnibus ad objecta, ſtandúmque omnino noſtris principiis.

§. III.

Opinionem adverſam qui tueantur?

14 PRo adverſa opinione ante Gabrielem Vaſquez neminem reperimus, cui poſſit jure adſcribi. Illum vero ſequuntur Sayrus in clavi regia, lib. 8. cap. 7. num. 7. Caſtro Palao tom. 1. tract. 2. diſput. 2. punct. 10. tribuens eam Joanni de Salas in præſenti diſp. 6. ſect. 5. ubi referens prædictam opinionem neque approbat, neque impugnat. Sed oppoſitam & communem tenet expreſsè ibidem ſect. 6. Adducit etiam dictus Palao Baſilium Legionenſ. lib. 1. de matrim. cap. 16. §. 1. & Bonacin. de matrim. q. 4. punct. 8. Sed neque iſti auctores à communi ſententia recedunt: ſolùm enim intendunt, non opus eſſe quod delectatio ſumat malitiam à circunſtantiis objecti, itaut ſemper ſit in tot ſpeciebus malitiæ, quot fuerint prædictæ circunſtantiæ. Pro quo dicendi modo etiam alios reperies, præſertim loquendo de delectatione, quæ eſt actus voluntatis. Nequaquam tamen ad id nituntur principio, cui innititur Vaſquez negans, actus inefficaces ſumere ſpeciem ab objecto, ſed alii cohærenti magna ex parte cum noſtra doctrina: nempe quod quia actus inefficax eſt præciſivus, & poteſt attingere unam rationem non attingendo aliam, neceſſe non eſt ut ab omni eo, quod in objecto reperitur, vel quod illud circunſtat, ſumat malitiam: ſicut debet ſumere actus efficax, cui non conceditur illa præciſio. Hoc autem neque doctrinæ noſtræ uſque modo traditæ adverſatur, neque in favorem contrariæ opinionis debet aſſumi.

Sayr. Caſt. Palao. Salas. Baſil. Leg. Bonacin.

Cujus opinionis fundamenta reducuntur ad aliquos caſus, in quibus longè aliter videntur ſe habere delectatio, & objectum quoad ſpeciem malitiæ. Nam poteſt dari delectatio mala de objecto bono, aut non malo; & è contra de objecto, quod eſt opus malum, poteſt dari delectatio bona: ergo non ab objectis, ſed aliunde ſumitur bonitas, aut malitia delectationis. Antecedens quoad primam partem probatur: tum in vidua, quæ nunc delectaretur de copulá habita tempore conjugii, & in ſponſa de futuro, quæ ante ratum matrimonium delectaretur de copula futura poſt ipſum: utraque enim delectatio eſt peccaminoſa, & tamen utriuſque objectum pro tempore, ad quod refertur, eſt honeſtum & licitum. Similitérque dicendum eſt, ſi quis delectaretur de copula cum ea, quæ neque eſt, neque erit ſua uxor, ſub conditione tamen *ſi eſſet ſua:* talis quippe delectatio eſſet peccaminoſa, & nihilominus copula, ut ſtat ſub illa conditione, quo pacto habet eſſe objectum, non eſt illicita: & ideo poteſt eſſe licitus conſenſus in illam ut affectam prædicta conditione. Tum etiam, nam ſi mulier invita, & abſque conſenſu in opus violaretur, hæc violatio non eſſet ei peccatum: & tamen ſi admitteret delectationem & complacentiam inde ortam, peccaret: ergo, &c. **Fundamentum primũ.**

Secunda autem pars antecedentis probatur pluribus inſtantiis: nam poteſt quis licitè delectari de aliena morte propter aliquod bonum inde conſurgens: ut de morte tyranni propter libertatem Reipublicæ: de morte cujuſlibet proximi, etiam fratris, vel parentis ob ſecuritatem æternæ vitæ: de pollutione eveniente in ſomnis propter ſalutem corporalem: de aſpectu duelli, aut belli injuſti, ut inde diſcat rarum & ſubtilem modum pugnandi, aliiſque hujuſmodi, quæ quidem ſunt objecta mala, eſſetque omnino peccaminoſus conſenſus efficax in illa: & tamen delectatio de illis, eo quod eſt affectus inefficax, poteſt eſſe ſine peccato. 15

Confirmatur: nam quod ſanus cogitans, aut videns infirmum veſcentem carnibus die prohibito delectetur de earum comeſtione; aut quod monachus cogitans ſe divitem, & elargientem pauperibus ſummam pecuniæ delectetur **Confirmatio.**

Digitized by Google

lectetur de ea elargitione, nón eſt peccatum: & tamen ipſa comeſtio, & elargitio exequuta, aut efficaciter intenta nequiret à peccato liberari. Cuius rei innumera alia ſunt exempla.

Secundum. Arguitur ſecundo pro prædicta ſententia. Ita ſe habet quantum ad ſpecificationem delectatio de obiecto malo & prohibito, ſicut triſtitia, aut diſplicentia de bono & præcepto; ſed hæc non ſumit ab obiecto malitiam: igitur neque illa. Maior conſtat à paritate rationis. Minor vero inſtantiis ſuadetur, non enim peccat qui triſtatur de ieiunio, aut de auditione ſacri, aut de voto à ſe emiſſo ob laborem & pœnalitatem in eorum adimpletione repertam: qui tamen omnes ſunt actus boni & debiti. ¶ Confirmatur: nam Chriſtus Dominus habuit triſtitiam de ſua morte, ut patet Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea*, &c. quæ quidem mors erat illi præcepta, & valde bona: & tamen in ea triſtitia nullum fuit, nec potuit eſſe peccatum: ergo, &c.

Tertium. Tertiò: ſi delectatio ſumeret malitiam ex obiecto, tot in unaquaque eſſent malitiæ ſpecies, quot in obiecto ſunt circunſtantiæ mutantes ſpeciem: hoc autem multi non concedunt: ergo, &c. Hæc argumenta, & alia, quæ efformari poſſent, poſtulant deciſionem dubii ſequentis, ex cuius doctrina in dub. 3. ſubſequenti facile diluentur.

DUBIUM II.

Vtrùm omnis delectatio moroſa de obiecto ſub mortali prohibito ſit peccatum mortale.

QUærimus determinatè de obiecto prohibito, ſub mortali, & de mortali peccato: quia delectationem de quovis obiecto illicito debere eſſe ſaltem peccatum veniale nemo eſt qui ambigat. An vero debeat eſſe mortale, eo ipſo quod obiectum ſit mortale, poteſt meritò controverti. Et quamvis reſolutio huius dubii poſt præcedentis deciſionem certa & indubitata videatur, debuimus tamen ſeorſum illud excitare: tum ut communis doctrina ſpeciali materiæ applicata magis eniteat: tum etiam ut prædicta applicatione difficultatibus non paucis hinc inde ebullientibus occurramus.

§. I.

Vera & communior ſententia.

16 DIcendum eſt, omnem delectationem moroſam de obiecto prohibito ſub mortali ſecundum eam rationem, qua tale obiectum ſub prohibitione continetur, eſſe peccatum mortale. Hæc concluſio aſſeritur à D. Thom. (D. Thom.) in præſenti art. 8. & 2. 2. quæſt. 154. art. 4. de verit. quæſt. 15. art. 4. de mal. quæſt. 15. art. 2. ad 16. & 17. in 2. diſt. 24. quæſt. 3. art. 4. & alibi; quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, pluréſque alii, quos dubio præcedenti adduximus. Conſultò autem in titulo dubii & in concluſione loquuti ſumus abſque limitatione de quovis obiecto prohibito ſub mortali: quia non putamus diſtinguendum eſſe, ſicut aliqui diſtingunt inter ea, quæ ſolùm ſunt mala, quia prohibentur per jus poſitivum, ut eſus carnium in die prohibito, laborare in die feſto, & hujuſmodi, & inter illa, quæ ſunt mala ſecundum ſe, ut fornicatio, homicidium, & ſimilia, quæ ab intrinſeco & ex propria ratione juri naturali repugnant. Licet enim alias inter prædicta non pauca diſcrimina aſſignentur; in eo tamen, quod eſt tribuere malitiam delectationibus terminatis ad illa ſecundum omnem eam rationem, quæ à prohibitione comprehenditur, nequaquam diſcriminantur. Unde ſicut quia fornicatio ſecundum ſe eſt mala, & à natura prohibita ſub mortali, delectatio de illa capta eſt mala mortaliter: ita quia comedere carnes in quadrageſima reſpectu ſani eſt malum, & ſub mortali prohibitum per jus poſitivum, erit etiam mortalis delectatio de tali comeſtione ut aſſociata prædictis circunſtantiis. Quemadmodum etiamſi utrumque eſſet prohibitum tantùm ſub veniali, utriuſque delectatio venialis eſſet.

Ratio aſſertionis. Ratio autem ex dictis dubio præcedenti eſt perſpicua: nam delectatio ſumit ſpeciem ab obiecto, circa quod verſatur: ideóque talis debet eſſe in bonitate, vel malitia, quale fuerit ipſum objectum: ergo exiſtente hoc malo & prohibito ſub mortali, illa quoque eo ipſo erit mala & mortalis: ea eſt enim appetitus conditio, ut omnino conformetur objecto amato, fiatque talis in ſuis affectibus, quale eſt id quod amat: juxta illud Auguſt. ſerm. 27. de diverſ. (D. Auguſt.) *Homines amando Deum efficiuntur dii: amando mundum mundus dicuntur.*

Confirmatio. Confirmatur: ejuſdem malitiæ ſecundum ſpeciem eſt delectatio, quæ capitur ex aliquo objecto, vel opere præcisè ut cogitato, & quæ ſumitur ex eodem objecto, vel opere ut exequuto à parte rei: ſed hæc ubi objectum, vel opus prohibetur ſub mortali, ſemper eſt mortalis: ergo illa ſimiliter debet eſſe mortalis. Minor & conſequentia conſtant. Major vero eſt D. Thomæ: tum ſuprà quæſt. 72. art. 7. ubi (D. Thom.) docet peccatum *cordis*, ſub quo comprehendit delectationem, quæ ſumitur de objecto præcisè ut cogitato, & peccata *oris* & *operis*, quæ important ipſam rei exequutionem, pertinere ad eandem ſpeciem, tantúmque inter ſe differre penes magis & minus, ſeu ſecundum diverſos gradus intra eandem ſpeciem, quia ratio formalis motiva in omnibus eſt eadem. *Et ſi hæc tria (inquit) differunt ſecundum diverſos gradus peccati, patet tamen quod hæc tria pertinent ad unam perfectam peccati ſpeciem, cum ab eodem motivo procedant*, &c. Tum etiam quæſt. 15. de verit. art. 4. ubi ſic ait: *Illa delectatio, quæ ſequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ, in idem genus coincidit* (ſumit autem genus pro ſpecie) *cum delectatione exterioris actus. Vt enim dicitur in 11. metaphyſ. delectatio per ſe in actu conſiſtit, ſed ſpecies & memoria propter actum delectabilia ſunt. Vnde conſtat quod talis delectatio ſecundum genus ſuum inordinata eſt eadem inordinatione, qua eſt inordinata delectatio exterior. Dato igitur quod delectatio exterior ſit delectatio peccati mortalis, & tunc etiam interior delectatio in ſe & abſolutè conſiderata de genere peccati mortalis erit*, &c.

Digitized by Google

17 Nec deeſt efficax ratio convincens hanc D. Thomæ doctrinam. Quia objectum non ſub alia ratione formali, ſed ſub eadem prorſus movet ad delectationem; quando in exequutione ponitur, & quando ſola cogitatione apprehenditur: utrobique enim movet ſecundum propriam delectabilitatem, & convenientiam ad appetitum propoſitam & repræſentatam eidem appetitui per imaginationem, ad quam repræſentationem materiale quid eſt, quod res apprehenſa exiſtat à parte rei, vel in ſola apprehenſione: quippe etiam dum à parte rei exiſtit, non movet ratione phyſicæ exiſtentiæ, ſed ut in apprehenſione ſplendet: quod adeo verum eſt, ut licet homo re ipſa exerceat opus delectabile, ſi tamen vel propter diſtractionem, vel propter aliam cauſam illud non apprehendat, & appetitui proponat, nequaquam in iſto delectationem generabit. Quod ſatis oſtendit, exiſtentiam phyſicam non variare rationem formalem movendi, aut delectandi in objecto. Solet tamen deſervire, ut vivacius, & efficacius apprehendatur: hacque ratione conſuevit vehementiorem delectationem cauſare opus exequutum à parte rei, quàm exiſtens in ſola apprehenſione. Quia tamen ratio motiva & terminativa utrobique eſt eadem formaliter, nempe prædicta convenientia ut apprehenſa, idcirco utrobique cauſat delectationes ejuſdem ſpeciei: tantúmque eſt inter eas diſcrimen penes magis & minus, quæ non mutant ſpeciem.

Confirmatio alia.

Confirmatur: nam ubi peccata differunt ſpecie, poſtulant vitia ſpecificè diſtincta: quia cum habitus per actus ſpecificetur, nequeunt actus & peccata diverſarum ſpecierum ab eodem vitio immediatè oriri: ſed pro delectatione de opere peccaminoſo cogitato, & pro opere ipſo ut executo non ponuntur vitia diſtincta, ſicut neque pro opere virtuoſo ut executo, & pro delectatione ejus ut cogitati ponuntur diſtinctæ virtutes: igitur non ſunt ibi peccata, aut malitiæ ſpecificè diverſa.

18 Alia ratio.

Secundò probatur alia ratione, qua utitur D. Thom. in hoc articulo animadvertens, quod cum aliquis delectatur de aliquo objecto à ſe cogitato, neceſſario habet appetitum conſonum, & conformem ipſi objecto, inclinatúmque & propenſum in illud. Et ratio eſt perſpicua. Tum quia res, quæ non conſonat appetitui, non delectat, ſed potius cauſat in eo averſionem & triſtitiam. Tum etiam quia omnis delectatio ſupponit amorem rei delectabilis: cum delectatio non ſit aliud, quàm quies appetitus in re amata; ipſéque amor ex propria ratione habet ſupponi reliquis animæ paſſionibus: quia illæ reſpiciunt objectum ſub aliqua determinatione, puta *præſentis*, vel *abſentis*, &c. amor autem ut *bonum abſolutè* abſque tali determinatione: & ideo ſicut bonum ut *tale* vel *tale* ſupponit *bonum ſecundum ſe & abſolutè:* ita quælibet alia paſſio præſupponit amorem, & ex ipſo amore cauſatur: ut docet D. Thom. ſuprà q. 25. art. 4. Porro amor non eſt aliud niſi coaptatio quædam, ſeu propenſio appetitus ad objectum, per quam illi conformatur, unitur, & adæquatur: debet ergo omnis delectatio hujuſmodi coaptationem, propenſionem, & conformitatem ſupponere. Ex quo infert D. Thom. (eſtque illatio evidentiſſima) quod quicumque in delectationem conſentit, conſentit in hoc, quod ſuus appetitus conformetur, & coaptetur objecto, de quo capitur delectatio: induátque proinde ejus conditionem, probitatem, vel malitiam: quippe id eſt de ratione amoris conformantis appetitum cum objecto, talem reddere ipſum appetitum in bonitate, vel malitia, quale fuerit objectum, & res amata, juxta illud Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Oſeæ 9.

Ex hoc formatur valde efficax ratio ad intentum. Nam qui conſentit in delectationem de objecto prohibito ſub mortali, quodcumque illud ſit, conſentit in hoc quod ſuus appetitus conformetur tali objecto, fiatque proinde peccaminoſus in eo gradu, in quo eſt peccaminoſum ipſum objectum: atque adeo approbat, & eligit per talem conſenſum rem mortaliter peccaminoſam: ſed in hanc conſentire, & eam approbare nequit non eſſe culpa mortalis, ut eſt per ſe notum: ergo, &c.

Confirmatur: nam dum voluntas conſentit in rem mortaliter peccaminoſam, & eam approbat, non modo appetitus ſenſitivus, ſed etiam ipſa voluntas per talem conſenſum conformatur liberè tali rei: qua enim ratione appetitus amat rem, de qua delectatur, & exhibet ſe illi conformem, induitque proinde ejus bonitatem, vel malitiam: eadem quoque ratione voluntas amat rem, in quam conſentit, & conformatur tali rei, induitque proinde ejus conditionem, ſive in bono, ſive in malo. Nequit autem à mortali excuſari, quod voluntas liberè ſe conformet rei peccaminoſæ mortaliter, & quod liberè fiat talis per affectum, qualis illa res: ergo, &c. Et quia hæc ratio rectè intellecta non modo eſt efficax, ſed ex ea deſumi poteſt optima regula ad cognoſcendum gradum malitiæ in quacumque moroſa delectatione, oportet eam amplius declarare: ex qua declaratione non pauca ad intentum legitimè inferemus.

§ II.

Declaratur magis præcedens ratio, nonnulláque inferuntur.

Quia diximus, tam appetitum ſenſitivum, 19
dum de objecto aliquo delectatur, quàm voluntatem, dum in eam delectationem conſentit, conformari per affectum tali objecto, de quo delectatio ſumitur, induereque per hanc conformitatem ejus conditionem, & malitiam: optima erit regula ad diſcernendum gradum malitiæ in quavis delectatione, & in ejus conſenſu, attendere in prædicto objecto illam rationem, cui appetitus, dum ſic delectatur, & voluntas dum conſentit, ſe conformant, ſeu quam per affectum amplectuntur. Quia cum hæc ratio ſit propria delectationis materia, ex ea & ex ejus objectiva malitia venanda eſt ſpecies & gravitas malitiæ formalis in toto illo peccato. Pro quo nota, omne objectum prohibitum ſub mortali ſi ſumatur quantum ad eam rationem, quæ à prohibitione comprehenditur, connotata ipſa prohibitione, importare in ſuo conceptu malitiam mortalem objectivam: quia hæc malitia, ut alibi explicuimus, non eſt

Doctrina pro elucidanda ratione.

Digitized by Google

eſt aliquid ab objecto diſtinctum, ſed ipſummet, ut ſtat ſub prohibitione: non quod prohibitio ſpectet quaſi forma, vel pars ad conceptum malitiæ; ſed quia ea poſita & connotata, ipſummet objectum à ſe ipſo, & quia eſt talis eſſentiæ, reſultat malum & peccaminoſum juxta gradum prohibitionis. Itaque ut appetitus, vel voluntas feratur ad illud, quod in objecto eſt peccaminoſum, non eſt neceſſe ut attingat ipſam prohibitionem, eam appetendo, vel reſpuendo, aut appetendo, vel reſpuendo objectum ſub hac reduplicatione *qua prohibitum*; ſed ſatis eſt, quod connotata prohibitione, afficiatur & inclinetur ſuo amore ad illud, ſupra quod immediatè cadit ipſa prohibitio, quodque eſt ejus materia proxima, & malitiæ fundamentum. Neque etiam eſt neceſſe, ut directè afficiatur ad ipſam malitiam volendo illam expreſsè, aut volendo objectum ſub hac expreſſione *quia malum*: quia cum nullus reſpiciens ad malum operetur, malitia, aut objectum *quia malum*, nequeunt eſſe hoc modo volita. Unde ſufficit, quod affectus feratur, & terminetur ad eam rationem, quæ per ſe connectitur cum malitia, ſeu quæ immediatè à prohibitione comprehenditur. Nam eo ipſo appetitus & voluntas amplectentes eam rationem, amplectuntur, ſaltem implicitè & virtualiter, malitiam objectivam in ea incluſam.

Nec refert, an ipſa eadem ratio ſit ratio motiva, vel ſit tantùm ratio terminativa, motivum vero ſit aliqua alia ratio: quia ut affectus vitietur ex aliqua ratione prava reperta in objecto, ſufficit quod terminetur ad talem rationem volendo & amplectendo illam; etiamſi ratio motiva aliunde ſit. Ut patet cum aliquis occidit ut furetur, aliàs non occiſurus: tunc quippe licet ratio motiva non ſit homicidium, ſed furtum, quia tamen homicidium ſaltem eſt ratio terminativa, illudque voluntas re ipſa amplectitur, eligens potius occidere, quàm furtum deſerere: idcirco non ſolum furtum, ſed etiam homicidium vitiat affectum, tribuitque illi actui ſuam propriam malitiam. Igitur attenta hac doctrina & noſtra ratione, omnis delectatio terminata ad objectum immediatè prohibitum, vel ad aliquam rationem in eo repertam ex his, quæ immediatè à prohibitione comprehenduntur, connotata prohibitione, erit peccaminoſa juxta gradum prohibitionis: atque adeo mortaliter, ubi prohibitio fuerit ſub mortali: nam eo ipſo appetitus & voluntas per ſuum affectum amplectuntur illam rationem, & in ea ſaltem implicitè & virtualiter malitiam objectivam ſibi adnexam: etiamſi nec de hac expreſsè curetur, neque illa moveat, ſed terminet dumtaxat.

10 Ex his inferre licet primò, non eſſe ad rem diſcrimen ab aliquibus conſtitutum inter illa, quæ ſunt mala ſolùm quia prohibita jure poſitivo, ut eſus carnium; & ea, quæ ex propria ratione juri naturali repugnant, ſicut adulterium: videlicet quod delectari de illis non ſit peccatum mortale; ſecus vero de iſtis: nam re vera quantum ad hoc eodem modo eſt de utriſque philoſophandum, ſi utraque ſumantur ſecundum eam rationem, quæ immediatè à prohibitione comprehenditur. Quoniam prædicta ratio, ſuppoſita & connotata prohibitione, utrobique continet & fundat malitiam objectivam: atque adeo qui de tali ratione delectatur, amplectitur ſaltem implicitè & virtualiter ipſam malitiam. Non ergo quantum ad hoc inter prædicta ſtat diſcrimen. Sed aliunde poterit non leve aſſignari; quia quæ jure naturali prohibentur, ſecundùm ſe & ab intrinſeco poſtulant prohiberi, eo quod ſecundum ſe, & quaſi ex propria ſubſtantia habent ut rectæ rationi repugnent: & ideo qualitercumque de iſtis ſumatur delectatio, ſumitur de eis, quatenus cadunt ſub prohibitione, & ut involventibus malitiam objectivam. At vero quæ ſolo jure poſitivo prohibentur, non ab intrinſeco aut ex propria ratione id poſtulant; ſed advenit illis prohibitio omnino accidentaliter; & ſæpe non niſi ſuppoſitis aliquibus circunſtantiis, & conditionibus extrinſecis, à quibus denudari poſſunt, ſalva propria ſubſtantia. Unde quia ſic nudata non cadunt immediatè ſub prohibitione, neque eam connotant, nullam involvunt malitiam objectivam, adeoque licebit ea prout ſic appetere; & de eis delectari.

Et hinc ſolvitur illa difficultas, quæ in præſenti communiter agitatur: *an liceat delectari de objecto prohibito ſub hac conditione ſi non eſſet prohibitum, vel ſi non eſſet malum?* Et communiter etiam reſpondetur licere in iis, quæ prohibentur jure tantum poſitivo, ut eſus carnium; ſecus in illis, quæ prohibentur ipſo jure naturæ, ut fornicatio, homicidium, blaſphemia, & ſimilia. Sumitúrque ſolutio ex diſparitate, quam tradidimus: nam quæ prohibentur jure naturæ, cum ab intrinſeco & ex vi propriæ ſubſtantiæ id poſtulent, per nullam conditionem, aut abſtractionem poſſunt, ſalva eorum ſubſtantia, ab hac exigentia, proindéque à malitia objectiva denudari. Et ideo qualitercumque appetitus ibi delectetur, amplectitur rem objectivè malam: imo neque ſimilia objecta deſiderari, aut in ea conſentire etiam ſub prædicta conditione unquàm licebit: & ideo ſi quis haberet hujuſmodi actus *occiderem, furarer, fornicarer*, &c. *ſi hæc non fuiſſent prohibita*, aut *vellem Deum non eſſe, ſi hoc non eſſet malum*, in quolibet mortaliter peccaret: quia tales actus, quantumvis conditionati videantur, oſtendunt affectum abſolutè & de facto inclinatum & conformem illis objectis ſecundum eorum ſubſtantiam, in qua ita clauditur malitia, ut per nullam conditionem ipſis manentibus poſſit ſeparari.

Solvitur quædam difficultas

At vero quæ prohibentur ſolo jure poſitivo, cum non ab intrinſeco, ſed ex aliqua conditione accidentali hoc poſtulent, poſſunt, integra manente ſubſtantia, per aliquam abſtractionem denudari à prædicta exigentia: in qua abſtractione quia nullam jam retinent objectivam malitiam, poſſunt licitè appeti, & terminare delectationem. Hac ratione ſanus videns infirmum veſcentem carnibus die quadrageſimæ poteſt ſine peccato de objecto illo delectari, apprehendendo ſe ipſum eiſdem carnibus veſcentem: quia poteſt objicere ſibi ſolam ipſam carnis comeſtionem ſecundum ſe abſtractam à conditione illa temporis prohibiti, in qua abſtractione non concernit prohibitionem, neque ab illa immediatè comprehenditur: & ita nullam 11

Digitized by Google

importat objectivam malitiam. Et ſimiliter Monachus poſſet delectari apprehendendo ſe ipſum ut poſſidentem ſummam pecuniæ, expendentémque auctoritate propria in pauperes, vel alios uſus; non prout eſt Monachus ligatus voto paupertatis, qua ratione interdicitur ei talis poſſeſſio & elargitio: ſed ſecundum ſe abſtrahendo à conditione ſtatus & voti, quo pacto non eſt illi prohibita, atque adeo nec mala objective. Quod ſi hujuſmodi objecta, quæ ſolo jure poſitivo prohibentur, non ita abſtrahantur, ſed ſumantur cum omnibus ſuis conditionibus, quibus hic & nunc prohibitioni immediatè ſubſtant, puta eſus carnium die quadrageſimæ reſpectu ſani, aut poſſeſſio pecuniæ reſpectu Monachi ſub paupertate conſtituti, nequaquam licebit delectari de illis etiam ſub conditione *ſi non eſſent prohibita:* quia prout ſic abſolutè connotant prohibitionem, includúntque malitiam objectivam: ſicut alia, quæ prohibentur jure naturali.

Diximus *etiam ſub conditione*, &c. quia conditio præciſè ſecundum ſe nihil confert ut liceat, vel non liceat delectari de objecto prohibito, eo quod delectatio, ut infrà dicemus, reſpicit objectum abſolutè, & non ſub hac, vel illa conditione poſſibili, vel impoſſibili. Quare objecta, quæ abſolutè conſiderata ſaltem in aliqua abſtractione, in qua apprehenduntur, non exuunt reſpectum ad prohibitionem, omnémque objectivam malitiam, adhuc ſub conditione nequeunt licitè delectationem terminare. Quando vero Theologi dicunt, in prohibitis ſolo jure poſitivo licitum eſſe delectari ſub ea conditione *ſi non eſſent prohibita*, non loquuntur de nuda conditione, ſed una cum abſtractione, quam diximus: quæ quidem abſtractio, non ita locum habet in prohibitis jure naturali: vel ſi in aliquibus locum habeat, licebit etiam de eis ſic abſtractis delectationem ſumere; de nullis vero præciſè ratione conditionis. ¶ Alia ratione dicunt aliqui non licere delectari de objectis jure naturali prohibitis, etiam ſub conditione *ſi non eſſent prohibita:* quia qui ita delectaretur, eo ipſo convincebatur velle, Deum talia objecta non prohibuiſſe, ſed potius approbaſſe, aut permiſiſſe illa: & quia hoc derogat divinæ providentiæ & bonitati, nequiret talis volitio incluſa in ipſa delectatione à peccato excuſari. Quæ ratio non militat in prohibitis ſolo jure poſitivo: quia cum Deus liberè potuerit hæc non prohibere, imo potuerit ea approbare, non eſſet inordinatum velle, quod ita ſtatueret: & ſic neque delectatio eam volitionem includens eſſet peccaminoſa. Sed licet hæc ratio ſufficientem vim habeat ad intentum; credimus tamen immediatius & firmius probari per aliam, quam tradidimus. De his tamen, aut ſimilibus actibus conditionalibus dicemus iterum à num. 67.

22 Illatio alia. Secundò ex eadem doctrina infertur, etiam in objecto mortaliter prohibito jure naturali poſſe aliquem delectari abſque mortali peccato, ſi delectatio terminetur non ad ipſam ſubſtantiam objecti, ſed ad aliquem modum ibi repertum, qui ſecundum ſe non importat deformitatem, v. g. ſi quis in cogitatione, vel aſpectu duelli, aut belli injuſti delectetur, non quidem de vulneribus, homicidiis, vel injuriis ibidem factis, ſed de dexteritate, & ſtrenuitate modi pugnandi, aut de inventionibus, & ſtratagematibus, aliiſque ſimilibus ingenioſè repertis, non peccabit mortaliter: neque etiam ſi in furto, vel in rapto delectetur de artificio, ſubtilitate, & ingenio, quæ ibi ſplendent: quia re vera talis modus ſecundum ſe non continet deformitatem, neque eam auget; ſed eſt quid indifferens: nec magis eſt per ſe connexus cum illis objectis pravis, quàm cum bonis, aut indifferentibus, & ideo poſſet æque bene in utriſque reperiri. Unde ex eo quod ille modus ſecundum ſe delectet, non ſequitur, quod appetitus inclinetur in aliquid objective malum. Quæ eſt doctrina Cajetani in ſum. verbo *delectatio*, eámque Theologi ſatis communiter ſequuntur. Quare dum diximus delectationem ſpecificari ab objecto, conformarique illi in bonitate, vel malitia, intelligendum eſt formaliter: nempe quantum ad eam, vel eas rationes, quæ delectationem terminant. Si namque in eodem objecto ſint plures rationes, quæ poſſint ſufficienter præſcindi, & earum aliqua non contineat malitiam, nec ſit immediatè prohibita, delectatio ſumpta de hac ratione cum præciſione ab aliis, non contrahet malitiam cæterarum: quæ eo ipſo habebunt ſe omnino de materiali ad rationem terminativam, & ſpecificativam delectationis: nec delectatio illas attinget etiam propter talem rationem, ſed in ipſa omnino ſiſtet: ſicut accidit in caſu propoſito, ubi delectatio ſiſtit adæquatè in illo modo ingenioſo, vel ſubtili, & nequaquam pertingit ad rationem homicidii, vel furti ſecundum ſe, & etiam propter ipſum modum. ¶ Diximus *etiam propter ipſum malum*, &c. quia ſi quis allectus delectabilitate prædicti modi eò tranſiret, ut vellet etiam ipſum homicidium, eligens potius homicidium eſſe, quàm carere prædicta delectabilitate, procul dubio peccaret mortaliter: quia appetitus & ejus affectus non ſiſtebat in modo, ſed ſub modo, & ratione illius amplectebatur etiam homicidium; erátque hoc ſaltem ratio terminativa, quamvis ratio motiva eſſet ſolus modus.

Sed objicit Vaſquez (volens ex prædicta 23 Objectio.
Cajetani doctrina propriam confirmare, nempe quod delectatio non ſumat ſpeciem ab objecto, ſeu opere externo, de quo capitur:) quia modus ille ſubtilis, vel ingenioſus occidendi, furandi, &c. ita eſt peccatum mortale, ſicut ipſum opus: eſt enim conjunctus operationi, quæ peccatum mortale eſt, & eſt ejus circunſtantia, quæ dicitur *quomodo:* hæc autem circunſtantia non ponit in numero cum ipſo opere, ſed ejus ſubſtantiam ingreditur, atque adeo non eſt alterius bonitatis, aut malitiæ, ſed ejuſdem cum opere: ergo, vel delectatio de homicidio non erit peccatum mortale; vel erit quoque delectatio de modo. ¶ Ad hæc: ſi quis affectu efficaci ferretur in illum modum, eſſet peccatum mortale: cur ergo etiam non erit delectatio, & affectus inefficax, ſi uterque affectus ſumit malitiam ab externo opere, quod habet pro objecto. ¶ Præterea: qui delectatur in aſpectu belli injuſti, aut duelli, non delectatur tantùm de exercitus, & caſtrorum ordine, de ſtratagematibus, & aliis rebus pulchris, quæ in ipſo ordine conſiderantur; ſed etiam ipſæ ſtrages, & cædes quodammodo illum delectant: affert

Digitized by Google

affert enim ſtuporem admirationis cum quodam genere delectationis conjunctum, qualis ex rebus novis oriri ſolet, videre ſtrenuum & robuſtum militem abſcindentem membra, hoſtes occidentem, & fugam inimicis injicientem: quæ omnia etiam narrata delectare ſolent: ut patet ex aſſidua lectione librorum, in quibus conficta bella deſcribuntur: quam damnare peccati mortalis nimis durum & ſeverum eſſet. Hæc Vaſquez.

Enodatur. Quæ tamen non obſtant: negandum eſt enim antecedens. Nam homicidium ſecundum ſe prohibetur ſub mortali, & ſecundum ſe repugnat rationi, atque adeo ſecundum ſe eſt peccatum mortale: prædictus vero modus ſecundum ſe neque prohibetur, neque habet aliquid, unde rationi repugnet, aut unde ſit objectivè malus. Ex eo autem quòd ſit conjunctus operationi mortaliter peccaminoſæ, ad ſummum ſequitur, quòd ut ſic conjunctus reduplicativè, ab ipſáque operatione *peccaminoſius* denominetur, & quod ut ponitur in exequutione veſtitus & aſſociatus prædicta conjunctione, ſubeat eandem denominationem peccati, quàm prædicta operatio. Hoc tamen non tollit quominus etiam dum eſt ſic conjunctus, poſſit ab intellectu, & imaginatione apprehendi ſecundum ſe, & quoad ſibi propria, prout eſt capax exiſtendi in bona & mala operatione, & ſecundum hanc rationem proponi appetitui ut quid conveniens, & delectans, nulla apprehenſa convenientia, aut delectabilitate in prædicta conjunctione, ſed potius diſconvenientia retrahente ipſum appetitum: ſic autem apprehenſus talis modus nullam continet deformitatem, atque adeo licitè poterit voluntas illum approbare, & appetitus in eo complacere.

14 Quod autem dicitur de circunſtantia *quomodo*, nihil refert. Tum quia prædictus modus non eſt propriè circunſtantia moralis: quippe nec ſecundum ſe importat convenientiam, aut diſconvenientiam ad rationem, neque eam auget, ſicut eſt de ratione circunſtantiæ, ut ſuo loco diximus. Tum etiam quia hic modus ſive ſit circunſtantia, ſive non, non eſt de genere illorum, qui, ſequuntur conditionem rei, quam modificant, & ejus ſubſtantiam ingrediuntur. Pro quo nota modos eſſe in duplici differentia: quidam enim ſunt, qui non habent rationem formæ, ſed puri modi, & conditionis alterius formæ, quam

Duplex genus modi. afficiunt, ut quoddam *magis* talis formæ. Hujuſmodi autem ſunt intentio actus, major ejus duratio, & ſimiles, quæ ſecundum ſe nihil afferunt bonitatis, aut delectabilitatis, neque aliud præſtant, quàm augere ipſam rem, quam modificant intra propriam lineam talis rei. Alij verò non ſunt ita puri modi, ſed habent rationem formæ afferentis aliquam bonitatem, aut delectationem ſibi propriam, proindéque alterius lineæ à bonitate, vel delectabilitate rei, quam modificant. Et hoc pacto, non verò primo ſe habent modi illi ſubtilitatis, dexteritatis, ingenii, &c. de quibus in præſenti eſt ſermo. Primi ergo modi omnino ſequuntur conditionem rei modificatæ, & quodammodò ingrediuntur ejus ſubſtantiam, ut ejuſdem augmentum. Et ideo ubi delectatio de aliquo objecto, vel opere fuerit peccatum mortale, à fortiori id habebit delectatio de prædictis modis: ut ſi quis delectaretur de intenſione, vel diuturnitate odii Dei, de magnitudine furti, de intenſione vel acerbitate illati vulneris, &c. cum enim modi iſti non afferant propriam delectabilitatem, neque aliud præſtent quàm augere, ſeu eſſe ipſum *magis*, non ſiſtit in eis delectatio, ſed tranſit ad rem, cujus ſunt modi. Et de iſtis procedit objectio propoſita à Vaſq. nequaquam vero de aliis poſterioribus, qui cum afferant ſecundum ſe propriam delectabilitatem abſtrahibilem ab opere, quod modificant, poteſt delectatio in eis ſiſtere, & ultra ad rem modificatam non progredi.

Ad primum, quod additur, reſpondetur eſſe quidem conſtituendum diſcrimen inter affectum efficacem, & delectationem, quæ eſt actus inefficax; non tamen illud, quod Vaſquez conſtituit, quodque dub. præced. à num. 5. ſatis impugnavimus; ſed aliud petitum ex propria natura utriuſque actus: & conſiſtit in hoc, quòd affectus efficax, qui tendit ad exequutionem rei, & eam infert, non eſt præciſivus, ſed terminatur ad objectum ut aſſociatum omnibus conditionibus, & circunſtantiis, cum quibus à parte rei eſt exequendum: & ideo quacunque ex parte in tali objecto ſit malitia, attingitur per talem affectum, & vitiat illum: affectus vero inefficax, ſicut eſt delectatio, propter oppoſitam rationem eſt abſtractivus, & præciſivus, poteſtque in objecto, ubi plures rationes concurrunt, ſeparare unam ab aliis, & terminari ad eam, quæ non importat deformitatem, non attingendo alias, quæ malitiam continent. Quare ratio, propter quam prædicta delectatio in caſu propoſito non ſumit malitiam ab objecto, non eſt quia aliunde quàm ab illo habeat ſpeciem, ſed quia ipſum objectum, ſecundum quod attingitur ab ea, non eſt malum.

Ad ſecundum, quod additur, diximus num. 12. nequaquam eſſe licitum, ſed potius culpam mortalem delectari de ipſis ſtrage, cæde, aut injuriis injuſte illatis, vel de his gaudere, aut in ea conſentire, etiam ſi ratio motiva ſit ille modus ingenioſus in eis, repertus. Quia eo ipſo appetitus amplecteretur, & voluntas approbaret rem objectivè malam: & hoc ſufficit, ut inde malitiam deſumat, quicquid ſit de ratione motiva, ut vidimus num. 19. Quare ut delectatio prædicta à mortali excuſetur, debet ſiſtere in ipſo modo, & ad cætera objecta ſecundum ſe mala etiam propter modum non tranſgredi. Neque hoc nimis durum, aut ſeverum videatur, quod recta ratio convincit. ¶ Advertendum eſt tamen, multoties in prædictis objectis delectationem non ſumi de ipſis rebus injuſtis, vulneribus, homicidiis, furtis, &c. ſed de eorum cogitatione, narratione, aut viſione ſiſtendo ibi: quod eſt longè diſtinctum, & liberum à culpa mortali, ut dicemus num. ſequenti. Adverte ſecundò, etiam delectationem de illo modo ingenioſo, aut ſubtili reperto in operibus illicitis poſſe eſſe culpam mortalem: cùm ob periculum tranſeundi ad res ipſas: tum etiam ob alias cauſas juxta ea, quæ de cogitatione, aut viſione talium rerum ſtatim dicemus. Erit autem ſatis evidens ſignum, quod affectus & delectatio non ſiſtat in ſolo modo, ſi plus delectet, dum reperitur

Digitized by Google

in rebus, & actionibus pravis & illicitis, quàm in licitis & honeſtis. Hoc enim indicio, ut bene inquit Salas in præſenti diſp.6. convincuntur multi delectari de rebus turpibus ſub prætextu artificioſi carminis, vel ſuavis muſicæ: qui tamen carmina, & cantilenas de rebus honeſtis æquè vel magis artificioſa, & elegantia faſtidiunt, vel minus avidè audiunt, & legunt, quòd ſibi minus lepida appareant. Similiſque peccati arguuntur, qui metaphoris ſimilium rerum ut plurimum gaudent, quaſi artificioſè loquantur: & qui facile multa detorquent ad turpes ſenſus, celebrantque, minus conſideratè dicta ſub ſpecie lætificandi, aut oſtendendi vel proprii ingenii acumen, vel imperitiam dicentis. Quin & frequentius, aut facilius loqui de occultis partibus corporis, de ægritudinibus, veſtibus, medicinis, & aliis ad eas pertinentibus, ſatis indicat animum ipſis rebus turpibus, & non tantùm ſupradictis modis delectari. Adeóque niſi parvitas materiæ excuſet, non vacabit culpa mortali ejuſmodi delectatio. Decet ergo honeſtatis amatores (admonet Gerſon alphab. 29.) de omnibus prædictis parciſſimè loqui, & quaſi invitos, etiam cum adeſt neceſſitas, ab aliis audire, tuncque vel maximè ſerenitatem vultus gravitatémque ſervare.

Salas.

26 Tertiò ex eadem doctrina habetur veritas & certitudo doctrinæ D. Thomæ in prima concluſione hujus art. nempe quòd ſi in cogitatione objecti ſub mortali prohibiti delectatio ſumatur non de ipſa re cogitata, ſed de ſola cogitatione (poteſt enim vis cognoſcitiva reflecti ſupra ſuos actus, & dum cogitat de aliis objectis, proponere appetitui ipſammet cogitationem ut objectum per ſe delectans) non eſt peccatum mortale: ſed vel erit actus bonus, ſi ea cogitatio & delectatio habeat finem honeſtum: vel ſi non habeat, ſed ſola curioſitas moveat, erit peccatum veniale ratione ocioſitatis. Et quod dicitur de delectatione cogitationis, intelligendum eſt de delectatione cujuſcunque alterius cognitionis ſive viſus, ſive auditus, ſive intellectus, &c. atque adeo quantumvis objecta ſint illicita, prava, aut inhoneſta, non erit peccatum mortale per ſe loquendo delectari de quacunque eorum cognitione, ut cognitio eſt præcisè, & ſiſtendo ibi. Ratio eſt perſpicua: nam cognitio cujuſque potentiæ ſecundum ſe, & ut cognitio eſt præcisè, non eſt mala, etiam ſi res cognita peſſima ſit, quia non terminatur ad objectum ut malum, ſed ut verum: & ita ponitur in Deo pleniſſima cognitio rerum omnium, quantumvis peccaminoſæ, & turpiſſimæ ſint: ergo nec delectatio de tali cognitione ſecundum ſe, & ut cognitio eſt præcisè, poteſt eſſe mala (niſi aliàs ratione ocioſitatis) cum talis ſit delectatio, qualis res, quæ delectat. Et confirmatur: nam delectatio ſumpta de cognitione rei turpis v.g. ſiſtens in ſola cognitione ſolùm arguit in appetitu affectum, & inclinationem ad ipſam cognitionem, & ad veritatem per eam adinventam, nequaquam verò ad rem turpem: ſed appetitum inclinari ad habendam cognitionem, deprehendendámque veritatem de quacunque re, non eſt aliquis affectus turpis, ſed ſtudioſus, vel curioſus: ergo non eſt unde talis delectatio, & affectus debeat damnari ad mortale.

Gerſon.

Diximus *per ſe loquendo, & ſiſtendo in cognitione*, ut innueremus, ex aliis capitibus ſæpe prædictam delectationem eſſe peccatum mortale: nempe vel ratione rei cogitatæ, vel ratione finis, vel ratione effectus. Ratione quidem rei cogitatæ, ut ſi cogitatio placeat non tantùm propter ſe, aut quia cognitio eſt, & veritatis aſſequutio, ſed etiam propter ipſam rem. Pro quo nota ex D. Thom. 2. 2. quæſtione 180. art. 7. quòd licèt cognitio ex propria ratione habeat, quod ſit operatio delectabilis, quia eſt actus connaturalis potentiæ cognoſcitivæ, & rationali naturæ valde conſonans, efficitur tamen delectabilior, ſi terminetur ad rem amatam, ut experientia notum eſt: quiſque enim apud ſe experitur, libentius cogitatione detineri in rebus illis, ad quas afficitur, quàm in aliis, quæ affectui non conſonant. Et hac ratione perfectiſſima Dei contemplatio, quæ eſt per donum ſapientiæ, ſolet tribui charitati: non quòd ab ea eliciatur, ſed quia neceſſario illam ſupponit: quatenus ipſa charitas Deum affectuosè diligens in cauſa eſt, ut intellectus per ſapientiam cum dulcedine & voluptate illum contempletur: indéque *ſapientia* à *ſapore* dicta eſt, quaſi *ſapida ſcientia* teſte D. Bernardo ſerm. 85. in Cant. & D. Thoma 2. 2. quæſt. 45. art. 5. Hinc ergo oriri ſolet, ut delectatio, quam appetitus percipit de cogitatione objecti illiciti, intenſior, ſeu voluptuoſior reddatur; quia hoc & non tantùm ejus cognitio eidem appetitui conſonat. Quocirca ſi objectum ſit prohibitum ſub mortali, etiam delectatio erit mortalis, quia non ſiſtit in ſola cognitione, ſed ſimul tranſit ad objectum, clauditque, vel ſupponit affectum, & amorem, quo appetitus in ipſummet objectum inclinatur, & illi conformatur.

Delectatio de cogitatione poteſt vitiari ex triplici capite.

Primum caput.

D. Bernard.

D. Thom.

Si autem poſtules regulam ad diſcernendum, an delectatio delectet præcisè ſecun- 27
dum ſe, & ut cognitio, vel etiam ratione rei cogitatæ; quando ex expreſſa cogitantis intentione de hoc non conſtat; plures tradi ſolent, quas reperies apud Theologos morales: fortè tamen nullam omnino certam & infallibilem. Vide Sylveſtrum verbo *delectatio* num. 7. Cajetanum eodem verbo verſ. *Rurſus ex parte rei*. Gerſonem ubi ſupra. Valentiam in præſenti diſp. 6. quæſt. 4. punct. 3. Salas diſp. cit. ſect. 7. & alios. Credimus autem vix poſſe dari certius ſignum, quàm quòd unuſquiſque conſcientiam ſuam conſulat, & quantum in ſe eſt attente animadvertat, an ad cogitandum de prædictis eum ſolicitet vera neceſſitas, vel utilitas addiſcendi, docendi, diſputandi, &c. aliàs non cogitaturum: & an æquè libenter incumbat ſtudio, lectioni, aut auditioni rerum honeſtarum, ſicut turpium, & inhoneſtarum, neque in harum meditatione, vel lectione plus temporis inſumat, quàm neceſſitas ipſa expoſcat: eóque magis ac magis cogitatio placeat, quo plus vel citius in inquiſitione veritatis, & in ejus inventione proficiat. Hæc erunt non leve ſignum, quòd delectatio ſit de ſola cognitione. Secus autem ſi nulla vel modica exiſtente neceſſitate addiſcendi, ipſa materia plus quàm alia ſolicitet & pungat cogitationem, aut aliqua turpis occaſio in id pertrahat: nec tam juxta gradum aſſequendi notitiam, quàm juxta moram & detentionem

Satisfit interrogationi.

Sylveſter.
Caiet.
Gerſon.
Valen.
Salas.

Digitized by Google

tenſionem, aut juxta rei turpitudinem cogitatio placeat: quinimo ſi appetitus facilius & libentius incumbat ſtudio talium rerum, quàm aliarum, quæ vel indifferentes ſint, vel honeſtæ, cuncta hæc ſatis notificabunt delectationem non ſiſtere in ſola cogitatione, ſed placere etiam res ipſas, quæ cogitatione præſentantur: adhuc tamen id non evidenter convincent.

Secundum caput vitiis delectationem.

Ratione finis facilius deprehenditur malitia delectationis de quavis cogitatione, aut cognitione: nam poteſt talis cogitatio expreſsè ordinari ad finem mortaliter peccaminoſum: & tunc malitia ipſius finis refunditur tam in cogitationem, quàm in delectationem inde captam, juxta illud Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt*, &c. Ubi ipſa viſio, & cognitio pro fornicationis peccato habetur, eo quod ad illud tanquam ad finem ordinatur. Nec circa hoc poteſt eſſe aliqua difficultas: nam etiam actio ex ſpecie ſua bona, eo ipſo quod ad finem malum ordinetur, recipit ejus malitiam: ut ſi quis det eleemoſynam ad ſeducendum, vel mœchandum, malitia ſeductionis; vel mœchiæ vitiat elargitionem eleemoſynæ: de quo plura diximus in tract. de bonit. & malit. diſp. 5. & 6.

Matth. 5.

28 Caput tertium.

Tandem quod ratione effectus poſſit eſſe mortalis delectatio de cognitione, aut de quavis alia cognitione rei illicitæ plane conſtat. Nam qui ex tali cognitione videt ſequi effectum pravum, quem vitare tenetur, & illam non aufert, ſed moroſè delectatur, ibidem ſaltem virtualiter vult, & approbat ipſum effectum: atque adeo nequit non prædicta delectatio, & conſenſus malitia illius inquinari. Porro ex cognitione rei illicitæ, & ejus delectatione duplex effectus oriri poteſt, uterque mortalis: alter in propria perſona, qui erit vel conſenſus in ipſam rem illicitam, vel conſentiendi periculum, vel ſaltem periculum conſentiendi in delectationem de tali re: quinimo hæc delectatio, vel ejus periculum, etiam ſine periculo formalis conſenſus, poteſt eſſe peccatum mortale, ſi cauſa fuerit per ſe & voluntaria, ut dictum eſt diſput. præced. à n. 214. Et quoniam hujuſmodi effectus & pericula frequentius imminent ex cogitatione rerum turpium, quàm aliarum, urgentiúſque ex viſione externa, quàm ex ſola cogitatione: idcirco S. Patres, & Theologi potiſſimum in his rebus prædictas cogitationes ad mortale damnant: arctiúſque viſiones, & aſpectus, quod citius imaginationem commoveant, vehementiúſque libidinem excitent: de quo legendus eſt D. Chryſoſt. homil. 6. in Matth. circa finem, & hom. 17. & in Gen. hom. 22. Hilar. can. 4. in Matth. Ambroſ. ſerm. 16. in Pſalm. 118. Hieron. ſuper illud Thren. 3. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Et ob eandem rationem D. Antonin. 2. p. tit. 5. c. 1. §. 7. & plures alii Theologi damnant abſolutè ad mortale *videre turpia*, non ita condemnantes aſpectum duelli, aut belli injuſti.

Chryſoſt. Hilar. Ambroſ. Hieron. D. Antnin.

Alter effectus eſt ſcandalum, quod poteſt ſequi in aliis ex viſione rei illicitæ: ut ſi vir gravis & religioſus coram puſillis aſſiſtat repræſentationibus obſcœnarum rerum, generabit procul dubio in eis ſcandalum: & ratione hujus pravi effectus, quamvis nullius alterius adſit periculum, prædicta viſio erit mortalis.

Denique infertur, doctrinam uſque modo traditam communem eſſe pro delectationibus circa quamlibet materiam, nec reſtringi debere ad materiam luxuriæ. Quod docet apertè D. Thom. in hoc art. 8. dum in ſolut. ad 5. eodem modo loquitur de delectatione cogitati homicidii damnans eam ad mortale, ſicut in corpore loquitur de delectatione cogitatæ fornicationis: quod etiam reperies in 2. diſtinct. 39. q. 1. art. 2. ad 1. & q. 15. de verit. art. 4. in fine corp. & ad 4. idque communiter Theologi fatentur, quorum per plures adducit Salas citata diſput. 6. ſect. 5. & non paucos Thom. Sanch. lib. 1. ſum. c. 2. n. 9. Solent autem utplurimum adduci inſtantiæ, & caſus in prædicta materia, quia periculoſior, & magis lubrica eſt, ob connaturalitatem ad animalem naturam: & ideo facilius & frequentius peccatum moroſæ delectationis circa eam incurritur. 29

DUBIUM III.

Speciales caſus difficultati obnoxii examinantur.

POſt communem & generalem doctrinam ſupereſſe ſolent aliqui peculiares caſus, quibus dum in particulari non applicatur, ineſt adhuc difficultas. In præſenti vero hujuſmodi caſus ad ſequentes reducuntur. Primò an de aliquo, quod eſt formaliter peccatum, licitum ſit delectari propter effectum bonum: aut ſaltem id liceat de ipſo effectu? Secundò an liceat delectari de peccato inſcienter commiſſo, aut quod defectus libertatis, oblivio, vel alia cauſa à malitia formali excuſavit? Tertiò an de malo proximi, ut de ejus morte, damnatione, &c. etiam ex bono fine? Quartò an ſit peccatum delectari hîc & nunc de objecto, quod de præſenti eſt illicitum; licuit tamen tempore præterito, vel licebit futuro, ipſaque delectatio ad ea tempora refertur? Quintò an de objecto abſolutè & pro quovis tempore illicito; quod tamen re vera eſſet licitum poſita aliqua conditione, delectatio verò terminatur ad illud ut ea conditione indutum? Sextò utrum delectatio ſumat malitiam à ſolo objecto directè volito, vel etiam à circumſtantiis? Septimò & ultimò utrum ſit peccatum triſtari de objecto bono, ſicut eſt delectari de malo? Ad hos caſus reduci poſſunt quotquot apud auctores reperiuntur, qui difficultatem aliquam continent. Et quia ex præjactis principiis facilem habebunt ſolutionem, noluimus pro ſingulis propria dubia, ſed hoc unum pro omnibus brevitatis gratia conſtruere.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Deciſio primi caſus quoad utranque partem.

30 HIc primus caſus ſolùm procedit de peccato, quod eſt tale formaliter, ut de fornicatione, vel homicidio voluntarie commiſſi. Non quòd de eis dubitari liceat, an ſecundum ſe, & ut peccata ſunt, poſſint terminare delectationem peccaminoſam; ſed ut poſſunt eſſe utilia ad aliquem bonum effectum: puta homicidium latronis per hominem privatum ad ſecuritatem reipublicæ, & fornicatio ad procreandam optimam prolem. Hoc ergo modo non omnino ſuperfluè quæritur, an liceat de illis delectari? Nam Gabriel Vaſq. in præſenti diſp. 111. cap. 2. partem tenet affirmativam: & eum referens Salas diſp. 6. ſect. 5. Exiſtimant enim idem eſſe delectari de bonis effectibus fornicationis, furti, vel homicidii (quod omnes licere concedunt) ac de ipſis operibus illicitis, ut utilia ad tales effectus. Contra quos tamen dicendum eſt omnino illicitum eſſe delectari de quovis peccato etiam ſub ratione utilis ad effectum bonum: licitum vero eſſe delectari de tali effectu ſecundum ſe, & in eſſe rei ſumpto: itaque nequaquam licet delectari de homicidio injuſtè facto latronis, vel tyranni: at licitum eſt delectari de pace, & ſecuritate reipublicæ orta ex tali homicidio. Secunda pars aſſertionis adeo eſt nota, ut nullus de ea dubitaverit. Nam cum prædictus effectus in ſe bonus ſit, nec poſtulet à cauſa illa peccaminoſa procedere, ſed manens idem in eſſe rei, poſſet oriri ab alia licita & honeſta: ut in exemplo poſito libertas & ſecuritas reipublicæ non eſſet alia, nec minòr ſequuta ex juſta ſuſpenſione latronis, vel tyranni, quàm ex homicidio injuſto: non eſt quo pacto delectatio ad illum ſecundum ſe & in eſſe rei ſumptum terminata ex hoc capite vitietur. ¶ Diximus *ſecundum ſe & in eſſe rei ſumptum:* quia ſi prædictus effectus acciperetur formaliſſimè in ratione effectus, ſeu in quantum illatus reduplicativè ex cauſa injuſta, idem eſſet delectari de tali effectu, ac delectari de ipſa cauſa: adeóque utrunque eſſet peccaminoſum. Et hinc ſolutum eſt fundamentum, quo Vaſquez, & Salas ducti ſunt ad confundendam delectationem de peccato ut cauſa, & de ejus effectu, non diſtinguentes inter ipſum formaliter ut effectum, & abſolutè ut rem.

Vaſq. *Salas.* *Aſſertio.* *Probatur ſecũda pars.*

31 Prima autem pars etiam eſt ſatis communis, & perſpicua: nam qui delectatur de peccato etiam propter effectum inde ſequutum, re vera utrunque vult, utrunque approbat, & in utrunque affectum ſuum inclinat: & quamvis ratio motiva ſit ſola bonitas effectus; ratio tamen terminativa etiam eſt ipſum peccatum: ſed hoc ſufficit ut talis affectus à peccato illo vitietur, ut vidimus num. 19. ergo, &c.

Probatur prima.

Confirmatur ex doctrina D. Thomæ ſupra quæſt. 19. art. 7. ad 3. ubi ait. *Sive voluntas ſit ejus, quod eſt ſecundum ſe malum, & ſub ratione boni; ſive ſit boni ſub ratione mali, ſemper voluntas erit mala: ſed ad hoc quod ſit voluntas bona, requiritur quòd ſit boni ſub ratione boni: id eſt quòd velit bonum, & propter bonum.* At in noſtro caſu voluntas non eſt boni, ſed mali, quamvis propter bonum: volitio enim, quæ in delectatione illa clauditur, vel ſupponitur, non modo attingit & amplectitur bonum effectum, ſed etiam cauſam, unde talis effectus emanat, licèt hoc totum ſit propter ipſum effectum: non ergo talis volitio & delectatio poteſt eſſe bona, aut non eſſe mala. Sed circa efficaciam hujus confirmationis videnda ſunt, quæ diximus in tract. de bonit. & malit. diſp. 6. num. 11.

Confirmatio ex D. Thom.

Confirmatur ſecundò. Nequit Deus velle peccatum, aut complacere in illo, etiam ut conducere poteſt ad pœnitentiam, vel ad alium effectum bonum: permittit enim Deus peccata propter hujuſmodi effectus, vúltque talem permiſſionem; nequaquam tamen dicendus eſt velle ipſa peccata ob quemcunque finem: igitur nec nos licitè id poterimus propter quemcunque effectum. Patet conſequentia: nam divina voluntas ad omnia illa ſe poteſt extendere, quæ ſi non repugnant: non autem ei repugnat quicquid nos licitè velle poſſumus: non ergo licitè velle poſſumus id, quod Deus non poteſt velle.

Confirmatio alia.

Dices, potius hinc ſumi argumentum contra nos: quia licèt Deus velle non poſſit abſolutè peccatum, nec de illo complacere etiam propter quemcunque finem; vult tamen; & complacet in entitate, & perfectione phyſica, quæ eſt in actu peccaminoſo, quamque Deus ipſe cauſat: igitur & nos poterimus licitè delectari de prædicta entitate & perfectione; adeóque de ipſo peccato ut cauſa & illativo alicujus boni effectus; quandoquidem talis effectus non oritur ab illo ratione malitiæ, ſed ratione phyſicæ entitatis. 32

Objectio.

Reſpondetur negando conſequentiam. Adeo enim connexa eſt malitia ſaltem objectiva, & fundamentalis cum hac ſpecifica & numerica entitate in peccato reperta, ut voluntas defectibilis nullatenus poſſit, multóque minus appetitus ſenſitivus inter eas diſtinguere, & attingere unam non attingendo aliam. Quia cum prædicta malitia fundamentalis non ſit aliqua ratio ſuperaddita tali entitati etiam virtualiter diſtincta, ſed ab ea intimè tranſcendatur, nulla alia via appetitus, & voluntas defectibilis, ſub cujus objecto utraque comprehenditur, malitiam fugere valent, niſi non attingendo, nec volendo entitatem: unde eo ipſo quod ad iſtam ſuo amore, aut delectatione terminentur, & eam complectantur, amplectuntur ibi ſaltem virtualiter, & implicitè ipſam malitiam. Cæterum divina voluntas attingendo entitatem, non ideo malitiam aliquo modo attingit: quia cum iſta ſit omnino extra ejus objectum, quod eſt determinatè bonum, ratione hujus determinationis ipſa voluntas divina veluti cogitur præſcindere unam ab alia, talitérque attingere quicquid perfectionis eſt in illa entitate, ut omnem malitiam quantumvis ibi incluſam omnino prætermittat. Ad quam præciſionem valde etiam conducit infinita immaterialitas, & ſubtilitas ejuſdem divinæ voluntatis, ex qua habet, ut inter rationes aliàs conjunctiſſimas poſſit diſtinguere.

Enoditur.

Adde, intellectum noſtrum ſaltem pro hoc ſtatu, & à fortiori ſenſum, & imaginativam nequaquam

Digitized by Google

nequaquam comprehendere poſſe illam numero portionem entis, vel perfectionis, quæ in actu peccati, puta in homicidio, identificata eſt cum malitia objectiva, ut eam voluntati, & appetitui proponat, niſi veſtitam, & (ut ſic dicamus) notificatam per ipſam differentiam homicidii conſtitutivam, ſicut neque aliter quàm ratione iſtius differentiæ poteſt eam ab aliis entitatibus diſcriminare. Quare neque appetitus & voluntas aliter poterunt ferri in illam prout diſtinctam à cæteris, quàm amplectendo prædictam differentiam, quæ eſt ipſa objectiva malitia. ¶ Adde ſecundò, quòd licèt voluntas noſtra, ut ſit recta, debeat conformari cum divina in ratione volendi, quæ eſt ipſa divina bonitas: ſæpe tamen nec debet nec poteſt conformari in volito. Eò quòd ſi voluntas defectibilis vellet omne illud, quod divina, multoties non poſſet ibi ſiſtere, ſed ratione ſuæ defectibilitatis tranſiret ad aliud, quod divinæ repugnat. Hac ratione nemini licèt velle permiſſionem proprii peccati, quam tamen Deus vult, quia volendo illam voluntas creata tranſiret ad ipſum peccatum, cum tamen divinæ nequaquam immineat hoc periculum. Stat ergo quòd licèt Deus poſſit velle entitatem peccati, & complacere in illa, ut præciſè entitas eſt; noſter tamen appetitus, & voluntas in eam ferri nequeant, niſi amplectendo ſimul malitiam ſibi conjunctiſſimam.

§. II.

Dirimitur ſecundus caſus.

33 SEcundus caſus comprehendit omnem illum, in quo opus, vel omiſſio, quæ voluntariè & ſine excuſatione exercita, eſſent formaliter peccata, exercentur hic & nunc ſine malitia ſaltem formali, propter aliquam cauſam hanc malitiam impedientem, vel auferentem. Sive talis cauſa ſit ſomnus, ebrietas, vel amentia, quæ libertatem à ſuppoſito auferunt: ſive invincibilis error, ignorantia, aut oblivio, quæ opus involuntarium reddunt: ſive impotentia phyſica vel moralis, aut aliqua alia rationabilis, & legitima excuſatio, quæ opera, vel omiſſiones etiam voluntarie facta liberant à tranſgreſſione formali legis, proindéque à malitia excuſant. Quæritur ergo num de prædictis operibus, vel omiſſionibus aliàs illicitis, quoties ob aliquam ex prædictis cauſis ſine culpa exercentur, licitum ſit poſtea delectari, dum eorum recordatio cum libertate occurrit? Neque eſt dubium, adeſſe debere aliquem honeſtum finem, ut prædicta delectatio omni culpa vacet: quippe ipſa ſola carentia finis honeſti ſufficeret conferre illi malitiam ſaltim venialem crioſitatis, etſi aliunde peccaminoſa non eſſet. Igitur Doctores non pauci ita diſtinguunt, ut in his, quæ ſolo jure poſitivo prohibentur, ſicut omiſſio ſacri, fractio jejunii, eſus carnium, & ſimilia, licita ſit prædicta delectatio, dummodo non ſumatur de illis formaliter, quia prohibita ſunt, ſeu ex motivo contrariandi præcepto: in aliis vero, quæ prohibentur jure naturali, ut homicidium, furtum, fornicatio, pollutio, &c. quovis modo accipiantur, nequaquam ſit licita. *Aliorum diſtinctio.*

Hæc tamen regula non videtur nobis firma, ſed defectura in multis quæ rectè conſideranti cito apparebunt, & ex dicendis in hoc eodem §. ſatis conſtabit. Et ideo aliter diſtinguendum duximus animadvertendo ea, de quibus loquimur, aliquando per ſupradictas cauſas liberari ſolùm à malitia formali, eo quod ſolum deficit in eis cognitio & libertas, ſine qua talis malitia eſſe non poteſt: at remanent cum malitia objectiva, quia remanent in ea ratione & ſtatu, ut objectivè conſiderata conſervent adhuc diſſonantiam ad rationem, vel talem conceptum, ut immediatè connotent legis prohibitionem, & ab illa comprehendantur, licèt non in ratione actus, bene tamen in ratione objecti. Aliquando vero per tales cauſas non modo liberantur à malitia formali, ſed taliter à priſtino conceptu, & ſtatu removentur, ut neque objectivam malitiam conſervent: quia nihil in eis remanet objectivè repugnans rationi, vel quod legis prohibitio etiam ut objectum immediate comprehendat, v. g. ſiquis ebrius, aut dormiens fornicetur, licet illa actio defectu libertatis excuſetur à malitia formali; non tamen liberatur à malitia objectiva fornicationis propria: quia ſemper talis actio objectivè accepta importat conceptum repugnantem rationi, ſalvantúrque in ea propria prædicata, & conceptus fornicationis, ſcilicet acceſſus ad non ſuam. Si vero quis in extrema neceſſitate furetur, non ſolum talis actio liberatur à malitia formali furti, ſed etiam ab objectiva: quia prout in ea neceſſitate exercita nihil habet repugnans rationi, etiam per modum objecti, neque ſalvantur in ea prædicata, & conceptus furti, nempe quod ſit acceptio rei alienæ invito Domino rationabiliter: cum in extremis omnia ſint communia. ¶ Nota etiam delectationem, de qua quærimus, ferri poſſe vel ad opus, aut omiſſionem, quæ ex cauſa à malitia excuſantur, vel ad ipſam cauſam, quæ tale opus aut omiſſionem cauſando à malitia excuſat. *Aliter diſtinguendum.*

Hoc ſuppoſito ſit noſtra concluſio, & diſtinctio. De illis operibus vel omiſſionibus, 34 *Concluſio.* quæ dum à malitia formali per aliquam ex prædictis cauſis excuſantur (de ipſis cauſis poſtea dicemus) conſervant adhuc malitiam objectivam, & ſecundum eum conceptum memoriæ offeruntur, non eſt licitum delectari etiam ob quemcunque finem; ſed erit peccatum mortale, quoties prædicta opera, vel omiſſiones aliàs ſub mortali prohibentur, ſive jure tantùm poſitivo, ſive etiam naturali. De illis verò, quæ per prædictas cauſas ita variantur, & ſtatum mutant, ut non ſolùm liberentur à malitia formali, ſed etiam exuant malitiam objectivam, ſicque cogitationi præſentantur, licitè poſſumus delectari propter aliquem finem honeſtum: nec refert an aliàs jure naturali, vel poſitivo, ſub mortali, aut ſub veniali prohibeantur. Ratio videtur perſpicua: nam in iis, quæ primo modo ſe habent, delectatio terminatur ad aliquid malum objectivè: tale quippe eſt objectum, quod ipſi proponitur: & (ut ſupponimus) cum ſufficienti cognitione & libertate: ergo nulla ratione poteſt impediri, q[uo] minus inde malitiam deſumat. Patet conſequentia. Tum quia ſuppoſita malitia objecti, ex nullo alio capite poteſt impediri malitia actus, niſi ex defectu cognitio

cognitionis, vel libertatis. Tum etiam quia eo ipſo quod delectatio ad aliquid objective malum terminetur, voluntas conſentiens in illam liberè approbat objectum ſic malum, & quod appetitus ſenſitivus cum illo conformetur: ergo nequit non prædictus conſenſus à tali objecto, & delectatione vitiari. Unde in his verum habet illa regula, quam Paludanus, Sotus, Azor, & alii generaliter tradunt: *quoties cauſa excuſans factum exterius, nempe defectus conſenſus, non concurrit in delectatione, licèt factum à culpa liberum ſit, non erit libera delectatio.* Cæterum in aliis, quæ poſteriori modo ſe habent, non proponitur delectationi aliquid malum objectivè; ſed quid ab omni malitia liberum: ergo non eſt quo pacto talis delectatio, quantumvis liberè illud objectum reſpiciat, exinde malitiam contrahat. Quare in iſtis prædicta regula locum non habet: quia factum exterius non liberatur à culpa ſolùm defectu conſenſus, qui in delectatione non deficit, ſed etiam quia tollitur objectum, & in aliud mutatur: atque adeo quantuncunque conſenſus delectationi accedat, nequibit ex objecto illo vitiari.

Conſultò autem in prima parte concluſionis diximus, *& ſecundum eum conceptum memoriæ offeruntur*, &c. ſicut etiam in ſecunda addidimus *ſicque cogitationi præſentantur*, &c. Quia ſi opus à malitia formali excuſatum, poſtea cum delectatio de illo eſt ſumenda, non repræſentetur eodem in ſtatu, & cum eiſdem circunſtantiis, ſicut factum eſt; ſed vel in majori abſtractione, vel aliis circunſtantiis veſtitum, tunc ad diſcernendum an liceat, vel non liceat de eo delectari, non debemus attendere quem conceptum conſervaverit, cum exequutioni mandatum fuit, puta an cum malitia objectiva, vel ſine illa, ſed quem ſervet, dum poſtmodum in apprehenſione occurrit, delectationique objicitur.

35 Illatio. Ex prædicta autem ratione & aſſertione habemus primò, peccatum eſſe mortale delectari de qualibet fornicatione, ſeu copula cum non ſua habita in ſomno, amentia, aut ebrietate: ſicut fuit inceſtus Loth cum filiabus: vel quam ignorantia, aut error à malitia formali excuſaverit, ſicut fuit acceſſus Jacob ad Liam vel quam excuſaverit violentia, & oppreſſio: ut ſi mulier invita & renuens à viro non ſuo cognoſcatur: & ſimiliter de quovis furto, quod eædem cauſæ, & non alia rationabilior à prædicta malitia liberaverit: quia re vera tales actiones etiam ſic exercitæ ſemper conſervant malitiam objectivam, & prædicata fornicationis, vel furti, quæ objectivè rationi repugnant. At non erit mortale delectari de furto commiſſo in extrema neceſſitate, vel ex mandato Dei, quia jam ea actio non eſt propriè furtum, neque retinet malitiam ejus objectivam; ſicut etiam acceſſus ad quancunque mulierem, ſi ex ſpeciali mandato Dei fieret, non eſſet propriè fornicatio, neque proinde actio objective mala: Deus enim acceſſum illum præcipiens, conſtituebat eo ipſo mulierem illam uxorem propriam accedentis.

Geneſ. c. 19. Ibid c. 29.

Nec refert ſi objicias, quòd acceſſus ille Jacob ad Liam fuit actus bonus & meritorius, & eſſet etiam talis quicunque alius ſimilibus circunſtantiis aſſociaretur: ergo licitè poſſet de illo poſteà delectari. ¶ Reſpondetur enim poſſe quidem delectari de prædicto acceſſu, quà ratione fuit bonus & meritorius: hoc tamen non habuit, in quantum re ipſa fuit acceſſus ad Liam, quo pacto dicimus eſſe malum objectivè: ſed in quantum in exiſtimatione Jacob fuit acceſſus ad Rachelem, quæ erat uxor legitima. Putavit enim Jacob mulierem illam non eſſe Liam, ſed Rachelem, & ex hoc objecto invincibiliter exiſtimato, non vero ex illo, quòd phyſicè & re ipſa attingebat, accepit bonitatem illa actio: unde licuit poſtea gaudere de illa, habita comparatione ad objectum, quod in exiſtimatione fuit; non autem licuit habita comparatione ad illud, quod habuit in re.

Infertur etiam, peccatum eſſe mortale delectari de quovis homicidio facto à ſe vel ab 36 Illatio alia. alio, quod ſola ignorantia, error, vel inadvertentia à culpa excuſaverit: ut ſiquis putans invincibiliter percutere cervum, hominem occidat. Nam etiam talis actio conſervat malitiam objectivam, & conceptum homicidii, cum ſit occiſio hominis à non habente legitimam poteſtatem. Secus verò eſſet de occiſione facta in propriam defenſionem cum debito moderamine, &c. vel à judice ex præſcripto juris ſuſpendente malefactorem, vel à milite in bello juſto hoſtem cædente: quia in his caſibus illa occiſio non conſervat verum conceptum homicidii, neque retinet malitiam ejus objectivam, ſed potius eſt actio licita, & juſta, quam proinde licitum eſt quandocunque approbare, & de ea gaudere.

Difficultas. De homicidio vero commiſſo ab ebrio, dormiente, vel amente communiter damnatur ad mortale delectatio: quòd tale homicidium vere ſit malum objectivè, cum contineat damnum proximo illatum à non habente legitimam poteſtatem. Aliunde verò adeſt non levis ratio in oppoſitum: quia talis occiſio eo ipſo quòd non fiat per actionem rationalem & liberam, ſed per neceſſariam & naturalem, non videtur differre ab illa, quæ fieret à bruto, vel à fulmine, in quibus nulla eſt malitia objectiva, quia hujuſmodi cauſæ ſolùm concurrunt ut inſtrumenta auctoris naturæ ab ipſo ſpecialiter mota, adeòque ſolus ipſe naturæ auctor dicendus eſt cauſa principalis talis occiſionis. Nec refert quòd ibi adſit nocumentum proximi, quia tale nocumentum non eſt ipſa actio interfectiva, neque aliquid ſecundum ſe peccaminoſum, ſed effectus ſequutus ex prædicta actione, de quo licitum eſſe delectari dicemus §. ſequenti. In ipſa vero actione interfectiva, de qua modò loquimur, dum eſt actio purè naturalis, & non ſubjecta agenti libero, difficile videtur malitiam objectivam detegere. Unde non improbabiliter dici poſſet, quòd ſicut exiſtente honeſto & ſufficiente fine, poſſemus licitè delectari de morte Petri immiſſa à Deo per fulgur, ignem, vel aquam, &c. poſſemus etiam de immiſſa per ebrium, amentem, vel dormientem, niſi fortè prædicta occiſio fuiſſet illis voluntaria in cauſa, quia tunc non ſolùm objectivè, ſed & formaliter eſſet peccatum juxta ea, quæ diximus diſp. 5. dub. 6.

Sed

Digitized by Google

Sed ut teneamus cum communi ſententia, prædictam delectationem peccaminoſam eſſe, dici poteſt reperiri malitiam objectivam in illa occiſione, non præciſè per reſpectum ad damnum illatum, vel ad auctorem naturæ immittentem, ſed ad hominem, medio quo infertur. Quia licèt talis occiſio, prout hic & nunc fit, defectu uſûs rationis non ſit propriè actio humana, ſecundum ſe tamen erat capax, ut ratione regularetur ratione ſuppoſiti, in quo eſt, & ratione libertatis in potentia, quam libertatem non amittit: hoc autem ſufficit ut dicatur occiſio facta ab eo, cui eſt prohibita, & à non habente legitimam poteſtatem, atque adeo ut ſit mala objectivè. Et ſanè qui advertenter delectaretur de prædicta occiſione, non ſolum quia utcunque fuit facta, ſed quia fuit facta ab ipſo, quamvis dormiente, aut experte rationis, ſatis demonſtrat habere affectum inclinatum ad eandem occiſionem ut factibilem ab ipſo ſui compote: ſecluſo enim tali affectu, non ita apparet ratio, quæ inducere poſſit ad delectandum de prædicta occiſione formaliter quia ſic facta. ¶ De peccatis, quæ conſiſtunt in verbis, ut de mendacio, perjurio, blaſphemia, detractione, & ſimilibus ſine libertate & rationis uſu commiſſis, an, & quale peccatum ſit delectari, vel an talis delectatio à malitia excuſari valeat, facile erit colligere ex dictis ſupra diſp. 5. a num. 107. ubi explicuimus qualiter in eis ſit, vel non ſit malitia objectiva.

37 Sed quid dicendum de pollutione in ſomnis eveniente? De qua nonnulli apud Sanchez citato cap. 2. num. 18. negant licitam eſſe delectationem, etiam ob bonum finem: ipſe vero cum multis aliis licitam eſſe affirmat, exiſtente bono fine, ut propter ſanitatem, vel propter ſedandam carnis tentationem. Rationem vero, & diſcrimen inter prædictam pollutionem, & inter fornicationem, atque homicidium tradit ibidem. Quia talis pollutio vi naturali proveniens nullatenus eſt actus hominis, nec ejus voluntati ſubjectus; ſed actus quidam, & evacuatio naturalis, ſicut ſudor, in quo proinde nihil ſplendet repugnans rationi: at fornicatio, & homicidium non ſunt actus naturales, ſed ſuapte natura poſtulant fieri liberè, & ſubiici hominis voluntati; cui tamen omnino interdicuntur: & hoc ſufficit ut tales actus, quovis modo fiant, importent conceptum objectivè repugnantem rationi, proindéque malitiam objectivam. Unde delectatio de iſtis quovis modo factis ſemper eſt delectatio de re mala; ſecus vero de prædicta pollutione. Quam doctrinam merito citatus auctor extendit ad pollutionem evenientem in vigilia, ſi ita naturaliter accidat, atque ex eiſdem cauſis, ſicut in ſomnis. Imo ex quacunque cauſa accidat de genere illarum, quas homo vitare non debet, quaſque diſp. præced. n. 251. inter cauſas per accidens numeravimus; idem dicendum erit: nam eadem eſt ratio in iſtis omnibus, ut pollutio non ſit mala objectivè, ſed naturalis evacuatio. ¶ Quod ſi adhuc in ſomnis, aut in ebrietate, vel amentia pollutio eveniret ex aliqua cauſa luxurioſa, illarum ſcilicet, quas diſp. cit. num. 274. ſub cauſis per ſe gravibus comprehendimus, ut ex tactu proprio, vel alieno, non arbitramur licitum de ea pollutione delectari; quòd jam non eſſet evacuatio præciſè naturalis, ſed laſciva, & venerea, atque adeo mala objectivè ex ordine ad talem cauſam. Idem, propter eamdémque rationem dicendum putamus, quando prædicta cauſa eſſet aliquod turpe ſomnium, aut aliqua alia cogitatio turpis etiam non libera. Quamvis non cenſeamus improbabile quòd in utroque iſto exemplo poſſit aliter diſcurri, extrahendo illa à ratione cauſæ venereæ, quoties voluntati non ſubduntur.

Parùm vero intereſt, ubi pollutio vi naturali, atque ex ſola cauſa per accidens ſequuta eſt, an ſecum traxerit commotionem, & delectationem ſenſibilem, ut liceat poſtea, vel non liceat de ea complacere: quippe ea delectatio, & commotio naturaliter pollutionem ipſam concomitatur, nec dat ei malitiam objectivam, quam ſecundum ſe non includit. At non parum referet, ſi dum de præterita pollutione cogitatur, eáque placet, adſit in appetitu ſenſitivo delectatio venerea, nempe cum corporis, & ſpirituum generationi deſervientium commotione: quia hæc delectatio ſecundum ſe eſt mala objectivè, & ideo ſi ſit notabilis, & cum conſenſu, proculdubio erit peccatum mortale: ut rectè vidit Sanchez loco cit. num. 21. Quare dum admittimus, licitum eſſe delectari de pollutione eveniente ex ſupradictis cauſis, non intelligimus talem licentiam de hoc genere delectationis, ſed de alia immaterialiori, & quæ venerea non ſit juxta ea, quæ diſp. præced. num. 260. tetigimus.

Porro autem in omnibus caſibus ubi licitum eſt delectari de pollutione præterita, licebit etiam deſiderare futuram deſiderio quodam penitus inefficaci, & ſimplici nihil influente in rei exequutionem: qualis etiam eſſe debet delectatio, quam licere admiſimus. Si namque aliquis hujuſmodi affectuum haberet aliquem influxum in novam, præſentem, vel futuram pollutionem, vel in aliquam veneream delectationem, aut hujuſmodi influxus cordatè timeretur, eo ipſo talis affectus minimè liceret. Neque hanc licentiam deſiderandi inefficaciter eventum futurum, de quo que ut præterito licet gaudere, ad ſolam pollutionem reſtringimus, ſed generalis eſt pro omnibus objectis, & operibus, ut ea ratione liceat deſiderare futura inefficaciter, ſicut licet gaudere de præteritis. In quo omnes auctores conveniunt: eſt enim par ratio de utroque affectu, ut intuenti conſtabit.

Sed objicies: quia ſi licet liberè delectari de pollutione præterita eveniente modo explicato, & deſiderare futuram; licebit etiam delectari de illa, cum præſens eſt, evenitque eodem modo: nihil enim majoris, vel minoris malitiæ objectivæ in prædicta pollutione clauditur per hoc quòd ſit præſens, futura, aut præterita: licebit ergo in eandem quovis modo acceptam conſentire: quippè in qualibet delectatione, aut deſiderio libero importatur voluntatis conſenſus. At hæc doctrina non videtur admittenda: quia dum auctores tractantes hanc materiam, excuſant à mortali cauſas *per accidens* pollutionis, & ipſam pollutionem in eis prævisam, communiter addunt *niſi adſit periculum conſentiendi in talem pollutionem*: hujuſmodi vero periculum 38

Digitized by Google

rariſſime & non niſi ex cauſa urgentiſſima à mortali liberant, ut vidimus diſp. præced. num. 191. & 148. Sentiunt igitur eſſe mortale conſentire in prædictam pollutionem: unde ergo à tanta culpa excuſari poteſt delectatio libera, & cum conſenſu de prædicta pollutione ſive præſenti, ſive præterita; aut deſiderium liberum de futura?

Objectio alia. Secundò objicies: quia ſi licet complacere de prædicta pollutione, vel eam deſiderare propter finem honeſtum, ut propter ſanitatem, &c. deſiderare illam abſque tali fine ob delectationem tantùm cum ipſa pollutione evenientem, non erit culpa mortalis, ſed venialis dumtaxat: ſed hoc etiam negare videntur communiter auctores, dum prædictum deſiderium aliter admiſſum, quàm propter honeſtum finem (ſicut etiam ſimilem complacentiam) durè reprehendunt: neque aliquem vidimus cognoſcentem ibi ſolam culpam venialem: ergo, &c. Major probatur: nam talis pollutio, ut ſupponimus, non eſt per ſe mala objectivè, aliàs ob nullum finem poſſet licitè appeti: ſed tota malitia ibi reperta conſiſtit in carentia finis debiti, ſeu in hoc, quod cum omnis actus à ratione deliberata procedens poſtulet terminari ad finem conſonum rationi, qui eſt bonum honeſtum, deſiderium prædictæ pollutionis in ipſa delectatione ſi ſit ſine ordine ad finem honeſtum: hoc autem quod eſt carere tali fine, & ſiſtere in delectatione, ſi non ſit alia inordinatio, non excedit limites venialis: ut patet in actibus otioſis, qui idcirco culpam venialem non ſuperant, quia tota eorum malitia ſita eſt penes carentiam prædicti finis. ¶ Eò præſertim quia ut docet D. Thom. ſupra quæſt. 34. delectatio ex ſe ipſa neque eſt bona, neque eſt mala moraliter, ſed in utroque conformatur operationi, ad quam conſequitur: & ideo ſi ſequatur operationem bonam, erit bona; ſi vero malam, erit mala: cum igitur pollutio, de qua loquimur, non ſit mala objectivè, neque etiam delectatio ejus ſequela & comes malitiam objectivam habebit. Non ergo deſiderium, aut complacentia ſiſtens in hac delectatione aliunde habere poterit malitiam, quàm ex carentia ulterioris finis honeſti, atque adeo nec majorem, quàm venialem.

39 Solvitur prima objectio. Utraque hæc objectio etſi levis videatur, aliquando judicium noſtrum ſuſpendit: ne vel nimio timore negaremus quod legitimè concludunt, vel in hac materia habenas laxare videremur. Poſt rem vero cum gravibus & doctis viris conſultam, ad primam admittendum duximus antecedens primi enthymematis, & etiam ejus conſequens intellectum, ut debet, de conſenſu omnino inefficaci, qui in rei exequutionem nihil influat; hujuſmodi enim conſenſus & non major clauditur neceſſario in deſiderio, vel delectatione liberis, quæ de prædicta pollutione ſive præterita, vel futura, ſive præſenti licere admittimus. Sic autem intellectum prædictum enthymema negare neſcimus. Quare ad minorem ſubſumptam reſpondetur, auctores de hac re loquentes propterea damnare ad mortale applicationem cujuſlibet cauſæ pollutionis, præviſo periculo conſentiendi in ipſam pollutionem, quia quando hæc vel eſt præſens, vel in proximo timetur, rarò talis conſenſus eſt adeo inefficax, ut nullum in eam præſtet influxum: materia enim admodum diſpoſita, facillimè quilibet affectus cum conſenſu circa illam influit per ſe, & coadjuvat, ut pollutio vel citius, vel copioſius effundatur. Ratione ergo iſtius influxus, vel ejus periculi, quod rarò aberit, & ſemper timeri debet, quaſi à communiter contingentibus damnant Theologi prædictum conſenſum.

Accedit, quòd ſi dum quis applicat cauſam *per accidens* pollutionis, ſimul conſenſum in eam eliciat, merito timendum erit, ne talis conſenſus utcunque ſaltem in prædicta applicatione concurrat, eamve ex aliqua parte dirigat: quo fieret, ut talis cauſa a ſtatu cauſæ per accidens, quem ex ſe habebat, tranſiret in cauſam *per ſe* ratione talis directionis, vel concurſus. Quantumcunque enim aliqua cauſa ſit per accidens, ſi tamen per aliquam expreſſam intentionem, volitionem, aut conſenſum pollutionis applicaretur, tranſiret in cauſam ejus per ſe: quia ratione talis intentionis, volitionis, vel conſenſus, & ut cadens ſub illis per ſe ad illam tenderet, eamque ſpectaret. Applicatio autem cauſæ per ſe, dum liberè fit, non excuſatur à mortali. Quod totum animadvertentes Theologi, & quàm ſit lapſus facilis in his materiis, meritò omnem conſenſum circa præſentem, vel præviſam pollutionem avertere curarunt, & ſub mortali prohibuerunt, à frequenter vel communiter contingentibus, ut diximus. Nequaquam tamen per hoc ſub eadem culpa damnare intendunt conſenſum penitus inefficacem à prædictis omnibus liberum, & qui in ſola (ut ita dicamus) ſpeculativa approbatione ſive præſentis, ſive futuræ pollutionis ſiſtat.

Ex quo ad ſecundum objectionem dici poteſt complacentiam, aut deſiderium de pollutione naturaliter eveniente, non appoſito honeſto fine, ſed propter ſolam delectationem in ea repertam, idcirco non excuſari à mortali juxta communem Theologorum loquutionem, quia rarò vel nunquam liberabitur ab omni influxu vel in novam aut præſentem pollutionem, vel ſaltem in aliquam veneream & libidinoſam carnis commotionem quæ ſe habet ut inchoata pollutio. Dum enim prædicta complacentia, aut deſiderium per aliquem rationalem & honeſtum finem non elevatur, & veluti purificatur à materialitate illius delectationis, ſed in ea figitur, & ad eam deprimitur, magnam inde vim ſumit ad carnem & libidinem commovendam, meritòque inter cauſas *per ſe* pollutionis, vel venereæ delectationis computatur, & ut talis ad mortale damnatur, licèt non propter malitiam objecti, bene tamen propter malum effectum. Quare ſi à complacentia illa & deſiderio de pollutione naturali habitis ſine honeſto fine, omnis influxus in effectum, quem diximus, & omne ejus periculum tolleretur, probabile nobis eſt non excedere culpam venialem. Verùm cum hoc ſit admodum difficile, jure Theologi acriter reprehendunt prædictum deſiderium, & complacentiam, neque hujuſmodi exceptionis à culpa mortali meminêre. 40 Solvitur ſecunda.

Secundò reſpondetur, multoties incurri culpam mortalem ex eo ſolùm quòd affectus ſiſtat in delectatione alicujus objecti, quamvis de objecto ipſo propter honeſtum finem eſſet licitum

Digitized by Google

licitum delectari. Ut patet, ſi judex aliquem malefactorem juſta morte, vel flagellis punire deſideret abſque alio fine principaliori, niſi ut in ipſis vulneribus delectetur: ſanè hic affectus ſævitiæ eſſet mortalis contrarius virtuti clementiæ: quamvis delectari de eadem punitione propter honeſtum finem juſtitiæ nihil mali contineat. Similiter qui delectaretur de morte proximi abſque alio honeſto fine, mortaliter delinqueret; de qua tamen delectari propter finem honeſtum poteſt eſſe abſque peccato, ut dicemus §. ſequenti. Similiter ergo quamvis complacere de pollutione naturaliter eveniente propter finem honeſtum nullum ſit peccatum, poterit eſſe mortale complacere de illa, vel eam deſiderare, præciſe propter delectationem in ipſa repertam. Eſtque ubique ratio non diſſimilis. Nam ſicut delectari in vulneribus ſine alio fine oſtendit animum ſævum & crudelem, & delectari de morte proximi etiam ſine alio fine demonſtrat affectum inimicum, & exoſum erga illum, nihilque aliud eſt delectari de prædictis ſine alio fine, quàm hujuſmodi affectum & animum approbare, quod ſine culpa mortali fieri nequit: ita deſiderare pollutionem quantumvis naturalem, vel complacere de illa præciſè ob delectationem in ea repertam, teſtatur animum mollem, & ad venerea propenſum, ex qua propenſione ortum habet, ut prædicta delectatio propter ſe ipſam illi placeat, placerétque alia venerea & luxurioſa: approbare autem animum ita mollem, & ad luxum propenſum nequit excuſari à mortali. Per quod patet ad primam probationem contentam in objectione de actibus otioſis, quia in noſtro caſu non eſt ſola carentia honeſti finis, & conſiſtentia in objecto indifferenti, ſed eſt approbatio pravi & inordinati affectus, ex quo oritur, quòd delectatio reperta in prædicta pollutione placeat propter ſe ipſam, & ſine alio fine juxta doctrinam hujus ſecundæ ſolutionis: vel juxta primam eſt complacentia poſitivè inordinata, quamvis non ratione objecti, bene tamen ratione effectus.

41 Quid de prohibitis jure poſitivo? Hactenus diximus de delectatione aliquorum, quæ prohibentur jure naturali: dicamus jam de aliis jure tantùm poſitivo prohibitis. De quibus ſine formali malitia factis non ſemper licitum eſſe delectari oſtendit peccatum Jonathæ 1. Reg. 14. qui quidem non peccavit de melle comedendo contra præceptum Regis: nam tale præceptum ignorabat, ut ex textu conſtat: ſed quia poſtmodum agnito præcepto factum ſuum approbabit, gavisus comediſſe: ut rectè obſervavit eo loco Cajetanus his verbis. *Jonathas fuit quidem innocens ſumendo mel inſcius paterna maledictionis, ſed peccavit audito mandato regio, probando factum propria comeſtionis*, &c. Pro iis ergo jure poſitivo prohibitis attendenda eſt regula & diſtinctio tradita num. 33. videndúmque, an cauſa excuſans à malitia formali relinquat ea in ſtatu malitiæ objectivæ, vel hanc etiam auferat. Et in primo caſu erit peccatum delectari de illis, vel ea deſiderare, mortale, vel veniale juxta gradum prohibitionis. In ſecundo vero non ita, niſi fortè propter carentiam finis honeſti.

1. Reg. 14.

Caiet.

Ex quo deduces, peccatum mortale eſſe ſi quis delectetur, quòd omiſerit Sacrum in die feſto, vel quòd tali die laboraverit, vel quia jejunium debitum fregit, aut cibum vetitum guſtavit, aliúdve opus, ad quod ſub gravi obligatione tenebatur, omiſit: quando cauſa excuſans hæc à malitia formali fuit ignorantia, error, oblivio, ſomnus, aut ebrietas. Nam cùm hujuſmodi cauſæ non tollant obligationem, ſed ſolùm excuſent à culpa propter voluntarii defectum, ſemper tales omiſſiones, vel opera perſeverant contenta ſub prohibitione; atque adeo mala objectivè. At ſi cauſa excuſans fuiſſet infirmitas, vel aliquod privilegium, vel migratio in aliud territorium, ubi ſimile feſtum, jejunium, aut abſtinentia non obſervantur, ea delectatio, exiſtente bono fine, non eſſet peccaminoſa: quia hujuſcemodi cauſæ non utcumque excuſant, ſed tollendo obligationem, qua ſublata, nulla remanet in prædictis omiſſionibus, vel operibus malitia, objectiva, cum jam non remaneat obligatio ad oppoſita, cui adverſentur. Idémque eſt ſi excuſaviſſet prædicta opera, ſeu omiſſiones cauſa aliqua rationabilior: ut ſi quis omitteret ſacrum propter juvandum infirmum periclitantem, cui nullus alter ſubvenit: vel ſi neceſſitate oppreſſus ad levandam paupertatem diebus feſtivis laboraret, & ſic de aliis ſimilibus. Adduximus autem tam pro iis, quæ jus poſitivum, quàm pro illis, quæ naturale prohibet, communiora exempla, & quæ citius difficultatem offerunt, ut per hæc alia, quæ poterunt occurrere, examinentur. In omnibus autem, de quibus peccatum fuerit delectari, eo quòd conſervant objectivam malitiam, æquale ſaltem peccatum erit ſcienter ea præcipere, vel conſulere aliis, quibus prohibentur, & ideo ſolùm ratione erroris, vel ignorantiæ ab eis fient ſine malitia formali, retentóque eodem conceptu malitiæ objectivæ: nam militat eadem ratio, ut intuenti conſtabit. ¶ Diximus *retento eodem conceptu malitia objectiva*, &c. quia contingere poteſt, ut opus quod ab uno factum retinet ſaltem hanc malitiam, factum ab alio nullam conſervet, eò quod illi interdicitur; iſti vero non: ſicut eſus carnium prohibetur ſano, & non infirmo. Tunc autem licèt primus non poſſit delectari de tali opere ut à ſe facto; poteſt tamen ſecundo conſulere, & gaudere, quòd ab eo fiat.

Supereſt dicamus de delectatione terminata non ad opus, vel omiſſionem excuſata à malitia, ſed ad cauſam, quæ illa excuſat. Cujus ſane cauſæ duplex eſt effectus: alter ipſum opus, vel omiſſio, quæ re vera non fierent, ſi talis cauſa abeſſet: ſicut excluſo errore, Jacob non accederet ad Liam, neque Loth ad filias ſecluſa ebrietate. Alter ipſa excuſatio à malitia formali, vel etiam objectiva: nam ſi opus independenter ab ea cauſa fieret, non ita excuſaretur, atque adeo tam opus, quàm excuſatio in eandem cauſam reducuntur. Poteſt ergo delectatio terminari ad illam vel præciſè ſecundum ſe, & abſtractè, ſeu in eſſe rei ſumptam: ut ſi quis gaudeat, quia ignoravit, quia dormivit, &c. nullo habito reſpectu etiam implicitè ad effectum inde ſequutum, v.g. ad fornicationem, vel ad ſacri omiſſionem: vel poteſt terminari ad eam propter ipſum effectum, ſeu ut illius inductivam: ut ſi gaudeat quia dormivit, vel quia ignoravit, quando & ubi ſciebat, vel ſcire debebat ſequendum ibi talem 42 Quid ſi delectatio terminetur ad cauſam?

Digitized by Google

talem effectum, aut volendo expreſsè ipſummet effectum ſimul cum cauſa. Igitur ubi delectatio terminatur ad cauſam primo modo, judicandum erit de illa independenter à malitia effectus, attendendo dumtaxat quæ res ſit ipſa cauſa, bona, vel mala, &c. taliſque erit delectatio.

Ubi autem delectatio eſt de cauſa propter effectum illum ſecundo loco poſitum, qui eſt excuſare à malitia; ſemper licet de ea gaudere. Quia talis delectatio non oritur ex propenſione affectus in aliquid malum, ſed potius ex odio & repugnantia ad malitiam: gaudet enim qui ita delectatur, non quia opus pravum ab eo factum ſit, etiam cum ſit factum ſine malitia; ſed quia ex ſuppoſitione quod faciendum erat, vel quod factum ſit, expers fuerit malitiæ. Hac ratione contingit ſæpe, ut vir timoratus, qui inter dormiendum turpe aliquid cogitabat, in idque appetitus ſenſitivus ferebatur, de quo adhuc tunc propter inſitum puritatis amorem quaſi de peccato à ſe admiſſo fortè dolebat, cum poſtea evigilat, gaudet: non quia id cogitaverit, aut appetierit etiam dormiens, ſed quia ſecundum veritatem totum hoc ſine culpa tranſierit ratione ſomni libertatem auferentis.

Longe vero aliter dicendum eſt, ubi delectatio ſumeretur de cauſa reſpectivè ad illum alterum effectum, qui eſt ipſum opus, vel omiſſio excuſata à malitia. Nam ſi cauſa delectet expreſsè & formaliter propter talem effectum, hæc delectatio cum oriatur ex affectu ad ipſum effectum, debet cum illo adæquari, & ejus malitiam ſequi. Quod ſine controverſia verum eſt, quando effectus ex vi cauſæ ſolùm impeditur à malitia formali, conſervata objectiva. Quis enim à culpa mortali excuſet, ſi quis gaudeat, quod ignoraverit, ut ignorans occideret? vel quod non audierit ſonitum cymbali, ut non audiens omiſerit ſacrum in die feſto? Quando autem effectus etiam objectivam malitiam propter cauſam exuit, non ſtatim delectatio a malitia excuſanda erit, ſed attendendum ex quo affectu ortum habeat: an ſcilicet ex inclinatione appetitus ad talem effectum, ut eſſet ſecundum ſe, & ante excuſationem, & tunc quoque damnanda eſt: an vero ex inclinatione ad illum præcisè ut talem excuſationem ſequitur? & tunc frequentius culpa vacabit, præſertim ubi effectus non eſt de numero illorum, qui ſecundum ſe prohibentur jure naturali. Si autem eadem cauſa delectet non expreſsè propter effectum, ſed ratione ſui, ut veſtita tamen circunſtantiis, quæ effectum inducent, videndum ſe eſt an lex prohibens ſimilem obliget quoque ad vitandam propter illum talem cauſam: tuncque delectatio erit illicita: an verò ad id non obliget, & tunc quantum eſt ex iſto capite licebit. Plura hic implicita relinquimus, ne prolixius detineamur: quæ tamen ex regulis, & doctrina traditis quiſque facile explanabit.

§. III.

Tertius caſus abſolvitur.

43 IN tertio caſu quæſivimus, num ſit licitum delectari de damno proximi: ut de morte paſſive ſumpta (active enim accepta eſt ipſa actio occiſiva, de qua dictum eſt in præcedentibus) vel de ejus reprobatione, aut damnatione propter aliquem bonum finem? Quod enim propter ſe abſque alio fine non liceat, eſt per ſe notum: nam talis delectatio oriretur proculdubio ex odio ad illam perſonam, & ex animo erga illam exoſo & inimico: eſſetque proinde peccatum odii contrarium charitati: unde ſi malum, de quo ſumeretur delectatio, eſſet grave, ſicut mors, aut gravis infirmitas, notabilis læſio famæ, vel honoris, &c. eſſet peccatum mortale: ſi autem leve & modicum, ratione parvitatis materiæ eſſet tantùm veniale. Deinde etiam eſt conſpicuum licitum eſſe delectari de effectibus bonis, qui ex prædicto damno ſequerentur, ſaltem ſumptis ſecundum ſe, & in eſſe rei juxta dicta num. 30. ut de libertate Reipublicæ proveniente ex morte tyranni, de innocentis liberatione orta ex eo quod falſus teſtis ſuæ falſitatis convinceretur. Si namque de hujuſmodi effectibus licitum eſt delectari, etiam quando ex aliquo peccato ſequuntur, ut dicebamus num. cit. à fortiori id licebit, quando ſequuntur de damno illo, & nocumento, quod ſecundum ſe peccatum non eſt, & poteſt etiam ſine illo inferri. Quare ſolùm poteſt dubitari, an de ipſo damno & nocumento proximi licitum ſit delectari propter bonum finem, & effectum inde ſequutum: ita quidem ut delectatio non tantùm finem & effectum, ſed etiam ipſum nocumentum verè attingat, ſitque hoc ratio illius terminativa, quamvis non motiva.

Et quia prædictum nocumentum poteſt eſſe duplex: vel temporale, ſicut mors corporis, divitiarum honoris, famæve jactura, &c. vel ſpirituale, ſicut amiſſio gratiæ, reprobatio, damnatio, &c. Quoad primum dicimus licitum eſſe delectari de illo ob finem ſufficienter bonum, & honeſtum: atque ita cenſent communiter Theologi. Eſtque ſatis efficax ad intentum locus Ioan. cap. 11. ubi Chriſtus Dominus gaviſus fuit de morte Lazari propter diſcipulorum fidem. *Lazarus* (inquit) *mortuus eſt, & gaudeo propter vos, ut credatis,* &c. Idem docet Divus Gregorius lib. 22. moral. c. 11. cujus verba adducit D. Th. 2. 2. quæſtione 36. art. 2. ibi: *Evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa charitate & inimici nos ruina lætificet, & rurſum eius gloria ſine invidiæ culpa contriſtet: cum & ruente eo, quoſdam bene erigi credimus; & proficiente illo, pleroſque iniuſtè opprimi formidamus,* &c. Ratio etiam eſt perſpicua: nam cum nocumentum temporale non ſit adhuc materialiter, & objectivè peccatum, ſed quid à Deo diſpoſitum, poſſitque afferre convenientiam, & utilitatem ad majus bonum, quàm ſit tale nocumentum, ſeu quàm ſit bonum, quod per nocumentum impeditur, vel privatur, non eſt cur delectatio propter prædictum majus bonum inde ſumpta, aut ex objecto vitietur, aut pravum aliquem affectum oſtendat, ſed potius demonſtrat affectum in majus bonum.

Licitum eſt delectari de nocumento corporali.

Ioan. c. 11.

D. Gregor.

Solùm poteſt inquiri, quanta debeat eſſe bonitas prædicti finis, ut eam delectationem honeſtet? Non enim quælibet ad id ſufficiet: nam ſi filius abſolùtè & ſimpliciter delectetur de morte patris præcisè, quia in hæreditatem ſucceſſit,

Satisfit interrogationi.

Digitized by Google

ſucceſſit, non omnino à malitia excuſabitur: quoniam talis delectatio oſtendit pluris haberi à filio hæreditatem perceptam, quàm vitam patris. Oportet ergo ut finis juxta prudentis æſtimationem plus afferat de ratione boni, quam nocumentum de ratione mali, ſeu quam ſit bonum illud, quod per nocumentum tollitur, vel impeditur. Unde licitum erit delectari de morte tyranni, imo & cujuſlibet particularis perſonæ, quando ſine illa ſalus, libertas, aut pax communitatis haberi nequit. Et à fortiori licebit delectari de quolibet temporali damno propter ſalutem animæ propriam, vel alienam, quæ ex tali damno reſultet. Imo de malo negativè æterno, qualis eſt annihilatio alicujus reprobi, poſſemus licitè delectari, ut ita ſaltem æternum poſitivum malum damnationis effugeret: ſicut poſſemus delectari, quod talis homo non fuiſſet genitus, cum
Matth. 26. melius eſſet ei ſi natus non fuiſſet. At non licebit filio, ut dicebamus, abſolutè & ſimpliciter gaudere de morte parentum, ut ſuccedat in hæreditatem: neque uxori de morte viri, ut alteri nubat, vel ut ſine eius conſortio commodius temporalem vitam tranſigat: & ſic de aliis ſimilibus.

44 Animadverſio. Diximus *abſolutè & ſimpliciter*: nam duplex eſt delectatio: alia, quæ oritur ex eo, quod appetitus affectu perfecto & abſoluto, ac quantum eſt ex ſe efficaci inclinatur in rem, quæ delectat, adeo ut ſi licitè poſſet, ad eius exequutionem tenderet: qui ſanè affectus tunc adeſt in appetitu, quando talis res attentis omnibus pluris habetur, magiſque appretiatur, quàm eius oppoſitum. Alia vero, quæ oritur ex affectu quodam imperfecto, & etiam quantum eſt ex ſe ineſſicaci, & ſecundum quid: quia licet appetitus attenta hac vel illa ratione inclinetur ad obiectum, de quo delectatio ſumenda eſt, abſolutè tamen omnibus inſpectis potius illud averſatur: & ideo quamvis licitè poſſet, nequaquam ad eius exequutionem concurreret. Quoniam licet ex hoc, vel ex illo capite prædictum obiectum in appetentis æſtimatione præferatur oppoſito, vel alicui rationi in eo repertæ: attamen abſolutè, & attentis omnibus illi poſthabetur. Ex hac duplici delectatione illa prior eſt talis abſolutè & ſimpliciter propter ſimilem affectum, cui innititur: & de ea tantùm loquuti ſumus, cum diximus requiri ad hoc, ut licita ſit, præſtantiorem finem, quàm ſit illud bonum, quod per nocumentum, de quo capitur, tollitur, vel impeditur. Poſterior vero tantùm eſt delectatio ſecundum quid, & valde imperfecta, ad quam honeſtandam non exigitur tanta bonitas in prædicto fine. Et ita hoc poſteriori modo non erit illicitum, quod filius de morte patris delectetur, ut hæreditatem adeat, ſubditus de morte prælati, ut dignior ſuccedat, uxor de morte viri, à quo vexabatur, ut meliori nubat.

Nocumenta ſpiritualia. Veniamus ad nocumenta ſpiritualia. Circa quæ maximè cavere oportet, ne vel delectatio terminetur ad aliquid objectivè malum: vel ortum habeat ex aliquo affectu pravo erga perſonam. Facilius namque utrumque, vel alterum vitium incurret, qui in hujuſmodi nocumentis abſque magna circumſpectione delectationem ſumeret, quàm in ſolis temporalibus. Prædicta autem nocumenta ad hæc reduci poterunt: reprobationem ab æterno factam, damnationem in tempore, gratiæ amiſſionem, denegationem auxiliorum Dei, & peccati permiſſionem. Porro unumquodque ex iſtis poteſt diverſimodè accipi. Nam reprobatio poteſt ſumi, vel pro illa, quâ Deus adhuc ante prævisa demerita reprobos à regno excluſit, eiſque beneficium æternæ prædeſtinationis denegavit: quo pacto ſolùm habet rationem negationis beneficii indebiti juxta ea, quæ in tract. de prædeſtinat. diſput. 8. diximus. Vel pro deſtinatione ad pœnam æternam, quàm Deus, poſt prævisa reproborum peccata, & eorum impœnitentiam finalem, unicuique taxavit: qua ratione eſt actus juſtitiæ punitivæ. Similiter damnatio poteſt ſumi, vel pro ſtatu ipſius reprobi, in quo, & ratione cujus per mortem æternis ſuppliciis traditur: qui quidem ſtatus claudit in ſe finalem impœnitentiam & obſtinationem in malo, proindeque neceſſario eſt aliquid malum objectivè: vel pro ipſa traditione juſtitia Dei facta, quæ eſt bona & honeſta. Poteſtque hæc comparari, vel ad perſonam reprobi ſecundum ſe, vel ad prædictum ſtatum, ſeu ad perſonam reduplicativè ut ſtatui illi ſubjectam. Amiſſio quoque, ſeu privatio gratiæ & dicit averſionem a Deo voluntariam peccatori, ſecundum quam rationem conſtituit peccatum ejus habituale, ut dicemus in hoc tract. eſtque proinde mala objectivè: & dicit deſtitutionem maximæ cujuſdam perfectionis, quàm Deus à peccatore propter peccata aufert: ſicque eſt pœna, & bona objectivè. Quæ etiam poteſt conferri, vel cum perſona, cui infligitur ſecundum ſe, vel cum peccato, propter quod infligitur, adeóque cum ipſa perſona ut affecta tali peccato. Denegatio auxiliorum, quibus a peccato reſurgendum eſt, & poteſt eſſe pœna ejuſdem, vel alterius peccati, & negatio beneficii indebiti: hoc ſecundo modo reducitur ad reprobationem ante prævisa demerita, primo vero ad reprobationem poſt illa prævisa. At denegatio auxiliorum, quibus cavendum peccatum, ſpectat ad ejus permiſſionem. Hæc autem poteſt etiam conſiderari, vel prout ex Dei miſericordia ordinatur ad majus bonum peccatoris, ſicut in prædeſtinatis: vel ut eſt reprobationis effectus, ut accidit reprobis.

His ſuppoſitis, perſpicuum eſt nemini licitum eſſe delectari quovis modo de alicujus 45 Quid de æterna damnatione.
damnatione, ut dicit ſtatum obſtinationis, & finalis impœnitentiæ, neque de privatione gratiæ, ut dicit averſionem à Deo, quia hæc, ut diximus, intrinſecè ſunt mala objectivè. Deinde ſi loquamur de delectatione abſoluta & ſimpliciter tali, de nullo ex enumeratis nocumentis in perſona viatoris delectari licet, præter quam de illa peccati permiſſione, quæ ex Dei miſericordia ordinatur ad majus bonum ejuſdem, qui peccat. Ratio eſt: quia ex lege charitatis tenetur unuſquiſque velle ſuo proximo quantumvis depravato, dum tamen in via eſt, bonum ſimpliciter, quod eſt æterna beatitudo: adeo ut ſi neceſſe ſit, propriam vitam temporalem pro ejuſmodi bono exponat: non ſtat autem cum hac abſoluta volitione delectari abſolutè & ſimpliciter de aliquo illorum, quibus talis beatitudo impeditur, ſicut ſunt cætera, quæ diximus, præter

Digitized by Google

prædictam permiſſionem, & quæ ad eam reducuntur. De ipſa vero permiſſione reſpectu alterius licitum erit abſolutè delectari, cum ipſa per ſe bona ſit, & inſpectis omnibus cedat in majus bonum illius. Diximus *reſpectu alterius:* quia reſpectu proprii peccati nemini licet, vel deſiderare permiſſionem, vel de ea gaudere, cum potius teneatur facere quantum poteſt ad ipſum peccatum impediendum, & ad dolendum de illo.

Quid de reprobatione poſt præviſa demerita?

Si autem loquamur de delectatione ſecundum quid, & inefficaci, licitum erit delectari de reprobatione cuiuſcumque facta poſt præviſa demerita, & finalem impœnitentiam, & de damnatione illa, quæ dicit exequutionem divinæ iuſtitiæ circa eandem impœnitentiam: imò & de ablatione gratiæ, auxiliorúmque negatione ut habente rationem pœnæ: quatenus hæc omnia referuntur ad ipſa peccata, vel ad perſonam ut illis infectam; ſecus vero ſi relatio fieret ad perſonam immediatè & ſecundum ſe. Quod eſt dicere licitum eſſe delectari in eo, quod Deus peccata, donec ſunt & non retractantur, puniat, puniátque peccatorem, donec ſubeſſe vult ipſis peccatis, etiamſi hoc ſit in perpetuum: at non eſſe licitum delectari, quod perſona peccatoris, vel independenter à peccatis ratione ſui puniatur, vel ei inſint peccata, ob quæ debeat puniri. Et ratio videtur perſpicua: nam in prima delectatione neque adeſt ex parte obiecti aliqua malitia, ſed potius boni actus divinæ iuſtitiæ: neque ex parte eius, qui delectatur, oſtenditur aliquis pravus affectus ad peccatoris perſonam, vel naturam, quam odio habere non licet; ſed ſolùm ad ipſa peccata, & ad voluntatis perverſionem, ſeu obſtinationem, quæ æquiſſimè odio proſequimur: in ſecunda vero oſtenditur prædictus pravus affectus ad perſonam ſecundum ſe, & non tantùm ad peccata: & ideo ſaltem ex hac parte eſt illicita talis delectatio.

Quid ante demerita præviſa?

De reprobatione autem ante præviſa demerita, & de denegatione auxiliorum, vel ad vitanda peccata, vel à lapſu reſurgendum, & etiam de permiſſione, quæ eſt effectus prædictæ reprobationis, prout hæc habent dumtaxat rationem negationis beneficii indebiti, non erit licitum delectari habito reſpectu ad particularem & determinatam perſonam: ut quod Deus prædicta beneficia negaverit Petro, quæ non negavit Ioanni: præſertim nulla præcedente ſuppoſitione. Quia ea delectatio ratione prædictæ determinationis oſtenderet animum inimicum & male affectum erga talem perſonam: cum non aliunde in hominibus oriri poſſit, quod qui ſe ita delectat, prædictam beneficii denegationem ad Petrum potius quàm ad alium ex poſſibilibus determinet. At licitum erit delectari, quod Deus aliquos vagè & in communi reprobaverit, ut in hoc maxima eius libertas, & circa prædeſtinatos liberalitas, ac miſericordia reluceat. Imo ſi præcedat ſuppoſitio, quod Deo placuit Petrum reprobare, licebit de hoc gaudere, præciſè quia ipſi placuit, & ſub reſpectu ad iſtam Dei complacentiam; non vero abſolutè, aut prævie ad talem ſuppoſitionem & reſpectum. Quod alii explicant dicendo licitum eſſe delectari in eo, quod placuerit voluntati divinæ reprobare, v. g. Petrum, ſi ipſa Dei complacentia objectivè præcedat noſtram delectationem, quaſi prius cogitemus Deo ſic placuiſſe, & deinde gaudeamus propterea ſolùm quod illi placuit. Secus tamen ſi noſtra voluntas præcedat optando ut Deo ſic placeat, & gaudens quod ita placuerit, ſicut homo optabat. Circa hæc tamen, & alia quæ in hoc tertio §. diximus, videri debent quæ docent Theologi in diſcuſſione illius difficultatis, utrum voluntas noſtra teneatur conformari divinæ in volito, aut ſaltem hoc ſit laudabile quod velit quicquid vult divina? De quo D. Thom. in 2. diſt. 48. quæſt. unica, art. 3. & 4. & q. 23. de verit, art. 7. & 8. necnon ſupra q. 19. art. 10. ibi Medina, Alvarez Monteſinos, & alii expoſitores rem examinant.

D. Thom. Medina. Monteſ. Alvarez.

§ IV.

Quartus, & quintus caſus deciditur.

46 QUartus caſus exemplificatur tum in vidua, quæ delectaretur de copula habita tempore conjugii: tum in ſponſa de futuro, quæ ante ratum matrimonium delectetur de copula futura poſt illud. Quamvis enim utraque actio pro tempore conjugii, quo exercita, vel exercenda eſt, & ſimiliter delectatio eodem tempore habita, vel habenda licita ſit; meritò tamen dubitatur, utrum nunc, quando tempus illud jam præteritum eſt, vel adhuc futurum, licitum ſit delectari de tali copula ut præterita, vel futura? Quod enim de prædicta copula cogitata ut præſenti eis delectari non liceat citra dubium eſt. Non eſt autem circa difficultatem propoſitam omnium eadem ſententia. Imò aliqui diverſimodè de uno, ac de alio exemplo loquuntur: alii utrumque parificant. Quidam diſtingunt inter delectationem, quæ eſt actus appetitus ſenſitivi, & illam, quæ eſt actus voluntatis, negantes de una quod de alia concedunt: quidam vero ſuperfluum judicant ad præſens eam diſtinctionem, putantes eandem rationem eſſe de utraque delectatione. Et quia res non magni momenti eſt, quod attinet ad primum exemplum, ſit concluſio.

Concluſio.

Non eſt peccatum ſaltem mortale, quod vidua ſibi complaceat de copula præterita, ſive illa complacentia ſit ſolius voluntatis, ſive etiam ſenſitivi appetitus: dummodo id non fiat cum motibus libidinoſis, & delectatione venerea. Diximus *ſaltem mortale:* quia ſi deſit finis honeſtus, ex hoc ſaltem defectu erit peccatum veniale; ſi vero adſit, erit actus bonus. Ita Cajetanus tom. 3. opuſcul. tract. 14. cap. 2. Sylveſter verbo *delectatio*, quæſt. 3. Navar. in ſum. c. 16. quos multi alii ſequuntur. Ratio autem quoad primam partem habetur ex doctrina à nobis tradita: quia objectum prædictæ complacentiæ non eſt aliquid mortaliter peccaminoſum, ſed potius exiſtente bono fine, licitum & honeſtum: talis quippe eſt copula maritalis pro tempore conjugii: neque aliunde apparet aliqua circumſtantia prava, per quam complacentia ad illud terminata vitiari poſſit: cum ergo omnis complacentia in bonitate, vel malitia conditionem objecti ſequatur, ut dub. 1. oſtendimus, non eſt quo pacto hæc, de qua loquimur, poſſit eſſe peccami

Caiet. Sylveſter. Navarr.

peccami

Digitized by Google

peccaminoſa ſaltem mortaliter. Et confirmatur: nam ſi quis dum erat judex licite latronem ſuſpendit, nemo dicet peccaturum mortaliter, ſi poſtquam judex eſſe deſinit, lætetur de tali ſuſpenſione propter finem & bonum juſtitiæ: ergo ſimiliter in noſtro caſu: eſt enim par ratio, ut intuenti conſtabit.

Secunda vero pars, nempe peccatum eſſe mortale complacere de prædicta copula per delectationem veneream, inſurgentibúſque motibus libidinoſis, qui hujuſmodi delectationem concomitantur, inde liquet: quia talis delectatio, & motus ſecundum ſe eſt peccatum mortale, niſi excuſetur per matrimonium: ut autem ſic excuſetur, debet eidem matrimonio coexiſtere, nec ſufficit ſi illud jam præteritum reſpiciat. Eò præſertim quia delectatio venerea ſecum afferens prædictos motus duo habet, nempe & reſpicere præteritam copulam, quatenus oritur ex ejus apprehenſione, & inducere, ac diſponere ad copulam, vel pollutionem de novo habendam; imo dicitur, quòd eſt jam inchoata pollutio: unde ſicut hæc, & copula de præſenti habenda reſpectu viduæ penitus eſſet illicita, ſic etiam prædicta delectatio illicita erit à circumſtantia illius effectus. Accedit quòd cum quis cogitans de copula præterita delectetur venereè, licèt ſpeculativè cogitet illam ut præteritam; practicè tamen cogitat ut præſentem, quia apprehendit eam ut ſibi conjunctam: ex qua conjunctione, & apprehenſione oritur talis delectatio. Quæ rationes non militant in alia complacentia de præterita copula, quam viduæ permiſimus immunem à libidinis commotione: quippe talis complacentia ſolùm habet reſpicere copulam maritalem ut præteritam & diſtantem, neque ex ſe ad aliquem effectum pravum diſponit, vel inducit.

Si autem dicas, non poſſe appetitum ſenſitivum delectari circa copulam quamcunque, niſi delectatione venerea, ac proinde vel hanc, vel nullam debemus ei permittere. ¶ Reſpondetur id falſum eſſe: quia ut diſp. præced. num. 260. tetigimus, dabilis eſt in eo alia delectatio magis immaterialis à libidine abſtracta, quæ licèt terminetur ad copulam præteritam; non tamen propter ſe; neque ut delectabilem, ſed præciſè ut utilem ad finem honeſtum altiorem, qualis eſt filiorum poſſeſſio. Fatemur autem, quòd ſi delectatio ſiſtat in ipſa copula, & ejus delectabilitate, raro vel nunquam erit immunis à libidine, & venere: ut de complacentia pollutionis naturaliter evenientis ſiſtente in ejus delectatione, diximus num. 40.

47 Circa ſecundum exemplum animadvertendum eſt, copulam futuram poſſe conſiderari dupliciter vel ſecundum *eſſe*, quod habebit in ſe ipſa tempore futuro: quod quidem *eſſe* de præſenti non habet: imo poſitive tale *eſſe* excluditur à præſentia, eo ipſo quòd apprehenditur copula ut futura: vel ut actu habet eſſe in ſuis cauſis, ex quarum determinatione modò de præſenti habet, quòd ſit futura, & determinationem ad eſſendum ipſo tempore futuro. Deinde nota delectationem neceſſario poſtulare objectum aliquo modo poſſeſſum: quia hæc eſt ejus natura, ut ſit quies appetitus in bono: appetitus autem non quieſcit ſine aliquali rei poſſeſſione. Unde quòd apprehenditur non ut præſens, ſed omnino ut futurum, ſicut per ipſam futuritionem excluditur omnino à ratione poſſeſſi ſecundum *eſſe*, quod habebit in ſe, excluditur ſimiliter à ratione delectantis ſecundum prædictum *eſſe*. At vero ſecundum determinationem, quam habet ad eſſendum ex vi cauſarum, per quam redditum eſt futurum, & ſecundum *eſſe*, quod habet in ipſis cauſis media tali determinatione, poteſt eſſe delectans: quia totum hoc eſt quid præſens, & poſſeſſum.

Concluſio alia.

His ſuppoſitis dicendum eſt, ſponſis ante matrimonium ratum licitum eſſe delectari de copula futura ſecundum *eſſe*, & determinationem, quæ habet in cauſis; non autem ſecundum *eſſe*, quod habebit in ſe à cauſis extracta. Itaque licet eis complacere de futuritione copulæ, ſeu quia copula erit, & quia res ſunt in tali ſtatu, & determinatione ut ſit futura: at non licet eis delectari ſumendo complacentiam immediatè ab ipſa copula, quæ in futuro erit, ſicut licebit inito matrimonio. Prima pars concluſionis eſt ſatis perſpicua, & ut credimus, à nemine negabitur. Nam copula poſt matrimonium ratum futura inter ſponſos eſt quid licitum nullam deformitatem includens; & aliàs ſecundum *eſſe*, quod habet in cauſis, ſeu ſecundum determinationem ad eſſendum, quam in eis ſortitur eſt aliquid præſens & poſſeſſum: poteſt ergo prout ſic ſufficienter terminare delectationem, ſine eo quod talis delectatio ex capite aliquo vitietur, præſertim exiſtente bono fine, ut ſupponimus. Imo deficiente hoc fine, ſiſtendóque in ſola delectatione futuritionis copulæ, vel in terminatione ad copulam, & ad delectationem cum ipſa tempore matrimonii habendas, non credimus ad futuram majorem malitiam, quam venialem. Niſi fortè dum de prædicta copula & delectatione futuris cogitatur, earúmque futuritio placet, adſit in appetitu ſenſitivo delectatio venerea, ſcilicet cum motibus libidinoſis: hæc namque voluntariè capta in ſolis actu conjugatis poteſt à mortali excuſari, ut jam diximus.

Probatur prima pars.

48 Probatur ſecunda.

Secundam partem aſſertionis pauci tuentur: fortè quia plures non diſtingunt, ut diſtinximus, inter delectationem de futuritione copulæ, & de ipſa copula, prout erit in ſe. Sed nobis valde efficaciter probatur: nam eo ipſo quòd prædicta copula delectet ſecundum *eſſe*, quod habitura eſt in ſe, non proponitur appetitui ut futura, ipſáque futuritione præſentiam, & poſſeſſionem excludens: quippe hoc modo propoſita nequaquam pariet ſui delectationem, ſed concupiſcentiam & deſiderium: ſi igitur delectat, ſignum eſt apprehendi ut præſentem, conjunctam, & indiſtantem; vel poſitivè includendo ipſam præſentiam; vel ſaltem negativè non illam excludendo, ſed cogitando ipſam copulam ſecundum ſe: in quo ipſo practicè repræſentatur ut conjuncta apprehendenti: atqui hoc modo cogitata eſt mala objective: non enim ut ſic refertur ad tempus futurum, in quo licebit, ſed magis ad præſens, vel ad nullum, quo pacto eſt illicita: igitur nequit talis delectatio à mortali excuſari.

Obiectio.

Nec refert ſi dicas, probari hac ratione (contra concluſionem præcedentem) nec

viduæ eſſe licitum delectari de copula præterita: quia ſi apprehenditur ut præterita, excluditur à ratione objecti delectantis, quod eſt ſolùm præſens: ſi autem non ut præterita, ſed vel ſecundum ſe, vel ut præſens, apprehenditur ut illicita. Diluitur. ¶ Reſpondetur enim apprehenſionem rei ut præteritæ non omnino extrahere illam à ratione objecti delectantis: quia quod ſemel præſens, & in poſſeſſione fuit, adhuc poſtquam phyſice præteriit, conſervat quodammodo denominationem poſſeſſi ex reſpectu ad præſentiam, quam habuit: hoc autem ſufficit, ut etiam apprehenſum ſub ratione præteriti delectare poſſit: quia objectum delectationis in tota ſua latitudine claudit quicquid habet aliquo modo rationem poſſeſſi: quieſcit enim appetitus, non ſolùm quia habet præſentem rem prius deſideratam, ſed etiam quia fuerit illi jam præſens. Cæterum futurum ſecundum *eſſe*, quod in ſe habebit, quia nunquam fuit ſub poſſeſſione, nequit ullo modo *poſſeſſum* denominari, etiam per habitudinem ad poſſeſſionem, ſub qua poſtea erit: atque adeo quandiu futuritio, & diſtantia ab ejus apprehenſione non excluditur, omnino eſt extra objectum delectationis: ſi autem excluditur, induit jam rationem illiciti.

49 Deciſio quinti caſus. Quintus caſus quærit de delectatione objecti abſolutè illiciti pro quovis tempore, apprehenſi tamen ſub conditione, qua eſſet licitum: ut ſi Monachus v. g. delectetur de copula, quam licitè haberet cum Maria caſu quo non eſſet Monachus, ſed ejus maritus, cogitata ea copula in illo ſtatu conditionali conjugii: ita quod delectatio abſolutè & de facto inſit, conjugium vero ſub conditione tantùm non purificanda. Et quidem conſenſum in eam copulam ſub prædicta conditione omnes liberant à peccato, & non pauci etiam actum ſimplicis deſiderii; licèt hoc poſterius aliqui negent (nec ſine fundamento) quoties deſiderium terminatur non ad conditionem ipſam (quæ aliunde poterit licitè, aliquando non niſi illicitè deſiderari) ſed ad rem poſitam ſub conditione: de quo poteſt videri Lorca in præſenti diſput. 28. poſt 3. memb. dub. 2. *Lorca. Caiet.* Cæterum de delectatione communiter hoc negatur. Rationem tradit Cajetanus opuſc. cit. cap. 1. ex diſparitate, quæ verſatur inter delectationem & conſenſum, quòd iſte ex natura ſua habet ut poſſit eſſe actus conditionalis, proindéque terminari ad objectum, etiam ſi neque ſit, neque eſſe apprehendatur, ſed quia eſſet, poſita hac vel illa conditione ſive purificabili, ſive impoſſibili: delectatio vero ex propria ratione eſt actus abſolutus, & ideo niſi in objecto abſolutè apprehendatur bonitas delectans, nequit ad illud terminari. Quocirca (ut bene inquit Lorca) qui in objecto, cui apponitur conditio, putat ſe delectari bonitate dependente ex conditione, fallitur re vera, quia non delectatur niſi ab eo, quod abſolutè ibi eſſe apprehenditur: & quia hoc in noſtro caſu eſt illicitum, nequit non vitiare delectationem.

50 Impugnatur ratio à Vaſq. & ex Sanch. Hanc tamen rationem & diſcrimen impugnat Vaſquez diſp. 114. cap. 2. & ex illo Sanchez citato cap. 2. num. 31. Quia ſicut delectatio ineſt de facto, & non ſuſpenditur uſque ad adimpletionem conditionis, ita conſenſus de facto adeſt voluntati, & non expectat conditionem adimpleri: non enim eſt ſermo de conſenſu, quem haberet voluntas purificata conditione, ſed de alio, per quem jam de facto afficitur ad objectum cogitatum, prout ſub conditione eſſet: ergo quantum ad hoc par eſt ratio de utroque actu: atque adeo eodem modo uterque dicendus eſt vel *abſolutus*, vel *conditionalis*.

Sed frivola eſt impugnatio, proceditque ex ſiniſtro intellectu rationis. Defenditur ab impugnatione. Non enim conſenſus ideo dicitur à Cajetano *conditionatus*, quia de facto non ſit, eſſet autem purificata conditione: ſed quia licèt de facto exiſtat in voluntate, adeóque ex hac parte poſſit dici *abſolutus*, attamen in termino quem reſpicit, non poſtulat, ut de facto detur, vel ſit poſſibilis exiſtentia adhuc ſecundum exiſtimationem conſentientis, ſed ſatis eſt ſi talis exiſtentia vel daretur, vel dari poſſet ſub aliqua conditione: de qua non curatur an ſit vel non ſit ponenda: & ideo licèt ſit abſolutus ex parte ſubjecti, eſt verè conditionatus ex parte objecti. Cæterum delectatio dicitur actus abſolutus utroque modo: quia eo ipſo quod exiſtat de facto, poſtulat ut de facto detur in objecto, vel dari exiſtimetur illa ratio, ad quam debet terminari. Eſſe vero hoc diſcrimen inter prædictos actus ſuadet uniuſcujuſque natura. Nam conſenſus, & diſſenſus, qui ſunt actus voluntatis, nihil aliud requirunt ex parte objecti, niſi approbationem, vel reprobationem judicii intellectus: & ideo quicquid de facto intellectus judicio ſuo approbaverit, vel reprobaverit, poteſt voluntas ferri in illud conſentiendo, aut diſſentiendo: conſtat autem intellectum poſſe approbare, aut reprobare non ſolùm ea, quæ de facto ſunt, vel erunt, vel eſſe exiſtimantur; ſed etiam quæ neque ſunt, neque erunt; eſſent tamen ſub hac vel illa conditione: ſicut de his omnibus poteſt de facto judicare. Conſequenter ergo voluntas poterit circa ea conſentire, aut diſſentire: quod nihil aliud eſt, quàm accommodare ſe judicio approbativo, vel reprobativo intellectus, & illud ſequi. Cæterum delectatio eſſentialiter eſt quies appetitus, & ideo in id ſolùm terminari poteſt de facto, quod habet de facto appetitum quietare: nihil autem quietat præciſe quia eſſet, ſed tantùm quia eſt, vel fuit: ergo illud duntaxat, quod apprehenditur abſolutè eſſe vel fuiſſe, poteſt delectationem terminare.

Accedit, quòd delectatio eo ipſo quod ſit quies appetitus, debet eſſe reſpectu rei poſſeſſæ: antecedenter enim ad poſſeſſionem, appetitus ſolùm cupit, & deſiderat, nequaquam vero quieſcit: eodem ergo modo adeſſe debet poſſeſſio vel præſentia rei, ſicut adeſt delectatio: ergo vel hæc non dabitur de facto in appetitu, vel ratio terminativa apprehendi debet ut abſolutè afficiens objectum. Et juxta hunc ſenſum rectè accipitur illa regula, quòd *conditionalis nihil ponit in eſſe*, adeóque conducit, ut appetitus delectetur de facto: quia cum delectatio eo modo quo eſt, poſtulet poſſeſſionem, vel exiſtentiam rei ſaltem negativè, ubi hæc de facto nullo modo apprehenditur quòd ſit, ſed ſolùm quòd eſſet, adimpleta conditione, nequaquam

Digitized by Google

quam ponet illam de facto ; ſed ſolùm poneret caſu quo conditio adimpleretur. ¶ Diximus *ſaltem negative* : quia licet delectatio perfecta poſtulet, ut præſentia objecti poſitivè ſit in cognitione : ad aliquam tamen imperfectam ſatis eſt, quod objectum apprehendatur abſolutè ſecundum ſe non excludendo poſitivè præſentiam per cognitionem : ſicut excluditur quoties apprehenditur, vel determinate ut futurum, vel ut exiſtens tantum ſub non exiſtente conditione.

51 Cõfirmatio. Confirmatur vis rationis propoſitæ. Nam ita ſe habet bonum apprehenſum ſub conditione non exiſtente ad delectandum, ſicut malum ſimili modo apprehenſum ad contriſtandum : ſed hoc nullam de facto parit triſtitiam : ergo neque illud delectationem. Major conſtat : nam delectatio, & triſtitia ſunt affectus directè contrarii, & contrariorum eadem eſt ratio : unde quod unus ex prædictis affectibus ſervat circa bonum, debet alter ſervare circa malum. Minor vero inde liquet : quia quantumvis aliquis, verbi gratia, Religioſus triſtari velit cogitando de peccatis non commiſſis, quæ tamen committeret, ſi maneret in ſæculo, nullum de eis experietur dolorem ; ſed gaudebit, quod non adfuerit conditio, cujus abſentia, auferendo peccata materiam doloris abſtulit. Quod ſi in ſimili cogitatione aliquando videamur nobis dolore affici, nequaquam ille ſumitur de peccatis ut ſtantibus ſub prædicta conditione ; ſed quia quaſi conditionalis obliti cogitamus ea, ac ſi abſolutè fuiſſent commiſſa, vel à nobis, vel ab aliis, quibus ex charitate condolemus : aut quia cogitamus Deum offenſum abſolutè, non curando de conditione, vel à quo ſit offenſus. Forte etiam dolemus non de prædictis peccatis ſecundum *eſſe*, quod haberent in ſe, ſi committerentur ; ſed de defectibilitate, & peccabilitate noſtra, in qua ſicut in cauſa continentur, quæ tanta eſt, ut niſi Deus ſua gratia præveniret, & auferret occaſionem, in actum peccandi prodiret.

Ita ergo ubi propoſito aliquo objecto delectabili illicito, addimus conditionem, ſub qua liceret, quæ non purificatur, ſi ſemel ibi eſt delectatio, nequaquam ſumitur de prædicto objecto ut conditionato, ſed de eo ſecundum ſe, quaſi conditio adjecta non fuiſſet : ac proinde nequit non eſſe peccaminoſa. Vel etiam poterit ſumi non de objecto ſecundum ſe, neque ut affecto conditione, ſed de aliqua alia ratione abſolutè exiſtente : ut quia res ſunt in tali ſtatu, ex quo conjicitur aliquod commodum futurum, ſi conditio purificaretur. Tunc vero ſi ea ratio licita & honeſta ſit, delectatio quoque licebit, verbi gratia, cogitans quis de copula, & cohabitatione cum Maria ſub conditione *ſi eſſet ejus uxor*, poterit licitè delectari non de ipſa copula, vel cohabitatione, ſed quia Maria adeo ipſi ſit affecta, adeo ipſa nobilis, pulchra, honeſta, & virtuoſa, ut ſi conditio purificaretur, ejus conſortium præ aliis foret ſibi delectabilius. Quod vero aliqui diſtinguunt inter delectationem, ut eſt actus appetitus ſenſitivi, vel ut eſt actus voluntatis, parum refert ad præſens : quia hoc quod eſt ferri ad objectum propoſitum abſolutè, & non ut ſub conditione, non oritur ex ſpecialibus ſenſitivi appetitus, ſed ex natura delectationis, quia eſt quies in bono poſſeſſo : hæc autem ratio æquè militat in voluntate, ſicut in prædicto appetitu, atque adeo de utriuſque delectatione quoad præſentem caſum eſt eodem modo philoſophandum.

Pro pleniori vero ejuſdem ſolutione animadvertere oportet, eſſe quædam objecta, 52 Animadverſio. quæ ex ſua communi ratione, ſecundum quam delectant, important deformitatem, licet per aliquam conditionem ſi apponeretur, poſſent ab ea denudari (quæ enim per nullam conditionem denudari poſſent, fruſtra & inaniter illis conditio apponeretur, de quibus diximus numero 21.) unde eo ipſo quod abſolutè & non ut ſub tali conditione accipiantur, ſunt mala objectivè. Hoc modo ſe habent actus venereus, actus vindictæ, actus occidendi, & ſimilia : quæ quidem ex ſua ratione ſonant in malum, & deformitatem offerunt ; impedietur tamen ſi actui venereo addatur conditio matrimonii, vindictæ, & occiſioni quod fiant à judice in defenſionem juſtitiæ. In iſtis ergo procedit doctrina hujus caſus : quia cum conditio poſitivè ſit neceſſaria ad impediendam deformitatem, delectatio vero non attendat conditionem, quæ non exiſtit, nequit licitè ad ea terminari : quippe attinget illa abſolutè ſecundum ſe, quo pacto ſunt mala, & non ut veſtita conditione, a qua dumtaxat redderentur non mala. Alia autem ſunt, quæ tametſi ut licitè exequutioni mandentur, debeant aſſociari aliqua conditione, non tamen ex ſua communi ratione, ſecundum quam delectant, malitiam afferunt, ſed ſonant abſolutè in bonum, quouſque poſitivè concipiantur, vel exerceantur privata & deſtituta tali conditione. Hoc modo ſe habent *concionari*, *confeſſiones audire*, *judicis munus gerere*, & ſimilia, quæ non à quolibet licitè exercerentur, ſed à certis perſonis in id munus aptis, facultatémque habentibus : & ideo ſi ab ineptis, vel ſine facultate fiant, vel fieri concipiantur, ſunt mala objectivè, proindéque non licet de eis ſic conceptis delectari. At quia ex ſua communi ratione non important malitiam, ſi ſecundum eam cum præciſione concipiantur, etiam non adjecta expreſsè conditione, dummodo neque excluſa, ſervant bonum conceptum objectivum. In iſtis ergo non militat præcedens doctrina : quia cum ſecundum ſe abſolutè concepta licitè delectent, parum refert ubi ſub conditione proponuntur, an delectatio attendat illam, vel non ? quippe ſive attendat, ſive non attendat, dummodo non excludat, non terminabitur ad aliquid illicitum.

§. V.

Digitized by Google

§ V.

Enodatur ſexta difficultas.

53 ACcedit ſextus caſus majori controverſiæ expoſitus propter non pauca falſa, & impugnationi obnoxia, quæ in ejus deciſione profert Vaſquez diſp. 112. c. 2. Sed nos ab iſtis moralibus jam egredi cupientes curabimus non multis difficultatem abſolvere. Caſus ergo eſt, an delectatio non tantum ſumat malitiam ab objecto, ſed etiam ab ejus circunſtantiis, itaut ultra illam, quam ex objecto capit, tot aliis inficiatur malitiæ ſpeciebus; quot fuerint circunſtantiæ prædictæ mutantes ſpeciem, v. g. delectatur quis cogitans de copula cum Maria ſibi conſanguinea, & alterius conjuge: in hoc objecto ultra deformitatem luxuriæ, ſeu ſimplicis fornicationis, quæ eſt propria ipſius objecti, datur duplex alia: nempe incæſtus ex circunſtantia conſanguinitatis, & adulterii ex circunſtantia uxoris alienæ. Simile eſſet, ſi delectaretur de copula cum conſanguinea moniali, aut caſtitatis votum habente: nam ultra deformitatem luxuriæ ipſius objecti propriam, eſſet in eo deformitas incæſtus ex eadem circunſtantia conſanguinitatis, & deformitas ſacrilegii, vel irreligioſitatis ex circunſtantia voti. Quæritur ergo an talis delectatio ex omnibus prædictis ſumat ſpecies malitiæ, ſitque proinde in triplici ſpecie peccati, nempe fornicationis, incæſtus, & adulterii, vel ſacrilegii, ſicut eſſet actus exterior, & propoſitum efficax: vel ſolum ex illa deformitate, quæ eſt objecti propria, adeóque non ſit niſi in ſpecie ſimplicis fornicationis. Hoc poſterius affirmat Vaſq. loco cit. & tribuitur Angelo verbo *luxuria*, n. 5. idque juniores nonnulli poſtea defendere adnituntur. Sed primum docent communiter Theologi.

Exprimitur caſus. — *Vaſq. Angel.*

Pro cujus intelligentia nota, multipliciter poſſe occurrere alicui objectum illicitum, in quo delectatur, v. g. acceſſus ad non ſuam: nam poteſt occurrere ſola mulier vagè & in communi ſine determinatione neque ad certum ſtatum conjugatæ, vel monialis, &c. neque ad certam perſonam Joannem, Mariam, &c. & in tali caſu non eſt quæſtioni locus: quia prædictum objectum ſic cogitatum nullæ afficiunt circunſtantiæ, neque eſt in eo alia deformitas præter illam, quæ eſt propria ipſius objecti. Vel poteſt cogitari mulier determinata ſolùm ad certum ſtatum, ut conjugatæ, vel monialis ſine perſonæ determinatione. Et neque in iſto caſu credimus adeſſe quæſtionem. Quia dum quis ut delectetur, ſpecialiter objicit ſibi illum ſtatum, nihil aliud determinando, ſatis oſtenditur moveri in ſua delectatione ex affectu ſpeciali ad ipſum ſtatum. Præſertim quia ubi non determinatur perſona, non occurreret illa ſtatus conditio, niſi data opera quæreretur: ſi autem quæritur data opera, proculdubio eſt ratio motiva: quam & ipſe Vaſquez fatetur conferre ſuam malitiam delectationi. Tertiò poteſt ſibi occurrere mulier determinata in individuo ut Anna, vel Maria, &c. quæ quidem eſt ipſi conſanguinea, & eſt alterius uxor. Poteſtque taliter occurrere, ut vel circunſtantiæ iſtæ ignorentur, aut earum ſubeat oblivio: vel expreſsè cognoſcantur. In quo adhuc diſtinguendum eſt: nam vel tales circunſtantiæ ſe habent ut ratio motiva: ita quod acceſſus ad talem mulierem ſpecialiter delectet ex eo quod eſt conſanguinea, aut conjugata; irrogatúrque ibi irreverentia ſanguini, aut injuria marito. Vel ſolùm delectet, quia mulier pulchra, venuſta, gracilis, &c. prædictis aliis circunſtantiis quaſi concomitanter ſe habentibus. Et quidem ſi circunſtantiæ nedum expreſsè occurrant, ſed etiam moveant, abſque dubio tribuent malitiam, ut dicebamus: ſicut etiamſi invincibili ignorantia, vel oblivione tegantur, nequaquam eam tribuent: quia talis ignorantia, aut oblivio apud omnes excuſat à malitia. Quinimò etiamſi ignorantia eſſet vincibilis, dummodo non affectata ad liberius peccandum, aut craſſa, ſive ſupina, credimus excuſare prædictam delectationem à malitia circunſtantiarum, quæ ita ignorarentur. Quia cum illa non afferat effectum aliquem nocivum, ſed in ſolo affectu interno ſiſtat, non videtur inducere obligationem ita perſcrutandi eas circunſtantias, quæ non ipſæ ſe offerunt, ut propter illas talis delectatio derelinquatur. Secluſa autem ea obligatione, prædictæ circunſtantiæ nequeunt dici *cognita*, aut *volita* adhuc virtualiter, vel interpretativè, ut in ſimili diximus diſp. præced. n. 144. quæ tamen cognitio & volitio neceſſaria erat, ut malitiam conferrent.

54 Reſtringitur ergo præſens difficultas ad illum caſum, in quo tam objectum, quàm circunſtantiæ, ſeu tam perſona, quam ſtatus ab appetente cognoſcuntur; nec tamen circunſtantia eſt ipſa ratio motiva, ſed ei aſſiſtens, & illam concomitans. Et in hoc caſu ita depicto, qui frequenter obvius eſt, non vero in alio ubi circunſtantia eſt ratio motiva, qui raro uſuvenit, loquuntur Theologi, dùm aſſerunt communiter, prædictam delectationem ſumere malitiam à circunſtantiis, & non à ſolo objecto. Quorum plures adduximus dub. 1. hujus diſput. num. 3. & alios non paucos reperies apud Salas diſput. 6. ſect. 6. num. 58. Probatur primò: nam Matth. 5. ad antiquum præceptum *non mœchaberis* addit Chriſtus. *Ego autem dico vobis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde.* Quo loci ipſe affectus interior, & cordis delectatio circa conjugatam vocatur *mœchia*, & non tantùm *fornicatio*: ac proinde habet malitiam non ſolùm ex objecto, ſed etiam ex circunſtantia conjugii. Et licet ab aliquibus exponatur de affectu efficaci, qui eſt cum conſenſu in opus, ab aliis tamen intelligitur de ſola delectatione, etiamſi accedendi ad opus animus non ſit. Ita Chryſoſtomus homil. 17. in Matth. ubi animadvertit, propterea Chriſtum non dixiſſe qui concupierit ad adulterandum, ſed qui viderit ad concupiſcendum: quia illud prius denotaret affectum efficacem; hoc autem poſterius ſolùm dicit ſimplicem complacentiam, & delectationem: ut rectè vidit ipſe Vaſquez diſput. 109. ubi Chryſoſtomi verba adducit. Eodem modo exponit prædictum locum Hilarius can. 4. ubi ait, quod in Evangelio affectio adulterio æquatur: quia ejuſdem malitiæ cenſetur delectatio moroſa de cogitato adulterio, ac ipſum

Prima probatio. Matth. 5. — *Chryſoſt.* — *Hilar.*

Digitized by Google

ſum adulterium opere conſummatum. Eandem quoque expoſitionem habet Albertus Magnus ſuper prædictum caput Matthæi, & alii.

Albertus Magnus.

Poteſtque non incongruè confirmari ex illo Jerem. 5. *Saturavi eos, & mœchati ſunt*, &c. ad oſtendendum vero in quo ſint mœchati, additur ſtatim. *Vnuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* Qui locus quamvis poſſit intelligi de actu deſiderii, & ſit ſenſus *unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat*, id eſt, illam deperibat, & deſiderabat; rectè etiam exponitur de moroſa delectatione. *Hinnire* enim etiam ſignificat delectari, & exultare, juxta illud Iſaiæ 24. *Hinnient de mari.* Quia enim equi ex memoria venereæ delectationis hinnire, & exultare ſolent, rectè tranſlatione deſumpta ad homines, ii, qui in cogitatione uxoris alienæ delectantur, hinnire dicuntur: & hoc reputatur illis pro adulterio, quia ejus malitiam continet.

Jerem. 5.

Iſaia 24.

Probatio alia.

Secundo probari poſſet: quia ſi delectatio moroſa non ſumeret malitiam à circunſtantiis, neceſſarium non eſſet eas in confeſſione explicare, ut videtur per ſe notum: hoc autem contradicit communi conſuetudini, & uſui fidelium, quorum nullus audet prædictas circunſtantias reticere: ergo, &c.

55 Sed ut rationem tradamus à priori, animadvertendum eſt, quod quemadmodum cum delectamur de aliquo objecto illicito, ad hoc ut verificetur appetitum ferri in ejus deformitatem, & eam attingere, atque amplecti, ab ipſáque inquinari, non eſt neceſſe ut ipſa deformitas moveat ad delectationem: deformitas enim non poteſt eſſe ratio motiva, quia nemo reſpiciens ad malum operatur, neque ab ipſa mali ratione movetur. Sed dicitur ferri in talem deformitatem, quia cum illa ſit ratio, propter quam prædictus appetitus ab objecto retrahi deberet, non ideo retrahitur; ſed ea non obſtante fertur in illud allectus delectabilitate, & bonitate apparente in tali objecto, præeligitque ſimili delectatione non carere potius quam à deformitate illa non inquinari: ita ſimiliter cum delectamur de objecto, in quo eſt aliqua prava circunſtantia, ad hoc ut verificetur, appetitum ferri in ipſam circunſtantiam, & in ejus deformitatem, totúmque hoc attingere & amplecti, non exigitur ut ipſa circunſtantia moveat; ſed ſufficit quod ſit ratio & titulus, propter quæ appetitus retrahi debeat à tali objecto, & non propterea retrahatur, ſed iis non obſtantibus feratur, & delectetur in illo, ac ſi tali circunſtantia veſtitum non eſſet: nam eo ipſo voluntas tranſgreditur, & quaſi contemnit obligationem non accedendi ad illud objectum ortam ex prædicta circunſtantia: mavultque in hanc, & in ejus deformitatem incidere, quàm acceſſu, & complacentia illius objecti privari.

Ratio à priori.

Hinc formatur ſequens ratio. Quoties apprehenditur objectum pravum veſtitum illicitis circunſtantiis: puta mulier non ſua, conſanguinea, & conjugata: non tantùm malitia propria, & primaria ipſius objecti, ſed etiam quælibet ex prædictis circunſtantiis eſt ratio in integrum, propter quam appetitus retrahi debeat ab amore, & delectatione talis objecti (clauditur amor in delectatione, ut ſupra vidimus) ſicut enim ratione cujuſlibet ſufficienter prohibetur, ita unaquæque eſt ſufficiens ratio & titulus, ut appetitus illuc appropriare non debeat, & ut ſe à tali amore, & delectatione teneatur retrahere: ergo ubi non retrahitur, ſed per delectationem in objectum illud fertur, non tantùm ab objecto, ſed ab omnibus prædictis circunſtantiis malitiam deſumet. Antecedens eſt ſatis notum: & etiam conſequentia: ſufficit enim quod unaquæque ex prædictis circunſtantiis ſit ſpecialis ratio & titulus propter quæ objectum debeat omitti, ad hoc ut dum non omittitur, ſed delectatione tangitur, etiamſi talis circunſtantia non moveat, terminet tamen prædictam delectationem, appetitúſque in eam feratur, ipſámque attingat & amplectatur, ac proinde ejus malitia inquinetur.

Cujus rationis efficaciam poſſumus confirmare irrefragabili exemplo. Nam ut delectatio ſumat malitiam à circunſtantia perſonæ, quæ delectaur, non eſt neceſſe ut ea circunſtantia moveat, aut ſit volita expreſsè, ſed ſufficit quod non retrahat appetitum à delectatione objecti, quod ratione talis circunſtantiæ ſibi prohibetur: ut patet in eo, qui ligatus voto caſtitatis delectatur de copula cogitata: quem nemo dicere audebit habere ſolùm malitiam luxuriæ ratione objecti, & non etiam ſacrilegii, vel irreligioſitatis ratione voti: & tamen planum eſt, hujuſmodi circunſtantiam non eſſe rationem motivam, neque expreſsè volitam; imò fortè erit nolita expreſsè: nihilominus tamen quia ratione ejus tenetur homo appetitum ab objecto illo cohibere, & non cohibet, incurrit malitiam talis circunſtantiæ: quia eo ipſo ipſa circunſtantia & objectum ut ratione ejus prohibitum, interpretativè & virtualiter cenſentur volita. Quæ ergo aſſignari poteſt diſparitas inter hujuſmodi circunſtantiam, & illas, quæ ex parte objecti ſe tenent, ut non eodem modo communicent omnes ſuam malitiam, quamvis nec moveant, nec ſint volitæ expreſsè. Et quia hac ratione, & confirmatione apud intellectum bene diſpoſitum credimus noſtram & communem aſſertionem ſatis evidenter demonſtrari, non erit opus alias adjicere.

Ex ea autem rectè perpenſa habetur in primis, frivolam eſſe evaſionem Gabrielis Vaſquez reducentis totum negotium ad hoc quod circunſtantia ſit, vel non ſit ratio motiva. Sufficit enim, ut oſtendimus, quod talis circunſtantia ſit ratio & titulus, propter quæ objectum omitti, & reſpui debeat, ut dum non omittitur, ſaltem ſit ratio terminativa, ſitque volita, & amata ſaltem interpretativè & virtualiter, ſive moveat, ſive non moveat: ſatiſque eſt eſſe rationem terminativam, & prædicto modo amatam, ut ſua malitia inquinet, & vitiet delectationem, & amorem: ſicut id ſufficit apud omnes in malitia primaria objecti. Et quidem doctrinam hanc debere admitti etiam ab auctore, quem impugnamus, ex eo liquet: quia neque ipſe negare poterit, quod ſi quis delectetur de homicidio commiſſo, vel cogitato committi propter fornicationem, non tantùm fornicatio, quæ eſt ratio motiva, ſed etiam ipſum homicidium, quod nequaquam movet, imo fortè diſplicet, tribuat prædictæ delectationi ſuam propriam 56

Illatio.

malitiam,

Digitized by Google

malitiam. Quippe hæc eſt diſparitas recepta ab omnibus inter bonum & malum, quod bonum debet eſſe ex integra cauſa, atque adeo volitum propter ſe ut finis; & ratio motiva, vel ut Philoſophus ait 2. Ethic. cap. 4. *Scienter, ex electione, & propter ipſum:* ad malum vero ſufficit quicumque defectus, & quod qualitercumque voluntas, vel appetitus circa illud verſetur, ſive attingat illud propter ſe ut rationem motivam, ſive ſolùm propter aliud, per ſe, vel per accidens, directè, vel interpretativè, ex eo quod aliquid debeat propter illud reſpui, & non reſpuatur, ſicut accidit in caſu noſtro.

Philoſoph.

[illegible] a illatio. Deinde infertur, parum, vel nihil referre, quod dum aliquis delectatur de objecto affecto pravis circunſtantiis, iſtæque cognoſcuntur, curet eas à ſua delectatione excludere, vel iſtam ab iilis avertere, ſive præciſivè non attingendo ipſas, ſive poſitivè reſpuendo, quia cum obligatio ſit non ſolùm ad non volendum eas expreſsè, ſed ad omittendum objectum propter illas, dum hujus delectatio non omittitur, appetitúſque ab ea retrahitur, in hoc ipſo tales circunſtantiæ virtualiter, & interpretativè ſunt volitæ: quod ſufficit ut tribuant malitiam, totáque illa præciſio, & repulſa formalis prædictarum circunſtantiarum eſt inefficax ad tollendam hanc virtualem & interpretativam volitionem: ſicut eſt inefficax ad auferendam propter illas objecti delectationem. Quod inſtatur manifeſtè exemplo adducto in confirmatione de illo, qui ligatus voto caſtitatis delectaretur de copula cogitata, volens expreſsè præſcindere à circunſtantia voti, vel eam excludere. Tota quippe expreſſa hæc volitio dum non tollit ipſam delectationem, inefficax eſt ad impediendam virtualem, & interpretativam circunſtantiæ volitionem.

57 [illegible]ctio. Neque obeſt ſi objicias illud, quod dubio præcedenti n. 22. diximus: videlicet aſpicientem, vel cogitantem duellum, & homicidium in eo factum poſſe præſcindere modum ſubtilitatis, vel artificii illius actus ab ejus ſubſtantia, & delectari de modo ſine eo quod ſubſtantiam velit: ergo ſimiliter in copula cogitata cum conjugata, vel conſanguinea poterit quis præſcindere objectum à circunſtantia, & delectari de illo, ſine eo quod appetitus hanc attingat. ¶ Reſpondetur enim eſſe diſparem rationem: quia in caſu duelli prædictus modus non eſt prohibitus, neque ſecundùm ſe, neque ratione homicidii: non enim homicidium prohibetur ut ratio, vel titulus retrahendi à modo, ſed tota prohibitio in ſolo homicidio ſiſtit: unde ex eo quod aliquis non omittat delectari de modo propter homicidium, non poteſt argui, quod velit interpretative ipſum homicidium, cum propter hoc non debeat ille omitti: neque etiam quod velit formaliter, cum potius formaliter illud à ſuo affectu excludat, vel ſaltem omnino præſcindat; ſecus in noſtro caſu de objecto & circunſtantiis: nam iſtæ omnino prohibentur ut ſint ratio ab illo retrahendi.

Enodatur.

Illatio tertia. Denique infertur, quo pacto accipi debeat, ut cohæreat noſtræ doctrinæ id, quod aiunt nonnulli Theologi ex iis, qui nobiſcum tenent, delectationem ſpecificari ab objecto, quorum meminimus ſupra num. 14. videlicet delectationem eſſe actum magis præciſivum, quàm propoſitum efficax, & operatio exterior: hacque ratione non oportere, quod ſemper ſumat malitiam à toto eo de genere mali, quod eſt in objecto, vel in externa operatione, ſed poſſe ſeparare, & præſcindere: quæ tamen præciſio non conceditur propoſito efficaci. Hoc igitur ut verum ſenſum habeat, debet reſtringi tum ad caſum nuper poſitum, & alios ſimiles de illo, qui in aſpectu, vel cogitatione duelli delectatur tantùm de modo, qui neque ſecundum ſe prohibetur, neque objectum, vel aliqua circunſtantia propter ipſum. Tum etiam ad caſum ubi circunſtantiæ prohibitæ ignorarentur vincibiliter, ut tetigimus n. 71. Et extendatur etiam ad aliquos caſus, quos tetigimus §. 1. 2. & 3. hujus dubii in quibus licitum eſt delectari de effectu ſequuto ex opere aliàs prohibito, præſcindendo ab ipſo opere, quæ tamen præciſio locum non haberet in intentione, & propoſito efficaci aſſequendi talem effectum. Extra hos caſus quicquid vitiat propoſitum efficax, & operationem externam, vitiat quoque delectationem.

§. VI.

Vltimi caſus brevis reſolutio.

ULtimus caſus erat, *an eodem modo ſit peccatum triſtari de objecto, vel opere bono, ſicut delectari de malo?* Pro cujus deciſione animadvertendum eſt, objecta bona eſſe in duplici differentia. Nam quædam ſunt ita bona, ut ſecundum ſe nihil afferant mali, pœnalitatis, aut laboris, ſed ſolùm honeſtatem, & convenientiam ad rectam rationem. Hoc modo ſe habent *amare Deum; videre illum, electum eſſe ad beatitudinem*, &c. & ratio cujuſcumque virtutis abſtractè, & in communi accepta, ut *ſervare iuſtitiam quibus eſt ſervanda, obedire quibus eſt obediendum, miſereri quibus eſt miſerendum.* Alia vero ſunt, quæ ſimul cum bonitate, & honeſtate important pœnalitatem, & laborem: ut *jejunare, ſurgere ad matutinum, audire ſacrum*, &c. & regulariter actus omnium virtutum prout in exercitio occurrunt, ſolent eſſe laborioſi, & difficultatem ſecum afferre: & propterea dicitur, quod virtus eſt circa difficile. 58

Triſtari ergo de primis illis objectis ſemper eſt peccatum, nec facile invenies unde excuſetur à mortali, ſi adſit plenus voluntatis conſenſus. Et ideo triſtitia de bono divino ponitur ſpeciale peccatum mortale ex genere, quod eſt acidia, 2. 2. q. 35. art. 2. & 3. Sicut etiam triſtari de bono proximi, ut de ejus æterna ſalute, eſt peccatum invidiæ, mortale etiam ex genere; eadem 2. 2. quæſt. 36. art. 3. Triſtitia autem de bonis cæterarum virtutum pertinet ad vitia eiſdem oppoſita: ut oſtendit D. Thom. citata q. 35. art. 2. Et ratio videtur perſpicua: nam ſicut conſentire in delectationem de objecto malo, eſt conſentire in hoc, quod appetitus inclinetur, & conformetur tali objecto: ita conſentire in triſtitiam de objecto bono, & honeſto, cui nihil pœnalitatis admiſcetur, eſt conſentire in hoc, quod appetitus ſit averſus ab hujuſmodi bono, illi repugnans: non enim aliunde oriri poteſt

Digitized by Google

poteſt prædicta triſtitia, niſi ex tali repugnantia, & averſione: conſtat autem, quòd ſicut eſt peccatum conformari malo, ita etiam repugnare bono ſecundum rationem boni. ¶ Cæterum de aliis objectis bonis & honeſtis, quæ habent adnexum laborem, & pœnalitatem, licitum erit triſtari, non qua ratione honeſta ſunt, ſed ut ſunt pœnalia. Et ratio eſt: quia hujuſmodi triſtitia non oritur ex repugnantia appetitus ad ipſam honeſtatem, ſed ad ſolam pœnalitatem: quod autem appetitus huic repugnet non eſt licitum. Quinimo ſicut pœna ſecundum ſe eſt mala, & contraria inclinationi naturæ, ita recta ratio dictat, quòd natura per ſuum appetitum tali modo repugnet, atque adeo triſtetur de illo.

59 Animadverſio. Advertendum eſt autem, prædictam triſtitiam, ut ſit licita, non debere eſſe in ratione ſuperiori, ſed in inferiori tantum: quia ratio ſuperior omnia reſpicit per habitudinem ad rationes æternas: pœna autem reperta in bono honeſto non habet quod repugnet naturæ ex ordine ad tales rationes, ſed ex ordine ad temporales, quæ pertinent ad rationem inferiorem, ut vidimus art. 6. hujus quæſt. Cæterùm quia in hoc quod ratio inferior, attentis rationibus temporalibus; repugnet, & reſiſtat pœnis, & incommodis, nihil eſt, quod rationibus æternis adverſetur, idcirco ratio ſuperior non prohibet talem repugnantiam, neque proinde conſentire in eam habet rationem culpæ.

Alia. Secundò adverte prædictam triſtitiam poſſe eſſe abſolutam & efficacem inferentem, ſaltem quantum eſt ex ſe, omiſſionem boni contriſtantis: vel ſimplicem, & inefficacem non inferentem talem omiſſionem. Prima ubi tale bonum fuerit ſub præcepto, erit peccaminoſa ſecundum gravitatem præcepti. Quamvis enim ratio ſuperior non damnet, quod inferior, attentis ſuis rationibus temporalibus, laboribus & pœnalitatibus utcunque repugnet; damnat tamen, quod ita repugnet, ut propterea bonum debitum omittatur. Ubi vero bonum laborioſum tantùm eſt ſub conſilio, prædicta triſtitia non erit ex hac parte peccaminoſa. Secunda autem triſtitia etiam in illis, quæ cadunt ſub gravi præcepto, non erit peccatum mortale: quia quòd natura & appetitus, attentis rationibus temporalibus, repugnet pœnalitati in prædictis operibus repertæ, non contrariatur rationi ſuperiori; niſi repugnantia eò pertingat ut propter illam omittantur, & violetur præceptum. Præcipit enim ſuperior ratio adimpleri præcepta: non autem præcipit, nec præcipere poteſt, ut in eorum adimpletione nihil ſit, quod repugnet naturæ, & ejus rationibus temporalibus, ac proinde quod nec natura, attentis hujuſmodi rationibus, in tali adimpletione utcunque triſtetur.

Obiectio. Sed obiices: quia adhuc ratione cujuſcunque boni non eſt licitum delectari de objecto turpi, & malo: ergo nec ratione cujuſvis mali licitum erit triſtari de bono, & honeſto.

Prima ſolutio. ¶ Poſſemus primo reſpondere, prædictam triſtitiam, à qua malitiam excluſimus, non eſſe de ipſo bono adhuc ratione mali, ſed dumtaxat de labore, & pœnalitate, quæ tale bonum comitantur: ſicut cum delectaremur de modo artificioſo concomitante homicidium, delectatio non tangit homicidium, ſed ſiſtit in modo: quod fieri diximus ſine malitia.

Secundò tamen & melius reſpondetur eſſe diſparem rationem: quia delectatio cum ſit motus proſequutionis, amplectitur id ad quod terminatur, & quodammodo appetitum in illud transformat: & ideo ſi ibi fuerit inordinatum, ſive ipſum attingat ratione ſui, ſive ratione alterius, debet ab eo iniquinari: qui enim malum amplectitur, quovis modo fiat, habet affectum conformem eidem malo: quæ conformitas ſemper repugnat rationi: & ideo præceptum non amplectendi, vel proſequendi malum, neque de eo delectandi ſive propter ſe, ſive propter aliud, per ſe, vel per accidens, &c. obligat ſemper & pro ſemper, violatúrque per quamlibet delectationem, quæ de illo quovis modo capiatur. Triſtitia autem eſt actus fugæ, quo appetitus non quidem amplectitur objectum, à quo fugit; ſed ſeparatur, & recedit ab eo, adeóque non ſe illi conformat, vel in illud transformat, ſed ab eo ſe elongat, & illud à ſe vel ſe ab illo abdicat, & ſubtrahit. Unde ejus bonitas vel malitia non eſt penſanda ex bonitate, vel malitia ipſius objecti: nihil enim ſumit ſuam rationem ab illo, à quo fugit, & quaſi ejus expers fit; ſed ex duplici alio capite: nempe vel quia talis triſtitia, & fuga impedit aliquem actum, quo appetitus bonum proſequi debeat: vel quia ſupponit in ipſo appetitu affectum contrarium, & repugnantem ipſi bono; ex quo oritur, quod illud refugiat per talem triſtitiam. Primum ex his capitibus nequit vitiare triſtitiam, de qua loquimur: quia cum præceptum proſequendi bonum ſit affirmativum, non obligat pro ſemper, ſed certo tempore: extra quod ſicut non eſt debitum non impedire talem proſequutionem, ita non erit peccatum de bono illo triſtari. Quin adhuc quando urget præceptum proſequendi illud per externos actus virtutum (per affectum purè internum quam raró obligat) non erit peccatum triſtitia, de qua loquimur, quia non eſt abſoluta, & efficax inferens talium actuum omiſſionem; ſed ſimplex & inefficax, quæ illos ſecum patitur, ut num. præced dixmus. Neque etiam vitiari poteſt ex ſecundo capite: quia ille affectus contrariandi bono (qui ſemper eſt peccatum) ſolùm arguitur ex triſtitia, quæ ſumitur de bono ratione ſui, ita quod ipſum bonum per ſe & ſine aliquo adjuncto contriſtet, ut initio hujus §. dicebamus: nequaquam vero ex illa, quæ ſumitur de bono ratione pœnalitatis, & laboris admixti: talis namque triſtitia ſufficienter oritur ex repugnantia ad ipſum laborem, & pœnalitatem ſecundum ſe; quamvis non ibi ſiſtat, ſed pertingat etiam ad bonum, ita ut hoc in ſe *contriſtans* denominetur à labore, & pœnalitate. Ex dictis in hoc dubio ſimul cum præcedenti manent ſolutæ omnes inſtantiæ, unde Vaſquez ſumebat argumenta; ſatiſque oſtenſum, omnem delectationem, quæ peccatum ſit, habere malum objectum, indéque malitiam deſumere; quæ vero objectum malum non habeat, non eſſe peccaminoſam.

60 Verior ſolutio.

ARTICULUS IX.

Vtrum in ſuperiori ratione poſſit eſſe peccatum veniale ſecundum quod eſt directiva inferiorum virium?

AD nonum ſic proceditur. Videtur quòd in ſuperiori ratione non poſſit eſſe peccatum veniale, ſecundum quod eſt directiva inferiorum virium, id eſt, ſecundum quod conſentit in actum peccati. Dicit enim Auguſtinus in lib. 12. de Trin. quòd ratio ſuperior inhæret rationibus æternis: ſed peccare mortaliter eſt per auerſionem à rationibus æternis: ergo videtur quòd in ſuperiori ratione non poſſit eſſe peccatum, niſi peccatum mortale.

2. Præterea: ſuperior ratio ſe habet in vita ſpirituali tanquam principium, ſicut & cor in vita corporali: ſed infirmitates cordis ſunt mortales: ergo peccata ſuperioris rationis ſunt mortalia.

3. Præterea: peccatum veniale fit mortale, ſi fiat ex contemptu: ſed hoc non videtur eſſe ſine contemptu, quòd aliquis ex deliberatione peccet etiam venialiter: cum ergo conſenſus rationis ſuperioris ſemper ſit cum deliberatione legis diuinæ, videtur quòd non poſſit eſſe ſine peccato mortali propter contemptum divinæ legis.

Sed contra: conſenſus in actum peccati pertinet ad rationem ſuperiorem, ut ſupra dictum eſt: ſed conſenſus in actum peccati venialis eſt peccatum veniale: ergo in ſuperiori ratione poteſt eſſe peccatum veniale.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut Auguſt. dicit in lib. 12. de Trinit. ratio ſuperior inhæret rationibus æternis conſpiciendis, aut conſulendis. Conſpiciendis quidem, ſecundum quod earum veritatem ſpeculatur. Conſulendis autem, ſecundum quod per rationes æternas de aliis iudicat & ordinat: ad quod pertinet, quod deliberando per rationes æternas conſentit in aliquem actum, vel diſſentit ab eo. Contingit autem, quòd inordinatio actus, in quem conſentit, non contrariatur rationibus æternis: quia non eſt cum averſione à fine ultimo, ſicut contrariatur actus peccati mortalis: ſed eſt præter eas ſicut actus peccati venialis. Vnde quando ratio ſuperior in actum peccati venialis conſentit, non avertitur à rationibus æternis: unde non peccat mortaliter, ſed venialiter. Et per hoc patet reſponſio ad primum.

Ad ſecundum dicendum, quòd duplex eſt infirmitas cordis. Vna, quæ eſt in ipſa ſubſtantia cordis, & immutat naturalem complexionem ipſius, & talis infirmitas ſemper eſt mortalis. Alia eſt autem infirmitas cordis propter aliquam inordinationem vel motus ejus, vel alicujus eorum, quæ circunſtant cor: & talis infirmitas non ſemper eſt mortalis. Et ſimiliter in ratione ſuperiori ſemper eſt peccatum mortale quando tollitur totaliter ipſa ordinatio rationis ſuperioris ad proprium objectum, quod eſt rationis æternæ: ſed quando eſt inordinatio circa hoc, non eſt peccatum mortale, ſed veniale.

Ad tertium dicendum, quòd deliberatus conſenſus in peccatum non ſemper pertinet ad contemplationem legis divinæ, ſed ſolùm quando peccatum legi divinæ contrariatur.

CONCLUSIO *eſt affirmativa.*

Circa quam nulla occurrit ratio dubitandi, niſi quæ immediatius, vel æquè immediatè tangunt literam, & concluſiones ſequentis articuli, ubi diluentur.

ARTICULUS X.

Vtrum in ratione ſuperiori poſſit eſſe peccatum veniale ſecundum ſe ipſam?

AD decimum ſic proceditur. Videtur quod in ſuperiori ratione non poſſit eſſe peccatum veniale ſecundum ſe ipſam, id eſt ſecundum quod inſpicit rationes æternas. Actus enim potentiæ non in venitur eſſe deficiens niſi per hoc, quod inordinatè ſe habet circa ſuum objectum: ſed objectum ſuperioris rationis ſunt æternæ rationes, à quibus deordinari non eſt ſine peccato mortali: ergo in ſuperiori ratione non poteſt eſſe peccatum veniale ſecundum ſe ipſam.

2. Præterea: cum ratio ſit vis deliberativa, actus rationis ſemper eſt cum deliberatione: ſed omnis inordinatus motus in his, quæ Dei ſunt, ſi ſit cum deliberatione, eſt peccatum mortale: ergo in ratione ſuperiori ſecundum ſe ipſam nunquam eſt peccatum veniale.

3. Præ

3. Prætereà: contingit quandóque, quòd peccatum ex ſurreptione eſt peccatum veniale: peccatum autem ex deliberatione eſt peccatum mortale per hoc, quòd ratio deliberans recurrit ad aliquod majus bonum, contra quod homo agens gravius peccat: ſicut cum de actu delectabili inordinato ratio deliberat, quòd eſt contra legem Dei, gravius peccat conſentiendo, quàm ſi ſolùm conſideraret, quòd eſt contra virtutem moralem: ſed ratio ſuperior non poteſt recurrere ad aliquod altius, quàm ſit ſuum objectum: ergo ſi motus ex ſurreptione non ſit peccatum mortale, neque etiam deliberatio ſuperveniens faciet ipſum eſſe peccatum mortale, quod patet eſſe falſum: non ergo in ratione ſuperiori ſecundum ſe ipſam poteſt eſſe peccatum veniale.

Sed contra: motus ſurreptionis infidelitatis eſt peccatum veniale: ſed pertinet ad ſuperiorem rationem ſecundum ſe ipſam: ergo in ratione ſuperiori poteſt eſſe peccatum veniale ſecundum ſe ipſam.

Reſpondeo dicendum, quòd ratio ſuperior aliter fertur in ſuum objectum: atque aliter in objecta inferiorum virium, quæ per ipſam diriguntur. In objecta enim inferiorum virium non fertur niſi in quantum de eis conſulit rationes æternas, unde non fertur in ea niſi per modum deliberationis, deliberatus autem conſenſus in his, quæ ex genere ſuo ſunt mortalia, eſt mortale peccatum: & ideo ratio ſuperior ſemper mortaliter peccat, ſi actus inferiorum virium, in quos conſentit, ſint peccata mortalia. Sed circa proprium objectum habet duos actus, ſcilicet ſimplicem intuitum, & deliberationem, ſecundum quod etiam de proprio objecto conſulit rationes æternas: ſecundùm autem ſimplicem intuitum poteſt aliquem inordinatum motum habere circa divina, puta cum quis patitur ſubitum infidelitatis motum. Et quamvis infidelitas ſecundum ſuum genus ſit peccatum mortale, tamen ſubitus motus infidelitatis eſt peccatum veniale, quia peccatum mortale non eſt niſi contra legem Dei. Poteſt autem aliquod horum, quæ pertinent ad fidem, ſubitò rationi occurrere ſub quadam alia ratione, antequam ſuper hoc conſulatur, vel conſuli poſſit ratio æterna, id eſt lex Dei: puta cum quis reſurrectionem mortuorum ſubitò apprehendit ut impoſſibilem ſecundum naturam, & ſimul apprehendendo remittitur, antequam tempus habeat deliberandi, quòd hoc eſt nobis traditum ut credendum ſecundum legem divinam. Si vero poſt hanc deliberationem motus infidelitatis maneat, eſt peccatum mortale: & ideò circa proprium objectum, & ſi ſit peccatum mortale ex genere, poteſt ratio ſuperior peccare venialiter in ſubitis motibus, vel etiam mortaliter per deliberatum conſenſum: in his autem, quæ pertinent ad inferiores vires, ſemper peccat mortaliter in his, quæ ſunt peccata mortalia ex ſuo genere, non autem in his, quæ ſecundum ſuum genus ſunt venialia peccata.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum, quòd eſt contra rationes æternas, etſi peccatum mortale ex genere, poteſt tamen eſſe peccatum veniale propter imperfectionem actus ſubiti, ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd in operativis ad rationem, ad quam pertinet deliberatio, pertinet etiam ſimplex intuitus eorum, ex quibus deliberatio procedit, ſicut etiam in ſpeculativis ad rationem pertinet & ſyllogizare, & propoſitiones formare: & ideo etiam ratio poteſt habere ſubitum motum.

Ad tertium dicendum, quòd una & eadem res poteſt diverſas conſiderationes habere: quarum una eſt altera altior; ſicut Deum eſſe, poteſt conſiderari vel in quantum eſt cognoſcibile ratione humana, vel in quantum creditur revelatione divina, quæ eſt conſideratio altior: & ideo quamvis objectum rationis ſuperioris ſit quiddam ſecundum naturam rei altiſſimum: tamen poteſt etiam reduci in quandam altiorem conſiderationem: & hac ratione, quòd in motu ſubito non erat peccatum mortale, per delectationem reducentem in altiorem conſiderationem fit peccatum mortale, ſicut ſupra expoſitum eſt.

Prima Conclusio.

Circa proprium objectum poteſt ſuperior ratio peccare venialiter propter indeliberatum conſenſum, ut in motibus ſubitis.

Secunda Conclusio.

Circa objecta inferiorum virium ſemper ratio ſuperior peccat mortaliter in iis, quæ ſunt mortalia ex genere; ſecus in illis, quæ ſunt ex genere venialia.

Digitized by Google

Commentarius.

1 Circa primam concluſionem nota, quomodo hic *ratio* non ſumitur ſtrictè, ut dicitur à *ratiocinando*, ſicut accipitur 1. p. quæſt. 79. art. 8. & quæſt. 15. de verit. art. 1. pro potentia intellectiva, ut dicit tantùm munus diſcurrendi ex uno in aliud, dividitúrque contra intellectum ſtrictè etiam ſumptum, dicentémque eandem potentiam ut cognoſcentem per ſimplicem intuitum. *Intellectus enim* *D. Thom.* (ait D. Thom. ubi ſupra) *ſimplicem & abſolutam cognitionem deſignare videtur: nam ex hoc aliquis intelligere dicitur, quòd interius in ipſa rei eſſentia veritatem quodammodo legit. Ratio vero diſcurſum quendam deſignat, quo ex uno in aliud cognoſcendum anima humana pertingit, vel pervenit.* Latius ergo hic ſumitur, ſcilicet pro prædicta potentia adæquatè, ut complectitur utrunque munus. Et ideo utrunque illi tribuitur, cum dicitur: *circa proprium objectum habet duos actus, ſcilicet ſimplicem intuitum, & deliberationem.* Quare autem uterque iſte actus prædictæ rationi competat, & quo ordine, oſtendit S. Doctor quæſt. 7. de mal. art. 5. *Idem.* ubi ait. *Quamvis enim rationis ſit deliberare, neceſſe eſt tamen, quod in omni deliberatione includatur abſoluta conſideratio: nam deliberatio nihil eſt aliud, quàm quædam diſcuſſio, & quodammodo mobilis conſideratio: in omni autem motu invenitur aliquid indiviſibile, ſicut in tempore invenitur inſtans, & in linea punctum.*

2 Nota etiam, hanc cognitionem per ſimplicem intuitum aliquando perfectiorem eſſe illa, quæ fit per diſcurſum: quando ſcilicet oritur ex lumine ita perfecto, & efficaci, ut ſine indigentia diſcurrendi ſtatim in ipſo principio veritatem percipit, & habet plenum judicium de illa: ſicut contingit in Angelis, & etiam in nobis quantum ad aliquos actus. Et hic modus cognoſcendi eſt ſatis proprius rationis ſuperioris, in qua ponuntur dona intellectus, & ſapientiæ, ut alibi diximus. Aliquando vero oritur ex imperfectione, quatenus propter ligamen ſenſus, vel alicujus paſſionis objecta non plenè, & adæquatè intellectui præſentantur: ipſéque intellectus propter prædictum ligamen ipſam inadæquationem non percipit, quouſque illam per diſcurſum detegat. De hoc autem poſteriori modo ſimplicis cognitionis loquitur hic D. Thomas, dum ſuperiori rationi tribuit, quòd in motibus ſubitis poſſit delinquere venialiter.

3 Circa eandem primam concluſionem ſolet dubitari, an etiam circa objectum proprium poſſit ratio ſuperior peccare venialiter cum plena deliberatione ratione levitatis materiæ. Conradus enim, & quidam alii partem tuentur negativam, videtúrque favere D. Thomas in præſenti, quatenus in prædicta ratione circa proprium objectum nullum aliud agnoſcit peccatum veniale, niſi quod accidit ex deliberationis defectu: clariuſque hoc inſinuat quæſt. 15. de verit. art. 5. & q. 7. de mal. art. art. etiam 5. Sed oppoſitum tenent communiter cæteri expoſitores. Pro quo ſunt manifeſtæ inſtantiæ. Nam illa, quæ pertinent per ſe primo ad ſalutem animæ, ut Sacramenta, ſacrificia, vota, & hujuſmodi clauduntur ſub proprio objecto rationis ſuperioris: & tamen in eis poteſt eſſe levitas materiæ: ut ſiquis in forma conſecrationis omittat illam conjunctionem *enim*, vel ſi in confeſſione ſacramentali proferat leve mendacium, relicta pro ſacramento ſufficienti materia: aliáque id genus reperientur quam multa excedentia rationem inferiorem, pertinentiáque ad ſuperiorem, quæ etiam ſi deliberate fiant, non excedent culpam venialem.

4 Pro intelligentia notandum eſt, quòd reſpectu rationis ſuperioris poſſumus diſtinguere duplex objectum proprium: aliud formale, & primarium, ex quo ipſa primariò *ratio ſuperior* dicta eſt: & hoc non eſt aliud, quàm ipſæ rationes æternæ, & increatæ, ut ratio finis ultimi, divina lex, divina ſapientia, divina veracitas, & hujuſmodi, per quas cætera omnia, ſive quæ agenda, ſive quæ credenda, & tenenda ſunt, regulantur. Aliud vero magis materiale & ſecundarium; proprium tamen & per ſe, quia ex ſe poſtulat regulari per prædictas rationes increatas, & habet nexum cum illis. Hoc autem comprehendit omnia alia, quæ vel ex natura rei, vel ex divina, aut humana inſtitutione ad ordinem ſupernaturalem ſpectant, vel ad eum reducuntur. Uti ſunt ſacramenta, vota, ſacrificia, aliáque id genus, quæ animarum ſaluti, fidei, & religionis proteſtationi, aut propagationi ex ſua inſtitutione inſerviunt. Hæc enim omnia propter reſpectum, & connexionem, quam habent ad æterna, & ſupernaturalia, excedunt inferiorem rationem, & ita pertinent ad objectum ſuperioris per ſe, & ut propria materia. Diximus *per ſe, & ut propria materia*: quia ut materia extranea, & communem etiam alia, quæ ſunt objectum rationis inferioris, ſub objecto ejuſdem rationis ſuperioris comprehenduntur.

Ad rem ergo, reſpectu objecti ſecundarii, & materialis rationis ſuperioris multoties habet locum levitas materiæ, ut in exemplis adductis: & ita quamvis adſit plenus conſenſus, poterit circa ea peccare venialiter. In objecto vero formali, & omnino primario nihil poteſt eſſe levis materia, cum ſint omnia increata, imo neque in omnibus illis, quæ cum tali objecto habent neceſſariam connexionem, quatenus ita neceſſario cum illo connexa ſunt: ſicut cum divina veracitate ſunt connexa omnia, quæ creduntur per fidem: quare circa hujuſmodi nulla inordinatio liberabitur à culpa mortali, niſi defectu plenæ deliberationis. Et hoc ad ſummum eſt quod D. Thom. inſinuat locis citatis. ¶ Diximus *ad ſummum*: quia quod attinet ad præſentem articulum adhuc independenter à noſtra diſtinctione non eſt unde colligatur, quòd negaverit materiam levem in objecto proprio ſuperioris rationis. Solùm enim intendit reddere diſcrimen inter prædictum objectum, & objecta inferiora, quòd circa hæc non poteſt prædicta ratio peccare venialiter ob defectum deliberationis, atque adeo niſi materia ſit levis: circa illud vero poteſt ſic peccare, quamvis materia ſit gravis propter prædictum deliberationis defectum. Per hoc autem non negat reperiri aliquando materiam levem. Quòd ſi in exemplo hæreſis, quo utitur, hæc levitas locum non habet, id provenit propter

Digitized by Google

ſpecialem ipſius hæreſis rationem : atque adeo non convincit ita aſſerendum eſſe in aliis, ubi ea, vel ſimilis ratio non militat.

5 Circa ſecundam concluſionem dubitant nonnulli, an etiam circa objecta inferiora poſſit ratio ſuperior peccare venialiter ex defectu deliberationis. Partémque affirmativam tenent Curiel, & Monteſinos, nec diſſentit Gregorius Mart. nituntúrque explicare prædictam concluſionem, quod non ſit intelligenda omnino univerſaliter, ſed cum aliqua reſtrictione. Ratio illorum eſt : quia ſicut prædictæ rationi ſuperiori, & ejus ſimplici intuitui poteſt occurrere aliquid proprii objecti, quod ante deliberationem proſequatur, vel reſpuat, eodem modo poterit occurrere aliquid eorum, quæ ſunt objecta inferiorum virium : ergo eodem modo poterit circa utrunque peccare venialiter per defectum deliberationis.

Curiel. Monteſ. Greg. Mart.

Sed hic modus dicendi non placet : quia intentum D. Thomæ potiſſimum eſt oſtendere, quomodo ratio ſuperior circa objecta inferiora non aliter verſetur, neque ad ea deſcendat, niſi per deliberationem & diſcurſum : quare eo ipſo quod non deliberet, non attinget prædicta objecta : adeóque nec peccavit circa illa, quovis modo ſe habeat. Si autem deliberet, jam peccatum ibi commiſſum non erit veniale per defectum deliberationis. Quod autem prædicti auctores concedunt, poſſe ſcilicèt occurrere rationi ſuperiori ante deliberationem aliquod objectum inferius, ſicut poteſt occurrere aliquid objecti proprii, falſum eſt, & negandum. Quippe eo ipſo quod objectum inferius occurrat, & non cum deliberatione, ſeu collatione ad rationes æternas, non occurrit rationi ſuperiori, neque in eo eſt aliquid, ex quo ad prædictam rationem pertineat, ſed potius ad inferiorem. Non enim rationes iſtæ aliter differunt, niſi penes munia, & objecta, ita quod objectum ſuperioris ſint rationes æternæ, objectum vero inferioris rationis temporales : utraque autem ratio, una & eadem potentia, quæ eſt intellectus : aut ergo objectum temporale, quod occurrit, offertur ſolùm ſecundum ſe, & abſolutè nulla facta collatione cum rationibus æternis? Et tunc non poteſt dici occurrere rationi ſuperiori, ſed inferiori. Vel dicant, quo jure intellectus reſpectu objecti temporalis ita occurrentis dicendus ſit *ratio ſuperior* : quodvè munus iſtius rationis gerat? Aut occurrit cum prædicta collatione, & habitudine? Et tunc jam illa cognitio non eſt ſimplex, & per modum intuitus; ſed collativa, & per modum diſcurſus, ſiquidem includit prædictam collationem : non enim vocatur in præſenti *cognitio collativa*, vel *diſcurſiva* illa duntaxat, quæ includit plures actus ſucceſſionem habentes, ſed quæcunque importat collationem unius extremi ad alterum, ſive id fiat unico actu, ſive multis.

Dices, occurrere utrumque objectum inferius, & ſuperius, ſine collatione tamen, ſed ambo abſolute : adeóque prædictam cognitionem pertinere ad rationem ſuperiorem, nec tamen eſſe collativam. ¶ Sed contra : nam ſi utrumque ſine collatione occurrit, non eſt quo pacto una & eadem ratio circa utrumque verſetur; ſed circa ſuperius objectum verſabitur ratio ſuperior, & circa inferius ratió inferior. Nec referet an prædicta objecta unico tantùm actu vel duplici cognoſcantur : quia ſicut unica potentia utriuſque rationis munus gerit, ita unicus entitativè actus pro diverſitate muneris poterit pertinere ad utramque. 6

Dubitat etiam hic Curiel, an quoties ratio inferior peccat, peccet quoque ſuperior? Tenétque partem affirmativam : quia toties, (inquit) ipſa ratio ſuperior tenetur inferiorem à peccato retrahere : adeóque ſi non retrahat, quamvis poſitivè non deliberet, conſentiet interpretative : quòd ſufficit, ut peccatum ipſi tribuatur. ¶ Sed oppoſitum hujus conſtat ex illis, quæ ſuper art. 7. hujus quæſt. num. 9. diximus, dum explicuimus, quomodo non ſemel peccatum delectationis ſiſtat in ratione inferiori, & quare non imputetur tunc ſuperiori, quod illam non reprimat; etiam ſi ipſi ſuppoſito hoc imputetur. ¶ Denique poſſumus dubitare, an hæc peccata, quæ in ratione ſuperiori, vel inferiori exiſtunt, ſint talia intrinſecè : hoc eſt per malitiam formalem inhærentem ipſis actibus intellectus; vel ſolùm denominentur *peccata* extrinſecè, ſicut denominantur actus externi à malitia exiſtente in actu voluntatis? Sed de hoc jam diximus diſput. 10. num. 7. & 9. dicemuſque iterum diſput. 13. dub. 2.

Digitized by Google

QUÆSTIO LXXV.

DE CAUSIS PECCATORUM IN GENERALI, in quatuor Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſis peccatorum. ¶ Et primo in generali. Secundo in ſpeciali. Circa primum quæruntur quatuor.

CIRCA titulum hujus quæſtionis nota, quòd licèt videatur admodum univerſalis, non tamen amplectitur omnia genera cauſarum, formalis, materialis, &c. quaſi ex profeſſo de omnibus agendum ſit: ſed ſolum cauſam efficientem, & quæ ad illam reducuntur: de cauſa enim formali, ad quam ſpectat ſpecificatio, & diſtinctio peccatorum, actum eſt jam quæſtione 71. & 72. ſicut de ſubjecto & cauſa materiali tota quæſt. 74. De finali vero non agitur ex profeſſo in hac materia: quia peccatum quodammodo eſt præter finem, ſicut eſt præter intentionem: tangitur tamen ſæpeſæpius aliquid de illa occaſione cæterarum. Quare præſens quæſtio cum reliquis uſque ad quæſt. 81. potiſſimum inſtitutæ ſunt pro declaranda cauſa peccati effectiva tam in communi, quàm in ſpeciali: nam multiplex eſt, propterea quod ad efficientiam peccati multa principia unumquodque ſuo modo concurrunt. Cum hoc tamen ſtat, ut etiam de aliis generibus cauſarum quandoque fiat mentio: ſicut fit de omnibus in art. 4. quia connexio, & declaratio doctrinæ ita expoſtulat.

ARTICULUS I.

Utrum peccatum habeat cauſam?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum non habeat cauſam. Peccatum enim habet rationem mali, ut dictum eſt, ſed malum non habet cauſam, ut Dionyſius dicit 4 cap. de divin. nomin. ergo peccatum non habet cauſam.

2. Præterea: cauſa eſt, ad quam de neceſſitate ſequitur aliud: ſed quod eſt ex neceſſitate, non videtur eſſe peccatum, eo quòd omne peccatum eſt voluntarium: ergo peccatum non habet cauſam.

3. Præterea: ſi peccatum habet cauſam, aut habet pro cauſa bonum, aut malum: non autem bonum, quia bonum non facit niſi bonum: non enim poteſt arbor bona fructus malos facere, ut dicitur Matth. 7. ſimiliter autem nec malum poteſt eſſe cauſa peccati, quia malum pœnæ ſequitur ad peccatum; malum autem culpæ eſt idem, quod peccatum: peccatum igitur non habet cauſam.

Sed contra: omne quod fit, habet cauſam, quia ut dicitur Job. 5. nihil in terra ſine cauſa fit: ſed peccatum fit; eſt enim dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: ergo peccatum habet cauſam.

Reſpondeo dicendum, quòd peccatum eſt quidam actus inordinatus; ex parte igitur actus poteſt habere per ſe cauſam, ſicut & cuilibet alius actus: ex parte autem inordinationis habet cauſam eo modo quo negatio, vel privatio poteſt habere cauſam. Negationis autem alicujus poteſt duplex cauſa aſſignari. Primò quidem defectus cauſæ affirmationis, id eſt, ipſius cauſæ negatio eſt cauſa negationis ſecundum ſe ipſam, ad remotionem enim cauſæ ſequitur remotio effectus: ſicut obſcuritatis cauſa eſt abſentia Solis. Alio modo cauſa affirmationis, ad quam ſequitur negatio, eſt per accidens cauſa negationis conſequentis: ſicut ignis cauſando calorem ex principali intentione, conſequenter cauſat privationem frigiditatis, quorum primum poteſt ſufficere ad ſimplicem negationem. Sed cum inordinatio peccati, & quodlibet malum non ſit ſimplex negatio, ſed privatio ejus, quod aliquid natum eſt, & debet haberi, neceſſe eſt, quòd talis inordinatio habeat cauſam agentem per accidens. Quod enim natum eſt ineſſe & debet, nunquam abeſſet niſi propter cauſam aliquam impedientem. Et ſecundum hoc conſuevit dici, quòd malum, quod in quadam privatione conſiſtit, habet cauſam deficientem, vel

Digitized by Google

vel agentem per accidens, omnis autem cauſa per accidens reducitur ad cauſam per ſe. Cum igitur peccatum ex parte inordinationis habeat cauſam agentem per accidens, ex parte autem actus habeat cauſam agentem per ſe, ſequitur, quòd inordinatio peccati conſequatur ex ipſa cauſa actus. Sic igitur voluntas carens directione regulæ rationis, & legis divinæ intendens aliquod bonum commutabile, cauſat actum quidem peccati per ſe, ſed inordinationem actus per accidens & præter intentionem; provenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum non ſolùm ſignificat ipſam privationem boni, quæ eſt inordinatio: ſed ſignificat actum ſub tali privatione, quæ habet rationem mali, quod quidem qualiter habeat cauſam, dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi illa diffinitio cauſæ univerſaliter debeat verificari, oportet ut intelligatur de cauſa ſufficienti, & non impedita: contingit enim aliquid eſſe cauſam ſufficientem alterius, & tamen non ex neceſſitate ſequitur effectus propter aliquod impedimentum ſuperveniens: alioquin ſequeretur, quòd omnia ex neceſſitate contingerent, ut patet in 6. Metaphyſ. Sic igitur etſi peccatum habeat cauſam, non tamen ſequitur, quòd ſit neceſſaria: quia effectus poteſt impediri.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut dictum eſt, voluntas ſine adhibitione regulæ rationis, vel legis divinæ eſt cauſa peccati: hoc autem quòd eſt non adhibere regulam rationis, vel legis divinæ, ſecundum ſe non habet rationem mali, nec pœnæ, nec culpæ, antequam applicetur ad actum: unde ſecundum hoc peccati primi non eſt cauſa malum, ſed bonum aliquod cum abſentia alicujus alterius boni.

Prima Conclusio.

Peccatum ex parte actus habet cauſam agentem per ſe: ex parte vero inordinationis habet cauſam deficientem, ſeu agentem per accidens.

Secunda Conclusio.

Voluntas creata carens directione regulæ rationis, & legis divinæ cauſat actum peccati per ſe; per accidens vero, & præter intentionem inordinationem talis actus.

Doctrinæ hujus articuli innituntur magna ex parte, qui negant malitiam poſitivam: quòd D. Thom. perſcrutans hîc peccati rationes, talis malitiæ mentionem non fecerit: ſed cuncta in actu peccaminoſo reperta reducit ad entitatem ipſius actus, quæ, ſecundum ſe non eſt mala, ſed eſt à Deo; & ad inordinationem privativam, quam à divina cauſalitate excludit. Verùm ſi legantur ea, quæ diſp. 6. dub. 3. & 4. in contrarium adduximus, ſatis apparebit quàm infirmum ſit argumentum negativum ex hoc, vel alio loco deſumptum. Quid enim quòd Ang. Doctor neque hîc neque in quibuſdam aliis locis prædictam malitiam poſitivam exprimeret; cum ea nuſquam negaverit, & in multis aliis expreſſerit? Sed neque in iſto articulo occultavit penitus talem malitiam: nam pellucet in corpore, ſi attentè meditetur. Propterea enim agens D. Thom. de deformitate privativa, non ſatis judicavit aſſignare illi cauſam deficientem, ſed aſſignavit etiam cauſam agentem per accidens: quia cum prædicta malitia non ſit pura negatio, ſed privatio perfectionis, & rectitudinis debitæ ineſſe actui, non ſufficit ad ejus cauſalitatem deeſſe voluntati ſimilem perfectionem: quod tamen ſufficeret ad cauſandum defectum pure negativum: ſed requiritur aliquid impediens prædictam rectitudinem, fundánſque privationem. *Quod enim natum eſt ineſſe, & debet* (ait D. Thom.) *nunquam abeſſet, niſi propter* D. Thom.
cauſam aliquam impedientem. Hoc autem impedimentum rectitudinis, & fundamentum privationis eſt ipſa malitia poſitiva. Et hæc antecedit prædictam privationem, importatúrque in actu, qui dicitur cauſari per ſe à voluntate carente directione regulæ rationis, & intendente bonum aliquod commutabile. Unde falſum eſt, quòd D. Thom. ſolius entitatis actus, quæ eſt à Deo, mentionem fecerit: ſed potius nomine *actus peccati* intellexit tam entitatem, quàm malitiam poſitivam, ex qua per ſe à voluntate cauſata ſequitur præter intentionem deformitas privativa. Et ideo dicitur, quòd hæc cauſatur per accidens: & quòd iſta cauſalitas *per accidens* reducitur in illam, quæ eſt *per ſe.* Si enim cauſalitas *per ſe* voluntatis creatæ ad ſolam entitatem, ut entitas eſt, terminaretur, totáque proinde eſſet de genere boni, & à Deo, nequaquam in eam reduci poſſet cauſalitas *per accidens*, quæ ad malum terminatur, & Deo repugnat: porrò D. Thom. Idem.
omnino adſtruit talem reductionem dum ait. *Omnis autem cauſa per accidens reducitur ad cauſam per ſe: cum igitur peccatum ex parte inordinationis habeat cauſam agentem per accidens, ex parte autem actus habeat cauſam agentem per ſe, ſequitur, quòd inordinatio peccati conſequatur ex ipſa cauſa actus.* &c. Hæc dixerimus pro aliquali hujus articuli elucidatione: & ne quis arbitretur poſſe deſumi ex eo argumentum contra doctrinam ſuperius à nobis ſtabilitam. Sed & aliam non minus neceſſariam, & ſubtilem circa cauſam effectivam peccati, quæ eſt peccandi potentia, credimus tegi in hac eadem litera: quam citò eruere curabimus.

ARTICULUS II.

Vtrum peccatum habeat cauſam interiorem?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum non habeat cauſam interiorem. Id enim quod eſt interius alicui rei, ſemper adeſt ei : ſi igitur peccatum habeat cauſam interiorem, ſemper homo peccaret, cùm poſita cauſa ponatur effectus.

2. Præterea : idem non eſt cauſa ſui ipſius : ſed interiores motus hominis ſunt peccatum ; ergo non ſunt cauſa peccati.

3. Præterea : quicquid eſt intra hominem, aut eſt naturale, aut voluntarium : ſed id quod eſt naturale, non poteſt eſſe peccati cauſa, quia peccatum eſt contra naturam, ut dicit Damaſcenus : quod autem eſt voluntarium, ſi ſit inordinatum, jam eſt peccatum : non ergo aliquid intrinſecum poteſt eſſe cauſa primi peccati.

Sed contra eſt quod Auguſt. dicit, quòd voluntas eſt cauſa peccati.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut jam dictum eſt, per ſe cauſam peccati oportet accipere ex parte ipſius actus : actus autem humani poteſt accipi cauſa interior & mediata, & immediata. Immediata quidem cauſa humani actus eſt ratio & voluntas : ſecundum quam homo eſt liber arbitrio ; cauſa autem remota eſt apprehenſio ſenſitivæ partis, & etiam appetitus ſenſitivus. Sicut enim ex judicio rationis voluntas movetur ad aliquid ſecundum rationem : ita etiam ex apprehenſione ſenſus appetitus ſenſitivus in aliquid inclinatur : quæ quidem inclinatio interdum trahit voluntatem, & rationem, ſicut infra patebit. Sic igitur duplex cauſa peccati interior poteſt aſſignari : una proxima ex parte rationis & voluntatis : alia vero remota ex parte imaginationis, vel appetitus ſenſitivi. Sed quia ſupra dictum eſt, quòd cauſa peccati eſt aliquod bonum apparens, motivum cum defectu debiti motivi, ſcilicet regulæ rationis, vel legis divinæ, ipſum motivum, quod eſt apparens bonum, pertinet ad apprehenſionem ſenſus, & appetitum : ipſa autem abſentia debitæ regulæ pertinet ad rationem, quæ nata eſt hujuſmodi regulam conſiderare, ſed ipſa perfectio voluntarii actus peccati pertinet ad voluntatem, ita quòd ipſe voluntatis actus, præmiſſis ſuppoſitis, jam eſt quoddam peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quòd id, quod eſt intrinſecum, ſicut potentia naturalis, ſemper ineſt ; id autem, quod eſt intrinſecum, ſicut actus interior appetitivæ, vel apprehenſivæ virtutis, non ſemper ineſt ; ipſa autem potentia voluntatis eſt cauſa peccati in potentia, ſed reducitur in actum per motus præcedentes, & ſenſitivæ partis primo, & rationis conſequenter : ex hoc enim quod aliquid proponitur ut appetibile ſecundum ſenſum, & appetitus ſenſitivus inclinatur in illud, ratio interdum ceſſat à conſideratione regulæ debitæ : & ſic voluntas producit actum peccati. Quia igitur motus præcedentes non ſemper ſunt in actu, neque peccatum ſemper eſt in actu.

Ad ſecundum dicendum, quòd non omnes motus interiores ſunt de ſubſtantia peccati, quod conſiſtit principaliter in actu voluntatis, ſed quidam præcedunt, & quidam conſequuntur ipſum peccatum.

Ad tertium dicendum, quòd illud, quod eſt cauſa peccati, ſicut potentia producens actum, eſt naturale : motus etiam ſenſitivæ partis, ex quo ſequitur peccatum, interdum eſt naturalis, ſicut cum propter appetitum cibi aliquis peccat. Sed efficitur peccatum innaturale ex hoc ipſo, quòd deficit regula naturalis : quam homo ſecundum naturam ſuam debet attendere.

CONCLUSIO.

Duplex eſt cauſa interior peccati : una immediata, quæ eſt ratio, & voluntas : alia mediata, & remota, quæ eſt apprehenſio ſenſitivæ partis, & appetitus ſenſitivus.

Circa literam hujus articuli nota primò, ex eo aliqualiter confirmari, quod in præcedenti animadvertimus : videlicet cauſalitatem per accidens, quæ immediatè eſt reſpectu malitiæ privativæ, reduci in cauſalitatem per ſe, quæ eſt reſpectu poſitivi humani actus. Nam propterea dicitur initio corporis, cauſam peccati accipi debere ex parte actus humani : quia idemmet influxus, qui directè eſt ad poſitivum impeditivum rectitudinis, & fundamentum privationis, ſecundario, & ex conſequenti (quod D. Thom. vocat *per accidens*) eſt ad ipſam privationem : adeóque reperta, & examinata cauſa prædicti poſitivi, neceſſe non eſt pro privatione aliam quærere. Secundò nota, ex quatuor in litera aſſignatis pro cauſa peccati ſolam voluntatem eſſe

Digitized by Google

eſſe cauſam omnino ſufficientem, & quæ non poſſit per aliam impediri: quia illi tantùm ſubeſt ultimatè efficientia actus peccaminoſi. Ratio enim concurrit ut proponens, & dirigens; non tamen elicit, imo nec movet ad exercitium niſi virtute ipſius voluntatis. Neque etiam appetitus ſenſitivus elicit actum primario malum, ſed dum fertur ad bonum delectabile imaginatione apprehenſum, in cauſa eſt ut tale bonum ab intellectu proponatur voluntati ut conveniens: quia congruit exiſtenti in ea appetitus diſpoſitione. Sed cum adhuc poſt talem propoſitionem voluntas maneat libera, ut poſſit diſſentire, ſi velit, idcirco neque imaginatio, neque appetitus ſufficienter eam movent, ſed tantùm occaſionaliter. Neque intendit D. Thom. omnia prædicta habere ſe hoc modo in quolibet peccato; ſed loquitur indefinitè: verificatur autem doctrina in peccatis circa ſenſibilia, & quæ in appetitu ſenſitivo inchoantur. Circa cauſalitatem prædicti appetitus, & paſſionum ejus reſpectu peccati occupatur infra tota quæſtio 77. Circa ipſam vero voluntatem, quæ immediata, & potiſſima peccati cauſa eſt, & circa rationem, per quam conſtituitur potentia defectibilis, & peccabilis, habet hic propriam ſedem difficultas minus trita, quàm ardua: cujus examini incumbet.

DISPUTATIO XII.

De potentia peccandi.

MIRUM ſanè eſt, quòd cùm controverſia de conſtitutivo peccati actualis admodum creverit, ut nulla hujus materiæ celebrior inter Theologos habeatur, neque diutius negotium illis faceſſerit: circa peccandi tamen potentiam ejuſdem peccati effectivam ita calamo pepercerint omnes, ut multi neque leviter eam attingant: alii vero curſim, & breviſſimè examinent: cum tamen re bene inſpecta æqualis, vel fortè major ſit hæc, quàm illa difficultas. Quicquid enim arduum, nodosúmque appareat in adſtruendo, vel negando poſitivam formalitatem peccati conſtitutivam, quæ à Deo non ſit; ſit autem à voluntate creata, totum hoc, & plus aliud reperiet quiſquis vel aſſeverare, vel negare intendat ſimilem formalitatem, quæ neque ex Deo ſit, neque aliunde: per quam voluntas prædictam formalitatem poſitivam conſtitutivam peccati, vel ſaltem poſitivum privationis fundamentum contineat, & cauſet. Quocirca prolixa ſatis futura eſſet apud nos hæc diſputatio, niſi præceſſiſſet illa alia de conſtitutivo peccati commiſſionis, ubi plura examinata ſunt, quæ hic ſupponemus: plures objectiones ſolutæ, quæ utrobique militant: nonnulláque jacta fundamenta, ex quibus, ad aſſertiones, quæ ſuperſunt ſtatuendæ, ſecurius procedemus.

DUBIUM I.

Utrum potentia peccandi, ut ſtat formaliter ſub hoc conceptu, conſtituatur per aliquid poſitivum?

CONſulto titulum ſub ea forma proponimus *utrum potentia peccandi, ut ſtat formaliter ſub hoc conceptu*, &c. quia res, quæ habet eſſe potentia ad peccandum, ſecundum ſe, & materialiter ſumpta nulli dubium eſt, quòd ſit poſitiva. Tum quia eſt ipſamet voluntas, ſeu liberum arbitrium: quod eſt ſimul potentia ad bene agendum. Tum etiam quia cum peccatum, ſaltem pro materiali, apud omnes ſit poſitivum, exigit ſaltem pro hoc materiali principium efficiens, & cauſam proximam, quæ ſint poſitiva: & hujuſmodi principium, ſeu cauſa proxima dicitur materialiter *potentia peccandi*. Addimus deinde *per aliquid poſitivum conſtituatur*: quia non dubitamus reperiri in ea aliquem defectum privativum, vel negativum: nam ſi liberum arbitrium non careret aliqua perfectione, nullatenus poſſet ad peccatum deflecti. Cæterum an ipſum liberum arbitrium in ratione defectibilis, & peccabilis conſtituatur per hujuſmodi ſolùm defectum; an vero admittenda in eo ſit aliqua formalitas poſitiva correſpondens malitiæ poſitivæ peccati, per quam ad peccatum ſuo modo inclinet, & in ratione potentiæ peccandi formaliſſimè conſtituatur, eſt non levis difficultas examinanda in hoc primo dubio.

§. I.

Dubii nodus diſſolvitur.

DIcendum ergo eſt potentiam peccandi, ut ſtat formaliter ſub hoc conceptu, non conſtitui per ſolam carentiam, ſive defectum perfectionis; ſed per poſitivam formalitatem correſpondentem malitiæ poſitivæ peccati. 1 Aſſertio. Hæc aſſertio non invenitur ita expreſsè apud D. Thomam: eſt tamen adeo conſona ejus doctrinæ, quam circa conſtitutivum peccati commiſſionis diſp. 6. adduximus, ut meritò illius mentem eſſe credamus. Quam etiam inſinuat non leviter art. 1. hujus quæſt. dum ait, quòd ad cauſandam peccati deordinationem voluntas non concurrit ſolùm ut cauſa deficiens, ſed etiam ut efficiens per accidens. Vocat *cauſam deficientem*, quæ ſolùm concurrit ratione defectus alicujus perfectionis: quatenus carentia perfectionis in cauſa inducit ſimilem carentiam in effectu. Cauſam vero *agentem per accidens* appellat eam, quæ concurrit media virtute & influxu poſitivo terminato per ſe ad formam poſitivam, ex qua per accidens, ſeu præter intentionem ſequitur privatio perfectionis oppoſitæ: ita quidem ut cauſalitas iſta per accidens reducatur in illam, quæ eſt per ſe. Hoc autem modo dicit ſe habere voluntatem ad peccatum: cauſando enim per ſe actum tendentem ad bonum commutabile, & ad objectum prohibitum, conſequenter & per accidens cauſat in eodem actu

Mens D. Th. enucleatur.

Digitized by Google

actu privationem rectitudinis prædictæ tendentiæ contrariæ, totáque hæc poſterior cauſalitas, quæ vocatur *per accidens*, reducitur in illam, quæ eſt *per ſe*.

Ex quibus pro aſſertione habemus, tum quòd voluntas non influit in malitiam peccati dumtaxat ratione defectus, ſed etiam ratione virtutis, qua influit in poſitivum ipſius peccati: aliter enim non ſalvabitur ratio, & proprietas cauſæ per accidens ut diſtinctæ à cauſa deficiente, quam intendit D. Thom. ut intuenti patebit. Tum etiam quòd totus influxus, qui eſt ad deformitatem privativam, refunditur in eum, qui eſt ad poſitivum actus: adeóque mediante ipſo in eandem virtutem cauſæ, quæ neceſſario debet eſſe poſitiva: aliàs non præſtaret prædictum influxum ad poſitivum actus: quicquid ergo ſive poſitivum, ſive privativum producitur de ratione malitiæ, præcontineri debet in virtute poſitiva voluntatis. Cum igitur potentia peccandi pro formali nihil aliud exprimat, quàm prædictam continentiam, planè ſequitur non poſſe conſtitui per ſolam negationem, vel privationem, ſed per prædictam virtutem poſitivam. ¶ Confirmátque hoc non parum exemplum de calore calefaciente aquam, & expellente ab ea frigiditatem, quo D. Thom. utitur: per eandem enim virtutem, qua calor producit per ſe calorem in aqua, producit per accidens privationem frigiditatis, neque hæc cauſalitas per accidens, quæ eſt reſpectu privationis, reducitur in aliam virtutem, niſi in eandemmet, in quam reducitur cauſalitas per ſe, quæ eſt reſpectu caloris. Pariformiter ergo voluntas per eandem activitatem, & virtutem, qua producit per ſe tendentiam actus ad objectum rationi diſſonum, quæ neceſſario eſt poſitiva, ſicut ipſa tendentia, expellit per accidens rectitudinem oppoſitam, cauſátque privationem talis rectitudinis: atque adeo ſicut cauſa, & principium prædictæ tendentiæ pro formali eſt aliquid poſitivum, ſic etiam cauſa, & principium privationis ſub ratione talis debet eſſe de linea poſitivi. ¶ Favet etiam in 3. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. ubi ait, quòd cum dicitur, quòd *aliquis habet potentiam peccandi, non intelligitur, quod habeat liberum arbitrium, ſed quod habeat ipſum ordinatum ad peccandum*. Vbi (ut vides) id, quod eſt formale in potentia peccandi, quodque eam in ratione talis conſtituit, explicatur per habitudinem, & ordinem ad peccatum, & non per aliquid negativum. Eandem ſententiam tuetur Alvarez in præſenti diſp. 118. num. 31. Joannes à Sancto Thoma tract. de actib. humanis diſput. 9. art. in ſolut. ſecundi argumenti & alii. *D. Thom.*

2 Probatur efficaci ratione. Malitia conſtitutiva peccati eſt aliquid poſitivum: ergo cauſa, ſive principium hujus malitiæ, in quantum tale, debet eſſe poſitivum: ſed hoc principium, vel cauſa eſt formaliter potentia peccandi: ergo prædicta potentia, ut ſtat formaliter ſub hoc conceptu, eſt aliquid poſitivum. Minor, & hæc ſecunda conſequentia conſtant. Antecedens autem oſtenſum eſt tota diſp. 6. & non niſi doctrina illa præſuppoſita præſentem ſtabilimus: adeóque potiſſima iſtius rationis vis penes probationem primæ illationis ex prædicto antecedente conſiſtere debet. Ea ergo ſic oſtenditur: quoniam omnis effectus & ſecundum omnem rationem, ſecundum quam eſt effectus, petit cauſam, & principium, in quæ reducatur, & in quibus præcontineatur, conſtat autem quòd effectus poſitivus, qualis eſt prædicta malitia, non poteſt reduci ſicut in cauſam in ſolam privationem, vel negationem, ſicut nec poteſt in illis re ipſa præcontineri: ergo neceſſario admittendum eſt aliquid poſitivum, in quod reducatur, & à quo præcontineatur, proindéque ſit ejus cauſa & principium. *Prima ratio.*

Confirmatur: nam idcirco habitus vitioſus formaliter in ratione vitii conſtituitur per aliquid poſitivum, quia ſecundum hanc rationem habet eſſe principium & cauſa malitiæ actus vitioſi, quæ eſt quid poſitivum: ergo cùm non minus potentia, quàm habitus ſit principium & cauſa prædictæ malitiæ, debet non minus eſſe aliquid poſitivum. *Confirmatio.*

Confirmatur ſecundò, & explicatur: quia habitus acquiſitus non agit niſi in virtute potentiæ, ex cujus virtute acquiritur: unde quicquid formaliter, vel virtualiter eſt in habitu, & omnis ejus cauſalitas continetur realiter in potentia: & ideo quicquid iſta poteſt cum habitu faciliter, poteſt abſolutè ſine habitu: ergo repugnat, quòd ſi habitus formaliter eſt poſitivus, & continet malitiam actus vitioſi poſitivam, potentia etiam, quæ utriuſque cauſa eſt, & utrunque præcontinere debet, in quantum ſic continet, non ſit aliquid poſitivum: aliàs cauſa, in quantum talis, eſſet in minus, quàm effectus, in quantum effectus ejus eſt: & effectus haberet in ſe aliquid, quod non præceſſiſſet in cauſa: aut tandem aliquid, quod eſt forma poſitiva, & re ipſa *ens*, contineretur in eo, quod eſt realiter *nihil*: quæ ex terminis repugnant. *Confirmatio alia.*

§. II.

Evaſiones diverſæ præcluduntur.

Occurres primò, quòd cùm dicitur, effectum poſitivum exigere cauſam poſitivam, in qua præcontineatur, intelligendum eſt de illis effectibus, qui habent cauſam per ſe, à qua producantur: nam de ratione cauſæ per ſe eſt, quod contineat ſuum effectum: ſecus vero de illis, qui ſolùm per accidens producuntur, & habent cauſam, quia hoc modo unum contrarium ſolet eſſe cauſa alterius, quod minime continet: ſicut calor circunſtans cauſat per accidens intenſionem frigiditatis; & tamen certum eſt frigiditatem non contineri in calore. Et hujuſmodi eſt malitia peccati: reſpectu cujus nulla datur cauſa per ſe, ſed producitur per accidens ad productionem actus, in quo eſt talis malitia? ut docet D. Thom. prima parte, quæſt. 49. articulo primo, & in hac 1. 2. quæſt. 75. articulo 1. de malo quæſtione 1. articulo 3. & in 2. diſtinctione 34. quæſtione 1. art. 3. ¶ Ad confirmationem vero dici poſſet vel non eſſe ita certum, quòd habitus vitioſus conſtituatur formaliter in ratione vitioſi, & in ratione principii malitiæ formalis per aliquid poſitivum: vel eſſe diſparem rationem: 3 *Prima evaſio.*

nem: quia habitus prædictus reſpicit per ſe actum malum ut talem, & ab eo ſpecificatur: unde ſicut actus eſt poſitivus, habitus etiam debet eſſe poſitivus. Potentia vero peccandi non per ſe reſpicit peccatum, neque ſpeciem capit ab illo: & ideo non eſt ſimile.

Impugnatio. Sed hæc ſolutio facilè impugnatur. Tum quia licèt facultati illi, quæ eſt potentia peccandi, loquendo de illa ut eſt potentia naturalis, & ut eſt abſolutè potentia ad agendum, per accidens conveniat concurrere ad peccatum, ſicut per accidens eſt illi, ut talis potentia eſt, quòd ſit defectibilis, & quòd ſit potentia peccandi: attamen ut ſtat formaliter ſub hoc conceptu *potentia peccandi*, & conſideratur in eſſe defectibilis per defectum poſitivum, non per accidens, ſed per ſe convenit ei prædictus concurſus: ut rectè vidit Monteſinos diſp. 10. quæſt. 5. num. 49. quippe ſub eo conceptu nullum alium terminum per ſe, aut per prius reſpicit, quàm ipſum peccatum, & ejus malitiam poſitivam formalem, vel fundamentalem. Hoc enim eſt diſcrimen inter malitiam poſitivam, & privationem quod privatio omnino eſt præter intentionem: & ideo non fit niſi per accidens, quatenus impeditur perfectio, qua privat: at vero malitia poſitiva conſiſtit in tendentia poſitiva ad bonum apparens, quod voluntas per ſe intendit: & ideo per ſe etiam cadit ſub tali intentione. Et quamvis in exequutione non ſit terminus omnino primarius, ſed reſultet ad poſitionem fundamenti; hoc tamen non tollit quominus ſaltem multoties per ſe ſub intentione cadat: ſicut cadit bonitas moralis, quæ eodem modo reſultat. Quod intelligendum eſt juxta dicta diſp. 6. num. 102.

4 Deinde ſive cauſa ſit per ſe, ſive per accidens; ſi tamen re ipſa in effectum influit, & illum ex ſe elicit, omnino repugnat, quòd in quantum cauſa talis effectus non eum præcontineat. Vniverſaliter namque verum eſt, quòd in genere cauſæ effectivæ nemo dat quod non habet, ut ex terminis ipſis conſtare videtur. Quare non bene deſcribitur cauſa per ſe *quæ continet effectum*, cauſa vero per accidens *quæ illum non continet*: nam hoc eſt de ratione omnis cauſæ, ut eo modo, quo cauſa eſt, effectum contineat: neque aliter rationem cauſæ habebit, niſi juxta modum continendi effectum: ſecluſa vero continentia effectus, inintelligibilis omnino eſt ratio cauſæ effectivæ. Vnde cauſa per ſe eſt illa, quæ per ſe & ratione propriæ formæ continet effectum, quem producit; cauſa vero per accidens dicitur, quæ per accidens, hoc eſt, ratione formæ aliunde provenientis, vel non niſi facta aliqua ſuppoſitione, quæ per accidens ad illam ſe habet, prædictum effectum continet: ergo ſive potentia, de qua loquimur, ſit cauſa peccati per ſe, ſive per accidens; ſi tamen re ipſa in illud influit, & à ſe elicit, debet eo modo, quo in illud influit, totum ipſum prius continere: atque adeo ſi peccatum pro formali eſt poſitivum, ipſa quoque, ut illius cauſa eſt, debet eſſe poſitiva.

Roboratur impugnatio. Poteſtque impugnatio hæc roborari, & elucidari ex illis, quæ diſp. 5. num. 21. obſervavimus: ſcilicet duplicem eſſe cauſam per accidens efficientem: aliam, quæ verè & propriè eſt cauſa, proindéque vere influit in effectum: dicitur tamen *per accidens*, vel quia hujuſmodi influxus non omnino per ſe ei convenit, ſed ex aliqua ſuppoſitione, quæ ad eam ſecundum ſe ſumptam per accidens eſt: vel quia effectus, quamvis ſequatur ex tali influxu, præter intentionem tamen, ſequitur. Hac ratione aqua per accidens calefacit: non quia aqua calida re ipſa per ſuum calorem non influat in calefactionem; ſed quia eſſe calidam, & calor, per quem influit, convenit ei per accidens: & ſimiliter calor per accidens cauſat privationem frigiditatis in aqua, quia cauſando calorem per ſe intentum, conſequenter inducit prædictam privationem, quæ non intenditur. Et utroque iſto modo dicitur propriè cauſa per accidens, quia ly *per accidens* non extrahit à vera ratione cauſæ, ſed modum cauſandi determinat. Alia dicitur *cauſa per accidens* impropriè: quia licèt nullum habeat influxum in effectum, proindéque vera ejus cauſa non ſit; accidit tamen alteri, quæ eſt vera cauſa, veréque influit: ſive (quod idem eſt) accidit, ut ea, quæ eſt vera cauſa, veréque influit, ſumat ab illa occaſionem cauſandi, & influendi. Et hac ratione calor in vere circunſtas eſt cauſa per accidens frigiditatis in puteis: non quia calor in frigiditatem aliquid influat; ſed quia per oppoſitionem cum frigiditate eſt occaſio, ut ea, quæ eſt vera, propria cauſa frigiditatis, fortius agat, magiſque illam intendat. Et generaliter quodlibet contrarium ſolet hoc modo per antiperiſtaſim eſſe per accidens cauſa ſui contrarii.

Eſt autem diſcrimen inter has duas cauſas per accidens: nam prima, utpote quæ verè influit in effectum, debet illum præcontinere: adeóque neceſſe non eſt quærere aliam cauſam, in quam effectus reducatur. Secunda vero cum re ipſa in effectum non influat, non eſt neceſſe, quòd præcontineat illum, neque effectus in eam reducitur: eſt tamen neceſſariò quærenda alia, quæ verè & propriè ſit cauſa, ad quam effectus reducatur, & in qua præcontineatur. Ut patet in exemplo poſito de calore ambiente reſpectu frigiditatis. quia enim calor non continet adhuc per accidens frigiditatem, ideo neque in eam influit, neque hujuſmodi effectus reducitur in calorem, ſed in propriam & per ſe cauſam ipſius frigiditatis, quæ ex circumobſiſtentia, & compreſſione contrarii ambientis in ſe unita, & ad ſe ipſam veluti magis collecta fortiùs influit.

Ad rem ergo: cum dicitur potentiam peccandi eſſe per accidens cauſam peccati, non debet intelligi de hoc poſteriori modo cauſandi per accidens abſque vero influxu: quia ſic aſſignanda erit alia cauſa verè influens, in quam peccatum reducatur, quæ illud in ſe præcontineat, ſitque proinde aliquid poſitivum: & hanc, non verò illam dicemus propriam potentiam peccandi: ergo intelligendum eſt de cauſa per accidens ſumpta priori modo, atque adeo talis conditionis, ut licèt per accidens, re vera tamen in peccatum influat, poſſitque peccatum in eam ſufficienter reduci. Hoc autem intelligi nequit, niſi prædicta cauſa peccatum præcontineat: & ita ſuppoſito quòd hoc ſit pro formali poſitivum, ipſa quoque poſitiva ſit. 5 Applicatur doctrina.

Solutio

Impugnatur ſolutio adhibita confirmationi. Valent. Lorca. Arauio.

Solutio verò, quæ adhibetur confirmationi, nullius momenti eſt: nam præſens ratio procedit, ſuppoſita eorum ſententia, qui nobiſcum tenent, peccatum conſtitui per aliquid poſitivum: ex quibus nemo dubitat, quòd habitus vitioſus in ratione talis per aliquid poſitivum conſtituatur. Imo ex aliis hoc etiam affirmant Valentia, Lorca, & Araujo. Unde ſaltem in ea ſententia, quam omnino præſupponimus, tanquam ex re valde certa, deſumitur argumentum ex habitu ad potentiam, non minùs quàm ex actu. ¶ Nec diſparitas, quæ in hac ſolutione aſſignatur, ulla eſt quoad præſens. Tum quia potentia peccandi, ut talis eſt reduplicative, ſuo modo eſt per ſe in ordine ad peccatum, ſicut habitus vitioſus, ut infra decemus: ſuámque ab illo qualem qualem ſumit ſpeciem potentiæ defectibilis. Tum etiam quia ratio continendi actus in habitu, & cujuſlibet effectus in ſua cauſa non poteſt eſſe (ſaltem per ſe primò) quòd habitus actum per ſe reſpiciat, vel non: aut quòd ab eo ſpecificetur, vel non ſpecificetur: aliàs omnipotentia Dei, quæ non ſpecificatur à ſuis effectibus, neque eos reſpicit, non contineret illos. Sed oritur prædicta continentia ex generali ratione cauſæ effectivæ: quæ nequit intelligi ut influens in aliquem effectum, & illum à ſe eliciens, niſi eum præcontineat: & quia in hoc genere cauſæ nullus dat quod non habet. Unde quia hæc ratio cauſæ efficacius militat in potentia, quàm in habitu; nam ipſa etiam cauſalitas habitus reducitur ad potentiam, optime ex hoc ad illam conficitur argumentum.

6 *Evaſio alia.* Occurres ſecundò, doctrinam iſtam de continentia effectus in cauſa habere locum in illis effectibus, qui directè & per ſe primo fiunt, ſuntque proinde termini primarii alicujus productionis: ſecus in illis, qui per modum termini ſecundarii indirectè reſultant. Nam in his ſatis eſt, ſi cauſa præcontineat effectum primarium, ut ſecundarium ex eo reſultantem attingat. Hoc autem modo potentia peccandi eſt cauſa malitiæ actualis. Nam malitia hæc non producitur per ſe primo, ſed poſito fundamento reſultat per modum termini ſecundarii prædictæ potentiæ.

Præcluditur. Hæc tamen ſolutio nullius roboris eſt: & eam ſatis impgnavimus ſupra diſp. 3. num. 6. ubi oſtendimus, quòd ſive effectus ſit primarius, ſive ſecundarius, & ſive fiat directè & per ſe primò, ſive ex conſequenti & ſecundario, omnino repugnat fieri ab ea cauſa, in qua non continetur. Repugnat enim, quocunque modo id fiat, cauſam dare quod non habet: aut ab illa egredi quod in ea re ipſa non eſt. Et ratio eſt perſpicua: quia ut aliquid per modum effectus ſecundarii, poſito primario, reſultet, debet actio attingens terminum primarium eſſe talis conditionis, ut poſſit ſecundo loco poſt primarium ſecundarium attingere: ſive (quod idem eſt) debet eſſe talis conditionis, tantæque efficaciæ, ut relinquat, in termino primario virtutem, & determinationem ad attingendum terminum ſecundarium, & ut ſine alia actione ſecundarius ex primario reſultet. Alioqui talis terminus ſecundarius non produceretur per eandem actionem, per quam producitur primarius: nec proinde eſſet effectus ejuſdem cauſæ, ſed aliam exigeret. Quòd autem prædicta actio ſit tantæ virtutis, ut poſſit modo explicato terminum primarium, & ſecundarium attingere, aliunde provenire non poteſt, niſi quia potentia & principium ipſius actionis utrunque terminum in ſe continet, ut intuenti patebit; aliàs ſi hujuſmodi continentia ad id non exigeretur, poſito quolibet termino primario, poſſet ex eo quilibet alius per modum ſecundarii, & ſine nova actione reſultare, quod eſt abſurdum. Ergo quocunque modo ſive directè per modum termini primarii, ſive indirectè per reſultantiam voluntas malitiam actus attingat, debet illam in ſe præcontinere. Et ideo ſi prædicta malitia eſt poſitiva, debet quoque ipſa voluntas, ut eam continet, proindéque potentia peccandi ut talis eſſe poſitiva.

Tertiò reſpondebis, totam hanc doctrinam habere locum in bonis: in his enim verificatur axioma *nemo dat quod non habet*; ſecus autem in malis. Cujus duplex ratio reddi poteſt: prima eſt, quod reſpectu mali & peccati non datur cauſa efficiens, ſed deficiens: ut autem cauſa aliqua deficiat, non eſt neceſſe, quòd contineat effectum: imo eò magis in ejus productione deficit, quò de illo minus continet. Secunda ratio eſt, quòd habitus vitioſus producit totam malitiam actus; & tamen non continet illam totam: aliàs eſſet ita malus habitus, ſicut actus: contra doctrinam D. Thomæ ſupra art. 3. & idem eſt de potentia, quæ cauſans totam malitiam tam habitus, quàm actus, non eſt ita mala ſicut aliquis ex illis, nec proinde habet in ſe totam malitiam, quam in eis producit: ergo, &c. 7 *Tertia evaſio.*

Confirmatur: nam quodlibet mortale peccatum, ut malum mortale eſt, cauſat in Deo offenſam ſimpliciter infinitam, quæ eſt infinitum malum ipſius Dei à peccante intentatum: & tamen nullum peccatum in ratione mali moralis eſt ſimpliciter infinitum, neque habet in ſe malitiam infinitam: ergo in genere mali neceſſarium non eſt, quòd tota ratio effectus præcontineatur in cauſa.

Verùm neque hæc ſolutio vim noſtræ rationis enervat: quoniam prædictum axioma *nemo dat quod non habet* tenet in omnibus, in quibus id, quod *dari* dicitur, re ipſa eſt aliquid, & poſitivum, quod proinde ut in rerum natura ponatur, eget aliquo vero influxu, veráque & poſitiva cauſalitate: ſive illud ſit de genere boni, ſive de genere mali. Et ratio videtur perſpicua: quia omne, quod re ipſa eſt aliquid, & non eſt aliquo modo à ſe, ſed indiget ad eſſendum in rerum natura poni ab alio, prius debet intelligi ut virtualiter exiſtens in eo, à quo ponitur, quàm intelligatur poni formaliter in ſe: ſive (quod in idem redit) prius in eo, à quo ponitur, debet intelligi virtus, & efficacia ad ponendum illud, quàm intelligatur ipſum in ſe actu & formaliter poni: ubi autem intelligitur virtus & efficacia ad aliquid ponendum, ubi iam id ipſum, quod ponendum eſt, ſaltem virtualiter eſſe intelligitur, proindéque continentia illius virtualis. *Refellitur.*

Unde ad primam rationem poſſet negari, quòd peccatum non habeat cauſam niſi deficientem: nam ut vidimus ex D. Thoma art. 1. hujus quæſt. etiam habet cauſam effi- 8

cientem

Digitized by Google

cientem per accidens, de qua diximus debere effectum præcontinere. Admiſſa vero ea loquutione, quod ſolum habet cauſam deficientem, conſequenter dicendum eſt, quod ſicut in peccato actuali duplex eſt effectus, alius privativus, qui eſt carentia debitæ rectitudinis, & alius contrarius ordini rationis, qui eſt tendentia ad objectum diſſonum: ita cauſa ipſius peccati dupliciter dicitur *deficiens*, & *deficere*: uno modo *privativè*, ſeu *negativè*, quia non habet tantam perfectionem, quantam habitura erat, ut non poſſet peccare, neque à regula rationis deficere: alio modo *contrariè*, quia dicit tendentiam in actu primo, & per modum potentiæ ad actum & objectum oppoſitum tali regulæ: ſicut enim uterque iſte eſt modus deficiendi à regula rationis, ſic uterque conſtituit cauſam deficientem: unus poſitivè & contrariè, ſicut ipſe eſt poſitivus; alius privativè, vel negativè, ſicut defectus ipſe eſt privatio, vel negatio.

Ad ſecundam rationem patet ex illis, quæ diſp. 5. per totam, ſed præcipuè à n. 9. diximus, ubi ſatis explicuimus, quomodo licet tota malitia, quæ eſt in actu ſecundo ineſſe rei & quoad rectum ſit in habitu, & tota malitia habitus ſit in potentia: non tamen ita malam denominet potentiam ſicut habitum, neque habitum ſicut actum ſecundum: non quidem ex defectu continentiæ effectus in cauſa, ſed propter majorem explicationem in illo, quam in iſta, majorémque applicationem ad exercitium inficiendi & deformandi, ut ibi dictum eſt. Hoc autem locum habere nequit in potentia peccandi reſpectu malitiæ actualis poſitivæ, niſi ipſa potentia ſimiliter poſitiva ſit: quia forma realis & poſitiva nequit contineri adhuc quoad realitatem in ſola privatione, vel negatione: cùm ſit manifeſta implicatio, quod vera & poſitiva realitas contineatur in eo, quod eſt re vera nihil. Quæ implicatio non cernitur in eo, quod eadem forma realis ſit magis explicata in uno ſubjecto, quam in alio, juxta majorem unius, quàm alterius capacitatem; licet utrobique ſit tota in *eſſe rei*, ſeu tota ejus realitas.

Per quod poſſumus etiam occurrere confirmationi. Nam ratio offenſæ in actu peccati ideo non eſt formaliter infinita: quia limitatur ex incapacitate ſubjecti, ne explicet totam ſuam vim deformativam: in Deo verò ubi eſt infinita capacitas, infinitè ſe explicat, infinitámque injuriam conſtituit. Unde tota illa infinitas offenſæ, quæ formaliter & ſub exercitio offenſæ in Deo concipitur, continetur virtualiter in *eſſe rei* in peccato mortali: potéſtque hujus malitia dici *infinita virtualiter* in ratione offenſæ activæ, ſicut injuria quæ irrogatur Deo eſt infinita ſimpliciter in ratione offenſæ formalis. Et quantum ad hoc militat illa diſparitas, quam ſupra tradidimus inter bonum & malum; nam in genere boni quælibet additio reperta in effectu, debet oriri ex additione formaliter, vel eminenter reperta in ipſa forma & realitate conſtitutiva boni: genus autem mali poteſt augeri etiam intenſivè quoad denominationem & exercitium, ſine additione ex parte rationis conſtitutivæ per ſolam connotationem majoris capacitatis ex parte ſubjecti. Utrumque tamen genus in eo convenire debet, quod cauſa contineat ex parte realitatis effectum, quem producit: atque adeo quod ſi effectus ſit poſitivus & realis, cauſa non poſſit eſſe ſola negatio, vel privatio. Aliter poſſet huic confirmationi reſponderi ex diſparitate inter effectum poſitivum, qualis eſt malitia peccati, & inter privationem, ſicut eſt offenſa illata Deo, ut ab una ad aliam non valeat argumentum quantum ad modum continentiæ in cauſa. Sed hoc alibi proſequemur.

Fortè dices quartò nullum dari influxum poſitivum & realem reſpectu actualis malitiæ: & ita nullam requiri cauſam poſitivam & realem, quæ illam præcontineat: ſed poſito actu à voluntate deficiente cum malitia privativa, reſultare ibi abſque poſitivo alicujus cauſæ influxu malitiam poſitivam. 9 Ultimum effugium.

Cæterum iſta ſolutio nullius momenti eſſe poteſt: multóque facilius, quam aliæ rejicitur. Destruitur. Nam malitia peccati conſtitutiva eo ipſo quod non ſit à ſe, neque primum deficiens, ſed per ſe ſupponat voluntatem & potentiam peccandi, nequit in rerum natura poni per ſe ipſam: ſed debet poni ab alio priori deficiente: & ita indiget concurſu illius, à quo ponitur, proportionato ipſi malitiæ: cumque talis malitia ſit aliquid poſitivum, neceſſario indiget influxu poſitivo. ¶ Deinde ſi malitia illa non poneretur per influxum voluntatis, non eſſet voluntaria, atque adeo nec mala moraliter: quippe hoc malum abſque voluntario intelligi nequit. Quinimo neque imputaretur homini, neque propter illam puniretur, neque peccare diceretur: cum nihil horum cadere poſſit niſi ſupra id, quod eſt nobis voluntarium.

Dices ſufficere ad totum hoc quod voluntas negativè influat non præbendo influxum, quo prædictam malitiam impediat. ¶ Sed contra: quia influxus negativus re ipſa non eſt influxus, ſed carentia, aut negatio veri influxus, proindéque ſe ſolo non poteſt eſſe ſufficiens, niſi fortè ad negationem, vel privationem, quæ quia non ſunt aliquid, nullo egent influxu per ſe. Et licet prædictus influxus negativus ſufficiat ad non impediendum id, quod ex vi alterius veri influxus ponitur, non tamen ſufficere poteſt, ut per ipſum ſolum id, quod re ipſa eſt aliquid, ponatur.

§. III.

Oſtenditur aſſertio, alia communiori ratione.

OStendimus præcedenti ratione poſiti- 10
vum potentiæ peccandi ex poſitivo Secunda
actualis malitiæ: id quod propoſito noſtro evaſio.
ſatis eſſet: non enim veram ſententiam minus certæ idcirco alligamus; ſed ex probatiſſima, valdéque recepta opinione adſtruente prædictam malitiam poſitivam, hanc minus certam de poſitivo potentiæ deducimus. Verùm quia neque oppoſitam ſententiam negantem in actu talem malitiam, immunem ab hac de poſitivo potentiæ ire credimus, adjicimus ſecundam rationem, quæ etiam ejus ſententiæ defenſores nobiſcum ſentire compellat. Etenim quamvis prædicta ſententia neget

Google

malitiam actualem poſitivam, negare tamen non poteſt fundamentum malitiæ privativæ in ratione talis fundamenti eſſe aliquid poſitivum, quod proinde neceſſario poſtulat principium poſitivum, in quo contineatur, & à quo in rerum natura ponatur: ſed hoc principium eſt formaliſſimè ipſa potentia peccandi: ergo neque auctores illius ſententiæ poſſunt prædictam potentiam pro formali à linea poſitivi excludere. Major quoad ſecundam partem habetur ex dictis pro prima ratione §. 1. inde enim conſtat effectum poſitivum, quicumque ille ſit, & qualitercumque fieri debeat, indiſpenſabiliter poſtulare cauſam poſitivam, in qua præcontineatur. Quoad ſecundam vero probari poteſt tum ex communi ratione privationis, quæ talis naturæ eſt, ut nequeat aliter fieri, quàm poſito aliquo fundamento, unde ipſa ſequatur & reſultet. Ut enim ait D.Thom. in præſenti art. 1. privatio non eſt quæcumque carentia, ſed illius perfectionis, quæ nata eſt ineſſe, & debetur: perfectio autem, quæ alicui debetur, & nata eſt ineſſe, nunquam deeſt, niſi propter aliquod impedimentum eam tollens: & hujuſmodi impedimentum eſt fundamentum, ex quo privatio reſultat. Tum etiam, nam privatio, de qua loquimur, debet egredi à voluntate per modum actualis exercitii: aliter non erit voluntaria, neque proinde peccaminoſa: ſed non poteſt egredi directè & ratione ſui: hoc enim proprium eſt ſolius exercitii poſitivi, ut in tract. de volunt. diſp. 4. oſtendimus: dicetur itaque egredi ſolùm indirectè, quia occaſionatur ex ipſo exercitio poſitivo: quatenus dum hujuſmodi exercitium poſitivum ob repugnantiam cum aliqua perfectione eam perfectionem impedit, conſequenter inducit privationem talis perfectionis. Eſt igitur indiſpenſabile ad prædictam privationem aliquid poſitivum, ex quo reſultet, ſitque proinde ejus fundamentum. Ex quo minor ejuſdem ſyllogiſmi facile ſuadetur: quoniam potentia peccandi pro formali nihil aliud exprimit, niſi quod ſit principium effectivum malitiæ, & eam in ſe contineat: hoc autem totum habet quod eſt principium prædicti fundamenti, & continet ipſum: quippe neque malitia privativa aliter poteſt contineri in cauſa, & cauſari, niſi media continentia & cauſalitate ſui fundamenti: neque quod tale fundamentum in ratione fundamenti continet & cauſat, poteſt non eo ipſo continere & cauſare malitiam.

Cōfirmatio. Confirmatur à ſimili in effectibus poſitivis, qui non fiunt per actionem ad ſe immediatè terminatam, ſed reſultant poſito fundamento: cujuſmodi ſe habent bonitas moralis, relationes, & ſimilia. In his enim id ipſum, quod eſt cauſa per ſe fundamenti, cauſat ex conſequenti tales effectus: per eandémque virtutem; eademque continentia continet, & cauſat effectus, qua continet & cauſat fundamentum. A fortiori ergo in privationibus, quæ multò minus habent unde fiant per actionem ad ſe immediatè terminatam, ſed debent reſultare poſito fundamento, id ipſum quod fuerit cauſa fundamenti, per eandémque virtutem & continentiam erit cauſa privationis. Atque adeo ſicut ad continendum & cauſandum fundamentum, eo quod eſt poſitivum, neceſſaria eſt vis poſitiva, ſic etiam ad continendam & cauſandam privationem.

Confirmatur ſecundo: nam juxta doctrinam D.Thom. in hoc primo articulo ad prædictam privationem non ſatis eſt aſſignare cauſam deficientem, ſeu non agentem; ſed debet etiam aſſignari cauſa efficiens per accidens: hæc autem cauſa per accidens exponitur à S.Doctore per reductionem ad cauſam per ſe; quatenus eademmet cauſa, & ſecundum eandem vim effectivam, qua directè & per ſe terminatur ad effectum poſitivum, per accidens & ex conſequenti attingit privationem: quod aliter verificari nequit, niſi quia tale poſitivum eſt fundamentum ipſius privationis, hæcque ex illo reſultat ex vi ejuſdem cauſæ & influxus. Quare ſicut reſpectu effectus poſitivi cauſa debet eſſe poſitiva, ſic etiam reſpectu privationis. Cōfirmatio alia.

Neque apparet effugium, quo adverſarii enervent hanc rationem, niſi negando prædictæ privationi fundamentum poſitivum: quaſi vel nullo indigeat fundamento, ſed egrediatur à voluntate immediatè ſe ipſa: vel tale fundamentum (eſto illo indigeat) in ratione fundamenti non importet aliquid poſitivum intrinſecum, ſed vel aliquid privativum, aut negativum, vel aliquam extrinſecam denominationem; ſicut erit denominatio *procedentis à voluntate defectibili*, vel denominatio *connotantis talem voluntatem*. 11 Evaſio ad rationem.

Sed in primis negare indigentiam fundamenti, apertè eſt contradicere D.Thom. cùm alibi dum ait, converſionem ad bonum commutabile, quæ eſt in peccato, eſſe fundamentum privationis, ſeu averſionis repertæ in illo: ſic enim loquitur in 4. diſt. 16. q. 3. artic. 2. quæſtiuncula 1. ad 2. ibi: *Fundamentum averſionis eſt converſio in peccato*. Et q. 2. de mal. art. 7. ad 1. *Inordinata converſio ad commutabile bonum eſt cauſa averſionis*. Tum in hoc articulo dum ad privationem omnino requirit aliquid impediens perfectionem oppoſitam: hoc namque impediens perfectionem eſt fundamentum privationis, quod quærimus. Contrariatur etiam communi exiſtimationi: omnes enim prædictam privationem ejus conditionis & debilitatis exiſtimant, ut omnino indigeat aliquo, cui ut fundamento innitatur, & ſine quo non poſſit conſiſtere: ſicut indigent relationes, & alia imperfectæ entitatis. ¶ Ad hæc: vel in ſubjecto, cui ineſt privatio, datur aliquid repugnans perfectioni debitæ, quam privatio aufert; vel non? Si datur, id ipſum eſt privationis fundamentum: ſiquidem eſt ratio, propter quam talis privatio inſit. Si non datur, nulla eſt ratio, cur deſit oppoſita perfectio, ac proinde cur ea privatio inſit. Non eſt ergo intelligibilis vera privatio abſque fundamento. Impugnatur pro prima parte. D. Thom.

Dices ſufficientem rationem prædicti defectus eſſe defectum perfectionis, & regulæ exiſtentem in voluntate: quia voluntas deficiens à regula eo ipſo producit actum cum defectu. ¶ Sed contra: quia non obſtante prædicto defectu perfectionis in voluntate producit ſæpe actus bonos, atque adeo ſine privatione non utendo illo ſuo defectu, ſed utendo regula rationis: ergo alia ratio quærenda eſt, cur dum malè operatur, utatur ſuo defectu, & non prædicta regula, ac proinde inducat

Digitized by Google

inducat in actu privationem. Hæc autem ratio non poteſt eſſe alia, niſi aliqua tendentia ad objectum diſſonum, quæ ſit fundamentum privationis.

12 Impugnatur pro ſecunda. Deinde prædictum fundamentum debere eſſe poſitivum ſatis convincit noſtra ratio: & poteſt denuò confirmari: quia fundamentum privationis in eſſe talis non poteſt conſtitui per aliquid privativum: una enim privatio non fundatur in alia; aliàs hæc etiam indigeret alia, ut fundaretur, & illa alia, & ſic in infinitum. Neque conſtituitur per puram negationem: quia negatio pura non habet connexionem potius cum hac privatione, quàm cum alia, ſicut debet habere illud, quod eſt privationis fundamentum: aliter nequibit aſſignari ratio, cur fundet hanc privationem, & aliam non fundet. Debet igitur eſſe aliquid poſitivum. Accedit, fundamentum privationis, de quo loquimur, debere eſſe tale, ut actio voluntatis directè & per ſe ad illud terminetur, indéque ex conſequenti, & per accidens privatio reſultet: at negationi repugnat talis terminatio non minus quàm ipſi privationi, ut eſt per ſe notum: ergo, &c.

Ex quo etiam manet impugnatum, quod tangitur de denominatione extrinſeca. Tum quia hæc non poteſt eſſe terminus per ſe, & directè attactus à voluntate, ex quo privatio reſultet. Tum etiam, quia denominatio nequit exercere prædictum munus fundamenti, niſi ratione formæ denominantis: quicquid enim præſtat aliqua denominatio, totum provenit à forma, cum qua eſt idem ſecundum rem: vel ergo talis forma eſt aliquid de linea actus ſecundi exiſtens in ipſo actu peccaminoſo, ubi eſt malitia? Et tunc denominatio non eſt extrinſeca, ſed intrinſeca. Vel eſt ſola voluntas, aut ejus defectibilitas ſecundum id, quod habet in actu primo? Et tunc nequibit eſſe fundamentum proximum malitiæ: quia hujuſmodi fundamentum debet eſſe in exercitio voluntarium, ſicut eſt malitia, quam fundat: atque adeo debet oriri à voluntate per modum actus ſecundi, & diſtingui ab ejus actu primo. ¶ Adde, denominationem, quæ in hac evaſione aſſignatur pro fundamento malitiæ, ſcilicet *dependentu à voluntate creata ut defectibili*, non eſſe extrinſecam actui peccaminoſo, ſed intrinſecam: importat enim reſpectum dependentiæ à prædicta voluntate, qui quidem reſpectus in actibus elicitis eſt aliquid intrinſecum, ut alibi oſtendimus. A quo etiam reſpectu tribuitur denominatio illa *connotantis*: unde neque hæc poteſt eſſe prædicto actui extrinſeca. Nulla igitur via extrahi poteſt à linea poſitivi intrinſeci fundamentum prædictæ privationis.

13 Redargutio. Sed objicies: quia adhuc juxta noſtram ſententiam adſtruentem malitiam poſitivam hæc malitia non fit per actionem ad ſe directè terminatam: ſi enim hoc non conceditur bonitati morali, multò minus concedendum eſt malitiæ: & tamen, hoc non obſtante, tota ratione præcedente explicuimus potentiam peccandi per habitudinem ad talem malitiam, non habito reſpectu alicujus fundamenti: ergo etiam non obſtante quod malitia privativa fiat modo dicto, poterit prædicta potentia explicari ab adverſariis per reſpectum ad illam independenter ab alio fundamento.

Reſpondetur ita eſſe, quod nec malitia formalis poſitiva ſit directè & immediatè, ſed Enervatur. reſultat poſito fundamento adeóque potentia peccandi in quavis ſententia ſolùm attingit directè & immediatè malitiam fundamentalem, debétque per ordinem ad eam immediatè explicari: & quicquid de malitia formali ſuperius à nobis dictum eſt quoad vim inferendi potentiam peccandi poſitivam, intelligitur ſimul aut per prius de malitia fundamentali. Debuimus tamen in præcedenti ratione expreſſius malitiæ formalis meminiſſe, quia ſi ſemel hæc etiam eſt poſitiva, urgentius, magiſque ad hominem inferri videbatur illatio à nobis intenta: clariúſque & liberius ab impugnationibus relinquitur, potentiam peccandi eſſe poſitivam, ſi non modò fundamentalis, ſed etiam formalis malitia in ipſa contenta poſitiva ſit.

§. IV.

Triplex objectio pro oppoſita ſententia.

EX paucis, qui circa potentiam peccandi aliquid dixerunt vix reperies, qui vel omnino expreſsè pro nobis ſit (præter Alvarez, quem ſupra adduximus) vel nobis in propriis terminis & expreſsè contradicat. Credimus autem in oppoſitum referendos Monteſinos diſput. 10. quæſt. 5. & Lorcam diſputatione 41. quatenus peccabilitatem noſtræ voluntatis ad ſolum defectum & carentiam perfectionis videntur reducere. Vaſquez vero diſput. 129. cap. 10. Salas diſput. 7. & quidam alii ſubobſcurius loquuntur. Eſt autem contra noſtram ſententiam triplex objectio. Prima, quia in doctrina D. Thom. 1. part. q. 49. De mal. quæſtione 1. artic. 3. aliiſque in locis, & in communi modo loquendi aliorum Patrum, ut Dionyſii, Auguſtini, & Anſelmi, malum, & peccatum non habent cauſam per ſe, neque efficientem; ſed ſolùm deficientem, vel agentem per accidens: potentia autem peccandi, ut ſtat formaliter ſub hoc conceptu, per ſe eſt ad peccatum, & ita ſi ut ſic eſt poſitiva, & poſitivè, ac per veram & realem efficientiam in peccatum influit, nihil ei deeſſe poteſt, quominus ſit cauſa illius efficiens per ſe.

Monteſ. Lorca. Vaſq. Salas. Prima objectio. D. Thom. Dionyſ. Auguſt. Anſelm.

Confirmatur ex eodem D. Thoma locis cit. ubi ait, quod malum ſi quam habet cauſam, Cõfirmatio. talis cauſa non poteſt eſſe niſi bonum: eo quod unumquodque agit, in quantum eſt ens actu, & in quantum eſt in actu, eſt bonum: at potentia peccandi, ut ſtat formaliter ſub hoc conceptu, non eſt bona, ſed deficit à ratione boni, & eſt mala cauſaliter: ergo neque ut ſic poteſt eſſe aliquid poſitivum, quod ſit cauſa peccati. ¶ Adde, quod de ratione cauſæ, & præcipuè efficientis, eſt communicare ſe: communicare autem ſe, eſt ſolùm proprietas boni: ergo, &c.

Reſpondetur, neque D. Thomam, neque alios Patres nobis efficere; ſed favere potius 14 Solutio objectionis. ſuo modo loquendi: ſiquidem non ſolùm aſſignant peccato cauſam deficientem, ſed etiam efficientem per accidens: at cauſa efficiens per accidens in hoc differt à purè deficiente, quod importat, vim poſitivam terminatam per ſe ad aliquid poſitivum, ex quo re-

Digitized by Google

ſultet privatio : ut in principio dubii, & in ſecunda ratione expendimus ; unde hic modus loquendi manifeſtè eſt pro nobis. Neque obeſt quod dicitur potentiam peccandi ſub hoc conceptu per ſe eſſe ad peccandum : nam hoc verum eſt loquendo de peccato quantum ad malitiam fundamentalem & poſitivam, ad quam fatemur terminari ſuo modo per ſe prædictam potentiam. Secus de malitia privativa, quæ inde reſultat per accidens & præter intentionem, ex vi tamen ejuſdem cauſalitatis : quando autem peccato negatur cauſa per ſe, ſermo eſt de hac malitia privativa.

Sed quamvis D. Thom. & alii Patres abſolutè negarent peccato & cuivis ejus malitiæ omnem cauſam efficientem, & ſolam deficientem concederent, non ideo nobis officerent ; nam deberent exponi de cauſa efficiente, quæ ſit talis ſimpliciter : & ideo non excluderent cauſam efficientem ſecundum quid, qualis eſt potentia peccandi ſub hoc conceptu. Pro quo nota, quod ſicut *facere* & fieri ordinatur ſimpliciter ad *eſſe* actu, ita cauſa efficiens abſolutè & ſimpliciter dicitur illa, quæ effectui tribuit entitatem & actualitatem, atque adeo quæ communicat ei perfectionem: quia unumquodque eſt perfectum ſecundum quod eſt ens actu. Quæ vero hæc non communicat, quamvis re ipſa efficiat aliquid poſitivum, quod ſit veluti differentia & modus entis, non dicetur cauſa, neque efficiens ſimpliciter, ſed ſecundum quid & valde imperfectè. Hac ratione D. Thom. lib. 1. de generat. lect. 9. generationem accidentis appellat *generationem ſecundum quid* ; & generationem ſubſtantiæ *generationem ſimpliciter* : quia *eſſe* accidentale, quod per illam communicatur, eſt *eſſe* ſecundum quid ; *eſſe* verò ſubſtantiale, quod hæc tribuit, eſt *eſſe* ſimpliciter. Quia ergo poſitivum, in quo malitia moralis conſiſtit, non exprimit ſimpliciter entitatem, ſed magis entitatis deordinationem & depravationem : idcirco cauſa attingens hoc poſitivum quantum ad prædictam expreſſionem, non dicitur cauſa ſimpliciter, neque efficiens ſimpliciter ; ſed ſecundum quid, diminutè, & imperfectè : ſicut neque ipſum poſitivum quoad prædictam expreſſionem dicetur ſimpliciter effectus, aut ſimpliciter fieri. Quinimo ſicut hoc potius dicitur defectus, imperfectio, deordinatio, & depravatio entitatis actus, quæ ſimpliciter fit : ita ejus cauſa quantum ad prædictum munus non tam dici debet cauſa efficiens, quàm imperfectio, deordinatio, & deficientia illius, quæ abſolutè & ſimpliciter eſt cauſa. Et hoc ſignificant Patres & Doctores, dum potentiæ peccandi abſolutè negant rationem cauſæ efficientis, & appellant abſolutè *cauſam deficientem*. Loquuntur autem de deficientia non purè privativa, vel negativa, ſed contraria, & ut ita dicamus, adverſativa, ut explicuimus diſputatione 6. num. 103.

15 Solutio cõfirmationis. Ad confirmationem reſpondetur D. Thomam ſolùm velle, quod cauſa mali debet eſſe aliqua res in ſe ipſa bona bonitate tranſcendentali : quia ſicut operatio, qua malitia efficitur, non poteſt in ſe non eſſe actus & ens, & in quantum ens & actus tranſcendentaliter bona : ita cauſa prædictæ operationis nequit non in ſe ipſa eſſe ens & res bona. Non autem intendit S. Doctor, quod in quantum bona influat in malitiam, ſed in quantum prædictæ bonitati jungitur aliqua deordinatio poſitiva, quæ non exprimit entitatem, neque bonitatem ; ſed potius ſe habet ut infectio & nævus ipſius entitatis : per quam illa potentia, quæ in ſe eſt ens & bona, beniquè effectiva, velut à ſua entitate & perfectione deflectens, efficitur potentia defectibilis & peccabilis.

Neque obeſt quod Angel. Doctor aliquando aſſerit, malum non agere niſi in virtute boni : quo dicendi modo inſinuare videtur, ipſam mali efficientiam oriri ex bono, debereque in ipſum reduci. ¶ Reſpondetur enim nequaquam hoc inſinuari in prædicta loqutione : alias ſicut Deus eſt cauſa boni, eſſet etiam cauſa mali ex regula *qui eſt cauſa cauſæ*, &c. Sed ſolùm innuitur, quod malum nihil ageret, niſi à bono fulciretur & ſuſtineretur. Sicut enim vis effectiva mali non aliter ſubſiſtit, quàm ad exiſtentiam entitatis & bonitatis tranſcendentalis, ac veluti illis ſubnixa : ita non aliter poſſet cauſare, quàm ut innixa cauſalitati prædictæ bonitatis & entitatis, ſuſtentantéque hujus influxu & efficientia in genere cauſæ materialis efficientiam & influxum malitiæ. Nulla tamen inter prædictas cauſalitates admittenda eſt reductio, vel dependentia de genere cauſæ efficientis, formalis, aut finalis.

Ad illud quod additur, dicendum eſt, quòd licet communicatio propriè & ſimpliciter dicta, ſit proprietas boni, quia talis communicatio tendit ad dandum *eſſe* & perfectionem : attamen communicatio latius ſumpta pro extenſione, vel communicatione cujuſlibet formalitatis, poteſt etiam malo competere ; quamvis non niſi cum dependentia à bono modo explicata.

Secundo objicies, quod D. Thom. dum aſſignat in voluntate defectum, ob quem poteſt deflecti ad malum & ad peccandum, nullam facit mentionem hujus defectibilitatis poſitivæ, quam nos ponimus ; ſed totum hoc reducit ad privationem, vel negationem majoris perfectionis : ut quia voluntas facta eſt ex nihilo : quia non eſt ſua regula : quia non tenens regulam applicat ſe ad operandum, &c. quæ omnia ſonant defectum perfectionis, & non aliquid poſitivum : ergo neque hujuſmodi poſitivum in via Angel. Doctoris ponendum eſt, nec per illud potentia peccandi debet conſtitui. 16 Objectio ſecunda.

Confirmatur ex eodem D. Thom. infrà q. 79. art. 1. & 2. Et 1. part. q. 49. art. 1. De mal. quæſt. 3. art. 1. & 2. & alibi : ubi explicans quare actio peccaminoſa, quæ ſecundum entitatem reducitur in Deum ſicut in cauſam primam : quantum ad malitiæ defectum non refundatur in illum ; ſed in ſolum liberum arbitrium creatum, hanc ubique reddit rationem : quia prædicta actio quantum ad entitatem eſt à libero arbitrio ut tenente ſe ſub ordine ipſius cauſæ primæ, ſervantéque talem ordinem ; quantum ad malitiam vero eſt ab illo ut deficiente à prædicto ordine, ipſúmque deſerente & omittente : at in hoc nihil exprimitur poſitivum, ſed ſolà omiſſio, & defectus ordinis : ſignum ergo eſt hujuſmodi ſolùm defectum, & non aliquid poſiti- Cõfirmatio ex D. Th.

poſitivum intervenire in efficientia malitiæ.

Confirmatio alia. Confirmatur ſecundo: nam eo ipſo quòd intelligamus liberum arbitrium non eſſe ipſam regulam rationis, nec per ſe infallibiliter cum illa connexum (quod eſt tantùm defectus negativus) intelligimus poſſe à prædicta regula deficere, applicaréque ſe ad operandum ſine illa: at eo ipſo quòd intelligamus poſſe ita deficere, intelligimus poſſe peccare: fruſtra ergo pro conſtituenda hac potentia recurrimus ad aliquid poſitivum.

Diluitur objectio. Reſpondetur D. Thomam explicuiſſe potentiam peccandi per prædictas negationes, non quia in eis conſiſtat; ſed quia ſunt nobis notiores: & quia hoc quòd eſt voluntatem factam eſſe ex nihilo, & non eſſe ſuam regulam, eſt in ea veluti ratio à priori defectibilitatis poſitivæ, quæ prædictam potentiam conſtituit, ut ſequenti dubio explicabimus. Neque hoc eſt novum apud Ang. Doctorem: nam malitiam conſtitutivam peccati commiſſionis, quæ eſt forma poſitiva, explicuit ſæpe per privationem rectitudinis, quæ ad eam conſequitur, ut vidimus diſp. 6. dub. 3. eò quòd hujuſmodi privatio notior eſt apud nos, quam prædicta forma. Et propter eandem rationem ſubſiſtentiam naturæ ſubſtantialis ubique ferè explicuit per negationem eſſendi in alio: cum tamen prædicta ſubſiſtentia ex communi ſententia Thomiſtarum & aliorum non ſit negatio, ſed aliquid poſitivum.

17 *D. Thom.* Ad primam confirmationem reſpondetur, eiſdem in locis inſinuari à D. Thoma noſtram ſententiam. Tum quia non ſolùm docet malitiam eſſe à libero arbitrio ut deficiente ab ordine cauſæ primæ, aut omittente talem ordinem, ſed etiam aſſerit eſſe ab illo ut prædictum ordinem exeunte & egrediente: ſicut videre eſt citata quæſt. 79. art. 2. ad 3. ibi. *Dicendum quod effectus cauſa media procedens ab ea ſecundum quod ſubditur ordini cauſa prima, reducitur etiam in cauſam primam: ſeu ſi procedat à cauſa media ſecundum quod exit ordinem cauſæ primæ, non reducitur in cauſam primam: ſicut ſi miniſter faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum ſicut in cauſam.* Ubi & verbis & exemplo eſt pro nobis. Verbis quidem: nam exire ordinem cauſæ primæ in rigore loquendo, non dicit puram omiſſionem, vel deſertionem talis ordinis; ſed poſitivam tendentiam & motum in contrarium. Exemplo etiam: quia non dixit *ſi miniſter omittat mandatum Domini*, &c. ſed *ſi faciat contra*, quòd etiam denotat poſitivam tendentiam ad oppoſitum tali mandato. Tum etiam quia intelligibile eſt, quòd liberum arbitrium ſubtrahat ſe ab ordine cauſæ primæ per privativam & voluntariam ejus deſertionem, ſicut exigitur ad peccandum, niſi ſubtrahendo aliquid ſui poſitivum, uſúmque talis poſitivi à prædicto ordine: ſi namque quantum ad omnes rationes & formalitates poſitivas tali ordini omnino conformaretur, & illi in omnibus ſubderetur, ac ſecundum nullius uſum ab eo exiret, nihil ibi eſſet fundans illam privativam, & voluntariam deſertionem. Quemadmodum dum idem liberum arbitrium bene operatur, nihil eſt, quod eam deſertionem fundet, quia nulla utitur incontrarium ratione poſitiva, ſed illis dumtaxat, quibus ſe ordini primæ cauſæ conformat; igitur quando operatur malè, prædictúmque ordinem deſerit; aliqua utitur ratione poſitiva, cujus uſus, proindéque & ratio ipſa non continentur ſub tali ordine. Unde etiam ſi D. Thom. ad rem hanc declarandam ejuſmodi ſolùm terminis, qui privationem exprimunt, uſus fuiſſet, deberet ſubintelligi prædicta ratio poſitiva, qua liberum arbitrium, dum peccat, utatur in contrarium ordinis cauſæ primæ: hujuſmodique poſitivo & contrario uſu ſeu abuſu deſerat & omittat talem ordinem, fundétque privationem, & defectum ſubordinationis ad cauſam primam, quæ ibidem reperiuntur.

Ex quo ad ſecundam confirmationem negandum eſt antecedens, quia dum non intelligitur in libero arbitrio facultas tendendi ad objectum diſſonum & oppoſitum regulæ rationis, adeóque defectibilitas aliqua poſitiva, quæ ſit hujus tendentiæ principium, non intelligitur adæquatè ut potens deficere moraliter à prædicta regula: quamvis intelligatur non eſſe ipſam regulam, neque per ſe cum illa connexum. Sicut in actu ipſo peccati dum non intelligimus actualem tendentiam ad objectum diſſonum regulæ rationis, non intelligimus deformitatem neque defectum moralem à tali regula: quamvis poſſimus intelligere actum illum ut indifferentem & negativè non conformem regulæ. Et ratio utrobique eſt eadem, & ſatis perſpicua: quia defectus à regula rationis ut ſit moralis, debet eſſe privativus & voluntarius: nam defectus non voluntarius, vel ſolùm negativus; eo ipſo non eſt moralis: quòd verò prædictus defectus ſit privativus & voluntarius, aliunde habere non poteſt, niſi quia innititur voluntariæ tendentiæ ad objectum oppoſitum tali regulæ. Unde & principium prædicti defectus, ut adæquatè concipiatur, vel æquè prius primò concipi debet ut potens tendere ad prædictum objectum regulæ rationis oppoſitum, ac proinde cum poſitiva defectibilitate, per quam influere poſſit in iſtam tendentiam, quàm intelligatur poſſe moraliter & voluntariè deficere ab eadem regula.

Tertio objicies: quia ſi voluntas, ut eſt proxima potentia peccandi, dicit pro formali aliquid poſitivum, etiam in anima, in quantum eſt principium hujus potentiæ proximæ, debet admitti aliquid poſitivum, per quod in ratione potentiæ ad peccandum quaſi radicalis conſtituatur: atqui hoc non videtur dicendum: ergo. Sequela patet: quia voluntas, ut eſt potentia peccandi, dimanat ab anima, & in ea radicatur, non minus quàm ut eſt potentia naturalis: id verò, quod eſt poſitivum, non poteſt ex alio quàm ex poſitivo dimanare, nec in alio radicari. Minor autem ex eo probatur: quia non ſatis apparet, quid ſit illud poſitivum, ratione cujus anima eſt radicalis potentia peccandi, aut quid ſit in ea præter ipſam ſuam ſubſtantiam, quæ tota eſt Dei effectus, per quod radicaliter in peccatum poſitivè influat. ¶ Nec ſatis eſt dicere, prædictum poſitivum eſſe etiam potentiam peccandi, & tendendi ad objectum diſſonum, non proximè & formaliter, ſed radicaliter & cauſaliter. ¶ Nam hoc eſt quod inquirimus: quid nimirum ſit formaliter in ſe ipſo prædictũ poſitivum, ex quo habet quòd ſit potentia peccandi 18 *Tertia objectio.*

peccandi radicaliter & cauſaliter? Prius enim unumquodque eſt formaliter *hoc aliquid* in ſeipſo, quam ſit aliud radicaliter: neque eſſet illud radicaliter, niſi quia eſt hoc formaliter: quemadmodum anima ipſa prius eſt in ſe ſubſtantia ſpiritualis formaliter, quàm ſit radicaliter potentia intelligendi & amandi: & ideo eſt hoc radicaliter, quia eſt illud formaliter. Quid autem ſit formaliter in ſe ipſo illud poſitivum, ratione cujus anima eſt radicale principium peccandi, hoc quæritur, & non ſatis apparet. ¶ Eò præſertim quòd cum tota ſubſtantia animæ ſit per ſe primò in ordine ad *eſſe* prædictum poſitivum, quod in ea ponitur, potius debet poni in ordine ad *eſſe*, quàm in ordine ad operationem: priúſque reſpicere debet defectum animæ in eſſendo, quàm in operando: in eſſendo autem nullus apparet in anima defectus, quem reſpiciat: ergo, &c.

Confirmatio.

Confirmatur: quia ſi in ſubſtantia & natura animæ daretur hujuſmodi potentia radicalis, daretur in ea naturalis inclinatio ad peccatum: eo quod prædicta potentia non poſſet non ad proprium actum inclinare: & ita peccatum, quod juxta illam eſſet, non poſſet dici contra naturam hominis; ſed magis juxta inclinationem ejus naturalem: cujus oppoſitum docet D. Thom. ſupra quæſt. 71. art. 1. & nos diſp. 2. oſtendimus: ergo, &c.

Reſponſio.

19 Reſpondetur ad objectionem admiſſa majori ſeu ſequela, negando minorem. Ad cujus probationem poſſet ſuſtineri ſolutio ibi inſinuata. Et ad impugnationem reſpondetur plura eſſe; quorum formales & quidditativas rationes per ſe ipſas non ſcimus; & tamen propterea neganda non ſunt: ſed explicamus illa vel à poſteriori per ſuos effectus, vel per hoc quòd aliorum, quæ notiora nobis ſunt, habent eſſe cauſæ & radices. Sic diffinimus eſſentialiter equum eſſe animal hinnibile, non formaliter, quia hinnibilitas formalis eſt proprietas & non eſſentia equi; ſed radicaliter: quid vero ſit in ſe formaliter hoc quod dicimus eſſe *radicem hinniendi*, non cogimur explicare: cujus rei innumera alia exempla afferri poſſent. Et hoc nobis ſat erat pro ſolutione iſtius objectionis. ¶ Addimus vero ut valde probabile, prædictum poſitivum, quod dicimus *radicalem potentiam peccandi*, conſiſtere formaliter in ipſo modo limitationis & finitatis, qui in qualibet intellectuali creatura invenitur, ratione cujus fundat negationem majoris perfectionis, hoc eſt, eſſendi actum purum, aut eſſendi ſuum *eſſe*. Nam ex eo quod prædicta creatura eſt finita & limitata, & non eſt ſuum eſſe neque actus purus, conſequitur in ea quòd ſit defectibilis à regula rationis, & quòd poſſit peccare. Unde prædictus modus limitationis per ſe primò & formaliter eſt defectus in ordine ad *eſſe*; ex conſequenti vero & radicaliter in ordine ad *operari*. A quo verò modus iſte ortum ducat, ſequenti dubio declarabitur.

Replica.

Neque obeſt ſi urgeas: tum quòd creaturam eſſe limitatam, aut eſſe finitam, ſolùm dicit in ea negationem majoris perfectionis, & non aliquid poſitivum. Tum etiam quòd ſi limitatio prædicta eſſet radix potentiæ peccandi, ſicut omnis creatura tam rationalis, quam non rationalis eſt limitata, ſic omnis eſſet peccabilis: quod eſt abſurdum.

Enervatur.

Reſpondetur enim ad primum, quòd ſicut Deum eſſe illimitatum & infinitum duo dicit: nempe & carere termino poſitivo limitante ejus perfectionem, & habere poſitivè plus, ac plus perfectionis, per quam fundat prædictam carentiam termini: ita creaturam eſſe limitatam & finitam, importat aliquid negativum, quod eſt carentia ulterioris perfectionis, & aliquid poſitivum, ratione cujus immediatè & formaliter hujuſmodi carentiam fundat, ſcilicet modum ſupradictum, per quem perfectio creaturæ poſitivè terminatur, limitatur, & finitur, ſiſtitque ita in ſe ipſa, ut ulterius ad eſſendum aliud non poſſit progredi.

20 Ad ſecundum reſpondetur ex D. Thoma quæſt. 24. de verit. art. 7. quòd quia peccatum debet eſſe per receſſum privativum vel contrarium ab univerſali & ſummo bono: ex duobus capitibus provenire poteſt, quòd aliqua natura non poſſit peccare: vel quia eſt ipſum ſummum bonum, aut cum eo infallibiliter connexa; proindéque non poteſt ab illo ſeparari & deficere: & hujuſmodi impeccabilitas nulli creaturæ poteſt per ſua naturalia convenire, eo ipſo quòd eſt finita & limitata, ut in tract. de Angel. diſp. 9. dub. 2. latè probavimus: vel quia talis natura non ordinatur immediatè ad prædictum bonum, ſed ad aliquod bonum determinatum & particulare; bonum vero univerſale omnino eſt extra ejus objectum: atque ita ſicut non eſt capax attingendi illud immediatè & in ſe, ſic non eſt capax ab eo recedendi & deficiendi contrariè aut privativè, quod eſt peccare. Et hac ratione creaturæ non intellectuales, etiam ſi ſint finitæ & limitatæ, dicuntur *impeccabiles* negativè: quia cum non ordinentur ad univerſale bonum, nec ſint capaces illud attingendi, nequeunt ab eo prædicto modo deficere. Ut verò non deficiant ab eo bono, ad quod ordinantur, prædicta limitatio non obeſt: quia etiam ipſum bonum eſt quid determinatum & limitatum, proindéque non exigit ad ſui indefectibilem attingentiam majorem perfectionem, quàm finitam & limitatam. Creatura vero intellectualis ordinatur ad univerſale bonum: & ita eo ipſo quòd ſit limitata, poteſt ab eo deficere, atque adeo peccare. Quod rectè explicuit Ang. Doctor loco cit. in ſolut. ad 1. his verbis. *Dicendum, quòd creaturæ corporales, ut dictum eſt, ſunt ordinatæ ad aliquod particulare bonum per determinatas actiones: & ideo ab hoc quod ab earum actionibus error & peccatum naturaliter abſint, ſufficit quòd ſint per ſuam naturam ſtabilitæ in aliquo bono particulari: quod non ſufficit in creaturis ſpiritualibus ordinatis ad bonum abſolutè, ut dictum eſt.* Quare cum nos dicimus, modum limitationis in creatura eſſe radicem peccabilitatis, intelligendum eſt, ſuppoſito quòd creatura ipſa ſit capax attingendi bonum univerſale: cujuſmodi eſt ſola intellectualis; non autem creaturæ aliæ corporales: unde in illa, non vero in iſtis limitatio peccabilitatem inducit. Videantur quæ diximus loco citato.

D. Thom.

Ad confirmationem hujus tertiæ objectionis dictum eſt diſp. 2. dub. 1. num. 12. quomodo etſi potentia peccandi ſit aliquid poſitivum ſuo modo ad peccatum inclinans, & peccatum

Digitized by Google

peccatum ſit juxta hanc potentiam, non ideo peccatum habet eſſe juxta naturam: quia prædicta potentia, ut ſtat formaliter ſub illo conceptu, non oritur per ſe à natura, ut natura eſt, neque ex principiis naturæ procedit: unde neque eſt naturalis, nec juxta naturam, ſed *innaturalis*, ac *præter* vel *contra naturam*: nec dici debet *potentia* aut *inclinatio*, niſi ſecundum quid; ſimpliciter autem *imperfectio*, *deordinatio*, *deviatio*, *& veluti exorbitatio naturalis potentiæ, & naturalis inclinationis.*

Quæres autem in fine hujus dubii, an ſicut in anima & in voluntate ponimus prædictam defectibilitatem poſitivam, ponenda etiam ſit in aliis potentiis, puta in appetitu ſenſitivo & in intellectu? De his enim tantummodo videtur ſupereſſe difficultas, propterea quod concurrunt ad actus poſitivè & extrinſecè malos. ¶ Reſpondetur verò affirmativè. Quod de appetitu ſatis convincitur ex doctrina, quam tradidimus diſp. 10. à n. 51. ubi diximus ineſſe illi ſufficientem libertatem & facultatem ad peccandum venialiter ſine actuali voluntatis influxu: hæc enim facultas ſalvari nequit abſque intrinſeca & poſitiva defectibilitate ejuſdem appetitus, per quam malitiam venialem poſitivam contineat. De intellectu autem ex eo liquet, quia ipſe ſecundum ſe eſt principium falſitatis & erroris, quæ non minus, quàm malitia moralis debent in poſitivo conſiſtere: atque adeo requirunt poſitivum principium, in quo contineantur. An vero hujuſmodi defectibilitas intrinſecè etiam afficiat aliquos ex ſenſibus internis, venari poteſt ex dictis diſp. cit. n. 10.

DUBIUM II.

Unde ortum habeat poſitivum, quod conſtituit formaliter potentiam peccandi?

21 QUia poſitivum, quod conſtituit potentiam peccandi, poteſt conſiderari dupliciter: vel materialiter quatenus dicit rationem entis, actualitatem, & bonitatem tranſcendentalem, quæ conſtituunt prædictam potentiam in ratione potentiæ ſimpliciter, & de materiali ſe habent in illa, ut eſt formaliter ad peccandum: vel quatenus expreſsè dicit munus continendi malitiam poſitivam, reſpiciendique per modum actus primi peccatum & ejus objectum, quod eſt proprium munus talis potentiæ, ut eſt ad peccandum: & quoad illud prius ex ſe & ex dictis diſputatione 6. dub. 4. à num. 86. conſtat debere eſſe à Deo: ſicut etiam poſitivum peccati quoad omnes ſimiles rationes habet eſſe ab illo: videndum modò eſt, an etiam quoad hoc poſterius poſſit ab ipſo cauſari: vel à quo originetur?

§. I.

Statuitur prior aſſertio.

DIcendum eſt primò prædictum poſitivum, ut ſtat formaliter ſub conceptu potentiæ peccandi, dicitque expreſsè illud munus continendi malitiam, nequaquam à Deo cauſari, neque eſſe ab illo: darique proinde in voluntate creata aliquam formalitatem, quam ſecundum aliquam ſui expreſſionem poſitivam Deus non cauſet. Hæc ſecunda aſſertionis pars apertè ſequitur ex priori: prior autem ſumitur ex D. Baſilio homil. 2. in Hexaëmeron, Auguſt. Damaſceno, Anſelmo, & aliis Patribus, quos ſequenti aſſertione adducemus. Illam etiam ſequuntur D. Bonavent. in 2. diſt. 44. art. 1. quæſt. 2. Richard. ibidem art. 1. q. 2. Scotus quæſt. unic. Cajet. 1. part. quæſt. 17. art. 1. & alii. Et videtur expreſsè D. Thom. in 3. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. ad 6. ubi ſic ait: *Dicendum, quod potentia peccandi, in quantum peccandi, non eſt à Deo, ſed quantum ad ſubjectum potentiæ tantum:* ſcilicet quoad entitatem & perfectionem, quæ ibi eſt de materiali, quæque eſt veluti ſubjectum deordinationis tam negativæ, quàm poſitivæ, per quam potentia peccandi in eſſe talis formaliſſimè conſtituitur. Et in 2. diſt. cit. q. 1. art. 1. duo diſtinguit in potentia, quæ eſt ad peccandum: nempe & rationem potentiæ abſolutè & ſimpliciter dictæ, quo pacto eſt principium actus peccati, ſecundùm quod actus eſt: & defectum, ſive defectibilitatem, & deordinationem talis potentiæ, per quæ conſtituitur in ratione principii malitiæ: & primum dicit eſſe à Deo; ſecundum vero negat eſſe ab illo. Unde concludit. *Sic ergo potentia peccandi quantum ad id, quod potentia eſt* (id eſt quoad id, quod eſt perfectionis) *à Deo eſt: ſed quantum ad defectum, qui implicatur, non eſt à Deo.* Hoc etiam modo loquitur ad Annibal. eadem diſt. 44. q. 1. art. 1. & q. 22. de verit. art. 6. ad 3. ſic ait: *Quod voluntas ſit flexibilis ad malum, non habet ſecundùm quod eſt à Deo.* In quantum autem eſt flexibilis ad malum, in tantum eſt potentia peccandi. Legatur etiam in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 1. ad 2. Quo ſenſu verò ipſe D. Thom. & aliqui alii ex Patribus aliquando aſſerant potentiam peccandi ex Deo eſſe, infrà declarabimus in ſolutione primi argumenti.

Baſil. Auguſt. Damaſc. Anſelm. D. Bonav. Ricard. Scot. D. Thom.

Probatur ratione deſumpta ex D. Thom. locis citatis quæ poteſt reduci ad hanc formam. Si potentia peccandi formaliter ſumpta, vel poſitivum, quod eam in ratione talis conſtituit, cauſaretur à Deo, eſſet Deus formaliter cauſa peccati: conſequens eſt abſurdum: ergo, &c. Sequela patet ex communi axiomate, quòd *omnis cauſa cauſæ eſt cauſa effectus cauſati ab iſta cauſa:* quod univerſaliter verum eſt, & receptum ab omnibus, quoties cauſa cauſati in eodem genere dicitur effectus ſuæ cauſæ, in quo ipſa habet eſſe cauſa ſui effectus: ergo ſi Deus eſſet cauſa efficiens potentiæ peccandi formaliter ſumptæ, vel ejus poſitivi, quod illam in ratione talis formaliter conſtituit, cùm hujuſmodi potentia ſit etiam cauſa efficiens ipſius peccati, Deus 22 Ratio aſſertionis.

 quoque

quoque reſpectu illius haberet rationem cauſæ efficientis, attribueretúrque ei peccatum non minus quàm prædictæ potentiæ.

Cõfirmatio. Confirmatur: quia ſi Deus eſſet cauſa potentiæ peccandi ut talis, præcontineret in ſe adæquatè quicquid potentia ipſa eſt, & quicquid in ea formaliter, vel virtualiter continetur: nam quicquid in potentiâ aliqua continetur, prout in ea continetur, eſt formaliter ipſa potentia, & ideo qui prædictam potentiam adæquatè continet, continet omne contentum in tali potentia: ſicut qui continet cauſam alicujus effectus, continet eo ipſo effectum contentum in eadem cauſa: cum igitur in potentia peccandi contineatur tota malitia conſtitutiva peccati, in Deo contineretur tota hæc malitia; ſi ſemel ipſe continet prædictam potentiam, & eam cauſat. Quod tamen eſt abſurdum: cum nihil Deo & ſummo bono magis repugnet quàm malitia & ejus continentia.

§ II.

Solutio cuiuſdam iunioris enervatur.

NEc refert, ſi cum docto quodam juniore occurras, Deum, etſi cauſet totum poſitivum, quod eſt in potentia peccandi, & ſecundum omnes formalitates ejus abſolutè conſideratas; itaut nulla earum divinam cauſalitatem ſubterfugiat; non idcirco cauſare prædictam potentiam formaliter in ratione potentiæ peccandi, & prout habet eſſe principium malitiæ: quia poſitivum illud, quod Deus cauſat non abſolutè ſumptum, qua ratione eſt à Deo, conſtituit hanc potentiam, ſed ut habet eſſe ex nihilo, vel eſt capax manendi ſub nihilo: quod convenit creaturæ ex propriis meritis, & non ex Deo.

Non igitur hoc refert: nam cum dicitur in hac ſolutione, Deum non cauſare ſupradictum poſitivum, *ut habet eſſe ex nihilo, & conſtituit potentiam peccandi:* aut verba illa *ut habet eſſe ex nihilo*, ſupra poſitivum, quod eſt materiale in prædicta potentia, reduplicant aliquam formalitatem poſitivam; aut aliquod ejus munus etiam poſitivum, ratione cujus præcontineat & cauſet malitiam poſitivam peccati: vel tantùm reduplicant negationem eſſendi à ſe, & carentiam majoris perfectionis? Si primum: aliquid admittitur jam de genere poſitivi, quod non ſit à Deo: nimirum illa formalitas, quæ per prædicta verba reduplicatur: & nihil aliud nos aſſerimus eſſe formale conſtitutivum potentiæ peccandi. Secundum verò dici nequit: quia ſola negatio, vel carentia ſicut nequit eſſe ſufficiens ratio præcontinendi malitiam poſitivam, & influendi in illam, ut dubio præcedenti vidimus: ita nequit eſſe conſtitutivum potentiæ peccandi, de cujus ratione eſt continere prædictam malitiam, & in eam realiter influere.

23. Fulcitur evaſio. Dices pro prædicto juniore, illa verba *ut habet eſſe ex nihilo* nec reduplicare ſolam negationem eſſendi à ſe, neque aliquid poſitivum ſecundum ſe, & in eſſe rei ſumptum: ſed reduplicare poſitivum in recto, ut connotat negationem: ſive (quod in idem redit) reduplicant ſupra poſitivum, quod eſt materiale potentiæ peccandi ſecundum ſe & in eſſe rei ſumptum, connotationem negationis, ſeu ipſummet poſitivum in eſſe recti, & in ratione connotantis. Unde licet totum poſitivum & rectum, quod eſt in potentia peccandi ſecundum ſe ſumptum à Deo ſit, nihilque ibi in eſſe rei inveniatur, quod ipſe non cauſet; adhuc non cauſat prædictam potentiam, ut eſt formaliſſimè ad peccandum; quia non cauſat tale poſitivum formaliter ut connotat, nec formaliter in eſſe recti connotantis in obliquo negationem: ac proinde neque connotationem ipſam: quæ (juxta hunc dicendi modum) conſtituunt formaliter ſupradictam potentiam. Intendit itaque hæc ſolutio, potentiam peccandi formaliſſimè ſumptam nihil aliud eſſe, quàm ipſammet entitatem poſitivam, quæ eſt à Deo, non præcisè ſumptam ſecundum ſe, neque ut à Deo; ſed ut connotat hoc, quod eſt eſſe ex nihilo, ſeu non eſſe à ſe. Si verò aliquis petat, quid addat connotatio hæc ſupra poſitivum entitatis ſecundum ſe ſumptum? Dicendum videtur juxta eandem ſolutionem, in eſſe rei nihil addere: nec eſſe ibi, poſita, aut connotata negatione, aliquam formalitatem poſitivam, quæ ſecundum ſe & in eſſe rei, præciſa tali connotatione, non eſſet: addere verò aliquid in eſſe denominativo: quia additur denominatio *connotantis in ratione connotantis*, & denominatio *recti ſub conceptu recti*. Unde præciſa, ſeu non connotata negatione, eſt ibi totum poſitivum, & totum illud rectum ſecundum ſe & in eſſe rei; non tamen eſt ſub conceptu recti: illa verò connotata additur denominatio *recti ſub conceptu recti*: quia rectum ſub conceptu recti neque manere neque intelligi poteſt ſine connotato & obliquo: quare his ſublatis, aufertur prædicta denominatio, adeóque formaliſſimus conceptus potentiæ peccandi deſtruitur: quamvis totum id, quod alias erat rectum prædictæ potentiæ, ſecundum ſe & in eſſe rei maneat.

Poſſetque tota hæc ſolutio aliqualiter illuſtrari: tum exemplo actus amoris liberi Dei, qui ſupra ſe ipſum ut neceſſarium nullam addit formalitatem in eſſe rei; ſed ſolam connotationem exiſtentiæ, aut futuritionis creaturæ, ad quam terminatur: potuitque, deficiente hoc connotato, deficere in Deo denominatio *amantis liberè*, proindeque amor ejus formaliter ut liber, abſque eo quod formalitas aliqua in illo deeſſet. Tum etiam exemplo relationis paternitatis Petri, v. g. terminatæ ad primum filium, quæ per ſolam connotationem ſecundi filii denominat Petrum *eius patrem*, ſine eo quod aliqua formalitas ad eſſe rei pertinens prædictæ relationi accreſcat. Cujus rei plura alia poſſent adduci exempla. Ergo etiamſi dicamus potentiam peccandi in ratione talis conſtitui per poſitivum, non ideo admittenda eſt pro ejus conſtitutione formalitas illa, quam nos ponimus, quæ ſecundum ſe & in eſſe rei ſumpta, non ſit à Deo. Iuvatur exemplis.

Cæterum hujuſmodi ſolutio (quam in gratiam ſupradicti junioris, ut potuimus, enucleare conati ſumus) non enervat vim noſtræ rationis. Ut verò melius evertatur, animadvertendum eſt primò, omnem realem denominationem debere provenire ab aliqua forma, vel formalitate, quæ in ſe ipſa & prius natura, quàm denominationem tribuat, ſit 24 Doctrina pro impugnatione.

aliquid

Digitized by Google

aliquid reale. Et ratio eſt perſpicua : quia omnis denominatio & omne denominativum ſupponit formam denominantem, à qua deſumitur : ut conſtat ex ipſa denominativorum diffinitione, quam ſtatim adducemus : à forma vero, quæ in ſe ipſa & in eſſe rei conſiderata nihil reale eſt, neque poteſt ſumi realis denominatio, neque eſt ubi talis forma ſupponatur ad ſuam denominationem. Hoc autem verum eſt, ſive denominatio ſit primaria, ſive ſecundaria; & ſive ſit intrinſeca, ſive extrinſeca : quia ubi nulla præintelligitur forma denominans, nulla poteſt intelligi denominatio, ut eſt per ſe notum.

Doctrina alia. Secundò nota, quòd ut diſp. 6. num. 106. dicebamus, denominatio debet habere proportionem cum forma, à qua deſumitur, debétque eſſe ejuſdem rationis, & ejuſdem ordinis cum tali forma : & ideo neque ab albedine ſumitur denominatio nigri, neque à nigredine denominatio albi : neque à forma quæ eſt de genere boni poteſt ſumi denominatio mali, aut è converſo. Et ratio eſt, tum quia denominatio & denominativum (quæ idem ſunt quoad præſens) ſecundum rem, & quoad rectum non differunt à forma denominante, ſed ſolùm quoad cadentiam nominis, & modum ſignificandi : & ita Philoſophus in anteprædicamentis denominativa ſic diffinit. *Quæ ab alio* (ſcilicet à forma denominante) *nominis appellationem habent ſolo differentia caſu* : ut *malum* à malitia, *album* ab albedine, &c. Tum etiam quia omnes denominationes virtualiter & in radice continentur in ipſa forma denominante, & reducuntur ad genus ejuſdem formæ. ¶ Ex quo etiam fit ut eadem ſit cauſa efficiens denominationis, quæ eſt cauſa efficiens formæ denominantis, nec poſſit cauſare formam denominantem, qui non poteſt quantum eſt ex ſe cauſare omnem ejus denominationem, propterea, quæ nuper dicebamus : quia nimirum prædictæ denominationes non omnino ſunt aliud à forma, & ita nec requirunt aliam efficientiam præter efficientiam formæ, nec poſſunt eam terminare : eo verò modo, quo à forma diſtinguuntur, nempe ex parte modi ſignificandi, vel eſſendi, continentur virtualiter in ipſa forma : & ideo neque ut ſic requirunt aliam cauſam, ſed qui attingit formam eas in illa attingit.

25 Alia animadverſio. Tertiò obſerva, quòd licèt denominatio primaria nunquam poſſit à ſua forma ſeparari: aliquando tamen ſeparatur ab illa denominatio ſecundaria : eò quòd hujuſmodi ſecundariæ denominationes ſæpe exigunt aliquod connotatum, quod forma earum ſecundum ſe ſumpta, & denominatio primaria non requirunt. Tunc verò appoſito connotato, additur denominatio ſecundaria ſine additione alicujus formæ vel formalitatis: quia tota forma denominans cum ſua denominatione primaria præexiſtebat jam formaliter in ſubjecto, & ex defectu ſolius connotati non tribuebat denominationem ſecundariam : quo proinde ſemel poſito, eadem ipſiſſima forma dat utramque denominationem. Quòd ſi denominatio, quæ, poſito connotato, additur, non eſſet ſecundaria, aut in denominatione primaria, & in forma, quæ præexiſtebat, non contineretur, nequaquam talis denominatio de novo ſine nova forma proportionata ipſi denominationi poneretur : & ideo ſi denominatio realis & poſitiva eſſet, forma quoque deberet eſſe in ſe aliquid poſitivum & reale : & qui cauſaret effectivè formam, effectivè cauſaret denominationem.

Quæ omnia cerni poſſunt in exemplis adductis pro ſolutione, quam impugnare intendimus : quæ bene intellecta contra illam & pro nobis ſunt. Semper enim ibi datur aliqua forma denominans, quæ ſecundum ſe & in eſſe rei ſit aliquid reale poſitivum ejuſdem generis, ejuſdémque rationis cum ipſis denominationibus, in quam omnes illæ reducuntur, & in cujus virtute continentur : & cauſa efficiens talis formæ eſt cauſa efficiens denominationum : niſi tam forma quàm denominatio ſit incapax efficiendi & terminandi actionem. Unde in actu libero Dei ipſamet entitas & actualitas, quæ conſtituit & denominat actum neceſſarium, eſt propria forma ſecundario denominans, & conſtituens actum liberum in eſſe liberi : & ab ea ſumitur denominatio illa *connotantis in ratione connotantis*, & *recti ſub conceptu recti* : & quia talis formæ nulla datur cauſa efficiens, ſed habet eſſe à ſe; ideo neque ipſæ denominationes habent cauſam effectivam, ſed ſunt etiam à ſe. In parte verò forma denominans reſpectu ſecundi filii eſt eadem relatio paternitatis, qua primum filium reſpiciebat : & qui fuit cauſa illius relationis, eſt etiam cauſa prædictæ denominationis. Quia tamen hujuſmodi denominationes ſunt ſecundariæ & ultra formam denominantem, requirunt aliquod connotatum, à quo ipſa forma non dependet : idcirco dum non eſt tale connotatum, & ſi ponatur forma, non ponuntur; & eo ſublato, etiam ſi nulla auferatur forma, auferuntur.

His prænotatis facile impugnatur tota illa ſolutio. Nam cum dicitur verba illa *ut habet eſſe ex nihilo* reduplicare; ut poſitivum connotat negationem eſſendi à ſe, & hoc totum nihil aliud eſſe præter denominationem *connotantis in ratione connotantis* : & *recti ſub conceptu recti* : hoc eſt quod inquirimus, quinam & à quo ſit forma poſitiva, ex qua hujuſmodi denominationes deſumuntur. Nam cum omnis denominatio realis & poſitiva (cujuſmodi ſunt iſtæ, de quibus loquimur) ſupponat formam denominantem poſitivam & realem, à qua deſumatur, ut dictum eſt in primo notabili : & (ut in ſecundo probavimus) eadem omnino ſit cauſa efficiens denominationis, quæ eſt cauſa formæ à qua denominatio deſumitur : id, quòd fuerit cauſa formæ denominantis *rectum ſub conceptu recti*, & *connotans in ratione connotantis*, erit quoque cauſa harum denominationum. Et ita qui cauſaverit poſitivum prædictæ formæ ſecundum ſe & in eſſe rei ſumptum, ut antecedit denominationes, & earum connotata; poſitis connotatis cauſabit idem poſitivum, prout connotat, & prout exercet munus recti ſub conceptu recti. Unde vel debet admitti in ipſa entitate, quam Deus ex nihilo cauſat, aliqua formalitas poſitiva, quæ ſub aliquo conceptu expreſſo non ſit ab ipſo, quæque ſit conſtitutivum potentiæ peccandi, formaliter ut eſt ad peccandum, ſitque propria forma, à qua denominationes illæ ſumantur : vel concedendum eſt prædictas denominationes deſumi 26 Impugnatio in forma.

Digitized by Google

ſumi immediatè à forma, quam Deus cauſat, adeòque Deum illas cauſare, ſicut cauſat ipſam formam: & conſequenter cauſare etiam potentiam peccandi, ut ſtat formaliter ſub hoc conceptu, ſecundum quem juxta ſolutionem quam impugnamus, in illis conſiſtit.

Replica. Deinde: vel denominationes illæ *connotantis in ratione connotantis*, & *recti ſub conceptu recti* ſunt de genere boni, poſſúntque in Deum reduci, vel ſunt de genere mali, & nequeunt Deo ut cauſæ attribui? Si primum, non conſiſtet in illis potentia peccandi, ut eſt ad peccandum: quia potentia hæc formaliſſimè ſumpta, nec eſt de genere boni, nec poteſt Deo attribui, ſicut non poteſt ei attribui peccatum. Si ſecundum, ergo forma vel formalitas poſitiva, à qua deſumuntur, & in qua continentur, etiam eſt de genere mali, proindéque irreducibilis in Deum: aliàs non ſervaretur debita proportio inter denominationem & formam denominantem: neque eſſent ejuſdem generis & rationis: ut debere eſſe in ſecundo notabili oſtendimus.

27 Fulcitur. Neque obeſt ſi dicas, quòd in Eucharistiæ Sacramento ſubſtantia corporis Chriſti Domini denominatur terminus tranſubſtantiationis panis; & tamen nulla datur forma in eſſe rei à qua denominatio iſta ſumatur: quandoquidem nec de novo per converſionem producitur, nec ante converſionem alicubi talis forma exiſtebat: ergo non eſt neceſſaria pro qualibet reali denominatione forma denominans quæ in eſſe rei ſit aliquid.

Enervatur. Non itaque hoc obeſt: quia doctrina noſtra etiam convincit dari in hoc caſu formam, à qua denominatio illa *termini tranſubſtantiationis* proveniat: eò quòd inintelligibilis eſt, univerſaliter loquendo, denominatio abſque forma denominante. Unde hæc objectio poſtulat quidem, ut prædicta forma aſſignetur: quod pertinet ad materiam de Euchariſtia: non autem noſtram doctrinam enervat, nec contra eam aliquid convincit. Fortè denominatio illa *termini* ſumitur ab ipſamet actione converſiva panis: aut ab aliquo modo ſubſtantiali per talem actionem de novo producto: aut denique ab ipſamet ſubſtantia corporis Chriſti Domini, quæ ſine novæ formæ ſuperadditione ſe ipſa aut ſua obedientiali potentia apta eſt converſionem terminare, & poſita actione converſiva tanquam connotato, de facto terminat, & tribuit prædictam denominationem. Quod 3. p. in tract. de Euchariſt. Deo dante ex profeſſo examinabimus.

28 Alia impugnatio. Secundò impugnatur alia via ſupradicta ſolutio. Quia hoc quod eſt creaturam connotare quod fiat ex nihilo, vel quòd ſit capax manendi ſub nihilo, convenit ei formaliſſimè, prout habet eſſe à Deo, & prout eſt terminus divinæ cauſalitatis: ergo vel dicendum eſt potentiam peccandi formaliſſimè ſumptam cauſari à Deo, proindéque Deum eſſe cauſam peccati: vel non conſiſtere in prædicta connotatione, aut in entitate, quæ eſt à Deo præcisè ut connotat. Conſequentia liquet. Antecedens verò probatur: tum quia per id formaliſſimè quod creatura habet ex Deo, eſt ejus effectus, & terminus creationis: per id autem, per quod eſt terminus creationis, connotat formaliter quòd ſit ex nihilo: eò quòd creatio eſt productio entis ex nihilo: unde neque eſſe, neque intelligi poteſt ipſa, aut ejus terminus, niſi intelligamus aliquid eſſe extractum ex nihilo: atque adeo niſi connotando ipſum nihilum per modum termini *à quo* & capacitatem manendi ſub illo. Tum etiam quia terminus *ad quem* cujuſcumque actionis ex propria ratione termini *ad quem* habet connotare terminum *à quo* talis actionis: ſicut ex propria ſua ratione eſt connexus cum hujuſmodi termino: & per id ipſum connotat formaliſſimè prædictum terminum *à quo*, per quod in ratione termini *ad quem* conſtituitur: ergo cum creatura ſit terminus *ad quem* reſpectu creationis per id formaliter quod habet à Deo, nempe per proprium *eſſe* prout tale *eſſe* ab ipſo Deo participatur: fit inde quòd per hujuſmodi *eſſe*, etiam prout à Deo, connotet terminum *à quo* creationis, atque adeo hoc quod eſt eſſe ex nihilo, & capax manendi ſub illo.

Dices creaturam habere quidem à Deo quòd ſit, ſicut habet ab illo totum ſuum *eſſe*: quòd vero hujuſmodi *eſſe* non ſit ſua eſſentia, nec ſit *eſſe* à ſe, atque adeo quòd ſit ex nihilo, hoc non eſt à Deo; ſed convenit illi omnino per ſe ipſam. ¶ Contra: quia aliud eſt unde habet creatura quòd ſit ex nihilo, aut quòd non ſit à ſe nec ſit ſuum *eſſe*; & aliud unde hoc connotat: ſicut aliud eſt in qualibet re eſſe aliquid, & aliud connotare quod re ipſa non eſt: & ſicut aliunde eſt terminus *à quo* actionis, & aliunde actio connotans prædictum terminum. Quamvis ergo non eſſe à ſe, & non eſſe ſuum *eſſe* ſolùm conveniat creaturæ ex ſe ipſa; connotare tamen totum hoc poteſt & debet convenire illi per id ipſum, quod habet à Deo, & prout à Deo: ſcilicet per proprium *eſſe*, ut eſt terminus divinæ creationis, & ab ipſo Deo cauſatum & participatum, quandoquidem inintelligibilis eſt talis terminus in ratione termini prædictæ creationis ſine prædicto connotato. Aut ergo dicendum eſt potentiam peccandi formaliſſimè ut talem ex Deo eſſe: aut non conſiſtere in ſola entitate, quam Deus cauſat, prout præcisè connotat eſſe ex nihilo: ſed in aliqua poſitiva formalitate, ex modo noſtro concipiendi prædictæ entitati ſuperaddita: quæ licet ſecundum rationes entis, vitalitatis, bonitatis tranſcendentalis, & alias nullam exprimentes deformitatem, connotanteſque ut terminum *à quo* nihilitatem, cauſetur effectivè à Deo; quoad explicitum tamen continendi malitiam, & reſpiciendi per modum potentiæ actum & objectum diſſonum, ab illo neque ex aliquo, neque ex nihilo cauſetur, ſed aliunde, vel à nullo ortum habeat.

§. III.

Alia aſſertio pro dubii plena deciſione.

Dicendum eſt ſecundo potentiam peccandi formaliter, ut eſt ad peccandum, ſeu ut eſt potentia defectibilis, & malitiæ principium, nullam habere cauſam effectivam ſui: ſed conſequi & veluti reſultare in creatura rationali, & in ejus voluntate, eò quòd ex nihilo, vel capax manendi, ſub nihilo eſt, abſque influxu aliquo, qui ad genus cauſæ efficientis pertineat. Unde 29

ſuppoſito

Digitized by Google

ſuppoſito quòd prædicta potentia in ratione talis per poſitivum conſtituatur (ut dubio præced. probatum eſt) neceſſariò debet admitti aliqua forma, aut formalitas poſitiva, quæ ſecundum aliquam ſui rationem & expreſſionem non ſit producta neque à Deo, neque ab aliqua creatura: proindéque omni cauſa effectiva careat; ſed poſita à Deo entitate creaturæ ſine cauſalitate aliqua ex ipſa nihilitatis conditione immediatè veluti reſultet.

Hæc ultima pars aſſertionis ex aliis, quæ in ea continentur, manifeſtè deducitur, ſuppoſitis illis, quæ in hoc & in præcedenti dubio dicta ſunt: & eam fore neceſſariò admittendam, ſuppoſito quod malitia actualis ſit aliquid poſitivum, ſentiunt graves juniores à nobis de hac re ſæpius conſulti. Prima vero & ſecunda pars ejuſdem aſſertionis, ac proinde etiam hæc poſterior deſumitur ex Auguſtino lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. ubi quærens cauſam effectivam noſtræ voluntatis ſecundum quod eſt deficiens & principium mali operis, proindéque ſecundùm quòd eſt potentia peccandi, ſic inquit. *Hujus porro malæ voluntatis cauſa efficiens ſi quæratur, nihil invenitur. Quid eſt enim quod facit voluntatem malam, cum ipſa faciat opus malum: ac per hoc mala voluntas efficiens eſt operis mali: malæ autem voluntatis efficiens eſt nihil.* Et infra circa finem capitis. *Qui ergo dicit eum, qui conſentit tentanti, feciſſe ſibi voluntatem malam, quærat cur eam fecerit: utrum quia natura eſt; an quia ex nihilo facta eſt? Et inveniet voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quia natura eſt; ſed ex eo quod de nihilo facta eſt.* Id ipſum proſequitur ſequenti cap. 7. quod ita incipit. *Nemo ergo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis:* ubi circa finem ſic ait. *Hoc ſcio, naturam Dei nunquam, nuſquam, nulla ex parte poſſe deficere: & ea poſſe deficere, quæ ex nihilo facta ſunt.* Idem tradit D. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 3. ubi ita de Deo loquitur. *Et quia ſummè bonus eſt, dedit omnibus naturis, quas fecit ut bonæ ſint; non tamen tantùm bonæ, quantum creator omnium bonorum, qui non ſolum ſummè bonus, ſed etiam ſummum atque incommutabile bonum eſt, quia æternum bonum eſt, nullum habens defectum, quia non ex nihilo factum: nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideo quippe naturæ à Deo factæ proficere poſſunt, quia eſſe cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo factæ ſunt. Ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum vero provehit operatio creatoris.*

D. Auguſt.

D. Fulgent.

Eadem aſſertio deſumitur ex D. Dionyſio cap. 4. de divin. nominib. Gregorio Nyſſeno lib. 7. de liber. arbitr. cap. ultimo, & ex Damaſceno lib. 2. de fide cap. 27. quos refert & ſequitur D. Thom. quæſt. 24. de verit. art. 7. ubi defectibilitatem arbitrii creati, & ejus peccabilitatem reducit ad hoc, quòd creatura non eſt ſuum *eſſe*, neque actus purus, ſed permixtus potentiæ. *Quæ quidem permixtio potentiæ* (inquit) *ei accidit propter hoc quòd eſt ex nihilo: & inde eſt quòd inter naturas rationales ſolus Deus habet liberum arbitrium impeccabile, & confirmatum in bono: creaturæ vero hoc ineſſe impoſſibile eſt propter hoc quod eſt ex nihilo, ut Damaſcenus & Gregor. Nyſſenus dicunt: & ex hoc eſt particulare bonum, in quo fundatur ratio mali, ut Dionyſius dicit 4. cap. de divin. nomin.* Non minus clarè docet hanc & præcedentem aſſertionem in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 1. ad 2. ubi ſic ait. *Peccatum refertur in voluntatem ſicut in cauſam: & quamvis voluntas ſit creata à Deo, in quantum eſt quoddam ens; non tamen quantum ad hoc, quòd defectus ex ipſa incidere poteſt. Quamvis autem Deus ſit cauſa voluntatis faciens eam ex nihilo, hoc tamen quod eſt ex nihilo eſſe, non habet ab alio, ſed à ſe, unde ſecundum hoc non habet cauſam aliam: & ideo defectus, qui ſequitur ex ipſa ſecundùm quòd eſt ex nihilo, non oportet quod in ulteriorem cauſam reducatur.* Quod etiam docet in 2. diſt. 44. quæſt. 1. art. 1. De mal. quæſt. 1. art. 3. aliiſque in locis.

D. Dionyſ.
Greg. Nyſſ.
Damaſc.
D. Thom.

Idem.

Probatur prima pars aſſertionis (videlicet potentiam peccandi formaliſſimè ut talem nullam habere cauſam effectivam) ratione ex eiſdem locis deducta, quæ poteſt reduci ad hanc formam. Creatura ratione ſuæ potentiæ peccandi eſt primum principium deficiendi à regula rationis, & prima cauſa moraliter deficiens: ergo prædicta potentia formaliter, ut eſt ad peccandum, nullam habere poteſt cauſam effectivam. Antecedens ab omnibus admitti debet: non enim aſſignabile eſt aliud primum principium deficiendi, niſi ipſa creatura: nec creatura ob aliud habet eſſe deficiendi principium, niſi ob prædictam potentiam. Conſequentia verò liquet: tum quia primum deficiens quatenus tale omnino repugnat habere cauſam ſuæ deficientiæ; alioqui jam non eſſet primum: ſicut cauſa efficiens prima, quia prima eſt, nullam poteſt habere cauſam; & ſi haberet illam, jam non eſſet prima. Tum etiam quia vel cauſa illa effectiva potentiæ peccandi eſſet ita cauſa efficiens, ut nullo modo eſſet deficiens; vel eſſet cauſa efficiens deficiendo, ut eſt ipſa potentia peccandi? Non primum, quia à cauſa omnino efficiente, & quæ nullo modo deficit, non poteſt cauſari aliquid deficiens in quantum deficiens. Neque etiam poteſt dici ſecundum, aliàs cauſa illa, quæ deficiendo efficeret, non verò potentia peccandi, cujus dicitur cauſa, eſſet primum principium deficiendi à regula rationis, & in genere moris prima cauſa deficiens. 30

Ratio aſſertionis pro prima parte.

Confirmatur: nam ſi potentia peccandi, quæ eſt in creatura rationali vel in ejus voluntate, quatenus ad peccandum eſt, haberet cauſam: vel hujuſmodi cauſa eſſet ſolus Deus: & hoc non; alioqui, ut in prima aſſertione probatum eſt, attribueretur ipſi peccatum. Vel eſſet alia creatura: & neque hoc dici poteſt. Tum quia in anima rationali & in ejus voluntate, in quibus eſt per ſe primo potentia peccandi, nulla alia creatura poteſt immediatè operari, neque aliquid in eis producere, ut in tract. de Angel. diſp. 14. dub. 2. oſtendimus. Tum etiam quia eadem difficultas eſſet de illa alia creatura, & de potentia peccandi, quæ in ea etiam deberet reperiri: & ita vel procedendum eſſet in infinitum; vel deveniendum ad unam primam potentiam peccandi, quæ quatenus ad peccandum eſt, à nullo producatur, ſed ſit primum principium deficiens, ſecundum hanc rationem non productum.

Confirmatio.

Dices, potentiam peccandi proximam, quæ eſt in voluntate, oriri à potentia radicali, 31

Evaſio.

quæ

Digitized by Google

quæ eſt in anima, & hoc modo habere cauſam effectivam. Sicut voluntas ipſa, ut eſt naturalis potentia, oritur ab anima, ſecundum quod eſt natura, & operativa radicaliter.

Præcluditur.

Sed contra eſt: quia licet admittamus, potentiam peccandi proximam, quæ eſt in voluntate, oriri effectivè ab anima, ut eſt potentia peccandi radicalis; ipſa tamen potentia peccandi radicalis (quæ etiam debet eſſe poſitiva) non eſt aliquid, à quo producatur, ut ratio à nobis facta efficaciter probat. Et de hac radicali potentia intelligitur per ſe primò noſtra concluſio. ¶ Diximus *licet admittamus*, &c. nam ſi res attentè inſpiciatur, neque hoc modo potentia peccandi proxima poteſt habere cauſam effectivam. Et ratio eſt perſpicua: quoniam ſi potentia peccandi proxima oriretur effectivè ex potentia radicali, hujuſmodi efficientia aut eſſet per propriam actionem ab ipſa potentia radicali immediatè elicitam: aut per ſimplicem emanationem, eo modo quo paſſiones dimanant ab eſſentia. Non primum, quia potentia radicalis, ſive peccandi, ſive rectè operandi non eſt immediatum principium actionis: ſicut neque ſubſtantia animæ, cum qua identificatur, eſt immediatè operativa. Neque etiam ſecundum: nam licet emanatio non ſit actio; ſupponit tamen actionem immediatè terminatam ad illud, à quo eſt talis emanatio: & id ipſum, quod dimanat, debet eſſe terminus ſecundarius prædictæ actionis: quare ut potentia peccandi proxima dimanaret effectivè ex potentia radicali, debebat ipſa radicalis potentia, quatenus talis eſt, habere cauſam, & terminare propriam actionem (cujus oppoſitum ratione noſtra oſtenſum eſt) ut in virtute talis actionis reſultaret potentia proxima.

Diſcrimen inter potentiam radicalem, & proximam.

Quocirca eſt apertum diſcrimen inter paſſiones, & eſſentiam ex una parte; & inter potentiam peccandi proximam, & radicalem ex alia. Quoniam paſſiones ſupponunt eſſentiam per veram actionem à generante productam: & ideo in virtute talis actionis poſſunt ab eadem eſſentia, ſicut terminus ſecundarius ex termino primario effectivè reſultare. At vero potentia peccandi proxima, nullam ſupponit productionem terminatam ad potentiam radicalem: cum enim potentia hæc ſit principium omnino primum deficiendi, nequit ab alio, vel efficiente, vel deficiente produci, ut in ratione noſtra probatum eſt: unde neque potentia proxima poteſt ab ea in virtute alicujus actionis effectivè dimanare. ¶ Nec dici poteſt, quod ipſamet actio creativa, quæ ad ſubſtantiam animæ terminatur, attingat etiam potentiam peccandi radicalem: ut in virtute hujus actionis reſultet potentia proxima. ¶ Nam hinc fieret utramque potentiam radicalem & proximam, formaliſſimè ut ſunt ad peccandum, reduci in Deum, cujus eſt ipſa actio creativa, in cujus virtute prædictæ potentiæ in rerum natura ponerentur.

32 Interrogatio.

Sed inquires, an potentia peccandi proxima in aliquo alio genere cauſæ dependeat à radicali, & ab illa cauſetur? ¶ Reſpondetur potentiam peccandi proximam cauſari à radicali, & dependere ab illa, tum in genere cauſæ materialis: nam ſicut anima, ut natura eſt, eſt ſubjectum & cauſa materialis voluntatis, prout voluntas eſt naturalis potentia, ita ut eſt defectiva radicaliter, habet eſſe ſubjectum & cauſa materialis ejuſdem voluntatis, ut eſt potentia proxima ad peccandum: tum etiam in genere cauſæ formalis: quatenus prædicta potentia radicalis per ſe exigit potentiam proximam, & determinat ſubjectum ad illam, eſtque ratio à priori talis potentiæ. Hoc autem ſufficit ut defectus potentiæ proximæ poſſint reduci in radicalem, & quicquid deformitatis & malitiæ ab illa oritur, poſſit huic attribui: quia quicquid illa agit, agit cum ſubordinatione ad iſtam. ¶ Et quod dictum eſt de potentia peccandi proxima, quæ eſt defectibilitas voluntatis, quantum ad modum emanationis & dependentiæ à potentia radicali, dicendum quoque eſt de defectibilitate intellectus, quam numero 20. diximus eſſe poſitivam, quámque appellare poſſumus *potentiam proximam errandi*. Et ſimiliter eſt dicendum de defectibilitate poſitiva, quam ibidem tribuimus appetitui ſenſitivo. Niſi quod hæc poſterior ultra dependentiam, quam habet à defectibilitate radicali exiſtente in anima, dependet etiam eodem proportionali modo ab ipſa defectibilitate proxima voluntatis: à qua tamen non dependet defectibilitas intellectus, ſed magis è converſo: ſicut intellectus in ſua emanatione ab anima non dependet à voluntate; ſed potius è contra.

Quid importet creaturam eſſe ex nihilo?

Ex quibus facilè etiam probatur ſecunda pars ejuſdem aſſertionis: ſcilicet potentiam peccandi conſequi immediatè in creatura, eo quod habet eſſe ex nihilo. Sed quia in hac loquutione *eſſe*, vel *fieri ex nihilo*, qua ſæpe Patres, noſque ex illis in præſentiarum utimur, fortè erit aliqua æquivocatio, unde objectiones pullulent, antequam ulterius procedamus, neceſſe eſt illam explicare. Tria igitur denotari poſſunt in prædicta loquutione. Primum quod creatura aliquando fuerit ſub nihilo, nullum habens *eſſe* in rerum natura. Secundum quod non maneat jam in eo nihilitatis ſtatu, ſed inde virtute divinæ creationis educta ſit, ab ipſóque nihilo ſeparata & diſtincta. Tertium quod ſit talis conditionis, ut ex ſe non habeat per quod à nihilo extrahatur, adeóque ſemper ſit capax manendi ſub nihilo, & quantum eſt ex ſe, maneret. Quando ergo aſſerimus potentiam peccandi convenire creaturæ rationali, quatenus eſt ex nihilo, non intendimus denotare illud prius: nam quod talis creatura fuerit aliquando ſub nihilo, & quod in tempore acceperit *eſſe*, nihil conducit ad rem: eſſet enim eodem modo peccabilis, quamvis ſemper fuiſſet extra nihilum, ut ſi crearetur ab æterno. Neque etiam intendimus ſecundum: quia ſic Deus, cujus virtute creatura ex nihilo educta eſt, ab eóque diſtincta & ſeparata, eſſet cauſa prædictæ potentiæ. Senſus ergo eſt ille, qui tertio loco explicatur, ſcilicet ineſſe creaturæ hanc conditionem ut ſit capax manendi ſub nihilo, quia de ſe non habet per quod à nihilo ſeparetur. Cæterum quia quicquid ex nihilo fit, habet prædictam conditionem, confunditur ſæpe modus loquendi, pro eodémque uſurpatur *fieri*, aut *eſſe ex nihilo*, & *habere capacitatem manendi ſub nihilo*. Coincidúntque omnes

Digitized by Google

omnes iſtæ loquutiones *poſſe eſſe ſub nihilo*, *ex nihilo fieri*, *vel eſſe*, *non eſſe à ſe*, *non eſſe ſuum eſſe*, *non eſſe actum purum*, *habere admixtionem potentiæ*: & aliæ ſimiles. Quippe eo ipſo quòd creatura non habeat eſſe à ſe ipſa, ſed recipiat *eſſe* ab alio, eſt ibi recipiens & receptum, & ita non eſt ſuummet *eſſe*, neque eſt actus purus, ſed admiſcetur potentialitas recipientis, & recepti. Et rurſus in hoc ipſo clauditur, quòd talis creatura poſſit à ſuo *eſſe* ſeparari, & ſic ſeparata ſub nihilo manere, & ex ipſo nihilo divina virtute fieri, & ad *eſſe* revocari. Hæc autem conditio claudens omnia, quæ diximus, convenit creaturæ ex ſe ipſa, omninóque inſeparabiliter, adeo ut nec per Dei potentiam poſſit ea denudari: & hanc dicimus eſſe primam rationem, ob quam convenit illi defectibilitas, & potentia ad peccandum.

53 Suadetur ſecunda pars aſſertionis. Quod patet ex dictis: nam ſuppoſito quòd prædicta potentia neque in Deum, neque in aliam cauſam effectivam poſſit reduci, nihil aliud excogitabile eſt, propter quod naturæ rationali conveniat, niſi quia talis natura ejus eſt conditionis, ut poſſit non eſſe, atque adeo conſervat capacitatem manendi ſub nihilo. Hac enim ratione D. Thom. & alii Patres probant Deum non poſſe deficere, neque eſſe capacem potentiæ peccandi, quia eſt ſuum *eſſe*, & non poteſt non eſſe: ergo à contrario ſenſu ex eo creatura habebit prædictam potentiam, quia cùm non ſit ſuum *eſſe*, poteſt non eſſe, & manere ſub nihilo. Eo præſertim quia ut prædicta potentia omnino ſit propria creaturæ, uti eſſe debet, reducenda eſt in aliquid, quod ei ex ſemetipſa & non aliunde conveniat: nihil verò creaturæ ex ſemetipſa ita convenit, ſicut prædicta conditio.

Confirmatio. Et confirmatur: nam eo ipſo quòd creatura non ſit ſuum *eſſe*, atque adeo poſſit eſſe ſub nihilo etiam non eſt ſua regula, nec per ſe connexa cum illa: ex eo verò quòd non eſt ſua regula, nec per ſe illi connexa, poteſt in operando deficere ab eadem regula, & deficiendo peccare: ergo de primo ad ultimum, quòd creatura poſſit peccare, provenit ex conditione explicata.

Confirmatio alia. Confirmatur ſecundò: nam propterea omnis creatura intellectualis poteſt peccare, quia cùm ſit capax attingendi mediis ſuis operationibus ſummum bonum, non tamen eſt ipſum ſummum bonum: ſed quid finitum & limitatum: unde neque ex ſe habet determinationem, ad illud indefectibiliter attingendum: quòd autem creatura non ſit ſummum bonum, ſed finita & limitata, non aliunde oritur, niſi quia non eſt ſuum *eſſe*, habétque illud ex nihilo: ergo ex hoc etiam oritur, quòd ſit defectibilis. Major & conſequentia conſtant: minor verò probatur: nam propterea creatura non poteſt eſſe ſummum bonum, quia non eſt actus purus; ſed habet admixtionem potentiæ: hæc autem potentiæ admixtio non aliunde oritur, niſi quia creatura non eſt ſuum *eſſe*, ſed ſolùm potentia ad *eſſe*, cui potentiæ annexa eſt capacitas non eſſendi, & manendi ſub nihilo: ergo, &c. ratio cum ſuis confirmationibus deſumitur ex

D. Thom. D. Thoma citata quæſt. 14. de verit. art. 7. ubi ſic ait. *Deus ſolus eſt actus purus, nullius potentiæ permixtionem recipiens, & per hoc eſt bonitas pura & abſoluta. Creatura verò qualibet, cùm in natura ſua habeat permixtionem potentiæ, eſt bonum particulare; Quæ quidem permixtio ei accidit propter hoc quòd eſt ex nihilo, & inde eſt quod inter naturas rationales ſolus Deus habet liberum arbitrium naturaliter impeccabile, & confirmatum in bonum; creatura verò hoc poſſe impoſſibile eſt propter hoc quod eſt ex nihilo.* Videantur quæ diximus in tract. de Ang. diſp. 9. dub. 1.

§ IV.

Sententia primæ aſſertioni oppoſita, & argumenta pro illa.

54 Lorca. Prima propoſitio. Contra primam aſſertionem tenet Lorca in præſenti diſp. 41. ubi in noſtram ſententiam (quam fatetur eſſe D. Thom. D. Bonaventuræ, & aliorum) enuntiat ſequentes propoſitiones. Prima: *nulla eſt differentia inter potentiam ad materiale peccati, & ad formale: ſed eodem modo utraque eſt vel non eſt à Deo.*

Secunda. Secunda: *defectibilitas liberi arbitrii eſt à Deo. Tum quia hanc potentiam talem fecit, ut deficere poſſit. Tum etiam quia ſpeciali providentia voluit, ut liberum arbitrium hominis & Angeli defectibile eſſet.*

Tertia. Tertia: *non aliter eſt à Deo potentia ad materiale, quàm ad formale peccati.*

Neque in earum probatione aliquid auctoritatis vel rationis affert, quod ſolvere opus ſit. Sed nec nobis vacat prædictas propoſitiones iterum impugnare: quas ex doctrina tradita credimus, ſufficienter falſitatis convinci. An verò ſeveriorem cenſuram mereantur, aliorum ſit judicium. Nobis ſumme diſplicet tribuere Deo optimo maximo defectibilitatem & peccabilitatem liberi arbitrii: eodémque modo ipſum conſtituere auctorem illius ut cauſæ malitiæ, quàm ut cauſæ entitatis: ac denique conſtituere prædictam peccabilitatem intra objectum divinæ volitionis, ut fit cum dicitur *Deum ſpeciali providentia voluiſſe arbitrium hominis & Angeli defectibile eſſe.* ¶ Alii autem quamvis abſolutè dicant potentiam peccandi eſſe à Deo, poſſunt rectè exponi, quòd loquantur de prædicta potentia ſecundùm id, quod affert entitatis & perfectionis, & non quantum ad prædictum defectum.

Primum arg. ex Magiſtro ſentent. Verùm contra aſſertionem noſtram arguitur primò ex Magiſtro in 2. diſt. 44. ubi Sanctorum auctoritatibus probat, potentiam peccandi eſſe nobis ex Deo; non ſecus atque potentia bene agendi. *Pluribus* (inquit) *Sanctorum teſtimoniis indubitanter monſtratur, quod poteſtas mali à Deo eſt, à quo eſt omnis poteſtas.* Cui modo dicendi videtur adhæſiſſe ibi D. Thomas: & ſaltem illum non reprobat. Ergo non rectè, prædictam potentiam à divina cauſalitate excluſimus.

Confirmatio duplex. D. Bernard. Confirmatur ex D. Bernardo lib. de lib. arb. ubi inſinuat, ipſum liberum arbitrium, etiam ut dicit poteſtatem peccandi, ex Deo eſſe: nec tamen idcirco peccatum Deo attribui, quia non dedit prædictam potentiam eo fine ut ad peccandum concurreret: ergo, &c.

Confirmatur ſecundò: Deus eſt cauſa noſtræ voluntatis, in quantum eſt regulabilis regula rationis: ſed in quantum ſic regulabilis, eſt

eſt defectibilis : regulat enim recta ratio non ſolum actus bonos, ſed etiam actus malos, adeóque voluntatem prout ad utroſque concurrit : ergo etiam ut defectibilis habet cauſari à Deo.

35 Solutio. Reſpondetur ad argumentum, teſtimonia illa, quæ adducit Magiſter, non militare contra nos. Tum quia non loquuntur de potentia, quæ verè & propriè ſit potentia peccandi, ſicut eſt voluntas in quantum defectibilis : ſed de externa poteſtate; quæ competit Principibus & Regibus ad imperandum ſubditis, judicandum, puniendum, &c. quæ ſane poteſtas ſecundum ſe bona eſt, licèt ipſi ſæpius malè & tyrannicè illa utantur. Quod cernens ipſe Lorca, conſideránſque prædicta teſtimonia, noluit eis uti in favorem ſuæ ſententiæ : *quia* (inquit) *ſi rectè expendantur, parum probant*. Imo nihil probant ad intentum. Tum etiam quia adhuc ſi de vera & propria potentia peccandi diceretur eſſe a Deo, deberet hoc dupliciter exponi. Vel permiſſive, quatenus cum poſſit, non impedit prædictam potentiam à ſuo actu, ſed ſinit peccatores ea uti, dum illos peccare permitit : ſicut etiam dicitur excæcare & indurare illos, traderéque in reprobum ſenſum, quia excæcari, indurari, & tradi permitit : ut habetur infra quæſt. 79. art. 3. Vel poteſt exponi poſitivè & directè de potentia peccandi, non tamen formaliter in quantum defectibili, & malitiæ principio: ſed materialiter ut eſt principium actus peccati quoad entitatem : vel (quod idem eſt) ut eſt potentia abſolutè & ſimpliciter. Quem ſenſum habet D. Tom. diſt. cit. & fortè magiſter nihil aliud intendit. Ratio vero eſt : quia prædicta potentia aliud dicit, ut eſt abſolute & ſimpliciter potentia; aliud verò, ut eſt formaliſſimè potentia peccandi : ut enim eſt ſimpliciter potentia, dicit ordinem ad actum peccati, quatenus actus eſt : quare ſicut talis actus, in quantum actus eſt, eſt à Deo : ſic etiam prædicta potentia, ut eſt potentia ſimpliciter. At verò ut eſt formaliter potentia peccandi, dicit ſe ipſam quantum ad defectibilitatem, qua continet & præhabet malitiam : unde ſicut ipſa malitia non tam dicenda eſt actualitas, quàm infectio & deordinatio actus : ſic prædicta potentia hoc modo accepta non tam dicenda eſt potentia, quàm debilitas, infirmitas, & deviatio potentiæ. Stat ergo dici poſſe de prædicta potentia abſolutè & ſine addito, eſſe à Deo, eò quòd hæc loquutio cadit ſupra rationem potentiæ ſimpliciter dictæ; & tamen non eſſe ab illo ſecundum infirmitatem, & debilitatem explicatam, atque adeo neque ut eſt formaliſſimè potentia peccandi.

Replica. Dices : peccatum non dicitur abſolutè eſſe à Deo, quamvis ſit ab illo ſecundum entitatem : quia non eſt quantum ad malitiam & defectum : ergo etiam potentia peccandi licèt ſit à Deo ſecundum entitatem, ſi tamen non eſt quantum ad defectibilitatem, non dicitur abſolutè eſſe ab illo.

36 Diluitur. Reſpondetur eſſe diſparem rationem : nam peccatum ſub hoc nomine includit malitiam; potentia vero ſub hoc nomine non includit defectibilitatem. Eſſet autem ſimile de actu peccati, & de potentia peccandi : ſicut enim nomen *actus*, etiam ſi addatur *peccati*, abſolutè ſtat pro actualitate & perfectione, & ideo ſine reſtrictione conceditur, *quòd actus peccati eſt à Deo* : ita nomen *potentiæ*, etiamſi addatur *peccandi*, abſolutè ſtat pro eo quod eſt perfectionis, ſcilicet pro ordine ad actum ſecundum rationem actus : unde abſolutè etiam poteſt concedi, quòd talis potentia ſit à Deo : ut verò negetur eſſe ab illo, addendum eſt aliquid, quo denotetur ſermonem eſſe de prædicta potentia quantum ad defectibilitatem, ſive formaliter ut eſt ad peccandum. Quòd autem mens D. Thomæ ſit hæc, quam explicuimus conſtat ex ejus verbis diſt. cit. quæſt. 1. art. 1. ubi ſic ait. *Dicendum, quòd potentia cognoſcitur per actum : unde ex conſideratione actus peccati judicium ſumendum eſt de potentia peccandi. In actu autem peccati ſunt duo, ſcilicet ſubſtantia actus, & deformitas vel defectus debitarum circumſtantiarum : unde oportet quòd etiam in ipſa potentia duo attendantur, ſcilicet ipſa potentia, quæ eſt principium actus, & hæc eſt eadem quæ eſt principium actus ordinati & inordinati, & hæc a Deo eſt : conſideratur etiam in ea defectus quidam, ſecundum quem actum deficientem producere poteſt, &c. & hic defectus nullo modo à Deo eſt nec directè, nec indirectè. Sic ergo potentia peccandi quantum ad id, quod potentia eſt, à Deo eſt; ſed quantum ad defectum, qui implicatur, non eſt à Deo.* Legatur etiam in ſolut. ad 2. ubi habet aliam rationem, ob quàm licèt de peccato non concedatur abſolutè, quòd ſit à Deo; ſed cum addito, nempe quantum ad materiale, vel in quantum eſt actus; de potentia tamen abſolutè id debeat concedi; negari verò non, niſi cum addito, quod appoſuimus. D. Thom.

Solutio cõfirmationis. Ad primam confirmationem reſpondetur D. Bernardum docuiſſe noſtram aſſertionem, dum dixit Deum non dediſſe liberum arbitrium eo fine, ut peccaret; conſequenter enim dixit non dediſſe illud formaliter in quantum defectibile, & in quantum eſt ad peccandum : quippe ſecundum hanc rationem, non datur ad alium finem. Quare ſolùm intendit, potentiam peccandi eſſe à Deo quantum ad entitatem, vel in quantum eſt abſolutè potentia.

Ad ſecundam reſpondetur diſtinguendo majorem, *Deus eſt cauſa voluntatis ut regulabilis* approbativè, concedimus; ut regulabilis reprobativè negandum eſt : & ſimiliter diſtinguenda eſt minor. Itaque ſicut ſub regula artis cadit aliquid dupliciter : vel ut conſonum tali regulæ, & ab ea approbatum; & hoc eſt effectus artis : vel ut diſſonum & reprobatum ab illa; & hoc non eſt ab arte, ſed potius ei repugnat : ita ſub regula rationis & legis divinæ cadit dupliciter voluntas : vel ut conſona aut conformabilis tali legi, approbandáque ab ipſa; & hoc eſt à Deo : vel ut devians & obliquans à prædicta regula, ab ipſáque reprobanda; & hoc non eſt à Deo, ſed ei repugnat : habet tamen Deus jus regulandi illam ſecundum utrumque munus, ſicut habet jus approbandi & præcipiendi bonum, reprobandíque, & prohibendi malum.

Arguitur ſecundò : nam ex noſtra doctrina ſequitur dari plura prima principia, & plures cauſas primas : qui fuit error Manichæorum. Sequitur etiam dari aliquam ſubſtantiam non productam à Deo, quæ per ſe ipſam ſit mala, & mali principium; ut hæreſis illorum 37 Secunda obiectio.

illorum ponebat : ergo, &c. Sequela quoad primum patet : nam potentia peccandi eſt peccati principium, & cauſa in illud influens : ergo ſi in quantum talis nullam habet cauſam effectivam, ipſa & non tantùm Deus erit cauſa prima, & primum principium. Quoad ſecundum probatur : nam potentia peccandi radicalis, ſi ſemel eſt aliquid poſitivum, non poteſt non eſſe ſubſtantia, ſicut ipſa eſſentia creaturæ rationalis, cum qua identificata eſt : aut hujuſmodi potentia, ſecundùm quòd eſt ad peccandum, mala eſt, & mali principium : ob idque aſſerimus non cauſari à Deo : ergo, &c.

Enodatur. Reſpondetur negando ſequelam quoad utranque partem abſolutè loquendo. Et ad primæ probationem dicendum eſt potentiam ad peccandum, formaliſſimè ut talem, non eſſe abſolutè, & ſimpliciter principium, neque cauſam : ſicut neque abſolutè dicenda eſt potentia, ſed cum addito diminuente : ſcilicet *principium deficiendi*, & *cauſa deficiens*, *potentiáque defectiva*. Hoc autem modo non eſt inconviens, quòd ſit prima & non à Deo : quia non eſt inconveniens dari extra Deum aliquod principium, quod in ratione deficiendi ſit primum, & aliquam cauſam, quæ ſit prima cauſa deficiens. Imo id eſt omnino neceſſarium : ſicut neceſſarium eſt, quòd peccata & defectus creaturæ rationalis, proindéque eorum principia, quatenus talia ſunt, non reducantur in Deum. ¶ Ad probationem ſecundæ partis ejuſdem ſequelæ reſpondetur, potentiam peccandi radicalem, quatenus ens & ſubſtantia eſt, & ſecundum omnes alias rationes, quæ nullam exprimunt imperfectionem aut deformitatem formalem vel cauſam, produci à Deo ; neque ut ſic eſſe cauſaliter malam, aut mali principium ; ſed bonam bonitate tranſcendentali : ſicut de ipſa malitia actuali quoad rationem entis, actualitatis, bonitatis tranſcendentalis, & alias quæ non exprimunt deformitatem, diſp. 6. diximus. Non eſt autem inconveniens, quòd ſicut in actu peccati admittitur aliqua formalitas poſitiva, quæ ſub aliqua expreſſione, non quidem entis, ſed modi entis à Deo non ſit, ſic in eſſentia cujuſlibet rationalis creaturæ detur aliqua formalitas poſitiva cum ejus ſubſtantia identificata, quæ quoad aliquam expreſſionem, non ſubſtantiæ, ut ſubſtantia eſt; ſed modi limitationis & imperfectionis ſubſtantiæ, nempe quoad hoc quod eſt eſſe principium & radicem peccati, non ſit à Deo ; ſitque mali principium, & mala cauſaliter. Neque hoc ullo modo ſapit hæreſim Manichæi : quia nulla ponitur ſubſtantia vel natura, quæ in quantum ſubſtantia & natura eſt, non ſit à Deo, & ſit per ſe mala, & principium mali, ut Manichæi adſtruebant.

38 Objectio tertia. Tertiò arguitur : limitatio creaturæ, quatenus aliquid poſitivum eſt, verè eſt à Deo, & ejus effectus : ergo ſi potentia peccandi radicalis conſiſtit in hac limitatione, ut dub. præced. diximus, erit Deus cauſa talis potentiæ. Conſequentia conſtat : antecedens verò probatur : quia limitatio creaturæ, ſecundùm quòd eſt aliquid poſitivum, eſt ipſum genus & differentia talis creaturæ : nam quælibet res creata per ſuum genus & differentiam finitur & limitatur : atque ideo Deus eſt illimitatus, & infinitus, quia non habet genus neque differentiam : conſtat autem quòd genus & differentia creaturæ effectivè eſt à Deo : neque enim aliud eſt genus & differentia in qualibet re, niſi ejus eſſentia & natura, quam Deus cauſat : ergo, &c.

Reſpondetur negando antecedens formaliſſime loquendo. Quòd enim creatura ſit totum id, quod abſolute loquendo eſt, ex Deo habet : ut quòd ſit hoc ens, quòd ſit ſubſtantia, quòd ſit animal, quòd ſit homo, &c. quòd verò totum hoc ita ſit modificatum, limitatum, & finitum, ut non ſit ampliùs, atque adeo quòd fundet proximè & formaliter negationem eſſendi pluſquam eſt, non eſt ex Deo, ſed ex ipſamet creatura : quæ de ſe eſt finita & limitata, adeóque incapax eſſendi, id, quod aliud eſt. Unde poſita & creata à Deo eſſentia & entitate creaturæ ſecundum omnes eas rationes, quæ dicunt *eſſe* & perfectionem, ſtatim ex mentis ipſius creaturæ, & ex ſuæ nihilitatis conditione conſequitur abſque influxu alicujus cauſæ modus ille limitationis, & finitatis. Ad probationem verò reſpondetur genus & differentiam limitare creaturam non formaliſſimè per id, quod dicunt entitatis & perfectionis, ratione cujus conſtituunt eſſentiam & naturam, quam Deus producit ; ſed quia idem genus & differentia, ſupponuntur limitata per ipſum modum limitationis & finitatis, quem dicimus. Nam modus iſte prius intelligitur modificare & limitare partes totius : & deinde partes limitatæ conſtituunt totum limitatum, & finitum. Quare admiſſo quòd potentia peccandi radicalis in prædicto modo limitationis conſiſtat (quod tanquam probabile dub. præced. admiſimus) non idcirco prædicta potentia, formaliſſimè ut talis, erit à Deo. Solutio.

§. V.

Adverſus ſecundam aſſertionem prima objectio.

Secundam aſſertionem à nemine negatam vidimus : fortè quia neque in propriis terminis agitatam. Poteſt tamen contra illam quoad primam ejus partem ſic obiici. Omne quod eſt, & non eſt ens à ſe, debet quidquid eſt, eſſe ab alio : aliàs ſecundum id, quod non eſſet ab alio, aut eſſet ens à ſe, aut nihil eſſet : ſed potentia peccandi ſecundum nullam ſui rationem eſt ens à ſe, ut eſt per ſe notum : ergo ſecundum totum, quod in ea eſt, debet eſſe ab alio, & habere cauſam. 39 Objectio in ſecundam aſſertionem.

Confirmatur primò, omne quod non eſt ab alio, ſed à ſe, non quandoque eſt, & quandoque non eſt ; ſed ſemper & ab æterno eſt, nec poteſt non eſſe : ut patet in Deo, qui quoniam à ſe ipſo & non ab alio eſt, ſemper, neceſſario, & ab æterno eſt : ſed potentia peccandi exiſtente creatura eſt ; ea verò non exiſtente non eſt : ergo non eſt à ſe, ſed ab alio ; & ſic habet cauſam. Confirmatur tripliciter.

Confirmatur ſecundò : omne quod modò eſt, & antea non fuit, debet ſecundum totum id, quod eſt, educi ab alio ex *non eſſe* ; aliàs vel maneret ſemper ſub *non eſſe*, vel idem educeret ſe ipſum, eſſétque propterea cauſa ſui ipſius, quod implicat : ſed potentia peccandi formali

formaliſſimè ut talis ante creaturæ productionem omnino nihil erat; exiſtente vero creatura iam eſt aliquid, & extra nihil: ergo ab aliquo fuit ex nihilo educta, & reducta de non eſſe ad eſſe: hoc autem erit ejus cauſa.

Confirmatur tertiò: quoniam potentia peccandi, in quantum talis eſt, dependet ab alio in operari: non enim ipſa ſe ipſam reducit de potentia ad actum: ergo dependet etiam in *eſſe* & in *fieri*, ac proinde habet cauſam.

Solutio objectionis. Reſpondetur; potentiam peccandi ſecundum nullam rationem eſſe ens à ſe; ſed ſecundum omnes, in quantum eſt ens, eſſe ab alio, & habere cauſam. Quod & nihil aliud objectio iſta convincit. Cæterum cum hoc ſtat, quòd aliqua ejus ratio, quæ in quantum eſt ens, eſt ab alio, in quantum exprimit deformitatem, aut principium illius, id habeat à ſe, & non ab alio. Nec propterea ratio illa erit ens à ſe, aut erit abſolute à ſe: quia loquutiones iſtæ omnes appellant ſupra rationem entis, quæ in quantum talis eſt, ſemper eſt ab alio. Erit tamen defectibilitas à ſe, & principium deficiendi à ſe: & in quantum tale eſt formaliſſimè omnino primum, adeòque excludens omnem cauſam.

Et primæ confirmationis. Ex quo patet ad primam confirmationem: ſolùm enim convincit, quòd potentia peccandi non ſit ens à ſe, nec ſit abſolutè à ſe, ſed in quantum ens, habeat cauſam: nam hoc ſufficit, ut prædicta potentia non ſemper, neque ab æterno ſit; ſed tunc ſolùm quando ab alio accipit *eſſe*. Non tamen probat, quòd in quantum defectibilitas & principium deficiendi, non ſit à ſe; nec quòd habeat cauſam effectivam, vel defectivam, à qua ſit in quantum hujuſmodi.

40 Enodatur quædam replica. Dices: ſi prædicta potentia eſſet ens à ſe, in quantum ens, ſemper & ab æterno eſſet: ergo ſi in quantum defectibilitas eſt à ſe, quoad hanc rationem ſemper & ab æterno debet in rerum natura eſſe. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: nam ut potentia peccandi etiam quoad rationem defectibilitatis non ſemper neque ab æterno ſit, ſatis eſt ut quoad rationem entitatis non ſemper ſit. Et ratio eſt: quia licet prædicta potentia quoad expreſſionem defectibilitatis non habeat cauſam effectivam, à qua producatur; habet tamen cauſam, vel quaſi cauſam materialem, à qua tanquam à ſubjecto dependet, & ſine qua eſſe non poteſt: ſcilicet entitatem ipſam, quæ eſt à Deo, cum qua identificata eſt: & ideo quandiu prædicta entitas à Deo non cauſatur, ipſa etiam defectibilitas nequit in rerum natura eſſe: non quidem defectu cauſæ efficientis; ſed defectu materiæ & ſubjecti capacis talis defectibilitatis. Unde quòd prædicta defectibilitas non ſemper detur, quodammodo eſt illi per accidens ex defectu ſubjecti: ipſa quippe quantum de ſe eſt, ſemper afficeret creaturam & eſſet in illa, ſi creatura, quam afficeret, ſemper eſſet.

Solvitur ſecunda confirmatio. Per quod patet etiam ad ſecundam confirmationem: illud enim, quod modò eſt, & antea non fuit, quoad id ſolùm petit educi ab alio ex *non eſſe*, quod eſt capax eductionis: id verò eſt capax eductionis, quod non eſt omnino primum & à ſe: ſeu cui per ſe convenit non ſemper eſſe: & hujuſmodi eſt tota entitas potentiæ peccandi, in quantum entitas eſt. Ejus verò defectibilitas in quantum hujuſmodi, cùm ſit prima defectibilitas, & in ratione defectibilitatis ſit à ſe, non eſt capax educendi ab alio: neque per ſe ei convenit non ſemper eſſe ſed per accidens defectu materiæ, ut dicebamus. Neque hinc fit, prædictam defectibilitatem educere de nihilo ſe ipſam, aut eſſe ſui ipſius cauſam; ſed quòd nulla egeat eductione, ut ſit, præter eductionem entitatis: eò quòd talis defectibilitas eſt omnino prima, & in ratione defectibilitatis, à ſe, adeóque improducibilis & ineducibilis. Educit ergo Deus ex nihilo entitatem creaturæ, actualitatem, & omnes alias rationes, quæ non ſunt primæ & à ſe, ſed poſſunt in ipſum Deum reduci: defectibilitatem verò non educit; ſed ipſa defectibilitas ſe ipſa ſine eductione adeſt, ubi primò ponitur ſubjectum illius capax, & materia, in qua exercenda eſt: ſempérque & ab æterno adeſſet, ſi ab æterno materia poſita eſſet. Ex quo etiam fit, quòd prædicta defectibilitas in quantum hujuſmodi non egeat cauſa conſervante: ſed conſervata à Deo entitate, ſe ipſa in rerum natura continuò adeſt: neque enim major poteſt eſſe dependentia rei in *conſervari* quàm in primo *adeſſe*.

Neque obeſt ſi dicas, quòd prædicta defectibilitas ponitur de novo, quando creatura ponitur; antea enim non erat: ergo ab aliquo ponente ponitur: quod enim ponitur, ab aliquo ponitur, ſicut quod fit, ab aliquo fit: habet ergo cauſam, à qua ponatur. 41

Reſpondetur enim diſtinguendo antecedens: *ponitur de novo prædicta defectibilitas* effectivè, hoc eſt, in genere cauſæ efficientis, negandum eſt: ponitur quaſi in genere cauſæ formalis, tranſeat: nam poni de novo in hoc genere nihil aliud eſt, niſi quòd prædicta defectibilitas de novo afficiat, & quaſi informet ſubjectum, quod antea non informabat: eò quòd neutrum aderat in rerum natura. Et eodem modo diſtinguendum eſt conſequens: *ergo ab aliquo ponente quaſi in genere cauſæ formalis*, tranſeat: hoc enim modo quælibet forma ponit ſe ipſam, ſicut ſe ipſa ſubjectum informat: *ab aliquo ponente in genere cauſæ efficientis*, negandum eſt: quia prædicta defectibilitas ſicut nec fit, nec ponitur effectivè; ita non eget cauſa efficiente, à qua ponatur. ¶ Diximus *quaſi in genere cauſæ formalis*: quia reſpectu illius formalitatis, quæ eſt ipſa defectibilitas, neque cauſa formalis intrinſecè afficiens admittenda eſt: potius enim illa ſe habet ut forma, in quam proinde nulla alia cauſa formalitatem intrinſecam exercet. Quia tamen reſpectu concreti exercet ipſa munus formæ conſtituendo potentiam defectibilem, admiſimus prædictam loquutionem.

Sed urgebis: quia ſaltem ab exiſtentia potentiæ peccandi nequit non prædicta defectibilitas dependere in genere cauſæ formalis: cum actuetur & exiſtat per illam: ergo ſaltem ex iſto capite habebit cauſam formalem intrinſecam. ¶ Reſpondetur, exiſtentiam non afficere immediatè & per ſe prædictam defectibilitatem, ſed mediante entitate & ratione illius præciſè: exiſtit enim potentia illa per ſe & immediatè, in quantum eſt ens, in quantum verò eſt defectibilis, mediatè ſolùm & concomitanter. Hunc autem modum dependentiæ 42

dentiæ

Digitized by Google

dentiæ mediatæ non negabimus defectibilitati prædictæ reſpectu exiſtentiæ, etiam in genere cauſæ formalis. Niſi velis, quòd quemadmodum entitati, quæ eſt à Deo, adjungitur ex nihilo defectibilitas quoad ſuum conceptum eſſentialem: ita exiſtentiæ, quam Deus cauſat, accedit ex eodem nihilo quidam modus poſitivus indiſtinctus realiter, per quem limitatur & determinatur ad hoc, ut ſit exiſtentia prædictæ defectibilitatis: tunc quippe reſpectu iſtius modi exiſtentiæ habebit defectibilitas immediatam dependentiam in genere cauſæ formalis.

Solutio ultimæ confirmationis. Ad tertiam confirmationem reſpondetur, potentiam peccandi eodem proportionali modo quo dependet *in eſſe* & *in fieri*, dependere etiam in *operari*. Cæterum ſicut in *eſſe* & *fieri* non dependet ab alio niſi modo explicato, nempe quoad entitatem, actualitatem, vitalitatem, &c. quoad ipſam vero defectibilitatem à nullo efficiente dependet: ſic etiam in operando dependet ab alio quantum ad entitatem operationis, actualitatem, vitalitatem, & omnes eas rationes, quæ deformitatem non exprimunt; quoad ipſam vero deformitatem & malitiam non dependet ab alio: ſed ipſa potentia applicata ſemel à Deo ad entitatem & actualitatem operationes, applicat ſe ad deformitatem. Et licèt nunquam ſit abſolutè concedendum, quod voluntas creata poſſit ſecluſa Dei applicatione, & præmotione, reducere ſe de potentia ad actum: nam hic modus loquendi denotat, quòd reducat ſe ad actualitatem & entitatem operationis: poteſt tamen & debet concedi, quòd prædeterminata voluntas à Deo, & applicata ad entitatem & actualitatem operationis tam in communi, quàm in particulari, & ad id, quod eſt materiale peccati materialiter ſumptum, ipſa ſe applicet ad deformitatem & malitiam, & ad id, quod eſt formale peccati, ſine eo quòd in hac poſteriori applicatione cum præciſione ſumpta, à Deo vel ab alio in genere cauſæ efficientis dependeat. Et ratio videtur perſpicua: quoniam voluntas creata in peccando & deficiendo, proindéque in ordine ad deformitatem & malitiam eſt prima cauſa & primum deficiens: conſtat autem, quòd cauſa aliquo modo prima, eo modo quo prima eſt, non applicatur ab alia; ſed ipſa ſe applicat, alioqui ſi ab alia priori applicaretur, quatenus ab ea applicatur, jam non eſſet prima: ergo, &c.

43 Objectiuncula. Dices inde probari à D. Thoma, voluntatem creatam non poſſe per ſe ipſam reduci de potentia ad actum, neque de actu primo in actum ſecundum, quoad id quod talis actus dicit perfectionis, ſed indigere præmotione & prædeterminatione Dei phyſica, quia prædicta voluntas neque eſt ſuus actus, neque ſemper in actu; & ita petit ab alio, qui ſit ſemper in actu, de potentia in actum reduci: ſed etiam quoad id quod eſt deformitatis & malitiæ, non ſemper eſt voluntas in actu ſecundo peccati; ſed aliquando eſt actu deficiens & peccans; aliquando verò ſolùm in potentia eſt defectibilis & peccabilis: ergo etiam quoad hanc rationem petit, ut ab alio præmoveatur & applicetur: hocque erit primum movens & primum determinans ad deficiendum [illegible].

Reſpondetur negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis deſumitur ex illis, quæ ad primam confirmationem, & ad ejus replicam dicta ſunt. Quoniam in ordine ad entitatem & perfectionem actus ſecundi non per accidens, ſed per ſe convenit voluntati, quòd non ſemper ſit in tali actu: & ideo exigit ut ab alio de potentia in ipſum reducatur. At vero in ordine ad deformitatem per accidens eſt illi, ſecundum quod potentia peccandi & defectibilis eſt, quod non ſemper ſit actu influens in prædictam deformitatem, ſempérque actu deficiens: ex defectu nimirum ipſius actus ſecundi, in quantum actus eſt, qui eſt ſubjectum & materia, ubi deformitas & malitia actualis exerceri debet, & ſine qua eſſe non poteſt. Unde poſito à voluntate ex applicatione Dei actu deformitatis capaci, ſtatim voluntas abſque alia applicatione ſe ipſa in tali actu deficit, & parit deformitatem actualem: ſempérque eſſet deficiens, & deformitatem influens, ſi ſemper eſſet operans talem actum. Quemadmodum ipſa entitas potentiæ peccandi, & totum id, quod dicit perfectionis, quia quandoque eſt, & quandoque non, eíque per ſe convenit non ſemper eſſe, ideo petit educi ab alio de *non eſſe* ad *eſſe*: ejus vero defectibilitas etſi non ſemper in rerum natura ſit; non tamen in quantum præcisè eſt defectibilitas, indiget influxu alterius, ut in rerum natura ſit: ſed poſita prædicta entitate, ſe ipſa adeſt: quia *non ſemper poni* quodammodo eſt illi per accidens: eò quòd non ſemper eſt materia, quæ prædictæ defectibilitati ſubeſſe debet, & in qua exercenda eſt, ut dictum eſt num. 40. Videantur etiam quæ diximus ſupra diſp. 3. à num. 9. Et in tract. de virtut. diſp. 1. num. 58. Per quæ ſolvuntur aliæ replicæ, quas hic ſuppreſſimus. Enervatur.

§. VI.

Alia objectio contra eandem aſſertionem.

Deinde objicies contra id, quod in ſecunda parte ejuſdem aſſertionis diximus: quia non videtur verum neque conſequens ad dicta, potentiam peccandi conſequi vel reſultare in creatura, ex eò quòd eſt ex nihilo. Nam vel per hoc ſignificatur hujuſmodi potentiam oriri ex ipſa negatione eſſendi à ſe, aut originari ex ipſo nihilo, ſicut ex cauſa vel radice: vel ſolùm denotatur hujuſmodi *eſſe ex nihilo* requiri per modum connotati, ut potentia prædicta in creatura reſultet, proindéque convenire creaturæ, ut connotat eſſe ex nihilo? Non primum, quia negatio, & nihil nullius poteſt eſſe cauſa. Præterquam quod inde ſequeretur, prædictam potentiam habere cauſam, contra dicta in eadem ſecunda aſſertione. Neque etiam dici poteſt ſecundum: nam hoc quod eſt creaturam connotare quòd ſit ex nihilo, convenit ipſi à Deo, & per id formaliſſimè quod ex Deo habet, ut num. 28. diximus: ergo ſi ſolùm propter hoc conveniret creaturæ potentia peccandi, eſſet hujuſmodi potentia à Deo à quo eſt entitas creaturæ, quæ fundat prædictam connotationem. 44

Confirmatur: nam ab eodem habet creatura, quòd fiat ex nihilo, à quo ponitur extra nihilum

Digitized by Google

Multiplex confirmatio objectionis.

nihilum, ſeu de nihilo extrahitur: ſed hoc poſterius habet à Deo: ab eo enim fiunt res ex nihilo, & educuntur extra nihilum: ergo etiam habet à Deo illud prius: ſi igitur ex iſto capite potentia peccandi creaturæ convenit, erit utique à Deo.

Confirmatur ſecundò: quoniam plura fiunt ex nihilo, quæ non habent hujuſmodi potentiam: ergo non eſt ſufficiens ejus ratio illa, quam aſſignamus. Conſequentia videtur perſpicua. Antecedens verò probatur primò: quia res omnes materiales, quæ non participant rationem, ſunt à Deo factæ ex nihilo: & tamen nec ſunt peccabiles, neque habent peccandi potentiam. Deinde anima Chriſti Domini fuit facta ex nihilo, & non habet prædictam potentiam, aliàs potuiſſet Chriſtus peccare. Denique gratia, charitas, & aliæ virtutes præſertim ſupernaturales ex nihilo ſui fiunt: & nihilominus ſunt principia indefectibilia, quæ nullo modo poſſunt ad peccandum concurrere: ergo.

Confirmatur tertiò: quia ex hoc quòd creatura ſit ex nihilo, immediatius deduci videtur, eam poſſe abire in nihilum, adeóque deficere in *eſſe*, quàm eſſe defectibilem in ſuis operationibus, quod eſt eſſe peccabilem: ſed primum non deducitur; dantur enim plures creaturæ factæ ex nihilo, quæ naturaliter habent perpetuitatem & ſtabilitatem in ſuo *eſſe*: ut patet in corporibus cœleſtibus & in Angelis: ergo neque deducitur ſecundum. Aliunde ergo petenda eſt ratio defectibilitatis & peccabilitatis in creatura.

45 Reſpondetur ad objectum, quòd cum dicimus potentiam peccandi reſultare in creatura, *quia eſt ex nihilo*, neque intendimus ipſum *fieri ex nihilo*, vel ipſam negationem eſſendi à ſe eſſe veram cauſam prædictæ potentiæ, ut de ſe patet: neque intendimus eſſe dumtaxat connotatum, ut reſultet talis potentia, ut objectio convincit: ſed ſenſus eſt, prædictam negationem eſſendi à ſe quæ ſignificatur per *eſſe ex nihilo*, eſſe rationem, aut quaſi rationem à priori, ex qua colligitur, & veluti intelligitur reſultare in creatura potentia peccandi: non per reſultantiam phyſicam, quæ ſit vera cauſalitas, aut eam præſupponat ſed reſultantiam logicam, quæ æquivalet cauſalitati virtuali: ſicut ex uno priori aliud poſterius colligitur. Itaque ſi quæramus veram cauſam, quæ potentiam peccandi, ut ad peccandum eſt, in creatura producat, nulla invenitur. Si autem quæramus rationem à priori, ex qua prædicta potentia per legitimam illationem, quæ æquivalet emanationi & cauſalitati virtuali, deducatur, tunc non eſt aſſignanda connotatio eſſendi ex nihilo, vel non eſſendi a ſe, &c. ſed hoc ipſum, quod eſt creaturam eſſe talis conditionis, ut non ſit à ſe, & ſit capax manendi ſub nihilo: quod convenit ei ſecundum ſe & in recto, ſempérque de illa prædicatur.

Sed dices: negatio eſſendi à ſe ſupponit potentiam peccandi ſaltem radicalem, quia ſupponit limitationem ipſius creaturæ, & in ea fundatur, ſicut omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione: ergo non poteſt eſſe ratio à priori talis potentiæ. ¶ Reſpondetur, prædictam negationem quodammodo præcedere limitationem poſitivam creaturæ, & quodammodo ſubſequi: præcedit enim ut eſt tantùm negatio: & hoc modo eſt ratio à priori, neque prout ſic poſtulat fundari in affirmatione, niſi objectiva & poſſibili: ſubſequitur verò ut eſt negatio in ſubjecto, quæ in acceptione minus ſtricta dicitur *privatio*. Vel dicas, prædictam negationem præcedere quaſi in genere cauſæ formalis, & efficientis virtualis, ſubſequi vero in genere cauſæ materialis: & ſicut illud prius ſufficit, ut ſit ratio à priori: ſic hoc poſterius ut dicatur in affimatione fundari.

Ad primam confirmationem conſtat ex dictis num. 31. ubi explicuimus quid denotetur prædicta loquutione *eſſendi ex nihilo*: ſcilicet *eſſe capacem manendi ſub nihilo*: & quomodo hoc non ſit à Deo, ſed ſit conditio omnino propria ipſius creaturæ. ¶ Dices: hæc conditio ſemper convenit creaturæ; ſive exiſtat, ſive non exiſtat: ſemper enim vel manet, vel poteſt, quantum eſt de ſe, manere ſub nihilo: ergo ſi hoc eſt tota ratio potentiæ peccandi, erit ſemper in rerum natura talis potentia. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quia potentia peccandi ſimul cum illa conditione dependet in genere cauſæ materialis ab ipſa entitate & exiſtentia creaturæ, ut diximus num. 40. & ideo quamvis prædicta conditio ſemper creaturæ conveniat, potentia tamen peccandi tunc ſolùm in rerum natura datur, quando creatura exiſtit. Solvitur prima confirmatio.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, conditionem iſtam, quòd *creatura ſit capax manendi ſub nihilo*, in iis ſolùm eſſe rationem potentiæ peccandi, quæ poſſunt mediis ſuis operationibus pertingere ad rationem boni univerſalis, proindéque ab eo deficere, ut dub. præced. num. 20. ex D. Thoma explicuimus: & hujuſmodi ſunt ſolæ creaturæ rationales, ut ibidem diximus. Unde in his ſolùm, non verò in omnino materialibus debet propter illam conditionem reperiri prædicta potentia. Per quod patet ad primam antecedentis probationem. ¶ Ad ſecundam reſpondetur ex D. Thoma in 3. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. in anima Chriſti & in ejus voluntate fuiſſe, & eſſe id, quod in aliis re ipſa eſt potentia peccandi; quia tamen uſus prædictæ potentiæ ex vi unionis hypoſtaticæ omnino eſt impeditus, ita ut implicet, quandiu manet talis unio, exire in actum peccati: idcirco nec Chriſtus peccare poteſt, neque abſolutè dicendus eſt habere potentiam peccandi: potentia enim omnino impedita reputatur quaſi non eſſet, potiuſque dicenda eſt *impotentia*: ſicut qui habet viſum omnino impeditum, dicitur non poſſe videre, nec habere potentiam ad videndum; quamvis re ipſa habeat, id quod eſt eſſentia potentiæ viſivæ, & quod in aliis dicitur *videndi potentia*. Quod cum debita proportione intelligendum eſt de Beatiſſima Virgine, & de aliis confirmatis in gratia, ubi confirmatio eſt talis conditionis, tantæque efficaciæ, quæ ab intrinſeco reddit ſubjectum omnino impeccabile, ut ſaltem in Beatis contingit. ¶ Niſi velis in Chriſto Domino ex vi unionis non modò fuiſſe ligatum uſum prædictæ potentiæ, ut nulla ratione poſſet exire in actum; ſed etiam ipſam potentiam quantum ad realitatem defectibilitatis ſublatam & abolitam, impeditamque ejus quaſi reſultantiam. Quia

46 Solvitur ſecunda.

ut

Digitized by Google

ut prædicta potentia conſequatur in natura rationali ex capacitate manendi ſub nihilo, debet conditio afficere non ſolùm naturam, ſed etiam ſuppoſitum: cui potius quam naturæ convenit fieri & eſſe, atque adeo poſſe vel non poſſe manere ſub nihilo. Quare cum in Chriſto Domino ſuppoſitum omnino ſit incapax ejuſmodi conditionis, non habuit locum reſultantia prædictæ potentiæ quoad formalitatem defectibilitatis. Sed hoc alibi ulterius examinabitur.

47 **Solvitur tertia.** Ad ultimam probationem diximus in tract. de Angel. diſp. 9. num. 19. quomodo etſi nulli creatæ ſubſtantiæ nec ſecundum ſe, nec ratione alicujus proprietatis naturalis poſſit competere impeccabilitas, eò quòd talis ſubſtantia fiat ex nihilo: nihilominus gratia, & charitas, & alia ſupernaturalia dona, facta etiam ex nihilo, poſſint in ſuis operationibus habere indefectibilitatem. Quoniam efficacia virtutum accidentalium non tam attendenda & regulanda eſt ex ipſis virtutibus ſecundum id, quod ſunt in ſe, quàm ex efficacia ſubſtantiæ, cui habent eſſe connaturales: & ita quia gratia & dona ſupernaturalia tantùm ſunt connaturalia ſubſtantiæ, & naturæ divinæ, cujus ſunt participationes, & quaſi proprietates: ſatis eſt ad eorum indefectibilitatem, quòd ipſa ſubſtantia divina, penes quam illorum efficacia menſuranda & regulanda eſt, non ſit capax eſſendi ſub nihilo, ſicque ob hanc rationem omnino impeccabilis: è contra verò in intellectu & voluntate, quæ ſunt proprietates ſubſtantiæ creatæ & factæ ex nihilo. Re vera enim efficacia virtutum, ſeu formarum accidentalium, proindeque earum defectibilitas, vel indefectibilitas; peccabilitas, aut impeccabilitas refunditur in ipſam ſubſtantiam, cujus ſunt per ſe virtutes, & cui habent eſſe connaturales: & ideo in tali ſubſtantia potius quam in illis quærenda eſt prima ratio defectibilitatis, vel indefectibilitatis illarum: videndúmque an ſit capax, vel incapax manendi ſub nihilo.

Alia ſolutio. Secundò reſpondetur doctrinam noſtræ aſſertionis, videlicet quòd potentia peccandi conſequitur in intellectuali creatura, eò quòd eſt ex nihilo, procedere in ipſa creatura rationali & in ejus potentiis operativis, uti ſunt intellectus, voluntas, appetitus, &c. non tamen in habitibus virtutum, qui tantùm ſunt determinationes prædictarum potentiarum ad operandum, & ab eis diſtinguuntur. Unde neque in habitibus virtutum acquiſitarum datur ſupradicta potentia ad peccandum: quia nulla virtus moralis poteſt ad malum concurrere. Et ratio videtur perſpicua: nam ſicut ex eo quòd omnis creatura eſt capax eſſendi ſub nihilo, habet quòd ipſa, vel ſua eſſentia non poſſit eſſe ſua exiſtentia, nec per ſe connexa cum illa; non tamen ex hoc prohibetur dari in ea aliqua forma ab eſſentia diſtincta, quæ ſit tantùm exiſtentia, per quam eſſentia ipſa reddatur exiſtens: & ſicut ob eandem rationem prohibetur eidem creaturæ, quòd ſua potentia ſit ſuus actus; non vero quod in ea detur actus à potentia diſtinctus, per quem ipſa potentia aliquando in actu conſtituatur: ita ex eo quòd creatura intellectualis ſit capax ſub nihilo eſſendi, habet quidem quòd ipſa & ejus potentiæ non poſſint eſſe ſua indefectibilitas, & ſua determinatio ad bene operandum, neque per ſe cum illa connexæ: ac proinde quòd non ſint per ſe & ab intrinſeco indefectibiles, ſed habeant, quantum eſt ex ſe, potentiam ad peccandum & deficiendum: non tamen habetur, quòd non poſſit in tali creatura dari aliqua forma, quæ tantum ſit indefectibilitas, & determinatio ad bene operandum, diſtincta proinde à natura & potentia operativa, quæ per eam determinatur & perficitur, ratione cujus ipſæ natura & potentia, quoties illa utuntur, in ſenſu compoſito iſtius uſus agant indefectibiliter.

Et ratio utrobique eſt eadem: nam ſicut eſſe ſimul eſſentiam, & exiſtentiam, potentiam & actum, dicit infinitatem, & dicit eſſe à ſe, proptereáque nequit convenire rei factæ ex nihilo: eſſe autem exiſtentiam diſtinctam ab eſſentia, aut actum diſtinctum à potentia, nec petit eſſe à ſe, neque arguit infinitatem; ſed convenit exiſtentiis & actibus creaturarum factis ex nihilo: ſic ſimiliter aliquid eſſe potentiam operativam, & determinationem ejus ad bene agendum, atque adeo eſſe indefectibile per modum naturæ vel potentiæ, petit infinitatem, & eſſe à ſe; proindéque nulli rei ex nihilo factæ poteſt competere: eſſe verò determinationem tantummodo alicujus potentiæ vel naturæ ad bene operandum, diſtinctam ab ipſis natura & potentia, quas determinat, eſſéque hoc modo indefectibile, non arguit aliquam infinitatem, nec requirit eſſe à ſe; ſed poteſt inveniri in formis creatis, etiamſi ex nihilo ſui fiant. Hoc autem modo habitus virtutum ſunt indefectibiles: nempe per modum ſolius determinationis potentiæ operativæ ad bene agendum; quæ non pertingit ad hoc, ut ſimul ſit ipſa potentia operativa quam determinat.

Nec refert (ut tacita replica diluatur) quòd virtutes infuſæ habent etiam rationem 48
potentiæ, & dant *poſſe* ſimpliciter. ¶ Quia re vera non ſunt ſimpliciter potentia: ſed quaſi dimidium: videlicet quantitas virtutis potentiæ operativæ ſupponens commenſurationem eſſentialem. Atque adeo ſimpliciter & abſolutè ſunt determinationes potentiæ ad agendum, diſtinguntúrque ab ipſa potentia, quam determinant. Unde etiam eis poteſt adaptari hæc ſecunda ſolutio: quamvis pro hujuſmodi virtutibus, maximè verò pro Theologicis, & pro gratia juſtificante, quæ habet in ordine ſupernaturali rationem naturæ, aptior videtur prima ſolutio: ſecunda verò neceſſaria pro virtutibus acquiſitis.

Ad tertiam confirmationem reſpondetur, quòd quia *eſſe* cujuſlibet creaturæ, quantumcunque perfectum, eſt *eſſe* particulare & determinatum, poteſt ſemel à Deo productum (non obſtante eſſe ex nihilo) petere firmitatem & indefectibilitatem in hac ſua determinatione, exigeréque influxum Dei perpetuò illud conſervantem: ſicut creaturæ materiales quamvis fiant ex nihilo, poſſunt in ſuis operationibus habere indefectibilitatem, eò quòd tales operationes tantùm ſunt in ordine ad aliquod bonum particulare & determinatum, ut dub. præced. diximus. Cæterum creatura rationalis media ſua potentia operativa, & mediis ſuis operationibus eſt ordinabilis

Digitized by Google

ad bonum abſolutè & ſimpliciter: & ideo ut eſſet indefectibilis in operando, debebat præhabere in ſe rationem ejuſdem boni abſolutè & ſimpliciter: & non tantùm rationem alicujus boni particularis & determinati. Unde quia quod ſit ex nihilo, tantùm poteſt eſſe particulare bonum, repugnat quòd creatura rationalis ſit facta, ſit omnino indefectibilis in operando: atque adeo quòd ſit naturaliter impeccabilis. Quæ ſolutio eſt D. Thomæ quæſt. 24. de veritate art. 7. ad 5. ubi argumentum contentum in hac confirmatione ita diſſolvit. *Dicendum, quòd creatura acquiritur eſſe determinatum & particulare ab alio: unde creatura poteſt habere eſſe ſtabile & immobile, quamvis in ea non inveniatur naturaliter ratio abſoluti & perfecti boni* (atque adeo quamvis ſit ex nihilo) *ſed per actiones ſuas eſt ordinabilis ad bonum abſolutè: & ideo non eſt ſimile.*

D. Thom.

ARTICULUS III.

Utrum peccatum habeat cauſam exteriorem?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd peccatum non habeat cauſam exteriorem. Peccatum enim eſt actus voluntarius: voluntaria autem ſunt eorum, quæ ſunt in nobis, & ita non habent exteriorem cauſam: ergo peccatum non habet exteriorem cauſam.

2. Præterea: ſicut natura eſt principium interius, ita etiam voluntas: ſed peccatum in rebus naturalibus nunquam accidit niſi ex aliqua interiori cauſa, ut puta monſtruoſi partus proveniunt ex corruptione alicujus principii interioris: ergo neque in moralibus poteſt contingere peccatum niſi ex interiori cauſa: non ergo habet peccatum cauſam exteriorem.

3. Præterea: multiplicata cauſa multiplicatur effectus, ſed quantò plura ſunt & majora, exterius inducentia ad peccandum, tantò minus id, quod quis inordinatè agit, ei imputatur ad peccatum: ergo nihil exterius eſt cauſa peccati.

Sed contra eſt quod dicitur Num. 31. Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſraël, & prævaricari vos fecerunt in Domino ſuper peccato Phogor: ergo aliquid exterius poteſt eſſe cauſa faciens peccare.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, cauſa interior peccati eſt & voluntas ut perficiens actum peccati, & ratio quantum ad carentiam debitæ regulæ, & appetitus ſenſitivus inclinans. Sic ergo aliquid extrinſecum tripliciter poſſet eſſe cauſa peccati: vel quia moveret immediatè ipſam voluntatem: vel quia moveret rationem: vel quia moveret appetitum ſenſitivum, voluntatem autem, ut ſupra dictum eſt, interius movere non poteſt, niſi Deus qui non poteſt eſſe cauſa peccati, ut infra oſtendetur. Unde relinquitur, quòd nihil exterius poteſt eſſe cauſa peccati, niſi vel in quantum movet rationem, ſicut homo vel dæmon perſuadens peccatum: vel ſicut movens appetitum ſenſitivum, ſicut aliqua ſenſibilia exteriora movent appetitum ſenſitivum. Sed neque perſuaſio exterior in rebus agendis ex neceſſitate movet rationem, neque etiam res exterius propoſitæ ex neceſſitate movent appetitum ſenſitivum, niſi forte aliquo modo diſpoſitum, & tamen etiam appetitus ſenſitivus non ex neceſſitate movet rationem & voluntatem. Unde aliquid exterius poteſt eſſe aliqua cauſa movens ad peccandum, non tamen ſufficienter ad peccandum inducens: ſed cauſa ſufficienter complens peccatum eſt ſola voluntas.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex hoc ipſo quod exteriora moventia ad peccandum, non ſufficienter & ex neceſſitate inducunt: ſequitur quòd remaneat in nobis peccare & non peccare.

Ad ſecundum dicendum, quòd per hoc quòd ponitur interior cauſa peccati, non excluditur exterior: non enim id, quod eſt exterius, eſt cauſa peccati, niſi mediante cauſa interiori, ut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd multiplicatis exterioribus cauſis inclinantibus ad peccandum, multiplicantur actus peccati: quia plures ex illis cauſis, & pluries inclinant ad actus peccati, ſed tamen minuitur ratio culpæ, quæ conſiſtit in hoc, quòd aliquid ſit voluntarium & in nobis.

CONCLUSIO.

Aliquid exterius poteſt eſſe cauſa movens ad peccandum: & hoc dupliciter: vel media perſuaſione & conſilio, ſicut homo & dæmon: vel movendo appetitum ſenſitivum, ſicut objecta ſenſibilia. Nihil tamen horum eſt ſufficiens cauſa peccati, ſed ſola voluntas.

Littera

Digitized by Google

Litera hujus articuli eſt ſatis perſpicua, neque expoſitione indiget. Breviter tamen animadverte, quòd non declaravit hic D. Thom. omnem modum, quo dæmon ad peccandum inducit; ſed ſolum externum per modum perſuaſionis, qui ex parte rationis ſe tenet, & eſt etiam homini communis. Alius verò, quo concurrit commovendo intus phantaſmata, & mediis illis excitando appetitum ſenſitivum, potius reducitur ad cauſas interiores & declaratur infra quæſt. 80. art. 2. Deinde cùm dicit res externas non de neceſſitate movere appetitum ſenſitivum hominis, inſinuat hujus appetitus inſitam libertatem, quam explicuimus diſp. 10. dub. 2. ex illa enim provenit, quòd objectum ſenſibile non ita neceſſario appetitum ad ſe rapiat, quin poſſit reprimi à voluntate, ſi vel ſemiplena adſit rationis advertentia. Si autem vel propoſitio objecti hanc etiam ſemiplenam advertentiam antecedat, vel ipſe appetitus propter aliquam corporalem commutationem indiſpoſitus ſit ad ſequendum rationis ductum, trahetur neceſſario ab objecto, ut explicuimus diſp. cit. num. 118. Nulla tamen in eo motu aderit formalis malitia propter defectum omnis libertatis. Imo etiam ſi voluntas, antequam ratio deliberare poſſit, in idem objectum feratur, non peccabit propter prædictum libertatis defectum. Atque hinc ſumitur evidens ratio pro concluſione hujus articuli: quia vel adſtantibus aliis cauſis, voluntas manet libera ad amplectendum objectum diſſonum; vel non? Si primum, eò ipſo nulla illarum movet ſufficienter: cum adhuc poſt talem motionem ſit in poteſtate voluntatis peccare, aut non peccare. Si ſecundum, tollitur quæſtioni locus: quia ubi non eſt libertas, non poteſt eſſe peccatum.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum ſit cauſa peccati?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum non ſit cauſa peccati. Sunt enim quatuor genera cauſarum, quorum nullum poteſt ad hoc congruere, quòd peccatum ſit cauſa peccati. Finis enim habet rationem boni: quod non competit peccato, quod de ſua ratione eſt malum. Et eadem ratione nec peccatum poteſt eſſe cauſa efficiens: quia malum non eſt cauſa agens, ſed eſt infirmum & impotens, ut Dionyſius dicit 4. cap. de divin. nomin. Cauſa autem materialis & formalis videntur habere ſolum locum in naturalibus corporibus, quæ ſunt compoſita ex materia & forma: ergo peccatum non poteſt habere cauſam materialem & formalem.

2. Præterea: agere ſibi ſimile eſt rei perfectæ, ut dicitur in 4 Meteor. ſed peccatum de ſui ratione eſt imperfectum: ergo peccatum non poteſt eſſe cauſa peccati.

3. Præterea: ſi hujus peccati ſit cauſa aliud peccatum, eadem ratione & illius erit cauſa aliquod aliud peccatum, & ſic procedetur in infinitum, quod eſt inconveniens: non ergo peccatum eſt cauſa peccati.

Sed contra eſt quod Gregorius dicit ſuper Ezech. Peccatum, quod per pœnitentiam citius non deletur, peccatum eſt, & cauſa peccati.

Reſpondeo dicendum, quòd cum peccatum habeat cauſam ex parte actus, hoc modo unum peccatum poſſet eſſe cauſa alterius, ſicut unus actus humanus poteſt eſſe cauſa alterius. Contingit igitur unum peccatum eſſe cauſam alterius ſecundum quatuor genera cauſarum. Primò quidem ſecundùm modum cauſæ efficientis, vel moventis, & per ſe, & per accidens. Per accidens quidem, ſicut removens prohibens dicitur movens per accidens: cum enim per unum actum peccati homo amittit gratiam, vel charitatem, vel verecundiam, vel quodcunque aliud retrahens à peccato, incidit ex hoc in aliud peccatum, & ſic primum peccatum eſt cauſa ſecundi per accidens. Per ſe quidem, ſicut cum ex uno actu peccati homo diſponitur ad hoc, quod alium actum conſimilem facilius committit: ex actibus enim cauſantur diſpoſitiones, & habitus inclinantes ad ſimiles actus. Secundùm verò genus cauſæ materialis unum peccatum eſt cauſa alterius, in quantum præparat ei materiam: ſicut avaritia præparat materiam litigio: quod plerumque eſt de divitiis congregatis. Secundùm verò genus cauſæ finalis unum peccatum eſt cauſa alterius, in quantum propter finem unius peccati aliquis committit aliud peccatum: ſicut cum aliquis committit ſimoniam propter finem ambitionis, vel fornicationem propter furtum. Et quia finis dat formam in moralibus (ut ſupra habitum eſt) ex hoc etiam ſequitur, quòd unum peccatum ſit formalis cauſa alterius: in actu enim fornicationis, quæ propter furtum committitur, eſt quidem fornicatio ſicut materiale, furtum verò ſicut formale.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum

Digitized by Google

peccatum in quantum eſt inordinatum habet rationem mali: ſed in quantum eſt actus quidam, habet aliquod bonum, ſaltem apparens pro fine, & ita ex parte actus poteſt eſſe cauſa & finalis & effectiva alterius peccati, licet non ex parte inordinationis: materiam autem habet peccatum non ex qua, ſed circa quam: formam autem habet ex fine. Et ideo ſecundum quatuor genera cauſarum peccatum poteſt dici cauſa peccati, ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum eſt imperfectum imperfectione morali ex parte inordinationis, ſed ex parte actus poteſt habere perfectionem naturæ: & ſecundum hoc poteſt eſſe cauſa peccati.

Ad tertium dicendum, quòd non omnis cauſa peccati eſt peccatum: unde non oportet quòd procedatur in infinitum: ſed poteſt pervenire ad aliquod peccatum, cujus cauſa non eſt aliud peccatum.

CONCLUSIO.

Vnum peccatum poteſt eſſe cauſa alterius in quovis genere cauſæ efficientis materialis, finalis, & formalis.

Hæc concluſio & tota doctrina articuli declaratur optimè à D. Thoma cùm hîc, tùm infra quæſt. 84. præſertim art. 4. adeóque opus non eſt pro ejus elucidatione aliquid ſuperaddere. ¶ Solet autem dubitari, an unum peccatum poſſit ita eſſe cauſa alterius, ut neceſſario & inevitabiliter in ipſum pertrahat, adeo ut qui illud commiſerit, nequeat iſtud vitare? Sed de hoc dicemus in tract. de conſcientia agentes illam difficultatem, utrum homo poſſit eſſe perplexus, ita ut quamlibet contradictionis partem eligat, peccet? ¶ Solutio ad ſecundum videtur pro ſententia negante malitiam poſitivam. Sed eam rectè exponit Cajetanus, ut potius noſtræ doctrinæ faveat. Et clarius eſt pro nobis ſolutio ad primum, ubi præter inordinationem privativam conceditur peccato converſio ad bonum apparens, habens rationem formæ & conſtitutivi reſpectu ipſius peccati. Quæ ſanè converſio cum ſit ad bonum non verum, ſed apparens: verè autem malum, & à ratione prohibitum, nequit non eſſe moralis malitia.

QUÆSTIO LXXVI.

DE CAUSIS PECCATI IN SPECIALI, in quatuor Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſis peccati in ſpeciali. ¶ Et primò de cauſis interioribus peccati. Secundò de exterioribus. Tertiò de peccatis, quæ ſunt cauſa aliorum peccatorum.

¶ Prima autem conſideratio ſecundum præmiſſa erit tripartita. Nam primo agetur de ignorantia, quæ eſt cauſa peccati ex parte rationis. ¶ Secundo de infirmitate ſeu paſſione, quæ eſt cauſa peccati ex parte appetitus ſenſitivi. ¶ Tertio de malitia, quæ eſt cauſa peccati ex parte voluntatis.

¶ Circa primum quæruntur quatuor.

IN hoc quæſtionis veſtibulo declarat Ang. Doctor, quæ ſint in ſpeciali cauſæ tam interiores, quam exteriores influentes in peccatum, quas ſolum in communi quæſt. præcedente diſtinxerat. Reduxerat autem articulo 2. interiores ad rationem, voluntatem, & appetitum: & ideo pro his tribus in ſpeciali monet hanc & duas ſequentes quæſtiones, incipiens ab ignorantia, quæ ad rationem ſpectat.

ARTI

ARTICULUS I.

Vtrum ignorantia poſſit eſſe cauſa peccati?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd ignorantia non poſſit eſſe cauſa peccati: quia quod non eſt, nullius eſt cauſa: ſed ignorantia eſt non ens, cum ſit privatio quædam ſcientiæ: ergo ignorantia non eſt cauſa peccati.

2. Præterea: cauſæ peccati ſunt accipiendæ ex parte converſionis, ut ex ſupradictis patet: ſed ignorantia videtur reſpicere averſionem: ergo non debet poni cauſa peccati.

3. Præterea: omne peccatum in voluntate conſiſtit, ut ſupra dictum eſt: ſed voluntas non fertur niſi in aliquod cognitum; quia bonum apprehenſum eſt objectum voluntatis: ergo ignorantia non poteſt eſſe cauſa peccati.

Sed contra eſt quod Auguſtinus dicit in lib. de natur. & grat. quod quidam per ignorantiam peccant.

Reſpondeo dicendum, quòd ſecundum Philoſophum in lib. 8. Phyſic. cauſa movens eſt duplex: una per ſe, & alia per accidens. Per ſe quidem eſt, quæ propria virtute movet, ſicut generans eſt cauſa movens gravia, & levia. Per accidens autem, ſicut removens prohibens, vel ſicut ipſa remotio prohibentis: & hoc modo ignorantia poteſt eſſe cauſa actus peccati, eſt enim privatio ſcientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, in quantum dirigit actus humanos. Conſiderandum eſt autem, quòd ratio ſecundum duplicem ſcientiam eſt humanorum actuum directiva, ſcilicet ſecundum ſententiam univerſalem & particularem: conferens enim de agendis utitur quodam ſyllogiſmo, cujus concluſio eſt judicium, ſeu electio, vel operatio, actiones autem in ſingularibus ſunt: unde concluſio ſyllogiſmi operativi eſt ſingularis: ſingularis autem propoſitio non concluditur ex univerſali, niſi mediante aliqua propoſitione ſingulari: ſicut homo prohibetur ab actu parricidii per hoc, quòd ſcit patrem non eſſe occidendum, & per hoc quòd ſcit hunc eſſe patrem: utriuſque ergo ignorantia poteſt cauſare parricidii actum, ſcilicet & univerſalis principii, quod eſt quædam regula rationis, & ſingularis circunſtantiæ. Unde patet, quòd non quælibet ignorantia peccantis eſt cauſa peccati, ſed illa tantùm, quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati. Unde ſi voluntas alicujus eſſet ſic diſpoſita, quòd non prohiberetur ab actu parricidii, etiam ſi patrem agnoſceret, ignorantia patris non eſt hîc cauſa peccati, ſed concomitanter ſe habet ad peccatum: & ideo talis non peccat propter ignorantiam, ſed peccat ignorans ſecundum Philoſophum in 3. Ethic.

Ad primum ergo dicendum, quòd non ens non poteſt eſſe alicujus cauſa per ſe: poteſt tamen eſſe cauſa per accidens, ſicut remotio prohibentis.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut ſcientia, quam tollit ignorantia, reſpicit peccatum ex parte converſionis: ita etiam ignorantia ex parte converſionis eſt cauſa peccati ut removens prohibens.

Ad tertium dicendum, quòd in illud, quod eſt quantum ad omnia ignotum, non poteſt ferri voluntas, ſed ſi aliquid eſt ſecundum aliquid notum, & ſecundum aliquid ignotum, poteſt voluntas illud velle, & hoc modo ignorantia eſt cauſa peccati: ſicut enim aliquis ſcit hunc, quem occidit, eſſe hominem, ſed neſcit eum eſſe patrem: vel cum aliquis ſcit aliquem actum eſſe delectabilem, neſcit tamen eum eſſe peccatum.

Prima Concluſio.

Ignorantia poteſt eſſe cauſa peccati non per ſe ſed per accidens, ſicut removens prohibens.

Secunda Concluſio.

Non quælibet ignorantia eſt cauſa peccati, ſed illa tantùm, quæ tollit ſcientiam actum peccati prohibentem.

ARTI

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Vtrum ignorantia ſit peccatum?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd ignorantia non ſit peccatum. Peccatum enim eſt dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei, ut ſupra habitum eſt: ſed ignorantia non importat aliquem actum neque interiorem, neque exteriorem: ergo ignorantia non eſt peccatum.

2. Præterea: peccatum directius opponitur gratiæ, quàm ſcientiæ: ſed privatio gratiæ non eſt peccatum, ſed magis pœna quædam conſequens peccatum: ergo ignorantia, quæ eſt privatio ſcientiæ, non eſt peccatum.

3. Præterea: ſi ignorantia eſt peccatum, hoc non eſt niſi in quantum eſt voluntaria: ſed ſi ignorantia ſit peccatum, in quantum eſt voluntaria, videtur peccatum in ipſo actu voluntatis conſiſtere magis quàm in ignorantia: ergo in ignorantia non erit peccatum, ſed magis aliquid conſequens ad peccatum.

4. Præterea: omne peccatum per pœnitentiam tollitur: nec aliquod peccatum tranſiens reatu remanet actu niſi ſolùm originale: ignorantia autem non tollitur per pœnitentiam, ſed adhuc remanet actu, omni reatu per pœnitentiam remoto: ergo ignorantia non eſt peccatum, niſi fortè ſit originale.

5. Præterea: ſi ipſa ignorantia ſit peccatum, quandiu remaneret ignorantia in homine, tandiu actu peccaret: ſed continuè manet ignorantia in ignorante: ergo ignorans continuè peccaret: quod patet eſſe falſum, quia ſic ignorantia eſſet graviſſimum: non ergo ignorantia eſt peccatum.

Sed contra: nihil meretur pœnam niſi peccatum: ſed ignorantia meretur pœnam ſecundum illud 1. ad Cor. 14. Si quis ignorat ignorabitur: ergo ignorantia eſt peccatum.

Reſpondeo dicendum, quòd ignorantia in hoc à neſcientia differt, quod neſcientia dicit ſimplicem ſcientiæ negationem: unde cuicunque deeſt aliquarum rerum ſcientia, poteſt dici neſcire illas, ſecundùm quem modum Dionyſius in Angelis neſcientiam ponit 7. cap. cœleſt Hierarch. ignorantia verò importat ſcientiæ privationem, dum ſcilicet alicui deeſt ſcientia eorum, quæ aptus natus eſt ſcire. Horum autem quædam aliquis ſcire tenetur, illa ſcilicet, ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum rectè exercere; unde omnes tenentur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant. Quædam verò ſunt, quæ etſi aliquis natus eſt ſcire; non tamen ea ſcire tenetur. Sicut theoremata geometriæ, & contingentia particularia niſi in caſu. Manifeſtum eſt autem, quòd quicunque negligit habere vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omiſſionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum; non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt: unde horum ignorantia invincibilis dicitur: quia ſtudio ſuperari non poteſt, & propter hoc talis ignorantia, cum non ſit voluntaria, eò quòd non eſt in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum. Ex quo patet quòd nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum; ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ aliquis ſcire tenetur: non autem ſi ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, quod dicitur dictum vel factum vel concupitum, ſunt intelligendæ etiam negationes oppoſitæ: ſecundum quod omiſſio habet rationem peccati: & ita negligentia, ſecundum quam ignorantia eſt peccatum, continetur ſub prædicta diffinitione peccati, in quantum prætermittitur aliquid, quod debuit dici, vel fieri, vel concupiſci ad ſcientiam debitam acquirendam.

Ad ſecundum dicendum, quòd privatio gratiæ etſi ſecundum ſe non ſit peccatum; tamen ratione negligentiæ præparandi ſe ad gratiam poteſt habere rationem peccati, ſicut & ignorantia, & tamen quantum ad hoc eſt diſſimile: quia homo poteſt aliquam ſcientiam acquirere per ſuos actus: gratia verò non acquiritur ex noſtris actibus, ſed ex Dei munere.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut in peccato tranſgreſſionis peccatum non conſiſtit in ſolo actu voluntatis, ſed etiam

etiam in actu volito, qui eſt imperatus à voluntate: ita in peccato omiſſionis non ſolùm actus voluntatis eſt peccatum, ſed etiam ipſa omiſſio, in quantum eſt aliqualiter voluntaria: & hoc modo ipſa negligentia ſciendi, vel etiam ipſa inconſideratio eſt peccatum.

Ad quartum dicendum, quòd licèt, tranſeunte reatu per pœnitentiam, remaneat ignorantia, ſecundùm quod eſt privatio ſcientiæ: non tamen remanet negligentia, ſecundum quam ignorantia peccatum dicitur.

Ad quintum dicendum, quòd ſicut in aliis peccatis omiſſionis ſolo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat: ita eſt etiam de peccato ignorantiæ: non enim continuò ignorans actu peccat; ſed ſolùm quando eſt tempus acquirendi ſcientiam, quam habere tenetur.

PRIMA CONCLUSIO.

Nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ignorantia vincibilis illorum, quæ quis ſcire tenetur, eſt peccatum; ſecus illorum, quæ ſcire non tenetur.

ARTICULUS III.

Vtrum ignorantia excuſet ex toto à peccato?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd ignorantia ex toto excuſet à peccato: quia, ut Auguſtinus dicit, omne peccatum voluntarium eſt: ſed ignorantia cauſat involuntarium, ut ſupra habitum eſt: ergo ignorantia totaliter excuſat peccatum.

2. Præterea: id quod aliquis facit præter intentionem, per accidens agit: ſed intentio non poteſt eſſe de eo, quod eſt ignotum: ergo id, quod per ignorantiam homo agit, per accidens ſe habet in actibus humanis: ſed quod eſt per accidens, non dat ſpeciem: nihil ergo quod eſt per ignorantiam factum, debet judicari peccatum vel virtuoſum in humanis actibus.

3. Præterea: homo eſt ſubjectum virtutis & peccati, in quantum eſt particeps rationis: ſed ignorantia excludit ſcientiam, per quam ratio perficitur: ergo ignorantia totaliter excuſat à peccato.

Sed contra eſt quod Auguſtin. dicit in lib. de liber. arbitr. quòd quædam per ignorantiam facta rectè improbantur: ſed ſolùm illa rectè improbantur, quæ ſunt peccata: ergo quædam per ignorantiam facta ſunt peccata: non ergo ignorantia omnino excuſat à peccato.

Reſpondeo dicendum, quòd ignorantia de ſe habet, quòd faciat actum, quem cauſat involuntarium eſſe: jam autem dictum eſt, quòd gnorantia dicitur cauſare actum, quem ſcientia oppoſita prohibebat: & ita talis actus, ſi ſcientia adeſſet, eſſet contrarius voluntati, quod importat nomen involuntarii: ſi vero ſcientia, quæ per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem voluntatis in ipſum, ignorantia hujus ſcientiæ non facit hominem involuntarium, ſed non volentem, ut dicitur in 3. Ethic. & talis ignorantia, quæ non eſt cauſa actus peccati, ut dictum eſt, quia non cauſat involuntarium, non excuſat à peccato. Et eadem ratio eſt de quacunque ignorantia non cauſante, ſed conſequente vel concomitante actum peccati. Sed ignorantia, quæ eſt cauſa actus, quia cauſat involuntarium, de ſe habet, quòd excuſet à peccato, eo quod voluntarium eſt de ratione peccati. Sed quod aliquando non totaliter excuſet à peccato, poteſt contingere ex duobus. Uno modo ex parte rei ipſius ignoratæ: intantum enim ignorantia excuſat à peccato, in quantum ignoratur aliquid eſſe peccatum: poteſt autem contingere, quòd aliquis ignoret quidem aliquam circunſtantiam peccati, quam ſi ſciret, retraheretur à peccando, ſive illa circunſtantia faciat ad rationem peccati, ſive non; & tamen adhuc remanet in ejus ſcientia aliquid, per quod cognoſcit illud eſſe actum peccati: puta ſi aliquis percutiens aliquem, ſciat quidem ipſum eſſe hominem (quod ſufficit ad rationem peccati) non tamen ſcit eum eſſe patrem, quod eſt circunſtantia conſtituens novam ſpeciem peccati; vel fortè neſcit, quòd ille ſe defendens repercu iat eum, quod ſi ſciret, non percuteret quod non pertinet ad rationem peccati: unde licèt talis propter ignorantiam peccet, non tamen tota-

liter excuſatur à peccato: quia adhuc remanet ei cognitio peccati. Alio modo poteſt hoc contingere ex parte ipſius ignorantiæ: quia ſcilicet ipſa ignorantia eſt voluntaria, vel directè, ſicut cum aliquis ſtudioſe vult neſcire aliqua, ut liberius peccet. Vel indirectè: ſicut cum aliquis propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiſcere id, per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntariam & peccatum, dummodo ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur & poteſt: & ideo talis ignorantia non totaliter excuſat à peccato. Si verò ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat à peccato.

Ad primum ergo dicendum, quòd non omnis ignorantia cauſat involuntarium, ſicut ſupra dictum eſt: unde non omnis ignorantia totaliter excuſat à peccato.

Ad ſecundum dicendum, quòd in quantum remanet in ignorante de voluntario, in tantum remanet de intentione peccati, & ſecundum hoc non erit per accidens peccatum.

Ad tertium dicendum, quòd ſi eſſet talis ignorantia, quæ totaliter uſum rationis excluderet, omnino à peccato excuſaret, ſicut patet in furioſis & amentibus: non autem ſemper ignorantia cauſans peccatum eſt talis: & ideo non ſemper totaliter excuſat à peccato.

Prima Concluſio.

Ignorantia, quæ non cauſat actum peccati, ſed ſolùm concomitatur, non excuſat à peccato.

Secunda Concluſio.

Ignorantia, quæ vel eſt voluntaria, vel non tollit omnem ſcientiam peccati, non totaliter excuſat à peccato.

Tertia Concluſio.

Illa ignorantia, quæ tollit omnem peccati ſcientiam, eſtque omnino involuntaria, totaliter à peccato excuſat.

ARTICULUS IV.

Vtrum ignorantia diminuat peccatum?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd ignorantia non diminuit peccatum. Illud enim quod eſt commune in omni peccato, non diminuit peccatum: ſed ignorantia eſt communis in omni peccato: dicit enim Philoſophus in 3. Ethic. quòd omnis malus eſt ignorans: ergo ignorantia non diminuit peccatum.

2. Præterea: peccatum additum peccato facit majus peccatum: ſed ipſa ignorantia eſt peccatum, ut dictum eſt: ergo non diminuit peccatum.

3. Præterea non eſt ejuſdem aggravare & diminuere peccatum: ſed ignorantia aggravat peccatum: quoniam ſuper illud Apoſtoli Roman. 2. Ignoras quoniam benignitas Dei, &c. dicit Ambroſius: graviſſimè peccas ſi ignoras: ergo ignorantia non diminuit peccatum.

4. Præterea: ſi aliqua ignorantia diminuit peccatum, hoc maximè videtur de illa, quæ totaliter tollit uſum rationis: ſed hujuſmodi ignorantia non minuit peccatum, ſed magis auget: dicit enim Philoſophus in 3. Ethic. quòd ebrius meretur duplices maledictiones: ergo ignorantia non minuit peccatum.

Sed contra: quicquid eſt ratio remiſſionis peccati, alleviat peccatum: ſed ignorantia eſt hujuſmodi, ut patet 1. ad Timoth. 1. Miſericordiam conſequutus ſum, quia ignorans feci: ergo ignorantia diminuit vel alleviat peccatum.

Reſpondeo dicendum, quòd quia omne peccatum eſt voluntarium, in tantum ignorantia poteſt diminuere peccatum, in quantum diminuit voluntarium: ſi autem voluntarium non diminuat, nullo modo diminuet peccatum. Manifeſtum eſt autem, quòd ignorantia, quæ totaliter à peccato excuſat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, ſed omnino aufert. Ignorantia verò, quæ non eſt cauſa peccati, ſed concomitanter ſe habet ad peccatum, nec minuit peccatum, nec auget. Illa igitur ſola ignorantia poteſt

Digitized by Google

poteſt peccatum minuere, quæ eſt cauſa peccati: & tamen totaliter à peccato non excuſat. Contingit autem quandoque, talis ignorantia directè & per ſe: ſicut cum aliquis ſua ſponte neſcit aliquid, ut liberius peccet: & talis ignorantia, videtur augere voluntarium & peccatum; ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit, quòd aliquis vult ſubire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi. Quandóque verò ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, non eſt directè voluntaria, ſed indirectè vel per accidens: puta cum aliquis non vult laborare in ſtudio, ex quo ſequitur eum eſſe ignorantem: vel cum aliquis vult bibere vinum immoderatè: ex quo ſequitur eum inebriari, & diſcretione carere: & talis ignorantia diminuit voluntarium, & per conſequens peccatum. Cum enim aliquid non cognoſcitur eſſe peccatum, non poteſt dici, quòd voluntas directè & per ſe feratur in peccatum, ſed per accidens: unde ibi eſt minor contemptus, & per conſequens minus peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quòd ignorantia, ſecundum quam omnis malus eſt ignorans, non eſt cauſa peccati, ſed aliquid conſequens ad cauſam, ſcilicet ad paſſionem vel habitum inclinantem in peccatum.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum peccato additum facit plura peccata, non tamen facit ſemper majus peccatum: quia fortè non coincidunt in idem peccatum: ſed ſunt plura. Et poteſt contingere ſi primum diminuat ſecundum, quòd ambo ſimul non habeant tantam gravitatem, quantam unum ſolùm haberet: ſicut homicidium gravius peccatum eſt, ſi ſit à ſobrio homine factum, quàm ſi fiat ab ebrio homine, quamvis hæc ſint duo peccata: quia ebrietas plus diminuit de ratione ſequentis peccati, quàm ſit ſua gravitas.

Ad tertium dicendum, quod verbum Ambroſii poteſt intelligi de ignorantia ſimpliciter affectata, vel poteſt intelligi in genere peccati ingratitudinis: in qua ſummus gradus eſt, quòd homo etiam beneficia non recognoſcat: vel poteſt intelligi de ignorantia infidelitatis, quæ fundamentum ſpiritualis ædificii ſubvertit.

Ad quartum dicendum, quòd ebrius quidem meretur duplices maledictiones propter duo peccata, quæ committit, ſcilicet ebrietatem & aliud peccatum, quod ex ebrietate ſequitur: tamen ebrietas ratione ignorantiæ adjunctæ diminuit ſequens peccatum, & fortè plus quàm ſit gravitas ipſius ebrietatis, ut dictum eſt. Vel poteſt dici, quod illud verbum inducitur ſecundum ordinationem cujuſdam Pythaci legiſlatoris, qui ſtatuit, ebrios, ſi percuſſerint, amplius puniendos: non ad veniam reſpiciens, quam ebrii debent magis habere, ſed ad utilitatem: quia pluries injuriantur ebrii, quàm ſobrii, ut patet per Philoſophum in 2. Politic.

Prima Concluſio.

Ignorantia, quæ totaliter à peccato excuſat, non minuit peccatum, ſed aufert, quia aufert omnino voluntarium.

Secunda Concluſio.

Ignorantia, quæ non eſt cauſa peccati, ſed concomitans, nec aufert peccatum, nec minuit.

Tertia Concluſio.

Illa ſola ignorantia peccatum diminuit, quæ eſt ejus cauſa, nec tamen totaliter ab illo excuſat.

Quarta Concluſio.

Ignorantia affectata ad liberius peccandum non diminuit peccatum, ſed auget.

DISPUTATIO XIII.

De ignorantia in ordine ad peccatum.

PLURA pertinent ad hanc diſputationem, quæ ſi ſeorſim pertractanda eſſent, & dubia pro ſingulis excitanda, plurimum eam dilatarent. Quare ſeligemus principaliora, & cæterorum capita: ex eorúmque diſcuſſione reliqua minoris momenti lucem accipient.

DUBIUM I.

Quotuplex ſit ignorantia: & qualiter ſit cauſa peccati?

VAſtiſſimum cum ſit ignorantiæ regnum, erroris & inconſiderationis præſidus circum

communitum, oportet illud primo loco dividere, & in ſua membra ſecare: ut vel ſic citius debellari poſſit: juxta illud Dominicæ ſententiæ. *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur.* Eò quippe magis ignorantia noſtra depellitur, quò de ipſa ignorantia, ac de ſingulis ejus membris certiorem notitiam comparamus.

Luc. 11.

§. I.

Multiplex ignorantiæ diviſio.

1 **Dividitur ignorantia ex primo capite.**

IGnorantia, quæ ex communiſſima, ratione latiſſiméque accepta ſolum dicit ſcientiæ, vel notitiæ excluſionem, ex triplici capite diviſiones ſortitur, nempe ſecundum ſe: ex parte objecti: & ex parte principii. Secundùm ſe quidem dividitur primò in illam, quæ potius dicitur *neſcientia*; & in eam, quæ propriè eſt *ignorantia.* Prima dicit carentiam illius ſcientiæ, quam aliquis nec debet nec natus eſt acquirere: & ideo cum ſit tantùm negatio, non habet rationem mali ſive culpæ, ſive pœnæ. Habétque locum etiam in Angelis, teſte Dionyſio capite ſeptimo, cœleſt. Hierar. cum enim nulla creatura, quantumvis ſuperioris cognitionis, omnia ſcibilia comprehendat, & ſaltem ex poſſibilibus plura omnes lateant, neceſſe eſt, ut in omni intellectu creato ſive humano ſive Angelico ſit aliquid prædictæ neſcientiæ: & ſolus divinus, qui nihil non ſcit, illam penitùs excludat. Hæc tamen ignorantia ſeu neſcientia ad notitiam de peccatis nihil confert, & ideo in præſentiarum omittitur. Secunda dicit carentiam illius ſcientiæ, quam quis aptus natus eſt habere, adeòque importat rationem mali, vel culpæ, vel pœnæ: & hujus notitia eſt, quæ ad præſens conducit.

Subdividitur autem hujuſmodi ignorantia: nam quædam ſolùm importat carentiam ſive privationem ſcientiæ abſque errore ullo in contrarium: & ideo dicitur ignorantia *puræ negationis*, vel melius, *puræ privationis*: ut cum quis ignorat aliquam veritatem, quia nihil circa eam audivit. Quædam verò ſimul cum prædicta carentia affert errorem ſcientiæ contrarium: ut cum quis ita ignorat aliquam veritatem, ut ſimul habeat erroneum judicium, quo credit oppoſitum: & hæc appellatur *ignorantia pravæ diſpoſitionis.* Subpartitúrque adhuc utraque in habitualem & actualem. Illa reſpectu ignorantiæ puræ privationis dicit carentiam habitus ſcientiæ; hæc carentiam actualis cognitionis: reſpectu verò ignorantiæ pravæ diſpoſitionis prima importat habitum erroris habitui ſcientiæ contrarium; & ſecunda actuale judicium falſum & erroneum. Ne verò terminorum multiplicitate implicemur, aſſumemus duntaxat pro ſubſequentibus diviſionibus ignorantiam privativam habitualem, pro hac enim ſtat nomen *ignorantiæ* abſolutè prolatum: de qua quicquid dixerimus, intelligendum eſt, proportione ſervata, de ignorantia privativa actuali, quæ in communi uſu non tam dicitur *ignorantia*, quam *inconſideratio*: (non enim propriè aliquis dicitur ignorare ea, quæ habitu ſcit, licèt actu non conſideret) & de ignorantia pravæ diſpoſitionis, quæ etiam abſolutè loquendo non appellatur *ignorantia*, ſed *error actualis* vel *habitualis.*

2 **Dividitur ex ſecundo capite.**

Prædicta igitur ignorantia ex ſecundo capite dividitur primò in *practicam* & *ſpeculativam*: & utraque cognoſcitur per ſcientiam oppoſitam. Nam prima eſt carentia ſcientiæ practicæ, quæ dirigit operationes: & ſecunda ſcientiæ ſpeculativæ, quæ non ordinatur ad agendum, ſed ad aſſequendam de rebus veram cognitionem abſque alio fine proximo. Et quia ſpeculativa parùm refert ad notitiam de peccatis, parùm etiam in præſenti de illa curatur. Practica autem ſubdividitur in *ignorantiam juris*: ut cum ignoratur lex vel præceptum, quo aliquid præſcribitur, vel prohibetur: puta quòd ſit prohibitum, adeóque peccatum hominem occidere, accipere uxorem vel rem alienam, &c. & *ignorantiam facti*: ut cum ignoratur hunc, qui occiditur, eſſe hominem, putatúrque eſſe feram, aut hanc uxorem vel rem, quæ accipitur, eſſe alienam, propriáque exiſtimatur. Eſtque hæc diviſio celebris apud Iuris peritos, unde illam Theologi deſumpſerunt. Et coincidit cum alia, qua utitur D. Thom. in præſenti art. 1. quæſt. 3. de mal. art. 6. dividens ignorantiam in *univerſalem* & *particularem*: nam *univerſalem* appellat, cum ignoratur propoſitio univerſalis & communis, ut quòd pater non ſit occidendus; quod pertinet ad *jus*: *particularem* verò, cum ignoratur propoſitio ſingularis, ut quòd homo iſte ſit pater; quod ſpectat ad *factum.*

Differt autem hæc *ignorantia facti* ab alia, quæ ſolet etiam *particularis* appellari: quæ quidem non aufert ſcientiam habitualem, neque univerſalis neque particularis propoſitionis; imo neque omnem actualem recordationem: ſed tollit vel diſtrahit, & diminuit attentionem, & conſiderationem actualiter requiſitam ad peccatum impediendum: quo fit ut licèt homo abſolutè & quaſi in actu ſignato ſciat aliquid peccatum eſſe, proindéque non eſſe faciendum, attamen hîc & nunc de hoc non curat propter paſſionem vel habitum inclinantem ad oppoſitum: ſolúmque attendit, quòd ſit bonum delectabile, conforme appetitui ad delectabilia inclinato: ex quo format judicium practicè practicum, quòd hîc & nunc eſt ſibi eligendum, etiam ſi judicium ſpeculativum in oppoſitum reclamet & remurmuret. Hoc tamen genus ignorantiæ potius reducitur ad actualem, quàm ad habitualem: nam compatitur cum quavis habituali notitia, quam ignorantia habitualis expellit. Vnde non abſolutè vocatur *ignorantia*: ſed *ignorantia pravæ electionis* Intervenítque in omni peccato: & propter illam dicitur in 3. Ethic. quòd *omnis malus eſt ignorans.* Quare non pertinebit ad hanc diſputationem, ubi ſermo eſt de ignorantia, quæ non omnibus peccatis admiſcetur, ſed tantùm aliquibus, quæ fiunt propter abſentiam ſcientiæ habitualis, vel propter oblivionem ſeu carentiam notitiæ actualis. Poſſet autem tàm ignorantia *juris* quàm *facti* multipliciter adhuc dividi, ſicut dividuntur objecta. Sola tamen ignorantia *juris* hoc permittit: quia *facta* innumerabilia ſunt, & incerta; *jus* verò habet membra determinata, ut *naturale*, *poſitivum divinum*, *humanum*, &c. à quibus non incongruè

congruè ſumuntur nomina & ſpecies prædictæ ignorantiæ.

3 *Tertium caput diviſionis.* Supereſt tertium caput, nempe ex parte cauſæ. Dividitúrque hinc ignorantia multipliciter: videlicet in *invincibilem* & *vincibilem*, *voluntariam* & *involuntariam*, *culpabilem* & *inculpabilem*; *probabilem* & *improbabilem*, *juſtam*, & *injuſtam*, *antecedentem*, *conſequentem*, & *concomitantem*. Et quamvis aliqui ita hæc membra diſtribuant, ut *invincibilis*, *inculpabilis*, *involuntaria*, *juſta*, *probabilis*, & *antecedens* coincidant ex una parte, & ex alia *vincibilis*, *voluntaria*, *injuſta*, *improbabilis*, & *conſequens*; ſola autem *concomitans* quandoque ad vincibilem, quandoque ad invincibilem pertineat: re tamen bene attenta, plura membra conſtituenda ſunt: nam ignorantia illarum rerum, quas ſcire poſſumus, ſed non tenemur, non eſt *voluntaria*, *culpabilis*, &c. & tamen neque eſt *invincibilis*; ſed ſub *vincibili* ponitur à D. Thoma art. 2. hujus quæſt. ubi concludit. *Ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ aliquis ſcire tenetur: non autem ſi ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur.* Et ratio eſt perſpicua: nam ignorantia dicta eſt *vincibilis*, quia ſtudio vinci poteſt, & acquiri oppoſita ſcientia: ſunt autem plura, quæ vel modico ſtudio ſcire poſſemus, ut aſſerta geometriæ, & multa particularia contingentia; ad quod tamen plures nullo præcepto adſtringimur: igitur iſtorum ignorantia neque eſt *invincibilis*, neque *culpabilis*, *voluntaria*, &c. Subdividenda ergo eſt ignorantia *vincibilis*, prout eſt eorum, quæ ſcire tenemur, & ſic coincidit cum *voluntaria*, *culpabili*, *improbabili*, & *injuſta*, quæ in re idem ſunt. Vel prout eſt illorum, quæ ſcire non tenemur: & hoc pacto continetur ſub *inculpabili*, *involuntaria*, *juſta*, & *probabili*, quæ ſecundum rem coincidunt. Sub quibus etiam continetur ignorantia *invincibilis*. De *antecedente*, *concomitante*, & *conſequente* ſtatim dicemus.

D. Thom.

Prædicta verò nomina quamvis eiſdem ignorantiis applicentur, ex diverſo tamen capite ſumuntur. Nam illa, quæ dicitur *invincibilis*, quia ſtudio vinci non poteſt, dicitur *involuntaria*, quia non oritur à voluntate; ſed potius ei repugnat: dicitúrque *inculpabilis*, *probabilis*, & *juſta*, quia ſine culpa (ſaltem perſonali) bona fide aut opinione contracta eſt, adeſtque ſufficiens ratio illam ſuſtinendi. Et ob eaſdem rationes multoties nuncupabitur eiſdem nominibus ignorantia *vincibilis* illorum, quæ ſcire non tenemur. E contra verò ignorantia *vincibilis* illorum, quæ ſcire debemus, dicitur *voluntaria*, *culpabilis*, *injuſta*, & *improbabilis*: quia voluntariè contracta eſt, adeóque culpabiliter ſine juſta, ſufficienti, aut probabili excuſatione. ¶ Scimus, aliquos diſtinguere ignorantiam probabilem ab invincibili; quòd hæc ſit, quando ex defectu omnimodæ advertentiæ nulla poteſt adhiberi diligentia, ut vincatur: illa verò quando ſufficienti diligentia adhibita, adhuc non vincitur. Ita Vaſquez diſp. 124. cap. 2. Sed nulla eſt ratio, cur etiam hæc poſterior ignorantia, quæ diligentia vinci non poteſt, non appelletur propriè *invincibilis*: adeóque ex iſto capite opus non eſt multiplicare diviſiones.

Diviſio in *antecedentem*, *conſequentem*, & *concomitantem* diverſimodè exponitur. Quia enim hæc nomina relativè dicuntur, dubitari poteſt ad quod referantur: an ſcilicet ad ſolam voluntatem, quæ fertur in ipſam ignorantiam, & eam voluntariam reddit; an verò ad actum externum, qui fit ex ignorantia. Et quidem primo modo illa ignorantia dicetur *antecedens*, quæ voluntatem omnino anteit, adeóque nihil habet voluntariæ; ſed potius voluntati repugnat: ſicut eſt omnis ignorantia invincibilis. Illa verò dicetur *conſequens*, quæ volita eſt & acceptata ſaltem implicitè, aut interpretativè. *Concomitans* autem hoc modo dici poſſet illa, quæ neque eſt voluntaria, quia expelli non potuit: neque involuntaria, quia non eſt contra voluntatem, eò quòd voluntas taliter eſt diſpoſita, ut quamvis poſſet, non illam expelleret: & ideo neque eſt voluntaria, neque involuntaria; ſed non voluntaria. Aliter eam explicat Lorca diſp. 29. dicens appellari *concomitantem* reſpectu voluntatis: quia nec propriè eſt voluntaria, neque omnino involuntaria; ſed quodammodo participans utrumque: nam cum homo eſt ita diſpoſitus, ut velit occidere hoſtem, quodammodo vult ignorare ubi ſit; ſed quatenus cavet ut hic & nunc non interficiat hominem, quodammodo involuntariè ignorat.

Secundo autem modo dicitur *antecedens* omnis ignorantia, quæ eſt cauſa actus, ſive ſit vincibilis, ſive invincibilis: voluntaria, aut involuntaria. *Concomitans* verò dicitur, quæ ſimul eſt cum actu, & tamen illum non cauſat: quia agens eſt in ea diſpoſitione, ut quamvis ſciret, nihilominus talem actum operaretur: ſive etiam talis ignorantia ſit vincibilis, ſive invincibilis. *Conſequens* autem appellabitur, ſi quæ ignorantia ex prædicto actu conſequitur: quæ licèt etiam poſſit eſſe invincibilis, ut ſi nullo modo ſit prævisa, frequentius tamen erit vincibilis & voluntaria in ipſo actu. ¶ Verùm etſi prædicta diviſio his modis declarata nihil falſum contineat; frequentius tamen aliter accipietur: ita videlicet ut ignorantia *antecedens* & *conſequens* referantur ad voluntatem; *concomitans* verò ad ipſum opus, quod fit cum ignorantia. Quo pacto accepit & expoſuit prædicta nomina D. Thom. ſupra quæſtione 6. art. 8. & eſt communior intelligentia. Juxta quam deinceps *ignorantiam antecedentem* nominabimus omnem involuntariam; *conſequentem* verò omnem voluntariam. Dicemus autem *concomitantem* omnem illam, quæ ſimul eſt cum actu, & tamen eum non cauſat, quia quamvis abeſſet, non impediret ipſum: ſive aliàs ſit vincibilis, vel invincibilis, voluntaria, vel involuntaria, &c.

Pergit ultra diviſio ignorantiæ: nam ea, quam dicimus *vincibilem* (eritque jam ſermo de vincibili voluntaria, ſeu illorum, quæ ſcire tenemur: ignorantiam verò illorum, quæ ſcire non tenemur, quamvis vinci poſſit, reducemus ad invincibilem, quatenus vinci non debet.) Ea igitur, quæ poteſt & debet vinci, alia eſt *affectata*, alia *craſſa* vel *ſupina*, & alia *purè vincibilis*. *Affectata* eſt, cum quis data opera ignorare vult, quò liberius & minori cum remorſu peccet, vel ob alium finem: 5 *Aliæ diviſiones.*

Digitized by Google

Iob 21. Pſal. 35.

illorum more, qui Job cap. 21. dixerunt *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus:* & Pſalm. 35. *Noluit intelligere ut bene ageret.* *Craſſa* verò ſeu *ſupina* dicitur, quæ licèt non ſit ſic expreſsè volita; ignorans tamen deſidia & negligentia maxima detentus nihil aut ferè nihil curat de ea abigenda. Et propterea dicta eſt *craſſa*: quia homines craſſi & pingues deſides eſſe ſolent, imo deſidia ipſa pingueſcunt: aut fortè quia ſoli hebetes, & craſſi ingenio ſimili ignorantiâ laborare ſoleant. *Supina* etiam dicitur propter valde modicam curam, quæ ad ipſam pellendam adhibetur, inſtar ſupinè in lecto jacentium, quaſi nihil de rebus curantium. *Purè* autem *vincibilem* appellamus eam, quæ ex minori oritur negligentia; ſufficiente tamen ut ignorans non excuſetur hac via à culpa mortali: quia licèt non admodum ſegniter ſe geſſerit, ſed mediocriter laboraverit; non tamen diligentiam moraliter ſufficientem pro negotii qualitate adhibuit. Hoc tertium diviſionis membrum rejiciunt Suarez tom. 5. in 3. p. diſp. 4. ſect. 10. Lorca in præſenti diſp. 29. & quidam alii putantes omnem ignorantiam vincibilem non affectatam eſſe craſſam ſeu ſupinam. Sed noſtrum dicendi modum tenet Curiel in præſenti ante primum articulum, & Thom. Sanchez lib. 1. ſum. cap. 16. ubi multorum auctoritate & rationibus probat dari prædictam ignorantiam vincibilem, quæ licèt ſit mortaliter culpabilis; non tamen adeo ſicut craſſa ſeu ſupina. Deſumitúrque ex cap. *Vt animarum* de conſtitut. in ſexto ibi. *Vt animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes: dummodo illorum ignorantia non ſit craſſa vel ſupina.* En decernit Pontifex, aliquam ignorantiam excuſare à cenſuris: non autem loquitur de ignorantia invincibili: quippe de hac nunquam fuit dubitatio, ſed per ſe notum, quòd omnino excuſet nedum à pœna & cenſuris, ſed etiam à culpa: unde non magis fieret obviam animarum periculis per prædictum decretum quam ſine illo, ſi ſolam hujuſmodi ignorantiam comprehenderet. Loquitur ergo de ignorantia vincibili: cúmque excludat craſſam ſeu ſupinam, à fortiorique affectatam, planè ſequitur dari tertium membrum, quod aſſignavimus, ſcilicet ignorantiam purè vincibilem.

Suar. Lorca. Curiel. Thom. Sanchez.

6 Quinimo ignorantia purè vincibilis poteſt adhuc dividi in eam, quæ abſolutè & ſimpliciter eſt *vincibilis*, quam modò explicuimus; & in aliam, quæ ſimpliciter eſt *invincibilis*, *vincibilis* autem ſecundum quid: quia negligentia, quam ſupponit, liviter tantùm & ſecundum quid fuit culpabilis. Ratio verò tam hujus quàm præcedentis diviſionis quoad duo poſteriora membra ſumitur ex ſimilibus diviſionibus negligentiæ addiſcendi, unde oritur prædicta ignorantia: nam juxta illius latitudinem & gradus debet etiam hæc diſtingui. Porrò negligentia addiſcendi aliquando eſt ſumma: ut cum negligens nihil penitùs vel ferè nihil deligentiæ adhibet. Aliquando circa ſummam eſt gravis: quia licèt opponat aliquam moderatam diligentiam; ſimpliciter tamen omittit neceſſariam & debitam pro negotii qualitate. Aliquando denique eſt omnino levis: quia apponendo diligentiam neceſſariam & debitam; in hoc ipſo tamen aliquantulum deficit. Primus negligentiæ gradus cauſat ignorantiam craſſam ſive ſupinam: ſecundus purè vincibilem: tertius vincibilem ſecundum quid, & ſimpliciter invincibilem. Eodémque ferè modo dividunt Iuriſconſulti negligentiam, & ignorantiam ſub nomine *culpæ*: ſcilicet in *latam*, *levem*, & *leviſſimam*: *latam* enim appellant, quando omittitur ea diligentia, quam paſſim homines ejuſdem conditionis adhibent: quæ eſt ſumma & graviſſima negligentia. *Levem*, quando omittitur diligentia, quam adhibere ſolent diligentiores: quæ negligentia ut in plurimùm erit apud nos culpa gravis. *Leviſſimam* verò, quando omittitur diligentia, quam apponere ſolent homines prudentiſſimi: in qua omiſſione apud nos vel non erit culpa, vel erit omnino levis.

§. II.

Ignorantiæ invincibilis exactior diſcuſſio.

Diximus ignorantiam invincibilem eam eſſe, *quæ ſtudio & diligentia ſuperari non poteſt*: & ita diffinitur à D. Thom. in præſenti art. 2. Sicut enim negligentia & otium efficiunt ignorantiam vincibilem: ita diligentia & ſtudium vel eam auferunt, vel invincibilem oſtendunt. Tunc autem ignorantia dicetur non poſſe diligentia ſuperari, quando vel nulla diligentia ad ejus expulſionem adhiberi poteſt; vel poſt adhibitam illam, ad quam homo tenetur, adhuc permanet: qui enim negligens eſt in adhibendo diligentiam, quam poteſt & tenetur, quamvis fortè hæc profutura non ſit, non ignorat invincibiliter: quia ratione prædictæ negligentiæ efficitur ei voluntaria talis ignorantia. E contra verò qui apponit diligentiam, quam tenetur, etiam ſi majorem poſſit apponere, invincibiliter ignorabit: quia in prædicta diffinitione pro eodem ſumitur *poſſe* & *teneri*. Per quod manet ſoluta duplex objectio, quam in contrarium efformat Valentia in præſenti quæſt. 6. punct. 1. Duæ verò aliæ diffinitiones, quas tradunt Almainus & Vaſquez, inſufficientes ſunt, ut probat Montelinos in præſenti diſp. 8. quæſt. 4. 7 Deſcribitur ignorantia invincibilis.

Supereſt autem declarandum, quanta debeat eſſe prædicta diligentia, ut, ſuppoſita obligatione ſciendi, ignorantia remanens invincibilis cenſeatur. Dicimus *ſuppoſita obligatione ſciendi*: quia ſicut num. 5. reſtrinximus ignorantiam vincibilem ad illam, quam debemus vincere, ſeu quæ eſt illarum rerum, quas ſcire tenemur: ita nunc reſtringimus eodem modo invincibilem: ignorantia enim eorum, quæ ſcire non tenemur, ſive poſſit, ſive nequeat vinci, parùm refert præſenti inſtituto. Diligentiam igitur, quæ prædictam ignorantiam declaret invincibilem, & à vincibili ſejungat, in primis certum eſt debere eſſe humano & morali modo poſſibilem: cum enim homo non niſi hoc modo agere debeat, quicquid ſic ab eo fieri non poteſt, abſolutè cenſetur illi impoſſibile; ad quod proinde non obligatur. Non tamen ſupergreditur humanum hunc operandi modum, ubi non patet recurſus ad alia media ordinis naturalis,

precibus

precibus ad Deum fuſis, jejuniis, eleemoſy-nis, aliiſque piis operibus lucem ab eo expoſtulare; præſertim pro difficilibus, & quæ ad animæ ſalutem valde concernunt. Sed & infra limites diligentiæ prædicto modo poſſibilis certum eſt non ſemper requiri ſummam & exactiſſimam: quia neque hic modus operandi poteſt eſſe homini frequens & communis, ſuperatque moraliter humanam facultatem ſemper ita agere. Quin etiam certum eſt prædictam diligentiam non ſemper debere eſſe æqualem; ſed aliquando magnam, aliquando minorem; ſemper autem proportionatam negotii gravitati, & præceptorum dignitati. Unde certior regula tradi nequit, quàm ſi dicamus id prudentis arbitrio eſſe committendum, qui, rerum & perſonarum qualitate perſpecta, attentiſque occurrentibus circumſtantiis, judicet quæ diligentia hîc & nunc ſit ſufficiens ad prudentem operandi modum, proportionatáque negotii, officii & perſonæ qualitati: ſeu quam virtuti cordati, diligentes, & qui in moralibus, ac circa ſtudium & intentionem virtutis bene audiunt, pro ſimilibus negotiis præſtare ſoleant: eáque adhibita, ſi quid poſtea præter intentionem accidat, cenſetur invincibiliter ignoratum. Hanc regulam & nullam aliam pro ignorantia *facti* in communi tradunt Theologi, Cajet. Medina, Suar. Vaſq. Valent. Zumel, & alii, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez citato cap. 16. num. 34. Quamvis ex ſingularibus caſibus, quos adducunt & ſolvunt, poſſit lector non parùm inſtrui ad prudenter in ſimilibus judicandum. Eſtque prædicta regula, ſervata proportione, applicanda ignorantiæ juris, ut præſtat idem Sanchez à num. 36. exempliſque & illationibus illuſtrat. Et quod dicimus de ignorantia, intelligendum eſt de indaverentia, & oblivione actuali.

8 *Prima illatio.* Ex quo fit, toties ſaltem ignorantiam aliquam cenſeri invincibilem, quoties in toto operationis proceſſu nulla ſubeſt recordatio & advertentia, vel circa obligationem, ſi ſit ignorantia juris; vel circa conditionem objecti, ſi ſit ignorantia facti: quippe ſecluſa omnino tali advertentia, non habet homo ſufficiens principium, unde poſſit circa ea, quæ ignorat, diſcurrere & inquirere ſuperátque humanam diligentiam expellere ignorantiam illius rei, cujus nulla prorſus incidit recordatio: ut conſtat ex iis, quæ diximus diſp. 10. num. 144. idque verum eſſe, etiam ſi cognoſcatur totum objectum ſecundum entitatem phyſicam, diximus ibidem à num. 148. quia cognitio præcisè quoad phyſica non eſt ſufficiens principium inquirendi circa moralitatem. Imo etiam ſi quis expreſsè recordetur prohibitionis unius præcepti, poterit penitus obliviſci prohibitionis alterius: cenſebitúrque hujus ignorantia & oblivio invincibilis: quia præcepti prioris recordatio non eſt ſufficiens deveniendi in notitiam poſterioris: ut videre eſt in exemplo, quod adduximus diſp. cit. num. 157. de illo, qui in die jejunii veſceretur carnibus immoderatè ſine ulla Eccleſiaſtici præcepti recordatione, animadvertens tamen exceſſum contra præceptum abſtinentiæ naturalis, & in aliis ſimilibus. Hac via excuſantur ſæpenumero homines à tranſgreſſione præceptorum, præſertim juris poſitivi: quia neque ipſorum præceptorum, neque obligationis inquirendi circa factum, vel circa jus ullo modo recordantur: & ita ex defectu potentiæ practicæ & expeditæ ad acquirendam ſcientiam cenſentur invincibiliter ignorare. Quod de omnibus legibus & præceptis univerſaliter verum eſt, ſive pertineant ad generalem Chriſtiani hominis conditionem, ſive ad peculiare cujúſque officium vel ſtatum: niſi enim aliquo modo ejus memoriæ occurrerit, dari de facto, vel dari poſſe aliquas leges, quibus in eo ſtatu vel officio dirigi debeat, nequibit eos data opera inquirere, neque circa earum ſtudium ex certa intentione aliquid operari: ad operandum verò caſu & fortuitò, certum eſt non teneri. ¶ Notitia verò, quæ occurrere debet circa malitiam objecti, vel circa leges & præcepta, ut ex hac parte ignorantia non ſit invincibilis, non exigitur quòd ſit certa, clara, & diſtincta; ſed ſufficit confuſa, ſub dubio, ſcrupulo, aut ſuſpicione: quia ex hac poteſt homo ſufficienter moveri ad acquirendam notitiam diſtinctam, certam, vel probabilem, qua ſecurè operetur: ut dictum eſt diſp. cit. num. 160.

Dices; quid ſi oblivio vel inadvertentia provenit ex cauſa voluntaria & culpabili? *Objectio.* quo caſu ipſa quoque inadvertentia voluntarie cenſebitur: adeóque non reddet ignorantiam ſubſequutam involuntariam, & invincibilem. ¶ Reſpondetur diſtinguendo: nam *Diluitur.* vel homo apponens voluntariè illam cauſam, prævidit aliquo modo inadvertentiam vel ignorantiam inde ſequendam, aut ſaltem ejus periculum, unà cum obligatione addiſcendi: aut hoc non prævidit: Si primum, tam oblivio ſeu inadvertentia, quàm ignorantia erit voluntaria, adeóque vincibilis. Si ſecundum, utraque erit involuntaria & invincibilis: quia effectus omnino non prævifus, adhuc in cauſa non eſt voluntarius: ſicut neque ipſa cauſa formaliter in ratione cauſæ ponitur voluntariè, quoties nullo modo prævidetur effectus; licèt res illa, quæ aliàs eſt cauſa, voluntariè poſita ſit: ut dictum eſt diſp. cit. num. 161.

Neque ad dignoſcendum utrum ignorantia vel inadvertentia ſit voluntaria & vincibilis in cauſa, attendendum eſt num talis cauſa ſecundum ſe, vel in quantum cauſa alicujus alterius effectus liceat; vel non liceat: ſtat enim cauſam eſſe illicitam, & nihilominus ignorantiam eſſe invincibilem: ſed an ſit illicita ex præviſione ſequendæ ignorantiæ. Quod declarari ſolet exemplo Judæi, qui cum ex lege veteri teneretur aſcendere Jeroſolymam in die Pentecoſtes ad feſtum illud celebrandum, quo die accidit ut lex nova promulgata fuerit, culpabiliter contra præceptum legis veteris, ſine ulla tamen novæ recordatione vel notitia, omiſit aſcendere, fuítque ea omiſſio cauſa, ut ipſius novæ legis cognitionem non acquireret, ſed in ejus ignorantia permaneret: in hoc caſu hujuſmodi ignorantia invincibilis eſſet, quia licèt cauſa nempe prædicta omiſſio fuiſſet voluntaria & illicita; non tamen id habuit ex præviſione ignorantiæ futuræ novæ legis, & obligationis addiſcendi illam, ſed ex illo alio præcepto feſtum celebrandi. Similique modo ſi quis nunc omittat intereſſe Sacro in die 9

feſto, caſúque & præter conſuetudinem edictum aliquod ibi enuntietur, cujus ille nullam præhabuit notitiam, nullóque modo in mentem ejus venit, quod tunc poſſet enuntiari; erit in eo invincibilis ignorantia talis edicti; quamvis cauſa, nempe omiſſio Sacri fuerit voluntaria & culpabilis. Et ratio utrobique eſt eadem: quia videlicet prædictæ cauſæ non fuerunt culpabiles ex præviſione ſequuturæ ignorantiæ, ſed præcisè ſecundum ſe, vel in ordine ad alios effectus non habentes per ſe connexionem cum prædicta ignorantia.

Illatio alia. Deinde fit, etiam ſuppoſita ſupradicta advertentia, non requiri pro quolibet negotio æqualem diligentiam, ut ignorantia remanens cenſeatur invincibilis: ſed ſufficit illa, ad quam homo juxta prudentis arbitrium teneatur. Tenebitur autem ad majorem, vel minorem pro negotii gravitate: adeo ut quæ pro uno v.g. pro tuendo proprio vel alieno honore eſt ſufficiens; non ſit ſatis pro corporali vita tuenda; & quæ pro hac ſufficit, non ſufficiet pro tuenda vita animæ. Dicta enim recta ratio, ut quò res eſt gravior, & error circa illam poteſt eſſe pernitioſior, eò major cura & diligentia adhibeatur ad talem errorem & ejus periculum præcavendum, veritatémque inveſtigandam. Quocirca videmus, Eccleſiam ſummam curam impendere, nullíque diligentiæ parcere in inquirendis, tuendiſque veritatibus fidei, quia res eſt omnium graviſſima: utpotè ex qua ſalus animarum, & commune religionis bonum potiſſimùm dependet. Eſſet autem ſuperfluum, imò ſtultum pro re levi & temporali ſimilem curam exigere. Hac etiam ratione dicemus in tract. de Conſcient. Reges & Principes in inferendo bello teneri ſummo ſtudio veritatem & juſtitiam prius inquirere, nec quibuſlibet probabilibus fundamentis duci (quamvis pro rebus minoris momenti eis uti liceret) quia etiam bellum eſt res graviſſima, & communi regnorum bono maximè nocens.

10 Tertia illatio. Fit tertiò eandem differentiam attendi debere ex parte perſonarum. Quia non omnibus æqualiter incumbit, etiam pro æqualibus negotiis veritatem quærere: neque omnes æquè idonei aut capaces ad id inveniuntur. Adeóque pro uniuſcujuſque captu vel munere, & non aliter injungenda eſt eis obligatio inquirendi veritatem. Unde diligentia, quæ ruſtico ſufficit, ut invincibiliter ignoret, puta interrogare ſuum parochum; non eo ipſo ſufficiet (præſertim pro re gravi) culto & politico, qui poteſt facilè alios doctiores adire. Multóque minus ſufficiet viro docto, qui poteſt per ſe ipſum & proprio ſtudio res examinare. Quin inter viros doctos multoties opinio, quæ uni eſt probabilis & tuta, non eſt talis reſpectu alterius, qui radicitus callet ejus fundamenta, deprehenditque inſufficientia eſſe ad veram probabilitatem. Quod maximè animadvertere debent viri litterati, & ſuper cathedram ſedentes: nec facilè credere cuilibet (etiam erudito aliàs) opinionem minus tutam vulganti; ſed rationes librare, fundamenta expendere, & quantum eis inſit roboris, ut talis opinio verè probabilibus annumerari debeat, vel ab illarum canone reiici. Aliter non vitabit ignorantiam voluntariam & vincibilem, ſi forte ea opinio falſa ſit: imo quamvis non ſit falſa, temerè operabitur, ſequēdo illam abſque majori examine.

Denique ex dictis fit, omnes opiniones abſolutè & verè probabiles, quæ falſitatem continent (multa enim ſunt falſa probabiliora veris) importare ignorantiam invincibilem, poſſeque ad eam reduci: quia cum in omnibus ſit ſufficiens ratio ad determinandum intellectum, ut illis prudenter aſſenſum præbeat (aliter non eſſent verè probabiles) talis ratio excuſat à majori examine, adeóque reddit ignorantiam veræ ſententiæ inculpabilem & invincibilem. Atque hinc dicta eſt prædicta ignorantia *probabilis*: quia homo ducitur ſufficienti ratione ad eam retinendam. Etenim cum veritas, & evidentia metaphyſica, præſertim in rebus moralibus, difficillimè habeatur, ſuperétque communes vires cum hujuſmodi evidentia ſemper operari; non debuit, imo nec potuit homo ad talem operandi modum adſtringi, neque amplius teneri quàm ad aſſequendam rationem, quæ rem ita eſſe, vel non eſſe prudenter perſuadeat: & ſicut regulariter non tenetur certiorem cognitionem inquirere: ita cum hac operando, habet juſtam ſuæ ignorantiæ excuſationem. Ultima illatio.

¶ Diximus *opiniones abſolutè & verè probabiles*, &c. propter aliquas, quæ à Theologis de media plebe ut probabiles vulgantur; re vera tamen probabiles non ſunt: quia leviſſimis & ignotis nituntur fundamentis: ſæpéque pro eis citantur auctores, qui minimè illis ſuffragantur. De quo plus noſtris temporibus videmus, quàm in antiquioribus codicibus legimus. Qui ergo ſimilibus opinionibus abſque majori examine aſſentientes, veritatem inquirere omittunt, dicendi non ſunt *invincibiliter ignorare*: neque proinde talis ignorantia excuſabit à culpa.

§. III.

De quibus objectis haberi poſſit ignorantia invincibilis?

Supereſt declaremus objecta, quæ poſſunt invincibiliter ignorari. Quod latè examinant Vaſquez diſp. 120. uſque ad 124. Monteſinos diſp. 8. q. 5. & 6. Lorca diſputatione 30. & alii, circa rem non difficilem plus debito immorantes. Nos autem breviter quæ videntur neceſſaria, adnotabimus. Et quia ſermo eſt de ignorantia eorum, quæ ſcire tenemur ſaltem ſuppoſita poſſibilitate, oportet quæ ſint hæc prius exponere. In primis ergo omnes ſcire debent præcipua myſteria noſtræ Fidei, quæ articulos quatuordecim conſtituunt, & in Catechiſmo parvo continentur. An verò omnium illorum notitia neceſſaria ſit neceſſitate medii; vel aliquorum tantùm; aliorum verò ſola neceſſitate præcepti, & quæ ſint utraque, ſpectat ad materiam de fide. Deinde ſcire etiam omnes debent leges communes ad mores pertinentes, quarum obſervatio vel ex ipſa naturæ rationalis conditione, vel ex profeſſione Chriſtiana cunctos obligat. Hujuſmodi autem ſunt præcepta naturalia, quæ ad decem Decalogi reducuntur: quinque præcepta Eccleſiæ: & quæ concernunt Sacramenta. Tenetur præterea unuſquiſque addiſcere leges & ſtatuta: quæ ad proprium 11 *Vaſq. Monteſ. Lorca.* *Quæ unuſquiſque ſcire teneatur?*

Digitized by Google

proprium ſtatum & officium pertinent : ut Monachus regulam & conſtitutiones, Sacerdos ſacerdotii leges, Vxoratus matrimonii obligationes, Prætor ea, quæ ſunt prætorii muneris, Curator, quæ curatoris, dux, quæ militiæ, & ſic de aliis. Leges verò utriuſque juris, quæ deſerviunt pro contractibus & aliis operationibus ad civilem & politicam vitam pertinentibus, ſcire communiter debent judices, advocati, & Doctores : cæteri autem cùm prædictos contractus exercere volunt : ſaltem interrogando pro tunc virum doctum, à quo inſtruantur, ne errent circa illos.

Quid dicendum de confeſſariis? Qui enim cæterorum conſcientias luſtrare tenentur, déque omnium actibus judicare, debuiſſent ſanè omnium jura, officia, ſtatus, & obligationes prænoſcere : inſuperque peccatorum omnium ſpecies, gravitatem & diſtinctionem : errores, vitia, fraudes, cunctáque id genus, quibus conſcientiæ illaqueantur, perſpicua habere. Sed quis eſt hic, & laudabimus eum? Sufficiet ergo non paucis in plura non valentibus, Theologiæ moralis principiis ita eſſe inſtructos, ut circa ea, quæ regulariter in confeſſione occurrunt, non errent, aut impingant : de aliis verò ſpecialioribus, & rariùs contingentibus ſaltem dubitent : quo per diſcurſum ex prædictis principiis; adhibita etiam, ſi opus ſit, aliorum conſultatione, dubia citò expediant : nec quotidianam ſtudii moralis lectionem debent unquam prætermittere: Diximus *ſufficere hoc non paucis*, &c. aliquibus enim longè adhuc major ſcientia neceſſaria eſt, iis potiſſimùm, qui Principibus, Potentatibus, eorum miniſtris, & ſimilibus perſonis communibus negotiis incumbentibus à confeſſionibus ſunt : quive in Curiis & civitatibus undique accedentium, ſine diſcrimine ignoti vel cogniti, excipiendis confeſſionibus exponuntur.

Quid etiam dicendum de Prælatis præſertim regularibus, qui & confeſſariorum legibus adſtringuntur : & inſuper jura omnia, ſtatuta, & ſanctiones, tam juris communis, quàm ſpeciales, quæ ad proprium & ſubditorum regimen, ad communitatis bonum, ad animarum ſalutem, ad Religionis obſervantiam, ad divinum cultum, ad juſtitiæ integritatem, in legalibus, in diſtributionibus, in commutationibus, & in punitionibus ſpectant, innumeráque id genus alia ex vi ſui officii, pro temporis & rerum exigentia ſcire tenentur : quippè cujuſlibet prædictorum ignorantia poterit illis eſſe cauſa peccandi. Deberent igitur præ cunctis morali ſtudio inſiſtere, authores graves ſedulò evolvere, doctiores ſæpiùs conſulere, omnémque diligentiam apponere, ne errent, aut errare ſinant in agendis. Aliter eorum ignorantiæ vincibiles erunt, & in divino judicio inexcuſabiles. Sed de hoc alibi.

12 *Vetus opinio.* Nunc videamus quænam ex prædictis, quæ homines ſcire tenentur, poſſint invincibiliter ignorari? Qua in re fuit vetus quorundam Theologorum opinio nullam admittens ignorantiam invincibilem juris divini, & præſertim circa fidei myſteria, quorum notitia neceſſaria eſt ad ſalutem. Pro qua opinione refert Vaſquez diſputatione 120. cap. 1. Alexandrum, Gabrielem, Gerſonem, Adrianum, & alios. *Alexand. Gabriel. Gerſon. Adrian.* Quorum fundamentum eſt axioma illud *Facienti quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam.* Nam ſi ille, qui ignorare dicitur, faciat totum, quod in ſe eſt, Deus etiam præſtò erit ut per ſe vel per prædicatorem manifeſtet illi, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt : in quibus, niſi per ipſum hominem ſtet, Deus nunquam deficit. Si verò quod in ſe eſt, omittat facere, non jam prædicta ignorantia erit invincibilis; ſed voluntaria & vincibilis in illa omiſſione. Similique ratione Vuillelmus Pariſienſis tract. de legib. capite 21. Antiſiodorenſis lib. 3. ſum. tract. 8. cap. 4. quæſt. 5. & alii apud eundem Vaſquez diſp. 124. cap. 1. *Vuillel. Par. Antioſiodor.* negant omnem ignorantiam invincibilem, etiam *facti*. Putant enim, quòd ad expellendam ignorantiam tenetur unuſquiſque non ſolùm adhibere exteriùs diligentiam, interrogando, inquirendo, ſtudendo, &c. Sed etiam interiùs, Deum orando, & pœnitentia emundando conſcientiam : quibus præmiſſis (ajunt) nunquam Deus patietur, nos ignorare aliquid eorum, quæ ſcire tenemur, ſive *juris*, ſive *facti*.

Verùm communis Theologorum conſenſus à prædicta opinione jam omninò recidit : *Improbatur.* cujus fundamentum leviſſimum eſt, ut videbimus infra. Et quod attinet ad ignorantiam *facti*, omnes illam concedunt in qualibet materia. Convincitúrque manifeſtè ratione quam numero ſeptimo tetigimus. Nam illa ignorantia verè eſt invincibilis, quam homo morali, & humano modo vincere non valet : ſive quia impotens eſt adhibere diligentiam, qua ſuperanda ſit : ſive quia adhuc poſt adhibitam diligentiam, quam poteſt, ſuperari non valet : at ſæpe contingit, ut homo nullam adhibere poſſit diligentiam, qua facti & eventus incidentis ignorantiam vitet, eò quòd nulla circa talem eventum ſubiit cogitatio, quæ ſit principium inquirendi : quinimo ſæpe etiam accidit, ut poſt adhibitam prædictam diligentiam, vel aliqui alii eventus, vel aliquæ ejuſdem conditiones & circumſtantiæ adhuc lateant : ergo in his & ſimilibus neceſſario admittenda eſt invincibilis ignorantia *facti*. Eadémque ratione convincitur admittendam eſſe ignorantiam invincibilem juris divini & myſteriorum fidei : ſicut illam admittit D. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 1. vocátque *infidelitatem negativam* : quæ non eſt culpa, ſed potius pœna ſaltem peccati originalis. Quia plures nutriti apud barbaros, de prædictis myſteriis nihil penitus audierunt, neque Chriſtianam religionem eſſe, aut aliam præter illam, ſi quam ipſi barbari colunt, aliquando cogitaverunt : ergo nullum habent principium, ut poſſint prædictam fidem inquirere, & ejus ignorantiam expellere. *Quomodo enim credent in eum, quem non audierunt?* ait Paulus Roma. 10.

Dices potius hinc ſumi rationem contra nos : nam poſt prædicta verba proſequitur Apoſtolus. 13 *Roman. 10.* *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Si ergo omnes *Objectio.* quantumvis remotiſſimæ nationes audierunt ab Apoſtolis prædicationem Evangelii, & legis divinæ, nullus erit, qui non habeat principium quærendi & interrogandi de tali lege:

Reſpondetur,

Digitized by Google

Solutiones diverſæ.

Reſpondetur, nequaquam ex hoc loco Apoſtoli colligi oppoſitum ejus, quod diximus. Tum quia dici poteſt, prædicta verba continere prophetiam, cujus integra adimpletio neque ad tempus Apoſtolorum, neque adhuc ad hoc noſtrum reſtringenda eſt; ſed habet tractum uſque ad finem mundi, in quo invenietur omnino completa: tunc quippe nulla erit natio vel gens, ad quam ſucceſſivè, & pro diverſis temporibus Evangelii notitia tandem non pervenerit. Iuxta quam expoſitionem, quæ eſt D. Auguſtini epiſt. 80. optimè verificari poteſt, etiam pro quolibet tempore in diverſis terræ partibus inveniri quàm plures, qui nihil audierint Evangelii, adeóque laborantes ignorantia ejus invincibili. Neque obeſt, quòd Apoſtolus uſus fuit verbo de præterito *Exivit ſonus*, &c. quia commune eſt Prophetis præterita pro futuris accipere, propter certitudinem eventus, & propheticæ cognitionis. Tum etiam quia etiam ſi dicamus prædicta verba jam tunc adimpleta eſſe, quando ab Apoſtolo enuntiabantur: ut ſentire videtur Chriſoſtomus homil. 10. ſuper epiſt. ad Roma. poſſunt rectè exponi, ita ut per omnem terram, terrarúmque orbem intelligantur non ſingulæ civitates provinciæ, aut oppida, ſed præcipuæ orbis partes, quas Apoſtoli peragrarunt. Cum quo ſtat, manſiſſe plura loca & gentes expertia omnino Evangelii notitiæ. Quinimo etiam ſi tempore Apoſtolorum cunctæ gentes Evangelium audiviſſent, potuiſſet negligentia vel perfidia majorum notitia illa paulatim excidere, & ad plures poſteros non deſcendere: adeóque omnes iſtos vel plures eorum invincibiliter ejus ignorantia laborare. ¶ Adde, etiam poſt auditam notitiam Evangelii poſſe à multis infidelibus invincibiliter ignorari: quia non ſemper proponitur eis cum ea ſufficientia, & manifeſtatione credibilitatis, ut ſtatim aſſenſum præbere teneantur: & ideo quouſque ita ſufficienter illis proponatur, habent ignorantiam invincibilem.

Quando verò myſteria noſtræ fidei dicantur ſufficienter propoſita, ut homo ſive baptizatus, ſive infidelis teneatur ad credendum, dicemus Deo dante in materia de Fide: poſſúntque videri Caietanus 2. 2. quæſt. 1. art. 4. Bannez quæſtione 10. art. 1. & alii expoſitores D. Thomæ. Nec ignorantia hæc invincibilis myſteriorum fidei reſtringenda eſt ad infideles, quamvis eis ſit familiarior: ſed poteſt etiam habere locum inter fideles & baptizatos. Fieri enim poteſt ut aliquis iſtorum, etiam cùm ad annos diſcretionis pervenerit, nihil audierit de fidei myſteriis: & tunc laborabit ignorantia invincibili: cùm aliunde ſecundùm communem legem ea ſcire non valeat niſi per externam inſtructionem. Non autem ignorantia hæc ſæpe continget, vel diu permanebit: quia apud fideles ea eſt abundantia & copia doctrinæ, ut facillime ad omnium aures fidei notitia perveniat.

14 Dubitatio.

Dubitat Monteſinos, utrum de prædictis myſteriis non tantùm dari poſſit ignorantia invincibilis privativa, ſed etiam error poſitivus ſimiliter invincibilis. Durandus enim tenuit partem negativam in 2. diſtinct. 25. quæſt. 1. ubi ait omnes, quibus proponuntur dogmata contra fidem, teneri non præbere illis aſſenſum; ſed ſuſpendere judicium, ſi neſciant verum aſſenſum efformare: & ideo ſi falſum judicium proferant, imputari illis ad culpam, ſecus ſi præcisè ignorent, & nullum ferant judicium. ¶ Hic tamen dicendi modus alienus omnino eſt à veritate: quia non poteſt eſſe major ratio cur infidelis excuſetur in ſua ignorantia privativa fidei oppoſita, & non excuſetur in errore poſitivo: ſaltem quoties talis error naturali lumini non repugnat: poteſt enim prædictus error, v. g. quòd Deus non ſit trinus, ſed tantùm unus a talibus perſonis, adeóque apparentibus rationibus & argumentis infideli ruſtico proponi, ut appareat illis non minus evidenter credibilis, quàm contraria veritas, ſi eodem modo ipſi proponeretur: ſicut ergo in aſſentiendo veritati eo modo propoſitæ nulla eſſet culpa reſpectu illius ruſtici, ita neque in aſſentiendo prædicto errori. Præſertim ſi nulla occurrat ei ſuſpicio vel dubium, quòd ibi lateat error. Tollitur.

Ex dictis autem fit, poſſe etiam dari ignorantiam invincibilem cujuſcunque juris poſitivi humani: quia regulariter loquendo, maximéque inter fideles, tardius & difficilius habetur notitia iſtius juris, quàm divini. Eò præſertim quia in jure humano tot ſunt leges & ſtatuta, totieſque pro temporis opportunitate variantur, ut etiam docti & literati multa ignorent: vixque erit admodùm peritus & ſtudioſus, ut omnia utriuſque juris civilis, & eccleſiaſtici, communis, & particularis plenè ſit aſſequutus.

Neque obeſt ſi opponas regulam *ignorantia* 13. de regul. juris in ſexto, ubi & alibi non ſemel dicitur ignorantiam facti excuſare; non verò ignorantiam juris: ſi autem hæc poſſet eſſe invincibilis eodem modo excuſaret, ſicut illa, ut eſt per ſe notum: ergo, &c. ¶ Reſpondetur enim prædictam regulam, & jura alia, quæ ita loquuntur, intelligi ſolùm quoad fori externi præſumptionem: & adhuc in eo foro non de omnibus: nam excipiuntur fœminæ, & milites, & etiam qui vigeſimum quintum annum non expleverint. In aliis verò jus non præſumit, legem ſufficienter promulgatam à duobus menſibus poſt promulgationem invincibiliter ignorari: non quia talis ignorantia dari nòn poſſit; ſed quia communiter non contingit: præſumptio verò juris innititur communiter contingentibus. Hoc tamen non tollit, quo minùs ea ignorantia, re ipſa aliquando ſit invincibilis: tuncque in foro interno & coram Deo excuſabit à culpa. Imo etiam in foro externo admittitur ejus probatio: ut multis oſtendit Thomas Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 5.

15 Quid de ignorantia juris naturalis?

Supereſt dicamus de ignorantia juris naturalis. In quo tria ſunt genera præceptorum. Quædam notiſſima & univerſaliſſima, quæ non tam dicenda ſunt præcepta, quàm præceptorum omnium principia. Cujuſmodi eſt illud *bonum eſt faciendum*, & illud *malum eſt fugiendum*, & illud *quod tibi non vis, alteri ne feceris*. De his autem communiſſimis principiis conſtans eſt Theologorum ſententia, apud neminem rationis compotem dari ignorantiam invincibilem: adeo enim ſe ipſis nota ſunt, ut nullo indigeant diſcurſu; ſed habita notitia terminorum, ſtatim ipſo lumine naturalis rationis eorum veritas deprehenditur.

Et

Digitized by Google

Et quamvis termini & voces ab aliquo ignorarentur, non tamen ignorari poſſet invincibiliter res ſignificata: quia hæc ſtatim atque oritur, & expeditur rationis lumen, cuilibet innoteſcit. Ad prædicta etiam principia reduci poſſunt quædam ex præceptis Decalogi, quæ ex illis nullo negotio à quovis ratione utente citò deducuntur: ut quòd unus Deus ſit colendus, quòd parentes ſint honorandi: unde neque in iſtis admittitur ignorantia inuincibilis. Sunt verò alia, quæ licèt immediatè etiam ex eiſdem principiis inferantur; at non ita facillimè & evidenter ſicut ea quæ modò diximus. Hujuſmodi verò ſunt reliqua præcepta Decalogi, de quibus non repugnat dari apud rudes & indiſciplinatos ignorantiam invincibilem per aliquod temporis ſpatium, ſecus vero per totam vitam, ſi abſolutè & nudè conſiderentur: quia licèt ad ea addiſcenda diſcurſu aliquo opus ſit, & propterea valeant aliquando ſic ignorari; adeo tamen ſunt naturæ conſentanea, ut non poſſit non ſemel vel iterum animum pulſare fœditas & turpitudo peccati contra illa: ex quo ignorantia ſequens non jam erit invincibilis.

Diximus *ſi abſolutè & nudè conſiderentur*, v. g. *non occidere*, *non furari*, *non mentiri*, &c. quia ſi accipiantur ut veſtita aliqua circunſtantia vel conditione, ſicut *furari ad dandam eleemoſynam*, *mentiri ad propriam vel alienam vitam tuendam*, *occidere eum*, *qui eſt morti proximus*, *ne diu agonizet*, etiam per totam vitam poterunt ab aliquibus invincibiliter ignorari. Quocirca refert Vaſquez diſput. 122. cap. 2. ſe vidiſſe ruſticum, qui pium exiſtimabat, ægrotum jam jam moriturum in alteram partem verſare, quo citius exhalaret animam, ne diu mortis dolore detineretur: neque unquam id illicitum, imo honeſtum & pium ſemper illi apparuiſſe: quem citatus auctor, facto ſufficiente examine, deprehendit ignorantia invincibili laboraſſe. Fortè etiam ſunt hujuſmodi duo ultima præcepta, quæ prohibent actus externos: de quibus multi cenſent poſſe dari invincibilem ignorantiam per totam vitam. Quod nobis difficile apparet: quia cui diſſonat opus externum, citò etiam diſſonantiam offert, quòd voluntas vel appetitus in opere ſic diſſono complaceat, quamvis deſit animus exequendi. Alia denique ſunt præcepta in jure naturali non per ſe nota, ſed velut concluſiones aliorum, quæ diximus, & quæ non niſi diſcurſu & labore ex eis deducuntur: de quibus proinde nedum rudes, ſed etiam culti & literati ſæpe dubitant, & aliquando in opiniones dividuntur. De his autem perſpicuum eſt poſſe dari ignorantiam invincibilem.

16 *Diluitur primum pro contraria opinione.* Fundamentum verò illius antiquatæ opinionis, quæ negat omnem ignorantiam invincibilem, leve & infirmum eſt. Nam axioma Theologorum *facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam*, debet intelligi reſpectu illius, qui ex viribus ipſius gratiæ, quod in ſe eſt, operatur, ut magis declarabimus diſp. ultima: unde cui deſunt tales vires, poterit, non obſtante prædicto axiomate, invincibiliter ignorare etiam neceſſaria ad ſalutem: habebitque hujuſmodi ignorantia rationem pœnæ aliorum peccatorum, non autem culpæ. Et licèt concedamus, Deum de facto omnibus adultis conferre auxilia ſufficientia ordinis gratiæ, ut convertantur, de quo infra diſp. cit. adhuc non præcluditur locus prædictæ ignorantiæ: ſive homo ita auxiliatus faciat, quod in ſe eſt; ſive non faciat. Si enim faciat, accipiet notitiam, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem neceſſitate medii: nequaquam verò exinde infertur, accepturum notitiam aliam ſive *facti* ſive *juris* humani, aut divini, quæ tantùm requiritur neceſſitate præcepti: quippe ignorato præcepto, ceſſabit ejus obligatio, atque ita non oberit ſaluti carentia talis notitiæ: in quo ipſo datur locus multiplici ignorantiæ invincibili tam *iuris*, quàm *facti*. Si verò quod in ſe eſt non faciat, & hac ratione neceſſaria ad ſalutem etiam neceſſitate medii ignoret, non idcirco talis ignorantia erit vincibilis ratione prædictæ omiſſionis, aut habebit rationem culpæ; ſed poterit eſſe invincibilis, & habens tantùm rationem pœnæ. Non enim quæcunque ignorantia ſequitur ex actu voluntario vel omiſſione, eo ipſo eſt voluntaria & peccaminoſa; ſed illa dumtaxat, quæ aliquo modo fuit prævisa ſimul cum obligatione addiſcendi: poteſt autem contingere, ut ille, qui omittit facere quod in ſe eſt, neque advertat obligationem addiſcendi, nec prævideat ſequuturam ignorantiam: remanebit ergo tunc prædicta ignorantia involuntaria & invincibilis.

Per quod patet ad aliud, cui innititur Vuillelmus. Nam etſi admitteremus, teneri unumquemque ad expellendam ignorantiam adhibere internam orationem, pœnitentiam, &c. non ſequitur Deum, his adhibitis, infallibiliter manifeſtaturum quæcunque homo ſcire tenetur; ſed ad ſummum illa, quorum notitia exigitur neceſſitate medii. Ultra quæ ſuperſunt multa alia, quorum notitia eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, quæ poſſent invincibiliter ignorari, ignorato ipſo præcepto. ¶ Diximus *etiamſi admitteremus*, &c. quia regulariter non tenetur homo adhibere prædicta media, ſed alia communiora & ordinata per ſe ad acquirendam ſcientiam: uti eſt quærere idoneum & ſecurum Magiſtrum, vel qui talis appareat, illúmque interrogare: qua diligentia adhibita, ſi adhuc ignorantia vel error permaneat, cenſebitur invincibilis. In aliquo tamen caſu poſſet urgere obligatio recurrendi ad orationem, vel alia opera interna: puta ſi ignarus non inveniret quem interrogaret, aut eſſet dubius de ſecuritate Magiſtri, neque poſſet alium invenire, per quem ſecurè dubium deponeret: tunc quippe deficiente communi medio, tenebitur alia via etiam extraordinaria lucem quærere: qualis eſt Deum orando & flagitando. Hic tamen caſus tarò contingens erit. Imo adhuc in illo, ut homo non apponens prædicta media ignoret vincibiliter, oportet quòd ei occurrat cogitatio de ipſis mediis & de eorum obligatione: qua cogitatione non occurrente, nec poterit, nec tenebitur illa adhibere: & ita ignorantia ſequens remanebit invincibilis.

Diluitur ſecundum.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Aperitur cauſalitas ignorantiæ erga peccatum.

17 SEcunda pars dubii continet cauſalitatem ignorantiæ in peccatum: circa quam ſi quid erit controverſiæ, ſpectabit majori ex parte ad modum loquendi. Et in primis ignorantiam multoties eſſe cauſam peccati, adeo eſt receptum, ut oppoſitum fidei adverſetur. Ita enim ſumitur ex illo Actor. 3. *Scio quod per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri*, &c. Et loquebatur D. Petrus de peccato Judæorum occidentium Chriſtum. De quo etiam Paulus 1. ad Corinth. cap. 2. ait. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Et idem de ſe ipſo 1. ad Timoth. c. 1. *Miſericordiam (inquit) conſequutus ſum, quia ignorans feci*, &c. Tribuit ergo peccatum ſuum ignorantiæ auferenti ſcientiam, quæ ſi adeſſet, illud prohibuiſſet. Quod repetitum invenies Levit. 4. *Si peccaverint principes per ignorantiam.* Et rurſus. *Si peccaverit anima per ignorantiam.* Quibus & aliis Scripturæ teſtimoniis D. Bernardus epiſt. 77. ad Hugonem de S. Vict. improbat errorem cujuſdam negantis peccata per ignorantiam committi. Quod etiam præſtant & demonſtrant communem veritatem D. Hieronymus lib. contra Pelag. circa finem, Auguſtinus in quæſt. veteris & novi Teſtamenti quæſtione 67. & de natura & grat. cap. 67. Ambroſius lib. 1. de interpretat. cap. 5. Chryſoſtomus homil. 6. in Matth. & alii ex Patribus. Omneſque Scholaſtici Doctores id probant, vel ſupponunt.

Act. 3. — *1. ad Cor. 2.* — *1. ad Tim. 1.* — *Levit. 4.* — *D. Bern.* — *Hieron. Auguſt. Ambroſ. Chryſoſt.*

Modus autem prædictæ cauſalitatis declaratur à D. Thoma in præſenti art. 1. & quæſt. 3. de mal. art. 8. quod non ſit ſicut cauſa per ſe præſtans directè aliquem influxum poſitivum in peccatum: cum enim ignorantia ſit privatio, nequit iſto modo in aliquid influere: ſed ut cauſa per accidens, ſeu ut removens prohibens effectum. Quia enim ignorantia tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, impediret peccatum, meritò hoc refunditur in ipſam ignorantiam, & hæc vocatur illius cauſa modo dicto. Ad eum modum quo removens columnam detinentem lapidem, ne deſcenderet, dicitur *cauſa per accidens* deſcenſus ipſius lapidis: quia removet obicem, qui talem deſcenſum impediebat. Eſt autem ſermo de ignorantia puræ privationis, quæ dicit ſolam carentiam ſcientiæ debitæ: nam ignorantia pravæ diſpoſitionis, cùm importet errorem poſitivum, poteſt ratione talis erroris poſitivè, adeóque ſuo modo directè & per ſe, ad peccatum concurrere.

18 Objectio. Dices: ſicut ignorantia privativa tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, impediret peccatum; ita Deus denegat auxilia, quæ ſi eſſent, impedirent illud: & tamen non idcirco Deus dicitur cauſa peccati adhuc per accidens, vel ut removens prohibens: ergo neque id habebit prædicta ignorantia. ¶ Reſpondent Monteſinos, & Curiel eſſe diſparem rationem: quia Deus non tenetur dare auxilia, quæ denegat; quod tamen erat neceſſarium, ut peccatum ipſi tribueretur: quia effectus tunc ſolùm tribuitur removenti prohibens, quando is tenetur illum impedire. At verò per ignorantiam tollitur ſcientia debita haberi ab homine ad impediendum peccatum: & ideo quoties ipſa ſcientia deficiente, peccatum non impeditur, poteſt hoc tribui ignorantiæ, ſeu potius homini ratione ignorantiæ, tanquam debenti per ſcientiam impedire, & non impedienti prædictum peccatum.

Prima ſolutio.

Hæc ſolutio, quod attinet ad ignorantiam vincibilem, ſufficienter animum quietat: quia cum hæc ignorantia ſit voluntaria, in ipſa tranſgreditur homo debitum habendi ſcientiam prohibentem peccatum: & ratione hujus tranſgreſſionis peccatum ipſum poteſt eidem ignorantiæ, ſeu ipſi homini ut ignoranti attribui. Cæterum in ignorantia invincibili homo non frangit voluntariè aliquod præceptum, ſed facit totum, quod poteſt ad habendam ſcientiam: adeóque non videtur eſſe major ratio, ut peccatum tribuatur huic ignorantiæ removenti ſcientiam, qua prohiberetur, quàm Deo deneganti auxilia illud prohibentia. Replica.

Huic replicæ poſſet adaptari ſolutio, cujus meminit Curiel, ſuppreſſo auctoris nomine: Enervatur dupliciter. videlicet hunc modum cauſalitatis per accidens, qui eſt tantùm removendo prohibens, ſicut non repugnat ignorantiæ invincibili reſpectu peccati, ita nec repugnare Deo: quia non importat verum aliquem influxum in illud adhuc indirectum, ratione cujus oporteat, ipſum peccatum in Deo aut in prædicta ignorantia ſicut in cauſa præcontineri: ſed ſolùm dicit conditionem *ſine qua non*, & quandam permiſſionem, quæ Deo non repugnat. Abſolutè tamen non eſſe concedendum, Deum eſſe cauſam peccati adhuc per accidens; ſed omnem cauſalitatem etiam quoad nomen illi denegandam: quia ex oppoſito modo loquendi poſſet error ſuboriri, per quem imputetur illi aliquis verus influxus in peccatum, & aliqua ejus continentia. Cæterum reſpectu ignorantiæ etiam invincibilis nullum eſt inconveniens in prædicta loquutione: cum ipſa ex proprio conceptu manifeſtet non poſſe habere majorem influxum in malitiam, quàm qui competit privationi, aut negationi: adeóque liberius loqui poſſumus tribuendo illi ſine addito conditionem cauſæ per accidens. Secundò reſpondetur ignorantiam etiam invincibilem eſſe carentiam ſcientiæ debitæ: quia licèt non ſit culpa, eò quòd non eſt voluntaria; eſt tamen pœna ſaltem peccati originalis: ſufficit autem hujuſmodi quale quale debitum, ut peccatum poſſit aliqualiter in eam reduci: ſecus verò in Deum, cui nihil incumbit debiti ad conferenda auxilia efficacia.

Ex dictis fit ignorantiam, quæ aſſignanda eſt pro cauſa peccati, non eſſe illam, quam ſupra diximus *purè concomitantem*: quippe ea ratione ignorantia cauſat peccatum, quia tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, impediret illud: ignorantia autem concomitans non eſt hujuſmodi: nam qui hac ignorantia occidit patrem v. g. eodem modo occideret, quamvis illum agnoſceret: & proptereà dicitur *ignorantia concomitans*, quia nihil confert, ut actus fiat, vel non fiat; ſed fieret eodem modo ſine tali ignorantia, ac fit 19 Quæ ignorãtia ſit cauſa peccati?

cum

D. Thom. cum illa. Quod explicuit D.Thom. artic. 1. hujus quæſt. dicens : *Unde patet , quod non qualibet ignorantia peccantis eſt cauſa peccati ; ſed illa tantum, quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati. Unde ſi voluntas alicujus eſſet ſic diſpoſita, quod non prohiberetur ab actu parricidii,etiamſi patrem agnoſceret , ignorantia patris non eſt huic cauſa peccati , ſed concomitanter ſe habet ad peccatum : & ideo talis non peccat propter ignorantiam ; ſed peccat ignorans ſecundum Philoſophum in 3. Ethic.* De alia verò ignorantia ; quæ ad actum peccati habet ſe antecedenter , non eſt dubium , quod ſit ejus cauſa, quando eſt vincibilis , ſive ſit tantum vincibilis , ſive etiam craſſa , ſupina , aut affectata : quælibet enim ex iſtis eſt ratio ut fiat peccatum , auferendo ſcientiam, quæ illud impediret. ¶ Diximus *quæ ad actum peccati habet ſe antecedenter*, &c. quia ad voluntatem omnis ignorantia vincibilis habet ſe conſequenter , ob idque dicitur *ignorantia conſequens* , ut vidimus numero 4.

Difficultas. Sed an etiam ignorantia invincibilis , ſeu antecedens voluntatem dicenda ſit *cauſa peccati* , eſt nonnulla difficultas : quam verſat Alvarez diſput. 150. referens pro parte affirmativa Cajetanum , & Conradum : acceditque etiam Gregor. Mart. art. 1. hujus quæſt. Probant vero tum ex D.Thoma art. 3. ubi eidem ignorantiæ tribuit , quod ſit cauſa peccati, & quod excuſet à peccato : ſed ignorantia invincibilis excuſat à peccato : ergo eſt ejus cauſa. Tum etiam, quia eatenus ignorantia dicitur cauſa peccati, quatenus tollit ſcientiam , quæ ſi adeſſet , non fieret peccatum : ſed ignorantia invincibilis eſt hujuſmodi : qui enim ex hac ignorantia occidit patrem , putans eſſe feram, proculdubio non occideret, ſi illum agnoſceret : ergo nihil deeſt quominus prædicta ignorantia *cauſa peccati dicatur.* ¶ Pro parte verò negativa ſunt Medina in hoc eodem art. 1. Curiel , Zumel , Monteſinos, & alii. Et videtur facile ſuaderi : quia eo ipſo quod aliquid fiat ex ignorantia invincibili, etiamſi alias ſcienter factum peccatum eſſet, deſinit eſſe peccatum ; potiuſque eſt actus bonus , auferente ipſa ignorantia omnem ejus malitiam : ergo talis ignorantia non eſt dicenda cauſa peccati , ſed potius cauſa , ne fiat peccatum.

26 Cæterum utriuſque ſententiæ defenſores fatentur, quæſtionem potius eſſe de modo loquendi, poſſeque facile componi diſtinguendo in peccato *materiale*, & *formale*. Nam ſi ſermo ſit de peccato quantum ad materiale, ignorantia invincibilis dicenda eſt ejus cauſa, quia cauſat actum , qui eſt materiale in illo , quique ſcienter factus , eſſet peccatum formaliter , propter ignorantiam verò caret formali malitia , & poteſt habere formalem bonitatem. Si autem ſermo ſit de peccato quoad formale , ſcilicet quoad ipſam malitiam , non eſt dicenda ejus cauſa prædicta ignorantia , quia nullam in eo actu ponit malitiam ; ſed potius illam aufert. ¶ Sed nos in prædicta quæſtione aliquid etiam de re reperimus. Pro quo diſtinguendum duximus cum D. Thoma in præſenti art. 3. & q. 3. de mal. artic. 6. nam ignorantia invincibilis aliquando aufert totam malitiam actus , eo quod tota objecti deformitas ignorata eſt : ut cum quis vacans

Diſtinctio pro tollenda difficultate.

honeſtæ venationi occidit hominem , putans invincibiliter eſſe feram : aliquandò verò tollit partem malitiæ , & partem relinquit : ut cum quis occidens hominem, quem putat eſſe inimicum, occidit patrem , quem invincibiliter ignorat. Talis enim ignorantia aufert parricidii malitiam , quia conditio patris invincibiliter ignoratur ; relinquit verò malitiam ſimplicis homicidii , quia non ignoratur , quod ille ſit homo.

Loquendo ergo de hac poſteriori ignorantia invincibili, abſolutè dicenda eſt cauſa peccati : quia actus qui propter illam fit , formaliter eſt peccatum , licet non parricidii , bene tamen homicidii : & in quantum tale non fieret, ſi adeſſet ſcientia , quam removet prædicta ignorantia : adeóque nihil deeſt, quominus prædictum peccatum tribuatur ipſi ignorantiæ tanquam removenti prohibens , ipſaque abſolutè ejus cauſa dicatur. Et ita loquitur D. Thom. cit. art. 6. de mal. ubi ait : *Si* D. Thom. *eſſet talis ignorantia , quæ non omnino excuſaret à peccato , ſicut quandóque contingit , ut infrà dicetur , talis ignorantia eſſet cauſa peccati.* Exemplúmque hujus ignorantiæ non omnino excuſantis ponit in ea, quam ſecundo loco explicuimus. *Si autem* (inquit) *aliquis ſagittator velit quidem occidere hominem , ſed non patrem, ſi ſciret eum , qui tranſit , eſſe patrem , nullo modo ſagittaret : ſed quia ignorat eum eſſe patrem , ſagittando interficit : unde ignorantia iſta cauſat manifeſtum peccatum homicidii : quia in omnem eventum iſte ſagittator eſt reus homicidii, licet non ſit reus parricidii* , &c. Et in ſolut. ad 5. ejuſdem art. ſic ait : *Non eſt dicendum , quod ſolum illa ignorantia ſit cauſa peccati , quæ eſt peccatum : ignorantia enim circunſtantiæ non eſt peccatum ; ſed tamen poteſt eſſe cauſa peccati , ut dictum eſt.* Appellat *ignorantiam circunſtantiæ* illam , quam in exemplum adduxerat ejus , qui invincibiliter ignorat ſe occidere patrem ; ſcit tamen ſe occidere hominem. Videatur etiam in præſenti art. 1. ad 3.

Loquendo autem de illa priori ignorantia 27
invincibili, quæ omnem aufert malitiam, placet quæſtionem eſſe de modo loquendi. Amplectimur verò illum , quem ſequuntur Medina & alii cum eo citati : quia conformior eſt Divo Thomæ loco citato de malo ut conſtat ex verbis , quæ nuper adduximus : *ſi eſſet talis ignorantia , quæ non omnino excuſaret à peccato , talis ignorantia eſſet cauſa peccati :* nam exceptio illa *quæ non omnino excuſaret* firmat regulam in contrarium & denotat , ignorantiam excuſantem omnino à peccato non eſſe dicendam ejus cauſam. Eandémque exceptionem fecit apertius paulò inferius : ubi cum dixiſſet , ignorantiam circunſtantiæ cauſare peccatum homicidii , addit : *Niſi ſit talis ignorantia , quæ omnino excuſet , ut infrà dicetur :* ergo ignorantia, omnino excuſans , ſicut eſt ea , de qua loquimur , non eſt dicenda cauſa peccati. Idem docet clariſſimè in ſolut. ad 1. ejuſdem articuli collata cum argumento.

Ad primum verò , quod in contrarium adducitur : reſpondetur D. Thomam non dixiſſe univerſaliter , omnem ignorantiam excuſantem à peccato eſſe ejus cauſam ; ſed loquutus eſt indefinitè : ad quod ſufficit , quod aliqua ignorantia excuſans ſit cauſa : quod habet

Digitized by Google

tam ignorantia vincibilis non affectata, quæ minuit peccatum intenſivè, quàm ignorantia vincibilis, quæ non tollit omnem malitiam, ſed aliquam tollit, & aliquam relinquit. Quod ſi Angel. Doctor ignorantiam invincibilem auferentem omnem malitiam aliquando appellat *cauſam*, non dicit abſolutè eſſe cauſam peccati, ſed vel *cauſam actus peccati*; vel ſolummodo *cauſam actus*: quæ loquutio potius confirmat modum loquendi, quem elegimus.

Ad ſecundum reſpondetur, tunc ſolum ignorantiam auferentem ſcientiam, quæ peccatum impediret, dicendam eſſe ejus cauſam, quando id, quod ex tali ignorantia fit, retinet rationem peccati, atque adeo aliquam formalem malitiam: quando verò omnis hæc malitia tollitur, ut in caſu noſtro, ſicut non remanet aliquid, quod ſit formaliter peccatum, ita nihil eſt, quod cauſa peccati abſolutè dici poſſit: nam eſſet loquutio de ſubjecto non ſupponente appellare *cauſam peccati*, ubi non eſt peccatum.

Alia difficultas. Aliam difficultatem movent Curiel, & Monteſinos: an ſcilicet ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, non ſolùm cauſet illud quoad entitatem, ſed etiam influat in ipſam malitiam. Dicendumque eſt hoc poſterius. Cum enim prædicta ignorantia tollat ſcientiam, quæ utramque peccati rationem deberet impedire, & neutra de facto impediatur, non eſt cur non utraque tali ignorantiæ tribuatur. Quæ doctrina reſtringenda non eſt ad ſolam ignorantiam vincibilem, ſicut reſtringit Curiel, excipiens ignorantiam invincibilem etiam quæ non tollit omnem malitiam: quaſi ignorantiæ hujus cauſalitas in ſola entitate ſiſtat. Sed ratio à nobis facta convincit de omni ignorantia relinquente in actu aliquam formalem malitiam, ſive ſit vincibilis, ſive invincibilis, ut intuenti conſtabit. Neque eſt inconveniens ut aliqua ignorantia invincibilis, quæ eo ipſo non eſt peccatum concurrat ad illud ut cauſa per accidens, ſicut concurrunt alia, quæ peccata non ſunt.

DUBIUM II.

Qualiter ignorantia vincibilis eorum, quæ ſcire tenemur, ſit peccatum?

22 DUo ſupponimus in hoc titulo: videlicet ignorantiam invincibilem etiam eorum, quæ ſcire tenemur, non eſſe peccatum (idem intelligendum eſt de ignorantia etiam vincibili illorum, quæ ſcire non tenemur) & ideo ſolùm quærimus de ignorantia vincibili illorum, quæ ſcire tenemur: non quidem an ſit peccatum: quia hoc eſt ſecundum, quod ſupponimus; ſed qualiter peccati ratio illi conveniat. Ratio primi præſuppoſiti traditur à D. Thoma in præſenti art. 2. ubi cum dixiſſet ignorantiam eſſe peccatum propter negligentiam addiſcendi illa, quæ quis ſcire tenetur, ſubdit: *Non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt: unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt: & propter hoc talis ignorantia cum non ſit voluntaria, eo quod non ſit in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum. Ex quo patet, quod nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum.* Et eſt ſermo de peccato formaliter: quo pacto includit eſſentialiter voluntarium: an verò prædicta ignorantia ſit peccatum objectivè, itaut ob nullum finem liceat velle illam, aut de ea delectari: infrà dicemus. Ratio ſecundi præſuppoſiti eſt perſpicua: nam ut ait D. Thom. peccatum eſt, quòd aliquis negligat facere id, quod facere tenetur: ſed qui vincibiliter ignorat ea, quæ diximus, negligit addiſcere, quod addiſcere tenetur: ergo prædicta ignorantia, ſive negligentia non eſt abſque peccato. Quod etiam declarat Scriptura 1. ad Cor. 14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Et Pſalm. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Atque alibi ſæpè.

D. Thom.

1. ad Cor. 14. Pſalm. 24.

Hoc præſuppoſito, ſub eo, quod inquirimus, nempe qualiter prædicta ignorantia peccatum ſit, plura clauduntur. Primò an ſit peccatum formaliter in ſe ipſa: an verò ſolum in ſua cauſa, ſcilicet in negligentia addiſcendi; in ſe vero tantum ſit peccati effectus? Secundò an eſto aliqua ignorantia ſit in ſe peccatum, id habeat ratione ſui; vel potius ratione actus, quem cauſat, adeóque ſit, vel non ſit peccatum ab eo actu diſtinctum? Tertiò an ſit peccatum per malitiam intrinſecam; vel ſolùm per extrinſecam denominationem à malitia exiſtente in voluntate, vel in prædicto actu? Quartò quæ ſit, ſeu cui virtuti contrarietur prædicta malitia? Ac tandem quid dicendum de ignorantia pravæ affectionis, quæ eſt error poſitivus? His omnibus ſatisfaciendum eſt in hoc dubio, quia ſatis inter ſe connexa ſunt, eſſétque longiſſimè abire pro ſingulis dubia ſeorſum excitare.

§. I.

Duplex aſſertio pro expeditione primæ difficultatis.

AD deciſionem primæ ex propoſitis difficultatibus præmittenda eſt diſtinctio ignorantiæ actualis & habitualis, cujus meminimus num. 1. (& eſt ſermo de ignorantia puræ privationis.) Prima dicit privationem actualis cognitionis, ſive conſiderationis, quæ proprius diceretur *inconſiderantia*, ut appellatur a Vaſquez, quàm *ignorantia*. Secunda, & cui abſolutè nomen ignorantiæ adaptatur, dicit privationem ſcientiæ, vel notitiæ habitualis: *ignarus* enim propriè non dicitur aliquis ex eo ſolum, quod non conſiderat; ſed quia caret habitu, per quem poſſit facilè diſcurrere & cognoſcere. Ex quibus ignorantia actualis habet ſe ſicut actus ſecundus, eſtque proinde actuale exercitium potentiæ, in qua reſidet, ſicut omiſſio actus debiti: habitualis verò ſequitur conditionem habitus, nam eſt veluti diſpoſitio, quæ habitualiter permanet; ſicut reliqui habitus vitioſi, & ſicut ipſe habitus ſcientiæ, cujus eſt privatio: qui ſanè habitus non dicunt actuale exercitium alicujus potentiæ, ſed principium, vel terminum talis exercitii. Eſſe verò aliquid in ſe peccatum, nihil aliud intelligimus, quam

eſſe

Digitized by Google

eſſe talis conditionis, ut peccati diffinitio de illo formaliter verificetur, recipiátque in ſe cum veritate & proprietate formalem peccati denominationem, ſive à malitia inhærente, aut ſibi propria, ſive ab alia. Quid verò addat ſupra hoc eſſe peccatum ratione ſui, infrà declarabitur. Eſt autem ſermo de peccato actuali: nam quod ignorantia ad peccatum habituale præſertim perſonale non pertineat, cuncti ſupponunt.

23 Prior aſſertio. Dicendum igitur eſt; ignorantiam actualem formaliter eſſe peccatum in ſe ipſa, & non tantùm in ſua cauſa, vel effectu. Hæc concluſio à nemine negatur, quem vidimus: nam qui aiunt ignorantiam non eſſe peccatum in ſe ipſa, manifeſtè loquuntur de habituali, pro qua ſtat nomen ignorantiæ abſolutè prolatum: qui verò dicunt eſſe peccatum ratione negligentiæ, ut ferè omnes loquuntur; in ipſa negligentia intelligunt defectum debitæ cognitionis, quem *ignorantiam actualem* vocamus. Expreſsè verò ponunt prædictam aſſertionem Curiel, Monteſ. Zumel, Vaſq. & Lorca, quos pro ſequenti adducemus: cæteri autem ibi referendi eam ſupponunt: & a fortiori quotquot idem tenent de ignorantia habituali, quos adducemus n. 27. Probatur manifeſta ratione: nam omnis omiſſio actus debiti, ſuppoſito quod ſit voluntaria, eſt formaliter peccatum, ut ex diffinitione peccati omiſſionis habetur: ſed ignorantia actualis eſt omiſſio actus debiti, ſcilicet debitæ cognitionis, & eſt voluntaria, ut ſupponimus: quia ſermo eſt de ignorantia voluntaria & vincibili: ergo nihil deeſt quominus ſit peccatum formaliter.

Confirmatur: actualis negligentia in addiſcendo ea, quæ ſcire tenemur, formaliter eſt peccatum oppoſitum virtuti ſtudioſitatis: ſed ignorantia actualis clauditur ſub prædicta negligentia: ergo etiam eſt peccatum formaliter contra eandem virtutem. Major & conſequentia conſtant, minor verò ſuadetur animadvertendo, actualem negligentiam contrariam ſtudioſitati dici ex oppoſitione ad ſtudium & diligentiam in diſcendo, quæ eſt actus ipſius ſtudioſitatis: adeóque omnis defectus circa hujuſmodi ſtudium comprehenditur ſub prædicta negligentia. Ad ſtudium verò pertinet tum ipſa interior volitio addiſcendi, quæ eſt primarius actus à prædicta virtute elicitus: tum etiam cognitio & diſcurſus immediatè generans ſcientiam, cæterique actus per ſe ad id neceſſarii, ut legere, interrogare, auſcultare, &c. defectus ergo cujuſcumque illorum, atque adeo ille, quem dicimus *ignorantiam* actualem, ſeu *omiſſionem debitæ cognitionis*, comprehenditur ſub prædicta negligentia, eſtque proinde idem peccatum cum illa.

Confirmatur ſecundò: nam quicumque actus vel omiſſio eſt cauſa voluntaria peccati, eſt formaliter in ſe peccatum, ſaltem per ordinem ad illud, quod cauſat: ut conſtat ex iis, quæ diximus diſp. 5. dub. 2. circa actum, qui eſt cauſa omittendi: ſed ignorantia, de qua loquimur, eſt cauſa per modum voluntariæ omiſſionis peccati, quod propter illam ſæpe committitur: ergo & ipſa eſt formaliter peccatum. Videantur quæ diximus dub. cit.

24 Obiectio. Dices contra primam confirmationem, quod ſtudium eſt actus ſtudioſitatis exiſtentis in voluntate, vel appetitu: ergo nequit includere tanquam actum ejuſdem virtutis cognitionem & diſcurſum, quæ ſunt in intellectu: actus enim cujuſcumque virtutis in illa potentia debet eſſe, ubi eſt talis virtus. Conſequenter ergo neque defectus circa prædictam cognitionem continebitur ſub negligentia actuali, quæ eſt actus vitii oppoſiti exiſtentis ſimiliter in appetitu, vel voluntate. ¶ Reſpondetur non eſſe inconveniens virtutem exiſtentem in una potentia habere actus in alia: religio enim exiſtit in voluntate, & habet plures actus in intellectu, ut orationem, votum, juramentum, &c. de quo diximus in tractatu de virtutibus diſp. 2. à num. 7. Quod ergo ſtudioſitas & oppoſitum vitium in appetitu, vel voluntate exiſtant, non obſtat quominus cognitio & ejus defectus in intellectu exiſtentia ponantur illorum actus. An verò dici debeant actus *eliciti*, vel ſolùm *imperati*, explicuimus loco citato.

Dices ſecundo contra ſecundam confirmationem, pugnare cum prima. Nam in prima, ut ignorantia actualis ſit peccatum, recurrimus ad negligentiam, & oppoſitionem cum virtute ſtudioſitatis: in ſecunda verò recurrimus ad actum peccaminoſum, qui propter ignorantiam fit: non autem ſatis cohærere videtur, quod unum & idem ignorantiæ peccatum ex utroque iſto capite malitiam habeat. Quinimo ſi ignorantia actualis eſt peccatum ratione prædicti actus, quia illum cauſat, etiam negligentia erit peccatum ratione ignorantiæ, & non è contra; quia non ignorantia cauſa eſt negligentiæ, ſed e converſo. ¶ Reſpondetur, nos in præſenti aſſertione ſolùm intendere, quod ignorantia actualis ſit in ſe formaliter peccatum, ſicut eſt negligentia, undecumque ei malitia eadem, vel diverſa proveniat: quod intentum utraque confirmatio convincit, licet ex diverſis capitibus. Qualiter verò componi debeant ea, quæ in hac objectione refutuntur, declarandum eſt §. 3. circa ſecundam difficultatem.

Dicendum eſt ſecundò, ignorantiam habitualem non eſſe formaliter peccatum in ſe ipſa, neque per malitiam propriam, neque per malitiam ſuæ cauſæ, ſed ſolùm in ipſa cauſa, quæ eſt ignorantia actualis; vel negligentia addiſcendi, aut in effectu ſequuto ex ipſa; in ſe verò tantum eſſe peccati effectum, vel principium, ſicut reliqui habitus vitioſi: adeóque ubicumque *peccatum* nominetur, intelligendum eſt non *formaliter*, ſed *cauſaliter*, vel *effectivè*: eo improprio loquendi modo, quo nomina cauſarum ſolent tribui effectibus, & è contra. 25 Alia aſſertio. Ita D. Auguſtinus lib. 1. de lib. arbitr. cap. 19. ubi ait: *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras.* Auguſt. Cum ergo id imputetur, quod eſt peccatum, planè ſequitur, non ignorantiam, ſed ſolam addiſcendi negligentiam & omiſſionem *peccatum* denominari. Eadem aſſertio eſt D. Thomæ in præſenti articulo 2. Nam licet ſemel dicat, ignorantiam eſſe peccatum; ſæpe tamen totum id, penes quod peccatum hoc conſiſtit, reducit & devolvit ad negligentiam addiſcendi, & ad omiſſionem conſiderandi. Unde in corp. art. ſic ait: *Quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis: unde propter negligentiam ignorantia* D. Thom.

Digitized by Google

tam ignorantia vincibilis non affectata, quæ minuit peccatum intenſivè, quàm ignorantia vincibilis, quæ non tollit omnem malitiam, ſed aliquam tollit, & aliquam relinquit. Quod ſi Angel. Doctor ignorantiam invincibilem auferentem omnem malitiam aliquando appellat *cauſam*, non dicit abſolutè eſſe cauſam peccati, ſed vel *cauſam actus peccati*; vel ſolummodo *cauſam actus*: quæ loquutio potius confirmat modum loquendi, quem elegimus.

Ad ſecundum reſpondetur, tunc ſolum ignorantiam auferentem ſcientiam, quæ peccatum impediret, dicendam eſſe ejus cauſam, quando id, quod ex tali ignorantia fit, retinet rationem peccati, atque adeo aliquam formalem malitiam: quando verò omnis hæc malitia tollitur, ut in caſu noſtro, ſicut non remanet aliquid, quod ſit formaliter peccatum, ita nihil eſt, quod cauſa peccati abſolutè dici poſſit: nam eſſet loquutio de ſubjecto non ſupponente appellare *cauſam peccati*, ubi non eſt peccatum.

Alia difficultas. Aliam difficultatem movent Curiel, & Monteſinos: an ſcilicet ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, non ſolùm cauſet illud quoad entitatem, ſed etiam influat in ipſam malitiam. Dicendumque eſt hoc poſterius. Cum enim prædicta ignorantia tollat ſcientiam, quæ utramque peccati rationem deberet impedire, & neutra de facto impediatur, non eſt cur non utraque tali ignorantiæ tribuatur. Quæ doctrina reſtringenda non eſt ad ſolam ignorantiam vincibilem, ſicut reſtringit Curiel, excipiens ignorantiam invincibilem etiam quæ non tollit omnem malitiam: quaſi ignorantiæ hujus cauſalitas in ſola entitate ſiſtat. Sed ratio à nobis facta convincit de omni ignorantia relinquente in actu aliquam formalem malitiam, ſive ſit vincibilis, ſive invincibilis, ut intuenti conſtabit. Neque eſt inconveniens ut aliqua ignorantia invincibilis, quæ eo ipſo non eſt peccatum concurrat ad illud ut cauſa per accidens, ſicut concurrunt alia, quæ peccata non ſunt.

DUBIUM II.

Qualiter ignorantia vincibilis eorum, quæ ſcire tenemur, ſit peccatum?

22 DUo ſupponimus in hoc titulo: videlicet ignorantiam invincibilem etiam eorum, quæ ſcire tenemur, non eſſe peccatum (idem intelligendum eſt de ignorantia etiam vincibili illorum, quæ ſcire non tenemur) & ideo ſolùm quærimus de ignorantia vincibili illorum, quæ ſcire tenemur: non quidem an ſit peccatum: quia hoc eſt ſecundum, quod ſupponimus; ſed qualiter peccati ratio illi conveniat. Ratio primi præſuppoſiti traditur à D. Thoma in præſenti art. 2. ubi cum dixiſſet ignorantiam eſſe peccatum propter negligentiam addiſcendi illa, quæ quis ſcire tenetur, ſubdit: *Non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt: unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt: & propter hoc talis ignorantia cum non ſit voluntaria, eo quod non ſit in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum. Ex quo patet, quod nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum.* Et eſt ſermo de peccato formaliter: quo pacto includit eſſentialiter voluntarium: an verò prædicta ignorantia ſit peccatum objectivè, itaut ob nullum finem liceat velle illam, aut de ea delectari: infrà dicemus. Ratio ſecundi præſuppoſiti eſt perſpicua: nam ut ait D. Thom. peccatum eſt, quòd aliquis negligat facere id, quod facere tenetur: ſed qui vincibiliter ignorat ea, quæ diximus, negligit addiſcere, quod addiſcere tenetur: ergo prædicta ignorantia, ſive negligentia non eſt abſque peccato. Quod etiam declarat Scriptura 1. ad Cor. 14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Et Pſalm. 24. *Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Atque alibi ſæpè. 1. ad Cor 14. Pſalm. 24.

Hoc præſuppoſito, ſub eo, quod inquirimus, nempe qualiter prædicta ignorantia peccatum ſit, plura clauduntur. Primò an ſit peccatum formaliter in ſe ipſa: an verò ſolum in ſua cauſa, ſcilicet in negligentia addiſcendi; in ſe vero tantum ſit peccati effectus? Secundò an eſto aliqua ignorantia ſit in ſe peccatum, id habeat ratione ſui; vel potius ratione actus, quem cauſat, adeóque ſit, vel non ſit peccatum ab eo actu diſtinctum? Tertiò an ſit peccatum per malitiam intrinſecam; vel ſolùm per extrinſecam denominationem à malitia exiſtente in voluntate, vel in prædicto actu? Quartò quæ ſit, ſeu cui virtuti contrarietur prædicta malitia? Ac tandem quid dicendum de ignorantia pravæ affectionis, quæ eſt error poſitivus? His omnibus ſatisfaciendum eſt in hoc dubio, quia ſatis inter ſe connexa ſunt, eſſétque longiſſimè abire pro ſingulis dubia ſeorſum excitare.

§. I.

Duplex aſſertio pro expeditione primæ difficultatis.

AD deciſionem primæ ex propoſitis difficultatibus præmittenda eſt diſtinctio ignorantiæ actualis & habitualis, cujus meminimus num. 1. (& eſt ſermo de ignorantia puræ privationis.) Prima dicit privationem actualis cognitionis, ſive conſiderationis, quæ proprius diceretur *inconſiderantia*, ut appellatur a Vaſquez, quàm *ignorantia*. Secunda, & cui abſolutè nomen ignorantiæ adaptatur, dicit privationem ſcientiæ, vel notitiæ habitualis: *ignarus* enim propriè non dicitur aliquis ex eo ſolum, quod non conſiderat; ſed quia caret habitu, per quem poſſit facilè diſcurrere & cognoſcere. Ex quibus ignorantia actualis habet ſe ſicut actus ſecundus, eſtque proinde actuale exercitium potentiæ, in qua reſidet, ſicut omiſſio actus debiti: habitualis verò ſequitur conditionem habitus, nam eſt veluti diſpoſitio, quæ habitualiter permanet: ſicut reliqui habitus vitioſi, & ſicut ipſe habitus ſcientiæ, cujus eſt privatio: qui ſanè habitus non dicunt actuale exercitium alicujus potentiæ, ſed principium, vel terminum talis exercitii. Eſſe verò aliquid in ſe peccatum, nihil aliud intelligimus, quam eſſe

Digitized by Google

eſſe talis conditionis, ut peccati diffinitio de illo formaliter verificetur, recipiatque in ſe cum veritate & proprietate formalem peccati denominationem, ſive à malitia inhærente, aut ſibi propria, ſive ab alia. Quid verò addat ſupra hoc eſſe peccatum ratione ſui, infrà declarabitur. Eſt autem ſermo de peccato actuali: nam quod ignorantia ad peccatum habituale præſertim perſonale non pertineat, cuncti ſupponunt.

23 Prior aſſertio. Dicendum igitur eſt; ignorantiam actualem formaliter eſſe peccatum in ſe ipſa, & non tantùm in ſua cauſa, vel effectu. Hæc concluſio à nemine negatur, quem vidimus: nam qui aiunt ignorantiam non eſſe peccatum in ſe ipſa, maniſeſtè loquuntur de habituali, pro qua ſtat nomen ignorantiæ abſolutè prolatum: qui vero dicunt eſſe peccatum ratione negligentiæ, ut ferè omnes loquuntur, in ipſa negligentia intelligunt defectum debitæ cognitionis, quem *ignorantiam actualem* vocamus. Expreſsè verò ponunt prædictam aſſertionem Curiel, Monteſ. Zumel, Vaſq. & Lorca, quos pro ſequenti adducemus: cæteri autem ibi referendi eam ſupponunt: & à fortiori quotquot idem tenent de ignorantia habituali, quos adducemus n. 27. Probatur manifeſta ratione: nam omnis omiſſio actus debiti, ſuppoſito quod ſit voluntaria, eſt formaliter peccatum, ut ex diffinitione peccati omiſſionis habetur: ſed ignorantia actualis eſt omiſſio actus debiti, ſcilicet debitæ cognitionis, & eſt voluntaria, ut ſupponimus: quia ſermo eſt de ignorantia voluntaria & vincibili: ergo nihil deeſt quominus ſit peccatum formaliter.

Confirmatur: actualis negligentia in addiſcendo ea, quæ ſcire tenemur, formaliter eſt peccatum oppoſitum virtuti ſtudioſitatis: ſed ignorantia actualis clauditur ſub prædicta negligentia: ergo etiam eſt peccatum formaliter contra eandem virtutem. Major & conſequentia conſtant, minor verò ſuadetur animadvertendo, actualem negligentiam contrariam ſtudioſitati dici ex oppoſitione ad ſtudium & diligentiam in diſcendo, quæ eſt actus ipſius ſtudioſitatis: adeóque omnis defectus circa hujuſmodi ſtudium comprehenditur ſub prædicta negligentia. Ad ſtudium verò pertinet tum ipſa interior volitio addiſcendi, quæ eſt primarius actus à prædicta virtute elicitus: tum etiam cognitio & diſcurſus immediatè generans ſcientiam, cæterique actus per ſe ad id neceſſarii, ut legere, interrogare, auſcultare, &c. defectus ergo cujuſcumque iſtorum, atque adeo ille, quem dicimus *ignorantiam* actualem, ſeu *omiſſionem debitæ cognitionis*, comprehenditur ſub prædicta negligentia, eſtque proinde idem peccatum cum illa.

Confirmatur ſecundò: nam quicumque actus vel omiſſio eſt cauſa voluntaria peccati, eſt formaliter in ſe peccatum, ſaltem per ordinem ad illud, quod cauſat: ut conſtat ex iis, quæ diximus diſp. 5. dub. 2. circa actum, qui eſt cauſa omittendi: ſed ignorantia, de qua loquimur, eſt cauſa per modum voluntariæ omiſſionis peccati, quod propter illam ſæpe committitur: ergo & ipſa eſt formaliter peccatum. Videantur quæ diximus dub. cit.

24 Objectio. Dices contra primam confirmationem, quod ſtudium eſt actus ſtudioſitatis exiſtentis in voluntate, vel appetitu: ergo nequit includere tanquam actum ejuſdem virtutis cognitionem & diſcurſum, quæ ſunt in intellectu: actus enim cujuſcumque virtutis in illa potentia debet eſſe, ubi eſt talis virtus. Conſequenter ergo neque defectus circa prædictam cognitionem continebitur ſub negligentia actuali, quæ eſt actus vitii oppoſiti exiſtentis ſimiliter in appetitu, vel voluntate. § Reſpondetur non eſſe inconveniens virtutem exiſtentem in una potentia habere actus in alia: religio enim exiſtit in voluntate, & habet plures actus in intellectu, ut orationem, votum, juramentum, &c. de quo diximus in tractatu de virtutibus diſp. 2. à num. 7. Quod ergo ſtudioſitas & oppoſitum vitium in appetitu, vel voluntate exiſtant, non obſtat quominus cognitio & ejus defectus in intellectu exiſtentia ponantur illorum actus. An verò dici debeant actus *eliciti*, vel ſolùm *imperati*, explicuimus loco citato.

Dices ſecundo contra ſecundam confirmationem, pugnare cum prima. Nam in prima, ut ignorantia actualis ſit peccatum, recurrimus ad negligentiam, & oppoſitionem cum virtute ſtudioſitatis: in ſecunda verò recurrimus ad actum peccaminoſum, qui propter ignorantiam fit: non autem ſatis cohærere videtur, quod unum & idem ignorantiæ peccatum ex utroque iſto capite malitiam habeat. Quinimo ſi ignorantia actualis eſt peccatum ratione prædicti actus, quia illum cauſat, etiam negligentia erit peccatum ratione ignorantiæ, & non è contra: quia non ignorantia cauſa eſt negligentiæ, ſed è converſo. § Reſpondetur, nos in præſenti aſſertione ſolùm intendere, quod ignorantia actualis ſit in ſe formaliter peccatum, ſicut eſt negligentia, undecumque ei malitia eadem, vel diverſa proveniat: quod intentum utraque confirmatio convincit, licet ex diverſis capitibus. Qualiter verò componi debeant ea, quæ in hac objectione referuntur, declarandum eſt §. 3. circa ſecundam difficultatem.

Dicendum eſt ſecundò, ignorantiam habitualem non eſſe formaliter peccatum in ſe ipſa, neque per malitiam propriam, neque per malitiam ſuæ cauſæ, ſed ſolùm in ipſa cauſa, quæ eſt ignorantia actualis; vel negligentia addiſcendi, aut in effectu ſequuto ex ipſa; in ſe verò tantum eſſe peccati effectum, vel principium, ſicut reliqui habitus vitioſi: adeóque ubicumque *peccatum* nominetur, intelligendum eſt non *formaliter*, ſed *cauſaliter*, vel *effectivè*: eo improprio loquendi modo, quo nomina cauſarum ſolent tribui effectibus, & è contra. 25 Alia aſſertio. Ita D. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 19. ubi ait: *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras.* Auguſt. Cum ergo id imputetur, quod eſt peccatum, planè ſequitur, non ignorantiam, ſed ſolam addiſcendi negligentiam & omiſſionem *peccatum* denominari. Eadem aſſertio eſt D. Thomæ in præſenti articulo 2. Nam licet ſemel dicat, ignorantiam eſſe peccatum; ſæpe tamen totum id, penes quod peccatum hoc conſiſtit, reducit & devolvit ad negligentiam addiſcendi, & ad omiſſionem conſiderandi. Unde in corp. art. ſic ait: *Quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis: unde propter negligentiam ignorantia* D. Thom.

Digitized by Google

eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum. Et in ſolut. ad 1. fatetur, peccati diffinitionem, nempe *dictum, factum, vel concupitum*, &c. non convenire ignorantiæ, niſi quatenus importat negligentiam, hocque dumtaxat modo eſſe peccatum. *Negligentia* (inquit) *ſecundum quam ignorantia eſt peccatum, continetur ſub prædicta diffinitione peccati, in quantum prætermittitur aliquid, quod habuit dici, vel fieri, vel concupiſci ad ſcientiam debitam acquirendam.* En qualiter non ipſa ignorantia, ſed omiſſio illius, quod fieri debuit ad eam expellendam, ponitur ſub peccati diffinitione, atque adeo ſub ejus denominatione.

In ſolut. ad 2. dicit, eodem modo convenire rationem peccati ignorantiæ, ſicut gratiæ privationi: conſtat verò hanc non eſſe in ſe peccatum actuale, ſed tantùm in ſua cauſa, ſcilicet in actu peccaminoſo, per quem expulſa eſt gratia, vel omiſſa præparatio ad eam recipiendam: ut docet ibi S. Doctor: ergo idem dicendum eſt de ignorantia. In ſolut. etiam ad 3. totam rationem peccati ad ignorantiam pertinentis conſtituit penes negligentiam, & inconſiderationem, nihilque aliud ibi agnoſcit, quod ſit propriè peccatum. Ad 4. verò reddens rationem cur remaneat ignorantia poſt pœnitentiam, non verò remaneat peccatum, inquit. *Licet tranſeunte reatu per pœnitentiam, remaneat ignorantia, ſecundum quod eſt privatio ſcientiæ, non tamen remanet negligentia.* Idem docet 2. 2. q. 53. art. 2. ad 2. Clariſſimè verò q. 3. de mal. art. 7. ubi agens ex profeſſo hanc difficultatem, conſultò noluit dicere; ignorantiam eſſe peccatum, ſed dixit non eſſe ſine peccato, quia non eſt abſque negligentia addiſcendi, in qua eſt peccatum. Vnde in corp. ſic ait: *Poteſt ergo talis ignorantia conſiderari tripliciter. Vno modo ſecundum ſe: & ſic non habet rationem culpæ, ſed pœnæ. Dictum eſt enim ſupra, quod malum culpæ eſt privatio ordinis in actu; malum autem pœnæ eſt privatio perfectionis à ſubiecto agente: unde privatio gratiæ, vel ſcientiæ non habet rationem culpæ, ſi ſecundum ſe conſideretur. Alio modo poteſt conſiderari talis ignorantia per comparationem ad cauſam: ſicut enim cauſa ſcientiæ eſt applicatio ad ſciendum, ita cauſa ignorantiæ eſt animum ad ſciendum non applicare: & hoc ipſum quod eſt non applicare animum ad ſciendum id, quod quis habet ſcire, eſt peccatum omiſſionis. Vnde ſi talis privatio cum cauſa præcedenti accipiatur, erit peccatum actuale per modum, quo omiſſio peccatum dicitur.* Idem repetit in ſolut. ad 1. *Privatio ſcientiæ & gratiæ habet rationem culpæ, ſecundum quod accipitur ſimul cum ſua cauſa, quæ pertinet ad genus actus.* (D. Thom.)

26 Evaſio. Dices, his teſtimoniis ſolum probari, quod ignorantia non ſit peccatum ratione ſui; ſecus verò quod non ſit peccatum in ſe, quamvis ratione cauſæ ſcilicet negligentiæ addiſcendi: ſtat enim hoc poſterius ſine illo: ſicut actus, qui eſt cauſa omittendi, eſt quidem peccatum in ſe, non tamen ratione ſui, ſed ratione omiſſionis, cujus eſt cauſa.

Præcluditur. Sed contra: nam ſi ignorantia habitualis poſſet eſſe in ſe peccatum, etiam poſſet eſſe peccatum ratione ſui, ſicut dicemus de ignorantia actuali: cum enim ſcientia, quia privat prædicta ignorantia, multoties ratione ſui ſit debita, ut dicemus §. 3. oportet ut ipſa ignorantia, ſi ſemel eſt capax denominationis peccati, ſecundum ſe illi conveniat, & non tantùm ratione cauſæ: ſicut ſecundum ſe & non ratione cauſæ eſt privatio ſcientiæ debitæ. Quinimo ipſa cauſa eſſet peccatum ratione ejuſdem ignorantiæ, & non è contra: quia in tali caſu ideo eſſet mala negligentia addiſcendi, quia ex illa ſequeretur ignorantia, quæ ratione ſui eſſet mala. Quocirca apud D. Thomam pro eodem ſumitur, ignorantiam non eſſe peccatum ſecundum ſe, quod ſæpius repetit, ac non eſſe peccatum in ſe: & eſſe peccatum ſolum ſecundum cauſam, ac eſſe peccatum non in ſe, ſed in ipſa cauſa. Quod patet tum exemplo, quo utitur privationis gratiæ. Quæ quidem ſicut non eſt peccatum actuale ſecundum ſe, ita neque eſt capax ſuſcipiendi in ſe ejus denominationem, ſed præciſè in ſua cauſa. Tum etiam, quia in eo ſenſu negat ignorantiæ quod ſit peccatum, in quo concedit illi, quod ſit pœna peccati: at pœna non dicitur, quia omnino ratione ſui id habeat, ſed quia in ſe ſuſcipit rationem & denominationem pœnæ, licet per ordinem ad cauſam: quo ordine ſecluſo, prædictam rationem & denominationem amitteret: ut de privatione gratiæ dicemus diſput. 16. num. 129. ergo neque iſto modo ignorantia dicenda eſt formaliter peccatum. Ad hæc: ſi ignorantia in ſe eſſet peccatum quamvis per habitudinem ad cauſam, non opus eſſet ad hoc ut in ratione peccati conciperetur, accipi ſimul cum cauſa; ſed ſufficeret accipi cum reſpectu & habitudine ad illam, licet ab ea ſeparatam: cum ergo D. Thom. ſæpe dixerit, prædictam ignorantiam debere accipi ſimul cum ſua cauſa, ut ratio peccati illi tribuatur, conſequens eſt, quod non in ſe adhuc ratione cauſæ, ſed ſolum in ipſa cauſa peccati denominationi ſubſternatur.

Secundo impugnatur prædicta evaſio animadvertendo ex Monteſinos, quod cum dicitur, ignorantiam eſſe peccatum ratione negligentiæ, poteſt hæc loquutio accipi dupliciter: 27 Alia impugnatio. *tranſitive*, & *intranſitive*. In primo ſenſu denotat, denominationem peccati non ſiſtere, neque compleri in ipſa negligentia; ſed ratione ejus tranſire uſque ad ignorantiam: itaut etiam huic immediatè, & in ſe ipſa prædicta denominatio competat. In ſecundo verò denotat, totam peccati rationem ſiſtere in prædicta negligentia, ibique conſummari: ignorantiam verò ſolum dici peccatum mediatè & in alio, quia conjuncta eſt eidem negligentiæ, quæ in ſe eſt peccatum. Et hunc ſenſum, non verò primum habent verba D. Thomæ, quibus ait, ignorantiam non eſſe peccatum ſecundum ſe, ſed tantùm ratione negligentiæ. Intendit enim, rationem & denominationem peccati in ipſa negligentia conſummari, neque ulterius tranſire; dici tamen ignorantiam *peccatum, mediatè* in eadem negligentia propter connexionem & continentiam in illa. Idémque intendunt plures alii Doctores, qui eodem modo loquuntur.

Pro quo nota ſecundo, hoc eſſe diſcrimen inter cauſam & effectum illius, quod ſecundum ſe eſt peccatum: quod cauſa peccati, ſi ſit aliquid actuale & liberum, eo ipſo eſt peccatum in ſe ratione effectus, & per ordinem ad illum; quamvis ſecundum ſe peccatum non eſſet;

Digitized by Google

eſſet : nam talis cauſa eſt formalis, vel virtualis volitio peccati : volitio autem peccati peccatum eſt. At vero quod ſolum eſt peccati effectus, non eo ipſo eſt in ſe peccatum, etiam ex ordine ad cauſam, ſed tantùm in ipſa cauſa : & ideo ex cauſa ſecundum ſe peccaminoſa poſſunt oriri effectus nedum non mali, ſed boni : ſicut ex injuſto homicidio latronis poteſt ſequi pax, & ſecuritas Reipublicæ, & ex venali ſcortatione poteſt ſequi ſuſtentatio pauperis, quæ peccatum non ſit. Ut ergo effectus ſequutus ex cauſa peccaminoſa, ſit formaliter peccatum, oportet ut ſecundum ſe, aut aliunde, quàm ab ipſa cauſa id habeat. Cum igitur D. Thom. toties aſſeruerit, ignorantiam non eſſe peccatum niſi ſecundum ſuam cauſam, quæ eſt negligentia, planè ſequitur, talem ignorantiam adhuc ratione ejuſdem negligentiæ non eſſe peccatum in ſe, ſed præciſè in ipſa cauſa. ¶ Diximus *talem ignorantiam*, &c. quia hæc impugnatio tantùm procedit de ignorantia, quæ dicitur peccatum ſolùm ratione negligentiæ, cujus eſt effectus : nam alia, quæ etiam eſt cauſa peccati, excluditur ab ejus denominatione ratione, & confirmationibus ; quas ſtatim adducemus, quæ de omni ignorantia habituali intentum ſuadent. ¶ Unde hanc ſententiam ut propriam D. Thomæ tuentur D. Antoninus 1. part. tit. 6. c. 1. §. 1. Sylveſter verbo *ignorantia*, quæſt. 3. Cajetanus, & Conradus in commentar. hujus 2. art. Ubi etiam Curiel dub. 1. Zumel diſput. 1. concluſ. 6. Araujo dub. 1. Vaſquez diſp. 118. c. 2. Monteſinos diſput. 8. quæſt. 2. Lorca diſp. 31. Salas diſput. 8. ſect. 2. & alii. Atque idem docuerunt Durandus in 2. diſtinct. 22. q. 3. Major ibidem q. 2. Antiſiodorenſis in ſum. lib. 2. tract. 29. c. 1. q. 2. Cordub. lib. 2. q. 6. Sayrus in clavi regia, lib. 2. c. 9. alios referens.

D. Antonin. Sylveſter. Caiet. Conrad. Curiel. Zumel. Araujo. Vaſq. Monteſ. Lorca. Salas. Durand. Major. Antiſiodor. Cordub. Sayr.

28 Ratio aſſertionis.

Probatur ratione deſumpta ex D. Thoma locis citatis. Nam ut aliquid in ſe ſuſcipiat denominationem peccati, debet eſſe in exercitio, & in actu ſecundo voluntarium, adeóque, vel actus, vel actualis omiſſio : ſed ignorantia, de qua loquimur, non eſt hujuſmodi : ergo nequit in ſe cum proprietate ſuſcipere prædictam denominationem. Conſequentia liquet, & etiam minor : nam prædicta ignorantia præciſè eſt aliquid habituale, ſicut ſcientia, qua privat : & ſicut iſta non eſt in actu ſecundo voluntaria, neque exercitium alicujus potentiæ, ſed principium & terminus talis exercitii : ita etiam prædicta ignorantia. Major verò probatur. Tum ex ipſa diffinitione peccati *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam* : nam illa verba *dictum, factum, vel concupitum* manifeſtè denotant actum ſecundum, vel omiſſionem actualem (pro eodem enim ſumitur *dictum & non dictum, factum & non factum*, &c.) ad habitus verò neque D. Thom. neque alius, cujus auctoritati ſtandum ſit, unquam illa extendit. Sicut etiam verba, quæ ſequuntur, ſcilicet *contra legem æternam*, apertè requirunt actum, vel ejus omiſſionem : quia hæc dumtaxat cadunt immediatè ſub lege, præcipiuntúrque, aut prohibentur, non verò habitus : præcepta enim non dantur de habitibus, vel habitualibus diſpoſitionibus, ſed ſolùm de actibus ; vel eorum omiſſionibus : unde hæc & non illa habent immediatè eſſe conformia, vel contraria legi. Tum etiam eadem major ſuadetur : nam de ratione peccati actualis eſt, quod ſit liberum in actu ſecundo, proindéque indifferens ad eſſendum, vel non eſſendum ; ratione cujus indifferentiæ, voluntatis dominio ſubſit committere ; aut non committere tale peccatum : ſed ſolus actus, vel ejus omiſſio habent eſſe hoc modo libera : habitus enim non dicunt indifferentiam ad eſſendum ; aut non eſſendum ; ſed ſolùm ad cauſandum, vel non cauſandum ; & ideò ſolum ſunt liberi in actu primo eo modo, quo eſt libera potentia : ergo ſolus actus, vel ejus omiſſio poſſunt ſubſterni peccati denominationi. ¶ Adde, peccatum ex ipſo nomine ſignificare defectum actualem, & in hoc diſtingui à vitio, quod ex propria ratione dicit defectum habitualem, ut docet D. Thomas ſuprà q. 71. art. 1. noſque in proœmio hujus tractatus numero 2. & 4. animadvertimus.

Confirmatur ex diſcrimine inter malum culpæ, ſeu peccatum, & malum pœnæ, quod 29 Cõfirmatio prima.
aſſignat D. Thom. 1. part. q. 48. art. 5. & 6. q. 1. de mal. art. 4. & 5. q. 2. artic. 2. & alibi multoties : nimirum quod pœna quia eſt malum hominis, dicit defectum perfectionis habitualis, quæ eſt operationis principium, quæque perficit ipſum hominem in ſe : culpa verò quia eſt malum actus, dicit defectum circa operationem : vel quia tollitur operatio debita, ut in peccato omiſſionis : vel quia operationi tollitur debita perfectio, ut in peccato commiſſionis. *Malum* (ait D. Thom. cit. art. 5. ex 1. part.) *eſt privatio boni, quod in perfectione & actu conſiſtit principaliter & per ſe : actus autem eſt duplex : primus, & ſecundus. Actus quidem primus eſt forma & integritas rei : actus autem ſecundus eſt operatio. Contingit ergo malum eſſe dupliciter : uno modo per ſubtractionem formæ* (ſcilicet habitualis) *quæ requiritur ad integritatem rei : alio modo per ſubtractionem debitæ operationis : vel quia omnino non eſt, vel quia debitum modum & ordinem non habet, &c. Malum igitur, quod eſt per ſubtractionem formæ & integritatis rei, habet rationem pœnæ. Malum autem, quod conſiſtit in ſubtractione debitæ operationis in rebus voluntariis, habet rationem culpæ : hoc enim imputatur alicui in culpam, cum deficit à prædicta actione, cujus Dominus eſt ſecundum voluntatem.* Et in ſolut. ad 4. *De ratione pœnæ eſt, quod noceat agenti in ſe ipſo* (id eſt in illis, quibus habitualiter perficitur) *ſed de ratione culpæ eſt, quod noceat agenti in ſua actione.* Cum igitur habitualis ignorantia non importet defectum circa operationem, vel ejus perfectionem, ſed circa habitum ſcientiæ perficientem hominem in ſe, conſequens eſt ut juxta doctrinam D. Thomæ non ſit in ſe formaliter culpa aut peccatum, ſed dumtaxat pœna.

D. Thom.

Confirmatur ſecundo. Nequit plus habere Secunda.
de ratione mali ignorantia habitualis privativa, quàm habitus erroris poſitivus : ſuppoſito quod utrumque ſit vincibile, & circa ea, quæ ſcire tenemur, ut videtur per ſe notum : quinimo ſicut longè pejoris conditionis eſt error actualis, quàm actualis inconſideratio ; ſic etiam longè pejor eſt error habitualis, quàm habitualis ignorantia : ſed præ-

Digitized by Google

dictus habitus erroris non eſt adeo malus, ut ſit formaliter peccatum: ſicut neque habitus hæreſis, aut alii habitus vitioſi ſunt peccata formaliter: ergo neque prædicta ignorantia.

Tertia. Confirmatur tandem ex communi axiomate, quod *habitibus nec meremur, nec demeremur:* ſicut ergo in habitu ſcientiæ, aut alterius virtutis non eſt meritum, ſed ſolùm in actibus: ita in ignorantia, & in quovis alio habituali non eſt demeritum, atque adeo nec peccatum, cùm omne peccatum demeritum ſit.

30 Effugium. His probationibus occurrit Gregor. Mart. in præſenti dub. 3. ut defendat oppoſitam ſententiam; quamvis dub. 1. noſtram tueri videatur. Ait igitur, habitum poſſe habere rationem peccati, quatenus ad actum reducitur: & ſimiliter poſſe habere rationem meriti, vel demeriti, quatenus pro actu reputatur: poſſeque etiam cadere ſub præcepto, non directè & immediatè, ſed mediatè & indirectè, quatenus præcipitur, vel prohibetur actus, cujus eſt cauſa, adeóque ignorantiam non ſatis à ratione peccati actualis excludi, ex eo quod ſit aliquid habituale. ¶ Si autem objicias, nihil horum ſufficere in cæteris habitibus vitioſis, ut ſint propriè peccata, licet æque in illis concurrant: ergo neque in ignorantia habituali ſufficiet. ¶ Reſpondet, alios habitus vitiorum ſolummodo eſſe habitus; & conſequenter ſolùm habere rationem cauſæ, vel effectus peccati, nullóque modo eſſe peccata: ignorantiam verò non ſolùm habere rationem habitus, & cauſæ, & effectus peccati, ſed etiam rationem peccati formaliter, quatenus formaliter, vel virtualiter eſt volita, & removens ſcientiam impedit actum, quem tenebatur habere, & quatenus indirectè cadit ſub præcepto ipſius actus.

Impugnatur. Sed re vera evaſio eſt inſufficiens, neque objectioni occurrit: nullum enim verum diſcrimen reddit, aut reddere poteſt inter ignorantiam, & prædictos habitus, ut illi cum proprietate tribuatur ratio peccati, quæ jis tribui nequit. Totum namque, quod de ignorantia dicitur ad intentum, verificatur æque, vel melius de aliis habitibus vitioſis. Si enim illa dicitur volita formaliter, vel virtualiter, ideo eſt, quia per actus voluntarios acquiritur: hoc autem directiùs convenit aliis habitibus vitioſis, qui ſimilibus actibus immediatius gignuntur. Quod ſi illa removet ſcientiam, quæ prohibet actum illicitum, eandem quoque removet habitus erroris: ſicut etiam alii habitus vitioſi removent virtutes morales prohibentes ſimiles actus. Rurſus ſi ignorantia ideo cadit indirectè ſub præcepto, quia actus, quo deſtruenda eſt, & ſcientia eſt acquirenda, cadit immediatè ſub illo; hoc etiam eodem modo cadit prædictus habitus erroris. Quicquid ergo aſſignatur in prædicta ignorantia, ut pro actu habeatur, vel ad actum reducatur, vel tanquam actus reputetur, reperitur in habitu erroris, reperietúrque in aliis: ſi igitur eis nihil prædictorum ſufficit, ut ſint formaliter peccata; neque etiam ignorantiæ ſufficiet. Adde, omnia illa, quæ à prædicto auctore de ignorantia dicuntur, verificari non minus de gratiæ privatione: hæc enim & eſt volita ſaltem virtualiter per actus, quibus gratia expellitur: & eſt contra præcepta ratione eorundem actuum, & impedit dilectionem Dei, quæ eſt in præcepto: & tamen ob nullum iſtorum reducitur ad actum, vel pro actu habetur aut reputatur, quatenus exigitur ut ſit peccatum actuale: ruit ergo omnino prædicta evaſio.

Si autem inquiras, qualiter prædicta ignorantia ad peccatum ſe habeat, ſuppoſito quod in ſe peccatum non ſit? ¶ Reſpondetur habere ſe eo proportionali modo, quo habitus vitioſus: qui quidem reſpectu peccati præcedentis, per quod gignitur, eſt effectus: reſpectu verò ſubſequentium, ad quæ inclinat, eſt cauſa. Similiter ergo ignorantia vincibilis reſpectu peccati negligentiæ, quo introducta eſt, habet rationem effectus: reſpectu verò aliorum, quæ ex ipſa ignorantia pullulant, habet ſe ut cauſa per accidens modo in præced. dubio explicato. Addit Monteſinos, prædictam ignorantiam habere ſe etiam ut objectum, ſeu materia, circa quam verſatur peccatum negligentiæ. Quod declarat exemplo furti: in quo invenitur & interior volitio accipiendi rem alienam, & externa acceptio: & in his completur formaliter ratio peccati: & eſt rurſus ipſa aliena res, quæ accipitur, quæ quidem non eſt in ſe peccatum adhuc extrinſecè; eſt tamen objectum, ſeu materia, circa quam verſantur prædicta volitio & acceptio, quæ peccatum conſtituunt. Ita ergo in caſu noſtro interior volitio formalis, vel virtualis ignorandi, & omiſſio debitæ conſiderationis, cæterorúmque actuum, quibus ſcientia eſſet acquirenda, conſtituunt & integrant peccatum negligentiæ: ignorantia verò, quæ mediis illis introducitur, habet rationem objecti, ſeu materiæ *circa quam* prædicti peccati. Sed circa hæc videantur quæ diximus in tract. de bonit. & malit. diſput. 3. n. 9. inde enim conſtabit, quo pacto materia *circa quam* habeat rationem objecti. 31 Interrogatio.

§. II.

Quæ obſtent huic ſecundæ aſſertioni?

Oppoſitum ſecundæ aſſertioni (contra primam nemo adhuc ſurrexit) tenere videntur aliqui expoſitores D. Thomæ circa præſentem art. 2. ubi Medina dubitat. 2. Alvarez diſp. 155. Gregor. Mart. citato dub. 3. necnon Valentia quæſt. 6. punct. 2. Ex antiquioribus verò refert Vaſq. Alexand. 2. part. quæſt. 112. memb. 1. Bonavent. in 2. diſt. 22. art. 2. quæſt. 2. Albertum art. 7. Richardum art. 2. quæſt. 2. & alios. Non tamen de omnibus ſatis conſtat loqui de ignorantia habituali, & non potius de actuali. Prædictæ verò ſententiæ favet D. Thom. in 2. diſt. 22. quæſtione 2. art. 1. ubi refert & impugnat ſententiam illorum, qui dicebant ignorantiam non eſſe peccatum ſecundum ſe, ſed ſolùm ratione negligentiæ antecedentis, vel effectus pravi ſubſequentis. *Sed quia de ratione culpæ* (inquit) *non eſt plus, niſi quod ſit privatio alicuius, quod debitum eſt haberi, in poteſtate eius, qui privatur exiſtens: ideo etiam ipſam ignorantiam ſecundum ſe poſſumus culpam dicere,* &c. Et in ſolut. ad 3. *Quamvis ſcientia, cui opponitur* 32 *Medin. Alvarez. Greg. Mart. Valent. Alexand. Bonav. Albert. Ricard.* Primum argumentum. *D. Thom.*

Digitized by Google

opponitur ignorantia, non ſit actus, qui eſt operatio, ſed habitus; tamen per operationem aliquam quæ eſt in poteſtate voluntatis, acquiritur: & ideo hoc ipſum quod eſt ſcientiam habere, voluntati ſubjectum eſt, & per conſequens hoc modo eſt ſcientia carere: & inde eſt quod culpa rationem habet.

Confirmatur alio ejuſdem D. Thomæ teſtimonio ex 2.2. quæſt. 53. art. 1. ad 5. ubi docet, quod licèt per pœnitentiam non reſtituatur prudentia acquiſita quantum ad habitum; *tollitur tamen habitus contrarius, in quo propriè conſiſtit peccatum imprudentiæ*: ergo quòd aliquid ſit habitus, & non actus ſecundus, non obeſt quominus ſit propriè peccatum. Non igitur ex hoc capite debet ignorantia à ratione peccati excludi.

33 Solvitur argumentum. Ad primum locum reſpondet Monteſinos concedendo, D. Thomam in illa diſtinctione docuiſſe prædictam ſententiam; ſed poſtmodum eam in præſenti revocaſſe. Placetque ſolutio. ¶ Vel dicas non eſſe ibi ſermonem de ignorantia habituali præcisè ſumpta, ſed ut includit etiam omiſſionem addiſcendi, quæ eſt ignorantia actualis. Quod non obſcurè indicant adducta verba ex ſolut. ad 3. ubi Ang. Doctor ut reddat rationem cur prædicta ignorantia peccatum ſit, recurrit ad operationem, qua ſcientia acquiritur, & ad omiſſionem talis operationis. Idemque inſinuat in fine corp. & in ſolut. ad 4.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem dicas primò, non eſſe legendum *habitus contrarius*, ſed *actus*: ut habetur in operibus Seraphini excuſſis Venetiis anno 1596. notatúrque in margine editionis Antuerpienſis anni 1612. Congruitque magis contextui, ut ſupra diſp. 1. num... adnotavimus. ¶ Secundò reſpondet Cajetanus, peccatum poſſe ſumi dupliciter: vel ſecundum eſſentiam: & ſic non in habitu, ſed in actu conſiſtit: vel ut perſeverat in denominando peccatorem, puta *furem* vel *adulterum*: & ſic conſiſtit in habitu contrario, qui per pœnitentiam tollitur: tandiu enim aliquis *fur* eſt, & dicitur, quandiu non mutat voluntatem furandi. *Et ſi contra hoc Thomiſta aliquis* (proſequitur Cajetanus) *memor dictorum in præcedenti libro inſtet, quia non ab habitu, ſed à macula peccati poſt actum peccati peccator dicitur. Reſpondeatur, quòd ſtrictius ſumitur hic eſſe peccatorem, quàm ibi. Nam ibi peccator dicitur omnis, cujus peccatum non eſt deletum, quamvis voluntas ſit mutata: hic autem peccator, ut à voluntate peccandi pendet, ſumitur. Unde ſi quis primò fur, aut mendax, &c. fuiſſet, & poſtmodum abſtineret à peccatis non charitate, ſed amore virtutis moralis, talis eſſet apud Theologum peccator, & habens maculam furti, aut mendacii: non tamen eſſet fur, aut mendax propriè, nec peccator apud Philoſophum moralem. Neque alienum eſt à ratione, ut qui Philoſophiam, Theologiámque moralem tradimus, nunc Theologorum, nunc Philoſophorum moralium more loquamur juxta propoſiti diverſitatem.* (Caiet.) Hæc Cajetanus.

34 Argumentũ ſecundum. Secundò probatur prædicta ſententia à ſuis auctoribus: nam illud, quod ſecundum ſe eſt contra præceptum, ſecundum ſe eſt peccatum: ſed ignorantia ſecundum ſe eſt contra præceptum, ſicut oppoſita ſcientia ſecundum ſe eſt in præcepto: præcipimur enim non ſolum adhibere diligentiam ad addiſcendum, ſed etiam habere de facto & permanenter multorum ſcientiam: tum quia ſine illa nequibimus peccata quàm plura vitare; quicquid autem neceſſarium eſt ad vitandum peccatum, præcipitur eodem præcepto, quo ipſum peccatum prohibetur: tum etiam quia ſine prædicta ſcientia nequibimus exercere plures actus debitos; diſpoſitio autem neceſſaria ad exercendum aliquem actum debitum, præcipitur etiam eodem præcepto, ex quo debetur talis actus: ergo, &c.

Confirmatio. Confirmant: ſi quid obſtaret quominus ignorantia eſſet peccatum, maximè quia non opponitur virtuti morali, ſed ſcientiæ, quæ eſt virtus purè intellectualis, ut ait Cajetanus: ſed hoc non obſtat; aliàs neque error, neque ignorantia actualis, quæ eidem ſcientiæ opponuntur, eſſent peccata; quod eſt contra omnium ſenſum: ergo, &c.

Solutio ad argumentũ. Reſpondetur ad argumentum negando minorem: præcepta enim, ut diximus, ſolùm dantur de actibus: unde neque habitus ſcientiæ in ſe ipſo præcipitur, neque ignorantia in ſe prohibetur; ſed utrunque in ſua cauſa, ſcilicet in actibus, vel omiſſionibus, quibus acquiruntur. Præcipimur ergo applicare animum ad ſciendum per ſtudium, legere, interrogare, diſcurrere, quo acquiramus ſcientiam, vitemúſque ignorantiam: poſt prædictum verò ſtudium, ſive ſcientia acquiratur, ſive non, nihil ultra nobis præcipitur. Unde ad primam probationem dicendum eſt, illud, ſine quo peccatum vitari non poteſt, præcipi in ſe eodem præcepto, ſi ſit actus liber, ut ſunt actus acquiſitivi ſcientiæ: ſi verò non ſit actus, ſed habitus ſicut ipſa ſcientia, præcipitur non in ſe, ſed in ſua cauſa, nempe in prædictis actibus. Per quod patet ad ſecundam: nam diſpoſitio neceſſaria ad exercendum actum debitum, tunc ſolùm præcipitur in ſe ex debito ejuſdem actus, quando eſt actualis & libera: quando verò eſt habitualis, ſolùm præcipitur ejus acquiſitio per actus liberos.

Ad confirmationem. Ad confirmationem reſpondetur, quod quemadmodum in aliis habitibus vitioſis, ut à ratione peccati excludantur, non refert, an opponantur, vel non opponantur virtuti morali; & ideò quamvis opponantur, excluduntur, ex eo ſolùm quòd ſunt habitus, & non aliquid in actu ſecundo liberum: ita hoc idem ſufficit ad excludendam ignorantiam, ſive habeat, ſive non habeat oppoſitionem ad prædictam virtutem.

Tertiò probatur: nam quod eſt voluntaria cauſa peccati, eo ipſo eſt peccatum; licèt aliàs ſecundum ſe peccatum non eſſet: & ideo quicunque apponit talem cauſam, etiam ſi effectus non ſequatur, de facto peccat; eſt enim ibi jam formalis vel virtualis peccati volitio, taliſque volitio in ſe ipſa eſt peccatum: ſed ignorantia, de qua loquimur, eſt cauſa voluntaria multorum peccatorum, quæ ex illa ſequuntur: ergo, &c. 35 Argumentũ tertium.

Enervatur. Reſpondetur, antecedens ſolùm eſſe verum de cauſa, quæ ſe habet per modum actus ſecundi, ſive ſit actus, ſive omiſſio, eſtque in exercitio voluntaria; ſecus quando præcisè eſt aliquid habituale: ut patet in exemplo repetito habituum vitioſorum: habitus enim

Digitized by Google

luxuriæ cauſa eſt voluntaria peccati luxuriæ, & tamen non idcirco ipſe habitus eſt peccatum. Peccat tamen quicunque apponit prædictam cauſam, etiam ſi ipſa ſit habitus : quia ſemper in ejus poſitione intervenit aliquis actus ſecundus, vel ejus omiſſio : in quo actu vel omiſſione, non verò in habitu peccatum conſiſtit.

Vltimum argumentũ. Denique arguitur : nam quoties aliquid ſecundum ſe eſt malum objectivè, eo ipſo quòd voluntariè in exequutione ponatur, fit peccatum formaliter : ſolùm enim differunt eſſe peccatum objectivè, & eſſe peccatum formaliter penes hoc, quòd primum conſideratur ut antecedens voluntatem & ejus influxum, ſicut objectum antecedit potentiam : ſecundum verò ut effectus poſitus in exequutione ex influxu ipſius voluntatis : ſed ignorantia ſecundum ſe eſt mala objectivè, & ponitur voluntariè in exequutione : igitur ut ſic poſita & exequuta formaliter eſt peccatum. Minor quoad ſecundam partem eſt perſpicua, cum ſit ſermo de ignorantia vincibili, adeóque voluntaria, & à voluntate orta. Quoad ſecundam verò probatur : quia niſi ignorantia eſſet mala objectivè, non eſſet peccatum illam deſiderare, vel de ea delectari, juxta doctrinam, quam diſp.... tradidimus : quod tamen nullus audebit aſſerere.

Diluitur. Reſpondetur majorem non eſſe veram univerſaliter : nam vitium quodcunque eſt malum objectivè ; ob idque non licet deſiderare illud, vel de eo gaudere : & tamen etiam cum ponitur in exequutione per actus voluntarios, non eſt formaliter peccatum : plus ergo ad rationem peccati exigitur : nempe quòd adhuc in conſideratione objectiva contineat prædicata actus ſecundi, vel omiſſionis ejus : ut ita quandocunque voluntariè ponatur in exequutione, ſervetur in eo ratio exercitii potentiæ liberæ ; ſupra quam dumtaxat cadere poteſt denominatio peccati.

§. III.

Examinatur ſecunda difficultas.

36 SEcunda difficultas ſub dubii titulo contenta, eſt an ignorantia, quæ in ſe eſt peccatum, ſcilicet actualis, id habeat ratione ſui, vel ratione operis, quod cauſat : ſitque proinde ſpeciale peccatum ab eodem opere diſtinctum ; vel idem cum tali opere ? Proceditque difficultas non minus de negligentia actuali, quàm de prædicta ignorantia. Tum quia hæc ad illam reducitur, ſicut actus exterior ad interiorem, qui non ponunt in numero in ratione peccati : debétque proinde ejuſdem rationis, & ex eodem capite malitiam ſortiri. Tum etiam quia ſi quod ſit diſcrimen inter prædictos defectus, conſiſtere debet in hoc, quòd negligentia ſupponit pro defectu circa actum internum voluntatis, quo intellectus debet applicari ad addiſcendum ; ignorantia verò pro defectu circa actum, quo immediatè diſcendum eſt, ſcientiáque acquirenda : atque adeo licèt hic poſterior defectus in ordine exequutivo ſit effectu prioris, recipiátque ab eo malitiam formalem in genere cauſæ efficientis, ſicut paſſio appetitus recipit à voluntate : in ordine tamen intentionis comparatur ad illum ut objectum, quod in alio genere cauſæ ſimpliciter priori, ſcilicet in genere cauſæ formalis objectivæ tribuit prædictam malitiam. Si igitur prædicta ignorantia in hoc poſteriori genere non à ſe, ſed ab effectu ex ſe ſequuto malitiam deſumpſerit, quia propter illum & non propter ſe prohibeatur, inde etiam illam habebit in eodem genere prædicta negligentia : neutráque dicetur *peccatum* ratione ſui, ſed ratione talis effectus, propter quem eſt prohibita. Si autem ipſa ignorantia ſecundum ſe ſit prohibita, atque adeo mala objective, ſufficienter ex ordine ad eam erit peccatum negligentia, etiam ſine ordine ad alium effectum. Imo tam negligentia quàm ignorantia dicitur ſecundum ſe peccatum : ſicut dicitur ſecundum ſe peccatum tam voluntas directa occidendi, quàm occiſio exterior : quia hæc loquutio non tollit inter eas prædictam mutuam dependentiam in diverſo genere cauſæ ; dummodo pro accipienda malitia latitudinem proprii objecti non egrediantur. Doctrina pro hac difficultate.

Atque hinc etiam conſtat quid addat *eſſe aliquid peccatum ſecundum ſe*, ſeu *ratione ſui* ſupra *eſſe peccatum in ſe* : addit enim quòd non tantum ſit in ſe prohibitum, ſed quod etiam ſit prohibitum propter ſe, ita ut ratio prohibendi ſit in ipſo peccato vel in proprio ejus objecto, proindéque ex ſe aut ex tali objecto in genere cauſæ formalis malitiam deſumat : cum tamen ut ſit peccatum in ſe, ſufficiat eſſe in ſe prohibitum, ſive propter ſe vel propter proprium objectum, ſive propter aliud. Quod explicatur in omiſſione ſacri v.g. ejúſque directa volitione, & in actu, qui per accidens eſt cauſa omittendi ut ſtudium : omnia enim hæc ſunt in ſe peccata, quia omnia in ſe prohibentur ; non tamen omnia, ſed ſola omiſſio & ejus volitio directa ſunt peccatum ſecundum ſe & ratione ſui : quia iſtæ dumtaxat habent ex ſe vel ex proprio objecto, quòd prohibeantur : ſtudium vero neque propter ſe, neque propter objectum proprium prohibetur, ſed dumtaxat propter ipſam omiſſionem. Ut igitur conſtet an ignorantia, & conſequenter negligentia ſit peccatum ratione ſui, diſtinctúmque proinde ab effectu ; vel potius ratione ipſius effectus, adeóque non diſtinctum : videndum eſt num propter ſe, vel propter illum prohibeatur ?

Pro quo nota, ſcientiam oppoſitam prædictæ ignorantiæ aliquando eſſe debitam ſecundum ſe, abſque ordine ſaltem ad aliquam operationem, quæ per illam dirigatur, vel coerceatur : aliquando verò ſolùm debetur pro dirigenda vel coercenda tali operatione. Hoc poſterius debitum ſatis eſt per ſe notum : nam qui tenetur aliquod opus exercere, vel cavere, conſequenter tenetur ſcire quod ſit tale opus, & an, & qualiter exercendum, vel cavendum. Sed etiam primum debitum poteſt facile oſtendi : quia eo ipſo quòd homo ſit intellectualis & rationalis, ex ipſa rationis lege, independentérque ab alterius potentiæ operationibus tenetur intellectum ſuum aliqua veritatis notitia ornare & diſponere ; quo à brutis diſcernatur, rationalique more ſe gerat. Eo præſertim quia cum veritatis notitia ſecundum ſe ſit maximum bonum, maximéque appetibilis propter ſe, recta ratio 37 Animadverſio.

Digitized by Google

ratio dictat, ut homo talem notitiam propter ſe ipſam quærat: potiſſimùm in aliquibus veluti principiis, per quæ ſaltem principales errores excludantur. Quinimo cum error ſecundum ſe ſit malum intellectus, & ignorantia ſit errorum mater, ex hoc principio, vitandi ſcilicet multos errores, poſſet ſufficienter oriri obligatio ſciendi aliqua, & non omnia ignorandi. Et licèt hoc genus debiti aliquando ſit ratione alterius virtutis, cui ſimiles errores contrariantur; quando tamen ſoli ipſi ſcientiæ vel ſtudioſitati immediatè opponuntur, conſequenter illa erit debita ratione ſui.

Hoc ergo primo modo debiti, ſcilicet ratione ipſius ſcientiæ, dicunt communiter Theologi teneri omnes Chriſtianos ad habendam notitiam articulorum Fidei, etiam nullo habito reſpectu ad aliam operationem, ſed ut intellectus in ſe ipſo tali notitia illuſtretur, & perficiatur. Et licet P. Vaſquez diſp. 119. cap. 2. & 3. Thom. Sanchez lib. 1. ſum. c. 17. num. 11. paucique alii dixerint, ſolam notitiam prædictorum articulorum, non autem præceptorum Decalogi, aut ſeptem Sacramentorum cadere ſub prædicto debito; melius tamen Curiel, Monteſ. Araujo, Gregorius Mart. & alii omnia prædicta ſub illo comprehendunt: valde enim dedecet ut Chriſtianus de iis interrogatus rationem reddere neſciat, etiam independenter à quavis alia operatione. Imo in aliquibus perſonis aliorum multorum notitia cadit ſub prædicto debito: ut in Epiſcopis, Prælatis, Magiſtris, Juris Doctoribus, & ſimilibus, qui debent cæteros edocere: debétque in eorum cordibus Eccleſia veritates ſuas cuſtodire. ¶ Secundo verò modo, nempe ratione operationis, debetur haberi à quolibet ſcientia notificans ſuum factum: ut à venatore, an quod latet in ſilva, quò vult ſagittare, ſit fera, vel homo: à conjugato, an mulier, cui accedit, ſit propria, vel aliena, &c. & etiam quæ notificant jus particulare: ut an tali vel tali die ſit jejunium ſervandum, Sacrum audiendum, &c. tota enim obligatio hujuſmodi notitiæ eò tendit, ut actus debiti exerceantur, & prohibiti evitentur.

Vaſq. Th. Sanch.

38 Objectio. Neque obeſt ſi dicas, etiam notitiam præceptorum Decalogi, imo & articulorum Fidei ordinari ad operationem: ex tali enim notitia, v. g. *quod Deus homines redemerit, juſtificaverit, glorificaverit*, &c. excitatur voluntas ad actus dilectionis ejus, gratitudinis, & ſimiles: quos aliàs non exerceret: ſicut etiam ex eo quod cognoſcant furtum, fornicationem, & cætera, quæ in Decalogo prohibentur, eſſe peccata, cavet illa; quæ tamen non caveret, ſi peccata eſſe neſciret: ergo etiam iſtorum notitia ordinatur ad operationem, atque adeo

Enervatur. erit debita propter illam. ¶ Reſpondetur enim hujuſmodi concurſum ad operationem non competere prædictæ notitiæ primario, neque ex primæva intentione: & ideo ſemper eſſet debita haberi ab hominibus, quamvis nulla futura eſſet operatio: ſed convenit illi ſecundario & ex conſequenti: hoc enim eſt proprium doctrinæ noſtræ Fidei, & Theologiæ, ut licèt primario ſit ſpeculativa, adeóque propter ſe ipſam expetenda; ſecundario tamen ſit practica, & dirigat in operando. Unde cum hanc notitiam nuper deſcripſimus, non ei omnino negavimus ordinem ad operationem, ſed ſolùm ordinem proximum, & qui illi conveniat primario. Cæterum ſcientia facti, vel juris particularis proximè dicit ordinem ad operationem, eſtque primario intenta, & debita propter illam: neque habet alium finem, propter quem quæratur, niſi dirigere in tali operatione.

Hinc habetur ſolutio præſentis difficultatis. Ignorantia enim illarum rerum, quarum notitia ſecundum ſe debetur, ratione ſui & independenter à quolibet effectu eſt peccatum: adeóque ſpeciale & diſtinctum à peccatis, quæ poſſunt ſequi ex ipſa ignorantia. Ignorantia verò illarum rerum, quarum notitia debita eſt præcisè pro dirigendis operationibus, non eſt peccatum ratione ſui, ſed ratione ipſarum operationum vel earum omiſſionum, quarum eſt cauſa: unde licèt ſit peccatum in ſe, non tamen ſpeciale & diſtinctum ab iis, quæ ex eadem ignorantia ſequuntur. Ita aſſerunt de utraque ignorantia communiter Theologi, à quibus referendis abſtinemus, quia id nuper præſtitimus. Et ratio eſt perſpicua quoad primam partem: nam quoties aliquis actus propter ſe debetur, omiſſio ejus ſecundum ſe eſt peccatum: ſicut omiſſio Sacri in die feſto ideo eſt peccatum ſecundum ſe, quia audire Sacrum tali die debetur propter ſe; igitur quando ſcientia aliqua propter ſe eſt debita: omiſſio talis ſcientiæ, quæ eſt prædicta ignorantia, erit ſecundum ſe peccatum. Quod autem ſit ſpeciale & diſtinctum ab eo, quod ex ignorantia fit, conſtabit inferius, ubi dicemus quomodo opponatur ſpeciali & diſtinctæ virtuti. 39 Solutio difficultatis.

Similiter quoad ſecundam partem probatur facilè aſſertio: quia ubi ſcientia non debetur niſi pro elicienda vel cavenda aliqua operatione, ſicut ipſa ſcientia non eſt debita propter ſe, ita ejus omiſſio non eſt mala ſecundum ſe, ſed præcisè quia cauſat vel removet talem operationem: ſicut neque eſt contra aliud præceptum, niſi contra illud, quo ipſa operatio præcipitur, vel prohibetur: tota ergo ratio talis peccati deſumitur ex operatione vel ex ejus omiſſione. ¶ Atque ex hoc etiam fit, ut quamvis prædicta ignorantia ſit in ſe peccatum, non tamen ſit aliud à peccato ejuſdem omiſſionis vel operationis, quæ fiunt propter ipſam ignorantiam: quia quod non eſt peccatum, neque prohibetur niſi propter aliud, non eſt diſtinctum peccatum ab illo, propter quod prohibetur, juxta communem regulam *ubi eſt unum propter aliud, tantùm eſt unum.* Et patet in illis actibus, qui ſolùm ſunt peccata, quia cauſant aliquam omiſſionem: ut cum quis omittit Sacrum propter ſtudium: ſicut enim hujuſmodi actus non habet aliam malitiam, niſi quam deſumit ex omiſſione Sacri, neque prohibetur alio præcepto, niſi quo prohibetur ipſa omiſſio: ita non conſtituit aliud peccatum à peccato ejuſdem omiſſionis, ut explicuimus ſupra diſput. 5. dub.... Eodem ergo modo in præſenti philoſophandum eſt.

Ex

Digitized by Google

40 Illatio. Ex his habetur primò, quòd ſi aliquis ignoret vincibiliter præcepta Decalogi, v. g. *quòd fornicatio ſit peccatum*, & ideo fornicetur, vel proximo fornicandi periculo ſe exponat; committit duo peccata: aliud contra præceptum non fornicandi, & aliud contra præceptum addiſcendi illa præcepta, debétque utrunque in confeſſione explicare: & idem eſt ſi occidat, furetur; aut quid aliud ex eadem vel ſimili ignorantia committat. Cum enim talis ignorantia ſecundum ſe ipſam ſit peccatum, neque ex eo quod ſit cauſa alterius peccati, ſuam propriam malitiam amittat, inſupérque ejuſdem peccati malitiam contrahat, manifeſtè fit, talem ignorantiam ad duplicem peccati ſpeciem pertinere, duplexque formaliter peccatum per prædictas malitias in ea conſtitui. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd malitia propria ipſius ignorantiæ ſiſtit in illa, neque extenditur ad ſequutam operationem vel omiſſionem; malitia verò ipſius operationis, vel omiſſionis quaſi retrò trahitur, & extenditur etiam ad ignorantiam: & ideo hæc remanet in duplici peccati ſpecie, una propria, & alia ratione effectus, illæ verò dumtaxat in ſibi propria: cujus diſcriminis rationem tradidimus num. 27. At verò cum ex ignorantia *facti* vel juris particularis peccat aliquis, omittendo v. g. jejunium, non eſt ibi niſi unicum peccatum, nempe contra præceptum jejunii: quia ſcientia oppoſita ſolùm debetur ex hoc præcepto, & ut ſervetur jejunium. Unde qui fatetur, ſe hoc fregiſſe, non eſt ei opus declarare, an id fuerit ex ignorantia; niſi ut peccatum ſuum excuſet; vel diminuat.

Illatio alia. Secundò infertur, in primo illo caſu peccatum proprium ignorantiæ incurri, quandocunque aliquis poteſt addiſcere illa, quæ tenetur, & non addiſcit, inexpectato etiam cujuſcunque alterius peccati periculo: unde ſi occaſio addiſcendi multoties diviſè occurrat, erunt diſtincta numero peccata: ſicut in omiſſione reſtituendi toties fit novum & diſtinctum numero peccatum, quoties quis diviſè poteſt, & debet, & non reſtituit. Peccata verò, quæ ſequuntur ex prædicta ignorantia contra alia præcepta, tunc incipiunt imputari, quando quis ignorando probabili eorum periculo ſe exponit: quia ex tunc incipit volitio virtualis illa committendi contenta in eodem periculo. Unde ſicut ceſſante hoc, non imputantur, quamvis adſit prædicta ignorantia: ita ex quo exiſtit tale periculum, incipiunt imputari, adéſtque jam in ignorantia illorum malitia; quamvis de facto non ſequantur: ſicut qui voluntariè dat cauſam omiſſioni, ex tunc incipit committere hoc peccatum, imputatúrque illi de facto, quamvis poſtea per accidens impediatur omiſſio. Idémque dicendum eſt de peccatis ſequutis ex ignorantia *facti* vel juris particularis: non enim incipiunt imputari, quouſque ratione talis ignorantiæ exponitur quis probabili periculo incidendi in talia peccata. Quare ſi quis permanens in ignorantia, alia via hujuſmodi periculum averteret, ut afferendo ſemper ſecum virum doctum, à quo de omnibus occurrentibus admoneretur; eadem quoque via, adhuc retenta ignorantia, poſſet peccatum evitare. Quod aliter ſe habet in ignorantia myſteriorum fidei, & aliorum, quæ propter ſe ſcire tenemur: quantumcunque enim alia via cæterorum peccatorum periculum aliquis avertat; peccabit nihilominus non addiſcendo, peccato ejuſdem ignorantiæ proprio: eò quòd talis ignorantia ſecundum ſe, independentérque ab aliquo effectu ſit prohibita.

§. IV.

Cæteræ difficultates enodantur.

Tertia difficultas quærebat, ubi ſit intrinſecè malitia, per quam ignorantia *peccatum* denominatur: an ſcilicet in ipſa ignorantia & omiſſione addiſcendi, adeóque in intellectu, ubi eſt talis omiſſio, an verò in actu vel omiſſione voluntatis, quibus ignorare vult, vel negligit addiſcere: aut denique in effectu peccaminoſo ſequuto ex ignorantia? Et eſt ſermo de malitia formali: de objectiva enim non eſt dubium, quòd ſit in ipſa ignorantia, quando hæc ſecundum ſe prohibetur; & in effectu ſequuto quando prohibetur propter illum. Eſſe enim aliquid malum objectivè, nihil aliud eſt, quàm eſſe prohibitum per modum objecti & termini voluntatis: & ideo cum prædicta ignorantia & effectus ſecundum ſe hoc modo prohibeantur, in eis quærenda eſt objectiva malitia. Porrò malitiam formalem cujuſlibet peccati primariò exiſtere in actu voluntatis, à quo imperantur reliqui, adeóque ad præſens in illo negligentiæ actu, quo voluntas ignorare vult, vel negligit addiſcere, ſatis probavimus contra Vaſq. diſp. 10. à n. 41. Eſt autem dubium an eadem numero malitia exiſtens in prædicto actu, ſe ipſa immediate denominet extrinſecè ignorantiam *peccatum*: an vero eam denominationem tribuat alia malitia realiter diſtincta, derivata ex illa priori in ipſam ignorantiam, & hanc intrinſecè afficiens? 41 Tertia difficultas.

Hoc poſterius negat Curiel in præſenti art. 2. dub. 1. circa primam concluſionem, conſequenter ad ſuam doctrinam ſuprà quæſt. 74. circa articulum 2. ubi ſtatuit, neque in actibus intellectus, neque in actibus appetitus ſenſitivi, ſed in ſolis actibus à voluntate elicitis reperiri malitiam formalem intrinſecam: indéque intrinſeca tantùm denominatione derivari ad cæteros actus, qui *peccata* dicuntur: refértque pro hoc dicendi modo Durandum, Richardum, Gabrielem, & alios: ſubſcribit Alvarez diſp. 138. Quam doctrinam nos diſp. cit. à num. 3. & 9. ſufficienter impugnavimus: ejuſque fundamentum evertimus à numero 16. Conſequenter igitur ad ibidem dicta, ſtatuimus nunc prædictam ignorantiam, ſive ut eſt peccatum ratione ſui, ſive ut eſt peccatum ratione effectus, non denominari immediatè à malitia in voluntate exiſtente, ſed per malitiam ſibi intrinſecam derivatam ex ipſa malitia voluntatis: ſicut de actibus appetitus ſenſitivi diximus loco cit. cum Cajetano, Medina, Monteſ. Araujo, & aliis ibidem num. 3. citatis. Curiel. Aſſertio.

Neque oportet pro hac aſſertione alias probationes inquirere; ſed illis adductas huc ſpecialiter applicare. Quarum prima contenta 42

ſub

Duplex ratio. ſub illo num. 3. ſumitur ex eo quòd habitus vitioſi exiſtentes in prædicto appetitu intrinſecè ſunt mali per malitiam habitualem in illis exiſtentem : ergo etiam actus ejuſdem appetitus erunt peccata intrinſecè per malitiam actualem eis inhærentem. Hæc autem ratio æquè militat pro intellectu, in quo etiam dantur habitus intrinſecè mali & vitioſi ut infidelitas, hæreſis, imprudentia, &c. eodem ergo modo ejus actus erunt mali per malitiam intrinſecam. Similiter militat in præſenti ſecunda probatio, quæ habetur à num. 7. deſumpta ex parte libertatis in hunc modum. Ibi eſt intrinſecè malitia formalis, ubi eſt intrinſeca libertas : ſed actus intellectus intrinſecè ſunt liberi : ergo, &c. Major communiter recipitur: eſtque adverſariorum fundamentum. Minor verò ſic probatur : illi actus ſunt intrinſecè liberi, qui cum ſint potentiarum immanentium, dicunt intrinſecum reſpectum ad voluntatem ut liberam : hujuſmodi enim reſpectus eſt ipſa libertas, ut ibi oſtendimus ; hoc autem modo ſe habent actus intellectus, quoties agit ex motione voluntatis : non enim utcunque reſpiciunt ipſum intellectum, à quo intrinſecè emanant, ſed ut motum liberè à voluntate, atque adeo voluntatem ipſam ut liberè moventem : ergo, &c.

Confirmatio ex D. Thom. Confirmatur ex D. Thoma ſupra quæſt. 74. art. 5. ubi docet, rationem ſive intellectum poſſe eſſe ſubjectum peccati : ſicut de voluntate & appetitu ſenſitivo in articulis præcedentibus ſtatuerat. Intendit verò quod ſit ſubjectum illius etiam quantum ad formalem malitiam : nam propterea art. 2. ad 2. negat id ſubjecti munus membris externis : quia licèt in iſtis ſint motus, qui *peccata* denominantur ; malitia tamen formalis, à qua ſumitur denominatio, non eſt intrinſecè in prædictis motibus, ſed in actibus potentiarum immanentium. Ergo cum abſolute doceat, intellectum eſſe ſubjectum peccati, intelligendus eſt non ſolùm quantum ad actus, qui peccati dicuntur, ſed etiam quantum ad malitiam, à qua denominantur.

Confirmatio alia. Confirmatur ſecundò : in actibus intellectus datur intrinſecè bonitas moralis ; quis enim neget, eſſe intrinſecè bonos actus fidei formatæ, actus prudentiæ, & plures actus virtutis religionis, qui in intellectu exiſtunt ? Ergo etiam in actibus oppoſitis ejuſdem intellectus erit intrinſecè moralis malitia : non enim plus requirendum eſt ad malum, quàm ſufficit ad bonum.

43 Sed ne fortè dixerit aliquis, hujuſmodi probationes convincere de peccatis intellectus, quæ ſunt actus poſitivi, afferúntque poſitivum reſpectum ad potentiam liberam, unde poſſint *liberi intrinſecè* denominari ; non autem convincere de omiſſionibus, quæ nihil hujuſmodi important : atque adeo neque de ignorantia, quæ ſolùm eſt omiſſio debitæ cognitionis : operæ pretium erit eidem ignorantiæ prædictam doctrinam expreſſius applicare. ¶ Pro quo nota, omiſſionem liberam alicujus actus æquè intrinſecè ſe habere ad potentiam, in qua eſt, & ſecundum omnem illam rationem illam afficere, ac ſe haberet, & afficeret ipſe actus. Nam cum talis omiſſio ſit privatio, & *non eſſe* ejuſdem actus ſecundum totum, quod ille haberet, eò uſque potentiæ ſuæ ingredi debet, quò ingrederetur & ipſe actus ; ubicunque enim non detur *eſſe* actus, verificabitur dari ejus *non eſſe*, & omiſſionem : adeóque non minus erit hæc conjuncta potentiæ, & tangens ejus intima, quàm eſſet actus. Ex hoc autem fit, ut quoties prædictus actus futurus eſſet intrinſecè liber propter intrinſecam cum potentia libera conjunctionem, toties omiſſio ſit eodèm modo intrinſecè libera propter æqualem conjunctionem cum eadem potentia. Neque ad hanc conjunctionem indiget aliquo poſitivo reſpectu : ſed quicquid in actibus præſtaret hujuſmodi reſpectus quoad prædictam conjunctionem, præſtat omiſſio per ſe ipſam, quatenus dum ſe ipſa immediatè eſt ablatio totius actus & reſpectus, ſe ipſa pertingit & intrat quouſque illi intrarent & pertingerent. Hac ratione diximus ſupra diſp. 5. dub. 1. omiſſiones actuum voluntatis eſſe intrinſecè liberas non minus quàm ipſi actus : quia ad talem libertatem ſufficit intrinſeca conjunctio ad principium liberum, ſuppoſita emanatione ex tali principio : non ſunt autem minus intrinſece conjunctæ voluntati prædictæ omiſſiones, quàm eſſent oppoſiti actus, ſiquidem tam illæ quàm iſti uniuntur ei immediatè ſe ipſis : cum igitur utraque ab ea dimanent, utraque ſunt immediatè ab intrinſeco, adeóque intrinſecè voluntaria & libera.

Præcluditur quædã evaſio ex applicatione doctrinæ.

Hæc ratio pro prædictis omiſſionibus ibi efformata, militat æqualiter in omnibus aliis, quarum oppoſiti actus intrinſecè ſunt liberi, in quacunque potentia exiſtant : quia in omnibus ſervatur eadem conjunctio & unio ad principium liberum, quæ ſervatur in actibus. Applicando verò doctrinam ignorantiæ, de qua agimus, poteſt aſſertio confirmari, & impugnari evaſio inſinuata, in hunc modum. Quoties actus alicujus potentiæ eſt liber intrinſecè, ejus omiſſio eſt eodem modo libera : ſed actus intellectus quoties fiunt ex motione voluntatis, ſunt liberi intrinſecè : igitur & omiſſiones talium actuum intrinſecè erunt liberæ : non ergo ex eo quod ignorantia actualis ſit omiſſio actus intellectus, quo ſcientiam aſſequi deberet, tollitur quominus ſit libera intrinſecè, ac proinde capax intrinſecæ malitiæ, ſicut cætera peccata ejuſdem intellectus, quæ ſunt actus poſitivi.

Sed objicies : ut actus intellectus vel ejus omiſſio eſſent prædicto modo libera, deberet ipſe intellectus habere etiam ſuam intrinſecam libertatem quaſi habitualem, & per modum actus primi : repugnat enim oriri ab aliqua potentia in ſuo actu illam perfectionem, quæ non præcedit in ipſa potentia : ſed in intellectu nulla eſt libertas intrinſeca : ergo, &c. Minor probatur ; nam ſi haberet talem libertatem, poſſet applicare ſe ad libere agendum ſine actuali voluntatis influxu & applicatione, ſicut ipſa voluntas, & etiam ſuo modo appetitus ſenſitivus ſe applicant ; quod tamen non eſt concedendum : ergo, &c. ¶ Reſpondetur admiſſa majori : non quòd perfecta libertas per modum actus primi ineſſe debeat intellectui habitualiter : ſufficit enim, ſi hoc modo inſit ei aliqualis & imperfecta ; perfecta verò tunc ſolùm quando actualiter à voluntate movetur ; prius tamen natura, quàm ipſe intellectus ſuis actibus libertatem communicet juxta quem ſenſum neganda eſt minor, cujus probationem 44 Objectio.

Enodatur.

diluimus

Digitized by Google

diluimus diſp. num. 73. ubi diximus, quomodo etſi intellectui concedatur aliqua habitualis libertas ex voluntatis participatione, non tamen ea ſufficiat, ut ſine actuali voluntatis influxu ipſe ſe applicet ad agendum: cum tamen minus perfecta libertas habitualis, quæ in ſenſitivo appetitu reſidet: ad id ſufficiat. ¶ Plura alia deberent hic objici, quæ propoſita, & ſoluta ſunt diſp. cit. toto dub. 1. præſertim à num. 16. ubi requiri debent.

Illatio. Ex dictis habetur quid tenendum ſit circa effectus peccaminoſos ex ignorantia ſequutos. Si enim ſint actus, vel omiſſiones illarum potentiarum; quibus ineſt intrinſeca libertas ſaltem dum actualiter à voluntate moventur, adeóque libera intrinſecè, juxta dicta in prædicta diſp. num. 9. erit in eis formalis malitia, à qua intrinſecè *peccata* denominentur: ut ſi in intellectu aliquis error contra fidem, vel aliqua culpabilis omiſſio actus credendi ex prædicta ignorantia orietur, aut in appetitu ſenſitivo aliquod pravum deſiderium vel delectatio propter illam admitteretur. Si verò tales effectus expertes ſint libertatis intrinſecæ, ut externa occiſio, exterius furtum cæterique externi motus, vel omiſſiones, ſolùm denominabuntur *peccata* extrinſecè à malitia actuum internorum, ut in eadem diſp. dictum eſt à num. 12.

45 Difficultas quarta. Quarta difficultas ſub dubii titulo contenta poſtulat ut explicemus, cui virtuti morali immediatè opponatur peccatum ignorantiæ? Inde enim conſtabit, quæ ſit ejus ſpecies, ſeu ad quod vitium pertineat. Breviterque reſpondendum eſt: nam, ſi loquamur de ignorantia, ut eſt peccatum ratione effectus, opponitur eidem virtuti, cui effectus opponitur, ſpectatque proinde ad idem vitium cum illo: ut ſi quis ex ignorantia diei feſti, vel obligationis audiendi ſacrum non audiat illud, peccat contra virtutem religionis, cui opponitur omiſſio ſacri: & ſi ex ignorantia diei quadrageſimalis, vel obligationis jejunandi illo die, non jejunet, peccat contra virtutem abſtinentiæ, cui opponitur omiſſio talis jejunii: & ita hujuſmodi ignorantiæ peccatum non habet certum genus, ſed divagatur, per omnia, quæ poſſunt ex illa committi. At verò loquendo de ignorantia, quæ ratione ſui eſt peccatum, ut cum ignorantur myſteria fidei, præcepta Decalogi, &c. tale peccatum immediatè opponitur virtuti ſtudioſitatis, pertinetque ad vitium negligentiæ oppoſitum prædictæ virtuti per defectum: nam ſicut acquirere debitam ſcientiam eſt propria materia ſtudioſitatis: & in ea acquiſitione debitam menſuram excedere, eſt actus & materia vitii curioſitatis oppoſiti ſtudioſitati per exceſſum: ita in prædicta acquiſitione deficere, eſt propria materia, & quaſi actus vitii negligentiæ oppoſiti eidem virtuti per defectum.

Objectio. Sed dices: negligentia ponitur inter vitia contraria prudentiæ: ut videre eſt 2. 2. quæſtione 54. art. 2. ſi ergo peccatum ignorantiæ immediatè opponitur ſtudioſitati, non debet vitio negligentiæ adſcribi. Sicut etiam non debuit tale peccatum conſtitui in defectu debitæ conſiderationis, ut nos poſuimus: quia etiam inconſideratio, eſt vitium contra prudentiam: ut habetur, eadem 2. 2. q. 53. art. 4.

Reſpondetur cum Cajetano in præſenti art. 2. negligentiam poſſe ſumi dupliciter: vel quatenus importat defectum circa actum præcipiendi in qualibet materia: quo pacto exiſtit in intellectu, ubi eſt præceptum; licet habeat ortum ex defectu promptæ voluntatis. Vel quatenus dicit defectum circa ſtudium, quod eſt actus potentiæ appetitivæ, quo applicat cognoſcitivas ad cognoſcendum: exiſtitque proinde talis negligentia in ipſa potentia appetitiva. Primo modo eſt inter vitia intellectus, & opponitur prudentiæ, ſeu ſolicitudini, quæ pertinet ad ipſam prudentiam: ut habetur eadem 2. 2. quæſtione 47. art. 9. & quæſt. 54. art. 2. Secundo verò modo propriè eſt vitium morale, & opponitur per defectum ſtudioſitati, ut conſtat ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 166. art. 2. in tertio argumento cum ſua ſolutione. Et huic vitio negligentiæ, non autem illi priori tribuimus peccatum ignorantiæ, non ut actum ab eo immediate elicitum, quia hic actus eſt ſimul cum eodem vitio in potentia appetitiva; ſed magis ut actum imperatum vel materiam *circa quam*: ſicut cognitio tribuitur ſtudioſitati juxta dicta num. 24. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, etiam inconſiderationem ſumi dupliciter: vel ut dicit judicium inattentum & inconſideratum circa agibilia: & hoc modo numeratur inter peccata imprudentiæ. Vel ut dicit omiſſionem actus cognoſcendi & diſcurrendi, quo ſcientia acquirenda eſt: & hoc modo pertinet ad prædictam negligentiam ſtudioſitati oppoſitam, conſtituitque peccatum ignorantiæ. 46 Solutio.

Objicies ſecundò: credere ea, quæ fides docet, immediate eſt actus fidei: ergo illa ignorare, ac proinde non credere immediate opponitur ipſi fidei: non igitur erit peccatum negligentiæ contra ſtudioſitatem, ſed infidelitatis contra fidem. Objectio alia.

Reſpondetur, quòd ſicut ad actum fidei, qui *eſt credere*, non pertinet immediatè ſcire, quæ credenda ſunt: nam horum notitia ſupponitur: ſed ſolùm præbere aſſenſum credibilibus, quorum adeſt notitia: ita ad peccatum infidelitatis immediatè non pertinet credibilia ipſa ignorare, ſed vel negare illis aſſenſum diſcredendo, aut non credendo, quando præceptum obligat; vel contrario errori aſſenſum præbere: ignorare autem prædicta credibilia quodammodo ſupponitur ad prædictum peccatum: atque adeo pertinere debet ad aliud vitium; neque eſt aliud, ad quod per ſe pertineat, niſi negligentia. ¶ Diximus *per ſe*: quia ſi prædicta ignorantia cauſa ſit alicujus ex illis peccatis, quæ immediatè opponuntur fidei, ut ſi ex eo quòd aliquis ignoret credibilia, omittat credere quando tenetur, aut oppoſitum credat: talis ignorantia ſupra malitiam ſui propriam induet malitiam peccati contra fidem, cujus eſt cauſa. Non tamen hoc peccatum licèt ſit in baptizatis, erit propriè & formaliter hæreſis (quamvis poſſit ad eam reduci) quia ipſa ignorantia, præſertim ſi affectata non ſit, tollit pertinaciam, quæ in hæreſi formali neceſſario includitur: de quo videndus eſt Bannez 2. 2. quæſt. 11. art. 2. Enervatio.

Ultima difficultas quærit de ignorantia pravæ diſpoſitionis, quæ eſt error (& eſt ſermo 47 Difficultas ultima.

Digitized by Google

ſermo de actuali : habitualis enim non eſt peccatum, ſed vitium, ut ex dictis conſtat.) Prædictus ergo error actualis, niſi ſit invincibilis, ſemper eſt formaliter peccatum : non ſolùm quando eſt circa illa, quorum ignorantiam vel ſecundum ſe, vel ratione effectus *peccatum* diximus ; ſed circa quæcunque alia etiam purè ſpeculativa. Quæ eſt ſententia expreſſa D. Thomæ, ut infra videbimus, Cajetani ſupra quæſt. 74. art. 5. Gregorii Mart. ibidem dub. 3. & aliorum. Ratio verò eſt : quia error quicunque ſemper eſt malum intellectus ; & quid illi diſconveniens : utpotè repugnans naturali ejus inclinationi ad verum : ergo eo ipſo quòd ſit voluntarius, nequit non habere rationem peccati.

Confirmatur : quia non minus repugnat rationi, quòd homo intùs judicet eſſe, quod non eſt ; aut non eſſe quod eſt, in quo error conſiſtit, quàm quòd exterius proferat rem aliter eſſe quam concipit, in quo conſiſtit mendacium : ſed hoc in quacunque materia accidat, ſuppoſita ratione voluntarii, ſemper eſt peccatum, neque ullo fine quantumvis neceſſariſſimo poteſt honeſtari : ergo idem dicendum eſt de prædicto errore.

Objectio. Dices, etiam ignorantiam eſſe malum intellectus : & non ideo ſemper eſt peccatum, ſed tunc ſolùm quando ignorantur illa, quæ homo poteſt & tenetur ſcire : ergo ſimiliter dicemus de errore.

Solvitur. Reſpondetur, majorem ſolùm eſſe veram de ignorantia privativa, adeóque illorum, quæ ſcire tenemur : ignorantia verò purè negativa, ſeu illorum, quæ ſcire non tenemur, nullam importat rationem mali : quia malum non eſt negatio, ſed privatio. Error autem quicunque ſit, eſt prava diſpoſitio intellectus, & quid ipſi diſconveniens. ¶ Adde, in omni errore vincibili includi præſumptionem voluntatis : præſumptio enim eſt, quòd homo determinatè ferat judicium ſuper iis, quæ vincibiliter ignorat : præſumptio autem nequit à peccato excuſari. Quod rectè

D. Thom. explicuit D.Thom. quæſt. 3. de mal. art. 7. ubi tradit totam hanc ſolutionem his verbis. *Error autem eſt approbare falſa pro veris : unde addit actum quendam ſuper ignorantiam : poteſt enim eſſe ignorantia ſine hoc, quod aliquis de ignotis ſententiam ferat ; & tunc ignorans eſt & non errans : ſed quando jam falſam ſententiam fert de his, quæ neſcit, tunc propriè dicitur errare : & quia peccatum in actu conſiſtit, error manifeſtè habet rationem peccati : non enim eſt abſque præſumptione, quòd aliquis de ignoratis ſententiam ferat, & maximè in quibus periculum exiſtit. Sed neſcientia de ſe nec rationem culpæ nec pœnæ habet : quod enim aliquis neſciat ea, quæ ad ipſum non pertinent ſcire, vel quæ non eſt natus ſcire, nec culpa nec pœna eſt*, &c. Verum eſt tamen, errorem præciſè ſpeculativum, niſi tangat res fidei, non excedere culpam venialem, quia non opponitur charitati Dei vel proximi, neque ipſi, qui errat, grave nocumentum affert.

48 Interrogatio. Sed inquires an ignorantia invincibilis, & ignorantia illorum, quæ ſcire non tenemur, eſto non ſit formaliter peccatum, ſaltem ſit mala objectivè : ſicut eſt omnis error etiam invincibilis : adeóque non liceat gaudere de tali ignorantia, vel deſiderare : ſicut non licet deſiderare aliquem errorem, nec de illo gaudere ? ¶ Reſpondetur ignorantiam illorum, quæ ſcire tenemur, quantumvis invincibilem, eſſe objectivè malam : quia cum ſit carentia ſcientiæ debitæ, importat rationem privationis ; neque aliter excuſari poteſt à malitia formali, quàm ratione involuntarii, & impotentiæ ad eam expellendam. Unde nec licet deſiderare talem ignorantiam, etiam propter bonum finem ; nec gaudere de illa. Ignorantia autem illorum, quæ ſcire non tenemur, quodammodo eſt mala objectivè : quodammodo verò non. Si enim ſumatur ut medium ad aliquem finem honeſtum : ſicut cum quis omittit ſcire aliqua, ut alia utiliora vel nobiliora addiſcat, poteſt licitè appeti : & ideo ſic accepta per modum medii, nihil objectivæ malitiæ involvit. Si verò ſumatur ut appetenda propter ſe, & per modum finis, nequit licitè deſiderari : quia talis appetitus oriretur ex pravo affectu erga veritatem : atque adeo eſt mala objectivè. Quæ diſtinctio habet locum non modo in ipſa ignorantia, ſed etiam in entibus poſitivis, quorum plura illicitè appetuntur per modum finis ; licitè autem per modum medii ad alium finem ; ut videre eſt in omnibus indifferentibus.

DUBIUM III.

Utrum peccata, quæ fiunt ex ignorantia vincibili, ſint ejuſdem ſpeciei, atque eſſent ſcienter facta?

HAbemus præ manibus quæſtionem communi licèt calamo vexatam ; ſemper tamen in ſe difficilem : in qua docti & graves Theologi poſt diuturnam meditationem, repetitúmque examen nec ſibi nec aliis undequaque ſatisfacere valuerunt : ſed nec labore noſtro omnibus ſatisfactum futurum iri præſumimus : curabimus verò pro viribus veritati, claritatique conſulere. Cujus gratia præter aſſuetum ſtylum præmittemus diverſas ſententias cum ſuis auctoribus & fundamentis : quæ etiam ante aſſertionem examinare curabimus : quia aliquando hac via facilior patet aditus veræ deciſioni.

§. I.

Variæ ſententiæ, & earum fundamenta.

PRæmittunt hic ferè omnes, qui rem diſ- 49
cutiunt, communes diſtinctiones ignorantiæ, quas ſupra memoravimus : videlicet quòd alia eſt ignorantia juris, alia facti : alia juris naturalis, alia poſitivi : quædam aufert rationis uſum, ut ebrietas, amentia, & ſomnus, quædam ſolam notitiam juris vel facti, relicto ſubjecto ſui compote, ut relinquit ea, quæ communiter *ignorantia* vocatur. Quo præmiſſo, unum eſt à quo neminem diſſentientem reperimus : videlicet peccata contra jus naturale, quæ fiunt ex ignorantia culpabili iſtius juris (& eſt ſermo de peccatis, quæ ad extra

Digitized by Google

conſummantur, ut homicidium, fornicatio, furtum, & ſimilia) manere in ſuis propriis ſpeciebus, ac ſi fuiſſent ſcienter facta. Unde ſiquis occidat hominem, vincibiliter ignorans id eſſe peccatum, & prohibitum jure naturæ, ſine dubio committit homicidium, & eſt propriè homicida. Cujus non omnes eandem rationem tradunt; legitima verò conſtabit ex dicendis pro noſtra aſſertione. Diſcriminantur autem in extendendo, vel reſtringendo prædictam doctrinam circa peccata, quæ ex ignorantia facti, aut juris tantùm poſitivi committuntur.

Prima ſententia.

Quocirca acutiſſimus Cajetanus, qui hanc difficultatem variis in locis tractare cœpit, & hac quæſt. 76. art. 4. operoſiùs abſolvit, in ea eſt ſententia, ut nullum ex prædictis peccatis ſit per ſe in eadem ſpecie, quam haberet ſcienter commiſſum: ſed quæ fiunt ex ignorantia facti, ut cum vacans venationi ſagittat hominem loco cervi, dicit ſpectare ad ſpecies peccatorum directè volitorum, puta venationis incautæ & periculoſæ, à qua occiſio illa cauſatur, & cujus dicit eſſe circumſtantiam. Idem eſt de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia auferente uſum rationis, ut quæ ab ebriis committuntur. Quæ verò fiunt ex ignorantia juris poſitivi contra hoc jus, reponit in eiſdem ſpeciebus, ubi eſſent ſcienter facta, non per ſe, ſed reductivè: imo de omnibus prædictis ait redire ad naturam ſuæ ſpeciei, cujus eſſent, ſi ſcienter committerentur: in quo autem conſiſtat hæc reditio, aut illa reductio, non declarat. Satis verò conſtat neutram apud illum efficere, ut talia peccata habeant cum proprietate illam ſpeciem & eſſentiam, quam haberent extra ignorantiam commiſſa: quippe hoc eſt potiſſimum, quod excludere intendit toto illo diſcurſu.

Fundamentum Caietani.

Ratio ita aſſerendi apud Cajetanum ea eſt: quia ſpecies peccati non ſumitur niſi ab objecto per ſe intento, & per ſe volito à peccante: ſed qui peccat ex ignorantia, non per ſe, ſed per accidens tendit in objectum illius peccati: quæ enim cognita non ſunt, nequeunt eſſe per ſe volita: ergo qui ita peccat, non committit peccatum ejuſdem ſpeciei, cujus eſſet ſcienter commiſſum. ¶ Confirmátque hanc rationem 2. 2. quæſt. 53. art. 2. exemplo illius, qui inducit mulierem ad fornicandum; intendens non quidem ſpiritualem ejus ruinam, ſed ſuæ libidini ſatisfacere. In hoc caſu peccatum non ſumit ſpeciem à circumſtantia ſcandali, neque eſt per ſe ſcandalum: quia talis circumſtantia, nempe ruina ſpiritualis, non eſt per ſe intenta à peccante: ſed remanet prædictum peccatum in ſpecie ſolius fornicationis, quam tantummodo peccans intendit. Verum igitur erit illud principium, nempe quòd objectum, aut circumſtantia non dat ſpeciem, niſi fuerint per ſe intenta à peccante, neque adeo expreſsè cognita. Cui principio hæſit adeo Cajetanus, arbitratus eſſe D. Thomæ, ut in multis maluerit à communi via diſcedere, quàm illius expoſitionem admittere. Cernens verò aperta inconvenientia inde ſequi: ut quòd fornicans in Eccleſia intendens ſuæ ſatisfacere libidini, & non injuriam loci ſacri, non ſit ſacrilegus: reſpondet loco nuper citato (procul dubio ex humilitate potius, quàm ex neſcientia) libenter ſe futurum diſcipulum in ea difficultate: *quia docere* (inquit) *neque me neque alios novi.*

Porro ad ita exiſtimandum ductus eſt teſtimonio D. Thomæ ſupra quæſt. 72. art. 1. 50
ubi docet, peccatum non habere ſpeciem ſecundum illud, quod eſt per accidens, vel ſecundum illud, quod eſt per ſe: ob idque inordinationem privativam excludit ab ejus ſpecificatione, quia per accidens ſe habent ad intentionem peccantis. Ibidemque art. 9. ait, circumſtantias tunc dare peccato ſpeciem, quando afferunt ſpeciale motivum: & ideo ex motivis prædictas ſpecies eſſe diſtinguendas. Quo modo etiam loquitur 2. 2. quæſt. 148. art. 4. aliiſque in locis. Motivum autem illud dicitur, quod per ſe intenditur à peccante. Sentit ergo non dare peccato ſpeciem, quod non eſt per ſe intentum. Et idem voluiſſe videtur ſuperius quæſt. 1. art. 1. ad 3. dum ait, quòd *motus non recipit ſpeciem ab eo, quod eſt terminus per accidens; ſed ſolùm ab eo, quod eſt terminus per ſe.* Et quæſt. 20. art. 5. ait, quòd ſi effectus ſequutus ex peccato per accidens ſe habeat, non addit bonitatem, neque malitiam: quia judicium de rebus *non datur ſecundum illud, quod eſt per accidens, ſed ſolùm ſecundum illud quod eſt per ſe.* Item 2. 2. quæſtione 43. art. 3. agens de ſcandalo diſtinguit illud in *per ſe, & per accidens:* & vocat *per accidens*, quod eſt præter intentionem: de quo ſubjungit non eſſe ſpeciale peccatum, *quia quod eſt per accidens, non conſtituit ſpeciem.* Eodem modo loquitur 3. p. quæſt. 88. art. 4. agens de peccato ingratitudinis. Sed adhuc clarius id docuiſſe videtur eadem 2. 2. quæſtione 59. art. 2. ubi ſic ait. *Poteſt contingere, quod qui facit injuſtum, non eſt injuſtus, propter defectum comparationis operationis ad proprium objectum, quæ quidem recipit ſpeciem & nomen à per ſe objecto, non autem ab objecto per accidens. In his autem, quæ ſunt propter finem, per ſe dicitur aliquid, quod eſt intentum; per accidens autem, quod eſt præter intentionem. Et ideo ſi aliquis faciat aliquid, quod eſt injuſtum, non intendens injuſtum facere, puta cum hoc facit per ignorantiam, non exiſtimans ſe injuſtum facere, tunc non facit injuſtum, per ſe & formaliter loquendo, ſed ſolùm per accidens, & quaſi materialiter faciens id, quod eſt injuſtum: unde & talis operatio non denominatur injuſtificatio.* Atque adeo neque habet propriam ſpeciem injuſtificationis: quo nomine appellat D. Thom. peccatum injuſtitiæ. Ex his & ſimilibus D. Thomæ loquutionibus fulciri videtur modus ſentiendi Cajetani, quantum attinet ad peccata commiſſa ex culpabili ignorantia facti, vel juris poſitivi. Qualiter verò quæ ex ignorantia juris naturalis contra ipſum committuntur, habeant eſſe per ſe volita & intenta à peccante, declarat in præſenti non ſine labore & obſcuritate, cui ſubſcribere videtur Medina in præſenti art. 4.

D. Thom.

Secunda ſententia.

Secunda ſententia ait, peccata ex prædicta ignorantia commiſſa tunc eſſe ejuſdem 51
ſpeciei, atque fuiſſent ſcienter facta, quando peccans ſcienter dabat operam rei illicitæ; ſecùs verò ſi dabat operam rei ex ſe licitæ. Exempla ſunt, ſiquis volens fornicari, accedat ad illam, quam ignorat eſſe conſanguineam, tale peccatum non modo eſt in ſpecie fornica-

Digitized by Google

fornicationis, ſed etiam in ſpecie incæſtus: quia licet circunſtantia incæſtus fuerit vincibiliter ignorata, ignorans tamen ſcienter dabat operam rei illicitæ, ſcilicet fornicationi. Si autem volens & credens rem habere cum propria uxore, accedat ad alienam loco ejus ſuppoſitam, hujuſmodi peccatum non erit in ſpecie fornicationis, ſed in alia minus gravi, quam aliqui appellant *omiſſionem debitæ diligentiæ*: quia ignorans non dabat ſcienter operam rei illicitæ, ſed potius licitæ, ſicut eſt acceſſus ad propriam uxorem. Similiter ſi quis volens & credens occidere laïcum ſibi inimicum, quæ eſt res illicita, occidat clericum, quem culpabiliter non cognoſcit, erit hoc peccatum non ſolùm in ſpecie homicidii, ſed etiam in ſpecie ſacrilegii. Si verò vacans venationi ex ſe licitæ, & putans occidere cervum, occidat hominem ibi latentem; non eſt ibi ſpecies homicidii, ſed alia, quam diximus *omiſſionis debitæ diligentiæ*. Ita Caſtro lib. 2. de lege pœnali, *Caſtro.* *Covarruv.* cap. 14. & Covarruvias relect. in caput *Alma mater* de ſentent. excommunicat. 1. part. §. 10. num. 17.

Huius ſententiæ fundamentum. Ratio illorum eſt: quia ex opere illicito per ſe & ut in pluribus ſequitur effectus pravus, & ideo per ſe eſt volitus in tali opere: at ex opere licito ſolum ſequitur per accidens, & in paucioribus, ſolumque hoc modo, ſcilicet per accidens, poteſt eſſe volitus in illo: quia ergo volitum per ſe, & non volitum per accidens dat ſpeciem, fit ut in priori caſu prædictus effectus eandem ſpeciem tribuat, ac ſi non ignoraretur; ſecus in poſteriori. ¶ Quod confirmat *Covarruv.* Covarruvias ex cap. *In lectum* 44. q. 1. & 2. ubi dicitur: *Maritus, in cuius lectum ſoror uxoris iv t, cá ique cognovit credens eſſe uxorem ſuam, agat pœnitentiam, quæ ſibi indicta fuerit, non tamen a legitimo uxoris coniugio ſeparetur.* Ex qua deciſione colligitur primo, illum maritum habuiſſe ignorantiam culpabilem: ſi enim fuiſſet inculpabilis, non juberetur agere pœnitentiam. Deinde habetur quod non commiſit peccatum incæſtus: alias privaretur uſu matrimonii & petitione debiti. Si autem quæramus cauſam, ob quam à prædicto peccato fuerit excuſatus, nulla alia invenietur, niſi quia dabat operam rei licitæ: credebat enim ſe ad uxorem accedere: ergo, &c. ¶ Sanè conſtituendum eſſe diſcrimen inter dantem operam rei licitæ, & illicitæ quantum ad imputabilitatem effectus pravi utrobique ſequuti, conſtat ex D. Thoma ſuprà q. 73. art. 8. non autem videtur hoc diſcrimen aliter quam ut modo declarandum.

52 *Tertia ſententia.* *Alvarez.* Tertia ſententia eſt, quam tenent aliqui ex diſcipulis D. Thomæ: de quorum numero eſt Alvarez diſp. 160. ubi concluſ. 2. ſic ſtatuit: *Omnia peccata commiſſa ex ignorantia culpabili, ſive illa ſit iuris, ſive facti: ſive iuris naturalis, ſive humani: ſive auferant uſum rationis, ſive non, pertinent ad eandem ſpeciem, ad quam pertinerent, ſi fierent ex certa ſcientia.* Deinde vero in 3. concluſ. ſic ait: *Peccata commiſſa ex ignorantia culpabili non ſunt directè in illa ſpecie, ad quam pertinerent, ſi eſſent commiſſa ex ſcientia, ſed ſolum reductivè.* Tribuitque utramque aſ- *Canus.* *Alexand.* *Henric.* *Cordub.* *Caiet.* *Zumel.* ſertionem Cano lib. 12. de locis c. 9. Alexandro 2. part. quæſt. 129. memb. 9. Henrico quodlib. 3. quæſt. 16. Cordubæ lib. 2. q. 21. necnon Cajetano 2. 2. quæſtione 150. art. 4.

dicens correxiſſe ibi ex parte ſententiam, quam tenuit in præſenti. Et quidem prædictos Auctores, præter Cajetanum, pro prima aſſertione eſſe, nemo inficiabitur: quod vero poſteriori ſubſcribant, minus eſt certum: ſubſcribit autem Zumel in præſenti artic. 4. diſp. 1. concluſ. 8. qui in anterioribus Cajetani ſententiam ut probabilem defendit. Vidimus etiam perdoctum & gravem juniorem diſtinguentem in prædictis peccatis rationem peccati, & rationem culpæ, ſeu imputabilitatem: & quoad primam dicit abſolutè pertinere ad proprias ſpecies; quoad ſecundam verò non niſi reductivè, vel indirectè: neque ipſe tamen, neque Alvarez, aut Zumel, declarant, in quo conſiſtat iſte modus reductionis; aut quid appellent, *pertinere ad aliquam ſpeciem indirectè*. Probant ſecundam partem (pro primo enim militat communis ratio, quam infrà adducemus) quia de ratione peccati eſt, quod ſit voluntarium, maximè verò quantum ad rationem culpæ & imputabilitatis: cum ergo prædicta peccata non ſint voluntaria directè, ſicut neque illorum objecta ſunt directè volita, ſed indirectè, vel per accidens, nequeunt directè pertinere ad ſpecies talium objectorum, ſed tantùm indirectè & reductivè.

Quarta ſententia diſtinguit inter peccata: 53 nam quædam poſtulant ſpecialem & expreſ- *Quarta ſententia.* ſam voluntatis intentionem erga ſuum objectum: ut ſcandalum, inobedientia, odium, & ſimilia: præſertim quæ alias numerari ſolent inter circunſtantias communes peccatorum: quædam verò eam intentionem non requirunt: ut homicidium, furtum, adulterium, & ſimilia, quæ verſantur circa materias ſpeciales. Ait ergo hæc ſententia, illa prima peccata, quoties ex ignorantia fiunt, non eſſe ejuſdem ſpeciei; atque fuiſſent ſcienter facta: hæc verò poſteriora ex quacumque fiant ignorantia culpabili, pertinere ſimpliciter ad eandem ſpeciem. Ita Curiel in præſenti artic. 4. *Curiel.* circa ultimam concluſionem, Azor. lib. 1. in- *Azor.* ſtitut. moral. cap. 14. quæſt. 6. & ſequenti- *Vaſq.* bus. Vaſquez hac 1. 2. diſp. 101. cap. 5. & 6. (qui ſub primo membro comprehendit omnia illa peccata, quæ interius conſummantur: atque adeo moroſas delectationes, & omnes alios affectus inefficaces. Sed hoc jam ſuperiùs fuit à nobis excluſum diſput. 11. dub. 1.) Ducuntur prædicti auctores quantum ad primum (nam ſecundum inferius à nobis eſt probandum) quia ſpecialis intentio circa aliquod objectum non poteſt eſſe ſine ſpeciali & expreſſa notitia talis objecti: ergo neque ſpecies peccati, quæ dependet ex tali intentione: ignoto igitur objecto non erit prædicta ſpecies.

Demum quinta ſententia abſolutè ſine ulla *Vltima.* diſtinctione, vel limitatione affirmat, omnia peccata commiſſa ex ignorantia culpabili, ſive *facti*, ſive *iuris cujuſcumque* ſimpliciter eſſe ejuſdem ſpeciei; atque fuiſſent ſcienter facta. Hanc tuentur Navarrus cap. *Conſideret* de *Navar.* pœnitent. diſt. 5. Suarez tom. 4. in 3. partem *Suar.* diſput. 22. ſect. 4. noſter Cornejo ſuprà q. 18. *Cornejo.* diſput. ult. à n. 8. Monteſ. quæſt. 73. art. 8. *Monteſ.* *Greg. Mart.* diſput. 5. quæſt. ſua 9. Gregor. Mart. in præ- *Araujo.* ſenti art. 4. dub. 1. Araujo dub. 7. Valentia *Valent.* quæſt. 6. punct. 3. Salas diſp. 8. ſect. 9. Sayrus *Salas.* *Sayr.*

Digitized by Google

in Clavi reg.lib.2. cap.9. à num.38. Thomas Sanch. lib.1. ſum. cap.17. num. 15. reiiciens expreſsè diſtinctionem & limitationem, quam præcedens ſententia adhibuit. Ut igitur in tanta ſententiarum diverſitate legitimam eligamus, prius illarum fundamenta examinanda ſunt; & quæ veritati obnituntur, radicitùs evertenda. *T. Sanchez.*

§. II.

Examinatur prima opinio, & ejus fundamentum.

54 POtiſſimum, quod in hac difficultate examen poſtulat, eſt illud Cajetani principium: videlicet objectum vel circunſtantiam, à quibus peccatum ſumit ſpeciem, debere eſſe directè & per ſe volita, ſeu intenta, atque adeo cognita expreſsè & formaliter. Ex hoc namque principio ortum ducunt omnes limitationes, quas priores quatuor ſententiæ adhibent: ſicut ex oppoſito univerſalitas, quam ſtatuit ultima. *Impugnatio primæ ſententiæ.* Porrò prædictum principium, ut ſonat, univerſaliterque acceptum, firmum non eſſe, neque ad mentem D. Thomæ, conſtat ex eodem in 4.diſt.16.quæſt.3. art.2. quæſtiuncul.3. ubi examinans qualiter circunſtantia det peccato ſpeciem, refert & impugnat modum dicendi aliquorum innixum illi principio, his verbis. *Quidam dicunt, quod hoc accidit* (nempe quod circunſtantia det propriam ſpeciem) *in quantum circunſtantiæ accipiuntur ut fines voluntatis: quia à fine actus moralis accipit ſpeciem. Sed hoc non videtur ſufficienter dictum: quia aliquando variatur ſpecies peccati ſine hoc, quòd intentio feratur ad circunſtantiam illam: ſicut fur ita libenter accipit vas aureum non ſacratum, ſicut ſacratum: & tamen in aliam ſpeciem peccatum mutatur, ſcilicet de furto ſimplici in ſacrilegio*, &c. *D. Thom.* Idem docet quæſt. 2. de mal. art.6. ubi eandem verſat difficultatem: nam cum oppoſuiſſet ſextum argumentum ad probandum, prædictam circunſtantiam rei ſacræ non dare furto ejuſdem rei ſpeciem ſacrilegii, quia non eſt per ſe intenta, neque voluntas ſuper eam fertur, ſed ſolùm ſuper rem ipſam, puta aurum, reſpondet. *Ad ſextum dicendum, quòd licèt principaliter voluntas furantis non feratur ad rem ſacram, ſed ad aurum; fertur tamen ſuper rem ſacram ex conſequenti: magis enim vult rem ſacram accipere, quàm auro carere.* Ecce qualiter ut aliqua circunſtantia det peccato propriam ſpeciem, non requiritur apud D. Thomam, quòd ſit volita principaliter, aut per modum finis, atque adeo quòd ſit directè & per ſe intenta, ſed ſufficit volitam eſſe ex conſequenti, indirectè, & ſecundario: quo pacto etiam objecta & circunſtantiæ, quæ culpabiliter ignorantur, habent eſſe volita: ut infra magis declarabimus.

Ne autem prædicta doctrina teſtimonio ex ſumma Theologiæ deſtituta videatur, expendemus quod habet D. Thom. in præſenti art. 3. ad 2. ubi in hunc modum objecerat. Quod fit per ignorantiam, per accidens ſe habet ad actum voluntatis: quod verò eſt per accidens non dat ſpeciem: ergo quod ita fit, excuſatur omnino à ratione peccati. En ipſiſſimum Cajetani fundamentum. Reſpondet verò. *Ad ſecundum dicendum, quòd in quantum remanet in ignorante de voluntario, in tantum remanet de intentione peccati: & ſecundum hoc non erit per accidens peccatum.* *D. Thom.*

Ubi primò expendendum eſt, hunc fuiſſe potiſſimum locum, ut peccato ex ignorantia commiſſo negaretur propria ſpecies, reduceretúrque ad aliam: ad id quippe cogebat argumentum, ſi rectè concluderet: cum ergo D. Thom alia via ſolutionem dictaverit, nolueritque negare talem ſpeciem, ſequitur planè non fore denegandam. Deinde dum ait: *in quantum remanet in ignorante de voluntario, in tantum remanet de intentione peccati: & ſecundum hoc non erit per accidens ad peccatum*, apertè oſtendit non plus requiri de ratione intenti ad peccati ſpecificationem, quàm rationem voluntarii convenientem iis, quæ vincibiliter ignorantur: ſiquidem & loquitur de hujuſmodi ignorantia in propriis terminis: & ait ſalvari in eis peccati intentionem, in quantum voluntarii ratio ſalvatur: & hanc rationem voluntarii & intenti, prout ibi ſalvatur, eſſe per ſe reſpectu peccati, quantum ad ejus ſpecificationem exigitur: & denique hac via ſolvit argumentum, quod ex defectu intentionis intendebat negare peccati ſpeciem. Quæ omnia ruerent, ſi prædictum voluntarium, quod cum ignorantia compatitur, quodque ſolùm eſt indirectum & interpretativum, ad ſpecificationem peccati non ſufficeret. ¶ Sanè D. Thomam loqui non de qualibet materia, ſed de illa, quæ dat ſpeciem, fatetur Cajetanus convictus argumento: quo etiam convinci debuiſſet, ſermonem eſſe in propriis terminis ignorantiæ. Vel certe non ſatis deprehendimus, qualiter hunc locum doctrinæ ſuæ conciliet.

Deinde impugnari poteſt illud principium ex diſcrimine, quod omnium ferè Theologorum communis & vera exiſtimatio conſtituit inter illa, quæ vocantur *circunſtantiæ communes*: quia in pluribus peccatis includuntur, & ea veluti tranſcendunt tanquam generales conditiones: ut inobedientia, contemptus, ingratitudo, & odium Dei includuntur in quolibet peccato mortali, odium proximi in omni peccato contra ipſum; ſcandalum in omnibus, quæ coram aliis fiunt, & ſic nonnulla alia: & inter illa, quæ ſunt circunſtantiæ ſpeciales, & propriè dictæ determinatæ ad ſpecialem materiam: ut particularis finis, particularis effectus, particularis conditio, vel ſtatus perſonæ, & cæteræ, quæ ad numerum ſeptenarium reducuntur, continenturque in illo verſiculo. *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.* Prædictum verò diſcrimen in eo conſiſtit, quod illæ priores circunſtantiæ non tribuunt propriam, & peculiarem ſpeciem; niſi ſint directè volitæ, & intentæ: & ita licèt quicunque peccat, faciat re ipſa contra præceptum, & contemnat illud, non ideo committit ſpeciale peccatum inobedientiæ, vel contemptus; niſi id faciat ex intentione & animo præceptum violandi, & contemnendi: & qui peccat coram aliis, licèt eo ipſo præbeat illis occaſionem ſpiritualis ruinæ, quæ eſt circunſtantia ſcandali; non committit ſpeciale ſcandali peccatum, niſi talis ruina fuerit directè & per ſe intenta. Cæterum circunſtantiæ ſpeciales & 55 *Alia impugnatio.*

propriè

Digitized by Google

propriè dictæ prædictam intentionem non requirunt; ſed ſufficit quomodolibet volitas eſſe à peccante, ut tribuat unaquæque propriam ſpeciem malitiæ. Unde ſiquis accedat ad alterius conjugem, licèt non intendat facere injuriam marito, ſed ſolùm ſuæ libidini ſatisfacere; imo & ſi habeat expreſſam nolitionem prædictæ injuriæ; talis actio non ſolùm habet ſpeciem fornicationis ex objecto per ſe intento, ſed etiam adulterii, & injuſtitiæ ex prædicta injuria per ſe non intentâ. De quo, ſaltem quando fit ex certâ ſcientia, neque Cajetanus, neque aliquis Theologorum unquam dubitavit. Hoc autem diſcrimen omnino tollitur per illud principium ſine limitatione acceptum, ut ſumitur à Cajetano: ergo vel ſuſtinendum non eſt, vel debet ad ſanum ſenſum reſtringi & limitari.

Confirmatio.

Confirmatur: nam qui ſcienter occideret hominem, intendens ſolùm occidere cervum (puta quia volens iſtum occidere, emittit ſagittam, non admonens illum ibidem exiſtentem, atque adeo prævidens occidendum utrunque) apud neminem excuſabitur à peccato homicidii: & ſi occiſus fuiſſet pater, à peccato parricidii: & ſi clericus, à peccato ſacrilegii? Sicut etiam nemo ab hoc peccato excuſabit judicem, qui latronem in Eccleſia ſuſpenderet, aut furem, qui rem ibi cuſtoditam furaretur, aut illum qui in eo loco fornicaretur, quamvis nullus eorum intenderet injuriam loci ſacri; ſed potius hæc illis diſpliceret: atqui in omnibus iſtis caſibus circunſtantia homicidii, parricidii, aut ſacrilegii non eſt per ſe intenta, imo poteſt eſſe expreſsè nolita: ergo non exigitur talis intentio, ut prædicta circunſtantia, & aliæ ſimiles tribuant ſuas proprias ſpecies. Cujus confirmationis efficaciam cernens Cajetanus, & quòd nulla evaſione poſſet infirmari, maluit eam inſolutam relinquere, quam adeò apertam & communem veritatem negare: ut vidimus loco cit. ex 2.2. quæſt. 53. art. 2.

Confirmatio alia.

Confirmatur tandem ex iis, quæ cernimus in peccatis omiſſionis. Etenim cùm quis omittit, v.g. ſacrum in die feſtivo propter ludum, nihil aliud expreſſe volens, quàm ipſam ludi delectationem, vel lucrum: hujuſmodi peccatum verè ſumit ſpeciem ab omiſſione, & eſt idem peccatum cum illa contra virtutem religionis, quæ præcipit ſacrum, ut omnes fatentur: & tamen prædicta omiſſio neque eſt formaliter intenta; ſed ſolùm indirectè & interpretativè: ergo non om[n]e, a quo peccatum ſumit ſpeciem; debet eſſe prædicto modo intentum.

56 Evaſio.

Dices, in omnibus, quæ adduximus, adeſſe formalem objecti aut circunſtantiæ cognitionem: & ratione hujus poſſe peccatum ab illis ſpecificari. ¶ Sed hoc facile refellitur animadvertendo (id quod eſt per ſe notum) nempe quòd objectum aut circunſtantia non tribuunt malitiam humanis actibus, aut eos ſpecificant, in quantum ſunt cognita; ſed in quantum ſunt volita: cognitio verò prærequiritur ſolùm ut conditio applicans, & præſentans voluntati tali objectum vel circunſtantiam, ut ea liberè appetat; quatenus nihil volitum, quin præcognitum: ſi namque abſque cognitione poſſent eſſe liberè volita, eodem modo tribuerent prædictis actibus malitiam, ſicut tribuunt media cognitione: è contra verò quantumvis cognita eſſent; ſi nullo modo fuiſſent volita, nullatenus illam conferrent: quia ſicut non ex eo peccamus circa aliquod objectum, quia illud cognoſcimus; ſed quia cognitum volumus & appetimus: ita objectum ipſum non in quantum cognitum, ſed in quantum volitum & appetitum dat malitiam: tota ergo ratio ut cognitio ad id ſit neceſſaria, eſt neceſſitas volitionis: adeóque non in illam; ſed in hanc dumtaxat debet refundi, & in ea fundari. ¶ Deinde nota, volitionem alicujus objecti vel circunſtantiæ non pleniorem exigere cognitionem, quàm ſit ipſa volitio: gradiuntur enim pari paſſu intellectus, & voluntas: & ideo ſicut quod eſt formaliter volitum, debet eſſe formaliter cognitum, nec ſine cognitione formali alicujus ſtat formalis ejus volitio: ita quod ſolùm eſt volitum virtualiter aut interpretativè, non requirit ampliorem cognitionem, quàm interpretativam & virtualem: ſi quæ verò major ibi reperiatur, ut ſi ſit cognitum formaliter, talis cognitio quantum ad hujuſmodi exceſſum omnino de materiali ſe habet ad volitionem: quippe non amplius, non ſtrictius, expreſſius, aut directius eſt volitum prædictum objectum cum ea formali cognitione, quàm eſſet cum ſola virtuali.

Refellitur duplici animadverſione.

Ex his refellitur propoſita evaſio: quia objectum vel circunſtantia ſolùm habent conferre malitiam actibus, in quantum volita ſunt, ſeu ratione volitionis terminatæ ad illa; quicquid ſit de cognitione: ſi ergo cum ſola volitione virtuali, & interpretativa, exiſtente formali cognitione, tribuunt malitiæ ſpeciem, non ſecùs quàm ſi eſſent volita formaliter; eodem modo tribuent illam ex vi ejuſdem virtualis volitionis, quamvis deſit formalis cognitio, adſitque dumtaxat virtualis. Ad hæc: objectum, aut circunſtantiæ non tribuunt per ſe malitiam quia ſunt cognita; ſed præcisè quia ſunt volita, ut vidimus: ergo non quia ſint magis vel aliter cognita, majorem vel aliam tribuent malitiam, quandiu non ſunt aliter volita: ſicut enim *ſimpliciter ad ſimpliciter: ita magis ad magis*: at circunſtantiæ & objecta, de quibus loquimur, eodem modo & non aliter ſunt volita: exiſtente cognitione formali, atque eſſent cum ſola virtuali: utrobique enim tantum ſunt volita virtualiter ſeu interpretativè: eandem igitur, eodémque omnino modo debent utrobique ſpeciem malitiæ conferre.

Habemus ergo comprobatum, quod aſſumpſimus: nempe illud principium, quòd *omne dans peccato ſpeciem, debet eſſe per ſe volitum, & intentum à peccante*, ſi intelligatur univerſaliter, & de intentione ſive volitione directè & primariò ad illud terminata, adeóque formali & expreſſa, nec menti D. Thomæ, nec veritati congruere. Secus verò ſi reſtringatur ad circunſtantias illas communes, & ad certa quædam peccata, ut num. præced. vidimus: vel ſi exponatur de intentione ſeu volitione ſaltem ſecundaria, indirecta, aut virtuali: ut ſtatim magis declarabimus. Habemus rurſus, quòd quia formalis & expreſſa cognitio alicujus objecti vel circunſtantiæ eatenus poſſet eſſe neceſſaria, ut inde peccatum ſumeret ſpeciem, quatenus ad id eſſet neceſſaria, expreſſa &

& formalis intentio, excluſa neceſſitate hujuſmodi intentionis, ſicut excluſimus, conſequenter excluditur neceſſitas prædictæ cognitionis. Et denique habemus, ignorantiam vincibilem alicujus objecti, vel circunſtantiæ particularis, quæ ſolùm aufert formalem & expreſſam eorum cognitionem, adeóque directam & formalem volitionem; relinquit autem indirectam & virtualem; minime obeſſe ſpecificationi peccati à prædicto objecto vel circunſtantia: ut ſequenti §. magis declarabitur.

57 Exponitur locus primus D.Th. Nunc occurrendum eſt teſtimoniis D.Thomæ, quæ principio illi ut à Cajetano intellecto ſuffragari videbantur. Primum autem ex quæſtione 72. hujus 1. 2. expoſuimus ibidem in commentario illius primi articuli: ex cujus doctrina ſatis conſtat, quòd cùm D.Th. ait, peccatum non conſequi ſpeciem ſecundum illa, quæ ſunt per accidens; ſed ſecundum ea, quæ ſunt per ſe, loquitur de rationibus ſpecificatis, ſeu ſpecificandis, in ipſo peccato repertis; non verò de ſpecificativis, ad quæ terminatur, uti ſunt objectum, & circunſtantiæ, de quibus nunc loquimur: contra quæ nullum poteſt inde ſumi argumentum. § Addidimus verò, & nunc quoque addimus, quòd etiam ſi loqueretur de prædictis ſpecificativis, & in iis requireret, ut eſſent per ſe volita, ſeu intenta: deberet exponi de intento & volito per ſe primariò, vel ſecundario; ſeu principaliter vel ex conſequenti: ut expoſuit idem S.Doctor in teſtimonio, quod adduximus ex quæſt.2. de mal. art.6. Hoc autem modo, nempe vel primario, vel ſecundario, ſive ex conſequenti, omne illud poteſt dici *intentum per ſe*, quod vel eſt objectum primarium actus voluntatis, vel circunſtantia ex parte ejuſdem objecti ſe tenens, in quam proinde tendit voluntas per talem actum ſive tendat formaliter & expreſsè: ſive ſolùm virtualiter & interpretativè: & hujuſmodi ſe habent circunſtantiæ, de quibus loquimur, quamvis non expreſsè cognoſcantur.

Pro quo nota, quòd denominatio *intenti* poteſt ſumi vel ab actu, qui ſtrictè dicitur *intentio*, terminatúrque immediatè ſolùm ad finem: vel poteſt ſumi à quolibet actu voluntatis, qui ſit proſequutionis: quatenus dum per omnem talem actum voluntas tendit in aliquid, omne illud, in quod tendit, quódque illi è regione volendum obiicitur, poteſt dici *intentum*: ſive ſit finis, ſive medium: ſive expreſsè & immediatè attingatur, ſive mediatè & implicitè. Si quando ergo D. Thom. dicat, illud, quod dat peccato ſpeciem, debere eſſe intentum à voluntate: ſufficienter exponitur hoc poſteriori modo: quo pacto nihil eſt aliud eſſe per ſe intentum, quàm eſſe per ſe volitum: & ſicut *eſſe per ſe volitum* rectè diſtinguitur in *per ſe primò*, & *per ſe ſecundo*: ſic etiam *eſſe per ſe intentum* in hac acceptione. Imo & in alia priori, ſecundum quam ſumitur ab actu intentionis, diſtinguitur eodem modo à Cajetano citata quæſt.72. art.9. Sub ratione autem per ſe ſecundo intenti, ut eſt idem ac per ſe ſecundò volitum, rectè includuntur omnes circunſtantiæ, quæ ex parte objecti ſe tenent, etiam ſi ſolùm implicitè & virtualiter cognoſcantur, & amentur: ſicut cognoſcuntur, & amantur, quando ignorantur vincibiliter. Tantúmque à prædicta ratione excluduntur, quæ invincibiliter ignorantur: & ideo nullo modo ſunt volita: & quæ comparantur ad voluntatem non ex parte objecti, in quod tendit, ſed potius ex parte termini, à quo recedit, ſicut eſt averſio privativa.

Adde, quòd etiam ſi *intentum* ſumatur in priori acceptione, poterunt quodammodo dici *intenta* omnia, quæ diximus: quatenus ad omnia illa extenditur efficacia actus intentionis, vel formaliter intendendo ea ut finem, vel imperando actum electionis, per quem ad finem intentum eligantur, vel præeligendo incidere in ipſa potius quàm deſerere prædictum finem: quolibet enim ex iſtis modis virtus prædictæ intentionis ad illa pertingat, verificabitur, quòd non ſe habent ad eam omnino per accidens, ſed ſub ipſa, & virtute ejus comprehenduntur, atque adeo quòd verè ſunt de intentione agentis, ſeu non omnino præter illam: quod & nihil amplius D.Thom. alicubi aſſeverabit. Hæc dixerimus non tam pro illo primo teſtimonio ex quæſt.72. cui faciliorem tradidimus jam ſolutionem: ſed pro aliis, ſi inveniantur, quæ hac doctrina indigeant.

Ad ſecundum, quod additur de circunſtantiis afferentibus proprium motivum, reſpondetur cum noſtro Cornejo ubi ſupra, D.Thomam nomine *motivi* non intelligere ſolum finem *cujus gratia*, qui directè intenditur à peccante, & movet de facto, ſed quicquid ſe habet ex parte objecti, & affert ex ſe propriam & ſpecialem diſconvenientiam ad rationem, qualitercunque ſit volitum: quia eo ipſo malitia, quam tribuit, ratione talis diſconvenientiæ efficiet aliquam peculiarem ſpeciem in illo peccato. Poteſtque juvari ſolutio doctrina D. Thomæ quæſt. 2. de mal. art.6. ad 2. & ad 9. ubi ait non requiri ad hoc ut circunſtantia det ſpeciem malitiæ, quòd ipſa de facto ſit finis vel objectum peccati; cui tribuit eam ſpeciem, ac proinde quòd ſit de facto ratio motiva; ſed ſufficere, quod ex tali circunſtantia reſultet in objecto aliqua ſpecialis conditio reſpectivè ad rationem: ſicut reſultat, quoties affert ex ſe prædictam diſconvenientiam. Ubi etiam inſinuat ſatis eſſe, ut circunſtantia aliqua mutet ſpeciem, quòd poſſit eſſe objectum & motivum reſpectu alterius actus, qui ad illam directè & immediatè terminetur: quamvis id non habeat reſpectu illius, cujus eſt circunſtantia. 58 Exponitur ſecundus.

Tertius. Ad tertium ex quæſt. 1. hujus 1.2. reſpondetur ibi eſſe ſermonem de termino omnino per accidens ſe habente reſpectu ſpeciei: ſicut fines morales ſe habent ad ſpeciem phyſicam actus humani: de hujuſmodi enim finibus loquitur reſpectu prædictæ ſpeciei. Circunſtantiæ autem, de quibus agimus, non per accidens ſe habent ad ſpeciem malitiæ, quam ab eis peccatum deſumit, ſed per ſe cum illa conferuntur tanquam proprius ejus terminus & menſura. Et licèt actus voluntatis, qua ratione eſt volitio, exercétque hoc munus, ſecundario illas attingat; in quantum tamen eſt moralis, primario eas reſpicit. Itaque aliud eſt an circunſtantia vincibiliter ignorata, ſit

Digitized by Google

ſit volita ſecundariò ; aliud vero an ſpecies malitiæ deſumpta ex tali circunſtantia ſecundariò eam reſpiciat ? Primum eſt verum : quia volitio ſub hoc munere prius reſpicit objectum expreſsè cognitum , & non niſi ex conſequenti talem circunſtantiam. Secundum autem eſt falſum : quia habitudo moralis , in qua illa ſpecies malitiæ conſiſtit (non enim conſiſtit in ipſa entitate volitionis , ſed eſt modus ſuperadditus , ut ſuo loco oſtendimus) primario ad ipſam circunſtantiam terminatur : imò nihil aliud , quam eam reſpicit.

59 Quartus. Ad quartum ex q. 20. reſpondetur, effectum illum per accidens ſequutum ideo nihil addere malitiæ , quia nullo modo fuit prævîſus , ſed invincibiliter ignoratus , & ſic nullo modo fuit volitus : circunſtantiæ verò , quæ culpabiliter ignorantur , ſupponuntur aliquo modo prævisæ , quantum ſufficiat ut ſint volitæ interpretativè & virtualiter : atque adeo non eſt ſimile.

Objectio. Dices : non magis ſupponitur prævîſus effectus , qui ibi appellatur *per ſe* , quam qui appellatur *effectus per accidens :* & tamen de illo docet D. Thom. quod auget malitiam : ergo quod iſte non augeat, aliunde debet provenire , & non ex defectu cognitionis , vel volitionis. Diluitur. ¶ Reſpondetur , neque effectum per ſe ſequutum , qui nullo modo fuit prævîſus, dare , vel augere ſecundum ſe malitiam : dicitur tamen malitia actus augeri ex tali effectu arguitivè , & à poſteriori : quia quantò ex aliquo actu ſequitur per ſe deterior effectus , oſtenditur , ipſum actum non ratione effectus, ſed ratione ſui eſſe pejorem. Vide ſuperius diſp. 10. num. 162. ubi hoc magis explicuimus.

Explicantur cætera loca D.Thom. Ad quintum ex 2. 2. q. 43. & 3. part. q. 88. patet ex ſupra dictis : nam ibi loquitur D.Th. de peccatis ſcandali, & ingratitudinis : in quibus ſicut in quibuſdam aliis illud eſt ſpeciale, ut niſi eorum ratio objectiva fuerit expreſsè volita , non tribuat ſpeciem. Velle autem ad cætera peccata hoc extendere , eſſet omnia confundere.

Ad ultimum ex quæſt. 59. ejuſdem 2. 2. reſpondetur , D. Thomam loqui de illis , quæ ignorantur invincibiliter : atque adeo nullo modo ſunt volita : hacque ratione dicuntur per accidens & præter intentionem, quia nullatenus hujus virtus ad illa ſe extendit : ſicut ſe extenderet , ſi eſſent volita ſaltem indirectè & virtualiter , ſicut ea , quæ vincibiliter ignorantur. ¶ Ex quibus omnibus liquet, primam ſententiam falsò niti fundamento : adeóque quantum eſt ex hac parte ſuſtinendam non eſſe. Quæ non minus diſplicet propter confirmationem deſumptam ex circunſtantia ſcandali : ex qua potius deberet ſumi diſparitas ad alia peccata, in quibus non exigitur ea ſpecialis , & expreſſa intentio , quæ requiritur ad ſcandalum : unde velle omnia pariſicare , erit omnia confundere, ut dicebamus.

§. III.

Tres aliæ ſententiæ cum ſuis fundamentis diſcutiuntur.

Secunda ſententia , quæ ratione diſtinguit inter dantem operam rei licitæ, vel illicitæ, etiam eſt falſa , & jam communiter deſerita. 60 Tum quia ex opere aliàs licito poteſt eodem modo ſequi per ſe , vel per accidens effectus pravus , ſicut ex opere illicito : non enim minus aut magis per ſe ſequitur occiſio hominis in ſylva latentis , ſi ſæcularis , cui licita eſt venatio , ſagittet illum , putans eſſe cervum, quàm ſi ſagittet Religioſus , cui venatio eſt illicita : ergo non magis debet huic , quàm illi talis effectus imputari ad homicidium. Tum etiam , quia re bene inſpecta , eodem modo attingitur à voluntate effectus pravus, qui ſequitur ex re licita , & qui ſequitur ex re illicita , ſuppoſito quod uterque vincibiliter tantùm ignoretur : neuter enim eſt volitus directè & formaliter : quia hic modus volitionis non compatitur cum ignorantia ; ſed indirectè , & virtualiter , ſeu interpretativè, quatenus adeſt obligatio & poteſtas cavendi illum , & non cavetur , quæ ſanè obligatio eodem modo utrobique urget : ergo eodem modo debet uterque conferre , vel non conferre propriam ſpeciem malitiæ. Quare dum dicitur *effectum per ſe ſequutum eſſe volitum per ſe ; & per accidens ſequutum eſſe volitum per accidens* , ſi pro hoc aſſignetur inter utriuſque volitionem diſcrimen , non eſt ſuſtinendum : quia talis volitio non tam innititur modo, ſive perſeitati illationis ex cauſa , quàm potentiæ & obligationi illum præcavendi : cumque hæc potentia & obligatio æqualis ſit reſpectu utriuſque , æqualiter uterque cenſendus eſt volitus. Et quidem ſi loquamur de volito per ſe primò & directè , neutri hoc convenit ; ſi autem de volito indirectè & ſecundario , convenit per ſe utrique. Similiter uterque dici poterit *volitus per accidens* , ſi ly *per accidens* ſit idem ac *non ratione ſui* , *neque per ſe primò* ; neuter verò , ſi ly *per accidens* denotet habere ſe de materiali , & concomitanter ad volitionem , adeóque non cadere ſub illa : ſicut ſe habent ea , quæ ignorantur invincibiliter.

Impugnatur hæc ſententia.

Denique quod dicitur in hac ſententia, ſcilicet peccatum ejus, qui dabat operam rei licitæ , v. g. homicidium ſequutum per culpabilem ignorantiam ex venatione aliàs licita, eſſe in ſpecie omiſſionis conſiderandi, impugnatur facile : quia talis omiſſio non eſt mala , niſi propter homicidium ſubſequutum ; ergo potius ipſa omiſſio trahenda eſt ad ſpeciem homicidii , quàm è converſo. Patet : nam ſicut cum actus poſitivus , v. g. ludus , ſolùm eſt malus , quia eſt cauſa omiſſionis ſecundum ſe malæ , puta omiſſionis ſacri debiti , ipſe actus trahitur ad ſpeciem omiſſionis , & conſtituit cum illa unicum peccatum contra præceptum audiendi Sacrum : ita è converſo quoties omiſſio conſiderandi , vel quævis alia ſolum eſt mala propter effectum ex illa ſequutum , qui ſecundum ſe eſt malus , ipſa omiſſio trahi debet ad ſpeciem ejuſdem effectus ; non effectus ad ſpeciem omiſſionis. 61

Digitized by Google

Solvitur cõfirmatio.

Ad confirmationem ex cap. *In lectum* 34. reſpondetur cum Curiel, maritum illum habuiſſe ignorantiam invincibilem, ſicut habuit Jacob in acceſſu ad Liam pro Rachele ſuppoſitam: & ideo omnino fuiſſe immunem à peccato inceſtus. Quod non obſcurè colligitur ex eodem cap. *In lectum*, ubi dicitur: *Si ipſe* (id eſt maritus) *per ſecuritatem veram probaverit, quod inſcius fecerit*, &c. ignorantia enim per veram ſecuritatem probata, jure præſumitur invincibilis. Nec refert, quod jubeatur agere pœnitentiam, quæ ſibi indicta fuerit: quia talis pœnitentia non imponitur propter culpam; ſed ad majorem in poſterum cautelam, ut habet gloſſa; & ne Eccleſiaſtica diſciplina deſeratur: ut in ſimili habetur capite *Excommunicatorum* 23. quæſt. 1. & aliis, quæ prædicta gloſſa adducit. Vel dici poteſt prædictam pœnitentiam imponi: quia præſumitur in ea ignorantia aliqua culpa; venialis tamen & leviſſima, ratione cujus fuit ſecundum quid vincibilis: quia tamen manſit invincibilis ſimpliciter juxta diſtinctionem, quam dub. 1. num..... inter alia ſtatuimus, abſolutè excuſavit illum maritum à peccato inceſtus, & à pœnis pro eo in jure ſtatutis. Neque obeſt, quod juxta hanc ſolutionem fuerit ibi ſicut in ignorantia, ita in inceſtu malitia venialis: quia hæc non ſufficit, ut illud peccatum abſolutè & ſimpliciter *inceſtus* appelletur; ſed ſolùm ſecundum quid: & multo minus ut ſub pœnis à jure pro inceſtuoſis ſtatutis comprehendatur: quippe non ſtatuuntur niſi pro illo, quod eſt culpa mortalis, atque adeo abſolutè & ſimpliciter inceſtus. Ad illud, quo dicebatur, D. Thomam aſſignaſſe diſcrimen inter dantem operam rei licitæ, vel illicitæ, ut iſti, & non illi imputetur effectus, dicemus num...

62 Tertiam ſententiam quantum ad ſecundam aſſertionem, priori ſuppoſita, non ſatis conſtruimus: quia non videntur inter ſe cohærere, & quod peccata facta ex ignorantia culpabili ſint in eiſdem ſpeciebus, ubi eſſent ſcienter commiſſa, ut ait prima aſſertio: & quod ſolùm pertineant ad prædictas ſpecies indirectè & reductivè, ut dicitur in ſecunda. Aut enim hæc reductio tollit à prædictis peccatis verum & eſſentialem conceptum illius ſpeciei, ad quam reduci dicuntur; aut non tollit, ſed ſalvatur in illis cum veritate & proprietate talis conceptus, & ejus prædicata quidditativa? Si hoc ſecundum dixeris, non jam reductivè, ſed directè & per ſe erunt in prædicta ſpecie: quippe nihil aliud eſt eſſe per ſe in aliqua ſpecie, quàm habere cum veritate & proprietate conceptum quidditativum, & prædicata talis ſpeciei. Si verò dicatur primum, aſſignanda erit alia ſpecies, cujus habeant prædicata & conceptum: ad quam proinde pertinebunt per ſe & directè potius quàm ad aliam reducantur. Quod ſi dixeris, nullius ſpeciei ſortiri proprium conceptum, ſed habere ſe dumtaxat ut circunſtantias aggravantes aliam ſpeciem, coincidet hæc tertia ſententia cum prima, quam ſatis inpugnavimus.

Quid diſpliceat in tertia ſententia?

Explicatur hoc animadvertendo, omne illud, quod in aliquo genere affert naturam integram & completam, conſtituere per ſe aliquam ſpeciem illius generis: quia ſpecies nihil eſt aliud, quam natura in ſuo genere completa: illa verò ad ſpeciem reduci dicuntur, quæ ſunt aliquid incompletum, ordinatum proinde ad complendam aliam naturam: & ideo quia non ſufficiunt conſtituere per ſe propriam ſpeciem, reducuntur ad ſpeciem, ſive naturam illam, ad quam ordinantur. Sicut punctum reducitur ad ſpeciem lineæ, quia eſt aliquid incompletum ipſius lineæ, ordinatúrque ad eam integrandam: & circunſtantiæ aggravantes intra eandem ſpeciem reducuntur ad ſpeciem, quam aggravant, quia ſolùm ſunt quoddam *magis* talis ſpeciei. Cum ergo peccatum commiſſum ex ignorantia culpabili verè in ſuo genere ſit completum, habens quicquid eſt de ratione quidditativa, nec ſit pars, ex qua aliud integretur, aut circunſtantia, ex qua ſolùm augeatur, immeritò dicitur ad ſpeciem reduci, & non directè ac per ſe in ea conſtitui.

Fortè qui ita loquuntur, non negant prædictis peccatis veram & integram malitiam 63 ſuæ ſpeciei, dicuntur tamen pertinere ad eam reductivè: quia cum ſint voluntaria indirectè, non ſunt ita perfectè in tali ſpecie, neque habent adeo plenam malitiam, ac ſi fuiſſent ſcienter facta, & voluntaria directè: ut ſi diceremus, puerum reduci ad ſpeciem hominis, quia in ea ſpecie non eſt ita perfectus, ſicut vir. In quo ſenſu videtur exponere prædictam ſententiam Gregorius Mart. dub. cit. Verùm licet hoc non tam ad rem, quàm ad modum loquendi pertineat; facile tamen convincitur ex eodem exemplo, non eſſe ita loquendum. Ex eo enim quod puer non ſit ita perfectus homo, ſicut vir, nemo cum proprietate loquens dicet, puerum reductivè, & non per ſe abſolute & ſimpliciter eſſe in ſpecie hominis; ergo quod homicidium, v. g. commiſſum ex ignorantia culpabili non habeat ita plenam malitiam, atque haberet ſcienter commiſſum, non eſt ſufficiens ratio, ut excludatur à per ſe ſtantibus in ſpecie homicidii, & ſolum reductive ad illam pertinere dicatur. Et ratio eſt eadem utrobique: nam ſicut tota illa perfectio, qua puer à viro ſuperatur, non pertinet ad conceptum ſpecificum hominis, & ideo non tollit quominus talis ſpecies cum eadem veritate & proprietate ſit in uno atque in altero: ita exceſſus ille malitiæ, quo homicidium ſcienter commiſſum ſuperat commiſſum ex ignorantia, non pertinet ad rationem ſpecificam homicidii, quæ attenditur ſecundum objectum; ſed ad rationem individualem, ad quam pertinet eſſe magis, vel minus, ſic vel aliter voluntarium: atque adeo impedire non debet, quominus ipſa ſpecies æque per ſe & directe in unoquoque inveniatur, & de eo prædicetur. § Adde: quod ſi hæc ipſa peccata, quæ ex ignorantia committuntur, ſcienter committerentur, nemo ambigeret ea in ſuis propriis ſpeciebus directe collocare; & tamen etiam in illo caſu poſſent non eſſe volita directe, ſed ſolum indirecte & interpretativè: quatenus peccans teneretur vitare illa, & non vitaret: ergo quod propter ignorantiam ſint volita iſto modo, non impediet quominus directe & per ſe ad eaſdem ſpecies pertineant.

Quid de modo loquendi?

Per

Digitized by Google

Per quod patet ad fundamentum hujus tertiæ ſententiæ: nam ratio voluntarii ad peccatum ſolùm ſe habet præſuppoſitive, & tanquam res alterius generis: voluntarium enim pertinet ad ordinem phyſicum, peccatum autem ad ordinem moralem: unde neque eiſdem differentiis dividuntur, neque in ſuis denominationibus adæquantur. Et quamvis omne peccatum debeat eſſe voluntarium, & ſi ſit mortale, debeat eſſe voluntarium ſimpliciter; intra genus tamen hujus voluntarii quilibet modus ſufficit ad fundandum ſimpliciter tale peccatum: neque oportet ut eo modo ſit peccatum, quo fuerit voluntarium; ſed erit peccatum propriè, formaliter, directè & in ſe, quamvis voluntarium ſit ſolum virtualiter, indirectè, aut in cauſa: ut diſp. 5. num... explicuimus. ¶ Adde; quod *directum* & *indirectum* reſpectu voluntarii ſunt differentiæ per ſe & eſſentiales: & ideo eſſe voluntarium indirectè, non tollit eſſe voluntarium ſimpliciter: reſpectu verò peccati non ſunt differentiæ, ſed directum ſupponit pro eo quod eſt tale ſimpliciter; indirectum verò eſt additum diminuens, & denotat in eo, cui applicatur, eſſe ſecundum quid: unde quia ad peccatum ſimpliciter dictum ſufficit voluntarium ſimpliciter, ſub quacumque ſui differentia, ideo eſſe indirectè voluntarium non obeſt peccato ſimpliciter dicto: obeſſet autem eſſe indirectè peccatum, vel in peccati ſpecie. ¶ Adde ſecundo prædictum argumentum procedere eodem modo in aliis peccatis extra ignorantiam commiſſis: quorum plura indirectè tantum ſunt voluntaria; & non idcirco excluduntur à per ſe ſtantibus in ſuis propriis ſpeciebus: ſive conſiderentur in ratione peccati, ſive in ratione culpæ (hæc enim duo ad præſens, ubi ſermo eſt de peccato formaliter, & non tantum objective, in nullo diſtinguntur) ergo neque ex ignorantia commiſſa, ſive ut peccata, ſive ut culpæ ob prædictam rationem pertinebunt minus per ſe, vel minus directe ad prædictas ſpecies.

64 *Quarta ſententia examinatur.* In quarta ſententia examinanda eſt illa diſtinctio inter peccata, quæ pendent ex ſpeciali voluntatis intentione, & inter illa, quæ ex tali intentione non dependent: videndúmque an ſit ita, quod ignorantia in prioribus tollat ſpeciem, quam non tollit in poſterioribus; vel potius in omnibus ſit eodem modo philoſophandum. In quo fortè eſt aliquid de re, & aliquid de modo loquendi. Quod ad rem attinet, perſpicuum nobis eſt, prædicta peccata non dependere immediatè ex eo quod adſit ſcientia: quia quantumvis aliquis ſciens delinquat in illorum materiis, ut eſt v.g. materia ſcandali, poteſt non habere illam ſpecialem intentionem ruinæ alterius, quæ exigitur ad ſcandalum per ſe dictum; & conſequenter non committet tale peccatum. E contra verò ſi adſit ea ſpecialis intentio; quicquid ſit de ignorantia, committet prædictum peccatum. Quod ſatis oſtendit, illud in ſua ſpecifica ratione non pendere immediatè & per ſe ab ipſa ſcientia, ſed ſolum à prædicta intentione. Sed an hæc dependeat ab illa, itaut exiſtente ignorantia, nequeat dari talis intentio, non eſt ſic exploratum. Dicendum autem videtur, & requiri aliquam majorem notitiam, quàm pro cæteris peccatis, quæ non poſtulant eam intentionem: & non requiri ita plenam, quin maneat locus ignorantiæ, quantum ſufficit, ut peccata ita commiſſa, ex ignorantia procedere dicantur. Primum ex eo conſtat, quia ſaltem requiritur expreſſa cognitio objecti illius pravæ intentionis: ut in ſcandalo cognitio ruinæ ſpiritualis, in odio, mali illius, qui exoſus habetur, in invidia, boni, de quo diſplicentia ſumitur; & ita in ſimilibus: niſi enim hujuſmodi objectorum expreſſa ſubeat recordatio, nequibunt eſſe formaliter intenta. Talis autem expreſſa cognitio non exigitur in aliis peccatis, quæ prædictam intentionem non poſtulant: ſecundum, nempe non requiri ita plenam cognitionem, quin ignorantiæ locus remaneat, etiam liquet: nam cum ea notitia, quam dicimus, quæque ad intentum ſufficit, ſtare poteſt quod aliquis vincibiliter ignoret eſſe ſpeciale peccatum ſic operari, imo quod ignoret eſſe peccatum abſolutè, prohibitum aliqua lege: & forte etiam poterit ignorari aliquid pertinens ad factum. Quia igitur hujuſmodi ignorantia ſecum patitur prædictam ſpecialem intentionem, & alias eſt ſufficiens cauſa, ut peccata, quæ ab illa dependent, committantur; rationabilior nobis videtur modus loquendi quintæ ſententiæ, quæ nullam in hac re adhibens diſtinctionem, vel limitationem, de omnibus peccatis ex culpabili ignorantia commiſſis, ſive ſpecialem intentionem requirant, ſive non, generaliter affirmat eſſe ejuſdem ſpeciei, cæteris paribus, atque ſi ſcienter committerentur: juxta quam ſtatuetur à nobis concluſio.

§. IV.

Eligitur vera ſententia.

Dicendum igitur eſt, omnia peccata commiſſa ex ignorantia ſimpliciter vincibili, quatenus tali, ſive illa ſit juris cujuſcumque, ſive facti, ſive tollat rationis uſum, ſive non tollat, manere ſimpliciter in ſuis propriis ſpeciebus, ubi fuiſſent, ſcienter facta. 65
Hæc concluſio, quæ coincidit cum ultima ſententia, defenditúrque ab ejus auctoribus, nonnihil poſtulat explicationis. In primis enim non loquimur de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia ſecundum quid tantùm vincibili, adeóque invincibili ſimpliciter: uti eſt omnis illa, cujus negligentia fuit tantummodo venialis: quia ex negligentia ita levi non ſequitur ignorantia ſimpliciter voluntaria: atque adeo nec peccata, quæ ex tali ignorantia ſequuntur, habent eſſe voluntaria ſimpliciter; ſed ſecundum quid dumtaxat: ob idque non excedent limites peccati venialis: ſicut illa, quæ fiunt ex imperfecta deliberatione. Unde quia ſatis probabile eſt, peccatum, quod ex defectu voluntarii remanet veniale, diſtingui ſpecie ab eo, quod eſt plene voluntarium, adeóque mortale, etiam circa eandem materiam: ut ab hac difficultate, quæ infrà diſputatione 19. examinanda eſt, præſcindamus, nolumus prædicta peccata facta ex ignorantia ſecundum quid vincibili præſenti aſſertione comprehendere: ſed illa dumtaxat, quæ fiunt *Exponitur aſſertio.*

Digitized by Google

fiunt ex ignorantia ſimpliciter vincibili, ſuntque proinde ſimpliciter voluntaria: ſive alias ex genere ſint mortalia, ſive tantùm venialia.

Deinde non omnia, quæ quomodolibet ex ignorantia vincibili ſequuntur, erunt formaliter peccata; ſed quæ ſequuntur ex illa, qua ratione eſt vincibilis. Pro quo nota, eandem ignorantiam, quæ reſpectu unius effectus eſt vincibilis, poſſe eſſe invincibilem reſpectu alterius, qui ſimul ſubſequatur. Vel quia diligentia, quæ fieri potuit & debuit ad evitandum unum, fieri non potuit vel non debuit ad cavendum alium: & ideo quòd reſpectu primi adhibita non fuerit, reputatur negligentia culpabilis; non autem quòd adhibita non fuerit reſpectu ſecundi. Vel quia diligentia, quæ pro uno ſufficit, non ſufficit pro alio, v.g. in eo, qui vacans venationi occideret patrem putans eſſe feram, poſſet hæc ignorantia eſſe vincibilis reſpectu occiſionis hominis: quia ignorans non circumſpexit, neque adhibuit debitam diligentiam ad detegendum, an illac aliquis homo tranſiret: & poſſet eſſe invincibilis reſpectu circumſtantiæ patris: quia ad credendum, hunc ibi non eſſe, habuit ſufficiens fundamentum, eò quòd ipſum domi reliquiſſet, nec cordatè exiſtimare poſſet, tam citò illuc adventaſſe. In hoc ergo & ſimilibus caſibus eadem ignorantia eſt vincibilis reſpectu unius effectus, & reſpectu alterius invincibilis: ideóque primus dicitur ſequi ex illa in quantum vincibili; poſterior verò licet ſequatur ex ea, quæ alias eſt vincibilis, non tamen in quantum tali, ſed potius in quantum invincibili: ac proinde ille imputabitur agenti ut formaliter peccatum; iſte verò non erit peccatum niſi objectivè & materialiter. Ob hoc igitur addidimus in concluſione ex *ignorantia ſimpliciter vincibili quatenus tali*: per quam reduplicationem multa, quæ peccata videntur, eò quòd ſequuntur ex ignorantia aliàs vincibili, à malitia excuſantur.

66 Prima probatio. Sic ergo expoſita aſſertio defenditur ab auctoribus quintæ ſententiæ, cum qua coincidit. Et præter impugnationes cæterarum, quæ iſtius ſunt probationes, poteſt adhuc ſuaderi ex D. Thoma in præſenti art. 3. ad 3. & 4. ubi docet, in eo, qui peccat ex ignorantia ſecundum ſe peccaminoſa, puta qui ex ebrietate occidit, reperiri duo peccata: aliud ebrietatis, & aliud homicidii ſequuti ex ebrietate. *Homicidium* (inquit ad 3.) *gravius peccatum eſt, ſi ſit à ſobrio homine factum, quàm ſi fiat ab ebrio homine, quamvis hæc ſint duo peccata.* Et ad 4. *Dicendum, quòd ebrius meretur quidem duplices maledictiones propter duo peccata, quæ committit, ſcilicet ebrietatem, & aliud peccatum, quod ex ebrietate ſequitur.* Idem dicit quæſt. 3. de mal. art. 8. ad 3. ibi. *Dicendum, quòd ebrius, qui facit homicidium, meretur duplices maledictiones, quia duo peccata facit; & tamen minus peccat in homicidio, quàm ſi ſobrius occideret.* Et in 2. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2. ad 1. *Ebrius homicida duobus peccatis peccat, ſcilicet ebrietate, & homicidio.* Si autem tale homicidium non haberet ibi ſuam propriam ſpeciem, ſed reduceretur ad aliam, non eſſent duo peccata, ſed unum tantum, ſcilicet ebrietatis, ad quam homicidium reduceretur: imo neque eſſet ibi abſolutè peccatum homicidii, ſed ſolius ebrietatis.

D. Thom.

Expendit quoque ad rem Monteſinos ubi ſupra doctrinam tertii & quarti articuli præſentis quæſtionis, ubi docet D. Thom. quòd ignorantia vincibilis non excuſat à peccato propter illam commiſſo; diminuit verò tale peccatum, quia diminuit voluntarium: redditque hujus rationem, quia in peccatum, quod ignoratur, ſolùm fertur voluntas indirectè & per accidens. In his ergo expendit primò, quòd talis ignorantia dicitur non excuſare ab illo peccato: excuſaret autem ab eo, ſi tolleret ejus ſpeciem; quamvis non excuſaret ab alio, ad quod reduceretur. Secundo, quod dicitur diminuere illud: at ſi tolleret ſpeciem, non diminueret; non enim propriè dicitur diminui, quod totaliter aufertur, vel in aliud mutatur; ſed dicitur deſtrui & corrumpi. Tertiò quod dicitur voluntas ferri indirectè & per accidens in illud peccatum: quo oſtenditur & manere tale peccatum in ſua ſpecie, & ad hoc ſufficere, quòd ſit volitum indirectè. Sed expendi etiam poteſt quod habet quæſt. 2. de mal. art. 6. ad 11. ubi à circumſtantiis dantibus peccato ſpeciem ſolùm excludit illas, quæ invincibiliter ignorantur. D. Thom. *Si talis circumſtantia* (inquit) *ſit penitus ignorata tali ignorantia, quæ non habeat culpam, ſpeciem peccati non conſtituet, formaliter loquendo, ſed materialiter tantum*, &c. Ergo ſi non inculpabiliter, ſed potius culpabiliter ea circumſtantia ignorata ſit, uti ſunt omnes, quæ vincibiliter ignorantur, non ſolùm materialiter; ſed etiam formaliter ſpeciem peccati conſtituet: exceptio enim firmat regulam in contrarium.

Deinde poteſt probari aſſertio ex Paulo 1. ad Timoth. 1. ubi dicit, ſe fuiſſe prius blaſphemum, perſequutorem, & contumelioſum perſequendo Chriſtianos: quo oſtendit commiſiſſe verè ea peccata ſecundum ſuas proprias ſpecies: aliter non denominaretur ab illis abſolutè *blaſphemus*, *perſecutor*, &c. & tamen quando illa commiſit, laborabat ignorantia vincibili, & ideo ait, *ignorans feci*: ergo talis ignorantia non tollit propriam ſpeciem peccati. Secunda probatio. 1. ad Tim.

Tertiò probatur: nam qui ex ignorantia culpabili hominem occidit, incurrit irregularitatem ex delicto, & reliquas pœnas pro homicidio à jure ſtatutas, ut eſt communis Doctorum ſententia cum D. Thom. 2. 2. quæſt. 64. art. 8. Sumitúrque ex cap. *Dilectus* de homicid. cap. *ſignificaſti* 1. eodem titulo, & ex cap. *Clerico*, cap. *Hi qui arbores*, cap. *Sæpe* diſt. 50. ergo tale peccatum verè & propriè eſt homicidium; aliter pœnis ejus nequaquam ſubjaceret. ¶ Nec refert quod Cajetanus ait, ita occidentem haberi in jure pro homicida, & ut talem puniri; quamvis philoſophicè & in rigore homicida non ſit. Nam cum odia & pœnæ in jure contenta reſtringenda ſint potiùs quàm laxanda, non debet nomine *homicidii* quantum ad effectum punitionis intelligi, niſi quod propriè & in veritate homicidium ſit. Tertia.

Ratio autem pro noſtra ſententia efformanda eſt tum ex doctrina tradita in hoc dubio, tum etiam ex illa, quam tradidimus ſupra diſp. 10. num. 241. ubi explicuimus modum volitionis indirectæ, diximúſque illum 67 Vltima.

conſiſtere

Digitized by Google

conſiſtere in eo quod voluntas teneatur impedire aliquid, & non impediat: nam eo ipſo abſque alia expreſſiori volitione convincitur velle illud, quod non impedit: quatenus dum minus timet prætermittere obligationem, & incidere in id, quod à ſe impediendum erat, quàm aliud deſerere, ex cujus amore non impedit, jure convincitur malle in illud prius incidere, præceptúmque violare, quàm hoc poſterius deſerere: præfertque virtualiter hujus *non omiſſionem* illius contingentiæ: ſicut Nauclerus, qui tenetur impedire navis ſubmerſionem, & detentus ludo non impedit, convincitur malle, quod navis ſubmergatur, quàm ludum deſerere. Ratione ergo hujuſmodi virtualis præelectionis, effectus pravus non impeditus reducitur in voluntatem ejus, qui tenetur impedire, & non impedit: & ex hoc dicitur *volitus indirectè.* ¶ Hinc formatur ſequens ratio. Ignorantia vincibilis non tollit, quominus effectus pravus inde ſubſequutus, ſit volitus ſaltem indirectè: ergo neque impediet, quin talis effectus det peccato propriam ſpeciem malitiæ. Antecedens habetur ex modo prænotatis: nam prædicta ignorantia non tollit, neque ſuſpendit obligationem impediendi prædictum effectum: exiſtente autem & urgente ea obligatione, datur quicquid requiritur ad volitionem indirectam. Conſequentia autem habetur ex dictis a n. 63. ubi probatum manet ſufficere hujuſmodi volitionem ad tribuendam peccato ſpeciem.

Cõfirmatio. Confirmatur: nam eſto eſſent expreſsè cognita illa, quæ vincibiliter ignorantur, non ideo neceſſario eſſent directè volita; ſed poſſent eſſe volita ſolum indirectè, uti ſunt dum manent ſub prædicta ignorantia: ergo non ideo tribuerent aliam ſpeciem cognita expreſsè ab ea quam tribuunt ignorata: ut enim n. 56. oſtendimus, objectum, aut circunſtantiæ non tribuunt malitiam, quia cognoſcuntur; ſed quia appetuntur: adeóque exiſtente eodem modo volitionis, quicquid ſit de cognitione, eandem omnino malitiam conferent. Cum igitur expreſsè cognita, qualitercumque à volitione attingantur, unumquodque tribuat ſuam propriam ſpeciem, ut omnes fatentur, conſequens eſt, ut etiam vincibiliter ignorata eandem conferant.

Evaſio. Dices primò eſſe diſparem rationem: quia cum adeſt ſcientia pravi effectus, adeſt potentia illum præcavendi; per ignorantiam verò tollitur hæc potentia: nemo enim vitare poteſt illud, quod ignorat: quia ergo talis potentia exigitur ad rationem voluntarii, inde eſt ut ea ſublata, voluntarium quoque deficiat, vel ſaltem varietur; atque adeo etiam varietur malitia, quæ conſequitur ipſum voluntarium. ¶ Ad hæc: quod fit ex ignorantia, non eſt voluntarium ſimpliciter, ſed habet admixtum involuntarium: propterea enim ignorantia diminuit peccatum, quia quodammodo illud involuntarium efficit: quod autem ſcienter fit, etiamſi indirectè ſit volitum, eſt voluntarium ſimpliciter, nihil habens involuntarii admixtum: eſt ergo inter utrumque diſparitas quoad præſens.

68 Refellitur. Sed hoc facile refellitur: quia cum ignorantia vincibilis ſit voluntaria, & voluntariè acquiſita, in ea redditur voluntaria quælibet impotentia inde ſuborta: voluntaria autem impotentia non obſtat voluntario; nam reputatur pro potentia: pro eodem enim habetur *velle non poſſe*, atque *poſſe & velle non facere.* ¶ Adde, prædictam impotentiam, eo ipſo quod ſit voluntaria, eſſe impotentiam dumtaxat conſequentem; quæ proinde non tollit veram potentiam antecedentem: unde quia rem eſſe abſolutè & ſimpliciter poſſibilem, attenditur ex potentia antecedente, non verò ex conſequente; per illam, quicquid ſit de hac, regulanda eſt ratio voluntarii. Quod ergo is, qui vincibiliter ignorat, effectum pravum ex ſua ignorantia ſubſequendum, non poſſit illum vitare in ſenſu compoſito ejuſdem ignorantiæ, non tollit quominus talis effectus ſit ſimpliciter voluntarius; quia vitari poteſt potentia antecedente, adeóque abſolutè & ſimpliciter. ¶ Adde ſecundò, hanc evaſionem ab ipſis etiam adverſariis debere refelli: quia ſi quid convinceret, tolleret à peccatis factis ex prædicta ignorantia omne voluntarium, adeóque totam rationem culpæ: cum neque voluntarium, neque culpa locum habeat ubi non eſt potentia ad oppoſitum. Porro adverſarios non poſſe hoc admittere, ex eo conſtat, quia licet negent prædictis peccatis malitiam propriæ ſpeciei per ſe & directè; tribuunt tamen illis, vel eandem ſpeciem malitiæ indirectè, vel malitiam alterius ſpeciei reductive, aut ſaltem augmentum talis malitiæ: quorum nullum intelligi poteſt, ſecluſa omnino ratione voluntarii. Debemus ergo omnes pro tuenda hac ratione tueri ſimiliter prædictam potentiam.

Ad illud, quod additur, dicendum eſt, involuntarium, quod peccatis ex ignorantia vincibili admiſcetur, tantum eſſe ſecundum quid, & ideo non tollere quominus ſint voluntaria ſimpliciter, prout *ſimpliciter* eſt idem quod *abſolutè*, & diſtinguitur à *ſecundum quid:* quamvis non dicantur voluntaria ſimpliciter, prout ly *ſimpliciter* excludit omnem contrarii admixtionem, & eſt idem quod *purè:* ſicut de illis, quæ fiunt ex metu, diximus cum D.Th. ſuprà q.6. art.6. Sufficit autem, prædicta peccata eſſe voluntaria ſimpliciter in priori ſenſu, ut conſervent eandem ſpeciem, quam haberent ſcienter facta: ſicut peccata, quæ fiunt ex metu, eandem ſpeciem ſervant, ac ſi ſponte omninò fierent. Et ratio eſt, quam n. 70. tetigimus: quia ſpecies peccati non ſumitur ex modo voluntarii, ſed ex differentia objecti: & ideo eſſe magis, aut minus voluntarium, dummodo totum hoc ſit intra genus voluntarii ſimpliciter, non variat talem ſpeciem, ſed intra eam auget, vel diminuit malitiam.

Dices ſecundo, peccata commiſſa ex ignorantia non eſſe libera in ſe, ſed tantùm in ſua cauſa, in ipſa ſcilicet ignorantia, vel negligentia addiſcendi: quia tunc ſolùm adfuit facultas ad oppoſitum, quæ eſt de ratione libertatis: quæ autem ſcienter committuntur, ſunt libera in ſe ipſis, quia dum actu exequutioni dantur, adeſt talis facultas: eſt ergo ſufficiens diſparitas inter utraque, ut hæc in propriis ſpeciebus; illa verò extrà reponantur. 69 Evaſio alia.

Sed contra: nam aliud eſt *an peccata ex ignorantia ſequuta dicenda ſint peccata, & imputanda ex ſe ipſis; aut verò ſolum in ſua cauſa:* aliud autem *an eo modo quo ſunt peccata, & imputantur, pertinent ad eaſdem ſpecies, ubi eſſent ſcienter commiſſa.* Primum illud (pro quo forte Impugnatur.

evaſio

evaſio conduceret) modo non examinamus, ſed ſuprà diſp. 5. dub.6. late diſcuſſimus : ubi diximus quo pacto ebriis, dormientibus, & amentibus imputentur ad culpam, quæ in ebrietate, ſomno, vel amentia committunt, aut omittunt. Poſterius autem, quod hic decernimus, non tollitur per hanc evaſionem : nam eſto admitteremus, prædicta peccata in ſuis tantum cauſis imputari, quia in eis tantum ſunt libera, nequaquam per hoc tollitur quominus in ipſis cauſis, ubi imputantur, habeant eandem ſpeciem malitiæ, atque ſi fuiſſent ſcienter facta, & ideo libera, & peccata in ſe ipſis : quia eſſe liberum in ſe, vel in cauſa, aut in ſe, vel in illa imputari, non pertinet ad ſpeciem peccati, neque per hoc talis ſpecies variatur, ſed ad ſummum efficitur, quod illa ſpecies malitiæ non detur, neque agenti imputetur, quando effectus pravus ponitur ſine libertate, ſed tunc ſolùm quando liberè poſita fuit cauſa cum formali, vel virtuali volitione talis effectus. Ut videre eſt, ſi quis voluntariè det cauſam per ſe pollutioni, aut homicidio, quæ poſtea dum ſequuntur, impedire non poteſt : certum quippe eſt commiſiſſe prædicta peccata ſecundum proprias ſpecies, quando cauſam appoſuit, fuiſſeque in ea voluntate apponendi cauſam formalem malitiæ mollitiei, vel homicidii, etiamſi effectus poſtea, vel aliunde impediatur, vel ſequatur ſine libertate : cujus rei innumera alia ſunt exempla. Quod ergo effectus pravus ſequutus ex ignorantia, in ſe vel in cauſa ſit liber, aut quod in ſe, vel in cauſa ad culpam imputetur, omnino eſt impertinens ad inquirendam ſpeciem peccati, ubi debet reponi, & ad diverſificandam talem ſpeciem.

70 Animad. Pro cujus majori intelligentia nota, dupliciter poſſe intelligi, cum dicitur aliquis effectus eſſe volitus in cauſa, & eſſe peccatum in illa : vel ex hoc ſolùm quia cauſa, in qua effectus continetur, eſt volita, & eſt peccatum, neutrum tamen habet ex ordine ad effectum, ſed ſecundum ſe, vel aliunde : ut ſi diceremus nutritionem eſſe volitam, & eſſe peccatum in cauſa, ſcilicet in comeſtione carnium, qua violatur jejunium, quia ipſa comeſtio, & jejunii violatio eſt volita, & peccatum, quamvis non ex ordine ad nutritionem. Hic autem ſenſus valde materialis eſt, quia juxta illum, effectus aut ejus continentia in cauſa nihil conducit ad malitiam, vel volitionem ejuſdem cauſæ, ſed eſſet hæc eodem modo volita & peccatum, quamvis non contineret talem effectum. Vel poteſt intelligi in ſenſu formaliori, itaut effectus idcirco dicatur *peccatum in cauſa* : quia quod cauſa ſit peccatum, habet ex ordine ad illum, in quantum continet effectum ſecundum ſe peccaminoſum : & ſimiliter dicatur volitus in cauſa, quia cum voluntas teneatur non apponere, imo removere cauſam, ne ſequatur talis effectus ; dum illam apponit, aut non removet, cenſetur velle indirectè ipſum effectum : & ideo malitia effectus refunditur in volitionem formalem cauſæ, quatenus hæc eadem eſt ſimul volitio ſaltem virtualis aut interpretativa prædicti effectus. Ut ſi quis malitioſe propinet alteri potionem venenoſam, unde poſtea neceſſario ſequatur homicidium, dicetur hoc volitum, & peccatum in ea veneni propinatione ſicut in cauſa : quia ratio quare iſta ſit peccatum, eſt ordo & reſpectus ad homicidium ſubſequendum, & ratio cur ſit prohibita, eſt prohibitio ipſius homicidii. In his autem & ſimilibus malitia cauſæ omnino eſt ejuſdem ſpeciei, cujus eſſet malitia effectus, ſi is eſſet in ſe ipſo liber : ſicut in exemplo nunc poſito ejuſdem ſpeciei committit homicidium, qui præbet illam potionem unde neceſſariò mors ſubſequitur, etiam antequam ſequatur, ac ſi per actionem in ſe liberam homicidium conſummaret. Imò etiamſi mors aliunde impediretur, eſſet omnino eadem ſpecies malitiæ in prædicta cauſa : quia talis malitia non dependet, neque ſpecificatur ab effectu ut poſito in re, ſed dumtaxat ut volito in cauſa : cumque volitio hæc eadem ſit, impedito atque ſequuto effectu ; malitia etiam cauſæ & volitionis utrobique eſt eadem. Juxta hunc ergo ſenſum, non verò juxta primum intelligendum eſt, cum dicitur, ea, quæ fiunt ex ignorantia vincibili, eſſe peccatum in cauſa, puta in negligentia addiſcendi, quia in ea tantùm ſunt libera : habet enim unumquodque in prædicta cauſa, & in ejus volitione ſuam propriam & ſpecialem malitiam deſumptam ex ordine ad illud ibidem virtualiter volitum. Et ideo quot fuiſſent prædicta peccata volita & exequuta in ſe, quotque habuiſſent malitiæ ſpecies, tot eædemque ſpecies malitiæ ratione illorum præcedunt formaliter in ipſa cauſa & in ejus volitione. ¶ Diximus *ratione illorum*, &c. quia ſi talis cauſa etiam ſecundum ſe, independenterque ab effectibus ſit peccaminoſa & prohibita, habebit etiam ex hoc capite ſuam propriam malitiæ ſpeciem ultra omnes illas, quas deſumit ab effectibus.

Ultima evaſio. Denique occurres ſolum haberi ex noſtra doctrina, quod multa peccata ex ignorantia facta, ſint ejuſdem ſpeciei cum ſcienter commiſſis ; non autem quod omnia, aut quod à prædicta doctrina nulla exceptio fieri debeat : forte enim in aliquibus erit ſpecialis ratio, ut ab illa excipiantur. Verùm quia hoc effugium ſufficienter præcluſum eſt in hoc eodem dubio §. 2. & 3. ubi omnes limitationes ab adverſariis excogitatas impugnavimus, non oportet in ejus everſione immorari.

§. V.

Difficilis objectio enodatur.

71 EX dictis non obſcurè habetur ubi quærenda ſit propria & formalis malitia illorum peccatorum, quæ ex ignorantia vincibili oriuntur : non enim quærenda eſt in ipſis peccatis ad extra : tum quia actus purè externi non ſunt capaces malitiæ intrinſecæ ; ſed denominantur *peccata* à malitia actuum internorum, ut dub. præced. num. 44. dicebamus. Tum etiam, quia quæ per ignorantiam aguntur, quatenus ex ea procedunt, non ſunt libera in ſe, ſed ſolùm in cauſa : non enim pro tunc deficiente cognitione, adeſt ignoranti facultas ad utrumlibet : ſed tota ea facultas, proindéque libertas in cauſa præceſſit ; ubi autem non eſt intrinſeca libertas, nequit eſſe intrinſecè malitia. Tum denique, nam ſæpe committet quis peccatum ratione ignorantiæ, propterea quod proximo ejus periculo ſe expoſuit, etiamſi effectus aliunde impediatur : tunc autem tota ratio culpæ penes cauſam manet,

Digitized by Google

manet, nihilque ejus ad effectum pervenit. Requirenda eſt ergo prædicta malitia in ipſa cauſa, quæ fuit negligentia addiſcendi; & præcipuè in actu voluntatis, quo addiſcere neglexit, negligendóque, ſaltem virtualiter voluit ſequentia peccata, quæ per ſcientiam vitare tenebatur; per ignorantiam verò illorum ſe periculo expoſuit. Habétque locum hæc doctrina non ſolùm in ignorantia auferente uſum rationis, ut in ebrietate, amentia, vel ſomnô, ſed etiam ſuo modo in quavis alia, quæ hominem ſui compotem relinquit. Nam & ſi is poſſit tunc ratione uti in ordine ad ea, quæ cognoſcit; non tamen formaliter in ordine ad illa, quæ ignorat: unde pro iis de materiali ſe habet talis uſus quoad ſuum formale, & niſi fiat recurſus ad cauſam.

Neque obeſt ſi dicas, quòd cum aliquis ſui compos jacit ſagittam ad occidendam feram; occidit verò hominem, quem eſſe ibi ignorat vincibiliter, talis actio eſt formaliter & in ſe libera, & eſt ſimul cum actu voluntatis imperante jactum ſagittæ: ergo malitia iſtius peccati non erit intrinſecè in negligentia addiſcendi, ſed in prædicto actu. ¶ Reſpondetur enim, negligentiam addiſcendi aliquando eſſe conjunctam eidem actui, qui fit ex ignorantia; aliquando verò tempore illum præcedere: ut in exemplo poſito ſi jaciens inconſideratè illam ſagittam habeat tunc oportunitatem conſiderandi, & expellendi ignorantiam, & non conſideret, neque expellat, ibidem eſt formaliter negligentia: conſiſtitque potiſſimè in eo actu, quo voluntas inconſideratè jactum ſagittæ imperat: unde idem eſt reperiri malitiam in eo actu, atque reperiri in negligentia: quia in hoc caſu non ponunt in numero. Si autem oportunitas conſiderandi non adſit, ſed præceſſerit, etiam præceſſit negligentia, & in ea prædicta malitia. An verò actus voluntatis, qui ſubſequitur, & imperat jactum ſagittæ, habeat etiam intrinſecam malitiam à negligentia derivatam, vel ſolùm extrinſecè denominetur *peccatum* à malitia ipſius negligentiæ, parùm refert ad præſens: ſive enim illud, ſive hoc dicatur (videtur autem primum aſſerendum) ſalvatur quod intendimus, nempe malitiam cujuſcunque peccati ex ignorantia commiſſi præcedere formaliter in cauſa, quæ fuit negligentia addiſcendi; & in actu voluntatis importato in ea negligentia; ſive inde in ſubſequentes actus aliqua intrinſeca malitia derivetur, ſive ſola denominatio extrinſeca. Univerſaliter ergo ad dignoſcenda peccata, quæ per ignorantiam committuntur, non tam habenda eſt ratio ipſorum effectuum, qui tempore ignorantiæ exequutioni mandantur, quàm prædictæ negligentiæ, & actus voluntatis in ea incluſi: quot enim in iſtis formaliter vel virtualiter fuerint, volita peccata, tot eadémque re ipſa & coram Deo committuntur, tótque malitiæ ſpecies adſunt formaliter in prædicto actu: ſive per effectus ad extra poſtmodum conſummentur, ſive non: quæ autem in illis volita non fuerint, etiam ſi caſu accidant, neque in ſe neque in cauſa habebunt formaliter rationem peccati; quia nullibi ſunt volita. Porrò in negligentia addiſcendi illa peccata volita cenſenda ſunt, quorum proximo periculo aliquis exponitur, ſi ea ignoret, ut infra magis declarabitur.

Sed inſurgit hinc gravis objectio: quia qui incurrit ignorantiam vincibilem, exponitur pluribus peccatis ſpecie diſtinctis, quæ poſſunt ſequi ex tali ignorantia: ut ſiquis inconſideratè projiciat lapidem per feneſtram, poteſt inde ſequi homicidium vel laïci, vel clerici, vel parentis, quæ ſpecie differunt: ſimiliter ſi inebrietur, poteſt ignoranter incidere in fornicationem, mœchiam, inceſtum, furtum homicidium, parricidium, ſacrilegium, & alia: judex etiam, qui ſine debita ſcientia munus obit, exponitur periculo errandi circa vitam, circa honorem, circa bona externa, circa alia plura; de quibus debet judicare: ſi ergo omnino peccata, quibus aliquis per ignorantiam exponitur, ſivè ſequantur ſive non, imputantur formaliter ſecundum ſuas proprias malitias in negligentia addiſcendi, innumera penè imputanda erunt cuilibet ignoranti. Quod ſanè admittendum non eſſe ſatis liquet. Tum quia ſequeretur, gravius multò peccare eum, qui ex ignorantia vincibili hominem occideret, quàm qui occideret ſcienter & data opera: cùm hic non committat niſi unum peccatum; ille verò quamplura. Tum etiam quia cum adeo ſit hominibus frequens incurrere vincibilem ignorantiam, vix eſſet qui poſſet plura peccata ſatis gravia effugere, imo deberent omnes explicare in confeſſione quotquot pravi effectus potuerunt ex ſua ignorantia ſequi, tanquam peccata de facto jam commiſſa in cauſa, quod eſſet prolixiſſimum, innumeriſque ſcrupulis expoſitum. 72 Objectio.

Dices cum aliquibus, non omnia peccata, quæ ex ignorantia ſequi poſſunt, imputari agenti in ſua cauſa, ſed illa tantùm, quorum pericula prævidit, quando ſcire neglexit: quia hæc dumtaxat cenſentur volita in prædicta negligentia. ¶ Sed contra: nam (præterquam quod ea prævíſio non videtur neceſſaria, ſed ſatis eſſe obligationem prævidendi: imo non videtur cohærere, quod peccatum ſit prævíſum, & quòd tribuatur ignorantiæ) adhuc objectio urget. Tum quia poſſunt plurimorum pericula prævideri; eſſétque nimis durum omnia imputari. Tum etiam quia ſi quis ſolùm prævideret periculum alicujus peccati, aut aliquorum vagè, & nullum determinando, imputanda eſſent omnia, etiam non prævíſa, quæ poſſent ſequi: cum non ſit major ratio de uno, quàm de alio, & quàm de omnibus. Et ſimiliter ſi prævideret periculum duorum vel trium determinatè, ut furti, homicidii, adulterii, ſive copulativè, ſive diſjunctivè, erit magna confuſio in aſſignanda ſpecie illius peccati, propter eandem rationem: quia non apparet cur ex illis duobus vel tribus unum potius quàm alterum, vel quàm omnia imputandum ſit. Aliquorum ſolutio. Impugnatur.

73 Quid addat T. Sanchez.

Ad hæc Thom. Sanch. lib. 1. ſum. citato cap. 17. num. 16. ubi difficultatem tetigit, ſic cenſet diſtinguendum. Si ille, qui ignorat, dum ſcire neglexit, tantummodo prævidit imminere periculum alicujus peccati vagè, pertinebit ad eam ſpeciem, cujus eſſet hic actus ſcienter elicitus, *volo aliquod peccatum*, nullum determinando. Si autem prævidit imminere periculum duorum peccatorum vel trium ſive copulatim, ſive diſjunctim, pertinebit

ad eandem ſpeciem, cujus eſſet volitio ſcienter elicita committendi ea peccata ſive copulatim, ſive disjunctim. Simile quid ait Salas diſp. 8. ſect. 9.

Non ſatisfacit. Hæc tamen ſolutio (licèt quo pacto dat aliquam inſtantiam argumento extra terminos ignorantiæ, ſperni omninò non debeat) nequaquam tamen eſt ſufficiens. Tum quia non declarat quæ ſit ſpecies illius actus ſcienter eliciti *volo aliquod peccatum vagè*, aut illius *volo determinatè hæc duo vel tria, ſive copulatim, ſive disjunctim*: ergo neque ex ea habetur, quæ ſit ſpecies ſimilium peccatorum, dum ex ignorantia committuntur. Tum etiam quia non eſt undequaque verum, prædicta peccata commiſſa ex ignorantia fore ejuſdem ſpeciei, cujus eſſent illa alia ſcienter commiſſa, quæ in prædicta ſolutione aſſignantur.

Nam primum (nempe cùm ſolùm prævidetur periculum alicujus peccati vagè ſumpti) factum ex ignorantia, diverſæ ſpeciei debet eſſe ab actu iſto expreſsè elicito *volo vagè aliquod peccatum*. Hujuſmodi enim actus non fit niſi intendendo directè aliquod pravum motivum ex illis, quæ expreſsè volita conſtituunt ſpecialia peccata: qui enim dicit ſe velle committere aliquod peccatum vage, nullius materiam determinando, expreſsè debet moveri ab aliquo motivo: cumque non moveat illum aliqua delectabilitas vel utilitas orta ex peccati materia, ſiquidem nulla materia deſignatur; neceſſe eſt ut moveatur expreſsè ab aliquo, quod importatur in ipſa ratione formali peccati: puta vel ex diſplicentia Dei, volens peccare ut illum offendat: & hoc eſt peccatum odii ipſius Dei propriè dictum: vel ex tædio & repugnantia ad præceptum, & ut illud frangat: & hoc eſt peccatum ſpeciale inobedientiæ: vel ex odio aut diffidentia propriæ ſalutis, quaſi deſperans de illa, vel ut ſe ipſum ſpiritualiter interimat: & hoc erit ſpeciale peccatum aut odii ſui ipſius, aut deſperationis. Certum eſt autem, peccatum illud commiſſum ex ignorantia cum prævisione alicujus vagè ſumpti, non intendendo directè aliquod ex prædictis motivis, ut communiter non intenditur; ſed aliquam utilitatem, vel delectabilitatem, quæ de materiali ſe habet ad malitiam, non eſſe peccatum ita grave, ſicut ea, quæ retulimus, neque ad aliquam prædictarum ſpecierum pertinere. Ergo ſolutio illa non eſt undequaque vera.

§ Adde, quòd ignorans potuit prævidere non ſolùm aliquod peccatum vagè, ſed etiam duo vel tria ſine deſcendu ad hæc, vel ad illa: in quo caſu difficilius adhuc aſſignabitur malitiæ ſpecies: & an ſit una, vel plures: non ergo prædicta ſolutio tollit adæquatè objectionem. Sed nec vidimus aliquem eam accuratè expendentem; tangentem verò unum vel alterum.

74 Initium veræ ſolutionis. Pro vera ergo ſolutione eligimus in primis limitationem inter obiiciendum adhibitam: nempe quòd ut peccata, quæ ex ignorantia ſequi poſſunt imputentur agenti, cenſeantúrque volita in cauſa, debent eſſe aliquo modo ab eo prævisa, dum ſcire neglexit: & ideo quæ nullo modo prævìderit, non ei imputabuntur, neque in prædicta cauſa malitiam aliquam habebunt, ſed quantum ad hoc reputanda erunt ut invincibiliter ignorata. Ratio verò eſt: quia effectus non dicitur volitus in cauſa (loquendo, ut loquimur, de volitione indirecta) niſi in quantum apponens illam tenetur eam vitare ratione talis effectus, ne inde ſequatur: non enim ſufficit obligatio vitandi cauſam àliàs, vel ſecundum ſe; ſed debet eſſe impoſita ratione effectus, & in ordine ad illum præcavendum; aliter reſpectu talis effectus habebit ſe omninò de materiali, neque ad ejus imputabilitatem conducet: obligatio autem niſi cognoſcatur urgere hic & nunc, non ligat de facto, neque effectum ſortitur: debet ergo ea, quam diximus, ita præcognoſci: atque adeo etiam periculum effectus prohibiti debet præcognoſci, proindéque ipſe effectus ut ſub hoc periculo; cujus cavendi ratione, & non aliter talis obligatio urgeret.

Atque hinc habetur qualiter prædictus effectus prævideri debeat: non enim ſufficit animadverti ut metaphyſicè poſſibilem: quia communes leges non nituntur hujuſmodi potentiæ; ſed attendunt ad morale periculum, & ad illud, quod prudenter timeri debet. Unde quoad præſens, illi duntaxat effectus dicendi ſunt *prævisi*, quorum futuritio, vel contingentia ſub periculo proximo animadvertitur. Vocamuſque *proximum periculum*; cum effectus prohibitus, ſuppoſita ignorantia, alia via humano & morali modo caveri non poteſt: ſi namque poſſit adhuc ſufficienter vitari, periculum erit tantùm remotum: ideoque effectus ipſe non erit ſufficienter prævisus ut ad culpam imputetur. Sed licèt requiratur prævisio, quam dicimus; non tamen alia major: ut quòd effectus cognoſcatur certo futurus, aut quod occurrat memoria illius diſtinctè & in ſe; ſed ſufficit animadverti confusè & in communi periculum alicujus effectus pravi quiſquis iſte ſit. Imo ſufficit hujus periculi timor vel ſuſpicio; quandiu per contrarium judicium talis ſuſpicio vel timor ſaltem probabiliter non deponitur: ut in ſimili diximus diſp. 10. num. 160. ibidemque rationem tradidimus: multaque alia, quæ pro præſenti difficultate neceſſaria ſunt, habes illa diſp. toto dub. 4. qua de cauſa non plura hic repetimus.

Hoc ſuppoſito, reſpondetur ad objectionem, regulariter loquendo non imputari ignorantibus tot peccata, ſicut in ea referuntur: 75 Pergit ſolutio. quia licèt metaphyſicè loquendo, omnia illa ex ignorantia ſequi poſſint, moraliter tamen nunquam fit, ut omnium prævideatur proximum periculum, aut quòd tale periculum prudenter timeri debeat: & licèt de omnibus occurreret aliqua ſuſpicio, citò hæc removeretur per judicium contrarium, quo vel omnium vel plurium non futuritio ſaltem probabiliter dignoſcitur. Quod non obſcurè oſtenditur in exemplis objectionis: nam qui inconſideratè proiicit lapidem per feneſtram, etiam ſi multa poſſint indeſequi homicidia, poterit nullius periculum, vel unius tantùm animadvertere: & conſequenter vel nullum, vel unum duntaxat volitum cenſebitur. Imo etiam ſi omnium illorum trium homicidii, parricidii, & ſacrilegii mentio occurrat, non eo ipſo imputabuntur omnia; quia fortè antequam jactum lapidis apud ſe determinet, efformabit judicium probabile, quòd tunc nec pater, nec clericus

Digitized by Google

c'ericus illac tranſeat : quo exiſtente judicio, prædicta advertentia ſolum efficiet volitum homicidium laici, circa quem non formatur tale judicium.

Quod ſi in hoc priori exemplo non difficile appareat, poſſe committi omnia illa : quæ referuntur ; in ſecundo id eſt plus quàm difficile : quia nullus eſt ebrius, qui tot peccata ex ſua ebrietate cordatè pertimeſcat. Quæ autem ab illis prævisa cenſeantur, declarat Cajetanus 2.2. quæſt. 151. art. 4. hac regula. Si ebrius id jam duxit in conſuetudinem, illa peccata cenſentur ab eo prævisa, quæ committere conſuevit exiſtens in ea diſpoſitione : regulariter autem hæc erunt pauca, & ſæpe nulla : nam ſunt multi, qui pacificè in ſomno ducunt totam ebrietatem. Si autem tunc primò inebrietur, adeóque inexpertus ſit, illa pro prævisis habenda ſunt, quæ ſimiles perſonæ, dum ſunt in ebrietate, regulariter committunt : aut verò ſi fortè ob peculiares circunſtantias aliquando occurrentes, ſive expertus, ſive inexpertus, alterius inſoliti peccati morale periculum ſpecialiter animadvertat. Cætera autem poſſibilia, ſi forte accidant, caſualia & imprævisa cenſebuntur. Imo & in aliquo caſu *imprævisa* dicentur, etiam quæ communiter ab ebriis committuntur, ſi ob ſpeciales circunſtantias occurrentes fiat prudens judicium, quòd tunc ceſſet periculum talium peccatorum : vel ſi illi, qui ſe inebriat, nulla ſubeat cogitatio aut ſuſpicio, quòd inde poſſint aliqua peccata oriri. Unde tradita regula non excludit, quin tempore inebriationis occurrere debeat aliqua advertentia futuri periculi, ſaltem indirectè & confusè, ex qua intellectus moveri poſſit ad illud examinandum, & præcavendum. Cui regulæ aliam adjicere placuit ex Thoma Sanch. lib. 1. ſum. cap. 16. num. 43. ubi ait, ebrios communiter non perpetrare ea, quæ alias peccata eſſent, niſi ab aliis irritatos, & ita communiter eſſe à caſu, nec teneri ebrios ea præcavere : quòd irritantium culpæ id potius tribuendum ſit, ac reſpectu ebriorum caſu accidant. Limitat verò : niſi in eo loco ſe inebriarent, in quo præviderent fore ut ab aliis irritentur, & ſic fore periculum ea peccata perpetrandi. Cum enim ebrius tunc irritationem futuram prævideriт, & ſe culpabiliter irritabilem effecerit, atque irritandum expoſuerit, voluit proculdubio ſubinde quicquid cum ebrietate & irritatione moraliter connexum eſt. Et præterea ſcandali generalis peccatum admiſit præbendo aſtantibus proximam irritandi ad ea peccata occaſionem. Hæc Sanch.

Caiet.

Thom. Sanchez.

In tertio etiam exemplo regulariter non multa erunt peccata : quia plura ex illis, quæ ex judicis ignorantia ſequi poterant, poterunt ab illo [illegible] ſufficienter evitari : vel interrogando peritum, ubi judicandi occaſio occurrat : vel [illegible], antequam judicium ferat, ignorantiam [illegible] : ſola verò, quæ de proximo imminent, [illegible] interrogandi, neque ſtudio [illegible], cadent ſub proximo periculo : hæc autem regulariter non ſunt multa. Cæterum quotquot ea [illegible] in hoc quam in cæteris exemplis, [illegible] convincit habere in cauſa propriam [illegible], quia pro omnibus adeſt fundamentum [illegible] ipſa cauſa volita cenſeantur : nihilque [illegible] exigitur, ut voluntas inde malitiam deſumat.

Quare ad primam probationem in contrarium negatur ſequela, regulariter loquendo, & de ignorantia non affectata : quia licèt ex hac committat quis aliquando plura peccata ; minus tamen peccat, quàm qui ſcienter & data opera patratur unicum homicidium : adeo enim ipſa ignorantia voluntarium & malitiam diminuit, ut ſæpe plus tollat, ſeu minus relinquat malitiæ in multis ita commiſſis ſimul ſumptis, quam ſit in uno commiſſo ex certa intentione : ut docet D. Thom. in præſenti artic. 2. ad 2. & quæſt. 3. de mal. art. 8. ad 4. ¶ Diximus *regulariter loquendo* : quia tot poſſunt eſſe peccata volita in ignorantia vincibili, adeove gravia ſecundum ſuas ſpecies ut eorum malitia ſuperet malitiam alterius peccati ſcienter commiſſi ex ſpecie levioris. ¶ Diximus etiam *de ignorantia non affectata* : quia de affectata poteſt ſequela admitti, eò quòd non ſic diminuit malitiam, ſed aliquando auget : ut dicemus dub. ſequenti.

76 Ad primam probationem.

Ad ſecundam probationem negatur etiam ſequela : quia homines probi & timorati cum deliberatè operari volunt, præſertim in rebus gravioribus ; quæ poſſunt eſſe materia peccati mortalis, regulariter adhibent ſufficientem diligentiam, ne ſe peccandi periculo exponant, adeo ut multi per totam vitam nunquam operentur niſi tuta conſcientia, & ſufficienti præmiſſa conſideratione ad quodcunque mortale cavendum. Quòd autem inconſiderati, ſuæque ſalutis immemores ſæpe incurrant ignorantias culpabiles, & in eis multorum peccatorum periculo ſe exponant, ipſaque peccata ſaltem in cauſa committant, nec negandum eſt, nec præſenti doctrinæ opponendum : ſicut etiam non eſt improbandum, quòd pœnitens examinare, & in confeſſione explicare debeat non modo quæ peccata opere commiſerit, ſed etiam quorum ſe proximo periculo expoſuit, quantum morali & communi diligentia aſſequi potuerit : qua adhibita, ſi expreſſiùs ea peccata non occurrant, ſufficiet dicere, ſe operatum fuiſſe inconſideratè & cum formidine alicujus vel aliquorum peccatorum quæ neſcit. ¶ Ex aliis verò quæ ſolutionem ibi datam impugnant, primum & ſecundum parentheſi incluſa diluimus diſp. 10. num. 143. & duobus ſequentibus : inde enim ſatis conſtat, prædictam obligationem conſiderandi nihil ad intentum conducere, niſi ejus ut urgentis hìc & nunc aliqua mentio occurrat : in quo ipſo prævidetur aliqualiter periculum pravi effectus, cujus cavendi gratia & non aliter ea obligatio urget. Et etiam conſtat ex num. 174. qualiter cum dicta præviſione cohæreat, peccata inde ſequuta oriri ex ignorantia.

Ad ſecundam.

Unum autem obſervare hìc placet : nimirum quòd ſi is, qui ex ignorantia peccat, det operam rei illicitæ, puta quia actio, cui ſcienter incumbit, & ex qua ſequitur effectus incognitus, non modò ratione ipſius effectus, ſed ſecundum ſe eſt peccaminoſa, etiam ſi neque periculi talis effectus, neque ejus cavendi obligationis mentio expreſsè occurrat, ſed ſola ipſa actio ut ſecundum ſe prohibita expreſsè cognoſcatur, poterit prædictus effectus aliquando imputari ad culpam, cenſerique interpretativè prævisus & volitus in tali actione : quod minime haberet, ſi ignorans latet operam rei licitæ. Cujus diſcriminis rationem tetigimus

77 Obſervatio.

Digitized by Google

diſp.cit.n. 163. quia videlicet in primo caſu illa expreſſa cognitio malitiæ cauſæ, & obligationis vitandi illam ſecundum ſe, poteſt eſſe aliquando intellectui ſufficiens principium diſcurrendi, & inquirendi an lateat ibi aliqua alia malitia, ob quam & non ſolùm propter propriam debeat vitari prædicta actio: facilis enim erit ab una malitia in aliam aliquando hujuſmodi diſcurſus propter aliquam ſpecialem inter eas connexionem: ubi autem intellectus habet ſufficiens principium deveniendi in cognitionem alicujus, quod ſcire tenetur, hujus ignorantia proculdubio eſt vincibilis; atque adeo ſufficiens ut quod ita ignoratur, imputetur propter illam. E contra verò in ſecundo caſu cum res ſecundum ſe licita appareat, nulliúſque alterius malitiæ vel obligationis ſubeat recordatio, non datur intellectui ſufficiens principium detegendi talem malitiam: & ideo quæcunque ibi contineatur, cenſetur invincibiliter ignorata. ¶ Diximus, in primo caſu, aliquando non verò ſemper ita contingere: quia multoties malitia cauſæ ita diſparatè ſe habebit ad malitiam effectus, ut cognitio illius non ſit ſufficiens principium in iſtam deveniendi: tuncque non habebit locum doctrina præſentis obſervationis. Quam tanquam valde probabilem voluimus hic adiicere, ut inter dantem operam rei licitæ & illicitæ aliquod diſcrimen aſſignaremus. Sine quo difficile erit conciliare plura juris teſtimonia, & aliqua D. Thomæ, ubi ad prædictum diſcrimen ſit recurſus.

78 Proſequitur ſolutio.

Sed noſtram proſequendo ſolutionem, ad tertium ubi dicitur poſſe plurimorum peccatorum pericula prævideri, conſtat ex dictis num. 75. non ita communiter accidere. Quod ſi prævideatur, & nihilominus homo ſit negligens in acquirenda ſcientia, qua cavenda ſunt, hoc ipſum oſtendit voluntatem ejus magis depravatam: utpote tot peccata, quorum pericula prævidit, non recuſantem, neque metuentem; adeóque nec recuſandum eſt omnia illi imputare. Ultimum de confuſione, ſeu indiſtinctione ſpecierum malitiæ facilè etiam componitur, quando ab ignorante præviſum fuit determinatum peccatum, ſive unum dumtaxat ut homicidium, ſive multa copulatim ut furtum, homicidium, & adulterium. Tunc quippe ſicut qui expreſsè vellet occidere, haberet in ea volitione determinatè malitiam homicidii; & qui expreſsè vellet omnia hæc tria *furari*, *occidere*, & *mœchari* haberet in illa tres malitias, furti, homicidii, & adulterii, ſive hujuſmodi peccata opere compleret, ſive non: ita qui ex ſua ignorantia prævidet determinatè periculum homicidii, habebit in cauſa malitiam ſpeciei homicidii; & qui prævidet periculum furti, homicidii, & adulterii, habebit ſimiliter in cauſa tres malitias earundem ſpecierum, ſcilicet furti, adulterii, & homicidii: quia in hoc & in illo primo caſu non eſt diſcrimen ex parte objectorum, ſed ſolùm ex parte modi volendi: quatenus in primo ſunt volita directè & formaliter; in ſecundo verò indirectè & interpretativè: quod diſcrimen cæteris paribus non variat ſpeciem peccati, ut diximus num....

Sed & ſi prævideantur tria illa diſiunctim, nempe quia ignorans advertit, ex ſua ignorantia unum dumtaxat ſubſequendum, eò quòd omnia ſimul ſcit ſequi non poſſe, & aliàs cujuſlibet æqualiter imminet periculum, dicendum eſt committi ea peccata in cauſa, & habere ſimul in illa unumquodque ſuam propriam malitiam: non ſecus ac cum prævidentur copulatim ſubſequendo. Et ratio eſt: nam qui ita operatur, licèt abſolutè ſolùm velit unum ex prædictis peccatis; conditionatè tamen vult, conſentitque in omnia: quia vult unumquodque ſub conditione quòd alia non ſequantur: ut autem voluntas capiat ab aliquo objecto propriam ejus malitiam; ſufficit conſentire in illud ſub conditione non auferente ab eo mali rationem, ſicut in præſenti non aufert. Unde quemadmodum ſiquis expreſsè haberet hunc actum *ſi non occurrat occaſio occidendi inimicum, occurrat autem accipiendi ejus bona, volo furari & non occidere; ſi verò è contra, volo occidere, & non furari*, non eſt dubium committere utrunque peccatum quantum ad malitiam, quia voluntas in utrunque conſentit, licèt ſub illa conditione: ita dicendum eſt in caſu, de quo loquimur: quod enim præſtaret hic volitio formalis, præſtat ibi interpretativa. Verum tamen eſt, intra prædictas ſpecies gravius peccare, qui prævidet omnia illa collectivè ſubſequenda, quàm qui prævidet ſubſequenda diſiunctim: ſicut gravius peccat, qui vult abſolutè quodcunque peccatum, quàm qui illud vult ſub conditione.

Neque obeſt ſi obiicias, quòd dum plures malitiæ ſpecies in eodem actu concurrunt, debent ſervare ordinem, ita ut una ſit prima & eſſentialis; cæteræ verò accidentales & ſecundariæ: at inter ſpecies, de quibus loquimur, nequit aſſignari talis ordo, neque reddi ratio cur una ſit prior & alia poſterior. 79 Tollitur levis Objectio. ¶ Reſpondetur enim hujuſmodi inconveniens apud nos nullum eſſe: nam D. Thom. ſupra quæſt. 18. art. 10. ad 3. expreſsè ait, *non eſſe inconveniens, quod unus actus moralis ſit in pluribus ſpeciebus moris etiam diſparatis*. D. Thom. Atque adeo quæ nullum inter ſe ordinem ſervent. ¶ Adde, hanc replicam eodem modo militare in peccatis ſcienter commiſſis: nam ponamus, aliquem eodem actu ſimul velle occidere, mœchari, & furari: non enim repugnat, ſimul hæc omnia, eodémque actu à voluntate appeti: ſanè in hoc caſu non eſt major ratio cur una ex prædictis malitiis ſit prior alia, quàm in eo, de quo agimus. Quod ergo in iſto, qui ab omnibus eſt ſolvendus, dictum fuerit, dicemus in illo.

Difficilius componitur hic caſus, quando ignorans providit periculum peccandi vagè & in confuſo ſine determinatione hujus aut illius peccati. Difficilis caſus. Tum quippe cum neque copulativè, neque ſub diſiunctione aliqua objecta deſignentur, non apparet ratio cur ab hoc potiùs quàm ab illo, aut ab uno quàm à multis ſumatur ſpecies. Nec pro hoc erit inſtantia actus volendi directè, & formaliter hoc idem, quod interpretativè vult ille ignorans, nempe *peccare ut ſic*: nam talis actus ratione expreſſi motivi habet determinatam ſpeciem longè pejoris conditionis, quàm habere poteſt volitio interpretativa ignorantis: ut vidimus numero 73.

Dices

80 *Inutilis ſolutio.* Dices primò, in hoc caſu attendendos eſſe effectus pravos, qui de facto ex ignorantia ſequuntur: & quot fuerint hujuſmodi effectus ſpecificè diverſi, tot, eædemque reperientur ſpecies malitiæ in cauſa. ¶ Sed hunc dicendi modum improbat manifeſta ratio: quia ut diximus num. 71. malitia, quam habet cauſa ratione effectuum, non dependet ab illis ut poſitis in re, ſed præcisè ut volitis: poſſunt autem multa eſſe volita, quæ de facto in re non ponantur, eò quòd illorum exequutio aliunde impeditur: ſicut etiam poſſunt aliqua ex ignorantia caſu accidere, quæ nullo modò ſint volita: ergo regula ad diſcernendam prædictam malitiam non poteſt ſumi ex effectibus, qui de facto ſequuntur. ¶ Adde, poſſe accidere, ut poſtquam aliquis incurrit vincibilem ignorantiam prævidens peccandi periculum, nullus pravus effectus illorum, qui ignorantur vincibiliter, re ipſa ſequatur: & etiam quòd ſequatur alius omnino invincibiliter ignotus: nemo autem in hoc caſu dicet, adfuiſſe in ignorantia vel ejus cauſa malitiam hujus effectus invincibiliter ignoti, qui ſequitur de facto; aut liberabit illam ab omni malitia, quia alii effectus vincibiliter ignorati non ſuquūtur.

Solutio alia etiam inefficiens. Dices ſecundò, conſiderandum eſſe effectum graviorem, qui ex ignorantia illa moraliter ſequi poſſit, & ab hoc deſumi ſpeciem malitiæ: quia eſt majus malum, cui ignorans exponitur, & in quo leviora quaſi eminenter continentur. ¶ Sed contra: nam ſi effectus ille gravior dat ſuam propriam ſpeciem malitiæ, quia ignorans periculo ejus exponitur, eadem ratione aliorum minus gravium, quorum ſimiliter exponitur periculo, dabit unuſquiſque ſuam propriam ſpeciem: aut ſi iſti, eo periculo non obſtante, non tribuunt illam; neque ille gravior propter tale periculum eam tribuet. Quod autem dicitur de continentia eminentiali, nullius momenti eſt: quia nullum eſt peccatum quantumvis grave, in quo malitia alterius plenè & adæquatè contineatur, & ſicut conjunctum ex utroque peccato ſimul ſemper erit pejus pecccato ipſo graviori: ita ſemper graviùs delinquit, qui utriuſque periculo, quàm qui ſolius gravioris exponitur. Plus ergo malitiæ habet cauſa utriuſque (ſaltem extenſivè) quàm ſit malitia prædicti gravioris peccati.

81 *Solutio tertia.* Tertio dicunt nonnulli, in prædicto caſu unicam tantùm ſpeciem malitiæ reperiri in cauſa: non quidem deſumptam ab aliquo determinato effectu, quia cum nullus prævideatur, nullus poteſt eam conferre; ſed à præviſo periculo incidendi in peccata vage & confusè: eſſéque hanc ſpeciem veluti communem non per prædicationem, ſed per quandam æquivalentiam ad omnes, quæ poſſent deſumi ex effectibus particularibus vincibiliter ignoratis, ſi fuiſſent præviſi: longè autem minoris malitiæ, quàm ſit actus volendi peccare directè & formaliter, de quo diximus num. 73. nec quærendum eſſe illi nomen, ut deeſt aliis multis: pertinere verò vel ad aliquod vitium ſimiliter innominatum; vel ad aliquod ſub imprudentia, ut temeritatem vel inconſiderationem; vel fortè ad nullum: ſunt enim aliqua peccata, quæ nullum vitium generant quantumvis repetantur: ſicut etiam dantur plures actus boni, & honeſti, qui non generant habitum virtutis, neque ad aliquam determinatam ſpectant, ſed ſufficienter reducuntur in ipſam naturalem inclinationem voluntatis ad bonum, quæ circa illa objecta in ordine ad quæ eſt completa, & ſufficienter determinata, neque indiget habitu virtutis acquiſito ad rectè, & promptè operandum; neque ſinit generari habitum vitii per actus peccaminoſos. Qua ſolutione ceſſat omnis confuſio, & tollitur difficultas, in qua laboramus. Hic modus dicendi (qui parùm à Cajetani ſententia diſtinguitur) aliquando non diſplicuit; admittebámque pro hoc caſu diſcrimen inter ignorantiam juris, quæ non velat determinatum objectum, licèt occultet malitiam, & ignorantiam facti, quando totaliter utrumque velat, ſicut in præſenti caſu: quia ſemper difficile judicavimus determinare alia via cum ſufficienti fundamento ſpeciem malitiæ, quam quærimus. Quod ſi prædicta ſententia à nobis amplectenda eſſet, cogeret proculdubio difficultas hujus objectionis, non Cajetani fundamentum, quod §. 2. impugnavimus.

Sed ne ita incedendo deſeramus communiorem viam, quam ſupra elegimus (hac enim non ſalvatur, peccata ex ignorantia commiſſa manere in eiſdem ſpeciebus, ubi eſſent ſcienter facta; nedum juxta univerſalitatem noſtræ aſſertionis, verùm nec cum limitationibus ſecundæ, & tertiæ, & quartæ ſententiæ) & etiam quia fundamenta, quibus §. 4. noſtram & ultimam communivimus, magis urgent, relicto abſque majori impugnatione hoc quoque ultimo dicendi modo, reſpondetur, quod in caſu propoſito attendendi ſunt effectus pravi ſpecificè diverſi, quorum probabili periculo judicio prudentis ignarus exponitur ex vi ſui modi operandi, attentáque ejus habituali notitia: omnéſque hujuſmodi effectus debent illi imputari ut interpretativè voliti, interpretativéque præviſi in illa qualiquali advertentia, qua prænovit periculum peccandi vagè & cõfusè: & ideò quot fuerint prædicti effectus, tot eædémque ſpecies malitiæ adfuiſſe dicentur in ignorantia vel in ejus cauſa. Supponitur verò, prædictam advertentiam, licèt fuerit confuſa, fuiſſe tamen plenè deliberatam: nam ſi fuiſſet tantùm ſemiplenè, excuſaret ab omni culpa mortali juxta dicta diſp. 10. dub. 4. Non autem refert, quòd in illa occurrerint multa peccata vagè, ſeu eorum periculum, vel unum dumtaxat: quia idem eſt unum vage acceptum, ac multa disjunctivè; multa autem disjunctivè quoad præſens æquivalent multis copulativè, ut vidimus num. 79. *Vera ſolutio.*

Diximus *effectus qui ſecundum judicium prudentis*, &c. quia impoſſibile eſt, prædictos effectus certiori alia regula deſignare: cùm hoc dependeat ex tempore, loco, perſonis, & aliis circunſtantiis, quæ pro caſuum diverſitate communiter diverſificantur. ¶ Diximus etiam *ex vi ſui modi operandi, attentáque ejus habituali notitia*, &c. quia prudens in ferendo judicio non præcisè attendere debet, quæ ex natura rei prædictum periculum parient; ſed qualiter modus operandi ignoranter ſit illi expoſitus: fieri enim poteſt, ut rebus bene penſatis, nullum periculum immineat; & nihilominus ignorans reus ſit 82

culpæ propter temerarium & inattentum modum agendi; quia malitia moralis non dependet ab eo, quod eſt ſecundum rem, ſed ex modo judicii & apprehenſionis, quo quis ducitur in agendo. Debet ergo potiſſimùm ſpectari hic agendi modus, ejúſque temeritas & inattentio, quidque ignorans cognoſcat habitualiter, & quæ poſſent, quantum eſt ex iis principiis, ſeu juxta ea prudenter conjectando, pericula timeri, v.g. ſi is, qui proiicit lapidem vel ſagittam in locum, per quem habitualiter ſcit, nullum hominem ſolitum pertranſire; non autem ſic ſcit non tollere tranſire animalia domeſtica (quamvis re ipſa neque hæc tranſire ſoleant) nihilque de tranſeuntibus examinet: ex vi hujus modi operandi timeri debet occiſio bruti, non autem homicidium: quia quantum ad hoc, ſuppoſita notitia habituali, non eſt temerarius prædictus modus; ſecùs verò quantum ad illam. Quod ſi habitualiter ſciret non poſſe pertranſire Clericum (fortè quia ſcit, nullum exiſtere in illo opido, neque aliunde venturum) at non ita ſcit non poſſe tranſire hominem Laïcum, etiam ſi re ipſa neque iſte tunc tranſire poſſit, timenda erit ejus occiſio, non verò occiſio Clerici. Denique ſi habitualiter ſciebat, promiſcuè illàc ſolitos tranſire Clericos & Laïcos, aut oppoſitum habitualiter ſibi non conſtaret, & prædicto modo operaretur, timendum eſſet tam Laïci quàm Clerici homicidium: & ideo utrunque ſecundum propriam malitiam imputandum.

Numeramus autem inter attendenda notitiam habitualem ut valde conducentem ad intentum: quia cum ea notitia, & cum certitudine, ac ſecuritate habituali ex ipſa orta non videtur ſaltem permanenter cohærere contrarius timor vel formido: ſicut cum ſcientia habituali alicujus objecti non compatitur permanenter judicium erroneum, aut formidoloſum contrarium reſpectu ejuſdem omnino propoſitionis. Ubi autem non eſt poſſibilis timor alicujus periculi, neque etiam poteſt eſſe obligatio attendendi illud periculum: quippe ſolus timor talis periculi inducere poterat prædictam obligationem. Ceſſante ergo tunc obligatione attendendi, carentia attentionis non erit privativa, atque adeo non efficiet modum operandi temerarium & culpabilem. Exemplum ſit: ſi Paſtor, vel Eremita degens in vaſtiſſima ſolitudine, certúſque habitualiter, nunquam homines illùc pervenire, mittat lapidem ad percutiendam feram, non conſiderans an homo tranſeat, vel non tranſeat, nemo prudens temerarium diceret modum hunc operandi, neque ex eo homicidii periculum pertimeſceret: quia habitualis notitia operantis, qua certus eſt neminem tranſiturum, tollit obligationem actu id attendendi, liberátque agendi modum à temeritate, cui, ſecluſa prædicta notitia, obnoximus maneret. Atque hoc proportionali modo facile erit in cæteris diſcurrere, attendendo tempus, locum, & alias circunſtantias: præcipuè verò quid operans noverit habitualiter, quidque actu conſiderare debeat, & omittat: indéque prudenter conjectando circa quæ objecta, vel circunſtantias, ſive effectus modus operandi dici debeat temerarius, & inattentus privativè, adeóque illorum periculo expoſitus.

Quod ſi prædictis omnibus attentis, nullus tandem appareat effectus peccaminoſus, cujus probabili periculo operans ſe exponat: conſequenter nullum erit ibi peccatum ex ignorantia vincibili commiſſum, etiam in cauſa: éritque proinde extra terminos hujus dubii, imò & de ſubjecto non ſupponente, quærere ſpeciem talis peccati. § Si verò inquiras, ad quod vitium vel ſpeciem pertineat peccatum repertum in tali caſu, ſuppoſito quòd modus operandi adhuc ſit inconſideratus & inattentus: ſive nullo omninò cogitato periculo; ſive cogitato duntaxat reſpectu alicujus mali in communi, cujus nec prudens valeat materiam deſignare? Reſpondetur, pertinere ad vitium inconſiderationis, quod ſpecialiter opponitur prudentiæ: aut verò etiam pertinere poterit ad negligentiam, vel ad aliud vitium aut quaſi vitium, ex cujus motivo inattentio illa proceſſerit.

DUBIUM IV.

Qualiter ignorantia excuſet, vel diminuat peccatum?

IN hoc dubio quædam ſupponemus, quia citra controverſiam ſunt; quædam verò, quia incerta ſunt, examinabimus. Porrò ignorantiam excuſare peccatum nihil aliud eſt, niſi quòd ſtante legis prohibitione, & quòd actus contra talem prohibitionem fiat, non ſumat malitiam formalem ex ejus tranſgreſſione, neque propter illam ad culpam imputetur; ſed evadat liber à culpa & malitia ratione ignorantiæ. Diminuere verò peccatum eſt minorem reddere prædictam malitiam, aliquid ejus remittendo; non tamen auferendo, ſed relinquendo ipſam malitiæ ſpeciem.

§. I.

Separantur certa ab incertis.

PRimò igitur ſupponi debet, ignorantiam invincibilem antecedentem, ſi ſit 83 *Primum ſuppoſitum.*
totalis, puta quia ignoratur tota malitia objecti & circonſtantiarum, excuſare omnino actum à culpa, nihílque malitiæ formalis in eo relinquere: ſi verò ſit partialis, quia videlicet malitia objectiva partim prædicto modo ignoratur; partim verò cognoſcitur, vel ignoratur vincibiliter, excuſabit ab illa, quæ invincibiliter incognita eſt; non autem ab ea, quæ fuerit cognita, vel vincibiliter ignorata: Vt ſiquis occidat patrem, putans eſſe feram; ignorans verò invincibiliter, nedum eſſe patrem, ſed etiam eſſe hominem, excuſabitur non modò à malitia parricidii, ſed etiam homicidii: ſi autem invincibiliter ignoret eſſe patrem, & non ita ignoret eſſe hominem, liberabitur à malitia parricidii, ſed non à malitia homicidii. Hac ratione acceſſus Iacobi ad Liam ſororem Rachelis uxoris ſuæ excuſatus fuiſſet ab omni culpa (etiam ſi ille gradus affinitatis eſſet tunc prohibitus) quia tota malitia fuit invincibiliter ab eo ignorata, cum prudenter credere potuiſſet, illam eſſe propriam

Digitized by Google

propriam uxorem: at verò acceſſus Judæ ad Thamar excuſatus fuit à malitia incæſtus: quia invincibiliter ignoravit illam eſſe Thamar nurum ſuam; habuit tamen malitiam fornicationis: quia cognovit, ſe accedere ad mulierem, quæ non erat ejus uxor: & ſic de aliis. In quo conveniunt communiter Theologi cum D. Thoma in præſenti art. 3. Loquunturque univerſaliter de qualibet ignorantia ſive facti, ſive juris cujuſcunque. Et ratio eſt perſpicua: nam malitia formalis fundatur ſuper rationem liberi, & ita non habet locum ubi non eſt voluntarium; & multò minùs ubi eſt involuntarium ſimpliciter: quod autem ignoratur invincibiliter, nullo modo eſt voluntarium: quia nec ſecundum ſe habet eſſe cum cognitione, ſicut eſt de ratione voluntarii, neque ratione cauſæ cum prædicta ignorantia omnino voluntatem & cognitionem antecedat: quinimo ſimpliciter eſt involuntarium, nam fit contra voluntatis inclinationem: & ideo ſi adeſſet ſcientia, non fieret. Ergo quod ita ignoratur, ſaltem ex ea parte qua ignoratur, non poteſt habere prædictam malitiam.

84 Dices: ignorantia, quæ non privat uſu rationis, non tollit quominus actus per illam factus, ſit liber, atque adeo voluntarius: ergo ex vi hujus rationis non excuſabit illum à malitia. ¶ Reſpondetur: prædictum actum eſſe voluntarium & liberum aliàs ſeu reſpectu alterius objecti, quod ab operante cognoſcitur, & ad quod terminatur expreſsè: at reſpectu objecti pravi, quod ignoratur, & à quo ſumenda erat malitia, neutrum habet: quia deficiente cognitione circa tale objectum, hujus attingentia neque libera eſt, neque voluntaria.

Dices ſecundò, fieri ex hac ratione, quòd actus attingens prædictum objectum, quatenus illud attingit, non ſit voluntarius, non autem quòd ſit involuntarius: quia ad hoc ultra defectum cognitionis neceſſaria eſt reſiſtentia ex parte voluntatis: nam involuntarium continetur ſub violento, & ita debet eſſe *paſſo reſiſtente*, ut ſuo loco diximus: at reſpectu objecti penitùs ignorati nequit habere voluntas talem reſiſtentiam: quia fundari debet in aliquo ejus actu reſpuente tale objectum; qui etiam eſſe nequit ſine cognitione.

Reſpondetur concedendo, neceſſariam eſſe ad involuntarium prædictam reſiſtentiam, ut ita à purè non voluntario diſtinguatur. In quo autem fundatur ea, de qua loquimur, declarat latè Montoſinos in præſenti diſput. 8. quæſt. 7. dicens fundari in actu contrario conditionato, quo voluntas reſpueret objectum pravum, vitarétque ejus attingentiam, ſi ſcientia adeſſet: quem ſanè actum tunc adfuturum oſtendunt à poſteriori triſtitia & dolor, quæ in voluntate ſuccedunt, adveniente cognitione. ¶ Sed ſolutio non videtur ſufficiens: quia etiam quando ignorantia eſt vincibilis, ſuccedunt triſtitia & dolor, adveniente cognitione, quæ oſtendunt futurum fuiſſe contrarium actum caſu quo adfuiſſet ſcientia: & ſimiliter cum aliquid fit ex metu conſtat adfuturum prædictum actum, ſi metus cauſa deficeret; adeſtque de facto triſtitia & dolor: & tamen in neutro caſu opus, quod fit, eſt

Montoſ.

involuntarium ſimpliciter, ſed ſecundum quid dumtaxat. Quare addendum eſt cum eodem auctore, dari de facto in voluntate prædictum contrarium actum, non formaliter & explicitè; ſed implicitè & virtualiter ratione diligentiæ, quam ignorans adhibuit ad pellendam ignorantiam: aut ſaltem ratione actus, quo, etiam dum ſic operatur, vult obſervantiam divinæ legis, eſtque efficaciter paratus ad omittendum actum, quem exercet, potius quàm legem ipſam prævaricari: quæ diſpoſitio non adeſt in eo, quia operatur ex ignorantia culpabili, & abſque prædicta diligentia. Ille verò qui operatur ex metu, propterea agit voluntariè ſimpliciter, quia inſpectis omnibus occurrentibus hìc & nunc abſolutè eligit ita operari: ſecùs verò ignorans, qui non cognoſcit omnia, quæ occurrunt.

Dubitant verò nonnulli, an actus ita excuſatus à malitia, aliunde debeat habere bonitatem: vel potius maneat in individuo expers utriuſque? Ad quod breviter ex alibi dictis reſpondemus, in primo caſu, nempe quando ignorantia eſt totalis, & aufert omnem formalem malitiam, non poſſe prædictum actum, per ſe loquendo, manere in individuo abſque bonitate: quia juxta principia D. Thomæ repugnat per ſe actus omnino in individuo manens: ut vidimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 7. dub. 2. Et addimus *per ſe*: quia per accidens non repugnat talis actus, ut ibidem diximus. In ſecundo verò caſu, ubi non ignoratur invincibiliter tota malitia objectiva, ſed tantum pars; & ideo remanet in actu aliqua malitia formalis; conſequenter nulla erit ibi formalis bonitas: quia repugnat, bonitatem & malitiam formalem in eodem actu concurrere, etiam ex diverſis capitibus: ut oſtenſum eſt loco citato diſp. 6. dub. 1. 85

Secundò etiam ſupponimus, ignorantiam ſimpliciter vincibilem, ſaltem multoties non excuſare actum, quem cauſat, à tota malitia; ſed relinquere illum in eadem ſpecie peccati, ubi eſſet ſcienter factus: diminuere tamen (niſi ſit affectata) prædictam malitiam: ita ut ſemper graviùs peccet eodem genere peccati, qui peccat ex certa ſcientia, quam qui peccat ex tali ignorantia. Hoc præſuppoſitum quantum ad primam partem habetur ex dubio præcedenti. In quo conſultò diximus *ignorantiam ſimpliciter vincibilem*, &c. ut excluderemus illam, quæ ſimpliciter eſt invincibilis; vincibilis autem ſolùm ſecundum quid: nam hæc adeo diminuit malitiam, ut à gradu mortalis in venialem transferat, ut num. 5. tetigimus. Diximus etiam *ſaltem multoties non liberare à tota malitia*, &c. quia an ſemper ita ſit, vel potius aliquando totam illam auferat, non ita conſtat quin poſtulet majus examen in hoc dubio. Quantùm verò ad ſecundam partem communiter etiam recipitur propter rationem, quam tradit D. Thom. art. 4. hujus quæſt. & ſupra quæſt. 6. art. 8. quæ eſt ſatis perſpicua. Nam prædicta ignorantia diminuit voluntarium, quod eſt malitiæ fundamentum: cuilibet enim minùs eſt voluntarium, minúſque ex voluntatis inclinatione, quod ab eo per ignorantiam efficitur, quodque ſi adeſſet ſcientia, non fieret, quàm quod fieret

Secundum præſuppoſitum.

 exiſtente

Digitized by Google

exiſtente etiam cognitione: diminuto autem voluntario, diminuitur malitia: nam cæteris paribus bonitas & malitia moralis in quolibet actu creſcunt, vel decreſcunt ſecundum incrementum, vel diminutionem voluntarii; ut diximus tract. citato diſp. 4. num. 29. & 30.

86 Objectio. Sed dices: cauſa peccati non diminuit illud, ſed auget: augetur enim unumquodque ex eiſdem cauſis, à quibus generatur: ergo ignorantia vincibilis, quæ peccatum cauſat, nequibit illud diminuere. ¶ Reſpondetur, antecedens eſſe verum in cauſis per ſe; non autem in iis, quæ ſunt cauſæ per accidens, quæ ſolùm concurrunt removendo prohibens, ſicut concurrit ignorantia. Quin etiam adhuc in ratione cauſæ per accidens non concurrit ad illos diverſos effectus, qui ſunt cauſare peccatum, & diminuere malitiam, ſecundum eandem rationem, ſed ſecundum diverſas. Conſiderandum namque eſt, prædictam ignorantiam, quæ cauſat, & diminuit peccatum, duplicem ſcientiam removere ſeu impedire: aliam bonam retrahentem ab illo, quæ ſi adeſſet, non daret ei locum: aliam verò pravam, quæ adeſſe poſſet, ſecluſa illa priori; & ſi adeſſet, non impediret peccatum; efficeret verò, ut ſcienter, adeóque omnino voluntariè committeretur: qua ergo ratione prædicta ignorantia aufert priorem ſcientiam, cauſat peccatum, quia removet prohibens ipſum: in quantum verò tollit poſteriorem, diminuit illud, quia impedit, non quidem prohibens peccatum, ſed cauſam majoris voluntarii, proindéque majoris malitiæ. Cum autem dicitur ignorantia diminuere peccatum, comparatio non fit ad idem numero: quaſi idemmet, quod antea erat majus, minus reddat; ſed ad aliud ejuſdem ſpeciei numero diverſum, quod poſſet committi, ſecluſa ignorantia per illam ſcientiam poſteriorem; quodque tunc commiſſum, eſſet majus commiſſo nunc per ignorantiam.

Præſuppoſitum tertium. Ex quibus fit (& eſt tertiò ſupponendum) non omnem ignorantiam vincibilem æqualiter diminuere peccatum; ſed aliam magis, aliam minus, aliquam nullo modo, juxta diminutionem, vel non diminutionem voluntarii. Voluntarium autem eò magis tollitur per ignorantiam, quò ipſa minùs eſt vincibilis: eò verò eſt minùs vincibilis, quò difficilius potuit vinci, & quò fuit minor negligentia addiſcendi, ex qua oritur tota ratio voluntarii reperta tam in ipſa ignorantia, quàm in effectibus ſubſequutis. Quocirca ignorantia, quæ plus diminuit peccatum, conſervata ſpecie & ratione mortalis, eſt illa, quam dicimus *purè vincibilem*: quia inter mortaliter culpabiles oritur ex minori negligentia. Craſſa autem vel ſupina, quæ majorem negligentiam ſupponit, parùm diminuet: & adhuc minus (ſi fortè diminuit aliquid) ignorantia affectata, quæ non tantùm ſupponit negligentiam addiſcendi, ſed etiam ſtudium ignorandi.

87 Diximus, *ſi fortè aliquid diminuit*: quia id ſatis non conſtat, propterea quod D. Thom. in præſenti artic. 4. expreſsè ait, prædictam ignorantiam videri potius augere voluntarium & peccatum, quàm diminuere: quia quòd aliquis velit ignorare, ut liberius peccet ſublato ſcientiæ remorſu, provenit ex magna voluntatis propenſione & affectu ad peccatum: ex quo oritur, ut peccans non modò peccare velit, ſed velit etiam conſtitui in tali ſtatu, ubi nihil ſit, per quod à peccando retrahi poſſit. Aliunde autem non videtur hoc univerſaliter verum: quia ſi quis eo fine ignorare affectet, ut ignorando, minùs legem contemnat, non augebitur per hoc peccatum, ſed potius aliquantulum minuetur. Quare diſtinguendum duximus cum Curiele, Monteſ. & aliis; attendendúmque motivum, ex quo peccans ignorare affectat. Si enim hoc motivum ſit, ut liberiùs & ſecuriùs peccet, excluſa ſcientia, per quam poſſet retrahi à peccato; & ne per talem ſcientiam compellatur agere quod tenetur, talis ignorantia proculdubio auget malitiam, propter rationem traditam hîc à D. Thoma, ubi loquitur in hoc caſu. Si autem prædictum motivum ſit illud alterum, nempe ut minor ſit legis contemptus, vel aliud ſimile, diminuet aliquantulum malitiam. Quia ſuppoſito, quod adſtante cognitione impediretur peccatum aliqualiter ſit involuntariè, vel ſaltem minùs voluntariè, quàm ſi ſcienter committeretur. ¶ Sed dices: etiam cum motivum ignorandi eſt peccandi libertas, impediretur peccatum, ſi adeſſet cognitio: aliàs talis ignorantia non eſſet cauſa peccati, ſed purè concomitans: ergo etiam tunc fiet tale peccatum aliqualiter involuntariè; vel ſaltem minùs voluntariè, quàm dum committitur ſcienter: proindéque fit cum minori malitia. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam, quia in hoc caſu plus eſt quod ille affectus liberius & ſecuriùs peccandi ſuperaddit voluntarii & malitiæ ad peccatum ſcienter commiſſum ſine tali affectu, quàm quod diminuit ſubſequens ignorantia, ſecùs verò in alio caſu, ubi affectus ita pravus non præceſſit. Nec refert, quòd in peccato ſcienter commiſſo nihil ſit involuntarii, cujus tamen aliquid admiſcetur commiſſo ex qualibet ignorantia: ſtat enim aliquid eſſe voluntarium mixtum involuntario, & nihilominus plus habere de ratione voluntarii, quàm aliud purum & impermixtum. Si enim ponamus duo voluntaria impermixta unum majus alio, majorique adjungamus aliquid involuntarii, non ſtatim ſuperabitur à minori, quod impermixtum permanet: quia potuit tantus eſſe prædictus exceſſus majoris voluntarii, adeóque modicum involuntarium, quod admiſcetur, ut hoc illum non ſatis adæquet: proindéque voluntarium, quod ante admixtionem majus exiſtit; poſt etiam permixtum impermixto majus permaneat. Et ita accidit in præſenti: nam plus ſuperat in ratione voluntarii affectus ille ignorandi ad liberiùs & ſecuriùs peccandum peccatum ſine tali affectu ſcienter commiſſum, quàm ſit involuntarium, quod per ipſam ignorantiam poſtea admiſcetur.

His ſuppoſitis, de quibus non eſt controverſia, ſuperſunt duo, circa quæ Theologi non ita conveniunt. Primum, an aliquando ignorantia vincibilis non ſolùm diminuat peccatum, ſed etiam totaliter excuſet, vel ſaltem à mortali in veniale transferat; & eſt ſermo de ignorantia ſimpliciter vincibili, & circa

materiam

Digitized by Google

materiam mortaliter peccaminoſam. Secundum, an illa, quæ dicitur *ignorantia concomitans*, cum eſt invincibilis, excuſet à peccato, ſicut excuſat antecedens; aut ipſum diminuat, cum eſt vincibilis? Hoc examinabitur §. 3. Pro illo verò ſit.

§ II.

Agitur prior difficultas.

88 CONtingit multoties, ut eadem difficultas ſic, vel aliter propoſita variet non parùm judicium ſuæ deciſionis: & quæ ſub quibuſdam terminis tota videtur de re, ſub aliis contineat non parùm de modo loquendi: ut fortè accidit ei, quam agimus. Et quidem ut communiter proponi ſolet, *an ſcilicet ignorantia vincibilis aliquando excuſet à peccato*, &c. ex ipſis terminis videtur decidenda pro parte negativa. Tum quia ignorantia ſimpliciter vincibilis non tollit, quominus actus ſequens ſit ſimpliciter voluntarius: ergo non eſt unde illum excuſet à culpa mortali. Tum etiam, quia prædicta ignorantia (ſuppoſito, ut ſupponitur, quod ſit illorum, quæ ſcire tenemur, & circa materiam mortalem) ipſa in ſe eſt mortaliter culpabilis, cum ab hoc culpa nulla ratione excuſetur: ſi autem ita eſt culpabilis, nequibit ab eadem culpa liberare peccatum commiſſum ex tali ignorantia. ¶ Præterea vel is, qui ignorat, fecit quod potuit, & debuit ad aſſequendam ſcientiam, quæ impediret peccatum, itaut nulla ibi negligentia interceſſerit, ſaltem gravis; vel non fecit, ſed adfuit gravis negligentia? Si primum, eo ipſo talis ignorantia erit ſimpliciter invincibilis: ut conſtat ex diffinitione, quam adduximus n. 7. Si ſecundum, nullatenus excuſabit à culpa mortali, cum ipſa negligentia utpote gravis tribuat & cauſet mortalem malitiam. ¶ Adde, ignorantiam, de qua loquimur, non ob aliud eſſe peccaminoſam, niſi quia cauſat actum ſecundum ſe peccaminoſum, ſeu quia in ea talis actus eſt volitus virtualiter: & ideo neque eſt peccatum alterius ſpeciei ab ipſo actu; neque eſt contra aliud præceptum, niſi contra idem, quo actus prohibetur: ergo repugnat, talem actum excuſari à malitia tranſgreſſionis præcepti; & quod illam incurrat ipſa ignorantia. Quæ rationes, niſi æquivocatio lateat, vel quæſtio ſit de modo loquendi, convincere videntur. Et ideo hanc partem ſuſtinent Suar. tom. 3. in 3. part. diſp. 82. ſect. 3. Conin ch. diſp. 13. de cenſur. dub. 1. & quidam alii.

Sententia negans.

Suar. Coninch.

89 His verò non obſtantibus, Thomas Sanch: lib. 1. ſum. c. 17. num. 19. ex mente multorum Theologorum ſatis efficaciter probat, hoc eſſe peculiare in præceptis juris humani, ut ab eorum tranſgreſſione excuſet ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non excuſaret in præceptis juris naturalis vel divini: dummodo non ſit craſſa, ſeu ſupina, ſed tantùm vincibilis. Nam ita aſſerunt Cajet. in ſum. verbo *Præcepti tranſgreſſio*, Armilla verbo *Præceptum*, Manuel. tom. 1. ſum. in ſecunda editione c. 196. concluſ. 2. Vaſq. 1. 2. diſput. 148. cap. ult. num. 61. Qui omnes hanc tradunt univerſalem regulam: *Inius, quæ ſunt juris poſitivi humani, ſi vel apparente excuſatione, vel ex ſola ignorantia (dummodo non craſſa, ſeu ſupina) tranſgreſſio fiat, non incurritur culpa mortalis, dum tamen abſit contemptus, & animus violandi præceptum obligans ſub mortali.* Et rationem tradunt, quia non eſt intentio piæ matris Eccleſiæ ita arctè ſuis præceptis adſtringere; neque animas illaqueari tam hoſtili vinculo. Idem docet Sylveſter verbo *Ignorantia*, q. 5. num. 10. Soto in 4. diſt. 13. quæſtione 2. art. 3. Valent. hac 1. 2. diſp. 2. quæſtione 1. punct. 6. Bonacin. diſput. 2. in Decalog. q. 8. punct. 3. Reginald. tom. 1. lib. 11. cap. 3. ſect. ult. & alii. Qui omnes ad id nituntur diſcrimini inter jus humanum, & naturale ac divinum: quod illud non adeo ſtrictè obliget, ſicut hoc poſterius: nec ſit intentio legiſlatoris humani ita arctè hominum ligare conſcientias ſuis præceptis, ſicut jus naturæ & divinum obligat, neque adeo ignorantiam, quæ in uno ad excuſandum non ſufficit, ſufficere in alio.

Pars affirmativa Th. Sanch.

Caiet. Armil. Manuel. Vaſq.

Sylveſter. Soto. Valent. Bonacin. Reginald.

Si verò dicas, prædictos auctores non ita expreſsè loqui de ignorantia ſimpliciter vincibili & culpabili, quin poſſint exponi de vincibili ſecundum quid, quæ non excedit limites venialis. Reſpondet Sancius, eos ita expreſsè loqui de illa priori ignorantia, ut id in dubium verti nequeat, attentis eorum verbis & rationibus. Tum quia ſi de ignorantia ſolùm venialiter culpabili & vincibili loquerentur, non recurrerent ad ſpecialem conditionem juris humani, neque affererent, hoc eſſe proprium iſtius juris, eo quod minus ſtrictè obligat, quam naturale & divinum: quippe ignorantia ſolum venialiter, & ſecundum quid vincibilis etiam in tranſgreſſione juris divini, & naturalis excuſat à mortali, ut omnes fatentur. Neque dicerent id provenire ex pietate & ex intentione Eccleſiæ in impoſitione ſuorum præceptorum, ſed ex natura rei: ex hac quippe oritur ut culpa mortalis, ubicumque ſit, plenum conſenſum poſtulet, qui eſſe nequit cum ignorantia ſolum venialiter culpabili. Tum etiam, quia pro eodem reputant operari ex ea ignorantia, de qua loquuntur, atque operari ex apparente ratione: at ubi eſſet ignorantia ſolum venialiter vincibilis, non eſſet ſola apparens ratio, ſed ſimpliciter probabilis: manifeſtè ergo loquuntur de illa, quæ abſolutè & ſimpliciter ſit vincibilis. 90

Doctrina pro deciſione.

Sanè cum in rebus moralibus, jis præſertim, quæ ad intelligentiam juris humani, ejuſque obligationis ſpectant, maxima ſit ratio auctoritas gravium Doctorum, durum eſſet tot, adeóque gravibus, quos adduximus, refragari. Unde credimus, prædictam quæſtionem aliquid continere de modo loquendi: imo rationes prioris ſententiæ ex æquivocatione potius, quàm ex vera efficacia contra ſecundam militare. Pro quo nota, propoſitam quæſtionem, videlicet *an ignorantia vincibilis excuſet à culpa mortali tranſgreſſionem humani præcepti?* poſſe procedere, vel de ignorantia, quæ adhuc cum ita excuſat, maneat ſimpliciter vincibilis, atque adeo ibi & tunc ſit mortaliter culpabilis: vel de ignorantia, quæ aliàs, nempe in materia juris naturalis & divini, eſſet quidem vincibilis & mortalis; at in materia juris humani non cenſetur talis; ſed potius habetur

habetur pro invincibili. In priori ſenſu militant rationes primæ ſententiæ; & convincunt fere evidenter. In poſteriori verò nullam vim habent, ut inferius patebit: & ita loquuntur proculdubio auctores ſecundæ ſententiæ. Ne ergo hæreamus nominibus, ſed vitemus omnem æquivocationem, agemus deinceps prædictam quæſtionem ſub his terminis. *Utrum ignorantia, quæ in materia iuris naturalis & divini eſſet ſimpliciter vincibilis, & mortaliter culpabilis, ob idque illius transgreſſionem non excuſaret à culpa mortali, id ipſum habeat in materia iuris humani; vel potius in hac cenſeatur ſimpliciter invincibilis & inculpabilis, adeóque excuſans à mortali ejus transgreſſionem?*

Vera aſſertio. Juxta quem ſenſum ſubſcribimus auctoribus ſecundæ ſententiæ: ſtatuimuſque, ignorantiam, quæ in ordine ad præcepta naturalia & divina cenſeretur ſimpliciter vincibilis, & non excuſans, reputari pro invincibili in ordine ad humana, atque adeo excuſare à culpa mortali horum tranſgreſſionem; dummodo talis ignorantia craſſa, ſeu ſupina & à fortiori affectata non ſit. Eſtque hujus aſſertionis præcipua probatio: tum auctoritas Doctorum illam tuentium, quæ in ordine ad intelligentiam juris humani, magni ſemper facienda eſt, ut nuper dicebamus. Tum etiam ratio, cui prædicti auctores nituntur, ſumpta ex conditione & ſuavitate ipſius humani juris. Quia enim hoc jus ab humano & inferiori legiſlatore proficiſcitur, oportet ut in ejus præceptis ſplendeat ipſa humana & inferior poteſtas talis legiſlatoris: quatenus benigniùs & remiſſiùs in ligando ſe gerat; adeóque ipſa præcepta benigniùs & remiſſiùs obligent, quàm præcepta juris naturalis & divini, quæ à Deo immediatè proficiſcuntur; imo oportet ut ex ipſo modo remiſſiùs, vel ſtrictiùs obligandi, prædicta præcepta inter ſe diſcernantur, cedantque humana divinis.

91 Doctrina ad rationem. Hoc ſuppoſito, ut appareat vis prædictæ rationis, recolendum quod diximus a n. 5. videlicet ignorantiam vincibilem ad præſens non vocari, niſi quæ procedit ex culpabili negligentia: cum ſcilicet ignorans non adhibet eam diligentiam, quam poteſt & tenetur ad aſſequendam cognitionem: & ideo ratione talis negligentiæ prædicta ignorantia dicitur voluntaria & culpabilis. Quare non ſufficit, quod prædicta diligentia ſit minor quàm poteſt; ſed requiritur ut etiam ſit minor quàm debet. Unde qui illam adhibet, quam adhibere tenetur, ſive poſſit majorem adhibere, ſive non, cenſetur invincibiliter ignorare: quia hoc ſufficit ut talis ignorantia, ſit non voluntaria atque adeo inculpabilis. Secundò recolendum eſt ex dictis à n. 7. diligentiam in addiſcendo, quam homo adhibere tenetur ad rectè operandum, non ſemper eſſe æqualem, ſed aliquando majorem, aliquando minorem, pro rerum qualitate & gravitate: adeo ut diligentia, quæ pro uno negotio non magni momenti, ſufficiens & proportionata cenſetur; pro alio graviori non ſit ſufficiens: & quæ pro hoc eſt neceſſaria & proportionata, pro illo multoties cenſeatur improportionata & ſuperflua. Quæ autem unicuique negotio congruat, ſitque illi proportionata, prudentis judicio determinandum eſt. Sicut autem pro inæqualibus negotiis debetur inæqualis diligentia, ita etiam pro inæqualibus præceptis: quò enim præceptum fuerit ſuperius & gravius, ſtrictiuſque obligans, majorem diligentiam, cæteris paribus, in ſui adimpletione poſtulabit; minorem verò, quò fuerit inferius, minus grave, & remiſſius obligans. Ex quo habemus ad præſens, eandem ignorantiam, quæ reſpectu unius negotii, vel præcepti gravioris eſſet vincibilis, & culpabilis mortaliter: reſpectu alterius non ita gravis poſſe eſſe inculpabilem & invincibilem: quia in ordine ad illam excludendam adhibita fuit omnis ea diligentia, quæ pro hoc negotio, vel præcepto minùs gravi debita eſt adhiberi, quamque prudentia in eo caſu dictat; non autem quæ debetur, & à prudentia dictatur pro illo graviori: atque adeo talis ignorantia in priori caſu, ubi cenſetur culpabilis & vincibilis, non excuſabit tranſgreſſionem præcepti à culpa mortali; excuſabit verò in poſteriori, pro quo eſt ſufficienter invincibilis, & inculpabilis.

Hinc ergo habetur ratio noſtræ aſſertionis: nam bene ſtat, ut eadem ignorantia, quæ in ordine ad obſervationem præcepti naturalis, vel divini ſimpliciter eſt vincibilis & culpabilis: quia attenta conditione talis præcepti, potuit & debuit ampliùs vinci: in ordine ad obſervationem præcepti humani cenſeatur invincibilis & inculpabilis: quia attenta hujus præcepti conditione, amplius vinci non debuit: ergo talis ignorantia excuſabit à culpa mortali in ſecundo caſu; non autem in primo. Conſequentia eſt nota: & antecedens habetur ex modò prænotatis: nam cum præcepta naturalia & divina altiora & graviora ſint humanis, ex ſua ratione poſtulant majus ſtudium, exactiorémque diligentiam, ne violentur, quàm poſtulent humana: ſi ergo quis ad pellendam ignorantiam tantundem ſtudii adhibeat, quantum hæc poſteriora præcepta poſtulant, non autem quantum illa exigunt; ignorantia remanens erit in ordine ad iſta invincibilis: quia pro eis prædictum ſtudium eſt diligentia ſufficiens, quantum prudentia dictat: in ordine verò ad illa erit vincibilis, pro quibus idem ſtudium juxta prudentis judicium eſt minus quàm debetur, adeóque inſufficiens: & ita habetur pro negligentia. Hoc autem minus diligentiæ & ſtudii, quod pro humanis præceptis debetur, & illud magis, quod debetur pro naturalibus & divinis, non aliter diſtinguenda videntur, niſi ut explicuimus in aſſertione: ita videlicet ut in illis ignorans non craſſe & ſegniter ſe gerat, atque adeo ignorantiam craſſam, ſeu ſupinam excludat; in iſtis verò etiam accuratam & exactam diligentiam ad cognoſcendum apponat. 92 Ratio aſſertionis.

Poteſtque hæc ratio confirmari ex cap. *Ut animarum* de conſtitut. in ſexto: ubi Pontifex quoad Eccleſiaſticas cenſuras & pœnas declarat non incurri per ignorantiam minus culpabilem, quàm ſit craſſa, vel ſupina; ut ita animarum periculis obvietur, ut vidimus n. 5. Ex hoc namque non obſcurè colligitur, nec etiam eſſe Pontificum intentionem ligare ſuis præceptis ignorantes aliter, quàm craſsè, vel ſupinè: cum ex oppoſito magna etiam ſuboriantur peccandi pericula: quibus quoad fieri poſſit, obviare velle matrem Eccle-

ſiam

Digitized by Google

ſiam pro ipſius benignitate & pietate circa animarum curam, credendum eſt: ergo, &c.

93 Objectio. Dices: ergo in ordine ad præcepta juris humani, omnis ignorantia, quæ non ſit affectata, vel craſſa, ſive ſupina, erit invincibilis: adeóque ſuperfluet tertium membrum ignorantiæ purè vincibilis, quod diſtinximus num. cit. Sequela patet: quia ignorantia vincibilis ad præſens non dicitur, niſi quam ignorans tenetur vincere: non autem vincere tenetur pro prædictis præceptis niſi craſſam, vel ſupinam, & à fortiori affectatam.

Diluitur. Reſpondetur concedendo ſequelam, formaliter loquendo; in qua nullum reperimus inconveniens: ſicut Suarez & alii, quos citato num. adduximus, id non reputant, dum in nulla materia admittunt aliam ignorantiam ſimpliciter vincibilem. Unde illud tertium membrum ignorantiæ purè vincibilis, quod prædicto num. diſtinximus, deſerviet pro præceptis juris naturalis & divini: pro quibus debita eſt major diligentia in addiſcendo, quàm quæ ſufficit ad non ignorandum craſsè, ſive ſupinè. ¶ Diximus *formaliter loquendo*, &c. quia materialiter etiam in præceptis juris humani poteſt admitti ignorantia purè vincibilis: illa nimirum, quam dicimus excuſare à mortali eorum tranſgreſſionem: quatenus poteſt & debet vinci in materia aliorum præceptorum.

94 Ad rationes in oppoſitum. Adde, multoties illam ignorantiam, quæ in materia juris naturalis & divini eſt ſimpliciter vincibilis, & ideo non excuſat à mortali, eſſe vincibilem ſecundum quid, & non excuſare à veniali in materia juris humani: quia licet in hac pro vitanda mortali culpa ſufficiat diligentia excludens ignorantiam craſſam; at pro vitanda etiam veniali (in iis ſaltem, quæ ſunt mortalia ex genere) aliquantulum major neceſſaria eſt. Sicut in ipſa materia juris naturalis & divini pro vitanda etiam culpa veniali requiritur diligentia exactiſſima; cum tamen ſæpe minor ſufficiat pro vitanda mortali. Quocircà conſultò in aſſertione non diximus, ignorantiam, de qua agimus, excuſare tranſgreſſionem humani præcepti ab omni culpa, ſed à culpa mortali: ut innueremus, ſæpe non excuſare illam à veniali, niſi plus aliquid ſtudii adhibeatur ad pellendam prædictam ignorantiam; minus licet quam in aliis præceptis exigitur etiam pro excuſando à mortali. Quod totum prudentis judicio, attenta rerum gravitate, & aliis circumſtantiis, determinandum eſt.

Ad rationes verò pro prima ſententia conſtat ex dictis: nam procedunt de ignorantia, quæ ibi & tunc atque in ipſa materia ubi à mortali excuſat, ſit mortaliter vincibilis & culpabilis, ſeu quæ non ſupponit eam diligentiam, quam operans ſub mortali tenebatur pro illa materia adhibere: de qua, ut ibi dicebamus, convincunt non poſſe à mortali excuſare: quod minimè inficiamur. Ignorantia verò, quam nos dicimus excuſare à mortali tranſgreſſionem humani præcepti, ſupponit diligentiam ſaltem ſub mortali debitam pro illa materia: adeóque ibi & tunc non eſt ſimpliciter vincibilis, aut culpabilis, mortaliter; licet in alia materia utrumque haberet: in qua proinde non excuſaret à malitia mortali. Diſcrimen verò à nobis aſſignatum inter præcepta utriuſque juris, & quæ ex prædicto diſcrimine intulimus, neque illæ, neque aliæ rationes impugnant.

§. III.

Secunda difficultas examinatur quoad primam partem.

CAſus hujus ſecundæ difficultatis, eſt cum aliquis, v. g. occidit inimicum, exiſtimans occidere feram, ita tamen eſt diſpoſitus, ut etiamſi illum agnoſceret, occideret. Cum enim ignorantia in iſto caſu non ſit ratio quare inimicus occidatur (occideretur enim quamvis adeſſet ſcientia) nihil removet prohibens prædictam occiſionem: & ita non eſt quo pacto hæc in illam reducatur, etiam ſicut in cauſam per accidens: & propterea dicitur habere ſe concomitanter, quia nihil influit. Nihilominus tamen quia dum abeſt alicujus objecti cognitio, nequit tale objectum voluntariè attingi, meritò dubitatur, ſuppoſito quod prædicta ignorantia ſit invincibilis, an opus cum ea factum à malitia excuſetur? Diximus *ſuppoſito quod ſit invincibilis*: quia vincibilem certum eſt non excuſare, ſicut non excuſat adhuc cum eſt cauſa actus, ut ſuperius diximus. Verum ſi ignorantia concomitans invincibilis excuſet prædictum opus à tota malitia, vincibilis etiam concomitans diminuet eam aliquantulum; minùs licet quàm ſi eſſet cauſa. Unde etſi deinceps dumtaxat loquemur ex ſuppoſitione quod prædicta ignorantia ſit invincibilis; quicquid tamen de hac dictum fuerit in ordine ad excuſandam malitiam, intelligendum erit de vincibili in ordine ad eam diminuendam. In qua difficultate apud auctores, qui illam diſcutiunt, animadvertimus aliquid de re, & aliquid de modo loquendi. Ad rem quidem pertinet an actus, quem comitatur ignorantia invincibilis, careat omnino malitia illius objecti, vel circunſtantiæ, quæ ſic invincibiliter ignorantur, quam haberet, ſi fieret ſcienter. Et addimus *illius objecti, vel circunſtantiæ*, &c. quia ad præſens non refert an ex alio capite, ut ex aliquo fine extrinſeco, vel ex aliqua alia circunſtantia non ignotis habeat malitiam: ut in ſimili diximus num.... de ignorantia antecedente non totali. Ad modum autem loquendi ſpectare videtur an hoc, quod eſt prædictum actum carere ea malitia, ſufficiat ut prædicta ignorantia dicatur excuſare illum, vel ſolùm non accuſare: in hoc enim vix reperietur major contentio, quàm de modo loquendi.

Quoad primum pars affirmativa eſt adeò communis, ut negari non debeat: nam illam tuentur Cajet. in præſenti art. 3. ubi etiam Medina concl. 2. Zumel diſput. 1. concl. 2. Alvar. diſput. 156. concl. 1. Curiel in dubio circa ſecundam concluſ. referens Alenſem, Richardum, Petrum de Soto, & Almainum, Gregor. Mart. dub. 1. concl. 1. Monteſinos diſput. 8. q. 8. concl. 2. Araujo dub. 3. concl. 2. Lorca diſput. 32. memb. 2. Vaſq. diſput. 125. cap. 2. Valent. q. 6. punct. 3. Suar. tom. 5. in 3. part. diſput. 4. ſect. 8. Thom. Sanch. lib. 1. ſum. c. 16. n. 13. & lib. 9. de matrim. diſput. 32. & plures 95 Pars affirmativa cōmunis. Caiet. Medin. Zumel. Alvar. Curiel. Alenſ. Ricard. Petr. de Sot. Almain. Greg. Mart. Monteſ. Araujo.

Lorca. Vaſq. Valent. Suar. Th. Sanch. D. Thom. plures alii. Sumitúrque ex D. Thom. ſuprà q. 6. artic. 8. ubi docet, quod etſi prædicta ignorantia non faciat involuntarium actum, quem comitatur, quia non facit ut voluntati repugnet; facit tamen ut non ſit voluntarius, quia nequit eſſe voluntarium illud, quod ignoratum eſt. Ex quo ſumitur evidens ratio pro hac ſententia. Nam eſſe voluntarium & liberum adeo eſt de ratione peccati, & malitiæ moralis, ut nullatenus valeat reperiri ſine illo, ut alibi oſtendimus, fatentúrque omnes Theologi: ſed actus, qui fit cum prædicta ignorantia, nullo modo eſt voluntarius reſpectu objecti, quod ignoratur: nequit ergo ex tali objecto aliquam malitiam deſumere. Minor probatur: nam cum ſit de ratione voluntarii fieri cum cognitione illius, in quod tendit, ut ex ejus diffinitione habetur, repugnat ut aliquis voluntariè tendat in illud, quod à ſe omnino ignoratum eſt: ſicut in præſenti caſu ignoratur prædictum objectum.

Cõfirmatio. Confirmatur: nam qui invincibiliter exiſtimans occidere feram, occidit inimicum, caſu ibi latentem, non aliter ſe habet in ordine ad peccandum, quàm ſi re ipſa non eſſet ibi inimicus; ſed fera tantùm (ut ipſe credit) occideretur: quod enim totaliter eſt extra cognitionem, omnino eſt præter voluntatem: proindéque non magis confert ad ejus bonitatem, vel malitiam, quàm ſi omnino non eſſet: ſed in prædicto caſu nemo damnaret illam occiſionem quaſi obnoxiam malitiæ homicidii: ſicut nec cæteras actiones, quas ille operans prudenter ageret: quantumvis habitualiter eſſet paratus occidere inimicum, ſi illum inveniret: ergo in eo, de quo agimus, debet ita damnari.

Alia. Confirmatur ſecundo, & explicatur animadvertendo, quod actio exterior non habet formaliter rationem peccati, niſi in quantum imperatur à voluntate, & intentione peccaminoſa: ipſa enim malitia intrinſecè reſidens in voluntate, denominat extrinſecè prædictam actionem, ut diſp. 10. dub. 1. oſtendimus: unde eſt manifeſta repugnantia, quod talis actio ſit formaliter peccatum, niſi intentio, à qua imperatur peccaminoſa ſit intra idem genus malitiæ. Tum ſic, intentio, à qua imperatur occiſio, de qua loquimur, nullam habet malitiam homicidii, nam eſt dumtaxat intentio occidendi feram, neque ullo modo fertur ad occiſionem hominis, ſicut nec talis occiſio ullo modo cognoſcitur: ergo neque occiſio, vel quæcumque alia actio imperatur ab ea intentione, erit culpabilis aut peccaminoſa in genere homicidii.

96 Præcluditur quorundam evaſio. Dices, adeſſe ſimul cum intentione occidendi feram, habitualem voluntatem occidendi inimicum: & ratione iſtius derivari malitiam ad actum externum. ¶ Sed contra: nam voluntas præciſè habitualis nihil confert ad bonitatem, vel malitiam actus: quia habitibus neque meremur, neque demeremur, niſi in actum prorumpant: ergo neque ex iſto neque ex alio capite poteſt prædicta actio habere malitiam homicidii. ¶ Eo præſertim quia ſi voluntas habitualis ſufficeret ad tribuendam malitiam, non ſolùm illa actio, qua de facto inimicus ſub ſpecie feræ occiditur, ſed omnes aliæ quotquot ab illo homine exercerentur, haberent prædictam malitiam (quod eſt abſurdum:) quippe non eſt minor conjunctio hujuſmodi actionum ad illam habitualem voluntatem, quàm prædictæ occiſionis: neque eſt quo pacto potius in iſtam, quàm in illas influat talis voluntas. Imo licet cum intentione occidendi feram eſſet ſimul volitio actualis occidendi inimicum, non ideo hæc volitio conferret illi malitiam: quia non imperaret illam, ſed haberet ſe concomitanter: non enim tribuit malitiam actui externo quæcumque volitio etiam actualis cum eo exiſtens, ſed illa dumtaxat, à qua imperatur. Porrò occiſionem, de qua loquimur, non imperari à volitione occidendi inimicum, ſed ab alia, quæ eſt intentio occidendi feram, conſtat ex eo quod volitio imperans opus externum eſt intentio abſoluta & efficax aſſequendi finem: illa autem volitio occidendi inimicum non eſt abſoluta & efficax, ſed inefficax & conditionata: nemo quippe efficaciter intendit, quod penitus poſſe aſſequi ignorat.

Sed urgebis: quid ſi ille venator mitteret ſagittam eo animo ut occideret feram, & etiam inimicum, ſi fortè ibi lateret, illúmque latentem de facto occideret? ¶ Reſpondent aliqui, caſum eſſe impoſſibilem, ſuppoſita ignorantia invincibili: quia qui ita ignorat, præmiſit ſufficientem diligentiam, per quam moraliter eſt certus neminem ibi latitare: qui verò habet prædictum animum, non poteſt eſſe ita certus, ſed dubitat, vel formidat an ita ſit, vel non: igitur non ſtat volitio efficax occidendi inimicum cum prædicta ignorantia. Replica.

Hoc tamen non videtur undequaque verum: quia ut ignorantia in caſu, de quo loquimur, aliiſque ſimilibus ſit invincibilis, ſufficit habere probabile judicium, quod nemo ibi lateat: bene autem cohæret cum judicio probabili formido aliqua, vel ſuſpicio circa oppoſitum: ſicut enim poſt adhibitam ſufficientem diligentiam potuit re ipſa latere ibi inimicus, & re ipſa occidi: ita poteſt operans judicare poſſe ſic accidere, ut fortè lateat, poteſtque, quandiu ſibi de veritate evidenter non conſtat, formidare oppoſitum ejus, quod probabiliter judicat: judicium enim probabile unius partis non excludit alterius formidinem: ergo quantum eſt ex hoc capite non repugnat, quod ignorans habeat hunc, vel ſimilem actum *volo jacere ſagittam ad occidendum, vel feram, quam illic eſſe judico; vel inimicum, ſi fortè ibi ſit, quod non credo:* imperaréque ex hoc actu jactum ſagittæ in illum locum, ubi inimicus abſconditur. ¶ Quare melius reſpondetur admittendo (ſicut admittit Sanchez, alios referens citato cap. 16. num. 14.) in prædicto caſu occiſionem illam habere malitiam homicidii: quia imperatur à voluntate occidendi inimicum, ſi fortè ibi ſit; & eſt de facto, & poſſe eſſe cognoſcitur: unde nihil deeſt quominùs prædicta occiſio, in quantum occiſio eſt illius hominis, ſit voluntaria, & voluntati tribuatur. 97 Vera ſolutio.

Aliter dicendum eſt, ſi operans haberet omnimodam certitudinem, quod nullus homo ibi abſconderetur: tunc enim non poſſet habere abſolutam & efficacem voluntatem occidendi aliquem hominem, cum certò cognoſcat, ejus occiſionem ibi & tunc fore 98 Alius caſus.

Digitized by Google

fore ſibi impoſſibilem; cum qua certitudine non ſtat oppoſita formido per actum deliberatum. Sed hic caſus recedit jam ab eo, de quo loquimur: quia ubi eſſet illa certitudo, non haberet locum ignorantia quantumvis invincibilis. Poſſet autem qui ita eſſet certus, proiicere ſagittam eo animo ut ſe exerceret ad occidendum inimicum, dum poſtea ſibi occurrit: vel optando ibi eſſe, & jactu illo configi: vel fingendo illum ſua imaginatione ipſamque feram loco ejus ac veluti ipſius imaginem & ſtatuam cædendo. Taliſque affectus proculdubio eſſet peccaminoſus ex homicidio deſiderato vel ficto: ejúſque malitia denominaret *peccaminoſam* etiam actionem externam: non tamen alicui daret denominationem homicidij ſimpliciter, cùm re ipſa homo non occidatur, neque ejus vera occiſio ibi & tunc intendatur: ſicut non dicimus abſolutè & ſimpliciter *homicidium* internam voluntatem occidendi, quando ex ea occiſio in re non ſequitur. Atque idem dicendum eſt, ſiquis non jam cum prædicta certitudine, ſed potius cum ignorantia invincibili latentis inimici mitteret ſagittam eodem animo, nempe vel ut ſe exerceret ad occidendum poſtea, vel optando adeſſe ibi inimicum, vel fera in quaſi ejus ſtatuam cogitando, non tamen volens abſolutè ibi & tunc illum occidere adhuc ſub conditione *ſi fortè ibi*, neque hoc animo emittendo ſagittam, ſed dumtaxat cædendi ejus ſtatuam; vel ſe exercendi modo dicto. quamvis enim tunc inimicus ibi lateret; de factóque occideretur, non ideo ejus occiſio agenti imputaretur, neque ex tali occiſione prout ibi & tunc patrata illa actio malitiam deſumeret, neque propter ipſam diceretur peccaminoſa: quia animus illius agentis non eſt occidere ibi & tunc inimicum quem abeſſe putat; ſed dumtaxat cædere feram quaſi ejus ſtatuam, vel exerceri ad ipſum alio tempore ſagittandum.

Diſparitas inter iſtos caſus.

Vnde eſt manifeſta diſparitas inter hunc caſum, & illum de jaciente ſagittam animo occidendi feram, ſimúlque inimicum *ſi fortè ibi ſit*: de quo num. præced. diximus incurrere malitiam illius homicidij: quia tunc animus operantis extenditur revera uſque ad occiſionem inimici ibi & tunc patrandã ex ſuppoſitione quòd illic lateat, cognitáque hujus latebræ poſſibilitate ſaltem metaphyſica: & ideo adimpleta ſuppoſitione, nihil deeſt quominus tale homicidium ex animo & voluntate procedat: adeóque ipſi voluntati pro ut ibi & tunc exequutum tribuatur, *voluntariúmque* appelletur. At verò in alio caſu animus agenti non eſt occidere inimicum in ſe ipſo, adhuc ex ſuppoſitione quòd ibi lateat: quia neque de hac ſuppoſitione, neque de latendi poſſibilitate curatur: ſed habita ſufficiente ſecuritate quòd nullus homo ibi ſit, tota intentio ſiſtit in exercitatione, quam diximus, quicquid verò ultra contingit, omnino eſt caſuale & extra prædictam intentionem: & ideo nulla via poteſt in voluntatem reduci, neque appellari *voluntarium*.

Eluditur alia replica.

Et ſi adhuc urgeas: ergo in primo caſu ignorantia invincibilis non excuſat à malitia? ¶ Reſpondetur, in prædicto caſu ignorantiam ideo non excuſare, quia ignorans expreſſè operatur contra illam, extendens ſuam malitiam etiam in illud, quod ignorat: nam qui ita operatur, ut licèt probabiliter credat, ſe non poſſe occidere inimicum; nihilominus expreſſè vult illum occidere: ex hacque volitione facit quantum poteſt ut occidat, *ſi fortè ibi ſit*; ſua malitia vincit ipſam ignorantiam, extendens expreſſè pravam intentionem ad omne illud, quod metaphyſicè non repugnat, qamvis prudenter credatur non eſſe futurum. Quocirca ignorantia ibi exiſtens omnino habet ſe de materiali. ¶ Neque dicendum eſt, actum ſumere malitiam ab objecto ignoto: ſed ipſa cognitione, qua cognoſcitur poſſe ſaltem metaphyſicè latere ibi inimicum, cognoſcitur occidendum de facto ex ſuppoſitione quòd lateat: ab eoque ut ſic cognitio, volitióque ex prædicta ſuppoſitione, ea purificata, ſumitur homicidij malitia. Cæterum in aliis caſibus ubi intentio expreſsè non fertur in omne id, quod poteſt eſſe, adhuc ex ſuppoſitione quòd ſit; ſed in id ſolùm, quòd eſſe putatur, nulla attenta ſuppoſitione; quicquid ignoratur invincibiliter, manet omnino intactum à cognitione & volitione: & ideo nihil poteſt malitiæ conferre.

§. IV.

Secunda pars ejuſdem ultimæ difficultatis.

Veniamus ad ſecundum, quod pertinere diximus potius ad modum loquendi. In quo aliqui etiam ex iis, quos nuper citavimus, nolunt admittere, quòd ignorantia concomitans excuſet actum à malitia, ſed ſolum quòd non accuſet. Idque à fortiori non admittent qui negant, ipſum opus ita ignoranter factum carere malitia formali: ut negare videntur Durandus in 2.diſt. 22.quæſt.4. Gabriel ibidem quæſt.2.art. 1. notabil.3.Covarruvias relect.in cap. *Alma mater* 1. p. §. 10. Vgolinus de cenſur.tabul.1. cap.9. §. 8.& alij apud Sanchez lib. 9. de matrim. citata diſp. 32. Rationem verò tradunt: quia ignorantia, quæ opus excuſat, debet eſſe circunſtantia ipſius operis, & non ſolùm operantis: ignorantia autem concomitans cum nihil influat, non eſt circunſtantia operis, ſed accidens ipſius operantis: ergo neque excuſabit, neque accuſabit prædictum opus: atque adeo vel hoc non liberabitur à malitia; aliunde id ſortietur, quàm ex prædicta ignorantia. ¶ Accedit, quòd D. Thom. in præſenti art. 3.expreſſè dicit ignorantiam concomitantem non excuſare à peccato; & reddit pro ratione: quia non eſt cauſa actus peccati, neque ipſum involuntarium efficit.

99. Prima opinio.

Durand. *Gabriel.* *Covarru.* *Hugolin.*

Cæterùm quamvis in præſentiarum parùm referat ſic vel aliter loqui, nullam tamen ſufficientem rationem reperimus, cur neganda ſit prædictæ ignorantiæ ea excuſatio à malitia: cum hujus carentia in nullum aliud principium poſſit reduci niſi ad carentiam ſcientiæ, adeóque in ipſam ignorantiam. Si namque adeſſet ſcientia, nemo ambigit prædictum opus fore peccaminoſum: ergo idcirco peccaminoſum non eſt, quia deeſt talis ſcientia, ſeu quia adeſt ignorantia: ubi enim affirmatio eſſet

Verior loquendi modus.

eſſet cauſa affirmationis, negatio debet eſſe cauſa negationis.

Et confirmatur: nam ſi quæratur *cur ille actus non ſumit malitiam ab objecto peccaminoſo?* Optimè reſpondetur *quia non attingit illud voluntariè*: ſi vero rurſus quæratur, *quare non attingit illud voluntarie?* Rectè etiam reſpondetur, *quia non eſt cognitum, & nihil volitum aut voluntarium, quin præcognitum*: imo nulla alia cauſa poterit aſſignari: ergo de primo ad ultimum carentia, ſeu excuſatio malitiæ reducitur in carentiā cognitionis.

Aliquorum effugium. Dices cum aliquibus, carentiam malitiæ in prædicto caſu reduci in ignorantiam, non quidem ſicut in cauſam, ſed ſicut in non cauſam: licèt enim defectu cognitionis, non ſit ibi voluntarium, & defectu voluntarij non ſit malitia; ex hoc tamen ſolùm habetur, quòd talis ignorantia ſit non cauſa peccati; non verò quod ſit cauſa excuſationis.

Præcluditur. Sed hoc non ſatisfacit: quia impræſenti dum quærimus cauſam excuſantem à malitia illum actum, nihil aliud inveſtigamus, niſi id, in quod reduci debet carentia talis malitiæ: & hoc, quicquid ſit, vocamus *cauſam prædictæ excuſationis*; ergo admiſſo talem carentiam reduci in ignorantiam, negari non poteſt ipſam ignorantiam eſſe cauſam & rationem excuſantem à malitia. Unde videtur repugnantia in terminis, cum dicitur prædicta excuſatio reduci in ignorantiam non ſicut in cauſam, ſed ſicut in non cauſam. Ipſa quippe reductio unius in aliud conſtituit ſufficienter ad præſens rationem cauſæ: adeóque non ſtat affirmare reductionem, & negare cauſam: aut quod ſit reductio, & ſicut in non cauſam. Quæ doctrina potiſſimè locum habet in præſenti, ubi ſermo eſt de effectibus negativis: pro quibus nemo aſſignare intendit propriam & rigoroſam cauſam (ſicut neque ipſæ negationes propriè & rigoroſè fieri dicuntur) ſed quamcunque rationem, aut principium, in quod reducantur. Et ideo ſufficienter aſſignatur cauſa hujuſmodi effectuū per ipſam negationem cauſæ effectus poſitivi oppoſiti: nam propterea dicitur, *ubi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis.* Qui igitur admittit, carentiam malitiæ reduci in carentiam ſcientiæ, neque aſſignat aliud principium, in quod reducatur, fruſtra negat ignorantiæ rationem, & munus cauſæ excuſantis à malitia.

Occurſus ad oppoſita. Ad illud verò quod in contrarium opponitur, reſpondetur, non opus eſſe, ut quod tollit ab aliquo actu malitiam, ſit propriè circunſtantia ipſius actus: imo circunſtantiæ propriè dictæ nunquam tollunt vel minuunt malitiam, ſed ſemper augent, ut in tract. de bonit. & malit. diſp. 4. num. 29. explicuimus. Ut ergo aliquid excuſet à malitia, ſufficit quòd ſit conditio agentis tollens ab eo cognitionem, ſicut tollit ignorantia concomitans: nam eo ipſo impedit, ne prædictus actus ab ipſo agente fiat cum cognitione, ac proinde ne quantum ad attingentiam objecti ignoti voluntarius evadat: quo ſublato, præcluditur locus malitiæ. ¶ Adde prædictam ignorantiam ſuo modo afficere actum, quem excuſat. Quia licèt non ſit cauſa ut fiat talis actus, neque in ejus ſubſtantiam influat, & hac ratione dicatur habere ſe concomitanter; eſt tamen cauſa ut fiat ſine cognitione & voluntarietate, atque adeo ſine malitia. Neque ad hujuſmodi carentiam habet ſe concomitanter; ſed cum ſuo quali-quali influxu: eo ſaltem modo quo negatio cauſat negationem: & carentia in carentiam influit.

Ad aliud ex D. Thoma reſpondetur S. Doctorem catenùs aſſerere ignorantiam concomitantem non excuſare à peccato, quia licèt opus cum ea factum à malitia eximat; permittit tamen erga idem objectum aliquem affectum pravum in operante; non quidem efficacem, qui influat in opus externum, proindéque malitiam illi communicet; ſed inefficacem, & habentem ſe concomitanter ad aliam intentionem imperantem prædictum opus: & ideo quamvis tale opus prædictáque intentio imperans, excuſentur à malitia; non tamen excuſatur ipſe operans; in quo remanet ille alius affectus inefficax, eſſéque hanc mentem D. Thomæ, conſtat ex ratione, quam tradit: nempe *quòd ignorantia concomitans quia non eſt cauſa actus, non facit hominem involuntarium* (ita enim eſt legendum, non ut mendoſè habetur in aliquibus editionibus *voluntarium*) *ſed facit non volentem illud, quod ignorat.* Qua enim ratione facit hominem non volentem objectum, quod ignorat, tollit ab opere attingente ipſum objectum rationem voluntarij. Qua ratione verò non facit tale opus involuntarium, ſeu repugnans voluntati, permittit in ipſa voluntate affectum erga illud: non quidem efficacem, quia iſte requirit cognitionem objecti pro ut hîc & nunc; ſed inefficacem, ad quem ſufficit cognitio objecti ſecundum ſe, & aliàs; quamvis prout occurrens hic & nunc ignoretur.

Sed ecce inſurgit alia objectio, quia videtur repugnare, ut exiſtente in voluntate aliquo pravo affectu detur ſimul in ea aliquis actus bonus; ſed quicunque actus affectui illi coexiſtat, debet eſſe pravus: ergo etiam externa occiſio, & quodcumque opus ad extra imperatum, erit peccaminoſum: non igitur hujuſmodi opus, excuſabitur à malitia ratione ignorantiæ. Conſequētia videtur perſpicua: nam repugnat, actum imperantem habere in ſe malitiam, & non denominari ab ea opus imperatum. Antecedens verò probatur: quoniam volūtas nequit ſimul habere plures actus non ſubordinatos inter ſe: hoc enim eſſet velle plura per modum plurium: conſtat autem, inter actum bonum & malum nullam admitti ſubordinationem: quia actus bonus nec poteſt ordinari ad malum, bonitate retenta, neque ejus reſpectum terminare: ut in tract. de bonit. & malit. diſp. 6. num. 16. docuimus. 102. Alia objectio. Prima ſolutio.

Reſpondetur (quicquid ſit de difficultate contenta in hac objectione, an ſcilicet voluntas poſſit ſimul habere illos plures actus malum & bonum) ſufficere ad rem, de qua agimus, quòd ille pravus affectus, quem ignorantia concomitans permittit; ſit ſimul cum ipſa ignorantia; quamvis adveniente actu bono, à quo imperatur opus externum

num, interrumpatur, vel ipſe pravus affectus adveniens actum bonum interrumpat. Hoc enim ſatis eſt, tum ut prædicta ignorantia non excuſet operantem à culpa, cum permittat ſecum illum pravum affectum. Tum etiam ut non concurrant ſimul actus malus, & actus bonus, ſed unus poſt alterum; uterque verò concurrat ſimul cum ignorantia.

Secunda. Secundo reſpondetur, admiſſo etiam repugnare actum bonum cum actu malo, inde ſolùm ſequi, utrumque illum, qui in caſu objectionis concurreret, proindéque etiam opus externum fore peccaminoſum: non autem quod in aliquo ſit malitia homicidij ibi & tunc commiſſi, ſeu quæ ſumatur ab occiſion, quæ à parte rei ignoranter ponitur, ac proinde quod talis occiſio imputetur tanquam homicidium re ipſa commiſſum: ſed tota malitia ibi reperta, erit malitia illius pravi, & inefficacis affectus, à quo ſicut à fine vel circunſtantia extrinſeca vitiabuntur cæteri actus, vel quia ſubduntur illi, vel quia illum ſibi ſubordinant. Non autem neque ipſe pravus affectus, neque alij actus plus habebunt de ratione homicidij, quàm ſi de facto mors non ſequeretur, neque aliquis externus actus imperaretur. Imo externa occiſio, quæ ibi concurrit, nullatenus imperatur, aut ſuſcipit denominationem peccati, in quantum eſt percuſſio inimici, qui ignoratur; ſed in quantum eſt occiſio exiſtimata feræ, ordinata ad illud pravum affectum ſicut ad circunſtantiam extrinſecam.

Tertia. Tertiò dici poſſet, illam doctrinam, quæ negat in voluntate coëxiſtentiam duplicis actus boni & mali, reſtringendam eſſe ad caſum, ubi uterque actus ſit propriè intentio, proindéque actus efficax, & cum plena ac formali deliberatione: eò quòd nequit voluntas plures fines ſimul omnino abſque ſubordinatione intendere. At non repugnat, quod cum intentione unius finis adſit aliquis alius actus inefficax, & etiam aliquis ſemiplenè tantùm vel interpretativè deliberatus, non ſubordinatus tali intentioni, neque illam ſibi ſubordinans. Hoc tamen alibi examinabitur.

Doctrina verò hujus & præcedentis §. valde neceſſaria eſt pro materiis de cenſuris, de irregularitate, de reſtitutione, & aliis Theologiæ moralis. Cum enim dixerimus, homicidium commiſſum cum ignorantia invincibili concomitante non eſſe voluntarium, neque imputari agenti ut verum homicidium, conſequenter habetur non incurri propter illud pœnas à jure ſtatutas contra homicidas, neque obligationem reſtituendi, aliáque hujuſmodi; ſed judicandum eſſe de tali homicidio, ac ſi in ſolo affectu & voluntate ſiſteret, externáque mors non ſequeretur. Et quod dictum eſt de homicidio, intelligendum eſt de aliis ſimilibus factis cum prædicta ignorantia: in omnibus enim, quod attinet ad externum effectum, & ad illa, quæ talem effectum conſequuntur, philoſophandum eſt non ſecus, ac ſi fierent cum ignorantia invincibili antecedente. Nec referet ad aliquid prædictorum, an ignorans aliàs det operam rei licitæ, vel illicitæ. 103.

Aliud dubium ſolet hic ab aliquibus moveri: videlicet an & qualiter ignorantia ſive vincibilis, ſive invincibilis, antecedens, aut concomitans excuſet à pœna? Sed nos illud prætermittimus: quia ſi ſermo ſit de pœna jure humano determinata, non ita eſt noſtri inſtituti id declarare; ſed ſpectat ad juris Doctores, & ad Theologos morales: de quo latè & eruditè, ut ſolet Thom. Sanch. lib. 9. de matrim. cit. diſp. 32. per totam. Si autem ſermo ſit de pœna, quæ ex natura rei & coram Deo debetur peccato: idem omnino dicendum eſt de hac pœna, ac de ipſa culpa. Et ideo ignorantia, quæ excuſat à tota culpa, conſequenter liberabit à tota pœna: quæ verò culpam diminuit, in eodem quoque gradu diminuet pœnam. Plura alia inſeruntur hîc ab aliquibus de ignorantia, & de peccatis per illam vel cum illa commiſſis, quæ etiam omittimus propter rationem nuper traditam

Digitized by Google

ad eandem ſpeciem, cujus eſſet volitio ſcienter elicita committendi ea peccata ſive copulatim, ſive diſiunctim. Simile quid ait Salas diſp. 8. ſect. 9.

Non ſatisfacit.

Hæc tamen ſolutio (licèt quo pacto dat aliquam inſtantiam argumento extra terminos ignorantiæ, ſperni omnino non debeat) nequaquam tamen eſt ſufficiens. Tum quia non declarat quæ ſit ſpecies illius actus ſcienter eliciti *volo aliquod peccatum vagè*, aut illius *volo determinatè hæc duo vel tria, ſive copulatim, ſive diſiunctim*: ergo neque ex ea habetur, quæ ſit ſpecies ſimilium peccatorum, dum ex ignorantia committuntur. Tum etiam quia non eſt undequaque verum, prædicta peccata commiſſa ex ignorantia fore ejuſdem ſpeciei, cujus eſſent illa alia ſcienter commiſſa, quæ in prædicta ſolutione aſſignantur.

Nam primum (nempe cùm ſolùm prævidetur periculum alicujus peccati vagè ſumpti) factum ex ignorantia, diverſæ ſpeciei debet eſſe ab actu iſto expreſsè elicito *voto vagè aliquod peccatum.* Hujuſmodi enim actus non fit niſi intendendo directè aliquod pravum motivum ex illis, quæ expreſsè volita conſtituunt ſpecialia peccata: qui enim dicit ſe velle committere aliquod peccatum vagè, nullius materiam determinando, expreſsè debet moveri ab aliquo motivo: cumque non moveat illum aliqua delectabilitas vel utilitas orta ex peccati materia, ſiquidem nulla materia deſignatur; neceſſe eſt ut moveatur expreſsè ab aliquo, quod importatur in ipſa ratione formali peccati: puta vel ex diſplicentia Dei, volens peccare ut illum offendat: & hoc eſt peccatum odii ipſius Dei propriè dictum: vel ex tædio & repugnantia ad præceptum, & ut illud frangat: & hoc eſt peccatum ſpeciale inobedientiæ: vel ex odio aut diffidentia propriæ ſalutis, quaſi deſperans de illa, vel ut ſe ipſum ſpiritualiter interimat: & hoc erit ſpeciale peccatum aut odii ſui ipſius, aut deſperationis. Certum eſt autem, peccatum illud commiſſum ex ignorantia cum prævisione alicujus vagè ſumpti, non intendendo directè aliquod ex prædictis motivis, ut communiter non intenditur; ſed aliquam utilitatem, vel delectabilitatem, quæ de materiali ſe habet ad malitiam, non eſſe peccatum ita grave, ſicut ea, quæ retulimus, neque ad aliquam prædictarum ſpecierum pertinere. Ergo ſolutio illa non eſt undequaque vera.

¶ Adde, quòd ignorans potuit prævidere non ſolùm aliquod peccatum vagè, ſed etiam duo vel tria ſine deſcendu ad hæc, vel ad illa: in quo caſu difficilius adhuc aſſignabitur malitiæ ſpecies: & an ſit una, vel plures: non ergo prædicta ſolutio tollit adæquatè objectionem. Sed nec vidimus aliquem eam accuratè expendentem; tangentem verò unum vel alterum.

74 Initium veræ ſolutionis.

Pro vera ergo ſolutione eligimus in primis limitationem inter obiiciendum adhibitam: nempe quòd ut peccata, quæ ex ignorantia ſequi poſſunt imputentur agenti, cenſeantúrque volita in cauſa, debent eſſe aliquo modo ab eo prævisa, dum ſcire neglexit: & ideo quæ nullo modo prævíderit, non ei imputabuntur, neque in prædicta cauſa malitiam aliquam habebunt, ſed quantum ad hoc reputanda erunt ut invincibiliter ignorata. Ratio verò eſt: quia effectus non dicitur volitus in cauſa (loquendo, ut loquimur, de volitione indirecta) niſi in quantum apponens illam tenetur eam vitare ratione talis effectus, ne inde ſequatur: non enim ſufficit obligatio vitandi cauſam àliàs, vel ſecundum ſe; ſed debet eſſe impoſita ratione effectus, & in ordine ad illum præcavendum; aliter reſpectu talis effectus habebit ſe omnino de materiali, neque ad ejus imputabilitatem conducet: obligatio autem niſi cognoſcatur urgere hic & nunc, non ligat de facto, neque effectum ſortiter: debet ergo ea, quam diximus, ita præcognoſci: atque adeo etiam periculum effectus prohibiti debet præcognoſci, proindéque ipſe effectus ut ſub hoc periculo; cujus cavendi ratione, & non aliter talis obligatio urgeret.

Atque hinc habetur qualiter prædictus effectus prævideri debeat: non enim ſufficit animadverti ut metaphyſicè poſſibilem: quia communes leges non nituntur hujuſmodi potentiæ; ſed attendunt ad morale periculum, & ad illud, quod prudenter timeri debet. Unde quoad præſens, illi dumtaxat effectus dicendi ſunt *prævisi*, quorum futuritio, vel contingentia ſub periculo proximo animadvertitur. Vocamuſque *proximum periculum*; cum effectus prohibitus, ſuppoſita ignorantia, alia via humano & morali modo caveri non poteſt: ſi namque poſſit adhuc ſufficienter vitari, periculum erit tantùm remotum: ideoque effectus ipſe non erit ſufficienter prævisus ut ad culpam imputetur. Sed licèt requiratur prævisio, quam dicimus; non tamen alia major: ut quòd effectùs cognoſcatur certo futurus, aut quod occurrat memoria illius diſtinctè & in ſe; ſed ſufficit animadverti confusè & in communi periculum alicujus effectus pravi quiſquis iſte ſit. Imo ſufficit hujus periculi timor vel ſuſpicio; quandiu per contrarium judicium talis ſuſpicio vel timor ſaltem probabiliter non deponitur: ut in ſimili diximus diſp. 10. num. 160. ibidemque rationem tradidimus: multaque alia, quæ pro præſenti difficultate neceſſaria ſunt, habes illa diſp. toto dub. 4. qua de cauſa non plura hic repetimus.

Hoc ſuppoſito, reſpondetur ad objectionem, regulariter loquendo non imputari ignorantibus tot peccata, ſicut in ea referuntur: quia licèt metaphyſicè loquendo, omnia illa ex ignorantia ſequi poſſint, moraliter tamen nunquam ſit, ut omnium prævideatur proximum periculum, aut quòd tale periculum prudenter timeri debeat: & licèt de omnibus occurreret aliqua ſuſpicio, citò hæc removeretur per judicium contrarium, quo vel omnium vel plurium non futuritio ſaltem probabiliter dignoſcitur. Quod non obſcurè oſtenditur in exemplis objectionis: nam qui inconſideratè proiicit lapidem per feneſtram, etiam ſi multa poſſint inde ſequi homicidia, poterit nullius periculum, vel unius tantùm animadvertere: & conſequenter vel nullum, vel unum dumtaxat volitum cenſebitur. Imo etiam ſi omnium illorum trium homicidii, parricidii, & ſacrilegii mentio occurrat, non eo ipſo imputabuntur omnia; quia fortè antequam jactum lapidis apud ſe determinet, efformabit judicium probabile, quòd tunc nec pater, nec clericus

75 Pergit ſolutio.

Digitized by Google

clericus illac tranſeat : quo exiſtente judicio, prædicta advertentia ſolum efficiet volitum homicidium laici, circa quem non formatur tale judicium.

Quod ſi in hoc priori exemplo non difficile appareat, poſſe committi omnia illa : quæ referuntur ; in ſecundo id eſt plus quàm difficile : quia nullus eſt ebrius, qui tot peccata ex ſua ebrietate cordatè pertimeſcat. Quæ autem ab illis prævisa cenſeantur, declarat Cajetanus 2.2. quæſt. 151. art.4. hâc regula. Si ebrius id jam duxit in conſuetudinem, illa peccata cenſentur ab eo prævila, quæ committere conſuevit exiſtens in ea diſpoſitione : regulariter autem hæc erunt pauca, & ſæpe nulla : nam ſunt multi, qui pacificè in ſomno ducunt totam ebrietatem. Si autem tunc primò inebrietur, adeóque inexpertus ſit, illa pro prævisis habenda ſunt, quæ ſimiles perſonæ, dum ſunt in ebrietate, regulariter committunt : aut verò ſi fortè ob peculiares circunſtantias aliquando occurrentes, ſive expertus, ſive inexpertus, alterius inſoliti peccati morale periculum ſpecialiter animadvertat. Cætera autem poſſibilia, ſi forte accidant, caſualia & imprævisa cenſebuntur. Imo & in aliquo caſu *imprævisa* dicentur, etiam quæ communiter ab ebriis committuntur, ſi ob ſpeciales circunſtantias occurrentes fiat prudens judicium, quòd tunc ceſſet periculum talium peccatorum : vel ſi illi, qui ſe inebriat, nulla ſubeat cogitatio aut ſuſpicio, quòd inde poſſint aliqua peccata oriri. Unde tradita regula non excludit, quin tempore inebriationis occurrere debeat aliqua advertentia futuri periculi, ſaltem indirectè & confusè, ex qua intellectus moveri poſſit ad illud examinandum, & præcavendum. Cui regulæ aliam adjicere placuit ex Thoma Sanch. lib. 1. ſum. cap. 16. num. 43: ubi ait, ebrios communiter non perpetrare ea, quæ alias peccata eſſent, niſi ab aliis irritatos, & ita communiter eſſe à caſu, nec teneri ebrios ea præcavere : quòd irritantium culpæ id potius tribuendum ſit, ac reſpectu ebriorum caſu accidant. Limitat verò : niſi in eo loco ſe inebriarent, in quo prævidérent fore ut ab aliis irritentur, & ſic fore periculum ea peccata perpetrandi. Cum enim ebrius tunc irritationem futuram prævíderit, & ſe culpabiliter irritabilem effecerit, atque irritandum expoſuerit, voluit proculdubio ſubinde quicquid cum ebrietate & irritatione moraliter connexum eſt. Et præterea ſcandali generalis peccatum admiſit præbendo aſtantibus proximam irritandi ad ea peccata occaſionem. Hæc Sanch.

Caiet.

Thom. Sanchez.

In tertio etiam exemplo regulariter non multa erunt peccata : quia plura ex illis, quæ ex judicis ignorantia ſequi poterant, poterunt ab illo alia via ſufficienter evitari : vel interrogando peritum, ubi judicandi occaſio occurrat : vel proprio ſtudio, antequam judicium ferat, ignorantiam pellendo : ſola verò, quæ de proximo immineant, & quæ nec ſit locus interrogandi, neque ſtudio addiſcendi, cadent ſub proximo periculo : hæc autem regulariter non ſunt multa. Cæterum quotquot ea ſint tam in hoc quàm in cæteris exemplis, ratio noſtra convincit habere in cauſa propriam malitiam, quia pro omnibus adeſt fundamentum, ut in ipſa cauſa volita cenſeantur : nihilque aliud exigitur, ut voluntas inde malitiam deſumat.

Quare ad primam probationem in contrarium negatur ſequela, regulariter loquendo, & de ignorantia non affectata : quia licèt ex hac committat quis aliquando plura peccata ; minus tamen peccat, quàm qui ſcienter & data opera patratur unicum homicidium : adeo enim ipſa ignorantia voluntarium & malitiam diminuit, ut ſæpe plus tollat, ſeu minus relinquat malitiæ in multis ita commiſſis ſimul ſumptis, quàm ſit in uno commiſſo ex certa intentione : ut docet D. Thom. in præſenti artic. 1. ad 1. & quæſt. 3. de mal. art. 8. ad 4. ¶ Diximus *regulariter loquendo* : quia tot poſſunt eſſe peccata volita in ignorantia vincibili, adeove gravia ſecundum ſuas ſpecies ut eorum malitia ſuperet malitiam alterius peccati ſcienter commiſſi ex ſpecie levioris. ¶ Diximus etiam *de ignorantia non affectata* : quia de affectata poteſt ſequela admitti, eò quòd non ſic diminuit malitiam, ſed aliquando auget : ut dicemus dub. ſequenti. 76 Ad primam probationem.

Ad ſecundam probationem negatur etiam ſequela : quia homines probi & timorati cum deliberatè operari volunt, præſertim in rebus gravioribus ; quæ poſſunt eſſe materia peccati mortalis, regulariter adhibent ſufficientem diligentiam, ne ſe peccandi periculo exponant, adeo ut multi per totam vitam nunquam operentur niſi tuta conſcientia, & ſufficienti præmiſſa conſideratione ad quodcunque mortale cavendum. Quòd autem inconſiderati, ſuæque ſalutis immemores ſæpe incurrant ignorantias culpabiles, & in eis multorum peccatorum periculo ſe exponant, ipſaque peccata ſaltem in cauſa committant, nec negandum eſt, nec præſenti doctrinæ opponendum : ſicut etiam non eſt improbandum, quòd pœnitens examinare, & in confeſſione explicare debeat non modo quæ peccata opere commiſerit, ſed etiam quorum ſe proximo periculo expoſuit, quantum morali & communi diligentia aſſequi potuerit : qua adhibita, ſi expreſſiùs ea peccata non occurrant, ſufficiet dicere, ſe operatum fuiſſe inconſideratè & cum formidine alicujus vel aliquorum peccatorum quæ neſcit. ¶ Ex aliis verò quæ ſolutionem ibi datam impugnant, primum & ſecundum parentheſi incluſa diluimus diſp. 10. num. 143. & duobus ſequentibus : inde enim ſatis conſtat, prædictam obligationem conſiderandi nihil ad intentum conducere, niſi ejus ut urgentis hîc & nunc aliqua mentio occurrat : in quo ipſo prævidetur aliqualiter periculum pravi effectus, cujus cavendi gratia & non aliter ea obligatio urget. Et etiam conſtat ex num. 174. qualiter cum dicta prævisione cohæreat, peccata inde ſequuta oriri ex ignorantia. Ad ſecundam.

Unum autem obſervare hîc placet : nimirum quòd ſi is, qui ex ignorantia peccat, det operam rei illicitæ, puta quia actio, cui ſcienter incumbit, & ex qua ſequitur effectus incognitus, non modò ratione ipſius effectus, ſed ſecundum ſe eſt peccaminoſa, etiam ſi neque periculi talis effectus, neque ejus cavendi obligationis mentio expreſsè occurrat, ſed ſola ipſa actio ut ſecundum ſe prohibita expreſsè cognoſcatur, poterit prædictus effectus aliquando imputari ad culpam, cenſerique interpretativè prævisus & volitus in tali actione : quod minime haberet, ſi ignorans daret operam rei licitæ. Cujus diſcriminis rationem tetigimus 77 Obſervatio.

Digitized by Google

diſp. cit. n. 163. quia videlicet in primo caſu illa expreſſa cognitio malitiæ cauſæ, & obligationis vitandi illam ſecundum ſe, poteſt eſſe aliquando intellectui ſufficiens principium diſcurrendi, & inquirendi an lateat ibi aliqua alia malitia, ob quam & non ſolùm propter propriam debeat vitari prædicta actio: facilis enim erit ab una malitia in aliam aliquando hujuſmodi diſcurſus propter aliquam ſpecialem inter eas connexionem: ubi autem intellectus habet ſufficiens principium deveniendi in cognitionem alicujus, quod ſcire tenetur, hujus ignorantia proculdubio eſt vincibilis; atque adeo ſufficiens ut quod ita ignoratur, imputetur propter illam. E contra verò in ſecundo caſu cum res ſecundum ſe licita appareat, nulliúſque alterius malitiæ vel obligationis ſubeat recordatio, non datur intellectui ſufficiens principium detegendi talem malitiam: & ideo quæcunque ibi contineatur, cenſetur invincibiliter ignorata. ¶ Diximus, in primo caſu, aliquando non verò ſemper ita contingere: quia multoties malitia cauſæ ita diſparatè ſe habebit ad malitiam effectus, ut cognitio illius non ſit ſufficiens principium in iſtam deveniendi: tuncque non habebit locum doctrina præſentis obſervationis. Quam tanquam valde probabilem voluimus hic adiicere, ut inter dantem operam rei licitæ & illicitæ aliquod diſcrimen aſſignaremus. Sine quo difficile erit conciliare plura juris teſtimonia, & aliqua D. Thomæ, ubi ad prædictum diſcrimen ſit recurſus.

78 Proſequitur ſolutio.

Sed noſtram proſequendo ſolutionem, ad tertium ubi dicitur poſſe plurimorum peccatorum pericula prævideri, conſtat ex dictis num. 75. non ita communiter accidere. Quod ſi prævideatur, & nihilominus homo ſit negligens in acquirenda ſcientia, qua cavenda ſunt, hoc ipſum oſtendit voluntatem ejus magis depravatam: utpote tot peccata, quorum pericula prævidit, non recuſantem, neque metuentem: adeóque nec recuſandum eſt omnia illi imputare. Ultimum de confuſione, ſeu indiſtinctione ſpecierum malitiæ facilè etiam componitur, quando ab ignorante præviſum fuit determinatum peccatum, ſive unum dumtaxat ut homicidium, ſive multa copulatim ut furtum, homicidium, & adulterium. Tunc quippe ſicut qui expreſsè vellet occidere, haberet in ea volitione determinatè malitiam homicidii; & qui expreſsè vellet omnia hæc tria *furari*, *occidere*, & *mœchari* haberet in illa tres malitias, furti, homicidii, & adulterii, ſive hujuſmodi peccata opere compleret, ſive non: ita qui ex ſua ignorantia prævidet determinatè periculum homicidii, habebit in cauſa malitiam ſpeciei homicidii; & qui prævidet periculum furti, homicidii, & adulterii, habebit ſimiliter in cauſa tres malitias earundem ſpecierum, ſcilicet furti, adulterii, & homicidii: quia in hoc & in illo primo caſu non eſt diſcrimen ex parte objectorum, ſed ſolùm ex parte modi volendi: quatenus in primo ſunt volita directè & formaliter; in ſecundo verò indirectè & interpretativè: quod diſcrimen cæteris paribus non variat ſpeciem peccati, ut diximus num....

Sed & ſi prævideantur tria illa diſiunctim, nempe quia ignorans advertit, ex ſua ignorantia unum dumtaxat ſubſequendum, eò quòd omnia ſimul ſcit ſequi non poſſe, & aliàs cujuſlibet æqualiter imminet periculum, dicendum eſt committi ea peccata in cauſa, & habere ſimul in illa unumquodque ſuam propriam malitiam: non ſecùs ac cum prævidentur copulatim ſubſequendo. Et ratio eſt: nam qui ita operatur, licèt abſolutè ſolùm velit unum ex prædictis peccatis; conditionatè tamen vult, conſentitque in omnia: quia vult unumquodque ſub conditione quòd alia non ſequantur: ut autem voluntas capiat ab aliquo objecto propriam ejus malitiam, ſufficit conſentire in illud ſub conditione non auferente ab eo mali rationem, ſicut in præſenti non aufert. Unde quemadmodum ſiquis expreſsè haberet hunc actum *ſi non occurrat occaſio occidendi inimicum, occurrat autem accipiendi ejus bona, volo furari & non occidere; ſi verò è contra, volo occidere, & non furari*, non eſt dubium committere utrunque peccatum quantum ad malitiam, quia voluntas in utrunque conſentit, licèt ſub illa conditione: ita dicendum eſt in caſu, de quo loquimur: quod enim præſtaret hic volitio formalis, præſtat ibi interpretativa. Verum tamen eſt, intra prædictas ſpecies gravius peccare, qui prævidet omnia illa collectivè ſubſequenda, quàm qui prævidet ſubſequenda diſiunctim: ſicut gravius peccat, qui vult abſolutè quodcunque peccatum, quàm qui illud vult ſub conditione.

79 Tollitur levis Objectio.

Neque obeſt ſi obiicias, quòd dum plures malitiæ ſpecies in eodem actu concurrunt, debent ſervare ordinem, ita ut una ſit prima & eſſentialis; cæteræ verò accidentales & ſecundariæ: at inter ſpecies, de quibus loquimur, nequit aſſignari talis ordo, neque reddi ratio cur una ſit prior & alia poſterior. ¶ Reſpondetur enim hujuſmodi inconveniens apud nos nullum eſſe: nam D. Thom. ſupra quæſt. 18. art. 10. ad 3. expreſsè ait, *non eſſe inconveniens, quod unus actus moralis ſit in pluribus ſpeciebus moris etiam diſparatis*. Atque adeo quæ nullum inter ſe ordinem ſervent. ¶ Adde, hanc replicam eodem modo militare in peccatis ſcienter commiſſis: nam ponamus, aliquem eodem actu ſimul velle occidere, mœchari, & furari: non enim repugnat, ſimul hæc omnia, eodemque actu à voluntate appeti: ſanè in hoc caſu non eſt major ratio cur una ex prædictis malitiis ſit prior alia, quàm in eo, de quo agimus. Quod ergo in iſto, qui ab omnibus eſt ſolvendus, dictum fuerit, dicemus in illo. D. Thom.

Difficilior caſus.

Difficilius componitur hic caſus, quando ignorans providit periculum peccandi vagè & in confuſo ſine determinatione hujus aut illius peccati. Tum quippe cum neque copulativè, neque ſub diſiunctione aliqua objecta deſignentur, non apparet ratio cur ab hoc potiùs quàm ab illo, aut ab uno quàm à multis ſumatur ſpecies. Nec pro hoc erit inſtantia actus volendi directè, & formaliter hoc idem, quod interpretativè vult ille ignorans, nempe *peccare ut ſic*; nam talis actus ratione expreſſi motivi habet determinatam ſpeciem longè pejoris conditionis, quàm habere poteſt volitio interpretativa ignorantis: ut vidimus numero 73.

Dices

80 *Inutilis ſolutio.* Dices primò, in hoc caſu attendendos eſſe effectus pravos, qui de facto ex ignorantia ſequuntur: & quot fuerint hujuſmodi effectus ſpecificè diverſi, tot, eædémque reperientur ſpecies malitiæ in cauſa. ¶ Sed hunc dicendi modum improbat manifeſta ratio: quia ut diximus num. 71. malitia, quam habet cauſa ratione effectuum, non dependet ab illis ut poſitis in re, ſed præcisè ut volitis: poſſunt autem multa eſſe volita, quæ de facto in re non ponantur, eò quòd illorum exequutio aliunde impeditur: ſicut etiam poſſunt aliqua ex ignorantia caſu accidere, quæ nullo modo ſint volita: ergo regula ad diſcernendam prædictam malitiam non poteſt ſumi ex effectibus, qui de facto ſequuntur. ¶ Adde, poſſe accidere, ut poſtquam aliquis incurrit vincibilem ignorantiam prævidens peccandi periculum, nullus pravus effectus illorum, qui ignorantur vincibiliter, re ipſa ſequatur: & etiam quòd ſequatur alius omnino invincibiliter ignotus: nemo autem in hoc caſu dicet, adfuiſſe in ignorantia vel ejus cauſa malitiam hujus effectus invincibiliter ignoti, qui ſequitur de facto; aut liberabit illam ab omni malitia, quia alii effectus vincibiliter ignorati non ſuquûtur.

Solutio alia etiam inutilis. Dices ſecundò, conſiderandum eſſe effectum graviorem, qui ex ignorantia illa moraliter ſequi poſſit, & ab hoc deſumi ſpeciem malitiæ: quia eſt majus malum, cui ignorans exponitur, & in quo leviora quaſi eminenter continentur. ¶ Sed contra: nam ſi effectus ille gravior dat ſuam propriam ſpeciem malitiæ, quia ignorans periculo ejus exponitur, eadem ratione aliorum minus gravium, quorum ſimiliter exponitur periculo, dabit unuſquiſque ſuam propriam ſpeciem: aut ſi iſti, eo periculo non obſtante, non tribuunt illam; neque ille gravior propter tale periculum eam tribuet. Quod autem dicitur de continentia eminentiali, nullius momenti eſt: quia nullum eſt peccatum quantumvis grave, in quo malitia alterius plenè & adæquatè contineatur, & ſicut conjunctum ex utroque peccato ſimul ſemper erit pejus peccato ipſo graviori: ita ſemper graviùs delinquit, qui utriuſque periculo, quàm qui ſolius gravioris exponitur. Plus ergo malitiæ habet cauſa utriuſque (ſaltem extenſivè) quàm ſit malitia prædicti gravioris peccati.

81 *Solutio tertia.* Tertio dicunt nonnulli, in prædicto caſu unicam tantùm ſpeciem malitiæ reperiri in cauſa: non quidem deſumptam ab aliquo determinato effectu, quia cum nullus prævideatur, nullus poteſt eam conferre; ſed à præviſo periculo incidendi in peccata vage & confusè: eſſéque hanc ſpeciem veluti communem non per prædicationem, ſed per quandam æquivalentiam ad omnes, quæ poſſent deſumi ex effectibus particularibus vincibiliter ignoratis, ſi fuiſſent præviſi: longè autem minoris malitiæ, quàm ſit actus volendi peccare directè & formaliter, de quo diximus num. 73. nec quærendum eſſe illi nomen, ut deeſt aliis multis: pertinere verò vel ad aliquod vitium ſimiliter innominatum; vel ad aliquod ſub imprudentia, ut temeritatem vel inconſiderationem; vel fortè ad nullum: ſunt enim aliqua peccata, quæ nullum vitium generant quantumvis repetantur: ſicut etiam dantur plures actus boni, & honeſti, qui non generant habitum virtutis, neque ad aliquam determinatam ſpectant, ſed ſufficienter reducuntur in ipſam naturalem inclinationem voluntatis ad bonum, quæ circa illa objecta in ordine ad quæ eſt completa, & ſufficienter determinata; neque indiget habitu virtutis acquiſito ad rectè, & promptè operandum; neque ſinit generari habitum vitii per actus peccaminoſos. Qua ſolutione ceſſat omnis confuſio, & tollitur difficultas, in qua laboramus. Hic modus dicendi (qui parùm à Cajetani ſententia diſtinguitur) aliquando non diſplicuit, admittéque pro hoc caſu diſcrimen inter ignorantiam juris, quæ non velat determinatum objectum, licèt occultet malitiam, & ignorantiam facti, quando totaliter utrumque velat, ſicut in præſenti caſu: quia ſemper difficile judicavimus determinare alia via cum ſufficienti fundamento ſpeciem malitiæ, quam quærimus. Quod ſi prædicta ſententia à nobis amplectenda eſſet, cogeret procul dubio difficultas hujus objectionis, non Cajetani fundamentum, quod §. 2. impugnavimus.

Sed ne ita incedendo deſeramus communiorem viam, quam ſupra elegimus (hac enim non ſalvatur, peccata ex ignorantia commiſſa manere in eiſdem ſpeciebus, ubi eſſent ſcienter facta; nedum juxta univerſalitatem noſtræ aſſertionis, verùm nec cum limitationibus ſecundæ, & tertiæ, & quartæ ſententiæ) & etiam quia fundamenta, quibus §. 4. noſtram & ultimam communivimus, magis urgent, relicto abſque majori impugnatione hoc quoque ultimo dicendi modo, reſpondetur, quod in caſu propoſito attendendi ſunt effectus pravi ſpecificè diverſi, quorum probabili periculo judicio prudentis ignarus exponitur ex vi ſui modi operandi, attentáque ejus habituali notitia: omnéſque hujuſmodi effectus debent illi imputari ut interpretativè voliti, interpretativéque præviſi in illa qualiquali advertentia, qua prænovit periculum peccandi vagè & cófusè: & ideò quot fuerint prædicti effectus, tot eædémque ſpecies malitiæ adfuiſſe dicentur in ignorantia vel in ejus cauſa. Supponitur verò, prædictam advertentiam, licèt fuerit confuſa, fuiſſe tamen plenè deliberatam: nam ſi fuiſſet tantùm ſemiplenè, excuſaret ab omni culpa mortali juxta dicta diſp. 10. dub. 4. Non autem refert, quòd in illa occurrerint multa peccata vagè, ſeu eorum periculum, vel unum duntaxat: quia idem eſt unum vage acceptum, ac multa disjunctivè; multa autem disjunctivè quoad præſens æquivalent multis copulativè, ut vidimus num. 79. *Vera ſolutio.*

Diximus *effectus qui ſecundum judicium prudentis*, &c. quia impoſſibile eſt, prædictos effectus certiori alia regula deſignare: cùm hoc dependeat ex tempore, loco, perſonis, & aliis circunſtantiis, quæ pro caſuum diverſitate communiter diverſificantur. ¶ Diximus etiam *ex vi ſui modi operandi, attentáque ejus habituali notitia*, &c. quia prudens in ferendo judicio non præcisè attendere debet, quæ ex natura rei prædictum periculum patient; ſed qualiter modus operandi ignoranter ſit illi expoſitus: fieri enim poteſt, ut rebus bene penſatis, nullum periculum immineat; & nihilominus ignorans reus ſit culpæ 82

Digitized by Google

culpæ propter temerarium & inattentum modum agendi: quia malitia moralis non dependet ab eo, quod eſt ſecundum rem, ſed ex modo judicii & apprehenſionis, quo quis ducitur in agendo. Debet ergo potiſſimùm ſpectari hic agendi modus, ejúſque temeritas & inattentio, quidque ignorans cognoſcat habitualiter, & quæ poſſent, quantum eſt ex iis principiis, ſeu juxta ea prudenter conjectando, pericula timeri, v.g. ſi is, qui projicit lapidem vel ſagittam in locum, per quem habitualiter ſcit, nullum hominem ſolitum pertranſire; non autem ſic ſcit non ſolere tranſire animalia domeſtica (quamvis re ipſa neque hæc tranſire ſoleant) nihilque de tranſeuntibus examinet: ex vi hujus modi operandi timeri debet occiſio bruti, non autem homicidium: quia quantum ad hoc, ſuppoſita notitia habituali, non eſt temerarius prædictus modus; ſecùs verò quantum ad illam. Quod ſi habitualiter sciret non poſſe pertranſire Clericum (fortè quia ſcit, nullum exiſtere in illo opido, neque aliunde venturum) at non ita ſcit non poſſe tranſire hominem Laïcum, etiam ſi re ipſa neque iſte tunc tranſire poſſit, timenda erit ejus occiſio, non verò occiſio Clerici. Denique ſi habitualiter ſciebat, promiſcuè illac ſolitos tranſire Clericos & Laïcos, aut oppoſitum habitualiter ſibi non conſtaret, & prædicto modo operaretur, timendum eſſet tam Laïci quam Clerici homicidium: & ideo utrunque ſecundum propriam malitiam imputandum.

Numeramus autem inter attendenda notitiam habitualem ut valde conducentem ad intentum: quia cum ea notitia, & cum certitudine, ac ſecuritate habituali ex ipſa orta non videtur ſaltem permanenter cohærere contrarius timor vel formido: ſicut cum ſcientia habituali alicujus objecti non compatitur permanenter judicium erroneum, aut formidoloſum contrarium reſpectu ejuſdem omnino propoſitionis. Ubi autem non eſt poſſibilis timor alicujus periculi, neque etiam poteſt eſſe obligatio attendendi illud periculum: quippe ſolus timor talis periculi inducere poterat prædictam obligationem. Ceſſante ergo tunc obligatione attendendi, carentia attentionis non erit privativa, atque adeo non efficiet modum operandi temerarium & culpabilem. Exemplum ſit: ſi Paſtor, vel Eremita degens in vaſtiſſima ſolitudine, certúſque habitualiter, nunquam homines illùc pervenire, mittat lapidem ad percutiendam feram, non conſiderans an homo tranſeat, vel non tranſeat, nemo prudens temerarium diceret modum hunc operandi, neque ex eo homicidii periculum pertimeſceret: quia habitualis notitia operantis, qua certus eſt neminem tranſiturum, tollit obligationem actu id attendendi, liberátque agendi modum à temeritate, cui, ſecluſa prædicta notitia, obnoxius maneret. Atque hoc proportionali modo facile erit in cæteris diſcurrere, attendendo tempus, locum, & alias circunſtantias: præcipue vero quid operans noverit habitualiter, quidque actu conſiderare debeat, & omittat: indeque prudenter conjectando circa quæ objecta, vel circunſtantias, ſive effectus modus operandi dici debeat temerarius, & inattentus privativè, adeóque illorum periculo expoſitus.

Quod ſi prædictis omnibus attentis, nullus tandem appareat effectus peccaminoſus, cujus probabili periculo operans ſe exponat: conſequenter nullum erit ibi peccatum ex ignorantia vincibili commiſſum, etiam in cauſa: eritque proinde extra terminos hujus dubii, imò & de ſubjecto non ſupponente, quærere ſpeciem talis peccati. ¶ Si verò inquiras, ad quod vitium vel ſpeciem pertineat peccatum repertum in tali caſu, ſuppoſito quòd modus operandi adhuc ſit inconſideratus & inattentus: ſive nullo omninò cogitato periculo; ſive cogitato dumtaxat reſpectu alicujus mali in communi, cujus nec prudens valeat materiam deſignare? Reſpondetur, pertinere ad vitium inconſiderationis, quod ſpecialiter opponitur prudentiæ: aut verò etiam pertinere poterit ad negligentiam, vel ad aliud vitium aut quaſi vitium, ex cujus motivo inattentio illa proceſſerit.

DUBIUM IV.

Qualiter ignorantia excuſet, vel diminuat peccatum?

IN hoc dubio quædam ſupponemus, quia citra controverſiam ſunt; quædam verò, quia incerta ſunt, examinabimus. Porrò ignorantiam excuſare peccatum nihil aliud eſt, niſi quòd ſtante legis prohibitione, & quòd actus contra talem prohibitionem fiat, non ſumat malitiam formalem ex ejus tranſgreſſione, neque propter illam ad culpam imputetur; ſed evadat liber à culpa & malitia ratione ignorantiæ. Diminuere verò peccatum eſt minorem reddere prædictam malitiam, aliquid ejus remittendo; non tamen auferendo, ſed relinquendo ipſam malitiæ ſpeciem.

§. I.

Separantur certa ab incertis.

PRimò igitur ſupponi debet, ignorantiam invincibilem antecedentem, ſi ſit totalis, puta quia ignoratur tota malitia objecti & circonſtantiarum, excuſare omnino actum à culpa, nihilque malitiæ formalis in eo relinquere: ſi verò ſit partialis, quia videlicet malitia objectiva partim prædicto modo ignoratur; partim verò cognoſcitur, vel ignoratur vincibiliter, excuſabit ab illa, quæ invincibiliter incognita eſt; non autem ab ea, quæ fuerit cognita, vel vincibiliter ignorata: Vt ſiquis occidat patrem, putans eſſe feram; ignorans verò invincibiliter, nedum eſſe patrem, ſed etiam eſſe hominem, excuſabitur non modò à malitia parricidii, ſed etiam homicidii: ſi autem invincibiliter ignoret eſſe patrem, & non ita ignoret eſſe hominem, liberabitur à malitia parricidii, ſed non à malitia homicidii. Hac ratione acceſſus Iacobi ad Liam ſororem Rachelis uxoris ſuæ excuſatus fuiſſet ab omni culpa (etiam ſi ille gradus affinitatis eſſet tunc prohibitus) quia tota malitia fuit invincibiliter ab eo ignorata, cum prudenter credere potuiſſet, illam eſſe propriam

83 Primum ſuppoſitum.

propriam uxorem: at verò acceſſus Judæ ad Thamar excuſatus fuit à malitia inceſtus: quia invincibiliter ignoravit illam eſſe Thamar nurum ſuam; habuit tamen malitiam fornicationis: quia cognovit, ſe accedere ad mulierem, quæ non erat ejus uxor: & ſic de aliis. In quo conveniunt communiter Theologi cum D. Thoma in præſenti art. 3. Loquunturque univerſaliter de qualibet ignorantia ſive facti, ſive juris cujuſcunque. Et ratio eſt perſpicua: nam malitia formalis fundatur ſuper rationem liberi, & ita non habet locum ubi non eſt voluntarium; & multò minùs ubi eſt involuntarium ſimpliciter: quod autem ignoratur invincibiliter, nullo modo eſt voluntarium: quia nec ſecundum ſe habet eſſe cum cognitione, ſicut eſt de ratione voluntarii, neque ratione cauſæ cum prædicta ignorantia omnino voluntatem & cognitionem antecedat: quinimo ſimpliciter eſt involuntarium, nam fit contra voluntatis inclinationem: & ideo ſi adeſſet ſcientia, non fieret. Ergo quod ita ignoratur, ſaltem ex ea parte qua ignoratur, non poteſt habere prædictam malitiam.

84 Dices: ignorantia, quæ non privat uſu rationis, non tollit quominus actus per illam factus, ſit liber, atque adeo voluntarius: ergo ex vi hujus rationis non excuſabit illum à malitia. ¶ Reſpondetur: prædictum actum eſſe voluntarium & liberum aliàs ſeu reſpectu alterius objecti, quod ab operante cognoſcitur, & ad quod terminatur expreſsè: at reſpectu objecti pravi, quod ignoratur, & à quo ſumenda erat malitia, neutrum habet: quia deficiente cognitione circa tale objectum, hujus attingentia neque libera eſt, neque voluntaria.

Dices ſecundò, fieri ex hac ratione, quòd actus attingens prædictum objectum, quatenus illud attingit, non ſit voluntarius, non autem quòd ſit involuntarius: quia ad hoc ultra defectum cognitionis neceſſaria eſt reſiſtentia ex parte voluntatis: nam involuntarium continetur ſub violento, & ita debet eſſe *paſſo reſiſtente*, ut ſuo loco diximus: at reſpectu objecti penitùs ignorati nequit habere voluntas talem reſiſtentiam: quia fundari debet in aliquo ejus actu reſpuente tale objectum; qui etiam eſſe nequit ſine cognitione.

Reſpondetur concedendo, neceſſariam eſſe ad involuntarium prædictam reſiſtentiam, ut ita à purè non voluntario diſtinguatur. In quo autem fundatur ea, de qua loquimur, declarat latè Monteſinos in præſenti diſput. 8. quæſt. 7. dicens fundari in actu contrario conditionato, quo voluntas reſpueret objectum pravum, vitaretque ejus attingentiam, ſi ſcientia adeſſet: quem ſanè actum tunc adfuturum oſtendunt à poſteriori triſtitia & dolor, quæ in voluntate ſuccedunt, adveniente cognitione. ¶ Sed ſolutio non videtur ſufficiens: quia etiam quando ignorantia eſt vincibilis, ſuccedunt triſtitia & dolor, adveniente cognitione, quæ oſtendunt futurum fuiſſe contrarium actum caſu quo adfuiſſet ſcientia: & ſimiliter cum aliquid fit ex metu conſtat adfuturum prædictum actum, ſi metus cauſa deficeret; adeſtque de facto triſtitia & dolor: & tamen in neutro caſu opus, quod fit, eſt

Monteſ.

involuntarium ſimpliciter, ſed ſecundum quid dumtaxat. Quare addendum eſt cum eodem auctore, dari de facto in voluntate prædictum contrarium actum, non formaliter & explicitè; ſed implicitè & virtualiter ratione diligentiæ, quam ignorans adhibuit ad pellendam ignorantiam: aut ſaltem ratione actus, quo, etiam dum ſic operatur, vult obſervantiam divinæ legis, eſtque efficaciter paratus ad omittendum actum, quem exercet, potius quàm legem ipſam prævaricari: quæ diſpoſitio non adeſt in eo, quia operatur ex ignorantia culpabili, & abſque prædicta diligentia. Ille verò qui operatur ex metu, propterea agit voluntariè ſimpliciter, quia inſpectis omnibus occurrentibus hîc & nunc abſolutè eligit ita operari: ſecùs verò ignorans, qui non cognoſcit omnia, quæ occurrunt.

Dubitant verò nonnulli, an actus ita excuſatus à malitia, aliunde debeat habere bonitatem: vel potius maneat in individuo expers utriuſque? Ad quod breviter ex alibi dictis reſpondemus, in primo caſu, nempe quando ignorantia eſt totalis, & aufert omnem formalem malitiam, non poſſe prædictum actum, per ſe loquendo, manere in individuo abſque bonitate: quia juxta principia D. Thomæ repugnat per ſe actus omnino in individuo manens: ut vidimus in tract. de bonit. & malit. diſp. 7. dub. 2. Et addimus *per ſe*: quia per accidens non repugnat talis actus, ut ibidem diximus. In ſecundo verò caſu, ubi non ignoratur invincibiliter tota malitia objectiva, ſed tantum pars; & ideo remanet in actu aliqua malitia formalis; conſequenter nulla erit ibi formalis bonitas: quia repugnat, bonitatem & malitiam formalem in eodem actu concurrere, etiam ex diverſis capitibus: ut oſtenſum eſt loco citato diſp. 6. dub. 1. 85

Secundò etiam ſupponimus, ignorantiam ſimpliciter vincibilem, ſaltem multoties non excuſare actum, quem cauſat, à tota malitia; ſed relinquere illum in eadem ſpecie peccati, ubi eſſet ſcienter factus: diminuere tamen (niſi ſit affectata) prædictam malitiam: ita ut ſemper graviùs peccet eodem genere peccati, qui peccat ex certa ſcientia, quam qui peccat ex tali ignorantia. Hoc præſuppoſitum quantum ad primam partem habetur ex dubio præcedenti. In quo conſultò diximus *ignorantiam ſimpliciter vincibilem*, &c. ut excluderemus illam, quæ ſimpliciter eſt invincibilis; vincibilis autem ſolùm ſecundum quid: nam hæc adeo diminuit malitiam, ut à gradu mortalis in venialem transferat, ut num. 5. tetigimus. Diximus etiam *ſaltem multoties non liberare à tota malitia*, &c. quia an ſemper ita ſit, vel potius aliquando totam illam auferat, non ita conſtat quin poſtulet majus examen in hoc dubio. Quantùm verò ad ſecundam partem communiter etiam recipitur propter rationem, quam tradit D. Thom. art. 4. hujus quæſt. & ſupra quæſt. 6. art. 8. quæ eſt ſatis perſpicua. Nam prædicta ignorantia diminuit voluntarium, quod eſt malitiæ fundamentum: cuilibet enim minùs eſt voluntarium, minùſque ex voluntatis inclinatione, quod ab eo per ignorantiam efficitur, quodque ſi adeſſet ſcientia, non fieret, quàm quod fieret

Secundum præſuppoſitum.

Digitized by Google

exiſtente etiam cognitione : diminuto autem voluntario, diminuitur malitia : nam cæteris paribus bonitas & malitia moralis in quolibet actu creſcunt, vel decreſcunt ſecundum incrementum, vel diminutionem voluntarii; ut diximus tract. citato diſp. 4. num. 29. & 30.

86 *Objectio.* Sed dices : cauſa peccati non diminuit illud, ſed auget : augetur enim unumquodque ex eiſdem cauſis, à quibus generatur : ergo ignorantia vincibilis, quæ peccatum cauſat, nequibit illud diminuere. *Enodatur.* ¶ Reſpondetur, antecedens eſſe verum in cauſis per ſe; non autem in iis, quæ ſunt cauſæ per accidens, quæ ſolùm concurrunt removendo prohibens, ſicut concurrit ignorantia. Quin etiam adhuc in ratione cauſæ per accidens non concurrit ad illos diverſos effectus, qui ſunt cauſare peccatum, & diminuere malitiam, ſecundum eandem rationem, ſed ſecundum diverſas. Conſiderandum namque eſt, prædictam ignorantiam, quæ cauſat, & diminuit peccatum, duplicem ſcientiam removere ſeu impedire : aliam bonam retrahentem ab illo, quæ ſi adeſſet, non daret ei locum : aliam verò pravam, quæ adeſſe poſſet, ſecluſa illa priori; & ſi adeſſet, non impediret peccatum; efficeret verò, ut ſcienter, adeóque omnino voluntariè committeretur : qua ergo ratione prædicta ignorantia aufert priorem ſcientiam, cauſat peccatum, quia removet prohibens ipſum : in quantum verò tollit poſteriorem, diminuit illud, quia impedit, non quidem prohibens peccatum, ſed cauſam majoris voluntarii, proindéque majoris malitiæ. Cum autem dicitur ignorantia diminuere peccatum, comparatio non fit ad idem numero : quaſi idem met, quod antea erat majus, minus reddat; ſed ad aliud ejuſdem ſpeciei numero diverſum, quod poſſet committi, ſecluſa ignorantia per illam ſcientiam poſteriorem; quodque tunc commiſſum, eſſet majus commiſſo nunc per ignorantiam.

Præſuppoſitum tertium. Ex quibus fit (& eſt tertiò ſupponendum) non omnem ignorantiam vincibilem æqualiter diminuere peccatum; ſed aliam magis, aliam minus, aliquam nullo modo, juxta diminutionem, vel non diminutionem voluntarii. Voluntarium autem eò magis tollitur per ignorantiam, quò ipſa minùs eſt vincibilis : eò verò eſt minùs vincibilis, quò difficilius potuit vinci, & quò fuit minor negligentia addiſcendi, ex qua oritur tota ratio voluntarii reperta tam in ipſa ignorantia, quàm in effectibus ſubſequutis. Quocirca ignorantia, quæ plus diminuit peccatum, conſervata ſpecie & ratione mortalis, eſt illa, quam dicimus *purè vincibilem* : quia inter mortaliter culpabiles oritur ex minori negligentia. Craſſa autem vel ſupina, quæ majorem negligentiam ſupponit, parùm diminuet : & adhuc minus (ſi fortè diminuit aliquid) ignorantia affectata, quæ non tantùm ſupponit negligentiam addiſcendi, ſed etiam ſtudium ignorandi.

87 Diximus, *ſi fortè aliquid diminuit* : quia id ſatis non conſtat, propterea quod D. Thom. in præſenti artic. 4. expreſsè ait, prædictam ignorantiam videri potius augere voluntarium & peccatum, quàm diminuere: quia quòd aliquis velit ignorare, ut liberius peccet ſublato ſcientiæ remorſu, provenit ex magna voluntatis propenſione & affectu ad peccatum : ex quo oritur, ut peccans non modò peccare velit, ſed velit etiam conſtitui in tali ſtatu, ubi nihil ſit, per quod à peccando retrahi poſſit. Aliunde autem non videtur hoc univerſaliter verum : quia ſi quis eo fine ignorare affectet, ut ignorando, minùs legem contemnat, non augebitur per hoc peccatum, ſed potius aliquantulum minuetur. Quare diſtinguendum duximus cum Curiele, Monteſ. & aliis; attendendúmque motivum, ex quo peccans ignorare affectat. Si enim hoc motivum ſit, ut liberiùs & ſecuriùs peccet, excluſa ſcientia, per quam poſſet retrahi à peccato; & ne per talem ſcientiam compellatur agere quod tenetur, talis ignorantia proculdubio auget malitiam, propter rationem traditam hîc à D. Thoma, ubi loquitur in hoc caſu. Si autem prædictum motivum ſit illud alterum, nempe ut minor ſit legis contemptus, vel aliud ſimile, diminuet aliquantulum malitiam. Quia ſuppoſito, quod adſtante cognitione impediretur peccatum aliqualiter fit involuntariè, vel ſaltem minùs voluntariè, quàm ſi ſcienter committeretur. ¶ Sed dices : etiam cum motivum ignorandi eſt peccandi libertas, impediretur peccatum, ſi adeſſet cognitio : aliàs talis ignorantia non eſſet cauſa peccati, ſed purè concomitans : ergo etiam tunc fiet tale peccatum aliqualiter involuntariè; vel ſaltem minùs voluntariè, quàm dum committitur ſcienter : proindéque fit cum minori malitia. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam, quia in hoc caſu plus eſt quod ille affectus liberius & ſecuriùs peccandi ſuperaddit voluntarii & malitiæ ad peccatum ſcienter commiſſum ſine tali affectu, quàm quod diminuit ſubſequens ignorantia, ſecùs verò in alio caſu, ubi affectus ita pravus non præceſſit. Nec refert, quòd in peccato ſcienter commiſſo nihil ſit involuntarii, cujus tamen aliquid admiſcetur commiſſo ex qualibet ignorantia? ſtat enim aliquid eſſe voluntarium mixtum involuntario, & nihilominus plus habere de ratione voluntarii, quàm aliud purum & impermixtum. Si enim ponamus duo voluntaria impermixta unum majus alio, majorique adjungamus aliquid involuntarii, non ſtatim ſuperabitur à minori, quod impermixtum permanet : quia potuit tantus eſſe prædictus exceſſus majoris voluntarii, adeóque modicum involuntarium, quod admiſcetur, ut hoc illum non ſatis adæquet : proindéque voluntarium, quod ante admixtionem majus exiſtit; poſt etiam permixtum impermixto majus permaneat. Et ita accidit in præſenti : nam plus ſuperat in ratione voluntarii affectus ille ignorandi ad liberiùs & ſecuriùs peccandum peccatum ſine tali affectu ſcienter commiſſum, quàm ſit involuntarium, quod per ipſam ignorantiam poſtea admiſcetur.

His ſuppoſitis, de quibus non eſt controverſia, ſuperſunt duo, circa quæ Theologi non ita conveniunt. Primum, an aliquando ignorantia vincibilis non ſolùm diminuat peccatum, ſed etiam totaliter excuſet, vel ſaltem à mortali in veniale transferat; & eſt ſermo de ignorantia ſimpliciter vincibili, & circa

materiam

materiam mortaliter peccaminoſam. Secundum, an illa, quæ dicitur *ignorantia concomitans*, cum eſt invincibilis; excuſet à peccato, ſicut excuſat antecedens; aut ipſum diminuat, cum eſt vincibilis? Hoc examinabitur §. 3. Pro illo verò ſit.

§ II.

Agitur prior difficultas.

88 CONtingit multoties, ut eadem difficultas ſic, vel aliter propoſita varier non parùm judicium ſuæ deciſionis: & quæ ſub quibuſdam terminis tota videtur de re, ſub aliis contineat non parùm de modo loquendi: ut fortè accidit ei, quam agimus. Et quidem ut communiter proponi ſolet, *an ſcilicet ignorantia vincibilis aliquando excuſet à peccato*, &c. ex ipſis terminis videtur decidenda pro parte negativa. Tum quia ignorantia ſimpliciter vincibilis non tollit, quominus actus ſequens ſit ſimpliciter voluntarius: ergo non eſt unde illum excuſet à culpa mortali. Tum etiam, quia prædicta ignorantia (ſuppoſito, ut ſupponitur, quod ſit illorum, quæ ſcire tenemur, & circa materiam mortalem) ipſa in ſe eſt mortaliter culpabilis, cum ab hoc culpa nulla ratione excuſetur: ſi autem ita eſt culpabilis, nequibit ab eadem culpa liberare peccatum commiſſum ex tali ignorantia. ¶ Præterea vel is, qui ignorat, fecit quod potuit, & debuit ad aſſequendam ſcientiam, quæ impediret peccatum, itaut nulla ibi negligentia interceſſerit, ſaltem gravis; vel non fecit, ſed adfuit gravis negligentia? Si primum, eo ipſo talis ignorantia erit ſimpliciter invincibilis: ut conſtat ex diffinitione, quam adduximus n. 7. Si ſecundum, nullatenus excuſabit à culpa mortali, cum ipſa negligentia utpote gravis tribuat & cauſet mortalem malitiam. ¶ Adde, ignorantiam, de qua loquimur, non ob aliud eſſe peccaminoſam, niſi quia cauſat actum ſecundum ſe peccaminoſum, ſeu quia in ea talis actus eſt volitus virtualiter: & ideo neque eſt peccatum alterius ſpeciei ab ipſo actu; neque eſt contra aliud præceptum, niſi contra idem, quo actus prohibetur: ergo repugnat, talem actum excuſari à malitia tranſgreſſionis præcepti; & quod illam incurrat ipſa ignorantia. Quæ rationes, niſi æquivocatio lateat, vel quæſtio ſit de modo loquendi, convincere videntur. Et ideo hanc partem ſuſtinent Suar. tom. 3. in 3. part. diſp. 82. ſect. 3. Coninch. diſp. 13. de cenſur. dub. 1. & quidam alii.

Sententia negans.

Suar. Coninch.

89 His verò non obſtantibus, Thomas Sanch. lib. 1. ſum. c. 17. num. 19. ex mente multorum Theologorum ſatis efficaciter probat, hoc eſſe peculiare in præceptis juris humani, ut ab eorum tranſgreſſione excuſet ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non excuſaret in præceptis juris naturalis vel divini: dummodo non ſit craſſa, ſeu ſupina, ſed tantùm vincibilis. Nam ita aſſerunt Cajet. in ſum. verbo *Præcepti tranſgreſſio*, Armilla verbo *Præceptum*, Manuel. tom. 1. ſum. in ſecunda editione c. 196. conclus. 2. Vaſq. hic 1. 2. diſput. 148. cap. ult. num. 61. Qui omnes hanc tradunt univerſalem regulam: *In iis, quæ ſunt iuris poſitivi humani, ſi vel apparente excuſatione, vel ex ſola ignorantia (dummodo non craſſa, ſeu ſupina) tranſgreſſio fiat, non incurritur culpa mortalis, dum tamen abſit contemptus, & animus violandi præceptum obligans ſub mortali.* Et rationem tradunt, quia non eſt intentio piæ matris Eccleſiæ ita arctè ſuis præceptis adſtringere; neque animas illaqueari tam hoſtili vinculo. Idem docet Sylveſter verbo *Ignorantia*, q. 5. num. 10. Soto in 4. diſt. 13. quæſtione 2. art. 3. Valent. hac 1. 2. diſp. 2. quæſtione 1. punct. 6. Bonacin. diſput. 2. in Decalog. q. 8. punct. 3. Reginald. tom. 1. lib. 11. cap. 3. ſect. ult. & alii. Qui omnes ad id nituntur diſcrimini inter jus humanum, & naturale ac divinum: quod illud non adeo ſtrictè obliget, ſicut hoc poſterius: nec ſit intentio legiſlatoris humani ita arctè hominum ligare conſcientias ſuis præceptis, ſicut jus naturæ & divinum obligat; neque adeo ignorantiam, quæ in uno ad excuſandum non ſufficit, ſufficere in alio.

Pars affirmativa Th. Sanch.

Caiet. Armil. Manuel. Vaſq.

Sylveſter. Soto. Valent. Bonacin. Reginald.

Si verò dicas, prædictos auctores non ita expreſsè loqui de ignorantia ſimpliciter vincibili & culpabili, quin poſſint exponi de vincibili ſecundum quid, quæ non excedit limites venialis. Reſpondet Sancius, eos ita expreſsè loqui de illa priori ignorantia, ut id in dubium verti nequeat, attentis eorum verbis & rationibus. Tum quia ſi de ignorantia ſolùm venialiter culpabili & vincibili loquerentur, non recurrerent ad ſpecialem conditionem juris humani, neque aſſererent, hoc eſſe proprium iſtius juris, eo quod minus ſtrictè obligat, quam naturale & divinum: quippe ignorantia ſolum venialiter, & ſecundum quid vincibilis etiam in tranſgreſſione juris divini, & naturalis excuſat à mortali, ut omnes fatentur. Neque dicerent id provenire ex pietate & ex intentione Eccleſiæ in impoſitione ſuorum præceptorum, ſed ex natura rei: ex hac quippe oritur ut culpa mortalis, ubicumque ſit, plenum conſenſum poſtulet, qui eſſe nequit cum ignorantia ſolum venialiter culpabili. Tum etiam, quia pro eodem reputant operari ex ea ignorantia, de qua loquuntur, atque operari ex apparente ratione; at ubi eſſet ignorantia ſolum venialiter vincibilis, non eſſet ſola apparens ratio, ſed ſimpliciter probabilis: manifeſtè ergo loquuntur de illa, quæ abſolute & ſimpliciter ſit vincibilis. 90

Doctrina pro deciſione.

Sanè cum in rebus moralibus, jis præſertim, quæ ad intelligentiam juris humani, ejuſque obligationis ſpectant, maxima ſit ratio auctoritas gravium Doctorum, durum eſſet tot, adeóque gravibus, quos adduximus, refragari. Unde credimus, prædictam quæſtionem aliquid continere de modo loquendi: imo rationes prioris ſententiæ ex æquivocatione potius, quàm ex vera efficacia contra ſecundam militare. Pro quo nota, propoſitam quæſtionem, videlicet *an ignorantia vincibilis excuſet à culpa mortali tranſgreſſionem humani præcepti?* poſſe procedere, vel de ignorantia, quæ adhuc cum ita excuſat, maneat ſimpliciter vincibilis, atque adeo ibi & tunc ſit mortaliter culpabilis: vel de ignorantia, quæ aliàs, nempe in materia juris naturalis & divini, eſſet quidem vincibilis & mortalis; at in materia juris humani non cenſetur talis; ſed potius habetur

habetur pro invincibili. In priori ſenſu militant rationes primæ ſententiæ; & convincunt fere evidenter. In poſteriori verò nullam vim habent, ut inferius patebit: & ita loquuntur proculdubio auctores ſecundæ ſententiæ. Ne ergo hæreamus nominibus, ſed vitemus omnem æquivocationem, agemus deinceps prædictam quæſtionem ſub his terminis. *Utrum ignorantia, quæ in materia iuris naturalis & divini eſſet ſimpliciter vincibilis, & mortaliter culpabilis, ob idque illius tranſgreſſionem non excuſaret à culpa mortali, id ipſum habeat in materia iuris humani; vel potius in hac cenſeatur ſimpliciter invincibilis & inculpabilis, adeóque excuſans à mortali ejus tranſgreſſionem?*

Vera aſſertio. Juxta quem ſenſum ſubſcribimus auctoribus ſecundæ ſententiæ: ſtatuimuſque, ignorantiam, quæ in ordine ad præcepta naturalia & divina cenſeretur ſimpliciter vincibilis, & non excuſans, reputari pro invincibili in ordine ad humana, atque adeo excuſare à culpa mortali horum tranſgreſſionem; dummodo talis ignorantia craſſa, ſeu ſupina & à fortiori affectata non ſit. Eſtque hujus aſſertionis præcipua probatio: tum auctoritas Doctorum illam tuentium, quæ in ordine ad intelligentiam juris humani, magni ſemper facienda eſt, ut nuper dicebamus. Tum etiam ratio, cui prædicti auctores nituntur, ſumpta ex conditione & ſuavitate ipſius humani juris. Quia enim hoc jus ab humano & inferiori legiſlatore proficiſcitur, oportet ut in ejus præceptis ſplendeat ipſa humana & inferior poteſtas talis legiſlatoris: quatenus benigniùs & remiſſiùs in ligando ſe gerat; adeóque ipſa præcepta benigniùs & remiſſiùs obligent, quàm præcepta juris naturalis & divini, quæ à Deo immediatè proficiſcuntur; imo oportet ut ex ipſo modo remiſſiùs, vel ſtrictiùs obligandi, prædicta præcepta inter ſe diſcernantur, cedantque humana divinis.

91 Doctrina ad rationem. Hoc ſuppoſito, ut appareat vis prædictæ rationis, recolendum quod diximus à n. 5. videlicet ignorantiam vincibilem ad præſens non vocari, niſi quæ procedit ex culpabili negligentia: cum ſcilicet ignorans non adhibet eam diligentiam, quam poteſt & tenetur ad aſſequendam cognitionem: & ideo ratione talis negligentiæ prædicta ignorantia dicitur voluntaria & culpabilis. Quare non ſufficit, quod prædicta diligentia ſit minor quàm poteſt; ſed requiritur ut etiam ſit minor quàm debet. Unde qui illam adhibet, quam adhibere tenetur, ſive poſſit majorem adhibere, ſive non, cenſetur invincibiliter ignorare: quia hoc ſufficit ut talis ignorantia, ſit non voluntaria atque adeo inculpabilis. Secundò recolendum eſt ex dictis à n. 7. diligentiam in addiſcendo, quam homo adhibere tenetur ad rectè operandum, non ſemper eſſe æqualem, ſed aliquando majorem, aliquando minorem, pro rerum qualitate & gravitate: adeo ut diligentia, quæ pro uno negotio non magni momenti, ſufficiens & proportionata cenſetur; pro alio graviori non ſit ſufficiens: & quæ pro hoc eſt neceſſaria & proportionata, pro illo multoties cenſeatur improportionata & ſuperflua. Quæ autem unicuique negotio congruat, ſitque illi proportionata; prudentis judicio determinandum eſt. Sicut autem pro inæqualibus negotiis debetur inæqualis diligentia, ita etiam pro inæqualibus præceptis: quò enim præceptum fuerit ſuperius & gravius, ſtrictiuſque obligans, majorem diligentiam, cæteris paribus, in ſui adimpletione poſtulabit; minorem verò, quò fuerit inferius, minus grave, & remiſſius obligans. Ex quo habemus ad præſens, eandem ignorantiam, quæ reſpectu unius negotii, vel præcepti gravioris eſſet vincibilis, & culpabilis mortaliter: reſpectu alterius non ita gravis poſſe eſſe inculpabilem & invincibilem: quia in ordine ad illam excludendam adhibita fuit omnis ea diligentia, quæ pro hoc negotio, vel præcepto minùs gravi debita eſt adhiberi, quamque prudentia in eo caſu dictat; non autem quæ debetur, & à prudentia dictatur pro illo graviori: atque adeo talis ignorantia in priori caſu, ubi cenſetur culpabilis & vincibilis, non excuſabit tranſgreſſionem præcepti à culpa mortali; excuſabit verò in poſteriori, pro quo eſt ſufficienter invincibilis, & inculpabilis.

Hinc ergo habetur ratio noſtræ aſſertionis: nam bene ſtat, ut eadem ignorantia, quæ in ordine ad obſervationem præcepti naturalis, vel divini ſimpliciter eſt vincibilis & culpabilis: quia attenta conditione talis præcepti, potuit & debuit amplius vinci: in ordine ad obſervationem præcepti humani cenſeatur invincibilis & inculpabilis: quia attenta hujus præcepti conditione, amplius vinci non debuit: ergo talis ignorantia excuſabit à culpa mortali in ſecundo caſu; non autem in primo. Conſequentia eſt nota: & antecedens habetur ex modò prænotatis: nam cum præcepta naturalia & divina altiora & graviora ſint humanis, ex ſua ratione poſtulant majus ſtudium, exactiorémque diligentiam, ne violentur, quàm poſtulent humana: ſi ergo quis ad pellendam ignorantiam tantundem ſtudii adhibeat, quantum hæc poſteriora præcepta poſtulant, non autem quantum illa exigunt; ignorantia remanens erit in ordine ad iſta invincibilis: quia pro eis prædictum ſtudium eſt diligentia ſufficiens, quantum prudentia dictat: in ordine verò ad illa erit vincibilis, pro quibus idem ſtudium juxta prudentis judicium eſt minus quàm debetur, adeóque inſufficiens: & ita habetur pro negligentia. Hoc autem minus diligentiæ & ſtudii, quod pro humanis præceptis debetur, & illud magis, quod debetur pro naturalibus & divinis, non aliter diſtinguenda videntur, niſi ut explicuimus in aſſertione: ita videlicet ut in illis ignorans non craſſe & ſegniter ſe gerat, atque adeo ignorantiam craſſam, ſeu ſupinam excludat; in iſtis verò etiam accuratam & exactam diligentiam ad cognoſcendum apponat. 92 Ratio aſſertionis.

Poteſtque hæc ratio confirmari ex cap. *Ut animarum* de conſtitut. in ſexto: ubi Pontifex quoad Eccleſiaſticas cenſuras & pœnas declarat non incurri per ignorantiam minus culpabilem, quàm ſit craſſa, vel ſupina; ut ita animarum periculis obvietur, ut vidimus n. 5. Ex hoc namque non obſcurè colligitur, nec etiam eſſe Pontificum intentionem ligare ſuis præceptis ignorantes aliter, quàm craſsè, vel ſupinè: cum ex oppoſito magna etiam ſuboriantur peccandi pericula: quibus quoad fieri poſſit, obviare velle matrem Eccle-
ſiam

Digitized by Google

ſiam pro ipſius benignitate & pietate circa animarum curam, credendum eſt: ergo, &c.

93 Obiectio. Dices: ergo in ordine ad præcepta juris humani, omnis ignorantia, quæ non ſit affectata, vel craſſa, ſive ſupina, erit invincibilis: adeóque ſuperfluet tertium membrum ignorantiæ purè vincibilis, quod diſtinximus num. cit. Sequela patet: quia ignorantia vincibilis ad præſens non dicitur, niſi quam ignorans tenetur vincere: non autem vincere tenetur pro prædictis præceptis niſi craſſam, vel ſupinam, & à fortiori affectatam.

Diluitur. Reſpondetur concedendo ſequelam, formaliter loquendo: in qua nullum reperimus inconveniens: ſicut Suarez & alii, quos citato num. adduximus, id non reputant, dum in nulla materia admittunt aliam ignorantiam ſimpliciter vincibilem. Unde illud tertium membrum ignorantiæ purè vincibilis, quod prædicto num. diſtinximus, deſerviet pro præceptis juris naturalis & divini: pro quibus debita eſt major diligentia in addiſcendo, quàm quæ ſufficit ad non ignorandum craſsè, ſive ſupinè. ¶ Diximus *formaliter loquendo*, &c. quia materialiter etiam in præceptis juris humani poteſt admitti ignorantia purè vincibilis: illa nimirum, quam dicimus excuſare à mortali eorum tranſgreſſionem: quatenus poteſt & debet vinci in materia aliorum præceptorum.

94 Ad rationes in oppoſitum. Adde, multoties illam ignorantiam, quæ in materia juris naturalis & divini eſt ſimpliciter vincibilis, & ideo non excuſat à mortali, eſſe vincibilem ſecundum quid, & non excuſare à veniali in materia juris humani: quia licet in hac pro vitanda mortali culpa ſufficiat diligentia excludens ignorantiam craſſam; at pro vitanda etiam veniali (in iis ſaltem, quæ ſunt mortalia ex genere) aliquantulum major neceſſaria eſt. Sicut in ipſa materia juris naturalis & divini pro vitanda etiam culpa veniali requiritur diligentia exactiſſima; cum tamen ſæpe minor ſufficiat pro vitanda mortali. Quocirca conſultò in aſſertione non diximus, ignorantiam, de qua agimus, excuſare tranſgreſſionem humani præcepti ab omni culpa, ſed à culpa mortali: ut innueremus, ſæpe non excuſare illam à veniali, niſi plus aliquid ſtudii adhibeatur ad pellendam prædictam ignorantiam; minus licet quam in aliis præceptis exigitur etiam pro excuſando à mortali. Quod totum prudentis judicio, attenta rerum gravitate, & aliis circunſtantiis, determinandum eſt.

Ad rationes verò pro prima ſententia conſtat ex dictis: nam procedunt de ignorantia, quæ ibi & tunc atque in ipſa materia ubi à mortali excuſat, ſit mortaliter vincibilis & culpabilis, ſeu quæ non ſupponit eam diligentiam, quam operans ſub mortali tenebatur pro illa materia adhibere: de qua, ut ibi dicebamus, convincunt non poſſe à mortali excuſare: quod minimè inficiamur. Ignorantia verò, quam nos dicimus excuſare à mortali tranſgreſſionem humani præcepti, ſupponit diligentiam ſaltem ſub mortali debitam pro illa materia: adeóque ibi & tunc non eſt ſimpliciter vincibilis, aut culpabilis, mortaliter: licet in alia materia utrumque haberet: in qua proinde non excuſaret à malitia mortali.

Diſcrimen verò à nobis aſſignatum inter præcepta utriſque juris, & quæ ex prædicto diſcrimine intulimus, neque illæ, neque aliæ rationes impugnant.

§. III.

Secunda difficultas examinatur quoad primam partem.

CAſus hujus ſecundæ difficultatis, eſt cum aliquis, v. g. occidit inimicum, exiſtimans occidere feram, ita tamen eſt diſpoſitus, ut etiamſi illum agnoſceret, occideret. Cum enim ignorantia in iſto caſu non ſit ratio quare inimicus occidatur (occideretur enim quamvis adeſſet ſcientia) nihil removet prohibens prædictam occiſionem: & ita non eſt quo pacto hæc in illam reducatur, etiam ſicut in cauſam per accidens: & propterea dicitur habere ſe concomitanter, quia nihil influit. Nihilominus tamen quia dum abeſt alicujus objecti cognitio, nequit tale objectum voluntariè attingi, meritò dubitatur, ſuppoſito quod prædicta ignorantia ſit invincibilis, an opus cum ea factum à malitia excuſetur? Diximus *ſuppoſito quod ſit invincibilis*: quia vincibilem certum eſt non excuſare, ſicut non excuſat adhuc cum eſt cauſa actus, ut ſuperius diximus. Verum ſi ignorantia concomitans invincibilis excuſet prædictum opus à tota malitia, vincibilis etiam concomitans diminuet eam aliquantulum; minùs licet quàm ſi eſſet cauſa. Unde etſi deinceps dumtaxat loquemur ex ſuppoſitione quod prædicta ignorantia ſit invincibilis; quicquid tamen de hac dictum fuerit in ordine ad excuſandam malitiam, intelligendum erit de vincibili in ordine ad eam diminuendam. In qua difficultate apud auctores, qui illam diſcutiunt, animadvertimus aliquid de re, & aliquid de modo loquendi. Ad rem quidem pertinet an actus, quem comitatur ignorantia invincibilis, careat omnino malitia illius objecti, vel circunſtantiæ, quæ ſic invincibiliter ignorantur, quam haberet, ſi fieret ſcienter. Et addimus *illius objecti, vel circunſtantiæ*, &c. quia ad præſens non refert an ex alio capite, ut ex aliquo fine extrinſeco, vel ex aliqua alia circunſtantia non ignotis habeat malitiam: ut in ſimili diximus num.... de ignorantia antecedente non totali. Ad modum autem loquendi ſpectare videtur an hoc, quod eſt prædictum actum carere ea malitia, ſufficiat ut prædicta ignorantia dicatur excuſare illum, vel ſolùm non accuſare: in hoc enim vix reperietur major contentio, quàm de modo loquendi.

Quoad primum pars affirmativa eſt adeo communis, ut negari non debeat: nam illam tuentur Cajet. in præſenti art. 3. ubi etiam Medina concl. 2. Zumel diſput. 1. concl. 2. Alvar. diſput. 156. concl. 1. Curiel in dubio circa ſecundam concluſ. referens Alenſem, Richardum, Petrum de Soto, & Almainum, Gregor. Mart. dub. 1. concl. 1. Monteſinos diſput. 8. q. 8. concl. 2. Araujo dub. 3. concl. 2. Lorca diſput. 32. memb. 2. Vaſq. diſput. 125. cap. 2. Valent. q. 6. punct. 3. Suar. tom. 5. in 3. part. diſput. 4. ſect. 8. Thom. Sanch. lib. 1. ſum. c. 16. n. 13. & lib. 9. de matrim. diſput. 32. & plures 95 Pars affirmativa cōmunis. *Caiet. Medin. Zumel. Alvar. Curiel. Alenſ. Ricard. Petr. de Sot. Almain. Greg. Mart. Monteſ. Araujo.*

Digitized by Google

Lorca. Vaſq. Valent. Suar. Th. Sanch. D. Thom.

plures alii. Sumitúrque ex D. Thom. ſuprà q. 6. artic. 8. ubi docet, quod etſi prædicta ignorantia non faciat involuntarium actum, quem comitatur, quia non facit ut voluntati repugnet; facit tamen ut non ſit voluntarius, quia nequit eſſe voluntarium illud, quod ignoratum eſt. Ex quo ſumitur evidens ratio pro hac ſententia. Nam eſſe voluntarium & liberum adeo eſt de ratione peccati, & malitiæ moralis, ut nullatenus valeat reperiri ſine illo, ut alibi oſtendimus, fatentúrque omnes Theologi: ſed actus, qui fit cum prædicta ignorantia, nullo modo eſt voluntarius reſpectu objecti, quod ignoratur: nequit ergo ex tali objecto aliquam malitiam deſumere. Minor probatur: nam cum ſit de ratione voluntarii fieri cum cognitione illius, in quod tendit, ut ex ejus diffinitione habetur, repugnat ut aliquis voluntariè tendat in illud, quod à ſe omnino ignoratum eſt: ſicut in præſenti caſu ignoratur prædictum objectum.

Cõfirmatio. Confirmatur: nam qui invincibiliter exiſtimans occidere feram, occidit inimicum, caſu ibi latentem, non aliter ſe habet in ordine ad peccandum, quàm ſi re ipſa non eſſet ibi inimicus; ſed fera tantùm (ut ipſe credit) occideretur: quod enim totaliter eſt extra cognitionem, omnino eſt præter voluntatem: proindéque non magis confert ad ejus bonitatem, vel malitiam, quàm ſi omnino non eſſet: ſed in prædicto caſu nemo damnaret illam occiſionem quaſi obnoxiam malitiæ homicidii: ſicut nec cæteras actiones, quas ille operans prudenter ageret: quantumvis habitualiter eſſet paratus occidere inimicum, ſi illum inveniret: ergo in eo, de quo agimus, debet ita damnari.

Alia. Confirmatur ſecundo, & explicatur animadvertendo, quod actio exterior non habet formaliter rationem peccati, niſi in quantum imperatur à voluntate, & intentione peccaminoſa: ipſa enim malitia intrinſecè reſidens in voluntate, denominat extrinſecè prædictam actionem, ut diſp. 10. dub. 1. oſtendimus: unde eſt manifeſta repugnantia, quod talis actio ſit formaliter peccatum, niſi intentio, à qua imperatur peccaminoſa ſit intra idem genus malitiæ. Tum ſic, intentio, à qua imperatur occiſio, de qua loquimur, nullam habet malitiam homicidii, nam eſt dumtaxat intentio occidendi feram, neque ullo modo fertur ad occiſionem hominis, ſicut nec talis occiſio ullo modo cognoſcitur: ergo neque occiſio, vel quæcumque alia actio imperatur ab ea intentione, erit culpabilis aut peccaminoſa in genere homicidii.

96 Præcluditur quorundam evaſio. Dices, adeſſe ſimul cum intentione occidendi feram, habitualem voluntatem occidendi inimicum: & ratione iſtius derivari malitiam ad actum externum. ¶ Sed contra: nam voluntas præciſè habitualis nihil confert ad bonitatem, vel malitiam actus: quia habitibus neque meremur, neque demeremur, niſi in actum prorumpant: ergo neque ex iſto neque ex alio capite poteſt prædicta actio habére malitiam homicidii. ¶ Eo præſertim quia ſi voluntas habitualis ſufficeret ad tribuendam malitiam, non ſolùm illa actio, qua de facto inimicus ſub ſpecie feræ occiditur, ſed omnes aliæ quotquot ab illo homine exercerentur, haberent prædictam malitiam (quod eſt abſurdum:) quippe non eſt minor conjunctio hujuſmodi actionum ad illam habitualem voluntatem, quàm prædictæ occiſionis: neque eſt quo pacto potius in iſtam, quàm in illas influat talis voluntas. Imo licet cum intentione occidendi feram eſſet ſimul volitio actualis occidendi inimicum, non ideo hæc volitio conferret illi malitiam: quia non imperaret illam, ſed haberet ſe concomitanter: non enim tribuit malitiam actui externo quæcumque volitio etiam actualis cum eo exiſtens, ſed illa dumtaxat, à qua imperatur. Porrò occiſionem, de qua loquimur, non imperari à volitione occidendi inimicum, ſed ab alia, quæ eſt intentio occidendi feram, conſtat ex eo quod volitio imperans opus externum eſt intentio abſoluta & efficax aſſequendi finem: illa autem volitio occidendi inimicum non eſt abſoluta & efficax, ſed inefficax & conditionata: nemo quippe efficaciter intendit, quod penitus poſſe aſſequi ignorat.

Sed urgebis: quid ſi ille venator mitteret ſagittam eo animo ut occideret feram, & etiam inimicum, ſi fortè ibi lateret, illúmque latentem de facto occideret? ¶ Reſpondent aliqui, caſum eſſe impoſſibilem, ſuppoſita ignorantia invincibili: quia qui ita ignorat, præmiſit ſufficientem diligentiam, per quam moraliter eſt certus neminem ibi latitare: qui verò habet prædictum animum, non poteſt eſſe ita certus, ſed dubitat, vel formidat an ita ſit, vel non: igitur non ſtat volitio efficax occidendi inimicum cum prædicta ignorantia. Replica.

97 Hoc tamen non videtur undequaque verum; quia ut ignorantia in caſu, de quo loquimur, aliiſque ſimilibus ſit invincibilis, ſufficit habere probabile judicium, quod nemo ibi lateat: bene autem cohæret cum judicio probabili formido aliqua, vel ſuſpicio circa oppoſitum: ſicut enim poſt adhibitam ſufficientem diligentiam potuit re ipſa latere ibi inimicus, & re ipſa occidi: ita poteſt operans judicare poſſe ſic accidere, ut fortè lateat, poteſtque, quandiu ſibi de veritate evidenter non conſtat, formidare oppoſitum ejus, quod probabiliter judicat: judicium enim probabile unius partis non excludit alterius formidinem: ergo quantum eſt ex hoc capite non repugnat, quod ignorans habeat hunc, vel ſimilem actum *volo jacere ſagittam ad occidendum, vel feram, quam illic eſſe judico; vel inimicum, ſi fortè ibi ſit, quod non credo:* imperaréque ex hoc actu jactum ſagittæ in illum locum, ubi inimicus abſconditur. ¶ Quare melius reſpondetur admittendo (ſicut admittit Sanchez, alios referens citato cap. 16. num. 14.) in prædicto caſu occiſionem illam habere malitiam homicidii: quia imperatur à voluntate occidendi inimicum, ſi fortè ibi ſit; & eſt de facto, & poſſe eſſe cognoſcitur: unde nihil deeſt quominus prædicta occiſio, in quantum occiſio eſt illius hominis, ſit voluntaria, & voluntati tribuatur. Vera ſolutio.

98 Alius caſus. Aliter dicendum eſt, ſi operans haberet omnimodam certitudinem, quod nullus homo ibi abſconderetur: tunc enim non poſſet habere abſolutam & efficacem voluntatem occidendi aliquem hominem, cum certò cognoſcat, ejus occiſionem ibi & tunc

fore

Digitized by Google

fore ſibi impoſſibilem ; cum qua certitudine non ſtat oppoſita formido per actum deliberatum. Sed hic caſus recedit jam ab eo, de quo loquimur: quia ubi eſſet illa certitudo, non haberet locum ignorantia quantumvis invincibilis. Poſſet autem qui ita eſſet certus, proiicere ſagittam eo animo ut ſe exerceret ad occidendum inimicum, dum poſtea ſibi occurrit : vel optando ibi eſſe, & jactu illo configi: vel fingendo illum ſua imaginatione ipſamque feram loco ejus ac veluti ipſius imaginem & ſtatuam cædendo. Taliſque affectus proculdubio eſſet peccaminoſus ex homicidio deſiderato vel ficto : ejúſque malitia denominaret *peccaminoſam* etiam actionem externam : non tamen alicui daret denominationem homicidij ſimpliciter, cùm re ipſa homo non occidatur, neque ejus vera occiſio ibi & tunc intendatur: ſicut non dicimus abſolutè & ſimpliciter *homicidium* internam voluntatem occidendi, quando ex ea occiſio in re non ſequitur. Atque idem dicendum eſt, ſiquis non jam cum prædicta certitudine, ſed potius cum ignorantia invincibili latentis inimici mitteret ſagittam eodem animo, nempe vel ut ſe exerceret ad occidendum poſtea, vel optando adeſſe ibi inimicum, vel fera in quaſi ejus ſtatuam cogitando, non tamen volens abſolutè ibi & tunc illum occidere adhuc ſub conditione *ſi fortè ibi*, neque hoc animo emittendo ſagittam, ſed dumtaxat cædendi ejus ſtatuam ; vel ſe exercendi modo dicto. quamvis enim tunc inimicus ibi lateret ; de factóque occideretur, non ideo ejus occiſio agenti imputaretur, neque ex tali occiſione prout ibi & tunc patrata illa actio malitiam deſumeret, neque propter ipſam diceretur peccaminoſa: quia animus illius agentis non eſt occidere ibi & tunc inimicum quem abeſſe putat; ſed dumtaxat cædere feram quaſi ejus ſtatuam, vel exerceri ad ipſum alio tempore ſagittandum.

Diſparitas utriuſque caſus.

Vnde eſt manifeſta diſparitas inter hunc caſum, & illum de jaciente ſagittam animo occidendi feram, ſimúlque inimicum *ſi fortè ibi ſit :* de quo num. præced. diximus incurrere malitiam illius homicidij: quia tunc animus operantis extenditur revera uſque ad occiſionem inimici ibi & tunc patrandã ex ſuppoſitione quòd illic lateat, cognitàque hujus latebræ poſſibilitate ſaltem metaphyſica : & ideo adimpleta ſuppoſitione, nihil deeſt quominus tale homicidium ex animo & voluntate procedat : adeóque ipſi voluntati pro ut ibi & tùnc exequutum tribuatur, *voluntariúmque* appelletur. At verò in alio caſu animus agenti non eſt occidere inimicum in ſe ipſo, adhuc ex ſuppoſitione quòd ibi lateat : quia neque de hac ſuppoſitione, neque de latendi poſſibilitate curatur : ſed habita ſufficiente ſecuritate quòd nullus homo ibi ſit, tota intentio ſiſtit in exercitatione, quam diximus, quicquid verò ultra contingit, omnino eſt cauſale : & extra prædictam intentionem : & ideo nulla via poteſt in voluntatem reduci, neque appellari *voluntarium*.

Enodatur alia replica.

Et ſi adhuc urgeas : ergo in primo caſu ignorantia invincibilis non excuſat à malitia? ¶ Reſpondetur, in prædicto caſu ignorantiam ideo non excuſare, quia ignorans expreſſè operatur contra illam, extendens ſuam malitiam etiam in illud, quod ignorat : nam qui ita operatur, ut licèt probabiliter credat, ſe non poſſe occidere inimicum; nihilominus expreſſè vult illum occidere : ex hacque volitione facit quantum poteſt ut occidat, *ſi fortè ibi ſit* ; ſua malitia vincit ipſam ignorantiam, extendens expreſſè pravam intentionem ad omne illud, quod metaphyſicè non repugnat, qamvis prudenter credatur non eſſe futurum. Quocirca ignorantia ibi exiſtens omnino habet ſe de materiali. ¶ Neque dicendum eſt, actum ſumere malitiam ab objecto ignoto : ſed ipſa cognitione, qua cognoſcitur poſſe ſaltem metaphyſicè latere ibi inimicum, cognoſcitur occidendum de facto ex ſuppoſitione quòd lateat : ab eoque ut ſic cognitio, volitióque ex prædicta ſuppoſitione, ea purificata, ſumitur homicidij malitia. Cæterum in aliis caſibus ubi intentio expreſſè non fertur in omne id, quod poteſt eſſe, adhuc ex ſuppoſitione quòd ſit ; ſed in id ſolùm, quòd eſſe putatur, nulla attenta ſuppoſitione ; quicquid ignoratur invincibiliter, manet omnino intactum à cognitione & volitione : & ideo nihil poteſt malitiæ conferre.

§. IV.

Secunda pars ejuſdem ultima difficultatis.

Veniamus ad ſecundum, quod pertinere 99.
diximus potius ad modum loquendi. In Prima opinio.
quo aliqui etiam ex iis, quos nuper citavimus, nolunt admittere, quòd ignorantia concomitans excuſet actum à malitia, ſed ſolum quòd non accuſet. Idque à fortiori non admittent qui negant, ipſum opus ita ignoranter factum carere malitia formali : ut negare videntur Durandus in 2. diſt. 22. quæſt. 4. Gabriel ibidem quæſt. 2. art. 1. notabil. 3. Covarruvias relect. in cap. *Alma mater* 1. p. §. 10. Vgolinus de cenſur. tabul. 1. cap. 9. §. 8. & alij apud Sanchez lib. 9. de matrim. citata diſp. 32. Rationem verò tradunt : quia ignorantia, quæ opus excuſat, debet eſſe circunſtantia ipſius operis, & non ſolùm operantis : ignorantia autem concomitans cum nihil influat, non eſt circunſtantia operis, ſed accidens ipſius operantis : ergo neque excuſabit, neque accuſabit prædictum opus : atque adeo vel hoc non liberabitur à malitia ; aliunde id ſortietur, quàm ex prædicta ignorantia. ¶ Accedit, quòd D. Thom. in præſenti art. 3. expreſſè dicit ignorantiam concomitantem non excuſare à peccato ; & reddit pro ratione : quia non eſt cauſa actus peccati, neque ipſum involuntarium efficit.

Durand. Gabriel. Covarru. Hugolin.

Verior loquendi modus.

Cæterùm quamvis in præſentiarum parùm referat ſic vel aliter loqui, nullam tamen ſufficientem rationem reperimus, cur neganda ſit prædictæ ignorantiæ ea excuſatio à malitia: cum hujus carentia in nullum aliud principium poſſit reduci niſi ad carentiam ſcientiæ, adeóque in ipſam ignorantiam. Si namque adeſſet ſcientia, nemo ambigit prædictum opus fore peccaminoſum : ergo idcirco peccaminoſum non eſt, quia deeſt talis ſcientia, ſeu quia adeſt ignorantia: ubi enim affirmatio

num, interrumpatur, vel ipſe pravus affectus adveniens actum bonum interrumpat. Hoc enim ſatis eſt, tum ut prædicta ignorantia non excuſet operantem à culpa, cum permittat ſecum illum pravum affectum. Tum etiam ut non concurrant ſimul actus malus, & actus bonus, ſed unus poſt alterum; uterque verò concurrat ſimul cum ignorantia.

Secunda. Secundo reſpondetur, admiſſo etiam repugnare actum bonum cum actu malo, inde ſolùm ſequi, utrumque illum, qui in caſu objectionis concurreret, proindéque etiam opus externum fore peccaminoſum: non autem quod in aliquo ſit malitia homicidij ibi & tunc commiſſi, ſeu quæ ſumatur ab occiſion, quæ à parte rei ignoranter ponitur, ac proinde quod talis occiſio imputetur tanquam homicidium re ipſa commiſſum: ſed tota malitia ibi reperta, erit malitia illius pravi, & inefficacis affectus, à quo ſicut à fine vel circunſtantia extrinſeca vitiabuntur cæteri actus, vel quia ſubduntur illi, vel quia illum ſibi ſubordinant. Non autem neque ipſe pravus affectus, neque alij actus plus habebunt de ratione homicidij, quàm ſi de facto mors non ſequeretur, neque aliquis externus actus imperaretur. Imo externa occiſio, quæ ibi concurrit, nullatenus imperatur, aut ſuſcipit denominationem peccati, in quantum eſt percuſſio inimici, qui ignoratur; ſed in quantum eſt occiſio exiſtimata feræ, ordinata ad illud pravum affectum ſicut ad circunſtantiam extrinſecam.

Tertia. Tertiò dici poſſet, illam doctrinam, quæ negat in voluntate coëxiſtentiam duplicis actus boni & mali, reſtringendam eſſe ad caſum, ubi uterque actus ſit propriè intentio, proindéque actus efficax, & cum plena ac formali deliberatione: eò quòd nequit voluntas plures fines ſimul omnino abſque ſubordinatione intendere. At non repugnat, quod cum intentione unius finis adſit aliquis alius actus inefficax, & etiam aliquis ſemiplenè tantùm vel interpretativè deliberatus, non ſubordinatus tali intentioni, neque illam ſibi ſubordinans. Hoc tamen alibi examinabitur.

Doctrina verò hujus & præcedentis §. valde neceſſaria eſt pro materiis de cenſuris, de irregularitate, de reſtitutione, & aliis Theologiæ moralis. Cum enim dixerimus, homicidium commiſſum cum ignorantia invincibili concomitante non eſſe voluntarium, neque imputari agenti ut verum homicidium, conſequenter habetur non incurri propter illud pœnas à jure ſtatutas contra homicidas, neque obligationem reſtituendi, aliáque hujuſmodi; ſed judicandum eſſe de tali homicidio, ac ſi in ſolo affectu & voluntate ſiſteret, externáque mors non ſequeretur. Et quod dictum eſt de homicidio, intelligendum eſt de aliis ſimilibus factis cum prædicta ignorantia: in omnibus enim, quod attinet ad externum effectum, & ad illa, quæ talem effectum conſequuntur, philoſophandum eſt non ſecus, ac ſi fierent cum ignorantia invincibili antecedente. Nec referet ad aliquid prædictorum, an ignorans aliàs det operam rei licitæ, vel illicitæ. 105.

Aliud dubium ſolet hic ab aliquibus moveri: videlicet an & qualiter ignorantia ſive vincibilis, ſive invincibilis, antecedens, aut concomitans excuſet à pœna? Sed nos illud prætermittimus: quia ſi ſermo ſit de pœna jure humano determinata, non ita eſt noſtri inſtituti id declarare; ſed ſpectat ad juris Doctores, & ad Theologos morales: de quo latè & eruditè, ut ſolet Thom. Sanch. lib. 9. de matrim. cit. diſp. 32. per totam. Si autem ſermo ſit de pœna, quæ ex natura rei & coram Deo debetur peccato: idem omnino dicendum eſt de hac pœna, ac de ipſa culpa. Et ideo ignorantia, quæ excuſat à tota culpa, conſequenter liberabit à tota pœna: quæ verò culpam diminuit, in eodem quoque gradu diminuet pœnam. Plura alia inſeruntur hic ab aliquibus de ignorantia, & de peccatis per illam vel cum illa commiſſis, quæ etiam omittimus propter rationem nuper traditam

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXVII.

DE CAVSA PECCATI EX PARTE appetitus ſenſitivi, in octo Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſis peccati ex parte appetitus ſenſitivi, utrum paſſio animæ ſit cauſa peccati. ¶ Et circa hoc quæruntur octo.

ARTICVLVS I.

Vtrum voluntas moveatur à paſſione appetitus ſenſitivi?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd voluntas non moveatur à paſſione appetitus ſenſitivi. Nulla enim potentia paſſiva movetur niſi à ſuo objecto: voluntas autem eſt potentia paſſiva & activa ſimul in quantum eſt movens & mota, ſicut Philoſophus dicit in 3. de anima, univerſaliter de vi appetitiva: cum ergo objectum voluntatis non ſit paſſio appetitus ſenſitivi, ſed magis bonum rationis, videtur quòd paſſio appetitus ſenſitivi non moveat voluntatem.

2. Præterea: ſuperior motor non movetur ab inferiori, ſicut anima non movetur à corpore: ſed voluntas, quæ eſt appetitus rationis, comparatur ad appetitum ſenſitivum, ſicut motor ſuperior ad inferiorem: dicit enim Philoſophus in 3. de anima, quòd appetitus rationis movet appetitum ſenſitivum, ſicut in corporibus cœleſtibus ſphæra movet ſphæram: ergo voluntas non poteſt moveri à paſſione appetitus ſenſitivi.

3. Præterea, nullum immateriale poteſt moveri ab aliquo materiali: ſed voluntas eſt potentia quædam immaterialis: non enim utitur organo corporali cùm ſit in ratione, ut dicitur in 3. de anima. Appetitus autem ſenſitivus eſt vis materialis, utpote fundata in organo corporali: ergo paſſio appetitus ſenſitivi non poteſt movere appetitum intellectivum.

Sed contra eſt quod dicitur Daniel 13. Concupiſcētia ſubvertit cor tuum.

Reſpondeo dicendum, quòd paſſio appetitus ſenſitivi non poteſt directè trahere, aut movere voluntatem, ſed indirectè poteſt: & hoc dupliciter. Vno quidem modo ſecundum quandam abſtractionem: cum enim omnes potentiæ animæ in una eſſētia animæ radicentur, neceſſe eſt, quòd quando una potentia intenditur in ſuo actu, altera in ſuo actu remittatur, vel etiam totaliter in ſuo actu impediatur; tùm quia omnis virtus ad plura diſperſa ſit minor: unde è contrario quando intenditur circa unum, minùs poteſt ad alia diſpergi: tùm quia in operibus animæ requiritur quædam intentio; quæ dum vehementer applicatur ad unum, non poteſt alteri vehementer attendere: & ſecundum hunc modum per quandam diſtractionem, quando motus appetitus ſenſitivi fortificatur ſecundum quamcunque paſſionem; neceſſe eſt, quòd remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui eſt volūtas. Alio modo ex parte objecti voluntatis, quod eſt bonum ratione apprehenſum: impeditur enim judicium & apprehenſio rationis propter vehementem & inordinatam apprehenſionem imaginationis, & judicium virtutis æſtimativæ, ut patet in amentibus. Manifeſtum eſt autem, quòd paſſionem appetitus ſenſitivi ſequitur imaginationis apprehenſio, & judicium æſtimativæ; ſicut etiam diſpoſitionem linguæ ſequitur judicium guſtus: unde videmus, quòd homines, in aliqua paſſione exiſtentes, non facilè imaginationem avertunt ab his, circa quæ afficiuntur. Vnde per conſequens judicium rationis plerunque ſequitur paſſionem appetitus ſenſitivi: & per conſequens motus voluntatis, qui natus eſt ſemper ſequi judicium rationis.

Ad primum ergo dicendum, quòd per paſſionem appetitus ſenſitivi fit aliqua immutatio circa judicium de objecto voluntatis, ſicut dictum eſt, quamvis ipſa paſſio appetitus ſenſitivi non ſit directè voluntatis objectum.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſuperius non movetur ab inferiori directè, ſed indirectè quodammodo moveri poteſt, ſicut dictum eſt.

Et ſimiliter dicendum eſt ad tertium.

Prima Conclusio.

Paſſio appetitus ſenſitivi nequit movere directè voluntatem; bene tamen indirectè

Secunda Conclusio.

Dupliciter contingit prædicta motio, vel per quandam abſtractionem voluntatis à ſuo proprio actu, vel ex parte objecti ipſius voluntatis.

Commentarius.

1. Circa primam concluſionem nota, quòd prima ejus pars, nempe appetitum non movere voluntatem directè, relinquitur à D. Thoma ſine majori probatione, quia ſecundo & tertio articuli argumento efficaciter convincitur: ob ídque in ſolutione admittit D.Thom. vim illorum, quantum ad prædictam motionem directam; & ſolùm negat procedere contra indirectam. ¶ Limitat verò prædictam concluſionem Alvarez quoad eam primam partem, ut intelligatur de voluntate, ut voluntas eſt, atque adeo ut libera: nam ut natura (inquit) & ut agit ſine libertate, non inconvenit, quòd trahatur directè ab appetitu ſenſitivo in ſuum objectum: ut patet in motibus primo primis, in quibus movetur voluntas abſque aliqua deliberatione rationis. Sed diſplicet limitatio: quia cum voluntas, etiam ut natura ſit potentia immaterialis & omnino ſuperior appetitu corporeo, neque iſto, neque alio modo poteſt moveri directè à tali appetitu, neque ipſe appetitus directè agere in illam: ut argumenta hujus articuli ſatis convincunt, quæ non minus procedunt de voluntate ut natura, quàm ut voluntas eſt: conſtatque etiam ex eodem D.Thoma ſupra quæſt. 9. art. 5. Quare quòd voluntas in motibus primo primis rapiatur neceſſario, non provenit directè ab appetitu ſed ab intellectu proponente objectum ſine indifferentia; quamvis ipſe appetitus indirectè ſit cauſa hujuſmodi propoſitionis.

Limitatio concluſionis.

Reiicitur.

Circa eamdem concluſionem dubitant nonnulli, an paſſio appetitus eo modo quo movet voluntatem, ſcilicet indirectè, moveat formaliter ad peccatum, vel ſolùm materialiter? Sed nos de hoc dicemus infra diſp. 16. dub. 4. agentes de concupiſcentia.

In ſecunda concluſione explicandus eſt ille prior modus movendi, qui dicitur *per abſtractionem*: poſterior enim, qui eſt ex parte objecti, ſufficienter declaratur in litera, adhibita Cajetani expoſitione cùm hîc, tùm ſupra quæſt. 58. art. 5. quàm in tract. de virtut. diſp. 4. num. 10. adduximus. In quo verò abſtractio illa primi modi conſiſtat, & an ita differat à ſecundo, ut poſſint ſeparari, ſicut etiam an ſuperſit appetitui tertius alius modus movendi voluntatem per ſolam ſympathiam & colligatione ipſarum potentiarum, non ita conſtat. Etenim verba D. Thomæ. ſuperficie tenùs inſpecta ſonare videntur, quòd dum prædictæ potentiæ operantur, profluat immediatè ab anima aliquis actualis influxus, quo operationes illarum juventur, & ſine quo deficiant: qui ſanè influxus cum ſit limitatus & finitus, quò magis uni potentiæ, v. g. ſenſitiſio appetitui, ejuſque operationi applicatur, eò magis abſtrahitur & removetur ab alia, puta à voluntate: & ideo ſicut per illam applicationem fortificatur & intenditur motus & paſſio appetitus; ita per hanc abſtractionem remittitur & infirmatur, vel etiam ex toto deficit motus voluntatis, quo prædictæ paſſioni deberet reſiſtere, hácque indirecta via vel trahitur, ut ſequatur ipſum appetitum, vel ſaltem debilitatur, ut non ei contradicat.

In qua conſiſtat prior modus movẽdi.

Prima expoſitio.

Et quidem niſi anima prædictum influxum præbeat, non videtur ſufficienter aſſignari à D. Thoma ratio prædictæ abſtractionis ſive diſtractionis, dum ait, ideo ita contingere, quia omnes potentiæ radicantur in eadem eſſentia animæ, ob ídque intenſa una circa ſuum actum, debet alia remitti: propterea quod ſicut virtus diſperſa fit minor, ſic vehementer applicata & unita circa unum actum, debet diſtrahi ab aliis, & minorari circa illos. Aut enim hæc virtus, quæ dicitur diſpergi & minorari, eſt aliquis influxus procedens immediatè ab anima, coadiuvans & fortificans influxus potentiarum: aut eſt ipſemet influxus, quem potentiæ immediatè præſtant? Primum intendit hic modus dicendi. Secundum autem non videtur ſatisfacere. Tum quia cum influxus unius potentiæ ſit diſtinctus ab influxu alterius, ſive una operetur, ſive non, & ſive intensè, ſive remiſsè agat, nihil tollet de alterius influxu: neque impediet proinde, quominus operetur ſimiliter intensè. Tum etiam quia ſi non ipſa anima ſecundum ſe, ſed dumtaxat potentiæ immediatè influunt, nihil referet, quòd radicentur, vel non radicentur in eadem eſſentia animæ, ut in ordine ad influendum ſe impediant. Imo potius talis radicatio conducet, ut prædictæ potentiæ ſe coadjuvent, unáque intensè operante, cæteræ illi obſequium præſtent propter connexionem & ſympathiam ortam ex prædicta radicatione.

Hic tamen dicendi modus nequaquam ſuſtineri debet. Tum quia in via Ang. Doctoris ſubſtantia creata non eſt immediatè operativa: neque ab ea immediatè oriri poteſt aliquis actualis influxus effectivus: ſive quo ipſa ſola operetur; ſive quo accidentia in ſuis operationibus fulciantur: ſed omnis influxus effectivus, omníſque operatio oritur immediatè à ſolis ipſis potentiis: ut oſtendunt

Reprobatur.

latè N. Complutenſes lib. 2. Phyſic. diſp. 10. quæſt. 4. & 6. Tum etiam quia experientia conſtat, non omnem voluntatis operationem remitti aut deficere, quando appetitus in ſua paſſione intenditur: imò verò aliquando ad intenſionem prædictæ paſſionis intenditur etiam actus, quo voluntas illam amplectitur; quamvis remittatur, vel omnino deficiat alius actus, per quem deberet illi reſiſtere: at juxta præditum modum dicendi nedum hic poſterior actus, ſed etiam quicumque alius voluntatis remitteretur, vel deficeret intenſa paſſione appetitus, ut intuenti conſtabit. Non ergo prædicta abſtractio rectè hac via exponitur: & ideo quærenda eſt alia.

5. Quæ non obſcurè habetur in littera, cum dicitur: *Quia in operibus animæ requiritur quædam intentio, quæ dum vehementer applicatur ad unum, non poteſt alteri vehementer attendere. Et ſecundum hunc modum per quandam diſtractionem, quando motus appetitus ſenſitivi fortificatur ſecundum quamcunque paſſionem, neceſſe eſt quòd remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui eſt voluntas*, &c. Ad cujus intelligentiam nota primò, *intentionem* in præſenti non ſumi pro actu voluntatis; ſed ut eſt idem quod *attentio*, diciturque actum, quo potentia cognoſcitiva præſertim ſenſitiva intensè & vehementer alicui objecto applicatur: ex qua applicatione oritur ut non poſſit aliis ita vehementer applicari: ſicut & quod ubi multis applicatur, remittatur circa unumquodque, minùſque ſingulis attendat: juxta commune proloquium *Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.* Cum enim vis prædictæ intentionis ſit finita & limitata, oportet, & quòd dum multis applicatur, remittatur in ſingulis: & quòd dum circa unum intenditur, ab aliis diſtrahatur. ¶ Deinde nota, ad quamlibet operationem appetitus ſive ſenſitivi, ſive rationalis requiri aliquid prædictæ attentionis: tantòque plus, quantò operatio futura eſt vehementior. Et ratio eſt perſpicua, nam bonum quod eſt objectum appetitus, non movet niſi ut apprehenſum: utque intenſiùs & fortiùs moveat, debet vehementius apprehendi. Et quamvis operatio appetitus rationalis non dependeat immediatè ab apprehenſione ſenſitiva, ſed ab intellectiva; quia tamen hæc non invenitur ſine illa, propterea quod dum ſumus in corpore, oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari; atque adeo omnem intellectivam cognitionem à ſenſitiva dependere, conſequenter ipſa operatio voluntatis dependet etiam mediatè à prædicta ſenſitiva apprehenſione, ſeu attentione. ¶ Tertiò nota, quod in voluntate, quæ movetur à paſſione inordinata appetitus ſenſitivi, debet diſtingui duplex actus: alter, quo tenetur ſequi ordinem rationis: & iſte eſt, qui in præſenti vocatur à D. Thoma *actus proprius voluntatis*; quia non ex ſenſualitate, ſed ex ipſa voluntate & ratione ei convenit: alter vero, quo contra hujuſmodi ordinem paſſioni aſſentitur, & illam ſequitur: & hic non dicitur actus omnino proprius voluntatis, ſed condiſtinguitur ab eo, quia licèt à voluntate ſit, non tamen voluntas omnino ex ſe ipſa aut ex ſola ratione ad eliciendum illum movetur, ſed ex paſſione appetitus. Quādo ergo D. Thom. in præſenti ait, quò fortificata ſeu intenſa prædicta paſſione, remittitur vel impeditur actus voluntatis, non loquitur de hoc poſteriori actu, quo paſſionem ſequitur, ſed de priori, quo illi obniti deberet.

Doctrina pro vera expoſitione.

Et quòd hæc ſit mens Ang. Doctoris conſtat, tùm quia in hoc articulo appellat prædictum actum *motum proprium appetitus rationalis*, denotans per ly *proprium*, quòd non aliunde ſed ex ipſa voluntate & ratione ortum ducat? atque adeo condiſtinguens illum ab alio, qui originatur ex paſſione, & eam ſequitur. Tum etiam quia art. 6. ſequenti, ubi probat, peccatum voluntatis diminui ex paſſione, cùm obieciſſet in tertio argumento, quòd paſſio impellens voluntatem facit eam vehementiùs ferri in actum peccati: ergo aggravat peccatum: reſpondet, *quod etſi motus voluntatis ſit intenſior ex paſſione incitatus; non tamen ita eſt voluntatis proprius, ſicut ſi ſola ratione moveretur ad peccandum.* Ergo cum docet, actum voluntatis remitti ad intenſionem paſſionis appetitus, non loquitur de illo, qui excitatur ex ipſa paſſione, & eam ſequitur; ſed de alio, quem diximus. ¶ Hinc habetur vera expoſitio doctrinæ D. Thomæ: nam eo ipſo quòd appetitus ſenſitivus vehementer feratur in objectum peccaminoſum per ſuam paſſionem, rapit ſenſûs attentionem in tale objectum: hæcque in illud rapta, divertitur & diſtrahitur ab objecto oppoſito, per cujus conſiderationem reprimenda erat talis paſſio, peccatúmque vitandum: & ad hanc diſtractionem ſenſus ſequitur diſtractio intellectus; ad iſtamque diſtractio voluntatis: quia neque intellectus poteſt intensè attendere, diſtracto ſenſu; neque voluntas intensè operari, remiſſa & diſtracta attentione intellectus. 6.

Hac via facilè exponitur, qualiter fiat abſtractio ſive diſtractio, de qua in præſenti D. Thom. ſine recurſu ad aliquem influxum præſtitum immediatè ab anima, quem ponebat prior modus dicendi: quia tota prædicta diſtractio conſiſtit circa influxum & operationem ipſarum potentiarum. Sed quia Ang. Doctor priuſquam deveniſſet ad terminos intentionis ſeu attentionis, ad quam nos recurrimus, reddit rationem ex ipſa connexione potentiarum, & radicatione in eadem eſſentia animæ: dicendum quoque eſt, ex hujuſmodi radicatione & connexione provenire, etiam non ſic curando de attentione potentiæ cognoſcitivæ, quoad intentionem paſſionis appetitus remittatur motus proprius voluntatis. Quia prædicta radicatio & connexio eſt ratio, ut operante intensè appetitu, voluntas quoque intensè in idem feratur, non per motum ſibi proprium, ſed per illum, qui excitatur à paſſione: cum autem virtus voluntatis limitata ſit diſtracta per talem motum in objectum paſſionis, neceſſario debet remitti in alio motu ſibi proprio, quo eſſet paſſioni reſiſtendum. Quemadmodum dum ipſa voluntas per motum ſibi proprium, excitatúmque à ratione fertur intensè in objectum virtutis, rapitur cum ea appetitus ad idem objectum; in idque delatus, aut nullo modo, aut non niſi remiſsè poteſt ferri in objectum peccaminoſum per paſſionem inordinatam: quia utrobique applicata intensè vis 7. Declaratur veritas alia via.

potentiæ

Digitized by Google

potentiæ ad unum actum remittitur circa oppoſitum, & ab illo diſtrahitur.

Ex quo patet, quid conferat ad præſens radicatio potentiarum in eadem eſſentia animæ: nam eo ipſo quòd propter talem radicationem potentiæ ſint connexæ, & operante una intensè, altera eam ſequatur per motum, quo ſe illi conformat; conſequenter debet remitti in alio motu ſibi proprio, per quem poterat reſiſtere. Patet etiam, quòd non eſt neceſſarium recurrere ad aliquem influxum præſtitum immediatè ab anima; ſed dumtaxat ad illum, quem immediatè præbent potentiæ, ut nuper dicebamus: quia licet influxus unius ſit diſtinctus ab influxu alterius, & in aliquo motu ſe coadiuvent; in alio tamen indirectè ſe impediunt: quatenus operante una intensè circa ſuum objectum, trahitur alia etiam intensè in idem objectum per motum non omnino ſibi proprium; & ex hoc ipſo diſtrahitur à motu omnino proprio, per quem poſſet reſiſtere.

8. *Secunda difficultas.* Ad ſecundum, quod tetigimus, an ſcilicet prædictus modus movendi per abſtractionem ita differat ab illo, qui eſt ex parte objecti, ut poſſint ſeparari? Quod enim aliquo modo differant non eſt dubium: quia in uno attenditur per ſe primo efficacia vel inefficacia ad movendum ex tali vel tali objecti propoſitione; nec curatur ita de applicatione & conatu appetitivæ potentiæ: in alio verò attenditur per ſe primò prædicta efficacia ex hujuſmodi applicatione & conatu, nec curatur ita de judicio & ejus propoſitione. Sed an diverſa applicatio & conatus potentiæ appetitivæ ſemper prærequirat diverſam judicij propoſitionem, non ita conſtat. Medina enim ſupra quæſt. 9. art. 2. partem tuetur negativam, quatenus, ait poſſe variari imperium intellectus reſpectu voluntatis, proindèque actum ipſius voluntatis propter paſſionem inſurgentem, invariato omnino judicio ipſius intellectus. Quem modum dicendi (teſte Gregorio Mart. in præſenti dub. 2.) ſequutus eſt Ioannes Vincentius cum quadam explicatione, quam ipſe Martinez adducit.

Vera ſolutio. Sed nos multò conformius principiis D. Thomæ judicamus, nunquam voluntatem intendi aut remitti in ſuo actu, aut ab eo ceſſare, vel ab uno in alium tranſire, niſi judicium omnino practicum intellectus (quicquid ſit de ſpeculativo) vel in ſubſtantia, vel in modo ſaltem proponendi varietur. Quia cum tota voluntas, & quicumque ejus actus dependeat ab objecto, quod eſt bonum propoſitum per intellectus judicium, neceſſe eſt ut quæcumque mutatio vel variatio in tali actu reperta habeat in ipſo objecto cauſam & rationem: hæc autem non poteſt eſſe niſi mutatio & variatio ejuſdem objecti, ut ſtantis ſub judicio & propoſitione: atque adeo variatio aliqua ipſius judicij in ratione proponentis. Et ideo D. Thom. convictus primo argumento hujus articuli, quòd voluntas non poſſit non ſemper, & quoad omnia ab objecto moveri, recurrit in ejus ſolutione ad variationem ipſius objecti ex exiſtentia paſſionis appetitiſ, ut defendat, quòd voluntas à tali paſſione moveatur.

9. Ad tertium, quod propoſuimus; ad ſcilicet ſuperſit tertius modus, ut voluntas moveatur ab appetitu, nimirum per ſympathiam & colligationem, dicendum eſt (admittendo etiam juſtum modum) non ponere in numero cum præcedentibus, neque ab e s diſtingui: quia prædicta connexio & ſympathia nequaquam efficeret, ut ad motum unius potentiæ moveretur alia, niſi in cauſa eſſet, ut ex tali motu, vel ex ipſa connexione, aut aliunde fieret diſtractio virtutis, quam explicuimus, & aliqua variatio in objectis. *Difficultas tertia.*

ARTICULUS II.

Utrum ratio poſſit ſuperari à paſſione contra ſuam ſcientiam?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd ratio non poſſit ſuperari à paſſione contra ſuam ſcientiam. Fortius enim non vincitur à debiliori: ſed ſcientia propter ſuam certitudinem eſt fortiſſimum eorum, quæ in nobis ſunt: ergo non poteſt ſuperari à paſſione, quæ eſt debilis, & citò tranſiens.

2. Præterea: voluntas non eſt niſi boni vel apparentis boni: ſed cum paſſio trahit voluntatem in id, quod eſt verè bonum, non inclinat rationem contra ſcientiam: cum autem trahit eam in id, quod eſt apparens bonum & non exiſtens, trahit eam in id, quod rationi videtur: hoc autem eſt in ſcientia rationis, quod ei videtur: ergo paſſio non inclinat rationem contra ſuam ſcientiam. Si dicatur, quòd trahit rationem ſcientem aliquid in univerſali, ut contrarium judicet in particulari: contra, univerſalis & particularis propoſitio ſi opponantur, opponuntur ſecundum contradictionem: ſicut omnis homo, & non omnis homo: ſed duæ opiniones, quæ ſunt contradictoriæ, ſunt contrariæ: ut dicitur in 2. Periherm. Si igitur aliquis ſciens aliquid in univerſali, judicaret oppoſitum in ſingulari, ſequeretur, quod haberet ſimul contrarias opiniones, quod eſt impoſſibile.

3. Præterea: quicunque ſcit univerſale, ſcit etiam particulare, quod novit ſub univerſali contineri: ſicut qui ſcit, omnem mulam eſſe ſterilem, ſcit, hoc animal eſſe ſterile, dummodo ipſum ſciat eſſe mulam: ut patet per id, quod dicitur in 1. Poſteriorum: ſed ille, qui ſcit aliquid in univerſali, puta nullam

fornicationem eſſe faciendam, ſcit, hoc particulare ſub univerſali contineri, puta hunc actum eſſe fornicarium: ergo videtur quòd etiam in particulari ſciat.

4. Præterea: ea, quæ ſunt in voce, ſunt ſigna intellectus animæ ſecundum Philoſophum: ſed homo in paſſione exiſtens frequenter confitetur id quod eligit eſſe malum etiam in particulari: ergo etiam in particulari habet ſcientiam: ſic igitur videtur, quòd paſſiones non poſſint trahere rationem contra ſcientiam univerſalē, quia non poteſt eſſe, quòd habeat ſcientiam univerſalem, & æſtimet oppoſitum in particulari.

Sed contra eſt quod dicit Apoſtolus Roman. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati: lex autem, quæ eſt in membris, eſt concupiſcentia, de qua ſupra loquutus fuerat: cum igitur concupiſcentia ſit paſſio quædam videtur, quòd paſſio trahat rationem etiam contra hoc, quod ſcit.

Reſpondeo dicendum, quòd opinio Socratis fuit, ut Philoſophus dicit in 7. Ethic. quòd ſcientia nunquam poſſet ſuperari à paſſione: unde ponebat omnes virtutes eſſe ſciētias, & omnia peccata eſſe ignorantias, in quo quidem aliqualiter rectè ſapiebat: quia cum voluntas ſit boni, vel apparentis boni, nunquam voluntas in malum movetur, niſi id, quod non eſt bonum, aliqualiter rationi bonum appareat: & propter hoc voluntas nunquam in malum tenderet, niſi cum aliqua ignorantia vel errore rationis. Vnde dicitur Proverb. 14. Errant qui operantur malum. Sed quia experimento patet, quòd multi agunt contra ea, quorum ſcientiam habent, & hoc etiam auctoritate divina confirmatur, ſecundum illud Lucæ 12. Servus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non fecit, plagis vapulabit multis. Et Iacob. 4. dicitur: Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi: non ſimpliciter verum dixit, ſed oportet diſtinguere, ut Philoſophus tradit in 7. Ethic. Cum enim ad rectè agendū homo dirigatur duplici ſcientia, ſcilicet univerſali & particulari: utriuſque defectus ſufficit ad hoc, quod impediatur rectitudo voluntatis & operis, ut ſupra dictum eſt. Contingit ergo, quòd aliquis habeat ſcientiam in univerſali, puta nullam fornicationem eſſe faciēdam: ſed tamen non cognoſcat in particulari hunc actum, qui eſt fornicatio, non eſſe faciendum: & hoc ſufficit ad hoc, quòd voluntas non ſequatur univerſalem ſcientiam rationis. Et iterum conſiderandum eſt, quòd nihil prohibet aliquid ſciri in habitu, quòd tamen actu non conſideratur. Poteſt igitur contingere, quòd aliquis etiam rectam ſcientiam habeat in ſingulari, & non ſolùm in univerſali, ſed in actu non conſideret: & tunc non videtur difficile, quòd præter id, quod actu non conſiderat, homo agat. Quod autem homo non conſideret in particulari id, quod habitualiter ſcit, quandoque quidem contingit ex ſolo defectu intentionis, puta cum homo ſciens Geometriam, non intendit ad conſiderandum Geometriæ concluſiones, quas ſtatim in promptu habet conſiderare. Quandoque autem homo non conſiderat id, quod habet in habitu propter aliquod impedimentū ſuperveniens, puta propter aliquā occupationē exteriorē, vel propter aliquā infirmitatē corporalē: & hoc modo ille, qui eſt in paſſione cōſtitutus, non conſiderat in particulari id, quod ſcit in univerſali, in quantum paſſio impedit talem conſiderationem. Impedit autem tripliciter. Primò quidem per quandam diſtractionem, ſicut ſupra expoſitum eſt. Secundò per contrarietatem: quia plerunque paſſio inclinat ad contrarium hujus, quod ſciētia univerſalis habet. Tertiò per quandam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne liberè in actum exeat: ſicut etiam ſomnus vel ebrietas, quadam corporali tranſmutatione facta, ligat uſum rationis. Et quòd hoc contingat in paſſionibus, patet ex hoc, quòd aliquando cùm paſſiones multum intenduntur, homo amittit totaliter uſum rationis: multi enim propter abundantiam amoris & iræ ſunt in inſaniam converſi. Et per hunc modum paſſio trahit rationē ad judicandum in particulari contra ſcinetiam, quam habet in univerſali.

Ad primum ergo dicendum, quod ſcientia univerſalis, quæ eſt certiſſima, non habet principalitatem in operatione: ſed magis ſcientia particularis, eò quòd operationes ſunt circa ſingularia: unde non eſt mirum, ſi in operabilibus paſſio agit contra ſcientiā univerſalem, abſente conſideratione in particulari.

Ad

Ad ſecundum dicendum, quòd hoc ipſum quòd rationi videatur in particulari aliquid bonum, quod non eſt bonum, contingit ex aliqua paſſione: & tamen hoc particulare judicium eſt contra univerſalem ſcientiam rationis.

Ad tertium dicendum, quòd non poſſet contingere, quòd aliquis haberet ſimul in actu ſcientiam aut opinionem veram de univerſali affirmativo, & opinionem falſam de particulari negativo, aut è converſo: ſed bene poteſt contingere, quòd aliquis habeat veram ſcientiam habitualiter de univerſali affirmativo, & falſam opinionem in actu de particulari negativo: actus enim directè non contrariatur habitui ſed actui.

Ad quartum dicendum, quòd ille, qui habet ſcientiam in univerſali, propter paſſionem impeditur, ne poſſit ſub illa univerſali ſumere, & ad concluſionem pervenire: ſed aſſumit ſub alia univerſali, quam ſuggerit inclinatio paſſionis, & ſub ea concludit. Vnde Philoſophus dicit in 7. Ethic. quòd ſyllogiſmus incontinentis habet quatuor propoſitiones: duas univerſales, quarum una eſt rationis, puta nullam fornicationem eſſe committendam: alia eſt paſſionis, puta delectationem eſſe ſectandam. Paſſio igitur ligat rationem, ne aſſumat & concludat ſub prima: unde ea durante aſſumit & concludit ſub ſecunda.

Ad quintum dicendum, quòd ſicut ebrius quandoque proferre poteſt verba ſignificantia profundas ſententias, quas tamen mente dijudicare non poteſt, ebrietate prohibente: ita in paſſione exiſtens & ſi ore proferat, hoc non eſſe faciẽdum, tamen interius hoc animo ſentit quod ſit faciendum, ut dicitur in 7. Ethic.

Prima Concluſio.

Quamvis voluntas nequeat ferri in malum abſque alia ignorantia vel errore rationis: abſolutè tamen concedendum eſt poſſe rationem à paſſione ſuperari, ut peccet & delinquat contra ſuam ſcientiam.

Secunda Concluſio.

Sive intellectus habeat ſolummodo ſciẽtiam univerſalem, deficiente particulari, ſive etiam particularem habeat in habitu, actu verò non conſideret, poterit paſſio trahere rationem in oppoſitum: vel per modum diſtractionis, vel ad contrarium impellendo, vel aliquam corporalem transmutationem cauſando, ex qua ratio quodammodo ligetur.

Commentarius.

Circa primam concluſionem nota, ſub ignorantia & errore comprehendi à D. Thoma quemcunque defectum intellectus, atque adeo etiam actualem conſiderationem: nam hæc etiam poteſt appellari *ignorantia*, ut patet ex communi diviſione ignorantiæ in actualem & habitualem, de qua diſp. præced. num. 1. diximus. Ignorantia enim actualis non eſt niſi actualis inconſideratio. Porro an ita ſit quòd ad omne peccatum voluntatis indiſpenſabiliter præcedere debeat aliquis ex prædictis defectibus in intellectu, eſſet hîc latè diſputandum, niſi à nobis jam præſtitum fuiſſet in tract. de Angel. diſp. 10. dub. 8. ubi à num. 248. oſtendimus partem affirmativam, quæ eſt communis Thomiſtarum. 1.

Secunda concluſio, quæ eſt expoſitio priori, ſufficienter probatur & declaratur in litterea. Vbi tamen difficultatem ingerit illa propoſitio, quòd *licèt aliquis univerſaliter cognoſcat, nullam fornicationem eſſe faciendam, poteſt tamen non cognoſcere, hunc particularem actum, qui eſt fornicatio, non eſſe faciendum.* Videtur enim hoc repugnare, ut cognita univerſali propoſitione (& eſt ſermo de cognitione habituali), ignoretur particularis ſub illa contenta; ſicut quòd aliquis cognoſcat, nullum animal eſſe lapidem; & quòd ignoret, hoc animal, quod eſt homo, vel equus, lapidem non eſſe. ¶ Ad hoc poteſt dici primò, quòd licèt cognita propoſitione univerſali, non poſſit ignorari particularis ſub illa immediatè contenta, ſumpta ſecundum ſe, & in quantum ſub illa continetur, ut ſumitur in exemplo nuper adducto: ſecus verò ſi accipiatur cum aliqua modificatione vel conditione, qua non cadat ita expreſsè & immediatè ſub prædicta univerſali. Et ideo diſp. præced. num. 15. diximus, quòd licèt nemo rationis compos poſſit diu invincibiliter ignorare, non eſſe occidendum, aut non eſſe furandum abſolutè: at bene poſſet ignorare, an ſit occidendus infirmus morti proximus, ne diu agonizet: vel an ſit furandum ad dandum eleemoſynam. Similiter ergo licèt qui in univerſali cognoſcat, nullam fornicationem eſſe faciendam, eò quòd divina lege prohibetur, atque adeo neque hanc numero fornicationem, abſolutè qua ratione fornicatio & prohibita eſt: (quo pacto cadit immediatè ſub prædicta univerſali) poterit tamen ignorare, hanc eandem fornicationem ut hac vel illa conditione veſtitam, in hoc vel illo caſu, aut propter hunc vel illum finem, omiſsóque reſpectu ad prohibitionem, faciendam non eſſe (præſertim loquendo de ignorantia vincibili) quippe hoc modo ſumpta ea particularis propoſitio, non ita immediatè continetur ſub prædicta univerſali. 2. Difficultas Prima ſolutio.

Secundo dici poteſt, quòd licèt illa propoſitio particularis, *hunc actum, qui eſt fornicatio, non eſſe faciendum*, cognita univerſali negativa, 3. Alia ſolutio.

igitized by Google

negativâ, non poſſit ignorari per excluſionem ſcientiæ ſpeculativæ: quia eadem cognitio, quæ notificat prædictam univerſalem: notificat ſpeculativè particularem ſub illa contentam; poteſt tamen ignorari per excluſionem ſcientiæ practicæ. Rectè enim compatitur, ut aliquis cognoſcat, hanc fornicationem abſolutè eſſe prohibitam, adeóque faciendam non eſſe, habito reſpectu ad prohibitionem: quod pertinet ad cognitionem ſpeculativam, & tamen non cognoſcat, eandem fornicationem prout hîc nunc occurrentem, inſpectíſque omnibus, & etiam reſpectu ad diſpoſitionem appetitus, faciendam non eſſe: quod eſt ignorare illam practice. Adeo enim paſſio appetitus diſturbat intellectum, ut id ipſum, quod, rerum habita & Dei legis ratione, negare aut dubitare non valet: habito reſpectu ad ipſum appetitum, attentaque ejus diſpoſitione, neget vel dubitet. Quod verum eſſe, non modo loquendo de cognitione aut ignoratia habituali, ſed etiam de ipſis actualibus judiciis, quilibet fateri tenetur. Nam experimur, nos ſæpe actualiter cognoſcere & cogitare, nullum peccatum eſſe faciendum, adeóque neque iſtud neque illud; & tamen ſimul judicare, hoc opus pravum, in quo delectamur, non obſtante pravitate, hîc & nunc nobis expedire, faciendúmque eſſe: aliter nequaquam ipſum committeremus. Rationem verò tangit Cajetanus in præſenti ad finem commentarij: quia eo ipſo quòd unum ex prædictis judiciis ſit ſpeculativum, & aliud practicum, non ſunt de eodem ſecundum idem, neque dictant formaliter de eadem propoſitione, ſed de diverſis: unum enim dictat, fornicationem non eſſe convenientem, proindéque faciendam, attenta Dei lege & cæteris, quæ attendi debent: aliud verò dictat, in hoc particulari caſu, ubi non curatur de lege Dei, ſed de prava appetentis diſpoſitione, convenientem eſſe, proindéque faciendam: & ita nihil prohibet utrumque coexiſtere.

Nec refert, quòd in ſolut. ad 2. dicitur hoc judicium practicè erroneum eſſe contra ſcientiam univerſalem, atque adeo erit incompoſſibile cum illa: nam contraria invicem ſe excludunt. ¶ Reſpondetur enim, non eſſe ibi ſermonem de contrarietate immediata & directa, ſed de contrarietate latiùs ſumpta pro qualibet oppoſitione, etiam indirecta & mediata, quæ non ſufficit ad incompoſſibilitatem: ut ſupra diſp. 1. dub. 2. diximus.

4 *Alia difficultas.* In reliquo hujus literæ nulla occurrit difficultas: niſi fortè in ſolut. ad 3. dubitet aliquis an ſit ita, quod ſcientia habitualis de propoſione univerſali affirmativa, v.g. *quòd omnis homo eſt ſenſibilis*, admittat ſecum errorem actualem de ſua contradictoria, puta *quòd aliquis homò non eſt ſenſibilis*, de qua non admittit errorem habitualem. Pro parte enim affirmativa ſtat prædicta ſolutio. Pro negativa verò videntur à fortiori militare, quæ in libris Poſteriorũ docent Thomiſtæ, præcipuè N. Complutenſes diſp. 20. dub. 4. circa incompoſſibilitatem ſcientiæ cum opinione, aut fide de eodem objecto. ¶. Sed facile tolletur difficultas, ſi exponamus D. Thomam in prædicta ſolutione de errore vel falſa opinione actualibus, quæ non ſint actus perfectus, & *Tollitur.* quaſi permanenter meditatus, ſed imperfectus, & celeriter tranſiens: quæ imperfectio & celeritas permittit, quòd intellectus non ſic citò eorum, quæ habitualiter ſcit, reminiſcatur, ut non ſit locus prædicto errori. Quæ autem in dialecticis loco cit. dicta ſunt, licet impugnent coexiſtentiam primi illius erroris cum prædicta ſcientia, non tamen hujus poſterioris. ¶ Solutiones ad 4. & ad ultimum pulchram continent doctrinam, & quæ nullius expoſitione fiet clarior niſi ejuſdem D. Thomæ quæſt. 3. de mal. art. 9. ad 7. ubi illam latiùs tradiderat his verbis. *Cum actus peccati & virtutis ſit ſecundum electionem, electio autẽ eſt appetitus præconciliati, concilium verò eſt quædam inquiſitio, neceſſe eſt, quòd in quolibet actu virtutis, vel peccati ſit quædam deductio quaſi ſyllogiſtica: ſed tamen aliter ſyllogizat tẽperatus, aliter intemperatus, aliter continens, aliter incontinens. Temperatus enim movetur tantum ſecundum judicium rationis: unde utitur ſyllogiſmo trium propoſitionum, quaſi ſit deducens: Nulla fornicatio eſt committenda: hic actus eſt fornicatio: ergo non eſt faciendus. Intemperatus verò totaliter ſequitur concupiſcentiam: & ideo etiam ipſe utitur ſyllogiſmo trium propoſitionum, quaſi ſic deducens; omni delectabili eſt fruendum: hic actus eſt delectabilis: ergo hoc eſt fruendum. Sed tam continens quàm incontinens dupliciter moventur: ſecundum rationem quidem ad vitandum peccatum: ſecundum concupiſcentiam verò ad committendum: ſed in continente vincit judicium rationis, in incontinente vero motus concupiſcentiæ. Unde uterque utitur ſyllogiſmo quatuor propoſitionum: ſed ad contrarias concluſiones. Continens enim ſic ſyllogizat: Nullum peccatum eſt faciendum, & hoc proponit ſecundum judicium rationis: ſecundum verò motum concupiſcentiæ verſatur in corde ejus, quòd omne delectabile eſt proſequendum: ſed quia judicium rationis in eo vincit, aſſumit & concludit ſub primo: Hoc eſt peccatum: ergo non eſt faciendum. Incontinens verò, in quo vincit motus concupiſcentiæ, aſſumit & concludit ſub ſecundo: Hoc eſt delectabile: ergo eſt proſequendum: & talis propriè eſt, qui peccat ex infirmitate: & ideo patet, quod licèt ſciat in univerſali; non tamen ſcit in particulari, quia non aſſumit ſecundum rationem, ſed ſecundum concupiſcentiam.* *D. Tho.*

ARTICULUS III.

Utrum peccatum, quod eſt ex paſſione, debeat dici ex infirmitate.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd peccatum, quod eſt ex paſſione, non debeat dici ex infirmitate: paſſio enim eſt quidam vehemens motus appetitus ſenſitivi, ut dictum eſt: vehementia autem motus magis atteſtatur fortitudini, quàm infirmitati: ergo peccatum, quod eſt ex paſſione, non

non debet dici ex infirmitate.

2. Præterea: infirmitas hominis maximè attenditur ſecundum illud, quod eſt in eo fragilius: hoc autem eſt caro: unde dicitur in Pſal. 77. Recordatus eſt, quia caro ſunt: ergo magis debet dici peccatum ex infirmitate, quod eſt ex aliquo corporis defectu, quàm quod eſt ex animæ paſſione.

3. Præterea: ad ea non videtur homo eſſe infirmus, quæ ejus voluntati ſubduntur: ſed facere vel non facere ea, ad quæ paſſio inclinat, hominis voluntati ſubditur, ſecundum illud Geneſ. 4. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: ergo peccatum, quod eſt ex paſſione, non eſt ex infirmitate.

Sed contra eſt quod Tullius in 4. lib. de Tuſcul. quæſtionibus, Paſſiones animæ ægritudines vocat: ægritudines autem alio nomine infirmitates dicuntur: ergo peccatum, quod eſt ex paſſione, debet dici ex infirmitate.

Reſpondeo dicendum, quòd cauſa peccati propria eſt ex parte animæ, in qua principaliter eſt peccatum: poteſt autem dici infirmitas in anima ad ſimilitudinem infirmitatis corporis: dicitur autem corpus hominis eſſe infirmum, quando debilitatur vel impeditur in exequutione propriæ operationis propter aliquam inordinationem partium corporis, ita ſcilicet quòd humores & membra hominis non ſubdãtur virtuti regitivæ & motivæ corporis: unde & membrum dicitur eſſe infirmum, quando non poteſt perficere operationem membri ſani, ſicut oculus quando non poteſt clarè videre, ut dicit Philoſophus in 10. de hiſtoriis animalium. Vnde & infirmitas animæ dicitur, quando impeditur anima in propria operatione propter inordinationem partium ipſius. Sicut autem partes corporis dicuntur eſſe inordinatæ, quando non ſequuntur ordinem naturæ, ita & partes animæ dicuntur eſſe inodinatæ, quando non ſubduntur ordini rationis: ratio enim eſt vis regitiva partium animæ. Sic ergo quãdo extra ordinem rationis vis concupiſcibilis, aut iraſcibilis aliqua paſſione afficitur, & per hoc impedimentum præſtatur modo prædicto debitæ actioni hominis, dicitur peccatum eſſe ex infirmitate. Vnde & Philoſophus in 7. Ethic. comparat incontinentem paralytico, cujus partes moventur in contrarium ejus, quod ipſe diſponit.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut quãto fuerit motus fortior in corpore præter ordinem naturæ, tanto eſt major infirmitas: ita quantò fuerit motus fortior paſſionis præter ordinem rationis, tãtò eſt major infirmitas animæ.

Ad ſecundum dicendum, quod peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis; qui non impeditur per corporis infirmitatem: poteſt enim qui eſt corpore infirmus, promptam habere voluntatem ad aliquid faciendum: impeditur autem per paſſionem, ut ſupra dictum eſt. Vnde cùm dicitur peccatum eſſe ex infirmitate, magis eſt referendum ad infirmitatem animæ, quàm ad infirmitatem corporis; dicitur tamen etiam ipſa infirmitas animæ infirmitas carnis, in quantum ex conditione carnis paſſiones animæ inſurgunt in nobis, eò quòd appetitus ſenſitivus eſt virtus utens organo corporali.

Ad tertium dicendum, quòd in poteſtate quidem voluntatis eſt aſſentire, vel non aſſentire his, in quæ paſſio inclinat, & pro tanto dicitur noſter appetitus ſub nobis eſſe; ſed tamen iſte aſſenſus vel diſſenſus voluntatis impeditur per paſſionem modo prædicto.

Conclusio est affirmativa.

Quæ optimè declarata & probata eſt in litera.

ARTICVLVS IV.

Vtrum amor ſui ſit principium omnis peccati?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd amor ſui non ſit principum omnis peccati. Id enim, quod eſt ſecundum ſe bonum & debitum, non eſt propria cauſa peccati: ſed amor ſui eſt ſecundum ſe bonum, & debitum. Vnde præcipitur homini ut diligat proximum ſicut ſe ipſum. Levit. 19. ergo amor ſui non poteſt eſſe propria cauſa peccati.

2. Præterea: Apoſtolus dicit Roman. 7. Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem cõcupiſcentiam: ubi gloſſa dicit, quòd bona eſt lex, quæ dum concupiſcentiam

piſcentiam prohibet, omne malum prohibet, quod dicitur propter hoc, quia concupiſcentia eſt cauſa omnis peccati: ſed concupiſcentia eſt alia paſſio ab amore, ut ſupra habitum eſt: ergo amor ſui non eſt cauſa omnis peccati.

3. Præterea: Auguſtinus ſuper illud Pſalm. Incenſa igni & ſuffoſſa, dicit, quod omne peccatum eſt ex amore malè inflammante, vel ex timore malè humiliante: non ergo ſolus amor ſui eſt cauſa peccati.

4. Præterea: ſicut homo peccat quandoque propter inordinatum ſui amorem, ita etiam interdum peccat propter inordinatum amorem proximi: ergo amor ſui non eſt cauſa omnis peccati.

Sed contra eſt, quod Auguſtinus dicit 14. de Civit. Dei, quòd amor ſui uſque ad contemptum Dei facit civitatem Babylonis: ſed per quodlibet peccatum pertinet homo ad civitatem Babylonis: ergo amor ſui eſt cauſa omnis peccati.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, propria & per ſe cauſa peccati accipienda eſt ex parte converſionis ad commutabile bonum, ex qua quidem parte omnis actus peccati procedit ex aliquo inordinato appetitu alicujus temporalis boni: quod autem aliquis appetat inordinatè aliquod temporale bonum, procedit ex hoc, quòd inordinatè amat ſe ipſum: hoc enim eſt amare aliquem, velle ei bonum. Unde manifeſtum eſt, quòd inordinatus amor ſui eſt cauſa omnis peccati.

Ad primum ergo dicendum, quòd amor ſui ordinatus, eſt debitus & naturalis, ita ſcilicet quod velit ſibi bonum, quod congruit: ſed amor ſui inordinatus, qui perducit ad contemptum Dei, ponitur eſſe cauſa peccati ſecundum Auguſtinum.

Ad ſecundum dicendum, quòd concupiſcentia, qua aliquis appetit ſibi bonum, reducitur ad amorem ſui ſicut ad cauſam, ut iam dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd aliquis dicitur amare & illud bonum, quod optat ſibi, & ſe, cui bonum optat. Amor igitur ſecundum quod dicitur ejus eſſe, quod optatur, puta quòd aliquis dicitur amare vinum vel pecuniam, recipit pro cauſa timorem, qui pertinet ad fugam mali. Omne enim peccatum provenit vel ex inordinato appetitu alicujus boni, vel ex inordinata fuga alicujus mali: ſed utrumque horum reducitur ad amorem ſui. Propter hoc enim homo vel appetit bona, vel fugit mala, quia amat ſe ipſum.

Ad quartum dicendum, quòd amicus eſt quaſi alter ipſe: & ideo quod peccatur propter amorem amici, videtur propter amorem ſui peccati.

CONCLUSIO.

Inordinatus amor ſui eſt principium omnis peccati.

Commentarius.

NOmen *proprij amoris* ex ſua primæva ſignificatione indifferens eſt ad bonum & 1.
ad malum: quia *amare* ſe ſolùm dicit velle ſibi bonum: & ita ſi bonum, quod quis ſibi vult, ſit verum & juxta rationem, amor erit bonus & rectus: ſi autem ſit bonum apparens & contrarium rationi, erit amor inordinatus. Unde antiquitùs ſub judice fuit illa quæſtio, quiſnam potius dicendus ſit *philautus* (id eſt *amator ſui*) probus ne, an pravus? Quam verſat Philoſophus lib. 9. Ethic. apud D.Thomam lect.8.& 9. Propoſitiſque utrinque rationibus, concludit, quòd licèt vulgi opinio eos appellet *ſui amatores*, qui ſibi plus tribuunt in pecuniis, honoribus, & voluptatibus corporis, quia homines majori ex parte hæc affectant, & iis potiſſimæ incumbunt: at juxta prudens & ſanum judicium ille potius dicendus eſt amare ſe ipſum, qui curat excellere in operibus virtutis, quia is ſibi vult maxima bona, nempe bona honeſta: de quo latiùs diximus in tract. de ultim. fin. diſp. 4. num. 39. *Vetus quæſtio.*

Cæterum apud Theologos & fideles 2. *Communis acceptio proprij amoris.*
prædictum nomen abſolutè ſumptum ſonat in malum, & ſumitur pro amore vitioſo, quo quis ita ſe & bonum proprium diligit, ut non referat in Deum, ſed in terrenis & temporalibus cupiditatibus & delectationibus ſiſtat. Et ita accipitur in Scriptura 2. ad Timoth. 3. *Erunt homines amantes ſe ipſos; cupidi, elati,* &c. Et Ioan. 12. *Qui amat animam ſuam, perdet eam:* ubi D. Auguſtinus. *Noli* (inquit) *amare, ne perdas: noli amare in hoc vita, ne perdas in æterna vita.* Et hic eſt jam communis uſus loquendi, præſertim apud Patres, & Magiſtros vitæ ſpecialis: qui proprium amorem ut valde nocivum, & plurium vitiorum radicem ubique reprehendunt. *2. ad Tim. 3. Ioan. 12. D. Auguſt.*

Hunc ergo amorem ſui, qui eſt amor inordinatus & vitioſus, docet in præſenti D. Thom. eſſe radicem omnium peccatorum quia ex illo committit homo quæcumque committit. Et ratio eſt perſpicua ex iis, quæ diximus in tract. de ulti. fin. diſp.4. dub.3. ubi oſtendimus, ultimum finem peccatoris, propter quem agit quæcumque agit, eſſe proprium ipſius bonum, ita ut in nullo actu extra hujuſmodi bonum tendat. Et similiter dub.4. diximus, omnes actus malos, ſive

peccata

Digitized by Google

peccata venialia, quæ juſtus committit, ſiſtere quantum ad relationem actualem in ipſo bono proprio; neque ad Deum finem abſolute ultimum plus quam habitualiter referri. Hinc ergo ſumitur ratio, qua utitur D. Thom. quia omnis actus peccaminoſus, ſive ab homine peccatore, ſive à juſto fiat, elicitur actualiter propter finem aliquo modo ultimum: non autem ſic elicitur propter Deum, quia Deus non eſt capax terminandi actualiter habitudinem mali actus; neque extra Deum eſt alius finis ultimus quàm bonum proprium: elicitur ergo, à quocumque eliciatur, propter hujuſmodi bonum: atque adeo procedit ex ejus amore tanquã ex cauſa & radice. ¶ Convincit autem hæc ratio non tantùm de peccatis, quæ in actu conſiſtunt; ſed etiam de omiſſionibus peccaminoſis; quia cum nulla ſit omiſſio voluntaria ſine actu, qui ſit cauſa omittendi: ut in tract. de voluntar. diſp. 4. oſtendimus; omnis talis omiſſio ratione prædicti actus ordinatur ad ejus finem, proceditque ex amore talis finis.

3. Eſt autem animadvertendum, quòd cum dicitur, omne peccatum oriri ex inordinato ſui amore, non eſt ſenſus reperiri in quolibet peccato duplicem actum, alterum reſpectu boni proprij, & alterum reſpectu objecti peccaminoſi: ſed uno eodémque actu tendit voluntas ad utrunque, diligendo objectum peccaminoſum propter bonum proprium in eo incluſum, & ipſum proprium bonum ibi incluſum propter ſe. Vnde ex iſto capite non opus eſt reali actuum multiplicitate. Neque cauſalitas ibi reperta attendenda eſt ex parte actuum, quaſi unus actus ab alio actu cauſetur, ſed ex parte objecti: in quantum ratio proprij boni reperta in quolibet objecto peccaminoſo, eſt cauſa, ut voluntas tale objectum amplectatur, & amplectendo illud, peccet.

Obiectio. Sed obiicies, aliqua eſſe peccata, quæ potius oriuntur ex odio ipſius peccatoris, ut cum occidit ſe ipſum: multáque oriuntur ex ſuperbia, ex avaritia, & ex carnali concupiſcentia ut docet D. Thom. art. ſequenti: ergo non omnia ex prædicto amore. ¶ Reſpondetur, etiam odium, ex quo provenit ut quis ſe interimat, oriri ex inordinato ſui amore: Solvitur. nam cum odium ſit actus fugæ, fieri debet in virtute alicujus proſequutionis, quæ cum non ſit amor boni divini (hujuſmodi enim amor non movet, ad peccandum) oportet ut ſit amor boni proprij. Ex eo namque quòd homo proprium bonum amat, oritur ut odio habeat propriam miſeriam, propriúmque *eſſe* ut illa affectum: atque adeo quod ut careat tali miſeria, eligat non eſſe & ſe occidat. Similiter ſuperbia, avaritia, concupiſcentia carnis, & ſi quæ aliæ ponuntur cauſæ peccatorum, oriuntur ex proprio amore inordinato, ut docet Ang. Doctor art. 4. ſequenti, & infra quæſt. 84. atque adeo ſunt prima radix talium peccatorum, ſed ſunt cauſæ magis proximæ, ſupponentes ut omnium primam radicem prædictum amorem.

4. Secundò obiicies: quia ſi omne peccatum oritur ex inordinato amore, quo peccans diligit ſe ipſum, in omnibus erit duplex malitia diſtincta, alia ratione prædicti amoris & alia ratione objecti ipſius peccati: actus enim non tantùm ſumit malitiam ab objecto, ſed etiam à fine & à quacunque alia cauſa, quando talis cauſa eſt peccaminoſa, ſicut ille, qui furatur ex amore ad fornicandum non ſolùm habet malitiam furti, ſed etiam fornicationis. (Obiectio alia.)

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem dicunt nonnulli, amorem ſui inordinatum eſſe circunſtantiam communem & generalem: & ideo non dare ſpecialem malitiam: ſicut illam non tribuunt inobedientia, & contemptus communiter dicta, propter eandem rationem. Sed melius reſpondetur, amorem ſui non eſſe inordinatum, niſi in quantum movet ad objectum peccaminoſum: quantumvis enim homo ſe diligat, ſi ex eo amore non moveatur ad aliquid pravum agendum vel volendum, non erit inordinatus & peccaminoſus: ſi autem moveat ad objectum pravum, hacque ratione inordinatus ſit, ſolùm in ſe habebit eam malitiam, quæ ex tali objecto deſumitur, eandémque & non aliam peccato tribuet. Quemadmodum dum quis ex amore dandi eleemoſynam furatur, non eſt ibi niſi unica malitia ſcilicet furti, quia quamvis non ſolùm volitio furandi ſit mala, ſed etiam ille amor dandi eleemoſynam ex furto; non tamen prædictus amor aliunde eſt malus, niſi quia movet ad furtum. Secùs verò cùm amor, qui eſt cauſa furandi, aliunde etiam eſt peccaminoſus: ſicut eſt in illo, qui furatur ex amore fornicationis. (Diluitur.)

Tertiò poteſt obiici: quia vel D. Thom. in cõcluſione articuli loquitur de amore ſenſibili, qui eſt paſſio appetitus; vel de amore generaliter ſumpto, ut eſt communis ad appetitum & voluntatem? Si primum dixerimus, non videtur ſalvari veritas prædictæ concluſionis: nam plura peccata nullum important ordinem ad paſſionem appetitus, ſed oriuntur ex amore ſpirituali voluntatis: inde enim poſſunt oriri hæreſis, ſuperbia, blaſphemia, & ſimilia: de quo poteſt videri D. Auguſtinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 2. uſque ad 5. ubi oſtendit, non omnia vitia oriri ex amore carnali & ſenſibili. D. Thom. etiam 2. 2. quæſt. 153. art. 5. ad 3. expreſsè dicit, amorem ſui, qui ponitur commune principium omnium peccatorum, non eſſe determinatè amorem carnalem, ſed amorem ſui quantum ad quæcunque bona. ¶ Quod ſi dixerimus ſecundum, non videtur congruere intento hujus quæſtionis, ubi determinatè agitur de cauſa peccati, quæ eſt paſſio ſenſitivi appetitus. Deinde quæſt. 72. hujus 1. 2. art. 2. ad 1. ait D. Thom. quòd *omnis defectus rationis humanæ ex ſenſu carnali aliquo modo initium habet*: atque adeo, omne peccatum oriri aliquo modo ex deordinatione partis ſenſitivæ. Et in hac quæſt. art. 5. docet tria illa, de quibus 1. Ioan. cap. 2. dicitur: *Omne quod eſt in mundo aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, &c. explicat de paſſionibus appetitus ſenſitivi, quæ ex paſſione amoris originantur. (5. Tertia obiectio.) (D. Thom.) (1 Ioan. 2.)

Sed licèt utraque pars ſit probabilis; quæ tamen pro prima adduximus, efficatiùs convincunt, non poſſe concluſionem intelligi univerſaliter de omni peccato, ſi reſtringatur ad amorem ſenſibilem. Et propterea diſp. 16. dub. 4. dicemus: non omnia peccata tribuenda

Lorca. Vaſq. Valent. Suar. Th. Sanch. D. Thom.

plures alii. Sumitúrque ex D. Thom. ſuprà q. 6. artic. 8. ubi docet, quod etſi prædicta ignorantia non faciat involuntarium actum, quem comitatur, quia non facit ut voluntati repugnet; facit tamen ut non ſit voluntarius, quia nequit eſſe voluntarium illud, quod ignoratum eſt. Ex quo ſumitur evidens ratio pro hac ſententia. Nam eſſe voluntarium & liberum adeo eſt de ratione peccati, & malitiæ moralis, ut nullatenus valeat reperiri ſine illo, ut alibi oſtendimus, fatentúrque omnes Theologi: ſed actus, qui fit cum prædicta ignorantia, nullo modo eſt voluntarius reſpectu objecti, quod ignoratur: nequit ergo ex tali objecto aliquam malitiam deſumere. Minor probatur: nam cum ſit de ratione voluntarii fieri cum cognitione illius, in quod tendit, ut ex ejus diffinitione habetur, repugnat ut aliquis voluntariè tendat in illud, quod à ſe omnino ignoratum eſt: ſicut in præſenti caſu ignoratur prædictum objectum.

Cõfirmatio. Confirmatur: nam qui invincibiliter exiſtimans occidere feram, occidit inimicum, caſu ibi latentem, non aliter ſe habet in ordine ad peccandum, quàm ſi re ipſa non eſſet ibi inimicus, ſed fera tantùm (ut ipſe credit) occideretur: quod enim totaliter eſt extra cognitionem, omnino eſt præter voluntatem: proindéque non magis confert ad ejus bonitatem, vel malitiam, quàm ſi omnino non eſſet: ſed in prædicto caſu nemo damnaret illam occiſionem quaſi obnoxiam malitiæ homicidii: ſicut nec cæteras actiones, quas ille operans prudenter ageret: quantumvis habitualiter eſſet paratus occidere inimicum, ſi illum inveniret: ergo in eo, de quo agimus, debet ita damnari.

Alia. Confirmatur ſecundo, & explicatur animadvertendo, quod actio exterior non habet formaliter rationem peccati, niſi in quantum imperatur à voluntate, & intentione peccaminoſa: ipſa enim malitia intrinſecè reſidens in voluntate, denominat extrinſecè prædictam actionem, ut diſp. 10. dub. 1. oſtendimus: unde eſt manifeſta repugnantia, quod talis actio ſit formaliter peccatum, niſi intentio, à qua imperatur peccaminoſa ſit intra idem genus malitiæ. Tum ſic, intentio, à qua imperatur occiſio, de qua loquimur, nullam habet malitiam homicidii, nam eſt dumtaxat intentio occidendi feram, neque ullo modo fertur ad occiſionem hominis, ſicut nec talis occiſio ullo modo cognoſcitur: ergo neque occiſio, vel quæcumque alia actio imperatur ab ea intentione, erit culpabilis aut peccaminoſa in genere homicidii.

96 Præcluditur quorundam evaſio.

Dices, adeſſe ſimul cum intentione occidendi feram, habitualem voluntatem occidendi inimicum: & ratione iſtius derivari malitiam ad actum externum. ¶ Sed contra: nam voluntas præciſè habitualis nihil confert ad bonitatem, vel malitiam actus: quia habitibus neque meremur, neque demeremur, niſi in actum prorumpant: ergo neque ex iſto neque ex alio capite poteſt prædicta actio habere malitiam homicidii. ¶ Eo præſertim quia ſi voluntas habitualis ſufficeret ad tribuendam malitiam, non ſolùm illa actio, qua de facto inimicus ſub ſpecie feræ occiditur, ſed omnes aliæ quotquot ab illo homine exercerentur, haberent prædictam malitiam (quod eſt abſurdum:) quippe non eſt minor conjunctio hujuſmodi actionum ad illam habitualem voluntatem, quàm prædictæ occiſionis: neque eſt quo pacto potius in iſtam, quàm in illas influat talis voluntas. Imo licet cum intentione occidendi feram eſſet ſimul volitio actualis occidendi inimicum, non ideo hæc volitio conferret illi malitiam: quia non imperaret illam, ſed haberet ſe concomitanter: non enim tribuit malitiam actui externo quæcumque volitio etiam actualis cum eo exiſtens, ſed illa dumtaxat, à quâ imperatur. Porrò occiſionem, de qua loquimur, non imperari à volitione occidendi inimicum, ſed ab alia, quæ eſt intentio occidendi feram, conſtat ex eo quod volitio imperans opus externum eſt intentio abſoluta & efficax aſſequendi finem: illa autem volitio occidendi inimicum non eſt abſoluta & efficax, ſed inefficax & conditionata: nemo quippe efficaciter intendit, quod penitus poſſe aſſequi ignorat.

Sed urgebis: quid ſi ille venator mitteret ſagittam eo animo ut occideret feram, & etiam inimicum, ſi fortè ibi lateret, illúmque latentem de facto occideret? ¶ Reſpondent aliqui, caſum eſſe impoſſibilem, ſuppoſita ignorantia invincibili: quia qui ita ignorat, præmiſit ſufficientem diligentiam, per quam moraliter eſt certus neminem ibi latitare: qui verò habet prædictum animum, non poteſt eſſe ita certus, ſed dubitat, vel formidat an ita ſit, vel non: igitur non ſtat volitio efficax occidendi inimicum cum prædicta ignorantia. Replica.

Hoc tamen non videtur undequaque verum: quia ut ignorantia in caſu, de quo loquimur, aliiſque ſimilibus ſit invincibilis, ſufficit habere probabile judicium, quod nemo ibi lateat: bene autem cohæret cum judicio probabili formido aliqua, vel ſuſpicio circa oppoſitum: ſicut enim poſt adhibitam ſufficientem diligentiam potuit re ipſa latere ibi inimicus, & re ipſa occidi: ita poteſt operans judicare poſſe ſic accidere, ut fortè lateat, poteſtque, quandiu ſibi de veritate evidenter non conſtat, formidare oppoſitum ejus, quod probabiliter judicat: judicium enim probabile unius partis non excludit alterius formidinem: ergo quantum eſt ex hoc capite non repugnat, quod ignorans habeat hunc, vel ſimilem actum *volo jacere ſagittam ad occidendum, vel feram, quam illic eſſe judico; vel inimicum, ſi fortè ibi ſit, quod non credo:* imperatéque ex hoc actu jactum ſagittæ in illum locum, ubi inimicus abſconditur. ¶ Quare melius reſpondetur admittendo (ſicut admittit Sanchez, alios referens citato cap. 16. num. 14.) in prædicto caſu occiſionem illam habere malitiam homicidii: quia imperatur à voluntate occidendi inimicum, ſi fortè ibi ſit; & eſt de facto, & poſſe eſſe cognoſcitur: unde nihil deeſt quominus prædicta occiſio, in quantum occiſio eſt illius hominis, ſit voluntaria, & voluntati tribuatur. 97 Vera ſolutio.

Aliter dicendum eſt, ſi operans haberet omnimodam certitudinem, quòd nullus homo ibi abſconderetur: tunc enim non poſſet habere abſolutam & efficacem voluntatem occidendi aliquem hominem, cum certò cognoſcat, ejus occiſionem ibi & tunc fore 98 Alius caſus.

Digitized by Google

fore ſibi impoſſibilem; cum qua certitudine non ſtat oppoſita formido per actum deliberatum. Sed hic caſus recedit jam ab eo, de quo loquimur: quia ubi eſſet illa certitudo, non haberet locum ignorantia quantumvis invincibilis. Poſſet autem qui ita eſſet certus, proiicere ſagittam eo animo ut ſe exerceret ad occidendum inimicum, dum poſtea ſibi occurrit: vel optando ibi eſſe, & jactu illo configi: vel fingendo illum ſua imaginatione ipſamque feram loco ejus ac veluti ipſius imaginem & ſtatuam cædendo. Taliſque affectus proculdubio eſſet peccaminoſus ex homicidio deſiderato vel ficto: ejúſque malitia denominaret *peccaminoſam* etiam actionem externam: non tamen alicui daret denominationem homicidij ſimpliciter, cùm re ipſa homo non occidatur, neque ejus vera occiſio ibi & tunc intendatur: ſicut non dicimus abſolutè & ſimpliciter *homicidium* internam voluntatem occidendi, quando ex ea occiſio in re non ſequitur. Atque idem dicendum eſt, ſiquis non jam cum prædicta certitudine, ſed potius cum ignorantia invincibili latentis inimici mitteret ſagittam eodem animo, nempe vel ut ſe exerceret ad occidendum poſtea, vel optando adeſſe ibi inimicum, vel fera in quaſi ejus ſtatuam cogitando, non tamen volens abſolutè ibi & tunc illum occidere adhuc ſub conditione *ſi fortè ibi*, neque hoc animo emittendo ſagittam, ſed duntaxat cædendi ejus ſtatuam; vel ſe exercendi modo dicto quamvis enim tunc inimicus ibi lateret; de factóque occideretur, non ideo ejus occiſio agenti imputaretur, neque ex tali occiſione prout ibi & tunc patrata illa actio malitiam deſumeret, neque propter ipſam diceretur peccaminoſa: quia animus illius agentis non eſt occidere ibi & tunc inimicum quem abeſſe putat; ſed duntaxat cædere feram quaſi ejus ſtatuam, vel exerceri ad ipſum alio tempore ſagittandum.

Diſparitas utriuſque caſus.

Vnde eſt manifeſta diſparitas inter hunc caſum, & illum de jaciente ſagittam animo occidendi feram, ſimúlque inimicum *ſi fortè ibi ſit*: de quo num. præced. diximus incurrere malitiam illius homicidij: quia tunc animus operantis extenditur revera uſque ad occiſionem inimici ibi & tunc patrandā ex ſuppoſitione quòd illic lateat, cognitaque hujus latebræ poſſibilitate ſaltem metaphyſica: & ideo adimpleta ſuppoſitione, nihil deeſt quominus tale homicidium ex animo & voluntate procedat: adeóque ipſi voluntati pro ut ibi & tunc exequutum tribuatur, *voluntariúmque* appelletur. At verò in alio caſu animus agenti non eſt occidere inimicum in ſe ipſo, adhuc ex ſuppoſitione quòd ibi lateat: quia neque de hac ſuppoſitione, neque de latendi poſſibilitate curatur: ſed habita ſufficiente ſecuritate quòd nullus homo ibi ſit, tota intentio ſiſtit in exercitatione, quam diximus, quicquid verò ultra contingit, omnino eſt cauſale: & extra prædictam intentionem: & ideo nulla via poteſt in voluntatem reduci, neque appellari *voluntarium*.

Enodatur alia replica.

Et ſi adhuc urgeas: ergo in primo caſu ignorantia invincibilis non excuſat à malitia? ¶ Reſpondetur, in prædicto caſu ignorantiam ideo non excuſare, quia ignorans expreſſè operatur contra illam, extendens ſuam malitiam etiam in illud, quod ignorat: nam qui ita operatur, ut licèt probabiliter credat, ſe non poſſe occidere inimicum; nihilominus expreſsè vult illum occidere: ex hacque volitione facit quantum poteſt ut occidat, *ſi fortè ibi ſit*; ſua malitia vincit ipſam ignorantiam, extendens expreſsè pravam intentionem ad omne illud, quod metaphyſicè non repugnat, qamvis prudenter credatur non eſſe futurum. Quocirca ignorantia ibi exiſtens omnino habet ſe de materiali. ¶ Neque dicendum eſt, actum ſumere malitiam ab objecto ignoto: ſed ipſa cognitione, qua cognoſcitur poſſe ſaltem metaphyſicè latere ibi inimicum, cognoſcitur occidendum de facto ex ſuppoſitione quòd lateat: ab eoque ut ſic cognitio, volitióque ex prædicta ſuppoſitione, ea purificata, ſumitur homicidij malitia. Cæterum in aliis caſibus ubi intentio expreſsè non fertur in omne id, quod poteſt eſſe, adhuc ex ſuppoſitione quòd ſit; ſed in id ſolùm, quòd eſſe putatur, nulla attenta ſuppoſitione; quicquid ignoratur invincibiliter, manet omnino intactum à cognitione & volitione: & ideo nihil poteſt malitiæ conferre.

§. IV.

Secundæ pars ejuſdem ultimæ difficultatis.

99. Prima opinio.

VEniamus ad ſecundum, quod pertinere diximus potius ad modum loquendi. In quo aliqui etiam ex iis, quos nuper citavimus, nolunt admittere, quòd ignorantia concomitans excuſet actum à malitia, ſed ſolum quòd non accuſet. Idque à fortiori non admittent qui negant, ipſum opus ita ignoranter factum carere malitia formali: ut negare videntur Durandus in 2. diſt. 22. quæſt. 4. Gabriel ibidem quæſt. 2. art. 1. notabil. 3. Covarruvias relect. in cap. *Alma mater* 1. p. §. 10. Vgolinus de cenſur. tabul. 1. cap. 9. §. 8. & alij apud Sanchez lib. 9. de matrim. citata diſp. 32. Rationem verò tradunt: quia ignorantia, quæ opus excuſat, debet eſſe circumſtantia ipſius operis, & non ſolùm operantis: ignorantia autem concomitans cum nihil influat, non eſt circunſtantia operis, ſed accidens ipſius operantis: ergo neque excuſabit, neque accuſabit prædictum opus: atque adeo vel hoc non liberabitur à malitia; aliunde id ſortietur, quàm ex prædicta ignorantia. ¶ Accedit, quòd D. Thom. in præſenti art. 3. expreſsè dicit ignorantiam concomitantem non excuſare à peccato; & reddit pro ratione: quia non eſt cauſa actus peccati, neque ipſum involuntarium efficit.

Durand. Gabriel. Covarru. Hugolin.

Verior loquendi modus.

Cæterùm quamvis in præſentiarum parùm referat ſic vel aliter loqui, nullam tamen ſufficientem rationem reperimus, cur neganda ſit prædictæ ignorantiæ ea excuſatio à malitia: cum hujus carentia in nullum aliud principium poſſit reduci niſi ad carentiam ſcientiæ, adeóque in ipſam ignorantiam. Si namque adeſſet ſcientia, nemo ambigit prædictum opus fore peccaminoſum: ergo idcirco peccaminoſum non eſt, quia deeſt talis ſcientia, ſeu quia adeſt ignorantia: ubi enim affirmatio eſſet

num, interrumpatur, vel ipſe pravus affectus adveniens actum bonum interrumpat. Hoc enim ſatis eſt, tum ut prædicta ignorantia non excuſet operantem à culpa, cum permittat ſecum illum pravum affectum. Tum etiam ut non concurrant ſimul actus malus, & actus bonus, ſed unus poſt alterum; uterque verò concurrat ſimul cum ignorantia.

Secunda. Secundo reſpondetur, admiſſo etiam repugnare actum bonum cum actu malo, inde ſolùm ſequi, utrumque illum, qui in caſu objectionis concurreret, proindéque etiam opus externum fore peccaminoſum: non autem quod in aliquo ſit malitia homicidij ibi & tunc commiſſi, ſeu quæ ſumatur ab occiſion, quæ à parte rei ignoranter ponitur, ac proinde quod talis occiſio imputetur tanquam homicidium re ipſa commiſſum: ſed tota malitia ibi reperta, erit malitia illius pravi, & inefficacis affectus, à quo ſicut à fine vel circunſtantia extrinſeca vitiabuntur cæteri actus, vel quia ſubduntur illi, vel quia illum ſibi ſubordinant. Non autem neque ipſe pravus affectus, neque alij actus plus habebunt de ratione homicidij, quàm ſi de facto mors non ſequeretur, neque aliquis externus actus imperaretur. Imo externa occiſio, quæ ibi concurrit, nullatenus imperatur, aut ſuſcipit denominationem peccati, in quantum eſt percuſſio inimici, qui ignoratur; ſed in quantum eſt occiſio exiſtimata feræ, ordinata ad illud pravum affectum ſicut ad circunſtantiam extrinſecam.

Tertia. Tertiò dici poſſet, illam doctrinam, quæ negat in voluntate coëxiſtentiam duplicis actus boni & mali, reſtringendam eſſe ad caſum, ubi uterque actus ſit propriè intentio, proindéque actus efficax, & cum plena ac formali deliberatione: eò quòd nequit voluntas plures fines ſimul omnino abſque ſubordinatione intendere. At non repugnat, quod cum intentione unius finis adſit aliquis alius actus inefficax, & etiam aliquis ſemiplenè tantùm vel interpretativè deliberatus, non ſubordinatus tali intentioni, neque illam ſibi ſubordinans. Hoc tamen alibi examinabitur.

Doctrina verò hujus & præcedentis §. valde neceſſaria eſt pro materiis de cenſuris, de irregularitate, de reſtitutione, & aliis Theologiæ moralis. Cum enim dixerimus, homicidium commiſſum cum ignorantia invincibili concomitante non eſſe voluntarium, neque imputari agenti ut verum homicidium, conſequenter habetur non incurri propter illud pœnas à jure ſtatutas contra homicidas, neque obligationem reſtituendi, aliáque hujuſmodi; ſed judicandum eſſe de tali homicidio, ac ſi in ſolo affectu & voluntate ſiſteret, externáque mors non ſequeretur. Et quod dictum eſt de homicidio, intelligendum eſt de aliis ſimilibus factis cum prædicta ignorantia: in omnibus enim, quod attinet ad externum effectum, & ad illa, quæ talem effectum conſequuntur, philoſophandum eſt non ſecus, ac ſi fierent cum ignorantia invincibili antecedente. Nec referet ad aliquid prædictorum, an ignorans aliàs det operam rei licitæ, vel illicitæ. 103.

Aliud dubium ſolet hic ab aliquibus moveri: videlicet an & qualiter ignorantia ſive vincibilis, ſive invincibilis, antecedens, aut concomitans excuſet à pœna? Sed nos illud prætermittimus: quia ſi ſermo ſit de pœna jure humano determinata, non ita eſt noſtri inſtituti id declarare; ſed ſpectat ad juris Doctores, & ad Theologos morales: de quo latè & eruditè, ut ſolet Thom. Sanch. lib. 9. de matrim. cit. diſp. 32. per totam. Si autem ſermo ſit de pœna, quæ ex natura rei & coram Deo debetur peccato: idem omnino dicendum eſt de hac pœna, ac de ipſa culpa. Et ideo ignorantia, quæ excuſat à tota culpa, conſequenter liberabit à tota pœna: quæ verò culpam diminuit, in eodem quoque gradu diminuet pœnam. Plura alia inſeruntur hîc ab aliquibus de ignorantia, & de peccatis per illam vel cum illa commiſſis, quæ etiam omittimus propter rationem nuper traditam

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXVII.

DE CAVSA PECCATI EX PARTE appetitus ſenſitivi, in octo Articulos diviſa.

DEinde conſiderandum eſt de cauſis peccati ex parte appetitus ſenſitivi, utrum paſſio animæ ſit cauſa peccati. ¶ Et circa hoc quæruntur octo.

ARTICVLVS I.

Utrum voluntas moveatur à paſſione appetitus ſenſitivi?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd voluntas non moveatur à paſſione appetitus ſenſitivi. Nulla enim potentia paſſiva movetur niſi à ſuo objecto: voluntas autem eſt potentia paſſiva & activa ſimul in quantum eſt movens & mota, ſicut Philoſophus dicit in 3. de anima, univerſaliter de vi appetitiva: cum ergo objectum voluntatis non ſit paſſio appetitus ſenſitivi, ſed magis bonum rationis, videtur quòd paſſio appetitus ſenſitivi non moveat voluntatem.

2. Præterea: ſuperior motor non movetur ab inferiori, ſicut anima non movetur à corpore: ſed voluntas, quæ eſt appetitus rationis, comparatur ad appetitum ſenſitivum, ſicut motor ſuperior ad inferiorem: dicit enim Philoſophus in 3. de anima, quòd appetitus rationis movet appetitum ſenſitivum, ſicut in corporibus cœleſtibus ſphæra movet ſphæram: ergo voluntas non poteſt moveri à paſſione appetitus ſenſitivi.

3. Præterea, nullum immateriale poteſt moveri ab aliquo materiali: ſed voluntas eſt potentia quædam immaterialis: non enim utitur organo corporali cùm ſit in ratione, ut dicitur in 3. de anima. Appetitus autem ſenſitivus eſt vis materialis, utpote fundata in organo corporali: ergo paſſio appetitus ſenſitivi non poteſt movere appetitum intellectivum.

Sed contra eſt quod dicitur Daniel 13. Concupiſcẽtia ſubvertit cor tuum.

Reſpondeo dicendum, quòd paſſio appetitus ſenſitivi non poteſt directè trahere, aut movere voluntatem, ſed indirectè poteſt: & hoc dupliciter. Vno quidem modo ſecundum quandam abſtractionem: cum enim omnes potentiæ animæ in una eſſẽtia animæ radicentur, neceſſe eſt, quòd quando una potentia intenditur in ſuo actu, altera in ſuo actu remittatur, vel etiam totaliter in ſuo actu impediatur, tùm quia omnis virtus ad plura diſperſa ſit minor: unde è contrario quando intenditur circa unum, minùs poteſt ad alia diſpergi: tùm quia in operibus animæ requiritur quædam intentio, quæ dum vehementer applicatur ad unum, non poteſt alteri vehementer attendere: & ſecundum hunc modum per quandam diſtractionem, quando motus appetitus ſenſitivi fortificatur ſecundum quamcunque paſſionem; neceſſe eſt, quòd remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui eſt volũtas. Alio modo ex parte objecti voluntatis, quod eſt bonum ratione apprehenſum: impeditur enim judicium & apprehenſio rationis propter vehementem & inordinatam apprehenſionem imaginationis, & judicium virtutis æſtimativæ, ut patet in amentibus. Manifeſtum eſt autem, quòd paſſionem appetitus ſenſitivi ſequitur imaginationis apprehenſio, & judicium æſtimativæ; ſicut etiam diſpoſitionem linguæ ſequitur judicium guſtus: unde videmus, quòd homines, in aliqua paſſione exiſtentes, non facilè imaginationem avertunt ab his, circa quæ afficiuntur. Vnde per conſequens judicium rationis plerunque ſequitur paſſionem appetitus ſenſitivi: & per conſequens motus voluntatis, qui natus eſt ſemper ſequi judicium rationis.

Digitized by Google

Ad primum ergo dicendum, quòd per paſſionem appetitus ſenſitivi fit aliqua immutatio circa judicium de objecto voluntatis, ſicut dictum eſt, quamvis ipſa paſſio appetitus ſenſitivi non ſit directè voluntatis objectum.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſuperius non movetur ab inferiori directè, ſed indirectè quodammodo moveri poteſt, ſicut dictum eſt.

Et ſimiliter dicendum eſt ad tertium.

PRIMA CONCLUSIO.

Paſſio appetitus ſenſitivi nequit movere directè voluntatem; benè tamen indirectè

SECUNDA CONCLUSIO.

Dupliciter contingit prædicta motio, vel per quandam abſtractionem voluntatis à ſuo proprio actu, vel ex parte objecti ipſius voluntatis.

Commentarius.

1\. Circa primam concluſionem nota, quòd prima ejus pars, nempe appetitum non movere voluntatem directè, relinquitur à D. Thoma ſine majori probatione, quia ſecundo & tertio articuli argumento efficaciter convincitur: ob ídque in ſolutione admittit D.Thom. vim illorum, quantum ad prædictam motionem directam; & ſolùm negat procedere contra indirectam. ¶ Limitat verò prædictam concluſionem Alvarez quoad eam primam partem, ut intelligatur de voluntate, ut voluntas eſt, atque adeo ut libera: nam ut natura (inquit) & ut agit ſine libertate, non inconvenit, quòd trahatur directè ab appetitu ſenſitivo in ſuum objectum: ut patet in motibus primo primis, in quibus movetur voluntas abſque aliqua deliderratione rationis. Sed diſplicet limitatio: quia cum voluntas, etiam ut natura ſit potentia immaterialis & omnino ſuperior appetitu corporeo, neque iſto, neque alio modo poteſt moveri directè à tali appetitu, neque ipſe appetitus directè agere in illam: ut argumenta hujus articuli ſatis convincunt, quæ non minus procedunt de voluntate ut natura, quàm ut voluntas eſt: conſtatque etiam ex eodem D.Thoma ſupra quæſt. 9. art. 5. Quare quòd voluntas in motibus primo primis rapiatur neceſſario, non provenit directè ab appetitu ſed ab intellectu proponente objectum ſine indifferentia; quamvis ipſe appetitus indirectè ſit cauſa hujuſmodi propoſitionis.

Limitatio concluſionis. *Reiicitur.*

Circa eamdem concluſionem dubitant nonnulli, an paſſio appetitus eo modo quo movet voluntatem, ſcilicet indirectè, moveat formaliter ad peccatum, vel ſolùm materialiter? Sed nos de hoc dicemus infra diſp. 16. dub.4. agentes de concupiſcentia.

In ſecunda concluſione explicandus eſt ille prior modus movendi, qui dicitur *per abſtractionem*: poſterior enim, qui eſt ex parte objecti, ſufficienter declaratur in litera, adhibita Cajetani expoſitione cùm hîc, tùm ſupra quæſt. 58. art. 5. quam in tract. de virtut. diſp. 4. num. 10. adduximus. In quo verò abſtractio illa primi modi conſiſtat, & an ita differat à ſecundo, ut poſſint ſeparari, ſicut etiam an ſuperſit appetitui tertius alius modus movendi voluntatem per ſolam ſympathiam & colligatione ipſarum potentiarum, non ita conſtat. Etenim verba D. Thomæ. ſuperficie tenùs inſpecta ſonare videntur, quòd dum prædictæ potentiæ operantur, profluat immediatè ab anima aliquis actualis influxus, quo operationes illarum juventur, & ſine quo deficiant: qui ſanè influxus cum ſit limitatus & finitus, quò magis uni potentiæ, v. g. ſenſitiſio appetitui, ejuſque operationi applicatur; eò magis abſtrahitur & removetur ab alia, puta à voluntate: & ideo ſicut per illam applicationem fortificatur & intenditur motus & paſſio appetitus; ita per hanc abſtractionem remittitur & infirmatur, vel etiam ex toto deficit motus voluntatis, quo prædictæ paſſioni deberet reſiſtere, hacque indirecta via vel trahitur, ut ſequatur ipſum appetitum, vel ſaltem debilitatur, ut non ei contradicat.

In qua conſiſtat prior modus movẽdi. *Prima expoſitio.*

Et quidem niſi anima prædictum influxum præbeat, non videtur ſufficienter aſſignari à D. Thoma ratio prædictæ abſtractionis ſive diſtractionis, dum ait, ideo ita contingere, quia omnes potentiæ radicantur in eadem eſſentia animæ, ob ídque intenſa una circa ſuum actum, debet alia remitti: propterea quod ſicut virtus diſperſa ſit minor, ſic vehementer applicata & unita circa unum actum, debet diſtrahi ab aliis, & minorari circa illos. Aut enim hæc virtus, quæ dicitur diſpergi & minorari, eſt aliquis influxus procedens immediatè ab anima, coadiuvans & fortificans influxus potentiarum: aut eſt ipſemet influxus, quem potentiæ immediatè præſtant? Primum intendit hic modus dicendi. Secundum autem non videtur ſatisfacere. Tum quia cum influxus unius potentiæ ſit diſtinctus ab influxu alterius, ſive una operetur, ſive non, & ſive intensè, ſive remiſſè agat, nihil tollet de alterius influxu: neque impediet proinde, quominus operetur ſimiliter intensè. Tum etiam quia ſi non ipſa anima ſecundum ſe, ſed dumtaxat potentiæ immediatè influunt, nihil referet, quòd radicentur, vel non radicentur in eadem eſſentia animæ, ut in ordine ad influendum ſe impediant. Imo potius talis radicatio conducet, ut prædictæ potentiæ ſe coadjuvent, unâque intensè operante, cæteræ illi obſequium præſtent propter connexionem & ſympathiam ortam ex prædicta radicatione.

Hic tamen dicendi modus nequaquam ſuſtineri debet. Tum quia in via Ang. Doctoris ſubſtantia creata non eſt immediatè operativa: neque ab ea immediatè oriri poteſt aliquis actualis influxus effectivus: ſive quo ipſa ſola operetur; ſive quo accidentia in ſuis operationibus fulciantur: ſed omnis influxus effectivus, omniſque operatio oritur immediatè à ſolis ipſis potentiis: ut oſtendunt latè

Reprobatur.

latè N. Complutenſes lib. 2. Phyſic. diſp. 10. quæſt. 4. & 6. Tum etiam quia experientia conſtat, non omnem voluntatis operationem remitti aut deficere, quando appetitus in ſua paſſione intenditur: imò verò aliquando ad intenſionem prædictæ paſſionis intenditur etiam actus, quo voluntas illam amplectitur; quamvis remittatur, vel omnino deficiat alius actus, per quem deberet illi reſiſtere: at juxta præditum modum dicendi nedum hic poſterior actus, ſed etiam quicumque alius voluntatis remitteretur, vel deficeret intenſa paſſione appetitus, ut intuenti conſtabit. Non ergo prædicta abſtractio rectè hac via exponitur: & ideo quærenda eſt alia.

5. Quæ non obſcurè habetur in littera, cum dicitur: *Quia in operibus animæ requiritur quadam intentio, quæ dum vehementer applicatur ad unum, non poteſt alteri vehementer attendere. Et ſecundum hunc modum per quandam diſtractionem, quando motus appetitus ſenſitivi fortificatur ſecundum quamcunque paſſionem, neceſſe eſt quod remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui eſt voluntas*, &c. Ad cujus intelligentiam nota primò, *intentionem* in præſenti non ſumi pro actu voluntatis; ſed ut eſt idem quod *attentio*, dicitque actum, quo potentia cognoſcitiva præſertim ſenſitiva intensè & vehementer alicui objecto applicatur: ex qua applicatione oritur ut non poſſit aliis ita vehementer applicari: ſicut & quod ubi multis applicatur, remittatur circa unumquodque, minúſque ſingulis attendat: juxta commune proloquium *Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.* Cum enim vis prædictæ intentionis ſit finita & limitata, oportet, & quòd dum multis applicatur, remittatur in ſingulis: & quòd dum circa unum intenditur, ab aliis diſtrahatur. ¶ Deinde nota, ad quamlibet operationem appetitus ſive ſenſitivi, ſive rationalis requiri aliquid prædictæ attentionis: tantóque plus, quantò operatio futura eſt vehementior. Et ratio eſt perſpicua, nam bonum quod eſt objectum appetitus, non movet niſi ut apprehenſum: utque intenſiùs & fortiùs moveat, debet vehementius apprehendi. Et quamvis operatio appetitus rationalis non dependeat immediatè ab apprehenſione ſenſitiva, ſed ab intellectiva; quia tamen hæc non invenitur ſine illa, propterea quod dum ſumus in corpore, oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari; atque adeo omnem intellectivam cognitionem à ſenſitiva dependere, conſequenter ipſa operatio voluntatis dependet etiam mediatè à prædicta ſenſitiva apprehenſione, ſeu attentione. ¶ Tertiò nota, quod in voluntate, quæ movetur à paſſione inordinata appetitus ſenſitivi, debet diſtingui duplex actus: alter, quo tenetur ſequi ordinem rationis: & iſte eſt, qui in præſenti vocatur à D. Thoma *actus proprius voluntatis*; quia non ex ſenſualitate, ſed ex ipſa voluntate & ratione ei convenit: alter vero, quo contra hujuſmodi ordinem paſſioni aſſentitur, & illam ſequitur: & hic non dicitur actus omnino proprius voluntatis, ſed condiſtinguitur ab eo, quia licèt à voluntate ſit, non tamen voluntas omnino ex ſe ipſa aut ex ſola ratione ad eliciendum illum movetur, ſed ex paſſione appetitus. Quãdo ergo D. Thom. in præſenti ait, quò fortificata ſeu intenſa prædicta paſſione, remittitur vel impeditur actus voluntatis, non loquitur de hoc poſteriori actu, quo paſſionem ſequitur, ſed de priori, quo illi obniti deberet.

Doctrina pro vera expoſitione.

Et quòd hæc ſit mens Ang. Doctoris conſtat, tùm quia in hoc articulo appellat prædictum actum *motum proprium appetitus rationalis*, denotans per ly *proprium*, quòd non aliunde ſed ex ipſa voluntate & ratione ortum ducat? atque adeo condiſtinguens illum ab alio, qui originatur ex paſſione, & eam ſequitur. Tum etiam quia art. 6. ſequenti, ubi probat, peccatum voluntatis diminui ex paſſione, cum obieciſſet in tertio argumento, quòd paſſio impellens voluntatem facit eam vehementiùs ferri in actum peccati: ergo aggravat peccatum: reſpondet, *quod etſi motus voluntatis ſit intenſior ex paſſione incitatus; non tamen ita eſt voluntatis proprius, ſicut ſi ſola ratione moveretur ad peccandum.* Ergo cum docet, actum voluntatis remitti ad intenſionem paſſionis appetitus, non loquitur de illo, qui excitatur ex ipſa paſſione, & eam ſequitur; ſed de alio, quem diximus. ¶ Hinc habetur vera expoſitio doctrinæ D. Thomæ: nam eo ipſo quòd appetitus ſenſitivus vehementer feratur in objectum peccaminoſum per ſuam paſſionem, rapit ſenſus attentionem in tale objectum: hæcque in illud rapta, divertitur & diſtrahitur ab objecto oppoſito, per cujus conſiderationem reprimenda erat talis paſſio, peccatúmque vitandum: & ad hanc diſtractionem ſenſus ſequitur diſtractio intellectus; ad iſtamque diſtractio voluntatis: quia neque intellectus poteſt intensè attendere, diſtracto ſenſu; neque voluntas intensè operari, remiſſa & diſtracta attentione intellectus. 6.

Hac via facilè exponitur, qualiter fiat abſtractio ſive diſtractio, de qua in præſenti D. Thom. ſine recurſu ad aliquem influxum præſtitum immediatè ab anima, quem ponebat prior modus dicendi: quia tota prædicta diſtractio conſiſtit circa influxum & operationem ipſarum potentiarum. Sed quia Ang. Doctor priuſquam deveniſſet ad terminos intentionis ſeu attentionis, ad quam nos recurrimus, reddit rationem ex ipſa connexione potentiarum, & radicatione in eadem eſſentia animæ: dicendum quoque eſt, ex hujuſmodi radicatione & connexione provenire, etiam non ſic curando de attentione potentiæ cognoſcitivæ, quoad intentionem paſſionis appetitus remittatur motus proprius voluntatis. Quia prædicta radicatio & connexio eſt ratio, ut operante intensè appetitu, voluntas quoque intensè in idem feratur, non per motum ſibi proprium, ſed per illum, qui excitatur à paſſione: cum autem virtus voluntatis limitata ſit diſtracta per talem motum in objectum paſſionis, neceſſario debet remitti in alio motu ſibi proprio, quo eſſet paſſioni reſiſtendum. Quemadmodum dum ipſa voluntas per motum ſibi proprium, excitatúmque à ratione fertur intensè in objectum virtutis, rapitur cum ea appetitus ad idem objectum; in idque delatus, aut nullo modo, aut non niſi remiſsè poteſt ferri in objectum peccaminoſum per paſſionem inordinatam: quia utrobique applicata intensè vis 7.

Declaratur veritas alia via.

potentiæ

potentiæ ad unum actum remittitur circa oppoſitum, & ab illo diſtrahitur.

Ex quo patet, quid conferat ad præſens radicatio potentiarum in eadem eſſentia animæ: nam eo ipſo quòd propter talem radicationem potentiæ ſint connexæ, & operante una intensè, altera eam ſequatur per motum, quo ſe illi conformat; conſequenter debet remitti in alio motu ſibi proprio, per quem poterat reſiſtere. Patet etiam, quòd non eſt neceſſarium recurrere ad aliquem influxum præſtitum immediatè ab anima; ſed dumtaxat ad illum, quem immediatè præbent potentiæ, ut nuper dicebamus: quia licèt influxus unius ſit diſtinctus ab influxu alterius, & in aliquo motu ſe coadiuvent; in alio tamen indirectè ſe impediunt: quatenus operante una intensè circa ſuum objectum, trahitur alia etiam intensè in idem objectum per motum non omnino ſibi proprium; & ex hoc ipſo diſtrahitur à motu omnino proprio, per quem poſſet reſiſtere.

8. *Secunda difficultas.* Ad ſecundum, quod tetigimus, an ſcilicet prædictus modus movendi per abſtractionem ita differat ab illo, qui eſt ex parte objecti, ut poſſint ſeparari? Quod enim aliquo modo differant non eſt dubium: quia in uno attenditur per ſe primò efficacia vel inefficacia ad movendum ex tali vel tali objecti propoſitione; nec curatur ita de applicatione & conatu appetitivæ potentiæ: in alio verò attenditur per ſe primò prædicta efficacia ex hujuſmodi applicatione & conatu, nec curatur ita de judicio & ejus propoſitione. Sed an diverſa applicatio & conatus potentiæ appetitivæ ſemper prærequirat diverſam judicij propoſitionem, non ita conſtat. Medina enim ſupra quæſt. 9. art. 2. partem tuetur negativam, quatenus, ait poſſe variari imperium intellectus reſpectu voluntatis, proindèque actum ipſius voluntatis propter paſſionem inſurgentem, invariato omnino judicio ipſius intellectus. Quem modum dicendi (teſte Gregorio Mart. in præſenti dub. 2.) ſequutus eſt Ioannes Vincentius cum quadam explicatione, quam ipſe Martinez adducit.

Vera ſolutio. Sed nos multò conformius principiis D. Thomæ judicamus, nunquam voluntatem intendi aut remitti in ſuo actu, aut ab eo ceſſare, vel ab uno in alium tranſire, niſi judicium omnino practicum intellectus (quicquid ſit de ſpeculativo) vel in ſubſtantia, vel in modo ſaltem proponendi varietur. Quia cum tota voluntas, & quicumque ejus actus dependeat ab objecto, quod eſt bonum propoſitum per intellectus judicium, neceſſe eſt ut quæcumque mutatio vel variatio in tali actu reperta habeat in ipſo objecto cauſam & rationem: hæc autem non poteſt eſſe niſi mutatio & variatio ejuſdem objecti, ut ſtantis ſub judicio & propoſitione: atque adeo variatio aliqua ipſius judicij in ratione proponentis. Et ideo D. Thom. convictus primo argumento hujus articuli, quòd voluntas non poſſit non ſemper, & quoad omnia ab objecto moveri, recurrit in ejus ſolutione ad variationem ipſius objecti ex exiſtentia paſſionis appetitus, ut defendat, quòd voluntas à tali paſſione moveatur.

9. Ad tertium, quod propoſuimus, ſcilicèt ſuperſit tertius modus, ut voluntas moveatur ab appetitu, nimirum per ſympathiam & colligationem, dicendum eſt (admittendo etiam juſtum modum) non ponere in numero cum præcedentibus, neque ab eis diſtingui: quia prædicta connexio & ſympathia nequaquam efficeret, ut ad motum unius potentiæ moveretur alia, niſi in cauſa eſſet, ut ex tali motu, vel ex ipſa connexione, aut aliunde fieret diſtractio virtutis, quam explicuimus, & aliqua variatio in objectis. *Difficultas tertia.*

ARTICULUS II.

Utrum ratio poſſit ſuperari à paſſione contra ſuam ſcientiam?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd ratio non poſſit ſuperari à paſſione contra ſuam ſcientiam. Fortius enim non vincitur à debiliori: ſed ſcientia propter ſuam certitudinem eſt fortiſſimum eorum, quæ in nobis ſunt: ergo non poteſt ſuperari à paſſione, quæ eſt debilis, & citò tranſiens.

2. Præterea: voluntas non eſt niſi boni vel apparentis boni: ſed cum paſſio trahit voluntatem in id, quod eſt verè bonum, non inclinat rationem contra ſcientiam: cum autem trahit eam in id, quod eſt apparens bonum & non exiſtens, trahit eam in id, quod rationi videtur: hoc autem eſt in ſcientia rationis, quod ei videtur: ergo paſſio non inclinat rationem contra ſuam ſcientiam. Si dicatur, quòd trahit rationem ſcientem aliquid in univerſali, ut contrarium judicet in particulari: contra, univerſalis & particularis propoſitio ſi opponantur, opponuntur ſecundum contradictionem: ſicut omnis homo, & non omnis homo: ſed duæ opiniones, quæ ſunt contradictoriæ, ſunt contrariæ: ut dicitur in 2. Periherm. Si igitur aliquis ſciens aliquid in univerſali, judicaret oppoſitum in ſingulari, ſequeretur, quod haberet ſimul contrarias opiniones, quod eſt impoſſibile.

3. Præterea: quicunque ſcit univerſale, ſcit etiam particulare, quod novit ſub univerſali contineri: ſicut qui ſcit, omnem mulam eſſe ſterilem, ſcit, hoc animal eſſe ſterile, dummodo ipſum ſciat eſſe mulam: ut patet per id, quod dicitur in 1. Poſteriorum: ſed ille, qui ſcit aliquid in univerſali, puta nullam

fornicationem eſſe faciendam, ſcit, hoc particulare ſub univerſali contineri, puta hunc actum eſſe fornicarium: ergo videtur quòd etiam in particulari ſciat.

4. Præterea: ea, quæ ſunt in voce, ſunt ſigna intellectus animæ ſecundum Philoſophum: ſed homo in paſſione exiſtens frequenter confitetur id quod eligit eſſe malum etiam in particulari: ergo etiam in particulari habet ſcientiam: ſic igitur videtur, quòd paſſiones non poſſint trahere rationem contra ſcientiam univerſalẽ, quia non poteſt eſſe, quòd habeat ſcientiam univerſalem, & æſtimet oppoſitum in particulari.

Sed contra eſt quod dicit Apoſtolus Roman. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati: lex autem, quæ eſt in membris, eſt concupiſcentia, de qua ſupra loquutus fuerat: cum igitur concupiſcentia ſit paſſio quædam videtur, quòd paſſio trahat rationem etiam contra hoc, quod ſcit.

Reſpondeo dicendum, quòd opinio Socratis fuit, ut Philoſophus dicit in 7. Ethic. quòd ſcientia nunquam poſſet ſuperari à paſſione: unde ponebat omnes virtutes eſſe ſciẽtias, & omnia peccata eſſe ignorantias, in quo quidem aliqualiter rectè ſapiebat: quia cum voluntas ſit boni, vel apparentis boni, nunquam voluntas in malum movetur, niſi id, quod non eſt bonum, aliqualiter rationi bonum appareat: & propter hoc voluntas nunquam in malum tenderet, niſi cum aliqua ignorantia vel errore rationis. Vnde dicitur Proverb. 14. Errant qui operantur malum. Sed quia experimento patet, quòd multi agunt contra ea, quorum ſcientiam habent, & hoc etiam auctoritate divina confirmatur, ſecundum illud Lucæ 12. Servus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non fecit, plagis vapulabit multis. Et Jacob. 4. dicitur: Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi: non ſimpliciter verum dixit, ſed oportet diſtinguere, ut Philoſophus tradit in 7. Ethic. Cum enim ad rectè agendũ homo dirigatur duplici ſcientia, ſcilicet univerſali & particulari: utriuſque defectus ſufficit ad hoc, quod impediatur rectitudo voluntatis & operis, ut ſupra dictum eſt. Contingit ergo, quòd aliquis habeat ſcientiam in univerſali, puta nullam fornicationem eſſe faciẽdam: ſed tamen non cognoſcat in particulari hunc actum, qui eſt fornicatio, non eſſe faciendum: & hoc ſufficit ad hoc, quòd voluntas non ſequatur univerſalem ſcientiam rationis. Et iterum conſiderandum eſt, quòd nihil prohibet aliquid ſciri in habitu, quòd tamen actu non conſideratur. Poteſt igitur contingere, quòd aliquis etiam rectam ſcientiam habeat in ſingulari, & non ſolùm in univerſali, ſed in actu non conſideret: & tunc non videtur difficile, quòd præter id, quod actu non conſiderat, homo agat. Quod autem homo non conſideret in particulari id, quod habitualiter ſcit, quandoque quidem contingit ex ſolo defectu intentionis, puta cum homo ſciens Geometriam, non intendit ad conſiderandum Geometriæ concluſiones, quas ſtatim in promptu habet conſiderare. Quandoque autem homo non conſiderat id, quod habet in habitu propter aliquod impedimentũ ſuperveniens, puta propter aliquã occupationẽ exterioriẽ, vel propter aliquã infirmitatẽ corporalẽ: & hoc modo ille, qui eſt in paſſione cõſtitutus, non conſiderat in particulari id, quod ſcit in univerſali, in quantum paſſio impedit talem conſiderationem. Impedit autem tripliciter. Primò quidem per quandam diſtractionem, ſicut ſupra expoſitum eſt. Secundò per contrarietatem: quia plerunque paſſio inclinat ad contrarium hujus, quod ſciẽtia univerſalis habet. Tertiò per quandam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne liberè in actum exeat: ſicut etiam ſomnus vel ebrietas, quadam corporali tranſmutatione facta, ligat uſum rationis. Et quòd hoc contingat in paſſionibus, patet ex hoc, quòd aliquando cùm paſſiones multum intenduntur, homo amittit totaliter uſum rationis: multi enim propter abundantiam amoris & iræ ſunt in inſaniam converſi. Et per hunc modum paſſio trahit rationẽ ad judicandum in particulari contra ſcientiam, quam habet in univerſali.

Ad primum ergo dicendum, quod ſcientia univerſalis, quæ eſt certiſſima, non habet principalitatem in operatione: ſed magis ſcientia particularis, eò quòd operationes ſunt circa ſingularia: unde non eſt mirum, ſi in operabilibus paſſio agit contra ſcientiã univerſalem, abſente conſideratione in particulari.

Ad

Ad ſecundum dicendum, quòd hoc ipſum quòd rationi videatur in particulari aliquid bonum, quod non eſt bonum, contingit ex aliqua paſſione: & tamen hoc particulare judicium eſt contra univerſalem ſcientiam rationis.

Ad tertium dicendum, quòd non poſſet contingere, quòd aliquis haberet ſimul in actu ſcientiam aut opinionem veram de univerſali affirmativo, & opinionem falſam de particulari negativo, aut è converſo: ſed bene poteſt contingere, quòd aliquis habeat veram ſcientiam habitualiter de univerſali affirmativo, & falſam opinionem in actu de particulari negativo: actus enim directè non contrariatur habitui ſed actui.

Ad quartum dicendum, quòd ille, qui habet ſcientiam in univerſali, propter paſſionem impeditur, ne poſſit ſub illa univerſali ſumere, & ad concluſionem pervenire: ſed aſſumit ſub alia univerſali, quam ſuggerit inclinatio paſſionis, & ſub ea concludit. Vnde Philoſophus dicit in 7. Ethic. quòd ſyllogiſmus incontinentis habet quatuor propoſitiones: duas univerſales, quarum una eſt rationis, puta nullam fornicationem eſſe committendam: alia eſt paſſionis, puta delectationem eſſe ſectandam. Paſſio igitur ligat rationem, ne aſſumat & concludat ſub prima: unde ea durante aſſumit & concludit ſub ſecunda.

Ad quintum dicendum, quòd ſicut ebrius quandoque proferre poteſt verba ſignificantia profundas ſententias, quas tamen mente dijudicare non poteſt, ebrietate prohibente: ita in paſſione exiſtens & ſi ore proferat, hoc non eſſe faciẽdum, tamen interius hoc animo ſentit quod ſit faciendum, ut dicitur in 7. Ethic.

Prima Concluſio.

Quamvis voluntas nequeat ferri in malum abſque alia ignorantia vel errore rationis: abſolutè tamen concedendum eſt poſſe rationem à paſſione ſuperari, ut peccet & delinquat contra ſuam ſcientiam.

Secunda Concluſio.

Sive intellectus habeat ſolummodo ſciẽtiam univerſalem, deficiente particulari, ſive etiam particularem habeat in habitu, actu verò non conſideret, poterit paſſio trahere rationem in oppoſitum: vel per modum diſtractionis, vel ad contrarium impellendo, vel aliquam corporalem transmutationem cauſando, ex qua ratio quodammodo ligetur.

Commentarius.

Circa primam concluſionem nota, ſub ignorantia & errore comprehendi à D. Thoma quemcunque defectum intellectus, atque adeo etiam actualem conſiderationem: nam hæc etiam poteſt appellari *ignorantia*, ut patet ex communi diviſione ignorantiæ in actualem & habitualem, de qua diſp. præced. num. 1. diximus. Ignorantia enim actualis non eſt niſi actualis inconſideratio. Porro an ita ſit quòd ad omne peccatum voluntatis indiſpenſabiliter præcedere debeat aliquis ex prædictis defectibus in intellectu, eſſet hîc latè diſputandum, niſi à nobis jam præſtitum fuiſſet in tract. de Angel. diſp. 10. dub. 8. ubi à num. 248. oſtendimus partem affirmativam, quæ eſt communis Thomiſtarum. 1.

2. Difficultas

Secunda concluſio, quæ eſt expoſitio priori, ſufficienter probatur & declaratur in litterea. Vbi tamen difficultatem ingerit illa propoſitio, quòd *licèt aliquis univerſaliter cognoſcat, nullam fornicationem eſſe faciendam, poteſt tamen non cognoſcere, hunc particularem actum, qui eſt fornicatio, non eſſe faciendum.* Videtur enim hoc repugnare, ut cognita univerſali propoſitione (& eſt ſermo de cognitione habituali), ignoretur particularis ſub illa contenta; ſicut quòd aliquis cognoſcat, nullum animal eſſe lapidem; & quòd ignoret, hoc animal, quod eſt homo, vel equus, lapidem non eſſe.

Prima ſolutio.

¶ Ad hoc poteſt dici primò, quòd licèt cognita propoſitione univerſali, non poſſit ignorari particularis ſub illa immediatè contenta, ſumpta ſecundum ſe, & in quantum ſub illa continetur, ut ſumitur in exemplo nuper adducto: ſecus verò ſi accipiatur cum aliqua modificatione vel conditione, qua non cadat ita expreſsè & immediatè ſub prædicta univerſali. Et ideo diſp. præced. num. 15. diximus, quòd licèt nemo rationis compos poſſit diu invincibiliter ignorare, non eſſe occidendum, aut non eſſe furandum abſolutè: at bene poſſet ignorare, an ſit occidendus infirmus morti proximus, ne diu agonizet: vel an ſit furandum ad dandum eleemoſynam. Similiter ergo licèt qui in univerſali cognoſcat, nullam fornicationem eſſe faciendam, eò quòd divina lege prohibetur, atque adeo neque hanc numero fornicationem, abſolutè qua ratione fornicatio & prohibita eſt: (quo pacto cadit immediatè ſub prædicta univerſali) poterit tamen ignorare, hanc eandem fornicationem ut hac vel illa conditione veſtitam, in hoc vel illo caſu, aut propter hunc vel illum finem, omiſsóque reſpectu ad prohibitionem, faciendam non eſſe (præſertim loquendo de ignorantia vincibili) quippe hoc modo ſumpta ea particularis propoſitio, non ita immediatè continetur ſub prædicta univerſali.

3. Alia ſolutio.

Secundo dici poteſt, quòd licèt illa propoſitio particularis, *hunc actum, qui eſt fornicatio, non eſſe faciendum*, cognita univerſali

negativa,

Digitized by Google

negativa, non poſſit ignorari per excluſionem ſcientiæ ſpeculativæ: quia eadem cognitio, quæ notificat prædictam univerſalem: notificat ſpeculativè particularem ſub illa contentam; poteſt tamen ignorari per excluſionem ſcientiæ practicæ. Rectè enim compatitur, ut aliquis cognoſcat, hanc fornicationem abſolutè eſſe prohibitam, adeóque faciendam non eſſe, habito reſpectu ad prohibitionem: quod pertinet ad cognitionem ſpeculativam, & tamen non cognoſcat, eandem fornicationem prout hîc nunc occurrentem, inſpectiſque omnibus, & etiam reſpectu ad diſpoſitionem appetitus, faciendam non eſſe: quod eſt ignorare illam practicè. Adeo enim paſſio appetitus diſturbat intellectum, ut id ipſum, quod, rerum habita & Dei legis ratione, negare aut dubitare non valet: habito reſpectu ad ipſum appetitum, attentaque ejus diſpoſitione, neget vel dubitet. Quod verum eſſe, non modo loquendo de cognitione aut ignoratia habituali, ſed etiam de ipſis actualibus judiciis, quilibet fateri tenetur. Nam experimur, nos ſæpe actualiter cognoſcere & cogitare, nullum peccatum eſſe faciendum, adeóque neque iſtud neque illud; & tamen ſimul judicare, hoc opus pravum, in quo delectamur, non obſtante pravitate, hîc & nunc nobis expedire, faciendúmque eſſe: alter nequaquam ipſum committeremus. Rationem verò tangit Cajetanus in præſenti ad finem commentarij: quia eo ipſo quòd unum ex prædictis judiciis ſit ſpeculativum, & aliud practicum, non ſunt de eodem ſecundum idem, neque dictant formaliter de eadem propoſitione, ſed de diverſis: unum enim dictat, fornicationem non eſſe convenientem, proindéque faciendam, attenta Dei lege & cæteris, quæ attendi debent: aliud verò dictat, in hoc particulari caſu, ubi non curatur de lege Dei, ſed de prava appetentis diſpoſitione, convenientem eſſe, proindéque faciendam: & ita nihil prohibet utrumque coexiſtere.

Nec refert, quod in ſolut. ad 2. dicitur hoc judicium practicè erroneum eſſe contra ſcientiam univerſalem, atque adeo erit incompoſſibile cum illa: nam contraria invicem ſe excludunt. ¶ Reſpondetur enim, non eſſe ibi ſermonem de contrarietate immediata & directa, ſed de contrarietate latiùs ſumpta pro qualibet oppoſitione, etiam indirecta & mediata, quæ non ſufficit ad incompoſſibilitatem: ut ſupra diſp. 1. dub. 2. diximus.

4 Alia difficultas. In reliquo hujus literæ nulla occurrit difficultas: niſi fortè in ſolut. ad 3. dubitet aliquis an ſit ita, quod ſcientia habitualis de propoſione univerſali affirmativa, v.g. *quòd omnis homo eſt ſenſibilis*, admittat ſecum errorem actualem de ſua contradictoria, puta *quòd aliquis homo non eſt ſenſibilis*, de qua non admittit errorem habitualem. Pro parte enim affirmativa ſtat prædicta ſolutio. Pro negativa verò videntur à fortiori militare, quæ in libris Poſteriorũ docent Thomiſtæ, præcipuè N. Complutenſes diſp. 20. dub. 4. circa incompoſſibilitatem ſcientiæ cum opinione, aut fide de eodem objecto. ¶ Sed facile tolletur difficultas, ſi exponamus D. Thomam in prædicta ſolutione de errore vel falſa opinione actualibus, quæ non ſint actus perfectus, & quaſi permanenter meditatus, ſed imperfectus, & celeriter tranſiens: quæ imperfectio & celeritas permittit, quòd intellectus non ſic citò eorum, quæ habitualiter ſcit, reminiſcatur, ut non ſit locus prædicto errori. Quæ autem in dialecticis loco cit. dicta ſunt, licet impugnent coexiſtentiam primi illius erroris cum prædicta ſcientia, non tamen hujus poſterioris. ¶ Solutiones ad 4. & ad ultimum pulchram continent doctrinam, & quæ nullius expoſitione fiet clarior niſi ejuſdem D. Thomæ quæſt. 3. de mal. art. 9. ad 7. ubi illam latiùs tradiderat his verbis. *Cum actus* D.Tho. *peccati & virtutis ſit ſecundum electionem, electio autẽ eſt appetitus præconciliati, concilium verò eſt quadam inquiſitio, neceſſe eſt, quod in quolibet actu virtutis, vel peccati ſit quadam deductio quaſi ſyllogiſtica: ſed tamen aliter ſyllogiZat tẽperatus, aliter intemperatus, aliter continens, aliter incontinens. Temperatus enim movetur tantùm ſecundum judicium rationis: unde utitur ſyllogiſmo trium propoſitionum, quaſi ſit deducens: Nulla fornicatio eſt committenda: hic actus eſt fornicatio: ergo non eſt faciendus. Intemperatus verò totaliter ſequitur concupiſcentiam: & ideo etiam ipſe utitur ſyllogiſmo trium propoſitionum, quaſi ſic deducens; omni delectabili eſt fruendum: hic actus eſt delectabilis: ergo hoc eſt fruendum. Sed tam continens quàm incontinens dupliciter moventur: ſecundum rationem quidem ad vitandum peccatum: ſecundum concupiſcentiam verò ad committendum: ſed in continente vincit judicium rationis, in incontinente vero motus concupiſcentiæ. Unde uterque utitur ſyllogiſmo quatuor propoſitionum: ſed ad contrarias concluſiones. Continens enim ſic ſyllogizat: Nullum peccatum eſt faciendum, & hoc proponit ſecundum judicium rationis: ſecundum verò motum concupiſcentiæ verſatur in corde ejus, quòd omne delectabile eſt proſequendum: ſed quia judicium rationis in eo vincit, aſſumit & concludit ſub primo: Hoc eſt peccatum: ergo non eſt faciendum. Incontinens verò, in quo vincit motus concupiſcentiæ, aſſumit & concludit ſub ſecundo: Hoc eſt delectabile: ergo eſt proſequendum: & talis propriè eſt, qui peccat ex infirmitate: & ideo patet, quod licèt ſciat in univerſali; non tamen ſcit in particulari, quia non aſſumit ſecundum rationem, ſed ſecundum concupiſcentiam.*

Tollitur.

ARTICVLVS III.

Utrum peccatum, quod eſt ex paſſione, debeat dici ex infirmitate.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd peccatum, quod eſt ex paſſione, non debeat dici ex infirmitate: paſſio enim eſt quidam vehemens motus appetitus ſenſitivi, ut dictum eſt: vehementia autem motus magis atteſtatur fortitudini, quàm infirmitati: ergo peccatum, quod eſt ex paſſione, non

non debet dici ex infirmitate.

2. Præterea: infirmitas hominis maximè attenditur ſecundum illud, quod eſt in eo fragilius: hoc autem eſt caro: unde dicitur in Pſal. 77. Recordatus eſt, quia caro ſunt: ergo magis debet dici peccatum ex infirmitate, quod eſt ex aliquó corporis defectu, quàm quod eſt ex animæ paſſione.

3. Præterea: ad ea non videtur homo eſſe infirmus, quæ ejus voluntati ſubduntur: ſed facere vel non facere ea, ad quæ paſſio inclinat, hominis voluntati ſubditur, ſecundum illud Geneſ. 4. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: ergo peccatum, quod eſt ex paſſione, non eſt ex infirmitate.

Sed contra eſt quod Tullius in 4. lib. de Tuſcul. quæſtionibus, Paſſiones animæ ægritudines vocat: ægritudines autem alio nomine infirmitates dicuntur: ergo peccatum, quod eſt ex paſſione, debet dici ex infirmitate.

Reſpondeo dicendum, quòd cauſa peccati propria eſt ex parte animæ, in qua principaliter eſt peccatum: poteſt autem dici infirmitas in anima ad ſimilitudinem infirmitatis corporis: dicitur autem corpus hominis eſſe infirmum, quando debilitatur vel impeditur in exequutione propriæ operationis propter aliquam inordinationem partium corporis, ita ſcilicet quòd humores & membra hominis non ſubdātur virtuti regitivæ & motivæ corporis: unde & membrum dicitur eſſe infirmum, quando non poteſt perficere operationem membri ſani, ſicut oculus quando non poteſt clarè videre, ut dicit Philoſophus in 10. de hiſtoriis animalium. Vnde & infirmitas animæ dicitur, quando impeditur anima in propria operatione propter inordinationem partium ipſius. Sicut autem partes corporis dicuntur eſſe inordinatæ, quando non ſequuntur ordinem naturæ, ita & partes animæ dicuntur eſſe inodinatæ, quando non ſubduntur ordini rationis: ratio enim eſt vis regitiva partium animæ. Sic ergo quādo extra ordinem rationis vis concupiſcibilis aut iraſcibilis aliqua paſſione afficitur, & per hoc impedimentum præſtatur modo prædicto debitæ actioni hominis, dicitur peccatum eſſe ex infirmitate. Vnde & Philoſophus in 7. Ethic. comparat incontinentem paralytico, cujus partes moventur in contrarium ejus, quod ipſe diſponit.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut quāto fuerit motus fortior in corpore præter ordinem naturæ, tanto eſt major infirmitas: ita quantò fuerit motus fortior paſſionis præter ordinem rationis, tātò eſt major infirmitas animæ.

Ad ſecundum dicendum, quod peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis; qui non impeditur per corporis infirmitatem: poteſt enim qui eſt corpore infirmus, promptam habere voluntatem ad aliquid faciendum: impeditur autem per paſſionem, ut ſupra dictum eſt. Vnde cùm dicitur peccatum eſſe ex infirmitate, magis eſt referendum ad infirmitatem animæ, quàm ad infirmitatem corporis; dicitur tamen etiam ipſa infirmitas animæ infirmitas carnis, in quantum ex conditione carnis paſſiones animæ inſurgunt in nobis, eò quòd appetitus ſenſitivus eſt virtus utens organo corporali.

Ad tertium dicendum, quòd in poteſtate quidem voluntatis eſt aſſentire, vel non aſſentire his, in quæ paſſio inclinat, & pro tanto dicitur noſter appetitus ſub nobis eſſe; ſed tamen iſte aſſenſus vel diſſenſus voluntatis impeditur per paſſionem modo prædicto.

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA.

Quæ optimè declarata & probata eſt in litera.

ARTICVLVS IV.

Vtrum amor ſui ſit principium omnis peccati?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd amor ſui non ſit principum omnis peccati. Id enim, quod eſt ſecundum ſe bonum & debitum, non eſt propria cauſa peccati: ſed amor ſui eſt ſecundum ſe bonum, & debitum. Vnde præcipitur homini ut diligat proximum ſicut ſe ipſum. Levit. 19. ergo amor ſui non poteſt eſſe propria cauſa peccati.

2. Præterea: Apoſtolus dicit Roman. 7. Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem cōcupiſcentiam: ubi gloſſa dicit, quòd bona eſt lex, quæ dum concupiſcentiam

peccata venialia, quæ juſtus committit, ſiſtere quantum ad relationem actualem in ipſo bono proprio; neque ad Deum finem abſolute ultimum plus quam habitualiter referri. Hinc ergo ſumitur ratio, qua utitur D. Thom. quia omnis actus peccaminoſus, ſive ab homine peccatore, ſive à juſto fiat, elicitur actualiter propter finem aliquo modo ultimum: non autem ſic elicitur propter Deum, quia Deus non eſt capax terminandi actualiter habitudinem mali actus; neque extra Deum eſt alius finis ultimus quàm bonum proprium: elicitur ergo, à quocumque eliciatur, propter hujuſmodi bonum: atque adeo procedit ex ejus amore tanquã ex cauſa & radice. ¶ Convincit autem hæc ratio non tantùm de peccatis, quæ in actu conſiſtunt; ſed etiam de omiſſionibus peccaminoſis; quia cum nulla ſit omiſſio voluntaria ſine actu, qui ſit cauſa omittendi: ut in tract. de voluntat. diſp. 4. oſtendimus; omnis talis omiſſio ratione prædicti actus ordinatur ad ejus finem, procedítque ex amore talis finis.

3. Eſt autem animadvertendum, quòd cum dicitur, omne peccatum oriri ex inordinato ſui amore, non eſt ſenſus reperiri in quolibet peccato duplicem actum, alterum reſpectu boni proprij, & alterum reſpectu objecti peccaminoſi: ſed uno eodémque actu tendit voluntas ad utrunque, diligendo objectum peccaminoſum propter bonum proprium in eo incluſum, & ipſum proprium bonum ibi incluſum propter ſe. Vnde ex iſto capite non opus eſt reali actuum multiplicitate. Neque cauſalitas ibi reperta attendenda eſt ex parte actuum, quaſi unus actus ab alio actu cauſetur, ſed ex parte objecti: in quantum ratio proprij boni reperta in quolibet objecto peccaminoſo, eſt cauſa, ut voluntas tale objectum amplectatur, & amplectendo illud, peccet.

Objectio. Sed obiicies, aliqua eſſe peccata, quæ potius oriuntur ex odio ipſius peccatoris, ut cum occidit ſe ipſum: multáque oriuntur ex ſuperbia, ex avaritia, & ex carnali concupiſcentia ut docet D. Thom. art. ſequenti: ergo non omnia ex prædicto amore. ¶ Reſpondetur, etiam odium, ex quo provenit ut quis ſe interimat, oriri ex inordinato ſui amore: (Solvitur.) nam cum odium ſit actus fugæ, fieri debet in virtute alicujus proſequutionis, quæ cum non ſit amor boni divini (hujuſmodi enim amor non movet, ad peccandum) oportet ut ſit amor boni proprij. Ex eo namque quòd homo proprium bonum amat, oritur ut odio habeat propriam miſeriam, propriúmque *eſſe* ut illa affectum: atque adeo quod ut careat tali miſeria, eligat non eſſe & ſe occidat. Similiter ſuperbia, avaritia, concupiſcentia carnis, & ſi quæ aliæ ponuntur cauſæ peccatorum, oriuntur ex proprio amore inordinato, ut docet Ang. Doctor art. 4. ſequenti, & infra quæſt. 84. atque adeo ſunt prima radix talium peccatorum, ſed ſunt cauſæ magis proximæ, ſupponentes ut omnium primam radicem prædictum amorem.

4. Secundò obiicies: quia ſi omne peccatum oritur ex inordinato amore, quo peccans diligit ſe ipſum, in omnibus erit duplex (Objectio alia.) malitia diſtincta, alia ratione prædicti amoris & alia ratione objecti ipſius peccati: actus enim non tantùm ſumit malitiam ab objecto, ſed etiam à fine & à quacunque alia cauſa, quando talis cauſa eſt peccaminoſa, ſicut ille, qui furatur ex amore ad fornicandum, non ſolùm habet malitiam furti, ſed etiam fornicationis.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad (Diluitur.) probationem dicunt nonnulli, amorem ſui inordinatum eſſe circunſtantiam communem & generalem: & ideo non dare ſpecialem malitiam: ſicut illam non tribuunt inobedientia, & contemptus communiter dicta, propter eandem rationem. Sed melius reſpondetur, amorem ſui non eſſe inordinatum, niſi in quantum movet ad objectum peccaminoſum: quantumvis enim homo ſe diligat, ſi ex eo amore non moveatur ad aliquid pravum agendum vel volendum, non erit inordinatus & peccaminoſus: ſi autem moveat ad objectum pravum, hacque ratione inordinatus ſit, ſolùm in ſe habebit eam malitiam, quæ ex tali objecto deſumitur, eandémque & non aliam peccato tribuet. Quemadmodum dum quis ex amore dandi eleemoſynam furatur, non eſt ibi niſi unica malitia ſcilicet furti, quia quamvis non ſolùm volitio furandi ſit mala, ſed etiam ille amor dandi eleemoſynam ex furto; non tamen prædictus amor aliunde eſt malus, niſi quia movet ad furtum. Secùs verò cùm amor, qui eſt cauſa furandi, aliunde etiam eſt peccaminoſus: ſicut eſt in illo, qui furatur ex amore fornicationis.

Tertiò poteſt obiici: quia vel D. Thom. (5. Tertia objectio.) in cõcluſione articuli loquitur de amore ſenſibili, qui eſt paſſio appetitus; vel de amore generaliter ſumpto, ut eſt communis ad appetitum & voluntatem? Si primum dixerimus, non videtur ſalvari veritas prædictæ concluſionis: nam plura peccata nullum important ordinem ad paſſionem appetitus, ſed oriuntur ex amore ſpirituali voluntatis: inde enim poſſunt oriri hæreſis, ſuperbia, blaſphemia, & ſimilia: de quo poteſt videri D. Auguſtinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 2. uſque ad 5. ubi oſtendit, non omnia vitia oriri ex amore carnali & ſenſibili. D. Thom. etiam 2. 2. quæſt. 153. art. 5. ad 3. expreſsè dicit, amorem ſui, qui ponitur commune principium omnium peccatorum, non eſſe determinatè amorem carnalem, ſed amorem ſui quantum ad quæcunque bona. ¶ Quod ſi dixerimus ſecundum, non videtur congruere intento hujus quæſtionis, ubi determinatè agitur de cauſa peccati, quæ eſt paſſio ſenſitivi appetitus. Deinde quæſt. 72. hujus 1. 2. art. 2. ad (D. Tho.) 1. ait D. Thom. quòd *omnis defectus rationis humanæ ex ſenſu carnali aliquo modo initium habet*: atque adeo, omne peccatum oriri aliquo modo ex deordinatione partis ſenſitivæ. Et in hac quæſt. art. 5. docet tria illa, de quibus 1. Ioan. cap. 2. dicitur: *Omne quod eſt in mundo aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia* (1 Ioan. 2.) *oculorum, aut ſuperbia vitæ*, &c. explicat de paſſionibus appetitus ſenſitivi, quæ ex paſſione amoris originantur.

Sed licèt utraque pars ſit probabilis; quæ tamen pro prima adduximus, efficatiùs convincunt, non poſſe concluſionem intelligi univerſaliter de omni peccato, ſi reſtringatur ad amorem ſenſibilem. Et propterea diſp. 16. dub. 4. diximus: non omnia peccata tribuenda

ed by Google

eſſe concupiſcentiæ, quia non omnia ex paſſione appetitus ſenſitivi originantur. Quæ autem attulimus pro ſecunda parte, convincunt, regulariter & ut in plurimum ita accidere: hoc enim ſufficit ut D.Thom.dicere potuerit, omnia peccata oriri ex amore boni proprij, quamvis loquatur determinatè de amore ſenſibili: quia loquutio univerſalis ſæpe ſtat pro communiter accidentibus, ut ex ipſo D. Thoma dicemus quæſt. ſequenti in commentario tertij articuli. ¶ Vel dicas, quòd etſi loquatur de amore: qui eſt paſſio, poſuit tamen univerſalem concluſionem, quia nullum eſt peccatum, quod ex tali amore oriri non valeat; imo & aliquando de facto oriatur, quamvis aliquando oriatur ex altiori principio. Iuxta quem ſenſum univerſalitas concluſionis diſtribuenda erit non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum. ¶ Adde, non eſſe inconveniens, ut D. Thom, inſtituens ex profeſſo hanc quæſtionem pro paſſionibus appetitus, in aliquo articulo extenderit ſermonem, & comprehenderit aliquem affectum voluntatis.

Quòd ſi his animus non quieſcat, & velis inſiſtere adductis pro ſecunda parte, exponenda erit concluſio hujus articuli non de amore actuali, qui ſit actualis paſſio, ſed de amore radicali, qui dicit inclinationem & pronitatem ad talem paſſionem: ut ſit ſenſus, ex ea pronitate & inclinatione appetitus ſenſitivi, quæ ex peccato originali orta fuit, initium habere omnia peccata, quæ ab omnibus cōmittuntur, etiam ſi nulla actualis paſſio, ſed ſolus amor voluntatis ad illa moveat. Sumitúrque expoſitio ex D. Thoma in 2. diſt. 42. quæſt. 2. art. 1. ubi ſic ait: *Reſtat ergo ut radix peccati dicatur in nobis vel paſſio aliqua, vel pronitas ad paſſionem, quæ ex corruptione peccati originalis conſequitur.* ¶ Quibus addendum D. Tho. eſt ex ipſo D. Thoma diſt. 43. ſequenti quæſt. 1. art. 1. ad 2. ejuſmodi pronitatem ſive corruptionem eſſe cauſam omnis peccati, quoad faciliùs, licèt non quoad ſimpliciter: *Quia ex corruptione naturæ ineſt homini quædam debilitas ut faciliùs in peccatum ruat.* Cum quo rectè cohærebit, ut abſolutè poſſit homo aliunde quàm ex concupiſcentia peccare, ut dicimus diſp. cit.

ARTICVLVS V.

Vtrum convenienter ponantur cauſæ peccatorum concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quòd inconvenienter ponantur cauſæ peccatorum eſſe concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quia ſecundum Apoſtolum 1. ad Timoth. ultim. Radix omnium malorum eſt cupiditas: ſed ſuperbia vitæ ſub cupiditate non continetur: ergo non debet poni inter cauſas peccatorum.

2. Præterea: concupiſcentia carnis maximè ex viſione oculorum excitatur, ſecundum illud Daniel. 13. Species decepit te: ergo non debet dividi concupiſcentia oculorum contra concupiſcentiam carnis.

3. Præterea: concupiſcentia eſt delectabilis appetitus, ut ſupra habitum eſt: delectationes autem contingunt non ſolùm ſecundum viſum, ſed etiam ſecundum alios ſenſus: ergo deberet etiam poni concupiſcentia auditus, & aliorum ſenſuum.

4. Præterea: ſicut homo inducitur ad peccandum ex inordinata concupiſcentia boni, ita etiam ex inordinata fuga mali, ut dictum eſt: ſed nihil hîc enumeratur pertinens ad fugam mali: ergo inſufficienter cauſæ peccatorum tanguntur.

Sed contra eſt, quod dicitur 1. Ioan. 2. Omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut eſt concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ: in mundo autem dicitur aliquid eſſe propter peccatum: unde & ibidem dicit, quod totus mundus in maligno poſitus eſt: ergo prædicta tria ſunt cauſæ peccatorum.

Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut jam dictum eſt, inordinatus amor ſui eſt cauſa omnis peccati: in amore autem ſui includitur inordinatus appetitus boni: unuſquiſque enim appetit bonum ei, quem amat. Vnde manifeſtū eſt, quòd inordinatus appetitus boni eſt cauſa omnis peccati. Bonū autē dupliciter eſt objectum ſenſibilis appetitus, in quo ſunt animæ paſſiones, quæ ſunt cauſæ peccati. Vno modo abſolutè, ſecundùm quòd eſt objectum concupiſcibis: alio modo ſub ratione ardui, prout eſt objectum iraſcibilis, ut ſupra dictum eſt. Eſt autem duplex concupiſcentia, ſicut ſupra habitum eſt. Vna quidem naturalis, quæ eſt eorum, quibus natura corporis ſuſtentatur ſive quantum ad conſervationem individui, ſicut cibus, & potus, & alia hujuſmodi: ſive quantum ad conſervationem ſpeciei, ſicut in venereis, & horum inordinatus appetitus dicitur concupiſcentia carnis. Alia eſt concupiſcentia animalis, eorum ſcilicet, quæ per ſenſum carnis ſuſtentationem, aut delectationem non afferunt, ſed ſunt delectabilia

Digitized by Google

delectabilia ſecundum apprehenſionē imaginationis, aut alicujus hujuſmodi acceptationis, ſicut ſunt pecunia, ornatus veſtium, & alia hujuſmodi: & hæc quidem animalis concupiſcentia vocatur concupiſcentia oculorum, ſive intelligatur concupiſcentia oculi, id eſt, ipſius viſionis, quæ fit per oculos, ut referatur ad curioſitatem, ſecundum quòd Auguſtinus exponit in 10. Confeſſ. ſive referatur ad concupiſcentiam rerum, quæ exterius oculis proponuntur, ut referatur ad cupiditatem, ſecundùm quòd ab aliis exponitur. Appetitus autem inordinatus boni ardui pertinet ad ſuperbiam vitæ: nam ſuperbia eſt appetitus inordinatus excellentiæ, ut inferiùs dicetur. Et ſic patet, quòd ad iſta tria reduci poſſunt omnes paſſiones, quæ ſunt cauſa peccati: nam ad duo prima reducuntur omnes paſſiones concupiſcibilis: ad tertium autem omnes paſſiones iraſcibilis: quod ideo non dividitur in duo, quia omnes paſſiones iraſcibilis naturaliter conformantur concupiſcentiæ animali.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſecundùm quòd cupiditas importat univerſaliter appetitum cujuſlibet boni, ſic etiam ſuperbia vitæ continetur ſub cupiditate. Quomodo autem cupiditas, ſecundùm quòd eſt ſpeciale vitium, quod avaritia nominatur, ſit radix omnium peccatorum, infra dicetur.

Ad ſecundum dicendum, quòd concupiſcentia oculorum non dicitus hîc concupiſcentia omnium rerum quæ videri oculis poſſunt, ſed ſolùm earum, in quibus non quæritur delectatio carnis, quæ eſt ſecundum tactum, ſed ſolùm delectatio oculi, id eſt, cujuſcunque apprehenſivæ virtutis.

Ad tertium dicendum, quòd ſenſus viſus eſt excellentior inter omnes alios ſenſus, & ad plura ſe extendens, ut dicitur in 1. Metapphyſ. & ideo nomen ejus transfertur ad omnes interiores apprehenſiones, ut Auguſtinus dicit in lib. de verbis Domini.

Ad quartum dicendum, quòd fuga mali cauſatur ex appetitu boni, ut ſupra dictum eſt: & ideo ponuntur ſolùm paſſiones inclinantes ad bonum tanquam cauſæ earum, quæ faciunt inordinatè fugam mali.

Conclusio *eſt affirmativa.*

Intelligitur autem non de cauſa prima & radicali, quia hæc ut dictum eſt in præcedi art. eſt inordinatus amor ſui generaliter ſumptus: ſed de cauſis proximioribus, in quas veluti in ramos radix illa dividitur. Quid autem unaquæque importet, & quomodò omnes aliæ cauſæ, quæ aſſignari ſolent, ſufficienter ad tres prædictas reducantur, ſatis declaratur in litera: de quo iterum & magis in ſpeciali redit ſermo infra quæſt. 84. per totam.

ARTICULUS VI.

Utrum peccatum allevietur propter paſſionem?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum non allevietur propter paſſionem. Augmentum enim cauſæ auget effectum: ſi enim calidum diſſolvit, magis calidum magis diſſolvit: ſed paſſio eſt cauſa peccati, ut habitum eſt: ergo quantò eſt intenſior paſſio, tantò eſt majus peccatum: paſſio igitur non minuit peccatum, ſed auget.

2. Præterea: ſicut ſe habet paſſio bona ad meritum, ita ſe habet mala paſſio ad peccatum: ſed bona paſſio auget meritum: tantò enim aliquis magis videtur mereri, quantò ex majori miſericordia pauperi ſubvenit: ergo etiam mala paſſio magis aggravat peccatum, quàm alleviet.

3. Præterea: quantò intenſiori voluntate aliquis facit peccatum, tantò graviùs videtur peccare: ſed paſſio impellens voluntatem, facit eam vehementiùs ferri in actum peccati: ergo paſſio aggravat peccatum.

Sed contra: paſſio ipſa concupiſcentiæ vocatur tentatio carnis, ſed quantò aliquis majori tentatione proſternitur; tantò minùs peccat, ut patet per Auguſtinum: ergo paſſio diminuit peccatum.

Reſpondeo dicendum: quòd peccatum eſſentialiter conſiſtit in actu liberi arbitrij, quod eſt facultas voluntatis & rationis: paſſio autem eſt motus appetitus ſenſitivi. Appetitus autem ſenſitivus poteſt ſe habere ad liberum arbitrium & antecedenter: & conſequenter. Antecedenter quidem, ſecundum quòd paſſio appetitus ſenſitivi trahit, vel inclinat rationem, vel voluntatem, ut ſupra dictum eſt.

Conſequenter autem, ſecundùm quòd motus ſuperiorum virium, ſi ſint vehementes, redundant in inferiores. Non enim poteſt voluntas intensè moveri in aliquid: quin excitetur aliqua paſſio in appetitu ſenſitivo. Si igitur accipitur paſſio, ſecundùm quòd præcedit actum peccati, ſic neceſſe eſt, quòd diminuat peccatum. Actus enim in tantùm eſt peccatum, in quãtum eſt voluntarium, & in nobis exiſtens. Eſſe autem aliquid in nobis dicitur per rationem & volũtatem: unde quantò ratio, & voluntas ex ſe aliquid agunt non ex impulſu paſſionis, magis eſt voluntarium, & in nobis exiſtens: & ſecundum hoc paſſio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium: paſſio autem conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus, in quantum ſcilicet demonſtrat intenſionem voluntatis ad actum peccati, & ſic verum eſt, quòd quantò aliquis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tantò magis peccat.

Ad primum ergo dicendum, quòd paſſio eſt cauſa peccati ex parte converſionis. Gravitas autem peccati magis attenditur ex parte averſionis, quæ quidem ex converſione ſequitur per accidens, id eſt, præter intentionem peccantis. Cauſæ autem per accidens augmentatæ, non augmentant affectus ſed ſolùm cauſæ per ſe.

Ad ſecundum dicendum, quòd bona paſſio conſequens judicium rationis augmentat meritum: ſi autem præcedat, ut ſcilicet homo magis ex paſſione, quàm ex judicio rationis moveatur ad bene agendum, talis paſſio diminuit bonitatem & laudem actus.

Ad tertium dicendum, quòd etſi motus voluntatis ſit intenſior ex paſſione incitatus: non tamen ita eſt voluntatis proprius, ſicut ſi ſola ratione moveretur ad peccandum.

CONCLUSIO.

Paſſio antecedens voluntatem diminuit peccatum: paſſio verò conſequens non diminuit, ſed potius auget, vel eſt ſignum magnitudinis.

Commentarius.

1. QUæ ſit paſſio antecedens, ſufficienter habetur in litterea: & conſtat à ſimili ex dictis circa ignorantiam antecedentem & conſequentem diſp. præced. à num. 4. multa enim, quæ de prædictis ignorantiis dicta ſunt poſſunt paſſionibus antecedenti, & conſequenti applicari. Dubitant verò nonnulli, cur D. Thom. non aſſignaverit paſſionem cõcomitantem, ſicut aſſignavit concomitantem ignorantiam? Sed facilè reſpondetur, nullam eſſe paſſionem, quæ ſe habeat ad actum voluntatis omnino de materiali, & abſque influxu: ſicut habet ſe ignorantia concomitans, & ſe habere deberet concomitans paſſio. Nam eo ipſo quòd aliqua paſſio in appetitu ſiſtat, facit objectum ejus ab intellectu appetendi, ut conformius & convenientius reſpectu ſuppoſiti, propter diſpoſitionem ex ipſa paſſione provenientem: hacque ratione vel eſt cauſa ut actus voluntatis fiat abſolutè & ſecundum ſubſtantiam; vel ſaltem ut ſit vehementior & intenſior. Ex quo etiam fit, nullam eſſe paſſionem purè conſequentem, & cui non admiſceatur aliquid cauſalitatis erga actum voluntatis (niſi fortè, quæ rationis uſum omnino aufert.) Nam illamet, quæ à voluntate excitatur, & hac ratione dicitur *paſſio conſequens*, juvat dum permanet, ad hoc ut ipſe actus voluntatis vel intenſior vel diuturnior reddatur propter rationem dictam: & ſic ſemper habet aliquid antecedentiæ reſpectu intenſionis vel durationis prædicti actus; licèt non reſpectu ſubſtantiæ. Dubium facile reſolutum.

Aliud etiam diſcrimen attendendum eſt quoad præſens inter ignorantiam & paſſionem: quia ignorantia antecedens tollit omnem malitiam reſpectu objecti ignorati, eò quòd tollit omnino voluntarium: cùm hoc non poſſit eſſe abſque cognitione. Paſſio verò antecedens non ex toto aufert malitiam (niſi fortè ſit tanta, ut totaliter impediat rationis uſum) ſed ſolùm diminuit, ut dicitur, art. ſequenti. Quia cum non tollat cognitionem, non aufert voluntarium, ſed ſolùm diminuit illud: in quantum diminuit ipſam cognitionem, & in quantum per talem paſſionem impellitur voluntas quodammodo ab extrinſeco, & minùs conſonè ad ſuam naturam. Simile eſt diſcrimen inter ignorantiam & paſſionem conſequentem: nam prædicta ignorantia licèt non ex toto auferat malitiam; diminuit tamen illam, quia diminuit voluntarium circa peccatum. At verò paſſio conſequens neque aufert; neque diminuit malitiam, quia non diminuit voluntarium; ſed potius oſtendit, voluntatem excitantem talem paſſionem ferri vehementer in peccatum, etiam priùs natura quàm paſſio excitetur.

Si autem inquiras, an talis paſſio ſolùm ſit ſignum magnitudinis peccati; vel ipſa etiam peccatum augeat: nam D. Thom. quamvis non neget hoc poſterius; non tamen id clarè affirmat? ¶ Reſpondetur, prædictam paſſionẽ ne dum per modum ſigni, ſed etiam formaliter augere malitiam, ſaltem extenſivè; quia ipſa eſt in ſe formaliter peccatum, & non per extrinſecam denominationem, ſed per malitiam intrinſecam ab actu voluntatis derivatam: atque ita plus malitiæ intrinſecæ eſt in utroque actu ſimul ſumpto, quàm in ſolo actu voluntatis, ut conſtat ex dictis diſp. 10. dub. 1. 2. Dubium aliud.

In ſolutione ad primum ait D. Thom. gravitatem peccati magis attendi ex parte averſionis, Alia difficultas.

ſionis, quàm ex parte converſionis: & ideo quamvis paſſio augumétata augeat converſionem; quia tamen non auget, ſed potius diminuit averſionem, idcirco non auget, ſed diminuit peccatum. Ubi difficultatem ingerit, tum quod ſupra quæſt. 73. art. 3. in corp. & ad 2. expreſsè dicitur, gravitatem peccati attendi præcipuè ex parte objecti, & ex parte eorum, quæ pertinent ad converſionem in illud; quod tamen hîc videtur negari. Tum etiam quia juxta noſtram ſententiam peccatum eſſentialiter conſiſtit in converſione ad objectum diſſonum: non verò in averſione, ſeu privatione: ergo converſione per paſſionem augumentata, quicquid ſit de averſione, debet augeri ipſum peccatum.

3. Vera ſolutio.

Ad hanc difficultatem, omiſſis aliis explicationibus, reſpondetur animadvertendo ex doctrina ſuperius tradita diſp. 6. dub. 3. quòd tam converſio peccati ad bonum commutabile, quod eſt ejus objectum, quàm averſio à lege & bono incommutabili eſt duplex: nam alia eſt converſio phyſica & purè converſiva, quæ ſolùm reſpicit objectum ſecundum ſe ut quoddam bonum phyſicum, ſiſtitque in hoc munere: alia eſt converſio moralis & averſiva, quæ reſpicit tale objectum ut prohibitum, & diſſonum rationi: & ex hoc habet ut non ſiſtat in ſolo munere convertendi ad prædictum objectum; ſed affert ſecum, vel includit averſionem à bono incommutabili, cui opponitur tale objectum in quantum prohibitum, & à lege illud prohibente. Similiter averſio eſt duplex: alia privativa, quæ ſolùm dicit carentiam converſionis ad objectum debitum, & ad legem præcipientem: alia verò converſiva & contraria, quæ dicit poſitivam tendentiam contra legem, vel (quod idem eſt) poſitivam tendentiam ad objectum diſſonum & prohibitum lege. Et ita hæc averſio converſiva, & illa converſio averſiva idem ſunt, & per eam conſtituit formaliter peccatum, non autem per converſionem phyſicam. Quando ergo D. Thom. quæſt. 73. art. 3. docet, principalem gravitatem peccati attendi ſecundum objectum & converſionem, loquitur de hac converſione averſiva, quæ coincidit cum converſiva averſione, ſolùmque excludit averſionem privativam. Quando verò in præſenti ait, prædictam gravitatem magis attendi ex parte averſionis, loquitur de averſione converſiva, quæ, ut diximus, eſt ipſa converſio averſiva, & moralis, atque adeo ſolùm excludit converſionem phyſicam, ſeu purè converſivam: unde utrobique idem docet.

Ex quo patet ad ſecundum: nam converſio, quæ augetur, aũgmentata paſſione, eſt hæc converſio phyſica, non verò converſio moralis: peccatum autem non per phyſicam, ſed per moralem & averſivam converſionem conſtituitur. Ratio autem cur augmentata paſſione, augeatur prædicta converſio phyſica; malitia verò & converſio moralis diminuatur, non eſt difficilis: nam dum paſſio circa aliquod objectum vehementior eſt, facit apparere objectum convenientius & conformius appetenti: quantò autem convenientius apparet, tantò intenſiori affectu fertur voluntas in illud per tendentiam phyſicam: menſuratur enim hujuſmodi tendentia ex apparentia bonitatis in objecto. Et ex hoc ipſo diminuitur converſio moralis conſtitutiva malitiæ: quia diminuitur voluntarium proprium voluntatis ſcilicet liberum: nam dum voluntas movetur à paſſione, minùs movetur à ſe & ab intrinſeco, quàm ubi, illa ſecluſa, à ſola ratione & à ſe ipſa movetur: diminuto autem voluntario libero malitia decreſcit. Quam rationem tradit D.Thom. in hoc eodem articulo in ſolutione ad tertium.

ARTICVLVS VII.

Utrum paſſio totaliter excuſet à peccato?

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quòd paſſio totaliter excuſet à peccato. Quicquid enim cauſat involuntarium, excuſat totaliter à peccato: ſed concupiſcentia carnis, quæ eſt quædam paſſio, cauſat involuntarium, ſecundum illud Galat. 5. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ut non quæcunque vultis, illa faciatis: ergo paſſio totaliter excuſat à peccato.

2. Præterea: paſſio cauſat ignorantiam quandam in particulari, ut dictum eſt: ſed ignorantia particularis totaliter excuſat à peccato, ſicut ſupra habitum eſt: ergo paſſio totaliter excuſat à peccato.

3. Præterea: infirmitas animæ gravior eſt, quàm infirmitas corporis: ſed infirmitas corporis totaliter excuſat à peccato, ut patet in phreneticis: ergo multò magis paſſio, quæ eſt infirmitas animæ.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus Roma. 7. vocat paſſiones peccatorum non niſi quia peccata cauſant, quod non eſſet, ſi à peccato totaliter excuſarent: ergo paſſiones non totaliter à peccato excuſant.

Reſpondeo dicendum, quòd ſecundùm hoc ſolùm actus aliquis, qui de genere ſuo eſt malus, totaliter à peccato excuſatur, quod totaliter involuntarius redditur. Vnde ſi ſit talis paſſio, quæ totaliter involuntarium reddat actum ſequentem, totaliter à peccato excuſat, alioquin non totaliter. Circa quod duo cōſideranda videntur. Primo quidem, quod aliquid poteſt eſſe voluntarium vel ſecundum ſe, ſicut quando voluntas directè in ipſum fertur: vel ſecundum ſuam cauſam, quando voluntas fertur in cauſam,

& non in effectum, ut patet in eo, qui voluntariè inebriatur: ex hoc enim quaſi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit. Secundo conſiderandum eſt, quòd aliquid dicitur voluntarium directè, vel indirectè: directè quidem id, in quod voluntas fertur: indirectè autem illud, quod voluntas potuit prohibere, ſed non prohibet. Secundum hoc igitur diſtinguendum eſt: quia paſſio quandoque quidem eſt tanta, quòd totaliter aufert uſum rationis, ſicut patet in his, qui propter amorem, vel iram inſaniunt: & tunc ſi talis paſſio à principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia eſt voluntarius in ſua cauſa, ſicut etiam de ebrietate dictum eſt. Si verò cauſa non fuerit voluntaria, ſed naturalis, puta cum aliquis ex ægritudine, vel aliqua hujuſmodi cauſa incidit in talem paſſionem, quæ totaliter aufert uſum rationis, actus omnino redditur involuntarius, & per conſequens totaliter à peccato excuſatur. Quandoque verò paſſio non eſt tanta, quòd totaliter intercipiat uſum rationis: & tunc ratio poteſt paſſionem excludere divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne ſuum conſequatur effectum: quia membra non applicantur operi, niſi per conſenſum rationis ut ſupra dictum eſt: unde talis paſſio non totaliter excuſat à peccato.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc, quod dicitur: Ut non quæcunque vultis, illa faciatis, non eſt referendum ad ea, quæ fiunt per exteriorem actum, ſed ad interiorem concupiſcentiæ motum. Vellet enim homo nunqum concupiſcere malum: ſicut etiam exponitur id, quod dicitur Roman. 7. Quod odi malum, illud facio. Vel poteſt referri ad voluntatem præcedentem paſſionem, ut patet in continentibus, qui contra ſuum propoſitum agunt propter ſuam concupiſcentiam.

Ad ſecundum dicendum, quòd ignorantia particularis, quæ totaliter excuſat, eſt ignorantia circunſtantiæ, quam quidem quis ſcire non poteſt, debita diligentia adhibita: ſed paſſio cauſat ignorantiam juris in particulari, dum impedit applicationem communis ſcientiæ ad particularem actum, quam quidem paſſionem ratio repellere poteſt, ut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd infirmitas corporis eſt involuntaria: eſſet autem ſimile, ſi eſſet voluntaria, ſicut de ebrietate dictum eſt, quæ eſt quædam corporalis infirmitas.

Prima Concluſio.

Quando paſſio eſt tanta, ut omnino auferat uſum rationis, excuſat totaliter à peccato, niſi ipſa paſſio fuerit à principio voluntaria.

Secunda Concluſio.

Paſſio, quæ non ex toto aufert rationis uſum, non excuſat totaliter à peccato.

Pro hoc articulo, qui ſatis eſt clarus, deſerviunt quæ breviter adnotavimus in præcedenti, & non pauca ex dictis circa ignorantiam diſp. præced. dub. ultim. & circa omiſſionem voluntariam diſp. 5. ubi dub. ult. tractavimus difficultatem, quæ hîc circa ſolutionem ad tertium movetur ab aliquibus: videlicet qualiter ad culpam imputentur, aut ab ea excuſentur omiſſiones, vel tranſgreſſiones præceptorum tempore infirmitatis, aut ebrietatis

ARTICVLVS VIII.

Utrum peccatum, quod eſt ex paſſione, poſſit eſſe mortale?

AD octavum ſic proceditur. Videtur, quòd peccatum, quod eſt ex paſſione, non poſſit eſſe mortale. Veniale enim peccatum dividitur contra mortale: ſed peccatum, quod eſt ex infirmitate, eſt veniale, cum habeat in ſe cauſam veniæ: cum igitur peccatum, quod eſt ex paſſione, ſit ex infirmitate, videtur quòd non poſſit eſſe mortale.

2. Præterea: cauſa non eſt potior effectu: ſed paſſio non poteſt eſſe peccatum mortale: non enim in ſenſualitate eſt peccatum mortale, ut ſupra habitum eſt: ergo peccatum, quod eſt ex paſſione: non poteſt eſſe mortale.

3. Præterea: paſſio abducit à ratione, ut ex dictis patet: ſed rationis eſt converti ad Deum, vel averti à Deo, in quo conſiſtit ratio peccati mortalis: peccatum ergo, quod eſt ex paſſione, non poteſt eſſe mortale.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit Roman. 7. quòd paſſiones peccatorum operātur in membris noſtris ad fructificandum morti: hoc autem eſt proprium mortalis peccati, quòd fructificet

Digitized by Google

cet morti: ergo peccatum, quod eſt ex paſſione, poteſt eſſe mortale.

Reſpondeo dicendum, quòd peccatum mortale, ut ſupra dictum eſt, conſiſtit in averſione ab ultimo fine, qui eſt Deus, quæ quidem averſio pertinet ad rationem deliberantem, cujus etiam eſt ordinare in finem. Hoc igitur ſolummodo poteſt contingere, quòd inclinatio animæ in aliquid, quod contrariatur ultimo fini, non ſit peccatum mortale, quia ratio deliberans non poteſt occurrere, quod contingit in ſubitis motibus. Cum autem ex paſſione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum, hoc non fit ſubito: unde ratio deliberans poteſt hic occurrere: poteſt enim excludere, vel ſaltem impedire paſſionem, ut dictum eſt. Vnde ſi non occurrat, eſt peccatum mortale, ſicut videmus, quòd multa homicidia, & multa adulteria per paſſionem committuntur.

Ad primum ergo dicendum, quòd veniale dicitur tripliciter. Vno modo ex cauſa, quia ſcilicet habet aliquam cauſam veniæ, quæ diminuit peccatum: & ſic peccatum ex infirmitate, vel ignorantia dicitur veniale. Alio modo ex eventu, ſicut omne peccatum per pœnitentiam fit veniale, id eſt, veniam conſequitur. Tertio modo dicitur veniale ex genere, ſicut verbum otioſum, & hoc ſolùm veniale opponitur mortali: objectio autem procedit de primo.

Ad ſecundum dicendum, quòd paſſio eſt cauſa peccati ex parte converſionis. Quòd autem ſit mortale, eſt ex parte averſionis, quæ per accidens ſequitur ad converſionem, ut dictum eſt: unde ratio non ſequitur.

Ad tertium dicendum, quòd ratio non ſemper in ſuo actu totaliter à paſſione impeditur: unde remanet ei liberum arbitrium, ut poſſit averti, vel converti ad Deum: ſi autem totaliter tolleretur uſus rationis, jam non eſſet peccatum nec mortale, nec veniale.

CONCLUSIO *eſt affirmativa.*

Et eſt ſatis clara, tum ex ſe & ex litera, tum ex dictis diſp. 10. præſertim à num. 30. ¶ Quod autem in fine corporis dicitur, paſſionem appetitus ex eo eſſe peccatum mortale, quia ratio deliberans poteſt eam impedire, & non impedit; non eſt ita intelligendum, ut ſola deliberatio & poteſtas impediendi abſque poſitivo voluntatis conſenſu, vel ejus aut alterius mali periculo ſufficiat: nam oppoſitum oſtenſum eſt diſp. cit. dub. 5. Sed quia poſt plenam deliberationem, niſi voluntas aliquo modo reſiſtat, ut in plurimum & moraliter loquendo non deerit prædictus conſenſus vel periculum, non fuit opus Divo Thomæ, memoratis deliberatione & potentia ad impediendam paſſionem, talis periculi aut conſenſus ita expreſsè meminiſſe. ¶ Occaſione ſecundi argumenti & ſolutionis tangit hic Cajetanus illam difficultatem, an motus appetitus indeliberatus, qui ſolùm eſt peccatum veniale: & actus deliberatus circa idem objectum, qui eſt peccatum mortale, conveniant ſpecificè ex parte converſionis ſeu malitiæ poſitivæ, quamvis differant ex parte averſionis, ſive privationis? Quod examinabimus infra diſp. 19. dub. 2.

QVÆSTIO LXXVIII.

DE CAVSA PECCATI, QVÆ EST malitia, in quatuor Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſa peccati quæ eſt ex parte voluntatis, quæ dicitur malitia. ¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquis peccet ex certa malitia.

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd nullus peccet ex induſtria, ſive ex certa malitia. Ignorantia enim opponitur induſtriæ, ſive certæ malitiæ: ſed omnis malus eſt ignorans. ſecundum Philoſophum: & Proverb 14. dicitur: Errant qui operantur malũ: ergo nullus peccat ex certa malitia.

2. Præterea: Dionyſius dicit 4. cap. de divin. nomin. quòd nullus intendẽs ad malum operatur: ſed hoc videtur eſſe peccare ex malitia, intendere malum in peccando: quod enim eſt præter intentionem, eſt quaſi per accidens, & non denominat actum: ergo nullus ex malitia peccat.

3. Præterea: malitia ipſa peccatum eſt, ſi igitur malitia ſit cauſa peccati, ſequetur quòd peccatum ſit cauſa peccati in infinitum, quod eſt inconveniens: nullus igitur ex malitia peccat.

Sed contra eſt, quod dicitur Iob. 34. Quaſi de induſtria receſſerunt à Deo, & vias ejus intelligere noluerunt: ſed recedere à Deo eſt peccare: ergo aliqui peccant ex induſtria, ſeu ex certa malitia.

Reſpondeo dicendum, quòd homo, ſicut & quælibet alia res naturaliter habet appetitum boni: unde quòd ad malum ejus appetitus declinet, contingit ex aliqua corruptione, ſeu inordinatione in aliquo principiorum hominis: ſic enim in actionibus rerum naturalium peccatum invenitur. Principia autem humanorum actuum ſunt intellectus, & appetitus tam rationalis, qui dicitur voluntas, quàm ſenſitivus. Peccatum igitur in humanis actibus contingit quandoque ſicut ex defectu intellectus, puta cum aliquis per ignorantiam peccat: & ex defectu appetitus ſenſitivi, ſicut cum aliquis ex paſſione peccat, ita etiam ex defectu voluntatis, qui eſt inordinatio ipſius. Eſt autem voluntas inordinata, quando minus bonum magis amat. Conſequens autem eſt, ut aliquis eligat pati detrimentum in bono minus amato ad hoc, quòd potiatur bono magis amato: ſicut cum homo vult pati abſciſſionem membri etiam ſcienter, ut conſervet vitam, quam magis amat. Ita per hunc modum quando aliqua inordinata voluntas aliquod bonum temporale plus amat, puta divitias vel voluptatem, quàm ordinem rationis, vel legis divinæ, vel charitatem Dei, vel aliquid hujuſmodi, ſequitur quòd velit diſpendium pati in aliquo ſpiritualium bonorum, ut potiatur aliquo temporali bono. Nihil autem eſt aliud malum, quàm privatio alicujus boni: & ſecundum hoc aliquis ſcienter vult aliquod malum ſpirituale, quod eſt malum ſimpliciter, per quod bonum ſpirituale privatur, ut bono temporali potiatur. Vnde dicitur, ex certa malitia, vel induſtria peccare, quaſi ſcienter malum eligens.

Ad primum ergo dicendum, quòd ignorantia quãdoque quidem excludit ſcientiam, qua aliquis ſimpliciter ſcit hoc eſſe malum, quod agitur, & tunc dicitur ex ignorantia peccare: quandoque autem excludit ſcientiam, qua homo ſcit, hoc nunc eſſe malum, ſicut cum ex paſſione peccatur: quandoque autem excludit ſcientiam, qua aliquis ſcit, hoc malum non ſuſtinendum eſſe propter conſequutionem illius boni, ſcit tamen ſimpliciter hoc eſſe malum: & ſic dicitur ignorare, qui ex certa malitia peccat.

Ad ſecundum dicendum, quòd malum non poteſt eſſe ſecundum ſe intẽtum ab aliquo; poteſt tamen eſſe intentum ad vitandum aliud malum, vel ad conſequendum aliud bonum, ut dictum eſt: & in tali caſu aliquis eligeret conſequi bonum per ſe intentum abſque hoc, quòd pateretur detrimentum alterius boni: ſicut aliquis laſcivus vellet frui delectatione abſque offenſa Dei: ſed duobus propoſitis, magis vult peccando incurrere offenſam Dei, quam delectatione privetur.

Ad tertium dicendum, quòd malitia, ex qua aliquis dicitur peccare, poteſt intelligi malitia habitualis, ſecundùm quòd habitus malus à Philoſopho nominatur malitia, ſicut habitus bonus nominatur virtus: & ſecundum hoc aliquis dicitur ex malitia peccare, quia peccat ex inclinatione habitus. Poteſt etiam intelligi malitia actualis, ſive ipſa mali electio malitia nominetur: & ſic dicitur aliquis ex malitia peccare, in quantum ex mali electione peccat, ſive etiam malitia dicatur aliqua præcedẽs culpa, ex qua oritur ſubſequens culpa, ſicut cum aliquis impugnat fraternam gratiam

Digitized by Google

gratiam ex invidia: & tunc idem non eſt cauſa ſui ipſius, ſed actus interior eſt cauſa actus exterioris, & unum peccatum eſt cauſa alterius, non tamen in infinitum: quia eſt devenire ad aliquod primum peccatum, quod non cauſatur ex aliquo priori peccato, ut ex ſupradictis patet.

Prima Conclusio.

Tripliciter contingit peccatum in actibus humanis: vel ex defectu intellectus, & tunc peccatur ex ignorantia: vel ex defectu appetitus ſenſitivi, & tunc peccatur ex paſſione: vel ex inordinatione voluntatis, & tunc peccatur ex certa malitia.

Secunda Conclusio.

Peccare ex certa malitia nihil aliud eſt, quàm ſcienter & ex induſtria malum ſpirituale eligere, ne bonum aliquod temporale derelinquatur.

Commentarius.

1. *Auguſt. Gregor. Gratian. Magiſter.* Diviſio peccati in hæc tria membra *ex ignorantia*, *ex paſſione* ſeu *infirmitate*, & *ex malitia* communiter recipitur: eamque approbant D. Auguſtinus lib. 83. quæſt. 26. Gregorius lib. 25. mor. cap. 16. ad illa verba Iob. 34. *Qui quaſi de induſtria receſſerunt*, &c. Gratianus cap. *ſciendum* de pœnit. 2. diſt. & ſcholaſtici cum Magiſtro in 2. diſp. 43. ubi illum, qui peccat ex paſſione ſeu infirmitate: dicunt peccare in Patrem, cui attribuitur potentia: qui ex ignorantia, in Filium, cui attribuitur ſapientia: & qui ex malitia, in ſpiritum ſanctum, cui attribuitur bonitas. Habet etiam fundamentum prædicta diviſio in ſcriptura: *Ezechiel. 8.* præſertim Ezechiel. 8. ubi memoratis tribus peccantium generibus, in primo ponuntur viri adorantes reptilia in tenebris, quod pertinet ad ignorantiam. In ſecundo mulieres plangentes Adonidem ſive Tammum, quod pertinet ad peccatum ex paſſione. Et in tertio viri terga vertentes contra templum Domini, & facies ad orientem, adorantéſque ad ortum ſolis; & applicantes ramos ad nares ſuas, ſcientes eligentes malum: quod eſt ex malitia peccare. Eandem diviſionem colligit Richardus de S. Vict. lib. de ſtatu inter. homi. tract. 1. cap. 3. & ſequentibus ex illo Iſaiæ 1. *Vulnus, & livor, & plaga tumens*, &c. *Richard de S. Vict. Iſai. 1.*

D Tho. Optimáque ejus ratio traditur à D. Thoma in præſenti, & quæſt. 3. de mal. art. 12. Nam ſicut peccata accipiunt diviſionem ex aliis capitibus, puta ex parte objecti, finis, perſonæ, in quam peccatur, &c. ita rectè illam accipiunt ex parte ejus, quod per modum principij movet & impellit, ſeu inducit voluntatem ad peccandum; hoc autem eſt triplex: vel enim inducitur ex propria deordinatione, ratione cujus peccatum ſibi placet abſque alio prius impellente: & ſic peccat ex malitia. Vel inducitur defectu cognitionis, quia ignoratur malum eſſe, in quod fertur, & ſic peccatur ex ignorãtia; vel inducitur ex aliqua paſſione inſurgente in appetitu, perturbantéque judicium rationis, ut malum, quod aliàs cognoſcit, non ſatis ibi & tunc malum eſſe deprehendat, & hoc modo ipſam voluntatem ad ſe trahat: & ſic peccatur ex paſſione.

Tria autem quæri poſſunt circa prædictam diviſionem. Primo, an ſit adæquata, ita ut omnia peccata ſufficienter ad illa tria membra reducantur? Secundò, an ſit diviſio eſſentialis, vel accidentalis? Tertiò, an ejus membra omnino ſe excludant; vel potius aliquando coincidant in eodem peccato? Quantum ad primum tenenda eſt ut certa pars affirmativa. Tum quia communiter ita docent Theologi. Tum etiam quia ratio adducta ex D. Thoma ſufficienter illam convincit: non enim invenire eſt aliquid aliud, quod ex parte principij impellat, & inducat voluntatem ad peccandum præter tria illa, quæ numerantur in prædicta ratione. Accedit, quòd omne peccatum debet reduci tanquam in primum impellens in aliquam potentiam ex iis, quæ ſunt principia humanorum actuum ratione defectus talis potentiæ: principia autem humanorum actuum ſunt intellectus, appetitus ſenſitivus, & voluntas: debent ergo omnia peccata ad iſtorum defectus & deordinationes reduci: atque adeo vel ad ignorantiam, quæ eſt defectus intellectus: vel ad paſſionem, quæ eſt deordinatio appetitus ſenſitivi: vel ad malitiam, quæ eſt deordinatio voluntatis. 2. *Triplex dubium.* *Deciſio primi.*

Sed obiicies, quòd non ſolùm tres prædictæ potentiæ, ſed etiam ſenſus ſaltem internus eſt principium humani actus: ergo debet ex hac parte ratione deordinationis iſtius potentiæ aliud genus peccati diſtingui: non ergo prædicta diviſio eſt adæquata. ¶ Et confirmatur, nam plura alia ſunt, quæ inducunt voluntatem ad peccandum: ut diabolus interiùs inſtigans & tentans, homo exterius ſuadens & ſcandalizans, aliaque id genus: ergo, &c. 3. *Obiectio.*

Reſpondetur, ſenſus ſive externos, ſive internos non inducere ad peccandum, niſi quia ſunt cauſa vel paſſionis in appetitu, vel erroris aut ignorantiæ in intellectu: & ita illorum concurſus ſufficienter reducitur ad ignorantiam & paſſionem, quæ proximiùs & immediatiùs voluntatem impellunt. ¶ Per quod patet ad confirmationem: quia neque diabolus, neque homo inducunt nos ad peccandum, niſi vel excitando paſſionem in appetitu, vel per ſenſum ligando judicium rationi, aut ingerendo falſam cognitionem, ut docet D. Thom. infra quæſt. 80. art. 2. & ita peccata quæ ex his capitibus proveniunt, ſufficiẽter reducuntur ad ignorantiam & paſſionem. *Enodatio.*

Secundò obiicies, eſſe aliqua peccata, quæ non continentur ſub prædicta diviſione: igitur non eſt adæquata. Antecedens probatur in primo peccato Angelorum, quod neque fuit ex ignorantia: non enim ignorantia, quæ eſt quoddam malum, potuit peccatum illud præcedere, ut nos ſuo loco oſtendimus. Neque fuit ex paſſione, ut eſt per ſe notum. Neque etiam potuit eſſe ex malitia: nam peccare ex malitia eſt peccare ex habitu, vel ex aliqua habituali deordinatione, aut ſaltem ex 4. *Secunda objectio.*

alio

Digitized by Google

alio peccato præcedente, ut docet D. Thom. infra art. 3. horum autem nihil fuit in Angelo ante ſuum primum peccatum: ergo, &c. ¶ Idem argumentum fit de peccato primo Adami, quod propter eaſdem rationes non potuit procedere ex ignorantia, aut ex malitia. Sed neque etiam ex paſſione: quia ante illud primum peccatum nulla fuit in appetitu Adami paſſio inordinata, ſed totus ille appetitus erat plenè ſubditus rationi.

D.Tho. Confirmatur: quia nullum peccatum, quod eſt tantùm veniale, etiam ſi ex induſtria & electione fiat, eſt peccatum ex malitia, ut habet D. Thom. quæſt. 3. de mal. art. 12. ad 9. ibi. *Si quis ex induſtria peccatum veniale committat, non peccat ex malitia:* at peccata venialia, quæ ſic ex induſtria fiunt, non ſunt ex ignorantia, neque ex paſſione: ergo, &c.

Aliorum ſolutio. 5. Reſpondetur negando antecedens. Ad primam verò probationem, quod attinet ad peccatum Angeli, Magiſter Curiel, Lorca, Greg. Mart. Salas, & alij in præſenti cenſent (& quidem ſatis probabiliter) prædictum peccatum fuiſſe ex malitia. Et ad probationem in contrarium dicunt, quòd licèt peccatum ex malitia regulariter & ut implurimum procedat ex capitibus ibi aſſignatis (quod & nihil amplius intendit D.Thom. art. 3.) attamen non repugnat, quòd voluntas, ex ſe ipſa pro ſua innata tantùm defectibilitate abſque inordinatione aliqua habituali in primo peccato ex induſtria & electione, atque adeo ex malitia delinquat. Quod verò attinet ad primum peccatum Adami, quidam fatentur illud nec fuiſſe ex ignorantia, neque ex paſſione, neque ex malitia: dicunt tamen doctrinam D. Thomæ, & ejus diviſionem intelligi de peccatis, quæ committuntur in hoc ſtatu naturæ lapſæ. Alij ex nuper citatis cenſent, illud peccatum fuiſſe ex malitia, ſicut peccatum Angelorum. Addit verò Gregorius Mart. poſſe dici, quòd fuit ex paſſione, quia proceſſit ex amore inordinato erga uxorem.

Deſtruitur. Sed omnes has ſolutiones reiicit D.Thom. loco ſtatim referendo. Et contra primam eſt manifeſta ratio, quia ad peccatum ex certa malitia requiritur, ut peccans ſcienter & ex induſtria malum eligat, ut conſtat ex doctrina hujus articuli: Angelus autem (& idem eſt de primo homine) non elegit ſcienter in ſuo primo peccato aliquod malum, ſed potius illud, quod bonum eſſe ſciebat, & re ipſa erat bonum: non enim poſſet malum eligere ſine errore formali, quo judicaret ibi & tunc ſibi expediens, quod aliàs malum eſſe cognoſcebat: qui ſanè error non habuit locum reſpectu primi peccati: non ergo hoc fuit peccatum ex certa malitia. ¶ Contra ſecundam etiam eſt, quòd ratio, qua probavimus, diviſionem eſſe adæquatam, convincit in quolibet ſtatu, & reſpectu cujuſlibet peccatis, ut intuenti patebit: perperàm ergo reſtringitur prædicta diviſio ad ſtatum naturæ lapſæ. ¶ Tertia verò ſolutio faciliùs corruit: quia antequam Adamus per ſuperbiam primo deliquiſſet, nullus fuit in eo amor inordinatus neque uxoris, neque alterius objecti: ſed omnis alia inordinatio conſequuta fuit ex ipſa ſuperbia: ergo hæc nõ potuit oriri ex inordinato amore uxoris. ¶ Accedit, quòd vel amor ille inordinatus fuit actus voluntatis; vel paſſio ſenſitivi appetitus? Hoc ſecundum dici nequit, quia appetitus ſenſitivus in Adamo uſque poſt primum peccatum commiſſum in parte ſuperiori, ſemper fuit rectus & ſubditus rationi, nullaque inordinatio fuit in illo, niſi quæ ex prædicto peccato conſequuta eſt. Primum autem non eſt ad rem: quia in præſenti peccatum ex paſſione non vocatur, niſi quod procedit ex paſſione appetitus ſenſitivi, ut omnes fatentur, & conſtat ex doctrina & ratione articuli: aliter enim prædictum peccatum non divideretur contra peccatum ex malitia: quod procedit ex deordinatione ipſius voluntatis.

Reſpondetur ergo ad prædictam primam probationem, primum peccatum tam hominis quàm Angeli contineri ſub peccato ex ignorantia: quia uterque peccavit ex inadvertentia & inconſideratione alicujus, quod debuit attendere: ut de Angelo diximus in ſuo tractatu diſp. 10. dub. 8. & de primo homine dicemus infra diſp. 16 dub. ult. inadvertentia autem ejus, quod attendi debet, reducitur ad ignorantiam, quæ ponitur ſpecialis cauſa peccatorum, ut conſtat ex dictis diſp. præced. dub. 1. Quam ſolutionem, & impugnationes præcedentium deſumpſimus ex D. Thoma in 2. diſt. 43. quæſt. 1. ubi in ſcripto ad Annibal. art. 4. ad 2. ſic ait. *Dicendum, quòd peccatum primi hominis & Angeli non fuit in Spiritum Sanctum, ſecundùm quòd eſt ſpeciale peccatum, quia uterque peccavit ex ſuperbia. Quantum verò ad circunſtantiam peccati utrunque fuit in filium, quia non conſideraverunt, quæ conſideranda erant ad evitationem peccati.* Et in communibus ſcriptis art. 6. ſic habet. *Quidam dicunt, quòd peccatum primi hominis non fuit neque in Patrem, neque in Filium, neque in Spiritum Sanctum: hæ enim non ſunt differentiæ peccati abſolutè accepti, ſed peccati, quod contingit in natura corrupta: infirmitas enim, & ignorantia, & malitia ex peccato naturam corruptam conſequuntur.* Reiiciens verò hanc ſolutionem ſic proſequitur. *Sed ſciendum, quòd quamvis infirmitas nullo modo in natura integra inveniri poſſit, & ita nec peccatum in patrem; tamen ignorantia aliquo modo in natura integra inveniri potuit: non ſecundùm quòd ignorantia dicitur privativè, ſed ſecundùm quòd dicitur negativè: ſic enim eſt deffectus conſequens intellectum creatum: ex hoc enim deficit à perfecto lumine intellectus increati, ut non omnia ſciat vel ſaltem non omnia actu conſideret: & ex tali neſcientia peccatum proveniens, peccatum in Filium dici poteſt.* Et inferius. *Primus actus peccati primi hominis & Angeli quantum ad genus peccati fuit peccatum ſuperbiæ; ſed quantum ad circunſtantiam peccati, fuit peccatum in filium: quia uterque peccavit ex hoc, quòd non conſideravit ea, quæ conſideranda erant ad evitationem peccati.* Et in ſolutione ad ultimum illius articuli concedit, prædicta peccata non fuiſſe peccata ex malitia: quamvis dicat, id non probari ex vi argumenti.

Sed urgebis: quia ſi ſola inconſideratio, quæ præceſſit primum peccatum Angeli & hominis, ſufficit ut illud dicatur *peccatum ex ignorantia*, nullum erit peccatum, quod non ita appelletur: quippe nullum eſt, quod ſaltem aliqua inconſideratio non præcedat; cum impoſſibile ſit, voluntatem peccare ſine

Margin notes (right column): 6. Vera ſolutio. — D.Tho. — 7. Replica.

ſine aliquo defectu ex parte intellectus: qui ſanè defectus ad minus debet eſſe inadvertentia, ſeu inconſideratio. ¶ Et confirmatur, quia major defectus intellectus invenitur in quolibet peccato, quod nos committimus ſive ex paſſione, ſive ex malitia, quàm fuit ille, qui præceſſit primum peccatum Angeli, cui non debemus concedere niſi minimum defectum ex parte intellectus, qui ad peccandum ſufficiat: ſed defectus, qui invenitur in prædictis peccatis, quæ nos committimus, non ſufficit ut dicantur committi ex ignorantia, ut excludantur à peccatis ex paſſione, vel malitia: ergo multò minùs ad id efficiet defectus ille advertentiæ, qui præceſſit primum peccatum hominis, & Angeli.

Evacuatur. Reſpondetur, non quamlibet inconſiderationem ſufficere, ut peccatum dicatur ex ignorantia: ſed debet eſſe cum inadvertentia circa totam malitiam. Qui enim cognoſcit expreſsè in objecto aliquam malitiam, & nihilominus illud proſequitur, ſcit, ſe malum committere: atque adeo non eſt verùm, quòd ideo peccat, quia malum ignorat: quod tamen eſt verum de illo, qui nihil malitiæ in objecto formaliter animadvertit. Porrò in Angelis & Adamo reſpectu primi peccati inconſideratio fuit cum inadvertentia totius malitiæ: quicquid enim expreſſe fuit illis propoſitum, & quicquid formaliter cognoverunt, totum erat bonum tam ſecundum ſe, quàm prout ibi & tunc expreſsè propoſitum: habuit ergo eorum inconſideratio quicquid requiritur, ut peccatum illud ignorantiæ tribueretur. Quo contra accidit in peccatis ex paſſione vel malitia: nam quando aliquis ita peccat, expreſsè animadvertit, objectum abſolutè eſſe malum: licèt erroneè judicet vel eſſe ſibi conveniens tale malum eligere, ne aliquo temporali bono privetur, vel eſſe ſibi bonum ibi & tunc, quod ſecundum ſe & abſolutè eſt malum. Vnde de ſic peccantibus dici nequit, quòd ideo peccant, quia malum ignorant, aut quia illud non animadvertunt.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd licèt in iis, qui peccant ex paſſione, vel malitia, defectus intellectus ſit major quaſi intenſivè, quia eſt peior, ſeu plus habens de ratione mali, & eſt magis voluntarius: in eo tamen qui peccat ex inadvertentia totius malitiæ, ſicut primò peccaverunt Angelus & Adamus, prædictus defectus eſt major extenſivè: quia ita extenditur illa inadvertentia, ut nullam mali expreſſam cognitionem relinquat. Defectus autem ad peccandum ex ignorantia requiſitus, hoc poſteriori modo debet eſſe major non illo priori.

8. Quorundam ſententia circa confirmationē. Circa confirmationem principalis objectionis Almainus tract. 3. moral. cap. 27. & Gerſon. alphab. 34. littera T. & in lib. de vit. ſpirit. lect. 1. corol. 4. cenſent, peccatum ex genere ſuo veniale, ut mendacium officioſum, eo ipſo quòd fiat ex malitia, tanſire in mortale. Tum quia omne peccatum ex malitia factum, includit Dei contemptum, qui eſt conditio culpæ mortalis. Tum etiam quia tale peccatum avertit à bonitate divina, cui potiſſimum malitia opponitur: atque adeo avertit ab ultimo fine: in qua averſione ratio peccati mortalis conſiſtit. ¶ Addunt aliqui ex D. Auguſtino lib. de vera & falſa pœnit. cap. 8. & refertur 25. diſt. cap. *Vinum orarium*, ubi ſic dicitur: Nullum peccatum eſt adeo veniale quod non fiat criminale, dum placet. Crimen autem denotat grave peccatum, atque adeo mortale.

Reiicitur. D. Tho. Sed hæc doctrina communiter non admittitur, quia falſa eſt, & contra D. Thomam in præſenti art. 2. ad 1. & quæſt. 2. de mal. art. 8. ad 4. ubi ait, quòd peccare ex certa malitia, prout hoc importat peccare ex habitu, ſcienter, ex electione, &c. non conſtituit ſpeciem peccati, neque transfert de veniali in mortale. *Non enim* (ſubdit ibi) *quicunque voluntarius & ſciens dicit verbum otioſum, mortaliter peccat.* Et ratio eſt perſpicua: quia eligere malum ſcienter, vel ex habitu (quod eſt peccare ex malitia) ea ſolùm ratione poteſt eſſe culpa mortalis, quia malum ſcienter electum contrariatur bono divino, & fini charitatis: adeóque ipſa etiam electio eidem bono adverſatur: ſiquidem tota malitia voluntatis ſumitur ex re volita; at verbum ocioſum, mendacium officioſum, & ſimilia non contrariantur prædicto bono & fini, ut eſt per ſe notum: ergo neque eorum electio, quantumvis ſcienter & ex habitu fiat (ſecluſa alia deteriori circunſtatia) ad gradum mortalis culpæ pertinget.

Quare ad locum D. Thomæ ex quæſt. 3. de malo reſpondetur, ſolùm velle, peccatum veniale, etiam ſi ſcienter & ex electione fiat; non eſſe dicendum ex malitia ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid: quia ſicut prædictum peccatum non ſimpliciter, ſed ſecundum quid dumtaxat peccati rationem ſortitur (ſolùm enim mortale eſt peccatum ſimpliciter) ita habitus & malitia unde procedit, non eſt ſimpliciter malitia, ſed ſolùm ſecundum quid, ut tetigimus ſupra diſp. 4. num. 3. docétque D. Thom. in præſenti art. 2. ad 1. Hoc autem non tollit quominus prædictum peccatum eo modo, quo peccatum eſt, ſcilicet ſecundum quid, dicatur *ex malitia*, & ſub tradita diviſione ſuo modo contineatur.

Ad illa, quæ pro ſententia Almaini & Gerſonis adduximus, reſpondetur, quòd licèt peccatum, quod eſt ex malitia ſimpliciter, includat Dei contemptum, & contrarietur bonitati divinæ, adeóque ſit mortale; ſecus tamen quod ſolùm eſt ex malitia ſecundum quid: uti ſunt venialia ex genere, & etiam ex parvitate materiæ: unde quamvis ex electione & induſtria committantur, non extrahuntur à linea venialium: niſi fortè, alia deteriori circunſtantia vitientur: puta ſi poneretur in eis finis ultimus, vel ad aliquem finem mortaliter peccaminoſum ordinarentur. ¶ Ad locum D. Auguſtini (eſto illa ſint ejus verba) reſpōdetur, nomen criminis non dici ſolùm de peccato mortali, ſed etiam de veniali, quando ex deliberatione procedit, ut habet ibi gloſſa; unde ſenſus eſt, quòd etiam ſi tale peccatum veniale permaneat, ſit gravius in ſuo genere, dum placet & eligitur; & ob hanc majorem gravitatem inter crimina computari: quod non habent cætera venialia ex ſurreptione; ſecundò prædictus locus poteſt intelligi de veniali, quod eſt tale ſolùm ex imperfecta deliberatione: quod quidem ſi placeat, & deliberatè eligatur, fiet mortale: quia verſatur circa objectum ſecundum ſe mortale.

10. Ad

Digitized by Google

10. Secunda dubitatio. Ad ſecundum, quod dubitavimus, *an ſcilicet illa diviſio ſit eſſentialis?* Reſpondetur negativè: quoniam diviſio eſſentialis debet ſumi ab objecto, vel à principio formali, à quibus peccata ſpecificantur: illa autem ſolùm attenditur ex parte principij impellentis, & quaſi occaſionantis peccatum, quod eſt extra rationem ſpecificativi. Et ideo idem peccatum, ut homicidium, aliquando fit ex ignorantia, aliquando ex paſſione, & aliquando ex malitia, invariata ejus ſpecie.

Tertia. Tertiò dubitavimus, an membra prædictæ diviſionis omnino ſe excludant: ita ut peccatum, quod eſt ex ignorantia vel paſſione, non ſit ex malitia: neque ex paſſione, quod eſt ex ignorantia; aut è contra. Et non loquimur in ſenſu omnino formali: quia ſic ſatis conſtat, quòd ſe excludant: & non eſſe idem formaliſſimè, quòd aliquod peccatum procedat ex paſſione, & quòd procedat ex ignorantia: aut quòd procedat ex paſſione vel ignorantia, & quòd procedat ex malitia. Sed an materialiter illud peccatum, quod eſt ex ignorantia, poſſit etiam eſſe ex paſſione: aut quod eſt ex ignorantia vel paſſione, poſſit etiam eſſe ex malitia? hoc dubitatur. Pro quo ſciendum eſt, peccatum aliquod poſſe dici aliquo ex prædictis nominibus vel largè, vel omnino propriè. Largè, ut ſi dicamus *peccatum ex malitia*, quia habet in ſe malitiam: & *ex paſſione* aut *ignorantia*, quia aliqua iſtarum quomodolibet ibidem intervenit. Et hoc pacto perſpicuum eſt, prædicta peccata non ſe excludere: cum nullum ſit, undecunque oriatur, ſine aliqua malitia, quæ eſt ejus forma conſtitutiva: & etiam ſine aliquali ignorantia, juxta illud *omnis peccans eſt ignorans*. Eiſdem etiam peccatis ex malitia vel ignorantia factis ſæpe admiſceri paſſionem appetitus ſenſitivi ſaltem conſequentem, nemo ambigit. Propriè verò nuncupatur peccatum aliquo ex illis nominibus, quando attenditur primum inductivum, & primum impellens ad peccandum. Et ſic peccatum *ex ignorantia* dicitur, quando voluntas inducitur ad eligendum malum ex eo, quòd intellectus ignorat aut non advertit eſſe malum; quòd ſi adnimadverteret, non eligeret voluntas. *Ex paſſione* vero dicitur, quando antecedenter ad electionem voluntatis excitatur in appetitu ſenſitivo aliqua paſſio perturbans aliqualiter rationem; & ex hac paſſione & perturbatione voluntas inducitur ad aſſentiendum objecto peccaminoſo: quod licèt ſecudum ſe & abſolutè cognoſcatur eſſe malum, attamen ibi & tunc propter motum paſſionis judicatur bonum appetenti: quod non judicaretur, ſecluſa paſſione, neque proinde voluntas illud amplecteretur. Peccare autem ex malitia eſt, quòd voluntas, habita cognitione quòd objectum ſit malum, & nulla præcedente paſſione, quæ rationem obnubilet, faciátque illud apparere bonum; ex ſe ipſa & ex propria deordinatione eligat tale malum, ne privetur aliquo temporali bono illi adnexo. Et licèt hîc etiam admiſceatur aliquis defectus ex parte intellectus; eſt tamen diſtinctus ab illis, qui concurrunt in peccatis ex ignorantia & paſſione. Quia peccans ex malitia neque non ſcit eſſe malum ſecundum ſe, quod eligit, ſicut ignorans: neque ignorat etiam ibi & tunc eſſe malum, ſicut qui eſt in paſſione: ſed ignorat non eſſe eligendum tale malum propter aliquod bonum temporale longè minus bono ſpirituali, quod privatur per prædictum malum. Hæc autem diſcrimina inter defectus intellectus concurrentes in prædictis peccatis declarat optimè D. Thom. in ſolutione ad 1. hujus art.

Quibus ſuppoſitis, dicendum eſt, peccata ex ignorantia & paſſione non ſemper ſe excludere: quia non repugnat, ut voluntas ex utraque ſimul inducatur ad peccandum: ſi enim exiſtente cognitione malitiæ in univerſali, paſſio appetitus poteſt impellere voluntatem, ut eam ſequatur; non eſt cur idem non poſſit, prædicta cognitione deficiente: tunc autem idem numero peccatum ſimul erit ex ignorantia, vel ex paſſione. Peccatum autem ex certa malitia non videtur admittere, quòd ſit ſimul ex paſſione, vel ignorantia: quia eo ipſo quòd voluntas ex aliqua iſtarum inducatur ad peccandum, non movebitur primò ex ſua propria deordinatione & electione: ſicut movetur, quando peccat ex certa malitia. Hoc tamen intelligendum eſt pro eadem duratione: nam ſucceſſivè non repugnat, ut idem numero peccatum, quod prius cœpit ex paſſione vel ignorantia; poſtmodum paſſione ſedata, aut adveniente majori cognitione, ex ſola voluntatis perverſione, adeóque ut peccatum ex certa malitia, & non ex ignorantia vel paſſione continuetur. Quod è contra non ſic accidet: nam ſemel cœpto peccato ex malitia, ſi ex eo conſurgat paſſio vel ignorantia, etiam iſtæ utpotè ad malitiam omnino conſequentes, erunt quoque malitioſæ: & ita non extrahent illud à primo ſtatu *peccati ex malitia*. Diximus *ſi ex eo conſurgat*, &c. quia ſi paſſio vel ignorantia non oriantur ex ipſo peccato orto ex malitia, quaſi ab eo imperatæ, & per illud affectatæ, ſed aliunde proveniant: peccatum ex tali ignorantia vel paſſione ſubſequutũ (ſive ſit idem quod prius, ſive diverſum) non erit tribuendum priori malitiæ, ſed ipſi ignorantiæ aut paſſioni. Difficile tamen capitur, quòd idem numero peccatum non interruptum, per omnia prædicta diſcurrat. 11. Dubitatio reſolutio.

Ex ſolutione ad 2. præſentis articuli habes excluſam ſententiam OKami, Majoris, & aliorum, quos refert Alvarez diſp. 165. qui exiſtimarunt, peccatum ex certa malitia in eo conſiſtere, quòd voluntas eligat malum ſub ratione mali, ſeu in quantum malum eſt: quod eſt impoſſibile. Nam objectum motivum adæquatũ voluntatis eſt bonum in quantum bonum, atque adeo repugnat, ut in aliquid ſub ratione mali, vel ſub alia, quàm ſub ratione boni feratur: de quo vide Complutenſes lib. 2. Phyſic. diſp. 14. quæſt. 3. Et propterea ait D. Thom. quòd nemo reſpiciens ad malum operatur, quia malum non poteſt eſſe per ſe intentum. Quare in peccato ex malitia licèt voluntas eligat illud, quod ſcitur eſſe malum, non tamen eligit in quantum malum, ſed in quantum utile vel ad vitandum aliquid, quod ſibi apparet malum; vel ad aſſequendum aliquod apparens bonum. ¶ Habes etiam ex eadem ſolutione, quòd ut aliquid malum cenſeatur volitum, prout exigitur ad rationem peccati, non opus eſt 12. Falſa opinio excluditur.

Digitized by Google

eſt, quòd voluntas expreſsè illud velit: ſed ſufficit, quòd propoſitis his duobus *vel in tale malum incurrere, vel aliquo temporali bono privar*, non hoc præeligat: ſeu non illud magis refugiat. Sicut propoſitis peccatori *vel malitiam, & Dei offenſam incurrere, vel privari aliqua delectatione*, ſatis eſt ad hoc ut dicatur velle malitiam & offenſam, quòd non plus timeat, & refugiat has incurrere quã illa carere: quantumvis ore tenùs ipſam offenſam & malitiam ſe dicat reſpuere. Quod confirmat illa, quæ diſp. præced. dub. 3. circa peccata commiſſa ex ignorantia, & diſp. 11. num. 55. circa delectationem moroſam diximus.

ARTICVLVS. II.

Vtrum quicunque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd non omnis, qui peccat ex habitu, peccet ex certa malitia. Peccatum enim, quod eſt ex certa malitia, videtur eſſe graviſſimum: ſed quandoque homo aliquod leve peccatum committit ex habitu, ſicut cum dicit verbum otioſum: non ergo omne peccatum, quod eſt ex habitu, eſt ex certa malitia.

2. Prætereà: actus ex habitu procedentes ſunt ſimiles actibus, ex quibus habitus generantur ut dicitur in 2. Ethic. Sed actus præcedentes habitum vitioſum non ſunt ex certa malitia: ergo etiam peccata, quæ ſunt ex habitu, non ſunt ex certa malitia.

3. Præterea: in his quæ aliquis ex certa malitia committit, gaudet poſtquam commiſit, ſecundum illud Proverb. 2. Qui lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis: & hoc ideo, quia unicuique eſt delectabile, cum conſequitur id, quod intendit, & qui operatur, quod eſt ei quodammodo connaturale ſecundum habitum: ſed illi, qui peccant ex habitu, poſt peccatum commiſſum dolẽt: pœnitudine enim replentur pravi, id eſt, habentes habitum vitioſum, ut dicitur in 9. Ethic. ergo peccata, quæ ſunt ex habitu, non ſunt ex certa malitia.

Sed contra: peccatum ex certa malitia dicitur eſſe, quod eſt ex electione mali: ſed unicuique eſt eligibile id, ad quod inclinatur per proprium habitum, ut dicitur in 6. Ethic. de habitu virtuoſo: ergo peccatum, quod eſt ex habitu, eſt ex certa malitia.

Reſpondeo dicendum, quòd non eſt idem peccare habentem habitum, & peccare ex habitu. Uti enim habitu non eſt neceſſarium, ſed ſubjacet voluntati habentis: unde & habitus diffinitur eſſe, quo quis utitur cum voluerit: & ideo ſicut poteſt contingere, quod aliquis habens habitum vitioſum, prorumpat in actum virtutis, eò quod ratio non totaliter corrumpitur per malum habitum, ſed aliquid ejus integrum manet, ex quo provenit, quod peccator aliqua operatur de genere bonorum: ita etiam poteſt contingere, quòd aliquis habens habitum vitioſum, interdum non ex habitu operetur, ſed ex paſſione inſurgente, vel etiam ex ignorantia: ſed quandocũque utitur habitu vitioſo, neceſſe eſt, quòd ex certa malitia peccet, quia unicuique habenti habitum eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundum proprium habitum: quia ſic fit ei quodammodo connaturale, ſecundum quòd conſuetudo & habitus vertitur in naturam: hoc autem, quod eſt alicui conveniens ſecundum habitum vitioſum, eſt id, quod excludit bonum ſpirituale; ex quo ſequitur, quòd homo eligat malum ſpirituale, ut adipiſcatur bonum, quod eſt ei ſecundum habitum conveniens: & hoc eſt ex certa malitia peccare. Unde manifeſtum eſt, quòd quicunque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccata venialia non excludunt bonũ ſpirituale, quod eſt gratia Dei, vel charitas: unde non dicuntur mala ſimpliciter, ſed ſecundum quid: & propter hoc nec habitus ipſorum poſſunt dici ſimpliciter mali, ſed ſecundum quid.

Ad ſecundum dicendum quòd actus, qui procedunt ex habitibus, ſunt ſimiles ſecundum ſpeciem actibus, ex quibus habitus generantur: differunt tamen ab eis ſicut perfectum ab imperfecto: & talis eſt differentia peccati, quod committitur ex certa malitia ad peccatum, quod committitur ex aliqua paſſione.

Ad tertium dicendum, quòd ille, qui peccat ex habitu, ſemper gaudet de hoc, quod ex habitu operatur, quandiu habitu utitur: ſed quia poteſt habitu non uti, ſed per rationem, quæ non eſt totaliter corrupta, aliquid aliud meditari, poteſt contingere,

quòd non utens habitu doleat de hoc, quod per habitum commiſit: plerunque tamen tales pœnitent de peccato, non quia eis peccatum ſecundum ſe diſpliceat, ſed propter aliquod incommodum, quod ex peccato incurrunt.

Prima Conclusio.

Poteſt contingere, ut habens habitum vitioſum non ex habitu operetur, ſed ex paſſione, vel ignorantia: & tunc non peccabit ex certa malitia.

Secunda Conclusio.

Quicunque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia.

Commentarius.

1. Duplex difficultas. Quamvis nihil hujus articuli obſcuritatem contineat, quod proinde egeat expoſitione: tria tamen difficultatem offerunt, quæ breviter examinabimus. Primò circa primam concluſionem, an ſit ita quòd habens habitum vitioſum, & peccans circa objectum illius, poſſit non uti tali habitu in illo peccato? Diximus *& peccans circa objectum illius*, &c. quia ſi peccatum ſit circa alia objecta, omninóque extra objectum habitus, perſpicuum eſt, hunc non poſſe in illud influere. Secundò circa ſecundam concluſionem, an ſit univerſalis, ita ut quomodocunque aliquis utatur habitu ad peccandum, peccet ex malitia: ſive talis habitus ſit in voluntate, ſive in alia potentia? Contra primum ratio dubitandi eſt: quia tam in beatis quàm in damnatis fieri non poteſt, ut quoties operantur circa aliquod objectum (etiam ſi operentur liberè) non utantur habitu reſpiciente illud objectum: quippe nec beati agunt niſi ex virtute, nec damnati niſi ex malitia: ergo nec viatores habentes habitum, ſive malum, ſive bonum, poterunt non uti ipſo, quoties agunt circa ejus objectum. ¶ Deinde ſi ad uſum alicujus habitus non eſt ſatis, quòd voluntas circa ejus objectum operetur, aſſignandum eſt quid aliud requiratur: ſed hoc non eſt aſſignabile: ergo, &c. *(Rationes dubitandi.)*

Nec refert ſi dicas, requiri actum reflexum, quo voluntas expreſsè velit uti tali habitu. ¶ Nam contra eſt, quia neque D. Thom. neque alius hactenus requiſivit talem actum reflexum ad prædictum uſum. Tum etiam quia ſine hac reflexione ille, qui habet habitum, operatur promptiùs & faciliùs, quàm qui illum non habet: ſed promptitudo & facilitas ſunt ex uſu habitus: ergo ſuperflua eſt illa reflexio ad prædictum uſum.

2. Pro vera doctrina animadverſio. Nihilominus doctrina D. Thomæ eſt omnino vera & communis inter eius diſcipulos: licèt quidam alij repugnent. Ad cujus intelligentiam nota, hîc non eſſe ſermonem de quibuſdam habitibus, qui per modum naturæ & ſine libertate determinant potentiam: ſicut lumen gloriæ determinat intellectum ad viſionem claram Dei, & charitas patriæ ad amorem beatificum. Sed loquimur de habitibus, qui ſunt principia actuum moralium & liberorum ſive vitij, ſive virtutis: nam de his procedit diffinitio adducta à D. Thoma, *Habitus eſt, quo quis utitur, cum voluerit.* Ex hac autem diffinitione, & ex aliis, quæ circa vitium & virtutem moralem dici ſolent; ut *quod eſt habitus electivus, quod de principali importat ordinem ſubiectionis ad voluntatem, quod eius actus debet elici ſcienter, & ex electione, & propter ipſum* (ideſt) *propter illud, quod eſt obiectum proprium ipſius habitus in quantum tale*, &c. debemus colligere, quòd uſus cujuſlibet iſtorum habituum debet incipere à voluntate per electionem, qua ſcienter, & quaſi ex induſtria velit obiectum talis habitus, ſecundùm quòd obiectum ejus eſt: unde nulla operatio, quæ præcedat hujuſmodi ſcientiam & electionem, aut ex ea non ſit, erit ex habitu.

Deinde nota, quòd dum quis agit motus ex paſſione appetitus ſenſitivi, quamvis operetur circa illud, quòd eſt objectum alicujus habitus vitioſi, non operatur propriè ex electione talis objecti, ſecundùm quòd eſt vitioſum, & malum, atque adeo ſecundùm quòd eſt obiectum prædicti habitus: quia paſſio obnubilat intellectum, ut non ſatis deprehendat ibi & tunc malitiam & diſſonantiam talis objecti: cum tamen ad agendum propriè ex electione objecti habitus, ſecundùm quòd tale objectum eſt, neceſſaria ſit expreſſa & clara cognitio deformitatis & malitiæ. Tunc enim propriè dicitur aliquis operari malum ex electione, quando eligit quod ſcit eſſe malum, nullo tegète aut diſſimulante malitiam. Et idem eſt, cum operatio fit ex ignorantia: quia etiam tunc velata malitia objecti per ignorantiam *iuris* vel *facti*, non verificatur propriè, quòd voluntas ſcienter & ex electione tendat in malum. Quare in nullo iſtorum caſuum operatio elicietur ab habitibus. Sed tunc ſolùm quando voluntas motu proprio, & ex certa ſcientia (ut ſic dicamus) fertur ad objectum diſſonum. *(Alia.)*

3. Veritas D. Tho. Hinc autem liquet, quomodo etſi quis habeat habitum vitioſum, operetur circa illud, quod aliàs eſt objectum talis habitus, non eſt neceſſe utatur ipſo habitu: quia poteſt operari ex ignorantia vel paſſione, quæ uſum habitus interdicunt. Fatemur autem, quòd ſi voluntas ex electione & ſcientia modo dicto operetur, eo ipſo utetur habitu, ſi iſte adſit: quia ad ejus uſum nihil aliud requiritur, quàm prædictus modus agendi ex certa ſcientia & ex electione. Neque hoc negat D. Thom. ſed ſufficienter ſalvatur ejus doctrina per hoc quòd voluntas quando agit ex ignorantia vel paſſione, non utatur habitu, licèt habeat illum; quamvis id non poſſit ex ſuppoſitione quòd velit ſcienter & ex electione circa objectum ejus operari.

Ad rationes dubitandi. Et per hoc patet ad primam rationem dubitandi. Nam beati, in quibus neque ignorantia, neque paſſio locum habet, ſemper operantur bonum ſcienter & ex electione, & ita ſemper uti debent habitu virtutis. Sicut etiam damnati ſemper utuntur habitu vitioſo,

quia

Digitized by Google

quia in omnibus ſuis actibus ſcienter & ex induſtria malum eligunt. ¶ Ad ſecundam reſpondetur ex dictis, nec ſufficere ad hoc ut voluntas utatur aliquo habitu, operari ut cunque circa ejus objectum, nec requiri volitionem illam reflexam: ſed ſufficit & requiritur, quòd per volitionem ſive directam ſive reflexam tendat in tale objectum ſcienter & ex propria electione: Quod quia non invenitur in peccatis ex ignorantia vel paſſione, ut explicatum eſt, ideo neque voluntas ad ea utitur habitu.

4. Replica. Sed urgebis: quia juxta commune proloquium in repentinis operamur ſecundùm habitum: at tunc, ut plurimum, non operamur ex electione & certa ſcientia, ſed vel ex inadvertentia, vel ex paſſione: ergo quòd operatio ſit ex iis principiis, non tollit quominus ſit ex habitu. ¶ Confirmatur: nam videmus, illum, qui habet habitum jurandi falſum, faciliùs id committere, etiam ſine advertentia, quàm qui non habet talem habitum: ergo inadvertentia vel ignorantia non impedit uſum habitus.

Enodatur primò. Reſpondetur primò, aliud eſſe operari ſecundum habitum: aliud verò operari ex habitu: hoc enim poſterius dicit uti ipſo habitu ad agendum, quem uſum tollit inadvertentia, quæ in repentinis eſſe ſolet. Illud autem prius ſolùm denotat, quòd tunc frequentius & facilius prorumpimus in ea, quorum habemus habitum, aut in eis ſimilia, etiam non utendo habitu. Ut patet in phreneticis, qui adhuc poſt amiſſum uſum rationis (quo tempore nulla exiſtente libertate, perſpicuum eſt, eos non uti habitibus vitij aut virtutis) illa frequentiùs repetunt, quorum priùs intenſiores habeant habitus. Non eſt ergo ſufficiens ſignum uſus alicujus habitus ea promptitudo & facilitas, quam in repentinis experimur; licèt ſit ſignum exiſtentiæ talis habitus. Unde verò illa proveniat, diximus & exemplis declaravimus in tract. de virtutibus diſp. 1. num. 19. & num. 23. & 24. ubi diſtinximus *facilitatem per ſe*, quæ provenit directè ex uſu habitus, & *facilitatem per accidens*, quæ orta fuit ex remotione impedimentorum, dum acquiretur habitus, ſentitúrque, etiam cum habitus non influit, in operibus materialiter ſimilibus iis, qui fierent ex habitu. Et talis eſt facilitas, quam experimur in repentinis; experiuntúrque illi, qui propter habitum peierandi ſucceſſu temporis acquiſitum, frequenter in periuria ex inadvertentia labuntur: quia licèt habitus tunc directè non influat in ea periuria propter inadvertentiam; influit tamen per accidens remotio impedimentorum voluntariè facta, dum habitus acquireretur. Per quod patet ad confirmationem.

Alia ſolutio. Secundo ad replicam reſpondetur, repentina, in quibus ſecundum habitum operamur (ſi hoc denotet operari ex habitu) non excludere cognitionem ſufficientem ad agendum ſcienter & ex electione: ſed dicimur repentè operari, quia ſemel acquiſito habitu, non opus eſt ad convincendam voluntatem, ut libenter operetur multitudine rationum, aut earum expenſione: qua tamen eſſet opus, ſi habitus non fuiſſet acquiſitus. Quæ eſt doctrina D. Thomæ quæſt. 24. de Veritate art. 12. ubi ait. *Nec hoc* (ſcilicet quòd in repentinis utimur habitu) *eſt intelligendum quòd operatio ſecundum habitum virtutis poſſit eſſe omnino abſque deliberatione, cum virtus ſit habitus electivus: ſed quia habenti habitum iam eſt in eius electione finis determinatus: unde quandocunque aliquid occurrit ut conveniens illi fini, ſtatim eligitur, niſi ex aliqua attentiori & majori deliberatione impediatur.*

Ad ſecundam difficultatem. Salas in præſenti diſp. 9. ſect. 7. citans pro ſe Azorium, reſpondet negativè quantum ad habitus ſenſitivi appetitus. Quia cum aliquis operatur ex hujuſmodi habitibus, ipſi habitus (ait ille) non concurrunt niſi eliciendo ſuum actum, qui eſt aliqua paſſio ejuſdem appetitus: ergo qui peccat ex prædictis habitibus, potius delinquit ex paſſione, quàm ex certa malitia. Et licèt hæc doctrina ita univerſaliter probata, communiter diſpliceat diſcipulis D. Thomæ; pro aliquo tamen caſu fore admittendam, cenſet Alvarez in præſenti, ubi hæc ait. *Fateor tamen, quòd ſi paſſio eſſet vehemens, & oriretur ex pravo habitu abſque deliberatione voluntatis, peccatum ex illa ſubſequutum diceretur ex paſſione: quoniam licèt habitus concurrat ad tale peccatum; non tamen concurrit formaliter tanquam primum principium peccati: quia non concurrit ex voluntatis electione.* Sed neutrum placet: quia D. Thom. univerſaliter ſtatuens, peccatum ex habitu peccare ex certa malitia, comprehendit etiam habitus ſenſitivi appetitus: ut videre eſt quæſt. 3. de mal. art. 12. ad 12. & in 2. diſt. 43. quæſt. unica art. 2. & alibi; neque ab ea doctrina aliquando exceptionem admiſit: Non autem admitti debere, ſuadet manifeſta ratio: quia ut nuper dicebamus, habitus, ubicunque ſit, non prorumpit in actum, niſi applicetur à voluntate ut agente ex electione & certa ſcientia: ſi autem ita applicatur, jam ejus operatio, ſive ſit paſſio, ſive quævis alia, eſt conſequens ad malitiam, & electionem voluntatis: atque adeo non tollit quominus totus proceſſus illius peccati ſit ex certa malitia. Quæ doctrina procedit etiam in caſu exceptionis, quam admittit Alvarez. Nam vel illa paſſio, quæ dicitur vehemens & perturbans rationem, antecedit & cauſat electionem voluntatis; vel ſubſequitur & cauſatur ex illa? Si primum, non erit paſſio elicita ab habitu vitioſo, quia uſus habitus ſemper ſubſequitur prædictam electionem, ut paulò ante declaratum eſt. Si ſecundum, non impediet quominus peccatum illud ſit ex malitia, aut faciet quòd ſit ex paſſione: quandoquidem non hæc, ſed illa fuit initium talis peccati. Quare dicendum eſt, doctrinam prædictæ ſecundæ aſſertionis omnino univerſalem eſſe. 5. Secunda difficultas. Prior modus dicendi Alvar. Improbatur: & eligitur veritas.

Sed urgebis: quia ut voluntas peccet ex habitu, neceſſe eſt, quòd ipſe habitus, & ejus influxus præcedat tanquam movens & inducens voluntatem ad eligendum: ergo prior debet eſſe uſus & operatio habitus, quàm electio voluntatis: ſi igitur habitus ſit appetitus ſenſitivi, cujus operatio eſt paſſio, neceſſe erit ut talis paſſio præcedat electionem voluntatis, & nihilominus ſit ex 6. Objectio.

Doctrina pro ſolutione. Reſpondetur animadvertendo ex Curiele in commentatio hujus articuli; & ex doctrina Cajetani art. ſequenti, quòd habitus in appetitu exiſtens, dupliciter concurrit ad peccatum, quod ex illo geri dicitur: videlicet effectivè, & diſpoſitivè. Effectivè concurrit, quatenus unà cum ipſo appetitu elicit actum peccaminoſum: quam efficientiam non præſtat niſi eſt libera voluntatis applicatione: & ita habitus quantum ad iſtum concurſum non antecedit, ſed omninò ſubſequitur electionem voluntatis. Diſpoſitivè verò concurrit, quatenus dum habitualiter & permanenter informat ſuppoſitum ſecundum aliquam ejus potentiam, quodammodo vertitur illi in naturā: hácque ratione eſt cauſa vel occaſio, ut intellectus judicet conſonum & conveniēs ipſi ſuppoſito, quicquid eſt juxta talem habitum. Cum enim partes & potentiæ ſint propter totum, eidem toti congruit, quod congruit alicui ſuarum partium vel potentiarum. Ex eo autem quod intellectus ſic judicet, voluntas quoque ex ſe abſque alio impellente ſic eligit: nam cùm naturaliter ſit appetitus totius, & nō tantùm hujus vel illius partis, ſuapte natura inclinatur ad eligendum non modò juxta propriam, vel hujus, aut illius partis diſpoſitionem, ſed etiam juxta diſpoſitionem totius, & quarumlibet partium. Hoc igitur pacto quicunque habitus exiſtit in homine, ſive afficiat immediatè voluntatem, ſive aliam potentiam; etiam priuſquam aliquem actum vel paſſionem eliciat, concurrit diſpoſitivè & occaſionaliter ad hoc ut volūtas ex ſe ipſa & ex propria inclinatione eligat objectum talis habitus: & ex hac electione utatur prædicto habitu, illúmque applicet ut eliciat actum circa tale objectum. Falſo ergo ait Salas, quòd cum voluntas peccat ex habitu exiſtente in appetitu ſenſitivo, talis habitus ſolùm concurrit eliciendo ſuum actum, qui eſt paſſio ejuſdem appetitus: nam revera antecedenter ad hunc concurſum effectivum, & ad paſſionem ibi intervenientem, exercet prædictus habitus immediatè per ſe ipſum influxum diſpoſitivum, quem dicimus, & ratione iſtius dicitur voluntas moveri ex habitu ad peccandum ex propria electione, & ante omnem paſſionem.

7. Replica. Dices, hinc fieri ut etiam ille, qui peccat ex paſſione, peccet ex certa malitia: quia etiam paſſio diſpoſitivè & occaſionaliter eſt cauſa, ut intellectus judicet conveniens objectum, quod eſt ſecundum ipſam paſſionem, ex hocque judicio moveatur voluntas.

Reſpondetur eſſe diſparem rationem. nam habitus eſt aliquid permanens, & habet ſe propriè ut forma ſuppoſiti, in quo eſt, verſa quodammodo illi in naturam: unde quòd voluntas ex tali habitu, & ex judicio habitui conſono, moveatur ad eligendum, non eſt aliud quàm moveri ex ſe ipſa, & ex inclinatione: quam habet ad ea, quæ congruunt naturæ ſuppoſiti, & potentiarum ejus. Paſſio autem non eſt propriè forma ſuppoſiti, quia non reſpicit illud ad informandum: neque vertitur illi in naturam; ſed eſt quiddam fluens, & motus in aliud: unde ex eo quòd aliquid ſit juxta paſſionem, non eo ipſo habet eſſe juxta ſuppoſiti vel ejus partium naturam: atque adeo nec voluntas fertur in illud ut mota omnino ex propria inclinatione ad ea, quæ prædictæ naturæ congruunt; ſed ut agitata & impulſa velut ab extraneo ab ipſa paſſione.

Accedit, quòd habitus cum ſit forma permanens, & in eſſe quieto: non perturbat rationem illo ſuo influxu diſpoſitivo: neque proinde tollit quominus voluntas omnino ſcienter, & ex propria perverſitate malum eligat: quantò enim cognitio ducens voluntatem fuerit clarior, tantò voluntas magis ex ſe, ſuáque ſponte tendit in rem cognitam, quaſi ſublato per ipſam claritatem omni eo obſcuritatis vel neſcientiæ, quod voluntati in ſuo proprio motu obſtaculo eſſe poterat; paratáque via ad propriam inclinationem, donúmque propriæ libertatis ſuaviter exercenda. E contra verò paſſio propter motum, & inquietudinem rationem perturbat & obnubilat, adeóque impedit, ne voluntas ita ſcienter, atque ex propria electione & pondere in malum feratur, ſicut requiritur ad peccandum ex certa malitia. ¶ Addit etiam D. Thom. art. 4. hujus quæſt. ad 2. *quòd impulſio, quæ eſt ex paſſione, eſt quaſi ex exteriori defectu reſpectu voluntatis: ſed per habitum inclinatur voluntas quaſi ab interiori: unde non eſt ſimilis ratio.* Videatur etiam quæſt. 2. de mal. circa finem corporis, & in ſolutione ad quintum. D. Thom.

In ſolutione ad ſecundum præſentis articuli docet non obſcurè D. Thom. actus peccaminoſos procedentes ex paſſione generare habitum vitij: quod omnino ſubticuit de actibus procedentibus ex ignorantia. Fortè inter utroſque eſt diſparitas quantum ad prædictam cauſalitatem.

ARTICVLVS III.

Vtrum ille, qui peccat ex certa malitia, peccet ex habitu?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd quicunque peccat ex certa malitia, peccet ex habitu. Dicit enim Philoſophus in 5. Ethic. quod non eſt cujuſlibet injuſta facere, qualiter injuſtus facit, ſcilicet ex electione, ſed ſolùm habentis habitum: ſed peccare ex certa malitia eſt peccare ex electione mali, ut dictum eſt: ergo peccare ex certa malitia non eſt niſi habentis habitum.

2. Præterea: Origenes dicit in 1. Periarchon, quòd non ad ſubitum quis evacuatur aut deficit, ſed paulatim per partes defluere neceſſe eſt: ſed maximus defluxus eſſe videtur, ut aliquis ex certa malitia peccet: ergo non ſtatim à principio, ſed per multam conſuetudinem

Digitized by Google

dinem, ex qua habitus generari poteſt, aliquis ad hoc devenit, ut ex certa malitia peccet.

3. Præterea: quandocunque aliquis ex certa malitia peccat, oportet quòd ipſa voluntas de ſe inclinetur ad malum, quod eligit: ſed ex natura potentiæ non inclinatur homo ad malum, ſed magis ad bonum: ergo oportet ſi eligit malum, quòd hoc ſit ex aliquo ſupervenienti, quod eſt paſſio vel habitus: ſed quando aliquis peccat ex paſſione, non peccat ex certa malitia, ſed ex infirmitate, ut dictum eſt: ergo quandocunque aliquis peccat ex certa malitia, oportet quòd peccet ex habitu.

4. Sed contra: ſicut ſe habet habitus bonus ad electionem boni, ita habitus malus ad electionem mali: ſed quandoque aliquis non habẽs habitum virtutis, eligit id, quod eſt bonum ſecundum virtutem: ergo etiam quandoque aliquis non habens habitum vitioſum, poteſt eligere malum; quod eſt ex certa malitia peccare.

Reſpondeo dicendum, quod voluntas aliter ſe habet ab bonum, & aliter ad malum: ex natura enim ſuæ potentiæ inclinatur ad bonum rationis, ſicut ad proprium objectum: unde & omne peccatum dicitur eſſe contra naturam: quòd ergo in aliquod malum voluntas eligendo inclinetur, oportet quòd aliunde contingat. Et quandoque quidem cõtingit ex defectu rationis, ſicut cum aliquis ex ignorantia peccat. Quandoque autem ex impulſu appetitus ſenſitivi, ſicut cum peccat ex paſſione: ſed neutrum horum eſt ex certa malitia peccare, ſed tunc ſolùm ex certa malitia aliquis peccat, quando ipſa voluntas ex ſe ipſa movetur ad malũ: quod poteſt cõtingere dupliciter. Vno quidem modo per hoc, quòd homo habet aliquam diſpoſitionem corruptam inclinantem ad malum, ita quòd ſecundum illam diſpoſitionem ſit homini quaſi conveniens & ſimile aliquod malum: & in hoc ratione convenientiæ tendit voluntas quaſi in bonum: quia unumquodque ſecundum ſe tendit in id, quod ſibi eſt conveniens: talis autem diſpoſitio corrupta vel eſt aliquis habitus acquiſitus ex conſuetudine, quæ vertitur in naturam: vel eſt aliqua ægritudinis habitudo ex parte corporis, ſicut aliquis habens quaſdam naturales inclinationes ad aliqua peccata propter corruptionem naturæ in ipſo. Alio modo contingit, quòd volũtas per ſe tẽdit in aliquod malum per remotionem alicujus prohibentis, puta ſi aliquis prohibeat peccare, non quia peccatum ei ſecundum ſe diſpliceat, ſed propter ſpem vitæ æternæ, vel propter timorem gehennæ: remota ſpe per deſperationem, vel timore per præſumptionem, ſequitur, quòd ex certa malitia quaſi abſque fræno peccet. Sic igitur patet, quòd peccatum, quod eſt ex certa malitia, ſemper præſupponit in homine aliquam inordinationem, quæ tamen non ſemper eſt habitus: unde non eſt neceſſarium, quòd quicunque peccat ex certa malitia, peccet ex habitu.

Ad primum ergo dicendum, quòd operari qualiter injuſtus operatur, non ſolùm eſt operari injuſta ex certa malitia, ſed etiam delectabiliter & ſine gravi reniſu rationis, quod non eſt niſi ejus, qui habet habitum.

Ad ſecundum dicendum, quòd non ſtatim hoc aliquis labitur, quod ex certa malitia peccet: ſed præſupponitur aliquid, quod tamen non ſemper eſt habitus, ut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd illud, per quod voluntas inclinatur ad malum, non ſemper habitus eſt, vel paſſio, ſed quiddam aliud, ut dictum eſt.

Ad quartum dicendum, quòd non eſt ſimilis ratio de electione boni, & de electione mali: quia malum numquam eſt ſine bono naturæ; ſed bonum poteſt eſſe ſine malo culpæ perfectæ.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatum ex certa malitia ſemper præſupponit in homine aliquam inordinationem; quæ tamen non ſemper eſt habitus: ſed poteſt eſſe vel aliqua habitualis ægritudo ex ipſa corporis complexione, vel remotio alicujus impedientis peccatum.

SECUNDA CONCLUSIO.

Non eſt neceſſe, quòd quicunque peccat ex certa malitia, peccat ex habitu.

Digitized by Google

Commentarius.

HÆc ſecunda concluſio ab omnibus ſine diſcrimine recipitur. Circa primam verò eſt difficultas : quia non ſatis apparet, quomodo ægritudinalis habitudo, quæ vel ex mala complexione, vel aliunde reſidet in corpore, conferat ut voluntas occaſione ejus peccans, peccet ex certa malitia. Imo potius dum ita peccat, videtur peccare ex infirmitate, ſeu paſſione. Quia talis ægritudo non aliter ad peccandum inducit, quàm excitando in appetitu ſenſitivo aliquam paſſionem inordinatam, juxta complexionis vel ægitudinis conditionem: unde oritur, ut quidam faciliùs inclinentur ad iram & vindictam, alij ad invidiam, alij ad luxuriam, &c. Hanc difficultatem ſolvit optimè Cajetanus in commentario præſentis articuli, cui nihil addere opus eſt. Niſi velis recolere, quod in præcedenti commentario diximus circa habitus appetitus ſenſitivi. Qua enim ratione hujuſmodi habitus, eò quòd afficiunt ſuppoſitum permanenter & in modum naturæ, licèt non reſideant in voluntate, poſſunt eam movere occaſionaliter & diſpoſitivè, etiam antecedenter ad paſſionem, & operationem ipſorum habituum: eadem quoque ratione prædicta ægritudinalis habitudo priuſquam paſſionem in appetitu excitet, poteſt diſpoſitivè & occaſionaliter movere voluntatem, ut ſcienter, & ex proprio motu eligat, quod eſt juxta talem ægritudinem, & juxta paſſionem illi conſonam.

D. Tho. Dubitant etiam nonnulli, an voluntas ita de ſe inclinetur ad bonum, ut ſemper ad peccandum indigeat aliqua inordinatione ſuperaddita, ſive in ipſa voluntate, ſive alibi exiſtente: an verò poſſit ex ſe ipſa pro ſua tantùm defectibilitate, & arbitrij vertibilitate in peccatum prorumpere? Quod enim hoc non poſſit, videtur aſſignari in hoc articulo, cum dicitur, quòd quia voluntas ex natura ſuæ potentiæ inclinatur ad bonum ſicut ad proprium objectum; hoc quod eſt inclinari ad malum eligendo illud, oportet quòd aliunde contingat. Oppoſitum autem inſinuat S. Doctor etiam in præſenti, dum ait, peccatum ex malitia poſſe contingere per ſolam remotionem alicujus prohibentis, v. g. timoris, quo quis retrahebatur à peccato: ſi autem voluntas ex ſe ipſa independenter à qualibet alia diſtincta inordinatione, non haberet ſufficientem vim ad influendum in peccatum, nequaquam id poſſet per ſolam remotionem prohibentis: quemadmodum niſi lapis ex ſe haberet ſufficientem vim ad deſcendendum ratione gravitatis; quantumcunque removerentur prohibentia, non deſcenderet. Clarius id docet 2.2. quæſt. 14. art. 4. ubi tenet, poſſe hominem primò peccare contra Spiritum ſanctum, ſeu ex certa malitia, ſine eo quòd ex
D. Tho. aliquo præcedente inducatur; ſed propter ſolam arbitrij defectibilitatem & debilem effectum erga bonum, licèt communiter non ſic contingat. Vnde inter alia ſic ait. *Ex certa autem malitia dupliciter peccare contingit. Vno modo ex inclinatione habitus, quod non eſt propriè peccare in Spiritum ſanctum: & hoc modo peccare ex certa malitia non contingit à principio: oportet enim, actus peccatorum præcedere, ex quibus cauſetur habitus ad peccandum inclinans. Alio modo poteſt aliquis peccare ex certa malitia, abiiciendo per contemptum ea, per quæ homo retrahitur à peccato: quod propriè eſt peccare in Spiritum ſanctum. Et hoc etiam plerunque præſupponit alia peccata. Poteſt tamen contingere, quòd aliquis in primo actu peccati in Spiritum ſanctum peccet per contemptum, tum propter libertatem arbitrij, tum etiam propter aliquas diſpoſitiones præcedentes, vel etiam propter aliquod vehemens motivum ad malum, & debilem affectum hominis ad bonum.* En quomodo non coarctat doctrinam ad ſolas diſpoſitiones, vel deordinationem præcedentes; ſed extendit ad plures alias cauſas. Quare concluſio hujus articuli, ubi dicitur, voluntatem non inclinari ad eligendum malum, niſi ex aliqua inordinatione præcedente, intelligenda eſt regulariter & ut in plurimum; non omnino univerſaliter. Ut enim idem Ang. Doctor habet in 2. diſt. 43. art. 5. in peccatis, & eorum origine aut principio *non conſideratur quid ſemper fiat; ſed quid in pluribus contingat.* Videatur infra quæſt. 84. art. 1. ad 3.

ARTICVLVS IV.

Utrum ille, qui peccat ex certa malitia graviùs peccet, quàm qui ex paſſione?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd ille, qui peccat ex certa malitia, non peccet grauiùs, quàm ille, qui peccat ex paſſione. Ignorantia enim excuſat peccatum vel in toto, vel in parte: ſed major eſt ignorantia in eo, qui peccat ex certa malitia, quàm in eo, qui peccat ex paſſione: nam ille, qui peccat ex certa malitia, patitur ignorantiam principij, quæ eſt maxima, ut Philoſophus dicit in 7. Ethic. habet enim malam exiſtimationem de fine, qui eſt principium in operativis: ergo magis excuſatur à peccato, qui peccat ex certa malitia, quàm ille, qui peccat ex paſſione.

2. Præterea: quanto aliquis habet majus impellens ad peccandum, tantò minus peccat, ſicut patet de eo, qui majori impetu paſſionis deiicitur in peccatum: ſed ille, qui peccat ex certa malitia impellitur ab habitu, cujus eſt fortior impulſio, quàm paſſionis: ergo ille, qui peccat ex habitu, minùs peccat, quàm ille, qui peccat ex paſſione.

3. Præterea:

3. Præterea: peccare ex certa malitia eſt peccare ex electione mali: ſed ille, qui peccat ex paſſione, etiam eligit malum: ergo non minùs peccat, quam ille, qui peccat ex certa malitia.

Sed contra eſt, quòd peccatum, quod ex induſtria committitur, ex hoc ipſo graviorem pœnam meretur, ſecundum illud Iob. 34. Quaſi impios percuſſit eos in loco videntium, qui quaſi de induſtria receſſerũt ab eo: ſed pœna non augetur niſi propter gravitatem culpæ: ergo peccatum ex hoc aggravatur, quod eſt ex induſtria, ſeu certa malitia.

Reſpondeo dicendum, quòd peccatum, quod eſt ex certa malitia, eſt gravius peccato, quod eſt ex paſſione, triplici ratione. Primò quidem, quia cum peccatum principaliter in voluntate conſiſtat, quanto motus peccati eſt magis propius voluntati, tantò peccatum eſt gravius, cæteris paribus: cum autem ex certa malitia peccatur, motus peccati eſt magis propius voluntati, quæ ex ſe ipſa in malum movetur, quàm quando ex paſſione peccatur, quaſi ex quodam extrinſeco impulſa ad peccandum. Vnde peccatum ex hoc ipſo, quod eſt ex malitia, aggravatur & tantò magis, quantò fuerit vehemẽtior malitia: ex eo verò, quod eſt ex paſſione, diminuitur tantò magis, quãtò paſſio fuerit magis vehemens. Secundo, quia paſſio, quæ inclinat voluntatem ad peccandum, citò tranſit, & ſic homo citò redit ab bonum propoſitum pœnitens de peccato: ſed habitus, quo homo ex malitia peccat, eſt qualitas permanens, & ideo qui ex malitia peccat, diuturniùs peccat. Vnde Philoſophus in 7. Ethic. comparat intemperatum, qui peccat ex malitia, infirmo, qui continuè laborat; incontinentem autẽ, qui peccat ex paſſione, ei, qui laborat interpolatè. Tertio, quia ille, qui peccat ex certa malitia: eſt malè diſpoſitus quantum ad ipſum finem, qui eſt principium in operabilibus: & ſic ejus defectus eſt periculoſior, quàm ejus qui ex paſſione peccat, cujus propoſitum tendit in bonum finem; licèt hoc propoſitum interrumpatur ad horam propter paſſionem. Semper autem defectus principij eſt peſſimus: unde manifeſtum eſt, quòd gravius eſt peccatum, quod eſt ex malitia, quàm quod eſt ex paſſione.

Ad primum ergo dicendum, quòd ignorantia electionis, de qua objectio procedit, neque excuſat, neque diminuit peccatum, ut ſupra dictum eſt: unde neque major ignorantia talis facit eſſe minus peccatum.

Ad ſecundum dicendum, quòd impulſio, quæ eſt ex paſſione, eſt quaſi ex exteriori defectu reſpectu voluntatis: ſed per habitum inclinatur voluntas quaſi ab interiori; unde non eſt ſimilis ratio.

Ad tertium dicendum, quòd aliud eſt peccare eligentem, & aliud peccare ex electione: ille enim, qui peccat ex paſſione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione; quia electio non eſt in eo primum peccati principium, ſed inducitur ex paſſione ad eligendũ id, quod extra paſſionem exiſtens non eligeret: ſed ille, qui peccat ex certa malitia, ſecundum ſe eligit malum eo modo, quo dictum eſt: & ideo electio, quæ eſt in ipſo, eſt principium peccati, & propter hoc dicitur ex electione peccare.

CONCLUSIO *eſt affirmativa.*

Et eſt intelligenda, cæteris paribus, ex parte objecti & circumſtantiarum; præter hoc quod eſt, peccatum oriri ex certa malitia, vel oriri ex paſſione. Vnde non eſt ſenſus, quòd omne peccatum ex certa malitia ortum, ſit gravius quocunque orto ex paſſione: quia poteſt objectum hujus eſſe ita grave; illius vero ita leve, ut exceſſus, vel defectus gravitatis proveniens ex iſto capite, præponderet illi, qui ſumitur ex conditione malitiæ, vel paſſionis.

Illud verò poſſet in præſenti dubitari, an, cæteris paribus & non intra idem genus, gravius ſit primum peccatum, quando nondum eſt habitus peccandi acquiſitus, quàm ſecundum, vel cætera, quæ ex conſuetudine proveniunt? Quod tractant Medina, & Alvarez in præſenti, ubi videri poſſunt. Eorum autem, & ſatis communis reſolutio eſt, ſecundum peccatum, cæteris paribus, ſuperare primum; & tertium ſecundum, ac ſic deinceps.

Solutio ad tertium hujus articuli, tollit quandam objectionem, quæ fieri potuit in præcedentibus commentariis, dum ſæpe repetivimus, illum peccare ex malitia, qui ex electione peccat. Videtur enim, quòd quicunque peccat ſaltem mortaliter, quovis modo, atque adeo ſive ex ignorantia, ſive ex paſſione, id efficiat, peccet ex electione: ſiquidem in quolibet mortali peccato debet intervenire conſenſus, & electio voluntatis. Hæc igitur objectio tollitur per prædictam ſolutionem, ubi dicitur, non eſſe idem peccare eligentem, & peccare ex electione: & utrunque declaratur.

QVÆSTIO LXXIX.

DE CAVSIS EXTERIORIBVS PECCATI, in quatuor Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſis exterioribus peccati. Et primò ex parte Dei. Secundò ex parte diaboli. Tertiò ex parte hominis. ¶ Circa primũ quæruntur quatuor.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit cauſa peccati?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd Deus ſit cauſa peccati, Dicit enim Apoſtolus Roman. 1. de quibuſdã: Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea: quæ non conveniũt. Et gloſſa ibidem dicit, quòd Deus operatur in cordibus hominum, inclinando voluntates eorum in quodcunque voluerit, ſive in bonum, ſive in malum: ſed facere quæ non conveniunt, & inclinari ſecundum voluntatem ad malum, eſt peccatum: ergo Deus hominibus eſt cauſa peccati.

2. Præterea: Sapient. 14. dicitur: Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum: ſed tentatio ſolet dici provocatio ad peccandum: cum ergo creaturæ non ſint factæ niſi à Deo (ut in primo habitum eſt) videtur quòd Deus ſit cauſa peccati, provocans hominem ad peccandum.

3. Præterea: quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa effectus: ſed Deus eſt cauſa liberi arbitrij, quod eſt cauſa peccati: ergo Deus eſt cauſa peccati.

4. Præterea: omne malum opponitur bono: ſed non repugnat divinæ bonitati, quòd ipſe ſit cauſa mali pœnæ: de iſto enim malo dicitur Iſa. 45. quòd Deus eſt creans malum. Et Amos 3. Si eſt malum in civitate, quod Deus non fecerit: ergo etiam divinæ bonitati non repugnat, quòd Deus ſit cauſa culpæ.

Sed contra: Sapient. 11. dicitur: Nihil odiſti eorum, quæ feciſti: odit autem Deus peccatum, ſecundum illud Sapient. 14. Odio eſt Deo impius, & impietas ejus: ergo Deus non eſt cauſa peccati.

Reſpondeo dicendum, quòd homo dupliciter eſt cauſa peccati, vel ſui, vel alterius. Vno modo directè, inclinando ſcilicet voluntatem ſuam, vel alterius ad peccandum. Alio modo indirectè, dum ſcilicet non retrahit aliquos à peccato. Vnde Ezech. 3. ſpeculatori dicitur: Si non dixeris impio, morte morieris, ſanguinem ejus de manu tua requiram. Deus autem non poteſt eſſe directè cauſa peccati, vel ſui, vel alterius: quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in Deum ſicut in finem. Deus autem omnia inclinat, & convertit in ſe ipſum ſicut in ultimum finem, ſicut Dionyſius dicit. 1. cap. de divin. nomin. Vnde impoſſibile eſt, quod ſit ſibi vel aliis cauſa diſcedendi ab ordine, qui eſt in ipſum; unde non poteſt directè eſſe cauſa peccati. Similiter etiam neque indirectè: contingit enim, quòd Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccata, quod ſi præberet non peccarent, ſed hoc totum facit ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ, cum ipſe ſit ſapientia & juſtitia. Vnde non imputatur ei, quòd alius peccet ſicut cauſæ peccati: ſicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis, ex hoc quòd non gubernat navem, niſi quando ſubtrahit gubernationem, potens & debens gubernare. Et ſic patet, quòd Deus nullo modo eſt cauſa peccati.

Ad primum ergo dicendum, quòd quantum ad verba Apoſtoli, ex ipſo textu patet ſolutio: ſi enim Deus tradit aliquos in reprobum ſenſum: jam ergo reprobum ſenſum habent ad faciendum ea, quæ non conveniunt;

dicitur

dicitur ergo tradere eos in reprobum ſenſum, in quantum non prohibet eos, quin ſuum ſenſum reprobum ſequantur, ſicut dicimur exponere illos, quos non tuemur. Quod autem Auguſtinus dicit in lib. de gra. & libe. arbit. unde ſumpta eſt gloſſa, quòd Deus inclinat voluntates hominum in bonum & malum, ſic intelligendum eſt, quòd in bonum quidem directè inclinat voluntatem: in malum autem, in quantum non prohibet, ſicut dictum eſt; & tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati.

Ad ſecundum dicendum, quòd cum dicitur: Creaturæ Dei factæ ſunt in odium, & in tentationem animæ hominum, hæc propoſitio, In, non ponitur cauſaliter, ſed conſequutivè: non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum, ſed hoc conſequutum eſt propter inſipientiam hominum: unde ſubditur: Et in muſcipulam pedibus inſipientium, qui ſcilicet per ſuam inſipientiam utuntur creaturis ad aliud, quàm ad quod factæ ſunt.

Ad tertium dicendum, quòd effectus cauſæ mediæ procedens ab ea, ſecundum quod ſubditur ordini cauſæ primæ, reducitur etiam in cauſam primam: ſed ſi procedat à cauſa media, ſecundum quod exit ordinem cauſæ primæ, non reducitur in cauſam primam: ſicut ſi miniſter faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum ſicut in cauſã. Et ſimiliter peccatũ, quod liberum arbitrium committit contra præceptũ Dei, non reducitur in Deum ſicut in cauſam.

Ad quartum dicendum, quòd pœna opponitur bono ejus, qui punitur, qui privatur quocunque bono: ſed culpa opponitur bono ordinis, qui eſt in Deum: unde directè opponitur bonitati divinæ: & propter hoc non eſt ſimilis ratio de culpa & pœna.

Conclusio est négativa.

Quæ optimè demonſtratur in littera. Debetbétque accipi ut ſonat, abſolutè & ſine diſtinctione penes *directè* vel *indirectè*; *per ſe*, vel *per accidens*, &c. Cujus veritati non obſtat, quòd Deus ſit cauſa entitatis, actualitatis, & aliorum, quæ in peccato habent ſe de naturali, ut dicitur art. ſequenti: quia verba, quæ ſignificant actionem, ſicut ſignificat hoc, quod eſt *cauſare peccatum*, non appellant, neque applicant ſignificatum ſuum ſupra materiale termini, cui junguntur; ſed ſupra formale: ut ſi quis dicat, ſe feciſſe ſtatuam, ſenſus eſt, quòd fecerit non lignum, quod eſt materia ſtatuæ; ſed ſtatuæ formam, ſeu ſtatuam ipſam formaliter. Quòd ergo Deus cauſet entitatem, & alia, quæ in peccato omnino materialia ſunt, nequaquam ſufficit ut verificetur hæc propoſitio *Deus eſt cauſa peccati*; quandoquidem non cauſat ejus formale, quod eſt malitia & deformitas. Et ideo prædicta propoſitio abſolutè & ſine diſtinctione eſt ſemper neganda: & oppoſita abſolutè & ſine diſtinctione aſſerenda.

Quòd ſi apud Patres vel Scripturam aliquæ reperiantur loquutiones, in quibus cauſalitas erga peccatum videatur Deo tribui: interpretari debent vel de concurſu ad materiale dumtaxat, vel ſolùm per modum permiſſionis, aut alio ſimili: ita ut omnis verus influxus in malitiam à divina cauſalitate penitùs abigat. Nam autem licitum nobis erit hujuſmodi loquutiones imitari: quia non omnia poſſumus omnes: nec quicquid Spiritui-Sancto placuit circa modum loquendi permiſſúmque eſt Patribus vel ad oppoſitam hæreſim firmiùs evertendam, vel ob alios fines; modò cum utrinque errores imminent, licere nobis exiſtimandum eſt. Debemus igitur quod ſcriptum reperimus, piè & reverenter exponere; in his autem, quæ ſcribimus, vel loquimur, quantum fas ſit, à ſenſu improprio, aut minùs formali calamum & linguam cohibere. Quod ſatis edocemur à D. Thoma in ſolut. ad 1. hujus art. ubi pro exponendo magiſtro ſuo Auguſtino acceptavit ſenſum minùs rigoroſum, & minus formalem: à quo tamen ipſe abſtinet in corpore articuli, & alibi, dum ut magiſter loquitur, & ex propriis doctrinam tradit. ¶ Plura dicenda eſſent ſupra hunc articulum ad examinandum quam peccatum habeat cauſam: & unde ea ortum ducat. Sed id jam præſtitimus diſp. 12. quæ eſt de potentia peccandi. Errores verò hæreticorum tribuentium Deo cauſalitatem erga peccatum, referunt, & impugnant Medina, Curiel, Alvarez, & alij expoſitores D. Thomæ in præſenti, quos poteris conſulere.

ARTICVLVS II.

Vtrum actus peccati ſit à Deo?

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd actus peccati nõ ſit à Deo. Dicit enim Auguſtinus in lib. de perfect. juſtitiæ, quòd actus peccati nõ eſt res aliqua: omne autem, quod à Deo eſt, eſt res aliqua: ergo actus peccati non eſt à Deo.

2. Præterea: homo non dicitur eſſe cauſa peccati, niſi quia homo eſt cauſa actus peccati: nullus enim intendens malum, operatur, ut Dionyſius dicit 4. cap. de divi. nomin. ſed Deus non eſt cauſa peccati, ut dictum eſt: ergo Deus non eſt cauſa actus peccati.

3. Præterea: aliqui actus ſecundum ſuam ſpeciem ſunt mali, & peccata, ut

ex

ex ſupradictis patet: ſed quicquid eſt cauſa alicujus, eſt cauſa ejus, quod convenit ei ſecundum ſuam ſpeciem: ſi ergo Deus eſſet cauſa actus peccati, ſequeretur, quòd eſſet cauſa peccati: ſed hoc non eſt verum, ut oſtenſum eſt: ergo Deus non eſt cauſa actus peccati.

Sed contra: actus peccati eſt quidam motus liberi arbitrij: ſed voluntas Dei eſt cauſa omnium motionum, ut Auguſt. dicit 3. de Trinit. ergo voluntas Dei eſt cauſa actus peccati.

Reſpondeo dicendum, quòd actus peccati & eſt ens, & eſt actus, & ex utroque habet, quòd ſit à Deo: omne enim ens, quocunque modo ſit: oportet quòd derivetur à primo ente, ut patet per Dionyſium 5. cap. de divi. nomin. omnis autem actio cauſatur ab aliquo exiſtēte in actu, quia nihil agit, niſi ſecundum quod eſt actu: omne autem ens actu reducitur in primum actum, ſcilicet Deum, ſicut in cauſam, qui eſt per ſuam eſſentiam actus. Vnde reliquitur, quòd Deus ſit cauſa omni actionis, in quantum eſt actio: ſed peccatum nominat ans, & actionem cum quodam defectu: defectus autem ille eſt ex cauſa creata, ſcilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, ſcilicet Dei. Vnde defectus iſte non reducitur in Deum ſicut in cauſam; ſed in liberum arbitrium: ſicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam ſicut in cauſam; non autem in virtutem motivam: à qua tamē cauſatur quicquid eſt monitionis in claudicatione: & ſecundum hoc Deus eſt cauſa actus peccati, non eſt tamen cauſa peccati: quia non eſt cauſa hujus, quòd actus ſit cum defectu.

Ad primum ergo dicendum, quòd Auguſt. nominat ibi rem id, quod eſt res ſimpliciter, ſcilicet ſubſtantiam: ſic enim actus peccati non eſt res.

Ad ſecundum dicendum: quòd in hominem ſicut in cauſam reducitur non ſolùm actus, ſed etiam ipſe defectus: quia ſcilicet non ſubditur ei, cui debet ſubdi, licet hoc ipſe non intendat principaliter, & ideo homo eſt cauſa peccati: ſed Deus ſic eſt cauſa actus, quòd nullo modo eſt cauſa defectus concomitantis actum, & ideo non eſt cauſa peccati.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut dictum eſt ſupra, actus & habitus non recipiunt ſpeciem ex ipſa privatione, in qua conſiſtit ratio mali; ſed ex aliquo objecto, cui conjungitur talis privatio: & ſic ipſe defectus, qui dicitur non eſſe à Deo, pertinet ad ſpeciem actus conſequenter & non quaſi differentia ſpecifica.

Concluſio.

Deus eſt cauſa actus peccati; non tamen eſt cauſa peccati: quia non eſt cauſa hujus, quòd actus ſit cum defectu.

Hic etiam opus erat longa diſceptatione, ut plenè innoteſceret; quo pacto Deus ad entiatem actus, & alia, quæ in peccato ſunt de materiali, concurrat: an ſcilicet ſolo concurſu ſimultaneo terminato immediatè ad effectum: an vero etiam concurſu prævio phyſicè præmovente, & prædeterminante efficaciter ad illum voluntatem creatam, ſicut concurrit ad actus bonos. Sed huic etiam diſputationi ſuperſedendum eſt. Tum ut omnino pareamus ſummorum Pontificum decretis, quibus utriuſque partis defenſoribus interdicitur tractatus, vel diſputationes ſuper hac re typis madatas in lucem edere. Tum etiam quia quicquid ad præſens neceſſarium eſſe poterat, fusè tradidimus tom. 1. in tract. de volunt. Dei diſp. 10. agentes de divinis prædiffinitionibus: quarum infallibilitatem & efficaciam indiſpenſabiliter conſequitur ad extra præmotio phyſica efficax ex natura rei, qua voluntas creata phyſicè à Deo præmovetur, & applicatur ad actum decreto ejus prædiffinitum, abſque ullo præjudicio libertatis. Vndo quicquid illic dub. 7. de prædictis prædiffinitionibus dictum fuit quantum ad attingentiam materialis peccati, aſſerimus hic de præmotionibus, ſeu prædeterminationibus phyſicis ad prædictum materiale in voluntate creata receptis: ſine quibus certitudo & efficacia divinorum decretorum nequaquam ad actum prædiffinitum pertingeret. Quomodo autem ex hoc prævio & efficaci Dei concurſu ad materiale peccati materialiter ſumptum, nullatenus inferatur concurſus illius ad malitiam, imo potius per talem concurſum divina cauſalitas à malitia penitus retrahatur, explicuimus etiam ibidem à num. 158. & in hoc tract. diſp. 6. à num. 86. Numero autem 51. explicuimus ſolutionem ad 3. hujus art. ut non militet contra noſtram ſententiam de conſtitutivo peccati actualis per poſitivum; ut primo aſpectu ſonare videbatur.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus ſit cauſa excæcationis & indurationis?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd Deus nō ſit cauſa excæcationis & indurationis. Dicit enim Aug. lib. 83. quæſt. quòd Deus nō eſt cauſa ejus, quòd homo ſit deterior,

terior: ſed per excæcationem & obdurationem fit homo deterior: ergo Deus non eſt cauſa excæcationis & obdurationis.

2. Præterea. Fulgentius dicit, quod Deus non eſt ultor illius rei, cujus eſt actor: ſed Deus eſt ultor cordis obdurati, ſecundum illud Eccleſ. 3. Cor durum malè habebit in noviſſimo: ergo Deus non eſt cauſa obdurationis.

3. Præterea: idem effectus non attribuitur cauſis contrariis: ſed cauſa excæcationis dicitur eſſe malitia hominis, ſecundum illud Sap. 2. Excæcavit enim eos malitia eorum. Et etiam diabolus, ſecundum illud 2. ad Corint. 4. Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium; quæ quidem cauſæ videntur eſſe contrariæ Deo: ergo Deus non eſt cauſa excæcationis & obdurationis.

Sed contra eſt, quod dicitur Iſaiæ 6. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava. Et Roman. 9. dicitur: Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.

Reſpondeo dicendum, quòd excæcatio & obduratio duo importāt. Quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi à divino lumine: & quantum ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis, & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubſtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quòd mens divinitùs non illuminetur ad rectè vivendum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum: & quantum ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis & obdurationis. Eſt autē conſiderandum, quòd Deus eſt cauſa univerſalis illuminationis animarum, ſecundum illud Ioan. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ſicut ſol eſt univerſalis cauſa illuminationis corporum; aliter tamen & aliter. Nam ſol agit illuminando per neceſſitatem naturæ: Deus autem agit voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ. Sol autem licèt quantum eſt de ſe, omnia corpora illuminet; ſi quod tamen impedimētum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum: ſicut patet de domo cujus feneſtræ ſunt clauſæ: ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt ſol: non enim ſuo judicio agit, ut lumen interius non immittat, ſed cauſa ejus eſt ſolùm ille, qui claudit feneſtram. Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis; in quibus obſtaculum invenit: unde cauſa ſubſtractionis gratiæ eſt non ſolùm ille, qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus, qui ſuo judicio gratiam non apponit: & per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis, & aggravationis aurium & obdurationis cordis: quæ quidem diſtinguuntur ſecundum effectus gratiæ, quæ & perficit intellectum dono ſapientiæ, affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionem intellectus maximè deſerviunt duo ſenſus, ſcilicet viſus, & auditus, quorum unus deſervit inventioni, ſcilicet viſus; alius diciplinæ, ſcilicet auditus: ideo quantum ad viſum ponitur excæcatio; quantum ad auditum aurium, aggravatio; quantum ad affectum, obduratio.

Ad primum ergo dicendum, quod cum excæcatio & induratio ex parte ſubſtractionis gratiæ ſint quædam pœnæ, ex hac parte eis homo non fit deterior, ſed deterior factus per culpam, hæc incurrit, ſicut & cæteras pœnas.

Ad ſecundum dicendum, quòd objectio illa procedit de obduratione, ſecundùm quòd eſt culpa.

Ad tertium dicendum, quòd malitia eſt cauſa excæcationis meritoria, ſicut culpa eſt cauſa pœnæ: & hoc etiam modo diabolus excæcare dicitur, in quantum inducit ad culpam.

Prima Concluſio.

Si excæcatio & induratio ſumantur ſecundum quòd important motum animi inhærentis malo, & averſi à divino lumine, non eſt Deus cauſa illarum: ſicut non eſt cauſa peccati.

Secunda Concluſio.

Deus eſt cauſa excæcationes & indurationis, quatenus important ſubſtractionem gratiæ, ex qua ſubſtractione ſequitur ut mens non illuminetur ad rectè videndum, & cor non illuminetur ad rectè vivendum.

Commen

Commentarius.

1. CIrca primam concluſionem nota, quòd excæcatio & induratio, prout in ea accipiuntur, ſunt formaliter peccatum: & ideo eadem ratione, qua in primo articulo negavit D. Thom. Deum eſſe cauſam peccati, negat hîc eſſe cauſam prædictæ excæcationis & indurationis. Vnde ſi conſtaret, nomina excæcationis & indurationis ſignificare dumtaxat prædictum motum, quo voluntas malo inhæret, & à Deo avertitur, ſuperflueret hic articulus poſt præcedentes, ubi remota fuit à Deo omnis cauſalitas in peccatum. Ideo verò neceſſarius eſt, quia prædicta nomina etiã ſatis propriè accipiuntur pro ſubſtractione & denegatione auxiliorum gratiæ, juxta ſenſum ſecundæ aſſertionis, ſatiſque oportebat nomina ipſa exponere, & ſignificata diſtinguere: ſpecialiuſque declarare, num eodem vel diverſo modo diſcurrendum ſit de ſecundo ſignificato, ſicut de primo. In quo verò differant excæcatio, & induratio, atque etiam aggravatio, ſive priori, ſive poſteriori modo ſumantur, explicat D. Thom. in fine corporis.

Dubitatio. Circa ſecundam concluſionem poteſt dubitari, cujus gratiæ ſit illa ſubſtractio, ſeu denegatio, quæ dicitur eſſe à Deo: an ſcilicet ſolius gratiæ actualis, ſive auxiliorum, quibus voluntas creata excitatur, & movetur à Deo ad rectè operandum, & peccata deſerenda: an verò etiam gratiæ habitualis ſanctificantis animam? Videtur enim hujus carentia non poſſe eſſe à Deo: quia ut diſp. 16. dub. 5. dicemus; talis carentia eſt averſio ab illo & conſtitutiva culpæ habitualis, cujus Deus nequit eſſe cauſa.

Verùm enimverò quantum eſt ex hoc capite non ſatis excluditur prædicta carentia à ratione excæcationis & indurationis, etiam quatenus ponuntur Dei effectus: quia ut dicemus dub. cit. num. 129. talis carentia ſecundum diverſas rationes & eſt culpa, & eſt pœna, ac proinde quantum ad primam rationem poteſt eſſe effectus Dei; & quantum ad ſecundam averſio & receſſus ab illo. Verum eſt autem, nomina excæcationis & indurationis magis ſupponere pro denegatione auxiliorum, quàm pro denegatione vel carentia gratiæ habitualis. Et ideo quamvis omnes peccatores careant hujuſmodi gratia; non tamen omnes ſimpliciter *excæcati* aut *indurati* dicuntur: quia non omnibus deſunt auxilia conſtituentia in eo ſtatu, ut poſſint facilè ad gratiam redire. Ex quo fit, quòd non quælibet denegatio auxiliorum conſtituat prædictam excæcationem vel indurationem: ſed cum in tantum peccatori denegantur, oblatis præſertim reſurgendi occaſionibus, & admonitionibus non paucis, ut quaſi nec pungatur damnationis timore: nec terreatur minis: nec divinis pollicitationibus moveatur; ſed in ſuis ſordibus quaſi exanimis & ſupinus permittatur jacere: adeo ut ſpecialiter digito Dei opus ſit, ut inde ad pœnitentiam revocetur. Quando verò denegatio auxiliorum efficacium ad hunc gradum ſecundum magis vel minus non pertingit, non ita abſolute & ſimpliciter dicenda eſt excæcatio vel induratio: licèt quælibet, ad quam ſequitur culpa mortalis, aut permanentia in illa, poſſit ita nuncupari non ſimpliciter, ſed ſecundum quid & inchoative; quatenus ex ſe ad excæcationem & indurationem tendit; niſi divina miſericordia & gratia impediatur.

Secundo poteſt dubitari, quo pacto Deus ad prædictam excæcationem & indurationem concurrat? Expoſitores enim D. Thomæ hoc loco varios concurrendi modos ex Auguſtino & aliis Patribus adducunt: qui tamen majori ex parte ad concurſum permiſſivum reducuntur: vixque alium concurſum magis directum, aut magis poſitivum agnoſcunt: ſicut nec differentiam quantum ad hoc inter prædictam excæcationem vel indurationem, & inter peccatum: ut videre eſt apud Medinam, Alvarez, Curielem, & alios. Verùm licèt ita dicendum ſit loquendo de excæcatione & induratione juxta ſenſum primæ concluſionis (qui eſt frequens in Patribus) quo pacto diximus eſſe formaliter peccatum: loquendo tamen de illis juxta ſenſum ſecundæ prout D. Thom. in præſẽti loquitur, omnino aliter eſt aſſerendum. Quia excæcatio vel induratio in hoc poſteriori ſenſu non eſt culpa, ſed pœna: pœna autem non eſt à Deo ſolum permiſſivè, ſed directè & poſitivè (ſaltem moraliter, ut ſtatim dicemus) poſitivè quippe ab illo taxatur, & decernitur in punitionem, & reparationem præcedentis culpæ: ergo, &c. 3. Dubitatio.

D. Tho. Eſſe verò ita aſſerendum juxta mentem D. Thomæ, patet tum ex illis verbis, quæ habet in corp. *Deus autem proprio iudicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obſtaculum invenit: unde cauſa ſubſtractionis gratiæ eſt non ſolum ille, qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus, qui ſuo iudicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis, aggravationis aurium, & obdurationis cordis*, &c. Conſtat autem Deum non ſe habere ſolum permiſſivè reſpectu effectus, quem proprio judicio decernit. Tum etiam quia ſi Deus reſpectu excæcationis & indurationis in ſenſu, quo loquimur, haberet ſe tantum permiſſivè, non tribueret ei abſolute D. Thom. rationem cauſæ reſpectu illarum: ſicut eam non tribuit reſpectu peccati in primo articulo, neque in hoc tribuit, ſed potius abſolutè denegat reſpectu excæcationis & indurationis in ſenſu illo priori. Unde qui in expoſitione præſentis articuli cauſalitatem Dei in excæcationem & indurationem ad ſolam permiſſionem reducit; vel non diſtinguit cum ipſo D. Thoma duas illas rationes culpæ & pœnæ, quæ in prædictis debent diſtingui: vel loquitur extra mentem S. Doctoris.

Sed obiicies: quia prædicta denegatio gratiæ, vel auxiliorum, conſtituens excæcationem & indurationem, ea ſolùm ratione poteſt dici eſſe à Deo, quatenus ipſe poteſt conferre auxilia ut impediatur, & non confert: at hoc non ſufficit ad rationem veri effectus; neque arguit majorem concurſum quàm permiſſivũ: ergo hoc dumtaxat modo dicendus eſt Deus cauſa excæcationis & indurationis. Major videtur perſpicua. Minor autẽ probatur. 4. Objectio.

Tum

Digitized by Google

Tum quia etiam reſpectu peccati negat Deus auxilia, quæ ſi conferret, impediret illud: & tamen non idcirco tribuitur ei aliquis influxus in peccatum, ſed ſola permiſſio, ut videre eſt art. 1. hujus quæſt. Tum etiam, quia ut aliqua omiſſio vel carentia cenſeatur alicui voluntaria, ſitque proinde ejus effectus, non ſufficit facultas ad impediendam illam, niſi adſit obligatio impediendi, ut docet D. Thom. cit. art. 1. & explicuimus in tract. de voluntario diſp. 4. dub. 2. cum igitur Deo nulla ſit obligatio impediendi excæcationem vel indurationem, non eſt quo pacto cenſeantur illi voluntariæ, aut reducantur in ipſum tanquam in cauſam, ex eo quòd non impediat.

Diluitur. Huic objectioni, omiſſis pro nunc aliis ſolutionibus, quæ infra diſp. 17. dub. 2. examinantur, reſpondetur negando majorem. Plus enim aliquid habet Deus reſpectu excæcationis & indurationis, qua ratione ſunt pœna, quàm non conferre auxilia, quibus vitarentur: videlicet decernere & diffinire talem pœnam, denegaréque prædicta auxilia ex animo & intentione puniendi illud ſubjectum per talem negationem. In quo quamvis nullus importetur influxus phyſicus, adhuc indirectus; importatur tamen quædam cauſalitas moralis ſufficiens, ut Deus dicatur auctor ipſius pœnæ: huiúſque inflictio illi tribuatur, quatenus eam approbat, definit, & determinat. Quod poteſt exemplo declarari. Si enim Petrus v. g. caſu extra propriam patriam reperiretur, ſed ad quam redire non poſſet ſine auxilio non debito alicujus judicis; is autem in pœnam cujuſdam criminis negaret tale auxilium, volens & decernens ut exul permaneret, exilióque illo puniretur: jure diceretur prædictus judex punire Petrum tali exilio, & eſſe cauſa & auctor illius pœnæ: non propter aliquem influxum phyſicum in illam adhuc indirectum; ſed quia eam definivit & decrevit, ex ejuſque intentione auxilium ad redeundum in patriam denegavit. Qui enim hoc modo diſponit circa aliquem effectum, in quem phyſicè non influit; moraliter ſe habet ac ſi influeret: & ita meritò dici poteſt cauſa ejus moralis. Imo ſi prædicta pœna ſumatur non jam quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad denominationem *definitæ & decretæ*, poteſt dici judex cauſa ejus phyſica: quia talis denominatio phyſicè eſt, ſaltem in genere cauſæ formalis, ab actu quo talis pœna diffinitur, & decernitur. Hoc autem modo Deus ſe habet ad excæcationem & indurationem, qua ratione ſunt pœna: adeóque meritò poteſt dici earum cauſa, & non ſolùm permittens.

5. Ad minorem verò objectionis dicendum eſt, quòd licèt denegatio auxiliorum præcisè ſumpta non importet majorem concurſum, quàm permiſſionem, ut tamen procedit ex intentione pœnæ infligendæ, unà cum decreto decernente ipſam pœnam, ejuſque ablationem impediente, induit rationem cauſæ ſaltem moralis: ſicut dicitur cauſa alicujus effectus ille, qui ita conſulit, præcipit, vel approbat illum, ut ex hac approbatione, præcepto, vel conſilio ablatio ejus impediatur.

Ad primam probationem reſpondetur, Deum circa peccatū ideo habere ſe ſolùm permiſſivè, quia neque illud decernit, neque approbat: neque ex intentione ut ſit vel permaneat, auxilia ſubtrahit: ſed ut aliquid ſibi oppoſitum, omninóque extra objectum ſuæ voluntatis illud deteſtatur: unde nullo pacto poteſt dici ejus cauſa. Secus autem reſpectu excæcationis, & cujuſcunque alterius habentis rationem pœnæ, quod proinde ſecundum hanc rationem cadit ſub prædicto objecto, & eſt aliquid à divina voluntate decretum, & volitum, capáxque ut in ipſam refundatur, & ab ea emanet. Propterea verò pœna iſta, de qua loquimur, non emanat phyſicè de facto, quia cum ſit negatio & carentia, non indiget emanatione, ſed adeſt ſe ipſa, eo ipſo quòd non impediatur: quamvis non ſe ſola abſque decreto judicis habeat propriè rationem pœnæ.

Ad ſecundum concedimus non ſufficere ſolam facultatem impediendi aliquam omiſſionem vel carentiam, ut talis carentia aut omiſſio tribuatur omittenti ſive phyſicè, ſive moraliter. Imo ut cenſeatur ei voluntaria phyſicè & rigorosè, ſitque hoc modò ejus effectus, omnino exigitur vel debitum, vel præexiſtentia & interruptio actus: ut explicuimus loco cit. ubi loquebamur de hoc voluntario phyſico. Cæterum ut talis omiſſio vel carentia dicatur effectus moraliter, tribuatúrque hoc modo non impedienti, ſatis eſt una cum prædicta facultate, quòd ſit volita, & decreta ab illo, & quòd ipſe ſubtrahat auxilia, quibus impediretur, ex intentione ut permaneat, & per illam ſubjectum puniatur. Nam eo ipſo qui talia auxilia denegat, quamvis debita non ſint, adimplet ſuam voluntatē in permanentia & conſervatione illius carentiæ: conſequitúrque effectum à ſe intentum, qui eſt punire culpam per bonorum privationem, undecunque hæc phyſicè oriatur, vel ſine ortu adſit. In quo æquivalenter præſtat idem, ac ſi talem privationem ex oppoſito actu, vel ex ejus debito phyſicè cauſaret. Et quia hoc modo contingit in excæcatione & induratione, prout habent rationem pœnæ, non autem in peccato, meritò hoc excluditur omnino à cauſalitate Dei, & ſolùm permitti ab eo dicitur, illæ verò inter divinos effectus abſolutè numerantur. 6.

Animadvertimus iterum, SS. Patres agentes de excæcatione mentis, induratione cordis, & aurium aggravatione, multoties loqui de illis, ſecundùm quòd habent rationem culpæ: & ideo excludunt eas ab omni vera cauſalitate Dei, relinquúntque duntaxat ſub permiſſione. De quo plura D. Auguſtinus ſerm. 88. de tempore in illud Exod. 9. *Induravit Dominus cor Pharaonis*, & alibi. Quamvis quod ibi, ait, ſcilicet *Pharaonem non divina potentia ſed divina patientia credenda eſt obduraſſe*, & ſimilia, ſufficienter poſſunt exponi etiam de induratione ut pœna: quia per tales loquutiones non excluditur cauſalitas moralis, quam diximus; ſed ad ſummū cauſalitas phyſica, ut rectè conſiderati patebit. Quinimo cū S. Doctor ait, Deum ideo dici *indurare aliquē*, quia indurare permittit, poteſt intelligi non de nuda permiſſione, ſicut eſt reſpectu peccati; ſed vel de permiſſione habente ſecum prædictam cauſalitatem moralem: vel de

D. Aug. Exod.

Digitized by Google

permiſſione ſumpta pro patientia & tolerantia, qua Deus induratum ſuſtinet, non immittens ei flagella & ſupplicia, quibus emolliatur, flectatur, & ad pœnitentiam revocetur. Cum quo optimè ſtaret aliquis Dei influxus in ipſam obdurationem.

Duplex alia difficultas poſſet hîc agitari: prima, utrum aliqui peccatores in hac vita in tantum excæcationis & indurationis perveniant, ut de lege ordinaria non poſſint ab ſtatu illo egredi? Secunda, utrum Deus omnibus peccatoribus concedat ſufficientia auxilia, ut poſſint à peccato reſurgere? Sed prima difficultas reſervanda eſt 3. parti, ubi tractatur à D. Thoma quæſt. 86. art. 1. & negativè reſolvitur: imo eſſet manifeſtus error vel hæreſis oppoſitum adſtruere, ut probat Alvar. in præſenti diſp. 169. num. 8. Secunda ſpectat ad materiam de gratia, ubi ad plenum examinabitur: præmittemus verò aliquid infra diſp. 20.

ARTICVLVS IV.

Vtrum excæcatio & obduratio ſemper ordinentur ad ſalutem eius qui excæcatur & obduratur?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd excæcatio & obduratio ſemper ordinentur ad ſalutem ejus, qui excæcatur & obduratur. Dicit enim Auguſtinus in Enchir. quòd Deus cum ſit ſummè bonus, nullo modo permitteret fieri aliquod malum, niſi poſſet ex quolibet malo elicere bonum: multò igitur magis ordinat ad bonum illud malum, cujus ipſe eſt cauſa: ſed excæcationis & obdurationis Deus eſt cauſa, ut dictum eſt: ergo hæc ordinantur ad ſalutem ejus, qui excæcatur & obduratur.

2. Præterea Sapient. 1. dicitur, quòd Deus non delectatur in perditione impiorum; videretur autem in perditione eorum delectari, ſi eorum excæcationem in bonum eorum non converteret; ſicut Medicus videretur delectari afflictione infirmi, ſi medicinam amaram, quam infirmo propinat, ad ejus ſanitatem non ordinaret: ergo Deus excæcationem convertit in bonum excæcatorum.

3. Præterea: Deus non eſt perſonarum acceptor, ut dicitur Act. 10. ſed quorundam excæcationem ordinat ad eorum ſalutem, ſicut quorundam Judæorum, qui excæcati ſunt, ut Chriſto non crederent, & non credentes occiderent, & poſtmodum compuncti converterentur, ſicut de quibuſdam legitur Act. 2. ut patet per Auguſtinum in lib. de quæſtionibus Evãgelij: ergo Deus omnium excæcationem convertit in eorum ſalutem.

Sed contra: non ſunt facienda mala, ut veniant bona, ut dicitur Rom. 3. ſed excæcatio eſt malum: ergo Deus non excæcat aliquos propter eorum bonum.

Reſpondeo dicendum, quòd excæcatio eſt quoddam præambulum ad peccatum: peccatum autem ad duo ordinatur, ad unum quidem per ſe, ſcilicet ad damnationem: ad aliud autem ex divina miſericordia, vel providentia, ſcilicet ad ſanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum ſuũ agnoſcentes, humilientur & convertantur, ſicut Auguſt. dicit in lib. de natur. & grat. unde & excæcatio ex ſui natura ordinatur ad damnationem ejus, qui excæcatur (propter quod ponitur etiam reprobationis effectus) ſed ex divina miſericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad ſalutem eorum, qui excæcantur. Sed hæc miſericordia non omnibus impenditur excæcatis, ſed prædeſtinatis ſolum, quibus omnia cooperantur in bonum, ſicut dicitur Roman. 8. Unde quantum ad quoſdam excæcatio ordinatur ad ſanationem: quantum autem ad alios, ad damnationem, ut Auguſtinus dicit in 3. de quæſtionibus Evangelij.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnia mala, quæ Deus facit, vel permittit fieri, ordinantur in aliquod bonum; non tamen ſemper in bonum ejus, in quo eſt malum: ſed quandoque ad bonum alterius, vel etiam totius univerſi, ſicut culpam tyrannorum ordinat in bonum martyrum, & pœnam damnatorum ordinat ad gloriam juſtitiæ ſuæ.

Ad ſecundum dicendum, quòd Deus non delectatur in perditione hominum quantum ad ipſam perditionem, ſed ratione ſuæ juſtitiæ, vel propter bonum, quod inde provenit.

Ad tertium dicendum, quòd hoc, quod Deus aliquorum excæcationem ordinat in eorum ſalutem, miſericordiæ eſt, quòd autem excæcatio aliorum ordinetur ad eorum damnationem,

Digitized by Google

nem, juſtitiæ eſt: quòd autem miſericordiam quibuſdam impendit, & non omnibus, non facit perſonarum acceptionem in Deo, ſicut in primo dictum eſt.

Ad quartum dicendum, quòd mala culpæ non ſunt facienda, ut veniant bona: ſed mala pœnæ ſunt inferenda propter bonum.

PRIMA CONCLUSIO.

Excæcatio & induratio ex ſua natura tendunt ad condemnationem ejus, qui excæcatur & induratur; ex divina verò providentia & miſericordia ſæpe ordinantur ad ejus ſanationem.

SECUNDA CONCLUSIO.

Excæcatio & induratio in prædeſtinatis ordinantur ad eorum ſanationem; in reprobis verò ad condemnationem.

Nonnihil difficultatis eſt circa primam concluſionem: quia in præſenti fit ſermo de excæcatione & induratione, non ut habent rationem culpæ, ſed pœnæ, ut ex præced. art. & commentario conſtat: pœna autem cum ſit bona, & à Deo, non videtur per ſe ordinari ad damnationem, ſicut ordinatur peccatum, eò quòd habeat rationem mali. ¶ Sed reſpondetur, in damnatione duo reperiri: alterum ipſum ſtatum malitiæ, & obſtinationis in peccatum, qui eſt malus, & Deo ſummè diſplicet: alterum verò ipſam æternam punitionem, quæ eſt bona, & divinæ juſtitiæ effectus. Licet ergo excæcatio (idem eſt de induratione) ſumpta pro pœna, eò quod eſt bona & à Deo, non ordinetur per ſe ad damnationem, ut dicentem illud prius, bene tamen ut dicentem hoc poſterius: quia ſic bonum non ordinatur ad malum, ſed ad bonum. Et contra verò peccatum non ordinatur ex ſe ad damnationem ut dicentem illud poſterius, ſed ut dicentem aliud prius, quia malum ex ſe non tendit niſi ad malum. Neque ex hac doctrina inferas, quòd ſicut omne peccatum tendit per ſe ad damnationē ſecundum priorem illam rationem, quam diximus, ita omnis pœna tendet per ſe ad illam ſecundum poſteriorem. Sunt enim aliquæ pœnæ, quæ potius ſunt medicinæ: & tales pœnæ per ſe ad ſalutem tendunt. Verificatur autem prædicta doctrina, quod ſcilicet pœna tendit per ſe ad damnationem, in ſpiritualibus, uti eſt induratio, & quælibet privatio gratiæ & virtutum: nam iſtarum carentia ſemper, quantum eſt ex ſe, ducit ad damnationem: & ob id nequit licitè deſiderari, etiam ſecundum eam rationem, ſecundum quam non eſt culpa, ſed pœna, ut diſp. 11. num. 45. tetigimus.

Circa ſecundam concluſionem ingerit etiam difficultatem, an illa miſericordia per quam excæcatio ordinatur ad ſanationem ſolùm impendatur prædeſtinatis? Nam videtur, quòd etiam multoties impendatur reprobis. Sunt enim aliqui iſtorum, qui poſtquā ſemel excæcati fuerint, illuminantur & ad gratiam trahuntur, licèt tandem relapſi damnentur. ¶ Ad hoc poteſt dici, vel quòd D. Thom. non loquitur omnino univerſaliter, ſed regulariter & ut in plurimum: rarò enim reprobi ſemel excæcati ad lucem redeunt. Vel poteſt dici non loqui de qualibet excæcatione, ſed de finali: à qua nullus reprobus reſipiſcit. Vel denique quòd licèt aliqui reprobi poſt excæcationem illuminentur; nunquam tamen ea illuminatio conducit cum effectu ad æternam ſalutem: ſed vergit iterùm in majorem dānationem, & eſt reprobationis effectus.

QVÆSTIO LXXX.

DE CAVSA PECCATI EX PARTE Diaboli, in quatuor Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſa peccati ex parte Diaboli. Et circa hoc quæruntur quatuor.

ARTICVLVS I.

Vtrum Diabolus ſit homini directè cauſa peccandi?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd Diabolus ſit homini directè cauſa peccandi: peccatum enim directè in effectu conſiſtit: Sed Auguſtinus dicit 4. de Trinit. quòd Diabolus ſuæ ſocietati malignos affectus inſpirat: & Beda ſuper Act. dicit, quòd Diabolus animam in affectū malitiæ trahit: & Iſidorus dicit in lib. de ſummo bono, quòd Diabolus corda hominum occultis cupiditatibus replet: ergo Diabolus directe eſt cauſa peccati

2. Præterea: Hieronymus dicit, quòd ſicut Deus eſt perfector boni; ita

ita Diabolus eſt perfector mali: ſed Deus eſt directè cauſa bonorum noſtrorum: ergo Diabolus eſt directè cauſa peccatorum noſtrorum.

2. Præterea: Philoſophus dicit in quodam cap. Ethicæ Eudemicæ, quòd oportet eſſe quoddam principium extrinſecum humani conſilij: conſilium autem humanũ non ſolùm eſt de bonis, ſed etiam de malis: ergo ſicut Deus movet ad cõſilium bonum, & per hoc directè eſt cauſa boni; ita Diabolus movet hominem ad conſilium malum, & per hoc ſequitur, quòd Diabolus directè ſit cauſa peccati.

Sed contra eſt, quòd Auguſtinus probat in 1. & 3. de libe. arbit. quòd nulla re fit mens hominis ſerva libidinis niſi propria voluntate: ſed homo non fit ſervus libidinis niſi per peccatum: ergo cauſa peccati non poteſt eſſe diabolus.

Reſpondeo dicendum, quod peccatum actus quidam eſt: unde hoc modo poteſt eſſe aliquid directè cauſa peccati, per quem modum aliquis directè eſt cauſa alicujus actus, quod quidem non contingit niſi per hoc; quòd proprium principium illius actus movet ad agendum: proprium autem principium actus peccati eſt voluntas, quia omne peccatum eſt voluntarium: unde nihil poteſt directe eſſe cauſa peccati, niſi quod poteſt movere voluntatem ad agendum. Voluntas autem, ſicut ſupra dictum eſt, à duobus moveri poteſt. Uno modo ab objecto, ſicut dicitur, quòd appetibile apprehenſum movet appetitum. Alio modo ab eo, quod interius inclinat voluntatem ad volendum, hoc autem non eſt niſi vel ipſa voluntas, vel Deus, ut ſupra oſtenſum eſt. Deus autem non poteſt eſſe cauſa peccati, ut dictum eſt. Relinquitur ergo, quòd ex hac parte ſola voluntas hominis ſit directè cauſa peccati ejus. Ex parte autem objecti poteſt intelligi, quòd aliquid moveat volũtatem tripliciter. Uno modo, ipſũ objectũ propoſitum, ſicut dicimus, quòd cibus excitat deſiderium hominis ad comedendum. Alio modo, ille qui proponit vel offert hujuſmodi objectum. Tertio modo, ille qui perſuadet objectum propoſitum habere rationem boni, quia & hic aliqualiter proponit proprium objectum voluntati, quod eſt rationis bonum, verum vel apparens. Primo igitur modo res ſenſibiles exteriùs apparentes movent voluntatem hominis ad peccandum: ſecundo autem & tertio modo vel Diabolus, vel etiam homo poteſt incitare ad peccandum, vel offerendo aliquid appetibile ſenſui, vel perſuadendo rationi. Sed nullo iſtorum modorum poteſt aliquid eſſe directa cauſa peccati: quia voluntas non ex neceſſitate movetur ab aliquo objecto niſi ab ultimo fine, vt ſupra dictum eſt. Unde non eſt ſufficiens cauſa peccati, neque res exterius oblata, neque ille, qui eam proponit, neque ille, qui perſuadet: unde ſequitur, quòd Diabolus non ſit cauſa peccati directè vel ſufficienter, ſed ſolùm per modum perſuadentis, vel proponentis appetibile.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnes illæ auctoritates, & ſi quæ ſimiles inveniantur, ſunt referendæ ad hoc, quòd Diabolus ſuggerendo, vel aliqua appetibilia proponendo, inducit affectum peccati.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſimilitudo illa eſt attendenda quantum ad hoc, quòd Diabolus quodammodo eſt cauſa peccatorum noſtrorum, ſicut Deus eſt aliquo modo cauſa bonorum noſtrorum: non tamen attenditur quãtum ad modum cauſandi; nam Deus cauſat bona interius movendo voluntatem, quod Diabolo convenire non poteſt.

Ad tertium dicendum, quòd Deus eſt univerſale principium omnis interioris motus humani: ſed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè quidem eſt ex voluntate humana, & à Diabolo per modum perſuadentis, vel appetibilia proponentis.

Conclusio.

Diabolus non eſt cauſa peccati directè, ſive ſufficienter, ſed ſolùm per modum perſuadentis, & proponentis appetibile.

Circa titulum nota, adverbium illud *directe* idẽ eſſe ac *ſufficienter*, nihilque aliud importare: ut conſtat ex corp. art. & ex concluſione. Quare cum in hac dicitur, Diabolum non eſſe directè cauſam peccati, ſolùm negatur quòd ſit cauſa ſufficienter illud inferens: aut ita movens & trahens voluntatem, ut eam infallibiliter peccare faciat: ſicut Deus efficaciter & infallibiliter facit bene operari. Aliter ſumitur prædictum adverbium infra art. 4. & in aliis locis, ut ibi adnotabimus. ¶ Nota etiam, quòd hîc D. Thom. non determinat omnem modum, quo Diabolus ad peccandum incitat; ſed dumtaxat modum concurrendi externum, qui eſt etiam communis hominibus; & ideo dicit, quòd ſolùm concurrit per modum

Digitized by Google

dum perſuadentis, vel proponentis appetibile. Præter quem modum habet alium ſibi proprium, qui eſt interius inſtigando, de quo art. ſequenti. ¶ In ſolutione ad 3. ne exiſtimes excludi à divina motione determinationem ad malum conſilium pro materiali; ſive quoad entitatem etiam ſecundum rationem differentialem: ſolum enim excluditur determinatio ad malûm conſilium formaliter ut verba ſonant, adeóque ad ipſam deformitatem & malitiam. Quod autem divina motio ne dum concomitans, ſed & prædeterminativa & efficax uſque ad materiale conjuſlibet peccati perti gat, ſatis alibi oſtendimus.

ARTICVLVS. II.

Vtrum Diabolus poſſit inducere ad peccandum, interiùs inſtigando?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd Diabolus non poſſit inducere ad peccandum, interiùs inſtigando. Interi res enim motus animæ ſunt quædam opera vitæ: ſed nullum opus vitæ poteſt eſſe niſi à principio intrinſeco, nec etiam opus animæ vegetabilis, quod eſt infimum inter opera vitæ: ergo Diabolus ſecundum interiores motus non poteſt hominẽ inſtigare ad malũ.

2. Præterea: omnes interiores motus ſecundum ordinem naturæ à ſenſibus exterioribus oriuntur: ſed præter ordinem naturæ aliquid operari eſt ſolius Dei, ut in primo dictum eſt: ergo Diabolus non poteſt in interioribus motibus hominis aliquid operari, niſi ſecundum ea, quæ in exterioribus ſenſibus apparent.

3. Præterea: interiores actus animæ ſunt intelligere & imaginari: ſed quantum ad neutrum horum poteſt Diabolus aliquid operari, quia ut in primo habitum eſt, Diabolus non imprimit in intellectum humanum: in phantaſiam etiam videtur, quòd imprimere non poſſit, quia formæ imaginatæ tanquàm magis ſpirituales ſunt digniores, quàm formæ, quæ ſunt in materia ſenſibili, quas tamen Diabolus imprimere non poteſt, ut patet ex his, quæ in primo habita ſunt: ergo Diabolus non poteſt ſecundum interiores motus inducere hominem ad peccatum.

Sed contra eſt, quia ſecundum hoc nunquam tentaret hominem, niſi viſibiliter apperendo; quod patet eſſe falſum.

Reſpondeo dicendum, quòd interior pars animæ eſt intellectiva & ſenſitiva, intellectiva autem continet intellectũ & voluntatem: & de voluntate quidem jam dictum eſt quomodo ad eam Diabolus ſe habet. Intellectus autem per ſe quidem movetur ab aliquo illuminante ipſum ad cognitionem veritatis: quod Diabolus circa hominẽ nõ intendit; ſed magis obtenebrat rationem ejus ad conſentiendum peccato: quæ quidem obtenebratio provenit ex phantaſia & appetitu ſenſitivo. Unde tota interior operatio Diaboli eſſe videtur circa phantaſiam & appetitum ſenſitivum, quorum utrunque commovendo poteſt inducere ad peccatum: poteſt enim operari ad hoc, quòd imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præſentẽtur. Poteſt etiam facere, quòd appetitus ſenſitivus concitetur ad aliquam paſſionem. Dictum eſt enim in 1. lib. quòd natura corporalis ſpirituali naturaliter obedit ad motum localem: unde & Diabolus omnia illa cauſare poteſt, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire poſſent, niſi virtute divina reprimatur. Quòd autem aliquæ formæ repræſentẽtur imaginationi, ſequitur quandoque ad motum localem: dicit enim Philoſophus in lib. de ſõno & vigilia, quòd cũ animal dormierit, deſcendẽte plurimo ſanguine ad principium ſenſitivum, ſimul deſcendũt motus, ſive impreſſiones relictę ex ſenſibilium motionibus, quæ in ſenſibilibus ſpeciebus conſervantur, & movent principium apprehẽſivum, ita quòd apparent, ac ſi tunc principium ſenſitivum à rebus ipſis exterioribus immutaretur: unde talis motus localis ſpirituum vel humorum procurari poteſt à Dæmonibus, ſive dormiant, ſive vigilent homines: & ſic ſequitur, quòd homo aliqua imaginetur. Similiter etiam appetitus ſenſitivus concitatur ad aliquas paſſiones ſecundum quendam determinatum motum cordis & ſpirituum: unde adhoc etiam Diabolus poteſt cooperari. Et ex hoc quòd paſſiones aliquæ concitantur in appetitu ſenſitivo, ſequitur quòd & motum ſive intenſionem ſenſibilem prædicto modo reductam ad principium apprehenſivum magis homo percipiat: quia ut Philoſophus in eodem lib. dicit, amãtes modica ſimilitudine in apprehenſionem rei amatæ moventur. Contingit etiam ex hoc, quòd paſſio eſt concitata, ut id, quod proponitur imaginationi, judicetur proſequendum:

quia ei, qui à paſſione detinetur, videtur eſſe bonum id, ad quod per paſſionem inclinatur. Et per hunc modum interiùs diabolus inducit ad peccandum.

Ad primum ergo dicendum, quòd opera vitæ ſemper, etſi ſint ab aliquo principio intrinſeco, tamen ad ea poteſt cooperari aliquod exterius agens, ſicut etiam ad opera animæ vegetabilis operatur calor exterior, ut faciliùs digeratur cibus.

Ad ſecundum dicendum, quòd hujuſmodi apparitio formarum imaginabilium non eſt omninò præter ordinem naturæ, nec eſt per ſolùm imperium, ſed per motum localem, ut dictum eſt. Unde patet reſponſio ad Tertium: quia formæ illæ ſunt à ſenſibus acceptæ primordialiter.

CONCLUSIO EST NEGATIVA.

Litera hujus articuli nihil præſefert difficultatis, quod vel expoſitione vel diſputatione indigeat. Continet verò doctrinam valde utilem ad dignoſcendum modum, quo dæmones in nobis aliqua operantur: deprehendendáſque cùm eorum, tùm propriæ phantaſiæ illuſiones. Ob idque merito commendatur à Cajetano, pro iis præſertim, qui myſticis occupãtur; quique directioni religioſarum animarum incumbunt: ne divinitati tribuentes, quod naturæ vel dæmonis eſt, errent, erraréque alios faciant. Habes autem eandem doctrinam latiùs & expreſſiùs traditam quæſt. 3. de mal. art. 4. cujus litera conſulenda eſt: quia ſi quid ad rem plenè capiendam in præſenti deſiderari poſſet, abundè ſuppeditabit.

ARTICVLVS III.

Vtrum diabolus poßit neceßitatem inferre ad peccandum?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd diabolus poſſit neceſſitatem inferre ad peccandum. Poteſtas enim major poteſt neceſſitatem inferre minori: ſed de diabolo dicitur Job. 41. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei valeat comparari: ergo poteſt homini terreno neceſſitatem inferre ad peccandum.

2. Præterea: ratio hominis non poteſt moveri niſi ſecundum ea, quæ exterius ſenſibus proponuntur, & imaginationi repræſentantur: quia omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu: & non eſt intelligere ſine phantaſmate, ut dicitur in lib. de anima: ſed diabolus poteſt movere imaginationem hominis, (ut dictum eſt) & etiam exteriores ſenſus. Dicit enim Auguſtinus in lib. 83. quæſt. quòd ſerpit hoc malum, ſcilicet quod eſt à diabolo, per omnes aditus ſenſibiles dat ſe figuris, accommodat ſe coloribus, adhæret ſonis, infundit ſe ſaporibus: ergo poteſt rationem hominis ex neceſſitate inclinare ad peccandum.

3. Præterea: ſecundum Auguſtinum nonnullum peccatum eſt, cum caro concupiſcit adverſus ſpiritum: ſed cõcupiſcentiam carnis diabolus poteſt cauſare, ſicut & cæteras paſſiones eo modo quo ſupra dictum eſt: ergò ex neceſſitate poteſt inducere ad peccandum.

Sed contra eſt, quod dicitur 1. Petri ult. Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide: fruſtrà autem talis admonitio daretur, ſi homo ei ex neceſſitate ſuccumberet: non ergo poteſt homini neceſſitatem inducere ad peccandum.

Reſpondeo dicendum, quod diabolus propria virtute, niſi refrænetur à Deo, poteſt aliquem inducere ex neceſſitate ad faciendum aliquem actum, qui de ſuo genere peccatum eſt: non autem poteſt inducere neceſſitatem peccandi. Quod patet ex hoc, quòd homo motivo ad peccandum non reſiſtit niſi per rationem, cujus uſum totaliter impedire poteſt, movendo imaginationem, & appetitum ſenſitivum, ſicut in arreptitiis patet: ſed tunc ratione ſic ligata, quicquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum; ſed ſi ratio non ſit totaliter ligata, ex ea parte qua eſt libera, poteſt reſiſtere peccato, ſicut ſupra dictum eſt. Unde manifeſtum eſt, quòd diabolus nullo modo poteſt neceſſitatem inducere homini ad peccandum.

Ad primum ergo dicendum, quòd non quælibet poteſtas major homine poteſt movere voluntatem hominis; ſed ſolus Deus, ut ſupra habitum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd illud, quod eſt apprehenſum per ſenſum vel imaginationem, non ex neceſſitate movet voluntatem, ſi homo habeat uſum rationis, nec ſemper hujuſmodi apprehenſio ligat rationem.

Ad tertium dicendum, quòd concupiſcentia carnis contra ſpiritum, quando

do ratio ei actualiter reſiſtit, non eſt peccatum: ſed materia exercendæ virtutis: quòd autem ratio ei non reſiſtat, non eſt in poteſtate diaboli: & ideo non poteſt inducere neceſſitatem peccati.

Conclusio est negativa.

Quam ita evidenter convincit ratio articuli, ut ſuperflua ſit alia probatio. ¶ Solutio ad 3. confirmat doctrinam, quam tradidimus ſupra diſp. 10. num. 79. Continet verò difficultatem, quam movet & diluit Cajetanus: an ſcilicet concupiſcentia ſeu tentatio carnis contra ſpiritum aliquando ſit omnino immunis à peccato propter rationis reſiſtentiam? De quo quid tenendum, diximus diſp. cit. num. 128. uſque ad 134.

ARTICVLVS IV.

Utrum omnia peccata hominum ſint ex ſuggeſtione diaboli?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd omnia peccata hominũ ſint ex ſuggeſtione diaboli. Dicit enim Dionyſius 4. cap. de divi. nomin. quòd multitudo dæmonum cauſa eſt omnium malorum & ſibi & aliis.

2. Præterea: quicunque peccat mortaliter, efficitur ſervus diaboli, ſecundum illud Joan. 8. Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati: ſed ei aliquis in ſervitutem addicitur, à quo eſt ſuperatus, ut dicitur 2. Petri 2. ergo quicunque facit peccatum, ſuperatus eſt à diabolo.

3. Præterea: Gregorius dicit, quod peccatum diaboli eſt irreparabile, quia cecidit nullo ſuggerente: ſi igitur aliqui homines peccarent per liberum arbitrium, nullo ſuggerente, eorum peccatum eſſet irremediabile; quod patet eſſe falſum: ergo omnia peccata humana à diabolo ſuggeruntur.

Sed contra eſt, quod dicitur in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, Non omnes cogitationes noſtræ malæ à diabolo excitantur; ſed aliquoties ex noſtri arbitrij motu emergunt.

Reſpondeo dicendum, quòd occaſionaliter quidẽ & indirectè diabolus eſt cauſa omnium peccatorum noſtrorum, in quantum induxit primum hominem ad peccandum, ex cujus peccato in tantum vitiata eſt humana natura, ut omnes ad peccandum proclives ſimus: ſicut diceretur eſſe cauſa combuſtionis lignorum, qui ligna ſiccaret; ex quo ſequeretur, quòd facilè incenderentur. Directè autem non eſt cauſa omnium peccatorum humanorum, ita quòd ſingula peccata perſuadeat. Quod Origenes probat ex hoc, quia etiam ſi diabolus non eſſet, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, & ſimilium: qui poſſet eſſe inordinatus, niſi ratione ordinaretur, quod ſubjacet libero arbitrio.

Ad primum ergo dicendum, quòd multitudo dæmonum eſt cauſa omnium malorum noſtrorum ſecundum primam originem, ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd non ſolum fit ſervus alicujus, qui ab eo ſuperatur, ſed etiam qui ei voluntariè ſe ſubiicit; & hoc modo fit ſervus diaboli, qui motu proprio peccat.

Ad tertium dicendum, quòd peccatum diaboli fuit irremediabile, quia nec aliquo ſuggerente peccavit, nec habuit aliquam pronitatem ad peccandũ ex præcedenti ſuggeſtione cauſatam: quod de nullo hominis peccato dici poteſt.

Prima Conclusio.

Diabolus eſt cauſa omnium noſtrorum peccatorum occaſionaliter & indirectè: in quantum induxit primum hominem ad peccandum: ex cujus peccato ita vitiata eſt humana natura, ut omnes ad peccandum proclives ſimus.

Secunda Conclusio.

Non eſt nobis diabolus cauſa omnium peccatorum directè, ita quòd ſingula perſuadeat.

Commentarius.

LOngè aliter ſumit hic D. Thom. adverbium *directè*, quàm articulo primo, ubi accepit illud pro *ſufficienter*, ut explicuimus: & ideo negavit, quòd diabolus ſit nobis directè cauſa alicujus peccati. In præſenti verò dicitur directè cauſare omne illud peccatum, ad quod determinatè inducit etiam ſi in id ſufficienter non pertrahat. Et propterea non negatur, quòd diabolus directè ſit cauſa aliquorum peccatorum: negatur verò, quòd ſit directè cauſa omnium: ſeu quòd omnia, quæ committimus, ex aliqua ejus in nobis ſuggeſtione proveniant: quaſi nos plura, aut ſaltem aliqua ex nobis ipſis, & ex concupiſcentiæ fomite; abſque tentatione diaboli perpetremus.

Varij errores. 2. Sciendum eſt tamen, varios circa hoc extitiſſe hæreticorum errores. Quidam enim putaverunt, nullum in mundo futurum eſſe peccatum, ſi dæmones defuiſſent, qui tentatione ſua homines ad peccandum impellerent. Ex quo inferebant, nullum peccatum tribuendum eſſe noſtro libero arbitrio, ſed potius dæmoni, cujus ſuggeſtione fit. Hunc errorem tribuit Alfonſus de Caſtro lib. 12. adverſus hæreſes verbo *Peccatum* hæreſi 3. Valentino, & Manichæo, Armenis, & aliis. Secundus fuit error Joviniani, qui teſte D. Hieronymo lib. 2. contra illum, exiſtimavit, diabolum nunquam tentare illos, qui verè ſunt baptizati in aqua & Spiritu Sancto, ſed duntaxat infideles & peccatores. Tertius error, referente eodem Caſtro lib. 14. verbo *Tentatio*, fuit Petri Abailardi: contra quem ſcribit D. Bernardus epiſt. 189. & 190. & 191. Fuit autem hic error, quòd diabolus non aliter homines ad peccandum inducit, niſi contactu aliquorum lapidum, herbarum, vel animalium, quorum virtutes novit aptas eſſe ad diverſa vitia excitanda, alternando ſic vel aliter humores corporales. Omnes verò hujuſmodi errores impugnantur ſufficienter doctrina hujus articuli, & quæſt. 3. de mal. art. 5. quæ unanimiter adſtruitur à Patribus & Theologis. Neque exſtant pro prædictis erroribus alicujus momenti fundamenta, quæ referre & diluere opus ſit. Videatur Alvarez diſp. 170. ubi omnes illos impugnat, Scripturæque, & Patrum teſtimoniis veritatē confirmat.

3. Dubitandi ratio. Unam autem prætermittere non poſſumus rationem dubitandi contra ſecundam concluſionem. Nam ſi dæmones omittunt tentare nos in aliquibus peccatis; vel id omittunt, quia tentare nolunt, quamvis poſſent; vel quia tentare nequeunt, quamvis vellent? Non primum: quia cum dæmones ita ſint obſtinati in malo: admodúmque homines exoſos habeant, vellent proculdubio ut in omnibus ſuis actibus liberis peccarent, ſicut ipſi dæmones in ſuis omnibus peccant: unde quòd non tentent illos in omnibus, non erit defectu voluntatis. Neque etiam videtur ſecundum: quia non apparet ex quo capite prohibeantur tentare nos in omnibus & ſingulis actibus malis, ſicut tentant in multis.

Solutio. Reſpondetur, prædictam omiſſionem provenire ex ſecundo capite non ex primo. Et ad probationem dicendum eſt, quod ſicut dæmones vellent quidem tentare nos in omnibus, non ſolum cum pravè agimus, ſed etiam cum benè operamur, ita ut nunquam benè operaremur: & vellent tentare vehementiſſimè, ita ut non niſi difficilimè eorum tentationes vincere poſſemus: prohibentur tamen ab utroque divina providentia erga nos, media bonorum Angelorum cuſtodia & cura, juxta illud D. Gregorij homil. 34. in Evang. de ſanctis Angelis, *quorum poteſtate virtutes adverſæ refrenantur, ne corda hominum tantùm tentare prævaleant, quantum volunt*, &c. ob idque ſæpe in bonis actibus nihil pravæ ſuggeſtionis ſentimus: ſic eadem divina providentia, & Angelorum cura prohibentur multoties à munere nos tentandi, adhuc cum à carne vel mundo ad malè agendum incitamur, eorúmque incitationibus conſentimus: adeòque ſtat, ut tentatione horum hoſtium aliqua peccata perpetremus nulla exiſtente diaboli ſuggeſtione. **D. Greg.**

Solutio alia. Secundo reſpondetur ex Alvarez citata diſp. 170. ſatis eſſe ad ſalvandam D. Thomæ concluſionem, videlicet non omnia peccata ex ſuggeſtione diaboli provenire, quòd non omnia ex tali ſuggeſtione ſicut ex prima radice oriantur: ſed aliqua à propria concupiſcentia, vel aliunde excitentur: quamvis in omnibus undecunque excitatis, adſit ſtatim diabolus coadiuvans illam tentationem, & ea utens ad peccatum vivaciùs ſuggerendum, perſuadendúmque efficaciùs. Sed placet magis prior ſolutio: quia quòd nos abſque interventu & ſuggeſtione diaboli peccata aliqua operemur, magis conſonat dictis Sanctorum, & communi doctrinæ.

QVÆSTIO LXXXI.

DE CAVSA PECCATI EX PARTE hominis in quinque articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſa peccati ex parte hominis. Cum autem homo ſit cauſa peccati alteri homini exterius ſuggerendo, ſicut & diabolus, habet quemdam ſpecialem modum cauſandi peccatum in alterum per originem: unde de peccato originali dicendum eſt.

Et circa hoc tria conſideranda occurrunt. Primo de ejus traductione. Secundo de ejus eſſentia. Tertio de ejus ſubjecto. Et circa primum quæruntur quinque.

INTER

INTER cauſas peccatorum extrinſecas ultima eſt homo, quatenus poteſt ad alienum pecatum concurrere. Quod præſtat dupliciter: vel conſulendo, & ſuggerendo, proponendóque ex parte objecti: vel ut principium generationis culpam ſimul cum natura traducens. De primo modo cauſalitatis non fuit opus D. Thomæ ſpecialem quæſtionem pro homine inſtituere, quia communis eſt etiam dæmoni, de quo quæſt. præced. actum fuit: niſi quod homo proponendo ſolùm, & excitando, vel alliciendo exterius id præſtat; dæmon vero etiam interius ſuggerendo, & commovendo paſſiones, & phantaſmata per humorum alterationem, ut Ang. Doctor ibi explicuit. Secundus autem proprius eſt ſolius hominis: & non cujuſcunque, ſed primi parentis: qui cum eſſet à Deo conſtitutus caput naturæ, humanæ, totam illam in ſe peccando vitiavit, & ſic vitiatam, atque adeo unà cum ipſo peccato in cæteros, per ſeminalem propagationem ab ipſo decendentes, transfudit Ob idque hujuſmodi peccatum cum natura deſcendens dicitur *peccatum originale*, & *peccatum naturæ*, quia non propria voluntate committitur; ſed per originem ex peccato primi parentis quaſi hæreditario jure ſimul cum natura participatur. Et quia hic modus cauſalitatis ſpecialiſſimús eſt, pluraque importat, quæ Theologi ſcire tenentur, agit de eo ex profeſſo D. Thom. tum in præſenti, ubi idem præſtant omnes ejus expoſitores. Tum etiam 4. contra Gentes à cap. 50. uſque ad 53. Et in quæſtionib. de mal. quæſt. 4. & 5. Nec non in 2. diſt. 30. & ſequentibus, ubi cum Magiſtro materiam verſant Bonavent. Scotus, Durand. Ricard. Capreol. & cæteri ſcholaſtici.

ARTICVLVS I.

Utrum primum peccatum primi parentis traducatur per originem in poſteros?

AD primum ſic proceditur. Videtur quod primum peccatum primi parentis non traducatur ad alios per originem. Dicitur enim Ezechiel. 18. Filius non portabit iniquitatem patris: portaret autem, ſi ab eo iniquitatem traheret: ergo nullus trahit ab aliquo parentum per originem aliquod peccatum.

Præterea: accidens non traducitur per originem, niſi traducto ſubjecto, eo quod accidens non tranſit de ſubjecto in ſubjectum: ſed anima rationalis, quæ eſt ſubjectum culpæ, non traducitur per originem, ut in primo oſtenſum eſt: ergo neque aliqua culpa per originem traduci poteſt.

Præterea: omne illud, quod traducitur per originem humanam, cauſatur ex ſemine: ſed ſemen non poteſt cauſare peccatum, eo quod caret rationali parte animæ, quæ ſola poteſt eſſe cauſa peccati: ergo nullum peccatum poteſt trahi per originem.

Præterea: quod eſt perfectius in natura, virtuoſius eſt ad agendum: ſed caro perfecta non poteſt inficere animam ſibi unitam, alioquin anima non poſſet emundari à culpa originali, dum eſt carni unita: ergo multo minus ſemen poteſt inficere animam.

Præterea: Philoſophus dicit in 3. Ethic. quod propter naturam turpes, nullus increpat, ſed eos qui, propter deſidiam, & negligentiam. Dicuntur autem natura turpes, qui habent turpitudinem ex ſua origine: ergo nihil, quod eſt per originem, eſt increpabile, neque peccatum.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit Roman. 5. per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit: quod non poteſt intelligi per modum imitationis, vel incitationis propter hoc, quod dicitur Sapien. 2. invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: reſtat ergo, quod per originem à primo homine peccatum in mundum intravit.

Reſpondeo dicendum, quod ſecundum fidem Catholicam eſt tenendum, quod primum peccatum primi hominis originaliter tranſit in poſteros: propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad baptiſmum tanquam ab aliqua infectione culpæ abluendi. Contrarium eſt autem hæreſis Pelagianæ, ut patet per Auguſtinum in plurimis ſuis libris. Ad inveſtigandum autem qualiter peccatũ primi parentis originaliter poſſit trãſire in poſteros, diverſi diverſis viis proceſſerunt. Quidã enim conſiderantes, quod peccati ſubjectum eſt anima rationalis, poſuerunt, quod cum ſemine rationalis, anima traducatur, ut ſic ex infecta anima infectæ animæ derivari videantur. Alij vero hoc repudiantes tanquam erroneum, conati ſunt oſtendere, quomodo culpa animæ parentis traducitur in prolem, etiam ſi anima non traducatur, per hoc quòd corporis defectus traducuntur à parente in prolẽ: ſicut leproſus generat leproſum, & prodagricus podagricum, propter aliquam corruptionẽ ſeminis, licet talis corruptio non dicatur lepra, vel

vel podagra. Cum autem corpus ſit proportionatũ animæ, & defectus animæ redundent in corpus, & è converſo: ſimili modo dicitur, quod culpabilis defectus animæ per traductionẽ ſeminis in prolem derivatur, quamvis ſemen actualiter non ſit culpæ ſubjectum. Sed omnes hujuſmodi viæ inſufficientes ſunt: quia dato quòd aliqui defectus corporales à parente tranſeant in prolem per originem, & etiam aliqui defectus animæ ex conſequẽti propter corporis indiſpoſitionem, ſicut interdum ex fatuis fatui generantur: tamen hoc ipſum, quod eſt ex origine aliquem defectũ habere, videtur excludere rationẽ culpæ, de cujus ratione eſt, quòd ſit voluntaria. Unde etiam poſito, quod anima rationalis traduceretur, ex hoc ipſo quod infectio animæ proli non eſſet in ejus voluntate, amitteret rationem culpæ obligantis ad pœnam, quia ut Philoſophus dicit in 3. Ethic. nullus improperabit cæco nato, ſed magis miſerebitur. Et ideo alia via procedendum eſt dicendo, quod omnes homines, qui naſcuntur ex Adam, poſſunt conſiderari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam à primo parente accipiunt, ſecundum quod in civibus omnes homines, qui ſunt unius communitatis, reputantur quaſi unum corpus, & tota communitas quaſi unus homo. Sicut etiam Porphyrius dicit, quod participatione ſpeciei plures homines ſunt unus homo. Sic igitur multi homines ex Adam derivati, ſunt tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non eſt voluntarius volũtate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primò movet membrum. Vnde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, ſi conſideraretur manus ſecundum ſe ut diviſa à corpore, ſed imputatur ei in quantũ eſt aliquid hominis, quod movetur à primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, ſicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Vnde peccatum, quòd ſic à primo parente in poſteros derivatur, dicitur originale: ſicut peccatum, quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur actuale, & ſicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non eſt peccatum illius membri, niſi in quantum illud membrum eſt aliquid ipſius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum. Ita peccatum originale non eſt peccatum hujus perſonæ, niſi in quantum hæc perſona recipit naturam à primo parente: unde & vocatur peccatum naturæ ſecundum illud Epheſ. 2. Eramus natura filij iræ.

Ad primum ergo dicendum, quòd filius non dicitur non portare peccatum patris, quia non punitur pro peccato patris, niſi ſit particeps culpæ: & ſic eſt in propoſito. Derivatur enim per originem culpa à patre in filium, ſicut & peccatum actuale per imitationem.

Ad ſecundum dicendum, quòd etſi anima non traducatur, quia virtus ſeminis non poteſt cauſare animam rationalem, movet tamen ad ipſam diſpoſitionem: unde per virtutem ſeminis traducitur humana natura à parente in prolem, & ſimul cum natura naturæ infectio. Et hoc enim fit iſte, qui naſcitur, conſors culpæ primi parentis, quod naturam ab eo ſortitur per quandam generativam motionem.

Ad tertium dicendum, quòd etſi culpa non ſit actu in ſemine, eſt tamen ibi virtute humanæ naturæ, quam concomitatur talis culpa.

Ad quartum dicendum, quòd ſemen eſt principium generationis, quæ eſt proprius actus naturæ, ejus propagationi deſerviens: & ideo magis inficitur anima per ſemen, quàm per carnẽ jam perfectam, quæ jam determinata eſt ad perſonam.

Ad quintum dicendum, quòd illud quod eſt per originem, non eſt increpabile, ſi conſideretur iſte, qui naſcitur ſecundum ſe: ſed ſi conſideretur prout refertur ad aliquod principium, ſic poteſt eſſe ei increpabile, ſicut aliqui, qui naſcitur, patitur ignominiam generis ex culpa alicujus progenitorum cauſatam.

CONCLUSIO.

Secundum fidem Catholicam tenendum eſt primum peccatum primi hominis originaliter tranſire in poſteros.

Notandum eſt circa literam, quod cum D. Thom. impugnans duos priores modos explicandi peccati originalis traductionem, ait defectus provenientes per originem non habere rationem

rationem culpæ, loquitur de origine, habito reſpectu dumtaxat ad proximos parentes, vel etiam ad primum ut fuit ſicut cæteri perſona particularis, quorum proinde voluntas non reputatur voluntas filiorum, neque ratione illius cenſetur iſtis voluntarium, quod per originem accipiunt. Si autem origo conſideretur in ordine ad primum parentem, ut fuit à Deo conſtitutus caput naturæ, continebàtque cæterorum voluntates, non negat Ang. Doctor poſſe habere rationem culpæ, quod hoc modo accipitur per originem; ſed potius utitur prædicta ratione ad id explicandum tam in corp. quàm in ſolut. ad. 5.

Circa ſolutionem ad tertium obſerva modum loquendi D. Thomæ: non enim dixit abſolute culpam contineri virtualiter in ſemine; ſed contineri in illo virtute humanæ naturæ, quam comitatur culpa: ne putaremus ineſſe ſemini aliquam ſpecialem continentiam reſpectu peccati originalis præter ipſam continentiam naturæ humanæ, quam tale peccatum comitatur, niſi per gratiam ſanetur. Nam eo ipſo quod ſemen contineat, & communicet naturam ut ab Adamo deſcendentem, atque adeo ut deſtitutam juſtitia originali, quam ille amiſit, continet etiam, & communicat prædictum peccatum conſiſtens in ea deſtitutione, ut infra dicemus. Unde nequaquam eſſet juxta mentem Ang. Doctoris addere ſemini propter prædictam continentiam aliquam intenſionem, vel qualitatem, vel aliquid poſitivum, quod non habeat ſecundum ſe, aut quod in ſtatu naturæ puræ non haberet.

ARTICVLVS II.

Vtrum etiam alia peccata primi parentis, vel proximorum parentum traducantur in poſteros?

AD ſecundũ ſic proceditur. Videtur, quòd etiam alia peccata vel ipſius primi parentis, vel proximorum parentum traducantur in poſteros. Pœna enim nunquam debetur niſi culpæ: ſed aliqui puniuntur judicio divino pro peccato proximorum parentum, ſecundum illud Exod. 20. Ego ſum Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Judicio etiam humano in crimine læſæ majeſtatis filij exhæredantur pro peccato parentum: ergo etiam culpa proximorum parentum tranſit in poſteros.

Præterea: magis poteſt transferre in alterum id, quod habet aliquis à ſe ipſo, quàm id quod habet ex alio, ſicut ignis magis poteſt calefacere, quàm aqua calefacta: ſed homo transfert in prolem per originem peccatum, quod habet ab Adam: ergo multo magis peccatum, quod ipſe commiſit.

Præterea: ideo contrahimus à primo parente peccatum originale, quia in eo fuimus ſicut in principio naturæ, quam ipſe corrupit: ſed ſimiliter fuimus in proximis parentibus ſicut in quibuſdam naturæ principiis, quæ etſi ſit corrupta, poteſt adhuc magis corrumpi per peccatum, ſecundum illud Apocal. ultim. qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: ergo filij contrahunt peccata proximorum parentum per originem, ſicut & primi parentis.

Sed contra. Bonum eſt magis diffuſivum, quàm malum: ſed merita proximorum parentum non traducuntur ad poſteros: ergo multo minus peccata.

Reſpondeo dicendum, quòd Auguſtinus hanc quæſtionem movet in Enchirid. & inſolutam relinquit. Sed ſi aliquis diligenter attendit, impoſſibile eſt, quòd aliqua peccata proximorum parentum, vel etiam primi parentis præter primum, per originem traducantur. Cujus ratio eſt, quia homo generat ſibi idem in ſpecie, non autem ſecundum individuum: & ideo ea quæ directe pertinent ad individuum, ſicut perſonales actus, & quæ ad eos pertinent, non traducuntur à parentibus in filios. Non enim Grammaticus traducit in filium ſcientiam grammaticæ, quam proprio ſtudio acquiſivit: ſed ea quæ pertinent ad naturam ſpeciei, traducuntur à parentibus in filios, niſi ſit defectus naturæ, ſicut oculatus generat oculatum, niſi natura deficiat: & ſi natura ſit fortis, etiam aliqua accidentia individualia propagantur in filios, pertinentia ad diſpoſitionem naturæ, ſicut velocitas corporis, bonitas ingenij, & alia hujuſmodi. Nullo autem modo ea, quæ ſunt purè perſonalia, ut dictum eſt; ſicut autem ad perſonam pertinet aliquid ſecundum ſe ipſam, & aliquid ex dono gratiæ: ita etiam ad naturam poteſt aliquid pertinere ſecundum ſe ipſam, ſcilicet quod cauſatur ex principiis ejus, & aliquid ex dono gratiæ. Et hoc modo juſtitia originalis, ſicut in primo dictum eſt, erat quoddam donum gratiæ toti humanæ naturæ divinitùs collatum in primo parente, quod quidem primus homo amiſit per primum peccatum. Unde ſicut illa originalis juſtitia traducta fuiſſet in poſteros ſimul cum natura, ita etiam inordinatio oppoſita,

oppoſita. Sed alia peccata actualia, vel primi parentis, vel aliorum non corrumpunt naturam, quantum ad id quod naturæ eſt: ſed ſolum quantum ad id quod perſonæ eſt, id eſt, ſecundum pronitatem ad actum: unde alia peccata non traducuntur.

Ad primum ergo dicendum, quòd pœna ſpirituali, ſicut Auguſtinus dicit epiſt. ad Avit. nunquam puniuntur filij pro parentibus, niſi communicent in culpa, vel per originem, vel per imitationem, quia omnes animæ immediate ſunt Dei, ut dicit Ezech. 18. ſed pœna corporali interdum judicio divino, vel humano puniuntur filij pro parentibus, in quantum filius eſt aliquid patris ſecundum corpus.

Ad ſecundum dicendum, quòd illud, quod habet aliquis ex ſe, magis poteſt traducere, dummodo ſit traducibile: ſed peccata actualia proximorum parentum non ſunt traducibilia, quia ſunt purè perſonalia, ut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd primum peccatum corrumpit naturam humanam corruptione ad naturam pertinente: alia vero peccata corrumpunt eam corruptione pertinente ad ſolam perſonam.

CONCLUSIO *eſt negativa.*

In toto hoc articulo valde notanda eſt diſtinctio inter illa, quæ ſunt propria naturæ, & ea, quæ ſunt propria perſonæ: & qualiter non ſolum *natura propria* dicantur, quæ ex ejus principiis oriuntur, uti ſunt proprietates, & paſſiones; ſed etiam quæ divinitus alicui ſuppoſito pro tota natura conceduntur, ut Adamo conceſſa fuit juſtitia originalis. Hinc enim valde dependet cognitio originalis culpæ, & cur ſolum primum Adæ peccatum traducatur ad poſteros, non autem reliqua peccata ipſius Adæ, etiamſi alia mortalia ſucceſſu temporis committeret, neque etiam peccata proximorum parentum. Ad quod ſit.

DISPUTATIO XIV.

De exiſtentia, & traductione peccati originalis.

QUAMVIS ærumnæ, & miſeriæ, quas ab exordio vitæ in cunctis Adæ filiis humana natura patitur, ſigna præbeant non modica originalis culpæ; nunquam tamen hominum intellectus, niſi Fidei, & Theologiæ præceptis inſtitutus, radicem hanc malorum valuit detegere. Unde exiſtententia rei, quæ in altis materiis ut quid per ſe notum ſupponi conſuevit, in hac de originali peccato prolixo examini exponitur. Et quod de peccatis in communi ſuperfluum eſſet inquirere, an nimirum exiſtant de facto (unicuique noſtrum teſtimonium perhibente conſcientia ſua, quam ſæpe delinquat) de hoc peculiari peccato, quod ad nos per originem à primo parente transfunditur, neceſſe eſt inveſtigare. Non quaſi humana ratio ſuis innixa principiis exiſtentiam, aut traductionem prædicti peccati demonſtrare præſumat; ſed ea dumtaxat, quæ circa hoc fides docet, & quæ ex fidei deducta principiis Patres, & Theologi tradiderunt, aut ſi quæ ulterius deduci poterunt, pro viribus explanare, & ab Hæreticorum erroribus, aliiſque impugnationibus immaculata tueri. Caſus enim originalis culpæ, & ejus notitia omnino dependet ex cognitione Decretorum, & ordinationis Dei circa primum hominis ſtatum, & circa pactum cum eo in tali ſtatu initum: de quibus non niſi per revelationem divinam nobis conſtare poterit. Quocirca potiſſimæ probationes pro ſtatuendis aſſertionibus erunt loca Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, per quæ nobis divina revelatio innoteſcit: nec aliis rationibus communiter utemur, niſi quæ ex fidei principiis, prædictiſque teſtimoniis vim, & efficaciam ſortiuntur. Id quod præ oculis haberi cupimus: quia in hac materia, ut in alia ajebat magnus Gregorius, niſi fides credat, ratio non explicat.

Nomine vero *peccati originalis* in hujus, & ſequentium diſputationum titulis, ut ex illis non obſcure habetur, non intelligimus illum actum, quo primus parens deliquit, quique fuit in eo primum peccatum actuale, & ſolet dici *originale originans*: ſed illum effectum de genere peccati habitualis, qui ad poſteros inde tranſivit, inficitque, & maculat immediate animam pueri, ubi primo concipitur, ſolétque appellari *originale originatum*. Hoc enim ſpectat potiſſime ad hunc tractatum: nam de illo priori agit ex profeſſo D. Thom. 2. 2. quæſt. 161. uſque ad 165. de quo ſi quid neceſſe fuerit propter connexionem doctrinæ hic adjungere, non abſolute eo nomine utemur, ſed cum addito & explicatione ſufficienti, ut æquivocationi locus non pateat.

DUBIUM I.

Utrum detur peccatum originale ab Adamo in poſteros per originem traductum?

IN enodatione hujus difficultatis non omnia neque teſtimonia, neque rationes, quæ exiſtentiam, & traductionem peccati originalis perſuadere poſſunt, ſed tantum ſelectiora adducemus, ut brevitati conſulamus.

§. I.

Digitized by Google

§ I.

Sententia catholica.

2. DIcendum ergo eſt dari originale peccatum à primo parente in poſteros per originem traductum. Hæc concluſio eſt de fide in multis Conciliis diffinita, præſertim in Arauſicano can. 2. in Milevitano canon. etiam 2. in Paleſtino, cujus meminit Auguſtinus epiſt. 209. & lib. 2. contra Julia. cap. 2. in Toletano 6. can. 1. & in 12. can. 2. nec non in Florentino in litteris ſanctæ unionis: ac denique in Tridentino ſeſ. 5. toto decreto de peccato originali, præſertim can. 2. ubi ita habetur. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem & iuſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ: anathema ſit: cum contradicat Apoſtolo dicenti: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

C. Arauſic. can. 2. C. Milevit. can. 2. C. Paleſt. C. Toletan. C. Florent. C. Trident. ſeſ. 5.

Eamdem veritatẽ tradidere ex ſummis Pontificibus Zozimas in epiſt. ad Epiſcopos orbis, ut refert Auguſtinus epiſt. 157. Leo primus, epiſt. 86. Innocentius primus, ut refert idem Auguſtinus ibidem, & lib. 1. contra Julia. cap. 2. Gregorius lib. 7. epiſtolar. epiſt. 57. & alij. Docéntque communiter omnes ſancti Patres, ex Græcis Baſilius ſuper pſal. 32. Athanaſius de incarnatione verbi, Cyrillus Jeroſolym. catech. 2. & Alexandrinus lib. 1. in Geneſ. Juſtinus martyr dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 5. cap. 17. & 19. Nazianzenus orat. 41. in S. Paſcha. Chryſoſtomus homil. de Adam, & Eva, Theodoretus ad Pſal. 50. Damaſcenus lib. 2. fidei cap. 28. & alij plurimi. Similiter ex Latinis Cyprianus epiſt. 59. Hilarius Pictau. ad Pſal. 118. Ambroſius lib. de Tobia cap. 9. & ad Pſal. 48. & lib. 1. de pœnitent. cap. 2. Hieronymus ad cap. 41. Ezechiel. Auguſtinus innumeris in locis. Proſper lib. 3. de vita contemplat. & reſponſ. 1. ad capita objectionum vincentium, Fulgentius de gratia Jeſu Chriſti cap. 31. & de fide ad Petrum cap. 16. & alij plures: quos ſequuti ſunt omnes ſcholaſtici cum Magiſtro in 2. diſt. 30. D. Thom. ibidem, & 4. contra gent. cap. 50. de mal. quæſt. 4. art 1. ad Roman. 5. lect. 3. & cum omnibus ſuis expoſitoribus in hac quæſt. 81. Verba autem prædictorum Patrum refert theſaurus catholicus Ludovici Cocc. tom. 2. lib. 2. art. 2. noſque brevitatis cauſa omittimus.

Zozim. Leo prim. Innocent. Prim. Gregor. Baſil. Athanaſ. Cyrill. Jeroſol. Cyril. Alexand. Juſtin. Irenæus. Nazianz. Chryſoſt. Theodor. Damaſc. Cyprian. Hilar. Pictav. Ambroſ. Hieronym. Auguſt. Proſper. Fulgent. Magiſt. D. Thom. Ludovici Cocc. Roman. 5.

3. Probatur ſacræ ſcripturæ teſtimoniis. Et primo ex illo Pauli ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit in quo omnes peccaverunt.* Quo teſtimonio utuntur communiter Patres, & Concilia ad intentum præſens, quoniam apertiſſimum eſt, & per illud D. Auguſtinus lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 28. reſpondet Pelagio neganti peccatum originale in parvulis, & in hunc modum quærenti. *Non peccat iſte, qui naſcitur, non peccat iſte, qui genuit, non peccat ille, qui condidit, per quas igitur rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatũ fingis ingreſſum?* Sit hæreticus. Sed Auguſtinus. *Quid quærit* (ait) *latentem rimam, cum habeat apertiſſimam ianuam? Per unum hominem ait Apoſtolus, per unius delictum, ait Apoſtolus, per unius hominis inobedientiam, ait Apoſtolus: quid quærit amplius, quid quærit apertius: quid quærit inculcatius?* D. Augu.

Effugium vero, quod prædicto teſtimonio Pelagiani adhibebant, dicentes, verba Apoſtoli non eſſe intelligenda de peccato originali, ſed de actuali, quod, aiunt, intraſſe in mundum per Adam, tranſiſſéque ad poſteros, non origine, ſed imitatione, in quantum omnes, qui peccant, illius peccatum imitantur, juxta illud Oſeæ. 6. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum.* Hoc igitur Pelagianorum effugium impugnat recte D. Thom. 4. contra gent. cit. cap. 50. ubi ſic ait. *Non poteſt autem dici quod per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit per modum imitationis, quia ſic peccatum non prævenisſet niſi ad eos, qui peccando primum hominem imitantur & cum mors per peccatum in mundum intraverit, non perveniret mors niſi ad eos, qui peccant in ſimilitudinem primi hominis peccantis. Sed ad hoc excludendum Apoſtolus ſubdit, quod regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ. Non ergo intellexit Apoſtolus, quòd per unum hominem peccatum in mundum intraverit per modum imitationis, ſed per modum originis.* ❡ Potéſtque impugnatio hæc fulciri, quia Apoſtolus eodem modo ait, mortem intraſſe in mundum, perveniſſéque ad omnes, ſicut intravit, & pervenit peccatum: atque adeo ſicut mors pervenit non ſolum ad adultos, ſed etiam ad parvulos, qui ſæpe in illa ætate decedunt, ſic peccatum debuit ad omnes etiam parvulos pervenire. Non autem pervenit ad iſtos per imitationem: parvuli enim nullo actuali peccato Adamum imitantur: igitur pervenit peccatum ad illos alio modo, ſcilicet per propagationem.

Pelagianorũ effugium. Oſeæ 6. Impugnatur D. Thoma.

4. Deinde impugnat Ang. Doctor prædictum effugium: quia ſi tantum ſecundum imitationem Apoſtolus loqueretur de introitu peccati in mundum, potius dixiſſet per diabolum peccatum intraſſe in mundum; quàm per unum hominem: ſicut expreſſe dicitur Sapient. 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*, imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. Quæ ſane impugnatio (quæ ſumpta fuit ex Auguſtino lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. & aliis locis) majorem vim habet, ſi animadvertatur, quòd Paulus loquitur non de quocumque ingreſſu peccati in hunc mundum, ſed de primo: alias non magis tribuiſſet illum primo homini, quàm cæteris peccatoribus: at loquendo de ingreſſu per imitationem, non poteſt dici fuiſſe primo per hominem, ſiquidem prius fuit per diabolum: ergo non loquitur de tali ingreſſu. ❡ Deinde Apoſtolus non ſolum dixit peccatum intraſſe in mundum per unum hominem, ſed addit *in quo omnes peccaverunt:* hoc autem nequit intelligi per imitationem: nam teſte Auguſtino ſerm. 14. de verb. Apoſt. non dicimur omnes peccaſſe in diabolo, dum

Alia impugnatio ex Ang. Doctor. Sapient. 2. D. Auguſt.

ille peccavit, quamvis omnes, qui peccant, diaboli ſint imitatores. Plus ergo importare debent prædicta verba *in quo omnes peccaverunt*, quàm ingreſſum peccati per imitationem, neque id poteſt eſſe aliud, niſi ingreſſus peccati per originem: quatenus cum omnes eſſemus originaliter in Adamo, ipſeque conſtitutus fuiſſet caput totius naturæ, merito ejus voluntas reputata eſt voluntas noſtra, ac proinde merito ejus peccatum dicimur omnes, qui in illo eramus, cum illo, & in illo commiſiſſe.

Iob. 14. Secundum teſtimonium eſt illud Job. 14. *Qui poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu, qui ſolus es?* Qui locus, ut obſervat Ang. Doctor loco cit. ex 4. contra gent. neceſſario intelligendus eſt de immũditia ſpirituali, quæ eſt per culpam. Tum quia tribuitur ſoli Deo, quòd poſſit ab ea mundare. Tum etiam quia præmiſerat Job, *Et dignũ ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium*: judicium autem non eſt de immunditia corporali: cum ergo talem immunditiam contrahat puer in ipſa ſua conceptione virtute humani ſeminis, plane fit dari aliquod peccatum ad nos per generationem, ſeminalémque propagationem traductum. ¶ Confirmatque hanc intelligentiam lectio Septuaginta, qui ita vertunt. *Quis enim mundus erit à ſorde? At nemo, & ſi unus dies ſit vita ejus ſuper terram.*

Ang. Doct. — *Iob loco cit.* — *Septuag. interpret.*

5\. *Pſal. 50.* Tertio patet ex illo pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quem locum intelligunt communiter ſancti Patres de peccato originali, quod, etſi unum ſit, vocatur tamen in plurali *iniquitates*, & *peccata*, quia cauſa eſt, & radix omnium aliorum peccatorum. Et merito prædictus locus de peccato originali intelligitur, quia cum David de legitimo matrimonio fuerit conceptus, & natus, nullum aliud peccatum in ejus conceptione, aut nativitate interceſſiſſet, niſi ſolum originale, ut D. Thom. loco cit. recte obſervavit. Omittimus alia teſtimonia, quæ veritatem continent noſtræ aſſertionis: cujuſmodi eſt illud ad Epheſios 2. *Eramus natura filij iræ*, hoc eſt, eramus peccatores, & Dei inimici non propria voluntate, ſed voluntate Adami, quæ fuit voluntas naturæ, & cum natura ad nos ejus inordinatio deſcendit, ut explicat Auguſtinus lib. 6. contra Julia. Et illud Eccleſiaſtici 40. *Jugum grave ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum.* Jugum enim hoc impoſitum filiis Adæ à die exitus nihil aliud deſignat, niſi peccatum originale, & mala, quæ cum illo contraximus. Hæc igitur, & plura alia teſtimonia, quæ adduci poterant, omittimus, quia adducti poterant, omittimus, quia adducta ſufficiunt ad convincendam catholicam veritatem.

Epheſ. 2. — *D. Auguſt.* — *Eccleſia. 40.*

§. II.

Rationes pro Catholica ſententia.

Rationes efficaces pro aſſertione, ut ſupra obſervavimus, nequeunt ex ſolis naturæ principiis deſumi: ſeu junctis illis, quæ fides apertius docet, quibúſque adhuc ipſi hæretici non audebunt contradicere, poſſunt aliquæ efformari. Eſtque ſatis fundamentalis illa, quam D. Thom. loco cit. ex 4. contra gent. his verbis proponit. *Baptiſmus, & alia ſacramenta Eccleſiæ ſunt quædam remedia contra peccatum, ut infra patebit, exhibetur autem baptiſmus ſecundum communem Eccleſiæ conſuetudinem pueris recenter natis: fruſtra igitur exhiberetur niſi in eis eſſet aliquod peccatum. Non eſt autem in eis peccatum actuale, quia carent uſu liberi arbitrij ſine quo nullus actus homini in culpam imputatur. Oportet igitur dicere in eis eſſe peccatum per originem traductum: cum in operibus Dei, & Eccleſiæ nihil ſit vanum, & fruſtra*

Prima ratio. — *D. Thom.*

6\. Huic tamen rationi reſpondebant Pelagiani baptiſmum dari infantibus, non ut à peccato mundentur, ſed ut ad regnum Dei perveniant, quò nullus pervenire poteſt, niſi prius renatus ſit ex aqua, & Spiritu Sancto, ut dicitur Joan. 3. ¶ Sed hoc effugium facile præcluditur à D. Thoma: quia quod infantes non renati per baptiſmum à regno Dei excludantur, non aliunde habere poſſunt, niſi quia maculati ſunt, & inquinati aliquo peccato, atque adeo peccato originali: ſolum enim peccatum à regno Dei, & ejus viſione excludit. Et ratio eſt, quia finis conſtitutus à Deo omnibus rationalibus creaturis eſt prædicta viſio, ſeu regnum, in quo earum beatitudo conſiſtit: nulla autem creatura excluditur à conſequutione ſui finis, niſi ex aliquo peccato proportionato tali creaturæ: ut videre eſt in cæteris creaturis irrationabilibus, quarum nulla à ſuo fine deficit, niſi ex aliquo peccato, ut ſic dicamus naturali, quod ſit aliquis naturalis defectus. Cum igitur peccatum proprium creaturæ rationalis in quantum talis, ſit peccatum rationis, ſeu morale, conſequens eſt, ut nulla à prædicto fine deficiat, niſi propter hujuſmodi peccatum. ¶ Eo præſertim, quia quicunque excluditur à regno Dei, eo ipſo damnatur ad æternum ſupplicium: nullus autem ita damnatur, niſi propter culpam in eo exiſtentem: ergo quod parvuli non baptizati à regno Dei excludantur, contingit illis ratione alicujus peccati.

Evaſio adverſariorum — Præcluditur à D. Thom.

Deinde idem effugium præcluditur ex D. Auguſtino lib. 2. de peccato orig. cap. 40. & lib. 1. de nuptiis cap. 20. Nam parvuli cum baptizantur, eruuntur à poteſtate tenebrarum, ut dicitur ad Coloſſenſes. 1. *Qui eripuit nos à poteſtate tenebrarum*, &c. Et ideo exorcizantur, renunciant diabolo, & exufflantur: igitur ante baptiſmum habebant peccatum, per quod manebant ſub tali poteſtate: diaboli enim poteſtati non ſubduntur, niſi peccatores, & rei criminis: cum ergo peccatum illud non ſit actuale propria infantium volũtate commiſſum, debet eſſe originale. ¶ Adde baptiſmum appellari lavacrum regenerationis, & renovationis, ut habetur ad Epheſ. 4. & ad Titum 3. Cumque non ſit lavacrum ſolius corporis, ut eſt per ſe notum, ad id quippe non indigeret determinata verborum forma, & virtute paſſionis Chriſti, quam habent omnia ſacramenta; oportet, ut ſit lavacrum animæ, mundans eam ſpiritualiter in Chriſto, regenerando à ſpirituali ſorde & peccato, quod ex Adamo per generationem contraxit.

Iterum præcluditur ex D. Auguſt. — *Coloſſ. 1.*

7\. Aliud fuit quorumdam inſipientiſſimorum

[illegible] aliud.

morum Pelagianorum effugium, qui cum negarent in parvulis peccatum originale; adſtruebant in illis quædam peccata actualia à propria perſona commiſſa, pro quorum expiatione baptiſmo indigebant.

Delirium aliud

Impugnatur D. Auguſt. Hoc tamen inane delirium non eſt neceſſe alia ratione impugnare, verbi Auguſtini ſerm. 7. de verb. Apoſt. ita illud reiicientis. *Ecce infantes in ſuis utique operibus innocentes ſunt, nihil ſecum, niſi quod de primo homine traxerunt, habentes, quibus propterea eſt Chriſti gratia neceſſaria, ut in Chriſto vivificentur, qui in Adam mortui ſunt: ut quia inquinati ſunt generatione, purgentur regeneratione. Ipſos ergo teſtes citabo. Reſponde mihi, quare moriuntur? quoniam peccant? Vbi peccaverunt, ergo quando peccaverunt, quomodo peccaverunt? Bonum, & malum quid ſit neſciunt. Peccatum accipiunt qui præceptum non capiunt? Proba mihi peccatores infantes. Quid dixiſti? Vere quia oblitus es quod fuiſti. An quia plorant, peccant? Quia motibus quaſi motorum animalium moleſtias repellunt; voluptates accipiunt? Si motus iſti peccata ſunt, ampliores peccatores in baptiſmo fiunt, quia cum baptizantur, vehementiſſime reluctantur. Quare illis in tanta reluctatione non imputatur peccatum, niſi quia nullum eſt adhuc voluntatis arbitrium. Sed aliud dico. Iſti, quia nati ſunt, ut arbitraris, peccarunt; nam ſi non peccarent, inquis, non morerentur. Quid de illis dicis, qui utero moriuntur? O anguſtia! Et ipſi, inquit peccarunt, ideo moriuntur. Mentiris, an falleris? Contradicit Apoſtolus nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali. Magis Apoſtolum audio, quàm te, magis Apoſtolo credo, quàm tibi, nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali. Si autem hoc teſtimonium refellis, vade potius ad illas vagationes & dic, quia in cœlo peccaverunt, & inde in corpora præcipitantur.*

8. Secunda ratio. Secunda ratio ſimul deſumpta ex his, quæ ſenſu, rationéque percipimus, & ex his, quæ in ſacris literis edocemur, eſt hujuſmodi. Nam genus humanum communiter incurrit aliquas pœnas, tam corporales, ut mortem, famem, ſitim, &c. quàm ſpirituales, uti eſt debilitas rationis, ob quam homo difficulter veri cognitionem aſſequitur, multotiéſque in errores labitur: & adhuc difficilius beſtiales appetitus ſuperat; ab illis autem ſæpeſæpius vincitur, & obnubilatur: ergo ſignum eſt prædictum genus humanum communiter aliquod peccatum incurriſſe: communis enim pœna communem oſtendit præceſſiſſe culpam: cum ergo hoc peccatum commune humano generi, non fuerit actuale, quandoquidem infantes, quos etiam prædicta pœna comprehendit, (multi enim in illa ætate decedunt) omnis actualis culpæ ſunt expertes: erit utique originale ab Adam in totum genus humanum per originem traductum. ¶ Quæ ratio vim accipit ex illo Geneſ. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ex hoc enim aperte conſtat, mortem pœnam fuiſſe pro primo Adami peccato inflictam, atque adeo non aliter ad ejus poſteros tranſcendiſſe, niſi quia prædictum peccatum omnes illos comprehendit.

Geneſ. 2.

9. Occurſus ad rationem. Sed huic rationi forte aliquis occurret, mortem, & reliquos defectus, quos humana natura communiter ſuſtinet, non eſſe propriè pœnales; ſed potius naturales, ex neceſſitate materiæ conſequentes. Quod ſane effugium adhibuiſſe aliquando Pelagium, & ſi poſtea revocaverit, teſtatur D. Auguſtinus Epiſt. 106. ratióque illi patrocinari videtur; nam cum corpus humanum ex contrariis conſtet, neceſſario eſt corruptibile, ipſéque ſenſibilis appetitus naturaliter tendit in ea, quæ ſunt ſecundum ſenſum delectabilia, quæ ſæpe etiam ſunt contraria rationi. Similiter intellectus poſſibilis, cum ſit in potentia ad omnia intelligibilia nullum eorum habens actu, ſed illa ex ſenſibilibus debeat acquirere, ex propria natura habet, ut difficulter ad ſcientiam veritatis perveniat, faciliúsque poſſit aliò deviare.

Confirmatur. Quod confirmari poteſt: quia ſi homo fuiſſet conditus in pura natura, ubi neque haberet gratiam, neque peccatum, nihilominus eſſet mortalis, omnibuſque prædictis defectibus ſubiaceret: tunc autẽ non eſſent propriè pœnales, ſed purè naturales: quia pœna non haberet locum, ubi non præceſſiſſet culpa, & demeritum: igitur neque modo eſt ratio, cur propriè pœnales dicantur. ¶ Illa vero ſententia Geneſ. cap. 2. *quocumque die comederis* &c. non videtur accipienda de morte corporali, ſed de ſpirituali morte animæ, ut intellexit Philo. lib. allegor. & Eucherius lib. 1. Commentar. in Geneſ. Tum quia quoad vitam temporalem Adamus poſt eſum ligni vetiti multo tempore ſupervixit; cum tamen prædicta ſententia ſtatim poſt peccatum deberet adimpleri; ſiquidem in ea dicitur, *quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Tum etiam (ait Auguſtinus Eugubinus intendens mortem corporalem non eſſe pœnam illius peccati,) quia per Chriſtum in baptiſmate liberamur tam à culpa, quàm à pœna, quas pro peccato originali incurrimus; non autem liberamur à morte corporali: ergo talis mors non eſt pœna illius peccati.

Geneſ. 2. Philo. Euch. Eugubin.

10. Doctrina pro tuenda ratione. Hæc tamen non enervant noſtram rationem. Pro cujus majori intelligentia obſervandum eſt, quòd licet homo præciſe ſecundum ſe, & ſecundum naturam ſuam ſpectatus ſit corruptibilis, & mortalis, ſubjaceatque ſupradictis aliis defectibus, tam ex parte corporis, quàm ex parte animæ, & ideo ſi in ſua pura natura abſque ullo gratiæ privilegio conderetur, omnes, vel fere omnes illos, quos nunc ex vi culpæ originalis patitur, naturaliter, & independenter ab aliqua culpa ſubſtineret, eſſéntque proinde tunc defectus naturales, & pœnales: àttamen Deus de facto noluit humanam naturam in illa ſua puritate, ſeu nuditate creare, ſed ut dicitur Eccleſiaſtes 7. *Fecit ab initio hominem rectum,* præditum ſcilicet gratia, & juſtitia originali: per cujus dona id efficiebatur, ut quandiu non peccaret, ſed ratio ſuperior, & voluntas per obedientiam, & amorem eſſent Deo ſubjectæ, corpus quoque plene ſubjectum eſſet animæ, & ab ea per quamdam vim divinitus collatam, ſimul & externa protectione adjuncta, ab omni læſione, & corruptione præſervaretur. Similitérque vires ſenſitivæ plene ſubiicerentur rationi, neque in aliquid contra, aut præter ejus juſſum moverentur.

Eccleſiaſt. 7.

Suadetur ex Scriptura.

Quod quidem ita factum eſſe oſtendit prædictus locus Eccleſiaſtes, ubi dicitur Deum feciſſe hominem rectum: hoc eſt perfectum, & integrum, tam ſecundum corpus, ut non moreretur, neque pateretur, quàm ſecundum animam, ut ratio in omnibus perfectè appetitui dominaretur. Unde Chaldæus ſic vertit. *Creavit Dominus Adamum illum primum fortitudine, & juſtitia præſtantem.* Quod enim dicit *præſtantem fortitudine*, oſtendit vim animæ conceſſam ad continendum corpus, ſervandúmque immune ab omni nocumento, & paſſione corruptiva. Quod vero dicit *juſtitia*, deſignat robur, & efficaciam rationis ad regendum appetitum, dominandúmque illi perfectè, ne contra judicium, & rectitudinem ipſius rationis extolleretur. Quò etiam ſpectat illud Sapient. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum: invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*, Et Eccleſiaſt. 17. *Veſtivit illum virtute*, &c. Pſal. 48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit.* Quibus locis adjuncta Patrum, & interpretum communi gloſſa, manifeſtè oſtenditur Deum in illo primo ſtatu condidiſſe hominem in natura ſana, & integra, immortali, & impaſſibili, dignáque maxima æſtimatione, & honore, propter dona divinitùs collata, quæ poſtmodum invidia diaboli peccando amiſit.

Sapient. 2. Eccleſiaſt. 17. Pſal. 48.

Geneſ. 2. D. Thom.

Idem ſuadet locus Geneſ. 2. *Quocunque die comederis, morte morieris.* Ut enim obſervat D. Thom. 4. contra gent. cit. cap. 50. fruſtra homini mors ut pœna peccati apponeretur, ſi ipſe ante peccatum eodem modo, ac nunc, erat mortalis, proindéque etiam non peccando moriturus. Et Geneſ. 3. *Comedit, & aperti ſunt oculi amborum, cúmque cognoviſſent ſe eſſe nudos*, &c. Quod enim per peccatum, & non antea cognoverint ſe nudos, ſatis oſtendit habuiſſe ante illud tegumenta innocentiæ, & juſtitiæ originalis, quæ omnes naturales defectus, & inordinatos motus, eos comprimendo, & relegando, ita contegebant, ut nullus appareret, neque de facto eſſet, ex quo verecundarentur: è contra vero poſt peccatum prædictum tegumen amiſiſſe, ſpoliatóſque, & deſtitutos donis juſtitiæ originalis per experientiam prædictorum defectuum, & motuum inordinatorum propriam nuditatem cognoviſſe, & erubuiſſe.

Geneſ. 3.

11\. Et quamvis hujus rei, utpote ex facto, & libera Dei ordinatione dependentis, non habeamus rationem naturalem demonſtrativam, probabilem tamen, & valde congruentem adducit D. Thom. 4. contra gent. cap. 52. ex ſuavi, & communi lege divinæ providentiæ. Ad quam, inquit, ſpectat, ut ſingulis perfectionibus congrua perfectibilia in ſua inſtitutione coaptet: ac proinde quod conjungens corpori animam rationalem, quæ eſt incorruptibilis, & ſuperioris naturæ, ita coaptaret, & diſponeret illud, ut nihil in eo eſſet contradicens, aut repugnans animæ: ſed hæc illi tam in ordine ad *eſſe*, quàm in ordine ad *agere* perfectè dominaretur: ſi quod vero hujus Dominij impedimentum ex materiæ defectu contingeret, ſpeciali ipſius Dei beneficio tolleretur. Hoc autem perfectum dominium animæ in corpus neceſſario importat ea, quæ à juſtitia originali præſtari diximus, ut intuenti patebit: igitur attenta, & præſuppoſita ſuavitate divinæ providentiæ, debuit homo cum prædicta juſtitia, & non aliter in ſua prima conditione inſtitui.

D. Thom.

Cæterum, quia dona, quæ Deus gratioſè tribuit viatoribus, licet ex ſe non dicant amiſſibilitatem, recipiunt tamen illam ex parte voluntatis ejus, cui conferuntur: quia liberum hominis arbitrium, attenta ejuſdem divinæ providentiæ ſuavitate, poſtulat non ſtatim confirmari in gratia; ſed habere electionem circa bonum, & malum: debuit prædicta juſtitia primo homini pro ſe, & pro ſua poſteritate conferri ſub eo pacto, ut videlicet tandiu illa potirentur, quandiu ipſe Adamus per peccatum à Deo non averteretur: ſi vero peccaret, illam pro ſe, & pro ſua poſteritate amitteret. Et hoc pactum (ſive fuerit expreſſum, & formale; ſive ſolùm virtuale, & implicitum, quod non refert) continetur in illa comminatione primo parenti facta, *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris* In quibus verbis manifeſte denotatur, Adamum (cum quo Deus tanquam cum naturæ capite, atque adeò tanquam cum tota natura humana agebat) ſi impoſitam ſibi legem obſervaret, nequaquam neque corpore, neque anima moriturum, ſi verò delinqueret, neceſſitatem, & debitum moriendi incurſurum: atque adeo amiſſurum pro ſe, & pro ſua poſteritate illa dona, quæ mortem, & reliquos defectus impediebant.

12\. Impugnatur evaſio ex præjacta doctrina.

Ex his facile impugnatur evaſio adhibita noſtræ rationi. Nam licèt reſpectu hominis conditi in pura natura, ſeu ſecundum ſe ſpectati mors, & alij defectus naturales eſſent, propter compoſitionem ex contrariis, & materiæ conditionem; non tamen reſpectu illius ut juſtitia originali præditi: quin potius ipſi hoc modo ſumpto repugnabant: ergo cum de facto homo creatus fuerit cum prædicta juſtitia, ut Scriptura ſacra nos docet, nequeunt tales defectus aliter evenire, quàm per peccatum juſtitiam illam auferens: cúmque ſint communes toti generi humano, neceſſario arguunt peccatum originale omnibus commune.

Satisfit rationi, & confirmationi.

Ratio vero, & confirmatio, quæ in prædicta evaſione affertur, ſolùm convincunt, prædictos defectus fore naturales reſpectu hominis conditi in pura natura, & ſecundum ſe ſpectati, ſecus autem ſuppoſita creatione illius in juſtitia originali, ut evenit de facto.

Locus Geneſ. exponi debet de morte corporali. Roman. 5.

¶ Neque verum eſt, prædictam Geneſis ſententiam, *Quocunque die comederis, morte morieris*, intelligi ſolùm de morte ſpirituali. Tum quia hic ſenſus alio excluſo, contradicit Apoſtolo ad Roma. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, &c. ubi manifeſte ſermo eſt de morte corporali: ſiquidem diſtinguitur à peccato, quod eſt mors ſpiritualis, & ponitur effectus ipſius. Et cap. 8. *Corpus quidem propter peccatum mortuum eſt*: ecce qualiter ipſa mors corporis, & non tantum mors animæ dicitur introducta fuiſſe propter peccatum, atque adeo in pœnam illius. Et ideo D. Auguſtinus lib. de peccat. merit. cap. 4. explicans prædictum locum ait, Apoſtolum conſultò dixiſſe corpus mortuum eſſe propter peccatum, ne aliquis crederet, ideo mortuum, quia de terra ſumptum,

D. Auguſt.

ptum, & ex contrariis coaleſcens. Quamvis enim hæc eſſent ſufficiens mortis cauſa, ſi homo in pura natura conderetur; de facto tamen quia conditus eſt in juſtitia originali mortalitatem impediente, & vitam perpetuo illæſam conſervante, nequaquam mors illi conveniret, niſi adfuiſſet peccatum tollens ipſam juſtitiam.

13. Nec refert, quòd Adamus poſt commiſſum peccatum multo tempore ſupervixerit: quia verba illa *Quocunque die comederis, morte morieris*, non ita intelligenda ſunt, ut mors ſtatim deberet executioni mandari: ſed quia ſtatim atque homo deliquit, manſit morti obnoxius, ſeu moriendi neceſſitati addictus, ut exponit D. Thom. 4. contra gent. cap. 50. Vnde tempus illud *quocunque die* non eſt referendum ad verbum *morieris*, quaſi eadem die, in qua comederet, eſſet moriturus; ſed ad verbum *comederis*; ac ſi dixerit, *ſi comederis, quacunque die comedas, tandem morieris.* Poteſtque addi ex Pereira tom. 1. in Geneſ. Adamum ſtatim ac peccavit, cœpiſſe mori, quia cœpit cruciari doloribus, & miſeriis, quæ ſunt quædam inchoata mors: & ex illis etiam, ſicut ex ipſa morte in facto eſſe deducitur exiſtentia peccati communis, Adamo, & ejus poſteritati: ſiquidem etiam iſti cruciatus, miſeriæ, & dolores habent rationem communis pœnæ, & ita indicant culpam communem, quam conſequuntur.

D. Thom.

Pereira.

Ad aliud vero, quod additur ex Eugubino, reſpondetur ex D. Thoma in 2. diſt. 31. quæſt. 1. art. 2. ad 1. quod licet homo per Chriſtum liberetur tam à culpa, quàm à pœna, quam per originale incurrit, non tamen ita ut utrumque ſtatim plenè aſſequatur: ſed in hac vita per baptiſmum manet liber à tota illa culpa, & à reatu pœnæ æternæ: in patria vero liberabitur perfectè ab omni alia pœna, & defectu. Vnde immortalitas, & libertas ab omnibus miſeriis, quam in futura vita aſſequemur, verè ſunt effectus paſſionis, & meritorum Chriſti, ſicut remiſſio, & condonatio culpæ in hac vita.

D. Thom.

Qualiter per Chriſtum liberemur à pœna originalis culpæ.

Secundo reſpondetur ex eodem D. Thoma in 2. diſt. 32. quæſt. 1. art. 2. ubi ait. *Peccatum originale eſt primò & per ſe infectio naturæ; & per conſequens inficit perſonam, ſecundum quod diſpoſitio naturæ in perſonam redundat: & ſecundum hoc duplex pœna originali debetur. Vna, in quantum perſonam inficit, ſcilicet carentia divinæ viſionis: viſio enim divina actum quemdam deſignat, actus autem omnis perſonæ eſt: quia actus in individuo ſunt, ut Philoſophus dicit, Vnde & carentia viſionis ad perſonam referenda eſt, cùm oppoſita ſint circa idem. Alia pœna debetur ſibi, in quantum naturam inficit; ſicut neceſſitas moriendi, paſſibilitas, rebellio carnis ad ſpiritum, & hujuſmodi: quæ omnia ex principiis naturæ cauſantur, & ſpeciem totam conſequuntur, niſi miraculosè aliter contingat; dicendum eſt ergo, quòd baptiſmus infectionem originalis mundat, ſecundum quòd infectio naturæ in perſonam redundat: & ideo per baptiſmum illa pœna tollitur, quæ perſonæ debetur, ſcilicet carentia divinæ viſionis, non autem baptiſmus removet infectionem naturæ, ſecundùm quòd ad naturam per ſe refertur; ſed hoc erit in patria, quando noſtra natura perfectæ libertati reſtituetur: & ideo oportet, quòd remaneat illa pœna poſt baptiſmum, quæ culpæ originali debetur, ſecundùm quòd naturam inficit: & hujuſmodi eſt fomes, neceſſitas moriendi, & hujuſmodi.*

D. Thom.

Ex quibus non ſolum manet probata prima concluſionis pars, dari ſcilicet peccatum originale commune Adamo, & ejus poſteris, ſed etiam ſecunda, videlicet prædictum peccatū traduci & communicari per originē: qui eſt æquè communis conſenſus Theologorum, sāctorum Patrū, & totius Eccleſiæ. Tum quia Scripturæ teſtimonia utrunque convincunt. Tum etiam quia cum tale peccatum ſtatim ex ipſa conceptione parvulo inſit, nec tunc poſſit fieri recurſus ad aliquem actum, vel uſum liberi arbitrij ipſius parvuli, nulla alia prædictæ communicationis via excogitari poteſt, niſi ejus generatio, per quam accipiendo naturam ſimul accipit culpam. Tùm denique quia peccatum originale dicitur peccatum naturæ juxta illud ad Epheſ. 2. *Eramus natura filii iræ*, eò quòd commiſſum fuit ab Adamo, ſecundùm quòd erat caput, vicéſque gerebat totius naturæ humanæ, & ſecundùm, quòd pro ſe, & pro tota illa juſtitiam originalem acceperat: unde debuit tale peccatum poſteris communicari eo modo, quo communicantur illa, quæ ſunt naturæ propria: hæc autem communicantur per generationem, per quam communicatur ipſa natura: ergo, &c. Sed de hoc iterum redibit ſermo dub. 3. ubi examinabitur cauſa efficiens peccati originalis tàm moralis, quàm phyſica, tàm principalis, quàm inſtrumentalis.

Epheſ. 2.

§ III.

Oppoſitus error & aliqua ejus fundamēta.

Contrarium errorem negantem peccatum originale ab Adamo in poſteros transfuſum ſectati ſunt Pelagiani: ut refert D. Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 9. & lib. de bono perſever. cap. 11. & 12. & ſæpenumero in libris contra Iulia. & alibi. Tenuerunt etiam prædictum errorem Sarraceni, & aliqui Hæbreorum, quos adducit Burgenſis ad dit. 2. ad 6. cap. Exodi, & addit. etiam 2. ad Roman. 5. Similiter Armeni, Albanenſes, Albigēſes, Anabaptiſtæ Albailardus, Eraſmus & alij hæretici: ut videre eſt apud Caſtrum de hæreſibus verbo *peccatum* hæreſi 1. & apud Bellarm. lib. 4. de ſtatu peccati cap. 1 & alios. Quamvis autem omnes Eccleſiæ Patres perpetuò veritatem Catholicam defenderint, non defuere hæretici, qui aliquorum, ut Baſilij, Chryſoſtomi, Ambroſij, & aliorum nonnulla teſtimonia, in quibus minus clarè loquuntur, in ſuum errorem aſſumerent. De quo legendus eſt Sixtus Senenſ. lib. 5. Bibliot. ubi annotat. 177. uſque ad 180. & lib. 6. annota. 236. uſque ad 239. prædictos Patres ab ea impoſtura liberat, & eorum verborum legitimum ſenſum tradit.

14. *Pelagiani. Sarrac. Armeni. Albanenſ. Albigenſ. Anabaptiſtæ. Abailard. Eraſm. Burgenſ. Caſt.*

Bellarm. Sixt. Senenſ.

Legendus eſt etiam D. Auguſtinus lib. 1. contra Iulia. cap. 3. ubi rem optime tractat: prædictorúmque Patrum, & aliorum teſtimoniis veritatem confirmat. Tandémque reſpondet ad quædam verba Chryſoſtomi primo aſpectu difficilia, quæ Iulianus pro ſe adducebat ex homil. ad Neophytos tom. 5. nēpe. *Hac de cauſa infantes*

D. August.

infantes baptizamus, cum non ſint coinquinati peccato, ut eis detur, vel addatur ſanctitas, juſtitia, &c. Horum verborum occaſione multa dicit Auguſtinus oſtendens Chryſoſtomum nequaquam à Catholica veritate, & à communi reliquorum Patrum ſententia diſcedere. *Abſit* (inquit) *ut Conſtantinopolitanus Ioannes de baptiſmate parvulorum, eorúmque à paterni chirographi liberatione per Chriſtum tot, ac tantis Coepiſcopis ſuis, maximéque Romano Innocentio, Carthaginenſi Cypriano cappadoci Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. Alia ſunt in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi, atque optimi regulæ Catholicæ defenſores ſalva fidei compage, non conſonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit, & verius. Hoc autem unde nunc agimus ad ipſa fidei pertinet fundamenta.* Et inferius. *Hoc ſenſit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit & Ioannes. Sed tu ejus verba in veſtrum dogma convertis. Peccata dixit parvulos non habere, ſed propria; unde illos innocentes merito nuncupamus, ſecundum id, quod ait Apoſtolus, nondum natos nihil egiſſe boni, ſive mali: non ſecundum id quod ait, per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi*, &c. *Comparans ergo eos Ioannes majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in Baptiſmo, dixit illos non habere peccata. Non ſicut verba ejus ipſe poſuiſti, non coinquinatos eſſe peccato: dum vis utique intelligi non eos peccato primi hominis inquinatos.*

Hæc ait acutiſſimus Doctor Auguſtinus increpans Hæreticum, quod non ipſiſſima Chryſoſtomi verba adduceret, quæ juxta vetuſtiores codices ſic habent. *Infantes baptizamus quamvis peccata non habentes*, &c. ſed ex aliquo minus legitimo interprete lectionē illam deſumpſiſſet. *Infantes baptizamus, cum non ſint coinquinati peccato.* Vnde proſequitur. *Sed peccato non inquinatos dicere maluiſtis, ut unum primi hominis peccatum veniret in mentem. Sed ſuſpicionibus non agamus, & hic vel Scriptoris error, vel varietas putetur interpretis: ergo ipſa verba Græca, quæ à Ioanne dicta ſunt, ponam* Διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα, *quod eſt Latinè, ideo & infantes baptizamus quamvis peccata non habentes. Vides certe non ab eo dictum eſſe parvulos non coinquinatos eſſe peccato, ſive peccatis; ſed non habere peccata, intellige propria, & nulla contentio eſt. At inquies* (proſequitur tacitam Hæretici replicam reiiciens) *cur non ipſe addidit propria? Cur putamus, quia niſi diſputans in Catholica Eccleſia non ſe aliter intelligi arbitrabatur: tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus ſecurius loquebatur.*

Propria verba D. Chryſoſtomi.

16. Ex qua Auguſt. doctrina habemus debitam explicationem ad quævis teſtimonia, quæ ex Patribus, vel aliis probatis Doctorib. adduci poterunt, quæ externa ſpecie peccatum omne à parvulis reiicere videantur. Nam vel loquuntur de peccato proprio, propria ſcilicet ipſius parvuli voluntate commiſſo, vel ſi etiam de peccato ab Adamo deſcendente aliquando loquantur, debent intelligi de Adamo ut perſona particulari, operantéque per ſuam voluntatem, ut erat voluntas perſonalis, & ſibi propria, quo pacto nihil ad nos tranſmiſit, non autem prout erat caput naturæ, & voluntate capitali deliquit.

In eumdem quoque errorem videtur poſſe aſſumi locus Pauli 1. ad Corinth. 7. ubi filios Chriſtianorum, & fidelium appellat *Sanctos*: non autem tales eſſent, ſi peccato originali macularentur. ¶ Sed huic teſtimonio Apoſtoli duplici via occurrit D. Thom. ibidem dicens. *Quod ait, alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem Sancti ſunt, hoc legitur dupliciter. Vno modo de filiis naſcituris: alio modo de jam natis. Primo modo ſic, alioquin, ſcilicet ſi diſceditis, & vos aliis copulatis filij veſtri, qui de hac copula naſcerentur immundi eſſent, ſcilicet ſpurij, quia non de legitimo matrimonio. Nunc autem, ſi permanetis, Sancti ſunt, id eſt mundi, quia legitimis conjugiis nati.* Juxta quam ſolutionem Apoſtolus non loquitur de munditia, & ſanctitate gratiæ, quæ opponitur peccato; ſed de munditia, & ſanctitate legali, quæ cum peccato componitur, tantúmque excludit illegitimitatem.

Locus Pauli cum duplici expoſit. D. Thom.

Secundo modo (proſequitur D. Thom.) *legitur ſic alioquin, ſcilicet ſi diſceditis, filij veſtri jam nati immundi eſſent, id eſt in infidelitate remanerent, ſequentes ſcilicet majorem partem, quæ tunc erat infidelium: nunc autem ſi permanetis, Sancti ſunt, id eſt Chriſtiani fiunt.* Iuxta hanc autem expoſitionem ſermo eſt de munditia, & ſanctitate pertinente ad ordinem gratiæ: dicuntur vero filij Chriſtianorum *Sancti*, non quia ita naſcantur; ſed quia inter Chriſtianos permanentes, in proximo eſt, ut baptizentur, & ejuſmodi ſanctitatem ácc piant.

Deinde ratione arguitur contra Catholicam ſententiam. Quoniam alioqui proximi parentes vacantes generationi prolis lætaliter delinquerent, etiam ſi legitimo matrimonio conjuncti eſſent, propter nocumentum peccati originalis proli exinde ſequutum: & qui per copulam fornicariam commiſcerentur, peccarent duplici peccato, alio quidem luxuriæ, ſive contra caſtitatem: alio verò contra charitatem propter prædictum nocumentum: hoc autem communiter reiicitur: ergo, &c. 17.

Arguitur ratione.

Nec refert, ſi dicas labem peccati originalis non tranſfundi in poſteros virtute carnalis generationis ſecundum ſe ſumptæ, ſeu quatenus eſt à proximis parentibus; ſed prout eſt ab Adamo, importátque reſpectum ad illum, ſecundum quod fuit caput naturæ humanæ, ſuóque primo peccato totam illam infecit. Vnde prædicta macula non in parentes proximos, ſed in ſolum Adamum, ut peccato illo pro tota natura delinquentem, debet refundi.

Solutio communis.

Nam contra eſt. Tum quod Adamus jam non operatur ſecundum ſe, neque communicat aliquid puero modò naſcenti, niſi mediis proximis parentibus: ergo ſaltem ut inſtrumentum Adami, & in virtute illius debent ipſi parentes proximi ad communicationem peccati originalis concurrere: ac proinde debent concurſu illo peccare: ſiquidem quiſquis ad peccatum concurrit, eo ipſo peccat. Tum etiam quia proximi parentes per ſuam generationem, & ſecundum, quod eſt ab ipſis, communicant naturam humanam privatam, & deſtitutam juſtitia originali: igitur communicant peccatum originale conſiſtens in tali privatione, & deſtitutione. Tum denique quia ſaltem Adamus non poſſet à peccato excuſari

Impugnatur.

Digitized by Google

excuſari, quoties vacaret generationi: quandoquidem media tali generatione, & ſecundum quod ab illo erat, communicabat filiis immediate à ſe genitis originale peccatum.

18. Doctrina pro tuenda communi ſolut. Reſpondetur ſuſtinendo communem, & veram ſolutionem inter arguendum datam. Vt vero impugnationibus occurramus, animadvertendum eſt, peccatum originale (ut infra dicemus) aliquid importare de materiali, & aliquid de formali. De materiali namque importat concupiſcentiam, ſeu pronitatem ad bonum ſenſibile contrarium rationi, & etiam carentiam illius perfectionis, quam juſtitia originalis tribuebat, quatenus hæc carentia conſideratur in vi ſolius negationis, præſcinditque à ratione voluntaria: uti eſſet in ſtatu naturæ puræ. Pro formali vero dicit carentiam ejuſdem juſtitiæ originalis non adæquate, ſed ſecundum principale ejus munus juſtificandi animam, & rectificandi rationem cum Deo, quatenus prædicta carentia conſideratur formaliſſime in ratione privationis voluntariæ.

Alia doctr. Deinde nota ſemen humanum, quod eſt inſtrumentum in generatione, poſſe conſiderari dupliciter: vel prout eſt ab hac determinata perſona, ſcilicet proximo parente tanquam à cauſa principali proxima, & immediata; ab Adamo vero non niſi ut à cauſa mediata, & remota: vel ſecundum quod dicit quemdam reſpectum, aut quaſi reſpectum ad voluntatem Adami, ſecundum quod fuit voluntas capitis naturæ, & ut talis per ſuum primum peccatum amiſit voluntarie juſtitiam originalem, pro ſe, & pro ſuis poſteris, & ex vi talis amiſſionis omne ſemen communicativum naturæ humanæ à ſe proceſſurum reliquit deſtitutum quadam vigoroſitate, qua polleret in ordine ad traducendam cum prædicta natura juſtitiam originalem, prout dub. 3. latius declarabitur: qui quidem reſpectus non ad voluntatem, vel actionem proximi parentis, ſed ad ipſam voluntatem Adami, & ad ejus primum peccatum immediate, & per ſe terminatur. Nam ſicut in omiſſione voluntaria actus debiti intelligimus quemdam reſpectum ad voluntatem, ex qua emanavit, & ad illud, quod fuit cauſa talis omiſſionis: eóque reſpectu ſecluſo, nequit omiſſio ut voluntaria intelligi: ita in illa privatione vigoroſitatis relicta ex voluntate Adami & ex primo peccato in ſemine humano, intelligimus prædictum reſpectum ad eamdem voluntatem, & ad prædictum peccatum, ex quibus talis privatio, ejúſque voluntarietas ortum duxit.

19. Semen ergo primo modo conſideratum eſt proprium inſtrumentum generantis proximi: & ideo quidquid agit modo illo, tribuitur principaliter ipſi generanti: at vero ſecundo modo acceptum, eſt inſtrumentum ſolius Adæ, & non utcumque, ſed ut primo peccantis per modum capitis naturæ, illóque peccato totam humanam naturam coinquinantis per privationem originalis juſtitiæ: unde quod iſto modo cauſat, in ſolum Adamum, ejúſque voluntatem ut ſic delinquentem refunditur: habétque ſe iſta cauſalitas reſpectu generantis proximi, & ejus influxus pure concomitanter, & omnino per accidens.

Observatio alia. Ex quo ſit (& eſt tertio obſervandum) Adamum ad generationem pueri modo naſcentis dupliciter comparari: uno modo ſicut cauſam mediatam, & remotam, adhuc in ratione cauſæ principalis, quæ ſuum influxum exercet mediis proximis parentibus, ut cauſa principali proxima, & immediata, medióque ſemine iſtorum, prout ab illis, atque adeo quatenus eſt inſtrumentum eorum, immediate, & mediate ipſius Adami. Alio vero modo comparatur ſicut cauſa immediata, omninóque proxima in ratione cauſæ principalis: cujus proinde influxus non derivatur ad prolem mediis proximis parentibus, neque medio ſemine, ſecundum quod accipit ab illis, ſed dumtaxat medio prædicto ſemine, ſecundum quod immediate eſt inſtrumentum ipſius Adæ, importátque reſpectum ſupra explicatum ad ejus voluntatem, ut per modum capitis delinquentem. Quare quod modo iſto per ſemen communicatur proli, omnino eſt extra cauſalitatem proximorum parentum, non ſolum principalem, ſed etiam inſtrumentalem.

His ſuppoſitis (quæ adhuc ſunt inferius magis declaranda) ad primam impugnationem reſpondetur, Adamum mediis proximis parentibus ſolum communicare proli humanam naturam, & peccatum originale, quantum ad materiale num. 17. explicatum: quoad formale vero ibidem dictum non concurrunt proximi parentes; ſed cauſa principalis eſt ſola voluntas Adami, ut per modum capitis deliquit: inſtrumentum vero, medio quo illa voluntas ſuum influxum, & malitiam originalem communicat, eſt ſemen ab Adamo mediate, vel immediate deſcendens, non ſecundum aliquid, quod accipiat à proximis parentibus, ſed ſecundum illam voluntariam privationem vigoris nuper explicatam, quæ in ipſo ſemine ex prædicta voluntate Adami, ejúſque peccato ſine ulla alia cauſa principali reſultat quantum ad ſuum formale, ſcilicet quantum ad rationem voluntarij; & privativi. Ex eo autem quod proximi parentes concurrant ad materiale peccati originalis, non ſequitur, quod peccent, aut communicent malitiam: quia totus eorum influxus ſiſtit in illo materiali materialiter ſumpto. Sicut ex eo quod Deus per ſuum influxum concurrat ad materiale peccati actualis, non ideo peccat, neque concurrit ad malitiam: quia talis influxus in prædicto materiali materialiter accepto ſiſtit. 20. Satisfit priori impugnationi.

Satisfit ſecundæ. Ad ſecundam impugnationem reſpondetur, proximos parentes per ſuam generationem, ut eſt ab illis, communicare naturam humanam ut connotantem carentiam juſtitiæ originalis; & ad ſummum communicare etiam prædictam carentiam, ſecundum quod præciſe conſideratur in ratione negationis, quo pacto ſpectat ad materiale peccati originalis; nequaquam tamen communicare prædictam carentiam ſecundum quod eſt voluntaria, & privativa: ſecundum quam rationem conſtituit formaliter prædictum peccatum. Hæc enim ratio *voluntary*, & *privativi* ſolum provenit ab Adamo medio ſemine ut inſtrumento ejus immediato.

21. Animadverſio. Diximus, proximos parentes ad ſummum communicare prædictam carentiam,

 quatenus

Digitized by Google

quatenus habet rationem negationis : quia adhuc ſecundum iſtam rationem non eſt neceſſe, quod refundatur in illos, neque in aliam cauſam effectivam : quoniam negationes, quæ in hac ratione ſiſtunt, nulla indigent cauſa, ſed ſufficit non adeſſe formas, quarum ſunt negationes, ut illas concipiamus & de eis tanquam de exiſtentibus loquamur. Unde quemadmodum in pura natura homo communicaret per generationem naturam humanam carentem, ſeu non aſſociatam juſtitia originali, neque hæc carentia eſſet tunc alicui voluntaria (aliàs eſſet peccaminoſa) neque aliquam cauſam effectivam illi aſſignaremus, ſicut nec modò aſſignamus cauſam effectivam harum negationum, *hominem non eſſe Angelum*, *Angelum non eſſe Deum*, *equum non eſſe rationalem*, & ſimilium: ita in ſtatu naturæ lapſæ licet proximi parentes communicent naturam non aſſociatam ſeu carentem gratia, & juſtitia originali, non ideo hæc carentia prout conſideratur præciſe in ratione negationis, qua ratione ad materiale peccati originalis ſpectat, debet refundi in ipſos parentes, vel in aliam cauſam effectivam, ſed eſt abſque ulla cauſa.

Tertiæ impugnationi occurritur.

Ad ultimam impugnationem negatur antecedens : & ad probationem reſpondetur, Adamum duplicis perſonæ munus geſſiſſe : nempe & perſonæ communis, quæ per modum capitis ex perſona omnium poſterorum, quorum in ſe voluntates continebat, operabatur : idque habuit uſque ad eſum ligni vetiti incluſive, & perſonæ particularis à cæteris condiſtinctæ, quæ ſuo tantum nomine agebat : quod præſtitit in reliquis actionibus poſt prædictum eſum. Quia ergo communicatio originalis culpæ non ſpectabat ad Adamum niſi ut perſonam communem, non debuit refundi in illum ut exercentem poſtea actum generationis, ſed præciſe ut per illum eſum delinquentem : neque proinde talis generatio fuit transfuſiva culpæ, quatenus erat ab Adamo, ut tunc operante, ſed ut reſpiciebat primum ejus peccatum, & in virtute illius agebat : ſicut de reliquis genitoribus poſteris & eorum generationibus ſupra dictum eſt.

22. Argumentum tertium.

Tertio arguitur, itemque præcedens doctrina impugnatur. Quia licet proximi parentes directe non concurrant ad peccatum originale transfundendum, poſſunt ſaltem illud impedire abſtinendo à generatione: igitur niſi abſtineant, ut illud impediant, imputabitur illis tanquam voluntarium indirecte. Patet conſequentia : nam ex lege charitatis tenetur, unuſquiſque vitare alienum malum, quando id eſt in ſua poteſtate, & ſi non vitet, cenſetur velle indirecte tale malum. Quod præcipuæ locum habet in malis pertinentibus ad animam, quale eſt peccatum.

Et confirmatur. Nam qui dat operam rei illicitæ, tenetur de damno ſubſequuto, etiam ſi ex malitia alterius, & præter ejus intentionem, ſequatur : ergó ſaltem fornicarius, qui per copulam illicitam generat, tenebitur de peccato originali ſequuto in prole : ac proinde committet duplex peccatum, aliud contra charitatem ratione hujus damni, & aliud contra temperantiam ratione luxuriæ.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem vero dicendum eſt, non ſemper teneri hominem ceſſare ab actione propria propter alienum malum præviſum : quia poteſt habere juſtam cauſam proſequendi jus ſuum, etiam cum periculo aut certitudine talis mali : præſertim cum hoc non ex vi ſuæ actionis, ſed aliunde conſequitur, ſicut in præſenti contingit: bonum enim commune naturæ humanæ, quod in propagatione ejus conſiſtit, dat unicuique juſtam cauſam vacandi generationi, etiam ſi ſciat damnum aliquod in prole ſequendum; dummodo hoc non ex vi generationis prout ab iſto generante, ſed aliunde ſequatur, ut in peccato originali contingit.

Adde, neminem poſſe juſtè conqueri de illo, à quo accipit primum *eſſe*, etiam ſi cum tali *eſſe* malum aliunde conjungatur : ſicut nemo conqueritur de Deo, quòd illum creaverit, ſciens, & prævidens fore peccatis inquinandum. Tum quia unuſquiſque naturaliter amat *eſſe* abſolute ; & conſequenter etiam naturaliter amat dantem tale *eſſe*, nullamque habet cauſam querendi de illo, ſine quo non eſſet. ¶ Tum etiam quia licet *eſſe*, junctum peccato ratione ipſius peccati abſolute ſit pejus, minùſque eligibile, quàm *non eſſe*; ex alio tamen capite poteſt eſſe eligibilius habere *eſſe*, etiam cum præſcientia peccati, ſine electione tamen ipſius peccati, quàm abſolute *non eſſe*. Quia conſervato *eſſe* manet remedium contra peccatum, & ſpes evadendi de illo, manétque ſuppoſitum capax beatificandi, & conſequendi ſummum bonum; *eſſe* vero deſtructo omnis hujus boni ſpes, & capacitas perit : & talis ſpes facit eligibilius *eſſe*, etiam præviſo, & connotato, non tamen electo peccato, quàm abſolute *non eſſe*. Quæ eſt doctrina D. Thomæ infra quæſt. 83. art. 1. ad 5. & in opuſc. de præſcient. & prædeſt. cap. 7. D. Bonaventuræ in 2. diſt. 30. art. 1. quæſt. 2. ad 2. & aliorum. Potiſſiméque locum habet in peccato originali (quidquid ſit de actuali) quia in ejus contractione nihil jam de novo contra Deum committitur, ſed illud dumtaxat contrahitur, quod non ſubeſt poteſtati hominis evitare. Sed circa hoc videri poteſt Greg. Mart. infra quæſt. 83. art. 1. dub. 5. ubi hanc ipſam difficultatem ex profeſſo tractat, an ſcilicet melius, & optabilius ſit eſſe cum peccato ſive perſonali, ſive originali, quàm non eſſe ? Et etiam Granadus tract. 8. diſp. 2. ſect. 3. Si ergo ille, qui gignitur, licitè eligeret *eſſe*, connotato, & præviſo peccato originali, propter prædictam ſpem, non eſt cur conqueratur de ſuo genitore, quia dedit illi *eſſe* cum præſcientia, & ſine electione prædicti peccati. 23.

D. Thom. D. Bonav. Greg. Mart. Granad.

Ad confirmationem reſpondetur, antecedens non eſſe verum, ſi univerſaliter intelligatur : quia etiam in opere aliàs illicito poteſt inveniri ſufficiens ratio, ut nocumentum præviſum non imputetur : ut ſi quis ſumeret cum inani gloria, vel alia prava circunſtantia potionem neceſſariam, vel ſatis utilem ad ſanitatem, ex qua per accidens ſequitur pollutio, non imputatur illi hujuſmodi nocumentum: quia licet talis actio ratione illius circunſtantiæ ſit illicita ; ſecundum ſubſtantiam tamen habet ſufficientem rationem non curandi

24. Solutio confirmationis.

Digitized by Google

curandi de prædicto nocumento: nimirum illa neceſſitas, vel utilitas ad ſanitatem, juxta id, quod ſupra diſp. 10. dub. 5. dicebamus Quia ergo quælibet humana generatio ſecundum ſubſtantiam conſiderata habet neceſſitatem, vel utilitatem reſpectu boni communis propagationis humanæ, eaque neceſſitas, vel utilitas eſt ſufficiens ratio non curandi de nocumento peccati originalis, fit, ut licèt aliàs talis generatio ſit illicita, non idcirco debeat prædictum nocumentum generanti imputari, neque propter illud ea actio aliquam malitiam accipere. ¶ Quod autem dici ſolet danti operam rei illicitæ imputari nocumentum etiam per accidens ſequutum, debet intelligi, quando opus eſt illicitum ex ordine ad ipſum nocumentum: vel ſaltem quando non adeſt ſufficiens motivum excuſans ipſum opus ſecundum ſubſtantiam conſideratum ab imputatione talis nocumenti.

25. *Vltimum argumentum. D. Thom.* Quarto probatur argumento, quod ſibi obiicit D. Thom. 4. contra gent. cap. 51. Nam quod conſequitur aliquid ſecundum ſuam originem naturalem, eſt illi naturale: ſed quod eſt naturale, non poteſt eſſe peccatum; cum hoc potius ſit contra naturam: ergo nequit ab Adamo in alios peccatum per originem derivari.

Solutio. Impugnatur multipliciter. Dices non derivari illud peccatum per originem abſolute ſumptam, ſed in quantum eſt vitiata. ¶ Verum contra hanc ſolutionem plura ſibi opponit Ang. Doctor loco citato. Tum quia defectus in opera naturæ non naſcitur, niſi propter defectum, & corruptionem alicujus principij naturalis: ſicut quòd partus evadat monſtruoſus, ortum habet ex aliqua corruptione in ſemine reperta: non eſt autem aſſignare reſpectu totius humanæ generationis corruptionem alicujus principij naturalis: ergo neque per illam poteſt aliquis defectus univerſalis, ſicut eſt peccatum originale, deſcendere. Tum etiam quia peccata, quæ proveniunt in operibus naturæ per corruptionem alicujus principij, non fiunt ſemper, vel frequenter, ſed ut in paucioribus: ergo ſi per vitiatam originem peccatum à primo parente derivaretur, non in omnes poſteros, ſed in pauciores deſcenderet. Tum denique quia filij non aſſimilantur neceſſariò parentibus, niſi in iis, quæ ſunt de ratione ſpeciei: & propterea dicitur, quòd homo generat ſibi ſimilem in natura: quod autem etiam in aliquibus accidentibus, illis præſertim: quæ pertinent ad animam, filius aſſimiletur patri omnino evenit contingenter: ergo cum peccatum non ſit de ratione ſpeciei naturæ humanæ, ſed accidens commune, & ad animam pertineat, nulla eſt ratio quare à primo parente per generationem in omnes poſteros neceſſario deſcendat.

26. *Impugnationes enodantur.* Reſpondetur, veram quidem eſſe ſolutionem datam: nam peccatum originale per naturalem originem traduci ortum habet ex eo, quod natura, quæ eſt generationis principium, deſtituta eſt juſtitia originali, pro tota illa primo parenti collata: & ex hac parte prædicta natura poteſt dici corrupta. Unde quia generatio inſtituta eſt ad naturam ipſam traducendam, debuit per illam traduci prædicta corruptio, & defectus, in quo peccatum originale ſitum eſt. ¶ Quare ad primam impugnationem in contrarium reſpondetur, defectum in opere naturæ poſſe provenire vel propter defectum alicujus naturalis principij ex natura ipſa profluentis; vel propter carentiam alicujus doni gratis conceſſi toti naturæ in primo parente, & ab eo per peccatum pro ſe, & pro tota poſteritate deperditi: licet ergo in natura humana nullum principium ex ipſa natura profluens corruptum ſit, propter quod humanum ſemen in ordine ad traducendum peccatum originale ſit vitiatum; datur tamen defectus cujuſdam gratuiti doni toti naturæ in ſua conſtitutione conceſſi: quod quidem donum ea ratione dici poterat *naturale*, quia pro tota natura cum ea propagandum primo ejus ſuppoſito collatum fuit. Ex defectu igitur hujus principij adeſt in humano ſemine quædam corruptio, & defectus, ſcilicet vigoris, quo polleret in ſtatu naturæ integræ ad attingendam (modo infra explicando) juſtitiam originalem proli communicandam: rationéque hujus defectus attingit naturam humanam ut privatam prædicta juſtitia, atque adeo attingit peccatum originale in tali privatione conſiſtens.

Ad ſecundam impugnationem concedendum eſt antecedens de operibus naturæ provenientibus per corruptionem alicujus principij naturalis, hoc eſt, ex intrinſecis naturæ profluentis: negandum vero de operibus, quæ ſequuntur ex defectu principij gratuiti nuper explicati. Et ideo neganda eſt conſequentia, quia defectus prædicti principij, ſuppoſito peccato Adami, ſemper datur in humano ſemine in omnibus generationibus deſcendentibus ab ipſo Adamo, & ita non mirum, quod peccatum originale ex defectu illo proveniens ſemper, & in omnibus contigat. 27.

Ad ultimam reſpondetur, quod cum privatio, & forma, cujus eſt privatio, invicem ſibi correſpondeant, ea ratione filij parentibus in peccato originali aſſimilantur, qua ſecluſo tali peccato, aſſimilarentur in originali juſtitia, quæ cum natura à parentibus in filios deberet propagari. Licèt enim donum hujus juſtitiæ ad rationem ſpeciei humanæ, ut quid ortum ex ſuis principiis, non pertineat ex divina tamen gratia datum fuit primo homini, ut ab eo in totam ſpeciem derivaretur, & ita omnes poſteri ipſi primo homini quoad prædictam donum ſimiles naſcerentur. Quare etiam in privatione talis boni, quæ ſimiliter totam naturam, & ſpeciem humanam comitari debet, oportet, quòd omnes homines ſuis parentibus ſimiles generentur.

Omittimus alia argumenta, quæ contra veritatem in hoc dubio ſtabilitam poſſent efformari: vel quia directius militant contra concluſiones in ſequentibus ſtatuendas, ibique commodius proponentur, & diluentur: vel quia ex doctrina tradita, aut etiam tradenda facilem habebunt ſolutionem. 28. *Dubium aliud remittitur.*

Poſt præſens dubium ſolet à quibuſdam aliud excitari, an ſcilicet peccatum originale, de quo hucuſque dictum eſt, vere, & proprie peccatum ſit, aut potius peccati ratio, & nomen æquivoce illi conveniant: Sed nos hoc dubium prætermittimus: quoniam ejus deciſio non alia requirit principia, niſi quæ in

præcedenti

Digitized by Google

præcedenti tradidimus. Teſtimonia enim, & rationes allatæ ſi quam vim habent convincunt procul dubio de peccato vere, & proprie dicto: neque aliunde quam ex prædictis teſtimoniis & rationibus ſuaderi poteſt, peccatum originale vere & proprie eſſe peccatum. Quod ſi conferendo illud cum peccato actuali inquiras, an conveniant univoce, vel ſolum analogice, aut æquivoce: & an prædicta convenientia ſit Logica, vel Moralis? non eſſet quæſtio ſuperflua: ſed ejus deciſio conſtabit diſp. 16. num. 77. ubi erit argumentum de convenientia, vel diſconvenientia cum peccato habituali, ad cujus genus potius quam ad genus actualis originale ſpectat. Unde neque inter peccatum originale, & actuale negari poterit illa convenientia, quæ inter habituale perſonale, & ipſum actuale invenitur, neque ad aliquid poteſt major requiri, quia nec nos, nec alij plus de ratione peccati, & malitiæ tribuere originali cupimus, quam omnes tribuunt peccato habituali perſonali.

DUBIUM II.

An & quando peccatum ab Adamo per originem tranſmiſſum ſit poſteris voluntarium?

29. EX duobus quæ titulus inquirit, primum, videlicet an prædictum peccatum voluntarium ſit potius deberet ſupponi: quia nec ratio peccati, quam ei tribuimus, ſine voluntario conſiſtere valet: nec nos aliunde efficacius probare poſſumus prædictum peccatum poſteris Adami voluntarium eſſe, niſi quia in illis peccatum eſt. Quare in hoc dubio ne rem actam agamus, potius in explicando modum, & poſſibilitatem prædicti voluntarij, quàm in ſuadendo ejus exiſtentiam laborandum eſſet. Verum quia contra talem exiſtentiam vix aliud, quàm ex impoſſibilitate confici valet argumentum, ac proinde quidquid ad iſtam ab intellectu removendam conducat, in illius erit probationem, de utroque dubium quærit. Cujus deciſio non tam prolixis argumentis, quàm animadverſionibus, & diſtinctionibus, quibus prædicti voluntarij modus, & conditio innoteſcat, tradenda eſt.

§. I.

Prælibantur aliqua pro dubij deciſione.

30. *Voluntariū ad peccatum requiſitum quid importet.* SCiendum eſt ergo, voluntarium, quod ad peccatum requiritur, indiſpenſabiliter importare ordinem, & reſpectum ad voluntatem, ſicut ad principium, à quo procedit, non qualecumque, ſed aliquo modo conjunctum: nam proterea diffinitur, *quod eſt ab intrinſeco cum cognitione:* quare repugnat eſſe alicui voluntarium, quod ex voluntate prorſus aliena, nullóque modo ſua ortum duxerit. Eſt autem duplex voluntarium: aliud conſiſtens in actuali voluntatis exercitio, ſive poſitivo, ſive privativo: quod dicimus, *voluntarium formale*: quo pacto ſe habent omnes actus, & omiſſiones, quæ voluntas elicit, vel imperat. *Duplex voluntarium.* Aliud vero, quod ſe habet ut terminus, & effectus prædicti exercitij, importátque reſpectum ad voluntatem non omnino immediate, ſed mediante voluntatione formali, medio quo proceſſit. Et quamvis hoc poſteriori modo poſſit dici *voluntarium* omne, quod eſt voluntatis effectus, adhuc tamen inter hujuſmodi effectus eſt diſcrimen: nam aliis convenit per ſe, & intrinſece talis proceſſus à voluntate, reſpectúſque ad illam, ſicut convenit actibus ab ea elicitis: & ideo neque in rerum natura poni valent, niſi ex influxu, conſenſu, & approbatione voluntatis, neque poſtquam ſemel exiſtunt, poſſunt conſervari, vel concipi ſine reſpectu ad illam, & ad prædictum conſenſum non retractatum, dependentérque ab illo ut termino connotato per ſe. Hujuſmodi eſt illud pondus internum, quo trahitur voluntas in rem amatam, & ſe habet ad actum amoris, ſicut verbum ad intellectionem, de quo late diximus in tract. de Trinit. diſp. 3. à num. 113. Et etiam eſt hujuſmodi peccatum habituale, quod actuali tranſacto remanet, & denominat habitualiter *peccatorem*. Unde in his ratio voluntarij terminativi invenitur per ſe, & intrinſece. Aliis vero totum hoc convenit per accidens, & extrinſecè, quia videlicet de facto habeant eſſe à voluntate, poſſent tamen, ſaltem quantum eſt ex ſe, alia via produci, poſſúntque, poſtquam ſemel producta ſunt, ſine reſpectu ad illam permanere. Et hoc modo dicuntur *terminativè voluntarij* omnes effectus, qui per influxum voluntatis ad extra ponuntur, & etiam habitus tam virtutum, quàm vitiorum, qui voluntarie producuntur ad intra.

Utriuſque voluntarij diſcrimen. Ex quo etiam fit, hæc voluntaria *per accidens*, poſtquam producta ſunt, eodem modo permanere, retractata voluntate, atque non retractata: quia ſolum dependent ab ea in fieri; poſtmodum vero non amplius jam illam reſpiciunt. At voluntaria per ſe ſtatim pereunt adhibita retractatione, quia dependent à voluntate tam in fieri, quam in conſervari: & ideo ſicut ea nolente non fierent, ita ipſa renuente, & priorem conſenſum revocante, evaneſcunt. Et ratio eſt, quia, ut nuper diximus, reſpectus, quem hæc *voluntaria per ſe* afferunt, non eſt ad voluntatem nudè ſumptam, ſed mediante conſenſu illo per quem ab ea proceſſerunt, prout talis conſenſus integer, & illæſus connotatur: quare ſicut poſita retractatione ceſſat prædicta connotatio, ſic etiam ceſſat, & deſtruitur terminus illius reſpectus, & conſequẽter ipſe reſpectus, & voluntarium per illum conſtitutum perire debent.

13. *Diſcrimen aliud voluntarij per ſe.* Deinde nota, omne peccatum, quod intrinſece eſt tale, eſſe de genere voluntarij per ſe, & intrinſeci, quia moralitas, quæ per bonitatem & malitiam dividitur, indiſpenſabiliter fundatur ſupra voluntarij rationem. Quo circa dixit D. Auguſtinus voluntarium adeo eſſe de ratione peccati, ut ſi voluntarium non eſſet, eo ipſo peccati rationem amitteret. Cæterum non eodem modo omnia peccata habent eſſe voluntaria: ſed peccatum actuale formaliter, & per modum exercitij; quia

Digitized by Google

quia conſiſtit in actu, vel omiſſione elicitis, vel imperatis à voluntate. Peccatum vero habituale non eſt exercitium, ſed terminus ex eo relictus, à quo homo etiam poſtquam peccatum actuale tranſivit, permanenter denominatur *peccator*. Vnde tale peccatum non debet eſſe voluntarium formaliter, ſed terminative per modum effectus reſpicientis per ſe voluntatem à qua proceſſit, & voluntarium formale, ſeu peccatum actuale, medio quo proceſſit. Vnde fit, quòd quia peccatum originale originatum, de quo in præſenti eſt ſermo, non eſt peccatum actuale uti fuit peccatum originale originans exiſtens in Adamo, ſed potius habituale ex ipſo Adami peccato in poſteris relictum, eoſque habitualiter, & permanenter *peccatores* denominans, conſequenter debet eſſe intrinſece voluntarium, non formaliter, ſive per modum exercitij; ſed terminative duntaxat, ut effectus per ſe reſpiciens voluntatem Adami, à qua proceſſit, primúmque ejus peccatum, medio quo proceſſit. Cæterum, quia voluntarium per ſe etiam terminative dictum debet eſſe ſuo modo *ab intrinſeco*, valde hic urget, quo pacto voluntas Adami poſſit dici intrinſeca reſpectu peccati originalis exiſtentis in hoc puero, ac proinde ipſum peccatum non ſolùm Adamo, ſed ipſi etiam puero voluntarium ſit.

32. Voluntas dicitur alicujus dupliciter. Pro quo eſt tertio obſervandum, voluntatem dupliciter dici alicujus: vel phyſicè, quia realiter exiſtit in illo: vel moraliter, quia licèt ſit in alio ſuppoſito, & phyſicè ſeparata continet tamen in ſe voluntatē, & conſenſum illius, cujus dicitur voluntas, & hac ratione cenſetur moraliter illi unita, & quaſi ipſius propria: ſicut voluntas mandatarij dicitur voluntas mandantis, & quicquid ille ex mādato agit, dicitur ab hoc fieri, quia iſte per mandatum tranſtulit conſenſum ſuum in illum, virtutéque hujus tranſlationis ille, qui mandat, conſentit, ratúmque habet omne illud, in quod conſentit mandatarius: atque adeo quāvis voluntas utriuſque phyſice ſit diſtincta, & ſeparata; moraliter tamen ita ſunt unitæ, ut pro una, eadémque reputentur: & non refert an id, quod ex mandato faciendum eſt, fiat ab hoc, vel ab illo, ut æque cenſeatur voluntarium reſpectu mandantis. Quod frequenter evenit in communitatibus, ubi particulares in ordine ad communitatis negotia committunt principi, vel prælato ſuum conſenſum, & virtute hujus commiſſionis ipſa voluntas prælati, vel principis cenſetur voluntas omnium, ita ut quidquid ab illo factum fuerit, ab omnibus fieri dicatur, & voluntarium omnibus judicetur.

33. Duplex modus transferendi dominium. Cæterum hæc tranſlatio proprij conſenſus in alienam voluntatem multipliciter fieri poteſt. Nam aliquando fit per actum proprium illius ſuppoſiti, cujus conſenſus in alium transfertur, ſicut in exemplis adductis. Aliquando vero fit etiam ſine ullo conſenſu proprio talis ſuppoſiti per ſolam voluntatem principis, qui ratione ſupremæ poteſtatis habet ſufficiens dominium, & facultatem tranſferendi voluntates plurium in unam alicujus ut in capitalem: ita ut quicquid ab iſto prout munus capitis gerente factum fuerit, ab illis etiam fieri, & approbari cenſeatur: ſicut videmus in ſupremo legiſlatore creato, cujus juſſu voluntates minorum, & aliorum, qui ſui compotes non ſunt, transferuntur in voluntatem curatoris, vel tutoris, etiam illorum conſenſu inexpectato, ut conſtat ex l. *cum plures* §. *qua bona fide ff. de admini. & peric. tutor.* Similiter voluntates filiorum impuberum cenſentur à jure contineri in voluntate patris: adeo ut is poſſit pro eis teſtari, non tantum in bonis, quæ ab ipſo teſtatore accipiunt, ſed in omnibus, quæ aliunde acquiſierint. *L. ſed ſi plures* §. *ad ſubſtitutos. ff. de vulg. & pupil. ſubſtit.*

Quod ſi in legiſlatore, & principe creato hæc invenitur facultas, à fortiori, multóque amplior concedenda eſt Deo omnium ſupremo principi, rerúmque omnium, & voluntatum auctori: ita ut omnium quorumlibet voluntates (ſaltem dum ipſi per actum proprium non reluctantur) poſſit in unam alicujus ut in capitalem transfundere: illoſque omnes ea lege adſtringere, ut firmum ratúmque habeant quicquid ab iſto ex omnium perſona actum fuerit: ac proinde quod ejus voluntas, quatenus ſic, & per modum capitis ſe gesſerit, omnium voluntas cenſeatur. Et ratio eſt, quoniam Deus ex ſe habet maius & excellentius dominium noſtrarum voluntatum, quàm quælibet humana poteſtas, & quàm nos ipſi, juxta illud D. Auguſtini de correct. & gra. cap. 14. *magis habet Deus in ſua poteſtate hominum voluntates, quàm ipſi ſuas*: ſi igitur nos, & etiam ſuo modo humanus legiſlator poteſt unam voluntatem quoad conſenſum in aliam tranſfundere, cur non Deo præſtantiori dominio, altiorique modo id licebit? Eo præſertim quia ſicut Deus, ex eo quod ſummè potens eſt, poteſt in omnes effectus omnium cauſarum, & in omnes eorum modos poſſibiles, ita quia eſt ſummè Dominus, debet eſſe potens ad omnis dominij tranſlationem, & ſecundum omnem modum poſſibilem. Vnus autem modus eſt, ut voluntates plurium ſicut membrorum transfundat cum debitis conditionibus in voluntatem alterius tamquam capitis: ita ut quod ab iſto pro ut gerenti munus capitis volitum, vel actum fuerit, ſicut ab omnibus volitum, & factum habeatur: ac proinde ſi inordinatum, & peccaminoſum ſit, omnibus ut eorum culpa imputetur. Nulla eſt ergo ratio, cur negemus Deo potentiam, & facultatem ad prædictam tranſlationem. 34.

D. Auguſt.

35. Potuit Deus, & de facto omnium voluntates in unam Adami transfudit. Tandem obſerva, quod ſicut Deus potuit, ſic de facto poſuit in Adamo omnium poſterorum voluntates, eaſque cum voluntate Adami ita copulavit, & univit, ut una ipſius voluntas omnium voluntas cenſeretur, unuſque ejus conſenſus, aut diſſenſus pro omnium conſenſu, vel diſſenſu haberetur: non quidem in ordine ad omnia, ſed in ordine ad illa, quæ ad conſervationem, vel amiſſionem juſtitiæ originalis ſibi & omnibus in ipſa conceſſæ pertinebant: quoniam pro his duntaxat decrevit Deus prædictam voluntatem transfuſionem, & unionem. Vnde ex tunc manſit Adamus non tantum caput naturale ſuorum poſterorum, quod ei quaſi per naturā competebat, quatenus ratione generationis erat illorum naturale principium; ſed etiam caput morale, hoc eſt, in ordine ad conſenſum, vel diſſenſum: quod quidem accepit ex ſuperaddita

Digitized by Google

ſupperaddita, & libera Dei ordinatione. Non enim ex eo dumtaxat quòd eſſet naturale principium, munus moralis capitis obtineret, niſi accederet prædicta Dei ordinatio: ut patet in aliis parentibus proximis, qui licèt ſint principium naturale ſuorum filiorum, non idcirco habent eſſe caput morale, ſaltem eo modo quo fuit Adami: imo neque alio uſque dum legis: vel ſuperioris ordinatio accedat.

36. *Quando acceperit dignitatẽ capitis?*

Tunc autem prædictam capitis moralis dignitatem accepit Adamus, quando impoſitum fuit illi præceptum, ne guſtaret de ligno vetito ſub eo pacto, & conditione ut ſi obediret, non tantum ipſe juſtitia originale potiretur, ſed ex eo ad omnes ejus poſteros tranſiret, illámque quaſi hæreditario jure poſſiderent: ſi ſecus autem, pro ſe & pro tota poſteritate prædictam juſtitiam amitteret. Quod quidem ita factum eſſe, prædictúmque pactum Deum cum Adamo ut capite noſtro, atque adeo & nobiſcum omnibus, prout eramus in illo, iniiſſe, licèt ratione naturali demonſtrari non poſſit (quoniam res eſt de facto, & dependens ex libera Dei voluntate) convincitur tamen ſatis manifeſte: tùm teſtimoniis ſacræ Scripturæ, cujuſmodi eſt illud Geneſ. 17. *Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima ejus de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Quod ſane pactum non fuit aliud, niſi quod Deus in paradiſo pepigit cum Adamo, & nobiſcum in illo, quodque, illo prævaricante, omnes nos prout in illo exiſtentes tranſgreſſi ſumus, ut exponit D. Auguſtinus lib. 16. de civit. Dei cap. 77. Quo etiam ſenſu intelligit illud Pſal. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, quia* (inquit) *in paradiſo cum primo parente legem tranſgreſſi ſunt.* Oſeæ quoque 6. dicitur, *Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi prævaricati ſunt omnes.* Quæ verba de prædicto pacto, quod in paradiſo cum Adam tranſgreſſi ſumus, intelligunt D. Hieronymus, P.N. Cyrillus, D. Proſper, & alij ſuper prædictum locum: idque ſonant verba illa *ibi prævaricati ſunt omnes*, ſcilicet in paradiſo, ubi prævaricatus fuit Adam. Et idem explicat Apoſtolus ad Roma. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Ex quibus, & aliis Scripturæ locis deduxit Concilium Trid. ſeſ. 6. Adamum ſibi & nobis juſtitiam & ſanctitatem amiſiſſe: non autem eam nobis amiſiſſet, ſi pro ſe tantum, & non etiam pro nobis ſub prædicto pacto illam accepiſſet.

Gen. 17. *D. Auguſt.* *Pſalm. 118.* *Oſeæ 6.* *Hieron.* *Cyrillus.* *Ad Rom. 5.* *Conc. Trid.*

37. *Idem ſuadetur teſtimoniis Patrum.*

Tum etiam id ſuadetur teſtimoniis ſanctorum Patrum qui frequenter aſſerunt nos fuiſſe in Adamo, quando peccavit, atque unà cum ipſo peccatum illud commiſiſſe, ob idque tale peccatum illius ſimul & noſtrum fuiſſe, ut videre eſt apud Augſtinum lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. cap. 10. ibi. *Manifeſtum eſt alia cuique eſſe propria peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata ſunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt.* Et lib. 3. *In Adam omnes tunc peccaverunt, quando in illa natura inſita, qua cunctos generare poterat, omnes unus ille homo erat*, & lib. 2. de Nuptiis & concup. cap. 5. *Per unius illius* (nempe Adami, *voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt.* Epiſt. 106. ad Paulin. *Tu & quiſquis hæc patitur, &c. nondum quidem evidenter in ſe ipſo, ſed in illo homine latenter ibi erat, quando cibus vetitus tãgebatur*, &c. Similia habent Baſilius homil. 1. de laudib. jejunij, Orig. ad Roma. 5. Nazianzenus orat. de Chriſti nativit. Ambroſius lib. de fide reſurrect. cujus teſtimonium referens Auguſtinus lib. 2. de peccat. orig. cap. 41. *Lapſus ſum* (inquit) *in Adam, ejectus de paradiſo in Adam, mortuus in Adam, quomodo revocare ad vitam, niſi me in Adam inveniret, ut in illo culpæ obnoxium, morti deditum, ita & in Chriſto juſtificatum*, &c. Tandem D. Bernardus ſerm. 1. de dominica prima poſt octau. Epipha. de culpa originali ſic loquitur. *Aliena eſt, quia in Adam omnes neſcientes peccavimus: noſtra, quia etſi in alio nos tamen peccavimus, & nobis juſto Dei judicio imputabatur, ſed occulto.* Quæ teſtimonia, & eorum loquutiones aliter verificari nequeunt, niſi quia Deus omnium noſtrum voluntates in una Adami voluntate ſicut in capitali cõſtituit, ut ita illa eſſet quaſi voluntas totius naturæ, pro omnibus ſupponens: ejuſque proinde conſenſus vel diſſenſus ab omnibus, ac ſi proprius eſſet, firmus, ratuſque haberetur.

D. Auguſt. *Idem.* *Baſil.* *Origen.* *Nazianz.* *Ambroſ.* *D. Auguſt.* *D. Bernard.*

Denique ipſum ſuadetur, quia ſuppoſita traductione peccati originalis, quam fides docet, neceſſario quærenda eſt aliqua via, qua voluntarium ejus explicetur, illáque eſt præferenda, quæ ad id magis conſona, & accommodata cenſeatur: non eſt autem excogitabilis alia via ad prædictum voluntarium declarandum ita conſona, ſicut iſta, quam eligimus, ut intuenti conſtabit: debet igitur ea præferri: ac proinde quicquid neceſſarium fuerit, ut de facto ſubſiſtat, debemus credere fuiſſe à Deo factum. 38.

§. II.

Declaratur ex praiactis fundamentis modus voluntarij in peccato originali repertus.

Aſſertio trimembris.

Dicendum igitur eſt, peccatum originale ad poſteros Adami deſcendens eſſe illis per ſe, & intrinſece voluntarium, non formaliter per modum exercitij, ſed terminative per modum effectus; non quidem phyſice ex ordine ad propriam unjuſcujuſque voluntatem, ſed moraliter ex ordine ad voluntatem Adami, quatenus fuit voluntas capitis continentis ex Dei inſtitutione voluntates ipſorum. Prima hujus aſſertionis pars, nimirum prædictum peccatum eſſe voluntarium per ſe & intrinſece, ſupponenda potius videbatur ex dubio præcedẽti (ut hujus initio animadvertimus) quàm hic probanda: quia ſuppoſita exiſtentia peccati originalis, perſpicue habetur, debere eſſe per ſe voluntarium, cum juxta communem Theologorum, & Philoſophorum ſententiam nullum, quod intrinſece peccatum eſt, ſicut eſt originale, ſine voluntario per ſe, & intrinſeco valeat conſiſtere. Ob hoc igitur, & quia ex dicendis pro reliquo aſſertionis veritas hæc novam lucem, & confirmationem accipiet, non immoramur circa ejus probationem.

Prima pars ſupponitur.

Secunda autem pars, videlicet non eſſe 39.

eſſe voluntarium formaliter, ſeu per modum exercitij, etiam liquet, quia hic modus voluntarij proprius eſt ſolius peccati actualis conſiſtentis in actu, vel actuali omiſſione; peccata vero habitualia ſolum ſunt voluntaria *terminativè*, tanquam effectus per ſe peccati actualis: & ideo permanent etiam, poſtquam omne voluntatis exercitium ceſſavit: ac peccatum originale non eſt de genere peccati actualis, ſed de genere habitualis: non enim conſiſtit in aliquo actu, vel actuali omiſſione à pueris exercita, ut eſt per ſe notum; ſed in termino, & effectu in illis ex peccato Adami relicto: igitur non debet eſſe voluntarium primo illo modo, ſed hoc poſteriori.

Confirmatio. Et confirmatur, quia non debet eſſe nobis magis voluntarium peccatum originale, quod ex Adamo accipimus, quàm ipſi Adamo peccatum ſuum habituale, in quo poſt eſum ligni vetiti remanſit, aut quàm peccata noſtra habitualia, quæ per proprios actus incurrimus: ſed neque Adamo, neque nobis peccata habitualia ſunt aliter voluntaria, quàm per modum termini: ergo, &c.

Objectio. Dices: peccatum originale eſt formaliter peccatum, & non tantum terminativè: ergo non terminativè dumtaxat, ſed formaliter debet eſſe voluntarium. Patet conſequentia: nam cum voluntarium ſit de ratione peccati, eadem debet eſſe utriuſque conditio, & menſura.

40. Solutio. Reſpondetur primo negando conſequentiam: quia aliunde ſumitur ratio peccati, ac ratio voluntarij, quamvis illa hanc ſupponat: & ideo non eſt neceſſe utriuſque denominationem eodem modo alicui convenire, ut explicuimus ſupra diſp. 5. num. 117. ubi diximus aliqua, quæ ſolum denominantur *voluntaria in cauſa*, denominari *peccata* abſolute, & in ſe. Et diſp. 13. dubio 3. vidimus aliqua, quæ formaliter ſunt peccata, non eſſe voluntaria; niſi ſolum interpretativè. Quare non mirum ſi peccatum originale, & cætera habitualia denominentur *peccata* formaliter, & abſolute; quamvis ſolum *terminative voluntaria* dicantur.

Solutio alia. Secundo reſpondetur, peccati nomen poſſe accipi dupliciter, vel omnino ſtricte pro eo quod eſt directe & immediate contra legem, diffiniturque *dictum, factum, vel concupitum*, &c. & hoc modo habituale non dicitur peccatum formaliter, quia non eſt formaliter, dictum, factum, aut concupitum, ſed effectus & terminus prædictæ operationis. Vel poteſt ſumi latius pro omni eo, quod eſt de linea mali repugnantis rationi, redditque ſubjectum offenſum Deo, & inviſum: & hoc modo dicitur formaliter tam de habituali, & originali, quàm de actuali; ſimiliter etiam voluntarium poteſt ſumi vel ſtricte, pro eo quod immediate, & cum actuali cognitione habet eſſe ab intrinſeco, ut ſonat diffinitio Ariſtotelis: & hóc modo id ſolum poteſt dici formaliter voluntarium quod eſt actualis proceſſio, & exercitium voluntatis, ſeu potentiæ appetitivæ: vel cum aliqua latitudine pro omni eo, quod oritur, & dependet per ſe à principio voluntario, importatque ad illud intrinſecum reſpectum: & hoc modo dicitur formaliter tam de exercitio, quàm de termino. Unde hac ratione etiam peccatum originale, & cætera habitualia poſſent dici *voluntaria formaliter*: atque adeo eo proportionali modo, quo dicuntur *formaliter peccata*, poſſunt etiam dici *formaliter voluntaria*; & eo modo quo dicuntur *voluntaria terminative*, poſſunt quoque dici *terminative peccata*. Voluimus autem in præcedentibus uti prima acceptione, ut diſtingueremus modum voluntarij convenientis peccato originali ab eo quod convenit actuali, qui modus non ita bene diſtinguitur appellando utrunque *voluntarium formaliter*. E contra vero loquendo de peccato uſi ſumus acceptione magis lata, juxta quam omnia poſſunt dici *peccata formaliter*: quia adhuc manet ſufficiens inter ea diſtinctivum penes *actuale*, & *habituale*, vel *originale*.

Supereſt declaranda, & ſuadenda tertia pars aſſertionis, videlicet peccatum originale eſſe nobis formaliter voluntarium ex ordine ad voluntatem Adami (quod enim non ſit voluntarium phyſice ex ordine ad voluntatem propriam eſt per ſe notum.) Probatur ergo: quoniam prædictum peccatum proceſſit ex voluntate Adami, ex primóque ejus peccato, quatenus continebat voluntates ſuorum poſterorum, & earum conſenſus, atque adeo quatenus erat moraliter voluntas ipſorum: igitur eſt eis moraliter voluntarium. Conſequentia patet: nam ſicut de ratione voluntarij in communi eſt procedere à voluntate conjuncta, ſeu à voluntate ejus in quo eſt, ita de ratione voluntarij moralis eſt procedere à voluntate moraliter conjuncta, ſeu quæ moraliter judicetur voluntas illius, in quo invenitur: ſi ergo voluntas Adami, qua primo peccavit, moraliter fuit voluntas poſterorum; nequit non quod ex tali voluntate in ipſis procedit, eſſe illis moraliter voluntarium. Antecedens autem probatur. Quia Adamus ex vi pacti cum Deo in paradiſo initi de traductione, vel amiſſione juſtitiæ originalis pro ſe, & pro tota poſteritate, fuit conſtitutus morale caput generis humani, fuéruntque ex vi illius pacti voluntates ſuorum deſcendentium in ipſam Adami voluntatem ut in capitalem transfuſæ: hoc autem, & nihil aliud requiritur, ut talis voluntas cenſeatur moraliter voluntas ipſorum poſterorum, & ut pro illis ſupponat: ergo, &c. 41. Probatio tertiæ partis aſſertionis.

Confirmatur, & explicatur animadvertendo, quòd ſemel Adamo conſtituto à Deo capite naturæ humanæ, conſequenter omnes ejus poſteri conſtituti ſunt membra illius capitis, atque adeo ex illo tanquam ex capite, & ex his quaſi ex membris intelligimus coaleſcere communitatem humanam in modum corporis myſtici, & cujuſdam totius: uti coaleſcunt aliæ communitates, ex principe, vel ſuperiori, ſicut ex capite, & ex inferioribus, ſicut ex membris: ac proinde tam Adamus, quàm cæteri habent conſiderari dupliciter, vel ut perſonæ particulares diviſæ & ſeparatæ, vel ut partes illius totius, capútque & membra prædicti corporis; morali quadam unione copulati. Unde duplex voluntas debet in unoquoque illorum diſtingui: alia, quæ convenit illi ut perſonæ particulari, quæ erit voluntas propria, & perſonalis: alia, quæ convenit illi ut parti prædicti totius; quæ debet eſſe voluntas totius naturæ communis 42. Doctrina pro confirmatione.

Digitized by Google

munis pro omnibus ſuis ſuppoſitis: cumque hæc communis voluntas non poſſet phyſicè in omnibus illis exiſtere, oportuit, ut eſſet in primo ſicut in capite naturæ, indéque omnia alia moveret, & dirigeret. Ex quo etiam fit, quòd ſicut illud, quod procedit à voluntate propria, & perſonali uniuſcujuſque, eſt illi voluntarium ut perſonæ particulari, ita quod procedit à voluntate totius naturæ humanæ exiſtente in primo ejus ſuppoſito, debet eſſe ſingulis voluntarium, quatenus ſunt membra illius totius, partéſque & inferiora ipſius naturæ.

Confirmatur ratio. Hinc ergo confirmatur & explicatur noſtra ratio. Quia peccatum originale non convenit poſteris Adami, quatenus ſunt perſonæ particulares, ſaltem per ſe primo; ſed ut ſunt partes & membra humanæ naturæ, conſtituúntque cum Adamo tanquam membra cum capite unam communitatem humanam: ergo ut prædictum peccatum ſit eis prout ſic voluntarium, ſufficit, quod procedat à voluntate ejus qui gerit munus capitis naturæ, prædictæque communitatis. Imo nulla alia ratione poterat eſſe illis prout ſic voluntarium: quia reſpectu illorum formaliſſime ut partium prædictæ communitatis, & naturæ non eſt alia voluntas niſi voluntas capitis naturæ in primo ejus ſuppoſito exiſtens. Talis fuit autem voluntas Adami, dum primo peccavit: tunc quippe pro ſe & pro tota humana natura donum juſtitiæ originalis acceperat; illudque pro ſe, & pro tota natura amiſit: in quo manifeſte geſſit munus capitis naturæ. Igitur prædictum peccatum habet eſſe omnibus illis voluntarium per voluntatem capitis naturæ, atque adeo voluntarietate morali.

43. D. Thom. Deſumpſimus vero totam hanc doctrinam ex D. Thoma quæſt. 4. de mal. art. 1. in corp. cujus verba, quia rem optime elucidant, nolumus prætermittere. Præmiſit autem duo notabilia: primum hoc modo. *Conſiderandum eſt, quod aliquis homo ſingularis dupliciter poteſt conſiderari: uno modo, ſecundum quòd eſt quædam perſona ſingularis: alio modo, ſecundum quòd eſt pars alicujus collegij, & utroque modo ad eum poteſt aliquis actus pertinere. Pertinet enim ad eum in quantum eſt ſingularis perſona ille actus, quem proprio arbitrio, & per ſe ipſum facit: ſed in quantum eſt pars collegij, poteſt ad eum pertinere actus aliquis, quem per ſe ipſum non facit, nec proprio arbitrio: ſed qui fit à toto collegio, vel à pluribus de collegio, vel à principe collegij: ſicut illud, quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere, ut Philoſophus dicit. Hujuſmodi enim collegium hominum reputatur quaſi unus homo, ita quod diverſi homines in diverſis officiis conſtituti ſunt quaſi diverſa mēbra unius corporis naturalis, ut Apoſtolus inducit de membris Eccleſiæ 1. ad Corinth. 12. Sic ergo tota multitudo hominum à primo parente humanam naturam accipientium, quaſi unum collegium, vel potius ſicut unum corpus unius hominis conſideranda eſt, in qua quidem multitudine unuſquiſque homo, & ipſe Adam poteſt conſiderari, vel quaſi ſingularis perſona, vel quaſi aliquod membrum hujus multitudinis, quæ per naturalem originalem derivatur ab uno.*

Idem. Secundum notabile præmittit ſic. *Eſt autem conſiderandum, quod primo homini in ſua inſtitutione datum fuerat divinitus quoddam ſupernaturale donum, ſcilicet originalis juſtitia, per quam ratio ſubdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ. Hoc autem donum non fuerat datum primo homini, ut ſingulari perſonæ tantum: ſed ut cuidam principio totius humanæ naturæ, ut ſcilicet ab eo per originem derivaretur in poſteros. Hoc autem donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans amiſit eo tenore, quo ſibi datum fuerat, ſcilicet pro ſe, & pro tota ſua poſteritate. Defectus ergo hujus doni totam ejus poſteritatem conſequitur: & ſic iſte defectus eo modo traducitur in poſteros, quo modo traducitur humana natura.*

Ex his itaque paulo inferius ſic concludit. *Si ergo conſideretur iſte defectus hoc modo per originem in iſtum hominem derivatus, ſecundum illud quod iſte homo eſt quædam perſona ſingularis, ſic hujuſmodi defectus non poteſt habere rationem culpæ, ad cujus rationem requiritur, quod ſit voluntaria: ſed ſi conſideretur iſte homo generatus ſicut quoddam membrum totius humanæ naturæ à primo parente propagatæ, ac ſi omnes homines eſſent unus homo, ſic habet rationem culpæ propter voluntarium ejus principium, quod eſt actuale peccatum primi parentis.* 44. Idem.

Quod etiam alio exemplo ſatis accommodato ita confirmat. *Sicut ſi dicamus, quòd motus manus ad homicidium perpetrandum, ſecundum quod manus per ſe conſideratur, non habet rationem culpæ: quia manus de neceſſitate movetur ab alio: ſi autem conſideretur ut eſt pars totius hominis, qui voluntate agit, ſic habet rationem culpæ, quia ſic eſt voluntarius. Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manus, ſed culpa totius hominis: ita hujuſmodi defectus non dicitur eſſe peccatum perſonale, ſed peccatum totius naturæ: nec ad perſonam pertinet, niſi in quantum natura inficit perſonam.* Idem.

45. Animadverſio. Advertendum eſt tamen circa prædicta exempla, & præcipue circa ultimum non tenere in omnibus: ſed in hoc quòd ſicut illa percuſſio facta per manum eſt voluntaria, non per voluntatem exiſtentem in manu, ſed per voluntatem totius hominis, cujus manus eſt pars: ita peccatum originale à pueris contractum habet eſſe voluntarium, non per voluntatem phyſice in illis exiſtentem; ſed per voluntatem totius humanæ communitatis cujus illi ſunt partes: quæ quidem voluntas extitit in primo ſuppoſito naturæ, ſcilicet in Adamo. Vnde non inde inferre licet alias paritates inter exemplum, & rem, de qua agitur: ut quia percuſſio non eſt voluntaria intrinſece, ſed extrinſece, neque eſt diſtinctum peccatum ab eo quod reſidet in voluntate: ita peccata puerorum non ſint intrinſece voluntaria, neque diſtincta numero à peccato exiſtente in Adamo. Hæc igitur inferre non licet, quia ex incapacitate manus provenit, quod in ea (ſicut neque in aliis membris externis) non ſit intrinſece voluntarium: cujus tantum ſunt capaces potentiæ immanentes, & ipſa anima in quantum ſpiritualis eſt.

Et propter eandem rationem actiones prædictorum membrorum non efficiunt diſtinctum numero peccatum ab eo, quod eſt in voluntate: quia ad hanc diverſitatem ſaltem requiritur diſtinctio penes voluntarium intrinſecum. Anima autem rationalis, etiam dum

Digitized by Google

dum primo puer generatur, capax eſt voluntarij intrinſeci per modum termini, & conſequenter diſtincti numero peccati ab eo, quod fuit in Adamo: unde intrinſece debet illud in ſe ſuſcipere: quia voluntas totius unicuique parti tribuit plus, minúſve de ratione voluntarij, aut peccati, juxta quod eſt capax.

46. Ultima probatio. Tandem probatur ex eodem D. Thoma: quia ſicut peccatum, quod eſt per ſe primo perſonæ, & non naturæ, debet eſſe voluntarium voluntate perſonali, ita quod per ſe primo eſt peccatum naturæ, & non perſonæ, debet eſſe voluntarium non per voluntatem perſonæ, ſed per voluntatem naturæ: ſed peccatum originale eſt hujuſmodi, & ideo deſtruxit juſtitiam originalem, quæ fuit donum conceſſum in Adamo toti humanæ naturæ: ob idque ab Apoſtolo ad Epheſ. 2. peccatum naturæ vocatur, *eramus natura filij iræ*: ergo non debet alio modo eſſe voluntarium, quam per voluntatem naturæ, ſeu per voluntatem exiſtentem in primo ejus ſuppoſito, tanquam in capite totius naturæ.

Epheſ. 2.

D. Thom. Adduxit vero Ang. Doctor hanc etiam rationem in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. ubi ita habet. *Oportet quod ſecundum hoc quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundum hoc ratio voluntarij in ipſo reperiatur: ſicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam, quod reſpicit perſonam: ita etiam eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ: unde ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur: ad culpam vero naturæ non requiritur, niſi voluntas in natura illa. Sic ergo dicendum eſt, quod defectus illius originalis juſtitiæ, quæ homini in ſua creatione collata eſt, ex voluntate hominis accidit: & ſicut illud naturæ donum fuit, & fuiſſet in totam naturam propagatum, homine in juſtitia perſiſtente: ita etiam & privatio illius boni in totam naturam perducitur, quaſi privatio, & vitium naturæ: ad idem enim genus privatio & habitus referuntur: & in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, quod per voluntatem principij naturæ, id eſt, primi hominis inductus eſt talis defectus.*

§. III.

Objectiones adverſus traditam veritatem.

47. Prima objectio. ADverſus ea quæ tradidimus militant nonnullæ objectiones, ex quarum ſolutione magis veritas declarabitur. Obiicies ergo primo, transfuſionem illam voluntatum, cui innititur prædictum voluntarium morale, eſto in ordine ad alia poſſet admitti, non tamen habere locum in ordine ad effectus adeo intimos, ſicut eſt peccatum. Præſertim cum ea tranfuſio non proprio actu, ſed ſola ſuperioris poteſtate fit: quia ratio peccati nequit inveniri abſque aliquo inordinato conſenſu illius; qui peccat: at in prædicto voluntario non adeſt talis inordinatus conſenſus ex parte illius, cujus voluntas transfunditur in aliam: ergo non ſufficit ut peccatum ita commiſſum imputetur ei, cujus voluntas dicitur transfundi. Neque exempla tutoris & patris ad id explicandum allata, faveat prædictæ doctrinæ: quia neque voluntas patris vel tutoris ita continet voluntatem filiorum aut minorum, ut ſi pater vel tutor peccatum committat, filij aut minores illo maculentur. Imo etiamſi per proprium actum ſuum conſenſum quis alij committat, ut mandans committit mandatario, non ex eo quod iſte in exequutione mandati delinquat, imputabitur illi ad culpam, ſi in tradenda commiſſione culpa non fuit. Cum ergo transfuſio illa noſtrarum voluntatum in Adamum à ſolo Deo facta fuerit, abſque omni prorſus noſtræ voluntatis conſenſu, non apparet, qua ratione culpa noſtra poſſit eſſe, quam ille commiſit.

Confirmatur: quia transferre unjus vel plurium voluntates in unam aliam, etiam quoad peccandi facultatem, ſine illorum conſenſu, neque conſervatio eis loco reclamandi, manifeſte cedit in eorum detrimentum, & perniciem: ſiquidem independenter à ſua voluntate exponuntur periculo peccati & damnationis: cum ergo Deus nihil in detrimentum ſuarum creaturarum operetur, non eſt dicendum fuiſſe ab illo pro hominibus de facto ita ſtatutum. Confirmatur.

Reſpondetur ad objectionem negando antecedens, loquendo de transfuſione voluntatum in unam aliquam quæ ſit voluntas primi ſuppoſiti naturæ, qualis fuit voluntas Adami: & de peccato quod ſit peccatum naturæ, ſicut eſt originale. Cum enim Deo, utpote omnium creatori pleniſſimum ſit dominium quarumlibet voluntatum, omnéſque earum motus & actus eminentiſſime contineat, non eſt cur ei repugnet aliquas inter ſe moraliter unire, & earum conſenſus in unam, quam voluerit, transferre in ordine ad effectus quantumcunque intimos: ſufficitque nullam in hoc adeſſe implicationem, ſicut re vera non adeſt, ut ſit Deo concedendum. 48. Solutio objectionis.

Diximus *loquendo de transfuſione à Deo facta*: quia apud homines fatemur, non adeſſe facultatem uniendi alienas voluntates in ordine ad effectus ita intimos, ſicut neceſſe eſt ad peccandum, ſed ſolum in ordine ad alios magis externos, qui humanæ poteſtati ſubduntur. Ratio vero eſt: quia peccatum non contingit niſi per averſionem à fine ultimo, vel immediate ſi ſit mortale, vel diſpoſitive ſi ſit veniale: unde ille duntaxat poteſt unam voluntatem cum alia unire, taliter quod peccatum unjus alij imputetur, qui poteſt illas ad prædictum finem ordinare, & circa talem ordinationem quicquid voluerit diſponere: quod eſſe proprium ſolius Dei manifeſte conſtat. Animadverſio.

Diximus etiam *in unam aliquam quæ ſit voluntas primi ſuppoſiti naturæ*: quia licet prædicta voluntatum transfuſio potius ſit aliquid morale, quàm phyſicum, immediatéque ex libera Dei ordinatione dependeat; eſt tamen ſatis probabile requirere pro fundamento virtualem continentiam phyſicam illarum voluntatum, quæ transfunduntur in eo, in quem transfuſio fit. Unde nec Deus ſaltem ſecundum communem curſum operando poſſet omnes voluntates humanas in alium transfundere, quàm in Adamum omnium protoparentem, qui tanquam primum naturæ ſuppoſitum omnia alia phyſice virtualiter continebat. Et ratio eſt: quia prædicta tranſfuſio 49. Animadverſio alia.

Digitized by Google

eſt talis conditionis, ut ratione ejus verificetur, actum procedentem à voluntate unius perſonæ procedere quoque ab alia, atque adeo requirit, quòd una aliquo modo ſit alia: cúmque non ſit illa formaliter, oportet ut ſit ea virtualiter, eo quod virtualiter ipſam continet.

Additio ex Curiel. Addit Curiel in præſenti dub. 1. quia vel peccante illo homine, in quem aliorum voluntates transfuſæ ſunt, iſti dicentur peccare, quatenus ſunt in eo, vel quatenus ſunt in ſeipſis? Non primum, quia cum non contineantur in illo, ſed potius ſint ab eo ſeparati, non eſt quo pacto in ipſo eſſe dicantur. Neque ſecundum, quia in ſe ipſis nullum eſſe habent, ut ſuponimus: nulla igitur eſſet ratio, cur tale peccatum eis imputaretur. ¶ Adde etiam, peccatum unius nulla alia via poſſe in alium tranſire, ita quod vere & intrinſece hujus peccatum ſit, niſi per generationem, qua communicata natura deſtituta gratia, communicatur culpa originalis in ea gratiæ deſtitutione conſiſtens: ſolus ergo ille, qui fuerit caput naturale, & poſterorum genitor, poterit in eos peccatum tranſmittere, atque adeo fieri caput eorum morale per prædictam continentiam voluntatum. ¶ Adde rurſus, peccatum, quod poteſt aliena voluntate committi, ſolum poſſe eſſe peccatum naturæ: perſonalia enim indiſpenſabiliter poſtulant procedere à voluntate propriæ perſonæ: at naturæ peccatum nequit aliter quam cum ipſa natura, atque adeo à generante illam traduci: ſolus ergo ille, qui fuerit caput naturale, & naturæ in aliis propagator, poterit per modum capitis moralis peccatum in eos tranſmittere. Videatur Curiel in præſenti dub. 2. & Greg. Mart. dub. 4.

Alia & alia additio.

50. *Poſtrema animadverſio.* Tandem diximus *de peccato quod ſit peccatum naturæ, ſicut eſt originale*, &c. quia hoc dumtaxat committi poteſt aliena voluntate, quæ ſit voluntas naturæ: alia vero cum perſonalia ſint, omnino poſtulant committi voluntate propria & perſonali. Hácque ratione in exemplis, quæ ad hoc declarandum adduci ſolent, nunquam invenietur, quòd una voluntas poſſit ita transfundi in aliam, ut peccatum iſtius illi imputetur, niſi ex parte voluntatis transfuſæ adfuerit proprius conſenſus inordinatus: in quo potius quàm in actu alterius peccatum ejus conſiſtet: quia cum omnia hujuſmodi peccata perſonalia ſint, nequeunt aliter quàm propria, & perſonali voluntate committi. ¶ Ex quibus liquet prædicta exempla non adduci ut omnino adæquata rei, de qua agimus, quia modus voluntarij in peccato originali repertus adeo eſt ſpecialis, & ſibi proprius, ut nuſquam alibi inveniatur: deſerviunt tamen ſimilia exempla ad aliquam ejus explicationem, & ut ſuppoſita fide de exiſtentia talis peccati, ſuadeant non eſſe impoſſibile, aut intelligibile.

51. *Conſentiente Adamo in peccatum, omnes conſentimus.* Ad aliud autem, quod tangitur in objectione, videlicet non poſſe reperiri peccatum ſine inordinato conſenſu illius, qui peccat, reſpondetur ita eſſe: ſed ſicut peccatum originale non committitur voluntate perſonali, & phyſice propria, ſed voluntate capitis, quæ moraliter cenſetur voluntas membrorum, ita non requirit conſenſum aliquem per propriam, & perſonalem voluntatem exhibitum, ſed ſufficit inordinatus conſenſus per voluntatem capitis, qualis fuit in Adamo, quando pro omnibus deliquit. Talis enim conſenſus eo ipſo quod fuit capitis, quodammodo fuit proprius uniuſcujuſque membri: & ita non defuit conſenſus poſterorum Adami, dum ipſe ut caput omnium prò omnibus conſenſit. Et idcirco dixit D. Thom. cit. quæſt. de mal. art. 1. ſolvens ſimile argumentum, quod erat decimum nonum, quod *peccatum primi hominis eſt quodammodo peccatum commune totius humanæ naturæ: & ideo cum aliquis punitur pro peccato primi parentis, non punitur pro peccato alterius, ſed pro peccato ſuo. Suum* & *non alterius* dixit, quia quod eſt à voluntate capitis; quæ moraliter eſt voluntas membrorum, moraliter cenſetur proprium uniuſcujuſque membri, & ab eo non alienum. *D. Thom.*

52. *Solutio confirmationis.* Ad confirmationem negandum eſt antecedens: potius enim Deus in illa voluntatum tranſfuſione, poſterorum Adami bono & commoditati valde providit: idque pro illis diſpoſuit, quod ipſi prudentiſſime eligerent, ſi adeſſent, & propria voluntate uterentur. Quis enim poſterorum Adami rogatus, *an vellet, ut originalem iuſtitiam nulli eorum debitam ipſe Adamus pro ſe, & pro tota poſteritate acciperet, exindéque ad omnes ſine ipſorum labore deſcenderet, ſub ea tantum conditione, ut facillimo præcepto obediret; ſecus illam pro ſe & pro cunctis amiſſurus*, non Dei ſtipulationem libenter acceptaret, ſuúmque conſenſum quoad id Adamo tribueret? Præſertim cum ex una parte credere debuiſſent, communem patrem naturali amore omnium filiorum ſaluti, ſicut unumquemque propriæ proſpecturum: ex alia vero animadverterent ablatas eſſe fere omnes peccandi cauſas, valdéque copioſa gratiæ auxilia pro vitando peccato fuiſſe illi conceſſa: inſupérque cum in amœniſſimo loco, feliciſſimo, & valde tranquillo ſtatu, ſumma rerum copia, cunctis illis juxta nutum fluentibus, eſſe conſtitutum, ut ita ab omni inopia & difficultate liber facillimo negotio impoſito ſibi præcepto ſatisfaceret. Si ergo hæc animadvertentes interrogati fuiſſent, an vellent manere ſine juſtitia originali, aut non niſi magno cum labore eam acquirere (ſicut contingeret caſu quo prædicto Dei pacto, & voluntatum ſuarum transfuſioni reſiſterent) an potiùs annuentes cum modico periculo juſtitiam non debitam amittendi, maximæ ſpei illam ſine ullo labore hæreditandi ſe exponere, quis dubitat omnes libentiſſime conſenſuros; aut ſaltem æquum & rationi valde conſentaneum eſſe eos conſentire? Valde enim rationi conſentaneum eſt, maximam ſpem tanti boni detrimento incerto & cum circunſtantiis jam dictis præferre. Id igitur quod Deus præſciebat poſteros Adami jure approbare debuiſſe, recte pro approbato habere potuit: & quod ratio exigebat ut eligerent, jure voluit pro eis ſtatuere: & ſicut illi conſenſum præbendo ut Adamus pro omnibus ſtipulationem admitteret, non inordinate agerent, ſed ſibi utiliter conſulerent: ita Deus præveniendo eorum conſenſus, & pro executis habendo, paternè egit, eorumque bono, & utilitati amicabiliter providit.

Secundo

53. Secunda obiectio. Secundo obiicies, de ratione voluntarij eſſe, ut procedat ab intrinſeco, & à principio conjuncto, debétque hæc conditio convenire omni voluntario per ſe, ſive ſit voluntarium formaliter, ſive terminative, ut ſupra explicuimus: ſed peccatum originale in ſucceſſoribus Adami non eſt ab intrinſeco, neque ab aliquo principio eis conjuncto: igitur non eſt eis voluntarium. Minor probatur: quia principium prædicti peccati non eſt aliud, quam voluntas Adami, & primum ejus peccatum, ex quo originale noſtrum tanquam terminus emanavit: illa autem voluntas & peccatum omnino ſunt nobis extrinſeca: ergo, &c.

Confirmatio. Confirmatur: actus, quo Adamus peccavit, non fuit nobis voluntarius formaliter & in actu, ſed ad ſummum in potentia: ergo neque peccatum originale inde reſultans erit nobis actu voluntarium per modum termini. Conſequentia liquet: quia voluntarium terminative ſupponit voluntarium formale, à quo proceſſerit: nec ſufficit iſtud eſſe voluntarium uni, & illud eſſe voluntarium alteri; ſed utrumque debet eſſe tale reſpectu ejuſdem: aliàs non verificabitur de voluntario terminativo, quod ſit ab intrinſeco. Antecedens vero probatur: tum quia actus, quo Adamus peccavit: non fuit capitalis; ſed perſonalis, ob idque illa voluntas prius infecit perſonam ipſius Adami, quàm naturam: ut docet D. Thom. 3. p. quæſt. 8. art. 5. ad 1. & quæſt. 69. art. 3. ad 5. Cum tamen voluntas, quæ per modum capitis ſe habet; prius attingat naturam quàm perſonam. Tum etiam quia prædictum peccatum ſolum potuit eſſe nobis voluntarium eo modo, quo continebamur in Adamo: at non continebamur actu in illo, ſed ſolùm in potentia: igitur ſolùm in potentia potuit nobis eſſe voluntarium.

D. Thom.

54. Aliquorum ſolutio. Ad objectionem occurrunt aliqui, conceſſa majori, negando minorem quia (inquiunt) voluntas Adami, ex qua peccatum originale procedit, non fuit voluntas ejus tantum, ſed etiam ſuorum poſterorum, eo quod erat voluntas capitis, ac proinde voluntas etiam membrorum: unde quod ex tali voluntate in nobis procedit, non eſt dicendum ab extrinſeco, ſed potius ab intrinſeco, quia unicuique eſt ab intrinſeco, quod procedit ab ejus voluntate, ſive perſonali, ſive capitali. ¶ Hanc tamen ſolutionem impugnat Curiel in præſenti dub. 2. intendens voluntatem Adami, etiam prout erat voluntas capitis, non poſſe dici intrinſecam ſuis poſteris, prout habent eſſe in ſe ipſis, quo pacto afficiuntur originali peccato: idque ad longum probat, affirmans, oppoſitum modum dicendi ex ignorantia procedere: nec tamen ipſe explicat, qua ratione prædictum peccatum ab intrinſeco ſit: arbitratur enim ad rationem voluntarij per modum termini id non requiri.

Impugnatur à Curiel.

Defenditur per diſtinctionem. Sed ſi diſtinctione utamur, credimus prædictam ſolutionem eſſe ſuſtinendam: quia ſicut *voluntarium*, ita *intrinſecum* dicitur dupliciter, nimirum *phyſice & moraliter* Intrinſecum phyſice eſt quicquid re ipſa inhæret ſubjecto denominato. Intrinſecum vero moraliter dicitur, quod juxta communem æſtimationem ita ſe habet, & idem præſtat ac ſi inhæreret. Hoc autem poſteriori modo voluntas Adami in quantum capitalis rectè dici poteſt nobis intrinſeca, quatenus ſumus membra ejus, & partes humanæ naturæ, quia ita reputata eſt noſtra prædicta voluntas quoad munus conſervandi, vel amittendi originalem juſtitiam, ac ſi nobis inhæreret: ejuſque conſenſus, vel diſſenſus quoad prædictum munus ita pro conſenſu, vel diſſenſu noſtro habuit ſupponere, ac ſi à nobis eliceretur. Quocirca D. Thom. quæſt. 4. de mal. art. 1. ad 5. loquens de peccato originali in nobis exiſtente ait, quod licet relatum ad perſonam ſecundum perſonalia ipſius habeat rationem exiſtentis ab alio; *non autem ſi referatur ad naturam, ſic enim eſt quaſi à principio intrinſeco.* Impugnationes vero factæ à Curiel procedunt de intrinſeco phyſice, neque contra hujuſmodi intrinſecum morale vim habent. Sicut ergo ad peccatum originale in nobis relictum ſatis eſt voluntarium morale, ut explicuimus n. 41. ita ad hujuſmodi voluntarium ſufficit eſſe ab intrinſeco moraliter; vel (quod in idem redit) ſufficit quod procedat à voluntate Adami, quatenus reputata eſt noſtra, atque adeo nobis moraliter intrinſeca. D. Thom.

Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens: ille enim actus Adami moraliter fuit actus noſter utpote elicitus à voluntate, quæ reputabatur noſtra: atque adeo moraliter fuit nobis ab intrinſeco, & voluntarius per modum exercitij. Quare ad primam probationem dicendum eſt, prædictum actum utrumque habuiſſe, & perſonalem, & capitalem eſſe: & ſicut in quantum perſonalis infecit perſonam, ita in quantum capitalis naturam. Quia vero ratio perſonalis perprius fuit in illo, quia actiones per ſe primo ſunt ſuppoſitorum, prius infecit perſonam, & deinde naturam: quo contra ſe habet peccatum originale, quod quia non eſt actus, ſed prava naturæ diſpoſitio per modum habitus, prius inficit naturam, quàm perſonam: & hoc dumtaxat vult D. Thom. locis in confirmatione citatis. 55. Solutio confirmationis.

Ad ſecundam reſpondetur, peccatum Adami fuiſſe nobis voluntarium per modum actus, & non tantum in potentia, ſi hæc cadant ſupra ipſum voluntarium: ad hoc autem non fuit neceſſe, quod eſſemus tunc actu & formaliter in ipſo Adamo; ſed ſufficit quod fuerimus in eo virtualiter ratione continentiæ phyſicæ in ejus virtute generativa, & etiam moraliter ratione divini decreti conſtituentis illum caput noſtrum, & in ejus voluntate omnium noſtrorum voluntates ſtatuentis: hoc enim ſatis fuit, tum ut ipſe Adamus in illa operatione pro nobis ſupponeret, adeóque talis operatio eſſet per modum actus ſecundi voluntaria nobis, prout eramus in illo: tum etiam ut peccatum originale inde reſultans ſit nobis voluntarium per modum termini, ut ſumus in nobis.

Sed urgebis: quia ſi ſolùm peccavimus in Adamo, quatenus eramus in illo, non autem ut in nobis ipſis exiſtentes, quippe in nobis tunc nullo modo eramus, non debemus contrahere peccatum originale, quatenus in nobis ipſis, ſed præciſe ut fuimus in eo contenti: & conſequenter neque prædictum peccatum erit intrinſece phyſice in nobis, ſed 56. Replica.

ad ſummum moraliter: neque erit aliud numero ab illo, quod fuit intrinſecè in Adamo. Hoc autem manifeſte repugnat communi doctrinæ, & ei, quam tradit Concilium Trid. ſeſ. 5. decreto de peccato orig. can. 1. ergo, &c. Sequela probatur: quia peccatum originale eo modo debet eſſe nobis voluntarium per modum termini, quo per modum actus fuit voluntarium peccatum actuale Adami à quo procedit: ergo ſi iſtud ſolùm fuit nobis voluntarium prout fuimus in ipſo Adamo, illud quoque erit nobis voluntarium eodem modo, atque adeo non ut ſumus in nobis.

Conc. Trid. ſeſ. 5.

Diluitur.

Reſpondetur negando ſequelam: nos enim peccatum actuale Adami ſolùm potuimus cõmittere unà cum ipſo Adamo, ſicut eramus tunc quando commiſſum fuit, atque adeo ſecundum eſſe duntaxat, quod habuimus in illo: peccatum vero originale inde reſultans utroque modo debuimus contrahere, & ut eramus tunc, & ut ſumus modo quando per generationem ad nos deſcendit: cúmque modò ſimus extra Adam, & in rerum natura per nos ipſos, debemus prædictum peccatum in nobis contrahere. Et ſane hæc eſt natura voluntarij capitalis, ut quod per modum actus fuit in capite & membris ut habentibus eſſe in illo, deſcendat poſtmodum per modum termini ad eadem membra ut ſunt in ſe ipſis. Tum quia voluntarium capitale inficit totam naturam & communitatem in capite contentam; ibique contractum eſt debitum, ut cum ipſa natura tranſiret: unde ſicut natura ita infecta deſcendit poſtmodum ad membra in ſe ipſis, ita deſcendere debet prædicta infectio prædictúmque voluntarium. Tum etiam quia voluntarium capitale operatur in membris juxta eorum capacitatem & ſtatum; & ideo dum ſolùm habent eſſe in capite, in eo dumtaxat terminum ſuum producit: quando vero accipiunt eſſe in ſe ipſis, producit quoque in eis prædictum terminum. Neque id eſt intellectu difficile: præſertim quando terminus producendus, & multiplicandus eſt tantum privativus, ſicut eſt peccatum originale: quia tunc ſufficit auferri à capite perfectionem quã acceperat membris communicandam, ut eo ipſo quandocunque membra in eſſe ponantur, ſimili perfectione careant, inficiantúrque proinde in ſe ipſis ejus privatione.

57. Quod ergo in propoſita replica dicitur, *peccatum originale eo modo debere eſſe nobis voluntarium per modum termini, quo peccatum Adami voluntarium fuit per modum actus*, verum eſt ſi ly *eo modo* ſolùm dicat conditionem & modum tenentem ſe ex parte ipſius voluntarij, ut quod ſit capitale, vel perſonale: ſecus autem ſi ſupra ſubiectum *quod* utriuſque voluntarij appellet, ut ſic enim neganda eſt paritas: quia ſicut terminus alicujus actionis derivari ſolet in plura ſubjecta, in quæ non derivatur ipſa actio ſecundum ſe, præſertim cum formaliter eſt actio immanens, & virtualiter tranſiens, ſicut eſt peccatum actuale, ita voluntarium per modum termini extendi poteſt ad plura ſubjecta phyſice informanda, in quibus non ſit phyſice voluntarium per modum actus.

Tertia objectio.

Tertio obiicitur: quia pueri contrahunt peccatum originale non tantum ut ſunt partes naturæ, & communitatis humanæ, verum etiam ut ſunt particulares perſonæ: ſed ut contrahant hoc ſecundo modo, non requiritur voluntarium perſonale: ergo neque ut contrahant primo requiritur voluntarium naturæ. Minor conſtat, & major ſuadetur. Tum quia pueri ante baptiſmum ſecundum utramque rationem habent eſſe Deo inviſi ejuſque inimici. Tum etiam quia per baptiſmum potius mundantur ut perſonæ particulares, quàm ut partes naturæ; imo ut partes naturæ non omnino mundantur, ſiquidem remanet in eis vis ad communicandum filiis peccatum originale ſimul cum natura: ergo, &c. ¶ Confirmatur: quia ſi prædictum peccatum eſſet voluntarium parvulis adhuc voluntate naturæ, poſſent vituperari, & increpari propter illud, condignitas enim vituperij, & increpationis conſequitur tanquam proprietas ad peccatum propter voluntarij rationem: atque parvulus non eſt dignus vituperio neque reprehenſione propter tale peccatum: quis enim increpavit pueris, quod ita naſcuntur, cum nullus eorum poſſit aliter naſci? nullo igitur modo eſt illis voluntarium.

Confirmatio.

58. Enodatio objectionis.

Ad objectionem reſpondetur ita eſſe, quòd pueri etiam ut perſonæ particulares peccatum originale contrahunt; non tamen per ſe primo, ſecundario, & ex conſequenti: contrahunt enim primario ut partes naturæ, ex inde vero infectio ſimul cum natura ad perſonas deſcendit: unde quia voluntarium ad peccatum requiſitum ſequitur conditionem ſubjecti quod inficit primario, non vero ejus quod inficitur ſecundario, ſatis eſt ad prædictum peccatum, etiam ut attingit perſonam, voluntarium naturæ, ſine quo tamen neque naturam neque perſonam prædicto modo attingeret.

Replica.

Nec refert ſi urgeas, quod baptiſmus prius abluit perſonam à culpa originali, quàm naturam: ergo & ipſa culpa prius debet perſonam, quam naturam inficere. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam; imo potius vice verſa procedendum eſt. Culpa enim originalis aufert perfectionem quæ primario data eſt naturæ, ut cum natura ad perſonas deſcenderet: unde privatio talis perfectionis, quæ eſt ipſa culpa debet per eoſdem gradus, atque adeo à natura ad perſonas deſcendere. Cæterum juſtificatio facta in baptiſmo tribuit perfectionem, videlicet gratiam ſanctificantem pro hac dumtaxat numero perſona, atque adeo perſonam ipſam primario reſpicientem, naturam vero non, niſi ut eſt talis perſonæ, & quoniam gratia eodem ordine culpam aufert, prius mundat perſonam, quam naturam.

Solutio.

Confirmationis ſolutio.

Ad confirmationem D. Thomas in præſenti art. ad 5. videtur concedere pueros poſſe increpari, & vituperari ob culpam originalem, ſi conſideretur quatenus ſunt partes naturæ dicúntque ordinem ad protoparentem ut ad principium, in quo omnes peccaverunt, quo pacto prædictum peccatum eſt illis voluntarium. Secus vero, ait, ſi conſideretur ut ſunt particulares perſonæ. Atque idem clarius docet quæſt. 4. de mal. art. 1. unde argumento 4. deſumpto ex Philoſopho, videlicet quod nulli defectui ex origine contracto debetur

Digitized by Google

betur increpatio & pœna, quæ tamen peccato debetur: ergo nullus talis defectus habet rationem peccati: reſpondet *dicendum quod ei, quod eſt per originem contractum, non debetur pœna & increpatio, ſi referatur ad perſonam, quia ſic non habet rationem voluntarij: ſed ſi referatur ad naturam, ſic habet rationem voluntarij, ut dictum eſt, & hoc modo debetur ei increpatio & pœna.*

D. Thom.

Additio ex Vaſq. Addit autem Vaſquez, quod cum non quævis increpatio contra peccatum originale fieri poſſit, diſtinguendum eſt: quia vel increpatio conſiſtit in ſola pœna damni: & hac digni ſunt pueri propter prædictum voluntarium. Vel conſiſtit in pœna ſenſus, & afflictionis: & hoc genere increpationis digni non ſunt. Quare cum increpatio, quæ verbis fit, & habet rationem contumeliæ, potius ſit pœna ſenſus, locum contra pueros non habet. Hæc ille. ¶ Sed & nos addimus pœnam damni impropriiſſime appellari increpationem: unde ſi aliquo modo non omnino impropriè pueri propter originale digni ſunt increpatione & opprobrio, ad pœnam ſenſus ſpectare debet. Nec verum eſt, hujuſmodi pœnam locum contra pueros non habere, quia licet hoc ita ſit loquendo de ſtatu futuræ vitæ (de quo dicemus infra) in hac tamen ſicut affliguntur morbis & aliis pœnalitatibus, quæ ad pœnam ſenſus pertinent, idque totum cadit ſub demerito prædicti peccati, poſſent etiam ſaltem quantũ eſt ex hoc capite verborũ cõtumeliis & increpationibus puniri.

Alia additio

Alia ratio ad intentum. Sed alia ratione nullus hominum poſterorum Adami pueros propter originale peccatum increpabit, quia cum ſit omnibus commune, nemo aliis jure obiicere poteſt, quod ipſe eodem prorſus modo contraxit, ne ſibi dicatur, *hypocrita quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem in tuo non advertens?* Et hoc eſt, quod dicit D. Anſelmus lib. de conceptu virgin. 28. *Non juſte redarguit homo hominem cũ culpa naſci, ſine qua ipſe non extitit, & de qua non niſi per alium ſanatur.* At ab Angelis, qui ab originali prorſus alieni ſunt, poſſet totum genus humanum, & unuſquiſque noſtrum exprobrari propter illud, non ut perſonæ particulares, ſed ut partes naturæ unitæ & copulatæ in voluntate primi parentis, ut D. Thom. dixit.

D. Anſel.

Vltima objectio. Denique obiicies: quia non apparet, qua via peccatum originale modò in pueris reſultans, ex Adami voluntate, ejuſque influxu proveniat, aut quam cauſam effectivam habeat: & multo minus quomodo tale peccatum, quod, ut infra dicemus, privativum quid eſt, conſervet ordinem & reſpectum ad prædictam voluntatem, ſine quo reſpectu, juxta ſuperius dicta, nequit ejus voluntarium intelligi? Hujus tamen objectionis ſolutio pendet ex deciſione dubij ſequentis.

DUBIUM III.

An & quæ ſit cauſa efficiens phyſica peccati originalis.

60. Licet ſæpe dixerimus, peccatum noſtrum orignale ex primo Adami peccato procedere, atque adeo iſtud eſſe cauſam illius effectivam, placuit id cum pluribus Theologis ex profeſſo dubitare: tum ut modus prædictæ cauſalitatis innoteſcat: tum etiam ut difficultatibus inde emergentibus ſatisfiat. Et quia cauſa efficiens alia eſt moralis, & alia phyſica, alia principalis, & alia inſtrumentalis, de iſtis omnibus eſt aliquid examinandum: quod non totum in hoc dubio, ſed etiam ſequenti præſtabimus. Ne vero in æquivoco laboremus, ſciendum eſt, *cauſam moralem* in præſenti eam dumtaxat à nobis nuncupari, quæ non per ſe exequitur effectum, ſed moraliter ad illum concurrit: nempe quia merito, vel demerito, precibus, conſilio, præcepto, aut quovis alio excitandi, & perſuadendi modo voluntatem alienam inducit ut effectum executioni mandet. Nomine vero *cauſæ phyſicæ* intelligimus omnem aliam, quæ ex vi ſua, ſeu ex vi influxus ab ea præſtitit, atque adeo non mediante aliena voluntate effectum infert. Nec refert an talis influxus ſit vera & rigoroſa actio de prædicamento actionis vel qualitatis proindeque vera & rigoroſa cauſalitas: aut ſit tantũ emanatio & reſultantia, quæ non differt re ipſa ab effectu, ut connotat terminum primarium, ex quo reſultat: & propterea ſolum dicitur cauſalitas ſecundum quid. Neque etiam refert an ipſe effectus ſecundum ſe ſpectet ad ordinem phyſicum, vel moralem, poſitivum, vel privativum. Dum enim modo explicato (hoc eſt) ex vi influxus præſtiti à tali cauſa, & non mediate aliena voluntate effectus in rerum natura ponatur, numeranda eſt ejus cauſalitas inter phyſicas, & non inter morales: quia iſte modus cauſandi proprius eſt cauſæ phyſicæ.

Cauſa efficiens quotuplex, & de qua in præſenti ſermo.

Deinde nota diviſionem cauſæ in principalem, & inſtrumentalem propriam eſſe ſolius cauſæ phyſicæ: quia moralis raro vel nunquam admittit eam partitionem. Ex quibus cauſa principalis dicitur, quæ ratione ſui effectum continet: inſtrumentalis vero, quæ virtute aliena eum producit. ¶ Tandem nota, in peccato originali poſſe conſiderari aliquid per ſe, ſcilicet ipſam malitiam, & inordinationem, quæ Deo repugnat, redditque animam illi exoſam & inimicam: & aliquid concomitanter, pœnam videlicet & miſerias, quas Deus pro tali peccato infligit.

§. I.

D. Thomæ ſententia, & prima ejus ratio.

Dicendum itaque eſt peccatum originale ſecundum rationem culpæ habere cauſam efficientem phyſicam ſaltem eo modo, quo privationes illam habent: eſſéque hujuſmodi cauſam principalem, & præcipuam primum Adami peccatum, in quantum fuit peccatum capitis, ſeu ipſum Adamum in quantum per modum capitis naturæ humanæ peccato illo deliquit. Hæc concluſio, quatenus in ea aſſeritur, prædictum Adami peccatum eſſe cauſam effectivam & præcipuam noſtri originalis, à nemine Catholicorum, quem viderimus, negatur, nec poſſet ſine errore negari. Sed etiam quantum ad id quod 61.

 aſſeritur

Digitized by Google

aſſeritur de cauſalitate phyſica, eſt communior inter Theologos, illamque tuentur D. Bonaventura in 2. diſt. 31. art. 1. quæſt. 1. Driedo de capt. tract. 2. cap. 2. parte 4. Alvarez lib. 6. de auxil. diſp. 44. num. 18. & in præſenti diſp. 171. Greg. Mart. dub. 4. concluſ. 3. Monteſ. infra quæſt. 83. diſp. 3. num. 33. Debéntque hoc idem tueri quotquot aſſerunt, ſemen ab Adamo deciſum effective inſtrumentaliter attingere traductionem peccati originalis, quod infrà referemus: imo Curielem, Zumel, & alios ex iis, qui pro contraria ſententia adduci ſolent, credimus in re ab hac non diſſentire, quia nomine *cauſalitatis moralis*, quo ipſi utuntur, non intelligunt cauſalitatem per modum demeriti, conſilij, ſuaſionis, &c. quam dumtaxat nos in præſenti *moralem* vocamus, ſed reſultantiam & emanationem ex natura rei, independentemque ab aliena voluntate: quam nos ad phyſicam reducimus; illi vero quia non eſt proprie actio, *moralem* appellant.

D. Bonau. Driedo. Aluar. Greg. Mart. Monteſ.

Sed quidquid ſit de hoc, ſententia noſtra eſt D. Thomæ infra quæſt. 83. art. 1. in corp. ubi ſic ait. *Aliquid poteſt eſſe in aliquo dupliciter: uno modo ſicut in cauſa vel principali, vel inſtrumentali: alio modo ſicut in ſubjecto. Peccatum ergo originale omnium hominum, fuit quidem in ipſo Adam ſicut in prima cauſa principali ſecundum illud ad Roma. 5. in quo omnes peccaverunt. In ſemine autem corporali eſt peccatum originale ſicut in cauſa inſtrumentali: eò quod per virtutem activam ſeminis traducitur in prolem ſimul cum natura humana.* Et in ſolut. ad 2. *Peccatum originale cauſatur ex ſemine ſicut ex cauſa inſtrumentali: non autem oportet, quod aliquid ſit principalius in cauſa inſtrumentali, quam in effectus, ſed ſolum in cauſa principali: & hoc modo peccatum originale potiori modo fuit in Adam, in quo fuit ſecundum rationē actualis peccati.* Et ad 4. *Infectio originalis peccati nullo modo cauſatur à Deo, ſed ex ſolo peccato primi parentis per carnalem generationem, &c.*

D. Thom.

Ubi D. Thom. manifeſte loquitur de cauſa principali phyſica: quoniam loquitur de illa ſecundum quod per inſtrumentum ſeminis, & generationis carnalis ad peccatum originale concurrit: cauſa autem, quæ per inſtrumentum phyſicum concurrit, in quantum ita concurrit, non eſt moralis ſed phyſica: nam cauſa moralis non influit immediate per inſtrumentum, ſed media voluntate aliena ut cauſa principali. Idémque confirmat S. Doctor exemplo, quo utitur in corpore ejuſdem articuli his verbis. *Hoc modo ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in poſteros per quandam generationem motionem: ſicut à voluntate alicujus hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes ejus*, &c. Atqui cauſalitas voluntatis in derivando peccatum actuale ad alias partes hominis, ut ad appetitum, intellectum, &c. non eſt moralis ſed phyſica ex vi proprij & realis influxus: ergo ſimiliter debet eſſe phyſica cauſalitas Adami in traducendo ad poſteros originale peccatum.

Idem.

62. Prima ratio aſſertionis.

Ratione vero ſic ſuadetur. Quoniam peccatum originale eſt aliquis effectus (ſaltem eo modo quo privationes effici dicuntur) poſitus à parte rei in unoquoque poſterorum Adami: igitur debet dari aliqua cauſa quaſi primaria, ex cujus influxu illud qualecumque *eſſe*, quod habet, in rerum natura effective ponatur: atque adeo quæ per modum cauſæ phyſicæ propria virtute ipſum attingat: ſed nulla alia poteſt aſſignari, niſi Adamus per ſuum primum peccatum: ergo, &c. Antecedens eſt per ſe notum: peccatum enim originale non eſt aliquid increatum, neque habens eſſe à ſe adhuc in ratione defectus; ſed ut ipſum nomen oſtendit, originatum & cauſatum ab aliquo. Ex quo etiam prima conſequentia liquet: quia neque ratio effectus, neque ratio originis poteſt intelligi ſine reſpectu ad cauſam, non tantum materialem aut formalem, ſed etiam effectivam, à qua (ut dicitur in ejus diffinitione) incipiat motus & influxus, per quem talis effectus in rerum natura collocatur. Quòd ſi talis cauſa non propria virtute, ſed ut mota ab alia, & per modum inſtrumenti operetur, recurrendum erit ad illam, ex qua ſit talis virtus, atque adeo quæ propria virtute, & per modum cauſæ principalis id præſtet. Et de hac (neque enim abeundum eſt in infinitum) procedit noſtrum argumentum. Minor autem conſtat: quia cum talis cauſa non ſit puer, in quem peccatum originale traducitur: neque proximi parentes, ut omnes Catholici ſupponunt, nulla alia poteſt aſſignari præter voluntatem Adami ratione illius actus, quo per modum capitis ex perſona omnium poſterorum primo deliquit.

Confirmatio

Confirmatur: quia peccatum originale non utcumque eſt effectus, ſed per modum voluntarij per ſe & intrinſeci, licet *terminativi*, ut dubio præcedenti vidimus: ſed de ratione voluntarij terminativi eſt, ut procedat à voluntate tāquam à cauſa phyſica medio aliquo actu ejus phyſico, qui ſit voluntarius formaliter: alias non conveniret illi diffinitio, ſcilicet *quod eſt ab intrinſeco cum cognitione*: igitur aſſignanda eſt voluntas, à qua prædictum peccatum modo dicto procedat: non eſt autem alia aſſignabilis niſi voluntas Adami per ſuum primum peccatum: ergo, &c.

63. Evaſio ad rationem.

Dices, ſufficere influxum moralem ad hoc, ut ex voluntate, & peccato Adami reſultet in ejus ſucceſſoribus originalis culpa: quia cùm hæc tantum ſit quædam carentia & privatio juſtitiæ originalis, per ſolam connotationem illius primi peccati auferentis à tota natura talem juſtitiam reſultat in unoquoque noſtrum, ſine influxu reali & phyſico. ¶ Eo præſertim quia cauſa, quæ jam non eſt ſicut peccatum illud Adami, nequit realiter & phyſice aliquem influxum præbere. ¶ Ad confirmationem vero dici poſſet, non omne voluntarium eſſe voluntarium phyſice, ſed aliqua tantum moraliter: inter quæ dubio præced. numeravimus ipſum peccatum originale: & etiam omiſſiones peccaminoſæ dicuntur *voluntariæ* non *phyſice*, quaſi terminent realem voluntatis influxum, ſed *interpretativè* vel *moraliter*: quia voluntas potuit illas prohibere ponendo actus oppoſitos, & non prohibuit.

Ad confirmationem.

Præcluditur.

Sed contra eſt; quia vel efficacia illius actus, quo Adamus peccavit, pertingit re ipſa ad hunc effectum, qui eſt peccatum originale, vel non? Si primum, nihil deeſt quominus ſit cauſa ejus phyſica: quia nomine *cauſæ phyſicæ* in præſēti non aliam intelligimus, niſi illam,

Digitized by Google

illam, cujus influxus ſua efficacia ad effectum pertingit: ita quod ex vi talis influxus ſufficienter, & ſine alterius cauſæ principalis adminiculo, effectus in rerum natura collocetur. Si ſecundum, neceſſariò quærenda eſt alia cauſa efficiens, cujus efficacia modo dicto attingat talem effectum, illúmque extra ſe ponat. Cumque hoc poſterius dici nequeat: nulla quippe excogitabilis eſt talis cauſa; dicendum eſt primum.

64. Maior impugnatio. Deinde Adamus per ſuum primum peccatum aliquo modo influit effective in peccata originalia poſterorum ſecundùm rationem malitiæ, ut omnes Theologi fatentur: at non per modum cauſæ moralis: ergo per modum cauſæ phyſicæ. Minor probatur. Tùm quia cauſa moralis non præbet ex vi ſua ſufficientem influxum in effectum, quo illum executioni mandet, ſed tantum ad id movet & excitat alienam voluntatem: conſtat autem Adamum ad noſtrum peccatum ſecundum rationem malitiæ non hoc modo concurrere: quia nulla eſt alia voluntas, quam moveat & excitet ad ejus productionem. Tùm etiam quia cauſa moralis alicujus effectus ſemper debet habere comitem cauſam ejus phyſicam, nempe illam voluntatem, quam allicit, & movet, ut illum executioni mandet: ergo, quicquid ſit de cauſalitate morali Adami in noſtrum peccatum, debet neceſſario concedi aliqua cauſa phyſica, quæ ad illud ſecundum rationem malitiæ executivè concurrat: hujuſmodi vero cauſa non eſt alia excogitabilis præter ipſam Adami voluntatem per ſuum primum peccatum, ut intuenti patebit: ergo, &c.

Impugnantur alia contenta in evaſione. Nec refert quòd peccatum originale ſit tantùm privatio: quia privationes ſicut aliquo modo habent eſſe in rerum natura, ubi antea non erant, ita eo modo quo ſunt, poſtulant fieri phyſicè & executivè ab aliqua cauſa, ex cujus influxu ſuum qualequale *eſſe*; vel potius *non eſſe* ad extra conſurgat: ut videre eſt in privationibus naturalibus: ſicut eſt privatio frigiditatis in aqua, viſus in animali, & ſimiles, quæ licèt ſint carentiæ, ſuo tamen modo fieri dicuntur ab eodem efficiente, à quo producuntur formæ incompoſſibiles cum illis, quarum ſunt carentiæ: privatio enim frigiditatis vere fit à producente calorem, & privatio viſus à ponente obicem deſtructivum viſus. Neque hujuſmodi cauſalitates aliquis *morales* appellavit, aut ad lineam cauſalitatis phyſicæ non reduxit. Quamvis quia non eſt ibi vera & rigoroſa actio immediatè terminata ad privationem, ſed reſultantia ex vi actionis præcedentis, non vocentur abſolute & ſimpliciter *cauſalitates*, ſed ſecundum quid, & diminutè.

65. Neque verum eſt, peccatum Adami fuiſſe dumtaxat connotatum in ordine ad auferendam juſtitiam originalem à tota natura ponendamque privationem in ſuis poſteris, ut dicitur in prædicta evaſione: quia nudum connotatum niſi ſimul habeat rationem cauſæ, non ſufficit ad effectum ſive poſitivum, ſive privativum de novo ponendum, neque poteſt eſſe tota ratio hujus poſitionis, ſed conditio dumtaxat illius, quod eſt vera ratio & cauſa talis poſitionis: impoſſibile quippe eſt, ut intelligamus aliquid quod non eſt à ſe, poni de novo in rerum natura; & quod non intelligamus cauſam, in cujus influxum reducatur. Et multo minus ſufficit, aliquid eſſe connotatum, ut dicamus effectum inde procedere: ob idque plura connotant prædictum Adami peccatum, ut ejus pœnitentia, ſatisfactio, redemptio, &c. quæ minime ex ipſo ortum ducunt, ſed potius illud deſtruunt. Cum ergo peccatum noſtrum originale juxta communem ſenſum ex Adami peccato procedat, & hoc fuerit tota ratio cur ad nos pervenerit, non eſt dicendum eſſe dumtaxat connotatum, ſed cauſam vere & realiter influentem. Quo pacto vero Adami peccatum, cùm modò non exiſtat phyſicè, poſſit phyſicè cauſare, inferius conſtabit.

Evaſio confirmationi adhibita etiam corruit. Tùm quia perſpicuum eſt ad rationem voluntarij non ſufficere cauſalitatem moralem: pœna enim cauſatur moraliter à voluntate, ſiquidem cauſatur ab ea demeritoriè per culpam, & non idcirco eſt voluntaria, imo contra voluntatem. Tùm etiam quia quod dubio præcedenti diximus eſſe aliqua voluntaria moraliter, & non phyſicè, non eſt intelligendum reſpectu voluntatis, à qua accipiunt voluntarij rationem, ſecundum ſe conſideratæ: ab hac enim omne voluntarium debet phyſicè procedere; ſed facta collatione ad perſonam, cui attribuuntur. Quatenus voluntas, à qua voluntarium procedit, aliquando exiſtit phyſicè in tali perſona, & tunc dicitur *voluntarium Phyſicum*: aliquando autem exiſtit in alio ſuppoſito, ſed quia hoc vices illius gerit, reputatur moraliter talis voluntas, ac ſi eſſet in illa perſona, cujus tale ſuppoſitum vices gerit; & moraliter voluntas ejus vocatur: & ex hoc ipſum voluntarium à tali voluntate phyſice procedens dicitur reſpectu prædictæ perſonæ *voluntarium morale*. Præcluditur evaſio ad confirmationem.

66. Ex quo fit, quòd licèt peccatum originale non dicatur voluntarium phyſicè reſpectu noſtri, ſed tantùm moraliter, quia non eſt à voluntate phyſicè nobis inhærente, ſed à voluntate Adami, quæ moraliter reputata eſt noſtra; reſpectu tamen ipſius Adami, & voluntatis ejus, prout erat voluntas capitis, non eſt dicendum voluntarium moraliter (niſi fortè quoad rationem intrinſeci) ſed phyſicè, quia phyſico modo, & per phyſicum influxum ab ea ortum ducit. ¶ Diximus *niſi fortè quoad rationem intrinſeci*, quia cum de ratione voluntarij ſit, & quòd procedat à voluntate, & quòd ſit ei intrinſecum, aliquando hoc poſterius non convenit phyſicè, ſed ſolùm moraliter, ſicut in caſu noſtro, ubi voluntas Adami moraliter tantùm eſt nobis, noſtróque originali peccato intrinſeca. Hoc tamen non tollit, quominus talis voluntas ſit cauſa phyſica prædicti voluntarij, quia ratio cauſæ phyſicæ non attenditur penes intrinſecum, vel extrinſecum reſpectu effectus, ſed penes modum procedendi ab illa, nimirum executive, & ex natura rei & non mediante aliena voluntate, ut ſupra animadvertimus.

Omiſſiones phyſicè ſunt à voluntate. Quod autem dicitur de omiſſionibus, potius eſt pro nobis: omiſſiones enim phyſicè, & executivè, ac per realem influxum procedunt à voluntate; quamvis non immediatè, & directè illum terminent; ſed indirectè, & mediante

Digitized by Google

mediante actu incompoſſibili cum actu omiſſo. Unde quicquid ibi eſt cauſalitatis, & emanationis ad genus cauſæ phyſicæ ſpectat. Neque tales omiſſiones conſueverunt dici *voluntariæ moraliter*; ſolent tamen appellari *voluntariæ interpretativè*: non quia ratio voluntarij indirecti in eis reperta morali modo fiat, aut interpretativa ſit; ſed quia communiter explicatur per actum poſitivum, quo quis vult omittere: qui ſanè actus quia ſæpe non datur, interpretamur illum, philoſophamúrque eodem modo, ac ſi formaliter daretur: quia res ita ſe habent, ac ſe haberent, ſi daretur: & ſuper hujuſmodi actum, quem interpretamur, non vero ſupra ipſam omiſſionem, aut ejus voluntarium cadit immediatè denominatio *interpretativi*.

§. II.

Ratio alia pro aſſertione.

67. Secunda aſſertionis ratio. SEcundò probatur concluſio ratione deſumpta ex D. Thoma locis ſupra citatis. Quoniam ita ſe habuit peccatum actuale Adami, quatenus fuit peccatum capitis, reſpectu noſtri originalis, ſicut idem peccatum, ut fuit perſonale proprium, reſpectu peccati habitualis relicti in ipſo Adamo, & ſicut peccatum noſtrum actuale reſpectu habitualis, quod in nobis relinquit: ſed peccatum illud ut perſonale fuit cauſa efficiens phyſica peccati habitualis Adami, & noſtrum peccatum actuale phyſicè etiam cauſat habituale in nobis: ergo prædictum peccatum ut capitale fuit ſimiliter cauſa efficiens phyſica peccati originalis ad nos tranſmiſſi. Major conſtat à paritate rationis: ſicut enim eadem eſt comparatio voluntatis capitalis ad membra, ac perſonalis ad perſonam, ita eodem modo ſe habere debet peccatum actuale ut capitale, ſeu ut commiſſum prædicta voluntate capitali ad peccata habitualia membrorum, quæ ſunt noſtra originalia, ſicut habuit ſe idem peccatum actuale, ut fuit perſonale, commiſſúmque prædicta voluntate ut Adami propria ad peccatum habituale perſonale, & proprium ipſius Adami: & ſicut peccatum actuale perſonale uniuſcujuſque ad peccatum ejuſdem habituale perſonale. Minor vero probatur: quia prædictum peccatum Adami ut perſonale phyſicè expulit ab eo originalem juſtitiam, phyſicéque cauſavit in illo talis juſtitiæ privationem, in qua privatione peccatum ejus habituale conſiſtebat: ſicut etiam peccatum noſtrum actuale phyſicè cauſat in nobis peccatum habituale, quia phyſicè expellit gratiam, in cujus privatione conſiſtit.

68. Confirmatio. Confirmatur: nam qui phyſicè cauſat formam, vel actum expulſivum alterius formæ debitæ, phyſicè etiam cauſat privationem formæ expulſæ: ſicut qui phyſicè cauſat calorem expellentem frigiditatem debitam aquæ, phyſicè etiam cauſat privationem ipſius frigiditatis: & qui phyſicè ponit obicem deſtructivum viſus debiti animali, phyſicè cauſat cæcitatem, quæ eſt privatio viſus: & univerſaliter loquendo non eſt alius modus cauſandi phyſicè aliquam privationem (ſaltem per modum cauſæ principalis) niſi quia phyſicè cauſatur ob expellens formam debitam, & media hac expulſione privationem inducens: ſed Adamus quatenus per modum capitis deliquit, phyſicè cauſavit ſua voluntate formam expulſivam juſtitiæ originalis à ſe & à ſuis poſteris: igitur phyſicè cauſavit in ſe, & cauſat in illis privationem talis juſtitiæ, atque adeo peccatum originale. Minor ſuadetur. Tùm quia Adamus dum ſic deliquit, phyſicè cauſavit primum illud peccatum actuale: quod ſicut in quantum perſonale expulit juſtitiam originalem à propria perſona, ita in quantum capitale habet excludere, vel impedire illam, ut erat toti poſteritati debita, igitur cauſavit phyſice formam ſeu obicem expellentem à tota ipſa poſteritate prædictam juſtitiam. Tùm etiam quia per illud peccatum effecta eſt in Adamo, & in tota natura humana quædam prava diſpoſitio, ſive corruptio virium ſenſitivarum, quæ dicitur *concupiſcentia*, per quam vires iſtæ immoderatè tendunt ad bona ſenſibilia: caróque adverſus ſpiritum rebellat: propterea enim hujuſmodi concupiſcentia in Scriptura non ſemel vocatur *peccatum*, quia ex peccato originali eſt & ad peccatum inclinat, ut declarat Concilium Trid. ſeſſ. 5. decreto de peccato orig. Conc. Trid. Et etiam in ipſo corpore effecta eſt ex vi prædicti peccati quædam indiſpoſitio, ſive corruptio, ratione cujus non perfectè ſubditur animæ, neque ab ea continetur, ut non ad corruptionem & interitum tendat: ſed ad hanc pravam diſpoſitionem & corruptionem ex parte corporis & virium ſenſitivarum, ſequitur in anima privatio juſtitiæ originalis, ſicut ad contrariam rectitudinem, & diſpoſitionem optimam in primo ſtatu ſequeretur ipſa juſtitia: ergo, &c.

§. III.

Prior modus declarandi cauſalitatem peccati Adami in noſtra originalia.

VErùm quia efficacia hujus rationis omnino percipi non valebit, niſi oſtendatur via, per quam influxus phyſicus illius primi Adami peccati poſt tot millia annorum, tótque ſucceſſivas generationes ad puerum modo naſcentem & ejus animam perveniat: atque ita juſtitiam originalem phyſicè in ea impediat, vel excludat, operæpretium erit accuratius illam inveſtigare. Quocirca duplex ſe offert modus dicendi, alter communior, quem in hoc §. alter vero ſpecialior, quem in ſequenti proponemus. 69.

Ad primi ergo intelligentiam ſciendum eſt, quòd quia Adamo data fuit juſtitia originalis non pro ſe tantùm, ſed ſub eo pacto ut ſi in innocentia permaneret, in omnes poſteros, qui per ſeminalem propagationem ab eo deſcenderent, ſimul cum natura, & per ipſum generationis actum (modo inferius declarando) illam propageret, conſequenter ejus virtuti generativæ & ſemini ſuperadditus fuit vigor neceſſarius & ſufficiens ad ejuſmodi propagationem. Certum eſt enim potentiam generativam hominis, & ejus ſemen ſuæ relicta naturæ, omnique alio deſtituta ſolùm habere vim ad humanam naturam ſecundum ſe communicandam: atque adeo pro communicanda cùm illa prædicta juſtitia, nova & peculiaris D. ſtrina pro hoc modo dicendi.

peculiaris virtus, novúſque & ſpecialis vigor neceſſariò fuere illis ſuperaddenda. Quæ eſt doctrina D. Thomæ quæſt. 4. de mal. art. 1. ad 9. & in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. ad 4. & diſt. 20. quæſt. 2. art. 3. ibidémque ad Annib. art. 4. & 4. contra gent. cap. 52. rat. 5. & 10. & opuſc. 2. cap. 187. Sicut ergo per primum Adami peccatum ablata fuit phyſice ab illo pro ſe & pro tota poſteritate ipſa originalis juſtitia, ſic à virtute ejus generativa, & ſemine ablatus fuit vigor, quo pollebat. Vnde dixit D. Thom. loco cit. de mal quòd *ex peccato primi parentis destituta eſt caro ejus illa virtute, ut ex ea poſſet decidi ſemen, per quod originalis juſtitia in alios propagaretur. Et ſic in ſemine defectus hujus virtutis eſt defectus moralis corruptionis: & ex hoc etiam eſt ibi virtus ad ſimilem imperfectionem, ſicut eſt ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.*

D. Thom.

70. Fuítque hæc privatio vigoris in ſemine, & virtute generativa effectus prædicti peccati phyſico modo eo proportionali quo ipſa privatio juſtitiæ originalis. Nam quia talis vigor conſequebatur ad ipſam juſtitiam ut communicandam, ad nihílque aliud ponebatur in ſemine, niſi ut propagationi illius deſerviret eo modo, & in eodem genere cauſæ, quo primum peccatum expulit ab Adamo prædictam juſtitiam, ejúſque communicationem abſtulit, debuit etiam expellere talem vigorem: fruſtra enim ſublata illa tam pro Adamo, quàm pro poſteris, iſte in alicujus ſemine remaneret. ¶ Ex quo fit, quòd ſicut carentia juſtitiæ originalis in Adamo non fuit nuda carentia, uti eſſet in pura natura, ſed privativa & voluntaria, privativa quidem, quia erat carentia Formæ debitæ; voluntaria vero, quia per actum voluntarium fuit inducta: ita carentia prædicti vigoris in ſemine utrumque illud habuit. Quia talis vigor & erat debitus ex vi pacti, ex quo debita erat communicatio prædictæ juſtitiæ, ad quam ordinabatur, & ex eodem actu voluntario ejus expulſio ortum duxit.

Illatio.

Fit etiam, quòd quemamodum in ſtatu innocentiæ eſſet conſideranda in illo ſemine duplex ratio, alia naturalis & quaſi propria ſecundum quam eſſet inſtrumentum generantis in ordine ad naturam ſecundum ſe communicandam: alia quaſi ſupernaturalis, ſeu divinitùs ſupperaddita, ſecundum quam ſe haberet tanquam inſtrumentum Dei in ordine ad propagandam cum natura originalem juſtitiam: ita poſt peccatum debemus etiam conſiderare in eodem ſemine duplicem rationem, nempe illam naturalem, ſecundum quam habeat eſſe inſtrumentum naturæ in ordine ad illam ſecundum ſe communicandam, hæc enim ratio, ſicut & cætera purè naturalia non ſunt amiſſa per peccatum. Aliam vero voluntariam & privativam ortam ex prædicto peccato Adami, ſecundum quam erat quaſi inſtrumentum ipſius peccati, vel Adami ut ſit peccantis in ordine ad communicandum defectum originalis juſtitiæ. Sicut igitur medio prædicto ſemine ſecundum ſuá poſitivam & naturalem rationem tanquam naturæ inſtrumento communicata fuit filiis Adami ejus natura; ita medio eodem ſemine ſecundum illum defectum ex peccato ortum tanquam inſtrumentum ipſius peccati communicatus eis fuit defectus voluntarius prædictæ juſtitiæ, in quo conſiſtit peccatum originale.

Illatio aliá.

Videmus enim in cauſalitatibus hanc ſervari conditionem, quòd defectus cujuſlibet principij redundat in effectum, & ſimilem defectum in eo inducit. Sicut potentia viſiva defectuoſa elicit defectuoſam viſionem: & ſemen deficiens ab illa virtute, quæ neceſſaria eſt ad productionem tibiæ rectè deambulantis, producit tibiam claudam, hoc eſt privatam ſanitate requiſita ad rectè deambulandum: iterúmque ab hac tibia clauda, ſeu privata ſanitate procedit motus cum claudicatione: & quod in omnibus iſtis effectibus perfectionis eſt, tribuitur perfectioni cauſæ: quicquid vero eſt carentiæ & imperfectionis, in ejus defectum reducitur. Cum ergo vis generativa & ſemen Adami, quod eſt proximum generationis principium, ex ejus peccato contraxerit defectum voluntarium vigoris requiſiti ad communicādam originalem juſtitiam, neceſſe eſt ut ex tali defectu emanet in prole defectus voluntarius ipſius juſtitiæ, atque adeò peccatum originale. 71.

Declaratur doctrina exemplis.

Quod etiam poteſt declarari: tùm ex eo, quod in primo hominis ſtatu contingeret; tunc enim eo ipſo quo ſemen polleret prædicto vigore à Deo conceſſo, effective tanquam inſtrumentum ipſius Dei (modo inferius declarando) juſtitiam originalem induceret: ergo quià de facto per peccatum voluntariè fuit privatum tali vigore, debuit ratione hujus privationis tanquam inſtrumentum ipſius peccati effective inducere privationem ipſius juſtitiæ. Tùm etiam nam ſi peccatum originale eſſet aliquid poſitivum, eo ipſo quod in ſemine daretur vis poſitiva ex peccato Adami deſcendens, effectivè in virtute talis peccati illud attingeret: ergo ſuppoſito quod ſit privativum (ut diſputatione 16. oſtendemus) eo ipſo quod in eodem ſemine detur privatio ſupradicti vigoris deſcendens ex prædicto peccato Adami, attinget illud effectivè; eo modo, quo privationes attingi & fieri dicuntur. Patet utrobique conſequentia: nam ubi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio vel privatio erit cauſa vel privationis vel negationis in eodem genere cauſæ: & ſicut ſe haberet ſemen vigens ad juſtitiæ introductionem, debet ſe habere ſemen vigore deſtitutum ad ejus defectum introducendum.

72. Eodem ergo & ſimili modo per generationem uniuſcujuſque ſucceſſorum Adami deſcendit prædictum peccatum à filiis ad nepotes & ab his ad pronepotes, & deinceps. Quia cum unuſquiſque à ſuo anteceſſore accipiat naturam medio ſemine prædicto vigore ex vi peccati Adami deſtituto, ac proinde voluntariè privatam originali juſtitia, tam ſecundum ea, quæ corpus, quàm ſecundum ea, quæ animam perficiebant, ipſe quoque pro generandis ſucceſſoribus efformat ſemen ſimili modo deſtitutum, communicativúmque naturæ cum eadem privatione. Neque enim deſtituta natura juſtitia originali quoad omnia prædicta poſſet efformare ſemen non deſtitutum ſupra dicto vigore: neque per ſemen ita deſtitutum aliter commu

communicari natura, quàm orbata tali juſtitia: cumque in nulla generatione hujuſmodi defectus in natura vel ſemine reparetur, oportet ut per omnes tranſeat, ſemperque defectus ſeminis generantis effective inducat defectum prolis genitæ: & ad hunc defectum prolis iterum ſequatur defectus in ſemine pro ſucceſſiva generatione: ac proinde quod unuſquiſque ita ex Adamo deſcendentium, & accipiat per vitiatum ſemen patris naturam & ſemen vitiata, & per ſemen, quod vitiatum accipit, naturam & ſemen vitiata communicet: ſicque ab uno in alterum prædictus defectus juſtitiæ originalis tam quoad animam, quàm quoad corpus ſimul cum natura perpetuo propagetur: ſicque talis defectus omnibus & ſingulis voluntarius ex vi primi peccati Adami, unde trahit originem, & à quo primum ſemen medióque iſto ſecundum, & ſic reliqua voluntariam illam privationem vigoris acceperunt, ut per eam in virtute talis peccati, & tanquam ejus inſtrumenta defectuosè generent.

§. IV.

Prima objectio contra hunc modum dicendi.

73. Objectio. Contra hunc tamen modum dicendi urgent non pauca, ex quorum ſolutione magis elucidabitur. Obiicies ergo primò cum Gregorio Mart. in præſenti dub. 5. falſo ſupponi ſemen in ſtatu juſtitiæ originalis pollere aliquo vigore ſuperaddito in ordine ad eam propagandam, quo poſtmodum per peccatum privaretur: ruit ergo præcedens doctrina hujuſmodi enixa fundamento. Antecedens ſuadetur, Tùm quia ita videtur docere

D. Thom. D. Thom. 1.p.quæſt.100.art.1.ad 2.ubi negat juſtitiam originalem, ſeu gratiam in illo ſtatu tranſfundendam fore ad Adamo in poſteros virtute ſeminis, *ſed fuiſſet* (inquit) *collata homini ſtatim cum habuiſſet animam rationalem: ſicut etiam ſtatim cum corpus eſt diſpoſitum, infunditur à Deo anima rationalis: qua tamen non eſt ex traduce.*

Greg. Mart. Tùm etiam (arguit Martinez) quia ſi ſemen talem virtutem phyſicam haberet ad cauſandam juſtitiam originalem in genito, ſemen eſſet ſacramentum, nihil enim amplius ponimus in ſacramentis novæ legis, quàm virtutem phyſicam inſtrumentalem ad cauſandam gratiam juſtificantem, à qua non diſtinguebatur realiter prædicta juſtitia.

74. Solutio. Reſpondetur negando antecedens: noſtra enim doctrina eſt expreſſa D. Thomæ, quæſt.4.de mal. & aliis locis, quæ citavimus num. 69. Eamque tradunt Ferrara 2. contra

Ferrara. Lira. gent. cap. 52. Lira ſuper ad Roma. 5. & alij. Unde ad locum ex 1.p.reſpondetur primò cum Bannez ibidem, animadvertendo, quòd juſtitia originalis prout importabat perfectionem entitative & ut quod ſpiritalem, reſidebatque in anima, non tantùm perficiebat illam abſolute & ſecundum ſe, hoc eſt in ordine ad actus, qui ab ipſa anima independenter à copore poterant exerceri, ſed etiam in quantum erat forma corporis & radix perfectionum illius, atque adeo quantum ad unionem cum ipſo corpore. Vnde fiebat, ut anima non tantùm uniretur corpori, & perficeret illud per ſuam vim informativam naturalem, ſed etiam per ipſam originalem juſtitiam. Et ſicut ex vi prioris unionis reſultant ab anima in corpore proprietates & perfectiones naturales, quibus corpus correſpondet animæ ſecundum ſuam naturalem conditionem: ita ex vi poſterioris reſultabant à juſtitia originali in eodem corpore perfectiones quodammodo ſupernaturales, uti erat illa qualis qualis impaſſibilitas & immortalitas, quæ in primo ſtatu homini conveniebat, & plena ſubjectio virium ſenſitivarum ad rationem, aliaque hujuſmodi, quibus idem corpus conſonabat juſtitiæ originali animæ, ſeu ipſi animæ ut per talem juſtitiam perfectæ.

Hoc ſuppoſito reſpondetur, quòd ſicut anima rationalis dupliciter poteſt attingi per aliquam actionem, vel entitative & ſecundum ſubſtantiam: & hoc modo attingitur à ſolo Deo per creationem: vel quantum ad unionem cum corpore: & hoc modo attingitur etiam à generante medio ſemine ſecundũ ſuam naturalem virtutem, qua generans medio illo & diſponit materiam & producit ipſam actualem unionem. Ita juſtitia originalis reſidens in anima poterat dupliciter attingi: vel ut perficiebat eam abſolute & ſecundum ſe, & hoc modo ſolius Dei erat effectus: hocque dumtaxat intendit D.Thom. loco ex 1. p. adducto, Vel quatenus perficiebat eandem animam formaliſſime ut unitam, & informantem corpus, atque adeo quantum ad unionem ejuſdem juſtitiæ originalis cum corpore: & hoc modo attingeretur à generante per ſemen ratione vigoris ſupra explicati. Quia generans non utcumque uniret animam corpori, ſed ut habentem ipſam juſtitiam originalem: atque adeo eo proportionali modo quo communicaret proli animam ratione unionis, communicaret etiam prædictam juſtitiam.

Secundo reſpondetur, juſtitiam originalem ultra perfectionem ſimpliciter ſupernaturalem, quam ponebat in anima & in potentiis ejus (quæ juxta veriorem ſententiam non diſtinguebatur ſaltem ſecundum ſubſtantiam à gratia noſtra juſtificante: & virtutibus per ſe infuſis) ponere etiam perfectiones in corpore, quibus efficiebatur quodammodo impaſſibile: & ſecundum ſe animæ, ac ſecundum vires ſenſitivas rationi perfectè ſubiiciebatur. Quæ ſanè perfectiones licèt poſſent dici *ſupernaturales* reſpectivè ad corpus humanum, quia non erant debitæ ex principiis ſuæ naturæ; abſolute tamen non tranſcedebant totum naturæ ordinem ſaltem entitative: ſicut de dotibus corporis glorioſi diximus tract. de beatitud. diſp. 5. à num. 42. Cum ergo D. Thom. ait prædictam juſtitiam non eſſe ex traduce, loquimur de illa quantum ad perfectionem abſolutè ſupernaturalem, quam ponebat in anima: & ideo utitur nomine *gratia* potius, quàm nomine *juſtitia originalis*. Cum quo optimè ſtat ut ſecundum illud, quod ponebat non omninò tranſcendens ordinem naturæ, produceretur virtute ſeminis pollentis ſupradicto vigore. Et hoc intendit aliis locis citatis num. 69. præſertim in 2. diſt. 20. quæſt. 2. art. 3. nam. diſtinguit inter juſtitiam originalem — 75. Alia ſolutio.

Digitized by Google

lem, & juſtitiam gratuitam ſeu gratiam, quæ eſt merendi principium: & hanc dicit infundi à ſolo Deo; illam vero propagari à generante, ſicut propagatur peccatum originale. Ibidémque ad Annibald. art. 4. cum poſuiſſet argumentum, quod Adamus peccando tranſmiſit peccatum in poſteros: ergo ſi non peccaret, tranſmiſiſſet gratiam, &c. reſpondet.
D. Thom. *Dicendum quòd peccatum originale eſt peccatum naturæ principaliter, & perſonæ conſequenter; ſed donum gratiæ è converſo ſe habet, & ideo non eſt ſimile. Simile autem eſt de juſtitia originali, quæ naturam in ſtatu innocentiæ conſequebatur, per quam inferiora in ſtatu illo ſuis ſuperioribus obediebant: unde & juſtitia fuiſſet à parentibus in filios propagata, ſicut & nunc peccatum originale.*

Per quod patet ad ſecundum ex Gregorio Mart. quia ſive hujus, ſive prioris ſolutionis doctrinam teneamus, non habetur quod in ſtatu juſtitiæ originalis ineſſet ſemini virtus, quæ modò ineſt ſacramentis novæ legis: hæc enim attingunt effectivè gratiam ſanctificantem entitativè & ſecundum ſubſtantiam: quam tunc generans vel nullo modo attingeret, licèt attingeret alios effectus pertinentes ad juſtitiam originalem juxta ſecundam ſolutionem: vel ad ſummum juxta primam attingeret illam quantum ad unionem cum corpore, ſicut attingit animam; non vero entitativè, ſicut Sacramenta attingunt.

76. Occurritur interrogationi. Si autem interroges, utrùm in hac juſtitiæ originalis propagatione generans ſe habuiſſet unà cum ſemine vigoroſo per modum cauſæ inſtrumentalis; vel potius ut cauſa principalis utens ſemine tanquam inſtrumento ad illam propagationem? ¶ Reſpondetur ſi ſermo ſit de aliis genitoribus poſt Adamum, neutro modo debuiſſe concurrere, ſed habituros ſe ſolùm de materiali tanquam ſubjectum, vel cauſa illius virtutis ſeu actionis, quam Deus vel Adamus aſſumeret ut inſtrumentum ad prædictum effectum. Eo proportionali modo quo aqua calefacta ad calefaciendum vel urendum neque concurrit ut cauſa principalis, neque ut inſtrumentalis; ſed præciſè eſt ſubjectum caloris, qui ſe habet ut virtus, vel inſtrumentum ignis. Et ratio eſt, quia generans proximum in illo caſu non haberet majorem influxum in juſtitiam originalem neque magis per ſe concurreret, quàm modo ad originale peccatum: ad hoc autem non concurrit ut cauſa effectiva, neque principalis, neque inſtrumentalis, aliàs peccatum in ipſum refunderetur, ut à num. 19. dicebamus: ſed habet ſe dumtaxat de materiali, quatenus præciſè continet, vel miniſtrat ſemen, quod Adamus pro inſtrumento aſſumit ad illud efficiendum.

Si autem de Adamo loquamur, non eſt dicendum habiturum ſe præciſè ut ſubjectum, & de materiali; ſed aliquo modo per ſe ut cauſam effectivam: nam illa juſtitiæ originalis propagatio per ſe dependeret ab Adami voluntate ut in innocentia permanente, quam dependentiam non haberet reſpectu poſterorum; prædicta vero Adami cauſalitas non tam eſſet phyſica, quàm moralis: quatenus Deus non niſi dependenter ab ejus voluntate ut obſervante pactum, & conſervante innocentiam tribueret cuilibet ſemini mediate, vel immediate ab eo deciſo prædictum vigorem. Atque adeo Deus eſſet cauſa principalis phyſica, & Adamus quaſi cauſa moralis, ſemen autem eſſet inſtrumentum elevatum phyſicè à Deo, & moraliter ab Adamo: eodémque proportionali modo propagatio juſtitiæ originalis Deo, & Adamo tribueretur; non autem cæteris genitoribus, niſi valde materialiter; ſicut dicitur de eis, quod traducunt peccatum.

Nec refert ſi urgeas, Adamum eodem modo transferre nunc in poſteros peccatum originale, atque tunc transferret juſtitiam: ergo ſi reſpectu iſtius ſolùm ſe haberet ut cauſa moralis, etiam reſpectu peccati debet hanc dumtaxat cauſalitatem exercere. Replica.

Reſpondetur enim negando antecedens. 77. Nam ſicut homo in hoc ſtatu per actum Diluitur. meritorium non cauſat phyſice effective augmentum gratiæ, ſed ſolùm moraliter & meritorie, è contra vero cum peccat, phyſice per actum peccaminoſum expellit gratiam, & cauſat peccatum habituale: ita Adamus licèt reſpectu juſtitiæ originalis ſolum habuiſſet rationem cauſæ moralis, reſpectu ejus privationis, ſeu peccati originalis debet habere rationem cauſæ phyſicæ. Et ratio eſt ferè eadem utrobique: quia ad hoc ut peccatum actuale phyſicè cauſet habituale, vel originale, ſufficit oppoſitio, quam habet ex natura rei cum gratia, & cum prædicta juſtitia: nam eo ipſo ad præſentiam illius debent iſtæ phyſice expelli, in qua expulſione peccatum habituale, vel originale conſiſtit. Ad cauſandam vero phyſice gratiam, vel juſtitiam per modum cauſæ principalis neceſſaria erat virtus activa æqualis perfectionis naturaliter inſidens, & à propria natura dimanans, ut alibi oſtendemus, quæ neque Adamo reſpectu juſtitiæ originalis, neque alicui creaturæ reſpectu gratiæ poteſt competere.

Adde, quòd tam reſpectu gratiæ, quam reſpectu juſtitiæ originalis datur propria cauſa phyſica, nempe Deus, & ideo non eſt neceſſe hominem ſic concurrere: at reſpectu peccati nulla eſt alia cauſa phyſica principalis: & ita debet homo prædictam cauſalitatem exercere, ne detur effectus potius in rerum natura ſine ulla phyſica cauſalitate. ¶ Adde ſecundo, quod in propagatione juſtitiæ originalis ideo Adamus non ſe haberet ut cauſa principalis phyſica, quia non ipſe, ſed Deus immediatè elevaret inſtrumentum talis propagationis, nempe ſemen per prædictum vigorem; quòd ſi Adamus ad hanc elevationem phyſicè concurreret, nihil deficeret, quominus eſſet cauſa principalis phyſica in prædicta propagatione. Cum ergo in ordine ad traductionem peccati ipſe dumtaxat, atque adeo per modum cauſæ principalis elevet inſtrumentum media infectione, quam communicat ſemini, ob nullam rationem poteſt non ſe habere in hujuſmodi traductione ut cauſa phyſica principalis.

Digitized by Google

præcedenti tradidimus. Teſtimonia enim, & rationes allatæ ſi quam vim habent convincunt procul dubio de peccato vere, & proprie dicto: neque aliunde quam ex prædictis teſtimoniis & rationibus ſuaderi poteſt, peccatum originale vere & proprie eſſe peccatum. Quod ſi conferendo illud cum peccato actuali inquiras, an conveniant univoce, vel ſolum analogice, aut æquivoce: & an prædicta convenientia ſit Logica, vel Moralis? non eſſet quæſtio ſuperflua: ſed ejus deciſio conſtabit diſp. 16. num. 77. ubi erit argumentum de convenientia, vel diſconvenientia cum peccato habituali, ad cujus genus potius quam ad genus actualis originale ſpectat. Vnde neque inter peccatum originale, & actuale negari poterit illa convenientia, quæ inter habituale perſonale, & ipſum actuale invenitur, neque ad aliquid poteſt major requiri, quia nec nos, nec alij plus de ratione peccati, & malitiæ tribuere originali cupimus, quam omnes tribuunt peccato habituali perſonali.

DUBIUM II.

An & quando peccatum ab Adamo per originem tranſmiſſum ſit poſteris voluntarium?

29. Ex duobus quæ titulus inquirit, primum, videlicet an prædictum peccatum voluntarium ſit? potius deberet ſupponi: quia nec ratio peccati, quam ei tribuimus, ſine voluntario conſiſtere valet: nec nos aliunde efficacius probare poſſumus prædictum peccatum poſteris Adami voluntarium eſſe, niſi quia in illis peccatum eſt. Quare in hoc dubio ne rem actam agamus, potius in explicando modum, & poſſibilitatem prædicti voluntarij, quàm in ſuadendo ejus exiſtentiam laborandum eſſet. Verum quia contra talem exiſtentiam vix alind, quàm ex impoſſibilitate confici valet argumentum, ac proinde quidquid ad iſtam ab intellectu removendam conducat, in illius erit probationem, de utroque dubium quærit. Cujus deciſio non tam prolixis argumentis, quàm animadverſionibus, & diſtinctionibus, quibus prædicti voluntarij modus, & conditio innoteſcat, tradenda eſt.

§. I.

Prælibantur aliqua pro dubij deciſione.

30. Voluntariũ ad peccatum requiſitum quid importet.

Sciendum eſt ergo, voluntarium, quod ad peccatum requiritur, indiſpenſabiliter importare ordinem, & reſpectum ad voluntatem, ſicut ad principium, à quo procedit, non qualecumque, ſed aliquo modo conjunctum: nam proterea diffinitur, *quod eſt ab intrinſeco cum cognitione:* quare repugnat eſſe alicui voluntarium, quod ex voluntate prorſus aliena, nullóque modo ſua ortum duxerit. Eſt autem duplex voluntarium: aliud conſiſtens in actuali voluntatis exercitio, ſive poſitivo, ſive privativo: quod dicimus, *voluntarium formale*: quo pacto ſe habent omnes actus, & omiſſiones, quæ voluntas elicit, vel imperat. Aliud vero, quod ſe habet ut terminus, & effectus prædicti exercitij, importátque reſpectum ad voluntatem non omnino immediate, ſed mediante voluntario formali, medio quo proceſſit. Et quamvis hoc poſteriori modo poſſit dici *voluntarium* omne, quod eſt voluntatis effectus, adhuc tamen inter hujuſmodi effectus eſt diſcrimen: nam aliis convenit per ſe, & intrinſece talis proceſſus à voluntate, reſpectúſque ad illam, ſicut convenit actibus ab ea elicitis: & ideo neque in rerum natura poni valent, niſi ex influxu, conſenſu, & approbatione voluntatis, neque poſtquam ſemel exiſtunt, poſſunt conſervari, vel concipi ſine reſpectu ad illam, & ad prædictum conſenſum non retractatum, dependentérque ab illo ut termino connotato per ſe. Hujuſmodi eſt illud pondus internum, quo trahitur voluntas in rem amatam, & ſe habet ad actum amoris, ſicut verbum ad intellectionem; de quo late diximus in tract. de Trinit. diſp. 3. à num. 113. Et etiam eſt hujuſmodi peccatum habituale, quod actuali tranſacto remanet, & denominat habitualiter *peccatorem*. Vnde in his ratio voluntarij terminativi invenitur per ſe, & intrinſece. Aliis vero totum hoc convenit per accidens, & extrinſecè, quia videlicet de facto habeant eſſe à voluntate, poſſent tamen, ſaltem quantum eſt ex ſe, alia via produci, poſſúntque, poſtquam ſemel producta ſunt, ſine reſpectu ad illam permanere. Et hoc modo dicuntur *terminativè voluntarij* omnes effectus, qui per influxum voluntatis ad extra ponuntur, & etiam habitus tam virtutum, quàm vitiorum, qui voluntarie producuntur ad intra.

Duplex voluntarium.

Ex quo etiam fit, hæc voluntaria *per accidens*, poſtquam producta ſunt, eodem modo permanere, retractata voluntate, atque non retractata: quia ſolum dependent ab ea in fieri; poſtmodum vero non amplius jam illam reſpiciunt. At voluntaria per ſe ſtatim pereunt adhibita retractatione, quia dependent à voluntate tam in fieri, quam in conſervari: & ideo ſicut ea nolente non fierent, ita ipſa renuente, & priorem conſenſum revocante, evaneſcunt. Et ratio eſt, quia, ut nuper diximus, reſpectus, quem hæc *voluntaria per ſe* afferunt, non eſt ad voluntatem nudè ſumptam, ſed mediante conſenſu illo per quem ab ea proceſſerunt, prout talis conſenſus integer, & illæſus connotatur: quare ſicut poſita retractatione ceſſat prædicta connotatio, ſic etiam ceſſat, & deſtruitur terminus illius reſpectus, & conſequẽter ipſe reſpectus, & voluntarium per illum conſtitutum perire debent.

Vtriuſque voluntarij diſcrimen.

Deinde nota, omne peccatum, quod intrinſece eſt tale, eſſe de genere voluntarij per ſe, & intrinſeci, quia moralitas, quæ per bonitatem & malitiam dividitur, indiſpenſabiliter fundatur ſupra voluntarij rationem. Quo circa dixit D. Auguſtinus voluntarium adeo eſſe de ratione peccati, ut ſi voluntarium non eſſet, eo ipſo peccati rationem amitteret. Cæterum non eodem modo omnia peccata habent eſſe voluntaria: ſed peccatum actuale formaliter, & per modum exercitij; 13.

Diſcrimen à ... voluntarij per ſe.

quia

quia conſiſtit in actu, vel omiſſione elicitis, vel imperatis à voluntate. Peccatum vero habituale non eſt exercitium, ſed terminus ex eo relictus, à quo homo etiam poſtquam peccatum actuale tranſivit, permanenter denominatur *peccator*. Vnde tale peccatum non debet eſſe voluntarium formaliter, ſed terminative per modum effectus reſpicientis per ſe voluntatem à qua proceſſit, & voluntarium formale, ſeu peccatum actuale, medio quo proceſſit. Vnde fit, quòd quia peccatum originale originatum, de quo in præſenti eſt ſermo, non eſt peccatum actuale uti fuit peccatum originale originans exiſtens in Adamo, ſed potius habituale ex ipſo Adami peccato in poſteris relictum, eoſque habitualiter, & permanenter *peccatores* denominans, conſequenter debet eſſe intrinſece voluntarium, non formaliter, ſive per modum exercitij; ſed terminative duntaxat, ut effectus per ſe reſpiciens voluntatem Adami, à qua proceſſit, primúmque ejus peccatum, medio quo proceſſit. Cæterum, quia voluntarium per ſe etiam terminative dictum debet eſſe ſuo modo *ab intrinſeco*, valde hic urget, quo pacto voluntas Adami poſſit dici intrinſeca reſpectu peccati originalis exiſtentis in hoc puero, ac proinde ipſum peccatum non ſolùm Adamo, ſed ipſi etiam puero voluntarium ſit.

32. **Voluntas dicitur alicujus dupliciter.**

Pro quo eſt tertio obſervandum, voluntatem dupliciter dici alicujus: vel phyſicè, quia realiter exiſtit in illo: vel moraliter, quia licèt ſit in alio ſuppoſito, & phyſicè ſeparata continet tamen in ſe voluntatẽ, & conſenſum illius, cujus dicitur voluntas, & hac ratione cenſetur moraliter illi unita, & quaſi ipſius propria: ſicut voluntas mandatarij dicitur voluntas mandantis, & quicquid ille ex mãdato agit, dicitur ab hoc fieri, quia iſte per mandatum tranſtulit conſenſum ſuum in illum, virtutéque hujus tranſlationis ille, qui mandat, conſentit, ratúmque habet omne illud, in quod conſentit mandatarius: atque adeo quãvis voluntas utriuſque phyſice ſit diſtincta & ſeparata; moraliter tamen ita ſunt unitæ, ut pro una, eadémque reputentur: & non refert an id, quod ex mandato faciendum eſt, fiat ab hoc, vel ab illo, ut æque cenſeatur voluntarium reſpectu mandantis. Quod frequenter evenit in communitatibus, ubi particulares in ordine ad communitatis negotia committunt principi, vel prælato ſuum conſenſum, & virtute hujus commiſſionis ipſa voluntas prælati, vel principis cenſetur voluntas omnium, ita ut quidquid ab illo factum fuerit, ab omnibus fieri dicatur, & voluntarium omnibus judicetur.

33. **Duplex modus transferendi dominium.**

Cæterum hæc tranſlatio proprij conſenſus in alienam voluntatem multipliciter fieri poteſt. Nam aliquando fit per actum proprium illius ſuppoſiti, cujus conſenſus in alium transfertur, ſicut in exemplis adductis. Aliquando vero fit etiam ſine ullo conſenſu proprio talis ſuppoſiti per ſolam voluntatem principis, qui ratione ſupremæ poteſtatis habet ſufficiens dominium, & facultatem tranſferendi voluntates plurium in unam alicujus ut in capitalem: ita ut quicquid ab iſto prout munus capitis gerente factum fuerit, ab illis etiam fieri, & approbari cenſeatur: ſicut videmus in ſupremo legiſlatore creato, cujus juſſu voluntates minorum, & aliorum, qui ſui compotes non ſunt, transferuntur in voluntatem curatoris, vel tutoris, etiam illorum conſenſu inexpectato, ut conſtat ex l. *cum plures* §. *qua bona fide*, *ff. de admini. & peric. tutor.* Similiter voluntates filiorum impuberum cenſentur à jure contineri in voluntate patris: adeo ut is poſſit pro eis teſtari, non tantum in bonis, quæ ab ipſo teſtatore accipiunt, ſed in omnibus, quæ aliunde acquiſierint. *L. ſed ſi plures* §. *ad ſubſtitutos. ff. de vulg. & pupil. ſubſtit.*

Quod ſi in legiſlatore, & principe creato hæc invenitur facultas, à fortiori, multóque amplior concedenda eſt Deo omnium ſupremo principi, rerúmque omnium, & voluntatum auctori: ita ut omnium quorumlibet voluntates (ſaltem dum ipſi per actum proprium non reluctantur) poſſit in unam alicujus ut in capitalem transfundere: illoſque omnes ea lege adſtringere, ut firmum ratúmque habeant quicquid ab iſto ex omnium perſona actum fuerit: ac proinde quod ejus voluntas, quatenus ſic, & per modum capitis ſe geſſerit, omnium voluntas cenſeatur. Et ratio eſt, quoniam Deus ex ſe habet maius & excellentius dominium noſtrarum voluntatum, quàm quælibet humana poteſtas, & quàm nos ipſi, juxta illud D. Auguſtini de correct. & gra. cap. 14. *magis habet Deus in ſua poteſtate hominum voluntates, quàm ipſi ſuas*: ſi igitur nos, & etiam ſuo modo humanus legiſlator poteſt unam voluntatem quoad conſenſum in aliam tranſfundere, cur non Deo præſtantiori dominio, altiorique modo id licebit? Eo præſertim quia ſicut Deus, ex eo quod ſummè potens eſt, poteſt in omnes effectus omnium cauſarum, & in omnes eorum modos poſſibiles, ita quia eſt ſummè Dominus, debet eſſe potens ad omnis dominij tranſlationem, & ſecundum omnem modum poſſibilem. Vnus autem modus eſt, ut voluntates plurium ſicut membrorum transfundat cum debitis conditionibus in voluntatem alterius tamquam capitis: ita ut quod ab iſto pro ut gerenti munus capitis volitum, vel actum fuerit, ſicut ab omnibus volitum, & factum habeatur: ac proinde ſi inordinatum, & peccaminoſum ſit, omnibus ut eorum culpa imputetur. Nulla eſt ergo ratio, cur negemus Deo potentiam, & facultatem ad prædictam tranſlationem. 34.

D. Auguſt.

Tandem obſerva, quod ſicut Deus potuit, ſic de facto poſuit in Adamo omnium poſterorum voluntates, eaſque cum voluntate Adami ita copulavit, & univit, ut una ipſius voluntas omnium voluntas cenſeretur, unuſque ejus conſenſus, aut diſſenſus pro omnium conſenſu, vel diſſenſu haberetur: non quidem in ordine ad omnia, ſed in ordine ad illa, quæ ad conſervationem, vel amiſſionem juſtitiæ originalis ſibi & omnibus in ipſa conceſſæ pertinebant: quoniam pro his dumtaxat decrevit Deus prædictam voluntatem transfuſionem, & unionem. Vnde ex tunc manſit Adamus non tantum caput naturale ſuorum poſterorum, quod ei quaſi per naturã competebat, quatenus ratione generationis erat illorum naturale principium; ſed etiam caput morale, hoc eſt, in ordine ad conſenſum, vel diſſenſum: quod quidem accepit ex ſuperaddita 35.

Potuit Deus, & de facto omnium voluntates in unam Adami transfudit.

ed by Google

ſupperaddita, & libera Dei ordinatione. Non enim ex eo dumtaxat quòd eſſet naturale principium, munus moralis capitis obtineret, niſi accederet prædicta Dei ordinatio: ut patet in aliis parentibus proximis, qui licèt ſint principium naturale ſuorum filiorum, non idcirco habent eſſe caput morale, ſaltem eo modo quo fuit Adami: imo neque alio uſque dum legis: vel ſuperioris ordinatio accedat.

Quando accepit dignitatē capitis?

36. Tunc autem prædictam capitis moralis dignitatem accepit Adamus, quando impoſitum fuit illi præceptum, ne guſtaret de ligno vetito ſub eo pacto, & conditione ut ſi obediret, non tantum ipſe juſtitia originale potiretur, ſed ex eo ad omnes ejus poſteros tranſiret, illámque quaſi hæreditario jure poſſiderent: ſi ſecus autem, pro ſe & pro tota poſteritate prædictam juſtitiam amitteret. Quod quidem ita factum eſſe, prædictúmque pactum Deum cum Adamo ut capite noſtro, atque adeo & nobiſcum omnibus, prout eramus in illo, iniiſſe, licèt ratione naturali demonſtrari non poſſit (quoniam res eſt de facto, & dependens ex libera Dei voluntate) convincitur tamen ſatis manifeſte: tùm teſtimoniis ſacræ Scripturæ, cujuſmodi eſt illud Geneſ. 17. *Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima ejus de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Quod ſane pactum non fuit aliud, niſi quod Deus in paradiſo pepigit cum Adamo, & nobiſcum in illo, quodque, illo prævaricante, omnes nos prout in illo exiſtentes tranſgreſſi ſumus, ut exponit D. Auguſtinus lib. 16. de civit. Dei cap. 77. Quo etiam ſenſu intelligit illud Pſal. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, quia* (inquit) *in paradiſo cum primo parente legem tranſgreſſi ſunt.* Oſeæ quoque 6. dicitur, *Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi prævaricati ſunt omnes.* Quæ verba de prædicto pacto, quod in paradiſo cum Adam tranſgreſſi ſumus, intelligunt D. Hieronymus, P. N. Cyrillus, D. Proſper, & alij ſuper prædictum locum: idque ſonant verba illa *ibi prævaricati ſunt omnes*, ſcilicet in paradiſo, ubi prævaricatus fuit Adam. Et idem explicat Apoſtolus ad Roma. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Ex quibus, & aliis Scripturæ locis deduxit Concilium Trid. ſeſ. 6. Adamum ſibi & nobis juſtitiam & ſanctitatem amiſiſſe: non autem eam nobis amiſiſſet, ſi pro ſe tantum, & non etiam pro nobis ſub prædicto pacto illam accepiſſet.

Gen. 17. D. Auguſt. Pſalm. 118. Oſeæ 6. Hieron. Cyrillus. Ad Rom. 5. Conc. Trid.

Idem ſuadetur teſtimoniis Patrum.

37. Tum etiam id ſuadetur teſtimoniis ſanctorum Patrum qui frequenter aſſerunt nos fuiſſe in Adamo, quando peccavit, atque unà cum ipſo peccatum illud commiſiſſe, ob idque tale peccatum illius ſimul & noſtrum fuiſſe, ut videre eſt apud Augſtinum lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. cap. 10. ibi. *Manifeſtum eſt alia cuique eſſe propria peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata ſunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt.* Et lib. 3. *In Adam omnes tunc peccaverunt, quando in illa natura inſita, qua cuncto generare poterat, omnes unus ille homo erat*, & lib. 2. de Nuptiis & concup. cap. 5. *Per unius illius* (nempe Adami) *voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt.* Epiſt. 106. ad Paulin. *Tu & quisquis hæc patitur, &c. nondum quidem evidenter in ſe ipſo, ſed in illo homine latenter ibi erat, quando cibus vetitus tãgebatur*, &c. Similia habent Baſilius homil. 1. de laudib. jejunij, Orig. ad Roma. 5. Nazianzenus orat. de Chriſti nativit. Ambroſius lib. de fide reſurrect. cujus teſtimonium referens Auguſtinus lib. 2. de peccat. orig. cap. 41. *Lapſus ſum* (inquit) *in Adam, ejectus de paradiſo in Adam, mortuus in Adam, quomodo revocare ad vitam, niſi me in Adam inveniret, ut in illo culpæ obnoxium, morti deditum, ita & in Chriſto juſtificatum*, &c. Tandem D. Bernardus ſerm. 1. de dominica prima poſt octau. Epipha. de culpa originali ſic loquitur. *Aliena eſt, quia in Adam omnes neſcientes peccavimus: noſtra, quia etſi in alio nos tamen peccavimus, & nobis juſto Dei judicio imputabatur, ſed occulto.* Quæ teſtimonia, & eorum loquutiones aliter verificari nequeunt, niſi quia Deus omnium noſtrum voluntates in una Adami voluntate ſicut in capitali cõſtituit, ut ita illa eſſet quaſi voluntas totius naturæ, pro omnibus ſupponens: ejuſque proinde conſenſus vel diſſenſus ab omnibus, ac ſi proprius eſſet, firmus, ratuſque haberetur.

D. Auguſt. Idem. Baſil. Origen. Nazianz. Ambroſ. D. Auguſt. D. Bernard.

Denique ipſum ſuadetur, quia ſuppoſita traductione peccati originalis, quam fides docet, neceſſario quærenda eſt aliqua via, qua voluntarium ejus explicetur, illáque eſt præferenda, quæ ad id magis conſona, & accommodata cenſeatur: non eſt autem excogitabilis alia via ad prædictum voluntarium declarandum ita conſona, ſicut iſta, quam eligimus, ut intuenti conſtabit: debet igitur ea præferri: ac proinde quicquid neceſſarium fuerit, ut de facto ſubſiſtat, debemus credere fuiſſe à Deo factum. 38.

§. II.

Declaratur ex præiactis fundamentis modus voluntarij in peccato originali repertus.

Dicendum igitur eſt, peccatum originale ad poſteros Adami deſcendens eſſe illis per ſe, & intrinſece voluntarium, non formaliter per modum exercitij, ſed terminative per modum effectus; non quidem phyſice ex ordine ad propriam unjuſcujuſque voluntatem, ſed moraliter ex ordine ad voluntatem Adami, quatenus fuit voluntas capitis continentis ex Dei inſtitutione voluntates ipſorum. Prima hujus aſſertionis pars, nimirum prædictum peccatum eſſe voluntarium per ſe & intrinſece, ſupponenda potius videbatur ex dubio præcedẽti (ut hujus initio animadvertimus) quàm hic probanda: quia ſuppoſita exiſtentia peccati originalis, perſpicue habetur, debere eſſe per ſe voluntarium, cum juxta communem Theologorum, & Philoſophorum ſententiam nullum, quod intrinſece peccatum eſt, ſicut eſt originale, ſine voluntario per ſe, & intrinſeco valeat conſiſtere. Ob hoc igitur, & quia ex dicendis pro reliquo aſſertionis veritas hæc novam lucem, & confirmationem accipiet, non immoramur circa ejus probationem.

Aſſertio trimembris. Prima pars ſupponitur.

Secunda autem pars, videlicet non 39.

eſſe

Digitized by Google

eſſe voluntarium formaliter, ſeu per modum exercitij, etiam liquet, quia hic modus voluntarij proprius eſt ſolius peccati actualis conſiſtentis in actu, vel actuali omiſſione; peccata vero habitualia ſolum ſunt voluntaria *terminativè*, tanquam effectus per ſe peccati actualis: & ideo permanent etiam, poſtquam omne voluntatis exercitium ceſſavit: ac peccatum originale non eſt de genere peccati actualis, ſed de genere habitualis: non enim conſiſtit in aliquo actu, vel actuali omiſſione à pueris exercita, ut eſt per ſe notum; ſed in termino, & effectu in illis ex peccato Adami relicto: igitur non debet eſſe voluntarium primo illo modo, ſed hoc poſteriori.

Confirmatio. Et confirmatur, quia non debet eſſe nobis magis voluntarium peccatum originale, quod ex Adamo accipimus, quàm ipſi Adamo peccatum ſuum habituale, in quo poſt eſum ligni vetiti remanſit, aut quàm peccata noſtra habitualia, quæ per proprios actus incurrimus: ſed neque Adamo, neque nobis peccata habitualia ſunt aliter voluntaria, quàm per modum termini: ergo, &c.

Objectio. Dices: peccatum originale eſt formaliter peccatum, & non tantum terminativè: ergo non terminativè dumtaxat, ſed formaliter debet eſſe voluntarium. Patet conſequentia? nam cum voluntarium ſit de ratione peccati, eadem debet eſſe utriuſque conditio, & menſura.

40. Solutio. Reſpondetur primo negando conſequentiam: quia aliunde ſumitur ratio peccati, ac ratio voluntarij, quamvis illa hanc ſupponat: & ideo non eſt neceſſe utriuſque denominationem eodem modo alicui convenire, ut explicuimus ſupra diſp. 5. num. 117. ubi diximus aliqua, quæ ſolum denominantur *voluntaria in cauſa*, denominari *peccata* abſolute, & in ſe. Et diſp. 13. dubio 3. vidimus aliqua, quæ formaliter ſunt peccata, non eſſe voluntaria; niſi ſolum interpretativè. Quare non mirum ſi peccatum originale, & cætera habitualia denominentur *peccata* formaliter, & abſolute; quamvis ſolum *terminative voluntaria* dicantur.

Solutio alia. Secundo reſpondetur, peccati nomen poſſe accipi dupliciter, vel omnino ſtricte pro eo quod eſt directe & immediate contra legem, diffinitúrque *dictum, factum, vel concupitum*, &c. & hoc modo habituale non dicitur peccatum formaliter, quia non eſt formaliter, dictum, factum, aut concupitum, ſed effectus & terminus prædictæ operationis. Vel poteſt ſumi latius pro omni eo, quod eſt de linea mali repugnatis rationi, redditque ſubjectum offenſum Deo, & inviſum: & hoc modo dicitur formaliter tam de habituali, & originali, quàm de actuali; ſimiliter etiam voluntarium poteſt ſumi vel ſtricte, pro eo quod immediate, & cum actuali cognitione habet eſſe ab intrinſeco, ut ſonat diffinitio Ariſtotelis: & hoc modo id ſolum poteſt dici formaliter voluntarium quod eſt actualis proceſſio, & exercitium voluntatis, ſeu potentiæ appetitivæ: vel cum aliqua latitudine pro omni eo, quod oritur, & dependet per ſe à principio voluntario, importátque ad illud intrinſecum reſpectum: & hoc modo dicitur formaliter tam de exercitio, quam de termino. Unde hac ratione etiam peccatum originale, & cætera habitualia poſſent dici *voluntaria formaliter*: atque adeo eo proportionali modo, quo dicuntur *formaliter peccata*, poſſunt etiam dici *formaliter voluntaria*; & eo modo quo dicuntur *voluntaria terminative*, poſſunt quoque dici *terminative peccata*. Voluimus autem in præcedentibus uti prima acceptione, ut diſtingueremus modum voluntarij convenientis peccato originali ab eo quod convenit actuali, qui modus non ita bene diſtinguitur appellando utrunque *voluntarium formaliter*. E contra vero loquendo de peccato uſi ſumus acceptione magis lata, juxta quam omnia poſſunt dici *peccata formaliter*: quia adhuc manet ſufficiens inter ea diſtinctivum penes *actuale*, & *habituale*, vel *originale*.

41. Probatio tertiæ partis aſſertionis. Supereſt declaranda, & ſuadenda tertia pars aſſertionis, videlicet peccatum originale eſſe nobis formaliter voluntarium ex ordine ad voluntatem Adami (quod enim non ſit voluntarium phyſice ex ordine ad voluntatem propriam eſt per ſe notum.) Probatur ergo: quoniam prædictum peccatum proceſſit ex voluntate Adami, ex primóque ejus peccato, quatenus continebat voluntates ſuorum poſterorum, & earum conſenſus, atque adeo quatenus erat moraliter voluntas ipſorum: igitur eſt eis moraliter voluntarium. Conſequentia patet: nam ſicut de ratione voluntarij in communi eſt procedere à voluntate conjuncta, ſeu à voluntate ejus in quo eſt, ita de ratione voluntarij moralis eſt procedere à voluntate moraliter conjuncta, ſeu quæ moraliter judicetur voluntas illius, in quo invenitur: ſi ergo voluntas Adami, qua primo peccavit, moraliter fuit voluntas poſterorum; nequit non quod ex tali voluntate in ipſis procedit, eſſe illis moraliter voluntarium. Antecedens autem probatur. Quia Adamus ex vi pacti cum Deo in paradiſo initi de traductione, vel amiſſione juſtitiæ originalis pro ſe, & pro tota poſteritate, fuit conſtitutus morale caput generis humani, fuerúntque ex vi illius pacti voluntates ſuorum deſcendentium in ipſam Adami voluntatem ut in capitalem transfuſæ: hoc autem, & nihil aliud requiritur, ut talis voluntas cenſeatur moraliter voluntas ipſorum poſterorum, & ut pro illis ſupponat: ergo, &c.

42. Doctrina pro confirmatione. Confirmatur, & explicatur animadvertendo, quòd ſemel Adamo conſtituto à Deo capite naturæ humanæ, conſequenter omnes ejus poſteri conſtituti ſunt membra illius capitis, atque adeo ex illo tanquam ex capite, & ex his quaſi ex membris intelligimus coaleſcere communitatem humanam in modum corporis myſtici, & cujuſdam totius: uti coaleſcunt aliæ communitates, ex principe, vel ſuperiori, ſicut ex capite, & ex inferioribus, ſicut ex membris: ac proinde tam Adamus, quàm cæteri habent conſiderari dupliciter, vel ut perſonæ particulares diviſæ & ſeparatæ, vel ut partes illius totius, capútque & membra prædicti corporis; morali quadam unione copulati. Unde duplex voluntas debet in unoquoque illorum diſtingui: alia, quæ convenit illi ut perſonæ particulari, quæ erit voluntas propria, & perſonalis: alia, quæ convenit illi ut parti prædicti totius; quæ debet eſſe voluntas totius naturæ com-

Digitized by Google

munis pro omnibus ſuis ſuppoſitis : cumque hæc communis voluntas non poſſet phyſicè in omnibus illis exiſtere, oportuit, ut eſſet in primo ſicut in capite naturæ, indéque omnia alia moveret, & dirigeret. Ex quo etiam fit, quòd ſicut illud, quod procedit à voluntate propria, & perſonali uniuſcujuſque, eſt illi voluntarium ut perſonæ particulari, ita quod procedit à voluntate totius naturæ humanæ exiſtente in primo ejus ſuppoſito, debet eſſe ſingulis voluntarium, quatenus ſunt membra illius totius, partéſque & inferiora ipſius naturæ.

Confirmatur ratio

Hinc ergo confirmatur & explicatur noſtra ratio. Quia peccatum originale non convenit poſteris Adami, quatenus ſunt perſonæ particulares, ſaltem per ſe primo; ſed ut ſunt partes & membra humanæ naturæ, conſtituúntque cum Adamo tanquam membra cum capite unam communitatem humanam : ergo ut prædictum peccatum ſit eis prout ſic voluntarium, ſufficit, quod procedat à voluntate ejus qui gerit munus capitis naturæ, prædictæque communitatis. Imo nulla alia ratione poterat eſſe illis prout ſic voluntarium : quia reſpectu illorum formaliſſime ut partium prædictæ communitatis, & naturæ non eſt alia voluntas niſi voluntas capitis naturæ in primo ejus ſuppoſito exiſtens. Talis fuit autem voluntas Adami, dum primo peccavit : tunc quippe pro ſe & pro tota humana natura donum juſtitiæ originalis acceperat; illudque pro ſe, & pro tota natura amiſit : in quo manifeſte geſſit munus capitis naturæ. Igitur prædictum peccatum habet eſſe omnibus illis voluntarium per voluntatem capitis naturæ, atque adeo voluntarietate morali.

43. D. Thom.

Deſumpſimus vero totam hanc doctrinam ex D. Thoma quæſt. 4. de mal. art. 1. in corp. cujus verba, quia rem optime elucidant, nolumus prætermittere. Præmiſit autem duo notabilia : primum hoc modo. *Conſiderandum eſt, quod aliquis homo ſingularis dupliciter poteſt conſiderari : uno modo, ſecundum quòd eſt quædam perſona ſingularis : alio modo, ſecundum quòd eſt pars alicujus collegij, & utroque modo ad eum poteſt aliquis actus pertinere. Pertinet enim ad eum in quantum eſt ſingularis perſona ille actus, quem proprio arbitrio, & per ſe ipſum facit : ſed in quantum eſt pars collegij, poteſt ad eum pertinere actus aliquis, quem per ſe ipſum non facit, nec proprio arbitrio : ſed qui fit à toto collegio, vel à pluribus de collegio, vel à principe collegij : ſicut illud, quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere, ut Philoſophus dicit. Hujuſmodi enim collegium hominum reputatur quaſi unus homo, ita quod diverſi homines in diverſis officiis conſtituti ſunt quaſi diverſa membra unius corporis naturalis, ut Apoſtolus inducit de membris Eccleſiæ 1. ad Corinth. 12. Sic ergo tota multitudo hominum à primo parente humanam naturam accipientium, quaſi unum collegium, vel potius ſicut unum corpus unius hominis conſideranda eſt, in qua quidem multitudine unuſquiſque homo, & ipſe Adam poteſt conſiderari, vel quaſi ſingularis perſona, vel quaſi aliquod membrum hujus multitudinis, quæ per naturalem originem derivatur ab uno.*

Idem.

Secundum notabile præmittit ſic. *Eſt autem conſiderandum, quod primo homini in ſua inſtitutione datum fuerat divinitus quoddam ſupernaturale donum, ſcilicet originalis juſtitia, per quam ratio ſubdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ. Hoc autem donum non fuerat datum primo homini, ut ſingulari perſonæ tantum : ſed ut cuidam principio totius humanæ naturæ, ut ſcilicet ab eo per originem derivaretur in poſteros. Hoc autem donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans amiſit eo tenore, quo ſibi datum fuerat, ſcilicet pro ſe, & pro tota ſua poſteritate. Defectus ergo hujus doni totam ejus poſteritatem conſequitur : & ſic iſte defectus eo modo traducitur in poſteros, quo modo traducitur humana natura.*

Ex his itaque paulo inferius ſic concludit. *Si ergo conſideretur iſte defectus hoc modo per originem in iſtum hominem derivatus, ſecundum illud quod iſte homo eſt quædam perſona ſingularis, ſic hujuſmodi defectus non poteſt habere rationem culpæ, ad cujus rationem requiritur, quod ſit voluntaria : ſed ſi conſideretur iſte homo generatus ſicut quoddam membrum totius humanæ naturæ à primo parente propagatæ, ac ſi omnes homines eſſent unus homo, ſic habet rationem culpæ propter voluntarium ejus principium, quod eſt actuale peccatum primi parentis.* 44. Idem.

Quod etiam alio exemplo ſatis accommodato ita confirmat. *Sicut ſi dicamus, quòd motus manus ad homicidium perpetrandum, ſecundum quod manus per ſe conſideratur, non habet rationem culpæ : quia manus de neceſſitate movetur ab alio : ſi autem conſideretur ut eſt pars totius hominis, qui voluntate agit, ſic habet rationem culpæ, quia ſic eſt voluntarius. Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manus, ſed culpa totius hominis : ita hujuſmodi defectus non dicitur eſſe peccatum perſonale, ſed peccatum totius naturæ : nec ad perſonam pertinet, niſi in quantum natura inficit perſonam.* Idem.

Advertendum eſt tamen circa prædicta exempla, & præcipue circa ultimum non tenere in omnibus : ſed in hoc quòd ſicut illa percuſſio facta per manum eſt voluntaria, non per voluntatem exiſtentem in manu, ſed per voluntatem totius hominis, cujus manus eſt pars : ita peccatum originale à pueris contractum habet eſſe voluntarium, non per voluntatem phyſice in illis exiſtentem; ſed per voluntatem totius humanæ communitatis cujus illi ſunt partes : quæ quidem voluntas extitit in primo ſuppoſito naturæ, ſcilicet in Adamo. ¶ Unde non inde inferre licet alias paritates inter exemplum, & rem, de qua agitur : ut quia percuſſio non eſt voluntaria intrinſece, ſed extrinſece, neque eſt diſtinctum peccatum ab eo quod reſidet in voluntate : ita peccata puerorum non ſint intrinſece voluntaria, neque diſtincta numero à peccato exiſtente in Adamo. Hæc igitur inferre non licet, quia ex incapacitate manus provenit, quod in ea (ſicut neque in aliis membris externis) non ſit intrinſece voluntarium : cujus tantum ſunt capaces potentiæ immanentes, & ipſa anima in quantum ſpiritualis eſt. 45. Animadvert.

Et propter eandem rationem actiones prædictorum membrorum non efficiunt diſtinctum numero peccatum ab eo, quod eſt in voluntate : quia ad hanc diverſitatem ſaltem requiritur diſtinctio penes voluntarium intrinſecum. Anima autem rationalis, etiam dum

Digitized by Google

dum primo puer generatur, capax eſt voluntarij intrinſeci per modum termini, & conſequenter diſtincti numero peccati ab eo, quod fuit in Adamo: unde intrinſece debet illud in ſe ſuſcipere: quia voluntas totius unicuique parti tribuit plus, minúſve de ratione voluntarij, aut peccati, juxta quod eſt capax.

46. Ultima probatio. Tandem probatur ex eodem D. Thoma: quia ſicut peccatum, quod eſt per ſe primo perſonæ, & non naturæ, debet eſſe voluntarium voluntate perſonali, ita quod per ſe primo eſt peccatum naturæ, & non perſonæ, debet eſſe voluntarium non per voluntatem perſonæ, ſed per voluntatem naturæ: ſed peccatum originale eſt hujuſmodi, & ideo deſtruxit juſtitiam originalem, quæ fuit donum conceſſum in Adamo toti humanæ naturæ: ob idque ab Apoſtolo ad Epheſ. 2. peccatum naturæ vocatur, *eramus natura filij iræ*: ergo non debet alio modo eſſe voluntarium, quam per voluntatem naturæ, ſeu per voluntatem exiſtentem in primo ejus ſuppoſito, tanquam in capite totius naturæ. *Epheſ. 2.*

D. Thom. Adduxit vero Ang. Doctor hanc etiam rationem in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. ubi ita habet. *Oportet quod ſecundum hoc quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundum hoc ratio voluntarij in ipſo reperiatur: ſicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam, quod reſpicit perſonam: ita etiam eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ: unde ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur: ad culpam vero naturæ non requiritur, niſi voluntas in natura illa. Sic ergo dicendum eſt, quod defectus illius originalis juſtitiæ, quæ homini in ſua creatione collata eſt, ex voluntate hominis accidit: & ſicut illud naturæ donum fuit, & fuiſſet in totam naturam propagatum, homine in juſtitia perſiſtente: ita etiam & privatio illius boni in totam naturam perducitur, quaſi privatio, & vitium naturæ: ad idem enim genus privatio & habitus referuntur: & in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, quod per voluntatem principij naturæ, id eſt, primi hominis inductus eſt talis defectus.*

§. III.

Objectiones adverſus traditam veritatem.

47. Prima objectio. ADverſus ea quæ tradidimus militant nonnullæ objectiones, ex quarum ſolutione magis veritas declarabitur. Obiicies ergo primo, transfuſionem illam voluntatum, cui innititur prædictum voluntarium morale, eſto in ordine ad alia poſſet admitti, non tamen habere locum in ordine ad effectus adeo intimos, ſicut eſt peccatum. Præſertim cum ea tranfuſio non proprio actu, ſed ſola ſuperioris poteſtate fit: quia ratio peccati nequit inveniri abſque aliquo inordinato conſenſu illius, qui peccat: at in prædicto voluntario non adeſt talis inordinatus conſenſus ex parte illius, cujus voluntas transfunditur in aliam: ergo non ſufficit ut peccatum ita commiſſum imputetur ei, cujus voluntas dicitur transfundi. Neque exempla tutoris & patris ad id explicandum allata, favent prædictæ doctrinæ: quia neque voluntas patris vel tutoris ita continet voluntatem filiorum aut minorum, ut ſi pater vel tutor peccatum committat, filij aut minores illo maculentur. Imo etiamſi per proprium actum ſuum conſenſum quis alij committat, ut mandans committit mandatario, non ex eo quod iſte in exequutione mandati delinquat, imputabitur illi ad culpam, ſi in tradenda commiſſione culpa non fuit. Cum ergo transfuſio illa noſtrarum voluntatum in Adamum à ſolo Deo facta fuerit, abſque omni prorſus noſtræ voluntatis conſenſu, non apparet, qua ratione culpa noſtra poſſit eſſe, quam ille commiſit.

Confirmatur: quia transferre unius vel plurium voluntates in unam aliam, etiam quoad peccandi facultatem, ſine illorum conſenſu, neque conſervatio eis loco reclamandi, manifeſte cedit in eorum detrimentum, & perniciem: ſiquidem independenter à ſua voluntate exponuntur periculo peccati & damnationis: cum ergo Deus nihil in detrimentum ſuarum creaturarum operetur, non eſt dicendum fuiſſe ab illo pro hominibus de facto ita ſtatutum. Confirmatio.

Reſpondetur ad objectionem negando antecedens, loquendo de transfuſione voluntatum in unam aliquam quæ ſit voluntas primi ſuppoſiti naturæ, qualis fuit voluntas Adami: & de peccato quod ſit peccatum naturæ, ſicut eſt originale. Cum enim Deo, utpote omnium creatori pleniſſimum ſit dominium quarumlibet voluntatum, omnéſque earum motus & actus eminentiſſime contineat, non eſt cur ei repugnet aliquas inter ſe moraliter unire, & earum conſenſus in unam, quam voluerit, transferre in ordine ad effectus quantumcunque intimos: ſufficitque nullam in hoc adeſſe implicationem, ſicut re vera non adeſt, ut ſit Deo concedendum. 48. Solutio objectionis.

Diximus *loquendo de transfuſione à Deo facta*: quia apud homines fatemur, non adeſſe facultatem uniendi alienas voluntates in ordine ad effectus ita intimos, ſicut neceſſe eſt ad peccandum, ſed ſolum in ordine ad alios magis externos, qui humanæ poteſtati ſubduntur. Ratio vero eſt; quia peccatum non contingit niſi per averſionem à fine ultimo, vel immediate ſi ſit mortale, vel diſpoſitive ſi ſit veniale: unde ille dumtaxat poteſt unam voluntatem cum alia unire, taliter quod peccatum unjus alij imputetur, qui poteſt illas ad prædictum finem ordinare, & circa talem ordinationem quicquid voluerit diſponere: quod eſſe proprium ſolius Dei manifeſte conſtat. Animadverſio.

Diximus etiam *in unam aliquam quæ ſit voluntas primi ſuppoſiti naturæ*: quia licet prædicta voluntatum transfuſio potius ſit aliquid morale, quàm phyſicum, immediatéque ex libera Dei ordinatione dependeat; eſt tamen ſatis probabile requirere pro fundamento virtualem continentiam phyſicam illarum voluntatum, quæ transfunduntur in eo, in quem transfuſio fit. Unde nec Deus ſaltem ſecundum communem curſum operando poſſet omnes voluntates humanas in alium transfundere, quàm in Adamum omnium protoparentem, qui tanquam primum naturæ ſuppoſitum omnia alia phyſice virtualiter continebat. Et ratio eſt: quia prædicta transfuſio 49. Animadverſio alia.

Digitized by Google

eſt talis conditionis, ut ratione ejus verificetur, actum procedentem à voluntate unius perſonæ procedere quoque ab alia, atque adeo requirit, quòd una aliquo modo ſit alia: cúmque non ſit illa formaliter, oportet ut ſit ea virtualiter, eo quod virtualiter ipſam continet.

Additio ex Curiele. Addit Curiel in præſenti dub. 1. quia vel peccante illo homine, in quem aliorum voluntates transfuſæ ſunt, iſti dicentur peccare, quatenus ſunt in eo, vel quatenus ſunt in ſeipſis? Non primum, quia cum non contineantur in illo, ſed potius ſint ab eo ſeparati, non eſt quo pacto in ipſo eſſe dicantur. Neque ſecundum, quia in ſe ipſis nullum eſſe habent, ut ſuponimus: nulla igitur eſſet ratio, cur tale peccatum eis imputaretur. ¶ Alia & alia additio. Adde etiam, peccatum unius nulla alia via poſſe in alium tranſire, ita quod vere & intrinſece hujus peccatum ſit, niſi per generationem, qua communicata natura deſtituta gratia, communicatur culpa originalis in ea gratiæ deſtitutione conſiſtens: ſolus ergo ille, qui fuerit caput naturale, & poſterorum genitor, poterit in eos peccatum tranſmittere, atque adeo fieri caput eorum morale per prædictam continentiam voluntatum. ¶ Adde rurſus, peccatum, quod poteſt aliena voluntate committi, ſolum poſſe eſſe peccatum naturæ: perſonalia enim indiſpenſabiliter poſtulant procedere à voluntate propriæ perſonæ: at naturæ peccatum nequit aliter quam cum ipſa natura, atque adeo à generante illam traduci: ſolus ergo ille, qui fuerit caput naturale, & naturæ in aliis propagator, poterit per modum capitis moralis peccatum in eos tranſmittere. Videatur Curiel in præſenti dub. 2. & Greg. Mart. dub. 4.

50. Poſtrema animadverſio. Tandem diximus *de peccato quod ſit peccatum naturæ, ſicut eſt originale*, &c. quia hoc dumtaxat committi poteſt aliena voluntate, quæ ſit voluntas naturæ: alia vero cum perſonalia ſint, omnino poſtulant committi voluntate propria & perſonali. Hácque ratione in exemplis, quæ ad hoc declarandum adduci ſolent, nunquam invenietur, quòd una voluntas poſſit ita transfundi in aliam, ut peccatum iſtius illi imputetur, niſi ex parte voluntatis transfuſæ adfuerit proprius conſenſus inordinatus: in quo potius quàm in actu alterius peccatum ejus conſiſtet: quia cum omnia hujuſmodi peccata perſonalia ſint, nequeunt aliter quàm propria, & perſonali voluntate committi. ¶ Ex quibus liquet prædicta exempla non adduci ut omnino adæquata rei, de qua agimus, quia modus voluntarij in peccato originali repertus adeo eſt ſpecialis, & ſibi proprius, ut nuſquam alibi inveniatur: deſerviunt tamen ſimilia exempla ad aliquam ejus explicationem, & ut ſuppoſita fide de exiſtentia talis peccati, ſuadeant non eſſe impoſſibile, aut intelligibile.

51. Conſentiente Adamo in peccatum, omnes conſentimus. Ad aliud autem, quod tangitur in objectione, videlicet non poſſe reperiri peccatum ſine inordinato conſenſu illius, qui peccat, reſpondetur ita eſſe: ſed ſicut peccatum originale non committitur voluntate perſonali, & phyſice propria, ſed voluntate capitis, quæ moraliter cenſetur voluntas membrorum, ita non requirit conſenſum aliquem per propriam, & perſonalem voluntatem exhibitum, ſed ſufficit inordinatus conſenſus per voluntatem capitis, qualis fuit in Adamo, quando pro omnibus deliquit. Talis enim conſenſus eo ipſo quod fuit capitis, quodammodo fuit proprius uniuſcujuſque membri: & ita non defuit conſenſus poſterorum Adami, dum ipſe ut caput omnium prò omnibus conſenſit. Et idcirco dixit D. Thom. cit. quæſt. de mal. art. 1. ſolvens ſimile argumentum, quod erat decimum nonum, quod *peccatum primi hominis eſt quodammodo peccatum commune totius humanæ naturæ: & ideo cum aliquis punitur pro peccato primi parentis, non punitur pro peccato alterius, ſed pro peccato ſuo. Suum* & *non alterius* dixit, quia quod eſt à voluntate capitis; quæ moraliter eſt voluntas membrorum, moraliter cenſetur proprium uniuſcujuſque membri, & ab eo non alienum. D. Thom.

52. Solutio confirmationis. Ad confirmationem negandum eſt antecedens: potius enim Deus in illa voluntatum tranſfuſione, poſterorum Adami bono & commoditati valde providit: idque pro illis diſpoſuit, quod ipſi prudentiſſime eligerent, ſi adeſſent, & propria voluntate uterentur. Quis enim poſterorum Adami rogatus, *an vellet, ut originalem iuſtitiam nulli eorum debitam ipſe Adamus pro ſe, & pro tota poſteritate acciperet, exindéque ad omnes ſine ipſorum labore deſcenderet, ſub ea tantum conditione, ut facillimo præcepto obediret; ſecus illam pro ſe & pro cunctis amiſſurus*, non Dei ſtipulationem libenter acceptaret, ſuúmque conſenſum quoad id Adamo tribueret? Præſertim cum ex una parte credere debuiſſent, communem patrem naturali amore omnium filiorum ſaluti, ſicut unumquemque propriæ proſpecturum: ex alia vero animadverterent ablatas eſſe fere omnes peccandi cauſas, valdéque copioſa gratiæ auxilia pro vitando peccato fuiſſe illi conceſſa: inſupérque eum in amœniſſimo loco, feliciſſimo, & valde tranquillo ſtatu, ſumma rerum copia, cunctis illis juxta nutum fluentibus, eſſe conſtitutum, ut ita ab omni inopia & difficultate liber facillimo negotio impoſito ſibi præcepto ſatisfaceret. Si ergo hæc animadvertentes interrogati fuiſſent, an vellent manere ſine juſtitia originali, aut non niſi magno cum labore eam acquirere (ſicut contingeret caſu quo prædicto Dei pacto, & voluntatum ſuarum transfuſioni reſiſterent) an potiùs annuentes cum modico periculo juſtitiam non debitam amittendi, maximæ ſpei illam ſine ullo labore hæreditandi ſe exponere, quis dubitat omnes libentiſſime conſenſuros, aut ſaltem æquum & rationi valde conſentaneum eſſe eos conſentire? Valde enim rationi conſentaneum eſt, maximam ſpem tanti boni detrimento incerto & cum circunſtantiis jam dictis præferre. Id igitur quod Deus præſciebat poſteros Adami jure approbare debuiſſe, recte pro approbato habere potuit: & quod ratio exigebat ut eligerent, jure voluit pro eis ſtatuere: & ſicut illi conſenſum præbendo ut Adamus pro omnibus ſtipulationem admitteret, non inordinate agerent, ſed ſibi utiliter conſulerent: ita Deus præveniendo eorum conſenſus, & pro exectis habendo, paterne egit, eorumque bono, & utilitati amicabiliter providit.

Secundo

Digitized by Google

53. Secunda obiectio. Secundo obiicies, de ratione voluntarij eſſe, ut procedat ab intrinſeco, & à principio conjuncto, debétque hæc conditio convenire omni voluntario per ſe, ſive ſit voluntarium formaliter, ſive terminative, ut ſupra explicuimus: ſed peccatum originale in ſucceſſoribus Adami non eſt ab intrinſeco, neque ab aliquo principio eis conjuncto: igitur non eſt eis voluntarium. Minor probatur: quia principium prædicti peccati non eſt aliud, quam voluntas Adami, & primum ejus peccatum, ex quo originale noſtrum tanquam terminus emanavit: illa autem voluntas & peccatum omnino ſunt nobis extrinſeca: ergo, &c.

Confirmatio. Confirmatur: actus, quo Adamus peccavit, non fuit nobis voluntarius formaliter & in actu, ſed ad ſummum in potentia: ergo neque peccatum originale inde reſultans erit nobis actu voluntarium per modum termini. Conſequentia liquet: quia voluntarium terminative ſupponit voluntarium formale, à quo proceſſerit: nec ſufficit iſtud eſſe voluntarium uni, & illud eſſe voluntarium alteri; ſed utrumque debet eſſe tale reſpectu ejuſdem: aliàs non verificabitur de voluntario terminativo, quod ſit ab intrinſeco. Antecedens vero probatur: tum quia actus, quo Adamus peccavit: non fuit capitalis; ſed perſonalis, ob idque illa voluntas prius infecit perſonam ipſius Adami, quàm naturam: ut docet D. Thom. 3. p. quæſt. 8. art. 5. ad 1. & quæſt. 69. art. 3. ad 5. *D. Thom.* Cum tamen voluntas, quæ per modum capitis ſe habet; prius attingat naturam quàm perſonam. Tum etiam quia prædictum peccatum ſolum potuit eſſe nobis voluntarium eo modo, quo continebamur in Adamo: at non continebamur actu in illo, ſed ſolùm in potentia: igitur ſolùm in potentia potuit nobis eſſe voluntarium.

54. Aliquorum ſolutio. Ad objectionem occurrunt aliqui, conceſſa majori, negando minorem quia (inquiunt) voluntas Adami, ex qua peccatum originale procedit, non fuit voluntas ejus tantum, ſed etiam ſuorum poſterorum, eo quod erat voluntas capitis, ac proinde voluntas etiam membrorum: unde quod ex tali voluntate in nobis procedit, non eſt dicendum ab extrinſeco, ſed potius ab intrinſeco, quia unicuique eſt ab intrinſeco, quod procedit ab ejus voluntate, ſive perſonali, ſive capitali. ¶ Hanc tamen ſolutionem impugnat Curiel in præſenti dub. 2. intendens voluntatem Adami, etiam prout erat voluntas capitis, non poſſe dici intrinſecam ſuis poſteris, prout habent eſſe in ſe ipſis, quo pacto afficiuntur originali peccato: idque ad longum probat, affirmans, oppoſitum modum dicendi ex ignorantia procedere: nec tamen ipſe explicat, qua ratione prædictum peccatum ab intrinſeco ſit: arbitratur enim ad rationem voluntarij per modum termini id non requiri. *Impugnatur à Curiel.*

Defenditur per diſtinctionem. Sed ſi diſtinctione utamur, credimus prædictam ſolutionem eſſe ſuſtinendam: quia ſicut *voluntarium*, ita *intrinſecum* dicitur dupliciter, nimirum *phyſice & moraliter*. Intrinſecum phyſice eſt quicquid re ipſa inhæret ſubjecto denominato. Intrinſecum vero moraliter dicitur, quod juxta communem æſtimationem ita ſe habet, & idem præſtat ac ſi inhæreret. Hoc autem poſteriori modo voluntas Adami in quantum capitalis recte dici poteſt nobis intrinſeca, quatenus ſumus membra ejus, & partes humanæ naturæ, quia ita reputata eſt noſtra prædicta voluntas quoad munus conſervandi, vel amittendi originalem juſtitiam, ac ſi nobis inhæreret: ejuſque conſenſus, vel diſſenſus quoad prædictum munus ita pro conſenſu, vel diſſenſu noſtro habuit ſupponere, ac ſi à nobis eliceretur. Quocirca D. Thom. quæſt. 4. de mal. art. 1. ad 5. loquens de peccato originali in nobis exiſtente ait, quod licet relatum ad perſonam ſecundum perſonalia ipſius habeat rationem exiſtentis ab alio; *non autem ſi referatur ad naturam, ſic enim eſt quaſi à principio intrinſeco.* *D. Thom.* Impugnationes vero factæ à Curiel procedunt de intrinſeco phyſice, neque contra hujuſmodi intrinſecum morale vim habent. Sicut ergo ad peccatum originale in nobis relictum ſatis eſt voluntarium morale, ut explicuimus n. 41. ita ad hujuſmodi voluntarium ſufficit eſſe ab intrinſeco moraliter; vel (quod in idem redit) ſufficit quod procedat à voluntate Adami, quatenus reputata eſt noſtra, atque adeo nobis moraliter intrinſeca.

Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens: ille enim actus Adami moraliter fuit actus noſter utpote elicitus à voluntate, quæ reputabatur noſtra: atque adeo moraliter fuit nobis ab intrinſeco, & voluntarius per modum exercitij. Quare ad primam probationem dicendum eſt, prædictum actum utrumque habuiſſe, & perſonalem, & capitalem eſſe: & ſicut in quantum perſonalis infecit perſonam, ita in quantum capitalis naturam. Quia vero ratio perſonalis perprius fuit in illo, quia actiones per ſe primo ſunt ſuppoſitorum, prius infecit perſonam, & deinde naturam: quo contra ſe habet peccatum originale, quod quia non eſt actus, ſed prava naturæ diſpoſitio per modum habitus, prius inficit naturam, quàm perſonam: & hoc dumtaxat vult D. Thom. locis in confirmatione citatis. 55. Solutio confirmationis.

Ad ſecundam reſpondetur, peccatum Adami fuiſſe nobis voluntarium per modum actus, & non tantum in potentia, ſi hæc cadant ſupra ipſum voluntarium: ad hoc autem non fuit neceſſe, quod eſſemus tunc actu & formaliter in ipſo Adamo; ſed ſufficit quod fuerimus in eo virtualiter ratione continentiæ phyſicæ in ejus virtute generativa, & etiam moraliter ratione divini decreti conſtituentis illum caput noſtrum, & in ejus voluntate omnium noſtrorum voluntates ſtatuentis: hoc enim ſatis fuit, tum ut ipſe Adamus in illa operatione pro nobis ſupponeret, adeóque talis operatio eſſet per modum actus ſecundi voluntaria nobis, prout eramus in illo: tum etiam ut peccatum originale inde reſultans ſit nobis voluntarium per modum termini, ut ſumus in nobis.

Sed urgebis: quia ſi ſolùm peccavimus in Adamo, quatenus eramus in illo, non autem ut in nobis ipſis exiſtentes, quippe in nobis tunc nullo modo eramus, non debemus contrahere peccatum originale, quatenus in nobis ipſis, ſed præciſe ut fuimus in eo contenti: & conſequenter neque prædictum peccatum erit intrinſece phyſice in nobis, ſed ad 56. Replica.

ad ſummum moraliter: neque erit aliud numero ab illo, quod fuit intrinſecè in Adamo. Hoc autem manifeſte repugnat communi doctrinæ, & ei, quam tradit Concilium Trid. ſeſſ. 5. decreto de peccato orig. can. 2. ergo, &c. (*Conc. Trid. ſeſſ. 5.*) Sequela probatur: quia peccatum originale eo modo debet eſſe nobis voluntarium per modum termini, quo per modum actus fuit voluntarium peccatum actuale Adami à quo procedit: ergo ſi iſtud ſolùm fuit nobis voluntarium prout fuimus in ipſo Adamo, illud quoque erit nobis voluntarium eodem modo, atque adeo non ut ſumus in nobis.

Diluitur. Reſpondetur negando ſequelam: nos enim peccatum actuale Adami ſolùm potuimus cōmittere unà cum ipſo Adamo, ſicut eramus tunc quando commiſſum fuit, atque adeo ſecundum eſſe duntaxat, quod habuimus in illo: peccatum vero originale inde reſultans utroque modo debuimus contrahere, & ut eramus tunc, & ut ſumus modo quando per generationem ad nos deſcendit: cùmque modò ſimus extra Adam, & in rerum natura per nos ipſos, debemus prædictum peccatum in nobis contrahere. Et ſane hæc eſt natura voluntarij capitalis, ut quod per modum actus fuit in capite & membris ut habentibus eſſe in illo, deſcendat poſtmodum per modum termini ad eadem membra ut ſunt in ſe ipſis. Tum quia voluntarium capitale inficit totam naturam & communitatem in capite contentam; ibique contractum eſt debitum, ut cum ipſo natura tranſiret: unde ſicut natura ita infecta deſcendit poſtmodum ad membra in ſe ipſis, ita deſcendere debet prædicta infectio prædictúmque voluntarium. Tum etiam quia voluntarium capitale operatur in membris juxta eorum capacitatem & ſtatum; & ideo dum ſolùm habent eſſe in capite, in eo dumtaxat terminum ſuum producit: quando vero accipiunt eſſe in ſe ipſis, producit quoque in eis prædictum terminum. Neque id eſt intellectu difficile: præſertim quando terminus producendus, & multiplicandus eſt tantum privativus, ſicut eſt peccatum originale: quia tunc ſufficit auferri à capite perfectionem quā acceperat membris communicandam, ut eo ipſo quandocunque membra in eſſe ponantur, ſimili perfectione careant, inficiantúrque proinde in ſe ipſis ejus privatione.

57. Quod ergo in propoſita replica dicitur, *peccatum originale eo modo debere eſſe nobis voluntarium per modum termini, quo peccatum Adami voluntarium fuit per modum actus*, verum eſt ſi ly *eo modo* ſolùm dicat conditionem & modum tenentem ſe ex parte ipſius voluntarij, ut quod ſit capitale, vel perſonale: ſecus autem ſi ſupra ſubiectum *quod* utriuſque voluntarij appellet, ut ſic enim neganda eſt paritas: quia ſicut terminus alicujus actionis derivari ſolet in plura ſubjecta, in quæ non derivatur ipſa actio ſecundum ſe, præſertim cum formaliter eſt actio immanens, & virtualiter tranſiens, ſicut eſt peccatum actuale, ita voluntarium per modum termini extendi poteſt ad plura ſubjecta phyſice informanda, in quibus non ſit phyſice voluntarium per modum actus.

Tertia objectio. Tertio obiicitur: quia pueri contrahunt peccatum originale non tantum ut ſunt partes naturæ, & communitatis humanæ; verum etiam ut ſunt particulares perſonæ: ſed ut contrahant hoc ſecundo modo, non requiritur voluntarium perſonale: ergo neque ut contrahant primo requiritur voluntarium naturæ. Minor conſtat, & major ſuadetur. Tum quia pueri ante baptiſmum ſecundum utramque rationem habent eſſe Deo inviſi ejuſque inimici. Tum etiam quia per baptiſmum potius mundantur ut perſonæ particulares, quàm ut partes naturæ; imo ut partes naturæ non omnino mundantur, ſiquidem remanet in eis vis ad communicandum filiis peccatum originale ſimul cum natura: ergo, &c. ¶ Confirmatur: quia ſi prædictum peccatum eſſet voluntarium parvulis adhuc voluntate naturæ, poſſent vituperari, & increpari propter illud, condignitas enim vituperij, & increpationis conſequitur tanquam proprietas ad peccatum propter voluntarij rationem: atque parvulus non eſt dignus vituperio neque reprehenſione propter tale peccatum: quis enim increpavit pueris, quod ita naſcuntur, cum nullus eorum poſſit aliter naſci? nullo igitur modo eſt illis voluntarium. (*Confirmatio.*)

58. Enodatio objectionis. Ad objectionem reſpondetur ita eſſe, quòd pueri etiam ut perſonæ particulares peccatum originale contrahunt; non tamen per ſe primo, ſecundario, & ex conſequenti: contrahunt enim primario ut partes naturæ, ex inde vero infectio ſimul cum natura ad perſonas deſcendit: unde quia voluntarium ad peccatum requiſitum ſequitur conditionem ſubjecti quod inficit primario, non vero ejus quod inficitur ſecundario, ſatis eſt ad prædictum peccatum, etiam ut attingit perſonam, voluntarium naturæ, ſine quo tamen neque naturam neque perſonam prædicto modo attingeret.

Replica. Nec refert ſi urgeas, quod baptiſmus prius abluit perſonam à culpa originali, quàm naturam: ergo & ipſa culpa prius debet perſonam, quam naturam inficere. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam; imo potius vice verſa procedendum eſt. Culpa enim originalis aufert perfectionem quæ primario data eſt naturæ, ut cum natura ad perſonas deſcenderet: unde privatio talis perfectionis, quæ eſt ipſa culpa debet per eoſdem gradus, atque adeo à natura ad perſonas deſcendere. Cæterum juſtificatio facta in baptiſmo tribuit perfectionem, videlicet gratiam ſanctificantem pro hac dumtaxat numero perſona, atque adeo perſonam ipſam primario reſpicientem, naturam vero non, niſi ut eſt talis perſonæ, & quoniam gratia eodem ordine culpam aufert, prius mundat perſonam, quam naturam. (*Solvitur.*)

Confirmationis solutio. Ad confirmationem D. Thomas in præſenti art. ad 5. videtur concedere pueros poſſe increpari, & vituperari ob culpam originalem, ſi conſideretur quatenus ſunt partes naturæ dicúntque ordinem ad protoparentem ut ad principium, in quo omnes peccaverunt, quo pacto prædictum peccatum eſt illis voluntarium. Secus vero, ait, ſi conſideretur ut ſunt particulares perſonæ. Atque idem clarius docet quæſt. 4. de mal. art. 1. unde argumento 4. deſumpto ex Philoſopho, videlicet quod nulli defectui ex origine contracto debetur

betur increpatio & pœna, quæ tamen peccato debetur: ergo nullus talis defectus habet rationem peccati: reſpondet *dicendum quod ei, quod eſt per originem contractum, non debetur pœna & increpatio, ſi referatur ad perſonam, quia ſic non habet rationem voluntarij: ſed ſi referatur ad naturam, ſic habet rationem voluntarij, ut dictum eſt, & hoc modo debetur ei increpatio & pœna.*

D. Thom.

Additio ex Vaſq.

Addit autem Vaſquez, quod cum non quævis increpatio contra peccatum originale fieri poſſit, diſtinguendum eſt: quia vel increpatio conſiſtit in ſola pœna damni: & hac digni ſunt pueri propter prædictum voluntarium. Vel conſiſtit in pœna ſenſus, & afflictionis: & hoc genere increpationis digni non ſunt. Quare cum increpatio, quæ verbis fit, & habet rationem contumeliæ, potius ſit pœna ſenſus, locum contra pueros non habet. Hæc ille. ❡ Sed & nos addimus pœnam damni impropriiſſime appellari increpationem: unde ſi aliquo modo non omnino improprie pueri propter originale digni ſunt increpatione & opprobrio, ad pœnam ſenſus ſpectare debet. Nec verum eſt, hujuſmodi pœnam locum contra pueros non habere, quia licet hoc ita ſit loquendo de ſtatu futuræ vitæ (de quo dicemus infra) in hac tamen ſicut affliguntur morbis & aliis pœnalitatibus, quæ ad pœnam ſenſus pertinent, idque totum cadit ſub demerito prædicti peccati, poſſent etiam ſaltem quantũ eſt ex hoc capite verborũ cõtumeliis & increpationibus puniri. Sed alia ratione nullus hominum poſterorum Adami pueros propter originale peccatum increpabit, quia cum ſit omnibus commune, nemo aliis jure obiicere poteſt, quod ipſe eodem prorſus modo contraxit, ne ſibi dicatur, *hypocrita quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem in tuo non advertens?* Et hoc eſt, quod dicit D. Anſelmus lib. de conceptu virgin. 28. *Non juſte redarguit homo hominem cũ culpa naſci, ſine qua ipſe non extitit, & de qua non niſi per alium ſanatur.* At ab Angelis, qui ab originali prorſus alieni ſunt, poſſet totum genus humanum, & unuſquiſque noſtrum exprobrari propter illud, non ut perſonæ particulares, ſed ut partes naturæ unitæ & copulatæ in voluntate primi parentis, ut D. Thom. dixit.

Alia additio

Alia ratio ad intentum.

D. Anſel.

Vltima objectio.

Denique obiicies: quia non apparet, qua via peccatum originale modò in pueris reſultans, ex Adami voluntate, ejuſque influxu proveniat, aut quam cauſam effectivam habeat: & multo minus quomodo tale peccatum, quod, ut infra dicemus, privativum quid eſt, conſervet ordinem & reſpectum ad prædictam voluntatem, ſine quo reſpectu, juxta ſuperius dicta, nequit ejus voluntarium intelligi? Hujus tamen objectionis ſolutio pendet ex deciſione dubij ſequentis.

DUBIUM III.

An & quæ ſit cauſa efficiens phyſica peccati originalis.

60. Licet ſæpe dixerimus, peccatum noſtrum orignale ex primo Adami peccato procedere, atque adeo iſtud eſſe cauſam illius effectivam, placuit id cum pluribus Theologis ex profeſſo dubitare: tum ut modus prædictæ cauſalitatis innoteſcat: tum etiam ut difficultatibus inde emergentibus ſatisfiat. Et quia cauſa efficiens alia eſt moralis, & alia phyſica, alia principalis, & alia inſtrumentalis, de iſtis omnibus eſt aliquid examinandum: quod non totum in hoc dubio, ſed etiam ſequenti præſtabimus. Ne vero in æquivoco laboremus, ſciendum eſt, *cauſam moralem* in præſenti eam dumtaxat à nobis nuncupari, quæ non per ſe exequitur effectum, ſed moraliter ad illum concurrit: nempe quia merito, vel demerito, precibus, conſilio, præcepto, aut quovis alio excitandi, & perſuadendi modo voluntatem alienam inducit ut effectum executioni mandet. Nomine vero *cauſæ phyſicæ* intelligimus omnem aliam, quæ ex vi ſua, ſeu ex vi influxus ab ea præſtitit, atque adeo non mediante aliena voluntate effectum infert. Nec refert an talis influxus ſit vera & rigoroſa actio de prædicamento actionis vel qualitatis proindeque vera & rigoroſa cauſalitas: aut ſit tantũ emanatio & reſultantia, quæ non differt re ipſa ab effectu, ut connotat terminum primarium, ex quo reſultat: & propterea ſolum dicitur cauſalitas ſecundum quid. Neque etiam refert an ipſe effectus ſecundum ſe ſpectet ad ordinem phyſicum, vel moralem, poſitivum, vel privativum. Dum enim modo explicato (hoc eſt) ex vi influxus præſtiti à tali cauſa, & non mediate aliena voluntate effectus in rerum natura ponatur, numeranda eſt ejus cauſalitas inter phyſicas, & non inter morales: quia iſte modus cauſandi proprius eſt cauſæ phyſicæ.

Cauſa efficiens quotuplex, & de qua in præſenti ſermo.

Deinde nota diviſionem cauſæ in principalem, & inſtrumentalem propriam eſſe ſolius cauſæ phyſicæ: quia moralis raro vel nunquam admittit eam partitionem. Ex quibus cauſa principalis dicitur, quæ ratione ſui effectum continet: inſtrumentalis vero, quæ virtute aliena eum producit. ❡ Tandem nota, in peccato originali poſſe conſiderari aliquid per ſe, ſcilicet ipſam malitiam, & inordinationem, quæ Deo repugnat, redditque animam illi exoſam & inimicam: & aliquid concomitanter, pœnam videlicet & miſerias, quas Deus pro tali peccato infligit.

§. I.

D. Thomæ ſententia, & prima ejus ratio.

Dicendum itaque eſt peccatum originale ſecundum rationem culpæ habere cauſam efficientem phyſicam ſaltem eo modo, quo privationes illam habent: eſſéque hujuſmodi cauſam principalem, & præcipuam primum Adami peccatum, in quantum fuit peccatum capitis, ſeu ipſum Adamum in quantum per modum capitis naturæ humanæ peccato illo deliquit. Hæc concluſio, quatenus in ea aſſeritur, prædictum Adami peccatum eſſe cauſam effectivam & præcipuam noſtri originalis, à nemine Catholicorum, quem viderimus, negatur, nec poſſet ſine errore negari. Sed etiam quantum ad id quod 61.

aſſeritur de cauſalitate phyſica, eſt communior inter Theologos, illamque tuentur D. Bonaventura in 2.diſt.31.art.1. quæſt.1. Driedo de capt. tract. 2. cap. 2. parte 4. Alvarez lib. 6. de auxil. diſp. 44. num. 18. & in præſenti diſp. 171. Greg. Mart.dub. 4. concluſ. 3. Montel. infra quæſt. 83. diſp. 3. num.33. Debéntque hoc idem tueri quotquot aſſerunt, ſemen ab Adamo deciſum effective inſtrumentaliter attingere traductionem peccati originalis, quod infrà referemus: imo Curielem, Zumel, & alios ex iis, qui pro contraria ſententia adduci ſolent, credimus in re ab hac non diſſentire, quia nomine *cauſalitatis moralis*, quo ipſi utuntur, non intelligunt cauſalitatem per modum demeriti, conſilij, ſuaſionis, &c. quam dumtaxat nos in præſenti *moralem* vocamus, ſed reſultantiam & emanationem ex natura rei, independentemque ab aliena voluntate: quam nos ad phyſicam reducimus; illi vero quia non eſt proprie actio, *moralem* appellant.

D. Bonau. Driedo. Alvar. Greg. Mart. Monteſ.

Sed quidquid ſit de hoc, ſententia noſtra eſt D. Thomæ infra quæſt. 83. art. 1. in corp. ubi ſic ait. *Aliquid poteſt eſſe in aliquo dupliciter: uno modo ſicut in cauſa vel principali, vel inſtrumentali: alio modo ſicut in ſubjecto. Peccatum ergo originale omnium hominum, fuit quidem in ipſo Adam ſicut in prima cauſa principali ſecundum illud ad Roma. 5. in quo omnes peccaverunt. In ſemine autem corporali eſt peccatum originale ſicut in cauſa inſtrumentali: eò quod per virtutem activam ſeminis traducitur in prolem ſimul cum natura humana.* Et in ſolut. ad 2. *Peccatum originale cauſatur ex ſemine ſicut ex cauſa inſtrumentali: non autem oportet, quod aliquid ſit principalius in cauſa inſtrumentali, quam in effectus, ſed ſolum in cauſa principali: & hoc modo peccatum originale potiori modo fuit in Adam, in quo fuit ſecundum rationē actualis peccati.* Et ad 4. *Infectio originalis peccati nullo modo cauſatur à Deo, ſed ex ſolo peccato primi parentis per carnalem generationem, &c.*

D. Thom.

Ubi D. Thom. manifeſte loquitur de cauſa principali phyſica: quoniam loquitur de illa ſecundum quod per inſtrumentum ſeminis, & generationis carnalis ad peccatum originale concurrit: cauſa autem, quæ per inſtrumentum phyſicum concurrit, in quantum ita concurrit, non eſt moralis ſed phyſica: nam cauſa moralis non influit immediate per inſtrumentum, ſed media voluntate aliena ut cauſa principali. Idémque confirmat S. Doctor exemplo, quo utitur in corpore ejuſdem articuli his verbis. *Hoc modo ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in poſteros per quandam generationem motionem: ſicut à voluntate alicujus hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes ejus*, &c. Atqui cauſalitas voluntatis in derivando peccatum actuale ad alias partes hominis, ut ad appetitum, intellectum, &c. non eſt moralis ſed phyſica ex vi proprij & realis influxus: ergo ſimiliter debet eſſe phyſica cauſalitas Adami in traducendo ad poſteros originale peccatum.

Ibidem.

62. Prima ratio aſſertionis.

Ratione vero ſic ſuadetur. Quoniam peccatum originale eſt aliquis effectus (ſaltem eo modo quo privationes effici dicuntur) poſitus à parte rei in unoquoque poſterorum Adami: igitur debet dari aliqua cauſa quaſi primaria, ex cujus influxu illud qualecumque *eſſe*, quod habet, in rerum natura effective ponatur: atque adeo quæ per modum cauſæ phyſicæ propria virtute ipſum attingat: ſed nulla alia poteſt aſſignari, niſi Adamus per ſuum primum peccatum: ergo, &c. Antecedens eſt per ſe notum: peccatum enim originale non eſt aliquid increatum, neque habens eſſe à ſe adhuc in ratione defectus; ſed ut ipſum nomen oſtendit, originatum & cauſatum ab aliquo. Ex quo etiam prima conſequentia liquet: quia neque ratio effectus, neque ratio originis poteſt intelligi ſine reſpectu ad cauſam, non tantum materialem aut formalem, ſed etiam effectivam, à qua (ut dicitur in ejus diffinitione) incipiat motus & influxus, per quem talis effectus in rerum natura collocatur. Quòd ſi talis cauſa non propria virtute, ſed ut mota ab alia, & per modum inſtrumenti operetur, recurrendum erit ad illam, ex qua ſit talis virtus, atque adeo quæ propria virtute, & per modum cauſæ principalis id præſtet. Et de hac (neque enim abeundum eſt in infinitum) procedit noſtrum argumentum. Minor autem conſtat: quia cum talis cauſa non ſit puer, inquem peccatum originale traducitur: neque proximi parentes, ut omnes Catholici ſupponunt, nulla alia poteſt aſſignari præter voluntatem Adami ratione illius actus, quo per modum capitis ex perſona omnium poſterorum primo deliquit.

Confirmatur: quia peccatum originale non utcumque eſt effectus, ſed per modum voluntarij per ſe & intrinſeci, licet *terminativi*, ut dubio præcedenti vidimus: ſed de ratione voluntarij terminativi eſt, ut procedat à voluntate tãquam à cauſa phyſica medio aliquo actu ejus phyſico, qui ſit voluntarius formaliter: alias non conveniret illi diffinitio, ſcilicet *quod eſt ab intrinſeco cum cognitione*: igitur aſſignanda eſt voluntas, à qua prædictum peccatum modo dicto procedat: non eſt autem alia aſſignabilis niſi voluntas Adami per ſuum primum peccatum: ergo, &c. Confirmatio

Dices, ſufficere influxum moralem ad hoc, ut ex voluntate, & peccato Adami reſultet in ejus ſucceſſoribus originalis culpa: quia cùm hæc tantum ſit quædam carentia & privatio juſtitiæ originalis, per ſolam connotationem illius primi peccati auferentis à tota natura talem juſtitiam reſultat in unoquoque noſtrum, ſine influxu reali & phyſico. ¶ Eo præſertim quia cauſa, quæ jam non eſt ſicut peccatum illud Adami, nequit realiter & phyſice aliquem influxum præbere. ¶ Ad confirmationem vero dici poſſet, non omne voluntarium eſſe voluntarium phyſice, ſed aliqua tantum moraliter: inter quæ dubio præced. numeravimus ipſum peccatum originale: & etiam omiſſiones peccaminoſæ dicuntur *voluntariæ* non *phyſice* quaſi terminent realem voluntatis influxum, ſed *interpretativè* vel *moraliter*: quia voluntas potuit illas prohibere ponendo actus oppoſitos, & non prohibuit. 63. Evaſio ad rationem. Ad confirmationem.

Sed contra eſt; quia vel efficatia illius actus, quo Adamus peccavit, pertingit re ipſa ad hunc effectum, qui eſt peccatum originale, vel non? Si primum, nihil deeſt quominus ſit cauſa ejus phyſica: quia nomine *cauſæ phyſicæ* in præſēti non aliam intelligimus, niſi illam, Præcluditur.

illam, cujus influxus ſua efficacia ad effectum pertingit: ita quod ex vi talis influxus ſufficienter, & ſine alterius cauſæ principalis adminiculo, effectus in rerum natura collocetur. Si ſecundum, neceſſariò quærenda eſt alia cauſa efficiens, cujus efficacia modo dicto attingat talem effectum, illúmque extra ſe ponat. Cumque hoc poſterius dici nequeat: nulla quippe excogitabilis eſt talis cauſa; dicendum eſt primum.

64. Maior impugnatio. Deinde Adamus per ſuum primum peccatum aliquo modo influit effective in peccata originalia poſterorum ſecundùm rationem malitiæ, ut omnes Theologi fatentur: at non per modum cauſæ moralis: ergo per modum cauſæ phyſicæ. Minor probatur. Tùm quia cauſa moralis non præbet ex vi ſua ſufficientem influxum in effectum, quo illum executioni mandet, ſed tantum ad id movet & excitat alienam voluntatem: conſtat autem Adamum ad noſtrum peccatum ſecundum rationem malitiæ non hoc modo concurrere: quia nulla eſt alia voluntas, quam moveat & excitet ad ejus productionem. Tùm etiam quia cauſa moralis alicujus effectus ſemper debet habere comitem cauſam ejus phyſicam, nempe illam voluntatem, quam allicit, & movet, ut illum executioni mandet: ergo, quicquid ſit de cauſalitate morali Adami in noſtrum peccatum, debet neceſſario concedi aliqua cauſa phyſica, quæ ad illud ſecundum rationem malitiæ executivè concurrat: hujuſmodi vero cauſa non eſt alia excogitabilis præter ipſam Adami voluntatem per ſuum primum peccatum, ut intuenti patebit: ergo, &c.

Impugnantur alia contenta in evaſione. Nec refert quòd peccatum originale ſit tantùm privatio: quia privationes ſicut aliquo modo habent eſſe in rerum natura, ubi antea non erant, ita eo modo quo ſunt, poſtulant fieri phyſicè & executivè ab aliqua cauſa, ex cujus influxu ſuum qualequale *eſſe*; vel potius *non eſſe* ad extra conſurgat: ut videre eſt in privationibus naturalibus: ſicut eſt privatio frigiditatis in aqua, viſus in animali, & ſimiles, quæ licèt ſint carentiæ, ſuo tamen modo fieri dicuntur ab eodem efficiente, à quo producuntur formæ incompoſſibiles cum illis, quarum ſunt carentiæ: privatio enim frigiditatis vere fit à producente calorem, & privatio viſus à ponente obicem deſtructivum viſus. Neque hujuſmodi cauſalitates aliquis *morales* appellavit, aut ad lineam cauſalitatis phyſicæ non reduxit. Quamvis quia non eſt ibi vera & rigoroſa actio immediatè terminata ad privationem, ſed reſultantia ex vi actionis præcedentis, non vocentur abſolute & ſimpliciter *cauſalitates*, ſed ſecundum quid, & diminutè.

65. Neque verum eſt, peccatum Adami fuiſſe dumtaxat connotatum in ordine ad auferendam juſtitiam originalem à tota natura ponendamque privationem in ſuis poſteris, ut dicitur in prædicta evaſione: quia nudum connotatum niſi ſimul habeat rationem cauſæ, non ſufficit ad effectum ſive poſitivum, ſive privativum de novo ponendum, neque poteſt eſſe tota ratio hujus poſitionis, ſed conditio dumtaxat illius, quod eſt vera ratio & cauſa talis poſitionis: impoſſibile quippe eſt, ut intelligamus aliquid quod non eſt à ſe, poni de novo in rerum natura; & quod non intelligamus cauſam, in cujus influxum reducatur. Et multo minus ſufficit, aliquid eſſe connotatum, ut dicamus effectum inde procedere: ob idque plura connotant prædictum Adami peccatum, ut ejus pœnitentia, ſatisfactio, redemptio, &c. quæ minime ex ipſo ortum ducunt, ſed potius illud deſtruunt. Cum ergo peccatum noſtrum originale juxta communem ſenſum ex Adami peccato procedat, & hoc fuerit tota ratio cur ad nos pervenerit, non eſt dicendum eſſe dumtaxat connotatum, ſed cauſam vere & realiter influentem. Quo pacto vero Adami peccatum, cùm modò non exiſtat phyſicè, poſſit phyſicè cauſare, inferius conſtabit.

Evaſio confirmationi adhibita etiam corruit. Tùm quia perſpicuum eſt ad rationem voluntarij non ſufficere cauſalitatem moralem: pœna enim cauſatur moraliter à voluntate, ſiquidem cauſatur ab ea demeritoriè per culpam, & non idcirco eſt voluntaria, imo contra voluntatem. Tùm etiam quia quod dubio præcedenti diximus eſſe aliqua voluntaria moraliter, & non phyſicè, non eſt intelligendum reſpectu voluntatis, à qua accipiunt voluntarij rationem, ſecundum ſe conſideratæ: ab hac enim omne voluntarium debet phyſicè procedere; ſed facta collatione ad perſonam, cui attribuuntur. Quatenus voluntas, à qua voluntarium procedit, aliquando exiſtit phyſicè in tali perſona, & tunc dicitur *voluntarium Phyſicum*: aliquando autem exiſtit in alio ſuppoſito, ſed quia hoc vices illius gerit, reputatur moraliter talis voluntas, ac ſi eſſet in illa perſona, cujus tale ſuppoſitum vices gerit; & moraliter voluntas ejus vocatur: & ex hoc ipſum voluntarium à tali voluntate phyſice procedens dicitur reſpectu prædictæ perſonæ *voluntarium morale*. Præcluditur evaſio ad confirmationem.

66. Ex quo fit, quòd licèt peccatum originale non dicatur voluntarium phyſicè reſpectu noſtri, ſed tantùm moraliter, quia non eſt à voluntate phyſicè nobis inhærente, ſed à voluntate Adami, quæ moraliter reputata eſt noſtra; reſpectu tamen ipſius Adami, & voluntatis ejus, prout erat voluntas capitis, non eſt dicendum voluntarium moraliter (niſi fortè quoad rationem intrinſeci) ſed phyſicè, quia phyſico modo, & per phyſicum influxum ab ea ortum ducit. ¶ Diximus *niſi fortè quoad rationem intrinſeci*, quia cum de ratione voluntarij ſit, & quòd procedat à voluntate, & quòd ſit ei intrinſecum, aliquando hoc poſterius non convenit phyſicè, ſed ſolùm moraliter, ſicut in caſu noſtro, ubi voluntas Adami moraliter tantùm eſt nobis, noſtróque originali peccato intrinſeca. Hoc tamen non tollit, quominus talis voluntas ſit cauſa phyſica prædicti voluntarij, quia ratio cauſæ phyſicæ non attenditur penes intrinſecum, vel extrinſecum reſpectu effectus, ſed penes modum procedendi ab illa, nimirum executive, & ex natura rei & non mediante aliena voluntate, ut ſupra animadvertimus.

Omiſſiones phyſicè ſunt à voluntate. Quod autem dicitur de omiſſionibus, potius eſt pro nobis: omiſſiones enim phyſicè, & executivè, ac per realem influxum procedunt à voluntate; quamvis non immediatè, & directè illum terminent; ſed indirectè, & mediante

Digitized by Google

mediante actu incompoſſibili cum actu omiſſo. Unde quicquid ibi eſt cauſalitatis, & emanationis ad genus cauſæ phyſicæ ſpectat. Neque tales omiſſiones conſueverunt dici *voluntariæ moraliter*; ſolent tamen appellari *voluntariæ interpretativè*: non quia ratio voluntarij indirecti in eis reperta morali modo fiat, aut interpretativa ſit; ſed quia communiter explicatur per actum poſitivum, quo quis vult omittere: qui ſanè actus quia ſæpe non datur, interpretamur illum, philoſophamurque eodem modo, ac ſi formaliter daretur: quia res ita ſe habent, ac ſe haberent, ſi daretur: & ſuper hujuſmodi actum, quem interpretamur, non vero ſupra ipſam omiſſionem, aut ejus voluntarium cadit immediatè denominatio *interpretativi*.

§. II.

Ratio alia pro aſſertione.

67. Secunda aſſertionis ratio.

Secundò probatur concluſio ratione deſumpta ex D. Thoma locis ſupra citatis. Quoniam ita ſe habuit peccatum actuale Adami, quatenus fuit peccatum capitis, reſpectu noſtri originalis, ſicut idem peccatum, ut fuit perſonale proprium, reſpectu peccati habitualis relicti in ipſo Adamo, & ſicut peccatum noſtrum actuale reſpectu habitualis, quod in nobis relinquit: ſed peccatum illud ut perſonale fuit cauſa efficiens phyſica peccati habitualis Adami, & noſtrum peccatum actuale phyſicè etiam cauſat habituale in nobis: ergo prædictum peccatum ut capitale fuit ſimiliter cauſa efficiens phyſica peccati originalis ad nos tranſmiſſi. Major conſtat à paritate rationis: ſicut enim eadem eſt comparatio voluntatis capitalis ad membra, ac perſonalis ad perſonam, ita eodem modo ſe habere debet peccatum actuale ut capitale, ſeu ut commiſſum prædicta voluntate capitali ad peccata habitualia membrorum, quæ ſunt noſtra originalia, ſicut habuit ſe idem peccatum actuale, ut fuit perſonale, commiſſúmque prædicta voluntate ut Adami propria ad peccatum habituale perſonale, & proprium ipſius Adami: & ſicut peccatum actuale perſonale uniuſcujuſque ad peccatum ejuſdem habituale perſonale. Minor vero probatur: quia prædictum peccatum Adami ut perſonale phyſicè expulit ab eo originalem juſtitiam, phyſicéque cauſavit in illo talis juſtitiæ privationem, in qua privatione peccatum ejus habituale conſiſtebat: ſicut etiam peccatum noſtrum actuale phyſicè cauſat in nobis peccatum habituale, quia phyſicè expellit gratiam, in cujus privatione conſiſtit.

68. Confirmatio.

Confirmatur: nam qui phyſicè cauſat formam, vel actum expulſivum alterius formæ debitæ, phyſicè etiam cauſat privationem formæ expulſæ: ſicut qui phyſicè cauſat calorem expellentem frigiditatem debitam aquæ, phyſicè etiam cauſat privationem ipſius frigiditatis: & qui phyſicè ponit obicem deſtructivum viſus debiti animali, phyſicè cauſat cæcitatem, quæ eſt privatio viſus: & univerſaliter loquendo non eſt alius modus cauſandi phyſicè aliquam privationem (ſaltem per modum cauſæ principalis) niſi quia phyſicè cauſatur ob expellens formam debitam, & media hac expulſione privationem inducens: ſed Adamus quatenus per modum capitis deliquit, phyſicè cauſavit ſua voluntate formam expulſivam juſtitiæ originalis à ſe & à ſuis poſteris: igitur phyſicè cauſavit in ſe, & cauſat in illis privationem talis juſtitiæ, atque adeo peccatum originale. Minor ſuadetur. Tùm quia Adamus dum ſic deliquit, phyſicè cauſavit primum illud peccatum actuale: quod ſicut in quantum perſonale expulit juſtitiam originalem à propria perſona, ita in quantum capitale habet excludere, vel impedire illam, ut erat toti poſteritati debita, igitur cauſavit phyſicè formam ſeu obicem expellentem à tota ipſa poſteritate prædictam juſtitiam. Tùm etiam quia per illud peccatum effecta eſt in Adamo, & in tota natura humana quædam prava diſpoſitio, ſive corruptio virium ſenſitivarum, quæ dicitur *concupiſcentia*, per quam vires iſtæ immoderatè tendunt ad bona ſenſibilia: caróque adverſus ſpiritum rebellat: propterea enim hujuſmodi concupiſcentia in Scriptura non ſemel vocatur *peccatum*, quia ex peccato originali eſt & ad peccatum inclinat, ut declarat Concilium Trid ſeſſ. 5. decreto de peccato orig. Conc. Trid. Et etiam in ipſo corpore effecta eſt ex vi prædicti peccati quædam indiſpoſitio, ſive corruptio, ratione cujus non perfectè ſubditur animæ, neque ab ea continetur, ut non ad corruptionem & interitum tendat: ſed ad hanc pravam diſpoſitionem & corruptionem ex parte corporis & virium ſenſitivarum, ſequitur in anima privatio juſtitiæ originalis, ſicut ad contrariam rectitudinem, & diſpoſitionem optimam in primo ſtatu ſequeretur ipſa juſtitia: ergo, &c.

§. III.

Prior modus declarandi cauſalitatem peccati Adami in noſtra originalia.

Verùm quia efficacia hujus rationis omnino percipi non valebit, niſi oſtendatur via, per quam influxus phyſicus illius primi Adami peccati poſt tot millia annorum, tótque ſucceſſivas generationes ad puerum modo naſcentem & ejus animam perveniat: atque ita juſtitiam originalem phyſicè in ea impediat, vel excludat, operæpretium erit accuratius illam inveſtigare. Quocirca duplex ſe offert modus dicendi, alter communior, quem in hoc §. alter vero ſpecialior, quem in ſequenti proponemus. 69.

Ad primi ergo intelligentiam ſciendum eſt, quòd quia Adamo data fuit juſtitia originalis non pro ſe tantùm, ſed ſub eo pacto ut ſi in innocentia permaneret, in omnes poſteros, qui per ſeminalem propagationem ab eo deſcenderent, ſimul cum natura, & per ipſum generationis actum (modo inferius declarando) illam propageret, conſequenter ejus virtuti generativæ & ſemini ſuperadditus fuit vigor neceſſarius & ſufficiens ad ejuſmodi propagationem. Certum eſt enim potentiam generativam hominis, & ejus ſemen ſuæ relicta naturæ, omnique alio deſtituta ſolùm habere vim ad humanam naturam ſecundum ſe communicandam: atque adeo pro communicanda cum illa prædicta juſtitia, nova & Doctrina pro hoc modo dicendi.

peculia...

peculiaris virtus, novúſque & ſpecialis vigor neceſſariò fuere illis ſuperaddenda. Quæ eſt D. Thom. doctrina D. Thomæ quæſt. 4. de mal. art. 1. ad 9. & in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. ad 4. & diſt. 20. quæſt. 2. art. 3. ibidémque ad Annib. art. 4. & 4. contra gent. cap. 52. rat. 5. & 10. & opuſc. 2. cap. 157. Sicut ergo per primum Adami peccatum ablata fuit phyſice ab illo pro ſe & pro tota poſteritate ipſa originalis juſtitia, ſic à virtute ejus generativa & ſemine ablatus fuit vigor, quo pollebat. Vnde dixit D. Thom. loco cit. de mal quòd *ex peccato primi parentis deſtituta eſt caro ejus illa virtute, ut ex ea poſſet decidi ſemen, per quod originalis juſtitia in alios propagaretur. Et ſic in ſemine defectus hujus virtutis eſt defectus moralis corruptionis: & ex hoc etiam eſt ibi virtus ad ſimilem imperfectionem, ſicut eſt ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.*

70. Fuítque hæc privatio vigoris in ſemine, & virtute generativa effectus prædicti peccati phyſico modo eo proportionali quo ipſa privatio juſtitiæ originalis. Nam quia talis vigor conſequebatur ad ipſam juſtitiam ut communicandam, ad nihílque aliud ponebatur in ſemine, niſi ut propagationi illius deſerviret eo modo, & in eodem genere cauſæ, quo primum peccatum expulit ab Adamo prædictam juſtitiam, ejúſque communicationem abſtulit, debuit etiam expellere talem vigorem: fruſtra enim ſublata illa tam pro Adamo, quàm pro poſteris, iſte in Illatio. alicujus ſemine remaneret. ¶ Ex quo fit, quòd ſicut carentia juſtitiæ originalis in Adamo non fuit nuda carentia, uti eſſet in pura natura, ſed privativa & voluntaria, privativa quidem, quia erat carentia formæ debitæ; voluntaria vero, quia per actum voluntarium fuit inducta: ita carentia prædicti vigoris in ſemine utrumque illud habuit. Quia talis vigor & erat debitus ex vi pacti, ex quo debita erat communicatio prædictæ juſtitiæ, ad quam ordinabatur, & ex eodem actu voluntario ejus expulſio ortum duxit

Illatio alia. Fit etiam, quòd quemamodum in ſtatu innocentiæ eſſet conſideranda in illo ſemine duplex ratio, alia naturalis & quaſi propria ſecundum quam eſſet inſtrumentum generantis in ordine ad naturam ſecundum ſe communicandam: alia quaſi ſupernaturalis, ſeu divinitùs ſupperaddita, ſecundum quam ſe haberet tanquam inſtrumentum Dei in ordine ad propagandam cum natura originalem juſtitiam: ita poſt peccatum debemus etiam conſiderare in eodem ſemine duplicem rationem, nempe illam naturalem, ſecundum quam habeat eſſe inſtrumentum naturæ in ordine ad illam ſecundum ſe communicandam, hæc enim ratio, ſicut & cætera purè naturalia non ſunt amiſſa per peccatum. Aliam vero voluntariam & privativam ortam ex prædicto peccato Adami, ſecundum quam erat quaſi inſtrumentum ipſius peccati, vel Adami ut ſit peccantis in ordine ad communicandum defectum originalis juſtitiæ. Sicut igitur medio prædicto ſemine ſecundum ſuá poſitivam & naturalem rationem tanquam naturæ inſtrumento communicata fuit filiis Adami ejus natura; ita medio eodem ſemine ſecundum illum defectum ex peccato ortum tanquam inſtrumentum ipſius peccati communicatus eis fuit defectus voluntarius prædictæ juſtitiæ, in quo conſiſtit peccatum originale.

Videmus enim in cauſalitatibus hanc 71. Declaratur doctrina exemplis. ſervari conditionem, quòd defectus cujuſlibet principij redundat in effectum, & ſimilem defectum in eo inducit. Sicut potentia viſiva defectuoſa elicit defectuoſam viſionem: & ſemen deficiens ab illa virtute, quæ neceſſaria eſt ad productionem tibiæ rectè deambulantis, producit tibiam claudam, hoc eſt privatam ſanitate requiſita ad rectè deambulandum: iterúmque ab hac tibia clauda, ſeu privata ſanitate procedit motus cum claudicatione: & quod in omnibus iſtis effectibus perfectionis eſt, tribuitur perfectioni cauſæ: quicquid vero eſt carentiæ & imperfectionis, in ejus defectum reducitur. Cum ergo vis generativa & ſemen Adami quod eſt proximum generationis principium, ex ejus peccato contraxerit defectum voluntarium vigoris requiſiti ad communicãdam originalem juſtitiam, neceſſe eſt ut ex tali defectu emanet in prole defectus voluntarius ipſius juſtitiæ, atque adeò peccatum originale.

Quod etiam poteſt declarari: tùm ex eo, quod in primo hominis ſtatu contingeret; tunc enim eo ipſo quo ſemen polleret prædicto vigore à Deo conceſſo, effective tanquam inſtrumentum ipſius Dei (modo inferius declarando) juſtitiam originalem induceret: ergo quia de facto per peccatum voluntariè fuit privatum tali vigore, debuit ratione hujus privationis tanquam inſtrumentum ipſius peccati effective inducere privationem ipſius juſtitiæ. Tùm etiam nam ſi peccatum originale eſſet aliquid poſitivum, eo ipſo quod in ſemine daretur vis poſitiva ex peccato Adami deſcendens, effectivè in virtute talis peccati illud attingeret: ergo ſuppoſito quod ſit privativum (ut diſputatione 16. oſtendemus) eo ipſo quod in eodem ſemine detur privatio ſupradicti vigoris deſcendens ex prædicto peccato Adami, attinget illud effectivè; eo modo, quo privationes attingi & fieri dicuntur. Patet utrobique conſequentia: nam ubi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio vel privatio erit cauſa vel privationis vel negationis in eodem genere cauſæ: & ſicut ſe haberet ſemen vigens ad juſtitiæ introductionem, debet ſe habere ſemen vigore deſtitutum ad ejus defectum introducendum.

Eodem ergo & ſimili modo per genera- 72. tionem uniuſcujuſque ſucceſſorum Adami deſcendit prædictum peccatum à filiis ad nepotes & ab his ad pronepotes, & deinceps. Quia cum unuſquiſque à ſuo anteceſſore accipiat naturam medio ſemine prædicto vigore ex vi peccati Adami deſtituto, ac proinde voluntariè privatam originali juſtitia, tam ſecundum ea, quæ corpus, quàm ſecundum ea, quæ animam perficiebant, ipſe quoque pro generandis ſucceſſoribus efformat ſemen ſimili modo deſtitutum, communicativúmque naturæ cum eadem privatione. Neque enim deſtituta natura juſtitia originali quoad omnia prædicta poſſet efformare ſemen non deſtitutum ſupra dicto vigore: neque per ſemen ita deſtitutum aliter

commu

lem, & juſtitiam gratuitam ſeu gratiam, quæ eſt merendi principium: & hanc dicit infundi à ſolo Deo; illam vero propagari à generante, ſicut propagatur peccatum originale. Ibidémque ad Annibald. art. 4. cum poſuiſſet argumentum, quod Adamus peccando tranſmiſit peccatum in poſteros: ergo ſi non peccaret, tranſmiſiſſet gratiam, &c. reſpondet.

D. Thom. *Dicendum quod peccatum originale eſt peccatum naturæ principaliter, & perſonæ conſequenter; ſed donum gratiæ è converſo ſe habet, & ideo non eſt ſimile. Simile autem eſt de juſtitia originali, quæ naturam in ſtatu innocentiæ conſequebatur, per quam inferiora in ſtatu illo ſuis ſuperioribus obediebant: unde & juſtitia fuiſſet à parentibus in filios propagata, ſicut & nunc peccatum originale.*

Per quod patet ad ſecundum ex Gregorio Matt. quia ſive hujus, ſive prioris ſolutionis doctrinam teneamus, non habetur quod in ſtatu juſtitiæ originalis ineſſet ſemini virtus, quæ modò ineſt ſacramentis novæ legis: hæc enim attingunt effectivè gratiam ſanctificantem entitativè & ſecundum ſubſtantiam: quam tunc generans vel nullo modo attingeret, licèt attingeret alios effectus pertinentes ad juſtitiam originalem juxta ſecundam ſolutionem: vel ad ſummum juxta primam attingeret illam quantum ad unionem cum corpore, ſicut attingit animam; non vero entitativè, ſicut Sacramenta attingunt.

76. Occurritur interrogationi. Si autem interroges, utrùm in hac juſtitiæ originalis propagatione generans ſe habuiſſet unà cum ſemine vigoroſo per modum cauſæ inſtrumentalis; vel potius ut cauſa principalis utens ſemine tanquam inſtrumento ad illam propagationem? ¶ Reſpondetur ſi ſermo ſit de aliis genitoribus poſt Adamum, neutro modo debuiſſe concurrere, ſed habituros ſe ſolùm de materiali tanquam ſubjectum, vel cauſa illius virtutis ſeu actionis, quam Deus vel Adamus aſſumeret ut inſtrumentum ad prædictum effectum. Eo proportionali modo quo aqua calefacta ad calefaciendum vel urendum neque concurrit ut cauſa principalis, neque ut inſtrumentalis; ſed præcisè eſt ſubjectum caloris, qui ſe habet ut virtus, vel inſtrumentum ignis. Et ratio eſt, quia generans proximum in illo caſu non haberet majorem influxum in juſtitiam originalem neque magis per ſe concurreret, quàm modo ad originale peccatum: ad hoc autem non concurrit ut cauſa effectiva, neque principalis, neque inſtrumentalis, aliàs peccatum in ipſum refunderetur, ut à num. 19. dicebamus: ſed habet ſe dumtaxat de materiali, quatenus præcisè continet, vel miniſtrat ſemen, quod Adamus pro inſtrumento aſſumit ad illud efficiendum.

Si autem de Adamo loquamur, non eſt dicendum habiturum ſe præcisè ut ſubjectum, & de materiali; ſed aliquo modo per ſe ut cauſam effectivam: nam illa juſtitiæ originalis propagatio per ſe dependeret ab Adami voluntate ut in innocentia permanente, quam dependentiam non haberet reſpectu poſterorum; prædicta vero Adami cauſalitas non tam eſſet phyſica, quàm moralis: quatenus Deus non niſi dependenter ab ejus voluntate ut obſervante pactum, & conſervante innocentiam tribueret cuilibet ſemini mediatè, vel immediate ab eo deciſo prædictum vigorem. Atque adeo Deus eſſet cauſa principalis phyſica, & Adamus quaſi cauſa moralis, ſemen autem eſſet inſtrumentum elevatum phyſicè à Deo, & moraliter ab Adamo: eodémque proportionali modo propagatio juſtitiæ originalis Deo, & Adamo tribueretur; non autem cæteris genitoribus, niſi valde materialiter; ſicut dicitur de eis, quod traducunt peccatum.

Nec refert ſi urgeas, Adamum eodem modo transferre nunc in poſteros peccatum originale, atque tunc transferret juſtitiam: ergo ſi reſpectu iſtius ſolùm ſe haberet ut cauſa moralis, etiam reſpectu peccati debet hanc dumtaxat cauſalitatem exercere. Replica.

77. Diluitur. Reſpondetur enim negando antecedens. Nam ſicut homo in hoc ſtatu per actum meritorium non cauſat phyſice effective augmentum gratiæ, ſed ſolùm moraliter & meritorie, è contra vero cum peccat, phyſice per actum peccaminoſum expellit gratiam, & cauſat peccatum habituale: ita Adamus licèt reſpectu juſtitiæ originalis ſolum habuiſſet rationem cauſæ moralis, reſpectu ejus privationis, ſeu peccati originalis debet habere rationem cauſæ phyſicæ. Et ratio eſt ferè eadem utrobique: quia ad hoc ut peccatum actuale phyſicè cauſet habituale, vel originale, ſufficit oppoſitio, quam habet ex natura rei cum gratia, & cum prædicta juſtitia: nam eo ipſo ad præſentiam illius debent iſtæ phyſice expelli, in qua expulſione peccatum habituale, vel originale conſiſtit. Ad cauſandam vero phyſice gratiam, vel juſtitiam per modum cauſæ principalis neceſſaria erat virtus activa æqualis perfectionis naturaliter inſidens, & à propria natura dimanans, ut alibi oſtendemus, quæ neque Adamo reſpectu juſtitiæ originalis, neque alicui creaturæ reſpectu gratiæ poteſt competere.

Adde, quòd tam reſpectu gratiæ, quam reſpectu juſtitiæ originalis datur propria cauſa phyſica, nempe Deus, & ideo non eſt neceſſe hominem ſic concurrere: at reſpectu peccati nulla eſt alia cauſa phyſica principalis: & ita debet homo prædictam cauſalitatem exercere, ne detur effectus potius in rerum natura ſine ulla phyſica cauſalitate. ¶ Adde ſecundo, quod in propagatione juſtitiæ originalis ideo Adamus non ſe haberet ut cauſa principalis phyſica, quia non ipſe, ſed Deus immediatè elevaret inſtrumentum talis propagationis, nempe ſemen per prædictum vigorem; quòd ſi Adamus ad hanc elevationem phyſicè concurreret, nihil deficeret, quominus eſſet cauſa principalis phyſica in prædicta propagatione. Cum ergo in ordine ad traductionem peccati ipſe dumtaxat, atque adeo per modum cauſæ principalis elevet inſtrumentum media infectione, quam communicat ſemini, ob nullam rationem poteſt non ſe habere in hujuſmodi traductione ut cauſa phyſica principalis.

Digitized by Google

continentiæ obeſt, ſemen eſſe quid phyſicum & materiale: ſicut neque id obeſt continentiæ naturæ; neque continentiæ juſtitiæ originalis obeſſet, quia licèt peccatum non poſſit eſſe in re ita materiali formaliter tanquam in ſubjecto, aut tanquam in cauſa effectiva principali, bene tamen virtualiter ſicut in (D. Thom.) cauſa inſtrumentali, ut explicat D. Thom. præſenti art. 1. ad 3. & in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. ad 4. ibi. *Dicendum quod licèt ſemen non habeat in ſe infectionem culpæ in actu; habet tamen in virtute, ſicut etiam patet, quòd ex ſemine leproſi generatur filius leproſus, quamvis in ipſo ſemine non ſit lepra in actu: eſt enim in ſemine virtus aliqua deficiens, per cujus defectum contingit defectus lepræ in prole. Similiter ex hoc ipſo quòd in ſemine eſt talis diſpoſitio, quæ privatur illa impaſſibilitate & ordinabilitate ad animam, quam in primo ſtatu corpus humanum habebat, ſequitur, quòd in prole, quæ eſt ſuſceptiva originalis peccati, efficitur originale peccatum in actu.*

Quare autem licèt peccatum prædicto modo contineatur in ſemine, non propriè ibi habeat rationem peccati, neque proinde denominet illud *peccaminoſum*, docet in ſimili S. Doctor diſt. 31. ſequenti quæſt. 1. art. 1. ad (Idem.) 4. ubi ſic ait. *Illa infectio, quæ eſt in ſemine ſic non habet rationem culpæ ante infuſionem animæ, ſicut nec pœnæ: oportet enim eſſe idem ſubjectum culpæ & pœnæ: & ideo ſicut in rebus irrationabilibus non propriè eſt pœna, quæ de ſe ordinem ad culpam habet, ita etiam nec in ſemine pœna poteſt eſſe* (atque adeo nec culpa) *ſed eſt defectus quidam in quantum ſimilitudo naturæ generantis in ſemine virtualiter manet per modum etiam quo lepra in ſemine leproſi non eſt ægritudo. Si tamen pœna eſſet, poſſet eſſe cauſa culpæ non in quantum hujuſmodi, ſed ſecundum quod ex culpa cauſatur: virtus enim cauſæ manet in effectu. Unde quia per peccatum primi hominis iſta infectio conſequuta eſt in tota natura humana, ideo ubi invenit ſubjectum ſuſceptivum culpæ, habet rationem culpæ in actu ſicut in puero jam nato: ubi vero hoc non invenit ſicut in ſemine, manet in tali infectione virtus culpæ, ut ſic cauſa culpæ eſſe poſſit.*

81. (Ad quartam.) Ad quartam probationem reſpondet Ang. Doctor cit. art. 2. ex diſt. 30. in ſolut. ad 5. his verbis. *Dicendum, quòd anima non inficitur per infectionem corporis tanquam* (D. Thom.) *corpore agente in animam, ſed per quandam collimitationem unius ad alterum: quia forma recipitur in materia ſecundum conditionem ipſius materiæ, cum omne, quod eſt in altero, ſit in eo per modum recipientis: & ideo ex hoc ipſo quòd corpus illa virtute privatur, qua perfectè erat ſubiicibile animæ, ſequitur etiam, quòd anima illa virtute careat, qua perfectè corpus ſubditum regat: & talis defectus originalis juſtitiæ culpa eſt naturæ, prout conſideratur conſequens ex voluntate alicujus habentis naturam, ex quo natura traducta eſt.* ¶ Conſonatque huic ſolutioni D. Thomæ alia, (D. Bonav.) quam tradit D. Bonaventura in 2. diſt. 31. art. 1. quæſt. 3. ubi rem ita declarat. *Prænotandum eſt, quòd tripliciter dicitur aliquid agere in alterum: uno modo per prædominantiam, ſicut contrarium agit in ſuum contrarium. Alio modo per influentiam, ſicut corpus ſuperius agit in hæc inferiora. Tertio modo per colligantiam, ſicut quando duo ita ſunt unita, quod unum trahit ad ſe alterum, & communicat alteri proprietates ſuas. Cum ergo dicimus carnem inficere animam, hoc intelligitur quantum ad tertium modum agendi propter colligantiam quã habet ad animam, propter quod dum deorſum tendit, eam ſecum trahit: ut enim dicit Gregorius, qui labenti innititur, neceſſe eſt ut cum labente labatur.*

Senſus autem doctrinæ, utriuſque ſancti Doctoris non eſt, quòd actio corporea nullo modo poſſit attingere animam rationalem: nam actio generativa ſicut attingit unionem illius cum corpore, attingit etiam ipſam animam formaliter in ratione partis & extremi unibilis. Vult ergo D. Thom. actionem ſeminis, quatenus traductiva eſt originalis culpæ, non attingere animam directè & immediatè tanquam terminum primarium, vel tanquam ſubjectum talis termini; ſed attingere immediate ſolam infectionem corporalem, quæ in carne præcedit: indéque nova actione reſultare in anima, eo ipſo quod corpori ita infecto uniatur, infectio ſpiritualis, quæ eſt privatio originalis juſtitiæ propter adæquationem, ſeu collimitationem, quæ debet eſſe animæ ad corpus. Itaque licèt demus, unionem inter illa eſſe tantum conditionem neceſſariam, ut reſultet in anima prædicta privatio, quia aliter non efficeretur pars humanæ naturæ deſcendentis ab Adamo, & conſequenter ſicut non eſſet illi debita juſtitia originalis (hæc enim ſoli prædictæ naturæ debetur) ita ejus carentia non haberet rationem privationis: at vero illa corporalis infectio præcedens unionem, per acceſſum ad quam anima maculatur, & incurrit talem privationem, non eſt conditio dumtaxat, ſed terminus ſuo modo in executione primarius actionis peccati traductivæ, ex quo effectivè reſultat in anima ipſa privatio tanquam terminus ſecundarius. Sicut ex diſpoſitionibus, quas generans introducit in materia per actionem generativam ſeu alterativam, reſultat effectivè in anima unio ejus ad corpus.

Unde non obeſt ſi urgeas. Tùm quòd anima in eodem inſtante, in quo creatur, 82. (Replica.) unitur corpori, at in inſtante creationis nequit inquinari peccato, aliàs iſtud refunderetur in Deum: ob hanc enim rationem Angelus in primo inſtante peccare non valuit, quia defectus incipiens cum *eſſe* rei reducitur in creatorem. ¶ Tùm etiam quòd in re ſpirituali, ut eſt anima rationalis, & Angelus, nullum agens extrinſecum præter Deum per modum cauſæ principalis poteſt aliquid efficere: quippe ad hoc neceſſarius eſt illapſus in talem rem, qui eſt ſolius Dei proprius, de quo latè diximus in tract. de Angel. diſp. 14. à numero 29. Ergo cum peccatum originale immediate afficiat animam, non poterit à generante extrinſeco effectivè attingi.

Reſpondetur enim ad primum ex D. Thoma (Diluitur.) in 2. diſt. 33. quæſt. 2 art. 1 ad 2. ubi ſic ait. (D. Thoma.) *Dicendum, quòd non eſt ſimile de anima & de Angelo: Angelus enim creatus eſt non ut forma alterius corporis: unde non poterat ex parte materiæ defectus incidere: ſed operabat, quod ſi in principio creationis peccati maculam habuiſſet,* quod

quod ex parte creantis eſſet: anima vero creatur ut actus cujuſdam corporis, ex cujus conjunctione poteſt aliquam maculam contrahere: nec ſequitur, quòd maculæ illius Deus principium ſit. Videatur etiam quæſt. 16. de mal. art. 4. ad 21. Adde, quòd reſpectu peccati originalis præcedit debitum ex parte pueri tale peccatum contrahentis, quod quidem debitum contraxit in Adamo: & quia Deus non tenetur remittere hoc debitum, non tenetur etiam prædictum peccatum impedire; neque ex eo quod non impediat, debet in eum reduci: ſecus vero in Angelis, in quibus nullum præceſſit tale debitum. Vide (ſi placet) quæ diximus in tract. de Angel. diſp. 11. num. 13. ubi hanc replicam diluimus.

83. Ad ſecundum reſpondetur, doctrinam illam procedere in cauſalitate directa, & reſpectu effectus poſitivi, quia hæc poſtulant illapſum agentis in animam; non autem reſpectu alicujus privationis, quæ induci poteſt per reſultantiam ex aliqua diſpoſitione; quam generans producit in carne. Certum eſt enim quod generans, etiam ſi ſit agens extrinſecum, attingit animam rationalem quantum ad unionem mediis diſpoſitionibus corporalibus. Unde ſi ex hac unione vel ſecundū ſe, vel ratione alicujus ex diſpoſitionibus ſequatur aliqua privatio in anima, ſicut contingit in præſenti, conſequenter poterit talem privationem attingere. Adde, ad inducendam in anima prædictam privationem duo tantùm requiri, nimirum quòd ille, à quo inducitur, ſua actione privaverit naturam humanam juſtitia originali: & rurſus quòd ſua etiam actione anima efficiatur actu pars talis naturæ, nam eo ipſo attinget, & inquinabit illam prædicta privatio. Conſtat autem utrumque hoc poſſe fieri ab Adamo ratione ſui peccati, & ratione ſeminis infecti. Quod quidem locum non habet reſpectu alterius agentis extrinſeci, ut intuenti patebit.

Ad ultimam probationem. Ad ultimam denique probationem conſtat eſt dictis: nam ſicut Adamus ſuo peccato cauſavit in proprio ſemine privationem voluntariam prædicti vigoris: ita media hac privatione cauſare potuit ſimilem privationem in ſemine filij, cui etiam talis vigor debetur; & media iſta aliam in ſemine nepotum, & ſic de reliquis. Sicut qui cauſaret in aliquo ſemine privationem virtutis neceſſariæ ad producendam tibiam ſanam, media illa privatione cauſaret in ipſa tibia privationem ſanitatis, & media iſta privationem rectitudinis in motu progreſſivo: & ſi alij effectus inde ſucceſſivè procederent cum debito alicujus perfectionis dependentis à prædicta rectitudine, tranſiret in eos ſimilis privatio ex vi ejuſdem cauſæ.

84. Replica. Sed urgebis, quòd licèt Adamus, durante juſtitia originali, per ſuum ſemen vigoroſum cauſaret illam in filiis; at non cauſaret in eorum ſemine ſimilem vigorem: non enim talis vigor, erat proprietas dimanans à juſtitia originali, ut ita fieret ex vi ejuſdem actionis; ſed accidens ab ea ſeparabile, unde poſſet in aliquo caſu inveniri ſine illa, ut infra admittemus: & ideo ubicumque inveniretur, à ſolo Deo cauſaretur: ergo neque amiſſa per peccatum juſtitia habuit cauſare in ſemine filiorum privationem talis vigoris. Patet conſequentia. Nam ſicut ubi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis; ita ubi affirmatio non eſt cauſa affirmationis, negatio non erit cauſa negationis; ſi ergo vigor in ſemine Adæ non fuiſſet cauſa vigoris in ſemine filiorum, negatio ſeu privatio illius non erit cauſa privationis iſtius. Enervatur.

Reſpondetur negando conſequentiam. Nam regula illa *ubi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio*, &c. communiter recipitur: alia vero nempe *ubi affirmatio non eſt cauſa affirmationis, negatio*, &c. ſæpiſſimè fallit. Homo enim expellit à ſe phyſicè gratiam per omiſſionem actus debiti: ac proinde negatio talis actus eſt cauſa efficiens phyſica negationis gratiæ; & tamen affirmatio non eſt cauſa affirmationis, quia per poſitionem talis actus non producitur phyſicè gratia.

85. Sed ad rem noſtram licèt prædictus vigor reſpectu juſtitiæ originalis ſumptæ ſecundum ſe, vel ut erat perfectio perſonalis, non eſſet proprietas adeo rigoroſè, ut nulla ratione poſſet ab ea ſeparari, & ideo poſſet in aliquo ſucceſſore Adami (quamvis non attenta ſuavi Dei providentia, ut dicemus num. 153.) ſine illa inveniri, habebat talem nexum ex natura rei cum prædicta juſtitia, ut erat perfectio naturæ cum ea propaganda. Quia talis vigor ad hoc dumtaxat erat inſtitutus, ut juſtitia illa per eum communicaretur. Hoc autem ſufficit, ut quicumque prædictam juſtitiam ſecundum hanc poſteriorem rationem phyſicè ab aliquo expulerit, expulerit etiam phyſice ab ejus ſemine, per quod communicanda erat, talem vigorem: cum iſte propter prædictum nexum ſine illius communicabilitate nequeat conſervari. Quia ergo Adamus per ſuum peccatum phyſicè excluſit à ſe juſtitiam originalem ſecundum utramque rationem, phyſicè etiam excluſit à proprio ſemine vigorem, quo erat communicanda filiis, propter prædictum nexum: & media hac proprij ſeminis privatione phyſicè cauſavit in filiis privationem ejuſdem juſtitiæ: quia ſemen privatum & infectum non potuit non infectam & privatam naturam illis communicare. Rurſúſque per hanc privationem juſtitiæ originalis in filiis cauſavit phyſicè in eorum ſemine propter eundem nexum aliam privationem vigoris, quo erat communicanda nepotibus: ſicque in perpetuum privatio vigoris in ſemine genitoris phyſicè infert privationem juſtitiæ originalis in genito, & hæc privationem vigoris in ejus ſemine, & iſta iterum privationem juſtitiæ originalis in ſucceſſore, & ſic de reliquis: ſine eo quòd pro omnibus hujuſmodi privationibus aliam cauſam principalem aſſignare oporteat præter peccatum Adami, ex quo prima privatio ſuum eſſe privativum, & voluntarij rationem immediate accepit: per eámque ad ſecundam privationem, & per hanc ad tertiam, & per iſtam ad quartam, & ita in reliquas pertranſivit.

§. VI.

§. VI.

In eundem dicendi modum tertia objectio.

86. *Tertia objectio principalis.* TErtiò in eumdem dicendi modum, & præcipue adverſus confirmationem noſtræ rationis factam num. 68. objicies: quia non apparet quæ ſit illa prava diſpoſitio ex parte corporis inducta per peccatum Adami: aut quo pacto phyſicè ex illa ſequatur in anima prolis privatio juſtitiæ originalis. Vel enim eſſet aliquid poſitivum? Et hoc non, quia in nobis ante rationis uſum nulla eſt forma poſitiva, quæ ſit incompoſſibilis cum gratia, vel juſtitia originali, uti deberet eſſe illa diſpoſitio, ut prædictam juſtitiam expellat: præterquam quod homo in natura lapſa antequam actualiter peccet, nihil poſitivum habet, quod non haberet in ſtatu naturæ puræ, in quo nulla ejus diſpoſitio per generationem accepta ſimilem privationem, aut aliam quamcunque peccaminoſam induceret. Vel eſſet aliquid privativum? Et neque hoc dici poteſt: quia eadem eſſet difficultas de hac privatione, & de obice, per quem cauſaretur, atque de privatione juſtitiæ originalis.

Adde, prædictam diſpoſitionem, quæcumque ſit, ſolùm diſpoſitive, quod eſt de genere cauſæ materialis, poſſe cauſare aliquid in anima: nam in genere cauſæ efficientis potius omnes diſpoſitiones corporis ſunt animæ effectus: ergò talis diſpoſitio nihil conducit ad præſens, ubi ſermo eſt tantùm de cauſalitate effectiva.

87. *Solutio.* Reſpondetur, diſpoſitionem illam pro materiali eſſe aliquid poſitivum, quia importat ipſam corporis humani compoſitionem ex contrariis, unde habet, ut in corruptionem tendat, & non plenè ſubdatur animæ in ordine ad *eſſe*; & etiam ipſas vires ſenſitivas ſecundùm ſe, & abſque rationis fræno, vel retinaculo præciſivè ſpectatas: pro formali vero dicit privationem illius perfectionis, quæ oriri deberet à juſtitia originali, per quam & corpus perfectè ſubderetur animæ quantum ad *eſſe*, & vires ſenſitivæ ad rationem quantùm ad *operari*. Ad hanc ergo diſpoſitionem ex parte corporis ut coaleſcentem tam ex illo materiali, quàm ex iſto formali ſequitur in anima privatio juſtitiæ originalis. Quia cum unuſquiſque recipiatur ad modum recipientis, & forma materiæ coaptetur, talis conſurgit in anima perfectio, vel imperfectio, qualis in materia præcedit diſpoſitio. Atque adeo in corpore pravè diſpoſito per corruptionem, & privationem illius perfectionis, quam juſtitia originalis communicat vel præexigit, nequit non ſequi anima pravè affecta per corruptionem, & privationem ipſius juſtitiæ. Quæ eſt doctrina D. *D. Thoma.* Thomæ ad Roman. 5. lect. 3. ubi ſic ait. *Licèt in ſemine non ſit anima, eſt tamen in ſemine virtus diſpoſitiva corpori ad animæ receptionem; quæ cùm corpori infunditur, etiam ei ſuo modo conformatur, eo quod omne receptum eſt in recipiente per modum recipientis: & exinde videmus, quod filii aſſimilantur parentibus non ſolùm in defectibus corporalibus, ſicut leproſus generat leproſum, & podagricus podagricum; ſed etiam in defectibus animæ, ſicut iracundus iracundum, & amentes ex amentibus naſcuntur: quamvis enim pes, qui eſt ſubjectum podagræ, non ſit in ſemine, nec anima, quæ eſt ſubjectum iræ, vel amentiæ; eſt tamen in ſemine virtus formativa corporalium membrorum: & diſpoſitiva ad animam.* Sanè ſi ad optimam corporis diſpoſitionem ex vigoroſo ſemine, qualem tribuebat, vel præexigebat juſtitia originalis, ſequeretur in anima optima perfectio, quæ eſſet ipſa originalis juſtitia; non eſt cur ad privationem, & defectum talis diſpoſitionis per infectum ſemen in corpore inductæ non ſequatur in anima privatio talis perfectionis: eamdem enim proportionem habet privatio corporis ad privationem animæ, quàm perfecta corporis diſpoſitio ad animæ perfectionem.

Quare ad utramque probationem pro prima parte dicas, convincere prædictum poſitivum non eſſe incompoſſibile cum juſtitia originali, neque inferre ejus privationem ſumptum præcisè ſecundum ſe, & omnino materialiter: quo pacto inveniretur in ſtatu naturæ puræ: ſecus autem ut ſubtet ſuum materiale modo explicatum. Et licèt in natura pura eſſet carentia ejuſdem perfectionis: quia tamen talis perfectio non erat debita, ſicut modo eſt, non haberet ejus carentia rationem privationis, quam modò habet, & ſecundum quam prædictum formale conſtituit; ſed negationis dumtaxat, quo pacto non ſpectat ad illud, ſed potius ad materiale. 88

Ad primam vero probationem pro ſecunda parte dicendum eſt, hoc privativum, quod eſt formale in prædicta diſpoſitione, ſufficienter cauſari ex privatione vigoris in ſemine generantis; neque in ipſo genito oportet illi aſſignari aliam cauſam.

Ad illud quod additur, reſpondetur, diſpoſitiones requiſitas ex parte corporis ad introductionem formæ ſubſtantialis duplices eſſe: alias concomitantes, quæ ſunt ſimul cum illa in inſtante generationis: & iſtæ ſolum ſe habent materialiter diſpoſitivè; hócque dumtaxat modo in introductione animæ rationalis concurrunt ad ejus unionem, & ad intromiſſionem peccati: de illiſque loquitur non ſemel D. Thom. cùm ait animum inquinari peccato originali propter infectionem, & pravam diſpoſitionem corporis, cui infunditur, ut videre eſt quæſt. 4. de mal. art. 2. ad 11. Aliæ autem ſunt proximè antecedentes inſtans generationis, quæ immediatè terminat actionem alternativam, ab eiſque tanquam à termino prius producto reſultat in prædicto inſtante ipſa forma, vel ſecundum ſubſtantiam ſi ſit materialis, vel quantum ad unionem ſi ſit ſpiritalis. Hujuſmodi ergo diſpoſitiones non ſunt ab anima in genere cauſæ efficientis, ſed potius è converſo. Unde in caſu noſtro ſicut effectivè concurrunt ad unionem illius cum corpore, concurrunt etiam in eodem genere ad privationem juſtitiæ originalis, quæ virtute earum ex prædicta unione reſultat.

Cui doctrinæ favet D. Thom. quæſt. 83. 89
ſequenti art. 3. ad 2. & in præſenti art. 4. ad 2. ubi ait, quòd caro non inficit animam, niſi in

Digitized by Google

quantum eſt principium activum in generatione. Ac ſi diceret non illam carnem vel diſpoſitionem, quæ eſt in corpore genito, & conſequitur ad rationem animæ, quaſi per eam facta vel conſtituta, in quaque ultimate ſiſtit generatio, inducere effective peccatum originale; ſed illam, quæ præcedit, & effective infert prædictam unionem, quæque unà cum ſemine generantis, & prout ſtat ſub ejus motione vel terminatione, habet eſſe generationis principium.

Brevis alia objectio. Per quod patet ſoluta alia objectio, quæ tangitur etiam à D. Thoma, cur nimirum ſi anima ex unione ad carnem inficitur, cum permaneat iſta unio etiam poſt juſtificationem, non permaneat infectio? Reſpondetur enim ex modo dictis, carnem, ex qua effective anima maculatur, non eſſe illam quæ manet in genito unita ipſi animæ, ſed quæ præcedit, cujus influxus in ipſo inſtante generationis finitur. Quod ſi ad carnem, quæ unita manet, argumentum extendas, quatenus ipſa diſpoſitivè concomitanter ſe habet ad animam, & num. præcedenti diximus hujuſmodi diſpoſitiones concomitantes etiam concurrere ad peccatum originale materialiter diſpoſitive.

Dicendum eſt cum Cajet in præſenti art. 4. prædictas diſpoſitiones non inficere adhuc diſpoſitivè, niſi ut ſtant ſub motione generativa, vel ſaltem ſub connotatione peccati Adami non retractati: quia ſic dumtaxat important ordinem ad ipſum Adamum ut moventem per generationem infectam, quo dumtaxat modo peccatum tranſfundit. Vnde quia talis motio & cõnotatio ſiſtit in inſtante generationis, vel ſaltem in duratione immediate antecedenti inſtans juſtificationis; ibi etiam ſiſtere debet prædicta cauſalitas. ¶ Adde, carnem ſolùm inficere animam, prout ſpecialiter pertinet ad naturam, quod habet, dum eſt ſub influxu generationis, aut ſaltem ſub prædicta connotatione: poſtmodum vero manet jam prædicta caro ut omnino determinata ad ſuam perſonam, & ſic non

Thom. inficit. Quod rectè explicuit D. Thom. quæſt. 4. de malo art. 1. ad 7. ubi ſic ait. *Peccatum originale per ſe loquendo eſt peccatum naturæ, non perſonæ; niſi ratione naturæ infectæ: actus autem generationis propriè deſervit naturæ, quia ordinatur ad conſervationem ſpeciei: ſed carnem jam eſſe animæ unitam pertinet ad conſtitutionem perſonæ: & ideo caro magis cauſat originale peccatum, prout conſideratur in via generationis, quàm prout eſt jam unita.* Non negat abſolutè D. Thomas, carnem etiam unitam poſſe cauſare originale peccatum in anima; ſed ait, magis hoc illi competere, prout conſideratur in via generationis. Quia prout ſic nequit non connotare peccatum Adami, ex vi cujus inficit, cum tamen poſtquam jam eſt unita, poſſit ſtatim prædictam connotationem amittere, & amittat de facto adveniente juſtificatione. Vide diſp. ſequenti dub. 1. à num. 20. ubi agitur de permanentia & extinctione debiti culpæ originalis.

§. VII.

Cauſalitas effectiva pecati Adami in originalia noſtra alia via explicatur.

Secundus modus explicandi prædictam efficientiam ſupponit aliqua animadverſione digna. Primum eſt, pecca- 90. Doctrina pro hoc modo dicendi.
tum Adami, ex quo commiſſum fuit ab illo ut gerenti munus capitis fuiſſe quoque peccatum omnium peccatorum, qui in illo tanquam in capite morali continebantur: ita quidem ut omnes illos æquè immediatè comprehenderit, nec reſpexerit nepotem Adami mediante filio, aut mediante nepote, & filio pronepotem, ſed unumquemque ita æqualiter & immediate, ac ſi vel ſolus ipſe in adamo contineretur, vel immediate & independenter ab altero eſſet ab illo proceſſurus, ſolaque voluntas Adami inter ipſum Adamum, ut unumquemque ex poſteris interiaceret. Deus enim conſtituens Adamum caput eorum morale, æquè immediatè voluntates omnium, atque adeo ſine dependentia unius ab alio, & ſine ordine ullo, quantum ad hoc, prioritatis, vel poſterioritatis, in eum tranſfudit: Aliter non ſolus Adamus rationem capitis haberet, ſed inter illum & nos alia intermedia capita jacuiſſent. Quare ordo qui in phyſica continentia ſervatur, juxta quam Adamus immediatè ſolùm continebat filios, & mediis filiis nepotes, mediiſque illis & iſtis pronepotes, & ſic reliquos, de materiali omnino ſe habuit ad continentiam moralem, ſecundum quam omnes & ſinguli æque immediate illi attinebant, erantque omnes velut filij, nemo nepos, pronepos, &c. Omnes ergo æquè immediatè in illo peccavimus, & ad omnes æque immediate peccatum pertinuit.

Deinde eſt ſupponendum, quodcunque peccatum mortale, dum non retracta- 91. Doctrina alia
tur, phyſicè expellere vel impedire gratiam à ſuppoſito, cujus eſt peccatum: quia ex natura rei, quandiu ita manet, eſt incompoſſibile cum illa in tali ſuppoſito, adeo ut neque de potentia abſoluta poſſint coexiſtere, & quæ hoc modo ſunt incompoſſibilia phyſicè ſe excludunt, quippe independenter ab actu libero alienæ voluntatis ex ipſis rerum naturis, earúmque effectibus formalibus talis excluſio ortum habet. Atque hinc etiam fit, ut ſicut tale peccatum dum actu committitur, gratiam præexiſtentem phyſicè expellit, aut non præexiſtentem impedit, introducitque de novo, ſi non inveniat ejus privationem: ita donec poſtmodum irretractatum manet, phyſicè conſervat talem privationem, & quaſi habitualiter eam cauſat: cauſarétque ſemper actualiter, quoties ſine illa prædictum ſuppoſitum inveniret. Quippe non minus repugnat poſtmodum poni, vel conſervari gratiam in tali ſuppoſito, niſi retractatio advenerit, quàm repugnabat, dum peccatum actu committeretur.

Poſſumúſque

Digitized by Google

Explicatur exemplo. Poſſumúſque id exemplo explicare. Nam ſi Deus Petrum v. g. manentem habitualiter in peccato, quod commiſerat, & non retractaverat, annihilaret, rurſúmque eundem numero Petrum ſine gratia reproduceret, proculdubio conſurgeret iterum in eo illa privatio gratiæ, & peccatum habituale, in quo fuit annihilatus: aliàs poſſet ſaltem hac via aliquis ſine gratia ab ſtatu peccati mortalis exire, cujus oppoſitum docent communiter diſcipuli D. Thomæ. Tunc ergo ſi quæramus, cujus cauſæ influxu prædicta privatio, ſeu peccatum habituale, quod durante annihilatione non fuit, poſt modum reviviſcat? Cum hujuſmodi cauſa Deus per ſuam reproductionem non fuerit, nulla alia poterit aſſignari, niſi peccatum actuale præteritum non retractatum. Atque adeo dicendum eſt, hujuſmodi peccatum ſic irretractatum apud Deum manens, ſemper habere vim non ſolùm conſervandi, ſed etiam cauſandi de novo prædictam privationem: cauſaturúmque de facto, ſi forte ſuppoſitum, à quo commiſſum fuit, de novo ad rerum naturam perveniret.

92. *Satisfit interrogationi.* Si vero poſtules, ubi maneat peccatum actuale, poſtquam actu tranſiit, ut poſſit eam cauſalitatem exercere? Reſpondetur manere in Dei appretiatione, ſeu abominatione offendens illum, & ſeparans à perſona offendente, prohibénſque ab elargitione gratiæ à quo quaſi loco nunquam recedit, uſque dum per pœnitentiam, vel gratiam, ſaltem virtualiter retractetur. Quandiu autem ibi manet, eandem oppoſitionem, & incompoſſibilitatem habet cum gratia collata ſuppoſito, à quo commiſſum fuit, ac cùm phyſicè erat in tali ſuppoſito, actuque ab illo committebatur: quia utrobique eorum ſimultas pugnat ex natura rei, ita ut neque Deus de potentia abſoluta efficere valeat, ut dum peccatum irretractatum manet, etiam ſi actu præterierit, prædictum ſuppoſitum ſit Deo acceptum per gratiam; aut ſi ei acceptum exiſtit, non jam illud formali vel virtuali retractatione à Dei abominatione deleverit.

Diximus *formali vel virtuali retractatione*, &c. quia dupliciter poteſt fieri hæc retractatio: vel formaliter, ut cum adeſt proprius actus peccatum deteſtans: vel virtualiter, ut cum ſine tali actu virtute alicujus ſacramenti infunduntur gratia & charitas, quibus anima & voluntas manent habitualiter converſæ in Deum ut in ultimum finem, à quo per peccatum fuerant averſæ. Utrovis autem modo fiat, delebitur omnino peccatum quantum ad culpam & offenſam: quia impoſſibile eſt, ut anima ſic converſa in Deum, per peccatum, in ejus abominatione permaneat: aliàs talis anima eſſet ſimul objectum amoris Dei ſimpliciter per gratiam, & ſimpliciter objectum ad rationem peccati.

Tacita objectio diluitur. Et licèt (ſit per hoc tacita objectio diluatur) etiam poſt retractationem in Dei abominatione permaneat, ſempérque Deus odio illud proſequatur, non tamen eſt jam ibi ut peccatum illius ſuppoſiti, à quo fuit commiſſum: quia ſicut per retractationem factum fuit ei involuntarium, ita fuit factum non ſuum: amiſitque, ut ſic loquamur, ſuitatem & attinentiam erga tale ſupoſitum, quam per ſolam voluntarij rationem retinebat: unde jam non habet majorem contradictionem cum gratia in eo ſuppoſito, quàm in alio.

Tertiò nota, quod & ſi Adamus primum illud peccatum à ſe commiſſum poſtea retractaverit; aliter tamen & aliter utrobique ſe geſſit. 93. *Alia doctrina.* Nam commiſit illud ut gerebat munus capitis, & ita ex perſona omnium poſtrorum: fuitque proinde peccatum unjuſcujuſque, non ſecus ac ſi cuncti unuſquiſque ſuo actu deliquiſſent, ut num. 90. dicebamus. In retractatione vero non jam geſſit munus capitis, quippe eam dignitatem peccando amiſit; ſed pœnituit dumtaxat ut perſona particularis, delevitque prædictum peccatum, ut præciſè erat culpa perſonalis ipſius. Quatenus vero ad poſteros attinebat, eratque peccatum ipſorum, irretractatum & indeletum permanſit: permanebitque donec ab unoquoque pro ſe propria voluntate, vel gratiæ infuſione formaliter, aut virtualiter retractetur. Et hoc explicuit D. Thom. ad Rom. 5. lect. 3. ubi ait, quod *quamvis peccatum Adæ deletum fuerit per ſuam pœnitentiam juxta illud Sapientiæ 10. eduxit illum à delicto ſuo? non tamen eius pœnitentia delere potuit peccatum poſterorum, quia eius pœnitentia fuit per actum perſonalem, qui ultra eius perſonam non ſe extendebat.* *D. Thom.*

Quare de prædicto peccato in ordine ad ſucceſſores Adami, antequam retractetur ab eis, eodem modo philoſophandum eſt quoad præſens atque in ordine ad ipſum Adamū, antequam ab illo retractaretur: & non ſecus ac de quolibet peccato perſonali reſpectu ſuppoſiti, à quo committitur, ante retractationem. Sicut ergo peccatum mortale, quod quis modò committit, quandiu non retractatur, manet ſemper in Dei abominatione, indéque à ſuppoſito, cujus peccatum eſt, expellit gratiam, & cauſat in eo vel conſervat ejus privationem, in qua conſiſtit peccatum habituale perſonale: ita prædictum Adami peccatum, quatenus fuit poſterorum, manſit etiam poſt illius pœnitentiam in Dei abominatione impediens omnes illos à receptione juſtitiæ originalis promiſſæ, atque adeo cauſans in unoquoque, eo ipſo quod in rerum natura ponatur, privationem talis juſtitiæ conſtitutivam originalis culpæ. Tandiuque ibi pro exercenda prædicta cauſalitate, efficiendaque in unoquoque vel conſervanda illa privatione permanebit, quouſque ab illo, quatenus ipſi attinet, vel per proprium actum, vel per infuſionem gratiæ retractetur.

Diximus *ex ipſo quod in rerum natura ponatur*, &c. quia aliàs propoſitio erit de ſubjecto non ſupponente. Quippe in ſuppoſito, quod nondum eſt, nequit cauſari de facto privatio; ſicut nec de facto aliqua forma ab eo excludi vel impediri. Quo circa licèt peccatum Adami, ex quo fuit capitale, ſemper habuerit vim impediendi quoad ſufficientiam omnibus ſuis poſteris originalem juſtitiam; non tamen poteſt dici impedire eam alicui de facto, & ſecundum efficaciam, donec ipſe in rerum natura ſit: quia hæc exiſtentia eſt neceſſaria conditio, ut vis illa impeditiva ad exercitium tranſeat.

Ex his apparet non difficilis via, ut intelligamus, qualiter peccatum Adami in 94.

Digitized by Google

unoquoque ex ſuis poſteris, dum primò concipitur, cauſet phyſicè privationem juſtitiæ originalis, atque adeo originalem culpam. Quia prædictum peccatum, quatenus attinet ad Adami poſteros, manſit in Dei abominatione irretractatum, tandiúque ita pro illis permanebit, quouſque ab unoquoque pro ſe media propria juſtificatione retractetur, quod ante inſtans generationis, aut in ipſomet (ſaltem de lege communi) fieri nequit: ſed dum ſic manet, phyſicè expellit ab eis, eo ipſo quòd ponantur in rerum natura, juſtitiam originalem: ergo ſaltem pro inſtante, in quo unuſquiſque concipitur, cauſat phyſicè in eo talis juſtitiæ privationem. Conſequentia ſequitur ex præmiſſis, quarum veritas habetur ex prænotatis.

Et confirmatur: quia peccatum Adami, quatenus ad hunc puerum attinuit, quandiu à puero ipſo non retractatur, ita ſe habet in ordine ad excludendam ab eo originalem juſtitiam, & taliter cum ea eſt incompoſſibile, ac ſi eſſet perſonale, ejuſdem pueri voluntate commiſſum: ſed in hoc caſu etiam ſi actu prætériiſſet, phyſicè expelleret prædictam juſtitiam, & phyſicè cauſaret, vel conſervaret ejus privationem: ſicut perſonale noſtrum, non modò quando actu eſt, phyſicè expellit gratiam, & ejus privationem inducit; ſed etiam cum prætericrit, dum non retractatur; phyſicè conſervat talem privationem: imo & de novo eam induceret, ſi abſque illa & ſine gratia ſuppoſitum inveniret, ut patet in caſu reproductionis poſito num. 91. ergo, &c.

§. VIII.

Objectio aliquibus fulcita adverſus hunc dicendi modum: & ejus enervatio.

95. Sed dices, neque in peccato capitali Adami reſpectu noſtri originalis, neque in perſonali præterito reſpectu habitualis probari ex dictis cauſalitatem phyſicam, ſed moralem dumtaxat: quia unumquodque cauſat, ſicut exiſtit: illa autem exiſtentia, quam peccatum præteritũ ſive capitale ſive perſonale habet in Dei appretiatione, & abominatione dũ non retractatur, ſolùm eſt moralis, & appretiativa: igitur nequit inde phyſicam cauſalitatem exercere. ¶ Ad hæc: peccatum Adami non habet excludere juſtitiam originalem ab hoc puero, niſi in quantum fuit peccatum ejuſdem pueri contenti in ipſo Adamo, ſeu quatenus ad illum attinuit: ſed non fuit peccatum talis pueri, neque attinuit ad eum phyſicè, ſed ſolùm moraliter: quia hoc dumtaxat modo voluntas Adami, & ejus actus poteſt dici voluntas, & actus poſterorum, ut dubio præced. num. 41. dicebamus: ergo eo dumtaxat modo, nempe moraliter habet excludere prædictam juſtitiam.

Confirmat. objectionis. Confirmatur: quia ita ſe habet peccatum actuale præteritum manens in Dei abominatione reſpectu expulſionis gratiæ, vel juſtitiæ originalis, ſicut merita præcedentia, quæ in ejus acceptatione perſeverant, habent ſe reſpectu infuſionis, vel augmenti gratiæ: ſed merita ſolùm exercent cauſalitatem moralem: ergo, &c. ¶ Eò præſertim quia ſicut merita cauſant alliciendo divinam voluntatem, ut gratiam communicet, ſic peccatum cauſat provocando eandem divinam voluntatem, ut gratiam auferat: ergo utrobique eſt ſola cauſalitas moralis. Neque videtur ſimile de peccato perſonali, dum actu committitur: quia tunc exiſtit phyſicè in eodem ſuppoſito, ubi reſultat habituale, unde non mirum ſi phyſicè in illum influat: peccatum verò Adami neque eſt, neque unquam fuit phyſicè in ſuis poſteris, ubi ponitur originale, neque etiam alibi habet jam exiſtentiam phyſicam: & ita non eſt quo pacto phyſicum influxum præſtet. Idémque dicendum erit de peccato perſonali præterito, quia neque iſtud habet jam alicubi phyſicam exiſtentiam.

Verum hæc non ſic urgent, ut propter illa prædictus modus dicendi ſit derelinquendus. Quare, negato objectionis antecedente, ad probationem dicendum eſt, exiſtentiam cauſæ non requiri ad cauſandum ut cauſalitatem, vel rationem agendi, ſed ut conditionem: non eſt autem neceſſarium, ut ſemper conditio & cauſalitas ad eundem ordinem pertineant: ut patet in Sacramentis, quæ phyſicè, & realiter cauſant gratiam; & tamen ſignificatio, quæ ad id eſt neceſſaria conditio, non eſt quid phyſicum, ſed morale, vel ens rationis. Et quamvis cauſalitas effectiva phyſica in ordine ad effectus poſitivos ſemper neceſſario fundetur in phyſica exiſtentia cauſæ; attamen in ordine ad privationes perſpicuum debet eſſe ſufficere aliquando exiſtentiam moralem. Et ratio eſt, quoniam ille modus exiſtentiæ ſufficit ad prædictam cauſalitatem, qui ſatis eſt, ut ex natura rei repugnet formam debitam alicui ſubjecto, poni in ipſo: quippe eo ipſo ſequitur in illo ex natura rei, neque adeo phyſicè privatio talis formæ: ad hoc autem ſatis eſt exiſtentia moralis, ut patet in caſu noſtro: exiſtente enim moraliter in Dei abominatione peccato alicujus non retractato, ex natura rei repugnat dari in eo gratiam, vel juſtitiam originalem. 96. Solutio.

Per quod patet ad illud, quod additur: nam quod peccatum ſit hujus ſuppoſiti; & illi attineat, etiam eſt conditio, ut cauſalitatem circa illud exerceat: & ideo non tollit quominus cauſalitas ſit phyſica, quamvis prædicta conditio ſit moralis.

Ad confirmationem negandum eſt antecedens. Tum quia merita non inferunt gratiam ex natura rei, ſed dumtaxat alliciendo divinam voluntatem, ut eam liberè communicet: & ideo poſſunt, & manent ſæpe in acceptione Dei ſine tali communicatione: peccatum autem quantumcunque præteritum, dum non retractatur, ex natura rei infert privationem gratiæ in ſuppoſito, cui attinet, ita ut implicet tale ſuppoſitum habere gratiam in ſenſu compoſito non retractationis. Unde licèt illa cauſalitas, quia non executione neque neceſſario, ſed mediante aliena voluntate libera effectum attingit, ſit moralis; hæc tamen propter oppoſitam rationem debet eſſe phyſica. Tum etiam quia idcirco merita non cauſant phyſicè gratiam, quia datur alia cauſa phyſica principalis, & adæquata, nempè divina voluntas, quæ phyſicè eam producit; cum ergo reſpectu peccati originalis ſecundum rationem malitiæ non ſit 97. Solutio confirmationis.

Digitized by Google

ſit excogitabilis alia cauſa phyſica principalis præter peccatum Adami non retractatum, hocque ſit totalis, & adæquata illius ratio, fatendum eſt, prædictam cauſalitatem phyſicam eſſe, & non tantùm moralem.

Diſparitas inter peccatum, & merita in ordine ad cauſandū.

Neque verum eſt quod additur in prædicta confirmatione, videlicet peccatum illud cauſare privationem gratiæ provocando divinam voluntatem ad ejus ablationem, ſicut merita cauſant gratiam ad ejus communicationem alliciendo: nam licèt hoc dici poſſet loquendo de prædicta privatione in quantum habet rationem pœnæ eo quòd pœna poteſt à Deo cauſari, ſecus tamen loquendo de illa ut habet rationem culpæ habitualis, ſicut nunc de ea loquimur. Nam ſicut quantum ad hanc rationem nequit ullo modo à Deo procedere, ita neque divina voluntas poteſt circa illam ut ſic quovis modo efficiendam ab aliquo provocari. Quare peccatum Adami manens in Dei abominatione, non mediante aliqua motione erga voluntatem divinam, ſed immediatè ratione ſui, & ratione incompoſſibilitatis, quam ex natura rei, & ex ipſis effectibus formalibus habet cum gratia, & cum juſtitia originali in quolibet ex ſuis poſteris; excludit illam, & cauſat immediate in eis privationem conſtitutivam originalis culpæ. Vnde etiam ſi fingeremus, prædictam juſtitiam, & gratiam neque in ſe, neque in collatione, neque in ablatione dependere à Deo; adhuc non poſſet intelligi peccatum quantumcumque præteritum manere irretractatum, & non expellere gratiam à ſuppoſito, cujus peccatum eſſet: aliàs tale ſuppoſitum eſſet ſimul offenſum & inviſum Deo per peccatum; & acceptum per gratiam. Cum ergo tunc non haberet locum cauſalitas moralis ſeu per provocationem voluntatis divinæ ad gratiæ ablationem, dicendum eſt adeſſe inter prædicta incompoſſibilitatem ex natura rei, & ratione hujus phyſicè ſe excludere.

98. Neque etiam eſt alicujus momenti, quod opponitur ab exemplo de peccato perſonali, dum actu committitur: quia quòd hujuſmodi peccatum phyſice tunc expellat gratiam, non oritur ſaltem per ſe primo ex identitate ſubjecti phyſici: imo non omnino habet idem ſubjectum; ſiquidem gratia eſt immediate in anima, & peccatum actuale in voluntate: neque etiam ex exiſtentia phyſica; ſed ex incompoſſibilite, quam habet tale peccatum appretiatum à Deo tanquam ipſius offenſa cum effectu formali gratiæ in ſuppoſito offendente. Vnde quia hæc ratio æquè vim habet, ſive peccatum actu phyſicè exiſtat, ſive ſolùm moraliter modo explicato, non eſt cur non teneat ſimilitudo inter exemplum, & rem, de qua agimus.

Adde, in exemplo peccatoris annihilati, & reproducti non poſſe eſſe recurſum ad exiſtentiam phyſicam peccati actualis, ſed ad ſolam moralem in Dei abominatione: & nihilominus ex vi illius phyſicè & ex natura rei reſurgit peccatum habituale, in quo fuit annihilatus.

99. Quòd ſi quis inſtet, omnes hujuſmodi cauſalitates dicendas eſſe *morales* potius quàm *phyſicas*. Tum quia effectus, de quo agitur, ſcilicet malitia habitualis, præciſe eſt quid morale: atque adeo etiam cauſalitas debet ad hunc ordinem pertinere. Tùm etiam quia nomen *cauſalitatis phyſicæ* ſonat influxum poſitivum, & realem, qui præſtari nequit à cauſa, quæ phyſicè non exiſtit.

Vnde cauſalitas dicenda ſit phyſica vel moralis?

¶ Animadvertat ſanè, nomen & ordinem cauſæ & cauſalitatis, an ſcilicet dicenda ſit *moralis*, vel *phyſica*, non attendi ex effectu in eſſe rei ſumpto, ut initio dubij animadvertimus: nam effectus, qui in eſſe rei eſt aliquid phyſicum, poteſt cauſari moraliter: ſicut gratia & gloria cauſatur à meritis, & pœna à demeritis: & ſimiliter effectus in eſſe rei moralis poteſt cauſari phyſicè; ſicut peccatum actuale, & ejus malitia, quæ eſt aliquid morale, cauſatur phyſicè à voluntate peccantis; attenditur ergo ex modo cauſandi: nimirum quia cauſa executive, & ex natura rei, independentérque à motione alterius voluntatis effectum infert: vel non ita, ſed movendo, vel alliciendo talem voluntatem ad prædictam executionem.

Neque etiam prædicta cauſalitas in introductione privationum debet venari per ſe primo ex perfectione vel imperfectione reſultantiæ, qua privatio immediate attingitur: ſed ex influxu circa obicem ex natura rei impeditivum formæ debitæ, inductivúmque talis privationis. Tùm quia non eſt alius modus cauſandi phyſicè aliquam privationem, niſi quia talis obex phyſicè attingitur. Tùm etiam quia cùm prima & principalis cauſalitas in eo proceſſu inventa immediate erga obicem ſit, quo ſemel poſito, ſine nova actione ſequitur ex natura rei talis privatio, ex illo utique, & ex attingentia immediata ipſius attendi debet nomen, & dignitas cauſæ. & cauſalitatis erga cæteros effectus inde ſubſequentes. Cum ergo influxus voluntatis Adami in ſuum primum peccatum fuerit in toto rigore phyſicus, prædictúmque peccatum ut non retractatum fuerit obex, ex quo in tota poſteritate per reſultantiam ex natura rei inducta eſt privatio originalis juſtitiæ, non eſt cur non omnis hæc ſequela, & cauſalitas *phyſica* dicenda ſit, & in phyſico ordine collocetur.

Nec propterea circa voces nimium contendemus: dummodo concedatur, quod efficaciter probatum eſt, videlicet Adamum per tale peccatum, propter incompoſſibilitatem ex natura rei, executivè gratiam expellere à quolibet ſuorum poſterorum, eſséque prædictum peccatum in hac expulſione ut habente rationem culpæ rationem ſufficientem, & adæquatam, ita ut ad nullam aliam cauſam principalem prædictæ culpæ effectivam pro ejus introductione opus ſit recurrere: ſive talem influxum *phyſicum*, ſive *moralem* appelles. Credimus autem modum loquendi, qui, quem elegimus, communiorem eſſe aptiorémque ad rem declarandam.

§. IX.

§. IX.

Duo corollaria doctrinæ præcedentis.

100. Corollarium primum. EX huc uſque probatis colligere licet nonnulla, quæ ad complementum hujus dubij conducunt. Primò ergo colligitur ſemen deſcendens ab Adamo non eſſe dumtaxat conditionem in ordine ad propagandum peccatum originale, neque requiri ſolùm ex parte ſubjecti; quatenus ſine illo non daretur in rerum natura ſuppoſitum capax talis peccati: ſed habere etiam in ipſum peccatum influxum effectivum (ſaltem eo modo quo privationes efficientiam terminant) non ut cauſam principalem, ſed ut inſtrumentum peccati Adami. Quæ eſt doctrina D. Thomæ in præſenti art. 1. & expreſſius infra quæſt. 81. art. 1. in corpore. *In ſemine corporali* (inquit) *eſt peccatum originale ſicut in cauſa inſtrumentali: eo quod per virtutem activam ſeminis traducitur in prolem ſimul cum natura humana.* Et ad 2. *Peccatum originale cauſatur ex ſemine ſicut ex cauſa inſtrumentali.* Et quæſt. 4. de mal. art. 1. ad 15. *Duplex eſt cauſa: una principalis, quæ agit per propriam formam: & hæc eſt nobilior, quam effectus. Alia eſt cauſa inſtrumentalis, quæ non agit per formam propriam, ſed in quantum eſt mota ab alio: & hanc non oportet nobiliorem eſſe effectu: hoc autem modo ſemen carnale eſt cauſa naturæ humanæ in prole, & etiam culpæ originalis in anima ejus.* Idem dicit ad 16. & quæſt. 25. de verit. art. 6. Necnon in 2. diſt. 18. quæſt. 2. art. 1. ad 4. & diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. ad 4. & diſt. 31. quæſt. 1. art. 1. ad 2. aliiſque in locis. Quorum verba adeo expreſſa ſunt pro hac doctrina, ut omnem reiiciant contrariam explicationem. Et præter Monteſ. tuentur illam auctores, quos num. 61. pro concluſione adduximus. Necnon Cajet. in præſenti art. 1. Nunno 3. p. quæſt. 86. art. 2. & alij.

D. Thom. — Cajet. Nunno

Et quidem juxta primum modum declarandi cauſalitatem peccati Adami, quem explicuimus §. 3. ratio eſt perſpicua. Nam ſemen deſcendens ab Adamo attingit effective in prole pravam illam diſpoſitionem, carniſque infectionem, ex qua peccatum originale reſultat: igitur attingit effectivè hujuſmodi peccatum juxta ibidem dicta. Cumque id non præſtet ut cauſa principalis, quia non propria virtute, ſed per infectionem, & privationem ex peccato Adami contractam: oportet ut ſit cauſa inſtrumentalis agens in virtute talis peccati. Neque hac via incedendo inſurget alicujus momenti difficultas, quæ §. 4. & 5. & 6. ſoluta non ſit.

101. Objectio. Sed juxta aliam viam, quam §. 7. propoſuimus, eſt non levis objectio. Quia peccatum Adami manens in Dei abominatione irretractatum immediate per ſe ipſum excludit ab ejus poſteris juſtitiam originalem propter oppoſitionem cum illa ex natura rei: atque adeo immediate per ſe ipſum inducit talis juſtitiæ privationem: ergo neque ſemen, neque aliud quid influit in eam inſtrumentaliter. Patet conſequentia. Nam ubi cauſa principalis immediate per ſe ipſam effectum producit, non eſt locus inſtrumento, medio quo illum attingat.

Eò vel maxime quia cauſa, quæ ſemel per ſe ipſum immediatè præbet ſufficientem influxum, ut effectus conſiſtat, & iterum per inſtrumentum alium influxum ſufficientem præſtat, habet ſe ſicut duplex cauſa totalis, & adæquata, à qua nequit ſimul procedere idem numero effectus, cùm ergo peccatum Adami per ſe ipſum, ut manet irretractatum in Dei abominatione, ſufficienter ex vi ſuæ incompoſſibilitatis expellat juſtitiam originalem, inducatque ejùs privationem & ſimiliter per ſemen defectuoſum alium ſufficientem influxum præſtet ad prædictam privationem inducendam; non videtur dicendum, quòd talis privatio poſſit utraque via explicata ad prolem pervenire.

Dices, prædictum peccatum expellere immediate à ſemine generantis vigorem, quo propaganda erat juſtitia originalis: & medio ſemine privato illo vigore expellere à prole ipſam juſtitiam. ¶ Sed contra: quia oppoſitio peccati non retractati per prius, & immediatius ſe habet ad juſtitiam quàm ad vigorem: huic enim non opponitur niſi propter illam, in quantum talis vigor ad propagandam ipſam juſtitiam ordinatur: ergo ex vi talis oppoſitionis prædictum peccatum immediatius, vel æquè immediatè excludit juſtitiam originalem ab anima prolis, quàm vigorem à ſemine generantis. Patet conſequentia, nam cùm prædicta excluſio præciſè ſit ratione oppoſitionis, debet ipſius oppoſitionis ordinem ſequi. ¶ Ad hæc: peccatum Adami eo modo opponitur juſtitiæ originali in unoquoque ex ſuis poſteris, ſicut attinet ad illum: ſed attinet æquè immediatè ad omnes, media dumtaxat voluntate Adami, in qua omnes æquè immediatè peccaverunt, animadvertimus num. 90. ergo æquè immediate, hoc eſt, cum illa interiacentia voluntatis Adami, non vero ſeminis hujus, & illius opponitur juſtitiæ originali uniuſcujuſque, & eam expellit. Non igitur in hac expulſione locum habet inſtrumentum.

Evaſio. — Impugnatur.

102. Prima ſolutio. Urget hæc objectio; ſed cùm doctrina corollarij adeo ſit expreſſa D. Thomæ, & illi quam §. 7. tradidimus, ſaltem magna probabilitas negari non debeat; quærenda eſt via æquè probabilis, per quam in concordiam reducantur. Sanè qui aſſereret eundem numero effectum poſſe procedere immediatè à duplici cauſa, nempe principali, & inſtrumentali: ſive (quod idem eſt) ab una cauſa principali duplici influxu, altero immediato, & altero per inſtrumentum, ſicut etiam à duplici inſtrumento adæquato ejuſdem cauſæ principalis, non ita facilè impugnabitur: Deus enim etiam ſi ad producendam gratiam aſſumat aliquando inſtrumentum, mediòque illo influat, influit etiam adhuc tunc immediate per ſe ipſum non minus totali, & ſufficienti influxu quàm dum ſine inſtrumento concurrit. Et duo inſtrumenta adæquata, & totalia, ut duplex Sacerdos unuſquiſque per ſua verba poteſt concurrere ad unam numero Hoſtiam conſecrandam. Quia cùm inſtrumentum agat virtute cauſæ principalis, illique ſubordinetur, quodammodo ſe habet ut cauſa alterius ordinis, & non videtur ponere in numero

Digitized by Google

mero cum illa: atque ita nec refert an ſit unum vel plura; dummodo ex parte cauſæ principalis unitas conſervetur. Quare communis regula Thomiſtarum, quòd idem numero effectus non poteſt à duplici cauſa totali procedere, reſtringenda videtur ad ſolas cauſas principales, neque extendenda ad inſtrumenta, ſive collata inter ſe, ſive cum ipſa cauſa principali.

103. Elucidatur. Quod ſi hæc doctrina univerſaliter loquendo non mediocrem ſubit probabilitatem, potiori jure illam obtinere debet, quando effectus eſſet privativus ſicut in caſu noſtro. Adeſt enim ratio ſpecialis, ut privationes à communi illa regula excipiantur. Nam quia privatio eſt defectus formæ debitæ, poteſt ex duplici capite oriri: vel ex parte principij, cui ſi deſit perfectio ad illam formam producendam, quicquid ſit de alio impedimento, effectus evadet privatus tali forma: & hoc modo in noſtro caſu privatio juſtitiæ originalis procedit à ſemine defectuoſo, ſeu à peccato Adami medio tali ſemine. Vel poteſt oriri ex parte alicujus oppoſiti cum ea forma incompoſſibili: ratione cujus (quicquid ſit de perfectione, aut imperfectione principij) effectus tali forma privatur: & hoc modo prædicta privatio juſtitiæ procedit immediatè à peccato Adami non retractato. Et quia iſti ſunt modi concurrendi ſatis diverſi: nam in primo incipit cauſalitas à defectu, terminaturque ad formam expellendo illam: in ſecundo vero incipit à contrarietate cum forma, & media iſta contrarietate terminatur ad privationem, idcirco licèt uterque ad genus efficientis pertineat, quaſi conſtituunt duplicem ſpeciem cauſæ ſub tali genere; ſicut receptiva & diſpoſitiva conſtituunt duas ſpecies ſub genere cauſæ materialis. Unde ſicut non repugnat eundem effectum dependere ab una cauſa receptiva, & ab alia diſpoſitiva, etiamſi unaquæque in ſua ſpecie adæquata ſit: ita non repugnat, quòd eadem privatio ab una cauſa effectiva tanquam à principio deficienti, & ab alia tanquam ab impediente ortum ducat. Eò præſertim quia privatio ſemper oritur à ſua cauſa ex vi alicujus oppoſitionis cum forma; qua privat, vel privativæ, ſicut ſemen defectuoſum opponitur juſtitiæ originali: vel contrariæ, ſicut opponitur illi peccatum Adami non retractatum: unde quia diverſus modus oppoſitionis habet ſe quaſi diſtinctum genus cauſæ, etiam ſi utrumque ad effectivum pertineat, non mirum, quòd una & eadem privatio, poſſit à prædictis duobus oppoſitis immediatè procedere.

104. Alia ſolutio. Secundò reſpondetur, prædictas cauſas non eſſe adæquatas reſpectu peccati originalis: quia neutra ſine alia præbet influxum ad illud ſufficientem: neque enim peccatum Adami irretractatum habet expellere per modum oppoſiti juſtitiam originalem ab iſto puero, niſi dependenter à generatione per ſemen defectuoſum: neque hoc ſemen talem expulſionem cauſat, niſi dependenter à prædicto peccato non retractato ut oppoſito tali juſtitiæ. Atque ita ceſſat objectio, quæ adhuc reſpectu effectus poſitivi non niſi in cauſis adæquatis vim habet. Pro cujus intelligentia nota, peccatum Adami non opponi juſtitiæ originali in hoc puero, niſi ut applicatum ipſi, ſeu in quantum habet eſſe peccatum ejuſdem pueri, moraliterque illum afficit, illique unitur: aliàs non eſſet cur tale peccatum potius opponeretur cum juſtitia illius ante retractationem, quàm poſtea: aut cur potius cum juſtitia in puero deſcendente ab Adamo, quàm in non deſcendente. Proximum ergo fundamentum, ex quo intelligimus, immediate reſultare in anima pueri privationem juſtitiæ originalis, neque eſt aliquid exiſtens in puero præcisè ſecundum ſe, neque peccatum Adami ſecundum ſe ſumptum, ſed prædicta affectio, & unio moralis peccati erga puerum. Unde quia privatio non aliter cauſatur, quàm ad poſitionem fundamenti, ex quo reſultat, quidquid neceſſarium eſt, & effective concurrit ad illam unionem, concurrit neceſſario effective ad ipſam privationem. Doctrina.

Deinde nota, non omnes quomodolibet contentos in Adamo peccaſſe in illo, neque proinde omnes eſſe talis conditionis, ut prædictum peccatum ad eos pertineat: ſed illos dumtaxat, qui ſecundum determinationem vel abſolutam, vel conditionalem divinorum decretorum erant ab illo proceſſuri per ſemen infectum. Unde ſi Deus nunc aliquem ex his qui in Adamo tunc phyſicè continebantur, alia via quàm per prædictum ſemen produceret; ut revera poſſet iſte neque fuiſſet de numero illorum, qui peccaverunt, neque peccatum illud quantumcumque irretractatum modò ad eum attineret, ac proinde neque privationem juſtitiæ originalis in illo induceret. Et hoc eſt quod ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 3. verbis illis. *Revera homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti.* Non alia ratione niſi quia licèt ſit eadem numero perſona, quæ facta per prædictum ſemen totum id haberet, dum tamen ita non ſit, nihil eſt, per quod peccatum Adami illi applicetur, moraliterque ipſi uniatur, atque adeo hujuſmodi ſemen indiſpenſabiliter requiritur ad efficiendam talem unionem. Doctrina alia. *Conc. Trid.*

105. Ex his ergo liquet veritas noſtræ ſolutionis, & qualiter neque peccatum Adami irretractatum ſe ſolo, neque ſemen infectum ſe ſolo ſufficiat ad inducendam in aliquo privationem juſtitiæ originalis: atque adeo quòd neutrum ſine altero concurrat ut cauſa adæquata. Quia fundamentum, ex quo immediatè reſultat illa privatio, eſſentialiter claudit & peccatum non retractatum pro hoc ſuppoſito, & applicationem ad illud, ſeu unionem moralem cum illo: ſed hoc totum intelligi nequit ſine ipſo peccato, quod ita applicatur, & ſine actione ſeminis, per quam fit applicatio, & unio: ergo utriuſque concurſus indiſpenſabiliter requiritur ad prædictum fundamentum, atque adeo neutrum ſine altero habet eſſe cauſa adæquata privationis.

Cui ſolutioni addi etiam poteſt, quòd ſemen cauſat privationem juſtitiæ originalis initiativè: quia cauſat in corpore illam pravam diſpoſitionem: ad quam ex natura rei conſequitur (licèt divinitus impediri poſſit) privatio juſtitiæ originalis in anima: peccatum

tum vero irretractatum cauſat hujuſmodi privationem completivè, quia ſuppoſita prava illa diſpoſitione in corpore efficit omnino infallibiliter privationé juſtitiæ originalis in anima, ita ut neque de potentia abſoluta poſſit non eſſe in ſenſu compoſitio irretractationis. In quo eò ipſo ſplendet aliquid effectus correſpondentis prædicto *peccato* ut non retractato, quod non correſponderet præcisè ſemini infecto: nimirum illa omnino infallibilis illatio ſeu infallibilitas illationis privationis juſtitiæ originalis in anima: quæ non eſſet ita infallibilis præciſe ex vi ſeminis infecti: quia ſaltem de potentia abſoluta poſſet componi oppoſitum cum prædicta infectione; ſecus autem cum non retractatione.

106. Effugium. Dices fortè, ſemen eſſe duntaxat conditionem, quatenus ſine illo non dabitur ſuppoſitum, à quo peccatum Adami juſtitiam originalem expellat. ¶ Sed contra: quia prædictum ſemen non tantùm concurrit ad conſtituendum ſuppoſitum, à quo expellenda eſt prædicta juſtitia, quo pacto eſſet ſolùm conditio: ſed etiam ad efficiendam unionem moralem peccati cum tali ſuppoſito, ex qua unione (ut diximus) privatio juſtitiæ reſultat: ſed quod effectivè concurrit ad fundamentum privationis, effectivè ſe habet ad illam & non tantùm ut conditio: ergo. ¶ Deinde aliter concurrit ſemen ut infectum per privationem vigoris, quam ſupra diximus, quàm ſecundum ſuam naturalem virtutem: ſed ſecundum hanc concurrit ut conditio, ſine qua non daretur fundamentum prædictæ privationis: ergo ut infectum non eſt tantùm conditio, ſed cauſa inſtrumentalis. ¶ Adde, unionem illam moralem, quam diximus eſſe fundamentum privationis, neceſſario requirere aliquam cauſam effectivam immediate influentem: ſed non datur alia niſi prædictum ſemen ut infectum: ergo.

Impugnatur.

107. Secundum corollarium. Secundò ex dictis infertur, in ſententia conſtituente peccatum originale in privatione originalis juſtitiæ non eſſe ſuperaddendum ſemini aliquid poſitivum, quo quaſi elevetur, ut in talem privationem influat; eſſe tamen addendam privationem vigoris, quam ſupra explicuimus: ſicut juxta oppoſitam ſententiam prædictum peccatum in poſitivo conſtituentem neceſſario ſuperaddendum eſt tale poſitivum ex peccato Adami derivatum, & ab uno in aliud ſemen perpetuo traductum. Hæc ultima pars corollarij conſtabit diſp. 16. ubi à numero 20. ex repugnantia illius poſitivi, & ex neceſſitate ejus ad attingendum effectum poſitivum prædictam ſententiam impugnabimus. Prima autem eſt communis inter Theologos, & ſatis perſpicua. Tùm quia vis poſitiva in cauſa non additur, niſi propter effectum poſitivum: imo repugnat, ſi ſemel cauſa per illam operatur, effectum eſſe ſolam privationem: cum ergo in prædicta ſententia peccatum originale duntaxat ſit privatio, non eſt admittendum, quòd ad efficiendum illud ponatur aliqua vis poſitiva in ſemine. Tùm etiam quia non plus debet habere inſtrumentum à cauſa principali in actu primo, quàm effectus recipit ab eo in actu ſecundo: ergo ſi effectus eſt ſolùm privativus, ut in præſenti contingit, non eſt addenda inſtrumento virtus poſitiva.

Dices: etiam ſi hoc peccatum ſit privativum, nihilominus in cauſa principali, quæ fuit voluntas Adami, neceſſaria fuit vis poſitiva de genere mali ad illud efficiendum: ergo eodem modo neceſſaria erit in inſtrumento, quod ſuo modo debet habere idem, quod cauſa principalis. Objectio.

Reſpondetur, vim illam poſitivam de genere mali in voluntate Adami non fuiſſe per ſe primò ad efficiendum peccatum originale; ſed ad efficiendum actuale, quod fuit poſitivum: ſecluſo vero hoc poſitivo, ut ſi Adamus per puram omiſſionem delinquere potuiſſet, eodem modo cauſaret peccatum originale ſine vi poſitiva de genere mali, ſicut modo cum illa cauſat. Semen autem conſtituitur inſtrumentum illius voluntatis ad ſolum privativum, & ita non debuit per poſitivum elevari. Nec te moveat teſtimonium, quod in contrarium adduci poteſt ex D. Thoma quæſt. 4. de mal. art. 1. ad 9. Nam illud rectè exponit. Cajet. in præſenti art. 1. ſuper reſponſionem ad 5. cujus ſolutionem adducemus diſp. 6. num. 27. 108. Enervatur.

Ex quo ſecunda pars corollarij etiam liquet, nempe addendam fuiſſe in ſemine illam privationem vigoris, ut inſtrumentaliter attingat culpam originalem. Quoniam inſtrumentum debet elevari à cauſa principali per aliquid receptum in ſe: aliter non eſt quo pacto contineat, ac proinde attingat ejus effectum: cum ergo in præſenti non elevetur per aliquid poſitivum, debet elevari ſaltem per prædictam privationem. ¶ Et confirmatur: quia ſemen humanum præcisè ſuæ naturæ relictum nullo modo continet peccatum, neque vim ad illud etiam inſtrumentaliter efficiendum, ut eſt per ſe notum: aliàs etiam in ſtatu naturæ puræ idem haberet: ergo aliquid eſt ſuperaddendum, ut illud contineat & efficiat: nemo enim dat quod non habet, neque efficit quod non continet: hoc non eſt poſitivum: ergo privativum.

§ X.

Alia ejuſdem doctrinæ corollaria.

TErtiò infertur, quòd ſicut peccatum actuale perſonale continet phyſicè virtualiter peccatum habituale ejuſdem perſonæ: ita peccatum Adami, ut erat peccatum capitis, phyſicè virtualiter continuit malitiam omnium originalium, quæ ex illo in poſteros uſque modo pervenerunt, & in futurum pervenient. Hoc corollarium quantum ad continentiam ut ſic à nemine negabitur, quia omnis cauſa debet continere effectum: cum ergo peccatum Adami ſecundum omnes Theologos aliquo modo ſit cauſa omnium originalium, conſequens eſt, ut aliquo etiam modo illa contineat. Porro prædictam continentiam non eſſe qualemcumque, ſed phyſicam, & ex natura rei patet ex dictis: quia ſi de ratione cauſæ eſt continere effectum, eo modo illum continere debet, quo fuerit cauſa: cumque probatum ſit prædictum peccatum Adami eſſe cauſam phyſicam omnium noſtrorum originalium, conſequens eſt ut omnium illa phyſicè continuerit. 109.

Sed

Digitized by Google

Objectio. Sed obiicies : quia peccata originalia ſunt innumera, & poſſunt eſſe infinita, & in unoquoque eſt ſua propria, & intrinſeca malitia : ergo ſi peccatum Adami omnia illa contineret, habuiſſet utique malitiam infinitam, atque adeo fuiſſet infinitè malum.

110. Enodatur. Reſpondetur negando conſequentiam. Tùm quia malitia peccatorum originalium, etiam ſi infinitè multiplicarentur, non eſſet infinita intenſivè, ſed ſolùm extenſive : ex infinitate autem effectuum ſolùm extenſiva non arguitur infinitas ſimpliciter in cauſa. Sol enim continet infinitas illuminationes, quas poteſt efficere, & ignis infinitas calefactiones poſſibiles ; & non idcirco propter talem continentiam adeſt in eis aliqua ratio ſimpliciter infinita : quia effectus extenſivè infiniti poſſunt in una ratione ſuperiori finita contineri. Tùm etiam quia licèt infinitas ex parte affectuum argueret infinitatem in cauſa, quando ſunt de genere boni ; ſecus tamen quando ſunt de genere mali : quia in hoc genere non eſt neceſſe, ut malitia ita pravè contineatur in cauſa, ſicut reperitur in effectu : ut explicuimus ſupra diſp. 3. à num. 9. Et ideo licèt tota malitia actus ſit ab habitu, non eſt ita malus habitus ſicut actus, quia non eſt ita explicata in illo ſicut in iſto, ſed in unoquoque juxta ſubjecti capacitatem. Et propter eandem rationem licet actus mortaliter peccaminoſus ex vi ſuæ malitiæ cauſet in Deo offenſam ſimpliciter infinitam, non ideo eſt infinitè malus : eadem quippe ratio mali, quæ in Deo propter infinitam ſubjecti capacitatem infinitè explicatur, & infinitè lædit ; in actu peccatoris propter ejus limitationem ſolùm finitè id præſtat. Ita ergo licèt peccata originalia infinita eſſent, & ratione hujus infinitudinis infinitas haberent malitias : non idcirco peccatum Adami, à quo cauſantur, & in quo continentur, habuiſſet niſi unicam malitiam finitam ſimpliciter : quia ejus limitatio ex parte entitatis infinitatem impedit. Videantur quæ diximus diſput. citata.

Replica. Neque obeſt ſi urgeas ; ex quocumque damno præviſo augeri intenſive aliquantulum malitiam actus peccaminoſi, ut ex D. Thoma vidimus ſupra quæſt. 73. art. 8. ergo cum Adamus præviderет, aut prævidere debuiſſet, poſſe ex ſuo peccato ſequi infinita originalia, oportet ut ſaltem ex iſto capite, & propter hanc circunſtantiam malitia ejus creverit infinitè. Patet conſequentia. Nam ponamus ex damno uni illato creſcere malitiam ut unum, conſequenter ex damno illato duobus, vel quatuor creſcet ut duo vel quatuor ; & ex illato decem, creſcet ut decem, ſervataque proportione ex infinitis damnis illatis debet creſcere infinitum.

111. Diluitur. Reſpondetur enim cum Curiel in præſenti dub. 3. quòd licèt ex hac parte creverit non parum malitia illius peccati ; & ut dixit D. Thomas 2.2. quæſt. 163. art. 3. fuerit ſecundum quid graviſſima propter conditionem peccantis, qui erat caput naturæ ; non tamen prædicta malitia ex tali circunſtantia in infinitum creſcere potuit, quia limitatio actus tamen ex parte cognitionis, quàm ex parte conatus voluntatis eam infinitatem impedit. Et ita admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia.

Ad probationem vero conſtat ex illis quæ à nobis dicta ſunt in tract. de bonit. & malit diſp. 4. à num. 34. ubi oſtendimus, calculationem illam non habere locum in augmento boni, aut mali moralis : quia quantitas objecti non ſemper auget malitiam actus adæquatè ſecundum totam latitudinem objectivam, quam habet in ſe ; ſed ſub quadam proportione ad modum quo voluntarie, & moraliter attingitur per actum, & ad affectum ſeu conatum voluntatis in tali actu : cumque modus iſte attingendi ſemper ſit limitatus tam ex parte cognitionis, quàm ex parte intenſionis, & conatus, inde eſt ut objectum, etiamſi infinitum ſit, ſemper communicet bonitatem, vel malitiam finitam. Unde negandum eſt, quòd ſi ex objecto vel damno ut *uno* actus habet malitiam ut *unum*, ex objecto vel damno ut *quatuor*, vel ut *decem* ſumat malitiam ut *quatuor*, vel ut *decem* : ſed ſumet ut *duo* & aliquid amplius, non tamen ad *quatuor*, vel *decem* pertinget. Quia quantitas objecti propter rationem traditam eò proportionabiliter minùs auget, quo ampliùs creſcit : ita quod ſi quantitas ut *quatuor*, augeat ut *quatuor* eo quod eſt actui maxime proportionata, quantitas ut *octo* non addit quatuor alios gradus malitiæ, ſed auget v. g. uſque ad *ſex* : quia hoc augmentum & non majus petit minor proportio quantitatis ut *octo* ad prædictum actum. Et ſic aſcendendo quælibet major quantitas etſi ſemper abſolute magis augeat, eo tamen reſpective minus auget, quò minorem proportionem dicit ad conatum, & modum actus. Atque hinc etiam fit, ut etiam ſi creſcente quantitate damni illati ſemper creſcat malitia actus ; & propterea actus, qui infert damnum infinitum, ſemper ex hac parte, & cæteris paribus quemcunque alium excedat ; nunquam tamen ad hoc perveniet, ut habeat infinitam malitiam, aut tantam, quanta eſt objective in effectu : quia tale augmentum non fit per partes aliquotas æquales uni certæ, ſed per proportionales, minores & minores quacumque ſignata. Vide Curielem ubi ſupra, & nos ſi placet loco citato.

Quartò ex doctrina hujus dubij infertur clare deciſio alterius, quod multi ex profeſſo tractant : videlicet an peccatum originale ſit intrinſece in poſteris Adami, & unicuique inſit ſuum peccatum proprium : vel ſit tantùm unum pro omnibus, & ab eo extrinſece denominentur ? Quamvis enim ſi ſermo eſſet de peccato originali originante, rectè diceretur eſſe dumtaxat unum, nempe illud actuale, quod Adamus ex perſona omniū commiſit : quodque licet moraliter poſſit dici nobis intrinſecum iuxta doctrinam dubii præcedentis num. 54. abſolute tamen eſt extrinſecum omnibus, præter quam ipſi Adamo, cui ſoli phyſicè inhæſit : an vero loquēdo de peccato originali originato, pro quo ſtat nomen abſolute dictum, ſunt plura numero iuxta pluralitatem poſterorum Adami, 112. Corollarium quartum.

Digitized by Google

ineſtque unicuique ſuum proprium peccatum phyſicè illum afficiens,& denominans intrinſecè *peccatorem.*

Sententia Catharini

Hoc corollarium quoad ſecundam partem eſt contra Catharinum, & Albertum Pigium exiſtimantes(ut refert Curiel in præſenti dub. 1.& Vaſq.diſp. 132.cap.2.) nullum defectum, qui habeat rationem culpæ, aut peccati, traduci in nos per originem, ita ut ipſa culpa ſit nobis intrinſeca & inhærens: ſed illud idem peccatum,quod commiſit adamus,dici *actuale*, quatenus ab ipſo propria voluntate commiſſum fuit; & dici etiam originale,quatenus commiſſum fuit à nobis,ut eramus in illo ſicut in capite: dici autem traduci ad nos,quia traducuntur effectus & pœnæ, in quibus ipſum peccatum quodammodo vivit.

113.

Rejicitur. Conc. Trid. D. Aug.

Contrarium tamen defenditur communiter à Theologis contra authores iſtos. Et habetur in Concilio Trid. ſeſſ. 5. decreto de peccato orig.ubi can.3.expreſsè dicitur, quòd peccatum Adæ propagatione,non imitatione transfuſum *omnibus ineſt unicuique proprium.* Et ſeſſ.6.cap. 3. quòd homines dum concipiuntur,propriam injuſtitiam contrahunt. Et D. Auguſtinus c.45. Enchirid. *In illo peccato uno* (inquit) *quod per unum hominem intravit in mundum*, &c. *intellige plura peccata,ſi unum ipſum in ſua quaſi membra dividatur. ſingula*, Idque ex doctrina à nobis tradita manifeſtè deducitur. Quoniam illa privatio juſtitiæ originalis,quæ ex peccato Adami per ſemen vitiatum in ejus poſteris reſultat, habet quicquid requiritur ad rationem culpæ, & peccati habitualis, ſiquidem eſt voluntaria carentia formæ debitæ deſtruens rectitudinem rationis, quam præſtabat ipſa juſtitia; atqui talis privatio intrinſece eſt in unoquoque,ſicut eſſet ipſa juſtitia,debétque ad multiplicationem ſuppoſitorum multiplicari, ſicut illa multiplicaretur: idem enim eſt ſubjectum privationis, & formæ,qua privat, & ſicut forma multiplicanda eſſet, debet privatio multiplicari: ergo,&c. ¶ Ad hæc: pœna damni, quæ eſt carentia divinæ viſionis, & correſpondet culpæ originali, intrinſece afficit omnes, qui ante juſtificationem decedunt, neque eſt una pro omnibus, ſed ineſt ſingulis unicuique propria, ut eſt per ſe notum: ergo etiam prædicta culpa; aliàs non eſſet proportio inter culpam,& pœnam. Vide Vaſq.ubi ſupra,qui ſententiam Catharini & Pigij errori Pelagij negantis originale peccatum annumerat. Et ſaltem negari non poteſt quòd ſit in fide periculoſa,& à prædicto errore parùm recedens ob idque aboleri juſſa eſt in Indice expurgatorio, verbo *Ambroſius Catharinus.*

114.

Occurritur interrogationi.

Sed inquires, à quonam puer, qui concipitur ſumat denominationem *peccatoris*: videlicet à peccato actuali commiſſo in Adamo; vel à privatione illa ipſi puero habitualiter inhærẽte;vel ab utroque ſimul? Reſpõdetur, à privatione duntaxat. Tùm quia quando adeſt intrinſecũ denominans, denominatio non ſumitur ab extrinſeco:ut patet in relationibus, in quibus quamvis terminus poſſit denominari à relatione in fundamento exiſtẽte, & de facto denominetur, quando in ipſo termino non reſultat propria relatio intrinſeca;quando vero hæc reſultat ab ea,& non à relatione oppoſiti propriam denominationẽ accipit. Cum ergo peccatum actuale Adami abſolutè ſit extrinſecum,privatio autem intrinſeca ſit, non illud,ſed iſta debet denominare. Tùm etiã quia peccatum actuale non ita proprie denominat *peccatorem,ſed peccantem*: denominatio enim *peccatoris* propria eſt culpæ habitualis: puer autem quando jam eſt in rerũ natura,non denominatur *peccans*,ſed *peccator*: ſicut non dicitur tunc committere peccatum Adami, ſed contrahere:ergo non debet ſic denominari à peccato actuali,quod in Adamo fuit; ſed à privatione habituali,quam ex illo contrahit. Neque circa hæc credimus, quòd poſſit jam eſſe difficultas.

Denique infertur, qualiter ſatisfaciendum ſit difficultati,quam in fine dubij præcedentis tetigimus:nimirum quomodo peccatũ originale,cum ſit privatio, conſervet intrinſecum reſpectum ad volũtatem Adami,ejúſque peccatum actuale, per quem reſpectum in eſſe voluntarij conſtituitur. Hæc igitur difficultas juxta quemlibet ex modis dicẽdi,quos ſequuti ſumus,facilè diluitur; animadvertendo, nomine *reſpectus*,cum ſermo eſt de privationibus non intelligi aliquem ordinem poſitivum ſive tranſcendentalem,ſive prædicamentalẽ,ut vox ſonare videtur:perſpicuũ eſt enim hujuſmodi ordinem non poſſe in privatione fundari;ſed intelligitur eo nomine talis connexio privationis per modum dependentiæ cum aliquo tanquam cum principio, ut ſine illo intelligi nequeat:nam ex hoc ipſa privatio concipitur ut ſe ipſa reſpiciens tale principium,& ut ipſa cõnexio,& emanatio ab illo;hoc enim modo dicimus,omiſſionem,quæ intrinſecè eſt mala, importare reſpectum intrinſecum ad voluntatem,& ad actũ ejus,qui fuit cauſa omittendi, per talemque reſpectum conſtitui intrinſecè voluntariã,quia per ſe ipſam eſt nexa cum illis tanquam cum principio,à quo eſt ſuũ *non eſſe*, & ſine quo in actu exercito intelligi non valet.Ita ergo dicimus,privationem juſtitiæ originalis importare intrinſecum reſpectum per modum termini ad peccatum Adami, & mediante illo ad ejus voluntatẽ,quia per ſe ipſã ut hìc & nunc exercitam, atque adeo per aliquid intrinſecum eſt connexa cum tali peccato tanquam cum principio,ſine cujus influxu non poteſt intelligi poni in rerum natura. 115. Vltimum corollarium.

Quod juxta ſecundum modum dicendi traditum §. 6. facilius percipitur: nam tunc ſicut prædictum peccatum ut non retractatum immediate per ſe ipſum rationem oppoſitionis expellit juſtitiam originalem, ita hujus expulſio,ſeu privatio ſe ipſa immediatè cum tali peccato nectitur. Et hæc connexio habet ſe per modum reſpectus conſtituentis illam in eſſe voluntatiæ moralis terminativæ,quia conſtituit eam in ratione procedentis, & per ſe dependentis à voluntate moraliter conjuncta, qualis fuit voluntas Adami reſpectu noſtri. ¶ Sed & juxta primum modum id non difficulter explicatur, juxta quem talis privatio,ſicut ſe ipſa dependet à privatione vigoris reperta in ſemine generantis, & cum ea eſſentialiter connectitur: ita mediante illa dependet à peccato Adami, ex quo eſt ſive immediate, ſive mediis aliis privationibus talis privatio vigoris.

Dices

116. Replica. Dices: hæc vigoris privatio non magis per ſe dependet à peccato Adami, quàm ſemen, cui ineſt, dependet ab Adamo: atqui ſemen non dependet eſſentialiter, quia poſſet Deus idem numero alia via producere: ergo,&c.

Vita. Reſpondetur, antecedens ſolùm eſſe verum intellectum de prædicto ſemine formaliter in quantum ſubjecto illius privationis, quo pacto neceſſario importat debitum vigoris oppoſiti: ut ſic autem eſſentialiter dependet ab Adamo, quia ſoli ſemini deſcendenti ab illo in quantum ſic deſcendenti debebatur talis vigor, ſicut ei ſoli promiſſus fuit. Vnde ſi Deus alia via prædictum ſemen produceret, tunc licet eſſe idem numero materialiter, & in eſſe rei; non tamen formaliter in ratione ſubjecti, propter prædicti debiti defectum.

Adde, talem debitum non convenire humano ſemini niſi ut naturaliter producto, & individuato, quia hoc dumtaxat modo actum fuit de illo in divina promiſſione & decreto: ut ſic autem neceſſario importat dependentiam ab Adamo: quia naturaliter loquendo nullum ſemen, quod modò eſt hoc numero, eſſet idem numero, ſi ab eo non proceſſiſſet; non enim eſſet hoc numero ſemen niſi procederet ab hoc numero patre, neque hic numero pater, niſi proceſſiſſet ab hoc numero avo, neque hic numero avus, niſi ab hoc numero proavo, & ita aſcendendo uſque ad Adam. Quare non immerito in quolibet ex ſeminibus ab Adamo deſcendentibus poteſt admitti aliquis reſpectus poſitivus tranſcendens per omnes genitores uſque ad Adamum, per quẽ reſpectum quandocunque ex illis naturaliter & de facto individuatum ſit: quia revera naturaliter loquendo nullum eſſet hoc numero, quod eſt de facto, ſi deficeret illi deſcenſus ab Adamo, vel à quovis alio ex genitoribus intermediis. Ratione igitur hujus reſpectus, in quantum Adamum attingit, reliquiſque intermediis quaſi de materiali ſe habentibus, poteſt fundare debitum prædicti vigoris, & necti cum ejus privatione ex Adami peccato orta.

§. IX.

Sententiam oppoſitam qui tueantur?

117. Oppoſitam ſententiam, videlicet peccatum noſtrum originale non habere cauſam effectivam phyſicam, ſed moralem dumtaxat, atque adeo neque Adami peccatum, neque ſemen ab ipſo Adamo deſcendens phyſicè effectivè ad illud concurrere, tuentur in præſenti Curiel art. 1. dub. 3. Zumel diſp. 3. Vaſquez diſp. 135. Et quantum ad cauſalitatem ſeminis Monteſ. infra quæſt. 83. diſp. 13. & alij; qui tamen forte non loquuntur de cauſa morali juxta ſenſum noſtrum, neque impugnant cauſam phyſicam, quam adſtruimus; ſed ſolam actionem rigoroſam terminatam immediate ad privationem juſtitiæ originalis, quibus in hoc non contradicimus. Argumenta vero alicujus momenti ſunt objectiones propoſitæ, & ſolutæ inter probandum: præter quas ſi quid prædicti authores opponunt, facilè diluitur.

Curiel. Zumel. Vaſq. Monteſ.

Primum argumentum. Arguunt ergo primò: quia quod non exiſtit, nequit habere phyſicam efficientiam: ſed peccatum Adami jam non exiſtit: ergo,&c. ¶ Reſpondetur primò prædictum peccatum exiſtere adhuc phyſicè virtualiter in ſemine infecto, & privato ſupradicto vigore, ſicut quælibet cauſa principalis dicitur exiſtere virtualiter in inſtrumento à ſe elevato, & moto: & antequam ſemen efformetur, adeſt prædicta exiſtentia in ipſa carnis infectione & concupiſcentia habituali parentum. Hæc autem virtualis exiſtentia ſufficit ad cauſalitatẽ phyſicam: ut videre eſt in aliis cauſis & effectibus. ¶ Secundò reſpondetur ſufficere ad cauſalitatem phyſicam exiſtentiam moralem, quam num. 92. habere diximus peccatum Adami in Dei abominatione, quandiu ab unoquoque noſtrum pro ſe non retractatur. Solutio duplex.

Secundò arguit Curiel. Peccatum originale non eſt aliquid phyſicum, ſed moralis quædam privatio: ergo non poſtulat efficientiam phyſicam, ſed moralem dumtaxat. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam propter illa, quæ diximus num. 99. 118. Secundum.

Tertiò Monteſinos ſic obiicit. Peccatum originale non traducitur per generationem ex principiis eſſentialibus naturæ, ſed media voluntate capitis: ad rationem autem cauſæ vel cauſalitatis phyſicæ requiritur influxus in effectum ſine dependentia à voluntate creata: non ergo prædictum peccatum per generationem ſicut à cauſa phyſica procedit. Tertium.

Reſpondetur, ſufficere ad cauſalitatem phyſicam prædicti peccati, quòd procedat ex principiis naturæ ut vitiatæ & infectæ, quamvis non ex principiis eſſentialibus: quia non omnia, quæ phyſicè cum natura cauſantur, ex talibus principiis proveniunt; ſed aliqua ex accidentibus, quæ in materia, vel in principio generationis occurrunt. ¶ Secundo reſpondetur quòd ſi argumentum eſſet efficax, probaret neque peccata noſtra actualia cauſari phyſicè effectivè: contra communem ſenſum, & uſum loquendi, quippe omnia cauſantur dependenter à voluntate creata. Dicendum eſt ergo, prædictam dependentiam à voluntate creata vel increata tanquam ab exequente ſive per ſe immediate, ſive per inſtrumentum non tollere rationem cauſæ phyſicę à tali voluntate. Sed tolleret ab alia, ſi eſſet, quæ illam poſitive moveret, vel provocaret ad talem executionem. Porro in noſtro caſu non eſt niſi una Adami voluntas, quæ per ſuum actuale peccatum, mediaque ſeminali propagatione tanquam inſtrumento executivè cauſat peccatum originale: & ita non habet locum moralis cauſalitas. Duplex ſolutio.

Quartò. Eodem modo traducitur peccatum originale ab Adamo in nos, ſicut traduceretur juſtitia originalis: ſed illa non traduceretur per cauſalitatem phyſicam Adami, ſed à Deo immediate produceretur: ergo,&c. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam. Tùm quia etiam iuſtitia originalis traduceretur aliquo modo efficienter phyſicè per ſeminalem propagationem deſcendentem ab Adamo, ut vidimus à num. 74. Tùm etiam quia prædicta juſtitia poteſt habere aliam cauſam phyſicam, nempe Deum: & ita non mirum ſi non cauſaretur modo iſto ab Adamo: peccatum vero originale nullam 119. Quartum argumentum. Enervatur.

aliam habere poteſt præter ipſum Adamum ut agentem per ſuum peccatum actuale, mediaque ſeminali propagatione.

Denique arguitur: quia Adamus per ſuum peccatum movit divinam voluntatem, ut ab eo pro ſe & pro poſteris juſtitiam originalem auferret: ergo fuit cauſa moralis hujuſmodi ablationis, atque adeo peccati originalis. Ad hoc argumentum conſtabit dubio ſequenti.

DUBIUM IV.

Utrum peccatum Adami fuerit cauſa demeritoria reſpectu noſtri originalis?

120. ANimadvertimus initio dubij præcedentis, in peccato originali poſſe conſiderari aliquid per ſe, nempe ipſam malitiam & deformitatem, quæ exoſam inimicam animam Deo reddit: & aliquid concomitanter, videlicet pœnas, & miſerias, quas Deus pro tali peccato infligit: uti eſt carentia divinæ viſionis in alia vita, & in præſenti mors, & aliæ corporales ærumnæ: necnon ipſa ſubſtractio divinæ gratiæ, non prout importat privationem ejus voluntariam, qua ratione conſtituit malitiam, & culpam habitualem, ſed ut dicit negationem divini concurſus tenentem ſe ex parte Dei, quo pacto non eſt culpa, ſed pœna, prout diſ. 16. dub. 5. magis declarabimus. Quantum ergo ad rationem malitiæ ex dictis dubio præced. perſpicuum manet non eſſe effectum peccati Adami in genere cauſæ demeritoriæ: quoniam demeritum non eſt niſi reſpectu pœnæ, ſicut meritum reſpectu præmij: malitia autem ſecundum hanc rationem non poteſt habere rationem pœnæ. Tùm quia per ſe eſt de ratione malitiæ, quod ſit voluntaria; pœna autem per ſe id non poſtulat, ſed potius habet eſſe contra voluntatem. Tùm etiam quia pœna eſt iuxta rationem, & eſt diſpoſita & ordinata à Deo, quod totum malitiæ repugnat. Accedit, demeritum non eſſe niſi reſpectu ejus, quod Deus effectivè cauſat, ad quam cauſalitatem per illud provocatur: cum ergo non poſſit eſſe cauſa malitiæ, nequit iſta in quantum talis ullo modo cadere ſub demerito. Quare ſolùm poteſt eſſe difficultas de aliis rationibus, ſive pœnalitatibus, quæ malitiam concomitantur. De quibus non negato quòd terminent cauſalitatem phyſicam, quam dub. præced. reſpectu culpæ aſtruximus, quærimus, an terminent cauſalitatem moralem?

§. I.

Varior ſententia.

DIcendum eſt, peccatum Adami fuiſſe cauſam propriè demeritoriam reſ-
121. pectu noſtri originalis quantum ad pœnalitates, & ærumnas, quæ culpam concomitantur. Hæc aſſertio ſumitur ex D. Thoma 3. p.
D. Thom. q. 19. art. 5. ubi ex illo Pauli ad Romanos
Ad Rom. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condẽnationem*, &c. deducit demeritum Adæ derivari ad condemnationẽ poſterorum. Et 1. 2 quæſt. 163. art. 2. ad 3. Necnõ in 2. diſt. 21. quæſt. 2. art. 2. ad 3. fatetur peccatum Adami, ut erat peccatũ naturæ, fuiſſe punitum pœna ad totam naturã derivata: atque adeo ſentit pœnalitates, quæ ratione culpæ originalis ſimul cum natura ad nos derivantur, verè cadere ſub demerito illius peccati. Idem docuit D. Ambroſius explicans locum Pauli *per unius delictum*, &c. Leo Papa *Ambroſ.* ſerm. 5. de naturali, ubi ait, quòd Adamus ob- *Leo Pap.* temperans Diabolo uſque ad prævaricationem *D. Bernard.* meruit, ut in illo omnes moreremur, & alij ex *Scotus.* Patribus, quos ſequuntur D. Bonaventura in 2. *Durand.* diſt. 32. art. 2. quæſt. 1. ad 2. Scotus ibidẽ quæſt. *Conrad.* 1. ad argumenta primæ quæſt. in ſolut. ad 3. *Alvar.* Durandus diſt. 30. quæſt. 3. num. 10. Conradus *Vaſq.* in præſenti art. 4. & quæſt. 81. ſequenti art. 2. *Salas.* Alvarez diſp. 171. & lib. 6. de auxil. cit. diſp. *Suar.* 44. Vaſquez in præſenti diſp. 133. Salas diſp. 11. ſect. 2. quæſt. 9. Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 39. ſect. 1. & plures alij.

Videbitúrque pro hac ſententia referendus Gregorius Mart. in præſenti dub. 4. ubi *Sententia 2.* illam pro concluſione ſtatuit, & probatio- *Greg. Mart.* nes convincentes adducit. ¶ Sed revera alienus ab ea eſt, & à legitimo ejus ſenſu. Nam ut ipſe paulò inferius ſe explicat, loquitur de peccato originali ſecundum rationem culpæ, & propterea addiderat in concluſione, prædictam cauſalitatem eſſe quidem demeritoriam abſolutè, non tamen rigorosè: tùm quia demeritum rigorosè loquendo non eſt niſi reſpectu pœnæ; peccatum autem originale in rigore non poteſt vocari pœna peccati Adami, ſed potius culpa ejus: ergo non correſpondet illi demeritoriè. Tùm etiam (inquit) quia eodem modo cõparatur macula perſonalis ad peccatum actuale, ſicut macula originalis ad peccatum primi parentis: ſed macula perſonalis non poteſt dici in rigore loquendo correſpondere demeritoriè actuali peccato: ergo nec macula originalis reſpectu peccati Adami. Hæc ille. Ex quibus evidenter cõſtat, prædictum authorem loqui de peccato originali ſecundum rationem malitiæ: quem ſenſum initio dubij reiecimus; non autem quantum ad pœnalitates, quæ illud concomitantur, ut nos loquimur: in quo ſenſu rationes Martinez nihil convincunt. Porro loquẽdo de prædicto peccato ſecundum rationem culpæ, rationes illæ non modò impugnant demeritũ rigoroſum, ſed omnem cauſalitatem demeritoriam, quæ abſolutè ſit talis, ut intuenti patebit.

Sed noſtra concluſio, ut propoſita fuit, 121. probatur ratione. Quia omne peccatum in *Ratio pro concluſione.* viatoribus, ea ratione qua eſt peccatum, eſt etiam demeritorium: neque enim ratio demeriti plus exigit, quàm quod ſit culpa moralis exiſtens in viatore: ſed peccatum Adami, ut erat capitis, fuit peccatum noſtrum, nóſque in eo peccavimus: ergo etiam in quantum demeritum, ad nos pertinuit, nóſque in illo demeruimus gratiam, & gloriam, & ex tali demerito alias pœnalitates incurrimus.

Confirmatur: quoniam Adamus demeruit, *Confirmatio.* in quantum erat caput noſtrum, ſicut in quantum tale deliquit: neque enim poterit aſſignari ratio, cur ſi peccatũ fuit capitale, demeritũ fuerit

fuerit ſolùm perſonale: præſertim cum utrumque fuerit circa cuſtodiam, vel amiſſionem juſtitiæ originalis, quæ concernebat totam naturam: ſed quia ita deliquit, deſcendit ad nos ejus peccatum: ergo quia ſi demeruit debuit ejus demeritum ad nos pertingere.

123. *Ratio alia.* Secundò probatur. Quoniam pœna non infligitur niſi propter demeritum, ſicut præmium non datur niſi propter merita: quod adeò verum eſt, ut idem malum, quod ex reſpectu ad meritum habet rationem pœnæ, ſublato iſto reſpectu, non jam maneat in ratione pœnæ, ſed pœnalitatis dumtaxat: atqui pueri decedentes cum originali puniuntur pœna propriè dicta, nimirum pœna damni: ergo propter aliquod demeritum; puniuntur autem propter peccatum Adami: igitur hoc fuit cauſa demeritoria reſpectu talis pœnæ, ac proinde etiam reſpectu aliarum, quæ ex illo in nobis ſunt conſequutæ.

Confirmatio. Confirmatur: nam cum Deus propter peccatum Adami denegat ejus poſteris, dum primò naſcuntur, juſtitiam originalem, quam illis promiſerat, non miſeretur reſpectu eorum ſed punit; ſicut etiam denegando gloriam iis, qui cum ſolo originali decedunt: ſed punitio Dei non eſt niſi propter aliquod demeritum: ergo cum in prædicto caſu non poſſit eſſe aliud niſi demeritū peccati Adami, dicendum eſt puniri ejus poſteros propter tale demeritum, adeóque prædictum peccatum fuiſſe cauſam demeritoriam reſpectu pœnarum, quæ culpam originalem conſequuntur.

124. *Effugium.* Dices illos, qui in originali decedunt, puniri pœna damni propter ipſam originalem culpam, quam in ſe habent; non autem propter peccatum actuale, quod Adamus commiſit. *Impugnatur.* ¶ Sed contra: quia peccato originali, ſicut & cuicunque alij habituali non debetur pœna propriè dicta, niſi inquantum eſt terminus peccati actualis, cui per ſe primò debetur: ſicut enim habitibus propriè non meremur, neque demeremur, ſed actibus; ita pœna proprie non debetur per ſe primo peccato habituali, ſed actuali: ergo quòd decedentes cum originali proprie puniantur, per ſe primò oritur ex demerito peccati Adami, quod per ipſum originale ad illos deſcendit, ipſiſque applicatur.

Confirmatur, nam eo proportionali modo in damnatis pœna correſpondet peccato habituali, ſicut præmium in beatis correſpondet gratiæ: ſed iſtis non correſpondet præmium tanquam merito, ſed tanquam termino meriti, quod præceſſit in actibus permanentibus in Dei acceptatione: ergo neque illi correſpondet pœna tanquam demerito, ſed tanquam termino demeriti, quod in peccato actuali præceſſit; & dum non retractatur, in Dei abominatione perſeverat.

§. II.

Quæ obſtent huic ſententiæ, & contrariæ opitulentur?

125. *Curiel. Dried. Decan. Zumel.* PRo oppoſita ſententia Curiel dub. cit. refert Driedonem, & Decanum Lovanienſ. quibus ipſe ſubſcribit, & cum eo Zumel diſp. 3. Fortè loquuntur de peccato originali non quantum ad pœnalitates illud concomitantes, ſed quantum ad rationem culpæ. *Objectio. D. Thom.* Sed contra noſtram ſententiam eſt duplex objectio. Prima ex D. Thoma in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 3. ad 3. ubi ait. *Peccatum non tranſit in poſteros à primo parente per modum demeriti, quaſi ipſe omnibus mortem meruerit, & infectionem peccati; ſed per modum traductionis conſequentis traductionem naturæ: non enim unius perſonæ actus toti naturæ mereri, vel demereri poteſt, niſi limites humanæ naturæ tranſcendat:* ergo Adamus non demeruit nobis; ſed ſibi dumtaxat: atque adeo ſola cauſalitate phyſica peccatum originale ad nos traduxit.

Reſpondetur primò poſſe intelligi S. Doctorem de peccato originali ſecundum rationem culpæ & malitiæ: quo pacto eſt infectio & mors animæ, ut ipſe loquitur. Vt ſic autem fatemur ſolum per propagationem, & non per demeritum potuiſſe ab Adamo ad nos tranſire: cum quo tamen ſtat, quod quantum ad pœnalitates concomitantes tranſierit etiam per demeritum. *Prima ſolutio.*

Secundò reſpondetur Ang. Doctorem ſolùm velle, quod mereri vel demereri pro tota natura humana ſine traductione ipſius naturæ nulli creaturæ poteſt competere: quia ad id neceſſarium erat, ut qui ita pro tota natura mereretur, vel demereretur, limites ipſius naturæ tranſcenderet. Non vero negat poſſe hoc ſaltem quantum ad demeritum convenire alicui, ſi ſit naturæ principium, qui proinde traducendo illam poſſit cum ea culpam transfundere: nam quia culpa concomitatur demeritum, non plus requiritur ad illam, quàm ad hoc traducendum. *Solutio alia & legitima.*

Secundò obiicies: quia etiamſi Adamus perſtitiſſet in gratia, & juſtitia originali, non meruiſſet nobis illam per ſuos actus: ergo neque peccando eam nobis demeruit. *Objectio alia.* Patet conſequentia. Tùm quia meritum & demeritum circa idem verſantur: atque adeo illud, quod Adamus nobis mereri non poſſet, non potuit demereri. Tùm etiam quia ita dependebat juſtitia noſtra originalis ab actibus, quibus Adamus divinam legem impleret, ſicut ejus amiſſio dependebat à peccato, quo illam violaret: ergo ſi prima illa dependentia non erat in genere cauſæ meritoriæ, neque hæc poſterior fuit in genere demeritoriæ.

Hæc objectio poſtulabat ut explicemus, an ſicut Adamus peccando, nobis, & pro nobis demeruit: ita bene operando, nobis, aut pro nobis meruiſſet, vel ſaltem mereri potuiſſet. Pro quo nota, non eſſe omnino idem *mereri alteri, & mereri pro altero*, ſi in rigore loquamur. Nam *mereri alteri* ſolùm dicit facere ſibi debitum præmium, quod alteri conferatur; non ut præmium illius, cui confertur, neque ut debitum ipſi: ſub hac enim ratione ſolùm reſpicit eum, qui meruit; ſed ut beneficium favore & gratia iſtius illi applicatum. Vnde hoc modo meritum non tranſit formaliter etiam extrinſecè ab uno in alterum, quaſi uterque dicatur *mereri*: ſed tranſit ſolùm cauſaliter, quatenus tranſit præmium: non formaliter ut præmium illius, in quem tranſit, quaſi is propriè remuneretur; ſed ut præmium ejus, à quo tranſit. At vero *mereri pro altero* rigoroſe loquendo 126. *Non eſt idem mereri alicui, & mereri pro alio.*

denotat, meritum unjus tranſire formaliter ad alterum, ita quod utriuſque meritum ſit, & uterque *mereri* dicatur: ac proinde etiam præmium reſpectu utriuſque habeat formaliter rationem præmij, & uterque remuneretur. Unde qui poſſet hoc poſterius, poſſet à fortiori illud prius; ſed non è converſo.

Ex quo fit quod licèt Chriſtus Dominus meruerit nobis gratiam, & reliqua bona, quæ propter ejus merita nobis à Deo conferuntur; non tamen in rigore loquendo meruit *pro nobis*: quia ejus meritum non tranſit formaliter ad nos, ita ut fiat formaliter meritum noſtrum, aut nos faciat *merentes*: aliàs parvulis cum baptiſmo decedentibus daretur gloria non tantum per modum hæreditatis; ſed etiam per modum coronæ, ſiquidem ipſi dicerentur illam meruiſſe: ſed tranſit dumtaxat cauſaliter, quatenus favore ipſius Chriſti Domini donantur nobis bona, & præmia, quæ ille promeruit. Neque adhuc hujuſmodi præmium propriè eſt tale reſpectu noſtri, ita quod nos propriè præmiari dicamur: quia hoc ſupponeret fuiſſe noſtrum meritum formaliter: ſed ipſe Dominus, & ejus merita remunerantur in nobis, quatenus favore ipſius confertur nobis, quod ille promeruit.

127. Diximus ſæpe *in rigore loquendo*: nam in latiori acceptione non ſemel ſumitur pro eodem *mereri alicui*, & *mereri pro illo*: quatenus hoc ſonat unum meruiſſe alteri, quod ille pro ſe, ſi poſſet, mereri debuiſſet. Et in hac acceptione eſt ſatis conſuetus modus loquendi, quòd Chriſtus meruit pro nobis, quia meruit bonis bona, quæ nos, ſi poſſemus, debuiſſemus mereri.

Fit etiam, Adamum non tantùm demeruiſſe nobis, ſeu meruiſſe nobis pœnalitates conſequentes originalem culpam; ſed etiam demeruiſſe pro nobis: quia ſicut tranſit ad non formaliter ejus culpa, tranſit etiam demeritum: & ſicut ab illa denominati fuimus formaliter *peccatores*; ſic ab iſto formaliter *demerentes*: ob idque pœna illius demeriti non tantùm reſpectu Adami, ſed etiam reſpectu noſtri habuit propriè rationem pœnæ.

Hoc ſuppoſito videndum eſt, an ſicut Adamus non ſolùm nobis, ſed etiam pro nobis demeruit, ita potuerit pro nobis, aut ſaltem nobis aliquod præmium mereri? Et poſſumus loqui vel de merito condigni, cui ex juſtitia, adeóque ſimpliciter præmium debetur propter æqualitatem valoris, pactum, & cætera, quæ ſuo loco explicantur. Vel de merito congrui, cui quia deeſt æqualitas, debetur præmium debito ſecundum quid, nempe ex quadam congruitate fundante imperfectum jus ex parte merentis Deinde poſſumus loqui de eo, quod Adamo non peccante eveniſſet de facto, rebus ut tunc à Deo diſpoſitis, ſervataque communi lege: vel de eo, quod ſupra talem legem eſſet Deo poſſibile ſtatuere.

128. Neque Adamus meruit pro nobis. Igitur rebus ut de facto diſpoſitis, aut ſecundum communem legem pro comperto habemus, Adamum, etiam ſi in originali juſtitia perſtitiſſet, non meriturum aliquid pro nobis, ita quòd ejus meritum noſtrum eſſet, & ad nos formaliter denominative tranſiret. Si enim nec Chriſtus Dominus ita pro nobis meruit, non eſt cur Adamo, aut alicui puræ creaturæ ſecundum communem legem id poſſe tribuamus. Quod intelligendum eſt tam de merito congrui, quàm de merito condigni; imo neque de potentia abſoluta hoc genus merendi pro alio credimus poſſe alicui competere. Quod eodem argumento Chriſti Domini non leviter convincitur: ea eſt enim Dei bonitas, & erga homines benignitas, ut ſi alicujus opera aliorum merita eſſe poſſent, non omnino id Chriſto Domino denegaſſet ſaltem pro aliquibus, ut pro Virgine Deipara, quam eximie honorare oportebat.

Ratio fortaſſe eſt: quia ſicut, ut demeritum Adæ noſtrum demeritum fieret, opus tranſire ad nos ejus peccatum, ſeu culpam habitualem tanquam voluntariam nobis per modum termini: quaſi hujuſmodi terminus indiſpenſabiliter in nobis requiratur ut fundamentum prædicti demeriti, & ad conſtituendum ſubjectum reum ſupplicij: ob idque tale demeritum non ad aliam pœnam ſe poteſt extendere, niſi ad eam, quæ ex natura rei conſequitur terminum prædictum: ita ad hoc ut meritum alicujus nobis formaliter communicaretur, debebat tranſire in nos aliquis terminus ſimiliter nobis voluntarius voluntate illius, à quo tranſiit, cui innitatur tale meritum, & ultra cujus effectus, ſeu efficaciá non ſe extendat, quique ſubjectum reddat intrinſece præmio dignum: qui ſanè terminus non poſſet eſſe alius, quàm gratia habitualis, ſicut reſpectu demeriti non poteſt eſſe alius niſi habitualis ſeu originalis culpa. Cum autem voluntarium debeat eſſe ab intrinſeco cum cognitione, atque adeo procedens à voluntate vitali modo, & ſicut à cauſa phyſica principali: gratia vero hoc modo nõ poſſit ab aliqua voluntate creata ortum ducere, inde evenit ut nulla aliena voluntas poſſit meritum ſuum ad nos formaliter derivare, & ſic nec pro nobis propriè mereri: quia ſcilicet nulla poteſt communicare nobis phyſice, & ut cauſa principalis atque adeo tanquam ſibi voluntarium prædictum terminum. Sed de hoc iterum ſuo loco ſermo redibit.

Veniamus ad ſecundum, quod eſt *mereri nobis*. In quo loquendo etiam de facto perſpicuum debet eſſe potuiſſe Adamum *mereri nobis* beneficia ordinis gratiæ, & quævis alia bona merito de congruo. Hoc enim genere meriti etiam nunc unus juſtus poteſt pro aliis ſive juſtis, ſive injuſtis gratiam, & alia bona mereri: & ita non eſt cur Adamo ſive permanenti in innocentia, ſive à lapſu reparato magna utrobique ſanctitate pollenti denegetur. Eò præſertim quià de facto ipſe Adamus, aliíque ſancti Patres meruerunt de congruo incarnationem, quæ eſt commune bonum totius generis humani, longéque majus beneficium omnibus aliis ordinis naturæ, & gratiæ. 129. Potuit mereri nobis de congruo.

Cæterum merito de condigno pro comperto habemus, Adamum neque gratiam, neque aliud præmium fore nobis meriturum. Quia hanc dignitatem, quæ eſt mereri aliis de condigno Deus de facto ſoli Chriſto Domino reſervavit, quem dumtaxat caput noſtrum in ordine gratiæ conſtituit nolens, ut beneficia hujus ordinis alicui puræ creaturæ ut capiti deberemus. Rationem vero repugnantiæ hujus meriti in pura creatura tradit Non potuit mereri nobis de condigno ſecundum communem legem.

D.

D. Thom. D. Thom. infra quæſt. 114. art. 6. his verbis. *Opus noſtrum habet rationem meriti ex duobus. Primo quidem ex vi motionis divinæ: & ſic meretur aliquis ex condigno. Alio modo habet rationem meriti, ſecundum quod procedit ex libero arbitrio, in quantum voluntarie aliquid facimus & ex hac parte eſt meritum congrui: quia congruum eſt, ut dum homo bene utitur ſua virtute, Deus ſecundum ſuperexcellentem virtutem operetur. Ex quo patet, quod merito condigni nullus poteſt mereri alteri primam gratiam, niſi ſolus Chriſtus: quia unuſquiſque noſtrum movetur à Deo per donum gratiæ, ut ipſe ad vitam æternam perveniat: & ideo meritum condigni ultra hanc motionem non ſe extendit. Sed anima Chriſti mota eſt à Deo per gratiam, non ſolum ut ipſa perveniret ad gloriam vitæ æternæ, ſed ut alios in eam adduceret, in quantum eſt caput Eccleſiæ, & auctor ſalutis humanæ*, &c. Eandem ferè rationem habes quæſt. 29. de verit. art. 7. Et quod dictum eſt de prima gratia, intelligendũ eſt de quavis alia propter eandem rationem, & etiam de juſtitia originali, quæ illam includit: de qua D. Thom. opuſc. 2. cap. 198. ſic ait, *Originalis juſtitiæ ſtatus fuit quoddam ſpeciale donum gratiæ: gratia autem meritis non acquiritur, ſed gratis à Deo datur.*

130. Sed an prædicta ratio etiam de potentia abſoluta intentum convinçat, non eſt hujus loci examinare; ſed infra quæſt. 114. in tract. de merito, vel 3. part. in tract. de Incarnatione. Modò vero valde inclinamur in partem negativam, reſtringentem doctrinam D. Thomæ ad caſum de lege ordinaria: ſicut reſtringit Ioannes à S. Thoma infra citata quæſt. 114. diſp. 31. art. 2. quod etiam tenuit Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 9 ſect. 7. & tom. .. de grat. cap. 16. referens Medinam, Zumel. Lorc. & Valent. Quouſque tamen in prædictis locis res ex profeſſo decidatur, utriuſque partis probabilitatem ſuſtinebimus.

Joan. à S. Tom. Alvar. Medin. Zumel Lorca. Valent.

Satisfit objectioni. Ad objectionem ergo, quæ, re bene inſpecta, ſolùm procedit de merito condigni, & attento eo, quod, durante juſtitia originali, fuiſſe de facto, conceſſo antecedenti neganda eſt conſequentia. Prima autem probatio, ſi intelligatur univerſaliter, falſum aſſumit, nam unuſquiſque poteſt demereri ſuam primam gratiam; quam tamen non poteſt promereri. Et in noſtro caſu, ipſe Adamus accepit ſibi juſtitiam originalem non per meritum, ſicut nec per meritum illam conſervaret: & nihilominus ſaltem pro ſe eam per demeritum amiſit, ſicut unuſquiſque, quando mortaliter peccat, amittit propriam gratiam per ſuum demeritum. Eodẽ ergo modo pro nobis potuit, & de facto fuit cauſa demeritoria prædictæ juſtitiæ, licèt nec ſibi nec nobis fuiſſet cauſa ejus meritoria. Similiter ſecunda probatio aſſumit falſum, ſi ly *ita* dicat omnem paritatem: quia dependentia noſtræ juſtitiæ ab actibus, quibus Adamus legem impleret, præciſe erat ſicut à conditione removente peccatum: dependentia vero amiſſionis talis juſtitiæ ab ipſo peccato erat ſicut à cauſa illam auferente. Et ratio eſt: quia juſtitia originalis noſtra non magis dependebat ab obſervatione legis in Adamo, quàm dependebat conſervatio talis juſtitiæ pro ipſo Adamo: quandiu enim hæc in illo conſervaretur, erat nobis ad illã jus divinæ promiſſionis ita gratis & abſque meritis factæ, ſicut Adæ facta fuit collatio. Porro conſervatio non dependebat ab obſervatione legis ſicut à cauſa meritoria, quia, ut diximus, donum perſeverantiæ non cadit ſub merito; ſed dumtaxat ſicut à conditione removente peccatum, per quod ſolùm poterat amitti. Eodem ergo modo & non aliter juſtitia noſtra dependens fuit à prædicta obſervatione. At vero amiſſio tam pro Adamo, quàm pro nobis dependebat à peccato ſicut à cauſa demeritoria: quia Deus beneficia, quæ liberaliter & ſine meritis confert, eo quod bonus eſt; eo quod juſtus eſt, non ſine demeritis aufert. Ob idque dixit Concilium Trid. ſeſ. 6. cap. 11. Deum ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerere, niſi prius deſeratur ab eis.

Dices: illa obſervatio legis, ſi adfuiſſet, vere eſſet noſtra, ſicut fuit prævaricatio: ſed illa fuiſſet meritoria ut pote includens actus moraliter bonos, & ab habente gratiam elicitos: ergo meruiſſemus per illam. 131. Replica.

Reſpondetur, prædictam obſervationem poſſe conſiderari dupliciter vel præciſe in quantum eſſet vitatio, & remotio peccati, ad quam rationem quodammodo per accidens, & de materiali ſe habebat, quod eſſet actus moralis, bonus, meritorius, &c. poſſet enim, non occurrente aliquo præcepto affirmativo, talis vitatio conſiſtere ſine prædicto actu per ſolam omiſſionem mali. Vel in quantum jungeretur illi moralitas, & bonitas, ac proinde meritum. Primo modo fuiſſet noſtra; non autem ſecundo: quia Adamus ſolùm fuit cõſtitutus caput in ordine ad illam diſiunctivam, nempe vel peccando, amittere juſtitiam originalem; vel non peccando, phyſice illam traducere: nihilque in hac conſtitutione actum fuit de merito. Enodatur.

Ex doctrina hujus dubij patet reſponſio ad ultimum argumentum in fine præcedẽtis propoſitum. Quia prædictum argumentum ſolùm procedit de ablatione juſtitiæ originalis, quatenus ex parte Dei ſe tenet, & dicit negationem divini concurſus: quo pacto, ut diximus, habet rationem pœnæ: & ita quod iſto modo conſiderata cadat ſub demerito peccati Adami, non repugnat iis, quæ dubio præced. ſtabilivimus. Si autem prædictum argumentum applicaretur tali ablationi, quatenus tenet ſe ex parte hominis, dicitque privationem voluntariam prædictæ juſtitiæ, quo pacto habet rationem culpæ, nihil convincit: quia hujuſmodi privatio prout ſic neque cauſatur à Deo, neque Adamus ſuo peccato, & demerito potuit movere divinam voluntatem ad illam efficiendam. Satisfit ultimo argumẽto dubij præcedentis.

DUBIUM V.

Utrum ſolum primum Adami peccatum potuerit eſſe cauſa noſtri originalis?

NOmine primi peccati non intelligimus dumtaxat illud, quo Adamus de 132.
facto erga eſum ligni vetiti primò deliquit. Hoc enim, & non aliud cauſam fuiſſe de facto originalis culpæ, poſſet non immerito

 ſupponi.

ſupponi. Tum quia ſatis probabile eſt Adamum nullum aliud peccatum mortale commiſiſſe, ſed ſtatim poſtquam à Deo admonitus fuit, pœnitentiã egiſſe, deincépſque perpetuo gratiam conſervaſſe. Tum etiam quia ſatis ex ſcriptura conſtat, Adamum perſeveraſſe in innocentia uſque ad prædictum eſum, nudatúmque fuiſſe propter illum juſtitia originali, & de Paradiſo ejectum: quare nulla eſt ratio ut intelligamus, aliquod aliud peccatum vel fuiſſe primum, vel de facto cauſam noſtri originalis. Nec refert, quod, ut diſp. 16. dub. 6. dicemus, Adamus primo deliquit peccato ſuperbiæ inordinatè appetendo propriam excellentiam, atque adéo peccatum erga eſum ligni vetiti, quod fuit peccatum gulæ, propter quod juſtitiam originalem amiſimus, non videtur fuiſſe omnino primum. Non itaque hoc refert, quia, ut ibi dicemus, in uno peccato commiſit Adamus plures deformitates, nẽpe ſuperbiæ, inobedientiæ, & gulæ, & ita quamvis primo deliquerit per ſuperbiam, & per eam amiſerit juſtitiam originalem, ſtat etiam peccatum gulæ fuiſſe primum, & per ipſum quoque talem juſtitiam amiſiſſe: quia ly *primum peccatum* in præſenti ſupponit pro ſubſtracto totius malitiæ, non pro hac vel illa circunſtantia, aut deformitate, quæ in illo concurrit.

Eſt ergo præſens difficultas, an originalis culpæ cauſalitas attenta communi providentia, & ex vi præſentis legis, annexa fuerit primo peccato Adami, quia primo, atque adeo independenter, ab eo quòd eſſet talis, vel talis ſpeciei; an vero determinate illi peccato, quo circa lignum vetitum deliquit: ita quod licèt antea committeret alia, non iſta, ſed illud dumtaxat prædictam culpam originaret. ¶ Diximus autem *attenta communi providentia, & ex vi præſentis legis*: quia licèt perſpicuum ſit, Adamum quovis primo peccato, (quod neceſſario eſſet mortale, nec enim poterat à veniali incipere) amiſſurum pro ſe juſtitiam originalem, ſaltem qua parte includit gratiam, cum impoſſibile ſit gratiam, & peccatum ſimul permanere: attamen non dubitamus potuiſſe Deum lege abſoluta decernere; ut non quovis primo peccato illam à ſuis poſteris excluderet, uſque dum tale, vel tale committeret: tuncque illi dumtaxat peccato, de quo ſtaret decretum, quod poſſet eſſe ſecundum, vel tertium, vel aliud, eſſet annexa prædicta cauſalitas, non autem primo in quantum primo. At vero ſtando communi providentiæ, & curſui; quem res natura ſua poſtulant, atque ex vi præſentis legis, poteſt non immerito controverti, an prædicta cauſalitas ita alligata fuerit peccato illi gulæ in quantum tali, ut etiam ſi non fuiſſet primum, ſed alia præcederent, nulli alij quàm ipſi peccato gulæ competeret; an vero annexa fuerit cuicumque primo loco præceſſiſſet.

§. I.

Deciditur difficultas ex mente Ang. Doctoris.

133. Dicendum eſt, Adamum quovis primo peccato amiſſurum pro ſe, & pro nobis juſtitiam originalem, atque adeo ſolùm illud: quod fuiſſet primum, non vero alia, quæ ſupervenirent, potuiſſe cauſare originalẽ culpam. Ita D. Thom. 2. 2. quæſt. 163. art. 3. ad 2. ubi ait. *Dicendum quod magnitudo pœnæ, quæ conſequuta eſt illud primum peccatum, non correſpondet ei ſecundum quantitatem propriæ ſpeciei, ſed in quantum fuit primum: quia ex hoc interrupta eſt innocentia primi ſtatus, qua ſubſtracta deordinata eſt tota natura humana.* Conſtat autem prædictum peccatum ea ratione fuiſſe cauſam pœnæ originalis, & communis (de hac enim procedebat argumentum) qua fuit cauſa culpæ: atque adeo ſicut cauſalitas pœnæ fuit illi annexa, non prout erat talis vel talis ſpeciei, puta gulæ, ſed in quantum primo, ita cauſalitas culpæ. Clarius id tradit in 2. diſt. 33. circa finem in expoſitione textus ad ſecundam difficultatem, ubi ita inquit. *Dicendum; quod hoc eſt per accidens,* D. Thom. *quod* (videlicet peccatum gulæ) *tale nocumentum naturæ humanæ intulit, quia ſcilicet fuit primum peccatum, quod naturam humanam vitiavit, & ordinem animæ ad Deum interrupit in illo, ex quo omnes homines per coitum naturam humanam traxerunt: quodcumque autem aliud peccatum fuiſſet hoc modo primum, etiam ſimilem effectum habuiſſe, ſive fuiſſet peccatum operis, ſive voluntatis, quamvis quidam aliter dicant,* &c. Idem docet eadem diſt. quæſt. 1. art 1. & diſt. 21. quæſt. 2. art. 2. ad 2. ibidémque ad Annibal. art. 4. ad 2. Ad Roma. 5. lect. 3. de mal. quæſt, 4. art. 8. & in præſenti art. 2. Quem ſequuntur Durandus cit. diſt. 33. *Durand.* quæſt. 1. Curiel in præſenti art. 1. dub. ultimo. *Curiel.* Alvarez diſp. 172. Greg. Mart. art. 2. *Alvar.* dub. [illegible]. & alij. *Greg. Mart.*

Probatur ratione ejuſdem Ang. Doctoris: Ratio aſſertionis. quia Adamus per primum peccatum, quodcumque illud eſſet, amitteret juſtitiam originalem: ergo ex vi illius traduceret ad nos originalem culpam. Antecedens eſt ſatis perſpicuum: quoniam juſtitia originalis utpote includens ipſam juſtificantem gratiam, erat incompoſſibilis cum quovis peccato mortali, atque adeo admiſſo quolibet ab Adamo, deberet neceſſario deperdi. Conſequentia vero probatur. Nam eo ipſo quod Adamus careret juſtitia originali ex vi prædicti peccati, proindéque carentia privativa, & voluntaria, ex vi ejuſdem deduceret naturam ad nos affectam, & aſſociatam hujuſmodi carentia, atque adeo infectam culpa originali: talem enim nobis naturam communicaret, qualis in eo remanſiſſet.

134. Confirmatio. Confirmatur: nam ſemel ſpoliato Adamo juſtitia originali, uti maneret per primum peccatum, quodcumque illud eſſet, conſequenter ejus vis generativa amitteret vigorem, quo pollebat ad prædictam juſtitiam poſteris communicandam, manerétque proinde omne ejus ſemen vitiatum, & infectum per privationem illius vigoris: hujuſmodi enim vigor habebat nexum cum ipſa juſtitia prout in Adamo, & prout communicanda ab illo: quare amiſſa iſta per peccatum, non poſſet ille remanere: ergo in omnes, quos Adamus genuiſſet transfunderet naturam culpa originali infectam. Patet conſequentia. Nam per ſemen infectum & vitiatum modo dicto non poterat aliter natura niſi cum infectione & vitio communicari.

Confirmatur

Confirmatio alia. Confirmatur ſecundo: etenim quodcumque aliud peccatum primo ſuperveniret, inveniret per illud ſpoliatam naturam dono juſtitiæ originalis, ſeménque vitiatum, & infectum per carentiam prædicti vigoris: unde prædictum peccatum non jam tali dono naturam, ſecundum quod natura eſt, privaret, neque eam per ſe primo inficeret, ſed eſſet dumtaxat peccatum perſonale ſiſtens in propria perſona: non ergo poſſet eſſe cauſa originalis, quod eſt per ſe primo peccatum naturæ: atque adeo hujus cauſalitas omninò eſt propria primi peccati ſub ratione primi.

135. Evaſio ad rationem. Dices ad rationem, Adamum per primum peccatum (eſto non eſſet illud, quod de facto erga lignum vetitum commiſit) amiſſurum juſtitiam originalem pro ſe, non autem pro poſteris: quia promiſſio à Deo pro illis facta reſpiciebat præceptum non edendi de tali ligno: unde quandiu Adamus præceptum iſtud cuſtodiret etiam ſi prætermitteret alia, adimpleretur in ſuis poſteris divina promiſſio de conferenda prædicta juſtitia. ¶ Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem poſſet etiam reſponderi, vigorem juſtitiæ originalis propagativum non eſſe annexum permanentiæ talis juſtitiæ in ipſa perſona Adami, ſed obſervationi dumtaxat, ſeu non violationi prædicti præcepti: atque iſta quandiu hoc non violaretur, permaneret in illius ſemine talis vigor ſeparatus ab ipſa juſtitia. Quemadmodum ſi Adamo non peccante peccaret filius ejus, iſte amitteret juſtitiam originalem pro ſe dumtaxat, non autem amitteret vigorem ad communicandum eam aliis, qui ex ipſo procederent. Ad ſecundam. Ex quo etiam ad ſecundam dici poſſet, peccatum illud ſuperveniens invenire naturam ſpoliatam juſtitia originali pro perſona Adami dumtaxat; ipſum vero ſpoliare illam abſolute, & pro omnibus individuis.

Sed omnes iſtæ evaſiones ſunt inſufficientes. Quæ ut facilius impugnentur, duo animadvertenda ſunt. Primum, & quidem ſatis per ſe notum eſt, Adamum per quodcumque peccatum à ſe tanquam à capite noſtro commiſſum, amiſſurum juſtitiam originalem non tantùm pro ſe, ſed & pro tota poſteritate. Doctrina pro impugnandis Evaſionibus. Quippe eo ipſo quod tale peccatum committebatur ab Adamo ut gerente munus capitis, omnes in illo delinqueremus, mereremurque proinde ſubſtractionem talis juſtitiæ, quatenus hæc ſubſtractio poteſt habere rationem pœnæ. Quinimo donec tale peccatum irretractatum maneret in Dei abominatione, ex natura rei expelleret prædictam juſtitiam ab omnibus, & in omnes induceret ejus privationem conſtitutivam culpæ originalis.

136. Secundo eſt ſupponendum, Adamum per primum peccatum, quodcumque illud eſſet, amiſſurum dignitatem illam capitis moralis reſpectu noſtri: ſicut per primum, quod commiſit de facto, illam amiſit: atque adeo non jam deinceps operaretur tanquam caput. Hoc præſuppoſitum, quod non eſt ita certum ſicut præcedens, probari poteſt. Tum quia cum dignitas illa ad excellentiam Adami pertineret, & ipſe ſuperbiendo (quod in quocumque eventu deberet eſſe primum ejus peccatum, ut diſp. 16. dub. ultimo oſtendemus) propriam excellentiam inordinate appetiiſſet, merito per tale pecatum illam, quam habebat gratis donatam, deperderet. Tum etiam quia Adamus tandiu & non amplius debuit retinere dignitatem capitis, quandiu in poteſtate ejus fuit, attento communi rerum curſu, traducere ad nos indiſtincte vel juſtitiam originalem, vel culpam: ſecluſa enim hujuſmodi poteſtate, aut ad ſolam culpæ traductionem alligata indigna Deo erat talis conſtitutio: ſicut eſſet ponere in aliquo aliorum voluntates, non ſperato, neque poſſibili attento communi curſu ex tali collocatione alio effectu, quàm quòd illius peccatum poſſet ad iſtos pervenire: atqui Adamus privatus per primum peccatum juſtitia originali ad ſummum poterat traducere in poſteros nova peccata, non autem prædictam juſtitiam, quam ex tunc non haberet: ergo non debuit poſt commiſſum tale peccatum ea dignitate potiri.

Ex quo fit, decretum Dei, & pactum cum Adamo de propaganda in poſteros juſtitia originali non fuiſſe alligatum obſervationi hujus, vel illius dumtaxat præcepti; ſed indifferenter totam legem, & cuncta ejus præcepta comprehendiſſe. Nam quia quocumque violato, tolleretur ab Adamo dignitas capitis, conſequenter ceſſaret tale pactum, quod cum illo nō niſi tanquā cum capite initū fuit.

Fit etiam, primum peccatum Adami in quocumque eventu futurum eſſe capitale, cætera autem conſequentia ſolum perſonalia. 137 Tum quia donec Adamus retinuit dignitatem capitis, nempe uſque ad primum peccatum incluſive, quævis actio capax procedendi ab illo tanquam à capite, ſic de facto procederet, in eaque vis capitis elucceret: ſicut quia Chriſtus erat caput noſtrum ſemper & inamiſſibiliter, omnis actio capax procedendi ab illo ut à capite ſic de facto proceſſit: conſtat autem, primum peccatum, quodcumque illud fuiſſet, habere prædictam capacitatem, ſicut eam habuit, quod de facto fuit primum. Tum etiam quia Adamus ex vi conſtitutionis in eſſe capitis in quocumque eventu haberet, ut poſſet capitaliter delinquere; non autem poſſet ita delinquere alio peccato, quàm primo, pro reliquis enim quantumvis cito ſuccedentibus jam erat amiſſa dignitas capitis: ipſum ergo primum peccatum in quocumque eventu futurum eſſet capitale.

Ex his facile impugnantur illæ evaſiones. Prima quidem: nam primum peccatum Adami, quodcumque illud eſſet, fuiſſet peccatum capitis, & ab eo ſicut à capite commiſſum, imo nullum præter primum hujuſmodi conditionem habuiſſet, ut nuper probavimus: ſed non ſtat Adamum delinquere ut caput, quin amitteret juſtitiam originalem tam pro ſe, quàm pro poſteris, ut vidimus in primo præſuppoſito: ruit ergo prædicta evaſio. Quod autem in ea dicitur, nimirum promiſſionem à Deo factam de propaganda juſtitia originali, determinate reſpicere præceptum illud poſitivum non edendi de ligno vetito, falſum eſt: nam revera reſpiciebat totam legem collective, & omnia ejus præcepta tam naturalia, quàm poſitiva, ut nuper declaravimus: atque adeo quodcumque illorum Adamus violaret, non adimpleretur promiſſio. Cur autem ſpecialiter à Deo facta fuit mentio illius præcepti poſitivi, dicemus in ſolutione ad primam confirmationem pro contraria ſententia.

Ex

138. Ex quo evaſio primæ noſtræ confirmationis facile etiam corruit: quia vigor ad propagandam juſtitiam originalem ſolum potuit durare in Adamo, quandiu ipſe eſſet caput, ſicut etiam facultas traducendi culpam: neutram enim niſi ut caput transfunderet. Quare ſicut dignitas capitis annexa erat juſtitiæ originali ut permanenti in ipſo Adamo, & iſta pereunte, illa etiam periret, ſic prædictus vigor. ¶ Accedit, quod non ſtat, Adamum communicare aliis juſtitiam originalem, & illam in ſe non habere, nemo enim dat, quod non habet: ergo neque ablata ab eo tali juſtitia, retineret vigorem ad illam communicandam. Et quamvis de potentia abſoluta potuiſſet Deus oppoſitum ſtatuere; attento tamen communi curſu, ita res poſtulabant diſponi, ut vigor ille annexus eſſet perfectioni per ipſum communicandæ: maxime vero in illo, qui tanquam caput in ea communicatione concurreret. Unde quia de divinis decretis, quandiu alia via oppoſitum non ſtat, non aliter philoſophari debemus, quàm ut rerum natura exigit, merito credimus Deum de facto, ſicut declaravimus, ſic ſtatuiſſe.

Neque obeſt illud, quod in iſta evaſione tangitur: videlicet ſi non peccante Adamo, filius eius peccaret, &c. Tum quia veroſimile eſt huiuſmodi peccatorem non communicaturum ſuis filiis juſtitiam originalem, ſed potius peccatum ob rationem, quam num. 153. trademus. Tum etiam quia eſto communicaret juſtitiam, non id præſtitiſſet tanquam caput, ſed ſub nuda ratione inſtrumenti Dei, & ipſius Adami: certum eſt autem majorem exigentiam perfectionis communicandæ adeſſe debere in capite, quàm in puro inſtrumento.

Tandem ruit evaſio ſecundæ confirmationis. Tum quia peccatum ſuperveniens primo, inveniret naturam ſpoliatam juſtitia originali per peccatum capitis, adeòque tam pro Adamo, quàm pro poſteris. Tum etam quia ipſum peccatum ſuperveniens non eſſet capitale, jam quippe Adamus eam dignitatem amiſerat; ſed perſonale dumtaxat. Unde nequaquam haberet vim expellendi juſtitiam originalem ab aliis individuis; ſed ipſi tantum perſonæ Adami noceret.

139. Repl... Nec refert ſi urgeas, quod vel Adamus in illo primo inſtante, in quo peccavit, conſervabat rationem capitis, vel non? Si primum: ergo non amiſit eam per tale peccatum; ſed utrumque coextitit. Si ſecundum: ergo peccatum illud non fuit capitale, ſiquidem jam tunc Adamus non permanebat caput.

Solutio prima. Reſpondent aliqui, in illo inſtante diſtinguenda eſſe duo ſigna rationis cum prioritate, & poſterioritate naturæ, in primo illorum concipitur peccatum ſolum *in fieri*; nondum habens ſuum effectum, qui eſt privare Adamum dignitate capitis: unde pro illo priori concipitur ut peccans, & nondum ea dignitate ſpoliatus. In ſecundo autem concipitur peccatum *in facto eſſe*, atque adeo ipſe Adamus privatus prædicta dignitate. ¶ Hæc tamen ſolutio ſuas patitur difficultates: nam ſi peccatum in eodem inſtante reali, in quo eſt, habet ſecum privationem illius dignitatis, impoſſibile eſt, quod in illo inſtante pro quovis ſigno talis dignitas exiſtat: aliàs coexiſterent in eadem duratione forma & privatio. Porro ut Adamus tanquam caput delinqueret, neceſſarium videtur, quod in eodem inſtante in quo deliquit conſervaret re ipſa dignitatem capitis: aliter enim non verificaretur delinquere ut caput, ſiquidem jam non erat caput cum delinqueret.

Vera ſolutio. Quare ſecundo reſpondetur Adamum pro illo inſtante conſervare adhuc dignitatem capitis, quia hæc non habet incompoſſibilitatem cum peccato ex natura rei, ſed moraliter, & demeritorie, ab eo expellitur: quatenus eo ipſo quod Adamus deliquit, prædictáque dignitate male uſus fuit, illam demeruit: non eſt autem neceſſe pœnam ſimul eſſe cum peccato, unde optime potuit eſſe cum illo talis dignitas pro primo inſtante, & immediate poſt in ipſius peccati pœnam amitti.

§. II.

Sententia oppoſita noſtræ aſſertioni.

Oppoſitam ſententiam tenuit Alenſis 2. 140.
part. quæſt. 22. memb. 3. art 3. tenétque *Alenſ.*
Monteſinos in præſenti art. 2. diſp. 11. quæſt. *Monteſ.*
ſua 7. Suarez de opere ſex dierum lib 6 cap. 13 num. 8. & alij, exiſtimantes, ex vi præſentis legis nullum aliud peccatum potuiſſe ad nos ex Adamo derivari præter peccatum comedendi de ligno vetito, etiam ſi hoc non fuiſſet primum, ſed alia præceſſiſſent: atque adeo cauſalitatem peccati originalis nequaquam fuiſſe alligatam peccato illi, quia primo, ſed quia talis ſpeciei ſcilicet gulæ. Fundamentum hujus ſententiæ ſumit Monteſinos (Primum argumentum.) ex ratione decidendi D. Thomæ art. 1. hujus quæſt in hunc modum. Quia ſolum prædictum peccatum comedendi fuit in Adamo peccatum capitale; cætera vero, ſi aliqua commiſiſſet, dumtaxat fuiſſent perſonalia: ſed peccata perſonalia etiam primi parentis non traducuntur in poſteros: ergo niſi peccato illo peccaſſet, quamvis committeret alia, nullum ad nos tranſiret

Occurres ex doctrina à nobis tradita, potius ex hoc fundamentum haberi oppoſitum (Solutio.) iſtius ſententiæ: quia quod peccatum comedendi fuerit de facto capitale, non habuit quatenus talis ſpeciei, ſed quia fuit primum, nullúmque aliud præceſſit: atque ita ſi quod aliud præceſſiſſet, ipſum proculdubio fuiſſet capitale, non autem peccatum comedendi, quod tunc non eſſet primum.

Verum contra hanc ſolutionem urget. Tum 141.
quod difficile videtur, ut peccatum, *Impugnatur.*
quod ſi non eſſet primum, non eſſet capitale, neque haberet vim influendi in alia peccata, fiat capitale, accipiátque prædictam vim influendi eò dumtaxat quod ſit primum: cum eſſe primum vel non eſſe primum non variet intrinſece tale peccatum. Tum etiam quia præſens Dei lex de conſervatione vel amiſſione juſtitiæ originalis in Adamo, & ejus poſteris omnino fuit alligata obſervationi, vel tranſgreſſioni illius præcepti non edendi de ligno vetito: ergo ex vi præſentis legis ſola hujus præcepti tranſgreſſio poterat eſſe peccatum capitale; ſive eſſet, ſive non eſſet primum. Conſequentia eſt ſatis nota, & antecedens probatur. Quia Deus de facto pro ſola

ſola illius præcepti violatione minatus eſt mortem Adamo tam pro ſe, quàm pro ſuis poſteris, ut habetur Geneſ. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris:* mors autem non evenit niſi per amiſſionem juſtitiæ originalis: igitur ex vi præſentis legis hæc amiſſio & mors eam conſequens omnino fuit alligata transgreſſioni illius præcepti.

Geneſ. 2.

Confirmatur: quoniam Deus agens cum Adamo tanquam communi parente, & capite naturæ, nullum aliud præceptum ei intimavit præter illud Geneſ. 2. *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas:* ergo hoc dumtaxat præceptum fuit illi impoſitum tanquam capiti, atque adeo per ejus tantum violationem poterat in nos peccatum transfundere.

Idem.

¶ Confirmatur ſecundo. Nam de divinis decretis omnino liberis non licèt nobis aliter diſcurrere, niſi juxta quod in Scriptura revelatum eſt: hac quippe ratione aſſerimus Chriſtum Dominum ex vi præſentis decreti venturum non fuiſſe, ſi Adamus non peccaret, quia hanc tantum habemus aſſignatam in Scriptura ut cauſam ſui adventus: ſed ex Scriptura non conſtat impoſitum fuiſſe Adamo aliud præceptum in ordine ad conſervandam, vel amittendam pro tota natura juſtitiam originalem præter illud non comedendi de ligno vetito: igitur non debemus præſens Dei decretum ultra id extendere.

142. Defenditur ſolutio.

Hæc tamen non obſtant, quominus ſolutio aſſignata ſit legitima, ut in probatione aſſertionis. Quare ad primam impugnationem reſpondetur, ſatis eſſe mutationem peccati à primo in non primum, vel è converſo, ut ſit, vel non ſit capitale, ac proinde ut habeat, vel non habeat vim influendi in aliorum peccata, non præciſe ratione prioritatis, aut poſterioritatis, ſed ratione dignitatis capitis durantis in Adamo uſque ad primum peccatum incluſive, & ſtatim pereuntis. Nam ratione hujus dignitatis, quandiu duravit, voluntas Adami erat voluntas capitis, & habebat vim influendi in poſteros; illa vero per primum peccatum amiſſa, manſit prædicta voluntas in ratione dumtaxat perſonalis, atque adeo impotens ad influendum in alios ſubſequentia peccata.

Ad ſecundum negatur antecedens, ut diximus num. 136. Ad probationem vero occurrit D. Thom. in 2. diſt. 33. in expoſitione textus, ubi cum dixiſſet Adamum per quodcumque peccatum, dummodo eſſet primum, traducturum ad nos culpam originalem, ſubdit. *Quamvis quidam aliter dicant dicentes, ſi Adam alio modo peccaſſet, non incurriſſet eam neceſſitatem moriendi: quia hac pœna illi tantum culpæ videtur ordinata eſſe à Deo, cum dixit quacunque die comederis*, &c. Quæ eſt probatio prædicti antecedentis. Eam vero ſtatim ita ſolvit. *Sed in hoc oſtenditur, quod etiam ſi alia peccata commiſiſſet, ſimilem pœnam ſuſtinuiſſet quaſi à minori: gravius eſt enim, præceptum præterire naturalis legis, quo prohibetur illud, quod in ſe eſt malum, quam præterire præceptum diſciplinæ quo prohibetur, quod non eſt malum, niſi quia prohibitum*, &c.

D. Thom.

143. Solvitur prima confirmatio.

Ex quo ad primam confirmationem dicendum eſt, ideo Deum ſpecialiter intimaſſe Adamo præceptum illud non comedendi, quia cum eſſet mere poſitivum, non fuiſſet ſine tali intimatione ab eo cognitum: ſicut erant cætera præcepta naturalia, quæ ex ipſo naturæ lumine erant Adamo per ſe nota: & ideo neceſſe non fuit expreſſius ea illi intimare. Ex hoc autem non convincitur, per violationem alicujus præcepti naturalis, ſi præceſſiſſet, non amiſſurum Adamum originalem juſtitiam eodem modo, quo per violationem illius poſitivi amiſit de facto; imo oppoſitum deducitur: quia ſi minus grave præceptum intimavit Deus ſub communis mortis pœna, à fortiori voluit pro intimatis haberi ſub æquali pœna, vel majori præcepta graviora legis naturæ.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur decreta Dei abſoluta, & eorum tenorem, quãdo ex Scriptura oppoſitum non conſtat, rectè à nobis inveſtigari per id, quod natura rerum, & ſuavis providentia exigit: quippe huic exigentiæ accommodat Deus regulariter prædicta decreta. Unde licèt in Scriptura non habeatur ita expreſſè, quod pactum Dei erga juſtitiam originalem concernebat alia præcepta legis naturalis; quia tamen hoc nullibi negatur, & ipſa rei natura ſuaviſque providentia ſic expoſcunt, merito aſſeveramus prædictum pactum, & decretum Dei erga illud omnia præcepta comprehendiſſe. Neque eſt ſimile de decreto Incarnationis: quia ex Scriptura non ſolum conſtat fuiſſe in remedium peccati, ſed etiam fuiſſe de facto cauſam adeo præcipuam, ut eâ deficiente Incarnatio non fieret, ut ſuo loco oſtenditur. Circa decretum vero conſervationis, vel amiſſionis juſtitiæ originalis ſolum habemus comprehendiſſe præceptum illud non comedendi: quod autẽ hoc fuerit ejus materia adæquata, aliaque præcepta excluſerit, minime eſt unde colligamus; immo oppoſitum innuitur non ſemel ab Scriptura, & tradunt non obſcure Sancti Patres. Solvitur ſecunda.

Nec refert ſi urgeas, quod Deus de facto ſic decrevit erga amiſſionem juſtitiæ originalis, ſicut accidit de facto: at de facto ſolum amiſimus eam propter peccatum comedendi: ergo pro hoc dumtaxat erat tale decretum. 144. Replica.

Reſpondetur enim, antecedens ſolum eſſe verum de decreto efficaci, & prædeterminativo permiſſionis peccati, propter quod juſtitia originalis erat re ipſa à nobis auferenda: non autem de decreto directivo, ſeu ſumpto pro lege, qua Deum ſancivit non quidem permittere, vel non permittere hoc, aut illud Adami peccatum: ſed quod ſi peccaret, ut erat caput noſtrum, eo ipſo pro ſe & pro nobis prædictam juſtitiam deperderet. Hujuſmodi enim legem intelligimus in præſenti nomine *decreti*, ob idque potius nomine *legis*, vel *pacti*, quàm nomine *decreti* ab initio dubij ferè uſque modo communiter uſi fuimus. Et talem legem dicimus comprehendiſſe quodcũque peccatum, quod primo loco ab Adamo committeretur, & non tantùm peccatum illud, quod de facto commiſit. Poteſtque hoc explicari in decreto circa damnationem reprobi: certum eſt enim, reprobum de facto non damnari propter quævis peccata, ſed propter illa dumtaxat, quæ commiſit de facto, & de quibus non pœnituit, v. g. propter furtum, aut homicidium: atque adeo decretum Dei efficax, & prædeterminativum circa talem damnationem Enervatur.

Digitized by Google

nationem ſolum peccatum furti aut homicidij comprehendit: & nihilominus decretum directivum, ſeu lex, quæ de facto ſtatuit peccatorem impœnitentem condemnari, omnia peccata mortalia comprehendit. Et ita ex vi hujus legis damnaretur ille impœnitens propter perjurium, & propter adulterium, & propter quodcumque aliud mortale, quod commiſiſſet, ſicut damnatur propter homicidium, vel furtum. Imo ex vi prædictæ legis non damnaretur propter hæc, ſi de facto ea non commiſiſſet; damnaretur autem propter quæcumque alia, quæ non commiſit de facto, ſi illa committeret. Ita ergo philoſophandum eſt in caſu noſtro.

DUBIUM VI.

Qualiter expedienda ſit triplex difficultas ex dictis emergens?

EX dictis in præcedenti dubio, & in reliquo diſputationis tres inſurgunt difficultates. Prima, an aliqua peccata proximorum parentum traducantur in poſteros per originem: vel ſolum ſit in omnibus unicum peccatum originale ex primo parente, & non ex alio contractum? Secunda, an ſi Adamus non peccaret, peccaret autem aliquis ejus filius, hujus filij in peccato naſcerentur. Tertia, an ſi Adamus ante peccatum genuiſſet; poſt vero peccaret, filius antea genitus, vel ſaltem nepotes, & reliqui ex eo deſcendentes peccato Adami macularentur? Et quoniam prædictæ quæſtiones leves ſunt, breviter in hoc dubio omnibus occurremus.

§. I.

Solutio prioris quæſtionis.

145. AD primam ergo dicendum eſt, quod licet de potentia abſoluta non repugnaret, peccata proximorum parentum derivari in poſteros; de facto tamen fieri non poteſt, ut aliquod ſecundum rationem culpæ ab aliis genitoribus in filios præterquam ab Adamo deſcendat: atque adeo in ſingulis hominibus unicum duntaxat poſſe eſſe peccatum originale, quod ex primo Adami delicto omnes contrahunt. Prima pars hujus aſſertionis inde manifeſte probatur: quia nulla eſt implicatio in eo quod, ſicut Deus conſtituit Adamum caput morale cunctorum, qui per ſeminalem propagationem ab eo proceſſuri erant, omniumque voluntates in illum transfudit; ita de lege abſoluta quemlibet ex proximis parentibus ſimili modo conſtitueret caput morale ſuorum poſterorum per ſimilem voluntatum transfuſionem, ornaretque ipſum pro ſe, & pro illis juſtitia originali aut fortaſſe alia perfectione, cujus privatio haberet rationem culpæ: hoc autem ſemel facto, aderat quicquid requiritur, ut homo ita conſtitutus, ſi ſemel delinqueret, tranfunderet peccatum in ſuos ſucceſſores, ſicut transfudit Adamus in univerſos. Eodem enim modo haberet ſe ille homo ad alios, à ſe immediate, vel mediate genitos, ſicut Adamus de

Probatur prima pars aſſertionis.

facto habuit ſe ad omnes homines. In quo, quia res videtur perſpicua, non immoramur.

Dubitatio incidens.

Solùm poſſet inquiri, an hæc doctrina ſit vera ex hypotheſi ſolùm quod Adamus non peccaret; peccaret autem ille parens proximus: an vero etiam utroque peccante ita quod utriuſque peccatum ad poſteros tranſiret. Quâ in re Monteſinos in præſenti diſp. 11. numero 107. merito tuetur hoc poſterius; & objectionem, quæ in oppoſitum poteſt efformari, ex eo quod in unoquoque ex illis poſteris futurum eſſet duplex peccatum originale; cum tamen hæc peccata non videantur in eodẽ ſuppoſito multiplicari poſſe, ſolvit num. 105.

146. Secunda pars aſſertionis ſuadetur.

Secunda autem aſſertionis pars, videlicet nullius peccatum præterquàm ſolius Adami de facto à parentibus in filios transfundi, recipitur unanimiter à Theologis, & à D. Thoma pro concluſione habetur art. 2. hujus quæſt. & aliis locis. Imo in ſacra Scriptura id aperte monſtratur dum dicitur Rom. 5. *Unius delicto multi mortui ſunt.* Et rurſus. *Non ſicut per unum peccatum, ita donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem*, &c. Et inferius *Sicut unius delicto mors regnavit per unum*, &c. Non ergo multorum peccata, ſed unius tantum delictum ſcilicet Adami originaliter ad nos deſcendit. Roman. 5.

Ratio vero ex dictis eſt perſpicua: nam ut peccatum alicujus ſecundum rationem culpæ traducatur ad poſteros, debet ille eſſe caput eorum morale: ſecluſa enim hac capitis ratione, non eſt intelligibile, quo pacto in parentibus delinquant, aut iſtorum peccata reſpectu illorum habeant rationem voluntarij, ut vidimus dub. 2. atqui ſolus Adamus conſtitutus eſt caput morale poſterorum, neque eſt aliquod fundamentum, ut de facto id alteri præſtitum fuiſſe dicamus: ergo nullius alterius peccatum ſecundum rationem culpæ poteſt ad ſucceſſores per originem, vel alia via tranſire.

Adde, peccatum quod à parentibus poteſt tranſire in poſteros, debere eſſe peccatum naturæ, non vero perſonale; accidentia enim pure perſonalia communicabilia non ſunt, ut probat D. Thom. art. 2. hujus quæſt. Porro peccatum naturæ non poteſt eſſe aliud, niſi quod ſubſtrahit ſanctitatem, & juſtitiam toti naturæ communem, & pro omnibus conceſſam: conſtat autem in proximis parentibus nullam eſſe hujuſmodi juſtitiam, quam peccatum auferat, ſed fuit duntaxat in Adamo, cui pro tota natura conceſſa fuit juſtitia originalis.

147. Effugium.

Dices cum aliquibus (quos ſuppreſſo nomine refert Greg. Mart.) hoc eſſe verum lege novi teſtamenti, quæ eſt lex gratiæ; non autem in veteri, in qua multoties dicitur Deus viſitare peccata parentum in filiis uſque ad tertiam, & quartam generationem: tranſibant ergo tunc peccata à parentibus in filios.

Præcluditur.

Sed contra eſt: quia ratio à nobis facta procedit eodem modo in utraque lege nova & veteri, cum neque nunc neque tunc Deus aliud caput morale præter Adam conſtituerit (non loquimur de Chriſto Domino, qui fuit caput in ordine ad gratiam) ergo neque tunc neque modo poteſt alicujus alterius peccatum ſecundum rationem culpæ in filios transfundi. ¶ Quo pacto vero Deus viſitet peccata parentum in filiis, declarat ex Auguſtino D. Thom.

Digitized by Google

Th. in præſenti art. 2. ad 1. & latius infra q. 87. art 8. per totum, nec non in 2. diſt 33. q. 1. art. 2. Nam præterquam quod filij nunquam puniuntur propter peccata parentum pœna ſpirituali, aut æterna, ſed aliqua tantùm pœna corporali & temporali: adhuc hujuſmodi pœna non eſt proprie talis ratione ipſorum filiorum, qui peccaverunt, ſed dumtaxat ratione parentum: qui ſicut in aliis bonis, poſſunt etiam puniri in filiis, quatenus iſti ſunt aliquid parentum: unde propriè loquendo, non ipſi filij puniuntur, neque afficiuntur pœna, quæ ratione eorum proprie pœna ſit, ſed eorum pœnalitatibus parentes puniuntur. Aliter etiam dicitur Deus viſitare peccata parentum in filiis, nimirum propter imitationem: frequenter enim filij peccata parentum imitantur, & tunc propter peccata ab ipſis filiis patrū veſtigia ſequentibus commiſſa, eiſdem ſuppliciis puniuntur. Videatur Ang. Doct. loco cit. ubi rem optime declarat.

148. Triplex objectio. Neque obeſt ſi obiicias tùm quòd Deus pepigit pactum cum Aaron pro ſe, & pro ſua poſteritate ut doceret populum ceremonias, & offerret ſacrificia juxta legem, ut habetur Eccleſiaſt. 45. & Malach 2. Igitur ratione huius pacti ſi Aaron non obſervaret illud, ſicut revera non omnino obſervavit, traduceret hujuſmodi peccatum ad filios, ſicut traduxit Adamus. Tum etiam quod tempore legis naturæ filij mundabantur à peccato per fidem proximorum parentum: ergo per eorum peccata poterant maculari Tum denique quia D. Cyprianus in epiſtola de lapſis affirmat, filios infidelium amittere gratiam, quam in baptiſmo ſuſceperant propter perfidiam ipſorum, dum ab eis idolis offerebantur ſed gratia non amittitur ſine peccato ejus, qui illam amittit: ergo illud peccatum perfidiæ tranſibat à parentibus in filios.

Diluitur prima. Reſpondetur enim ad primum, pactum illud cum Aaron, & ſi quæ alia in ſcriptura inveniuntur, non fuiſſe de conſervanda vel amittenda interna ſanctitate, ſed de conſervanda dumtaxat, vel amittenda aliqua dignitate temporali, cujus privatio vel amiſſio, neque eſt formaliter culpa, neque eam neceſſario ſupponit: at vero pactum, cui inniti debet voluntatum transfuſio, ut virtute eius peccatum unius imputetur aliis, quorum voluntates in eum fuerant tranſfuſæ, debet eſſe erga internam rectitudinem, & ſanctitatem, cuius privatio eo ipſo quod voluntarij rationem includat, eſt intrinſece mala & peccaminoſa formaliter Huiuſmodi autem pactum nuſquam Deus niſi cum Adamo ſancivit.

Diluitur ſecunda. D. Thom. Ad ſecundum reſpondet D. Th. q. 4. de mal. art 8. ad 12. his verbis. *Dicendum, quod à principio humani generis remedium contra originale peccatum adhiberi non potuit niſi per virtutem mediatoris Dei, & hominis Ieſu Chriſti: Fides ergo antiquorum cum aliqua proteſtatione fidei valebat parvulis ad ſalutem, non prout erat quidam actus meritorius credentiū: unde non requirebatur, quod eſſet actus fidei formatæ; ſed ex parte rei creditæ, ſcilicet ipſius mediatoris. Sic enim & ſacramenta, quæ poſtea ſunt inſtituta, valent, in quantum ſunt quædam fidei proteſtationes: unde non ſequitur, quod infidelitas parentum filiis noceret, niſi per accidens, ſicut removens remedium peccati.*

149. Ad tertium reſpondetur, D. Cyprianum non voluiſſe, quod parvuli baptizati de facto amittant gratiam propter parentum infidelitatem; ſed quod quantum eſt in ipſis parentibus illam amitterent, quia faciunt quantum poſſunt, ut eam amittant: eo ſenſu quo Apoſtolus dixit ſpiritum nolite extinguere, non quia ille extingui poteſt; ſed quia quantum in ipſis eſt, ita agunt ut extinguant, extinctores eius merito dicuntur. Ita exponit Cyprianum D. Auguſtinus epiſt. 23. *Iſto ſenſu* (inquit) *recte intelligi poteſt, quod ſcripſit B. Cyprianus in epiſt. de lapſis: ac ne quid deeſſet ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus impoſiti, vel attrectati amiſerunt parvuli, quod in primo ſtatim nativitatis exordio fuerant conſequuti. Amiſerunt dixit quantum attinuit ad illorum ſcelus, à quibus amittere coacti ſunt. Amiſerunt in eorum mente, ac voluntate, qui in illos tantum facinus commiſerunt*, &c.

Diluitur tertia. D. Auguſt.

§ II.

Expeditur ſecunda difficultas.

Secunda difficultas poſtulat, quid tenendum ſit in illa conditionali: an nimirum ſi Adamo in originali juſtitia permanente, aliquis filius ejus peccaret, iſtius filij naſcerentur cum prædicta iuſtitia, vel potius peccato infecti: Neque excitando hanc quæſtionem ſupponimus peccaturum de facto aliquem ex ſucceſſoribus Adami, ipſo non peccante. Quippe hoc certo ſciri non poteſt: nam D. Gregorius lib. 4. moral. cap. 18 alias 36. oppoſitum inſinuat dicens, quòd *ſi primum parentem nulla putredo peccati corrumperet, nequaquam ex ſe filios gehennæ generaret: ſed iſ, qui nunc per redemptorem ſalvandi ſunt, ſoli ab illo electi naſcerentur.* Cui teſtimonio aſſentitur D. Thom. quodlib. 5. art. 6. & 1. p. quæſt. 100. art 2. ad 1. ubi aliqualiter innuit, quod ex ſpeciali divinæ providentiæ beneficio homines in eo ſtatu à peccato immunes conſervarentur. Diximus *aliqualiter innuit*: quia licèt Monteſinos in præſenti diſp. 11. num. 103. affirmet hanc eſſe doctrinam D. Thomæ in illo art. 2. revera tamen ſolum innuit, adeóque leviter, ut ſi in contrarium eſſet aliquod eius teſtimonium, iſtud ex prima parte nulla indigeret explicatione. Verum quicquid de hoc ſit, unum certum habemus, quod Ang. Doctor ibi & alibi non ſemel demonſtrat: videlicet homines in illo ſtatu non naſcituros confirmatos in gratia, atque adeo poſſe abſolutè peccare: & hoc ſufficit ut admittamus hypotheſim, nempe quod Adamo non peccante, peccaret aliquis ejus filius: & examinemus, an illius filij cum peccato naſcerentur? 150.

D. Gregor.

Unde difficultatis locus.

Pars enim affirmativa videtur fuiſſe D. Thomæ q. 5. de mal. art. 4. ad 8. ubi ait: *Si ergo aliquis ex poſteris Adami peccaſſet, eo non peccante, moreretur quidem propter ſuum peccatum actuale, ſicut Adam mortuus fuit; ſed poſteri eius morerentur propter peccatum originale.* Quem modum dicendi fuiſſe illuſtrium Theologorum ſententiam ait Medina in præſenti artic. 2. Docuit illam Scotus in 2. diſt. 32. quæſt. 1. §. ad argumenta tertiæ quæſt. Driedo de capt. & redempt. gener. human. tract. 2. cap. 2. part. 4. Palat in 2. diſt. 29. quæſt. unica. Et diſt. 31. quæſt. unica, & Conradus in præſenti articulo. Ratio vero eſſe poteſt Tum quod 151.

Pars affirmativa quibus fulcitur? D. Thom. Medina, Scotus, Dried. Palat. Conrad.

Digitized by Google

quod ille filius Adami, cum eſſet per ſuum peccatum iuſtitia originali deſtitutus, non poſſet generare filios cum tali iuſtitia: nemo quippe dat quod non habet: ergo generaret illos iuſtitia privatos, atque adeo cum originali culpa. Tum etiam quia eo ipſo quod ille generans amiſiſſet per ſuum peccatum prædictam iuſtitiam, debuiſſet etiam amittere vigorem ad eam communicandam, de quo dub. 3. à num. 69. diximus. Quoniam talis vigor quaſi dimanabat ab ipſa iuſtitia, & erat illi annexus: amiſſo autem prædicto vigore, nihil erat, per quod talis generans prædictam iuſtitiam communicaret: ederet ergo prolem ea privatã ac proinde originali culpa infectã.

151. Verior pars negativa. Aliunde autem doctrina hæc videtur repugnare hucuſque ſtabilitis. Dictum eſt enim nullum ex filiis, vel poſteris Adami fuiſſe conſtitutum caput morale cæterorum, ſed tantùm ipſe Adamus: ergo huius duntaxat peccatum, & nullius alterius poterat ad ſucceſſores tranſire: aliàs vana eſſet ratio, qua nuper oſtendimus, peccata parentum proximorum non poſſe filiis communicari. ¶ Confirmatur: nam vel ille filius Adami peccator communicaret peccatum ſuis filiis virtute propria, & ut cauſa principalis; vel virtute Adami & tanquam eius inſtrumentum? Hoc ſecundum dici nequit: quia ſi Adamus non peccaret, neque eſſet cauſa principalis talis peccati, neque alicui daret virtutem ad illud transfundendum; cum nihil horum præſtet niſi ratione ſui peccati. Neque etiam dici poteſt primum: quia virtute propria, & ut cauſa principalis ille ſolus, qui eſt caput morale cæterorum, poteſt in eos peccatum transfundere, ut ſæpè diximus. Et ita cenſent iam communiter recentiores Medina, Curiel, Alvarez, Monteſinos, Martinez, & alij ſuper hanc quæſtionem. Et ita eſt abſolute aſſerendum. Neque eſſet inconveniens in prædicto caſu, ut in illo qui amiſiſſet iuſtitiam originalem, remaneret vigor ad illam traducendam; non quidem in virtute propria, ſed in virtute alterius. Sicut modò homo baptizatus, qui non habet iam originale peccatum, conſervat nihilominus vim ad transfundendum illud in virtute Adami; connexio enim illius vigoris cum originali iuſtitia ex parte ſubiecti, potius erat ex divina ordinatione, quàm ex natura rei, aut per modum proprietatis cum eſſentia: & ita facile poſſet in ea connexione diſpenſari

Doctrina pro veritatis declaratione, & D. Thomæ intelligẽtia. Sed ut explicemus mentem D. Thomæ in illo loco, qui in contrarium adducitur, ex quæſt. 5. de mal. animadvertendum eſt, in caſu illius hypotheſis *ſi Adamo non peccante filius eius peccaret*, &c. poſſe nos loqui dupliciter: vel ex vi decreti abſoluti, quod ſcimus Deum habuiſſe de facto, cum decrevit peccatum Adami permittere: vel ex vi alterius, quod probabiliter credere poſſumus habiturum in caſu illo, ſcilicet ſi decreviſſet non permittere lapſum Adami, permittere autem lapſum alicuius filij. Certum eſt enim, quod in illo caſu attenta ſuavi providentia, plures res poſtularent aliter diſponi, quàm de facto peccante Adamo, rebúſque ut nunc adeo ſtabilitis, diſpoſitæ ſunt: & alia eſſent quam multa Dei decreta abſoluta, atque fuerunt de facto: ſicut alia eſſent multa decreta abſoluta, quæ Deus haberet, ſi ſtatus iuſtitiæ originalis eſſet permanſurus, ab his, quæ de facto habuit pro præſenti ſtatu.

Loquendo ergo ex vi præſentis decreti abſoluti de conſtituendo hominibus caput morale, omnino tenendum eſt, quod nuper diximus cum recentioribus: hoc enim probat efficaciter ratio, & confirmatio pro ea parte facta: infertúrque manifeſte ex doctrina totius noſtræ diſputationis, quæ eſt D. Thomæ art. 2. huius quæſt. & aliis quamplu- 152.
ribus in locis. Etenim iuxta præſens decretum abſolutum nullus ex filiis Adami, vel nepotibus, ſed ipſe duntaxat conſtitutus eſt caput morale poſterorum, nullúſque alius accepturus eſſet iuſtitiam originalem, vel aliud donum ſanctificans pro ſuis ſucceſſoribus: ergo ex vi talis decreti qualitercumque res fluerent; atque adeo ſive Adamus peccaret, ſive non, nullius alius alterius peccatum poterat in poſteros traduci.

Cæterum ex vi alterius decreti, quod Deus de facto ut abſolutum non habuit; at probabiliter credimus in caſu hypotheſis habiturum erga conſtitutionem capitis moralis, recte poſſumus opinari, filium Adami peccatorem geniturum filios cum peccato. Nam ſatis veriſimile eſt, quod, decernente Deo non permittere peccatum in Adamo; & permittere in eius filio, conſequenter decerneret conſtituere talem filium, quem ſciebat peccaturum, caput morale ſuorum deſcendentium: qua conſtitutione ſemel facta, ſine dubio peccatum illius in iſtos deſcenderet. Et iuxta hæc intelligendus eſt D. Thomas in illo teſtimonio ex quæſt. 5. de mal. Unde non eſt neceſſe recurrere ad retractionem: loquitur enim ex vi alterius decreti, quod probabiliter autumat Deum in hypotheſi prædicta habiturum; non autem iuxta abſolutum, quod habuit de facto. ¶ Quod ſi hæc intelligentia & coniectura non placeat (neque enim illam approbamus, vel reprobamus, ſed Lectoris iudicio exponimus) dicendum erit, vel in prædicto teſtimonio ex quæſt. de Mal. redundare, aut mendoſè legi illa verba, *Sed poſteri eius morerentur propter peccatũ originale*. Vel retractata eſſe à D. Th. in præſenti art. 2. quatenus nullum aliud peccatum admittit futurũ eſſe originale, & tranſmittendum in poſteros, niſi illud quod Adamus primò commiſit.

Neque ita loqui de divinis decretis omnino eſt divinare; ſed prudenter coniicere, quod veroſimilius eſſet futurum, attentis omnibus, 153.
quæ in ſtatu illius hypotheſis ſuavis providentia, & rerum curſus, cui regulariter Deus ſua decreta accommodat, poſtularet. Hoc namque eſſet, ut ſanctitas, & iuſtitia originalis ſolum per iuſtos & ſanctos traduceretur; non vero per peccatorem, & iuſtitia ipſa privatum: atque adeo quod res ita diſponerentur, ut in homine, qui primo eſſet peccaturus, & prædictam iuſtitiam amiſſurus, concurrerent omnia requiſita, ut non pro ſe tantum; ſed pro omnibus à ſe futuris eam deperderet: quod, niſi eſſet caput morale, fieri non valebat.

Accedit, quod vigor ille, per quem propaganda erat iuſtitia originalis, habebat ex natura rei nexum cum illa, & licèt talem nexum poſſet Deus ſupplere, unúmque ab alio ſeparare, ſicut ſepararetur de facto in caſu hypotheſis, ſi Deus ſolum ex vi præſentis decreti operaretur; non tamen id eſſet iuxta ſuavem providen-

Digitized by Google

providentiam,iuxta quam talis vigor omnino eſſet iuſtitiæ comes, nec poſſet ſine ea conſervari. Igitur attenta hac providentia, eo ipſo quod Deus decreviſſet permittere primum peccatum in aliquo ex filiis Adami, & non in ipſo Adamo,decerneret etiam, ut ille eſſet caput morale ſuorum poſterorum: hacque ratione, ubi amitteret per peccatum pro ſe, & pro illis juſtitiam originalem, conſequenter amitteret vigorem ad eam communicandum. Quo contra ſe haberet ex vi præſentis decreti, ex vi cujus nullus præter Adamum, quantumcumque peccaret, amitteret illam, niſi pro ſe tantum, conſervato ſemper vigore ad eam propagandam. ¶ Ex quo patet, rationem pro prima parte difficultatis factam ſolum convincere probabiliter futuritionem illius decreti in caſu hypotheſis, non autem quod de facto detur: aut quod ex vi decreti abſoluti exiſtentis de facto peccatum alicuius parentis, niſi ſolius Adami ad poſteros tranſiret.

§. III.

Ultima difficultas abſolvitur.

154. EST tertia difficultas, quam propoſuimus, ſi Adamus ante ſuum peccatum genuiſſet filium, poſt vero delinqueret, & deinde filius alios nepotes Adami generaſſet, nunquid ille filius, vel ſaltem qui ab eo gignerentur,contraherent originale peccatum? Et loquimur ex vi præſentis decreti, iuxta quod ſolus Adamus rationem capitis obtinuit. In hac difficultate quod attinet ad illos ſive filios, ſive nepotes, qui ante peccatum naſcerentur, aut ſaltem ante illud complete in utero animarentur, vera, & fere communis ſententia docet non contracturos originalem culpam per peccatum Adami poſtea ſequutum, neque amiſſuros per illud iuſtitiam originalem, quam iam accepiſſent. Ita Curiel in præſenti art. 5. Medin. dub. 2. Alvar diſp. 1-6. Monteſ. art. 4. quæſt. ſua 2. Greg. Mart. art. 5. dub. 2. & plures alij contra Cath. lib. de caſu hominis, cui oppoſitum placuit, & etiam Salmeroni ſuper ad Rom. 5. diſp. 19. art. 10. Sed communis ſententia eſt D. Auguſtini epiſt. 23. cuius verba ſtatim referemus. Ratio vero eſt, quia peccatum originale non communicatur niſi per originem, & generationem, quatenus communicatur natura peccato infecta. Cum ergo generatio illorum, de quibus nunc agimus omnino peccatum Adami præceſſerit, nullatenus hoc potuit neque per eam, neque alia via ad ipſos traduci.

Curiel. Medina. Alvar. Monteſ. Gr. Mart. Catharin. Salmer.

Et confirmatur, nam illi dumtaxat poterant peccatum ab Adamo contrahere; qui in ipſo Adamo peccaverunt, atque adeo qui in illo erant contenti, quando primo peccavit: ſed filij, aut nepotes iam nati non erant tunc in illo, ſed omnino extra, & ſeparati: ergo, &c. ¶ Confirmatur ſecundo verbis D. Auguſtini loco cit. ubi ſic ait: *Iam itaque cum homo in ſe ipſo eſt ab eo, qui genuit, alter effectus, peccato alterius ſine ſua conſenſione non tenetur obnoxius: traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, & in illo, à quo traxit, quando quod traxit admixtum eſt. Non autem trahit alter ab altero: quando ſua unoquoque propria vita vivente, iam eſt unde dicatur, anima quæ peccaverit, ipſa morietur,* &c. Et infra circa medium epiſtolæ: *Cæterum cum infans non redeat in parentem, ut cum illo, & in illo unus homo ſit; ſed omnino alter ſit habens carnem ſuam, & animam ſuam, anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.*

D. Auguſt.

Nec refert ſi obiicias, quod in humanis 155.
ſi Rex det alicuius nobilitatis pro ſe, & Obiectio.
pro ſuis poſteris, & iſte propter crimen aliquod amittat tale ius, etiam filij ejus jam nati illud deperdent: ergo eo ipſo quod Adamus peccando amitteret iuſtitiam originalem, pro ſe, & pro poſteris illi conceſſam, deperderent illam omnes ejus filij, etiam qui ante peccatum nati eſſent.

Solvitur.

Reſpondetur enim ex Curiel. (quicquid ſit de veritate antecedentis, quod non diſcutimus, ſed gratis admittimus) quod in eo caſu jus nobilitatis patri conceſſum perficit filios in ordine ad exteriorem rempublicam; in qua, ipſi ſunt aliquid patris, & ideo habent illud ius dependenter à patre, etiam poſtquam ſunt in ſe ipſis. Unde non mirum, quod delinquente patre illud amittant. At vero in ordine ad dona ſupernaturalia, & ſpiritualia filius iam natus non eſt aliquid patris, niſi quantum ad externam gubernationem: atque adeo neque peccatum ſubſequens patris poteſt iam illi in ſpiritualibus obeſſe, neque ipſe propter tale peccatum ſanctitatem, & iuſtitiam iam acceptam amittere.

Diximus in reſolvenda difficultate *quod attinet ad illos, qui ante peccatum naſcerentur aut ſaltem in utero animarentur,* &c. Tum ut excludamus timorem Gabrielis Vaſq. qui diſput. 133. cap. 3. non eſt auſus pro parvulis ante peccatum conceptis, ſed non natis, imo neque pro iam natis, ſed non adultis id, quod diximus, aſſerere. Verum ratio, & confirmationes factæ de omnibus convincunt. Tum etiam quia ſi poneremus hypotheſim, quod Adamus ante peccatum habuiſſet cum Eva congreſsum poſt vero ante fœtus animationē peccaret, res eſt ſatis dubia, an puer, qui Dub. ratio
inde naſceretur in ipſa animatione peccatum incidens.
contraheret? Affirmativa enim pars ſuaderi poteſt: nam in eo caſu quando puer acciperet naturam humanam, & per eius formam animaretur, iam ipſa natura per peccatum deſtituta eſſet iuſtitia originali: igitur acciperet illam ſic deſtitutam, atque adeo peccato originali infectam. ¶ Deinde generatio, quæ eſſet ab Adamo peccatore, non poſſet non traducere peccatum: ſed illa eſſet huiuſmodi: nam completa generatio non eſt ante inſtans animationis, & tunc iam Adamus peccaverat. ¶ Præterea puer ſic genitus ubi primum fieret membrum Adæ, inveniſſet eum peccatorem: ergo fieret membrum illius ut peccatoris: ſed omnia membra Adæ ut peccatoris; contrahunt peccatum: ergo, &c. Unde hanc partem tuentur Curiel, & Greg. Mart. ubi ſupra, & eſt valde probabilis.

Curiel. Gr. Mart.

Sed adhuc probabilior videtur nobis oppo- 156.
ſita negans in eo caſu peccati contractionem. Prob. bilior pars negans.
Quam ſequuntur Medina immerito ab aliquibus pro contraria citatus, Alvarez, Monteſ. & quidam alij ex gravioribus Thomiſtis. Neque hanc partem muniunt contemnendæ rationes. Nam puer cuius generatio inciperet ante peccatum Adami, etiam ſi poſt illud animaretur, non fuiſſet de numero illorum, qui peccaviſſent in Adamo, quando ipſe peccavit: igitur non contraheret originalem culpam;

Medina. Alvar. Monteſ.

conſequentia eſt perſpicua; antecedens vero ex eo conſtat: quoniam ij ſolum peccaverunt in Adamo, qui continebantur in illo, & in eius virtute ſeminali, quando actu peccavit: at puer, de quo loquimur, non iam tunc continebatur in Adamo, ſed erat extra illum, & ab eo ſeparatus, ſicut ſemen, ratione cuius erat talis continentia: non ergo fuiſſet de numero illorum, qui peccaverunt in Adamo.

Confirmatur: nam ſemen deſerviens illi generationi fuit deciſum ab Adamo prædito ſanctitate, & iuſtitia originali; atque adeo pro tunc quando deciſum fuit, nullam potuit accipere infectionem ad maculandam prolem naſcituram; imo accipere debuit vigorem, quo tunc Adamus pollebat ad prædictam iuſtitiam communicandam: ſed per ſequens peccatum prædictum ſemen neque amiſit huiuſmodi vigorem, neque infectionem illam accepit: ergo, &c. Minor probatur. Nam poſtquam ſemen illud deciſum fuit ab Adamo, non amplius influxum eius accepit, neque cauſalitatem aliquam terminavit: igitur nulla fuit actio, per quam vel accepto vigore privaretur, vel aliqua macula inficeretur.

157. Ad primam rationem. Et quoniam rationes iſtæ iudicio noſtro magis vrgent, quàm adductæ in contrarium, ad primam ex illis reſpondetur, non eſſe ad præſens curandum, quo tempore animetur puer; ſed quo tempore ab Adamo medio ſemine egrediatur: quippe hic egreſſus eſt unica via, & ratio, per quam peccatum, aut iuſtitia poterat ad puerum in ſua animatione deſcendere. Si ergo tempore prædicti egreſſus Adamus habebat naturam cum iuſtitia, & ſine peccato, non potuit non eam ſic affectam per talem egreſſum communicare, neque ſequens peccatum illam ſic communicatam valuit iam attingere.

Ad ſecundã. Ad ſecundam conceſſa maiori in ſenſu formali, neganda eſt minor. Quoniam illa generatio non aliter fuiſſet ab Adamo, quàm ipſe ſe habebat, quando dedit ſemini virtutem pro illa conficienda: cumque tunc eſſet iuſtus, non eſt dicendum, quod prædicta generatio eſſet ab illo ut peccatore. Nec refert, quod ante eius complementum Adamus peccaſſet: quia talis generatio ut completa non dicit ordinem ad illum, niſi mediante ſe ipſa ut incepta, ſeu mediante deciſione ſeminis, unde incepit. Quare ſi generationis inceptio, & prædicta deciſio non fuit in Adamo peccatore, ſed potius iuſto; etiam complementum talis generationis, & prolis animatio reſpiceret illum ut iuſtum, & non ut peccatorem.

Ad tertiam. Ex quo ad tertiam dicas puerum illum, quando animatur, ea ratione fieri membrum Adami, ſecundum quam fuit in illo contentus, & Adamus fuit eius principium: cum autem hoc totum actum ſit, iuſtitia & ſanctitate durante, non eſt dicendum fieri membrum illius ut peccatoris; ſed potius ut iuſti. Ex quo etiam fit puerum ſic naſcentem (quod à fortiori dicendum eſt de quovis alio, cuius completa generatio peccatum præceſſiſſet) non modo non participare ex Adamo peccatum originale; ſed participare originalem iuſtitiam: cum enim hæc fuiſſet Adamo conceſſa pro ſe, & pro tota natura, permaneretque in illo, quando generationem inchoavit: debuit per talem generationem cum natura traduci. Neque obeſt, quod cum puer animaretur, iam Adamus non haberet talem iuſtitiam: quia non eſt neceſſe, ut cauſa principalis contineat perfectionem communicandam effectui, quando iſte producitur: ſicut non eſt neceſſe, quod talis cauſa iam tunc in rerum natura exiſtat; ſed ſufficit, quod extiterit, & continuerit talem perfectionem, quando dedit inſtrumento virtutem ad illam producendam. Unde impræſentiarum ſufficit, quod Adamus (eſto ſe haberet ut cauſa principalis) habuerit iuſtitiam originalem eo tempore, quo dedit ſemen deſerviens prædictæ generationi: quia cum illo dedit ſufficientem virtutem, ipſùmque ſemen per modum inſtrumenti elevavit ad talem iuſtitiam ſuo tempore producendam, omnino independenter à fututitione, vel non fututitione ſequentis peccati. Diximus *eſto ſe haberet ut cauſa principalis*: nam quo pacto Adamus ad traductionem iuſtitiæ originalis concurreret, explicuimus num. 76.

Veniamus ad nepotes Adami, quos ille filius ante peccatum, & ſine peccato genitus poſt Adami peccatum generaret. De quibus non pauci exiſtimant illud contracturos: ea ſolùm ratione quia quando in rerum natura ponerentur, fierentque membra Adami, invenirent iam illum peccatorem, atque adeo pro ſe, & pro tota natura iuſtitia originali ſpoliatum: & ita nequirent talem iuſtitiam ab eo hæreditare. Sic Medina, Curiel, Martinez, & alij etiam ex his, qui in caſu proximè præcedenti peccati contractionem negant. 158. Quid de Adami nepotibus?

Sed nobis in bona conſequentia contrarium magis videtur aſſerendum. Quoniam nepotes iſti non continebantur iam in Adamo, quando peccavit: tamdiu enim & non amplius in eo contenti ſunt, quandiu eorum proximus parens, quem iam tunc conſtat non contineri: ſemel autem egreſſo & ſeparato proximo parente à primo, extinctaque eius continentia, conſequenter eodem egreſſu, eadémque ſeparatione ſeiuncti ſunt prædicti nepotes, eorúmque continentia quantum ad Adamum fuit omnino abolita, tranſlatáque in ipſum proximum parentem. Non ergo potuerunt in Adamo, vel cum Adamo peccare, qui iam in illo non erant, quando ipſe peccavit. ¶ Adde, quod Adamus nulla alia via poterat communicare peccatum ſuum nepotibus, niſi media generatione, qua communicaret illud ſimul cum natura proximo parenti: quatenus ex vi talis generationis ipſe proximus parens non ſolum acciperet prædictum peccatum pro ſe, ſed etiam virtutem ad illud poſteris communicandum. Cum ergo in caſu hypotheſis non potuerit Adamus per illam primam generationem communicare talem virtutem; quoniam nondum ipſe illam in ſe habebat, quouſque peccavit, conſequens eſt, ut neque hac, neque alia via potuerit peccatum ad nepotes illos tranſmittere.

Neque adverſus reſolutionem iſtam alicuius momenti rationes poterunt efformari, niſi quæ contra præcedentem propoſitæ ſunt, & ſolutæ num. 157. Unde non obeſt quod dicitur, nepotes illos invenire Adamum peccatorem, & privatum iuſtitia originali, quando fiunt 159.

Digitized by Google

fiunt actu eius membra. Quia non reſpiciunt Adamum, neque uniuntur illi, aut fiunt eius membra, prout invenitur tunc, ſed prout erat quando media generatione proximi parentis prædictos nepotes ex ſuis lumbis emiſit: ſicut de filio genito inchoative ante peccatum, & poſt illud completive num. 156. dictum eſt: tunc autem Adamus non erat peccator, ſed præditus iuſtitia originali.

Neque verum eſt, Adamum per illud peccatum amiſſurum prædictam iuſtitiam pro tota natura, & pro quibuſvis ſuis poſteris: quia ſolum amitteret pro illis, qui adhuc in eo continebantur; pro aliis vero, qui vel immediate, vel media proximi parentis generatione egreſſi, & ſeparati iam ab illo erant, nequaquam eam deperderet. Vnde in iis iam ab Adamo ſeparatis tam pro ſe, quàm pro poſteris ab eiſdem gignendis conſervaretur prædicta iuſtitia, & vigor ad illam communicandam. Quod ſi Adamus poſt peccatum alios filios generaret, eſſent tunc duæ propagines humanæ naturæ: alia deſcendentium ab eo ut iuſto & ſancto, hæreditantiúmque in perpetuum originalem iuſtitiam: alia vero deſcendentium ab illo ut peccatore, & peccatum continuo trahentium. An vero eſſet pro omnibus conſtituenda una reſpublica; vel eſſent in diverſas ſeparandi: & an alii in Paradiſo; alij extra Paradiſum degerent, aliáque ad regionem utriuſque illius propaginis pertinentia divina providentia decerneret. Neque in his quæſtionibus omnino conditionalibus, quas Scriptura noluit nos edocere, maius examen hîc permittitur, utpote de rebus, quæ neque fuerunt, neque ſunt, neque erunt, neque aliter quàm per rimas, & coniecturas poſſunt indagari: ob idque faciliime unuſquiſque pro ſuo captu, & arbitrio ſic, vel aliter diſcurreret. Aliud dubium non leve occurrebat hic pertractandum: nimirum cuius ſpeciei fuerit peccatum actuale Adami, ex quo noſtrum proceſſit? Sed quia hæc difficultas potius ad *quid eſt* peccati originalis, quàm ad *an eſt* ſpectat, illam diſputationi 16. reſervamus.

ARTICULUS III

Vtrum peccatum primi parentis tranſeat per originem in omnes homines?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd peccatum primi parentis non tranſeat per originem in omnes homines: mors enim eſt pœna conſequens originale peccatum: ſed non omnes, qui procedunt ſeminaliter ex Adam, morientur: illi enim, qui vivi reperientur in adventum Domini, nunquam morientur, ut videtur per hoc, quod dicitur 1. Theſſal. 4. Nos qui vivimus, non prævenie-mus in Adventu Domini eos, qui dormierunt: ergo illi non contrahunt originale peccatum.

2. Præterea: nullus dat alteri, quod ipſe non habet: ſed homo baptizatus non habet peccatum originale: ergo non traducit ipſum in prolem.

3. Præterea: donum Chriſti eſt maius, quàm peccatum Adæ, ut Apoſtolus dicit Rom. 5. ſed donum Chriſti non tranſit in omnes homines: ergo nec peccatum Adæ.

Sed contra eſt quod Apoſtolus dicit Roman. 5. Mors in omnes pertranſit, in quo omnes peccaverunt.

Reſpondeo dicendum, quod ſecundum fidem Catholicam firmiter eſt tenendum, quod omnes homines præter ſolum Chriſtum ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ eſt per Chriſtum, quod eſt erroneum. Ratio autem ſumi poteſt ex hoc quod ſupra dictum eſt, ſcilicet quod ſic ex peccato primi parentis traducitur culpa originalis in poſteros, ſicut à voluntate animæ per motionem membrorum traducitur peccatum actuale ad membra corporis: manifeſtum eſt autem, quod peccatum actuale traduci poteſt ad omnia membra, quæ nata ſunt moveri à voluntate. Unde & culpa originalis traducitur ad omnes illos, qui moventur ab Adam motione generationis.

Ad primum ergo dicendum, quòd probabilius, & convenientius tenetur, quod omnes illi, qui in adventu Domini reperientur, morientur, & poſt modicum reſurgent, ut in tertio plenius dicetur. Si tamen hoc verum ſit, quod alij dicunt, quod illi nunquam morientur (ſicut Hieronymus narrat diverſorum opiniones in quadam Epiſtola ad Minerium de reſurrectione carnis) dicendum eſt ad argumentum, quod illi etſi non moriantur, eſt tamen in eis reatus mortis: ſed pœna aufertur à Deo, qui etiam peccatorum actualium pœnas condonare poteſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum originale per Baptiſmum aufertur reatu, in quantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem; remanet tamen peccatum originale actu quantum ad fomitem, qui eſt inordinatio partium inferiorum animæ, & ipſius corporis, ſecundum quod homo generat, & non ſecundum mentem: & ideo baptizati traducunt peccatum

originale: non enim parentes generant in quantum ſunt renovati per Baptiſmum, ſed in quantum retinent adhuc aliquid de vetuſtate primi peccati.

Ad tertium dicendum, quod ſicut peccatum Adæ traducitur in omnes, qui ab Adam corporaliter generantur: ita gratia Chriſti traducitur in omnes qui ab eo ſpiritualiter generantur per Fidem, & Baptiſmum, & non ſolum ad removendam culpam primi parentis, ſed etiam ad removendum peccata actualia, & ad introducendum in gloriam.

Conclvsio.

Secundum Fidem Catholicam eſt tenendum quod non omnes homines præter ſolum Chriſtum ex Adam derivati peccatum originale contrahunt.

Commentarius.

1. Circa hanc concluſionem dubitant communiter interpretes, quo ſenſu accipi debeat ut ſit de Fide: an ſcilicet de actuali peccati originalis contractione; an vero de contractione eius quantum ad debitum? Multique impugnant Caietanum in iſto articulo hoc poſterius ſtatuentem. Ait enim huiuſmodi propoſitionem *omnes ab Adamo ſeminaliter deſcendentes contrahunt originale peccatum* eodem modo intelligendam eſſe, ſicut intelligitur illa Apoſtoli Rom. 5. *in omnes homines mors pertranſiit.* Porro autem mortem de facto omnes homines ſubituros non eſt de Fide: ſed ſolum de Fide eſt, quod omnes debitum moriendi per peccatum Adami incurrerint. Sequunturque Caietanum Bellarminus lib. 4. de amiſſione gratiæ cap. 14. Zumel in præſenti diſp. unica concluſ 3. Salas diſp. 1. ſect. 2. quæſt. 11. Vnde ex mente horum authorum non eſſet de hæreſi damnandus, qui de aliquo Sancto particulari, de quo Scriptura in particulari non dicit fuiſſe in originali conceptum (ſicut dicitur de David Pſalm. 50.) aſſereret idem, quod de Beatiſſima Virgine Deipara pie credimus, videlicet non contraxiſſe de facto originalem culpam; ſed ſpeciali Dei privilegio fuiſſe præſervatam: quia per hoc non contradiceret immediate alicui teſtimonio Sacræ Scripturæ, aut Conciliorum diffinitioni, ubi determinate affirmetur, illum particularem hominem contraxiſſe actualiter prædictam culpam. Eſſet tamen, qui id (præterquam de Beata Virgine) aſſereret, temerarius, errori proximus, & de hæreſi negante originale peccatum ſuſpectus: quia ſine fundamento ab univerſali Scripturæ propoſitione exceptionem faceret.

Ad Rom. 5. Caiet. Bellar. Zumel. Salas.

2. Cæterum Ferrara 4. contra gent. cap. 50. Curiel in præſenti, Monteſinos diſp. 11. quæſtione 8. Valentia diſp. 6. quæſt. 11. punct. 2. & plures alij Caietani ſententiam acriter reiiciunt: præſertim poſt Concilij Trid. decretum ſeſſ. 5. can. 2. ubi diffinitur, peccatum Adami non modo quoad pœnas, uti eſt mors corporis, ſed etiam quoad culpam in omne genus humanum transfuſum fuiſſe: & can 3. quoad prædictum peccatum non imitatione, ſed propagatione transfuſum omnibus ineſt unicuique proprium, &c. Et loquitur Concilium non ſolum de debito, ſed etiam de actuali contractione. Propterea que in fine illius decreti ait non fuiſſe ſuæ intentionis comprehendere in illo Beatam & Immaculatam Virginem Mariam, &c. ſed obſervandas eſſe quantùm ad hoc conſtitutiones Sixti IV. ſub pœnis in eis ſtatutis quas innovat. Quam declarationem & limitationem proculdubiò non adhibuiſſet, ſi de ſola contractione quoad debitum loqueretur, ut conſtabit ex dicendis diſp. ſequenti.

Ferrara Curiel. Monteſ. Valent. Conc. Tr.

3. Verùm etſi ita ſentiendum ſit de prædicta propoſitione, re ipſa & abſolutè loquendo (cum excluſione tamen ſeu non comprehenſione Beatiſſ. Virginis Mariæ) ſi tamen loquamur de illa prout hîc à D. Thoma prolata fuit, placet Caietani expoſitio; videlicet concluſionem huius articuli intelligendam eſſe de peccato originali ſolùm quoad debitum. Tum quia exceptio illa *præter ſolum Chriſtum*, quam adhibet Ang. Doctor, ita firmat regulam in contrarium, ut non videatur alicuius alterius exceptionem admittere: cum tamen ſi ſermo eſſet de contradictione actuali, neceſſariò deberet excipi Virgo Deipara. Quidquid enim ſit an D. Thomas ſenſerit Beatam Virginem fuiſſe in originali conceptam, de quo infra: at quòd hoc eſſet de fide, nunquam ſenſit: nec proinde in ſua concluſiona, ſi de actuali contractione loqueretur, illam comprehendiſſet. ¶ Tum etiam quia in argumento *Sed contra* utitur D. Thomas prædicto teſtimonio Pauli, *In quo omnes peccaverunt*: unde non immeritò exponitur eius concluſio, ſicut ſonat hoc teſtimonium, de hominibus prout peccaverunt in Adamo: in quo certum eſt non contraxiſſe peccatum originale in ſe ipſis, ſed debitum dumtaxat ad illud incurrendum. ¶ Tum præterea, nam in corp. art. probat concluſionem ab inconvenienti: quia ſi aliquis præter Chriſtum exemptus fuiſſet à peccato originali, non indigeret eius redemptione. Hæc autem ratio ſolùm probat efficaciter debitum: quia hoc ſufficit & requiritur ad indigentiam redemptionis, ut patet in Beata Virgine: ergo, &c. ¶ Denique in ſolut. ad 1. valde favet huic expoſitioni, concedens ſolùm eſſe de fide quòd omnes reatum mortis incurrerint, non autem quòd omnes morientur: quia illud dumtaxat ſufficiebat ad intentum ſuæ concluſionis: in quo ſatis innuit, ipſam concluſionem intelligendam ſimiliter eſſe de contradictione peccati quoad debitum, & non amplius. Neque ex hoc inferre licebit, ſenſiſſe D. Thomam non eſſe de fide, omnes (præter Chriſtum & Deiparam) contrahere de facto originalem culpam; ſed quòd nolens hoc diſputare, elegit alium ſenſum, qui certiùs de fide habebatur.

Vera expoſitio.

Poſſet etiam recte exponi D. Thomas de contractione peccati originalis radicali ſeu inchoativa vel cauſali, quæ conſiſtit in prava quadam

Alia expoſitio coincidens cum prima.

quadam diſpoſitione reſidente in carne: ex qua, niſi divina virtute & gratia impediatur, reſultat in anima originalis culpa; à qua quidem radicali contractione non eſt neceſſe B. Virginem excipere etiam in concluſione de fide, dummodò excipiatur à contractione formali. Prædicta tamen radicalis contractio non omninò diſtinguitur à contractione in debito, ſed in ipſo debito includitur: & ita utraque expoſitio ferè coincidit: ut conſtabit diſp. ſeq. dub. . & 6.

4 Circa eandem concluſionem nota, Chriſtum Dominum duplici titulo, quovis inſolidum ſufficienti, immunem fuiſſe ab originali culpa. Primò, quia non deſcendit ab Adamo per propagationem ſeminalem, ſed ex puriſſimo Beatiſſimæ Virginis ſanguine formata fuit ejus humanitas virtute Spiritus ſancti: contractio autem peccati iis tantùm competebat, qui ſeminaliter ab Adamo deſcenderent: quia pro his dumtaxat inivit Deus cũ illo pactum de propaganda vel amittenda juſtitia originali, ut dicitur in art. ſequenti. Quod rectè obſervavit D. Anſelmus lib. de conceptu Virg. cap. 13. ubi ſic ait: *Nimis abſurdum intelligitur, ut per illud ſemen, quod non creata natura, nec voluntas creaturæ producit aut ſeminat, ſed ſolius Dei voluntas propria ad procreandum hominem nova virtute mundum à peccato de Virgine ſegregat, alieni peccati ſeu debiti neceſſitas ulla pertranſeat: etiam ſi non ſumatur in perſona Dei, ſed ut purus homo fiat.* Secundò quia in eodem inſtante, in quo formata fuit illa humanitas, fuit ſuppoſitaliter unita Verbo divino, ac proinde ab eo pleniſſimè ſanctificata. Unde impoſſibile erat, quòd ab illo inſtante, etiam omni alia gratia ſecluſa, peccato aliquo macularetur, quantumvis ab Adamo ſeminaliter deſcendiſſet. Ex quo patet, nullo fundamento aliquos, ut probent immunitatem Beatæ Virginis à culpa originali, deducere ad inconveniens, quòd ſi illa prædictam culpam contraxiſſet, Chriſtus etiam eam contraheret: quaſi ex matre peccatrice oriri nequeat filius ſine peccato. Inefficax ſanè illatio, utpotè quæ non diſcernit rationes modò traditas, propter quas ex qualibet fœmina Chriſtus naſceretur, omnino ei repugnaret talis culpa: & quæ eodem modo probaret Virginem contraxiſſe illam de facto, quia parentes ejus certũ eſt contraxiſſe.

Chriſtus duplici titulo ab originali exemptus.

D. Anſelm.

5 Dices, illo ſecundo titulo, videlicet propter unionem ad Verbum, non tolli ab humanitate Chriſti debitum contrahendi peccatum originale; imò neque contractionem radicalem, de qua nuper dicebamus: ergo non excluditur ſufficienter ab ea prædictum peccatum. Conſequentia liquet: quia à Chriſto Domino & ejus humanitate non tantùm quoad actualem contractionem, ſed etiam quoad omnia prædicta debet talis contractio omnino removeri. Antecedens verò probatur: quia unio Verbi cum humanitate ſolum potuit excludere ab ea peccatum à primo inſtante incarnationis, in quo fuit facta: conſtat autem contractionem debiti, ſicut etiam contractionem peccati radicalem & inchoativam fore ante prædictum inſtans: ergo licèt prædicta humanitas alio titulo, nimirum quia non proceſſit per propagationem ſeminalem, prohibita fuerit ab omni hujuſmodi contractione; non tamen ex unione præcisè ad Verbum. ¶ Et confirmatur: quia ſi prædicta humanitas per talem propagationem efformaretur, concurreret ad illam ſemen infectum & vitiatum, ſicut eſt omne quod ab Adamo deſcendit: atque adeo introduceret in materia pravam illam diſpoſitionem, ex qua reſultat peccatum originale in inſtante animationis: ergo licèt hæc reſultantia per ſubſiſtentiam Verbi impediretur; non tamen poſſet impediri, quominus ante illud inſtans & ante adventum talis ſubſiſtentiæ, fuiſſet in materia ſic pravè diſpoſita prædictum peccatum inchoativè & radicaliter.

Objectio.

Reſpondetur ad objectionem negando antecedens. Et ad probationem dicendum eſt, neque peccatum, neque eius debitum poſſe intelligi afficere humanitatem vel in re poſitam vel objectivè conſideratam, niſi ipſa priùs intelligatur ſubſiſtens in ſuppoſito capaci talis peccati aut debiti: quia quælibet natura priùs debet intelligi ut completa in ſuo eſſe ſubſtantiali per ſubſiſtentiam & exiſtentiam quas accipit à ſuppoſito, quàm intelligatur affecta aliquo accidente, quod eſt extra eſſentiam talis naturæ, ſicut eſt tam peccatum quàm debitum. Quocircà humanitas Chriſti Domini quovis modo effecta fuiſſet, neque ante unionem ad Verbum potuit intelligi cum prædicto debito: quia pro tunc nondum erat, aut intelligebatur ſubſiſtens: neque poſt talem unionem, quia per illam ratione ſuppoſiti divini omnino efficiebatur incapax talis debiti. Quare ad contrahendum peccatum vel debitum non eſt ſatis, quòd natura per ſeminalem propagationem procedat, & ut hoc modo efficienda contenta fuerit in lumbis Adami, ſed requiritur ut etiam ſuppoſitum, ſaltem quoad unionem cum natura, ibi fuerit, & ſeminaliter ab Adamo proceſſerit. Per quod patet ad illud de contractione inchoativa: hæc enim non habet locum, niſi quando in diſpoſitionibus ante inſtans animationis introductis tam natura quàm ſuppoſitum, ſaltem quoad unionem cum illa, virtualiter continetur: quod reſpectu ſuppoſiti divini locum non habuit. 6

Enodatur.

Ad confirmationem negandum eſt etiam antecedens: quia admiſſo ſemen illud carere vigore juſtitiæ originalis; non tamen hæc carentia in ordine ad producendam illam humanitatem, eſſet privativa, ſed negativa dumtaxat: ſicut eſſet in pura natura, & ſicut in tali humanitate eſſet carentia juſtitiæ originalis: non enim prædicta humanitas eo ipſo quod producebatur ad ſubſiſtendum in alieno ſuppoſito, erat de numero illarum, quibus ex vi pacti initi à Deo cum Adam debita erat talis juſtitia; atque adeo neque iſtius carentia in ipſa natura, neque in ſemine carentia vigoris ad illam propagandam haberet rationem privationis, ſed negationis dumtaxat; per carentiam autem ſolùm negativã non efficitur ſemen vitiatum neque infectum ea infectione, quæ tendit ad originale producendum. ¶ Adde, non eſſe neceſſarium excludere ab humanitate Chriſti contractionẽ peccati originalis radicalem ſeu in debito, etiam illa ſecunda via, dummodo per primam omnino excludatur: nam poſſet compati de lege abſoluta, quod aliqua natura ex deſcendẽtibus 7

ſeminaliter ab Adam aſſumeretur à Verbo divino, non ſolùm poſt prædictam contractionem radicalem, ſed etiam poſt contractionem formalem, quam habuiſſet in propria ſubſiſtentia; excludendo ab ea unà cum hac ſubſiſtentia ipſum peccatum per unionem hypoſtaticam. Ut verò de facto humanitas aſſumpta à verbo omnis tam debiti quàm peccati expers extitiſſet, facta eſt de Virgine ſine viri ſemine virtute Spiritus Sancti.

8 Quæſtio alio remiſſa. Cano. Sot Sixt. Senenſ. Suar.

Circa ſolutionem ad primum poſſet tractari illa quæſtio, utrum omnes homines de facto ſint morituri; vel potius aliqui ab hac mortali vita ad immortalem ſine morte tranſituri? Quam difficultatem verſant Cano lib. 1. de locis cap. 14. Sot. in 4. diſt. 41. quæſt 2. art. 4. Sixtus Senenſ. lib. 2. Biblioth. annotat. 265. necnon Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 50. ſect. 2. Nos autem ab ea abſtinemus: tum quia non eſt propria hujus loci: tum etiam quia independenter ab ejus deciſione ſolvit D. Thom. argumentum; quod contra concluſionem articuli fieri poterat, ut videre eſt in prædicta ſolut ad 1.

Obſerva tamen, non ex eo quod Ang. Doctor ibi ut probabile admiſerit aliquos de facto non eſſe morituros, etſi moriendi debitum omnes contraxerint; admiſſurum etiam ut probabile, aliquos (excepta ſemper Deipara) non contracturos de facto originalem culpam, etiam ex privilegio. Quia ad exceptionem faciendam ab hac actuali contractione quam Scriptura generaliter enuntiat, pro nullo alio præterquam pro Deipara adeſt in illa aliquod fundamentum: unde eſſet hæreticum, vel omnino temerarium aliam exceptionem facere. Ad excipiendum verò ab actuali morte, ipſa Scriptura præbet pro aliquibus ſufficiens fundamentum, ut poſſit ſine temeritate ea exceptio admitti.

9 In ſolutione ad ſecundum explicat non ſine labore Cajet. qualiter peccatum originale in baptizatis dicatur manere actu, & tranſiſſe reatu? Sed Curiel facillimè id intelligit animadvertens, D. Thomam non dixiſſe, quòd tale peccatum maneat actu abſolutè, ſed cum addito illo *quantum ad fomitem*: ac ſi dixerit ipſum fomitem, qui ſolùm eſt peccati effectus & materia, manere actu in baptizatis, ſublato omni eo, quod verè & formaliter habet rationem culpæ, quam intelligit nomine *reatus* Sumpſit verò reatum non formaliter pro ſola deputatione ad pœnam æternam, aut pro ejus condignitate proximâ, ſed radicaliter & fundamentaliter: quo pacto nullo modo differt ab ipſa culpa & malitia. Facilis quidem expoſitio, ſi D. Thom. ubicumque eam propoſitionem protulerit, appoſuiſſet additum illud *quantum ad fomitem* ſed ex hoc quod in præſenti ſenſum prædictæ propoſitionis addito illo reſtrinxerat, & ex alia ejuſdem S. Doctoris ſolutione quæſt. 4. de mal. art. 2. ad 10. habemus non leve fundamentum, ut ubicumque abſolutè dictum invenerimus, quòd peccatum originale in baptizatis manet actu, & tranſit reatu, accipi debeat cum prædicta reſtrictione. Sed ut materia hujus articuli, & illa quæ de univerſalitate peccati originalis in eo traduntur pleniùs elucidata maneant, oportet excitare non levem diſputationẽ circa debitũ contrahendi prædictum peccatum: quæ erit.

DISPUTATIO. XV.

De extenſione peccati originalis quantum ad debitum illud contrahendi.

AD exiſtentiam peccati originalis pertinet non ſola traductio, de qua diſp. præced. ſed etiam extenſio & univerſalitas: ut ſcilicet cognoſcamus, an omnes homines ſine alterius quàm ſolius Chriſti exceptione ſub ſe comprehendat: vel an etiam Beatiſſima Virgo Deipara à lege ejus evaſerit immunis? Quod enim de nullo alio id in dubium verti debeat, conſtat ex commentario præſentis articuli: & ex Concilio Trid. ſeſ. 5. decret. de peccato orig. ubi tanquam fidei dogma traditum habemus, omnes deſcendentes ſeminaliter ab Adam non ſolum concipi obnoxios culpæ originali, ſeu cum debito & obligatione incurrendi illam; ſed etiam de facto incurrere in ipſa conceptione. Unde ſiquid controverſiæ in hac materia Theologis examinandum relinquitur, eſt ille articulus de conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ an ſcilicet fuerit ſine peccato originali; vel in illo concepta, quem nondum Eccleſia determinavit: ſed permittit fidelibus pro utralibet parte ſentire: ut conſtat ex Extravagante *Grave nimis* edita à Sixto IV. ex conſtitutione Pii V. *Super ſpeculam*. Ex Tridentino ubi ſup. & ex aliis. Porro ſicut de cæteris hominibus habemus duo illa omnino certa, videlicet & quòd fuerint ſub debito contrahendi originalem culpam, & quòd de facto illam incurrerint: ita de Beata Virgine poſſent eadem duo ſciſcitari: an ſcilicet habuerit debitum prædictum culpam contrahendi, & an re ipſa contraxerit? Quoad hoc tamen poſterius, arridet potius examen amittere partemque negativam ut veram ſupponere; & quàm ſit antiqua in noſtra Carmelitana familia ejus aſſertio, ut quæ cum ipſa nata & alta eſt, brevi præludio obſervare. 1

Concil. Trid.

Extrau Grave nimis de Reliq. & vener. SS.

Eò præſertim quoniam noſtris temporibus prædicta pars negans Deiparæ contractionem culpæ originalis ita prævaluit, adeòque communita eſt copioſis pro ea editis voluminibus, ut nec noſtro labore ad ſui confirmationem indigere credamus; nec facile ſit, quæ ab aliis ſcripta ſunt, nova acceſſione locupletare, niſi calamus nimium ſe diffunderet. Quòd alibi à nobis præſtandum non diffidimus: modò verò ubi ſcholaſticum munus pro ſcholaſticis urget, importunum iudicamus. § Retrahit etiam pro nunc à prædicta diſputatione, quòd difficile ſit rem ſcholaſtico more plene diſcutere, niſi evertendo & impugnando opinionem oppoſitam: cum unaquæque ſententia ex impugnatione contrariæ plurimum roboretur, neque aliter poſſit ad calculos (ut ajunt) exiliter vocari. Porrò ab impugnatione prædictæ opinionis terrent ſummorum Pontificum decreta; præſertim Pauli V. & Gregorii XV. ubi gravibus ſub pœnis cavetur, *quod aſſerentes partẽ negativã, videlicet quod Beata Virgo non fuerit cum peccato originali concepta, aliam opinionem non impugnent,*

nec

Digitized by Google

nec de ea aliquo modo agant ſeu tractent. Unde quòd aliqui Juniores prædictam opinionem non modò rationibus rejiciunt, ſed & cenſuris & dicteriis lacerant, haud levi reprehenſione dignum arbitramur. De quo videndus Expugnatorius Index. Verbo *Ioannes Baptiſta Poza*, ubi inter alia plurima, quæ ex hujus Auctoris elucidario deleri juſſa ſunt: *Deleantur* (inquiunt fidei cenſores) *omnia convicia opinionis minus piæ, videlicet fol. 881. col. 1. Exulat ab ſcholis, eſt relegata in inſulam mentalem incarcerata, interdicta, deportata, & ſimilia.* Ut videas quanto jure viri Sapientes, & timorati à ſimilibus conviciis contra prædictam opinionem caveant; quantaque temeritate nonnulli adhuc Iuniores in ea labantur.

Præſervationis Deiparæ à labe originea Carmelitæ primi adoratores & vates.

2 LIvorem forſitan aſſumptum excitaret, niſi inſuſpectis & fide dignis teſtibus comprobari poſſet: uti erunt vel extranei ſi non antiqui, vel antiquiſſimi ſi domeſtici: illorum enim ſecura eſt laus, juxta illud Pro-
Proverb. 27. verb. 17. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua*; iſtorum verò ipſa antiquitas per ſe venerabilis, irrefragabile efficit teſtimonium; Ex utriſque ergo legitima erit probatio. Igitur ante alias Eccleſiæ familias Carmelitanam noſtram myſterium Præſervationis Deiparæ à culpa originali ex ore ſanctiſſimi Vatis & Protoparentis Eliæ, divinitùs illi traditum accepiſſe; jamque ex tunc eminus per ſpiritum adoraſſe, circiter mille annos ante ipſius Virginis Conceptionem; prædictique myſterii notitiam uſque ad Apoſtolorum tempora & deinceps veluti hæreditaria ſucceſſione deduxiſſe, & firma traditione conſervaſſe, docuit magnus ille Pontifex Ioãnes Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarcha XLIV. ejuſdem Carmelitanæ familiæ alumnus; qui floruit temporibus D. Hieronymi & D. Auguſtini circa annum Domini 400. Is in lib. de inſtitut. Monach. cap. 32. declarans myſticam illam viſionem, cum Parens Elias in monte Carmeli orans juſſit puerum ad cacumen aſcendere ſeptem vicibus, & reſpicere contra mare: in ſeptima autem. *Ecce nubecula parua quaſi veſtigiũ hominis aſcende-*
3. Reg. c. 18. *bat de mari in Carmelũ* (ut habetur lib. 3. Reg. cap. 18.) teſtatur agnoviſſe clarè Prophetam in nubecula illa prædictum myſterium, ſuiſque diſcipulis Carmelitis ſecretiùs aperuiſſe, cujus notitiam ipſi perpetuò conſervarunt.
Ioan. Hier. *Quid autem* (inquit) *Sacramenti rerum futurarum viſio illa intrinſecus contineret, & quod ingis miſterii Deus Eliæ per eam portenderet, dignatus fuit Elias aperire non palam homini-*
Nubecula Eliæquorum ſymbolum. *bus, ſed ſecretiùs conſortibus. A quibus traditũ tenemus, Deum ſub figurata viſione revelaſſe tunc Eliæ quatuor magna myſteria, quæ per ordinem explicabo. Primò quòd quædam infantula naſceretur, quæ ex utero matris ſuæ ab omni peccato munda crederetur. Secundò tempora, in quibus hoc adimpleretur. Tertiò quòd hæc infantula virginitatem perpetuã ad exemplum Eliæ amplexaretur. Quartò quòd Deus iungens naturam ſuam humanæ, de Virgine illa homo naſceretur. Per hoc namque quod ille puer Eliæ vidit de mari nubeculam parvam oriri, revelavit Deus Eliæ, quòd quædam infantula, ſcilicet Beata Maria per illam nubeculam ſignificata, & inſtar illius nubeculæ per humilitatem parva, naſceretur de humana natura peccatrice deſignata per mare. Quæ Infantula jam in ſuo ortu eſſet munda ab omni peccatorum ſorde: quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, ſine tamen aliquã amaritudine. Licèt namque nubecula illa eſſet originaliter ejuſdem naturæ cum mari; alterius tamen fuit qualitatis, alteriuſque proprietatis: mare quippe ponderoſũ eſt & amarum; ſed nubecula illa levis fuit & dulcis: ſic quamvis in quolibet alio homine natura humana inſtar maris ſit in ſua origine, ita amaritudine peccatorum & vitiorum pondere preſſa, ut fateri cogatur: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me: Beata tamen Maria de hoc mari, id eſt natura humana, aliter fuit orta, quia in ſuo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum; ſed inſtar illius nubeculæ fuit levis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem chariſmatum: ipſa enim in ſuo ortu fuit nubes illa, de qua per Moyſem figuratè eſt ſcriptum: Ecce gloria Domini apparuit in nube.*

Quo ſanè teſtimonio nullum apertius ex antiquis Eccleſiæ Patribus hactenùs fuit productum pro immunitate Virginis à culpa originali. Expreſsè enim affirmat, ortum ſeu emanationem ejus à natura humana non fuiſſe ſicut in cæteris hominibus, qui in ipſa ſua origine peccatorum (ſcilicet originalis quod in Scriptura pluraliter peccata dicitur) amaritudine & pondere gravantur: aut ſicut etiam aquá maris, quæ in ipſo mari ponderoſa eſt & amara; ſed fuiſſe potius inſtar illius nubeculæ dulcem & levem per immunitatem à prædicto peccato, & per gratiæ infuſionem: Fatetúrque etiam ſe notitiam prædicti myſterii per traditionem ab Eliæ ſucceſſoribus accepiſſe; *A quibus traditum tenemus*, &c.

Sunt autem qui ut vim prædicti teſtimo- 3.
nii infringant reſtringunt illud ad externam Præcluditur
Virginis nativitatem, nec de Conceptione in- quædam
telligi volunt: ut ſit ſenſus, fuiſſe quidem ſi- evaſio.
ne peccato natam, non autem & conceptam: nam utitur nomine *ortus*, & verbo *naſcendi*, non verò nomine *conceptionis*. ¶ Sed audiendi non ſunt: quia nomen *ortus* & verbum *naſcendi*, ſicut etiam nomen *nativitas* communia etiam ſunt Conceptioni. Communiter enim diſtinguitur duplex nativitas: alia ex utero, cum puer prius conceptus egreditur è vulva matris in hanc communem lucem: alia verò in utero, quæ eſt ipſa conceptio, per quam puer, qui antea in virtute generativa erat contentus, & ab ea indiſtinctus; fit ſpecialis perſona diſtincta & altera à tali virtute: & hoc eſt egredi ſeu oriri à natura humana ad materna viſcera, in quibus detinetur uſque ad nonum menſem, in quo ad extra manifeſtatur Et ideo
Matth. 1. Conceptio Verbi in utero Virginis *Matth. 1.*
vócatur nativitas: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu-Sancto eſt.* Ex eo igitur quòd Joannes N. uſus fuerit nomine *ortus*, non excluditur quominus loquatur etiam de ipſa Conceptione.

Et

Digitized by Google

tionis aliquod pondus ſuperaddere. Vnum illud addam, quod ille quoque addit, eam de Beatæ Mariæ puritate præſagam & propheticam cognitionem ab Elia, Eliſæo, & aliis ſuis diſcipulis manifeſtam, ab illis porro ſequentibus perpetua ſucceſſione per manus traditam fuiſſe, donec orta iam Maria, & viſionem reipſa comprobante ædes ſacra in Carmelo extructa fuit eiuſdem puritatis præclarum monimentum.

Neque hîc ſiſtit huius auctoris teſtimonium: inferius enim cap. 42. ſæcul. .. eſt etiam pro nobis contra Baronium & Bellarminum, qui falſis aut leviſſimis ducti coniecturis præcitatum librum de Inſtitut. Monach. Ioanni Hieroſolymitano, & ipſum Ioannem Religioni noſtræ concedere renuerunt. Sic autem loquitur. *Sed abſit ut ego gloriam iſtam Carmelitanis Patribus invideam, ut & dictum Ioannem inter ſuos protopatres numerent, & tam nobile tamque antiquum pro immaculatæ Virginis conceptione teſtimonium inter ſuæ Religionis ditiſſimas gazas oſtentent. Vidi certè atque evolvi non pauca antiquitatis monumenta ut in hac controverſia aliquid certè diffinirem, nihil tamen comperi, quod non ſuaderet præmiſſum Ioannem Carmelitanum fuiſſe, & dictum de Inſtit. Mon. librum ab ipſo conſcriptum. Atque adeo hanc ſententiam libentiùs amplector, & graviſſimo antiquiſſimóque Ordini, quæ ſua ſunt, lubens reſtituo.* Quod & fecerunt alij plures & graves eiuſdem Societatis ſcriptores. Hoc autem Salazarij contra Bellarminum & Baronium veriſſimum aſſertum quò ad omnes ſuas partes validiſſimis rationibus, plurimorumque gravium auctorum teſtificatione comprobatum reperies à ſapientiſſimis Patribus Magiſtris antiquæ & obſervantiſſimæ noſtræ Carmelitanæ familiæ alumnis Marco Antonio Alegre de Caſanate in apologia pro Ioanne Hieroſolymitano tract. 1. quam addidit ſuo paradiſo Carmelitici decoris: Ioanne Baptiſta de Lezana tom. 1. Annal. Prophetici & Eliani Ordinis in apparatu cap. 9. & Michaele Munnoz in Propugnaculo Eliæ lib. 2. titul. 2. capit. 4. art. 4. Debuiſſent verò id ipſum pugnare omnes Marianæ puritatis defenſores: ob hoc ſaltem ut antiquius & expreſſius pro illa teſtimonium, quod hactenus ex Patribus productum eſt, ſartum tectúmque tuerentur: cuius firmitati, & authoritati plurimum detrahunt qui noſtri Hieroſolymitani illibatam fidem (leviſſimis licet fundamentis) obſcurare nituntur: aut qui prædictum librum non illi antiquiſſimo Ioanni, cuius re ipſa eſt, ſed recentiori & incerto tribuunt auctori. Sed & prædictus Salazarius, Didacus de Baeza, Paulus Sherlogus, & quidam alij ejuſdem Societatis nuperi ſcriptores, qui pro firmanda pia ſententia adducto Ioãnis Hieroſolymitani teſtimonio libenter, & cum gratiarum actione utuntur, debuiſſent pariter animadvertere, eodem in loco, totoque eo lib. de Inſtit. Monach. ſcriptam non ſemel reperiri vetuſtiorem Carmelitarum traditionem circa veri Monachatus & Religioſi inſtituti à tempore Sanctiſſimi Patriarchæ N. Eliæ antiquitatem, nec non & circa Virginitatis votum ab eodem P. Elia Deiparæ Virginis præſcio & imitatore emiſſum (cui, ut Virgo ipſa auctoritatem & decorem conciliaret, prima in lege gratiæ Virginúmque omnium ſive præcedentium tempore, ſive ſubſequentium Princeps & exemplar, virginitatem ſuam Voto conſecravit.) Hæc igitur & alia Religioſi ſtatus ornamenta quæ citati iuniores ægre ferunt à Carmelitico tot ex ſeculis poſſideri, ſicut n. obſcurius quam pia ſententia, apud Hieroſolymitanum habent, ita nec minorem ex illo ſubeunt certitudinem: atque adeo inconſequenter ſatis procedunt qui unam inde confirmantes, aliis fidem negant. De quo, Deo dante, to. 3. latius dicemus.

Marginal note: *Mar. Ant. Aleg. Lezana. Michael Munnoz.*

Proferamus teſtem alium etiam ex extraneis, ſapientiſſimum Doctorem Hieronymum de Ormachea Eccleſiarum Lucronenſis & Albendenſis Canonicum Magiſtralem, qui præcedentium doctrina & religione informatus id ipſum luculentiùs adhuc exornat tom. 1. Commentar. in Cantic. ubi ditiſſimas nobis gazas offert ad aſſumptum comprobandum. E pluribus verò in expoſitionem revelationis Eliæ præſtitæ iuxta citatum Hieroſolymitani teſtimonium, ſimul & in obſequium noſtræ Carmelitanæ familiæ piè & eruditè excogitatis, hæc quæ ſubiungimus, non fuit liberum prætermittere. Morans igitur circa expoſitionem verſic. 7. capitis 1. Cantici cantic. num. 29. ſic ait. *Fateor in hac parte me doctum à doctiſſimo Patriarcha Hieroſolymit. Ioanne XLIV. ex Carmelitana familia, filia quidem Eliæ legitima, ſuum genuinum ortum ducente à primis illis Eliæ & Eliſæi diſcipulis habitantibus in Carmelo, Cui Religioni iure quidẽ optimo cum Petro de Ojeda gratulor, quòd ipſis ſpecialiſſima revelatio facta fuerit conceptionis immaculatæ Beatiſſ. Mariæ abſque originali peccato. Hæc ſiquidem Religio venerabiliſſima Carmelitarum ſub Elia & Eliſæo fundata primitùs fuit ad hoc myſterium celebrandum Mariæ conceptæ ſine peccato. Et ſic primum templum Mariæ dedicatum ſub hoc tit. à Carmelitanis fuit, & geſtabant veſtes hoc Myſterium indicantes, ut poſtea dicemus. Illa autem conſuetudo, quam refert Baconius Carmelita, quod eminentiſſimi Cardinales Romæ conveniebant quaſi capellam facturi ad celebrandum feſtum conceptionis immaculatæ in templo familiæ Carmelitanæ ad Sanctam Mariam transpõtinam, denotabat Religionem hanc eſſe quaſi proprium & nativum ſolum ac fontem, è quo hoc factum duxit originem,* &c. Hoc quod ex Baconio noſtro tangit expendit latius P. Ojeda in ſua Inform. eccleſ. c. 16. oſtendens prædictam conſuetudinem celebrandi feſtum Conceptionis viguiſſe in noſtro Ordine à tempore Alex. III. per quem fuit confirmatus anno 1180. Idque rectè colligit ex Baconij verbis, quæ habet in 4. diſt. 2. q. 4. *Publica* (inquit) *& diuturna conſuetudine celebratum eſt hoc feſtum in Curia Romana etiam cum venerabili congregatione Cardinalium, cum ſolemni Miſſa & ſermone ſingulis annis in domo fratrum Ordinis Beatiſſimæ Mariæ de Monte Carmelo: & hæc duraverunt tempore multorum Pontificum Romanorum uſque ad præſens tempus.*

Marginal notes: Ormachea. — Ojeda.

Confirmat aſſumptum noſtrum idem Doctor Ormachea ex ſignificatione illius melotæ, qua Parens Elias & eius diſcipuli pro veſte utebantur. Pro quo obſervat, melotam (ut

Marginal note: Eliæ melota quid præſignaverit?

Digitized by Google

(ut aliquibus placet) fuiſſe veſtem è pelle animalis vulgò dicti *Texus*,& ab aliis *melos*: eſt autem efficax præſervativum contra faſcinationis venenum, præſertim in delicatiſſimis infantibus recèns natis: ob idque matres & nutrices ſolent pedem vel manum taxeam & cingulis vel ſcapulis eorum appendere ut amuletum contra virus oculorum faſcinantium. Ex hac igitur animadverſione præmiſſa ab illo num. 74 & 75. deducit num. 79.

Ormachea. *Mirabili & ſingulariſſima fuit Dei providentia factum, ut Elias & eius diſcipuli Carmelitæ, quibus prima fuit facta revelatio puriſſimæ Conceptionis Marianæ in nubecula illa è mari, prout diximus, aſcendente, melotis ex taxo confectis induerentur, ut quaſi ſecreto quodam divini ſpiritus inſtinctu primi illi Carmelitani Conceptionis Beatæ Mariæ & adoratores & vates, pro habitu & inſigni ſuæ & religionis & devotionis propheticæ geſtarent pellem ſignificativā privilegii cuiuſdam à faſcino venenato peccati originalis Beatā Mariā præliberātis.* Hæc ille.

¶ Nec reticenda quæ dixerat num. 43. præmiſſo etiam quòd Beata Virgo jure *Sabbatum* Dei appelletur, ut potè in qua Deus quaſi cæterorum hominum peccatis defeſſus requieſcit, ſic inquit: *Notetur autē quantam habeat conſonantiā & proportionē mirabilē, quod Carmelitanæ familiæ inter reliquas alias fuerit conceſſū celeberrimū illud privilegiū Bullæ Sabbathinæ, in qua ſummus Pontifex piè certiores nos facit, quòd Virgo ſanctiſſima ſicut ipſa fuit Sabbathū myſticum requietionis Dei à peccatis hominum & Angelorum, nullum habens ipſa peccatum; ſic eadem Virgo Sabbathum requietionis dat à pœnis purgatorij ignis omnibus illis qui erga ipſam fuerint ſpecialiter conſecrati. Voluit enim Virgo ſanctiſſima hunc peculiariſſimum favorem concedere intuitu Religionis illius, originem ducentis ab illo Propheta qui in vertice Carmeli montis ſeptima vice ſabbathi repræſentativa, ipſius memoriam & feſtum immaculatæ Conceptionis in nubecula maris adoravit.* Plura proſequitur ſatis ad rem, quæ Lectori videnda remittitimus.

Maria cur ſabbatho Carmelitas à purgatorio extrahit?

Dabimus autem pulchram conſiderationem,

9. quam inſerit n. 80, ad illa verba: *ſi ignoras te, o pulcherrimá mulierum, egredere & abi poſt veſtigia gregum*, &c. Interrogaverat namque Sponſa Verbi Dei mater Sponſum Verbum, *Indica mihi ubi paſcas: ubi cubes in meridie*, illa videlicèt hora qua Adamus in paradiſo peccavit, ex quo ad eius poſteros peccatum originale tranſmiſit, id enim ad meridiem accidiſſe, ſex dumtaxat horis poſtquàm fuerat creatus, eſt ſatis communis opinio, & indicant

Geneſ. 3. non obſcurè verba illa Geneſ. 3. *Cum audiſſent vocem Domini Dei ambulantis ad auram poſt meridiem*, &c. utique ad reprehendendum illum, qui paulò ante peccaverat. Unde & convenienter illa hora ſeu inſtans, in quo unuſquiſque noſtrum peccatum originale ex Adamo incurrit, poteſt meridies nuncupari. Quæ ergo ſponſum rogat, ubi tunc cubaret? animam quærit, quæ in ipſo conceptionis momento, in quo cæteri homines Deum per peccatum abiiciunt; habuerit in ſe illum per gratiam requieſcentem. Demus iam verba citati Doctoris, ut interrogationi ſatisfaciat.

Pulchra expoſitio pro Carmelitis. *Quaſi igitur reſpondeat ſponſus filius ad ſponſam matrem Mariam tanquam præ humilitate ignorantem, ſed humilem ignorantiam affectantem, quòd fuerit ſine peccato originali concepta. Si ignoras te, abi poſt gregem ſodalium tuorum, id eſt, recurre ad Carmeli incolas Eliæ & Eliſæi diſcipulos, quos tuos ſodales & fratres appello, quia te adorant in nubecula ſignificatam, te venerantur, & tuas laudes decantant tam in templo illo, quod in Carmeli vertice in honorem tuum ædificarunt, quam in tabernaculis & cellis, in quibus habitant. Horum Sanctorum gregum veſtigia ſequere, cum ad templum illud gregatim conveniunt tuas laudes cantaturi, & hædos tuorum ſenſuum paſce iuxta tabernacula paſtorum, ideſt, ſuperiorum qui nos religioſos greges gubernant, & in ſuis ipſorum laudibus, hymniſque, & canticis te cognoſces, & audies te celebrari ut conceptam ſine peccato originali: eo modo quo nubecula illa è mari amaro aſcendens non habuit amaritudinem mari nativam & ingenitam. Veritas huius ſenſus probatur*, &c. Proſequitur prædicti ſenſus probationem, oſtendens filios Prophetarum & Eliæ diſcipulos *gregum* nomine in ſcriptura deſignari: eoſque hoc Cantici loco intelligi: pro quo multa poſſemus adducere, quæ brevitatis cauſa omittimus.

Gratulamur autem doctiſſimo huic viro pro ſua ad nos panegyri: gratulamur & pro 10 encomiis noſtris ſapientiſſimis Ojedæ & Salazario: omnibuſque benevolentiæ vicem affectuosè rependimus, quòd Religionis & veritatis amore ſtimulati, tam illuſtria nobis reliquerint teſtimonia: ex ipſis quidem inſuſpecta; quæ ex domeſticorum ore fortè vileſcerent. Illorum autem fide, ſimul & antiqua noſtrorum, Ioannis Hieroſolymitani, Ioannis Baconij, aliorúmque atteſtatione ſufficienter credimus comprobatum ſcopum quem aſſumpſimus: videlicet præſervationem Deiparæ à culpa originali Carmelitanæ noſtræ familiæ primitùs innotuiſſe, tantique myſterii primos & adoratores & vates Carmelicolas extitiſſe. Quam ergo ſacer Ordo noſter recèns adhuc natus tot ante ſæcula à ſuomet progenitore divina revelatione ipſi traditam veritatem accepit, perpetuáque traditione conſervavit, atque Eccleſiæ manifeſtavit, jure adſtringimur ubique profiteri.

Voluimus autem hoc præludium dubiis examinandis præmittere, noſtrúmque affectum erga piam ſententiam ita palam declarare: tum ut ex hoc jam liqueat, in quam partem accipi debeant ſi quæ in diſputationis decurſu, prolixitatis vel repetitionis vitandæ gratia, minùs clarè dicta remanſerint. Tum etiam ut conſtet præſentem controverſiam de debito originali culpæ eo potiſſimum fine à nobis agitari; ut cauſæ præſervationis Deiparæ, quæ cordi eſt, regio explanato itinere ad ejus defenſionem, reſecatiſque inutilibus dicendi modis, qui viam illi occludunt, pro munere & affectu noſtro ſuppetias feramus.

Quamvis autem ſpecialis difficultas cui incumbendum eſt, vinca videatur: an nimirùm Beatiſſima Virgo Maria ſicut immunis fuit ab actuali culpæ originalis contractione, fuerit etiam à debito illam contrahendi; vel potiùs ſub tali debito comprehenſa? Quia tamen hæc ipſa principalis quæſtio alias involvit, quæ niſi

priùs

Digitized by Google

priùs enodétur, additum illi occludent: quaſque ſi unico dubio expedire vellemus, gravε nimis evaderet; ſecabimus diſputationem in plura, quæ ſuo ordine diſcuſſa, præcipuæ difficultatis reſolutioni viam aperient. Ne verò in ejus decurſu defectu intelligentiæ terminorum æquivocatione laboremus, tricis detineamur, aut iis à quibus rei ſubſtantia & principalis reſolutio non pendet, implicemur, ſit ante alia,

---

DUBIUM I.

Quid importet, & quouſque perduret debitum culpæ originalis?

11. COmmunis eſt hæc prima difficultas pro omnibus, qui peccaverunt in Adam quique inde debitum trahunt incurrendi culpam originalem in primo inſtante ſuæ conceptionis ſeu animationis: ſive de facto illam incurrant; ſive ab eo lapſu divina gratia & favore præſerventur. Quia verò privilegium hoc nulli præterquàm Deiparæ fuit aut erit conceſſum: quàm peccantibus in Adam, prædictúmque debitum inde trahentibus modò annumerare non juvat (ne quod examinandum eſt videamur ſupponere) fingenda eſt hypotheſis, quâ Deus alicui alteri eorum qui in Adamo peccaverunt, gratiam in primo inſtante concederet, quæ actualem peccati contractionem impediret, debitum verò ex ore omnium ſupponeret: ut ita latior detur locus examinandi, quid ſit prædictum debitum, & quouſque perduret: ſive in data hypotheſi, ſive in caſu de facto nobis omnibus contingenti.

Quamvis autem non defuerint qui in ipſa voce *debiti* offendentes, præſentem diſputationem relegandam putaverint: quia ad peccatum, quod omnes pro viribus vitare tenemur, nemo poteſt jure vel debito adſtringi graves tamen Theologi, quæſtione de modo loquendi manumiſſa, plures de re & diſcuſſione dignas ſub prædicta voce repeſerunt. Non enim *debiti* nomine in præſentiarum intelligitur aliquod Dei præceptum ſeu lex obligans ad peccandum, vel peccatum contrahendum: ſed quædam neceſſitas ſeu determinatio, cui omnes poſteri Adami, ex quo in illo peccaverunt, ſubjecti intelliguntur, ut cum primò fuerint in rerum natura concepti, habeant in ſe peccatum originale transfuſum & illatum virtute illius actualis quod in Adamo commiſerunt. Hanc ergo neceſſitatem & determinationem ſeu neceſſariam illationem *debitum* in præſenti appellamus: potéſtque non incongruè dici *reatus*, *obligatio*, *obnoxietas*, & ſimilia: nam cum hæc omnia aliquam neceſſitatem & determinationem importent iure ad illam, de qua loquimur, ſignificandam transferuntur.

* * *

§. I.

Expeditur prima pars dubij.

CIrca primam dubij partem inter paucos, qui rem examinarunt, aliquos reperimus dicendi modos, quos breviter referemus. Primus eſt, quem ſequitur Suarez tomo 2. in 3. part diſput. 3. ſect. 4. & tomo 1. in 1. 2. tract. 5. diſp. 9. ſect. 3. ubi ait, debitum peccati originalis non eſſe aliquid phyſicum, neque aliquid quod habeat rationem culpæ vel pœnæ, ſed moralem quandam obligationem vel neceſſitatem ex peccato Adami ortam; derivatámque ad poſteros per denominationem extrinſecam: quatenus dum ille ut omnium caput adeóque & omnes in eo deliquimus, demerito illius peccati manſimus determinati & obnoxij ſubire in propriis perſonis maculam & pœnam illi correſpondentem. 12. Prior modus debitum explicandi Suar.

Secundus dicendi modus, quem docti alij Iuniores tuentur, ultra prædictum moralem neceſſitatem & obligationem aſſignat aliquid phyſicum deſcendens ab Adamo in poſteros, propriámque uniuſcujuſque perſonam phyſicè attingens: quod erit ipſum ſemen vitiatum & infectum, medio quo traducitur natura ſimiliter infecta & vitiata. Addit verò, quòd hujuſmodi phyſicum & habet rationem pœnæ, demerito peccati Adami correſpondentis; & pertinet etiam ad malum culpæ: non formaliter, quia culpa formalis ſolùm poteſt eſſe in anima & in potentiis liberis; nec ſolùm cauſaliter paſſivè, eo quòd eſt effectus prædicti peccati, ſed etiam cauſaliter activè, quia vim habet cauſandi & inferendi in animam culpam originalem. Secundus.

Tertium dicendi modum aſſignat Vaſq. tom 2. in 3 part. diſp. 116. cap. 5. his verbis: *Eſt igitur debitum hoc in poſteris Adæ relatio quadam paſſivè reſpiciens meritum primi parentis: nam quemadmodum ille per peccatum ſuum dignè meruit, ut poſteris juſtitia trãsfundenda denegaretur, & ita in peccato naſcerentur; ſic etiam ipſi ſub hac dignitate meriti primi parentis comprehenſi ſunt, ut conſiderata eorum conceptione & origine, quam ducunt ex primo parente, ob meritum illius dignè priventur juſtitia, & ita privati peccatum originis contraherent, niſi aliunde gratuita voluntate Dei liberarentur. Eſſe igitur aliquem talis propaginis & originis, ut virtute illius (niſi impedimentum adeſſet) conciperetur & eſſet in peccato, idem eſt quod in ſe ipſo debitum peccati contrahere, ſeu obnoxium peccato eſſe.* Hæc ille. Tertius modus dicendi, Vaſq.

Alij verò auctores non tam exponentes quàm ſupponentes quid ſit prædictum debitum, ſtatim accedunt ad diviſiones, bipartientes illud in *intrinſecum* & *extrinſecum*, & in *proximum* & remotum. *Extrinſecum* appellant ipſum Adami peccatum, quatenus fuit prævaricatio pacti pro ſe & poſteris cum Deo initi, cujus proinde obligatione omnes tenebamur. *Intrinſecum* autem eſt id, quod ex prædicto peccato ad ipſos poſteros deſcendit, attingens eos in propriis ſuppoſitis, & conſtituens ſub neceſſitate 13. Debiti diviſiones.

 incurrendi

incurrendi maculam (niſi aliquis divina gratia ibi & tunc ab incurſu iſto præſervetur.) Deinde *debitum remotum* vocant aliqui ipſum, quòd modò dicebamus *extrinſecum*: *proximum* verò, quod dictum eſt *intrinſecum*. Vnde apud ſic dividentes tantum eſt unica diviſio cum ſola diverſitate terminorum. Alij autem ſub debito proximo comprehendunt quicquid ſequutum eſt ad pactum illud cum Adamo, ex quo actum fuit, ut non pro ſe tantùm, ſed etiam pro omnibus poſteris deliquerit. Ad remotum verò pertinere dicunt id, quod pactum antecedit: uti eſt ipſa defectibilitas naturæ humanæ, quæ in omni eventu, quantum eſt ex ſe, erat defectibilis: aut etiam exigentia, quam habebat quilibet poſterorum Adami ut incluſis cæteris in prædicto pacto, ipſe quoque ſub illo comprehenderetur. Obidque hujuſmodi debitum adeo remotum non appellant *debitum peccati* abſolutè & ſimpliciter; ſed *debitum ſecundum quid*, ſeu *debitum debiti*: de quo videndus eſt Ægidius à Præſentatione Auguſtinianus lib. 2. de Concept. quæſt. 4. art. 1. num. 7. & art. . num. 24. & 26. & alibi ſæpe in tota illa quæſtione prædictas diſtinctiones tangit, præſertim art. . §. 1. & 2. Unde dum aliqui negant Deiparæ debitum proximum, & concedunt remotum, vel utrunque concedunt, attendendum eſt juxta quem ex prædictis ſenſibus ly *proximum*, & ly *remotum* uſurpent.

Æg. à Præſ.

14\. *Duplex alia diviſio.* Hæc ſunt quæ apud auctores reperimus. Quibus pro pleniori rei intelligentia addimus duplicem aliam diviſionem prædicti debiti proximi comprehendentis tam intrinſecum quàm extrinſecum (remotum enim, quod eſt debitum debiti, non iam deſerviet uſque ad tertium dubium.) Nam aliud eſt *debitum formale*, & aliud *fundamentale*: & rurſus, aliud eſt *debitum quoad pœnam*, & aliud *quoad culpam*. *Debitum formale quoad culpam* eſt illa obligatio & neceſſitas, qua poſteros Adami, etiam priuſquam actu exiſtant, obnoxios & obſtrictos intelligimus ad incurrendam in propriis perſonis originalem culpam, ubi primò in rerum natura concipiantur. *Debitum formale quoad pœnam* dicit ſimilem obligationem ad incurrenda ea mala & pœnalitates, quæ peccatum originale conſequuntur vel concomitantur. Debitum autem *fundamentale* adæquatè acceptum importat omnia illa, quæ à parte rei eſſe vel fuiſſe requiruntur, ut inde conſurgere & reſultare intelligamus prædictam neceſſitatem & obligationem. Porrò in præſentiarum ubi prædicti debiti extenſionem, aut exceptionem ab eo diſquirimus; non tam de formali quàm de fundamentali habenda eſt ratio: quia prius illud infallibiliter conſequitur ad hoc poſterius nemóque ſub iſto comprehenſus, extra illam manebit. Aliàs enim notitia ad præſens neceſſaria melius deſumitur ex debito fundamentali: ſicut relationes & formas ex fundamento aliquo inſurgentes, aptiùs per fundamentum quàm per ſe ipſas diſcernimus & notificamus. Rem ergo agemus deinceps cum debito fundamentali; idque abſolutè cum communi uſu loquendi *debitum* appellabimus. Major autem inquiſitio debiti formalis, ut an ſit ens reale vel rationis, abſolutum vel relatio, intrinſecum vel extrinſecum, &c. traditur infra diſput. 17. dub 1. ubi ſermo eſt de debito & reatu communi omnibus peccatis.

Igitur in conceptu debiti fundamentalis illa omnia importantur, ex quorum collectione poſteri Adami, qui in ipſo peccaverunt, manent omnino determinati & neceſſitati ad contrahendam in propriis perſonis, ubi primò extiterint, privationem iuſtitiæ originalis (in qua peccatum originale conſiſtere dicemus diſp. ſequenti:) tanta quippe eſt vis cauſarum influentium prædictam privationem, ut nulla via etiam de potentia abſoluta earum concurſus poſſit impediri, niſi in ipſo primo inſtante, ubi effectus, ſequendus erat, gratia infundatur, & peccato locus præoccupetur: aut ſi fortè in parentibus per purgationem & ſanationem naturæ tranſitus illi præcludatur, juxta dicenda num. 33. Ad ea autem, quæ prædictam neceſſitatem inducunt omnino debet ſupponi pactum Dei cum Adamo, ratione cuius conſtituit illum caput morale poſterorum, tranſlatis in eum ipſorum voluntatibus. Vnde ſi aliquis hujuſmodi pactum non fuiſſet ingreſſus, eo ipſo debitum, de quo loquimur, non incurreret. Neque hinc fit, prædictum pactum includi in ipſo debito ut aliquam ejus partem: potius enim eſt omnino extra illud, ſuponitúrque tantùm ut conditio ſine qua non. Quia quamvis ſi non præceſſiſſet pactum, non haberetur pro noſtro peccatum Adami, à quo fluxit debitum; non tamen illud fuit cauſa vel occaſio data ut tale peccatum ab Adamo & à nobis in illo committeretur, aut nobis imputaretur; quin potius inducebat ad non peccandum: ſicut cætera beneficia, quæ tunc Deus illi contulit. 15. *Quid importet debitum fundamentale?*

Quare primum unde incipit debitum, eſt ipſum peccatum actuale Adami, quatenus pro nobis ab eo commiſſum: hinc enim primò orta fuit neceſſitas, ut incurreremus maculam & pœnas reſpondentes tali peccato. Deinde ad prædictum debitum pertinet totum id, medio quo influxus illius peccati phyſicè & realiter perducitur uſque ad conceptionem uniuſcujuſque noſtrum; & quod in ea tanquam Adæ inſtrumentum operatur. Quod diſp. præced. dub. 3. à num. 69. oſtendimus eſſe ipſum humanum ſemen, quatenus vitiatum & infectum per privationem illius vigoris, quem in primo inſtante ſortitum fuiſſet ad traducendam juſtitiam originalem. In quo plura difficilia involvuntur, quæ ibi explicuimus. Tertiò ad id pertinent diſpoſitiones, quæ ante inſtans conceptionis aut in illo inſtante introducuntur in materia pro formatione fœtus. Nam etiam iſtæ, utpote virtute infecti ſeminis introductæ, evadunt ſimiliter infectæ: ſuáque infectione taliter ſigillant corpus ſeu materiam, quæ præparatur animæ, ut hæc ex unione ad illam ſtatim peccati rubiginem contrahat juxta dicta in eodem dub à num. 87. Potiſſimè verò ad prædictum debitum ſpectat permanentia illa moralis peccati Adami in Dei abominatione, quam à num. 90. conſervari diximus pro omnibus poſteris, quouſque tale peccatũ ab unoquoque pro ſe media juſtificatione retractetur 16. *Vnde incipiat.*

retractetur : ex huiuſmodi enim permanentia ſequitur inimpedibiliter in unoquoque, eo ipſo quòd ad rerum naturam perveniat, privatio originalis juſtitiæ : ita ut nec de potentia abſoluta illa ſine hac ſtare poſſit. Debet ergo præcipuè numerari inter ea, quæ fundant prædictum debitum : utpote præ omnibus neceſſitans ad talem contractionem.

17. Corollaria. Habemus igitur, debitum hoc plura involvere partim extrinſeca; ſicut eſt peccatum Adami, & eius moralis permanentia; partim verò intrinſeca ſeu magis proxima, uti eſt ſemen infectum, & infectæ illæ diſpoſitiones ſigillantes & determinantes materiam, ut inde reſultet in anima privatio juſtitiæ, per quam maculetur; his autem præhabitis, nihil aliud deſiderari videtur, ut concipiamus illam obnoxietatem & obligationem, pro qua num. 14. ſtare diximus debitum formale.

Habemus rurſus non ſufficienter fuiſſe expoſitum prædictum debitum fundamentale in primo modo dicendi ex Franciſco Suar. dum non ſit mentio illius phyſici intrinſeci, quo materia conceptus ſigillatur & determinatur ad inferendam maculam animæ, ubi primò fuerit ſibi unita. Neque etiam in tertio modo Gabrielis Vaſq. dum non ita exprimitur vis & omnimoda neceſſitas cauſarum ad inducendam prædictam maculam : ſed tantùm impoſſibilitas naturæ ex ſe ad eam præcavendam vel auferendam : ex quo defectu proceſſit falſitas in aſſerendo prædictum debitum non extingui per gratiam, etiam poſt eius infuſionem, ut videbimus §. ſequenti.

18. Habemus tertiò, duplex debitum formale ex prædicto fundamento conſurgere : aliud, quod eſt obligatio ad contrahendam culpam originalem : & aliud ad incurrendas & ſuſtinendas pœnas, quas nobis Adamus promeruit. Ex quibus etiam ſi per gratiæ infuſionem extinguatur illud, quod eſt ad culpam; non tamen eo ipſo tollitur adæquatè quod eſt ad pœnam : ſed poteſt & permanet de facto uſque ad mortem, quæ eſt præcipua pœnarum temporalium originali peccato correſpondentium. ¶ Diximus *adæquatè* : nam inadæquatè hoc eſt, quoad pœnam damni, quæ erit in futura vita, extinguitur prædictum debitum per iuſtificationem. Et etiam poterit per dona ſupernaturalia diminui quoad aliquas ex pœnalitatibus huius vitæ; quibus quidam plus, quidam minus ſubiiciuntur. Non tamen in aliquo extinguitur quoad omnes (ſaltem de lege ordinaria) cum ad minus corporalem mortem omnes incurrant. Neque ad luendas huiuſmodi pœnas temporales opus eſt contraxiſſe de facto originalem culpam; ſed ſufficiens earum ratio eſt debitum contrahendi, & hoc quod eſt peccaviſſe in Adam; ob cuius meritum pœna poſteris tanquam in eo ſimul peccantibus applicatur. Et ſi ſit temporalis, poteſt applicari & permanere, etiam culpa de facto non contracta, aut poſt contractionem remiſſa, ſicut permanſit in Adamo poſt culpæ ſuæ remiſſionem. De quo aliquid diximus diſp. præced. num. 13. & poteſt videri D. Thom. in 2. diſt. 31. & 32. quæſt. 1. art. 1.

Circa illud, quod inter referendum tetigimus, an prædictum debitum intrinſecum ſit culpa aut pœna? placet quod aſſeritur in ſecundo modo dicendi : nempe quod utriuſque habeat rationem. Ita tamen, quòd nec ratio pœnæ, nec ratio culpæ competat illi formaliter, ſed tantùm cauſaliter ante fœtus animationem, quia ſive culpa ſive pœna nequeunt formaliter reperiri niſi in creatura rationali : & ideo ſicut quod informationem rationalis animæ antecedit, cauſaliter tantùm vel radicaliter poteſt dici *culpa*; ita hoc dumtaxat modo habebit rationem pœnæ. In quo etiam cavendum eſt, ne rationes iſtæ culpæ & pœnæ etiam acceptæ cauſaliter in prædicto debito omnino coincidant; ſed diſtinguantur aliquo modo : quia pœna ſecundùm hanc rationem habet eſſe à Deo ut à judice decernente & applicante illam : culpa verò ut talis etiam cauſaliter activè ſumpta nullatenus poteſt eſſe ab illo : ſicut nec culpa formalis, quæ ex tali cauſa conſurgit : atque adeo repugnat, ut idem ſecundùm idem ſit culpa & pœna : de quo dicemus diſp. ſequenti dub. 5. 19.

§ II.

Pro ſecunda dubij parte duplex ſententia, & vera reſolutio.

HÆc poſterior dubij pars, ubi quæritur de duratione prædicti debiti, non procedet de debito quoad pœnam, pro quo ſufficient modò quæ nuper tetigimus uſque ad diſp. 17. ubi de pœna & reatu ad illam latiùs diſſeritur. Vnde reſtringetur præſens difficultas ad debitum ſeu neceſſitatem contrahendi ipſam culpam originalem. Poſſumus autem loqui vel de illo, qui in hypotheſi aſſignata num. 11. etiam ſi peccaverit in Adam, prædictùmque debitum contraxerit, in primo tamen inſtante ſuæ conceptionis gratia fuerit præventus, & peccati maculam non incurrerit : vel de aliis illam contrahentibus; ſive citò pòſt, ſive multò, ſive nunquam juſtificationis gratiam acceperint. Fortè enim inter hos caſus erit aliqua diverſitas, quamvis auctores, quos vidimus, independenter ab illa rem deciderint. 20.

Vaſquez igitur, cuius eſt prima ſententia, ubi ſupra ſine diſcrimine aſſerit, prædictum debitum manere, nedum in primo conceptionis inſtante; ſed etiam per totam vitam; neque per gratiam juſtificationis extingui : unde cum ipſe aſſerat Virginem Deiparam fuiſſe ſub eo comprehenſam, conſequẽter affirmat non illud exuiſſe per gratiam conceptionis; ſed toto vitæ curſu cum eo manſiſſe : & ſic de aliis à fortiori. Quod primo ſibi perſuadet. Nãm prædictum debitum non eſt aliud quàm relatio paſſiva ad demeritum Adæ fundata in natura ſeminaliter ab illo deſcendente, & quæ quantum eſt ex ſe, cõtraheret maculam talis peccati, niſi obſtaret gratiæ impedimentum; aut ſaltem ex ſe eſſet impotens ad non contrahendam illam, vel poſt contractam non in ea permanendum : atqui hoc totum durat decurſu vitæ, neque aufertur Prima ſententia. Primum argumentum.

per gratiam : cum adhuc poſita juſtificatione, verum ſit talem naturam fuiſſe ſub demerito Adami, deſcendiſſe ab eo per ſeminalem propagationem, ex ſe eſſe impotem ad præcavendum prædictam maculam, & ad non permanendum in illa : ergo, &c.

21. Secundum.

Deinde (arguit ſecundo) vel hujuſmodi debitum eſt incompoſſibile cum gratia, vel non ? Si primum, pro nulla duratione habebit eſſe in illo, qui in ſua conceptione juſtificaretur, ſicut fuit iuſtificata Deipara, cum iam tunc adeſſet gratia cum eo incompoſſibilis. Si ſecundum, nulla eſt ratio, ut poſt illud inſtans adeóque per totam vitam non permaneat, quandoquidem talis ratio ſolùm poſſet eſſe prædicta incompoſſibilitas. ¶ Eò præſertim quia ſi debitum per unum inſtans permanet cum gratia, eo ipſo non excluditur per illam : quæ enim ſe excludunt, non ſunt ſimul, vltra gratiam autem nihil eſt per quod excludatur : ergò vel pro toto tempore, vel pro nullo inſtante debet poſſe manere cum illa.

Tertium.

Tertiò, quoniam poſteri Adami ex vi demeriti illius non modò obnoxij manent contractioni peccati in primo inſtante, ſed etiam permanentiæ in illo, quantum eſt ex ſe, & niſi gratia obſtet : & ideo quandiu gratia non adeſt, ex vi talis debiti permanent in ipſo peccato ; ſicut permanet in eis impotentia ad illud expellendum : cum ergo debitum præcisè conſiſtat in hujuſmodi obligatione & impotentia, non debet reſtringi ad primum inſtans, ſed permanere quandiu verum ſit, naturam ex ſe impotem eſſe ad non contrahendum peccatum, & ad non permanendum in illo : quod nunquam ſibi non competeret.

22. Obiectio.

Si verò huic Doctori opponas ſequi ex ejus doctrina, quòd ſi Deus ab aliquo iuſtificato abſque ipſius voluntate gratiam tolleret, vel ipſe peccando amitteret, reviviſceret in eo peccatum originale antea dimiſſum : cum ex una parte permaneat debitum contrahendi illud ; & ex alia, gratia ſemel excluſa, nihil ſit quod obſtet contractioni. ¶ Reſpondet animadvertendo pro primo caſu, bifariam poſſe gratiam alicui infundi ; vel ſine proprio actu aut diſpoſitione ut parvulis ante uſum rationis communiter infunditur : vel cum propria diſpoſitione & actu, ſicut infunditur adultis. Si infundatur priori modo, exiſtimat fore ut ſublata gratia, peccatum originale in illo homine reviviſceret : quia maneret abſque iuſtitia, quam ex primo parente aliàs accepturus erat, adeóque illa carentia haberet rationem privationis & peccati. Si verò infundatur poſteriori modo, negat prædictam reviviſcentiam : quia per actum, quo homo ille fuiſſet iuſtificatus, maneret adhuc dignus vita æterna, ac proinde juſtus : quam dignitatem nec Deus pro ſola ſua voluntate poſſet illi auferre. Quoad ſecundum verò caſum de iis, qui propriis peccatis actualibus gratiam amittunt, reſpondet non contrahere iterum orginale peccatum : quia neque contrahunt privationem juſtitiæ ex merito Adami : hæc enim transfundenda ſolùm erat in poſteros, & in eis permanſura, donec ipſi proprio actu eam non amitterent. Hæc Vaſq.

23. Secunda ſententia.

Quæ tamen diſplicent Suario ubi ſupra, & aliis tenentibus (& erit ſecunda ſententia) debitum contrahendi peccatum originale ſolum durare pro primo inſtante conceptionis pueri, ſive in illomet inſtante juſtificetur ab actuali contractione præſervatus : ſive in labe conceptus, in ea perpetuò maneat, vel poſtmodum per gratiam mundetur. Et quidem prædictum debitum manere in omnibus abſque exceptione pro primo conceptionis inſtanti, ex eo ſuaderi videtur, quia cum debeat unumquemque afficere in propria perſona, denominanda illum in ſe ipſo *debitorem* ſ. Item extrinſecè : perſona autem non exiſtat ante inſtans conceptionis, oportet vel quòd nullum ſit tale debitum, vel quòd in primo inſtante ad minus perduret. ¶ Confirmatur : nam de omnibus peccantibus in Adam, etiam de illo qui in primo inſtante juſtificaretur, debet verificari, prius ſaltem natura fuiſſe obnoxios peccato originali, quàm illo infectos : cumque hoc non poſſit verificari de illis ut fuerunt præcisè in Adam ; ibi quippe non tantum debitores, ſed vere peccatores extiterunt : oportet ut verificetur de eis in ſe ipſis, adeoque ſaltem in primo inſtante conceptionis ; ante quod in ſe ipſis nunquam fuerunt.

Probatur prima pars.

24. Probatur ſecunda, & prima ſententia impugnatur.

Quòd autem prædictum debitum ultra illud inſtans in nemine extendatur, ſed ibi extinguatur, probari poteſt. Quia cauſæ peccati originalis pro illa tantùm duratione fundant eius debitum, pro qua vim habent inferendi & inducendi prædictum peccatum, manéntque ad id neceſſitatæ : ſed hoc habent ſolùm pro primo inſtante : ergo, &c. Minor probatur : nam prædictæ cauſæ pro eadem duratione habent vim & neceſſitatem inferendi peccatum, pro qua habent communicare naturam deſcendentem ſeminaliter ab Adam : media enim hujuſmodi communicatione & non aliter inducunt illud, ut vidimus diſput. præced. à num. 69. munus autem communicandi naturam finitur in primo conceptionis inſtante : & ideo ſi ſemel communicata, puer ſtatim moreretur, nullatenus eſſet in facultate prædictarum cauſarum illam rursùs communicare : idem ergo dicendum erit de debito ſeu facultate ad peccatum inducendum. ¶ Adde, D. Thomam & alios Doctores frequenter aſſerere, quòd caro propagata ex Adamo, & exinde concupiſcentiæ vitio infecta, non maculat animam culpa originali, in quantum eſt iam illi unita in facto eſſe ; ſed prout eſt in via ad unionem, ſtátque ſub actione & motione generativa : hoc autem ſolùm habet in primo inſtante generationis : ergo, &c.

25. Probatur tertia.

Deinde quòd ſaltem adveniente juſtificatione ceſſet illud debitum, probatur. Tum quia omne debitum extinguitur ſolutione aut remiſſione eius quod debetur : & ideo ſi Ioannes Petro debeat centum ſolvenda die craſtina, & tunc Petrus remittat, non manebit amplius debitor Ioannes, ut eſt per ſe notum : ſed per gratiam remittitur

remittitur omnino culpa originalis: ergo extinguitur ejus debitum; quæ ſit autem vis hujus probationis conſtabit num. 41. Tum etiam nam ſi prædictum debitum non tollitur per iuſtificationem, non erit per quid tollatur neque in hac vita, neque in futura; atque adeo non ſolum iuſti viatores, ſed & Beati in patria illo tenebuntur: dicenturque proinde *peccato originali obnoxij*: quod licèt videatur abſurdum, in id tamen ducunt rationes prioris ſententiæ, dum totum quod pro debito aſſignat, æque maneat in Beatis, atque in viatoribus, ut intuenti conſtabit. ¶ Præterea falſum videtur, quod dicitur in ea ſententia, videlicet quòd ſi Deus ab homine iuſtificato auferret gratiam ſine ipſius culpa, reviviſceret in eo peccatum originale per illam gratiæ carentiam, ſaltem ſi iuſtificatus fuiſſet ſine propria diſpoſitione, ut in pueris contingit. Quoniam talis carentia non eſſet illi voluntaria, neque per actum proprium, neque per actum Adami, qui per iuſtificationem ſupponitur iam quoad illum hominem omnino retractatus: carentia autem gratiæ non voluntaria nequit habere rationem peccati, ut ex ſe liquet.

26. Proſequitur primæ ſententiæ impugnatio.

Illa autem diſparitas inter iuſtificatum per propriam diſpoſitionem, & iuſtificatum ſine illa, nulla eſt ad præſens: quia ablata ſemel gratia, in nullo eorum manet ius ad gloriam; cum totum hoc ius in gratia ipſa fundetur: atque adeo ex parte nullius eſſet aliquid impediens reviviſcentiam peccati originalis, ſi in utroque maneret debitum influens in eius contractionem. Sicut etiam diſparitas alia inter amittentem gratiam per proprium actum, & inter amittentem illam per ſolam Dei ablationem, nullius momenti eſt: quia quamvis Deus non teneretur conferre aut conſervare originalem iuſtitiam poſteris Adami, poſtquam illi propria vel parentis culpa eam amitterent; ipſi tamen ſemper tenerentur ad habendam illam, iuxta id quod dicemus diſp. ſequenti dubio 5. Et ideo carentia talis iuſtitiæ ſemper haberet rationem privationis, & conſequenter rationem culpæ; niſi deeſſet ratio voluntarij: conſtat non fore minùs voluntariam prædictam privationem, quantum eſt ex vi demeriti Adami, ſi homo per proprium peccatum gratiam expelleret quàm ſi Deus abſque tali peccato illam ſubtraheret: ergo non eſt cur per hanc ſubtractionem reviviſcat culpa originalis ex vi prædicti demeriti; & tamen non reviviſcat per illam expulſionem. His ſufficienter falſitatis convincitur prædicta prima ſententia, ſaltem in ea extenſione, in qua à Vaſquez defenditur. Cuius ultima probatio nobis non officit, ut ſtatim conſtabit: reliquas verò quæ officere videbuntur, diluemus §. ſequenti.

27. In quo deficiat ſecunda ſententia.

Minùs à veritate recedit ſecunda ſententia, quæ prædictum debitum reſtringit ad ſolum primum inſtans. Adhuc tamen non ex toto illam aſſequi videtur: quia probabilius arbitramur, prædictum debitum non omnino extingui in aliquo ante ſuam primam iuſticationem. Debitum enim peccatum contrahendi non extinguitur ſaltem ex omni capite, niſi ponatur eius ſolutio, vel fiat remiſſio: ſed contracto peccato, dum gratia non infunditur, nec ponitur ſolutio pro illo, nec remittitur, ut eſt per ſe notum: ergo non extinguitur tale debitum.

Confirmatur: tandiu permanet in aliquo debitum peccati originalis, quandiu ex parte cauſarum manet ſufficiens vis & neceſſitas inducendi aut conſervandi in eo tale peccatum: ſed adhuc poſt inſtans conceptionis, quandiu gratia non advenit, manet prædicta vis & neceſſitas: ergo, &c. Major & conſequentia conſtant. Minor vero ſuadetur ex doctrina quam tradidimus diſput. præced. dub. 3. §. 7. & deinceps: ubi diximus, peccatum Adami, qua ratione fuit poſterorum, permanere moraliter in Dei abominatione, offendens ipſum, quandiu ab unoquoque eorum pro ſe non retractatur, exindéque auferre vel impedire gratiam, ne infundatur illi ſuppoſito, pro quo irretractatum permanet, adeo ut ſit incompoſſibilis etiam de potentia abſoluta, hæc non retractatio cum illius infuſione. Ex hac ergo doctrina ſuperiùs fusè declarata probatur minor noſtræ confirmationis. Nam peccatum illud pro nomine retractatur ante eius iuſtificationem: quandiu autem non retractatur, neceſſariò inducit aut conſervat in ſuppoſito cui attinet, privationem originalis juſtitiæ, quæ eſt ipſum peccatum originale: igitur ſemper conſervatur ibi debitum huiuſmodi peccatum contrahendi.

Confirmatur ſecundò ex hypotheſi ſuppoſita diſput. præcedente num. 91. nimirùm quòd Deus annihilaret puerum in originali exiſtentem, ſtatimque eundem numero ſine gratia reproduceret: ſanè in hoc caſu puer poſt reproductionem haberet eandem privationem gratiæ, adeoque idem originale peccatum, quod habebat antea: alias poſſet ſaltem hac via auferri peccatum mortale ab aliquo, iſque ſine illo poſtea maneret abſque gratiæ infuſione: quod præſertim in via D. Thomæ communiter non admittitur: cum ergo tale peccatum non reviviſceret ex vi actionis Dei reproducentis puerum, ut eſt per ſe notum; dicendum eſt reviviſcere ex vi prioris debiti manentis adhuc in ſuis cauſis, ſcilicet in peccato Adæ non retractato pro illo puero. Manſit igitur inextincta huiuſmodi peccati vis & neceſſitas ad originale inducendum, etiam poſt primam iſtius contractionem: atque adeo permanet debitum de quo loquimur.

Neque exiſtimandum eſt prædictum debitum poſt inſtans conceptionis, ubi peccatum contrahitur, uſque ad juſtificationem, per quam extinguitur, manere otioſum & abſque ullo influxu in peccatum: quin potius ſemper influit illud, quamvis non eodem modo; nam in primo inſtante ejus influxus terminatus fuit ad contractionem & ad primum *eſſe* peccati; deinceps verò terminatur ad ejus conſervationem, & ad tenendum (ut ita dicamus) hominem ſub illo. Et quia adæquatè rem conſervans eſt ſufficiens ad ejus productionem; idcirco ſi poſt primam contractionem peccati 28. Diluitur tacita obiectio.

Digitized by Google

nova ejus reproductione opus eſſet, ut in caſu annihilationis & reproductionis pueri, non eſſet neceſſaria nova cauſa ad novam illam peccati reproductionem; ſed fieret per influxum ipſius peccati Adami non retractati, per quem ante annihilationem conſervabatur.

Aſſertio. Dicendum itaque eſt debitum peccati originalis afficere omnes, qui in Adam peccaverunt, in ſua conceptione: manereque in illis uſque ad inſtans juſtificationis; non tamen ultra progredi, ſed ſtatim penitùs extingui. Primam hujus aſſertionis partem probat prima ratio ſecundæ ſententiæ, & ejus confirmatio: ſecundam (quam ut probabiliorem tantùm eligimus, agnoſcentes oppoſitum eſſe etiam ſatis probabile) ſuadent quæ nuper dicta ſunt: tertia verò convincitur ex impugnationibus factis contra primam ſententiam: quare ſolùm ſupereſt diluere argumenta, quibus prædictæ ſententiæ contra aliquid illorum militare videntur: ex eorúmque ſolutionibus manebit tota aſſertio magis elucidata & roborata.

§. III.

Diluuntur contrariæ rationes.

29. *Diluitur prima ratio ſecundæ ſententiæ.* PRima ratio Gabrielis Vaſq. qua probare nititur, debitum peccati originalis non modo uſque ad juſtificationem, ſed etiam poſt illam permanſurum, facilem habet ſolutionem: ſi dixerimus, inſufficienter ab eo deſcribi prædictum debitum per ſolam illam impotentiam, quam ex ſe habet natura ad non contrahendum vel non perſeverandum in prædicto peccato: nam ultra hujuſmodi impotentiam ex parte naturæ ad non reſiſtendum peccato, requiritur vis & neceſſitas ex parte cauſarum ad illud inferendum. Dum enim deeſt virtus influens in aliquem effectum ex parte cauſæ activæ, parum vel nihil refert capacitas aut non repugnantia ex parte ſubjecti ad illud recipiendum. Unde quia tota vis activa peccati originalis extinguitur per juſtificationem, dum per eam peccatum Adami, ex quo ortum duxerat, retractatur & remittitur, conſequens fit ut per ipſam juſtificationem prædictum debitum omnino extinguatur. ¶ Vel ſecundo dici poteſt, illam relationem paſſivam ad demeritum Adami, quam Vaſquez pro debito aſſignat, non ſalvari poſt juſtificationem: quia per hanc extinguitur illud demeritum quantum ad hanc perſonam, quæ juſtificatur: adeóque nullam poteſt amplius terminare relationem ex parte talis perſonæ.

Secundam rationem, quæ procedit de compoſſibilitate vel incompoſſibilitate debiti pro primo juſtificationis inſtante diluemus ultimo loco. ¶ Tertia probat ſecundam partem noſtræ aſſertionis nempe prædictum debitum non extingui uſque ad juſtificationem: quod verò nec per iſtam deſtruatur, nullatenus convincit, ut conſtat ex ſolutione, quam modò primæ rationi tradidimus.

30 *Solvitur argumentum ſecundæ ſententiæ.* Prima ratio & confirmatio ſecundæ ſententiæ probat primam partem ejuſdem aſſertionis; ut jam diximus. ¶ Ad ſecundam verò, quæ ſecundam aſſertionis partem oppugnare videtur, conceſſa majori, neganda eſt minor. Ad probationem reſpondetur, quòd licèt verum ſit, cauſas fundantes debitum non habituras vim ad id munus præſtandum reſpectu hujus perſonæ, neque ad peccatum illi inferendum, niſi habuiſſent ſaltem aliquæ earum vim communicandi naturam deſcendentem ſeminaliter ab Adamo; non tamen eſt verum, quod ſemel facta hac communicatione, & exhauſta virtute ad illam repetendam, exhauriatur etiam ex parte omnium vis illa, quam habebant ad peccatum inferendum. Et ratio eſt: nam virtus communicativa naturæ non ordinatur ad ejus conſervationem; ſed duntaxat ad primam productionem: conſevatio enim non ſpectat ad generantem, cujus eſt illa virtus, ſed ad auctorem ipſius naturæ, cui incumbit, omnia entia in ſuo eſſe juxta uniuſcujuſque exigentiam conſervare: unde ſemel facta prima naturæ productione, prædicta virtus, ut potè adæquatè jam functa officio ſuo, debet extingui: cæterum vis illativa peccati non ordinatur præciſè ad ejus contractionem, ſed etiam ad conſervationem, cum nulla alia poſſit aſſignari cauſa conſervans: & ideo quouſque perduraverit, & conſervetur peccatum, debet hujuſmodi vis inextincta permanere. Eò præſertim quia quandiu peccatum conſervatur, manet etiam in ſuo robore cauſa principalis prima & proxima, unde fluxit, & à qua conſervatur tota vis operativa contractionis illius: ſcilicet peccatum actuale Adami irretractatum & præſens Deo objectivè, juxta diſp. præced. à num. 90. Unde ſicut peccatum hoc, quandiu ex divina præſentia per gratiam non deletur, inde neceſſariò impedit ipſius gratiæ infuſionem; ſic etiam neceſſario conſervat, & veluti manu tenet prædictam vim originalis maculæ inductivam & conſervativam, ut inextincta & in ſuo robore permaneat. Quæ ratio non militat reſpectu virtutis communicativæ naturæ in ratione naturæ, ut intuenti conſtabit.

Ad illud, quod additur ex Divo Thoma & aliis, reſpondetur, ex duplici capite oriri neceſſitatem & debitum, ut perſona deſcendens ſeminaliter ab Adamo incurrat culpam originalem. Primò ex vi generationis patratæ ſemine infecto, hoc eſt, privato illo vigore, per quem in primo ſtatu juſtitiam originalem traduceret: quatenus ea privatio cauſa eſt, ut communicetur natura ſimiliter privata ipſa juſtitia originali, quam per prædictum vigorem acceptura erat: ut explicatum eſt diſp. præcedent. à numero ſexageſimo nono. Secundò id oritur ex obice, quem præſtat peccatum actuale Adami, ne huic perſonæ gratia infundatur, dum pro illa irretractatum permanet in Dei abominatione, juxta dicta ibidem à numero nonageſimo. Et quamvis inter hæc duo capita quantum ad primam peccati contractionem ſit connexio, & ratione talis connexionis poſſint dici cauſæ partiales, ut explicuimus ibi à numer. 104. ſi tamen poſtea uno illorum finito, alterum permaneat, ex iſto aderit ſufficiens fundamentum prædicti debiti: quia aderit ſufficiens principium neceſſitans 31. *Diluitur additum præcedentis rationis.*

ceſſitans ad permanendum in tali peccato & ad illud, ſi opus ſit, reproducendum.

Quando ergo D. Thom. ait, carnem non maculare animam, niſi dum eſt in via ad unionem, & ut ſtat ſub motione generativa, loquitur præcisè de influxu in peccatum, qui intrinſecè deſcendit per generationem & ſemen vitioſum: qui ſanè influxus prout ortus ex iſto capite, terminari debet in ipſo inſtante conceptionis, ubi finitur generatio: exercétque illum caro vitiata, non tam prout intelligitur unita animæ iam *in facto eſſe*, quàm prout intelligitur *in unio*, ſeu in via ad unionem. Non tamen excludit D. Th. quòd alia via nempe ratione prædicti obicis, perſeveret influxus peccati Adami in illam maculam, vel conſervans eam vel ſi opus ſit reproducens: quouſque per iuſtificationis gratiam, peccato illo retractato & ablato obice, ceſſet omnino talis influxus. Quare licèt aſſeramus, debitum peccati originalis abſolutè non extingui uſque ad iuſtificationem: negare tamen non debemus diſcrimen inter primum inſtans, ubi puer concipitur, & reliquum tempus, quo in peccato permanet. Nam in illo adeſt debitum integrum ex omni capite tam intrinſeco quàm extrinſeco: deinceps verò non ita, ſed tollitur quoad intrinſeca, & permanet quoad extrinſeca. Sufficit tamen hæc permanentia ad conſervationem peccati originalis iam contracti & ad ejus, ſi futura eſſet, reproductionem, propter incompoſſibilitatem cum gratia reſpectu illius ſuppoſiti, quæ importatur in prædicto debito extrinſeco.

32. Qua via ſolvendi ratio prima ſententiæ. Difficilius eſt quod tangit ſecunda ratio prioris ſententiæ, cujus ſolutionem uſque modo diſtulimus: quo pacto ſcilicet prædictum debitum maneat unà cum gratia in inſtante iuſtificationis, & nihilominus per eam in illomet inſtante extinguatur; vel ſi in eo non extinguitur, cur non poſſit poſt iuſtificationem diu permanere? Neque urgeret difficultas, ſi ſolum loqueremur de communi juſtificatione, quæ fit tranſacto tempore poſt conceptionem: tunc quippe facilè dici poſſet prædictum debitum conſervari uſque ad inſtans juſtificationis excluſive; in illo verò non iam manere, ſed extingui & eſſe extinctum. Cæterum reducendo caſum ad illam perſonam, cui in ipſo conceptionis inſtante gratia infunderetur, oportet vel quòd pro eodem inſtante infuſionis gratiæ debitum perduret; vel quòd pro nulla duratione talis perſona in ſe ipſa illi ſubiaceat cum in illomet inſtante, quod eſt primum ſui *eſſe*, gratia iam aſſiſtat.

Huic argumento vidimus innixos aliquos ex illis, qui Deiparam à contractione originalis maculæ non præſervant: videbiturque etiam poſſe inniti præſervantes ipſam quoque à debito: quaſi reperiri aliquando debitum non valeat, ubi nunquam fuerit peccatum: adeóque non præſervari poſſit ab iſto, quiſquis ſub illo comprehenditur. Sed revera neutra opinio poterit ex hoc capite fulciri ut conſtabit ex ſolutionibus, quas ſtatim adducemus. Præterquam quod cum argumentum factum procedat de poſſibili; prædictæ verò opiniones nequeant ſua aſſerta ad impoſſibilitatem vel implicationem oppoſiti reducere (nemo enim hactenus negare auſus eſt, quòd attenta Dei potentia potuerit Virgo concipi vel ſine peccato & debito, vel cum utroque ſimul, vel cum debito & ſine peccato) patet prædictum argumentum neutri opinionum ſuffragari.

Reſponderi ergo poteſt primò, quòd licèt omnes contrahentes de facto culpam originalem, incurrant prius natura, unuſquiſque in ſua propria perſona prout habet eſſe in ſe ipſa, debitum ipſius culpæ, adeo ut ſicut inſunt, & dicuntur intrinſecè *peccatores*; ita in ſe & prius natura ſint & dicantur intrinſecè *debitores*, attamen ille quem Deus à peccati contractione præſervaret, nunquam in propria perſona, ut exiſtens actu in ſe ipſa & extra ſuas cauſas, prædicto debito tangeretur; ſed ſolum prout fuit in ſuis cauſis, ſcilicet in Adamo & reliquis poſteris, per quorum infectum ſemen natura ipſius Adami ad illum perveniret: ita quidem ut non ſolum materialiter diceretur *debitor* ratione cauſarum, quatenus iſtæ aliàs debito ſubjacerent; ſed formaliter & ratione ſui contenti & futuri in ipſis cauſis, ita ut tota ratio illius debiti in cauſis eſſet continentia & futuritio talis perſonæ, formaliter in quantum eius continentia & futuritio: atque adeo ita ut prædicta perſona ex vi illius continentiæ intelligeretur iam ex tunc ſub debito & neceſſitate ad contrahendum in ſe ipſa peccatum pro eo nunc, in quo proprium *eſſe* à cauſis reciperet: nec aliter quàm ſub eo debito & neceſſitate ibi repræſentaretur. Hoc autem genus debiti quamvis non arctè & intrinſecè afficiat in ſe ipſa perſonam, quæ *debitrix* dicitur, ſicut illud quo afficiuntur omnes in originali peccato concepti; ſufficiens tamen videtur, ut verificentur omnia, quæ verificari debent de iis, qui peccaverunt in Adam, & in ſe ipſis indigent redemptione per Chriſtum. 33. Prima ſolutio.

Pro cujus pleniori intelligentia nota, dupliciter poſſe intelligi, quòd iſte de quo loquimur, præcaveret peccatum, & etiam debitum in propria perſona ut exiſtente in ſe ipſa. Vel quia Deus antecedenter mundaret ſemen parentum ejus conceptionem operaturum ab illa infectione, quam ex Adamo acquiſivit, ratione cujus traducturum erat culpam originalem: & hac via non modò in inſtante conceptionis gratia peccatum excluderet; ſed ex tempore antecedenti eſſet illi aditus præcluſus per prædictam emundationem; quæ dum à ſemine oppoſitam immunditiam & vim communicativam peccati auferret, efficeret etiam ne prædicta vis fœtui concipiendo appropinquaret, aut illum comminùs intueretur; ſed quaſi eminùs & à longe conſpiceret. Quo fieret ut etiam debitum, de quo loquimur, ibidem ſiſteret nec proximius ad conceptum accederet: ipſáque perſona concipienda, etiam priuſquam in ſe exiſteret, & ut contenta in illo ſemine mundato, non iam repræſentaretur obnoxia & debitrix, ſicut repræſentabatur ante emundationem; ſed libera & ſoluta à neceſſitate peccatum contrahendi. Prior modus tuendi ſolutionem.

Hunc modum præſervandi ab originali fuiſſe Deo poſſibilem, rectè agnovit D. Thom. in 3. diſt. 3. quæſt. 1. art 1. quæſtiunc. 1 negat. tamen fuiſſe conveniens reſpectu alicujus. Tum quia ad ita procedendum, deberent pa- 34

rentes non ſolum ut particulares perſonæ perfecta ſanctitate & munditia ornari, ſed etiam natura eorum in ratione naturæ à morbo & vulneribus in Adamo acceptis perfectè ſanari per donum originalis juſtitiæ: nam communicatio peccati ſequitur conditionem naturæ, non verò perſonæ generantis: hæc autem perfecta ſanitas propria eſt ſolius ſtatus gloriæ, & ideo pro nullo decuit illam in via naturæ conferri. Tum etiam quia re bene attenta, gratia & privilegium in hac præſervatione interveniens, non tam fieret perſonæ excipiendæ à culpa originali, quàm ejus parentibus vel naturæ: quæ per prius omninò in eis ſanaretur, quàm talis perſona: quæque ſemel ſana non illi dumtaxat, ſed quibuſvis aliis à parentibus illis gignendis ſine culpa & vitio communicaretur. Quinimo etiamſi Deus poſtea perſonæ illi in ſe ipſa gratiam vel aliud ſupernaturale donum non conferret; ſemel tamen facta prædicta ſeminis mundatione, & ſanata natura, nec prædicta perſona, pro qua ſpecialiter id factum fuiſſe dicitur, neque alia ex eiſdem parentibus deinceps orta, cuique nullam gratiam Deus facere decreviſſet, in peccato originali conciperetur, ſed potius in puris naturalibus cum eſſet iam præcluſa janua, qua peccatum deberet introduci, nec poſſet iterum aperiri. Quod ſatis convincit gratiam & privilegium ibi intervenientia potius fieri parentibus vel naturæ, quæ originali juſtitia exornabantur, quàm prædictæ perſonæ: quæ poſſet adhuc, Deo diſponente, ſine illa, & ſine gratia concipi. Has ob rationes reiicit D. Thom. hunc modum diſcurrendi, quem nos etiam omittimus.

35. Alter modus dicendi. Secundò poſſet fieri prædicta præſervatio; non in parentibus, in eorumque natura, aut ſemine; ſed immediatè in ipſa perſona, per gratiam collatam illi in inſtante animationis, quæ peccatum impediret, extingueretque in illomet inſtante debitum & neceſſitatem præcedentia in cauſis, quæ toto antecedenti tempore conceptum ad maculandum urgebant, & pro peccati contractione inſtabant. Unde ſicut ante prædictum inſtans nihil fuit extinguens tale debitum, aut impediens vel retrahens ne conceptum in ſe ipſo attingeret, ſed totum hoc fuit opus ſolius gratiæ illius inſtantis: ita tota hæc gratia fieri intelligitur perſonæ tunc primò conceptæ, potius quàm parentibus vel naturæ: neque alia dona, quàm quæ perſonæ ipſi in ſe conferuntur, ſibi vendicant munus præſervandi illam & liberandi à peccato, & à debito, quod habuit in cauſis ad ipſum contrahendum.

Approbatur. Hic modus dicendi ſufficienter ſalvare videtur, quicquid verificari neceſſe eſt de debito, quod diſquirimus; nam licèt perſona præſervata non ſubjaceat illi phyſicè & realiter, dum eſt actu in ſe ipſa; ſubjacuit tamen toto tempore præcedenti, dum erat contenta & futura in ſuis cauſis: totóque illo tempore repræſentabatur in illis, & obiiciebatur noſtræ cognitioni ut obſtricta & obligata, atque neceſſitate ad hoc quandocunque in ſe ipſa produceretur, incurreret peccatum. Imò abſolutè & ſine addito dici poterat, quòd prædictum debitum tetigiſſet illam perſonam, & quòd ipſa perſona fuiſſet abſolutè ſub tali debito. Tum quia fuit ſub illo in ultima diſpoſitione immediatè antecedente generationem, in qua diſpoſitione cenſetur iam eſſe quaſi formaliter perſona genita, iuxta commune axioma, *quod propè eſt ad actum, nihil ab actu differre videtur.*

36. Tum etiam, nam ſicut tempus immediatè antecedens inſtans generationis ſe ipſo tangit, & veluti deoſculatur prædictum inſtans, adeo ut exiſtat formaliter per ejus exiſtentiam: ita diſpoſitio toto illo tempore perdurans poteſt dici tangere & quaſi exoſculari rem genitam, quæ ex illa in prædicto inſtante immediatè debet reſultare: eodémque modo vis, & neceſſitas incurrendi peccatum, quæ toto illo tempore inhæret prædictæ diſpoſitioni, poteſt dici tangere & afficere in ſe ipſa perſonam gignendam, quaſi immediatè adhærens illi; quamvis non inhærens. Neque eſt novum, aliquid denominari formaliter, & ſuo modo intrinſecè ab eo, cui non coexiſtit intrinſece, ſed immediatè ſuccedit: ſicut pars temporis immediatè ſuccedens inſtanti, denominatur ab eo formaliter *exiſtens* ſuo modo intrinſecè, non per inhærentiam; ſed per attingentiam & adhæſionem. Ita ergo in noſtro caſu perſona genita & præſervata à culpa poſſet denominari in ſe ipſa *debens* à debito inhærente ultimæ diſpoſitioni, cui ipſa perſona immediatè ſuccedit, & à qua veluti deoſculatur & attingitur. Tùm præterea, nam terminus *à quo* alicujus mutationis ſeu generationis, quamvis revera per illam deſtruatur, cenſetur nihilominus aliquo modo aſſiſtere in ipſo inſtante generationis pro aliquo ſigno naturæ: quatenus pro tali ſigno nondum concipitur *in corrupto eſſe*, ſed tantùm *in corrumpi* ſicut nec terminus *ad quem* pro illo ſigno concipitur *in facto eſſe*, ſed tantùm *in fieri*: unde eo ipſo cenſetur deeſſe ibi aliquid & perfectioni unius, & alterius deſitioni: & hac ratione illum quodammodo non eſſe, & iſtum quodammodo eſſe. Cum ergo in juſtificatione illius, de quo loquimur, terminus *à quo* ſit peccati debitum, terminus verò *ad quem* ſit infuſio gratiæ, & hæc prius debeat concipi *in fieri* quàm *in facto eſſe*; datur locus ut pro illo priori concipiamus prædictum debitum nondum omnino deſtructum, ſed quaſi *in deſtrui & corrumpi*; & ut poſſimus concipere perſonam, quæ juſtificatur ſub non plena debiti corruptione, atque adeò quodammodo ſub ipſo debito.

§. IV.

Eiuſdem argumenti melior ſolutio.

37. Secundo & melius adhoc argumentum reſpondetur concedendo, in eodem inſtante conceptionis, in quo exiſteret gratia; extiturum etiam intrinſecè & realiter debitum peccati originalis; atque adeo perſonam ita juſtificatam in ſe ipſa formaliter & cum omni proprietate fuiſſe pro illo inſtãte debitricem, & obnoxiam peccato; non tamen peccatricem aut maculatam tali peccato, quia peccatum & ejus denominationes pro nulla duratione queunt ſtare cum gratia; debitum autem & denominatio *debitoris* compatitur cum illa in primò inſtante, & non ultra: ſicut diſput. præced. num. 139. diximus

Digitized by Google

ximus dignitatem capitis in Adamo potuiſſe compati cum eius peccato pro primo inſtante, ſtatim verò ablatam fuiſſe. Pro quo nota, cauſas intrinſecè fundantes debitum, ut ſupra dicebamus, eſſe illas infectas diſpoſitiones, quæ virtute infecti ſeminis in materia fœtu introducuntur: quæ quidem in ſe ipſis permanent uſque ad inſtans animationis excluſivè, & in illo deſinunt per primum *non eſſe*: ſicut in qualibet generatione ſubſtantiali diſpoſitiones præcedentes & determinantes materiam ad formam gignendam adſunt excluſivè uſque ad inſtans ipſius formæ; ibi verò iam non adſunt, ſed deſinunt per primum *non eſſe*, propter reſolutionem uſque ad materiam primam, quæ fit in prædicta generatione.

Deinde nota, quod ſicut huiuſmodi diſpoſitiones præcedentes formam ſubſtantialem eo ipſo quòd toto illo tempore informent & afficiant materiam, relinquunt eam ex tunc ſigillatam & determinatam ad formam generandam, & ad alias ſimiles diſpoſitiones concomitantes ipſam formam, manétque hæc ſigillatio & determinatio in ipſo inſtante generationis, poſtulans & inferens reſultantiam talis formæ, eamque de facto neceſſariò inducens, niſi per aliam formam oppoſitam actualis illius reſultantia divinitus impediatur (de quo latius N. Complutenſes lib. 1. de generat. diſp. ..à num. 88.) ita in noſtro caſu quamvis cauſæ fundantes debitum, ſcilicet diſpoſitiones illæ ortæ ex infecto ſemine, formaliter non perdurent niſi uſque ad inſtans animationis excluſivè; relinquunt tamen materiam ſigillatam pro prædicto inſtante incluſivè: ratione cujus ſigillationis reſultant diſpoſitiones concomitantes formam ſimiliter infectæ: tamque hujuſmodi novæ diſpoſitiones, quàm prædicta ſigillatio afficiunt perſonam conceptam formaliter in ſe ipſa, exigúntque pro viribus, ut communicetur animæ; ad quam diſponunt, ſimilis infectio, quæ erit privatio gratiæ & juſtitiæ originalis: de factoque eam illi inferrent, niſi per ipſam gratiam impediretur reſultantia talis privationis.

38. Apparet veritas ſolutionis.

Hac igitur via rectè intelligitur, qualiter perſona præſervata à macula peccati ſubjaceat ejus debito in inſtante conceptionis formaliter in ſe ipſa; ſiquidem verè ſubjacet prædictæ ſigillationi & diſpoſitionibus, quæ in illo inſtante manent, & urgent conceptum pro contractione peccati, ſervantque ibi vim illud inferendi, in qua conſiſtere diximus prædictum debitum. Neque enim de ratione iſtius eſt ipſa actualis illatio peccati, quæ cum gratia eſſe nequit; ſed ſolùm prædicta vis & conatus ad illud inferendum: quæ manere poſſunt, quamvis effectus divinitùs impediatur: ſicut in gravi detento ſurſum manet vis & conatus urgens pro deſcenſu, quamvis iſte ſit impeditus.

Rectè etiam intelligitur, quomodo prædictum debitum ab illo inſtante in durationem ſequentem non tranſeat: nám ſicut illa ſigillatio, quæ relicta fuit in materia per diſpoſitiones præcedentes, non amplius eſt illativa formæ, neque urget pro illa pro inſtante generationis, pro quo proximè connotat ipſas diſpoſitiones, unde fuit cauſata; & ideo ſi pro illo tunc reſultantia talis formæ miraculosè impediretur, non maneret amplius prædicta ſigillatio, neque pro tali forma rurſus inſtaret: ſed ex tunc ejus vis extingueretur: ita vis & neceſſitas illativa peccati, quæ virtute cauſarum præcedentium relicta fuit in perſona genita, ſolùm potuit durare pro illo primo inſtante, in quo de proximo connotabat prædictas cauſas; & in quo virtute illarum deberet peccatum introducere; & introduceret de facto, niſi à gratia impediretur: ſemel verò hac introductione impedita, & prædicta connotatione ſublata, extinguitur illa vis, nihilque remanet inſtans & urgens pro peccato. ¶ Adde ex dictis diſp. præced. num. 89. illum, qui deſcendit ab Adamo per ſeminalem propagationem contracturus propterea in primo inſtante conceptionis culpam originalem, tandiu & non amplius manere illi obnoxium ex vi prædictæ propagationis, quandiu recipit influxum Adami moventis ad ejus generationem: tandiu autem recipit hujuſmodi influxum, quandiu ſtat ſub motione generativa, quâ finita ceſſat prædictus influxus: motio autem generativa manet uſque ad inſtans conceptionis incluſivè, & ibi finitur per *ultimum eſſe*: ergo idem dicendum eſt de prædicto debito.

Per quod patet ad omnia, quæ Vaſquez in ſua ratione obiiciebat intendens prædictum debitum manere etiam poſt juſtificationem: & ad ea, quæ alij poſſent opponere nitentes probare, quòd neque in primo inſtante conceptionis poſſit intrinſecè adeſſe tale debitum, ſi ſemel ibi non ſit peccatum: credimus namque ſufficienter nos explicuiſſe, qualiter prædictum debitum non ſit incompoſſibile cum gratia in primo inſtante conceptionis; ſecùs vero deinceps: atque adeo qualiter etiam ſi pro illo inſtante non fuiſſet locus peccato; fuiſſet tamen debito: & quòd non ſit inter hæc duo connexio omnino neceſſaria pro quavis duratione. 39.

Replica.

Sed urgebis primò: quia terminus *à quo* illius juſtificationis cum non fuiſſet peccatum, fuiſſet utique eius debitum at terminus *à quo* non eſt compoſſibilis cum termino *ad quem*: igitur nec prædictum debitum cum gratia, quæ eſt terminus *ad quem* cujuſcunque juſtificationis.

Diluitur.

Reſpondetur terminum *à quo* in prædicta juſtificatione non fuiſſe debitum, de quo loquimur nudè ſumptum, ſicut invenitur in ipſo inſtante conceptionis; ſed idem debitum ut aſſociatum carentia gratiæ, ſicut fuit in duratione immediatè antecedente (ubi tamen ex incapacitate ſubiecti, quia nondum erat creata anima rationalis, talis carentia non erat formaliter peccatum; fuiſſet verò, ſi permanſiſſet in ipſo inſtante conceptionis, quia iam ibi eſſet privatio gratiæ in ſubjecto capaci:) ſicut ergo ſola hæc carentia fuit excluſa per gratiam, ita ea dumtaxat ſeu debitum ut inſtans ſub illa, non verò ipſum debitum ſecundum ſe fuiſſet terminus *à quo* prædictæ iuſtificationis. ¶ Vel poſſumus alium terminum aſſignare, qui etiam ſit incompoſſibilis cum gratia: nempe peccatum Adami irretractatum, & debitum inde conſurgens; juxta ea quæ in hoc dubio iam tetigimus, & iterum tangemus: &

juxta

Digitized by Google

juxta illa, quæ de termino à *quo* noſtræ juſtificationis diceınus diſp. ſequenti numero 74. claudentes ſub hoc termino tam peccatum præteritum irretractatum & offenſam Dei, quàm peccatum habituale, ſeu gratiæ privationem.

40 Secundò urgebis, quòd in inſtante juſtificationis nihil debet remanere de ratione culpæ, ſicut neque aliquid damnationis: ut docet Concilium Trid. ſeſ. 5. decreto de peccato orig. imo neque reatum originalis peccati in eis admittit; ſed totum hoc dicit tolli per juſtificationis gratiam: debitum autem, de quo loquimur, aliquid eſt de ratione culpæ & damnationis, cum non ſit præcisè malum pœnæ, ut diximus num. 10. imò eſt ipſe reatus ſeu obligatio incurrendi peccatum originale: ergo nequit manere una cum gratia juſtificationis.

Reſpondetur prædictum debitum pertinere ad malum culpæ, non formaliter quaſi ipſum propriè & formaliter culpa ſit; ſed cauſaliter quia illam inducit. Hoc autem modo non negat Tridentinum manere aliquid culpæ in juſtificatis, ſed id expreſsè admittit: & ideo loquens ibidem de concupiſcentia, quæ manet in renatis, ait appellari ab Apoſtolo *peccatum*, non quia verè & propriè, ſeu formaliter peccatum ſit; ſed quia ad peccatum inclinat: quod eſt eſſe peccatum cauſaliter: ſicut etiam potentia peccandi, quæ manet in omnibus, poteſt dici hoc modo *peccatum*, quia eſt cauſa peccati. Nomine verò *reatus*, quem Concilium manere negat, intelligit ipſummet peccatum originale ſecundum ſuam formalem rationem: non verò ſolum debitum illud incurrendi: nam ut inferius dicemus, nomen *reatus* commune eſt ad utrunque. ¶ Adde, ibi eſſe ſermonem de illis, qui juſtificantur per baptiſmum longo tempore poſt conceptionem: in his autem non remanet jam tunc debitum peccati quod in inſtante conceptionis ob ſpecialem rationem debuit adfuiſſe, etiamſi tunc adeſſet gratia: neque etiam aliud debitum, quod in non juſtificatis permanet ex peccato Adami non retractato: quippe hoc nunquam intrat ipſum inſtans juſtificationis quandocunque hæc fiat, ut ex dicendis num. 43. magis conſtabit.

41 Urgebis tertiò; quia omne debitum, ut ſupra dicebamus, extinguitur per ſolutionem vel remiſſionem illius, quod debetur; adeò ut cum earum nulla poſſit exiſtere: quando enim verum eſt rem debitam eſſe ſolutam aut condonatam, etiam eſt verum non jam deberi, atque adeo debitum eſſe extinctum: ſed juſtificato in inſtante conceptionis remittitur in eodem inſtante peccatum originale: ergo in illomet extinguitur, & non permanet eius debitum.

Pro ſolutione huius replicæ animadvertendum eſt, duplex eſſe genus debiti: aliud præcisè morale, quod tribuit creditori aut iudici ius ad exigendum: ut eſt illud, quod fundatur in merito reſpectu præmij, & in demerito reſpectu ſupplicij, & in offenſa illata reſpectu ſatisfactionis, &c. & hoc genus debiti extinguitur immediatè per ſolutionem vel remiſſionem, nec poteſt manere cum illis; ſed ubi verum eſt debitorem ſolviſſe, aut creditorem remiſiſſe, etiam eſt verum nihil iam deberi. Aliud eſt debitum (ut ſic dicamus) *phyſicum*, quod importat connexionem phyſicam & neceſſariam illationem effectus ex ſuo principio, ſeu vim & neceſſitatem ad talem illationem: ſicut eſſentiæ debentur paſſiones, & accidentia, quæ ex ea inferuntur; & materiæ ultimò diſpoſitæ ad generationem debetur forma, quæ ex illa diſpoſitione infertur. Hujuſmodi autem debitum non tollitur, neque extinguitur per ſolutionem aut remiſſionem, ut ex ſe liquet; ſed per hoc quod in principio ex quo debitum eſt ſequi effectum, extinguatur vis & neceſſitas inferendi illum; vel propter elongationem à ſua propria cauſa, vel quia tranſit duratio, in qua vis illa functa fuit, aut fungenda erat officio ſuo, vel ob alias rationes ad ordinem phyſicum pertinentes: ſicut tranſacto generationis inſtante extinguitur in materia vis illativa formæ generandæ relicta ex præcedentibus diſpoſitionibus, ſive de facto talis forma ponatur, ſive per aliam divinitùs impediatur.

Hoc prænotato ad replicam reſpondetur, in noſtro caſu utrumque debitum concurrere: nam ex qua parte ille qui concipitur, peccavit & offendit Deum in Adam, quando fuit in illo, manſit exinde debitor exhibendi Deo ſatisfactionem pro offenſa, & ſuſtinendi pœnam temporalem & æternam pro culpa: & totum hoc eſt debitum morale. Ex qua parte 42 Solutio.
verò prædictum Adami peccatum auferendo ab eo originalem juſtitiam reliquit totum ejus ſemen vitioſum & infectum, debitum eſt huic infectioni, ut quicumque per tale ſemen generetur, incurrat peccatum originale in propria perſona, ubi primò concipiatur. Hoc autem genus debiti potius eſt phyſicum quàm morale, quia non innitur immediatè merito aut demerito, &c. ſed cauſalitati & neceſſariæ connexioni, qua peccatum Adami, ſecundum quòd fuit capitis, infert medio ſemine infecto peccatum originale in poſteris: conſtringitque & neceſſitat iſtos ad illud contrahendum: ob idque diſp. præced. dub. 3. & 4. diximus, cauſalitatem peccati Adami in originalem noſtrum & illationem iſtius ex illo non pertinere ad ordinem cauſæ moralis; ſed ad ordinem cauſæ phyſicæ. Dicimus ergo primum illud debitum peccati originalis extingui per remiſſionem, quam quantum ad offenſam, culpam, & pœnam æternam largitur Deus in inſtante juſtificationis, neque aliter poſſet gratiam conferre: unde in illomet inſtante verum eſt, prædictum debitum eſſe extinctum, & non coexiſtere remiſſioni. Poſterius autem non extinguitur hoc modo; ſed quia elongatur à ſuis cauſis: quæ fuerunt actio generativa & diſpoſitiones pertingentes uſque ad inſtans generationis: aut etiam quia tranſit duratio, pro qua habuit fungi officio ſuo inferendi culpam, ſive de facto intulerit illam ſive non, quæ duratio fuit tantùm prædictum inſtans.

Denique urgebis, quòd ex hac ipſa doctrina videtur impugnari ſecunda pars noſtræ aſſertionis, in qua diximus debitum peccati originalis manere in omnibus uſque ad juſtificationem, etiam ſi hæc tempore differatur, ut communiter fit: modò autem aſſerimus prædictum debitum extingui ſtatim poſt primum inſtans; ergo, &c. Vltima replica.

Reſpon

43. Enodatur. Reſpondetur, modò nobis fuiſſe ſermonem de debito compoſſibili cum gratia, & quod debet manere in omnibus pro primo inſtante, etiamſi tunc aliquis juſtificaretur: & hoc aſſerimus extingui immediatè poſt illud inſtans: quia cum innitatur eiſdem cauſis & diſpoſitionibus phyſicis, quibus patratur conceptio, extingui debet, quando extinguitur vis operativa conceptionis. Ad verificandam autem illam partem aſſertionis pro iis, qui non ſtatim juſtificantur, recurrendum eſt ad aliud principium, quod eſt peccatum actuale Adami non retractatum, & ad obicem, quem ponit gratiæ pro toto tempore non retractationis; nam ex hoc capite, etiam extincto illo priori, remanet neceſſitas permanendi in culpa originali contracta; vel etiamſi opus ſit illam de novo contrahendi, quamdiu non amovetur prædictus obex. Et hoc genus debiti aſſerimus manere in omnibus uſque ad primam juſtificationem, quandocunque hæc fiat.

Eſt tamen inter utrunque debitum diſcrimen: quòd primum ſicut manet in omnibus in inſtante conceptionis, ſive gratia tunc detur, ſive non ita in nullo ultra progreditur. Secundum autem nec poteſt eſſe cum gratia: & ideo ſi hæc daretur in primo inſtante non intraret illud inſtans: ſicut neque intrat inſtans cujuſcunque juſtificationis neque etiam poteſt aliter quàm per gratiam extingui; adeoque tamdiu perſeverat, quamdiu illa non infunditur: cujus diſcriminis rationem ex dictis facilè quiſque deprehendet. Nam illud prius non eſt vere peccatum; ſed tantùm eſt neceſſitas quædam urgens pro ejus contractione: quæ quidem neceſſitas, ubi peccatum re ipſa non contrahitur, poteſt ſimul eſſe cum gratia in primo inſtante conceptionis, ad quod uſque & non ultra pertingit. Poſterius autem dicit ipſum peccatum Adami irretractatum pro hac perſona, quæ dicitur *debens*; cum qua irretractatione non compatitur gratia collata eidem perſonæ.

§. V.

Illationes doctrinæ traditæ.

44. Primum corollarium. Ex doctrina hujus dubij aliqua inferre licet, quæ & per ſe ſcitu digna ſunt, & dubiis ſequentibus deſervient, præſertim verò obſervari debent pro dicendis dub. 5. dum explicuerimus plures Scripturæ, & Patrum loquutiones. Primò ergo infertur non poſſe enuntiari abſolutè de illo, qui cum peccaſſet in Adamo in inſtante conceptionis juſtificaretur, aliquam propoſitionem, ubi prædicetur peccatum originale, vel ejus denominativa: & ideo non eſt abſolutè concedendum, quòd contraxerit aut incurrerit prædictum peccatum, quòd habuerit ejus maculam vel culpam, aut quòd ſub iſtis fuerit: quod *iniquus*, *injuſtus*, *peccator*, *pollutus*, *maculatus*, vel *damnatus* extiterit: quòd fuerit Deo *mortuus*, *inimicus*, *exoſus*, aut *ab illo averſus*, *filius iræ*, *ſub poteſtate diaboli*, *ejus ſervus*, *captivus*, & ſimilia. Ratio vero eſt: quia quod abſolutè enuntiatur de aliquo, intelligitur de illo prout eſt formaliter in ſe ipſo: ſicut enim tunc dumtaxat dicitur abſolutè eſſe, quando in ſe formaliter exiſtit; ita tunc ſolùm poteſt abſolutè dici eſſe talis vel tale, quando in ſe habet eſſe formaliter tale; unde cum is de quo loquimur nunquam in ſe ipſo habuiſſet formaliter peccatum, non poſſet ſuſtineri alicui propoſitioni, ubi peccatum vel ejus denominativa abſolute affirmantur: idemque eſſet admittere abſolute ſimiles enuntiationes; atque admittere fuiſſe in eo peccatum proprie & formaliter, ut exiſtente actu in ſe ipſo. Ob eandemque rationem deberent abſolutè negari quaſi in idem redeuntes propoſitiones habentes negationem juſtitiæ, innocentiæ, ſanctitatis, &c. ubi negatio potius afficit prædicatum, & non copulam: ut quòd aliquando fuerit *non juſtus*, *immaculatus*, *non innocens*, &c. quia his etiam datur intelligi defuiſſe illi in ſua propria perſona pro aliqua duratione gratiam, ex qua prædictæ nomenclaturæ deſumuntur.

Diximus ubi negatio *afficit prædicatum*, &c. quia tunc reſtringitur propoſitio ad aliquam durationem, pro qua fuerit talis perſona: atque adeo abſolutè prolata, accipitur de illa, ut habuit eſſe formaliter in ſe ipſa. Si verò negatio afficiat copulam, ut in his: *aliquando non fuit juſtus*; *aliquando non fuit innocens*, &c. neque deberent abſolutè concedi, neque negari; ſed exponi: quia indifferenter poſſunt denotare & durationem, in qua perſona illa erat; & ſic ſunt falſæ; & durationem, in qua nondum erat; & ſic ſunt veræ: quando enim quis nondum erat, verum eſt quòd nec juſtus erat, licèt ſemper quòd fuit, fuerit juſtus. Quòd ſi tales propoſitiones abſque expoſitione proferrentur, ex ſubiecta materia, vel ex aliis principiis venanda eſſent earum legitimus ſenſus, & duratio, ad quam referantur.

Cæterùm ſi in omnibus propoſitionibus prædictis fiat reſtrictio per hoc additum *in Adam*, vel aliud ſimile, tàm affirmativè quam negativè poſſent & deberent concedi. 45. Vnde rectè diceretur, quòd illa perſona *peccavit & offendit Deum in Adam*, *quod tranſgreſſa eſt divinum præceptum in Adam*, quòd *comedit de ligno vetito in Adam*, quòd *in illo fuit maculata*, *fuit mortua*, *fuit peccatrix*, *fuit Deo inimica*, *filia iræ*, *captiva diaboli* &c. omnia hæc cum prædicto addito *in Adam*. Hujuſmodi enim additum reſtringit ſenſum prædictarum propoſitionum ad perſonam, de qua enuntiantur, non ut fuit actu in ſe ipſa, ſed ut fuit in Adamo, tanquam in capite morali poſterorum ſupponente pro omnibus illis, quatenus in pacto cum Deo, & in virtute ſeminali ipſius Adami continebantur. Vnde ſicut Adamus tunc ex omnium perſona deliquit, & per peccatum illud fuit pro omnibus originali juſtitia privatus, ita ex omnium perſona & pro omnibus manſit peccator conſtitutus, pro omnibus injuſtus, pro omnibus maculatus, Dei inimicus, &c. pro omnibuſque manſit *non juſtus*, *non ſanctus*, *non innocens*, &c. quod & nihil aliud ſonant prædictæ propoſitiones. ¶ Adde, inter eum de quo loquimur, & alios poſteros Adami nullum extitiſſe diſcrimen uſque ad inſtans conceptionis: in qua ille gratiam accepit; hi verò peccatum contraxerunt: atque adeo quicquid relativè ad tempus antecedens de cæteris enuntiatur, debet pariformiter de illo prædicari. Cum ergo

Digitized by Google

ergo omnes prædictæ propoſitiones per illud additum *in Adam* determinentur ad tempus longè antecedens conceptionem; conſequens eſt ut ſicut de cæteris, qui peccatum contraxerunt, cum veritate proferuntur; ſic etiam de illo, qui præſervatus fuit, verè & cum proprietate enuntientur.

46. Secundum corollarium. Infertur deinde, omnes propoſitiones, in quibus non peccatum vel ejus denominativa, ſed ſolum debitum, & quicquid in hoc includitur, prædicatur, veras eſſe in toto rigore reſpectu illius perſonæ præſervatæ, de qua loquimur. Et ita abſolutè deberet de illa prædicari, quòd fuit ſub debito & neceſſitate incurrendi peccatum originale: quòd fuit obligata & obnoxia huic peccato; quòd habuit reatum illud contrahendi, quod contraxit in radice, in obligatione, & in debito: imò quòd fuit peccatrix, injuſta, maculata; mortua, &c. hoc modo, nempe *in radice, in obnoxietate, in debito* Quippe his omnibus loquutionibus ad ſummum denotari poteſt, quòd talis perſona habuerit in ſua carne peccati initium, cauſam, & radicem; & in ſe ipſa obligationem & neceſſitatem incurrendi ex vi ſuæ conceptionis maculam, injuſtitiam, mortem animæ, &c. quæ omnia importantur in debito, quod explicuimus.

Si quæ verò eſſent circa hoc propoſitiones vel denominationes ambiguæ, quæ vel ex uſu, vel ex vi verborum indifferenter poſſent accipi de peccato, & de debito; nón deberent abſolutè concedi, aut negari; ſed diſtingui & exponi. Fortè ſunt hujuſmodi, *reum eſſe peccati*, & *habere peccati reatum*: quia utraque hæc propoſitio ſufficienter poteſt accipi vel pro *eſſe obnoxium peccato incurrendo*, quo pacto ſignificant debitum, ſicut cum dicimus *aliquem eſſe reum mortis*, ex eo dumtaxat quòd illam meretur, aut quòd ad illam ſit condemnatus: vel poſſunt accipi pro eo quod eſt *teneri ſub peccato ligatum & obſtrictum*, adeóque pro *habere illud formaliter*: ſæpe enim nomina *reus* & *reatus* pro ipſo peccato accipiuntur, ut cum dicimus aliquem eſſe *reum criminis*: & de peccato originali dici ſolet, quòd poſt baptiſmum *manet actu, & tranſit reatu*: quia manet actualiter concupiſcentia, quæ fuit aliquid illius peccati; tollitur verò ratio formalis culpæ, quæ ſæpe *reatus* vocatur ut magis declarabimus diſp. 17. dub. 1.

47. Tertium. Tertiò infertur non eſſe abſolutè concedendum de illo, de quo loquimur, quòd fuerit reus aut debitor pœnæ æternæ; ſed ſolùm cum addito *in Adam*, vel *in radice*, &c. Ratio verò eſt: quia debitum & reatus pœnæ æternæ cadit immediatè ſupra culpam, & illam indiſpenſabiliter comitatur, per ejuſque remiſſionem remittitur, unde ea tantùm ratione poteſt prædicari de aliquo, qua poteſt prædicari ipſa culpa: atque adeo ſicut hæc non poſſet prædicari abſolutè, de illo, qui formaliter eam non contraxit; ita neque debitum aut reatus prædictæ pœnæ. Quocirca eſt diſcrimen inter debitum peccati, & debitum prædictæ pœnæ: quia debitum peccati ex nomine oſtenditur eſſe aliquid antecedens ipſum peccatum, adeóque prædicabile de quocunque obnoxio peccato, quamvis illud non incurrerit: debitum verò pœnæ æternæ ex ipſo nomine ſupponit peccatum: & ideo in eo ſenſu dumtaxat poterit prædicari de aliquo, in quo peccatum ipſum prædicetur.

Secùs dicendum eſt de reatu pœnæ temporalis, ut mortis, ægritudinis, corruptionis, &c. quia ſicut hujuſmodi reatus poteſt manere in aliquo, ablata culpa, ſic etiam poteſt ei ineſſe abſque illius contractione in propria perſona: ob ſolum peccati debitum, & ob ſolam contractionem peccati in Adamo: ex illius enim peccato & demerito manſit natura, & manſimus omnes ſufficienter obnoxij pœnis æternis & temporalibus: & quamvis illa dimittatur à Deo unà cum culpa per juſtificationis gratiam; ſecùs tamen iſtæ: unde ſive ſupponatur peccatum in propria perſona, ſive ſolum peccati debitum, & peccatum in Adam; poteſt illarum debitum permanere vel in remedium & medicinam, vel ad majorem divinæ juſtitiæ manifeſtationem. Ille ergo, quem Deus in noſtra hypotheſi à peccato præſervaret, non ideo ab hujuſmodi temporalibus pœnis liberaretur; ſed illas incurreret, non obſtante illo privilegio: ex eo dumtaxat, quia naturam ex Adami ſemine participaret. ¶ Accedit quòd prædictæ pœnæ afficiunt hominem potius ex parte corporis quam ex parte animæ, ſufficientérque oriuntur ex ipſa carne, quatenus deſtituta illa perfectione, quam originalis juſtitia corpori tribuebat, juxta id quod dicemus diſp. ſequenti dub. 1. unde quandiu talis perfectio corpori non reſtituitur, quamvis anima per gratiam ſanctificetur, ſemper manet radix & origo ſimilium pœnarum in ipſa carne: nec talis ſanctificatio, vel aliquid aliud (niſi fortè ex ſpeciali miraculo) illarum executionem impediet. Animadverſio.

Quartò infertur, plures propoſitiones ex hucuſque recenſitis, quæ de anima vel perſona illius præſervati falsò enuntiarentur, rectè & ſine erroris periculo poſſe de ejus carne affirmari: ut ſi diceremus *illam fuiſſe carnem immundam maculatam; vitiatam per peccatum, in illa conceptam*, & hujuſmodi. Et ratio eſt: quia prædictæ propoſitiones applicatæ ad animam vel ad perſonam, enuntiarent de illis eam maculam & infectionem, cujus ſunt capaces, & cujus poſſunt eſſe ſubjectum: cumque perſona & anima ſint capaces maculæ & immunditiæ, quæ eſt formaliter culpa & peccatum, ſintque hujus proprium ſubjectum eo ipſo quod tales propoſitiones abſolutè de illis enuntiarentur, ſenſus eſſet quòd prædicta anima & perſona habuiſſent in ſe ipſis ipſum peccatum: cujus contrarium ſupponitur. At verò cum applicantur carni, ratione materiæ reſtringitur ſignificatio ad illam maculam & immunditiam, & ad illam peccati rationem, cujus ipſa caro poteſt eſſe ſubjectum: cumque nequeat eſſe ſubjectum peccati aut culpæ formalis; ſit autem ſubjectum illius pravæ diſpoſitionis, quam diximus eſſe radicem & initium inducens ad peccati contractionem, adeóque debitum talis contractionis, quæque hoc pacto, ſcilicet per modum debiti & radicis, poteſt dici *peccatum, immunditia, macula*, &c. 48. Quartum corollarium.

recte

Digitized by Google

recte abſque erroris periculo propoſitiones illæ de prædicta carne enuntiarentur : neque aliud denotarent, quàm quòd fuiſſet in ea prædictum debitum.

Imò etiam caro illa dici poſſet *caro peccati*, & *caro peccatrix*, & *caro damnata*, & *caro peccato infecta*, & *caro concepta in iniquitatibus*, ſine eo quod plus aliquid quàm prædictum debitum perſonæ illi tribuatur. Carnem enim eſſe peccati, aut eſſe peccatricem, aut eſſe vitiatam, damnatam, infectam peccato, aut in iniquitatibus conceptam, nihil aliud dicit, quàm quòd fuerit in ſua conceptione affecta & inquinata illa infectione, quæ ex peccato & in ordine ad peccatum poteſt eſſe in illa : hæc autem infectio ſolùm importat illam pravam diſpoſitionem, quam in inſtante conceptionis unuſquiſque accipit in ipſa carne, deſcendentem ex peccato Adami per ſemen infectum, & inducentem, quantum eſt ex ſe, peccatum originale in anima : cujus diſpoſitionis exors non fuiſſet, quicumque debitum prædicti peccati in propria perſona contraxiſſet, etiam ſi a peccato ipſo præſervaretur, ut ex dictis conſtat.

49. Vltimum. Denique infertur, ſufficienter ſalvari per doctrinam hujus dubij in illo, qui ab originali peccato, non tamen à debito ejus præſervaretur, omnia quæ fides docet, & quæ verificari neceſſe eſt (excepta ipſa peccati contractione) de omnibus, qui ab Adamo per ſeminalem propagationem deſcendunt : quæ ex Cajetano tom. 2. opuſcul. opuſc. 1. cap. ad hæc poſſunt reduci Videlicet quòd Chriſtus mortuus eſt pro omnibus : atque adeo quòd omnes mortui ſunt morte peccati, quia non eſt mortuus niſi pro mortuis. Deinde quòd omnes indigent reconciliari Deo per Chriſtum ; ſine cujus reconciliatione inimici manerent Tertiò quòd Chriſtus redemerit omnes, & liberaverit de ſervitute Diaboli : in quo importatur, quòd omnes fuerint aliquo modo captivi & ſub Diaboli poteſtate : & quòd ipſe Chriſtus Dominus pro omnibus tanquam pro debitoribus fidejuſſerit, ſolverit, ſatisfecerit, &c. quæ dub. 3. & 5. magis declarabimus.

Porrò omnia hæc verificari in caſu noſtræ hypotheſis, neque ab eis excipi illum, quem ab originali ponimus præſervatum, poteſt facilè oſtendi. Nam eo ipſo quòd peccavit in Adam, mortuus fuit in illo morte peccati, & in ſe contraxit debitum incurrendi illam mortem : hoc autem ſufficit ut Chriſtus mortuus fuerit pro illo, non tanquam pro vivo, ſed tanquam pro mortuo : quippe qui ſine Chriſti morte nunquam fuiſſet vivus : imò ſemper eo modo quo fuiſſet, fuiſſet mortuus, niſi Chriſtus ſua morte illum vivificaret, & ei vitam conferret. Deinde ratione ejuſdem peccati Adami in illo & in cæteris progenitoribus, per quos deſcendit, repræſentabatur ut Deo offenſus & inimicus ; cujus etiam inimicitiæ debitum in ſe ipſo contraxit, manerétque neceſſariò ſub illa, niſi Chriſti propitiatione & ſatisfactione reconciliaretur : indiguit ergo hujuſmodi reconciliatore. Rurſus quòd aliquo modo fuerit Diaboli captivus & ſub ejus poteſtate, patet : tùm quia id habuit quatenus fuit in Adam, qui peccando pro omnibus, pro omnibus redactus fuit ſub Diaboli captivitate, ſervitute, & dominio. Tum etiam quia ille qui ex proprio vel parentum demerito eſt obligatus ad ſervitutem & captivitatem, ex hoc ipſo dicitur jam ſervus & captivus ; etiamſi nondum carcerem ſit ingreſſus, aut ſervi munus obierit : neque minus indiget redemptore, fidejuſſore, & ſatisfactore, ne ſicut debet incarceretur, & in vincula conjiciatur : quàm indigeret, ſi incarceratus & in vinculis jam fuiſſet, ut inde liberaretur : quod eſt ultimum, quod verificandum eſſe diximus juxta dogmata fidei. Hæc tamen dub. 3. & 5. magis elucidabuntur.

DVBIVM II.

Vtrum Beatiſſima Virgo Deipara potuerit eximi à debito culpæ originalis : & an ex meritis Chriſti?

HUjus dubij, præſertim quoad priorem partem, facillima erit apud omnes reſolutio : dum non quid factum ſit, ſed tantummodo quid Deus de lege abſoluta potuerit facere, inquirit ; in cujus proinde deciſione illa dumtaxat attendenda erunt, quæ divinæ potentiæ licent, aut repugnant.

§. I.

Deciditur dubium duabus aſſertionibus.

DIcendum eſt primò potuiſſe Deiparam excipi à debito originalis peccati ; ita ut neque in propria perſona, neque in Adamo, aut in reliquis parentibus tali debito ſubjaceret. Hæc concluſio eſt adeo per ſe nota, ut potius ab omnibus tanquam certa ſupponatur, quàm ut dubia examinetur. Nihilominus in propriis terminis tradunt illam N. Cornejo 3. p. tract. 5. diſput. 1. dub. 1. concluſ. 1. Cardinalis Lugo de Incarnat. diſp. 7. ſect. 3. & alij. Probatur facili ratione. Potuit Deus non includere Deiparam in illo pacto, quod cum Adamo ſancivit, ut is eſſet caput morale ſuorum poſterorum in ordine ad conſervationem vel amiſſionem juſtitiæ originalis : ſed excepta Deipara aut non comprehenſa ſub illo pacto, nullatenus haberet in ea locum prædictum debitum : ergo, &c 50. Aſſertio prior. N. Cornejo Card. Lugo Ejus ratio.

Minor eſt perſpicua : nam ut diximus numer. 15. debitum de quo loquimur, neceſſario ſupponit prædictum pactum, ratione cujus voluntates poſterorum tranſlatæ ſunt à Deo in voluntatem Adami, ut ipſe quantum ad effectum amittendi aut conſervandi originalem juſtitiam pro omnibus ſupponeret, ejúſque actus, actus omnium cenſeretur : quare ſicut ſecluſo eo pacto

pacto nulla ratione Adamus fuiſſet caput morale poſterorum, neque peccatum illius eis imputaretur, aut eſſet aliquo modo titulus, ut culpam originalem inde ſequutam, ejuſve obligationem ſeu debitum contraherent: ita neque prædicta culpa, neque ejus obligatio vel debitum poteſt latiùs quàm pactum illud extendi, neque proinde comprehendere aliquem, qui non fuerit in eodem pacto incluſus. Major verò ſuadetur: nam pactum & conſtitutio Adami in eſſe capitis moralis reſpectu poſterorum gratis omnino fuerunt à Deo facta, nulluſque alius aderat titulus ad talem conſtitutionem niſi ipſa gratioſa Dei voluntas, utens ſupremo ſuo dominio, ex quo duntaxat poteſt voluntatem unius in alium quantum ad ſpiritualem ſalutem transferre; cum tamen ex naturis rerum & ex providentia illis debita id minimè petatur. Ut videre eſt in reliquis parentibus, quorum nullus in ordine ad ſpiritualem ſalutem habet eſſe caput filiorum, nec poteſt ſuo merito vel peccato illis effectivè & efficaciter proficere aut nocere: neque natura in aliquo ſuo ſuppoſito id valet exigere. Sicut igitur potuit Deus prædictum pactum pro nemine & pro omnibus inire cum Adamo; potuit etiam inire illud pro paucis vel pro multis, pro his vel pro illis: atque adeo claudere in eo quos vellet; & quos, vel quem vellet, excludere.

51. Confirmatio.

Confirmatur, quoniam Deus in conſtituendo illud pactum non reſpexit poſteros Adami indiſtinctè & in confuſo, includendo ſub illo omnes in communi & ut ſic: hic enim modus decernendi arguit cognitionem imperfectam & confuſam, quæ nequit Deo tribui; ſed determinatè & in particulari reſpexit unumquemque, ac ſi ille tantum eſſet futurus: & ſicut unicuique determinatè & ſeorſim cognitio decrevit futuritionem vel non futuritionem, abſolutam vel conditionatam; ita pro unoquoque ſeorſim ſumpto ſtatuit prædictum pactum: nulláque fuit ratio cogens, ut hunc potius quàm illum, aut omnes potius quàm non omnes in illo decreto comprehenderet: potuit ergo pro libito quos vellet comprehendere, & quos vellet excludere, ſive multos, ſive paucos, ſive vnum.

Objectio bimembris.

Si verò objicias, tùm quòd Deus antecedenter ad prædeſtinationem Deiparæ fecit legem univerſalem, quòd Adamus eſſet caput morale omnium poſterorum, & quòd pro omnibus ſupponeret, ſine eo quod in illo primo ſigno alicujus exceptio intelligeretur: ſemel autem facta hac lege, nequibat jam aliquem inde excipere, cum divina lex ſit prorſus immutabilis. Tùm etiam quòd licèt Deus ſimpliciter fuerit liber in ſtatuendo illud pactum, potueritque de lege abſoluta excludere quem vellet; ex ſuppoſitione tamen quod conſtituebat Adamum caput morale poſterorum, rerum ordo exigebat ut omnes tali capiti ſubjicerentur: & hac ratione ipſis poſteris inerat debitum pactum illud ingrediendi, à quo nullus exciperetur, facta illa ſuppoſitione.

Diluitur prima pars.

Reſpondetur ad primum: inde ad ſummum convinci, quòd in ſenſu compoſito illius legis (ſi verum eſt de facto à Deo ita ſtatutam fuiſſe) rebúſque ut nunc diſpoſitis, non poſſet Deipara à debito præſervari: non autem quod non potuerit ab illo præſervari ſimpliciter & abſolutè: potuit enim Deus in ipſa legis conditione reſtringere eam ad illos tantùm, quos vellet, ſive multos, ſive paucos; & quos vellet, ſive unam Deiparam ſive plures ſub ea non comprehendere: & hac via potuit ſemper manere excepta ſine alicujus legis mutatione; ſed potius quia ab æterno fuiſſet ita decretum. ¶ Ad ſecundum conſtabit dub. ſequenti à numer. 81. quomodo adhuc ex illa ſuppoſitione nullum poterat conſurgere debitum in Deipara vel in aliquo alio ad ingrediendum pactum Adami. Eſto verò tale debitum inde conſurgeret, non eſt dubitandum potuiſſe Deum, ſaltem utendo ſupremo ſuo dominio, irritare illud & extinguere, ut Deiparam non ligaret.

Diluitur ſecunda.

52. Animadverſio pro expedienda ſecunda parte dubij.

Secunda pars dubij, an nimirum præſervatio à debito, quam oſtendimus fuiſſe poſſibilem, futura eſſet ex meritis Chriſti, vel non? poteſt procedere in duplici ſenſu: vel ſecundum providentiam, quam Deus de facto habuit erga illa merita, applicando eorum virtutem ſolis redemptis: in quo ſenſu eo ipſo quòd aliquis redemptus non fuiſſet, nequiret beneficium aliquod ex prædictis meritis obtinere: & de hoc dicemus dub. ſequenti. Vel poteſt procedere attenta potentia Dei abſoluta, qua liberum ei fuit diſponere de meritis Chriſti, prout vellet: & ita loquimur in hoc dubio. Similiter prædicta præſervatio poteſt accipi dupliciter: uno modo quatenus præcisè excluderet Deiparam à lege illa ſtatuta Adamo, & hac via redderet incapacem, ut ipſe Adamus ex perſona ejus delinqueret, ac per conſequens ut peccatum Adami poſſet illi attribui, abſque ulla majori gratia: ſicut diceretur præſervatus is, quem Deus ſe ſolo ſive per creationem, ſive ex aliqua materia in puris naturalibus produceret; qui eo ipſo non fuiſſet de numero illorum, quos pactum Adami aut ejus peccatum vel debitum comprehendit. Et in hoc ſenſu quid tenendum, conſtabit etiam dub. ſequenti numer. 90. Alio modo poteſt accipi illa præſervatio, ut dicat non prædictam excluſionem præcisè ſumptam, ſed unà cum gratia & donis, quæ Deus contulit Virgini de facto, vel alia ſimilia: quo pacto non eſt dubium, prædictam præſervationem importare eximium Dei beneficium & gratiam.

Secunda aſſertio.

Loquendo igitur in hoc ſecundo ſenſu, dicimus ſecundo, ex nullo capite repugnare Deum taliter ſua decreta ordinaſſe, & res ita diſpoſuiſſe, ut conferret Deiparæ ex Chriſti meritis gratiam præſervantem à debito, de quo loquimur, & cætera dona, quæ de facto illi collata ſunt. Ita ſentiunt plures auctores ex his, quos dub. 4. referemus: præſertim verò quotquot aſſerunt, Deiparam fuiſſe de facto à prædicto debito præſervatam: neque enim vidimus aliquem negátem, totam

gratiam

gratiam, quam Deipara habuit, fuiſſe illi ex Chriſti meritis collatam. Potiſſima verò ratio eſt defectus repugnantiæ: quæ nulla apparet in eo quòd Deus taliter diſpoſuerit Chriſti prædeſtinationem & merita ut horum intuitu moveretur ad prædeſtinandam Deiparam ad perpetuam ſanctitatem, ſine eo quod pactum Adami ingrederetur: dum enim nulla in hoc implicatio oſtenditur, ſicut re vera oſtendi nequit, non eſt divinæ potentiæ negandum.

Ratio pro illa.

53. *Confirmatio.* Confirmatur: nam ſi ex aliquo capite id repugnaret, maximè quia Chriſtus primario prædeſtinatus fuit redemptor, adeoque cuncta ejus merita ſunt merita redemptoris, & ſic redemptis tantummodo applicanda; cum tamen repugnare videatur, quòd Virgo in illo caſu potuerit eſſe redempta: at ex hoc capite non repugnat: ergo ex nullo. Probatur minor. Tum quia ea ratio ad ſummum militat rebus ut nunc diſpoſitis: nulla autem eſt in ordine ad divinam potentiam, quæ potuit aliter res diſponere, & Chriſtum prædeſtinare independenter à peccato & ejus redemptione, ob hoc potiſſimùm ut eſſet perfectio univerſi, & illum ſua aſſiſtentia illuſtraret & compleret: quo caſu ejus merita indifferenter ſe haberent, ut tam indigentibus quàm non indigentibus redemptione applicarentur. Tum etiam quia adhuc prædeſtinato Chriſto ut redemptore, fuit Deo liberum extendere ejus merita etiam ultra redemptos: cum enim eſſent ſimpliciter infinita, non exhauriretur illorum ſufficientia in ipſa redemptione; ſed haberent condignitatem, ut aliis & aliis uſque in infinitum ſive debentibus ſive non debentibus applicari poſſent. Et ideò licèt ſub dubio ſit, an de facto contulerit Deus gratiam Angelis, & juſtitiam originalem Adamo ex prædictis meritis: nemo tamen dubitat id facere potuiſſe: quia ipſa merita ſufficientiſſimam habebant ad id condignitatem: ſicut etiam ad hoc ut Spiritus ſanctus carnem aſſumeret, ſi Deus in ordine ad hujuſmodi effectus eis uti voluiſſet. Nulla ergo adfuit repugnantia, ut præſervatio Virginis à debito peccati ex prædictis meritis ortum habuiſſet: quicquid ſit an in tali caſu ipſa poſſet dici *redempta*, & ejus gratia *redemptiva*, de quo dub. ſequenti.

Quare præcipua difficultas circa hanc aſſertionem reducitur ad intelligentiam ordinis divinorum decretorum erga prædeſtinationem Chriſti & Deiparæ, & permiſſionem peccati Adami: quia non ita percipitur qualiter, etiam ſi B. Virgo ſub pacto & peccato Adami comprehenſa non fuiſſet; ſed ea potius antecederet, aut ſaltem non ab eis præcederetur; prædeſtinatio verò Chriſti prædictum peccatum neceſſariò ſupponat, utpote in ejus remedium ordinata; nihilominus Chriſti merita ſufficienter præceſſerint Virginis prædeſtinationem, ut hæc potuerit ab illis emanare; quod ſequenti §. declarabimus.

§. II.

Series & ordo inter divina decreta.

Mirus & æquè importunus quorundam recentiorum labor, ut diſtinguant in Deo multiplicia ſigna rationis *in quo*, quibus divina decreta accommodent, conſiderantes illum ut decernentem in primo, nondum præviſo ſecundo; & in ſecundo: non præviſo tertio, & in hoc, non præviſo quarto, & ſic de aliis uſque ad ſeptem vel plura, quorum longa & prolixa meditatione præſentem diſputationem gravem nimis & implexam reddiderunt. Ne verò referendo & impugnando varios illorum diſcurſus abſque majori utilitate nos etiam Lectorem gravemus; omiſſa illa multiplicitate ſignorum, quam neque neceſſariam, neque utilem arbitramur, proponemus dumtaxat modum dicendi, quem eligendum duximus, & jam olim tetigimus in tract. de prædeſtin. diſput. 4. & 5. Juxta quem duo tantùm ſigna rationis *in quo* in Deo diſtinguemus: alterum in quo poſſibilia omnia, omneſque eorum ſeries, connexiones & combinationes ſub eſſe tantùm poſſibili per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ perfectè cognovit: alterum verò in quo ex tot poſſibilibus jam cognitis, eam rerum ſeriem, ſub eiſque connexionibus & combinationibus, quæ ſibi placuere, elegit, approbavit, & futuram abſolutè decrevit. 54.

Signa rationis in quo Deo tribuenda.

Porrò hæc duo ſigna *in quo* neceſſariò eſſe diſtinguenda, ex eo liquet, quia omnia, quæ ſunt Deo neceſſaria, ſunt priora non tantùm prioritate *à quo*, ſed etiam prioritate *in quo rationis* omnibus liberis, utpotè ſine quibus eſſe potuerunt: adeóque non eſt neceſſe ut in primo ſigno, in quo Deus cum omnibus ſuis neceſſariis concipitur, de liberis tractetur, aut aliquid eorum concipiatur; ſed in alio ſigno poſteriori. Quæ enim non dependent ab aliquo in *eſſe*, neque habent cum illo neceſſariam connexionem, etiam non dependent in *cognoſci*: & ita ſunt priora non ſolùm prioritate *à quo*, ſed etiam prioritate ſubſiſtendi conſequentia, quæ eſt prioritas *in quo* rationis: cum ergo cognitio poſſibilium ſit Deo neceſſaria; electio verò & decreta futurorum fuerint libera; fit, prædictam cognitionem debere à nobis concipi ut independentem ab electione & decretis, non tamen è contra; atque adeo ut priorem prioritate *in quo* rationis.

Deinde ſufficere hæc duo ſigna pro omnibus, quæ Deus liberè decrevit, nec neceſſarium eſſe plura confingere, probatur. Nam eo ipſo quod Deus in primo ſigno cognoſcat ſub eſſe poſſibili omnia, quæ poteſt decernere, & ſub omni connexione & combinatione, qua decerni poſſunt; poteſt in ſigno ſequenti omnia à ſe eligenda & ſub omni connexione & combinatione, qua eligenda ſunt, unica volitione eligere, & unico actu ea ſic futura decernere, adeóque unico ſigno *in quo* omnium electiones & decreta abſolvere. Si enim non repugnat, ut circa omnia eligi poſſibilia, 55.

Non eſſe plura diſtinguenda.

& circa omnes modos & ſeries connexionum & combinationum, ſub quibus poſſunt eligi, Deus in uno ſigno unica cognitione verſetur, attingatque ea cognitione quæcunque in qualibet electione poſſibili intervenire poſſunt: non eſt cur repugnet, ut in uno alio ſigno, unica volitione, ex omnibus illis poſſibilibus omnia quæ eligenda ſunt eligat, & omnia electa ſub omni modo, quo electa ſunt, unico decreto futura decernat ad quid ergo confingenda plura ſigna *in quo* pro divinis decretis, ubi duo prædicta ſufficiunt? Sed rem magis in ſpeciali declaremus.

56. **Declaratur in ſpeciali.** Etenim in primo ſigno Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ notiſſima habuit hæc omnia: ſcilicet, poſſibilem eſſe univerſum ex Angelis, hominibus, & cæteris creaturis, quæ in eo factæ ſunt, coaleſcentem: poſſibile eſſe ut Adamus cum juſtitia originali conderetur ſub eo pacto ut pro ſe & pro poſteris illam acciperet, & pro ſe & pro illis peccando amitteret, & non peccando conſervaret: poſſibile eſſe ut aliqui ejus poſteri ſub illo pacto non comprehenderentur, ſed extra manerent, qui proinde etiam ſi Adamus peccaret nullum debitum contrahendi ejus peccatum incurrerent. Cognovit etiam poſſibilem eſſe unionem Verbi cum humanitate, ex qua conſurgeret Chriſtus, qui mereri poſſet quicquid Deus vellet, & pro quibus vellet: poſſibilem etiam eſſe Virginem deſcendentem ab Adamo, quam ſupradictum pactum non comprehenderet: ſicut etiam erat poſſibile, quòd eam comprehenderet: quæ quidem ſive comprehenſa, ſive non comprehenſa, eximia gratia ornaretur, ut Chriſtum conciperet. Cognovit inſuper poſſibiles eſſe inter omnia hæc diverſas cauſalitates & dependentias, adeóque prioritates & poſterioritates *à quo* in diverſis generibus cauſarum: puta quòd Chriſtus propter eximiam ſuam dignitatem eſſet finis cæterorum omnium, propter quem prædeſtinarentur aut crearentur: quod eſt eſſe priorem omnibus in genere cauſæ finalis. Inſuper quòd ejus merita erant ſufficientia, ut Deus illorum intuitu conferret creaturis quæcunque beneficia ſibi placeret, ſive naturæ, ſive gratiæ, ſive præſervationis à peccato, ſive redemptionis, prædeſtinationis, juſtificationis, glorificationis, &c. atque adeo quòd Chriſtus hac via poterat eſſe prior omnibus creaturis in genere cauſæ efficientis moralis, quæ eſt propria cauſalitas meriti. Præterea cognovit quòd peccata, quæ Deus vellet permittere tam in Adamo quam in poſteris, erant ſufficiens materia, in cujus remedium & ſatisfactionem Chriſtus poſſet prædeſtinari: adeò ut ſi Deus vellet, alligaretur talis prædeſtinatio peccati redemptioni: quo caſu peccatum & ejus permiſſio præcederent Chriſti prædeſtinationem in genere cauſæ materialis. Sicut igitur cuncta hæc ſub prædictis connexionibus & cauſalitatibus dicimus fuiſſe Deo in unico ſigno ut poſſibilia præſentata, neque in illa præſentatione poſſibilium aliquam prioritatem vel poſterioritatem *in quo* admittimus; ſed ſolam prioritatem & poſterioritatem *à quo* explicatam, cur non concipiemus Deum in unico alio ſigno omnia illa eligentem & decernentem ſub eiſdem dependentiis & cauſalitatibus, ſicut de facto electa ſunt, & ſicut poſſibilia repræſentabantur?

Eò præſertim quia ex nullo alio capite poterat ſimultas hæc in eligendo & decernendo Deo repugnare, niſi ex defectu cognitionis alicujus potentis ibi concurrere; quatenus non cuncta eligenda, vel non ſub omni modo, quo eligi poſſent, ſimul repræſentarentur: ut patet in nobis, qui idcirco non cuncta ſimul decernimus, quia non ſimul nobis conſtat quicquid ad eorum electionem ſpectat, ſperamúſque majorem notitiam, ut maturius eligamus: cum ergo ſimilis imperfectio à divina cognitione relegari debeat; fit debere etiam à divinis decretis & electionibus omnem ſucceſſionem ſecundum prioritates & poſterioritates *in quo* penitus eliminari. 57.

Dices eos qui prædicta ſigna *in quo* multiplicant, non ponere ſucceſſionem adhuc ſecundum rationem inter ipſa divina decreta, prout ſunt in Deo; ſed prout à nobis concipiuntur: hoc autem modo nihil imperfectionis in illum refunditur, ſed duntaxat in noſtrum modum concipiendi. ¶ Sed contra: quia cum poſſumus res divinas ſine imperfectione concipere, non debemus uti imperfecto modo concipiendi, ut eſt per ſe notum: nos autem rectè concipimus omnia, quæ Deus elegit, potuiſſe ſimul eligere abſque prioritate vel poſterioritate *in quo* in eligendo, cum ſola prioritate & poſterioritate *à quo* ex parte illorum, quæ eliguntur: ſicut rectè concipimus, quòd omnia illa ſimul abſque ulla prioritate vel poſterioritate *in quo* ut poſſibilia & eligibilia cognoverit: ergo nec noſtro cognoſcendi modo debet prædicta prioritas & poſterioritas admiſceri. Sicut enim ſuperfluè fiunt per plura, quæ fieri poſſunt per unum; ita ſuperfluè multiplicantur conceptus & ſigna rationis ergo divina decreta, quando ſimul & ut à Deo ſimul facta poſſunt concipi. Præterquam quod qui ad explicanda divina decreta per plura ſigna diſcurrit; vel ſupponit nos non poſſe abſque pluralitate & ſucceſſione ex parte objecti illa concipere (quod jam conſtat eſſe falſum) vel adeſſe ex parte Dei fundamentum illius pluralitatis & ſucceſſionis: atque adeo minus rectè ſapit de illo, quàm qui ſimul & unitè, ſicut fas eſt, omnia concipit.

Ex quibus jam liquet, rectè abſque multiplicatione illorum ſignorum *in quo*, quæ juniores confingunt, intelligi poſſe quòd B. Virgo potuerit etiam ex Chriſti meritis præſervari à debito peccati originalis per non comprehenſionem ſub illo pacto, quod Deus Adamo ſancivit, etiamſi Chriſtus prædeſtinatus fuerit in remedium ipſius peccati. Quia prioritas præviſionis peccati reſpectu prædeſtinationis Chriſti, & prioritas prædeſtinationis ac meritorum Chriſti reſpectu prædeſtinationis 58. **Concluſio dictorum.**

Deiparæ

Digitized by Google

Deiparæ & exceptionis à pacto, ſolùm ſunt prioritates *à quo* in diverſo genere cauſæ: & ita non requirunt aliquod ſignum, in quo intelligamus unum fuiſſe decretum, non intellectis aliis: ſed ſolùm quòd in illo eodem ſigno, in quo hæc omnia decreta fuiſſe intelligimus, intelligamus ſimul cauſalitates & prioritates *à quo*; quæ inter illa verſantur: atque adeo quod neque intelligamus decretum creandi univerſum cum Angelis & hominibus, aut decretum tribuendi illis gratiam, & Adamo juſtitiam originalem, aut decretum peccatum permittendi, aut decretum Virginem prædeſtinandi, niſi cuncta hæc intelligantur proviſa in honorem Chriſti: in quo præcedit Chriſtus in genere cauſæ finalis: nec decretum adventus Chriſti, niſi in remedium peccati: in quo præcedit peccatum in genere cauſæ materialis: neque aliquod iſtorum niſi dependenter à decreto prædeſtinationis Virginis in eſſe matris Chriſti: in quo præcedit ſuo modo Virgo in genere cauſæ efficientis phyſicæ: nec denique decretum prædeſtinandi & præſervandi Virginem, aut prædeſtinandi homines & liberandi eos à peccato, niſi dependenter à morte & meritis Chriſti: in quo præcedit Chriſtus in genere cauſæ efficientis moralis. Atque ita concipiendo hæc omnia connexa & concatenata; ſicut in Dei cognitione ſub eſſe poſſibili repræſentabantur, nulla remanet objectio contra noſtram aſſertionem: quæcunque enim formentur, ſolùm convincent prioritates & poſterioritates *à quo* inter prædicta; nequaquam verò prioritates & poſterioritates *in quo*, pro quibus dumtaxat rationis ſigna multiplicantur.

DVBIVM III.

Vtrum exceptio Deiparæ à debito culpæ originalis præjudicet ejus redemptioni?

59. Plurima ſunt, quæ abſolutè & ſeorſum ſumpta non repugnant divinæ omnipotentiæ; inter ſe tamen nequeunt conjungi: ſicut non repugnat abſolutè, B. Petrum, qui de facto peccavit, & prædeſtinatus eſt per pœnitentiam, fuiſſe abſolutè prædeſtinatum per innocentiam; repugnat tamen conjungi in illo, & quòd peccaverit, & quòd fuerit per innocentiam prædeſtinatus. Quamvis ergo ex dictis habeamus potuiſſe Deiparam eximi à debito originalis culpæ, & aliunde non repugnet fuiſſe Chriſti ſanguine redemptam: meritò tamen in dubium vertitur, an prædicta exceptio, ſi concedatur, præjudicet hujuſmodi redemptioni, vel potius cum illa rectè cohæreat. Quod eſt inquirere, an Chriſtus eos tantùm ſua morte redemerit, qui in Adamo peccaverunt, indéque originale peccatum, vel ſaltem ejus debitum contraxerunt: ſi enim prædicta redemptio ad hos dumtaxat reſtringenda ſit; excepta B. Virgine à prædicto peccato & debito, nequibit non à redemptorum numero excludi: ſin minus, poterit non obſtante prædicta exemptione, inter eos numerari. Et eſt ſermo de redemptione non largè & impropriè; ſed verè & propriè dicta. Nomine autem *debiti*, cujus exemptio inquirimus, an præjudicet redemptioni? non intelligimus determinatè totum illud tam phyſicum quàm morale, tam intrinſecum quàm extrinſecum, quòd dub. 1. in hypotheſi illius diximus ad debitum proximum pertinere: ſed indeterminatè vel id totum; vel ſaltem debitum extrinſecum conſiſtens in eo quòd B. Virgo peccaverit in Adamo: ex quo in ea conſurrexerit obligatio ſatisfaciendi Deo pro tali offenſa, & ſubjiciendi ſuo tempore ipſi peccato originali. Hoc enim negant in primis, qui tenent, illam abſolutè fuiſſe à debito immunem: ſicut id in primis affirmare tenentur, ſi conſequenter loqui velint, qui eam abſolutè ſub debito comprehendunt: ob idque ſatis eſt ad intentum hujus dubij. An verò tale debitum uſque ad ipſam perſonam Deiparæ intrinſecè pertigerit, vel in ſolo illo extrinſeco ſteterit; non poteſt hic conſtare, uſque dum examinemus, an re ipſa fuerit ſub debito comprehenſa. Et quia deciſio hujus dubij reſolutioni dubij ſequentis, quod in hac diſputatione caput eſt, viam expedit, & rationes ſubminiſtrat debuimus ipſum præmittere: & non curſim aut perfunctoriè, ut ab aliis fit; ſed ex profeſſo & radicitùs examinare.

§. I.

Communis & vera ſententia.

60. Dicendum eſt exceptionem Deiparæ à debito culpæ originalis, ſi detur omnino præjudicaturam ejus redemptioni: adeóque verificari non poſſe, quòd fuerit Chriſti morte & ſanguine verè & propriè redempta, ſi ſemel ponatur à prædicto debito præſervata. Hæc concluſio eſt nobis adeo certa, ut credamus eſſe de Fide, diffinitam per Zozimum Papam, cujus verba infra referemus. Eſt etiam communis ſanctis Patribus, ut oſtendent eorum teſtimonia in toto hoc dubio: necnon Doctoribus Scholaſticis, & aliis, quos in ſequenti adducemus pro ſententia negante prædictam exceptionem: omnes quippe huic rationi potiſſimum nituntur, quia cum neceſſarium ſit fateri B. Virginem fuiſſe verè & propriè per Chriſti mortem & ſanguinem redemptam; neceſſe etiam eſt dicere fuiſſe aliquando ſub peccato vel ſub debito, à quo redimeretur: quia hæc dumtaxat poſſunt eſſe terminus *à quo* redemptionis: & cum ſub peccato nunquam fuerit, neceſſariò debet vel conſtitui ſub debito, vel à numero redemptorum excludi.

Ut autem efficacia noſtrarum probationum pro hac ratione, evaſionúmque imbecillitas melius capiatur, animadvertendum eſt primò præſentem veritatem (pro qua efficaciſſimæ etiam ſunt rationes, ut infra videbimus) potiſſimè tamen inveſtigandam

gandam eſſe ſacræ Scripturæ teſtimoniis, adjuncta communi Eccleſiæ & Sanctorum Patrum intelligentia, ita ut ipſæmet rationes, quibus utendum eſt, hujuſmodi teſtimoniis, quantum fieri poſſit, aſſocientur. Non enim diſquirimus, quid Deus erga Chriſti prædeſtinationem, & humani generis liberationem potuit facere (in quod humanus diſcurſus minùs temerè auderet) ſed quid de facto decreverit fieri, & qualiter Chriſti adventum, ejus mortem, & redemptionis officium ordinaverit: ut inde agnoſcamus, pro quibus venerit, pro quibus mortuus ſit, & quorum fuit conſtitutus redemptor. Quæ omnia cum libera Dei voluntate ordinata ſint, ejus potiſſimum revelatione, quam in Scriptura & Patribus edocemur, poſſunt innoteſcere. Quare manifeſto exponeretur errandi periculo, qui, inattentis prædictis teſtimoniis, pro deciſione hujus quæſtionis aliunde probationes deſumeret. Illis verò perpenſis, licebit uti rationibus vel ex ipſiſmet deductis, vel eis conformibus, quæ id, quod fide accepimus, confirment & declarent: ut veritas ex utroque capite vires ſumat. Animadvertimus etiam unam eſſe objectionem vel evaſionem communem pluribus noſtris probationibus, ſive quæ ex auctoritate, ſive quæ ex ratione deſumuntur: videlicet non tantùm ex eis convinci requiri ad B. Virginis redemptionem, quòd fuerit ſub peccati originalis debito, ſed etiam ſub ipſo peccato: cumque hoc non ſit à nobis concedendum, videbuntur ex hac parte ſimiles probationes infirmari, poſſéque in nos retorqueri. Hanc autem communem evaſionem & objectionem, ne idem ſæpius repetamus, reſervabimus uſque ad finem dubij, ubi à num. 117. diluetur.

61. Prima ratio. Hac præmiſſa duplici animadverſione, formatur à nobis ſequens ratio Chriſtus non venit ſalvare & redimere ſua morte niſi eos tantùm, qui aliquando ſaltem in Adamo peccaverunt, atque adeo qui vel peccatum originale vel ejus debitum contraxerunt: ergo vel dicendum eſt Virginem Deiparam peccaſſe in Adamo, prædictúmque debitum inde traxiſſe; vel ſub Chriſti redemptione non fuiſſe comprehenſam: atque adeo quod exceptio à tali debito redemptioni ejus præjudicaret. Conſequentia liquet. Antecedens verò habetur Luc. 19. *Filius hominis venit quærere & ſalvum facere, quod perierat.* Et 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* Quæ verba juxta communem Patrum & Theologorum expoſitionem continent proprium & adæquatum motivum adventus Chriſti (ſaltem in carne paſſibili & mortali, quo pacto & non aliter exercuit munus redemptoris) cumque hoc motivum dicatur fuiſſe *quærere & ſalvare quod perierat*, ſeu *ſalvos facere peccatores*; planè ſequitur pro iis tantùm, qui ſaltem in Adamo peccaverunt & ibi perierunt, incarnaſſe & mortuum fuiſſe. Clariùs hoc exprimitur Matth. 9. *Non eſt opus valentibus Medico, ſed malè habentibus.* Et inferius: *Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Quæ teſtimonia licèt ſatis clara ſint ad aſſumptum noſtrum, clariora adhuc fient Patrum communi expoſitione: qui ex illis ubique docent, Chriſtum ob hoc ſolùm in mundum

Luc. 19.
1. ad Tim. 1.
Matth. 9.

veniſſe, ut redimeret homines à peccato, ſaltem quod in Adamo commiſerunt, nullamque aliam extitiſſe cauſam adventus illius in carne mortali: adeòque deficiente peccato, nequaquam venturum, aut redemptoris munus obiturum.

In primis D. Auguſtinus ſerm. 8. de verbis Apoſtoli, & duobus ſequentibus multa dicit ad rem; deprompſimus verò quæ ſequuntur. *Filius hominis non venit niſi quærere & ſalvare quod perierat.* Et paulo inferius: *Quare venit in mundum? peccatores ſalvos facere. Alia cauſa non fuit quare veniret in mundum. Non enim de cælo ad terram merita noſtra bona, ſed peccata duxerunt. Hæc eſt cauſa cur veniret, peccatores ſalvos facere. Et vocabis* (inquit) *nomen ejus Ieſum. Quare vocabis nomen ejus Ieſum? quæ ratio hujus nominis? Audi quare: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum. Unde? à peccatis eorum*: quod non ſemel replicat ſerm. illo 8. ¶ In 9. verò: *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere. Tolle morbos; tolle vulnera, & nulla eſt cauſa medicinæ.* Et poſt multa alia ad rem, premit & exprimit hoc idem, occurrens ſimul tacitæ objectioni; & poſt alia ſubdit: *Utique Medicus ad ægrotum venit, conſtat; ſed ideo venit Medicus ad ægrotum, ne ille ſit ſemper ægrotus. Quid ergo dicimus? Ægrotum amat Medicus, an ſanum? Quod vult facere, amat; non quod invenit. Ad ægrotum quidem venit, ad ſanum non venit*, &c. Deinde ſerm. 10. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: quia Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſalvos facere: qui dicit, vel non ſum peccator, vel non fui, ingratus eſt Salvatori.* Et infra: *Chriſtus Ieſus venit in mundum nullam aliam ob cauſam, niſi peccatores ſalvos facere. Qui venit ad Chriſtum, habet quod in eo ſanetur: qui non habet, non eſt cauſa quare Medico offeratur.*

61. D. Auguſt.

Ex hac autem doctrina arguit contra Hæreticos, qui negabant parvulos obnoxios eſſe peccato Adami, aut propterea Baptiſmum Chriſti ſuſcipere, ut ab eo liberarentur. *Quid de parvulis pueris?* (inquit) *ſi ex Adam, ægroti. Nemo vobis ſuſurret doctrinas alienas. Hoc Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit, hoc a majorum fide percepit, hoc uſque in finem perſeveranter cuſtodit, quoniam non eſt opus ſanis Medicus, ſed ægrotantibus. Quid neceſſarium ergo habuit infans Chriſtum, ſi non ægrotat? Si ſanus eſt, quare Medicum quærit?* &c. *Non venit Chriſtus vocare juſtos, ſed peccatores*, &c. ¶ Confirmat hoc ſerm. 8. ex ipſo nomine *Ieſu*, quo perfectiſſimè declaratur munus Salvatoris & Redemptoris, quod Chriſtus per ſuam mortem implevit. *Qui dixit infantilem ætatem non habere quod ſalvet Ieſus, omnibus fidelibus infantibus Chriſtum negat eſſe Ieſum. Ieſus enim quid eſt? Interpretatur Ieſus Salvator. Quos non ſalvat, non habendo quod in eis ſalvet, non eſt illis Ieſus. Quid mihi dicis? Sanus eſt, non habet vitium. Quare cum illo curris ad Medicum, ſi non habet vitium? Non times ne dicat tibi: aufer hinc eum, quem putas ſanum? Filius hominis non venit niſi quærere & ſalvare quod perierat. Quare illum ad me affers, ſi non perierat* &c. Quibus vel ſimilibus loquutionibus ubique contextam reperies doctrinam Auguſtini.

Audiamus

Digitized by Google

63. *Ambroſ.* Audiamus alios Eccleſiæ Patres. Ambroſius lib. de incarnationis Dominicæ Sacramento cap. . *Quæ erat* (inquit) *cauſa incarnationis Chriſti, niſi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* *N. Cyrillus.* Cyrillus N. 5. dialog. de Trinit, ante medium ſic ait: *Quandoquidem neceſſarium hominum lapſibus & noſtris peccatis erat unigenitum pati, maximam gratiam habeat ipſe, ſciat autem, quod humanitatis crimina illi divinæ gloriæ occaſio fuerint: nam ſi non peccaviſſemus, neque factus eſſet nobis ſimilis, neque ſuſtinuiſſet, &c.* Et lib. 2 ſuper Ioan. c. . inquit *Quoniam primus Adam libertate ſua non bonum, ſed malum elegit; de cælo nobis ſecundum Adam miſericordia miſit.* *Leo magn.* Leo magn. ſerm. . in Pent ita ſcribit: *Si homo ad imaginem Dei factus in ſuæ honore naturæ manſiſſet, nec diabolica fraude deceptus, à lege ſibi poſita deviaſſet: creator mundi creatura non fieret, neque aut ſempiternus, temporalitatem ſubiret, aut æqualis Deo Patri filius Dei formam ſervi & ſimilitudinem carnis peccati aſſumeret.* *D. Gregor.* Non minus clarè loquitur D Greg. expoſ l. 1. Reg. l 4. c . ibi: *Niſi Adam peccaret, redemptorem noſtrum carnem ſuſcipere noſtrum non oporteret. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus veni; ſi peccata deeſſent, eum venire non oporteret.* Atque hoc ſimili modo multi alij ex Patribus loquuntur. Cui accedit illud, quod in benedictione Cerei Paſchalis canit Eccleſia: *O certe neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt,* &c Non autem peccatum illud diceretur neceſſarium, ſi Chriſtus pro aliis præter eos, qui ibi peccaverunt, mortem aſſumpſiſſet. Liquet ergo iuxta teſtimonia Scripturæ, & ſanctorum Patrum, Chriſtum ſolùm veniſſe & mortuum fuiſſe pro iis qui ſaltem in Adamo peccaverunt, atque adeo hos duntaxat redemiſſe. Cum autem hæc noſtra ratio non ex nomine vel proprietate *redemptionis*, ſed ex motivo & cauſa adventus & mortis Chriſti per prædicta teſtimonia vim ſuam deſumat; planè liquet, neque apparenter poſſe illi adhiberi evaſionem de redemptione ſolùm præſervativa aut minus propria, cujus infra erit mentio & impugnatio

§ II.

64. *Prima evaſio.*

Impugnantur aliquæ evaſiones.

ALia tamen via occurres noſtræ rationi: quia non obſtantibus prædictis teſtimoniis, manet probabilis ſententia Scoti & aliorum aſſerentium Chriſtum venturum, etiam ſi Adamus vel alius non peccaret: atque adeo etiam ſi nullum eſſet peccatum, à quo homines redimeret: ergo eadem ſaltem probabilitate poterit defendi illum veniſſe de facto pro redimenda Deipara, quamvis non fuiſſet de numero illorum, qui in Adamo peccaverunt.

Refellitur. Sed hoc effugium potius ſe ipſum interimit, quam nobis officiat. Nam tenentes cum Scoto Chriſtum venturum, etiam Adamo non peccante, conſequenter dicunt, in tali caſu non venturum paſſibilem & mortalem; ſed immortalem & impaſſibilem: atque adeo ad moriendum pro aliquo, quem redimeret, ſed ad ornandum & perficiendum univerſum ſua præſentia & comunicarione. Coguntúrque ad hanc diſtinctionem duplicis adventus in carne paſſibili vel impaſſibili recurrere, ut aliqua probabilitate teſtimoniis Scripturæ & Patrum, quæ adduximus, occurrere valeant, exponendo illa de adventu, qui fuit de facto in carne paſſibili ad ſuſtinendam mortem, & redemptionem operandam: ſine qua expoſitione prædicta ſententia potius eſſet improbabilis & temeraria, ut quæ apertis Scripturæ & Patrum teſtimoniis contradiceret: cuique nullus alicujus momenti Theologus ſuffragium tulit, ut obſervat Vaſq. tom. 1. in 3. p. diſput. 10. præſertim cap. 9. Ex quo potius infertur motivum adventus Chriſti, ut venit de facto ad patiendum & moriendum pro iis, quos redemit, in omni probabili ſententia fuiſſe adæquatè peccati remedium: atque adeo neque, deficiente hoc motivo, illum prædicto modo venturum: neque de facto veniſſe & mortuum fuiſſe pro aliquo quem prædictum motivum prædictumque Adami peccatum non comprehenderit In quo conſiſtit vis noſtræ rationis: quidquid ſit an Deus habuerit decretum aſſumendi carnem immortalem & impaſſibilem, caſu quo Adamus non peccaret: ut opinantur Scotus, Suar. & alij: de quo ſuo loco.

Dices ſecundò adventum Chriſti ad patiendum & moriendum fuiſſe quidem alligatum remedio peccati commiſſi: quia hoc fuit primarium & principale ejus motivum (poſt principaliſſimum gloriæ Dei & ipſius Chriſti exaltationis) non tamen ita reſtrictum fuiſſe illius mortis & redemptionis fructum prædicto remedio, quin ſe extenderet ad conferendum Deiparæ gratiam omni modo præſervativam à peccato: non quidem ut ad effectum vel motivum principale & primarium (de quo loquuntur ſupra adducta teſtimonia) ſed ſecundarium & minus principale. 65. *Secunda evaſio.* Potuit enim Deus poſtquam decrevit Chriſtum venturum, providitque ejus mortem in remedium peccati, præſervare Deiparam propter eandem mortem à peccati debito: alligaréque prædictam mortem etiam huic præſervationi, quamvis ut fini vel effectui ſecundario Neque hoc præjudicabit teſtimoniis Scripturæ: quia licèt aſſerant Chriſtum veniſſe & mortuum fuiſſe pro peccatoribus, *peccatores* vocans quotquot in Adamo peccaverunt; non tamen omnino negant veniſſe etiam pro aliquo alio, qui peccator non fuerit, ſeu qui in illo non peccaverit. Videtúrque hæc expoſitio à nobis ſuſtinenda, cum debeamus fateri Chriſtum ſua morte non tantum præſtitiſſe hominibus ut à peccato liberentur, ſed etiam ut ab eo liberi perſeverent, & proficiant in gratia, & ad beatitudinem perveniant Non ergo fructus mortis illius ita reſtringendus eſt liberationi à peccato, quin ad alios etiam effectus ſe extenderit.

Hoc effugium proferebat Iulianus Pelagij *Propria Iuliani.* diſcipulus teſte Auguſtino l. 6. contra illum cap. . ut aliquos parvulorum à reatu culpæ originalis exciperet, quos nihilominus in numero illorum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, comprehenderet Ajebat enim illum mortuum quidem fuiſſe pro peccatoribus, ut ait Scriptura; non tamen pro ſolis pec-

catoribus : adeòque non inde inferri parvulos omnes eſſe peccatores ſeu peccato obnoxios, quia mortuus eſt pro illis Et licèt ex ipſis teſtimoniis , quibus adhibetur iſta ſolutio , ſufficienter maneret in pugnata , quandoquidem non modo aſſerunt Chriſtum veniſſe pro peccatoribus, ſed etiam pro illis ſolùm , & non pro omnino juſtis veniſſe & mortuum fuiſſe : nihilominus ad majorem abundantiam placuit eum iterum impugnare cum ipſo Auguſtino loco & cap. cit. cujus verba latius aliquantò referen us , quia aptiſſima ſunt ad rem ,de qua agimus

66. *Ad Rom. 5.* Impugnatur e Auguſtino.

Proponit primò locum ad Rom. 5. *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis quoniam cum adhuc peccatores eſſemus , Chriſtus pro nobis mortuus eſt*,&c & convertitur deinde ad Iulianum his verbis. *Hos tu dicis um. exceptis parvulis, vis putari. Vbi ſi abs te quæram, ſi non ſunt inter peccatores habendi , quomodo pro eis mortuus eſt, qui pro peccatoribus mortuus eſt? Reſpondebis non pro ſolis peccatoribus mortuus , quamvis ſit etiam pro peccatoribus mortuus. Quod quidem nuſquam legis in divinis auctoritatibus, mortuum ſcilicet eſſe Chriſtum etiam pro eis,qui nullum habuerunt omnino peccatum. Sed attende quàm validis teſtimoniis urgearis. Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum;ego dico non niſi pro peccatoribus mortuum; ita ut reſpondere cogaris, ſi nullo peccato parvuli obſtricti ſunt non eſſe pro parvulis mortuum. Dicit enim ad Cor. Quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt : ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Nullo modo hic negare permitteris non niſi pro iis qui mortui ſunt , mortuum fuiſſe Ieſum. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Nunquid eos qui de corpore exierunt? Quis ita deſipiat , ut hoc ſapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos pro quibus omnibus unus mortuus eſt Chriſtus , quo modo alibi dicit : Et vos cum eſſetis mortui in delictis & preputio carnis veſtræ, viviſicavit cum illo. Ac per hoc unus inquit , pro omnibus mortuus eſt : ergo omnes mortui ſunt, oſtendens fieri non potuiſſe ut moreretur niſi pro mortuis : ex hoc enim probavit omnes mortuos eſſe , quia pro omnibus mortuus eſt unus. Impingo, inculco, inſertio recuſanti : unus pro omnibus mortuus eſt : ergo omnes mortui ſunt. Vide quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt. Quia ergo non in corpore, reſtat ut in peccato eſſe mortuos omnes ſi pro omnibus Chriſtus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, quia ſe non negat aut dubitat eſſe Chriſtianum. Quare ſi nullum trahunt peccatum parvuli , non ſunt mortui. ſi non ſunt mortui, non eſt mortuus pro eis, qui non eſt mortuus niſi pro mortuis. Tu autem iam in tuo primo libro contra nos clamans dixiſti. Chriſtum etiam pro parvulis mortuum: nullo modo igitur negare permitteris eos trahere originale peccatum. Nam mortui unde , ſi non inde erant propter quam mortem parvulorum mortuus eſt, qui non eſt mortuus niſi pro mortuis, eumque in mortuũ pro parvulis confiteris.*

Hæc omnia Auguſt. quibus nihil aptius , nihil acutius , nihil urgentius pro impugnatione à nobis facta dici vel excogitari potuit. Dum enim toties replicat Chriſtum pro ſolis mortuis (morte ſcilicet peccati) eſſe mortuum, pro nulloque eſſe mortuum niſi pro ſic mortuis , & dum ita crebrò conſequentiam illam inculcat: *ſi Chriſtus pro parvulis mortuus eſt: ergo parvuli mortui ſunt quia non eſt mortuus niſi ſolùm pro mortuis*; omnem præcidit anſam & uncum evaſioni , quam impugnamus excipienti à morte peccati & ejus debito aliquem, quicunque ille ſit, pro quo Chriſtus ſit mortuus. Vel dicat qui oppoſitum tueri velit , quibus aliis verbis poſſet aut deberet uti Auguſt ad enervandam ex omni capite prædictam evaſionem niſi iis , quibus uſus eſt , ut Iuliani effugium reiiceret ? Aut in quo evaſio illa , & effugium hoc hæretici diſcernantur ? Quod ſi Auguſtini verba alicui tergiverſationi, aut alicujus vel etiam Deiparæ exceptioni aditum relinquerent, nequaquam S. Doctor ſuo argumento hæreticum concluderet. Nam quovis pacto verificari poſſet Chriſtum mortuum fuiſſe pro aliquo per peccatum non mortuo, daretur locus ſolutioni per Iulianum adhibitæ teſtimonio Pauli, videlicet Chriſtum non pro ſolis mortuis ſeu peccatoribus mortuum fuiſſe, quamvis fuerit pro illis mortuus, Quinimo efficax non eſſet illatio Auguſtini, quòd omnes parvuli debent concipi obnoxij culpæ originali:quia ſi Chriſtus etiam pro aliquo non obnoxio peccato mortuus eſt , inanis eſſet conſequentia , *parvulos omnes eſſe peccatores, quia Chriſtus mortuus eſt pro omnibus etiam parvulis*. Unde enim non liceret hæretico ſine præjudicio teſtimonij Pauli excipere à prædicto peccato & ejus debito aliquos eorum , pro quibus Chriſtus mortuus eſt , ſi ipſemet Auguſtinus ſalvo eodem teſtimonio aliquem inde exciperet ? Vel ergo neminem prorſus debet excipere, vel non obſtruet os hæretico.

Quare nihil refert , ſi dicas , in hac materia ubi de peccatis agitur , ſemper dari locum exceptioni Deiparæ à generalibus regulis , & à propoſitionibus quantumcumque univerſalibus. ¶ Hoc igitur non refert : quia vis noſtræ impugnationis non præcipuè innitur generalitati regulæ vel propoſitionum univerſalitati; ſed rationi & illationi , quibus Auguſtinus utitur : quæ ſi exceptionem aliquam in prædictis propoſitionibus admitterent, eo ipſo nullius eſſent roboris Ita enim ſe habet in forma ſyllogiſmus Auguſtini : Chriſtus mortuus eſt pro omnibus parvulis : ſed pro nullo eſt mortuus niſi pro iis, qui per peccatum aliquomodo ſunt mortui : igitur omnes parvuli mortui ſunt per illud. Majorem fatebatur Iulianus cum Catholicis: minorem verò ſumebat Auguſtinus ex Scriptura : & ex utraque conſequentiam inferebat. Porrò ſi minor eſſet vera apud Catholicos in omni ſua univerſalitate , ſed aliquam exceptionem pateretur , ex vi formæ ſyllogiſmi non teneret conſequentia : poſſet enim hæreticus in illa uti etiam diſtinctione & exceptione ; & conceſſa quoad multos negare quoad aliquos ut ipſe intendat; omninoque hac via vim argumenti effugere. 67. Effugium quoddam præcluditur.

Eò præſertim quia Pelagini jam tunc non negabant plurimos parvulorum concipi obnoxios culpæ originali; ſed ſolum negabant, quòd omnes nullo excepto, ita concipiantur, & quòd loca ſcripturæ debeant omnino univerſaliter & abſque exceptione intelligi : & hoc potiſſimum , quod illi negabant, intendebat

Digitized by Google

Auguſt. debat probare contra eos Auguſtinus: vt videre eſt lib. de natur. & grat. cap. 41. ubi referens evaſionem Pelagij ad illud teſtimonium Roman. 5. *In quo omnes peccaverunt*, &c. ſic ait. *Ponit etiam teſtimonium unde probet, cum dicuntur omnes, non ſemper omnes, omnino, nullo prætermiſſo, intelligi oportere.* Ecce Pelagij evaſio in nullo differens ab ea, quam impugnamus. Et lib. 6. contra Iulian. cap. 12. ita inquit: *Vos autem dum non omnes ſed multos ſive per Adam condemnatos eſſe, ſive per Chriſtum liberatos vultis intelligi, horrenda perverſitate chriſtianæ religioni eſtis infeſti* Idem reperit lib. 20. de Civit. Dei cap. 6. & lib de perfect juſtit. cap. 21. cujus verba adducemus dub. ſequenti Prædictæ autem hæreticorum doctrinæ non poterat Auguſtinus opponi, niſi aſtruendo omnes ſine ulla exceptione concipi obnoxios peccato: ob idque repetit. *Omnes nemine prorſus excepto: omnes nullo prætermiſſo*, & ſimilia, quæ habentur locis citatis: præcavens ne ſi exceptioni reſpectu alicujus aditum aperiret, daret hæretico ſolutionem. Igitur juxta mentem illius nulla prorſus à prædictis propoſitionibus debet fieri exceptio.

68. Secundo impugnatur prædicta evaſio: quia valde derogat Virginis dignitati, dum aſſerit ejus gratiam & redemptionem fuiſſe ſolùm motivum ſecundarium & minus principale in decreto Incarnationis & mortis Chriſti; primarium verò & principalius fuiſſe redemptionem cæterorum hominum, qui in Adamo peccaverunt. Cum enim unam Deiparam ſupra omnes alias creaturas humanas & Angelicas; etiam ſimul ſumptas Deus ab æterno dilexerit, illiuſque gratia gratiam omnium longè ſuperexcedat, non debuit in decreto Incarnationis & mortis Chriſti, quo eximius Dei amor erga creaturas manifeſtatur ſecundarium & minus principalem locum tenere, aut poſthaberi aliis ita inferioribus, quos tale decretum comprehendit.

Quin potius omnibus de Virgine Matre benemerentibus, rectéque ſentientibus tenendum eſt, poſt Dei gloriam & Chriſti exaltationem, primarium & principale motivum adventus & mortis ipſius Chriſti fuiſſe ejuſdem Virginis redemptionem: adeo ut ſi nullus alius ſalvandus foret, pro illa ſola incarnaretur; ſi verò illa ſalvanda non eſſet, pro nullo carnem aſſumeret. Sicut enim gratia & gloria ſolius Deiparæ pluris longè eſt in Dei appretiatione, quàm gratia & gloria cæterorum omnium ſimul ſumpta, ut dicebamus; ita in divino decreto, ubi de adventu & morte Chriſti pro cunctorum ſalute agebatur, debuit illa reliquis omnibus anteferri, potiuſque ejus ſaluti quàm cæterorum omnium remedio decretum prædictæ mortis alligari. Quæ eſt doctrina D. Bernardini Senenſ. tom. 4. in nova editione ſerm. 4. de B. Virg. concept. art. 3. c. 3. adaptantis B. Virgini gloſſam ſuper illud Cant 4. *Vulneraſti cor meum* . quæ ſic ait: *Pro amore tuo carnem ſumpſi, & vulneribus primis in cruce vulneraſti cor meum. Nam promogenita redemptoris filij ſui Ieſu* (proſequitur ipſe Benardinus) *fuit B. Virgo, & plus pro ipſa redimenda venit, quàm pro omni alia creatura.* Et idem dicit tom. 3. ſerm. 6. de ſeptem flammis amoris flam. 2. referens alios Doctores.

Illud autem, quod in favorem prædictæ evaſionis addebatur, videlicet Chriſtum per ſuam mortem non ſolùm præſtitiſſe hominibus ut à peccato liberentur, ſed etiam ut ab eo liberi in gratia proficiant, & gloriam conſequantur, nullatenus eſt contra nos: nam gratiæ augmentum & gloria, quæ Chriſtus nobis meruit, non ponunt in numero cum ipſa gratia, per quam à peccato liberamur; ſed reducuntur ad eam ut augmentum & complementum: & ideo omnia hæc comprehenduntur ſub munere gratiæ redemptivæ & liberativæ à peccato, quam Chriſtus venit conferre. Non enim debuit eos, quos redimeret, relinquere imperfectos, regenerando eos duntaxat per primam gratiam; ſed uſque ad debitum augmentum & complementum, quod eſt per gloriam perducere. Totumque hoc eſt munus perfecti redemptoris & regenerantis: ſicut munus generantis perfecti eſt non ſolum conferre effectui primam ſuam formam, ſed etiam complementum & perfectionem talis formæ: & ſicut perfecti medici munus eſt, non tantum à mortali ægritudine infirmum eripere; ſed etiam ad perfectam ſanitatem perducere.

Per quod manet etiam impugnatum aliud effugium, quod poſſet noſtræ rationi excogitari: videlicet quòd etſi Chriſtus pro ſolis peccatoribus mortuus ſit, ut ſcriptura clamat; non autem pro ſolis peccatoribus meruit: quia ejus meritum non dependebat à morte, ſed quælibet ejus actio ab inſtante conceptionis erat infinitè meritoria: ſufficiet autem ut B. Virgo fuerit redempta per Chriſtum, quod ipſe meruerit illi gratiam, nam omnis gratia collata ex meritis Chriſti eſt gratia redemptiva, & denominat ſuppoſitum, in quo eſt *redemptum*. 69 Evaſio alia

Hoc igitur ex dictis manet impugnatum. Nam prætérquam quod iuxta veriorem Patrum & Theologorum doctrinam nullum Chriſti meritum conſummatum fuit quantum ad effectum ante ejus mortem, aut ſaltem ſine reſpectu ad illam, atque adeo pro iis tantùm meruit, pro quibus mortuus eſt: præter hoc igitur, & gratis admiſſo meruiſſe per omnia opera independenter à conſummatione per mortem; hoc tamen omnino eſt certum, videlicet meritum & officium redemptionis nullatenus fuiſſe ante mortem conſummatum; ſed tunc cum Chriſtus protulit poſtremum illud verbum. *Conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit ſpiritum*, Ioan. 19. Pro quo etiam dicitur Matth. 20. & Marci 10. *Venit filius hominis dare animam ſuam in redemptionem pro multis.* Et 1. ad Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Ex his enim apertè conſtat Chriſtum opus redemptionis non niſi per mortem præſtitiſſe ob idque ſanguis ejus effuſus vocatur pretium ipſius redemptionis. Quare illos dumtaxat dicendus eſt redemiſſe, pro quibus fuit mortuus: atque adeo vel Deiparam non redimeret, vel debuit pro illa mori: cumque pro ſolis peccatoribus vel peccato obnoxiis mortuus ſit, conſequens eſt ut niſi illa inter iſtos numeretur, à redemptorum numero debeat excludi. Hæc autem impugnatio & doctrina inferius num. 108. magis roborabitur: ibique conſtabit Impugnatur Ioan. 19. Matth. 20. Marc. 10. 1. ad Timot. 2.

conſtabit ſolùm meritum Chriſti per mortem conſummatum pertinuiſſe ad redemptionem.

§ III.

Secunda ratio pro eadem communi ſententia.

70. ALia ratio magis ſpeci lis nec minus efficax quàm præcedens pro ſententia communi ſumitur ex ipſa eſſentia & munere redemptionis: cujus conceptus cum veritate & proprietate ſalvari nequit ſine reſpectu ad peccatum vel ad peccati debitum illius, qui redimitur. Prius autem quàm efformemus illam, videndum eſt & ſtatuendum quid nomen *redemptionis* importet, & qualiter eo utendum ſit. Ex libertate enim confingendi nova vocum ſignificata, vel antiqua pro libito laxandi, ortum habent prolixæ & interminatæ quæſtiones de modis loquendi: inſimulque falſæ & periculoſæ opiniones, quæ ludendo verbis, eorum ambiguitate proteguntur, ut nequeant ſuæ falſitatis convinci.

Quid ſit redimere, & unde dictũ?

Igitur *redemptio* & *redimere*, ſive vim vocis ſive veterum & communem acceptionem ſpectes, ſignificat emere, ſeu pretio liberare eum, qui cum prius liber eſſet, ſub alterius poteſtate captivus, vel ejus ſervituti mancipatus detinetur. Eximi namque ab hac ſervitute, & ad priſtinam reſtitui libertatem, hoc propriè eſt redimi. Quod ſi abſque pretio, aliquo alio modo fiat prædicta reſtitutio, non erit verè & propriè redemptio: ut ſi Dominus gratis captivum dimitteret, vel ipſe captivus carcerem effugeret, aut ab alio per vim inde extraheretur: in nullo enim ex iſtis caſibus inveniretur vera & propria ratio redemptionis: ſicut non inveniretur, quando qui prædicto modo liberandus eſt, ſub nulla ſervitute præexiſteret. Etenim *redimere* dictum eſt quaſi *iterum emere*: unde ſicut quod emitur, ſupponitur eſſe ſub dominio alterius, ſcilicet venditoris (nemo quippe emit, quod ſub ſuo dominio ſemper habet) indéque extrahitur ab emptore, perſoluto pretio, ſine quo nequit emptio conſiſtere: ita quod redimitur, debet ſupponi ſub poteſtate & ſervitute alicujus, à qua per redemptorem extrahitur, ſoluto pretio, quod rectè Hiſpanè dicimus *reſcate*: & ideo ſine hujuſmodi pretio ſeu *reſcate*, & ſine illa præexiſtentia ſub alieno dominio & ſervitute nequit intelligi vera ratio redemptionis: ſicut nec ratio emptionis, quæ in ea includitur. Addit autem redemptio ſupra emptionem, quòd iſta tantùm præexigit ut res emenda, tunc quando emenda eſt, ſit ſub poteſtate venditoris, ſive ſemper fuerit ſua, ſive non, illa verò ſupponit non ſemper talem rem fuiſſe ſub illius poteſtate; ſed ad ipſum vel per venditionem, vel per oblationem, vel per captivitatem aut alio ſimili modo deveniſſe ex dominio alterius (vel ipſiuſmet rei, ſi ſit capax Dominij) ſub quo prius fuit, cuique redditur & reſtituitur per redemptionem.

71. Eſſe verò propriam & legitimam redemptionis ſignificationem eam, quam diximus, conſtat non modò ex latinis dictionariis, ſed etiam ex ſcriptis Sanctorum Patrum, qui illam perpetuo obſervant. Unde Hieronymus ſuper illud ad Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem* ſic ait. *Ille redimitur, qui captivus eſt, & in hoſtium veniens poteſtatem liber eſſe deſivit.* Et ſuper illud ad Galat. 3. *Chriſtus nos redemit: Qui redimit* (inquit) *id emit proprie, quod ſuum fuit, & ſuum eſſe deſivit.* Et cap. 4. ad illud. *Ubi venit plenitudo temporis*, ita ait: *Qui acutius verbum redimere inuentur, dicunt eos ſignificari redemptos, qui primum de Dei parte fuerunt, & poſtea eſſe ceſſaverunt.* Conſonat Iſidorus lib. de proprietate ſermonum exponens voces iſtas *emere* & *redimere*, *Qui emit* (inquit) *alienum emit: qui autem redimit; id emit propriè quod ſuum fuit, & ſuum eſſe deſiit.* Conſtat etiam ex ſacris literis, quæ verbum *redimere* nuſquàm à prædicta ſignificatione omnino extrahunt; ſed ea perpetuò utuntur. Levit. 19. *Ancilla pretio non redempta nec libertate donata.* Et cap. 25. *Si vendiderit poſſeſſiunculam, poteſt redimere.* Et infra: *Si non redemerit, emptor poſſidebit eam.* Iob. 15. *Non credet errore deceptus quod pretio redimendus ſit.* Iſai. 52. *Venundati eſtis, & ſine argento redimemini.* Atque alibi ſæpiſſimè.

Epheſ. 1. Hieronym. Galat. 3. Iſidor. Levit. 19. Iob. 15. Iſai. 52.

Hinc ergo ad animarum redemptionem ſermonem convertendo, ut ei abſolutè & ſimpliciter ratio redemptionis conveniat, reperiri in illa debent, quæ hactenus explicuimus, ſervata proportione, quam exigit tranſlatio à temporalibus ad ſpiritualia. Quare in primis requiritur, ut perſona, quæ redimenda eſt, à ſpirituali libertate, quam aliquando in ſe vel in alio ſortita fuit, in alterius Domini vel tyranni captivitatem aut ſervitutem ſpiritualem devenerit; & ſic priſtinam illam libertatem amiſerit. Secundò ut ab ea captivitate vel ſervitute per redemptorem extrahatur, & priori libertati reſtituatur. Tertio ut extractio hæc non fiat ſola potentia aut vi redemptoris, ſed exhibito juſto pretio, quod dicimus *reſcate*, ratione cujus captivum emat, ſolvatque & ſatisfaciat pro illo: hacque ratione jus contra eum acquiſitum extinguat: fiatque ibi juſtitia & contrapaſſio, dum redimens tantumdem pretij dat pro captivo, quantum ille debebat; & exhibito tali pretio captivum recipit.

72. Ex his formatur noſtra ſecunda ratio in hunc modum. Si Deipara non peccaſſet in Adamo, nullibi fuiſſet ſerva, aut captiva; nullo modo Chriſtus eam emiſſet, aut pro ea pretium ſolviſſet, aut jus aliquod acquiſitum contra eam extinxiſſet, aut feciſſet erga illam opus juſtitiæ & contrapaſſionis: ergo neque illam verè redemiſſet. Conſequentia liquet ex hucuſque prælibatis, quæ ſatis oſtendunt, omnia recenſita claudi in ratione redemptionis. Antecedens verò ſuadetur diſcurrendo per ſingula. In primis enim ſervitus & captivitas ſpiritualis (de hac enim eſt ſermo) non incurritur niſi per peccatum, per quod anima, quæ dum erat in gratia Deo ſerviebat ut nobilis ſub lege libertatis, eratque proinde Domina & regina, cum ſervire Deo regnare ſit, venit in ancillam, & traditur dæmonis poteſtati, cui ſervit captiva: ſi ergo Deipara neque in ſe neque in Adamo ſub

Formatur ſecunda ratio.

ſub peccato fuit, non fuiſſet alicubi unquam captiva. Deinde ſi neque in ſe neque in Adamo fuiſſet ſub dæmonis poteſtate, ubique ſemper fuiſſet Chriſti & Dei; ac proinde non poſſet Chriſtus eam emere, quia nullus emit quod ſuum eſt, niſi poſtquam ſuum eſſe deſierit, & in alterius tranſierit poteſtatem. Rurſus ſi Deipara non peccaſſet in Adamo, incurriſsétque proinde peccati debitum, nòn habuiſſet pro quo Chriſtus ſolveret, aut pro quo ſatisfaceret: ſolutio enim & ſatisfactio ita ſunt debiti correlativa, ut ſine illo non poſſint intelligi: Denique ſecluſo à Deipara omni peccato & debito, nullum fuiſſet jus contra illam acquiſitum, quod deberet ſolutione extingui: cum nulla alia ratione jus iſtud contra aliquem acquiratur, niſi quia peccando Deum offendit, & diabolo ſe ſubmittit; per quod divinæ juſtitiæ tribuit jus ad exigendam debitam ſatisfactionem, & diabolo ad retinendum illum, qui ſe ei tradidit. Deeſſent ergo cuncta requiſita ad veram redemptionem.

73. Confirmatio. Confirmatur: nam idcirco S. Angeli non opus habuerunt redemptione, neque Chriſtus illos redemit, quia cum nullum in ſe vel in alio peccatum commiſiſſent, nunquam fuerunt captivi, nunquam ſub alterius quàm Dei poteſtate; & ideo emi non potuerunt: ſimiliter propter eandem rationem nullum fuit contra eos jus acquiſitum, quod peteret ſolutione extingui, atque adeo ſub nullo fuerunt debito, pro quo ſolvendo pretio & ſatisfactione indigerent. Igitur ſi ponatur Deipara excepta omnino tam à peccato quàm à debito, eo ipſo ponitur exors redemptionis, non ſecùs atque Angeli.

Porrò Chriſtum non redemiſſe Angelos, neque pro illis mortuum fuiſſe, præter loca quæ §. 1. & 2. adduximus, quibus ſatis apertè convincitur, teſtantur plures ſancti Patres, ut Auguſt. in Enchirid. cap. 61. ubi loquens de Eccleſia hominum ad diſtinctionem Eccleſiæ Angelorum, ita ſcribit: *Hac ſanguine mediatoris nullum habentis peccatum ab omnibus redempta eſt peccatis, ejuſque vox eſt: ſi Deus pro nobis, quis contra nos? qui filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: non enim pro Angelis mortuus eſt Chriſtus.* Gregorius lib. 18. moral. cap. 6. in fine ſic ait: *Cujus Incarnationis myſterium & electi Angeli mirati ſunt, qui eodem myſterio redempti non ſunt.* Et cap. 7. oſtendens rationem, cur laudent Deum aſtra matutina, nempe Angeli: hanc ſolum aſſignat: *Quia dum conſpiciunt nos* (ſcilicet homines) *redimi, eorum numerum gaudent impleri.* Bernardus in ſerm. feriæ quartæ hebdomadæ pœnoſæ, quærit de paſſione Chriſti; *Quis ſcit ſi data eſt mihi?* Reſpondet verò: *Mihi data eſt, quia alteri dari non potuit. Nunquid Angelo? ſed ille non eguit. Nunquid diabolo? Sed ille non reſurgit. Denique non in ſimilitudinem Angelorum, ſed in ſimilitudinem hominum factus*, &c. Eodem modo loquitur Anſelmus ſuper illud ad Epheſ. 1. *Inſtaurare omnia*: utiturque verbis Auguſtini: *Non enim pro Angelis mortuus eſt Chriſtus*, &c. Et idem docent plures alij exponentes parabolam Lucæ 15. de paſtore, cui erant centum oves, qui relictis nonaginta novem in deſerto, venit quærere unam tantùm, quæ perierat, & inventam poſuit ſuper humeros ſuos. Nam paſtorem eſſe Chriſtum, ovem centeſimam genus humanum in Adamo perditum, & à Chriſto per redemptionem inventum, atque in crucis brachiis veluti in humeris elevatum; nonaginta verò novem eſſe Angelos, quos in cœlo reliquit, quia cum non indigerent redemptione, non illos venit quærere, tradunt Ambroſius lib. 7. in Luc. cap. de ove centeſima: Gregor. homil. 34. in Evangelia: Beda ſuper cit. caput 15. Lucæ, pluresque alij, & eſt communis illius loci expoſitio. Eſtque hæc veritas adeo perſpicua, ut licèt nonnulli Theologi dixerint Chriſtum meruiſſe Angelis gratiam & gloriam; nemo tamen aſſeruit fuiſſe pro eis mortuum, aut illos verè & propriè redemiſſe; non niſi quia captivi non fuerant per peccatum.

D. Auguſt. D. Greg. Bernardus. Anſelm. Ambroſ. Gregor. Beda.

74. Confirmatio alia. Confirmatur ſecundò: nam ſi B. Virgo non peccaſſet in Adamo, ita ſe haberet in ordine ad redemptionem, ac ipſe Adamus ſe habuiſſet, ſi non peccaret: ſed ſi Adamus non peccaret, non haberet in eo locum redemptio, ſicut non habuit de facto ubi primò creatus eſt, & juſtitia originali ornatus, quouſque peccatum advenit: non enim prima illa collatio juſtitiæ originalis dicta eſt ab aliquo, aut dici poteſt vera redemptio: ergo, &c.

§. IV.

Prima evaſio ad hanc rationem, & præcluſio illius.

75. OCcurres primo huic rationi ex doctrina adverſariorũ, quos infra referemus, quòd licèt redemptio requirat aliquod debitum in eo, qui redimendus eſt; ſufficeret tamen pro redemptione Deiparæ debitum illud remotum, cujus dub. 1. num. 3. mentionem fecimus, quod non fuit debitum contrahendi immediatè originalem maculam, ſupponens ipſam B. Virginem peccaſſe in Adamo; ſed vel ipſa defectibilitas, & peccabilitas quam habet ex ſe natura humana: vel debitum ingrediendi pactum Adamo ſtabilitum, adeòque debitum, quo peccaret in illo, quando primò ipſe peccaret, niſi fuiſſet, à tali pacto excepta. Hujuſmodi enim debitum nemo Deiparæ denegabit: quia ſecluſo privilegio, ingrederetur illud pactum, peccarétque de facto in Adamo: ſicut cæteri ab eo proceſſuri, qui nullum privilegium fuerunt ſortiti, ingreſſi ſunt, & peccaverunt.

Porrò hoc genus debiti ad intentum ſufficere, neque opus eſſe alio magis proximo, quod à num. 16. explicuimus, videtur ſuaderi. Tum quia ut B. Virgo de facto dicatur redempta à culpa originali, quam cæteri contrahunt, ſufficit habuiſſe debitum contrahendi in ſe hanc culpam, & quod ſpeciali Dei gratia & præſervatione eam non incurrerit: ergo ſufficiet quòd habuerit debitum peccandi in Adamo per ingreſſum in illud pactum, & quod ſpeciali Dei privilegio ingreſſa non fuerit, ut dicatur redempta à tali ingreſſu, & à peccato quod eſſet ibi commiſſura; ita enim ſe habet hoc ſecundum debitum ad committendum peccatum in Adamo, ſicut primum illud ad contrahendum inde in ſe

ſe culpam originalem. Tum etiam quia licèt debitum ingrediendi pactum ſit mediatum in ordine ad contrahendam prædictam culpam, & ideo appelletur *remotum* ſeu *debitum debiti*, quia inter unum & alteram mediare debet ipſum peccatum actuale Adami, at in ordine ad committendum hoc peccatum in ipſo Adamo poteſt dici *debitum proximum*: quia nullum aliud debitum vel peccatum mediat inter utrumque: cur ergo non ſufficiet ad redemptionem hoc debitum proximum peccandi, ſicut ſufficit debitum proximum contrahendi peccatum iam commiſſum? Tum præterea nam ubi eſt indigentia remiſſionis vel ſatisfactionis, ibi eſt locus redemptioni, per quam fiat illa remiſſio aut ſatisfactio: omne autem debitum indiget remiſſione vel ſatisfactione, quia his tantum poteſt tolli & extingui: ergo &c. Tum denique, nam extinctio illius debiti, quo Deipara tenebatur ingredi cum reliquis pactum Adami, ubi eſſet peccatura, fuiſſet gratia & privilegium, quæ potuerunt illi concedi ex meritis Chriſti redemptoris, iuxta doctrinam dubij præcedentis: ſed gratia conceſſa ex meritis redemptoris eſt gratia redemptiva: ergo ab illa poſſet Virgo denominari *redempta*, ſine eo quod proximiùs peccato appropinquaret.

76. Quid ſupponendum.

Hæc ſunt quæ propoſitæ evaſioni apparentiam conciliare poſſunt. In quibus plura falſa involvuntur, quæ licèt ex parte concederentur, maneret adhuc noſtra ratio firma & inconcuſſa. Ut igitur ſingula perſcrutemur, & ſuo ordine impugnemus primò ſupponendum eſt, debitum hoc remotum, ad quod recurrunt adverſarij, ut ſufficeret redemptioni, nequaquam debere eſſe ſolam ipſam communem defectibilitatem ſeu potentiam peccadi, quam habet ex ſe natura humana. Tum quia ſola potentia ut aliquis ſit captivus, dum ibi ſiſtitur, ſeclaſoque proinde omni alio periculo vel debito, non eſt materia redemptionis. Ridiculum namque eſſet dicere nos, qui modo habemus potentiam ut in Turcarum captivitatem deveniamus, abſque alio huius rei periculo vel debito, poſſe modò inde redimi, aut indigere redemptione ratione talis potentiæ, dum ultra non pergimus, & captivitati aut alicui maiori eius periculo non appropinquamus. Tùm etiam quia S. Angeli habuerunt defectibilitatem & potentiam ut peccarent in ſecundo inſtante ſuæ creationis, & non ideo habuerunt ſufficientem redemptionis materiam, aut redemptione indiguerunt. Idemque eſt de Adamo, qui dum non peccavit aut ſaltem periculo peccandi acceſſit, nulla redemptione indigebat; & tamen ſemper fuit defectibilis & peccabilis. Præterea nam vel materia redemptionis eſſet ipſa potentia peccandi immediate ratione ſui, eo quod redemptio eam tolleret ſeu ab ea liberaret, vel ratione peccatorum, quæ redimendus poterat committere? Primum dici nequit; aliàs humanitas Chriſti, quæ per unionem ad Verbum à tali potentia liberata eſt, diceretur *redempta*, & redemptorum numero adſcriberetur. Et ſimiliter Angeli, qui ab ea liberati ſunt per beatificam viſionem. Secundum autem æquè eſt falſum: quia peccata purè poſſibilia omnino incapacia ſunt effectus redemptionis; ſicut ſunt incapacia veniæ, remiſſionis, aut ſatisfactionis. Nemo enim poteſt ex redemptione fructum percipere in ordine ad illa peccata, pro quibus neque aliquid debet, neque ulla ratione poſſunt ei imputari, neque eorum ſubeſt maiori periculo, quàm puræ poſſibilitati.

Adde quòd ſi peccata ſolùm quia poſſibilia, aut præſervatio ab illis ſufficeret ad redemptionem, B. Virgo diceretur *redempta* non ſolum à peccato Adami, quod de ſe commiſſura erat niſi præſervaretur, ſed à multis peccatis perſonalibus; quia quantum eſt de ſe, poterat illa committere, & niſi præſervaretur committeret de facto. Dicere autem abſolutè, Deiparam fuiſſe redemptam ab aliquibus peccatis perſonalibus, omnium aures offenderet: ergo, &c. Adde ſecundo, neminem rectè loquentem vocaſſe *debitum* ſolam potentiam ad aliquid: ſed ab omnibus ratio debiti concipitur ut quoddam ius & quædam exigentia illius rei, cuius eſt debitum, ſuperaddita potentiæ. Siniſtre ergo auctores, quos impugnamus, vocaſſent *debitum* in ordine ad redemptionem ſolam potentiam peccandi & deficiendi, quàm humana natura ex ſe affert.

Deinde ſupponendum etiam eſt prædi- 77. Aliud etiam ſupponendũ.
ctum debitum (quod eius auctores communiter explicant per ordinem ad pactum ſtatutum cum Adamo) non poſſe eſſe ſolam capacitatem tale pactum ingrediendi: quia ſi ſola capacitas ad aliquid haberet rationem debiti, poſſemus dicere, homini condito in puris naturalibus debitam eſſe gratiam, & omnibus tam Angelis quàm hominibus fuiſſe debitam prædeſtinationem, imò & cuilibet naturæ creatæ debitam eſſe unionem cum divina perſona, aliaque id genus abſurda: ſiquidem in omnibus eſt vel fuit capacitas ad prædicta beneficia. Debet ergo quodcunque debitum non chimæricum & fictum, ultra potentiam & capacitatem importare (ut dicebamus) exigentiam rei debitæ, ſive quia illam ex natura rei fundat vel infert, ſive quia aliunde ius habet ut illi tribuatur. His ſuppoſitis facile ruet evaſio adducta duplici ictu, utroque lethali: oſtendendo nimirum fictitium eſſe & abſque fundamento debitum ingrediendi pactum Adami aut peccandi in illo, quod tribuit Deiparæ: & rurſus tale debitum etiam ſi admittatur nihil conferre ad effectum redemptionis. Hoc ſecundum conſtabit §. ſequenti.

Primum verò probatur animadverten- 78. Formatur impugnatio
tendo ex triplici tantùm capite poſſe oriri prædictum debitum: videlicet, vel ex ipſa conditione & meritis naturæ humanæ, & ex modo ſuæ propagationis per proceſſionem ſeminalem, quaſi talis natura & propagatio conſideratæ ſecundum ſe (ſicut conſiderabantur, dum non intelligebatur pactum, de quo loquimur) poſtularent ſtatui Adamo tale pactum, ratione cujus eſſet caput morale omnium poſterorum ſeminaliter ab ea deſcendentium. Vel ex voluntate Dei, conſtituente illud pactum, & eo ipſo veluti conſtringente omnes Adæ poſteros ut illud ingrederetur. Vel denique ex aliqua ſpeciali gratia præſtit. ipſi Deiparæ, ne cum cæteris pactum ingrederetur. Non enim facilè excogitabatur.

adhuc,

adhuc data fingendi licentia, aliud caput unde oriri poſſit prædictum debitum. Atqui ex nullo iſtorum ortum habuit: ergo eſt fictitium & ſine fundamento. Minor quoad ultimam partem eſt perſpicua. Tùm quia talis gratia potius tenderet contra pactum & contra ejus debitum, veluti irritando illa pro ſuppoſito, quod excipiebatur: ergo non ipſi conſtitueret debitum vel pactum pro tali ſuppoſito. Tùm etiam quia gratia neceſſaria pro illa exceptione iam ſupponeret debitum ingrediendi pactum: non enim opus eſſet tali gratia pro exceptione à pacto, ſi nullum præeſſet debitum illud ingrediendi: non igitur prædictum debitum, utpote antecedens, oriri poterat ex tali.

79. Probatur prima pars minoris. Probemus eandem minorem quoad primam partem. Tum quia natura neque ex ſe, neque ex modo propagationis poſtulabat ut primus parens conſtitueretur caput morale poſterorum, ſicut nec quòd iſtorum voluntates in illum transferrentur quod erat neceſſarium ad prædictam conſtitutionem. Quin potius ea tranſlatio & conſtitutio ita naturæ merita & conditionem ſuperexcedebat, ut nec Deus aliter illam facere potuiſſet, quàm utendo ſupremo ſuo dominio, ut diximus diſp. præced. num. 34. quo tamen uti neceſſe non habet, quoties operatur juxta exigentiam & debitum naturæ, ut eſt per ſe notum. Tùm etiam quia conſtituere Adamum in eſſe capitis moralis fuit elevare ad ſupernaturalem ordinem ejus poſteros media promiſſione juſtitiæ originalis: natura autem humana ex ſe vel ex modo ſuæ propagationis nullum habebat debitum reſpectu talis elevationis; aliàs diceremus gratiam eſſe debitam naturæ, quod eſt hæreticum. Denique ſi humana natura vel ex ſe vel ex modo propagationis poſtularet prædictum pactum & conſtitutionem in Adamo, id ipſum poſtularet in reliquis parentibus reſpectu ſuorum deſcendentium: cum nulla inter eos & Adamum neque ex parte naturæ, neque ex parte modi propagationis poſſit diſparitas aſſignari. Atque adeo teneretur Deus, conſervando debitum rebus ordinem, conſtituere unumquemque caput morale reſpectu ſuorum poſterorum, ſicut conſtituit Adamum reſpectu omnium; quod eſt abſurdum: ergo natura ex ſuis meritis nullum valuit fundare debitum vel exigentiam pactum illud ingrediendi.

Effugium. Dices quòd etſi natura abſolutè loquendo pro nullo ſuorum individuorum habeat prædictam exigentiam; ex ſuppoſitione tamen quòd Deus pactum illud univerſaliter conſtituebat pro cæteris omnibus individuis, aderat iam ipſi naturæ debitum, ſaltem ex quadam decentia vel congruentia, ut nullum extra remaneret: cum non facilè poſſet honeſtari, quòd cæteris omnibus admiſſis, unum excluderetur.

80. Impugnatur. Sed contra: nam ſi quod genus debiti ex prædicta ſuppoſitione conſurgeret, potius oriretur ex voluntate Dei conſtituente pactum in ea univerſalitate (unde oriri non poſſe ſtatim probabitur) quàm ex ipſa natura & ejus meritis, prout loquimur in hac probatione. Ex eo enim quòd univerſa individua naturæ humanæ per gratuitam Dei promiſſionem elevarentur ad participationem juſtitiæ originalis, unum verò ſine tali elevatione relinqueretur, non fieret iſtud alterius naturæ, atque eſſet, ſecluſa illorum elevatione; neque ejus naturalia principia quoad aliquid mutarentur, aut aliud aliquid ſibi ſuperadderetur: ergo non fieret ut tale individuum ex ſe & ex ſua natura fundaret debitum reſpectu prædictæ elevationis, quod non fundaret, cæteris abſque elevatione relictis. Quemadmodum licet Deus decreviſſet plurimos homines ex Adamo procedere; ſi tamen decerneret unum, qui ex ſe non peteret ab eo originari, alia via producere; non ideo iſte haberet ex ſua natura majus debitum procedendi ab illo, quàm ſi nec pro reliquis fuiſſet ita determinatum. Similiter ergo in præſenti.

Confirmatur: nam ubi ex parte naturæ adeſt debitum, non eſt Deo neceſſe uti ſupremo ſuo dominio ad tale debitum adimplendum: cum ipſe rerum ordo cujuſlibet naturalis debiti adimpletionem exigat: ſed ut Beata Virgo intra pactum Adami collocaretur, iſque caput ejus morale conſtitueretur, ſive abſolutè, ſive ex ſuppoſitione quòd cæterorum omnium caput eſſet; neceſſe fuit Deo uti ſupremo ſuo dominio, quo voluntatem Virginis pleniſſimè continebat, & in voluntatem ipſius Adami transfundere poterat: nulla quippe alia via fieri poterat prædicta tranſlatio & conſtitutio ſive pro omnibus ſive pro aliquo, abſolutè vel ex ſuppoſitione, quàm ratione prædicti dominij ut vidimus diſput. præced. numero trigeſimo quarto: ergo etiam ſuppoſita incluſione cæterorum ſub prædicto pacto, nullum erat debitum ex parte naturæ, ut B. Virgo illud ingrederetur.

Confirmatur ſecundò ex eo quod cernimus in humanitate Chriſti Domini. Quamvis enim Deus pro omnibus aliis individuis naturæ humanæ ſtatuerit ut deſcenderent ſeminaliter ab Adamo, & pactum ejus ingrederentur: nullum inde intelligimus reſultare debitum in Chriſti humanitate, quæ etiam eſt individuum prædictæ naturæ, vel ad ſimili modo ex Adamo procedendum, vel ad ingrediendum prædictum pactum (nemo enim adhuc auſus fuit tale debitum in prædicta humanitate confingere, aut illam hac via capacem redemptionis facere) ergo univerſalitas prædicti pacti non eſt ratio ut in eo individuo quod Deus noluiſſet comprehendere, verbi gratia Deipara, conſurgat ex ipſa natura aliquod verum debitum ad comprehenſionem. Diximus *aliquod verum debitum*: quia non negamus fore in prædicto caſu convenientiam, congruentiam, & decentiam, ut cæteris ſub pacto comprehenſis; etiam comprehenderetur illud individuum. Sola tamen convenientia, congruentia, aut decentia non ſufficiunt ut quod congruit & decet verè debeatur: aliàs diceremus (quod eſt abſurdum) Deum ex debito creaſſe mundum, & homines prædeſtinaſſe, quia utrunque congruum, decens, & conveniens fuit. Non igitur ſola congruentia, convenientia, aut decentia aſſignanda eſt pro fundamento debiti.

Digitized by Google

81. Oſtenditur ſecunda pars minoris ex uno capite.

Oſtendamus verò quæ eſt ſecunda pars minoris (neque ex Dei voluntate prædictum debitum ortum habere potuiſſe. Quod quidem iuxta modum diſcurrendi adverſariorum eſt perſpicuum. Nam pro eodem ſumunt debitum ingrediendi pactum Adami atque debitum peccandi in illo, hacque ratione dicunt tale debitum poſſe eſſe redemptionis materiam: quia idem eſt liberari ab eo, ac præſervari & redimi à commiſſione peccati: unde velint, nolint, tenentur reducere prædictum debitum ad genus culpæ, ſaltem cauſalis: quia redemptio non eſt niſi à malo; nec tunc locum haberet malum pœnæ, cum nulla præceſſiſſet culpa: cum ergo nihil hujus generis divinæ voluntati tribuendum ſit, manifeſtè repugnat, ut i[illegible]ca eorum ſententiam ortum habeat ex i[illegible] tale debitum.

Poteſtque hoc magis urgeri: nam ſi divina voluntas fuiſſet cauſa illius debiti, vel id præſtitiſſet ex beneficientia & amore, adeòque in gratiam & beneficium poſterorum Adami, quos tali pacto adſtringebat: vel ex odio & diſplicentia, atque adeo in eorum detrimentum & ſupplicium? Hoc poſterius abſurdum eſt aſſerere: quia cum nulla præceſſiſſet culpa, quæ ſupplicio illo puniretur, potius deberent homines de Deo conqueri, tanquam odio habente naturam humanam, quam in ſua primæva inſtitutione ita exoſam habeat, & puniebat ſine culpa; quàm gratias illi pro tali inſtitutione referre tenerentur: quod non modò abſurdum eſt, ſed impium. Si verò primum dicatur, ruit intentum adverſariorum: quia quod eſt gratia ex Dei amore & beneficientia collata hominibus, non poteſt eſſe materia redemptionis ſeu id, à quo redemptor liberat: cum nullus ſuum redemptum liberet à bono, ſed à malo. Sed hæc impugnatio inferiùs protendetur.

82. Suadetur ex alio.

Modò verò probemus, nullum debitum etiam de genere boni potuiſſe in caſu, de quo loquitur, oriri ex Dei voluntate in perſona Deiparæ vel in aliquo alio, qui à pacto Adami excluderetur. Aut enim oriretur ex ſola voluntate creandi homines, & conferendi illis ea, quæ natura ex ſe ipſa poſtulat? Et hoc non: quia natura ex ſe nulla ratione poſtulat aut fundat debitum ingrediendi illud pactum, ut jam oſtendimus: prædicta autem voluntas ea ſolùm tribuit, quæ natura ex ſe poſtulat. Aut oriretur ex voluntate, qua Deus decrevit elevare filios Adami ad participationem originalis juſtitiæ medio illo pacto, quod cum Adamo ſancivit, & media promiſſione in ipſo imbibita? Et neque hoc poteſt dici: quoniam hæc voluntas fuit omnino liberalis, & promiſſio in ea imbibita fuit purè gratioſa, utpote in ordine ad dona & beneficia ſupernaturalia, & quæ nullo titulo naturæ humanæ aut alicui ejus individuo debebantur: ex hoc autem quòd Deus hoc modo aliquibus promittat, & pactum eis ſtatuat, nulli alteri jus vel debitum acquiritur ad ſimilem promiſſionem vel pactum. Sicut ex eo quod largitus fuerit donum perſeverantiæ tot millibus Angelorum, qui permanſerunt, nullum jus aut debitum contulit ad ſimile beneficium aliis, qui ceciderunt. Et ſi ex omnibus, quos creavit & elevavit per gratiam ad ſupernaturalem ordinem, unum aliquem noluiſſet elevare; ſed elevatis cæteris, in ſuis naturalibus eum relinqueret: non idcirco iſte non elevatus ex voluntate elevandi cæteros aut ex eorum elevatione jus vel debitum ad ſimilem elevationem acquireret: non niſi quia prædicta elevatio fuit omnino gratioſa, & ſupra exigentiam Angelicæ naturæ. Cum ergo promiſſio & pactum, quibus Deus poſteros Adami elevavit in illo ad participationem iuſtitiæ originalis, fuerit purè gratioſa & omnino ſupra exigentiam naturæ humanæ; nequivit ex tali promiſſione vel pacto jus aliquod oriri in aliquo individuo prædictæ naturæ, vel ut ei fieret talis promiſſio; vel ut quæ fiebat aliis, ipſum comprehenderet.

83. Effugium.

Dices, ex ipſa univerſalitate promiſſionis oriri debitum ſaltem decentiæ & æquitatis, ut nullus ab ea excluderetur: quia indecens eſt, ut quod conceditur cæteris omnibus, uni tantùm, præſertim ſine ejus culpa, denegetur. Si enim aliquis in humanis, exiſtentibus centum pauperibus largiretur eleemoſynam nonaginta novem; centeſimo verò ſine aliqua ejus culpa illam negaret; non facilè hujuſmodi negationem honeſtaret, & à vitio acceptionis perſonarum excluderet.

Refutatur.

Sed contra: nam quicquid ſit in humanis, (de quo inferius) in Deo tamen certiſſimum eſt nullum oriri debitum etiam decentiæ, ex eo quod beneficia ordinis gratiæ plurimis contulerit ad tribuendum alicui alteri, cui dare nollet eadem beneficia. Etenim debitum decentiæ & æquitatis, ſi verè debitum ſit non dicit ſolam decentiam aut congruentiam, quæ in ejus adimpletione inveniretur: conſtat ſiquidem in omnibus, quæ Deus agit reperiri magnam decentiam & congruentiam; & tamen non in omnibus adeſt verum aliquod debitum, ut eſt per ſe notum, & tetigimus num. 80. Tunc ergo debitum decentiæ aut æquitatis invenitur, quando ex non adimpletione ſequeretur aliqua indecentia perſonarum acceptio: ſicut tunc datur debitum iuſtitiæ, quando ex non adimpletione ſequeretur aliqua injuſtitia: ex eo autem quod tribuens Deus beneficia ordinis gratiæ cæteris omnibus ſive hominibus, ſive Angelis, uni tantùm ea denegaret, nulla ſequeretur indecentia, nec Deus contra debitum rebus ordinem aliquid faceret: ſed decentiſſimè operaretur, ex eo ſolùm quo ipſe, qui nulli debet, ut ſuam independentiam & libertatem oſtenderet ſine perſonarum acceptione quibus vult, donat; & cui donare non vult, denegat rectiſſiméque quæritanti illi, cui non donavit, reſpondere poſſet: *Amice non facio tibi injuriam; an non licet mihi quod volo facere?* Nullum igitur inde conſurgeret verum debitum, etiam æquitatis aut decentiæ. Matth. 20.

84. Confirmatio impugnationis.

Confirmatur: nam abſurdum eſt dicere, quòd ſi Deus homines, quos creare decrevit, prædeſtinaret præter unum, idcirco deberetur iſta prædeſtinatio: aut quod in ejus non prædeſtinatione fieret aliquid contra debitum æquitatis & decentiæ propter univerſalitatem beneficij erga tot

Digitized by Google

tot alios prædeſtinatos : ſicut etiam abſurdè diceretur, quòd elevatis ad ordinem gratiæ omnibus Angelis, quos Deus produxit, ſi unum alium produceret, eſſet illi debita talis elevatio: contraria vero huic doctrina ſapit hæreſim Pelagianum : ergo quantumvis univerſaliter & pro univerſis filiis Adami ſtatuerit Deus illud pactum, nullum jus vel debitum potuit inde acquiri alicui alteri, pro quo ſtatutum non fuit : cum hoc totum fuerit beneficium ordinis grati : gratiſque omnino omnibus illis conceſſum.

Diſparitas inter divinam & humanam largitionem. Neque eſt omnino ſimile in humanis: quia non ſemper tribuens eleemoſynam eſt ita immunis ab obligatione ; quin multoties vel abſolutè, vel ex ſuppoſitione ad id teneatur aliquo honeſtatis titulo, cui contraire eſſet indecens & inhoneſtum. Et in caſu poſito poſſet obligari lege charitatis, ne ſingulariter excluſo centeſimo illo paupere à communi beneficio, notam aliquam infamiæ aut demeriti illi inureret : vel ob alias cauſas, quæ apud homines frequenter currunt : quibus tamen ceſſantibus, adhuc in humanis ex ſola beneficij univerſalitate nulli excluſo acquireretur ius ad tale beneficium. In Deo autem nulla ex cauſa poteſt oriri ſimilis obligatio : ut pote qui libertimè omninoque independenter ab alicujus exigentia ; præterquam à ſua voluntate, dona gratiæ diſtribuit ; quique hanc ſuam independentiam & libertatem vult omnibus eſſe notam, vociferante Apoſtolo : *Miſerebor cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor ; ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, Roman. 9. Tota igitur honeſtatis ratio & totum debitum in elargitione bonorum ſupernaturalium eſt voluntas largientis : atque adeo cui elargiri non vult, nullum poteſt eſſe debitum, ut ſibi largiatur ; quantumvis in elargitione, ſi daretur, æquitas, congruentia, & convenientia exſplendeſcerent. Maneat ergo ex nullo capite poſſe oriri debitum, quod adverſarij aſtruunt in Deipara excluſa à pacto Adami ut ſub illo comprehenderetur, ſi de vero aliquo debito, & non de pure fictitio & æquivoco loquantur. Sed aliunde contra eos procedamus. Rom. 9.

§. V.

Eadem evaſio alia via impugnatur.

85. Alia via poteſt impugnari non minori efficacia evaſio propoſita, etiam admiſſo debito ingrediendi pactum Adami ab adverſariis pro Deipara excogitato : oſtendendo quod initio præcedentis paragraphi ſecundo loco propoſuimus : nimirùm tale debitum quovis modo depictum non poſſe eſſe materiam ſeu terminum *à quo* veræ redemptionis. Quod ſic probatur primò : nam terminus *à quo* redemptionis debet eſſe aliquid de genere mali vel incommodi ; non verò aliquid, quod ſit gratia & beneficium reſpectu redempti : ſed ingredi pactum Adami ; adeòque debitum & jus ingrediendi non eſſet aliquid de genere mali vel incommodi : imò erat magna gratia & beneficium : ergo neque tale debitum, neque adhuc ipſe ingreſſus potuit eſſe terminus *à quo* redemptionis. Major eſt perſpicua : quia vera redemptio non liberat per ſe à bonis & beneficiis ; ſed à malis & incommodis : ſtultè enim quæreret aliquis redemptorem, ut ſibi auferret gratiam, & beneficia ſubtraheret, ſtultéque pro his muniis ei gratularetur. Minor verò ſuadetur : nam Deus ſtatuens pactum Adamo, comprehendenſque ibi eius poſteros, non intulit eis aliquid mali, ſupplicij, aut incommodi ; imò verò magnam præſtitit gratiam & magnum beneficium, elevando illos medio tali pacto ad ſupernaturalem ordinem & participationem juſtitiæ originalis : præſertim cum talis elevatio nulla ratione fuerit eis cauſa, periculum, aut occaſio data peccandi in Adamo : ſicut neque Adamus fuit occaſio data peccandi ; ſed potius quantùm erat ex ſe, à peccato retrahebat, & ad gratiarum actionem magnopere inducebat (aliter verò de divina promiſſione & pacto diſcurrere eſſet Deo injuriam inferre :) ergo prædictum pactum nihil mali includebat ; ſed potius plurimum boni : non ergo eſſet beneficium, ſed potius negatio magni beneficij extrahi à tali pacto.

Confirmatur : nam ſi Deus comprehendens reliquos poſteros Adami ſub illo pacto, unum extrà relinqueret ; ita ſe haberet erga iſtum, ac ſi, cum creavit & elevavit Angelos ad ordinem gratiæ, reliquiſſet unum extra elevationem in ſuis tantum naturalibus : at in hoc caſu non eſſet beneficium talem Angelum extra elevationem relinqui ; ſed potius eſſet negatio eximij beneficij, quo cæteri donabantur : ergo ſimiliter in eo, de quo loquimur, potius eſſet beneficij negatio extra pactum relinqui, quàm verum beneficium. Ex quo fit prædictam exceptionem ſecundum ſe non modò non futuram redemptionis materiam, ſed neque alicujus Chriſti meriti. Quoniam Deus non utitur meritis Chriſti in ordine ad deneganda hominibus beneficia, ſed in ordine ad illa conferenda : atque adeo cui nullum fieret beneficium, non eſſet capax ut prædicta merita ſibi applicarentur. Diximus *prædictam exceptionem ſecundum ſe*, &c. propter illa quæ inferius à numero nonageſimo, declarabimus.

Dices non fuiſſe beneficium præcisè ratione excluſionis à pacto & ab elevatione ; ſed ratione præſervationis à peccato futuro, quod per illam exceptionem removebatur : cum enim Deus præſciret Adamum peccaturum, ejuſque peccatum non ipſi ſolùm, ſed omnibus ſub pacto comprehenſis obfuturum ; potuit ex amore & beneficientia erga unum aliquem relinquere eum extra pactum, ut ita excluſus non peccaret in Adamo, neque hujus peccatum illi imputaretur. Unde non videtur ſimile exemplum de Angelo relicto extra elevationem : quia iſte non eo ipſo quod elevaretur peccaret, ſicut peccaturi erant quotquot pactum Adami ingrediebantur : & ita non fieret illi beneficium remotionis à peccato, 86. Effugium.

Digitized by Google

ſed ſolùm negaretur beneficium elevationis. ❡ Poteſtque hoc confirmari: tùm quia de Iuda proditore dicitur Matth. 26. *Bonum ei erat, ſi natus non fuiſſet homo ille* quo oſtenditur, præſtiturum illi Deum maius beneficium non creando cum præſcientia futuri peccati, quam præſtitit creando cum tali præſcientia. Tum etiam quia ſæpe Deus ex amore & beneficientia erga aliquos negat illis beneficia, quibus ſcit male uſuros, ne peccandi occaſionem ex illis deſumant? ergo denegatio beneficij poteſt habere beneficij rationem, ac proinde conferri à Deo intuitu meritorum Chriſti.

Probationes pro illo *Matth. 26.*

87. Confutatur.

Sed contra: nam licet remotio à peccato, quæ fit per alicuius boni collationem ut per confirmationem in gratia, habeat rationem gratiæ & beneficij; ſecùs tamen quæ præcise fit per bonorum denegationem: repugnat enim quòd negatio boni præciſè ut talis ſit gratia & beneficium; ſicut repugnat, quod negatio ſit affirmatio. Aliàs diceremus exercuiſſe Deum magis ſuam gratiam & beneficientiam erga homines quos in ſua nihilitate reliquit præſciens peccaturos, quam erga illos, quos cum eadem præſcientia creavit: illi enim per non creationem remoti ſunt omnino à peccato, cui iſti ſemel creati exponuntur. Hoc autem manifeſtè eſt falſum: nam illis, quos Deus creare non decrevit, ſed in ſtatu ſolius poſſibilitatis reliquit omne denegavit beneficium, nulloque amore eos unquam eſt proſequutus: his verò, quos creavit, etiam præſciens peccaturos confert beneficium creationis, & nihil denegat, quod illis contulerit. Unde iſti debent Deo gratias ratione prædicti beneficij; cum tamen pro illis à nemine ſint debitæ.

Deinde quis dubitet Deum majus beneficium præſtitiſſe Adamo creando illum in iuſtitia originali præcius etiam ſui caſus, quam ſi non creaſſet; quo caſu peccatum non foret. & ſimiliter quis neget fuiſſe majus Dei beneficium erga omnes Angelos elevare illos ad ordinem ſupernaturalem, conferendo eis gratiam & jus ad gloriam, quamvis in tali ordine multos caſuros prænoſceret, quàm ſine prædicta elevatione in ſuis tantùm naturalibus relinquere? eo præſertim quia quantitas alicujus beneficij rectè penſabitur ex debito gratificationis: certum eſt autem tam Adamum quàm Angelos debuiſſe Deo majores gratias, quia creati & elevati ſunt, etiam cum prædicta præſcientia, quàm ſi vel non crearentur, vel non elevarentur receperunt: ergo majus beneficium. ❡ Adde, beneficium creationis aut elevationis nequaquam diminui, ſed potius augeri, cæteris paribus, ex præſcientia peccati futuri. Nam ibi oſtenditur major gratia & beneficientia alicujus benefactoris, ubi cum ex parte recipientis provideantur aliqua, quæ poſſent illum à benefaciendo retrahere, quaſi devicta & ſuperata ab eis ſua beneficientia & miſericordia; nihilominus non devincitur nec retrahitur, ſed contra nitendo ſuperat omnia impedimenta, & confert beneficium. Cum autem peccatum prævisum in illo quem Deus creat aut elevat, ſit obſtaculum retrahens, quantum eſt ex ſe, divinam voluntatem; eo ipſo oſtenditur major ejus beneficientia & gratia, quia non devincitur à tali obſtaculo ſed ſuper eo illo nihilominus beneficia præſtat, ac ſi prævisum non fuiſſet.

Exemplum de Angelo relicto extra elevationem optimum eſt ad rem: quia omnes Angelos, qui de facto ceciderunt, præſciebat Deus peccaturos, ſi ſemel ad ſupernaturalem ordinem elevarentur, ſine qua elevatione nullatenus peccarent, ut in ſuo tract. diximus: & tamen relinquere aliquem eorum non elevatum, adeòque nec peccandi poſſibilitati expoſitum, non eſſet facere ei beneficium, ſed negare. 88.

Diluuntur probationes.

Ad illud quod in confirmatione dicitur de Juda, reſpondetur, ibi non fieri comparationem inter creationem Judæ & ejus non creationem, quaſi hæc fuiſſet majus bonum aut majus beneficium quàm illa, etiam cum præſcientia peccati & damnationis; ſed inter non creationem ex una parte, & ipſum peccatum & damnationem ex alia: diciturque non creatio *bona*, ſeu ut exponunt communiter Interpretes) *melior* quàm peccatum & damnatio, non quidem poſitivè, quaſi habitura eſſet aliquid veri boni; ſed negativè, quia minus habuiſſet de ratione mali quàm ipſa damnatio & peccatum; cum hæc peſſima ſint, illa verò non ſit mala, quamvis nec bona, ſed ſit remotio mali. ❡ Ad ſecundum reſpondetur, beneficiorum denegationem in aliquibus idcirco oriri ex beneficientia ex amore Dei, quia oritur ex intentione conferendi alia majora beneficia, ut majorem gratiam, vel majorem perſeverantiam in illa: & ita prædicta negatio, non eſt ex ſe ipſa (etiam prout conſequenter erit peccati remotio (ſed ratione illius intentionis, ex qua imperatur, & illius majoris beneficij, ad quod ordinatur, habet rationem beneficij.

Neque obeſt ſi urgeas, potius hinc ſumi argumentum pro adverſariis: quia exceptio Deiparæ à pacto Adami proculdubio fuiſſet facta ex intentione alterius majoris beneficij. Ideo enim Deus exciperet illam à prædicto pacto, ut vel omnino independenter ab Adamo matris dignitate, & præſtantiſſima perpetuáque ſanctitate eam donaret; vel aliud excellentius & nobilius pactum pro ea ſtatueret: cujuſmodi eſſet conſtituere Adamum ejus caput in ordine ad traducendam iuſtitiam, caſu quo non peccaret; non autem in ordine ad peccatum, caſu quo delinqueret: & ita permanente illo in iuſtitia originali, eſſet hæc debita Deiparæ; nec tamen prævaricante, peccatum eſſe debitum. Quòd enim Deus hoc modo decreta diſponeret, ex nullo capite repugnat; quod verò ita ſit factum, ſuadet major excellentia, quæ inde Virgini accreſcit. Igitur exceptio prædicta haberet rationem beneficij, adeòque poſſet eſſe materia veræ redemptionis.

89. Replica.

Non igitur hoc obeſt, ſed potius juvat ad noſtræ doctrinæ explicationem. Non enim abſolute negamus exceptionem Deiparæ à pacto Adami modo quo in hac replica depingitur, 90.

Enervatur.

Digitized by Google

depingitur, habituram rationem beneficij; quin potius dub. præced. id adſtruximus potuiſſe que res ſic à Deo diponi, ut exceptio illa fieret ex meritis Chriſti (an prout de facto prædicta merita fuerunt ordinata, infra dicemus) negamus verò, quòd talis exceptio haberet rationem beneficij formaliſſimè in quantum eſſet exceptio à pacto Adami; & (ut ita dicamus) ex ipſo capite exceptionis, etiam prout in hac ex conſequenti involvitur remotio à peccato; ſed totum quod ibi eſſet beneficij & favoris, id haberet præcisè ratione majoris gratiæ, quæ alia via Virgini donabatur: quæ ſanè gratia nullatenus fuiſſet major, aut plus valoris exprimeret, eo quod haberet comitem excluſionem à pacto, ſub quo comprehendebantur alij: ſed totum ſuum valorem & æſtimationem haberet ex ſua propria intenſione & quantitate abſolutè ſumpta ſine reſpectu ad prædictam concluſionem: eſſétque proinde æquale beneficium, æqualiſque valoris & æſtimationis, quamvis tale pactum non fuiſſet pro reliquis conſtitutum.

Hoc verò, quod ex dictis credimus manere ſufficienter comprobatum, clarius fiet, ſi prædictam exceptionem ponamus non in Deipara, cui Deus alia via gratiam conferret; ſed in alio, quem in ſuis puris naturalibus produceret omni gratuito dono deſtitutum: ſi enim in hoc excipi à pacto Adami peccaturi non eſſet beneficium; bene infertur, neque etiam in illa ſimilem exceptionem habituram rationem beneficij ex ipſo capite exceptionis; ſed totum illud beneficium conſiſtere penes gratiam concomitantem talem exceptionem. Porro in caſu propoſito prædictam exceptionem non fore beneficium, ex eo patet, quia ita excluſus ſolùm obtinuiſſet beneficium creationis omnibus commune, nihilque amplius à Deo acciperet, ultra quod cæteri virtute pacti acciperent beneficium elevationis ad ordinem gratiæ: & ideò iſti pro utroque beneficio ad gratiarum actionem tenerentur; ille verò pro primo dumtaxat: ergo derelinqui extra pactum reſpectu illius eſſet negatio beneficij prædictæ elevationis, & non ad aliquod beneficium. Si igitur excluſio à prædicto pacto facta ſine alia gratia, nihil habet de ratione gratiæ & beneficij, rectè infertur gratiam collatam in cauſa exceptionis Deiparæ non habituram rationem gratiæ aut beneficij ex parte exceptionis; ſed præcisè ex ipſa quantitate gratiæ ſecundum ſe.

91. Illatio. Ex hoc autem apertè deducitur illud, quod in noſtra impugnatione oſtendebamus, videlicet prædictam exceptionem, qualitercunque ſumatur, non poſſe eſſe materiam redemptionis. Quia redemptio non eſt quodcunque beneficium, ſed eſſentialiter eſt beneficium per modum extractionis & liberationis ejus, qui redimitur, à malo unde redimitur: debétque proinde ratio talis beneficij ſplendere in ipſa extractione & liberatione ut talibus, quicquid ſit de aliqua alia gratia, quæ fiat vel non fiat redempto. Hac enim ratione nemo dicet fuiſſe verè redemptionem reſpectu Angeli aut reſpectu Adami eorum creationem vel primam juſtificationem: quia licet communicare illis primum *eſſe* & primam gratiam fuerit magnum beneficium; non tamen hujuſmodi beneficium fuit per modum extractionis & liberationis ex aliquo habente rationem mali. Sicut etiam inter homines nemo dicet Petrum Ioannem redimere, quia donat illi centum vel mille aureos, non habito reſpectu ad aliquod malum, unde pretio illo liberetur: omnes verò dicemus eum redimere, ſi à captivitate vel ſervitute extrahat, quamvis nihil præter libertatem ei conferat. *D. Auguſt.*

Quod adeo verum eſt, ut neque adverſarij præſumpſerint alia via ſalvare redemptionis conceptum: ob idque coacti ſunt recurrere ad debitum ingrediendi pactum Adami, quod ipſi de genere mali arbitrantur: ut in extractione & liberatione ab illo nonnihil ſaltem ſplendeat redemptionis. Quo recurſu opus non haberent, ſi redemptio ex unanimi omnium conceptione non importaret extractionem & liberationem, quam diximus ut rationem eſſentialem & primariam: & niſi beneficium proprium redemptionis deberet in prædicta extractione ut tali independenter à quavis alia gratia primariò ſplendere. Habemus ergo exceptionem à pacto Adami, quantum eſt ex hoc capite: neque in Deipara neque in alio habere rationem beneficij, adeoque nec meritorum Chriſti effectus: eſto verò aliunde beneficium illi adjungatur; nequaquam tamen hoc poſſe conſtituere veram redemptionem: cum non in ipſa exceptione ut tali, ſed in alio concomitanter & de materiali ſe habente conſiſtat.

§. VI.

Protenditur alia via impugnatio: & ſatisfit prelationibus adductis pro principali evaſione.

92. Supponuntur nonnulla. AMplius adhuc oſtendenda à nobis eſt inſufficientia evaſionis adverſariorum, & confirmanda vis noſtræ rationis. Pro quo obſerva, totum quod in exceptione à pacto Adami de ratione redemptionis illi reperiunt, in eo ſitum eſſe, quod per talem exceptionem Deipara præſervabatur à peccato, quod ipſe Adamus pro poſteris committeret, manebatque omnino elongata, ſecura, & libera ab incurſu talis peccati. Si enim ille peccaturus non eſſet, ſed in juſtitia ſemper manſurus; aut ſi pactum præcisè eſſet in ordine ad communicandam juſtitiam originalem ſine contingentia transfuſionis culpæ, nemo putaret beneficium eſſe factum Deiparæ, minùs verò redemptionem, quia extra pactum relinquebatur, gratiaque & favore illius promiſſionis privabatur. Secundò ſupponendum eſt Deiparam neque per debitum ingrediendi pactum, neque adhuc per illius ingreſſum potuiſſe propinquiorem fieri peccato committendo ab Adamo, aut magis præſervationis indigam, quàm erat ipſe Adamus, quando pro ſe & pro poſteris pactum accepit,

Digitized by Google

pit. Non enim qui in eo includebantur aut qui includi debuiſſent, aliter quàm (ut ita dicamus) greſſibus Adami peccato appropinquabant: ſicut neque alia quàm ipſius voluntate poterant illud committere. Unde non magis habere poſſet rationem redemptionis beneficium, quo Deipara liberaretur à debito ingrediendi pactum Adami, aut à pacto ipſo exciperetur, quàm illud, quo Adamus præſervaretur à ſuo peccato. Imò eò magis hoc poſterius beneficium ad redemptionem accederet, quò magis è propinquo peccatum incurrendum concernebat, & ab ejus incurſu cominùs multò præſervabat.

93. Conficitur impugnatio. Hinc proſequitur noſtra impugnatio ſub hac forma. Adamus antequam peccaret, aut ſaltem tentatio peccandi accederet, nullum habuit debitum; ratione cujus pro tunc indigeret redemptione: ergo neque id habuerunt tunc poſteri, qui ratione pacti in illo continebantur: igitur multò minùs Deipara, ſi non erat ſub pacto, habere potuit prædictam indigentiam. Utraque conſequentia eſt perſpicua ex iis, quæ prænotavimus: nam neque Deipara per ſolum debitum pactum ingrediendi ita è propinquo peccatum committendum ab Adamo concernebat, ſicut concernebant, qui ſub ipſo pacto jam continebantur: neque iſti ita illi appropinquabant ſicut Adamus, per cujus conſenſum & non aliter poterant prædictum peccatum incurrere: neque aliunde quàm ex acceſſu & propinquitate ad ipſum peccatum oriri poterat in aliquo eorum neceſſitas præſervationis: atque ad eo ſicut in nullo omnium fuit major prædicta neceſſitas, quàm in ipſo Adamo; ita in nullo fuit materia magis apta redemptioni, aut major iſtius indigentia. In eo autem pro illo tunc non fuiſſe probatur. Tùm quia Adamus, præſertim antequam tentatio accederet, neque habebat peccatum, neque aliquod debitum aut periculum peccandi: ſicut in Angelis antequam delinquerent, aut ad id provocarentur, nullum fuit tale debitum vel periculum: imò potius omnia, quæ in ſtatu juſtitiæ originalis tunc currebant, inducebant Adamum ad permanendum in gratia, & contra peccatum præmuniebant, retrahebántque ab illo: ergo nihil tunc fuit, à quo poſſet redimi: cum redemptio eſſe non poſſit niſi vel à peccato vel à debito, vel ſaltem à periculo. Solam verò potentiam peccandi, quam habebat, ex dictis num. 76. conſtat non eſſe ſufficientem materiam redemptionis, ſicut non fuit in Angelis, neque in ipſa Deipara reſpectu peccatorum perſonalium.

94. Ad hæc: ſi Deus conſervaret Adamum in gratia, & à peccato ejuſque periculo præſervaret, hæc præſervatio apud neminem diceretur propriè redemptio: ſicut non fuit propriè talis præſervatio Angelorum bonorum, in quibus fuit etiam peccandi potentia: ergo ſignum eſt præſervationem à peccato, cujus non adeſt debitum aut periculum, ſed ſola potentia, non eſſe veram redemptionem.

Et hinc apparet manifeſtiùs contra adverſarios debitum illud, quod tribuunt Deiparæ ad ingrediendum pactum Adami, & appellant *debitum debiti*, ſeu *debitum remotum*, nihil habere de ratione veri debiti, adeóque nullatenus conducere ad intentum. Si enim in Adamo, dum pactum à Deo accepit, nullum fuit debitum aut periculum peccandi ſive pro ſe ſive pro poſteris, quod daret redemptioni materiam, ut oſtenſum eſt; multò minùs in illa, quæ pactum nondum intraverat, adeſſe poterat tale debitum; aut talis materia ex ſolo debito ingrediendi pactum; Eò vel maximè quia ſi in Adamo quando accepit pactum, nullum fuit debitum proximum peccandi, nulla ratione debitum ingrediendi ipſum pactum in aliis repertum dici poterat *debitum peccandi*, aut *debitum peccatum contrahendi mediatum & remotum*, adeóque nec *debitum debiti*: quia debitum remotum, & debitum debiti dicitur reſpectivè ad debitum proximum & immediatum: & ita hoc ſecluſo, illud etiam evaneſcit.

Dices, non ratione debiti aut periculi peccandi, quod nullum fuit in Adamo, neque ratione ſolius peccandi potentiæ; ſed ratione futuritionis peccati potuiſſe Virginem dici *redemptam* per exceptionem à pacto. Sciebat enim Deus peccaturum Adamum, & omnes, qui pactum ingrederentur; & ita excipere Deiparam, fuit liberare eam non tantùm à peccato poſſibili, ſed etiam ab eo, quod infallibiliter committeret, niſi exciperetur. 95. Effugium.

Sed contra: nam ſola præſervatio à peccato, quod ſine præſervatione eſſet futurum, non ſufficit ad veram redemptionem: redemptor enim ſolvit pro peccatis, à quibus redimit, pro peccatis autem, quæ de facto neque ſunt, neque abſolutè erunt, eo quod per præſervationem impediantur, licèt aliàs eſſent futura, non poteſt eſſe ſolutio de facto, neque adhuc de futuro abſolutè: ſed hoc ſolùm verificari poterit, quòd futura eſſet ſolutio, atque adeo redemptio, ſi peccata eſſent futura: quandiu verò hæc ab ſtatu futuritionis præſertim conditionatæ non extrahuntur, nequit redemptio habere alium ſtatum quàm ſtatum futuræ etiam ſub conditione. Deinde impugnatur effugium evidentiſſimis inſtantiis. Nam in Deipara futura erant peccata perſonalia, niſi ab eis præſervaretur: & tamen præſervatio hæc & futuritio nullatenus ſufficit ut dicatur verè redempta à peccatis perſonalibus. Similiter in humanitate Chriſti erant futura peccata, niſi aſſumeretur à Verbo, aut alia via præſervaretur: & tamen non idcirco poteſt dici ab aliquo peccato redempta. Idem conſtat in Angelis bonis, qui niſi præſervarentur, commiſſuri erant peccata, quæ commiſerunt mali: & tamen præſervatio ab illis non fuit vera & propria redemptio. Demùm ſi Deus conſervaret Adamum & ejus poſteros in juſtitia originali, ita ut nunquam delinquerent; pro nullo peccato haberent opus redemptore, ut omnes fatentur: & tamen in illo caſu daretur præſervatio à peccatis, quæ ſecluſa præſervatione, infallibiliter erant futura. Igitur ſola futuritio peccati non eſt materia ſufficiens ad veram redemptionem. Impugnatur.

Dices iterum eſſe diſparem rationem: quia peccatum Adami, à quo Virgo fuit præſervata, erat futurum abſolutè; peccata verò perſonalia, quæ in tribus primis exemplis 96. Aliud effugium.

Digitized by Google

exemplis memorantur, ſolùm erat futura ſub conditione illa *niſi ab eo præſervarentur*, quæ conditio non erat purificanda. Et in exemplo ultimo eſt etiam diſparitas: quia à peccato Adami, quod abſolutè erat futurum, Virgo fuit præſervata abſolutè & de facto; Adamus verò non, ſed eſſet in illa hypotheſi qua ſuppoſita, jam tale peccatum non eſſet futurum.

Confutatur. Verum hoc totum frivolum eſt: quia peccatum Adami, à quo ponitur præſervata Deipara, in quantum eam poterat attingere, non erat futurum abſolutè in ſententia adverſariorum tenentium eam non commiſiſſe illud in Adamo de facto, ſed tantùm commiſſurum ſub conditione *ſi non præſervaretur per exceptionem à pacto*. Imò eſt implicatio in terminis, quod peccatum illud, in quantum futurum erat peccatum Virginis, eſſet futurum abſolutè, & quod ipſa de facto fuiſſet ab eo præſervata: ſiquidem per ipſam præſervationem deſineret tale peccatum eſſe pro illa futurum abſolutè. Porrò præſervatio, quam adverſarij volunt fuiſſe Virgini conceſſam per exceptionem à pacto, non erat præſervatio à peccato Adami, in quantum futurum erat peccatum ipſius Adami vel aliorum poſterorum (qua ratione duntaxat erat futurum abſolutè) ſed formaliſſimè in quantum eſſe poterat, aut futurum erat peccatum ipſius virginis: & ideo ſi abſque præſervatione illud peccatum non eſſet peccatum eius futurum, quantumvis futurum eſſet peccatum aliorum, non indigeret ipſa ab illo præſervari: quia nemo indiget præſervari à peccato non ſuo. Solùm igitur potuit præſervari ab eo in quantum futurum erat peccatum ſuum, atque adeo in quantum erat futurum ſub conditione, quæ in ſententia adverſariorum purificanda non erat. Manet itaque firma & in ſuo robore noſtra impugnatio per tres priores inſtantias: in quibus omnibus fit præſervatio à peccatis infallibiliter futuris ſub eadem conditione, ſub qua peccatum Adami erat futurum peccatum Deiparæ, & tamen id non ſufficit ad veram redemptionem.

97. Deinde quod Deipara fuiſſet præſervata de facto, Adamus verò non, nihil obeſt noſtræ veritati, quia non arguimus ab eo, quod de facto contigit in Adamo, qui de facto præſervatus non fuit; ſed ab eo quod contingeret caſu quo præſervaretur. Si enim in illo caſu conditionali non ſufficeret ad redemptionem Adami præſervatio à peccato futuro, quæ tunc daretur; rectè infertur, etiam nunc non ſufficere ad redemptionem abſolutam Deiparæ ſimilem præſervationem, quæ de facto detur, cum omnino idem præſtet conditionatum ſub conditione, quod præſtat abſolutum abſolutè in quo quia ex ſe eſt ſatis notum, non immoramur.

Evertuntur probationes evaſionis principalis. Ex hucuſque verò dictis ruunt facile omnia, quæ numero ſeptuageſimo quinto, adduximus pro evaſione, quam uſque modò debellavimus. Siquidem oſtenſum eſt, falsò tribui Deiparæ debitum illud ingrediendi pactum Adami, ad quod prædicta evaſio recurrit, & adhuc ſi admittatur tale debitum non poſſe eſſe materiam redemptionis; imò non eſſe verum debitum etiam mediatum & remotum in ordine ad peccatum, ſed aliquid de genere boni. Quare ad primam probationem ibi propoſitam conceſſo antecedenti negatur conſequentia, & probatio in ea imbibita: quia utraque falſo ſupponit, id quod appellant *debitum ingrediendi pactum Adami*, fuiſſe verum debitum peccandi in illo: ſicut in ordine ad contrahendum peccatum originale eſt verum debitum, quod habent poſteri Adami, qui in eo peccaverunt. ¶ Ad ſecundam negatur antecendens propter eandem ſuppoſitionem.

Ad tertiam negatur minor: quia ſolum illud debitum indiget remiſſione, aut ſatisfactione, quod ſupponit peccatum commiſſum: ubi enim nullum fuit tale peccatum, nulla eſt offenſa, & ubi hæc non datur, nihil eſt, quod poſtulet remitti, aut per ſatisfactionem compenſari. Ex quo potius ſumitur nova impugnatio in adverſarios. 98. Quia redemptio Chriſti facta eſt per modum ſolutionis & æqualis ſatisfactionis, ſicut facta eſt per actum veræ iuſtitiæ relucentis in ipſa ſatisfactione ad æqualitatem: unde illud duntaxat debitum poteſt eſſe materia illius, quod ſimul eſt debitum ſolvendi & ſatisfaciendi ſeu quod eſt debitum morale & ex iuſtitia: debitum autem ingrediendi pactum Adami non fuit debitum huius generis, quia ubi nulla proceſſit offenſa, nulla potuit deberi ſatisfactio vel ſolutio, ut dicebamus. Debitum verò, quod omnes habuimus ad ipſam contractionem peccati originalis inferens eam ex natura rei, quod ideo numero 41. appellavimus *debitum Phyſicum*, idcirco eſt materia redemptionis, quia ſupponit vel includit debitum morale ſolvendi, & ſatisfaciendi pro offenſa ab omnibus commiſſa in Adamo, & niſi offenſa hæc ſupponeretur, nihil ad nos tranſiſſet, quod redemptione indigeret.

Ad ultimam probationem conſtat ex dictis à numero octuageſimo quinto, extinctionem debiti ingrediendi pactum Adami, quantum eſt ex hoc capite, nihil habere de ratione beneficij; proindeq; eſſe nō poſſe effectum meritorum Chriſti, multóque minùs redemptionis. Neque oppoſitum aſſeruimus dubio ſecundo, numero quiquageſimo ſecundo, ſolùm enim diximus, prædictam exceptionem ſeu extractionem à pacto, ut accipi poterat ſimul cum gratia ſanctificante collata Deiparæ ex alia intentione, habituram (utique ex ipſa gratia) rationem beneficij præſtabilis ex Chriſti meritis prout hæc potuerunt à Deo diſponi. An vero id eſſet materia redemptionis, ſicut etiam an illa exceptio vel extractio ſecundum ſe ſpectata (quo pacto conſiderari debet in ordine ad redemptionem) haberet rationem beneficij, aut poſſet eſſe meritorum Chriſti effectus, huic dubio reſervavimus: ex cuius doctrina liquet tenendam eſſe in omnibus partem negativam.

Digitized by Google

§ VII.

Evaſio alia ad eandem ſecundam rationem : & eius impugnatio.

99. ALiter conati ſunt etiam adverſarij elidere noſtram ſecundam rationem dicentes, conditiones in ea requiſitas ſolùm poſtulari pro redemptione ordinaria & communi ; non autem pro redemptione eminenti & altiori, qualis fuit redemptio Deiparæ. Nam ſicut longè majus beneficium præſtitum ei fuiſſet, præſervando illam ſimul à contractione peccati originalis in ſe ipſa, & à perpetratione peccati actualis in Adamo, adeóq; à peccato ſimul à & debito, quàm ſi permiſſa fuiſſet peccare in illo, & inde debitum contrahere : ita nobilior & perfectior redemptio eſſet illa quàm iſta, eminentiuſque in ea ſplenderet efficacia paſſionis & meritorum Chriſti. Debemus autem Deiparæ tribuere redemptionem omnium perfectiſſimam, ſicut tribuimus perfectiſſimam gratiam.

Poteſtque hoc explicari exemplo medici & medicinæ, vel reſtituentium homini ſanitatem poſtquam in morbum incidit ; vel præſervantium illum, ne unquam ægrotaret. Nemo enim dubitabit, præſtatiori modo in hoc ſecundo caſu, quàm in primo medicum munus ſuum præſtitiſſe ; perfectiorémque eſſe medicinam, quæ ſalutem perpetuo conſervaret, quàm quæ amiſſam reſtitueret. Cui doctrinæ conſonat D. Auguſtinus ſuper Pſal. 85, ad illa verba, *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori, ubi eam exẽplis illuſtrat: Orans hic iam* (inquit) *in corpore Chriſti poſitus, eruiſſe Deum animam ſuam ab inferno inferiori dixit, quia liberavit ſe a talibus peccatis, per quæ poſſet deduci ad tormenta inferni inferioris. Quemadmodũ ſi medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, ſic te tracta, requieſce, his cibis utere; nam ſi non feceris ægrotabis: tu autem ſi feceris, & ſalvus eris, rectè dicis medico, liberaſti ab ægritudine, non in qua iam eras, ſed in qua futurus eras. Neſcio quis habens cauſã moleſtam mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit eum, gratias agens quid dicit? Eruiſti animam meam de carcere. Suſpendendus erat debitor, ſolutum eſt pro eo, liberatus dicitur de ſuſpendio. In his omnibus non erant? ſed quia talibus meritis agebantur, ut niſi ſubventum eſſet, ibi eſſent, inde ſe rectè dicuntur liberari, quò per liberatores ſuos nõ ſũt permiſſi perduci.*

D. Auguſt.

100. Impugnatio evaſionis. Hoc autem effugium facilius impugnabitur quam præcedens. Inquirimus enim an in iſta, quæ vocatur *redemptio eminens* ſalvetur cum proprietate & veritate conceptus & eſſentia redemptionis : ſitque proinde redemptio eminenter formaliter, & illa eminentia ſit de linea & munere redemptionis ? Sicut Dei cognitio dicitur ſapientia formaliter eminenter, quia cum veritate & proprietate eſt in illa, altiori tamen modo quàm in noſtra, conceptus ſapientiæ. Vel an non ſalvetur cum veritate & proprietate prædictus conceptus : atque adeo ſolùm dicatur *redemptio eminens*, quia eſt quoddam beneficium eminentius & præſtantius beneficio redemptionis, in alia tamen linea, ubi non datur formaliter redemptio ? Ut ſi diceremus *Deum eſſe eminenter Angelum, equum, lapidem*, &c. non quia verè & formaliter ea ſit, ſed quia eſt aliquid altius & nobilius prædictis creaturis. Primum horum dici non poteſt : quia redemptio verè & cum proprietate accepta eſſentialiter importat extractionem à captivitate, emptionémque ejus qui redimitur, ſupponens alienationem ; & etiam importat pretium ſeu reſcate ſolutum pro redempto : quorum nihil vere & cum proprietate poſſe reperiri ſine peccato vel eius debito oſtenſum eſt in noſtra ratione. Et quamuis non negemus dari multoties latitudinem in requiſitis ad conſtitutionem alicuius rei, nec ſemper poſtulari concurſum omnium, ut eius nomen & appellatio ſaltem minùs rigoroſè alicui cum veritate applicetur : attamen cui potiſſimæ & principaliores conditiones ex toto deficiunt, non niſi abuſivè & impropriè poterit nomen illud attribui. Porrò in ea, quam adverſarij *redemptionem eminentem* appellant nulla inuenitur conditio ex his, quæ ſunt propriæ & ſpeciales veræ redemptionis : cum neque concurrat ibi captivitas, neque captivitatis debitum, neque emptio, neque pretium, neque ſatisfactio aut ſolutio : ergo ubi agitur de vera & propria redemptione, nullatenùs debet ita nuncupari. Nec refert an ſit vel non ſit beneficium redemptione maius vel eminentius : quia hæc eminentia non eſt in ipſa linea redemptionis, ſed in alia, ſola autem eminentia unius rei ſupra aliam in alia linea non ſufficit ut conceptus & eſſentia inferioris in eminentiori cum proprietate ſalvetur : ſicut non ſufficit eminentia Angeli ſuprà hominem, ut Angelus propriè ſit homo, neque hominis ſuprà equum, ut homo ſit equus, & ſic de aliis. Non ergo ſufficit, quod aliquod beneficium ſit eminentius beneficio redemptionis, ut ſit verè redemptio ; niſi ſimul cum illa eminentia inveniantur alia, quæ requiſivimus.

Si verè dicatur ſecundum, videlicet non ſalvari ibi verum conceptum & eſſentiam redemptionis habemus intentum ; iam enim non ſalvatur Virginem fuiſſe verè & propriè redemptam, quod eſt aſſumptum huius dubij : cum nullus dici valeat verè & propriè redemptus, niſi per veram & propriam redemptionem. Quare diſtinctio illa redemptionis in *communem & eminentem*, ut adverſariorum inſtituto deſerviret, deberet ita intelligi, ut in utroque membro dividente ſalvaretur formalis ratio diviſi, quod debebat eſſe redemptio vera & formalis, atque ita illa eminentia, per quam unum diſtinguitur ab alio, eſſet eminentia in ipſa linea, & munere redemptionis.

Deinde cum quæritur, an Virgo in caſu de quo loquimur, fuiſſet redempta ? non dubitamus potuiſſe alia via, quàm per redemptionem accipere beneficium æquale vel maius illo, quod nobis tribuitur per redemptionem : perſpicuum eſt enim maius beneficium collatum eſſe humanitati Chriſti, quæ redempta non eſt, quàm omnibus redemptis : & maius donum gratiæ & gloriæ collatum eſt 101. Procedit impugnatio

Angelis

Angelis ſine redemptione, quàm multis ex hominibus per redemptionem confertur. Solum ergo dubitatur, an illud beneficium, quod tunc Virgini donaretur (ſive æquale, ſive majus beneficio redemptionis) eſſet verè & propriè redemptio? Sicut autem reſpectu hujus quæſtionis frivola eſſet reſponſio, quæ ſolum diceret prædictum beneficium eſſe majus, quam ſit redemptio noſtra, ita frivola omnino eſt, quæ aſſerit eſſe redemptionem eminentem; nihil aliud intelligendo per hanc eminentiam niſi beneficium majus & excellentius, omnino tamen à vera & formali redemptione diſtinctum. Ad hæc: ſi ex ſola eminentia unius rei ſupra aliam, illa quæ eminet, poſſet abſolutè dici alia, poſſemus abſolutè dicere innocentiam eſſe pœnitentiam, viſionem claram eſſe fidem, poſſeſſionem eſſe ſpem, ſcientiam eſſe opinionem, &c. Siquidem unumquodque iſtorum eſt eminentius illo, cujus nomen aſſumeret: imo poſſemus Deum vocare *creaturam*, *corpus*, *animam*, *equum*, & id genus alia, quæ planè ſunt abſurda. Ergo rejiciendus eſt ſimilis modus abutendi nominibus, tribuendo rei ſuperiori nomen inferioris propter ſolam eminentiam.

102. Effugium. Dices non quamlibet eminentiam ad id ſufficere; ſed illam, per quam id, quod eminere dicitur, æquivalet quantum ad effectum illi, cui eminet: hoc autem modo præſervatio Deiparæ à peccato Adami dicitur eminenter redemptio: quia præſervatio ab omni peccato & debito æquivalet extractioni à captivitate peccati, quæ eſt effectus redemptionis: ſiquidem per utramque fit, ut ſuppoſitum, cui applicatur, maneat extra talem captivitatem, ſive eam incurrerit, ſive non incurrerit.

Præcluditur. Sed contra: nam neque ex eo ſolùm quod unum æquivaleat alteri quantum ad aliquem effectum, poteſt verè & abſolutè vocari illud, cui æquivalet: ſol enim æquivalet igni quantum ad effectum producendi calorem, & non ideo poteſt abſolutè & verè vocari *ignis*. Et ut hoc magis declaremus, non minus æquivalet reſurrectioni quantum ad effectum præſervatio à morte, quàm redemptioni præſervatio totalis à culpa: quia ſicut per hanc fit ut præſervatus maneat in gratia, ad quod ordinatur redemptio; ita per illam fit ut maneat in vita, ad quod ordinatur reſurrectio: atqui nemo dicet præſervationem à morte ratione illius æquivalentiæ eſſe veram reſurrectionem, aut poſſe (niſi impropriiſſimè & abuſivè) ita appellari: igitur nec prædicta præſervatio à culpa ob ſimilem æquivalentiam niſi abuſivè & impropriiſſimè poteſt *redemptio* nuncupari. Præterea (& eſt argumentum in propriis terminis) præſervatio humanitatis Chriſti ab omni peccato per aſſumptionem, & præſervatio Angeli per perſeverantiæ donum, necnon præſervatio ipſius Deiparæ per ſimile donum à peccatis perſonalibus æquivalent redemptioni quantum ad effectum manendi in gratia: & nihilominus non ſufficit, ut humanitas Chriſti, aut Angelus, aut ipſa Deipara à peccatis perſonalibus verè ſint & dicantur redempti: quid enim abſurdius quàm aſſerere quòd B. Virgo redempta fuerit vera & propria redemptione ab aliquo vel aliquibus peccatis mortalibus perſonalibus, à quibus certiſſimum eſt fuiſſe præſervatam: ergo, &c.

Confirmatur: nam ita verè & propriè debemus ponere Virginem redemptam, ſicut Chriſtum ponimus redemptorem: ſed Chriſtus non fuit redemptor ſolùm per æquivalentiam ad prædictum effectum, ſed propriiſſimè & formaliter: ſicut formaliter & non tantùm per æquivalentiam fuit natus, fuit paſſus, fuit mortuus, &c. igitur Deipara debet eſſe redempta propriè & formaliter, adeoque per redemptionem propriè & formaliter dictam, & non tantùm per æquivalentiam ad ſupradictum effectum. Minor eſt adeo certa, ut oppoſitum eſſet hæreſis vel error in fide. Major verò probatur animadvertendo, Deiparam non utcumque debuiſſe eſſe redemptam, ſed ut primam & principalem redemptorum, adeo ut ob ipſam Chriſtus munus redemptoris aſſumeret, veruſque & formaliſſimus redemptor ex illo munere evaderet quamvis alij redimendi non eſſent, ut ex D. Bernardino Senenſi num. 98. dicebamus: unde in ejus redemptione potiſſimum ſplendere debuit id, ex quo Chriſtus veri & formalis redemptoris lauream & nomenclaturam deſumpſit. Hinc ſuadetur major. Chriſtus non potuit dici verè & formaliter redemptor niſi ex redemptione vera & formali: ſed dictus eſt potiſſimum redemptor, quia redemit Virginem: igitur vel illa operatio fuit erga illam verè & formaliter redemptio, & non ſolùm per æquivalentiam ad effectum ſupradictum, vel Chriſtus non fuit redemptor verè & formaliter, ſed ſolùm per æquivalentiam ad prædictum effectum: quod eſt erroneum & abſurdum. 103. Confirmatur impugnatio.

Diximus *per æquivalentiam ad effectum ſupradictum*, ſcilicet præſervationem totalem Deiparæ à culpa: quia illa præſervatio, quantumvis magnum eſſet beneficium, non æquivaleret omni effectui redemptionis; ſed illi duntaxat, qui eſt reſtitutio gratiæ: ultra quem dantur alij in redemptione, ut ſpecialis manifeſtatio divinæ bonitatis & miſericordiæ in traditione filij pro inimicis & peccatoribus, necnon manifeſtatio divinæ juſtitiæ in rigoroſa & æquali ſatisfactione exhibita pro offenſis: quibus non omnino æquivalet præſervatio à culpa, adeoque etiam hoc modo, ſcilicet per æquivalentiam, non poſſet talis præſervatio dici redemptio adæquata & perfecta, ſed ſecundum quid & inadæquata.

Exemplum medici & medicinæ, quod in evaſione adducitur, nihil præſtat. Tùm quia licèt medica ars extendi valeat etiam ad morbi præſervationem; proprium tamen ejus munus, pro quo conſtituta ſunt medici & medicinæ, & ex quo nomenclaturam deſumunt, non eſt niſi curatio vel ſanatio morbi incurſi: & ita dixit Chriſtus: *Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus.* Unde qui ſolùm ſciret ea media applicare, quibus ſalus habita conſervaretur; non verò quibus amiſſa reſtauraretur, non deberet *medicus* appellari: neque illa media eſſent propriè medicinæ. Sicut non dicuntur propriè tales quotidianus cibus & potus & communia alia media, quibus unuſquiſque utitur ad vitam alendam & conſervandam: neque 104. Diluuntur adducta pro evaſione.

qui

qui talia media ſibi applicat, ob id dicitur *medicus.* Quare ex hoc exemplo ad ſummum poterit deduci, quòd merita perfecti redemptoris extendi valeant etiam ad præſervandum à culpa; non autem quòd proprium redemptoris munus in tali præſervatione conſiſtat: aut quòd ita præſervatus poſſit verè dici *redemptus*: ſicut nec præſervatus à morbo præciſè per hoc poterit dici *curatus*, vel *ſanatus.* Modò autem non quærimus an merita Chriſti Domini potuerint applicari B. Virgini, ut propter illa à peccato in Adamo committendo præſervaretur? ſed an in tali præſervatione proprium redemptoris munus, quod Chriſtus exercuit, reperiretur? Nam dato illo priori, ſi tamen hoc poſterius deficeret, eo ipſo non diceretur verè & propriè redempta.

Doctrina verò & exempla D. Auguſtini potius ſunt pro nobis: ſiquidem loquitur de præſervatione à malo imminenti, cujus adeſt vel debitum vel periculum, ut exempla ipſa declarant. In primo enim ita inquit: *Si medicus videat tibi imminentem ægritudinem ex aliquo labore*, &c. In ſecundo: *Neſcio quis habens cauſam moleſtam mittendus erat in carcere*, &c. In tertio: *Suſpendendus erat debitor, ſolutum eſt pro eo*, &c. Quando autem malum ita eſt ſub debito vel periculo, pro incurſu reputatur; & ideo præſervatio ab illo non incongruè dicitur *liberatio* aut *redemptio.* Secùs verò ubi licèt malum ſit poſſibile; non tamen adeſt periculum vel debitum incurrendi tale malum, ſicut in caſu, de quo loquimur. Quare hæc Auguſtini doctrina optima eſt ad probandum ſufficere ad redemptionem Deiparæ debitum contrahendi culpam originalem, quamvis eam non contraxerit de facto; nequaquam verò id ſuadet ſecluſo debito. Ex quibus omnibus liquet vel teneri adverſarios novum redemptionis officium, novamque rationem & eſſentiam ex proprio marte contra communem ſenſum adinvenire: vel fateri nobiſcum præſervationem Deiparæ à peccato & ejus debito omnino præjudicaturam redemptioni.

§ VIII.

Vltima aſſertionis ratio, & nova impugnatio præcedentis evaſionis?

105. VErùm ne data adhuc fingendi licentia, arbitrentur auctores contrarij poſſe ſecundam noſtram rationem infringere, impugnabimus eorum evaſionem nova ratione, quæ & aſſertionem efficaciter perſuadeat, & omni illorum effugio aditum occludat. Sumitur autem hæc ratio ex illis, quæ num. 6c. prænotavimus: videlicet difficultatem hanc non tam humanis rationibus, aut hujus vel illius particularis auctoris arbitrio & diſcurſu, quàm Scripturæ, Eccleſiæ, & Patrum teſtimoniis aut diffinitionibus eſſe decidendam. Unde in eo ſenſu *redemptionis* voce uti debemus, in quo ipſa Eccleſia & Patres agentes de illa, quæ per Chriſtum facta eſt, communiter utuntur: quicquid ſit an eadem vox, dum ad alia applicatur, aut ex hujus vel illius opinandi licentia, latiorem ſuſtineat acceptionem.

Hinc formatur ſequens ratio & impugnatio præcedentis evaſionis. Redemptio, quam Formatur ratio. fides docet Chriſtum operatum fuiſſe, non eſt niſi redemptio à peccato, ſaltem commiſſo in Adamo, & ab ejus captivitate & ſervitute: ergo niſi Deipara ſub tali peccato, adeóque ſub debito contrahendi originalem culpam fuiſſet comprehenſa, non eſſet redempta per Chriſtum. Conſequentia liquet. Antecedens habetur ex Eccleſiæ diffinitione per Zozimum Zozim. Pap. Pap. cujus verba refert D. Auguſtinus epiſt. August. 157. quæ eſt ad Optatum. Loquens igitur de redemptione Chriſti, ſic ait Pontifex. *Nullus niſi qui peccati ſervus eſt, liber efficitur; nec redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatum fuerit ante captivus.* Subdit verò ipſe Auguſtinus. Ephеſ. 1. *In his verbis Apoſtolicæ ſedis tam antiqua atque fundata certa & clara eſt Catholica fides, ut nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano.* Ergo dicere aliquem eſſe per Chriſtum redemptum, qui antea non fuerit per peccatum ſaltem in Adamo captivus, apertè eſt contradicere Eccleſiæ diffinitioni. ¶ Idem habetur ex illo Pauli ad Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius remiſſionem peccatorum.* Ubi appoſitivè ad *redemptionem* dixit *remiſſionem peccatorum*, ut oſtenderet non aliam eſſe Chriſti redemptionem, niſi peccatorum remiſſionem, adeoque à captivitate, & ſervitute alicujus peccati.

106. August. Idem tradunt ubique ſancti Patres Auguſtinus Pſal. 7c. conc. 2. ſic ait: *Propter primum hominem primi captivi; propter ſecundum hominem ſecundi redempti: nam & ipſa redemptio clamat captivitatem noſtram. Vnde enim redempti, ſi non antea captivi?* Et lib. de pecc. merit. cap. 2?, cum præmiſiſſet: *Quis audeat dicere non eſſe Chriſtum infantium ſalvatorem nec redemptorem?* Subdit ſtatim: *Vnde autem ſalvos facit, ſi nulla in eis eſt originalis ægritudo peccati? Vnde redimit, ſi non ſunt per originalem primi hominis venundati ſub peccato?* Et cap. 24. *Negant illos liberari, qui ſub peccato eſſe nolunt fateri: nam unde liberantur, ſi nulla ſervitute tenentur adſtricti?* Et lib. 3. contra Iulian. cap. 3. cum dixiſſet totam naturam humanam habere neceſſarium Chriſtum redemptorem, ſubdit contra prædictum hæreticum: *Cæterum rogo te, quomodo poteſt intelligi iſta redemptio niſi à malo, redimente illo, qui redimit Iſraël ab omnibus iniquitatibus ejus? Vbi enim redemptio ſonat, intelligitur & pretium. Et quod eſt hoc, niſi pretioſus ſanguis agni immaculati Ieſu Chriſti? De hoc autem pretio quare ſit effuſum, quid interrogamus alium? Redemptor ipſe reſpondeat ſi dicat ipſe mercator: Hic eſt, inquit, ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Pergite adhuc* (proſequitur inſultans hæreticis) *pergite, & ſicut dicitis, in Sacramento Salvatoris baptizantur, ſed non ſalvantur: redimuntur, ſed non liberantur; ſic etiam dicite effunditur pro eis ſanguis in remiſſionem peccatorum, ſed nullius peccati remiſſione mundantur. Mira ſunt, quæ dicitis; nova ſunt quæ dicitis, falſa ſunt quæ dicitis: mira ſtupemus, nova cavemus, falſa convincimus.* Eodem modo loquitur aliis quam pluribus in locis. Si autem redemptio per Chriſtum aliunde eſſe poſſet quàm à captivitate & ſervitute peccati; rationes iſtæ Auguſtini nullam vim haberent, ut intuenti conſtabit

rabit: faciliimè namque occurreret hæreticus, non ſequi, parvulos obnoxios eſſe peccato, ex eo quod indigeant redemptione; quia ſine tali obnoxietate datur vera redemptio per Chriſtum. Igitur ad os illi obſtruendum tenebatur in nullo caſu ſimilem redemptionem admittere.

107. Non minùs ad rem loquitur D. Hieronymus ſuper citatum locum ad Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem*, &c. ubi ſic ait: *Ille redimitur qui captivus eſt, & in hoſtium veniens poteſtate liber eſſe deſivit.* Et inferius: *Quis eſt iſte tantus & talis, qui poſſit pretio ſuo totum orbem redimere? Ieſus Chriſtus filius Dei proprium ſanguinem dedit, & nos de ſervitute eripiens libertate donavit.* Et ſuper illud Galat. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis*, increpat Marcionem, quia ignorans redemptionis proprietatem, verba ſcripturæ in ſuum errorem detorquebat: & ita ait: *Qui ſi intelligeret, quo differret emere & redimere (quia qui emit, alienum emit; qui autem redimit, id emit propriè, quod ſuum fuit, & ſuum eſſe deſivit) nunquam Scripturarum verba ſimplicia in calumniam ſui dogmatis detorqueret. Redemit ergo nos Chriſtus de maledicto legis, quod peccantibus conſtitutum eſt: quos ipſe increpat per Prophetam dicens: Ecce peccatis veſtris venditi eſtis*, &c.

D. Ambroſ. D. Ambroſius ſuper illud 1. Corinth. 1. *Qui factus eſt nobis ſanctificatio & redemptio*, ſic ait: *Redemptio noſtra hæc eſt: obtulit enim ſe Chriſtus diabolo cupienti ut peccatorum in ſe contradictionem ſufferret.* § Similia habet

D. Anſelm. Anſelmus ſuper cit. locum ad Epheſ. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus. Quam (inquit) redemptionem? remiſſionem peccatorum originalium & actualium. Diabolus enim per peccata dominabatur nobis: remiſſis autem peccatis noſtris, amiſit ille malignus Dominium in nobis, & ita peccatis remiſſis facta eſt nobis redemptio.* Et exponens illud: *Per ſanguinem*, ſic dicit: *Id eſt per effuſionem ſanguinis, quia ejus ſanguis innocens effuſus pretium fuit, quo redempti ſumus, & liberati redditi, qui tenebamur captivi.* § De-

D. Gregor. nique D. Gregorius (ut alios omittamus) lib. 18 moral. cap. 22. (aliàs 15.) ita loquitur ad intentum: *Sunt nonnulli, qui dum innocentes ſe aſſerunt & redemptos, hoc ipſum in ſe redemptionis nomen evacuant. Omnis namque qui redimitur, ex aliqua proculdubio captivitate liberatur. Vnde ergo quilibet iſte redemptus eſt, ſi prius non fuit ſub culpa captivus?* En omnes iſti Patres cum Sum. Pontifice Zozimo ne dum non agnoſcunt, ſed apertè negant fuiſſe aliam Chriſti redemptionem niſi à captivitate & ſervitute peccati; aut poſſe aliquem dici per illum *redemptum*, niſi fuerit prius peccato captivus: quare manifeſtè eis contradicit; qui ſub redemptionis voce, agens de ea, quæ per Chriſtum facta eſt, aliud excogitat.

108. Confirmatio rationis. Confirmatur: redemptio facta per Chriſtum eſt illa, per quam ipſe Chriſtus eos,

1. Corinth. 6. quos redemit, emit pretio mortis & ſanguinis ſui, juxta illud 1. ad Corinth. 6. *Empti enim eſtis pretio magno*: & ideo dum ſacra Scriptura commendat prædictam redemptionem, memorat illud pretium, quaſi penes ipſum fuerit vis tota redemptiva, ut 1. Petri cap. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati*, &c. Et Apocal. 5. *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo.* 1. ad Timoth. cap. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis*: atque alibi ſæpe. Et ratio eſt, quia mors & effuſio ſanguinis Chriſti non ob aliud neceſſaria fuit in redemptione, niſi quia neceſſarium fuit pretium ad emendos, quos redimebat, & ad eorum debitum ſolvendum: nam ſicut prædicta redemptio non fuit abſque emptione, ut ex Paulo vidimus; ita intelligi non poteſt ſine pretio & ſolutione. Quocirca D. Auguſtinus cit. cap. 3. ex lib. 3. contra Iulian. cum dixiſſet redemptionem Chriſti non fuiſſe niſi à malo, rectè ſubjunxit verba nuper relata. *Vbi enim redemptio ſonat, ibi intelligitur & pretium: & quod hoc, niſi pretioſus ſanguis agni immaculati Ieſu Chriſti?* Si ergo redemptio, quæ facta eſt per Chriſtum, intelligi non poteſt ſine pretio & emptione; conſequenter nequit intelligi ſine debito ejus, qui redimitur, orto ex peccato; quod in ſe vel in Adamo commiſit. Neque enim (ut in noſtra ſecunda ratione dicebamus) poteſt eſſe emptio niſi reſpectu illius, quod aliquando alienum factum eſt ab emptore, ſcilicet à Deo, à quo nemo alienus fit niſi per peccatum. Neque etiam pretium habet locum, niſi ubi neceſſaria eſt ſolutio; aut ſolutio, niſi ubi adeſt debitum, quod ſolutione compenſetur. Qui verò nihil debet, neque alienum debitum aſſumit, etiam ſi multa largiatur, non dicetur ſolvere, ſed donare. Debitum autem; pro quo Chriſtus pretium illud ſolvit, non potuit eſſe aliud niſi debitum offenſæ irrogatæ Deo per peccatum: ſicut neque alia potuit eſſe obligatio exolvendi tale pretium, niſi obligatio ſatisfaciendi pro prædicta offenſa. Et ideo adjecit idem Auguſtinus ubi ſupra: *De hoc autem pretio quære ſit effuſum? Redemptor ipſe reſpondeat, dicat ipſe mercator: Hic eſt* (inquit) *ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, &c. Et ſerm. 3. de verbis Apoſtoli: *Redolite* (inquit) *captivitatem, ubi ante fuerimus, quando totum mundum velut maſſam infidelium diabolus poſſidebat. Propter hanc captivitatem redemptor advenit, pretium noſtrum ſanguinem ſuum fudit: fuſo ſuo ſanguine captivitatis noſtræ inſtrumenta delevit*, &c.

1. Petr. 1.

Apocal.

1. Timoth. 2.

D. Auguſt.

idem.

Adde communem eſſe Theologorum ſententiam, quòd Chriſtus exercuit opus redemptionis per veram & rigoroſam juſtitiam: cujus ratio intelligi non poteſt ſine vero & rigoroſo debito, veraque & propria ſolutione, ut in eadem ſecunda ratione oſtendimus: quæ ſanè ratio, & quicquid ibi adduximus, ſumunt ex dictis in hoc §. novam efficaciam: dum Scripturæ & Patrum teſtimoniis probatum eſt adfuiſſe in redemptione, quam operatus eſt Chriſtus, omnia quæ ad veram & propriam redemptionem ex communi ejus ratione poſtulantur.

Dices omnia prædicta teſtimonia intelligenda eſſe de redemptione generali & communi, qua Chriſtus cunctos alios redemit, quæ fuit redemptio à peccato vel peccati debito, atque adeo per pretium, emptionem, ſolutionem, &c. non autem de illa ſpecialiori 109.

&

& præſtantiori qua redemit ſolam Deiparam, præſervando illam tam à peccato quam à debito, ut ita non indigeret emptione, ſolutione, aut pretio.

Sed hoc facilè refellitur. Tum quia gratis diſtinguitur duplex genus redemptionis, quorum ſub uno Deipara, & ſub alio cæteri omnes comprehendantur: nam ſicut Chriſtus eandem mortem, candémque ſanguinis effuſionem obtulit pro omnibus à ſe redimendis, ita omnes illos ſub una & eadem redemptione complexus eſt. Tùm etiam quia ſi Chriſtus præter communem & generalem hominum redemptionem operatus fuiſſet aliam præſtantiorem ſpecialem pro Deipara, nequaquam Scriptura illam ſilentio præteriret; imò verò eam potiſſimum manifeſtaret, & commendaret nobis, utpote pro qua Chriſtus primariò & principaliter veniſſet, & mortuus fuiſſet: ſicut primariò & principaliter venit, & mortuus eſt pro B. Virgine redimenda: & pro qua uberiores gratiæ deberent Deo referri, quàm pro communi & generali cæterorum omnium redemptione. Res enim & myſteria adeo maxima, ex quibus ita ingens Dei gloria & divinæ bonitatis manifeſtatio reſultat, Scriptura non tacet, ut in cæteris omnibus conſtat: & ideo evidens ſignum eſt, ea non dari, ſi in tota Scriptura taceantur. Cum ergo nullus ſit locus, ubi hæc ſpecialis Virginis redemptio, prout à communi & generali diſtincta, manifeſtetur aut alicujus, quæ ſit redemptio per Chriſtum, & non ſit à peccatis, mentio fiat; planè convincitur non dari talem redemptionem: & argumentum negativum in hoc caſu æquivalere negationi poſitivæ.

110. Adde, nos & omnes quærentes de Virginis redemptione, de illa ſciſcitari, quam fides docet, & Scriptura manifeſtat; quamque Scriptura ipſa edocti S. Patres & omnes fideles credunt, ſuſpiciunt & venerantur: ſicut enim nulla alia via quam per fidem ex Scripturis Chriſtum redemptorem agnovimus, neque aliter ſciremus Virginem aut aliquem ex poſteris Adami eſſe de redemptorum numero, de quo non ſunt Angeli, niſi quia Scriptura clamat Chriſtum redemiſſe omnes homines, quod non dicit de Angelis: ita nullum aliud redemptionis genus ſive pro ipſa Deipara, ſive pro quovis alio debemus ei tribuere, niſi quod Scriptura manifeſtat: cumque hæc ſit redemptio à peccato vel à peccati debito; vel debent adverſarij Deiparam ſub hujuſmodi debito comprehendere; vel negare illi eam ſaltem redemptionem, quam Eccleſia & fideles ut Chriſti redemptionem agnoſcunt, & pro qua illum colunt & venerantur redemptorem. Maneat igitur quòd niſi Deipara ſub prædicto debito fuiſſet comprehenſa, nequaquam redemptorum numero deberet adſcribi.

§. IX.

Quædam ſententiæ noſtræ adverſa diluuntur.

Primum argumentum. PRæſervationem Deiparæ tam à contractione peccati originalis quàm à debito non præjudicaturam ejus redemptioni, tuentur aliqui neotherici, quos pro ſententia negante prædictum debitum dub. ſequenti adducemus. Eorum verò præcipuum argumentum eſt: quia non repugnat, Deum in ſua æterna præ-deſtinatione taliter decreta diſpoſuiſſe, ut electio Deiparæ fieret ex Chriſti meritis; quamvis non eſſet de numero illorum, qui erant in Adamo peccaturi. Quòd enim hoc repugnet, haud poterit facilè oſtendi: ſemel autem ſuppoſito quòd fuerit poſſibile, non eſt cur negemus contigiſſe ita de facto, cum id cedat in majorem Virginis dignitatem; Eò præſertim quia gratia, quæ hoc modo daretur per Chriſti merita, eſſet gratia redemptiva; ſiquidem talis eſt omnis gratia, quæ confertur ex meritis redemptoris: cum ergo gratia redemptiva ſolùm detur redemptis, ſequitur Virginem in illo caſu futuram eſſe de numero redemptorum.

Hoc argumentum probat unum, quod non negamus; ſed ex profeſſo aſſeruimus dub. præced. videlicet potuiſſe Deiparam de lege abſoluta præſervari, etiam ex meritis Chriſti redemptoris, non ſolùm à contractione culpæ originalis, ſed etiam à debito illam contrahendi, & à peccato Adami, unde prædictum debitum ortum duxit. Nihil tamen amplius probat: unde neque ullo modo convincit eveniſſe ita de facto (de quo agendum eſt dub. ſequenti) quia ſola non repugnantia aut aliqua convenientia ut aliquid ſit, infirmum argumentum eſt ad probandam exiſtentiam ejus de facto: præſertim in iis, quæ ex ſola Dei voluntate dependent. Evidens quippe eſt potuiſſe Deum conferre Deiparæ duplò majorem gratiam, quàm contulit, & facere illam non de ſemine viri, ſed de Spiritu Sancto conceptam, cederétque utrumque in ejus magnam dignitatem: & tamen neque inde neque aliunde probari poteſt eveniſſe ita de facto. Neque etiam quamvis admitteremus fuiſſe in Deipara totam illam præſervationem, quam argumentum intendit; ex eo vel aliunde probabitur prædictam præſervationem potuiſſe cohærere cum vera redemptione; de quo eſt quæſtio. Neque arguens illa aut alia via occurret rationibus, quibus in hoc dubio oppoſitum demonſtravimus. Quin potius neminem adverſariorum de hoc puncto ſollicitari vidimus. Vexant calamos, curam omnem inſumunt, ut oſtendant illud, quod nos ſine controverſia eis concedimus, & dub. præced. aſſeruimus, potuiſſe ſcilicet Deum, etiam intuitu meritorum Chriſti, præſervare Deiparam à prædicto debito: an verò talis præſervatio fuiſſet, vel non fuiſſet redemptio, aliqui omittunt, aliqui perfunctoriè tangunt, nemo id probat: cum revera iſte ſit difficultatis cardo, & cui præcipuus labor deberet incumbere, ut magis conſtabit dub. ſequenti. 111. Solutio.

Quod verò dicitur illam præſervationem fore gratiam redemptivam, ſolùm eſt verum materialiter, quatenus eſſet gratia conceſſa ex meritis illius, qui aliàs eſſet redemptor; non autem formaliter: quia non eſſet gratia redimens ſuppoſitum, cui donabatur, neque ex meritis redemptoris talis ſuppoſiti: & ideo nec Chriſtus ex vi illius gratiæ, ſi alios non redimeret, poſſet dici *redemptor*. Similiter cum dicitur, gratiam redemptivam ſolùm tribui

bui redemptis, verum eſt de gratia redemptiva formaliter modo explicato. An verò de facto ita contigerit, ut Chriſtus ſolùm meruerit pro redemptis, neque ad gratiam Angelorum vel hominis in primo ſtatu influxus ejus meritorius ſe extenderit, adeoque talis gratia etiam materialiter modo dicto non fuerit redemptiva (licèt in genere cauſæ finalis ſicut omnes aliæ creaturæ Chriſtum reſpexerit alia quæſtio eſt, quam ſ.p. examinabimus, cuique doctrina præſentis dubij rationes non infirmas ſuppeditabit.

112. Secundum argumentum.

Secundo probari poteſt hæc opinio: quia ratio redemptionis ſufficienter ſalvatur in præſervatione à malo, quod redemptus, ſi non præſervaretur, incurreret: ergo ut Deipara dicatur redempta à peccato Adami, ſatis eſt quòd per excluſionem à pacto fuerit præſervata, ne peccatum illud in ipſo Adamo committeret. Conſequentia videtur nota. Antecedens verò ſuadetur primò ex illo Pſal. 143. *Qui redemiſti David ſervum tuum de gladio maligno*, &c. ubi David ſe confitetur redemptum de gladio Goliath, non quia in illum inciderat; ſed quia incideret, niſi divina cuſtodia protegeretur. Et Paul. 85. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*: vel ut vertunt alij: *redemiſti*. Quod non ideo dicit David, quaſi jam deſcendiſſet in infernum; ſed quia deſcenderet, niſi divina miſericordia fuiſſet præſervatus. Sufficit ergo hujuſmodi præſervatio ad rationem redemptionis. ¶ Secundo ſuadetur ex D. Dionyſio cap. 8. de divin. nomin. ubi aſſignat duplicem modum ſalvationis factæ à Deo: primum, in quantum omnia creat & conſervat: ſecundum, in quantum eripit à malis, non permittens exiſtentia cadere in nihilum & hoc etiam appellat *liberationem*. Quod autem vocatur *ſalvatio*, & *liberatio*, etiam poteſt vocari *redemptio*: atque adeo ſufficit ad iſtam præſervatio à malis. ¶ Tertiò ex D. Bernardo ſerm. 22. in Cant. ubi Chriſtum vocat redemptorem Angelorum, non quia illos à peccatis commiſſis erexerit, ſicut erexit homines; ſed quia tenuit ne caderent. *Qui erexit* (inquit) *hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur; ſic illum de captivitate eruens, ſicut hunc à captivitate defendens: & hac ratione fuit æquè utrique redemptio, ſolvens illum, & ſervans iſtum.* Ex doctrina igitur Bernardi æquè poteſt dici *redemptio* præſervatio à peccato committendo, atque ereptio à commiſſo.

Pſal. 143. — Pſal. 85. — D. Dionyſ. — D. Bern.

Confirmatio.

Confirmatur: nam Chriſtus per ſuam mortem & ſuum meritum operatus eſt ad ſalutem & gratiam Angelorum: igitur fuerunt per illum redempti. Conſequentia ex eo conſtat, quia quiſquis particeps eſt meritorum & mortis Chriſti, eſt etiam particeps redemptionis. Antecedens verò habetur ex illo ad Epheſ. 1. *Propoſuit inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in Cælis, & quæ in terra ſunt.* Et ad Coloſſ. 1. *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in Cælis, ſive quæ in terris*, &c. Quæ teſtimonia neceſſariò intelligenda ſunt de Angelis, cum in cœlo homines tunc non eſſent. Ergo iſti fuerunt per Chriſti mortem inſtaurati & pacificati, adeóque redempti.

Epheſ. 1. — Coloſſ. 1.

Confirmatur ſecundò: ibi datur effectus redemptionis Chriſti, ubi datur remiſſio peccatorum: nulli enim Deus peccata dimittit niſi ex Chriſti meritis: ſed ut peccata dicantur remitti, non eſt neceſſe, quòd fuerint de facto commiſſa, vel contracta, imò nec contrahi debita; ſed ſufficit, quòd committenda eſſent, niſi Deus ab illis præſervaret: igitur ut B. Virgo dicatur redempta à culpa originali, ſatis eſt, quòd fuerit præſervata, ne illam, vel ejus debitum incurreret. Minor, in qua ſola eſt difficultas, traditur à D. Auguſtino lib. de diligendo Deo cap. 12. ubi ait: *Non ea ſola, quæ commiſi, peccata, ſed etiam quæ, te protegente, non commiſi, totum à te dimiſſum deputandum eſt.* Ecce ergo peccata nondum commiſſa, dicuntur à Deo dimitti, quia præſervavit ab illis, ne committerentur.

113. Solutio argumenti quoad primam probationem.

Reſpondetur ad argumentum negando antecedens, loquendo, ut loquimur, de vera & propria redemptione. Et ad primam probationem dicendum eſt, teſtimonium ex Pſalm. 143. (ſive intelligatur de gladio Goliath, ut aliqui volunt; ſive ut alij, de gladio Ieſbibenob, qui fuit de genere Araphæ, cujus ferrum haſtæ trecentas uncias appendebat, & accinctus erat enſe novo, nixuſque eſt percutere David, ut narratur 2. Reg. 21.) potius eſſe pro nobis quàm contra nos: quia utrobique fuit David in proximo mortis periculo: unde quia hujuſmodi periculum æquivalet debito; ideo ex hoc loco ſolùm colligitur ſufficere ad redemptionem debitum incurrendi malum. Quod libenter admittimus: ſic enim rectè defenſabitur B. Virginem fuiſſe redemptam propter debitum originalis culpæ, quamvis illam non incurrerit de facto. Circa ſecundum teſtimonium ex Pſalm. 85. aliqui, ut Euthymius, dicunt David appellaſſe *infernum inferiorem* adulterium Bethſabée, juxta illud Proverb. 22. *Fovea profunda os alienæ*, &c. Alij cum Genebrardo intelligunt maxima pericula, à quibus Deus diverſis temporibus David liberaverat. Et alij mortem intentatam ei à Saule, per quem deſcenderet in infernum inferiorem, id eſt, in foveam ſepulchri. Quicquid vero horum dicatur, locus nobis non officit: quia in omnibus ſaltem adfuit magnum periculum ejus mali, à quo David dicitur ereptus ſeu redemptus. Ubi verò neque malum ipſum neque debitum vel periculum adfuit, nuſquam invenitur uti Scriptura verbo aut nomine *redemptionis*. ¶ Adde, non ex eo quod præſervatio à malo futuro vel poſſibili alicubi *redemptio* diceretur, debere ſumi argumentum contra nos: quia talis loquutio ſolùm eſſet metaphorica & impropria: nos autem loquimur de redemptione verè & propriè dicta, & de illa, quam Scriptura docet Chriſtum operatum fuiſſe, quæ determinatè fuit redemptio à peccatis commiſſis in ſe vel in Adamo, ut § præced. vidimus.

Proverb. 22.

Ad ſecundam probationem.

Ad ſecundam probationem, quæ eſt Dionyſij, reſpondetur ex ejus verbis conſtare ipſum non loqui de ſalvatione, quæ ſit propriè redemptio: ſiquidem ita appellat conſervationem omnium rerum, ne abeant in nihilum; quam nemo dicet eſſe veram redemptionem aut ſalvationem: aliàs diceremus Solem, lunam, ſtellas, lapides, prata, & id genus alia eſſe verè ſalvata & redempta,

Digitized by Google

quia in ſuo eſſe conſervantur ; quod eſt abſurdum : præſertim loquendo de redemptione & ſalbatione facta per Chriſtum.

124. Similiter dicendum eſt ad tertiam probationem ex Bernardo : nam etiam loquitur de redemptione largè & impropriè accepta. Non enim negandum eſt licuiſſe Patribus uti aliquando vocabulis in acceptione lata & impropria : præſertim quando non tam rerum quiditates aut fidei dogma more ſcholaſtico ſtabilire aut declarare intendebant, quàm concionatorio ſtylo omnem pium cogitatum ad affectum excitandum exprimere ſatagebant ; talémque adhibebant explicationem, ut non poſſet ex verbis eorum error ſuboriri : uti accidit Bernardo in prædicto ſermone. Cum enim legiſſet ex Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 1. quòd *Chriſtus factus eſt nobis ſanctificatio & redemptio*, vim fecit in illa particula *factus eſt nobis*, quaſi innuiſſet Apoſtolus, illum etiam ante incarnationem redemptionem fuiſſe non nobis, ſed Angelis, per ipſam verò incarnationem nobis redemptionem factum fuiſſe : cum autem exponere vellet, qualiter Angelis potuerit eſſe redemptio ; premeretúrque in contrarium nomine ipſo *redemptionis*, quod propriè acceptum dicit extractionem à captivitate peccati, quæ in Angelis non fuit ; recurrit pro evadenda difficultate ad impropriam & latam acceptionem, juxta quam, ipſa præſervatio à peccato poſſibili, quæ in Angelis bonis fuit, propter aliqualem cum redemptione ſimilitudinem, poteſt utcumque appellari *redemptio* : ut cum D. Thomam vocamus Angelum, & D. Tereſiam vocamus Seraphim, propter aliquam cum eis ſimilitudinem : quod omnes accipiunt in ſenſu metaphorico & improprio. Fuítque ſatius D. Bernardo prædicta ſimilitudine & improprietate uti, quàm ſuum pium illum cogitatum non proſequi. Neque obſtant illa verba : *Et hac ratione fuit æquè utrique redemptio, ſalvans illum & ſervans iſtum* : quia adverbium *æquè* non appellat ſupra ly *redemptio*, quaſi fuerit æqualiter redemptio illa, quæ dicitur de Angelo, atque illa, quæ dicitur de homine ; ſed appellat ſupra ly *utrique*, ut ſit ſenſus, tam uni quàm alteri fuiſſe Chriſtum redemptionem ; unicuique tamen ſuo modo ; ſcilicet ſolvendo hominem & ſervando Angelum, adeóque illi propriè, & iſti impropriè.

1. Cor. 1.

125. Porrò hunc & non alium fuiſſe ſenſum melliflui Doctoris ; imò in ipſo ſuo diſcurſu veritatem noſtræ ſententiæ tenuiſſe, colligitur ex ejus verbis integrè acceptis, quæ ita ſe habent : *Quomodo ergo in principio erat Verbum, ſed verbum erat apud Deum, factum eſt autem quatenus eſſe inciperet & apud homines : ſic nihilominus in principio ſapientia erat, erat juſtitia, erat ſanctificatio & redemptio ; ſed Angelis ut eſſet & hominibus, fecit eum hac omnia pater. Denique qui factus eſt, inquit, nobis ſapientia à Deo. Et non ait ſimpliciter, qui factus eſt ſapientia ; ſed qui factus eſt nobis ſapientia, quoniam quod erat Angelis, factus eſt & nobis. At Angelis, inquis, quomodo redemptio fuerit non video. Nec enim auctoritas Scripturarum uſpiam aſſentire videtur, eos aliquando aut peccato extitiſſe captivos, aut morti obnoxios, ut neceſſariam haberent redemptionem, exceptis dumtaxat illis, qui ſuperbia lapſu irremediabili corruentes redimi deinceps non merentur. Si itaque Angeli nunquam redempti ſunt, alij utique non egentes, alij non promerentes : illi quidem quia nec lapſi ſunt, hi autem quia irrevocabiles ſunt ; quo pacto tu dicis Dominum Ieſum Chriſtum eis fuiſſe redemptionem? Audi breviter. Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur, ſic illum de captivitate erans, ſicut ſunt à captivitate defendens. Et hac ratione fuit æquè utrique redemptio, ſolvens illum & ſervans iſtum*, &c. Ubi, ut cernis, ſupponit Bernardus eſſe de ratione redemptionis, quòd redimendus præcedat captivus peccato, vel ejus captivitati obnoxius : ex cujus defectu ſupponit etiam, vel potius aſſerit Angelos ſive bonos ſive malos non fuiſſe redemptos. Ne verò hoc ſuo cogitatui contrariari videretur, aut ex ejus verbis argumentum contra veram redemptionem ſumeretur, explicuit mentem ſuam dicens ſe per redemptionem, de qua ibi loquebatur, ſolùm intelligere præſervationem : quatenus propter ſimilitudinem, quam diximus, poteſt utcumque *redemptio* nuncupari. Ex quo diſcurſu ſatis liquet non poſſe ſumi argumentum contra nos, dum agimus de vera & propria redemptione. Nec quia Bernardo concionatorem agenti ſic loqui licuit ; nobis res theologicè examinantibus etiam licebit : quia non omnia poſſumus omnes.

D. Bernard.

Adde, ex contextu & verbis Bernardi manifeſtè conſtare ipſum non loqui de redemptione facta per Chriſtum hominem, & per ejus mortem & ſanguinem in medio temporum, quæ ſola in Eccleſia accipitur & adoratur ut vera redemptio, & de qua eſt ſermo in præſenti. Sed loquitur de Chriſto ut in principio & ante incarnationem erat Verbum apud Patrem, & ut ſic ratione divinitatis operatus eſt ab initio mundi Angelorum juſtificationem, præſervationem, & glorificationem. Id ſatis oſtendunt illa verba, *Quomodo in principio erat Verbum*, &c. *Sic in principio ſapientia erat, erat ſanctificatio & redemptio : ſed Angelis*, &c. Quocirca idem S. Doctor ſerm 1. de Circumciſ. cum dixiſſet, eundem (ſcilicet Chriſtum) eſſe Angeli & hominis ſalvatorem, addidit : *Sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Nemo autem dixit, Verbum ante incarnationem fuiſſe verè & propriè redemptorem : ſicut nemo id dixit de Patre aut Spiritu ſancto, quibus ante illam omnia officia ad extra erant communia. Quare ex prædicto loco neque habetur Chriſtum verè & propriè redemiſſe Angelos, neque illis gratiam & gloriam meruiſſe, cum nullum horum potuerit exercere niſi peracta incarnatione.

Ad confirmationem reſpondetur, varias eſſe utriuſque illius loci expoſitiones, alienas tamen ab intentu arguentis Adducemus aliquas ex D. Anſelmo, quæ ex aliis Patribus deſumuntur. Sic ergo exponit citatum locum ad Coloſſenſ. *Pacificans per ſanguinē crucis ſive ea quæ ſunt in Cælis, ſive ea quæ ſunt in terris*, 116.

Solutio confirmationis.

D. Anſelm.

q

terris, id eſt, Angelos & homines. Qua enim hora ſanguis redemptionis exivit de latere Domini in cruce pendentis, dimiſſum eſt peccatum Adæ humano generi, & pacificata ſunt cœleſtia & terreſtria, quia tunc patuit hominibus introitus in regnum cœlorum. Magna enim diſcordia ſeparabat homines & Angelos, quia nemo tam ſanctus erat, ut in conſortium Angelorum ſuſciperetur; ſed omnes ad infernum propter culpam primi hominis deſcendebant. Morte autem Chriſti pax tanta inter homines & Angelos effecta eſt, ut nunc animæ juſtorum cum de corporibus exeunt, mox penetrent cœlos gaudentibus Angelis. Vel pacificata ſunt Deo per Chriſti ſanguinem, ſive ea quæ ſunt in cœlis, id eſt, animæ Sanctorum, quæ jam ſunt in regno cœlorum, & olim diſcordabant à Deo per ſuam vel protoparentis culpam: ſive ea quæ ſunt in terris, id eſt electi, qui adhuc peregrinantur in exilio.

Idem. Super locum verò ad Epheſ. inter alia hæc habet: *In eo quippe inſtaurantur* (id eſt in Chriſto) *quæ in cœlis ſunt, cum id quod inde ex Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur: in ipſo inſtaurantur & quæ in terris ſunt; cum ipſi homines, qui prædeſtinati ſunt in vitam æternam, à corruptionis vetuſtate renovantur. Inſtaurantur quæ in cœlis ſunt, dum illuc humiliati homines redeunt, unde apoſtatæ Angeli ſuperbiendo ceciderunt: inſtaurantur & quæ in terris ſunt, dum peccatores ad juſtitiam convertuntur.* Pluraque alia proſequitur ſatis ad intentum noſtrum, quæ brevitatis cauſa omittimus. ¶ Addimus verò ex D.Thoma ſuper eundem locum ad Epheſ. hæc pauca: *Inſtaurare omnia, quæ in cœlis ſunt, id eſt Angelos: non quod pro Angelis mortuus ſit Chriſtus; ſed quia redimendo hominem, reintegratur ruina Angelorum.* (D.Thom.)

Ad ſecundam confirmationem reſp. negando minorem: peccata enim nondum commiſſa nequeunt eſſe remiſſionis materia, ſicut neque abſolutionis, aut confeſſionis. Neque urget probatio. Tùm quia liber ille *de diligendo Deo* cum aliis, qui habentur in appendice tom. 9. non eſt D. Auguſtini, ut oſtendit titulus illius appendicis, qui eſt hujuſmodi: *Appendix tomi noni, continens ea, quæ conſtat B. Auguſtini non eſſe*, &c. Ob idque in ultima & optima editione anni 1614. illi tractatus tanquam ſpurij, & illegitimi diverſo & minori charactere notantur. Tùm etiam, quia quicunque illius libri auctor ſit, non dicit abſolute eſſe ſibi dimiſſa peccata, à quibus fuit omninò præſervatus; ſed deputanda eſſe cum dimiſſis, & quaſi pro dimiſſis Deo gratiæ reddendæ: quatenus non eſt minus ejus beneficium, cum præſervat à peccatis, ne committantur, quam cùm dimittit illa, quæ commiſſa jam ſunt. Ex hoc autem nullatenus deducitur prædicta peccata eſſe verè remiſſibilia, aut veram materiam redemptionis.

§. X.

Proponitur & diluitur ultimum argumentum.

Tertiò poteſt argui pro prædicta ſententia objiciendo, quia ex noſtra ſequitur non 117
ſufficere ad redemptionem Deiparæ ſolum debitum culpæ originalis; ſed requiri etiam actualem contractionem: hoc autem non eſt à nobis concedendum: ergo, &c. Sequela probatur, tum quia ut B. Virgo verè & propriè dicatur redempta per mortem Chriſti, debet de illa verificari, quod fuerit aliquando peccatrix, & quòd fuerit per peccatum mortua, ſerva & captiva: teſtimonia enim Scripturæ & Patrum, quæ adduximus, abſolutè dicunt Chriſtum ſolùm mortuum fuiſſe pro mortuis, pro peccatoribus, pro captivis: ſi autem B. Virgo de facto non incurrit peccatum, non eſt verum fuiſſe aliquando peccatricem, mortuam, aut captivam; ſed ſemper juſtam, ſanctam, viventem, & liberam per gratiam: neque enim ſolum debitum abſque peccato has impedit denominationes, aut illas tribuit. Tum etiam, quia redemptio prout à nobis deſcripta fuit, importat emptionem ejus, qui redimitur, atque adeo ſupponit fuiſſe aliquando non ipſius redemptoris: ſi autem Deipara non contraxit peccatum, ſed ſemper fuit in gratia, quamvis habuerit debitum, ſemper fuiſſet ipſius redemptoris, nunquam ab eo aliena: à quo ſolùm alienam faceret peccatum: ergo, &c.

Præterea terminus *à quo* redemptionis non poteſt ſtare ſimul cum termino *ad quem*: ſicut neque in aliis mutationibus coexiſtere poſſunt prædicti termini: unius enim generatio eſt alterius deſtructio, ſed gratia aut *eſſe liberum per illam*, qui eſt terminus *ad quem* redemptionis Chriſti, ſtat ſimul cum prædicto debito, ſolum enim peccatum per gratiam excluditur: ergo hoc & non illud debet eſſe terminus *à quo* prædictæ redemptionis. ¶ Ad hæc, ut aliquis reſurgat, non ſufficit debitum moriendi, niſi de facto præceſſerit mortuus: ergo neque ut redimatur, ſufficit debitum incurrendi peccatum vel captivitatem, niſi de facto illa incurrerit.

Denique argumenta & rationes, quæ ex Auguſtino deprompſimus, non tantùm procedunt de debito contrahendi peccatum originale, ſed etiam de actuali contractione: niſi enim de hac procederent, non cogerent Iulianum & alios Hæreticos, in quos fulminabantur, fateri in parvulis prædictam contractionem, ſed debitum dumtaxat: quod quàm ægrè ferret Auguſtinus, cuilibet legenti conſtabit. Eò præſertim quia Iulianus non omnino negabat parvulis peccati debitum, cum fateretur illos peccaſſe in Adamo; ajebat verò eos ſufficienter mundari per Baptiſmum ſuorum parentum; ne in propriis perſonis peccatum contraherent: neque idcirco Auguſtinus ejus poſitioni ullatenùs acquieſcebat: ergo vel prædictæ rationes nimium probant; vel non debent ad Virginem, cui ſolum tribuimus debitum, extendi.

Pro ſolutione hujus objectionis recolenda ſunt, quæ diximus dub. 1. circa debitum 118
illius, qui cum peccaſſet in Adamo, juſtifica-

retur in primo inſtante conceptionis; éſtque præ oculis habendum: quid prædictum debitum tam intriſecum quàm extrinſecum importet Ex ibidem ergo dictis reſpondetur negando ſequelam. Ad primam verò probationem dicendum eſt ſufficere ad veram & propriam redemptionem, quòd Deipara fuiſſet peccatrix, mortua, & captiva in Adamo, quamvis in ſe ipſa ſolum habuerit debitum & obnoxietatem horum defectuum. Nam ſicut peccatum commiſſum ab Adamo verè fuit noſtrum, neſque prout eramus in eo, verè illud commiſimus, ac ratione illius manſimus ex tunc (etiam ſi in nobis non haberemus eſſe) peccatores, mortui, & captivi: ita ſi Virgo nobiſcum in illo fuit, prædictúmque peccatum ibi cum cæteris commiſit; manſit idem peccatrix, mortua, & captiva per tale peccatum; quamvis in ſe ipſa, atque adeo abſolutè loquendo, nunquam fuerit ſub prædictis denominationibus. Hoc autem ſufficit ad verificandas ſine improprietate locutiones Scripturæ & Patrum, dum aiunt Chriſtum ſolùm mortuum fuiſſe pro peccatoribus, pro mortuis, pro captivis, &c Sufficienter namque, etiam in rigore proprietatis, verificantur prædictæ loquutiones de peccato, morte, & captivitate in Adamo, dummodo in illo fuerit verum peccatum, vera mors animæ, & vera captivitas; ſicut fuit de facto.

Ad primam argumenti probationé.

119 Dices: eo modo dicitur aliquis *redemptus*, ſicut fuit *captivus*: ergo ſi B. Virgo non in ſe, ſed ſolùm in Adamo fuit ſub peccato & captiva, in illo & non in ſe habebit eſſe redempta. ¶ Reſpondetur antecedens non tenere in omnibus; minùs verò in hoc quod eſt dici *redemptum in alio* eum, qui in alio fuit captivus. Omnes enim captivi fuimus in Adamo, & nemo noſtrum fuit in illo redemptus. Vt ergo Deipara verè ſit & dicatur in ſe ipſa redempta, ſufficit ut connotato quòd fuerit captiva in illo, recipiat in ſe ipſa redemptionem, ſeu ejus primarium effectum, qui eſt gratia & remiſſio illius peccati, quod in Adamo commiſit Denominatio enim *redempti* non ſumitur in recto à termino *à quo* redemptionis, qui eſt captivitas; ſed à termino *ad quem*, qui eſt prædicta gratia & remiſſio, ut connotat prædictum terminum *à quo*. Et ideo quicunque in ſe recipit hujuſmodi terminum, qualitercunque fuerit ſub illo alio, dicitur cum proprietate & rigore *redemptus in ſe*.

Replica. Diluitur.

Ad ſecundam probationem reſpondetur ſufficere ad emptionem, quam redemptio includit, quòd ille, qui redimitur, factus fuerit in alio alienus à redemptore: nam eo ipſo eſt ibi opus pretio & emptione, ratione cujus ubi primò accipiat *eſſe* in ſe, trahatur ad ipſum redemptorem, & non maneat alienus & extraneus; uti maneret, ſi non eſſet, qui pro eo ſolveret. Potéſtque hoc explicari: nam quemadmodum redemptio ex eo quòd importat emptionem, prærequirit alienationem illius, qui redimitur; ita ex eo quòd eſt emptio iteratò facta, poſtulat ut redimendus fuiſſet proprius, priuſquam fieret alienus: ſicut enim nullus emit, quod ſuum ſemper eſt; ita nullus redimit, quod ſuum nunquam fuit; ſed quod ſuum fuit, & ſuum eſſe deſivit: ſicut ergo ad noſtram redemptionem ſufficit, quòd redimendus fuiſſet Dei proprius non in ſe, ſed in Adamo, qui pro omnibus juſtitiam originalem & gratiam adoptantem in Dei filios accepit; ità ſufficiet, quòd in illo factus ſit alienus per amiſſionem prædictæ gratiæ & juſtitiæ.

Occurritur ſecundæ probationi.

120 Ad tertiam probationem dicas, terminum *à quo* redemptionis Deiparæ non importare ſolum illud debitum phyſicum intrinſecum, quod à num. 37. diximus poſſe ſimul eſſe cum gratia in inſtante conceptionis; ſed etiam debitum extrinſecum ſeu morale, quod importat offenſam Dei non ſatisfactam neque remiſſam, & peccatum actuale Adami non retractatum, juxta dicta num. 16. & à numer. 41. Hoc autem poſterius debitum (quicquid ſit de illo primo) ſolùm permanſit uſque ad inſtans conceptionis & ſanctificationis Deiparæ excluſivè, in illo verò iam non fuit, ſed deſivit per primum *non eſſe*: & ita nunquam terminus *ad quem* redemptionis fuit ſimul cum termino *à quo* adæquato. Aliquid verò hujus termini, ſcilicet illud prius debitum intrinſecum, non inconvenit adeſſe ſimul cum termino *ad quem* pro illo inſtante: quia non eſt neceſſe, ut totus terminus *à quo* ſimul deſinat, adveniente termino *ad quem*, ita ut pro nulla duratione aliquid ejus remaneat: ut in multis aliis mutationibus cernere licet.

Occurritur tertiæ.

Ad illud, quod additur, reſpondetur, quòd ſi debitum moriendi includeret aut ſupponeret iam mortem, ſaltem in alio (quod licèt in corporalibus non eveniat, in ſpiritualibus tamen non repugnat) ſufficeret ad reſurrectionem. Et ita contingit in noſtro caſu: nam debitum contrahendi peccatum & captivitatem in propria perſona, includit vel ſupponit peccatum & captivitatem ejuſdem perſonæ in Adamo: & ideo habet quicquid ad redemptionem requiritur Ratio verò eſt, quia redemptio noſtra facta fuit per modum ſolutionis & ſatisfactionis ex juſtitia, & ita illud debitum requiritur & ſufficiet ad illam, quod eſt juſtitiæ materia; egétque, ut extinguatur, ſolutione & ſatisfactione. Hoc autem totum habet debitum, de quo agimus: quia ratione peccati Adami, & ratione offenſæ irrogatæ Deo per illud, tenentur omnes poſteri debito juſtitiæ ad exhibendam ſatisfactionem pro tali offenſa. Sempérque intelliguntur ſub hoc debito, ſive ſint iam in ſe ipſis, ſive prout in ſuis cauſis repræſentantur, donec per Chriſti merita conferatur eis gratia redemptiva, per quam remittitur illis prædicta offenſa.

121 Ad ultimam probationem ex Auguſtino reſpondetur, ejus rationes ex vi formæ ſolùm procedere de contractione peccati originalis in ſe vel in ſuo debito, non qualicunque, ſed pertingente uſque ad ipſum puerum, quando actu concipitur: ita ut non tantùm in Adamo vel in aliis parentibus, ſed etiam in ſua propria perſona dici poſſit obnoxius tali peccato Hoc enim ſufficit & requiritur, ut verificentur illæ Auguſtini locutiones, quòd Chriſtus non eſſet mortuus niſi

Diluitur ultima probatio.

Digitized by Google

niſi pro mortuis, pro peccatoribus, pro juſtis, &c. Quia ſicut quod prope eſt ad actum, nihil ab actu differre videtur, ut communiter dici ſolet: ita quod adeo propè accedit ad mortem, ad peccatum, & ad injuſtitiam, ſicut in debito omnino proximo & immediato, poteſt ſufficienter inter mortuos, peccatores, & injuſtos computari. Et quia Pelagiani fateri tenuebant omnes parvulos naſci ſeu concipi ſub prædicto debito proximo, putantes illos, qui ex parentibus baptizatis oriebantur, ſufficienter ab eo & à peccato liberari per baptiſmum ipſorum parentum; ideo rationes Auguſtini apertè contra eos militant. Secùs verò contra Catholicos, qui etſi negent Deiparam contraxiſſe ipſum peccatum originale in ſua propria perſona; aſſerunt tamen fuiſſe ſub debito illius proximo & immediato, adeòque obnoxiam & obligatam in ſe ipſa tali peccato contrahendo. Unde hæc objectio militat directè contra modum dicendi, qui inferiùs impugnabitur, concedens Deiparæ ſolum debitum extrinſecum ſiſtens in Adamo vel in aliis parentibus, & ad perſonam Virginis non pertingens: nequaquam verò procedunt contra aſſertionem hujus dubij, aut contra ejus probationes.

Adde, intentionem Auguſtini potiſſimum fuiſſe oſtendere, in omnibus poſteris Adami neceſſariam eſſe gratiam per Chriſtum in ſuis propriis perſonis receptam, ut à peccato originali liberentur: quam neceſſitatem Pelagiani ſaltem pro aliquibus negabant: ad eam autem perſuadendam ſufficit debitum peccati, ut à nobis expoſitum: quia eo ipſo quòd omnes ſub tali debito concipiantur, nequeunt non etiam ipſum peccatum de facto incurrere, & in eo permanere; niſi per Chriſti gratiam in ſe ipſis receptam ab illo liberentur.

122. Obſervatio. Diximus rationes Auguſtini ex vi formæ hoc ſolùm concludere: quia ratione materiæ etiam probant, omnes poſteros Adami (dempta Deipara) contrahere de facto ipſum peccatum originale. Et ratio eſt, quia debitum iſtud immediatum & proximum, ſub quo omnes debent concipi, infert ex natura rei ipſum peccatum in eodem inſtante, niſi ſpeciali Dei privilegio tunc gratia infundatur, quæ illius reſultantiam impediat. Hujuſmodi autem privilegium fuiſſe conceſſum Deiparæ non negaret Auguſtinus, cum nulli Scripturæ teſtimonio contradicat, ſintque plura argumenta ad illud perſuadendum. Concedi verò cæteris parvulis aut alicui eorum, neque Hæretici intendebant, neque ulla via probare poſſent. Unde exceptio Deiparæ ab actuali contractione peccati neque ratione materiæ neque ratione formæ elidit argumenta Auguſtini: elideret autem exceptio illius à debito, & etiam ſuo modo exceptio aliorum ab ipſo peccato.

Per quod patet ad illud, quod additur in eadem probatione. Fatemur enim non ſufficere ad intentum Auguſtini, quòd omnes ſine exceptione in Adamo peccaverint, ut etiam Iulianus admittebat; ſed requiri ut omnes ſine exceptione actu dum concipiuntur, obnoxietatem peccati originalis contrahant: ſive hæc obnoxietas ſecum trahat ipſum peccatum, ut trahit neceſſariò in omnibus, qui ſpeciali privilegio & infuſione gratiæ ab eo non præſervantur: ſive non trahat, ut in Deipara, quæ prædicto privilegio & gratia ab eo immunis evaſit. Hæc tamen omnia dubiis ſequentibus magis elucidabuntur.

DVBIVM IV.

Vtrum Beatiſſima Virgo Maria habuerit debitum contrahendi culpam originalem?

123. EX iis, quæ initio præcedentis dubij animadvertimus, & ex aliis, quæ in toto illo diſcurrimus circa neceſſitatem debiti ad effectum redemptionis, credimus manere ſufficienter declaratum, quid ſub eo nomine veniat in præſenti. Nam ſermo eſt de debito neceſſario & ſufficienti, ut B. Virgo verè & propriè dici poſſit *redempta*. Adeoque relegandum eſt ab hac controverſia debitum illud ingrediendi pactum Adami vocatum *debitum debiti*, ſeu *debitum remotum*: & quia non eſt verum debitum, ſed chimæricum & fictum: & quia ejus inſufficientiam (gratis adhuc admiſſi) in ordine ad prædictum effectum jam efficaciter convincimus. Procedit ergo dubium de debito proximo, ſeu quod conveniat Virgini, eo quòd peccaverit in Adamo: ſive in iſto debito comprehendas totum id tam intrinſecum quàm extrinſecum, tam phyſicum quàm morale; quod dub. 1. num. 1. & num. 1. ſub eo incluſimus: ſive ſolùm debitum extrinſecum vel morale, quod licèt duraverit uſque ad inſtans conceptionis excluſivè: in illo tamen jam non fuerit; ac proinde neque ipſam Virginis perſonam in ſe ipſa intrinſece affecerit: quod poſtea num. 117. examinabitur. Quare noſter modus inquirendi ferè coincidit cum eo, quo alij utuntur, *An B. Virgo peccaverit in Adamo ſicut cæteri hujus poſteri? ſeu an Adamus pro illa ſicut pro cæteris peccatum ſuum commiſerit?* ¶ Diximus *ferè coincidit*, &c. quia unus vel alter ex iis etiam, qui Deiparæ tribuunt prædictum debitum proximum, renuunt abſolutè concedere, quòd peccaverit in Adamo: ſicut & quidam alij, qui hoc fatentur, negant debitum illic contractum pertigiſſe uſque ad inſtans conceptionis etiam excluſivè. In quo an conſequenter loquantur, inferiùs conſtabit.

§. I.

Pars negativa cum ſuis fundamentis.

124. PLaudi cœpit noſtra tempeſtate novella opinio quorundam Theologorum, qui vel ex zelo & ardore erga honorem Deiparæ (ut par eſt credere) vel etiam ut piam ſententiam de præſervatione illius à labe originalis culpæ efficaciùs perſuadeant: & (ut ajunt) omni ex parte ſartam tectamque tueantur: atque etiam ut hac via ad ſtatum proximæ diffinibilitatis, quò omnium collineant vota, celeriùs, ſecuriùſque perducant;

negant B. Virginem peccaſſe cum cæteris in Adam, aut traxiſſe commune debitum incurrendi in propria perſona culpam originalem. Hujus opinionis auctor cenſetur ab aliquibus *Ambroſ. Catherin.* Ambroſ. Catherinus opuſc. de peccato orig. cap. ult. licèt immeritò, ut conſtabit infra num. 151. ante quem nullus (quod ſciamus) *Caiet:* illi ſuffragium tulit. Sed neque Cajetanus, qui paulò ante ſcripſit, prædictæ opinioni patrem agnovit, ut teſtatur in opuſc. de Concept. Virg. cap. 2. Primus ergo quem adhuc iuvenem (ſemper tamen ingenij acumine & dexteritate pollentem) ardens in Deiparam devotio opinionem prædictam ſeriò elucidare compulit, videtur ſapientiſſimus M.N. Ioannes *Lezana.* Baptiſta de Lezana in apologetico pro immaculata concept. cap. 32. & 33. eamque deinceps ſectati ſunt Ferdinandus Quirinus *Salazar.* de Salazar in defenſione pro immaculata Virg. concept. per plura capita, ſed præſertim à cap. 15. Iacobus Granados de geſtis mirabil. vitæ *Granad.* Chriſti tract. 1. diſp. 3. ſect. 22. Bartholomæus *Barth. de los Rios.* de los Rios lib. 5. Monarchia Marianæ cap. 9. *B. Fernand.* Benedictus Fernandez tom. 2. in Geneſ. cap. *Navar.* 29. ſect. 6. num. 18. Aloyſius Novarinus lib. 4. *Aldrete,* umbræ virgineæ excurſu 18 Bernardus de Al- *Penaloſa.* drete tom. 1. in 3. p. diſp. 19. ſect 6. & diſp. 22. *Velaſq.* per totam. Ambroſius de Peñaloſa in vindiciis Deiparæ diſp. 10. & Ioannes Antonius Velaſquez lib. de Maria immaculatè concepta, non ſemel.

Præter quos & paucos alios minoris notæ Theologos, qui prædictæ opinioni ſuffragantur, referuntur etiam plures alij, vel quia leviter illam inſinuant, vel quia vindicant à gravi cenſura, qua ſolet notari; & probabilitate aliqua dignam arbitrantur: vel etiam ſine aliquo fundamento, ut ex illorum examine infra patebit. Sunt verò hujus ſecundæ *Nicol. de Cuſa.* claſſis Nicolaus de Cuſa lib. 8. exercitationum *Corn. Muſi.* tom 2. Cornelius Muſius in caput 5. Epiſtol. *Salmeron.* ad Rom. Salmeron in idem caput diſp. 49. *Turrianus.* Franciſcus Turrianus in epiſtola de pecc. ori- *Viguerius.* ginali. Viguerius in inſtitutionibus Theolog. *B. Iuſtinian.* cap. 18. §. 5. Benedictus Iuſtinianus, & Coſmas *Magallanes.* Magallanes ſuper cap. 2. prioris ad Timoth. ille *Valent.* num. 6. hic ſect. 3. annot. 6. Gregor de Valentia *Salas.* tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. punct. 2. Salas tom. 2. *Lorinus.* tract. 13. diſp. 11. ſect 2. Lorinus ſuper 1. *Baſil. Leg.* epiſtol. Ioan. cap. 1. Baſilius Legionenſis *Angleſ.* 1. p. variarum diſp. 1. relect. 3. Angles in 2. diſt. 31. Horum plures referunt Granados ubi ſupra, & Ægidius Luſitanus lib. 2. de Concept. quæſt. 4. art. 3. §. 1. apud quos *Suar.* etiam citatos invenies Suarium, Vaſq. Zu- *Vaſq.* *Zumel.* melum, & alios, qui toto cœlo à prædicta opinione diſtant, ut infra conſtabit. Argumenta pro illa, quæ minùs lævia apparent, ad hæc poſſunt reduci.

125. *Primum argumentũ ex Patribus. Cyprianus.* Primum ſumitur ex aliquibus teſtimoniis Sanctorum Patrum, quæ prædictæ opinioni favere videntur. Primò enim Cyprianus ſerm. de nativit. Chriſti (qui habetur in tract. de Cardinalibus Chriſti operibus) ſic ait: *Innoxiam affligi non decuit: nec ſuſtinebat juſtitia, ut illud vas electionis communibus laxaretur injuriis: quoniam plurimùm à cæteris differens natura communicabat, non culpa.* Debet ergo omnino excipi à culpa Adami cæteris *Auguſt.* omnibus communi. ¶ Deinde Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 36. dicit. *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: inde enim ſcimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Hæc Auguſtinus: cujus ſententiam ſequutus Bernardus ſerm. 13. in cœ- *Bernard.* na Domini, hæc ait. *Non eſt in filiis hominum magnus vel parvus tanta præditus ſanctitate, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter matrem immaculati peccatum non facientis: de qua cum de peccatis agitur, nullam prorſus volo habere quæſtionem.* Cum ergo in hac quam agimus, ſermo ſit de peccato quod in Adamo commiſimus, dicendum eſt ex ſententia Auguſtini & Bernardi non habere locum reſpectu Deiparæ.

Præterea S. Ildefonſus lib. contra diſputantes de perpetua virginitate, & parturitione B. Mariæ, negat carnem Virginis, ex qua Verbum carnem aſſumpſit, fuiſſe carnem peccati. *Ildefonſus.* *Si ita peperit* (ſcilicet cum dolore & ſordibus) *ergo adhuc ac ſi in maſſa prima damnationis contra Angeli vocem maledictioni ſubjacuit; & Verbum Patris de carne peccati quod abſit, ut caro fieret, hominem aſſumpſit.* Et in eodem lib. expreſsè dicit illam Evæ maledicto non ſubjacuiſſe. Et idem dicit Bernard. ſerm. 4. in Vigilia *Bernard.* Nativit. *O beata* (inquit) *ſola inter mulieres benedicta, & non maledicta, ſola à generali maledicto libera.* Non autem libera fuiſſet ab illa maledictione, ſi in Adamo peccaviſſet. ¶ Ulterius D. Anſelmus lib. de conceptu Virg. cap. 18. *Anſelm.* ſic inquit. *Decebat ut illius hominis conceptio de matre puriſſima fieret: & ut ea puritate qua major ſub Deo debet intelligi, Virgo illa niteret,* &c. Conſtat autem poſſe intelligi ſub Deo majorem puritatem, quàm eſſet puritas Virginis, ſi peccavit in Adamo: cum ipſamet adhuc purior eſſet, ſi non peccaſſet. ¶ Adducitur quoque à Petro Caniſio lib. 5. de Deipara cap. 27. teſtimonium ex Alberto magno lib. de *Albert. mag.* laudibus Virginis, quaſi ibi dicatur: *Hæc virgo ſola à communi illa regula excipitur: Omnes in Adam peccaverunt.* Refert etiam iſtud Salazar in ſuo opere de Concept. cap. 41. ſæcul. *Salazar.* 13. & ſubdit: *Ut autem huic teſtimonio fidem comparem; cui aliqui minùs credunt, addo, librum iſtum à me relectum Murciæ in Bibliotheca fratrum Minorum.*

Adducit etiam Velaſquez teſtimonium ex quodam manuſcripto, cui titulus *Apocalypſis nova*, auctore devoto quodam religioſo Ordinis ſeraphici, nomine Amadæo, raptus ad divina patiente: ubi narratur quaſi revelatio à Gabriele Archangelo prædicto Amadæo facta, quòd cum tempore dormitionis Deiparæ Apoſtoli Ieroſolymæ adeſſent, hymnos, & laudes ei jam jam morituræ cecinerunt: & hanc fuiſſe B. Andreæ. *Tu ſola ab univerſali damnatione præſervata fuiſti: non tu mortua in Adam fuiſti*, &c. hanc verò Sancti Thomæ: *In initio viarum Dei ab ipſo electa fuiſti: & Adæ peccato praviſo, non fuiſti cum aliis omnibus condemnata*, &c. Aſſervatur hic liber in regia Bibliotheca Sancti Laurentij in Eſcuriali. Habemus ergo ex ore Apoſtolorum B. Virginem non fuiſſe ſub peccato Adami comprehenſam, neque proinde debitum contrahendi originale in illo incurriſſe.

Denique

126. Denique afferuntur ex officio Bernardini de Buſtis pro feſto Conceptionis (quod Sixtus IV. approbaſſe dicitur) aliqua verba, quæ huic ſententiæ opitulari videntur: ut quòd B.V. non ſenſit primi patris labem neque fœtorem: quòd non ſit numeranda inter omnes quæ in Adam peccaverunt, quia ipſa eſt ſupra omnes: quòd non pro ea, ſed pro omnibus lex mortis & peccati ſtatuta fuit: aliaque ſimilia, quæ non ſolùm peccati contractionem, ſed etiam ejus debitum à B.Virgine videntur excludere. Imo referuntur ibi ex D. Ambroſio hæc verba: *Hæc eſt virgo in qua nec nodus originalis nec cortex venialis culpæ fuit.* Nodus autẽ originalis culpæ eſt ejus debitum, veluti nodus conſtringens & neceſſitans ad illam contrahendam. Similiter ex D. Auguſtino lib. de quinque hæreſibus hæc ibi referuntur: *Si potuit mater mea inquinari cum eam facerem, potuiſſem ego inquinari cum ex ea naſcerer:* & cum conſequens ſit impoſſibile, idem dicendum eſt de antecedenti, videlicet non potuiſſe B. Virginem peccato inquinari in ſua productione; potuiſſet autem, ſi habuiſſet debitum: quia hoc ſupponit potentiam ergo, &c.

Ambroſ.

Auguſt.

Argumentũ ſecundum ex Concilio Tridentino.

Secundum argumentum ſumitur ex Concilio Trident. ſeſ. 5. decreto de peccato originali, ubi Concilium declarat non fuiſſe ſuæ intentionis comprehendere in illo decreto B. & immaculatam ſemper Virginem Mariam. Ex quo ſic arguitur, Concilium in ſuo decreto non ſolùm egit de contractione peccati originalis, ſed etiam de incurſu peccati Adami, ex quo orignale proceſſit: & ideo utitur teſtimonio Apoſtoli ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt:* ergo non fuit intentio Concilij, ut B. Virgo ſub aliquo ex prædictis fuerit comprehenſa. Qui igitur illam comprehendunt ſub Pauli propoſitione, dicentes eam peccaſſe in Adamo, habent diverſam intentionem, imo & contrariam (ait Granados) intentioni Concilij. ¶ Huic argumento novam addit confirmationem neothericus quidam in hunc modum. Concilium non intendit comprehendere Deiparam ſub illo decreto, adeoque nec ſub propoſitione Pauli: ſed intentio Concilij eſt eadem atque intentio Spiritus ſancti: igitur nec Spiritus ſanctus id intendit; ſine intentione autem Spiritus ſancti evidens eſt non fuiſſe comprehenſam: ergo ita eſt dicendum.

127. *Tertium ex ratione.* Tertiò arguitur. Potuit Deus præſervare B. Virginem à peccato Adami, & à debito contrahendi ex illo culpam originalem, ſicut præſervavit ab ipſa culpa: ergo dicendum eſt illam de facto ita præſervaſſe. Antecedens eſt indubitatum, utpotè in quo nulla poteſt oſtendi repugnantia. Conſequentia verò ſuadetur. Tum quia non debemus negare Deiparæ quicquid cedit in ejus majorem dignitatem, & aliàs non repugnat puræ creaturæ, ſicut cedere certum eſt prædictam præſervationem. Tum etiam quia unuſquiſque noſtrum, ſi daretur ei eligere parentes, eligeret illos quanta poſſet nobilitate decoratos & ab omni nota alienos: cum ergo Chriſtus matrem pro libito elegerit, potueritque illam ſumma nobilitate decorare, ab omnique peccati nota eximere, dicendum eſt ita de facto præſtitiſſe. Eo præſertim quia ſicut honor filij redundat in matrẽ; ita ignominia matris redundaret in filium: ne ergo detrahamus dignitati Chriſti, debemus omne genus maculæ, & quicquid peccatum redolet, uti redolet prædictum debitum, à Deipara excludere. Præterea non eſt negandum, Chriſtum obſervaſſe præſtantiſſimo modo erga ſuam matrem præceptum de honoratione parentum, quo nos adſtrinxit: tenemur autem ex vi hujus præcepti ſummum, quem licitè & honeſtè potuerimus, deferre parentibus honorem, aut ſaltem quicquid minùs decens eſt, ab eis excludere. cum ergo licitè potuerit Virgini præſtari ut immunis eſſet ab omni peccato & ejus debito, dicendum eſt, Chriſtum ita de facto conceſſiſſe. ¶ Ulteriùs, vel Chriſtus non conceſſiſſet prædictam immunitatem matri, quia non potuit, quamvis vellet; vel quia quamvis potuiſſet, noluit: primum derogat ejus omnipotentiæ, ſecundum amori & benevolentiæ erga illam: ergo neutrum eſt dicendum. ¶ Denique, nam indevoti vel parùm grati animi erga Deiparam videtur, quòd non credamus fuiſſe illi conceſſum quicquid excellentiæ, gratiæ, & honoris, ſalva fide, poſſumus credere: ne igitur eam notam incurramus, debemus affirmare fuiſſe illi conceſſam prædictam præſervationem, quæ ex nullo capite fidei principiis repugnat.

Quartò arguitur: ſi propter aliquam rationem tenendum eſſet Virginem peccaſſe in Adamo, maximè ut ejus gratia & electio eſſet ex meritis Chriſti, cujus prædeſtinatio fuit poſt peccatum illud præviſum: ſed ad hoc non eſt neceſſarium: potuit enim Deus decreta ſua ita ordinare, ut totum illud verificaretur, conceſſa Virgini omnimoda præſervatione, cum in eo nulla appareat implicatio reſpectu divinæ voluntatis & omnipotentiæ: ergo, &c. 128. *Quartum.*

Confirmatur: nam excellentiori redempto debetur excellentior modus redemptionis: ergo Deiparæ, quæ fuit excellentiſſima inter omnes redemptos, debita erat redemptio excellentior ſupra cæterorum omnium redemptionem. Cum igitur redemptio cæterorum fuerit à peccato in Adamo commiſſo, dicendum eſt redemptionem Virginis fuiſſe non à peccato illo ut commiſſo, ſed ab eo, ut non committeretur ex perſona ipſius Virginis.

Quintò probatur eadem opinio: magis dedecet Deiparam peccaſſe mortaliter in Adamo, quàm habuiſſe peccatum aliquod veniale: Sed hoc penitus illi denegamus propter ejus eximiam perfectionem: ergo à fortiori debet illud negari. *Quintum.*

Sextò; omnia quæ fidelium aures offenderent, & quæ in populo ſcandalum generarent debent vitari in hac materia: ſed aſſerere B. Virginem peccaſſe in Adamo, fuiſſeque proinde in illo peccatricem, maculatam, immundam, Deo inimicam, ancillam diaboli, & id genus ſimilia, quæ ex prædicta aſſertione inferuntur omnium aures offendere t: ergo non eſt ita aſſerendum. *Sextum.*

Septimò, referunt Salazarius & Granados quòd cum Patres Ordinis S. Franciſci aſſertiones prælo mandatas Toleti evulgaſſent, in quibus hæc propoſitio continebatur, *B. Virgo Maria non contraxit debitum culpæ* 129. *Septimum.*

originalis, delatæ ſunt ad tribunal ſanctæ Inquiſitionis illarumque occaſione doctiſſimi Theologi conſulti: quibus ſubſcribentibus prædictæ propoſitionis probabilitati, decretum fuit, ut aſſertiones illas liberè tueri liceret. Poterit ergo abſque ulla nota opinio hæc defenſari.

Ultimum. Ultimò cenſent prædicti auctores, omnia argumenta tam ex auctoritate quam ex ratione, quæ ſuadent præſervationem Virginis à contractione culpæ originalis, probare eodem modo præſervationem à commiſſione peccati in Adamo, & à debito quod inde ſurrexit; è contra verò omnia quæ præſervationem ab iſtis impugnant, impugnare ſimiliter eam immunitatem: tam facilémque habere ſolutionem prout militant contra unam, quam prout militant contra aliam: adeóque neceſſarium eſſe ad tuendam piam & communem ſententiam de præſervatione à culpa originali, opinioni iſti de præſervatione à debito ſubſcribere: quam ipſi judicant probabiliorem. ¶ Addit verò Iunior quidam, id magnoperè conducere ad optatam illius articuli diffinitionem: quia ſemel oſtenſo Deiparam non peccaſſe in Adamo, ut opinio hæc defendit, regia eſt via ad demonſtrandum non contraxiſſe in conceptione peccatum originale. Quæ omnia inferiùs ad trutinã vocabuntur.

§. II.

Sententia affirmans ſuadetur primò ex Patribus.

13. SEcunda ſententia, quæ ſemper fuit communis, affirmat Beatiſſimam Virginem Mariam peccaſſe in Adamo cum reliquis ejus poſteris, hauſiſſeque inde debitum contrahendi in ſe culpam originalem, quam ne contraheret de facto in inſtante ſuæ conceptionis, divina gratia in illo inſtante fuit præventa & præſervata. Huic ſententiæ ſubſcribunt ingens Doctorum numerus tam ex Patribus quam ex Theologis & juris canonici peritis, quorum non paucos libuit conſulere. Et quia in rebus, quæ ſunt de facto, quæque ſic vel aliter pro libera Dei electione potuerunt fieri, uti fuit præſervare, vel non præſervare B. Virginem à prædicto debito, maximum argumentum eſt communis conſenſus ſacrorum Doctorum, quibus Deus evidentiùs conſilia ſua pandit, & intelligentiam Scripturarum copioſiùs infundit; indè accipiendum duximus primum pro hac ſententia fundamentum. Adducemus verba SS. Patrum, ſicut in fontibus jacent: ut ipſa oculis perſpecta, potiuſquàm noſtra fides Lectoris judicium determinent. Quòd ſi aliqua pluſquam intendimus, externa ſpecie ſonare videantur in favorem opinionis de contractione culpæ originalis, qua ratione potuiſſent ſilentio tegi, convenientius tamen judicavimus ea proferre in lucem; & verum ſenſum exponere (prout exponemus infra à num. 192.) ut ex eorum legitima intelligentia omnibus pateat, quomodo etſi præſentem ſententiam veram eſſe convincant; prædictæ tamen opinioni (ſaltem majori ex parte, non ſuffragentur, nec piæ ſententiæ opponantur. Quod non ita facile ſibi perſuadebunt, qui offendentes in ſuis fontibus prædicta teſtimonia, legitimam expoſitionem non audiunt. Quia vero quædam in communi procedunt, comprehendendo ſub peccato vel debito omnes ab Adamo ſeminaliter deſcendentes, & ſolum Chriſtum Dominum excipiendo: alia autem in ſpeciali de ipſa B. Virgine loquuntur, incipiemus ab illis prioribus; poſteriora vero ſequenti §. adducemus.

Occurrit ergo primo D. Ambroſius relatus ab Auguſtino lib. 2. contra Iulian. cap. 1. ubi ſic ait: *Ambroſius ſolum Chriſtum à vinculis obnoxiæ generationis excipit, omnibus cæteris ex Adam ſub peccati obligatione naſcentibus.* Et cap. 9. *Dicit B. Ambroſius unum ſolum hominem mediatorem Dei & hominum, eo quod ſit natus ex Virgine, nec ſenſerit naſcendo peccatum, generationis obnoxiæ vinculis non teneri. Omnes autem homines ſub peccato naſci, quorum ipſe ortus in vitio eſt*, &c Nomine autem *nativitatis* intelligit conceptionem, quæ eſt nativitas in utero: & abſolutè ab Scriptura & Patribus vocatur *nativitas*, juxta illud Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Nam loquendo de nativitate extra uterum, non ſolum Deipara, ſed etiam Jeremias & Joannes Baptiſta nati ſunt ſine peccato. 131. Ambroſ. Matth.

D. Aug. Ipſe vero D. Auguſtinus lib. 2. de peccatorum merit. cap. 20. ſic loquitur: *Neque eſt in filiis hominum, neque fuit, neque erit, excepto uno mediatore, in quo nobis propitiatio & iuſtificatio poſita eſt, qui non ex peccato ad iuſtitiam pervenerit, & nullo unquam peccato fuerit adſtrictus.* Et cap. 21. *Nullus extitit homo, de quo in hac vita conſtituto veraciter dici poſſet, quòd nullum habeat peccatum excepto uno mediatore, qui nos Creatori noſtro reconciliavit.* Quod adhuc magis premit lib. de perfectione iuſtitiæ in fine ubi ſic dicit: *Quiſquis fuiſſe vel eſſe in hac vita aliquem hominem vel aliquos homines putat; excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus neceſſaria non fuerit remiſſio peccatorum, contrarius eſt divinæ Scripturæ, ubi Apoſtolus ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt: & neceſſe eſt ut impia contentione aſſerat eſſe poſſe homines, qui ſine mediatore Chriſto liberante atque ſalvante, ſint liberi, ſalvique à peccato: cũ ille dixerit, Non eſt opus medicus ſanis, ſed malè habẽtibus, non veni vocare juſtos ſed peccatores* Et lib. 20. de Civit. Dei, c. 6. *Omnes itaque mortui ſunt in peccato, nemine excepto, ſive originalibus, ſive actualibus, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et lib. 1. de nupt. & concupiſcen. c. 12. *Sine carnis concupiſcentia concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato: ut hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati: quandoquidem ſola, quæ non inde nata eſt, non fuit caro peccati.* Denique (ut plura alia loca eiuſdem Auguſtini omittamus) docuit hoc lib. 5. contra Julian. cap. 9. ubi ita contra illum loquitur: *Si caro Chriſti ſine dubio non eſt caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati; quid reſtat niſi ut intelligamus, ea excepta, omnem reliquam carnem humanam eſſe carnem peccati? Et hinc apparet eam carnis concupiſcentiam, per quam Chriſtus*

concipi

Digitized by Google

concipi noluit, fuiſſe in humano genere propagationem mali: quia Mariæ corpus quamvis ex tali concupiſcentia venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod inde non concepit. Ceterum corpus Chriſti inde dictum eſt eſſe in ſimilitudinem carnis peccati, quia omnis alia hominum caro peccati eſt.

132. Greger. Similia habet Greg lib. 11. mor. c. ult exponens illa verba *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine* &c. *Poteſt* (inquit) *hoc intelligi quia B. Iob incarnationem Redemptoris intuitus, ſolum vidit in mundo hominem de immundo ſemine non eſſe conceptum, qui ſic in mundum venit ex Virgine, ut nihil haberet de immunda conceptione: neque enim ex viro & fœmina, ſed ex Spiritu Sancto & Maria Virgine proceſſit. Solus ergo in carne ſua verè mundus exiſtit, qui delectatione carnis tangi non potuit, quia nec per carnalem huc delectationem venit.* Legatur etiam lib. 18 cap. 27. alias 31. & hom. 5. ſuper Ezech. dum exponit illa verba Matth. 3 & 17 *Hic eſt filius meus dilectus,* &c. ¶ Origines hom. 12. in Levit. explicans illa verba capitis 21. *Qui conſummatas habet manus,* &c. ita ait: *Omnis qui ingreditur in mundum in quadam contaminatione efficitur. Propter quod & Scriptura dicit: Nemo mundus à ſorde; nec ſi unius diei fuerit vita eius. Hoc ipſo ergo quod in vulva matris eſt poſitus, & quod materiam corporis ab origine paterni ſeminis ſumit, in patre & in matre contaminatus dici poteſt ſolus verò meus Ieſus mundum ingreſſus, in matre non eſt pollutus.* Multaque alia ad intentum proſequitur ibi, & hom. ſuper Numeros.

Origen.

Leo Pap. S. Leo Pap ſerm. 1. de nat. ſic ait: *Dominus noſter peccati mortisque deſtructor ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Et ſerm. 5. *Cum ſola conditio naſcendi in cunctis eſſet ratio pereundi, ſolus inter filios hominum Dominus Ieſus innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione conceptus eſt.* Et ſerm. 8. de paſſione: *In ſolo Chriſto omnium erat natura ſine culpa.* Et ſerm. 12. *Solus B. Virginis natus eſt filius abſque delicto, non extraneus ab hominum genere, ſed alienus à crimine* ¶ S. Eph. Syrus ſerm. de paſſione Domini ſic ait: *Propter nos crucifixus eſt Dominus, qui ſolus ſine peccato erat.* ¶ S Gregoriis Nyſſenus relatus à D. Thoma in Catena Luc. 2. ad illa verba *Quia omne maſculinum,* &c. ſic dicit: *Solus hic partus* (ſcilicet Chriſtus) *maſculinus ſpiritualiter eſſe dignoſcitur, qui nihil de fœditate culpæ portavit* ¶ Græcus anonymus citatus in eadem Catena Luc. ad illa verba, *Benedictus fructus; Solus ergo* (inquit) *hic fructus benedictus, quia abſque viro & abſque peccato producitur.*

Ephrem.

Greg. Niſ.

S. Theon. Abb. His accedi teſtimonium S. Abbatis Theonæ apud Caſſianum collat. 22. cap. 9. cujus hæc ſunt verba: *Aliud eſt eſſe ſanctum, quod de multis dici poteſt: aliud eſſe immaculatum & ſine peccato, quod unius Domini noſtri Ieſu Chriſti ſingulariter convenit majeſtati, De quo etiam Apoſtolus velut quid præcipuum & ſingulare pronuntiat dicens: Qui peccatum non fecit,* &c Et c. 12 *In hoc igitur ille, qui natus eſt ex Virgine, magna à cunctis; qui ex utriuſque ſexus commixtione producuntur, diſtantia ſegregatur: quia cum omnes non ſimilitudinem, ſed veritatem peccati in carne geſtemus; ille non veritatem ſed ſimilitudinem peccati in veræ carnis aſſumptione ſuccepit.*

Bernard. Denique D. Bernardus epiſt. 174. ſic ait: *Et ſi quibus vel paucis filiorum hominum datum eſt cum ſanctitate naſci; non tamen & concipi: ut uni ſanè ſervaretur ſancti prærogativa conceptus, qui omnes ſanctificaret: ſoluſque abſque peccato veniens, purgationem faceret peccatorũ. Solus itaque Dominus Ieſus de Spiritu ſancto conceptus, quia ſolus & ante conceptum ſanctus: quo excepto de cetero univerſos reſpexit ex Adam natos, quod unus humiliter de ſemetipſo ac veraciter confitetur: In iniquitatibus* (inquiens) *conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* ¶. Plura alia poſſent concervari hujus generis teſtimonia, quæ prolixitatis vitandæ gratia ommittimus. Adducta vero, niſi tergiverſatione uti velimus, ſatis efficaciter perſuadent nullum alium præter Chriſtum Dominum ita innocentem & à delicto immunem extitiſſe, quin ſaltem in Adamo peccaverit, & originalis culpæ debitum incurrerit.

133. Evaſio cum aliquibus probationibus. Dices ab omnibus iſtis generalibus locutionibus, quantumvis ſub univerſali ſigno enuntientur, excipiendum eſſe Deiparam propter honorem ipſius Chriſti; ſicut excipitur ab alijs, ubi agitur de actuali peccati contractione. Tùm quia non eſt inuſitatum, ut ab univerſalibus Scripturæ propoſitionibus fiat exceptio: ut multis exemplis probari poſſet. Tùm etiam quia prædicta teſtimonia non ſolùm loquuntur de debito peccati, ſed etiam de ipſo peccato; imò non ſolùm de peccato originali, ſed etiam de actuali aliqua eorum loqui videntur; & tamen qua ratione de iſtis loquuntur, debemus excipere Deiparam: ergo etiam poterit excipi, qua ratione loquuntur de illo. Tùm præterea, nam multi prædictorum Patrum loquuntur non de ſola conceptione, ſed etiam de nativitate, & hanc aſſerunt in nullo alio præterquam in Chriſto immunem à peccato extitiſſe: & tamen conſtat hanc regulam non comprehendere nativitatem Deiparæ ſicut nec Ieremiæ, nec Ioannis Baptiſtæ, qui in utero ſunt ſanctificati; ergo non eſt cur comprehendat Virginis conceptionem.

134 Præcluditur Sed hæc evaſio facilè impugnatur Nam prædicta teſtimonia non utcumque aſſerunt omnes homines concipi obnoxios peccato, aut nullum concipi non illi obnoxium; ſed cum dictione excluſiva ſolius Chriſti Domini, ut ex ipſis teſtimoniis conſtat; exceptio autem alicujus à lege communi firmat regulam in contrarium; præcluditque locum, ne quis alius intelligatur exceptus: ut eſt receptum juris principium L. *Quæſitum* 12. §. *Idem reſpondit* 43. L. *Cum de lanionis* 18 *paragrapho, Si qui fundum* (ubi gloſſ.) ff. de fund. inſtructo L. *Ex eo* 18. ff. de teſtibus. L. *Cum pretor* 12 in principio, ubi gloſ ff de Iudiciis Ex quibus etiam communiter habetur, illud quod de uno cum dictione excluſiva negatur, concedi omnibus aliis: & quod affirmatur de uno cum dictione excluſiva, aliis omnibus denegari. Non ergo debet admitti in prædictis teſtimoniis alicujus alterius præterquam ſolius Chriſti exceptio; ut admitti poſſet, ſi non apponeretur prædicta excluſio

Eq.

Eò præſertim quia cura SS.Patrum in excipiendo Chriſtum Dominum ab obnoxietate culpæ originalis potius dirigebatur ad oſtendendam aliorum omnium incluſionem quàm ipſius exceptionem. Chriſtum enim utpote, verum Deum, ab omni peccati debito alienum extitiſſe, per ſe erat notum; non autem ita compertum erat, neminem alium talis debiti exortem fuiſſe: & ideo ut hoc ſecundum firmarent, nulliuſque alterius exceptioni aditum relinquerent, contenti non ſunt communem & generalem doctrinam tradere; ſed voluerunt ad ſpeciales caſus deſcendere, & excipiendum excipere: ut notum maneret, omnem quem non exciperent, excipiendum non eſſe. Ob idque toties repetunt, præſertim Auguſtinus, neminem excipi niſi ſolum Chriſtum; & omnes includi, illo tantùm excepto, ut intelligeremus pro omni alio, quicumque ſit, manere negatam exceptionem.

Deinde in prædictis teſtimoniis non utcunque excipitur ſolus Chriſtus, ſed reddita ratione hujus exceptionis, quia nimirum ſolus ipſe conceptus non eſt ex commixtione maris & fœminæ, ſed de Virgine puriſſima Spiritus ſancti virtute: unde ſicut hæc exceptionis ratio ſecundum fidem catholicam ad ſolum ipſum Chriſtum debet reſtringi, neque ad aliquem alium extendi; ita etiam prædicta exceptio: id enim iure receptum eſt, ut exceptio, quæ fit à lege communi, reddita cauſa exceptionis, ad eos tantum extendatur, quos cauſa comprehendit, argumento textus in l. teſtium 3 §. *lege*. in fine. l. *Ex eo* ff. de teſtib.

135. Diluuntur probationes. Neque obeſt quod dicitur in evaſione: nulla eſt enim propoſitio neque in Scriptura neque in Conciliis, aut in antiquioribus Eccleſiæ Patribus, in qua ita univerſaliter affirmetur pro omnibus, excepto Chriſto, contractio formalis originalis culpæ, ſicut aſſeritur eius debitum in illis, quas adduximus. Imò omnes, quæ omnino univerſaliter loquuntur, poſſunt, ſalva proprietate & veritate literæ, intelligi de ſolo debito ut videbimus dub. ſequenti: ſi verò alius aliquis præter Chriſtum etiam à debito excludatur, non eſt quo pacto prædictæ propoſitiones, ſaltem ſine extorſione & violentia, ad verum ſenſum reducantur.

Ad primum per modum probationis in evaſione adductum reſpondetur, quoties ab univerſalibus Eccleſiæ propoſitionibus fit aliqua exceptio, dari ad id ſufficiens fundamentum vel in aliis propoſitionibus ejuſdem Scripturæ, quæ pro aliquibus oppoſitum enuntiant: vel in communi aut ſatis recepta Patrum expoſitione: vel in aliquo inconveniente, quod ſequitur, negata omni exceptione. Cum ergo nihil horum militet pro exceptione Deiparæ à debito (quamvis omnia militent pro exceptione ab actuali contractione peccati) temere omninò & ſine fundamento exceptio illa fieret. ¶ Ad ſecundum conſtabit dub. ſequenti quomodo teſtimonia SS. Patrum, quam paucis exceptis, ſicut etiam teſtimonia univerſalia, quæ ex Scriptura & Conciliis afferri poſſunt, nihil aliud quàm debitum contineant, prout tale debitum includit etiam peccatum actuale in Adamo commiſſum. ¶ Ad tertium iam, diximus nomine *nativitatis* intelligi à Patribus conceptionem, quæ cum omni proprietate dicitur *nativitas in utero*, ſicut alia dicitur *nativitas ex utero*. Vel ſi de utraque loquuntur; ſumunt illas copulativè, ut ſit ſenſus neminem præter ſolum Chriſtum fuiſſe natum inſimul & cóceptum ſine peccato vel debito quamvis aliqui ſub peccato vel debito concepti, nati ſint ex utero ſine illis, ſanctificati in ipſo utero.

Adde, prædicta teſtimonia, quæ tam conceptionem quàm nativitatem cæterorum omnium, præter Chriſtum, ſub peccato vel debito concludunt, poſſe aliter exponi: ita nimirum ut nativitas dicat conceptionem completam per formationem animæ rationalis: nam tunc dicitur aliquis naſci in utero quando animatur: conceptio verò dicat conceptionem adhuc informem, qua ſemen ſuſcipitur, & embrio inchoatur. Et juxta hunc ſenſum, qui pro aliquibus ex prædictis teſtimoniis eſt ſatis proprius & legitimus, univerſaliſſimè verificatur, omnes præter Chriſtum concipi & naſci peccato obnoxios, quia in omnibus peccatum vel peccati debitum à prima conceptione uſque ad ſecundam incluſivè pertingit. Proferamus alia teſtimonia, quæ in particulari procedunt.

§ III.

Specialiora teſtimonia ex Patribus

136. August. PRimus ex Patribus, qui in propriis terminis agentes de Deipara, ſecundam ſententiam expreſſiùs tradunt, eſt D. Auguſtinus ſuper pſal. 34. concione ſecunda ad illa verba *Ego autem cum mihi moleſti eſſent*, &c. ubi ſic ait: *Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ, Adam mortuus propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata*. Si autem B. Virgo peccatum illud in Adamo non commiſiſſet, non fuiſſet mortua propter tale peccatum. Nec poteſt dici quòd fuit mortua propter illud delendum, ſicut mortuus eſt Chriſtus. Nam hæc expoſitio manifeſtè eſt contra textum Auguſtini diſtinguentis inter mortem Mariæ & Adami ex una parte, & mortem Chriſti ex alia: quòd hæc fuit præcisè propter delendum illud peccatum; illæ verò propter ipſum peccatum ſeu propter ejus merita. Unde ſicut Adamus non fuit mortuus propter ſuum peccatum delendum, ſed quia per illud meruit mortem; ita etiam Maria. Tùm etiam quia ſecundum fidem catholicam nullus alius niſi ſolus Chriſtus mortuus eſt propter peccatum ſine peccato: ut teſtatur ipſe Auguſt. lib. 2. de peccat. merit. cap. 35. *Teneamus* (inquit) *indeclinabilem fidei confeſſionem: ſolus unus eſt, qui ſine peccato mortuus eſt propter noſtra peccata*. Et lib. 4. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 4. *Pati mortem ſine meritis mortis de uno ſolo mediatore Dei & hominum homine Chriſto Ieſu catholica fides novit*. Ergo non poteſt dici, præſertim in ſententia Auguſtini, quòd Virgo ſit mortua propter Adami peccatum præcisè delendum, & non potius ex merito talis peccati.

Idem. Tenet etiam hanc ſententiam idem Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 24. ubi ſic

Digitized by Google

ſic ait: *Solus ille homo factus manens Deus peccatum nullum habuit nunquam, neque ſumpſit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati.* Nulla autem alia ratione caro Virginis potuit dici *caro peccati*, niſi quia quamvis de facto ejus anima peccatum non contraxerit; caro tamen, quatenus erat per ſeminalem propagationem ex Adamo derivata, erat caro infecta ſeu ex infecto ſemine producto, adeoque inductiva, quantum erat ex ſe, peccati originalis. Scimus in aliquibus editionibus non legi *de materna carne peccati*, ſed *de natura carnis peccati*. Sed etiam novimus in aliis, ut à nobis, legi. Quocirca in ea, quæ prodiit Pariſiis anno 1586. Theologorum Lovanienſium cura & ſtudio correcta, hanc prædicto loco annotationem addiderunt: *Variant hic manuſcripta: duo quædam ſic legunt, Nec cum carne peccati quamvis de materna carne peccati. Cambronenſe ſic habet: Nec ſumpſit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati.* Ut noveris, quam temerè quidam neothericus falſarietatis inſimulet Cajetanum & alios noſtra utentes lectione. *Quomodocunque autem legas* (proſequitur adnotator) *ſentire videtur hic Auguſtinus, B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam.* Sed nos credimus, & inferius probabimus, verba D. Auguſtini, quovis modo legantur, ſolùm continere debitum contrahendi prædictum peccatum, non verò actualem contractionem. Quòd autem utraque lectio, quoad præſens attinet, eundem ſenſum habeat, ex eo liquet, quia Chriſtus non ſumpſit carnem niſi de natura, quæ erat in Matre: & ideo niſi natura illa in ea caro peccati aliquando fuiſſet, non ſumpſiſſet carnem de natura carnis peccati.

137. Idem. Tertius locus ejuſdem Auguſtini habetur lib. 10. de Geneſ. ad litteram cap. 18. ubi ſic ait: *Quid incoinquinatius illo utero Virginis, cujus caro etiam ſi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit.* Et inferius: *Corpus Chriſti quamvis ex carne fœminæ aſſumptum eſt, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat; tamen quia non ſic in ea conceptum eſt, quomodo fuerat illa concepta; nec ipſa erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati. Non enim accepit inde, quod contagioni prævaricationis, ſed quod exolvendæ promiſſæ reſurrectioni ſufficeret.* Quæ verba ſatis declarant, carnem Virginis in ſua conceptione fuiſſe carnem peccati ſeu peccato obnoxiam: quia ex concupiſcentia & ſemine viri concepta eſt: carnem verò Chriſti ideo carnem peccati non fuiſſe, ſed in ejus ſimilitudinem formatam, quia non fuit prædicto modo concepta.

Fulgent. Secundus ex Patribus, qui expreſsè tradit prædictam ſententiam, eſt D. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia D. N. Chriſti cap. 6. ubi ſic ait: *Hæc eſt gratia, qua factum eſt, ut Deus qui venerat peccata tollere, homo conciperetur, atque naſceretur in ſimilitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana ſolemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quæ Filium Dei genuit in ſimilitudinem carnis peccati.* Continet verò hoc teſtimonium non ſolùm Fulgentij auctoritatem, quæ magna [illegible], ſed etiam aliorum quatuordecim Epiſcoporum Africanæ Provinciæ, nimirum Daciani, Fortunati, Boëchi, Victoris, Scholaſtici, Horontij, Vindiciani, alterius Victoris, Ianuarij, Victoriani Fotini, Quodvultdei, Fœlicis, & alterius Ianuarij: qui omnes in illo opere, directo Epiſcopis Eccleſiæ Orientalis, ſubſcribunt, ut conſtat ex primo libri capite.

Tertius S. Ildefonſus in lib. contra diſputantes de Virginitate & parturitione S. Mariæ aliquantulum poſt initium, ubi agens de eximia puritate ad concipiendum Verbum in Virgine requiſita, ſic ait: *At vero B. Maria licet ipſa de carne peccati ſit nata & procreata, ipſique quamvis caro peccati fuerit, non tunc tamen cum ex præveniente Spiritus Sancti gratia ab Angelo benedicta vocatur, Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Ildefonſus.

Quamvis autem iſta loca ita ſint expreſſa pro debito, de quo loquimur; ut nulla tergiverſatione enervari queant, aut expenſione aliqua indigeant: nihilominus P. Salaza in ſuo opere de Concept. cap. 41. can. 3. conatus eſt duplici via illis occurrere. Primò enim ait, carnem Virginis poſſe conſiderari dupliciter: vel ut erat caro illius ſingularis & determinata: vel ſecundum communem & ſpecificam rationem carnis humanæ. Primo modo, ea dumtaxat poſſunt prædicari de illa, quæ ſibi competunt, ut eſt hæc caro individua & ſingularis: adeòque non poteſt dici quòd ſit caro peccati, quia hoc non convenit illi, ut talis caro eſt. Secundo autem modo, poſſunt prædicari de illa omnia, quæ ſecundum rationem communem carnis humanæ in eam quadrant: ac proinde quòd ſit caro peccati, quia hoc verè convenit illi ex ſua communi ratione; quamvis prout eſt in Virgine id non habeat. Et in hoc ſecundo ſenſu loquutos fuiſſe affirmat Patres ſupradictos. § Secundo ait carnem Virginis ideo ab eis appellatam carnem peccati, quia naturali modo ex concupiſcentia viri & fœminæ procreata eſt: & ideo hac ex parte non carebat fundamento peccati. 138. Duplex evaſio.

Utrunque tamen hoc effugium eſſe, & inſufficiens, citò poteſt oſtendi. Et ſane prior diſcurſus non videtur congruere legibus Dialecticæ. Nam quæ ſunt de ratione alicujus prædicati communis, reperiri debent in omnibus ſingularibus, in quibus adeſt tale prædicatum: ut quæ ſunt de ratione communi animalis, ſingulis animalibus in particulari conveniunt: ſi quæ verò alicui individuo non competunt, eo ipſo probantur vel non eſſe de prædicta ratione communi, vel hanc non reperiri in tali individuo: igitur ſi de ratione communi carnis humanæ eſt hæc conditio, ſcilicet quòd ſit caro peccati; neceſſe erit, vel quòd carni Virginis in ſingulari non conveniat communis ratio carnis humanæ, quæ de cæteris individuis & ſingularibus prædicatur, quod eſt hæreticum: vel quòd eidem in ſingulari competat prædicta conditio. ¶ Adde, ex illo diſcurſu ſequi carnem Chriſti poſſe eodem modo dici *carnem peccati*, ut potè cui non minùs verè & propriè convenit ratio communis humanæ carnis. Quod ſi prædictus auctor non renuat illationem concedere tenuet tamen quiſquis ſcripta Patrum ſeriò evolverit. Omnes enim, & præſertim Auguſtinus, Refellitur Primum.

Digitized by Google

guſtinus, Fulgentius, & Ildefonſus locis citatis ſumma cura diſtingunt inter illam, quæ eſt caro peccati, & eam, quæ tantùm eſt ſimilitudo carnis peccati: ut tribuant Chriſto Domino non illam priorem cæteris omnibus communem; ſed ſolùm hanc poſteriorem, jux-
Roman. 8. ta Apoſtolum ad Rom. 8. *Deus filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati*, &c Pro quo multa reperies in Auguſtino lib. 5. contra Iul. c. 9. Modo verò accipe hæc pauca: *Quid eſt quod laboras* (loquitur ad Hæreticum) *magnis argumentationibus pervenire ad impietatis abruptum, ut Chriſti caro nihil diſtet à carne peccati, & ſine ulla diſtinctione Apoſtolus dixiſſe credatur, cum fuiſſe miſſum in ſimilitudinem carnis peccati? Quod ſi dementis eſt dicere, & ſine dubio caro Chriſti non eſt caro peccati, ſed ſimilis carni peccati; quid reſtat ut intelligamus, niſi, ea excepta, omnem reliquam humanam carnem eſſe peccati?* Unde temeritate non caret aſſerere carnem Chriſti abſolutè eſſe carnem peccati: ſicut Patres abſolutè affirmant de carne Virginis.

139. Dices carnem humanam non ex ſua ſpecifica ratione, ſed ex accidenti eſſe carnem peccati, ſcilicet ex ſuppoſitione pacti & peccati Adami; quia tamen hujuſmodi accidens commune eſt omni carni, poteſt prædicari illa conditio etiam de carne Virginis ob rationem communem. Sed contra: nam vel prædictum accidens comprehendit B. Virginem, ſicut comprehendit cæteros; vel non, ſicut non comprehendit Chriſtum: Si primum, habebit intentum præſens ſententia, ſcilicet quòd pactum & peccatum Adami Virginem comprehenderit: ac proinde quòd ipſa ex vi illius manſerit cum debito contrahendi culpam originalem. Si ſecundum, non eſt quo pacto de Virgine prædicetur prædicta conditio: quia ratio, ex qua talis conditio convenit carni humanæ; ac proinde ipſa humana caro ut affecta illa conditione non eſt cõmunis Virgini. Quòd autem communis ſit omnibus aliis, quid ad rem, ut prædicetur de ea, cui neque eſt propria neque communis. Sane ſi id ſufficeret, dici poſſet jam contra auctorem, quem impugnamus quod intendit præſens ſententia, ſcilicet Virginem peccaſſe in Adamo, & contra illum & nos etiam peccatum originale de facto contraxiſſe; imò contra omnes aliqua actualia commiſiſſe: ſed & quòd abſurdius eſt, cuncta prædicta de Chriſto ut homine enuntiarentur, quia cæteris omnibus hominibus ſunt communia. Reiicienda igitur eſt illa prima evaſio, quæ in hujuſmodi abſurda deducit.

Refellitur ſecunda. Secunda ſolutio vel eſt contra auctorem & pro hac ſententia; vel includit falſum. Cum enim dicitur carnem Virginis appellari *carnem peccati*, quia ex modo conceptionis præbet aliquale peccato fundamentum; vel ſupponitur quòd ipſa B. Virgo particeps fuerit peccati Adami, vel non. Primum intendit præſens ſententia: nam quiſquis particeps fuit illius peccati, incurrit eo ipſo debitum ad originale contrahendum. Si autem dicatur ſecundum, non poteſt eſſe verum, quòd caro Virginis ex modo conceptionis dederit originali peccato aliquod fundamentum. Quod
Salazar. & ipſe, quem impugnamus, auctor his verbis inibi confitetur: *Nam licèt ea habuerit* (ſcilicet B. Virgo) *quæ in aliis transfundendæ culpæ fundamenta ſunt ſcilicet, ex concupiſcentia genitam, & ex ſontibus parentibus ortam fuiſſe, tamen hæc catenus tantùm culpæ fundamenta eſſe creduntur, quatenus legem & pactum adnexum habent: atque adeo cum Virgo à pacto & à lege extranea fuerit, in ipſa nec fundamenta quidem culpæ niſi remotiſſima quadam ratione appellari debent.* Et meritò ſic diſcurrit: nam modus conceptionis catenus dumtaxat præbere poteſt peccato aliquod fundamentũ, quatenus defert ad prolem infectionem peccati Adami: & ita ſecluſo ordine ad hoc peccatum, nihil eſt quod præſtet tale fundamentum. Pugnat ergo ſecum qui ordinem illum à Virgine excludens; ait nihilominus ejus carnem præſtitiſſe ex modo conceptionis fundamentum peccato: exponitque hac via Patres, qui abſolutè eam fuiſſe dicunt carnem peccati. Sed pergamus ad alios.

Euſebius Emiſenus homil. 2. de nativit. Domini, quæ incipit *Bene noſtis*, ita loquitur ad Virginem: *Initiator omnium rerum abs te initiatur! & profundendum pro mundi vita ſanguinem de corpore tuo accepit: ac de te ſumpſit quod etiam pro te ſolvat. A peccati etenim veteris nexu per ſe non eſt immunis, nec ipſa genitrix Redemptoris. Solus ille licet ex debito renaſcatur; lege tamen veteris debiti non tenetur*, &c. Neque audiendus neothericus quidam, qui preſſus hoc teſtimonio, dixit auctorem fuiſſe hæreticum Arianum. Lapſus enim errore hiſtoriæ, confundit Euſebium Emiſenum non cum Euſebio Cæſarienſi: cui D. Athanaſius lib. de decretis Nicænæ Synodi, D. Hieronymus contra Ruffinum, & ſeptima Synodus actione 5. notam illam inurunt. Cæterùm de Euſebio Emiſeno nulla unquam fuit hæreſis ſuſpicio. 140 Euſeb. Emiſ.

Videbitur autem prædictum teſtimonium aliquántulum enervari ex illa particula *per ſe*: quaſi non excludat quin per alium, ſcilicet per Chriſtum, aliquis, ut Deipara, omnino fuerit immunis tam à peccato originali, quàm ab ejus nexu ſeu debito. Verùm neque ex iſto capite vim amittit: nam lu *per ſe* non additur ſpecialiter pro Deipara, ſed pro omnibus: & ita ſenſus eſt, non quòd aliquis nexum ſeu debitum peccati de facto non incurrerit; ſed quòd à tali peccato vel debito jam incurſo nemo neque ipſa Redemptoris Genetrix per ſe, hoc eſt, propriis meritis liberatur, aut eius ſolutionem vel remiſſionem conſequitur, ſed per Chriſti ſanguinem in omnium redemptionem effuſum. Eſſeque hanc legitimam intelligentiam conſtat tùm ex illis verbis *De te ſumpſit quod etiam pro te ſolvat.* Si ergo neceſſe fuit Chriſto etiam pro Matre ſolvere, ipſa utique tenebatur etiam ſub debito: nullus enim poteſt ſolvere pro illo, qui non debet. Tùm etiam ex ſubſequentibus, *Solus ille licet ex debito renaſcatur, lege tamen veteris debiti non tenetur.* Dicens enim Chriſtum natum fuiſſe ex debito, & ipſum ſolum debito non teneri, apertè oſtendit Virginem, de qua natus eſt, aliquando ſub tali debito manſiſſe.

Idem apertè tradit Chryſippus Hieroſolymitanus in ſerm. de S. Maria Deipara (habetur tom. 6. Biblioth. veter. PP.) ad illa verba Pſ[...] 131: *S[...]ge Domine in requiem tuam tu & arca ſanctificationis tuæ*: cum enim dixiſſet, Chryſipp.

Arca

Arca pretioſiſſima eſt Virgo Deipara, ſubdit poſtea: *Cum enim tu inde ſurrexeris, ſigillabis arcam ſanctificationis tuæ, tuncque arca cum omnibus exurget à lapſu, in quo vel illam conſtituit Eva cognatio.* ¶ Conſentit P.N.S Ioannes Damaſcenus orat. . de dormit. B. Mariæ reddens rationem cur fuerit mortua, ſic ait: *Cedit legi latæ ab eo, quem genuit, & ut filia veteris Adam veterem ſententiam ſubiit.* Ita habent lectiones Breviarij Romani: Billius autem ſic vertit: *Filij ſui legi omnino obſequitur: atque ut quidem veteris Adam filia veteres pœnas ſubit.* Quomodo autem ſubiret ſententiam & pœnam mortis ut filia Adam veteris, id eſt, peccatoris; niſi in ipſo Adamo & per ejus culpam tali ſententia & debito adſtricta manſiſſet? Damaſ.

141. Anſel. Clariſſime loquutus eſt D. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 16. ubi ſic habet: *Licet ipſa hominis ejuſdem* (ſcilicet Chriſti) *conceptio ſit munda & abſque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen unde aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater ejus, & cum originali peccato nata eſt* (nativitate ſcilicet in utero) *quia & ipſa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.* ¶ Nec refert ſi dicas, prædicta verba non eſſe Anſelmi, ſed Boſonis interrogantis illum. Quoniam Boſo interrogans non eſt alius niſi idem Anſelmus, qui per modum dialogi utriuſque agit perſonam, ut ipſe animadvertit lib. 1. cap. 1. Adde, in ipſa reſponſione, quam Anſelmus tradit Boſoni, ſufficienter inſinuari, quod interrogando præmiſerat, ſic enim ait: *Poſtquam conſtat, hominem iſtum eſſe Deum & peccatorum reconciliatorem, dubium non eſt eum ſine peccato eſſe: hoc autem eſſe non valet, niſi abſque peccato de maſſa peccatrice ſit aſſumptus.* Et clariùs infra in eodem cap. *Virgo illa, de qua ille homo aſſumptus eſt, de quo loquimur, fuit de illis, qui ante neceſſitatem ejus per eum mundati ſunt à peccatis, & in ejus ipſa munditia de illa aſſumptus eſt.* Credimus mendoſe legi: *Ante neceſſitatem*: legendum verò *ante mortem*, ut ex contextu conſtat: quod non ſemel repetit in illo cap. & circa finem ita ait: *Si vere non fuiſſet moriturus, non fuiſſet vera fides futuræ mortis ejus, per quam & illa Virgo, de qua natus eſt, & alij multi mundati ſunt à peccato.* Mundari autem à peccato neceſſariò ſupponit ipſum peccatum vel in ſe contractum, vel in alio commiſſum, ac proinde ejus debitum.

Ut autem ſciremus, Anſelmum loquutum fuiſſe in hoc ſenſu, annumeraſſéque Virginem iis à peccato mundatis, qui in Adamo peccaverunt, præmiſerat in hunc modum: *Si enim Rex aliquis, cui totus populus ſuæ cujuſdam civitatis ſic peccavit, excepto uno ſolo, qui tamen eſt de illorum genere, ut nullus eorum facere poſſit unde mortis damnationem evadat. Ille autem, qui ſolus eſt innocens, tantam apud Regem habeat gratiam, ut poſſit omnes, qui crediderint ſuo conſilio, reconciliare quodam ſervitio ipſi Regi valde placituro*, &c. *concedit Rex propter magnitudinem ſervitij illius, ut quicunque confeſſi fuerint ſe velle per illud opus veniam impetrare, ab omni culpa ſint abſoluti*, &c Hac ſimilitudine declarat Anſelmus modum & efficaciam redemptionis Chriſti: & iis, qui omnes contra Regem peccaverunt, annumerat B. Virginem, cum ſubdit poſtea: *Virgo autem illa, de qua ille homo aſſumptus eſt, fuit de numero illorum, qui per eum mundati ſunt à peccatis.*

Non minus clarè loquutus eſt Rupertus Tuttienſis lib. 1. in Cant. ad illa verba *Meliora ſunt ubera tua vino*, ubi ſic loquitur cum Deipara: *Et tu quidem veraciter dicere potueras. Ecce enim in iniquitatibus concepta ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Cum enim eſſes de maſſa, quæ in Adam corrupta eſt, hæreditaria peccati originalis labe non carebas.* Rupert.

Accedit Bernardus in epiſt. 174. quæ eſt ad Canonicos Lugdunenſes: ubi adeo propendit in hanc partem, ut vel nullo modo vel non ſine labore poſſit interpretari de ſolo debito. Reprehendens enim Canonicos illos, quòd feſtum Conceptionis Virginis celebrabant, quaſi in ipſo conceptu vel antea ſancta extiterit, inter alia ſic ait: *Si ergo ante conceptum ſui ſanctificari minime potuit, quoniam non erat, neque in ipſo conceptu propter peccatum, quod inerat; reſtat ut poſt conceptum in utero jam exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur: quæ excluſo peccato, ſanctam fecerit nativitatem; non tamen & conceptionem.* Pluraque alia habentur ibi pro hac ſententia. ¶ Evaſionem vero, quam adhibent Iuniores aliqui innuentes epiſtolam illam non eſſe D Bernardi, rectè impugnat Angelus Manriquez tom 1. annal. Ciſtercienſium ad annum 1136. cap. 4. Cujus impugnationi addi poteſt, quòd cum prædicta epiſtola ſupponatur ſcripta, vivente Bernardo, mortuo enim quis vel amens ejus nomine ſcriberet: & non cuivis privatæ perſonæ, ſed graviſſimæ Eccleſiæ? Fieri non poterat, ut aliqua illius notitia vel ex communi rumore, vel ex ipſo Lugdunenſis Eccleſiæ reſcripto ad aures Doctoris ſancti non perveniret: perventa autem, ſi epiſtola fuiſſet ſuppoſita, & ejus doctrina ſenſui Bernardi eſſet oppoſita; quomodo non ſtatim novam epiſtolam mitteret, qua fraudem detegeret, & ſe ab impoſtura purgaret? Sanè ſicut utrunque hoc credibile non eſt; ſic etiam incredibile videtur, epiſtolam non eſſe Bernardi. ¶ Sed præter eum locum ſunt alia ejuſdem melliflui Doctoris pro prædicta ſententia: præſertim ſerm. 2. de Aſſumpt. B Mariæ, ubi de illa ſic loquitur: *Abſit ut proprij cujuſquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur, ut in ea proinde ſcopa Lazari* (id eſt pœnitentia) *quæreretur: quòd ſi originalem à parentibus maculam traxit; ſed minus à Ieremia ſanctificatam in utero, aut non magis à Ioanne Spiritu ſancto repletam credere prohibet pietas chriſtiana: cum omnimodo conſtet ab originali contagio ſola gratia mundatam eſſe Mariam.* ¶ Bernardi ſententiam ſequutum fuiſſe per omnia Petrum Cellenſem, conſtat ex ejus epiſt. 11. ad Nicolaum Monachum, ubi pro defenſione Bernardi & ejus doctrinæ de Conceptione Virginis in prædicta epiſtola ad Lugdunenſes à prædicto Nicolao impugnatæ, ſtrenue laborat; & ex epiſtola ipſius Nicolai ad Petrum, quæ inter hujus epiſtolas eſt in ordine 16. Habentur verò omnes tom. 12. biblioth. veter. PP. 142. Bernard. Petr. Cellen.

143. *Richard de S Vict.* Conſonat Richardus de S. Victore lib 1. de Emanuele cap. 11. ubi dicit, quòd Chriſtus *maculam peccati de materna carne non contraxit, ſed delevit.* Apertè ſupponens adfuiſſe ibi, ſi non in ſe ipſa; in ſuo tamen debito prædictam maculam: quia deleri non poſſet, ſi nullo modo adfuiſſet. Et inferius ponit diſcrimen inter carnem Chriſti & carnem Virginis, quòd illa fuit ſemper munda & pura; iſta verò fuit mundata & purgata à peccato: *Notandum in matre & prole: quia in matre caro mundata, in prole non mundata, ſed munda: in illa purgata; in iſta pura.* Quæ diſtinctio & loquutio verificari non poſſet, niſi in Virgine præceſſiſſet ſaltem debitum peccati, à quo mundaretur & purgaretur per gratiam. Oſtendit verò hic locus, eundem ſenſum eſſe, quoties B. Virgo vel ejus caro dicitur à peccato originali aut ab ejus effectibus *mundata* vel *purgata.* Quo loquendi modo utitur ibi non ſemel, & lib. 1. cap. 16. *Conſtat pro certo, quia niſi ad plenum purgata fuiſſet, fructum talem facere non poſſet.* Et cap. 17. & 18. habet non pauca, quæ huic ſententiæ ſuffragantur. Reperitur etiam prædictus loquendi modus in aliis Patribus Richardo antiquioribus, ut

Nazianz. Nazianzeno orat. 42. ubi de Chriſto ait: *Humana omnia, excepto peccato, ſuſcepit, conceptus quidem ex Virgine, & animo & carne à Spiritu purgata, ſive præpurgata,* ut habet orat. 38.

German Germano Patriarcha Conſtantinop. in theoria rerum Eccleſiaſt. ibi: *Dei ſapientia & virtus ſuam carnem ædificavit ex virum non experta caſta matre præpurgata anima & corpore.*

Niceph. Nicephoro Conſtantinopol. in epiſtol. ad Pontificem Leonem III. (extat apud Cæſarem Baron. tom. 9. ad annum 811.) ubi dicit Verbum habitaſſe in utero ſanctiſſimæ incontaminatæ Dei Genitricis Mariæ, *& in animo & in carne præmundata Spiritu,*

Damian. Petro Damiano, qui in ſerm. Aſſumpt. ad illa verba Cant. 4. *Et macula non eſt in te,* addit: *Quia Spiritus ſanctus ſupervenit in te, qui te mundavit.* Et aliis, quorum omnium ſenſum prædictus Richardus explicuit per illam diſtinctionem inter *mundam* & *mundatam, puram* & *purgatam.*

144. *Richard à S. Laur.* Clariùs adhuc loquutus eſt alter Richardus, ſcilicet à S. Laurentio in opere de laudibus Virginis lib. 7. cap. *Item quod luna* §. *Diviſa à tenebris,* ubi accommodans B. Virgini illa verba: *In principio creavit Deus cœlum & terram,* inquit: *Id eſt animam & corpus Mariæ. Sed hæc terra erat inanis & vacua ante gratiam ſanctificationis: & erant tenebræ ſuper faciem abyſſi, quia concepta eſt in originali.* Idem repetit paulò inferiùs §. *Partim obſcura,* & § *Diluculum de quo.* & alibi ſæpe in toto illo opere, quod duodecim libris diſtribuitur. Excuſſum eſt autem ſub proprio nomine prædicti Richardi Duaci anno 1625. Nuper verò Lugduni inter opera Alberti Magni tom. 20. ſed ex utroque prologo illi præfixo apparet potiori jure tribui Richardo quàm Alberto. Præſertim cum hujus habeamus ingens aliud opus dictum *Mariale,* ſeu *Super miſſus eſt,* ubi 230. quæſtionibus collectum & diſcuſſum invenitur, quicquid de excellentiis, privilegiis, & laudibus Beatiſſimæ Virginis excogitabile videtur.

Ejuſdem ſunt ſententiæ uterque Hugo, Carenſis & Victorinus. Ille enim ſuper 7. caput Eccleſiaſtes ad illa verba *Virum de mille unum reperi; mulierem ex omnibus non inveni,* hæc addit: *Quæ aliquid muliebritatis non haberet, ſaltem originaliter: etiam B. Virgo originale habuit.* *Hugo Carenſ.* Iſte verò lib. 1. de Sacramentis fidei p. 1. cap. 5. ſic ait: *Catholicæ veritatis definitio filium Dei (qui pro peccatoribus & de peccatoribus natus eſt) de carne obnoxia peccato carnem aſſumpſiſſe aſſerit liberam à peccato.* *Hugo Victor.* Cum autem non aliunde quàm de B. Virgine carnem aſſumpſerit, plane ſequitur hujus carnem peccato fuiſſe obnoxiam.

Idem docuit Albertus Magnus in 3. diſt. 3. art. 4. in corp. Et ad 1. Et art. 4 ad 4. & art. 5. *Alb. Magn.* ubi apertiſſimè loquitur. Et in Mariali ſuper *Miſſus eſt* quæſt. 117. num. 5. ubi probat B. Virginem fuiſſe in utero ſanctificatam, hoc argumento: *Dicit Anſelmus: Ea puritate B. Virgo nitebat, qua major ſub cœlo nequit intelligi: ſed puritas Dei hominis eſt peccatum originale nec habere nec unquam habuiſſe; major quidem poſt illam eſt originale habuiſſe, ſed ſtatim & ab illo mundatum eſſe: ergo B. Virgo debuit quidem in originali concipi, ſed ſtatim ab illo mundari: ergo debuit in utero ſanctificari.*

Idem ſtatuunt Doctores Seraphicus & Angelicus, iſte 3. p. quæſt. 14. art 3. ad 1. ibi: *Caro Virginis fuit concepta in peccato originali.* 145. *D. Thom. D. Bonav.* Et latiùs quæſt. 27 art. 2. & quæſt. 31. art. 8 & aliis locis, quæ citabimus infra num. 201. Ille verò in 3. diſt. 3. art. 1. quæſt. 2. ubi poſt multa contra piam ſententiam & pro opinione aſſerente in B. Virgine originalem culpam, tandem concludit: *Huic ergo poſitioni adhærentes propter honorem Ieſu Chriſti, qui in nullo præjudicat honori Matris, dum filius matrem incomparabiliter excedit, teneamus ſecundùm quod communis opinio tenet, Virginis ſanctificationem fuiſſe poſt originalis peccati contractionem.* De mente verò utriuſque ſancti Doctoris, & an poſſint de ſolo debito interpretari, dicemus dub. ſequenti.

Succedunt prædictis Patribus S. Bernardus Senenſis Ordinis Seraphici tom. 4. ſerm 4. de Concept. B. Mariæ art. 1. cap. 1. ubi ſic ait: 146. *Bern. Sen.* *Tertia fuit ſanctificatio maternalis, & iſta removet culpam originalem, & confert gratiam: & hæc fuit in Virgine matre.* Ut autem ſanctificatio illa removeret originalem culpam, opus erat ut iſta adeſſe deberet; aliàs non indigeret remotione. Et art. 3. cap. 2. dicit fuiſſe in Virgine fomitem peccati ſecundùm eſſentiam; quamvis ligatum ne in actum prodiret. Conſtat autem fomitem eſſe effectum peccati Adami, nulli que competere, niſi quia in eo peccavit. Sentit igitur hoc de B. Virgine; quamvis quòd in ſe peccatum incurrerit, prout aliqui autumant, non ſenſerit, ut num. 199. conſtabit.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 1. p. titul. 8. cap. 2. ſic habet: *Antonin. Florent.* *Si conſideretur Scriptura & dicta Sanctorum antiquorum & modernorum, qui fuerunt devotiſſimi Virginis glorioſæ; manifeſte patet ex verbis eorum ipſam in originali peccato conceptam fuiſſe.* Sed oſtendemus dub. ſequenti, teſtimonia Scripturæ &

Digitized by Google

& Sanctorum ſufficienter exponi de contractione peccati ſolum quoad debitum.

Toſtat. Alfonſus Toſtatus Paradoxa 5. cap. 161. cum retuliſſet utranque opinionem, aſſerentem ſcilicet, & negantem B. Virginem fuiſſe in peccato originali conceptam; dicit etiam juxta ſecundam tenendum eſſe, quòd ſi ante Chriſti mortem vitam finiret, non ſtatim ejus anima ad cælum evolaret; ſed ad limbum cum cæteris ſanctis deſcenderet. Et reddit hanc rationem: *Quanquam B. Dei Genitrix originalem maculam non incurriſſet; tamen ad limbum ſanctorum deſcendere obligabatur, cum peccatum originale incurrere tenebatur, licèt non incurrerit.*

147. His non immeritò adnecti poteſt ob ſuam venerandam antiquitatem Petrus Lombardus ſententiarum & ſcholaſticorum Magiſter in 3. diſt. 3. ubi ſic ait: *Quæritur etiam de carne Verbi, an priùs quàm conciperetur, obligata fuerit peccato,* &c. *Sanè dici poteſt, & credi oportet juxtà Sanctorum atteſtationis convenientiam ipſam priùs peccato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua Virginis caro ſed Spiritus ſancti operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo,* &c. ¶ Annumerant etiam nonnulli ſupradictis Patribus quatuor ſummos Pontifices, qui ſapientia & doctrina valde claruerunt, & ut particulares Doctores huic ſententiæ ſubſcripſiſſe dicuntur: videlicet Innocentium III. in ſerm. Aſſumpt. B. Virg. Honorium, III. ſerm. Dominicæ in Paſſione, & in quibuſdam aliis. Innocentium V. in 3. diſt. 3. qu. 1. art. 1. & quæſt. 2. art 1. Et Clement VI. in ſerm Dominicæ 1. Adv. ad illud *Erunt ſigna in ſole & luna.* Nos autem in præſenti ſolius primi, quæ vidimus verba dabimus ex ſerm. citato deprompta: ait ergo: *Illa* (ſcilicet Heva) *fuit ſine culpa producta, ſed produxit in culpa; hæc autem* (ſcilicet B. Maria) *fuit in culpa producta, ſed produxit ſine culpa.*

Scimus quorundam aliorum Patrum teſtimonia pro hac ſententia referri: quæ quia videre non licuit, miſſa facimus: non quòd illis fidem negemus; ſed ut ea ſolùm teſtemur, quæ vidimus. Scimus etiam vulgare eſſe apud aliquos Iuniores, nonnullos ex præcitatis Doctoribus, ut Anſelmum, Bernardum, Albertum, Thomam, Bonaventuram, & Antoninum ſententiam priùs aſſertam poſteà revocaſſe. Sed neque hujus revocationis firmum argumentum aut fide dignum teſtimonium producitur: neque illa quæ afferuntur, qualiacunque & incerta, ullo modo ſonant aut continent negationem debiti, de quo agimus, ſed ad ſummum negationem contractionis peccati. Unde eſto fides illis adhiberetur, nullatenus contrariarentur huic ſententiæ, quæ non peccati contractionem, ſed ſolùm debitum aſtruit. Quod etiam obſervatum eſſe volumus pro auctoribus §. ſequenti referendis ſi qui eorum aliquando palinodiam ceciniſſe dicantur.

§. IV.

Communis aliorum Doctorum plauſus pro hac ſententia.

Secundum valdéque robuſtum huic ſententiæ fundamentum præſtat unanimis ferè aſſenſus cæterorum Doctorum: qui vel Theologiæ ſcholaſticæ, morali, aut expoſitivæ, vel canonico juri nomen dedere. 148. Quoquot enim rem tetigerunt (præter pauciſſimos ex citatis pro oppoſita opinione ſupra num. 124. quos infra num. 130. ſegregabimus) illi ſubſcribunt. Et quamvis non omnes eadem phraſi & terminis utantur, omnes tamen in re conveniunt quantum ad aſſertionem debiti, de quo loquimur: dum alij dicunt B. Virginem fuiſſe peccato obnoxiam, alij carnem peccati habuiſſe, alij peccaviſſe in Adamo, & cum eo de ligno vetito comediſſe: quidam etiam peccatum originale (in quo à fortiori debitum clauditur) contraxiſſe: plurimi verò in propriis terminis aſſerunt incurriſſe debitum peccatum contrahendi, non tamen de facto contraxiſſe. Qui omnes dicendi modi in idem ferè coincidunt, ut conſtat ex dictis dub. 1. hujus diſputationis. Si quid verò diſſidij ad rem pertinentis inter eos reperitur, ſolùm conſiſtet penes majorem vel minorem extenſionem prædicti debiti, ſeu penes diverſos ejus gradus, qui omnes continentur infra limites debiti proximi ſupponentis Adami peccatum, ut initio hujus dubij num. 123. animadvertimus, & infra à num. 218. magis declarabimus. Adducemus verba aliquorum, de quibus ſectatores primæ opinionis dubitarunt, aut eos pro ſe expendere conati ſunt, ut ex ipſis, non ex noſtra tantùm relatione, quæ ſit illorum mens facilè innoteſcat: aliorum autem qui clariùs loquuntur, tantùm ne gravemus lectorem, quòd plurimi ſint, ſolam ſententiam, ex eiſdem, non ex aliorum citationibus immediatè depromptam, referemus.

Igitur ſententiam hanc ſtatuunt Gloſ in cap *Firmiſſimè* de conſecrat. diſtinct. 4. Guido Archidiaconus Bononienſis in ſuo Roſario ſuper dictum cap. *Firmiſſimè*. Et ibi etiam Cardinalis Ioannes de Turrecremata num. 11. ad tertium quæſitum. Ioannes Andreas in 2. p. Novellæ. tit de feriis ſuper c. *Conqueſtus*. Cardin. Hoſtienſ. in ſua ſumma de pœnit. & remiſſ. §. *Quis debet confiteri.* Et alij ex Canoniſtis. 149. *Auctores pro hac ſententia. Gloſſ. Archid. Turrecr. Ioa. Andr. Hoſt.*

Ex Theologis verò tuentur illam Henricus de Gandavo, quod lib. 1? quæſtion. 13. Gulielmus Antiſiodorenſis lib. 1. ſummæ tractat. 1. cap. 1. Gulielmus Durantes in Rationali divinor. officior. lib. 7. cap. de Purificatione Virg. num. 4. Ægidius Romanus in 2. diſt. 31. quæſtion. 1. Citatur etiam quodlib. 6. quæſtion. 20. Gregorius de Arimino in 2. diſt. 30. quæſtion. 2. part. 1. dicens oppoſitum ſecundum omnes expoſitores contradicere ſacræ Scripturæ. Durandus à Sancto Portiano in 3. diſt. 3. quæſtion. 1. num. 10 Capreolus eadem diſt. quæſt. 1. concluſ. 1. ubi etiam Matthias Aquarius concluſ. 1. dicens eſſe communem ſententiam Scotiſtarum: & oppoſitam manifeſtè errorem. Herveus Natalis quodlib. 4. quæſt. *Henricus, Antiſiodor. Guliel. Dur. Ægid. Greg. Dur. Capr. Aq. Herens.*

Baconius. Guido. Iac. de Vorag. Vindelius. Hiſpalen. Caietan. Ferrar. Cano. Medina. Brixienſ. Bellovi ſu. Caſtellanus. Bergom. Greg. Mart. Araujo.

quæſt. vltim. N. Ioannes Baconius in 2. diſt. 31. quæſt unica: & in 4. diſt. 2. quæſt. 4. N. Guido Epiſcopus Majoricenſis lib. cui titulus *Quatuor unum, ſive Concerdia evangelica* in cap. 1. Lucæ ad illa verba *Quod naſcetur ex te ſanctum*, &c. Iacobus de Voragine ſerm. 1. de Aſſumpt. & tribus ſequentibus. Vincentius de Caſtronovo tota diſputatione ſolemni ad Herculem Eſtenſem Ferrariæ ducem. Didacus Deza Archiepiſcopus Hiſpalenſis in 3. diſt. 3. quæſt 1. art. 3. Thomas Caietanus tom. 2. opuſculor. opuſc. 1. cap. 3. & 1. 2. quæſt. 81. art. 3. Franciſcus Ferrarienſis lib. 4. contra gentes, cap. 50. Melchior Cano lib. 7. de locis Theologicis cap. 3. num. 9. concluſ. 4. Bartholomæus de Medina 3. p. quæſt. 27. art. 2. Antonius Brixienſis ſerm. 1. de excellentia ſanctific. B. Virginis. Armandus de Bello-viſu collat. 4. de feſto Concept. Albertus Caſtellanus ſerm. de Laudib. B. Virginis in feſto Concept. Petr. Bergomenſis in concordan. D. Thomæ dub. 370. Gregorius Martinez 1. 2. quæſtion. 81. art. 3. dub. 1. Franciſcus de Araujo ibidem in dubio quod movet circa mentem D. Thomæ. ¶ Alexander de Ales Magiſter Ordinis Seraphici 3. p. quæſt. 9. membro 2. art. 1. & 2. Richardus de Media-villa ejuſdem Ordinis in 3. diſt. 3. quæſtion. 1. Alvarus Pelagius Epiſcopus Silvenſis ex eodem Ordine lib. 2. de planctu Eccleſiæ art. 52. acriter feriens contrariam opinionem & ejus ſectatores. Ex qua etiam Seraphica familia præſenti ſententiæ ſuffragantur viginti octo ſequentes.

Auctores Ordinis Seraphici. Alex. Rich. Alv. Pelag.

150. *Scotus.* Scotus in 3. diſt. 3. quæſt. 1. in ſolutionib. ad argumenta: cujus verba & ſcholium adducemus, quia ab aliquibus ejus ſenſus in quæſtionem deductus eſt. Cum itaque pro ſententia affirmante Virginem fuiſſe in peccato conceptam adduxiſſet teſtimonia Scripturæ & Sanctorum, quæ aſſerunt, omnes deſcendentes ſeminaliter ab Adam ita concipi, reſpondet non quidem excipiendo B. Virginem à prædictis teſtimoniis, ſed exponendo illa, quòd intelligantur quantum ad debitum. *Si autem* (inquit) *teneatur pars negativa quæſtionis ad omnes auctoritates in contrariam partem reſpondetur, quod quilibet filius Adæ naturaliter eſt debitor juſtitiæ originalis, & ex demerito Adæ caret ea, & ideo omnis talis habet unde contrahat peccatum originale*, &c. Et inferiùs. *Ita exponendæ ſunt auctoritates, quòd omnes naturaliter propagati ab Adam ſunt peccatores, id eſt, ex modo quo habent naturam ab Adam, habent unde careant juſtitia debita, niſi eis aliunde conferatur.* In quibus verbis (quæ manifeſtè continent debitum, de quo agimus) comprehendit Scotus tam B. Virginem, quàm reliquos Adami poſteros, utque illam ab actuali peccati contractione per infuſionem gratiæ in primo inſtante excipiat, ſubdit: *Sed ſicut poſſet poſt primum inſtans conferre ei gratiam; ita poſſet in primo inſtante.* Et rurſus: *Quando arguitur quòd priùs natura fuit filia Adæ, quàm juſtificata concedo; quia illam naturam in primo inſtante naturæ ſic conceptam conſequebatur eſſe filiam Adæ, & non habere gratiam*, &c. ¶ Quæ verba ſatis apertè declarant, mentem Scoti fuiſſe eam quam dicimus. Declaravitque apertiùs ejus

Hug. Cabel. ſcholiaſtes Hugo Cabellus idem ſuſtinens ibidem his verbis: *Docet modum ſolvendi omnes Sanctorum auctoritates, quæ univerſaliter neminem excipiunt ab originali: quia intelliguntur quòad debitum: omnes enim naturaliter concepti habent unde contrahant originale ex vi ſuæ conceptionis: & niſi ex privilegio aliquis eximatur (ut de B. Virgine credimus) de facto omnes illud contrahunt. Quam ſolutionē moderni in hac quæſtione ſequuntur: eamque latè probant Pitigianus hic art. 5. docens, B. Virginem tripliciter fuiſſe peccato obnoxiam: primò in lumbis Adæ & aliorum parentum: ſecundò in utero ante animationem, tunc enim exiſtebat ſecundùm partem, & inficienda erat, niſi preveniretur: tertiò in primo inſtante animationis, quia licèt in illo eodem inſtante fuerit in gratia, priùs natura exiſtebat ſine ea, & debebatur ei ſecundùm ſe oppoſitum.*

Ejuſdem ſunt ſententiæ Ioannes de Baſſolis in eodem 3. diſt. 3. quæſtion. 1. art. 4. ubi etiam Franciſcus Lychetus quæſtion. 1. Nycolaus de Orbelis in reſponſionib. ad argumenta. Franciſcus Ovandus propoſit. 6. & in ſolut. ad argumentum de redemptione. Franciſcus de Pitigianis quæſtion. 1. art. 5. dicens non poſſe abſque errore negari. Petrus de Aquila dictus Scotellus quæſtion. 1. ad 1. omnes ſuper prædictam 3. diſt. Cornelius Muſius, Epiſcopus Bitontinus ſuper ad Rom. 5. folio nobis 255 ibi *Vt Adæ filia non inficior, quòd omnino & ipſa* (B. ſcilicet Virgo) *cum reliquis omnibus meruerit immunditia illa coinquinari.* Ludovicus Miranda in defenſione pro immacul. Virg concept. quæſtion. 12. concluſ. 3. Antonius de Corduba lib. 1. quæſtion 44. dicens, hanc ſententiam eſſe Catholicam, contrariam verò hæreticam: idque probat, quia niſi ita dicatur, non poſſunt ſalvari multæ authoritates ſacræ Scripturæ. Didacus Vega ſerm. 1. de Concept. Pelbartus de Themeſuar. lib. 4. Stellarij p. 2. art. 1. cap. 7. Daniel Agricola in ſuo etiam Stellario in 2. ſtella coronæ. Alexius à Salo lib. de duodecim ſtellis in declarat. 2. ſtellæ. Antonius Rubius in Aſſertionibus Catholicis, errore 5. Albertus de Marqueſiis lib. 5. cæliloq. moral. cap. 17. Antonius Bitontinus ſuper cap. 8. Proverb. quæſt. 3. in epiſt. de feſto Concept. Henricus Helmeſius ſerm. 2. de Concept. Philippus Diez ſerm. 3 de Concept numer. 28. & 32. Petrus Ariſtizabal in Habacuc. cap. 3. verſu 31. conſiderat. ultim §. 5. Ioannes de Cartagena lib. 7. homil. 15. dicens eſſe ſolidiorem doctrinam, nihilque puritati Virginis derogare. Franciſcus de Herrera 1 p inſtructionis Chriſtianæ cap. 10. de peccato originali. §. 1. dicens, oppoſitum ſentientes nimios eſſe magis quàm devotos. Ioannes de Vverdena author libri, cui titulus *Dormi ſecure*, ſerm 5. de Concept. Franciſcus de Oſuna ſerm. 3. de Concept. Eligius Baſæus in floribus Theologiæ, verbo *peccatum*. num. 6. Franciſcus del Caſtillo tract. de præſervat. Virginis diſp. 1. quæſtion. 1. num. 30. Licèt enim renuat concedere in B. Virgine debitum in propria perſona contractum; attamen quòd peccaverit in Adamo, habueritque in illo debitum culpæ originalis contrahendæ, libenter amplectitur, quòd cernat conformius eſſe doctrinæ Scoti. Sed & Ill. D. Ioannes Merinero Epiſcopus Valliſolet. in reſponſione ad epiſtolam

Baſſolis. Lychetus. Orbelis. Ovandus. Pitigian. Cor. Muſ. Aquila. Miranda. Corduba. Vega. Pelbartus. Dan. Agric. Salo. Rubius. Marqueſ. Anto. Biton. Helmeſius. Phil. Diez. Ariſtizab. Cartagen. Fran. Her. Vuerdena. Oſuna. Baſæus. Caſtillo. Merinero.

ſtolam Catholici N. Regis Philippi IV pro cauſa Conceptionis perpetuus eſt in adſtruendo, ut quid à Catholicis contra Pelagianos communiter receptum, debitum de quo loquimur uſque ad ipſum inſtans animationis Virginis pertingens. Ut videre eſt Priori propoſit.r t.1 num. 19.& num.26.& 28. & rat 3. num.42.& num 54.& 56.& Poſteriori propoſit. rat.4. num. 11. Hi omnes ex Seraphica familia.

151. Alij Auctores. *Paludanus. Argentina Tho.Vill. Iac.Valen. Rampegol. Ægid.Luſ. Baſ legion. Valderrama. Orozco. Nogarol.*

Pro eadem quoque ſunt ſententia Petrus de Palude Patriarcha Hieroſolymitanus non ſolùm in 3. diſt. 3. ubi pro contractione peccati originalis in Virgine ſtetit, ſed etiam in ſerm. de Concept. B. Virginis Mariæ enarrat . ubi ejus immunitati conſulit. Thomas de Argentina in 3. diſt. 3. quæſt. 1. S Thomas de Villa nova tom. 2. concione 2. prope finem. Iacobus de Valentia ſuper Pſal. 45. circa finem: & ſuper canticum *Magnificat* ad illa verba *Quia fecit mihi magna*, &c. Antonius Rampegolis in compendio figurarum Bibliot. de Maria Virgine ad illud *Ecce nubes lucida*. Ægidius à Præſentatione lib. 2. de Concept. Virg. quæſt 4. art. 7. num. 18. dicens, contrarium ſine errore affirmari non poſſe. Baſilius Legionenſis p variarum diſp. releċt. 3. Petrus de Valderrama in ſermonib. de Concept. præſertim ſerm. 5 Alphonſus Orozco commentar. in Cantic. annot. 3 ad encomia almæ Virginis ex cap 1. pro feſto Concept. Leonardus Nogarolis in epiſt. ad Sixtum IV. pro Conceptione Virginis, & ſui officij approbatione. Et quia non omnino apertè loqui viſus eſt, ponemus ejus verba. *Copioſa* (inquit) *apud eum redemptio, qui non ſolum lapſos redimi, ſed ex ſui natura labe maculandam unicam Matrem meritò redimuit, Maculatam fortè legiſti conceptionem embrionis & ſeminis, non maculata anima intellige qui omnia ſapis peccatum tanquam cauſa & materiale quid in corpore eſt, formalis verò ſola anima capax eſt.* Ecce concedit, Virginem ex ſua natura maculandam fore: de factoque maculam & peccatum tanquam in cauſa & materia in ejus corpore extitiſſe, dum formaretur in utero ſub forma embrionis, quamvis ad animam propter prævenientem gratiam non pertigerit: quæ omnia important debitum de quo agimus.

Incognitus. Spiera. Luzero. Tena. Holkot. Marſil. Almain. Driedo. Catherin.

Apertiùs illud concedunt N. Incognitus in Pſal. . num. 418. N. Ambroſius Spiera ſerm. 32 conſider 2. Gundiſalvus Luzero in Diſcurſu Theologico pro defenſione Concept. Deiparæ cap. . id ſupponens tanquam certum in fide Ludovicus Tena ſuper 7. cap. epiſt. ad Hebr. diffic. 5. num. 6 Robertus HolKot in cap. 3. Sapien. lect 10. Marſilius ab ingen in 3. quæſt. 4. art. 1. Iacobus Almainus in 3. diſt. 3. quæſt. 2. in ultimo argumen. Ioannes Driedo lib. 3. de regulis ſacræ Scripturæ tract. . cap. 4. Ambroſius Catherinus in opuſc. ſeu diſput pro immaculata Concept. lib. 1. Et quia citatur alibi pro oppoſita opinione, dabimus ejus verba: ſtatim enim in principio illius 1. libri concedit quod B. Virgo ex jure & ex vi generationis ab Adam debuit ſub peccato originali concludi. ex privilegio tamen fuiſſe ab eo præſervatam. Et inferiùs: *Dicimus, B. Virginem ſubjectam eſſe peccato ſecundum Adæ meritum: at ſimpliciter, id eſt, ſecundùm facti veritatem* (ſeu quantum ad actualem contractionem) *nequaquam, quoniam præveniens Chriſti gratia pro illa obex fuit peccato.* Quas vel ſimiles propoſitiones invenies multoties repetitas tota illa diſputatione præſertim cap. *de prima contradicentium acie*, &c. §. *Statim* in primi argumenti ſolutione: & paulo inferiùs §. Corruit enim primò, & §. *Verum contra primam*: & ſæpe ſæpiùs toto illo 1. libro. Imo in opuſculo de peccato origin. ubi in contrarium citatur, cap. ultimo §. *Vido & octavo*, eſt manifeſtè pro hac ſententia: ſic enim habet: *Vide & octavo, quòd B. Virgo ſecundum quod fuit verè filia Adæ, debuit hoc peccatum contrahere: ſed quòd de facto contraxerit, non eſt opinandum.* Solùm ergo negat Virgini actualem peccati contractionem; concedit verò debitum contrahendi.

Gerſon. Cartuſian. Palacios. Eſtius. Echius. Sotomai. Cabrera. Cornejo. Manrriq.

Clariùs & firmiùs tenens hanc ſententiam Joannes Gerſon alphabeto 5. litera Q. veritate o. Rodulphus Cartuſianus 1. p. vitæ Chriſti cap. 2 Michael de Palacio in 3. diſt. 3. diſp. 1. in reſponſ ad 1 argumentum. Gulielmus Eſtius in eodem 3. diſt. 3 § 1. Joannes Echius homil. 4 de Concept. num 4. Ludovicus de Sotomajor in Cant. cap. . fol nobis 797. Petrus Cabrera tom. . in p. quæſt. 2 art. 2. diſp 1. num. 1. N Petrus Cornejo ad 3. p tract. 2. diſp. . dub. . Angelus Manrique, tom. . annal. Ciſtercien. ad annum 11 . cap. . & . ubi & conatur ad hunc ſenſum reducere D Bernardum, & quatuordecim ſui Ordinis ſcriptores, quorum meminit Medina ubi ſupra: qui videntur docere, Virginem fuiſſe in peccato conceptam. *Intelligendi enim ſunt* (ait ille) *non de peccato quod de facto contraxit, ſed de debito contrahendi.* Horum autem quatuordecim Doctorum Ciſtercienſium nomina & verba adducit Vincentius de Caſtro novo diſp. citata cap. 14 Idem docet Franciſcus de Vivar. in opere cui titulus *SS. Patres vindicati*, &c lib 2. §. 4 & ſequentibus, Joſephus de la Zerda lib. de Maria & Deo incarnato academ 3. à num 64. Seraphinus à Porreta 3. p quæſt. 27. art. . Franciſcus Silvius eadem 3. p. eadémque quæſt. & artic.

Vivar. Zerda. Seraphi. Silvius.

152. Auctores Societatis Ieſu.

Ejuſdem ſententiæ inſignes patronos ſupra viginti ſeptem dedit ſacra Religio Societatis Ieſu ab initio ſuæ conditionis. Nam illam primus defendit Alphonſus Salmeron ſuper ad Rom. . diſp. 49. & 50. cujus verba adducemus, ut appareat, nullo jure fuiſſe ab aliquibus de ejus mente dubitatum: ſic ergo ait citata diſp. 49 *Quartus modus immunitatis eſt, quo quis à morte omnino incurrenda & à peccato præſervatur: & hæc eſt B. Virginis immunitas, non quidem à peccato jam incurſo, ſed ex debito naturæ incurrendo, quia nata ex ſemine Adæ: omnes enim peccavimus in Adam, in quo eramus potentia, non ſecus ac in arbore ſunt fructus*, &c. Et poſt aliqua exempla quibus rem declarat, ſubdit: *Ita de Virgine naſcitura ex ſe in peccato quia comedit in Adamo: noluit tamen eam cenſeri prævaricatricem: nam & ſi fuiſſet debitrix contrahendi illam labem, non tamen ſimpliciter contraxit, ſed debitrix ex conſideratione naturæ fuit.* &c. Et diſp. 50. *Chriſtus longè excedit Virginem, in quâ fuit potentia & debitum contrahendi peccatum.* Et iterum ſolvens argumentum ſumptum contra immunita-

Salmeron.

FFf 3 ratem

tatem Deiparæ ex illis verbis Pauli *in omnes homines mors pertranſiit*, ſic ait: *Habet illa ſententia veritatem propter reatum, id eſt, debitum contrahendæ mortis. Vbi etiam Caietan. eleganter adnotat, ad fidem Catholicam ſpectare quod omnes, præter unum Chriſtum ſolum, contrahunt peccatum originale, id eſt neceſſitatem, & debitum habendi illud*, &c. Quid clariùs? ¶ Quòd ſi argumento ad hominem ex Ferdinando de Salazar uti velimus, referendus erit pro hac ſententia Jacobus Lainez ejuſdem Societatis præpoſitus generalis: cui communem quantùm ad hoc cum Salmerone fuiſſe ſententiam teſtatur prædictus auctor in ſuo opere de Conceptione cap. 41. num. 5. *Quia pater Salmeron* (inquit) *eius ſemper adhærebat placitis*. Evaſionem verò quam Salmeronis teſtimonio ipſe Salazar excogitaverit, & ejus impugnationem reperies infra numero 128.

Lainez.

Eandem ſententiam tuentur Cardinalis Robertus Bellarminus lib. 4 de amiſſione gratiæ & ſtatu pecc. cap. 16. dicens, contrariam opinionem eſſe minùs tutam. Qua cenſura non contentus Gabriel Vaſquez probat damnandam eſſe ut errorem, tom. 2. in 1. p. diſp. 115. cap. 2. Severiorique adhuc nota feritur à Gregorio de Valentia tom 4 diſp. 2. quæſt. 1. punct. . Sed & apud Franciſcum Suarez male audit prædicta contraria opinio tom 2. in 3. p diſp. 3 p ſect. 2. Dabimus eorum verba infra numer. 12 . & 126. ut conſtet, nùm de illorum mente jure ſit ab aliquibus dubitatum.

Bellarm. Vaſq. Valent. Suar.

Expreſsè etiam docent hanc ſententiam Petrus Caniſius lib. 1. de Deipara c. 6. & 7 Joannes Azor. lib. 4. inſtitut moral capit 34. quæſtion. 3. Henricus Henriquez lib. 2. ſummæ cap 1 . num. 6. litera O, Gaſpar. Sanchez in Cantic. capit. . num. 78 & capit. 2. numer. 58. Ludovicus à Ponte tom. . meditationum p. 2. meditat. 3 punct . Petrus de Ribadeneira tom. 1. Flor. ſanct in feſto Conceptionis B. Virginis Joannes de Salas tom. 1. in 1. 2. tractat 1 . diſp. 1 ſect. 5. quæſt. 11. Cornelius à Lapide ſuper ad Rom n 5 numer. 193. & ſuper capit 7. Eccleſiaſtes verſu 2 . Ioannes Lorinus in 1. epiſt. Joan. cap 1. verſu 1 . Damus ejus verba, quia etiam ab aliquo in contrarium refertur. *Si B. Virgo diceret, non peccavi in Adā, & nos de illa diceremus, non peccavit* (ſcilicet in Adam) *mendacem faceremus Deum.* Non minùs clarè loquitur Jacobus Tirinus ſuper ad Rom. 5. verſu 12 Sebaſtianus Barradas in evang. tom. 1. lib. 6. cap. 3. numer. 3 . & 37. Joannes Maldonatus ſuper Matth. cap 9. verſu 1 . Ioannes Philippæus in Oſeam cap. 1. verſu 6 & 7. §. 4. num. 8. Benedictus Juſtinianus ſuper epiſt. ad Hebræos capit 2. verſu 6. num. 3. Coſmas Magallanes in Judices capit. . verſu 7. num. 103.) Quamvis duo iſti addant, etiam oppoſitam opinionem probabilem eſſe: quæ fuit ratio, ut ab aliquibus pro ea referantur. Martinus Beccanus tract. 2. cap. 9. de pecc. originali quæſt. 10. concluſ. 4. Petrus Morales in 1. cap. Matthæi lib. 3. tr. 1. concluſ. 5. num. 20. & 21. Philippus Moncæus in diſput. Theologicis diſp. 7. p. 4. cap. 3. Luiſius Turrianus 1. p. Selectarum diſputationum diſp. 14. dub. 3. & 2. p diſputat. 31 dub. 2. Didacus de Baëza lib. 1. Evang cap. 4. §. 18. Laurentius Chryſogonus in ſuo mundo Mariano diſcur. 8. Ferdinandus de Caſtro Palao 1. p. operis moralis tract. 2 diſp. 2. punct. 3. n. 3. Nec dubitandum plures Societatis Scriptores: quos videre non licuit, huic ſententiæ ſubſcribere.

Caniſius. Azor. Henriq. Sanchez. Lud. à Pon. Ribadenei. Salas. Cornel. Lorinus. Tirinus. Barrad. Maldonat. Philippæus. Ben. Iuſtin. Magal. Moncæus. Baeza. Chriſogon. Caſt. Pal.

153. Subſcribunt etiam Laurentius de Aponte in cap. 1. Matth annot. morali 22. num. 36. ſed luculentiùs in ſapient. cap. 14. num. 7. homil. 52. Michael Gilerius in Cantic. capit. 1. verſu 6. expoſition. 4. num. 12. Martinus Bonacina tom. 2. diſp. 2. quæſtion. 1. punct 3. concluſion. 1. Bernardus de Leon. 1. p. opuſculor. concept Deiparæ opuſc. 9. Philippus Bernal lib. de ſententia S. Thomæ in favorem immacul. Concept. diſcurſu 20. fol nobis 121. Laurentius Guttierrez in ſerm. Incarnationis Dominicæ typis excuſſo anno 1618. & iterum 16 9. Emanuel Reinoſo ſerm. 6. de Concept. diſcurſu 4. fol. 145. Joannes Rolinus ſerm 18. qui eſt 1. de Conceptione litera E Arnoldus Albertinus quæſtion. 18. de Aſſumpt. Virginis. N. Elias à Sancta Tereſa in legatione Eccleſ triumph. tom. 1. lib. 2. capit. 0. num. 7. Ludovicus Creſpi in propugnac. Theologico diſputat. 2. artic. 5. ſubart. 4. & art 6 ſubart. 1. Joannes à ſancto Thoma tom. 1. in p. in approbat. doctrinæ D. Thomæ diſp. . art. 2. Vincentius Juſtinianus tract. de immacul. concept in additionibus ad ult. cap. vitæ B. Ludovici Beltran. §. 1 . Ludovicus Paramus lib. 1. de edicto fidei quæſtion. 5. num 60. apud quem eſt omnino certa: ait enim: *Tria tanquam certa ſupponimus: primum eſt B. Virginem verè peccaſſe in Adam: ſecundum eſt B. Virginem verè contraxiſſe debitum culpæ originalis: tertium eſt*, &c. Petrus de Oña tom. 1. de noviſſimis fol nobis 344. dicens, abſque ingenti errore negari non poſſe. Ferdinand. de Orio tom. 1. in Tert diſcurſ. 17. §. 2. num. 125. Ildefonſus Ramon lib. de conceptione diſcur. 4. ¶. Denique hanc ſententiam tuentur omnes expoſitores D Thomæ hac 1. 2 ſuper præſentem articulum quæſtionis 81. ubi id aſſerunt, Alphonſus Curiel §. 2. Franciſcus Zumel diſp. unica concl. 1. & 3. Dedacus Alvarez diſput. 174. dicens eſſe de fide. Ludovicus Monteſinos diſp. 11. quæſt. ſua 8 num. 129 Ioannes Puteanus dub. 3. concluſ. 1. & alij.

Reliqui auctores pro hac ſententia. Aponte. Giſler. Bonacin. Leon. Bernar. Guttierrez. Reinoſo. Rolinus. Albertin. Elias à S. T. Creſpi. Ioa. S. Th. Vin. Iuſt. Paramus. Oña. Orio. Ild. Ramon. Curiel. Zumel. Alvar. Monteſ. Putean.

154. Adduximus tam copioſam auctorum ſeriem; quia (ut ſæpe diximus) maximum argumentum in hac materia ſumi debet ex SS. Patrum & Catholicorum Doctorum auctoritate: tot enim adeoque graves, pios, & doctos ſimul erraſſe, nec veram de hac re ſententiam accepiſſe, temerarium & abſurdum videtur aſſerere. Et quia non levem apud alios præſertim juniores Theologos animadvertimus incuriam in auctoribus referendis, plurimóſque ſine ullo fundamento pro hac vel illa ſententia citari, curavimus omnes hic relatos in ſuis operibus conſulere, nullique quantum callere potuimus, alienam ſententiam imponere. Quos verò (etſi ab aliis citatos) videre non licuit, miſſos fecimus: ne minùs certa eorum allegatio huic noſtræ relationi aliqua ex parte fidem adimeret.

Unam autem oppones objectionem: quia multi ex præcitatis in ea ſunt ſententia, quòd B. Virgo contraxerit de facto peccatum originale

Digitized by Google

ginale: & ex hoc fundamento adducuntur à nobis pro debito, quod neceſſariò includitur in prædicto peccato, vel ad illud ſupponitur: cum autem fundamentum ſit falſum, neque ad affirmandum autoritas illorum ſufficiat, non eſt cur præſenti ſententiæ firmitatem conciliet.

Reſpondetur, quòd etſi aliqui ex prædictis auctoribus fuerint in illa ſententia de contractione peccati (hos ſupra triginta dedimus num. 149.) multò tamen plures illi opponuntur, & ſolùm debitum affirmant (iſti ſupra centum & decem relati ſunt num. 150 & ſequentibus) potiſſiméque ad id affirmandum ex illius negatione moventur. Quia teſtimonia Scripturæ & SS Patrum niſi de debito exponantur (ut poſſunt re vera ſufficienter exponi) vel intelligenda erunt de ipſo peccato, vel manebunt inſoluta, quod utrumque auctores prædicti & præſens ſententia vitare intendunt.

155. Sed neque auctoritas illorum longè minoris numeri, qui affirmant peccatum, quæ ad id convincendum non eſt ſufficiens, minoris facienda eſt pro aſſertione debiti. Tum quia non minuitur auctoritas alicujus Doctoris circà unam propoſitionem, in qua convenit cum aliis, ex eo quòd à vero deficiat circa aliam, à qua prior illa non dependent: ſicut non dependet aſſertio debiti ab aſſertione peccati. Aliter non liceret Thomiſtis afferre Alexandrum, Bonaventuram, Scotum, & alios pro ſententiis utriſque cōmunibus; neque Scotiſtis adducere pro ſimilibus ſententiis D. Thomam, Capreolum, Cajetanum, & alios Thomiſtas: quia in aliquibus aliis ſententiis diſſident inter ſe: quod nemo dicet. Tum etiam quia aſſerentes, B. Virginem habuiſſe tam debitum quàm peccatum, non in eodem certitudinis gradu utrumque affirmant; ſed debitum ut principium indubitatum & commune omnibus ſcholis, & quod rationibus illorum, nempe quia aliter B. Virgo non eſſet verè redempta, &c. omnino convincitur; peccatum verò, ſolum ut concluſionem probabiliter inde illatam, pro qua non ſic militant eorum rationes: & à qua licèt recederent, non ideo deſererent prædictum principium: ex eo autem, quòd aliquis in deductione probabili alicujus concluſionis deficiat, non frangitur ejus auctoritas circa aſſertionem principij, cui immobiliter inhæret independenter à tali concluſione; ſed potiùs ipſum principium ex omni parte roboratur, quatenùs tam bene quàm malè deducentes, & circa illationem inter ſe diſſidentes, in ipſo principio conveniunt.

Poteſtque hoc explicari ex iis, quæ contingunt circa alias materias. Nam quoties principales Theologorum magiſtri ut D Thomas, Scotus, & Durandus, & eorum aſſeclæ in una propoſitione conſpirant, ex eáque quidam aliam inferunt, quidam illationem negant, omnium auctoritas ſtat pro communi propoſitione, in qua conveniunt: & ex omnium conteſtatione adeo roboratur, ut non obſtante diſſidio circa illationem, habeatur talis propoſitio pro principio indubitato & communi; quod in ſua veritate non dependet ab illatione, quàvis hujus bonitas & certitudo ab illo dependeat. Sic autem contingit in præſenti; quia in hac propoſitione *B. Virgo peccavit in Adamo, contraxitque inde debitum* &c conveniunt omnium Scholarum Magiſtri, & eorum aſſeclæ ferè omnes: independentérque à quacunque illatione illam tuentur: in illa autem, *B. Virgo contraxit originalem culpam*, valde diſſident, aliquibus contendentibus, pleriſque vero negantibus deduci ex prima, aut ex aliis Theologiæ locis: unde illa habet ſe ut principium primariò ab omnibus intentum, & pro quo omnium rationes primariò militant, quódque ab omnibus accipit firmitatem; hæc verò ut illatio ab aliquibus intenta, & à multis negata, cujus neque veritas neque falſitas certitudinem prioris diminuit, neque Doctorum auctoritatem erga illam enervat. Debuimus ergo ad roborandam præſentem ſententiam utroſque illius prioris aſſertores conducere, quavis via procedant.

§ V.

Expenduntur teſtimonia Scripturæ pro eadem ſecunda ſententia.

PLura ſunt pro hac ſententia teſtimonia Scripturæ: adducemus ſpecialiora: inter quæ ſunt illa Pauli ad Rom. 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio, omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei*, id eſt, gratia juſtificationis, quæ in gloria Dei maximè cedit, ut exponit D. Auguſtinus lib. 2. Hypog. circa finem. Et cap. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Quo utroque loco docet Apoſtolus, omnes homines peccaſſe in Adamo, quando ille peccavit; indéque concipi peccato obnoxios, egentes fide & gratia per Chriſtum, ut à tali peccato liberentur. 156. Duo priora teſtimonia. Ad Rom. 3: Auguſt. ad Rom.

Porro à prædictis teſtimoniis neminem, præter ipſum Chriſtum debere excipi conſtat, tum ex illis verbis quæ habentur in primo, *Non eſt diſtinctio, omnes enim peccaverunt & egent*, &c. ac ſi diceret inter eos qui indigent fide & gratia per Chriſtum, diſtinguendum non eſſe ut aliqui peccaverint, aliquis non peccaverit; ſed omnes ſine alicujus exceptione ſub peccato Adami comprehendi. Tum etiam quia in utroque teſtimonio ponuntur duæ propoſitiones ejuſdem univerſalitatis: prima in primo eſt illa: *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes qui credunt*, &c. ſecunda verò, *Omnes peccaverunt & egent gloria.* In ſecunda prima eſt, *In omnes homines mors pertranſiit*, & ſecunda, *In quo omnes peccaverunt:* utræque autem propoſitiones cum ſimul & ad idem proferantur, debent cum eadem univerſalitate vel reſtrictione intelligi: & quiſquis non excipitur à primis, non debet excipi à ſecundis: cum ergo B. Virgo non excipiatur ab illa, *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes qui credunt in eum* hæreticum enim eſſet dicere, Virginem non fuiſſe per gratiam & fidem Ieſu Chriſti juſtificatam: neque ab illa *In omnes homines mors pertranſiit*, cum videamus de facto mortuam fuiſſe; plane ſequitur excipiendam non eſſe ab iſta. *Omnes peccaverunt*

runt, & egent gloria, neque ab iſta *In quo omnes peccaverunt* ¶ Tum etiam id conſtat ex alia propoſitione ejuſdem Apoſtoli eodem

Idem. cap. 5. quæ hoc confirmat. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Sanè ly *ſicut in omnes*, quod eſt in prima parte, & ly *ſic in omnes*, quod eſt in ſecunda, eandem omnino tribuunt utrique extenſionem: atque adeo vel Deipara debet excipi à ſecunda, & non dici juſtificata per juſtitiam Chriſti, quod eſt contra fidem; vel non debet excipi à prima, ſed dici condemnata in Adamo per ejus delictum.

157. Præterea hoc idem convincit expoſitio SS. Patrum, qui prædictas propoſitiones ſine alicujus, præterquam ſolius Chriſti exceptione accipiunt: ut videre eſt apud

Auguſt. Auguſtinum lib. 2. Hypognoſt. circa finem, ubi relatis Apoſtoli verbis *Non eſt diſtinctio, omnes enim peccaverunt*, &c. addit: *Dicendo omnes, nullum excipit; quinimo totum declarat genus humanum.* Et apud

Anſelm. Anſelmum lib. de conceptu virg. cap. 21. ibi. *Propter hoc Apoſtolus omnes filios Adæ, excepto Virginis filio, peccatores & filios iræ in ſuis ſcripturis eſſe pronunciat.* Ubi non ſolùm ſignum univerſale *omnes*, ſed etiam negatio exceptionis in Auguſtino, & exceptio filij Virginis in Anſelmo, quæ firmat regulam in contrarium, oſtendunt, neminem alium debere inde excipi.

Adde, quòd ubi Scriptura non diſtinguit, neque excipit, ſed loquitur omnino univerſaliter, non debemus nos ſine gravi fundamento diſtinguere aut excipere: eſſet enim magnum inconveniens, ſi propoſitiones illius omnino univerſales quiſque pro ſuo libitò reſtringeret: ad excipiendam autem Deiparam à debito peccati originalis, quod in prædictis propoſitionibus generaliter de omnibus enuntiatur, nullum adeſt fundamentum neque in ipſa Scriptura, quæ potiùs exceptionem excludit illis verbis *Non enim eſt diſtinctio, omnes enim peccaverunt.* Neque in SS. Patribus aut aliis gravibus Scripturæ interpretibus, omnibus illis tali exceptioni repugnantibus, ut vidimus §. 1. & 3. & 4.

Replica: Conc. Trid. Dices, Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. decret. de peccato orig. dediſſe exceptioni fundamentum, cum declaravit non fuiſſe ſuæ intentionis B. Virginem comprehendi in illa propoſitione Pauli, *In quo omnes peccaverunt*: quaſi ſenſerit vel non contineri in illa, vel non ita clarè contineri, ut oppoſitum opinari non liceat.

158. Enodatur. Reſpondetur negando ſuppoſitum: Concilium enim in prædicta declaratione ſolùm loquitur de decreto à ſe ſtatuto circa contractionem peccati originalis ab unoquoque ex poſteris Adami in ſua propria perſona: non verò de propoſitione Pauli, quatenus enuntiat, omnes peccaſſe in Adamo, quando ipſe peccavit. Quod conſtat tum ex verbis declarationis. *Declarat ſancta Synodus non fuiſſe ſuæ intentionis comprehendere ſub hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, B. & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem: ſed obſervandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV.* Loquitur ergo ſolùm de ſuo decreto, quatenus in eo agitur de peccato originali ſeu de ejus contractione, non verò de teſtimonio Pauli, ubi non fit ſermo de prædicta contractione, ſed de ejus cauſa, quæ fuit peccatum actuale ab Adamo commiſſum, in quo omnes peccaverunt. Tum etiam quia Concilium, ut ex prædictis verbis conſtat, nihil aliud circa hoc ſtatuit, niſi quod ſtatuerat Sixtus IV. in ſua conſtitutione *Grave nimis*; quam innovat, & præcipit Habetur in Extrav. com. de Reliq. & ven. ſanct.
obſervari: Sixtus autem in prædicta conſtitutione non meminit peccati commiſſi in Adamo, aut debiti inde conſurgentis, ſed ſolùm ipſius peccati originalis contracti, vel non contracti in propria Virginis perſona, ut legenti conſtabit.

Potuit tamen Concilium uti prædicto Pauli teſtimonio ad confirmationem ſui decreti, etiam ex ea parte qua agit de peccato originali & ejus contractione ab unoquoque noſtrum: quia ſuppoſito quòd omnes in Adamo peccaverint, ut docet Apoſtolus, omnes debent in ſe ipſis peccatum originale incurrere: & incurrent de facto, niſi alicui in inſtante conceptionis ſpeciali Dei gratia fuerit ſubventum, prædictúmque debitum impeditum, ne peccatum de facto inde reſultet: unde quia hanc ſpecialem gratiam nulli alteri præterquàm Beatiſſimæ Virgini factam fuiſſe poteſt probabiliter affirmari: ideo ex verbis Pauli intulit Concilium, quòd ſecluſa per præciſionem Deipara, à cujus cauſa ſe ſubtrahit, omnes prædictum peccatum incurrunt. Quare ea excluſio Concilij adhuc præciſiva ſolùm cadit ſupra illationem ex teſtimonio Pauli, & ſupra decretum de actuali peccati contractione deductum à Concilio ex prædicto teſtimonio: quatenus ita maneret nobis liberum ſentire & affirmare fuiſſe conceſſum Deiparæ illud privilegium, ne contraheret in ſua propria perſona maculam originalem, cui ex vi peccati commiſſi in Adamo obnoxia manebat: ut neque interdiceretur auctoribus oppoſitæ ſententiæ contrarium aſſerere; ſed utranque partem relinqueret indeterminatam.

Aliud teſtimonium habetur 2. Corinth. cap. 159. Tertius locus Script. 2. Cor. 5.
5. ubi Apoſtolus probat, omnes homines mortuos fuiſſe in Adamo per ejus peccatum, quia Chriſtus mortuus eſt pro omnibus. *Si unus* (inquit) *pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et quia hic locus ſatis efficax eſt pro præſenti ſententia, elucidabimus illum ſequenti diſcurſu. B. Virgo fuit de numero illorum pro quibus mortuus eſt Chriſtus: ſed omnes pro quibus Chriſtus mortuus eſt, mortui ſunt in Adamo: ergo ipſa fuit de numero illorum qui in Adamo ſunt mortui: non autem ſunt mortui niſi quia ibi peccaverunt: igitur B. Virgo verè in eo peccavit, incurritque proinde debitum contrahendi originalem culpam. Diſcurſus eſt legitimus: & major certa ſecundum fidem, quæ non permittit ut à beneficio mortis Chriſti Virgo excludatur. Minor verò, pro qua ſola poteſt peti probatio, ſuadetur. Tum ex verbis Pauli, non ſolùm quia dicit: *omnes fuiſſe mortuos*, quod Auguſtin. lib. 20. Auguſt.
de civit. Dei cap. 6. gloſſat, *Omnes mortui ſunt in peccato, nemine prorſus excepto.* Sed etiam quia infert, *unus pro omnibus mortuus*

tuus eſt : ergo omnes mortui ſunt. Si namque ultra eos qui mortui ſunt in Adamo, Chriſtus pro aliquo fuiſſet mortuus, non bene intuliſſet, omnes mortuos fuiſſe, quia mortuus eſt pro omnibus: ut igitur hypothetica hæc *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt*, quoad primam partem ſine exceptione ſit vera, debet etiam verificari ſine exceptione quoad ſecundam: & per quamlibet ab iſta exceptionem falſificabitur propoſitio, ut intuenti conſtabit. Tum etiam ſuadetur ex D. Auguſtino lib. 6. contra Iulianum cap. 1 cujus verba ad plenum adduximus dub. præcedenti, modo verò pauca repetemus, quia continent valde efficacem probationem illius minoris. Sic igitur arguit contra Hæreticum: *Quoniam unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt; & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Nullo modo hic negare permitteris; non niſi pro his qui mortui ſunt, mortuum fuiſſe Ieſum. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Nunquid eos qui de corpore exierunt? Quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus mortuus eſt Chriſtus, quomodo alibi dicit: Et vos cum eſſetis mortui in delictis & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo. Ac per hoc unus, inquit, pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt: oſtendens fieri non potuiſſe ut moreretur niſi pro mortuis. Ex hoc enim probavit, omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Vide quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui ſi pro omnibus mortuus eſt. Quia ergo non in corpore, reſtat ut in peccato eſſe mortuos omnes nemo neget, nemo dubitet, qui ſe non negat aut dubitat eſſe Chriſtianum.* Quæ Auguſtini verba & diſcurſus tollunt omnem tergiverſationem, quæ prædicto teſtimonio poſſet excogitari. Legatur à cap. 2. uſque ad 5. ubi multa loquitur ad intentum, urgens ubique prædictam conſequentiã, *Unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt*: atque adeo ſentiẽs, neminem contineri in iis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, quia non comprehendatur ſub illis, qui in Adamo mortui ſunt.

Idem.

Idem.

Addè ex Caietano opuſc. citato, c. 3. ubi ita diſcurrit. *Oportet de Virgine firmiter credere, quòd Chriſtus eſt mortuus pro ipſa & quod ipſa eſt mortua* (ſcilicet in Adam) *morte peccati: quoniã in ſacra Scriptura habetur hæc conditionalis, Si Chriſtus eſt mortuus pro omnibus, omnes mortui ſunt: ut patet 2. ad Corinth. 5. Conſtat enim quòd omnis conditionalis vera eſt neceſſaria: & quod à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis valet argumentum. Formata ergo ratione clarè apparebit Scripturam eſſe falſam* (Si Virgo excipiatur à debito) *procedendo ſic. Si Chriſtus eſt mortuus pro omnibus omnes mortui ſunt: ſed per iſtam poſitionem* (negantem ſcilicet Deiparam peccaſſe in Adamo) *non omnes mortui ſunt, quia B. V. non eſt mortua morte peccati: ergo Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus: quod eſt manifeſtè hæreſis. Nec poteſt hic locus gloſſari, quod omnes diſtribuat generaliter, & quod partitur exceptionẽ: quoniam conſtat, quòd in hac propoſitione illud ſignum, Omnes diſtribuit pro omnibus ſine ulla exceptione: quoniam Hæreticum conſtat eſſe dicentem, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus ſine ulla exceptione.*

Caiet.

Quartus locus eſt ille 1. ad Corinth. 15: *Per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorũ, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Ubi ut cernis, de omnib illis affirmatur mortuos fuiſſe in Adam per ejus peccatum, de quibus aſſeritur vivificandos ſeu reſuſcitandos eſſe per Chriſtum: cum igitur B. Virgo ſit de numero eorum, qui in Chriſto vivificantur neceſſè eſt ut fuerit de numero illorum, qui in Adamo moriuntur. Audiamus Auguſtinum lib. citato contra Iulianum cap. 12. ubi ex hoc Pauli teſtimonio arguit contra Pelagianos, qui à prædictis propoſitionibus volebant aliquos excipere intelligentes per ly *omnes* non omnes omnino, ſed *multos*, ut ita daretur locus exceptioni. *Omnes ergo* (inquit) *ad mortem per Adam omnes ad vitam per Chriſtum. quia ſicut in Adam omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes vivificabuntur: id eſt, ex prima origine generis humani nemo ad mortem niſi per Adam, & nemo per Adam niſi ad mortem; & nemo ad vitam niſi per Chriſtum, & nemo per Chriſtum niſi ad vitam. Vos autem dum non omnes ſive per Adam condemnatos eſſe, niſi per Chriſtum liberatos vultis intelligi, horrenda perverſitate Chriſtianæ religionis eſtis infeſti.* Ecce ex Auguſt. ſicut nemo regeneratur in Chriſto niſi ad vitam, & nemo, neque adhuc B. Virgo regeneratur ad vitam niſi in Chriſto; ita nemo, neque adhuc B. V. generatur ex ſemine Adæ niſi ad mortem, & nemo generatur ad mortem niſi quia ex tali ſemine.

160. Locus quartus 1. ad Cor. 15

Auguſt.

Obſerva autem, quòd ſicut vivificatio Chriſti non pervenit de facto & ſecundum efficaciam ad omnes homines in ſe ipſis, bene tamen extenditur ad omnes quantùm ad ſufficientiam: quia ejus meritum, nullum excludit, ſed omnibus meruit ſalutem & vitam animæ; licèt in multis harum conſequutio impediatur. Ita mors ſeu peccatum Adami non dicitur pertinere ad omnes homines quaſi omnes ſine ullius exceptione in ſeipſis de facto illud contrahant; ſed intelligitur ſaltem quantum ad ſufficientiam: quia demeritum Adami ex ſe ſufficiens erat omnibus ſine exceptione tale peccatum inferre: quia demeruit pro omnibus. Quod autem in aliquo, puta in B. Virgine contractio actualis prædicti peccati ex ſpeciali privilegio impediatur non officit teſtimonio Pauli & ejus univerſalitati: ſicut non officit, quòd vivificatio per Chriſtum de facto in aliquibus impediatur. Obeſſet autem, ſi vel Chriſti meritum, vel demeritum Adami, quantum erat ex ſe & ſecundùm ſufficientiam, non ad omnes ſine alicujus exceptione ſe extenderent.

Plura alia ſunt Scripturæ teſtimonia, quæ huic ſententiæ opitulantur: ut Luc. 19. *Filius hominis venit quærere & ſalvum facere quod perierat* Matth. 9. *Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus: non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Et cap. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt*, &c. Et 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſalvos facere.* Adde ex Luc. 15. parabolam paſtoris quærentis ovem perditam, & inventa gaudentis atque in humeris eam ſublevantis. In qua ſignificari totum genus humanum, quod cum omnibus ſuis

161. Inſinuantur alia loca. Luc. 9. Matth. 9. & 15. 1. ad Tim. 1. Luc. 15.

indivi-

individuis perierat in Adam, Chriſtus verò illud ſuo adventu quæſivit, & in crucis brachiis veluti in humeris ſublevavit, adeo ut neminem levaverit, niſi fuerit ovis perdita, eſt ſatis communis expoſitio, præſertim apud Ambroſium lib. 7. in Lucam cap. de Paſtore & ove perdita, ubi optimè loquitur ad intentum. Et apud Auguſtinum lib. 1. de pecc. merit. cap. 2. ubi inter alia ait: *Totius Eccleſiæ vox eſt, Erravi ſicut ovis perdita: omnium membrorum Chriſti vox eſt, omnes ut oves erravimus, & ipſe traditus eſt pro peccatis noſtris.* Qui ergo ab iſta univerſalitate ovis perditæ, ut declarata per Ambroſium & Auguſtinum, Virginem exceperit, eo ipſo conſtituet illam extra Eccleſiam Chriſti & extra ejus corpus & membra: quod eſt erroneum. Omittimus alia teſtimonia, majorémque horum expenſionem, quia illa jam adduximus & expendimus dub. præced. §. 2. & 3. Ex illis verò apertè conſtat omnes ad quos quærendos venit Chriſtus, & pro quibus mortuus eſt, periiſſe aliquando, & fuiſſe peccatores ſaltem in Adam. Cum ergo potiſſimùm venerit ad quærendam & ſalvandam B. Virginem, planè ſequitur eam fuiſſe de numero illorum, qui in ipſo peccaverunt, & ut oves errantes perierunt.

§. VI.

Eadem ſententia rationibus fulcitur.

162. Prima ratio ex redemptione.

PRima ratio pro hac ſententia, & cui ejus auctores, ut præcipuo fundamento nituntur, ſumitur ex Virginis redemptione in hunc modum. B. Virgo fuit verè & propriè Chriſti morte & ſanguine redempta: ſed vera redemptio ſupponit peccatum, ad minùs originale, vel ſaltem ejus debitum in illo qui redimitur: ergo licèt fuerit immunis à prædicto peccato contracto in propria perſona, non tamen à debito illud contrahendi. Conſequentia eſt legitima: & maior ita certa, ut ſalva fide, negari non poſſit, propter teſtimonia Scripturæ, quæ ubique clamant Chriſtum fuiſſe univerſaliſſimè omnium hominum redemptorem. 1. ad Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Ubi gloſſa interlin. exponens illud ſignum *omnibus* ait, *Nullum excepit.* Et cap. 4. *Qui eſt ſalvator omnium hominum.* Et Matth. 1. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Sicut autem impium eſſet Virginem à Chriſti populo excludere, ſic etiam ab ejus redemptione. Unde ipſa B. Virgo Luc. 1. vocat Chriſtum ſalvatorem ſuum *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* In Chriſto autem idem eſt ſalvatorem eſſe, & eſſe redemptorem; ſicut in hominibus idem eſt ſalvari & redimi. Et ita intellexit D. Auguſtinus ſerm. 1. de Aſſumpt. ubi ait: *Hæc Virgo mirabili & inæſtimabili modo ſuum & omnium peperit Salvatorem.* Et Euſebius Emiſſenus, quem retulimus ſupra n. 140. loquens cum Virgine ait: *Initiator omnium rerum profundendum pro mundi vita ſanguinem de corpore tuo accepit, ac de te ſumpſit, quod etiam pro te ſolveret.* Quid eſt autem pro Virgine ſolvere, niſi eam redimere? Et D. Bernardinus Senenſis tom. 4. ſer. 4. de Concept. Virg. art. 3. cap. 3. iuxta novam editionem, *Primogenita* (inquit) *Redemptoris filij ſui Ieſu fuit B. Virgo: & plus pro ipſa redimenda venit, quàm pro omni alia creatura.*

1. ad Tim. 2. Gloſſa. 1. ad Tim. 4. Matth. 1. Luc. 1. D. Augu. Euſeb. Emiſ. Bern. Sen.

Deinde hæc eſt conſtans ſententia Theologorum, à qua nullus etiam fidelium etiam ex aſſertoribus primæ opinionis uſque modò auſus eſt recedere. Præſertim verò illam expreſſè tradunt ut veritatem neceſſariò credendam Alexander, D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, Caietanus, Bellarminus, Suarez, Corduba, & alij plurimi citati in præcedentibus. Ex quibus Ægidius Luſitanus, lib. 3. de præſervat. Virginis à peccato orig. quæſt. 5. art. 1. §. 1. ſic ſtatuit. *Sit prima concluſio omnium dicendorum baſis & fundamentum. Aſſerendum eſt B. Virginem verè & propriè fuiſſe Chriſti ſanguine redemptam. Hæc concluſio ſtatuenda eſt in hac diſputatione tanquam fidei regula, à qua ſi qua opinio deflectat, à fide catholica deflectat, neceſſe eſt.* Et inferiùs. *Cum verò in hac veritate, quæ eſt de fide, omnes conveniamus, non eſt quòd in citandis Patribus immoremur.* ¶ Tota ergo difficultas in hac ratione ad minorem reducitur, videlicet non poſſe dari veram redemptionem ſine peccato vel debito in eo qui redimitur. Sed quia hoc efficaciter demonſtravimus dub. præced. ibique non mediocris labor pro firmanda iſta ratione impenſus fuit, non oportet circa eam immorari.

Ægidius.

163. Secunda ratio ex reconciliatione.

Secunda ratio præcedenti affinis eſt hujuſmodi. B. Virgo fuit per Chriſtum Deo reconciliata, fuitque ipſe Chriſtus mediator inter Deum & illam: ſed neutrum iſtorum potuit habere ſine peccato, vel ejus debito orto ex culpa primi parentis: igitur contraxit inde prædictum debitum. Major habetur ex ſacra Scriptura: in qua ſicut Chriſtus univerſaliter nominatur *hominum redemptor*: ſic etiam dicitur *omnium reconciliator, & apud Deum mediator.* 2. ad Corinth. 5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Ad Coloſſen. 1. *Cum placuit per eum reconciliari omnia in ipſum.* Mediator etiam dicitur 1. ad Timoth. 2. *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et ad Hebr. 9. *Novi teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, &c.*

2. ad Cor. 5. ad Coloſ. 1. 1. ad Tim. 2. ad Hebr. 9.

Ab horum autem teſtimoniorum univerſalitate non eſſe excipiendam Deiparam conſtat, tum quia eadem eſt univerſalitas reſpectu reconciliationis, ſicut reſpectu redemptionis, à qua certum eſt illam non excipi. Tum etiam ex communi intelligentia SS. Patrum & interpretum, qui neminem excipiunt. Quin potiùs D. Auguſtinus relatus à gloſſa ſuper ad Galat. 3. expreſsè comprehendit omnes, qui Chriſti fidem & humilitatem ſequuntur. *Sancti ſunt* (inquit) *ab impietate ſuperbiæ*, hæc fuit primaria malitia peccati Adami, ut infra conſtabit) *ut reconcilientur Deo quicunque homines humilitatem Chriſti & per revelationem, antequam fieret, & per evangelium, poſtquam facta eſt, credendo dilexerunt, & diligendo imitati ſunt.* Cum ergo B. Virgo credendo dilexerit,

D. Auguſt.

Digitized by Google

dilexerit, & diligendo imitata ſit Chriſti humilitatem, ſequitur juxta mentem Auguſtini eam fuiſſe Deo reconciliatam. Et lib. 1. de peccat. meritis cap. 28. ſic habet: *Conſideratis omnibus divinis teſtimoniis, quæ commemoravi, nihil invenitur, niſi quod univerſa Eccleſia tenet, omnem hominem ſeparari à Deo, niſi qui per mediatorem Chriſtum reconciliatur Deo; nec ſeparari quenquam niſi peccatis intercludentibus poſſe.* Ne ergo ponamus Virginem à Deo ſeparatam, oportet ponere illam per Chriſtum mediatorem reconciliatam. Idem etiam epiſt. 28. ad Hieronym. Paulò à principio, *Certus ſum* (inquit) *nec omnino eſſe animam ullam in genere humano, cui non ſit neceſſarius ad liberationem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Quibus verbis præcludit aditum cuicumque exceptioni à prædicta doctrina.

Idem. *Idem.*

164. Deinde exceptio Deiparæ à beneficio reconciliationis licèt externa ſpecie in ejus obſequium facta videatur, revera tamen derogat Chriſti dignitati, ſicut derogaret exceptio à redemptione: non enim minus cedit in Chriſti gloriam pro perfectiſſima creatura mediatorem & reconciliatorem fuiſſe, quàm redemptorem: atque adeo non minus gloriæ ei ſubtrahitur negato munere reconciliatoris talis creaturæ quam negato munere redemptoris: ergo neutrum debet negari. Præterea Chriſtus præſtat munus reconciliatoris & mediatoris pro aliquo; quatenus paſſione & morte ſua facit, ut ad Deum accedat, admittaturque ad conſortium ipſius per gratiam & beatificam viſionem, juxta illud ad Rom. 5. *Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Et inferiùs *Gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Sed nihil hujuſmodi beneficij negandum eſt Virginem accepiſſe per Chriſtum: ergo nec negari debet ipſum fuiſſe illius reconciliatorem.

ad Rom. 5.

Quo ſenſu B. Virgo reconciliatrix. Quòd ſi aliquando SS. Patres ipſam B. Virginem *mediatricem* aut *reconciliatricem* appellant, non ideo loquuntur, quia cenſerint non fuiſſe per Chriſtum redemptam & reconciliatam, aut quia ipſa ſuo merito operata ſit redemptionem, unus enim ſolus eſt redemptor & reconciliator Deus & homo Chriſtus Ieſus: ſed quia per eam datus eſt omnibus ipſe Deus & homo reconciliator & redemptor: ut rectè declarat Driedo lib. . de regul. ſacræ Scripturæ tract. 2. cap. . fol. nobis 127 ſic dicens: *Maria invenit gratiam, non quia ipſa eſt gratiæ in humano genere reparatrix, ſed quia eſt ejus qui gratiam humano generi reparavit, genitrix. Ideo ipſa benedicta, quia mater eſt ejus, à quo venit & in ſe & in cæteros omnes benedictio. Hinc SS. Patres non horruerunt appellare illam mediatricem noſtram: non quæ nos Deo Patri reconciliaverit & redemerit: ſcientes unum ſolum mediatorem Ieſum, per quem ipſa Maria filia Adæ fuit à peccato libera, ſanctificata, & Deo Patri reconciliata: ſed talem per quam ſalus venit in mundum, per quam deſcendit gratia & miſericordia in univerſum genus humanum, per quam gratia habuit ad nos acceſſum: quæ & aſſidua eſt advocata noſtra apud filiū ſuū Ieſū qui unus eſt advocatus apud Deū Patrē.*

Driedo.

165. Minor verò, videlicet beneficium reconciliationis aut mediationis intelligi non poſſe ſine peccato vel debito in eo, qui reconciliatur, probatur tum ex ipſa natura & eſſentia reconciliationis, quæ nihil aliud eſt niſi reſtauratio ſive reparatio amicitiæ deperditæ: ut diffinit D. Thomas in . diſt. 1. quæſt. 1. art. 5. quæſtiunc. 2. atque adeo ſi ſit reconciliatio cum Deo, neceſſariò ſupponit peccatum, ſaltem in Adamo, per quod deperdimus ejus amicitiam. Et idem docet D. Iſidorus lib. Etymologiar. cap. 1. ubi ait, illos propriè dici reconciliatos *qui ex inimicis amici ſunt effecti.* Tum etiam quia *reconciliatio* & *mediatio* ex ipſis nominibus ſupponunt ſeparationem inter eos, qui reconciliantur; inter Deum autem & homines ſolum peccatum ſeparat: ergo neceſſariò debet hoc reconciliationem & mediationem præcedere. Quò circa ubi Scriptura dicit, Chriſtum reconciliaſſe nos Deo, & mediatorem pro nobis fuiſſe, ſtatim exprimit talem reconciliationem fuiſſe à peccatis. Ut videre eſt loco cit. ad Corinth. ubi poſt illa verba *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians,* immediatè additur, *non reputans illis delicta ipſorum.* Et ad Coloſſ. *Cum eſſetis aliquando alienati & inimici, nunc reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* Ad Rom. 5. *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij ejus.* Ad Epheſ. 2. *Reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Et nullibi invenies, Scripturam uti prædicto nomine, niſi ubi aliqua diſcordia, diviſio, aut ſeparatio præceſſit. Idémque eſt de nomine *medij* & *mediatoris*: nam medium quæritur, ut extrema quæ inter ſe diſſidebant, uniantur ſibi & ad concordiam reducantur: & ita neceſſitas mediatoris inter hominem & Deum, ſupponit diſſidium & differentiam inter illos, quæ ſolùm ex peccato oriuntur.

D. Thom. *D. Iſidor.* *2. ad Cor. 5.* *ad Coloſſ. 1.* *ad Rom. 5.* *ad Epheſ. 2.*

Hoc etiam docuerunt concorditer SS. Patres, apud quos munus reconciliatoris & mediatoris, quod Chriſtus pro nobis exercuit, ſemper intelligitur in ordine ad peccata, quæ nos ſeparant à Deo. Unde Bernardus epiſt. 190. prope finē ſic ait. *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quoniā cum adhuc peccatores eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij ejus. Vbi reconciliatio, ibi & remiſſio peccatorū. Nam ſi dicente Scriptura, peccata noſtra ſeparāt inter nos & Deum, manente peccato non eſt reconciliatio. Itaque ubi reconciliatio, ibi remiſſio peccatorum,* &c. D. Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. cap. 20. ita inquit: *Peccata enim ſola ſeparant inter homines & Deum, quæ ſolvuntur Chriſti gratia: per quem mediatorem reconciliamur, cum juſtificat impium.* Idem tract. 41. in Ioan. ante medium, *exhortatur* (inquit) *& obſecrat Apoſtolus, ut reconciliemur Deo, inimici eramus: nemo enim reconciliatur niſi ex inimicitiis: inimicos autem non natura, ſed peccata fecerunt.* Et in Enchirid. cap. 108. *Cum factus eſt Adam homo rectus, mediatore opus non erat: Cum vero genus humanum peccata longè ſeparaverunt à Deo, per mediatorem qui ſolus ſine peccato natus eſt, reconciliari nos oportebat Deo.* Et lib. . contra duas epiſtol. Pelagian. cap. 4. *Si in omnibus neceſſaria eſt reconciliatio per Chriſtum per omnes tranſivit peccatum, quo inimici fuimus,*

Bernard. *D. Auguſt.* *Idem.* *Idem.*

ut

ut opus reconciliari haberemus. Et alibi ſæpiſſimè. Eodem modo loquitur Anſelmus vel auctor commentariorum: qui illi adſcribuntur, ſuper ad Rom. 5 *Nemo* (inquit) *reconciliatur niſi ex inimicitiis.* Et idem reperit 2. ad Corinth. 5 addens, *Et nihil inter Deum & homines fecit inimicitias, niſi peccatum.* Patet igitur ex iſtis teſtimoniis, quòd ſi Chriſtus B. Virginem reconciliavit, & pro illa mediator extitit, neceſſariò debuit ipſa præcedere aliquo modo inimica & ſeparata à Deo ratione peccati: cumque id non habuerit ratione peccati contracti de facto in ſe ipſa, ſequitur ut ratione illius quod in Adamo commiſit & ex quo debitum contrahendi originalem culpam ſurrexit.

Anſelm.

§. VII.

Triplex alia ratio pro hac ſententia.

166. TErtia ratio ſumitur ex baptiſmo Virginis. Pro qua ratione ſupponendum eſt illam fuiſſe à Chriſto Domino baptizatam, quod omnino certum eſſe, & ab omnibus Theologis receptum docet Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 18. ſect. 3. refértque verba Euthymij ſuper cap. 3. Ioan. ubi ait: *Scribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quod Chriſtus Petrum & Virginem Matrem baptizaverit, Petrus verò reliquos Apoſtolos.* Quod etiam docent Albert. Magnus ſuper *Miſſus eſt*; in reſponſione ad quæſt. 36. quæ reſponſio habetur poſt quæſt. 43. Sotus in 4. diſt. 5. quæſt. unic. art. 2 Guido Brianſonis in eodem 4. docum. 1. & alij. Rationem verò tradit Suarez: tum quia præceptum baptiſmi omnibus generatim poſitum eſt: & verbum illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, neminem excipit: neque oportet ut nos B. Virginem ex aliquo ſpeciali privilegio excipiamus, cum nec fundamentum habeat, neque ad ejus perfectionem pertineat. Tum etiam quia per baptiſmum fideles conſtituuntur & ſignantur membra Eccleſiæ prout à Chriſto inſtitutæ: cujus ſicut perfectiſſimum membrum debuit eſſe Deipara, ſic etiam debuit eſſe præcipua inter baptizatos. Tum denique quia per baptiſmum datur poteſtas utendi ſacramentis novæ legis: Beatiſſima autem Virgo eis uti debuit, præſertim Euchariſtia: ergo debuit baptizari. Hæc Suarez. Pluréſque alias rationes invenies apud Albertum citata quæſt. 36.

B. Virgo fuit baptizata.

Suar. Euthym.

Alb. Magn.

Sotus. Guido. Brian.

Ioan. 3.

Secundo ſupponendum eſt, quòd ut alicui perſonæ ritè applicetur aliquod ſacramentum, debet eſſe talis conditionis, ut verba quæ ſunt forma talis ſacramenti, poſſint de illa verificari in eo ſenſu, in quo prædictam formam conſtituunt: non enim ritè applicaretur alicui ſacramentum, cujus forma in illo falſificaretur. Unde etiam debet reperiri in ea perſona pro aliqua duratione materia ſufficiens, ſupra quam cadat prædicta forma; nam verba ſignificant operationem circa talem materiam. Sicut autem verba quæ ſunt forma ſacramenti pœnitentiæ, ſignificant remiſſionem à peccatis actualibus per modum medicinæ & curationis, & ideo hæc ſola habent eſſe materia ſufficiens talis ſacramenti: iſta verba quæ ſunt forma baptiſmi ſignificant ablutionem per modum regenerationis ab eo ſaltem peccato, quod primò excludit homines à regno Dei, vel ſaltem ab obnoxietate & debito talis peccati, quod eſt peccatum originale, ſeu quod in Adamo commiſimus, quamvis cum illo tollantur cætera, ſi fortè adſint.

Baptiſmus quid exigat.

Hinc ſic formatur ratio. B. Virgo fuit baptizata baptiſmo Chriſti, adeóque habuit aliquando materiam ſufficientem, ratione cujus verificaretur forma talis baptiſmi: ſed hæc verificari non poterat, niſi Virgo ſaltem in Adamo fuiſſet ſub peccato ab eo commiſſo, atque adeo habuiſſet in ſe debitum contrahendi culpam originalem: ergo de facto fuit in Adamo ſub tali peccato, & habuit in ſe prædictum debitum. Major habetur ex prænotatis. Minor verò ſuadetur. Tum quia forma baptiſmi ſignificat lotionem & ablutionem: idem quippe eſt dicere: *Ego te baptizo*, atque *ego te abluo* vel *lavo*: ablutio autem ſpiritualis non eſt niſi à peccato, ſaltem in alio commiſſo: qui enim nullibi immundus aut inquinatus fuit, non indiget ut lavetur. Tum etiam quia baptiſmus eſſentialiter eſt ſacramentum regenerativum in vita ſpirituali: regeneratio autem ſupponit ſaltem in alio amiſſionem vitæ, ad quam homo regenaratur; atque adeò ſi ſit regeneratio in vita ſpirituali, ſupponere debet amiſſionem vitæ ſpiritualis per aliquod peccatum ſaltem in alio commiſſum. 167.

Formatur tertia ratio.

Confirmatur: ideo Chriſtus non ſuſcepit ſacramentum baptiſmi à ſe inſtitutum, quia nullibi fuit ſub peccato, à quo ablueretur: adeóque nihil habuit, ratione cujus verbum abluo verificaretur: ergo ſi B. Virgo illud ſuſcepit, fuit alicubi ſub peccato, à quo lavari poſſit, atque adeo ſaltem in Adamo illud commiſit. Confirmatur prima.

Confirmatur ſecundò: nam quia verba ſacramenti pœnitentiæ ſignificant abſolutionem à peccatis perſonalibus, nullus qui non habuiſſet hujuſmodi peccata, poſſet illud ſuſcipere: ut patet in ipſa B. Virgine: de qua tenent communiter Theologi non ſuſcepiſſe tale ſacramentum ob rationem dictam: igitur niſi habuiſſet ſaltem in Adamo peccatum originale à quo poſſet lavari; non ſuſciperet ſacramentum baptiſmi, cujus forma ſignificat prædictam lotionem. ¶ Adde ex D. Auguſtino lib. 1. de peccat. merit. cap. 28. ubi ſic ait. *Neminem unquam eorum, qui ad Chriſtum acceſſerunt per baptiſmum, ſana fides, & ſana doctrina putavit exceptum à gratia remiſſionis peccatorum.* Ergo ſi Virgo fuit per Chriſtum baptizata, facta fuit ei gratia remiſſionis alicujus peccati: & cum non alterius, illius proculdubiò quod in Adamo commiſit. Confirmatur

D. Auguſt.

Dices, probari hac ratione non tantùm quòd B. Virgo peccaverit in Adam, ſed etiam quòd manſerit ſub illo peccato quouſque ad baptiſmum perveniret, hoc autem eſt hæreticum: ergo, &c. Sequela ex eo probatur: quia ſi prædictum peccatum eſſet ante baptiſmum illi jam dimiſſum, nihil adeſſet tunc à quo ablueretur, & ratione cujus forma baptiſmi verificaretur. 168.

Obiectio.

Pro ſolutione hujus replicæ oportet ampliùs declarare, quid ſignificet forma baptiſmi, & qualiter reſpiciat culpam originalem, & eam quam in Adamo commiſimus. Quod rectè explicabitur à ſimili in ſacramento pœnitentiæ, cujus forma ſignificat abſolutionem à peccatis perſonalibus, ſicut forma baptiſmi ab originali: quia ſacramenta efficiunt quod

Diluitur.

quod ſignificant, efficiunt verò gratiam, eadem ratione dicemus prædictas formas reſpicere peccatu n, ſicut reſpexerit gratia collata per talia ſacramenta. Porrò gratia collata per pœnitentiam eſſentialiter habet, quod ſit remiſſiva peccati actualis, hoc eſt, tendens per ſe & ex ſua natura ad illud remittendum, remittenſq; de facto, ſi non invenerit remiſſum: ad quod neceſſarium eſt, cõmiſſum fuiſſe prædictum peccatum: quia ſicut peccatum dum non eſt commiſſum, per ſe eſt incapax remiſſionis, ita nulla gratia poteſt per ſe & ex natura rei tendere ad illud remittendum ſemel autem commiſſo, poteſt gratia tendere per ſe ad ejus remiſſionem, vel conferendo illam de facto, vel confirmando & veluti ratam habendo illam quæ collata jam fuit.

Ad hunc ergo modum gratia baptiſmi dicitur ablutiva & remiſſiva culpæ originalis, ſeu ejus quam commiſimus in Adamo, quia ex natura ſua ad id tendit, remittitque de facto ubi remiſſa non eſt; ubi vero remiſſa jam eſt, confirmat & ratam habet talem remiſſionem. Ad quod neceſſario poſtulatur præexiſtentia talis culpæ, ſicut in Sacramento pœnitentiæ requiritur præexiſtentia culpæ actualis: & ſicut in hoc non ſufficit ſola poſſibilitas ad perſonaliter delinquendum, ita in baptiſmo non ſufficit poſſibilitas ad peccandum in Adamo, niſi utrobique peccatum de facto fuerit commiſſum quia ut dicebamus, peccatum nondum commiſſum per ſe eſt incapax remiſſionis, & ideo nulla gratia poteſt per ſe tendere ad illud remittendum; commiſſum vero ex eo quod remiſſum jam ſit, ad ſummum per accidens eſt remiſſionis incapax, & ita non impedit gratiam per ſe & ex natura ſua ad ejus remiſſionem tendentem, quia natura gratiæ non attenditur, neque variatur ſecundum illud quod eſt per accidens, ſed ſecundum id quod eſt per ſe.

Patet ergo, ex noſtra ratione non ſequi Virginem permanſiſſe ſub peccato originali uſque ad baptiſm: imo nec ſequitur contraxiſſe in ſua propria perſona tale peccatum: quia ut batiſmus & ejus gratia verè dicantur remiſſiva primæ culpæ, non eſt neceſſe ut de facto illam remittant: ſed ſufficit ut per ſe ad id tendant, ut autem per ſe ad id tendant, ſatis eſt quod perſona baptizanda, fuerit in Adamo ſub tali culpa, & in ſe ejus cõtractioni obnoxia. Nam ſicut prædicta culpa & obnoxietas ad ſui expiationem per ſe ſemper poſtulant gratiam baptiſmi; quamvis aliquando ante baptiſmum alia via auferantur: ita ipſa baptiſmi gratia quandocunq; conferatur, ſemper reſpicit per ſe prædictam expiationẽ quãvis aliquando eam jam factam ſupponat.

169. Vrgetur alia via eadem ratio. Alia vrget tertium hoc argumentum D. Auguſtin. lib. 6. contra Julia. cap. 1 & 2. ubi ex eo quod omnes parvuli indigent baptiſmo Chiſti, concludit, omnes illos naſci peccato originali obnoxios. Quia baptizari in Chriſto juxta Apoſt. ad Rom. . eſt baptizari in morte Chriſti: baptizari autem in (Roman. 6.) morte Chriſti eſt mori peccato, propter quod mortuus eſt Chriſtus: atque adeo ſupponitur, eum qui baptizatur, obnoxiũ fuiſſe tali peccato, cui poſſit mori. Et quia verba Auguſtini in duobus prædictis capitibus longiora ſunt pro hac ſententia, lectorem illuc remittimus, paucis inde huc tranſumptis, quibus præſens ratio urgentiùs continetur. In primo ergo capite ſic loquitur ad Pelagianos. *Quoniam univerſaliter prolata ſententia: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum Dei: eadem vos univerſitas comprimit, dicente Apoſtolo, Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu in morte illius baptizati ſumus Ergo & parvuli qui baptizantur in Chriſto, quoniã in morte ipſius baptizãtur peccato moriũtur,* &c. *Quia non eſt aliud in morte Chriſti baptizari, niſi peccato mori. Si ergo* (proſequitur inferius) *peccato non moriuntur parvuli, procul dubio in Chriſti morte non baptizantur. Si in Chriſti morte non baptizantur non in Chriſto baptizantur. In Chriſto autẽ baptizãtur: peccato ergo moriuntur. Cui peccato, quæſo, niſi quod originale traxerũt?* &c. Et c. 2. *Sed verte omnes tete in facies*, (loquitur ad Julian) *& contrahe quicquid ſive animis ſive arte vales, Quicũq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus: ergo verũ eſt nos mortuos eſſe peccato in morte Chriſti, qui fuit ſine peccato.* Et inferius. *Aut ergo agnoſcite, parvulos in baptiſmate mortuos eſſe peccato, & fatemini habuiſſe cui morerentur, peccatũ originale; aut aperte non eos in morte Chriſti baptizatos, ũ baptizarentur in Chriſto: & Apoſtolum mendacio redarguite dicentem, Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte illius baptizati ſumus.* Quæ verba, & plura alia quæ omittimus, moduſque arguẽdi & deducendi originale peccatũ in parvulis ex baptizatione in Chriſto, valde premunt, ut intelligamus nemini prorſus eorum in illo baptizati ſunt defuiſſe peccatum ſaltem commiſſum in Adamo & contractum in debito cui moreretur per ipſum baptiſmum: atque adeo vel negandum eſſe, B. Virginem fuiſſe in Chriſto baptizatam; vel fatendum prædicto peccato in Adamo prædictoque debito ſubjacuiſſe. 170.

Quarta ratio ſumitur ex morte temporali Ratio quarta. ipſius Virginis: ex qua ſic arguitur. Si B. Virgo non peccaſſet in Adamo, non ſubjacuiſſet morti corporali: ſed fuit corporaliter mortua, ut tenet Eccleſia: ergo in illo peccavit. Minor & conſequentia liquet. Major vero probatur. Tum quia mors non competit humanæ naturæ ex ſua primæva inſtitutione; cum à Deo condita ſit immortalis & impaſſibilis: ſed duntaxat ex Adami peccato: juxta illud Gen. 2. *In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris.* (Geneſ. 2.) Quod non tantum de morte animæ, quæ eſt ipſum peccatum, intelligendum eſſe ſed etiam de morte corporali, cui Adamus & poſteri ejus ex t̃ic jam manſimus obnoxij, conceditur ab omnibus Theologis, ut videbimus infra quæſt. 4 art. 5. Et ita dicit Apoſtolus ad Rom. 5. quod *Sicut per unum hominem peccatum in mundũ intravit*; ſic etiã (Ad Rom. 5.) *per peccatum mors.* Ergo ſi B. V. non fuiſſet particeps illius culpæ neque in ſententia illa comprehenſa fuiſſet non deſcendiſſet ad eam prædicta mors: cum æquum non ſit pœnam extendi ultra demeritum culpæ, aut legis ſupplicio puniri quem ejus ſententia non comprehendit. Tum etiam quia ſi Adamus antequam peccaret generaret aliquem filium, & iſte etiam non peccaret, nequaquam moreretur quamvis ipſe Adamus poſtea delinquens mortem incurreret: non niſi quia talis filius

utpotè è lumbis Adami jam egreſſus, non committeret in eo prædictum peccatum: igitur ſi B. Virgo ſimile peccatum in illo non commiſiſſet, nequaquam corporali morti, quæ fuit illius pœna, ſubjecta manſiſſet. ¶ Eo præſertim quia ſicut filio illi orto ante peccatum Adami non modò non deberetur mors, ſed poſitivè deberetur immortalitas, quæ omnibus non peccantibus fuerat promiſſa: ita ſi B. Virgo in Adamo non peccaſſet, non ſolùm mortis debitum non incurreret, ſed poſitivè deberetur ei immortalitas illa promiſſa omnibus non peccantibus.

171. Effugium. Dices, Deiparam debuiſſe mori non ex demerito peccati Adami, ſed ſicut Chriſtus mortuus eſt) ad delendum illud peccatum. Vel debuit mori, ut Chriſto morienti & reſurgenti conformaretur.

Impugnatio. Sed hoc bene impugnat Suarez ubi ſupra: quia Deus neminem ſine ejus culpa privat donis, quæ ſemel conceſſit, aut ad quæ conceſſit jus: ſaltem quoties ea dona aliis præſtantioribus non ſunt impedimentum: cum ergo immortalitatem conceſſerit naturæ humanæ pro omnibus individuis, quæ quidem immortalitas nulli majori bono erat impedimentum, non debuit neque Deipara neque alius ſimili dono ſine prædicta culpa privari. ¶ Quod autem dicitur Virginem debuiſſe mori ad delendum peccatum Adami, etiamſi tale peccatum non eam comprehenderit, falſum eſt. Tum quia id tanquam contrarium fidei damnat Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. cap 35. & lib 4 contra duas epiſt. Pelag. cap. 4. verba utriuſque loci adduximus §. 2. num. 166. ubi doctrina hujus evaſionis impugnata fuit. *D. Auguſt.* Tum etiam quia pro peccato Adami nullus mortuus eſt niſi vel ut debitor, vel ut fidejuſſor: at B. Virgo non fuit mortua ut fidejuſſor: quia munus fidejuſſoris, ſicut & munus redemptoris proprium eſt ſolius Chriſti, ut vidimus num 164. igitur fuit mortua ut debitrix, atque adeo ex demerito illius peccati.

Adde, quòd cum Deus mortem non fecerit, ut dicitur Sapient. 1. omnis mors vel eſt pœna peccati Adami, effectúſque inde illatus; vel eſt aliquid ordinatum in remedium & ſatisfactionem talis peccati: mors autem Virginis non eſt ordinata præcisè in remedium & reparationem peccati Adami: ſola enim mors Chriſti ad id fuit ordinata, fuitque ſufficientiſſimè illius reparatio & remedium: ergo mors B. Virginis habuit rationem pœnæ illatæ ex prædicto peccato. ¶ Neque Virgo mortua fuiſſet ob hoc præcisè, ut ſe Chriſto morienti conformaret, ſi aliunde non adfuiſſet moriendi neceſſitas: ſicut non eſt corporaliter vulnerata, flagellata, aut mortua in cruce propter prædictam conformitatem: non enim ſpectat ad perfectionem creaturæ rationalis conformari Chriſto in omnibus pœnis & miſeriis, quas pro nobis aſſumpſit: ut in Angelis conſtat. Quòd ergo fuerit ſimpliciter mortua, prædictos verò cruciatus perpeſſa non fuerit, aliunde oriri debuit quàm ex motivo conformitatis. Neque aliunde oriri potuit, niſi quia ſimplex mors erat in illa ſicut in cæteris pœna & effectus illatus ex peccato Adami: ſecùs verò illæ aliæ pœnalitates quæ comitatæ ſunt mortem Chriſti. Sap. 1.

Quinta ratio ſumitur ex alio effectu peccati Adami in hunc modum. Si B. Virgo moreretur antequam Chriſtus, non ſtatim ſanctiſſima ejus anima ad cœlum evolaret, ſed expectaret mortem ipſius Chriſti in limbo cum cæteris ſanctis Patribus; docent communiter Theologi, & probat Abulenſis paradoxa 5. cap 161. ante enim Chriſti mortem janua cœli omnibus erat clauſa, neque ab alio quàm ab ipſo poterat aperiri: ſed ſi B. Virgo non peccaret in Adamo, nec tangeretur demerito illius culpæ, non debuiſſet à cæli ingreſſu præpediri, neque eſſet ratio cur ad limbum deſcenderet, expectaretque ibi Chriſti mortem cum cæteris in quibus tota ratio detentionis & expectationis fuit demeritum illius peccati: ergo, &c. 172. Ratio quinta. *Abulenſ.*

§. IV.

Reliquæ ejuſdem ſententiæ rationes.

SExta ratio valde efficax pro iſta ſententia formatur ſic S. B. Virgo non peccaviſſet in Adamo, non indigeret gratia ſibi infuſa in inſtante animationis, ut conciperetur ſine culpa originali; imo omni gratia tunc ſecluſa non poſſet concipi in illa: ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Major ſuadetur: tum quia culpa originalis eſt terminus peccati actualis Adami, eſſentialiter ſupponens illud, & inde procedens: & ideo quiſquis expers fuiſſet prædicti peccati maneret abſque alia gratia nedum expers, ſed incapax talis culpæ. Tum etiam quia de ratione culpæ originalis eſt, ut ſit voluntaria voluntate Adami tanquam capitis naturæ ex qua voluntate culpa ipſa proceſſit: illi autem qui non peccaviſſet in Adamo non poſſet eſſe ita voluntaria: cum ponatur aliena omnino ab eo prædicta voluntas, & nullo modo in eum influens. Tum præterea, nam ei qui non peccaviſſet in Adamo, non magis nocuiſſet peccatum illius eo quòd ſeminaliter ab eo deſcenderet, quàm ſi non deſcenderet, ſed ex terra vel aliunde à ſolo Deo produceretur: cum enim Adamus in tali caſu reſpectu illius poſteri) ſaltem in illa actione peccaminoſa) non eſſet caput morale continens ejus voluntatem aut conſenſum, ſed dumtaxat principium naturale, uti ſunt reliqui parentes reſpectu filiorum, proceſſio ſeminalis omnino per accidens & de materiali ſe haberet ad prædictum effectum: ſicut habet ſe in reliquis parentibus proximis ad traducenda eorum peccata: ſicut ergo quia filij in hujuſmodi parentibus non peccaverunt, nullum ex eis hæreditant peccatum, neque ad id opus eſt gratia; ita quicunq; in Adamo non peccaviſſet, ſecluſa omni alia gratia, non poſſet peccatum ab illo contrahere: atque adeo etiam gratia non infuſa in inſtante animationis, conciperetur ſine peccato ¶ Ad hæc etiamſi B. V. conciperetur ſine gratia ſi tamen non peccaviſſet in Adamo, neque proinde voluntas qua ille peccavit, fuiſſet moraliter voluntas ipſius Virginis, carentia illa gratiæ cum qua conciperetur, nullo modo eſſet ei voluntaria: non enim ratio voluntarij aliunde quam ex prædicta voluntate Adami, quatenus fuiſſet voluntas Virginis, poterat ad prædictam carentiam deſcendere: ergo neque 173. Sexta ratio.

Digitized by Google

neque talis carentia haberet rationem peccati, cum hoc intelligi nequeat, niſi præintellecta voluntarij ratione.

174. Minor verò hujus rationis ſupponi videtur ab omnibus Catholicis: omnes enim præſervationem Deiparæ à culpa originali tribuunt præſtantiſſimæ gratiæ, qua præventa, & ſanctificata eſt in inſtante conceptionis; in quo cæteri omnes ob defectum talis gratiæ in peccato concipiuntur. Nemóque non malè audiet, ſi negare auſus fuerit neceſſitatem prædictæ gratiæ & ſanctificationis ad peccatum originale à Virgine eliminandum. ¶ Deinde ſi B. Virgo conciperetur carens gratia, illa carentia non eſſet ſolùm negatio, uti eſſet in ſtatu naturæ puræ, ſed eſſet privatio & carentia formæ ſibi debitæ: ſi enim cæteris omnibus ex Adamo naſcentibus debita erat gratia, & hac ratione ejus carentia eſt privatio, cur Virgini ex illo procedenti ſimiliter non deberetur? Eſſet igitur in ea prædicta carentia ſimiliter privatio, ac proinde malum vel ſolius culpæ, vel pœnæ ſupponentis culpam: omne quippe malum creaturæ rationalis vel eſt culpa, vel eſt pœna ſupponens culpam, juxta doctrinam D. Thomæ 1 p. quæſt. 88. art. 5.

D. Thom.

Ad hæc: fideles colentes Virginis conceptionem propter immunitatem à peccato, non colunt illam præciſè ob peccati negationem independenter à gratia; aliàs poſſet coli propter ſimilem negationem ille qui in puris naturalibus ſine gratia & ſine peccato produceretur: ideo ergo prædictam immunitatem venerantur, quia credunt, illam fuiſſe effectum gratiæ ſanctificantis: ſi igitur hujuſmodi gratia defuiſſet, defuiſſet etiam prædicta immunitas: nam deficiente cauſa deficit effectus.

175. Evaſio. Dices, ipſum *non peccaſſe Virginem in Adamo* fuiſſe illi magnam gratiam: quia gratia fuit excipi à lege impoſita Adamo de traductione peccati, quæ cæteros ejus poſteros comprehendebat. Unde quovis modo ſine peccato Virgo fuerit concepta, debet hoc cenſeri effectus gratiæ, ut fideles agnoſcunt.

Ex quo ad primum quod in majoris probatione additur, dicendum erit, ex vi illius primæ gratiæ, per quam Virgo fuit à prædicta lege excepta, fuiſſe illi debitam gratiam ſanctificantem infundendam in inſtante animationis: quia prædicta exceptio facta fuit à Deo ex amore efficaci conferendi talem gratiam: & ita non poterat Virgo in ſenſu compoſito illius exceptionis & amoris concipi ſine gratia. ¶ Ad ſecundum dici poterit, immunitatem Virginis à peccato coli ratione gratiæ, vel quia fuit ſimul cum illa ſaltem concomitanter, vel quia talis immunitas fuit effectus ipſius gratiæ, quatenus fuit effectus illius voluntatis, per quam Deus voluit gratiam conferre, proceſſitque ex amore conferendi illam: ſicut media procedunt ex amore finis, & ideo ſunt effectus finis.

176. Præcluditur quoad primam partem. Hæc tamen evaſio facilè impugnatur. Nam primum quod in ea dicitur, corruit ex doctrina dubij præcedentis, ubi §. 5. oſtendimus, exceptionem Virginis ab illa lege ſeu pacto de transfuſione peccati (quod ſimul aut perpriùs reſpiciebat transfuſionem juſtitiæ) non fore gratiam aut beneficium, ſed potiùs beneficij negationem. Unde ex hoc capite nequit immunitas conceptionis reduci ad gratiam; ſicut non reduceretur in illo, quem Deus aliunde quàm ex Adamo in puris naturalibus produceret. Tum etiam quia admiſſo prædictam exceptionem habere rationem beneficij, oririque per ſe ex aliqua gratuita Dei voluntate, nequaquam tamen ad id poſtulabatur voluntas conferendi gratiam intrinſecam, ſed ſolùm favor quidam extrinſecus non comprehendendi Deiparam ſub illo pacto, ſub quo caſura prænoſcebatur: uti fieret illi, quem Deus non crearet, eo quòd damnandum prænoſceret. Sicut enim adſtante hujuſmodi favore, omnique alia gratia ſecluſa, certum eſſet Virginem non caſuram in Adamo, neque peccatum in ſe contracturam; ita quælibet alia gratia, & voluntas eam conferendi, per accidens & de materiali ſe haberet ad hanc non contractionem: tota ergo ratio, in quam ſicut in cauſam deberet reduci, eſſet ille favor extrinſecus, non verò gratia in inſtante animationis infuſa.

Secundum quod dicitur in evaſione, etiam corruit: quia ſicut exceptio Virginis à pacto Adami non poſtulabat, neque inferebat gratiam in inſtante animationis infundendam, ſed ſolùm prædictum favorem extrinſecum; ita ex vi illius non erat debita prædicta gratia, ſed id ſolùm per quod tempore ſanctionis pacti fieret illa exceptio: ad quam ſatis erat prædictus favor, ex vi cujus, etiam nullo alio dono intellecto, negatum maneret peccatum tempore conceptionis.

Ultimum quod additur, quoad primam partem facilè impugnatur: quia fideles in Virgine non ſolùm venerantur gratiam concomitantem immunitatem ejus à culpa, ſed etiam ipſam immunitatem & peccati excluſionem: unde hanc & non illam tantùm confitentur ut ſanctam & cultu dignam, non niſi quia eſt effectus formalis gratiæ ſanctificantis: ob idque in natura pura, ubi nón eſſet gratia, immunitas à culpa, cum qua homines naſcerentur, non haberetur ut ſancta, neque coleretur: ut ergo veneretur in Virgine, debet gratia habere ſe ad illam antecedenter, ſeu tanquam cauſa, non verò purè concomitanter. 177.

Quoad ſecundam partem impugnatur etiam animadvertendo, quòd ut aliquid colatur & veneretur ut ſanctum, non ſufficit eſſe effectum gratiæ utcumque, puta in genere cauſæ finalis: quia non omne quod ad gratiam vel ſanctitatem ordinatur, tanquam ſanctum habetur: ſed debet eſſe talis effectus, qui involvat ipſam gratiam, adeóque effectus in genere cauſæ formalis: Et ideo quamvis ſubſtantia prædeſtinati & alia ordinis naturæ ordinentur per prædeſtinationem ad gratiam & gloriam, ſintque proinde iſtarum effectus in genere cauſæ finalis, non ideo ea colimus aut veneramur ut ſancta: quia non ſunt effectus in genere cauſæ formalis involventes ipſam gratiam. Veneramur verò & colimus converſionem & juſtificationem alicujus, quia ſunt effectus formales gratiæ, ipſam includentes. ¶ Hinc ſic arguitur. Ex eo quòd Deus exciperet B. Virginem à pacto Adami ex amore conferendi ei gratiam in inſtante animationis, ſolùm haberetur, quòd talis exceptio, & conſequenter immunitas à contractione peccati inde illata, eſſent

Impugnatur evaſio quoad ſecundam.

Digitized by Google

eſſent effectus ipſius gratiæ in genere cauſæ finalis, quatenus prædicta exceptio & immunitas ordinaretur ſicut ad finem ad gratiæ infuſionem; non autem habetur, quòd ipſa gratia in genere cauſæ formalis ad talem immunitatem concurrat, in eave includatur: igitur non ideo poſſet prædicta immunitas coli & venerari ut ſancta.

Confirmatur: nam ſuppoſito quòd B. Virgo fuerit excepta à pacto Adami, priùs omnino intelligimus eam immunem à contractione culpæ originalis, quàm intelligamus infundi ei gratiam: primum enim illud ſufficienter intelligitur ex ſola exceptione à pacto; ex qua tamen ſola non intelligitur ſecundum: ſi autem prædicta immunitas eſſet effectus formalis gratiæ involvens eam, non poſſet intelligi, non intellecta gratia, ut eſt per ſe notum: ergo, &c.

Confirmatur ſecundò. Si Deus alium aliquem excepiſſet à prædicto pacto per decretum producendi illum ſine ſemine viri, quamvis infunderet ei gratiam in inſtante productionis, non ideo diceretur indiguiſſe tali gratia, ut peccatum effugeret, neque immunitas ab eo tribueretur ipſi gratiæ, vel ſicut ſancta coleretur: quia ex vi prædicti decreti independenter ab illa evaderet immunis: ergo ſimiliter in noſtro caſu: utrobique enim ratio adæquatè excludens peccatum eſt exceptio à pacto ſine indigentia ulterioris gratiæ.

178. Ratio ultima. Septima ratio affinis huic ſextæ ſumitur ex doctrina præcedentis dubij, poteſtque ad hanc formam redigi. Pactum quod Adamus accepit in ordine ad conſervationem vel amiſſionem juſtitiæ originalis, comprehendebat B. Virginem, ſicut cæteros poſteros ipſius Adami: ergo peccatum, quo pactum illud fuit transgreſſus, etiam Virginem comprehendit, atque adeo peccavit illa tunc, ſicut & cæteri peccaverunt. Conſequentia liquet: quoniam Adamus pro omnibus illis peccavit, pro quibus pactum acceperat: peccavit enim pro eis, quatenus erat morale ipſorum caput, quod habebat ratione pacti: unde ſicut fuit caput omnium, pro quibus illud accepit, ita pro omnibus peccavit, & omnes in eo peccaverunt. Antecedens verò probatur: tum quia prædictum pactum comprehendit omnes deſcendentes ab Adamo per propagationem ſeminalem: hanc enim fidei regulam Eccleſia ſemper cuſtodivit, ut æquè par erit ratio & influxus capitis moralis in Adamo, ſicut ratio influxus principij naturalis per prædictam propagationem. Ob idque Sancti & Doctores Chriſtum à primo illo influxu excipiunt, quia exceptum vident ab hoc poſteriori, conceptúmque de Virgine & Spiritu ſancto, ut vidimus à num. 1.0. Cum igitur B. Virgo per ſeminalem propagationem ab Adamo deſcenderit, non eſt cur exceptam fuiſſe dicamus à prædicto pacto. Tum etiam quia conſtitutio illius pacti fuit magnum Dei beneficium erga genus humanum, utpotè per quod elevati ſunt ad ſupernaturalem ordinem quotquot pactum comprehendit; juxta dicta dub præcedenti num. 85. æquum autem non erat, ut negarentur Deiparæ beneficia, quæ cæteris conferebantur. Tum præterea, nam ſi Adamus non peccaret, B. Virgo hæreditaret ab illo originalem juſtitiam: cum decens non eſſet ut cæteris omnibus cum prædicta juſtitia naſcentibus, ſola illa tanto dono careret: non autem hæreditaret eam, niſi fuiſſet comprehenſa ſub pacto. quia hoc fuerat Adamo tota ratio transfundendi tam peccatum quàm juſtitiam: ergo, &c.

Dices, Virginem in illo caſu naſcituram cum originali juſtitia, non ex vi pacti Adami, ſed ex alio Dei decreto, quo ſtatuit prædictam juſtitiam illi conferre. 179. Primum effugium.

Sed contra: nam in primis gratis fingitur tale decretum, cujus exiſtentia ſuaderi nequit aliqua ſufficienti ratione, aut aliquo Scripturæ vel Patrum teſtimonio. Deinde vel illud decretum fuit dandi Virgini juſtitiam originalem abſolutè & independenter à peccato Adami, vel fuit decretum dandi illam ſub conditione *ſi Adamus non delinqueret*. Primum dici non poteſt, cum videamus de facto, ex quo ille peccavit, non fuiſſe Virgini collatam talem juſtitiam. Si verò dicatur ſecundum, jam prædictum decretum non diſtingueretur à pacto communi pro omnibus, ſiquidem hoc nihil aliud continebat niſi promiſſionem juſtitiæ originalis, ſi Adamus non peccaret, & ejus denegationem ſi delinqueret. Præterea quovis modo prædictum decretum confingatur, verificari debet quòd ratione illius erat promiſſa & debita B. Virgini juſtitia originalis, ne in hoc cæteris maneret deterior: & verificatur etiam, quòd ratione peccati Adami habuit privari tali juſtitia, & quòd tale peccatum fuit titulus ſaltem quoad ſufficientiam, ut eam non reciperet: ergo fuit comprehenſa ſub tali peccato; nulli enim poteſt eſſe titulus amittendi juſtitiam aut gratiam, peccatum quod non ipſum comprehendit. Denique ſive prædicta juſtitia promiſſa fuerit Virgini ex pacto communi, ſive ex aliquo peculiari decreto, facta jam promiſſione, verè illi erat debita: adeóque ejus carentia non eſſet tantùm negatio, ſed privatio. Cum ergo peccatum Adami fuerit ei ratio non accipiendi talem juſtitiam, ſequitur quòd idem peccatum fuerit ratio & debitum incurrendi ejus privationem, in qua originale peccatum conſiſtit. Impugnatur.

Dices ſecundò, B. Virginem fuiſſe exceptam ab illo pacto, quatenus reſpiciebat transfuſionem peccati in poſteros; fuiſſe verò comprehenſam ſub illo, quatenus reſpiciebat transfuſionem juſtitiæ. Prævidens enim Deus Adamum peccaturum, noluit Virginis voluntatem quantùm ad hunc effectum voluntati ejus committere; voluit tamen, ut promiſſio Adamo facta de transfuſione juſtitiæ caſu quo non peccaret, ad Virginem ſe extenderet, ne ab eo beneficio maneret excluſa. Et ideo Adamo non peccante, hæreditaret B. Virgo ſicut cæteri prædictam juſtitiam; peccante verò, neque juſtitiam neque peccatum acciperet, quantum erat ex vi illius promiſſionis. 180. Effugium aliud.

Sed neque hoc ſolvit argumentum. Tum quia ſuppoſita prædicta promiſſione, eo ipſo quòd B. Virgo ob defectum obſervationis pacti, ab Adamo non acciperet ejus juſtitiam, debebat accipere, quantum erat ex illo capite, privationem talis juſtitiæ, cum reſpectu formæ promiſſæ & debitæ non detur medium inter privationem & ipſam formam: cum autem talis privatio ſit ipſum peccatum originale, planè ſequitur in prædicto caſu adfuiſſe Evertitur.

Digitized by Google

adfuiſſe debitum, quantum erat ex illo capite, ut ejuſmodi peccatum acciperet, licèt de facto ob aliam prævenientem gratiam illud non contraxerit. Tum etiam quia pactum, quo Deus promiſit Adamo juſtitiam, & comminatus fuit ejus privationem, erat quædam promiſſio conditionata, cujus una pars ab alia dependebat, eratque hac ratione prorsùs indiviſibilis, nullatenùſque admittens eam diſtributionem, quam fingit evaſio: & ita vel debuit B. Virgo ſub tota illa, vel ſub nulla ejus parte comprehendi. Non igitur fieri potuit, ut comprehenſa ſub illo pacto, quatenus reſpiciebat transfuſionem juſtitiæ non contineretur ſub eo ut reſpiciente peccati transfuſionem. Quod verò dicitur, Deum ſcientem Adamum peccaturum, noluiſſe ei committere Virginis voluntatem, omni caret fundamento, quia ut dubio præced. num 87. vidimus, commiſſio illa etiam cum præſcientia futuri peccati erat magnum Dei beneficium reſpectu cujuſcunque individui naturæ humanæ, à quo proinde B. Virgo non debebat excludi. Niſi fortè alia via abſolutè & independenter à peccato Adami juſtitia originalis ipſi promitteretur, & tribueretur quod cum factum non ſit, (non enim Virgo de facto juſtitiam originalem accepit, ut ejus paſſibilitas & mortalitas oſtendebant) liquet eam non debuiſſe excludi à communi illo beneficio.

181. **Decretum pro hac ſententia.**

Denique pro hac ſententia eſſe videtur decretum quoddam Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, ubi cavetur, ne titulus *Immaculata* quo utimur agentes de Virginis conceptione, ipſi conceptioni, ſed dumtaxat ipſi perſonæ Virginis tribuatur, in hunc modum: *Conceptio immaculatæ Virginis*; non in iſtum, *Conceptio immaculata*. Ita ſancitum ſeu confirmatum fuiſſe dicitur Romæ ann. 1627. die 23. Februar. & iterum anno 1638. die 28. Aprilis: & tandem anno 1644. die 20. Januarij: meminitque hujus decreti epiſtola Regis N. Philippi IV. de qua mentionem fecimus ſupra num 160. Cum autem prædicto decreto non prohibeamur ſentire & affirmare, B. Virginem in primo inſtante animationis fuiſſe ſanctificatam, & ſine peccato conceptam: conſequenter non videtur prohiberi appellatio *immaculata* cadens præciſè ſupra conceptionem paſſivè ſeu terminativè ſumptam, quæ non differt à perſona concepta. Id ergo ſolùm interdici putandum eſt, aut ſaltem credendum eſt omnino interdici, ne videlicet carentia & immunitas à peccato tunc reperta, aliqua ratione adſcribatur conceptioni activæ, ſeu actioni generativæ, quaſi ob id *conceptio immaculata* appellatur, quia in prædicta actione ſeu conceptione, aut in diſpoſitionibus ex parte ejus ſe tenentibus non fuerit vis & neceſſitas peccatum inducendi, aut quaſi non debuiſſet Virgo illud incurrere ex merito talis actionis ſeu conceptionis. Porrò qui negant, illam peccaſſe in Adamo, & habuiſſe debitum, de quo loquimur, totum hoc aſſerunt: ſiquidem conceptioni activæ & diſpoſitionibus ex parte ejus ſe tenentibus negant omnem vim peccati inductivam: alioquin ſi talem vim eis concederent, ibi jam prædictum debitum agnoſcerent, fatenturque Virginem comprehenſam fuiſſe ſub peccato Adami, ex quo, & non aliunde poterat vis illa ad ejus conceptionem derivari. Unde juxta eorum opinionem non modò perſona Virginis ſeu ejus conceptio paſſivè accepta, ſed etiam prædicta actio & conceptio activa deberet dici *immaculata*, utpote immunis & expers non modò omnis peccati & malitiæ, ſed etiam omnis infectionis potentis inducere malitiam & habentis ordinem ad peccatum. Militat ergo directè contra ipſos prædictum decretum: militantque omnia tum ex auctoritate, tum ex ratione hucuſque prolata.

En tibi, ſtudioſe lector, ſententiæ affirmantis B. Virginem peccaſſe in Adamo, traxiſſéque ab illo debitum culpæ originalis, præcipua fundamenta, quæ valuimus ſedulitate & claritate propoſita: quæ dum maturè perpendis, & quantum ei firmitatis & certitudinis concilient, alia nobis quæſtio agenda ſe offert, neque injucunda, neque inutilis, cujus examen, noſtrum de hac re judicium manifeſtare compellet. Illud verò uſque modò tacuimus, & uſque ad dub. ſextum reticebimus, ut ante ejus probationem, eorum quæ in hac materia attendenda diximus, nihil inconſultum relinquamus.

DUBIUM V.

Quæ ex præmiſſis ſententiis magis propitia ſit cauſæ immunitatis Deiparæ?

CAuſam immunitatis Deiparæ à contractione culpæ originalis ante retrò ſæculis diu pervexatam, aſſiduus jam ſcriptorum labor, & Theologorum valde communis aſſenſus, populorum plauſus, piorum ac præſertim magnorum Principum ardens votum ad eum ſtatum perduxerunt, ut ejus Catholica diffinitio non ſine ſpe in deſiderio ſit. Quandiu tamen ea veritas inter fidei dogmata non collocatur, aut latitudinem opinionis (veriſſimæ licèt, & quæ infra hanc latitudinem omnem ſubit probabilitatem & auctoritatem) non egreditur, nullus labor, quo peroptatus ille finis juvari poſſit prætermittendus eſt. Cum itaque plurimi Theologi qui hujus cauſæ patrocinium ſuſceperunt, ingentem auctoritatum & rationum copiam ſuis ſcriptis produxerint, quibus prædicta veritas validè fulcitur, prædictáque diffinitio directè & quaſi à priori expoſtulatur: operæ pretium duximus non nihil ſtudij noſtri in eandem piam cauſam impendere, quo veluti à poſteriori juvetur, oſtendatúrque ejus bonitas ex remotione prohibentium, quibus cernitur præpediri. 182.

Neque idcirco labor noſter deſpiciendus, vel poſthabendus, quòd humilior videatur: nam ut pulchrè in prologo Galeato D. Hieronymus, *In templo Dei offert unuſquiſque quod poteſt: alij aurum, argentum, & lapides pretioſos: alij byſſum, & purpuram, coccum offerunt & hyacinthum: nobiſcum benè agitur, ſi obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apoſtolus contemptibiliora noſtra magis neceſſaria judicat. Unde & tota illa tabernaculi pulchritudo pellibus tegitur & ciliciis, ardorémque Solis & injuriam imbrium ea quæ viliora ſunt, prohibent.* Pulchrè ſanè & ad rem noſtram: forraſsè enim aderit ex ſapientibus, qui opellam hanc **D. Hieron.**

qualemcunque & vilem, contra argumentorum tamen adverſæ partis imbrem & ardorem, piam ſententiam protegentem, præ aliis ſublimioribus pro præſenti cauſæ ſtatu neceſſariam judicabit.

§. I.

Oſtenditur ſecunda ſententia favorabilior cauſæ Deiparæ.

183. Aſſertio pro ſecunda ſententia.

Dicendum igitur eſt ſecundam ſententiam adſtruentem in B. Virgine debitum originalis culpæ, cauſæ ejus de immunitate ab actuali contractione valde propitiam eſſe; primam verò quæ prædictum debitum negat, in multis illi officere, & in nullo opitulari. Hanc concluſionem à nemine ſub his terminis propoſitam vidimus, ſicut nec præſentem difficultatem ita in particulari excitatam: eſt tamen adeo conſona doctrinæ dubij præcedentis pro ſecunda ſententia, ut plurimos illius ſectatores iſti ſuffragium laturos minimè dubitemus, multóſque ex aperto patronos habemus. Adducemus pro omnibus verba P. Franciſci Suarez tom. 1. ad 1. 2. D. Thomæ tract. 5 qui eſt de vitiis & peccatis diſp. 9. ſect. 4. num. 11. ubi refertur, quòd cum jam ſenex à quodam ſocio per literas interrogaretur, an permaneret in illa ſententia, quam docuerat tom. 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 3. aſſerente nimirum in B. Virgine debitum proximum incurrendi culpam originalem; reſcripſit illi ſequentibus verbis: *Reſpondeo, nunquam me eam putaſſe adeo veram, ac hodie judico: quia cum viderem aliqua eorum, quæ cum pietate dicta & excogitata hactenus ſunt, & vellem iis fulcire magis opinionem piam, ex iiſdem occaſionem habui firmiùs adhærendi illi ſententiæ quam citato loco ſequutus ſum* (nempe quòd B. Virgo habuerit debitum, de quo loquimur.) *Et addo, quemlibet prudentem Theologum Dominæ noſtræ valde affectum debere non inclinare ad illud extremum,* (videlicèt quòd prædicto debito caruerit) *quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque immaculatæ Conceptionis veritatem juvat; prebétque occaſionem adverſariis dicendi non poſſe nos immaculatam Conceptionem defendere, niſi declinando ad opiniones vel cenſura dignas, vel diminuentes Chriſti redemptionem,* &c. Ecce egregius iſte Doctor non modò aſſertionem noſtram tuetur, ſed admonet quemlibet prudentem Theologum & Dominæ noſtræ valde affectum ab illa non recedere, quòd ea ſententia aptior multò ſit ad tuendam Virginis immunitatem; oppoſita verò veritatem illam non adjuvet, ſed potiùs ei noceat, & ad honorem ejuſdem Virginis nihil referat. ¶ Idem admonet Ill. D. Ioannes Merinero in reſponſione ſupra num. 150. citata, propoſit. 1. rat. 3. num. 55. & ſequentibus. *Quia* (inquit) *opinio negans debitum Deiparæ, præterquàm quòd omnino aliena ac ab Scoto, difficillima eſt, & admodum difficilibus principiis ſubnixa: precluditque aditum, ut Patrum teſtimoniis occurramus, niſi concedendo (ut præfata opinionis defenſores concedunt) illos in ſuis aſſertis inconſtantes & ſibi contrarios extitiſſe. Reducere autem controverſiam, quæ eſt inter Catholicos circa præſervationem Virginis à peccato originali, ad iſtas anguſtias, à ſectatoribus piæ ſententiæ valde cavendum eſt.* Hæc ille.

Suarez.

Merinero.

184. Vnde ſumenda ratio pro aſſertione.

Ut autem ratione oſtendamus quod in aſſertione ſtatuimus, ſupponendum eſt, illam ſententiam magis propitiam eſſe cauſæ immunitatis Deiparæ, quæ proximiùs conducit, ſecuriúſque viam aptat, ut prædicta veritas (ſi Deo placuerit) per Apoſtolicam diffinitionem inter fidei dogmata collocetur; hæc autem erit, quæ evidentiùs diluit objectiones, & ſolvit argumenta, quibus opinio aſſerens Conceptionem Virginis in peccato, diffinitioni obſiſtit, prædictamque veritatem intra limites aſſertionis humanæ quaſi captivam detinet. Sententia verò quæ prædictis argumentis ſolutionem negat, vel de illis evertendis non curat, quamtumvis pro diffinitione pugnare videatur, incaſſum laborat: cum evidens ſit, nihil poſſe pro vero diffiniri, quod non poſſit & debeat ab impugnationibus vindicari.

Præcipua autem argumenta, quibus opinio aſtruens peccatum à ſuis auctoribus communiri ſolet, adeo ut credant, piam ſententiam non poſſe ut veram diffiniri, ad tria capita reducuntur. Primum continet loca Scripturæ, quæ generaliter omnes Adami poſteros ſub ejus peccato comprehendunt, & nullius præterquam ſolius Chriſti admittunt exceptionem, ut vidimus dub. præcedenti à num. 156. Secundum continet teſtimonia SS. Patrum, quæ & ratione ſimilis generalitatis in aliquibus, & in aliis ratione determinationis ad B. Virginem, non patiuntur eam à prædicto peccato omninò excludi: ut conſtat ex illorum verbis relatis à num. 131. Tertium caput continet aſſerta, quæ de B. Virgine, non ſecùs ac de reliquis ſeminaliter deſcendentibus ab Adam Catholici fatentur: ut quòd fuerit per Chriſtum redempta & reconciliata Deo: quòd Chriſtus pro ea mortuus fuit, quòd ſua morte ſolvit & ſatisfecit pro illa; aliaque hujuſmodi quæ connexionem habere videntur cum peccato. Cum igitur perſpicuum ſit, nihil diffiniendum eſſe ab Eccleſia, quod hujuſmodi teſtimoniis & aſſertis præjudicium inferat, fruſtrà laborem impendet pro diffinitione quiſquis prædicta aſſerta & teſtimonia cum veritate, quæ diffinienda eſt, non adæquat: atque adeo quiſquis objectionibus & argumentis, quæ ex illis deſumuntur, denegat ſolutionem: in quo, quia res eſt perſpicua, non immoramur.

185. Formatur ratio.

Hinc autem formatur ratio pro noſtra aſſertione in hunc modum. Sententia negans B. Virgini debitum ad contrahendam culpam originalem, non ſalvat veritatem teſtimoniorum ſacræ Scripturæ & SS. Patrum, quæ de hac re loquuntur, neque cohæret cum aliquibus propoſitionibus, quas Catholici de ipſa B. Virgine neceſſariò confitentur: quæ verò prædictum debitum admittit, omnia illa teſtimonia legitimè exponit, & cum omnibus quæ tenenda ſunt, rectè cohæret: atque adeo hæc poſterior viam expedit ad diffinitionem veritatis, de qua loquimur, prior verò illi additum præcludit: igitur illa non prodeſt, ſed officit cauſæ immunitatis Deiparæ; hæc autem plurimùm ſuffragatur. Conſequentia liquet

liquet ex iis, quæ prænotavimus. Prima verò antecedentis pars videlicet ſententiam negantem debitum non ſalvare ea quæ diximus quantùm ad teſtimonia Scripturæ & Sanctorum ſuadetur: nam ex prædictis teſtimoniis illa quæ in generali loquuntur, adeo ſunt univerſalia ut neminem præter ſolum Chriſtum à peccato Adami & obnoxietate culpæ originalis excipi permittant, prout ex ipſis teſtimoniis legitimè expenſis videre eſt dub. præcedenti, §. 2. & 5. Quæ autem in particulari procedunt, ita ſunt expreſſa pro B. Virgine, ut tergiverſationi locus non detur, ut videre eſt toto §. 3. Vnde ea tantùm ratione poterit excipi à contractione peccati originalis ſine præjudicio prædictorum teſtimoniorum, quatenus exponenda erunt de peccato commiſſo in Adamo, & de peccato originali in obnoxietate & in debito. Qui ergo tam à peccato quàm à debito excipit Deiparam, vel negabit veritatem prædictis teſtimoniis, vel argumenta contra Virginis immunitatem ex illis deſumpta inſoluta relinquet. Deinde prædictum ſententiam non ſalvare alia neceſſariò credenda præſertim Virginis redemptionem conſtat ex dictis toto dub. 3. ubi probavimus, exceptionem B. Virginis à debito culpæ originalis tali redemptioni omnino præjudicaturam: ſicut etiam non compati cum reconciliatione Virginis per Chriſtum, cum morte ejus corporali, cum baptiſmi ſuſceptione, & aliis hujuſmodi, habetur ex dictis dub. præced. §. 6. 7. & 8. Fruſtrà igitur laborat pro diffinitione conceptionis extra culpam, qui hac via procedit.

Secunda antecedentis pars, nimirùm iuxta ſententiam adſcribentem Deiparæ debitum culpæ originalis, negantem verò actualem contractionem, omnia prædicta componi probatur diſcurrendo per ſingula: in quo aliquantùm immorabimur, quia illud potiſſimè intendimus, ut ex deciſione hujus dubij compertum maneat, illa quæ dub. præcedenti ad roborandam ſecundam ſententiam adduximus, & quæ auctores illius, quæ peccatum originale Virgini adſcribit, in ſui favorem afferre poterunt, non officere piæ ſententiæ præſervanti illam à peccati contractione; ſed convincere dumtaxat debitũ, de quo loquimur.

186. Ad quod præmittere placuit verba Cardinalis Caietani tom. 1. opuſculor. opuſc. 1. ubi conceptioni B. Virginis obſequium gerens, & cauſæ noſtræ conſulens, magnum diſcrimen aſſignat quoad ea, de quibus nunc loquimur, inter ſententiam adſtruentem in Deipara debitum culpæ originalis, negantem verò actualem contractionem, & inter opinionem ſeu errorem (ut ipſe loquitur) negantem etiam prædictum debitum, his verbis: *Inter has igitur opiniones hæc mihi videtur quò ad fidẽ differentia, quòd poſitio dicens B. Virgin. eſſe præſervatã à peccato originali & reatibus, &c. eſt contraria fidei Catholicæ, quoniam repugnat iis quæ in S. Scriptura & aliis documentis fidei certis & neceſſariis continentur:* Et inferius. *Et* Caiet. *ne longius protrahatur hoc, oportet ſummariè ante oculos habere, quòd iſtæ quinque propoſitiones ſunt omnino confitendæ, ſcilicet Chriſtus mortuus eſt pro B. Virgine: B. Virgo eſt aliquo modo mortua morte peccati: B. V. eſt reconciliata Deo per Chriſtũ: B. V. eſt redempta per mortem Chriſti: B. V. etiam poſt ſanctificationẽ ſui, non niſi per Chriſti mortẽ aditum habuit paradiſi apertum. Quibus adduntur aliæ aut per ſe notæ: ut quòd omnis recõciliatus fuit inimicus: Quod B. Virgo mortua eſt morte temporali: aut determinatæ per Eccleſiã: ut quòd omnis homo redemptus à Chriſto, fuit verè captivus: quòd mors eſt pœna peccati originalis, &c. quæ nullo modo aut vix poſſunt ſalvari ab huiuſmodi opinione; ſi tamen opinio nominãda eſt, cum videatur manifeſtus error in fide. Dãnanda ergo videtur ſpecialiter hæc poſitio: quamvis neminem adhuc ſciam hoc tenuiſſe.* Hæc de opinione negante debitum Deiparæ.

De agnoſcente verò illud, & ſolum actualem peccati contractionem negante, ita loquitur. *In ſecundo autem ſenſu intellecta opinio de præſervatione B. Virginis, ſcilicet quod præſervata eſt à macula peccati originalis, & non ab infectione carnis, ac per hoc neque à debito in propria perſona illius macula, non eſt contraria ſacræ Scripturæ, neque determinationi Eccleſiæ, neque aliquibus neceſſario creditis. Quoniam B Virgo præſervata ex ſpeciali præventione gratiæ à macula originalis peccati, & habẽs cætera quæ diximus, non eſt extrà latitudinẽ mortuorum, inimicorum, indigentium remiſſione peccatorum, captivorum, habentium carnem peccati, obnoxiorum morti & clauſuræ cœli. Et conſequenter non eſt extra latitudinem eorũ, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, reconciliatorum, liberatorum, redemptorum, mundatorum, introductorum denique per Chriſti mortem in vitam æternam animæ & corporis. Et in promptu ratio eſt: quia ex eo quod habuit carnem infectã cum fomite ligato & reatibus, egebat futuro remedio per incarnationem, & I. C. exiſtendo: & ex eo quod in propria perſona habuit debitum cõtrahendi maculã originalis peccati, imo initium unde redundare in animam ſuam debebat originalis peccati macula, gratia illa, quæ præveniendo ſanctificavit eam, habuit rationem, gratiæ mundativæ, reconciliativæ, redemptivæ, &c. Liberans namque animam à macula non actualiter habita, ſed ex propria carne tunc debita, & in eadem carne tunc initiata, non eſt extra latitudinem liberantium à peccato, mundantium à ſorde, redimentiũ à captivitate, neq; enim uno modo tantùm quodlibet horum dicitur, ſed latitudinem habet. Dicitur namque captivus non ſolùm qui totaliter in captivitatem eſt redactus, ſed qui cœpit in ſui aliqua parte duci in captivitatem, & obnoxius eſt captivitati. Et ſimiliter dicitur mors peccati non ſolũ ipſa actualis mors, ſed debitũ & initiũ in propria perſona habendi illã. Et ſimiliter dicitur à peccato originali mũdatus, non ſolùm qui à contracta actuali macula mundatus eſt, ſed qui à macula, quidẽ in debito & initio, & reliquis tot quaſi partibus peccati originalis actualiter contractis mundatus eſt, & ſic de aliis.*

Et inferius. *Salvatur quoque in hac poſitione ſingularis prærogativa Ieſu Chriſti, quòd ſolus conceptus eſt ſanctus, & non in carne peccati: non ſolũ quia ipſa ex vi ſuæ conceptionis ſanctus naſcebatur, ſed etiam quia B. Virgo concepta eſt cum carne infecta, ſed cũ anima ſancta ex gratia impediente redundãtiã infectæ carnis in maculam animæ. Salvantur & omnes univerſales propoſitiones in Scriptura & eccleſiæ determinationibus*

187. Idem. Idem.

nationibus, ut facile puto apparere exercitatis ingeniis ex dictis. Hæc brevitatis cauſa interſeruimus: ſed & plura Eminentiſſim. Card. Quæ ſane ſufficerent ad firmandam noſtram rationem, quantum ad teſtimonia Scripturæ & alia neceſſariò credenda: præſertim cum auctor ubique graviſſimus, in hac parte apud omnes ſit inſuſpectus, ut qui non amore ſententiæ, de qua loquimur, non enim illam tuetur) ſed rei veritate compulſus, ita proclamavit.

188. Sed ut veritas magis appareat, oſtendemus ſingula, quæ propoſita ſunt, ex doctrina quam in hac diſputatione tradidimus. Etenim ſufficere ad Virginis redemptionem debitum, de quo loquimur, neque requiri actualem contractionem peccati originalis, probatum manet dub. 3. à num. 118. Vnde conſtat rationes aut verba, quæ ad intentum illius dubij ex operibus D. Auguſtini vel aliunde accepimus, nihil amplius quàm prædictum debitum in B. Virgine evincere. Quod etiam ſatis eſſe, ut indigeret reconciliatione cum Deo, liquet tum ex dictis dub. 1. num. 49. Tum etiam quia quiſquis præcedit vel in ſe vel in alio ſub Dei offenſa & inimicitia, indiget mediatore & reconciliatore, qui inimicitiam auferat, & offendentem offenſo conjungat: eo ipſo autem quòd B. Virgo habuerit prædictum debitum, fuit quidem quamvis non in propria perſona, bene tamen in Adam ſub Dei offenſa & inimicitia, fuitque ab eo elongata & differens: igitur habuit opus mediatore, qui ſolvens illam Adæ inimicitiam, ipſam Deo uniret & reconciliaret. ¶ Similiter id ſatis fuit, ut incurreret mortem temporalem, & ut janua cœli eſſet clauſa pro illa, ſicut pro cæteris juſtis, quouſque aperiretur per mortem Chriſti: quia hæc & ſimilia ſunt pœnæ peccatis actualis Adami, conſequenteſque illud in omnibus, qui prædictum peccatum in Adamo commiſerunt: unde ſicut in omnibus permanent poſt ablationem culpæ originalis, ſic potuerunt eſſe in Virgine ſine actuali illius contractione, ex eo dumtaxat quòd in Adamo deliquerit. Denique ſufficere prædictum debitum in B. Virgine, ut verificaretur quod Chriſtus mortuus fuit & ſatisfecit pro illa, quod ipſa fuit de numero mortuorum & captivorum per peccatum, aliaque id genus, quæ Caietanus verificanda dixit, conſtat ex dictis dub. 1. num. 49. citato.

§. II.

Exponuntur loca ſacra Scripturæ.

189. Venimus ad loca Scripturæ relata dubio præceden. §. 5. quæ ſanè ad ſui verificationem nihil ultrà prædictum debitum in B. Virgine expoſcere, ex ipſis conſtabit. Quæ enim afferuntur ex Paulo, & urgentiora videntur, ſolùm loquuntur de commiſſione peccati in Adamo, & de morte incurſa in illo, neque deſcendunt ad actualem culpæ originalis contractionem in propria perſona, ut videre eſt ad Rom. 3. *Non eſt diſtinctio, omnes enim peccaverunt, & egent gloria*, id eſt, juſtificationis gratia: ly *enim peccaverunt* non ſonat peccati originalis contractionem: non enim puer *peccare* dicitur, quando in ſua conceptione illud contrahit: ſed ſonat peccatum actuale commiſſum ab omnibus, quatenus fuimus in Adamo: ſeu (quod idem eſt, commiſſum ab Adamo ex perſona omnium; quod ſatis eſt, ut omnes gratia iuſtificationis indigeant, per quam peccatum in Adamo commiſſum remittatur, deleaturque Idem. macula originalis inde orta, vel orienda impediatur. Clarius cap. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt.* Loquitur ergo de peccato, quo omnes peccaverunt in illo uno primo homine, quando (ut ait Auguſtinus epiſt. 25 & lib. 4. contra duas epiſtolos Pelag. c. 4.) omnes in illo unius fuerunt, & ipſe pro omnibus peccavit. Hoc autem quòd eſt peccaſſe in Adamo, & fuiſſe unum in illo, concluditur in debito, de quo loquimur ut videre eſt ſupra n. 15.

Rom 3.

190. Similiter cum dicitur in eodem cap. *Per unius delictum in condemnationem*, &c. ſolùm denotatur, delictum actuale ab Adamo pro omnibus commiſſum, fuiſſe quantum eſt ex ſe, ſufficientem cauſam, ut omnes etiam B. Virgo inde damnationem & maculam originalem contraherent: cui veritati nequaquam opponitur quod ipſa B. Virgo illam de facto non incurrerit propter ſpecialem gratiam talem incurſum impedientem, & ab eo præſervantem.

Vlteriùs quod habetur 2. ad Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt*, &c. legitimè exponitur de morte ſive corporali ſive ſpirituali ſolùm quò ad debitum, qualiter omnes illam in Adamo incurrimus. Tum quia loquitur de præterito: quo pacto non ita verum eſt omnes in propriis perſonis mortuos jam fuiſſe, ſicut verum eſt omnes in Adamo debitum moriendi incurriſſe. Tum etiam quia ſufficit, quod omnes mortis debitum contraxerint, vt neceſſe fuerit Chriſtum mori pro omnibus, cum non minùs indigeat liberatore, qui eſt ad ſupplicium condemnatus, quàm qui in ipſo ſupplicio iam tenetur: quod & nihil amplius Apoſtolus ibi intendebat. Tum denique, nam in prædicto loco ſermo eſt non ſolum de morte animæ, in qua peccatum conſiſtit, ſed etiam de morte corporis, quæ eſt ejus effectus, eſt autem ſatis probabile non omnes de facto corporaliter morituros, licèt omnes ſub mortis debito teneantur. Sicut ergo non præjudicaret huic teſtimonio, quod aliquis ſpeciali Dei privilegio à morte corporali omnibus debita præſervatetur; ita non officit ejus veritati, quod B. Virgo ſpeciali Dei gratia præſervata fuerit ab actuali contractione mortis animæ, ſcilicet originalis culpæ, ſub cujus debito cum cæteris continebatur. 2. Cor. 5.

191. 1. Cor. 15. Non minus clarus eſt pro hac intelligentia locus ex 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes vivificabuntur.* Expreſsè enim eſt ſermo de morte in Adam, adeoque de peccato commiſſo in illo: neque in hoc aut cæteris Pauli teſtimoniis eſt verbum compellens nos ea in ſua univerſalitate de contractione peccati originalis immediatè intelligere: atque adeo etiamſi ut verba ſonant, & ſine exceptione alicujus accipiantur, in nullo præjudicant immunitati Virginis à maculæ contractione.

¶ Diximus

Digitized by Google

¶ Diximus *immediate*, quia non dubitamus haberi ex prædictis teſtimoniis per optimam & legitimam conſequentiam, omnes eos qui in Adamo peccaverunt contrahere in ſe ipſis, dum concipiuntur, originalem maculam, niſi ſpeciali privilegio præſerventur: quod privilegium quia nemini præterquàm Deiparæ conceſſum eſt, rectè Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. intulit ex teſtimonio illo ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt*, &c. omnes ſeminaliter deſcendentes ab Adam prædictam maculam incurrere; non tamen comprehendendo ſub ea illatione ipſam Virginem Deiparam, ſed ab hoc præſcindendo.

Concil. Trid. *Rom. 5.*

Luc. 19. *Matth. 9. & 15.*

Eundem ferè ſenſum habent teſtimonia Evangelij, quæ adduximus num. 161. ut Luc. 19. *Filius hominis venit quærere & ſalvum facere quod perierat*. Matth. 9. *Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus*. Et iterum *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores*. Et cap. 15 *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt*, &c. Et 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere*, &c. Et parabola paſtoris & ovis perditæ, quæ habetur Luc. 15. Quæ omnia probare videntur neminem eorum, pro quibus Chriſtus venit, & mortuus eſt, excipi debere à numero peccatorum. Ad horum igitur & ſimilium teſtimoniorum veritatem ſufficit, ut omnes homines comprehendendo etiam Deiparam, peccaverint, erraverint, perierint in Adamo: nam ratione illius peccati, & ratione debiti inde orti, etiam priùs tempore vel natura quàm in ſe peccatum contrahant, aut etiam ſi aliquis, ut B. Virgo, non contrahat, poſſunt omnes dici *peccatores*: & quia fuerunt peccatores in Adamo, & quia in ſe ipſis habuerunt eſſe tales, ſaltem cauſaliter & in debito, ut conſtat ex dictis dub. 1. à num. 45. Stat ergo veritas prædictorum teſtimoniorum (quibus nulla urgentiora ex Scriptura producentur) cum immunitate B. Virginis ab actuali contractione maculæ originalis, per ſolam incluſionem ſub peccato commiſſo in Adamo, & ſub debito prædictam maculam incurrendi.

1. ad Tim. 1 *Luc. 15.*

§. III.

Patrum teſtimonia quæ univerſaliter loquuntur legitime explanantur.

192. IN his quæ hactenùs tradidimus, convenit nobiſcum Cajetanus, & conveniunt aliqui tenentes cum illo, Virginem non fuiſſe ab originali præſervatam; quatenus fatentur, ſententiam ſibi oppoſitam non eſſe contrariam ſacræ Scripturæ, neque alicui determinationi Eccleſiæ, neque aliquibus neceſſariò credendis, ut vidimus numero 187. quamvis etiam huic doctrinæ aliqui alij ejus opinionis reluctentur. Omnes autem ad permanendum in ſua ſententia potiſſimè nituntur teſtimoniis SS. Patrum, quæ ſibi ita expreſſa apparent, ut congruam expoſitionem non admittant. Si igitur ex doctrina noſtra conſtiterit prædicta teſtimonia aptè exponi ſine præjudicio præſervationis Deiparæ à contractione maculæ originalis per ſolam non præſervationem à debito, habebimus remota præcipua impedimenta pro diffinitione, quàm optamus. Pro quo revocanda ſunt in memoriam, quæ diximus dub. 1. hujus diſputationis à num. 15. declarantes prædictum debitum: ac præſertim quomodò claudatur ſub eo tam peccatum actuale ab Adamo pro omnibus commiſſum, quàm obligatio & neceſſitas in unoquoque poſterorum inde orta ad incurrendam in propria perſona maculam originalem. Simulque præ oculis haberi debent loquutiones, quas eodem dub. 1. à num. 44. ratione prædicti debiti verificari diximus, etiam non ſecuta maculæ contractione. Dum enim omnia hæc ibi explicuimus in caſu fictæ hypotheſis, huc reſpeximus, ut opus non eſſet iterum ea inculcare. Igitur quæ Eccleſiæ Patres de hac re proferunt, quædam in communi loquuntur, comprehendendo ſub peccato omnes poſteros Adæ & ſolum Chriſtum excipiendo; quædam determinatè de B. Virgine id videntur aſſerere: ſingula examinabimus in hoc §. & duobus ſequentibus: incipimus verò ab his, quæ procedunt in generali.

Primò ergo occurrit D. Ambroſius relatus ab Auguſtino lib. 1. contra Iulia. cap. 2. & cap. 9. cujus verba reddunt hanc propoſitionem, *Solus Chriſtus non tenetur vinculis obnoxiæ generationis; cæteri vero omnes ſub peccati obligatione naſcuntur*: vel ut habet cap. 9 *naſcuntur ſub peccato*. Hæc autem propoſitio quoad priora verba legitimè exponitur (ſaltem quod attinet ad Virginem) de ſolo debito; quia *vinculum, obnoxietas & obligatio*, etiam in rigore terminorum non ſonant hoc quod eſt peccatum habere, ſed eſſe ſub debito & neceſſitate habendi illud. Poſteriora autem verba ſcilicet *ſub peccato naſcuntur*, quamvis magis peccatum videantur implicare, ſufficienter etiam intelliguntur de debito. Tum quia debemus illa exponere per præcedentia, ſcilicet *naſci ſub obligatione peccati*, cum Ambroſius in utriſque eandem ſententiam incluſerit. Tum etiam quia *naſci* ſive *concipi ſub peccato* non eſt omnino idem, ac habere peccatum in conceptione, vel concipi cum illo, ſed dicit habere in conceptione reſpectum aliquem ſubjectionis ad peccatum: quem reſpectum habet, quiſquis concipitur ſub debito peccatum contrahendi, quia ipſum debitum, etiam contractione non ſequuta, eſt aliquis modus ſubjectionis, & aliquis reſpectus ad ipſum peccatum.

Ambroſ. *Auguſt.*

193. Secundo occurrit ipſe D. Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. cap. 2. unde ſumitur hæc propoſitio, *Nullus eſt præter Chriſtum, qui nõ ex peccato ad juſtitiam tranſierit, & qui nullo unquam peccato fuerit adſtrictus*. Sed hæc ultima verba nihil ſonant ultra debitum: quia *eſſe adſtrictum peccato* ſolùm dicit eſſe illi obligatum & obnoxium, adeoque ſub debito ipſum incurrendi. Prima autem verba ſufficienter intelliguntur de peccato commiſſo in Adamo: ab hoc enim, & prout ante inſtans conceptionis Deiparæ permanebat pro ea non remiſſum, factus fuit tranſitus in illo inſtante ad juſtitiam & gratiam illi infuſam, per quam remiſſum fuit, juxta dicta diſp. præced. num. 9. & juxtà ea quæ dicemus diſp. ſequenti n. 74. agentes de termino *à quo* juſtificationis. ¶ Poteſt etiam dici, B. Virginem in ſua juſtificatione tranſitum feciſſe ad juſtitiam à peccato originali, non quod habuit, ſed quod habere debebat, haberétque de facto niſi

Auguſt.

niſi in illo inſtante per gratiam impediretur: ſæpe enim debitum vel jus ad aliquam rem pro re ipſa uſurpatur: quia quod prope eſt ad actum, nihil ab actu differre videtur.

Idem. In eodem lib. cap. 21. hæc propoſitio continetur, *De nullo conſtituto in hac vita veraciter dici poteſt, quòd nullum habuit peccatum excepto uno mediatore*, &c. Sed ſufficienter, ſicut præcedentes, verificatur de Deipara ratione debiti, & ratione peccati in Adamo commiſſi: quiſquis enim in eo peccavit, habuit pro ſe ibi illud met peccatum. Et inſuper debitum contractum in propria perſona, poteſt *peccatum* nuncupari: quia & eſt peccati originantis effectus, & quantum eſt ex ſe, cauſa originalis: ſicut concupiſcentia dicitur peccatum ab Apoſtolo Rom. 7. quia ex peccato eſt, & ad peccatum inducit. (Rom. 7.) ¶. In lib. de perfect. juſt. circa finem dicit Idem Auguſtinus, neminem eſſe præter Chriſtum, cui neceſſaria non fuerit remiſſio peccatorum. (Auguſt.) Sed & hoc rectè verificatur de B. Virgine ſine maculæ contractione ratione peccati commiſſi in Adamo: quia omnes, qui prædictum peccatum in illo commiſerunt, opus habent, ut ſibi remittatur, ſine qua remiſſione ſemper ipſis imputaretur.

Idem. Lib. 10. de Civitat. Dei capit. 6. ſic dicit: *Omnes mortui ſunt in peccato, nemine excepto, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. Reſpondetur etiam B. Virginem poſſe dici *mortuam in peccato*, non in propria perſona ratione peccati originalis in ſe contracti, ſed in Adamo ratione peccati originantis in illo commiſſi. (Idem.) Et ulteriùs potuit dici *mortua in peccato originali*, non ſecundum actum ſed ſecundum debitum: pro mortuo enim reputatur, qui eſt morti obnoxius. Quodlibet autem iſtorum conſonat menti Auguſtini, quia ſolùm intendit omnes ita eſſe mortuos per peccatum, ut indigerent redemptione per mortem Chriſti. ¶ Præterea lib. de fide ad Petrum cap 26. (refertur cap. *Firmiſſimè* de conſecrat. diſt. 4.) de omnibus qui ex viro & fœmina concipiuntur, affirmat, cum peccato originali naſci: (loquitur autem de nativitate in utero, quæ eſt ipſa conceptio, ut notat gloſſa loco citato.) Reſpondetur ſufficere ad veritatem hujus loci, quòd omnes cum prædicto peccato concipiantur, quantum eſt ex vi ſeu debito ſuæ generationis, atque adeo niſi gratia præveniens actualem peccati contractionem impediat, ut impedivit in B. Virgine. (Idem.) Denique lib. 5. contra Iulianum cap. 9. omnem carnem præter carnem Chriſti dicit fuiſſe *carnem peccati*. Sed ad hoc etiam ſatis eſſe prædictum debitum, conſtat ex dictis num. 18.

194 D. Hieron. Tertiò occurrit D. Hieronymus ſuper ad Corinth. 5. dicens, ſolum Chriſtum fuiſſe immaculatam hoſtiam oblatam Deo pro omnibus, qui erant in peccato. Reſpondetur Hieronymum loqui de hoſtia immaculata omnibus modis, quæ neque in ſe, neque in Adamo peccati macula aut ejus debito tangeretur: qualem, verum eſt, non fuiſſe B. Virginem, quia in Adamo peccatum incurrit, & in ſe debito ſubjacuit.

D. Greg. Sequitur quartò D. Gregorius lib. 11. Moral. cap. ultim. ubi ait, B. Job unum ſolum vidiſſe hominem, ſcilicet Chriſtum, de immundo ſemine non conceptum, & qui ita in mundum venerit, ut nihil habuerit de immunda conceptione. Et rurſus. *Solus in carne ſua vere mundus extitit, qui delectatione carnis tanti non potuit*: & lib. 18. cap. 27. *Ille ſolus veraciter ſanctus natus eſt*, &c. Reſpondetur, omnibus iſtis loquutionibus excludi à Chriſto Domino non tantùm peccatum originale, ſed etiam debitum: quia qui ſub iſto concipitur, concipitur de immundo ſemine, & habet aliquid immundæ conceptionis: ipſum enim debitum ſemen infectum includit, ut explicuimus numer. 16. Et propter eandem rationem dicitur ſolus Chriſtus verè mundus in carne ſua & ſanctus extitiſſe, id eſt, elongatus & penitùs immunis ab omni peccati contagione, quia neque peccatum, neque peccati debitum (quod explicatur per carnis delectationem ſeu conceptionis libidinem) ipſum ullo modo tetigit. Hoc autem munditiæ & ſanctitatis genus non competit Deiparæ, eo ipſo quòd cum debito peccati fuerit concepta: & ideo quamvis peccatum ipſum non incurrerit, excluditur cum cæteris à prædictis locutionibus, ipſæque ſoli Chriſto Domino reſervantur.

Succedunt verba Origenis homil. 12. in Levit. ex quibus ſequens propoſitio conſtatur. (Origenes.) *Omnis qui ingreditur in hunc mundum per originem paterni ſeminis, in quadam contaminatione fit, atque in patre & matre contaminatus & pollutus dici poteſt*. Hæc autem propoſitio quoad utranque partem exponitur eodem modo, ſicut quæ ex D. Gregorio adductæ ſunt. Ratione enim infecti ſeminis etiam ante actualem contractionem peccati poteſt, qui ſic concipitur, dici *contaminatus*, & *pollutus in patre & matre*: imo & aliquo modo in ſe, quia talis infectio ex parte corporis ſemper pertingit uſque ad perſonam conceptam: licet in B. Virgine ob prævenientem gratiam animam non tetigerit.

S. Leo Papa ſerm. 1. de nativitate ſic ait. *Dominus noſter ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*. 195. S. Leo. Et ſerm. 5. *ſolus Dominus Ieſus innocens natus eſt*: (nativitate ſcilicet in utero.) Et ſerm. 8. *In ſolo Chriſto erat natura ſine culpa*. Et ſerm. 12. *Solus B. Virginis natus eſt filius abſque delicto*. Prima ex his propoſitionibus ſufficienter intelligitur de debito etiam in rigore terminorum: quia nomen *reatus* indifferenter ſignificat alligationem ſub culpa contracta, & obligationem culpam contrahendi; ut obſervavimus dub. 1. num 46. Unde cùm ejus propria ſignificatio ſalvetur in hoc ſecundo ſenſu, non eſt neceſſe quoad Virginem ſumere illud in priori. Secunda propoſitio intelligitur de innocentia omnimoda, & ſic eſt veriſſima: non enim concipitur ut omnino innocens, qui concipitur ſub delicto Adami, & propter illius obnoxius originali maculæ contrahendæ: ſicut concipiuntur omnes præter ſolum Chriſtum, quem nullum delictum nullumve debitum comprehendit. Tertia verificatur de culpa vel contracta de facto vel contrahi debita. Et ſimiliter intelligitur quarta, ſcilicet de delicto commiſſo in Adamo, & in ſe vel contracto, vel contrahi debito: in quo ſenſu prædictæ propoſitiones neque

Digitized by Google

neque Deiparam, ſed ſolum Chriſtum Dominum excipiunt. ¶ Poſſunt etiam omnes illæ aliter verificari, etiam ſi intelligantur de peccato formaliter, nam ſenſus erit, quòd ſolus Chriſtus ex ſe, ex ſua natura, & ex modo ſuæ conceptionis non potuit illud incurrere: quia ex nullo horum capitum aderat in eo peccati principium: quo pacto nullus alius, neque etiam B. Virgo dici poteſt peccatum non habuiſſe; quamvis abſolutè, & non facta illa reduplicatione, fuerit ab eo immunis.

S. Ephren. Greg. Nyſ. Caſſiod. Græc. Anon. Caſſianus. Uno autem ex his duobus modis intelligentiæ verificantur quæ cæteri Patres affirmant. S. Ephren ſerm de Paſſione Domini. *Solus Dominus ſine peccato erat.* Gregorius Niſſenus *Solus hic partus maſculinus eſſe conſpici ut qui nihil de fœditate culpæ portavit.* Caſſiodorus pſal. 138. *Solus Chriſtus ſine peccato eſſe dignoſcitur.* Græcus Anonymus ſuper Lucam. *Solus hic fructus benedictus, quia ſine peccato producitur.* Et Caſſianus collat. 22. *Immaculatum & ſine peccato eſſe, unius Domini noſtri Ieſu Chriſti ſingulariter convenit majeſtati*, &c. His enim & ſimilibus loquutionibus, quæ in Patribus reperiuntur, ſolùm ſignificatur omnes homines, præter Chriſtum, & peccaſſe in Adamo, & in propria perſona, cum conciperentur, peccati debitum, adeoque infectionem & immunditiam aliquam incurriſſe, ratione cujus in aliquo vero ſenſu dici poſſint *immundi & infecti*: ſive talis infectio pertingat ad animam inducendo culpam originalem, ſive animam gratia præoccupante, in carne ſiſtat, ut in B. Virgine accidit: quam proinde non eſt neceſſe pro ejus tuenda immunitate à ſimilibus univerſalibus loquutionibus excipere: præſertim cum tenor verborum ſuadeat, prædictam exceptionem eſſe violentam. ¶ De Bernardo dicemus § ſequenti: modo verò quod attinet ad verba ex epiſtola ad Lugdunenſ. relata n. 132. quibus univerſaliter loquitur, ſufficienter poſſet exponi modo nuper dicto: & niſi addidiſſet alia ſpecialiora, quæ retulimus n. 142. parum negotij epiſtola illa piæ ſententiæ faceſſeret.

Bernard.

§. IV.

Teſtimonia quæ procedunt in ſpeciali lucem accipiunt.

196. D. Auguſt. Veniamus ad loca, quæ in ſpeciali de ipſa Virgine loquuntur, relata etiam dub. præced. toto paragrapho tertio. Primus eſt D. Auguſtini ſuper pſal. 34. concion. 2. ubi ait: *Maria ex Adam mortua propter peccatum.* Carpit Granadus Cajetanum, quòd ita legerit, ut nos, & non ſicut ille, *propter peccatum Adæ.* Sed inſulsè revera, nam in editione Pariſienſi anno 1586. omnium emendatiſſima, ſolùm legitur *Maria ex Adam mortua propter peccatum*, neque habetur genitivum *Adæ*, quod ex alia editione Granados deſumpſit. Et licèt veritatis non interſit, (ſubintelligitur enim prædictum genitivum, licèt non exprimatur) debuiſſet cenſor editiones ſelectiores conſulere, vel à ſugillatione abſtinere. Ad rem ergo: Beatam Virginem mortuam fuiſſe propter peccatum, ſcilicet Adæ, ſolùm probat, peccatum illud ad eam ſicut ad cæteros Adami poſteros pertinuiſſe, & ex perſona omnium fuiſſe commiſſum. Sicut enim ex hoc ipſa Virgo cum cæteris debitum maculæ originalis incurrit, ſic etiam incurrit debitum moriendi in pœnam prædicti peccati. Nec repugnat, ut primo illo debito ex Dei diſpenſatione à ſui actu impedito, hoc poſterius expeditum remaneat, prædictamque pœnam ſuo tempore inducat: ſicut de facto in aliis juſtificatis poſt ablatam originalem maculam permanet debitum moriendi, ipſaque mors ſuo tempore infligitur in pœnam illius peccati: de quo diximus ſupra numero decimo octavo.

Secundus Auguſtini locus adducitur ex lib. 2. de peccat. merit. cap. 24. ubi dicit, carnem Virginis fuiſſe *carnem peccati.* Et tertius ex lib. 10. de Geneſi ad liter. cap. 18. ubi ait, prædictam carnem *fuiſſe de propagine peccati conceptam.* Utrumque verò ſufficienter verificari ratione debiti, etiam ſine actuali contractione maculæ originalis, conſtat ex dictis dub. 1 num. 4. ubi rationem tradidimus; quia humana caro non ideo dicitur *caro peccati*, aut *caro ex peccato*, vel *in peccato* vel *ex peccati propagine concepta* aut *propagata*, quaſi ipſa peccati maculam formaliter in ſe ſuſcipiat: non enim ſubjectum peccati quoad ſuum formale habet eſſe caro, ſed anima: ſed ita appellatur, quia eſt caro fabricata per ſemen ex peccato Adami vitiatum & infectum, adeoque caro ſimili modo ex prædicto peccato infecta & vitiata, ſuaque infectione & vitio maculæ originalis inductiva: quod totum clauditur in debito, de quo loquimur, ut explicuimus numero citato. Idem.

197. Fulgent. Ildephonſ. Eundem ſenſum habent verba D. Fulgentij lib. de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti: & D. Ildephonſi lib. contra diſputant. de perpet. virginit. Beatæ Mariæ: ſolùm enim continent prædictam propoſitionem, quòd *caro Virginis fuit caro peccati.* Et quamvis, Fulgentius addat, *Quæ in iniquitatibus fuerat humana ſolemnitate concepta*, hoc tamen in idem redit: quia hæc verba non appellant ſupra perſonam Virginis, ſed ſolùm ſupra ejus carnem, cum qua dumtaxat concordare debet relativum *quæ*, & adjectivum *concepta* carnem verò conceptam eſſe in iniquitatibus vel in peccato, nihil aliud dicit quàm eſſe conceptam per ſemen vitiatum, & cum prædicta infectione, quæ dici poteſt peccatum cauſaliter: non enim major alia iniquitas aut formalior malitia quàm hæc cauſalis poteſt ad carnem pertinere: vide ſupra citato num 48.

Euſebius Emiſſenus homil. 2. de Nativit. nihil habet, quod ſonet ultra debitum: nam utitur ipſo nomine *debiti*, & nomine *nexus* quod idem ſignificat. ¶ Verba Chryſippi Hieroſol. ſerm. de S. Maria Deipara, denotant Virginem fuiſſe lapſam cum cæteris Adami poſteris. Sed intelligenda ſunt de lapſu in ipſo Adamo, quando ille ex omnium perſona deliquit Poterunt etiam exponi de lapſu in propria Virginis perſonâ, non quidem formali, ſed radicali & initiativo: ipſum quippe debitum labendi in originalem culpam poteſt dici *lapſus initiativè & radicaliter.* Eu. Emiſſ. Chryſippus.

¶ Locus

Digitized by Google

Damaſc. ¶ Locus Damaſceni quovis modo legatur, ſolùm probat, B. Virginem ſuſtinuiſſe mortem corporalem in pœnam peccati Adami, adeóque commiſiſſe cum cæteris illud peccatum, prout fuit in ipſo Adamo. Quod verò inde maculam in propria perſona contraxerit, non inſinuat prædictus locus.

198 Anſelm. Rupert. Duriora ſunt verba Anſelmi lib. 2 *Cur Deus homo* cap. 16. & Ruperti libro primo, in Cant. adeo ut Suario & etiam Vazquezio viſum fuerit non habere congruam explicationem. Dicunt enim apertè Virginem fuiſſe in peccatis & in iniquitatibus conceptam. Sed juxta noſtram doctrinam utriuſque erit facilis ſolutio non ex proprio marte fabricata; ſed petita ex ipſo D. Anſelmo lib. de concept. virgin. cap. 7. ubi cum cap. 6. præcedente dixiſſet, ſolam animam ſive voluntatem eſſe peccati ſubjectum, quærit & explicat, quo modo puer qui concipitur, ſtatim ab ipſo conceptionis exordio, quando nondum fœtus informatur anima rationali, ſed ſolùm embrio aut ſemen in utero exiſtit, dicatur iam concipi in iniquitatibus & in peccatis, ſic accipiens illud Pſal. 50. *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Videtur itaque ſequi* (inquit) *quod aut infans ſtatim ab ipſa conceptione animam habeat rationalem, aut in eo non eſt peccatum* Anſelm. *originale mox cum conceptus eſt. Quod autem mox ab ipſa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus ſuſcipit ſenſus*, &c. Et infra. *Sed ſi non ſtatim infans ab ipſa conceptione habet peccatum, quid dicit Iob Deo, Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus es? Et quomodò verum eſt, quod dicit David, In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Quæram igitur, ſi poſſum, quomodo quamvis non ſtatim ab ipſa conceptione ſit in infantibus peccatum, de immundo tamen ſemine in iniquitatibus & peccatis concipi dicantur. Sæpè namque divina Scriptura aſſerit aliquid eſſe, quando non eſt, ideo quia certum eſt futurum eſſe. Sic quippe Deus Adæ de ligno vetito dicit, In quacũque die comederis ex eo, morte morieris: non quòd ea die mortuus ſit corpore, ſed quoniam die illa neceſſitatem accepit aliquando moriendi*, &c. *Simili modo de immundo ſemine in iniquitatibus, & peccatis concipi poteſt homo intelligi, non quòd in ſemine ſit immunditia peccati, aut peccatum ſive iniquitas: ſed quia ab ipſo ſemine & ipſa conceptione, ex qua incipit homo eſſe, accipit neceſſitatem, ut cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non eſt aliud quàm peccatum & iniquitas*, &c. Huc uſque Anſelmus.

Cujus verba & ſententiam quiſquis præ oculis habuerit, nullo negotio, per doctrinam noſtram ſine præjudicio immunitatis Deiparæ occurret teſtimonio ipſius Anſelmi & teſtimonio Ruperti, aliiſque ſimilibus, ubi de illa affirmetur, quòd fuerit in peccato originali concepta. Conſtat ſiquidem ad verificandam ab aliquo hanc propoſitionem in via D. Anſelmi neceſſarium non eſſe expectare inſtans animationis, illius qui concipitur, ubi peccatum formaliter contrahendum eſt; ſed veram eſſe toto tempore antecedenti ab initio conceptionis, quando quia nondum eſt rationalis anima, nondum eſt formaliter peccatum; ob neceſſitatem & debitum illud incurrendi. Hac igitur ratione verificari potuit prædicta propoſitio de Beata Virgine ratione prædicti decreti, præſcindendo ab eo quòd in inſtante animationis originalem maculam contraxerit. Quod cum Sanctus Doctor ita luculenter declaraverit, ſuperflua erit major expenſio prædictæ doctrinæ.

Pergamus ad alia, quæ idem Anſelmus ait citato capit. 16. ubi continetur hæc propoſitio, *B. Virgo fuit à peccato originali mundata*: (alia enim quæ, ibi habetur, nempe quòd caro Virginis fuit *de maſſa peccatrice*, exponenda eſt, ut explicuimus Auguſtinum, Fulgentium, & Ildephonſum, appellantes eam *carnem peccati*.) Eundem loquendi modum tenuit Richardus Victor. lib. 1. de Emanuele cap. 11. & lib. 2. cap. 26. & 28. ubi non ſemel ait, Virginem & ejus carnem fuiſſe *à vitiorum contagio mundatam & purgatam* prout etiam dixerunt Nazianzenus orat. 42. Germanus Patriarcha in theoria rerum eccleſ. Nicephorus Conſtantinop. in epiſtola ad Leonem III Petrus Damianus in ſerm. Aſſumpt. Et aliqui alij ex Patribus ſic loquuntur. Cæterum ad veritatem prædictæ propoſitionis ſufficit debitum, de quo loquimur, neque neceſſaria eſt actualis peccati contractio. Tum quia ratione prædicti debiti contraxit B. Virgo vitioſitatem & infectionem inferentes, quantum erat ex ſe, maculam in anima, à quibus purgata fuit per gratiam earum effectum impedientem, & vim omnem illativam ipſius maculæ extinguentem. Tum etiam quia ut purgatio & mundatio, de qua citati Patres, intelligatur eſſe non tantùm à prædicta infectione, ſed etiam ob originali culpa, non eſt neceſſe, quòd iſta præceſſerit de facto contracta, ſed ſufficit quòd debuiſſet præcedere, ſeu quòd præceſſerit in debito & radice: reputatur enim quaſi iam præſens malum, quòd de proximo imminet & timetur: unde quia culpa originalis proximè in prædicto debito imminebat, non immeritò præſervationem ab illa per gratiam Patres dixere *mundationem* & *purgationem*.

Margin notes beside this paragraph: 199 Idem. — Ric. Victor. — Nazian. German. Nicep. Con. Petr. Dam.

Ob eandémque rationem dici potuit *ablutio* & *remotio talis culpæ*, ut appellavit D. Bernardinus Senenſis ſerm. 4. de conpt. B. Mariæ artic 1. cap. 1. Quòd verò artic. 4. admittit fomitem in B. Virgine, ligatum quidem per primam ſanctificationem, & per ſecundam penitus extinctum, non officit præſenti veritati: quia non repugnat fomitem ex ſpeciali diſpenſatione ſeparari à culpa originali, & contrahi illa non contracta: ſicut ſeparatum fuit debitum moriendi, & alia, quæ ex natura rei prædictam culpam conſequuntur. An verò de facto Beata Virgo fomitem contraxerit, conſtabit infra à numer. 221. Bern. Sen.

¶ Verba Hugonis Victorini libro ſecundo, de ſacrament. 1. p. capite quinto, & Magiſtri ſententiarum in 3. diſtinctione tertia, ſolùm continent debitum de quo loquimur: aiunt enim carnem Chriſti in matre fuiſſe peccato obnoxiam, ſicut reliquam Virginis carnem: quod idem eſt atque obligatam, & ſub debito conſtitutam. Nullus ergo prædictorum Patrum, etiam ſi nomina aut Hugo. Vict. Magiſt. ſent.

verba

Digitized by Google

verba à propriis ſignificatis non extrahantur præjudicabit veritati articuli cui conſulimus, ſi à prædicto debito Virginem nolimus excipere; cum tamen ea exceptione facta, omni careant probabili expoſitione.

200. D. Bernard. Non ita ſanè aliorum qui examinandi ſuperſunt, verba, & ſententias liberum nobis erit inoffenſo pede percurrere. Epiſtola enim D. Bernardi ad Canonicos Lugdunenſes jam olim multis in hac materia lapis fuit offenſionis, & petra ſcandali: cujus ſane verba relata dub. præced. num. 142. cum aliis quæ in eadem epiſtola & ſerm. 1. de Aſſumpt. continentur, pluribus Theologis negotium faceſſere: nec leviter inſudarunt, ut oſtenderent intelligenda eſſe non de conceptione completa, & conſummata, qua fœtus anima rationali informatur, ſed de antecedenti, & præparatoria, quæ longè ante inchoatur, quando ſemen in vulva ſuſcipitur: & de peccato originali non in ſe formaliter contracto, ſed habito dumtaxat in neceſſitate & debito, juxta doctrinam quam ex Anſelmo lib. de conceptu virgin. ſupra tradidimus. Cui provinciæ, quia illam docti, & graves Bernardi alumni ex munere ſuſceperunt, præſertim Franciſcus de Vivar. in lib. de Bernardo vindicato, & Angelus Manrriquez tom. 1. annual Ciſterc. ad annum 1140. cap. 4. & 5. ſuperſedendum duximus, relinquendo lectoris judicio, num prædicti Doctores adeo feliciter ſicut eruditè, & ſtudioſè laboraverint. Id autem eſt nobis & aliis omnino per ſe notum, videlicet quòd ſaltem ſine recurſu ad debitum, quod explicuimus, nulla ſuperſit via exponendi melliſluum Doctorem, ne immunitati conceptionis Deiparæ refragetur. Unde quod aliqui neotherici ſuadere conati ſunt, Bernardum neque peccatum originale, neque ejus debitum proximum in Virgine aſſeruiſſe, omni caret probabilitate.

Vivar. Manrriq.

Albert. Mag. Mitiùs loquitur Albertus magnus aliquibus in locis, ubi quòd attinet ad ſonum verborum, poſſet de peccato commiſſo in Adamo, & de debito inde contracto ad originale incurrendum utcumque interpretari. Qui verò omnia conſuluerit, animadvertet non ſatis hac via mentem illius exponi. Minùs autem prædictam expoſitionem admittit D. Bonaventura, quia illam expreſsè impugnat in 3. diſt. 3. art 1. quæſt. 1. Idem dicendum de Ricardo à S. Laurentio in libris de Laudib. Vig. & de B. Antonino 1. p. tit 8. cap. 2. At vero Hugo Cardinalis ſuper cap. 7. Eccleſiaſt. videtur poſſe probabiliter intelligi, ut immunitati Deiparæ non omnino repugnet. Tum quia potuit referre ibi inter alias illam expoſitionem non ut ſibi veram, ſed ex aliorum ſententia, & ut probabilem: familiare enim eſt Scripturam ſacram exponentibus afferre omnia, quæ ad loci elucidationem conducunt; quamvis non omnia vera, ſed aliqua tantùm probabilia arbitrentur. Tum etiam quia cùm non nominet expreſsè *peccatum vel culpam*, ſed ſolum *originale*, aliquale dedit fundamentum, ut intelligatur de quolibet ad originale peccatum pertinente, ac proinde de debito contrahendi illud, quod aliquid originale & originalis peccati eſt.

D. Bonaven. Ricard. à S. Lau. D. Antonin. Hugo. Card.

Fatemur verò aliquid eſſe in textu, cui hæc ſecunda ſolutio non ſatis cohæret.

§. V.

Quid tenendum de mente Angelici Doctoris.

Unus ſupereſt examinandus Angel. Doctor: cujus doctrinam, prout præſentem tangit articulum, variè exagitatam auctores aliqui nolentes piam ſententiam illius ſcriptis deeſſe, ita modificare, & ad eam temperiem reducere conati ſunt; ut præſervationi Deiparæ à culpa originali non refragetur. Sed & nos quoque dolentes piæ ſententiæ tanti Doctoris deeſſe ſuffragium, prædictam concordiam ſummoperè concupivimus. Quid verò effectus non in omnibus votò reſpondit? Subiiciemus breviter (neque enim ex profeſſo res agitur) quæ diverſis teſtimoniis accuratè inſpectis, & inter ſe collatis de mente Magiſtri noſtri aſſequi valuimus. In illis igitur ſaltem debitum, de quo loquimur, contineri, nullaque alia via ſine præjudicio immunitatis Deiparæ verificari poſſe negabit nullus, qui in medio ſolis nolit cœcutire. An verò prædictum debitum pro vera expoſitione ſufficiat, hoc opus, hic labor eſt. Quem utinam non ſubire liceret. 201.

Duplex teſtimoniorũ genus apud. D. Thom.

Pro rei ergo intelligentia nota, in ſcriptis D Thomæ quædam eſſe teſtimonia, quæ non utcunque univerſos deſcendentes ab Adam (uno excepto Chriſto Domino) ſub originali peccato comprehendunt, ſed id tanquam certum in fide diffiniunt, & oppoſitum damnant ut errorem. Ita in 1. 2. ubi art. 4 ex quæſtion. 81. Primæ ſecundæ, & quæſtion. 4. de Mal. art. 6. & in 4. diſtinct. 43. quæſt. 1. artic. 4. In his verò locis non nominat B. Virginem, nec circa illam in particulari aliquid determinat, ſed loquitur in generali & in communi, cum ſola tamen Chriſti exceptione. Alia ſunt quæ de ipſa B. Virgine determinatè aſſerunt fuiſſe in peccato originali conceptum, aut non fuiſſe in inſtante conceptionis vel animationis, ſed poſt illud inſtans ſanctificatam. Hæc habentur 3. p quæſtion. 14. art. 3. ad 1. & quæſt. 27. art 1. in corp. & ad 2. & 3. & 4. quæſtion. 31. art. 8. ad 2. in 3. diſt. 3. quæſtion. 1. artic. 1. quæſtiunc. 2. & ad Anibald eadem diſt. quæſt. unica art. 1. Quodlib. 6. quæſtion. 5. artic. 7. opuſc. 2. cap 224. & opuſc. 8. circa medium Pſal. 13. ad illa verba. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum* & alibi. In nullo verò iſtorum locorum affirmavit D. Thomas aliquid tanquam de fide, neque oppoſitum ſuæ opinionis cenſura notavit, ſed ſimpliciter tantum illam aſſeruit.

202. Quid priora contineant.

Quod ergo attinet ad prima teſtimonia, pro comperto habemus, Angelicum Doctorem locutum fuiſſe de contractione peccati originalis non determinatè quoad actum, ſed vel quoad hunc vel ſaltem quoad debitum. Quidquid enim ſit, an ipſe crediderit, Virginem fuiſſe de facto in originali conceptam, id tamen de fide eſſe, nunquam exiſtimavit, neque ex ejus verbis aut rationibus ſimilis error poteſt deduci, cum ſine impropriet ate aut violentia intelligi valeant de contractione peccati quomodolibet ſumpta

Digitized by Google

pta, adeoque abſtrahendo ab hoc quod ſit vel ſolum quoad debitum, vel etiam quoad actum. Fuiſſe verò hanc illius mentem, & nihil amplius tanquam de fide ſtatuere voluiſſe conſtat, tum ex communi intelligentia Thomiſtarum, quibus hac in parte tan-
D.Thom. quam piæ ſententiæ favente accedendum eſt. Tum etiam ex ratione, qua S.Doctor utitur: quia videlicet ſecundum fidem tenendum eſt, omnes homines præter ſolum Chriſtum fuiſſe per eum redẽptos: quam rationem probare quidem debitum, ſed non amplius, oſtenſum eſt dub præced à num. 118. Tum præterea nam ipſe Ang. Doctor ſe ipſum ita explicuit in 4. diſt. 4: quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. ad 3. utens promiſcue & nomine *peccati*, & nomine *debiti*. Poſtquam enim dixerat, erroneum eſſe affirmare, quod aliquis ſine peccato originali concipiatur præter Chriſtum: quia qui ita conciperetur non indigeret ejus redemptione, & ſic Chriſtus non eſſet omnium hominum redemptor, ſubdit: *Liberari autem à malo, vel à debito abſolvi non poteſt, niſi qui debitum incurrit, vel in malum dejectus fuit: & ita non poſſent omnes fructum Dominicæ redemptionis percipere, niſi omnes debitores naſcerentur & malo ſubjecti: unde dimiſſio debitorum & liberatio à malo non poteſt intelligi, quod aliquis ſine debito vel immunis à malo naſcatur ſed quia cum debito natus per gratiam Chriſti liberatur*, &c. Vides D.Thomam nõ determinatè exigere, neque ad verificanda illa, quæ fides tradit, neque ad redemptionis fructum percipiendum, peccatum de facto contractum, ſed ſub disjunctione vel peccatum, vel debitum: id enim expreſſe dicunt illa verba, *liberari à malo vel à debito abſolvi non poteſt niſi qui debitum incurrerit, vel in malum dejectus eſt*. Et illa, *Niſi omnes debitores naſcerentur & malo ſubjecti*.

Vnde quod Angelicus Doctor in illa ſolutione negat recurſum ad gratiam præſervativam: quia tunc beneficium non fieret immediate perſonæ conceptæ, ſed parentibus, &c. intelligendum eſt de gratia præſervante non modo à peccato, ſed etiam à debito in propria perſona contracto: talis enim gratia eſt, quæ ſolis parentibus fieret, juxta ea, quæ diximus dub. 1. num. 34. Non autem loquitur de gratia ita à peccato præſervante, ut in ipſa perſona concepta debitum ſupponat ſaltem pro aliquo priori naturæ. Hic autem locus ita clarus lucem dat, ut alia ejuſdem D. Thomæ ubi ſuam ſententiam de fide eſſe pronuntiat, non aliter quàm prædicto modo accipiantur.

203. Aponte. Cum igitur ea omnia ita planam intelligentiam admittant, ſeu potius contineant, & indigeant, qui turpiter errare non eligunt, jure optimo P. Laurentius de Aponte homil.
Reprehenditur. Salazar. 59. citata numer. 5. Ferdinandum de Salazar reprehendit quod in opere de conceptione capit. 42. ſæcul. 13. poſuerit in cœlum os ſuum audens & dicens, D.Thomam non leviter erraſſe 1. 2 quæſtion. 81. artic. 3. ubi (ut putat Salazar) ſententiam de præſervatione Deiparæ ab originali culpa, gravi cenſura notavit: quam ſententiam ex ſummorum Pontificum decretis conſtat ſimili cenſura feriri non poſſe. *Aſſerendum* (inquit) *omnino videtur S. Thomam, cum eam notam illi impoſuit non leviter erraſſe, adeòque putandum, cum errorem reliquæ doctrinæ abrogaſſe fidem, potius quam conciliaſſe: nam jure ipſo comparatum eſt ut teſtis illius nulla ſit fides, qui ſuo teſtimonio aliquid mendacij & erroris manifeſtè inſeruit.* Hæc ille & alia in D. Thomam. A cujus tamen doctrina & ſcriptis omnem penitùs abeſſe errorem Summi Pontifices non ſemel proclamarunt. Nec Salazarius ſolùm in ea cenſura à reverentia & veneratione Angelico Doctori debita, exhibitaque ab omnibus, alienum ſe oſtendit; ſed omnino contra veritatem prædictum errorem illi impingit. Nam præterquàm quod cenſura illa, quæ poſt Sixti IV conſtitutionem erronea eſſet, tempore D.Thomæ non errorem ſed probabilem multorum opinionem continebat; falſum etiam eſt Angelicum Doctorem notam aliquam piæ ſententiæ inuſſiſſe: locus enim allegatus ex 1. 2. & alia, ubi aſſertionem ſuam de fide eſſe pronuntiat, & oppoſitum tanquam errorem damnat, intelliguntur de contractione peccati quantum ad debitum, ut nuper explicuimus: neque eſt in prædictis locis verbum aliquod, quòd huic expoſitioni contradicat; imò ſunt plura, unde neceſſariò colligitur. Sub prædicto autem debito etiam Deiparam comprehendi tenent tanquam de fide, vel ſaltem ita certum, ut oppoſitum ſit error, Salmeron, Vaſq. Corduba, Ægidius, Valentia, & alij immunitatis Deiparæ ſtrenui propugnatores, quos præcedenti dub. §. 4. retulimus, dabimuſque eorum verba infra numero 224. Unde cum prædicta loca D. Thomæ nihil amplius contineant, liquet Salazarium non verum errorem, ſed à ſe temerè excogitatum illi impoſuiſſe: adeòque (ut argumento ejus utamur) putandum hunc errorem reliquæ ſuæ doctrinæ fidem abrogaſſe, cum jure comparatum ſit, ut teſtis illius nulla ſit fides, qui ſuo teſtimonio mendacium manifeſte inſerit.

Qui autem minùs ſapiens ſtomachum & bilem in D. Thomam ita commovit, moviſſet etiam in Auguſtinum, ſi cum legiſſet lib. de perfecta juſt. c. 21. & lib. 1. de pecc. mer. c. 15. & lib. 4. contra duas epiſt. Pel. c. 4. & alibi, unde D.Thom. aſſertionem ſuam depromſit.
Sic enim ait in primo loco. *Quiſquis fuiſſe* Auguſt.
vel eſſe in hac vita aliquem hominem vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus neceſſaria non fuerit remiſſio peccatorum, contrarius eſt divinæ Scripturæ, ubi Apoſtolus ait, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit: & neceſſe eſt, ut impia contentione aſſerat eſſe poſſe homines, qui ſine mediatore Chriſto liberante atque ſalvante ſint liberi, &c. In ſecundo ita habet *Teneamus indeclinabilem fidei confeſſionem, ſolus unus eſt, qui ſine peccato mortuus eſt propter noſtra peccata*, &c. Et in tertio. *Pati mortem ſine meritis mortis de uno ſolo mediatore Dei & hominum homine Chriſto Ieſu Catholica fides novit*, &c. Vides Auguſtinum ſæpius affirmantem ut notum ex fide, neminem præter ſolum Chriſtum peccati fuiſſe expertem: cui tamen nullus Catholicorum errorem à Salazario excogitatum imponere auſus fuit: cur ergo impingendus Divo Thomæ, qui nihil aliud

Digitized by Google

aliud ſuis aſſertis affirmat? Et ſi verba Auguſtiniana ſenſum habent verum & catholicum quem nuper tradidimus, cur Thomiſtica, quæ ipſiſſima ſunt in alium accipiuntur?

204. *Quid tenendum quoad alia teſtimonia D. Thomæ.* Veniamus ad ea loca, quæ nihil continent cenſuræ, ſed ſimpliciter tradunt, Virginem fuiſſe in originali conceptam, aut non niſi poſt inſtans animationis fuiſſe ſanctificatum. Hæc autem ſincerè conſiderantibus, ſive quæ juvenis ſuper ſententias, ſive quæ ſenior in Summa Theologiæ aut aliis locis ſcripſit, ita pro peccati contractione ſunt perſpicua & ſibi ipſis cohærentia, ut coram propria conſcientia non audeamus illa de ſolo debito intelligere. Legimus ſæpenumero prædicta loca, ſeriem, verba, & apices attente meditati ſumus ſummopere cupientes & inquirentes viam, ut ſine veritatis præjudicio enuntiare poſſemus, D. Thomam piæ ſententiæ non refragari: illam tamen (quod non ſine animi dolore proferimus) uſque modo invenire non potuimus. Vtinam vel proprio, vel aliorum ſtudio peritiores facti, quàm cito inveniamus. Dum autem majori luce non fruimur, ſatius nobis fuiſſe arbitramur (inſufficientiam noſtram hac in re confitentes) quoad unam iſtam opinionem, quam D. Thomas tunc temporis ut probabiliorem & communem (uti erat revera) ſequutus Thomiſticum, rigorem aſſuetum nobis remittere, quàm aut extortis & violentis uti expoſitionibus, quas textus ipſe abjicit, aut commentitiis quibuſdam ſolutionibus ad detrahendum potius D. Thomæ ſcriptis, præſertim Summæ Theologiæ, temere excogitatis, quas quidam neotherici ſpargunt locum aperire. Præſertim cum ſciamus, aliquas prædictarum ſolutionum, & expoſitionum ſine fundamento adductas per ſacrum Inquiſitionis tribunal condemnatas fuiſſe, & deleri juſſas ex Elucidario Ioannis Baptiſtæ Poza: ut videre eſt in Indice expurgatorio edito anno 1640. ¶ Neque idcirco quia videamur oneri ſuccumbere, affectui noſtro in D. Thomam minus aliquid tuliſſe credimus aut à fideliſſimo ejus diſcipulatu, quem ſemper ambivimus, vel minimum defeciſſe. Tum quia licet prædictæ opinioni non hæreamus; ob reverentiam tamen Angelici Doctoris venerationem quam magna illam proſequimur. Tum etiam quia dum piæ ſententiæ ſubſcribentes, non omnia ipſius D. Thomæ loca cum ea adæquamus, non quæ modo ejus ſententia ſit, putamus deſerere; ſed quaſi per epikeiam de præſenti intentione ſupra verba indicantes, menti inhæreremus. An vero ſi Sanctiſſ. Doctor modo ſuperviveret, in antiqua illa opinione permaneret, vel contrariam amplecteretur? alibi tractabitur.

205. *Prudentiſſimè D. Thomas ita ſenſit. S. Bonav.* Porrò ut ipſe olim ita ſcriberet, coegit unanimis ferè aſſenſus pro oppoſita opinione, quæ tunc temporis ita percrebuerat, ut ſyncronus D. Thomæ S. Bonaventura in 3. ubi ſuprà ſcriptum reliquerit, *Omnes fere illud tenent, quod B. Virgo habuerit originale.* Et inferius de ſanctis loquens, *Nullus invenitur dixiſſe, de his quos audivimus auribus noſtris, Virginem Mariam à peccato originali fuiſſe immunem.* Quin & ipſe Scotus, qui aſſertorum immunitatis Deiparæ Princeps habetur, & triginta ferè annis poſt obitum D. Thomæ & D. Bonaventuræ ſcripſit, cum perveniſſet ad præſentem quæſtionem, quam in 3. diſt. 3. inſtituit ſub his terminis, *Vtrum B. Virgo fuerit concepta in originali peccato?* non modo partem affirmativam communem agnovit, ſed negativæ difficultatem & novitatem valde timuit. Ob idque præmiſſis tribus modis, quibus B. Virgo potuit ſanctificari, ad articulum de facto accedens; ſolùm ait. *Quod autem horum trium, quæ oſtenſa ſunt eſſe poſſibilia, factum ſit, Deus novit: ſi auctoritati Eccleſiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius eſt, attribuere Mariæ.* Et inferius. *Si autem teneatur pars negativa*, &c. Scotus. Ex quibus liquet, illum ſatis formidaſſe novitatem prædictæ ſententiæ: adeo ut nec tanquam abſolute probabilem eam proferre auſus fuerit ſed ſub illis conditionalibus, *Si auctoritati Eccleſiæ*, &c. *Si teneatur pars negativa*, &c. &, cum illa formidine, *videtur probabile*, &c. atque adeo conſtat tempore illo communem & univerſalem Theologorum ſenſum ab oppoſita fuiſſe, quæ contractionem peccati affirmat: eamque omnibus probabiliorem, multis verò indubitatam extitiſſe.

Cum igitur res ita ſe haberent, prudentiſſimè D. Thomas prædictæ ſententiæ ſubſcripſit, non quidem ut certæ & indubitatæ, ſicut alij, ſed ut probabiliori & magis communi, adeoque ſervans oppoſitæ ſuam etiam probabilitatem (qua probabilitate aliquando forte uſus fuit) In quo nihil falſum ſenſiſſe videtur: quia licet prædicta ſententia alias vera non ſit, veruntamen eſt, & verum ſemper erit, pro tempore illo communem & probabiliorem extitiſſe. Qua via non incongruè Angelicus Doctor poterit ab aſſertione falſi circa hunc articulum in quocunque eventu vindicari: quia qui ſequitur aliquam opinionem non à ſe fabricatam, nec rationibus ex proprio marte communitam, ſed ab aliis, quibus probata fuit tempore quo probabilior haberetur, acceptam, etiam ſi abſolutè eam amplecti videatur, revera ſolùm profitetur majorem probabilitatem talis opinionis: & ideo nunquam poterit falſitatis convinci: quia nunquam erit falſum illam opinionem pro illo tempore probabiliorem fuiſſe; licèt poſteà falſa, aut minùs probabilis evadat.

206. *Alia ratio ex reverentia D. Thomæ erga SS. Patres.* Compulit deinde ad ita aſſerendum magna D. Thomæ reverentia erga SS. Patres, qui ad ſupprimendam omnino Pelagij hæreſim, in id extremum inclinarunt, ut neminem præter Chriſtum à lege peccati originalis exciperent: quorum verba tamerſi divina providentia temperaverit, ut poſſent (quod attinet ad Deiparam) de ſolo debito exponi, prout nos expoſuimus; non tamen hanc viam oportuit tempore illo ita innoteſcere, cum adhuc ſupererant Pelagianorum reliquiæ, nitentium aliquos à prædicta lege extrahere; quibus pro Deipara permiſſa prædicta expoſitione, aut difficile in ſuæ hæreſis favorem ea abuterentur, & alios exciperent. Quod ſane eventurum haud obſcurè colligitur ex Beda in prolog. ſuper Cantic. ubi ait, Julianum Pelagij diſcipulum ex immunitate Chriſti à culpa originali voluiſſe argumen-

tum deſumere ad vniuerſaliter aſſerendum, *Nullum eſſe peccatum congenitum hominibus, quandoquidem ille & veritate carnis circũdatus, & macula immunis extiterit.* Qui igitur ex immunitate Chriſti de Spiritu Sancto concepti ita peruersè anſam deſumebant, ut cæteris hominibus originalem culpam denegarent, quanto magis ſi immunitas Virginis conceptæ ex viro & fœmina illis proponeretur, uncum inde acciperent ad errorem ſuum proteruè defenſandum. Hæc itaque ratio cum aliis in cauſa fuit, ut vel Deus ante tempora D. Thomæ myſterium immunitatis Virginis non apertè manifeſtaret; vel Eccleſiæ Patres ſi illius acceperunt notitiam, non palam de illo loquerentur; ſed viderentur potius ſub lege originalis culpæ omnes concludere, cum ſolius Chriſti exceptione. Quamvis aliàs tot laudes & encomia de B. Virgine enuntiaverint, ut non obſcurè poſſimus eius exceptionem ex illis deducere.

Cernens igitur hæc Ang. Doctor, noluit primus novum dogma (à quo pro inſita modeſtia communiter abſtinuit) ex proprio marte introducere, quod fortè illa tempeſtate ob rationem tactam minùs proficeret, quàm noceret: ſed tempori & occaſioni cedens, ita calamum temperavit, ut licèt à via tunc communi non diſcederet; non tamen ei nova tela adverſus piam opinionem miniſtraret aut rigidus vel importunus hujus cenſor & impugnator exiſteret, ſicut alij extiterunt. Evertit accuratè illam, quæ ponebat Virginem ſanctificatam ante animationem, adeoque ſine debito in propria ejus perſona contracto, quia vel aſſerebat rem impoſſibilem, vel redemptioni plurimum derogabat: quod vero fuerit in gratia, vel in peccato concepta, neque directè aliquando quæſivit neque omnino per ſe examinavit, nec circa hoc nimium fuit ſolicitus. Vbi tamen occaſio ſe obtulit, ſequutus eſt doctrinam tunc communem & probabiliorem de ſanctificatione poſt animationem & peccati contractionem. In qua neutiquam ipſe dux vel anteſignanus, ut imperitum vulgus autumat, ſed majorum aſſecla & pediſequus fuit. Idem dicimus de SS. Bonaventura, Alberto, Richardo à S. Laurentio, & aliis qui ætate illa floruerunt. ¶ Nec mirum ſi prædicta doctrina tunc eſſet probabilior, quam modo: quia cum probabilitas non ſit annexa veritati, imo multa ſint falſa probabiliora veris, poteſt ſucceſſu temporis, & doctorum hominum ſtudio, aut aliis viis diminui & augeri, ut innumeris aliis opinionibus accidit.

207. Tertia ratio ad id compellens.

Adde ob aliam rationem debuiſſe tunc temporis D. Thomam, Bonaventuram, & alios prædictæ opinioni adfavere, & piæ minus conſulere, quia nimirum in rebus ex ſola Dei voluntate dependentibus, uti erat Virginem ab originali macula præſervare, non eſt liberum unicuique pro ſuo captu iudicium ferre, ſed juxta communes Scripturæ regulas, dum non apparet ſpecialis revelatio, aut urgens argumentum, quod aliquem ab eis excipiendum perſuadeat, cum autem communes Scripturæ regulæ omnes poſteros Adami ſub prædicto peccato comprehendant, nec peculiaris revelatio pro excipienda Deipara uſque ad tempora D. Thomæ innotuiſſet, non debuerunt illi, nec debuere antiquiores prædictæ exceptioni ſubſcribere, ſed communiter de omnibus juxta prædictas regulas judicare: ſtabat enim ſecundum illas pro incluſione poſſeſſio, nondum probata exceptione. Secus vero deinceps cum jam talis exceptio (ſaltem ut probabiliſſima) ſatis efficacibus argumentis manifeſtata eſt, & comprobata: ex eiſdemque probationibus deductum, regulas illas Scripturæ, prout omnes univerſaliſſime comprehendunt, non tam de facto quam de jure, ſeu non tam de actuali peccati contractione quàm de ejus debito & obnoxietate eſſe intelligendas. Ut enim ſcitè D. Gregorius homil. 16. in Ezech. *Per incrementa temporum crevit ſcientia ſpiritualium Patrum.* Vnde ſicut nos modo prudentiſſimè & probabiliſſimè piæ poſitioni aſſentimus, propter prædictam ſpecialem notitiam poſterioribus ſæculis manifeſtatam ita antiquiores, quibus non niſi communes Scripturæ regulæ traditæ erant, æquè prudenter & probabiliter oppoſitæ aſſenſum præbuerunt: imo minus prudenter & minus probabiliter tunc agerent, ſi aliter opinarentur. Quocirca non defuit ex aſſertoribus piæ ſententiæ, qui hoc noſtro ævo eam excitaverit quæſtionem: *Quis nimirum ſapientius coram Deo egerit, D. Thomas ſequendo maiorum veſtigia pro opinione tunc communi & probabiliori; aut Scotus ab illis recedendo pro ea, quam modo veram exiſtimamus.* Curioſa ſane quæſtio: quam uniuſcujuſque Doctoris aſſeclæ pro ſuo Magiſtro decident: qui vero primus illam excitavit, pro Angelico Doctore indubitanter reſolvit.

D. Greg.

Curioſa quæſtio.

208. Seraphicus Ordo commendatur ab ſtudio erga cauſam Deiparæ.

Abſit tamen, ut nos ſacro Seraphico Ordini eam gloriam invideamus, aut denigrare velimus, quam ex aſſertione & defenſione immunitatis Deiparæ præ omnibus aliis Ordinibus optimo jure conſequutus eſt à tempore ipſius Doctoris ſubtilis Scoti: qui primus ſcolaſticorum, (eorum ſaltem quorum habemus opera) pro tuenda hac veritate, felici ſorte in arenam deſcendit: ex tuncque piæ ſententiæ ſectatoribus dux conſtitutus eſt, & facem accendit. In quo ſane licet primus & anteſignanus, refragantibuſque illius ſæculi Theologiæ proceribus, non imprudentiæ vel audaciæ inſimulari; ſed ut pius ac de Virgine optime meritus commendari debuit. Tum quia ad id forte luce peculiari adjutus fuit, ut nonnulli ſuorum autumant noſque pro viri ſanctitate & cauſæ bonitate inficias non imus. Tum etiam quia licet in firmandis rationibus piæ ſententiæ, & ſolvendis obiectionibus haud contracto calamo ſcripſerit; in reſolvendo tamen ita ſobriè & modeſtè loquutus eſt, ut ea tantum ejus verba habeamus, quæ nuper retulimus, videlicet *Si auctoritati Eccleſiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius eſt, attribuere Mariæ.* Qua modeſtiſſima cautaque ſatis reſponſione & nos multa docuit, & ipſe pius & humilis ſe ipſum ſubtilem & ſapientem ſuperavit. Hujus Doctoris ſequuti veſtigia cæteri ejuſdem Seraphicæ familiæ, tanta vi tantoque ſucceſſu piam ſententiam continuo propugnarunt, ut quicquid ſecundæ ſortis, quicquid bonitatis, & progreſſus uſque

Scotus pius & humilis

Digitized by Google

que modò conſequuta eſt, totum illis deberi non dubitemus: ſed & felicem quem optamus exitum non aliorum cura vel ſtudio (experientia ipſa teſtante) futurum arbitramur. Gratulamur itaque, non invidemus huic ſacræ & ſeraphicæ familiæ pro ſuo in Deiparæ cauſam ſingulari zelo & labore, quo cæteras ad idem ſtudium provocat, imo vincit: ſed & prædictæ familiæ congloriamur, quòd quemadmodum Carmelo noſtro tot ante ſæcula prima huius ſacramenti revelatio innotuit, juxtà ea quæ initio diſputationis in præludio obſervavimus: ita illi plenior lux, perfectiorque notitia per ſuum ſubtilem Doctorem in ſcholaſtica paleſtra comparata, felici omine aſſulxit.

Dum igitur D. Thomæ, D. Bernardi, D. Bonaventuræ, & aliorum Patrum, qui Scotum præceſſerunt, etiam in electione contrariæ ſententiæ ſapientiam & prudentiam commendamus, nequaquam prædictam gloriam Seraphico ordini, eidémque Doctori ſubtili aliqua ex parte diminuere intendimus; ſed ſanctorum, ut æquum eſt, honori & venerationi hac in cauſa conſulimus. Nam ut rectè
Aponte P. Laurentius de Aponte ubi ſupra num. 6. *Non ſic honori Mariæ ſanctiſſimæ addicti eſſe debemus, ut ſplendorem & maieſtatem SS. Doctorum denigremus: ſed Dominum N. Ieſum Chriſtum imitantes, qui ut adnotat Cyrillus lib. 3. in Ioann. ſolebat Sanctorum virorum gloriam non deprimere, ſed confirmare: ſic nos Virginem ſanctiſſimam defendamus, ut ſemper ſarta tectáq; ſit Sanctorum auctoritas, & dignitas.* Hæc ille immunitatis Deiparæ acerrimus.

209. Epilogus præcedentium. Ex dictis ſatis probatum credimus illud, quod in ratione numero 18. aſſumpſimus: nimirum juxtà ſententiam affirmantem in B. Virgine debitum culpæ originalis etiam ſine actuali contractione, legitimè explicari ferè omnium Patrum teſtimonia, quæ de hac re loquuntur: cum ita exponi valeāt ſupra viginti ſex ex antiquioribus, ut vidimus à numero centeſimo nonageſimo ſecundo uſque ad n. 200. Quòd ſi aliqua D. Thomæ loca eam intelligentiam non admittant, admittunt ſaltem alia ubi preſſius loquitur, & doctrinam tradit de fide. Unde prædicta ſententia viam parat, ut veritas, de qua loquimur, ſine communi præjudicio SS Patrum diffinitioni mandetur; cui tamen diffinitioni oppoſita opinio negans prædictum debitum iter occludit: atque adeo illa eſt valde propitia cauſæ immunitatis Deiparæ, cui conſulimus; hæc vero inimica & adverſaria. Neque huic rationi excogitabitur evaſio fundamento ſubnixa, aut aliquid opponetur, quod non facilè diluatur ex illo principio quod ſuprà tetigimus, nimirùm quia Eccleſia tanti ſemper habet SS. Patrum auctoritatem & doctrinam, ut contra illorum communem aſſenſum ad diffiniendum aliquid proceſſura non ſit, ſicut neque uſque modò proceſſit: memor illius oraculi: *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Iob. cap. 12. Et
Iob. 12. Eccleſ. 8. Eccleſ. 8. *Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis.* Ex hoc autem principio in Eccleſia firmiter obſervato, & ex inſufficientia opinionis negantis debitum ad exponenda loca Sanctorum, quæ dub. præcedenti adduximus, ruent quæcunque evaſiones aut objectiones adverſus rationem noſtram poterunt excogitari, in quibus proinde non immoramur.

DUBIUM VI.

Quæ ex prædictis ſententiis vera cenſenda ſit: & qualiter contrariæ fundamentis occurrendum?

RESolutio dubij 4. quæ ſcopus eſt totius diſputationis, quamque ob rationem ibi inſinuatam uſque modò diſtulimus, majorem ſuſpenſionem non patitur: cum omnia hactenus tradita ita judicium determinent, ut electioni vix locum relinquant.

§. I.

Auctoris judicium.

210. Eligitur ſecunda ſententia. STatuimus itaque pro concluſione ſecundam ſententiam illic propoſitam, & probatam, quæ debitum culpæ originalis ortum ex pacto & peccato Adami in B Virgine fuiſſe agnoſcit: primam verò quæ prædictum debitum negat, omnino reiicimus. Cogimur ad ita pronuntiandum primò teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quæ prædictam ſecundam ſententiam efficaciter perſuadent, nec poſſunt juxta oppoſitam ſalva conſiſtere: ut conſtat ex dictis a numero centeſimo quinquageſimo ſexto, ubi ea adduximus & expendimus. Motiva ad eligendum. ¶ Secundò teſtimoniis ſupra triginta Eccleſiæ Patrum relatis à num. 170. quæ illam ita evincunt, ut nulla alia via interpretationem admittant, niſi omnino violentam & extortam. ¶ Tertiò authoritate illorum centum quadraginta gravium Doctorum, quos retulimus à numero centeſimo quadrageſimo nono, quorum communi aſſenſui nefas ſit refragari, aut contra tantam nubem teſtium interpoſitam aliud ſentire. Præſertim cùm eorum non pauci graves & docti, immunitatiſque Deiparæ aſſertores acerrimi, primam illam opinionem negantem debitum hæreticam vel erroneam aut temerariam arbitrentur, & has ei notas inurant ut videbimus à num. 224. ¶ Quartò movemur octo rationibus pro eadem ſententia efformatis ſupra à num. 16. quæ valde efficaces ſunt: præſertim illa quæ ſumitur ex Virginis redemptione, pro qua toto dubio 3. laboravimus, quæque judicio noſtro veritatem hanc demonſtrativè convincit. Et licèt aliquibus aliarum excogitari poſſint novæ evaſiones; novæque objectiones in eas efformari, haud difficile tamen erit ex doctrina hujus diſputationis evaſionibus aditum præcludere, & objectiones omnino enervare: ob idque, ſimul & conſulendi brevitati gratia, neque ibi pro omnibus prolixè immorati ſumus, neque hic iterùm immorabimur.

211. Motivum aliud. Denique compellit nos prædictam ſententiam indubitanter amplecti, præcedentis dubij reſolutio & doctrina, ex qua conſtat illam valde propitiam eſſe cauſæ immunitatis Deiparæ, dum ejus diffinitioni viam parat; è contrà verò oppoſitam inuti-

lem, imo inimicam illi exiſtere, dum iter occludit prædictæ diffinitioni. Quæ ſanè ratio urgentiſſima eſſe debet apud omnes, qui ex corde affectant, ut præſervatio Virginis glorioſiſſimæ à contractione maculæ originalis inter fidei dogmata numeretur. Qui autem oppoſita via gradiuntur, vel ex hoc convinci debent non deſiderare hujus articuli diffinitionem, ſed potiùs continua bella & lites in hac materia: quia ſi eorum poſitioni ſtandum ſit, prædicta diffinitio vel redditur impoſſibilis, vel ſaltem difficillima: cum ex hucuſque dictis nemo non videat, ea quæ Scriptura docet quæ Eccleſia credit, quæ Patres communiter tradunt, vel nullo modo, vel difficillimè verificari poſſe, prout neceſſariò verificanda ſunt, ut diffinitioni locus ſervetur, ſine recurſu ad debitum, de quo loquimur.

Præterea nullus vel cæcus negare poteſt, piam ſententiam, quæ ſibi nixa prædicto debito, prout à ſuis præcipuis aſſertoribus tradita fuit, non pauca ardua & difficilia ſuperavit, novæ huic viæ alligatam, novis difficultatibus ex ipſa debiti negatione inſurgentibus intricari, noviſque obicibus præpediri, majoriſque futurum molis, ſi nova hæc velimus devincere quàm fuit priora adæquare. Qui igitur hac nova via graditur nō diffinitionis brevitati conſulit, neque pro hujus cauſæ celeri felicique expeditione laborat ſed iterum bella concitat novaſque reducit lites, quibus prædicta diffinitio implicata diutiùs protrahatur. Sanè cum videamus, Sedem Apoſtolicam ferè abhinc ducentis annis pro hujus articuli declaratione iterum atque iterum ſummis precibus exoratam, nihilominus eam ſuſpendere, expectare credenda eſt, ut ea quæ ex Scriptura & Patribus difficultatem ingerunt, ſufficienti probabilitate omnino evincantur: quare ij tum demùm prædictam declarationem avidiùs & ſapientiùs quærere dicendi ſunt, qui planiori faciliorique via intra latitudinem probabilis loca Scripturæ & Patrum ad eum ſenſum reducunt, ut decernendæ veritati non advertentur, ſed potiùs adæquentur. Hoc autem faciliùs & evidentiùs præſtari juxtà ſententiam aſtruentem debitum, quàm juxtà negantem, nemo inficias ibit: cum notum per ſe ſit, omnia teſtimonia quæ ſine recurſu ad debitum utcunque explicari poſſunt, faciliùs, & evidentius explanari cum prædicto recurſu: & inſuper non pauca, quæ negato debito, omnino carent probabili ſolutione abſque præjudicio piæ ſententiæ; illo conceſſo ſine tali præjudicio probabiliſſimè declarari. Jubet igitur recta ratio, ut qui cauſam hanc non obicibus implicare, ſed facilem & citò expedibilem reddere curant opinione negante debitum de quo agimus, penitus rejecta, aſtruenti illud omninò ſubſcribant.

212. Confirmatio

Quæ omnia efficaciter confirmare poſſumus ex modo procedendi in hac materia, quem apud auctores illius opinionis reperimus. Eorum enim major pars omnia illa, quæ dub. 4. pro ſententia noſtra adduximus, vel nullo modo, vel primis tantum labris deguſtarunt proindéque abſque ſolutione penitùs reliquerunt: quaſi ſat eis fuerit ſine firmitatis & veritatis examine novum aliquid ad plauſum protuliſſe: aut quaſi in ſupremo cauſæ diſcrimine perfunctoriè agenda res ſit; & non ſingula ſeverè & radicitùs exploranda. Alij verò qui Patrum teſtimonia Virginem ſub peccato claudentia præviderunt, duplici via ea enervare conati ſunt. Primò enim quia juxta ſua principia non adeſt recurſus ad contractionem peccati ſolùm quoad debitum aut ejus commiſſionem præcisè in Adamo (quo pacto poſſunt prædicta teſtimonia ſuaviter exponi, & a nobis expoſita ſunt) indubitanter concedunt contigeri in illis actualem peccati contractionem, pluréſque ex Patribus hujuſmodi contractionem in Virgine aſſeruiſſe. Dicunt tamen nō eſſe quoad hoc eorum auctoritati deferendum: *Quia in ea ſententia mobiles & inconſtantes fuerunt* (ita illi loquuntur) *adeo ut quæ modo aiebant, iterum facilè abnegarent.* Secundò unus tamen aut alter) minoris adhuc SS. Patrum auctoritatem pendentes, dicunt non omnino obeſſe illorum ſcripta: quia poteſtas Romanæ ſedis in ordine ad ſtatuendum aliquid de fide ſuperior eſt, & nullis cæterorum Doctorum ſuffragiis alligata. Referúntque ſpeciales caſus, ut ſuadeant, Eccleſiam de facto contra valde communem Patrum conſenſum aliqua diffiniiſſe.

Sed utranque iſtam ſolutionem, credimus non levem injuriam inferre tum ipſis SS. Patribus, quos inconſtantiæ gratis & immeritò inimulant, & eorum auctoritatem ſatis parvipendet: tum etiam Eccleſiæ, quæ illos ſumma veneratione proſequitur, ut quorum ſententiis & doctrina hæreticorum machinas ſecurè evertit, communéſque ictus feliciter elidit. Id quod ſatis ſupérque eſſet pro prædictarum ſolutionum exploſione. Sed adhuc prioris falſitatem, & quantum cauſæ immunitatis Deiparæ officiat, oſtendit citatus D. Ioannes Merinero in Reſp. ſuperiùs allegata, Priori propoſit. rat. 1. à num. 54. ubi ſic ait. *Sed antequam ad ulteriora progrediamur, animadvertere neceſſarium duxi, ſapientiſſimum P. Ferdinandum de Salazar ſibi obieciſſe auctoritates Patrum, in quibus ad extirpandam hæreſim Pelagianam abſolutè pronunciant: Omnes deſcendentes ex Adamo, excluſo Chriſto, contrahere peccatum originale, vel Virginem peccatum originale contraxiſſe, & his ſimiles. Et cum in ſuis principiis ad eas reſpondere non poſſet id quod communiter ſectatores piæ ſententiæ reſpondent, ſcilicet in prædictis auctoritatibus Patres ſolum intendiſſe ſtatuere contra Pelagium omnes deſcendentes ex Adamo per ſeminalem propagationem ex vi pacti ſeu legis univerſalis contracturos peccatum originale, ſeu, quod idem eſt habere debitum contrahendi illud, imò quod de facto illud contrahunt, niſi ſpeciali privilegio ab actuali illius contractione præſervetur prædictum Patrem huic tam levi oneri ſuccubuiſſe, affirmando, ſicut de facto affirmat, in prædictis auctoritatibus Patres ſententiam contrariam piæ ſuſtinuiſſe, ſed non propter hoc pro ſententia contraria piæ eſſe numerandos, quia in aliis locis meliora ſapientes oppoſitum ſuſtinuerunt, ut ex locis ſuprà adductis conſtare poteſt.* Ecce prior ſolutio: accipe verò ejuſdem Doctoris impugnationem.

213. Vindicantur Sancti Patres.

Merinero.

Sed bona venia, hæc ſolutio à ſectatoribus piæ ſententiæ maximè cavenda eſt. Primò quia nititur principio ad nodum difficili, &c. Secundò

quia

quia ſolutio iſta Patris Salazar, quæ admittit plures Patres aliquibus in locis ſuſtinuiſſe Virginem defacto peccatum originale contraxiſſe, tela præbet adverſariis, quibus reſiſtere non potuit auctoriſſe, niſi admittendo, Patres iſtos inconſtantes fuiſſe & ſibimet ipſis contrarios, quod ſuſtinere non decet: Patres enim in ſuis aſſertis conſtantes fuerunt, & nullibi ſibi contrarij. Nam cum diſputarent contra Pelagium, ſemper ſtatuerunt, ex vi legis ſeu pacti omnes ſalis omnes deſcendentes ex Adamo per ſeminalem propagationem ſine exceptione Virginis, non ſolum contracturos peccatum originale, et quod de facto, ſeclusò privilegio, illud contraxerunt, &c. Hæc Ill. Antiſtes. ¶ Quibus etiam adde, quòd cum auctor illius ſolutionis primam eius partem, videlicèt multos SS. Patres tenuiſſe contra Virginis immunitatem, ſecundò affirmauerit ſecundum, nempe revocaſſe illos prædictam ſententiam nullo legitimo teſtimonio aut firmo argumento valuit perſuadere. Quæcumque enim loca ex iiſdem Patribus in contrarium adducit vel nihil pro re continent, ſed communes Virginis laudes & generales locutiones, quæ contractioni peccati, vel ſaltem eius debito nulla ratione opponuntur. Vel talia loca ſpuria & incerta ſunt, ex ſimilibus libris decerpta ſeu relata: vel truncata aut falſificata leguntur: vt ſi volueris perſcrutari, facilè deprehendes.

214. Vindicantur iterum. Non minori autem iure reiicienda eſt ſecunda ſolutio: quia dum Eccleſiæ Doctores parvi pendet, ab hæreticis ſtat, & ipſam Eccleſiam exarmat, demens huic fortiſſima tela, quibus illi feriuntur. Cum enim hæretici pravis & extortis Scripturæ intelligentiis in propriis ſe dogmatibus tueantur, nec ſemper ex ſolo grammaticali verborum ſono ita convinci valeant, ut non ſit opus formaliorem ſenſum inquirere, aliàs verò infallibili Eccleſiæ declarationi ipſi non credant, opus eſt ad Sanctorum & antiquorum Patrum expoſitionem recurrere: quibus doctrinæ & vitæ ſplendor, ipſaque per ſe venerabilis antiquitas tantum auctoritatis & fidei etiam apud Ethnicos conciliarunt, ut vel ipſi hæretici eos pro ſuis dogmatibus eſſe vellent, ſibique non aduerſari vbique exambiant: ne ſi illorum communi aſſenſui aperte repugnarent à ſuimet ſequacibus male audirent, & deſpectui haberentur. Ob idque dixit D. Hieronymus in epiſt. ad Damaſum, de prædictis hæreticis loquens: *Nihil aliud ambiunt niſi ut auctoritas communionis noſtræ falſi prædicet*, &c. Quæcumque ergo ſolutio vel opinio in id inclinet, ut SS. Patrum auctoritatē & doctrinam minoris pendat, vel non pro viribus tueatur, cauenda eſt viro Catholico, velut male olens, & in ordine ad fidē ſuſpecta.

D. Hieron.

Et ſanè (ut in caſu noſtro verſemur) cum omnes Catholici compertum habeamus, Romanum Pontificem in omnibus, quæ de fide loquitur, infallibilem habere Spiritus ſancti aſſiſtentiam, nullatenuſque errare poſſe; non eſt ad præſens diſputare, quid ipſe poſſit facere in hac vel illa cauſa de lege (ut ſic dicamus) abſoluta, ſed quid re ipſa faciet, prudenter & iuxtà communes Eccleſiæ regulas operando, ſeu quid in ſimilibus facere ſoleat & ſuo modo debeat, ut attenta adhuc communi prudentia, dignè & ſapienter operetur.

Neque enim immunitatis Deiparæ aſſertores id intēdere debent, vt neceſſarium ſit Pontifici pro eius diffinitione ad prædictam legem abſolutam recurrere: ſed ita res diſponere, & difficultates huius materiæ evincere, ut attenta communi lege, ſuavique operandi modo, iuxtà quem Eccleſia regulariter procedit: prædictam diffinitionem quàm citiùs expediendam poſſimus expectare. Porrò Pontifices in ſimilibus ſummopere attendere, ea quæ SS. Patres tradunt neque ab eorum communi conſenſu aliquando recedere, conſtans eſt inter Catholicos qui in quovis fidei conflictu iis potiſſimum armis adverſus hæreticos decertant, quæ ſibi Patrum opera ſubminiſtrant quæ proculdubio facile ab illis ſpernerentur, niſi ipſa in primis Eccleſia eorundem Patrum doctrinam ſummopere cuſtodiret, aut ſi aliquando minoris faceret, vel parvi penderet. Quo circa cap. *Prima ſalus*, 25. q. . ex Hormiſda Papa ſic dicitur. *Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & conſtitutis Patrum nullatenus deviare* & cap. *Contra ſtatuta* eadem quæſt. ex Zozimo. *Apud* [illegible] *de ver. Patrum* [illegible]. Ita Patrum ſanctiones & doctrinam Eccleſia obſervat ſuſpicit, veneratur.

215. Vincent. Et meritò quidem, nam ut rectè vidit Vincentius Lirinen. in ſuo Commonit. aduerſus profanas novitates cap. 6. innumera in Eccleſia mala introducta ſunt, *Dum* [illegible] *antiquitas ſceleſta novitate ſubruitur, dum ſuperiorum inſtituta violantur, dum reſcinduntur ſcita Patrum, dum convelluntur deſinita maiorum, dum ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profana ac novellæ curioſitatis libido non continet.* ¶ Antiqui enim Eccleſiæ Doctores teſte Caſſiodoro apud Giſler cant. 3. verſ. ſexaginta illi fortes, ſunt, qui lectum Salomonis, ipſam ſcilicet Eccleſiam indefeſſe cuſtodiunt dum illam ſuis ſententiis & ſcriptis adverſus hæreticorum tela communiunt, & defendunt. *Imò ipſi ſunt* (ait D. Proſper l. 2. de vita contēplat.) *Qui per Dei gratiam ſunt divinæ voluntatis indices eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis aſſertores, pravæ doctrinæ hoſtes, pares in ſide Catholica regnaturorum prædicatores cæleſtium, primi phalanges inviſibilium prædonum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipſi ſunt, Eccleſiæ duces ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium*, &c. His & aliis quæ omittimus, ſatis edocemur, quæ ſit in Eccleſia SS. Doctorum exiſtimatio & reuerentia, & quàm longe ab ea ſit illorum doctrinæ & communi ſententiæ refragari. Vnde quòd iuniores aliqui, quibus non ita acceptum it Maiorum doctrinis alligari, proferre auſi ſunt, ſedem Apoſtolicam de facto contra Doctorum Eccleſiæ ſenſum aliquas veritates diffiniſſe, falſum omnino eſt, falſiſque narrationibus & allegationibus fultum: niſi forte cum ipſi Eccleſiæ Doctores ita inter ſe diſſident, ut pro neutra parte eorum conſenſus poſſit dici communis. Quod in caſu, de quo agimus locum non habere, ſed communiter à nobis ſtare oſtendunt illa, quæ dub. . § 2. & 3. tradidimus.

Caſſiodor.

D. Proſper.

Ad hæc, cum ita ſint, videat quilibet immunitatis Deiparæ aſſertor & amator, quæ ſuperveſtita ſpecie pia ſententia ſupremo coram fidei judice gratior aſſiſtet, ſecuriorque optatam eius benedictionem aſſequetur noſtra nimirum, quæ etiam ſine ulla culpa vel macula in ipſa Virginis perſona, tantum cum debito omnia quæ Scriptura docet, quæ Eccleſia tenet, & quæ SS Patres affirmant, ſarta & tecta cuſtodit; aut vero illorum, qui debitum negantes, prædictam ſententiam nudam penitus argumentorum jaculis exponunt vel illi ex ficta SS. Patrum inconſtantia & vertibilitate, aut etiam ex neglectu & omiſſione erga ipſos, quo ſe tueatur, cingulum aptant.

216. Euaſio. Dices auctores quos impugnamus, non alligare piam ſententiam ſuæ opinioni: nam cum fateantur, noſtram eſſe probabilem, conſequenter dicent, poſſe in prædicta cauſa utraq; via incedi, ſumendo ex unaquaque opinione, quod favorabilius ſit, adeoque recurrendo ad noſtram pro ſolutione argumentorum, quæ juxta ipſorum viam nequeunt ita bene diſſolvi.

Refellitur. Sed hoc facile refellitur: nam vel prædicti auctores volunt ſuam opinionem eſſe tantum probabilem, non tamen & veram; noſtram autem veram eſſe, & non tantum probabilem: vel è contra: Evidens namque eſt utramque veram eſſe non poſſe Si primum, nobis aſſentiunt: qui potiſſimum intendimus demonſtrare veritatem noſtræ ſententiæ, nec multum curamus, an oppoſita, ſuppoſito quòd ſit falſa, probabilis ſit vel improbabilis. Si autem (ut dicent) dicas ſecundum, eo ipſo tenentur omnia quæ contra piam ſententiam militant, juxta ſuam opinionem adæquare, neque ad noſtræ principia pro aliquorum ſolutione recurrere. Nam omnis opinio vera & non tantum probabilis, verè & non ſolum probabiliter debet juxta ſua principia ſalvare veritatem, pro cujus defenſione laborat, debetque omnia illa verificare, quæ cum prædicta veritate habuerint neceſſariam connexionem: ita ut ei opus non ſit ad contrariam opinionem, quam falſam arbitratur, pro aliquo iſtorum recurrere. Sicut enim ex vero nunquam ſequitur falſum, ſed ſemper verum; ita nuquam habet neceſſariam connexionem niſi cum vero: ac proinde omne id, cum quo habeat talem connexionem, debet eſſe verum, juxta axioma commune quod *verum vero conſonat*. Vt igitur opinio quam impugnamus, vera & non falſa eſſe comprobetur, neceſſe eſt ut ſuis adſtricta principiis, & ſine recurſu ad aliquid quod falſum exiſtimet, uti exiſtimat noſtram ſententiam, veritatem præſervationis Deiparæ, in cujus obſequium laborare dicitur, & omnia neceſſario illi connexa tuta & illibata conſervet. Vnde ſi inter hæc dentur aliqua, quæ juxta prædictam opinionem ſalva non conſiſtant, ſed neceſſe habeant ad noſtram doctrinam recurrere (ut multa id genus inveniri oſtenſum eſt dub. præcedenti) eo ipſo convincitur non illam, ſed iſtam veritatem continere; quidquid ſit de probabilitate.

217. Ad hæc: noſtræ ſententiæ defenſores pro tuenda prædicta veritate in nullo recurrunt ad opinionem negantem debitum, neque illa pro alicujus argumenti ſolutione, aut pro firmanda aliqua ratione utuntur: & ſi in aliquo ad hujuſmodi recurſum vel uſum teneremur, inde ſaltē deberemus falſitatis cōvinci ex illo principio, quod non poteſt eſſe vera ſententia, quæ omni vero non conſonat, & omnia vera non ſalvat Ergo ut prædicta opinio vera & non falſa comprobaretur, deberet ſine recurſu ad noſtram, prædictam veritatem defenſare: ſin minus ex hoc jam convincetur manifeſtæ falſitatis, quia aliquod verum non ſalvat, neque illi conſonat. ¶ Ade ſecundum quo in ſupremo & finali hujus cauſæ judicio omnia cum quibus habet neceſſariam connexionem debent juxta veram ſententiam adæquari; nulla autem juxta falſam ſive probabilem ſive improbabilem: non enim ſecura eſſet veritas connexa alicui falſo, igitur qui volunt ſuam veram eſſe, & contrariam falſam, debent juxta eam omnia verificanda verificare, & non pro aliquibus ad contrariam recurrere. Evaneſcit ergo hæc poſtrema ſolutio, quæ admittit juxta opinionem negantem debitum non ſalvari omnia, à quibus pia cauſa dependet, ſed pro aliquibus ſaltem ad noſtram neceſſario recurrit: manetque ſufficienter comprobatum, piæ ſententiæ amatores non per negationem prædicti debiti, ſed per ejus aſſertionem, optatam diffinitionem debere exquirere.

§. II.

Satisfit aliquibus interrogationibus.

AD pleniorem doctrinæ traditæ intelligentiā & ut qualitas ſeu gradus debiti, quod B. Virgini tribuimus, melius cognoſcatur, nonnulla hic interroganda duximus, quorum reſolutio majorem præcedentibus lucem conciliet. Inquires ergo primo, quo pertigerit in B. Virgine debitum culpæ originalis, ſeu quid in ea incluſerit? Ad cujus quæſiti ſolutionem oportet recolere doctrinam, quam dub. 1 hujus diſputationis tradidimus pro explicatione debiti de quo agimus. Inde enim conſtat ſub prædicto debito in primis comprehendi, ut is cui tribuitur incluſus fuerit ſub pacto Adami, ratione cujus incluſionis, peccante Adamo, ipſe etiam peccaverit in illo, manſeritque, prout ex tunc repræſentabatur, offenſus Deo & dignus privari originali juſtitia, quandocunque in rerum natura conciperetur. Et hic eſt primus gradus prædicti debiti: de quo diximus à numero decimo tertio, vocaturque ab aliquibus *debitum remotum*, quia non exiſtit immediate in ipſa perſona, quæ denominatur *debens*, ſed in Adamo vel aliis parentibus: nos autem hujuſmodi debitum ſub proximo incluſimus, prout iſtud comprehendit tam intrinſecum quàm extrinſecum. Ex hoc primo gradu oritur ſecundus, ſcilicet talis modus generationis per ſemen vitiatum & infectum, ut neceſſario, quantum eſt ex ſe, inducat in inſtante animationis privationem prædictæ juſtitiæ: ita ut hæc neceſſitas & vis illativa phyſice & intrinſece afficiat & tangat ipſum conceptum, ſaltem pro duratione immediate antecedente prædictum

218. Primum quæſitum.

Triplex gradus debiti.

Digitized by Google

dictum inſtans: ſicut afficiunt diſpoſitiones proximè antecedentes & inferentes animationem. Et hic erit ſecundus gradus, quem explicuimus à numero trigeſimo quinto. Tertius & ultimus erit; cum neceſſitas & vis inductiva peccati non finitur in duratione immediatè antecedente inſtans animationis, ſed etiam in illo inſtante perdurat ex ſigillatione (ut ſic dicamus, materiæ, & connotatione diſpoſitionum præcedentium, virtute quarum adhuc tunc urgent pro peccati introductione quod qualiter fieri poſſit, exiſtente tunc jam gratia, declaratum eſt à num 37. Extenſio verò prædicti debiti ultra illud inſtans, quam num. 27. tribuimus iij, qui in peccato concipiuntur, & non ſtatim juſtificantur, nihil refert ad præſens, ubi loquimur de Deipara, quæ in prædicto inſtante gratiam juſtificantem accepit, & peccati contractionem vitavit.

Igitur Auctores, qui in B. Virgine debitum culpæ originalis agnoſcunt, omnes fatentur fuiſſe ſub pacto Adami comprehenſam, peccaſſéque in illo atque adeo tribuunt ei primum gradum prædicti debiti. Imo & ſecundum vix eſt qui neget; quamvis aliqui minùs clarè loquantur. Tertius gradus negatur ab aliquibus junioribus non ſatis capientibus, quomodò in illo inſtante ubi gratia jam adeſt peccati debitum intrinſecè exiſtat: de quo
Ægidius. videri poteſt Ægidius à Præſentatione lib. 2. quæſtion. 4 art. 5. Cæteri ejuſdem ſententiæ propugnatores nullam in hoc imcompoſſibilitatem cernentes, affirmant etiam hunc tertium gradum: quem inter alios probant Valentia, Corduba, Vazq Suarez, Bellarmin. Pitigianus, Hugo Cabellus, & alij plurimis locis ubi ſupra.

Primus dicendi modus non videtur improbabilis: nam gradus ille debiti ſufficit ad ſalvanda verba Scripturæ, & aliqua teſtimonia SS. Patrum, quamvis non omnia. Secundum abſolutè probabilem cenſemus, quia non tantùm in Adamo & in aliis parentibus, ſed etiam quodammodò in ipſa Virginis perſona
Verus dicédi modus. debitum conſtituit, ut poſtulant neceſſariò multæ SS. Patrum locutiones. Tertius eſt verus, & ſtatuitur à nobis pro concluſione. Quia neque in illo adeſt aliqua repugnantia, ut oſtenſum fuit dub. 1. à num 37. neque ſine illo teſtimonia Sanctorum, præſertim D. Auguſtini, congrè explicantur, neque ea quæ ex fide credenda diximus, aliter integra omnino conſiſtent: ut ſingula intuenti conſtabit. Nec denique in bona conſequentia negari poteſt hic tertius gradus debiti, ſuppoſitis primo & ſecundo.

219. Dices, pro viribus conſulendum eſſe Virginis honori & immunitati: adeóque quidquid ab ea vel peccati vel debiti relegare poſſumus, non eſſe illi tribuendum: & ſi igitur ob teſtimonia & rationes dubij 4. aliquid debiti ei tribuamus, debemus tamen, quantum fieri poſſit, illud reſtringere, & non uſque ad tertium gradum extendere.

Reſpondetur, prædicta teſtimonia & rationes efficaciter convincere debitum contractum in ipſa Virginis perſona quæ cum formaliter non fuerit ante inſtans animationis, neceſſe eſt, ut prædictum debitum intrinſecè pertingeret uſque ad tale inſtans: in quo conſiſtit tertius gradus à nobis expoſitus. ¶ Adde hujuſmodi tertium gradum ita indiſpenſabiliter conſequi ad ſecundum, ut neque de potentia abſoluta, manente perſona concepta, poſſint ſeparari, ut conſtabit legenti illa, quæ dubio primo, à numero trigeſimo ſeptimo, tradidimus. Unde vel ſecundus gradus negandus eſt, vel tertius neceſſariò concedendus. Negare autem ſecundum non permittunt teſtimonia & rationes allata & præſertim illa quæ ex D. Auguſtino dub. 3. adduximus. ut conſtat ex ibidem dictis à num. 66. & 127. Ergo. ¶ Adde rursùs, etiam ſecundum gradum deduci neceſſariò ex primo; niſi Deus miraculosè ſanaret naturam parentum B. Virginis, non ſolùm quantùm ad conditiones perſonales, ſed etiam in ratione naturæ, per reſtitutionem in integrum juſtitiæ originalis: quo caſu illam gratiam non fieri immediatè Deiparæ, ſed parentibus, neque ſpecialiter pro illa concedi, ſed communiter pro omnibus, qui poſſent ab illis generari, neque ad vitandam peccati contractionem opus fore gratia in inſtante animationis infuſa, oſtendimus dubio primo numero trigeſimo quarto, ex hacque ratione prædictum dicendi modum ut incongruum rejecimus. Quotquot igitur in hac materia conſequenter diſcurrunt, debent admiſſo primo gradu, fateri ſecundum, & hoc admiſſo, concedere etiam tertium, ut nos & ferè omnes aſtruimus.

Secundò inquiri poteſt, quouſque perduraverit in Beata Virgine prædictum debitum. ¶ Ad hoc tamen ſufficienter diximus dub. 1. à num. 10. in hypotheſi ibi propoſita: quæ revera omnino eadem eſt cum caſu, de quo agimus: & ideo quidquid illic dictum fuit de permanentia, & extinctione prædicti debiti, debet hîc ad Virginem applicari: adeóque tenendum, aliquid prædicti debiti extingui, & extinctum eſſe in ipſo animationis inſtante; aliquid verò poſt tale inſtans, juxta diſtinctionem debiti moralis & debiti phyſici, quam poſuimus n. 41. 220. Secundum quæſitum.

Tertiò quæres, an ſicut B. Virgo habuit debitum contrahendi orignalem culpam, habuerit etiam debitum incurrendi ejus pœnas? Cui quæſito, quod attinet ad pœnas temporales, reſpondendum eſſe affirmativè Tertium. conſtat ex eodem dub. 1 n. 8. ubi oſtendimus debitum pœnæ ſufficienter oriri ex peccato commiſſo ab Adamo pro omnibus, & ex debito contrahendi originalem culpam; quamvis hæc de facto non fuerit contracta. Imo inde etiam conſtat, tale debitum non omnino extingui, quando extinguitur debitum culpæ, ſed manere per totam vitam, quouſque per corporalem mortem totaliter ſolvatur. ¶ Diximus, *quod attinet ad pœnas temporales*, &c. nam debitum pœnæ æternæ non eſt concedendum fuiſſe in B. Virgine abſolutè & ſimpliciter: ſicut non eſt abſolutè dicendum quòd fuit rea prædictæ pœnæ, aut condemnata ad illam: hæc enim loquutio denotat contraxiſſe de facto culpam originalem. Poteſt verò concedi, quòd habuerit debitum talis pœnæ *in Adamo*, vel *mediatè & radicaliter*. ¶ Cujus rationem, necnon diſcrimen inter hujuſmodi debitum & debitum contrahendi culpam, tradidimus eodem dub. à num. 47. in 3. corollario: quod ideo ibi deduximus

Digitized by Google

ximus, ut modò opus non eſſet majori explicatione.

221. Dubitabis quartò, an debitum quod admittimus in B Virgine, incluſerit vel ſecum habuerit illum defectum, qui dicitur *concupiſcentia* ſeu *fomes peccati*, ita ut is etiam fuerit in illa ſicut prædictum debitum?

Hæc interrogatio, ſi res plenè tradenda eſſet, latius examen requirebat: quòd tamen opportuniori loco reſervabimus: quia quòd Deipara incurrerit debitum, de quo loquimur, independens eſt ab hac difficultate de contractione fomitis: à qua etiam non dependet pia ſententia de præſervatione à culpa originali. Stat enim Virginem contraxiſſe illud debitum uſque ad tertium gradum, & fomitem non habuiſſe; ſtaretque etiam quòd incurreret tam debitum quàm fomitem, & quòd non contraheret prædictam culpam: quamvis non ſtet contractio peccati aut fomitis ſine contractione debiti. Tam enim fomes quàm peccatum ſupponunt debitum; hoc verò neutrum illorum ſupponit aut includit, ſed utrumque præcedit Unde non rectè dixit Salazar cap. 15 turpius quid arguere debitum, de quo loquimur, quàm fomes, cum è contrà dicendum ſit: quandoquidem fomes ſe habet ex additione ad debitum ſupponens ipſum.

Salazar.

Vetuſtior opinio.

Igitur quòd ad ipſam rem attinet, ſi antiquiores Theologos conſulas vix reperies, qui aſſeruerit, fomitem in B. Virgine ex toto non fuiſſe, aut fuiſſe per primam ejus ſanctificationem omninò ſublatum vel extinctum: ſed dicunt manſiſſe in ea ſecundum eſſentiam uſque ad conceptionem Verbi excluſivè, ligatum tamen & reſtrictum (non reſtinctum, ut male citatus auctor) ne in aliquem, inordinatum actum vel motum proſiliret: in ipſa autem Verbi conceptione per copioſiorem illam gratiam & perfectiſſimam ſanctificationem ſublatum fuiſſe, vel penitus extinctum. Et hæc eſt perfectiſſima illa mundatio ſeu purgatio, de qua agentes aliqui SS. Patres & antiqui Theologi dicunt, B. Virginem in ſecunda ſanctificatione pro conceptione Verbi fuiſſe ad plenum mundatam vel purgatam ab omni vitiorum ſorde, & à reliquiis originalis culpæ: quem dicendi morem paſſim in eis offendes. Quia prædictus fomes (qui ex eo quòd eſt effectus relictus ex peccato Adami, *reliquia originalis* dici poteſt; ſicut quia ex ſe ad vitia inclinat, poteſt dici *ſordes vitiorum*) per primam Virginis ſanctificationem in ejus conceptione ſolùm fuit ligatus & cohibitus, ne in aliquem inordinatum actum prorumperet: at vero per ſecundam in conceptione filij fuit totaliter extinctus, nullàque ad malum inclinatio in illa remanſit. Sic cenſuere communiter antiquiores ſive qui Virginem in peccato conceptam aſſeruerunt, ſive qui eam à peccato præſervarunt.

222. Vaſq. A qua doctrina in re non recedit Vaſquez licèt verbis eam impugnet 3.p. diſp. 118. capite quarto. Agens enim de hac difficultate admittit in Beata Virgine inclinationem habitualem ad malum, & difficultatem ad bonum: dicit verò non manſiſſe in illa fomitem, quia iſte non ſupponit pro prædicta inclinatione, ſed pro actibus & motibus inordinatis illi correſpondentibus, quorum nullus fuit in Deipara. Porrò hunc dicendi modum verbis tantùm ab antiquorum doctrina diſcedere, ex eo liquet, quia dum illi aiunt, prædictum fomitem ex vi primevæ ſanctificationis Virginis manſiſſe ligatum, & non ablatum vel extinctum non intendunt, quòd habuerit aliquem actum vel motum inordinatum; imo id expreſsè negant, ut videre eſt apud Albertum Alenſem, D. Thomam, Bonaventuram & alios in 3. diſtinct. 3. ſed ſolùm quod manſerit illa inclinatio habitualis ligata & prohibita, ne in actum prorumperet; hujuſmodique inclinationem potiùs quàm ejus actum *fomitem* appellarunt. Unde cum Vaſquez ponat in Virgine hanc eandem inclinationem, & ſolùm neget motus actuales, non eſt in quo ab illis diſcernatur; niſi in modo loquendi, dum nomen *fomitis*, quo illi pro habituali inclinatione utuntur, tribuit ipſe motibus actualibus. Quem loquendi modum ſectandum non eſſe, ſed antiquum retinendum, ſuadet ferè unanimis Theologorum uſus, etiam juniorum; qui ſicut pro eodem ſumunt *fomitem* & *concupiſcentiam*, ita utrumque nomen non actibus, ſed prædictæ inclinationi accommodant.

Albert. Alenſ. D. Thom. D. Bonav.

Cæterum à prædicta antiquorum ſententia recedunt jam plurimi Theologi aſſerentes, prædictum fomitem per primam ſanctificationem, qua Virgo præſervata fuit à culpa originali, fuiſſe non modò ligatum, ſed ablatum & extinctum. Quòd qualiter fieri potuerit per ipſam ſanctificationis gratiam, juniores non ſatis explicant: ſed explicuit rectè D. Thomas 3. p quæſt. 27. art. 3. ubi ſic ait *Poſſet intelligi quod totaliter fuerit ſublatus fomes hoc modo, quòd præſtitum fuerit B. Virgini ex abundantia gratiæ deſcendentis in ipſam, ut talis eſſet diſpoſitio virium animæ in ipſa, quòd inferiores vires nunquam moverentur ſine arbitrio rationis: ſicut dictum eſt fuiſſe in Chriſto quem conſtat peccati fomitem non habuiſſe & ſicut fuit in Adam ante peccatum per originalem juſtitiam: ita quòd quantum ad hoc gratia ſanctificationis in Virgine habuit vim originalis iuſtitiæ.* Hæc D. Thomas. Itaque ſicut gratia primi ſtatus, licèt quantum ad eſſentiam eſſet ejuſdem ſpeciei cum noſtra, habebat tamen quendam modum perfectionis, quem noſtra non habet, ratione cujus plenè ſubiiciebat vires ſenſitivas rationi, & per talem ſubjectionem concupiſcentiæ ac fomiti locum præcludebat, ut diſp. ſequenti dub. 1. & deinceps declarabimus: ita hac via incedendo, dicendum eſt, gratiam conceſſam Deiparæ in inſtante conceptionis habuiſſe ſimilem perfectionis modum quantum ad prædictum effectum, & ratione illius nihil concupiſcentiæ aut fomitis ſecum permiſiſſe.

Alter dicendi modus. D. Thom.

Dices: in debito quod admiſimus, clauditur aliqua infectio ex parte carnis, quæ nata eſt peccatum in animam inducere: nihil autem aliud videtur fomes, niſi talis infectio: ergo vel non debemus admittere prædictum debitum in Virgine pro aliqua ejus duratione; vel debemus neceſſariò fomitem concedere. 223. Objectio. ¶ Reſpondetur, illam infectionem non eſſe fomitem proximè & formaliter: quia iſte ponitur in potentiis in ordine ad operandum, dicitque Enodatur.

in

Digitized by Google

in illis deſtitutionem ordinis, per quem rationi ſubduntur; prædicta vero infectio potiùs eſt immediatè in ordine ad unionem corporis cum anima, adeòque in ordine ad eſſendum. Et quamvis ex tali infectione tanquam ex radice per ſe ſequatur prædicta deſtitutio in potentiis, ſicut in anima conſequitur peccatum, ob idque dici poſſit *fomes formaliter*: ſicut hoc etiam modo *peccatum* dicitur: attamen ſicut peccati pro formali impediri fuit reſultantia per gratiam animæ Beatæ Virginis infuſam ſanctificantem ipſam, exiſtente in carne prædicta infectione: ita impediri potuit reſultantia prædictæ deſtitutionis per perfectionem à gratia deſcendentem ad potentias, & eas rationi ſubiicientem. Non ergo ex hoc vel ex alio capite, qui fatemur debitum in B. Virgine, tenemur fomitem pro aliqua ejus duratione etiam ligatum concedere.

224. Vltimum quæſitum. Denique rogabis, an opinio negans Beatæ Virgini debitum culpæ originalis, quam deſeruimus, non modò ſit falſa, ſed etiam improbabilis, & gravi cenſura digna? Et eſt ſermo de prædicta opinione, ut negat, Virginem peccaſſe in Adamo, atque adeò debitum ſecundùm omnes tres gradus, quos explicuimus. In qua dubitatione declaramus, noſtræ intentionis non eſſe ſeveriori cenſura prædictam opinionem ferire, quam illi inurunt fundamenta, quæ pro oppoſita ſententia dub. 4. adduximus: non enim tam verbis, quam rationibus ſugillare conſuevimus ea, quæ falſa judicamus. Sed licèt noſtram ſuſpendamus cenſuram: nequibimus tamen prædictam opinionem ab illis vindicare aut tueri, quibus graves Theologi, & immunitatis Deiparæ culpa originali acerrimi defenſores, omnem ei probabilitatem auferunt, erroriſque, & etiam hæreſis notam inurunt: quas hic recitativè tantum ſubjungemus id tamen ſatis ſuperque erit, ad informandum lectoris judicium. Corduba. Igitur Antonius de Corduba Ordinis Minorum lib. 1. quæſtion. 42. concluſ. 5. damnat illam ut hæreticam; & noſtram aſſerit eſſe de fide: ita enim ait. [illegible] *B. Virgo ex ſua propria* [illegible] *obnoxia ad* [illegible] Opinioni negantı debitum notam hæreſis qui inurant. *eundem.* Quam concluſionem ibi latiſſimè oſtendit ex eo quòd aliter verificari non poſſunt multæ auctoritates ſacræ Scripturæ, quas adducit: neque quòd Chriſtus fuerit Virginis redemptor, reconciliator, & vivificator: neque quòd pro illa fuerit mortuus, pluráque id genus alia, quæ omnes Catholici fatentur. Tandé nque concludit. *Igitur prædicta concluſio eſt Catholica, & oppoſita hæretica eſt.* Quam cenſuram (quæ fuerat Cajetani & Medinæ) Salmeron. approbant Salmeron ſuper ad Rom. 5. diſp. Gregor. Val. 50. fol. nobis 423. colu. 1. cujus verba dedimus ſupra num. 152. Et Gregorius de Valentia tom. 3. diſp. 2. quæſtion 1. puncto 2. *Itaque* (ejus ſunt verba) *rectè Caietanus in opuſc. de conc. c.* [illegible] *affirmat omnino eſſe certum, quod B. Virgo contraxerit hoc debitum* [illegible] *peccatum, atque adeo etiam illam* [illegible] *carnis, quæ, ut ſupradiximus, continetur hoc ipſo debito: neque poſſe hoc negari abſque hæreſi: cum alioqui ſequeretur, B. Virginem minimè fuiſſe redemptam.*

225. Aſtipulatur his auctoribus III. Ioannes Merinero in ſupradicta Reſponſione, ubi Merinero. frequenter ait, eſſe communem & conſtantem Catholicorum adverſus hæreticos ſententiã, quæ B. Virginem in pacto & lege Adami includit, & in eo peccaſſe affirmat: qui eſt primus gradus debiti, de quo loquimur, juxtà dicta n. 218. Et ſimiliter quòd ejus cõceptio tẽpore antecedenti animationem fuit peccato originali obnoxia: in quo conſiſtit ſecundus gradus, quem ibi explicuimus. De opinione verò id negante ſæpe tanquam de hæreſi Pelagiana loquitur. Unde in Priori prop. rat. 4. n. 1. ſic ait. *Circa primam difficultatem* (tangentem ſcilicet prædictum debitum) *nulla lis inter Catholicos Doctores. Omnes enim fatentur in illo decreto, quo Deus decrevit dare primo parenti iuſtitiam originalem ea lege ſeu pacto quod ſi non peccaret, transfunderet illa in omnes ab ipſo per ſeminalem propagationem deſcendentes; at ſi peccaret, illã non ſolũ ſibi amitteret, ſed etiam omnibus, incluſam fuiſſe Virginem Mariam, & ſolum fuiſſe excluſum Chri-* Idem. *ſtum Dominum, & conſequenter peccante Adamo, ſicut de facto peccavit, ex vi huius decreti ſeu legis univerſalis Virginem contracturam in inſtanti ſuæ animationis peccatum originale.* Et n. 26. *De hac enim conceptione* (videlicet antecedente animationem Virginis) *qui ſuſtinent non fuiſſe obnoxiam peccato, ſicut ſuſtinebant Pelagiani, dum aſſerebant, ex vi legis univerſalis aliquos non contracturos peccatum originale, ſeu, quod idem eſt, non habuiſſe debitum contrahendi illud, optimè procedit cenſura D. Thomæ & D. Bernardi, ſcilicet id aſſerentes, neceſſario cogi ſuſtinere, Virginem non indiguiſſe redemptione per Chriſtum, & inſuper puritate Chriſtum adæquaſſe: quia in iſtorum ſententia non ſolùm non contraxit peccatum originale, ſed neque debitum contrahendi illud.* Et rurſus n. 28. *De hac enim conceptione concors ſententia eſt inter Catholicos fuiſſe peccato obnoxiam.* Et tandem poſteriori. propoſit. rat. 4. numero 11. omnia prædicta reſumens, iterato eadem confirmat. Et nota quod hic Ill. Doct. Seraphici Ordinis pro cauſa diffinitionis immunitatis Deiparæ. ſcribens hoc eodem tempore, quo nos calamo incumbimus, adeoque viſis omnibus, quæ à junioribus pro opinione negante debitum afferuntur, idque attendens quod diffinitioni magis expediat, cenſuit talem opinionem à catholicorum ſenſu eliminandam: quia & veritati diffiniendæ, & cauſæ expeditioni adverſam & inimicam judicavit.

Vlterius Gabriel Vaſq. 1. part. diſp. 117. cap. 226. 3. prædictam opinionem (quam ipſe Catha- Eadem opinio à quibus error judicetur? rino tribuit) non ſemel pro errore condemnat: ſemel vero ſic ait. *Agamus igitur ratione efficaci, & Catharinum erroris convincamus, quod dixerit B. Virginem nec in Adamo peccaſſe, neque neceſſitatem contrahendi originale peccatum ſubiiſſe.* Quod ad longùm probat toto illo cap. ex multis con- Oña. tra fidem, quæ ex prædicta opinione aperte ſequuntur. Eodem modo loquitur Petrus de Oña tomo primo de Noviſſimis fol. nobis 344. dicens. negari non poſſe ſine ingenti errore, quod B. Virgo prædictum debitum Pitigianis. contraxerit. Non minori cenſura videtur feriri à Franciſco de Pitigianis ad 3. Scoti diſt. 3. quæſtion. 1. artic. 1. feriturque à Franciſco

Zumel

Zumel Luzero. Zumel 1.2 quæſt. 81. art. 3. diſput. unica, propoſit. ſeu concluſ. 2. & 3. & à Gundiſalavo Luzero in diſc. Theolog. pro defenſione concept. cap. 3. ubi ſententiam noſtram ſtatuunt ut certam ſecundum fidem. Quos ſequutus *Ægidius.* Ægidius à Præſentatione lib. 2. de Concept. quæſtion. 4. art. 7. num. 18. ſic ait. *Ego non ſolum cum Bellarmino exiſtimo non eſſe tutum in fide B. Virginem in Adamo non peccaſſe; ſed id ſine errore aſſeri non poſſe*; &c. Vbi ſimul habes cenſuram Cardinalis Bellarmini libro quarto de amiſſione gratiæ cap. 16. qua etiam plures alij prædictam opinionem notant.

Mitior cenſura Franc. Suar. Denique Franciſcus Suarez in alienis opinionibus ſugillandis modeſtiſſimus, de hac ſic loquitur tom 2. in 3. p. diſ. 3. ſect. 2. *Mihi videtur dicendum non poſſe ſine errore negari B. Virginem ex vi peccati Adæ ita fuiſſe obnoxiam maculæ, & peccato contrahendo, ut ſi per Chriſtum non eſſet verè & propriè redempta, illud contraheret*, &c. Et inferius. *Si quis autem contendat potuiſſe Virginem eſſe obnoxiam peccato Adæ contrahendo, atque adeo propriè redemptam per Chriſtum, & nihilominus non peccaſſe in Adamo, talis opinio non poſſet cenſura notari, quia utcunq; ſalvat Scripturarum locutiones. Mihi tamen nullo modo probanda videtur, quia neque conſequenter loquitur neque omnibus teſtimoniis adductis poteſt plene ſatisfacere, neque ad tuendam Virginis dignitatem eſt neceſſaria.* Idem repetit tom. *Idem.* 1. ad 1.2 tract. 5. diſp. 9. ſect. 4. num. 11. ubi inter alia quæ retulimus ſupra num. 183. *Addo* (inquit) *quemlibet prudentem Theologum, Dominæ noſtræ valde affectum, debere non inclinare ad illud extremum* (videlicet quòd debito caruerit) *quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque immaculatæ conceptionis veritatem iuvat, præbetque occaſionem adverſariis dicendi, nos poſſe non immaculatam conceptionem defendere, niſi declinando ad opiniones vel cenſuras dignas, vel diminuentes Chriſti redemptionem vel ſpeciem talium habentes.* Ita cenſent de opinione negante, B. Virginem peccaſſe in Adamo, & contraxiſſe prædictum debitum, Doctores iſti, & alij qui piam ſententiam pro viribus defendunt: ut omittamus eos, qui pro ea minus loquuntur, quique ſevere admodum de prædicta opinione judicant. Porro quamvis nos, ut diximus non novam cenſuram contra illam proferamus; ab his tamen, quæ adverſus eam per prædictos auctores latæ ſunt à nobis vero ſolum relatæ, ipſam vindicare vel tueri haud ſinunt teſtimonia & rationes, quibus tota hac diſputatione contrariam communivimus.

227. Opinio negans debitū ſine fundamento dicta probabilior. Ex his manifeſtè deprehendes, falſò dixiſſe Iacobum Granados, prædictam opinionem negantem dubitum Deiparæ, attentis omnibus, eſſe probabiliorem quam oppoſita: ſicut etiam inſulsè & ſine fundamento à quibuſdam junioribus ſpargi cœptum eſt, quòd jam talis opinio ſit communis. Quo pacto enim *probabilior*, aut *communis* dici potuit opinio omni antiquitate deſtituta, triginta SS. Patrum ſtylo reprobata, aliorumque centum quadraginta auctorum, cum antiquorum, tum juniorum calculo exploſa, & inter hæreticas vel erroneas, aut gravi alia cenſura dignas duodecim quos nunc dedimus, cenſoria virga rejecta; licet à paucis neothericis in tutela ſit, qui nec rem plene examinarunt (imo plures eorum nullo præmiſſo examine) neque ad ita aſſerendum vero & firmo alicujus Patris teſtimonio, aut legitimæ rationi nituntur, ut ex ſolutione eorum qui pro ſe afferunt, ſtatim patebit. Num major cenſenda erit pro concilianda probabilitate vel communi aſſenſu decem vel duodecim Theologorum ſeu concionatorum auctoritas (ſi tot prædictæ opinioni uſque modo ſubſcribunt) quam centum & quadraginta omiſſis adhuc Patribus neque minoris notæ, neque inferioris claſſis, qui illam impugnant, & noſtram ſententiam tuentur. Qua ergo veritatis ſpecie dicta eſt prædicta opinio *probabilior* vel *communis*? Niſi velis, rumorem ipſum, quo à ſuis patronis *communis* & *probabilior* vulgari cœpta eſt, gradum iſtum, quem aiunt, majoris probabilitatis, & communis aſſenſus ei conciliaſſe! Quòd ſanè, ſicut in aliis falſis & periculoſis, quæ in vulgus pro acquirenda probabilitate quotidiè jactantur, non parum dolendum, ita in hac auctoritate & robore ſatis deſtituta neutiquam admirandum. Sed examinemus jam fundamenta prædictæ opinionis, ut ex eorum infirmitate noſtra, & communis ſententia amplius roboretur.

§. III.

Examinantur auctores citati num. 124. pro prima opinione.

Nter patronos opinionis negantis B. Virgini debitum culpæ originalis quos adduximus initio dubij 4. aliquos numeravimus ex aliorum relatione, quos ubi conſuluimus, non eam ſequi, ſed potius pro oppoſita eſſe conſpeximus. Hujuſmodi ſunt Alphonſus Salmeron, Cornelius Muſius, Nicolaus de Cuſa, Catharinus, Viguerius, Benedictus Iuſtinianus, Magallanes, Valentia, Turrianus, Salas, Baſilius Legionenſis, Angles, Suarez, Vaſquez, Lorinus, & Zumel. Et quidem verba Salmeronis retulimus dub. 4. num. 152. quæ adeo ſunt expreſſa pro noſtra ſententia, & contra hanc opinionem, ut Ferdinandus de Salazar in ſuo opere de Conceptione c. 41. n. 5. non alia via potuerit illis occurrere niſi dicendo prædicta verba ſpuria eſſe & ab aliquo alio ſuffecta: *Quod* (inquit) *vel cæcus videbit ex ipſa verborum incohærentia: ait enim: Quartus modus, cum non præceſſerit ſecundus nec tertius.* Propter vero noſtram ſententiam illi aſſutam putat, *quia eo tempore quo codices illius in lucem dati ſunt, nimia ſeveritas quorundam theologorum priori ſententiæ gravem cenſuram & notam vel temeritatis vel hæreſis inuſſerat.* 228. Auctores qui pro prima opinione falſo alleganter.

Sed hæc frivola ſunt, & ſine fundamento dicta vel pleraque alia quæ in illo opere abſque examine inſeruntur. Quod vel cæcus viderit: nam ait, verba Salmeronis non ſibi cohærere, quia ponit *quartum modum*, cum non præceſſerit ſecundus nec tertius: hoc autem quantum à veritate aberret, oſtendit ipſe textus, in quo ſolus cæcus non vidiſſet ante illum quartum modum, tertium & ſecundum, Vindicatur ab impoſtura Salmeró.

ex

ex quorum defectu arguit Salázarius verborum incohærentiam. Nam cum in ſupradicta diſputatione 49. ſuper ad Rom 5. pagin. nobis 615. colum. 1. præmiſiſſet Salmeronius, *Salmeron.* variis modis poſſe aliquem dici *à morte vel peccato immunem*, aſſignat ibi primum his verbis: *Primo igitur & ſummo modo dicitur quis immunis à morte*, &c columnn. vero ſequenti ponit ſecundum: *Secundo modo dicitur immortalis quis & à morte liber*, &c. ſequenti autem pagina, ſcilicet 616. colum. 1. aſſignat tertium. *Tertio dicitur immunis à morte ille, qui etſi*, Poſt hæc vero pagina ſequenti columnn. 1. ponitur quartus his verbis (quæ ſupra jam num. 150. adduximus) *Quartus modus immunitatis eſt, quo quis à morte incurrenda, & à peccato præſervatur: & hæc eſt B. Virginis immunitas non quidem à peccato iam incurſo, ſed ex debito naturæ incurrendo, quia nata ex ſemine Adæ Omnes enim peccavimus in Adam*, &c. Vide ſupra num. citato alia quæ ex hoc auctore adduximus pro noſtra ſententia. Præceſſere ergo quartum iſtum modum tertius, & ſecundus, & primus. Ubi igitur verborum incohærentia? Sed qui in re admodum clara oſcitavit, & falſus fuit, merito ſibi fidem abrogavit. Vide, an militet contra Salazarium argumentum ipſius in D. Thom. de quo ſupra n. 103. nempe *iure comparatum eſſe, ut teſtis illius nulla ſit fides, qui ſuo teſtimonio aliquid mendacij & erroris manifeſti inſeruit*.

Et ſane cum editio operum Salmeronis non extraneorum curæ commiſſa fuerit, ſed ſacræ Religionis Societatis ſtudio & correctione in lucem prodierit, dum Salazarius prædicta verba ſpuria dicit, ipſammet Societatem infidelitatis inſimulat, ut quæ propriam auctoris ſententiam abraſerit; alienam vero & oppoſitam fuſe expenſam & probatam, ut illius propriam intruerit. ¶ Illud autem boni conſulimus, quod fateatur Salazar, ſuam opinionem *hæreſis* vel *temeritatis* notam tunc temporis incurriſſe: nam & antea & modo à plerique ſimili cenſura notatur, ut §. præcedenti vidimus. Quod cum ita ſit, quo pacto verum erit prædictam opinionem in Tridentina Synodo cum primis celebratam & approbatam, atque in decreto de peccato originali contentam, ut aſſerit prædictus Salazar ubi ſupra? Sententiam namque de mente Concilij, & inibi à Patribus celebratam, nemo & tam cito *hæreſis* vel *temeritatis* inſimularet, aut in lucem egredi prohiberet, ut eſt per ſe notum.

129. Vindicantur alij. *Corn. Muſ.* Nō maiori fidelitate adducitur pro prædicta opinione Cornel. Muſius: nam expreſſe tenet nobiſcum ſuper 5. cap. ad Roman. ubi citatur, ut oſtendunt ejus verba quæ adduximus ſupra numero 150. Turrianus in illa epiſtola ubi citatur, repetit non ſemel, Virginem fuiſſe peccato originali obnoxiam: & nullibi oppoſitum aperte tradit. Nicolaus de Cuſa ſolum negat, Virginem contraxiſſe in ſua propria perſona, aut in ſuo primo *eſſe* peccatum originale: quia ne illud incurreret, præſervata fuit: & ita non indiguit liberatore à peccato contracto, ſed habuit *præliberatorem*, ut ipſe loquitur, ne quod ex communi debito contrahendum erat, de facto incurreret. Ex hoc autem minime infertur Virginem non habuiſſe debitum, de quo loquimur, ſaltem in Adamo, & extrinſecum. De Viguerio ita ait Vazq. citata diſp. 115. cap. 1. *Multo minus Viguerius prædictam opinionem docuit: nam ſolum aſſerit, B. Virginem fuiſſe præventam gratia Dei & præſervatã ne peccatum originale contraheret: ex quo potius oppoſitum videtur ſequi, nimirum niſi præſervata fuiſſet, fore ut peccatum originale contraheret, eo quod lege univerſali alioquin teneretur.*

De Catharino num. 151. vidimus, quomodo ſit pro aſſertione debiti. Quid de Catharino? Quod ſi alias negare videatur Virginem peccaſſe in Adamo, aut fuiſſe ſub lege ejus comprehenſam, vel exponendus erit juxta ea quæ ex Gregorio de Valentia ſtatim adducemus, vel tanquam voces aut illationem ignorantis non multum de ejus teſtimonio curandum. Norunt enim docti, quam levis ſit Catharini auctoritas, ob pluſima erronea, vel improbabilia, quæ Index exp. ſuis opuſculis inſeruit: de quo videndus eſt *Bellarm.* expurgatorius Index verbo *Ambroſius Catharinus*: & Bellarminus lib. de Scriptor. eccleſiaſt. ad annum 1552. Nec mirandum, toties eum à vero deviaſſe, qui, (ut ait Soto) repente Theologus, ſatiſque audax in enuntiando prodiit: quique non pauca in proprium ſanctiſſimum Ordinem ſine cauſa dictavit, immemor illius ſententiæ, *Stultus homo deſpicit matrem ſuam*, Proverb. 15. *Prover. 15.* Vnde parum vel nihil propriam opinionem commendant, qui prædictum auctorem ducem ſibi conſtituunt.

Bened. Iuſt. *Magalla* *Baſil. Legio.* *Salas.* Benedictus Iuſtinianus ſuper ad Hebr. 2 verſu 6. num. 3. Magallanes ſuper Iudices c. 5. ver. 7. num. 103. Baſilius Legionenſis 1. p. variar. diſp. relect. 1. circa medium. Salaſ. tom. 1. in 1. 2. tract. 3. diſp 11. ſect. 5. quæſt. 11. expreſſe noſtram ſententiam ut omnino veram amplectuntur. Vnde ea ſolum ratione potuerunt pro oppoſita referri, quia non judicant illam improbabilem aut cenſura dignam: quo pacto poſſemus & nos etiam adverſarios pro noſtra adducere. Angles nihil dicit pro ea opinione. Lorinus ubi citatur, & à nobis adductus fuit ſupra num. 152. expreſſe illam rejicit. Vazquez, Suarez, Valentia, & Zumel ſevere in illam animadvertunt: ut conſtat ex dictis §. præced. num. 126. Vt videas, quam ſine delectu in auctorum relatione adverſarij procedant.

130. *Velaſq.* Quorundam vitium reprehenditur. Id quod ſane vitium nuper incidiſſe comperies Ioannem Antonium Velazquez, lib. 1. de Maria immaculate concepta. diſſert. 4. adnot. 1. ubi pro ſententia conciliante immunitatem Deiparæ cum ejus redemptione; & utramque ſingillatim aſſerente (loquitur autem de immunitate tam à peccato, quam à debito, ut declarat num. 1. illius adnotationis, promittens auctorum nomina ad calcem ſe daturum) inter alios refert Scotum, Baconium, Cordubam, Ovandum, Bellarminum Vazquez, Suarez, Valentia, Azor, Barradas, & Morales: qui omnes eam ſententiam, ut à prædicto auctore propoſitam & probatam, cum negatione ſcilicet tam peccati quam debiti, omnino rejiciunt: ut conſtat locis à nobis citatis: plures autem illam tanquam hæreticam vel erroneam condemnant

nant, ut vidimus num. 224. & ſequentibus.

Peñaloſa. Lugo. Ægidius. ¶ Sed & Ambroſ. Peñaloſa eandem paſſus deceptionem in ſuis vindiciis diſp. 10. cap. 1. numer. 4. tribuit Emin. Card. Lugo de Incarnat. diſput. 7. ſect. 3. & Ægidio à Præſentat. lib. 2. quæſt. 4. art. 3. opinionem negantem, Virginem peccaſſe in Adamo, & habuiſſe ullum debitum culpæ originalis: cum tamen prior ejuſmodi opinionem neque aſſeruerit, neque negaverit, ſubtrahens ſe omnino à deciſione; poſterior vero ubi citatur, contrarium ſtatuat his verbis. *Statuendum eſt, in B. Virgine neceſſario admittendum eſſe verum & proprium debitum contrahendi peccatum originale ortum ex peccato Adami.* Nec ſimpliciter tantùm hoc aſſerit, ſed oppoſitum pro errore condemnat, ut vidimus num. 226. Quæ idcirco libuit adnotare, quia animadvertimus, hujuſmodi infidelitatis vitium in auctores referendo apud juniores aliquos ita inoluiſſe, ut non niſi collatione ad fontes habita eorum relationibus ſtandum ſit

Aſſertores legitimi primæ opinionis. Remanent ergo legitimi aſſertores prædictæ opinionis N. Lezana, Salazar, Granadus, Bened. Fernandez, Novarinus, Aldrete, Bartholomæus de los Rios, Peñaloſa, Velaſquez & pauci alij minoris notæ Theologi ſive concionatores, qui perfunctoriè rem agentes, & ad pauca reſpicientes ob colorem potius quam ob rationum momenta novitati plauduntr. Sed hi omnes quid inter tantos, adeoque graves & claſſicos, ſicut pro oppoſita ſententia adduximus?

Animadverſio notatu digna. Adverte autem, non omnes qui aiunt, B. Virginem exceptam fuiſſe à lege Adami, aut ab ejus ſententia, negare illi debitum, de quo loquimur: quia ut rectè vidit Gregorius de Valentia ubi ſupra ſufficienter intelliguntur de exceptione quãtum ad effectum, qui eſt contractio culpæ vel pœnæ, ſcilicet privationis gratiæ etiamſi quantum ad cauſam & obligationem manſerit comprehenſa. In quo decepti ſunt aliqui ex adverſariis, qui ex quibuſlibet verbis exceptionem à lege illa innuentibus, ſuam opinionem confirmant, non animadvertentes prædictam diſtinctionem, quæ in hac materia & in pluribus juris canoni & civilis communiſſima eſt. Sæpiſſime enim dicitur *excipi à lege* ille, qui ex iudicis favore non ſubit de facto mortem aut pœnam, quam ex lege debebat incurrere Iuxta quem modum rectè dici poteſt B. Virgo *excepta à lege & ſententia in Adamum prolata*, quia exceptio & effectus talis ſententiæ & legis, ubi ſequenda erat contractio originalis, culpæ ex ſpeciali Dei favore non eam comprehendit, comprehendiſſet autem, attenta dumtaxat ipſa lege, & favore illo ſecluſo.

Adde etiam ex eodem Valentia circa finem illius 2. puncti, ubi cum pro certo ſtatuiſſet, Virginem fuiſſe ſub lege Adami comprehenſam, in eoque cum cæteris de ligno vetito comediſſe, neque de hoc quoad rem ipſam eſſe poſſe controverſiam, quærit viam, ut neceſſe non ſit ita loqui, ut dicamus B. Virginem in Adamo peccaſſe, ſed poſſit ſalva veri-

Gregor. Val. tate vitari hæc locutio. Sic ergo ait. *Sed quamvis de hoc non poſſit eſſe controverſia niſi de nomine & modo loquendi; videtur tamen mihi non eſſe neceſſe ita loqui, ut ſcilicet dicamus B. Virginem in Adamo peccaviſſe: nam verbum hoc peccandi cum dicitur de poſteris Adami, qui in Adam ſumpſerunt cibum vetitũ, ex recepta quidem & uſitata conſuetudine loquendi non ſolum videtur ſignificare actum illum, quo in Adamo poſteri guſtarũt contra legem illum cibum: ſed ſimul etiam connotare futurum peccatum originale ab ipſis poſteris, cum iam actu eſſe incipiunt, re ipſa contrahendum. Itaque cum hoc originale peccatũ B. Virgo non fuerit re ipſa contractura poteſt vitari ille loquendi modus, quo dicatur B. etiam Virgo in Adamo peccaſſe.* Hæc ille, & opportune pro aliquibus qui agnoſcentes reipſa in B Virgine debitum de quo loquimur, ad verba accedentes renuunt concedere, eam in Adamo peccaſſe: qui proinde adducendi non ſunt pro opinione prædictum debitum negante.

§. IV.

Teſtimonia allata pro eadem prima opinione diſcutiuntur.

VEniamus ad teſtimonia, quæ ex Patribus afferuntur num. 125. Locus Cypriani ſi 235. Cyprianus

integre legatur, potius favebit ſententiæ aſſerenti debitum: ad illa enim verba, quæ in argumento referuntur, hæc præcedunt. *Nihil in hac re petiit ultio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum uſuram Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum eſt: ideoque innoxiam affligi non debuit*, &c. Si igitur fuit ibi incendium originale, quod Spiritus Sanctus extingueret, fuit etiam debitum peccati, ſine quo nihil incendij potuit intelligi. Sed revera prædictus locus neutri opinioni ſuffragatur: quia non loquitur de ſtatu Virginis in ſua conceptione; ſed de conceptione & partu divini Verbi: in quo partu dicit, nihil fuiſſe ultionis: quia quæ in concipiendo nihil carnalis delectationis experta fuerat, nihilque etiam leviſſime culpæ admiſerat, auferente ſeu potius impediente Spiritus ſancti obumbratione omnem libidinis æſtum, æquum non erat, ut in partu ſubjiceretur pœnis & moleſtiis quibus ſubjiciuntur cæteræ mulieres, quæ cum delectatione carnali, & vix ſine aliqua ſaltem leviſſima culpa concipiunt. Hic eſt ſenſus legitimus illius loci ut oſtenditur ex ipſo contextu. Adverte autem, librum illum de operibus carnalibus Christi, ubi prædicta verba continentur, potius eſſe incerti auctoris, quam D. Cypriani, ut probat Bellarminus libro de Scriptor. eccleſ. ad annum 250.

Locus Cypriani non convincit.

Bellarm.

Exponitur D. Auguſt. Ad ſecundum teſtimonium, quod eſt D. Auguſtini lib. de natur. & gratia cap. 36. reſpondetur, ibi eſſe ſermonem de peccatis perſonalibus. Loquitur enim Auguſtinus de hominibus adultis, plures commemorans ſanctos & iuſtos, de quibus inquit, quod ſi dum manebant in hac vita, interrogarentur an haberent peccatum? reſponderent illud Ioannis: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus.* Peccatũ autem de quo Ioannes loquitur, & ſine quo juſti ſe non eſſe fatentur, non eſt peccatum originale ſed ſunt peccata venialia, de quibus dicitur Proverb. 24. *Septies in die cadit iuſtus*, Ab hac igitur

igitur communi juſtorum regula excipit Auguſtinus Deiparam, nihil agens de culpa originali, vel de ejus debito: & ita intellexerunt cum antiqui ſcholaſtici cum Magiſtro in 3. diſt. 3. Sed ergo Auguſtinus ibi excluſerit à B. Virgine etiam peccatum originale, nulla ratione probari poteſt, quod debitum excluſerit. Imo verba illa, *Scimus gratiam illi collatam fuiſſe ad vincendum omni ex parte peccatum*, &c. oppoſitum inſinuant. Nam ſi B. Virgo non continetur ſub prædicto debito, opus non haberet gratia ſibi collata & infuſa ad peccatum originale vincendum, ſeu vitandum, antecedenter enim fuiſſet illi aditus præcluſus per excluſionem à pacto & à peccato actuali Adami: ſeu, ut verius loquamur, nullus unquam fuiſſet aditus per quem ingredi poſſet, cum ſolum prædictum peccatum talem aditum apperuerit. ¶ Adverte tamen, hoc teſtimonium nonnihil infirmari per illa verba, *Unde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum ſit ad vincendum*, &c. quæ potius eſſe videntur interrogantis, quam aliquid aſſerentis Quocirca ſi ita legendum ſit (ut habent de facto omnia exemplaria, quæ ad manus habere potuimus) infringitur non parum prædictum teſtimonium: cum ex illo potius habeatur, D. Auguſt. voluiſſe à quæſtione illa abſtrahere, quàm aliquid certo diffinire. Sed nos legendum credimus vel ſine conjunctione enim hoc modo: *Unde ſcimus*, &c. vel ſi cum illa non *Unde*, ſed *Inde enim ſcimus* &c. ſunt verba affirmantis, & reddentis cauſam ejus, quod præmiſerat: & ita legunt Magiſter in 3. diſt. 3. D. Thom. Bonaventura, & alij, in qua obſervatione prævenit nos Franciſcus Sylvius tom. in 3. p. quæſt. 27. art. 2. ubi ſic ait. *Obſervari hic poteſt, B. quidem Thomam hoc loco. & Bonaventuram in 3. diſt. 3. verba Auguſtini ſic referre. Inde enim ſcimus, quod plus ei collatum eſt, &c. Cæterum codices tam excuſſi quàm manuſcripti aliter habent, ita nimirum. Unde enim ſcimus, ut ſint verba Auguſtini Pelagium reprehendentis, quod dixiſſet, neceſſe eſſe pietatis confiteri, matrem Salvatoris fuiſſe ſine peccato; cui reſpondet Auguſtin. non eſſe certum id, quod Pelagius ut certum aſſeveraret: & propterea non deeſſe locum inquiſitioni: quam tamen Auguſtinus propter honorem Domini vult omittere. Et certè ſi Auguſtini verba eſſent, Inde enim ſcimus, &c. non dixiſſet, nullam habere volo, ſed nullam habere poſſum quæſtionem* &c Hactenus Sylvius. Deſumpſimus verò prædictam obſervationem ex adnotationibus ad citatum lib. & cap. Auguſtini, quæ habentur ad calcem tomi 7.

Magiſter.

Franſc. Syl.

234. Ad tertium locum, qui dicitur eſſe Bernardi ſerm. 13. in cœna Domini utentis eodem Auguſtini teſtimonio, reſpondetur, ſolum probare B. Virginem non fuiſſe in peccato originali conceptam; nihil autem haberi, quod ad debitum pertineat: ſolum enim eſt ſermo de conceptione in peccato, vel ſine peccato: *Non enim eſt* (inquit) *qui non in peccatis fuerit conceptus, præter matrem immaculatam*, &c. Quod libentiſſime concedimus. Atque utinam ſermones illi eſſent D. Bernardi, ut illum pro ſententia pia haberemus. Sed alienos & ſuprios eſſe probat Bellarm. lib. de Scriptor. eccl. ad an. 1130. & multi alij deprehenderunt: proditque ſtylus minus gravis

Bernard. Tertius locus non eſt D. Bernardi.

Bellarm.

omninoque à mellifluo Doctore extraneus. ¶ Ad quartum, qui eſt D. Ildefonſi aientis, B. Virginem maledicto Evæ non ſubjacuiſſe; reſpondetur, non loqui de maledictione quæ fuit culpa originalis: aut ejus debitum, ſed de illa qua dictum eſt Hevæ, *in dolore paries filios*, quæ fuit effectus & pœna peccati pro illis, quæ ex viri ſemine conciperent: à qua & ab aliis ærumnis, quæ reliquas puerperas comitantur, B. Virgo omnino fuit libera: quia ipſa in lætitia Dominum peperit, quem ſolius Spiritus ſancti virtute conceperat. Quod plane animadvertet quicunque textum Ildefonſi conſuluerit, & ideo ejus verba omittimus. ¶ Per quod patet ad quintum teſtimonium, quod eſt Bernardi: loquitur enim in eodem ſenſu, atque Ildephonſus, ut oſtendunt ejus verba. *Mutata* (inquit) *in Virgine noſtra maledictio Hevæ: peperit enim filium ſine dolore. O beata ſola inter mulieres benedicta, & non maledicta, ſola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena.*

Quid ſentiat D. Ildefonſ.

Ildephonſ.

Benard.

235. Ad ſextum locum, ubi ait Anſelmus conceptionem Verbi debuiſſe fieri de matre puriſſima, ea ſcilicet puritate, qua ſub Deo nequit major intelligi, plures ſolutiones, ſatiſque ad mentem Anſelmi tradunt D. Albertus, Bonaventura, & alij. Sufficiat nobis dicere cum D. Thoma in 1. diſt. 44. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 3. quod puritas B. Virginis debet eſſe maxima, quæ poteſt intelligi in iis qui indigent redemptione: nam & ipſa fuit vere redempta: puritas autem, quæ tam peccatum quam debitum excludit, non habet locum in redemptis, ut probatum eſt dub. 2. Et ideo inter homines non eſt ſub Deo, ſed propria Dei hominis redemptoris. *Hæc enim puritas* (ait D. Thom.) *ſoli homini Deo debebatur, ut ipſe quaſi unicus redemptor humani generis nulla peccati ſervituti teneretur: cui competebat, omnes à peccato redimere. Unde non hanc puritatem, ſed ſub hac maximam Virgo mater ejus habere debuit*: ſcilicet quæ & ſi excludat omne peccatum, ſupponat tamen ejus obnoxietatem & debitum, ſine quo nequit vera redemptio intelligi.

Quid D. Anſelm.

D. Thom.

236. Septimum teſtimonium, quod adducitur ex Alberto magno, omni fide caret: quia in toto opere de laudibus Virginis, unde ſumptum dicitur (quod non unico libro, ſed duodecim comprehenditur) non inveniuntur illa verba, *Hæc Virgo ab illa regula excipitur, Omnes in Adam peccaverunt*, quæ Salazarius, & alij ex Caniſio, Caniſius vero abſque deſignatione libri vel capitis adducit. Quid autem ad fidem illorum, quod dicat Salazarius ſe legiſſe librum, ſi verba non legit? Deberet ſane vel ex hoc convinci, ea falſò allegari & Alberti non eſſe, quæ in opere à ſe perlecto non offenderat, cur id non dixit? cur non libri numerum & caput aſſignavit, qui teſtatus eſt ſe eum vidiſſe, & perlegiſſe? Vidimus & nos, ſed loque perlegimus duodecim libros de laudibus Virginis, qui tomo vigeſimo operum B. Alberti continentur, necnon opus ipſius æque extenſum de eadem materia, dictum *Mariale*, ſeu *ſuper Miſſus eſt*; prædicta autem verba aut alia æquivalentia nullibi prædictorum operum offendere potuimus. Reperimus vero non pauca, quæ ſententiam

Alber. mag. locus omni fide caret.

 noſtram

noſtram apertè confirmant, lib 3. §. 1. & lib. 4. cap. 17. & lib. 7. cap. 7. & 8. & in Mariali quæſt. 12. num. 5. Fortè primo decepto occaſio fuere verba alia apparenter ſimilia, quæ habentur lib. 1. de laudibus Virginis cap. 6. ubi B. Virgo excipitur à maledictione illa ſpecialiter mulieribus poſt peccatum indicta, *In dolore paries filios*, juxta ea quæ diximus

Idem.

ad teſtimonia Ildephonſi & Bernardi. Sed hanc exceptionem cum exceptione à regula Pauli, *Omnes in Adam peccaverunt*, confundere, non levis ignorantia eſſet.

237. Apocalypſis Amadæi auctoritate caret.

Illud quod adducit Velaſquez ex nova Apocalypſi Amadæi, nullius eſt roboris, ut potè de cujus doctrina an ſit tolerabilis, anceps ſatis eſt opinio: Sane ſi iis, quæ Abraham Bzovius tom. 18. annalium Eccleſiaſt. ad annum 1471. ſcribit, ſtandum eſſet, opus illud inter hæretica, erronea, blaſphema, fabuloſa, & nugatoria potius reiici deberet, quàm ad veri alicujus confirmationem allegari. Abſit tamen, ut nos huic tam acri cenſuræ pareamus: cum plures alij, quos in libri & auctoris commendationem adducit Bibliotheca Virginalis tom. 1. à pag. 659. mitiùs loquantur. Ex quibus Hippolytus Marracius (prout ibi pag. 661. refertur) ait, *quæ opere illo continentur, non Dei eſſe revelationes & oracula, ſed ipſius Amadæi pias meditationes.* Et Cornelius à lapide pro ejuſdem commendatione adductus ſuper 1. cap. Apocal. ſic ait, *Ego eas* (ſcilicet Amadæi revelationes) *Romæ diligenter quæſivi, inveni, perlegi, reperi nomina ſeptem Angelorum, quæ paulo ante memoravi ſed ibidem legi nonnulla paradoxa, & de falſitate planè ſuſpecta.* (poſt quotum relationem) *Adde, opiniones Scoti, qui fuit Minorita uti & Amadæus, in iis paſſim inſeri quaſi oracula: ut non ſine cauſa vir gravis dixerit: Angelus B. Amadæi fuit Scotiſta.* In qua cenſura (ait collector prædictæ Bibliothecæ) *Cornelius pium, doctum, & modeſtum ſe oſtendit.* Nam qui prædictum opus ſeriò perlegerit, majori caſtigationi obnoxium judicabit. Hiſtoria verò Ordinis Seraphici 1. p. l. 23. c. 31 affirmat, plurima illius libri non fuiſſe ab Amadæo conſcripta, ſed ab aliis poſtea ſuffecta, ita ut jam dici non poſſit *liber Amadæi.* Quæ cum ita ſint, liquet nullum ex illo opere poſſe deſumi teſtimonium pro alicujus veri confirmatione: ita enim falſa & fabuloſa veris admixta ſunt, ut diſcerni non valeant ſiqua revelatio ſuggeſſit, ab iis quæ vel alij inſeruerunt, vel auctor ex proprio cerebro fabricavit. Eſſe verò hujus poſterioris generis, falſumque omnino illud, quod adducitur à Velaſquez ex verbis Sancti Thomæ Apoſtoli, conſtat ex D. Ioanne Damaſceno in hiſtoria dormitionis Deiparæ quam univerſalis Eccleſia recipit, & in officio Aſſumpt. 4. die octavæ inſerta eſt: ubi dicitur Thomam abfuiſſe Ieroſolymis, quando B. Virgo vitam finivit, & non niſi poteſt triduò adventaſſe, cum jam ejus corpus non modo ſepultum, ſed aſſumptum erat in cœlum; & tamen Amadæus dicit, illam laudem Virgini jam morituræ B. Thomam ceciniſſe, ab eaque cum cæteris Apoſtolis Vale poſtremum accepiſſe: vide ergo cui credendum? Sed eſto Amadæi narrationibus fides adhiberetur, non obeſſent noſtræ ſententiæ: nam tam illud quod refert ex Apoſtolo Andrea, *Non tu mortua in Adam fuiſti*, quàm quod ex S. Thoma, *A peccato præviſo, non fuiſti cum aliis condemnata*, poſſet ſufficienter exponi de morte & condemnatione quantum ad executionem ſententiæ in propria Virginis perſona, juxtà ea quæ ex Gregorio de Valentia numero 231. obſervavimus.

Bzovius. — *Bibli virg. Hip. Marr. & Corn. à lap.* — *Hiſtoria Ord. Seraph.* — *Damaſ.*

238. Quid de officio Bernardini de Buſtis.

Ad ea, quæ in eodem primo argumento afferuntur ex officio Bernardini de Buſtis, reſpondetur, quòd etſi in illo officio multa aſſeverent præſervationem B. Virginis à peccato, nihil tamen ibi eſt, quod præſervationem à debito perſuadeat. Nam quod dicitur, Virginem non ſenſiſſe labem nec fœtorem Adami, intelligitur quoad culpam in propria perſona. Et quod dicitur legem pro ea latam non fuiſſe, intelligitur quantum ad affectum & executionem, juxtà dicta num. 231. Quo etiam ſenſu accipiendum eſt, cum dicitur Mariam eſſe ſupra omnes, & non annumerandam omnibus (quamvis hoc neque in illo officio neque in alio Leonardi Nogarolis legatur) quia ſupra omnes habuit, ne in ſua propria perſona prædictæ legis executioni ſubjaceret. Verba etiam, quæ illic ex Ambroſio & Auguſtino afferuntur (falsò tamen, ut ſtatim oſtendemus) licèt excludant à Deipara peccatum originale, non tamen debitum; nam quod dicitur ex Ambroſio, *Hæc eſt virga in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit*, ly *nodus* nõ dicit aliud à culpa originali, ſed dicit nodum, qui eſt ipſa culpa: ſicut ly *cortex venialis* non dicit aliquid præter ipſam culpam venialem, ſed eſt ſenſus, *cortex qui eſt venialis culpa*. Quod verò dicitur ex Auguſtino, non potuiſſe Virginem inquinari, cum Deus eam faceret, intelligendum eſt in ſenſu compoſito gratiæ, cum qua fuit concepta: ſuppoſito enim quòd gratia tunc extiterit, nequibat ſimul adeſſe peccatum. Quod ſicut non tollit. quominùs abſolutè & in ſenſu diviſo potuerit B. Virgo in peccato concipi; ita non tollit quominus habuerit debitum, ut conciperetur cum illo.

Ambroſ. — *Auguſt.*

239. Nonnulla fabuloſa in prædicto officio. *Aldrete.*

Secundò reſpondetur, non licere iis qui nobis arguunt, ex illo officio teſtimonia deſumere, quæ ipſi aliquando ut fictitia & fabuloſa reiiciunt: ut videre eſt apud Aldrete citata diſp. 22. ſect. 3. Narratur enim in prædicto officio 2. die octavæ lect. 3. D. Bernardum poſt mortem cuidam de ſuis monachis totum lucidum apparuiſſe, præterquàm quòd in pectore maculam nigerrimi coloris geſtabat, ob aſſenſum quem vivus ſententiæ aſſerenti conceptionem Virginis in peccato, præſtiterat, &c. Cumque hanc hiſtoriam Aldrete ſibi ex prædicto officio obieciſſet, reſpondet, *Plures graves auctores* (quibus ipſe accedi) *exiſtimare, illam revelationem eſſe commentitiam.* Quam ſolutionem ſumpſit ex Salazario cap. 41. ſæculo 11. ubi præmiſſa eadem narratione, velut ab aliis credita, ſubdit: *Sed tamen plures alij cenſent, id planè confictũ ac fabuloſum eſſe: his aſſentior, & præfatam viſionem commentitiam eſſe mihi perſuadeo.* Et eodem cap. ſæculo 13. reiicit ſimile quid, quod idem Bernardinus narrat, ſcilicèt D. Thomam apparuiſſe poſt mortem Epiſcopo Patavino, ſuamque ſententiam de Virginis conceptione declaraſſe. *Sed longiſſimè abſum* (ait Salazar

Salazar.

ut

Digitized by Google

Idem. *ut huic viſioni fidem habeam.* Et infra. *Me judice, commentitia prorſus ac vana eſt hæc revelatio.* En quanti pendant auctoritatem Bernardini de Buſtis & officij à ſe compilati, qui indè contra noſtram ſententiam teſtimonia deſumunt. Et ſanè nec nos poſtquam illud officium perlegimus, negare poſſumus, aliqua ibi falſa & fide indigna reperiri; ut propterea credamus, prædictum officium, prout nunc extat, vel non eſſe illud quod Sixtus IV. approbaſſe dicitur; vel ita ſucceſſu temporis depravatum eſſe & corruptum, ut firmum ex eo teſtimonium deſumi non valeat, & in multis quæ SS. Patribus attribuit, citò falſitatis convincatur: Si quis verò noſtræ relationi minùs credat, conferat prædictum officium in iis quæ ex Patribus accepta dicuntur, cum eorum operibus (ſicut auctor Armamentarij Seraphici, ubi hoc & alia officia habentur, contulit officium ſanctificationis Virginis à Bandello compilatum) & fiet ei manifeſtum quod diximus: ſcietque æqualem in utroque officio à SS Patribus diſſonantiam reperiri.

240. Locus Ambroſij vitiatus.

Quod nos neceſſe habuimus pro teſtimoniis Ambroſij & Auguſtini adductis ſupra n. 126. in argumento, cui damus ſolutionem. Primum enim ita ex præcitato officio refertur *Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis nec cortex venialis culpæ fuit.* Quæ verba nullus hactenus in operibus D. Ambroſij reperire potuit; adeo ut Iacobus Granad. dicat putandum periiſſe aliquod ejus ſcriptum, in quo continerentur: ſatis ſuperque eſſe, ut credamus fuiſſe Ambroſij, quòd in aliquibus breviariis antiquis tanquam ejus verba recitentur Sed hoc divinare eſt; nec ſufficiens argumentum, quòd recitentur in illis breviarijs prædicta verba: potuerunt enim recitari, quia vera, licèt non quia Ambroſij. Et ſi in aliquibus Ambroſio tribuantur, annumeranda erit talis attributio iis, ob quæ prædicta breviaría à Pio V. & Clem VIII. prohibita vel correcta ſunt. Meliùs ergo Guillelmus Pepin qui ante annos 120. adeoque priuſquam breviaria, quæ Granados commemorat, in lucem ederentur, pro Virginis conceptione ſcripſit, in opere de imit. Sanct ſerm. de Conc. Virg. declarat, quæ prædictorum verborum ſint Ambroſij, quæ verò illi áſſuta, dum ita ait. *Tertiò B. Ambroſius in quodam ſermone de eadem*

Guill. Pep. *Virgine dicit ſic: Maria eſt in qua, nec nodus nec cortex culpæ fuit. Quod autem in primo ſermone de eadē cōceptione in tract de ſecretis ſecretor. addidi dicens, Maria eſt in qua nec nodus originalis culpæ, nec cortex venialis fuit, hoc de proprio addidi ad majorem declarationem dicti ipſius Ambroſij. Sicut enim non eſt derogandum dictis Sanctorum, minùs dicendo quod dixerint; ita nec illis imponendum eſt quod non dixerunt. Poſſunt tamen quandoque piè interpretari dicta eorum.*

Argumentoſe legitur. Non minùs vitiatus legitur ſecundus locus qui tribuitur Auguſtino lib. de quinque hæreſibus ſub iſtis verbis *Si potuit inquinari mater mea, cum ipſam facerem, potui & ego inquinari, cum ex ea naſcerer.* Ita in illo officio. At Auguſtinus ità ait *Hanc quam deſpicis Manichæe, mater eſt mea, ſed manu fabricata eſt mea. Si potui inquinari, cum eam facerem, potui in illa inquinari cum ex ea naſcerer* Vide quātum differat *ſi potuit* pro perſona Virginis, à *ſi potui* pro ipſa Chriſti perſona. Prima enim locutio denotat, Virginem non potuiſſe inquinari peccato cum à Deo facta fuit, adeòque in primo inſtante conceptionis, quod Auguſtinus non dicit. Secunda verò denotat Deum, dum Virginem produxit, non potuiſſe ex hac productione inquinari, ſicut inquinari non potuit ex eo quòd ab illa naſceretur & hoc affirmat Auguſtinus. Agebat enim contra Manichæum negantem res corporeas, & viſibiles à Deo fuiſſe factas; quaſi indignum Deo eſſet ad hæc viſibilia cauſalitatem ſuam extendere, & quaſi ex tali cauſalitate poſſet inquinari: quod debitum reprehendit, & impugnat Auguſtinus ſupradictis verbis ex perſona Chriſti prolatis: *Si potui inquinari cum eam facerem potuiſſem inquinari cum ex ea naſcerer.* Atque adeo ſicut naſcendo ex matre corporea & viſibili, inquinatus non fuit; ita nec creando illam, inquinari potuit. Nec mirandum hæc & alia à veritate aliena in prædicto officio ſucceſſu temporis irrepſiſſe, cum videamus, id ipſum breviori ſpatio, nempe à tempore Pij V. uſque ad Clementem VIII breviario Romano accuratùs cuſtodito, vel typographorū negligentia & incuria, vel nimia aliorū audacia & licentia, in multis ſatiſque gravibus accidiſſe, ut ipſe Clemens VIII. in ſua recognitione teſtatur Liquet ergo ex prædictis officiis, etiamſi ab antiquis Pontificibus approbata dicántur, non poſſe firmum deſumi teſtimonium pro aliqua ſententia: cum nobis certò conſtare non poſſit, quæ in illis Pontifices approbarunt, & quæ ab aliis poſtmodùm addita vel corrupta ſint.

Neque hæc tantùm loca, quæ deteximus, falſo producuntur; ſed plura alia ex Auguſtino, Anſelmo, Bernardo & aliis Patribus, à junioribus ſine delectu citantur, aut verò etiam verba afferuntur, quorum ſi fidem quæras, nullam invenies: ſæpeque hæc nutat ex ipſa relatione, dum vel non aſſignatur certus liber aut tractatùs, vel caput omittitur, vel is qui refert, non ea tradit, quæ in fontibus vidit, ſed quæ inde tranſcripta, ſæpe quidem aucta ſæpè diminuta, non ſemel verò omninò quoad ſenſum in contrariū permutata, apud alios offendit. Hacque ratione cujuslibet vitium in referendo, cæterorum ſcripta pervadit. Quod & ſi aliquando amanuenſium vel typographi incuriæ tribuendum ſit (à qua nec noſtra ſcripta libera ire præſumimus) multoties tamen ipſa mendorum ſeries & mutatio aut confictio verborum, ſcriptoris negligentiam vel malitiam prodit. Ut autem hoc vitium ab hac noſtra diſputatione exularet, curavimus in ea, quantum in nobis fuit, in auctorum dictis & ſententiis referendis nihil alienæ fidei committere, ſed fontes ipſos conſulere, & quidquid legitimum non comprobavimus, ut ſpurium relegare. In quo cauſæ immunitatis Deiparæ ſatis conſuluiſſe credimus; cui alij ſine delectu & examine ex quibuſuis procedentes, nullaque non credentes non leve inferunt præjudicium: dum veritas, quæ ex legitimis fundamentis illi aſſiſtit, falſis allegationibus implicatur: ſeria & certa, quibus abundat, fabuloſis aut apocryphis commiſcentur: & triticum, quo ubertimè ali poteſt, ne mundum cerni valeat, paleis, & ariſtis confunditur. 241.

Quò circà licèt plures hac in cauſa non ſine fructu laboraverint, is tum demùm fructuoſiùs bene mereri incipiet, qui rejectis inutilibus, incertis, fabuloſis, aut apocryphis quorum in ſupremo cauſæ iudicio ratio habenda non eſt, ea tantùm quæ ſeria, quæ vera, quæ certa, aut valde probabilia comprobentur, in acervum ſegregarit.

§. V.

Evertitur ſecundum fundamentum ejuſdem primæ opinionis.

142. AD ſecundum primæ opinionis fundamentum propoſitum ſupra numero centeſimo vigeſimo ſexto, reſpondetur ex doctrina, quam num. 58. tradidimus, declarationem illam additam à Concilio pro B. Virgine ad calcem ſui decreti, ſolùm modificare illud quòad eam partem, quæ agit de peccati originalis contractione ut oſtendunt ipſa declarationis verba. *Declarat Sancta Synodus non fuiſſe ſuæ intentionis comprehendere ſub hoc decreto, ubi de peccato originali agitur*, &c. Alia autem quæ decretum includit, vel ſupponit, uti eſt Pauli locus, prædicta declaratio non tangit, neque ullo ex capite reſtringit, quòd verò Concilium uſum fuerit prædicto teſtimonio ad ſtabiliendum ſuum decretum, non probat, declarationem reſtringentem decretum, reſtringere etiam prædictum teſtimonium, quia non omnino de eodem loquuntur: decretum enim quantum ad id in quo delatatur, procedit immediatè de peccato originali, quod in nobis contrahimus, ut oſtendunt prædicta verba: Paulus verò dicens *in quo omnes peccaverunt*, immediatè loquitur de peccato actuali, quod in Adamo commiſimus, quod non eſt ipſum peccatum originale, ſed ejus cauſa & origo. Quia tamen unum ex altero neceſſariò deducitur, niſi ſpeciali Dei privilegio impediatur: quod privilegium pro Virgine adeſſe, cenſuit Concilium valde probabile; pro cæteris verò opinari non quimus: noluit in illatione ſui conſequentis, ſcilicet quòd omnes de facto peccatum originale contrahunt, B. Virginem poſitivè comprehendere; quamvis ſub antecedente Pauli eſſet comprehenſa: ſed præciſivè ſe habuit, relinquens eam partem, vel oppoſitam aliundè venandam, ut ita probabilitati piæ ſententiæ conſuleret, nullúmque ei præjudicium inferret: Itaque Concilij declaratio hoc præſtat, ut ſciamus non eſſe ab Eccleſia diffinitum, an ex eo quòd omnes ſine exceptione peccaverint in Adamo, omnes ſimiliter ſine exceptione peccatum originale in ipſis contrahant; vel potiùs ſit aliquis, ſcilicet ſola B. Virgo, quæ licèt in illo peccaverit, in ſe tamen prædictum peccatum non contrahat ob ſingulare privilegium (nulli alteri conceſſum) impediens ejus contractionem.

Conc. Trid.

143. Secunda ſolutio. Secundò reſpondetur prædictam declarationem, etiam ſi extenderetur ad omnia, quæ decretum tangit, atque adeo etiam ad illam legem, quòd *omnes in Adam peccaverunt*, ſolùm efficere, ut opinio quæ Deiparam excipit à tali lege, non ſit per Concilium damnata, nec debeat pro hæretica reputari, ut reputanda eſſet, ſi Concilium non ita declaraſſet, aut ſi eius verba eam declarationem non admitterent. Quòd autem ſit vera, aut quòd non ſit falſa non habetur ex prædicta declaratione. Et ratio eſt perſpicua, nam Concilium non declarat, Virginem non comprehendi re ipſa ſub culpa originali etiam quantum ad actualem contractionem, aut ſub decreto vel judicio, quod Deus habet de comprehenſis ſub tali culpa, aut ſub teſtimoniis Scripturæ, quæ de ea re loquuntur: (utinam ita declaraſſet, ut prædictam veritatem de fide haberemus:) ſed dicit, quòd cum de cæteris ſtatuerit ſeu declaraverit comprehendi ſub prædicta culpa; circa Virginem tamen quid factum ſit, non declarat, neutramque partem determinat, ſed negativè ſeu præciſivè ſe habuit, relinquens veritatem alia via à Theologis inveſtigandam. Itaque non negamus, Concilium poſitivè excludere B. Virginem à ſua intentione circa decretum, quo nobis notificat, & credere jubet, omnes poſteros Adami contrahere culpam originalem, cum dicat poſitivè, non fuiſſe ſuæ intentionis comprehendere illam ſub tali decreto. Dicimus verò, prædictam excluſionem ad hoc additam fuiſſe, ut ſciremus manere per omiſſionem extra Concilij decretum, adeóque indeterminatum & indeciſum, an B. Virgo re ipſa incurrerit, vel non incurrerit prædictam culpam: ſeu an fuerit vel non fuerit de numero illorum, quos talis culpa & judicium quod Deus habet erga illam, ac teſtimonia Scripturæ, ubi continetur tale judicium, comprehendunt: tam enim ab hac comprehenſione, quàm ab oppoſita excluſione ſubtraxit ſe Concilium, ſuſpenditque ſuum decretum & intentionem: & hanc ſubtractionem ac ſuſpenſionem nihilque amplius manifeſtavit nobis per prædictam declarationem.

Dices, Concilium in ea declaratione faviſſe non parùm præſervationi Deiparæ à culpa originali, ut omnes concedunt: ergo non ſe habuit ſolùm negativè vel præciſivè: nec potuit non in eodem gradu favere exceptioni ejus à debito & à teſtimonio Pauli, *In quo omnes peccaverunt*. Reſpondetur Concilium duplici ex capite favore proſequutum fuiſſe piam ſententiam præſervantem Virginem à peccato: primò quia ſua declaratione certum nobis fecit, non fuiſſe ab eo diffinitum pro B. Virgine, quod pro aliis omnibus diffinivit, ſcilicèt incurriſſe de facto culpam originalem; ſed ab hoc abſtraxiſſe: adeóque reliquiſſe nobis aditum patentem ad negandam prædictam contractionem ex aliis principiis, quæ illam negandam perſuadent. Qui favor minor eſſet, ſi Concilium, tradita univerſali regula, declarationem illam omiſiſſet: putarent enim non pauci, Deiparam manſiſſe ſub prædicta regula per Concilium comprehenſam, & nova circa hoc controverſia inſurgeret. Ex hoc tamen capite pro opinione negante B. Virgini debitum, aut comprehenſionem ſub teſtimonio Pauli, ſolùm habetur, quòd non ſit per Concilium damnata, ſed omiſſa: ſicut pleráque alia falſa & improbabilia, de quibus non egit. An verò ex aliis principiis prædicta opinio ſit vera vel falſa, probabilis vel improbabilis cujus

144 Objectio. Diluitur.

cujus examini locus à Concilio non præcluditur, ex dictis hac noſtra diſputatione, præſertim dub. 4. & hoc dub. 6. venandum eſt. Secundò favit Concilium piæ ſententiæ, quia innovat Conſtitutionem Sixti IV. ubi nō tantùm à cenſuris vindicatur, ſed magna ei probabilitas tribuitur: quam probabilitatem concedit etiam Tridentinum, eo ipſo quòd approbavit, & innovavit prædictam conſtitutionem. Cæterum ex iſto capite nullus favor pro opinione negante debitum: quia prædicta conſtitutio ſolum loquitur de præſervatione a contractione peccati; præſervationis vero à debito contrahendi nulla ibi fit mentio, ut legenti conſtabit.

245. Granados.

Illa vero conſequentia Iacobi Granados in argumento, cui damus ſolutionem, videlicet *Concilio non fuit intentio comprehendendi B. Virginem ſub illa generali Pauli, omnes in Adam peccaverunt: ergo qui comprehendunt habent intentionem contrariam intentioni Concilij*, inutilis eſt, & de ſubjecto non ſupponente: quia Concilium circa comprehenſionem vel non comprehenſionem Virginis ſub prædicto teſtimonio nullā habuit intentionem, niſi ſubtrahendi ſe à determinatione alicujus partis, & ita quicquid alius intendat, non contrariabitur intentioni Concilij: nam eſt propoſitio, ut diximus, de ſubjecto non ſupponente.

Inutilis conſequentia.

Nec minus illegitimè infertur in confirmatione. *Intentio Concilij eſt intentio Spiritus S. ergo ſi concilium non intendit comprehendere Deiparam ſub teſtimonio Pauli, neque Spiritus Sanctus id intendit.* Ridicula ſane illatio: num quia omnis intentio Concilij ſit intentio Spiritus ſancti, è contra inferre licet omnem intentionem Spiritus ſancti eſſe intentionem Concilij? aut nihil aliud comprehendere Spiritum ſanctum ſuo judicio & intentione, quàm judicium & intentio Concilij comprehendunt? Similis eſt huic prædicta conſequentia: *Omnis effectus cauſæ ſecundæ eſt effectus cauſæ primæ: ergo omnis effectus cauſæ primæ eſt effectus cauſæ ſecundæ: vel ergo quod non cauſat cauſa ſecunda, non cauſat cauſa prima.* Cujus nullitatem vel inſcius deprehendet. ¶ Ad hæc: perſpicuum eſt, homines quantumvis à Deo illuſtratos, non omnia ſuo judicio aut intentione comprehendere, adeòque circa multa habere ſe negativè nihil decernentes, ſed judiciū ſuſpendentes: quæ tamen ſuſpenſio abſurdè tribueretur divino judicio omnia comprehendenti. Ex ſuſpenſione igitur judicij aut intentionis Concilij Tridentini circa comprehenſionem Deiparæ ſub Pauli teſtimonio, ſiniſtrè in prædicta confirmatione infertur ſuſpenſio vel negatio judicij & intentionis Spiritus Sancti circa talem comprehenſionem. Maneat ergo, ex præfata Concilij declaratione non haberi incluſionem aut excluſionem Deiparæ à culpa originali, vel eius debito; ſed utrunque relinqui Theologis per alia principia inveſtigandum.

246. Narratio non fide digna. Salazar. Granades. Chryſogon.

Hæc cum ita ſint non boni conſulent piæ ſententiæ veri defenſores, quod Salazarius citato opere de Concept. cap. 41 can. 1. prædictam Concilij declarationem Iacobo Lainio ſuæ Societatis Præpoſito generali deberi affirmet his verbis: *Et quidem (abſit verbo invidia) eam exceptionem, quæ ad calcem decreti de peccato originali pro Virginis immunitate ſubiecta eſt Lainjo deberi conſtans fama tenet.* Quod etiam ſcribunt Granados ubi ſupra, & Laurentius Chryſogonus in ſuo Mund. Marian. diſcur. . Reddunt vero rationem, quia cum Patres Tridentinæ Synodi audiiſſent Lainium tribus horis pro immunitate Deiparæ magna vi, magnoque ſucceſſu perorantem, ejus oratione & auctoritate ita permoti ſunt, ut exceptionem illam è veſtigio addendam cenſuerint. Sed quis non narrationem hanc firmitati piæ ſententiæ potius officere quam ejus auctoritati conſulere? Dum enim ne à Patribus concilij ſub communi decreto de peccato originali comprehenſa adeoque damnata remaneret, tam longa, tamque fervida illa Lainij oratione opus fuiſſe commemorat; aperte inſinuat prædictos Patres illuc uſque, & quantum erat ex ſe, propenſos extitiſſe ad comprehendendam Deiparā ſub tali decreto; imo & quod de facto comprehenſam relinquerent, niſi eximius ille orator tam longo & efficaci ſermone illos à proprio ſenſu revocaſſet: ſi namque in favorem piæ ſententiæ ex ſe ipſis propenderent, quamvis Lainius abeſſet, aut non oraſſet prædictam ſententiam illæſam & intactam relinquerent. Prædictam igitur narrationem credent, qui eam qualem qualem ſibi gloriam ambiunt; nobis autem haud facile perſuadebunt. Neque enim Patres Tridentinæ Synodi ſic aliquando piæ ſententiæ adverſos meditamur, ut Lainij ſermone opus haberent, quò propitij, tantum ne damnarent illam, redderentur. Quin potius ita Patres illos à ſe ipſis immunitati Deiparæ addictos contemplamur, ut licet expediens non judicaverint veritatem illam ſuffragiis determinare ſemper tamen in animo habuerint ſic decreta ſua diſponere, ut nullum ei præjudicium inferrent: adeoque non quaſi aliena tantum inducti oratione, ſed ſponte omnino ſua, & bonitate cauſæ allecti prædictam declarationem ſuo decreto addiderunt.

Sane qui geſta in Tridentina Synodo præſertim circa controverſiam de conceptione B. Virginis ſeſſ. 5. excitatam, omni cura adnotarunt, haud meminere præfatæ Lainij rationis; ſed inter Patres Dominicanos ex una parte, & Franciſcanos ex alia totum hujus controverſiæ negotium actum fuiſſe inſinuant. Narrant verò inferius circa ſeſſionem 23. ubi de reſidentia Prælatorum diu controverſum fuit; prædictum Lainium per duas horas & amplius orationem ad Concilium habuiſſe; non tamen ita acceptam, quin juſſus fuerit eam ſcripto non vulgare. Et forte ex æquivoco hanc orationem Salazarius & alij in cauſa Conceptionis Virginis fuiſſe arbitrantur. Narrant quoque circa eandem ſeſſ. 5. quòd cum Legati Concilij Præſides Pontifici nuntiaſſent admirabilem omnium Patrum contra doctrinam Lutheri concordiam, & Synodi in ea damnanda determinationem; ſimul ſignificarunt quæ de Conceptione Virginis contentio fuerat excitata. *Illis vero Romæ reſponſum* (damus formalia verba) *huic controverſiæ manum nullatenus admovendam, ſed ut partes ſibi invicem concilientur, & utriſque ſatisfiat admittendum: in primis*

mis vero diploma Sixti IV. diligenter attendendum. Legati intellecta Pontificis voluntate, tam per ſe quam Præſulum prudentiorũ interventu partibus perſuadent deponere contentiones, & iunctis viribus, Lutheranis ſe opponere. Illi vero non recuſabant rem omnem ſilentio tranſire, dummodo opinioni ſuæ interim non præiudicetur. At canonem ſibi præiudicium afferre dicebant Franciſcani, niſi Maria nominatim exciperetur: & Dominicani viciſſim, ſi exciperetur, ſuam ſententiam damnari. Itaque modus neceſſario erat inveſtigandus, quo Virgo neque canone comprehendi, neque affirmate excipi videretur. Franciſcanis tãdem inſtantibus, Dominicani ſunt aſſenſi, ut ſolum diceretur non fuiſſe Concilij intenſionem, eam generali propoſitione complecti: illud additum ſervandas Sixti IV. conſtitutiones. Hæc ex vetuſto codice: nec plura circa prædictam controverſiam fide digna reperimus. Suadent verò haud obſcure, prædictam Virginis exceptionem ad inſtantiam PP. Minorum, Prædicatoribus (ut quorum opinioni non præjudicat) aſſentientibus, potius quam ad Laini ſuaſionem Tridentini decreto adiectam fuiſſe.

147. *Lanzizius.* Sed & ſuadent, potiori iure reiiciendum eſſe extremum aliud æquè à veritate aberrans, cujus auctor Nicolaus Lanzizius ex eadem Societate tom. . Opuſculor. ſpirit. opuſc. 11. cap. 3. ubi narrat, quod cum Patres Concilij eſſent jam in procinctu ad diffiniendum hunc articulum, cunctis fere piæ ſententiæ ſubſcribentibus, ob inſtantiſſimas paucorum preces diffinitionem non vulgarunt, ſed alio diſtulerunt (innuens conditam fuiſſe de facto) ne Religioni Sancti Dominici nota inureretur. Iunge hoc extremum præcedenti à Salazario & aliis intento: & meditare in uno Patres Concilij ita indifferentes, ſeu parum affectos erga piam ſententiam, toto illo quem audivimus, Lainij labore opus fuerit, tantum ut declararent non manere condemnatam, ſed antiqua ſua probabilitate gaudere permiſſam, in alio vero ſic in eam propenſos, ut niſi obeſſent inſtantiſſimi rogatus, diffinitionem ejus vulgarent: & videbis incohærentiam. Sed licet utrumque falſum, cavendum tamen magis hoc poſterius. Tum quia valde injurium ſacro Concilio: dum veritatem in eo compertam, & Eccleſiæ ſatis neceſſariam, tantum ob privatas quorundam preces diſſimulaſſe fingit. Tum etiam quia ſanctiſſimo, graviſſimoque Ordini gravem notam inurit, ſimulans fore illi maculam diffinitionem & declarationem hujus articuli: quod & veritati & religioni contrariatur. Quo pacto enim nota eſſe poterat veritatem ubique quærentibus, & pro ea aſſequenda continuo laborantibus, uti quærit, & pro ea laborat ſacra prædicatorum Religio, quod ipſa veritas manifeſtaretur, & palam omnibus proponeretur. Aut quomodo non eam ultro ablatam apertis ulnis ſuſciperent, & amplexarentur, qui ejus ſtudio & amore flagrantiſſime exardent; Aut denique quæ major nota aliunde incidere poſſet graviſſimæ familiæ, quam ſi in generali Synodo; adeoque non in angulo, non in abdito, ſed in oculis Solis, in conſpectu totius Eccleſiæ nulloque non teſte ex ibi congregatis, veritatem tot precibus à Deo ſæpe expoſtulatam, tandémque eximio beneficio & favore conceſſam, iterum occludi vellet, aut ejus manifeſtationi contradiceret? abeant igitur fabulæ; apage paradoxa, quæ & à veritate exulant, & in præjudicium urgunt charitatis.

Relatio à fide aliena.

Hîc etiam plectendus venit modus dicendi, quem refert Ioannes Antonius Velazquez lib. de Maria immaculatè concepta diſſertatione tertia adnotatione quarta, videlicet piam de immunitate Virginis opinionem poſt Concilij Tridentini decretum *adeo eſſe veram & indubitatam, ut oppoſita, nulla omnino ratione defendi poſſit. A quo* (ſubjungit) *non multum abeunt noſtri Theologi, Pater (inquam) Petrus Caniſius libro primo de Maria Deipara capite octavo, qui adeo certum exiſtimat, Concilium pro immaculata Deipara conceptione ſtare, ut hac de re nullam cum catholicis concertationẽ inſtituat, ſed rem ſibi cum hæreticis ſolum eſſe velit.* Hic igitur dicendi modus nedum ut temerarius, ſed ut in fide ſuſpectus à Catholicorum ſenſu eliminandus eſt, penituſque reiiciendus, Quis enim ſi omninò Catholicus ita palàm ſummis Pontificibus non tradicere auderet, ubiquè declarantibus, nullam iſtius controverſiæ partem hactenus ab Eccleſia eſſe determinatam, & omnibus pro utravis ſentire libertatem facientibus; De quo Pius V. in conſtitutione, *Super ſpeculam*, ſic ait: *Nos qui prædeceſſorum noſtrorum ſaluberrima decreta pro viribus ſalva eſſe cupimus, potiſſimum illa, quæ à ſacroſancta Synodo Tridentina denuò ſunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes, opinandi huius controverſiæ quamlibet partem*, &c. Et iterum in eadem conſtitutione reprehendens illos, qui pro alterutra parte pertinaciter contendunt, ait: *Quibus illud Prophetæ convenire videtur, dicunt, ait Dominus, cum ego non ſim locutus: cum ſancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum magiſtra de ea re hucuſque non definierit, nemo abſque temeritate præjudicare, vel alterius partis ſententiam damnare poteſt*, &c. Quo pacto ergo Catholicus contra tam aperta Eccleſiæ teſtimonia affirmare audebit, unam iſtius controverſiæ partem poſt Concilium Tridentinum *adeo eſſe certam & indubitatam, ut oppoſita nulla omnino ratione defendi poſſit.* 148.

Velazq. Modus dicendi reprehenſione dignus.

Pius V.

Ex hæreticis vero Kemnitius modo iſti aſſerendi plaudet, ut dum ſupponere vult Concilium declaraſſe, aut certum feciſſe privilegium immunitatis Deiparæ, occaſionem ſumeret procaciter ingerendi illud, quod refert Caniſius loco citato. *De ſpeciali Virginis Mariæ privilegio cum cæleſte diploma protulerint, credemus quod iactant.* Audax ſane, imo ſtultum hæretici pronuntiatum: non modo quia abſque cæleſti diplomate exhibito, in nullo Eccleſiæ credendum putat (qui in multis ſine ullo teſtimonio ſibi vult credi) ſed etiam quia intelligere nolens verba Concilij, fingit hoſtem, quem feriat, ſupponens: prædictum B. Virginis privilegium fuiſſe à Tridentino declaratum; cum potius notum ſit, Concilium minimè id præſtitiſſe, ſed in utramque partem ſentiendi ex Sixti IV. conſtitutione

Favet hæreticis ille modus dicendi.

Caniſius.

Digitized by Google

ſtitutione liberum reliquiſſe, ut expendit Caniſius cap citato. Abigendus ergo ſimilis diſcurſus: qui anſam præbet hæreticis ad ita decipiendum. Adde prædictum dicendi modum vix differre ab eo, quem expurgatorius Index deleri juſſit ex elucid. Ioan Bapt. Poza lib. 4. cap. 7. ubi affirmabat *opinionem piam de Conceptione Virginis plenè, propria & abſoluta catorizatione decretam eſſe quoad veritatem & ſanctitatem illius ex vi decreti Gregorij XV.* Quæ verba cum aliis deleri juſſa ſunt, *quia virtualiter continent qualificationem oppoſitæ ſententiæ*, ut dicitur in prædicto Expurgatorio.

249. Falſo tribuitur Caniſio. Quo autem fidejuſſore aſſeruerit Velazquez, Theologos Societatis non multùm abire à prædicto diſcurſu non conſtat; conſtat verò P. Caniſium, in quo uno ponit exemplum longiſſimè inde abeſſe: falsòque illi imponi, quòd noluerit de hac controverſia ullam cum Catholicis concertationem inſtituere, aut quòd rem ſibi ſolùm cum hæreticis eſſe velit, ut affirmat Velazquez. Etenim lib. 1. de Maria Deipara ab eo citato, agit ex profeſſo de hoc puncto per quatuor capita à 5. uſque ad 8. & cum cap. 5. communia aliqua expediſſet, accedens ad difficultatem cap. 6. præfigit & hunc titulum. *Diſputatio contra eos, qui ſalva Eccleſiæ fide, immaculatam Virginis Mariæ conceptionem oppugnant.* Sub quo titulo ita inchoat. *Duplex nobis adverſantium eſt genus, qui Mariæ conceptionem à lege peccati nolunt excipi: alterum quidem Catholicorum contra illam ſalva Eccleſiæ fide, diſputantium* &c. Conſumit vero in hac diſputatione cum Catholicis totum illud caput, & ſequens cap. 7. poſt quæ inſtituit octavum contra hæreticos, qui ſententiæ negantis exceptionem Virginis à peccato errores aliquos admiſcent: ita ut quæ prout ab aliquibus Catholicis defenditur, probabilitatem ſubit, ut aſſerta ab ipſis hæreſis vel erroris notam mereatur: unde prædicto capit. octavo, ſic incipit *Quoniam quidem ſatis, ut opinor, cum illis diſputavimus, qui Catholicam religionem profitentes, nec vulgari zelo contra Sanctam ſanctæ Virginis conceptionem ſuadent atque pronuntiant, ſupereſt modo, ut ſectariis, qui ad eundem ſane ſiam; ſed longe alia, & tortuoſiori via conveniunt, aliquid reſpondeamus*, &c. Sic Caniſius. Qui ergo ex eo ita legis quæras rogamus, qua veritatis ſpecie citatus Iunior ſeriò affirmaverit, Patrem Caniſium hac de re nullam cum Catholicis inſtituere diſceptationem, ſed ſolum cum hæreticis rem ſibi eſſe velle: atque ex his diſce in reliquis non omnia credere, ſed probare

§. VI.

Reliqua ejuſdem opinionis argumenta diluuntur.

250. Solutio tertij argumenti. AD tertium argumentum propoſitum numero centeſimo vigeſimo ſeptimo, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: non enim valet à potentia ad actum. Et ad primam probationem, poteſt negari antecedens. Pleraque enim ſunt quæ licet non repugnent creaturæ, cederentque in eius dignitatem, non idcirco Virgini conceduntur: ut quod fuerit de ſpiritu ſancto concepta, aut ex parentibus alienis à culpa originali, aut quod fuerit ſimul viatrix & comprehenſor, & ſimilia, quæ Chriſtus ſibi ſpecialiſſime reſervavit. Eſto vero prædictum antecedens, admittatur, debet intelligi de illis quæ nec repugnant creaturæ, nec ejus redemptioni per Chriſtum: nam B. Virgo fuit per illum redempta. Vnde quia præſervatio tam à peccato originali, quam à debito non ſtat cum vera redemptione, ut dub. . . oſtenſum eſt, cenſetur de numero illorum quæ B. Virgini repugnant. ¶ Adde illam, regulam tribuendi Deiparæ quidquid excellentiæ creaturæ non repugnat condiendam eſſe grano ſalis ſicut eam accepit Scotus, cujus verba adduxi ſ. us num 20, ita ſcilicet, quod Virgini tribuitur non contradicat ſacræ Scripturæ vel Eccleſiæ determinationibus, aut Sanctorum Patrum & Theologorum communi ſententiæ: quibus omnibus oſtenſum eſt repugnare prædictam præſervationem.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, quod ſi eſſet efficax, probaret Chriſtum non ſolum matrem, ſed avos & proavos, cæteroſque aſcendentes debuiſſe eligere alienos à culpa originali & ejus debito: quia unuſquiſque noſtrum, ſi ſibi daretur, hos omnes eligeret quanta poſſet nobilitate decoratos. Sicut ergo quod Chriſtus elegerit avos & proavos originali culpa infectos, nihil derogat ſummæ ejus dignitati, ſed potius commendat maximam charitatem, dum qui pro peccatoribus venit, dedignatus non fuit è peccatoribus originem trahere; ita nihil derogat, quod matrem elegerit de illis, quæ in Adamo peccaverunt, adeoque peccato originali, quantum erat ex ſe, obnoxiam. Imo potius ex hoc Scriptura & Patres Dei miſericordiam & charitatem valde commendant, quia veniens ad liberandos peccatores, & eos qui in Adamo ceciderunt, non aliunde quam ex ipſis voluit carnem aſſumere. ¶ Quod autem in eadem probatione dicitur, ignominiam matris redundare in filium, frivolum eſt ubi filius eſt Deus, qui non naturæ neceſſitate, ſed amore & charitate matrem habere elegit. in quem proinde nulla poteſt redundare ignominia, quovis modo illa fuerit concepta. Vt enim dixit Anſelmus lib. de conceptu virg. ſicut Deus de facto elegit matrem ſemper mundiſſimam, potuiſſet abſque ulla ſui ignominia vel indecentia eligere aliam, quæ aliquando fuiſſet inquinata peccatis, ſive originali ſive perſonalibus, & ab eis per gratiam mundata. Quis enim in hoc implicationem oſtendet? cum tamen ſit implicatio, aliquid ignominiæ aut indecentiæ in Deum refundi. Anſelm.

251. Diluitur tertia. Tertia probatio nullius eſt roboris, quoniam Chriſtus utpote ſupremus Dominus non ex debito vel præcepto alieno, ſed ex gratia & dignatione honorem Virgini tribuebat: adeoque pro libito poterat, quouſque vellet extendere illum: vel non extendere: extenditque de facto, ut ſibi expediens viſum fuit & non amplius. Non autem expediebat, quod extenderetur uſque ad præſeruandam à debito culpæ originalis: quia hoc

Diluitur ſecunda probatio.

Digitized by Google

hoc derogaret gloriæ ipſius Chriſti, qui in tali caſu non poſſet eſſe Virginis redemptor ut dub. 3 oſtenſum eſt.

Ad quartam dicas, ideo Chriſtum non præſtitiſſe B. Virgini præſervationem à debito originalis culpæ, quia voluit ſibi gloriam redemptoris ipſius Virginis, quam non conſequeretur, eam à tali debito præſervaſſet. Diluitur quarta & ultima. Unde talis non præſervatio, neque derogat divinæ potentiæ, neque amori: ſicut neutri derogat, quòd ipſam Virginem non fecerit de Spiritu ſancto conceptam, aut genitam à parentibus, qui & ipſi geniti fuiſſent ſine culpa originali.

Ad ultimam reſpondetur, excellentiam præſervationis à debito eſſe de numero illarum, quæ nequeunt, ſalva fide, Virgini concedi: cum ex fide habeamus, & quòd fuit vere redempta, & quod redemptus dici non poteſt, qui vel re vel debito non fuit per peccatum ante captivus, ut ex determinatione Zozimi Papæ vidimus num. 105. Sed quicquid de hoc ſit, num quia in tribuendo Virgini honorem, ſequimur veſtigia Patrum, qui illam à prædicto debito præſervatam communiter tenuerunt, indevoti aut ingrati arguendi ſumus? ut opponit arguens in prædicta probatione? Indevotuſne Virginis Ildefonſus? indevotus Bernardus? indevotus Anſelmus? indevoti Rupertus, Richardus, Albertus, Thomas, Bonaventura, & alij qui noſtræ ſententiæ ſuffragantur? apage; imo potiùs omnes de Virgine optimè meriti, omnes cappellani addictiſſimi, illius amore flagrantiſſimi: quos proinde non tepens devotio, non minor gratitudo, ſed prudentia major, profundior ſapientia in prædictam ſententiam deduxit. Bernard. Ipſorum ergo potius quàm recentiorum contrariæ opinionis devotionem ambientes, dicimus cum Bernardo in epiſtola ad Lugdun. *Nunquid Patribus doctiores aut devotiores ſumus? Periculosè præſumimus quicquid ipſorum in talibus prudentia præterivit.*

252. Everitur quartum argumentum.
Ad quartum argumentum numero 128. efformatum reſpondetur, debitum de quo agimus, non ad hoc præcisè requiri in B. Virgine ut ejus electio & gratia fieret ex meritis Chriſti Redemptoris, ſed ut fieret ex meritis illius in quantum redemptoris ejuſdem Virginis: quod ſine peccato vel debito intelligi non poſſe, dub. 3. demonſtravimus. ¶ Et quoad confirmationem dicendum eſt, perfectiſſimum redemptionis modum tribuendum Deiparæ uti excellentiſſimæ redemptæ, in hoc conſiſtere, quòd cùm cæteri tam à peccato commiſſo in Adamo, quàm ab eo quod in ſe contraxerunt, redimantur, ipſa quia in ſe nullum contraxit, pro primo illo duntaxat indiguit redemptione, quæ ſimul à poſteriori præſervaret. Ille verò modus, qui fingitur, redimendi à peccato, quod neque in ſe contractum eſt, neque in alio commiſſum, cum non ſalvet naturam redemptionis, non poteſt dici perfectiſſimus redemptionis modus: nam propoſitio eſt de ſubjecto non ſupponente.

253. Diluitur quintum.
Ad quintum poſitum eodem numero 128. reſpondetur, peccatum veniale utpotè perſonale derogare Virginis perfectioni in ſua propria perſona, adeóque omnino eſſe ab ea relegandum: quia perſonam Virginis, ut talis perſona eſt, debemus ponere ex omni capite perfectiſſimam. Quòd verò peccaverit in Adamo, non derogat perſonali dignitati; licèt deroget naturæ: quia peccatum illud, non perſonæ Virginis, ſed naturæ fuit. Non autem aſſerere tenemur, Virginem fuiſſe talis naturæ, quæ nullibi fuerit ſub peccato, ſeu quæ ubique habuerit maximam perfectionem. Imo tenemur dicere fuiſſe illius naturæ, quæ in Adamo peccavit, ut verificetur Deum ad reparandam illam naturam quæ ceciderat ex eademmet carnem aſſumpſiſſe: & quòd unde vulnus prodiit, orta eſt & medela. ¶ Adde non ex eo quod ob Virginis perfectionem excludamus ab ea peccatum veniale, quod minus eſt, legitimè inferri debere etiam excludi hoc quod eſt peccaſſe in Adamo, quod majus eſt. Nam etiam ob Baptiſtæ perfectionem excludimus ab eo peccata venialia ex deliberatione, quæ minora ſunt; & non ideo excludimus contractionem peccati originalis, quod eſt majus. ¶ Adde ſecundo, ita procedendum eſſe in hac materia, ut nihil aliud de genere peccati Virgini tribuamus, niſi quod neceſſarium ſit & ſufficiat ad veram ejus redemptionem: nam Scriptura & patres ita illam prædicant à peccato immunem, ut fateantur ſimul eſſe redemptá; ad redemptionem autem nihil refert quod peccaverit venialiter: refert vero quod peccaverit in Adamo, ut oſtenſum eſt dub. 3. unde hoc poſterius eſt illi tribuendum, & primum negandum.

Ad ſextum ex eodem n. dicas, ſententiam noſtram & quicquid ex ea legitimè deducitur, nullum ſcandalum generare poſſe viris 254. Enodatur ſextum.
doctis: cum & ipſi omnes fermè ita ſentiant, & loquantur; quod autem ignaris & plebeiis ob ipſorum imperitiam ſcandalum generaret, non eſt nobis curandum, quia non iſtis loquimur aut ſcribimus, ſed ſapientibus. Probat vero prædictum argumentum, hujuſmodi quæſtiones non eſſe coram rudibus diſcutiendas, qui rem non capientes adhærent argumento, & ſolutionem non percipiunt, indeque ſcandalum patiuntur: multoque minus hæc & ſimilia, quæ non niſi Theologorum ſunt, in concionibus aut privatis colloquiis eſſe vulgo venditanda, ut ſatis indiſcrete quò à popularibus plauſum capiant, faciunt nonnulli, qui omiſſis veris & præclariſſimis Virginis laudibus, quas nunquam humana lingua enarrare ſufficiet, ad inutiles & impertinentes quæſtiones, quas ut in plurimum neque ipſi ſatis intelligunt, neque audientes valent percipere, ſermonem convertunt, devotionis ſpecie tenus, animo vero popularis auræ capiendæ. Quod ſanctiſſimus ille Pontifex Pius V. amarè dolens, in ſua conſtitutione *ſuper ſpeculam*, ubi de hac materia tractat, graviſſime reprehēdit his verbis: *Verum quod neque ſine animi dolore accepimus, nec referre poſſumus, quidam diverſorum Ordinum regulares, clericique ſæculares, omiſſis quæ divinæ Maieſtatis gloriam, & ſanctiſſimæ Dei genitricis venerationem, atque fidelium pietatem promovere poterant, languent circa quæſtiones & pugnas verborum, &c. Et quaſi deſint præclariſſima Inventricis gratiæ merita, quæ neque angelica quidē lingua ſatis digne*

Digitized by Google

dignè referri poſſunt, & quaſi ex illo uberrimo fonte puteoque aquarum viventium non poſſint ſaluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus magna cum utilitate atque dulcedine recrearetur, ad diſſipatas ciſternas occurrunt ſtultas ſcilicet & ſine diſciplina quæſtiones, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri ſapientes qui capiunt, utiliter percipere valeant præſertim quoniam ut experimento didicimus, ipſorum concionatorũ qui ad quæſtiones huiuſmodi proponendas facilius erũpere ſolent, maior numerus materiæ difficultatẽ prorſus ignorantes, neque intelligentes quæ loquũtur, ſimplicium animos indiſcretæ devotionis obteſis, vel potius loquacitatis & oſtentationis affectu ad tumultus & ſimultates concitant, quos tumultuantes atque diſſidentes componere ſedaréque potius oportebat. Quod utinam hac noſtra tempeſtate experimento probari non poſſet.

255. *Andreas Mendo Soc. Ieſ. Ioſeph. Guarnizo Soc. Ieſ.* Unde etiam reprehendendum venit, quòd aliqui juniores ſub prætextu examinandi difficultatem huius articuli, vulgari ſermone edere auſi ſunt libellos, materiam immunitatis Deiparæ fuſe tractantes, & unius partis aſſertionem, alteriuſque impugnationem ratione & auctoritatibus communientes quibus non tantum viris laicis, ſed & mulierum conventiculis, quæ ut primum ignorantiæ & curioſitatis vitio æque laborant, res iſtæ abſtruſæ & difficillimæ cum manifeſto plurimorum errorum periculo tractandæ & diſquirendæ offerentur, quaſi illarum plauſibus & votis hæc in cauſa etiam ſit deferendum. Quanta vero hujuſmodi auſus animadverſione dignus ſit, ignorare videntur libellorum ſimilium auctores, neſcij fortaſſe prædictæ conſtitutionis *Super ſpeculam*, ubi Pontifex gravibus ſub pœnis interdicit, *Quatenus nemo cuiuſcunque ordinis, gradus, conditionis vel dignitatis exiſtens, &c. de hac ipſa qu. cuiuſvis pietatis aut neceſſitatis prætextu, vulgari ſermone ſcribere vel dictare præſumãt: qui cõtra fecerit ſuſpenſionis pœnam à divinis abſque nova declaratione ipſo facto incurrat, ſi modo fuerit in ſacris [illegible] præterea gradu ſive dignitate, vel adminiſtratione fungatur, illis omnibus ſit ipſo iure privatus: & ad eadem vel ſimilia munera obtinenda vel obeũda perpetuæ inhabilitatis cenſuræ ipſo etiam facto ſit obnoxius: pro quibus niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente diſpenſari ſive abſolvi non poſſit, &c.* Hæc ibi.

Septimum argumentũ enervatur Ad ſeptimum argumentum, quod habetur nu. 129 ubi refert Granados aſſertiones illas Patrum Minorum B. Virginem a debito originalis culpæ vindicantes, poſt delatas ad Sanctæ Inquiſitionis tribunal permiſſas fuiſſe liberè defendi (præterquam quod non inde habetur veras eſſe prædictas aſſertiones, ſed ad ſummum non eſſe improbabiles, hacque *Ægid. à Præſ.* ratione quamvis falſas, à fidei cenſoris tolerari & permitti) reſpondetur ex Ægidio à Præſentatione lib. 2. quæſt. 4. art. 2. §. 6. & artic. 5. §. 1. ubi ait, theſes illas (de quibus affirmat ſe certiorem factum) ſolum excludere debitum intrinſecum afficiens ipſam Virginis perſonam in inſtante ſuæ conceptionis, atque adeo tertium gradum debiti quem explicuimus num. 218. non vero excludere, quod in Adamo peccaverit, adeoque quod contraxerit debitum in primo gradu, vel etiam in ſecundo, citato num. explicatis. Porro licet nos verius judicaverimus fuiſſe in B. Virgine debitum ſecundum omnes tres prædictos gradus admiſimus etiam ut probabilem ſententiam ipſius Ægydij & aliorum, qui tertium gradum negant concedentes primum & ſecundum: neque improbabilem cenſuimus, quæ primum concedens, negat ſecundum & tertiũ. Ex hoc vero nequit deſumi argumentum nedum pro veritate ſed neque pro probabilitate opinionis, quã ex profeſſo impugnamus quæ negans Virginem peccaſſe in Adamo nullum prædictorum graduum debiti admittit.

Ultimum argumentum ex citato num 129. ſolutione non eget: teſtimonia enim & rationes adductæ dub. 4. pro ſententia adſtruente debitum, adeo ſunt perſpicua, ut vel cæcus videat illam efficaciter convincere; nihil vero probare contra immunitatem Virginis à peccati contractione, partim oſtendimus ibidem inter ipſa argumenta, partim vero dub. præcedenti à num. 189. Sane ſicut à potentia ad actum nullus vel tyronus fecit formalem conſequentiam, neque ex negatione actus coactus eſt potentiam negare, aut ex huius conceſſione illum concedere, neque ſimiliter aliquis facit illationem à debito mortis ad actum moriendi, cum plurimi morti obnoxij principis favore vel alia via à morte eruantur: ita ex debito contrahendi culpam originalem in Virgine ſiniſtrè arguitur actualis contractio; perperamque ex negatione iſtius negatio illius infertur: cum optimè potuerit, adſtante prædicto debito, contractio actualis divina gratia & favore impediri; ſicut adſtante potentia, poteſt impediri actus. 256. *Enodatur ultimum.*

Ad illud quod ex Iuniore additur, conſtat ex dictis in hoc dubio, quomodo opinio negans debitũ Deiparæ, ex nullo capite conducat ad ſtabiliendã ejus præſervationẽ à culpa originali, ſed potius deffinitioni hujus articuli aditũ occludat, è contra verò quæ debitũ adſtruit plurimùm iuvet, viamq; ſternat, ut inter fidei dogmata collocetur. Cũ verò ſubdit, quòd *ſemel oſtenſo Virginẽ in Adamo nõ peccaſſe, regia eſt via ad demõſtrãdũ nõ contraxiſſe culpã originalẽ*, perbellè diceret, niſi difficilius aut forte impoſſibile ſupponeret, ut tota hac diſputatione oſtendimus. Nũc vero quis nõ videat extra viã incendere, qui veritatem alias tuto expedibilẽ difficillimo principio, ac forte improbabili alligare intendit, & quod minus difficile eſt, per difficilius probare conatur. Sane qui ita procedit, ſimilis eſt militi, qui nolẽs cũ ſingulari & moderato hoſte confligere, ex quo victoriam jure ſperaret, eligit pugnare cõtra duos cũ evidẽti mortis periculo, & ſine ſpe ulla victoriæ, ut ſe oſtẽdat ab uno tantũ non vinci. Opinio quippe negãs B. V. præſervationẽ à culpa in ſe contracta, ſuppoſito quod in Adamo deliquerit & debitũ incurrerit, hoſtis quidẽ eſt piæ ſẽtentiæ, ſingularis tamẽ & moderatus, ex quo ſecorũm ſã pro jure credimus victoriã reportandã: qui vero præſervatione illa nõ contentus, præſervationẽ etiã a prædicto debito adſtruit, plures hoſtes quærit, aut primo robur ſuperaddit; & ſecura vel probabiliſſima ſpreta unius victoria cum evidenti caſus periculo adverſus plures decertare eligit, ne videatur uni ſuccumbere. Et hæc pro hac diſputatione: quam ſicut & cætera omnia non modo S. Roman. Eccl. ſed & cunctorum de Virg. Beatiſſ. immunitate benemerentium judicio & correctioni ſubmittimus.

ARTICULUS IV.

Vtrum ſi aliquis ex humana carne formaretur miraculoſe, contraheret originale peccatum?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quod, ſi aliquis formaretur ex carne humana miraculoſe, contraheret originale peccatum. Dicit enim quædam gloſſ. Gen.3. quod in lumbis Adæ fuit tota poſteritas corrupta: quia non eſt ſeparata prius in loco vitæ, ſed poſtea in loco exilij: ſed ſi aliquis homo ſic formaretur, ſicut dictum eſt, caro ejus ſepararetur in loco exilij: ergo contraheret originale peccatum.

2. Præterea peccatum originale cauſatur in nobis, in quantum anima inficitur ex carne: ſed caro tota hominis eſt infecta: ergo ex quacunque parte carnis homo formaretur, anima ejus inficeretur infectione originalis peccati.

3. Præterea: peccatum originale à primo parente pervenit in omnes, in quantum omnes in eo peccante fuerunt: ſed illi, qui ex carne humana formarentur, in Adam fuiſſent: ergo peccatum originale contraherent.

Sed contra eſt: quia non fuiſſent in Adam ſecundū ſeminalem rationem, quod ſolum cauſat traductionem peccati originalis, ut Auguſtinus dicit 10. ſuper Geneſ. ad literam.

Reſpondeo dicendum, quod, ſicut jam dictum eſt, peccatum originale à primo parente traducitur in poſteros, in quantum moventur ab ipſo per generationem, ſicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale; non autem eſt motio ad generationem niſi per virtutem activam in generatione: unde illi ſoli peccatum originale contrahunt, qui ab Adam deſcendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adamo derivatam, quod eſt ſecundum ſeminalem rationem ab eo deſcendere. Nam ratio ſeminalis nihil aliud eſt, quam vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifeſtum eſt, quod vis activa non derivaretur ab Adam: unde non contraheret peccatum originale. Sicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, ſi manus non moveretur à voluntate hominis, ſed ab aliquo extrinſeco movente.

Ad primum ergo dicendum, quod Adam non fuit in loco exilij niſi poſt peccatum. Unde non propter locum exilij, ſed propter peccatum traducitur originalis culpa ad omnes, ad quos activa ejus generatio pervenit.

Ad ſecundum dicendum, quod caro non inficit animam, niſi in quantum eſt principium activum in generatione, ut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quod ille, qui formaretur ex carne humana, fuiſſet in Adam ſecundum corpulentam ſubſtantiam, ſed non ſecundum ſeminalem rationem, ut dictum eſt: & ideo non contraheret originale peccatum.

PRIMA CONCLVSIO.

Illi ſoli peccatum originale contrahunt, qui ab Adam deſcendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam: quod eſt ſecundum ſeminalem rationem ab eo deſcendere.

SECVNDA CONCLVSIO.

Si aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, vis activa non derivaretur ab Adam: unde non contraheret peccatum originale.

Commentarius.

EX utraque iſta concluſione habetur legitima intelligentia illius pronunciati, quod in hac materia ſæpe repetimus, videlicet *omnes & ſolos deſcendentes ab Adamo per ſeminalem propagationē contrahere originalem culpam.* Nam per propagationem ſeminalem nihil aliud intelligitur niſi vis activè movens ad generationem, quæ quidem vis reſidet in ſemine. Et ita ſolum includitur in prædicta loquutione, quod hujuſmodi vis ſeminalis, & non tantùm materia, ex qua formatur conceptus, activè fit ab Adamo. Unde per formationem miraculoſam in hoc articulo omnis, & ſola illa formatio intelligitur, in qua vis activa formationem operans non eſt ſemen infectum ab Adamo deſcendens, ſed aliqua alia cauſa: ſive hæc ſit immediate divina virtus, ſicut cum ex coſta Adami formavit Evam: ſive aliud ſemen, aut etiam idem numero, quod homo formare poſſet; non tamen ab illo, ſed à Deo miraculosè formatum. 1.

Atque hinc habetur ſolutio ſequentium caſuum, qui poſſunt inquiri. Primò an contraheret originale peccatum ille, qui formaretur per ſemen à viro deciſum; non tamen naturali Quinque caſus.

Digitized by Google

turali modo ſed miraculoſe, vel arte dæmonis ad vulvam transportatum. ¶ Secundò an illud contraheret, qui ex eodem, vel ex alio viri ſemine non tamen concurrente active, ſed mere paſſive ſe habente virtute divina formaretur: ſicut poſſet formari ex ſanguine, vel ex quavis alia materia. ¶ Tertio an ſi humana fœmina ex bruto hominem conciperet? ſicut legitur apud Ludovicum Lemoſium lib. 1. de naturalibus facultat. c. p. . & Nicolaum Florentinum tract. 1 c. 2. ex fœmina rationali, & ex urſo natum fuiſſe filium virum probum, & ſtrenuum, a quo nobiliſſimum Italiæ genus fuit exortum. Et ſimilia non ſemel accidiſſe narrant aliæ hiſtoriæ. ¶ Quarto an ſi Deus miraculoſe tolleret ab aliquo ex poſteris Adami omnem fomitem concupiſcentiæ, qui juxta Auguſtinum, & Thomam eſt ratio in generante, ut peccatum traducat: vel etiam concederet illi juſtitiam originalem: nonne filij ab iſto geniti contraherent originale peccatum, vel ſine illo naſcerentur?

Tandem quid dicendum, ſi ex illis, qui de facto per propagationem ſeminalem ab Adamo proceſſuri ſunt, qui proinde jam in ipſo peccaverunt, Deus ſe ſolo per creationem ſine gratia, vel juſtitia originali aliquem produceret, ut revera poſſet? Si enim homo ita formatus contraheret originalem culpam, infringitur doctrina hujus articuli, ut intuenti conſtabit. Si autem non contraheret, ſequitur aliquem, qui in Adamo peccaverat poſſe ſine privilegio non contrahere peccatum in ſe, quod omnes negabunt. ¶ Ad hæc: eo ipſo quod talis homo fuiſſet ex illis qui in Adamo peccaverunt, haberet debitum juſtitiæ originalis: atque adeo iſtius carentia haberet in illo quovis modo producto rationem privationis: ergo rationem peccati.

2. Deciditur primus.

Hujuſmodi igitur caſus ex doctrina præſentis articuli habent facilem ſolutionem. Nam ad primum reſpondendum eſt affirmative: quia ſemen illud, quantumvis miraculoſe, vel artificioſe ad vulvam deferatur; ſecundum ſe tamen, & ſecundum ſuam ſubſtantiam, & activitatem eſſet deſcendens ab Adamo, & formatum per virtutem propagativam hominis, eſſetque in ea generatione principium activum. Neque illa conceptio dicenda eſſet miraculoſa, vel artificioſa quantum ad ſubſtantiam, ſed ſolum quantum ad modum, vel applicationem virtutis activæ ad materiam.

Deciditur ſecundus

Ad ſecundum reſpondetur negative: quia ubi ſemen non concurreret active, materialiſſime *ſemen* diceretur, neque magis deſerviret ad traductionem peccati, quam alia quævis materia, puta terra, caro, vel ſanguis, ex qua divina virtute aliquis homo formaretur: tota enim vis activa aliunde eſſet; ex Adamo autem non niſi materia, ſicut fuit in formatione humanitatis Chriſti ex puriſſimo ſanguine Deiparæ.

Tertius.

Ad tertium negandum eſt ſuppoſitum: repugnat enim veræ philoſophiæ, omninoque rationi contradicit ex bruto generari hominem, etiamſi fœmina ſit mulier. Neque hiſtoriis id commentientibus habenda eſt fides. Si autem diſputationis gratia admittamus figmentum, reſpondendum eſt negative pro pter rationem articuli: quia vis activa talium generationum non eſt ex Adamo, ſed aliunde fingitur emanaſſe.

Ad quartum reſpondetur, quod licet Deus auferret ab aliquo omnem concupiſcentiam actualem ligando ita ejus fomitem, & libidinem, ut nullum inordinatum motum ſentiret, aut haberet, non idcirco tolleret ab eo concupiſcentiam, & libidinem habitualem: quia adhuc maneret appetitus ſenſitivus deſtitutus originali juſtitia, propendenſque habitualiter in bonum ſenſibile rationi contrarium. Hoc autem ſufficeret, ut talis homo tranſmitteret peccatum in poſteros: quia concupiſcentia, quæ ponitur ut peccati originalis effectiva, non eſt illa actualis, quæ potius ſe habet per modum ſigni, ſed iſta habitualis ut recte explicat D. Thom qu. ſeq. art. 3. ad . *Dicendum, quod libido, quæ tranſmittit peccatum originale in prolem, non eſt libido actualis quia dato, quod virtute divina concederetur, quod nullã inordinatã libidinem in actu generationis ſentiret, adhuc tranſmitteret in prolem originale peccatũ: ſed libido illa eſt intelligẽda habitualiter ſecundũ quod appetitus ſenſitivus non cõtinetur ſub ratione ſoluto vinculo originalis juſtitiæ: & talis libido in omnib. eſt aqualis*

3. Quartus.

D. Thom.

Sed quia caſus propoſitus ulterius aſcendit ad illum, quo Deus conferret alicui ex poſteris Adami juſtitiam originalem, per quam ſine dubio concupiſcentia, & fomes etiam habitualis tolleretur videndum eſt, num filij ab illo homine ſic juſtitia originali prædito procedentes originale peccatum contraherent? Reſpondétque D. Thom. in 2. diſt. 31. quæſt. 1. art. 2. ad 3. *Dicendum, quod hoc non poſſet eſſe, ut concupiſcentia habitualis, quæ in deordinatione virium animæ cõſiſtit, tolleretur ex toto, niſi natura penitus reintegraretur: & hoc quidem nulli dubium, quin Deus facere poſſet, & ſi hoc fieret, proculdubio geniti ſine originali culpa naſcerentur.* Vbi D. Th. manifeſte loquitur de reintegratione facienda per collationem juſtitiæ originalis: quia vix alio modo poſſet natura humana in viatoribus perfecte ſanari, & reintegrari, niſi donũ amiſſæ juſtitiæ originalis illis reſtitueretur. Sed obſervandum eſt, dupliciter poſſe Deum hujuſmodi juſtitiam alicui conferre. Vel pro ſe duntaxat, ut in ipſo ſiſteret: vel pro ſe, & pro poſteris, ut eam illis communicaret. Primo modo eſſet tantum donum perſonale: & ideo non penitus reintegraretur per illam tota natura, ſed præciſe quoad illam perſonam: unde & quoad ipſam perſonam tantum concupiſcentia aboleretur. Secundo, eſſet etiam donum naturæ, utpote pro tota illa ex tunc conceſſum: & ſic totam eam reintegraret, & ab ea tota concupiſcentiam excluderet: conſtitueretúrque per illam collationem talis homo caput morale illorum, qui ab ipſo procederent. Et juxta hũc ſenſum, non vero juxta primum loquitur D. Thõ. Ratioque videtur perſpicua. Nam ſi prædicta juſtitia pro illa tantum perſona tribueretur, non conferret ejus ſemini vigorem ſupra explicatum ad eam communicandam: atque adeo prædictum ſemen in ordine ad id munus eſſet vitiatum, & infectum per privationem talis vigoris: unde neceſſario communicaret proli naturam vitiatam, & infectam per privationem prædictæ juſtitiæ.

Vrgetur hic caſus.

4. Quod vero Auguſtinus, & D.Thom.aiunt concupiſcentiam habitualem patris eſſe rationem traducendi peccatum ad filios, ſine diſtinctione verum eſt, loquendo de facto,& de rebus ut nunc ſe habentibus,quia cum modo detur formaliter ea concupiſcentia ex Adami peccato cauſata, nihil obſtare poteſt, quominus virtutem ejus in ſe contineat, per ipſamque ad prædictam traductionem concurrat At vero in caſu illo de poſſibili ſufficeret, quod remaneret concupiſcentia quantum ad naturam non formaliter, ſed virtualiter,quatenus conceſſa juſtitia originali pro illa tantum perſona,vis generativa ejus non maneret roborata, neque perfecta ad gignendum alios in eſſe perfecto, ſed privata, & deſtituta vigore ſupradicto: & hæc privatio diceretur concupiſcentia virtualis quantum ad naturam,quia erat ibi virtus ad traducendam cum natura concupiſcentiam formalem,& hoc ſufficeret,ut eadem virtus traduceret peccatum.

Diximus *non formaliter*, *ſed virtualiter*: quia,ut vidit Ang. Doctor.1.p quæſtion.27 art.3 repugnantiam involvit, ut ſublata ab aliquo totaliter concupiſcentia quantum ad perſonam,maneat in eo quantum ad naturam, loquendo, ut S.Doct.ibi loquebatur,de permanentia formali.Ea tamen repugnantia non invenitur in permanentia tantum virtuali, quam explicuimus Quod ſi hanc etiam virtualem concupiſcentiæ permanentiam velis ab illo genitore per prædictam juſtitiæ originalis collationem removeri, adhuc poterit probabiliter defendi filios contracturos peccatum originale non virtute ſeminis ad id active concurrentis; ſed illa alia ſecunda via, quam diſp.14.dub.3.à n.90.explicuimus.

5 Cæterum conceſſa,ſeu reſtituta tali juſtitia etiam pro ſucceſſoribus, conferret ſemini pro illis gignendis prædictum vigorem: & ita cum non procederent per ſemen infectum, potius vigoroſum, non erat quo pacto acciperent naturam peccato infectam, ſed ornatam juſtitia originali. Quare dum ſæpe diximus,omnes deſcendentes ab Adamo per ſeminalem propagationem contrahere originalem culpam, intelligendum eſt de illis,qui procedunt per ſemen infectum, ſicuti procedunt omnes de facto, quia de facto omne ſemen Adami trahit ex ejus peccato prædictam infectionẽ.Non autem loquimur in caſu de poſſibili,quo Deus vellet aliquẽ ex poſteris Adami caput ſequentiũ conſtituere,ejuſque ſemen mundare, & amiſſum vigorem illi reſtituere.

Objectio bimembris.

Unde non obeſt ſi urgeas tùm quòd Adamus moveret active ad hujuſmodi generationes,& non ut juſtus, ſed ut peccator:ergo in omnes peccatum ſuum traduceret.Tum etiam quod omnes ſic procedentes eſſent de numero illorum,qui peccaverunt in Adamo,& pro quibus peccatum illud irretractatum permanſit: ergo non poſſent non contrahere peccatum originale in ſe ipſis.

Solvitur prima pars.

Reſpondetur enim, Adamum tunc movere remote, ſolumque ut principium naturale, atque adeo quantum ad communicationem naturæ; non autem ut caput in eſſe morali: quia influxus ejus ſecundum hanc rationem interciſus fuit in illo ſucceſſore, cui pro ſe, & pro ſequentibus collata eſſet juſtitia, ipſe quippe per hanc collationem ſicut acciperet rationem membri moralis reſpectu ſucceſſorum, ſic rationem membri moralis reſpectu Adami tam pro ſe,quam pro illis exueret 6.

Diluitur ſecunda

Ad ſecundum dupliciter dici poteſt:vel negando,illos,qui ita procederent,fuiſſe de numero eorum,qui peccaverunt in Adamo:quia nulla eſt ratio, ut ſi Deus decreviſſet ornare proximum parentem pro ſe, & pro illis juſtitia originali,& morale caput efficere,non excepiſſet illos à decreto,in quo ſolus Adamus ſortitus fuit prædictam rationem capitis. Vel ſaltem nullũ habemus fundamentum,ad affirmandum hujuſmodi decretum illos comprehendiſſe.Quod enim ex Scriptura & Patribus edocemur omnes deſcendentes ab Adamo per ſeminalem propagationem cõprehenſos fuiſſe in illo decreto,ac proinde peccaſſe in Adamo, manifeſte intelligitur de his,qui de facto proceſſerunt,& proceſſuri ſunt: quorum nullus aliter genitus eſt,aut generabitur, quam per ſemen vitiatum,& infectum.Non autem Deus nobis manifeſtavit, quid conditionaliter decreverit pro innumeris aliis ſolum poſſibilibus, qui præceſſerunt virtualiter in lumbis Adami,poſſentque variis modis inde educi.

Alia ſolutio

Secundo dici poteſt non eſſe inconveniens admittere, eos de quibus loquimur, peccaſſe in Adamo; in ſe tamẽ peccatum non contracturos. Nam ſicut Deus de facto præſervavit Deiparam per prævenientem gratiam ab actuali peccati contractione, etiamſi in Adamo peccati debitum incurrerit juxta dicta in diſp.præcedenti:ita licet homines illi fuiſſent de numero illorum, qui in Adam peccaverunt,præſervarentur ab actuali contractione, ſaltem per ipſam juſtitiam originalem unicuique in ſua prima conceptione infuſam. Tuncque ad minus peccatum Adami pro illis virtualiter retractaretur,ſicut retractatur modo pro parvulis in Baptiſmo, quando infunditur eis gratia. Imo & à contractione inchoativa, & radicali eſſent immunes,eo ipſo quod talis conceptio non per ſemen infectum,ſed per vigoroſum inchoata fuiſſet:totumque hoc eſſet privilegium ſpeciale illis hominibus conceſſum, ſi ſemel damus (ut in hac ſolut.admittimus)eos comprehenſos fuiſſe in præſenti decreto de conſervatione vel amiſſione juſtitiæ originalis,atque adeo peccaſſe in Adamo.

Tertia ſolutio veriſimilis.

Addimus vero in fine hujus ſolutionis eſſe etiam apud nos veroſimile, quod ſi Deus auferret ab aliquo viro concupiſcentiam conferendo illi etiam pro ſua perſona tantum juſtitiam originalem,ejus filij non contraherent originale peccatum, quamvis neque etiam prædictam juſtitiam; ſed naſcerentur quantum eſt ex hoc capite,ut in pura natura.Tuncque dicendum eſſet omnes à viro illo procedentes non fuiſſe à Deo comprehenſos in ſuo decreto de peccato, aut juſtitia originali: & ita neque hanc, neque vim ad eam ipſis communicandam habuiſſe rationem debiti, neque proinde alicujus ex eis carentiam fore privativam, vel habere rationem infectionis.Pro quo modo dicendi neque poteſt efficax ratio adduci,neq; efficaciter impugnari:quia nõ eſt unde nobis certo cõſtet,quid

Digitized by

Deus decreverit circa conditionalem illam,& circa eos qui ad rerum naturam ita pervenirent. Admittimus autem prædictum dicendi modum ut veroſimilem,quia juxta illum verba D.Thomæ ex 2.ſentent.relata, & ea, quæ habet 3.part loco allegato, nec non aliâ, quæ habentur in .diſt. .quæſt. art.2.quæſt 3 ad 3.in 1. ſolut. ſine diſtinctione intelliguntur.

7 Ocisio ultimi caſus. Ad ultimum caſum debet negari ſuppoſitum, neque potuiſſe aliquem ex his, qui in Adamo peccaverunt, aliter produci in ſenſu compoſito præſentis pacti, quàm per ſeminalem propagationem. Et ratio eſt: quoniam præſens pactum conſtituens Adamum caput morale poſterorum, ipſoſque poſteros ejus membra per transfuſionem voluntatum; quam diſputat.14.à num 1.explicuimus, non comprehendit aliquem præciſe, ſecundum ſe ſpectatum, & abſtrahendo ab hoc, vel illo modo productionis, ſed ut ſtantem ſub præſcientia, atque ſub diffinitione ſaltem conditionali,quod eſſet ſeminaliter ab Adamo proceſſurus,cui præſcientiæ omnino Deus pactū, ſeu decretum illud alligavit. Vnde ſicut hæc præſcientia componi nequit cum productione per creationem, ſic prædictum decretum: Et ſicut ante illam erat indeterminatum, an hic, vel ille ex contentis phyſice in Adamo eſſet hoc vel illo modo producendus: ita indeterminatum erat, an eſſet, vel non eſſet in eo peccaturus, comprehendendus, vel non cōprehendēdus in tali decreto,vel pacto.Non ergo negabimus, potuiſſe Deum quemlibet ex illis,qui in Adamo peccaverunt, abſolutè conſideratum producere per creationem: ſed negamus,quod cum præſcientia, & pacto à quibus peccatum illud dependebat, poſſit componi talis productio. Hoc autem ſufficit, ut locum non habeat difficultas hujus caſus: ſiquidem talis præſcientia, & pactum omnino ſunt invariabilia. Quocirca ſignum evidens eſſet, quod aliquis non fuiſſet de numero illorum qui peccaverunt in Adamo, neque in prædicto pacto comprehenſus,ſi Deus illū per creationem, aut aliter quàm per ſeminalem ab Adamo propagationem efficeret.

Circa id,quod in ſolutionem ad ſecundum ait D. Thom. videlicet carnem inficere animam,quatenus eſt principium activum in generatione,& non aliter,videnda ſunt quæ diximus diſp.14.n.89.

ARTICULUS V.

Vtrum ſi Adam non peccaſſet, Eva peccante filij originale peccatum contraherent?

AD quintum ſic proceditur. Videtur quod ſi Adam non peccaſſet, Eva peccante, filij originale peccatum contraherent: peccatum enim originale à parentibus contrahimus, in quantum in eis fuimus, ſecundum illud Apoſtoli Roman. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Sed ſicut homo præexiſtit in patre ſuo, ita in matre: ergo ex peccato matris homo peccatum originale contraheret,ſicut & ex peccato patris.

2. Præterea: ſi Eva peccaſſet, Adam non peccante, filij paſſibiles, & mortales naſcerentur: mater enim dat materiam in generatione, ut dicit Philoſophus in 2. de generatione animalium: mors autem,& omnis paſſibilitas provenit ex neceſſitate materiæ: ſed paſſibilitas,& neceſſitas moriendi ſunt pœna peccati originalis: ergo ſi Eva peccaſſet, Adam non peccante, filij contraherent originale peccatum.

3. Præterea: Damaſc.dicit in lib.3. quod Spiritus ſanctus prævenit in Virginem, de qua Chriſtus erat abſque peccato originali naſciturus purgans eam: ſed illa purgatio non fuiſſet neceſſaria, ſi infectio originalis peccati non contraheretur ex matre: ergo infectio originalis peccati ex matre trahitur, & ſic Eva peccante, ejus filij peccatum originale contraherent, etiam ſi Adam non peccaſſet.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit Roman.5.Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit: magis autem fuiſſet dicendum, quod per duos intraſſet cum,ambo peccaverunt, vel potius per mulierem, quæ primò peccavit, ſi fœmina peccatum originale in prolem tranſmitteret: non ergo peccatum originale derivatur in filios à matre,ſed à patre.

Reſpondeo dicendum, quod hujus dubitationis ſolutio ex præmiſſis patet: dictum eſt enim ſupra,quòd peccatum originale à primo parente traducitur,in quantum ipſe movet ad generationem natorum. Unde dictum eſt,quod ſi materialiter tantum aliquis ex carne humana generaretur, originale peccatum non contraheret. Manifeſtum eſt autem ſecundum doctrinam philoſophorum,quod principium activum in generatione eſt à patre, materiam autem mater miniſtrat. Unde peccatum originale non contrahitur à matre,ſed à patre, & ſecundum hoc ſi Adam non peccaſſet, Eva peccante, filij originale peccatum non contraherent: è converſo autem eſſet, ſi Adam peccaſſet, & Eva non.

Ad primum ergo dicendum,quod in patre præexiſtit filius ſicut in principio activo; ſed in matre ſicut in prin-

Digitized by Google

cipio materiali, & paſſivo: unde non eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundum dicendum, quòd quibuſdam videtur, quòd Eva peccante, ſi Adam non peccaſſet, filij eſſent immunes à culpa; paterentur tamen neceſſitatem moriendi, & alias paſſibilitates provenientes ex neceſſitate materiæ, quam mater miniſtrat, non ſub ratione pœnæ, ſed ſicut quoſdam naturales defectus: ſed hoc non videtur conveniens: immortalitas enim, & impaſſibilitas primi ſtatus non erat ex conditione materiæ, ut in primo dictum eſt; ſed ex originali iuſtitia, per quam corpus ſubdebatur animæ, quandiu anima eſſet ſubjecta Deo: defectus autem originalis iuſtitiæ eſt peccatum originale. Si igitur Adam non peccante, peccatum originale transfunderetur in poſteros propter peccatum Evæ, manifeſtum eſt, quod in filiis non eſſet defectus originalis iuſtitiæ: unde non eſſet in eis paſſibilitas, vel neceſſitas moriendi.

Ad tertium dicendum, quod illa purgatio præveniens in Beata Virgine non requirebatur ad auferendam transfuſionem originalis peccati: ſed quia oportebat, ut Mater Dei maxima puritate niteret: non enim eſt aliquid dignè receptaculum Dei, niſi ſit mundum, ſecundum illud Pſalm. 93. Domum tuam Domine decet ſanctitudo.

Conclusio *eſt negativa.*

Duplex adnotatio.

Circa concluſionis probationem eſt primo notandum, non adduci à D. Thoma ut rationem demonſtrativam abſolutè, & nullo præ ſuppoſito: quia quod non Eva, ſed ſolus Adamus peccatum ſuum in poſteros traduxerit, dependens fuit à libera Dei inſtitutione, qua ſolum virum caput morale poſterorum conſtituit. Si namque etiam Evæ prædictam capitis dignitatem tribuiſſet (in quo non cernitur implicatio) proculdubio tam ipſa, quam Adamus peccatum ſuum nobis tranſmiſiſſet. Cæterum ut intelligamus eam dignitatem jure fuiſſe Adamo, & non Evæ conceſſam, optima congruentia eſt, qua D. Thom. in hoc articulo, & in præcedentibus utitur: videlicet quod vir ſit principium activum in generatione; mulier vero paſſivum. Tum quia cum ſit de ratione capitis, ut membra ab illo dirigantur, & moveantur: *movere* autem proprium ſit principij activi, ſicut *moveri* eſt paſſivi, merito ſolus vir, qui activè concurrit ad generationem poſterorum, ipſoſque generando movet, & in eſſe producit, debuit reſpectu illorum ſortiri munus capitis. Tum etiam quia cum in uno corpore non deceat eſſe niſi unicum caput, non oportuit, ut Deus utrumque principium ſcilicet tam virum, quàm fœminam; ſed unum ex eis tantum in ea dignitate conſtitueret: facta vero inter eos collatione, aptior ſane erat vir ratione activitatis: quia activum ſuapte natura præeminet paſſivo, & illud ſuperat. Semel autem ex hac congruentia, & ex aliis, quas Deus prævidit, conſtituto Adamo in ratione capitis, eaque dignitate ab Eva excluſa non modo congruenter, ſed efficaciter convincitur, illius, & non hujus peccatum ad poſteros tranſiſſe: quia impoſſibile eſt eum, qui non ſit caput, peccatum ſuum in alium transfundere.

Secundò eſt notandum, quod etſi D. Thom. ſecutus fuerit veram, & Ariſtotelis ſententiam, quod ſcilicet ſolus vir concurrat active ad generationem; fœmina autem ſolùm paſſive, ſeu miniſtrando materiam, quam activitas viri diſponat: non tamen neceſſe eſt concluſionem articuli huic ſententiæ alligari: ſed habet veritatem etiam in contraria medicorum aſſerentium etiam fœminam habere aliquem concurſum activum. Tum quia concurſus viri ſaltem eſt principalior, & magis præcipuus juxta omnium ſententiam: & hoc ſufficit ut dignitas capitis, quæ uni tantum tribuenda erat illi potius, quàm fœminæ donaretur. Tum etiam quia eſto præſtet fœmina aliquem influxum activum; huiuſmodi tamen influxus non requiritur ad *ſimpliciter eſſe* generationis, ſed tantum ad *melius eſſe*; & ideo exiſtente activo concurſu viri, etiam ſi deficeret ex parte fœminæ, poſſet fieri generatio, licet non ita bene, minime tamen è contra, ut rectè vidit Thom. Sanchez lib. 9. de matrim. diſput. 17. Unde ſolus vir poteſt dici principium activum ſimpliciter, etiam in illa ſententia: fœmina vero ſecundum quid, & diminute. Conſtat autem in ordine ad dignitatem capitis præferendum fuiſſe principium ſimpliciter activum activo ſecundum quid, & ſimpliciter paſſivo.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXXII.

DE ORIGINALI PECCATO QVANTVM ad ſuam eſſentiam in quatuor articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de peccato originali quantum ad ſuam eſſentiam. Et circa hoc quæruntur quatuor.

ARTICULUS I.

Vtrum originale peccatum ſit habitus?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod originale peccatum non ſit habitus: originale enim peccatum eſt carentia originalis juſtitiæ, ut Anſelmus dicit in lib. de conceptu virginali: & ſic originale peccatum eſt quædam privatio: ſed privatio opponitur habitui: ergo originale peccatum non eſt habitus.

2. Præterea: actuale peccatum habet plus de ratione peccati, quàm originale, in quantum habet plus de ratione voluntarij: ſed habitus actualis peccati non habet rationem culpæ, alioquin ſequeretur, quod homo dormiens culpabiliter peccaret: ergo nullus habitus originalis habet rationem culpæ.

3. Præterea: in malis actus ſemper præcedit habitum: nullus enim habitus malus eſt innatus, ſed acquiſitus: ſed originale peccatum non præcedit aliquis actus: ergo originale peccatum non eſt habitus.

Sed contra eſt, quod Auguſtinus dicit in lib. de baptiſmo puerorum, quod ſecundum peccatum originale parvuli ſunt concupiſcibiles etſi non ſint actu concupiſcentes: ſed habilitas dicitur ſecundum aliquem habitum: ergo peccatum originale eſt habitus.

Reſpondeo dicendum, quod, ſicut ſupra dictum eſt, duplex eſt habitus. Unus quidem quo inclinatur potentia ad agendum, ſicut ſcientiæ, & virtutes dicuntur habitus; & hoc modo peccatum originale non eſt habitus. Alio modo dicitur habitus diſpoſitio alicujus naturæ ex multis compoſitæ, ſecundum quam bene ſe habet, vel male ad aliquid, & præcipue cum talis diſpoſitio fuerit quaſi in naturam verſa, ut patet de ægritudine, & ſanitate. Et hoc modo peccatum originale eſt habitus: eſt enim quædam inordinata diſpoſitio proveniens ex diſſolutione illius harmoniæ: in qua conſiſtebat ratio originalis juſtitiæ, ſicut etiam ægritudo corporalis eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, ſecundum quam ſolvitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis: unde peccatum originale languor naturæ dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas ſanitatis, & aliquid habet poſitive, ſcilicet ipſos humores inordinate diſpoſitos: ita etiam peccatum originale habet privationem originalis juſtitiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium animæ. Unde non eſt privatio pura, ſed eſt quidam habitus corruptus.

Ad ſecundum dicendum, quod actuale peccatum eſt inordinatio quædam actus: originale vero cum ſit peccatum naturæ, eſt quædam inordinata diſpoſitio ipſius naturæ, quæ habet rationem culpæ, in quantum derivatur ex primo parente, ut dictum eſt. Hujuſmodi autem diſpoſitio naturæ inordinata habet rationem habitus: ſed inordinata diſpoſitio actus non habet rationem habitus; & propter hoc peccatum originale poteſt eſſe habitus; non autem peccatum actuale.

Ad tertium dicendum, quod objectio illa procedit de habitu, quo potentia inclinatur in actum: talis autem habitus non eſt peccatum originale. Quamvis etiam ex peccato originali ſequatur aliqua inclinatio in actum inordinatum, non directe, ſed indirecte, ſcilicet per remotionem prohibentis, id eſt, originalis juſtitiæ, quæ prohibebat inordinatos motus: ſicut etiam ex ægritudine corporali indirecte ſequitur inclinatio ad motus corporales inordi

inordinatos, nec debet dici, quod peccatum originale ſit habitus infuſus, aut acquiſitus per actum, niſi primi parentis: non autem hujus perſonæ, ſed per vitiatam originem innatus.

Prima Conclusio.

Peccatum originale non eſt habitus, quo inclinatur potentia ad agendum.

Secunda Conclusio.

Peccatum originale eſt quædam inordinata diſpoſitio habitualis quaſi in naturam verſa proveniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat ratio originalis juſtitiæ.

Utraque concluſio poſtulat non breve examen: quod fiet ſequenti diſputatione.

ARTICULUS II.

Utrum in uno homine ſint multa originalia peccata?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod in uno homine ſint multa originalia peccata. Dicitur enim in Pſal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea: ſed peccatum, in quo homo concipitur, eſt originale: ergo plura peccata originalia ſunt in uno homine.

2. Præterea: unus & idem habitus non inclinat ad contraria: habitus enim inclinat per modum naturæ, quæ tendit in unum: ſed peccatum originale etiam in uno homine inclinat ad diverſa peccata, & contraria: ergo peccatum originale non eſt unus habitus, ſed plures.

3. Præterea: peccatum originale inficit omnes animæ partes: ſed diverſæ partes animæ ſunt diverſa ſubjecta peccati, ut ex præmiſſis patet: cum igitur unum peccatum non poſſit eſſe in diverſis ſubjectis, videtur, quod peccatum originale non ſit unum, ſed multa.

Sed contra eſt, quod dicitur Joan. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, quod ſingulariter dicitur, quia peccatum mundi, quod eſt peccatum originale, eſt unum, ut gloſſa ibidem exponit.

Reſpondeo dicendum, quod in uno homine eſt unum peccatum originale cujus ratio dupliciter accipi poteſt. Uno modo ex parte cauſæ peccati originalis: dictum eſt enim ſupra, quod ſolum primum peccatum primiparentis in poſteros traducitur. Unde peccatum originale in uno homine eſt unum numero, & in omnibus hominibus eſt unum proportione in reſpectu ſcilicet ad primum principium. Alio modo poteſt accipi ratio ejus ex ipſa eſſentia originalis peccati: in omni enim inordinata diſpoſitione unitas ſpeciei conſideratur ex parte cauſæ; unitas autem ſecundum numerum ex parte ſubjecti, ſicut patet in ægritudine corporali: ſunt enim diverſæ ægritudines ſpecie, quæ ex diverſis cauſis procedunt, puta ex ſuperabundantia calidi, vel frigidi, vel ex læſione pulmonis, vel hepatis: una autem ægritudo ſecundum ſpeciem in uno homine non eſt niſi una numero. Cauſa autem hujus corruptæ diſpoſitionis, quæ dicitur originale peccatum, eſt una tantum, ſcilicet privatio originalis juſtitiæ, per quam ſublata eſt ſubjectio humanæ mentis ad Deum. Et ideo peccatum originale eſt unum ſpecie, & in uno homine non poteſt eſſe niſi unum numero: in diverſis autem hominibus eſt unum ſpecie, & proportione; diverſum autem numero.

Ad primum ergo dicendum, quod pluraliter dicitur in peccatis ſecundum illum morem divinæ Scripturæ, quo frequenter ponitur pluralis numerus pro ſingulari: ſicut Matth. 2. Defuncti ſunt, qui quærebant animam pueri: vel quia in peccato originali virtualiter præexiſtunt omnia peccata actualia, ſicut in quodam principio: unde eſt multiplex virtute, vel quia in peccato primi parentis, quod per originem traducitur, fuerunt plures deformitates, ſcilicet ſuperbiæ, inobedientiæ, gulæ, & alia hujuſmodi; vel quia multæ partes animæ inficiuntur per peccatum originale.

Ad ſecundum dicendum, quod unus habitus non poteſt inclinare per ſe, & directe, id eſt, per propriam formam ad contraria, ſed indirecte; & per accidens, ſcilicet per remotionem prohibentis, ſicut ſoluta harmonia corporis mixti, elementa tendunt in loca contraria; & ſimiliter ſoluta harmonia originalis juſtitiæ, diverſæ animæ potentiæ in diverſa feruntur.

Ad tertium dicendum, quod peccatum

tum originale inficit diverſas partes animæ, ſecundum quod ſunt partes unius totius, ſicut & juſtitia originalis continebat omnes animæ partes in unum: & ideo eſt unum tantum peccatum originale: ſicut etiam eſt una febris in uno homine, quamvis diverſæ partes corporis graventur.

CONCLUSIO.

Peccatum originale in omnibus hominibus eſt unum ſpecie, & proportione, & eſt diverſum numero in diverſis: in ſingulis autem non eſt niſi unum numero peccatum.

Utriuſque unitatis tam numericæ, quàm ſpecificæ originalis peccati legitimas rationes tradit D. Th. in corpore articuli.

ARTICULUS III.

Utrum originale peccatum ſit concupiſcentia?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quod peccatum originale non ſit concupiſcentia: omne enim peccatum eſt contra naturam, ut dicit Damaſcenus in ſecundo libro: ſed concupiſcentia eſt ſecundum naturam, eſt enim proprius actus virtutis concupiſcibilis, quæ eſt potentia naturalis: ergo concupiſcentia non eſt peccatum originale.

2. Præterea: per peccatum originale ſunt in nobis paſſiones peccatorum, ut patet per Apoſtolum Rom. 7. ſed multæ aliæ ſunt paſſiones præter concupiſcentiam, ut ſupra habitum eſt: ergo peccatum originale non magis eſt cōcupiſcentia, quàm aliqua alia paſſio.

3. Præterea: per peccatum originale deordinantur omnes animæ partes, ut dictum eſt: ſed intellectus eſt ſupremus inter animæ partes, ut patet per Philoſophum in 10. Ethic. per peccatum originale magis eſt ignorantia, quàm concupiſcentia.

Sed contra eſt, quod Auguſtinus dicit in lib. Retractat. Concupiſcentia eſt reatus originalis peccati.

Reſpondeo dicendum, quod unumquodque habet ſpeciem à ſua forma: dictum eſt autem ſupra, quod ſpecies peccati originalis ſumitur ex ſua cauſa: unde oportet, quod id, quod eſt formale in originali peccato, accipiatur ex parte cauſæ peccati originalis. Oppoſitorũ autē oppoſitæ ſunt cauſæ; eſt igitur attendēda cauſa originalis peccati ex cauſa originalis juſtitiæ, quæ ei opponitur: tota autem ordinatio originalis juſtitiæ ex hoc eſt, quod voluntas hominis erat Deo ſubjecta, quæ quidem ſubjectio primo & principaliter erat per voluntatem, cujus eſt movere omnes alias partes in finem, ut ſupra dictum eſt: unde ex averſione voluntatis à Deo conſequuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis juſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur Deo eſt formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali ſicut quiddam materiale: inordinatio autem aliarum virium animæ præcipuè in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine poteſt dici concupiſcentia. Et ità peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter vero eſt defectus originalis juſtitiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod quia in homine concupiſcibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiſcere eſt homini naturale, in quantum eſt ſecundum rationis ordinem: concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam, & talis eſt concupiſcentia originalis peccati.

Ad ſecundum dicendum, quod, ſicut ſupra dictum eſt, paſſiones iraſcibilis ad paſſiones concupiſcibilis reducuntur ſicut ad principaliores, inter quas concupiſcentia vehementius movet, & magis ſentitur, ut ſupra habitum eſt. Et ideo concupiſcentiæ attribuitur tanquam principaliori & in qua quodammodo omnes aliæ paſſiones includuntur.

Ad tertium dicendum, quod ſicut in bonis intellectus, & ratio principalitatem habent: ita è converſo in malis inferior pars animæ principalior invenitur, quæ obnubilat & trahit rationem, ut ſupra dictum eſt: propter hoc peccatum originale magis dicitur eſſe concupiſcentia, quàm ignorantia, licèt etiam ignorantia inter defectus materiales peccati originalis contineatur.

Digitized by Google

Concluſio.

Peccatum originale materialiter eſt concupiſcentia, formaliter vero eſt privatio originalis juſtitiæ.

In hac concluſione petit amplius examinari, tum quid nomine *concupiſcentiæ* importetur: & quo pacto ad materiale originalis peccati pertineat? Tum etiam an, & quomodo formale prædicti peccati ſit privatio originalis juſtitiæ? Quod totum diſputationi reſervamus.

Notanda circa literam.

IN ſolutione vero ad primum nota, quo pacto concupiſcibilis dicatur eſſe *juxta*, vel *contra naturam hominis?* Nam ut ſupra diſp. 1. num. 13. vidimus, id dicitur juxta naturam hominis, quod eſt juxta inclinationem inditam ab auctore naturæ, quæ inclinatio in natura rationali eſt ad agendum ſecundum rationis regulas. Unde quatenus appetitus ſenſitivus ex aliquo rationis participio; quod in ſe recipit, inclinatur ad rationis ductum ſequendum, dicitur eſſe juxta prædictam naturam. Quatenus vero ex ſua & hominis defectibilitate, & ex deſtitutione originalis juſtitiæ, ad oppoſitum tendit dicitur eſſe contra illá. Et hoc modo vocatur in præſenti *concupiſcentia*, ut diſp. ſeq. dub. 4. magis declarabitur.

In ſolutione ad tertium ejuſdem articuli primo notandum eſt; quod *inferior pars animæ* vocatur ibi pars ſenſitiva, & ejus appetitus: nam dividitur contra intellectum, & rationem, ut ibidem habetur: & etiam contra voluntatem, ut ſumitur ex corpore articuli. Dicitur vero ea pars ſenſitiva *principalior in malis*, non quia formalis malitia primario ex ea ſit: prius enim reperitur in voluntate, indéque ad appetitum, & alia deſcendit: ſed quia regulariter malitia initium ſumit à parte ſenſitiva, & in ea inchoatur dum ipſa ſuis motibus, & paſſionibus obnubilat rationem, & eò trahit, ut delinquat. Secundum habetur ex prædicta ſolutione pro iis, quæ dicemus diſp ſequenti dub. 4. etiam ignorantiam pertinere ad materiale peccati originalis, & poſſe dici materiam eius, ſicut dicitur concupiſcentia.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum originale ſit æqualiter in omnibus.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod peccatum originale non ſit æqualiter in omnibus: eſt enim peccatum originale concupiſcentia inordinata, ut dictum eſt: ſed non omnes æqualiter ſunt proni ad concupiſcendum: ergo peccatum originale non eſt æqualiter in omnibus.

2. Præterea: peccatum originale eſt quædam inordinata diſpoſitio animæ, ſicut ægritudo eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis: ſed ægritudo recipit magis, & minus: ergo peccatum originale recipit magis, & minus.

3. Præterea: Auguſtinus dicit in lib. de nupt. & concup. quod libido tranſmittit originale peccatum in prolem: ſed contingit eſſe majorem libidinem unius in actu generationis, quam alterius: ergo peccatum originale poteſt eſſe majus in uno, quàm in alio.

Sed contra eſt: quia peccatum originale eſt peccatum naturæ, ut dictum eſt: ſed natura æqualiter eſt in omnibus: ergo & peccatum originale.

Reſpondeo dicendum, quod in originali peccato ſunt duo, quorum unũ eſt defectus originalis juſtitiæ: aliud autem eſt relatio hujus defectus ad peccatum primi parentis, à quo per vitiatam originem deducitur. Quantum autem ad primum, peccatum originale non recipit magis, & minus: quia totum donum originalis iuſtitiæ eſt ſublatum; privationes autem totaliter aliquid privantes, ut mors, & tenebræ, non recipiunt magis, & minus ſicut ſupra dictum eſt. Similiter etiam nec quantum ad ſecundum: æqualiter enim omnes relationem habent ad primum principium vitiatæ originis, ex quo peccatum originale recipit rationem culpæ: relationes enim non recipiunt magis, & minus. Unde manifeſtum eſt, quod peccatum originale non poteſt eſſe magis in uno, quàm in alio.

Ad primum ergo dicendum, quod ſoluto vinculo originalis juſtitiæ, ſub quo quodam ordine vires animæ continebantur, unaquæque vis animæ tendit in ſuum proprium motum, & tantò vehementius, quantò fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animæ eſſe fortiores in uno quàm in alio propter diverſas corporis complexiones. Quod ergo unus homo ſit pronior ad concupiſcendum, quam alter, non eſt ratione peccati originalis, cum in omnibus æqualiter ſolvatur vinculum originalis juſtitiæ, & æqualiter in omnibus partes inferiores animæ ſibi relinquantur: ſed accidit hoc ex diverſa diſpoſitione potentiarum, ſicut dictum eſt.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum dicendum, quod ægritudo corporalis non habet in omnibus æqualem cauſam, etiamſi ſit ejuſdem ſpeciei, puta ſi ſit febris ex cholera putrefacta, poteſt eſſe major vel minor putrefactio, & propinquior, vel remotior à principio vitæ ſed cauſa originalis peccati in omnibus eſt æqualis unde non eſt ſimile.

Ad tertium dicendum, quod libido, quæ tranſmittit peccatum originale in prolem, non eſt libido actualis: quia dato quod virtute divina concederetur quod nullam inordinatam libidinem in actu generationis ſentiret, adhuc tranſmitteret in prolem orginale peccatum: ſed libido illa eſt intelligenda habitualiter, ſecundum quod appetitus ſenſitivus non continetur ſub ratione ſoluto vinculo originalis juſtitiæ: & talis libido in omnibus eſt æqualis.

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Notanda eſt doctrina hujus articuli: nam ex his, quæ habentur in corpore, convincitur manifeſte ſententia, quam dub. 5. eligemus circa conſtitutionem peccati originalis: & ex ſolutione ad primum, quod dicemus dub. 4. circa concupiſcentiam.

DISPVTATIO XVI.

De eſſentia, & conſtitutivo peccati originalis.

SI exiſtentia & traductio originalis peccati tantum nobis negotij faceſſivit, vt vidimus tota diſp. 14. ejus eſſentiam, & quidditatem æquè obſtruſam, æquè difficultatibus implicatam, haud facilius erit aperire; quinimo ex parte erit difficilius. Circa exiſtentiam namque & traductionem prædicti peccati, ut pote ad ſalutem animæ valde concernentem, ubi defuit ratio, ſæpe fides facem accendit: quæ tamen circa eſſentiam, & quidditatem, ut cujus methaphyſica cognitio non ita ad mores refert, perpauca nos docuit, relinquens quam multa rationis diſcurſu inveſtigenda. Quæ ſanè diſcurrendi libertas tot ſententias, totque errores in hac controverſia originavit, ut nequeant brevi numero comprehendi: de quibus dub. 5. ſuccinctè mentionem faciemus. Ne ergo rem difficilem, & obſcuram diſtinctionis defectu in ſua obſcuritate relinquamus, primo loco palàm facienda ſunt omnes rationes quomodolibet ad peccatum attinentes, videndumque an ſint tantum de genere privativo, vel ſit inter eas aliqua poſitiva. Deinde vero ex rationibus in lucem editis eſſentialem, & conſtitutivam ſeligemus. Atque ut à facilioribus ſcilicet à privationibus incipiamus ſit.

DUBIUM I.

Quanam privationes ex Adami peccato in poſteros tranſierint?

NVlla aptiori via invenire poterimus rationes per ſe ad peccatum originale pertinentes, quàm inquirendo, & inveſtigando effectus, quos transfudit in poſteros peccatum actuale Adami ex quo noſtrum originale, & quidquid ad illud per ſe attinet tanquam ex cauſa effectiva, & adæquata ortum duxit. Notitia vero illorum effectuũ quantum ad privationem dependet ex cognitione eorum, quæ Deus per juſtitiam originalem naturæ humanæ contulit, quæque ipſa per peccatum amiſit. Horum vero cognitio perfecte haberi nequit, niſi diverſi ejuſdem naturæ ſtatus, & uniuſcujuſque conditiones declarentur.

§. I.

Conditiones humanæ naturæ in triplici ſtatu.

AD veritatis declarationem conſiderandus eſt triplex ſtatus naturæ humanæ, & quid ei in unoquoque convenerit: nempe ſtatus naturæ ſecundum ſe, ſtatus originalis juſtitiæ, & ſtatus naturæ lapſæ (Duo vero alij ſtatus, qui in materia de gratia diſtingui ſolent, videlicet ſtatus naturæ integræ ſola integritate ordinis naturalis, & ſtatus naturæ reparatæ, non conducunt ad præſens, & ideo illos omittimus) In primo igitur ſtatu, qui eſt naturæ ſecundum ſe, ea duntaxat conſiderantur, quæ competunt naturæ humanæ ſibi relictæ, ſeu quæ ex ejus naturalibus principiis, quæ ſunt materia prima, & anima rationalis abſque aliquo dono gratiosè ſuperaddito naturaliter oriuntur. Vnde quia prædicta materia in nullo compoſito per ejus formam plene ſatiatur, ſed manet ubique famelica, & cum appetitu ad aliam, conſequenter dat locum contrariis, qualitatibus, paſſionibuſque, & alterationibus corruptivis, quibus ipſa compoſita ad interitum, & deſitionem tendunt. Accedit, quod ipſa humani corporis compoſitio, ita exigente anima ob ſuas operationes, fit ex elementis contrariiſque qualitatibus inter ſe pugnantibus, ita ut ad cujuſlibet victoriam prædicta compoſitio depereat, & conſequenter humanum corpus corrumpatur. Ex hoc ergo principio omnis homo, utpote conſtans ex prædicta materia, prædictáque compoſitione naturaliter eſt paſſibilis, corruptibilis, & mortalis. 1. Primus naturæ ſtatus.

Deinde quia anima rationalis ob ſui eminentiam, & eſt ſubſtantia ſpiritualis, radix, atque origo ſpiritualium operationum intelligendi, & volendi, & etiam eſt forma corporis ſic corruptibilis dans ei vitam, & ſenſum, quaſi conſtituit duas naturas valde diſſimiles: videlicet rationalem, quæ appropinquat Angelis; & ſenſitivam, quæ communis eſt brutis: tribuitque homini proprietates & conditiones utriuſque naturæ: ex hocque,

principio

principio originantur in illo inclinationes etiam valde diſſimiles, & quaſi inter ſe oppoſitæ. Nam ad naturem rationalem per ſe conſequitur voluntas, quæ eſt inclinatio ad bonum rationi conſonum, ſeu honeſtum. Ad ſenſitivam vero ſequitur appetitus ſenſitivus inclinans ad bonum eidem naturæ ſenſitivæ conſentaneum, quod eſt bonum delectabile, & ſenſibile: & quoniam hoc poſterius bonum multoties rationis legibus prohibetur, atque ita illi priori repugnat, fit ut prædictæ inclinationes frequenter inter ſe diſſideant, ſæpeque appetitus ſenſitivus in id propẽdat, quod eſt repugnans voluntati; & è contra, ita exigente ipſa materialitate, & corruptibilitate humani corporis, cui appetitus ſenſitivus omnino eſt alligatus, & ſine cujus tranſmutatione paſſibili nequit operari. Ut enim dicitur Sapient. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit ſenſum*: cum qua depreſſione, & gravamine ſtare nequit plena ſubjectio partis ſenſitivæ ad rationalem. Atque hinc oritur rebellio carnis contra ſpiritum, & inobedientia appetitus ad rationem, quam in nobis adeo manifeſtè experimur.

2. Dices, appetitum ſenſitivum hominis eſſe rationi affinem; magis quàm appetitus bruti, & ex tali affinitate participare aliquid ipſius rationi: hoc autem non poteſt eſſe niſi ſubjectio ad illam: ergo, &c. ❡ Reſpondetur hinc ſolum probari, prædictum appetitum prout in homine habere aliquod rationis participium, quo aliqualiter ad ſequendum ejus ductum inclinetur, ut explicuimus ſupra diſp 10. dubio, 2. non tamen habetur, quod ea inclinatio ſit ita perfecta, ut plane, & ſine repugnantia illum rationi ſubiiciat, obſiſtente, & quaſi reclamante propria inclinatione in bonum ſenſibile, eidem rationi ſæpe contrarium. ❡ Adde, quod ſicut appetitus ſenſitivus in homine ex conjunctione ad rationem ab ea quaſi elevatur, participans prædictam qualem qualem inclinationem ad ſequendum ejus ductum, quam non habet in brutis: ita etiam hominis voluntas ex conjunctione ad prædictum appetitum quaſi deprimitur, & inclinatur ad bona ſenſibilia, ab ipſóque appetitu illicitur, & trahitur, deſerto ſæpe vero judicio rationis: quod tamen non habet in Angelis, ubi deeſt talis appetitus. Ratione igitur hujuſmodi depreſſionis, & inclinationis ſæpe ſæpius non modo prædictus appetitus, ſed etiam ipſa voluntas rationi reluctatur.

3. Denique ex eiſdem principiis oritur, ut neque ipſa inclinatio partis rationalis ad bonum honeſtum ſit ex ſe omnino efficax; ſed ſatis debilis, & infirma: ita ut juxta valde probabilem ſententiam non habeat ſufficientes vires ad diligendum Deum, etiam ut authorem naturæ, ſuper omnia, amore abſoluto, & efficaci: & ſaltem id non poſſet per totam vitam ſine ſpeciali auxilio, ſicut nec ſervare totam legem: & hoc propter prædictam colligationem, & depreſſionem ad partem ſenſitivam à qua ſi pars rationis libera & ſeparata eſſet, nequaquam ex ſe haberet talem impotentiam de quo dicemus plura in tract. de gratia. Hic eſt ſtatus naturæ humanæ ſecundum ſe, qui communiter vocatur *ſtatus naturæ in puris* quia ſolũ importat ea, quæ ex naturalibus ipſius naturæ principiis unde conſideratis illi cõpeterent Et licèt de facto nunquam talem ſtatũ habuerit, prævenienie ejus nuditatem in prima hominis conditione originali juſtitia, potuit tamen ſic à Deo creari An vero ſervata omnino ſuavi providentia, quæſtio eſt alibi examinanda.

4. Status juſtitiæ originalis deſcribitur à D. Thom.

Secundus ſtatus eſt originalis juſtitiæ, in quo Deus de facto primum hominem condidit reparando prædictos naturæ defectus, & veluti tegendo ejus nuditatem donis ipſius juſtitiæ Quem ſtatum optime deſcribit D. Tho. opuſc. 1. c. 186 ita ut neceſſe non ſit pro ejus declaratione verbis S. Doctoris aliquid adjungere, quæ ita ſe habent. *Homo in ſui conditione taliter inſtitutus fuit à Deo, ut corpus omnino eſſet animæ ſubiectum. Rurſúmque inter partes animæ inferiores vires rationi abſque repugnantia ſubiicerentur, & ipſa ratio hominis eſſet Deo ſubjecta. Ex hoc autem quod corpus erat animæ ſubjectum, contingebat, quod nulla paſſio in corpore poſſet accidere quæ dominio animæ ſuper corpus repugnaret: unde nec mors, nec infirmitas in homine locum habebat. Ex ſubjectione vero inferiorum virium ad rationem erat in homine omnimoda mentis tranquillitas, quia ratio humana nullis inordinatis paſſionibus turbabatur. Ex hoc vero quod voluntas hominis erat Deo ſubjecta, homo referebat omnia in Deũ ſicut in ultimum finem, in quo ejus juſtitia, & innocentia conſiſtebat Horum autem trium ultimum erat cauſa aliorum. Non enim hoc erat ex natura corporis, ſi eius componentia conſiderẽtur, quod in eo diſſolutio, ſive quæcumque paſſio vitæ repugnans locum non haberet, cum eſſet ex contrariis elementis compoſitum. Similiter etiã non erat ex natura animæ, quod vires etiam sẽſibiles abſque repugnantia rationi ſubiicerentur cum vires ſenſibiles naturaliter moveantur in ea, quæ ſunt delectabilia ſecundum ſenſum, quæ multoties rectæ rationi repugnant. Erat igitur hoc ex virtute ſuperiori, ſcilicet Dei, qui ſicut animam rationabilem corpori coniunxit, omnẽ proportionem corporis, & corporearum virtutũ cujuſmodi ſunt vires ſenſibiles tranſcendentem ita dedit animæ rationali virtutem, ut ſupra cõditionem corporis ipſum continere poſſet, & vires ſenſibiles ſecundùm quod rationali animæ competebat. Vt igitur ratio inferiora ſub ſe firmiter contineret, oportebat, quod ipſa firmiter ſub Deo contineretur, à quo virtutem prædictam habebat ſupra conditionẽ naturæ. Fuit ergo homo ſic inſtitutus, ut niſi ratio eius ſubduceretur à Deo, neque corpus eius ſubduci poterat à nutu animæ, neque vires ſenſibiles à rectitudine rationis: unde quadã immortalis vita, & impaſſibilis erat, quia ſcilicet nec mori, nec pati poterat ſi non peccaret. Peccare vero poterat voluntate ejus nondum confirmata per adeptionem ultimi finis, & ſub hoc eventu poterat mori & pati.*

Et c. ſeq. *Hic autem hominis tam ordinatus ſtatus originalis juſtitia nominatur, per quam & ipſe ſuo ſuperiori ſubditus erat, & ei omnia inferiora ſubiiciebantur, ſecundum quod de eo dictũ eſt. Vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & inter partes eius etiam inferior abſque repugnantia ſuperiori ſubdebatur, qui quidem ſtatus primo homini fuit conceſſus non ut cuidã perſonæ ſingulari, ſed ut primo humanæ naturæ principio, ita quod per ipſum ſimul cum natura humana traduceretur in poſteros. Et quia unicuique*

Digitized by G

cuique daretur locus ſecundum convenientiam ſuæ conditionis, homo ſic ordinate inſtitutus poſitus eſt in loco temperatiſſimo, delitioſo ut non ſolum interiorum moleſtiarum ſed etiam aliorum exteriorum omnis ei vexatio tolleretur. Hucuſque prædicti ſtatus pulchra, & elegans Ang. Doctoris deſcriptio.

5. Illatio prima.

Ex qua nonnulla breviter colligere licet, & alia dubitare. Habemus enim primò, juſtitiam originalem perfeciſſe humanam naturam ſecundum omnes ſuas partes, ſuperaddens omnibus illis perfectionem, quam naturalia principia ſecundum ſe non præſtarent, tollenſque defectus, quos illa relinquerent. Nam corpori tribuebat immortalitatem, per quam ejus paſſibilitatem, & corruptibilitatem impediebat. Parti vero ſenſitivæ tribuebat omnimodam ſubordinationem ad rationem, tam quoad potentias cognoſcitivas, quàm quoad appetitivas per quam ſubordinationem inter ipſam partem ſenſitivam, & rationem concordiam & pacem conſtituebat, auferebatque rebellionem carnis contra ſpiritum, aliaque id genus. Ipſi vero rationali parti tribuebat perfectum ordinem ad Deum illuminando intellectum, & rectificando atque roborando voluntatem, ut ſine alio ſpeciali auxilio poſſet amore abſoluto, & efficaci Deum, ſaltem ut auctorem naturæ, ſuper omnia perfecte diligere, totamque ſaltem naturalem legem obſervare.

Illatio alia.

Secundo habemus, hujuſmodi perfectiones ita fuiſſe concatenatas, & inter ſe connexas, ut inferiores ex ſuperiori conſequerentur, & ab ea in *eſſe*, *fieri*, & *conſervari* dependerent ita ut tandiu & non amplius illæ permanerent in parte ſenſitiva, & in corpore, quandiu iſta perſeveraret in mente & voluntate.

Tertia Illatio.

Tertio habemus, prædictam juſtitiam, quantum ad omnia explicata, fuiſſe à Deo omnino gratis conceſſam naturæ humanæ: quia nihil eorum ipſi ex vi creationis debebatur, neque ex ſuis naturalibus principiis pullularet. Et ideo ſi in ſua nuditate, & abſque omnibus prædictis conderetur, nullius carentia haberet rationem privationis, ſed negationis tantum, & conſequenter non eſſet malum culpæ, vel pœnæ reſpectu talis naturæ.

Quarta.

Habemus quarto, Deum conceſſiſſe Adamo prædictam juſtitiam non pro ſe tantum, vel ut in eo ſiſteret; ſed pro tota natura & ut omnibus à ſe ſeminaliter proceſſuris eam communicaret; ſub eo tamen pacto, ut ille divina mandata non tranſcenderet. Unde ex vi talis conceſſionis manſit prædicta juſtitia debita jam tam Adamo quàm poſteris: & conſequenter carentia ejus deinceps non eſſet negatio, ſicut in pura natura, ſed privatio habens rationem mali.

Vltima.

Tandem habemus, perfectionem juſtitiæ originalis non eò perveniſſe, ut confirmaret voluntatem in bono; ſed reliquiſſe in ea integram libertatem tam quoad exercitium, quã quoad boni & mali ſpecificationem. Et ex hoc habuit Adamus, ut licet de facili poſſet perſeverare in bono, poſſet etiam deflecti ad malum, & deflectens, omnem illam perfectionem pro ſe, & pro poſteris amittere: ſicut fecit de facto. Hæc omnia ſatis ad rem conducentia habentur perſpicue ex verbis D. Thomæ.

6. Dubitantur quinque.

Dubitare autem in eis licet primo, ubi eſſet prædicta juſtitia tanquam in ſubjecto primario? Secundo quid eſſet entitative, & ſubſtantialiter: an ſcilicet perfectio ordinis naturalis, vel ſupernaturalis? Tertio an & quomodo ſit diſtincta à gratia noſtra juſtificante, & ejus virtutibus, quidve illis ſuperaddat? Quarto an quoad omnes perfectiones ſupradictas importet formas poſitivas, & cujus generis? Quinto in quo genere cauſæ perfectiones illæ redundantes in corpus, & partem ſenſitivam ex perfectione, quæ eſt in anima, vel voluntate originentur? Et licèt omnes hujuſmodi quæſtiones ex profeſſo examinare non vacet, neque proprium ſit hujus loci; brevis tamen earum deciſio omnino eſt neceſſaria.

Ad primam ergo dicendum eſt, ſubjectum primarium prædictæ juſtitiæ fuiſſe illam hominis partem, quæ dicitur *mens*, ut loquitur communiter D. Thom. Quo nomine quamvis frequenter intelligatur tota pars rationalis, ut comprehendit tam ſubſtantiam animæ, quàm ſpirituales potentias, intellectum ſcilicet. & voluntatem, tot que hæc pars, facta collatione ad alias, poſſit dici ſubjectum primarium prædictæ juſtitiæ: abſolute tamen loquendo de ſubjecto ejus omnino primario, fuit ipſa ſubſtantia animæ rationalis, ut diſtincta à prædictis potentiis, ut docet D. Th. q. 83. ſequenti art. 1. ad 1. ib. *Originalis juſtitia pertinebat primordialiter ad eſſentiam animæ: erat enim donum divinitus datum humanæ naturæ, quam per prius reſpicit eſſentia animæ, quàm potentiæ.* In ipſa ergo ſubſtantia animæ ut diſtincta à potentiis erat perfectio eſſentialis, & primaria, quam importabat originalis juſtitia. Indeque veluti proprietates ex eſſentia primo loco oriebantur habitus operativi perficientes intellectum, & voluntatem, & deinceps reliquæ perfectiones afficientes corpus, & potentias ſẽſitivas. Rectus namque ordo exigebat, ſicut *eſſe* eſt prius quàm *agere*, & anima prior quam potentiæ: ita juſtitia originalis primo loco ipſam animam, & ejus *eſſe* ſubſtantiale perficeret; deinde vero potentias ad agendum elevaret. Solutio ad primam quæſtionem. D. Th.

7. Ad ſecundã, & tertiam.

Ad ſecundam, & tertiam dicendum eſt, prædictam juſtitiam quantum ad perfectionẽ primariam, quam ponebat in anima, fuiſſe ipſam gratiam juſtificantem ejuſdem ſpeciei cum noſtra atque adeo abſolutè, & ſimpliciter ſupernaturalem. Habebat tamen diverſum modum informandi ab eo, quem habet nunc; ratione cujus erat origo multarum perfectionum, quæ modo ex ea non pullulant. Et ratio quoad primum traditur à D. Thoma 1. p. quæſt. 100, art. 1. ad 2. Quia juſtitia originalis ſubjiciebat animam Deo non ſolùm ut auctori naturæ, ſed etiam ut auctori, & fini ſupernaturali; hæcque erat primaria ejus perfectio, ex qua omnes aliæ dependebant: ſubjectio autem ad Deum ut authorem ſupernaturalem non fit niſi per gratiam, ut eſt per ſe notum: unde neceſſario hæc includebatur in prædicta juſtitia tanquam fundamentum, & radix cæterarum perfectionum illius ſtatus.

Nec te moveat in oppoſitum, quod Angel. Doctor in 2. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1. ad 5. appellat gratiam alterius generis à juſtificante noſtra illam, quæ tolleret omnem fomitem, ſicut auferebat juſtitia originalis. Nam per ly *alterius generis* non intelligit diſtincta prædicta ſpecifica, vel genetica gratiæ; ſed diſtinctam conditionem, modum, vel ſtatum: ſæpe enim res ejuſdem ſpeciei propter hanc ſolam diſtinctionem vocantur diverſi generis: ut cum diſtinguimus D. Thom.

ſtinguimus inter homines diverſa genera gentium, & inter equos diverſa genera equorum, & ſic in aliquibus aliis ſpeciebus. Ita ergo in præſenti per gratiã alterius generis ſufficit intelligere gratiam alterius conditionis, modi, vel ſtatus, in quo ſolum involvitur diſtinctio accidentalis, retenta unitate eſſentiali, & ſpecifica.

8. Quod ſecundum, videlicet juſtitiam originalem habuiſſe hanc modalem diſtinctionem à gratia noſtra, videtur etiam ratio perſpicua: nam gratia juſtificans præciſè ex ſua ſpecie non habet refundere in corpus, & partem ſenſitivam perfectam illam ſubjectionem ad animam, & ad rationem, quam ponebat juſtitia originalis; alias modo eam refunderet: ergo aliquid fuit illi ſuperaddendum ad prædictum effectum præſtandum. Cúmque hoc ſuperadditum non potuerit eſſe alia forma, ſpecie, vel numero diſtincta, ut intuenti conſtabit: debuit eſſe ſaltem alius modus informandi ejuſdem gratiæ, non quidem penes majorem intenſionem, (intenſio enim gratia datur modo aliquibus viatoribus, quàm tunc communiter daretur) ſed penes majus dominium gratiæ ſupra animam, majorémque ſubordinationem iſtius ad illam, ad eum proportionalem modum, quo in patria ex pleniſſimo dominio gratiæ ſupra animam redundant dotes in corpus, quæ perfectiſſime illud animæ conformant & ſubiiciunt: quò enim gratia magis dominatur menti, & illam quaſi comprehendit, eò dat animæ majus dominium ſupra corpus, magiſque illud ipſi animæ conformat. ¶ Et juxta hæc intelligendus eſt D. Th. in 2. diſt. 31. q. 1. art. 2. ad 2. ubi dixit *juſtitiam originalem non habuiſſe communicare corpori prædictam perfectionem, oppoſitámque imperfectionem excludere, in quãtum juſtitia eſt* (id eſt ex ipſa eſſentia, & ſpecie gratiæ, & ſanctitatis ſecundum ſe ſumptæ) *ſed ratione cuiuſdam accidentis ſibi annexi*, &c. Hujuſmodi enim accidens adnexum fuit proculdubio prædictus modus informandi; qui idcirco dictus *eſt accidens, prædictæ iuſtitiæ*, quia erat extra eſſentiam, & diſtinctus ab ea, ſicut modus à re; non autem quia eſſet alia forma entitative, & ſpecifice diverſa.

D. Thom.

Similiter de habitibus operativis provenientibus à juſtitia originali perfici entibuſq; potentias, ſive ſpirituales, ſive ſenſitivas dicimus, ſaltem plures fuiſſe ſupernaturales: quia habebant eadem objecta, & ſpecificativa, quæ habent noſtræ virtutes infuſæ dimanantes à gratia: unde non poterant ab eis ordine, vel ſpecie diſtingui. An vero etiam virtutes naturales ab illa orirentur, dicemus infra dub. 3. Qui autem ex prædictis habitibus exiſterent in appetitu ſenſitivo, haberent aliquem ſpecialem modum eorum eſſentiæ, & intenſioni ſuperadditum, ratione cujus prædictum appetitum abſque rebellione rationi ſubiicerent, quod nũc virtutes etiam ſatis intenſæ non præſtant.

9. Quantum ad perfectionem quæ reſultabat in corpore ratione cujus efficiebatur ſuo modo incorruptibile & immortale, non eſt dicendum fuiſſe abſolute, & ſimpliciter ſupernaturalem; ſed ſecundùm quid & reſpectivè ad corpus humanum: ut de dotibus corporis glorioſi diximus in tractat. de beatitud. diſp. 5. à num. 41. Et ex ibidem dictis à num. 23 conſtat prædictam incorruptibilitatem ponere in corpore aliquam formam poſitivam de prædicamento qualitatis (quod à fortiori de habitibus perficientibus potentias ſine dubio tenendum eſt) nam impaſſibilitas juſtitiæ originalis erat quædam imperfecta participatio impaſſibilitatis perfectæ, quæ in corporibus beatis habet rationem dotis, & ita eodem modo ſervata proportione, eſt de utraque philoſophandum. ¶ Per quod patet ad quartam difficultatem propoſitam.

Hinc ſolutio habetur quarta difficultas.

Ad quintam dicendum eſt; perfectionem corporis, & partis ſenſitivæ provenire à gratia exiſtente in anima ratione modi informandi nuper dicti, & à rectitudine exiſtente, in intellectu, & voluntate, non quidem per actionem rigoroſam, ſed per emanationem pertinentem reductive ad genus cauſæ efficientis: ſicut dotes corporis glorioſi proveniunt hoc modo à gratia conſummata, & gloria animæ, ut explicuimus diſp. citata num. 47. ¶ Diximus *ratione modi informandi*, &c. quia à gratia præciſe, ſecundum ſe ſpectata non dimanat talis perfectio, ut nunc cernitur in viatoribus; ſed ex modo illo informandi, qui tribuebat gratiæ plenius dominium in animam, reſultabat in iſta plenum dominium ſupra corpus, & ex hoc dominio in ipſo corpore plena ſubjectio ad animam. Ex his ergo ſummatim perſtrictis (neque enim ſunt propria iſtius loci) habetur pro re præſenti ſufficiens notitia ſtatus juſtitiæ originalis, & effectuum, quos illa naturæ humanæ ſupra ſuam conditionem ſecundum ſe ſpectatæ tribuebat.

Solutio quintæ.

Veniamus ad tertium ſtatum naturæ lapſæ, ideo ſic vocatum, quia in eo attenditur conditio, in quam humana natura per peccatum devenit, ſeu quid per illud amiſerit, & quid contraxerit. Prædictus vero ſtatus ex duorum præcedentium notitia facile dignoſcitur. Quia in eo nec retinuit humana natura aliquid eorum, quæ originalis juſtitia contulerat: nec amittere potuit illa, quæ prædictæ naturæ ſecundum ſe ſpectatæ, & ex ſuis naturalibus principiis debebantur. Quod recte explicuit Ang. Doct. opuſc. citato ubi c. 192. ſic ait, *Quia igitur dicti ſtatus* (ſcilicet juſtitiæ originalis) *tam ordinata integritas tota cauſabatur ex ſubjectione humana voluntatis ad Deũ, conſequens fuit, ut ſubducta humana voluntate à ſubjectione divina, deperiret illa perfecta ſubiectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam: unde conſequutum eſt, ut homo ſentiret in inferiori appetitu ſenſibili concupiſcentia, & ira & cæterarum paſſionum inordinatos motus non ſecundum ordinem rationis, ſed magis ei repugnantes, & eam plerunque obnubilantes, & quaſi perturbantes; & hæc eſt repugnatia carnis ad ſpiritum*, &c. Et c. ſeq. *Conſequutum eſt etiam ut in corpore ſentiretur corruptionis defectus, ac per hoc homo incurreret neceſſitatem moriẽdi quaſi anima iam non valente corpus in perpetuum continere, vitam ei præbendo: unde homo factus eſt paſſibilis & mortalis*, &c. 10.

Tertius ſtatus qui eſt naturæ lapſæ

D. Thom.

Et quia (addit c. 195.) *prædictum originalis iuſtitia bonum ſic humano generi in primo parente divinitus attributũ fuit, ut tamen per ipſum derivaretur in poſteros, remota autẽ cauſa removetur effectus, cõſequens fuit, ut primo homine prædicto bono per proprium peccatum privato, omnes poſteri privarẽtur: & ſic de cætero, ſcilicet poſt peccatũ primi parẽtis omnes abſq; originali juſtitia*

juſtitia, & cum defectibus conſequentibus ſunt exorti, &c. In quibus ita clare, & plenè deſcribit D. Thom. hujuſmodi ſtatum, ut non ſit neceſſe pro ejus declaratione; & pro dubii deciſione plura ſuperaddere.

§. II.

Deciſio dubii.

11 DIcendum itaque eſt, humanam naturam per peccatum Adami amiſiſſe omnia dona, & perfectiones, quæ contulerat juſtitia originalis, & gratia in ea incluſa manſiſſéque in ea nuditate quantum ad intrinſeca, quam haberet ſi in puris naturalibus conderetur, cum hac tamen differentia, quod in pura natura, ubi prædicta dona debita non fuiſſent, eorum defectus ſolum eſſet negativus, neque haberet rationem culpæ, aut pœnæ; in natura vero lapſa, cui talia dona ex vi promiſſionis factæ Adamo debentur, prædictus defectus habet rationem privationis, & eſt culpa, vel pœna. Diximus *quantum ad intrinſeca:* quia loquendo de extrinſecis, adhuc in natura lapſa retinet homo elevationem, ſeu deſtinationem Dei ad finem, & ordinem ſupernaturalem, quæ non eſſet in ſtatu naturæ puræ. Sed hæc uſque dum natura per gratiam ſanetur, ſeu reparetur, non ponit in ea aliquid intrinſecum.

Igitur in prædicto ſtatu naturæ lapſæ contrahit homo in primis privationem gratiæ ſanctificantis, quæ perficiebat immediate ipſam ſubſtantiam animæ, nec non privationes omnium donorum, &, virtutum infuſarum, quæ erant in intellectu, & voluntate. Contraxit item in appetitu ſenſitivo privationem ſubjectionis ad rationem, ſeu illarum virtutum & habituum, quibus conſiſtebat talis ſubjectio. Et denique ex parte corporis contraxit privationem illius vel illarum perfectionum, quibus ſubdebatur animæ, & ab ea continebatur, ne in mortem, vel corruptionem tenderet. Vnaquæque autem prædictarum privationum in illa parte eſt ſicut in ſubjecto; ubi futura erat perfectio, quæ privat.

Nec refert ſi dicas, fidem & ſpem manſiſſe in Adamo poſt peccatum, ut dicemus infra: ergo natura humana non contraxit iſtarum virtutum privationem. Patet conſequentia: quia natura eiſdem, & non aliis perfectionibus ſpoliata eſt, quas Adamus pro ſe, & pro omnibus amiſit. ¶ Reſpondetur enim, prædictas virtutes manſiſſe in illo ut perfectiones perſonales ipſius, non autem ut naturæ dona transfundenda in poſteros cum ipſa natura. Unde licèt Adamus ob ſpecialem indulgentiam ipſi ut perſonæ particulari factam, non amiſerit tales virtutes pro ſe, amiſit tamen pro nobis: & ideo contraxit tunc debitum carendi illis in omnibus poſteris, ob idque omnes cum earum privatione concipiuntur.

12 **Difficultas principalis.** Sed eſt difficultas, an ultra prædictas privationes, quas Theologi communiter admittunt, contrahant ſucceſſores Adami aliam, quam quidam authores adſtruunt, & appellant *privationem habitualem conformitatis ad legem*, in eaque eſſentiam originalis peccati conſtituunt. Pro cujus intelligentia animadvertunt, non ſolum eſſe debitum, quod omnes actus humani ſint conformes legi, & voluntati divinæ, ſed etiam quod homines ipſi mediis ſuis actibus prædictæ legi, & voluntati conformentur. Et ideo cum aliquis mortaliter peccat, præter deformitatem, quæ eſt in ipſo actu peccaminoſo, per quam talis actus dicitur *contrarius legi*, reſultat ex eo in ſuppoſito alia deformitas perſonalis, per quam ipſe homo dicitur *averſus à lege*, quam tranſgreſſus eſt, & à legiſlatore, cui fit injurius. Si quis enim violet ius amicitiæ, non ſolum ejus actus dicitur eſſe contra amicitiam; ſed etiam agens manet averſus, & oppoſitus amicitiæ legis. Et ita hæc ſecunda averſio habet ſe ſicut terminus, & effectus illius prioris, conſiſtitque in privatione conformitatis, quam homo tenetur conſervare in ſe ipſo, exercendo ea, quæ lege præcipiuntur; & omittendo illa, quæ prohibentur. Unde prima averſio, quia proxime ſubjectatur in actu, illo tranſeunte, non amplius durat: ſecunda autem permanet, quia non eſt in actu; ſed ex actu in perſona relinquitur. Diciturque habitualis, non quia ſit aliquis habitus, vel forma; ſed quia per modum habitus perſeverat in ſuppoſito, quandiu peccatum actuale, ex quo fuit cauſata, non retractatur.

Hoc ſuppoſito dicunt prædicti auctores, quod ſicut Adamus ex vi ſui actus peccaminoſi, etiam eo tranſacto, manſit habitualiter averſus à lege: quam trangreſſus fuerat, & cum privatione habitualis conformitatis ad illam, ita ex vi ejuſdem peccati traduxit in nos ſimilem habitualem averſionem, ſeu privationem conformitatis ad eandem legem. Et hæc privatio differt ab aliis, quas explicuimus. Videturque aptior omnibus illis ad peccatum originale conſtituendum: quia cum de ratione peccati ſit contrarietas, & oppoſitio ad legem, omne peccatum debet conſtitui per averſionem ab illa: ita quidem ut ſi peccatum ſit actuale, conſtituatur per averſionem actualem, quæ eſt privatio conformitatis in ipſo actu: ſi vero ſit habituale, ſicut eſt originale, conſtituatur per habitualem averſionem, quæ eſt privatio conformitatis habitualis debitæ haberi à ſuppoſito. Ita Curiel in præſenti art. 3. dub. 4. & quidam alii.

Cæterum neque hic modus dicendi placet, neque omnia, quæ involvit, vera ſunt. 13 **Improbatur hic modus dicendi.** Præcipue vero illud de duplici difformitate ad legem, alia actuali, & tranſeunte cum actu peccaminoſo, alia habituali, & poſt illum permanenti, vel eſt falſum, vel non ad rem. Pro quo nota, quod qui in peccante diſtinguit prædictas duas difformitates, vel privationes conformitatis cum lege, debet, in eo, qui legem adimplet, diſtinguere duplicem conformitatem cum illa, prædictæ duplici difformitati oppoſitam: atque adeo aliam actualem, & tranſeuntem cum actu legis adimpletivo, in eoque recepta, cujus ſit privatio illa, quæ dicitur *averſio actualis:* aliam vero habitualem, & permanentem in ſuppoſito, cujus ſit privatio illa, quæ dicitur *averſio habitualis*. Eſt enim aperta implicatio, ut privationes diſtinguantur, & multiplicentur, niſi eodem proportionali modo multiplicentur, & diſtinguantur formæ, quarum ſunt privationes.

Hoc ſuppoſito ita formatur impugnatio. Nam vel nomine prædictæ conformitatis habitualis,

tualis,

Digitized by Google

ſtinguimus inter homines diverſa genera gentium, & inter equos diverſa genera equorum, & ſic in aliquibus aliis ſpeciebus. Ita ergo in præſenti per gratiā alterius generis ſufficit intelligere gratiam alterius conditionis, modi, vel ſtatus, in quo ſolum involvitur diſtinctio accidentalis, retenta unitate eſſentiali, & ſpecifica.

8. Quod ſecundum, videlicet juſtitiam originalem habuiſſe hanc modalem diſtinctionem à gratia noſtra, videtur etiam ratio perſpicua: nam gratia juſtificans præcisè ex ſua ſpecie non habet refundere in corpus, & partem ſenſitivam perfectam illam ſubjectionem ad animam, & ad rationem, quam ponebat juſtitia originalis; alias modo eam refunderet: ergo aliquid fuit illi ſuperaddendum ad prædictum effectum præſtandum. Cùmque hoc ſuperadditum non potuerit eſſe alia forma, ſpecie, vel numero diſtincta, ut intuenti conſtabit: debuit eſſe ſaltem alius modus informandi ejuſdem gratiæ, non quidem penes majorem intenſionem, intenſio enim gratia datur modo aliquibus viatoribus, quàm tunc communiter daretur) ſed penes majus dominium gratiæ ſupra animam, majoremque ſubordinationem iſtius ad illam, ad eum proportionalem modum, quo in patria ex pleniſſimo dominio gratiæ ſupra animam redundant dotes in corpus, quæ perfectiſſime illud animæ conformant & ſubiiciunt: quò enim gratia magis dominatur menti, & illam quaſi comprehendit, eò dat animæ majus dominium ſupra corpus, magiſque illud ipſi animæ conformat. ¶ Et juxta hæc intelligendus eſt D. Th in 2. diſt. 31 q. 1 art. 2. ad 2. ubi dixit *juſtitiam originalem non habuiſſe communicare corpori prædictam perfectionem, oppoſitámque imperfectionem excludere, in quantum juſtitia eſt* (id eſt ex ipſa eſſentia, & ſpecie gratiæ, & ſanctitatis ſecundum ſe ſumptæ) *ſed ratione cujuſdam accidentis ſibi annexi*, &c. Hujuſmodi enim accidens adnexum fuit proculdubio prædictus modus informandi: qui idcirco dictus *eſt accidens, prædictæ juſtitiæ* quia erat extra eſſentiam, & diſtinctus ab ea, ſicut modus à re; non autem quia eſſet alia forma entitative, & ſpecifice diverſa.

D. Thom.

Similiter de habitibus operativis provenientibus à juſtitia originali, perfici entibuſq; potentias, ſive ſpirituales, ſive ſenſitivas dicimus, ſaltem plures fuiſſe ſupernaturales: quia habebant eadem objecta, & ſpecificativa, quæ habent noſtræ virtutes infuſæ dimanantes à gratia: unde non poterant ab eis ordine, vel ſpecie diſtingui. An vero etiam virtutes naturales ab illa orirentur, dicemus infra dub. 3. Qui autem ex prædictis habitibus exiſterent in appetitu ſenſitivo, haberent aliquem ſpecialem modum eorum eſſentiæ, & intenſioni ſuperadditum, ratione cujus prædictum appetitum abſque rebellione rationi ſubiicerent, quod nūc virtutes etiam ſatis intenſæ non præſtant.

9. Quantum ad perfectionem quæ reſultabat in corpore ratione cujus efficiebatur ſuo modo incorruptibile & immortale, non eſt dicendum fuiſſe abſolute, & ſimpliciter ſupernaturalem; ſed ſecundùm quid & reſpectivè ad corpus humanum: ut de dotibus corporis glorioſi diximus in tractat. de beatitud. diſp. 5. à num. 41. Et ex ibidem dictis à num. 23 conſtat prædictam incorruptibilitatem ponere in corpore aliquam formam poſitivam de prædicamento qualitatis (quod à fortiori de habitibus perficientibus potentias ſine dubio tenendum eſt) nam impaſſibilitas juſtitiæ originalis erat quædam imperfecta participatio impaſſibilitatis perfectæ, quæ in corporibus beatis habet rationem dotis, & ita eodem modo ſervata proportione, eſt de utraque philoſophandum. ¶ Per quod patet ad quartam difficultatem propoſitam. Hinc ſolutā habetur quarta difficultas.

Ad quintam dicendum eſt; perfectionem corporis, & partis ſenſitivæ provenire à gratia exiſtente in anima ratione modi informandi nuper dicti, & à rectitudine exiſtente, in intellectu, & voluntate, non quidem per actionem rigoroſam, ſed per emanationem pertinentem reductive ad genus cauſæ efficientis: ſicut dotes corporis glorioſi proveniunt hoc modo à gratia conſummata, & gloria animæ, ut explicuimus diſp. citata num. 47. ¶ Diximus *ratione modi informandi*, &c. quia à gratia præciſe ſecundum ſe ſpectata non dimanat talis perfectio, ut nunc cernitur in viatoribus; ſed ex modo illo informandi, qui tribuebat gratiæ plenius dominium in animam, reſultabat in iſta plenum dominium ſupra corpus, & ex hoc dominio in ipſo corpore plena ſubjectio ad animam. Ex his ergo ſummatim perſtrictis (neque enim ſunt propria iſtius loci) habetur pro re præſenti ſufficiens notitia ſtatus juſtitiæ originalis, & effectuum, quos illa naturæ humanæ ſupra ſuam conditionem ſecundum ſe ſpectatæ tribuebat. Solutio quintæ.

10. Veniamus ad tertium ſtatum naturæ lapſæ, ideo ſic vocatum, quia in eo attenditur conditio, in quam humana natura per peccatum devenit, ſeu quid per illud amiſerit, & quid contraxerit. Prædictus vero ſtatus ex duorum præcedentium notitia facile dignoſcitur. Quia in eo nec retinuit humana natura aliquid eorum, quæ originalis juſtitia contulerat: nec amittere potuit illa, quæ prædictæ naturæ ſecundum ſe ſpectatæ, & ex ſuis naturalibus principiis debebantur. Quod recte explicuit Ang. Doct. opuſc. citato ubi c. 192. ſic ait. *Quia igitur dicti ſtatus* (ſcilicet juſtitiæ originalis) *tam ordinata integritas tota cauſabatur ex ſubjectione humanæ voluntatis ad Deū, conſequens fuit, ut ſubducta humana voluntate à ſubjectione divina, deperiret illa perfecta ſubiectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam: unde conſequutum eſt, ut homo ſentiret in inferiori appetitu ſenſibili concupiſcentia, & iræ & cæterarum paſſionum inordinatos motus non ſecundum ordinem rationis, ſed magis ei repugnantes, & eam plerunque obnubilantes, & quaſi perturbantes: & hæc eſt rupugnatia carnis ad ſpiritum*, &c. Et c. ſeq. *Conſequutum eſt etiam ut in corpore ſentiretur corruptionis defectus, ac per hoc homo incurreret neceſſitatem moriēdi quaſi anima iam non valente corpus in perpetuum continere, vitam ei præbendo: unde homo factus eſt paſſibilis & mortalis*, &c. Tertius ſtatus qui eſt naturæ lapſæ. D. Thom.

Et quia (addit c 193. *prædictum originalis juſtitiæ bonum ſic humano generi in primo parente divinitus attributū fuit, ut tamen per ipſum derivaretur in poſteros, remota autē cauſa removetur effectus, cōſequens fuit, ut primo homine prædicto bono per proprium peccatum privato, omnes poſteri privarētur: & ſic de cætero, ſcilicet poſt peccatū primi parētis omnes abſq; originali juſtitia*

juſtitia, & cum defectibus consequentibus ſunt exorts, &c. In quibus ita clare, & plenè deſcribit D. Thom. hujuſmodi ſtatum, ut non ſit neceſſe pro ejus declaratione; & pro dubii deciſione plura ſuperaddere.

§. II.

Deciſio dubii.

11 Dicendum itaque eſt; humanam naturam per peccatum Adami amiſiſſe omnia dona, & perfectiones, quæ contulerat juſtitia originalis, & gratia in ea incluſa manſiſſéque in ea nuditate quantum ad intrinſeca, quam haberet ſi in puris naturalibus conderetur, cum hac tamen differentia, quod in pura natura, ubi prædicta dona debita non fuiſſent, eorum defectus ſolum eſſet negativus, neque haberet rationem culpæ, aut pœnæ; in natura vero lapſa, cui talia dona ex vi promiſſionis factæ Adamo debentur, prædictus defectus habet rationem privationis, & eſt culpa, vel pœna. Diximus *quantum ad intrinſeca*: quia loquendo de extrinſecis, adhuc in natura lapſa retinet homo elevationem, ſeu deſtinationem Dei ad finem, & ordinem ſupernaturalem, quæ non eſſet in ſtatu naturæ puræ. Sed hæc uſque dum natura per gratiam ſanetur, ſeu reparetur, non ponit in ea aliquid intrinſecum.

Igitur in prædicto ſtatu naturæ lapſæ contrahit homo in primis privationem gratiæ ſanctificantis, quæ perficiebat immediate ipſam ſubſtantiam animæ, nec non privationes omnium donorum, & virtutum infuſarum, quæ erant in intellectu, & voluntate. Contraxit item in appetitu ſenſitivo privationem ſubjectionis ad rationem, ſeu illarum virtutum & habituum, quibus conſiſtebat talis ſubjectio. Et denique ex parte corporis contraxit privationem illius vel illarum perfectionum, quibus ſubdebatur animæ, & ab ea continebatur, ne in mortem, vel corruptionem tenderet. Vnaquæque autem prædictarum privationum in illa parte eſt ſicut in ſubjecto; ubi futura erat perfectio, quæ privat.

Nec refert ſi dicas, fidem & ſpem manſiſſe in Adamo poſt peccatum, ut dicemus infra: ergo natura humana non contraxit iſtarum virtutum privationem. Patet conſequentia: quia natura eiſdem, & non aliis perfectionibus ſpolita eſt, quas Adamus pro ſe, & pro omnibus amiſit. ¶ Reſpondetur enim, prædictas virtutes manſiſſe in illo ut perfectiones perſonales ipſius, non autem ut naturæ dona transfundenda in poſteros cum ipſa natura. Unde licèt Adamus ob ſpecialem indulgentiam ipſi ut perſonæ particulari factam, non amiſerit tales virtutes pro ſe, amiſit tamen pro nobis: & ideo contraxit tunc debitum carendi illis in omnibus poſteris, ob idque omnes cum earum privatione concipiuntur.

12 *Difficultas principalis.* Sed eſt difficultas, an ultra prædictas privationes, quas Theologi communiter admittunt, contrahant ſucceſſores Adami aliam, quam quidam authores adſtruunt, & appellant *privationem habitualem conformitatis ad legem*, in eaque eſſentiam originalis peccati conſtituunt. Pro cujus intelligentia animadvertunt, non ſolum eſſe debitum, quod omnes actus humani ſint conformes legi, & voluntati divinæ, ſed etiam quod homines ipſi mediis ſuis actibus prædictæ legi, & voluntati conformentur. Et ideo cum aliquis mortaliter peccat, præter deformitatem, quæ eſt in ipſo actu peccaminoſo, per quam talis actus dicitur *contrarius legi*, reſultat ex eo in ſuppoſito alia deformitas perſonalis, per quam ipſe homo dicitur *averſus à lege*, quam tranſgreſſus eſt, & à legiſlatore, cui fit injurius. Si quis enim violet ius amicitiæ, non ſolum ejus actus dicitur eſſe contra amicitiam; ſed etiam agens manet averſus, & oppoſitus amicitiæ legis. Et ita hæc ſecunda averſio habet ſe ſicut terminus, & effectus illius prioris, conſiſtitque in privatione conformitatis, quam homo tenetur conſervare in ſe ipſo, exercendo ea, quæ lege præcipiuntur; & omittendo illa, quæ prohibentur. Unde prima averſio, quia proxime ſubjectatur in actu, illo tranſeunte, non amplius durat: ſecunda autem permanet, quia non eſt in actu;ſed ex actu in perſona relinquitur. Diciturque habitualis, non quia ſit aliquis habitus, vel forma; ſed quia per modum habitus perſeverat in ſuppoſito, quandiu peccatum actuale, ex quo fuit cauſata, non retractatur.

Hoc ſuppoſito dicunt prædicti auctores, quod ſicut Adamus ex vi ſui actus peccaminoſi, etiam eo tranſacto, manſit habitualiter averſus à lege: quam trangreſſus fuerat, & cum privatione habitualis conformitatis ad illam, ita ex vi ejuſdem peccati traduxit in nos ſimilem habitualem averſionem, ſeu privationem conformitatis ad eandem legem. Et hæc privatio differt ab aliis, quas explicuimus. Videturque aptior omnibus illis ad peccatum originale conſtituendum: quia cum de ratione peccati ſit contrarietas, & oppoſitio ad legem, omne peccatum debet conſtitui per averſionem ab illa: ita quidem ut ſi peccatum ſit actuale, conſtituatur per averſionem actualem, quæ eſt privatio conformitatis in ipſo actu: ſi vero ſit habituale, ſicut eſt originale, conſtituatur per habitualem averſionem, quæ eſt privatio conformitatis habitualis debitæ haberi à ſuppoſito. Ita Curiel in præſenti art. 3. dub. 4. & quidam alii.

Cæterum neque hic modus dicendi placet, neque omnia, quæ involvit, vera ſunt. Præcipue vero illud de duplici difformitate ad legem, alia actuali, & tranſeunte cum actu peccaminoſo, alia habituali, & poſt illum permanenti, vel eſt falſum, vel non ad rem. Pro quo nota, quod qui in peccante diſtinguit prædictas duas difformitates, vel privationes conformitatis cum lege, debet, in eo, qui legem adimplet, diſtinguere duplicem conformitatem cum illa, prædictæ duplici difformitati oppoſitam: atque adeo aliam actualem, & tranſeuntem cum actu legis adimpletivo, in eoque receptam, cujus ſit privatio illa, quæ dicitur *averſio actualis*: aliam vero habitualem, & permanentem in ſuppoſito, cujus ſit privatio illa, quæ dicitur *averſio habitualis*. Eſt enim aperta implicatio, ut privationes diſtinguantur, & multiplicentur, niſi eodem proportionali modo multiplicentur, & diſtinguantur formæ, quarum ſunt privationes. 13 *Improbatur hic modus dicendi.*

Hoc ſuppoſito ita formatur impugnatio. Nam vel nomine prædictæ conformitatis habitualis,

tualis, cujus eſt privatio illa, quæ dicitur *habitualis difformitas*, intelligitur ipſa gratia, & virtutes, quæ manent in eo qui legem adimplet, & per quas eſt habitualiter diſpoſitus, atque in præparatione animi ad talem adimpletionem, quoties præcepta occurrerint: aut intelligitur aliqua alia forma ab eis diſtincta? Primum non eſt ad rem: quia tunc illa averſio, vel privatio conformitatis habitualis non differt a privationibus ejuſdem gratiæ, & virtutum, quas nos poſuimus, ut eſt per ſe notum. Secundum autem eſt omnino falſum: quia nulla eſt excogitabilis talis forma, ut intuenti conſtabit. ¶ Eò præſertim, quia prædicta forma, eo ipſo quod eſſet habitualis, & maneret tranſactis actibus, deberet immediate recipi in voluntate, vel in anima: quod ſi in iſta recipiatur, non differt à gratia, quoniam in anima nulla alia forma habitualis poteſt immediate recipi præter gratiam, quæ dat *eſſe* ſupernaturale, & habet in iſto ordine rationem naturæ, ut infra magis declarabitur; ſi autem in voluntate, cum ibi ſit in ordine ad bonum, ſcilicet ad eam legi conformandam, non differt à virtutibus: nam virtus voluntatis nihil aliud eſt, niſi qualitas perficiens, & inclinans illam reſpectu boni.

14 Effugium. Dices non requiri hujuſmodi conformitatem habitualem, ut detur prædicta habitualis privatio, & averſio; ſed ſufficere illam conformitatem actualem, qua quis tenetur mediis ſuis actibus legi conformari; nam reſpectu illius poteſt diſtingui duplex privatio: alia tranſiens cum ipſo actu peccaminoſo: & alia permanens: adhuc enim poſtquam talis actus tranſiit, quandiu non retractatur, verificatur, quod homo caret prædicta conformitate actuali, atque adeo quod eſt illa privatus.

Præcluditur. Sed hoc facile refellitur: quia repugnat eſſe privationem, ubi non eſt debitum habendi formam, ſed tranſacto actu, & actuali omiſſione, non eſt debita illa conformitas actualis, non enim eſt debita haberi niſi in actu, & mediante ipſo actu: atque adeo tunc dumtaxat quando adeſt, vel adeſſe debet talis actus: igitur tranſacto actu, & tempore, quo eſt debitus, nulla carentia conformitatis actualis poteſt habere rationem privationis. Quare admiſſo quod talis carentia, etiam poſtquam actus, & operandi debitum tranſiit, maneat habitualiter in ſuppoſito per modum negationis; omnino tamen negandum eſt, quod ratione illius maneat habitualiter aliqua privatio.

15 Alia impugnatio. Deinde impugnatur prædictus modus dicendi. Quia pueris deſcendentibus ab Adamo nulla alia forma erat debita, ex vi pacti in paradiſo initi, præter juſtitiam originalem, ut includentem gratiam, & cæteras perfectiones, quas ſupra explicuimus: ergo nullius alterius carentia poteſt in illis habere rationem privationis. Conſequentia liquet: quoniam privatio non eſt niſi formæ debitæ, neque pueris alio titulo illa forma poſſet eſſe debita, niſi ex vi prædicti pacti. Antecedens vero ſuadetur. Tum quia Deus nihil aliud promiſit Adamo pro ſuis poſteris præter prædictam juſtitiam, & perfectiones in ea incluſas. Tum etiam quia ſi Adamus non peccaret, nihil ultra prædicta traduceret in poſteros, neque iſti ab illo plus aliquid hæreditarent: ergo nihil aliud erat eis debitum.

Confirmatur: nam niſi Adamus in innocentia permaneret, non transfunderet in parvulos rectitudinem aliquam, quam ſuis actibus acquireret; ſed eam dumtaxat, quam ante omnem actum immediate à Deo pro ſe, & pro poſteris accepit: alia enim quæcumque, utpote propriis actibus, aut eorum merito acquiſita, tantum eſſet perſonalis: ergo non transfunderet prædictam conformitatem habitualem ad legem, quam adſtruit modus dicendi, quem impugnamus: igitur neque ejus carentia habet modo in illis rationem privationis. Hæc ſecunda conſequentia patet: quia modo parvuli nullius alterius perfectionis privati naſcuntur, niſi illius, quam haberent, ſi cum originali juſtitia ab Adamo propagarentur. Prima vero etiam eſt perſpicua: nam juxta prædictum modum dicendi illa conformitas omnino ſupponit actus, quibus homo legem adimpleverit, & ſe illi conformaverit.

Nec refert ſi dicas, pueros habuiſſe debitum conformandi ſe illi legi, quam Adamus violavit: ſicut ipſe Adamus in quantum eorum caput tenebatur illi conformari: & hoc ſufficere, ut carentia talis conformitatis habeat in eis, ſicut habuit in ipſo primo parente, rationem privationis. 16 Evaſio.

Sed contra eſt: quoniam pueri non habuerunt debitum conformandi ſe prædictæ legi in ſe ipſis, ſeu per aliquid propriæ voluntatis, ſed ſolum in Adamo, quatenus ille tenebatur pro omnibus conformari: ergo quamvis privatio talis conformitatis fuerit in Adamo ut in capite naturæ, atque adeo in ejus poſteris, ſecundum quod tunc in illo continebantur; non tamen poteſt eſſe in eis intrinſece, quatenus ſunt in ſe ipſis, uti eſſe debet peccatum originale, & privationes, de quibus loquimur in hoc dubio. Patet conſequentia: quoniam privatio in illo tantum ſubjecto habet eſſe intrinſece, ubi futura erat intrinſece forma debita: ſi igitur prædicta conformitas ſolum fuit debita ut habenda in Adamo, ſolum in illo potuerunt poſteri habere privationem talis conformitatis: quatenus ſicut peccatum actuale Adami, ex eo quod fuit peccatum capitis, moraliter reputatur peccatum omnium poſterorum, & omnes dicimur moraliter in eo peccaſſe: ita privatio conformitatis ad legem, quæ fuit in illo peccato, moraliter reputata eſt noſtra, & quaſi extrinſece nos afficit; minime tamen phyſice intrinſece ut ſumus in nobis: ſicut debent afficere privationes de quibus eſt ſermo, & quæ ex illo actuali peccato per originem in nos phyſice traducuntur. Impugnatur.

Confirmatur, & explicatur. Nam quia juſtitia originalis debetur pueris ut habenda ab illis in ſe, & non ſolum ut habenda in Adamo: ideo ejus privatio intrinſece phyſice illos afficit, ut ſunt in ſe ipſis, & non tantum extrinſece, vel prout fuerint in Adamo: ergo è contra quia ad conformandum ſe prædictæ legi ſolum tenebantur, ut erant in Adamo, & per actum ipſius, non autem ut ſunt in ſe ipſis ſive per actum proprium, privatio talis

talis conformitatis ſolùm poteſt eos afficere ut fuerunt in Adamo, non autem ut in ſe ipſis exiſtentes: niſi ad ſummum extrinſece, vel moraliter, ſicut peccatum actuale illius poteſt eis attribui.

17 *Evaſio alia.* Dices ſecundo: omnes, etiam antequam propria voluntate aliquid operentur, habent illam habitualiter conformem legi Dei: non enim dici poteſt, quod habent voluntatem prædictæ legi difformem: ſed ſi Adamus non peccaret, ejus poſteri ex debito naſcerentur juſti in ſe ipſis: ergo ex debito haberent in ſe ipſis prædictam conformitatem: atque adeo ejus carentia habebit modo rationem privationis intrinſecæ.

Præcluditur. Reſpondetur, prædictam conformitatem habitualem juſtorum non eſſe aliquid diſtinctum à gratia, & virtutibus infuſis, ſed per ipſas dici ita *conformes*: quatenus ſunt ſemper habitualiter diſpoſiti, & in præparatione animi ad adimplendam divinam legem, operando juxta illam, quoties præcepta occurrerint. Unde quod poſteri Adami, illo non peccante, ex debito naſcerentur juſti, & cum ſimili conformitate habituali, ſolùm convincit naſcituros cum gratia, & virtutibus, quas includeret juſtitia originalis; non autem cum illa rectitudine, vel conformitate ſuperaddita, quam intendunt auctores contrarii: atque adeo neque in pueris modo cum peccato naſcentibus ponenda eſt alia privatio, quæ ſit carentia talis conformitatis, præter privationes gratiæ & virtutum, quas num. 11. poſuimus.

18 Alia duplici via poſſet quis adſtruere in ſtatu naturæ lapſæ privationem diſtinctam à ſupra dictis. Primo quia homo per originale peccatum non ſolum naſcitur ſpoliatus gratuitis perfectionibus provenientibus à juſtitia originali; ſed etiam vulneratus in naturalibus, ut Theologi loquuntur, atque adeo privatus, & deſtitutus aliqua perfectione, quam natura ſua poſtulat, quamque proinde in ſtatu puræ naturæ haberet. Si enim omnia naturalia integra permanſerint, & nihil eorum per peccatum exciderit, non eſt quo pacto homo in eis vulneratus dici poſſit. ¶ Secundo, quia natura humana in ſtatu, quem vocamus *in puris*, non eſſet ita pauper ac nuda, ſicut manſit poſtea per peccatum. Quoniam in illo primo ſtatu haberet ratio quendam naturalem vigorem, quo poſſet facilius ſibi ſubordinare appetitum, quàm poteſt poſt peccatum: aliter Deus in eo ſtatu non ſatis providiſſet hominibus de mediis neceſſariis ad aſſequendum finem ultimum naturalem. Cum ergo in natura lapſa non permanſerit talis vigor, fit ut homo non tantum contraxerit privationem illarum perfectionum, quas tribuebat juſtitia originalis; ſed etiam alterius, quæ eſſet in pura natura, ac proinde quod peccatum originale plus à nobis abſtulerit, quàm prædicta juſtitia conferret.

Sed ad primum ex his conſtabit infra in annotationibus ad articulum primum, & ſecundum quæſtionis 85. ubi D. Thom. agit ex profeſſo de effectibus peccati quantum ad ablationem, vel diminutionem boni naturæ. ¶ Ad ſecundum vero reſpondetur illum vigorem, ſi fortè daretur (de quo alibi) non convenire naturæ humanæ præciſe ſecundum ſe, ſeu ut quod ortum ex ſuis principiis, quo pacto ſumpſimus eam, cum deſcripſimus ſtatum ejus in puris; ſed ſuperadderetur gratioſe à Deo: & ita quodammodo conſtitueret ſtatum diverſum ab illo pertinentem reductive vel ad ipſum ſtatum naturæ in puris; vel ad illum, quem vocant *naturæ integræ integritate ordinis naturalis*. Sed quicquid de hoc ſit, illud omnino negandum eſt, videlicet peccatum originale plus à nobis abſtuliſſet, quàm conferret originalis juſtitia: quippe ipſamet juſtitia in ſuo ſtatu conferebat eminentiori modo ſupradictum vigorem, ita ut opus non eſſet pro ejus collatione ad aliud principium, vel formam recurrere. Unde quod peccatum abſtulerit talem vigorem, non arguit abſtuliſſe aliquid ultra ea, quæ prædicta juſtitia conferret, neque manſiſſe humanam naturam pluribus ſpoliatam, quam ab illa exornaretur.

DUBIUM II.

Utrum peccatum primi parentis tranſmiſerit ad nos aliquid poſitivum in potentiis receptum?

VIſis privationibus, quas ex vi peccati Adami contraximus, oportet inquirere, an ultra illas tranſierit ad nos aliquid poſitivum, quod ſit effectus talis peccati, & ad noſtrum originale per ſe pertineat? Quod ferè eſt inquirere, an homo in natura lapſa habeat aliquid poſitivum, quod in pura natura non haberet. Illud autem ſi ſemel detur, vel erit immediate in eſſentia animæ, aut in voluntate per modum pravæ affectionis: ſive male diſponentis in ordine ad naturam; ſive avertentis à Deo, & convertentis ad bonum commutabile tanquam ad finem ultimum: vel erit in aliis potentiis operativis per modum habitus, & qualitatis inclinantis illas ad male agendum. Et quia utrunque eget non modico labore diverſis dubiis examinabitur, ex quorum reſolutione & doctrina ſatis conſtabit, num prædictum poſitivum ſaltem poſſit eſſe in corpore ad illud diſtemperandum, & efficiendum corruptibile, ita ut neceſſe non ſit hanc difficultatem ſeorſum diſcutere.

§. I.

Vera ſententia, & prima eius ratio.

DIcendum ergo eſt, peccatum Adami nihil 19
poſitivum pertinens ad prædictas potentias in nos transfudiſſe, neque proinde aliquid ultra ea, quæ in pura natutura haberemus, ex Adamo nos hæreditaſſe. Hæc concluſio conſonat doctrinæ D. Thomæ multis in locis, quos in tota hac diſputatione referemus. Et illam etiam tuentur Scotus in 2. diſt. 32. quæſt. unica. Durandus ibidem quæſtione 1. Cajetanus 3. p. quæſt. 27. art. 2. Alvarez lib. 6. de auxil. diſput. 44. Medina in præſenti art. 2. Curiel, & Araujo art. eodem dub. unico. Zumel diſp. unica. Greg. Mart. art. 3. dub. 1. Vazquez diſp. 132. cap-

D. Thom. Scotus. Durand. Caiet. Alvar. Medin. Curiel. Araujo. Zumel Greg. Mart. Vaſq.

Digitized by Google

Monteſ. Lorca. Granad. Salas. Bellarm. Azor. Liran. Toring.

cap. 4. Monteſinos diſput. 12. quæſt. ſua 4. Lorca diſp. 43. & 46. Granadus tract. 8. diſp. 3. ſect. 3. Salas tract. 13. diſp. 11. ſect. 2. Bellarminus lib. 5. de amiſſione gratiæ cap. 15. Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 25. Necnon Liranus ſuper ad Rom. 5. Et ibidem Toringius in replicis ſuper additiones Burgenſis ad gloſſam ordinariam, pluresque alii.

Quia vero repugnantia, ſeu non eſſe alicujus effectus recte demonſtratur ex non eſſe cauſæ efficientis, quæ illum in rerum natura producat, utemur primo loco hoc medio, & ratione, videlicet non dari cauſam effectivam prædicti poſitivi, quod ita oſtenditur. Nam talis cauſa (& eſt ſermo de cauſa principali) ſolum poſſet eſſe peccatum actuale Adami, ex quo originale noſtrum, & quicquid per ſe ad illud ſpectat, ortum duxit: ſed peccatum Adami non habuit vim ad cauſandum aliquem habitum poſitivum in noſtris potentiis; imo neque in potentiis ipſius Adami: ergo, &c. Minor probatur. Tum quia unus actus non generat habitum; niſi reſumatur, & reiteretur: habitus enim generatur ex actuum frequentatione, & non aliter ut experientia eſt notum, quam frequentationem prædictum peccatum non habuit. Et licet unus ſingularis actus in potentia non aſſuefacta producat aliquam diſpoſitionem; hæc tamen natura ſua eſt facile mobilis à ſubjecto, & ideo cito perit per ſolum non uſum, etiam ſi nulla forma contraria adveniat: atque adeo non poteſt eſſe de genere eorum, quæ cum peccato originali traducuntur: quia hæc ſuapte natura habent difficile removeri, & nunquam niſi per formam contrariam auferuntur.

Ratio prima.

Tum etiam, nam eſto aliquando unus actus, eò quod eſt valde intenſus habitum generet, non idcirco id dicemus in præſenti: quia quod peccatum actuale Adami potuerit traducere ad nos peccatum originale, non habuit ratione alicuius intenſionis, ſed præcipue ratione ſuæ eſſentiæ, ut erat peccatum capitis: intenſio autem, ſi quæ ibi fuit, omnino per accidens ſe geſſit reſpectu talis traductionis: & ideo eodem proſſus modo tranſiret ad nos culpa originalis ex vi peccati Adami, ſive hoc commiſſum fuiſſet actu intenſo, ſive valde remiſſo.

Tum denique, nam quicquid ſit, an unus Adami actus ſive remiſſus, ſive intenſus ſufficiens fuerit producere habitum; vel diſpoſitionem poſitivam in potentiis propriis ipſius Adami; nequaquam tamen eam vim habere potuit ad producendum tale poſitivum in alio ſuppoſito: actus enim Adami ſecundum ſe non habuit maiorem vim reſpectu effectus poſitivi, quam habent actus noſtri: ſicut neque ex ſe habuit aliquam realitatem poſitivam, qua noſtri careant; quibus tamen certum eſt non ineſſe vim aliquam ad producendum aliquem habitum, vel qualitatem in potentiis alterius ſuppoſiti.

20 Confirmatur: quoniam peccatum Adami neque per ſe immediate, neque mediante inſtrumento poteſt cauſare in ſucceſſoribus prædictum poſitivum: igitur nullo modo. Conſequentia eſt nota, & etiam antecedens quoad primam partem. Nam illud peccatum ſecundum ſe non exiſtit in rerum natura, ſed tranſiit, & periit quicquid in eo fuit: ergo per ſe immediate non poteſt aliquid poſitivum efficere, cum ad hujuſmodi efficientiam indiſpenſabiliter requiratur coexiſtentia cauſæ ad effectum, vel ſaltem ad paſſum, ubi debet produci. Quoad ſecundam verò ſuadetur animadvertendo tùm quòd inſtrumentum non agit niſi per virtutem acceptam à cauſa principali, per quam ad continendum, & producendum ejus effectum elevetur, & cum eo proportionetur. Unde talis virtus, ubi effectus eſt poſitivus, neceſſario debet eſſe poſitiva: quia in ſola privatione, vel negatione nequit effectus poſitivus vere & realiter contineri, ut eſt per ſe notum. Tum etiam quòd inſtrumentum ad traducendum peccatum originale, & ea, quæ per ſe ad illud ſpectant, non poteſt eſſe aliud, niſi ſemen generantis, medio quo communicatur natura tali peccato infecta juxta ea, quæ diſp. 14. dub. 3. explicuimus.

Confirmatio.

Hinc ergo probatur aſſumptum. Quia actus peccaminoſus Adami nihil poſitivum communicavit eius ſemini, aut aliis inde deciſis quippe neque ſecundum ſe, & ex natura rei habuit virtutem ad talem communicationem, ſicut eam non habent actus noſtræ voluntatis, etiam ſi ſint ejuſdem naturæ, & ſpeciei; neque ex aliquo alio capite talis virtus potuit ei advenire: ergo prædictum ſemen non poteſt eſſe inſtrumentum in ordine ad talem communicationem. ¶ Eò præſertim quia virtus poſitiva, ſi quæ eſſet ex vi peccati Adami ſemini impreſſa, deberet eſſe ita efficax, & immobilis, ut nunquam deficeret, aut minueretur, ſed per omnia ſemina ab uno in aliud perpetuò imminuta deſcenderet, ſicut deſcendit peccatum originale: hoc autem manifeſte ſuperat vires cujuſcumque actus humani, qui ſicut cito tranſiit, ita nequit effectum adeo immobilem relinquere.

Adde; quod ſi actus peccaminoſus Adami ex ſe haberet virtutem ad producendum in aliis ſuppoſitis ſive per ſe immediate, ſive per prædictum inſtrumentum tale poſitivum, eadem ratione idem efficerent peccata cæterorum parentum reſpectu filiorum: atque adeo non minus parentes proximi transfunderent in eos propria peccata, quàm Adamus tranſmiſit originale: quippe neque hujuſmodi peccatis deeſt aliqua vis poſitiva, quæ fuerit in peccato Adami; neque in iſto fuit aliquid poſitivum, quod in aliis non ſit: conſequens eſt abſurdum: ergo, &c. Et quoniam ratio iſta, & confirmatio, ſi efficaciam habent, plurimùm juuant pro dicendis in tota hac diſputatione: convincunt enim intentum non ſolum de poſitivo, quod ſit habitus receptus in potentiis, ſed etiam de quovis alio, ſive in potentiis, ſive in corpore, vel in anima recipiatur, oportet evaſiones, quæ adhiberi poſſunt, referre, & impugnare.

§. II.

Evaſiones aliquæ præcluduntur.

Primo ergo noſtræ rationi occurri poteſt ex doctrina adverſariorum, quodlibet peccatum mortale, qua ratione eſt averſio à Deo ut 21

Evaſio ad rationem.

fine

Digitized by Google

fine ultimo, etiam ſi aliàs ſit actus valde remiſſus, habere quamdam virtualem, & veluti ſubſtantialem intenſionem, eámque maximam, ratione cujus convertit voluntatem ad creaturam per habitum poſitivum, diligendo illam appretiative ſuper omnia, & conſtituendo ibi finem ultimum. Quemadmodum juxta noſtram ſententiam quilibet actus charitatis, eo quod eſt converſio in Deum ut in ultimum finem, & dilectio ejus ſuper omnia, habet ex vi ſuæ eſſentiæ ſufficientem efficaciam ad producendum in potentiis liberis quemdam modum poſitivum, per quem manent habitualiter in finem illum converſæ. Potuiſſet ergo peccatum Adami ratione prædictæ intenſionis appretiativæ, & ſubſtantialis, producere in illo, & ejus poſteris aliquem habitum poſitivum, quo eorum voluntas, aut aliæ potentiæ ad bonum creatum inordinatè tenderent.

Evaſio ad confirmationem. Greg. Mart.

Ad confirmationem vero occurret Gregorius Mart. in præſenti quæſt. 81. art. 1. dub. 5. (non quod iſte auctor admittat hoc poſitivum; quod impugnamus exiſtens in potentiis, ſed quia ponit illud in anima, vel voluntate pro conſtituenda originali culpa) occurret ergo non eſſe neceſſarium addere ſemini aliquid poſitivum præter ejus naturalem virtutem, qua continet humanam naturam: quia eo ipſo quod per talem virtutem poſſit attingere naturam deſcendentem ab Adamo peccatore, poteſt etiam ſine alio ſuperaddito attingere peccatum originale, quod talem naturam conſequitur, & habet nexum cum illa. Sicut eo ipſo quod idem ſemen attingat prædictam naturam, cum qua nectuntur naturalia accidentia; attingit etiam ſine aliquo ſuperaddito, ſed ratione ſolius nexus inter illa ipſa accidentia, quæ naturam conſequuntur.

22 Verum utraque evaſio eſt inſufficiens. Et prima impugnatur animadvertendo, quod intenſio in actibus requiſita ad generandum habitum, vel qualitatem difficile mobilem debet afficere illos ex parte ſubjecti, cui inhæret potius quam ex parte objecti, vel finis, circa quem verſantur, quia talis intenſio ordinatur ad dandam habitui firmitatem, & ſtabilitatem in ipſo ſubjecto. Non enim diſtinctio inter qualitates facilè, & difficile mobiles attenditur ex parte objecti, vel finis, qui poteſt eſſe idem reſpectu omnium: ut in materia temperantiæ v. g. idem eſt objectum habitus temperantiæ, qui eſt difficile mobilis; atque diſpoſitionis, vel actus, quæ ſunt facile mobilia. Tota ergo eorũ diſtinctio accipitur penes modum eſſendi in ſujecto: cui habitus inhæret firmiter, & ſtabiliter propter intenſionem, vel repetitionẽ actuũ, quibus eſt acquiſitus, & ideo permanet diuturnus, & difficile mobilis: diſpoſitio vero inhæret illi ſegniter, & quaſi tranſeunter, quia eius cauſa videlicet actus, quo fuit acquiſita, caruit prædicta intenſione, ſeu repetitione: & ideo ipſa diſpoſitio non accipit eſſe firmum, ſed inconſtans, & facile mobile. ¶ Hinc ergo prædicta evaſio facile impugnatur: nam tota illa intenſio peccati mortalis, quæ dicitur ſubſtantialis, & appretiativa, habet ſe ex parte obiecti, & modi tendendi in illud; non autem ex parte ſubiecti, aut modi inhærendi, neque affert maiorem, aut firmiorem adhæſionem ad ipſum ſubiectum, quàm afferunt alii actus, quibus appretiatio illa deeſt: ergo nihil conducit in ordine ad generandum habitum, aut qualitatem difficile mobilem à ſubiecto, & quantum eſt ex ſe, perpetuam, uti eſſe deberet illa qualitas, quam peccatum Adami induceret.

Impugnatio prioris.

Et confirmatur: nam licèt quis per unum actum remiſſum luxuriæ expreſſe conſtitueret in eius obiecto finem ultimum, appretiarétque illud ſuper omnia, non ideo per talem actum generaretur habitus luxuriæ inclinans permanenter ad tale obiectum, ſed vel nihil produceretur pertinens ad illam materiam, vel ad ſummum aliqua diſpoſitio imperfecta, & facillime mobilis: ergo quod in quolibet peccato mortali ſit illa appretiatio, qua conſtituatur finis ultimus in creatura, nequaquam ſufficeret ad generandum habitum convertentem voluntatem ad talem creaturam ita firmum, & immobilem, ſicut habet eſſe peccatum originale, & quæ cum eo traducuntur. Roboratur.

Neque illud, quod dicitur de modo charitatis, eſt ad rem. Quia talis modus non producitur per actum charitatis, neque huiuſmodi actus, quantumvis eſſet intenſus, producere poſſet modum, vel habitum difficile mobilem: ſed dimanat à gratia per modum proprietatis, ſicut aliæ virtutes per ſe infuſæ: ſolúſque Deus habet ſe ut cauſa efficiens principalis; actus vero charitatis concurrit diſpoſitive, & materialiter, ſicut concurrit ad infuſionem ipſius gratiæ. At in noſtro caſu ille habitus nullam aliam cauſam habere poteſt niſi peccatum actuale Adami: & ideo ſi ab eo produci nequit, ut probatum eſt, impoſſibilis erit talis habitus. ¶ Adde, per hanc evaſionem nequaquam obviam iri rationi noſtræ, quatenus probat peccatum Adami non potuiſſe cauſare aliquid poſitivum in eius ſucceſſoribus: eò quod omnis cauſalitas poſitiva actus peccaminoſi, ut talis, reſtricta eſt ad proprium ſuppoſitum, neque ultra illud ſe valet extendere. Vnde prædicta ratio potiſſimùm ex hac parte ſemper manet inconcuſſa.

23 Impugnatur evaſio ad confirmationem.

Solutio vero adhibita confirmationi ex doctrina Gregorii Mart. facile etiam impugnatur: quia ſola connexio inter effectus, quantumvis ſit indiſpenſabilis, non ſufficit, ut cauſa attingens unum attingat alterum, niſi utrumque in ſua virtute contineat: aliàs Deus, qui attingit hanc numero entitatem peccati actualis, quæ indiſpenſabiliter nexa eſt cum eius malitia, attingeret ipſam malitiam; quod eſt abominabile: atqui ſemen præciſe per ſuam naturalem virtutem, qua continet naturam humanam, non continet prædictum poſitivum, quod pertinet ad rationem peccati: ergo niſi ei nova vis, & continentia poſitiva ſuperaddatur, nequit illud attingere, etiam ſi naturam producat. Minor ſuadetur: nam virtus naturalis ſeminis eadem eſt nunc, atque eſſet in pura natura: ſed tunc nequaquam contineret prædictum poſitivum, neque illud, ſed ſolam naturam produceret: ergo neque modo.

Accedit, quod cum Deus ſit cauſa totius virtutis naturalis repertæ in ſemine, ſi iſtud præciſe per illam contineret tale poſitivum, quod ad peccatum originale pertinet, Deus eſſet cauſa talis peccati: nam quod eſt cauſa cauſæ, etiam eſt cauſa cauſati ab illa cauſa. Nõ ergo naturalis virtus ſeminis, qua continetur natura humana, ſufficere poteſt ad continendũ, & producendũ

prædictum poſitivum de genere peccati: atque adeo vel ſuperaddenda eſt illi nova vis poſitiva pro tali continentia, vel omnino neganda eſt cauſalitas, & attingentia talis poſitivi. Neque eſt ſimile de accidentibus naturalibus. Tum quia hæc dimanant à natura humana ſecundum ſe, & in ea ſicut in radice continentur, nexuſque inter utraque eſt per ſe: quia natura ex vi ſua poſtulat talia accidentia, hæcque naturam ipſam ſecundum ſe conſequuntur: atque hoc modo ſe habent, poſtulant fieri per eandem actionem, & in eadem virtute cauſæ continentur. At vero poſitivum illud peccati originalis non dimanat à natura, ut natura eſt, neque in ea ut ſic continetur, neque nexus inter illa eſt per ſe, ſed per accidēs: aliàs in quovis ſtatu illam conſequeretur, & quicumque cauſa eſſet naturæ, eſſet etiam cauſa talis poſitivi peccaminoſi: unde non eſt ſimile.

24 Secunda evaſio ad rationem. Secundo poteſt occurri prædictæ rationi, eam procedere de peccato Adami, ut fuit præciſe perſonale: qua ratione non potuit eſſe majoris virtutis, quàm peccata cæterorum hominum, nec producere ſive in proprio, ſive in altero ſuppoſito habitum, vel qualitatem, quam illa non producunt. Non autem procedit de prædicto peccato, ut fuit capitale, quo pacto habuit longe majorem vim, nam potuit inficere totam naturam, & omnia ejus ſuppoſita, quod non poſſet, ſi eſſet tantum perſonale. Vnde non mirum, quod ex hac conditione *capitalis* fuerit potens ad efficiendum tam in Adamo, quàm in ſucceſſoribus poſitivum, de quo loquimur. Sane quod prædicto peccato ut capitali plus aliquid concedendum ſit in ordine ad influendum in poſteros, quàm ſi eſſet tantum perſonale, eſt ſatis per ſe notum, & ab omnibus Catholicis concedendum: ſiquidem juxta omnium ſententiam ex prædicta conditione habet vim transfundendi peccatum originale (quicquid hoc ſit) in illos, quam non habent peccata pure perſonalia.

Et ad cōfirmationem. Ex quo ad confirmationem dici poſſet, prædictum peccatum ex eadem ratione, videlicet quia fuit capitale, potuiſſe imprimere ſemini Adæ aliquid poſitivum ultra naturalem virtutem, per modum intentionis, & virtutis inſtrumentalis, ratione cujus ipſum ſemen elevaretur, & conſtitueretur potens ad poſitivum peccati originalis producendum. Id, quod ſenſiſſe videtur D. Thom. quæſt. 4. de mal. art. 1. ad 9. ubi cum dixiſſet, quod ex peccato primi parentis deſtituta eſt caro ejus illa virtute, ut ex ea poſſet decidi ſemen, per quod originalis juſtitia propagaretur, ſubdit.

D. Thom. *Et ſic in ſemine defectus hujus virtutis eſt defectus moralis corruptionis, & quadam intentio ejus: ſicut dicimus intentionem coloris eſſe in aere: & ex hoc etiam eſt ibi virtus ad ſimilem imperfectionem, ſicut eſt ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.*

25 Impugnatur ſecunda evaſio. Sed hoc quoque effugium facile impugnatur primo: quia non plus tribuendum eſt peccato Adami ut capitali in ordine ad influendum in poſteros, quàm tribuimus illi ut perſonali in ordine ad influendum in proprium ſuppoſitum: non enim prædictum peccatum ſecundum priorem rationem potentius, aut efficacius fuit ad maculandum nos, efficiendoſque peccatores, quàm ſecundum poſteriorem ad maculandum, & efficiendum peccatorem ipſum Adamum: ſed ſecundum hanc non habuit virtutem ad producendum in eo aliquem habitum, vel qualitatem poſitivam difficile mobilem, ut ſupra oſtendimus: ergo neque ſecundum illam erit potens ad producendum in poſteris ſimilem habitum, vel qualitatem. ¶ Eo præſertim quia licet prædictum peccatum ut perſonale, ſi forte fuiſſet actus valde intenſus, poſſet producere aliquem habitum in proprio ſuppoſito; eo quod talis intenſio per ſe ſe haberet ad eam productionem; adhuc tamen id non poſſet in aliis, ut erat capitale: quia ad hoc munus omnino per accidens ſe habebat prædicta intenſio, ut num. 19. vidimus.

Impugnatur amplius. Deinde impugnatur: nam Adamus per conſtitutionem in eſſe capitis ſolum accepit deſignationem moralem, & extrinſecam, ut ſupponeret pro ſuis poſteris, & unus cum illis reputaretur in ordine ad conſervationem, vel amiſſionem originalis juſtitiæ: non autem accepit ejus voluntas aliquod poſitivum intrinſecum præter illa, quæ haberet, ut erat perſonæ particularis: ergo non potuit ex vi talis conſtitutionis communicare ſuo peccato aliquā vim intrinſecam poſitivam præter illam, quam cōmunicaret, ut erat voluntas particularis perſonæ. Igitur neque ipſum peccatum, quatenus erat peccatum capitis, potuit producere in proprio, vel alieno ſuppoſito, ſive immediate, ſive medio inſtrumento aliquid poſitivum, quod, prout erat peccatum perſonale, non produceret. Vtraque conſequentia eſt ſatis nota: nam cum totum, quod eſt intrinſecè in effectu, debeat intrinſecè præcōtineri in ſua cauſa, omnino repugnat, ut quæ ſemel eſt impotens ad attingendum aliquid peculiare poſitivum in ſuo effectu, eo quod illud non continet, reddatur potens, niſi ei ſuperaddatur peculiaris virtus poſitiva intrinſeca, ratione cujus contineat ipſū poſitivū, quod in effectu eſt attingendum: ergo ſi Adamo, aut ejus voluntati per conſtitutionem in eſſe capitis nihil intrinſecum poſitivū ſuperadditur ultra illud, quod haberet ut particularis perſona, omnino repugnat ratione talis conſtitutionis oriri ab eo in ſuo actu, vel per actum in effectu aliquid poſitivum, quod non oriretur, ſecluſa tali conſtitutione.

Ad hæc: etiam ſi Adamus, vel ejus voluntas per conſtitutionem in eſſe capitis aliquid poſitivum reciperet, hujuſmodi poſitivum non proveniret à Deo præciſe ut à cauſa communi, & generali; ſed ut ab auctore particulari, & cauſa omnino propria talis poſitivi: ſicut & ipſa conſtitutio in eſſe capitis hoc modo fuit à Deo facta: igitur non poſſet Adamus ratione illius influere in peccatum originale poſterorum, neque in aliquid de genere mali moralis, uti eſſet qualitas poſitiva, quam impugnamus. Patet conſequentia: nam quod eſt à Deo ut auctore particulari, nequit eſſe principium alicujus malitiæ, aut moralis defectus: aliàs hujuſmodi defectus reduceretur in Deum, qui fuit cauſa prædicti principii. 16 Vlterius impugnatur.

Neque in favorem hujus evaſionis debet aſſumi id, quod juxta noſtram ſententiam fatendum eſt: videlicet peccatum Adami, ex quo fuit capitale, habuiſſe vim inficiendi totam naturam, quod non poſſet, ſi eſſet tantùm perſonale. Nam aliud eſt loqui de infectione per ſolam privationem juſtit. origin. ſicut nos ponimus: aliud vero de infectione per qualitatem,

tatem, & habitum, poſit, ut intendunt adverſarii. Ad hoc enim poſterius omnino neceſſarium erat ſuperaddi prædicto peccato aliquam virtutem poſitivam, ratione cujus contineret, & produceret talem habitum, quem ex ſe, & ut erat peccatum perſonale, nec continebat, nec poterat producere: quæ quidem additio repugnat, ut jam oſtendimus. Ad illud autem prius non eſt neceſſaria talis additio, quia non eſt in ordine ad producendum aliquid; ſed ad removendam dumtaxat, & impediendam juſtitiam originalem: ad quod ſufficit, quod Adamus committeret illud peccatum ut caput naturæ, & ex perſona omnium poſterorum: nam eo ipſo omnes propter illum amitterent prædictam juſtitiam, & tale peccatum eſſet omnibus impedimentum ad illam recipiendam: nihilque aliud requiritur, ut ex prædicto peccato in omnibus poſteris Adami originale reſultet, ſuppoſito quod hoc conſiſtat in prædictæ juſtitiæ privatione.

27 Præcluditur evaſio ad confirmationem.

Per quod manet etiam impugnata ſolutio adhibita confirmationi: quia ſi ex peccato Adami, ut erat perſonæ particularis, non poterat oriri aliqua virtus poſitiva in ejus ſemine, quo elevaretur, &c. neque etiam potuit oriri ex prædicto peccato ut capitali: quippe hæc conditio nihil illi aut ejus principio ſuperaddit, ratione cujus poſſet talem virtutem continere, & efficere. Teſtimonium vero D. Thomæ pro prædicta ſolutione adductum ex quæſt. 4. de mal. declarat bene Cajetanus in præſenti quæſt. 81. art. 1. ubi ſic ait. *Non oportet aliquam intentionalem qualitatem in ſemine fingere, quæ productivum ſit culpæ: hoc enim nec ſomniavit auctor, cum culpa nihil entitatis ſit, & concomitanter fiat, & ſufficiens ſit ſemen deciſum à natura deſtituta juſtitia originali. Verba autem auctoris in quæſt. 4. de mal. art. 1. ad 9. non ſignificant oppoſitum: ſed quod privatio juſtitiæ originalis in ſemine illo modo, quo in ſemine ſalvatur, ex defectu ſpectat ad genus moris virtualiter, non quia eſt actu moralis, ſed quia tendit ad morale peccatum: & ſic iſta privatio eſt quædam intentio mali moralis, & malum morale eſt in ea intentionaliter, ſicut color in aëre, & anima in ſemine. Et tenet ſimilitudo quoad hoc, quia intentio ordinatur ad illud, cujus dicitur intentio, non quoad eſſe entia poſitiva, cum hoc de privatione dici non poſſit, etiã ſi fingendi detur licentia.* (Caiet.)

Nec immorari oportet in evertendo aliam evaſionem, quæ adduci poſſet ex Gregorio Ariminenſi in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. ubi ait, qualitatem illam poſitivam ab Adamo ad nos traductam cauſatam fuiſſe in illo vel à pomo vetito tanquam à cibo noxio, & venenoſo, vel à flatu, & ſibilo venenoſi ſerpentis, inde vero ad nos per originem derivari. In impugnatione igitur hujus modi dicendi non eſt neceſſe immorari, utpote qui jam ab omnibus Theologis tanquam fictitius, & omnino voluntarius rejicitur: & meritò cum nullum ſit fundamentum aſſerendi prædictam cauſalitatem. Eò præſertim quia neque in illo pomo, neque in ſerpente, ſicut neque in aliis rebus irrationabilibus, vel inanimatis potuit eſſe virtus ad efficiendam aliquam qualitatem ordinis rationalis; & de genere morali, ſicut eſſet iſta, de qua loquimur. Et adhuc prædicta fictione admiſſa quantum ad cauſalitatem prædictæ qualitatis in ipſo ſuppoſito Adami, quis dicet potuiſſe pomum, aut ſerpentem potentiæ generativæ Adami, & ejus ſemini talem virtutem, & efficaciam imprimere, ut poſſet in omnes uſque ad nos & uſque ad finem ſæculi talem qualitatem indefectibiliter derivare? Sanè quod hoc ſit incredibile, & ſine ullo veritatis fundamento aſſertum, nemo inficiabitur. Quòd vero multi ex Patribus pomum illud appellent *venenoſum*, non obeſt, quia loquutio eſt metaphorica: & per pomum intelligunt affectum inordinatum erga illum: qui ſane affectus fuit ipſum peccatum originale originans, & cauſa noſtri originati: hacque ratione merito dici poteſt *venenoſus*, & *lethalis*. (Greg. Arim.)

§. III.

Duplex alia ratio convincens aſſertionem.

Deinde probatur aſſertio alia ratione quam tangit D. Thom. in hac quæſtione articul. primo, ad 5. & articul. ſecundo, ad 2. & articul. quarto, ad 1. aliiſque in locis. Quoniam ſi ex peccato Adami perveniſſet ad nos in potentiis aliquis habitus poſitivus, hujuſmodi habitus in omnibus determinatè inclinaret ad actus illius ſpeciei, cujus fuit prædictum peccatum: ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Major ex eo conſtat: quia generale eſt omnibus habitibus cauſatis virtute aliquorum actuum inclinare ad actus ſimiles, & circa idem obiectum; nec poteſt aliter contingere: quia ſicut actus cauſans aliquem habitum, non poteſt dare illi inclinationem, aut tendentiam præter obiectum, in quod tendit ipſe actus, aliàs ultra ſuam virtutem operaretur: ita neque prædictus habitus poteſt inclinare, aut elicere actus extra ſphæram talis obiecti; ac proinde extra ſpeciem actus, unde talis habitus provenit. Minor vero ſuadetur. Tum quia peccatum Adami determinate fuit actus ſuperbiæ, aut gulæ, ut infra dicemus: prædictus vero, quem adverſarii ponunt, non inclinat, etiam iuxta eorum ſententiam, ad unam, vel alteram determinatam ſpeciem peccati, ſed indeterminate ad quodvis bonum ſenſibile rationi contrarium: propterea enim talem habitum ex peccato primi parentis emanaſſe dicunt, quia vident in nobis concupiſcentiam, & fomitem peccati inclinantem appetitum ad agendum contra, aut præter ordinem rationis: ob idque affirmant, prædictum fomitem, & concupiſcentiam per talem habitum conſtitui: & conſequenter ſicut ipſa concupiſcentia non inclinat determinate ad unam, vel alteram ſpeciem actus pravi, neque ad unum dumtaxat, vel alterum obiectum; ſed ad omnia ſenſibilia, & appetibilia præter ordinem rationis: ſic prædictus habitus in omnia indeterminate propendit. Tum etiam quia experientia deprehendimus, non omnes naſci cum ea determinata inclinatione ad actus ſuperbiendi, & comedendi, quæ fuit materia peccati Adami ſed multos ſine illa, & cum maiori inclinatione ad ita, aut ad luxuriam, aut avaritiam aut ad alia peccatorum genera. Signum ergo eſt huiuſmodi inclinationes non eſſe per aliquem habitum poſitivum cauſatum ex prædicto peccato. 28 Ratio ſecunda.

Nec dici poterit deveniſſe ad nos plures habitus, quibus alii inclinantur ad ſuperbiam, alii ad iram, alii ad luxum, alii ad gulam, &c. nam hoc ex dictis manet impugnatum: quia cum actus ille Evaſio præcluſa.

ille Adami determinate fuerit unius, vel duplicis, aut ad ſummum triplicis ſpeciei, impoſſibile eſt, ut tot habitus vitioſi, quot in diverſis hominibus, etiam quando primo perveniunt ad rationis uſum, videmus inclinationes pravas, potuerint ex prædicto peccato originari. ¶ Præterquam quod cum tale peccatum æque ad omnes Adami poſteros attinuerit, & in omnes peccatum originale æqualiter tranſmiſerit, nulla poterat eſſe ratio, cur omnes æqualiter, & indiſcriminatim omnes illos habitus, & inclinationes participarent.

29 Effugium aliud ex Iacobo Naclanto. Dices ex Iacobo Naclanto, quem infra referemus, per hæc ſolum excludi poſitivum, quod ſit habitus entitative diſtinctus, & ſuperadditus potentiis; non autem quod ſolum ſit quædam maior intenſio ipſarum potentiarum, ratione cuius naturalis earum inclinatio effecta præternaturalis efficacius & vehementius inclinat ad bona ſenſibilia præter ordinem rationis, quam inclinaret in ſtatu naturæ puræ: & hæc eſt infirmitas, qua ægrotat natura lapſa: ſicut febris eſt ipſe calor naturalis factus præternaturalis ratione maioris vehementiæ, & intenſionis, & idem poteſt exemplificari in fame canina. Si vero poſtules cauſam huius inclinationis præternaturalis, & vehementioris in potentiis, dicit fuiſſe peccatum Adami, quatenus ratione illius corpus hominis manſit diſtemperatum: nam ad huiuſmodi diſtemperamentum ex parte corporis ſequitur effectus illi in potentiis.

Impugnatio. Sed hoc totum facile reiicitur. Tum quia naturalis inclinatio noſtrarum potentiarum, quæ à potentiis ipſis non differt, non eſt intenſibilis, vel remiſſibilis, neque ſuſcipit magis, aut minus in eſſe rei, ſed ex ſua prima, & naturali emanatione accipit totam intenſionem, quam naturaliter habere poteſt, in eamque omnino immobilis, & invariabilis permanet: igitur neque potentiæ Adami, aut earum inclinatio per ſuum peccatum potuerunt in intenſione creſcere; neque exinde ad nos cum maiori intenſione, quàm natura ſua poſtulant, derivari. Tum etiam quia eſto prædictæ potentiæ eſſent variabiliter intenſibiles; non tamen quilibet actus poſſet eas ultra naturales limites, ſeu præternaturaliter intendere; ſed ille tantum, qui ratione quàm maximæ intenſionis ſuperaret intenſionem, quam ipſæ potentiæ ex ſua naturali emanatione recipiunt, quæ ſine dubio eſt ſatis magna: at peccatum Adami certius eſt non habuiſſe tantam intenſionem; & eſto habuerit illam, cùm talis intenſio fuerit omnino per accidens ad traducendum originale, ut n. 19. vidimus, nullatenus prædicta intenſio potentiis ſuperaddita cum peccato originali deſcendens, poteſt in peccatum Adami reduci.

30 Impugnatio alia. Adde nullum eſſe fundamentum ad affirmandum potentias ſenſitivas in ſtatu naturæ puræ ferri in ſua obiecta minori impetu, minorive efficacia, quàm modo feruntur, antequam per proprios actus habitus vitioſos acquirant: ergo ſine fundamento ponitur modò in eis maior intenſio, quàm haberent in illo ſtatu: aſſeriturque ratione talis intenſionis factam eſſe nunc earum inclinationem præternaturalem, quæ tunc ſub limitibus inclinationis naturalis contineretur.

Illud vero, quod dicitur de cauſa prædictæ intenſionis, videlicet eſſe corporis diſtemperamentum ex peccato Adami proveniens, ſatis frivolum eſt. Tum quia prædictum diſtemperamentum non eſt per aliquid poſitivum, ſed per privationem illius perfectionis, per quam originalis iuſtitia ſubiiciebat corpus animæ, & continebat illud, ne in corruptionem tenderet: ergo non poteſt eſſe cauſa prædictæ intenſionis, quæ eſt aliquid poſitivum. Tum etiam quia in ſtatu naturæ puræ non haberet homo perfectius, aut æqualius temperamentum, quàm modo habet: ipſa enim humani corporis compoſitio ex materia prima, & ex aliis contrariis naturaliter infert ſimilem diſtemperiem inter eius qualitates, efficitque illud ita grave, & paſſibile, ſicut experimur: atque adeo in quolibet ſtatu, ubi non perficitur per aliquid à Deo gratioſe ſuperadditum, ſicut non perficeretur in ſtatu naturæ puræ, debet talis diſtemperies reperiri: ſicut ergo in prædicto ſtatu non eſſet ex tali diſtemperie aliquid poſitivum præternaturale aut intenſius, quam ipſa natura poſtulat, ita neque in iſto. ¶ Neque eſt ſimile de calore febris, aut de fame canina: quia iſtæ cum non ſint potentiæ, ſed diſpoſitiones, aut paſſibiles qualitates, ſuſcipiunt magis, & minus, & ideo poſſunt variabiliter intendi, aut remitti: potentiæ autem naturales non ſuſcipiunt huiuſmodi variabilem intenſionem, ut dictum eſt.

Vltimo probatur concluſio alia ratione: quia ſine aliquo poſitivo potentiis ſuperaddito manent illæ cum ea propenſione ad malum, & cum ea difficultate ad bonum, quam experimur in natura lapſa: ergo ſuperfluè adderetur tale poſitivum. Conſequentia liquet: non enim aliunde colligi poteſt neceſſitas talis poſitivi, niſi ex prædicta inclinatione ad malum, & repugnantia ad bonum. Antecedens vero ſuadetur: nam per hoc præciſe quod humana natura amiſerit iuſtitiam originalem, maneantque eius potentiæ deſtitutæ fræno, & retinaculo rationis, quo ab illa compeſcebantur, propendunt ſine modo, & menſura in ſua obiecta, & rationi ipſi præſcribenti talem modum ſæpiſſime reluctantur: conſtat autem prædictam propenſionem ad malum, & repugnantiam ad bonum in nullo alio conſiſtere: ergo, &c. 31 Vltima ratio.

Confirmatur: nam ſicut corpus humanum non habet ex ſe ſubiici, & contineri ab anima contra corruptionem, ſed hoc præſtabat illi incorruptibilitas iuſtitiæ originalis: ita appetitus ſenſitivus v. g. non habet ex ſe plene ſubdi rationi, aut appetere iuxta illam, ſed hoc ei conferebat perfectio prædictæ iuſtitiæ: ergo ſicut ex parte corporis ſat fuit amittere prædictam incorruptibilitatem, ut efficeretur corruptibile, quaſi redditum ſuæ priſtinæ naturæ ſine aliquo alio poſitivo: ita ex parte prædicti appetitus ſatis erit amiſiſſe prædictam continentiam ſub ratione, ut contra vel præter ipſam rationem ſæpe in ſua obiecta immediatè tendat. ¶ Accedit, quod ſicut conſtare ex contrariis eſt ſufficiens ratio corruptibilitatis, niſi per aliquid impediatur: ita conſtare ex appetitu ſenſitivo, & rationali, quandiu inter eos non ponitur plena ſubordinatio, ſufficiens ratio propenſionis ad malum, & repugnantiæ ad bonum, dum ratio prohibet, quod appetitus quærit; & iſte retardat, quod illa appetit: ergo ſicut ad corruptionem corporis non eſt neceſſe ponere aliquid poſitivum, ſed auferre prohibens: ſic ad prædictam propenſionem, & repugnantiam ſufficit removere eius *prohibens*: non vero aliquid ſuperaddere. Confirmatio.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Duplex ſententia adverſa.

32 Prima ſententia adverſa, quam tenent. Gregor. de Arim. CONtra noſtram aſſertionem duplex militat ſententia: alia Gregorii de Arimino in 2. diſtinct. 30. quæſt. 1. art. 2. ubi ait, ex peccato Adami fuiſſe in nobis relictam quandam qualitatem morbidam ſuperadditam qualitatibus naturalibus: quæ quidem morbida qualitas apud eundem Gregorium alia eſt ſpiritualis reſidens in anima: alia vero materialis, & corporea afficiens immediate corpus; vel ejus potentias, à qua ſpiritualis illa cauſatur. Ipſam vero qualitatem corpoream dicit proveniſſe Adamo vel ex pomo vetito tanquam ex venenoſo cibo, vel ex flatu ſerpentis venoſi; ad nos autem per libidinoſam generationem traduci. Quam etiam ſententiam tuentur Henricus quodlib. 1. quæſt. 27. Grabriel in diſt. 30. quæſt. 2. art. 1. dub. 1. & Okamus ab eo ibi relatus, Richardus ibidem quæſt. 1. & diſt. 31. ſequenti, ubi etiam Eſtius §. 1. Guilielmus Pariſienſis de vitiis, & peccatis cap. 2. 3. & 4. & pro eadem ſententia referuntur à Salas in præſenti diſp. 11. ſect. 2. Guilielmus Antiſſiodorenſis, Iacobus Almainus, Robertus Holkot, & alii. (Henricus. Gabriel. Okam. Richard. Æſtius. Guil. Pariſ. Salas. Guil. Antiſ. Iacob. Alm. Rob. Holk.)

Fundamentum verò deſumunt ex Auguſtino lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 25. ubi loquens de concupiſcentia, quæ in nobis ex peccato originali remanſit, dicit eſſe *affectionem quandam malæ qualitatis*, ſicut *languor*. Et lib. 6. contra Iulianum cap. 18. libidinem, quæ à prædicta concupiſcentia non differt, dicit eſſe *vitium animi*: quod etiam ſonat qualitatem poſitivam. Idemque D. Auguſtinus lib. 4. Hypognoſticon cap. 2. aſſerit, ex ſerpentis ſibilo venenoſo naturam primi parentis contraxiſſe hunc morbum, quem non habuit ante culpam, & per ſemen in poſteros pertranſiſſe. Et cap. 1. dixerat non eſſe hoc mirum, cum ſibilo quorumdam ſerpentium aliquando homines afflati intereant; aliquando vero ad interitum graviter urgeantur: ergo ex ſententia D. Auguſtini tenendum eſt, quod prædicti auctores tuentur. (Fundamentum primæ ſententiæ oppoſitæ ex Aug. — 5.)

(Solutio.) Reſpondetur, D. Auguſtinum nullibi eſſe pro prædicta ſententia: nam in primo, & ſecundo teſtimonio nomine *malæ qualitatis, languoris, & vitii*, quo concupiſcentiam, appellat, non intelligit aliquam qualitatem poſitivam naturalibus ſuperadditam; ſed ipſas potentias quatenus ut deſtitutæ fræno, & gubernaculo rationis tendunt inordinatè in ſua objecta: & hanc deſtitutionem appellavit *languorem, vitium animi, & infectionem malæ qualitatis*. Tum quia per modum malæ qualitatis habitualiter permanet: tum etiam quia non eſt de eſſentia naturæ humanæ, ſed quid ab ea ſeparabile, & ſanabile per gratiam ſaltem conſummatam: conſuevit autem quod eſt extra eſſentiam rei, & ab ea ſeparabile, apellari *qualitas*: ſicut de omnibus accidentibus, & de his, quæ accidentaliter ſe habent, dicimus prædicari in quale.

Ad tertium teſtimonium reſpondetur, S. Doctorem loqui in ſenſu metaphorico: nam ſicut venenati ſerpentes ſuo venenoſo flatu ita ſolent corpora lædere, ut læſio illa ad mortem uſque inferendam pertingat: ſic venenatus ille antiquus ſerpens, nempe diabolus, ſibilo ſuæ perſuaſionis Evam, & illa mediante, Adamum ita læſit, ut talis læſio pertingeret uſque ad inferendam mortem ſpiritualem in utroque per conſenſum in culpam. Qui ſenſus longe differt à ſententia adverſariorum. Pro qua alia, quæ formari poſſunt, argumenta vel ex dictis manent ſoluta, vel in ſequentibus ſolventur.

Secunda ſententia eſt Iacobi Naclanti ſuper ad Roma. 5. ad illa verba *non ergo regnet peccatum*, &c. & Cordubæ lib. 1. quæſt. 45. qui licèt cum communi ſententia excludant qualitatem illam morbidam, quam præcedens opinio adſtruebat; dicunt tamen ſuperadditam fuiſſe potentiis noſtris aliquam majorem efficaciam, vel intenſionem, ratione cujus quaſi à proprio, & connaturali ſtatu, quem haberent in pura natura, ad ſtatum præternaturalem extractæ effrænatius, majorique impetu tendunt in ſua objecta, & in bona ſenſibilia. Quæ ſententia probatur primò ex Concilio Trid. ſeſ. 5. decreto de peccato orig. ubi dicitur, totum Adam ſecundum corpus, & ſecundum animam fuiſſe per peccatum in deterius commutatum: cum autem hæc tranſmutatio in potentiis non fuerit per additionem alicujus habitus, vel qualitatis omnino diſtinctæ, ſequitur fuiſſe per additionem prædictæ efficaciæ, vel intenſionis 33 (Secunda ſententia adverſa Iacobi Naclanti & Cordubæ. — Fundamentum. Concil Trid. ſeſ. 5.)

Confirmatur primo ex D. Anſelmo lib. de conceptu virginali cap. 5. ubi comparat appetitum ſenſitivum deſtitutum juſtitia originali cum fera, quæ prius erat vincta, & poſtea, ruptis vinculis, ferocius ſævit: ſentit ergo prædictum appetitum, poſtquam deſtitutus fuit fræno juſtitiæ originalis, quo à malo compeſcebatur, efficacius ſævire, vehementiúſque in bona ſenſibilia contra rationem inclinare, quàm in ſtatu puræ naturæ, ubi nondum fuiſſet alligatus. Hoc autem fieri non potuit, niſi nova aliqua vis, ſeu intenſio tali appetitui ſuperadderetur: ergo, &c. (Confirmatio ex D. Anſel.)

Confirmatur ſecundo ex D. Thoma art. 1. hujus quæſt. ubi inclinationem appetitus ad malum appellat *languorem naturæ*: at languor non cauſatur niſi in quantum aliquid, quod in animali eſt naturale, v.g. calor, factum ſit præternaturale ratione alicujus majoris, & indebitæ intenſionis: ergo, &c. (Confirmatio alia ex D. Thoma.)

Confirmatur tertio: quia juxta commune Theologorum pronunciatum homo per peccatum ſpoliatus fuit gratuitis, & vulneratus in naturalibus: at hoc vulnus non conſiſtit in amiſſione alicujus qualitatis naturalis: naturalia enim tam in Angelo, quàm in homine poſt peccatum integra remanſerunt: ergo conſiſtit in additione majoris intenſionis, ratione cujus iraſcibilis, & concupiſcibilis quaſi præternaturales factæ vehementius inclinent ad bona ſenſibilia, quam expediat rectæ rationi. (Tertia confirmatio.)

Reſpondetur ad argumentum negando conſequentiam: ſufficit enim, quod homo per peccatum amiſerit juſtitiam originalem, tam ut perficiebat corpus, rectificabátque appetitum 34 (Solutio ad fundamentum.)

titum, quàm ut perficiebat animam: ut verificetur totum illum ſecundum animam, & corpus fuiſſe in deterius commutatum, ut ait Tridentinum. ¶ Ad primam confirmationem reſpondetur, exemplum illud D. Anſelmi non tenere in omnibus, ſed in hoc duntaxat; quod ſicut fera, ruptis vinculis, operatur ſecundum ſuam naturalem feritatem, ita appetitus ſenſitivus, ſoluto vinculo originalis juſtitiæ, quo à malo compeſcebatur, tendit in illud ſine fræno, & moderamine rationis. Cæterùm quantum ad intentum argumentis non tenet ſimilitudo. Et ratio eſt: quoniam fera, dum eſt alligata, habet pro objecto ſuæ ſævitiæ illam detentionem cauſatam ex vinculis: & ideo ibidem magis ſævit, & poſtmodum ruptis illis plus fureſcit, quam ſi vincta non fuiſſet; nunquam tamen ejus ira excedit naturalem intenſionem ſui appetitus iraſcibilis. Cæterum appetitus ſenſitivus hominis, dum erat ligatus per juſtitiam originalem, non habebat pro objecto ſuæ ſævitiæ (ut ſic dicamus) talem obligationem, & detentionem: & ideo non eſt cur ſoluto illo vinculo magis ſæviat, aut immoderatius ad malum inclinet, quam ſi non fuiſſet ligatus.

Ad primam confirmationem.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam reſpondetur, non eſſe neceſſariam additionem alicujus majoris intenſionis in inclinatione appetitus circa bona ſenſibilia, ut verificetur naturam manſiſſe ægram, & cum languore; ſed ſufficere, quod amiſerit rectam diſpoſitionem, & integram valetudinem, quam habebat ex juſtitia originali: nam quia per hanc conſtituebatur integra, & ſana, conſequens eſt, ut ea amiſſa, etiam ſine ullo alio ſeperaddito reddita ſit ægra, debilis, & infirma. Unde etiam exemplum de ægritudine naturali non tenet in omnibus propter id, quod tetigimus num. 30.

Ad tertiam.

Ad tertiam dicendum eſt, hominem dici vulneratum in naturalibus, non quia qualitatem aliquam, aut intenſionem præternaturalem in ſuis potentiis acceperit, ſed quia naturalis ejus inclinatio ad bonum fuit per peccatum diminuta. Quod qualiter factum ſit ſine ablatione alicujus realitatis, ſed per appoſitionem impedimenti ex parte termini, dicemus infra q. 85. art. 1. & 2.

35 Deinde pro hac, & præcedenti ſententia arguitur, Quia concupiſcentia eſt effectus originalis peccati: propterea namque in Scriptura appellatur *peccatum*, quia ex peccato originali orta eſt, & ad peccandum inclinat, ut docuit Tridentinum ſeſ. cit. Sed concupiſcentia dicit aliquid poſitivum, videlicet inclinationem ad malum, & renitentiam circa bonum: ergo fatendum eſt, deveniſſe ad nos aliquid poſitivum ex prædicto peccato, ſive illud ſit qualitas morbida, quam adſtruebat præcedens ſententia, ſive nova intenſio potentiarum naturalium, quam ponit hæc ſecunda. ¶ Tandem arguitur pro utraque ſententia. Quoniam homo per peccatum originale manet averſus à Deo tanquam à fine ultimo, atque adeo converſus ad creaturam: neque enim intelligi poteſt averſio, & receſſus ab uno termino ſine converſione ad alium: ſed hæc converſio dicit aliquid poſitivum: ergo, &c. Ex his duobus argumentis, quæ in hac materia negotium faceſsêre, primum ſolvetur dubio quarto; pro difficultate vero, quam tangit ſecundum, ſit

---

DUBIUM III.

Utrum peccatum originale in ipſa anima ſubſtantia vel in voluntate ponat aliquid poſitivum?

QUamvis poſitivum, de quo dubio præced. hac noſtra ætate cuncti ferè reiiciant; non deſunt tamen docti, & graves Theologi, qui pro conſtituendo peccato originali aliud excogitarunt ortum ex peccato Adami, in ipſa animæ ſubſtantia, vel in voluntate receptum, non quod ſit ſaltem per ſe primo ad male operandum; ſed vel ad male diſponendum in ordine ad naturam: ſicut ægritudo, & languor male diſponit: vel ut anima, & voluntas maneant per illud converſæ habitualiter ad bonum commutabile ſicut ad finem ultimum, & à Deo averſæ: vel denique ut habitualiter per ipſum maneant legi difformes: niſi velis omnes hujuſmodi effectus ſimul & collective à tali poſitivo præſtari. Et quia iſtorum Theologorum opinio majorem probabilitatis ſpeciem præ ſe fert, gravioribúſque fundamentis innititur, cogit nos punctum ſeorſum examinare.

§. I.

Vera, & communior opinio.

Dicendum nullum dari hujuſmodi poſitivum neque in anima, neque in voluntate ſive ad prædictos effectus, ſive ad alios, ſed ſolam privationem juſtitiæ originalis, qua in ſtatu innocentiæ perficerentur, ad eas partes ex Adami peccato deſcendiſſe. 36
Hæc aſſertio eſt valde communis inter Theologos: nam illam tuentur omnes, uno, vel altero excepto, quod dubio præced. pro noſtra ſententia adduximus: & etiam alii, quos Gregorius Mart. refert in præſenti art. 1. dub. 1. Eſtque proculdubio D. Thomæ infra quæſt. 86. artic. 1. ad 3. & art. 2. ad 1. agentis in communi de macula peccati, ſpecialiter vero de peccato originali id docet in tota hac quæſt. 82. & 83. ſequenti. Necnon de mal. quæſt. 4. art. 2. & in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 3. & ad Anibal. diſt. 31. quæſt. unica art. 2. in quibus, & aliis locis, ubi de hac re tractat, nihil aliud in peccato originali agnoſcit, niſi pro materiali concupiſcentiam, quam dicit eſſe deſtitutionem inferiorum virium à retinaculo rationis, ſine aliquo poſitivo eis ſuperaddito, & pro formali privationem originalis juſtitiæ ut ad voluntatem, & ad animam pertinebat. Unde loco citato de mal. in ſolut. ad 7. ſic ait. *Sicut concupiſcentia contracta per originem nihil eſt aliud, quam deſtitutio inferiorum virium à retinaculo juſtitiæ originalis: ita malitia contracta nihil aliud eſt, quàm deſtitutio ipſius voluntatis ab originali juſtitia. Et inde incurrit omnem pronitatem ad mala eligendum: & ſic ſecundum præmiſſa malitia ſe habet in peccato originali*

D. Thom.

originali ut formale ; concupſcentia autem uti materiale. Et art. 3. præſentis quæſt. *Peccatum originale* (inquit) *materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter vero eſt defectus originalis juſtitiæ.* Neque ullibi S. Doctor præter hoc formale, & illud materiale agnoſcit aliquid in prædicto peccato. porro concupiſcentiam non importare aliquid poſitivum ſuperadditum naturalibus potentiis, ſed dumtaxat prædictam deſtitutionem, oſtendemus latius ex ipſo D. Thoma dubio ſequenti.

Prima ratio. Probatur rationibus noſtra concluſio. Prima vero, qua convincitur, propoſita fuit dubio præced. à num. 19. Nam ratio illa de cauſa effectiva æque probat de omni poſitivo, ſive ponatur in anima, vel in voluntate, ſive in quavis alia potentia, ubi enim non datur cauſa poſitiva efficiens, omnino repugnat dari effectum poſitivum. Unde hæc ratio, prout ibi expenſa eſt, debet omnino ad præſens applicari.

37 Effugium ex Greg. Mart. Nec refert quod ait Gregorius Mart. in præſenti art. 1. dub. 1. cui prædicta ratio ad intentum hujus dubii non videtur efficax; (ſecus tamen ad intentum præcedentis) ait itaque, diſtinguendum eſſe duplex genus qualitatum : aliud perfectarum, quæ realiter diſtinguantur à ſubjecto, & afferunt propriam inexiſtentiam : aliud vero inperfectarum, quæ ſolum modaliter diſtinguntur, nec per ſe dicunt inexiſtentiam, ſed ad exiſtentiam, vel inexiſtentiam ſubjecti coexiſtunt. Et ſi ergo ratio noſtra ſit efficax ad excludendum poſitivum, quod ſit qualitas primi generis, uti deberet eſſe qualitas morbida, quam dubio præced. excluſimus, quia iſtæ requirunt propriam actionem, & virtutem activam, à qua fiant; non tamen ad excludendum poſitivum, quod ſit qualitas ſecundi generis, ſicut eſt quod ponitur in anima, vel voluntate ad conſtituendum originale peccatum. Quia qualitates iſtæ utpote diminutæ, & imperfectæ non poſtulant talem actionem, neque virtutem, ſed ſufficit actio terminata ad ſubjectum, vel ad aliud extrinſecum, quod ſubjecto applicetur, ut ſine majori activitate in illo conſurgant : ſicut ſufficit actio terminata ad producendum album, ut conſurgat relatio ſimilitudinis cum alio albo, & ſi nudo applicetur veſtis, conſurget ſine nova actione accidens, quod vocamus *habitum.* Sic ergo in præſenti ſufficit ipſa actio generativa, qua producitur ſubjectum deſcendens ab Adamo, ut reſultet in eo illud poſitivum de genere qualitatis imperfectæ, quod conſtituit peccatum originale. Ita citatus auctor.

38 Impugnatur. Verum hoc, ut diximus, non refert quoniam iſta evaſio ſatis impugnata eſt dubio præced. à num. 24. Sive enim qualitas, quæ producenda eſt; ſit perfecta, ſive imperfecta, huius, vel illius generis, manifeſte, repugnat eam poni in rerum natura, niſi ex vi alicujus cauſæ, in cujus virtute contineatur : ſicut etiam repugnat, quod ſi ſemel eſt aliquid poſitivum, non requirat ad ſui continentiam aliquam virtutem poſitivam. Cum ergo in virtute generativa, vel ejus actione nulla ſit virtus ad continendum aliquid poſitivum de genere peccati, neque aliunde ſuperaddi poſſit, ut ibidem oſtendimus : non eſt quo pacto prædictum poſitivum ex tali actione reſultet. Neque exempla de relatione ſimilitudinis, & de accidente, ſeu prædicamento *habitus* ſunt ad rem, quia hæc & ſimilia accidentia imperfecta continentur ſufficienter in ſuis fundamentis, & in virtute cauſarum, & actionum, à quibus fundamenta ipſa producuntur : & licèt aliquando non ſtatim ad eorum poſitionem reſultent defectu alicujus termini, vel connotati extrinſeci ; eo tamen quandocumque poſito, poſſunt optime ex vi prædictarum actionum ſine recurſu ad aliam reſultare. In noſtro verò caſu nulla eſt talis continentia : & ita omnino repugnat talis reſultantia.

Deinde impugnatur prædicta evaſio : quoniam ſi ſemel daretur illud poſitivum conſtitutivum peccati originalis, nequaquam eſſet de genere qualitatum imperfectarum : tum quia opponeretur contrariæ juſtitiæ originali, & gratiæ juſtificanti, quæ eſt qualitas perfectiſſima, quæ autem ſic opponuntur, debent eſſe ſub eodem genere, atque adeo ſi unum ſit perfectum, etiam alterum. Tum etiam quia verſaretur circa finem ultimum convertendo, & inclinando eſſentiam animæ, & voluntatem in bonum commutabile ut in talem finem per inclinationem fortiorem, & efficaciorem, quam poſſet quicunque alius habitus vitioſus, etiam ex illis quos adverſarii fatentur eſſe qualitates perfectas : ergo prædictum poſitivum, ſi daretur, potius eſſet qualitas entitativa, & perfecta requirens propriam actionem, & virtutem effectivam, quam imperfecta, & modalis, quæ ad poſitionem ſubjecti reſultaret. Manet igitur noſtra ratio inconcuſſa, & non minus efficax ad intentum hujus dubii, quam præcedentis. Maior impugnatio.

Ex alio verò capite oſtendi poteſt, prædictam rationem habere in præſenti, maiorem, & ſpecialem vim, ſi recolantur ea, quæ diximus in tract. de Angel. diſp. 2. dub. 10. & diſp. 14. dub. 1. ubi ex profeſſo oſtendimus, neminem niſi ſolum Deum poſſe operari virtute propria intra terminos alterius rei ſpiritualis : ſicut ſolus Deus poteſt illabi in talem rem. Ex hac enim doctrina (cujus probationes, ne adeam bis dicamus, loco citato requirendæ ſunt) oſtenditur efficacia prædictæ rationis ad intentum hujus dubii. Quia ſi nulla creatura per ſuam virtutem poteſt operari intra terminos alterius rei ſpiritualis, plane ſequitur non potuiſſe Adamum producere illud poſitivum conſtitutivum originalis culpæ in animibus ſuorum poſterorum, aut in eorum voluntatibus, quippe neque virtute propria poterat ibi aliquid efficere (eſto id poſſet in aliis potentiis corporalibus) neque ad aliquid de genere mali : ſicut eſt prædictum poſitivum, potuit Deus ſpecialem virtutem illi conferre : aliàs tale malum in ipſum Deum refunderetur : non eſt ergo à quo cauſetur tale poſitivum. 39 Maior expenſio rationis.

Evaſio alia. Neque hìc patet aditus ad illam evaſionem, quæ dubio præced. num. 25. impugnata fuit : videlicet quod licèt Adamus non poſſet ita operari in animabus, aut voluntatibus ſuorum poſterorum, ut erat perſona particularis ; ſecus tamen ut fuit caput naturæ habens in ſe transfuſas voluntates ipſorum : eo quod hoc modo conſideratus habebat ſe ad omnes, ſicut unuſquiſque ad ſe ipſum : & ideo ſicut quilibet per ſuos actus poteſt producere habitum

poſitivum

Digitized by Google

poſitivum intra terminos propriæ voluntatis, vel animæ, ſic Adamus per ſuum peccatum, ut fuit capitale, potuit illum in omnibus producere.

40 præcluditur. Non igitur patet aditus ad iſtam evaſionem: quia impugnatio adhibita num. citato omnino illum præcludit. Dum enim conſtitutio Adami in eſſe capitis nihil intrinſecum ei ſuperaddit, quod ſit nova virtus poſitiva ad agendum, ſed ſolum deſignationem moralem ad ſupponendum pro poſteris, ut vidimus num. citato, nihil prodeſſe poteſt talis conſtitutio ad operandum phyſice in animabus ipſorum, efficiendúmque ibi habitum realem, & poſitivum, quem Adamus ſecundum ſe, & ut perſona particularis non poterat efficere: quippe talis efficientia non in prædicta deſignatione morali, ſed in intrinſeca activitate, & virtute ad agendum debet neceſſario fundari. Nec ſufficit qualiſcumque virtus, ſed debet tribui ſpecialiter à Deo ut auctore particulari: quia cum proprium ſolius Dei ſit operari virtute propria intra terminos rei ſpiritualis, quoties hoc alicui creaturæ communicaretur, haberet ſe ſicut inſtrumentum ipſius Dei, atque adeo per virtutem ſpecialem ab eo acceptam, & non aliter id efficeret. Manifeſtum eſt autem, Deum non poſſe tribuere talem virtutem in ordine ad effectum omnino de genere mali, ſicut eſt habitus, de quo loquimur.

Confirmatur: nam ex eo quod Adamus ſecundum ſe erat impotens ad traducendam, ſeu producendam juſtitiam originalem in animabus poſterorum; nequaquam poſſet eam traducere per modum cauſæ phyſicæ, etiam durante ſtatu innocentiæ, ratione ſolius conſtitutionis in eſſe capitis; niſi ulterius Deus ſpecialiter illi ſuperadderet phyſicas, & intrinſecas vires in ordine ad talem efficientiam: ergo ſimiliter in noſtro caſu: in quo tamen omnino repugnat talis additio.

41 Replica. Dices: ergo in nulla ſententia poterit Adamus per modum agentis phyſici cauſare peccatum originale: quandoquidem ſive hoc poſitivum ſit, ſive privativum, debet eſſe eius efficientia intra terminos rei ſpiritualis, ſcilicet in animabus, aut voluntatibus poſterorum.

Enervatur. Reſpondetur negando conſequentiam: nam juxta ſententiam conſtituentem prædictum peccatum in privatione non requiritur ad ejus efficientiam ſuperadditio alicujus virtutis poſitivæ in Adamo: ſicut neceſſaria eſt juxta conſtituentem illud in habitu: ſed ſufficit, quod ſuo primo peccato, prout erat peccatum capitis, privaverit naturam humanam juſtitia originali, & quod talis natura ad poſteros per ſeminalem propagationem deſcendat: quia eo ipſo deſcendet cum ſimili privatione, in qua tale peccatum eam reliquit. Neque hoc proprie eſt operari intra terminos rei ſpiritualis; ſed ſolum eſt impedire operationem, qua prædicta juſtitia ibi erat producenda, apponendo extra impedimentum cum ea ex natura rei incompoſſibile: ut autem Adamus poneret tale impedimentum, non fuit neceſſe ſuperaddi illi à Deo aliquas vires, ſed ſolum quod gereret munus capitis moralis reſpectu poſterorum, & pro illis ſupponeret: nam eo ipſo quodvis peccatum ab eo ſic commiſſum haberetur coram Deo tanquam peccatum omnium illorum, & omnes moraliter attingeret: atque adeo ex natura rei, quandiu non retractaretur, impediret in eis juſtitiam originalem, & cauſaret ejus privationem juxta ea, quæ diſp. 14. à num. 93. explicuimus.

Ex quo etiam facile impugnabitur alia evaſio, quæ ex doctrina perdocti cujuſdam junioris poſſet noſtræ rationi adhiberi: 42 Tertia evaſio. videlicet prædictam rationem ſive prout in hoc, ſive prout in præcedenti dubio expenſa fuit, ſolum procedere de poſitivo, quod ſit habitus, & qualitas phyſica, ac proinde prærequirit in cauſa efficiente virtutem, & continentiam phyſicam: non autem procedere de poſitivo ſolum morali, cujuſmodi eſſe dicit illud, quod conſtituit originalem culpam: nam eſt tantum quædam moralis diſſonantia ad legem, vel quædam moralis converſio ad bonum commutabile ſicut ad finem ultimum, & à Deo averſio: ad hujuſmodi autem poſitivum morale ſufficit ex parte principii virtus, & continentia ſimiliter moralis; qualis fuit in Adamo, qui ex quo conſtitutus fuit caput poſterorum, moraliter continebat omnium eorum voluntates & peccata.

Facile itaque impugnabitur hæc evaſio, accuratius examinando quid ſit, & quid re ipſa importet iſtud poſitivum, quod vocatur diſſonantia, vel converſio moralis: aut enim importat aliquam formalitatem poſitivam, quæ ſit vera realitas ante operationem, vel appretiationem alicujus intellectus afficiens & immutans intrinſece ſubjectum, & dans illi effectum à parte rei poſitivum: vel nullam dicit talem realitatem intrinſecam; ſed aut quamdam moralem appretiationem: quæ ſolum ponit in ſubjecto denominationem extrinſecam provenientem ab actu intellectus ita appretiantis; quamvis pro fundamento dicat ipſam privationem originalis juſtitiæ: aut ipſum peccatum Adami, quatenus, dum non retractatur à ſuis poſteris, cenſetur moraliter pro ipſis permanere, & eos moraliter afficere. Præter hæc autem non videtur aliud excogitabile, quod in illo poſitivo morali importetur. Sed contra primum militat aperte noſtra ratio, quæ bene attenta de omni poſitivo, quod ſit vera, & intrinſeca realitas, intentum convincit: ſive illud appelletur phyſicum, ſive morale, quod ad quæſtionem de modo loquendi potius quam ad rem ſpectat. Pro omni enim tali poſitivo reali, & intrinſeco efficiendo, neceſſario fuit addenda viribus Adami ſimilis virtus poſitiva intrinſeca, ratione cujus ipſum contineret, quam virtutem nequaquam illi conferebat moralis conſtitutio in eſſe capitis: debuitque talis additio fieri à ſolo Deo, utpote ordinata ad agendum intra terminos alterius rei ſpiritualis. Militat ergo directe noſtra ratio contra hujuſmodi poſitivum morale ſic explicatum. 43

Secundum autem vel eſt pro nobis; vel non ad rem: ſiquidem totum illud poſitivum conſiſtit penes extrinſeca, ſine eo quod in ipſo ſubjecto, ubi eſt originale peccatum, re ipſa & intrinſece ponatur aliquid præter juſtitiæ originalis privationem. Cum autem peccatum originale intrinſece, & re ipſa debeat afficere prædictum ſubjectum, ut docet Tridentinum ſeſ. 5. num. 3. planè habemus, non

Digitized by Google

non poſſe conſiſtere in tali poſitivo, ſed dumtaxat in prædicta privatione. ¶ Adde, poſitivum, de quo in præſenti agitur, debere eſſe effectum peccati actualis Adami, & ab eo in nos per originem traductum: illa autem moralis appretiatio formaliter accepta non eſt effectus talis peccati, ſed potius intellectus appretiantis, in cujus judicio conſiſtit. Fundamentaliter vero ſecundum quam rationem habet eſſe effectus prædicti peccati, ſolum dicit privationem originalis juſtitiæ: nihil ergo aliud præter hujuſmodi privationem confert ad conſtitutionem originalis culpæ.

§. II.

Ratio alia pro aſſertione.

44 *Doctrina pro ſecunda ratione.* ALiunde etiam, magiſque ab intrinſeco poſſumus aſſertionem probare, nimirum ex repugnantia effectus formalis prædicti poſitivi. Et quoniam ab aliquibus ponitur in voluntate, ab aliis vero in ipſa anima, aut in utraque ſimul; contra unumquemque dicendi modum ſingulas rationes adhibemus; quæ ſi conjungantur, intentum adæquate convincent. Ergo quod tale poſitivum in ipſa ſubſtantia animæ eſſe non poſſit, probatur animadvertendo, quod omnis habitus poſitivus vel eſt immediate in ordine ad *eſſe*, vel in ordine ad operationem: iſti enim duo actus, videlicet *eſſe* & *operari* ſunt fines, & ſpecificativa omnium habituum, & formarum, quibus entia præſertim ſpiritualia afficiuntur. Ob hoc quippe pervenit unumquodque ad rerum naturam, ut ejus eſſentia *eſſe* actuali potiatur, & medio tali *eſſe* vires ad agendum, & operationes fundet: nam idcirco dicitur, unumquodque eſſe propter ſuam operationem. Unde ſecluſis prædictis actibus, ſcilicet *eſſe*, & *agere*, non erit excogitabilis finis, cui forma illa, vel habitus poſitivus deſerviat.

N. Compl. Deinde nota, contra rationem ſubſtantiæ creatæ eſſet, ut ſit immediate operativa. Quod quia apud ſectatores D. Thomæ eſt ſatis per ſe notum, ſupponendum potius eſt hic, quam probandum. Rationes vero ex Ang. Doctore expendunt accurate noſtri Complutenſes lib. 2. Phyſic. diſput. 10. quæſt. 4. Ex quibus ea ad præſens valde conducit; quia videlicet ſubſtantia inſtituta fuit propter *eſſe*, tanquam propter actum adæquatum, & finem primario ab ea inſpectum: unde eo ipſo non poteſt per ſe primò reſpicere operationem; quam tamen ſic reſpicere debet omne, quod eſt principium immediatum operandi. Eò præſertim quia cum ſubſtantia, ſit ens per ſe, & omnino abſolutum, nequit reſpicere per ſe primo actum alterius prædicamenti; qualis eſt omnis operatio creata: at ſi eſſet immediate operativa, primario reſpiceret talem actum: ſicut ob hanc rationem potentia operativa primario illum reſpicit: ergo, &c. Sed de hoc loco citato. Hinc vero fit, quod ſicut in voluntate, aliiſque potentiis operativis, eo quod primario, & immediate ſunt ad agendum, nullus habitus poteſt recipi, qui primario non reſpiciat *agere*, & determinet ad operandum: ita quia ſubſtantia animæ ſicut & quælibet alia immediate, & primario eſt propter habendum *eſſe*, nullus habitus in ea recipi valet, qui non ſit in ordine ad eſſendum, & pro hoc munere diſponens.

Hinc formatur ſequens ratio. Nullus habitus de genere mali diſponit, vel afficit animam in ordine ad *eſſe*: igitur nullus talis habitus poteſt immediatè recipi in ejus ſubſtantia, aut præſtare ibi ſuum effectum formalem. Repugnat ergo, peccatum originale, vel quodcunque aliud conſtitui per habitum poſitivum in prædicta ſubſtantia receptum. Utraque conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: nam vel talis habitus diſponeret in ordine ad *eſſe* naturale, & proprium animæ; vel in ordine ad aliud diverſum, & ſuperadditum? Non primum, quia anima rationalis utpote æviterna, & incorruptibilis ita per ſe ipſam eſt conjuncta proprio *eſſe*, ut independenter à quavis accidentali diſpoſitione, nec poſſit ab eo ſeparari, neque ei arctius uniri: ergo in ordine ad hunc effectum nullus habitus poteſt illi ſuperaddi. Neque etiam poteſt dici ſecundum. Tum quia quodcumque *eſſe* animæ ſuperadditur, in quantum tale exprimit perfectionem, & actualitatem; eo quod unumquodque eſt bonum in quantum eſt ens, tantúmque habet de bonitate, quantum de entitate: ergo nequit habitus de genere mali, & exprimens malitiam conſtitui per ſe primo ad dandum tale *eſſe*: aliàs conſtitueretur non ad inficiendam animam, quod eſt munus peccati; ſed potius ad eam perficiendam. Tum etiam quia *eſſe* non tribuitur niſi à forma habente rationem naturæ; ob idque pro unica natura nuſquam aſſignatur niſi unicum *eſſe*: & ſicut *eſſe* eſt primus actus rei, ita natura eſt primum, quod invenitur in re: ſed habitus ille de genere mali non habet rationem naturæ; imo naturæ contradicit, ſicut contradicit peccatum, &c. Tum denique, quia *eſſe*, quod tribueret prædictus habitus, præciſe eſſet ordinis naturalis: neque enim ad ſupernaturalem pertineret, ut eſt per ſe notum: cum ergo in ordine naturali anima per ſe ipſam jam ſupponatur eſſe, nequit ullum habitum recipere pro exiſtendo in tali ordine. 45 *Formatur ratio.*

Confirmatur ex D. Thoma quæſt. 27. de verit. art. 6. in corp. & ad 1. Nam propterea gratia ſanctificans poteſt recipi immediate in anima, & dare illi *eſſe*: quia cum ſit prima forma ordinis ſupernaturalis, & deifici, habenſque in eo rationem naturæ ex participatione divinæ, poteſt tribuere ipſi animæ, quod ſit abſolute in tali ordine, in quo non ſupponebat eſſe: è contra vero quia omnes aliæ perfectiones ſupernaturales ſupponunt per ſe loquendo ipſam gratiam, atque adeo naturam, & *eſſe* ſui ordinis, nulla eſt, quæ immediate afficiat animam, aut per ſe conſtituatur ad dandum illi *eſſe* in quovis ordine: ſed recipiuntur in potentiis operativis tanquam inſtitutæ ad agendum: ergo cum habitus ille de genere mali neque ſit natura per ſe, aut per participationem, neque in aliquo ordine, in quo anima non ſupponatur eſſe, non eſt quo pacto dicatur eſſe primario inſtitutus ad dandum *eſſe*, adeóque recipiendus immediate in anima. *Confirmatur ex D. Thoma.*

Dices, prædictum habitum non poni in anima, ut det *eſſe* in aliquo ordine, ſed ut tribuat proprium effectum formalem; qui erit vel con- 46 *Evaſio.*

vertere ipſam animam ad bonum commutabile tanquam ad ultimum finem, ſicut gratia convertit ad Deum, vel conſtituere illam pronam & inclinatam ad peccandum, aut ſaltem habitualiter oppoſitam, & diſſonantem legi, contra quam Adamus deliquit: vel eam reddere ægram, & infirmam: nam propterea peccatum originale *languor naturæ* dicitur. Hæc enim omnia, vel ſaltem aliquid eorum non eſt cur ab habitu illo de genere mali non poſſint provenire, & in anima immediate recipi.

Impugnatur. Sed contra, nam omnes iſti effectus vel non ſunt immediate in anima; vel non important aliquid poſitivum; ut patebit diſcurrendo per ſingulos. Etenim converti ad bonum commutabile ſicut ad finem ultimum non competit animæ immediate, ſed mediante voluntate, cujus eſt objectum ipſe finis: anima enim immediate per ſe ipſam non eſt reſpectiva alicujus objecti, vel termini extrinſeci, neque ad aliquid extra ſuum *eſſe* dicit habitudinem: ſed hoc eſt proprium munus potentiarum: ergo ſubjectum immediatum prædictæ converſionis ad quemcumque finem ultimum non poteſt eſſe anima, ſed voluntas. ¶ Ad hæc: vel eſt ſermo de converſione actuali ad finem, vel de habituali? Primam perſpicuum eſt non afficere immediate animam, ſed voluntatem: nam eſt ipſe actualis amor, quo voluntas proſequitur talem finem. Secunda autem non eſt aliud, quàm habitualis inclinatio ad eliciendum prædictum amorem, & ita neceſſario debet eſſe in ipſa potentia elicitiva, ſcilicet in voluntate: non ergo propter prædictam converſionem ponendus eſt in anima aliquis habitus poſitivus. ¶ Similiter inclinatio illa, & pronitas ad peccandum, quæ ponitur in ſecundo effectu, quatenus poteſt importare aliquid poſitivum, non poteſt eſſe immediate in anima: quia inclinari aut pronum eſſe ad peccandum non eſt aliud niſi inclinari ad male agendum: inclinatio autem ad agendum ſive bene, ſive male non eſt niſi mediante potentia activa, ut ex ſe liquet.

47 Replica. Nec refert ſi dicas, totum hoc eſſe verum loquendo de converſione, & inclinatione proximis, & formalibus: hæ enim immediate afficiunt potentias, ſecus autem de radicalibus, & remotis: nam potius iſtæ debent immediate afficere animam, eo quod ipſa ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt mediate, & radicaliter operativa: & ita reſpectu finis ultimi, qui eſt Deus, licèt converſio, & inclinatio proxima, ſcilicet charitas, ſit in voluntate; ponitur etiam in anima alia converſio, & inclinatio radicalis, quæ eſt gratia ſanctificans. Quinimo in ipſa anima ponitur in ordine ad malum defectibilitas radicalis, quamvis defectibilitas proxima non ſit niſi in voluntate, & in aliis potentiis. Dici ergo poſſet, quod ſicut in hujuſmodi potentiis recipiuntur habitus poſitivi de genere mali, ut earum proximam defectibilitatem augeant, vehementiuſque ad deficiendum inclinent: ita habitus ille, quem adſtruunt adverſarii, erit in anima, ut prædictam defectibilitatem radicalem veluti augeat, & quaſi deteriorem reddat.

Evacuatur. Reſpondetur enim, hujuſmodi effectum, qui eſt converſio, & inclinatio radicalis non poſſe eſſe munus primarium alicuius formæ: quia eſſe tale radicaliter ſemper fundatur in aliquo, quod ſit formaliter: ſicut eſſe hoc vel illud virtualiter ſemper fundatur in aliquo, quod ſit formaliter. Et propterea prius quam intelligamus in anima, quod ſit radicaliter operativa, intelligimus eſſe aliud formaliter, ſcilicet ſubſtantiam, & potentiam ad *eſſe* ſubſtantiale: & ſimiliter prius quam de gratia intelligamus eſſe radicem converſionis, aut inclinationis ad finem ſupernaturalem, intelligimus eſſe formaliter aliud, nempe participationem naturæ divinæ. Sic ergo ut habitus ille de genere mali, quem impugnamus, eſſet radicaliter converſio, vel inclinatio ad aliquem actum, vel finem, per prius deberet in eo concipi aliquid aliud, quod eſſet formaliter, & cui radicatio illa inniteretur: tale autem formale non eſt excogitabile præter illa, quæ impugnavimus: ergo, &c.

Quod autem dicitur de defectibilitate radicali exiſtente in anima nullius momenti eſt: quia in hac defectibilitate non eſt hoc primarium munus, ſed aliquid, quod eſt formaliter: nempe *limitare*, & *finire* ipſam creaturam, aut conſtituere capacem manendi ſub nihilo: & in hoc formali innititur illa ratio radicis. Vnde hæc cauſalis eſt vera *quia ſubſtantia creaturæ rationalis eſt formaliter limitata, & capax manendi ſub nihilo, ideo eſt radicaliter defectibilis*. Cæterum reſpectu prædicti habitus non poteſt aſſignari aliquod munus, quod ei competat formaliter. Neque dici poteſt, quod hoc munus ſit augere, vel deteriorem reddere ipſam defectibilitatem radicalem, quoniam hæc quantum ad intrinſeca conſiſtit in indiviſibili: ſicut ipſum *finiri*, & *limitare* creaturam, quod eſt munus ejus formale. Vnde ſicut prædicta ſubſtantia per nullum habitum poſitivum reddi poteſt magis finita, & limitata; ita neque magis defectibilis radicaliter. Cum quo tamen ſtat, quod propter remotionem, vel appoſitionem alicujus impedimenti quaſi extrinſeci poſſit dici magis, vel minus ad peccandum propenſa, & approximata, aut magis vel minus elongata, & remota, ut infra circa articulum primum quæſtionis 85. declarabitur. 48

Adde, de ratione peccati originalis ſicut, & cujuſcunque alterius mortalis eſſe, ut reddat animam formaliter Deo inimicam, excludatque indiſpenſabiliter ab ea gratiam: hoc autem non præſtat defectibilitas radicalis quantumcumque aucta, ſed poteſt in omni ſuo augmento cum gratia, & amicitia Dei permanere: ſicut permanet defectibilitas proxima voluntatis, etiam ut aucta per habitus vitioſos: quæ ſane defectibilitas proxima, plus habet de ratione mali, quàm radicalis, ſicut plus accedit ad peccatum. Nullus ergo habitus, cujus munus quantùm ad formale præciſe ſit reddere animam radicaliter defectibilem; aut magis defectibilem, poteſt deſervire ad conſtituendum originale peccatum. ¶ Eò vel maxime: quia talis habitus, ſi ad id munus daretur, nequaquam exerceret illud per conceptum, quem importaret ſolùm radicaliter, vel virtualiter, ſed magis per eum, quem formaliter exprimeret, ſicut eſt de ratione cujuſlibet conſtitutivi. Quare ſemel oſtenſo, prædictum habitum ſecundum conceptum formalem vel impoſſibilem, vel inutilem eſſe ad peccati

Digitized by Google

peccati conſtitutionem, præcluditur aditus ad omne radicale, vel virtuale.

49 *Proſequitur impugnatio.* Tertium autem, quod dicitur in evaſione de oppoſitione, vel diſſonantia habituali ad legem, ſi admitteremus eſſe aliquid poſitivum, non poſſet poni immediate in anima: quia hæc non reſpicit legem *pro*, vel *contra*, niſi quatenus reſpicit objectum conſonum, vel diſſonum legi: reſpicere autem objectum non convenit animæ, niſi mediante potentia, cujus eſt tale objectum. Unde neque prædicta oppoſitio, aut diſſonantia, ſi eſſet aliqua habitudo poſitiva, poſſet aliter quàm mediante ipſa potentia animam tangere, aut ab ea exerceri. ¶ Diximus *ſi admitteremus*, &c. quia revera diſſonantia, & oppoſitio habitualis ad legem, quæ ex peccato Adami debuit ad nos traduci, ſicut & quæ per quodcumque peccatum mortale in peccante neceſſario relinquitur, non eſt aliud quàm carentia gratiæ & virtutum infuſarum, quibus anima ante peccatum erat in præparatione animi ad divina præcepta adimplenda. Et licèt aliquando peccatum mortale relinquat habitum vitii inclinantem ad objectum ut diſſonum legi, hujuſmodi tamen habitus, præterquam quod non recipitur immediate in anima, nihil conducit ad præſens. Tum quia non ſemper peccatum illum cauſat; ſed ſolum quando eſt actus valde intenſus, aut repetitus: cum tamen diſſonantia, de qua in præſenti, ex quovis peccato mortali quantumvis remiſſo debeat relinqui. Tum etiam quia prædictus habitus vitii poteſt, & ſæpe permanet etiam poſt peccatum dimiſſum; poſt cujus tamen remiſſionem diſſonantia illa & oppoſitio ad legem nullatenus manet.

50 Denique ultimus effectus, qui aſſignatur, & dicitur *languor naturæ*, nihil poſitivum ponit in anima. Imo neque ipſam per peccatum originale, aut per quodcumque aliud mortale tam dicitur langueſcere, vel infirmari, quàm mori: inde quippe tale peccatum *mortale* dictum eſt, quia animam occidit: mors autem non dicit habitum poſitivum, ſed vitæ privationem: & ita reſpectu animæ mors, & mortale peccatum nihil aliud importat niſi privationem gratiæ, per quam Deo vivebat. Dicitur autem peccatum originale *languor naturæ* ratione ejus, quod de materiali affert, ſcilicet concupiſcentiam, per quam ipſa natura etiam in ordine ad proprios actus bonos reddita eſt debilis & infirma. Et quamvis non negemus ipſam concupiſcentiam pro materiali importare aliquid poſitivum; non tamen hujuſmodi poſitivum ad præſens conducit: quia ut conſtabit dubio ſequenti, neque eſt aliquid ſuperadditum ſubſtantiæ animæ, aut entitati ſuarum potentiarum, neque ex peccato Adami per ſe ortum duxit; ſed eſſet omnino idem poſitivum in pura natura: neque proinde ad peccatum originale niſi materialiſſimè ſpectare poteſt.

§. III.

Enodatur duplex objectio.

51 *Prima objectio.* SEd obiicies primò: quod in corpore præter habitus, & formas reſpicientes operationem, quæ ſunt in ejus potentiis, ponitur aliqua prava diſpoſitio poſitiva male afficiens ipſum corpus in ordine ad *eſſe*, à qua & non ſolum à privatione ſanitatis redditur ægrum, & infirmum: cur ergo in anima recipi nequibit ſimilis prava diſpoſitio in ordine ad *eſſe*, per quam ægra, & infirma conſtituatur.

Reſpondetur, in promptu eſſe diſparitatem: corpus enim non eſt per ſe conjunctum cum ſuo *eſſe*, ſed illud recipit ab anima, cui amiſſibiliter unitur; neque fit, aut permanet talis unio, niſi adſint ex parte materiæ congruæ diſpoſitiones pro receptione, & conſervatione talis animæ: ipſa vero materia, cùm nulla forma ſatietur, etiam quando eſt ſub una, puta ſub anima rationali, & diſpoſitionibus illius, admittit diſpoſitiones contrarias tendentes ad aliam formam; & ſicut ratione illarum diſponitur ad habendam prædictam animam, & ejus *eſſe*: ita ratione iſtarum indiſponitur, & tendit ad ejus amiſſionem. Et hoc eſt langueſcere, & infirmari, eſſeque in via ad interitum, & corruptionem compoſiti. Cæterum anima rationalis independenter à quavis diſpoſitione per ſe ipſam eſt inſeparabiliter conjuncta cum ſuo *eſſe*: & ideo neque eget ad habendum, & conſervandum illud prædicta diſpoſitione: neque eſt capax alicujus diſpoſitionis contrariæ, quæ ſit via ad illud amittendum, poſſitque hac ratione dici *languor*, vel *infirmitas animæ*. *Diluitur.*

Nec refert ſi urgeas: quia ſaltem cum *eſſe* ſupernaturali; quod tribuit gratia, non eſt anima neceſſario unita, ſed ita accidentaliter, & amiſſibiliter ſicut corpus animæ: ergo ſicut dantur habitus de genere boni diſponentes animam convenienter ad tale *eſſe*: poterit etiam dari aliquis habitus contrarius de genere mali prave afficiens, & indiſponens in ordine ad amiſſionem talis eſſe: atque adeo qui in ipſa anima, ubi eſt prædictum *eſſe*, immediate recipiatur. 52 *Replica.*

Reſpondetur namque negando conſequentiam quoad ultimam partem: potius enim ex antecedentibus deberet inferri, prædictum habitum de genere mali, ſi admittatur, non recipi immediate in anima, ſed in potentiis, ubi ſunt diſpoſitiones ad gratiam. Nam hujuſmodi diſpoſitiones non ſunt aliæ, quàm virtutes per ſe infuſæ, quæ cum ſint habitus operativi reſpicientes ſua objecta; neceſſario debent recipi in potentiis immediate operativis. ¶ Secundo reſpondetur negando eandem conſequentiam etiam quoad primam partem. Quia non bene infertur ex eo quod ad *eſſe* gratiæ requiratur aliqua diſpoſitio poſitiva in anima, vel in potentiis, debere in ejus amiſſione concurrere contrariam poſitivam indiſpoſitionem. Et ratio eſt: quia in infuſione gratiæ propterea requiritur diſpoſitio poſitiva, quia tunc ſubjectum tranſit ad novum *eſſe*, cui non eſt per ſe unitum, utque illi convenienter aptetur, indiget prædicta diſpoſitione: in amiſſione vero gratiæ anima non accipit aliquod *eſſe*, ſed potius amittit, & ita nulla eget diſpoſitione; ſed ſufficit adeſſe cauſam deſtructivam gratiæ, quæ eſt ipſum peccatum actuale. Quod ſi in deſitione compoſiti ſubſtantialis ſemper adſunt diſpoſitiones contrariæ, ideo eſt quia ſemper materia tranſit ad novum *eſſe* ſubſtantiale: non enim *Enodatur.*

gitized by Google

enim poteſt eſſe corruptio unius ſine generatione alterius, pro quo potius quàm pro præcedentis deſtructione prædictæ diſpoſitiones requiruntur. Per quod manet ſoluta alia replica, quæ reticetur.

53 Secunda objectio & difficilior. Secundo & gravius adverſus noſtram rationem objicies: quod in ſtatu juſtitiæ originalis erat aliqua forma perficiens immediatè animam à gratia ſanctificante diſtincta: ſed talis forma neque habebat rationem naturæ, neque ordinabatur primario ad dandum *eſſe*: ergo ratio excludens omnes alias formas, & habitus à ſubſtantia animæ non poteſt eſſe efficax. Minor conſtat: non enim apparet quænam alia forma poſſit habere rationem naturæ ordinariq; e primario *ad eſſe*, niſi vel ipſa ſubſtantialis in ordine naturali, vel gratia ſanctificans in ſupernaturali. Major vero probatur: quoniam juſtitia originalis aliquam perfectionem ponebat in anima: non enim poſſet corpus ita perficere reddens illud impaſſibile, aut rectificaret potentias ſubordinando appetitivas rationi, qui erat effectus prædictæ juſtitiæ, niſi communicando animæ perfectionem, quæ eſſet radix talis impaſſibilitatis in corpore, & rectitudinis in potentiis. Quemadmodum in hoc noſtro ſtatu gratia ſanctificans non perficit potentias ad ſupernaturaliter operandum, communicando eis virtutes infuſas, niſi ſimul communicet animæ ſuam primariam perfectionem, quæ ſit radix ipſarum virtutum.

Solutio. Dices, juſtitiam originalem ponere quidem perfectionem in anima, non tamen diſtinctam à gratia juſtificante: nam hæc ipſa gratia ibi exiſtens erat pars principalis talis juſtitiæ, & radix cæterarum perfectionum, quibus potentiæ rectificabantur, & corpus conſtituebatur impaſſibile. Ipſa itaque gratia, & nullus alius habitus erat forma, per quam immediatè animam perficiebat.

54 Impugnatur Bannez. Sed contra hanc ſolutionem plura opponit Bannez 1. part. quæſt. 95. art. 1. dub. 2. exiſtimans juſtitiam originalem fuiſſe habitum realiter, & entitativè à gratia diſtinctum exiſtentem ſimul cum illa immediatè in anima. Quod etiam tuetur Palat. in 2. diſt. 31. diſput. unica, nec vidimus alium expreſsè id affirmantem, etiam ex non paucis, quos Bannez pro ſe adducit; qui prædictam ſententiam his ſibi

D.Thom. perſuadet. Nam juxta doctrinam D. Thomæ 1. part. quæſt. 100. art. 1. ad 2. gratia eſt radix originalis juſtitiæ: ergo ſunt diſtincti habitus, idem enim non poteſt eſſe radix ſui ipſius. ¶ Deinde q. 109. hujus 1. 2. artic. 3. & 4. docet S. Doctor, hominem in ſtatu naturæ integræ non indiguiſſe dono gratiæ ſuperaddito bonis naturalibus ad diligendum Deum ſuper omnia naturali dilectione; bene tamen ad diligendum ex charitate: ergo ſentit, ipſam gratiam eſſe habitum diſtinctum, & ſuperadditum integritati originalis juſtitiæ. ¶ Item quæſtione 5. de mal. artic. 11. ad 13. inquit, quod licet juſtitia originalis non includeret gratiam gratum facientem; erat tamen quædam diſpoſitio, quæ præexigebatur ad ipſam gratiam: ergo diſtinguebatur ab illa.

Arguit præterea. Non poteſt eſſe idem habitus, qui reſpicit per ſe primò naturam, & qui reſpicit per ſe primò perſonam: ſed juſtitia originalis reſpiciebat primario naturam; gratia vero perſonam: ergo, &c. ¶ Rurſus originalis juſtitia perficiebat, & rectificabat hominem in ordine ad finem naturalem; gratia vero in ordine ad ſupernaturalem: erant ergo habitus diſtincti. ¶ Tandem: Adamus per pœnitentiam recuperavit gratiam gratum facientem, non autem recuperavit originalem juſtitiam: ergo non erant idem habitus. Hæc ex Bannez

55 Aliæ impugnationes. D.Thom. Cujus doctrina poteſt confirmari ex Divo Thoma in 2. diſt. 20. quæſt. 2. artic. 3. & ad Annibal. ibidem art. 4. ubi diſtinguit in Adamo duplicem perfectionem à Deo ſibi conceſſam: aliam naturalem, quæ erat juſtitia originalis: & aliam gratuitam, quæ erat principium meriti: & de prima concedit, quod eſſet traducenda per generationem, & quod filii ſtatim atque geniti fuiſſent, illam conſequerentur. Quod totum, vel negat, vel non ita expreſsè concedit de ſecunda. Imo referens opinionem illorum, qui ſenſerunt, Adamum non fuiſſe creatum in gratia, ſed cum ſola juſtitia naturali, non eam improbat; ſed potius ait non poſſe efficaci ratione contrarium oſtendi. Sentit ergo, prædictas perfectiones fuiſſe aliquando ſeparatas, vel ſaltem ſeparabiles eſſe: atque adeo omnino diſtinctas.

Deinde confirmatur: quia perfectiones illæ, quibus originalis juſtitia perficiebat corpus, ſubjiciendo illud animæ, & partem ſenſitivam, ſubordinando eam rationi, quamvis abſolutè eſſent ſupra naturam hominis; non tamen tranſcendebant totum ordinem naturalem: ſed ſolum intra hunc ordinem illam integrabant, & perficiebant: ergo radix talium perfectionum, quæ erat ipſa juſtitia prout reſidens in anima, debebat eſſe ejuſdem ordinis: atque adeo diſtincta à gratia, quæ omnino eſt ordinis ſupernaturalis.

Confirmatur tertio: nam quicquid ſit de ſtatu, in quo Deus de facto hominem condidit, non eſt dubium potuiſſe creare illum perfectum, & integrum integritate ſolius ordinis naturalis, itaut per ſola dona huius ordinis, quamvis ipſi homini non debita, corpus efficeretur incorruptibile, & appetitus plene ſubditus rationi, ipſaque ratio Deo ut fini naturali perfectè adhæreret: hic quippe eſt ſtatus, quem Theologi appellant *naturæ integræ*, diſtinctum ab aliis quatuor, videlicet *naturæ puræ*, *juſtitiæ originalis*, *naturæ lapſæ*, & *naturæ reparatæ*, de quibus agitur in materia de gratia: ſed in prædicto ſtatu illa perfectio, quæ immediatè afficeret animam, quæque eſſet radix cæterarum redundantium in corpus & potentias, non eſſet gratia ſanctificans, ſed aliquis habitus ordinis naturalis: igitur poſſibilis eſt talis habitus immediatè in anima receptus.

56 Defenditur tradita ſolutio. Verum his non obſtantibus, tenenda eſt ſolutio inter objiciendum data: videlicet perfectionem, quam juſtitia originalis ponebat in anima, non eſſe aliquam formam ſpecificè, vel entitativè à gratia juſtificante diſtinctam; ſed ipſummet habitum gratiæ cum ſpeciali illo modo informationis, & dominii, quem diximus numero 7. & 8. Et hanc eſſe propriam D. Thomæ ſententiam conſtat ex

ex 1.quæſt.95.art. 1. ubi ex eo probat, primum hominem fuiſſe creatum in gratia, quia creatus fuit cum ſubjectione mentis ad Deum, ex qua erat ſubjectio corporis ad animam, & virium ſenſitivarum ad rationem; ipſa vero ſubjectio mentis ad Deum erat per gratiam: fuit ergo conditus in gratia, &c. Hæc autem ratio nullam vim habebit, ſi perfectio rectificans in ordine ad Deum fuiſſet aliquis habitus à gratia diſtinctus, ut intuenti patebit. ¶ Idem docet quæſt. 100. art. 1. ad 2. ubi ſententiam aliquorum, qui dicebant pueros in illo ſtatu naſcituros cum juſtitia originali, non tamen cum gratia, ita impugnat. *Sed cum radix originalis juſtitiæ, in cujus rectitudine factus eſt homo, conſiſtat in ſubjectione ſupernaturali rationis ad Deum, quæ eſt per gratiam gratum facientem, ut ſupra dictum eſt; neceſſe eſt dicere, quod ſi pueri nati fuiſſent in originali juſtitia, quod etiam nati fuiſſent cum gratia*, &c. En quomodo in illa ſubjectione mentis ad Deum, quæ pertinet ad animam, ut eſſet radix cæterarum perfectionum non agnoſcit D. Thom. aliam formam, per quam fieret, niſi gratiam. Videatur quæſt. 5. de mal. art. 1. ad 1. ubi reiicit inter falſas opinionem aſſerentem juſtitiam originalem non includere gratiam gratum facientem tanquam partem ſui primordialem, & præcipuam, fundamentúmque, & radicem reliquarum perfectionum procedentium in corpus, & potentias, idque alibi non ſemel apud S. Doctorem offendes. Quem ſequuntur Durandus in 2. diſt. 20. quæſt. 5. Capreolus diſt. 29. & Hiſpal. diſt. 30. Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 5. Ferrara 4. contra Gent. cap. 52. Medina in præſenti quæſt. 83. art. 2. Puteanus quæſt. 82. art. 3. dub. 3. Vazq. diſp. 132. num. 32. Molina tom. 2. in 1. p. diſp. 27. Valentia 1. p. quæſt. 2. de anima hominis in ſtatu inocentiæ punct. 2. & plures alii.

D. Thom. Durand. Capreol. Hiſpal. Soto. Ferrara. Medin. Putean. Vaſq. Molina. Valent.

57 Duplex acceptio originalis juſtitiæ.

Ut autem objectis contra prædictam ſolutionem occurramus, animadvertendum eſt cum Durando loco citato, juſtitiam originalem poſſe ſumi dupliciter: vel adæquate ut includebat totam eam perfectionem, quæ naturæ humanæ pro ipſa natura in Adamo collata, eſt, & cum qua naſcerentur ejus poſteri ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet. Et hoc modo non dicit unam qualitatem, vel habitum; ſed plures perficientes omnes partes hominis, corpus, potentias, & animam tam in ordine ad naturalem finem, quàm in ordine ad ſupernaturalem, & habentes inter ſe prioritatem & poſterioritatem, ſecundum quam una erat veluti fundamentum, & radix; cæteræ vero quaſi rami ex ipſa pullulabant. Et ſicut in arbore tam radix, quàm rami ſunt partes integrales ejus, nullumque extra ipſam, neque ab ea differens, niſi ſicut incluſum, & includens: ſic in prædicta juſtitia omnes illæ perfectiones habebant ſe ut partes, ex quibus integrabatur, nullaque erat extra ipſam, neque ab ea diſtincta majori diſtinctione, quàm includentis, & incluſi. Secundo poteſt ſumi inadæquate pro illis dumtaxat perfectionibus, quibus intra naturalem ordinem rectificabatur, præſcindendo ab illis, quibus rectificabatur in ſupernaturali.

Prima iſtarum acceptionum utitur multoties D. Thom. præſertim in poſterioribus ſcriptis primæ partis, & hujus primæ ſecundæ, ut obſervanti patebit. Et juxta eam dicemus nos juſtitiam originalem diſtingui à gratia ſola diſtinctione includentis, & incluſi: quia includebat ipſam gratiam tanquam partem ſui primariam, & præcipuam exiſtentem in anima, & ſuperaddebat alias perfectiones redundantes in corpus, & potentias. Secunda vero magis in uſu fuit antiquis, qui frequenter diſtinguunt juſtitiam originalem primi hominis à juſtitia gratuita, idémque ſæpe accidit Divo Thomæ in ſcriptis tam communibus, quàm ad Annibal. ſuper ſententias, quæ junior dictavit. Secundum quam acceptionem fatebimur inter prædictam juſtitiam, & gratiam diſtinctionem excludentis, & excluſi, ſicut eſt inter partes ejuſdem totius. Ex quo tamen non ſequitur fuiſſe in anima habitus diſtinctos, aut alium præter gratiam: ſed ſolum quod ipſa gratia reſidens in anima non erat tota juſtitia originalis, ſed quædam pars ejus primo modo acceptæ; vel compars ejuſdem acceptæ ſecundo modo.

Ex his ergo ad primum, quod ex D. Thoma opponebatur, reſpondetur, recte gratiam dici *radicem juſtitiæ originalis*, quia eſt prima ejus pars, & origo cæterarum: ſicut anima ubi reſidet, eſt principium, & origo potentiarum. Hinc tamen non fit, vel gratiam condiſtingui à tota prædicta juſtitia adæquate ſumpta; ſed potius includi in ea: ſicut radix, quæ eſt prima pars arboris, includitur in tota arbore: vel quòd juſtitia ponat aliud in anima præter ipſam gratiam, quam ut primam ſui partem includit. Imo ſi juſtitia ſumatur in ſecunda acceptione, erit inter eas diſtinctio excludentis, & excluſi: ſicut eſt inter radicem arboris, & alias partes ejus: tuncque non dicemus juſtitiam originalem, vel aliquam partem ipſius ſedem habuiſſe in anima, ſed dumtaxat in corpore, & potentiis; animam vero perfici per aliquid condiſtinctum à prædicta juſtitia ſic accepta, videlicet per gratiam. 58

58 Occurſus ad teſtimonia D. Thom.

Ad ſecundum reſpondetur, ex illo loco nequaquam haberi, quod juſtitia originalis omnino excludat gratiam, aut quod hæc ſit aliquid ſuperadditum illi adæquatè acceptæ: ſed ſolum habetur, quòd poſita juſtitia originali cum ſua gratia, natura per proprias vires, abſque indigentia utendi viribus ipſius gratiæ, vel juſtitiæ potuerit elicere dilectionem Dei naturalem; cum tamen ad ſupernaturalem eliciendam neceſſario uti deberet ipſa gratia. Ex quo nihil contra nos, ut intuenti patebit.

Tertius locus probat noſtram ſententiam, nam ita habet. *Dicendum, quòd ratio illa procedit ſecundum opinionem ponentium, quod gratia gratum faciens non includatur in ratione originalis juſtitiæ: quod tamen credo eſſe falſum: quia cum originalis juſtitia primordialiter conſiſtat in ſubjectione humanæ mentis ad Deum, quæ firma eſſe non poteſt niſi per gratiam, originalis juſtitia ſine gratia eſſe non poterit. Sed tamen prædicta opinione ſuppoſita, adhuc ratio non concludit*, &c. En quomodo opinio aſſerens gratiam non includi in juſtitia originali, ſed eſſe habitum ab ea diſtinctum, reprobatur hic à D. Thoma, & ſolum tanquam falſa ab eo admittitur ad intentum argumenti.

59 Occurſus ad primam rationem.

Ad primum ex ratione poteſt negari major: nam hoc, quod eſt reſpicere primario naturam, vel perſonam, non diſtinguit, vel

vel multiplicat habitus: quippe quod ſolum provenit ex extrinſeca ordinatione Dei, & non ex ipſorum habituum natura. Et poteſt etiam negari minor: quia in ſtatu innocentiæ non minus gratia, quàm juſtitia originalis reſpiciebat naturam primario, eo quod utraque collata fuit ut donum naturæ pro ſe tota conceſſum. Modò vero licèt ſit ſpecifice eadem gratia, reſpicit primario perſonam, quia unicuique datur pro ſe dumtaxat, & nulli pro tota natura. Videatur D. Thom. in 2. diſt. 20. quæſt. 2. art. 3. in corp. Ibidémque ad Annibal. ubi oſtendit, quomodo ſit diſtinctio omnino accidentaria, quòd aliquis habitus, v.g. ſcientia, conferatur ut donum naturæ, vel ut beneficium perſonale.

Ad ſecundam. Ad ſecundum dicas, quòd etiam originalis juſtitia ſumpta in prima acceptione rectificabat in ordine ad finem ſupernaturalem: & includebat gratiam.

Ad ultimam. At ultimum reſpondetur ex D. Thoma in 2. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1. ad 1. Adamo per pœnitentiam, ſicut & nobis per baptiſmum, reſtitui juſtitiam originalem quantum ad ſuum primarium, & formaliorem effectum, qui erat ſanctificare animam, & rectificare voluntatem & hic eſt proprius gratiæ effectus. Ex quo potius ſequitur, gratiam includi in prædicta juſtitia ut partem ejus principalem, & primariam. Non tamen abſolute concedendum eſt, quod per baptiſmum, vel pœnitentiam reſtituatur juſtitia originalis: quia hoc nomen abſolute prolatum denotat vel ipſam juſtitiam adæquatè acceptam, vel illam ejus partem, quæ corpus animæ, & appetitum rationi plene ſubordinabat, ut jam explicuimus.

Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem reſpondetur, D. Thomam in illis prioribus ſcriptis non ita expreſſe rejeciſſe ſententiam diſtinguentem juſtitiam originalem à gratia diſtinctione excludentis, & excluſi, ſicut fecit poſtea locis à nobis citatis: vel quia nondum habebat rem omnino examinatam, vel quia communicando in vocabulis uſui illius temporis, accepit prædictam juſtitiam in ſecunda acceptione, quam diximus. Et ideo vera S. Doctoris ſententia, & legitimus modus loquendi ex poſterioribus ſcriptis accipienda ſunt. Nec propterea concedimus, tenuiſſe aliquando D. Thomam, quod intendit Bannez, videlicet juſtitiam originalem ponere in anima habitum à gratia diſtinctum. Nam quando loquitur de juſtitia originali ut excludente gratiam, ſicut in primis ſcriptis, non inſinuat, eam ponere aliquem habitum in anima, quando vero id docet ſicut in poſterioribus: loquitur de illa prout includente ipſam gratiam, ut conſtabit intuenti.

60 Ad ſecundam. Ad ſecundam dicas, juſtitiam originalem præſtitiſſe homini perfectiones utriuſque ordinis naturalis, & ſupernaturalis. Nam tribuebat corpori impaſſibilitatem, quæ non tranſcendit ordinem naturæ, ut diximus n. 9. tribuebat etiam omnes habitus virtutum ſupernaturalium, & per ſe infuſarum, quæ à gratia in quovis ſtatu dimanant. An vero conferret habitus virtutum naturalium, quos nos labore acquirimus, ita ut pueri cum omnibus prædictis naſcerentur, non eſt ita exploratum. Sed partem affirmativam credimus eſſe D. Thomæ 1. p. quæſt. 95. art. 3. & quæſt. 101. art. 1. ad 3. Et clarius quæſt. 18. de verit. art. 7. ubi cum dixiſſet pueros in ſtatu innocentiæ non naſcituros cum omnibus ſcientiis, ſed eas tempore, quamvis longe facilius, & brevius, quàm nos, acquiſituros, ſubdit. *Sed tamen aliquam ſcientiam in eis ponere perfectam oportet, ſcilicet eligendorum, & vitandorum ſcientiam, quæ ad prudentiam pertinet: quia ſine prudentia cæteræ virtutes eſſe non poſſunt, ut probatur 6. Ethic. quas utique oportebat pueros habere propter originalem juſtitiam*, &c. Idem dicit in ſolut. ad 2. Videatur etiam ad 7. nec non quæſt. 4. de malo art. 2. ad 12. ubi ſatis conſtabit ſermonem eſſe de ſcientia, & prudentia naturalibus; atque adeo & de virtutibus naturalis ordinis. D. Thom.

Si autem inquiras, an præter prædictas virtutes tam naturales, quàm infuſas fuiſſent in potentiis alii habitus ad plene ſubiiciendas ſenſitivas rationi, & rationales Deo? ¶ Reſpondendum eſt negative, ut ſumitur ex D. Thom. 1. p. quæſt. 95. citato art. 3. ubi docet, prædictam ſubjectionem fuiſſe effectum ipſarum virtutum: atque adeo ſuperflue ad id ponerentur alii habitus. Eò præſertim quia, ut recte vidit D. Thom. quæſt. 27. de verit. art. 6. cum potentia ſit per ſe primo ad agendum, habitus eam perficiens neceſſario debet eſſe habitus operativus: hic autem, quoties eſt in ordine ad bonum perfecte attingendum, non diſtinguitur, à virtute: igitur vel prædicta ſubordinatio non fieret per habitum, vel fieret per ipſas virtutes. Verum eſt tamen, quod virtutes illius ſtatus, licèt entitative, & ſubſtantialiter eſſent ejuſdem ſpeciei cum noſtris, haberent tamen quemdam peculiarem modum dominandi appetitui ita plene, & efficaciter ut nullus quantumvis leviſſimus in eo motus præter ordinem rationis inſurgeret. Eſſetque prædictus modus in virtutibus naturalibus naturalis ordinis & in per ſe infuſis ſupernaturalis. Satisfit interrogationi.

Hoc ſuppoſito, ad prædictam ſecundam confirmationem neganda eſt conſequentia. Nam ſicut in beatis dotes corporis, licèt ſint entitative naturales, non poſtulant pro radice in anima aliquem habitum naturalis ordinis; ſed ſufficienter eas inferunt gratia conſummata, & viſio beatiſſima, ut explicuimus in tract. de Beatitud. diſ. 5. à num. 41. ita gratia ſtatus innocentiæ poterat eſſe radix prædictarum virtutum, & perfectionum naturalium. Quamvis enim perfectio ordinis ſuperioris nequeat in re inferioris ordinis contineri, & ab ea oriri: bene tamen è contra, ut explicuimus loco citato num. 48. Advertendum eſt tamen, gratiam ſtatus innocentiæ non habuiſſe, quod eſſet radix illarum perfectionum præciſe ex vi ſuæ eſſentiæ, ſed adiuncto illo modo Dominii in animam, & corpus, quem explicuimus num. 7. 61

Ad ultimam confirmationem admiſſa majori, & etiam minori quoad primam partem, neganda eſt quoad ſecundam, dicendumque animam in eo ſtatu ſine aliquo habitu ſibi ſuperaddito ratione perfectioris cujuſdam modi informandi corpus, & illi dominandi, quem haberet, fore radicem illarum perfectionum, quibus ipſum corpus redderetur Ad ultimam.

Digitized by Google

dæretur impaſſibile, & appetitus ſenſitivus rationi ſubderetur: & eo ipſo voluntas ſine habitu ſuperaddito per ſuam naturalem inclinationem confirmaretur Deo tanquam fini huius ordinis: quia ſedato plene prædicto appetitu, nihil eſſet, quod eam à bono honeſto naturali diſtraheret. Vt autem prædictus modus informationis, & Dominii ſupra corpus eſſet in anima, concurrebat in genere cauſæ materialis illa eadem perfectio, ſeu impaſſibilitas, quæ redundabat in corpus: quatenus hoc melius diſpoſitum perfectius ab anima informaretur: & ipſa anima cum hac perfectiori informatione erat in genere cauſæ efficientis, vel quaſi efficientis principium talis impaſſibilitatis. Quid autem importet prædictus modus informationis, & Dominii animæ ſupra corpus, explicuimus loco cit. de Beatitud. præſertim à num. 32. ubi aliquas obiectiones ſolvimus: debentque omnino videri, quæ ibi dicta ſunt.

§. IV.

Vltima aſſertionis ratio.

62 SIcut præcedens ratio excludit habitum, de quo quærimus, ab eſſentia animæ, ex repugnantia effectus formalis in illa: ita hæc poſterior ex ſimili repugnantia excludit ipſum à voluntate. Effectus autem, quem auctores ponentes ibi talem habitum ei aſſignant, eſt convertere ipſam voluntatem ad bonum commutabile, ſicut ad finem ultimum: hoc quippe eſt præcipuum illorum argumentum ad adſtruendum habitum poſitivum, quòd intelligere nequeant, voluntatem averſam eſſe à Deo fine ultimo, ſicut eſt per peccatum; niſi ſimul intelligatur converſa ad oppoſitum finem, ſcilicet bonum commutabile; neque iſtam converſionem, in qua dicunt peccatum habituale conſiſtere, ſine prædicto habitu. Et quoniam hæ, & aliæ rationes, quæ pro contraria ſententia adduci poſſunt, eandem, vel maiorem vim habent in peccato habituali perſonali, atque in originali, conabimur oſtendere, neque etiam pro perſonali eſſe prædictum habitum in voluntate conſtituendum, ut eo ipſo à fortiori convictum maneat non eſſe ponendum pro originali: ſi enim Adamus in ſua propria voluntate non produxit talem habitum, quando deliquit, neque producunt alii peccatores, non eſt cur ab ipſo Adamo produci debeat in voluntate parvulorum: in quibus non plura requirenda ſunt pro conſtituendo originali peccato, quàm in eodem Adamo, & in reliquis pro conſtituendo habituali perſonali, ut eſt per ſe notum.

Tertia ratio principalis. Ratio autem, quæ univerſalis eſt pro omnibus, propoſita iam à nobis fuit in tract. de ult. fine diſp. 4. dub. 2. & modo ſic formatur. Habitus convertens voluntatem ut ad finem ultimum, debet eſſe omnino ſuperior ad ipſam voluntatem: ſed nullus habitus de genere mali poteſt eſſe ita ſuperior: ergo nullus talis habitus conſtituere poteſt prædictam converſionem; atque adeo neque peccatum habituale ſive perſonale, ſive originale in voluntate exiſtens. Conſequentia quoad utramque partem eſt legitima: maior vero probatur. Quia ut prædictus habitus convertat voluntatem ſicut ad finem ultimum debet illam ſecundum omnes inclinationes, & affectus ſibi ſubiicere, mediáque hac ſubiectione ſubordinare eam adæquate tali fini: neque enim ratio ultimi finis ſalvari queit ſine tota hac ſubordinatione; neque ipſa ſubordinatio aliter fieri, quàm per formam voluntatem ita ſubiicientem, & convertentem: ſed habitus, qui non ſit voluntate ſuperior, non poteſt illam prædicto modo ſubiicere: ſubiectio enim præſertim adeo totalis, & adæquata non fit, niſi à potentiori, & valentiori: ergo, &c. Minor autem ex eo liquet: quia prædictus habitus eo ipſo quod ſit de genere mali, debet produci virtute, & actibus voluntatis, quæ peccat, quæque per illum dicitur converti: debétque ad eam comparari ſicut effectus æquivocus, de cuius ratione eſt, ut ſuam cauſam non adæquet: neque excogitabitur alia cauſa ſive creata, ſive increata præter prædictam voluntatem, à qua poſſit oriri: debet ergo talis habitus omnino eſſe minoris & inferioris virtutis, quàm ipſa voluntas: ſicut omnis effectus æquivocus eſt inferior ſua cauſa, atque adeo debet potius illi ſubordinari, quam eam ſibi ſubiicere.

Confirmatur: nam idcirco habitus charitatis poteſt convertere noſtram voluntatem ad Deum ſicut ad finem ultimum, quia cum non ſit eius effectus, neque virtute, aut actibus eius acquiſitus, ſed participatio voluntatis divinæ, & à Deo infuſus, habet eſſe omnino ſuperior ipſa voluntate, quam convertit, hacque ratione poteſt eam ſibi, & prædicto fini adæquate ſubiicere: cum ergo habitui malo præſtantia hæc, & ſuperioritas reſpectu voluntatis peccantis nullo ex capite poſſit accidere, non eſt quo pacto eam plene ſibi ſubiciat, ut ad ſuum terminum tanquam ad finem ultimum convertat. 63 Confirmatio.

Confirmatur ſecundo. Ita comparatur habitus ad potentiam quantum ad inferioritatem, vel ſuperioritatem, ſicut obiectum habitus ad obiectum potentiæ: commenſurantur enim tam habitus, quàm potentia cum ſuis obiectis: ſed obiectum cuiuſcumque habitus viribus voluntatis acquiſiti eſt omnino inferius obiecto ipſius voluntatis, comparatúrque ad illud ſicut pars ad totum, vel ſicut particulare ad univerſale, ſub quo continetur: ergo, &c. Minor ſuadetur: nam obiectum cuiuſcumque habitus viribus voluntatis acquiſiti ſemper eſt bonum particulare hoc, vel illud; obiectum autem voluntatis eſt bonum in tota ſua latitudine, ſub quo omnia bona clauduntur, & propterea habitus dicitur *determinatio potentiæ*, quia potentiam ex ſe reſpicientem univerſale, & commune determinat ad particulare, quod reſpicit ipſe habitus. Confirmatio alia.

Sed eſt contra hanc rationem non levis obiectio. Quia omnes fateri tenemur, peccatorem ſaltem adultum, quandiu in peccato mortali eſt, habere pro ultimo fine bonum commutabile, atque adeo voluntatem habitualiter ad illum converſam: ſed hæc converſio fieri nequit niſi per habitum poſitivum de genere mali: ergo concedendus eſt talis habitus. Probatur minor (maior enim eſt communis modus loquendi Theologorum) nam talis converſio ex ipſo nomine importat, & exprimit poſitivum, ſicut averſio 64 Gravis obiectio.

 priva

privationem: ex eo autem quod eſt ad bonum commutabile tanquam ad finem ultimum, atque adeo perverſa, & peccaminoſa, debet fieri per aliquid de genere mali: cùmque ſit converſio habitualis, oportet ut poſitivum, per quod ſit, habeat rationem mali habitus.

Confirmatio. Et confirmatur: quoniam in voluntate peccatoris nihil aliud excogitari poteſt pro conſtituenda prædicta converſione, niſi vel ipſa voluntatis natura, vel privatio habitus charitatis, per quem erat antea in Deum converſa, vel aliquis habitus poſitivus de genere mali: ſed non conſtituitur per primum; natura enim voluntatis eadem eſt ſub gratia, & ſub peccato, & ſub converſione ad Deum, & ad commutabile bonum: & ita nequit per ſe ipſum ullam ex his converſionibus conſtituere. Neque per ſecundum: quia converſio, ut dicebamus, ex ipſo nomine importat poſitivum, ac proinde conſtitui nequit per ſolam privationem: ergo dicendum eſt tertium, videlicet conſtitui per habitum poſitivum de genere mali.

65 Doctrina pro ſolutione. Hæc objectio poſtulat, ut explicemus, quid ſit finis ultimus, ad quem peccator eſt habitualiter converſus? Indéque innoteſcet, quæ ſit propria forma, conſtitutiva talis converſionis? manebitque objectio ſoluta. Pro quo recolenda ſunt, quæ diximus in tract. de ult. fine diſp. 4. dub. 2. & 3. ubi rem late diſcuſſimus. Iuxta ibidem ergo dicta finis ultimus peccatoris non eſt aliquid ſecundum ſe inordinatum, ſed proprium ipſius bonum ſub hac ratione boni proprii ſine ulla alia reſtrictione, connotando tamen privationem gratiæ, & charitatis, per quam privationem excludit ſubordinationem ad bonum divinum ſecundum ſe. Unde ſub prædicto fine comprehenditur quodcumque bonũ particulare poteſt ab ipſo peccatore appeti propter ſe, & propter perficiendum proprium ſuppoſitum: ſive illud ſit verum bonum, ſive apparens: delectabile, aut honeſtum, &c. à quibus omnibus ipſa ratio boni proprii tanquam ſuperior abſtrahit. Quod adeo verum eſt, ut licèt peccator expreſſe vellet conſtituere ſuum finem ultimum in aliquo bono particulari, v. g. in objecto ſui actus peccaminoſi; non ideo tale bonum etiam reſpectu illius actus haberet rationem finis ultimi ſimpliciter: ſed amaretur ut pars ipſius proprii boni, atque adeo propter ipſum tanquam propter magis ultimum: connotatio autem privationis gratiæ, & charitatis propterea coniungenda eſt bono proprio ad conſtituendum prædictum finem, quia de ratione finis ſimpliciter ultimi eſt irreferibilitas ad alium, quam non importat bonum proprium ſecundum ſe, & in ea abſtractione, quam diximus: ut ſic namque referibile eſt, & de facto à juſtis refertur ad bonum divinum, quod eſt eorum finis: connotata vero prædicta privatione, impeditur ea referibilitas: & ſic manet ipſum bonum proprium tanquam omnino ultimum reſpectu voluntatis peccatoris, quandiu peccator eſt, ſeu quandiu in eo eſt talis privatio.

66 Hinc autem fit, voluntatem peccatoris non reſpicere prædictum finem, neque converti ad illum per aliquem habitum ſibi ſuperadditum, ſed per ſuam eſſentiam, & innatam inclinationem cum connotatione prædicta: quia ad rationem communem boni proprii voluntas per ſe ipſam eſt ſufficienter determinata, ſicut quælibet alia potentia ad communem rationem ſui objecti: & ita neque indiget habitu determinante, ſeu inclinante erga tale bonum, neque eſt capax illius: ipſa quippe inclinatio eſſentialis præſtat eminentius quicquid præſtare poſſet habitus. De quo plura diximus loco cit. in tract. de virtutibus diſp. 2. dub. 3. ¶ Fit etiam, voluntatem per prædictam inclinationem ſecundum ſe præciſe ſumptam reſpicere quidem bonum proprium ſecũdum ſe, & ſub ratione finis ultimi quodammodo, hoc eſt, præciſe in ordine creato, & reſpectu voluntatis ut appetentis ex inclinatione propriæ naturæ; non autem reſpicere illud ut ultimum ſimpliciter: quia tale bonum ſecundum ſe non eſt ita ultimum, quin poſſit ad bonum increatum, & divinum tanquam ad magis ultimum referri: ſicut de facto refertur à juſtis per habitum charitatis. Sed quia prout eſt in peccatore, habet annexam privationem gratiæ, & charitatis, & hæc privatio impedit relationem ad ipſum bonum divinum, inde evenit, & quòd bonum proprium per talem privationem fiat ulterius irreferibile, atque adeo omnino ultimum: & quòd inclinatio voluntatis peccatoris in tali bono ut in ſic ultimo, & irreferibili ſiſtat, non præciſe ex vi ſua, ſed ratione prædictæ privationis, quæ prohibet, ne talis inclinatio ulterius aſcendat.

Diximus, inclinationem voluntatis ſecundum ſe reſpicere bonum proprium ſub ratione finis ultimi quodam modo, &c. quia licèt voluntas per charitatem ulterius aſcendat, & omnia referat ad bonum divinum, ipſa tamen ut appetens, & tendens præciſe ex inclinatione propriæ naturæ ſatiatur in prædicto bono proprio, neque ex vi illius poteſt extra hujuſmodi bonum aliquid appetere. Unde reſpectu voluntatis præciſe prout ex hac inclinatione appetentis poteſt dici ſatiativum, & conſequenter finis ultimus in ordine creato: quod eſt eſſe ultimum ſecundum quid, conſervando indifferentiam, ut vel fiat ſimpliciter ultimus per privationem gratiæ excludentem relationem ad finem ſupernaturalem; vel fiat poſitive intermedius per hanc relationem.

Ex his habetur ſolutio objectionis. Ad quam admittimus majorem, ita ut per bonum commutabile intelligatur non aliquod bonum particulare, aut aliquod bonum ſecundum ſe inordinatum; ſed bonum proprium peccatoris in tota ſua latitudine. Neganda vero eſt minor. Et ad probationem dicendum, converſionem peccatoris ad prædictum finem importare poſitivum ſimul cum privatione: quia importat inclinationem eſſentialem voluntatis, per quam ipſa eſt habitualiter converſa ad proprium bonum ſecundum ſe, & privationem gratiæ, per quam tale bonum redditur irreferibile ad divinum; & cogitur voluntas ſiſtere ultimatè in illo, & ad iſtud non progredi. Unde tota perverſio in ea converſione reperta incidit ratione prædictæ privationis impedientis relationem ad bonum divinum; non autem ratione poſitivi reperti in tali converſione. Et conſequenter negandum eſt, hoc poſitivum debere eſſe habitum voluntati ſuperadditum, vel aliquid de genere mali. 67 Solutio objectionis.

Per

Digitized by Google

Per quod patet ad confirmationem: quia revera tam ipſa natura, ſeu eſſentialis inclinatio voluntatis, quàm privatio charitatis, & gratiæ concurrunt in converſione habituali peccatoris in ſuum finem ultimum, unaquæque ſuo modo jam explicato. Quia vero perverſio illius converſionis tota eſt ex privatione impediente relationem ad bonum divinum, & cogente ſiſtere in ipſo bono proprio; non autem ex eſſentiali inclinatione poſitiva, quæ ex vi ſua ſolum reſpicit tale bonum ſecundum ſe, abſtrahendo à relatione, vel irreferibilitate, poteſt talis inclinatio, & converſio ſecundum totum ſuum poſitivum manere ſucceſſivè & ſub peccato, & ſub gratia: & ſubſiſtere ultimatè in bono proprio ratione ipſius peccati; ſub iſta vero ratione eius elevari, & referri ad divinum: & primo modo erit converſio peccaminoſa ratione privationis; ſecundo autem erit honeſta, & ſancta ratione relationis.

68 *Replica.* Sed urgebis: quia juxta hanc doctrinam non modo in adultis, qui propria voluntate deliquerunt, ſed etiam in parvulis originali culpa infectis dabitur converſio ad bonum commutabile, tanquam ad finem ultimum: quippe qui ſub privatione gratiæ, vel juſtitiæ originalis habent illam inclinationem eſſentialem ad bonum proprium, quam reliqui peccatores adulti. Hoc autem videtur contra D. Thom. quæſtione quinta, de mal. articulo ſecundo, ubi ex eo probat, parvulos decedentes ſine baptiſmo non puniri pœna ſenſus, quia in eorum peccato non invenitur converſio ad bonum commutabile, cui prædicta pœna debetur; ſed ſolum averſio ab incommutabili, cui correſpondet pœna damni: ergo, &c.

Extricatur. Reſpondetur, aliud eſſe, an in voluntate puerorum ſit aliqua converſio ad bonum commutabile? Aliud verò, an talis converſio ſpectet per ſe ad peccatum originale ſecundum ſuam formalem rationem, ſicut ad actuale ſpectat converſio inventa in illo. Hoc poſterius negat D. Thom. in loco allegato, & nos etiam negabimus: quia in ejus ſententia peccatum originale in ſola privatione, ſeu averſione conſiſtit. Primum autem non negat: quia prædicta converſio ſecundum ſuum poſitivum, quamvis ſit in voluntate, eſt extra totum formale originalis culpæ: & ad ſummum valde materialiter ad illam ſpectat; ſicut de concupiſcentia dicemus dubio ſequenti.

§. V.

Argumentum contrariæ ſententiæ.

69 *Nuño. Greg. Mart. Albertum Magnum. Bonavent. Burgenſ.* SEntentiam contrariam ſaltem ut probabiliorem tuentur Nuño 3. part. quæſt. 86. art. 2. dub. 2. circa, & Gregorius Martinus in præſenti artic. 1. dub. 1. referens Albertum Magnum, Bonaventuram, Burgenſem, & alios, quos tamen ſi conſpexeris, eadem facilitate poteris in alio ſenſu interpretari. *Argumentũ primum ab auctoritate D. Thom.* Probatur primò ex D. Thoma artic. 2. hujus quæſt. ubi quærit *utrum peccatum originale ſit habitus?* Et diſtinguens in corpore duplicem habitum, alium, quo potentia inclinatur ad agendum; alium vero, qui eſt diſpoſitio alicujus naturæ ex multis compoſitæ, ſecundum quam aliquid bene, vel male ſe habet, &c. ait prædictum peccatum eſſe habitum ſecundo modo, quamvis non primo. Et in ſolutione ad 1. inquit, quod *non eſt privatio pura, ſed habitus corruptus.* Habitus autem ex ipſo nomine importat poſitivum. In ſolutione vero ad ſecundum comparat peccatum originale cum actuali in eo, quod ſicut actuale eſt inordinatio actus, ita originale eſt inordinata diſpoſitio naturæ. Sed in via D. Thom. inordinatio, & malitia peccati actualis eſt poſitiva, ut vidimus diſp. 6. ergo etiam malitia originalis. Denique in eodem articulo cum in corpore, tum ad argumenta appellat peccatum originale *languorem naturæ*, & comparat illud ægritudini naturali, in qua eſt aliquid poſitivi, & aliquid privationis: ſentit ergo prædictum peccatum non in ſola privatione conſiſtere.

Confirmatur ex eodem Angel. Doctore infrà q. 113. art. 1. ubi docet, juſtificationem impii non eſſe per modum ſimplicis mutationis, quaſi à privatione, vel negatione ad habitum, ſed ſecundum rationem motus, qui eſt à contrario in contrarium, atque adeo a poſitivo in poſitivum: cum autem contraria hæc ſint peccatum habituale, & gratia, ſequitur tam iſtam, quàm illud eſſe formam poſitivam. Quod clarius tradit q. 28. de verit. art. 6. ubi ut diſtinguat inter remiſſionem culpæ, & infuſionem gratiæ, poſt alia, quæ ad intentum præmiſerat, hæc ait: *Patet igitur quod ſi culpa non eſt aliquid poſitivè, idem eſt infuſio gratiæ, & remiſſio culpæ ſecundum rem; ſecundum rationem vero non idem. Si autem culpa aliquid ponit, non ſecundum rationem, ſed re eſt aliud remiſſio culpæ, & infuſio gratiæ, ſi conſiderentur ut mutationes: culpa autem aliquid ponit, & non ſolum abſentiam gratiæ*, &c. Quid clarius. *Cõfirmatio ex D. Th.*

Confirmatur ſecundo alio ejuſdem D. Thom. teſtimonio q. 24. de verit. art. 12. ubi ſic ait: *Homo, qui eſt in peccato mortali, habitualiter peccato inhæret: quamvis enim non ſemper habeat habitum vitii, quia ex uno actu luxuriæ habitus non generatur; voluntas tamen peccantis, derelicto incommutabili bono, bono commutabili quaſi fini adhæſit. Et huius modi adhæſionis vis, & inclinatio in ea manet, quouſque iterato bono incommutabili quaſi fini inhæreat*, &c. Hujuſmodi autem vis, & inclinatio, per quam voluntas bono commutabili adhæret, ſine dubio eſt aliquid poſitivum relictum ex præcedenti actu peccaminoſo: ergo, &c. *Cõfirmatio alia ex eodem.*

Reſpondetur D. Thom. nomine *habitus*, quo appellat in hoc articulo peccatum originale, non intellexiſſe aliquam formam, vel qualitatem, aut aliquid aliud poſitivum animæ, vel potentiis ſuperadditum, atque adeo quod propriè, & rigoroſè habitus ſit. Si namque hujuſmodi habitus daretur, ipſe proculdubio potius, quàm privatio juſtitiæ originalis eſſet ratio formalis originalis culpæ (& ita intendunt adverſarii) quod tamen D. Thomas expreſsè negat articulo 3. huius quæſt. & aliis locis, ut videbimus dub. 5. Appellat ergo prædictum peccatum *habitum*, quia habitui aſſimilatur: non ſolum in eo quod habitualiter permanet; ſed etiam quia cum de ratione habitus ſit diſponere bene, vel male in ordine ad naturam, & ordinare, vel inordinatas reddere ejus partes, ut ex diffinitione habitus conſtat, 70 *Exponitur primum teſtimonium.*

conſtat, quicquid prædicto modo diſponit, non impropriè, quamvis in latiori acceptione dicitur *habitus*: Quia igitur per privationem originalis juſtitiæ partes humanæ naturæ malè ſe habent, ſuntque in ordine ad ipſam naturam pravè diſpoſitæ, meritò talis privatio dicta eſt *habitus* à D. Thom.

Accedit, quod peccatum originale importat de materiali concupiſcentiam, ut videbimus dubio ſequenti: & quia concreta accidentalia prædicantur abſolutè de ſuo materiali, & è contra, ipſa concupiſcentia, & quicquid de ea dicitur, prædicatur abſolutè de prædicto peccato. Concupiſcentia autem rectè poteſt dici habitus in latiori acceptione: non ſolum quia includit pro materiali poſitivum, videlicet ipſas potentias, quatenus ſecundum ſe propendunt in bonum delectabile, & ſenſibile, ſed etiam quia per illam tales potentiæ amiſſo retinaculo originalis juſtitiæ, quo ſub ratione continebantur, redditæ ſunt habiles, & expeditæ ad inordinatè concupiſcendum. Quod rectè explicat D. Thom. in 2. diſt. 30. quæſtione prima, articulo tertio, ad 2. his verbis: *Differt dicere potentem, & habilem: quod enim aliquis ſit potens concupiſcere eſt ex potentia concupiſcibili: ſed quod ſit habilis ad concupiſcendum eſt ex aliquo habitu, vel eo quod per modum habitus ſe habet. Contingit enim, ut etiam privatio aliqua habilitatem quandam relinquat, in quantum privatur aliquid, quod impedimentum præſtare poſſet: & ita dicitur concupiſcentia habitualis eſſe peccatum originale: non quidem vis concupiſcibilis, neque aliquis habitus, qui aliquid poſitivè dicat; ſed ipſa habilitas, quæ relinquitur in inferioribus viribus ad inordinatè concupiſcendum, ex hoc quod ab appetitu ſubtrahitur retinaculum rationis, quo detinebatur, ne effrenatè poſſet in ſua obiecta tendere.* Ex quo loco apertè conſtat, quomodo in via Divi Thomæ nomine *concupiſcentiæ*, & *peccati originalis* non importetur poſitivum ſaltem pro formali; ſed tantum privatio. Et iterum quod hæc privatio poſſit dici *habitus*, quatenus per eam removetur aliquid prohibens potentias à ſua habilitate, & expeditione: atque adeo quatenus per ipſammet eædem potentiæ ad proprios motus, habiles, & expeditæ redduntur.

D. Thom.

71 Exponitur ſecundum.

Ad illud, quod opponitur ex ſolutione ad 1. reſpondetur, rectè dictum eſſe à Divo Thoma, quod peccatum originale non ſit privatio pura: quia licet dicat pro formali privationem, non dicit eam quaſi abſtractè ſumptam; ſed ut junctam, & concretam concupiſcentiæ tanquam rationi materiali, in qua eſt aliquid poſitivi: & ideo ipſa concupiſcentia cum privatione, & corruptione originalis juſtitiæ dicitur *habitus corruptus*: ac ſi diceremus, album non eſſe albedinem puram; ſed corpus cum albedine, vel albedinem junctam, & concretam corpori: in concretis enim accidentalibus non prædicatur forma abſtractè ſumpta, quia ſupponunt pro materia.

Declaratur tertium.

Ad aliud ex ſolutione ad 2. reſpondetur, D. Thomam non æquiparaſſe peccatum originale, & actuale quantum ad poſitivum, vel privativum; ſed reddidiſſe diſcrimen, quare cum ad actuale nullus habitus per ſe pertineat; aliquis tamen pertineat ad originale: quia videlicet actuale eſt inordinatio actus, & non aliquid habitualiter permanens, unde nequit in eo, ſive pro formali, ſive pro materiali habitus importari: originale vero eſt inordinata diſpoſitio naturæ: atque adeo ſicut natura eſt habitualis, & permanens, ita prædicta diſpoſitio poteſt habere rationem, vel modum habitus. Et quod D. Thom. nihil aliud intenderit, conſtabit legenti tam argumentum, quàm ſolutionem. ¶ Adde, quod cum in exemplis non ſit quærenda omnimoda paritas, ſed aliqua ſimilitudo, & hanc ſufficiat eſſe juxta opinionem probabilem, ſatis fuiſſe probabilitas illius ſententiæ, quæ peccatum actuale ponit in privativo, ut D. Thom. prædicto exemplo uteretur. Præſertim quia adhuc juxta ſententiam ejuſdem Angel. Doctoris, quam ſupra elegimus, datur in peccato actuali malitia privativa, licet ſecundaria, & conſequens, cum qua potuit non curando de poſitiva inordinationem originalis conferre.

Ad ultimum de ægritudine naturali dicendum eſt, nunquam D. Thom. voluiſſe per hujuſmodi exempla rem diffinire; ſed ſumere ex eis aliquam ſimilitudinem ad veritatis declarationem: & ideo non ſunt nimis premenda talia exempla, neque eſt importunè eis inſiſtendum. Similitudo autem quoad præſens ſtat in hoc, quod ſicut ægritudo importat de poſitivo humores corporis, & de privativo carentiam illius proportionis, quam inter eos ponebat ſanitas: ita peccatum originale dicit de poſitivo ipſas potentias, & animæ vires; & de privativo deſtitutionem illius ordinis, & harmoniæ, quam originalis juſtitia in eis conſtituebat. An vero in ægritudine naturali detur aliqua alia forma poſitiva de genere qualitatis, vel relationis, & an ea, vel potius prædicta privatio ſit conſtitutiva talis ægritudinis, neque eſt conſtans in doctrina Divi Thomæ, neque ad intentum refert. 72 Vltimum de ægritudine explicatur.

Sed urgebis, quod præter vires animæ, & privationem juſtitiæ originalis ponit D. Th. tertiam rationem, ſeu formalitatem, quam appellat *inordinatam diſpoſitionem ipſarum virium* provenientem ex tali privatione, atque adeo ab ea diſtinctam: hæc autem formalitas neceſſario eſt aliquid poſitivum; aliàs non differret à prædicta privatione, cujus ponitur effectus.

Reſpondetur, prædictam formalitatem habere ſe ut effectum privationis juſtitiæ originalis in genere cauſæ formalis, in quo genere, effectus, & cauſa non differunt tanquam alia, & alia forma, ſed ſicut eadem ſecundum ſe, ſeu in abſtracto, & ipſamet ut ſubjecto applicata, ſeu in concreto. Eadem ergo carentia juſtitiæ originalis, quæ ſecundum ſe, & abſtractè conſiderata dicitur *privatio*, & habet ſe ut cauſa; prout conſideratur juncta, & concreta ſuo materiali dicitur *inordinata diſpoſitio virium animæ*, & habet rationem effectus: unde neutra dicit pro formali aliquid poſitivum.

Ad primam confirmationem poſſet non improbabiliter reſponderi, D. Thom. ubi citatur, agere de juſtificatione adultorum, in cujus termino *à quo* ſemper eſt peccatum habituale perſonale, de quo non pauci etiam ex his, qui originale conſtituunt in privatione, affir- 73 Ad primam confirmationem in prima ſolutio.

mant

mant eſſe poſitivum. Sed quia nobis quantum ad hoc eodem modo eſt de utroque philoſophandum, reſpondemus S. Doctorem in primo teſtimonio conſultò non dixiſſe abſolute, quòd juſtificatio impii ſit motus à contrario in contrarium, ſed quod ſit *ſecundum rationem motus*, ut innueret ſervari quidem in ea aliquam ſimilitudinem cum tali motu, non tamen omnimodam. Servatur autem quoad hoc, quod ſicut in motu proprie dicto inveniuntur quatuor termini, nimirum forma contraria, quæ deſtruitur per motum, & forma, quæ acquiritur, & carentia utriuſque formæ, hacque ratione eſt ibi duplex mutatio, alia ab *eſſe* formæ, quæ deſtruitur ad non *eſſe* talis formæ; & alia à non *eſſe* formæ, quæ acquiritur ad ejus *eſſe*; utraque tamen conſtituit eundem motum: ita in juſtificatione impii totidem termini, & mutationes interveniunt: nam eſt peccatum deſtruendum, & eſt gratia acquirenda, & eſt *non eſſe* utriuſque: tranſitque ſubjectum una mutatione a peccato ad *non eſſe* peccati; & alia à *non eſſe* gratiæ ad ipſam gratiam: ex quibus omnibus integer proceſſus juſtificationis coaleſcit. Cæterum non intendit D. Thom. terminum *à quo* prædictæ juſtificationis eſſe in toto vigore contrarium, ſicut in aliis motibus, puta calefactionis, dealbationis, &c. ſed dicitur *contrarium* largè, ut dici ſolent quælibet oppoſita, inter quæ cadit medium, ſive utrumque ſit poſitivum, ſive alterum privativum: nam eo ipſo negatio, ſeu *non eſſe* unius non omnino coincidit cum affirmatione, & *eſſe* alterius. Et ideo poſſunt ibi diſtingui quatuor termini, verſarique inter eos duplex mutatio. Ad diſtinctionem illorum, quæ omne medium excludunt, uti ſunt contradictoria, in quibus idem prorſus eſt negatio unius, atque alterius affirmatio. Et hac ratione oppoſitio privativa (præſertim in moralibus) ſolet reduci ad contrariam, eodemque nomine appellari, & ſimul cum ea adverſus contradictoriam dividi.

74 Alia ſolutio. Secundo reſpondetur, terminum *à quo* juſtificationis non præciſe eſſe peccatum habituale ſive originale, ſive proprium, ſed ulterius aliquid: & ratione hujus poteſt talis terminus dici poſitivum, & contrarium, quamvis ipſum peccatum habituale pro formali dumtaxat ſit privatio. Pro quo nota, quòd nomine prædicti termini juxta ſenſum D. Thomæ intelligitur totum id, quo homo impeditur à receptione gratiæ, & à quo per juſtificationem liberatur: quidquid enim per juſtificationem excluditur, habet ſe ut terminus, à quo illa procedit. Hoc autem ultra peccatum habituale, quod eſt homini intrinſecum, importat peccatum actuale præteritum, ex quo habituale ortum duxit, & rationem offenſæ Deo illatæ per ipſum peccatum actuale: quandiu enim hoc non retractatur, & illa non remittitur, utrumque manet moraliter in Dei appretiatione prohibens ipſum à communicatione gratiæ, & impediens hominem ab ejus receptione. Et hac ratione dixit D.Thom. in loco allegato, quod peccatum habituale non eſt privatio pura ſicut tenebra, quæ præciſe dicit abſentiam lucis, ſed privatio cum ordine ad cauſam, ſicut umbra, quæ cauſatur ex interpoſitione corporis opaci: habet enim ſe peccatum præteritum, dum non retractatur, & offenſa, dum non remittitur ad impediendam lucem gratiæ in anima, cauſandamque ejus privationem, veluti obex interpoſitus inter Deum, & ipſam animam: ſicut ſe habet corpus obumbrans ad impediendam lucem ſolis in ſpatio illuminando. Et ſicut umbra non tollitur, niſi auferatur corpus intermedium: ita privatio gratiæ, ſeu peccatum habituale non aufertur, niſi actuale præteritum, & offenſa per remiſſionem, ſeu retractationem à conſpectu Dei removeantur. Quia ergo quando juſtificatur anima, hæc omnia tolluntur, videlicet ratio divinæ offenſæ, & moralis permanentia peccati actualis præteriti, necnon peccatum habituale, ſeu privatio gratiæ, quæ ex ipſo actuali tanquam ex obice in anima cauſabatur, cuncta hæc habent ſe ex parte termini *à quo* juſtificationis, & ex omnibus prout moraliter inter ſe unitis prædictus terminus coaleſcit. Hac igitur ratione potuit juſtificatio appellari *motus à contrario in contrarium*, ſeu *à poſitivo in poſitivum*, quia quamvis peccatum habituale ſecundum ſe in ſola privatione conſiſtat; peccatum tamen actuale præteritum, quod dum non retractatur, perſeverat moraliter, & ut ſic perſeverans conſtituit ſimul cum illo terminum *à quo* ipſius juſtificationis, eſt aliquid poſitivum.

Et quod D. Thom. juxta hunc ſenſum loquutus fuerit præſertim in ſecundo teſtimonio ex quæſt. 28. de veritate ubi apertius contrariæ ſententiæ favere videbatur, patet ex contextu. Nam poſtquam dixit, quòd culpa, quam tollit juſtificatio, aliquid ponit, & non ſolam abſentiam gratiæ, reddens huius rationem ita ſubdit. *Abſentia enim gratiæ ſecundum ſe conſiderata habet tantum rationem pœnæ, non autem rationem culpæ, niſi ſecundum quod relinquitur ex actu voluntario præcedente: ſicut tenebra non habet rationem umbræ, niſi ſecundum quod relinquitur ex interpoſitione corporis opaci. Sicut ergo ablatio umbræ importat non ſolum remotionem tenebræ, ſed remotionem corporis impedientis: ita remiſſio culpæ non ſolum ablationem abſentiæ gratiæ, ſed ablationem impedimenti gratiæ, quod erat ex actu peccati præcedente, non ut actus ille non fuerit, quia hoc eſt impoſſibile; ſed ut propter illum influxus gratiæ non impediatur,* &c. videatur in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 2. q. 1. 75 D.Thom.

Ex quibus habemus ad intentum, tum quod privatio gratiæ ut cauſata ex actu voluntario præcedenti, & ut reſpiciens illum, habet rationem culpæ: atque adeo eſt ipſum peccatum habituale; licet ſecluſo eo reſpectu & addito alio, potius eſſet pœna. Tum etiam quòd obex impediens lucem gratiæ, & cauſans eius umbram, ſive privationem in anima non eſt alius, quàm actus peccaminoſus præcedens, quatenus dum non retractatur, permanet moraliter in Dei appretiatione: & ita non eſt ponendum in homine aliquid intrinſecum talem obicem conſtituens. Tum præterea quod per motum iuſtificationis ſimul tollitur privatio gratiæ, & prædictus actus præteritus, quatenus retractatur, & Deus illius quodammodo obliviſcitur, ut non iam amplius propter illum gratiæ ſuæ ſubtrahat influxum. Tum denique quòd etſi peccatum habituale, & quicquid tanquam de eius ratione intrinſece in homine relinquitur, non ſit poſitivum; terminus tamen *à quo* iuſtificationis poteſt dici poſitivus, & contrarius gratiæ ratione peccati actua-

lis

Digitized by Google

lis, quod ſimul cum ipſo habituali per juſtificationem deletur. ¶ Quo pacto vero peccatum actuale Adami, quod ille pro ſe retractavit, manſerit pro poſteris irretractatum: atque adeo per uniuſcujuſque juſtificationem, prout ad ipſum attinet, deleatur, ut hac ratione ſpectet ad terminum *à quo* talis juſtificationis, dictum eſt diſputatione 14. num. 93.

76 Solutio ſecundæ confirmationis. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, illam inhærentiam habitualem, quam habet voluntas peccatoris reſpectu boni commutabilis, non ponere aliquid poſitivum diſtinctum ab ejus eſſentiali inclinatione; ſed ſufficienter fieri per hujuſmodi inclinationem una cum gratiæ privatione ex peccato actuali relicta: quatenus per hanc fit, ut talis voluntas per omnes ſuos actus ita ſiſtat in bono proprio ſive commutabili, ut ad incommutabile, & divinum non aſcendat, neque in ſenſu compoſito prædictæ privationis poſſit aſcendere. Et quia talis conſiſtentia in bono commutabili quantum ad ſuum formale, quod eſt ulterius non aſcendere, fuit effectus peccati actualis excludentis ſubordinationem ad bonum divinum, & amplectentis ipſum bonum commutabile ut omnino ultimum ratione objecti peccaminoſi illi adjuncti, dixit D. Thom. quod vis, & inclinatio iſtius peccati, ſive adhæſionis manet in homine, quouſque tale peccatum per pœnitentiam retractetur, & voluntas per charitatem ad bonum divinum convertatur. Quomodo vero hinc fiat non poſſe hominem ſine gratia per longum tempus peccatum mortale vitare, quod erat intentum D. Thomæ, facile intelligitur. Quia videlicet durante eo ſtatu, quicquid peccaminoſum illi homini occurrit, non diſſonat bono commutabili, ad quod eſt converſus, & ideo neque ab homine refugitur, neque apprehenditur ut malum, quouſque, magna adhibita deliberatione, deteguntur pœnæ, & incommoda, ad quæ ducit: & quia nequit homo multo tempore tantam deliberationem omnibus ſuis actibus apponere, conſequenter nequit omnia peccata mortalia toto eo tempore occurrentia vitare. Quo contra ſe haberet, ſi eſſet in gratia converſus ad bonum divinum: nam eo ipſo objecta prava occurrentia ſine tanta deliberatione reputantur mala, & fugienda propter diſſonantiam ad tale bonum, ob idque facile vitantur. Videatur Ang. Doctor loco cit. ubi hanc doctrinam proſequitur.

Secundum argumentum ea ratione. Ratione vero ſic arguitur pro contraria ſententia. Peccatum noſtrum originale debet eſſe ejuſdem rationis, ejuſdemque ſpeciei cum eo, quod Adamus commiſit: idem enim ſaltem ſpecie peccatum, quod ille commiſit, in nos transfudit: ſed peccatum, quod commiſit Adamus, fuit poſitivum: fuit enim peccatum commiſſionis contra præceptum negativum non edendi de ligno vetito, aut non ſuperbiendi, cujus peccati eſſentiam ſupra diſp. 6. in poſitivo conſtituimus: ergo, &c.

77 Solutio. Reſpondetur in Adamo fuiſſe duplex peccatum: aliud actuale, quod fuit actus ſuperbiæ, inobedientiæ, aut gulæ, à quo ipſe Adamus dictus eſt *peccans*, & nos prout eramus in illo, dicimur *in eo peccaſſe*: aliud vero habituale, quod fuit terminus talis actus, denominavitque Adamum *peccatorem*. Primum quidem fuit poſitivum ſicut cætera peccata actualia, de quibus egimus citata diſputat. 6. Poſterius autem non fuit pro formali niſi privatio gratiæ, vel originalis juſtitiæ, ut noſtris rationibus oſtendimus: quia ergo peccatum noſtrum originale non ſe habet per modum actus, ſed per modum termini, neque ab eo dicimur *peccantes*, ſed *peccatores*, æquiparandum, & aſſimilandum potius eſt peccato habituali Adami conſiſtenti in privatione, quàm peccato eius actuali importantide formali poſitivum. Sane uſque adhuc nemo plus tribuit de ratione *peccati, voluntarii*, aut *poſitivi* peccato originali, quod in nos Adamus transfudit, quàm peccato habituali, quod in ſe ipſo reliquit.

Si autem circa ipſum peccatum habituale Adami conficias argumentum: quia debet eſſe eiuſdem ſpeciei cum actuali? ¶ Reſpondetur quæſtionem eſſe potiùs de modo loquendi, ſatiſque independentem à præſenti difficultate, an prædicta peccata eiuſdem, vel diverſæ ſpeciei dici debeant? Et quidem ſi in vigore Logico, vel Mataphyſico loquamur, perſpicuum debet eſſe, ea non convenire in ſpecie atoma, etiamſi admitteremus utrumque eſſe poſitivum: quia habitus, & actus ſaltem differunt, ſicut qualitas difficile, & qualitas facile mobilis, quæ conſtituunt diverſas ſpecies adhuc ſubalternas. Dicuntur tamen communiter prædicta peccata eiuſdem ſpeciei: vel reductive, quia cum habituale ſit terminus actualis, reducitur ad illud, & quaſi unum cum eo conſtituit: vel moraliter, & appretiative, quia cum ſint contra eandem legem, & ex eodem motivo, in morali, & prudenti æſtimatione pro eodem reputantur. Ad huiuſmodi vero convenientiam nihil refert, quod unum ſit poſitivum, & aliud privativum, ſicut de peccatis commiſſionis, & omiſſionis procedentibus ex eodem motivo diximus diſp. 8. à num. 7. & diſp. 6. à num. 103.

Tertio probatur: nam voluntas pueri per originale peccatum non modo eſt averſa à Deo ſicut à fine ultimo; ſed etiam eſt habitualiter converſa ad bonum commutabile: ſed talis converſio eſt aliquid poſitivum: ergo, &c. Minor conſtat: maior vero probatur: tum quia omnis averſio ſequitur ex aliqua converſione; non enim voluntas avertitur ab uno termino, aut relinquit illum, niſi quia afficitur, & convertitur ad alium. Tum etiam quia nequit intelligi voluntas ut omnino ſuſpenſa, & ſine inclinatione habituali ad aliquem finem: cum ergo quandiu adeſt peccatum, non inclinetur in Deum ſicut in finem, oportet ut maneat inclinata, & converſa habitualiter ad creaturam, ſeu ad bonum commutabile. 78 Argumentum tertium.

Ad hoc argumentum non pauci ex his, qui tenent noſtram ſententiam, occurrunt negando maiorem: & ad primam probationem reſpondent, averſionem conſtitutivam peccati originalis ſupponere quidem aliquam converſionem, cuius ſit effectus; non tamen habitualem, & quæ maneat in ipſo puero; ſed actualem, quæ non eſt alia, niſi quæ fuit in peccato actuali Adami, ex quo originale ortum duxit: ex eo enim quod Adamus ſuo gulæ, & ſuperbiæ actu converſus fuit ad bonum commutabile ſicut ad finem ultimum, ſequuta eſt in ipſo, & in nobis averſio, & ſeparatio à bono incommutabili per gratiæ, & charitatis privationem, cui bono coniuncti eſſemus per ipſam gratiam, Prima ſolutio probabilis.

Digitized by Google

gratiam, & charitatem: & hæc averſio manet habitualiter, quandiu manet originale peccatum; etiamſi converſio tranſierit: ſicut tranſacta actione manet ejus terminus, & tranſacta generatione permanet relatio. Quod autem dicitur voluntatem non averti ab uno termino, niſi quia convertitur, & afficitur ad alium, verum eſt de voluntate, quæ ipſa ſe avertit, ſicut fuit voluntas Adami: nam talis voluntas neceſſario debet habere proprium actum, ſeu converſionem actualem cauſantem habitualem averſionem, & ſeparationem: ſecus autem de voluntate, quæ non ipſa ſe avertit, ſed ſuſcipit averſionem ex alio, ſicut eſt voluntas poſterorum Adami: ſufficit namque, quod in ipſo Adamo fuerit prædicta converſio actualis, ut ex ea reſultet in poſteris habitualis averſio, ſine eo quod aliqua converſione afficiantur. Imo adhuc in voluntate, quæ ipſa ſe avertit, non eſt neceſſarium ponere aliquam habitualem converſionem, ut detur habitualis averſio, ſed ſufficit, quod præceſſerit converſio actualis: nam ex hac ſufficienter cauſatur prædicta averſio habitualis ſine recurſu ad aliam.

79 Ex quo ad ſecundam probationem dicunt, voluntatem pueri exiſtentis in originali, antequam per proprium actum ad Deum, vel ad creaturam ſe convertat, in nullum finem eſſe inclinatam inclinatione morali, ſeu quæ reſpiciat illum ut finem moralem: habere tamen inclinationem phyſicam ad Deum rerum omnium finem, nam quia natura voluntatis ſecundum ſuum *eſſe* phyſicum eſt à Deo, neceſſe eſt, ut ſecundum prædictum *eſſe* ipſum Deum ut finem reſpiciat. Cæterum hæc inclinatio phyſica neque conducit ad peccatum originale, neque tollit, quominus cum ea ſtet moralis averſio ab ipſo Deo conſtitutiva talis peccati.

Verior ſolutio. Verùm quamvis hæc ſolutio ſit probabilis, & ſatis veroſimiliter probationibus argumenti occurrat; nobis tamen facilior patet aditus ex doctrina, quam à num. 65. tradidimus. Juxta quam admittenda eſt major; & ad minorem, conſtat ex dictis à num. cit. quomodo quicquid poſitivum eſt in illa habituali converſione, non ſit de genere mali, neque ab ipſa voluntatis eſſentia diſtinctum: ſed tota ratio malitiæ ibi reperta reducitur ad gratiæ privationem, per quam poſitiva voluntatis inclinatio cogitur ſiſtere in bono commutabili, tanquam in omnino ultimo. Et hæc ſolutio omnino tollit prædictum argumentum: ſive illud conficiatur pro ſolis parvulis exiſtentibus in originali: ſive etiam pro adultis peccatoribus: cum tamen alia neceſſario ſit ad parvulos reſtringenda, ut intuenti conſtabit. Alia argumenta, quæ hic poſſunt efformari commodius, diluentur dub. 5.

DUBIUM IV.

Quid ſit concupiſcentia: & qualiter ſe habeat ad originale peccatum?

80 QUia frequens eſt in hac diſputatione mentio de concupiſcentia, & dum agitur de conſtitutione peccati originalis, multoties fit ad illam recurſus, operæpretium duximus ad accuratius inveſtigandum prædictam conſtitutionem ea, quæ prædicta vox continet, declarare. Ne autem diſtinctionis defectu minus perſpicuè procedatur, ſciendum eſt, nomen *concupiſcentiæ* multipliciter accipi. Primo pro potentia appetente bona ſenſibilia abſque aliqua determinatione, aut applicatione potius circa malum, quàm circa bonum: quo pacto comprehendit appetitum ſenſitivum ſecundum utramque ſui partem, videlicet iraſcibilem, & concupiſcibilem prout indifferentem ad bonum & ad malum. Et licet hæc acceptio non ſit multum uſitata; ejus tamen meminit D. Auguſtinus lib. 4. contra Julian. c. 14. & lib. 6. c. 7. Secundo ſumitur pro actu talis potentiæ, etiam ſine ulla reſtrictione: unde comprehendit hoc modo omnes paſſiones ipſius appetitus: imo extenditur etiam ad actus voluntatis; frequentius tamen ſtat pro actibus proſequutionis, & maximè pro deſiderio; quod eſt rei, vel boni abſentis. Additque in tota ſua reſtrictione accepta, quod ſit boni delectabilis ſecundum ſenſum. Juxta quem rigorem determinatè dicit motum concupiſcibilis diſtinctum non ſolum ab actibus iraſcibilis, & ab odio, & triſtitia ipſius concupiſcibilis, quæ ſunt circa malum; ſed etiam ab amore, qui eſt circa bonum abſolutè, & à delectatione, quæ eſt circa bonum præſens: ut videre eſt hac 1. 2. quæſtione 30. art. 1. & 2.

Concupiſcentiæ multiplex acceptio.

D. Auguſt.

Hac autem concupiſcentiæ acceptione, videlicet pro actu potentiæ appetitivæ, ſive ſenſitivæ, ſive rationalis, & maximè pro deſiderio utitur frequenter Scriptura: quandoque in bono ſenſu, quandoque in malo eam accipiendo: & ob id de bona concupiſcentia dicitur Pſalm. 118. *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas.* Et Sap. 6. *Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad regnum.* Et ad Galat. 5. *Spiritus concupiſcit adverſus carnem.* De mala vero dicitur Jacobi 1. *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua.* Et Eccleſ. 28. *Poſt concupiſcentias tuas ne eas.* Daniel 13. *Concupiſcentia ſubvertit cor tuum.* Sed obſervat D. Auguſtinus Pſalm. citato, quod quando Scriptura ſumit prædictum nomen in bonam partem, declarat bonum, quod concupiſcitur, ut videre eſt locis citatis. Quando autem in malam accipitur, non ita declaratur: quia revera ipſa vox *concupiſcentia* ſonat in malum: & ideo ut accipiatur pro mala concupiſcentia, non eſt neceſſe aliquid addere; ſecus autem ut ſumatur pro bona. Et quamvis prædictum nomen pro cõcupiſcentia mala acceptum frequenter determinetur ad deſideria luxuriæ, & gulæ; at ſæpe etiam extenditur ad omnia prava deſideria cujuſcumque objecti, ſive carnalis, ſive ſpiritualis, delectabilis, aut utilis: ut videre eſt 1. Joan. 2. ubi avaritia vocatur *concupiſcentia oculorum.* Et Ezech. 23. appellatur eodem nomine deſiderium amicitiæ & communicationis Judæorum cum Chaldæis: & aliis locis.

Pſalm. 118.

Sap. 6. Ad Galat. 5. Iacobi 1. Eccleſ. 28. Daniel 13.

1. Ioan. 2. Ezech. 23.

Tertiò ſumitur pro inordinata illa diſpoſitione habituali, & prava affectione, qua poſt peccatum Adami, & ex vi ipſius, proni, & habiles ſumus ad bona ſenſibilia, & delectabilia contra, vel præter rationis ordinem appetenda: quæ ſane imperfectio locum non habuit in ſtatu originalis iuſtitiæ, neque haberet in ſtatu naturæ integræ integritate ordinis naturalis. Et in hac acceptione, quæ communis eſt apud Theologos, ſumimus *concupiſcentiam* in præſenti: ſoletque etiam nuncupari aliis nominibus,

ut *vetus homo, lex carnis, peccati fomes, languor naturæ, ſenſualitas*, & hujuſmodi. Reſtat ergo ut videamus quid ſit, & quid importet tam pro formali, quàm pro materiali prædicta prava affectio, quam ex peccato Adami hæreditavimus, qualiterque ſpectet ad noſtrum originale, cujus comes exiſtit.

§. I.

Deciditur prima pars dubii.

81 SI dubio ſecundo, & tertio vera tradidimus, inde perſpicuè habetur, concupiſcentiam in hac noſtra acceptione non eſſe aliquid poſitivum ſuperadditum entitati potentiarum, diſtinctumque ab eis. Satis namque ibi improbatum eſt hujuſmodi poſitivum. Unde ſupereſt, ut vel ſit ipſæ potentiæ ſecundum ſe, & ſecundum ſuas poſitivas inclinationes; vel aliquid privativum eis ſuperadditum. Porro formalem rationem concupiſcentiæ(quidquid ſit de materiali)non eſſe prædictas potentias, v. g. appetitum ſenſitivum ſecundum ſe ſpectatum, & ſecundum ſuam poſitivam inclinationem, facile poteſt demonſtrari. Quia appetitus ſenſitivus ſecundum ſe cum omni ſua entitate poſitiva (idemque eſt de reliquis potentiis) manet ſine concupiſcentia: ut in Chriſto Domino, qui aſſumpſit prædictum appetitum; concupiſcentiam vero non aſſumpſit: & in Adamo, qui quandiu in juſtitia originali permanſit, caruit concupiſcentia, nulla tamen potentia appetiva caruit: & in beatis, ubi gratia conſummata perfectè ſanabit naturam, liberabitur hæc à concupiſcentiæ fomite:nequaquam vero exuet prædictum appetitum: ergo concupiſcentia non eſt ipſe appetitus ſecundum ſe.

Concupiſcentia non eſt appetitus ſenſitivus præcisè ſecundùm ſe.

Denique concupiſcentia eſt mala, & non à Deo: & ideo damnatur in Scriptura, ut Matth. 6. *Sed libera nos à malo.* Quem locum D. Aug.lib. 3.contra Jul.c. 14.de concupiſcentia intelligit: & Jacobi 1. cum dixiſſet,quod Deus neminem tentat,addit: *Unuſquiſque vero tentatur à concupiſcentia ſua*, oſtendens hanc aliunde eſſe, & non ex Deo. At appetitus ſecundum ſe eſt bonus, & à Deo, ſicut natura, ad quam conſequitur:ergo, &c. ¶ Præterea nam concupiſcentia eſt effectus peccati, ut dicitur in Trident. ſeſſ. 5. can. 5. & ideo niſi Adamus peccaret, illa non fuiſſet: ſed appetitus ſecundum ſe non eſt peccati,ſed Dei effectus,dareturque etiam nullo exiſtente peccato:non ergo ipſe ſecundum ſe eſt concupiſcentia. ¶ Denique appetitus ſecundum ſe indifferens eſt ad appetendū juxta, vel præter ordinem rationis; concupiſcentia autem determinatè inclinat ad inordinatè appetendum:ergo non ſunt omnino idem,ſed differunt formaliter.

Matth. 6. Jacob. 1.

82 Dicendum itaque eſt prædictam concupiſcentiam importare ipſas potentias, & vires animæ non præcisè ſecundum ſe, ſed ut deſtitutas juſtitia originali, privataſque illa rectitudine habituali, per quam in primo ſtatu à ratione continebantur, ne contra, aut præter ordinem ejuſdem rationis in ſua objecta tenderent: ita quidem ut privatio, & deſtitutio prædictæ rectitudinis ſit tanquam ratio formalis concupiſcentiæ;ipſæ vero potentiæ ſecundum ſua poſitiva habeant ſe ut ratio materialis. Hæc eſt ſententia Ang. Doctor. in præſenti art. 3. dum ait, concupiſcentiam eſſe inordinationem virium animæ provenientem ex averſione voluntatis à Deo, ratione cujus inordinatè convertuntur ad ſua objecta, & ad bonum commutabile: conſultò etiam non dixit eſſe ipſas animæ vires,ſed earum inordinationem: ut oſtenderet, formalem concupiſcentiæ rationem non conſiſtere in poſitivo prædictarum virium; ſed in privatione ordinis, vel rectitudinis,quam diximus, per quam privationem in ſuis motibus, & actibus inordinatæ redduntur. Idem tradit apertius q. 4. de mal. art. 2. ad 4. & in ſolut. ad 7. ſic inquit: *Concupiſcentia contracta per originem nihil eſt aliud, quàm deſtitutio inferiorum virium à retinaculo rationis.* Et in 2. diſtinct. 30. q. 1. art. 3. ad 2. de prædicta concupiſcentia ita loquitur: *Differt dicere potentem, & habilem:quod enim aliquis ſit potens concupiſcere, eſt ex potentia concupiſcibili; ſed quod ſit habilis ad concupiſcendum, eſt ex aliquo habitu, vel ex eo quod per modum habitus ſe habet: contingit enim,ut etiam privatio aliqua habilitatem quandam relinquat, in quantum privatur aliquid, quod impedimentum præſtare poſſet. Et ita dicitur concupiſcentia habitualis eſſe peccatum originale: non quidem vis concupiſcibilis, neque iterum aliquis habitus, qui aliquid poſitivè dicat; ſed ipſa habilitas, quæ relinquitur in inferioribus viribus ad ordinatè concupiſcendum, ex hoc quod ab appetitu ſubtrahitur retinaculum rationis, quo detinebatur, ne effranatè poſſet in ſua objecta tendere.* Ecce quomodo pronitas & habilitas ad inordinatè appetendum, quæ eſt propria ratio concupiſcentiæ conſtituitur à Divo Thoma non penes aliquid poſitivum, quod vel ſit habitus, vel ipſa appetitiva potentia; ſed dumtaxat penes privationem & deſtitutionem à rectitudine, quam diximus. Unde hanc ſententiam tuentur Curiel in præſenti artic. 1. dub. unic. concl. 2. & 3. Greg. Mart. artic. 3. dub. 2. concl. 5. Monteſ. q. 2. & alii.

Quid addat ſuprà potentias.

Probatio ex D.Thom.

Curiel. Greg. Mart. Monteſ.

83 Poteſtque facile ſuaderi. Tum à ſufficienti enumeratione: rectè enim conſideranti apparebit nihil ſupereſſe præter prædictam privationem, quod ſit pro formali concupiſcentia: præſertim cum hæc, ut docent Patres, & Concilia, ex Adami peccato provenerit, ex quo tamen nihil recipimus poſitivum. Tum etiam ratione deſumpta ex Angel. Doctore: quia poſita in potentiis huiuſmodi privatione, nulloque alio ſuperaddito, intelliguntur pronæ & habiles ad tendendum in ſua objecta præter ordinem rationis, quod eſt munus proprium concupiſcentiæ: cum tamen ſecluſa ea privatione per contrariam rectitudinem, maneant impeditæ & remotæ à prædicta tendentia: ergo talis privatio eſt propria ratio concupiſcentiæ conſtitutiva. Conſequentia eſt perſpicua: antecedens verò probatur, quia in ſtatu juſtitiæ originalis non ob aliud deerat, potentiis hominis pronitas & habilitas ad tendendum inordinatè in ſua objecta, niſi quia per ipſam iuſtitiam, & perfectionem ab ea derivatam continebantur ſub regula rationis, omneſque illarum inordinati motus ab ea compeſcebantur: ergo eo ipſo quod priventur & careant huiuſmodi perfectione, & continentia manebunt cum prædicta habilitate, & promptitudine.

Aliæ probationes.

Confirmatur exemplis, quibus utitur Divus Thomas loc. cit. de mal. in ſolut. ad 4. Nam ita ſe habebat humanus appetitus, quando erat ſub ligamine iuſtitiæ originalis, ſicut fera, dum

Declaratur exemplis.

Digitized by Google

dum tenetur vinculis alligata, ne vadat in præceps: & ſicut lapis ponderoſus, dum à columna detinetur, ne ad centrum deſcendat: ergo quemadmodum fera ſolutis vinculis, etiamſi nihil ei ſuperaddatur, manet ad præcipitium expedita, & lapis, remota columna, ad deſcenſum: ita prædictus appetitus eo dumtaxat quod ligamen & retinaculum prædictæ juſtitiæ amiſerit, ſine alicujus alterius ſuperadditione manebit pronus & expeditus ad quævis illicita appetenda: quod eſt proprium concupiſcentiæ munus.

84 Quod autem prædicta concupiſcentia de materiali importet ipſum appetitum ſecundum ſuam poſitivam eſſentiam, ſatis eſt perſpicuum: ſiquidem non aliter privatio ſupradicta reddit illum habilem, & expeditum ad inordinatè appetendum, niſi recepta in eo, ipſumque informando & afficiendo: & ita ipſe appetitus ſecundum ſuam entitatem poſitivam habet ſe ut ſubſtractum, & materia talis habilitatis: & ex utroque ſicut ex materiali, & formali coaleſcit integrum concretum, quod *concupiſcentia* vocatur. In quo quia res eſt perſpicua, non immoramur. ¶ Hinc autem fit, quod quia in concretis accidentalibus ſuppoſitio fit pro materia, & totum de illa prædicatur, atque è converſò, verè dicamus *concupiſcentiam eſſe appetitum*, & *appetitum eſſe concupiſcentiam*, ut Theologi ſæpe loquuntur: ſicut verè dicimus, quod *gladius ſit ferrum*, & quod *ferrum ſit gladius*: cum tamen ſicut per iſtas prædicationes non intendimus, quod ratio formalis per gladium ſignificata, & ejus conſtitutiva ſit ſubſtantia ferri, ſed ſola ejus forma, vel figura: ita per illas non denotatur, quod ratio formalis conſtitutiva concupiſcentiæ, & ſignificata ejus nomine ſit ipſa entitas appetitus; ſed privatio dumtaxat & deſtitutio, quam diximus, a rectitudine juſtitiæ originalis.

85 Sed objicies: quia concupiſcentia dicit de formali inclinationem & propenſionem ad bona ſenſibilia contraria rationi: hæc autem propenſio, & inclinatio non poteſt conſtitui in recto per privationem, ſed per vim poſitivam ad inordinatè appetendum; privatio verò ad ſummum ſe habebit in obliquo tanquam removens prohibens ipſam inclinationem à ſuo actu: unde niſi prædicta vis poſitiva appetitui ineſſet, quamvis privaretur rectitudine juſtitiæ originalis, non propenderet in illa bona, neque inclinaret ad actus rationi diſſonos: ſicut non inclinat appetitus bruti, cui deeſt tota illa rectitudo: ergo non rectè formalem concupiſcentiæ rationem in privatione collocavimus.

Confirmatur: nam eo proportionali modo debet conſtitui, & explicari concupiſcentia habitualis, ſeu per modum actus primi, de qua nunc agimus, ſicut conſtituitur, & explicatur concupiſcentia actualis, quæ eſt ejus actus ſecundus: ſed hæc non conſtituitur per privationem, ſed per deformitatem poſitivam: ergo, &c. Minor probatur: nam concupiſcentia actualis eſt ipſum peccatum actuale, de quo diſput. 6. diximus conſtitui per poſitivam tendentiam ad objectum diſſonum, quæ eſt actualis malitia.

Reſpondetur, concupiſcentiam non utcumque inclinare ad objecta ſenſibilia, ſed cum expeditione & habilitate, & cum excluſione ordinis ad rationem: hocque ſuperaddit appetitui ſecundum ſe, cujus eſt tantum inclinare ad prædicta objecta utcumque, & ab illis conditionibus præſcindendo. Unde concupiſcentia pro formali ſolum importat prædictam habilitatem & excluſionem; ipſam verò inclinationem poſitivam appetitus dicit ſolum de materiali: & ſic patet ad majorem objectionis. Ad minorem verò dicendum eſt, quod licet prædicta inclinatio dicat vim poſitivam, & hæc debeat neceſſariò ſupponi in materiali concupiſcentiæ; alia tamen, quæ ſunt in ea de formali, ſufficienter conſtituuntur per privationem quam diximus: quia ſuppoſita inclinatione, & virtute alicuius potentiæ ad tendendum in ſua objecta, ſicut per poſitivum alicujus impedimenti redditur impedita, & inhabilis; ita per eius ablationem redditur ſufficienter prompta & expedita. Legantur verba D. Thomæ, quæ nuper adduximus ex 2. diſt. 30. & quæ habet quæſtione 4. de mal. art. 2. ad 4.

86 Neque obeſt, ſi urgeas, potius hinc fieri addendum eſſe aliquid poſitivum in appetitu: quia per ſolam privationem nequit determinari ad objecta ſenſibilia cum prædicta excluſione ordinis ad rationem: privatio enim non determinat ad aliquid; ſed potius tollit determinationem, ſi quam invenit. ¶ Reſpondetur enim negando antecedens: nam modus determinationis, aut excluſionis, quem ponit concupiſcentia, non conſiſtit in aliquo poſitivo reſpectu, vel applicatione ad hæc objecta excludendo ſimilem reſpectum circa alia; ſed in eo quod cum antea propter perfectionem, & ligamen juſtitiæ originalis potentia appetitiva eſſet remota, & difficilis circa objecta rationi diſſona; promptaque, & facilis circa ea, quæ rationi conſonant, cuius difficultatis, & facilitatis ipſa potentia, attentis dumtaxat ſuæ naturæ principiis, expers eſt, modo deperdita illa perfectione, & veluti in nuditatem propriæ naturæ reverſa, utrumque amiſit: videlicet impedimentum, atque difficultatem circa priora objecta, & promptitudinem, atque facilitatem circa poſteriora: manſitque proinde erga illa expedita, & facilis, ſoluto ligamine retardante, & impediente; erga hæc vero ægra, & difficilis, amiſſa perfectione rectificante, & habilitante. Ad hunc autem determinationis modum non eſt opus ſuperadditione alicuius poſitivi, ut ex ſe conſtat. Alia vero replica, quæ hic ſuboriri poterat, infrà diluetur.

Illud autem, quod dicitur de appetitu bruti, potius eſt pro nobis: nam quod deſit ibi ratio concupiſcentiæ propriè, & formaliter acceptæ, non provenit ex defectu inclinationis, vel virtutis ad tendendum in objecta ſenſibilia, in quæ noſter appetitus per concupiſcentiam tendit; imo maior vis ſolet eſſe in appetitu brutorum, quam in noſtro ad tendendum in prædicta obiecta. Deeſt ergo illi, tum ex eo quod cum in bruto non ſit ratio, non eſt capax eius appetitus, in quæcumque tendat, tendendi in aliquid contra rationem. Tum etiam, quia talis appetitus non eſt capax rectitudinis, vel conformitatis ad rationem: & ita neque huiuſmodi rectitudo poteſt eſſe illi debita, neque eius defectus habere rationem

privationis, ſed negationis dumtaxat: atque adeo non pertingit ad rationem formalem concupiſcentiæ, quæ neceſſario importat defectum privativum, eo quod eſt de genere mali, vel ſaltem aptitudinem ad hoc, ut defectus iſte ſit privatio. Quamvis autem propter rationes prædictas non ſit in brutis propriè, & formaliter concupiſcentia; ſæpe tamen eorum appetitum *concupiſcentiam* nominamus: vel quia loquimur in ſenſu materiali: vel quia non ſumimus concupiſcentiam ſicut modo; ſed juxta primam acceptionem, quam initio dubii attulimus.

87 Solutio ad confirmationem. Ad confirmationem admiſſa majori, neganda eſt minor, ſi intelligatur de concupiſcentia actuali ſecundum id præcisè, quod affert de linea concupiſcentiæ, quodque de concupiſcentia habituali ſecundum ſuum formale participat. Ad probationem vero reſpondetur, quod licet prædicta concupiſcentia actualis accedente voluntatis conſenſu, fiat formaliter peccatum actuale, non tamen ipſa malitia, per quam in ratione talis peccati conſtituitur, eſt ex concupiſcentia ſecundum ſe, ſed ex prædicto conſenſu: ex concupiſcentia vero ſolum eſt entitas illius actus correſpondens materiali ipſius concupiſcentiæ, & carentia rectitudinis rationis correſpondens ejus formali. Totumque hoc habet ſe de materiali in prædicto peccato. Imo totum poteſt inveniri ſine malitia formali, non ſolum quando ante omnem advertentiam rationis concupiſcentia in ſuum motum prorumpit, ſed etiam quando poſt talem advertentiam voluntas reſiſtens quantum debet, non valet illam à tali motu retrahere. In quo caſu loquitur Concil. Trident. ſeſſ. 5. dum de prædicta concupiſcentia dixit, quod relicta eſt nobis ad agonem, & quod viriliter per Dei gratiam reſiſtentibus nocere non valet.

Adde, quod ſi in actu concupiſcentiæ ante voluntatis conſenſum daretur aliqua malitia formalis propter aliquam ſemiplenam libertatem ibi repertam, talis malitia reduci deberet in materiale concupiſcentiæ habitualis, potius quam in ejus formalem rationem: quia, ut infra dicemus, prædictum materiale ſecundum ſe, & antecedenter ad formale erat ſufficiens principium illius malitiæ; quamvis remotum, & impeditum, quouſque per prædictum formale ſolutum fuit impedimentum. Et ita concupiſcentia ſecundum ſuam rationem formalem eſſet tantum removens prohibens; ſecundum materialem vero eſſet cauſa per ſe eo modo, quo malitia habet cauſam.

Alia objectio. Secundo objicies, quod privatio originalis juſtitiæ conſtituit peccatum originale, ut videbimus dubio ſequenti: concupiſcentia autem, quamvis ad materiale prædicti peccati ſpectet; non tamen ad ejus conſtitutivum: alias maneret tale peccatum in baptizatis, ſicut illa manet; vel ſublato illo per baptiſmum, concupiſcentia non maneret: quod utrumque repugnat Concil. Trid. ſeſſ. citata: ergo concupiſcentia non conſiſtit in prædicta privatione.

88 Diluitur. Reſpondetur, antecedens eſſe verum de privatione juſtitiæ originalis quantum ad effectum omnino primarium; ſecus tamen de privatione, vel privationibus aliorum effectuum poſteriorum, qui ad illum conſequebantur. Ut enim in hac diſputatione dub. 1. vidimus, juſtitia originalis conferebat homini plures perfectiones: nam animæ tribuebat illam, quam modo tribuit gratia, per quam reddebatur ſancta, & Deo grata: hicque erat primarius effectus prædictæ juſtitiæ communis illi cum gratia: ad quem reducitur perfectio, quam tribuebat voluntati rectificando illam in ordine ad Deum per habitualem converſionem in ipſum ut in finem ultimum ſupernaturalem, ſicut modo præſtat chăritas. Deinde tribuebat eidem animæ, & voluntati quendam vigorem, qui non erat omnino alia forma à prædictis, ſed peculiaris modus informandi, de quo diximus ſuprà num. 7. & num. 60. ratione cujus habebant vim continendi appetitum ſenſitivum, ne contra rationem rebellaret: ipſaque voluntas tuta manebat ab extorſione talis appetitus, & à deflexione ad illum. Intellectui etiam ultra fidem, & prudentiam infuſam, aliaque ſupernaturalia dona, quæ modo confert gratia, tribuebat ſcientiam practicam, & prudentiam naturalem, quibus ratio manebat plane illuminata in agendis. Et denique (omiſſis aliis, quæ ad præſens non ſic attinent) appetitui ſenſitivo tribuebat quandam perfectionem, (quæ ut citato n. 60. dicebamus, erat peculiaris modus informandi habituum exiſtentium in ipſo appetitu) per quam ita erat ſubjectus voluntati, & rationi, ut circa nullum objectum quantumvis ſibi præſens abſque illarum imperio moveretur. Quia igitur cuncta hæc amiſſa fuere per peccatum, conſequenter natura humana contraxit ibi plures privationes juxta numerum prædictarum perfectionum. Sicut ergo reſpectu originalis juſtitiæ ille, quem diximus *effectum primarium*, habebat ſe ut ejus eſſentia, & ratio formalis; reliqui vero de materiali, & conſequenter: ita reſpectu peccati originalis illa privatio, quæ tollit prædictum primarium effectum, habebit ſe ut formalis, & conſtitutiva; quæ vero reliquas perfectiones auferunt, habent ſe ex conſequenti, & de materiali: & ideo rectè poſſunt conſtituere concupiſcentiam, quæ ad materiale prædicti peccati pertinet.

Hæc diximus ut doctrinæ D. Thomæ, & veritati magis conſona. Si quis autem pro formali concupiſcentiæ ultra prædictam privationem aſſignare etiam intendat aliquid poſitivum; ſi tamen hoc non ſit habitus potentiis ſuperadditus, vel forma aliqua ex natura rei ab earum entitate diſtincta; ſed quædam veluti explicatio inclinationis, & propenſionis ipſarum potentiarum ad objecta ſenſibilia, quæ ex ablatione originalis iuſtitiæ veluti reſultat, augetque virtualiter prædictam inclinationem, quatenus eam quaſi evolvit, & explicat, cum antea eſſet in ſuamet entitate veluti involuta, & implicata: ſicut per oppoſitum inclinatio earundem potentiarum ad ſequendum rationis ductum, quæ cum prædicta iuſtitia erat explicata, & evoluta, intelligitur per eius ablationem in propriam entitatem velut retrahi, & contrahi, atque hoc modo virtualiter diminui: non ſine fundamento incedet: nec nos omnino inficias ibimus, cum hoc totum ſatis probabiliter componi valeat cum eo, quod in hac diſpoſitione principaliter intendimus. Pro quo videri poſſunt, quæ in tract. de beatitud. circa dotem ſubtilitatis diximus diſp. 5. n. 35. & quæ infra dicemus circa artic. 2. quæſt. 85. Animadverſio notatu digna.

§. II.

§. II.

Solvuntur nonnullæ dubitationes.

89 *ma dubi-tio.* AD pleniorem cognitionem noſtræ concupiſcentiæ poteſt merito interrogari, utrum ſolum comprehendat appetitum ſenſitivum, & ejus deordinationem? An vero etiam reliquas animæ potentias, ut voluntatem, & intellectum? Quod enim non ſe extendat ultra deordinationem prædicti appetitus, videtur ſuaderi, tum ex ipſo concupiſcentiæ nomine, quod deductum eſt à quadam parte ejuſdem appetitus, nempe à concupiſcibili. Tum etiam quia concupiſcentia dividitur contra malitiam, & ignorantiam, qui ſunt defectus pertinentes ad voluntatem, & intellectum: ergo non debent hujuſmodi defectus ſub illa comprehendi. Tum denique quia nomine *concupiſcentiæ*. Theologi intelligunt illam partem animæ, quæ vocatur *caro*; eo quòd reſidet in carne, indeque adverſus rationem inſurgit, & eam prævenit: juxta illud Apoſtoli ad Galat. 5. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum.* Et Rom. 7. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, &c. ſed hoc totum eſt munus ſolius appetitus ſenſitivi, & deordinationis ipſius: ergo non debet *concupiſcentiæ* nomen ultra illum extendi.

Rationes pro prima parte. *Ad 5. Rom. 7.*

Rationes pro ſecunda. Pro contraria quoque parte adeſt non inefficax ratio. Quia concupiſcentia, de qua Theologi in præſenti loquuntur, dicit omnem illum defectum, qui eſt materia reſpectu culpæ originalis, & eſt fomes ad peccatum, in illudque inclinat: ſed talis defectus comprehendit deordinationes omnium prædictarum potentiarum: ergo, &c. Deinde concupiſcentia, ut eſt materia originalis peccati, importat illa vulnera, quæ natura humana ex peccato Adami incurrit, per quæ, etiam ſublato per baptiſmum ipſo peccato, manet ægra, & infirma, & in naturalibus ſauciata, ſaltem reſpective ad ſe ipſam ut fuit in primo ſtatu: & hoc eſt, quod ſcriptura, & Patres appellant *veterem hominem, qui corrumpitur, legem peccati, legem carnis, legem membrorum, naturæ languorem*, & ſimilia, quibus ipſa concupiſcentia exprimitur: ſed prædicta vulnera comprehendunt non ſolum appetitum ſenſitivum, ſed etiam intellectum, & voluntatem, ut oſtendit D. Thom. infra quæſt. 85. art. 3. ubi unicuique prædictarum potentiarum ſuum vulnus aſſignat: videlicet in intellectu ignorantiam, in voluntate malitiam, in iraſcibili infirmitatem, & in concupiſcibili concupiſcentiam ſpecialiter dictam: ergo ipſa concupiſcentia communius accepta pro malo, quod unà cum peccato per originem trahimus, ſicut in præſenti ſumitur, ad omnes prædictas potentias ſe extendit.

Poteſtque hoc confirmari ex Apoſtolo ad Galat. 5. ubi enumerans opera carnis, per quam intelligit concupiſcentiam, non ſolum aſſignat vitia, & paſſiones appetitus, ſed etiam voluntatis, & intellectus ut idololatriam, hæreſes, ſive ſectas, æmulationes, diſſenſiones, & alia hujuſmodi. Geneſ. etiam 6. ad deſignandam prædictam concupiſcentiam dicitur. *Cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum.* Et cap. 8. *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Ubi verba illa *cuncta cogitatio*, & illa *cogitatio humani cordis* ſatis aperte comprehendunt rationalem hominis partem: ſicut ly *ſenſus* dicit partem ſenſitivam.

Gen. 6. & 8.

Et ideo hujus ſententiæ ſunt Cajetanus in præſenti, Gregorius Mart. Monteſinos, & Curiel referens Decanum, Tiletanum, & Naclantum. Sumiturque ex D. Th. art. 3. hujus quæſt. ubi poſtquam de privatione juſtitiæ originalis quantum ad effectum primarium, per quem rectificabatur anima, & voluntas in ordine ad Deum, dixerat eſſe formale in originali peccato, addit. *Omnis autem alia deordinatio virium ſe habet in peccato originali ſicut quiddam materiale: quæ quidem inordinatio communi nomine poteſt dici concupiſcentia*, &c. Notat vero Cajetanus, conſulto dictum fuiſſe *omnis alia inordinatio virium animæ*, & non *omnis inordinatio aliarum virium animæ*, ne putaremus excludi ipſam voluntatem, & quamlibet ejus inordinationem; ſed illam tantùm, quæ dicit privationem ordinis ad Deum: omnem vero aliquam inordinationem quaruncunque virium animæ, adeoque etiam ipſius voluntatis comprehenſam manere ſub materiali prædicti peccati, & per conſequens ſub concupiſcentia. In ſolutione etiam ad 5. ejuſdem art. & q. 5. de mal. art. 7. in corp. necnon quæſt. 4. art. 2. Mad. 12. expreſſe comprehenditur ignorantia ſub. materiali peccati originalis. *Nam quia inter alias vires animæ* (ait D. Tho.) *etiam intellectus à voluntate movetur, defectus intellectus etiam continetur ſub peccato originali: qui quidem defectus eſt carentia illius ſcientiæ naturalis, homo in primo ſtatu habuiſſet: & per hunc modum ignorantia materialiter continetur ſub peccato originali.* 90

Caietanus. Greg. Mart. Monteſ. Curiel. Decan. Tiletan. Naclant. D. Thom.

Dicendum itaque eſt, omnes animæ vires, quæ ſunt capaces proſequendi bonum honeſtum, eo quod libertatem participant, quæque per juſtitiam originalem in ordine ad illud rectificabantur, uti ſunt iraſcibilis, & concupiſcibilis, intellectus practicus, & voluntas, imo & ipſam animam, quæ eſt omnium radix, infectas eſſe hoc malo, de quo agimus, & ita omnes poſſe ſub concupiſcentia comprehendi. Sed de facto omnes, vel an ſolus appetitus ſenſitivus eo nomine appelletur, quæſtio eſt de modo loquendi, in quo, cum rem teneamus, non oportet immorari. Fatemur autem vocem *concupiſcentiæ* ex uſu, & ex vi ſua concernere prædictum appetitum, & ut in plurimum ſtare pro illo: cujus rationem tradit D. Thom. hic art. 3. ad 3. Reprehendi tamen minime debet, qui univerſalius uti voluerit concupiſcentiæ nomine pro quolibet ex prædictis defectibus, ſicut utimur aliis nominibus cum eo ferè ſynonimis.

Prælegitur hæc pars.

Ad primam vero ex rationibus, quæ permiſſionem ſic loquendi impugnare videbantur, reſpondetur, ſæpe nomen in ſua ſignificatione extendi ultra illud, unde fuit derivatum. Quod in præſenti neceſſario eſt fatendum: nam ipſum nomen *concupiſcentia* determinate deductum eſt à quadam parte ſenſitivi appetitus, quæ eſt concupiſcibilis; & tamen omnes admittunt, recte etiam accipi pro iraſcibili. Eodem ergo modo damnandi non ſunt, qui illud extendunt ad alias partes animæ, quarum infectio ad idem inclinat, & ex eodem principio originatur. Eò vel maxime quia quando prædictum nomen hujuſ 91

Solvuntur rationes primæ partis.

Digitized by Google

hujuſmodi animæ partibus applicaretur, denotaret, illas non abſolute ſecundum ſe, ſed quatenus ex conſortio cum carne, & ſenſibilitate ad ſenſibilia deflectunt, ut dicemus num. 94.

Ad ſecundam reſpondetur, concupiſcentiam ibi non ſumi in tota ſua communitate, ſed valde determinate pro defectu ſolius concupiſcibilis: & ideo dividitur etiam contra defectum iraſcibilis, qui vocatur *infirmitas*. Secus autem in præſenti ubi defectus utriuſque appetitus ab omnibus ſub illa comprehenditur. Et eadem ratione poſſunt comprehendi alia, quæ diximus.

Ad tertiam reſpondet bene Curiel, carnem quandoque ſumi pro tota vetuſtate, quam per carnalem generationem contraximus ex primo parente; ut diſtinguitur contra novitatem ſpiritus, quam per regenerationem in Chriſto participamus: & ita tota depravatio humanæ naturæ appellatur *caro*: ſive ſit in potentiis carnalibus; ſive in ſpiritualibus: quia ratione illius etiam iſtæ potentiæ ſunt ſuo modo ad ea, quæ carni placent, propenſæ. Quo contra anima, voluntas, & intellectus, quatenus carnales affectus ſuperant, & ſpiritualibus intendunt, *mens*, *& ſpiritus* vocantur.

92 Dubitatio alia. Sed circa hoc ipſum rurſus quæri poteſt, an prædictæ potentiæ ſubjiciantur concupiſcentiæ, & ab illa inficiantur ſecundum totum poſitivum, quod habent; an vero dumtaxat ſecundum aliquam ſui quaſi partem; ita ut maneat in eis aliqua formalitas, vel reſpectus, qui concupiſcentiæ infectione immediate, & formaliter non tangatur?

Doctrina pro ſolutione. Dicendumque eſt hoc poſterius. Pro cujus intelligentia nota, in noſtro appetitu ſenſitivo diſtinguendas eſſe duas inclinationes. Alia convenit ei ex ſua ratione ſpecifica, ut eſt potentia naturæ ſenſitivæ communis homini, & bruto: & ſecundum hanc ſolum reſpicit objecta ſenſibilia quatenus talia, præſcindendo ab ordine, vel contrarietate ad rationem. Alia vero convenit illi ex conjunctione ad intellectum, & voluntatem, eſtque propria talis appetitus, quatenus eſt in homine, ut diximus diſp. 10. à num. 60. & ſecundum iſtam inclinatur ad ſequendum ductum ipſius voluntatis, & intellectus, vel ſaltem ad illis non repugnandum: atque adeo reſpicit prædicta objecta non præciſe ſecundum ſe, ſed ut cadunt, vel cadere poſſunt ſub præſcripto ejuſdem intellectus. ¶ Imo adhuc hæc ſecunda inclinatio debet diſtingui, quatenus eſt ad ſequendum ductum rationis rectæ; & prout eſt ad ſequendum imperium rationis deordinatæ: & etiam quatenus eſt ad agendum cum imperfecta libertate; præviè quidem ad prædictum imperium: non tamen ad omnem rationis advertentiam, ut latius dictum eſt diſp. citata à num. 83. ¶ Similiter etiam intellectus, & voluntas poſſunt conſiderari, vel ut præciſe ſunt potentiæ ſpirituales: quo modo ſolum reſpiciunt objecta hujus ordinis, neque ad ſenſibilia afficiuntur. Vel prout habent eſſe in hoc ſuppoſito prædicto appetitu ſenſitivo, ex conjunctione ad quem veluti materializantur, & ad ſenſibilia deflectunt, propriamque ipſius appetitus inclinationem ſequuntur.

93 Hoc ſuppoſito, quod attinet ad hunc appetitum, dicimus eſſe ſubjectum concupiſcentiæ ſecundum totam illam priorem inclinationem, quæ eſt ad ſenſibilia ſecundum ſe. Secundum poſteriorem vero non ita: nam ſaltem qua ratione eſt ad ſequendum ductum rationis rectæ, nequaquam ſubeſt concupiſcentiæ deordinationi, ſed potius ei repugnat. Quid tenendum de ſenſitivo appetitu. imo neque quatenus eſt ad ſequendum rationem deordinatam ex ejus imperio, debet *concupiſcentia* appellari, niſi tale imperium ex ipſa concupiſcentia ortum habuerit. Et ratio eſt: quia proceſſus concupiſcentiæ ſemper habet initium ex appetitu ſenſitivo, indéque originatur: & quamvis ad rationem pertingat; non tamen eſt ex ipſa ratione, quando autem prædictus appetitus ex rationis imperio primario movetur, totus proceſſus ex ipſa ratione originatur, & ideo ſive recte ſive inordinate tendat, non debet concupiſcentiæ attribui. ¶ Diximus *niſi tale imperium, ortum habuerit ex concupiſcentia, &c.* quia contingit, ut ratio ab appetitu ſenſitivo excitata iterum imperet motum ejuſdem appetitus: & tunc ille motus utpote ex appetitu, & concupiſcentia inchoatus jure reducitur ad ipſum appetitum, & tribuitur concupiſcentiæ. ¶ Quando autem appetitus agit per imperfectam libertatem, inſperato rationis imperio, etiam tendit formaliter ſub infectione concupiſcentiæ, & *concupiſcentia* vocatur: quia licèt operatio illa ſit ex aliquo voluntatis participio; eſt tamen ita materializata, & depreſſa ad propria ipſius appetitus, ut propter hanc depreſſionem ordinem rationis excludat; & potiſſimum in illa reſplendeat conditio, & materialitas talis appetitus.

De voluntate autem, & intellectu dicendum eſt non ſubeſſe concupiſcentiæ, ut ſunt potentiæ præciſe ſpirituales, tenduntque ad objecta hujus ordinis: ſed ſolum quatenus ex conjunctione ad appetitum ſenſitivum veluti deſcendentes à ſua ſpiritualitate, corporalibus ſe immiſcent, & ad ſenſibilia deflectunt. Unde privatio, quæ hujuſmodi potentias in ratione concupiſcentiæ conſtituit, ſolum eſt carentia illius vigoris, per quem in primo ſtatu ſe ipſas ab extorſione & inſultibus appetitus ſenſitivi tuebantur; illumque ſub ſuo ordine continebant. Et eodem modo dicendum eſt de anima rationali, quam etiam diximus per concupiſcentiam tangi. Ratio vero eſt illa, quam inſinuavimus: quia videlicet origo concupiſcentiæ eſt ex inferiori, & materiali appetitu: & ideo ſolum habet potentias ſuperiores tangere, quatenus illi approximantur, & ad ipſum deflectunt. 94 Quid de voluntate, & intellectu?

Neque obeſt ſi dicas, quod prædictæ potentiæ, etiam ut ſunt præciſe ſpirituales, ſunt defectibiles: ergo adhuc prout ſic ſubſunt concupiſcentiæ deordinationi. ¶ Reſpondetur enim negando conſequentiam: quia non omnis defectibilitas potentiæ ſpiritualis pertinet ad concupiſcentiam; ſed illa dumtaxat, quæ appetitum ſenſitivum concernit: quia vel ex illo eſt, vel in ordine ad illum. Unde in Angelis ante confirmationem in gratia, & in Adamo ante amiſſionem juſtitiæ originalis voluntas erat defectibilis, & defecit de facto; nec tamen concupiſcentiæ infectionem ullam habebat.

Tertio conſequenter ad utramque præcedentem 95

Digitized by Google

Dubitatio tertia.

dentem dubitationem poteſt quæri, quo pacto concupiſcentia dicatur ad peccatum inclinare an ſcilicet formaliter attingendo ipſam malitiam, & contrarietatem ad rationem; an vero ſolum materialiter, inclinando ad objecta, quæ aliàs rationi contrariantur? Et eſto hoc ſit, vel illud, an taliter prædicta objecta reſpiciat, ut excludat alia, quæ rationi conſonant? Nec refert an de concupiſcentia pro materiali, vel pro formali procedat dubitatio: quia eodem modo quoad præſens de utraque philoſophandum eſt: cum concupiſcentia ſecundum rationem poſitivam, & materialem ád idem tendat, circa quod illam expedit, & habilitat concupiſcentia formalis, ſeu privativa. ¶ Atque in primis ſupponimus concupiſcentiam, in quavis parte animæ reſideat, ſemper excludere à ſuo motu, ſaltem præciſive, conformitatem cum regula rationis: nam cum nulla pars animæ dicatur *concupiſcentia*, niſi formaliter in quantum deſtituta eſt ordine rationis, quem tribuebat juſtitia originalis, & ex tali deſtitutione oriri non valeat conformitas cum prædicta regula, neceſſe eſt, quòd omnis motus à concupiſcentia elicitus, circa quævis objecta verſetur, careat prædicta conformitate. Et inde eſt ut nullus actus formaliter honeſtus, & virtuoſus, etiam ſi circa delectabilia ſenſus, verſetur, concupiſcentiæ tribuatur.

Concupiſcentia ſenſitivi appetitus quo pacto ad peccatum inclinet?

Deinde loquendo de concupiſcentia appetitus ſenſitivi dicendum eſt, quod ſecundum illam primam inclinationem, quæ convenit illi ex ſua ſpecie non inclinat ad peccatum formaliter attingendo ipſam malitiam, ſive contrarietatem ad rationem; ſed ſolùm materialiter quatenus inclinat ad objecta ſenſibilia, quæ aliàs rationi contrariantur. Neque ita ad hæc determinatur, ut non etiam ſæpe tendat ad aliqua, quæ aliàs rationi conſonant. Ratio quoad primum eſt: quia appetitus ſecundum prædictam inclinationem nullo modo attingit ad ſphæram rationis, neque limites ſenſibilis naturæ tranſcendit: atqui malitia formalis ſpectat ad ordinem rationis, & ordinem pure ſenſibilem excedit: ergo nequit attingi ab appetitu ſic ſumpto. ¶ Adde, quod appetitus illo modo acceptus non plus habet in homine, quàm in bruto: ſed in hoc non eſt capax attingendi malitiam formalem: ergo neque in illo. ¶ Adde ſecundo, quod malitia formalis nequit attingi per actum omnis libertatis expertem: ſed appetitus ſecundum prædictam inclinationem nullam affert libertatem: ergo, &c.

96 Ex quo etiam habetur ratio quoad ſecundum: nam appetitus prout ſic, indiſcriminate fertur ad bonum delectabile, ſeu conveniens naturæ ſenſibili, neque ullo modo diſcernit, vel attendit, an aliàs conſonet, vel diſſonet regulæ rationis: hoc enim ſuperat conditionem talis appetitus ſic ſumpti: ſed contingit aliqua, quæ rationi conſonant, eſſe ita delectabilia, & conformia naturæ ſenſibili, ſicut alia, quæ diſſonant: ita enim poteſt eſſe delectabilis cibus neceſſarius, & licitus, ſicut prohibitus, & ſuperfluus, & actus matrimonialis, ſicut luxurioſus: ergo non eſt cur appetitus ſecundum prædictam inclinationem determinate feratur in ea, quæ rationi diſſonant excludendo quæcunque illi conſonant. Quicquid ergo homo ante omnem rationis advertentiam appetit, ſive ſit rationi conſonum, ſive diſſonum, dicendum eſt illum actum ex concupiſcentia oriri.

Si autem ſermo ſit de prædicto appetitu, quatenus in homine ex conjunctione ad voluntatem participat libertatem imperfectam, vel in quantum habet ſequi imperium rationis deordinatæ, non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter inclinat ad peccatum: quia prout ſic habet ſufficientem elevationem ad attingendam formalem malitiam ratione ejus quod ex voluntate participiat. ¶ Neque ex hoc inferas, appetitum ſecundum aliquam inclinationem naturalem tendere formaliter ad peccatum: quia hæc, ſecundum quam diximus ad illud tendere, non eſt inclinatio naturalis, ſed contra, vel præter naturam: imò non eſt dicenda ſimpliciter inclinatio, ſed ejus imperfectio, & defectibilitas, ut diximus ſupra diſp. 12. num. 20.

Quid de reliquis potentiis?

De concupiſcentia autem, quæ in aliis potentiis reſidet, tunc dicendum eſt inclinare formaliter ad peccatum, quando cum aliqua libertate fertur in objecta rationi diſſona. Secus vero quando vel ſine ulla libertate fertur, vel ad ea dumtaxat, quæ non diſſonant rationi.

97

Quarta dubitatio, & eius reſolutio?

Quarto inquires, an *concupiſcentia* omnino ſit eadem, quæ *ſenſualitas*; vel in quo differant? ¶ Reſpondetur, ſæpe utrunque nomen confundi, & pro eodem accipi: ſi tamen res attente conſideretur, inveniemus inter eas diſtinctionem, ratione cuius ſenſualitas non ita ſonat in malum, neque à linea boni arcetur, ſicut concupiſcentia. Diſtinctio autem videtur ſtare penes hoc, quod concupiſcentia dicit in recto, & pro formali defectum ordinis, quem explicuimus, & ſolum pro materiali poſitiva potentiarum, in quibus eſt talis defectus: & idem dicunt aliqua alia nomina, quibus concupiſcentia exprimitur: ut *fomes peccati*, *lex carnis*, *languor naturæ*, & huiuſmodi. At vero ſenſualitas dicit in recto ipſas potentias ſecundum ſua poſitiva; prædictum vero defectum ſolum de connotato, & in obliquo.

Ex hoc autem fit, ut ſenſualitas poſſit à ſua corruptione ſanari (quamvis id in hac vita ſine miraculo perfectè fieri non valeat, ut probat D. Thom. quæſt. 25. de verit. art. 7.) quia cum non ſit ipſa infirmitas, & deordinatio, ſed eius ſubiectum, poteſt ab illa ſeparari, & ſeparata manere. Concupiſcentia vero cum dicat in recto ipſam infirmitatem, & non poſſit ſeparari à ſe ipſa, nequit ullo modo ſanitati ſubeſſe. Vnde per gratiam patriæ concupiſcentia, & fomes, lex carnis, & huiuſmodi non tam dicentur *ſanari*, quàm *tolli*, & *deſtrui*: ſenſualitas autem non deſtruetur; ſed curabitur, & liberabitur ab infectione, cui nunc ſubiacet. Quia tamen multoties nomen *ſenſualitatis* ſtat pro illa, quæ ſubeſt infectioni, inde eſt ut ſæpe convertatur cum *concupiſcentia*, & pro eodem ſumantur: ut ſupra ad art. 4. quæſt. 74. animadvertimus. ¶ Eſt & aliud diſcrimen: quoniam concupiſcentia, quæ nunc eſt, dicit carentiam ordinis ad rationem ut privativam, & ex peccato ortam: quod ſenſualitas non exprimit & ideo magis proprie dicitur hæc, quàm illa de

Digitized by Google

appetitu bruti, in quo eſt talis carentia per modum negationis. Neutrius tamen nomen convenit ei cum omni proprietate: quia utraque ſic accepta requirit, ut in eodem ſuppoſito ſit alia pars ſuperior, ſcilicet ratio, cui ſecundum ſe non plene ſubdatur.

98 Dubitatio ultima & reſponſio aliquorum. Denique rogabis, an homo in ſtatu naturæ puræ haberet concupiſcentiam? ¶ In qua dubitatione aliqui reſpondentes negativè, eam rationem tradunt: quia homo in illo ſtatu haberet quendam vigorem ad continendum ſub ratione appetitum; non quidem ita efficacem, ſicut ille, quem tribuebat iuſtitia originalis: quia non omnino tolleret à potentiis inferioribus poſſibilitatem inſurgendi contra rationem, ſicut prædicta iuſtitia auferebat; ſufficientem tamen ut poſſent etiam longo tempore non inſurgere; vel ſi inſurgerent, facillime ſedari: & hac via à peccatis etiam venialibus ſine maiori gratia diu abſtinere: huiuſmodi autem vigor tolleret concupiſcentiam.

Diſplicet ſolutio. Sed hæc reſponſio non videtur ad rem: quia ſtatus naturæ omnino puræ, de quo procedit interrogatio, præciſe dicit illa, quæ naturæ humanæ ex ſuis eſſentialibus principiis debentur, indéque oriuntur: prædictus autem vigor non oritur, neque debetur ex huiuſmodi principiis; alias etiam modo, & in quovis ſtatu daretur, ſicut dantur reliqua poſitiva omnino naturalia: igitur qui recurrit ad talem vigorem, eo ipſo non conſiderat ſtatum naturæ omnino puræ. Quod ſi homo cum illo à Deo conderetur, potius talis ſtatus pertineret ad alium, qui vocatur *naturæ integræ integritate ordinis naturalis*, vel ad eum reduceretur, quàm ad ſtatum naturæ puræ.

Solutio alia. Alii vero conſiderantes in eo ſtatu illa dumtaxat, quæ humana natura ex ſe affert, admittunt fore tunc concupiſcentiam: quia vires inferiores æquè ac nunc eſſent deſtitutæ ordine rationis, & eadem pronitate tenderent ad obiecta ſenſibilia rationi contraria, ipſique rationi in multis contradicerent, & ſæpe eam prævenirent: quod totum munus eſt concupiſcentiæ. ¶ Verum neque hic modus dicendi omnibus placet: quia cum concupiſcentia ſit mala homini, & peccati effectus, non videtur locum habitura ante peccatum.

99 Dirimitur quæſtio. Sed levis eſt quæſtio, ſi ad rem attendamus. Nam loquendo de concupiſcentia prout nunc eſt, non daretur in illo ſtatu: quia licèt natura in ſuis potentiis eodem modo eſſet deſtituta rectitudine rationis; hæc tamen deſtitutio non eſſet privatio, ſed negatio dumtaxat: quia talis rectitudo tunc non fuiſſet debita. Vnde neque eius carentia haberet rationem mali, ſicut modò habet: neque aliquam requireret cauſam, ut diximus diſp. præcedenti, num. 21. Si vero loquamur de concupiſcentia quantum ad effectus, eoſdem haberet tunc, quos nunc habet: quia cum anima, & potentiæ carerent omni ea perfectione, quam de facto per peccatum amiſerunt, eodem modo propenderent ad bona ſenſibilia, ſicut de facto: & eodem modo appetitus ſenſitivus iudicium rationis anteverteret, & ad malum inclinaret. Neque quantum ad hoc aliquid referret, quod illa carentia eſſet negatio, vel privatio. Si vero poſtules, an talis carentia negativa appellaretur tunc *concupiſcentia*, ſicut privativa nunc appellatur? Nemo tibi dicet, quo vocabulo homines illius ſtatus eam nuncuparent. Nomen autem, quod de facto habemus, pro ſola hac noſtra carentia privativa inventum videtur. Neque erit inconveniens, ſi etiam extendatur ad negativam, quæ eſſet in prædicto ſtatu: dummodo cautè, & ſine periculo eas confundendi id fiat.

Nomine autem *ſenſualitatis* potiori jure etiam ſine ullo addito poſſemus pro ſtatu illo ſicut pro præſenti uti: quia ut num.97. dicebamus, ſenſualitas neque poſtulat, quod ſit orta ex peccato, neque quod carentia perfectionis, quam affert, ſit privativa, ſicut poſtulat concupiſcentia: & ita nulla eſt ratio ut potentiis ſenſitivis illius ſtatus renuamus ſenſualitatis nomen concedere. Porro qui & concupiſcentiam ſimpliciter in eo ſtatu futuram fuiſſe contenderit, conſequenter dicet non eſſe de ejus ratione eſſentiali carentiam privativam; ſed ſufficere negativam, cum capacitate tamen reſpectu perfectionis oppoſitæ, & illius debiti, ut innuimus num.86.

§. III.

Poſterior dubii pars abſolvitur.

Veniamus ad ſecundum, quod in titulo dubii propoſuimus: videlicet qualiter prædicta concupiſcentia ad peccatum originale ſe habeat? In quo debemus aliqua tanquam certa ſupponere. Primum eſt, concupiſcentiam ortum habuiſſe ex peccato Adami, ante quod propter juſtitiam originalem rectificantem omnes animæ vires locum non habebat: ſed amiſſa per illud hujuſmodi juſtitia, manſit tota natura humana deſtituta, & privata prædicta rectificatione, proindéque concupiſcentiæ labe infecta. Et hac ratione dixit Tridentinum ſeſ.5. concupiſcentiam eſſe ex peccato. Neque ſolum reſpectu peccati Adami habet rationem effectus, ſed etiam reſpectu originalis ad nos tranſmiſſi. Cum enim formalis hujus ratio conſiſtat in privatione originalis juſtitiæ ſecundum ejus effectum primarium, ut dicemus dubio ſequenti; concupiſcentia vero ſit privatio eiuſdem iuſtitiæ quantum ad alios ſecundarios, oportet ut ita ſe habeat concupiſcentia ad ipſum peccatum, ſicut prædicti effectus ſecundarii ſe habent ad primarium: inter quos ſatis conſtat eſſe ordinem cauſæ, & effectus: quia effectus ſecundarius conſequitur, & inducitur ex primario. Sicut ergo prima rectitudo, quam originalis iuſtitia conferebat, erat ratio, & cauſa omnium cæterarum: ita privatio illius habet ſe ut ratio, & cauſa omnium aliarum privationum. ¶ Neque obeſt quod diſput. præcedenti dub. 3. diximus concupiſcentiam eſſe cauſam peccati originalis per modum inſtrumenti Adami; & ita non videtur, quod poſſit eſſe eius effectus. Nam ibi loquebamur de concupiſcentia, quæ eſt in patre reſpectu peccati originalis exiſtentis in filio; modo vero loquimur de concupiſcentia uniuſcuiuſque reſpectu peccati in ipſo exiſtentis: & ſic nulla eſt contradictio.

100 Quæ ſupponi debeant.

101 Deinde ut certum ſupponi debet, concupiſcentiam

piſcentiam ſecundum ſe non eſſe formaliter peccatum, neque originale, neque perſonale,
Trid.ſeſ.5. nam ita docuit Concilium Trident. ſeſſ. citata, ubi fatetur manere concupiſcentiam in baptizatis, & de ea ſic diffinit. *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe, peccatum appellari, quod verè & proprie in renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Siquis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.* Ex quo loco manet omnino condemnatus error Luteri, Calvini, & aliorum hæreticorum aſſerentium peccatum originale non eſſe aliquid præter ipſam concupiſcentiam: atque adeo nec tolli per baptiſmum; ſed tantum radi; aut non imputari: quod paulò ſuperius Concilium damnaverat. Ex hoc autem habetur veritas, quam ſupponimus: quia ſi concupiſcentia manet poſt baptiſmum; peccatum vero non manet, plane ſequitur, illam ſecundum ſe non eſſe formaliter peccatum; alias vel utrunque, vel neutrum poſt baptiſ-
D. Auguſt. mum permaneret. Eandem veritatem docuit D. Auguſtinus lib. 6. contra Julia. cap. 7. ubi ſic ait *Percipitur autem in baptiſmate chriſtiano perfecta novitas, perfecta ſanitas ab eis malis noſtris, quibus eramus rei; non ab eis cum quibus adhuc confligendum eſt, ne ſimus rei.* Cum ergo peccatum ſit; quo efficimur rei, & digni pœna; concupiſcentia autem ſit contra quam pugnamus, ne nos in peccatum trahat, & reos efficiat: plane ſequitur, illud tolli per baptiſmum: hanc vero etiam poſt baptiſmum remanere: atque adeo non eſſe ipſum peccatum formaliter.

Nec refert ſi dicas, hinc ſolum, probari concupiſcentiam non eſſe formaliter peccatum in baptizatis, de quibus Concilium, & Auguſtinus loquuntur; ſecus in non baptizatis, quorum non meminere. Nam contra eſt, quod ſi concupiſcentia ſecundum ſe eſſet formaliter peccatum, ſicut non poteſt ſeparari à ſe ipſa, ſic non poſſet ab eo ſeparari: atque adeo ubicunque daretur concupiſcentia, daretur formaliter ipſum peccatum. Si igitur hoc tollitur per baptiſmum, & illa permanet, manifeſtum eſt, neque ante baptiſmum ipſam concupiſcentiam ſecundum ſe fuiſſe peccatum formaliter.

102 Sed obiicies: quia concupiſcentia adhuc poſt baptiſmum eſt mala homini, utpote repugnans naturali ejus inclinationi ad bonum virtutis: ſed non eſt præciſe malum pœnæ, aliàs eſſet à Deo qui pœnas infligit: ergo ſecundum ſe eſt malum culpæ, atque adeo formaliter peccatum.

Reſpondetur, concupiſcentiam pertinere ad utrunque genus mali, ſcilicet culpæ, & pœnæ. Nam qua ratione dicit ablationem, & carentiam illius doni, quo natura hominis in ſe ipſa perficiebatur, nullo conſiderato ordine ad voluntatem, vel ad peccatum, habet rationem pœnæ, & prout ſic eſt à Deo modo explicando infra à num. 130. Quatenus vero ad agendum contra ordinem rationis inclinat, vel hunc ordinem ab actu excludit, pertinet ad malum culpæ, & non eſt Dei effectus, ſed peccati originantis Adami, & originalis ad nos tranſmiſſi: non tamen etiam prout ſic ſecundum ſe eſt peccatum, vel culpa formaliter neque habitualis, neque originalis, neque actualis; ſed tantum cauſaliter quatenus ad peccandum habilitat, & inducit. Quemadmodum habitus vitii (cui concupiſcentia ipſa valde aſſimilatur) non eſt peccatum formaliter neque actuale, neque habituale, & ideo poteſt eſſe ſimul cum gratia: dicitur tamen peccatum cauſaliter, quia inclinat ad illud, & ejus malitiam præcontinet: & hoc ſufficit, ut ſecundum hanc rationem effectus Dei eſſe non valeat; imo ut ab illo odio habeatur & ab hominibus vituperetur: ſicut etiam propter eandem rationem odio habetur, & vituperatur concupiſcentia: & ſecundum prædictam rationem à divina cauſalitate excluditur.

Tertio poſſumus quoque ſupponere (ſaltem ut quid à Thomiſtis communiter receptum) concupiſcentiam aliquo modo habere ſe de materiali reſpectu peccati originalis, & aliquo modo poſſe dici ejus materiam: hoc enim adeo expreſſe continetur in pluribus D. Thomæ locis, ut nullus ejus diſcipulus auſus fuerit negare. Quare præſentis dubii difficultas in eo dumtaxat ſita eſt, num concupiſcentia verè & propriè ſit materia talis peccati, ita quod ipſum componat, & ejus prædicationem cum proprietate ſuſcipiat: ſicut lignum eſt materia ſtatuæ, & ſicut in peccato actuali entitas ſe habet ut materia reſpectu malitiæ: an vero largè, & impropriè *materia* appelletur, ex eo ſolum quia conſequenter, & illative ad prædictum peccatum ſe habet. 103

Concluſio autem ſit, concupiſcentiam eſſe materiam peccati originalis non utcumque, ſed cum veritate, & proprietate explicata. Ita tenent Cajetanus, & Conradus in præſenti art. 3. Ferrara 4. contra gent. cap. 52. Capreolus in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 4. Monteſines art. 3. hujus quæſtionis diſp. 12. quæſt. ſua 2. dicens eſſe communem apud Theologos. Et eſt proculdubio ſententia D. Thomæ in hoc 8. art. ubi eam pro concluſione ſtatuit dicens. *Peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia.* Et quæſt. 3. de mal. art. 7. in corp. ſic concludit. *Ignorantia, & fomes ſunt materialia in originali peccato, ſicut converſio ad bonum commutabile in actuali.* Et quæſt. 4. art. 2. multoties id repetit tam in corpore, quàm ad argumenta: in ſolutione vero ad 11. ſic ait. *Concupiſcentia poteſt dupliciter conſiderari: uno modo ſecundum quod eſt in alio: & hoc modo concupiſcentia, quæ eſt in patre, ponitur cauſa originalis peccati, quod eſt in filio, & non eſt de eſſentia eius, ſed precedit ipſum. Alio modo poteſt conſiderari ſecundum quod eſt in eodem: & eſt cauſa per modum materiæ, quæ eſt de eſſentia rei, & precedit quodammodo per modum materiæ, ſicut corpus precedit animam in ordine cauſæ materialis*, &c. Non minus clare loquitur in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 3. ibi. *Eſt conſiderare materiale, & formale in actibus moralibus, ſicut in rebus artificialibus, in quibus materia de toto prædicatur, ut poſſit dici, cultellus & ferrum: & ſimiliter de peccato prædicari poteſt illud, quod eſt materiale in ipſo & per hunc modum peccatum originale concupiſcentia dicitur.* 104 Concluſio. Caiet. Conrad. Ferrara. Capreol. Monteſ. D. Thom.

Quæ teſtimonia (& alia quæ brevitatis cauſa omittimus) adeo expreſſe ſunt pro noſtra aſſertione, ut nullam congruam explicationem in contrarium admittant. Sive enim attendamus ad verba, ſive ad exempla, quæ in eis afferuntur

runtur, conſtat ſermonem eſſe de materiali, & de materia propriè dicta: ſicut eſt materia rerum artificialium, quæ intrat ad compoſitionem totius, & totum de illa, ipſaque de toto prædicatur: & ſicut in moralibus actus non ſolum interior, ſed etiam exterior habet ſe ut materia componens reſpectu peccati actualis: in eodémque peccato actuali converſio, & entitas poſitiva habet ſe ut materia reſpectu malitiæ, & averſionis. Quod & nihil ultra intendimus: nam id ſufficit, ut de concupiſcentia, quæ peccato originali conjuncta eſt, abſolute verificentur iſtæ prædicationes *concupiſcentia eſt peccatum originale, peccatum originale eſt concupiſcentia*: non ut eſſentiales, & quidditativæ; ſed ut denominativæ, & accidentales: ſicut in eodem ſenſu abſolute conceduntur iſtæ, *lignum eſt ſtatua, ſtatua eſt lignum: actus humanus eſt peccatum; peccatum eſt actus humanus*, ſive ſit ſermo de actu interiori, ſive de exteriori. Neque ad veritatem ſententiæ noſtræ refert, an prædicta materia ſit materia intrinſeca, & phyſice componens cum forma: ſicut lignum componit cum forma ſtatuæ, & actus interior voluntatis cum malitia: vel ſit materia extrinſeca, & componens moraliter: ſicut actus exterior componit cum malitia actus interioris: quodcumque enim iſtorum ſufficit, ut prædicatio in ſenſu denominativo ſit vera.

105 Doctrina pro tradenda ratione.

Ut autem rationem tradamus, animadvertendum eſt, de peccato originali, ejuſque extenſione, compoſitione, & partibus eo proportionali modo eſſe nobis diſcurrendum, ſi conſiderationem D.Thomæ ſequi velimus, ſicut in ſimilibus diſcurrimus de peccato actuali: cum ea tamen differentia, quod actuale cum ſit peccatum perſonæ, ad perſonalia tantum ſe extendit, quæ ſunt actiones, & motus: originale vero quia eſt peccatum naturæ, diffunditur per ipſam naturam, & ejus partes, quæ ſunt potentiæ. Unde ita ſe habere debent deordinationes diverſarum potentiarum ad componendum, & integrandum peccatum originale: ſicut diverſi actus deordinati ſe habent ad actuale conſtituendum. Porro in peccato auctuali ita evenit, ut in primo actu libero, qui eſt actus voluntatis, ſit malitia primo & per ſe: ac proinde ſit in eo prima, & formalis ratio totius peccati: quia talis ratio attenditur per ordinem ad finem, qui eſt voluntatis objectum: reliqui vero ſubſequentes actus, qui illius prioris motionem participant, habent ſe ut materia, quæ integrat, & componit tale peccatum, & ex ordine ad ipſum actum voluntatis denominationem *peccati* ſuſcipit. Hac quippe ratione non modo actus intellectus, & appetitus, ſed etiam motus omnino externos, ut manuum, & pedum, quoties ex actu peccaminoſo voluntatis imperantur, dicimus vere, & proprie *peccata*; licet in ſe non habeant intrinſecam malitiam: quia ſunt partes moraliter componentes materiam, ex qua, & ex malitia actus voluntatis integrum concretum peccati coaleſcit.

Formatur ratio.

Juxta hunc ergo modum de peccato originali diſcurrendo, taliter debemus illud conſtruere, ut primaria, & formalis ejus ratio ſit deordinatio primæ partis naturæ, quæ eſt anima, vel voluntas: deordinationes vero aliarum partium, ſive potentiarum, quæ ab illa prima moventur, uti ſunt intellectus, & appetitus ſenſitivus, imo & deordinationes ipſius animæ, & voluntatis; prout dicunt quid in eis ſecundarium, habeant ſe tanquam integrantes, & componentes materiam talis peccati, ſuſcipientesque hac via peccati denominationem à deordinatione formali, & primaria, quæ in anima, vel voluntate immediate exiſtit. Cum ergo concupiſcentia non ſit aliud, quàm deordinatio prædictarum partium animæ, quæ à voluntate moventur, inducta & cauſata ex prædicta deordinatione primaria, nihil illi deeſſe poteſt, quominus vere, & proprie juxta ſenſum explicatum dicatur materia peccati originalis, & ut talis prædicetur de illo, & è converſo. Neque operæ pretium duximus in hujus comprobationem plura adducere, cùm res non ſit magni momenti, & forte aliquid de modo loquendi contineat. Videatur Ang. Doctor citata diſt. 30. quæſt. 1. art. 3. & q. 4. de malo cit. art. 2. ubi hanc rationem latius proſequitur.

Si autem inquiras, cum in concupiſcentia 106
ſint illa duo, quæ ſupra diſtinximus, videlicet materiale, quod eſt poſitivum, & formale, quod eſt privatio, ſecundum quam rationem dicatur materia reſpectu peccati originalis? ¶ Reſpondetur, ſi ſermo ſit de materia proxima & per ſe, ſolam privationem ad eam pertinere: quia hæc dumtaxat deſcendit ad nos per originem ex peccato Adami, & ex ratione formali ipſius peccati originalis conſequitur. Si autem de materia remota, & quaſi per accidens loquamur, etiam poſitivum concupiſcentiæ poteſt dici materiale in prædicto peccato, quatenus ejus materiæ proximiori ſubſternitur.

§. IV.

Quæ obſtent ultimæ aſſertioni?

Primum argum. *Curiel. Greg. Mart: Corduba.*

Contra hanc ultimam aſſertionem ſentiunt Curiel in præſenti dub. 1. & Gregorius Mart. dub. 3. concluſ. 2. refertur etiam Corduba lib. 1. quæſt. 10. opinione 6. quorum ſententia probari poteſt primo. Nam Concilium Trid. negat contra hæreticos, concupiſcentiam eſſe vere, & proprie peccatum: ſi autem eſſet materia originalis modo à nobis expoſito, cum veritate, & proprietate *peccatum* denominaretur: ergo, &c.

Confirmatio.

Confirmatur: nam qui ita aſſerunt, favent modo loquendi prædictorum hæreticorum nolentium diſtinguere peccatum originale ab ipſa concupiſcentia, & hac via aſſerentium manere in nobis poſt baptiſmum: cum autem ab illis non modo in re, ſed etiam in vocibus recedere oporteat, non videtur adeo tutum prædictam aſſertionem ſuſtinere.

107 Solutio argumenti.

Reſpondetur, Concilium non utcunque negaſſe concupiſcentiam eſſe peccatum, ſed addit *in renatis*, quia cum in iſtis per baptiſmum peccatum originale quantum ad ſuum formale omnino tollatur, non eſt à quo concupiſcentia remanens poſſit vere, & proprie *peccatum* denominari: ſicut ſi à ligno auferatur ſtatuæ figura, non erit jam unde *ſtatua* vocetur: & ſi à peccato actuali tollatur malitia interior, quamvis remaneat actus exterior, non erit dicendus jam *peccatum*. Per hoc autem Concilium non negavit, quod in non baptizatis, in quibus adeſt

Digitized by Google

adeſt formalis ratio originalis culpæ, concupiſcentia vere & proprie ab ea *peccatum* denominetur: imo id ſatis innuit: nam limitatio illa *in renatis*, potius firmat regulam in contrarium.

Solutio cõfirmationis. Ad confirmationem reſpondetur, ſententiam noſtram longe abeſſe à modo loquendi hæreticorum: nam illi concupiſcentiæ ſecundum ſe tribuebant rationem formalem peccati; & ita non tantùm denominative, ſed quidditative, & independenter à quovis alio, *peccatum originale* eam nuncupabant: hacque ratione contendebat, hujuſmodi peccatum quantum ad ſuum formale non vere remitti, & tolli per baptiſmum; ſed quaſi t gi, vel radi, quia concupiſcentia per illum non aufertur. A quo loquendi modo omnino abſunt, qui nobiſcum tenent, prædictam concupiſcentiam pertinere ad materiale dumtaxat illius peccati, & ſolum accidentaliter denominationem ejus ſuſcipere: poſſètque proinde ſeparari à ratione formali prædicti peccati, ejuſque denominationem omnino amittere, ſicut ſeparatur, & amittit per gratiam baptiſmi. Verum tamen eſt, majori circunſpectione loquendum eſſe poſt Lutheranam hæreſim in his, quæ ad peccatum originale ſpectant; quàm temporibus D. Auguſtini, & D. Thomæ, illa nondum exorta, fuiſſet neceſſarium. Unde propoſitiones iſtæ *peccatum originale eſt concupiſcentia*, *concupiſcentia eſt peccatum originale*, quæ tunc de non baptizatis ſine addito, & ſine diſtinctione ſecurè proferrentur, modo rectè diſtinguntur, & non admittuntur niſi addito *materialiter*, vel alio ſimili. Non tamen idcirco vera ſententia, & verus dicendi modus eſt derelinquendus, quia ab errore illo minus diſtet, quàm error contrarius: ut enim ad aliud intentum dixit Auguſtinus *non debent oves pelles ſuas deponere, quia aliquando eis lupi ſe contegant*.

D. Auguſt. lib. 2. de ſerm. Domini in monte c. 12.

108 Argumentũ ſecundum. Secundo probatur: nam quod ſe habet per modum materiæ in aliquo compoſito; eſt talis conditionis, ut neque poſſit ſeparari à forma, neque forma illo ſecluſo permanere. Sed concupiſcentia ſeparatur per baptiſmum à formali peccati originalis; & hoc formale poteſt etiam permanere ſecluſa omni concupiſcentia: ergo, &c. Major probatur in peccato actuali, v.g. odii Dei, in quo neque entitas, quæ ſe habet ut materia poteſt ſeparari à malitia; neque malitia, quæ eſt forma, poteſt ſeparari ab entitate. Minor vero quoad ſecundam partem ſuadetur (quoad primam enim eſt perſpicua) quia in animabus ſeparatis decedentibus ſine baptiſmo manet formaliter prædictum peccatum; & tamen non manet concupiſcentia, ſiquidem carent appetitu ſenſitivo: ergo, &c.

Confirmatio. Confirmatur: nam poſſet Deus adhuc in hac vita tollere ab aliquo omnem concupiſcentiam relinquendo peccatum originale, ut ſi non communicata gratia, tribueret ei illam rectitudinem, & illum vigorem naturalem, quem originalis juſtitia conferebat, in cujus que privatione concupiſcentia ſita eſt: ergo ſaltem in hoc caſu poteſt manere formale peccati originalis ſine aliqua concupiſcentia.

Solutio argumenti. Reſpondetur, majorem ſaltem quoad primam partem non eſſe veram univerſaliter: quia in compoſitis accidentalibus, & artificialibus, ad cujus ſimilitudinem peccata, & compoſita moralia ſe habent, multoties perſeverat materia, ſecluſa forma: deſtructa enim figura ſtatuæ, manet lignum; & deſtructa forma cultelli, manet ferrum: imo in ipſis compoſitis moralibus ſæpe id accidit: nam actus comedendi carnes tempore prohibito eſt materia peccati gulæ; & nihilominus ſi talis actus continuetur, quouſque ceſſet prohibitio, manebit ex tunc malitia, quæ erat forma prædicti peccati. Non eſt ergo ſufficiens ratio excludendi concupiſcentiam à materiali peccati originalis, quod ſine ejus formali perſeveret. Si autem in odio Dei, & ſimilibus nequit entitas permanere ſine malitia, id provenit ob ſpecialem connexionem inter illa extrema: non vero propter conditionem generalem materiæ, & formæ. ¶ Secunda pars majoris de lege ordinaria videtur concedenda ad hunc ſenſum, ut forma non poſſit conſervari, ſecluſa omni materia. Sed tunc neganda eſt ſecunda pars minoris: & ad probationem dicendum animas ſeparatas infectas peccato originali non carere omni concupiſcentia, quia adhuc retinent carentiam illius vigoris, quem juſtitia originalis ponebat in ipſa anima, & in ſpiritualibus potentiis, quam carentiam num. 90. ſub concupiſcentia comprehendimus. Quod autem deficiat illa concupiſcentiæ portio, quæ reſidet penes appetitum ſenſitivum, nihil refert: quia regulariter non tota materia eſt de neceſſitate compoſiti, præſertim in his concretis accidentalibus; ſed ſufficit conſervari aliquam partem, ut forma permaneat.

Neque obeſt ſi urgeas, quod in anima, & potentiis ſpiritualibus non habet locum concupiſcentia, niſi ut ſunt trahibiles ad ſenſibilia per appetitum ſentientem; atque adeo niſi ſint corpori conjunctæ; ergo ubi ſeparatæ manent, exuunt omnem concupiſcentiæ rationem. 109 Replica. ¶ Reſpondetur enim, tam animam, quàm prædictas potentias adhuc ſeparatas conſervare aliquid concupiſcentiæ: quia ſemper retinent ut quantum eſt ex ſe, & ex vi deſtitutionis juſtitiæ originalis poſſint ad ſenſibilia trahi, licet de facto dum abeſt corpus, & ejus appetitus, ad illa non deflectant. Quod ſi defectum iſtum renueris appellare *concupiſcentiam formalem*, ſeu *proximam*; ſaltem conſtituere debet concupiſcentiam radicalem, & hæc ſufficiet. Enodatur.

Ad confirmationem ſolutio. Ex quo ad confirmationem dici poſſet, adhuc in illo caſu manere concupiſcentiam radicalem: quia deficiente originali juſtitia ſecundum effectum primarium, ſicut neceſſe eſt deficere, dum adeſt peccatum, ſaltem permaneret debitum carendi prædicto vigore; licèt Deus miraculoſe, & ſupra naturæ ordinem operando, ipſum vigorem infunderet: quandiu autem tale debitum permanet, dici poteſt dari concupiſcentiam radicalem: quia datur radix carentiæ conſtituentis formaliter concupiſcentiam, nempe prædictum debitum. ¶ Secundo reſpondetur, ex hoc quod peccatum originale in hoc vel alio caſu poſſit manere ſine ulla concupiſcentia, ſolum ſequi hanc non eſſe materiam illius omnino neceſſariam; non vero quod careat requiſitis, ut dũ ſimul inveniuntur, habeat ſe per modũ materiæ reſpectu prædicti peccati, & moraliter de illo informetur. Imo non ſequitur, ipſum peccatum poſſe manere aliquando ſine omni materia: nam præter concupiſcentiam, in ipſamet privatione effectus primarii originalis juſtitiæ datur aliquid gerens munus materiæ, nempe carentia talis effectus, non ut dicit determinate privationem, Solutio alia argumenti & confirmationis.

ſeu

ſeu ejus differentiam, quo pacto ſpectat ad formale peccati, ſed ut dicit rationem carentiæ communem privationi, quæ modo eſt; & negationi, quæ eſſet in pura natura. Hæc enim ratio communis carentiæ inſeparabilis eſt à prædicto peccato, & habet ſe ut materia reſpectu alterius formalitatis, quæ conſtituitur in *eſſe* privationis voluntariæ ipſius peccati conſtitutivæ. Et hæc ſolutio tollit difficultates, quæ contra præcedentes poterunt inſurgere.

Neque obiicias contra illam, quod num. 89. *concupiſcentiæ* nomine intelleximus omnem defectum, qui eſt materia peccati originalis. Nam ibi loquebamur de defectibus privativis, qualis non eſt hæc carentia ſumpta ſecundum prædictam rationem communem. Et etiam loquebamur de illis defectibus, qui differunt re ipſa ſaltem negative à ratione formali prædicti peccati, & ex illa derivantur: quod minime habet prædicta ratio communis carentiæ.

110 Tertiũ argumentũ, & cõfirmatio. Tertio arguitur. Peccatum originale ejuſdem rationis eſt in nobis, atque fuit in Adamo; ſed in illo non habuit pro materia concupiſcentiam: ergo neque in nobis.

Solutio ad argumentũ. Confirmatur: nam reſpectu peccati habitualis perſonalis neque concupiſcentiam, neque aliquid aliud ab ipſa privatione gratiæ diſtinctum aſſignamus pro materia: ergo neque reſpectu originalis debet aſſignari; cum non ſit major ratio de iſto, quàm de illo.

Reſpondetur concedendo majorem intellectam de peccato habituali, quod manſit in Adamo; ſecus ſi intelligeretur de peccato illius actuali juxta ea, quæ diximus num. 77. Sed neganda eſt minor de eodem peccato habituali intellecta: quia prædictum peccatum verè fuit peccatum naturæ, ſicut eſt originale, quod ad nos deſcendit, proindeque totius naturæ, ſeu omnium potentiarum infectio debuit ad illud ſaltem materialiter concurrere. Et quamvis Adamus non acceperit tale peccatum per originem, ſicut nos accipimus, hacque ratione non ita proprie in illo ſicut in nobis potuerit dici *originale*: quia tamen fuit effectus ſui peccati actualis, prout erat peccatum capitis naturæ, & fuit privatio doni, quod pro tota natura acceperat, nihil illi defuit, quominus peccatum naturæ appelletur, & ſit, ita vere, & proprie, ſicut noſtrum originale.

Ad confirmationem. Ad confirmationem tranſeat antecedens, & negetur conſequentia propter duplicem diſparitatem. Prima eſt, quod concupiſcentia reſpectu peccati perſonalis non habet rationem effectus, ſicut habet reſpectu originalis: quod tamen erat neceſſarium, ut denominationem peccati per modum materiæ ab illo ſuſciperet. Secunda eſt, quod ad peccatum perſonale non pertinent niſi defectus, qui ſunt proprii ipſius perſonæ, qualis eſt privatio gratiæ per perſonale peccatũ inducta: ipſa quippe gratia, quæ per tale peccatũ expellitur, ſolum eſt donum perſonale: cõcupiſcentia autẽ eſt defectus totius naturæ: & ita non debet ſub prædicto peccato cõprehendi.

111 Replica. Sed urgebis: quia ſaltem habitus vitii, qui per actus peccati acquiritur, habet reſpectu peccati habitualis quicquid concupiſcentia habere poteſt reſpectu originalis, & non idcirco dicitur ejus materia.

Enervatur. Ad hanc replicam poſſemus non improbabiliter, admiſſa majori, negare minorem: quia non videtur admodum inconveniens concedere, habitum vitii pertinere ad materiale peccati habitualis. Melius tamen reſpondetur negando majorem: quia prædictus habitus nullo modo eſt effectus peccati habitualis, ſed ſolius actualis: unde ſi reſpectu alicujus ex illis eſſet materia, non reſpectu illius, ſed reſpectu iſtius id haberet: cujus tamen materia eſſe non poteſt, quia cum peccatum actuale in actu conſiſtat, ex his tantum poteſt coaleſcere, quæ per modum actus ſecundi ſe habent, ut rectè vidit D. Thom. q. 4. de mal. art. 2. ad 4. ubi ſic ait. *Nec tamen ſequitur, ſi habitualis concupiſcentia poſitive accepta* (ſcilicet pro habitu vitii) *non habet rationem peccati actualis, ſecundum quod cauſatur ex actibus perſonæ, quod propter hoc habitualis concupiſcentia per remotionem accepta non habeat rationem originalis peccati, ſecundum quod ex actu primi parentis cauſatur: quia peccatum originale non eadem ratione dicitur peccatum, qua & actuale: quia actuale peccatum in actu voluntario alicuius perſonæ conſiſtit: & ideo quod ad talem actum non pertinet, non habet rationem actualis peccati. Sed peccatum originale eſt perſonæ ſecundum naturam, quam ab alio traxit per originem: & ideo omnis defectus in natura prolis invenimus derivatus à peccato primi parentis habet rationem peccati originalis, dummodo ſit in ſubiecto, quod ſit ſuſceptivum culpæ. Nam, ſicut Auguſtinus dicit in 1. Retractat. concupiſcentia dicitur peccatum, quia eſt à peccato facta.* D. Thom.

Adde majorem proportionem reperiri inter concupiſcentiam, & peccatum originale ex una parte, ut unum ſit materia alterius, quàm inter habitum vitii, & peccatum habituale perſonale ex alia: quia in primo exemplo tam concupiſcentia formaliter accepta, quàm peccatum originale eſt aliquid privativum; in ſecundo autem peccatum habituale eſt privativum; habitus vero vitii eſt forma poſitiva.

In fine hujus dubii animadvertere placuit, conſulto non omiſiſſe examinare alium dicendi modum, qui ſe offerebat: juxta quem ſtrictius adhuc, & magis per ſe quàm diximus, concupiſcentia ante remiſſionem originalis peccati ad ejus eſſentiam ſpectet. Ita nimirum ut privatio illa concupiſcentiæ ſive quæ eſt in appetitu ſenſitivo, ſive quæ in aliis potentiis, prout orta ex voluntate, & peccato Adami & intrinſece ſit mala; & peccaminoſa, formaliſque malitiæ ratio intrinſece illi competat. Propterea tamen dicatur non ad formale, ſed ad materiale prædicti peccati pertinere: quia reſpectu alterius rationis formalioris, & principalioris in eo repertæ, illius videlicet, quæ eſt in anima, & voluntate, de materiali ſe habet: quatenus & eſt ejus effectus; adeo ut ſine reſpectu ad illam mala non ſit: & per ipſam determinatur, & formalizatur in ordine ad prædictum peccatum conſtituendum. Ad eum ſane modum, quo diſp. 10. dub. 1. diximus malitiam peccati actualis non ſolum reperiri intrinſece in actu voluntatis, ſed etiam in actu appetitus ſenſitivi, & in actu intellectus: ex quo, & ex ipſo actu voluntatis ſicut ex materiali & formali integrum peccatum coaleſcit. Adeſt quippe non levis ratio ad philoſophandum pariformiter de utroque peccato quantum ad hoc. Nam ſicut in utroque prædictorũ actuũ eſt ſua libertas actualis intrinſeca, & diſtincta, & ideo utriuſque deformitas habet veram, & intrinſecam malitiæ rationem; licèt cum ſubordinatione & dependentia, quam diſp. citata explicuimus, 112

Digitized by Google

cuimus : ita quia in omnibus prædictis potentiis eſt intrinſeca libertas habitualis, forte non immerito earum omnium defectibus prout ex peccato Adami ortis, & ab eo voluntariis, atque ut ſtantibus ſub dependentia à defectu formaliori, qui eſt in anima, originalis malitiæ ratio intrinſecè tribueretur. Neque idcirco qui hunc dicendi modum tueri vellet, cogeretur dicere, privationem, & defectum in appetitu, vel aliis potentiis poſt baptiſmum remanentem eſſe vere & propriè peccatum : ut hæretici loquuntur. Quia ſublata ab anima per gratiam ratione potiſſima, & principaliori, atque omnino formali originalis culpæ, conſequenter in ipſa gratiæ infuſione per retractationem quaſi virtualem tolleretur à privatione, & defectu cujuſcumque potentiæ tota ratio voluntarii terminativi orta ex Adami peccato ; proindeque tota ratio malitiæ, quæ ſine voluntario conſiſtere nequit. Hunc ergo dicendi modum conſulto examinare omittimus, ejuſque judicium ſuſpendimus, ne vel multorum diſcuſſione, à quibus non ſic Thomiſtica veritas dependet, Lectorem gravemus ; vel forte ſcrupulis exponamus.

DUBIUM V.

Quæ ſit propria & formalis ratio peccati originalis conſtitutiva?

HAbemus jam præ manibus celebriorem hujus diſputationis difficultatem de formali conſtitutivo originalis culpæ : ad quam conſultò per præcedentia dubia gradum fecimus : quia, illis ſuperatis, ſecurius, & facilius in hujus deciſione veritatem attingemus.

§. I.

Vera ſententia, & mens Angel. Doctoris.

113 DIcendum eſt, propriam & formalem rationem conſtitutivam peccati originalis eſſe privationem gratiæ voluntariam nobis ex vi peccati Adami : ſeu (quod in idem redit) privationem originalis juſtitiæ prædicto modo voluntariam, non ut tollit omnes effectus, quos n. 88. diſtinximus ; ſed ut aufert præcisè effectum primarium communem ipſi juſtitiæ, & noſtræ gratiæ, qui eſt ſanctificare, & rectificare animam in ordine ad Deum, ut

Probatur teſtimoniis D. Dionyſ. ibidem diximus. Ita ſenſit D. Dionyſius de cœleſti hierarchia c. 2. ubi peccatum originale, à quo homo per baptiſmum liberatur, appellat *ſtatum diſſimilitudinis* : non alia ratione niſi quia ſicut eſſentia juſtitiæ originalis ſecundum prædictum effectum in Dei participatione, & ſimilitudine ſita eſt, ita prædictum peccatum in privatione talis ſimilitudinis conſiſtit.

Anſelm. Idem docuit Anſelmus lib. de conceptu virg. c. 26. ubi ait : *Peccatum originale aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus per inobedientiam Adæ, niſi nuditatem juſtitiæ.* Suntque hujus ſententiæ plures alii Patres, quos diſput. 6. num. 81. retulimus. Sed præ omnibus docet clariſſimè

& D. Thom. aſſertionem noſtram Angel. Doctor tum in præſenti art. 3. ubi expreſsè ait, quod privatio originalis juſtitiæ eſt formale in peccato originali : omnis autem alia inordinatio virium animæ habet ſe in illo ſicut quiddam materiale, & deinde concludit : *Peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia ; formaliter vero eſt defectus originalis juſtitiæ.* Deinde ad Rom. 5. lect. 3. explicans in quo conſiſtat defectus, qui dicitur *peccatum originale*, ſic inquit : *Eſt autem hic defectus carentia originalis juſtitiæ, quæ erat primo homini divinitus collata, non ſolum ut erat perſona quædam ſingularis, ſed etiam ut erat principium humanæ naturæ, ut ſcilicet eam ſimul cum natura in poſteros traduceret : & ideo ſimili modo amiſſionem hujus originalis juſtitiæ per peccatum ad poſteros tranſmittit habentem in eis rationem culpæ.*

Eodem modo loquitur q. 3. de mal. artic. 7. ibi : *In peccato originali eſt aliquid formale, ſcilicet carentia originalis juſtitiæ*, &c. Quod etiam repetit q. 4. art. 2. in corp. & ad 10. pro prima parte. Ex argumentis vero, quæ ibidem tertio loco proponit, probant clarè noſtrum intentum primum, ſecundum, & quartum collata cum ſuis reſponſionibus : nam in primo ſic objicit : *Culpa dicitur per privationem gratiæ gratum facientis : ſed originalis juſtitia non includit gratiam : ergo carentia originalis juſtitiæ non conſtituit rationem peccati.* In cujus argumenti reſponſione, ut D. Thom. majorem propoſitionem tueretur, & ne conſequentiam cogeretur concedere, reſpondit negando minorem : *Dicendum (inquit) quod originalis juſtitia includit gratiam gratum facientem.* In ſecundo vero ſic arguit : *Originalis juſtitia non reſtituitur per baptiſmum, quia adhuc vires inferiores rationi reſiſtunt : ſi ergo peccatum originale eſſet carentia originalis juſtitiæ, ſequeretur, quod peccatum originale non ſolveretur per baptiſmum*, &c. Reſpondet vero : *Dicendum quod juſtitia originalis reſtituitur in baptiſmo quantum ad hoc quod ſuperior pars animæ conjungitur Deo, per cujus privationem inerat reatus culpæ.* Idem convincit ſolutio quarti argumenti, cujus verba adducemus infrà n. 129. ¶ Præterea q. 5. etiam de mal. art. 2. ita ait : *In peccato originali non eſt converſio ; ſed ſola averſio, vel aliquid averſioni reſpondens, ſcilicet deſtitutio animæ à juſtitia originali*, &c. ſimilia habeo q. 24. de verit. art. 12. ad 2.

Super ſententias etiam docuit id multoties : nam in 2. diſt. 30. q. 1. art. 2. in fine corporis ſic habet : *Sicut illud naturæ donum fuit* (ſcilicet originalis juſtitiæ,) *& fuiſſet in totam naturam propagatum, homine in juſtitia perſiſtente : ita etiam & privatio illius boni in totam naturam perducitur quaſi privatio, & vitium naturæ : & in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, quod per voluntatem principii naturæ, id eſt, primi hominis inductus eſt talis defectus.* Legatur etiam art. 3. in corp. & ad 4. & diſt. 32. art. 1. ad 1. & aliis locis, quæ in hac eadem diſp. n. 36. retulimus. Quæ adeo expreſsè in favorem noſtræ ſententiæ loquuntur, ut quæcumque alia expoſitio extorta videatur.

Unde non obeſt, quod ait Gregor. Mart. videlicet Angel. Doctorem non ideo dixiſſe prædictam privationem eſſe formalem in peccato originali, quia ſit ipſa ratio conſtitutiva ; ſed quia ſupervenit tali rationi, & ex parte ejus ſe tenet, habetque ſe completivè in prædicto peccato. Quemadmodum cum in quibuſdam aliis locis, quæ adduximus diſput. 6. n. 41. affirmat privationem & averſionem habere ſe 114 Evaſio ex Greg. Mart.

ſe formaliter in peccato actuali, intelleximus illa hoc modo, non vero de formali eſſentiali, & conſtitutivo. Imo ipſe D. Thom. aliquibus in locis, quæ in hoc, & præcedenti dubio citavimus, comparat peccatum originale cum actuali, & ait, quod ſicut in iſto converſio eſt ſicut materiale, averſio autem ſicut formale: ita in illo privatio juſtitiæ de formali ſe habet, concupiſcentia vero de materiali. Si ergo in exemplo ly *formale* non ſumitur apud nos pro conſtitutivo, ſed pro conſequenti, & complętivo: cur in ipſa re, de qua agitur, non eodem modo uſurpabitur?

Præcluditur. Sed, ut diximus, hoc non obeſt. Tum, quia D. Thom. ita aſſignat pro formali peccati originalis prædictam privationem, ut nullius alterius formalis neque in eiſdem locis, neque alibi unquam mentionem fecerit: ſi autem ſentiret dari aliud formale conſtitutivum, & primarium, ejus proculdubio expreſsè & formaliter aliquando meminiſſet. Tum etiam, quia Angel. Doctor adæquatè explicuit totum, quod in peccato originali concurrit per privationem, quam appellat formale, & per illud, quod appellat materiale: & ideo ratio formalis conſtitutiva debet in uno ex iſtis duobus includi; non autem includitur in illo, quod appellat *materiale*: quippe hoc (ut ſæpe aſſerit S. Doctor) non eſt aliquid præter concupiſcentiam, quam omnes Catholici debent à formali peccati excludere, ut dubio præced. vidimus: ergo includitur in eo, quod appellat *formale*, quod eſt prædicta privatio. Et ſane cum D. Thom. dividit peccatum penes materiale, & formale, ita ejus rationem diſtribuit, ut ſi nomine *formalis* intelligit, quod eſt extra eſſentiam, & completivum; nomine *materialis* intelligat, quod eſt eſſentiale, & conſtitutivum: ob idque dumtaxat appellat iſtud *materiale*, quia illi ſubſternitur tanquam formæ ſupervenienti quamvis accidentali, ut videre eſt in illis, quæ ſuprà diſput. 6. n. 56. circa peccatum actuale adduximus: ergo cum in præſenti nomine *materialis* non intelligat formale conſtitutivum, ſed concupiſcentiam, quæ ſe habet ut pure materiale, nequaquam eſt dicendum, quod nomine *formalis* intelligat, quod eſt extra eſſentiam, & pure completivum; ſed potius quod eſt eſſentiale, & conſtitutivum.

115 Deinde ſi attente legantur, quæ habet Divus Thomas in hac q. 81. manebit hæc ſolutio penitus impugnata. Nam articulo 2. agens de unitate ſpecifica peccati originalis, dicit, quod ſi hæc unitas attendenda ſit ex ipſa eſſentia talis peccati, debet ſumi ex ejus cauſa: & loquitur de cauſa formali, & intrinſeca ad diſtinctionem efficientis, de qua dixerat in principio articuli: aſſignans vero quæ ſit hæc cauſa

D. Thom. formalis, ſic inquit: *Cauſa autem hujus corruptæ diſpoſitionis, quæ dicitur originale peccatum, eſt una tantum, ſcilicet privatio originalis juſtitiæ, per quam ſublata eſt ſubjectio humanæ mentis ad Deum: & ideo peccatum originale eſt unum ſpecie*, &c. Si autem privatio originalis juſtitiæ ſolum ex conſequenti ſe haberet in prædicto peccato, & non ut ratio conſtitutiva, non diceretur ejus cauſa; neque ſpecificatio, & unitas ab illa ſicut à cauſa ſumeretur. Hac enim ratione ſpecificatio, & unitas peccati actualis non ſumitur ex averſione, vel privatione, quæ reperitur in actu; ſed ex ordine ad objectum, ut probat D. Thom. ſupra q. 72. artic. 1. quia ſolus hic ordo habet ſe ut cauſa formalis, & conſtitutiva; privatio vero eſt aliquid conſequens: ergo cum privatio originalis juſtitiæ reſpectu peccati originalis ſit ejus cauſa, detque illis ſpecificam unitatem, nequit ſe habere ut aliquid conſequens; ſed ut propria ratio conſtitutiva.

Similiter in artic. 3. cum præmiſiſſet, quod unumquodque habet ſpeciem à ſua forma, & quod in peccato originali ſumitur ex cauſa, explicans quæ ſit hæc cauſa dans ſpeciem, & gerens munus formæ, ſolum aſſignat privationem juſtitiæ originalis, ſecundum quod tollit ſubjectionem mentis ad Deum, quæ erat primaria ratio talis juſtitiæ: quia oppoſitorum (inquit) oppoſitæ ſunt cauſæ: atque adeo ſicut cauſa intrinſeca totius juſtitiæ originalis erat prædicta ſubjectio mentis ad Deum, ex qua cæteræ perfectiones conſequebantur: ita cauſa intrinſeca peccati debet eſſe oppoſita privatio, ex qua reliquæ privationes ad illud pertinentes conſequuntur. Cui doctrinæ omnino repugnat ſolutio, quam impugnamus, juxta quam prædicta privatio non ponitur ut cauſa, & ratio conſtitutiva peccati originalis; ſed ut defectus omnino conſequens.

Deinde in art. 4. ea ratione oſtendit, peccatum originale eſſe æquale in omnibus, quia in illo non eſt niſi privatio originalis juſtitiæ, & relatio iſtius privationis ad peccatum primi parentis, ex quo emanavit, quæ non ſuſcipiunt magis vel minus (ipſa vero relatio cum fundetur in privatione, etiam non egreditur genus privativi, ut explicuimus diſp. 14. n. 115.) Si autem eſſet ibi aliqua alia ratio primaria, & conſtitutiva, deberet proculdubio D. Thom. talis rationis meminiſſe: præſertim quia ſine recurſu ad illam nequibat ſufficienter prædicta æqualitas demonſtrari, ut intuenti patebit.

Addo, quod D. Thom. inſtituit hanc quæſtionem ad examinandum ex profeſſo eſſentiam originalis peccati, ut conſtat ex ejus titulo. 116
Unde ſatis diminutè proceſſiſſet, ſi in ejus articulis non exprimeret rationem formalem & conſtitutivam: cum ergo nihil aliud niſi privationem, quam diximus, expreſſerit, manifeſte fit, hanc apud S. Doctor. eſſe formalem non utcumque, ſed per modum rationis conſtitutivæ. ¶ Nec refert, quod in primo articulo dixerit prædictum peccatum eſſe habitum: quia vel nomine *habitus* non intellexit aliquid poſitivum, ſed privationem habentem modum habitus, ut explicuimus dub. 3. n. 70. Vel ſolum intendit quod in prædicto peccato adæquatè accepto, ut comprehendit etiam ſuum materiale, includatur tale poſitivum, quatenus hoc eſt aliquid concupiſcentiæ, quam in reliquis articulis omnino excluſit à ratione formali.

Adde ſecundo, per prædictam evaſionem nequam obviam iri teſtimonio ex q. 5. de mal. artic. 2. ubi D. Thom. rejicit à peccato originali omnem converſionem, ſolamque averſionem illi concedit. Nam ibi fit ſermo de peccato, quatenus fundat reatum pœnæ reſpectu futuræ vitæ, quod per ſe primò illi convenit ſecundum rationem eſſentialem, & conſtitutivam: & ideo nulla via poteſt exponi de aliqua ratione dumtaxat conſequenti. Neque etiam poteſt dici, quod loquatur D. Thom. de ſola converſione actuali, & quod non excludat habitua

habitualem : cum enim non tantum converſionem neget, ſed dicat eſſe ibi ſoli m averſionem, proculdubio excludit quidquid non eſt privatio & averſio, ſive ſit actuale, ſive habituale. ¶ Eo vel maximè quià in alio loco huic correſpondenti ex q. 24. de verit. facta mentione converſionis habitualis, negatur peccato originali, & ſolum conceditur illi averſio.

117 Neque in favorem prædictæ evaſionis aſſumi debet illud, quod dicitur de peccato actuali : quia pro hujus conſtitutivo habemus plura D. Th. teſtimonia allata ſuperius diſp. 6. dub. 3. quibus expreſsè affirmat dari in eo malitiam poſitivam, & contrariam, ſpecificarique in ratione peccati per tendentiam poſitivam ad objectum diſſonum; cum quibus ſtare nequit, quod conſtituatur per privationem : & ideo quando hanc appellat *formalem*, jure optimo exponimus ejus verba de formali conſequenti, & completivo. Cæterum pro peccato originali nullum eſt teſtimonium, in quo affirmet S. Doctor conſtitui per poſitivum, aut dari in eo aliquid aliud pro formali præter privationem originalis juſtitiæ : imo in omnibus ubi rem tractat, tale formale excludit. Unde contra mentem ipſius eſſet prædicta teſtimonia aliter, quàm de formali eſſentiali & conſtitutivo exponere.

Quod vero Angel. Doctor peccatum originale quantum ad rationem formalem, & materialem aliquando cum actuali conferat, nihil refert. Tum, quia ad id ſatis eſt probabilis opinio, juxta quam ipſum peccatum actuale etiam conſtituitur per privationem, ut juxta eam (licet ipſi D. Thomæ minus probabilem, quam oppoſita) potuerit exemplo illo uti. Tum etiam, quia exemplorum non requiritur veritas, neque paritas in omnibus; ſed ſufficit aliqualis ſimilitudo : quæ ad præſens ſufficienter ſalvatur in hoc, quod ſicut converſio in peccato actuali habet ſe ut ſubjectum, & materia reſpectu averſionis: ita in originali concupiſcentia materialiter ſe habet ad privationem originalis juſtitiæ, non examinando ex vi exempli an utrobique materiale, & formale eodem, vel diverſo modo ſumantur.

118 *Duplex evaſio.* Duplici alia via conatus eſt quidam junior infirmare prædicta teſtimonia dicens, Angel. Doctor. vel non loqui de peccato originali, ſecundum quod tale peccatum, & malum morale eſt, quo pacto quærimus hic de ejus conſtitutivo; ſed ſecundum rationem mali abſolutè dicti, ut convenit cum aliis malis etiam non moralibus : ſtat enim ſecundum hanc poſteriorem rationem eſſe aliquid privativum, & ſecundum primam conſiſtere in poſitivo : ſicut diximus ſupra agentes de peccato actuali, ubi hac eadem diſtinctione uſi fuimus. Vel eſto D. Th. loquatur de illo ſecundum utramque rationem, ſolum intendere, quod privatio habeat ſe cauſaliter tanquam radix, & origo totius deordinationis; non vero formaliter ut ratio conſtitutiva.

Vtraque inſufficiens. Sed utraque ſolutio eſt inſufficiens; nam contra primam urgent ipſa verba D. Thomæ, quæ ferè in ſingulis teſtimoniis expreſsè loquuntur de peccato originali, ſecundum quod tale peccatum eſt, & ſecundum quod eſt inordinata diſpoſitio naturæ humanæ, proprium malum ipſius, ſpecialique ratione juſtitiæ originali oppoſitum : nihilque in eis accuratius intenditur, quàm proferre in lucem propriam & peculiarem rationem, ſecundum quam tale peccatum à quovis alio differt, & in ſua ſpecie conſtituitur, ut intuenti conſtabit : ergo inſufficienter intelliguntur de prædicto peccato ſecundum aliquam rationem ita abſolutam, vel communem, ut ad hæc propria, & ſpecialia non pertingat.

Deinde tota ſeries huius q. 82. à titulo uſque ad finem manifeſte eſt de peccato originali ſecundum ſibi propria, & ut culpa & malum morale eſt : & ideo in ſingulis articulis concluditur aliquid ſpeciale, & proprium talis peccati : ut in primo, quod eſt inordinata diſpoſitio naturæ ex multis compoſitæ, & in hoc ſenſu poteſt dici *habitus* : in ſecundo, quod in omnibus ſuppoſitis eſt unum ſecundum ſpeciem propter unitatem ſpecificam cauſæ : in tertio, quid ſit in eo formale, & quid materiale ex oppoſitione ad formale, & materiale originalis juſtitiæ : & in ultimo, quod ſit æqualiter in omnibus propter invariabilitatem eorum, ex quibus coaleſcit : eundemque ferè ordinem obſervat in aliis locis, unde teſtimonia deſumpſimus. Quis autem dicet in tam exacta peccati originalis diſcuſſione non examinari propria, & ſpecialia talis peccati, ut peccatum & malum morale eſt, quorum notitia in Theologia valde deſideratur, & in hac materia anxie quæritur; ſed communia dumtaxat; & minus propria, quæ ad peculiarem hunc tractatum parum conducunt? Et præſertim quia niſi D. Tbom. in locis, quæ citavimus, de prædicto peccato modo dicto egiſſet, nullibi de hoc tractaſſet; & ita rem maximè neceſſariam ſine examine reliquiſſet, ſed quod à tanti Doctoris ſtudio debet prorſus alienari.

Nos autem ea diſtinctione *mali moralis*, & *mali abſolutè* circa peccatum actuale uti debuimus : quia teſtimonia D. Thom. ibi adducta, convincunt prædicta duo mala in eo peccato eſſe diſtincta, unumque poſitivum, & aliud privativum. Quare cum pro originali nullus ſit locus eas malitias diſtinguens, neque aliam, quàm privativam ut propriam & peculiarem illi concedens, ſine fundamento fit recurſus ad talem diſtinctionem. 119

Ex quo alia ſolutio etiam corruit. Tum, quia non rectè à linea rationis formalis excluditur, quod D. Th. toties abſolutè & ſimpliciter nominat *formale*: præſertim cum nullum aliud formale reſpectu peccati originalis præter prædictam privationem alicubi agnoſcat. Appellat vero illam aliquando *cauſam*, quia, ut rectè vidit Cajet. art. 2. hujus quæſt. loquitur de cauſa formali intrinſeca, quæ cum ratione formali conſtitutiva coincidit, ut diximus n. 115. Tum etiam, quia ſi in peccato originali eſſet aliqua ratio poſitiva tanquam forma conſtituens, ipſa dumtaxat eſſet prima ratio, & cauſa totius deordinationis talis peccati : qualibetque privatio ibi reperta originaretur ex tali poſitivo, & in eo fundaretur; non vero è contra, ut eſt per ſe notum : ergo admiſſo quod privatio ſit cauſa, & radix prædictæ deordinationis; conſequenter fatendum eſt eandem eſſe rationem formalem, & conſtitutivam prædicti peccati.

Denique non refert; ſi adhuc occurras, quod licet D. Thom. aſſignet pro conſtitutivo peccati originalis privationem; non tamen eam, quam diximus, quæ eſt privatio gratiæ; ſeu originalis juſtitiæ quoad effectum 120 *Vltima evaſio.*

primarium, exiſtitque proinde in eſſentia animæ; ſed aliam exiſtentem in voluntate, quæ privat aliquo effectu ſecundario, nempe illa rectitudine, per quam voluntas erat Deo ſubjecta. *D. Thom.* Id quod ſonare videntur verba D. Thomæ articulo 3. hujus quæſt. dum ait, quod *privatio originalis juſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali.* &c.

Refellitur. Nam hanc evaſionem tollit omnino doctrina quæſtionis 83. ſequentis articuli ſecundi, *D. Thom.* ubi D. Thom. probat ex profeſſo, peccatum originale per prius & immediatius eſſe in eſſentia animæ; quàm in aliqua potentia, quæcumque illa ſit: ad quod in argumento *ſed contra* ſic inducit: *Peccatum originale dicitur peccatum naturæ: anima autem eſt forma, & natura corporis ſecundum eſſentiam ſuam, & non ſecundum potentias: ergo anima eſt ſubjectum originalis peccati principaliter ſecundum ſuam eſſentiam.* Et in corpore articuli: *Manifeſtum eſt* (inquit) *quod peccatum originale cauſatur per originem: unde illud animæ, quod primo attingitur ab originale hominis, eſt primum ſubiectum originalis peccati: attingit autem origo animam ſecundum quod eſt forma corporis, quod quidem convenit ei ſecundum eſſentiam propriam: unde anima ſecundum eſſentiam eſt primum ſubjectum originalis peccati.* Et cum in ſecundo argumento ita objeciſſet: *peccatum originale opponitur originali juſtitiæ: ſed originalis iuſtitia erat in aliqua potentia animæ: ergo, &c.* Reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quod etiam originalis iuſtitia pertinebat primordialiter ad eſſentiam animæ: erat enim donum divinitus datum humanæ naturæ, quam per prius reſpicit eſſentia animæ, quàm potentiæ*, &c. Et articulo tertio ſequenti, ubi dat primatum voluntati reſpectu cæterarum potentiarum; anteponit utriſque ipſam eſſentiam animæ, & ſic ait: *In infectione peccati originalis duo eſt conſiderare. Primo quidem inhærentiam eius ad ſubiectum: & ſecundum hoc primo reſpicit eſſentiam animæ*, &c. Denique in ſolutione ad ſecundum docet, proceſſum prædicti peccati talem eſſe, ut ab eſſentia animæ, in qua primo reſidet, ad voluntatem deveniat, ex hac vero in alias potentias derivetur. Quod latius proſequitur quæſtione 4. de mal. art. 4. & in 2. diſt. 31. quæſt. 2. artic. 1.

Ex his autem evidenter conſtat, rationem conſtitutivam peccati originalis apud D. Thomam non in voluntate, vel alia potentia; ſed in ipſa eſſentia animæ immediatè exiſtere: ibi quippe debet eſſe talis ratio, ubi primario eſt peccatum per illam conſtitutum: atque adeo conſtat talem rationem non poſſe eſſe privationem alicujus perfectionis, quam originalis juſtitia poneret in voluntate, aut in alia potentia; ſed illius dumtaxat, quam tribuebat animæ quæque erat effectus ejus primarius.

121 Nec verba Angel. Doctoris pro hac evaſione adducta oppoſitum ſuadent, cum ait: *Privatio originalis iuſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur Deo*, &c. Nam (præterquam quod in aliis locis pro voluntate habetur *mens*, quæ primario dicit ipſam animam) hîc loquitur in ſenſu cauſali: & nomine originalis juſtitiæ non intelligit ipſam rectitudinem exiſtentem in voluntate, quâ immediatè & formaliter ſubdebatur Deo, quæ eſt perfectio ſecundaria ipſius juſtitiæ; ſed intelligit perfectionem ejus primariam exiſtentem immediatè in anima, indéque influentem voluntati prædictam rectitudinem, qua illam Deo ſubjicit: non enim in communi uſu loquendi D. Thomæ vocatur abſolutè *iuſtitia originalis* aliquid aliud niſi prædicta primaria perfectio. Itaque ly *per quam voluntas ſubdebatur Deo* eſt loquutio tranſitiva: ſicut cum dicimus, quod gratia rectificat totum hominem comprehendendo etiam potentias, verè dicimus: non *intranſitivè* quaſi ipſa gratia per ſe immediatè totum hominem afficiat; non enim immediatè afficit niſi animam: ſed *tranſitivè*, ad hunc ſenſum, quod ipſa eſt ratio & radix, à qua toti homini, & ejus potentiis proveniunt perfectiones, quibus rectificantur.

Quocirca notavit Cajetanus in iſto art. 3. D. Thom. nunquam dixiſſe, quod formale peccati originalis eſſet privatio rectitudinis, vel ſubjectionis voluntatis, aut hujus deordinatio, vel averſio; ſed dicit eſſe privationem originalis juſtitiæ, per quam voluntas, &c. ut inſinuaret hoc ſecundo modo dicendi prædictam loquutionem tranſitivam, quam primus non admitteret. Et quamvis juſtitia originalis perficiat modo dicto alias animæ potentias, meritò tamen D. Thom. potius explicuit illam per prædictum effectum ſubjiciendi Deo voluntatem, quàm per alios: quia in illo valde ſplendet, & manifeſtatur vis, & natura prædictæ juſtitiæ: ſicut vis & natura gratiæ in nullo eius effectu ita manifeſtatur, ſicut in charitate.

Adde ex eodem Cajetano, quod ſicut in ordine ad meritum non ponunt in numero gratia, & charitas, & ideo promiſcuè ſolet utrique ut rationi merendi attribui; quamvis ſola gratia ſit ratio primaria & principalis: ita in ordine ad peccatum originale quaſi non ponit in numero privatio rectitudinis voluntatis cum privatione iuſtitiæ originalis exiſtentis in anima: quia illa ad hanc reducitur, ſicut ſecundarium ad primarium; & hæc in illa ſplendet, explicatur, & manifeſtatur, tanquam in ſua prima, & principali proprietate: & ideo non refert unam, vel aliam *formalem* vocare; quamvis revera ſola privatio exiſtens in anima ſit eſſentialis, & conſtitutiva. Sicut in iuſtitia originali prædicto peccato oppoſita ratio conſtitutiva, & eſſentialis revera eſt ſola illa perfectio, quæ exiſtit in anima: ſed quia hæc potiſſimum ſplendet in ſubiiciendo Deo voluntatem, ibique eius vis, & efficacia exprimitur, & manifeſtatur, convertit illam aliquando D. Thom. cum prædicta ſubiectione, & unam per aliam explicuit. Unde aſſertionem noſtram & S. Doctoris ſententiam tuentur in 2. diſtinct. 30. D. Bonaventura artic. 2. quæſt. 1. Durandus quæſt. 3. Capreolus quæſt. unica, Richardus quæſt. 1. Sotus lib. de natura & gratia, c. 9. Ferrara 4. contra gentes, c. 52. Lira ſuper ad Roman. 5. Thoringius ibi in replicis, Caietanus 3. part. quæſt. 8. art. 5. & 2. 2. quæſt. 53. art. 1. circa ſolut. ad 3. & in præſenti quæſt. 82. artic. 3. ubi etiam Medina, & Araujo articulo primo, Monteſ. diſp. 12. quæſt. ſua 6. Vaſq. diſp. 132. cap. 8. Suarez diſput. 9. ſect. 2. Lorca diſp. 43. *Bonavent. Durand. Capreol. Richard. Sotus. Ferrara. Lira. Thoring. Caiet. Medin. Araujo. Monteſ. Vazq. Suar. Lorca.*

Salas

d by Google

Salas. Alvar. Salas diſp. 11. ſect. 2. Alvar. diſp. 129. & lib. 6. de auxil. diſp. 44. & plures alii.

§. II.

Prima ratio pro aſſertione.

122 PRima ratio, quæ aſſertionem noſtram convincit, ſupponit principia uſque modo in præcedentibus dubiis examinata, ex quibus ſic formatur. Formale conſtitutivum peccati originalis debet eſſe aliquid ex Adami peccato ad nos traductum receptum in anima, vel potentiis, & ab eis diſtinctum: ſed hoc nec poteſt eſſe aliquid poſitivum, neque ex privationibus poteſt eſſe alia, quam privatio gratiæ, ſeu juſtitiæ originalis quoad effectum primarium: ergo, &c. Major eſt ſatis perſpicua, & ideo communiter recipitur à Theologis, noſque ejus veritatem tota diſputatione 14. oſtendimus. Minor autem quoad primam partem demonſtrata eſt dubio 2. & 3. hujus diſp. ubi probavimus peccatum Adami nihil poſitivum, ſive ad corpus, ſive ad animam, ſive ad potentias pertinens potuiſſe ad nos derivare. Quoad ſecundam vero habetur ex dubio primo, ubi probatum manet, naturam humanam per peccatum illa dumtaxat dona, & perfectiones amiſiſſe, quæ juſtitia originalis conferebat, manſiſſeque in eadem prorſus nuditate, quam haberet, ſi in puris naturalibus conderetur; cum ea tantum diſtinctione ut carentia talium perfectionum, quæ tunc, non exiſtente debito, eſſet ſolum negatio; modò, illo exiſtente, ſit privatio. Ibidemque efficaciter impugnavimus illam aliam privationem conformitatis ad legem acquirendæ mediis actibus; quam ponebat Curiel: probavimúſque, nullam aliam potuiſſe nos ex Adami peccato hæreditare præter privationes prædictæ juſtitiæ. Quare ſolum ſupereſt oſtendendum inter hujuſmodi privationes (quas numero 88. diſtinximus) collatione facta, illam dumtaxat poſſe peccatum originale conſtituere, quæ tollit effectum primarium prædictæ juſtitiæ communem illi cum gratia, videlicet ſanctificandi animam, & rectificandi in ordine ad Deum.

Formatur prima ratio ex prædictis principiis.

Quod facile ſuadetur. Tum, quia in unaquaque re ratio conſtitutiva eſt primum, quod in ea ut tali invenitur, & ex quo cætera illi attinentia conſequuntur: ſed inter prædictas privationes hæc ſola, quam diximus, eſt omnino prima, radixque, & origo cæterarum, quæ ad peccatum originale ſpectant: ergo ipſa dumtaxat poteſt illud conſtituere. Tum etiam, quia eo proportionali modo debemus in peccato originali coordinare privationes, ad illud pertinentes, ſicut coordinantur in originali juſtitia perfectiones, quæ per ipſum peccatum auferuntur: ſed inter has ſola illa perfectio, quæ reſidet in anima, & eſt idem cum gratia, rectificatque illam in ordine ad Deum, eſt prima, & conſtitutiva eſſentiæ ipſius juſtitiæ, cæteræ autem habent ſe, vel materialiter, vel ut proprietates conſequentes: ergo pariformiter in prædicto peccato privatio illius primæ perfectionis erit eſſentialis, & conſtitutiva; reliquæ vero inde ſubſequutæ, vel materialiter, vel per modum proprietatum ad illud pertinebunt.

Adde, quod ex prædictis privationibus non paucæ (quas n. 88. aſſignavimus concupiſcentiæ) ſunt talis conditionis, ut ablato ipſo peccato originali permaneant: quarum proinde perſpicuum eſt nullam poſſe eſſe rationem conſtitutivam: ſicut perſpicuum eſt talem rationem non poſſe manere ſine ſuo conſtituto. Unde ſi quæ in hac re ſit difficultas, reducenda eſt ad illas privationes, quæ ſimul cum originali peccato tolluntur, qualis eſt privatio charitatis, & hujuſmodi. Cæterum neque iſtarum aliquam poſſe prædictum peccatum conſtituere, conſtat ex eo quod omnes per ſe ſupponunt privationem gratiæ, & ita debent ſe habere in illo ut aliquid conſequens: ſicut quia ipſe habitus charitatis, v. g. per ſe ſupponit gratiam, non poteſt eſſe forma conſtitutiva ſanctitatis, & juſtitiæ, cui opponitur ipſum peccatum, ſed quid conſequens ad talem ſanctitatem. Et ſanè ſi conſtitutio peccati originalis tribuenda non eſt alicui poſitivo propter rationes expenſas dubio 3. nulla privatio ad id aptior apparebit iſta, quam diximus: in qua quicquid in aliis reperiri poteſt ad intentum conducens, primario invenitur: & inſuper aliquæ conditiones ad idem neceſſariæ, quæ in nulla alia reperientur. 123

Confirmatur: nam cum peccatum originale per ſe ſit peccatum naturæ, ut ſæpe dictum eſt, in illa privatione conſiſtere debet, quæ per prius & immediatius ipſam naturam tangit: hæc autem eſt privatio juſtitiæ originalis ſecundum effectum primarium: ſicut enim iſte effectus erat immediatè in eſſentia animæ, quæ eſt propria hominis natura; ita eius privatio immediatè & primario eandem naturam afficit: ipſa ergo erit propria ratio prædicti peccati conſtitutiva, reliquæ vero, quæ ſunt in voluntate, & aliis potentiis, pertinebunt ad illud ſecundariò & ex conſequenti: vel materialiter, ſicut ipſæ potentiæ pertinent ad naturam.

Cõfirmatio prima.

Confirmatur ſecundò: quoniam peccatum originale eſt inordinata diſpoſitio naturæ humanæ ut compoſitæ ex multis partibus, nempe ex anima, & potentiis: & hac ratione artic. 1. huius quæſt. vocatur à D. Thom. *habitus*, quia habitus diffinitur *diſpoſitio naturæ habentis partes, ſeu compoſita ex multis*: atque adeo oportet, ut tale peccatum per ſuam eſſentiam prædictam naturam, & ejus partes tangat. Hoc autem poteſt fieri dupliciter, vel itaut ſit collectio multarum inordinationum, quarum unaquæque in ſua parte reſideat: vel itaut ſit tantum deordinatio primæ partis naturæ, ſecundum quod cæteris cohæret, & eis inordinationem influit: nam prima pars ut cohæret cæteris, quodammodo ſupponit pro toto, & quod eſt in illa prout ſic, dicitur eſſe in toto. Primum ex his duobus repugnat unitati prædicti peccati, quod debet eſſe in ſuo genere unum per ſe, ſicut ſunt cætera peccata atque adeo per unam formam, vel quaſi formam; non vero per multarum aggregationem conſtitui. Dicendum ergo eſt ſecundum: nempe formam, aut quaſi formam conſtitutivam prædicti peccati eſſe deordinationem primæ & principalis partis naturæ, quæ eſt ipſa anima non abſolutè conſideratæ, ſed ut cohærentis reliquis naturæ partibus, & in eas influentis, ac per huiuſmodi influxum, & cohærentiam omnes

Cõfirmatio alia.

omnes illas tangentis. Quod ut intuenti patebit, ſolum convenit privationi juſtitiæ originalis quoad effectum primarium, quem diximus. Accepimus vero hanc confirmationem ex D. Thoma art. 1. hujus quæſt. & ex Cajet. ibidem circa ſecundum dubium.

124 Prima evaſio. Dices primò, præter omnes hujuſmodi privationes, & præter poſitivum ſecundo, & tertio dubio impugnatum ſupereſſe aliquid aptius ad originale peccatum conſtituendum, nempe ipſum peccatum, quod fuit in Adamo: quod licet phyſicè præterierit, dum tamen ab unoquoque ex poſteris per baptiſmum, vel pœnitentiam non retractatur, cenſetur moraliter permanere, & hoc modo illos tangere, atque ab amicitia Dei excludere. Cur ergo non dicemus, hujuſmodi peccatum, quod dum fuit in Adamo, illum infecit, & denominavit *peccantem*, ſive *peccatorem*, modo dum pro poſteris irretractatum perſeverat, denominare illos *maculatos* & *infectos*, atque adeo eſſe peccatum eorum originale. Eo præſertim quia in prædicto peccato ut non retractato concurrunt omnia, quæ ad originale deſiderari videntur, & quæ vix in aliqua privatione ſalvari poterunt. Per illud enim, ſecluſo quovis alio redditur puer, ubi primò concipitur, offenſus, & inimicus Deo, impeditúrque à receptione gratiæ, & à regno Dei excluditur tanquam habens condignitatem carendi in perpetuum beatifica viſione, qui ſunt omnes effectus peccati originalis: inſuperque ſalvantur in eo illa quæ ſunt de ratione peccati in communi, nempe quod ſit voluntarium, & contra legem: fruſtra ergo quærimus aliud, ſive poſitivum, ſive privativum ad originalem culpam conſtituendam. Adde nomine *peccati originalis* id intelligi, à quo pueri per baptiſmum liberantur: ſed liberantur à peccato Adami, quod uſque tunc imputabatur illis, & deinceps non imputatur: ergo, &c.

Præcluditur. Sed hoc effugium facile præcluditur, quoniam peccatum originale debet eſſe talis conditionis, ut per generationem tanquam per cauſam deveniat ad poſteros Adami; ſitque in unoquoque ſuum proprium peccatum ab alterius peccato condiſtinctum intrinſecè eum afficiens, & conſtituens *peccatorem*: ſic enim habetur ex Concil. Trid. ſeſſ. 5. n. 3. ubi dicitur de prædicto peccato; quod eſt *generatione omnibus tranſfuſum*, & quod *ineſt unicuique proprium*: & ſeſſ. 6. de juſtificat. c. 3. quod *homines dum concipiuntur, propriam juſtitiam contrahunt*: ſed peccatum, quod fuit in Adamo, nihil horum habet; neque enim ineſt ejus poſteris, aut eos afficit intrinſecè; ſed ſolum extrinſecè; & moraliter: neque eſt uniuſcujuſque proprium peccatum; ſed unum commune pro omnibus: neque eſt aliquid traductum per generationem tanquam per cauſam, imo neque alio modo propriè per eam traducitur; ſed potius manens in Dei abominatione immutatum, immultiplicatum, & indiviſum, cauſat effectivè in unoquoque poſterorum Adami propriam & intrinſecam privationem: à qua intrinſecè redditur maculatus, exoſus, & inimicus Deo, & ejus viſione indignus, atque adeo intrinſecè peccator: ergo hujuſmodi privatio, non vero peccatum illud Adami, à quo provenit, debet originale noſtrum conſtituere.

Concil. Trid. ſeſſ. 5.

Confirmatur ex eodem Tridentino cap. citato ubi comparat peccatum, & injuſtitiam, quam ex Adamo per generationem accepimus, cum juſtitia, & ſanctitate, quam à Chriſto Domino per baptiſmi regenerationem recipimus: ſed hæc eſt nobis intrinſeca, ineſtque unicuique juſtificato ſua propria ſanctitas diſtincta à ſanctitate ipſius Chriſti: ergo ſimiliter in unoquoque ex his, qui ab Adamo propagantur, debet eſſe ſua propria injuſtitia, & peccatum intrinſecum diſtinctum à peccato ipſius Adami. ¶ Adde, modum dicendi, quem impugnamus, vix differre à ſententia Catharini, & Alberti Pigii, quam diſputatione 14. n. 113. impugnavimus, eſtque jam à Theologis communiter rejecta, & non pauci gravi cenſura dignam arbitrantur: quod à Pelagiana hæreſi difficile recedat: ut videre eſt apud Vaſquez in præſenti diſputat. 132. cap. 2. Curielem quæſtione 81. art. 1. dub. 1. & alios. 125

Neque illud, quod adducitur in favorem prædictæ evaſionis, alicujus momenti eſt: quia peccatum originale non utcumque debet conferre illos effectus *inviſi Deo, inimici, impediti à receptione gloriæ*, &c. Sed per injuſtitiam, inimicitiam, & indignitatem unicuique propriam, & intrinſecam conſtituentem illum verè & intrinſecè *peccatorem*: quod minimè præſtat peccatum illud Adami, etiam prout ratione irretractationis in Dei abominatione perſeverat. Quod autem privatio juſtitiæ originalis ſufficienter det prædictos effectus, conveniantque illi cætera, quæ ſunt de ratione peccati, prout originali convenire debent, ex dicendis in toto hoc dubio conſtabit.

Ad illud, quod additur, conſtat ex dictis dub. 3. n. 74. non omne, quod per juſtificationem excluditur, aut quod pertinet ad ejus terminum *à quo*, eſſe ipſum peccatum originale. Unde ratio offenſæ tollitur, & remittitur per illam, & non eſt ipſum peccatum, neque denominat *peccatorem*; ſed eſt ſubjectivè in Deo, quem denominat *offenſum*. Id ergo dumtaxat originale peccatum conſtituere debet, quod eſt ſubjectivè in ipſo peccatore, & illum intrinſecè denominat, ſicut denominat privatio, quam diximus. Alia vero, quæ per juſtificationem auferuntur, habent ſe, vel tanquam cauſa prædictum peccatum conſervans, ſicut diſput. 14. n. 93. diximus, ſe habere peccatum actuale Adami non retractatum: vel tanquam effectus conſervatus ab illo, ſicut ſe habet ratio offenſæ. Vide infrà q. 86. in comment. art. 2. ubi prædictum effugium iterum circa peccatum habituale impugnatur.

Dices ſecundò, ex vi rationis factæ non probari poſitivè, & à priori privationem, quam diximus, eſſe conſtitutivam peccati originalis, aut habere in ſe requiſita ad hanc conſtitutionem: ſed ſolùm quaſi negativè, & à ſufficienti enumeratione id argui, quatenus non apparet aliquid poſitivum, cui prædictum munus conſtituendi poſſit competere; & inter privationes, ſuppoſito quod per aliquam conſtitui debeat, nulla ita apta deprehenditur: at in hac difficultate, quæ graviſſima eſt iſtius materiæ, parum videtur, oſtendiſſe inſufficientiam huius, vel illius rationis, ſive poſitivæ, ſive privativæ in ordine ad prædictum peccatum conſtituendum, niſi poſitivè, & à priori 126 Evaſio alia & objectio.

priori demonſtretur concurrere in illa, quæ aſſignatur, requiſita ad talem conſtitutionem.

Refutatur. Reſpondetur, argumentum à ſufficienti enumeratione, dummodo omnia membra numerentur, & impoſſibilia, atque inutilia efficaciter excludantur, validiſſimum eſſe in qualibet materia, quia licèt non oſtendat *propter quid* rei, demonſtrat tamen ita eſſe ficut aſſeritur. Porrò in præſenti non eſt dubium numerari omnia capita: ſiquidem reduci debent ad poſitivum. & privativum: cumque in excludendo poſitivo laboraverimus dubio 2. & 3. hujus diſp. & dubio 1. in excludendo omnem privationem, quæ non ſit juſtitiæ originalis, ſufficeret ad præſentis intentum, ſi ex privationibus ipſius juſtitiæ excludantur illæ, quæ privant effectibus ſecundariis, prout excluſæ ſunt, ut maneat perſpicuum, ſolam eam, quam diximus *privationem eff. ctus primarii*, habere munus conſtitutivæ. Et quia in originali peccato, quo certior habetur exiſtentia, ut pote à fide tradita, eo difficilius natura, & *quod quid eſt* deprehenditur, placebat uti hac tantum prima ratione, contentuſque minus clara ejus certitudine, ad ſolvenda argumenta, quæ prædictam privationem impugnant, lubens calamus tranſiret. Præſertim cum illorum auctores vix aliunde quàm ex ejus imputatione ſuam ſententiam perſuadere valeant. Sed ut in re obſcura pro viribus obſequium præſtemus veritati, adducemus aliam rationem, quæ poſitivè, & à priori aſſertionem oſtendat.

§. III.

Secunda ratio convincens aſſertionem.

127 Formatur ſecunda ratio. SEcunda ergo, quæ noſtram aſſertionem poſitive convincit, traditur à D. Thoma variis in locis, poteſtque hoc modo efformari. Privatio voluntaria gratiæ, vel (quod idem eſt quoad præſens) privatio originalis juſtitiæ ſecundum effectum primarium, ut eſt in nobis voluntarius terminus peccati actualis Adami, habet quicquid requiritur, ut ſit formaliter peccatum habituale: ergo cum non ſit peccatum perſonale, ut patet in pueris, qui ante omne perſonale delictum prædicta privatione maculantur, oportet, ut ſit ipſum peccatum originale. Conſequentia eſt perſpicua. Antecedens vero probatur. Tum quia talis privatio, quatenus ex Adami peccato orta, nihil eſt aliud niſi habitualis & voluntaria averſio animæ à Deo fine ultimo ſupernaturali: ſicut enim gratia ſanctificans eſt ipſa unio, & converſio habitualis hominis ad Deum ſupernaturalem finem: ita ejus privatio, quatenus prædicto modo voluntario, eſt habitualis averſio, & ſeparatio ab illo: conſtat autem, peccatum mortale habituale non eſſe aliud, quàm hujuſmodi averſionem, & ſeparationem. Tum etiam quia ſicut gratia eſt ſupernaturalis vita animæ, ejuſque cum Deo amicitia, ſanctitas, munditia, & decor: ita privatio voluntaria gratiæ eſt ejuſdem animæ mors, inimicitia cum Deo, iniquitas, immunditia, & macula: quod & nihil amplius peccatum habituale importat. Tum denique, nam prædicta privatio, ut eſt averſio & ſeparatio voluntaria animæ à Deo, repugnat ipſi Deo, cujus eſt omnia ad ſe convertere: & etiam repugnat rectæ rationi, cujus præcepta, & regulæ nihil magis intendunt, quàm hujuſmodi converſionem, & unionem: quid ergo illi deeſt, quominus ſit formaliter peccatum?

Confirmatur. Confirmatur: nam prædicta privatio eſt mala homini elevato ad finem ſupernaturalem, in quantum homo, & in quantum rationalis eſt: atque adeo neceſſario debet eſſe culpa, vel pœna, vel utrunque ſimul: iſtæ enim duæ rationes dividunt adæquate malum rationalis creaturæ, ut probat D. Thom. 1. p. q. 48. art. 5. de mal. art. 4. ſed non eſt tantùm pœna: igitur habet rationem culpæ; non perſonalis, ut oſtenſum eſt: ergo originalis. Major eſt perſpicua: nam prædicta privatio eſt carentia formæ debitæ: carentia autem formæ debitæ, ubicunque inveniatur, habet rationem mali: cumque hæc, de qua loquimur, ſit in parte rationali hominis, ubi futura erat gratia, nihil deficit quominus ſit malum ejus; in quantum homo, & in quantum rationalis eſt. Minor vero prioris ſyllogiſmi, in qua eſt difficultas, ſuadetur. Tum quia talis privatio eſt per ſe, & intrinſece voluntaria per modum termini, ut diſ. præcedenti dub. 2. vidimus: pœna autem non eſt per ſe voluntaria; imo potius de ratione ejus eſt, ut ſit contra voluntatem. Tum etiam quia pœna, utpote taxata, & determinata à divina juſtitia, culpæque reparativa, conſonat fini ultimo, & ordinatur ad illum: prædicta autem privatio, ſecundum quod eſt averſio, & ſeparatio à Deo, omnino diſſonat, & repugnat tali fini; neque hoc modo poteſt eſſe reparativa culpæ, ſed potius indiget reparari per oppoſitam converſionem: ergo prout ſic non habet rationem pœnæ. Tum denique nam pueri ratione privationis gratiæ ut ortæ ex Adami peccato, quovis alio ſecluſo, ſunt indigni gloria, ſeu viſione beatifica; & habent condignitatem ad pœnam damni conſiſtentem in carentia prædictæ viſionis: ſed hæc indignitas gloriæ & condignitas pœnæ non eſt pœna, ſed culpa; vel involvens culpam: ergo, &c.

§. IV.

Quibus fiat obviam huic rationi, & qualiter præcludantur?

128 Evaſio ad rationem & confirmationem. DIces, non ſatis probari hac noſtra ratione & confirmatione, privationem gratiæ eſſe formaliter peccatum, aut eſſe ipſam maculam, & immunditiam, quæ peccatum originale conſtituit; ſed quod ſit aliquid ex hujuſmodi peccato, & conſequutum, ſicut pœna conſequitur ad culpam. Et quidem prædictam privationem eſſe pœnam, aſſeritur non ſemel à D. Thoma: ut videre eſt quæſt. 1. de mal. art. 5. ad 5. & quæſt. 4. art. 7. in corp. & q. 4. art. 1. ad ultimum, & quæſt. 28. de verit. art. 6. nec non in 2. diſt. 35. q. 1. artic. 1. ad 2. D. Thom. Si autem eſt pœna, non videtur poſſe habere rationem culpæ: quia pœna opponitur culpæ, & dividitur contra illam. ¶ Ad hæc: eo ipſo quod privatio illa ſit pœna, eſt effectus Dei ut judicis punientis, & eſt determinata ſecundum rectam rationem, & legem ipſius Dei: at culpa totum hoc excludit: ergo, &c.

Fulcitur à Curiele. Nec refert (ait Curiel) quod ſit privatio voluntaria: quia non eſt voluntaria directe, ſed ſolum

ſolum indirecte, & conſequenter: ſicut mors, & ſuſpenſio poteſt dici voluntaria latroni, quatenus conſequitur ad furtum, quod ille voluntarie commiſit. Hic autem modus voluntarii non extrahit malum à ratione pœnæ, ut patet in exemplo adducto. Imo licet aliquid eſſet directe volitum, non idcirco rationem pœnæ amitteret, aut illam ſupergrederetur: ut conſtat in pœnis, quas nos ipſi voluntariè pro peccatis aſſumimus. § Neque etiam refert (inquit citatus auctor) quod talis privatio videtur contraria rationali naturæ: quia non contrariatur illi ut utenti ratione tanquam regula ſuarum operationum, ſicut eſt de ratione peccati; ſed ſolum ut ſubjecto perfectibili per gratiam tanquam per formam ſibi convenientem: quo pacto etiam repugnat illi pœna.

Ad illud vero, quod de averſione diximus, poſſet occurri ex doctrina ejuſdem Curielis, privationem gratiæ, ſeu juſtitiæ originalis non eſſe averſionem moralem, & peccaminoſam: quippe ad hoc deberet eſſe contra aliquod præceptum, eo quod de ratione peccati eſt, ut ſit contra legem; nulla autem extat lex, vel præceptum prohibens talem privationem, ſicut nullum extat præceptum habendi, aut conſervandi gratiam: quare prædicta privatio ſolum erit quædam ſeparatio Phyſica animæ à Deo conſequuta ad peccatum, habenſque rationem pœnæ.

129 Sed revera nihil horum enervat noſtram rationem, aut confirmationem. Et ut ſingula ſuo ordine impugnemus, certaque ſeparemus ab incertis, concedimus libenter privationem gratiæ ſecundum aliquid ſui eſſe pœnam, ut D. Thom. affirmat locis citatis: atque adeo ſecundum hanc pœnæ rationem eſſe à Deo; & rationi conſonam, proindeque non eſſe culpam, immunditiam, maculam, aut averſionem moralem: quod & nihil amplius dicta in hac evaſione convincunt. Ex hoc tamen minime infertur, prædictam privationem ſecundum aliam rationem in ea repertam non eſſe formaliter culpam, maculam, & averſionem moralem. Quod enim dicitur, idem non poſſe eſſe pœnam, & culpam, intelligendum eſt ſecundum eandem rationem; ſecus tamen ſecundum diverſas, ut docuit D. Thom. q. 1. de mal. art. 4. ad 1. ibi. *Idem ſecundum diverſa poteſt eſſe & culpa, & pœna: non tamen ſecundum idem.* Conjungi autem utranque rationem in privatione, de qua loquimur, juxta ſententiam D. Thomæ, conſtat non ſolum ex teſtimoniis, quæ pro aſſertione adduximus, ubi toties tribuit illi rationem culpæ ſimul cum aliis, in quibus concedit eſſe pœnam; ſed etiam quia in eiſdem, quæ in hac evaſione citantur, ita affirmat prædictam privationem ſecundum unam rationem eſſe pœnam, ut ſimul fateatur ſecundum aliam eſſe culpam. Unde quæſt. 4. de mal. citato art. 2. ad ultimum ſic ait. *Carentia originalis juſtitiæ eſt in natura, & ideo poteſt pertinere ad originale peccatum, quod eſt peccatum naturæ. Ad* 1a *vero, quod quærebatur, utrum ſit pœna tantum; vel pœna, & culpa? Dicendum, ſicut ſupra dictum eſt, quod ſi comparetur ad iſtum hominem prout perſona quædam, non habito reſpectu ad naturam, ſic eſt pœna: ſi autem comparetur ad principium, in quo omnes peccaverunt, ſic habet rationem culpæ.* Similiter locus, qui adducitur ex q. 28. de verit. eſt expreſſe pro nobis, ſi integrè legatur: hæc enim habet verba. *Abſentia gratiæ ſecundum ſe conſiderata habet tantùm rationem culpæ, niſi ſecundum quod relinquitur ex actu voluntario præcedente.* Et apponit exemplum ſatis ad rem. *Sicut tenebra non habet rationem umbræ, niſi ſecundum quod relinquitur ex interpoſitione corporis opaci.* Alter locus ex quæſt. 3. de mal. art. 7. ſic habet. *Privatio gratiæ habet rationem pœnæ, ſi ſecundum ſe conſideretur.* Hæc autem ultima verba *ſi ſecundum ſe conſideretur* ſatis aperte oſtendunt, quod conſiderata alio modo prædicta privatio, nempè ut eſt à voluntate, ſeu per ordinem ad actum peccaminoſum, qui fuit ejus cauſa, non habet rationem pœnæ; ſed potius culpæ: ut tradi videtur in ſolutione ad 1. ejuſdem articuli, ibi. *Dicendum quod privatio gratiæ habet rationem culpæ, ſecundum quod accipitur ſimul cum ſua cauſa*, &c. Quamvis fortè hæc ſolutio alium ſenſum admittat. In alio vero loco ex 2. diſt. 33. ita habet. *Privatio gratiæ non habet rationem culpæ, ſed pœnæ; niſi in quantum ex voluntate eſt*, &c. Conſonat in eodem 2. diſt. 42. quæſt. 1. art. 2. ad 4. ibi: *Privatio gratiæ non habet rationem maculæ, niſi ſecundùm quod ex actu præcedenti inducitur: & ideo ſecundum diverſitatem actuum ſunt diverſæ maculæ.* Macula autem idem eſt quod culpa habitualis.

Quod ratio culpæ & pœnæ in privatione gratiæ concurrat.

D. Thom.

Idem.

En quomodo eiſdem in locis, ubi D. Thom. aſſerit, privationem gratiæ, & juſtitiæ originalis eſſe pœnam, affirmat etiam eſſe culpam. Quare mirandum eſt aliquos ex his, qui noſtræ ſententiæ adverſantur, hoc ſuæ opinionis validiſſimum putare fundamentum, quod quia prædicta privatio in via D. Thomæ habet rationem pœnæ, non poteſt habere rationem culpæ. Quam autem infirma ſit hæc ratio, eadem, quibus innititur, ſuadent teſtimonia; dum utrunque rationem, ſcilicet culpæ & pœnæ prædictæ privationi æqualiter tribuunt; & quo pacto inter eas diſtinguendum ſit, oſtendunt.

Pro pleniori autem prædictæ diſtinctionis intelligentia animadvertendum eſt, gratiam ſanctificantem poſſe conſiderari dupliciter vel ut præciſe eſt quædam forma dans animæ maximam perfectionem, ſcilicet, participationem divinæ naturæ, qua redditur in ſe ipſa perfecta, & ut ita dicamus, bona ſibi ipſi, Deuſque media tali participatione trahitur ad ipſam animam, & ſe illi tradit: vel ut eſt quædam converſio, & reductio, per quam anima Deo objicitur, & traditur, fitque (ut ſic dicamus) bona, & conveniens ipſi Deo. Has enim duas rationes in gratia concurrere nemo ambigit. Et licet realiter identificentur, differunt tamen virtualiter, vel ex modo noſtro concipiendi, importantque reſpectus aliquo modo diverſos: nam ſecundum primam rationem quaſi incipit proceſſus, ſeu reſpectus à Deo, & terminatur ad animam, cui ille ſe tradit, & ad quam convertitur, ac veluti deſcendit, ut eam perficiat; ſecundum aliam vero reſpectus ſive proceſſus incipit ab anima & ad Deum terminatur, ad quem illa convertitur, cuique traditur, & ſubmittitur. Deinde in prima conſideratione anima habet ſe ut poſſidens Deum quaſi ſuum bonum per ejus participationem, & communicationem: in ſecunda vero Deus ſe habet ſicut poſſidens animam, ut bonam ſibi per traditionem, & ſubjectionem, ſeu converſionem, quam diximus. 130

Doctrina pro diſtinguenda pœna, & culpa in eadē gratiæ privatione.

Ex quo fit, quod quia privationes, & carentiæ regulantur

Digitized by Google

regulantur ſecundum formas, quibus privant, & juxta earum diſtinctionem diſtinguuntur, conſequenter ad dicta debemus in privatione gratiæ diſtinguere duos conceptus ſecundum prædictas duas rationes in gratia explicatas. Poteſt ergo conſiderari talis privatio vel prout eſt carentia gratiæ ut perficientis, & bonificantis animam in ſe ipſa, trahentiſque ad illam Deum modo explicato vel prout eſt carentia ejuſdem gratiæ ut ſubiicientis ipſam animam Deo, & in illum convertentis, & trahentis. Et licèt utroque modo habeat rationem privationis, eo quod gratia ſecundum utrunque munus debetur haberi ab homine; quia tamen non omnino eſt idem debitum, neque ex eodem principio ortum, oportet prædictos conceptus privationis inter ſe diſtingui. Etenim in primo titulus debiti eſt divina promiſſio hominibus facta: atque ita Deus eſt, qui debet; & homo, cui debetur: & ideo in ipſo homine veluti exiſtit jus exigendi à Deo talem perfectionem, niſi illam peccando demereatur. In ſecundo vero quaſi è contra ſe habet: nam titulus debiti eſt dignitas ipſius Dei ut finis ultimi, cui ob ſuam præſtantiam, & infinitam bonitatem debet creata voluntas plene tradi, & ſubordinari: & ideo ſolus Deus, ut talis finis, eſt cui debetur, & in quo jus exigendi exiſtit; homo autem eſt qui debet, & qui tenetur habere. & conſervare prædictam ſubordinationem.

131 Atque hinc etiam fit, ut prædicta privatio ſecundum primam rationem tantùm ſit malum hominis, non autem Dei: quia malum uniuſcujuſque conſiſtit in carentia perfectionis ſibi debitæ; quatenus ipſi bona eſt, conſona, & debita. Unde quia gratia ſecundum primum munus, quod in ea diſtinximus, non debetur Deo; ſed à Deo debetur homini, eſtque hujus proprium bonum, & perfectio: idcirco privatio gratiæ quoad hoc munus non Deo, ſed homini eſt mala, & diſconveniens tanquam adverſa, & repugnans ejus perfectioni, ut perfectio ipſius eſt. At vero eadem privatio quoad ſecundam rationem non eſt per ſe primo mala, neque diſconveniens homini; ſed potius Deo, quia repugnat bono ipſius Dei deſtruens, & avertens converſionem, & ſubjectionem ipſi debitam. ¶ Diximus non eſſe per ſe primo malam homini, &c. quia non negamus, prædictam privationem adhuc ſecundum illum conceptum, quo eſt mala, & diſconveniens Deo, eſſe etiam aliquo modo malam, & diſconvenientem homini: ſed intendimus, hoc ſaltem non convenire illi per ſe primo, ſicut illud aliud convenit, ſed ad ſummum ex conſequenti, & ſecundario.

Levis obiectio diluitur. Neque obeſt ſi dicas, quod malum Dei debet eſſe in Deo: & ideo ſupra diſp. 7. num. 24. diximus offenſam eſſe ſubjective moraliter in Deo, quia eſt ejus malum: at privatio gratiæ ſecundum nihil ſui eſt in Deo, ſicut nec gratia, cujus eſt privatio: ergo ſecundum nihil ſui eſt malum Dei. ¶ Reſpondetur enim, dupliciter aliquid poſſe dici malum Dei: nempe *ſubiective*, & *obiective*: malum *ſubiective* dicitur, quod formaliter aufert à Deo perfectionem intrinſecam, ſicut offenſa tollit ab eo rationem finis ultimi: unde quia privatio debet eſſe in eodem ſubjecto, ubi eſt forma, qua privat, ideo hoc malum offenſæ debet eſſe in Deo, & illum intrinſece afficere, malum vero *obiective* dicitur, quod diſconvenit, & repugnat Deo tanquam objecto, & fini, ſeu quod deſtruit ordinem ſubjectionis, & converſionis, quo creatura rationalis debet eſſe ſubjecta Deo, & converſa in illum, ſicut in finem ultimum, & ſicut in objectum ſuper omnia dilectum: unde hujuſmodi malum non debet reſpicere Deum ut ſubjectum, in quo eſt; ſed ut objectum, & finem, à quo animam, & voluntatem creatam avertit: erit autem in ipſa anima, vel voluntate, ubi futura erat oppoſita converſio. Hoc autem ſecundo modo dicimus, privationem gratiæ ſecundum poſteriorem illum conceptum eſſe malum Dei; non autem primo modo.

Tertio fit ex dictis, privationem gratiæ ſecundum priorem conceptum jam explicatum poſſe optime cauſari à Deo ſicut à cauſa efficiente (eo modo quo privationes & carentiæ cauſam effectivam habere dicuntur) quia prout ſic nihil exprimit, quod Deo repugnet, & quod non poſſit reduci in illum. Imo de facto ſuppoſita hujuſmodi non repugnatia, debet eſſe ejus effectus: quia cum Deus omittat conferre, & conſervare gratiam, quam in Adamo omnibus promiſit: & ad hanc omiſſionem per ſe ſequatur carentia ipſius gratiæ ſecundum prædictum conceptum, nihil obeſſe poteſt, quominus hæc carentia de facto ſit Deo voluntaria, & ejus effectus exiſtat: ut de reliquis effectibus per ſe ſequutis ad omiſſionem liberam diximus in tract. de voluntar. diſputatione 4. num. 52. & 53. Eo præſertim quia ob ſpecialem rationem, quam ſtatim afferemus, debet prædicta privatio ſic accepta eſſe à Deo diffinita, & deſtinata tanquam reparativa culpæ, atque adeo debet eſſe ejus effectus. 132 Privatio gratiæ quo pacto ſit à Deo?

Quo pactó ab eo non ſit? Cæterum eadem privatio ſecundum poſteriorem conceptum nullatenus poteſt à Deo effective attingi. Tum quia prout ſic repugnat Deo, eſtque illi mala, & diſconveniens; ut vidimus: Deus autem non poteſt efficere aliquid ſibi malum, & repugnans. Tum etiam quia per talem privationem ſic acceptam avertitur anima à Deo ut à fine, cui debet conjungi: unde ſi hoc modo à Deo cauſaretur, ipſe eſſet cauſa avertens & ſeparans à ſe ipſo, quod eſt impoſſibile: nam ſicut Deus omnia operatur propter ſe, & propter ſuam bonitatem tanquam propter finem; ſic omnia movet, & trahit ad ſe, nec poteſt aliquid à tali fine avertere. Ad quod declarandum D. Thom. quæſt. 1. de mal. art. 5. inter alia ſic ait. *Hoc autem non poteſt eſſe à Deo, quod bonum divinum, ſecundum quod in ſe ipſo eſt, quis non velit, cum è contrario Deus omnem voluntatem inclinet ad volendum quod ipſe vult: vult autem ſummum bonum, ſecundum quod eſt in ſe ipſo: unde malum culpæ non poteſt eſſe à Deo*, &c. Quippe hoc malum conſiſtit in averſione à divina voluntate, & ab amore ipſius Dei. Tum denique quia eo ipſo quod talis privatio ſit diſconveniens, & repugnans Deo, debet illi diſplicere, & odio ab eo proſequi: Deus autem nihil odit eorum, quæ facit: non igitur poteſt fieri à Deo. Objectio autem, quæ adverſus hanc doctrinam poſſet efformari, commodius diluetur infra à num. 141. D. Thom.

A quo ſit talis privatio? Cauſa ergo prædictæ privationis quoad illum conceptum eſt ſola voluntas creata per ſuum peccatum actuale: Nam quia hujuſmodi peccatum

peccatum eſt voluntaria averſio actualis, & *in fieri* à Deo fine ultimo, ex propria ratione habet tollere ab anima converſionem non ſolum actualem, ſed etiam habitualem ad talem finem, quæ eſt per gratiam; atque adeo ponere privationem voluntariam ipſius gratiæ, ſecundum quod hæc privatio eſt habitualis averſio ab eodem fine. Tum etiam nam eo ipſo quod prædicta privatio ſit averſio, & receſſus à Deo ut fine ultimo, non poteſt habere aliam cauſam; niſi quæ eſt capax attingendi talem finem, & ab illo ſe avertendi: hæc autem debet eſſe non alia, quàm voluntas creata: quia ſi non ſit voluntas, nequibit prædictum finem attingere: & ſi non ſit creata, non poterit ab illo averti: ergo, &c.

133 Applicatur doctrina. Demum ex dictis habetur, quod licet privatio gratiæ ſecundum priorem conceptum ſit tantum pœna, quia prout ſic ſolum eſt mala homini, & eſt à Deo ordinata contra deordinationem, & deformitatem culpæ; ſecundum poſteriorem tamen habet quicquid requiritur, ut ſit ipſa culpa, & ut ſit averſio moralis à Deo fine ultimo atque adeo macula, & immunditia animæ; ejuſque inimicitia cum Deo; prout in noſtra ratione propoſuimus. Quæ omnia ex dictis patent. Etenim prædicta privatio modo illo accepta juxta omnium ſenſum eſt mala: at non per modum pœnæ, quia non eſt mala, aut diſconveniens ſaltem per ſe primo homini, ſed Deo, cui objectivè adverſatur, & repugnat, neque tollit aliquid, quod ſit primario bonum hominis, aut illi debitum, ſed id quod eſt bonum Dei, & quod debetur ipſi Deo, ut numero præcedenti vidimus: igitur eſt mala per modum culpæ: in hoc quippe differunt culpa, & pœna, quod iſta opponitur bono ſolius hominis, & illud deſtruit, & ideo primario eſt mala ipſi homini; illa vero opponitur bono divino, deſtruitque illud; & ita primario eſt mala ipſi Deo. Quod rectè explicuit D. Thomas. D. Thom. 1. part. q. 48. art. 6. ubi reddens rationem, quare culpa ſit pejus malum, quàm pœna, & ideo licet iſta poſſit eſſe à Deo, non tamen illa, ſic ait: *Deus eſt auctor mali pœnæ; non autem mali culpæ. Cuius ratio eſt, quia malum pœnæ privat bonum creaturæ; ſive accipiatur bonum creaturæ aliquid creatum, ſicut cæcitas privat viſum; ſive ſit bonum increatum, ſicut per carentiam viſionis divinæ tollitur creaturæ bonum increatum. Malum vero culpæ opponitur propriè bono increato: contrariatur enim impletioni divinæ voluntatis, & divino amori, quo bonum divinum in ſe ipſo amatur, & non ſolum ſecundum quod participatur à creatura. Sic igitur patet, quod culpa plus habet de ratione mali, quàm pœna.*

Ad hæc: culpa habitualis nihil aliud eſt niſi terminus per ſe & intrinſecè voluntarius relictus ex peccato actuali, in quantum iſtud formaliſſimè habet rationem culpæ: unde illud propriè erit culpa habitualis, in quo habitualiter, & per modum termini ſplendet ipſa deformitas, & malitia peccati actualis: cum autem hæc conſiſtat in converſione à Deo (ſive privativa, ſive poſitiva, quod ad præſens non refert) & hæc ratio averſionis ſplendeat in privatione gratiæ ſecundum conceptum, quem diximus, ſitque talis privatio terminus voluntarius ejuſdem peccati actualis, nihil deeſſe poteſt, quominus verè, & propriè dicenda ſit culpa habitualis, reddatque proinde animam coram Deo maculatam, immundam, inimicam, &c. Ruit ergo funditus evaſio adverſariorum; noſtraque ratio, & confirmatio permanet inconcuſſa.

Illa vero, quæ pro prædicta evaſione adducit Curiel, etiam corruunt: nam contra primum eſt, quod voluntarium requiſitum ad culpam debet per ſe & intrinſece præſupponi ad ipſam rationem mali culpæ, itaut nullatenus hæc ratio concipi valeat, niſi præintellecto voluntario. Et hoc modo eſt voluntaria privatio gratiæ ſecundum conceptum, quem dicimus eſſe averſionem, & culpam: adeo enim intrinſece, & per ſe convenit illi ut ſic, ratio voluntarii, ut nullatenus ſine illa poſſit concipi, neque in ratione mali, neque in ratione privationis, aut averſionis à Deo: unde talis privatio nequit non ſupergredi malum pœnæ, & culpam conſtituere. E contra vero pœna quamvis poſſit à voluntate acceptari, & per ejus actum voluntaria, vel volita, reddi; totum tamen hoc per accidens, & conſequenter ſe habet ad rationem pœnæ: accidit enim illi, quod acceptetur à patiente, vel non acceptetur: eodemque prorſus modo erit mala homini, & privatio boni illi debiti propter culpam inflicta, ac proinde formaliſſimè pœna, ſive voluntarie ab eo acceptetur; ſive repugnanter, & contra voluntatem ſuſtineatur. Et hujuſmodi eſt privatio gratiæ ſecundum priorem conceptum, quem diſtinximus. 134 Evaneſcunt Curielis fulcimina.

Deinde falſo aſſeritur, huiuſmodi privationem ſecundum illum alium conceptum averſionis à Deo eſſe voluntariam illo dumtaxat modo, quo mors, vel ſuſpenſio dicitur voluntaria latroni: nam hæc adhuc indirectè non eſt voluntaria ſimpliciter, quaſi ipſa voluntas latronis habeat in illam phyſicè, & realiter aliquem influxum; imo eſt ſimpliciter involuntaria, & ab extrinſeco: & ſi aliquando appelletur voluntaria, loquutio eſt valde impropria, & purè interpretativa: quatenus dum latro propter mortem non omittit furari, interpretamur velle potius mori, ſeu minus hoc refugere, quam à furto abſtinere; ſimpliciter autem mors illa eſt ab extrinſeco, paſſo non conferente vim; atque adeo non modo involuntaria, ſed & violenta. At vero privatio, de qua loquimur, phyſicè & realiter oritur (ſaltem ut terminus ſecundarius) à voluntate creata ſine alicujus alterius cauſæ influxu, ut num. 132. vidimus, & ita phyſicè, in toto vigore eſt voluntaria, & à principio intrinſeco.

Eſt & aliud diſcrimen ad rem conducens: quia in ſuſpenſione, vel morte per ſe conſideratis nihil boni apparet reſpectu latronis, à quo eius voluntas poſſit allici, & moveri ad illam appetendam: unde quia quod per ſe eſt voluntarium, debet habere propriam appetibilitatem, ratione cuius ſit etiam volitum, non eſt quo pacto talis mors, aut ſuſpenſio ſecundùm ſe ſpectata voluntaria eſſe poſſit, neque voluntatis influxum terminet. E contra vero in privatione, & averſione, de qua loquimur, eſt aliqua ratio boni apparentis, nempe ipſum *non eſſe Deo ſubditum,* neque

neque alicui ſubiectum, ſed quaſi omnino ſui juris: quæ ratio licèt ficta & apparens, magni tamen eſt apud peccatorem, qui maxime vult propriam excellentiam, & nullius legibus ſubiici. Hoc autem in cauſa eſt, ut talis privatio non à modo voluntate creata appeti poſſit, ſed etiam ut poſſit oriri phyſice ab illa: & oriatur de facto, quoties ad actum ipſius voluntatis ſive proprium, ſive capitalem conſequitur, ut in noſtro caſu accidit.

135 Secundum quod ait Curiel, videlicet privationem gratiæ non repugnare rationali naturæ, niſi ut ſubjecto perfectibili, licet ſit verum loquendo de prædicta privatione ſecundum primum conceptum num. 130. explicatum; minime tamen loquendo de illa ſecundum poſteriorem ibidem dictum, qui eſt conceptus averſionis, & culpæ: nam prout ſic omnino repugnat prædictæ naturæ ut utenti regula rationis: valde enim rationi diſſonat, quod voluntas creata ſit ſeparata, & averſa à ſuo ultimo fine, cui ſubordinari debet, ſuſtineatque voluntariam privationem ad illum. Neque ad hanc diſſonantiam neceſſe eſt, quod detur aliquod ſpeciale præceptum prohibens talem privationem, aut præcipiens gratiæ conſervationem: ſed ſufficit oppoſitio, quam prædicta privatio habet cum ipſo ultimo fine, propter quem omnes leges, & præcepta inſtituta ſunt, & ad cujus conſervationem diriguntur. Conſtat enim magis diſſonare rationi, eminentiorique modo opponi illi, quod aliquid deſtruat finem omnium præceptorum, ſeu ordinem ad illum per oppoſitionem, & diſſonantiam ad talem finem, vel ordinem, quàm quod alicui præcepto particulari ſe opponat. Imo eo ipſo quod prædicta privatio primario, & immediate tollat ordinem ad prædictum finem, conſequenter, & mediate habet eſſe contra ipſa præcepta: quippe tota vis obligandi præceptorum ex ipſo fine, & ordine illi debito conſurgit.

Ex quo ultimum, quod ajebat Curiel de averſione morali, manet etiam impugnatum: quia ad talem averſionem, quando non eſt actualis, ſed habitualis, & per modum termini, ſufficit eſſe contra finem præceptorum; quamvis non ſit immediate contra aliquod præceptum particulare. Illa enim conditio poſita in diffinitione peccati, ſcilicet *eſſe contra legem*, aliter convenire debet peccatis actualibus, & aliter habitualibus: nam illa, quia ſunt libera actu, & per modum exercitii, debent immediate cadere ſub præceptis, ſeu ab illis prohiberi, eo quod præcepta dantur immediate de actibus liberis, iſta vero quia ſolum ſunt libera terminative, ſeu mediis actibus, ſufficit quod cadant ſub præceptis mediate, quatenus cadunt actus, quorum ſunt termini; & quatenus adverſantur fini ultimo, ad quem ipſa præcepta, & quicquid præcipiunt, ordinantur.

136 *Alia evaſio.* Alia via videbitur fortaſſe alicui poſſe noſtræ rationi, & confirmationi occurri, ſi dicatur, eas ſolum probare, privationem gratiæ non eſſe dumtaxat pœnam, ſed pertinere aliquo modo ad malum culpæ; non autem quod ſit eſſentialiter ipſum peccatum originale, vel habituale. Tum quia ut non ſit præciſe malum pœnæ ſufficit quod ſit culpa cauſaliter: ſicut de concupiſcentia, & habitibus vitioſis diximus num. 102. Tum etiam quia eſto ſit formaliter mala in genere culpæ, poterit habere ſe conſequenter ad prædictum peccatum, & non per modum formæ conſtitutivæ: ſicut de malitia privativa reperta in peccato actuali diximus diſp. 6.

Verum neque iſta evaſio alicujus momenti eſt: quia ſemel probato prædictam privationem non eſſe dumtaxat pœnam, ſed pertinere etiam ad genus culpæ; cito oſtendemus eſſe ipſam malitiam eſſentialem, & conſtitutivam peccati habitualis. Etenim quod non ſe habeat in illo conſequenter, ſicut malitia privativa habet ſe in peccato actuali, probatur. Nam ut ita ſe haberet, debebat præſupponere aliam malitiam eſſentialem, & conſtitutivam, ut eſt perſpicuum: quod autem eam non præſupponat, ex eo liquet, quia vel talis malitia eſſet poſitiva? Et hæc non datur, ut oſtenſum fuit toto dubio 3. Vel eſſet privativa? Et neque hoc dici poteſt, quia prima privatio in nobis poſt peccatum Adami reperta eſt privatio gratiæ, ſeu juſtitiæ originalis quoad effectum primarium: non ergo hujuſmodi privatio poteſt ſe habere ut quid conſequens ad aliam habitualem malitiam. Quod autem non ſit culpa ſolum cauſaliter, ſicut concupiſcentia, & habitus vitioſi, facile etiam oſtenditur. Nam prædicta privatio ſecundum ſe, & independenter ab omni alio effectu eſt quid repugnans Deo, & avertens ab illo ut à fine ultimo, & ideo incompoſſibilis cum amore talis finis: igitur formaliter eſt culpa habitualis; ratio enim hujus culpæ in nullo alio poteſt conſiſtere præterquam in prædicta averſione, & privatione. Tum etiam quia quod ſolum cauſaliter eſt culpa, non excludit gratiam, neque tollit amicitiam cum Deo, neque privat jure ad beatitudinem: ut videre eſt in ipſa concupiſcentia, & habitibus vitioſis, & in potentia peccandi: ſed privatio, de qua loquimur, tribuit omnes illos effectus: ergo non ſolum cauſaliter, ſed formaliter habet rationem culpæ. Si igitur conſideretur, ut eſt in nobis terminus voluntarius peccati Adami, nihil illi deeſſe poteſt, quominus ſit ratio formalis, & conſtitutiva noſtri originalis. *Præcluditur.*

§. V.

Errores, & falſæ ſententiæ.

Difficultas hujus materiæ circa conſtitutionem originalis culpæ tot in ea errores, & ſententias originavit; ut nequeant brevi numero comprehendi. Et quamvis eſſet longiſſime abire, ſi uniuſcujuſque auctores, & fundamenta vellemus ex profeſſo adducere, & impugnare; diminutè etiam procederemus ſine aliquali eorum notitia & relatione. Qui plura voluerit, conſulat auctores hic referendos, & alios, qui contra hæreticos noſtri temporis controverſias ediderunt. Inter errores ergo, qui circa naturam prædicti peccati hactenus prodiere, primus abſurdo, & indignitate eſt Matthiæ Flaccii Illyrici Lutheranorum rigidorum patris: qui Manichæorum hæreſim ſuſcitans peccatum originale ab ipſa ſubſtantia animæ non diſtinguit; ſed 137 *Primus error circa orig. peccatum.*

Digitized by Google

ſed ait eſſe quandam imaginem diaboli ab anima rationali indiſtinctam, in quam ipſa anima per peccatum Adami ex imagine Dei transformata fuit. De quo vide Caniſium lib. 1. de B. Virgine, Bellarminum lib. 5. de amiſſione gratiæ cap. 1. uſque ad 4. Vazquez in præſenti diſp. 132. cap. 1. Gregorium Mart. art. 1. & alios expoſitores D. Thomæ, qui prædictum errorem referunt, & impugnant.

Caniſius. Bellarm. Vazquez. Greg. Mart.

Secundus error. Secundus parum à præcedenti diſtans fuit Lutheri, Kemnitii, & aliorum quorundam hæreticorum aſſerentium, quod licèt peccatum originale non ſit ipſa rationalis anima, eſt tamen aliquid ſubſtantiale corporeum, ut cor, hepar, vel ipſum compoſitum, quod dicitur *humana natura*. Vide Bellarminum ubi ſupra cap. 2.

Tertius. Tertius eorundem hæreticorum error & fere omnium, qui Lutheri, & Calvini ſemitis inceſſere, affirmat peccatum originale formaliter eſſe concupiſcentiam, & fomitem, quæ nos ad malum inclinant: atque adeo ſecundum ſuam eſſentiam manere in baptizatis, & juſtificatis; quamvis illis non imputetur. Contra hunc errorem agunt ferè omnes expoſitores D. Thomæ hoc loco: & videri poſſunt quæ diximus dubio præced. num. 101.

Quartus. Quartus etiam hæreticorum error, non vult peccatum originale eſſe diſtinctum à propriis peccatis actualibus: ſive quod anima antequam uniretur corpori, talia peccata committeret, ut antiqua Origenis hæreſis aſſerebat: ſive quod ipſi parvuli mox ut concepti propria voluntate peccare potuerint: ut ſtultè ſatis aliqui Pelagianorum putaverunt, quos diſp. 14. num. 7. verbis Auguſtini impugnavimus. Nec deſunt hæretici, qui omnia peccata actualia quavis ætate commiſſa, cum originali confundunt, ut Kemnitius in examine Concilii Trid. ſeſ. 5. pag. 456. & Melanchton in confeſſione Auguſtana, & in locis editis anno 1522. Vide Bellarminum 4. de amiſſione gratiæ cap. 4.

138 *Tres ſententiæ penitus reiiciendæ.* Præter hos manifeſtè errores ſunt quædam ſententiæ, quæ licèt aliquando probabilitatem habuerint, & ideo in Catholicorum ſcriptis reperiantur; jam tamen aut vix, aut nullo modo poſſunt dici probabiles: ob idque communiter deſeruntur, & à multis improbabiles, & abſurdæ reputantur. Hujuſmodi eſt ſententia illa de qualitate morbida cauſata ex ſerpentis ſibilo, quam dub. 2. cum ſuis fundamentis, & auctoribus adduximus, & rejecimus.

Hujuſmodi etiam eſt ſententia, cujus ſupra meminimus, Alberti Pigii, & Ambroſii Catharini negantium deveniſſe ad nos ex peccato Adami aliquid intrinſecum habens rationem culpæ; aut aliquid aliud eſſe peccatum originale præter ipſum peccatum actuale Adami prout ab illo ex perſonâ omnium poſterorum fuit commiſſum: de qua ſententia diximus aliquid diſp. 14. n. 313. & in hoc eodem dubio n. 125. & videri poteſt Vazquez citata diſp. 132. c. 2. ubi latè ejus cenſuram examinat.

Eſt & tertia ſententia eodem fere gradu à veritate, & probabilitate elongata, quod peccatum originale ſolum eſt reatus, quo naſcimur obnoxii pœnæ temporali, & æternæ pro peccato quod Adamus commiſit. In hanc ſententiam inclinaſſe videtur Durandus in 2. diſt. 30. quæſt. 5. eamque ſequutus eſt Roffenſis art. 2. contra Lutherum: imo Vaſquez diſp. citata ubi prædictam ſententiam ſufficienter impugnat, conatur oſtendere ſenſiſſe ita D. Auguſtinum variis in locis; alienaſque eſſe ab eo gloſſas aliquorum, qui in vero & ſano ſenſu mentem illius explicare voluerunt. Immerito tamen Auguſtinum à vera ſententia alienum fuiſſe credit citatus auctor, cum nihil ſit in ejus verbis, quod non poſſit pro veritate exponi. Nam vel non intendit explicare peccatum originale à priori, & per rationem quidditativam; ſed à poſteriori: vel à ſigno per aliquid quod ad talem rationem conſequitur: & ſic potuit vocare illud *reatum*, etiam ſi loquatur de reatu formali, & proximo; quia iſte conſequitur ad privationem juſtitiæ originalis, in qua eſſentia prædicti peccati conſiſtit: vel accepit *reatum* non formaliter & proximè, ſed radicaliter & fundamentaliter: & tunc etiam quidditativè potuit peccatum originale *reatum* appellare, quia ejus eſſentia eſt radix & fundamentum reatus. Uno autem vel altero ex his modis nullus erit locus Auguſtini, qui non valeat convenienter exponi: pro quo potius quàm pro impugnando S. Doctore debuiſſet Vaſquez laborare.

Superſunt aliæ Catholicorum ſententiæ, quæ licèt falſæ, & noſtræ aſſertioni adverſæ exiſtant; habent tamen auctores, & fundamenta, quæ illas efficiunt abſolutè probabiles. Harum prima & probabilior aſſignat pro conſtitutivo peccati originalis aliquid poſitivum, nimirum converſionem animæ vel voluntatis ad bonum commutabile: contra quam ſententiam militavimus toto dubio 3. ejuſque argumenta, & defenſores adduximus à num. 69. 139 *Tres aliæ ſententiæ probabiles.*

Secunda aſſignat pro prædicto conſtitutivo privationem, non quidem gratiæ, vel juſtitiæ originalis, ſicut nos aſſignavimus; ſed conformitatis ad legem, quam Adamus debuit obſervare, & obſervando, eam conformitatem acquirere. De hac ſententia, quæ eſt Magiſtri Curielis in præſenti art. 3. dub. 4. & aliorum quorundam, egimus dub. 1. iſtius diſputationis, ejuſque fundamenta evertimus à num. 12.

Tertia ſententia (fortè ut alias extremas conciliet) affirmat peccatum originale conſtitui ex æquo per poſitivum, & per privationem ſive gratiæ, ſive conformitatis prædictæ. Hanc tribuit Vazquez quibuſdam recentioribus, quorum ſuppreſſit nomina. Qui fortè non intendunt, unicam eſſentiam prædicti peccati ex poſitivo, & privatione conſurgere; ſed conſiderantes illud in duplici genere, nempe & in genere mali moralis, & in genere mali ſimpliciter, dicunt in hoc conſtitui per privationem, in illo vero per poſitivum: juxta ea, quæ de peccato actuali diximus ſupra diſp. 6. num. 48. Et quamvis hæc ſententia ita explicata majorem probabilitatis ſpeciem præ ſe ferat; ejus tamen falſitatem ſatis convincunt ea, quæ diximus ex D. Thomâ in hoc dubio à num. 118. & etiam dicta toto dubio 2. & 3. nam dum ibi oſtendimus, nihil poſitivum de genere culpæ potuiſſe ab Adamo in poſteros deſcendere, conſequenter rejecimus omnem ſententiam, quæ pro conſtituendo peccato originali in quovis genere ad poſitivum, ſive

Digitized by Google

ſive ſolum ſive una cum privatione recurrerit: imo pro nullo peccato habituali conſtituendo recurrendum eſſe ad poſitivum manſit probatum eodem dub. 3. à num. 44. Neque hic ſiſtit varietas opinionum, ſed & inter auctores, qui noſtræ adſtipulantur, nonnihil diviſionis reperimus in explicando ſecundum quam rationem privatio juſtitiæ originalis peccatum originale conſtituat. Credimus tamen ſufficienter manere veritatem declaratam ex dictis in hoc dub. præſertim à num. 121. & à num. 130. & dub. præced. num. 88. ita ut opus non ſit amplius circa hoc detineri.

§. VI.

Argumentum præcipuum contra noſtram ſententiam.

140 EX argumentis, quæ ſententiam noſtram oppugnant, non pauca jam devicta ſunt: illa omnia nimirum, quæ directè militant pro ſententia conſtituente peccatum originale in poſitivo: & etiam quæ militant pro aſſerente conſtitui per privationem conformitatis ad legem: hæc enim adduci, & ſolvi debuerunt dubiis præcedentibus, ubi prædictas ſententias impugnavimus. Illa autem huic loco reſervari debuerunt, quæ immediatè impugnant privationem gratiæ, aut juſtitiæ originalis, quam nos pro prædicto conſtitutivo aſſignavimus: atque adeo à qualibet adverſa ſententia, vel errore poſſunt contra noſtram efformari. Neque horum minutiora, & levidenſia, quæ quiſque ex dictis facile diſſolvet, ſed quæ alicujus momenti difficultatem continent, adducemus. Primum ergo & apud adverſarios validiſſimum, credunt ſumendum eſſe ex D. Thoma in illis locis, quæ citavimus n. 128. ubi prædictam privationem dicit eſſe pœnam peccati, ex quo inferunt: ergo non eſt ipſum peccatum, nam pœna, & culpa debent diſtingui. Nec tantum ratione conſequentiæ, ſed expreſſis verbis rejeciſſe D. Thomam privationem gratiæ à ratione culpæ contendit quidam junior referens ejus verba ex 2. diſtinct. 33. quæſt. 2. art. 1. ad 2. ubi ait: *Privatio gratiæ non habet rationem culpæ, ſed pœnæ.* Quid clarius?

Primum argumentum.

Infirmatur.

Sed quam ſit infirmum argumentum, vidimus à num. 119. ubi eiſdem teſtimoniis Ang. Doctoris probavimus prædictam privationem ſecundum diverſas rationes eſſe ſimul pœnam, & culpam. Circa diſtinctionem vero hujuſmodi rationum pœnæ & culpæ non omnes dicendi modos, qui apud auctores noſtræ ſententiæ reperiuntur, probamus: neque enim placet quod ait Vaſquez diſput. citata cap. 10. videlicet privationem juſtitiæ originalis non habere rationem pœnæ reſpectu peccati originalis exiſtentis in puero, conſiſtentiſque in eadem privatione, ſed dumtaxat reſpectu peccati actualis, quod fuit in Adamo: neque etiam, quod idem Vaſquez inſinuat, & expendit Lorca diſp. 43. §. ultimo: nimirum privationem gratiæ activè acceptam, prout dicit dumtaxat ſuſpenſionem divini concurſus, habere rationem pœnæ; ipſam vero paſſive conſideratam, & ut afficientem ipſum hominem habere rationem culpæ, &c. Hos ergo & ſimiles dicendi modos non omnino probamus,

niſi reducantur ad illum, quem explicuimus à numero 130. qui ſolus, ut credimus, veritatem continet, & difficultatem aufert. Teſtimonio autem D. Thomæ, quod prædictus junior pro ſe adducit, deſunt hæc verba, *niſi in quantum ex voluntate eſt*: & ideo ſi integre legatur, probat noſtram doctrinam, ut vidimus num. 129.

Sed adverſus eandem doctrinam, proindéque contra hanc ſolutionem eſt non levis objectio, quam numero 132. huc remiſimus, & poteſt ſic formari. Privatio gratiæ ſecundum omnem ſui rationem cauſatur à Deo, ſicut ipſa gratia, qua privat: ergo ſecundum nullam rationem poteſt eſſe culpa. Conſequentia eſt perſpicua, alias enim culpa reduceretur in Deum. Antecedens vero probatur. Tum quia privatio gratiæ ſecundum quamcumque rationem oritur ex ſubſtractione concurſus conſervantis ipſam gratiam, atque adeo debet cauſari ab eo, qui talem concurſum ſubtrahit: ſolus autem Deus ſubtrahit hujuſmodi concurſum, ſicut ſolus ipſe illum præbebat: ergo, &c. Tum etiam nam effectus ſequutus per ſe ad aliquam omiſſionem reducitur in cauſam ipſius omiſſionis, & ideo cui omiſſio eſt voluntaria, etiam eſt voluntarius talis effectus: quod præcipue locum habere in effectibus non poſitivis diximus in tract. de volunt. diſputat. 4. num. 53. ſed ad omiſſionem, qua Deus ceſſat conferre influxum conſervativum gratiæ, ſequitur per ſe carentia ipſius gratiæ ſecundum omnes ejus conceptus: ergo ſicut prædicta omiſſio eſt à Deo, ſic etiam talis carentia ſecundum omne quod importat. 141 *Objectio contra ſolutionem.*

Confirmatur: nam poſſet Deus auferre gratiam ſecundum omnes ejus rationes ſine ullo peccato ab aliquo v. g. dormiente: hoc enim omnipotentiæ ejus non eſt cur repugnet: ſed in tali caſu tota gratiæ privatio cauſaretur à ſolo Deo, neque aliquis conceptus inventus in illa poſſet in voluntatem creatam reduci: igitur nulla eſt ratio in prædicta privatione, cujus Deus non ſit cauſa. *Confirmatur objectio.*

Reſpondetur negando antecedens objectionis, & etiam primæ probationis: quamvis enim peccante homine, & ſubtrahente Deo concurſum conſervativum gratiæ, ponatur re ipſa hujus privatio ſecundum utramque rationem ſupra explicatam, ſcilicet tam ut eſt præciſe malum hominis, quàm ut eſt etiam malum Dei, ſeu averſio, & ſeparatio ab ipſo; non tamen utraque hæc ratio, ſed prima dumtaxat reducitur in Deum: poſterior vero oritur ſolum à voluntate creata, quæ peccat. Neque hujus rei rationem aliam reddere neceſſe eſt, niſi quam numero 132. tradidimus: videlicet ſatis eſſe, quod una ex prædictis rationibus opponatur Deo, & alia non opponatur, ut hæc debeat, & illa non debeat in ipſum reduci, quantumvis inter ſe ſint identificatæ, & connexæ. Sicut licet Deus ſua phyſica præmotione cauſet materiale peccati actualis, & ad hanc cauſalitatem infallibiliter ſequatur formale; ſufficit tamen, quod hoc formale habeat cum Deo oppoſitionem, quam non habet materiale, ut divinus influxus ſiſtat in ſolo materiali, & nihil formalis attingat. Unde falſum eſt; quod ſi ſolus Deus per ſuum con- 142 *Solutio objectionis.*

curſum cauſat gratiam, per ſubtractionem ejus debeat cauſare totam privationem: in illa quippe nulla poteſt eſſe ratio, quæ Deo repugnet; ſicut poteſt eſſe, & de facto eſt in iſta. Et ſicut multoties cauſat aliquam privationem non ſolum ille, qui cauſabat formam, & omittit cauſare, ſed etiam alius, qui non cauſabat illam; ita fieri poteſt ut aliquis, cauſabat formam, licèt deſinat cauſare, non ideo cauſet totam privationem; ſaltem quoties in hac fuerit aliqua ratio repugnans tali cauſæ.

Ad ſecundam probationem dicas privationem gratiæ ſecundum conceptum averſionis à Deo non ſequi per ſe ad ſubtractionem, vel omiſſionem divini concurſus, ſed per accidens; licet indiſpenſabiliter ſuppoſito peccato actuali voluntatis creatæ: ſicut ad concurſum Dei circa materiale peccati ſequitur aliunde & per accidens nempe ex voluntate creata, indiſpenſabiliter tamen malitia formalis. Per ſe autem oritur à ſola voluntate creata ſive propria, ſive capitali ratione ſui peccati actualis. Quare neganda eſt minor hujus probationis.

143 Solutio cõfirmationis. Ad confirmationem reſpondetur in illo caſu (quem modò admittimus, & alibi examinabimus) privationem gratiæ non fore omnino eandem, quæ modò eſt: quia ſolùm eſſet in ea de ratione privativi ille prior conceptus, ſecundum quem eſt tantum mala homini, & habet rationem pœnæ, vel pœnalitatis: alia vero ratio, ſecundum quam eſt etiam malum Dei, & averſio ab illo deeſſet prædictæ privationi: & ita non mirum ſi tunc poſſet tota in Deum reduci, modo vero non poſſit. Pro quo nota, quod hæc ratio, quam dicimus *averſionem* & *malum Dei*, non importat nudam carentiam gratiæ, etiam ſecundum eam rationem, ſecundum quam gratia animam Deo ſubiicit, & ad eum convertit; ſed carentiam privativam, quæ ſupponit debitum talis ſubjectionis, & converſionis: nuda enim carentia, & quæ debitum non ſupponit, ſicut amittit rationem privationis, amittit etiam rationem mali. Debitum autem ad prædictam privationem requiſitum tenet ſe ex parte hominis, & terminatur ad Deum: nam Deus eſt, cui debetur illa ſubjectio; homo vero, qui debet, ut diximus num. 130. Porrò in caſu argumenti omnino ceſſat hoc debitum: quia ſi Deus tollit ab homine gratiam inculpabiliter, & independenter ab ejus voluntate, ut ſupponitur, eo ipſo non tenetur jam homo ad habendam, & conſervandam ipſam gratiam, neque ad ſe per illam Deo ſubiiciendum: tandiu enim debitum hoc durare poteſt, quandiu ſubjectio, ſupra quam cadit, ſubeſt hominis poteſtati, quia ad illud, quod non poteſt, nemo tenetur: tandiu vero, & non amplius ei ſubeſt, quandiu vel habet in ſe gratiam; vel voluntarie, & culpabiliter, ſua, aut ſui capitis voluntate eam non conſervat, & hanc voluntariam non conſervationem, ſeu amiſſionem non retractat. Hinc patet veritas ſolutionis: quia cum in caſu argumenti inculpabiliter, & independenter à voluntate hominis gratia auferatur, nec ſubſit ejus poteſtati habere, vel conſervare illam, conſequenter ceſſat debitum ſubiiciendi ſe Deo per ipſam gratiam, & ita hujus carentia quantum ad talem ſubjectionem neque eſt privatio, neque averſio, neque habens rationem mali, ſed erit quædam ſimplex carentia, & negatio: ſicut quæ datur in creaturis irrationalibus carentibus prædicto debito: & ſicut quæ daretur in homine condito in puris naturalibus, antequam peccatum committeret. Diximus *quantum ad talem ſubiectionem*, &c. quia carentia ſecundum aliud munus perficiendi animam in ſe ipſa, quod explicuimus num. 130. etiam in caſu, de quo loquimur, eſſet privativa, & eſſet mala homini per modum pœnæ, vel pœnalitatis, quia debitum ad hanc privationem requiſitum tenet ſe ex parte Dei, eò quod fundatur in divina promiſſione, & deſtinatione hominis ad finem ſupernaturalem, quæ cùm ſemper permaneat, ſemper fundat prædictum debitum.

Adde, ob aliam rationem in eo caſu prædicto carentiam gratiæ quoad munus ſubiiciendi animam Deo non fore privationem, neque averſionem ab illo ſicut à fine ultimo: quia ſcilicet de ratione hujuſmodi averſionis eſt (ſive ſit averſio actualis, ſive habitualis) ut procedat, vel proceſſerit à voluntate creata, reſpiciatque illam tanquam principium conjunctum. Tum quia debet eſſe intrinſecè voluntaria, quæ ratio intelligi nequit ſine prædicto reſpectu. Tum etiam, quia ſola illa cauſa poteſt efficere averſionem à Deo fine ultimo ſecundum conceptum averſionis, quæ cum ſit capax attingendi talem finem, poteſt etiam ab illo ſe avertere: quæ enim vel non eſt capax prædictæ attingentiæ ſicut creaturæ omnes irrationales, vel non poteſt ſeparari, & averti à Deo ſicut divina voluntas, manifeſtum eſt, quod non poſſit cauſare averſionem, & ſeparationem ab illo: cùm hoc ipſum, quod eſt hujuſmodi ſeparationem, & averſionem efficere, ſit *averti*, & *ſeparari*. Sola ergo creata voluntas, quæ poteſt avertere ſe à Deo, poteſt efficere privationem gratiæ ſecundum conceptum talis averſionis; quare cum in caſu prædicto nullus ſit influxus voluntatis creatæ, ſed ſola divina gratiam auferat, nequibit in hujus carentia reperiri prædictus conceptus averſionis.

Neque obeſt ſi urgeas, quod ſi carentia gratiæ quoad munus, de quo loquimur, non intelligitur objectivè mala, ſeu averſiva à Deo, antequam à voluntate creata procedat, nequaquam per hujuſmodi proceſſum fiet talis: ut enim in tract. de bonit. & malit. diſputatione 4. à num. 10. ex D. Thoma docuimus, voluntas quantum ad bonitatem, & malitiam ita dependet ab objecto, ut niſi hoc antecedenter ad attingentiam voluntatis ſupponatur malum, nequaquam illa per talem attingentiam malitiam incurrat: ergo vel prædicta carentia, adhuc à voluntate creata procedit, non eſt mala; vel debet eſſe talis ſaltem objectivè, quando non procedit, ſicut in caſu noſtro. Porrò tunc non eſſe etiam objectivè malam, conſtat ex eo, quod ſecundum ſe totam à ſolo Deo cauſatur: Deus autem non poteſt cauſare aliquid quovis modo peccaminoſum. 144 Replica.

Reſpondetur enim, prædictam carentiam intelligi Enodatur.

telligi objectivè malam, & peccaminoſam, antequam actu, & in exercitio a voluntate creata procedat: ſicut occiſio Petri, v.g. antequam in exercitio procedat ab iſto homine privato, intelligitur objectivè mala, & homicidium. Quod & nihil aliud adducta replica convincit. Cæterum ſicut prædicta occiſio, ut intelligatur mala objectivè, debet concipi cum reſpectu ad hominem privatum, & ut ab eo proceſſura, ſeu poſſibilis procedere; concepta vero vel præcisè ſecundum ſe, vel ut poteſt procedere à Deo, aut a judice habente poteſtatem, non intelligitur ſic mala, ſed vel bona, vel indifferens: ita prædicta carentia, ut intelligatur objectivè peccaminoſa, debet concipi cum reſpectu ad voluntatem creatam, veluti à qua proceſſura ſit; ſecluſo vero a conceptione hoc reſpectu, quicquid in illa manet, nullam deformitatem exprimit, ſed nudam carentiam ſubjectionis ad Deum, qualis reperitur in lapide.

145 Neque doctrina D. Thomæ tradita loco cit. huic contradicit. Nam aliud eſt loqui de voluntate, ut eſt dumtaxat vis affectiva tendens in aliquid præcisè ſicut in objectum amando & volendo illud: aliud vero ut eſt effectiva, & tendit cauſando, & influendo. Primo enim modo tota ratio boni, vel mali debet in objecto præſupponi antecedenter ad ordinem, & attingentiam voluntatis: (quamvis non ſine ejus connotatione) quia objectum ut tale, eſt omnino prius, & independens, atque ita non ideo fieri debet bonum, vel malum, quia attingitur à tali, vel tali voluntate; ſed ideo talis voluntas, & ejus attingentia eſt bona, vel mala, quia terminatur ad bonum, vel malum objectum. Et juxta hunc ſenſum loquuti fuimus loco citato. Secundo vero modo e contra res ſe habet: nam cum effectus voluntatis ab illa dependeat, & ſit quid poſterius, non mirum, quod ex ordine ad illam poſſit inducere rationem boni, vel mali: & quod licet res illa, ad quam voluntas hoc modo terminatur, præcisè ſecundum ſe ſpectata mala non ſit, nihilominus ſit malum, quod talis res ab hac, vel illa voluntate fiat, & quod ipſa voluntas ſuum influxum erga illam exerceat: propter aliquam repugnantiam ad rationem, quæ poteſt eſſe in conjunctione talis rei cum prædicto influxu, quæque eidem rei ſecundum ſe ſpectatæ, vel ut terminanti alterius cauſæ influxum non competit. Ita igitur in noſtro caſu licet carentia gratiæ ſecundum ſe ſpectata, & ſine interventu creatæ voluntatis in rerum natura poſita nihil deformitatis importet; hoc tamen quod eſt prædictam carentiam a tali voluntate oriri, & eandem carentiam ut inde orta, vel originanda magnam deformitatem exprimit. Et ſi totum hoc conjunctum accipiatur, & per modum objecti ab intellectu proponatur, erit malum objectivè antecedenter ad actum, quo voluntas reflectendo ſupra ſe prædictum conjunctum proſequatur: dabitque proinde malitiam cuilibet volitioni ad illud terminatæ.

Satisfit interrogationi. Si autem inquiras a quo ponatur in rerum natura carentia gratiæ, quatenus tollit ſubjectionem ad Deum, quando voluntas creata ad illam non concurrit, ſed ſolus Deus gratiam auſert? ¶ Reſpondetur, non opus eſſe aſſignare cauſam tali carentiæ quoad prædictum munus, quia prout ſit eſt tantum negatio: negatio autem ſe ipſa, & ſine cauſa eſt, eo ipſo quod non ſit forma, quam negat. Sed & ſi dixerimus habere cauſam pro primo inſtante, deſitionis gratiæ, pro quo dumtaxat, & non pro aliis aſſignari ſolet cauſa negationibus, ut alibi docuimus, non eſt inconveniens hujuſmodi cauſam Deum conſtituere ratione ſubſtractionis auxilii, ut docet Bannez 1. part. quæſtione 23. artic. 3. dub. 3. ad 6. quia cum talis carentia non exprimat deformitatem, non eſt cur ejus cauſalitas Deo repugnet.

Sed adhuc pungit ſcrupulus, cur ſcilicet non importet deformitatem, quod divina voluntas cauſet in anima carentiam gratiæ ſecundum conceptum explicatum; ſit autem malum & deforme, quod illam cauſet voluntas creata? 146 Nova replica.

¶ Reſpondetur in promptu eſſe diſparitatem. Enervatur. Tum, quia divina voluntas eſt magis præciſiva, quàm creata: & ideo ſicut in poſitivo peccati actualis poteſt attingere entitatem, præſcindendo à deformitate, quod creata non poteſt, ita in prædicta carentia gratiæ poteſt attingere puram rationem negationis, quod tamen voluntati creatæ non licet. Tum etiam, quia voluntas Dei cauſando prædictam carentiam non fugit, neque avertitur à bono divino, quaſi in aliquo alio ſuum finem quærat; ſed potius per ſuum actum eidem bono divino etiam tunc unitur, adimplendo ſuum beneplacitum, & manifeſtando ſimul ex alio capite omnipotentiam, aut alia Dei attributa: unde ſicut actio divinæ voluntatis, qua influxum conſervativum illius gratiæ ſuſpendit, neque eſt, neque dici poteſt *averſio à Deo in fieri*: ita carentia gratiæ, quæ eſt ejus terminus, ut inde cauſata nequaquam dici poteſt *averſio ab illo in facto eſſe*, aut aliquid aliud exprimens deformitatem. Sed dicetur *defectus negativus conjunctionis ad Deum in hac creatura ordinatus ad æqualem, vel majorem conjunctionem divinæ voluntatis cum ipſo per alium modum, qui tunc Deo placet*: in qua ratione nihil deformitatis exprimitur. Cæterum voluntas creata cum a ſe gratiam expellit, utitur actione peccaminoſa avertente à Deo, & conſtituente finem ultimum in bono creaturæ, neque aliter prædictam expulſionem facere poſſet: unde ſicut illa actio eſt culpa actualis, & averſio a Deo *in fieri*, ita terminus intrinſecus, qui eſt carentia gratiæ debet eſſe averſio *in facto eſſe*; & culpa habitualis: ſapit enim terminus intrinſecus naturam ſuæ actionis, eamque veluti continet, & repræſentat, & quodammodo præſtat idem habitualiter, & *in eſſe quieto*, quod illa actualiter, & *in fieri*.

Adde, quod terminus, de quo loquimur, eſt per ſe & intrinſecè voluntarius, & hac ratione ſemper reſpicit actionem peccaminoſam, a qua emanavit, ac per conſequens finem ultimum per eam actionem conſtitutum in bono creaturæ: unde non eſt carentia gratiæ, vel conjunctionis ad Deum tanquam defectus purè negativus, ſicut quæ eſt in lapide, ſed eſt privatio, & receſſus reſpiciens oppoſitum finem, & ex parte ejus ſe tenens atque in virtute talis finis, & propter illum deſerens ipſum Deum: atque ita eſt quædam carentia privativa per modum repugnantiæ, fugæ, & averſionis à Deo: in quo magna exprimitur defor-

deformitas, magnúmque diſcrimen à ſimplici carentia gratiæ, quam Deus cauſaret ex amore ad ſe ipſum, & ſine reſpectu ad finem oppoſitum.

§. VII.

Proponuntur, & diluuntur alia argumenta.

147 **Secundum argumentũ** SEcundò contra noſtram ſententiam arguitur: quia privatio gratiæ, vel juſtitiæ originalis ſupponit originale peccatum: ergo non illud conſtituit. Conſequentia liquet, & antecedens probatur: nam prius eſt, quod puer intelligatur indignus habere gratiam, ſeu dignus ejus privatione, quam quod de facto illa privetur: privatur enim, quia eſt indignus: ſed ubi primo intelligitur indignus gratia, intelligitur cum peccato originali, ex quo eſt talis indignitas: ergo peccatum præcedit prædictam privationem.

Solutio ex Vaſquez. Reſpondet Vaſquez, privationem gratiæ non habere rationem pœnæ reſpectu peccati originalis exiſtentis in puero, ſed dumtaxat reſpectu peccati actualis, quo Adamus ex perſona omnium deliquit: quia pœna ſicut, & præmium non correſpondet habitibus, ſed actibus: unde ſatis erit, quod prædicta privatio ipſum Adami peccatum præſupponat, ut puer ante illam intelligatur dignus pœna; quamvis non ſupponat originale, ſed conſtituat. **Deſeritur.** ¶ Hæc tamen ſolutio non eſt adæquata: quia negari non debet eſſe intrinſecè in pueris originali peccato infectis pœnæ condignitatem: non enim propter ſolum peccatum actuale, quod Adamus commiſit, ſed etiam propter originale, quod ad eos traduxit, excluduntur a regno Dei, & privantur gratia, & gloria: ſicut negari non debet, quod in ſe ipſis, & non tantum in Adamo ſunt indigni Dei gratia, & amicitia. Quamvis hujuſmodi pœnæ aliter, & aliter utrique peccato correſpondent: quia peccató actuali correſpondent tanquam demerito: ſicut augmentum gratiæ, & gloriæ correſpondent bonis actibus; peccato vero habituali, & originali correſpondent ſicut termino, in quo ipſum demeritum virtualiter permanet tanquam ratio, propter quam talis terminus ut forma conſtituit habitualiter ſubjectum pœna dignum: ſicut gratia ut terminus præcedentium meritorum, & virtute eorum conſtituit habitualiter tanquam forma ſubjectum dignum præmio gloriæ; & ita prima correſpondentia eſt in genere cauſæ efficientis moralis; ſecunda vero in genere cauſæ formalis. Illud autem proloquium *habitibus non meremur*, &c. probat, quod præmium, & pœna tanquam merito & demerito ſolum correſpondent actibus, non autem quod tanquam termino, & formæ non correſpondeant habituali peccato, & gratiæ.

148 **Vera ſolutio.** Vera igitur ſolutio habetur ex doctrina à nobis tradita: quia cum in privatione gratiæ ſit illa duplex ratio explicata cum virtuali ſaltem diſtinctione, datur ſufficiens fundamentum, ut priuſquam intelligamus puerum affectum prædicta privatione prout habente rationem pœnæ, concipiamus illum ſub eadem privatione ut habente rationem culpæ, & propter hanc illa dignum. Itaque ut rem aptè concipiamus, ſic procedendum eſt. Primo intelligimus puerum ſub debito habendi gratiam ex pacto in paradiſo inito inter Deum, & Adamum. Deinde intelligimus, peccatum actuale Adami, prout manet in abominatione Dei irretractatum, reſpicere hunc puerum tanquam membrum ipſius Adami, & hoc reſpectu phyſicè cauſare in illo averſionem voluntariam à Deo, ſeu voluntariam privationem ſubjectionis debitæ ipſi Deo, in qua conſiſtit culpa originalis: non enim peccatum Adami hujuſmodi averſionem, & privationem cauſat moraliter, & per modum demeriti, ſed phyſicè per naturalem ſequelam, ut explicuimus diſputatione 14. dub. 3. Tertiò intelligimus eundem puerum ratione utriuſque peccati, cum Adami, tum proprii indignum, ut Deus illi gratiam promiſſam conferat; ac proinde dignum ut denegetur ei ipſa gratia, quatenus eſt bona eidem puero, ordinatúrque ad illum perficiendum. Quartò denique intelligimus, Deum utroque peccato ad punitionem pueri provocatum negare ſuum concurſum collativum gratiæ, & hac denegatione cauſare ipſius gratiæ privationem, non ut hæc privatio tollit ſubjectionem debitam Deo; ſed ut tollit perfectionem promiſſam, & debitam puero, illumque in ſe ipſo perficientem, quo pacto num. 133. diximus habere rationem pœnæ. Præcedit ergo ſufficienter ratio culpæ originalis, & condignitas pœnæ ipſam pœnam, ut poſſit per eam puniri; etiamſi utraque in privatione gratiæ ſita ſit.

Dices: in illo ſecundo priori ubi intelligimus peccatum actuale Adami cauſare in puero privationem ſubjectionis ad Deum, etiam intelligimus Deum ut negantem concurſum collativum gratiæ, atque adeo ut punientem puerum per talem negationem: aliàs deberemus tunc concipere Deum gratiam infundentem: ergo ita cito concipimus puerum affici privatione gratiæ ut pœna, ſicut concipimus affici privatione ejuſdem gratiæ ut culpa. **Replica cõtra ſolutionem.** ¶ Reſpondetur, in illo priori nihil concipi de Deo, ſed ab eo præſcindi: **Enervatur.** unde neque concipimus illum ut negantem concurſum gratiæ, neque ut illam influentem; ſed ſolum concipimus id, quod ex parte pueri ſe habet, & quod ex peccato Adami accepit. Quod vero propter hoc Deus deneget gratiam, & hac negatione, ſeu privatione puerum puniat, pertinet ad ſigna ſequentia.

Tertium argumentum deſumi ſolet ex diffinitione peccati tradita à D. Auguſtino, in qua dicitur, quod debet eſſe contra legem: 149 **Tertium argumentum.** ſed privatio gratiæ non eſt contra legem; non enim datur aliqua lex præcipiens habere gratiam, aut prohibens ejus privationem, quia leges, & præcepta non dantur de habitibus, aut eorum privationibus; ſed de actibus, vel eorum omiſſionibus: ergo, &c. **Solutio.** ¶ Hujus tamen argumenti ſolutio ſufficienter habetur ex dictis num. 135. ubi explicuimus, quomodo privatio gratiæ prout dicit conceptum averſionis, ſit contra legem altiori modo, quam ipſa peccata actualia (pro quibus potiùs quam pro habitualibus tradita fuit illa diffinitio) quia licet prædicta privatio non ſit immediatè contra aliquod ſpeciale præceptum: eſt tamen immediatè objectivè contra finem præceptorum,

ceptorum, & per conſequens contra ipſa præcepta: & quia deſtruit immediatè ordinem habitualem ad finem ultimum, ad cujus conſervationem omnia præcepta, & leges ordinantur. Alio modo verificatur etiam, privationem gratiæ ſecundum conceptum averſionis eſſe contra legem, quia eadem lex, quæ prohibet actum peccaminoſum, prohibet etiam terminum intrinſecum talis actus, qui quidem terminus eſt prædicta privatio. Sed aptior eſt prior modus dicendi ad ſalvandum, quod prædicta privatio ex contrarietate ad legem habeat rationem peccati. ¶ Adde, prædictam definitionem, ut innuimus, traditam fuiſſe pro ſolis peccatis actualibus: & ideo non oportet, ut habitualibus, vel originali conveniat.

Quartum. Quartò arguitur: quia in uno, & eodem ſubjecto dantur ſæpe multa peccata habitualia ſive ſolùm perſonalia ut in adultis baptizatis, ſive etiam ſimul cum originali ut in non baptizatis: ſed privatio gratiæ non eſt niſi una in unoquoque peccatore: ergo nequeunt prædicta peccata per illam diſtingui; atque adeo neque conſtitui: conſtitutivum enim, & diſtinctivum idem ſunt. Major & conſequentia conſtant: minor vero probatur, quoniam privatio non aliter habet diſtinctionem, vel unitatem; niſi juxta unitatem, aut diſtinctionem formæ, qua privat: cum ergo gratia ſanctificans non ſit niſi unica forma, non poteſt ejus privatio in unoquoque eſſe niſi unica.

150 Doctrina pro ſolutione. Reſpondetur, conceſſa majori, diſtinguendo minorem: & ſi intelligatur de privatione gratiæ materialiter, & quaſi *in eſſe rei*; debet concedi: quod & nihil amplius probatio ejus convincit. Si autem intelligatur de prædicta privatione formaliter in *eſſe* rationis conſtitutivæ peccati habitualis, neganda eſt: ut ſic namque multiplicatur, & diſtinguitur, ſicut peccata habitualia diſtinguuntur. Pro quo nota, quòd privatio gratiæ dicit duplicem reſpectum, vel quaſi reſpectum: nempe ad gratiam, qua privat, & ad actum peccaminoſum, qui talem privationem inducit: & ſecundum primum reſpectum habet unitatem ſecundum unitatem ipſius gratiæ: atque adeo ſicut hæc eſt una atomè, & ſpecificè; ſic etiam prædicta privatio modo iſto accepta non eſt niſi una. Secundum poſteriorem vero reſpectum habet unitatem, & diſtinctionem ſecundùm diſtinctionem, vel unitatem actus, qui fuit ejus cauſa: quia in rebus reſpectivis ſpecificatio, & diſtinctio ſumitur à termino vel principio reſpecto, & juxta multiplicationem, & varietatem talis principii, aut termini variatur, & multiplicatur reſpiciens. Secundò nota, quòd prædicta privatio non conſtituit peccatum originale, vel habituale, quatenus præcisè dicit ordinem ad formam, qua privat; ſed quatenus addit reſpectum illum ad actum, qui fuit ejus cauſa, ſtâtque ſub hujuſmodi reſpectu: vel (quod idem eſt) quatenus conſideratur formaliſſime in ratione termini talis cauſæ: quod ſatis conſtat ex his, quæ diximus numero 75. & diſp. 14. numero 115. Ubi ergo ad privationem gratiæ ſolum præceſſit unica cauſa, ſeu unum peccatum actuale ſicut in pueris, qui ex ſolo peccato Adami illam incurrunt, talis privatio ſolùm importabit unum reſpectum, ſolùmque erit unicus terminus, ac proinde in ratione conſtituentis peccatum habituale erit tantùm una. Ubi autem plures cauſæ, ſeu plura peccata actualia præceſſerunt, ſicut in pluribus adultis, prædicta privatio erit multiplex ob multiplicem reſpectum ad ipſas cauſas: & ita conſtituet peccata habitualia multiplicia, & diverſa juxta diverſitatem actualium, à quibus præceſſerunt. Eadem igitur gratiæ privatio, quatenus inducta eſt ex peccato actuali Adami, quod fuit ſuperbiæ, vel gulæ, & ſtat ſub reſpectu ad tale peccatum, conſtituit peccatum originale pertinens ad ſpeciem ſuperbiæ, & gulæ. Quatenus vero inducta eſt ex alio peccato perſonali, v. g. luxuriæ; ſtâtque ſub reſpectu ad ipſum, conſtituit aliud peccatum habituale perſonale pertinens ad ſpeciem luxuriæ: quatenus autem ſequitur ex alio peccato actuali, puta homicidio, & illud reſpicit, conſtituit aliud peccatum habituale pertinens ad ſpeciem homicidii, & ſic de aliis.

Quam doctrinam ſumpſimus ex D. Thoma tum quæſt. 28. de verit. art. 6. cuius verba n. 75. hujus diſputationis adducta ſunt. Tum etiam in 2. diſt. 32. quæſtione 1. articul. 1. ad 2. D.Thom. ubi reddens rationem, cur diverſa peccata actualia diverſa habitualia, ſeu diverſas maculas inducant, quamvis omnia eandem gratiam auferant, ſic ait. *Cum omnium peccatorum mortalium genera hoc commune habeant, quòd gratiam tollunt; non tamen omnium eſt una macula, ſed diverſa, ſecundum quod defectus gratiæ ad diverſas cauſas refertur: unde defectus gratiæ ex actu luxuriæ proveniens eſt macula illius peccati, & ſic de aliis*, &c. Eandem doctrinam confirmat hac 1. 2. quæſt. 86. art. 1. ad 3. & exemplo elucidat his verbis. *Dicendum, quòd macula non eſt aliquid poſitivè in anima, nec ſignificat privationem ſolam; ſed ſignificat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad ſuam cauſam, quæ eſt peccatum* (ſcilicet actuale) *& ideo diverſa peccata diverſas maculas inducunt. Et eſt ſimile de umbra quæ eſt privatio luminis ex objecto alicujus corporis: & ſecundum diverſitatem corporum objectorum diverſificantur umbræ.* Videatur etiam in 2. diſt. 42. quæſt. 1. artic. 2. ad 4.

Neque obeſt ſi dicas, privationem gratiæ non eſſe effectum omnium peccatorum mortalium, quæ peccator committit; ſed primi duntaxat: nam cum hoc totaliter auferat gratiam, & nihil in anima relinquat per reliqua auferendum, ipſum dumtaxat, & nullum aliud habet cauſare gratiæ privationem; cætera vero ſupponunt iam illam cauſatam. Præterea diverſa peccata actualia non ſolùm inducunt diſtincta peccata habitualia, ſed etiam inæqualia iuxta inæqualitatem ipſorum peccatorum actualium: at privatio gratiæ ex quocunque peccato proveniat, ſemper eſt æqualis: quia cum ſit privatio *in facto eſſe*, non ſuſcipit magis, neque minus: ergo, &c. 151 Objectio.

Reſpondetur enim, peccata ad primum ſupervenientia non cauſare privationem gratiæ entitativè, & ſecundum ſubſtantiam (ut ſic dicamus) Solvitur.

dicamus) propter rationem hujus replicæ; cauſare tamen illam modaliter: quia ponit in ea novum quaſi modum, vel determinationem, ratione cujus fit modaliter diſtincta & multiplex, ac major, vel minor juxta diverſitatem peccatorum actualium. Pro quo animadvertis, quòd ſicut in gratia, eò quòd eſt radix omnium virtutum, & actuum, quibus divinæ leges adimplentur, poſſumus conſiderare quaſi in radice, & virtualiter plures reſpectus conformitatis ad ipſas leges, & ſub uno reſpectu eam concipere, quatenus radicaliter inclinat ad adimplendum hanc legem *non mæchaberis*: ſub alio autem, quatenus inclinat ad adimplendam iſtam *non furaberis*, vel *non occides*, & ſic de aliis: ita in ejus privatione debemus ſimiles quaſi reſpectus diſtinguere, aliterque conſiderare illam, ut opponitur conformitati radicali ipſius gratiæ ad unam ex prædictis legibus; & aliter ut opponitur conformitati ad aliam. Quando ergo primò quis peccat peccato v. g. adulterii, cauſat quidem privationem gratiæ, non tamen ut radicaliter oppoſitam omnibus prædictis legibus, atque adeo non ſecundum omnes reſpectus in ea poſſibiles; ſed ſub eo ſpeciali reſpectu dumtaxat, ſub quo opponitur legi non mæchandi, & gratiæ ut conformanti radicaliter animam cum tali lege, & ſub iſto reſpectu conſtituit prædicta privatio peccatum habituale adulterii. Quando autem ſecundò peccat v. g. furto, hujuſmodi peccatum cauſat eandem privationem gratiæ non abſolute, ſed ſecundum alium reſpectum oppoſitionis ad legem non furandi: atque ut cauſata ſub iſto reſpectu conſtituit peccatum habituale furti, & ſic de reliquis. Vnde fit ut ſicut ad multiplicationem peccatorum actualium multiplicantur in prædicta privatione reſpectus oppoſitionis ad diverſas leges, ita etiam multiplicentur peccata habitualia conſtituta per talem privationem, non utcunque acceptam, ſed ut ſtantem ſub talibus reſpectibus. Quin etiam fit, ut ſicut virtutes, & leges ſunt inæquales, & gratia, ut radicaliter conformat uni, exprimit majorem, vel minorem perfectionem, quàm ut conformat alteri: ita reſpectus illi oppoſitionis radicalis ad eaſdem leges, & virtutes inæqualem exprimant malitiam: ac proinde eadem gratiæ privatio, ut ſpecialiter tollit conformitatem ad legem non occidendi, conſtituitque peccatum habituale homicidii, ſit pejor ſe ipſa ut ſpecialiter auferente conformitatem ad legem non furandi, & conſtituente peccatum habituale furti, & ſic de aliis. Per quod patet ad utramque replicam.

Doctrina.

151 Diximus, *privatio gratiæ ut ſpecialiter tollit conformitatem ad legem non occidendi*, &c quia licèt quævis privatio gratiæ per quodcunque peccatum actuale inducta auferat totam gratiam, & hac ratione ſit privatio *in facto eſſe*; non tamen id facit ex ſpeciali oppoſitione ad quamvis legem, ſed dumtaxat ad illam, cui opponitur peccatum actuale inducens talem privationem. Atque hinc fit, ut ipſa privatio inducta præcisè per unum peccatum actuale v.g. furti, evadat quidem cum ſpeciali oppoſitione radicali ad legem non furandi, quam violat tale peccatum; non autem cum ea ſpeciali oppoſitione ad legem v. g. non occidendi quam haberet inducta per peccatum homicidii. Prodeque datur locus, ut poſtquam prædicta privatio inducta eſt per primum peccatum cum ſpeciali oppoſitione ad legem illud prohibentem, iterum per ſecundum cauſetur cum ſpeciali oppoſitione ad legem prohibentem iſtud ſecundum, cum quo oppoſitionis modo nondum erat cauſata per primum. Solvatur igitur hac via totum, quod intendimus: nimirum & quòd quælibet privatio gratiæ quovis modo inducta, ſit privatio *in facto eſſe*, nihil formæ oppoſitæ in ſubjecto relinquens: & quòd ſemel inducta ſub una ratione, ſeu ſub uno oppoſitionis modo per unum actuale peccatum, poſſit iterum, & iterum ſimul vel ſucceſſivè ſub alio & alio oppoſitionis modo per aliud & aliud induci: & tandem quòd inducta ſimul vel ſucceſſive per plura peccata actualia, habeat in ſe plures oppoſitionis modos, pluresque rationes ſufficientes ad conſtituenda plura peccata habitualia inæqualia, & diverſa juxta pluralitatem, diverſitatem, & inæqualitatem peccatorum actualium, qui illam induxerunt.

Vltimo contra noſtram ſententiam poteſt ſic argui. Nam ſi Deus non promiſiſſet homini orginalem juſtitiam, neque illum ad gratiæ ordinem elevaſſet, ſed in puris naturalibus condidiſſet; & ille mortaliter peccaret (ſive unuſquiſque pro ſe tantùm, quia nullus conſtitutus fuiſſet caput morale cæterorum: ſive primus pro ſe, & pro poſteris, quia fuiſſet conſtitutus eorum caput, ſub eo pacto ut ſi non ſervaret aliquod præceptum, pro ſe, & pro omnibus delinqueret, qui caſus non fuit impoſſibilis) peccatum habituale inde ſive in uno, ſive in omnibus reſultans non conſiſteret in privatione gratiæ vel prædictæ juſtitiæ: igitur nec modò in ea conſiſtit. Conſequentia videtur perſpicua: quia cum eſſentiæ rerum, & earum rationes conſtitutivæ ſint invariabiles, nequibit modo eſſe conſtitutivum prædicti peccati, quod tunc non eſſet. Antecedens vero probatur: quoniam in prædicto caſu neque juſtitia originalis, neque gratia eſſet debita haberi ab homine: ſecluſa enim promiſſione divina, & elevatione ad ordinem ſupernaturalem, nullus eſſet titulus hujus debiti: ubi autem forma non eſt debita, quantuncunque deſit, eius carentia non habet rationem privationis, ſed ſolius negationis: nulla eſſet ergo tunc privatio gratiæ, vel prædictæ iuſtitiæ, quæ poſſet habituale, aut originale peccatum conſtituere.

Vltimum argumentum.

153 Occaſione huius argumenti laborant aliqui ut explicent qualiter carentia gratiæ in ſtatu naturæ puræ poſſet habere rationem peccati, ſive perſonalis tantùm, ſive etiam originalis? Neque inutilis labor, ſi aſſequatur finem. Si quis nanque vel ſine debito habendi gratiam propter ſolum debitum non apponendi obicem, invenire valeat in eius carentia rationem privationis: vel ipſum debitum habendi gratiam in homine exiſtente in pura natura detegat, eo ipſo quòd peccaret mortaliter; quatenus dum per tale peccatum offenderet Deum ut finem naturalem directè, indirectè offenderet etiam, & tangeret illum ut finem ſupernaturalem, & ex ſuppoſitione quòd utrovis modo ipſum tangeret, incurreret debitum exhibendi illi utriuſque ordinis

Inſinuatur prima ſolutio exercens ingenium.

ſubje

ſubjectionem, atque adeo convertendi ſe in eum per gratiam; licèt ex parte Dei nullum eſſet debitum gratiam conferendi, quæ via non diſplicet: vel denique ſine debito, & privatione defendere auſus ſit carentiam gratiæ, quæ tunc daretur, poſt commiſſum peccatum mortale habituram quicquid requiritur ad rationem voluntariæ, & peccaminoſæ propter conjunctionem, vel reſpectum ad tale peccatum, ratione cujus ab ſtatu ſimplicis carentiæ non excludentis, nec negantis ordinem ad finem ſupernaturalem; ſed dumtaxat, ab eo præſcindentis: tranſiret ad ſtatum carentiæ negativæ excludentis & negantis prædictum ordinem; ingenioſe ſolvet argumentum.

Sufficiens & facilior ſolutio. Sed nos, ea difficultate aliò reſervata, reſpondebimus nunc, nullum eſſe inconveniens, ſi dixerimus peccatum habituale in illo ſtatu fore alterius eſſentiæ, & rationis, ac modo eſt; ac proinde habiturum aliud conſtitutivum. Ad conſtituendum vero, ſeu denominandum peccatum habitualiter in illo ſtatu, ſi nihil intrinſecum appareat, ſufficeret denominatio extrinſeca ſumpta à peccato actuali præterito non retractato. Modò enim propterea denominationem hanc à conſtitutione peccati originalis reiicimus, quia ex multis principiis habemus tale peccatum eſſe aliquid manens in nobis, & intrinſecè nos afficiens: ob idque non licèt prædictam conſtitutionem peccato jam præterito, & extrinſeco tribuere. Tum etiam quia tam pro peccato originali, quàm pro aliis habitualibus conſtituendis habemus de facto privationem gratiæ intrinſecam & voluntariam, in qua concurrunt omnia ad prædictum effectum requiſita: ubi autem pro aliquo effectu conſtituendo adeſt ratio intrinſeca ſufficiens, non licet ad denominationes extrinſecas recurrere, imo quoties adeſt ratio intrinſeca alicujus denominationis, impedit ne forma extrinſeca illam communicet. At vero in alio ſtatu ubi neque eſſet hæc privatio, neque alia gaudens conditionibus ad conſtituendum peccatum habituale requiſitis, nihil diceretur *peccatum habituale* cum ea proprietate, & veritate, qua nunc dicitur. Poſſet autem quicunque mortaliter deliquiſſet, denominari utcunque *peccator* per prædictam denominationem extrinſecam ab actu præterito; longe tamen aliò modo, ac nunc dicitur à privatione intrinſeca

154 Diximus *ſi nihil intrinſecum appareat*, &c. quia non eſt difficile in prædicto ſtatu naturæ, ſecluſo omni ordine ad gratiam, aſſignare aliquam privationem intrinſecam cum conditionibus ſufficientibus ad conſtituendum peccatum habituale in eo ſtatu poſſibile. Hæc autem eſſet privatio naturalis rectitudinis, ſeu naturalis inclinationis ad bonum honeſtum ſecundum ſuperiorem partem animæ, ſuperiorémque rationem: per quam homo dum non peccaret, eſſet iuxta exigentiam & poſſibilitatem illius ſtatus habitualiter converſus in Deum, ut finem ultimum naturalem. Hæc enim rectitudo, & inclinatio, niſi homo peccaret, in nullo ſtatu illi deeſſet: quia ſecundum rem non differt ab ipſa rationali natura, & naturalibus ejus principiis: tolleretur autem aliqualiter ab eo per peccatum, quia hoc ſemper diminuit inclinationem naturalem ad bonum. Et quoniam per huiuſmodi inclinationem homo exhibet Deo ſubiectionem habitualem, quam debet, nequit non eius carentia quoad ſuperiorem partem animæ habere rationem privationis avertentis ab ipſo Deo, ac proinde peccaminoſæ.

Neque obeſt ſi obiicias, quòd ſi prædicta inclinatio non eſt aliquid diſtinctum à natura rationali, & ejus principiis, non auferetur per peccatum: quia peccatum non tollit principia naturæ. Si autem ſit quid diſtinctum, eo ipſo non pertinebit ad ſtatum naturæ puræ, in quo conſideramus illa dumtaxat, quæ natura ex ſe ipſa habet ſine aliquo ſibi ſuperaddito. Tum etiam quia ſi in illo ſtatu peccatum actuale induceret privationem naturalis rectitudinis, & hæc privatio eſſet ſufficiens ad peccatum habituale conſtituendum, etiam modò id haberet: cum non minus nunc, quam tunc peccata, quæ committimus, prædictam rectitudinem auferant: vel diminuant. Fruſtra ergo confugimus modò pro conſtituendo prædicto peccato ad gratiæ privationem. Vel ſi utraque privatio ad id ſufficit, quoties aliquis peccat: cogemur dicere, quòd duplex habituale peccatum incurrat. Objectio.

Reſpondetur enim ad primum, prædictam inclinationem (quæ, ut diximus, non diſtinguitur ſecundum rem ab ipſa natura rationali, & eius principiis) non tolli omnino per peccatum, diminui tamen; & ratione huius diminutionis cauſatur in ea aliqua privatio: caret enim illo amplius, quod haberet, ſi per peccatum non diminueretur. Hæc autem diminutio (ut ſic alia replica diluatur) non fit ex parte ſubjecti ſubſtrahendo ab eo aliquid entitatis, ſed ex parte termini apponendo impedimentum, quo prædicta inclinatio redditur minus habilis, minuſque expedita ad ſuum terminum attingendum, ſeu magis elongata, & remota ab illo. Quod qualiter eveniat, explicat D. Thom. infra quæſt. 85. art. 2. his verbis. *Dicendum, quòd prædicta inclinatio intelligitur ut media inter duo; fundatur enim ſicut in radice in natura rationali, & tendit in bonum virtutis ſicut in terminum & finem. Dupliciter ergo poteſt intelligi ejus diminutio: uno modo ex parte radicis, alio modo ex parte termini. Primo quidem modo non diminuitur per peccatum, eò quòd peccatum non diminuit ipſam naturam: ſed diminuitur ſecundo modo, in quantum ſcilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum*, &c. Quam doctrinam latius adduximus ſupra diſp. 10. num. 15. & in annotat. ad citatum art. 2. amplius declarabimus. ¶ Si vero poſtules, quid ſit illud impedimentum, quod apponit peccator, dum peccat, & manet habitualiter diminuens prædictam inclinationem? ¶ Reſpondetur, non eſſe neceſſarium pro nunc aliud aſſignare præter ipſum peccatum actuale: quod licèt phyſicè præterierit, manet tamen moraliter in Dei abominatione, manetque voluntas peccatoris moraliter illi adhærens, dum ipſum non retractat: ſicque impedit, ne prædicta naturalis inclinatio ad ſuum terminum, qui eſt Deus ut finis ultimus naturalis, attingat. 155 Diluitur. D. Thom.

Digitized by Google

Ad ſecundum reſpondetur, privationem iſtam inclinationis naturalis reſpectivè ad privationem gratiæ tantùm eſſe ſecundum quid: quia non tollit ſimpliciter aliquam formam, ſed ſolùm eam quodammodo diminuit. Unde licèt talis privatio, ſi daretur ab alia ſeparata, ſicut in pura natura dandam pro nunc admittimus, deberet aſſignari ut conſtitutiva peccati; modò tamen quando ſimul adeſt gratiæ privatio, quæ eſt talis abſolutè & ſimpliciter, hæc duntaxat pro conſtitutiva peccati haberi debet, alia vero ad eam reduci ut quid in ſuo genere valde diminutum: & ita nunquam ex unico peccato actuali duplex habituale conſurget. ¶ Adde, privationem, quæcunque illa ſit, non conſtituere peccatum habituale, niſi ut ſtat ſub reſpectu ad actuale, ex quo emanavit: atque adeo præcedente dumtaxat unico actuali peccato, quantuncunque privationes multiplicarentur, non conſtituerent plura habitualia: quia in ordine ad talem conſtitutionem non ponerent in numero; ſed ſub unico reſpectu adunarentur. Alia argumenta minoris momenti poſſemus hîc adducere, quæ tamen conſulto prætermittimus: quia ex doctrina hucuſque tradita poterunt facile diſſolvi.

Ex dictis toto hoc dubio circa eſſentiam peccati originalis habet deciſum aliud ejuſdem ferè difficultatis circa eſſentiam peccati habitualis perſonalis: quod ſolet moveri infra quæſt. 86. Quæ enim in præſenti adducta ſunt, de utroque peccato convincunt, debere in privatione gratiæ conſiſtere. Sicut & quæ adduximus dub. 3. de utroque probant, non conſiſtere in aliquo poſitivo. Unde non opus erit pro ipſo peccato habituali perſonali novam diſputationem vel dubium excitare. Aliqua tamen adducemus circa artic. 1. & 2. quæſt. 86. præſertim ex doctrina D. Thomæ, ex quibus huc uſque dicta majorem confirmationem accipient.

DUBIUM VI.

Quæ ſit ſpecies atoma originalis culpæ?

156 QUamvis hucuſque tam multa dixerimus ad declarandam naturam peccati originalis; nondum tamen niſi gradum genericum, & rationem illi cum cæteris habitualibus communem aperire licuit: ad quam, non vero ad differentialem ſpectat, an ſit, vel non ſit poſitivum, conſiſtat, vel non conſiſtat in privatione gratiæ? &c. Supereſt ergo pro complemento diſputationis, ut examinemus quæ ſit ejus ratio ſpecifica, & atoma: ſeu ad cujus vitii ſpeciem tale peccatum pertineat: an ſcilicet ſuperbiæ, gulæ, inobedientiæ, aut alterius ſimilis? Unde nullatenus hanc difficultatem expediunt, qui dicunt ſpeciem prædicti peccati in eo ſitam eſſe, ut ſit *originale*, quod nulli alii convenit. Nam eſſe, vel non eſſe originale in aliquo peccato non pertinet ad ſpeciem; ſed ſolùm dicit quemdam peculiarem modum procedendi à cauſa effectiva, qui potuiſſet accidere cuilibet ſpeciei peccati. Quare licet diverſitas in hoc modo procedendi cauſet diſtinctum ſpecie voluntarium: quia iſtius ratio attenditur penes modum exeundi à principio effectivo; non tamen poteſt diverſificare ſpeciem malitiæ; quæ ſemper ſumitur ab objecto, vel ab eo, quod ex parte objecti ſe tenet. Eſtque hujus ferè evidens confirmatio. Tum quod nemo Theologorum hactenus dixit eſſe diſtinctum ſpecie peccatum illud, quod in Adamo remanſit ab eo, quod in nos traduxit: & tamen hoc eſt originale, quia per originem ad nos devenit; illud vero non fuit originale, quia non fuit origine acceptum. Non ergo hæc poteſt eſſe ratio differentialis, & ſpecifica talis peccati. Tum etiam quòd ſi Adamus commiſiſſet aliud ſpecie peccatum ab eo, quod de facto commiſit, conſequenter traduxiſſet ad nos peccatum aliud ſecundum ſpeciem ab eo, quod de facto traduxit: & tamen in utroque caſu peccatum, quod traduceret, eſſet originale: ergo ratio originalis in peccatò non dat, neque tollit ſpeciem. Aliunde ergo deſumenda eſt illa, quam inveſtigamus, philoſophandúmque quoad hoc de peccato originali, ac ſi originale non eſſet: & ſicut philoſophamur de cæteris habitualibus ſecundum objectum, finem, & circunſtantias, quæ ſunt principia ſpecificativa moralitatis; Quia vero in eodem peccato plures malitiæ ſpecies concurrere ſolent, hoc quoque in originali an contingat, videndum eſt: & quæ ſit in eo principalis, & primaria; quæ autem ſecundaria, & minus principalis?

Species peccati originalis non eſt quod ſit originale.

Cæterum ad faciliorem dubii deciſionem obſervandum eſt; peccata habitualia ſecundum ſe non conſtituere novam ſpeciem; ſed reduci ad ſpeciem actualium, à quibus proceſſerunt: ſive quia actus & habitus circa idem objectum conveniunt ſpecificè in eſſe materiali; quamvis phyſicè differant: ſive quia cum peccatum habituale nihil aliud ſit niſi quidam terminus peccati actualis, non ponit cum eo in numero, ſed reducitur ad ipſum. Quæcunque ergo hujus ſit ratio, id certo certius eſt, quod in aſſignandis ſpeciebus peccatorum habitualium, recurrendum eſt ad actualia, unde proceſſerunt, eaſdémque omnino ſpecies malitiæ, quæ in iſtis concurrunt, ſub eiſdémque nominibus eſſe illis tribuendas. Ad inveſtigandam ergo ſpeciem peccati originalis recurrere debemus ad primum peccatum actuale Adami, quod fuit ejus cauſa: & quæ in tali peccato ex objecto, fine, aut circunſtantiis apparuerint malitiæ, has & nullam aliam tribuemus originali. Quare & ſi præſens dubium propter ordinem doctrinæ ſub titulo *peccati originalis* ſit propoſitum, in ejus tamen deciſione cum ipſo peccato actuali Adami res habenda erit, vixque neceſſe habebimus alterius meminiſſe.

Peccata habitualia reducuntur ad ſpeciem actualium.

§. I.

Sententia Angelici Doctoris.

DIcendum igitur eſt, malitiam primariam, & eſſentialem peccati Adami fuiſſe ſpeciei ſuperbiæ, atque adeo peccatum noſtrum originale ad hanc ſpeciem primariò pertinere. Hæc concluſio habetur in Sacra Scriptura Eccleſiaſtici 10. ubi dicitur 157

Prima concluſio.

Eccleſiaſtici 10.

Initium

Digitized by Google

Tob. 4.

Initium omnis peccati ſuperbia. Et Tobiæ 4. *In ipſa* (ſcilicet ſuperbia) *initium ſumpſit omnis perditio.* Quæ verba de primo Adami peccato, à quo omnis noſtra perditio, & peccatum ortum deſumpſit, intelligunt D. Auguſtinus lib. 14. de civitate Dei, cap. 13. D. Thom. locis infra referendis. Abulenſis in 3. cap. Geneſ. quæſtione 6. & plures alii. Deducitque optimè hanc veritatem idem Abulenſis, (quod & prius præſtitit Angel. Doctor.) ex ordine tentationis, qua diabolus primos parentes invaſit. Nam ut habetur Geneſ. 3. primum motivum, quod illis propoſuit ad comedendum de ligno vetito, fuit inordinata excellentia ſui ipſorum, nempe *eritis ſicut dii ſcientes,* &c. quæ eſt proprium motivum, & objectum, ſuperbiæ. Sciebat enim callidiſſimus hoſtis, nihil ita efficax ad illorum appetitum afferendum objicere potuiſſe, ſicut prædictam excellentiam. Adeoque optimè deducitur, ipſos primos parentes hoc motivo fuiſſe primo elatos, indéque ad comedendum de ligno vetito proceſſiſſe, per quam comeſtionem ipſe diabolus talem excellentiam aſſequendam promiſerat. Unde aſſertionem noſtram tuentur non modo D. Auguſtinus, D. Thom. & Abulenſ. jam citati, idemque Auguſtinus de Geneſi ad literam lib. 11. cap. 3. & 4. & in Enchirid. cap. 45. ſed etiam D. Baſilius in oratione *quod Deus non ſit auctor malorum.* D. Proſper libro ſecundo, de vita contemplativa, cap. 9. Divus Gregorius lib. 4. moralium, cap. 9. Leo Papa ſerm. 5. de Nativitate Domini, Eucherius libro primo, in Geneſ. Chryſoſtomus homil. 16. in Geneſ. Fulgentius lib. 2. de Incarnatione & gratia Chriſti, cap. 22. Damaſcenus lib. 2. de fide, cap. 10. Bernardus ſerm. 1. de adventu, & alii Patres. Cum quibus ſentiunt Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 22. Durandus ibidem quæſt. 1. Cajetanus 2. 2. q. 163. artic. 1. & 2. Sotus lib. 1. de natura, & gratia, cap. 5. Bellarminus lib. 3. de amiſſione gratiæ, c. 5. Peterius lib. 6. in Geneſ. quæſt. 2. Granad. controv. 2. de geſtis mirabilibus vitæ Chriſti tract. 1. diſput. 1. ſect. 6. Monteſ. in præſenti diſp. 11. quæſt. ſua 5. dicens eſſe communem ſententiam ſcholaſticorum.

D. Auguſt. D. Thom. Abulenſ. D. Baſil. D. Proſper. D. Gregor. Leo. Eucher. Chryſoſt. Fulgent. Damaſc. Bernard. Magiſt. ſent. Durand. Caiet. Sotus. Bellarm. Perer. Granad. Monteſ.

D. Thom.

Omiſſis autem aliis rationibus, ut brevitati conſulamus, eam dumtaxat proponemus, quam tradit D. Thom. 2. 2. quæſt. 163. art. 1. ubi rem ex profeſſo examinat his verbis : *Dicendum, quod ad unum peccatum multi motus concurrere poſſunt : inter quos ille habet rationem primi peccati, in quo primo inordinatio invenitur. Manifeſtum eſt autem, quod primò invenitur inordinatio in motu interiori animæ, quàm in actu exteriori corporis : quia ut Auguſtinus dicit in 1. de civitate Dei, non amittitur corporis ſanctitas, manente animæ ſanctitate. Inter motus autem interiores prius movetur appetitus in finem, quàm in id, quod quæritur propter finem. Et ideo ibi fuit primum peccatum hominis, ubi potuit eſſe primus appetitus inordinati finis. Sic autem homo erat in ſtatu innocentiæ inſtitutus, ut nulla eſſet rebellio carnis ad ſpiritum. Vnde non potuit eſſe prima inordinatio appetitus humani ex hoc quod appeteret aliquod ſenſibile bonum, in quod carnis concupiſcentia tendit præter ordinem rationis. Relinquitur ergo, quod prima inordinatio appetitus humani fuit ex hoc, quod aliquod bonum ſpirituale inordinatè appetiit. Non autem inordinatè appetiviſſet appetendo id ſecundum ſuam menſuram ex divina regula præſtitutam. Vnde relinquitur, quod primum peccatum hominis fuit in hoc, quod appetiit quoddam ſpirituale bonum ſupra ſuam menſuram: quod pertinet ad ſuperbiam. Vnde manifeſtum eſt, quod primum peccatum primi hominis fuit ſuperbia.*

Quæ autem fuerit illa excellentia, quam 158
Adamus inordinatè appetiit, declarat S. Doctor. art. ſequenti his verbis : *Primus homo peccavit principaliter appetendo ſimilitudinem Dei quantum ad ſcientiam boni & mali, ſicut ſerpens ei ſuggeſſit : ut ſcilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret ſibi quid eſſet bonum, & quid malum ad agendum : vel etiam ut per ſe ipſum præcognoſceret, quid ſibi boni, vel mali eſſet futurum. Et ſecundario peccavit appetendo ſimilitudinem Dei quantum ad propriam poteſtatem operandi : ut ſcilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem conſequendam,* &c. Eodem ferè modo explicuit objectum illius peccati ipſe Angel. Doctor. in 2. diſt. 22. quæſtione prima, articulo primo, ubi poſtquam aſſignavit objectum excellens, circa quod Angelus ſuperbivit, de objecto ſuperbiæ Adami, ſic ait : *Homo vero, qui creaturis inferioribus ſuperpoſitus erat, ut eas regeret, & eis uteretur non tam per potentiam, quam per prudentiam, hoc modo appetiit, ut per naturæ ſuæ conditionem, & ligni prohibiti edulium tantam ſcientiæ plenitudinem conſequeretur, ut ex lumine propriæ rationis, quod tamen à Deo ſibi collatum eſſe credebat, & ſe ipſum regeret in omnibus, & inferiora ſibi ſubjecta. Vnde Auguſtinus dicit, quod noluit ut ſervus teneri præcepto quaſi ab alia regula per lumen naturali lumini ſuperadditum. Et hoc etiam verba ſerpentis oſtendunt, qui promiſit ſcientiam boni, & mali, quod ad actiones pertinet, & ad gubernationem rerum.* Legatur etiam ad Roman. 5. lect. 5.

Idem.

§. II.

Prima objectio adverſus rationem D. Thomæ, & ejus enervatio.

QUamvis autem ratio Angel. Doctoris efficaciſſima ſit, & rem optimè declaret, patitur nihilominus aliquas objectiones: quæ propoſitæ & ſolutæ pleniorem ejus parient intelligentiam. Primò ergo objicies, non ſatis probari ex prædicta ratione, primum Adami peccatum, ſeu primam ejus deformitatem fuiſſe ſuperbiæ. Tum, quia non oſtenditur, cur tale peccatum debuerit eſſe circa finem, aut non potuerit eſſe circa media ; ſicut in nobis ſæpe accidit, qui etiam nullo intento pravo fine multoties incurrimus peccatum propter electionem mali medii : ut cum quis ad dandam eleemoſynam, vel ad congruam ſuſtentationem eligit *furari.* Cur ergo non potuiſſet Adamus in primo ſuo peccato à prava aliqua electione incipere ? Et licèt concederetur debuiſſe incipere à fine, non tamen oſtenditur incipiendum eſſe à fine ultimo, ſicut prædicta ratio videtur ſupponere : potuiſſet enim incipere ab intermediis. ¶ Deinde eſto prima deordinatio circa finem ultimum contigerit, non probatur hujuſmodi finem debuiſſe eſſe propriam excellentiam, quæ eſt ſuperbiæ objectum : nam potuit eſſe, vel inor-

dinatus

dinatus amor uxoris, qui pertineat ad luxuriam, vel nimietas in addiſcendo, quæ eſt objectum curioſitatis, vel aliud bonum ſimile. ¶ Præterea etiam circa propriam excellentiam potuit Adamus delinquere multis aliis viis, quærendo inordinatè illam; vel in honoribus, ſive dignitatibus, quod pertinet ad ambitionem, aut ad philotimiam vitium; vel in magnitudine operum, quod pertinet ad præſumptionem, vel in laude quod pertinet ad inanem gloriam. Non eſt ergo cur dicamus, primum illud peccatum debuiſſe potius pertinere ad ſuperbiam, quàm ad aliud vitium ex prædictis.

159 Solvitur objectio cum prima, & ſecunda probatione. Reſpondetur negando antecedens: quicquid enim ſit, an de lege abſoluta potuerit Adamus ab alio, quàm à peccato ſuperbiæ incipere, tamen quod de facto hoc fuerit primum, imò & quod attenta ſuavi providentia, & communi rerum curſu, non potuerit eſſe aliud, optimè convincitur ratione Angel. Doctoris. Ut autem probationibus contrariis occurramus, recolendum eſt id, quod ſæpe diximus, videlicet in ſtatu innocentiæ omnia in homine fuiſſe perfectè coordinata: itaut unumquodque firmiter ſub ſuo ſuperiori contineretur: nempe corpus ſub anima, appetitus ſenſitivus ſub ratione, & ratio inferior ſub ratione ſuperiori, quandiu iſta ſub Dei amore conſervaretur: hujuſmodi enim ſubjectio, & firmus ordo erat proprius effectus originalis juſtitiæ. Ex ipſoque omnino fiebat, ut appetitus ſenſitivus in nullum objectum propenderet niſi ex imperio rationis, itaut quicquid ratio ipſa prius non approbaret, præciperétque ejus proſequutionem, nequaquam poſſet illum allicere. Similiter ut nec ratio inferior tenderet in aliquid niſi juſſa à ſuperiori. Atque adeo omnes animi motus, ſive proſequutionis, ſive fugæ debebant ab ipſa ratione ſuperiori inchoari.

Atque hinc etiam fiebat, ut ipſa ratio ſuperior nullius pravi medii, aut pravi finis intermedii electionem, vel intentionem imperaret, niſi præſuppoſita prava intentione ultimi finis. Et ratio eſt: quia ante hujuſmodi pravam intentionem in nullo inordinato medio, vel fine intermedio poterat apparere aliqua ratio boni, ſeu convenientis. Aut enim talis convenientia eſſet per ordinem ad appetitum ſenſitivum, inferioremque hominis partem? Et hoc non, quia tota hæc pars erat taliter rectificata, ut nihil reſpectu ejus offerret convenientiam, niſi quod ratio ſuperior ut ſibi per ſua principia conveniens approbaret. Præcluditur. Aut eſſet talis convenientia per ordinem ad ipſam partem, & rationem ſuperiorem ſecundum ſe? Et neque hoc dici poteſt: quia hæc ratio per ſua principia nihil approbat, niſi quod eſt juxta finem ultimum à quo cæterorum omnium agendorum regulam deſumit. Quandiu ergo prædicta ratio immediatè circa hujuſmodi finem non delinqueret, conſtituendo illum in aliquo bono improportionato, impoſſibile erat, ut aliquid aliud inordinatum, vel ipſi rationi ſuperiori, vel alicui hominis appetitui ſub ſpecie boni, & convenientis repræſentaretur. Debuit itaque primum peccatum indiſpenſabiliter à fine ultimo incipere, indéque ad alia derivari. D.Thom. Quam doctrinam deſumpſimus ex D. Thoma infrà quæſtione 89. art. 3. & quæſtione 7. de mal. articulo 7. ubi poſt alia inquit: *Contingit autem & in objectis rationis eſſe ordinem ſuperioris, & inferioris, & in ſpeculativis, & in practicis. Sicut enim principium indemonſtrabile eſt ſupremum in ſpeculandis: ita finis ſe habet in operabilibus. Unde quandiu ſuperior ratio hominis bene ſe habuiſſet circa finem, nullo modo deficere potuiſſet circa ea, quæ ſunt ad finem propter indefectibilem ordinem inferiorum ad ſuperiora ſecundum conditionem illius ſtatus.*

Alia autem ratio eſt in hoc ſtatu naturæ lapſæ: nam cum pars inferior deſtituta maneat prædicta rectitudine, contingit repræſentari quàm multa objecta inordinata cum convenientia reſpectu illius, ut ſic deſtitutæ, quæ reſpectu rationis ſuperioris ſecundum ſe, vel reſpectu ejuſdem partis ut rectificatæ convenientiam non habent: unde allicientibus hujuſmodi objectis appetitum propter prædictam convenientiam, inſurgunt in eo motus inordinati, qui rationem ſuperiorem obnubilant, & voluntatis conſenſum, etiam inconſulto fine ultimo, ſollicitant, & extorquent: & ob hanc cauſam ſæpe peccatum initium ſumit ab intermediis, indéque refunditur in ultimum finem. Per quod patet ad primam, & ſecundam probationem objectionis propoſitæ, & quam rectè D.Thom. in ſua ratione aſſeruerit, primam malitiam peccati Adami debuiſſe eſſe immediatè circa finem ultimum.

Ad tertiam reſpondetur, ſufficienter ex eadem ratione haberi, objectum prædicti peccati fuiſſe propriam excellentiam: quia cum tale peccatum propter illa, quæ nuper diximus, debuerit initium ſumere à ratione ſuperiori ſecundum ſe, debuit habere pro objecto tale bonum, ad quod prædicta ratio ſecundum ſe afficeretur: ratio autem ſuperior ſecundum ſe non afficitur ad bona ſenſibilia, hoc enim munus eſt appetitus ſenſitivi, vel ejuſdem rationis non ſecundum ſe, ſed ut à tali appetitu ſollicitatæ, & ad ipſum depreſſæ: ſolùm ergo ſecundum ſe affici poteſt ad bona ſpiritualia, in quibus excellentia rationalis naturæ conſiſtit, atque adeo ſola hæc bona, & eorum excellentia potuit eſſe objectum primarium prædicti peccati. Unde quoad hoc idem dicendum eſt de Adamo, quod de Angelo dixit D. Thom. 1. part. quæſt. 63. artic. 2. his verbis: *Spiritualem naturam* (ſub natura intellige etiam ſpiritualem potentiam, qualis eſt ratio ſuperior) *affici non contingit ad bona, quæ ſunt propria corporis, ſed ad ea, quæ in rebus ſpiritualibus inveniri poſſunt: nihil enim afficitur niſi ad id, quod ſuæ naturæ poteſt eſſe quodammodo conveniens. In ſpiritualibus autem bonis non poteſt eſſe peccatum, dum aliquis ad ea afficitur, niſi per hoc quod in tali affectu ſuperioris regula non ſervatur. Et hoc eſt peccatum ſuperbiæ, non ſubdi ſuperiori in quo debet. Unde peccatum primum Angeli non poteſt eſſe aliud, quam ſuperbia. Sed conſequenter*, &c. 160 Occurritur tertiæ probationi.

Quod autem dicitur de inordinato amore uxoris nullius momenti eſt: nam præterquam quod amor Adami erga Evam quantumvis intenſus, & affectuoſus, ſecluſa alia prava circumſtantia, inordinatus non fuiſſet: ſi tamen id haberet, nihilominus excluderetur à ratione primi peccati: quia cum eſſet de objecto ſenſibili non ſpectaret ad rationem ſuperiorem ſecundum ſe ob rationem nuper factam

ctam: à qua, ut diximus, debuit oriri prædictum peccatum. Similiter non obeſt illud, quod dicitur de curioſitate: quia curioſitas etiamſi ſit circa cognitionem intellectivam, non excludit ex genere ſuo limites peccati venialis. Adamus autem non potuiſſet peccare venialiter, niſi prius mortaliter deliquiſſet: ut, cum D. Thom. videbimus infrà q. 89. art. 3. Diximus *etiamſi ſit circa cognitionem intellectivam*, &c. quia peccatum curioſitatis potius accidit circa ſenſitivam: circa quam non potuiſſe primò peccare Adamum, ſicut nec circa quodcumque aliud objectum ſenſibile ſatis habetur ex dictis.

161 Occurritur ultimæ. Ad ultimam probationem reſpondetur omnia alia peccata, quæ circa propriam excellentiam contingunt, ſupponere (ſaltem ſecundum communem curſum) peccatum ſuperbiæ: eo quod iſtius objectum habet eſſe prius natura objectis illorum: unde quia inter actus & peccata ſervatur idem ordo, qui eſt inter objecta, non potuit non voluntas Adami priuſquam per ambitionem, philotimiam, præſumptionem, aut inanem gloriam, per ſuperbiam delinquere. Ratio vero quare objectum ſuperbiæ ſit prius, facile reddi poteſt. Quoniam ſuperbia habet pro objecto excellentiam propriam ut ſic, ſeu in toto ſuo ambitu ſine reſtrictione ad particularem materiam; cætera autem prædicta vitia habent pro objecto excellentiam non ut ſic, ſed ut ad hanc, vel illam materiam determinatam, & ipſius materiæ propriam: puta præſumptio excellentiam in operibus; ambitio aut philotimia excellentiam in honoribus, vel dignitatibus: inanis gloria excellentiam in laude; conſtat autem excellentiam ut ſic, ſeu ſine reſtrictione eſſe priorem prioritate naturæ qualibet excellentia peculiari, & determinata: ſicut genus eſt prius qualibet ſpecie. Poteſtque hoc explicari exemplo amoris, deſiderii, & gaudii: nam quia objectum amoris eſt bonum ſecundum abſolutam rationem, prout ſine reſtrictione ad hanc, vel illam conditionem conſideratur; objecta vero deſiderii, & gaudii ſunt bonum ut determinatum aliqua particulari conditione, nempe abſentis, vel præſentis, & bonum abſolutè acceptum eſt prius, quam bonum ſic determinatum, idcirco gaudium, & deſiderium de qualibet re præſupponunt ejus amorem; nemo enim deſiderat niſi quod amat; neque gaudet niſi quia præſens habet quod amat. De *D. Thom.* quo videndus eſt D. Thom. ſupra q. 25. art. 1. ad 2. ubi hac eadem ratione probat, alias paſſiones, ſive iraſcibilis, ſive concupiſcibilis omnes oriri ex amore, & ab illo procedere. Eodem ergo proportionali modo philoſophandum eſt de ſuperbia, cujus objectum eſt inordinata excellentia abſolutè ſumpta, in comparatione ad alia peccata; quæ habent pro objecto inordinatam excellentiam in materia tali, vel tali.

162 Alia objectionis ſolutio. Secundò ad totam hanc objectionem reſpondetur, quod etiamſi admitteremus Adamum potuiſſe primò peccare alio peccato diſtincto à ſuperbia; nullatenus tamen cogimur concedere de facto ita accidiſſe: nam eſt perſpicuum potuiſſe etiam ſaltem æque bene incipere à ſuperbia; imo etiam eſt perſpicuum motivum ſuperbiæ, ſcilicet propriam excellentiam abſolutè ſumptam fuiſſe aptius quocumque alio motivo ad efferendam voluntatem Adami contra divinum præceptum: cito enim apparet, nihil potuiſſe repræſentari reſpectu hominis conditi in tanta felicitate, animi tranquillitate, & paſſionum quiete adeo efficax, & accommodatum ad illum incitandum, & commovendum, ſicut prædictam excellentiam propoſitam ſine menſura, & regula deprimente, & ſubjiciente: quo pacto conſtituit ſuperbiæ objectum. Unde cum pro hac parte habeamus tot Sanctorum indicia; & teſtimonia Scripturæ ſatis expreſſa, ſine dubio tenendum eſt, ita contigiſſe de facto: quicquid ſit an aliter evenire potuerit: in rebus enim, quæ ſic vel aliter contingere potuerunt, quod de facto contigerit, debet nobis innoteſcere teſtimoniis illorum, quibus Deus manifeſtavit.

§. III.

Objectio alia difficilior.

Deinde objicies, non ſatis in noſtra ratione declarari, quo pacto fuerit inordinata illa excellentia, circa quam Adamus deliquit, aut quæ fuerit regula & menſura, quam in ejus appetitu debuit obſervare, & ſuperbiendo præterivit. Non enim hæc menſura potuit eſſe aliqua limitatio, & determinatio, quam Deus præfixerit circa quantitatem objecti, v. g. ut appeteret tantam ſcientiam, & non majorem, aut ſcientiam talium rerum, & non aliarum: in bonis namque ſpiritualibus, ut in ſcientia, gratia, & virtute, nulli Deus hujuſmodi limitationem præfigit. Quin potius ſicut habere ſcientiam, & expellere ignorantiam per ſe loquendo ſemper eſt bonum, & conſonum divinæ voluntati: ita habere ſcientiam majorem, & majorem, & plurium, & plurium rerum ſemper eſt per ſe melius, & divinæ voluntati conformius. Si autem dicas prædictam menſuram fuiſſe aliquem modum, vel relationem, quam Adamus adhibere tenebatur in appetitu illius ſcientiæ: v. g. quia teneretur non appetere illam niſi referendo ad finem ſupernaturalem, & quia appetiit ſine hujuſmodi relatione, appetiit excellentiam ſine debita menſura, quod eſt *ſuperbire*. Contra eſt: tum quia nullum apparet præceptum, ratione cujus Adamus teneretur ad prædictam relationem. Tum etiam, quia etiamſi tale præceptum fuiſſe concedamus, cum eſſet affirmativum, non obligaret pro ſemper, ſed pro determinato tempore, nempe pro primo, vel ſecundo inſtanti: in quo ſicut Angelus ita homo tenebatur ſe & omnia ſua in finem ſupernaturalem dirigere: tranſacto vero illo inſtante, ſicut nulla manſit obligatio ad hanc directionem, ita ejus omiſſio non poterat eſſe peccaminoſa. 163

Confirmatur: nam idcirco Angelus in ſecundo inſtante ſuperbe deliquit, quia cum eſſet primum inſtans pleniſſimæ libertatis, urgebat tunc charitatis præceptum ad eliciendum actum amoris Dei ſuper omnia, referendamque in illum propriam excellentiam ſuæ naturalis beatitudinis: ob idque amare pro tunc hujuſmodi beatitudinem, omiſſo tali actu, fuit velle propriam excellentiam ſine debita menſura. Si autem pro prædicto ſecundo inſtante præceptum charitatis adimpleret, non jam deinceps

Digitized by Google

deinceps ſuperbe peccaret, quamvis propriam excellentiam ſine prædicto actu diligeret, quia nihil debitum admittebat: ergo cum peccatum Adami non fuerit pro primo, vel ſecundo inſtante, ſed multo poſt, quando jam neque præcepto charitatis, neque alio tenebatur referre ſuam ſcientiam, & excellentiam ejus ad finem ſupernaturalem, non eſt dicendum amaſſe tunc prædictam excellentiam ſine debita menſura, aut in hoc ſuperbiiſſe; etiamſi in eo appetitu non adhibuerit talem relationem.

164 Hæc objectio alias difficilis facilem habebit ſolutionem, ſi verum ſit, quod aliqui autumant: videlicet Adamum uſque ad tempus ſui peccati habuiſſe præceptum non appetendi illam excellentiam, circa quam deliquit niſi ex auxilio ſupernaturali, & cum actuali recurſu ad hoc auxilium, itaut hujuſmodi recurſus eſſet menſura præfixa à Deo, & ſervanda ab Adamo in appetitu prædictæ excellentiæ: unde quia ſine tali recurſu illam appetiit, appetiit ſine debita menſura, atque adeo ſuperbe. Juxta quam ſolutionem eodem modo philoſophandum erit de ſuperbia Adami, ac de ſuperbia Angeli: cum eo tantum diſcrimine, quod objectum primarium ſuperbiæ Angeli fuit excellentia naturalis beatitudinis, quam naturaliter poſſidebat: menſura autem, quam tenebatur adhibere, & prætermiſit, fuit relatio talis beatitudinis ad finem ſupernaturalem per charitatis actum: at verò objectum ſuperbiæ Adami fuit excellentia in ſcientia ſupernaturali, quam nondum plene fuerat aſſequutus, præſertim ad decernendum circa bonum & malum tam reſpectu ſui, quàm in ordine ad cæteras creaturas, quæ ejus ditioni, & regimini ſubjiciebantur: menſura autem in ea excellentia obſervanda fuit recurſus per actum humilitatis, vel ſpei ad divinum auxilium, & ad Deum auctorem ſupernaturalem, qui prædictam ſcientiam gratioſè largiretur. Quod ſi hæc via firma cenſeatur; non erit neceſſarium plura hic adjicere, ſed pro omnibus, quæ deſiderari poterunt, remittere Lectorem ad ea, quæ in tract. de Angel. diſp. 10. circa ſpeciem, & objectum ſui peccati late ſcripſimus, ubi ſolutas reperiet objectiones, & replicas, quæ in præſenti poterant efformari.

Iuvatur ſolutio ex D. Thom. Porrò prædictus modus dicendi non videtur omnino alienus à mente D. Thomæ in verbis ſupra relatis ex 2. 2. dum ait Adamum appetiiſſe aſſimilari Deo in modo habendi prædictam ſcientiam per virtutem propriæ naturæ: non enim hoc ita eſt accipiendum, quaſi formaliter judicaverit ſe poſſe talem ſcientiam propriis viribus adipiſci, ac proinde id expreſsè voluerit: quia hic eſſet manifeſtus error non modo practicus, ſed etiam ſpeculativus, quem ſaltem pro illo primo ſigno debemus ab intellectu Adami relegare: ſed quia interpretativè id fecit; appetendo enim prædictam ſcientiam ſine recurſu, quem adhibere tenebatur ad auxilium ſupernaturale, ita ſe habuit, ac ſi hujuſmodi auxilio non indigeret, ſed ſua ſibi natura ſufficeret, & ideo cordatè interpretamur voluiſſe illam conſequi innixus propriæ virtuti ſine alia dependentia, & auxilio. Favet etiam 1. part. quæſtione 94. articulo 4. in ſolut. ad ultimum, ubi videtur aſſignare pro ratione primi peccati Adami, quod in illa tentatione ad auxilium divinum non recurrerit: ſentit ergo adfuiſſe tunc præceptum talis recurſus.

Sed quia valde urget contra hunc modum dicendi impugnatio in objectione facta, & ejus confirmatio, poſſet eis non improbabiliter reſponderi, ſi dicatur, in ipſo præcepto negativo non ſuperbiendi, quod Adamum, & omnes obligat pro ſemper, includi præceptum affirmativum recurrendi in illo caſu ad divinum auxilium per actum ſpei, aut ſubjiciendi ſpecialiter Deo propriam excellẽtiam per actum humilitatis; quatenus ſine hoc recurſu, aut ſubjectione nequiret Adamus, rebus ut tunc, ſuperbiam evitare: ut enim ſupra diſputat. 5. diximus, vix eſt aliquod præceptum negativum, quod in ſe non includat ſaltem pro aliquo caſu affirmativum; & è contra: ut in præcepto negativo non concupiſcendi clauditur affirmativum adhibendi orationem, vel aliud medium, quoties neceſſarium cenſebitur ad concupiſcentiam, vel ejus periculum evitandum. In caſu ergo argumenti ſuppoſita diaboli tentatione & quod Adamus motu proſequutivo tenderet in excellentiam, quam illi objiciebat, ſicut tetendit de facto, nequiret ſine recurſu ad aliquem ex prædictis actibus humilitatis, vel ſpei vitare ſuperbiam & ejus periculum: & ita urgebat præceptum talis recurſus. Cuius ratio poteſt deſumi tum ex ipſa tentatione, quæ & quia erat prima, incuſſaque inexperto, & quia callidiſſimè fuit inducta, ſcilicet mulieris interventu, & ſuaſione, & quia offerebat rem in illo ſtatu valde appetitum allicientem, ſuaptè natura periculum conſenſus afferebat, niſi contra illam voluntas Adami ſpeciali recurſu ad Deum præmuniretur. Tum etiam, quia ſemel propoſita Adamo excellentia illa, quæ in ſcientia eminenti, & ſupernaturali elucebat, duplici tantum via poterat à ſuperbia liberari, vel per modum fugæ divertendo ad alia, & non curando de tali excellentia, ſeu illam tanquam ſuis viribus incommenſuratam abjiciendo, vel proſequendo illam per actum alicujus earum virtutum, quæ circa proſequutionem excellentiæ aſſignantur, uti ſunt ſpes, & magnanimitas: cum ergo primo medio uſus non fuerit, ſed poſitivè illam appetierit, tenebatur uti ſecundo: in quo clauditur recurſus ad divinum auxilium, quia reſpectu objecti ita excedentis, neque ſpes virtus, neque magnanimitas ſe exercent, niſi innitendo prædicto auxilio. Ex quo etiam fit, quod actus Adami tendentis in prædictam excellentiam ſine tali recurſu, ſecundum ſuam primariam ſpeciem eſſet actus ſuperbiæ: non enim erat ex ſpecie indifferens, ut eſt per ſe notum: neque etiam virtuoſus propter defectum modò declaratum; oportebat ergo ut eſſet actus vitioſus: cumque objectum eſſet propria excellentia appetita ſine debita menſura conſiſtente pro illo tunc in prædicto recurſu; nihil defuit, quominus eſſet propriè actus ſuperbiæ. Hac via, ut diximus, poſſet non improbabiliter obviam iri objectioni propoſitæ, & ratio D. Thomæ elucidari. Sed fortè rem attentius conſideranti minus firma cenſebitur: quia remiſſe probat prædictam obligationem recurrendi poſitivè ad divinum auxilium: neque ſatis oſtendit non ſuperfuiſſe Adamo aliam viam

(margin, beside "Sed quia valde urget"): 165 Satisfit utcumque impugnationibus.

Digitized by Google

viam ad peccatum ſuperbiæ evitandum, niſi vel per modum fugæ, vel per actum magnanimitatis, aut ſpei; quinimo ad actum magnanimitatis expreſſe poſtulari ſimilem recurſum non omnino oſtendit. Et ideo ut ab omnibus his ſcrupulis liberemur, curabimus alio itinere difficultatem enodare.

§. IV.

Firmior ſolutio objectionis propoſitæ.

166 Animadverſio. PRo firmiori ergo ſolutione nota Deum in imponendo Adamo præceptum illud non edendi de ligno ſcientiæ boni, & mali potiſſimum voluiſſe ſubdere ſibi ejus voluntatem, & judicium quadam peculiari, & veluti ſecretiori dependentia ſupra illam, quam naturalis ejus ratio aſſequebatur: ut media tali dependentia homo captivaret ſuum intellectum in obſequium divinæ celſitudinis: & liberum arbitrium perfectiori, & liberiori obedientia divinæ voluntati haberet ſubmiſſum: ac tandem recognoſceret, ſe à Deo dependere, ejuſque auxiliis indigere non modò in his, quæ lumen naturalis rationis aſſequi poterat, ſed etiam in aliis occultis, & ſuperexcedentibus, quæ illa ſuis viribus non poterat deprehendere. Ad hoc autem impoſuit Adamo ultra ea præcepta, quæ naturalis ratio dictabat, per quæ ſponte (ut ſic dicamus) & ſuapte natura Deum ut legiſlatorem, auctorem, & finem naturalem lubens agnoſcebat, præceptum aliud merè poſitivum ex ſola libera Dei voluntate ortum, videlicet ne ederet de ligno ſcientiæ: cujus præcepti ipſe Adamus nullam aliam rationem, vel convenientiam aſſequeretur, niſi ſupremum Dei dominium, & liberrimam voluntatem: cujuſque reverente acceptatione, & inviolabili obſervantia ſubjectior, & humilior ſub fide, & obedientia ipſius Dei ut auctoris ſupernaturalis teneretur, agnoſceretque hac via, non omnia ad ſalutem neceſſaria per propriæ naturæ vires, aut per auxilia naturaliter debita ſe poſſe adipiſci; ſed in multis ad auxilia gratiæ debere recurrere: ac proinde animadverteret in ſe ipſo peculiarem modum ſubjectionis, & dependentiæ à Deo ſupra illum, quem reliqua præcepta notificabant. Hæc autem peculiaris dependentia, & ſubjectio erat menſura, & regula præfixa à Deo excellentiæ Adami, ſub qua & non aliter deberet eam appetere. Nam cum excellentia ex ſua ratione importet eminentiam, & exemptionem, eo ipſo quòd ſub dependentia, & ſubjectione conſtituatur, limitatur, regulatur, & deprimitur. Quare ſuperbia Adami in eo conſiſtere potuit, quòd ejus appetitus elatus fuerit in propriam excellentiam, abjecta, vel omiſſa prædicta dependentia, & ſubjectione: nam hoc fuit appetere illam ſine debita menſura, ſeu ſupra illam.

167 Animadverſio alia. Deinde nota, dupliciter poſſe intelligi, quòd Adamus abjecerit ſubjectionem ex illius præcepti impoſitione provenientem: vel per formalem ejuſdem præcepti violationem; ut volendo expreſsè comedere: vel etiam ante talem expreſſam volitionem, nolendo manere habitualiter ſub illo, reſpuendóque, & faſtidiendo hoc, quod eſt manere tali præcepto habitualiter ligatum. Quicunque enim admittit ſuprà ſe præceptum, etiam antequam obligatio occurrat, vel urgeat tempus juxta, aut contra operandi, ſed ex ipſa impoſitione cenſetur habitualiter ſubjectus imponenti, & cum quadam inferioritate, & minoratione reſpectu illius: unde ex hoc ipſo, etiam ſi occaſio adimplendi, aut violandi præceptum non occurrat, animadvertit ſe depreſſum, & humiliatum: propriamque excellentiam coarctatam, limitatam, & menſuratam per talem ſubjectionem: & ideo ex ſolo motivo abiiciendi eam ſubjectionem, excellendique, & eminendi, etiam ſi appetitus agendi rem prohibitam non præcedat, poteſt reſpuere, & faſtidire tale præceptum, & appetere propriam excellentiam ut exemptam, & independentem ab illo: atque ex hoc faſtu incitari ad ejus violationem per actum prohibitum: quatenus prædicta exemptio, & independentia in tali violatione clarius ſplendebit. Hac igitur ratione deliquit Adamus, non quia urgeret tunc præceptum affirmativum de aliquo actu, quem omiſerit, nec quia primario voluerit comedere pomum vetitum, & ejus præceptum frangere; ſed quia videns ſe impoſitione illius præcepti humiliari, & minorari ultra id, quod naturalis ejus ratio deprehendebat, cernenſque propriam excellentiam per talem ſubjectionem coarctari, quaſi impatiens, illam ſub ea regula & limitatione contineri, appetiit habere ipſam ut exemptam & liberam à prædicta ſubjectione, atque adeo ut à debita menſura extractam. Quare ut Adamus in eo appetitu ſuperbè deliquerit, non eſt neceſſe adfuiſſe tunc præceptum affirmativum de exercendo aliquo actu, v. g. ſpei: humilitatis, aut charitatis, ſicut fuit in Angelo, ſed ſufficit eſſe impoſitum præceptum non edendi de ligno ſcientiæ boni, & mali eo fine, ut talis impoſitio, necnon dependentia, & ſubjectio habitualis inde in Adamo reſultans eſſet menſura, & regula ſuæ excellentiæ; & adeſſe etiam præceptum non appetendi prædictam excellentiam ſine tali dependentia, & menſura, ſeu ea abiecta. Hoc autem poſterius præceptum non diſtinguitur ab ipſo præcepto naturali negativo non ſuperbiendi: quia ſuppoſito quòd Deus pro menſura excellentiæ Adami prædictam dependentiam decreverit, quilibet appetitus talis excellentiæ excludens illam dependentiam eſt appetitus propriæ excellentiæ ſine debita menſura: atque adeo ſuperbus, & prohibitus prædicto præcepto.

Sed dices: vel Adamus voluit formaliter ſuam excellentiam ut independentem à ſubiectione conſurgente ex præcepti impoſitione, ita ut tam excellentia, quàm independentia eſſet expreſſe volita: vel voluit expreſſe ſolam excellentiam; independentiam vero interpretative, quatenus omiſit ſubiectionem, quam debebat amplecti? Primum non videtur poſſe affirmari: tum quia coniunctum illud, nempe *excellentia ut independens* ſecundum ſe eſt malum obiectum: primum autem Adami peccatum ſicut primum peccatum Angeli non habuit pro obiecto aliquid ſecundùm ſe malum; ſed rem bonam inordinatè dilectam. Tum etiam quia prædictum coniunctum utpote ſecundum ſe malum non potuit appeti ab Adamo ſine errore, quo indicaretur bonum: non eſt autem dicendum; primum peccatum Adami proceſſiſſe ex errore, ſicut nec de peccato Angeli hoc aſſeritur: ergo, &c. Si vero ſecundum dicatur, videlicet ſolam excellentiam Replica.

Digitized by Google

fuiſſe ab Adamo expreſsè volitam; independentiam vero non niſi interpretativè, quatenus omiſit ſubjectionem, quam debuit adhibere, ſeu amplecti, jam ponitur præceptum affirmativum aſſumendi, vel amplectendi ipſam ſubjectionem; atque adeo incidimus in inconveniens, quod impugnavimus.

168 Reſpondetur, eligendo primam partem dilemmatis. Et ad primam impugnationem dicendum eſt excellentiam ut independentem à prædicta ſubjectione poſſe conſiderari dupliciter: vel abſolute, nulla facta ſuppoſitione: vel reſpectivè ad Adamum ut oneratum, & ligatum præcepto non edendi, factáque talis præcepti ſuppoſitione. Primo modo non eſt objectum malum, nam Deus habet talem excellentiam, & independentiam, & ipſe Adamus potuiſſet totum id licitè appetere, ſi tali præcepto oneratus non fuiſſet: & hoc dumtaxat voluit expreſsè Adamus; atque ita nihil malum expreſsè appetiit. Secundo autem modo habet rationem mali propter improportionem quam dicit talis excellentia ad ſuppoſitum eo præcepto oneratum: ſed Adamus non voluit expreſsè hanc improportionem, neque eam conſideravit: quia non comparavit talem excellentiam ad ſe ut habentem præceptum; ſed appetiit illam ut exemptam, & independentem abſolute, factaque comparatione dumtaxat ad ſe ipſum conſideratum abſolutè & ſine ordine ad præceptum: quo modo non ſplendebat in ea prædicta improportio. Et quamvis in eo appetitu poſitivè abjecerit oppoſitam dependentiam, & ſubjectionem; adhuc tamen in hoc nulla elucebat inordinatio ſtando præcisè in prædicta comparatione. Propterea tamen peccavit, & ſuperbiit, quia ex ſuppoſitione quòd jam erat præcepto oneratus, debuiſſet hoc attendere, ſecumque rem agere ut ſubjectus tali præcepto: & quia hoc modo excellentia cum abjectione prædictæ dependentiæ erat ſibi ibi & tunc improportionata, debuiſſet illam non ſic appetere, neque ſimilem abjectionem ſuo appetitu facere. Appetiit autem, poſitive ſubjectionem abjiciens, amavitque proinde excellentiam abiecta ſubiectione, & menſura debita, quia non ſe ita conſideravit; ſed potius ſecum egit, quaſi non haberet illud præceptum, ex cujus impoſitione ſubiectio conſurgebat.

Ad ſecundam reſpondetur, non ſequi iuxta hunc modum dicendi, peccatum Adami quantum ad primam malitiam debuiſſe procedere ex errore formali, quia etiam ſi nihil falſum iudicaverit (in quo ſolùm poterat error conſiſtere) ſalvatur ſufficienter totum, quod diximus, per ſolam inconſiderationem, ſeu inattentionem eorum, quæ debuit attendere, ut intuenti facile conſtabit. In eo enim quod Adamus iudicaverit, excellentiam ſcientiæ ut exemptam, & independentem ab habituali præcepti ſubiectione eſſe in ſe & abſolutè bonam, & appetibilem, nullus fuit error: quia revera prædicta excellentia in ſe & abſolutè conſiderata eò eſt melior, quò maior; & eò eſt maior, quò minus dependens. Neque etiam fuit error in eo quod iudicaverit; eandem excellentiam ita exemptam & independentem, eſſe bonam & convenientem ſibi præcisè ſecundùm ſe conſiderato, aut etiam ut affecto appetitu excellendi: quia nullo ex iſtis modis prædicta excellentia erat illi diſconveniens; vel improportionata: & ideo niſi fuiſſet impoſitum præceptum non comedendi, licitè potuiſſet illam appetere cum tota illa independentia & exemptione. Solùm ergo eſſet error, ſi conſideratis ab Adamo omnibus in illa occaſione occurentibus, ſeque ipſo ut eo præcepto onerato; iudicaret prædictum excellentiam cum ea exemptione eſſe abſolute & ſimpliciter ibi & tunc ſibi convenientem, aut eſſe convenientem ſibi ita onerato: quia utrumque hoc poſterius falſitatem contineret. Cæterum non eſt neceſſe ut dicamus aliquid iſtorum iudicaſſe; ſed illa tantùm, quæ prius diximus; alia vero non conſideraſſe aut in iudicando ab eis præſcindiſſe. Ex hac enim inconſideratione unà cum illo priori iudicio potuit ſufficienter oriri volitio ſcientiæ à diabolo promiſſæ, & excellentiæ eius non ſolum cum præciſione, vel omiſſione, ſed etiam poſitiva abiectione dependentiæ, & ſubiectionis habitualis ad quodvis præceptum naturalibus ſuperadditum, atque adeo appetitus propriæ excellentiæ ſine debita menſura.

Dices: Adamus abſolutè & ſimpliciter appetiit prædictam excellentiam, abiecta dependentia, & ſubiectione: ergò iudicavit abſolutè & ſimpliciter, eſſe ſibi convenientem: ſed abſolutè & ſimpliciter non erat conveniens: ergò erravit. ¶ Reſpondetur concedendo primam conſequentiam, ſi ly *abſolute & ſimpliciter* cadat ſupra *iudicavit*, negando vero illam, ſi cadat ſupra *convenientem* & ſic neganda eſt ſecunda conſequentia. Licet enim Adamus abſolute & ſimpliciter efformaverit iudicium circa illam excellentiam, & eius exemptionem, non tamen hoc iudicium dictabat, eam eſſe convenientem Adamo abſolute & ſimpliciter, hoc eſt, inſpectis omnibus ibi & tunc occurrentibus: ſed dumtaxat eſſe convenientem illi conſiderato ſolum ſecundum ſe, vel ut excellendi appetitu affecto, nihil curando de convenientia, vel diſconvenientia; quæ eſſet talis ſimpliciter, & attentis omnibus. Id autem ſatis fuit, ut voluntas Adami abſolute ferri poſſet in prædictam excellentiam: quia licèt ad volitionem abſolutam non ſufficiat iudicare convenientiam in obiecto ſecundum unam vel aliam rationem, quando attentis omnibus iudicatur eſſe hic & nunc diſconveniens; at quando de hoc, quod attentis omnibus verum erit, non curatur, neque iudicatur, ſed vel per oblivionem, vel per inadvertentiam, vel per præciſionem iudicium inde excluditur, ſatis eſt, ſi in illa vel illa ratione, ſecundum quam de obiecto iudicium fertur, convenientia deprehendatur, ut tale iudicium habeat vim abſoluti, & ſecum ferat voluntatem. En ergo viam, qua ſine errore formali per ſolam voluntariam & culpabilem inconſiderationem poteſt ſufficienter declarari, qualiter Adamus in illo primo actu ſuperbè deliquerit. 169 Enervatur alia replica.

Sed etſi oppoſitum quis defendere voluerit, nempe adfuiſſe tunc errorem practicum, etiam pro regulanda prima illius actus deformitate, non quòd talis error abſolutè, vel in omni genere cauſæ actum voluntatis præceſſerit, ſed ita ut præceſſerit in genere cauſæ formalis regulativæ; fuerit tamen poſterior in genere cauſæ efficientis: ſicut ſolet dici de primo actu fidei reſpectu actus charitatis, vel piæ affectionis: ſatis probabiliter incedet, neque à veſtigiis D. Thomæ aberrabit. Quod enim S. Doctor aliquoties aſſerit, Adamum ante ſuum primum peccatum non habuiſſe errorem, intelligendum eſt vel de antecedentia durationis, vel de errore ſpeculativo, & in univerſali; non autem de errore practico, qui dicitur *error*, vel ignorantia pravæ electionis: quo iudicaverit, etiam attentis omnibus tunc occurrentibus fuiſſe

Probabile eſt primum Adami peccatum proceſſiſſe ex errore.

Digitized by Google

fuiſſe ſibi expediens appetere ſcientiæ excellentiam cum independentia, & exemptione, quam ſæpe diximus: quique habuerit prioritatem, & poſterioritatem explicatam reſpectu primæ malitiæ. Porrò hujuſmodi errorem practicum Adamo adfuiſſe, & per eum prædictam malitiam regulaſſe, ſolumque errorem ſpeculativum & in univerſali ibi defeciſſe, ſatis inſinuat Ang. Præceptor quæſt. 18. de verit. art. 6. ad 1. & ad 8. Et 1. ad Timoth. 2. lect. 3. Necnon in 2. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1. ad 1. Quamvis & in his locis non ita expreſsè loquatur de errore formali regulante primam illam malitiam, quin probabiliter exponi valeat, vel de errore ſolùm virtuali qui ab inconſideratione culpabili non differt, vel de errore omnino ſubſequuto ad prædictam primam malitiam, & regulante dumtaxat alias poſteriores: quod latius in præſenti examinere non vacat. Admiſſo autem errore formali, facilius aſſertio noſtra defenſabitur, magiſque independenter ab exiſtentia præcepti affirmativi urgentis pro illo tunc, ad quod prima ſolutio recurrebat. Doctrina vero, quam in tract. de Angelis diſp. 10. dub. 8. tradidimus pro excludendo à ſuo primo peccato errorem formalem etiam practicum, huic, quæ modò propoſita eſt, neutiquam adverſabitur.

D.Thom.

§. V.

Aſſertio alia ad plenam dubii deciſionem.

170 Secunda aſſertionis pars communis.

Dicendum eſt ſecundò, prædictum Adami peccatum ultra ſuperbiæ deformitatem habuiſſe duplicem aliam malitiæ ſpeciem, videlicet inobedientiæ, & gulæ: utraque tamen fuit in eo ſecundaria, & minus principalis. Hæc aſſertio quantum ad ſecundam partem de malitia gulæ communis eſt inter Patres, & Theologos, adeo ut nemo Catholicorum debeat circa illam dubitare. Eſtque expreſſa D. Thomæ locis citatis in aſſertione præcedenti: præſertim 2. 2. q. 163. art. 1. ad 2. ubi ſic ait. *Dicendum quòd in peccato primorum parentum etiam gula locum habuit: dicitur enim Geneſ. 3. vidit mulier, quòd lignum eſſet bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile, & tulit de fructu ejus, & comedit. Non tamen ipſa bonitas & pulchritudo cibi fuit primum motivum ad peccandum; ſed potius ſuaſio ſerpentis, qui dixit: aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii; quod appetendo; ſuperbiam mulier incurrit: & ideo peccatum gulæ derivatum eſt ex peccato ſuperbiæ.* Idem docet in præſenti art. 2. ad 1. & quæſt. 4. de mal. art. 8. cujus verba inferius referemus.

D.Thom.

Probaturque manifeſtè ex ſacra Scriptura: nam Geneſ. 3. dicitur. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes; maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea,* &c. Quæ verba cum contineant maledictionem, & pœnas Adamo, & toti humano generi pro illius peccato inflictas, neceſſario debent intelligi de primo peccato, quia hoc dumtaxat in poſteros tranſivit, prædictáſque maledictionem & pœnas ſecum tulit: atque adeo ipſum primum peccatum habuit eam malitiam comedendi de ligno vetito, quæ eſt malitia gulæ. Et quia hæc pars eſt ita certa, ut diximus, non oportet in ejus probatione immorari. Declarandum tamen erit, qualiter prædicta malitia ſecundario in eo peccato locum habuerit, fueritque malitiæ ſuperbiæ adnexa, & ex ea conſequuta, quod præſtabimus num. 172.

Geneſ. 3.

Prima autem pars ejuſdem aſſertionis (quæ non de inobedientia generaliter accepta, quo pacto imbibitur in omnibus peccatis, ſed de inobedientia propriè & ſpecialiter dicta, quæ peculiarem ſpeciem malitiæ conſtituit, intelligenda eſt) inde nobis ſatis probatur, quia valde conſonat ſacræ Scripturæ, præſertim ad Roma. 5. *Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Ex quo ſancti Patres, & Eccleſiæ Doctores communem loquendi modum deſumpſerunt; ita ut nihil ſic eorum ſcripta circa peccatum illud proclament, ſicut rationem inobedientiæ, & divinæ legis contemptum. Et quamvis teſtimonium Apoſtoli exponi valeat (ſi neceſſitas id poſtularet) de inobedientia generaliter, & minus propriè accepta, ſicut expoſuiſſe videtur D. Thom. citata diſt. 22. in reſponſione ad 3. & 2. 2. quæſt. 105. art. 2. ad 3. negari tamen non poteſt, convenientius multò intelligi de inobedientia propria & ſpeciali: quia ſic accipiuntur verba Scripturæ in ſenſu omnino proprio: præſertim cum nulla ratio cogat nos ab eo recedere: & ideo ita illud intellexit Ang. Doct. 2. 2. citata q. 163. art. 1. ad 1. Juxta quem locum concordari debet citata q. 105. & in 2. ſentent. & non è contra. Quod facile eſt ſi dicamus, in illis locis ſermonem eſſe de peccato Adami quantum ad ſuam primam malitiam, quæ fuit ſuperbia: ne autem quis poſſet intelligendo verba Apoſtoli de hac prima malitia, eam à ſuperbiæ genere excludere, propterea quod in illo teſtimonio *inobedientia* vocatur, dixit D. Thom. prædicta verba (utique ſic intellecta) non continere inobedientiam propriam, & ſpecialem; ſed generalem, & communem, quæ ſicut in cæteris peccatis, in ipſa etiam ſuperbia includitur. Nequaquam tamen negare voluit, quòd in eodem peccato eſſet etiam alia malitia ad ſuperbiam conſequuta, quæ ſit inobedientia ſpecialiter dicta, de qua verba Apoſtoli cum omni proprietate verificentur: ſicut habet loco citato ex 2. 2. quæſt. 163. ad 1. Et clarius in præſenti quæſt. 82. art. 2. ad 1. ubi inter alias reddit hanc rationem, cur peccatum originale, cum ſit unum, aliquando in Scriptura pluraliter dicatur? *Quia* (inquit) *in peccato primi parentis, quod per originem traducitur, fuerunt plures deformitates, ſcilicet ſuperbiæ, inobedientiæ, gulæ,* &c. Ubi cum inobedientia condiſtinguatur à ſuperbia, & gula, manifeſte eſt ſermo de inobedientia conſtituente peccatum ſpeciale. Idem habet quæſt. 4. de mal. art. 8. ad 1. ibi. *In peccato actuali primi parentis fuit multiplex peccati deformitas: fuit enim ibi ſuperbia, inobedientia, gula,* &c.

171

Roman. 5.

D.Thom.

Quamvis autem hanc partem veram & tenendam judicemus, non tamen adeo certam, & communem, ſicut putavit Gregorius Mart. quæſtione 81. præcedenti art. 2. dub. 1. concluſione 3. ubi oppoſitum cenſet temerarium propter teſtimonium Apoſtoli ad Roman. 5. & loquitur de inobedientia propria, & ſpeciali: ut intuenti patebit. Sed nos huic cenſuræ minime acquieſcimus: quia neque prædictum teſtimonium, quo nullum apertius habemus in Scriptura, ad eam ſufficit; poteſt

Greg. Mart.

Digitized by Google

poteſt enim ſine temeritate exponi de obedientia generaliter dicta. Neque etiam adeſt aliqua ratio, quæ noſtram aſſertionem evidenter, aut certò convincat: nam cum res ſit de facto, & contingens, abſolute potuit attenta quavis ratione ſic vel aliter evenire: & ideo quid re ipſa evenerit, potiſſimùm Scripturæ, vel Patrum teſtimoniis inveſtigandum erit. Hæc autem teſtimonia non ſunt ita clara, aut ab ſcholaſticis doctoribus adeo communiter pro ea parte reccepta, ut oppoſitæ ſuam non relinquant probabilitatem.

172 Ordo inter deformitates peccati Adami. Quare hujuſmodi probabilitate illi conceſſa, ut noſtræ aſſertionis veritas ſecundum utranque ejus partem magis eluceat, declarari oportet, qualiter in primo Adami peccato malitiæ inobedientiæ, & gulæ ſecundariò & conſequutivè ad malitiam ſuperbiæ locum habuerint. Quod minime eſt intellectu difficile: nam eo ipſo quòd Adamus ut finem & motivum primarium appetierit propriam excellentiam abſque menſura, conſequens erat, ut eodem actu appeteret illud, quod ſibi proponebatur tanquam medium ad prædictam excellentiam ſine menſura habendam, ſeu in quo excellentia ipſa, & exemptio ejus à menſura magis elucebat: hoc autem fuit contemnere,& frangere præceptum ſibi impoſitum,in ſubjectione ad quod menſura talis excellentiæ fuerat à Deo conſtituta:nam ſicut prædicta excellentia coarctabatur, & menſurabatur per impoſitionem & acceptationem illius præcepti, & per habitualem ſubjectionem ad illud juxta dicta num. 167. ita per ejus contemptum & violationem excelſior & eminentior reddebatur: eò enim quiſque excellentiorem ſe reputat,quò minus alterius præcepto,& ordinationi ſubjacet. Igitur dum Adamus inordinatè excellētiam ſibi adamavit,totum hoc uno actu appetiit, nimirum eminentiam ſcientiæ, quam ſerpēs proponebat,ut independentem & exemptam à ſubjectione habituali ad præceptum ſicut Deus illam habet, & ſicut fuerat ab ipſo ſerpente promiſſa:contemptum & abjectionem præcepti,in quibus prædicta independentia & exemptio potiſſimùm relucebat, & ſine quibus,ſuppoſito præcepto, vix potuit intelligi: necnon violationem ejuſdem præcepti in ejus contemptu & abjectione incluſam. Ratione primi fuit ille actus ſuperbiæ, cujus objectum eſt excellentia ſine debita menſura. Ratione ſecundi: fuit ibi malitia ſpecialis inobedientiæ: hæc enim nihil dicit formalius,quàm contemptum & abjectionem divini præcepti volendo illa expreſsè:quod regulariter fit ex motivo excellendi inordinatè: & ideo inter vitia,quæ ex ſuperbia oriuntur, & illi valde accedunt, ponitur inobedientia. Ratione tertii conſtituitur prædictus actus in ſpecie gulæ: quia cum præceptum eſſet de non comedendo, quilibet affectus tale præceptum violandi fuit inordinatus appetitus cibi,in quo conſiſtit gula. ¶ Nec refert an comeſtio ipſa,quæ eſt gulæ objectū,per prædictū actū fuerit volita formaliter, vel ſolùm virtualiter:ſatis enim fuiſſet hoc poſterius ad tribuendā gulæ ſpeciē. Ex quibus non ſolum manet explicata ſecūda aſſertio quoad utrãque partē,ſed etiā cōfirmata:quia licèt admittamus potuiſſe rē aliter evenire, negari tamē non poteſt,ſuavē,& communem modū operādi magis poſtulare, ut Adamus ordine explicato in omnes prædictas malitias prolaberetur.

§. IV.

Corollaria ad pleniorem veritatis intelligentiam.

Ex dictis inferre licèt primò, quòd cum in defenſione rationis D. Thomæ noluimus ad errorem etiam practicum pro regulando primo Adami peccato habere recurſum; ſed independenter ab eo aſſertionem tueri, hoc intelligendum eſt de prædicto peccato ut omnino primo, ſeu quoad primam ejus deformitatem, quæ fuit ſuperbiæ; non autem quoad malitias inobedientiæ,& gulæ. Nam cum inobedientia poſtulet contemptum formalem divini præcepti;gula vero eam ſupponeret,neutra videtur poſſe intelligi ſine prævio errore, quo prædictus contemptus ſecundum ſe & re ipſa malus,bonus & expediens judicaretur:ponere autem talem errorem nullum eſt inconveniens, etiam ſequendo illam viam. Nam ſicut malitia ſuperbiæ ordine naturæ & cauſalitatis præcedit cæteras, iſtæque ex ea originantur, quamvis omnes eidem inſtanti, & in eodem actu coexiſtant: ita prædictus error potuit in illomet inſtante oriri à primo peccato, ut erat ſuperbiæ, & hanc malitiam in eo ſupponere; regulare vero idemmet peccatum, ut erat inobedientiæ,& gulæ, præcedereque utranque iſtam malitiam. Quod ſi tenuiſſemus cum aliquibus, non fuiſſe ibi malitiam ſpecialis inobedientiæ,ſed dumtaxat ſuperbiæ, & gulæ, facilius poſſet talis error à toto peccato arceri: nam objectum ſuperbiæ, ſcilicet excellentia exempta ab ordine ad præceptum, ſine errore potuit proponi expreſsè Adamo, & ab eo acceptari: objectum vero gulæ ſufficeret fuiſſe cognitum virtualiter eadem cognitione, quæ fuit formaliter objecti ſuperbiæ. 173 Primum corollarium.

Secundò inferre licèt, primum Adami peccatum nullam aliam habuiſſe malitiæ mortalis ſpeciem præter tres illas, quas enumeravimus. Et ratio eſt: quia non plures debemus ponere in eo deformitates, quam ex Scriptura deducere poſſumus: non enim in hac re pro ſolo captu noſtro licitum eſt diſcurrere: In dubio autem potius minorandæ ſunt, quàm augendæ: nam pietatis jure debemus primi parentis honori,quantum fas eſt, conſulere: nec facile credere, ab ordinatiſſimo illo ſtatu primo lapſu ita malitioſè cecidiſſe, ut ſtatim omnia ſibi poſſibilia commiſerit peccata; ſed illa dumtaxat, quæ cum primo motivo ſuperbiendi ſpecialem habent connexionem,& quæ ſacra Scriptura manifeſtat, uti ſunt tria tantum, quæ diximus. Objectiones vero, quæ adverſus doctrinam hujus corollarii fieri poſſunt, ſequenti §. diluemus. Secundum.

Tertiò infertur, peccatum noſtrum originale eo modo quo habet ſpeciem, pertinere ad tres enumeratas, & ad nullam aliam, ita quidem ut prima & eſſentialis ſit ſuperbia, ſecunda inobedientia, & tertia gula. Quod diſertis verbis tradit D. Gregorius homil. 10. in Evangel. ubi numerans deformitates, & peccata, per quæ à regione paradiſi diſceſſimus, ſic ait. *A regione etenim noſtra ſuperbiendo, inobediendo; cibum vetitum guſtando diſceſſimus*, &c. Hujus vero ratio inde liquet: quia de ſpecificatione, & diſtinctione peccatorum habitualium eodem modo philoſophandum 174 Tertium. D. Gregor.

phandum eſt ſicut de actualibus, eò quod habitualia non aliter conſtituunt, aut habent ſpeciem, quàm per reductionem ad actualia: & ideo eædem ſpecies malitiæ, eodémque ordine diſtingui debent in unoquoque peccato habituali, quæ fuerunt in actuali, à quo proceſſit: cum ergo originale noſtrum ſit quoddam peccatum habituale ex Adami actu procedens, planè fit, eaſdem malitiæ ſpecies, eodémque ordine eſſe illi tribuendas, quæ fuerunt in prædicto actu. Eò prælertim quia ut dubio præced. num. 150. dicebamus peccatum originale, & quodvis habituale ultra privationem gratiæ includit reſpectum ad cauſam efficientem, quæ eſt peccatum actuale: unde ſicut ob hanc rationem ex diverſitate actualium penes majorem vel minorem gravitatem deducimus, habitualia graviora eſſe, aut leviora, ita ex illorum diſtinctione penes plures vel pauciores ſpecies malitiæ debemus in iſtis colligere ſimilem pluralitatem vel paucitatem. Et ſanè quod peccatum originale habeat malitiam gulæ, & inobedientiæ, ſatis colligitur ex eo quod omnes communiter ſic de eo loquuntur: Malitia etiam ſuperbiæ propterea nequit ab eo relegari, quia hæc in peccato Adami fuit eſſentialis; & primaria, & ſaltem prima malitia peccati actualis nequit non ad habituale tranſire. Quapropter dum in diſp. 14. dub. 5. diximus, ſolum primum Adami peccatum ad poſteros tranſiſſe, ly *primum* non ſupponit tantùm pro prima malitia, ſed pro toto peccato quatenus prædictas tres deformitates comprehendit, ſolumque excluduntur alia peccata, ſi fortè ea commiſiſſet, vel quæ commiſiſſet à toto illo primo actu diverſa.

Obiectio. Verum doctrinæ hujus corollarii obſtare videtur ea, quam habet D. Thom. art. 2. hujus quæſt. 82. ubi docet peccatum originale in omnibus hominibus eſſe unum ſecundum ſpeciem, & in quolibet ſuppoſito unum numero: ſi autem haberet tres illas deformitates ſpecie differentes, non eſſet ſecundum ſpeciem unum, ſed multiplex. ¶ Nec refert ſi dicas, quod ſicut peccatum actuale dicitur unum, quoties eſt unicus actus, licèt habeat plures deformitates ex diverſis circumſtantiis, quia ly *unum* non appellat ſupra ipſam deformitatem, ſed ſupra ſubſtantiam actus, quæ deformitatibus ſubſtat, ita peccatum habituale, ſeu originale, etiam ſi eaſdem habeat deformitates, poteſt dici unum propter unitatem ſubjecti, quia videlicet omnes in unica gratiæ privatione adunantur. ¶ Non itaque hoc refert: tum quia licet prædicta unitas ſufficeret, ut peccatum originale abſolutè diceretur *unum*, non tamen ſufficere poteſt, ut dicatur *unum* cum hac reduplicatione *ſecundum ſpeciem*: quia hæc particula *ſecundum ſpeciem* reddit ſenſum formalem: reduplicat enim rationem ſpecificam, qua nihil eſt formalius in rebus. Tum etiam quia ſi prædictas deformitates adunari in una gratiæ privatione, ſufficeret, ut diceretur *unum peccatum numero*, vel *ſpecie*, nunquam in eodem peccatore darentur ſimul plura peccata habitualia, quantumvis plura & diverſa actualia commiſiſſet, omnes quippe habituales deformitates ex quibuſcunque actibus remanentes unirentur in prædicta privatione: hoc autem non videtur admittendum, ut vidimus num. 150. ergo, &c.

175 Reſpondetur, D. Thomam ſatis ſe pro nobis explicuiſſe in eo articulo, dum in ſolutione ad 1. reddens rationem cur peccatum originale, cum ſit unum, appelletur in Scriptura pluraliter *iniquitates & peccata*, recurrit ad pluralitatem deformitatum, quæ fuerunt in peccato Adami, & inde ad nos tranſierunt: unde non potuit in eodem articulo hujuſmodi pluralitatem denegare. Ut autem difficultati occurramus, & mentem S. Doctoris explicemus, animadvertendum eſt id, quod non ſemel jam diximus, videlicet de unitate, aut diſtinctione peccati originalis, & cujuſcunque habitualis eodem modo philoſophandum eſſe ſicut de unitate, aut diſtinctione peccati actualis, à quo proceſſit: eo quod tota illius ſpecificatio & unitas attenditur per reductionem ad iſtud. Quare ubi concurſus multarum deformitatum, etiam ſpecie diſtinctarum non obeſt, quominus peccatum actuale dicatur *unum* & *abſolutè*, & *ſecundum ſpeciem*, obeſſe etiam non debet, ut utroque modo vocetur *unum* peccatum habituale. Deinde nota: quod cum in eodem actu propter objectum, & circumſtantias dantur plures malitiæ, etiam ſi inter ſe ſpecie differant, non omnes dicuntur dare, aut conſtituere ſpeciem; ſed una dumtaxat, nempe illa, quæ ſumitur ex objecto primario talis actus. Cæteræ vero deſumptæ ex circumſtantiis; vel objectis ſecundariis potius dicuntur extra ſpeciem: eò quod hæc vox in communi modo loquendi ſumitur pro ſola ſpecie primaria, & eſſentiali: & ideo quicunque actus habent idem objectum primarium, etiam ſi in circumſtantiis valde differant, dicimus abſolutè eſſe ejuſdem ſpeciei: quia conveniunt in ſpecie eſſentiali & primaria. Ex his ad difficultatem reſpondetur, ex eo quod tam peccatum Adami originans, quam noſtrum originale dicatur *unum* non tantùm abſolutè, ſed etiam cum illa reduplicatione *ſecundum ſpeciem*, ut D. Thom. loquitur, nequaquam tolli, quominus utrumque habeat malitias, quas diximus; ſed ſolùm effici ut non omnes dent prædicto peccato ſpeciem eſſentialem; ſed illa tantùm, quæ ſumitur ex objecto primario, quæ eſt malitia ſuperbiæ: quia abſolute loquendo ſecundum hanc dumtaxat attenditur unitas, vel diſtinctio ſpecifica cujuſcumque peccati. Cum quo optimè ſtat, ut tanquam ſecundariæ, & accidentales admixtæ illi fuerint malitia inobedientiæ, & malitia gulæ. Solutio vero inter obiiciendum data ſi ad hunc modum dicendi reducatur, poterit admitti. Ad cujus primam probationem ſatis conſtat. — Vera ſolutio.

Ad ſecundam reſpondetur peccatum originale non ex eo præciſè dici *unum* vel abſolute, vel ſecundum ſpeciem, quia omnes ejus deformitates in una gratiæ privatione concurrant: ſed quia concurrunt ordine explicato, ita ut una tantùm ſit prima, & eſſentialis, pro qua ſtat illa loquutio, cæteræ autem ſecundariæ & accidentales, ſicut fuerunt in peccato Adami, qui idcirco non ſupponunt pro ſpecie. Quare neganda eſt omnino ſequela: nam ubi plura peccata actualia diverſa præceſſerunt, malitiæ habituales remanentes non ſervant prædictum ordinem, ſed diſparatè ſe habent: & ita unaquæque, quæ in peccato actuali ſibi correſpondente fuit primaria, poteſt idem habere reſpectu privationis gratiæ, ac ſi nulla alia in

Digitized by Google

in prædicta privatione reperiretur. Ut enim num. 150. dicebamus, illa privatio licèt materialiter, & quaſi in eſſe entis ſit una, multiplicatur tamen formaliter in ratione peccati, quoties reſpicit actus omnino diverſos, qui habuerunt illam inducere: unde quatenus ſtat ſub reſpectu ad unum, poteſt eſſe illi eſſentialis, & primaria deformitas, quæ fuit primaria in eo actu; & quatenus ſtat ſub reſpectu ad alium, poteſt eſſe primaria deformitas, quæ fuit talis in iſto, & ſic de aliis.

176 Alia obiectio. Contra eandem quoque doctrinam ex alia parte obiici poteſt; quia ſi in peccato Adami malitia ſuperbiæ fuit ſimpliciter prior, quàm inobedientia, & gula per illam antecedenter ad iſtas perdidiſſet juſtitiam originalem, quæ cum qualibet malitia mortali erat incompoſſibilis: ergo illam dumtaxat & nullam aliam ad noſtrum peccatum originale tranſmiſiſſet. Patet: nam illam ſolam malitiam tranſmittere potuit, per quam juſtitia originalis amiſſa fuit: ſola autem malitia omnino prima hujuſmodi effectum habuit: cæteræ enim poſterius ſupervenientes, cum jam illam amiſſam invenerint, non potuerunt in ejus expulſionem influere.

Enodatur. Reſpondetur negando antecedens: quia prioritas illa, quam habuit malitia ſuperbiæ reſpectu inobedientiæ & gulæ, ſolùm ſubſiſtit facta collatione inter ipſas malitias ſecundum ſe, quo pacto una eſt cauſa, & reliqua effectus: ſi autem fiat comparatio in ordine ad expulſionem juſtitiæ originalis, non erit inter eas prioritas, aut poſterioritas; ſed omnes ſimul in prædictam expulſionem influunt, ſicut omnes ſunt ſimul in eadem duratione: quia neque ſuperbia influit niſi ut terminata, & conſummata per inobedientiam & gulam, neque iſtæ niſi ut complentes, & terminantes ſuperbiam.

Replica. Si vero inſtes: quia in illo priori, quod damus ſuperbiæ reſpectu aliarum, non intelligimus eſſe in Adamo juſtitiam; revera enim non fuit: ergo intelligimus eam jam excluſam: atque adeo independenter ab inobedientia, & gula. ¶ Reſpondetur primò, in illo priori neutrum intelligi, quia de nullo illorum agitur; ſed dumtaxat de influxu primæ deformitatis in alias duas: quando vero de influxu in expulſionem juſtitiæ curatur, quod eſt in ſigno ſequenti, omnes ſimul, ſub eodémque priori accipiuntur, ita ut prioritas & poſterioritas, quæ alias inter eas cadunt, omnino de materiali ſe habeant. ¶ Secundò reſpondetur, in illo primo priori ex vi malitiæ ſuperbiæ intelligi expulſionem juſtitiæ originalis initiativè, & in fieri, completivè verò, & in facto eſſe non intelligi, quouſque inobedientia & gula concipiantur: & ita datur locus, ut omnes in prædictam expulſionem influant.

Diluitur.

177 Corollarium quartum. Quartò infertur deciſio illius dubii, quod ſolent aliqui ſciſcitari, an peccatum Adami fuerit omnium graviſſimum? Neque eſt ſermo in comparatione ad peccata Angelorum, ſed in comparatione ad alia, quæ homines poſſunt committere. Ex dictis ergo ſufficienter hujus ſolutio habetur; nam quamvis ratione circunſtantiæ perſonæ magna fuerit illius peccati gravitas, & ex hac parte à nullo alio ſuperetur, aut adæquetur, eo quod talis circunſtantia creſcit ſecundum perſonæ dignitatem, quæ in Adamo pluribus titulis fuit maxima; abſolutè tamen loquendo, non fuit peccatum inter omnia graviſſimum: quia gravitas ſimpliciter attenditur ſecundum objectum: ſunt autem alia peccata; quæ habent objecta graviora. Quod rectè explicat D. Thom. 2. 2. citata quæſt. 163. art. 3. his verbis. *Duplex gravitas in peccato attendi poteſt. Una quidem ex ipſa ſpecie peccati: ſicut dicimus adulterium eſſe gravius peccatum ſimplici fornicatione. Alia autem eſt gravitas peccati, quæ attenditur ſecundum aliquam circunſtantiam loci, vel perſonæ, aut temporis. Prima autem gravitas eſſentialior eſt peccato, & principalior: unde ſecundum eam magis peccatum dicitur grave, quàm ſecundum aliam. Dicendum eſt igitur, quod peccatum primi hominis non fuit gravius omnibus aliis peccatis humanis ſecundum ſpeciem peccati. Etſi enim ſuperbia ſecundum ſuum genus habeat quandam excellentiam inter alia peccata; major tamen eſt ſuperbia, qua quis Deum negat, vel blaſphemat, quàm ſuperbia, qua quis inordinatè divinam ſimilitudinem appetit: qualis fuit ſuperbia primorum parentum, ut dictum eſt. Sed ſecundum conditionem perſonarum peccantium, peccatum illud habuit maximam gravitatem propter perfectionem ſtatus ipſorum. Et ideo dicendum eſt: quod illud peccatum fuit quidem ſecundum quid graviſſimum, non tamen ſimpliciter.* D.Thom.

Si autem obiicias, quod primum in unoquoque genere debet eſſe ſimpliciter maximum, quia debet eſſe menſura cæterorum: peccatum autem primorum parentum inter peccata hominum fuit primum: ergo debuit eſſe graviſſimum ſimpliciter. Reſpondet Ang. Doctor ibidem ad 3. *Dicendum quod in his, quæ ſunt per ſe ordinata, oportet id, quod eſt primum, eſſe maximum: talis autem ordo non attenditur in peccatis, ſed unum per accidens ſequitur poſt aliud: unde non ſequitur, quod primum peccatum ſit maximum.* Ang.Doct.

Denique ex dictis depromitur intelligentia aliquarum loquutionum, quibus Patres, & Theologi ad explicandam ſuperbiam Adami utuntur: ut cum dicunt, quod *voluit eſſe ſimilis Deo, ſicut voluit Angelus:* quod *voluit habere à ſe ſcientiam, quam ſerpens promiſit, ſicut Deus illam habet:* quod *voluit eam conſequi ſuis viribus, propriæque innixus virtuti, aut per edulium ligni vetiti*, aliaque hujuſmodi. In primis enim prima propoſitio non eſt accipienda de ſimilitudine per modum æquiparantiæ, aut æqualitatis in ipſa natura, vel attributis divinis: talem enim ſimilitudinem neque diabolus auſus fuit appetere: eſſet enim ſtultiſſimus error eam ſibi poſſibilem exiſtimare, ut in tract. de Angel. latè diximus: ſed de ſimilitudine per modum imitationis, quia voluit Deum imitari in modo habendi illam ſcientiam, quam diabolus promiſerat. Non quod voluerit habere illam omnino à ſe, & ſine ulla dependentia à Deo: hæc enim potius eſſet ſimilitudo æqualitatis: ſed per vires propriæ naturæ, & cum ſola dependentia ab illo ut ejuſdem naturæ auctore, ac ſine recurſu ad ſupernaturale auxilium, ſicut habemus ſcientias purè naturales. Unde prima propoſitio coincidit cum ſecunda, & ſecunda explicatur per tertiam. De hac autem dubium eſt an ſit intelligenda formaliter: ita ut Adamus expreſsè voluerit prædictam ſcientiam conſequi per vires ſuæ naturæ, propriæque virtuti innixus: vel ſolùm interpretativè, quatenus nolens ſubeſſe præcepto ſupra propriæ rationis captum à Deo ſibi impoſito, ita ſe habuit, ac ſi expreſsè nollet ab eo dependere, 178 Ultimum.

aut

aut putaret propriam naturam, & virtutem cum ſolo concurſu naturaliter debito ad omnia ſibi ſufficere. Et quia hic poſterior ſenſus liberior eſt ab errore formali, præeligendum credimus. Eundemque habet ultima propoſitio, quod *voluit conſequi talem ſcientiam per edulium ligni vetiti : non* enim ita accipiendum eſt, quaſi Adamus expreſsè crediderit, fructum illius arboris habere in ſe virtutem ſcientiæ communicativam; nam hic etiam eſſet error ſatis abſurdus: ſed quia dum ad excellendum, & eminendum quaſi pro medio aſſumpſit contemptum, & tranſgreſſionem præcepti, quo fructus ille prohibebatur, ita ſe habuit, ac ſi putaret per talem fructum, & ejus comeſtionem aſſequuturum ſcientiam ſibi à diabolo promiſſam, quæ materia fuit prædictæ eminentiæ, & celſitudinis.

§. VII.

Oppoſita noſtræ doctrinæ.

179 Primum argumentum. Scotus. Gabriel. Lychet. D. Auguſt. CONtra ea quæ in prima aſſertione diximus, tenet Scotus in 2. diſt. 21. q. 2. primum Adami peccatum non fuiſſe ſuperbiam, ſed inordinatum amorem amitiæ, ſeu benevolentiæ erga uxorem. Idemque tuentur Gabr. diſt. 22. q. 1. Lychetus q. 2. & alii. Quam ſententiam probat Scotus ex D. Auguſt. lib. 11. de Geneſi ad literam c. 42. ubi ait, quod *Adamus noluit contriſtare eam, quam credebat ſine ſuo ſolatio contabeſcere, & à ſe alienatam omnino interire : ex quo manifeſtè non carnali concupiſcentia victus, ſed amicabili quadam compulſus benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne offendatur amicus, peccavit.* ¶ Deinde arguit hac ratione: quia peccatum illud fuit aliquis inordinatus amor: non enim potuit eſſe actus fugæ, ſed proſequutionis: atqui non fuit amor inordinatus erga ſe, neque fuit amor concupiſcentiæ erga aliquem: ergo ſolum potuit eſſe inordinatus amor amicitiæ erga uxorem. Minor quoad ſecundam partem ſatis liquet, nam cum in Adamo antequam peccaret, nulla eſſet concupiſcentia, aut libido, non potuit primum ejus peccatum ex hoc principio oriri. Quoad primam vero ſuadetur ab Scoto: quia Adamus non potuit primò inordinatè amare, quod non primo cognovit: non autem primò cognovit ſe ipſum, ſed alia à ſe: ex ſenſibilibus enim, & externis in ſui ipſius cognitionem devenit: ergo non habuit primum amorem inordinatum erga ſe.

Solutio. Reſpondetur primò ad locum Auguſtini, amorem Adami erga uxorem, ſi ſemel fuit peccaminoſus, non pertinuiſſe ad primam malitiam ſui peccati, ſed ad malitiam gulæ, quæ fuit in eo ſecundaria. Et ratio eſt: quia talis amor ſolum potuit Adamum impellere ad comedendum cum Eva, ne ſi ab ea rogatus non comederet, illam contriſtaret: hoc autem totum fuit quid ſecundarium, ſupponens in voluntate Adami ſuperbam elationem, ad quam non alienus impulit amor, ſed appetitus propriæ excellentiæ. ¶ Secundò reſpondetur quod dum quis motus amore, & benevolentia alicujus præceptum Dei frangit, talis amor non eſt peccatum ſecundum ſe, ſed præcisè ratione violationis præcepti, & ita non conſtituit aliam peccati ſpeciem ab ea; quæ in ipſa violatione conſiſtit. Quocirca etiamſi demus, Adamum primò deliquiſſe motum Evæ amicitia, ne illam contriſtaret, non ideo primum ejus peccatum fuiſſet iſte amor ſecundum ſe, ſed tranſgreſſio & violatio præcepti, ad quam induxit: unde quia prima tranſgreſſio fuit præcepti non ſuperbiendi, conſequenter primum peccatum, & prima malitia ad ſuperbiam pertinuit. ¶ Ad rationem Scoti reſpondetur negando minorem. Solutio ad rationem. Cujus probatio debet etiam negari: quia Adamus non deliquit ex vi primæ cognitionis, ſed multo poſt quam ſe, & alia cognoverat: & ita nihil refert ad intentum, an ſe primò, vel alia cognoverit. Et quidem ſi prædicta ratio aliquid convinceret de Adamo, idem probaret de Eva: de qua tamen etiam apud Scotum pro comperto habetur peccaſſe primo ex amore erga ſe: cur ergo non potuit Adamus ex ſimili amore primò delinquere? Videatur Cajet. 2. 2. q. 163. art. 4. ubi prædictam Cajet. Scoti rationem latius impugnat.

Deinde contra eandem doctrinam, & contra eam, quam tradidimus in tertio corollario, poteſt argui: quia Adamus commiſit peccatum infidelitatis credendo ſuaſioni ſerpentis contra Dei verba: ſed hoc peccatum præceſſit ſuperbiam, & alias malitias: ergo, &c. Minor probatur: nam inter oppoſita ſervatur idem ordo prioritatis, aut poſterioritatis: unde ſicut fides in credentibus eſt prima virtus, ita infidelitas in eis, qui fidem perdunt, debet eſſe primum peccatum. Major autem videtur eſſe aliquorum è ſanctis Patribus, ut Ambroſii lib. 7. in Lucam. Proſperi in reſponſ. ad excerpta Genuenſium dub. 3. Fulgentii lib. de Incarnat. cap. 22. qui ſatis expreſsè fatentur Adamum cum juſtitia originali amiſiſſe fidem. Pro qua etiam parte referri debent quotquot aiunt fuiſſe à ſerpente per Evam ſeductum, aut deceptum: ut martyr Ignatius in epiſt. ad Tralianos, Epiphanius hæreſi 31. Tertullianus, Auguſtinus & alii, quos referunt Bellarminus lib. 3. de amiſſione gratiæ, c. 4. & Granadus controverſia 2. de geſtis mirabilibus vitæ Chriſti diſput. 1. ſect. 6. Confirmatur: quia ſi Adamus non amiſiſſet fidem, non eſſet ratio, cur eam ad poſteros non traduceret: ergo cum non traduxerit, debemus fateri illam amiſiſſe. 180 Argumentum ſecundum. Ambroſ. Proſper. Fulgent. Ignatius. Epiph. Tertul. Auguſt. Bellarm. Granad.

Ab hoc argumento poſſemus facile expediri, ſi omiſſa majori negaretur minor. Cujus probationem ſolvit D. Thom. in 2. diſt. 22. q. 1. art. 1. ad 2. his verbis: *Dicendum quod ordo compoſitionis eſt contrarius ordini reſolutionis: quia quod eſt primum in compoſitione, eſt ultimum in reſolutione: & ideo non ſequitur, quod ſi fides eſt prima in compoſitione ædificii ſpiritualis, quod infidelitas ſit prima in reſolutione ejuſdem.* Ex quo apertè fit, quod & ſi admitteremus Adamum cecidiſſe in infidelitatem, non eſt dicendum hanc fuiſſe primum ejus peccatum, aut ad illud pertinuiſſe; ſed ad aliud omnino diſtinctum & poſterius: non eſt autem contra noſtram doctrinam, quod Adamus ultra primum peccatum, & malitias in eo repertas aliquod aliud in paradiſo commiſerit. Solutio. D. Thom.

181 An vero de facto ita fuerit, quod Deo diſcrediderit, & circa fidem erraverit, non eſt omnino exploratum. Nam partem affirmativam tuentur Bellarminus, & Granadus ubi ſuprà propter dicta Sanctorum, quos citavimus. Sed oppoſitum habetur ex illo Apoſtoli 1. ad

Digitized by Google

1. ad Tim. 2. Tim. 2. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* Super quæ verba D Thom. D. Thom. ibidem lect. 3. ſic ait: *Seductio eſt duplex, ſcilicet in univerſali, & in particulari eligibili, quæ eſt ignorantia electionis: quicumque ergo peccat, ſeducitur ignorantia electionis in particulari eligibili: mulier autem fuit ſeducta ignorantia in univerſali, quando credidit, quod ſerpens dixit: ſed vir non credidit hoc, ſed deceptus fuit in particulari, ſcilicet quod gerendus eſſet mos uxori, & cum ea comedere deberet*, &c. Conſtat autem deceptionem in particulari non opponi fidei, neque eam excludere: aliàs quicumque peccat eſſet infidelis, quia ſemper decipitur in particulari, ut D. Thom. dixit. Idem docet 2. 2. citata quæſt. 163. artic. 4. & alibi non ſemel negans Adamum credidiſſe verbis ſerpentis, aut errorem aliquem contra fidem admiſiſſe. Abulenſ. Quem ſequitur Abulenſis in Geneſ. cap. 13. quæſt. 69. ubi refert, & impugnat plures expoſitiones, quæ pro contrariæ parte poſſent verbis Apoſtoli adhiberi, aſſeritque omnium Catholicorum eſſe ſententiam, Adamum non Salmer. perdidiſſe fidem. Sequuntur etiam Salmeron Caiet. tom. 15. ſuper citatum locum Apoſtoli, Caje-Lyraſ. tanus, Lira, & Benedictus Juſtinianus ibidem, Benedict. Iuſtin. Pererius lib. 6. in Geneſ. quæſtione 2. Be-Pererius. nedictus Fernandez tom. 1. cap. 5. ſect. 11. Bened. Fernand. Idemque docuerat Magiſter ſentent. in 2. di-Magiſt. ſentent. ſtinct. 22. & cum eo plures ſcholaſtici. Meritò que huic parti ſuffragantur. Tum, quia ita ſalvabitur, nunquam fidem defeciſſe in Eccleſia, ex quo cœpit in Adam: quod non verificatur, ſi in illo etiam defecit. Tum etiam, quia cum Deus decreviſſet, primum hominem à peccato educere, & ad ſe per gratiam revocare, valde expediebat remanere in eo habitus fidei & ſpei, ut ſic facilius ad pœnitentiam excitaretur, & ad implorandam divinam miſericordiam, ſalutemque ſperandam animaretur: quod eſſet ei multò difficilius, & per principia intrinſeca prorſus impoſſibile, ſi extincto penitus fidei lumine, omnino in tenebris remanſiſſet.

Loca vero Sanctorum, qui dicunt Adamum perdidiſſe fidem, aut ea exutum fuiſſe habent facilem explicationem: nam vel fidem nominant non virtutem Theologicam, de qua agimus; ſed gratitudinem & fidelitatem, quæ ſunt virtutes morales. Vel loquuntur de fide viva & formata, quæ quantum ad hanc rationem ſemper amittitur cum charitate; licet quoad ſuam eſſentiam remaneat. Vel denique ſolum intendunt Adamum amiſiſſe fidem quoad nos, ſive prout erat caput noſtrum: quia amiſit jus transferendi illam in poſteros. Quando vero dicunt Adamum fuiſſe ſeductum, debent intelligi de ſeductione in particulari, quæ fidei non opponitur, ut Divus Thomas explicuit.

Ad confirmationem reſpondetur, quod licet Adamus, fidem pro ſe conſervaverit, non ideo debuit eam ad nos traducere: quia neque fides, neque aliud donum erat nobis ex illo communicandum niſi media communicatione juſtitiæ originalis: quatenus talia dona ad prædictam juſtitiam conſequebantur, vel in ea includebantur: unde quia Adamus per peccatum amiſit pro ſe & pro nobis talem juſtitiam, & nos omne jus ad eam recipiendam, aut exigendam, conſequenter non debuit aliquod aliud donum ad nos traducere. Cum quo tamen ſtat, quod in ipſo Adamo ut perſona particulari ſicut remanſit ſcientia, manſerint etiam fides & ſpes, ut haberet initium futuræ converſionis, & quia cum fides non dependeat in conſervari à gratia, aut à juſtitia originali, ſed poſſit connaturaliter ſine eis permanere, ex propria natura habet, ut in perſona ipſam habente non deperdatur per ſolam illarum amiſſionem; ſed indigeat ad ſui deſtructionem actibus infidelitatis ſibi contrariis elicitis ab eadem perſona; ſicut modò cernimus, quod etſi amiſſa gratia per quodlibet peccatum mortale, conſequenter aliæ virtutes infuſæ deſtruantur; fides tamen non amittitur ſine prædictis actibus.

Tertiò arguitur; quia primum Adami peccatum fuit inordinatus appetitus ſcientiæ: 182 Argumentū ultimum. quam diabolus expetendam propoſuit: ſed appetitus ſcientiæ potius pertinet ad curioſitatem, quam ad ſuperbiam: ergo etiam prædictum peccatum.

Hoc argumentum ſolvit D. Thom. loc. cit. D. Thom. ex 2. 2. art. 1. ubi illud ſibi objecit, & reſpondet. *Ad tertium dicendum, quod appetitus ſcientiæ cauſatus fuit in primis parentibus ex inordinato appetitu excellentiæ. Unde & in verbis ſerpentis præmittitur, eritis ſicut dii: & poſtea ſubditur, ſcientes bonum & malum.* Si autem urgeas: quia jam ſaltem ut conſequentem & ſecundariam debemus admittere in primo Adami peccato aliam malitiam à ſupradictis diſtinctam, nempe curioſitatis, conſiſtentem in illo appetitu ſciendi. Poſſemus etiam ex eodem S. Doctore occurrere in 2. diſtinct. 22. quæſtione 1. Solvitur duplicitet. articulo 1. ad 5. ubi ait: *Dicendum, quod non peccavit mulier* (idem eſt de homine) *in hoc, quod appeteret ſcientiam eorum, quæ ad ipſum non pertinebant; ſed in hoc, quod in ſcientia eminentiam deſideravit, ut in hoc quodammodo Deo æquaretur.* Juxta quam doctrinam non eſt neceſſe admittere in primo Adami, vel Evæ peccato malitiam aliquam curioſitatis, licet fortè in alio actu ab illo primo omnino diſtincto non defuerit. ¶ Secundo reſpondetur, eſſe valde probabile, etiam primum peccatum habuiſſe talem malitiam, ut inſinuat D. Thom. quæſtione 7. de mal. articulo 7. ad 12. Ea tamen intra proprium genus non excedit limites venialis: & ideo uſque modo illius non meminimus, quia loquuti ſumus determinatè de malitia mortali, ut in tertio corollario expreſſimus.

Per quod manet ſoluta alia objectio, quæ adverſus doctrinam illius corollarii fieri poſſet ex D. Thom. in præſenti articulo 2. ad 1. ubi cum dixiſſet fuiſſe in peccato Adami deformitates ſuperbiæ, inobedientiæ, & gratiæ, addit. *Et alia huiuſmodi*, quo ſatis innuit adfuiſſe ibi aliquas malitiæ ſpecies præter tres illas, quas recenſuerat. Hujuſmodi autem malitiæ, non apparet, quænam eſſe poſſint, niſi malitia curioſitatis; de qua nuper diximus, & quædam malitia furti, cujus meminit Angel. Doctor quæſt. 4. de mal. art. 8. ad 1. adnectens illam tribus ſæpe dictis. *Fuit enim ibi* (inquit) *ſuperbia, inobedientia, gula, & furtum.* Hæc igitur objectio tollitur per ea, quæ modo diximus, nam neque malitia curioſitatis propter ſuum genus, neque malitia illa furti propter parvitatem materiæ potuit excedere limites

Digitized by Google

limites peccati venialis. Ob idque neutrius mentionem fecimus : ſicut neque aliarum deformitatum præcisè venialium, ſi fortè ibi intervenerunt : quia parùm, vel nihil referre poterant ad dignoſcendam naturam peccati originalis.

183 Replica. Sed urgebis : quia eadem ratione dici poſſet, etiam malitiam gulæ non exceſſiſſe limites venialis propter parvitatem materiæ : parva ſiquidem materia videtur reſpectu virtutis abſtinentiæ ejus unius pomi. Præſertim ſi Adamus non illud integrè comedit, ſed ubi primo guſtavit, antequam deglutiret abjecit : ergo neque iſtius malitiæ pro originali peccato debuimus mentionem facere. ¶ Enodatur. Reſpondetur negando antecedens : quicquid enim ſit, an pomum illud, attentâ præcisè naturalis abſtinentiæ regula, fuerit materia ſufficiens ad mortale; dubitari tamen non debet, potuiſſe Deum præcepto ſuò poſitivo quemlibet vel dimidii pomi eſum ſub mortali interdicere, ſine exceptione parvitatis materiæ, hujuſmodique interdicto materiam, alias levem, intra genus abſtinentiæ gravem conſtituere. Sicut de facto in diebus ab Eccleſia ſtatutis ex vi ſui præcepti poſitivi efficitur materia mortalis intra genus gulæ bina comeſtio; quæ tamen ſecundum ſe, attenta præciſe naturalis abſtinentiæ regula, vel nullum eſſet peccatum, vel non excederet culpam venialem. Quod ſi virtute præcepti poſitivi humani res ex genere ſuo non mortalis poteſt intra idemmet genus mortalis effici; quantò magis divinum præceptum rem aliàs in ſuo genere levem poterit gravem efficere, ſi ea intentione feratur, ut vel minimam quantitatem graviter prohibeat. Porrò Deum de facto quamlibet vel minimam illius ligni comeſtionem ita arctè interdixiſſe, ut non eſſet locus materiæ parvitati, oſtenditur tam ab effectu, quam ex modo præceptum imponendi. Et præſertim id manifeſtant verba illa mulieris Geneſ. 3. *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud* : quaſi diceret, præcepit nobis, ut illius arboris nec minimum quid guſtaremus : hoc enim videtur addere *non tangere* ſupra *non comedere*. ¶ Adde non ita conſtare, prædictam comeſtionem adhuc ſecundum ſe, & alias fuiſſe in ſuo genere materiam parvam : nam eſto Adamus unicum pomum, & non plura comederit (quod Scriptura non declarat, ſed ait, *tulit de fructu*, &c.) pomum illud proculdubio erat magnum, ob idque & non tantum propter colorem viſum fuit Evæ pulcherrimum : pomorum enim ſicut & aliquarum aliarum rerum pulchritudo commendatur non parum ex quantitate, & magnitudine. Neque etiam inſinuat Scriptura Adamum guſtaſſe ſolummodò illud pomum, ſtatimque abjeciſſe; ſed potius ex animo, datâque opera, ac ſufficienter de eo comediſſe denotat verbum *comedere*; quo Scriptura utitur, *deditque viro, & comedit*; & rurſus, *de ligno de quo præceperam, ne comederes, comediſti* : & iterum, *dedit mihi, & comedi*. Qui modus dicendi potius denotat integram, & abſolutam comeſtionem, quàm levem, & modicam prægustationem. Quæ omnia ſimul ſumpta ſatis ſuperque inducunt, ut credamus, gulam illam primi parentis non potuiſſe excuſari à mortali ob materiæ parvitatem. Geneſ. 3.

QUÆSTIO LXXXIII.

DE SUBIECTO ORIGINALIS PECCATI, in quatuor Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de ſubjecto originalis peccati. Et circa hoc quæruntur quatuor. ¶ Primò, utrum ſubjectum originalis peccati per prius ſit caro, vel anima? ¶ Secundò, ſi anima, utrum per eſſentiam, aut per potentias ſuas? ¶ Tertiò, utrum voluntas per prius ſit ſubjectum peccati originalis, quàm aliæ potentiæ animæ? ¶ Quartò, utrum aliquæ potentiæ animæ ſint ſpecialiter infectæ, ſcilicet generativa, vis concupiſcibilis, & ſenſus tactus?

ARTI

ARTICULUS I.

Vtrum originale peccatum ſit magis in carne, quam in anima?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd peccatum originale magis ſit in carne, quam in anima: repugnantia enim carnis ad mentem ex corruptione originalis peccati procedit, ſed radix hujus repugnantiæ in carne conſiſtit: dicit enim Apoſtolus ad Roman. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: ergo originale peccatum in carne principaliter conſiſtit.

2. Præterea: unumquodque potius eſt in cauſa, quam in effectu: ſicut calor magis eſt in igne calefaciente, quam in aqua calefacta: ſed anima inficitur infectione originalis peccati per ſemen carnale: ergo peccatum originale majus eſt in carne quam in anima.

3. Præterea: peccatum originale ex primo parente contrahimus, prout in eo fuimus ſecundum rationem ſeminalem: ſic autem non fuit ibi anima, ſed ſola caro: ergo originale peccatum non eſt in anima, ſed in carne.

4. Præterea: anima rationalis creata à Deo corpori infunditur: ſi igitur anima per peccatum originale inficeretur, conſequens eſſet, quod ex ſua creatione inquinaretur, & ſic, Deus eſſet cauſa peccati, qui eſt auctor creationis, & infuſionis.

5. Præterea: nullus ſapiens liquorem pretioſum vaſi infecto infunderet, ex quo ſciret ipſum liquorem infici: ſed anima rationalis eſt pretioſior omni liquore: ſi ergo anima ex corporis unione infici poſſet infectione originalis culpæ, Deus, qui ipſa ſapientia eſt nunquam animam tali corpori infunderet; infundit autem; non ergo inquinatur ex carne: ſic igitur peccatum originale non eſt in anima, ſed in carne.

Sed contra eſt, quod idem eſt ſubjectum virtutis, & vitii ſive peccati, quod contrariatur virtuti: ſed caro non poteſt eſſe ſubjectum virtutis: dicit enim Apoſtolus ad Rom. 7. Scio quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum: ergo caro non poteſt eſſe ſubjectum originalis peccati, ſed ſolùm anima.

Reſpondeo dicendum, quòd aliquid poteſt eſſe in aliquo dupliciter: uno modo ſicut in cauſa vel principali, vel inſtrumentali: alio modo ſicut in ſubjecto. Peccatum ergo originale omnium hominum fuit quidem in ipſo Adam ſicut in prima cauſa principali, ſecundum illud Apoſtoli Roman. 5. In quo omnes peccaverunt. In ſemine autem corporali eſt peccatum originale ſicut in cauſa inſtrumentali, eo quod per virtutem activam ſeminis traducitur peccatum originale in prolem ſimul cum natura humana. Sed ſicut in ſubjecto peccatum originale nullo modo poteſt eſſe in carne, ſed ſolum in anima. Cujus ratio eſt, quia ſicut ſupra dictum eſt, hoc modo ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in poſteros per quandam generativam motionem, ſicut à voluntate alicujus hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes ejus. In qua quidem derivatione poteſt attendi, quod quicquid provenit ex motione voluntatis peccati ad quamcunque partem hominis, quæ quocunque modo poteſt eſſe particeps peccati, vel per modum ſubjecti, vel per modum inſtrumenti, habet rationem culpæ, ſicut ex voluntate gulæ provenit concupiſcentia cibi ad concupiſcibilem, & ſumptio cibi ad manus, & os, quæ in quantum moventur à voluntate ad peccandum, ſunt inſtrumenta peccati. Quod verò ulterius derivatur ad vim nutritivam, & ad interiora membra, quæ non ſunt nata moveri à voluntate non habet rationem culpæ. Sic igitur cum anima poſſit eſſe ſubjectum culpæ, caro autem de ſe non habeat quod ſit ſubjectum culpæ, quicquid provenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpæ: quod autem pervenit ad carnem, non habet rationem culpæ, ſed pœnæ. Sic igitur anima eſt ſubjectum peccati originalis, non autem caro.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. Retractar. Apoſtolus loquitur ibi de homine jam redempto, qui liberatus eſt

eſt à culpa, ſed ſubjacet pœnæ, ratione cujus peccatum dicitur habitare in carne: unde ex hoc non ſequitur, quod caro ſit ſubjectum culpæ, ſed ſolum pœnæ.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum originale cauſatur ex ſemine ſicut ex cauſa inſtrumentali: non autem oportet, quòd aliquid ſit principalius in cauſa inſtrumentali, quam in effectu, ſed ſolùm in cauſa principali: & hoc modo peccatum originale potiori modo fuit in Adam, in quo fuit ſecundum rationem actualis peccati.

Ad tertium dicendum, quòd anima hujus hominis non fuit ſecundum ſeminalem rationem in Adam peccante ſicut in principio effectivo, ſed ſicut in principio diſpoſitivo, eò quòd ſemen corporale, quod ex Adam traducitur ſua virtute non efficit animam rationalem, ſed ad eam diſponit.

Ad quartum dicendum, quòd infectio originalis peccati nullo modo cauſatur à Deo, ſed ex ſolo peccato primi parentis per carnalem generationem: & ideo cum creatio importet reſpectum animæ ad ſolum Deum, non poteſt dici, quod anima ex ſua creatione inquinetur. Sed infuſio importat reſpectum, & ad Deum infundentem, & ad carnem, cui infunditur anima, & ideo habito reſpectu ad Deum infundentem; non poteſt dici, quod anima per infuſionem maculetur; ſed ſolum habito reſpectu ad corpus; cui infunditur.

Ad quintum dicendum, quod bonum commune præfertur bono ſingulari: unde Deus ſecundum ſuam ſapientiam non prætermittit univerſalem ordinem rerum, qui eſt; ut tali corpori talis anima infundatur, ut videtur ſingularis infectio hujus animæ: præſertim cum natura animæ hoc habeat, ut eſſe non incipiat niſi in corpore, ut in prima habitum eſt. Melius eſt autem ei ſic eſſe ſecundum naturam, quam nullo modo eſſe: præſertim cum poſſit per gratiam damnationem evadere.

Conclusio.

Anima eſt ſubjectum originalis peccati, non autem caro.

Circa quam concluſionem nota, animam hic non ſumi ut condiſtinctam à ſuis potentiis, ſicut ſit articulo ſequenti: ſed ut includit omnes illas, quæ ſunt capaces malitiæ: atque adeo tam voluntatem, & intellectum, quam iraſcibilem, & concupiſcibilem. Quare nomine *carnis* intelligi debet ſolum ipſum corpus cum potentiis, & facultatibus partis vegetativæ, & illis ex ſenſitivis, quæ omnino expertes ſunt libertatis. ¶ Nota ſecundò, ex ratione, quæ in corpore habetur aliqualiter juvari modum dicendi, quem tetigimus diſput. præced. num. 112. circa concupiſcentiam, quo pacto ad peccatum originale pertineat. Nam ita comparatur ad prædictum peccatum defectus, qui ex eo provenit in concupiſcibilem, ſicut comparatur ad peccatum actuale malitia, quæ à voluntate derivatur in ipſam concupiſcibilem, & in ejus actum: unde cum hæc non utcumque ſit peccati materia, ſed ita ut intrinſecè in ſe etiam verè ſit malitia, ut diſput. 10. dub. 1. vidimus, videtur hoc idem colligi de prædicto defectu.

Tertiò notat Cajet. ex ſolut. ad 2. quod peccatum Adami, etiam prout manſit in illo, fuit formaliter peccatum originale: nam ita appellatur à D. Thoma in prædicta ſolutione: & clariùs 3. p. q. 8. art. 5. ad 1. Quod tamen aliqui alii Theologi non concedunt: eo quod non fuit per originem inductum, ſicut ſonat *originale*. Sed nobis, quod attinet ad rem, perſpicua eſt doctrina Cajetani: nam modus effectionis non pertinet ad eſſentiam peccati: & ideo ejuſdem eſſentiæ fuit illud, quod Adamus per proprium actum in ſe immediatè cauſavit, & quod nobis per originem tranſmiſit. Nec ſolum quoad eſſentiam, ſed etiam quoad conditionem peccato originali valde præcipuam, quæ eſt eſſe peccatum naturæ, adeſt formalis convenientia inter peccatum Adami, & noſtrum: niſi quod illud inſuper fuit etiam perſonale. Quare ſi nominis impoſitio non modum effectionis, neque modum voluntarii, ſed ſolam ſpeciem aut conditionem peccati naturæ reſpexit, utrumque formaliter, & ſine addito dicendum erit *peccatum originale*. Si verò nominis impoſitio prædicta accidentalia attendit (de quo certò non conſtat) noſtrum dumtaxat abſolutè, & formaliter dicetur *originale*, quod autem fuit in Adamo, ſolum cauſaliter. Ad tollendam verò omnem æquivocationem inventa eſt illa diſtinctio, cujus non ſemel mentionem fecimus, nempe *originalis originati*, & *originalis originantis*. Neque circa quæſtionem præcisè nominalem immorari oportet, præſertim ubi neuter loquendi modus diſſonat. Videri poſſunt Alvarez in præſenti diſput. 178. Greg. Mart. dub. 1. Medina, & alii, qui prædictam quæſtionem examinant. Et etiam aliam, quam tangit D. Thom. in ſolut. ad 5. an ſcilicet melius aut eligibilius ſit eſſe cum peccato, quam omnino non eſſe? De qua diximus aliquid diſp. 14. num. 23.

ARTI

ARTICULUS II.

Vtrum peccatum originale ſit per prius in eſſentia animæ, quàm in potentiis?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quod peccatum originale non ſit per prius in eſſentia animæ, quàm in potentiis: anima enim nata eſt eſſe ſubjectum peccati quantum ad id, quod poteſt à voluntate moveri: ſed anima non movetur à voluntate ſecundum ſuam eſſentiam, ſed ſolum ſecundum potentias: ergo peccatum originale non eſt in anima ſecundum ſuam eſſentiam; ſed ſolum ſecundum potentias.

2. Præterea: peccatum originale opponitur originali juſtitiæ: ſed originalis juſtitia erat in aliqua potentia animæ, quæ eſt ſubjectum virtutis: ergo; & peccatum originale eſt magis in potentia animæ: quam in ejus eſſentia.

3. Præterea: ſicut à carne peccatum originale derivatur ad animam, ita ab eſſentia animæ derivatur ad potentias: ſed peccatum originale magis eſt in anima, quam in carne: ergo etiam magis eſt in potentiis animæ, quam in ejus eſſentia.

4. Præterea: peccatum originale dicitur eſſe concupiſcentia, ut dictum eſt: ſed concupiſcentia eſt in potentiis animæ: ergo & peccatum originale.

Sed contra eſt, quod peccatum originale dicitur eſſe peccatum naturale, ut ſupra dictum eſt: anima autem eſt forma, & natura corporis ſecundum eſſentiam ſuam, & non ſecundum potentias, ut in primo habitum eſt: ergo anima eſt ſubjectum originalis peccati principaliter ſecundum ſuam eſſentiam.

Reſpondeo dicendum, quod illud animæ eſt principaliter ſubjectum alicujus peccati, ad quod primò pertinet cauſa motiva illius peccati: ſicut ſi cauſa motiva ad peccandum ſit delectatio ſenſus, quæ pertinet ad vim concupiſcibilem, ſicut objectum proprium ejus, ſequitur, quod vis concupiſcibilis ſit proprium ſubjectum illius peccati. Manifeſtum eſt autem, quod peccatum originale cauſatur per originem: unde illud animæ, quod primò attingitur ab origine hominis, eſt primum ſubjectum originale peccati. Attingit autem origo animam ut terminum generationis, ſecundum quod eſt forma corporis: quod quidem convenit ei ſecundum eſſentiam propriam, ut in primo habitum eſt. Unde anima ſecundum eſſentiam eſt primum ſubjectum originalis peccati.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut motio voluntatis alicujus propriè pervenit ad potentias animæ, non autem ad animæ eſſentiam, ita motio voluntatis primi generantis per viam generationis pervenit primò ad animæ eſſentiam, ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd etiam originalis juſtitia pertinebat primordialiter ad eſſentiam animæ: erat enim donum divinitùs datum humanæ naturæ, quam per prius reſpicit eſſentia animæ quam potentiæ: potentiæ enim magis videntur pertinere ad perſonam, in quantum ſunt principia perſonalium actuum, unde ſunt propria ſubjecta peccatorum actualium, quæ ſunt peccata perſonalia.

Ad tertium dicendum, quòd corpus comparatur ad animam ſicut materia ad formam, quæ etſi ſit poſterior ordine generationis; eſt tamen prior ordine perfectionis, & naturæ: eſſentia autem animæ comparatur ad potentias ſicut ſubjecta ad accidentia propria, quæ ſunt poſteriora ſubjecto, & ordine generationis, & etiam perfectionis: unde non eſt ſimilis ratio.

Ad quartum dicendum, quòd concupiſcentia ſe habet materialiter, & ex conſequenti in peccato originali, ut ſupra dictum eſt.

CONCLUSIO *eſt affirmativa.*

Tota doctrina hujus articuli confirmat eam, quam circa traductionem, & eſſentiam peccati originalis ſuperiùs tradidimus. Movet autem dubium Cajetanus contra concluſionem ex Scoto in 2. diſt. 32. quia eſſentia animæ, ut eſſentia eſt, non eſt ſuſceptiva culpæ, ſed mediantibus potentiis: ergo in iſtis erit principalius quam in illa quodcunque peccatum. ¶ Reſpondetur, antecedens eſſe verum de culpa actuali; non autem de originali: de qua neque ab Scoto probatur antecedens, neque ab alio ſuadebitur

bitur. Et rationem tradit Cajetan. nam cum anima ſecundum ſuam eſſentiam rationalis, & ſpiritualis ſit, & radix omnium actuum moralium bonorum, & malorum, nihil eſt cur ex hac parte repugnet illi eſſe immediatum ſubjectum alicujus, quod ſit moraliter malum, ac proinde peccati, & culpæ originalis. Quod verò culpæ actualis immediatè non ſit capax provenit ex eo, quòd talis culpa conſiſtit in actu, vel actuali exercitio: & ideo debet habere pro ſubjecto immediato illud, quod eſt immediatè principium actus: hæc eſt autem ſola potentia. Quòd ſi anima poſſet eſſe immediatum principium prædictæ culpæ; etiam poſſet eſſe immediatum ſubjectum. Si igitur ſit aliqua culpa, quæ non conſiſtat in actu vel actuali exercitio, nulla eſt ratio, cur anima per ſuam eſſentiam non ſit ſubjectum talis culpæ: & hujuſmodi eſt originalis. Aliunde etiam cum eadem anima ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſeu ſubſtantialem unionem ſit, quæ primò, & immediatè per generationem attingitur, conſequenter debet eſſe prima, quæ inficitur illa macula, quæ generatione ipſa traducitur. De quo agunt latiùs Monteſinos diſput. 13. quæſt. 1. Alvarez diſput. 179. & alii ſuper hunc articulum. Nobis autem poſt illa, quæ in utraque præcedente diſput. ſcilicet 14. & 16. tradidimus, nihil remanet hîc ſuperaddendum.

ARTICULUS III.

Vtrum peccatum originale per prius inficiat voluntatem, quàm alias potentias?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd peccatum originale non per prius inficiat voluntatem; quàm alias potentias: omne enim peccatum principaliter pertinet ad potentiam, per cujus actum cauſatur: ſed peccatum originale cauſatur per actum generativæ potentiæ: ergo inter cæteras potentias animæ videtur magis pertinere ad generativam potentiam.

2. Præterea: peccatum originale per ſemen carnale traducitur: ſed aliæ vires animæ propinquiores ſunt carni, quàm voluntas: ſicut patet de omnibus ſenſitivis, quæ utuntur organo corporali: ergo in eis magis eſt peccatum originale, quàm in voluntate.

3. Præterea: intellectus eſt prior voluntate: non enim eſt voluntas, niſi de bono intellecto: ſi ergo peccatum originale inficit omnes potentias animæ, videtur, quòd per prius inficiat intellectum tanquam priorem.

Sed contra eſt, quòd juſtitia originalis per prius reſpicit voluntatem: eſt enim rectitudo voluntatis, ut Anſelmus dicit in lib. de conceptu virginali: ergo peccatum originale, quod ei opponitur, per prius reſpicit voluntatem.

Reſpondeo dicendum, quòd in infectione peccati originalis duo eſt conſiderare: primò quidem inhærentiam ejus ad ſubjectum. Et ſecundum hoc primò reſpicit eſſentiam animæ, ut dictum eſt: deinde oportet conſiderare inclinationem ejus ad actum: & hoc modo reſpicit potentias animæ. Oportet ergo, quòd illam per prius reſpiciat, quæ primam inclinationem habet ad peccandum: hæc autem eſt voluntas, ut ex ſupradictis patet. Unde peccatum originale per prius reſpicit voluntatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum originale non cauſatur in homine per potentiam generativam prolis, ſed per actum potentiæ generativæ parentis: unde non oportet; quòd ſua potentia generativa ſit primum ſubjectum originalis peccati.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum originale habet duplicem proceſſum, unum quidem à carne ad animam; alium verò ab eſſentia animæ ad potentias. Primus quidem proceſſus eſt ſecundum ordinem generationis; ſecundus autem ſecundum ordinem perfectionis. Et ideo quamvis aliæ potentiæ, ſcilicet ſenſitivæ, propinquiores ſint carni, quia tamen voluntas eſt propinquior eſſentiæ animæ tanquam ſuperior potentia, primo pervenit ad ipſam infectio originalis peccati.

Ad tertium dicendum, quòd intellectus quodammodo præcedit voluntatem, in quantum proponit ei ſuum objectum: alio vero modo voluntas præcedit intellectum ſecundum ordinem motionis ad actum, quæ quidem motio pertinet ad peccatum.

Conclusio *eſt affirmativa.*

Quam optime probat ratio articuli. Et etiam confirmat doctrinam, quam diſput. præced. à num. 120. tradidimus circa rationem primariam, & conſtitutivam peccati originalis. Quinimo ex hoc loco ſumitur diſtinctio, per quam facile conciliantur alia, ubi D. Thom. deordinationem voluntatis appellat *formale* in prædicto peccato. Nam diſtinguit illud, prout reſpicit ſubjectum ſeu naturam, & prout reſpicit operationem: & primo modo dicit eſſe in eſſentia animæ: ſecundo verò in potentiis, quæ ſunt immediatè propter operationem: & per prius in voluntate, quæ movet cæteras ad agendum. Unde ſicut primo illo modo ratio formalis debet eſſe illa privatio juſtitiæ originalis, quæ immediatè eſt in eſſentia animæ: ita hoc poſteriori dici poteſt ratio formalis illa, quæ in voluntate reſidet. Cæterum ſicut in homine abſolutè eſt prius *eſſe*, quàm *operari*: & natura quàm potentia: ita in prædicto peccato abſolutè eſt prior privatio immediate afficiens animam, quæ eſt privatio juſtitiæ originalis quoad effectum primarium, quacunque alia privatione afficiente voluntatem, vel alias potentias: adeóque illa & non iſta debet eſſe conſtitutiva, & eſſentialis, ut eo loci explicuimus. ¶ Quod autem D. Thom. ait, poſſe in prædicto peccato conſiderari inclinationem ejus ad actum, non eſt intelligendum de aliqua inclinatione poſitiva, quæ directè, & per ſe in actum tendat: ſed de ipſa privatione juſtitiæ originalis, quæ dicitur inclinare per accidens, & ut removens prohibens: quatenus ſolvit ligamen, quo potentiæ in primo ſtatu compeſcebantur, ne effrænatè ad bona ſenſibilia tenderent, ut explicuimus diſp. præced. dubio 4. Unde ex hoc loco nihil pro ſe habet ſententia conſtituens peccatum originale in poſitivo.

ARTICULUS IV.

Utrum præfatæ potentiæ ſint magis infectæ, quàm aliæ?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd prædictæ potentiæ non ſint magis infectæ, quàm aliæ. Infectio enim originalis peccati magis videtur pertinere ad illam animæ partem, quæ prius poteſt eſſe ſubjectum peccati: hæc autem eſt rationalis pars, & præcipuè voluntas: ergo ipſa eſt magis infecta per peccatum originale.

2. Præterea: nulla vis animæ inficitur per culpam, niſi in quantum poteſt obedire rationi: generativa autem non poteſt obedire, ut dicitur in 1. Ethic. ergo generativa non eſt maximè infecta per originale peccatum.

3. Præterea: viſus inter alios ſenſus eſt ſpiritualior, & propinquior rationi, in quantum plures differentias rerum oſtendit, ut dicitur in 1. Metaphyſ. ſed infectio culpæ primò eſt in ratione: ergo viſus magis eſt infectus, quam tactus.

Sed contra eſt quod Auguſtin. dicit in lib. 14. de Civit. Dei, quòd infectio originalis culpæ maximè apparet in motu genitalium membrorum, qui rationi non ſubditur: ſed illa membra deſerviunt generativæ virtuti in commixtione ſexuum, in qua eſt delectatio ſecundum tactum, quæ maximè concupiſcentiam movet: ergo infectio originalis peccati maximè pertinet ad iſta tria, ſcilicet potentiam generativam, vim concupiſcibilem, & ſenſum tactus.

Reſpondeo dicendum, quòd illa corruptio præcipuè infectio nominari ſolet, quæ nata eſt in aliud transferri: unde & morbi contagioſi (ſicut lepra, & ſcabies, & hujuſmodi) infectiones dicuntur. Corruptio autem originalis peccati traducitur per actum generationis, ſicut ſupra dictum eſt. Unde potentiæ, quæ ad hujuſmodi actum concurrunt, maximè dicuntur eſſe infectæ: hujuſmodi autem actus deſervit generativæ, in quantum ad generationem ordinatur. Habet autem in ſe delectationem tactus, quæ eſt maximum objectum concupiſcibilis: & ideo cum omnes partes animæ dicantur eſſe corruptæ per peccatum originale, ſpecialiter tres prædictæ dicuntur eſſe corruptæ, & infectæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum originale ex ea parte, qua inclinat in peccata actualia, præcipuè pertinet ad voluntatem, ut dictum eſt: ſed ex ea parte, qua traducitur in prolem, pertinet propinquè ad potentias prædictas; ad voluntatem autem remotè.

Ad ſecundum dicendum, quòd infectio actualis culpæ non pertinet niſi ad potentias, quæ moventur à voluntate peccantis: ſed infectio originalis culpæ non derivatur à voluntate ejus, qui ipſam contrahit, ſed per originem naturæ, cui deſervit potentia generativa: & ideo in ea eſt infectio originalis peccati.

Ad tertium dicendum, quòd viſus non

Digitized by Google

non pertinet ad actum generationis niſi ſecundum diſpoſitionem remotam: prout ſcilicet per viſum apparet ſpecies concupiſcibilis: ſed delectatio perficitur in actu: & ideo talis infectio magis attribuitur tactui, quàm viſui.

CONCLUSIO *eſt affirmativa.*

Circa titulum nota, *præfatas potentias* eſſe concupiſcibilem, generativam, & ſenſum tactus, ut declaratur in argumento *ſed contra*, & in corpore articuli. Potuit verò D.Th. illas expreſsè non referre, non ſolum quia articulo præced. aliquarum earum meminerat, ut ait Monteſinos: ſed quia in quæſtionis veſtibulo; dum articulos diſtribuit, aſſignavit illas expreſsè pro hoc art. 4. verbis illis: *Quartò, utrum aliquæ potentiæ animæ ſint ſpecialiter infectæ, ſcilicet generativa, vis concupiſcibilis & ſenſus tactus.*

Dubitant expoſitores, quo pacto verum ſit, prædictas potentias eſſe magis infectas originali culpa quàm aliæ: & adhuc quàm voluntas, ad quam etiam ſit comparatio in ſolut. ad 1. Citóque occurrit ratio dubitandi tum ex articulo præced. ubi ſtatutum fuit, peccatum originale prius afficere voluntatem, quàm reliquas potentias: ergo ipſa præ cæteris infecta erit tali peccato. Tum etiam quia in art. præc. excluduntur à linea ſubjecti malitiæ omnes illę potentiæ, quæ non ſubduntur immediatè dominio voluntatis, & ponitur exemplum in nutritiva: atqui nec generativa, nec ſenſus tactus ſubſunt immediatè tali dominio: ergo neque erit in eis malitia originalis, neque illa inficientur.

Hæc dubitandi ratio aliquibus non eſt viſa admodum facilis. Verum ſi litera D.Thomæ, & modus loquendi attentè inſpiciantur, cito apparebit ſolutio. Diſtinguit enim curioſè ſatis & accuratè inter peccati *corruptionem*, & *infectionem*, quod non quælibet corruptio dicitur propriè *infectio*, ſed illa, quæ nata eſt in aliud transferri: ſicut inter morbos corporales illos dicimus *infectiones*, qui contagioſi ſunt, ſeu qui plures inficiunt, & infectant: unde quia peccatum originale, & deordinat hominem in ſe ipſo, & ab uno transfundit in alios; non idcirco aliqua potentia dicenda eſt magis aut minus *infecta*, quia in ſe ipſa plus vel minus habeat deformitatis, & corruptionis: ſed quia plus minuſve traductioni prædicti peccati deſervit, proximiúſque vel remotiùs ad ea concurrit. Quia ergo talis traductio proximè ſit per generationem, quæ immediatè eſt actus potentiæ generativæ, & habet præ aliis actionibus annexam delectationem tactus quæ plurimum movet concupiſcibilem, idcirco hujuſmodi tres potentiæ, ſcilicet generativa, concupiſcibilis, & tactus, præ cæteris *originali peccato infectæ* dicuntur: quatenus nulla alia ita proximè, & immediatè ſe habet ad ejus traductionem. Cum quo optimè ſtat, quod corruptio & deordinatio potius & formalius afficiat alias potentias, præſertim voluntatem: & quòd hæc & aliæ, quæ libertatem participant, magis deordinatæ ſint & vitiatæ, eo quod plus de ratione malitiæ participant: dicantur verò minus infectæ, quia remotius ſe habent ad prædictam traductionem. Imo cum hoc ſtat, ut in generativa & tactu, quæ ita infecta dicuntur, non reperiatur formaliter peccatum ſecundum rationem culpæ, ſed ſolùm cauſaliter, quia ratio infectionis non attenditur penes informationem, vel receptionem, ſed penes cauſalitatem & influxum.

QUÆSTIO LXXXIV.

DE CAUSA PECCATI SECUNDUM QUOD unum peccatum alterius peccati cauſa eſt, in quatuor Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſa peccati, ſecundum quòd unum peccatum eſt cauſa alterius. Et circa hoc quæruntur quatuor.

ARTICULUS I.

Utrum cupiditas ſit radix omnium peccatorum?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd cupiditas non ſit radix omnium peccatorum. Cupiditas enim, quæ eſt immoderatus appetitus divitiarum, opponitur virtuti libertatis: ſed liberalitas non eſt radix omnium virtutum: ergo cupiditas non eſt radix omnium peccatorum.

2. Præterea: appetitus eorum, quæ ſunt ad finem, procedit ex appetitu finis: ſed divitiæ, quarum appetitus eſt cupiditas, non appetuntur niſi ut utiles ad aliquem finem, ſicut dicitur in 1. Ethic. ergo cupiditas non eſt radix omnis peccati; ſed procedit ex alia priori radice.

Digitized by Google

3. Præterea: frequenter invenitur, quòd avaritia, quæ cupiditas nominatur, oritur ex aliis peccatis: puta cum quis appetit pecuniam propter ambitionem, vel ut ſatisfaciat gulæ: non ergo eſt radix omnium peccatorum.

Sed contra eſt, quod dicit Apoſtolus 1. ad Timoth. ult. Radix omnium malorum eſt cupiditas.

Reſpondeo dicendum, quòd ſecundum quoſdam cupiditas tripliciter dicitur. Uno modo, prout eſt appetitus inordinatus divitiarum; & ſic eſt ſpeciale peccatum. Alio modo, ſecundùm quòd ſignificat inordinatum appetitum cujuſcumque boni temporalis: & ſic eſt genus omnis peccati: nam in omni peccato eſt inordinata converſio ad commutabile bonum, ut dictum eſt. Tertio modo ſumitur, prout ſignificat quandam inclinationem naturæ corruptæ ad bona corruptibilia inordinatè appetenda: & ſic dicunt, cupiditatem eſſe radicem omnium peccatorum, ad ſimilitudinem radicis arboris, quæ ex terra trahit alimentum: ſic enim ex amore rerum temporalium omne peccatum procedit. Et hæc quidem quamvis vera ſint: non tamen videntur eſſe ſecundum intentionem Apoſtoli, qui dixit, cupiditatem eſſe radicem omnium peccatorum: manifeſtè enim ibi loquitur contra eos, qui cum velint divites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum diaboli, eò quod radix omnium malorum eſt cupiditas. Unde manifeſtum eſt, quod loquitur de cupiditate, ſecundumquòd eſt appetitus inordinatus divitiarum: & ſecundum hoc dicendum eſt, quòd cupiditas, ſecundum quòd eſt ſpeciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum ad ſimilitudinem radicis arboris, quæ alimentum præſtat toti arbori. Videmus enim, quòd per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcunque peccatum, & adhibendi deſiderium cujuſcunque peccati: eò quòd ad habenda quæcunque temporalia bona, poteſt homo per pecuniam juvari, ſecundùm quòd dicitur Eccleſ. 10. Pecuniæ obediunt omnia. Et ſecundum hoc patet quod cupiditas divitiarum eſt radix omnium peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod non ab eodem oritur virtus, & peccatum: oritur enim peccatum ex appetitu commutabilis boni: & ideo appetitus illius boni, quod juvat ad conſequenda omnia temporalia bona radix peccatorum dicitur: virtus autem oritur ex appetitu incommutabilis boni, & ideo charitas, quæ eſt amor Dei, ponitur radix virtutum, ſecundum illud Epheſ. 3. In charitate radicati, & fundati.

Ad ſecundum dicendum, quòd appetitus pecuniarum dicitur eſſe radix peccatorum, non quidem quia divitiæ propter ſe quærantur tanquam ultimus finis: ſed quia multum quæruntur ut utiles ad omnem temporalem finem, & quia univerſale bonum eſt appetibilius, quàm aliquod particulare bonum, ideo magis movet appetitum, quàm quædam bona ſingularia, quæ ſimul cum multis aliis per pecuniam haberi poſſunt.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut in rebus naturalibus non quæritur quid ſemper fiat; ſed quid in pluribus accidit, eo quod natura corruptibilium rerum impediri poteſt, ut non ſemper eodem modo operetur, ita etiam in moralibus conſideratur, quod ut in pluribus eſt, non autem quod ſemper eſt, eo quod voluntas non ex neceſſitate operatur: non igitur dicitur avaritia radix omnium malorum, quin interdum aliquod aliud malum ſit radix ejus: ſed quia ex ipſa frequentiùs alia mala oriuntur ratione prædicta.

Concluſio.

Cupiditas ſecundùm quod eſt peccatum ſpeciale, eſt radix omnium peccatorum.

Commentarius.

Diſtinguit D. Thomas in hac litera tres cupiditatis acceptiones. Primò enim ſumitur pro inordinato amore divitiarum: & hoc modo eſt peccatum ſpeciale, quia determinat ſpecialem materiam. Secundò pro inordinato appetitu cujuſlibet temporalis boni: quo pacto non eſt peccatum ſpeciale, ſed divagatur per omnia: nam ſicut in omnibus peccatis clauditur inordinatus amor ſui (ut dictum eſt ſupra quæſt. 77. art. 4.) ita etiam in omnibus illis includitur amor alicujus boni temporalis, quod peccans ſibi appetit, & ad quod convertitur, dum peccat. Dicitur autem à D. Thoma hujuſmodi cupiditas *genus omnis peccati*, non quia propriè genus ſit, ſed quia eſt generalis conditio omnia illa tranſcendens, ut vidimus ſuper artic. citatum. Tertiò accipitur pro inordinatione naturæ corruptæ ad bona corruptibilia inordinate appetenda: quo pacto eſt idem ac concupiſcentia: de qua plura diximus diſp. præced. dub. 4. 1 **Multiplex cupiditatis acceptio.**

2 Quamvis autem D. Thomas non neget, cupiditatem quolibet ex iſtis modis acceptam poſſe eſſe cauſam omnium peccatorum, & aliquando

Digitized by Google

D. Auguſt. D. Ambr. D. Hieron. D. Gregor. quando à Patribus ita appelletur, ut ab Auguſtino lib. 9. de Geneſi ad liter. cap. 15. Ambroſ. epiſt. 84. Hieron. ſuper ad Epheſ. 4. & 5. Gregor. homil. 6. in Evang. & aliis; reſtrinxit tamen ſuam doctrinam ad primam acceptionem. Tum ut tueretur ſenſum Apoſtoli, cujus auctoritate utitur *1. ad Tim. cap. ult.* 1. ad Timoth. cap. ult. ubi dixit quòd radix omnium malorum eſt cupiditas: quo loci ſermonem eſſe de cupiditate pro amore divitiarum, probat in præſenti ex ipſo contextu, qui manifeſtè loquitur contra divitiarum amatores: qui dum volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. Et eodem modo intelligunt Apoſtolum Ambroſius, & Chryſoſtomus ibidem. *Ambroſ. Chryſoſt. Cyprian.* Cyprianus de oratione Dom. ad illa verba *Panem noſtrum quotidianum*. Hieronym. ſuper 6. cap. Jerem. Iſidorus lib. 2. de ſumm. bono *Iſidor. Hieron.* cap. 41. & plures alii. Tum etiam ut explicaret peculiarem modum, quo cupiditas præ dicto modo accepta habet influere in omnia peccata, ratione cujus potiori jure quàm aliis peccatorum cauſis tribuitur illi nomen *radicis*. Sicut enim in arboribus eam partem *radicem* vocamus, quæ cæteris præbet alimentum, ita inter paſſiones & vitia id quod reliquis peccatis alimentum & pabulum ſubminiſtrat, meritò eorum *radix* nuncupatur: hujuſmodi autem eſſe cupiditatem ſeu inordinatum amorem divitiarum ex eo liquet, quia nullum eſt peccatum, ad cujus perpetrationem divitiæ incitamentum non præbeant: dum juvant ad acquirenda quæcunque temporalia bona, propter quæ homines peccare contingit. Ut enim *Eccleſ. 10.* dicitur Eccleſ. 10. *Omnia obediunt pecuniæ*: & ideo cui hæc ſuppetit, quæcunque inordinatè diligit facilè conſequitur.

In quo genere cupiditas ſit cauſa peccatorum. Ex quo patet, cauſalitatem in omnia peccata, quæ in præſenti cupiditati tribuitur, & vocatur *per modum radicis*, non eſſe in genere cauſæ finalis, aut ordine intentionis (quamvis etiam in hoc genere & ordine amor divitiarum ad multa peccata concurrat, hacque ratione avaritia numeratur inter vitia capitalia, quæ ſunt aliorum cauſæ præcipue per modum finis: ut videbimus artic. 4.) ſed ordine executionis, & quaſi in genere cauſæ materialis: quatenus divitiæ inordinatè amatæ habent eſſe poſſidenti materia & inſtrumentum ad alia peccata perpetranda.

3 *Objectio.* Fit deinde, nullam eſſe objectionem, qua aliqui contra aſſertionem D. Thomæ utuntur, ex Chryſoſtomo, Hieronymo, & aliis Patribus aſſignantibus ut cauſam avaritiæ & cupiditatis gulam, invidiam, & ſimilia peccata, non ergo ipſa avaritia vel cupiditas erit *Diluitur.* radix hujuſmodi peccatorum. Hæc igitur objectio nullius momenti eſt: ſtat enim cupiditatem eſſe cauſam omnium peccatorum ordine executionis, atque in genere cauſæ materialis, ut diximus; & tamen in alio genere, nempe in genere cauſæ finalis, eſſe effectum aliquorum ex illis: ut in aliis rebus ſæpe contingit, quòd idem ſimul ſit cauſa & effectus reſpectu ejuſdem in diverſo genere cauſæ.

4 *Dubium.* Major dubitandi ratio eſt; an D. Thomas nomine *cupiditatis* intelligat avaritiam propriè & ſpecialiter dictam, ut eſt affectus nimis & inordinatè divitias retinendi; diſtinguiturque à prodigalitate, quæ eſt affectus nimis & inordinatè illas expendendi: an verò intelligat inordinatum amorem divitiarum ut ſic, abſtrahendo à differentiis avaritiæ & prodigalitatis? Dicendumque eſt hoc poſterius cum Cajetano & aliis. Ob id enim procuidubiò D. Thomas tam in titulo quàm in corpore articuli noluit uti nomine *avaritiæ*, ſed nomine *cupiditatis* (quo etiam uſus fuerat Apoſtolus) *Deciditur.* quia eo nomine non exprimitur propria ratio avaritiæ, ſed duntaxat amor nimius divitiarum, quicunque ille ſit. Et ratio videtur etiam perſpicua: nam affectus divitiarum, qui patrandis peccatis materiam & fomentum ſubminiſtrat, non eſt amor determinatè illas retinendi ſeu non expendendi, quod eſt munus avaritiæ: quin potiùs talis amor ſæpe retrahit à peccato, ne in hujus perpetratione divitiæ conſumantur: ſed eſt amor acquirendi & habendi illas, ut abſtrahit ab amore retinendi vel expendendi: divitiæ enim habitæ & poſſeſſæ incitant, ut impleantur prava deſideria, & ut in eorum adimpletione expendantur.

5 *Replica.* Neque obeſt, ſi dicas, amorem divitiarum in prædicta abſtractione non eſſe peccatum ſpeciale, ſed aliquid commune & genericum ad prodigalitatem & avaritiam: at D. Thomas expreſſè dicit ſe loqui de cupiditate ut eſt peccatum ſpeciale: & in ſolutione ad tertium appellat illud nomine *avaritiæ*: ergo loquitur determinatè de hujuſmodi peccato. ¶ Non *Enodatur.* igitur hoc obeſt: nam eſto concedamus, prædictum amorem divitiarum non conſtituere ſpeciem peccati atomam, ſed gradum genericum communem prodigalitatis & avaritiæ (de quo alias) ſalvatur ſufficienter intentum D. Thomæ, nempe quòd cupiditas in præſenti non accipiatur communiſſimè; ut cum ſumitur pro inordinato amore cujuſcumque boni temporalis, vel pro inclinatione naturæ corruptæ ad hujuſmodi bonum inordinatè appetendum: ſed ut determinata ad certam materiam, ſcilicet divitias: ſive in ea materia conſtituat ſpeciem atomam unius vitii, ſive ſubalternam & communem duobus verſantibus circa talem materiam. Quemadmodum ſi aliquis diceret, ſe loqui de injuſtitia, quatenùs eſt ſpeciale peccatum, non ideo deberet neceſſariò intelligi de aliqua ſpecie injuſtitiæ atoma, ſed poſſet ſufficienter exponi de ſubalterna & communi furto, homicidio, detractione, & ſimilibus, dummodo excluderetur injuſtitia latiſſimè ſumpta, ut eſt communis ad omnia peccata, quæ in alium committuntur. Ad illud ex ſolutione ad tertium reſpondetur, nomen *avaritiæ* aliquando ſumi minùs ſtrictè pro quolibet vitio contra liberalitatem, ſive opponatur illi per exceſſum, ſive per defectum, atque adeo abſtrahendo ab avaritia ſtrictè ſumpta, & à prodigalitate: quo pacto proprium ejus nomen eſt *illiberalitas* ſeu *cupiditas*: & ita ſumitur a D. Thoma in prædicta ſolutione.

6 *Alia objectio. Durand.* Demque fit, juxta hanc doctrinam omnino præcludi aditum objectioni Durandi in 2. diſt. 42. quæſt. 4. qui ex eo probare nititur cupiditatem non eſſe radicem peccatorum modo à D. Thoma explicato, quia divitiæ non præbent facultatem adimplendi mala deſideria, niſi per ſui diſtributionem: cupiditas autem non eſt appetitus earum ad diſtribuendum, ſed ad congregandum & retinendum eas: & ideo cupiditas

piditas pecuniarum magis impedit aſſecutionem maiorum deſideriorum, quæ per diſtributionem pecuniarum poſſent impleri; quàm ad hoc inclinet vel promoveat. Præſertim cum ſint aliqua peccata, quæ potiùs contrariantur & repugnant avaritiæ, ſicut prodigalitas & *apyrocalia* ſive *conſumptio*, ſic dicta quia tanquam ignis omnia conſumit. ¶ Hujuſmodi ergo objectioni omnino præcluditur aditus juxta doctrinam traditam: quia nomine *cupiditatis* in præſenti non intelligitur avaritia ſpecialiter dicta, ut eſt appetitus retinendi, & non expendendi; ſed ſolùm amor congregandi & habendi divitias: ex quo amore, ſicut ex ipſis divitiis congregatis nullum eſt peccatum, quod ſ. qui non valeat; quamvis ſint ipſa *prodigalitas* & *apyrocalia*, quæ avaritiæ opponuntur.

Perimitur.

Martinez. Addit Gregor. Martinez in præſenti, quod etiam ſi nomine *cupiditatis* intelligatur avaritia propriè dicta, verificabitur quòd ſit radix omnium peccatorum etiam ipſius prodigalitatis. Ad hoc enim avarus retinet pecunias, ut oblata ſibi occaſione, quod voluerit, conſequi valeat: licet multoties in tantùm creſcat avaritia, ut nunquàm judicet adeſſe tempus expendendi. Unde quamvis elargitio pecuniæ pro executione peccati ad prodigalitatem pertineat, illius tamen acquiſitio, ſecundùm quam aliquis fit potens ad elargiendum & ad peccatum exequendum, pertinet ad avaritiam: quia ergo per prodigalitatem elargiri non poteſt, niſi quod priùs congregatum eſt, merito avaritia, cujus eſt congregare, ponitur ut radix ipſius prodigalitatis, & aliorum peccatorum, quæ a prodigo executioni mandantur.

In ſolutione ad tertium modificat D. Thom. doctrinam uſquemodò traditam, ut ſit ſenſus, non quòd de facto omnia peccata ex cupiditate vel avaritia oriantur, aut quòd primum peccatum inchoans alia, ſemper ſit avaritia; cum enim voluntas in peccando ſit libera, poteſt unde voluerit, inchoare: ſed ſenſus eſt, quòd avaritia ſeu cupiditas, quantum eſt ex ſe, ad omnia peccata viam parat, & ad omnia ſollicitat, dum immoderatè congregat pecuniam & divitias, quibus homines quicquid inordinatè appetunt, facilè conſequuntur. Unde ſatis eſt ad veritatem prædictæ doctrinæ, nullum dari peccatum, quod ex cupiditate ſeu avaritia oriri non valeat: vel quòd frequentiùs & ut in plurimùm alia peccata ex illa originentur. Quæ regula ſemper præ oculis habenda eſt, ne fortè cum D. Thomas in præſenti aut alibi aliquam paſſionem vel aliquod peccatum pro cæterorum cauſa aſſignat, univerſaliùs intelligatur, quam Ang. Doctor intendit.

ARTICULUS II.

Vtrum ſuperbia ſit initium omnis peccati?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd ſuperbia non ſit initium omnis peccati. Radix enim eſt quoddam principium arboris, & ita videtur idem eſſe radix, & initium peccati: ſed cupiditas eſt radix omnis peccati, ut dictum eſt: ergo ipſa etiam eſt initium omnis peccati, non autem ſuperbia.

2. Præterea Eccleſ. 10. dicitur, Initium ſuperbiæ hominis eſt apoſtatare à Deo: ſed apoſtaſia à Deo, eſt quoddam peccatum: ergo aliquod peccatum eſt initium ſuperbiæ: ergo & ipſa non eſt initium omnis peccati.

3. Præterea: Illud videtur eſſe initium omnis peccati, quod facit omnia peccata: ſed hoc eſt inordinatus amor ſui, qui facit civitatem Babylonis, ut Auguſt. dicit in lib. 14. de Civit. Dei: ergo amor ſui eſt initium omnis peccati, non autem ſuperbia.

Sed contra eſt quod dicitur Eccl. 10. Initium omnis peccati ſuperbia.

Reſpondeo dicendum, quòd quidam dicunt ſuperbiam dici tripliciter. Uno modo ſecundùm quod ſuperbia ſignificat inordinatum appetitum proprię excellentiæ, & ſic eſt ſpeciale peccatum. Alio modo, ſecundùm quod importat quendam actualem contemptum Dei, quantum ad hunc effectum, qui eſt non ſubdi ejus præcepto: & ſic dicunt quod eſt generale peccatum. Tertio modo, ſecundum quod importat quandam inclinationem ad hujuſmodi contemptum ex corruptione naturæ: & ſic dicunt, quòd eſt initium omnis peccati. Et differt à cupiditate: quia cupiditas reſpicit peccatum ex parte converſionis ad bonum commutabile, ex quo peccatum quodam modo nutritur & fovetur, & propter hoc cupiditas dicitur radix: ſed ſuperbia reſpicit peccatum ex parte averſionis à Deo, cujus præcepto homo ſubdi recuſat: & ideo vocatur initium, quia ex parte averſionis incipit ratio mali. Et hæc quidem quamvis vera ſit, tamen non ſunt ſecundum intentionem Sapientis, qui dicit: initium omnis peccati eſt ſuperbia.

Mani

Manifeſtè enim loquitur de ſuperbia, ſecundum quod eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, ut patet per hoc quod ſubdit: ſedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus. Et de hac materia loquitur ibi in toto capitulo. Et ideo dicendum eſt, quod ſuperbia etiam ſecundùm quod eſt ſpeciale peccatum, eſt initium omnis peccati. Conſiderandum eſt enim quòd in actibus voluntariis, cujuſmodi ſunt peccata, duplex ordo invenitur, ſcilicet intentionis & executionis. In primo quidem ordine habet rationem principii & finis, ut ſupra multoties dictum eſt. Finis autem in omnibus bonis temporalibus acquirendis, eſt ut homo per illa quandam perfectionem ſingularem, & excellentiam habeat: & ideo ex hac parte ſuperbia, quæ eſt appetitus excellentiæ, ponitur initium omnis peccati. Sed ex parte executionis eſt primum id, quod præbet opportunitatem adimplendi omnia deſideria peccati, quod habet rationem radicis, ſcilicet divitiæ: & ideò ex hac parte avaritia ponitur eſſe radix omnium malorum, ut dictum eſt. Et per hoc patet reſponſio ad primum.

Ad ſecundum ergo dicendum, quòd apoſtatare à Deo dicitur eſſe initium ſuperbiæ ex parte averſionis. Ex hoc enim quod homo non vult ſubdi Deo, ſequitur quòd inordinatè velit propriam excellentiam in rebus temporalibus: & ſic apoſtaſia à Deo non ſumitur ibi quaſi ſpeciale peccatum, ſed magis ut quædam conditio generalis omnis peccati, quæ eſt averſio ab incommutabili bono. Vel poteſt dici, quòd apoſtatare à Deo dicitur eſſe initium ſuperbiæ, quia eſt prima ſuperbiæ ſpecies. Ad ſuperbiam enim pertinet cuique ſuperiori nolle ſubjici, & præcipuè nolle ſubdi Deo ex quo contingit, quod homo ſupra ſe ipſum indebitè extollatur quantùm ad alias ſuperbiæ ſpecies.

Ad ſecundum dicendum, quòd in hoc homo ſe amat, quod ſui excellentiam vult. Idem enim eſt ſe amare, quod ſibi velle bonum unde ad idem pertinet; quòd ponatur initium omnis peccati ſuperbia, vel amor proprius.

Conclusio.

Ordine intentionis & ex parte finis ſuperbia etiam ſecundùm quòd eſt ſpeciale peccatum, eſt initium omnis peccati.

Commentarius.

Senſus hujus concluſionis eſt ille, quem 1
circa concluſionem articuli præcedentis nuper explicuimus: nempe quòd ſuperbia quantùm eſt ex ſe, apta nata eſt finalizare omnia peccata, & movere ad illa per modum finis; frequentérque ita de facto contingere. Unde quia finis in moralibus habet rationem primi principii, meritò ſuperbia dicitur *initium omnis peccati*: ſicut avaritia dicta eſt *radix*: quamvis de facto non ſemper alia peccata ex prædicto fine oriantur, propter libertatem voluntatis, quæ poteſt pro libito moveri ad peccandum ex quolibet fine. Quæ intelligentia & expoſitio habetur ex ipſo D. Thoma non ſolùm *D. Thom.* in ſolutione ad tertium articuli præcedentis, in ſimili de avaritia, ſed etiam in propriis terminis 2. 2. quæſt. 162. art. 2. ubi ſic ait. *Sciendum tamen quod ad hanc generalitatem ſuperbiæ pertinet, quod omnia vitia interdum ex ſuperbia oriri poſſunt: non autem ad eam pertinet, quod omnia ſemper ex ſuperbia oriantur.* Et artic. 7. ad primum: *Dicendum, quod ſuperbia dicitur eſſe omnis peccati initium, non quia quodlibet peccatum ſingulariter ex ſuperbia oriatur; ſed quia quodlibet genus peccati natum eſt ex ſuperbia oriri.*

Concluſionem verò ſic intellectam deducit D. Thomas ex illo Eccleſiaſt. 10. *Initium* *Eccleſ. 10.* *omnis peccati ſuperbia.* Qui locus quamvis ab aliquibus intelligatur de ſuperbia in latiori acceptione, nempe ut dicit quendam divinæ legis contemptum, vel inclinationem naturæ corruptæ ad illum (quo pacto non eſt dubium in omnibus peccatis concurrere) veriùs tamen accipitur de ſuperbia peculiariter dicta, ut dicit appetitum inordinatum propriæ excellentiæ. Quia Eccleſiaſticus in toto illo cap. de hac poſteriori ſuperbia loquitur, ut obſervat D. Thomas in præſenti, & cuilibet legenti conſtabit. Adhuc tamen intellectus prædictus locus de hac ſuperbia, poſſet diverſimode exponi: ſicut exponit gloſſ. nempe vel cum D. Ambroſio epiſtol. 84. de peccato primi ho- *Ambroſ.* minis quòd fuit propriè ſuperbia, ab illóque omnis noſtra perditio initium ſumpſit, ut dicitur Tobiæ 4. Vel cum Auguſtino lib. de *Tobiæ 4.* natura & grat. cap. 29. de ſuperbia primi An- *Auguſt.* geli, cujus peccatum initium dedit aliis omnibus tam in Angelis quàm in hominibus. Nec D. Thomas hujuſmodi interpretationibus ullibi contradicit: ſed potiùs aliquando eas approbat.

Cæterùm in hoc articulo aliter exponit præ- 2
dictum locum, ut oſtendat proprium modum, quo uniuſcujuſque noſtrum ſuperbia ſit cauſa per modum finis aliorum peccatorum, quæ ab eo committuntur. Cum enim finis illius qui peccat, ſemper ſit aliquod bonum temporale, per quod excellentiam, & perfectionem ſibi acquirat, idcirco ſuperbia, quæ eſt appetitus propriæ excellentiæ, ex propria ratione habet concurrere ad cætera peccata per modum finis. Non autem opus eſt, ut ſemper concurrat de facto: quia non eſt neceſſe, ut peccans

Digitized by Google

ſemper intendat ſub ratione excellentiæ propriæ bonum illud quod appetit : aut quòd hujuſmodi bonum ſemper ſit improportionatum in ratione excellentis. ¶ Per quod objectio quæ contra aſſertionem D. Thomæ fieri poterat, manet obiter ſoluta.

3 In ſolutione ad tertium nota, non ideo dici pertinere ad idem, quòd ponatur ut initium omnis peccati ſuperbia, & quòd ponatur amor proprius, quaſi hæc duo inter ſe convertantur, aut quia eodem prorsùs modo in cæteris peccatis concurrant. Amor enim proprius ſecundùm propriam rationem clauditur de facto in omnibus illis velut ratio quædam generica, ut vidimus quæſt.77. in commentar. artic.4. Superbia autem ſub propria ratione non adeſt de facto in omnibus peccatis : quamvis in omnibus poſſit eſſe materia ſuperbiendi : ubicunque verò reperitur, tribuit malitiam ſpecialem. Propterea ergo dicuntur pertinere ad idem, quia cum objecto proprii amoris, quod eſt bonum proprium, claudatur ſemper aliquid propriæ excellentiæ, quæ eſt ſuperbiæ objectum, & tam bonum quàm excellentia moveant per modum finis ; imo ipſa excellentia ſit potiſſima pars boni proprii : idcirco quoties ſuperbia ſeu excellentia in aliquod peccatum influit, reducitur talis influxus ad influxum boni proprii, quaſi non ponens in numero cum illo.

ARTICULUS III.

Vtrum præter ſuperbiam, & avaritiam ſint alia peccata ſpecialia, quæ dici debeant capitalia?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd præter ſuperbiam & avaritiam non ſint quædam alia peccata ſpecialia, quæ dicantur capitalia. Ita enim ſe videtur habere caput ad animalia, ſicut radix ad plantas, ut dicitur in ſecundo de Anima : nam radices ſunt ori ſimiles. Si igitur cupiditas dicitur radix omnium malorum, videtur quòd ipſa ſola debeat dici vitium capitale, & nullum aliud peccatum.

2. Præterea caput habet quendam ordinem ad alia membra, in quantum à capite in omnia membra diffunditur quodammodò ſenſus, & motus : ſed peccatum dicitur per privationem ordinis : ergo peccatum non habet rationem capitis : & ita non debent poni aliqua capitalia peccata.

3. Præterea : capitalia crimina dicuntur, quæ capite plectuntur : ſed tali pœna puniuntur quædam peccata in ſingulis generibus : ergo vitia capitalia non ſunt aliqua determinata ſecundum ſpeciem.

Sed contra eſt, quod Gregorius trigeſimo primo Moral. enumerat quædam ſpecialia vitia, quæ dicit eſſe capitalia.

Reſpond. Dicendum, quòd capitale dicitur à capite. Caput autem proprie quidem eſt quoddam membrum animalis, quod eſt principium, & directivum totius animalis. Unde metaphoricè omne principium directivum, caput vocatur : & etiam homines qui alios dirigunt, & gubernant, capita aliorum eſſe dicuntur. Dicitur ergo vitium capitale uno modo à capite proprie dicto, & ſecundùm hoc peccatum capitale dicitur peccatum, quod capitis pœna punitur : ſed ſic nunc non intendimus de capitalibus peccatis, ſed ſecundùm quod alio modo dicitur peccatum capitale, prout metaphoricè ſignat principium vel directivum aliorum. Et ſic dicitur vitium capitale, ex quo alia vitia oriuntur, & præcipuè ſecundùm originem cauſæ finalis, quæ eſt formalis origo, ut ſupra dictum eſt : & ideo vitium capitale non ſolùm eſt principium aliorum, ſed etiam directivum, & quodammodo ductivum aliorum. Semper enim ars, vel habitus, ad quem pertinet finis, principiatur, & imperat circa ea quæ ſunt ad finem. Unde Gregorius trigeſimo primo Moralium hujuſmodi vitia capitalia ducibus exercituum comparat.

Ad primum ergo dicendum, quòd capitale dicitur denominativè à capite, quod quidem eſt per quandam derivationem per participationem capitis : ſicut habens aliquam proprietatem capitis, & non ſicut ſimpliciter caput. Et ideo capitalia vitia dicuntur non ſolùm illa, quæ habent rationem primæ originis, ſicut avaritia, quæ dicitur radix, & ſuperbia quæ dicitur initium : ſed etiam illa, quæ habent rationem originis propinquæ reſpectu plurium peccatorum.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum caret ordine ex parte averſionis : ex hac enim parte habet rationem mali. Malum autem ſecundùm Auguſtinum in libro de natura boni, eſt privatio modi, ſpeciei, & ordinis ; ſed ex parte converſionis reſpicit quoddam bonum. Et ideo ex hac parte dicitur habere ordinem.

Ad

Ad tertium dicendum, quod illa ratio procedit de capitali peccato, ſecundùm quod dicitur à reatu pœnæ: ſic autem hic non loquimur.

Conclusio *eſt affirmativa.*

Cujus optima ratio traditur in litera. Ex qua, & ex ſolutione ad primum ſatis clarè habetur non eſſe de ratione peccati capitalis, quòd ſit prima origo & prima radix aliorum, ut diximus eſſe ſuperbiam, & avaritiam: ſed ſufficere ut ſit ſaltem origo immediata plurimorum, quamvis aliam priorem ſupponat. Habetur etiam, ad rationem peccati capitalis, prout nunc, & in communiori uſu de illo eſt ſermo, nec ſufficere nec requiri quicquid ſufficit, & requiritur ad rationem peccati mortalis. Ad hoc enim neque ſufficit neque eſt neceſſarium quòd ſit origo aliorum, ſed duntaxat quòd ſit averſio ab ultimo fine: quæ quidem averſio non eſt neceſſaria ad peccatum capitale: ad quod tamen omnino requiritur, & ſufficit prædicta ratio originis. Et aliqua ſunt inter prædicta capitalia, ut gula, avaritia, & inanis gloria, quæ in ſuo genere ad gradum peccati mortalis non attingunt; de quo videndus D. Thomas 2. 2. quæſtione 132. art. 4. & quæſt. 148. artic. 5. nec non de malo quæſtione 9. & ſequentibus. Atque hinc etiam fit, manifeſte eſſe vulgi errorem, appellare univerſaliter *peccata mortalia*, ea quæ a Theologis *capitalia* vocantur, & ſeptenario numero continentur: cum re vera aliqua ex illis ſecundùm ſe gradum venialis non excedant: niſi fortè locutio ſit cauſalis; ut D. Thomas aliquando exponit.

D. Thom.

Solutio ad ſecundum videtur pro negantibus malitiam poſitivam: dum ratio mali in peccato reperta reducitur ad averſionem. Sed quàm parùm ſimilia teſtimonia illorum ſententiæ ſuffragentur, conſtat ex dictis diſput. 6. dub. 3. præſertim num. 49. & 62.

ARTICULUS IV.

Utrùm convenienter dicantur ſeptem vitia capitalia.

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd non ſit dicendum, ſeptem eſſe vitia capitalia, quæ ſunt inanis gloria, invidia, ira, avaritia, triſtitia, gula, luxuria. Peccata enim virtutibus opponuntur: virtutes autem principales ſunt quatuor, ut ſupra dictum eſt: ergo & vitia principalia ſive capitalia non ſunt niſi quatuor.

2. Præt. Paſſiones animæ ſunt quædam cauſæ peccati, ut ſupra dictum eſt: ſed paſſiones animæ principales ſunt quatuor, de quarum duabus nulla fit mentio inter prædicta peccata, ſcilicet de ſpe, & timore: enumerantur autem aliqua vitia, ad quæ pertinet delectatio, & triſtitia: nam delectatio pertinet ad gulam & luxuriam; triſtitia verò ad accidiam & invidiam: ergo inconvenienter enumerantur principalia peccata.

3. Præt. Ira non eſt principalis paſſio: non ergo debuit poni inter principalia vitia.

4. Præt. Sicut cupiditas, ſive avaritia eſt radix peccati, ita ſuperbia eſt peccati initium, ut ſupra dictum eſt: ſed avaritia ponitur unum de ſeptem vitiis capitalibus: ergo ſuperbia inter vitia capitalia enumeranda eſſet.

5. Præt. Quædam peccata committuntur, quæ ex nullo horum cauſari poſſunt, ſicut cum aliquis errat ex ignorantia, vel cum aliquis ex aliqua bona intentione committit aliquod peccatum, puta, cum aliquis furatur ut det eleemoſynam: ergo inſufficienter capitalia vitia enumerantur.

Sed in contrarium eſt authoritas Gregor. ſic enumerantis 31. Moralium.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt: vitia capitalia dicuntur, præcipuè ſecundùm rationem cauſæ finalis. Hujuſmodi autem origo poteſt attendi dupliciter. Uno quidem modo ſecundùm conditionem peccantis, qui ſic diſpoſitus eſt, ut maxime afficiatur ad unum finem, ex quo ut plurimùm in alia peccata procedat: ſed iſte modus originis ſub arte cadere non poteſt, eo quod infinitæ ſunt particulares hominum diſpoſitiones. Alio modo ſecundum naturalem habitudinem ipſorum finium ad invicem, & ſecundum hoc in pluribus unum vitium ex alio oritur: unde iſte modus originis ſub arte cadere non poteſt. Secundum hoc ergo illa vitia capitalia dicuntur, quorum fines habent quaſdam primarias rationes movendi appetitum, & ſecundum harum rationum diſtinctionem diſtinguuntur capitalia vitia. Movet autem aliquid appetitum dupliciter. Uno modo directè & per ſe, & hoc modo bonum movet appetitum ad proſequendum; malum autem ſecundum eandem rationem ad fugiendum. Alio modo indirectè, & quaſi per aliud, ſicut aliquis aliquod malum proſequitur propter aliquod bonum adjunctum: vel aliquod bonum fugit propter aliquod malum adjunctum. Bonum autem hominis

minis eſt triplex. Eſt enim primò quoddam bonū animæ, quod ſcilicet ex ſola apprehenſione rationem appetibilitatis habet, ſicut excellentia, Laudis vel honoris: & hoc bonum inordinatè proſequitur inanis gloria. Aliud eſt bonum corporis, & hoc vel pertinet ad conſervationem individui, ſicut cibus & potus, & hoc bonum inordinatè proſequitur gula: aut ad conſervationem ſpeciei, ſicut coïtus, & ad hoc ordinatur luxuria. Tertium bonum eſt exterius, ſcilicet divitiæ, & ad hoc ordinatur avaritia. Et eadem quatuor vitia inordinata fugiunt quatuor mala contraria. Vel aliter, bonum præcipuè movet appetitum ex hoc, quod participat aliquid de proprietate felicitatis, quam naturaliter omnes appetunt, de cujus ratione eſt primò quædam perfectio. Nam felicitas eſt pefectum bonum, ad quod pertinet excellentia, vel claritas, quam appetit ſuperbia, vel inanis gloria. Secundò de ratione ejus eſt ſufficientia, quam appetit avaritia in divitiis eam promittentibus. Tertiò eſt de conditione ejus delectatio, ſine qua felicitas eſſe non poteſt, ut dicitur in 1. & 10. Ethic. & hanc appetunt gula & luxuria. Quod autem aliquis bonum fugiat propter aliquod malum conjunctum, hoc contingit dupliciter: quia aut hoc eſt reſpectu boni proprii, & ſic eſt accidia, quæ triſtatur de bono ſpirituali propter laborem corporalem adjunctum: aut eſt de bono alieno, & hoc ſi ſit ſine inſurrectione, pertinet ad invidiam, quæ triſtatur de bono alieno, in quantum eſt impeditivum propriæ excellentiæ: aut eſt cum quadam inſurrectione ad invidiam, & ſic eſt ira. Et ad eadem vitia pertinet proſecutio mali oppoſiti.

Ad primum ergo dicendum eſt, quòd non eſt eadem ratio originis in virtutibus & vitiis. Nam virtutes cauſantur per ordinem appetitus ad rationem, vel etiam ad bonum incommutabile, quod eſt Deus: vitia autem oriuntur ex appetitu boni commutabilis: unde non oportet quod principalia vitia opponantur principalibus virtutibus.

Ad ſecundum dicendum, quòd timor & ſpes ſunt paſſiones iraſcibilis: omnes autem paſſiones iraſcibilis oriūtur ex paſſionibus concupiſcibilis, quæ etiam omnes ordinantur quodammodo ad delectationem & triſtitiam. Et ideo delectatio & triſtitia principaliter connumerantur in peccatis capitalibus tanquam principaliſſimæ paſſiones, ut ſupra habitum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd ira licèt non ſit principalis paſſio, quia tamen habet ſpecialem rationem appetitivi motus, prout aliquis impugnat bonum alterius ſub ratione honeſti, id eſt, juſti vindicativi, ideo diſtinguitur ab aliis capitalibus vitiis.

Ad quartum dicendum, quòd ſuperbia dicitur eſſe initium omnis peccati ſecundùm rationem finis, ut dictum eſt: & ſecundùm eandem rationem accipitur principalitas vitiorum capitalium. Et ideo ſuperbia non quaſi univerſale vitium connumeratur aliis, ſed magis ponitur velut regina quædam omnium vitiorum, ſicut Gregor. dicit: avaritia autem dicitur radix ſecundùm aliam rationem, ſicut ſupra dictum eſt.

Ad quintum dicendum, quòd iſta vitia dicuntur capitalia, quia ex eis ut frequentiùs alia oriuntur: unde nihil prohibet aliqua peccata interdum ex aliis cauſis oriri. Poteſt tamen dici, quòd omnia peccata, quæ ex ignorantia proveniunt, poſſunt reduci ad accidiam, ad quam pertinet negligentia, qua aliquis recuſat bona ſpiritualia acquirere propter laborem. Ignorantia enim, quæ poteſt eſſe cauſa peccati, ex negligentia provenit, ut ſupra dictum eſt. Quòd autem aliquis committat aliquod peccatum ex bona intentione, videtur ad ignorantiam pertinere, in quantum ſcilicèt ignorat, quòd non ſunt facienda mala ut veniant bona.

CONCLUSIO *eſt affirmativa.*

Quæ etiam optimè ſuadetur & declaratur in corpore articuli. Illud autem obſervandum venit, quòd cum in vulgari horum peccatorum calculatione numeretur primo loco ſuperbia, intelligenda eſt ſub eo nomine inanis gloria, potiùs quàm vera ſuperbia. Hæc enim non annumeratur ſeptem vitiis capitalibus ut unum ex illis; ſed ut aliquid majus, omnibus illis ſupponitur. Nam ut ex D. Gregorio rectè obſervat D. Thomas, vitia capitalia habent ſe ſicut duces immediati, qui à rege mittuntur: ſuperbia verò aſſimilatur regi, qui ducibus principatur, & illis omnibus imperat: ob idque communiter dicitur *Regina vitiorum.* De omnibus hujuſmodi vitiis capitalibus, & de eorum regina ſuperbia tractat magis in ſpeciali D. Thomas, inſtituens pro ſingulis ſuas quæſtiones 2. 2. & in quæſtionibus de Malo à quæſt. 8. uſque ad 15. ubi videri debet. Hic autem finitur quinta pars hujus tractatus, quæ eſt de cauſis peccati; & accedit, ſexta de ejus effectibus.

QUÆSTIO

Digitized by Google

QUÆSTIO LXXXV.

DE EFFECTIBUS PECCATI, in ſex Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de effectibus peccati. ¶ Et primò quidem de corruptione boni naturæ. Secundò de malitia animæ. Tertiò de reatu pœnæ. Circa primum quæruntur ſex.

Sicut peccatorum plures, & diverſæ ſunt cauſæ, quarum proinde notitia plures D. Thomæ quæſtiones requiſivit; ita multiplices ſunt effectus: pro quibus inveſtigandis varias quæſtiones Angel. Doctor inſtituit. Hujuſmodi verò effectuum quidam oriuntur à peccato modo phyſico, ſive in genere cauſæ formalis, ſive in genere efficientis: uti ſunt varii defectus, & vulnera naturæ, privatio gratiæ ſeu macula, & alia hujus modi: de quibus fit mentio in hac, & ſequenti quæſt. Quidam verò ſolùm moraliter, & per modum demeriti ab illo originantur, cujuſmodi eſt pœna: de qua proinde & de reatu ad illam, necnon de diſcrimine inter peccata venialia, & mortalia, quæ differunt penes hujuſmodi reatum, procedunt cæteræ quæſtiones uſque ad octogeſimam nonam, quæ eſt ultima hujus tractatus.

ARTICULUS I.

Vtrum peccatum diminuat bonum naturæ.

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum non diminuat bonum naturæ. Peccatum enim hominis non eſt gravius quàm peccatum dæmonis: ſed bona naturalia in dæmonibus manent integra poſt peccatum, ut Dionyſius dicit 4. de divin. nomin. ergo peccatum etiam bonum naturæ humanæ non diminuet.

2. Præt. Transmutato poſteriori non tranſmutatur prius, manet enim ſubſtantia eadem tranſmutatis accidentibus: ſed natura præexiſtit actioni voluntariæ: ergo facta deordinatione circa actionem voluntariam per peccatum, non tranſmutatur propter hoc natura, ita quòd bonum naturæ diminuatur.

3 Præt. Peccatum eſt actus quidam, diminutio autem eſt paſſio: nullum autem agens ex hoc ipſo quod agit, patitur. Poteſt autem contingere, quòd in unum agat, & ab alio patiatur: ergo ille qui peccat, per peccatum non diminuit bonum ſuæ naturæ.

4 Præt. Nullum accidens agit in ſuum ſubjectum, quia quod patitur eſt potentia ens: quod autem ſubjicitur accidenti, jam eſt actu ens ſecundùm accidens illud: ſed peccatum eſt in bono naturæ, ſicut accidens in ſubjecto: ergo peccatum non diminuit bonum naturæ: diminuere enim quoddam agere eſt.

Sed contra eſt, quòd ſicut dicitur Luc. 10. Homo deſcendens ab Hieruſalem in Jericho, id eſt, in defectum peccati, expoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus, ut Beda exponit: ergo peccatum diminuit bonum naturæ.

Reſpondeo dicendum, quòd bonum naturæ humanæ poteſt tripliciter dici. Primo ipſa principia naturæ, ex quibus ipſa natura conſtituitur, & proprietates ex his cauſatæ, ſicut potentiæ animæ, & alia hujuſmodi. Secundò quia homo à natura habet inclinationem ad virtutem ut ſupra habitum eſt, ipſa inclinatio ad virtutem eſt quoddam bonum naturæ. Tertio modo, poteſt dici bonum naturæ donum juſtitiæ originalis, quod fuit in primo homine collatum toti humanæ naturæ. Primum igitur bonum naturæ, nec tollitur, nec diminuitur per peccatum. Tertium verò bonum naturæ totaliter eſt ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturæ, ſcilicet ipſa naturalis inclinatio ad virtutem diminuitur per peccatum. Per actus enim humanos, fit quædam inclinatio ad ſimiles actus, ut ſupra habitum eſt. Oportet autem quòd ex hoc quòd aliquid inclinatur

Digitized by Google

clinatur ad unum contrariorum, diminuatur inclinatio ejus ad aliud. Unde cum peccatum ſit contrarium virtuti, ex hoc ipſo quòd homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quod eſt inclinatio, ad virtutem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Dionyſ. loquitur de bono primo naturæ, quod eſt eſſe, vivere & intelligere, ut patet ejus verba intuenti.

Ad ſecundum dicendum, quòd natura etſi ſit prior quàm voluntaria actio, tamen habet inclinationem ad quandam voluntariam actionem: unde ipſa natura ſecundùm ſe non variatur propter variationem voluntariæ actionis: ſed ipſa inclinatio variatur ex illa parte, quæ ordinatur ad Deum.

Ad tertium dicendum, quod actio voluntaria procedit ex diverſis potentiis, quarum una eſt activa, & alia paſſiva: & ex hoc contingit, quòd per actiones voluntarias cauſatur aliquid, vel aufertur ab homine ſic agente, ut ſupra dictum eſt, cum de generatione habituum ageretur.

Ad quartum dicendum, quòd accidens non agit effectivè in ſubjectum: agit tamen formaliter in ipſum eo modo loquendi, quo dicitur, quòd albedo facit album: & ſic nihil prohibet, quòd peccatum diminuat bonum naturæ, eo tamen modo, quo eſt ipſa diminutio boni naturæ, in quantum pertinet ad inordinationem actus. Sed quantum ad inordinationem agentis, oportet dicere, quòd talis inordinatio cauſatur per hoc quòd in actibus animæ aliquid eſt activum, & aliquid paſſivum: ſicut ſenſibile movet appetitum ſenſitivum, & appetitus ſenſitivus inclinat rationem & voluntatem, ut ſupra dictum eſt. Et ex hoc cauſatur inordinatio non quidem ita, quòd accidens agat in proprium ſubjectum, ſed ſecundùm quod objectum agit in potentiam, & una potentia agit in aliam, & deordinat ipſam.

Prima Conclusio.

Bonum quod ſunt ipſa principia naturæ & ejus proprietates, nec tollitur nec diminuitur per peccatum.

Secunda Conclusio.

Bonum originalis juſtitiæ omnino per peccatum ſublatum eſt à natura.

Tertia Conclusio.

Bonum naturæ quod eſt inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum.

Prima ex his concluſionibus eſt ſatis per ſe nota: quia natura rationalis, & ejus potentiæ ſunt ipſum ſubjectum peccati: peccatum autem non deſtruit ſuum ſubjectum, aliàs deſtrueret ſe ipſum: neque illud diminuit, quia neque natura, neque ejus potentiæ magis vel minus ſuſcipiunt: unde vel deberent deſtrui totaliter, vel non diminui.

Circa ſecundam concluſionem plura diximus diſp. præcedenti dub. 1. & 5. Exindéque habetur, juſtitiam originalem numerari hic inter bona naturæ, non quia ſit naturæ debita; ſed quia erat donum promiſſum, & conferendum toti naturæ; & etiam quia rectificabat illam non ſolùm in ordine ſupernaturali, ſicut modò rectificat gratia; ſed etiam intra ipſum naturæ ordinem, ut in prædicta diſput. dub. 1. explicuimus. ¶ Tertiam concluſionem, circa quam ſuboriri poſſet difficultas, exponemus in commentario articuli ſequentis.

ARTICULUS II.

Vtrùm totum bonum naturæ poſſit auferri per peccatum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd totum bonum humanæ naturæ poſſit per peccatum auferri. Bonum enim naturæ humanæ finitum eſt, cum & ipſa natura humana ſit finita: ſed quodlibet finitum totaliter conſumitur facta continua ablatione. Cum ergo bonum naturæ continuè per peccatum diminui poſſit, videtur quòd poſſit quandoque totaliter conſumi.

2. Præt. Eorum quæ ſunt unius naturæ, ſimilis eſt ratio de toto, & de partibus, ſicut patet in aëre, & in aqua, & carne, & omnibus corporibus ſimilium partium: ſed bonum naturæ eſt totaliter uniforme. Cum igitur pars ejus poſſit auferri per peccatum, totum etiam per peccatum auferri poſſe videtur.

3. Præt. Bonum naturæ quod per peccatum minuitur, eſt habilitas ad virtutem: ſed in quibuſdam propter peccatum habilitas prædicta totaliter tollitur, ut patet in damnatis, qui reparari ad virtutem non poſſunt; ſicut neque cæcus ad viſum. Ergo peccatum poteſt totaliter tollere bonum naturæ.

Sed contra eſt quod Auguſtin. dicit in Enchir. quòd malum non eſt niſi in bono: ſed malum culpæ non poteſt eſſe in bono virtutis vel gratiæ, quia eſt ei contrarium: ergo oportet quod ſit in bono naturæ: non ergo totaliter tollit ipſum.

Reſpon

Digitized by Google

Reſpond. dicendum, quòd ſicut dictum eſt. Bonum naturæ quod per peccatum diminuitur, eſt naturalis inclinatio ad virtutem, quæ quidem convenit homini ex ipſo quòd rationalis eſt. Ex hoc enim habet, quod ſecundum rationem operetur, quod eſt agere ſecundum virtutem. Per peccatum autem non poteſt totaliter ab homine tolli, quod ſit rationalis, quia jam non eſſet capax peccati: unde non eſt poſſibile, quod prædictum naturæ bonum totaliter tollatur. Cum autem inveniatur hujuſmodi bonum continuè diminui per peccatum, quidam ad hujus manifeſtationem uſi ſunt quodam exemplo, in quo invenitur aliquod finitum in infinitum diminui, tamen nunquam totaliter conſumi. Dicit enim Philoſoph. in 1. Phyſic. quod ſi ab aliqua magnitudine finita, continuè auferatur aliquid ſecundum eandem quantitatem, totaliter tandem conſumetur, puta, ſi à quacunque quantitate finita ſemper ſubtraxero menſuram palmi. Si verò fiat ſubtractio ſecundum eandem proportionem, & non ſecundum eandem quantitatem, poterit in infinitum ſubtrahi, puta, ſi quantitas dividatur in duas partes, & à dimidio ſubtrahatur dimidium, ita poterit in infinitum procedi, ita tamen quod ſemper quod poſterius ſubtrahitur, erit minus eo quod prius ſubtrahebatur. Sed hoc in propoſito non habet locum, non enim ſequens peccatum minus diminuit bonum naturæ, quam præcedens, ſed fortè magis, ſi ſit gravius. Et ideo eſt dicendum, quod prædicta inclinatio intelligitur ut media inter duo: fundatur enim ſicut in radice in natura rationali, & tendit in bonum virtutis, ſicut in terminum & finem. Dupliciter igitur poteſt intelligi ejus diminutio. Uno modo ex parte radicis: alio modo ex parte termini: Primo quidem modo non diminuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminuit ipſam naturam, ut ſupra dictum eſt: diminuitur ſecundo modo, in quantum ſcilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum. Si autem primo diminueretur, oporteret quod quandoque totaliter conſumeretur, natura rationali totaliter conſumpta. Sed quia diminuitur ex parte impedimenti, quod apponitur, ne pertingat ad terminum, manifeſtum eſt quòd diminui quidem poteſt in infinitum, quia in infinitum poſſunt impedimenta apponi, ſecundum quod homo poteſt in infinitum addere peccatum peccato: non tamen poteſt totaliter conſumi, quia ſemper manet radix talis inclinationis, ſicut patet de diaphano corpore, quod quidem habet inclinationem ad ſuſceptionem lucis ex hoc ipſo quod eſt diaphanum: diminuitur autem inclinatio vel habilitas ex parte nebularum ſupervenientium, cum tamen ſemper maneat in radice naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd objectio illa procedit, quando fit diminutio per ſubtractionem: hic autem fit diminutio per appoſitionem impedimenti, quod neque diminuit radicem inclinationis, ut dictum eſt.

Ad 2. dicendum, quòd inclinatio naturalis eſt quidem tota uniformis: ſed tamen habet reſpectum & ad principium, & ad terminum, ſecundum quam diverſitatem quodammodo diminuitur, & quodammodo non diminuitur.

Ad tertium dicendum, quòd etiam in damnatis manet naturalis inclinatio ad virtutem, alioquin non eſſet in eis remorſus conſcientiæ: ſed quod non reducatur in actum, contingit quia deeſt gratia ſecundum divinam juſtitiam, ſicut etiam in cæco remanet aptitudo ad videndum in ipſa radice naturæ, in quantum eſt animal naturaliter habens viſum: ſed non reducitur in actum, quia deeſt cauſa, quæ reducere poſſit formando organum quod requiritur ad videndum.

CONCLUSIO *eſt negativa.*

Commentarius.

DOctrina hujus & præcedentis articuli ſæpe in ſuperioribus uſi ſumus: quia multoties neceſſitas ejus occurrit: nunquam tamen ex profeſſo illam explicuimus: & ideo in præſentiarum, ubi propriam ſedem habet, debita eſt major elucidatio. Pro qua nota, naturæ rationali ex eo quod rationalis eſt, inditam eſſe non modo capacitatem, ſed etiam inclinationem & propenſionem ad bonum virtutis, quod eſt bonum rationis: per ſe enim conſequitur unamquamque naturam inclinatio ad bonum conſonum & proportionatum tali naturæ: naturæ autem rationali, quæ ratione regitur, per ſe conſonat bonum ipſius rationis. Prædicta autem inclinatio alia eſt remota & radicalis, alia verò proxima reſpiciens immediatè bonum, in quod inclinat. Ex quibus illa prior non differt ab ipſa ſubſtantia animæ rationalis ut habet rationem naturæ & principii mediati operationum rectarum. Poſterior verò invenitur in potentiis, quæ ab illa dimanant, ut principia proxima & immediata prædictarum operationum. Sunt verò hujuſmodi potentiæ

Naturalis inclinatio duplex.

Digitized by Google

non tantùm voluntas & intellectus, ut aliqui exiſtimant, ſed etiam appetitus ſenſitivus, quatenus in homine percipiat aliquid ordinis rationis, juxta dicta diſput. 10. dub. 2. Quamvis enim prædictum participium imperfectum ſit, utcunque tamen inclinat ad ſequendum rationis ductum, & ad bonum honeſtum: utque hæc inclinatio ſit completa, adduntur poſtea habitus moralium virtutum, quæ in tali appetitu ſubjectantur.

2 *Quid de ejus diſtinctione:* Sed an ea inclinatio ad bonum ſit aliqua ratio ex natura rei diſtincta ab earum entitate, vel potiùs identificentur cum illa cum ſola virtuali diſtinctione, vix eſt qui dubitet: imo fere omnes hoc poſterius ſupponunt: cum tamen illud prius probabilitate non careat; non tantum reſpectu appetitus ſenſitivi, cui illa participatio, ex qua diximus inclinari ad bonum rationis, abſolutè eſt accidentalis; ſed etiam reſpectu voluntatis & intellectus, quibus per ſe convenit prædicta inclinatio: de quo vide, ſi placet, quæ diximus in tractatu de virtutib. diſp. 2. dub. 3. Ad præſens autem ſufficit diſtinctio virtualis conſiſtens in eo quòd potentia præciſè in ratione potentiæ ſolum dicit commenſurationem eſſentialem cum objecto, & ordinem ad illud ſecundùm ſe abſtrahendo à proportione vel improportione, facilitate vel difficultate, &c. In ratione verò naturalis inclinationis dicit aptitudinem, habilitatem, atque propenſionem ad illud attingendum.

D. Thom. Qualiter poſſit, vel non poſſit diminui. Aſſerit itaque D. Thomas in 1. art. hujus quæſtionis, quod & ſi per peccatum non deſtruantur neque diminuantur prædictæ potentiæ ut potentiæ ſunt; diminuitur tamen earum inclinatio & habilitas ad bonum: quia per quemlibet actum peccaminoſum relinquitur in potentia eliciente aliqua diſpoſitio inclinans ad ſimiles actus: quæ ſane inclinatio cum ſit ad oppoſitum virtutis, retardat & quaſi elongat inclinationem naturalem, qua potentia tendit in bonum ipſius virtutis. In 2. verò articulo aſſerit, quòd licèt prædicta inclinatio diminuatur juxta multitudinem & gravitatem peccatorum, adeoque magis diminuatur per peccata gravia quàm per levia, & magis per plura quàm per unicum; nunquam tamen manente ſubjecti natura, poteſt totaliter corrumpi, etiam ſi peccata in infinitum ſyncategorematice augeantur.

3 *Ratio prædentium.* Cujus ratio ſumitur ex modo quo fit prædicta diminutio. Dupliciter enim fieri poteſt ut inclinatio alicujus potentiæ diminuatur: nimirùm vel ex parte ſubjecti, ſubtrahendo ab eo aliquid entitatis vel intentionis, ſicut diminuuntur habitus, quando remittuntur: vel poteſt fieri ex parte termini, integra manente ſubjecti entitate, quatenus ſupervenientibus aliquibus impedimentis, potentia removetur ab attingentia vel conſequutione termini, in quem erat inclinata: quò enim potentia ratione impedimentorum magis fuerit ab aliquo actu impedita & remota, eò fit minor inclinatio & habilitas ejus ad talem actum. Quod rectè explicuit D. Thomas 4. contra gentes cap. 112. ubi ſic ait. *D. Thomas.* *Subjectum autem fit minus potentia ad formam non quidem per ſolam ſubtractionem alicujus partis ſubjecti, per hoc quòd aliqua pars potentia ſubtrahatur, ſed per hoc quòd potentia impeditur per contrarium actum, ne in actum forma exire poſſit, ſicut ſubjectum tantò eſt minus potentia frigidum, quantò in eo magis calor augetur.* Quando ergo diminutio fit primo modo, in tantum poterit inclinatio diminui, ut tandem ex toto corrumpatur; quia cum ejus entitas ſit limitata, oportet ut per continuam ſubtractionem aliquotarum partium tandem tota entitas auferatur, & inclinatio non remaneat. Quando verò fit ſecundo modo nequit inclinatio ex toto deficere, etiamſi ſemper diminuatur per impedimenta, quæ continuò ſuperveniant: quia nullum diminuens aufert aliquid entitatis; hac autem permanente, permanere etiam debet inclinatio, quæ fundatur in illa, & ab ea quaſi nutritur & conſervatur.

Porrò inclinationem de qua loquimur, non diminui per peccatum ex parte ſubjecti, 4
diminui verò ex parte termini modo dicto; nec tandem poſſe totaliter corrumpi permanente natura rationali, probant rationes utriuſque articuli, quas latiùs proſequitur D. *Idem.* Thomas in 2. diſt. 34. art. 5. ibidemque ad Anibald. art. 4. necnon de Malo quæſt. 2. art. 2. cujus verba adducemus, quia rem optime declarant *Habilitas* (inquit) *diminui poteſt dupliciter, uno modo per ſubtractionem, alio modo per contrarii poſitionem. Per ſubtractionem quidem, ſicut aliquod corpus eſt habile ad calefaciendum per calorem quem habet: unde diminuto calore diminuitur habilitas calefaciendi. Per appoſitionem autem contrarii, ſicut aqua calefacta: habet naturalem aptitudinem vel habilitatem ad infrigidationem: ſed quantò plus fuerit oppoſitum de calore tanto minuitur habilitas ad frigus. Hic enim modus diminutionis, qui eſt per appoſitionem contrarii, magis habet locum in potentiis paſſivis & receptivis: primus autem modus in potentiis activis, quamvis uterque modus in utriſque potentiis aliqualiter inveniri poſſit. Quando ergo eſt diminutio habilitatis per ſubtractionem, tunc totaliter habilitas poteſt auferri, ablato eo quod habilitatem cauſabat: quando verò habilitas diminuitur per appoſitionem contrarii, tunc conſiderandum eſt, utrùm appoſitio contrarii exercens poſſit corrumpere ſubjectum aut non: ſi enim poteſt corrumpere ſubjectum, poteſt totaliter habilitas tolli, ſicut tantum poteſt augeri calor in aqua, quod corrumpitur aqua, & ſic totaliter tollitur habilitas qua ſpeciem aquæ conſequebatur. Si autem per appoſitionem contrarii quantumcunque multiplicetur; non poſſit ſubjectum corrumpi, ſemper quidem minuetur habilitas contrario appoſito creſcente; nunquam tamen totaliter tolletur propter permanentiam ſubjecti, in quo radicatur talis habilitas: ſicut quantumcumque calidum creſceret non tolleret aptitudinem materiæ primæ, quæ eſt incorruptibilis ad formam aquæ. Manifeſtum eſt autem quod habilitas naturæ rationalis ad gratiam eſt ſicut potentia ſuſceptiva, & quòd talis habilitas naturam rationalem conſequitur in quantum hujuſmodi. Dictum eſt autem ſupra, quòd diminutio hujus habilitatis eſt per appoſitionem contrarii, dum ſcilicet creatura rationalis avertitur à Deo per converſionem ad contrarium. Unde cum natura rationalis ſit incorruptibilis & non deſinat eſſe quantumcunque peccatum multiplicetur, conſequens*

Digitized by Google

conſequens eſt quod habilitas ad bonum gratia ſemper diminuatur per appoſitionem peccati: ita tamen quod nunquam totaliter tollatur. Et ſic in propoſito diminutio procedit in infinitum per oppoſitum ad appoſitionem: ſicut in continuis è converſo appoſitio fit in infinitum per oppoſitum ad diviſionem dum quod uni lineæ ſubtrahitur, alteri apponitur.

5 Interrogantur nonnulla.

Poſſunt vero in præſenti nonnulla inquiri. Primò an prædicta diminutio locum habeat non ſolùm in inclinatione proxima, quæ eſt in potentiis, ſed etiam in radicali, quæ eſt in anima? Secundò an non ſolùm in inclinatione naturali, quæ eſt reſpectu boni honeſti naturalis ordinis, ſed etiam in inclinatione vel habilitate obedientiali ad recipiendam gratiam, & alia ſupernaturalia dona? Tertiò an non ſolùm inclinatio potentiarum, ſed etiam inclinatio virtutum ad ſuos actus poſſit prædicto modo diminui? Quartò an ea diminutio ſive in potentiis ſive in virtutibus, dicenda ſit intrinſeca, vel extrinſeca: ſeu an denominatio quam tribuit potentiis, vel habitibus, ſit denominatio intrinſeca, vel extrinſeca? Quintò an eo modo quo prædicta inclinatio diminuitur per peccata, augeatur per eorum ablationem, & per virtutum adventum.: ¶ Ex alia quoque parte poteſt inquiri, quænam peccata cauſent prædictam diminutionem: an ſolùm peccata commiſſionis, vel etiam venialia? ſolùm perſonalia, vel etiam originalia? Quibus omnibus breviter occurremus.

6 Reſpondetur ad primum.

Ad primum ergo reſpondetur affirmativè: nam inclinatio radicalis dicitur per ordinem ad proximam, & in ordine ad attingendum terminum non ponit in numero cum illa: Unde impedita vel diminuta inclinatione proxima, eo ipſo radicalis impedita vel diminuta cenſetur. ¶ Ad ſecundum etiam reſpondetur affirmative. Quia etſi D. Thomas in præſenti non meminerit inclinationis vel habilitatis ad bona ſupernaturalia; id tamen expreſſè docet in 2. diſt. citata, & citato loco de Malo, ubi ſermo eſt de habilitate ad gratiam, ut vidimus ex ejus verbis in quibus etiam redditur ratio prædictæ diminutionis.

Ad ſecundum. *D.Thom.*

Ad tertium. *Medina. Curiel.*

Ad tertium reſpondetur primò ſuſtinendo partem affirmativam cum Medina, & Curiel ſuper hunc artic. quia etiam habitus virtutum retardantur à ſuis actibus per peccata ſupervenientia, propter contrarios habitus vel diſpoſitiones, quæ per illa generantur. Et in hoc ipſo diminuitur extrinſecè & quodammodo promptitudo & habilitas virtutum, quatenus diminutio habilitatis potentiæ veluti refunditur in illas. Poſſuntque ſub hac lege comprehendi non tantùm virtutes acquiſitæ, ſed etiam charitas & aliæ virtutes infuſæ, ut comprehendunt authores citati. Et hac probabili ſolutione uſi ſumus ſupra diſp. 4. num. 8. Habet autem locum reſpectu virtutum infuſarum in ſolis peccatis venialibus; quia mortalia non diminuunt ſed deſtruunt totaliter prædictas virtutes. Quod verò D. Thom. & communiter Theologi negant peccata, loquendo etiam de venialibus, diminuere virtutes infuſas; intelligendum eſt de diminutione intrinſeca, & ex parte ſubjecti, quæ fit per ſubtractionem alicujus realitatis, vel alicujus gradus intenſionis; non tamen de hac diminutione ex parte termini, & quaſi extrinſeca. Quoad virtutes autem acquiſitas obſervandum eſt; eas diminui hoc modo per peccata tam mortalia, quàm venialia, ex quocunque capite venialia ſint: cæterum quando, ſunt mortalia, vel venialia ſolum ex genere, adeſt ſimul cum hac diminutione ex parte termini illa alia ex parte ſubjecti: quia prædicta peccata generant habitus vitioſos, ad quorum intenſionem ipſæ virtutes intenſionem ſuam amittunt, & remittuntur. ¶ Diximus *venialia ſolùm ex genere*, &c. quia quæ ſunt talia vel ex defectu plenæ deliberationis, vel ex materiæ parvitate non generant prædictos habitus: & ideo ad ſummum potuerunt diminuere ex parte termini

Secundo cum eodem Medina, Vaſquez diſput. 137. c. 3. Monteſinos diſp. 16. quæſt. 1. & aliis, reſpondetur nagative. Diſparitas vero eſt: quia peccata non recipiuntur in habitibus virtutum, neque in eis relinquunt aliquam inclinationem ad malum: recipiuntur autem in ipſa potentia verbi gratia in voluntate, relinquuntque in ea prædictam inclinationem: unde ſicut ſola potentia afficitur in ſe ipſa prædictis impedimentis, inclinaturque ad malum; ita ſola illa, non verò habitus virtutum amittunt per talia impedimenta aliquid propriæ inclinationis ad bonum. Et quamvis diminuta inclinatione potentiæ, non ita facilè virtutes in ſuos actus prorumpant; non tamen hæc minor facilitas refundi debet in ipſas virtutes, quaſi eis aliquid ſuæ inclinationis deficiat, ſed in ſolam potentiam: ſine cujus uſu & exercitio nequeunt virtutes operari.

7 Alia ſolutio. *Medin. Vaſq. Monteſ.*

8 Solutio ad quartum.

Ad quartum reſpondetur, quòd etſi prædicta diminutio communiter appelletur *extrinſeca*; quia nihil ſubtrahit entitatis; & fit per connotationem impedimenti quaſi extrinſeci: revera tamen denominatio ejus eſt intrinſeca potentiæ. Nam ſicut ante adventum peccati potentia per ſe ipſam, & per id quod eſt ſua entitas, tanquàm per formam denominantem in recto, dicebatur valde inclinata ad bonum, quamvis ad hanc denominationem debeat connotari remotio extrinſeci impedimenti: ita poſt peccati adventum dicitur *magis remota*, ſeu *minus inclinata*; non per ipſum peccatum immediate & in recto, ſed per id quod potentia habet ex ſe, quodque eſt ſua entitas, connotando tamen in obliquo impedimentum peccati: atque adeo utraque denominatio eſt intrinſeca, ſicut forma à qua provenit in recto. Unde quoties prædicta inclinatio tranſit à majori in minorem, ſeu à diminuta in diminutam, vel è contrà, quamvis non varietur intrinſecè in eſſe rei, quia nihil entitatis accipit, vel amittit; variatur tamen intrinſecè in ratione & munere inclinationis, & in eſſe denominativo, tranſiens ab una denominatione intrinſeca ad aliam ſimiliter intrinſecam. Neque hoc eſt novum, ſed ſæpe contingit, ut invariata rei entitate amittat vel recipiat de novo aliquam intrinſecam denominationem, juxta doctrinam quam tradidimus ſupra diſputatione 12. num. 23. & cernitur in ma-

teria prima ; quæ à propria entitate tanquam à ratione denominante in recto dicitur *deſiderans formam ad quam diſponitur*, ante quam illam habeat ; ubi vero eam recipit , amittit prædictam denominationem & accipit aliam nimirùm *complacentis in tali forma* , eſtque utraque denominatiò intrinſeca , utpotè deſumpta ex propria entitate ; cujus tamen nihil accipit materia, vel amittit per mutationem prædictarum denominationum. Suntque plura alia hujus rei exempla , quæ diſput. citata & alibi tetigimus.

9 Ad quintum. Ad quintum reſpondetur affirmativè cum Monteſ. & aliis : quia non eſt major ratio, ut poſitis impedimentis retardantibus inclinationem ad bonum , talis inclinatio dicatur *diminui*, quam ut ablatis illis *augeri* , & in priorem ſtatum redire ; præſertim cum neque in augmento neque in diminutione prædictæ inclinationis addatur vel tollatur aliquid in eſſe rei ; ſed ſolùm ſit mutatio denominationum & munium , ad quam ſufficit diverſa connotatio.

Ad ea quæ pro alia parte dubitantur. D. Thomas. In aliis quæ pro ſecunda parte inquiruntur fecit rationem dubitandi D. Thomas in præcedenti artic. reddens enim rationem , cur peccatum diminuat inclinationem ad bonum , ſic ait , *Per actus enim humanos fit quadam inclinatio ad ſimiles actus* , ut *ſupra habitum eſt: oportet autem quod ex hoc quod aliquid inclinatur ad unum contrarium , diminuatur inclinatio eius ad aliud* &c. Hæc autem ratio ſolum videtur habere locum in peccatis commiſſionis actualibus , quæ in actu conſiſtunt, non vero in omiſſionibus , neque in peccato originali , quæ conſiſtunt in privatione. Neque etiam prædicta ratio procedere videtur in peccatis venialibus : quia hæc non ſunt contraria reſpectu virtutis , ſed ſunt aliquid præter virtutem.

10 Quid de peccatis venialibus, & de peccato omiſſionis. Reſpondetur tamen , in omnibus prædictis peccatis habere locum doctrinam traditam, quamvis diverſimodè. Nam peccata venialia ſicut non repugnant virtutibus ſimpliciter, ſed ſecundùm quid , ita hoc dumtaxat modo diminuunt inclinationem ad illas & ad bonum honeſtum. Hæc autem qualis qualis diminutio non eſt cur eis denegetur : præſertim cum per peccata venialia poſſit generari aliqua inclinatio vitioſa ſaltem per modum diſpoſitionis , quæ abſque dubio retardat aliquid inclinationis circa bonum. Peccata autem mortalia quia ſimpliciter bono honeſto repugnant, ſimpliciter etiam diminuunt inclinationem ad ipſum. Neque apud nos locum habet ratio dubitandi pro peccatis omiſſionis : quia cenſemus hujuſmodi peccata indiſpenſabiliter afferre actum,qui ſit cauſa omittendi:& per hujuſmodi actum non minus quam per peccata commiſſionis poteſt produci inclinatio vitioſa, juxta dicta ſupra diſput. 5. dub. 1. Si autem per poſſibile vel impoſſibile admittatur pura omiſſio , adhuc nihil contra nos. Tum quia ſatis eſt concluſionem D. Thomæ verificari regulariter & ut in pluribus ; quamvis in aliquo caſu raro , uti eſſet caſus puræ omiſſionis , oppoſitum contingeret , juxta id quod Angelicus Doctor obſervat quæſt. præcedenti art. 1. & 3. Tum etiam quia adhuc in illo caſu peccatum omiſſionis averteret à Deo fine ultimo tam naturali quàm ſupernaturali , ſaltem ex conſequenti , & hæc averſio impediret voluntatem , ne illa manente exire poſſet in actum dilectionis Dei ſuper omnia , etiam ut finis naturalis : in quem tamen natura ſua exire poſſet ſaltem pro parvo tempore , averſione ſecluſa. Hujus tamen ſolutionis doctrina alibi examinanda eſt. D. Thom.

Major eſt difficultas circa peccatum originale,quod nullo modo importat actum,ſed ſolam privationem orginalis juſtitiæ , nihilque poſitivum confert homini , quod ipſe naturæ ſuæ relictus non haberet ? atque ita non apparet, quod apponat impedimentum inclinationi ad bonum , per quod illam diminuat. Quocirca probabile nobis eſt, D.Thomam non tribuere hujuſmodi effectum peccato orginali , ſed ſolis actualibus , quorum dumtaxat , non verò originalis meminit in iſto articulo. Quin etiam artic. 3. ſequenti exponit , ſe in præſenti loquutum fuiſſe de peccatis actualibus , ut conſtat ex illis , quæ habet in fine corporis. *Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale , ut ex dictis patet* &c. ſcilicèt in hoc & præcedenti articulo. Accedit quod cum in eodem articulo præcedenti ageret D. Thomas de alio effectu , qui eſt privatio originalis juſtitiæ , tribuit illum peccato originali ; cum verò agit de iſto, qui eſt diminuere inclinationem ad bonum, non jam meminit originalis , ſed peccati ut ſic dumtaxat. *Naturalis inclinatio ad virtutem* (inquit) *diminuitur per peccatum.* Utque inſinuaret , ſe loqui ſolùm de actuali quod vel eſt actus , vel illum ſecum affert , proſequitur : *Per actus enim humanos fit quadam inclinatio &c.* Quæ omnia ſatis perſuadent vel D. Thomam noluiſſe tribuere peccato originali prædictum effectum, vel ſaltem de hoc non curaſſe : atque adeo aliunde quàm ex doctrina præſentium articulorum venandum eſſe quod circa hoc ſit tenendum. Non eſt autem difficile explicare , qualiter etiam prædictum peccatum diminuat inclinationem , de qua loquimur. Vel ſubſtinendo id quod in caſu puræ omiſſionis dicebamus de averſione a Deo , quæ averſio etiam habet locum in peccato originali. Vel aſſerendo hujuſmodi peccatum efficere in nobis aliquam inclinationem ad malum , & renitentiam ad bonum , non directè & per ſe ; ſed indirectè tanquam removens prohibens , juxta dicta diſput. præcedenti num. 31. & 34. Quia enim prædictum peccatum abſtulit originalem juſtitiam , cujus fræno potentiæ hominis ab inordinatis motibus compeſcebantur , & à malo prohibebantur , conſequenter fuit cauſa hoc modo, nimirum ſicut removens prohibens , ut prædictæ potentiæ effrenatæ in ſua objecta tendant , & in motus illicitos prorumpant , maneantque proinde debilitatæ & minus habiles ad bonum honeſtum. Quæ eſt doctrina D. Thomæ ſupra

Margin notes (right column): 11 Quid de originali. — Idem. — D. Thom.

ſupra q. 82. art. 1. ad tertium & ad Rom. 5. lect. 3. poteſtque etiam videri artic. 5. hujus quæſtionis. Et Cajet. in comment. ſequentis art. 3. Caiet.

ARTICULUS III.

Vtrum convenienter ponantur vulnera naturæ ex peccato conſequentia, infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiſcentia.

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd inconvenienter ponantur vulnera naturæ eſſe ex peccato conſequentia, ſcilicet infirmitas, ignorantia, malitia & concupiſcentia. Non enim idem eſt effectus, & cauſa ejuſdem : ſed iſta ponuntur cauſæ peccatorum, ut ex ſupra dictis patet : ergo non debent poni inter effectus peccati.

2. Præterea : malitia nominatur quoddam peccatum : non ergo debet poni inter effectus peccati.

3. Præterea : concupiſcentia eſt quiddam naturale, cum ſit actus virtutis concupiſcibilis : ſed illud quod eſt naturale, non debet poni vulnus naturæ : ergo concupiſcentia non debet poni vulnus naturæ.

4. Præterea : dictum eſt, quòd idem eſt peccare ex infirmitate & ex paſſione : ſed concupiſcentia paſſio quædam eſt : ergo non debet contra infirmitatem dividi.

5. Præterea : Auguſt. in lib. de Natura & grat. ponit duo pœnalia animæ peccanti, ſcilicet ignorantiam & difficultatem, ex quibus oritur error & cruciatus, quæ quidem quatuor non concordant iſtis quatuor : ergo videtur quod alterum eorum inſufficienter ponatur.

In contrarium autem eſt authoritas Bedæ.

Reſpondeo dicendum, quòd per juſtitiam originalem perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipſa ratio à Deo perficiebatur ei ſubjecta. Hæc autem originalis juſtitia ſubtracta eſt per peccatum primi parentis, ſicut jam dictum eſt : & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem : & ipſa deſtitutio vulneratio dicitur naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum, ut ſupra dictum eſt, ſcilicet ratio, in qua eſt prudentia : voluntas, in qua eſt juſtitia : iraſcibilis in qua eſt fortitudo : concupiſcibilis, in qua eſt temperantia. In quantum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantiæ : in quantum verò voluntas deſtituitur ordine ad bonum, eſt vulnus malitiæ : in quantum vero iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis : in quantum verò concupiſcentia deſtituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentiæ. Sic igitur iſta quatuor ſunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis patet, etiam iſta ſunt quatuor vulnera ex aliis peccatis conſequentia, in quantum ſcilicet per peccatum & ratio hebetatur præcipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & major difficultas bene agendi accreſcit, & concupiſcentia magis exardeſcit.

Ad primum ergo dicendum, quòd nihil prohibet id quod eſt effectus unius peccati, eſſe alterius peccati cauſam. Ex hoc enim quod anima deordinatur per peccatum præcedens, faciliùs inclinatur ad peccandum.

Ad ſecundum dicendum, quòd malitia non ſumitur hîc pro peccato, ſed pro quadam pronitate voluntatis ad malum, ſecundum quod dicitur Geneſ. 6. Proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, concupiſcentia in tantum eſt naturalis homini, in quantum ſubditur rationi : quod autem excedat limites rationis, hoc eſt homini contra naturam.

Ad quartum dicendum, quòd infirmitas communiter poteſt dici omnis paſſio, in quantum debilitat robur animæ, & impedit rationem : ſed Beda accepit infirmitatem ſtrictè, ſecundum quod opponitur fortitudini, quæ pertinet ad iraſcibilem.

Digitized by Google

Ad quintum dicendum, quòd difficultas quæ ponitur ab Auguſt. includit iſta tria, quæ pertinent ad appetitivas potentias, ſcilicet malitiam, infirmitatem, & concupiſcentiam. Ex his enim tribus contingit, quod aliquis non facilè tendit in bonum: error autem & dolor ſunt vulnera conſequentia. Ex hoc enim aliquis dolet, quod infirmatur circa ea quæ concupiſcit.

Prima Conclusio.

Quatuor ſunt vulnera naturæ inflicta ex peccato primi parentis juxta numerum potentiarum animæ, quæ ſunt ſubjecta virtutum, ſcilicet ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in iraſcibili, & concupiſcentia in concupiſcibili.

Secunda Conclusio.

Eadem quatuor vulnera cauſant ſuo modo cætera peccata, quatenus diminuunt naturalem inclinationem ad bonum.

Commentarius.

1 VUlgare eſt in tota Scriptura, hominem per peccatum infirmatum fuiſſe, viribus attenuatum, vulneribuſque percuſſum. *Iſaiæ 1.* Unde Iſaiæ 1. dicitur. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, a planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas, vulnus & livor, & plaga tumens.* *Pſal. 40.* Et Pſalm. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* *Auguſt.* Ubi D. Auguſtinus. *Quid ſanatur* (inquit) *ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum?* Quò etiam alluſit Chriſtus *Luc. 10.* Dominus. Luc. 10. in parabola hominis deſcendentis à Jeruſalem in Jericho, de quo ait incidiſſe in latrones, qui expoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto. Quem locum D. Ambroſius, Beda, Gloſſa, & communiter interpretes intelligunt de primo homine, qui per peccatum in quod incidit, privatus & deſtitutus fuit donis juſtitiæ originalis, vulneratuſque & percuſſus in ſuis potentiis. Indéque receptum eſt apud Theologos velut commune axioma, *hominem per peccatum expoliatum fuiſſe gratuitis, & vulneratum in naturalibus.* Unde concluſio D. Thomæ ab omnibus recipitur: eamque optimè declarat, & ſuadet in corpore articuli. Ubi etiam redditur ratio quaternarii numeri prædictorum vulnerum, inſinuatúrque ſufficienter, cur defectus illi ex peccato in potentiis provenientes *vulnera* *Unde dicta vulnera naturæ.* dicantur. Sicut enim in corpore humano *vulnus* dicitur, quando inter partes continuatas & unitas fit aliqua ruptio vel diviſio, ità in anima meritò appellatur *vulnus* ruptio illa vel diviſio, quæ per peccatum in ejus potentiis facta fuit, dum ab ordine rationis, cui per juſtitiam originalem erant perfectè unitæ, fuerunt diviſæ & ſeparatæ per deſtitutionem prædicti ordinis.

Ubi obſervandum eſt; non poni prædicta vulnera in ipſa animæ ſubſtantia, ubi eſt originale peccatum; ſed in potentiis, ubi ſunt ejus effectus: quia ipſum peccatum ſecundùm ſuam eſſentiam, vel ſecundum illud quod de materiali importat in ipſa anima non ità aptè dieeretur *vulnus*; ſed vocatur *infirmitas* vel *languor naturæ*, ut habetur ſupra quæſt. 82. art. 1. quia per illud totus homo infirmatur & langueſcit: vulnera autem dicuntur peculiares quidam defectus, qui in aliis partibus conſequuntur, velut quædam infirmitates particulares. Sicut enim non appellamus *vulnus* febrim, qua totum animal laborat, quæque reſidet in corde, ubi eſt principium vitæ; ſed vocamus illam *languorem & infirmitatem*; vulnera verò ſunt quibus læditur hæc vel illa pars determinata: ita reſpectu peccati id quo1 inficit ſubſtantiam animæ, ubi eſt principium ſupernaturalis vitæ, & quæ pro toto homine ſupponit, non debuit appellari *vulnus*, ſed *languor & infirmitas*: nomen autem *vulneris* relinqui debuit illis defectibus, quibus partes ipſius animæ, ſcilicet potentiæ deordinantur & læduntur. ¶ Secundum quam verò acceptionem ſumantur in præſenti nomina *malitiæ, infirmitatis, & concupiſcentiæ*, ne cum aliis ſignificationibus prædictorum nominum confundantur, exponit D. Thomas in ſolutionibus argumentorum. 2 *Vbi ſubiectentur.*

Unum ſupereſt declarandum, in quo eſt aliqua difficultas, videlicet quo pacto ea quæ diximus, dicantur *vulnera naturæ*: aut qua ratione homo juxta commune axioma dicatur vulneratus in naturalibus per peccatum, cum nihil naturalis perfectionis amiſerit; gratuitis verè, quæ amiſit non dicatur *vulneratus*, ſed *expoliatus & deſtitutus*? Præſertim cum verificari ſimul debeat aliud axioma ſumptum ex D. Dionyſio, quod *naturalia tam in Adamo quam in homine manſerunt integra poſt peccatum*: & ideo juxta valde communem ſententiam homo in natura lapſa non habet minores vires, nec minus aliquid perfectionis, quam haberet in pura natura: ſi ergo naturalia manent integra, & eodem modo ac tunc eſſent, quo pacto dici poteſt homo in illis vulneratus. 3 *Dubitatio* *Dionyſ.*

Ad hanc dubitationem poſſet occurri cum aliquibus, hominem dici vulneratum in naturalibus, non quia amiſerit aliquid illius perfectionis, quæ ex propria natura ſibi debetur; ſed quia dona, juſtitiæ originalis, quæ amiſit erant valde conſona & convenientia tali naturæ, & hac ratione poſſunt dici *naturalia*. Sed hæc ſolutio non placet, quia non diſtinguit naturalia à gratuitis, neque illa in quibus homo dicitur *vulneratus*, ab his quibus expoliatus remanſit: quæ tamen diſtinguenda eſſe oſtendit ſupra dictum axioma. *Prima ſolutio.*

Quare

4 Quare ſecundò reſpondetur, animadvertendo juſtitiam originalem ultrà perfectionem ſupernaturalis ordinis, quæ eſt per gratiam & virtutes infuſas, contuliſſe homini quandam aliam perfectionem ordinis naturalis, per quam intra hunc ordinem & reſpectu naturalis finis rectificabantur potentiæ, & uniebantur rationi, ac ſub regula ejus continebantur (ſive hæc perfectio eſſet aliquis habitus vel qualitas completa, ſive dumtaxat modus ſuperadditus habitibus aut potentiis.) Et licet prædicta perfectio non eſſet naturaliter debita humanæ naturæ, neque ab ea dimanans, ſed illi gratis conceſſa: & hac ratione dici poſſet *ſupra talem naturam:* abſolutè tamen dicenda erat *perfectio naturalis*, quia non erat aliquid ſupernaturalis ordinis, neque naturalem omninò ſuperexcedebat. Juxta quam doctrinam (quæ eſt ſatis veroſimilis, neque efficaciter impugnabitur) ad dubitationem reſpondetur, hominem dici *vulneratum in naturalibus*, propter amiſſionem hujuſmodi naturalis perfectionis: dici vero *expoliatum gratuitis*, propter amiſſionem gratiæ, & cæterorum bonorum ſupernaturalium; Axioma vero quòd *naturalia poſt peccatum manſerunt integra*, intelligendum erit non de omnibus, quæ continentur intra naturalem ordinem; ſed de illis tantum quæ humanæ naturæ ex ſuis principiis debentur, quæque haberet condita in puris abſque juſtitia originali & quovis alio ſibi indebito.

5 Melior ſolutio. Tertiò & fortè meliùs reſpondetur, prædicta vulnera non conſiſtere in amiſſione alicujus perfectionis non debitæ, etiam naturalis ordinis; ſed in diminutione inclinationis ad bonum, quam explicuimus artic. præced. Illa enim inclinatio & ejus augmentum in recto non erat aliquid diſtinctum ſeparabile ab entitate potentiarum: ſed ab ipſamet entitate, connotando abſentiam peccati & aſſiſtentiam gratiæ & virtutum, dicebatur talis inclinatio *aucta & major* quam ſine illis: ab eademque entitate, connotando abſentiam gratiæ & virtutum peccatique aſſiſtentiam, dicitur *diminuta & minor:* ſitque hoc totum ſine ſubtractione alicujus realitatis per appoſitionem impedimentorum modo ſupra expoliato. Igitur hominem per peccatum expoliatum fuiſſe gratuitis, nihil aliud eſt, quam quod amiſerit omnia dona ſive naturalis ſive ſupernaturalis ordinis collata cum juſtitia originali; omnia quippe gratis fuere illi conceſſa: eſſe verò vulneratum in naturalibus in eo ſitum eſt; quod in ipſa inclinatione ad bonum debita naturæ, & ex ejus principiis orta; paſſus ſit læſionem & detrimentum per ſupradictam diminutionem. Quæ diminutio rectè dicta eſt *vulnus*, quia ſicut per corporale vulnus partes corporis patiuntur diviſionem & ſeparationem inter ſe; ita per prædictam diminutionem potentiæ ſeparantur & dividuntur ab ordine & rectitudine rationis, cui per inclinationem naturalem & ejus augmentum erant conjunctæ & unitæ. Sicque ex omni capite commune axioma verificatur. Salvaturque etiam aliud, quod dicitur, *naturalia permanſiſſe integra*; quia ex parte recti & in eſſe entis nihil ab eis ſublatum eſt per prædictam diminutionem. Videturque hæc tertia ſolutio ſatis ad mentem D. Thomæ in hoc 3. artic. ubi reddens rationem, cur etiam per peccata actualia prædicta vulnera inferantur, recurrit ad diminutionem quam dicimus. *Sed quia inclinatio ad bonum virtutis* (inquit) *in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis patet, etiam iſta ſunt quatuor vulnera ex aliis peccatis conſequentia*, &c. Sentit ergo hujuſmodi vulnera in prædicta diminutione conſiſtere; de hoc tamen dicemus iterum in tract. De gratia, ibique propriam ſententiam declarabimus.

Sed dices; in puris naturalibus non eſſent vulnera, cum non præceſſiſſet peccatum ea inferens: & tamen inclinatio potentiarum ad bonum non eſſet ibi major, aut minus diminuta quam modo eſt; nec potentiæ per illam eſſent magis unitæ rationi: ergo non rectè explicamus vulnera per prædictam diminutionem. 6 Replica:

Reſpondetur negando conſequentiam: nam ut obſervat Monteſ. de ratione vulneris eſt, ut dividat & ſeparet inter ea, quæ priùs erant unita; vel ſaltem debuerunt uniri unde eadem diviſio, quæ connotando præexiſtentem unionem extremorum, aut ejus debitum, habet rationem vulneris, hac connotatione ſecluſa nequit appellari *vulnus:* ut patet in diviſione reperta inter digitos, quæ non eſt vulnus, eo quod digiti ſemper fuerunt diviſi: ſi tamen aliquis naſceretur cum illis unitis & conglutinatis, nullatenus eorum diviſio fieri poſſet ſine vulnere. Ad rem igitur cum in ſtatu puræ naturæ non præceſſiſſet in potentiis perfecta unio cum ratione, neque talis unio fuiſſet debita, diviſio illarum per defectum naturalis inclinationis non haberet rationem vulneris. Modo vero cum præceſſiſſet unio propter augmentum prædictæ inclinationis, quod fuit in ſtatu juſtitiæ originalis, cujus debitum ſemper permanet, nihil deeſt, quominus diminutio & minoratio talis inclinationis habeat rationem vulneris. Sicut propter eandem rationem carentia multarum perfectionum, quæ in hoc ſtatu ſunt privationes, & habent rationem mali, in ſtatu naturæ puræ id non haberent, ſed eſſent tantum negationes & naturales conditiones. Diluitur. Monteſ.

ARTICULUS IV.

Utrum privatio modi, ſpeciei, & ordinis ſit effectus peccati.

AD quartum ſic proceditur. Videtur quòd privatio modi, ſpeciei & ordinis non ſit effectus peccati. Dicit enim Auguſtin. in lib. de natura boni, quòd ubi hæc tria magna ſunt, magnum bonum eſt, ubi parva parvum, ubi nulla nullum: ſed peccatum non annullat bonum

bonum naturæ, ergo non privat modum, ſpeciem, & ordinem.

2. Præterea: nihil eſt cauſa ſui ipſius: ſed peccatum eſt privatio modi, ſpeciei, & ordinis, ut Aug. dicit in lib. de Natura boni: ergo privatio modi, ſpeciei, & ordinis non eſt effectus peccati.

3. Præterea: diverſa peccata diverſos habent effectus: ſed modus, ſpecies, & ordo cum ſint quædam diverſa, diverſas privationes habere videntur: ergo per diverſa peccata privantur: non ergo eſt effectus cujuſlibet peccati privatio modi, ſpeciei, & ordinis.

Sed contra eſt, quòd peccatum eſt in anima, ſicut infirmitas in corpore, ſecundùm illud Pſalm. 6. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſed infirmitas privat modum, ſpeciem, & ordinem ipſius corporis: ergo peccatum privat modum, ſpeciem, & ordinem animæ.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut in primo dictum eſt, modus, ſpecies, & ordo conſequuntur unumquodque bonum creatum in quantum huiuſmodi, & etiam unumquodque ens. Omne enim eſſe, & bonum conſideratur per aliquam formam, ſecundùm quam ſumitur ſpecies. Forma autem uniuſcuiuſque rei, qualiſcunque ſit ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, eſt ſecundùm aliquam menſuram: unde in 8. Metaphyſ. dicitur, quòd formæ rerum ſunt ſicut numeri: & ex hoc habet modum quendam, qui menſuram reſpicit: ex forma verò ſua unumquodque ordinatur ad aliud. Sic igitur ſecundum diverſos gradus bonorum ſunt diverſi gradus modi, ſpeciei, & ordinis. Eſt ergo quoddam bonum pertinens ad ipſam ſubſtantiam naturæ, quod habet ſuum modum, ſpeciem & ordinem, & illud nec privatur, nec diminuitur per peccatum. Eſt etiam quoddam bonum naturalis inclinationis, & hoc etiam habet ſuum modum, ſpeciem, & ordinem: & hoc diminuitur per peccatum, ut dictum eſt, ſed non totaliter. Eſt etiam quoddam bonum virtutis & gratiæ, quod etiam habet ſuum modum, ſpeciem, & ordinem: & hoc totaliter tollitur per peccatum mortale. Eſt etiam quoddam bonum, quod eſt ipſe actus ordinatus, quod etiam habet ſuum modum, ſpeciem, & ordinem, & hujus privatio eſt eſſentialiter ipſum peccatum. Et ſic patet qualiter peccatum eſt privatio modi, & ſpeciei, & ordinis, & privat vel diminuit modum, ſpeciem, & ordinem. ¶ Unde patet reſponſio ad duo prima.

Ad tertium dicendum, quòd modus, ſpecies, & ordo ſe conſequuntur, ſicut ex dictis patet: unde ſimul privantur & diminuuntur.

Prima Concluſio.

Bonum quod pertinet ad ſubſtantiam naturæ, nec privatur nec diminuitur per peccatum.

Secunda Concluſio.

Bonum naturalis inclinationis diminuitur per peccatum: ſed non totaliter tollitur.

Tertia Concluſio.

Bonum virtutis & gratiæ totaliter tollitur per peccatum mortale.

Quarta Concluſio.

Privatio boni, quod eſt ipſe actus ordinatus, eſt eſſentialiter ipſum peccatum.

Commentarius.

Tangit D. Thomas in hoc artic. qualiter omne bonum in modo, ſpecie, & ordine conſiſtat, ex profeſſo verò id examinavit 1. p. quæſtione 5. artic. 5. ubi videri debet. Nunc autem diſquirit, qualiter diverſorum bonorum privationes ad peccatum ſe habeant. Illudque difficultatem ingerit, quod ultimò aſſerit, videlicet privationem actus ordinati eſſe eſſentialiter ipſum peccatum. Quod teſtimonium maniſeſtiſſimum videtur pro ſententia aſſerente peccatum ſecundùm ſuam eſſentiam non in poſitivo, ſed in privatione conſiſtere, ſed hanc difficultatem diluimus diſputatione 6. dub. 3. numero 52. exponentes hunc locum de peccato omiſſionis, de quo non eſt dubium conſiſtere in privativo: neque aliunde quam ex ipſa litera expoſitionem deſumpſimus. Nam ſermo eſt de privatione, quæ eſt carentia actus ordinati & recti, & de qua prædicatur quod eſt ipſum peccatum: quæ autem in peccato commiſſionis reperitur, D. Thom.

non

Digitized by Google

non eſt carentia actus, ſed ſolius rectitudinis, ut adverſarii etiam fatentur: neque prædicatur de ea proprie quod ſit peccatum, quia nomen *peccati* ſupponit pro concreto, & pro ſola malitia.

Si autem objicias, quod D. Thomas intendit explicare omnes privationes boni, quæ vel ſunt ipſum peccatum, vel ejus effectus: inter quas non ſolum continetur privatio peccati omiſſionis, ſed etiam privatio peccati commiſſionis. ❡ Reſpondetur, S. Doctorem non loqui de qualibet privatione boni aut bonitatis, ſed de privatione boni tranſcendentalis concretive accepti, quod cum ente convertitur: nam de hoc bono procedit corpus articuli: & de eo communiter accipitur pronuntiatum illud, *Auguſt.* ſumptum ex D. Auguſtino lib. de natura boni cap. 3. quod *omne bonum conſiſtit in modo, ſpecie, & ordine*: & quod dicitur *Sap. 11.* Sapient. 11. *Omnia feciſti in numero, pondere, & menſura*: de quo *D. Thom.* legendus eſt D. Thomas loco citato ex 1. p. ad quem in præſenti ſe remittit. Loquendo autem de prædicto bono non fuit opus D. Th. meminiſſe privationis in peccato commiſſionis repertæ: quia hæc non eſt carentia boni tranſcendentalis, & concretivè dicti, cum non tollat quominus actus peccati maneat ut tranſcendentale bonum; ſed eſt privatio rectitudinis moralis, quæ communiter à tranſcendentali bono diſtinguitur, dicitúrque dumtaxat *bonitas*, & non *bonum* in concreto: Neque explicari ſolet per *modum, ſpeciem*, & *ordinem*, ſed alia via. Debuit verò S. Doctor mentionem facere privationis peccati omiſſionis, quia hæc eſt carentia totius actus, adeóque boni tranſcendentalis, & concretivè dicti. Sed quamvis ejus doctrina extenderetur ad privationem peccati commiſſionis, non deeſſet probabilis explicatio. Poſſet enim dici cum *Cajet.* Cajetano in præſenti D. Thomam loqui de peccato non ut eſt in genere actus moralis, atque adeo non quoad propriam ſpeciem, & eſſentiam peccati, ſed ut eſt in genere mali abſolute dicti: quo pacto privatio rectitudinis poteſt dici *eſſentialis*, quamvis ſupponat malitiam poſitivam ut conſtituentem peccatum in ſua ratione primaria, juxta dicta diſp. citata, *Joannes à D. Thom.* num. 48. Vel poſſet dici cum Joanne a S. Thoma ſupra quæſt. 18. diſp. 9. art. 2. ly *eſſentialiter* poſſe intelligi pro eo quod eſt *intrinſecum*, & invenitur in ipſa entitate, & ſubſtantia actus peccaminoſi, licet non ſit ut ratio conſtitutiva, ſed ut modus conſequutus: ſicut in homine negatio lapidis poteſt dici eſſentialis, non quia ſit ratio conſtituens, ſed quia eſt quaſi imbibita in ipſa eſſentia.

ARTICULUS V.

Utrum mors, & alii corporales defectus ſint effectus peccati.

AD quintum ſic proceditur. Videtur quòd mors, & alii defectus corporales non ſint effectus peccati. Si enim cauſa fuerit æqualis, & effectus erit æqualis: ſed hujuſmodi defectus non ſunt æquales in omnibus, ſed in quibuſdam hujuſmodi defectus magis abundant, cum tamen peccatum originale ſit in omnibus æquale, ſicut dictum eſt, cujus videntur hujuſmodi defectus maximè eſſe effectus: ergo mors, & hujuſmodi defectus non ſunt effectus peccati.

2. Præt. Remota cauſa, removetur effectus: ſed remoto omni peccato per baptiſmum vel pœnitentiam non removentur hujuſmodi defectus: ergo non ſunt effectus peccati.

3. Præterea: peccatum actuale habet plus de ratione culpæ, quam originale: ſed peccatum actuale non tranſmutat naturam corporis ad aliquem defectum: ergo multò minùs peccatum originale: non ergo mors, & alii defectus corporales ſunt effectus peccati.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit Rom. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.

Reſpondeo dicendum, quòd aliquid eſt cauſa alterius dupliciter, uno modo quidem per ſe: alio modo per accidens. Per ſe quidem eſt cauſa alterius, quod ſecundum virtutem ſuæ naturæ, vel formæ producit effectum: unde ſequitur, quod effectus ſit per ſe intentus à cauſa. Unde cum mors, & hujuſmodi defectus ſint præter intentionem peccantis, manifeſtum eſt, quòd peccatum non eſt per ſe cauſa iſtorum defectuum. Per accidens autem aliquid eſt cauſa alterius, ſi ſit cauſa removens prohibens, ſicut dicitur in 8. Phyſic. quod divellens columnam, per accidens movet lapidem columnæ ſuperpoſitum: & hoc modo peccatum primi parentis eſt cauſa mortis, & omnium hujuſmodi defectuum in natura humana, in quantum per peccatum primi parentis ſublata eſt originalis juſtitia, per quam non ſolum inferiores animæ

vires

Digitized by Google

vires continebantur ſub ratione abſque omni deordinatione, ſed totum corpus continebatur ſub anima abſque omni defectu, ut in primo habitum eſt. Et ideo ſubtracta hac originali juſtitia per peccatum primi parentis, ſicut vulnerata eſt humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum, ut ſupra dictum eſt, ita etiam eſt corruptibilis effecta per deordinationem ipſius corporis. Subtractio autem originalis juſtitiæ habet rationem pœnæ, ſicut etiam ſubtractio gratiæ: unde etiam mors, & omnes defectus corporales conſequentes ſunt quædam pœnæ originalis peccati. Et quamvis hujuſmodi defectus non ſint intenti à peccante, ſunt tamen ordinati ſecundum juſtitiam Dei punientis.

Ad primum ergo dicendum, quòd æqualitas cauſæ per ſe cauſat æqualem effectum. Augmenta enim, vel diminuta cauſa per ſe, augetur vel diminuitur effectus: ſed æqualitas cauſæ removentis prohibens non oſtendit æqualitatem effectuum. Si quis enim æquali impulſu divellat duas columnas, non ſequitur quod lapides ſuperpoſiti æqualiter moveantur: ſed ille velociùs movebitur, qui gravior erit ſecundum proprietatem ſuæ naturæ, cui relinquitur remoto prohibente. Sic igitur remota originali juſtitia, natura corporis humani relicta eſt ſibi: & ſecundum hoc ſecundum diverſitatem naturalis complexionis quorundam corpora pluribus defectibus ſubjacent, quorundam verò paucioribus, quamvis exiſtente originali peccato æquali.

Ad ſecundum dicendum, quòd culpa originalis & actualis removetur ab eodem, à quo etiam removentur hujuſmodi defectus, ſecundum illud Apoſtoli Rom 8. Vivificabit mortalia corpora veſtra per inhabitantem ſpiritum ejus in vobis: ſed utrumque fit ſecundum ordinem divinæ Sapientiæ congruo tempore. Oportet enim quod ad immortalitatem, & impaſſibilitatem gloriæ, quæ in Chriſto inchoata eſt, & per Chriſtum nobis acquiſita, præveniamus conformati prius paſſionibus ejus: unde oportet quod ad tempus, ejus paſſibilitas in noſtris corporibus remaneat ad impaſſibilitatem gloriæ promerendam conformiter Chriſto.

Ad tertium dicendum, quòd in peccato actuali duo poſſumus conſiderare, ſcilicet ipſam ſubſtantiam actus, & rationem culpæ. Ex parte quidem ſubſtantiæ actus poteſt peccatum actuale aliquem defectum corporalem cauſare, ſicut ex ſuperfluo cibo aliqui infirmantur, & moriuntur: ſed ex parte culpæ privat gratia, quæ datur homini ad rectificandum animæ actus, non autem ad cohibendum defectus corporales, ſicut originalis juſtitia cohibebat. Et ideo peccatum actuale non cauſat hujuſmodi defectus, ſicut originale.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatum primi parentis fuit cauſa mortis, & aliorum corporalium defectuum in humana natura, non per ſe, ſed per accidens, removendo ſcilicet juſtitiam originalem, quæ prædictos defectus impediret.

SECUNDA CONCLUSIO.

Mors & omnes illi defectus ſunt ordinati, ſecundùm divinam juſtitiam in pœnam peccati originalis.

ARTICULUS VI.

Utrum mors, & alii defectus ſint naturales homini.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quod mors, & hujuſmodi defectus ſint homini naturales. Corruptibile enim, & incorruptibile differunt genere, ut dicitur 10. Metaph. ſed homo eſt ejuſdem generis cum aliis animalibus, quæ ſunt naturaliter corruptibilia: ergo homo eſt naturaliter corruptibilis.

2. Præt. Omne quod eſt compoſitum ex contrariis, eſt naturaliter corruptibile, quaſi habens in ſe cauſam corruptionis ſuæ: ſed corpus humanum eſt hujuſmodi: ergo eſt naturaliter corruptibile.

3. Præt. Calidum naturaliter conſumit humidum: vita autem hominis conſervatur per calidum & humidum: cum igitur operationes vitæ expleantur per actum caloris naturalis, ut dicitur in 2 de Anima, videtur quod mors, & hujuſmodi defectus ſint homini naturales.

Sed contra. Quicquid eſt homini naturale, Deus in homine fecit: ſed Deus mortem non fecit, ut dicitur Sap. 1. ergo mors non eſt homini naturalis.

4. Præ

4. Præt. Id quod eſt, ſecundùm naturam, non poteſt dici pœna nec malum: quia unicuique rei eſt conveniens id quod eſt ei naturale: ſed mors, & hujuſmodi defectus ſunt pœna peccati originalis, ut ſupra dictum eſt: ergo non ſunt homini naturales.

5. Præt. Materia proportionatur formæ, & quælibet res ſuo fini: finis autem hominis eſt Beatitudo perpetua, ut ſupra dictum eſt. Forma etiam humani corporis eſt anima rationalis, quæ eſt incorruptibilis, ut in 1. habitum eſt: ergo corpus humanum eſt naturaliter incorruptibile.

Reſpond. dicendum, quòd de unaquaque re corruptibili dupliciter loqui poſſumus, uno modo ſecundùm naturam univerſalem: alio modo ſecundùm naturam particularem. Natura quidem particularis eſt propria virtus activa, & conſervativa uniuſcujuſque rei, & ſecundùm hanc omnis corruptio, & defectus eſt contra naturam, ut dicitur in 2. de cœl. quia hujuſmodi virtus intendit eſſe, & conſervationem ejus, cujus eſt. Natura verò univerſalis, eſt virtus activa in aliquo univerſali principio naturæ, puta, in aliquo cœleſtium corporum, vel alicujus ſuperioris ſubſtantiæ, ſecundùm quod etiam Deus à quibuſdam dicitur natura naturans, quæ quidem virtus intendit bonum, & conſervationem univerſi, ad quod exigitur alternatio generationis, & corruptionis in rebus: & ſecundùm hoc corruptiones & defectus rerum ſunt naturales, non quidem ſecundùm inclinationem formæ, quæ eſt principium eſſendi, & perfectionis, ſed ſecundùm inclinationem materiæ, quæ proportionaliter attribuitur tali formæ ſecundùm diſtributionem univerſalis agentis. Et quamvis omnis forma intendat perpetuum eſſe quantum poteſt: nulla tamen forma rei corruptibilis poteſt aſſequi perpetuitatem ſui præter animam rationalem, eo quòd ipſa non eſt ſubjecta omnino materiæ corporali; ſicut aliæ formæ: quinimò habet propriam operationem immaterialem, ut in primo habitum eſt: unde ex parte ſuæ formæ naturalior eſt homini incorruptio, quàm aliis rebus corruptibilibus. Sed quia & ipſa habet materiam, ex contrariis compoſitam, ex inclinatione materiæ ſequitur corruptibilitas in toto: & ſecundum hoc homo eſt naturaliter corruptibilis ſecundùm naturam materiæ ſibi relictæ, ſed non ſecundùm naturam formæ. ¶ Tres autem primæ rationes procedunt ex parte materiæ: aliæ verò tres ex parte formæ: unde ad earum ſolutionem conſiderandum eſt, quòd forma hominis, quæ eſt anima rationalis, ſecundùm ſuam incorruptibilitatem proportionata eſt ſuo fini, qui eſt beatitudo perpetua: ſed corpus humanum, quod eſt incorruptibile ſecũdùm ſuam naturam conſideratum, quodammodo proportionatum eſt ſuæ formæ, & quodammodò non. Duplex enim conditio poteſt attendi in aliqua materia: una ſcilicet quam agens eligit, alia quæ non eſt ab agente electa, ſed eſt ſecundùm conditionem naturalem materiæ. Sicut faber ad faciendum cultellum eligit materiam duram & ductilem, quæ ſubtiliari poſſit, ut ſit apta inciſioni, & ſecundùm hanc conditionem ferrum eſt materia proportionata cultello: ſed hoc quòd ferrum ſit frangibile, & rubiginem contrahens conſequitur ex naturali diſpoſitione ferri; nec hoc elegit artifex in ferro, ſed magis repudiaret, ſi poſſet: unde hæc diſpoſitio materiæ non eſt proportionata intentioni artificis, nec intentioni artis. Similiter corpus humanum eſt materia electa à natura quantum ad hoc, quod eſt temperatæ complexionis, ut poſſit eſſe convenientiſſimum organum tactus, & aliarum virtutum ſenſitivarum & motivarum, ſed quod ſit corruptibile, hoc eſt ex conditione materiæ, nec eſt electum à natura: quin potiùs natura eligeret materiam incorruptibilem, ſi poſſet. Sed Deus, cui ſubjacet omnis natura, in ipſa inſtitutione hominis ſupplevit defectum naturæ, & dono juſtitiæ originalis dedit corpori incorruptibilitatem quandam, ut in primo dictum eſt. Et ſecundùm hoc dicitur, quòd Deus mortem non fecit, & quod mors eſt pœna peccati. ¶ Unde patet reſponſio ad objecta.

PRIMA CONCLUSIO.

Corruptiones & defectus rerum licèt ſint contra naturam particularem; ſunt tamen ſecundùm naturam univerſalem.

SECUNDA CONCLUSIO.

Mors & cæteri corporales defectus ſunt naturales homini, non quidem ſecundùm natura ſua formam, ſed ex parte materiæ.

Uterque

Digitized by Google

Vterque iſte articulus continet perutilem doctrinam, quam D.Thomas optimè declarat. Et ideo nihil circa eos occurrit quod, neceſſe ſit adnotare. Prima concluſio ſecundi articuli examinatur à N. Complutenſib. 1. de generat. diſp.3. q.3. & poteſt circa illam videri ipſe Ang. Doct. 1.p. q.12. art.2.ad 2. & 3. contra gent. cap.94. Poſſemus verò hic diſſerere de pœna originali peccati, in eis præſertim, qui cum ſolo illo decedunt, uti ſunt pueri non pervenientes ad aquam luſtralem. Sed commodiùs hoc præſtabimus infra diſp.18. dub.3.

Complut. D.Thomas.

QUÆSTIO LXXXVI.

DE MACVLA PECCATI, in duos Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de macula peccati. Et circa hoc quæruntur duo.

ARTICULUS I.

Vtrum peccatum cauſet aliquam maculam in anima?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum non cauſet aliquam maculam in anima. Natura enim ſuperior non poteſt inquinari ex contactu naturæ inferioris: unde radius ſolaris non inquinatur per tactum corporum fœtidorum, ut Auguſt. in lib. contra quinque hæreſes: ſed, anima humana eſt multò ſuperioris naturæ, quam res commutabiles, ad quas peccando convertitur: ergo ex eis maculam non contrahit peccando.

2. Præt. Peccatum eſt principaliter in voluntate, ut ſupra dictum eſt, voluntas autem eſt in ratione, ut dicitur in 3. de Anima: ſed ratio ſine intellectu non maculatur ex conſideratione quarumcunque rerum, ſed magis perficitur: ergo nec voluntas ex peccato maculatur.

3. Præt. Si peccatum maculam cauſat, aut macula illa eſt aliquid poſitive, aut eſt privatio pura. Si ſit aliquid poſitive, non poteſt eſſe niſi diſpoſitio vel habitus, nihil enim aliud videtur ex actu cauſari: diſpoſitio autem & habitus non eſt. Contingit enim remota diſpoſitione vel habitu, adhuc remanere maculam, ut patet in eo qui peccavit mortaliter prodigalitate, & poſtea tranſmutatur mortaliter peccando in habitum vitii oppoſiti: non ergo macula ponit aliquid poſitive in anima. Similiter etiam nec eſt privatio pura: quia omnia peccata eveniunt ex parte averſionis, & privationis gratiæ. Sequeretur ergo quod omnium peccatorum eſſet una macula: ergo macula eſt effectus non peccati.

Sed contra eſt, quod dicitur Eccl.47. Salomoni. Dediſti maculam in gloria tua. Et Epheſ.5. Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam: & utrobique loquitur de macula peccati: ergo macula eſt effectus peccati.

Reſpondeo dicendum, quòd macula proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis, ſicut veſtis, & aurum, & argentum, aut aliud hujuſmodi. In rebus autem ſpiritualibus ad ſimilitudinem hujus oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem. Unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus: alium verò ex refulgentia divini luminis, ſcilicet ſapientiæ & gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene, & decenter agendum. Eſt autem quaſi quidam animæ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem: cum autem peccat, adhæret rebus aliquibus contra lumen rationis, & divinæ legis, ut ex ſupradictis patet. Unde ipſum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, macula animæ metaphoricè vocatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd anima

anima non inquinatur ex rebus inferioribus virtute earum, quaſi agentibus eis in animam : ſed magis econverſò, anima ſua actione ſe inquinat inordinatè eis inhærendo contra lumen rationis & divinæ legis.

Ad ſecundum dicendum, quòd actio intellectus perficitur ſecundùm quod res intelligibiles ſunt in intellectu per modùm ipſius intellectus : & ideò intellectus ex eis non inficitur ſed magis perficitur. Sed actus voluntatis conſiſtit in motu ad ipſas res, ita quod amor rei amatæ animam conglutinat, & ex hoc anima maculatur quando inordinatè inhæret, ſecundùm illud Oſeæ 9. Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.

Ad tertium dicendum, quòd macula non eſt aliquid poſitivè in anima : nec ſignificat privationem ſolam, ſed ſignificat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad ſuam cauſam, quæ eſt peccatum. Et ideò diverſa peccata diverſas maculas inducunt : & eſt ſimile de umbra, quæ eſt privatio luminis ex objecto alicujus corporis, & ſecundùm diverſitatem corporum objectorum diverſificabuntur umbræ.

CONCLUSIO.

Cùm homo per amorem inordinatè adhæret rebus contra lumen rationis & legis divinæ, incurrit carentiam nitoris, qui erat ex refulgentia gratiæ & prædicti luminis.

ARTICULUS II.

Vtrùm macula maneat in anima poſt actum peccati.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd macula non maneat in anima poſt actum peccati. Nihil enim manet in anima poſt actum, niſi habitus vel diſpoſitio : ſed macula non eſt habitus vel diſpoſitio, ut ſupra habitum eſt ; ergo macula non manet in anima poſt actum peccati.

2. Præterea : hoc modo ſe habet macula ad peccatum, ſicut umbra ad corpus, ut ſupra dictum eſt : ſed tranſeunte corpore non manet umbra : ergo & tranſeunte actu peccati, non manet macula.

3. Præterea : omnis effectus dependet ex ſua cauſa : cauſa autem maculæ eſt actus peccati : ergo remoto actu peccati, non remanet macula in anima.

Sed contra eſt, quod dicitur Joſue 22. An parùm eſt vobis quia peccaſtis in Beelphegor, & uſque in præſentem diem macula hujus ſceleris in vobis permanet ?

Reſpondeo dicendum, quod macula peccati remanet in anima, etiam tranſeunte actu peccati, cujus ratio eſt : quia macula, ſicut dictum eſt, importat quendam defectum nitoris propter receſſum à lumine rationis, vel divinæ legis, & ideò quandiu homo manet extra hujuſmodi lumen, manet in eo macula peccati : ſed poſtquam redit ad lumen rationis, & ad lumen divinum, quod fit per gratiam, tunc macula ceſſat. Licet autem ceſſet actus peccati, quo homo diſceſſit à lumine rationis, vel legis divinæ, non tamen ſtatim homo ad illud redit in quo fuerat, ſed requiritur aliquis motus voluntatis contrarius primo motui : ſicut ſi aliquis ſit diſtans alicui per aliquem motum, non ſtatim ceſſante motu, fit ei propinquus, ſed oportet, quod appropinquet rediens per motum contrarium.

Ad primum ergo dicendum, quòd poſt actum peccati nihil poſitivè remanet in anima niſi diſpoſitio vel habitus : remanet tamen aliquid privativè, ſcilicet privatio conjunctionis ad divinum lumen.

Ad ſecundum dicendum, quòd tranſeunte obſtaculo corporis, remanet corpus diaphanum in æquali propinquitate & habitudine ad corpus illuminans, & ideò ſtatim umbra tranſit : ſed remoto actu peccati, non remanet anima in eadem habitudine ad Deum : unde non eſt ſimilis ratio.

Ad tertium dicendum, quod actus peccati facit diſtantiam à Deo, quam quidem diſtantiam ſequitur defectus nitoris hoc modo, ſicut motus localis facit localem diſtantiam. Unde ſicut ceſſante motu locali, non tollitur diſtantia localis : ita nec ceſſante actu peccati, tollitur macula.

CONCLUSIO.

Etiam tranſacto actu peccati, permanet in homine ejus macula quandiu ad lumen gratiæ non fuerit reſtitutus.

Digitized by Google

Commentarius.

1 HIc erat locus diſſerendi de peccato habituali perſonali eſſetque non levis diceptatio circa ejus eſſentiam, & rationem conſtitutivam. Cui tamen ut obviaremus, egimus uberiùs diſp. præcedenti de eſſentia & conſtitutivo peccati originalis, quod habituale etiam eſt, inſerentes dub. 3. & 5. cuncta ferè, quę pro eſſentia & conſtitutivo prædicti habitualis neceſſaria videbantur. Idque data opera præſtitimus, urgentes pro viribus non modò rationes & argumenta utrique peccato communia, ſed etiam illa quæ per priùs aut efficaciùs militant in perſonali: ut ita ſine incuriæ nota poſſemus hîc à nova diſputatione abſtinere, & tractatus brevitati conſulere. Quare ſufficiet modò nonulla adiicere pro utriuſque præſentis articuli elucidatione, & pro confirmatione electæ ibi ſententiæ, nimirùm quòd prædictum peccatum non conſiſtit in aliquo poſitivo exiſtente in anima, vel in voluntate; ſed in ſola gratiæ privatione, ſecundùm rationem quam n. 113. & à num. 130. explicuimus.

2 Quid ſupponendum. Atque in primis ſupponimus (quod D. Thomas probat in 2. art.) nempe quòd tranſacto actuali peccato remanet in anima macula ex illo cauſata, per quam habitualiter dicitur *maculata immunda*, *Deo inviſa*, & hujuſmodi: quouſque per gratiam juſtificationis remittatur offenſa, & prædicta macula auferatur. Hoc autem adeo eſt certum inter Theologos, ut probatione non indigeat. Habetur ſatis expreſſe in ſacra Scriptura, ut conſtat ex illo *Ioſue 22.* Ioſue 22. quod in præſenti D. Thomas adducit. *An parum vobis eſt quod peccaſtis in Beelphegor, & uſque in præſentem diem macula huius ſceleris in vobis permanet?* Sane peccatum illud in Beelphegor longe ante præceſſerat, omninoque jam actus peccaminoſus tranſierat: nam fuit *Num 25.* quod à Moyſe refertur num. 25. & tamen ejus macula nondùm erat abolita, ſed permanebat *Ierem. 2.* in illis. Idem conſtat ex illo Ierem. 2. *Quomodo converſa es mihi in pravum vinea aliena? Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me. Quomodo dicis, non ſum polluta? Vide vias tuas in convalle, ſcito quid feceris &c.* Quibus verbis non ſolùm denotatur, animam incurriſſe per peccatum maculam & pollutionem, ſed permanere habitualiter in illa, nec potuiſſe ab ea mundari quæſitis aliis coloribus & remediis: quia non pervenerat ad veram pœnitentiam, & ad infuſionem gratiæ. Sicut enim in humanis non ſtatim ac quis alterum offendit, ex eo ſolùm quòd non offendat ampliùs, ceſſat inimicitia contracta per talem offenſionem, quouſque offenſus offendenti remittat, & irrogatæ ſibi offenſæ obliviſcatur. Ita cùm homo peccando, maculam & Dei inimicitiam incurrit, non eo ipſo hæc ablata cenſetur, quia ille peccare deſiſtat; ſed permanet, reddens eum habitualiter peccatorem & maculatum, quouſque homo ipſe per gratiam iterum reconcilietur Deo, & prædicta macula auferatur. Eò præſertim quia cum macula peccati non ſit aliud niſi carentia gratiæ, ſeu nitoris & refulgentiæ, quæ ex ea veluti ex divino quodam lumine animæ proveniebat, ut declarat D. Thomas in 1. art. oportet, tandiù prædictam maculam permanere, quandiu gratia ipſa per peccatum amiſsâ non reſtituitur *D. Thom.*

Neque obeſt, ſi obiicias, quod macula habet ſe ad peccatum actuale, ſicut umbra ad corpus interpoſitum impediens lucem: lux autem ſublato corpore, ſtatim redit, & tollitur umbra: ergo ſimiliter tranſacto actu peccati, debet ſtatim auferri macula. 3 Objectio: Diluitur. ¶ Reſpondetur enim eſſe diſparem rationem. Nam ut docet D. Thomas in ſolut. ad 2. hujus articuli, in primo caſu, ablato corpore impediente, manet ſubjectum illuminandum in eadem diſpoſitione, & in eadem propinquitate ad principium illuminans, ſicut erat antea, nec corpus illud ullo modo vim jam habet ad lucem impediendam: unde nihil tollit quin prædictum ſubjectum eodem modo ac antea iterum illuminetur. Anima verò poſt commiſſum peccatum non manet in eadem diſpoſitione, neque in eadem propinquitate ad Deum, ſed in longe diverſa: ſemperque peccatum illud conſervat vim ad divinum lumen impediendùm. Quamvis enim actus & malitia illius phyſicè tranſierit; moraliter tamen adhuc permanet & ratione offenſæ, quæ ſubjectivè moraliter eſt in Deo, & etiam ratione malitiæ, quæ moraliter etiam manet in Dei abominatione objectivè, quandiu hæc ab ipſa anima per pœnitentiam non retractatur, & illa a Deo per gratiam non remittitur, juxta dicta diſ. 14. dub. 3. Sufficit autem hic modus permanentiæ moralis, ut prædictum peccatum ſit obſtaculum dividens inter Deum & animam, impediatque proinde divini luminis influentiam.

Secundò ſupponendum eſt, maculam (loquimur de macula peccati mortalis; de veniali enim dicetur infra) ſecundùm rem non diſtingui ab eo quod vocamus *peccatum habituale*; ſed eadem gratiæ privatio, quæ appellatur *macula*, quia aufert nitorem & pulchritudinem ex aſſiſtentia & refulgentia divini luminis provenientem, redditque animam inquinatam & immundam; dicitur *peccatum habituale*, quia eſt terminus peccati actualis, & permanet etiam illo tranſacto, ut averſio *in facto eſſe* à fine ultimo, denominatque habentem *habitualiter peccatorem*. 4 Aliud ſupponendum. Eſſe verò ita aſſerendum, conſtat ex ſacra Scriptura, ubi pro eodem omnino ſumitur prædictum peccatum & macula, ut conſtat ex verbis Ieremiæ cap. 2. ad animam peccatricem nuper adductis. *Ierem. 2.* *Maculata es in iniquitate tua.* Et Iob 18. *Immiſit in rete* (id eſt in peccatum) *pedes ſuos, in maculis ejus ambulat.* *Iob. 18.* Econtra verò de anima juſta, & ſine peccato exiſtente, dicitur Cantic. 4. *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.* *Cantic. 4.* Apocal. 14. *ſine macula ſunt ante thronum Dei*, *Apoc. 14.* & alibi multoties exiſtentia in peccato per *maculam*, excluſio verò illius per *munditiam ab ipſa macula* ſignificatur.

Hac ratione gratia ſanctificans dicitur *aqua munda*, & dicitur *lavare & mundare:* quod propriè eſt reſpectu maculæ: quia expellit peccata habitualia, quibus anima maculata permanebat. Unde dicit Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Epheſ. 5.* *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi Eccleſiam glorioſam, non habentem maculam, aut rugam aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata, &c.*

Et

Digitized by Google

Ezechiel. Et Ezechiel. cap. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis idolis veſtris mundabo vos. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri*, &c. Quo etiam modo loquendi SS. Patres ſatis communiter utuntur. Neque apud illos, vel Scripturam ſacram, aut apud antiquos ſcholaſticos fundamentum reperies ad diſtingendum inter maculam, & inter illud quod in peccatore habitualiter conſervat rationem peccati.

5 Ratio huius præſuppoſiti. Et ratio videtur perſpicua: nam eſſe maculatum & immundum coram Deo, quod eſt effectus formalis maculæ, nihil aliud eſt quàm eſſe peccatis coinquinatum, & eſſe Deo injurioſum & offenſum; quod eſt effectus formalis peccati habitualis: ubi autem effectus formalis eſt idem, eadem debet eſſe forma, vel quaſi forma tribuens talem effectum. D. Thom. Hac de cauſa Divus Thomas nullibi (quod viderimus) tractans hanc materiam, egit de peccato habituali perſonali, niſi quatenus egit de macula, & ſub hoc nomine, ut videre eſt in hac quæſtione 86. & in 4. diſtinct. 18. quæſt. artic. 2. quæſtiunc. 1. aliiſque in locis, quæ ſtatim adducemus: in quo ſanè defectuoſe proceſſiſſet, omittens notitiam prædicti peccati valdè neceſſariam in hac materia; niſi omninò idem eſſent macula & habituale peccatum, eadémque notitia utriuſque. Obſervandum. Quin potius (quod non otiosè obſervavimus) complexum hoc *peccatum habituale* in Divi Thomæ ſcriptis hactenùs non offendimus: Bergomenſ. neque Bergomenſis in ſua Tabula adeò elaborata, videtur reperiſſe. Sed ubique quicquid ex peccato actuali relinquitur, quod ad habituale poſſit pertinere, appellavit Sanctus Doctor nomine *macula:* quod etiam in aliis antiquis ſcholaſticis animadvertimus: fortè enim tunc complexum illud non erat in uſu; ſed nomen peccati ad ſolum actuale vel originale veteres reſtringebant, & quod nos *habituale*, illi non niſi *maculam* vocabant. Quòd ſi aliquis contendat prædicta duo juxta doctrinam D. Thomæ debere diſtingui, ut ita collata macula in privativo, peccatum habituale in poſitivo conſtituat, locum aſſignet fundantem eam diſtinctionem, & credemus ei.

6 Fatemur autem nomen *maculæ* latiùs extendi, & plura complecti, quàm nomen *peccati habitualis*: quia cùm metaphoricè tantùm ad præſens uſurpetur, ut obſervat Divus Thomas, non ita exprimit malitiam, & culpam, averſionémque à Deo, ſicut ipſum nomen peccati. Et propterea Sanctus Doctor in art. 1. D. Thom. non ſolùm privationem nitoris gratiæ, quæ prædictum peccatum conſtituit, ſed etiam privationem nitoris luminis naturalis, & virtutum acquiſitarum ſub macula comprehendit: nam quicquid ab anima & ejus potentiis tollit aliquid perfectionis ſeu honeſtatis, tollit etiam aliquid pulchritudinis; & quicquid hujus aliquid tollit, poteſt metaphoricè vocari *macula*. Hinc tamen nequaquam fit, peccatum habituale dicere aliquid præter maculam, ſed non ita extendi ſicut illa; converti autem cùm macula, quæ tollit præcipuam & ſupernaturalem pulchritudinem, ſcilicet gratiam: & ideò dici poteſt *macula principalis & primaria*.

7 His ſuppoſitis, non erit difficile confirmare ex doctrina D. Thomæ ſententiam quam diſput. præced. agentes de peccato originali, etiam circa habituale perſonale dub. 3. & 5. elegimus, nempe quòd non ſit aliquid poſitivum, ſed privatio gratiæ ſecundùm rationem à num. 130. explicatam. Quòd enim ad rationes attinet, credimus, ſufficienter convinci tribus illis quas dub. 3. & aliis quas dub. 5. ejuſdem diſputationis expendimus: quibus nihil addendum occurrit. Quòd autem D. Thomas perpetuus fuerit in prædicta ſententia, probatur ita. Peccatum habituale quid ſit. Peccatum habituale eſt omninò idem quod macula principalis & primaria, ita ut ſaltem in eſſe rei non diſtinguantur: ſed macula juxta doctrinam D. Thomæ non eſt aliquid poſitivum, ſed conſiſtit in privatione gratiæ, quatenùs ex peccato actuali relicta: ergo ſimiliter peccatum habituale. Major liquet ex modò prænotatis.

Minor verò habetur artic. 1. hujus quæſtionis in ſolut. ad 3. ubi ſic dicitur: D. Thomas. *Macula non eſt aliquid poſitivè in anima, ſed ſignificat privationem quandam nitoris*, &c. Quæ verba licèt per ſe ſint ſatis clara, majorem adhuc vim habent, ſi conferantur cum argumento, cui ſolutio illa adhibetur. Idem docet S. Doctor art. 2. ad 1. ubi argumentum erat, quòd tranſacto actu peccati, nihil remanet in anima, niſi habitus vel diſpoſitio, de quibus certum eſt non eſſe ipſam maculam, cùm ſæpè illis manentibus, hæc auferatur; & econtrà: ergo tranſacto prædicto actu, non remanet macula. Reſpondet verò *dicendum, quod poſt actum peccati, nihil poſitivè remanet in anima, niſi diſpoſitio vel habitus: remanet tamen aliquid privativè, ſcilicet privatio conjunctionis ad divinum lumen.* En convictus D. Thomas, quòd nihil poſitivum poteſt habere rationem maculæ, ut eam aſſignet, recurrit ad divini luminis vel gratiæ privationem. Idem. Idem docet infra quæſt. 109. art. 7. Et ex profeſſo id docuerat in 4. diſtinct. 18. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. quærens *utrum macula aliqua poſitivè in anima ſit?* & arguit pro nobis hoc modo: *Ex peccato non remanet poſitivè aliquid in anima, niſi diſpoſitio vel habitus, quæ conſequuntur peccatum ex parte actus, ex quo aliquid ponit: ſed macula non eſt diſpoſitio ex actu cauſata, nec habitus: quod patet ex hoc quod diſpoſitio & habitus poſſunt ſine gratia deſtrui per contrariam conſuetudinem; macula autem ſine gratia non aufertur: ergo macula non ponit aliquid poſitivè in anima.* ¶ Nec obeſt, ſi dicas, hujuſmodi verba contineri in argumento. *Sed contra*, quod non ſemper ponitur à D. Thoma ut ratio convincens, ſed multoties præcisè ad dubitandum. ¶ Nam contra eſt, quòd in corpore illius quæſtiunculæ convictus prædicto argumento, reſolvit difficultatem omninò juxta illud his verbis. Idem. *Ex hoc aliquid maculatum dicitur, quia debitæ pulchritudinis patitur detrimentum: unde macula ſecundùm quod huiuſmodi non habet quod aliquid ponat; ſed per comparationem ad illud quod pulchritudinis detrimentum cauſat, aliquid quandoque ponere dicitur: ſicut aliquid in facie inductum, quod candorem faciei tegat, aut privet. Pulchritudo autem animæ conſiſtit in aſſimilatione ipſius ad Deum, ad quem formari debet per claritatem gratiæ ab eo ſuſceptam: ſicut autem perceptio claritatis corporalis à Sole prohibetur à nobis per aliquod obſtaculum interpoſitum: ita etiam claritas*

gratiæ prohibetur ab anima per peccatum commiſſum, quod dividit inter nos & Deum, ut dicitur Iſaiæ 59. unde ipſa macula, quantum in ſe eſt, non ponit de eſſentia ſua niſi privationem gratiæ, ſed ponit ut cauſam oſtaculum peccati. quod obſtat ad gratiæ receptionem: & propterea etiam macula tenebra dicitur ratione prædictæ ſimilitudinis. Idem docet diſtinct. 14. quæſt. 2. artic. 1. quæſtiunc. 3. ad ſecundum ibi. *Per adventum gratiæ ad eſſentiam animæ tollitur macula, quæ nihil aliud erat quàm gratiæ privatio.* Et in 2. *diſtinct.* 32. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *Gratia reſtituta, ſimul & macula tollitur, quæ in defectu gratiæ conſiſtebat.* Non minùs clarè loquitur diſtinct. 35. quæſt. 2. art. 1. in corp. & ad ſecundum, & quæſt. 5. de potentia art. 6. ad 23. *Dicendum* (inquit) *quòd macula in anima non ponit naturam aliquam, ſed ſolam gratiæ privationem: tamen cum reſpectu ad actum peccati præcedentem, qui huius privationis cauſa fuit, vel eſſe potuit.* Idem repetit 3. part. quæſt. 88. art. 1. in 2. diſtinct. 42. quæſt. 1. art. 2. ad quartum & in 3. diſtinct. 36. art. 5. ad ſecundum quæſt. 28. de veritate art. 6 aliiſque in locis.

Idem.

8 Replica. Dices his teſtimoniis non oſtantibus, poſſe adhuc ſuſtineri, vel quòd macula includat aliquid poſitivum, vel quòd peccatum habituale ſit diſtinctum à macula. Primum videtur probari, tum ex ſolutione ad tertium artic. 1. hujus quæſtionis, ubi dicitur, quòd macula non ſignificat privationem ſolam: ergo includit aliud aliquid quod non ſit privatio. Tum etiam quia ſi macula eſſet ſolùm privatio gratiæ, diverſa peccata non inducerent diverſas maculas; ſicut non inducunt diverſas gratiæ privationes, ſed unam & eandem. Poſterius verò poteſt ſuaderi, quia peccatum habituale non modò relinquit in anima privationem gratiæ ſeu maculam, per quam voluntas manet averſa; ſed relinquit etiam aliquid, per quod manet adhærens creaturæ ut ultimo fini: quæ ſanè adhæſio non poteſt eſſe effectus ſolius privationis, ſed alicujus converſionis poſitivæ. Et præterea relinquit etiam reatum pœnæ æternæ, qui quidem reatus aliquid eſt ſaltem morale, ultra prædictam privationem. Cur ergo non dicemus, peccatum habituale conſiſtere in hujuſmodi reatu, aut in adhæſione & converſione illa poſitiva, potiùs quàm in gratiæ privatione.

Diluitur. Sed hæc omnia facilè corruunt ex eiſdem teſtimoniis quæ adduximus, & citavimus. Unde ad primum ex objectis reſpondetur, non ideò Divum Thomam dixiſſe, quòd macula non dicit privationem ſolam, quia in ſuo conceptu eſſentiali, & in recto includat aliquid poſitivum, ſed quia dicit prædictam privationem, non abſolutè ſumptam, ſed ut reſpicit vel connotat ſuam cauſam, quæ fuit peccatum actuale præcedens: ſine qua connotatione vel reſpectu ſicut non intelligitur ut terminus prædicti peccati, ita neq; ut voluntaria & peccaminoſa, neque ut macula per illud inducta, & diſtincta ab aliis maculis, quæ per alia peccata inferuntur. Quod optimè explicatur in prædicta D. Thomæ ſolutione, præſertim ſi conferatur cum argumento: in quo obiiciebatur, quòd ſi macula eſſet privatio pura, eſſet omnium peccatorum una macula, cùm omnium ſit una averſio & gratiæ privatio.

Idem. Reſpondet verò D. Thomas. *Ad tertium dicendum, quòd macula non eſt aliquid poſitivè in anima: nec ſignificat privationem ſolam, ſed ſignificat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad ſuam cauſam, quæ eſt peccatum: & ideò diverſa peccata diverſas maculas inducunt: & eſt ſimile de umbra, quæ eſt privatio luminis ex obiecto alicuius corporis, & ſecundùm diverſitatem corporum obiectorum diverſificantur umbræ.*

Per quod patet ad illud de indiſtinctione macularum, quod additur in objectione. 9

¶ Adduximus autem hanc doctrinam, agentes de peccato orignali, diſp. præced. num. 150. & præter teſtimonia ibi allegata, habetur etiam in 4. diſtinct. 18. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiunc. 1. & quæſt. 3. de potentia art. 6. ad 23. ut conſtat ex verbis quæ nuper retulimus. Idem. Quo pacto verò intelligendum ſit, quòd privatio dicat reſpectum ad peccatum actuale, ex quo fuit inducta, ita ut neque ibi ſit ordo poſitivus & realis, neque reducatur ad ens rationis, explicavimus ſuprà diſput. 14. num. 115.

¶ Ad primum pro ſecunda parte hujus objectionis diximus diſput. præced. num. 76. ubi explicuimus, per quid fiat converſio & adhæſio voluntatis ad objectum peccati; & ad bonum commutabile, etiam ſi peccatum habituale nihil afferat poſitivum. Et num. 74. & 75. Diluimus alia, quæ hîc poſſent objectari.

¶ Ad ſecundum de reatu, conſtabit diſput. ſequenti, dub. 1. quid ſit, & qualiter diſtinguatur à peccato habituali, vel identificetur cum illo.

§. I.

Quid de peccato actuali non retractato.

SUnt qui excludentes nobiſcum à conſtitutivo maculæ ſeu peccati habitualis omne poſitivum habituale, negant adhuc conſtitutivum prædicti peccati ſaltem adæquatum eſſe gratiæ privationem. Sed munus hoc tribuunt peccato actuali præterito: quod etſi phyſicè tranſierit, dum tamen non retractatur per pœnitentiam, vel juſtificationem, cenſetur moraliter permanere: à quo ut ſic moraliter permanente putant deſumendam eſſe denominationem *peccatoris*. Ita Vazquez in præſenti, diſput. 139. cap. 5. & quidam alii. Additque idem Vazquez prædictam denominationem non eſſe intrinſecam, ſed extrinſecam; imò non eſſe realem, ſed rationis. 10 Vaſq.

Cæterùm hic modus dicendi ſufficienter manet impugnatus, tum ex dictis diſput. præced. à num. 124. rationes enim quibus ibi oſtendimus, peccatum originale debere eſſe aliquid intrinſecum, diſtinctúmque ab actuali peccato Adami, & ex eo dirivatum, probant ſimiliter de peccato habituali perſonali, de quo certum eſt non debere eſſe minus intrinſecum, aut minùs afficiens phyſicè peccatorem adultum, quàm peccatum originale afficit parvulum. Eò præſertim, quia ſi peccatum actuale Adami vim habet transfundendi in poſteros aliquid habituale intrinſecum, quod verè & propriè peccatum ſit, veréque & intrinſecè peccatores illos denominet, à fortiori relinquere debuit in Adamo idem habituale intrinſecum, per quod propriè & verè *peccator* diceretur: hoc autem habituale intrinſecum relictum in Adamo, fuit in eo peccatum habi- Unde corruat hic modus dicendi.

habituale perſonale, ſicut in poſteris eſt peccatum originale: atque adeò de utroque iſto peccato eſt eodem modo ad præſens philoſophandum. Tùm etiam manet impugnatus prædictus modus dicendi, ratione qua in eadem diſput. à num. 127. probavimus, privationem gratiæ prout relictam ex actuali peccato, & cum ſola connotatione illius abſque incluſione, habere omnes conditiones quæ deſiderari poſſunt ad rationem maculæ & culpæ habitualis: adeóque adſtante phyſicè in peccatore prædicta privatione, illúmque intrinſecè afficiente, ab ea & non ab actu qui præteriit, debet conſtitui & denominari habitualiter *peccator*.

11 Præcluditur amp. ſus. Sed impugnatur præterea: nam per illud conſtitui debet homo *peccator*, & *injuſtus* habitualiter, cujus proprium oppoſitum conſtituit habitualiter *juſtum* & *ſanctum*: ſed *juſtum* & *ſanctum* conſtituit immediatè gratia juſtificans, non verò aliquis actus quantumvis perfectus: ergo *injuſtus* & *peccator* conſtitui debet per gratiæ privationem, quæ eſt proprium ejus oppoſitum, non verò per aliquem actum quantumvis peccaminoſum. Confirmatur: quia etiam ſi homo per actum charitatis convertatur actualiter in Deum ut finem ultimum, non omninò denominatur à tali actu converſus habitualiter, aut abſolutè *juſtus* & *ſanctus*, ſed à ſola gratia, quæ ex vi illius actus relinquitur, eſtque converſio habitualis & phyſicè permanens, ſumuntur immediatè omnes prædictæ denominationes: quòd ſi tranſacto actu gratia non remaneret, conſequenter non eſſet à quo deſumerentur: ergo quamvis homo per actum peccati actualiter avertatur à Deo, non tamen ab hujuſmodi actu habebit denominari *averſus* aut *injuſtus* habitualiter; ſed ab ipſa gratiæ privatione, quæ ex tali actu relinquitur, quæque eſt averſio habitualis & phyſicè permanens. Patet conſequentia à paritate rationis: neque enim poteſt eſſe major vis in actu peccati ad conſtituendum hominem habitualiter *averſum* & *injuſtum*, quàm in actu charitatis ad conſtituendum illum habitualiter *juſtum* & *converſum*.

12 Impugnatur alia via. Alia via poteſt hoc ipſum ſuaderi, & præcedens impugnatio roborari, oſtendendo, permanentiam illam moralem quæ tribuitur actui peccaminoſo, poſtquàm phyſicè præteriit, non ſufficere, ut homo ex vi illius verè & re ipſa peccator ſit, niſi fundetur in aliquo termino à ſe relicto phyſicè permanenti; qui etiam ſit verè peccatum, ſitque ratio immediata denominationis *peccatoris*: (non enim prædicta denominatio eſt ſolum rationis, ut Vaſquez autumat, aut competens ſolùm moraliter, ut alii exiſtimant: ſicut neque eſt ens rationis, aut moralis tantùm exiſtimatio vel appretiatio, quòd homo qui peccavit, maneat habitualiter injuſtus & Dei inimicus; ſed re ipſa & antecedenter ad omnem moralem appretiationem id habet) cumque prædictus terminus etiam apud Vazquez non poſſit eſſe alius niſi privatio gratiæ; fit, non præcedentem actum moraliter permanentem, ſed hujuſmodi privationem phyſicè & re ipſa ſuo modo exiſtentem, eſſe immediatam rationem denominationis quam dicimus. Hanc tamen impugnationem conſultò non proſequimur, quia ejus doctrina nobis opus non eſt: exiſtimamus namque actum peccaminoſum nedum jam præteritum, ſed etiam dum phyſicè exiſtit, quantumvis exiſtentia hæc perduret, ineptum & improportionatum eſſe ad tribuendum effectum & denominationem *peccatoris* & *injuſti habitualis*.

13 Pro quo nota, quemlibet effectum formalem, & quamlibet denominationem exigere formam denominantem ſibi proportionatam, & habentem modum eſſendi, quem exprimit ipſa denominatio. Unde ſi hæc exprimat informationem ſubjecti, & conſtitutionem aut qualificationem illius in aliquo *eſſe*, vel quaſi *eſſe* permanenti & quieto in ordine ad ſubjectum ipſum; forma debet eſſe quieta & permanens; reſpiciénſque ſubjectum ut in ſe conſtituendum vel qualificandum, ſicut habitus & formæ permanentes reſpiciunt. Si autem denominatio exprimat motum, fluxum, aut tendentiam ad aliud; forma debet eſſe fluens, & tendens, ſicut ſunt operationes & actus ſecundi: aliter non erit debita proportio inter denominationem ſeu effectum formalem, & inter formam tribuentem talem denominationem vel effectum.

14 Impugnat. Hinc formatur ſequens impugnatio. Quoniam eſſe peccatorem & injuſtum non eſt de illis effectibus vel denominationibus, quæ exprimunt motum & tendentiam, ſed potiùs informationem & qualificationem ſubjecti in ordine ad ſe ipſum, & ad hoc ut in ſe ſit tale, vel tale: atque adeò forma vel quaſi forma unde ſumitur, non debet eſſe motus vel actus, qui dicunt fluxum & tendentiam circa aliud, ſed aliquid quietum & permanens, reſpiciénſque ſubjectum, ut qualificandum & conſtituendum in ſe: atqui peccatum actuale ſive præſens ſive præteritum, non ſe habet hoc poſteriori modo, ſed illo priori: ergo nequit ab eo deſumi prædicta denominatio vel effectus. Conſequentia videtur perſpicua ex prænotato. Major verò etiam liquet: quia eſſe aliquem habitualiter injuſtum & peccatorem, non exprimit modum, aut tendentiam circa aliud vel aliquid fluens; ſed informationem & ſtatum, quo in ſe ipſo permanet pravè diſpoſitus, mortuus Deo, averſus & ſeparatus ab illo, & ei inimicus: quæ omnia exprimunt qualificationem & conſtitutionem ſubjecti in ſe ipſo. Minor autem facilè ſuadetur: nam peccatum actuale ſive ut præſens, ſive ut præteritum côcipiatur, non concipitur ut forma quieta, conſtituens aut qualificans ſubjectum, ut ſit in ſe ipſo tale vel tale; ſed ut operatio & exercitium potentiæ, adeóque ut motus & tendentia circa aliud: hoc enim eſt de ratione cujuſcunque operationis ut ſit attingentia ſui objecti: non ergo denominatio ſumpta ex prædicto peccato, poteſt exprimere ſtatum & modum eſſendi fixum & quietum, quem exprimit denominatio *injuſti* & *peccatoris*.

15 Confirmatio. Confirmatur à ſimili: nam ita ſe habet quoad præſens denominatio *peccatoris* & *injuſti* ad formam ex qua oritur, ſicut oppoſita denominatio *juſti* & *ſancti* ad formam unde ſumitur: ſed hæc ſecunda denominatio ex eo quòd exprimit ſtatum ſubjecti, & modum eſſendi fixum in illo, nequit deſumi ab aliqua

operatione, vel actu ſecundo quantumvis optimo & perfecto; ſed à gratia juſtificante, quæ eſt forma habitualis & permanens: ergo neque prima illa poterit ob eandem rationem deſumi ab actu quantumvis pravo & peccaminoſo; ſed ab aliqua ratione, quæ ſit habitualis & permanens, uti eſt gratiæ privatio.

Confirmatio alia. Confirmatur ſecundò: nequit ab habitu vel forma permanente ſumi immediatè denominatio exprimens tendentiam & motum, uti eſt denominatio *peccantis*, vel denominatio *merentis*: ergo neque ab eo quod eſt tendentia & motus, ſicut eſt peccatum actuale, & ſicut eſt actus charitatis, ſumi poterunt denominationes exprimentes permanentiam & ſtatum, uti exprimunt denominatio *juſti*, & denominatio *peccatoris*. ¶ Adde, modum dicendi, quem impugnamus, apertè eſſe contra D. Th. non ſolùm quia agens de macula peccati, ubique eam collocat in ſola privatione, nullius alterius rationis mentionem faciens; ut conſtat ex teſtimoniis adductis: ſed etiam quia diſtinguit illam à peccatto actuali tanquam medium ab extremo, & effectum à ſua cauſa: ut videre eſt in 2. diſt.42. in expoſitione textus, ubi ait: S. Thom. *Dicendum, quòd macula eſt medium inter actum peccati & reatum, quaſi effectus actus, & fundamentum reatus.* ¶ Adde ſecundò, juxta communem modum D. Th. & aliorum Patrum, majorem permanentiam concedendam eſſe ei, quod eſt macula, quam peccato actuali: nam de iſto abſolutè & ſimpliciter dicunt, quòd tranſit, & non permanet; de illa verò ſicut etiam de reatu, quòd permanet & non tranſit: ſentiunt ergo maculam diſtinctum quid eſſe à prædicto peccato: aliàs utrunque eodem modo vel tranſiret, vel permaneret. ¶ Adde tandem, quòd ſemel conceſſo privationem gratiæ habere rationem culpæ habitualis, ſicut Vaſq. concedit Vazq. ubi ſuprà, cap.4. nulla eſt neceſſitas recurrendi ad peccatum actuale præteritum pro denominatione *peccatoris* tanquam ad formam. Imò neque eſt locus ad talem recurſum: quia quoties reſpectu alicujus denominationis adeſt ratio intrinſeca, ex qua poſſit deſumi, hæc prævenit & præcludit aditum cuilibet extrinſeco in ordine ad immediatè denominandum, ut conſtabit inductione.

16 Duplex objectio. Duo tamen obiici poſſunt pro ſententia Vazq. Primum eſt, quia totum illud ingredi debet rationem maculæ & peccati habitualis, à quo mundat & liberat juſtificando: ſed hæc non tantùm liberat & mundat nos à gratiæ privatione, ſed etiam à peccato actuali: & ideò quod ante juſtificationem propter non retractionem moraliter permanebat impediens gratiæ infuſionem, poſteà omninò tollitur, & nullo modo permanet: ergo utrunque hoc clauditur in ratione maculæ & peccati habitualis. Secundum eſt, quod privatio gratiæ non diſtinguitur, nec multiplicatur juxta diſtinctionem & multiplicationem peccatorum actualium; ſed ſicut gratia tantùm eſt unica forma, ſic ejus carentia ex quocunque peccato ortum habeat, tantùm eſt unica privatio: cùm ergo peccata habitualia & maculæ diſtingui & multiplicari debeant ſecundùm diſtinctionem actualium, neceſſariò debent includere aliquid utra prædictam privationem; quod ſit ratio diſtinctionis: neque apparet aliud pro prædicto munere, niſi peccatum actuale. ¶ Sed utraque objectio ſoluta eſt diſput. præced. prima num. 74 & ſecunda à num. 150.

Omittimus impugnare modum dicendi, quem tuetur in præſenti Curiel de privatione Curiel. conformitatis habitualis ad legem: quia illum retulimus & examinavimus diſput. præced. dub. 1. Sicut etiam omittimus alium, quem meditatur Suarez diſput.8. de peccat. ſect. Suar. unic. concluſ. 3. ubi eſſentiam peccati habitualis reducit ad quandam moralem & prudentem appretiationem, juxta quam ille qui moraliter deliquit, dum non juſtificatur, cenſetur averſus à Deo, & ad bonum commutabile converſus ſine aliquo phyſico, à quo intrinſecè afficiatur. Privationem verò gratiæ ideò reiicit à conceptu prædicti peccati, quia exiſtimat non poſſe habere rationem culpæ, cùm ſit pœna, & à Deo ſubtrahente ipſam gratiam. Sed non videtur loqui admodùm conſequenter: nam diſput.9. ſect.2. conſtituit in prædicta privatione eſſentiam peccati originalis; de quo dubitare non potuit, quòd verè & propriè ſit culpa. Verum (quicquid ſit de prædicta inconſequentia) cùm nos diſput. præced. à num.129. & 142. ſufficienter oſtenderimus, privationem gratiæ ſimul eſſe culpam & pœnam, ineſſeque illi aliquam rationem quæ à Deo non ſit, ibidem eo ipſo diluimus fundamentum hujus auctoris, ſicut & aliorum; quæ propter eandem rationem, omiſſa omni privatione, pro conſtituendo peccato habituali, ſive originali, ſive proprio, ad alia recurrunt. Unde non oportet circa hoc immorari. Hæc verò dixerimus, non quia ex eis habeatur exacta rei intelligentia, ſed ut complementum præcedentis diſputationis, ubi quærenda eſt dub.3. & 5.

QUÆSTIO

QUÆSTIO LXXXVII.

DE REATU POENÆ, in octo Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de reatu pœnæ. Et primò de ipſo reatu. Secundò de mortali & veniali peccato quæ diſtinguuntur ſecundùm reatum. Et circa primum quæruntur octo.

EGit in præcedentibus D. Thomas de illis effectibus, qui phyſicè & executivè ex peccato conſequuntur, uti eſt macula, diminutio boni naturæ, &c. quos proinde *effectus phyſicos* nuncupavimus. In hac verò quæſtione agit de effectibus moralibus, cujuſmodi eſt pœna, ad quam peccans non concurrit phyſicè & executivè (ſaltem per ſe loquendo) ſed demeritoriè: quod ad genus cauſæ moralis ſpectat.

ARTICULUS I.

Utrùm reatus pœnæ ſit effectus peccati?

AD primum ſic proceditur. Videtur quòd reatus pœnæ non ſit effectus peccati. Quod enim per accidens ſe habet ad aliquid, non videtur eſſe proprius effectus ejus: ſed reatus pœnæ per accidens ſe habet ad peccatum, cum ſit præter intentionem peccantis: ergo reatus pœnæ non eſt effectus peccati.

2. Præt. Malum non eſt cauſa boni: ſed pœna bona eſt, cum ſit juſta & à Deo: ergo non eſt effectus peccati, quod eſt malum.

3. Præt. Auguſt. dicit in 1. Confeſſ. quod omnis inordinatus animus ſibi ipſi eſt pœna; ſed pœna non cauſat reatum alterius pœnæ, quia ſic iretur in infinitum: ergo peccatum non cauſat reatum pœnæ.

Sed contra eſt, quod dicitur Rom. 2. Tribulatio & anguſtia in animam omnem operantis malum: ſed operari malum eſt peccare: ergo peccatum inducit pœnam, quæ nomine tribulationis & anguſtiæ deſignatur.

Reſpondeo dicendum, quod ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur, ut id quod contra aliquid inſurgit, ab eo detrimentum patiatur. Videmus enim in rebus naturalibus, quod unum contrarium vehementius agit, altero contrario ſuperveniente: propter quod aquę calefactę magis congelantur, ut dicitur in 2. Meteor. Unde in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unuſquiſque deprimat eum, qui contra ipſum inſurgit. Manifeſtum eſt autem, quod quæcunque continentur ſub aliquo ordine, ſunt quodammodo unum ad principium ordinis. Unde quicquid contra ordinem aliquem inſurgit, conſequens eſt ut ab ordine & principe ordinis deprimatur. Cum autem peccatum ſit actus inordinatus, manifeſtum eſt, quod quicunque peccat, contra aliquem ordinem agit: & ideo ab ipſo ordine conſequens eſt quod deprimatur, quæ quidem depreſſio pœna eſt. Unde ſecundùm tres ordines, quibus ſubditur humana voluntas, triplici pœna poteſt homo puniri. Primò quidem enim ſubditur humana natura ordini propriæ rationis. Secundò, ordini exterioris hominis gubernantis vel ſpiritualiter, vel temporaliter, politicè, ſeu œconomicè. Tertiò ſubditur univerſali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille qui peccat, agit & contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem divinam. Unde triplicem pœnam incurrit, unam quidem à ſe ipſo, quæ eſt conſcientiæ remorſus, aliam verò ab homine, tertiam verò à Deo.

Ad primum ergo dicendum, quòd pœna conſequitur peccatum, in quantum malum eſt ratione ſuæ inordinationis: unde ſicut malum eſt per accidens in actu peccantis præter intentionem ipſius, ita & reatus pœnæ.

Digitized by Google

Ad ſecundum dicendum, quòd pœna quidem juſta eſſe poteſt & à Deo, & ab homine inflicta: unde ipſa pœna non eſt effectus peccati directè, ſed ſolùm diſpoſitivè. Sed peccatum facit hominem eſſe reum pœnæ, quod eſt malum. Dicit enim. Dion. 4. cap. de divin. nom. quòd puniri non eſt malum, ſed fieri pœna dignum: unde reatus pœnæ directè ponitur effectus peccati.

Ad tertium dicendum, quòd pœna illa inordinati animi debetur peccato ex hoc, quod ordinem rationis pervertit: fit autem reus alterius pœnæ per hoc, quod pervertit ordinem legis divinæ, vel humanæ.

Prima Concluſio.

Triplici pœna ſubditur homo per peccatum: prima à ſeipſo: ſecunda ab aliis hominibus: tertia à Deo.

Secunda Concluſio.

Reatus pœnæ directè ponitur effectus peccati.

Continet litera hujus articuli non ſolam congruentiam ad declarandam primam concluſionem, ut aliquibus viſum eſt; ſed etiam rationem ſatis efficacem ad illam comprobandam: ex iis enim, quæ in naturalibus contingunt, recte arguitur ad ea, quæ ſunt ſecundum rationem, eo quod ordo naturæ eſt ordo rationis & intelligentiæ. Senſus autem prædictæ concluſionis non eſt, quod ſingula peccata incurrant omnes illas pœnas: nam purè-interna non puniuntur ab hominibus: ſed debet intelligi per accommodam diſtributionem: ita ut quædam omnes, & quædam aliquas, vel aliquam incurrant, nullúmque ſit, cui non aliqua ex prædictis pœnis correſpondeat. ¶ Secunda concluſio habetur in ſolutione ad ſecundum, & videtur directius reſpondere titulo articuli, quam prima. Sed ut notavit Cajetanus, voluit D. Thomas à notioribus in corpore arguere, & ibi inſinuare quod in ſolutionibus argumentorum expreſſius traditurus erat, ut illis ſatisfaceret. Pro eodem autem ſumitur in prædicta ſolutione *cauſare diſpoſitivè*, ac *cauſare demeritoriè*; quod eſt cauſalitas moralis, quam exercet peccatum reſpectu pœnæ; ad diſtinctionem illius quam exercet reſpectu reatus, quæ eſt cauſalitas phyſica, & vocatur à D. Thoma *cauſalitas directa*. In ſolutione ad primum nota, malum ea ratione dici *per accidens* reſpectu actus peccati, quia eſt præter peccantis intentionem; non quia non ex natura rei, & reſpectu defectibilitatis voluntatis ſuo modo per ſe conſequatur in tali actu.

Caiet.

Articulus II.

Utrum peccatum poſſit eſſe pœna peccati.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum non poſſit eſſe pœna peccati. Pœnæ enim ſunt inductæ, ut per eas homines reducantur ad bonum virtutis, ut patet per Philoſophum in 10. Ethic. ſed per peccatum non reducitur homo in bonum virtutis, ſed in oppoſitum: ergo peccatum non eſt pœna peccati.

2. Præt. Pœnæ juſtæ ſunt à Deo, ut patet per Auguſt. in lib. 83. quæſt. peccatum autem non eſt à Deo, & eſt injuſtum: non ergo peccatum poteſt eſſe pœna peccati.

3. Præt. De ratione pœnæ eſt quod ſit contra voluntatem: ſed peccatum eſt à voluntate, ut ex ſupra dictis patet: ergo peccatum non poteſt eſſe pœna peccati.

Sed contra eſt, quod Greg. dicit ſuper Ezech. quod quædam peccata ſunt pœnæ peccati.

Reſpondeo dicendum, quod de peccato dupliciter loqui poſſumus, per ſe ſcilicet, & per accidens. Per ſe quidem nullo modo peccatum poteſt eſſe pœna peccati. Peccatum enim per ſe conſideratur ſecundum quod egreditur à voluntate: ſic enim habet rationem culpæ, de ratione autem pœnę eſt, quod ſit contra voluntatem, ut in 1. habitum eſt. Unde manifeſtum eſt, quod peccatum per ſe loquendo, nullo modo poteſt eſſe pœna peccati. Per accidens autem peccatum poteſt etiam eſſe pœna peccati tripliciter. Primo quidem ex parte cauſæ, quæ eſt remotio prohibentis. Sunt enim cauſæ inclinantes ad peccatum, paſſiones, tentatio diaboli, & alia hujuſmodi, quæ quidem cauſæ impediuntur per auxilium divinæ gratiæ, quæ ſubtrahitur per peccatum: unde cum ipſa ſubtractio gratiæ ſit quædam pœna & à Deo, ut ſupra dictum eſt; ſequitur quod per accidens etiam peccatum quod ex hoc ſequitur, pœna dicatur. Et hoc modo loquitur Apoſtolus Rom. 1. dicens propter quod tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum, quæ ſunt animæ paſſiones: quia ſcilicet deſerti homines ab auxilio divinæ gratiæ, vincuntur à paſſionibus: & hoc modo ſemper peccatum dicitur eſſe pœna præcedentis peccati. Alio modo

ex

ex parte ſubſtantiæ actus,quæ afflictionem inducit, ſive ſit actus interior, ut patet in ipſa ira & invidia, ſive actus exterior, ut patet cum aliqui gravi labore opprimuntur & damno, ut expleant actum peccati, ſecundum illud Sap. 5. laſſati ſumus in via iniquitatis. Tertio modo ex parte effectus, ut ſcilicet aliquod peccatum dicatur pœna reſpectu effectus conſequentis: ſed his duobus ultimis modis unum peccatum non ſolum eſt pœna præcedentis peccati, ſed etiam ſui.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc etiam, quod aliqui puniuntur à Deo, dum permittit eos in aliqua peccata profluere,ad bonum virtutis ordinatur, quandoque quidem etiam ipſorum qui peccant,cum ſcilicet poſt peccatum humiliores & cautiores reſurgunt.Semper autem eſt ad emendationem aliorum,qui videntes,aliquos ruere de peccato in peccatum magis reformidant peccare. In aliis autem duobus modis manifeſtum eſt,quod pœna ordinatur ad emendationem: quia hoc ipſum,quod homo laborem & detrimentum patitur in peccando,natum eſt retrahere homines à peccato.

Ad ſecundum dicendum,quòd ratio illa procedit de peccato ſecundùm ſe. Et ſimiliter dicendum eſt ad tertium.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatum per ſe loquendo nullo modo poteſt eſſe pœna peccati.

SECUNDA CONCLUSIO.

Peccatum poteſt per accidens eſſe pœna peccati tripliciter: nempe ex parte cauſæ, ex parte effectus, & ex parte ſubſtantiæ actus.

TERTIA CONCLUSIO.

Ex parte ſubſtantiæ actus, & ex parte effectus non ſolum unum peccatum poteſt eſſe pœna alterius, ſed etiam ſui ipſius.

ARTICULUS III.

Vtrum aliquod peccatum inducat reatum æternæ pœnæ.

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd nullum peccatum inducat reatum æternæ pœnæ. Pœna enim juſta adæquatur culpæ: juſtitia enim æqualitas eſt. Unde dicitur Iſaiæ 27. In menſura contra menſuram cum abjecta fuerit,judicabit eam: ſed peccatum eſt temporale: ergo non inducit reatum pœnæ æternæ.

2. Præt. Pœnæ medicinæ quædam ſunt,ut dicitur in 2.Ethic.ſed nulla medicina debet eſſe infinita,quia ordinatur ad finem: quod autem ordinatur ad finem non eſt infinitum,ut Philoſophus dicit in 1. Polit. ergo nulla pœna debet eſſe infinita.

3.Præt. Nullus ſapiens facit aliquid, niſi propter ſe in ipſo delectetur: ſed Deus non delectatur in perditione hominum, ut dicitur Sap.1. ergo non puniet homines pœna ſempiterna.

4. Præt. Nihil quod eſt per accidens, eſt infinitum: ſed pœna eſt per accidens,non eſt enim ſecundum naturam ejus,qui punitur: ergo non poteſt in infinitum durare.

Sed contra eſt,quod dicitur Matt 25. Ibunt hi in ſupplicium æternum. Et Marci 3. dicitur,: Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed erit reus æterni delicti.

Reſpondeo dicendum,quòd ſicut ſupra dictum eſt, peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ, quod pervertit aliquem ordinem: manente autem cauſa, manet effectus: unde quandiu perverſitas ordinis remanet, neceſſe eſt quod remaneat reatus pœnæ. Pervertit autem aliquis ordinem quandoque quidem reparabiliter, quandoque autem irreparabiliter: ſemper enim defectus, quo ſubtrahitur principium,irreparabilis eſt. Si autẽ ſalvetur principium,ejus virtute alii defectus reparari poſſunt: ſicut ſi corrumpatur principium viſivũ, non poteſt fieri viſionis reparatio, niſi ſola virtute divina,ſi verò ſalvo principio viſivo, aliqua impedimenta adveniant viſioni, reparari poſſunt per naturam vel per artem. Cujuſlibet autem ordinis eſt aliquod principium, per quod aliquis fit particeps illius ordinis, & ideo ſi peccatum corrumpat principium ordinis quo voluntas hominis ſubditur Deo, erit inordinatio quantum eſt de ſe irreparabilis, etſi reparari poſſit virtute divina. Principium autem hujus ordinis eſt ultimus finis, cui homo inhæret per charitatem: & ideo quæcunque peccata avertunt à Deo, charitatem auferentia, quantum eſt de ſe, inducunt reatum æternæ pœnæ.

Ad primum ergo dicendum, quod pœna peccato proportionatur ſecundum acerbitatem tam in judicio divino, quàm in humano: ſed ſicut Auguſt. dicit 21. de Civit. Dei. In nullo judicio

Digitized by Google

judicio requiritur, ut pœna adæquetur culpæ ſecundum durationem. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur, ſed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non conſideratur occiſionis mora, ſed potiùs quòd in perpetuum auferatur à ſocietate viventium: & ſic repræſentat ſuo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitùs. Juſtum tamen eſt ſecundũ Greg quòd qui in ſuo æterno peccavit cõtrà Deũ, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in ſuo æterno peccaſſe, non ſolùm ſecundùm continuationem actus in tota hominis vita durantis, ſed quia ex hoc ipſo quòd finem in peccato conſtituit, voluntatem habet in æternum peccandi. Unde dicit Gregor. 4. Mor. quod iniqui voluiſſent ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere.

Ad ſecundum dicendum, quòd pœna quæ etiam ſecundùm leges humanas infligitur, non ſemper eſt medicinalis ei qui punitur, ſed ſolùm aliis: ſicut cum latro ſuſpenditur, non ut ipſe emendetur, ſed propter alios, ut ſaltem metu pœnæ peccare deſiſtant, ſecundùm illud Prov. 19. Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit. Sic igitur & æternæ pœnæ reproborum à Deo inflictæ, ſunt medicinales his, qui conſideratione pœnarum abſtinent à peccatis, ſecundùm illud Pſal 59. Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui.

Ad tertium dicendum, quòd Deus non delectatur in pœnis propter ipſas, ſed delectatur in ordine ſuæ juſtitiæ, quæ hæc requirit.

Ad quartum dicendum, quòd pœna, etſi per accidens ordinetur ad naturam, per ſe tamen ordinatur ad privationem ordinis, & ad Dei juſtitiam: & ideo durante inordinatione, ſemper durat pœna.

CONCLUSIO.

Quæcunque peccata avertunt à Deo, auferendo charitatem, inducunt reatum pœnæ æternæ.

ARTICULUS IV.

Utrum peccato debeatur pœna infinita ſecundum quantitatem.

AD quartum ſic proceditur. Videtur quod peccato debeatur pœna infinita ſecundùm quantitatem, dicitur enim Jerem. 10. Corripe me Domine, veruntamen in judicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Ira autem Dei vel furor metaphyſicè ſignificat vindictam divinæ juſtitiæ: redigi autem in nihilum eſt pœna infinita, ſicut & ex nihilo aliquid facere, eſt virtutis infinitæ: ergo ſecundum vindictam divinam peccatum punitur pœna infinita ſecundum quantitatem.

2. Præterea: quantitati culpæ reſpondet quantitas pœnæ, ſecundùm illud Deut. 25. Pro menſura peccati erit & plagarum modus: ſed peccatum quod contra Deum committitur, eſt infinitum: tantò enim eſt gravius peccatum, quanto major eſt perſona contra quam peccatur: ſicut gravius peccatum eſt percutere principem, quam percutere hominem privatum: Dei autem magnitudo eſt infinita: ergo pœna infinita debetur pro peccato, quod contra Deum committitur.

3. Præterea: dupliciter eſt aliquid infinitum, duratione ſcilicet & quantitate: ſed duratione eſt pœna infinita, ergo & quantitate.

Sed contra eſt, quia ſecundùm hoc omnium peccatorum mortalium pœnæ eſſent æquales, non enim eſt infinitum infinito majus.

Reſpondeo dicendum, quod pœna proportionatur peccato. In peccato autem duo ſunt, quorum unum eſt averſio ab incommutabili bono, quod eſt infinitum: unde ex hac parte peccatum eſt infinitum. Aliud quod eſt in peccato, eſt inordinata converſio ad commutabile bonum, & ex hac parte peccatum eſt finitum, tum quia ipſum bonum commutabile eſt finitum: tum etiam quia ipſa converſio eſt finita, non enim poſſunt eſſe actus creaturæ infiniti. Ex parte igitur averſionis reſpondet peccato pœna damni, quæ etiam eſt infinita; eſt enim amiſſio infiniti boni, ſcilicet Dei: ex parte autem inordinatæ converſionis reſpondet ei pœna ſenſus, quæ etiam eſt finita.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnino redigi in nihilum eum qui peccat, non conveniet divinæ juſtitiæ, quia repugnat perpetuitati pœnæ, quæ eſt ſecundùm divinam juſtitiam, ut dictum eſt: ſed in nihilum redigi dicitur, qui ſpiritualibus bonis privatur: ſed ſecundum illum 1. Corinth. 13. Si non habuero charitatem, nihil ſum.

Ad ſecundum dicendum, quòd ratio illa procedit de peccato ex parte averſionis.

ſionis. Sic enim homo contrà Deum peccat.

Ad tertium dicendum, quòd duratio pœnæ reſpondet durationi culpæ non quidẽ ex parte actus, ſed ex parte maculæ, qua durante manet reatus pœnæ: ſed acerbitas pœnæ reſpõdet gravitati culpæ. Culpa autem quæ eſt irreparabilis, de ſe habet quod perpetuo duret, & ideo debetur ei pœna æterna: non autẽ ex parte converſionis habet infinitatẽ, & ideo non debetur ei ex hac parte pœna infinita ſecundùm quantitatem.

CONCLUSIO.

Ex parte averſionis correſpondet peccato pœna damni quæ eſt infinita: ex parte vero inordinatæ converſionis reſpondet illi pœna ſenſus, quæ eſt finita.

ARTICULUS V.

Vtrum omne peccatum inducat reatum pœnæ æternæ.

AD quintum ſic proceditur. Videtur quòd omne peccatum inducat reatum pœnæ æternæ. Pœna enim, ut dictũ eſt, proportionatur culpæ: ſed pœna æterna differt à temporali in infinitum, nullum autem peccatũ differre videtur ab altero in infinitum, cum omne peccatum ſit humanus actus, qui infinitus eſſe non poteſt: cum ergo alicui peccato debeatur pœna æterna, ſicut dictũ eſt, videtur quod nulli peccato debeatur pœna temporalis tantùm.

2. Præt. Peccatum originale eſt minimum peccatorum: unde & Aug. dicit in Enchir. quod mitiſſima pœna eſt eorum, qui pro ſolo peccato originali puniuntur: ſed peccato originali debetur pœna perpetua: nunquam enim videbunt regnum Dei pueri, qui ſine baptiſmo deceſſerunt cum originali peccato, ut patet per id quod Dominus dicit Joan. 3. Niſi quis natus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei: ergo multò magis omnium aliorum peccatorum pœna erit æterna.

3. Præt. Peccato non debetur major pœna ex hoc, quod alteri peccato adjungitur, cum utrumque peccatum habeat ſuam pœnam taxatam ſecundùm divinam juſtitiam: ſed peccato veniali debetur pœna æterna, ſi cum mortali inveniatur in aliquo damnato, quia in inferno nulla poteſt eſſe remiſſio: ergo peccato veniali ſimpliciter debetur pœna æterna. Nulli ergo peccato debetur pœna temporalis.

Sed contra eſt, quod Greg. dicit in 4. Dialogor. quod quædam leviores culpæ poſt hanc vitam remittuntur: non ergo omnia peccata æterna pœna puniuntur.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt. Peccatum cauſat reatum pœnæ æternæ, in quantum irreparabiliter repugnat ordini divinæ juſtitiæ, per hoc ſcilicet quod contrariatur ipſi principio ordinis, quod eſt ultimus finis. Manifeſtum eſt autem, quod in quibuſdam peccatis eſt quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad ultimum finem, ſed ſolùm circa ea quæ ſunt ad finem, in quantum plùs, vel minùs debitè eis intenditur, ſalvato tamen ordine ad ultimum finẽ, puta, cum homo, etſi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra præceptum ejus faciendo: unde hujuſmodi peccatis non debetur æterna pœna, ſed temporalis.

Ad primum ergo dicendũ, quod peccata non differunt in infinitũ ex parte converſionis ad bonũ commutabile, in qua conſiſtit ſubſtantia actus: differunt autem in infinitum ex parte averſionis. Nam quædam peccata committuntur per averſionem ab ultimo fine: quædã verò per inordinationem circa ea quæ ſũt ad finem: finis autem ultimus ab his quæ ſunt ad finem, in infinitum differt.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccato originali non debetur pœna æterna ratione ſuæ gravitatis, ſed ratione conditionis ſubjecti, ſcilicet hominis, qui ſine gratia invenitur, per quam ſolùm fit remiſſio pœnæ. Et ſimiliter dicendum eſt ad tertium, de veniali peccato. Æternitas enim pœnæ non reſpondet quantitati culpæ, ſed irremiſſibilitati ipſius, ut dictum eſt.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatis quæ non contrariantur ultimò fini, ſcilicet venialibus non debetur pœna æterna, ſed temporalis.

SECUNDA CONCLUSIO.

In ſolut. ad ſecundum. *Peccato originali non debetur pœna ratione ſuæ gravitatis: ſed ratione conditionis ſubjecti, quod ſine gratia invenitur, per quam ſolùm fit remiſſio pœnæ.*

Omnes iſti articuli, & eorum aſſertiones continent graves difficultates, quæ ex profeſſo examinare oportet: pro quo erit.

DISPUTATIO XVII.

De reatu & pœna peccati in communi.

REATUS peccati, & ejus pœna mutuò ſibi correſpondent, ille ut obligatio & demeritum; iſta verò ut terminus & compenſatio talis obligationis: unde non immeritò utriuſque diſputationem conjungimus. Incipiemus verò à reatu, quia prior eſt, & minùs controverſiæ obnoxius.

DUBIUM I.

Quid ſit reatus & qualiter ad peccatum comparetur.

HOc primum dubium doctrina & explanatione, potius quam diſceptatione peragendum eſt: nam de rebus *quid ſint*, non tam probari poſtulat, quam declarari.

§. I.

Principia pro dubii reſolutione.

1 Reatus unde dictus. CUm nomen *reatus* ex nomine *reus* deductum ſit; *reus* verò à *re* dicatur, ex hujus ſignificatione venandum eſt, quid utrumque illud ſignificet. *Res* autem inter alias acceptiones non infrequenter pro *lite* olim uſurpabatur: ita ut dixerit Cicero pro Mur. *Cicero.* *Nondum potuiſſe ſtatuere juris conſultos, utrum rem, an litem dici oportet?* Indeque antiquitùs *reus* dictus fuit quiſquis litem cum altero conteſtatam habebat: ſive is egit, ſive cum eo actum eſt. *Idem.* Unde dixit idem Cicer. lib. 2. de Orat. *Reos appello non modo eos qui arguuntur, ſed omnes, de quorum re diſceptatur.* Poſteà verò is ſolùm *reus* dictus eſt, qui accuſatur & arguitur: qui verò arguit & accuſat, *actoris* nomen uſurpavit. Vox ergo *reatus*, quæ recentior eſt, & à *reo* deducitur in hac poſteriori acceptione, nihil aliud denotat niſi meritum vel obligationem, qua is qui aliquod crimen commiſit, pœnæ vel ſatisfactioni tenetur obnoxius. Quia igitur quicunque peccat, incurrit eo ipſo debitum, ut puniatur & ſatisfaciat, ut probat ratio primi articuli, meritò Theologi prædicto nomine uſi ſunt ad hujuſmodi debitum ſignificandum. Itaque *reatus*, quoad præſens attinet, nihil aliud eſt, niſi quædam habitudo vel quaſi habitudo inter peccatum & pœnam per modum debiti, ſeu ligaminis, vel obligationis ad patiendam ipſam pœnam. Quæ autem ſit forma conſtitutiva talis habitudinis, & denominativa *reatus*, examinandum eſt, quia non ſatis conſtat inter Theologos.

Quæ concurrant ad fundandum reatum. Pro quo nota, plura concurrere ad hoc ut prædictam habitudinem intelligamus: nam præcedit peccatum actuale, quo quis pœnam promeruit: ſuccedit peccatum habituale ſeu macula, à qua permanenter & in facto eſſe conſtituitur *peccator*: nec non offenſa ſeu injuria, à qua Deus denominatur *offenſus*: adeſt etiam divina lex, non ſolùm qua peccatum prohibetur ex juſtitia legali; ſed etiam qua homo ſi peccaverit, deſtinatur ad pœnam ex juſtitia punitiva, taxaturque ipſa pœna juxta gravitatem delicti: & denique advenit pœna determinata per talem legem. Rursùs in peccato habituali, quod remanet actuali tranſacto, poteſt conſiderari malitia ſeu deformitas, quæ eſt ratio primaria & conſtitutiva: & poteſt conſiderari condignitas ſive proportio ad pœnam in ipſa malitia fundata, & eam veluti conſequens: nam ex eo peccatum eſt pœna dignum, quia eſt malum & deforme. In lege etiam ſive juſtitia divina poteſt conſiderari & ordinatio activa, quæ eſt ipſe actus divinus, à qua Deus dicitur *ordinans ad pœnam condemnans*: & ordinatio paſſiva, à qua peccator dicitur *ordinatus ad pœnam*, ſive *condemnatus*: quæ quidem paſſiva ordinatio in peccatore nihil reale intrinſecum ponit, ſed vel denominationem extrinſecam ab actu Dei ordinantis, vel aliquod ens rationis.

Scotus ergo in 4. diſt. 14. q. 1. n. 6. & 7. tam maculam quam reatum conſtituit in hac ordi- 2 Opinio Scoti.
natione paſſiva: quam dicit poſſe conſiderari ut diſconvenientem animæ, & ſic eſſe ejus maculam; vel ut obligationem & deſtinationem ad pœnam, & ſic eſſe ejus reatum. Additque, eandem ordinationem activè ſumptam, ut dicit actum voluntatis divinæ, per quem peccator ordinatur ad talem pœnam, eſſe offenſam. Quem ſequuntur Gabriel, Major, & Almainus ſuper citata diſt. quamvis in modo explicandi prædictam doctrinam, nonnihil dividantur. *Gabriel. Major. Almainus*

Eorum autem opinio quamvis non ex omni parte falſum contineat, ut infra conſtabit, communiter tamen deſeritur: quia ſaltem ratio maculæ nequit in prædicta ordinatione conſiſtere, ſed in privatione gratiæ, ut vidimus quæſt. præced. in commentario art. 1. Macula enim apud omnes eſt de genere mali culpæ, cum ſit ipſum habituale peccatum, atque adeo nequit ab aliquo Dei actu ſive per modum effectus, ſive per modum denominationis provenire: ordinatio verò paſſiva peccatoris ad pœnam proculdubio eſt de genere boni: nam bonum & juſtum eſt peccatorem ad pœnam deſtinari: imò eſt effectus vel denominatio ipſius actus divini deſtinantis. Non igitur ratio maculæ conſiſtere poteſt in prædicta ordinatione. ¶ Ad hæc etiamſi Deus hominem, qui mortaliter delinquit, non deſtinaſſet ad pœnam (ut potuiſſet de lege abſoluta) ipſe homo nihilominùs haberet peccatum habituale & maculam, à quibus denominaretur *peccator & maculatus*, ut eſt per ſe notum: ergo non conſiſtit ratio maculæ in prædicta ordinatione. Et eædem rationes convincunt, neque offenſam collocandam eſſe in tali ordinatione, quovis modo accepta. ¶ Ex quo etiam fit, neque reatum, ſaltem adæquatè ſumptum, poſſe in illa conſiſtere: quia cum reatus non ſolùm dicat obligationem ex Dei juſtitia ortam ad ſubeundam pœnam, ſed etiam condignitatem & demeritum reſpectu talis pœnæ, quæ ex ipſo peccato oriuntur, ſuntque aliquid de genere mali culpæ (nam malum & culpabile eſt fieri pœna dignum) vel dicendum eſt aliquid hujus mali ex Dei actu provenire, quod eſt abſurdum: vel non eſt aſſerendum, omnem reatum conſiſtere in prædicta ordinatione.

Inter

Digitized by Google

Inter alios verò, qui maculam & reatum à tali ordinatione diſtinguunt, non ſatis adhuc conſtat, an reatus ſit ipſamet macula; an verò aliquid illi ſuperadditum. Conveniunt ferè omnes non eſſe aliquid reale realiter à macula diverſum; ſed vel quid cum ea identificatum, & ſolum virtualiter aut ex modo noſtro concipiendi diſtinctum; vel quandam relationem rationis, quam intelligimus reſultare & fundari in macula in ordine ad pœnam: quamvis non deſint qui prædictam relationem velint eſſe realem: de quo videri poſſunt Curiel, Araujo, & Greg. Mart. art. 1. hujus quæſtionis.

Curiel. Araujo. Greg. Mart.

3 Pro rei ergo intelligentia oportet aliquibus uti diſtinctionibus. Primò enim reatus diſtinguitur in *reatum culpæ*, & *reatum pœnæ*. Reatus culpæ poteſt dici illa neceſſitas, qua omnes poſteros Adami conſtrictos intelligimus ad incurrendum peccatum originale, ubi primo concipiantur: de quo latè egimus diſp. 15. dub. 1. & poteſt etiam *reatus culpæ* dici illa ſubjectio, qua quiſquis commiſit aliquod peccatum mortale, tenetur ſub ejus macula quaſi captivus & ligatus, impotens, quantum eſt ex propriis viribus, ad inde egrediendum, donec per gratiam remiſſionis ſolvatur: habet enim ſe prædicta ſubjectio velut ligamen, quo homo manet ſub culpa vinculatus, & ideò rectè dici poteſt *reatus culpæ*. Reatus verò pœnæ eſt ille, cujus rationem inquirimus, & nuper num. 1. deſcripſimus per obligationem & ligamen, ſive condignitatem ad pœnam ſuſtinendam. Fundatur autem hæc diſtinctio in communi uſu loquendi, quo dicimus, abſolvi aliquem à culpa ſimul & à pœna, aut à culpa, & non à pœna, ſcilicet non à tota, diſtinguentes inter utramque abſolutionem. Cum enim abſolutio directè reſpiciat reatum, (nam abſolvere eſt ligatum ſolvere) oportet ut juxta prædictam duplicem abſolutionem ſcilicet à culpa & à pœna, detur etiam duplex reatus, alter ligans ad pœnam, & alter conſtringens ſub culpa.

Diſtinctiones pro rei intelligētia.

Deinde reatus pœnæ diſtinguendus eſt in *radicalem*, & *proximum*, ſeu in *fundamentalem*, & *formalem*. Reatus fundamentalis ſive radicalis eſt ille, qui fundat condignitatem ad pœnam; proximus verò ſive formalis adhuc ſubdiſtinguitur: nam aliquando ſumitur pro ipſa condignitate proxima ad pœnam, quæ ex parte peccati ſe tenet: aliquando verò pro ordinatione, qua peccator ex divina juſtitia deſtinatur & conſtringitur ad pœnam ſubeundam. Quicunque enim peccat, eodem peccato, quo fit pœna dignus, tribuit jus divinæ juſtitiæ, ut infligat ei pœnam, per quam reparetur inordinatio facta per culpam. Et licet nomen *reatus* frequentius uſurpetur pro prædicta condignitate, quam pro Dei ordinatione; rectè tamen huic etiam adaptatur: quia ligatio ſeu obligatio, quam ipſa vox *reatus* ſonat, cum proprietate ſalvatur in prædicta ordinatione. Majoris verò claritatis gratia iſtum appellabimus *reatum juſtitiæ*, quaſi ex divina juſtitia ortum: & illum *reatum demeriti*, quia inducitur per ipſum peccatum, & in ejus malitia fundatur.

§. II.

Deciditur dubium aliquibus aſſertis.

EX his quæ præmiſimus, non erit difficile quæſitis in hoc dub. ſatisfacere, quod claritatis gratia fiet per aliquas aſſertiones, quas breviſſimè comprobabimus. Sit prima concluſio. Reatus culpæ non eſt aliquid diſtinctum à culpa habituali ſeu macula; ſed eſt ipſa macula ſecundum ſuam eſſentialem rationem. Non loquimur de reatu culpæ ut dicit debitum ad originalem contrahendam; nam de hoc fusè egimus diſp. 15. ſed ut dicit ſubjectionem & detentionem ſub ipſa culpa, ſive originali, ſive propria: qui ſolus reatus pertinet ad hanc diſputationem. Probatur concluſio: nam culpa habitualis non alio quàm ſeipſa ligat & tenet ſub ſe peccatorem; ſicut non alio quàm ſeipſa afficit & informat illum: idem quippe eſt teneri ſub culpa, ac culpa ipſa informari: cum ergo reatus in acceptione qua loquimur, præcisè dicat illud, quo homo ſub culpa tenetur, planè fit non poſſe ab ipſa culpa diſtingui. 4

Prima aſſertio.

Dices cum Vaſq. agnoſcente hanc reatus acceptionem diſp. 132. c. 3. reatum culpæ ſupponere in eo, qui reus eſt, aliquod peccatum & culpam, alioqui reatus culpæ non eſſet: quia reatus eſt obligatio & conſtrictio, qua tenemur ſub culpa, atque adeò ſupponit culpam, ſub qua conſtringit; & non eſt ipſa culpa. ¶ Reſpondetur, reatum ſeu conſtrictionem ſub culpa habituali ſupponere ipſam culpam, non ut una ratio formalis ſupponit aliam formalem rationem, ſed ſicut effectus formalis ſupponit ſuam formam: cum qua non ponit in numero, nec cenſetur aliud ab ipſa forma, ſed eſt ipſamet ut communicata ſubjecto: ſicut album non dicit aliam formam ab albedine, ſed ipſam ut communicatam corpori: ita ergo reatus non dicit aliam formam ſeu rationem conſtitutivam præter culpam habitualem; ſed illamet ratio quæ abſtractè accepta dicitur *culpa habitualis*, ut communicata ſubjecto & ut afficiens illud dicitur *reatus*: quia per talem communicationem & affectionem tenet & ligat ſub ſe ipſum ſubjectum: & hoc eſt *reum* conſtituere. Quando autem nos aſſerimus, prædictum reatum eſſe ipſam culpam habitualem, non negamus inter illa diſtinctionem formæ & effectus formalis; ſed intendimus non requiri aliam formam ad conſtituendum talem effectum.

Vaſq.

Secunda concluſio. Etiam reatus pœnæ fundamentalis ſeu radicalis eſt ipſa culpa habitualis ſine ulla diſtinctione. Probatur: nam talis culpa immediatè per ſuam eſſentiam fundat condignitatem ad pœnam: ipſa quippe ratio culpæ & malitiæ eſt ſufficiens cauſa & radix prædictæ condignitatis: unde hæc cauſalis eſt vera & immediata, *quia homo habet peccatum, ideo eſt pœna dignus*: ſed reatus fundamentalis nihil eſt aliud, niſi radix & fundamentum prædictæ condignitatis: ergo non differt à culpa habituali ſecundùm ſuam eſſentiam. 5

Secunda aſſertio.

Dices, potiùs peccatum actuale eſſe cauſam & radicem condignitatis ad pœnam: quia condignitas hæc perpriùs oritur ex prædicto peccato, quàm ex culpa habituali: ergo non hæc, ſed illud debet dici *reatus fundamentalis*. Reſpondetur, nos loqui de illis, à quibus homo

Digitized by Google

homo permanenter dicitur *reus* ſive culpæ ſive pœnæ : quæ neceſſariò debent eſſe aliquid habituale & permanens:unde quia peccatum actuale ſtatim tranſit, habituale verò permanet, non illud, ſed iſtud aſſignare debuimus pro prædicto reatu. Quamvis non negemus ſed potiùs ſupponamus, totum hoc quod dicimus *reatum & peccatum habituale*, ex actuali tanquam ex cauſa efficiente & tranſeunte effluxiſſe; de qua proinde non eſt quæſtio: quia cum ſit tranſiens, nequit immediatè per ſe ipſam fundare reatum habitualiter permanentem : & ideo quærendum eſt pro hujuſmodi fundamento aliquid ſimiliter permanens relictum ex ipſo peccato actuali : & hoc dicimus eſſe peccatum habituale ſeu maculam.

6 Aſſertio tertia. Tertia concluſio. Reatus demeriti formalis & proximus non eſt aliqua relatio realis, vel rationis, aut aliquid reipſa à peccato habituali diſtinctum : neque etiam ipſum peccatum habituale ſecundùm ſuum conceptum eſſentialem & primarium ; ſed quidam conceptus eius ſecundarius, virtualiter diſtinctus & conſequutus : ſicut in ſubſtantia creata ratio *naturæ* eſt conceptus virtualiter diſtinctus & conſequutus ad rationem *eſſentiæ*, quæ eſt conceptus rei primarius.

Probatur hæc concluſio diſcurrendo per eius partes. In primis quòd prædictus reatus non ſit relatio realis, patet : tum quia hæc relatio deberet fundari in peccato habituali, ratione cuius convenit peccatori : peccatum autem habituale cum ſit aliquid privativum, nequit fundare relationem poſitivam & realem. Tum etiam quia relatio realis petit terminum realiter exiſtentem : terminus verò prædictæ relationis, qui deberet eſſe pœna, ſæpè non exiſtit : non ergo reatus iſte conſtitui poteſt per talem relationem. ¶ Secunda pars videlicet neque eſſe relationem rationis, probatur : quia denominatio realis debet provenire à forma reali : repugnat enim quòd ens ſolius rationis realem denominationem tribuat : ſed denominatio *reatus* eſt denominatio realis : realiter namque peccator eſt reus pœnæ, & dignus ut puniatur, in quo reatus conſiſtit : ergo forma vel ratio iſtius conſtitutiva ſeu denominativa debet eſſe realis. Et confirmatur : nam peccator antecedenter ad quamlibet operationem noſtri intellectus eſt dignus pœna & habet condignitatem ad illam : ſed reatus de quo loquimur, ſolùm dicit hanc condignitatem : ergo datur ante operationem intellectus ; adeóque non eſt ens rationis, ſed aliquid à parte rei.

7 Evaſio. Dices cum Curiele & aliis, eſſe duplex genus relationis rationis : quædam enim ſunt per intellectum adinventæ & attributæ rebus : ut relatio generis, ſpeciei, & ſimiles : & iſtæ non denominant realiter, neque ante intellectus operationem. Aliæ verò ſunt, quæ non ex adinventione intellectus, ſed ex quadam neceſſitate conſequuntur in rebus, quas intelligimus : quo pacto ſe habent relatio Creatoris, & relatio dominii in Deo erga creaturas, relatio æqualitatis inter divinas perſonas, & alia huiuſmodi : unde iſtæ conveniunt rebus, & denominant illas ſecundùm ſuum eſſe reale, ſaltem ex parte fundamenti. Quia igitur relatio, in qua reatus conſiſtit, eſt huius ſecundi generis, poteſt eius denominatio eſſe realis, quamvis ipſa ſit rationis.

Præcluditur. Hæc tamen evaſio non ſolvit argumentum : nam vel ſermo eſt de relatione rationis ſecundùm ſuum eſſe formale ; vel de fundamento talis relationis ? Si hoc ſecundum, admittimus prædictam doctrinam, quia fundamentum relationis rationis non eſt ipſa relatio, neque ens rationis, ſed aliqua ratio realis in peccato habituali reperta. Si autem ſermo ſit de prædicta relatione pro formali, quo pacto eſt formaliter ens rationis, falsò dicitur talem relationem, quantumvis neceſſariò ad modum intelligendi conſequatur non dependere ab operatione intellectus, aut convenire rebus à parte rei, aut tribuere denominationem realem. Eſt enim manifeſta implicatio, quod ens ſolius rationis cuiuſcunque generis ſit, à parte rei exiſtat aut à parte rei conveniat ſubiecto, vel illud denominet ; aliàs tale ens rationis in nullo diſtingueretur ab ente reali.

Ex quibus manet etiam probatum aliud quod diximus, videlicet prædictum reatum non eſſe aliquid realiter diſtinctum à peccato habituali : quia præter relationem realem vel rationis, nihil apparet, quod poſſit ab illo realiter diſtingui. Eò præſertim quia vel hoc diſtinctum eſſet poſitivum : & ſic non poſſet fundari in peccato habituali, quod eſt privatio; in quo tamen fundari debet reatus, de quo loquimur. Vel eſſet privatio : & hæc non poſſet eſſe alterius formæ, niſi gratiæ, cuius etiam eſt privatio prædictum peccatum : atque adeò deberet cum illo coincidere. 8

Porrò diſtinguendum eſſe virtualiter ab ipſo peccato tanquam conceptum ſecundarium (quæ eſt ultima pars concluſionis) patet : tum quia ratio primaria peccati habitualis non ſumitur per ordinem ad pœnam, ſed per ordinem ad gratiam, qua privat, & ad peccatum actuale, quod fuit eius cauſa : ratio verò reatus ſumitur immediatè per ordinem ad pœnam, ſine reſpectu ad quam non poteſt intelligi : non eſt ergo omnino idem conceptus peccati, & reatus. Deinde condignitas pœnæ ſupponit peccatum & maculam : priùs enim concipimus, aliquem habere maculam peccati, quàm intelligamus eſſe æterna pœna dignum : ergo talis condignitas ſupponit conceptum maculæ & peccati, ſaltem primarium, atque adeò non poteſt eſſe niſi conceptus ſecundarius. ¶ Poteſtque hoc confirmari in gratia, quæ ſimul facit hominem iuſtum & ſanctum, & vita æterna condignum : & tamen primarius eius conceptus non eſt hæc condignitas, ſed participatio divinæ naturæ, ad quam talis condignitas ſubſequitur : ita ergo philoſophandum eſt in peccato habituali reſpectu reatus, qui eſt condignitas pœnæ.

Quarta concluſio. Iſta condignitas ad pœnam, quæ reatum demeriti conſtituit, non poteſt à nobis concipi, niſi ſub quadam relatione rationis ad ipſam pœnam : ob idque ſolet per talem relationem explicari. Iuxtà hanc concluſionem credimus loquutos fuiſſe aliquos authores Thomiſtas, qui dicunt prædictum reatum eſſe relationem rationis : non enim ità illum appellant, quia non detur à parte rei ; ſed quia propter connexionem & connotationem pœnæ nequit aliter concipi, quàm ſub ratione ad illam, quæ eſt relatio rationis. Plura enim hoc modo ſe habent ut privationes, negationes, & denominationes extrinſecæ : quæ licèt ſecundùm ſuum quale quale *eſſe* vel *non eſſe* verè ſint à parte rei, adeóque non ſint rationis entia, ſed ad genus entis realis reducantur ; quia tamen nullam ponunt entitatem in ſubiectis, quibus attribuuntur ; intellectus autem noſter nihil concipere valet niſi ad modum entis, 9 Quarta aſſertio.

cogitur,

Digitized by Google

cogitur, quoties circa illa ver atur, efformare aliquod ens rationis, ſub quo ea aprehendat. Quia verò intellectus in judicando reflectitur ſupra ſuam apprehenſionem corrigendo illam, inde eſt, ut licet apprehendat ea quæ diximus, ſub relationibus rationis; non tamen talia eſſe judicet: ſed judicat eſſe veras privationes, aut denominationes extrinſecas, quæ aliter quàm ſub prædictis relationibus nequeunt apprehendi. Et quia modus ſignificandi ſequitur modum concipiendi, inde etiam fit ut nomina *reatus*, & alia quæ prædictis imponimus, primo auditu nobis offerant ipſas relationes rationis, ſub quibus concipiuntur: & ut etiam promiſcuè pro eis uſurpentur. Habenda eſt igitur ratio diſtinctionis inter apprehenſionem & judicium, ut falſitas quæ in illa non eſt, & in iſto eſſe poteſt, evitetur.

10 Aſſertio ultima. Quinta concluſio. Reatus juſtitiæ eſt denominatio extrinſeca ſumpta ab actu divinæ juſtitiæ determinantis pœnam pro peccato, & ordinantis ad illam peccatorem: quæ etiam denominatio concipitur à nobis ſub relatione rationis ad ipſam pœnam. Hæc ſecunda pars concluſionis conſtat ex dictis pro præcedenti: nam denominationes extrinſecæ licet ſint reales propter formam, à qua proveniunt; quia tamen in ſubjecto denominato, ubi à nobis concipiuntur nihil ponunt reale, oportet ad earum apprehenſionem aliquod ens rationis effingere, ſicut de privationibus dicebamus. Quod ſanè ens rationis in caſu præſenti non poteſt non eſſe relatio: quia concipitur ut habitudo inter peccatorem ad pœnam deſtinatum, & ipſam pœnam. Prima verò pars, videlicet prædictum reatum eſſe realem denominationem extrinſecam à divina juſtitia deſumptam, patet: nam ex ſuppoſitione quòd homo peccet, divina juſtitia ordinat illum realiter ad pœnam peccato proportionatam, realiterque ipſe homo manet obligatus & deſtinatus tali pœnæ per prædictam juſtitiam; quamvis totum hoc nihil ponat intrinſecum in ipſo homine: ſed hæc obligatio & deſtinatio cum omni veritate & proprietate dicitur *reatus juſtitiæ*: ergo hujuſmodi reatus conſiſtit in prædicta denominatione. ¶ Confirmatur: nam aliquando dicitur homo verè & realiter *reus pœnæ*, ſine eo quòd facilè appareat aliquid aliud, in quo talis reatus conſiſtat, præter prædictam denominationem: ut cum poſt juſtificationem remiſſa culpa mortali & pœna æterna, permanet adhuc reatus pœnæ temporalis: quo caſu, ut infra conſtabit, difficile eſt aſſignare aliquam rationem ex parte hominis ſe tenentem, à qua denominetur *reus*: ob idque neceſſe eſt recurrere ad denominationem *obligati & deſtinati* ad talem pœnam, deſumptam à divina juſtitia: ergo, &c. Vide infra ad art. 6. & invenies alium reatum juſtitiæ intrinſecum.

11 Quòd ſi hoc tantùm voluiſſet Scotus, non deberet impugnari. Propterea verò doctrina ejus rejicitur, quia nihil aliud in peccatore agnovit, etiam antequàm juſtificetur, quod habeat rationem reatus: cum re vera priùs & principaliùs *reatus* dici debeat ille, quem in tertia aſſertione explicuimus, & appellabimus *reatum demeriti*. Hic enim directè & per ſe eſt peccati effectus, conſequiturque ad illud ex natura rei per modum condignitatis pœnæ, prius natura quàm intelligamus legem aliquam decernentem ipſam pœnam; imo quamvis nulla eſſet lex talem pœnam decernens, diceretur homo abſolutè & ſimpliciter *reus & dignus* pœnæ ex vi prædictæ condignitatis. Et propterea Theologi cum D. Thoma potiſſimùm de hoc reatu demeriti determinant; reatus verò juſtitiæ vix comminiſcuntur, quamvis ipſum non negent, ſed potius ut indubitatum ſupponant. Reiicitur etiam doctrina Scoti quia non modò omnem reatum, ſed etiam ipſam maculam, & culpam habitualem, imo & offenſam ad ordinationem divinæ juſtitiæ reducit: quaſi hæc ordinatio ſecundùm diverſas conſiderationes omnia iſta conſtituat: in quo opinio ejus ſequenda non eſt, ut vidimus n. 2.

§ III.

Exponitur quædam loquutio D. Auguſtini: & diluitur objectio contra doctrinam præcedentem.

12 D. Auguſt. EX dictis in noſtris aſſertionibus præſertim prima & ſecunda, depromendus eſt verus & legitimus ſenſus D. Auguſtini, cum agens de peccato originali, videtur illud conſtituere in concupiſcentia & reatu; in illa quidem pro materiali, & in hoc pro formali: quo pacto loquitur lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 26. & lib. 26. contra Iuli. cap. 8. & alibi. Vaſq. Ex quibus locis occaſionem deſumpſit Vaſquez diſp. 132. cap. 3. ad impingendum Auguſtino errorem negantem parvulis peccatum originale intrinſecum & inexiſtens (quem ſequuti fuere Catharinus; & Albertus Pigius, ut vidimus diſp. 14. num. 112. & diſp. præced. num. 138.) Poſtquàm enim retulit ſententiam, quam ipſe de mente Auguſtini arbitratur, & eo modo quo putat intellectam fuiſſe ab ipſo Auguſtino, ſubdit: *Verum opinio Auguſtini hoc modo intellecta Theologis ſcholaſticis jam non probatur: & meritò, ex ea enim cogimur incidere in ſententiam Pelagii, ut mox patebit*; interpretatur enim Vaſquez verba Auguſtini de reatu pœnæ proximo & formali; imo de reatu juſtitiæ, qui ſolùm dicit obligationem ſive deſtinationem ad illam. Quem reatum non eſſe peccatum aut culpam, probat, tum quia prædicta obligatio pendet ex voluntate Dei, qui poſſet etiam non obligare aut deſtinare ad pœnam, manente peccato: tum etiam quia ipſa obligatio non eſt injuſtitia, neque iniquitas: ergo neque peccatum, non enim eo quis malus eſt & peccator, quo eſt ad pœnam obligatus, licèt ex eo quod malus eſt, ſequatur obligatum eſſe ad pœnam. *Quare* (inquit) *non video quo pacto hæc ſententia ab opinione Pigii & Catharini differat*. Hæc Vazquez.

Sed falſus eſt re vera: nam dum Auguſtinus peccatum originale nominat *reatum*, poteſt & debet intelligi non de reatu pœnæ proximo & formali ſive demeriti ſive iuſtitiæ; ſed de reatu culpæ, & de reatu pœnæ radicali & fundamentali, quem in prima & ſecunda concluſione diximus eſſe ipſam maculam & peccatum habituale animæ intrinſecum: prout etiam intellexerunt graves Theologi, quos Vazquez commemorat & impugnat. In quo non laude; ſed animadverſione dignus invenitur qui tametſi prædicta intelligentia verum importet, poſſit 13 Reprehenditur Vazq. & exponitur D. Aug.

Digitized by Google

poſſitque ſufficienter adæquari verbis D. Aug. ut adæquant prædicti Theologi; alia verò quàm Vaſq. ei tribuit, manifeſtum errorem contineat; laborat non parùm, ut contra illos oſtendat (neque id tandem aſſequitur) S. Doctorem pro errore & contra veritatem extitiſſe. In cujus etiam confirmationem adducit aliqua ejus loca, ubi pro humilitate potiùs quàm pro neſcientia dixit, eſſentia peccati originalis eſſe ſibi explicatu difficilem, eáque nihil ad prædicandum notius, & ad intelligendum ſecretius: ob idque coarctari hæreticorum argumentis, quæ eſſentiam & traductionem prædicti peccati impugnant. *Quid igitur mirum* (concludit Vaſq.) *ſi vir alioqui doctiſſimus & ſanctiſſimus difficultate rei oppreſſus nihil aliud invenerit, in quo eſſentiam peccati originalis conſtitueret, quàm reatum illum, &c.* Otioſus ſanè labor, & gravi Theologo indignus: cujus ſtudium in id potiſſimùm impendendum erat, ut dicta Patrum, illorum præſertim qui in Eccleſia Dei primatum obtinuerunt, etiamſi aliàs difficilia appareant, ad ſenſum verum & catholicum reduceret. Quòd verò ipſi Patres rerum difficultate oppreſſos ſe aliquando fateantur, commendat plurimum humilitatem, qua tota illorum doctrina referta, eſt; nullo tamen modo vel ignorantiam arguit, vel ſapientiam diminuit. Maneat ergo, prædictam Auguſtini doctrinam exponendam eſſe (ut poteſt facilè) de reatu culpæ, vel de reatu pœnæ radicali juxtà primam & ſecundam noſtram concluſionem; nullo tamen modo erroris aut falſitatis inſimulandam.

Vaſq.

14 Objectio. Objicies autem contrà tertiam aſſertionem, quòd reatus pœnæ proximus & formalis ſeparatur à culpa habituali, & manet ſine illa: ergo diſtinguitur realiter à tali culpa. Conſequentia eſt perſpicua. Nam evidentius ſignum diſtinctionis realis inter aliqua eſt ſeparatio unius ab alio. Antecedens verò ſuadetur: tum quia licèt remiſſa culpa mortali per gratiæ infuſionem, ſolvatur reatus pœnæ æternæ, manet tamen ſæpè reatus pœnæ temporalis, quouſque vel per pœnitentiam in hac vita, vel per purgatorii ignem in futura fiat integra ſatisfactio. Tum etiam quia ex peccatis venialibus non relinquitur aliqua macula vel culpa habitualis; & tamen relinquitur reatus temporalis pœnæ: ſeparatur igitur hujuſmodi reatus à prædicta culpa.

Nec refert, ſi dicas nos loqui in aſſertionibus de reatu pœnæ æternæ, & non de reatu pœnæ temporalis, à quo non poteſt fieri argumentum: nam ſi ſeparatur à peccato habituali, perſpicuum eſt debere ab illo diſtingui: ſecùs autem in reatu pœnæ æternæ, qui eſt omnino inſeparabilis. ¶ Non itaque hoc refert: nam hinc potiùs roboratur objectio: quia ſi ſeparamus reatum temporalis pœnæ à culpa habituali, aliquid aſſignare debemus pro ejus conſtitutivo diſtinctum realiter à tali culpa: neque aliud aſſignare poterimus, niſi relationem rationis. Si igitur hæc conſtituit reatum pœnæ temporalis, cur non conſtituere poterit reatum pœnæ æternæ? Et ſanè rationes, quibus in tertia concluſione prædictam relationem à conſtitutivo hujus poſterioris reatus excluſimus, æquè militant in illo priori, ut intuenti conſtabit. Debet igitur uterque vel nullus per illam conſtitui.

Prima ſolutio. Reſpondetur ſuſtinendo ſolutionem traditam: Cujus impugnatio poſtulat, ut præter relationem rationis, contra quam militat, aſſignemus aliquid, à quo homo, dimiſſa habituali culpa, denominetur *reus pœnæ temporalis*. Hoc autem primò dicimus eſſe ordinationem paſſivam divinæ juſtitiæ deſtinantis hominem ad prædictam pœnam, juxtà dicta in quinta aſſertione de reatu juſtitiæ. Sicut enim à prædicta ordinatione denominatur homo *realiter deſtinatus ad pœnam temporalem*: ſic etiam dicitur *realiter ad illam obligatus*, ac proinde *reus talis pœnæ*. Nec neceſſe eſt in caſu objectionis reatum demeriti permanentem inquirere: cum & nullus talis reatus appareat: & ad omnia quæ verificari debent, ſufficiat reatus juſtitiæ, quem aſſignamus.

Sed urgebis, tum quòd juſtitia divina non obligat ad pœnam etiam temporalem, niſi propter aliquod demeritum: ergo ubi non eſt reatus demeriti, nequibit eſſe reatus juſtitiæ. Tum etiam quòd prædictus reatus ex parte formæ conſtitutivæ non poteſt eſſe ipſa juſtitia Dei increata: cum hæc ſit æterna & invariabilis, ille verò incipiat & finiatur in tempore: ergo debemus aſſignare pro ejus conſtitutione aliquid creatum. 15 Replica.

Reſpondetur ad primum, ſatis eſſe ad hoc ut reatus juſtitiæ reſpectu pœnæ temporalis permaneat, quòd reatus demeriti præceſſerit in eo qui *reus* dicitur quamvis non exiſtat de facto: quia ob demeritum præcedens habet divina juſtitia ſufficiens jus, ut obliget ad talem pœnam, quandiu ea non eſt totaliter ſoluta aut condonata. Ex quo enim homo mortaliter peccavit, acquiſivit jus divina juſtitia ad illum æternaliter puniendum: & quamvis in juſtificatione remittat ei totam culpam, non tamen totam pœnam; ſed commutat æternam in temporalem: cedénſque juri ſuo quantùm ad illam, conſervat jus & vim obligandi ad iſtam: à quo quidem jure homo denominatur *reus & obligatus ad prædictam pœnam*; quouſque ponatur integra ſatisfactio, vel totalis remiſſio. Prædictum autem jus, quod dicimus divinæ juſtitiæ acquiri ex eo quòd homo peccaverit, non eſt aliquid ab ea diſtinctum vel ſuperadditum in eſſe rei, ſed quædam veluti explicatio ipſius juſtitiæ in illud munus deſtinandi & obligandi hominem ad pœnam, propter ejus præcedentem culpam. Sicut unio Verbi divini ad humanitatem non eſt aliquid in eſſe rei diſtinctum vel ſuperadditum ipſi Verbo, ſed quædam veluti explicatio actualitatis divinæ perſonæ in illud munus uniendi ſibi & terminandi naturam humanam. ¶ Ex quo ad ſecundum objectionis negatur antecedens. Et ad probationem dicendum, quòd licèt divina juſtitia in ſe ſit æterna & immutabilis, poteſt tamen aliquod ejus munus & denominatio incipere, & deſinere in tempore: ſicut in verbo cæpit in tempore munus uniendi, & denominatio *uniti*. Cujus rationem tetigimus non ſemel hoc eodem tractatu præſertim diſput. 12. num. 23. Enodatur.

Addendum eſt in fine hujus ſolutionis, quòd licèt ſpecialiter illam applicuerimus reatui pœnæ temporalis, qui manet ex peccato mortali dimiſſo quoad culpam & pœnam æternam, attamen idem dicendum eſt de reatu peccati venialis: ſi ſemel ex iſto nulla relinquitur macula habitualis, quæ poſſit fundare prædictum reatum: de quo infra q. 89. ad art. 1. Si namque talis macula relinqueretur, ipſa utique haberet rationem reatus, ſicut dictum eſt de macula peccati mortalis reſpectu reatus pœnæ æternæ.

Secun

Digitized by Google

16 Alia ſolutio. D. Thom. Secundò ad præmiſſam objectionem poteſt reſponderi ex D. Thoma 3. p. q. 86. art. 4. ubi ſtatuit poſſe manere reatum pœnæ temporalis poſt remiſſionem culpæ mortalis: & cũ in contrarium ita objeciſſet: *Remota cauſa, removetur effectus: ſed culpa eſt cauſa reatus pœnæ: ergo remota culpa, nequit remanere reatus.* Reſpondet, quòd culpa mortalis & habet averſionem à Deo, & converſionem ad bonum cõmutabile, ſed averſio à Deo eſt ibi ſicut formale; converſio verò ſicut materiale; remoto autem formali alicujus rei, tollitur ſpecies: & ideo ex hoc dicitur culpa mortalis remitti, quia tollitur averſio mentis à Deo, ſimul cum reatu pœnæ æternæ; remanet tamen converſio ad bonum creatum & commutabile, pro quo debetur reatus pœnæ temporalis. Juxta quam doctrinam dicendum eſt, ultra denominationem extrinſecam provenientem ab ordinatione divinæ juſtitiæ, de qua in præcedenti ſolutione egimus, manere in homine poſt remiſſam culpam mortalem aliquid aliud, quod fundet & ſecum identificet reatum pœnæ temporalis; nempe prædictam converſionem inordinatam ad bonum commutabile, quæ non omninò tollitur per juſtificationem, quamvis tollatur averſio.

Difficultas. Quid ſit autem hæc converſio inordinata manens poſt juſtificationem, difficile eſt explicare. Nã in peccatore tranſacto peccato actuali, nihil aliud relinquitur niſi macula, quæ eſt privatio gratiæ: & fortè aliquis habitus vel diſpoſitio ad ſimiles actus inclinans: macula autem ſeu privatio gratiæ omnino tollitur per juſtificationem, ut eſt per ſe notum: prædicta verò diſpoſitio vel habitus (præter quàm quòd non ſemper relinquitur) ſæpè aufertur etiam ante juſtificationem, vel per ceſſationem à tali peccato, vel per repetitionem actus contrarii: nihil ergo apparet manens poſt maculam dimiſſam ad conſtituendam prædictam converſionem, prædictúmque reatum.

17 Occurſus ex Cajetano. Dices cum Cajetano ſuper citatum locum 3. p. doctrinam D. Thomæ vel accipiendam eſſe non de neceſſitate: quaſi ſemper remanere debeat prædicta converſio poſt peccatum dimiſſum, ablatáque averſione; ſed de poſſibili, quia poteſt manere, & manet aliquando. Videtur enim intellexiſſe Cajet. nomine *converſionis* habitum vel diſpoſitionem vitioſam, quã modò dicebamus, quæ aliquando producitur per actũ peccati, & remanet poſt juſtificationẽ; aliquando non producitur; aliquando verò licèt producatur, non remanet. Vel intelligendam eſſe prædictam doctrinam non de ipſa converſione ad bonum commutabile, ſed de ejus inordinatione; quæ ſanè inordinatio; etiamſi converſio tollatur, permanet & fundat reatum pœnæ temporalis, donec fuerit ſufficienter ordinata per ipſam pœnam. Hæc Cajetanus.

Sed contra primum obſtat, quòd D. Thom. nomine *converſionis* intelligit id, quod fundat reatum pœnæ temporalis, quod proinde tandiu & non ampliùs manere debet, quandiu manet ipſe reatus: ſed habitus & diſpoſitio ſæpè tollitur, manente adhuc prædicto reatu, ſæpéque manet illo jam finito: ergo non intellexit talem habitum vel diſpoſitionem. Minor quoad primam partem ex eo liquet: quia reatus pœnæ temporalis ſaltem in illis, qui cum ſola attritione in Sacramento Pœnitentiæ juſtificantur, durat ad minus quò uſque impoſitam ſibi pœnitentiam adimpleant, vel alia ſimilia opera exerceant: certum eſt autem non in omnibus illis manere toto illo tempore prædictam diſpoſitionem vel habitum; ſed in multis, eſto præceſſerit, fuiſſe jam deſtructum vel per ceſſationem à ſuis actibus, vel per contrariorum repetitionem. Quoad ſecundam partem etiam ſuadetur: nam ſæpe ille qui juſtificatur, habet habitum vitii ita intenſum, ut poſt multos pœnitentiæ actus non omnino illum devincat: & tamen credi poteſt per tales actus ſimul cum indulgentiis & jubilæis abſolvi à reatu pœnæ temporalis, quo antea ligabatur. Et ſanè incerta regula videtur pro duratione prædicti reatus duratio diſpoſitionis vitioſæ, ita ut credatur pœna temporalis ex toto remiſſa, quando illa ceſſaverit; ſupereſſe verò aliquid ſolvendum, quando adhuc durat.

Adde, quòd D. Thomas nomine *converſionis* intelligit aliquid, quod ſit pars ſaltem per modum materiæ peccati actualis vel habitualis, ſicut averſio eſt pars formalis: habitus autem vitioſus nullo modo eſt pars peccati, neque ad ejus integritatem concurrit, ut tetigimus diſp. præced. num. 111. ob idque nullo exiſtente habitu vel diſpoſitione, manet peccatum integrum: ergo, &c. ¶ adde etiam, prædictam expoſitionem apertè rejici ab ipſo D. Thom. in 2. diſt. 42. q. 1. art. 2. ubi in tertio argumento ponit impugnationem, quam modò efformavimus: illáque convictus, reſpondet: *Dicendum, quod reatus non fundatur per ſe loquendo ſuper diſpoſitionem vel habitum; ſed per accidens, ſecundum quod talis diſpoſitio vel habitus cuidam defectui conjungitur.* Aliquid ergo aliud præter habitum vel diſpoſitionem aſſignandum eſt, fundans per ſe prædictum reatum: ſive jungatur illi diſpoſitio vel habitus, ſive non, quod eſt per accidens.

Secundum quod ait Cajetanus, videlicet manere inordinationem converſionis, quamvis non maneat ipſa converſio, non minorem ingerit difficultatem, quandiu non explicatur, neque explicari facilè poteſt, quid ſit illa inordinatio, aut ubi maneat, ſecluſis tam averſione quam converſione peccati. Hæc difficilem reddunt utramque Cajetani expoſitionem, compellúntque aliam inquirere: quæ licèt non omnino à difficultatibus immunis, erit tamen conformis menti D. Thomæ, & veritati.

Pro quo nota, peccatum mortale actuale, 18
licèt phyſicè pertranſeat finita actione, ma- Doctrina
nere tamen moraliter, quò uſque per pœni- pro vera
tentiam retractetur. Ob idque diſp. præ- reſponſio-
cedenti num. 74. diximus, terminum *à quo* ju- ne.
ſtificationis non eſſe ſolum peccatum habituale conſiſtens in gratiæ privatione, ſed includere etiam ſuo modo ipſum peccatum actuale præteritum moraliter permanens, quæ quidem permanentia per ipſam juſtificationem deſtruitur; ſecundum quod per eam formaliter vel virtualiter retractatur, & juxtà gradum talis retractationis. Unde ut tollatur omnino, nihilque ejus remaneat, oportet ut retractetur quoad totum quod in eo fuit: ſi verò quoad aliquid non retractetur, permanebit quoad hoc moraliter, etiam poſt juſtificationem. ¶ Deinde nota, in prædicto peccato fuiſſe ſimul & converſionem ad bonum commutabile, & averſionem à Deo fine ultimo: ut expli-

cuimus diſp.6.dub.3.& quamvis utraque hæc ratio ſit mortaliter peccaminoſa; tamen converſio non habet quòd ſit mortalis, præcisè ut converſio eſt; ſed in quantùm eſt inductiva averſionis ſeu in quantùm eſt converſio averſiva. Unde ſi conſideretur præcisè ut eſt converſio ad bonum commutabile, præſcindendo ab eo quòd ſit averſiva à Deo, quamvis adhuc prout ſic ſit inordinata, non tamen hæc inordinatio præcisè ex hoc capite ad rationem culpæ mortalis pertingit; ſed eſt etiã cõmunis peccato veniali, in quo invenitur converſio ad cõmutabile bonum inordinata & peccaminoſa.

Ex quo fit (& eſt tertiò obſervandum) quòd licèt in qualibet juſtificatione, dum gratia infunditur, & peccatum habituale auferetur, retractetur etiam peccatum actuale præcedens, quantùm ad illud quod habebat averſionis, ſeu converſionis averſivæ, quia hæc ratio non retractata eſt omnino cum gratia incõpoſibilis; non tamen neceſſe eſt; quòd retractetur etiam quantùm ad converſionẽ ſecundùm ſe præcisè ſumptã: quia talis ratio cũ prædicta præciſione nõ repugnat gratiæ, ut cernitur in peccatis venialibus. Unde adhuc poſt juſtificationẽ poteſt moraliter permanere: quò uſque voluntas per pœnam & mortificationem aſſumptã tantùm ſibi diſpliceat, tantundémque delectationis & guſtus ſibi adimat, quantũ indulſerat per prædictam converſionem, ſicque omninò illam retractet, & ejus deordinationem ad debitum ordinem reducat. Quòd ſi in ipſa juſtificatione maximo aliquo dolore id fiat, ut aliquando cõtingit, manebit ex tunc retractata & abolita prædicta cõverſio: ſin minùs, ut regulariter fit, durabit moraliter, abſolvenda citiùs vel tardiùs juxtà fervorem actuum pœnitentiæ ſubſequentium, & juxtà majorem vel minorem deordinationem prædictæ converſionis.

19 Applicatur doctrina

Ex hac doctrina, quam alibi exactiùs confirmabimus, ad replicam contra ſolutionem D. Thomæ reſpondetur, S. Doctorem nomine *converſionis* manentis poſt ſublatã averſionem culpæ mortalis non intelligere aliquid ſive poſitivum, ſive privativũ, quod tũc phyſicè permaneat; ſed peccatum actuale præteritum non retractatũ quantùm ad converſionẽ ad bonum cõmutabile cum præciſione ſumptũ, adeóque permanens moraliter quoad talẽ converſionẽ. Hæc autem ratio ſic moraliter permanẽs, ſufficit ad fundandum reatum demeriti reſpectu pœnæ tẽporalis, & ad tribuendã hanc denominationem, ſine recurſu ad relationem rationis, aut ad ſolũ reatũ juſtitiæ. ¶ Neque obeſt, quod prædicta cõverſio non exiſtat phyſicè, ſed tantùm moraliter, quia ad tribuendam denominationem moralem, uti eſt hæc de qua loquimur, ſufficit ex parte formæ talis modus exiſtendi.

Replica.

Neque etiam obeſt, ſi dicas; quòd converſio reperta in peccato mortali actuali ſumpta ſecundùm ſe, & cum præciſione, quam diximus non eſt ſeparabilis à ſe ipſa, ut eſt averſio ſeu converſio averſiva, cũ nulla ſit inter has rationes realis diſtinctio: ergo non ſtat, deleri hanc poſteriorem per juſtificationem & priorem illam indeletam manere. ¶ Reſpondetur enim, hinc ſolùm probari inſeparabilitatẽ inter prædictas rationes ſecundùm eſſe phyſicũ, & quãtùm ad phyſicam earum permanentiam; ſecùs autem quantùm ad permanentiam moralem; ſeu per non retractationem. Poteſt enim volũtas circa rationes inter ſe indentificatas taliter ſuo affectu verſari, ut doleat de una, & non de alia, adeóque ut illam & non iſtam retractet: in quo ipſo tollit à prima moralem permanentiam non illi ampliùs adhærens; & conſervat moraliter ſecundam per voluntariam adhæſionem ad ipſã: moralis enim permanentia aut nõ permanentia prædictæ converſionis vel averſionis in nullo alio conſiſtit quàm in adhæſione aut non adhæſione voluntatis ad illas.

Omittimus alias replicas, vel quia facilè poſſunt diſſolvi, vel quia propriam ſedem habent in tractatu de Iuſtification. ubi à nobis diluentur. Addimus verò prædictam ſolutionem & doctrinam pariformiter applicandam eſſe reatui pœnæ manenti ex peccato veniali: nam etiam hujuſmodi peccatum permanet moraliter, quò uſque per ſufficientem pœnitentiam retractetur: & dum ſic permanet, poteſt conſtituere reatum pœnæ temporalis, quamvis ex illo nihil phyſicè remaneat: de quo infra q.88. art.1. ¶ addimus etiam pro cõfirmatione prædictæ doctrinæ & expoſitionis, nos eam non aliunde quàm ex ipſo D. Thoma accepiſſe; nam in 2. diſt. 42. quæſt. 1. art. 2. cum ſibi oppoſuiſſet noſtram principalem objectionem his verbis: *Infuſa gratia, ceſſat gratiæ privatio: ſed adhuc tamen aliquis reatus manet, quo homo ad pœnam ſaltem temporalem obligatur: ergo non videtur quòd per privationem gratiæ reatus poſt actum remaneat.* Reſpondet *Ad quintum dicendum, quòd in peccante ſunt duo defectus: unus qui eſt in ipſo actu peccati, ſecundùm quòd aliquis limites legis divinæ & rationis rectæ tranſgreditur: alius eſt in ipſo peccante, privatio virtutis ex priori defectu actus inducta. Quamvis autem cum aliquis gratiam recuperat, ſecundus defectus tollatur; non tamen ex toto primus ſublatus eſt: quia oportet, ut quantùm voluntati ſuæ obedivit præter legem Dei, tantum etiam in contrarium recompenſet: ut ſic juſtitiæ ſervetur æqualitas: & ideo poſt gratiam recuperatam jungitur ſatisfactio, & eſt adhuc homo reus temporalis pœnæ.* Vides ergo non tolli per juſtificationem totum quod in peccato actuali fuit, ſed aliquid ejus remanere fundans & conſtituens temporalem reatum, cumque illa permanentia non ſit phyſica, ut eſt per ſe notum, erit utique moralis ſeu per non retractationem modo explicato. 20

D. Thom.

Si verò hinc deducas, quòd ſi remiſſa culpa & macula, manet moraliter converſio inordinata peccati actualis præteriti, & ſic manens poteſt conſtituere reatum demeriti, à fortiori id poterit ante culpæ remiſſionem: ſiquidem non minùs manet tunc prædicta converſio: imò manet non ſolùm ut converſio, quo pacto fundat reatum pœnæ temporalis; ſed etiam ut averſio fundans reatum æternæ. Dabitur tunc hujuſmodi reatus diſtinctus realiter à macula contra dicta in tertia concluſione ¶ Reſpondetur, converſionem vel averſionem peccati actualis moraliter permanentem, tunc ſolùm tribuere immediatè denominationem *reatus*, quando phyſicè & intrinſecè non adeſt alia ratio tribuens eandem denominationem; ſicut contingit, quando ablata eſt jam macula, & culpa remiſſa. Quandó verò adeſt talis ratio phyſicè afficiens ſubiectum, ſicut afficit macula ante culpæ remiſſionem, ipſa eo quòd intrinſeca & immediatior eſt, denominationẽ tribuit, eáque

locum

Digitized by Google

locum præoccupat denominanti extrinſeco vel ſolùm moraliter exiſtenti: & non permittit ut ſumatur immediatè ab illo denominatio, quam ipſa ratio intrinſeca poteſt tribuere. Quemadmodum cum in utroque correlativo adeſt relatio intrinſeca, nullum denominatur extrinſecè à relatione exiſtente in altero; à qua tamen denominaretur, ſi ipſum in ſe relationem intrinſecam non haberet. Diximus *immediatè*, &c. quia non negamus, denominationem reatus, quæ immediatè ſumitur à macula, provenire mediatè à peccato actuali non retractato, ſeu moraliter permanente, quatenus hujuſmodi peccatum dum non retractatur, eſt ratio, ut macula phyſicè permaneat; & ipſa macula eſt terminus talis peccati, & habet ſe ut forma, media qua prædictum peccatum denominat hominem tum *peccatorem*, tum etiam *reum pœnæ æternæ*.

DUBIUM II.

Utrum peccatum per ſe poſſit habere rationem pœnæ?

INter plura, quibus ratio pœnæ competere poteſt, de ſolo peccato ſciſcitamur, ut fecit D. Thomas: quia pro illo dumtaxat poteſt eſſe ratio dubitandi. Cætera enim ſi ſint de genere boni nihil mali habentia, ex hoc ipſo à ratione pœnæ excluduntur: quia hæc eſt de genere mali. Si autem in ipſo mali genere contineantur, & ad culpam non pertineant, ſpectabunt neceſſariò ad pœnam: quia malum creaturæ rationalis adæquatè dividitur in pœnam & culpam, ut probat
D. Thom. D. Thomas 1. p. quæſt. 48. art. 1. & quæſt. 1. de Malo art. 4. Quare ſolùm poteſt eſſe difficultas, an idipſum malum quod eſt culpa, poſſit etiam habere rationem pœnæ? Et quia in hoc aliqua involvuntur, quæ declaratione potiùs indigent, quàm diſputatione, ſeparabimus primò certa ab incertis, quædámque neceſſaria pro dubii deciſione ſtatuemus.

§. I.

Præmittuntur nonnulla pro expeditione dubii.

21 QUoniam pœna ex ſua propria ratione & ex juſtitiæ lege ordinatur ad reparandam culpam & ejus deordinationem reintegrandam, plura importare debet, quorum notitia ad cognitionem ipſius pœnæ conducet. Pro quo

Animadverſio.

nota malum culpæ, quod conſiſtit in perverſione ordinis rationis, dupliciter poſſe reparari: vel ex divina miſericordia & liberalitate, gratis & ex ſe condonante offenſam, & reintegrante prædictum ordinem; veluti quæ ex proprio liberalitatis theſauro ſolvit & donat quicquid neceſſarium eſt ad talem reparationem: vel ex juſtitia reſtituente talem ordinem ſecundùm æquitatis legem, adeóque periculo & impenſis illius, qui peccando ipſum deſtruit; prout ipſa juſtitia expoſcit. In primo caſu non habet locum pœna: quia tota reparatio fit, (ut ſic dicamus) impenſis ipſius miſericordiæ; nihilque à peccatore exigitur: neque attenditur, quid ille mereatur; ſed quid deceat miſericordiam & liberalitatem condonantis & elargientis. In ſecundo verò fit reparatio per pœnam: quia lex juſtitiæ poſtulat ut quoties ordo rationis ab aliquo fuerit perverſus: reſtituatur periculo ſive impenſis illius, cujus operatione fuit corruptus: adeóque per pœnam ab eo exactam & ſolutam: nam & pœna, quæ à *pendendo* dicta eſt, importat illud quod reus pro delicto ſolvit & impendit.

Fit autem prædicta reparatio, tum quatenus in ipſa pœnæ inflictione, non ſolùm genus, ſed ejus cui infligitur, ſcilicet delinquentis periculo ſplendent iterum æqualitas & ordo, quæ culpa deſtruxit: dum ipſe qui deliquit, tantundem à proprio bono, proprioque ſibi convenienti deprimitur & amovetur; quantùm ut ſibi, eidemque proprio bono indulgeret, contra rationis ordinem inſurrexerat, hacque inſurrectione prædicto bono reddiderat ſe indignum. Tum etiam quatenus per ipſam culpæ punitionem homines à peccando deterrentur, ſicque jura boni honeſti, quæ ſtultus violaverit, atque e violatione veluti læſa & deteriorata manebant, majores in poſterum vires ſumunt, ut ſecuriùs cuſtodiantur, & pluris habeantur. Tum præterea, nam per lex puniendo culpam, oſtendit, eam eſſe vituperio & probro dignam; bonum verò rationis ei oppoſitum, eſſe pluris habendum & æſtimandum: et ſicque proinde hujus æſtimatio per exhibitionem pœnæ, quanta diminuta fuerat per culpæ commiſſionem. Atque quod etiam confert, quòd dum lex juſtitiæ actus punit culpam, oſtendit odium & repugnantiam illius ad malum, ejuſque præſtantia & dignitas commendatur: nam eo aliquid melius & præſtantius oſtenditur, quò plus malo adverſatur & repugnat.

Ex quo fit in primis, de ratione pœnæ eſſe, ut ſupponat culpam proportionatam, infligaturque propter illam: quia pœna, ut diximus, ordinatur ad culpæ reparationem; reparatio autem non habet locum ubi deſtructio non præcedit. Quare media alia, quæ ad præcavenda peccata futura præciſè ordinantur, non habent rationem pœnæ (licet ſi ſint pœnalia, aliquando impropriè *pœnæ* appellentur) quia re vera nihil reparant, quod deſtructum ſit; ſed vitant, ne deſtruatur quod reparatione indigeat. An verò propriè dicendæ ſint *pœnæ*, quæ ponuntur tranſgreſſoribus quarundam humanarum legum non obligantium ad culpam moralem, etiam venialem, ſed ad ſolam pœnam, dicemus infra in comment. artic. 7. ¶ Deinde ſit, pœnam debere eſſe à judice ordinatam & taxatam. Sicut enim judicis munus eſt malum culpæ reparare; ita ad eum ſpectare debet deſignatio & ordinatio medii pro tali reparatione, quod eſt pœna. Eò præterea quia prædicta reparatio debet eſſe juſta & adæquata: aliàs non eſſet culpæ reparatio, ſed nova inæqualitas & nova culpa: conſtituere autem juſtum & adæquatum, opus eſt juſtitiæ, debetque proinde ad judicem pertinere. Debet etiam eſſe volita à judice: quia nullus ordinat aut determinat, niſi quod vult. Non tamen debet eſſe volita primariò & propter ſe, puta ex intentione inferendi malum delinquenti quaſi in eo judex delectetur: quia hic affectus non juſtitiæ eſt, ſed ſævitiæ & immanitatis. Sed ſecundariò & propter aliud: nimirùm propter relucentiam, extenſionem, & ſecuritatem juſtitiæ & boni honeſti cui deſervit. 22

Conſectio.

Tertiò fit, de ratione pœnæ eſſe, quòd ſit aliquid malum & diſconveniens patienti. Tum quia correſpondet demerito culpæ veluti ipſius ſtipendium: hoc autem non debet eſſe bonum,

Digitized by Google

ſed malum; quia culpæ non debetur præmium, ſed ſupplicium. Tum etiam quia modus reparandi culpam per pœnam, quem nuper explicuimus, poſtulat ut hæc ſit mala & diſconveniens patienti. Si enim eſſet bona & conveniens, nulla via in ejus inflictione oſtenderetur juſtitiæ æqualitas: potiùſque homines ratione illius allicerentur ad peccandum, ut bonum pœnę reciperent, quàm ejus timore arcerentur. Quin & judex exhiberet ſe culpæ amatorem, potiùs quàm vindicem: factóque ipſo oſtenderet, juſtitiam non adverſari culpæ, ſed adulari. Quæ omnia detrahunt valdè juſtitiæ perfectioni.

23 Replicæ. *Dionyſ.* Dices ex D. Dionyſio lib. de divin. nomin. cap. 4. quòd puniri non eſt malum, ſed malum eſt fieri pœna dignum: ergo non pœna qua punitur peccator, ſed ſola culpa, qua fit dignus pœnæ, habet rationem mali. ¶ Deinde ſi pœna eſſet mala, non amaretur à juſto judice: amatur autem: igitur non eſt mala, ſed bona. ¶ Præterea illud quo homines avertuntur à malo, & ad bonum trahuntur, non eſt malum, ſed bonum: hoc autē fit per pœnam: ergo, &c.

Animadverſio pro ſolutione. Reſpondetur animadvertendo, malum dici, quod eſt alicui diſconveniens, ſicut bonum dicitur quod eſt conveniens. Dupliciter autem poteſt aliquid diſconvenire creaturæ rationali (quæ ſola habet eſſe ſubjectum culpæ & pœnæ) vel ſecundùm ſe præcisè conſideratæ, ita ut regula & menſura talis diſconvenientiæ ſit ipſamet creatura. Vel in ordine ad legem divinam, per quam actus noſtri liberi regulari debent: ita quod ipſa lex ſit menſura prædictæ diſconvenientiæ. Prima diſconvenientia conſtituit malum pœnæ: nam pœna eſt malum creaturæ rationalis ſecundùm ſe & ſine reſpectu ad aliam regulam. Secunda verò conſtituit malum culpæ: quia culpa eſt malum prædictæ creaturæ in ſuis actibus, & in ordine ad menſuram ipſorum actuum ſcilicet legem. Sive (quod idem eſt) malum pœnæ eſt quod creaturæ rationali in ſe abſolutè diſconvenit, opponitúrque bono ejus peculiari & proprio: malum verò culpæ eſt illud, quo ipſa creatura efficitur diſſona & diſconveniens fini ultimo, & divinæ legi ordinanti ad talem finem: & quia his nequit diſconvenire niſi ratione actuum liberorum, quorum eſt dumtaxat per legem regulari, & ad prædictum finem dirigi; ideò culpa eſt malum talis creaturæ non in ſe abſolutè, ſed in ſuis actibus: comprehendendo ſub actibus etiam actuales omiſſiones.

Eſt autem diſcrimen inter prædicta duo mala: quoniam primum cùm ſolùm ſit malum creaturæ, ſolùm opponitur proprio & peculiari bono ipſius creaturæ: non autem opponitur Deo, aut ordini ad ultimum finem, neque proinde repugnat divinæ voluntati; ſed poteſt ab ea ordinari ad finem honeſtum, & amari propter talem finem: quia quod ordinatur ad finem bonum, ex ipſo fine induit rationem boni, idcircò tale malum ita eſt malum ſecundùm ſe, ut ſimul ſit bonum in ordine ad aliud: præſtàtque bonitas & amabilitas, quam accipit ex hac ordinatione, diſconvenientiæ & odibilitati, quam habet ſecundùm ſe: quippe illa ſpectat ad ordinem boni honeſti; cui hæc non opponitur, ſed tantùm bono proprio & delectabili: ob idque à prædicta bonitate & honeſtate dicitur pœna bona *ſimpliciter*; à diſconvenientia verò dicitur *mala ſolùm ſecundùm quid*: ut docet D.Th. 2.2. quæſt. 19. art. 1. & q. 1. de Malo art. 1. ad 1. & ad 18. E contra autem malum culpæ ſicut ex propria ratione opponitur legi divinæ & ordini ad finem ultimū; ſic ex ea habet quòd opponatur Deo & bonitati ejus, ſitque malum non ſolius creaturæ, ſed etiam ipſius Dei: non tantùm ratione offenſæ formalis, quæ eſt in eo moraliter ſubjectivè, ſed etiam ratione malitiæ exiſtentis in peccatore, quæ adverſatur illi objectivè: juxta dicta diſp. præced. n. 151. atque adeò exinde etiam habet, quod non poſſit ordinari in ipſum Deum, aut in aliquem finem honeſtum, neque à divina voluntate ob talem finem amari, aut decerni. Ex quo fit, hujuſmodi malum ſecundùm id quod exprimit deordinationis, ita eſſe malum, ut nulla via poſſit honeſtari aut fieri bonum: neque proinde licitè appeti aut eligi ob quencunque finem; ſed ſemper manet ſimpliciter & ex omni parte malum. *D.Thom.*

24 Enodantur replicæ. Ex his patet ad replicas: nam D. Dionyſius loquitur de malo ſimpliciter, quod opponitur bono honeſto & fini ultimo; non autem de malo quod ſolùm opponitur bono particulari creaturæ, conducitque ad ipſum bonum honeſtum: & ideò eſt malum ſecundùm quid, & bonum ſimpliciter. Et in hoc ſenſu loquens, rectè dixit, non eſſe malum *puniri*, quod fit per pœnam; ſed ſolùm eſſe malum *fieri pœna dignum*, quod eſt per culpam.

Ad ſecundam reſpondetur, pœnam poſſe amari à judice, quatenus induit rationem boni ex ordine ad finem honeſtum; quamvis ſecundùm ſe ſit mala reſpectu patientis: quia cùm hoc malum non opponatur Deo, poteſt ab eo eligi propter prædictum finem.

Ad tertiam dicas, conducentiam pœnæ pro retrahendo à culpa, & inducendo ad bonum honeſtum, conferre illi ex hac parte honeſtatē & amabilitatem; non autem tollere, quominus ſecundùm ſe ſpectata, & in ordine ad bonum particulare patientis ſervet oppoſitionem & diſconvenientiam, proindéque ſit ei mala.

25 Aliæ conditiones pœnæ. Quartò habetur, omnem pœnam debere eſſe contra patientis voluntatem. Nam cùm voluntas ex ſe inclinetur ad proprium bonum proprii ſuppoſiti, neceſſe eſt ut quicquid contrariatur huic bono, ut diximus contrariari pœnam, repugnet etiam ipſi voluntati. Obſervat autem D.Thomas quæſt. 1. de malo, art. 4. quòd *pœna tripliciter repugnat voluntati. Quandoque quidem voluntati actuali: ſicut cum quis ſe ſciente ſuſtinet aliquam pœnam. Quandoque verò eſt contra voluntatem habitualem: ſicut cùm alicui ignoranti ſubtrahitur aliquod bonum, de quo doleret, ſi ſciret. Quandoque verò ſolùm contra naturalem inclinationem voluntatis: ſicut cùm quis privatur habitu virtutis, qui virtutem habere non vult; ſed tamen naturalis inclinatio voluntatis eſt ad bonum virtutis, &c.* Quovis autē ex iſtis modis aliquid ſit contra voluntatem, poterit habere rationem pœnæ, quantum eſt ex ipſo capite. ¶ Quintam conditionem pœnæ aſſignat D.Thom. eodem loco, videlicet quòd conſiſtat in quadam paſſione. *Ea enim* (inquit) *quæ contra voluntatem eveniunt, non ſunt à principio intrinſeco, ſed à principio extrinſeco, cuius effectus paſſio dicitur.* ¶ Sextam ponit ibidē, quòd pœna debet *D. Thom.*

Digitized by Google

debet eſſe malum patientis, prout diſtinguitur à malo actionis, ita ut noceat illi immediatè in ſe ipſo, non verò in ſolis operationibus, vel actibus ſecundis.

Hæc autem, quæ de ratione pœnæ eſſe diximus, è converſo ſe habent in culpa: nam de ratione iſtius eſt, quod ſit à voluntate, adeóque non contra, ſed juxta illam: quod conſiſtat in actione vel quaſi actione, & non in paſſione: quòd ſit malum ipſius actionis potius quam agentis: de quo legendus eſt D. Thomas locò cit. & 1. p. quæſt. 48. art. 5. & 6.

26 **Novæ illationes pro his quibus competat ratio pœnæ.**

Quibus ſic ſtatutis, alia adhuc inferre licet non minus conducentia ad præſens. Primò quod nullum bonum, quod ita eſt bonum, ut nihil habeat de ratione mali & diſconvenientis, ſicut gratia, gloria, habitus virtutum & ſimilia, quæ ſolùm ordinantur ad perficiendum, poteſt eſſe pœna, ut initio dubii tetigimus. Nam ratione pœnæ eſt, quod ſit mala & diſconveniens patienti.

Secundò quod omne malum & diſconveniens, ſive quantum ad animam, ſive quantum ad corpus, ſive quantum ad exteriora bona (ſaltem excepta culpa) poteſt eſſe pœna: nam eo ipſo ratione prædictæ diſconvenientiæ poteſt ex juſtitia ordinari ad reparandam culpam, reſtituendúmque ordinem rationis, & habere reliqua, quæ de ratione pœnæ eſſe diximus. Imò de facto omne tale malum eſſe re ipſa pœnam alicujus peccati ſaltem originalis, docet tanquam de fide certum D. Thomas in 2. diſt. 36. quæſt. 1. art. 4. & citato art. 4. ex q. 1. de Malo: *Idem.* ubi ſic ait: *Habet hoc traditio fidei, quod nullum nocumentum creatura rationalis poſſet incurrere, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua exteriora, niſi peccato præcedente vel in perſona, vel ſaltem in natura: & ſic ſequitur, quod omnis talis boni privatio, quo uti quis poteſt ad bene operandum, in hominibus pœna dicatur; & pari ratione in Angelis: & ſic omne malum rationalis creaturæ vel ſub culpa, vel ſub pœna continetur.* Ex quo patet diviſionem mali creaturæ rationali contingentis in culpam & pœnam eſſe adæquatam; non ſolùm loquendo de pœna aptitudinaliter, ſed etiam actualiter.

27 Tertiò deducitur, etiam ipſum peccatum poſſe habere rationem pœnæ ſecundum aliquid, quod antecedenter, vel concomitanter, vel conſequenter ſe habet ad illud. Ex antecedentibus enim habet rationem pœnæ permiſſio ipſius peccati, & ſubtractio gratiæ & auxiliorum, quibus vitandum erat: nam talis permiſſio & ſubtractio verè eſt mala & diſconveniens homini; ſicut gratia quam tollit, eſſet conveniens: cúmque non ſit mala per modum culpæ, non enim dicit diſſonantiam ad aliquam legem, neque opponitur divinæ voluntati; oportet ut ſit malum pœnæ. Hæc tamen pœna non habet locum in primo peccato, ſed ſolùm in ſubſequentibus: quia de ratione pœnæ eſt, ut ſupponat culpam, pro qua infligatur (non enim Deus punit peccata ſolùm quia poſſibilia, vel futura, neque prout ſic ſunt capacia punitionis, ſicut nec remiſſionis, aut ſatisfactionis) & ideò ubi culpa non ſupponitur, ſicut non ſupponitur ad permiſſionem primi peccati, non habet locum pœna. Semel verò commiſſo uno peccato & non dimiſſo, poteſt Deus ex juſtitia in pœnam illius alia permittere, denegaréque auxilia, quibus cavenda eſſent. Unde permiſſio illa primi peccati & negatio auxiliorum, quæ in ea includitur, non eſt punitio aut actus juſtitiæ; ſed pura negatio beneficii indebiti: de quo plura diximus in tractatu de prædeſtinatione diſp. 8. dub. 2. ¶ Ex concomitantibus peccatum habent rationem pœnæ afflictio, moleſtia, laſſitudo, viriumque diminutio, & ſimilia diſpendia, quæ ſæpe illi admiſcentur: quippe hæc & ſunt diſconvenientia patienti, & non dicunt ipſam deformitatem & malitiam, quæ Deo repugnat: adeóque poſſunt ab illo tanquam a judice cauſari & diſponi. ¶ Conſequenter ad peccatum ſe habent damna & detrimenta in vita, honore, divitiis, &c. quæ ex illo frequenter ſequuntur: de quibus etiam non eſt dubium, quòd habeant rationem pœnæ, propter eaſdem rationes. Porrò hæc duo genera pœnarum concomitantium & conſequentium locum habent in omnibus peccatis: quia ratione illarum unum peccatum non modò alterius præcedentis, ſed etiam ſui ipſius poteſt eſſe pœna: ſemper enim malitia præcedit illas tempore, vel natura: & hæc prioritas ſufficit, ut juſtè propter ipſam malitiam infligantur.

Hæc ſunt quæ in hac materia communiter *Idem.* recipiuntur: traditque magna ex parte D. Th. in hac quæſtione, præſertim art. 2. & Magiſter *Magiſter.* in 2. diſt. 36. Eſt autem controverſum de ipſo peccato ſecundum ſe, an habeat rationem pœnæ? In quo adhuc poſſumus plura conſiderare: ut deformitatem ipſam ſeu malitiam poſitivam, per quam conſtituitur in ratione peccati, juxtà dicta diſp. 6. entitatem moralem per modum tranſcendentis in ea incluſam: entitatem phyſicam actus, qui eſt ſubjectum moralitatis & malitiæ: & privationem rectitudinis ſeu malitiam privativam, quam diſp. citat. in prædicto actu conceſſimus. Et quamvis expoſitores D. Thomæ, & alii agentes hanc quæſtionem, reducant illam ad ſolam malitiam, non diſtinguentes inter poſitivam & privativam, neque entitatis ſive phyſicæ ſive moralis memoriam facientes, nobis de omnibus eſt dicendum: quia nullum prædictorum expers omnino eſt difficultatis.

§. II.

Prior & communis aſſertio.

Dicendum eſt primò, peccatum quantùm ad ſuam malitiam, ſive poſitivam, ſive 28 privativam non poſſe habere rationem pœnæ. Ita D. Thomas in præſenti, art. 2. dicens *peccatum per ſe nullo modo poſſe eſſe pœnam peccati:* *D. Thom.* conſtat autem nihil magis per ſe conſiderari in peccato quam ipſam malitiam. Verba autem illa *nullo modo poteſt*, ſemel & iterum à D. Thoma replicata in corpore art. excludunt omnem modum, quo auctores contrarii intendunt, peccatum quantum ad ſuam malitiam poſſe, & eſſe pœnam peccati. Ang. Doctorem ſequuntur *Caiet.* communiter ejus expoſitores hoc loco, ibi *Medin.* Cajet. & Medina in ſuis commentariis. Curiel *Curiel.* & Martin. dub. unic. Araujo dub. 1. num. 27. *Greg. Mart.* *Araujo.* Alvar. diſput. 181. Zumel diſput. unic. Vaſq. *Alvar.* diſp. 140. c. 3. Monteſ. diſp. 17. q. 1. necnon Ca- *Zumel.* preolus in 2. diſt. 36. q. un. art. 3. ad 2. Aureoli *Vaſq.* contra primam concluſionem. Durand. ibidem *Monteſ.* *Capreol.* q. 2. & alii. Poteſtque efficaciter probari. Primò *Durand.*

quia

Digitized by Google

Prima ratio. quia de ratione pœnæ eſt ut ſit reparativa culpæ, ſeu boni honeſti deſtructi per illam: ſed peccatum ſecundùm ſuam malitiam nullo modo reparat prædictum bonum: ergo quātum ad illam nequit habere rationem pœnæ. Major conſtat ex iis, quæ prænotavimus. Minor verò ſuadetur. Tum quia malitia moralis ex ſe tendit ad deſtructionem boni honeſti, & ad invertendum ordinem rationis conſtitutivum talis boni: imò quælibet talis malitia addit novam inverſionem & deſtructionem prædicti ordinis: non igitur poteſt eſſe illius reparativa. Tum etiam quia ſi peccatum ſecundùm ſuam malitiam eſſet reparativum culpæ aut prædicti boni, licitum eſſet ob talem reparationem illud adhibere, ac proinde peccare: ſicut ob eam licet adhibere alias pœnas; & ſicut licet reparationem ipſam intendere: eſt autem manifeſta implicatio, quòd peccatum liceat: ergo, &c.

Secunda ratio. Secundò probatur. Omnis pœna debet eſſe juſta & honeſtà, utpotè ex juſtitia ordinata ad honeſtum finem, qui eſt reparatio culpæ; habenſque eſſe à Deo ut à judice determinante & definiente illam, adeóque ut volente eam, licèt ſecundariò & propter prædictum finem: ſed peccatum quantùm ad malitiam ob nullum finem poteſt honeſtari, aut juſtificari, aut eſſe volitum à Deo, ſive primariò ſive ſecundariò, aut eſſe ab illo cauſatum, determinatum, vel definitum: ergo, &c.

Tertia. Tertiò, de ratione culpæ eſt, quòd ſit à voluntate, nam debet eſſe voluntaria & ab intrinſeco; de ratione verò pœnæ eſt quòd ſit contra voluntatem: ſed repugnat ut id quod eſt à voluntate, ſit contra voluntatem: ergo repugnat, peccatum ſecundùm eandem rationem, ſcilicet ſecundùm rationem culpæ & malitiæ habere rationem pœnæ. ¶ Confirmatur: nam culpa eſt malum actionis nocens ei immediatè; pœna verò eſt malum agentis illi in ſeipſo immediatè nocens: ſed idem non poteſt eſſe malum actionis & agentis nocens utrique immediatè; ſicut non poteſt utrunque immediatè afficere: ergo, &c.

29 Evaſio. Dices cum Scoto & aliis infra referendis, peccatum poſſe conſiderari dupliciter: vel ut actio eſt, ſeu quatenus egreditur effectivè à voluntate; vel in quantùm eſt paſſio, & recipitur in ipſa voluntate: quamvis autem primo modo non poſſit eſſe pœna, ob rationes factas; bene tamen poſteriori, quia in quantùm eſt paſſio, juſtè & contra voluntatem patientis à Deo infligitur: ac proinde habet quicquid requiritur ad rationem pœnæ. Adducuntque exemplum in paſſione Chriſti Domini; quæ quidem ut recepta in ipſo erat bona, & à Deo intenta, ut pœna & ſatisfactio pro peccatis noſtris; in quantùm verò erat actio Iudæorum, erat peſſima, & contra divinam voluntatem.

Animadverſio pro impugnatione. Sed hoc effugium facilè impugnatur animadvertendo, quòd in actibus immanentibus, qui non identificant ſibi motum propriè dictum, proindéque non ſunt de prædicamento actionis, ſed potiùs de prædicamento qualitatis, non datur paſſio prædicamentalis, quæ ſit aliquid ab actione diſtinctum; ſed ipſamet qualitas, quæ prout egreditur à potentia immanente, dicitur *actio*, ut recipitur in illa, & informat eam, habet modum paſſionis. Quam doctrinam ſive adverſarii tueantur, ſive non, ad præſens debent neceſſariò admittere vel ſupponere, & juxta eam diſcurrere. Nam cum ſermo ſit de peccato quantùm ad ſuam malitiam, non debet fieri recurſus ad aliam rationē, quæ malitia non ſit, ſed ab ea diſtinguatur. Quippe de tali ratione, ſi detur, nullum eſt dubium quòd poſſit habere rationē pœnæ: ſicut de aliis antecedentibus, concomitantibus, & conſequentibus nuper ſuppoſuimus: ſed ſolùm eſt quæſtio de ipſa malitia. Porrò ſi in peccato unà cum actione peccaminoſa interveniat paſſio prædicamentalis diverſa ab actione, talis paſſio non erit malitia: nam hæc conſiſtere debet penes eam tantùm formalitatem & rationem, quæ eſt actio: atque adeò vel non debet fieri recurſus ad prædictam paſſionem, ſed rem agere cum ſolà actione, quaſi alia ratio non daretur: vel extra chorum & extra dubii terminos erit talis recurſus. Si ergo ita philoſophandum eſt, ac ſi non detur talis paſſio, ſupponamus eam non dari, ut nos verum credimus, tantúmque eſſe ibi unà rationem & formalitatē, quæ conſiderata in ordine ad principium, ſeu ut egrediens à voluntate, gerit munus actionis; conſiderata verò in ordine ad ſubjectum, ſive in quātùm afficit & informat ipſam voluntatem, & in ea recipitur, habet modum paſſionis.

Ex hoc prænotato ita impugnatur evaſio 30 Impugnatur evaſio.
adducta. Nam quòd malitia peccati conſideretur in ordine ad ſubjectum, & ut informans illud, quod eſt conſiderari per modum paſſionis, nō extrahit eam à linea malitiæ, neque addit aliquod munus, quod malitiæ munus non ſit; ſed potiùs explicat magis proprium munus & exercitium ipſius malitiæ: ergo adhuc ita conſiderata nequit habere rationem pœnæ. Conſequentia liquet: ideo enim cōſiderata per modum actionis, non poteſt eſſe pœna, neque habet ea, quæ de ratione pœnæ eſſe diximus: quia prout ſic explicat munus malitiæ, cui omnia illa repugnant: ſi igitur cōſiderata per modum paſſionis, nihil aliud exprimit, eādem habebit repugnantiam ad munus pœnæ exercendum. Antecedens verò probatur: nam per hoc quòd malitia recipiatur in ſubjecto, & informet illud, nihil aliud efficitur, niſi quòd communicet ei ſuum effectum formalem, qui eſt reddere ipſum ſubjectum malum, turpe, & deforme: hoc autem totum eſt proprium malitiæ munus, propriumque ejus exercitiū: ergo, &c.

Confirmatur: non minùs repugnat Deo cauſare effectivè malitiam, ut informantem ſubjectum & habentem modum paſſionis, quàm ut eſt actio egrediens à principio, imò ſi cauſaret eam priori illo modo, cauſaret etiam hoc poſteriori: ergo non minùs repugnat ipſi malitiæ ratio pœnæ uno modo quàm altero. Conſequentia liquet: & antecedens probatur. Tum quia cauſare effectivè malitiam ut informantem ſubjectum, nihil aliud eſt quàm cauſare efficienter effectum formalem ipſius malitiæ, qui conſiſtit in prædicta informatione; ſeu facere quòd malitia tribuat ſubjecto talem effectum, reddátque illius malum, turpe, & peccaminoſum: divinæ autem cauſalitati non minùs repugnat cauſare hujuſmodi effectum, quàm cauſare ipſam malitiam, ut eſt per ſe notum: quis enim neget repugnare Deo quòd faciat voluntatem noſtram eſſe peccaminoſam & malam, ſicut repugnat quòd faciat ejus peccatum & malitiam? Vide Cajetanum in præſenti, articulo

ed by Google

culo 2. ubi hanc impugnationem proſequitur.

Tum etiam quia cùm malitia ſit accidens, & hujus *eſſe* ſit *ineſſe* ſubjecto, ille cauſat malitiã eo modo quo cauſari poteſt, qui facit ut ſuo ſubjecto inſit, & informet illud: vel ergo hoc poſterius non eſt Deo tribuendum, vel debet dici abſolutè cauſa malitię. Tum præterea, nam malitia ut habet modum paſſionis, non dependet à cauſa efficiente, neque terminat aliquem ejus influxũm, niſi mediante ſe ipſa, ut eſt actio: non enim munus paſſionis addit in ea aliquid in eſſe rei, pro quo neceſſarius ſit novus influxus effectivus, aut novus reſpectus ad aliquã cauſam efficientem præter illum, quem dicit ipſamet ut eſt formaliter actio: ſed ſolùm addit reſpectum ad ſubjectum per modũ formæ, quatenus eadẽ realitas, quæ in ordine ad principium unde oritur, gerit munus ſolius actionis, vel effectus generis cauſæ efficientis; in ordine ad ſubjectum quod afficit, & in quo recipitur, induit rationem cauſæ formalis, aut etiã effectus generis cauſæ materialis; pro quibus muniis ſicut neceſſaria non eſt nova aliqua realitas, ſed eadem connotando ſubjectum & ejus cauſalitatem materialem, in prædicta munia ſe explicat, ita non eſt neceſſariũ aliquod novum efficiens, aut aliqua nova dependentia in hoc genere cauſæ. Si igitur tota dependentia prædictæ paſſionis à quovis principio effectivo debet eſſe mediante dependentia ſui ipſius ut actio eſt; planè ſequitur vel Deum cauſare illã etiam ut actionẽ, quod adverſarii negãt; vel nõ cauſare illã adhuc ut paſſionẽ, quod intẽdimus.

Exemplum de paſſione Chriſti, & peccato Judæorum non eſt ad rem: quia prædicta paſſio recepta in Chriſto quàmvis fuerit effectus illius peccati; non tamen fuit ipſum peccatum aut ejus malitia, etiam prout iſta conſideratur per modum paſſionis; ſed aliquid omninò diverſum, & in ſubjecto diſtincto exiſtens: paſſio quippe erat in Chriſti corpore, peccatum verò & malitia in Judæorum voluntate: unde non mirùm quòd talis paſſio fuerit volita à Deo, ſicut plura alia quæ ſunt peccati effectus. Secùs autem paſſio de qua in præſenti loquimur, quæ nullo modo eſt aliud ab actione & à malitia, & ab ejus effectu formali.

31 Alia evaſio. Dices ſecundò, non requiri ad rationem pœnæ, quòd ſit à Deo poſitivè tanquam ab influente in illam; ſed ſufficere quòd ſit ab illo permiſſivè tanquam à non impediente: ut patet in pœnã damni & in aliis, quæ conſiſtunt in ſola carentia alicujus boni, quod Deus non tribuit: hoc autem modo etiam malitia habet eſſe ab ipſo; ſiquidem poteſt impedire illam, & non impedit, ſed permittit ut fiat.

Præcluditur. Sed contra eſt: nam ut rectè vidit Cajetan. Deus diverſo modo ſe habet in ordine ad cauſandam pœnam, atque in ordine ad culpam: ratione cujus diſcriminis abſolutè aſſeritur eſſe cauſa illius; & abſolutè negatur eſſe cauſa iſtius: ſi autem ſufficeret ut reſpectu pœnæ haberet ſe permiſſivè, quo pacto ſe habet reſpectu culpæ, nullum eſſet inter eas diſcrimen: atque adeò æquè abſolutè & ſimpliciter diceretur cauſa unius, ſicut alterius; quod omninò eſt negandum. Aliter ergo debet influere in pœnam quàm purè permiſſivè. ¶ Adhæc: cõcurſus Dei in pœnam debet eſſe talis, ut ratione illius ipſa pœna reducatur in Deum, tribuatúrque ei ut cauſæ & authori: ad hoc autem non ſufficit concurſus ſolùm permiſſivus: ut patet in culpa, quæ nequit ratione talis concurſus reduci in Deũ, vel ei ut authori & cauſæ tribui: ergo, &c. Debemus ergo ultrà permiſſionem ſeu non impeditionem, tribuere Deo alium modum quaſi poſitivum concurrendi ad pœnam; qui erit vel influendo phyſicè in illam directè vel indirectè: vel ſaltem influendo moraliter, ſcilicet decernendo & ordinando, adeóque volendo poſitivè ipſam pœnam: quo pacto nequit ſe habere ad malitiam ſive per modum actionis, ſive per modum paſſionis acceptam. ¶ Circa hæc tamen vide ſuprà quæſt. 79. in commentar. art. 3. n. 4 & 5. ubi agentes de pœna excæcationis & indurationis, explicuimus prædictam cauſalitatem moralem diluimúſque objectionem, quæ hîc poterat inſurgere. Aliæ verò quæ contra rationes noſtræ aſſertionis, præcipuè verò contra tertia, ɯpullulare poterant, in ſequentibus diluentur.

§. III.

Poſterior aſſertio pro plena dubii deciſione.

Dicendum eſt ſecundò, in actibus voluntatis neque etiam entitatem ſive moralem ſive phyſicam, quæ ſe habet ut quid materiale reſpectu malitiæ, poſſe habere rationem pœnæ. Hæc concluſio non invenitur ita expreſſè aſſerta ab authoribus; neque etiam ab eis negata. Eſſe autem de mente D. Thomæ, adeòque à ſuis diſcipulis defendendam, oſtendet ratio, quam ſtatim afferemus. Non enim pro ea militant omnes, quas prò præcedenti adduximus, ſed ſolùm tertia: nam entitas actus peccaminoſi ſive moralis ſive phyſica quantùm ad id quod dicit entitatis & actualitatis non repugnat Deo, debètque proinde ab eo cauſari, ſicut omne ens per participationem debet cauſari ab ente per eſſentiam: & conſequenter prima & ſecunda ratio, quibus præcedentem aſſertionem ſuaſimus, petitæ ex illo principio, quòd pœna debet eſſe à Deo, cujus nequit eſſe effectus malitia, ceſſant omninò in præſenti, cùm fateamur Deum eſſe cauſam prædictæ entitatis. 32

Ratio D. Thom. Porrò tertiam rationem, (quæ eſt D. Th. in pręſenti art. 2.) ęquè vel perpriùs convincere de ipſa entitate, quàm de malitia, oſtendet eadem ratio iterum propoſita verbis Angelici Doctoris, quæ ſic ſe habent. *Peccatum per ſe conſideratur ſecundùm quod egreditur à voluntate: de ratione autem pœnæ eſt quòd ſit contra voluntatem: manifeſtum ergo eſt, quod peccatum per ſe loquendo nullo modo poteſt eſſe pœna.* Quòd autem hæc ratio priùs & à fortiori procedat in entitate actus voluntatis quàm in ejus malitia, quilibet animaduertet. Tota quippe innititur rationi voluntarii, quod eſt de conceptu culpæ, pœnæ verò adverſatur: rationem autem voluntarii notum eſt convenire entitati actus voluntatis priùs & magis per ſe, quàm ejus malitiæ: illa enim ſeipſa directè & omninò per ſe eſt voluntaria; imò eſt ipſa voluntarii eſſentia; hæc verò non ita per ſe, ſed ratione ipſius entitatis, quaſi ex conſequenti & indirectè voluntaria efficitur: ergo quòd huic competit aut repugnat ratione voluntarii, à fortiori debet illi competere aut repugnare: *propter quod enim unumquodque tale*, &c.

33 Confirmatio. Confirmatur: nam ſi quæ diſconvenientia eſt in actu voluntatis peccaminoſo, propter quam

quam poſſet alicui ejus inclinationi repugnare, hácque ratione aliquid involuntarii induere, non eſt ipſa entitas ſecundùm ſe conſiderata, ſed potius ipſa malitia & deformitas; quæ ſicut contrariatur bono honeſto, repugnat etiam inclinationi voluntatis ad tale bonum, ut vidimus diſp. 2. num. 6. igitur ſi hoc non obſtante, prædicta malitia nequit eſſe involuntaria, prout exigitur ad rationem pœnæ; multò minùs id habebit entitas ſive moralis ſive phyſica ſecundum ſe conſiderata.

Sed fortè retorquebis hanc confirmationem in aſſertionem præcedentem quoad tertiam ejus probationem: quia admiſſo dari in malitia ſive poſitiva, ſive privativa prædictam diſconvenientiam, prædictámque oppoſitionem reſpectu inclinationis voluntatis ad bonum honeſtum, ea utique ſufficiet ut dicatur contrariari voluntati, quantum poſtulat ratio pœnæ: ſufficit enim ad hanc, quod ſit contra inclinationẽ habitualem vel naturalem, ut ex D. Thoma n. 25. vidimus: non ergo malitia ex vi illius rationis à linea pœnæ excluditur. ¶ Reſpondetur tamẽ, nos modo ſolum voluiſſe præferre entitatem malitiæ in ratione volũtarii, ut appareat, D. Th. rationem ex iſto capite deſumptam à fortiori in illa convincere. Quod autem prædicta diſconvenientia reperta in malitia non ſit ſatis ad involuntarium quod pœna requirit, atque adeò quod eadem ratio militet etiam ſufficienter in ipſa malitia conſtabit ex dicendis num. 42.

34 Objectio ex D. Thoma. Aliunde tamen videtur prædicta ratio pro hac ſecunda aſſertione infirmari objiciendo contra illam: quia D. Thom. in præſenti art. 2. inter illa, quæ in peccato habent rationem pœnæ, numerat ipſam ſubſtantiam actus: & loquitur etiam de actu interiori, ut conſtat ex illis verbis: *Alio modo ex parte ſubſtantiæ actus, quæ afflictionem inducit, ſive ſit actus interior*, &c. ſubſtantia verò actus nihil aliud eſt quam ejus entitas: ergo contra D. Thomam excludimus iſtam à ratione pœnæ.

Diluitur. Reſpondetur, D. Thomam non loqui de actibus à voluntate elicitis, de quibus procedit noſtra aſſertio; ſed de actibus qui ab ea imperantur, eliciuntur verò ab aliis potentiis, ut ab intellectu & appetitu ſenſitivo. Quos actus appellat *interiores*, quia manent ad intra in ipſis potentiis: ad differentiam actuum vel motuum omninò externorum, qui per membra externa exercentur. Et quod hæc fuerit mens D. Th. conſtat: nam exemplum actus, quem vocat *interiorem*, ponit in ira, & invidia: quæ veriùs & perpriùs dicuntur de paſſionibus appetitus ſenſitivi, quam de actibus voluntatis. Pro actibus verò externis exemplificat in damno & labore corporalibus, quæ peccatores ſæpe incurrunt, ut peccatum executioni mandent. Eſt autem magnum diſcrimen quò ad præſens inter prædictos actus. Nam qui à voluntate eliciuntur, ſicut ſecundum ſe totos habent eſſe à voluntate, ipſáque eorum ſubſtantia & eſſentia in egreſſu ab ea conſiſtit; ita ſecundum nihil ſui poſſunt eidem voluntati repugnare, aut eſſe contra illam: ac proinde neque ex aliquo capite habere rationem pœnæ. Qui verò ab aliis potentiis ex voluntatis imperio eliciuntur, non ſunt ex ipſa voluntate adæquatè & ſecundum ſe totos (ſubſtantia enim & entitas eſt ex eiſdem potentiis elicientibus ſecundum ſe) ſed ſolum habent ex illa quendam modum accidentalem [illegible]

& ſuperadditum, à quo denominantur *imperati, liberi, mali*, aut *boni*. Quare in hujuſmodi actibus licet prædictus modus nequeat eſſe contra voluntatem, & habere rationem pœnæ, quia per ſe oritur ab illa (idémque dicendum eſt de malitia, quæ in tali modo fundatur, vel per eum conſtituitur) entitas tamen & ſubſtantia, quæ aliunde ſumitur, poteſt ei repugnare ex parte habitualis inclinationis: nam quod non eſt ex voluntate, non eſt cur ei repugnare non poſſit. Poſſúntque proinde tales actus quantùm ad prædictam ſubſtantiam habere rationem pœnæ: quia ad hanc ſatis eſt, ut ſit contra voluntatem ſecundum eam rationem, ſecundum quam munus pœnæ exercet, quamvis ſecundum aliquam aliam ab illo ſit, & juxta illam.

Objicies ſecundò ad infirmandam eandem rationem, non eſſe de conceptu pœnæ illud quod ſupponimus, nempe quod repugnet voluntati: nam plures pœnæ ſpontè à nobis aſſumuntur ad meritum & ſatisfactionem, ſuntque proinde voluntariæ: aliæ verò quamvis ab extrinſeco proveniant, acceptantur liberè, & voluntas eis conformatur: ut patet in animabus purgatorii, quarum voluntas æquanimiter ſe habet reſpectu pœnarum, quas illic patiuntur. Quinimo ipſæ pœnæ, quibus malefactores cum actuali renixu voluntatis puniuntur videntur illis eſſe voluntariæ in ſua cauſa, ſcilicet in ipſa culpa, propter quam infliguntur, & cujus ſunt effectus. Qui enim prævidens imminere ſibi flagella aut ſuſpenſionem ex furto vel homicidio, nihilominus furatur vel occidit, voluntariè incurrit hujuſmodi pœnas: ſiquidem potius vult, aut minus timet eas incurrere, quam à furto vel homicidio abſtinere. Adde, quod multoties infligitur pœna neſcienti: ut cum aliquis abſens diffamatur, aut damnificatur in aliis fortunæ bonis: tunc autem non repugnat voluntas illi pœnæ: nam ſicut bonum ignoratum amari non poteſt, ita malum incognitum non poteſt reſpui. 35 Alia objectio.

Dices, prædictas pœnas, licet non repugnent voluntati actuali, ſed ſpontè ab ea acceptentur, vel ſaltem non reſpuantur, repugnare tamen naturali inclinationi, qua omnis voluntas in proprium bonum propendit: & hoc ſufficere ad rationem pœnæ. Solutio.

Sed hæc ſolutio non omninò evacuat difficultatem. Tum quia pœna non videtur repugnare voluntati ex parte naturalis inclinationis. Nam prædicta inclinatio eſt ad bonum honeſtum: naturaliter enim voluntas inclinatur in hujuſmodi bonum, ut vidimus diſp. 2. dub. 1. cùm autem pœna ſit juſta & honeſta, non poteſt eſſe contra talem inclinationem. Tum etiã quia malitia verè eſt contra hujuſmodi inclinationem: ideò namque omne peccatum dicitur eſſe contra naturam rationalem, quia contrariatur bono honeſto, in quod ratio & voluntas naturaliter inclinantur, ut citato dub. explicuimus: & tamen hoc non ſufficit, ut malitia ſit pœna: ergo repugnantia ad voluntatem pro pœna requiſita, non debet attendi ex parte prædictæ inclinationis. Et quicquid ſit de aliis pœnis, ſaltem pœna damni, quæ conſiſtit in carentia gratiæ & gloriæ, non eſt cur naturali inclinationi repugnet, ſiquidem ad prædictas perfectiones nulla datur inclinatio naturalis. 36 Impugnatur aliquibus replicis.
¶ Ad hæc: vel illud quod actu eſt voluntariũ, [illegible] poteſt

poteſt ſimul eſſe contra voluntatem ratione naturalis inclinationis; vel non? ſi primum, nulla eſt ratio negandi culpæ prædictam contrarietatem, ac proinde rationem pœnæ: cum ex eo ſolum negetur ei à D. Thom. quia eſt voluntaria. Si ſecundum, igitur pœnæ, quas diximus, non habent talem contrarietatem: ſalvabitúrque proinde ſine illa ratio pœnæ.

37 **Doctrina pro tuenda ſolutione.** Reſpondetur nihilominus ſuſtinendo ſolutionem traditam, quæ eſt D. Thom. ut vidimus n. 25. & ſatis communis. Ut vero impugnationibus occurramus, oportet recolere doctrinam, quam latius explicuimus in tract. de virtutibus diſp. 2. dub. 3. videlicet in voluntate noſtra duas reperiri inclinationes: aliam omnino indiſtinctam ab ejus eſſentia, quam poſſumus appellare *eſſentialem* & *primariam*. Nam eſſentia voluntatis, ſicut & cujuſlibet appetitus in inclinatione & pondere conſiſtit. Aliam ſuperadditam & diſtinctam: ſive hæc diſtinctio ſit formalis ex natura rei, ſive ſolum virtualis, de quo diximus loc. cit. Eſt autem diſcrimen inter prædictas inclinationes tam ex parte principii, quàm ex parte termini. Nam prima cum ſit ipſamet eſſentia voluntatis, ſolum eſt quædam paſſio, ſeu proprietas debita animæ rationali ſecundum ſe, ex ejuſque eſſentialibus principiis oriens, abſque ſpeciali indigentia alterius ſuperioris principii. Secunda autem eſt ſpecialiter indita ab authore naturæ, ut quoddam ejus participium, in ordine ad dirigendos & regulandos actus ipſius voluntatis juxtà præſcriptum rationis & legis divinæ. Neque eſt omninò propria paſſio animæ (quamvis ſit ab ea inſeparabilis) quia non oritur ex ſolis ſuis principiis eſſentialibus; ſed eſt quid altius & perfectius, deſcendens ex ipſa æterna Dei lege; cujus eſt participatio. Ex parte termini etiam differunt: nam prima reſpicit bonum proprii ſuppoſiti ſub ratione boni phyſici, præſcindendo ab ordine morali, & à qualibet alia determinatione. Unde & ipſa eſt inclinatio phyſica, cui neque bonum neque malum morale, præcise quantum eſt ex hoc capite, repugnat: ſed poteſt tendere & concurrere ad utrumque; quatenus in utroque clauditur bonum phyſicum, & convenientia ad proprium ſuppoſitum: ſolum autem excludit illa, quæ eidem ſuppoſito ſecundum ſe ſumpto diſconveniunt. Secunda reſpicit determinatè bonum morale, quod eſt bonum honeſtum, & divina lege regulatum: & ideò nequit concurrere ad malum oppoſitum. Unde meritò hæc dicetur *inclinatio moralis* & *inclinatio participata*; illa verò *inclinatio phyſica* & *eſſentialis*. Ex quo fit, primam illam inclinationem debere concurrere in omnibus actibus, qui à voluntate eliciuntur; ac proinde nullum poſſe tali inclinationi contradicere. Secunda autem ſolum concurrit in iis, qui attingunt bonum honeſtum; qui verò contrariantur huic bono, repugnant tali inclinationi. Cujus diſcriminis ratio ſumitur ex dictis: nam voluntas in omnibus ſuis actibus, ſive malis, ſive bonis operatur ut potentia phyſica, & per ſuam eſſentiam; ut bona verò moraliter ſolùm operatur in bonis & honeſtis: debet ergo pro omnibus uti ſua inclinatione phyſica & eſſentiali; inclinatione verò morali ſolum pro honeſtis.

38 **Alia doctrina.** Deinde nota, quod etſi utraque inclinatio poſſit dici *naturalis*, altera quia eſt ipſa voluntatis eſſentia & natura, altera quia eſt ſpecialiter indita à naturæ auctore; attamen quando Theologi cum D. Thoma dicunt, eſſe de ratione pœnæ ut ſit contra voluntatem quoad naturalem inclinationē, intelligendum eſt de inclinatione phyſica, & non de inclinatione morali. Unde quod aliquid huic poſteriori conſonet, vel repugnet, neque obeſt, neque conducit ad rationē pœnæ: ſed attendendum eſt dumtaxat, an conſonet, vel repugnet illi priori. Et ratio eſt perſpicua: quia malū pœnæ eſt malum proprium ſuppoſiti, cui infligitur, debetque proinde adverſari bono proprio talis ſuppoſiti, adeóque bono ejus phyſico: quemadmodum quia culpa eſt malum actionis & malum Dei, debet contrariari bono, quod conſiſtit in actione & in ordine ad Deū, ſcilicet bono honeſto. Cum igitur ſola inclinatio phyſica reſpiciat primum illud bonum, moralis autem reſpiciat ſolum hoc poſterius; planè ſequitur, malū pœnæ attendendum eſſe ex repugnantia ad prædictā phyſicam inclinationem, quicquid ſit de repugnātia, vel convenientia ad inclinationem moralem. Sicut ob oppoſitam rationem malum culpæ attenditur per repugnantiam ad inclinationem moralem, quicquid ſit de inclinatione phyſica. Conſonat tota hæc doctrina D. Thom. 1. p. q. 64. art. 3. ad 3. ubi ait: *Dolere de malo culpæ propter ſe, atteſtatur voluntatis bonitati, cui malum culpæ opponitur: dolere autem de malo pœnæ, atteſtatur bonitati naturæ, cui malū pœnæ opponitur.* Vocat enim *bonitatem voluntatis* inclinationem inditam à Deo ad bonum honeſtum: bonitatem verò naturæ appellat inclinationem phyſicam ex ipſa natura ſecūdum ſe ortā, quæ eſt ad proprium bonum ejuſdem naturæ: & illi dicit opponi malum culpæ; huic verò malum pœnæ. D. Thom.

Ex his patet ad replicas contra ſolutionem traditam. Prima enim & ſecunda procedunt de inclinatione morali voluntatis, quam fatemur eſſe ad bonū honeſtum: quamvis autem pœna, quia juſta eſt, cōſonet huic inclinationi, malitia autem ei repugnet; reſpectu tamen inclinationis phyſicæ è cōtra ſe habent. Nam pœna ſemper ei repugnat, cum repugnet bono proprio, ad quod tendit prædicta inclinatio. Malitia verò nequit illi repugnare: quia cum tota ex voluntate ſit, nequit repugnare ejus eſſentiæ, ſeu eſſentiali inclinationi, quæ ad omnem aliam inclinationem aut quaſi inclinationem velut fundamentū præſupponitur. Porrò ut nuper diximus, ad rationem pœnæ ſolum eſt attendenda repugnantia ad hanc phyſicam inclinationem: quicquid ſit de repugnantia, vel convenientia ad inclinationem moralem. ¶ Ad illud quod tangitur de pœna damni conſiſtente in privatione gratiæ & gloriæ, reſpondetur, etiam hujuſmodi pœnam repugnare voluntati: quia licet in hac non ſit inclinatio naturalis ad gratiam & gloriā, eſt tamen potentia obedientialis ad eas recipiendas: & hæc potētia poteſt quoad præſens reduci ad inclinationem naturalem, ſeu eſſentialem: quia eſt prima ratio, per quam anima & ejus potentiæ habent eſſe elevabiles & perfectibiles etiam in ordine ad proprium ſuppoſitum perfectionibus ſupernaturalibus: cui perfectibilitati ſicut conſonant ipſæ perfectiones gratiæ & gloriæ, ſic earum privationes diſconveniunt & diſſonant. 39 **Applicatur doctrina, & primæ duæ replicæ diluuntur.**

Neque obeſt, ſi urgeas, quod ſi datur in voluntate inclinatio phyſica, quam adſtruimus, ratione ejus dicetur malitia *juxta naturalem hominis inclinationem*, ac proinde juxta naturam

rationalem : cujus oppoſitum ſuprà diſp. 2. tradidimus. ❡ Reſpondetur enim, aliud eſſe quod malitia non repugnet naturali inclinationi; aliud verò quod ſit juxta illam, aut juxta naturam rationalem. Illud enim prius, quod ex nuper dictis infertur, non opponitur doctrinæ ſuperius traditæ : quia in illa diſputatione ſolum habetur, quod malitia ſit contra inclinationem voluntatis moralem: quam ibi *naturalem* appellavimus, quia eſt ab auctore naturæ ſpecialiter indita : & ad ſummum quod non ſit juxta inclinationem phyſicam. Poſterius autem non eſt cur inferatur ex jis quæ modo tradidimus : nam prædicta phyſica inclinatio ſolùm reſpicit per ſe proprium bonum phyſicum: & ideò hoc dumtaxat illi conſonat ; repugnatque malum oppoſitum : ad malitiam vero moralem habet ſe ut potentia neutra, cui ipſa malitia neque conſonat, neque repugnat. Conſonat autem talis malitia defectibilitati, quæ eidem phyſicæ inclinationi adjungitur, quatenus habet eſſe ex nihilo : repugnat verò inclinationi morali, quæ ab auctore naturæ ſuperadditur.

40 Duplex diſtinctio voluntarii.

Ad tertiam replicam reſpondetur animadvertendo, voluntarium dupliciter dici : primò formaliter ; & ſic denotat illud, quod ab intrinſeco voluntatis oritur. Secundò objectivè : & hoc modo dicit illud quod eſt volitionis objectum: potiuſque hoc dicitur *volitum*, quam *voluntarium* : quia *voluntarii* nomen abſolutè & in rigore ſtat pro illo quod eſt ab intrinſeco : ut habet communis diffinitio. Deinde voluntarium formale aliud eſt per ſe, aliud eſt per accidens. Dicimus namque *voluntarium per ſe* illud, quod ſecundum ſe totum & totaliter eſt effectus voluntatis, itaut eſſentialiter & ex ſuo primo conceptu id habeat : ſive oriatur ab ea directè, ſive indirectè, primariò, vel ex conſequenti, &c. *Voluntarium per accidens* vocamus illud, cujus primus cõceptus ſecundum ſe non eſt à voluntate, ſed ex aliis potentiis : quod vero à voluntate ſit, habet ex aliquo modo accidentaliter ſibi ſuperaddito, ratione cujus imperatur ab illa : & ita cum dependentia à voluntate non conveniat ei per ſuammet eſſentiam, ſed per prædictum modum accidentalem, merito dicitur *voluntarium per accidens* : poteſtque ſecundum ſe intelligi, aut etiam dari abſque voluntarii ratione, ut n. 34. dicebamus.

41 Diluitur tertia replica.

Hac duplici diſtinctione præmiſſa, ad replicam quæ inquirit, num quod actu eſt voluntarium poſſit repugnare naturali voluntatis inclinationi, reſpondetur, voluntarium, quod ſolum eſt tale objectivè, poſſe illi repugnare : quia cum hoc non ſit ex voluntate, ſed aliunde volendum occurrat, non eſt cur debeat ſemper habere convenientiam ad prædictam inclinationem. Idemque dicendum eſt propter eandem rationem de voluntario formali, quod eſt tale per accidens, ſi conſideretur ſecundum ſe, ſeu quantum ad illam rationem, quæ non eſt per ſe ex voluntate, ſed ex aliis potentiis, juxta dicta n. 34. Sub his autẽ duobus voluntarii generibus continentur pœnæ illæ, quas in objectione ut voluntarias commemoravimus : nam quæ à nobis ſpontè, nulloque infligente, aſſumuntur, licet contineantur ſub voluntario formali, quia ſunt ab intrinſeco : non tamen ſub illo quod eſt per ſe : quia nulla earum importat per ſe & eſſentialiter ac ſecundum ſe totam dependentiam à voluntate : idemque dicendum eſt de omnibus illis actibus, qui quamvis imperentur à voluntate, eliciuntur tamen ab aliis potentiis. Aliæ verò pœnæ quæ infliguntur ab extrinſeco, cum nihil in eis ſit à voluntate ortum, nihil habent voluntarii formalis, & ideo ſolum poſſunt dici voluntariæ *objectivè* : quia terminant volitionem, ſive formalem, ſive interpretativam, in ſe, vel in cauſa, &c. Quare in iſtis omnibus *eſſe actu voluntaria*, non tollit quominus voluntati ex parte prædictæ inclinationis repugnent, habeantque proinde rationem pœnæ: ſicut nõ tollit, quod in omnibus ſit aliquid aliunde quam ex voluntate procedens.

Cæterum voluntarium formale per ſe omnino excludit talem repugnantiam : quia cum in eo nihil ſit, quod non ex voluntatis viſceribus per ſe oriatur, impoſſibile eſt ut aliquid ejus repugnet eſſentiæ ipſius voluntatis, ac proinde ejus inclinationi phyſicæ. Continentur autem ſub hoc voluntario omnes actus, qui à voluntate eliciuntur : ſive conſiderentur quantum ad entitatem phyſicam, vel moralem, ſive quantum ad bonitatem, vel malitiam. Et ſimiliter continetur ex actibus imperatis ille modus, à quo *imperati* dicuntur, & ſupra quem fundatur omnis illorum bonitas, vel malitia moralis : ac per conſequens etiam continetur hæc ipſa bonitas & malitia : quippe nihil horum ubicumque ſit, ſive ſecundum ſe totum, ſive ſecundum aliquid ſui aliunde oritur, quam ex viſceribus voluntatis : à qua deſcendit quicquid libertatis & moralitatis in aliis potentiis & earum actibus reperitur.

Per quod manet ſoluta objectio, quam n. 33. tetigimus, & huc remiſimus, de diſconvenientia malitiæ ad inclinationem naturalem voluntatis. 42 Diluitur duplex objectio. Cum enim tota illa diſconvenientia ſit reſpectu inclinationis moralis, non verò reſpectu inclinationis phyſicæ, nihil confert ad rationem pœnæ. Tum etiam alia, quæ deſumi ſolet ex eo, quod etiam malitia præſertim privativa non videtur eſſe voluntaria per ſe, ſiquidem non eſt per ſe volita aut intenta, ſed ſequitur per accidens & præter intentionem agentis : adeóque quantum eſt ex hoc capite non videtur ei repugnare ratio pœnæ. Hæc igitur objectio ſublata manet ex dictis : nam licet malitia non dicatur intenta aut volita per ſe, poteſt tamen dici per ſe voluntaria, prout nunc de voluntario loquimur : quod tamen pœna non poteſt. Aliunde enim dicitur aliquid *volitum*, ſeu *intentum* & aliunde *voluntarium*. Nam primum habet in quantũ terminat volitionem per modum objecti : & ita quod non terminat illam immediatè & ratione ſui, ſed ratione alterius, ad quod cõſequitur, non dicitur volitum per ſe, ſed per accidens. Secundum vero habet quia effectivè oritur à voluntate: & ideo quod oritur ab illa ſecundum illud quod eſſentialiter eſt, itaut primaria & totalis ejus ratio in emanatione aut *in emanato eſſe* ab illa conſiſtat, rectè dicitur *voluntarium per ſe* : quia non per aliquid accidentaliter ſuperadditũ, ſed per ſuam eſſentiam convenit illi prædicta denominatio, vel eã fundat aut expoſtulat: ſive modus egrediendi à voluntate ſit tanquã egreſſus primarius & directus; ſive tanquã ſecundarius & conſequens. Dicetur vero *voluntarium per accidens*, quod non oritur à voluntate ſecundum illud ipſum, quod eſſentialiter eſt, ſed ſecundum aliquid accidentaliter ſibi cõveniens: quia in hoc caſu ratio & denominatio *voluntarii* per accidens illi competit. Porro diſcrimen per ſe attendendum

inter

Digitized by Google

inter culpam & pœnam potiùs debet eſſe in ratione voluntarii, quàm in ratione voliti aut intenti: quia ex illo potius quam ex iſto ſumitur convenientia, vel repugnantia ad inclinationem phyſicam & eſſentialem voluntatis.

43 Unde non eſt inconveniens concedere, quod malitia, ſive poſitiva, ſive privativa non ſit per ſe, ſed per accidens volita, ſicut poteſt eſſe volita pœna: imò & quod pœna eſſet volita per ſe, & malitia ſolùm per accidens: dummodò in ratione voluntarii è contra ſe habeant: ut ſe habere conſtat ex dictis. Nam rationi illi, quæ eſt malitia, eſſentialiter convenit à voluntate egredi ſecundum ſe totam, ſaltem egreſſu ſecundario & conſequenti; cum nihil aliud quàm ipſa voluntas poſſit eſſe cauſa talis rationis; & ideò nihil illi deeſt, quominus dicatur *voluntaria per ſe.* Rationi verò, quæ eſt pœna, vel nullatenus vel non niſi ex modo imperii superaddito, adeóque accidentaliter competit talis egreſſus: ac proinde ad ſummum dici poteſt *voluntaria per accidens.* Et quicquid ſit de modo loquendi (fortè enim contenderet aliquis nomen *voluntarii per ſe* reſervandum eſſe voluntario primario & directo; indirectum verò, uti eſt malitia, comprehendendum ſub voluntario per accidens, in quo non immoramur) ſufficit tamen ad præſens intentum diſcrimen aſſignatum ex parte rei inter illa, quæ ſunt à voluntate eſſentialiter & ſecundum ſe tota, ut ſunt omnes ejus actus eliciti, & tam bonitas quàm malitia moralis; & inter alia quæ vel ab ea non egrediuntur, ſed ſolùm occurrunt ut objecta; vel ſi egrediuntur, non tamen eſſentialiter & ſecundum ſe tota, ſed ſecundum aliquid accidentale & ſuperadditum, ut ſe habent actus aliarum potentiarum à voluntate imperati. Hoc igitur ſufficit, ut illa priora nequeant repugnare voluntati ex parte inclinationis phyſicæ ad proprium bonum; ſecus verò hæc poſteriora: ac proinde ut hæc poſſint, & illa non poſſint habere rationem pœnæ. Cum autem diximus competere malitiæ per ſe, ſeu eſſentialiter à voluntate egredi; ac proinde eſſe voluntariam, non intendimus quod ſit formaliſſimè ipſemet egreſſus, per quem in ratione voluntariæ conſtituitur (voluntarium enim ſolùm eſt malitiæ fundamentum, non verò ipſa forma) ſed quod eſſentialiter ſupponit talem egreſſum; & ab eo dependet, itaut aliter intelligi non valeat.

§. IV.

Adverſa opinio, & argumenta pro illa.

44 OPpoſitam ſententiam, videlicet unum peccatum etiam ſecundum ſuam deordinationem & malitiam, poſſe eſſe pœnam alterius peccati, tuentur D. Bonav. in 2. diſt. 36. art. 1. q. 1. Gabriel ibidem quæſt. unic. art. 2. concl. 1. & 3. Baſſolis quæſt. unic. art. 1. & 2. & Richard. circa primum principale quæſt. 1. Scotus diſt. 37. quæſt. unic. Valent. in hac 1. 2. diſp. 6. q. 17. punct. Suar. tract. de vitiis & pec. diſp. 7. ſect. 2. & alii: qui exiſtimant ſentire cum Magiſtro citata diſt. 36. ubi teſtimoniis Scripturæ & SS. Patrum ex profeſſo oſtendit, crimina criminibus ſæpè à Deo vindicari, & poſteriora peccata eſſe pœnas priorum eſſentialiter, ut habet §. 5. & 6.

D. Bonav. Gabr. Baſſol. Ricard. Scot. Valent. Suar. Magiſter.

Exponitur Sed non eſt certum, Magiſtrum ſenſiſſe contra noſtras aſſertiones: poteſt enim ſufficienter intelligi de peccatis non quantum ad ipſam deformitatem & malitiam, ſed quantum ad alia quæ antecedunt, concomitantur, aut conſequuntur, juxta id quod n. 27. prænotavimus. Illa autem particula *eſſentialiter* poteſt intelligi, ut idem ſit quod formaliter, & non ſolùm cauſaliter: quia peccatum non ſolùm eſt cauſa pœnæ, ſed etiam quantum ad illa quæ diximus, eſt formaliter ipſa pœna. Et quia §. 7. ponit exempla in peccatis, quæ ſunt paſſiones appetitus ſenſitivi, ut ira, cupiditas, & timor, ſolùm videtur voluiſſe, quod hujuſmodi paſſiones etiam quantum ad entitatem & ſubſtantiam, ſeu eſſentiam actus, habeant pœnæ rationem formaliter: juxta illud, quod de actibus à voluntate imperatis diximus n. 34. Magiſter

Clarius faviſſe videtur prædictæ ſententiæ D. Thom. ſuper illam diſt. 36. art. 3. in corp. & ad 1. & q. 1. de malo art. 4. ad 2. ubi de ipſa peccati inordinatione videtur concedere, quod ſit pœna, & quod cauſetur à Deo, non poſitivè ut ab influente, ſed permiſſivè ut à non impediente. 45 Arguitur ex D. Thoma.

Reſpondet tamen Cajet. in præſenti, poſſe verba D. Thomæ exponi & gloſſari, itaut inordinatio peccati ſit pœna, non immediatè in ſe ipſa, ſed in ſuo inſeparabili effectu, qui eſt ſubtractio gratiæ aut ejus privatio. ¶ Deinde addit Cajet. *Vel dicatur corrupta eſſe verba illa hic* (ſcilicet art. 2. hujus quæſt.) *dùm plùries auctor replicat, nullo modo peccatum poſſe eſſe pœnam peccati: nec enim fruſtrà dicit & replicat ly nullo modo, & ly poteſt.* Idem ſentiunt Monteſi. & Gregor. Mart. ubi ſuprà. Et ſanè aliqua verba D. Thomæ, præſertim ſuper diſt. citatam, difficilè priorem expoſitionem admittent. ¶ Niſi velis dicere cum Araujo pœnam poſſe ſumi dupliciter: vel propriè & ſtrictè, & ita poſtulat conditiones à nobis aſſignatas: Vel largè & impropriè ut dicit qualemcumque diſconvenientiam reſpectu patientis, & ſecundùm quamcumque ejus inclinationem: quam diſconvenientiam affert etiam ſuo modo ipſa malitia & deordinatio: nam aliqua diſconvenientia eſt reſpectu hominis ratione prædicti deordinari & deturpari in ſuis actibus, eaque ratione odibilem Deo reddi. Juxta hanc ergo ſecundam acceptionem potuit D. Thom. appellare *pœnam* ipſam deordinationem & malitiam, quæ ſolùm eſt à Deo permiſſivè: & ſic videtur loquutus locis nuper citatis. At verò in præſenti negat illi rationem pœnæ, quia loquitur juxta priorem acceptionem: prout nos etiam loquuti ſumus. Ita Araujo: qui etiam addit, poſſe hac via exponi ſententiam Bonaventuræ, Scoti, & aliorum, ut noſtræ non omninò adverſetur: quaſi illi loquuti ſint de pœna largè ſumpta; nos verò de illa propriè & rigoroſè accepta.

Solutio. Cajet. Greg. Mart. Araujo.

Sed quicquid de hoc ſit, (veriùs enim credimus diſſidium eſſe de re, & non tantum de modo loquendi) illorum ſententia prout nobis opponitur, videtur probari ex ſacra Scriptura. Dicitur enim ad Rom. 1. de aliquibus peccatoribus qui graviter deliquerant: *Propter quod* (id eſt propter præcedentia peccata) *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* Et inferiùs: *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, &c.* Quò etiam ſpectare videtur illud Pſal. 68. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* Et illud 2. Reg. 12. 46 Loca Scripturæ.

Rom. 1. Pſalm. 68.

Digitized by Google

1. Reg. 12. *Ecce ego ſuſcito ſuper te malum.* Et alia ubi Deus oſtendit ſe authorem aliquorum, quæ in hominibus ſunt peccata; ordinantur verò ad aliorum peccatorum punitionem.

Et confirmatur: nam ſæpè Deus dicitur excæcare peccatores, & indurare illos, juxta illud
Iſaiæ 6. Iſaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus*
Exod. c. 4. *aggrava.* Exod. c. 4. & 7. & 8. & 9. dicitur ſæ-
Rom. 9. pè Deus induraſſe cor Pharaonis. Ad Rom. 9. *Quem vult, indurat.* At excæcatio, induratio, & aggravatio ſunt peccata, & ut talia in
1. Reg. 6. Scriptura reprehenduntur, 1. Reg. 6. *Quare aggravatis corda veſtra, ſicut aggravavit Ægyp-*
Sap. 2. *tus.* Sap. 2. *Excæcavit illos malitia eorum*, & alibi. Aſſumit ergo Deus ea quæ ſunt peccata, ad aliorum peccatorum punitionem.

Aliqua ex Patribus. Confirmatur ſecundò ex Patribus, qui eo-
Auguſt. dem modo ſæpè loquuntur. Auguſt. lib. 1. confeſſ. c. 12. *Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.* Quod latè pro-
Gregor. bat lib. de natura & grat. c. 22. Et D. Gregor. hom. 11. in Ezech. *Peccatum (inquit) quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum eſt, & cauſa peccati, aut peccatum, & pœna peccati, aut peccatum & cauſa & pœna peccati.* Idem dicit
Iſidor. lib. 25. moral. c. 13. Et D. Iſidor. lib. 2. ſentent. de ſummo bono, c. 3. pluresque alii.

47
Exponũtur. Reſpondetur, inter teſtimonia Scripturæ, quæ nobis objiciuntur, & alia quæ poſſent objici, quædam ſolùm ſignificare Deum eſſe cauſam peccati, aut aliqua peccata tribui illi ut auctori, quaſi ea velit, cauſet, aut decernat, non facta mentione pœnæ: quædam verò non utcumque hoc ſignificant, ſed addunt quod Deus id faciat in pœnam aliorum peccatorum, vel eorundem, ad talia peccata punienda. Quæ hoc poſterius denotant, ut quod adducitur ad Roman. 1. exponenda ſunt juxta dicta n. 27. videlicet non quoad malitiam, neque etiam quoad entitatem actus voluntatis, ſed ſolùm quatenus ad alia quæ antecedunt, concomitantur, vel conſequuntur. Sufficit enim ad verificandas ſimiles loquutiones, quod aliquid peccati, ſive antecedens, ſive concomitans, aut conſequens habeat rationem pœnæ, ordinetúrque à Deo ad malitiæ punitionem: quamvis ipſa malitia & entitas actus voluntatis extra lineam pœnæ ſit. Teſtimonia verò quæ ſolùm denotant cauſalitatem Dei erga peccatum, nulla facta mentione pœnæ, ultrà præcedentem expoſitionem habent etiam aliam, nempe quod Deus ſit cauſa peccati quantum ad totum materiale ipſius, in quo includitur ipſa entitas actus voluntatis ut entitas eſt, tam moralis, quàm phyſica, & quævis alia ratio, quæ nihil deformitatis exprimit: quippe ad totum hoc materiale peccati concurrit Deus ut cauſa phyſica, non ſolùm concurſu ſimultaneo, ſed etiam prævio & efficaciter prædeterminativo voluntatis. Quod optimè fieri poſſe ſine eo quod aliquis Dei influxus ipſam malitiam aut deordinationem attingat, conſtat ex dictis diſput. 6. dub. 4. Quod ſi aliquando Deus dicatur malitiam, vel peccatum cauſare, ſolùm quia permittit; non eſt intelligendum de cauſalitate vera & propria, ſive morali, ſive phyſica, ſed largè & impropriè: quatenus potens illud impedire, non impedit: ſine ullo tamen influxu directo aut indirecto; formali aut interpretativo; &c.

Ad primam confirmationem conſtat ex dictis ſuprà q. 79. art. 3. ibi enim ex litera D. Thom. & ex noſtro commentario habetur, aggravationem, excæcationem, & indurationem non eſſe à Deo, neque habere rationem pœnæ, quatenus ſunt peccatum & culpa; ſed secundùm aliam rationem valde diſtinctam, quæ in eis reperitur, & eiſdem nominibus *aggravationis, excæcationis*, & *indurationis* nuncupatur: ſicut etiam in reprobatione & obſtinatione ſimiles rationes diſtinximus ſuprà diſput. 11. num. 44.

Loca Auguſtini, Gregorii, & aliorum Patrum, qui in ſecunda confirmatione referuntur, eundem ſenſum habent, quem dedimus teſtimoniis Scripturæ, juxta cujus ſeriem ipſi Patres loquuntur. Et ideò intelligenda ſunt non de peccato quantum ad malitiam, vel entitatem actus voluntatis; ſed quantum ad alia, quæ antecedunt, concomitantur, vel conſequuntur.

Deinde arguitur: dolor & triſtitia, quam habent damnati in inferno, eſt actus voluntatis peccaminoſus: & tamen eſt illis maxima pœna. Vel ergo quantum ad deordinationem & malitiam? & ſic contra noſtram primam aſſertionem: vel quantum ad entitatem & ſubſtantiam? contra ſecundam. Minor probatur: tum quia damnati torquentur & cruciantur illo dolore, adeò ut niſi eſſet dolor, non cruciarentur. Tum etiam, quia teſte D. Gregor. Nyſſeno, quem refert D. Thom. ſuprà q. 39. art. 1. omnis triſtitia & dolor eſt malum naturæ: quod autem eſt malum naturæ, habet rationem pœnæ: ſicut quod eſt malum morale, habet rationem culpæ. 48 Argumentũ ex ratione. D. Thom.

Reſpondetur, quod ſi ſermo ſit de dolore ſtrictè accepto, prout dividitur contra triſtitiam, non negabimus illi rationem pœnæ: quia in iſta acceptione non eſt actus voluntatis, ſed paſſio appetitus ſenſitivi, ut declarat D. Thom. ſuprà q. 35. art. 2. Hujuſmodi tamen dolor utpote corporalis & ſenſibilis non habet locum in dæmonibus, neque in animabus ſeparatis à corpore: neque eſt de genere voluntarii per ſe, ſed per accidens; & ſic nihil contra nos. Si verò ſermo ſit de dolore ſpirituali, qui eſt actus à voluntate elicitus, & potius dicitur *triſtitia* quàm *dolor*, adhuc eſt diſtinguendum. Poteſt enim prædicta triſtitia conſiderari præcisè ſecundum ſe, ut dicit ſolum illum affectum, quo voluntas verſatur circa objectum contriſtans, quod eſt malum præſens, & quo renititur & repugnat tali modo. Et hoc modo non habet rationem mali, aut diſconvenientiæ reſpectu voluntatis; ſed potiùs rationem boni: quia ſuppoſito malo præſenti & contriſtanti, non eſt contra voluntatis naturam, ſed potius juxta illam, reniti & repugnare tali malo; in quo renixu triſtitia conſiſtit: ſicut eſt juxta eandem naturam gaudere de bono præſenti, & quieſcere in illo. Unde dicit D. Thomas ſuprà q. 39. art. 1. *Suppoſito aliquo contriſtabili, vel doloroſo, ad bonitatem pertinet quod quis de malo præſenti triſtetur, vel doleat.* Et 1. part. q. 64. art. 4. ad 3. *Dolore de malo pœnæ atteſtatur bonitati naturæ, cui malum opponitur.* Conſiderata ergo hoc modo prædicta triſtitia, non habet per ſe rationem mali aut pœnæ; ſed eſt affectus, quo voluntas malo pœnæ repugnat, ſupponens proinde ipſam pœnam: ut etiam diximus in tract. de beatitud. diſput. 1. n. 104. & tract. de volunt. diſp. 1. n. 15. Poteſt etiam prædicta triſtitia conſiderari ut aſſociata malo contriſtante, de quo ſumitur: & iſto modo Solutio. D. Thom. Idem.

Digitized by Google

modo eſt pœna : quia ipſum malum contriſtans repugnat voluntati, habetque proinde rationem pœnæ. Si autem aliquando ipſa triſtitia *pœna* appelletur, intelligendum eſt non *formaliter*, ſed *præſuppoſitivè*, aut *conſequenter* : quia ſupponit pœnam, & ad illam conſequitur.

Unde ad primam minoris probationem dicendum eſt, damnatos puniri & cruciari per inflictionem mali, de quo ſumitur triſtitia; non verò formaliter per ipſam triſtitiam. Non enim ideò puniuntur aut torquentur, quia triſtantur & dolent; ſed è contra ideò dolent & triſtãtur, quia puniuntur & torquentur. Ad ſecundam reſpondet D. Thom. in illo art. ubi citatur, in ſolut. ad 1. dicens, quod Nyſſenus loquitur de triſtitia non præcisè ſecundum ſe, ut eſt recuſatio mali; ſed ratione objecti contriſtantis, quod eſt malum & nocivum. Suſtinere enim hujuſmodi nocivum diſconvenit naturæ, repugnatque voluntatis inclinationi : ſemel verò illo præſuppoſito, triſtari & recuſare ipſum potius convenit naturæ, & atteſtatur ejus bonitati, ut loquitur D. Thom. loc. cit. ex 1. par.

Idem. 49 Replicæ D. Thom. Neque obeſt, ſi urgeas, tum quod S. Doctor tribuit ipſi triſtitiæ ſecundùm ſe rationem mali : ait enim : *Aliquid eſſe malum, [illegible] poteſt dici ſimpliciter & ſecundum ſe, & ſi [illegible] triſtitia eſt quoddam [illegible] quod eſt appetitum [illegible] de malo præſenti rationem mali habet : impeditur enim per hoc quies appetitus in bono.* Tum etiam, quia ſi triſtitia ſecundum ſe non eſſet mala, non repugnaret beatis : ſolum enim negamus illis quæ habent rationem mali. Tum denique, quia quod eſt boni impeditivum, habet ex ipſo rationem mali, cum malum ſit privari & impediri à bono : ſed triſtitia impedit gaudiũ voluntatis, quod eſt magnum ejus bonum : igitur habet rationem mali.

Diluuntur. Reſpondetur ad primum cum Cajetano, ſenſum verborum D. Thomæ non eſſe quod ipſa triſtitia cum præciſione ſumpta ſit mala per ſe, ſed quod eſt talis conditionis, ut eſſe non poſſit ſine malo : quia non eſt niſi de malo præſenti : & ita quamvis eo malo præſuppoſito, non ſit pejus aut novum malum triſtari de illo, imò pejus & novum malum eſſet non triſtari ut probat illic D. Thomas; attamen per ſe & abſolutè loquendo dicitur mala omnis triſtitia, quia per ſe importat mali ſuppoſitionem, & non niſi illo præſuppoſito locum habet. ¶ Secundò poteſt explicari D. Thomas per ultima verba : *Triſtitia de malo præſenti rationem mali habet : impeditur enim per hoc quies appetitus in bono.* Quibus ſatis inſinuat, rationem mali in triſtitia repertam non conſiſtere in ipſa triſtitia, ſed in carentia gaudii, quod eſt majus voluntatis bonum, quodque ſimul cum triſtitia eſſe nequit. Ex hoc autem non fit triſtitiã eſſe malam per ſe, ac proinde per ſe habere rationem pœnæ, ſed ſolum per accidens nimirum ratione effectus, qui eſt privatio, vel abſentia majoris boni : quo pacto non negabimus actibus voluntatis, & etiam ipſi malitiæ rationem pœnæ. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, triſtitiam duplici ratione non habere locum in beatis. Tum quia ſupponit præſentiam mali contriſtantis, à quo illi ſunt omninò alieni. Tum etiam, quia impediret aliqua ex parte ſummum illorum gaudium. ¶ Tertium ſolum probat, actum triſtitiæ per accidens habere rationem pœnæ, nimirùm propter excluſionem majoris boni.

50 Tertiò arguitur. Culpa habitualis conſiſtens in gratiæ privatione, habet ſimul rationem pœnæ : ergo idem dicendum eſt de culpa & peccato actuali. Conſequentia liquet à paritate rationis. Antecedens verò oſtenſum eſt à nobis diſp. præced. dub. 5. Aliud argumentum.

Confirmatur hoc ipſum in peccato omiſſionis, quod eſt carentia actus debiti. Nam hujuſmodi carentia poteſt eſſe mala & diſconveniens voluntati; ſicut actus, quo privat, poteſt eſſe illi bonus & conveniens : & ideò in tract. de volunt. diſp. 5. dub. 3. diximus, voluntatem poſſe pati violentiam in carentia, ſeu ceſſatione, à ſuis actibus : ergo idem dicendum eſt de peccato commiſſionis.

Reſpondetur ad argumentum ex dictis diſp. præced. à n. 131. in privatione gratiæ diſtinguendas eſſe duas rationes : aliam, quæ eſt averſio à Deo, ac proinde malum ipſius Dei; aliam, quæ eſt carentia boni proprii, adeóque malum ipſius hominis : ex quibus illa prior eſt culpa, hæc verò poſterior habet rationem pœnæ. Itaque non in ipſa formalitate, quæ eſt culpa, [illegible], aut diſtinguimus rationes culpæ & pœnæ : ſed in privatione gratiæ adæquate accepta diſtinguimus duas formalitates quaſi [illegible] inter ſe connexas, quarum alia eſt culpa, & alia pœna : & illa quæ eſt culpa, nullo modo eſt pœna, neque è contra. Cæterùm in peccato actuali, prout nunc de eo loquimur, non eſt niſi una [illegible], quæ tota eſt malitia : loquimur enim de [illegible] peccato ut peccatum & malum morale eſt, atque adeo ſecundum illam rationem, quæ [illegible] in ratione peccati aut mali, quæ eſt [illegible] malitiæ, ſive poſitivæ, ſive etiam privativæ, & his negamus rationem pœnæ. Cæteræ verò rationes in illo repertæ de materiali ſe habent : quibus proinde vel non negamus munus pœnæ; vel non ideo id negamus, quia ſint ſimul cum malitia; ſed quia [illegible] capite illis repugnat : ſicut repugnat [illegible] actus voluntatis, eo quod eſt de genere voluntarii per ſe, juxta dicta num. 41.

Sed urgebis : etiam privatio gratiæ habet eſſe voluntaria, alias non eſſet peccatum habituale : & nihilominus diſtinguimus in illa aliquam rationem, quæ poſſit eſſe pœna : cur ergo in actu voluntatis, aut in ejus malitia, non obſtante quod ſit voluntaria, non diſtinguemus ſimilem rationem? Et quicquid ſit de malitia poſitiva, & de entitate actus, ſaltem privatio rectitudinis exiſtens in illo, quæ eſt malitia privativa, non eſt cur non admittat prædictam diſtinctionem culpæ & pœnæ ſecundum aliam & aliam rationem, ſicut admittit privatio gratiæ. 51

Reſpondetur, privationem gratiæ abſolutè loquendo non eſſe de genere voluntarii per ſe, quia non dependet eſſentialiter & ſecundum ſe totam à voluntate : imò poteſt dari quoad aliquid ſui ſine illius influxu: ut ſi Deus alicui dormienti vel invito gratiam auferret. Unde abſolutè loquendo eſt de genere voluntarii per accidens, quod explicuimus n. 40. ac proinde poteſt diſtingui in illa aliqua ratio, quæ ſecundum ſe non ſit à voluntate; ſed potius naturali ejus inclinationi repugnet. Diximus *abſolutè loquendo :* quia ſi in prædicta privatione conſideretur ſola illa ratio, ſecundum quam eſt culpa, non negamus dependere per ſe & eſſentialiter à voluntate, adeóque poſſe quoad talem rationem collocari in genere voluntarii per ſe. Verùm quia prædicta ratio non eſt ipſa ſub-

ſtantia, ut ſic dicamus illius privationis, ſed aliquid ei accidens, ſine quo poteſt talis privatio reperiri, ut in caſu nuper poſito, ideò loquendo de prædicta privatione abſolutè, ſeu quantum ad ſubſtantiam, debuimus collocare eam in genere voluntarii per accidens. Cæterùm actus elicitus voluntatis, ſive conſideretur quantùm ad entitatem, ſive quantum ad malitiam, totus dependet eſſentialiter à voluntate, ac proinde ſimpliciter eſt in genere voluntarii per ſe: in quo non habet locum ratio pœnæ.

52 Per quod patet ad illud de privatione rectitudinis exiſtente in actu: nam etiam hæc privatio eſſentialiter & ſecundùm ſe totam dependet à voluntate, eſtque proinde in prædicto genere *voluntarii per ſe*. Eſt & aliud diſcrimen inter iſtam privationem & privationem gratiæ, quia privatio rectitudinis ſolùm afficit actum, tollens ab eo debitam commenſurationem cum lege, & ita ſolùm eſt mala reſpectu ipſius actus: quod genus mali pertinet ad culpam, & non ad pœnam, ut diximus n. 14. Privatio verò gratiæ afficit ſuppoſitum etiam in ordine ad ſe ipſum, & tollit ab eo formam perficientem in ordine ad ſe, eſtque proinde malum etiam ipſius ſuppoſiti: quod genus mali pertinet ad pœnam, ut dictum eſt num. cit. Quod ut melius intelligatur, recolenda eſt doctrina, quam tradidimus diſp. præced. à n. 130. ubi in gratia ſanctificante duo munia diſtinximus: aliud referendi & ſubordinandi hominem ad Deum, ut ſit totus ipſius Dei, & ab eo poſſideatur: & aliud trahendi Deum ad hominem media participatione divinæ naturæ, ut homo ipſe per talem participationem in ſe ipſo perficiatur. Ex quibus illud prius pertinet ad bonum Dei, & hoc poſterius ad bonum hominis, ut ibi explicuimus. Unde quia privatio gratiæ hæc duo munia aufert, conſequenter duo mala includit: nempe & malum Dei, prout tollit ſubordinationem ipſi debitam; & hoc modò habet rationem culpæ: & malum hominis, quatenus ab eo aufert formam ipſum in ordine ad ſe perficientem; & hoc pacto habet rationem pœnæ. Hæc autem diſtinctio non habet locum in privatione rectitudinis, quæ eſt malitia actualis: quia talis rectitudo ſolum eſt perfectio actus in ordine ad legem, non verò eſt forma perficiens ſuppoſitum in ordine ad ſe: ac proinde non poteſt eſſe malum pœnæ ſecundum aliquid ſui, ſed tota debet ſpectare ad malum culpæ.

53 Ad confirmationem deſumptam ex peccato omiſſionis reſpondetur; admittendo poſſe etiam in hujuſmodi peccato ut dicit ipſam omiſſionem & carentiam actus, diſtingui rationes culpæ & pœnæ, ſicut in privatione gratiæ: quia etiam prædicta omiſſio eſt de genere voluntarii per accidens: Non enim ſecundum ſe totam dependet à voluntate eſſentialiter, ſed poteſt dari quantum ad ſubſtantiam carentiæ ſine influxu illius: ut cùm quis ex ignorantia, vel impotentia omittit. Unde nihil obeſt quominùs talis carentia ſecundum aliquid ſui repugnet voluntati, habeatque proinde rationem pœnæ. Ob idque in tract. de volunt. diſput. 5. dub. 5. diximus, voluntatem poſſe pati violentiam in ceſſatione à ſuis actibus: quia talis ceſſatio poteſt provenire illi ab extrinſeco, & contra naturalem ejus inclinationem. ¶ Accedit, quod omiſſio dicit carentiam non ſolius rectitudinis exiſtentis in actu debito, ſed totius actus, cujus entitas & ſubſtantia afficit ſuppoſitum, & perficit illum in ordine ad ſe: eſt enim perfectio uniuſcujuſque ſuppoſiti quod ſit operans in actu, & quod ejus potentiæ ſint completæ per operationem; etiam præſcindendo à rectitudine morali, & ab ordine ad legem. In quantum ergo omiſſio tollit prædictam perfectionem, eſt malum proprium ſuppoſiti omittentis, quæ eſt præcipua conditio requiſita ad pœnam: neque invenitur in aliis, quæ à ratione pœnæ excluſimus.

Diximus in peccato omiſſionis ut dicit ipſam omiſſionem, poſſe diſtingui prædictas rationes culpæ & pœnæ: quia ſi tale peccatum ſumatur non pro ipſa omiſſione, ſed pro actu voluntatis, qui eſt cauſa omittendi, idem judicium ferendum eſt de illo ac de peccato commiſſionis, quod in actu conſiſtit. Sicut etiamſi in hoc aliquando interveniat aliqua omiſſio, vel carentia actus debiti, idem judicium de tali omiſſione ferendum eſt, ac de illa quæ conſtituit peccatum omiſſionis, de qua modo dicebamus.

Si verò objicias, quod D. Thom. de omnibus peccatis negat, poſſe habere per ſe rationem pœnæ; atque adeò contra ejus mentem à nobis admitti talem rationem in peccato omiſſionis, & in peccato habituali. ¶ Reſpondetur, neque etiam nos de aliquo peccato admittere, quod habeat per ſe rationem pœnæ: quia ly *per ſe*, quod D. Thom. adhibet, determinat rationem per ſe & formaliter ſe habentem in peccato, quatenus peccatum eſt, ac proinde ipſam deordinationem & malitiam. Hanc autem in nullo peccato admittimus poſſe habere rationem pœnæ. Sed dicimus, quod cum in omnibus peccatis ultrà malitiam & deordinationem dentur aliæ rationes de materiali ſe habentes, ut in peccato commiſſionis & peccato habituali ratio carentiæ quantùm ad illud munus, ſub quo eſt malum hominis, & aliæ ſimiles; hoc eſt diſcrimen inter illa, quod peccatum commiſſionis quantum ad actum voluntatis non ſolum per ſe & formaliter, ſcilicet quantum ad malitiam, ſed etiam quoad alias rationes de materiali ſe habentes, excluditur à linea pœnæ propter voluntarium per ſe in illis imbibitum. Peccatum verò habituale & omiſſionis licet quantum ad malitiam, atque adeò per ſe nequeant habere rationem pœnæ; ſecus tamen quoad alias rationes de materiali in illis importatas: quibus quia ratio voluntarii non eſt per ſe & eſſentialiter annexa, poſſunt repugnare voluntatis inclinationi: & ideò non eſt cur à ratione pœnæ excludantur. 54 Objectio, & ſolutio.

DUBIUM III.

Utrùm ſufficienti ratione probetur, deberi peccato mortali pœnam æternam lege juſtitiæ?

Circa æternitatem pœnæ peccato mortali correſpondentis plura habemus certa & indubitata: vel quia in ſacra Scriptura, aut in diffinitionibus Eccleſiæ nobis traduntur: vel quia aliunde obtinuerunt, ut à Catholicis unanimiter recipiantur. Quæ omnia hic breviter & abſque diſceptatione ſupponemus, ut poſtmodum quæ dubia ſunt faciliùs decidamus.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Nonnulla certa & indubitata ſupponuntur.

55 Primum indubitatum. IN primis ut certum ſupponendum eſt, animas illorum qui in peccato mortali decedunt, ſtatim (ſaltem juxta communem legem) ad infernum deſcendere, ut illic pœnas luant, & juſto ſupplicio puniantur. Hæc veritas eſt de fide, & ut talis ab omnibus catholicis recepta. Nam præter quàm quòd ſumitur ex variis locis Scripturæ, cujuſmodi eſt illud Iob 21. (Iob 21.) ubi de malis dicitur: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*; id eſt, ſtatim ac moriuntur, & vitam iſtam finiunt. Et Luc. 16. (Luc 16.) de divite epulone: *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Et alia hujuſmodi: habetur definita in Extrav. Benedicti XII. (Extrav. Benedictus.) quæ incipit *Benedictus Deus*, &c. ubi Pontifex ita inquit. *Definimus inſuper, quod ſecundum Dei ordinationem communem animæ decedentium in actuali peccato mortali mox poſt mortem ſuam ad inferna deſcendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur*, &c. Dicit verò *actuali peccato mortali*, vel quia agitur de iis qui proprio actu tale peccatum commiſerunt; nolens ſub prædicta definitione comprehendere parvulos, qui non ad gehennam, ubi ſunt tormenta & cruciatus per ſenſus, ſed ad limbum deſcendunt, ubi ſolum habent pœnam damni. Vel nomine peccati actualis intelligit illud, quod licet tranſierit, quia non eſt remiſſum: quamvis operatio peccaminoſa phyſicè tranſierit.

(Caſtro.) Pro quo excluditur error, quem (teſte Caſtro verb. Beatitudo hæreſ. 6.) tenuerunt Græci, negantes animas damnatorum in inferno detrudi, aut pœnis gehennalibus torqueri ante diem judicii. Qui idem negabant etiam animas juſtorum ante illum diem ad gloriam & viſionem Dei aſſumi. Utrumque verò damnat Benedictus in illa Extrav. damnavitque poſtea Eugenius IV. (Concilium Florentinũ.) in Concil. Flor. in literis Sanctæ unionis, extendens prædictam definitionem etiam ad pueros decedentes cum ſolo peccato originali: ibi. *Illorum autem animas*, (ſupple definimus) *qui in actuali peccato mortali, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere; pœnis tamen diſparibus puniendas.* ¶ Diximus, *ſaltem juxta communem legem* ita contingere, ut etiam dixit Benedictus: quia an ex ſpeciali Dei diſpenſatione aliqui decedentes in peccato mortali ad infernum non deſcenderint, ſed alibi fuerint reſervati, & tandem ad beatitudinem pervenerint, non eſt ita exploratum: de quo infra aliquid dicemus.

56 Secundum. Secundò ut æquè certum ſupponendum eſt, pœnas damnatorum ſive illorum, qui in limbo propter peccatum originale detruduntur, ſive qui in inferno propter perſonalia cruciantur, futuras eſſe æternas, nullúmque finem habituras, ſaltem de lege communi: atque adeò omne peccatum mortale, quod in hac vita per Baptiſmum aut pœnitentiam non dimittitur, pœna æterna in futura eſſe plectendum. Hæc etiam veritas eſt de fide: habetur enim multis in locis ſacræ paginæ. Ut Iſa. 66. (Iſaia 66.) *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quo loci ſermonem eſſe de pœnis damnatorum, quæ nunquam deficient, conſtat Marc. 9. (Marc 9.) ubi Chriſtus Dominus prædicto teſtimonio utitur ad illarum perpetuitatem declarandam; ibi. *Bonum eſt tibi debilem introire in vitam; quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, &c. Idem habetur Judith 16. (Judith 16.) in ejus Cantico. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum ut urantur & ſentiant uſque in ſempiternum.* Ubi vox *in ſempiternum* non ſignificat ſolùm longam durationem, ut aliquando contingit; ſed æternam & nunquam finiendam. Quo etiam ſenſu Job 10. (Iob 10.) dicitur: *Ubi umbra mortis & nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat.* Pluráque alia habentur in veteri Teſtamento ad id denotandum. Neque pauciora aut minùs clara reperies in novo. Nam Matth. 25. (Matth 25.) id apertiſſimè oſtendit Salvator increpatione & maledictione illa ad impios. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Et inferiùs. *Ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam.* Ubi par duratio aſſignatur pœnæ damnatorum, & gloriæ juſtorum: & utraque dicitur futura eſſe æterna. Apocal. 14. (Apoc. 14.) *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, neque habebunt requiem die ac nocte.* Et cap. 20. *Cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Hæc autem pluralis *in ſæcula ſæculorum* idem denotat, atque *in perpetuum* ſeu per omnes ætates & ſæcula per æternitatem futura. Ex quibus & aliis, quæ omittimus, evidenter concluditur æternitas pœnarum, quibus damnati addicuntur.

57 D. Cyprian. Sed & SS. Patres eam unanimiter tradunt, multique eloquentiſſimè deſcribunt: ut D. Cyprian. lib. de reſurrect. Chriſti, & ſerm. de Aſcenſione Domini ad finem, ubi ſic inquit. *Immortales ibi erunt, vivent inter incendia, & incorruptibiles flammæ nunquam corpus abſumet. Ardebit purpuratus dives, neque erit qui æſtuantis linguæ ſtillam aquæ refundat. In proprio adipe fœtidæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius deſperatio condemnatos affliget. Non miſerebitur ultrà Deus; neque tunc audiet pœnitentes. Serva erit illa confeſſio: & cum clauſa fuerit janua, fruſtrà currentes oſtio acclamabunt excluſi, nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Chriſtus deſcendit ad inferos, alterius non deſcendet. Non ultrà videbunt Deum in tenebris ſigillati. Irregreſſibilis erit illa ſententia, & immutabile judicium, & ſtabit damnationis titulus immobile conſtitutum.*

(Iob 20. Gregorius.) Non minùs ad rem loquitur D. Greg. lib. 15. Moral. cap. 11. ad illud Iob 20. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur. Perſolvit* (inquit) *impius in tormento ea, quæ hic illicita ſervavit deſideria: & flammis & ultricibus traditus, ſemper moritur, quia ſemper in morte ſervatur. Non enim in morte conſumetur: quia ſi conſumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur. Sed ut ſine fine cruciatur, vivere ſine fine in pœna compellitur; cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna. Luet quæ fecit omnia; nec tamen conſumetur: quia cruciatur, & non extinguitur: moritur, & vivit: deficit & ſubſiſtit: finitur ſemper, & ſine fine eſt. Hæc ſolo auditu valde ſunt terribilia, quantò magis paſſione?* ¶ Audiamus etiam D. Bernard. ſerm. 2. de verbis Apoſtol. ad illud Pſ. 48. (Bernard. Pſalm. 48.) *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Quàm bene* (inquit) *ſicut oves: quia detracto vellere mundialium divitiarum, durè preſſéque detonſi ſempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depaſcet eos, quia ſemper morientur ad vitam, & ſemper vivent ad mortem.* Non enim mors eos eradicabit, vitam ex toto auferendo, ſed depaſcet, conſervando radicem vitæ: ut iterum pullulent, iterum &

iterum atque in æternum depaſcendi. Reperies de hoc multa apud Tertul. in Apologet. c.48. & lib. de pœnit. c.12. Auguſt. ſuper Pſal.48. ad illa verba: *Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.* Et lib. 1. de civit. Dei per multa capita Cyril. N. in orat. de exitu animæ. Chryſoſt. hom. 43. in Geneſ. & hom. 25. in Epiſt. ad Rom. & homil. 10. ſuper Epiſt. 2. ad Corinth. D. Thom. lib. 3. contra gent. c.11.

Tertul. Auguſt. Cyril. Chryſoſt. D. Thom.

58 Ex quo fit, hæreſim eſſe manifeſtam errorem illum, cujus meminit D. Hieron. dialog. 1. contra Pelag. Et Alphonſus de Caſtro lib. 3. adverſus hæreſes, verbo *Beatitudo* hæreſ. 3. qui univerſaliter de omnibus damnatis tàm hominibus, quàm dæmonibus aſſeruit, fore aliquando à pœnis eruendos, & ad beatitudinem evocandos. Numeratur autèm hic error inter illos, qui Origeni tribuuntur (de quibus an verè ipſius Origenis errores, an potiùs ſcriptis ejus ab hæreticis fuerint aſſuti, magna extitit inter Eccleſiaſticos DD. etiam ab antiquis temporibus controverſia, & adhuc ſub judice lis eſt.) Sub prædicta verò hæreſi militat alia, quæ idem affirmat non de omnibus condemnatis, ſed de iis qui fidem habuerunt. Nec deſunt qui hunc errorem tribuere velint D. Hieron. loc. cit. n.33. ubi ita habet. *Si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non eſſe perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam: quid ad nos qui & diabolum, & ſatellites eius, omneſque prævaricatores dicimus perire perpetuo, & Chriſtianos ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas.* Similiaque habet ſuper Iſai. c.66.

Antiquæ hæreſ. D. Hieron. Caſtro. D. Hieron.

Sed re vera Doctor maximus poteſt & debet exponi, quaſi non loquatur ex propria mente aſſerendo; ſed ex aliorum ſententia & quaſi arguendo, ut aliqui volunt, ipſeque D. Hieronym. non ſemel feciſſe teſtatur in epiſt. ad Auguſt. quæ incipit *Tres ſimul*, eſtque inter epiſtolas Auguſtini undecima: ubi ad objectionem ex quadam doctrina ſuper Epiſt. ad Gal. ſibi propoſitam reſpondet, ſe aliquoties non ex propria, ſed ex aliorum ſententia, quorum legerat volumina, in ſuis commentariis loquutum fuiſſe. *Itaque* (inquit) *ut ſimpliciter fatear, legi hæc omnia, & in mente mea plurima coacervas, accito notario, vel mea, vel aliena dictavi.* Et inferiùs: *Ex quo oſtendis, me non ex definito id defendere, quod in Græcis legeram, ſed ea expreſſiſſe quæ legerem, ut lectoris judicio derelinquerem, utrum probanda eſſent, an improbanda.* Ex quo deſumi poteſt communis ſolutio pro aliis, ſi quæ in ſcriptis hujus S. Doct. minùs conſone ad veritatem dicta reperiantur. Qua tamen ſolutione parcè; & non niſi cum ſufficienti fundamento utendum eſt, ne nimia circa hoc permiſſa licentia, Hieron. auctoritas ubique infringatur. Regula autem circa hoc obſervanda ea videtur, quam ipſe tradit Aug. Epiſt. cit. his verbis: *Si quid igitur reprehenſione dignum putaveras in explanatione noſtra, eruditionis tuæ fuerat quærere, utrum ea quæ ſcripſimus, haberentur in Græcis: ut ſi illi non dixiſſent, tunc meam propriè ſententiam condemnares.*

Vindicatur ab illis. D. Hieron. Idem. Idem.

59 Sed quamvis hæc ſolutio ſit probabilis, & neceſſaria pro aliis Hieron. locis; pro eo tamen, de quo agimus, ex dialog. adverſus Pelag. magis placet illa, quam adhibet Marian. Victor. in ſcholiis ad illum locum n.33. dicens, S. Doctorem loqui de Chriſtianis, qui in gratia decedunt: dicuntur autem in peccato præventi, quia moriuntur poſt peccata commiſſa, & non dimiſſa quoad pœnam: quam quidem luent in purgatorio, & poſtea ad cœlum evolabunt.

Marian.

Cæterum cujuſcumque fuerint prædictæ hæreſes, haud dubitandum eſt, eas fuiſſe à diabolo excogitatas, & peccatoribus ſuggeſtas, ut excluſo timore æternitatis pœnæ, irrefrænate labantur. Quod rectè explicuit D. Gregor. lib.34. moral. cap.16. ad illa verba Job 41. *Æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem, &c. Leviathan itaque iſte* (inquit) *æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem, quia reproborum corda ſic infatuat, ut ſuſpicionem eis de venturo judicio, quod quaſi finiatur, infundat. Abyſſum namque ſeneſcere exiſtimat, qui terminari quandoque in ſupplicii ſupernam animadverſionem putat. Itaque antiquus iſte perſuaſor in mentibus iniquorum futuras pœnas quaſi certo fine determinat, ut eorum culpas ſine termino corruptionis extendat, & eo magis peccata non finiunt, quò exiſtimant peccatorum ſupplicia finienda. Sunt enim qui idcirco peccatis ſuis ponere finem negligunt, quia habere quandoque finem futura ſuper ſe judicia ſuſpicantur.* ¶ Sufficiunt autem ad prædictos errores evertendos teſtimonia Scripturæ, quæ adduximus, & præſertim locus Matth.25. in quo omnes iniqui, ſive fidem habuerint; ſive non, manifeſtè comprehenduntur: cum non ideo reprehendantur, quia non crediderunt, ſed quia debita pietatis, & miſericordiæ opera non fecerunt: *Eſurivi enim, & non dediſtis, &c.* cum quorum ſupplicio dæmoniorum pœnas perpetuas futuras eſſe oſtenditur, dum dicitur: *Ite in ignem æternum; qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.*

D. Gregor. Iob 41. Matth. 25.

60 Sed quia diximus, utramque præcedentem veritatem intelligi debere de lege communi, adeòque non opponi illis, quod Deus ex ſpeciali privilegio cum aliquo, vel aliquibus ſi voluerit in prædicta lege diſpenſet, ut vel mortui in peccato mortali non damnentur, vel damnati jam ab inferno eruantur: videndum eſt, an de facto aliquando ita contigerit. Quod enim Deus de lege abſoluta id facere poſſit, nec modò unum, vel alterum, ſed damnatos omnes ab obſtinatione & pœnis extrahere, & gratia, pœnitentia, & charitate ornatos ad beatitudinem transferre, minimè dubitandum eſt: cum ejus omnipotentia lege aliqua ligata non ſit, in omnibus quæ contradictionem non implicant. Quod verò ad factum attinet, rejiciendus eſt in primis antiquus error aſſerens, Chriſtum cum ad inferos in triduo mortis deſcendit, non modo Sanctorũ animas in limbo exiſtentes ſecum eduxiſſe, ſed etiam damnatos omnes, aut ſaltem plures à pœnis & loco inferni extraxiſſe. Hunc errorem refert Caſtro lib.8. verbo *infernus* hæreſ. 2. nec tamen ejus aſſignat auctorem; niſi quod N. Guido tribuit eum Armeniis. Sed nec D. Aug. mentionem illius faciens lib. de hæreſibus hæreſ. 79. auctoris meminit. Nec meminerat D. Philaſtr. qui eundem errorem retulerat. Videtur autem illi adfavere Clem. Alex. lib.6. ſtromatum circa medium; & auctor hiſtoriæ, quam referunt Anaſtaſ. Antioch. & Nizetas in orat.41. Nazianzeni: ubi narratur, Platonem crediſſe Chriſto ad inferos deſcendenti, indéque cum eo ad cœlum evolaſſe. Sed falſitatem prædicti erroris oſtendit D. Thom. 3. p. q.52. art.6. & 7. ubi contrariam veritatem demonſtrat. Hiſtoria verò illa de Platone apochrypha & fabuloſa eſt: cum omni fundamento careat: & neque ab auctoribus illam adducen-

Dubitatio. Error rejiciendus. Caſtro. D. Auguſt. D. Philaſtr. Clem. Alex. Anaſtaſ. Antioch. Nizetas. D. Thom.

Digitized by Google

adducentibus probetur, ſed ſolùm referatur.

61 Adhuc tamen prædicto errore excluſo, occurrunt aliunde non levia fundamenta ad affirmandum, Deum aliquando in ſupradicta lege cum aliquibus diſpenſaſſe. Fertur enim de

Trajani hiſtoria quàm ſit probabilis.

Trajano Auguſto, quòd precibus B. Greg. quingentis ferè annis poſt ejus obitum fuerit à pœnis & damnatione liberatus: quem utpotè idololatram & Eccleſiæ perſecutorem dubitandum non eſt fuiſſe in peccato mortali defunctùm. Et quamvis hujuſmodi caſum aliqui negent; ſufficeret ad probabilitatem illi conciliandam teſtimonium D. Ioan. Damaſceni in orat. de fidelibus defunctis, ubi illum expreſsè affirmat his verbis: *Hic* (ſcilicet D. Greg.) *intenſiſſimas pro peccatorum Trajani remiſſione preces ad animarum amantem & miſericordem Dominum fudit: iſtàtimque vocem divinitùs emiſſum audivit. Preces tuas audivi, ac Trajano ignoſco: tu vero poſthàc caveto ne mihi pro impiis ſupplex ſis. Quòd quę iſtud verum ſit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens teſtatur.*

Damaſcen.

Admittunt etiam veritatem, aut ſaltem probabilitatem prædictæ hiſtoriæ D. Thom. in 1. diſt. 43. q. 2. art. 2. q. 1. & apertiùs in 4. diſt. 45. q. 1. art. 2. q. 1. ad 5. & Quæſt. 6. de Verit. art. 6. ad 4. Abulenſ. in 4. lib. Reg. c. 4. q. 57. Vincent. in ſpeculo hiſtorial. lib. 22. c. 22. Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth. annotat. 4. Navarro in Enchirid. c. 22. Medina 3. p. q. 52. art. 6. Hieron. de Zevallos in libello, cui titulus *Arte Real*, ubi refert Auguſt. de Anconà de poteſt. Eccl. q. 32. art. 3. Caſanæum in Cathalog. glor. mund. p. 5. conſiderat. 52. Illeſcam in vita S. Greg. Et idem tenent plures alii, quos refert Alphonſus Chacon, Ordinis Prædicatorùm in libello ſive Apologia de hac re conſcripta, ubi veritatem hujus hiſtoriæ cùm ex prædictis auctoribus, tùm ex aliis fundamentis omnino ſibi convincere videtur. Et ſaltem negari non poteſt, illa quæ ab hoc auctore & ab aliis afferuntur, ſimul collecta magnam huic ſententiæ tribuere probabilitatem. Adeóque non ſine temeritate Cæſar Baronius tom. 8. ad annum Chriſti 600. inter fabuloſas & commentitias prædictam hiſtoriam reiicit dicens, *riſu potius deſpicandam eſſe, quàm aſſertatione ſeria confutandam.*

D. Thom.
Abulenſ.
Vincent.
Sixtus Sen.
Navarro.
Medina.
Chacon.
Baron.

62
Occurritur dubitationi.

Sed re verà ſive prædictæ hiſtoriæ aſtruatur fides, ſive negetur; aſſerendum eſt, optimò cóponi cum iis, quæ ex fide & Theologia cóperta habemus; quòd Deus in lege de qua loquimur, aliquãdo & non ſemel diſpenſaverit. Quod ut intelligatur, animadvertendũ eſt, dupliciter poſſe Deum habere ſe cũ illo, qui ab hac vita in peccato mortali decedit. Vel ferẽdo ſtatim ſuper examinata ejus causa finalem ſententiam, prout merita exigunt, qua illum reum pœnæ æternæ declaret, ſuppliciòque luendo in inferno detrudat. Vel ſuſpendendo quoad ſibi placuerit, prædictam finalem ſententiam, & recludendo illam animã in aliquo ſibi noto loco, aut etiã in ipſo inferno, ubi vel ſub pœnis degat, vel nullã pœnam ſuſtineat. Quodlibet enim iſtorũ erit Deo poſſibile, cum nullam contradictionẽ involvat. Secundò nota, dupliciter poſſe intelligi, quòd Deus animã illius defuncti ex quolibet prædictorum locorũ liberaret & ad cælum perduceret: nimirùm aut immediatè ſine reditu ad corpus, ſed conferendo illi in ſuã ſeparatione gratiam, & peccati ſtatũ auferendo, ut illinc ad cælum & Dei viſionem immediatè aſcenderet. Vel mediante reditu ad proprium corpus per reſurrectionẽ, qua huic vitæ reſtituatur, ut in ea & in corpore conſtituta, peccata defleat, & gratiã aſſequatur; ac tandem è vita iterum excedendo ut cæteri juſti præmium beatitudinis recipiat.

63
Prima poſitio.

Loquendo ergo de illis in peccato defunctis, ſuper quorũ cauſa Deus finalem & diffinitivam ſententiã tulit, atque ex hoc decreto inferni ignibus addixit, non credimus, aliquẽ fuiſſe poſtea inde liberatum, aut ad beatitudinem perductum, ſive immediatè, ſive mediante reditu ad hanc vitã. Ratio verò eſt, quia quilibet in peccato mortali decedẽs, ex vi illius ſtatus meretur pœnã æternã; & nulla non æterna eſt illi proportionata, ut infra oſtendemus: unde vel Deus nõ debet tũc judicare de illo abſolutè & finaliter, prout merita exigunt, vel debet eum decreto abſoluto & efficaci pœnæ æternæ addicere: cũ quo decreto utpotè omnino immutabili ſtare nequit, quòd illa pœna de facto & in executione æterna nõ ſit: ſicut nec decretũ aliud abſolutũ & efficax; quo aliter diſponatur de tali peccatore.

Secunda.

Quòd ſi dixeris, poſſe Deum judicare illũ, & non juxta merita, ſed mitiùs quàm peccata merentur, adeò quòd determinando illi pœnã temporalem in inferno damnatorum luendam, qua finita reſpiciat eum cũ miſericordia; Reſpondetur, eo ipſo prædictũ judicium non fore finalem ſententiam; ſiquidem dat locum alteri, quo aliter judicetur. Et licèt nõ negemus, poſſe Deũ prædicto modo determinare pœnã temporalem ut in inferno damnatorum luendam, poſt cujus durationẽ peccatorem illum ad vitam revocet: credimus tamẽ, rariſſimè aut nunquã à prædicto loco Deũ aliquem extraxiſſe, aut alium aliquẽ præter finaliter condemnatos in eo recluſiſſe. Cõmunis enim Scripturæ, Eccleſiæ, & Sanctorũ vox eſt, quòd in inferno nulla eſt redẽptio: quia qui ſemel illuc deſcẽdit, nunquã inde exibit. Et ideo pro nullo, quẽ certò ibi eſſe cõſtet, licet Deum orare, ut vel eum ad vitã revocet, vel ad beatitudinem transferat. Quod tamen licitum non eſſet, ſi ſufficienti fundamento haberemus, conſueviſſe Deum cum aliquibus ibi exiſtentibus in lege cõmuni diſpenſare. Accedit, quòd inter multos qui ad vitam revocati ſunt, etiãſi cõſtet eos in peccato mortali obiiſſe, neminẽ legimus teſtatũ, quòd fuerit in inferno damnatorũ, illorúmque pœnas & deſperationẽ ſuſtinuerit. Signũ ergo eſt, nullũ in eo loco collocatũ, aut nõ niſi rariſſimũ inde poſtea evaſiſſe.

64 Dicimus ſecundò, negari non poſſe, aliquos qui ex hac vita in peccato mortali migrarunt, tandem æternam beatitudinem fuiſſe conſequutos; non quidẽ de numero illorum, qui ut finaliter dãnati in inferno concluſi erant; ſed aliorũ quibuſcum Deus diſpenſavit, ut non ſtatim poſt mortem finaliter & abſolutè judicarentur, & dãnarentur; ſed ut finale ſuper eorum cauſa judicium, quaſi nondum plenè perorata lite, & cauſa examinata, ſuſpenderetur: ſervarentúrque eorũ animæ à corpore ſeparatæ pro tempore illius dormitionis in aliquo alio loco, unde poſteà ad hanc vitã & ad propria corpora revocatæ in ipſis pœnitentiã agerẽt, & gratiam acciperent: in qua tandẽ iteratò mortui cum cæteris juſtis beatitudinẽ cóſequerentur. Hæc poſitio, quæ eſt D. Thomæ locis ſtatim referendis, non videtur poſſe negari. Nã ex tãta multitudine mortuorũ, quos Chriſtus Dominus & Apoſtoli, apoſtolicique viri uſque modò reſuſcitarũt, negari nõ poteſt plurimos in peccato mortali obiiſſe: præſertim cũ nõ pauci fuerint idololatræ & infideles.

Quis

Quis autem dicet, omnes iſtos in eodem vel alio peccato mortali iterum fuiſſe mortuos; & non potiùs aliquos ex eis pœnitentiæ & meriti tempus & opportunitatem nactos, gratiam & beatitudinem comparaſſe? Sanè juvenem illum ſceleſtum & infidelem Præfecti Sophronii filium, quem precibus B. Agnetis legimus reſuſcitatum, ſatis conſtat in peccato mortali vitam finiſſe: eum verò poſtquàm reſuſcitatus eſt, ad fidem converſum & idolorum cultum deteſtatum, refert D. Ambr. ſerm. 90. Simile quid ait D. Aug. lib. de origine anim. ad Renatum c. 10. de quodam puero fratre S. Perpetuæ martyris, qui cum ſine Baptiſmo, adeóque in peccato mortali deceſſiſſet, precibus ſororis fuit ad vitam revocatus. Falconillam etiam defunctam in peccato mortali (erat enim gentilis & idolorum cultrix) narrat S. Ioann. Damaſcen. orat. cit. precibus primæ martyris B. Teclæ fuiſſe reſuſcitatam, & ſalutem (utique animæ) conſequutam: Poſſemúſque hujus rei plurima exempla adducere, quibus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſuperabundant: cum tamen nulla ratione probari poſſit, omnes ita reſuſcitatos, in peccato mortali & non aliquos in gratia iterum obdormiſſe.

D. Ambr. D. Auguſt. S. Ioannes Damaſcen.

65 T[illegible]. Tertiò dicimus, neminem ex prædictis fuiſſe immediatè ab inferno vel eo loco, ubi per primam mortem detentus manſit, ad beatitudinem tranſlatum: ſed mediante reſurrectione & reditu ad hanc vitam, ubi anima in corpore degens, per baptiſmum vel pœnitentiam ſtatum peccati exuerit, & gratiam receperit: in qua tandem obdormiens, ad beatitudinem pervenerit. Etenim quamvis conſiderata potentia Dei abſoluta, non repugnet tranſlatio illa immediata: quia tamen nulla utilitas ex ea in vivos, utpotè ipſis ignota, redundaret, neque ad eorum exemplum vel ædificationem, aut ad Dei laudem conduceret; aliàs etiam inter cœlum ubi ſunt beati, & ea loca ubi peccatores detruduntur, magnum Chaos firmatum ſit, ut nullus vel inde huc tranſire, vel hinc illuc poſſit tranſmeare, ut dicitur Luc 16. nulla prudens ratio ſuadet contra cõmunes divinæ providentiæ leges prædictam tranſlationem admittere. Eo præſertim quia anima, quæ in peccato mortali deceſſit, quandiu eſt ſeparata à corpore, manet inflexibilis & obſtinata in malo, adeóque incapax ex natura rei pœnitentiæ & diſpoſitionis ad gratiam: non ergo expedit ut in tali ſtatu Deus alicui gratiã infundat, & gloriam communicet. Accedit, quòd in caſibus ita miraculoſis & ſupra omnes divinæ providentiæ leges nobis notas, temerariũ & illicitũ eſt aliquid aſſerere, niſi aliqua ſpeciali notitia aut ſucceſſu innoteſcat. Cum ergo uſque modò nulla ad nos notitia pervenerit, aut caſus aliquis innotuerit, unde colligere poſſimus, prædictã immediatam tranſlationem fuiſſe aliquando à Deo factã (quæcunque enim ex hiſtoriis afferuntur, exponuntur ſufficienter de tranſlatione mediata) temerè & irrationabiliter ſimilem tranſlationẽ aſtrueremus.

Luc 16.

66 *Traiani liberatio quomodo intelligenda.* Ex dictis verò habetur, quo ſenſu accipienda ſit ſupradicta Trajani hiſtoria, ut probabili fide non careat. Non enim exiſtimandũ eſt, illum in ſuo primo obitu fuiſſe finaliter abſolutè condẽnatũ, & ut talem inferni ignibus traditum, ſed finale ejus judiciũ mãſiſſe ſuſpenſum: animam verò vel in ipſo inferno damnatorum inter eorum flammas, vel (quod veroſimilius credimus) in aliquo alio loco (quamvis neque ibi ſine tormento & ſupplicio) toto illo tempore uſque ad D. Greg. ſeparatã à corpore manſiſſe: tunc verò precibus S. Doctoris ab eo loco & pœnis erutã, non tamen immediatè ad cælum tranſlatam, ſed reſtitutã ſuo corpori per reſurrectionẽ ad hanc vitam, in qua ſaltẽ brevi ſpatio in ipſo corpore degens, baptiſmũ, fidem, & gratiã ſuſceperit, in eáque iterũ obdormiens ad cælum evolaverit. Quæ eſt doctrina D. Thom. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ubi ſic ait *Dicendum, quòd de facto Trajani hoc modo poteſt probabiliter exiſtimari, quòd precibus B. Greg. ad vitã fuerit revocatus, & ibi gratiã conſequutus ſit per quam remiſſionem peccatorum habuit, & per conſequens immunitatem à pœna Sicut etiã apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculosè à morte ſuſcitati, quorum plures conſtat idololatras & dãnatos fuiſſe. De omnibus enim dici oportet, quòd non erant in inferno finaliter deputati, ſed ſecũdum præſentem juſtitiam propriorum meritorum: ſecundùm autem ſuperiores cauſas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat de eis aliter diſponendũ.* Idem dixerat in 1. diſt. 43. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 5. ibi. *Dicendũ, quòd idem eſt de Trajano, qui fortè poſt 400. annos ſuſcitatus eſt, & de aliis qui poſt unum diem ſuſcitati ſunt. De omnibus enim dicendum eſt, quòd non finaliter damnati erant: præſciebat enim Deus, Sanctorum precibus à pœnis liberandos, & vitæ reſtituendos,* &c. Videatur etiam Quæſt. 6. de Verit. art. 6. ad 4. ex objectis ſecundo loco. ¶ Refert autem Hieron. de Zevallos in libello ſupra citat. fol. 12. animã Trajani manſiſſe in ejus lingua, emortuo reliquo ejus corporis: tẽporéque D. Greg. lingua detecta, Baptiſmũ poſtulaſſe, & recepiſſe. Huic tamẽ relationi modica eſt fides, parvique faciẽda eſt.

D. Thom. *Idem.*

Tertiò ut certum in hac materia ſupponi debet, pœnam æternam, quã Deus de facto punit peccatum mortale, debitam eſſe illi ex ſe & ex proprio demerito: ita ut nihil fiat ibi ſupra cõdignum; ſed potiùs lex juſtitiæ in illa obſervetur. Quãvis enim Deus utpotè ſupremus omnium Dominus poſſet abſque inordinatione ulla torquere in perpetuũ, quem vellet hominẽ vel Angelũ, etiamſi nullum peccatũ cõmiſiſſent, ob hoc dumtaxat ut ſupremũ ejus dominium manifeſtaretur, & divina voluntas in ea manifeſtatione adimpleretur: de fide tamen habemus, neminẽ de facto à Deo puniri vel torqueri ſine demeritis, aut ultra ipſa demerita: præſertim pœna æterna, quæ ordinari nequit ad bonũ illius qui punitur, ſicut ordinatur ſæpè pœna tẽporalis. Ob id nãque Sap. 1. dicitur: *Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione viventium.* Et c. 11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti:* quia Deus ex ſe, & niſi peccatis provocetur, nulli creaturæ infert malũ; ſed omnes amat, & omnibus communicat bona. Ob id etiam in tota Scriptura oſtenditur maximè liberalis & pronus ad miſerendũ, tardus verò ad puniendũ: quia ad illud movetur ex ſeipſo, ſua tantùm liberalitate & miſericordia actus; ad hoc verò non ita, ſed peccatis & demeritis noſtris provocatus, ac proinde non ampliùs quàm peccata ipſa expoſtulant.

67 *Aliud omnino certũ.* *Sap. 1 & 11.*

Neque obeſt, ſi obiicias verba Gloſſæ ordin. in illud Pſ. 71. *Ex uſuris & iniquitate,* &c. ubi inquit, uſuras eſſe peccata, *quæ nobis cum magno fœnore pœnas pariunt: Deus enim plus exigit in pœnis, quàm cõmiſſum ſit in culpis.* ¶ Reſpondetur enim exceſſum iſtum pœnæ ad culpã ſolùm attendi inter illas materialiter, videlicet quantùm ad acerbitatem doloris qui ſentitur in pœna, reſpectu delectationis vel utilitatis quam peperit culpa: ſentiet enim dãnatus acerbiſſimum

Pſalm. 71. Gloſſa.

&

Digitized by Google

& æternum dolorem pro delectatione vel utilitate modica & breviſſima. Non autem vult, menſuram pœnæ; quam Deus infligit, quantumvis graviſſima & longiſſima ſit, excedere demeritum culpæ, aut eſſe ſecundùm juſtam appretiationem majorem, quàm illa mereatur.

68 Denique ut certum ſupponimus, æternitatem per ſe ſolùm correſpondere peccato mortali: venialia verò per ſe loquendo nequaquàm eam exigere, ſed puniri ſufficienter pœna temporali; adeo ut ſi æterna per ſe plecterentur, id non eſſet ex condigno, neque ex juſtitia. Cujus rationem reddit D. Th. in hac eadem quæſt... art. 5. quia videlicet, cùm peccatũ veniale non deſtruat gratiã, neque tollat ordinem ad ultimũ finem, relinquit in anima illæſum principium hujus ordinis, quod eſt ipſa gratia: & ita non eſt per ſe malum irreparabile aut irremiſſibile; ſed potiùs reparabile & remiſſibile: ipſaque gratia, quã in ſubjecto relinquit, poſtulat ut aliquando totaliter reparetur & remittatur: ſicut poſtulat, ut ſubjectũ in quo eſt, ad viſionem Dei aliquando perveniat: eſſet enim cõtra naturam & inclinationem ipſius gratiæ; quæ eſt *aqua ſaliens in vitam æternam*, ut non ad eam aliquando perveniret. Quin imo eadem gratia per actus ſuarum virtutũ operatur ſufficienter peccatorũ venialium remiſſionem, ſicut ſufficienter illorũ inordinationem deteſtatur, conjungitque Deo animam & voluntatem. Diximus *per ſe loquendo &c.* quia an per accidens propter conjunctionem ſcilicet ad peccatum mortale peccata venialia fiant pariter irremiſſibilia, ſicque eorum pœna interminabilis & æterna reddatur, dicemus inferiùs n. 73. Quare ſiquid in præſenti ut nonnulli difficultati obnoxiũ examinandũ occurrit, conſiſtit penes efficaciã rationum, quibus prædictã pœnæ æternitatem, quam pro mortali culpa fides aſtruit, conantur oſtendere.

D. Thom.

§. II.

Ratione D. Thomæ dubium expeditur.

69 Dicendum eſt, ſufficienti ratione oſtendi, quòd peccato mortali debeatur pœna æterna lege juſtitiæ. Probationem hujus concluſionis (quàm omnes catholici unanimiter recipiunt) continet articulus tertius præſentis quæſtionis: ejuſque doctrina omnes expoſitores ad intentum utuntur. Ratio verò in illo cõtenta, conſiſtit in hoc quòd omne peccatum mortale tollit ab anima ordinem ad ultimum finem, qui eſt per gratiam & charitatem: ſecluſo autem ab homine prædicto ordine, nihil in eo remanet, per quod deordinatio peccati poſſit reparari: adeoque efficitur malum quantùm eſt ex ſe irreparabile, & dignum ut nunquam remittatur, ac proinde ut ſemper & in æternum puniatur: manente enim cauſa, quæ eſt inordinatio culpæ, manere etiam debet effectus, qui eſt reatus & condignitas pœnæ. Quam rationem, licèt minùs expenſam tradit A. Doctor lib. 3. contra gent. cap. 144. & in 2. diſt. 42. q. 1. art. 5. & in 4. diſt. 46. q. 1. art. 3.

Ratio aſſertionis.

D. Thom.

Pro cujus intelligentia nota ex dictis n. 21. quòd cum pœna ex divina juſtitia ordinetur ad reparandum ordinem rationis, quem culpa pervertit, tandiu neceſſe eſt, ut debitum pœnæ ſeu reatus ejus permaneat, quãdiu manſerit perverſio facta per culpam. Si namque manẽte adhuc prædicta perverſione ex parte culpæ, reatus pœnæ finiretur, minus pulchritudinis & decoris boni honeſti poſſet divina juſtitia univerſo reſtituere, quàm culpa pervertere. Cum enim hujuſmodi reſtitutio non aliter quàm per pœnam ex juſtitia fieri poſſit, deeſſet utique huic facultas ad illam faciendam, ſi ex parte culpæ non maneret condignitas pœnam ſuſtinendi. Quin etiã malitia juſtitiam deviciſſet, ſi illa adhuc ſuperſtite, deeſſet huic jus inſurgendi in eam, & in ejus perverſionem animadvertendi. Debet igitur quãdiu culpæ inordinatio duraverit, manere in divina juſtitia jus & facultas ad illã puniendam, ac proinde debitum & reatus in peccatore pœnam ſuſtinendi. ¶ Deinde nota, per quodlibet mortale peccatum tolli ab anima gratiã & charitatem, & relinqui in illa averſionem voluntariã à Deo fine ultimo, quæ eſt ipſum peccatum habituale, eſtque perverſio ordinis rationis, quo anima & voluntas habitualiter deberet eſſe Deo ſubjecta, quæ quidẽ perverſio non aliter auferri poteſt quàm per infuſionẽ gratiæ, in cujus privatione conſiſtit, juxta dicta diſp. præced. dub. 5. Quandiu igitur ille qui mortaliter deliquit, manet gratia deſtitutus, tandiu ejus peccatũ irremiſſum, imò in ſenſu cõpoſito irremiſſibile permanet: tandiúque illa perverſio & malitia habitualis in qua cõſiſtit, fundat inſolubilem reatũ & condignitatem ad pœnam. ¶ Tertiò nota, privationem gratiæ, quantùm eſt ex vi & meritis peccati, per quod inducitur, eſſe perpetuã & irreparabilem: quia tale peccatũ nullum relinquit in peccatore principiũ, per quod gratia reſtitui poſſit, neque aliunde adeſt debitũ, ut aliquando reſtituatur.

Expenditur.

Ex his dignoſcitur vis rationis D. Thomæ, quæ in eo conſiſtit: quia cùm peccatum mortale privet animam gratia habituali, & hæc privatio ſit ipſa macula & inordinatio habitualis, quæ fundat reatum & condignitatem ad pœnam, tandiù manere debet hujuſmodi reatus in peccatore, quandiu prædicta privatio in eo manſerit: hæc autem ex ſe & ex meritis ipſius peccati eſt perpetua, quia nihil in ſubjecto relinquit, per quod poſſit auferri: ergo etiam prædictus reatus, quantum eſt ex meritis peccati, habet eſſe perpetuus, adeòque exigens ut pœna perpetuò & æternaliter infligatur. 70

Nec refert, quòd per divinam miſericordiam poſſit gratia reſtitui, & peccatũ habituale auferri, quo ablato non manebit prædictus reatus. Non itaque hoc refert, tũ quia hæc miſericordia nõ eſt juxta merita peccati, ſed omnino ſupra illa: unde non tollit, quominùs attento eo quod peccatum ex ſeipſo affert, inducat reatum pœnæ æternæ. Tum etiã quia adhuc ex divina miſericordia reſtitutio gratiæ & peccati remiſſio non habent locum niſi reſpectu viatoris: ſemel nãque anima à corpore in peccato ſeparatã, præcluditur remiſſioni locus; quia per ipſam ſeparationem voluntas peccatoris obſtinatur in malo, fitque inflexibilis & irrevocabilis ad bonũ: undè etiam ejus peccata fiunt non ſolùm ex ſe, ſed abſolutè irremiſſibilia & perpetua, ac proinde condigna ut in perpetuum puniantur.

Confirmatur: nam qui incurrit aliquod debitum, tandiu manet ſub reatu, quandiu vel ipſe non ſolvit, vel creditor nõ remittit: ſed ille qui in peccato mortali diſcedit ab hac vita, neque unquam ſolvit debitum pœnæ, quod peccando incurrit, neque ei aliquando à Deo dimittitur: igitur manebit in perpetuũ ſub reatu talis pœnæ, ac proinde dignus ut ipſa pœna in æternũ protrahatur. Major & conſequentia conſtant. Cõfirmatio.

Minor

Minor verò probatur quoad primam partem: quia ut peccator prædictum debitum ſolveret, deberet offerre pœnam ſeu ſatisfactionem Deo acceptabilem: quandiu enim Deus ſatisfactionem alicujus non acceptat, ipſe non ſolvit: Deus autem non acceptat opus aut pœnam ejus qui exiſtit in peccato: quippe nihil extrà gratiam paſſum vel factum habet eſſe Deo acceptabile; ſed omnia fiunt ei acceptabilia per ipſam gratiam: & ideo dicitur Eccleſ. 34. quòd *Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, neque in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis*: non igitur homo extra gratiam manens, ſolvit unquam prædictum debitum. Quoad ſecundam etiam conſtat, quia omnis remiſſio apud Deum eſt ſimiliter effectus gratiæ & meritorum Chriſti, quæ per eam applicantur: unde qui omnino eſt extrà gratiam, exors manet talis remiſſionis. *Eccleſ. 34.*

71 Sed obiicies, quòd ratio æternitatis pœnæ aſſignanda eſt ex parte peccati actualis, potiùs quam ex parte habitualis: nam pœna directè & per ſe primò correſpondet demerito, & cum illo proportionatur: meremur autem, ſeu demeremur actibus potiùs quàm habitibus; imò habitibus neque meremur, neque demeremur, ut eſt commune axioma: non ergo prædicta ratio fuit ſufficienter aſſignata per ſolum reſpectum ad permanentiam peccati habitualis.

Diluitur. Reſpondetur, ſufficienter aſſignari prædictã rationem etiã ex parte peccati actualis, aſſignata ſemel ex parte habitualis. Tum quia peccatũ habituale non eſt aliud niſi quidam terminus ex actuali relictus, & pro eo ſubſtituens: utpotè in quo ipſum peccatũ actuale virtualiter conſervatur & permanet: unde ſicut unicum & idem demeritum eſt utriuſque peccati, unius quidem ut cauſæ à qua provenit, alterius verò ut termini in quo conſervatur: ita unica ratione utrique peccato æternitas pœnæ correſpondet, quatenus durante in perpetuum peccato habituali, conſervatur in eo demeritũ actualis. Tum quia licèt peccatũ actuale cum ſua actuali inordinatione phyſicè tranſierit, moraliter tamen & in Dei abominatione ſemper permanet, dum ab eo non remittitur, & à voluntate propria non retractatur: quòd autem non retractetur, neque remittatur cauſa eſt ipſum peccatũ habituale, cum quo non compatitur talis retractatio aut remiſſio. Sicut ergo eadem ratio quæ probat æternã durationem peccati habitualis, oſtendit ſimul æqualem permanentiã moralem & virtualem peccati actualis non retractati: ita ipſamet ratio quæ reſpectu illius probat cõdignitatem pœnæ æternæ propter prædictam durationem, probat ſimiliter reſpectu iſtius.

72 Obiectio alia. Obiicies ſecundò, ſequi ex prædicta ratione, quòd etiam peccata venialia in damnatis punienda ſint pœna æterna, non ſecùs ac mortalia; hoc autem non videtur verum: ergo, &c. Sequela ex cõ liquet, quia dum homo pro peccatis venialibus nõn ſatisfacit, aut Deus illa non remittit, ſemper conſervat reatũ ſuæ pœnæ, ut per ſe notum: quæ autem in damnatis ſunt, nunquã à Deo remittuntur, nec damnati ipſi pro illis ſatisfaciunt: quippe neque ſatisfactio neque remiſſio locum habent, ubi deeſt gratia: ſemper ergo manebit in eis reatus & condignitas, ut puniantur. Minor verò probatur, tum quia Deus nullũ peccatum punit majori pœna, quàm ſit ejus demeritũ, imò ſemper punit mitiori; & ob id dicitur quòd *punit citra condignum*: peccatum autem veniale non meretur niſi pœnam temporalem, majorem vel minorem juxta ſuam gravitatem: ergo in nullo caſu debet pœna æterna puniri. Tum etiã quia ex eo quòd peccatum veniale mortali jungatur, non trahitur extrà ſuum genus venialis; neque tranſit ad genus mortalis; aut plus aliquid malitiæ accipit, quàm haberet ſecundùm ſe & ſolitariè ſumptum: igitur non debet ob prædictã conjunctionem longiori pœna plecti, quàm ſecundùm ſe, & ſeparatũ manens plecteretur: quæ proculdubiò eſſet pœna temporalis.

Confirmatur: nam ex eadem ratione fieret, quòd ſi peccator, cui dimiſſum fuit aliquod mortale quoad culpam, & non quoad totam temporalem pœnam, ante hanc plenè ſolutã in aliud mortale relabatur, & ſic decedat; non ſolùm pro hoc mortali in quo moritur, ſed etiam pro illo dimiſſo vapulabit in perpetuũ: quippe cujus nullam Deus ſolutionem aut paſſionem acceptet; ac proinde nunquam ſolvat pœnam illam, quæ ſecundùm ſe foret temporalis: hoc autem nimis durum videtur: ergo, &c. Cõfirmatur obiectio.

Reſpondetur ad objectionem concedendo ſequelam. Ita quidẽ ut peccato veniali in prædicto caſu non per ſe, ſed per accidens competat pœna æterna puniri: ex cõjunctione ſcilicet cũ peccato mortali, ex qua redditur irremiſſibile, quæ conjunctio advenit illi per accidens. Quæ doctrina licèt negetur ab Scoto in 4. diſt. 21. & ejus ſequacibus: eſt tamen cõmunis, & D. Th. nõ ſolùm quatenus ex ejus ratione formata in hoc dub. legitimè infertur, ut objectio probat: ſed etiã quia ita expreſsè aſſerit art. 5. hujus q. in ſolut. ad 3. & q. 7. de Malo art. 10. ubi in corp. concludit. *Veniale peccatũ non meretur pœnã æternam ex ſpecie ſua, neque ex parte inhærentiæ ad ſubjectũ per ſe loquendo, quia non privat gratia: ſed per accidens fit irremiſſibile peccato mortali conjunctũ, in quantum eſt in ſubjecto privato gratia: & ſic per accidens punitur pœna æterna.* Eodẽ modo loquitur in Solut. argumentor. Et q. 5. etiam de Malo art. 2. ad 8. ibi. *Peccatum veniale in eo qui decedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æterna pœna punitur, propter gratiæ carentiam: & ſimili modo eſſet, ſiquis decederet cum originali & veniali peccato.* In 4. verò diſt. 21. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. id magis explicat his verbis: *Culpa non poteſt ordinari niſi per pœnã, quia Deus nihil inordinatũ relinquit, ideo nunquã culpam ſine pœna dimittit. In illis autẽ qui damnantur non poteſt aliqua pœnã dimitti, neque aliquis reatus tolli, cum careant charitate per quam & culpa purgatur, & reatus tollitur: & ideo culpa venialis in eis ſemper manebit: vel reatus ejus ſi etiã ante peccatũ mortale veniale dimiſſum fuiſſet quantùm ad culpã, manente reatu, & propter hoc æternaliter damnati de venialibus punientur.* Aliam rationem ſatis efficacem reperies in Compend. Theolog. c. 182. S. Doctorem ſequuntur communiter ejus expoſitores ad artic. 5. præſentis quæſt. ubi Cajetan. & Medina Alvar. diſp. 185. Greg. Martin. dub. unic. Curiel dub. 1. Zumel. diſp. unic. concluſ. 1. Monteſin. diſp. 17. q. 3. concluſ. 1. Vazq. diſp. 141. c. 2. Durand. citata diſt. 21. q. 2. Capreol. in 4. diſt. 16. q. 1. art. 3. ad primum arg. contra 3. concl. Et plures alii.

73 Solutio obiectionis.

Scotus. D. Thom.

Idem.

Idem. Caietanus. Medina. Alvar. Martin. Curiel. Zumel. Monteſ. Vaſq. Durand. Capreol.

74 Quare ad primam probationem in contrarium majori concesſa, reſpondetur ad minorem cum Cajetano, peccatum veniale ſecundùm ſe poſtulare pœnam temporalem negativè, quatenus ſecundum ſe non poſtulat ut ejus pœna ſit æterna. Quòd autẽ poſitivè poſtulet ut finiatur

vel

Digitized by Google

vel ut perpetuo duret, provenit illi ex cōditione ſubjecti: quod ſi ſit in gratia, ſollicitat pro remiſſione culpæ venialis, & pro pœnæ ejus abſolutione; ſi vero ſit extra gratiā, utrique irremiſſibilitatem confert. Itaque peccatū veniale conſiderari poteſt tripliciter: vel ut connotat, ſubjectū eſſe acceptum Deo per gratiam: vel ut connotat, quod ſit illi exoſum & inimicum per peccatum mortale: vel ſolùm ſecundùm ſe, ut ab utraque connotatione præſcindit. Primo modo determinatè exigit pœnā temporalem & excludit æternā: quia ipſa gratia, cui coëxiſtit, poſtulat, ut tale peccatū aliquando remittatur, & ejus pœna, vel in hac vita vel in purgatorio ſoluta, finiatur: ſicut poſtulat, ut ſuppoſitū in quo eſt, perveniat aliquando ad claram Dei viſionē, quæ nec culpā aliquam, nec alicujus pœnæ reatum ſecū admittit. Secundo modo poſitivè exigit pœnā æternam: quia ab ſtatu ſubjecti Deo exoſi fit tale peccatū irremiſſibile in ſenſu cōpoſito prædicti ſtatus: & dum non remittitur, ſemper fundat reatū pœnæ, & licèt ipſum peccatū veniale ex ſe non poſtulet permanentiam ſubjecti in eo ſtatu, ſufficit tamen quod eam poſtulet peccatū mortale, cui eſt conjunctum, ut talis permanentia etiam in ipſum peccatum veniale & ejus pœnam irremiſſibilitatē, adeóque perpetuam durationem refundat: quamvis totum hoc ſit ei per accidens, ſicut eſt prædicta conjunctio. Tertio modo peccatū veniale nullam ex prædictis durationibus ſuæ pœnæ determinat, ſed habet ſe præciſivè & indifferenter (ſaltem pro hoc ſtatu naturæ lapſæ) quia, neque excludit gratiā, quæ eſt remiſſionis principium, neque eam poſtulat: ac proinde neque fundat irremiſſibilitatem, neque inducit remiſſionem. Quo contra ſe habet peccatū mortale: quia cū per ſe excludat gratiā, per ſe etiam poſtulat non remitti, & per ſe inducit perpetuam ſui irremiſſionem: dum conſtituit ſubjectum in tali ſtatu, cui nunquam deberi poſſit remiſſio.

Diximus *ſaltem pro hoc ſtatu naturæ lapſæ*, ubi ſubjectum venialis culpæ nequit non eſſe in peccato mortali, vel in gratia: quia ſi utroque careret, ut in natura pura, non ita negabimus, peccatum veniale ſi tunc fortè ante mortale committeretur, determinatè exigere pœnam temporalem: quamvis non tot ex capitibus ſicut poſtulat, dum eſt cum gratia: nam tota ratio ob quam modò & exigat pœnam æternam, & non exigat temporalem, eſt conjunctio ad peccatum mortale: quæ in præſenti ſtatu neceſſariò concomitatur abſentiam gratiæ.

Per quod patet ad ſecundam probationem: quod enim pœna peccati venialis ex conjunctione ad mortale reddatur æterna, non oritur ex aliqua additione aut incremento malitiæ, ſed ex mutatione ſtatus, & ex conditione ſubjecti: ex quibus provenit, ut illa qualis qualis malitia quæ ſecundùm ſe eſſe poterat cum principio remiſſionis, & remittit per illud, ob defectum talis principii nunquam remittatur.

75 Solutio cōfirmationis. Durand. Scotus. D. Thom. Ad confirmationem poteſt ſimiliter concedi ſequela. Licet enim Scot. abſolutè illā neget; cōceditur tamen ab aliis, & à D. Th. in eod. 4. diſt. citata, ut cōſtat ex verbis quæ nuper retulimus. Neque id nimis durū videatur: quia qui debet ſive parū ſive multum, & nunquam ſolvit, ſemper manet ſub reatu & obligatione ſolvendi: dānatus autē nunqā ſolvit reſiduū illud pœnæ tēporalis, quia nullā affert ſolutionem Deo acceptabilem & condignam: quid ergo mirū, ſi ſemper maneat ſub obligatione ſuſtinēdi talem pœnam, ſemperque eam ſuſtineat? ¶ Diximus poſſe negari ſequelā, quia adhuc in via D. Th. poſſet probabiliter concedi, ut indicat S. Doct. in 4. diſt. 22. q. 1. art. 1. ad 5. ubi reddit diſparitatē inter caſū hujus cōfirmationis, & illum aliū de peccato veniali non dimiſſo quoad culpā, his verbis: *Sed hoc non videtur ſimile: quia veniale ideo in inferno æternaliter punitur, quia ſemper manet, cum non ſit ibi aliquid, quod culpam delere poſſit: ſed pœna ex hoc ipſo quod ſolvitur, expiatur. Et ideo alii dicunt quod pœna, cujus eſt aliquis debitor poſt culpam remiſſam, in inferno punietur temporaliter: Nec propter hoc ſequitur quod ſit in inferno redemptio, quia pœna quæ ſolvitur non redimitur:* Fortè tamen D. Thom. non hic loquitur aſſerendo ex propria ſententia, ſed dubitando ex aliorum opinione. Et ideò magis ſtandum videtur primæ ſolutioni ex diſt. 21. q. 1. art. 2. q. 3. Cujus verba nuper adduximus.

Sed urgebis, quid ſi puer non mundatus à peccato originali, antequam in aliquod mortale laberetur, committeret aliquod veniale, cum quo & cum ſolo originali moreretur? Sanè in hoc caſu non videtur futurā æterna pœna ſenſus illius peccati venialis, quia nullus aſſignabilis eſt locus, ubi puer perpetuò illam ſuſtineat: neque enim in limbo puerorum, quia ibi nulla eſt pœna ſenſus, ſed ſola pœna damni: neque in purgatorio, quia hoc nō eſt perpetuū, neque in eo puniuntur niſi fideles, qui in gratia & charitate decedunt, ut affirmat Concil. Florent. decret. de purgatorio: ergo, &c.

Reſpōdetur ex D. Th. loc. cit. ex q. 5. de mal. caſū apud nos eſſe impoſſibilē de lege ordinaria: quoniam puer in peccato originali exiſtens, perveniensque ad uſum rationis, nequit priùs peccare venialiter; quā vel convertatur in Deū per actum dilectionis ſuper omnia, eaque converſione ab originali mūdetur; vel in omiſſione talis cōverſionis mortaliter delinquat, ac proinde cum novo peccato mortali, & non cum ſolo originali moriatur: niſi priùs utriuſque remiſſionem accipiat, de quo infrà diſp. ult. Quod ſi abſolutam Dei potentiā ſpectemus, juxta quam non ita repugnat prædictus caſus (omiſſis variis ſolutionibus quas adducunt Alvar. Monteſ. & alii expoſitores D. Th. hoc loco) reſpondetur, ad divinam providentiam pertinere deſignare locū aptum, in quo decedens cum ſolo peccato veniali & originali, pœnam ſenſus veniali correſpondentem perpetuò ſuſtineat, etiamſi ad id neceſſe ſit novum ſitū à tribus numeratis diverſum pro prædicto effectu inſtituere: ſicut enim caſus propoſitus eſſet extraordinarius & præter leges communes, ſic etiam ſpecialem & extraordinariam providentiam requireret. Eſſet autem divinare, velle nos determinare talem locum, vel ſinum, cum ejus electio ex ſola libera Dei voluntate dependeat, quæ circa prædictum caſum nihil nobis manifeſtavit. Concilium Florentin.

§. III.

Examinantur aliæ rationes æternitatis pœnæ pro culpa mortali.

REduximus vim præcedentis rationis ad irremiſſibilitatem, ſive durationem culpæ mortalis, quatenus dum irremiſſa permanet, ſemper fundat pœnæ reatum. Quæ ſanè ratio non tam oſtendere videtur gravitatem culpæ 76

Digitized by Google

mortalis, quàm ejus durationem: quippe etiam venialis ſi nunquam remittatur, prædictum reatum ſemper inducet. Quare ut etiam ipſa gravitas ex dignitate æterni ſupplicii reluceat, examinandum duximus, an ex ea ſola oriri valeat condignitas pœnæ æternæ: adeò ut ſufficientem hujus habeamus rationem pro qualibet culpa mortali, conſiderando dumtaxat gravitatem malitiæ, quæ invenitur in quòlibet tali peccato, dum actu fit, ſine reſpectu vel ad moralem ejus permanentiam, vel ad maculam quam poſt ſe in perpetuũ duraturam relinquit.

Rationes pro parte negativa. D. Thom.

Igitur non deduci ſufficienter prædictæ pœnæ rationem ex ſola gravitate culpæ mortalis ſine recurſu ad irremiſſionem & ad durationem maculæ, videtur probari. Tum ex D.Th.art.4. hujus q. in ſolut. ad 3. ubi ait, durationem pœnæ reſpondere durationi culpæ, non quidem ex parte actus, ſed ex parte maculæ, quæ quia per ſe irreparabilis eſt, ex ſe habet quòd perpetuò duret, & ideò debetur ei pœna æterna. Et art. 5. ad 3. *Æternitas pœnæ non reſpondet quantitati culpæ, ſed irremiſſibilitati ipſius.* Tum etiam quia ſi ex gravitate culpæ haberetur ſufficiens ratio æternitatis pœnæ, non ſiluiſſet D.Th. hanc rationem, nec recurreret ad ſolam durationem maculæ, & ad irremiſſibilitatem ejus art. 3. hujus q. ubi ex profeſſo rem agit. Præſertim cum ratio illa ex gravitate deſumpta potiſſima videatur. ¶ Tum præterea nam ut pœna ſit juſta, debet eſſe culpæ proportionata & adæquata, ut dicitur Deut. 25. (Deut. 25.) *Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Unde qui pro leviſſima culpa acerbiſſimam ſtatueret pœnã, non juſtus, ſed crudelis diceretur: atqui pœna æterna non eſt proportionata gravitati culpæ mortalis, cũ hæc ſit ſimpliciter finita, utpotè in actu finito exiſtens; illa verò ſimpliciter infinita, ut quæ nunquam finietur: ergo, &c. ¶ Denique ſi daretur pœna infinita ſecundum intenſionem, duratione verò finita, non pluris haberetur, neque acerbior judicaretur, quàm pœna intenſivè limita, infinita autem ſecundùm durationem, qualis eſt pœna æterna; imò plures illam primam eligerent, ut hanc ſecundam vitarent: ſed gravitas culpæ mortalis non eſt tanta, quæ mereatur pœnam ſimpliciter infinitam quoad intenſionem: ut ex D.Th. dub. ſeq. videbimus: igitur neque merebitur pœnam æternam, quæ eſt infinita ſecundùm durationem. Unde huic parti ſubſcribunt Scot. in 4. diſt. ult. Conrad. in præſenti in comment. art. 4. nonnullique alii. (Scotus. Conrad.)

77 Prima ratio pro affirmativa. D. Thom.

Contrarium verò ſuadere videntur tres rationes, quibus D.Th. utitur lib. 3. contra gent. c. 144. ubi ſic ait. *Naturalis æquitas hoc habere videtur, quòd unuſquiſque privetur bono, cõtra quod agit: ex hoc enim reddit ſe tali bono indignum: & inde eſt quòd ſecundùm civilem juſtitiam qui contra Rempublicam peccat, ſocietate Reipublicæ privatur omnino vel per mortem, vel per exilium perpetuum: nec attenditur, quanta ſit mora temporis in peccando; ſed quid ſit contra quod peccavit: eadem autem eſt comparatio totius vitæ præſentis ad Rempublicam terrenam, & totius æternitatis ad ſocietatem Beatorum, qui ultimo fine æternaliter potiuntur: qui ergo contra ultimum finem peccat, & contra charitatem, per quam eſt ſocietas Beatorum & tendentium in beatitudinem, in æternum debet puniri; quamvis aliqua brevi temporis mora peccaverit.*

Hæc ratio, ut ex ea liquet, nõ innititur durationi aut irremiſſibilitati culpæ mortalis, ſed ejus gravitati & actuali malitiæ: nam ratione iſtius independenter ab illis inſurgit peccator contra finem ultimum, & contra bonũ æternũ, & agit contra charitatẽ, per quam eſt ſocietas perpetua Beatorũ: & ex hoc ipſo reddit ſe indignum prædictis, ſeu dignum ut illis privetur ſine ſpe ulla recuperationis: ac proinde privatione perpetua. Quod efficaciter confirmat exẽplum ex humanis deſumptum, ubi pro culpa momentanea contra bonum Reipublicæ commiſſa juſtè aliquis punitur morte, aut exilio, quo ſocietate & bonis ipſius Reipublicæ privatur in perpetuũ: nec ſolùm cadit ſub demerito prædictæ culpæ privari utcunque hujuſmodi bonis; ſed ita illis privari, ut nunquã ei, attenta ejus culpa, & non accedente nova gratia, reſtituantur. An verò hæc ratio cũ ſua cõfirmatione in noſtro caſu ſolùm procedat de pœna damni, vel etiam de pœna ſenſus, conſtabit num. 84. (80 Dilucidatur ratio ſuperior.)

78 Secunda ratio. D.Thom.

Secundam rationem ponit D.Th. his verbis *Apud divinũ judiciũ voluntas pro facto cõputatur: quia ſicut homines vident ea quæ exterius aguntur, ita Deus inſpicit hominũ corda: qui autẽ propter aliquod temporale bonũ averſus eſt ab ultimo fine, qui in æternũ poſſideretur, præpoſuit fruitionẽ temporalem illius boni tẽporalis æternæ fruitioni ultimi finis: unde patet, quòd multò magis voluiſſet in æternũ illo bono temporali frui: ergo ſecundùm divinũ judicium ita puniri debet, ac ſi æternaliter peccaſſet: nulli autẽ dubium ẽſt, quin pro æterno peccato æterna pœna debeatur: debetur igitũr ei qui ab ultimo fine avertitur, pœna æterna.* (Idem.) ¶ Ad hanc rationẽ reducitur ea, quam ex D.Greg. lib. 4. Dialog. c. 44. adducit A. Doctor in præſent. art. 3. ad 1. dicẽs: *Juſtũ eſt ſecundùm Gregor. quòd qui in ſuo æterno peccavit contra Deũ, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in ſuo æterno peccaſſe non ſecundùm cõtinuationem actus in tota hominis vita durantis, ſed quia ex hoc ipſo quòd finẽ in peccato conſtituit, voluntatẽ habet in æternum peccandi.* (D.Gregor. D.Thom.) Quæ etiam ratio ſatis ad intentum videtur: nam omnia illa quibus innititur, nempe appretiatio & prælatio boni temporalis ſupra æternum, hujus contemptus & poſthabitio, necnon voluntas & affectus perpetuò fruendi ipſo tẽporali bono, perpetuóque in peccatò manendi, conveniunt culpæ mortali ratione ſuæ gravitatis actualis & independenter à majori vel minori ejus duratione.

79 Difficultas hujus rationis.

Sed ingerit difficultatẽ illa prima propoſitio *Apud divinũ judiciũ voluntas pro facto cõputatur:* illatióque inde facta, videlicet quòd *ſi pro peccato quod æternum eſſet, debita fuiſſet pœna æterna, etiã debebitur pro affectu æternaliter peccandi.* Hæc igitur illatiò cũ ſuo antecedenti ſtatim difficultatem afferunt: quia nõ ſemper affectus cõmittendi aliquod peccatum eſt æqualis malitiæ aut demeriti cũ peccato, quod volũtas cõmittere affectat. Siquis enim per unicũ inſtãs eliciat propoſitũ odio habẽdi tota vita proximũ vel Deũ, à quo propoſito ſtatim vel citò reſipiſcat, nõ eſt dicendum, hujuſmodi propoſitũ fuiſſe æqualis malitiæ, aut meruiſſe æqualẽ pœnã, atque eſſet, & mereretur ipſum odiũ tota vita exercitũ. Imò illudmet propoſitũ eſſet lõgè pejus, & graviori pœna dignũ, ſi duraret per integrum diem, aut menſem; quàm ſi ſolùm duret per inſtans, vel per horã. Non ergo apud divinũ judicẽ quilibet peccandi affectus ita judicandus aut puniendus eſt, ſicut judicaretur & puniretur executioni mandatũ opus peccaminoſũ, quod voluntas affectat. Atque adeò ex eo quod peccatũ perpetuo durans æterna pœna eſſet puniendum, non infertur, affectum perpetuo peccandi breviſſimè

Digitized by Google

breviſſimè durantem, ſtatimque finitum meritorum eſſe ejuſdem pœnæ. Eo præſertim quia malitia illius peccati perpetuò durantis eſſet ſimpliciter infinita ratione infinitæ durationis; quæ verò reperitur in affectu momentaneo, etiamſi ſit affectus peccandi in perpetuum, ſimpliciter eſt finita & limitata: non ergo apud æquum judicem æqualis pœnæ duratio utrique eſt decernenda.

80 *Dilucidatur ratio. Ferrara.* Hæc tamen non enervant prædictam rationem, compellunt verò, ut vim ejus declaremus, ne vel nimiùm probans, vel inefficax videatur. pro quo nota ex Ferrara loco cit. propoſitioně D.Thomæ, *Apud divinum iudicium voluntas pro facto computatur &c.* intelligi de volũtate abſoluta & efficaci in eo, in quo eſt efficax: qui enim hoc modo habet voluntatem furandi aut occidendi, quamvis per accidens prohibitus ab aliquo, nõ occidat vel furetur, ita judicabitur apud Deũ, eidemq; pœnæ addicetur (ſaltẽ loquẽdo de pœna primaria & principali ſive dãni ſive ſenſus) ac ſi de facto opera illa commiſiſſet. Deinde nota, quòd voluntas ſeu volitio incluſa in quolibet peccato mortali, quamvis nõ ſẽper ſit efficax & abſoluta in ordine ad omnia quæ cõcernit: ſẽper tamẽ eſt talis in ordine ad aliquid, ſcilicet in ordine ad hoc quod eſt avertere voluntatem à Deo, averſione quãtùm eſt ex ſe, perpetua, & cõvertere ad bonũ creaturæ ſicut ad finẽ ultimum, converſione ſimiliter perpetua quãtùm eſt ex ſe: nam per quodlibet peccatum mortale ſine recurſu ad aliam cauſam relinquuntur in volũtate prædictæ cõverſio & averſio perpetuo duraturæ, quantum ex ipſis & niſi divina gratia ſupra omne debitum removeantur. Unde quantùm ad iſtum effectum quodlibet peccatum mortale, etiã breviſſimè finitum, computatur apud Deum, ac ſi æternaliter duraret: quia non minus ex ſua illa breviſſima duratione cauſat prædictã averſionem & converſionem, datque illis vim, ut perpetuo permaneant, quàm cauſaret aliud quod perpetuo maneret. Cũ quo tamen ſtat in ordine ad alia, ſicut eſt incremẽtum malitiæ actualis ex duratione deſũptum, & augmẽtum demeriti prædicto incremento correſpendens, peccatum parvo tempore durans non adæquetur illi quod diù permaneret, neque apud divinum judicem pro eo computetur: quia voluntas ibi incluſa vel non concernit iſtum effectum, vel in ordine ad eum non eſt efficax & abſoluta.

Hinc depromitur vis rationis D.Thom. nam pro peccato actuali perpetuo durante juſtè tribueretur pœna perpetua, non ſolum ratione actualis malitiæ, quæ tunc perpetua eſſet: ſed etiam ratione converſionis & averſionis habitualis, quæ inde perpetuo orirentur: cum ergo quantum ad hunc effectum quodlibet peccatũ mortale importet voluntatem efficacem & abſolutam, conſequens eſt ut apud divinum judicem omne tale peccatum pro æterno computetur, & non ſecùs ac ſi æternum eſſet, in æternum puniatur. ¶ Illa vero quæ prædictam rationem impugnare videbãtur, non obſunt: quia non procedunt de effectu quem diximus, ſed de incremento malitiæ ſumpto ex duratione & de augmento demeriti illi correſpondente in ordine ad quæ voluntas incluſa in peccato mortali minoris durationis, non eſt efficax & abſoluta, ſed ad ſummum conditionalis & inefficax, & ita neque pro facto computanda.

81 Nec obeſt, ſi dicas iam hic fieri recurſum ad durationem perpetuam malitiæ habitualis conſiſtentis in prædicta averſione & cõverſione ex ſe perpetuis: ergo hac via non oſtenditur demeritũ pœnæ æternæ ex ſola gravitate quaſi intenſiva culpæ mortalis, indepẽdenter à duratione: nec differt hæc ratio ab illa, quam §. antec. adduximus eidem durationi innixam.

Reſpondetur enim, nos hac via nõ recurrere ad maliciam habitualem quaſi ad rationem formalem, propter quã pœna æterna peccato mortali debeatur: ſed dicimus, hujuſmodi rationem eſſe ipſum peccatum actuale ob ſuam actualem malitiã, ſecundùm id quod habet prout primò fit, quatenus pro tunc includit affectum perpetuo in peccato manendi abſolutum & efficacẽ quoad effectum quem diximus: ratione enim hujus efficaciæ poteſt prædictus affectus dici *æternus* virtualiter & æquivalenter: reputaturque apud Deum pro æterno in ordine ad pœnæ deſignationem. Quia tamen prædicta efficacia & æquivalentia non intelligitur niſi per reſpectum ad averſionem & converſionem ex ſe perpetuas, quas infert, ideo ad has recurrimus tanquam ad ſignum & effectum talis efficaciæ, non vero tanquam ad rationem fundantem demeritum æternitatis pœnæ: ut recurit ratio, quam §. præced. expendimus. *Diluitur.*

Tertia ratio ad idem ſic proponitur à D. Thom. cit. cap. 144. *Eadem iuſtitiæ ratione pœna peccatis redditur, & bonis actibus præmium: præmium autem virtutis eſt beatitudo, quæ quidem eſt æterna: ergo & pœna qua quis à beatitudine excluditur debet eſſe æterna.* Hæc autem ratio ſumpta ex paritate inter pœnam & præmium, & inter meritum utriuſque, ſatis efficax videtur: quia non minor proportio exigitur inter meritum & præmium, ut hoc ex condigno debeatur; quàm inter demeritum & ſupplicium, ut iſtud ex juſtitia applicetur: ſi igitur actus charitatis, v.g. finitæ & limitatæ bonitatis, finitæque & ſæpè momentaneæ durationis, habet ſufficientem proportionem ad merendum de condigno præmium æternum; nullóque omnino temporali, quantumvis aliàs magno adæquatè remuneraretur: non eſt cur peccatum mortale quantúmvis momentaneum, finitæque malitiæ ſit, non habeat ſimilem proportionem ad æternum ſupplicium promerendũ, ita ut ſervata lege juſtitiæ poſſit illo puniri. ¶ Eo præſertim quia quod actui charitatis de condigno debeatur præmiũ æternum, provenit ex eo, quod per talem actum conſtituit voluntas in Deo finem ultimum, appretiat ipſum ſuper omnia, & vult illi perpetuo adhærere: cum igitur totum id per oppoſitum habeat peccatum mortale, dum voluntas per illud conſtituit finem ultimum in bono creaturæ, affectatque adhærere illi in perpetuum: conſequens eſt, ut non minùs juſtè & condignè pœna æterna puniatur. 82 *Tertia ratio. D.Thom.*

Adde quartam rationem ex eodem D. Th. in 4. diſt. 46. quæſt. 1. art. 3. quæ licèt non ita directè, evidentiùs tamen quàm præcedentes, aſſumptum perſuadet. *Poteſt* (inquit) *& alia ratio aſſignari, quare pœna peccati mortalis ſit æterna: quia per illud contra Deum qui eſt infinitus, peccatur: unde cum non poſſit eſſe pœna infinita per intenſionem, quia creatura non eſt capax alicuius qualitatis infinitæ, requiritur ut ſit ſaltem duratione infinita.* Itaque hæc ratio ſupponit, peccatũ mortale quo pacto eſt contra Deum, eſſe malum quaſi intenſivè infinitum, & ratione hujus infinitatis condignũ eſſe pœna ſimiliter infinita: 83 *Ratio alia ex eodem D.Thom.*

Digitized by Google

unde quia pœnæ æternitas æquivalet infinitæ intenſioni, juſte pro ea commutatur, & ejus loco infligitur.

Sed dices: vel eſt ſermo de peccato mortali quantùm ad rationem divinæ offenſæ, vel quantùm ad rationem malitiæ moralis? Primo modo non reſpondet illi pœna, ſed ſatisfactio, ut dicemus dub. ſeq. unde ex hoc capite, quantumvis ſit infinitum, non habetur quòd poſſit æterna pœna puniri, ſed ſolùm quòd ſatisfactio exhibenda pro illo debeat eſſe infinita. Secundo autem modo non eſt infinitum ſimpliciter, neque debetur ei pœna infinita intenſivè, etiam ſi hæc eſſet poſſibilis, ut ibi etiam dicemus: igitur neque ex iſto capite poteſt ejus pœna in æternam commutari.

Reſpondetur, ſermonem eſſe de peccato ſecundùm primam rationem. Ad impugnationem verò dicendum eſt, quòd quamvis pœna directè & per ſe non correſpondeat offenſæ, quæ Deo irrogatur, ſed malitiæ exiſtenti in peccatore; indirectè tamen poteſt illi applicari, & cum ea adæquari: quia poteſt perſona offenſa, dum ei alia ſatisfactio non exhibetur, pœnam æquivalentē loco ſatisfactionis exigere: & judex debitorē compellere, ut eam pœnam ſolvat, ſi alia via non ſatisfacit. Ut ſiquis debeat centum, nec ſit ſolvendo, poterit creditor longo tempore illum incarceratum detinere, & ſatisfactionem in hāc pœnam commutare. Quod potiſſimè locum habet in ſatisfactione, quæ reddenda eſt non pro accepta pecunia, ſed pro injuriis & offenſis irrogatis ſive Deo ſive hominibus: quippe harum ſatisfactio per ſe poſtulat fieri per abjecta & pœnalia.

84 *Iudicium de prædictis rationibus.* His quatuor rationibus ſufficienter probari videtur condignitas pœnæ æternæ reſpectu peccati mortalis ex ſola ejus gravitate, ſine recurſu ad durationem in ſe vel in ſua macula. Non tamen omnes illas æquè efficaces arbitramur. Nam prima quantùm ad pœnam damni, & ultima quoad utramque pœnam damni & ſenſus, ſatis efficaciter intentum convincunt: adeò ut opus non ſit ad alias recurrere. Secūda verò & tertia ſuadent idem de utraque pœna valde probabiliter: unde non oberit, quòd probabiliter etiam ſolvi aut impugnari valeant: ut accidit in omnibus quæ ſolùm probabiliter aſſeruntur. Neque enim D. Th. ſolis demonſtrativis rationibus ſemper uſus fuit: ſed aliquas probabiles aut veroſimiles ſæpè adhibuit. Præſertim in ſumma contra gent. ubi (ut obſervat Cajet. 1. p. q. 25. art. 1.) omnibus viis utitur ad veritates fidei gentibus perſuadendas: *Caiet.* & ideo quandoque ex certis, quandoque autem ex probabilibus aut veroſimilibus; imò & aliquando ex falſis, ab ipſis tamen Philoſophis gentilibus conceſſis, ad eos convincendos argumenta deſumit. Quocirca manifeſtè eſſet cōtra S. Doctorem, omnes ejus rationes ut æquè efficaces, vel ut demonſtrativè convincentes velle defenſare. Iis verò quas adduximus, novā vim addet doctrina, quam trademus num. 87.

§. IV.

Diluuntur adducta in contrarium.

85 *Occurritur teſtimoniis D. Thom.* ADduximus n. 76. aliqua contra id quod reſolvimus. Ad quorum primum quod erat D. Th. in præſent. art. 4. ad 3. reſpondetur, S. Doctorem in illa ſolutione propterea recurriſſe ad maculam ex peccato actuali reductam, nō verò ad ipſum peccatum actuale, quia nitebatur reddere rationē æternitatis pœnæ, ex illo capite ubi evidentiùs apparet, uti eſt correſpondentia ad æqualem durationē culpæ, quæ ſanè duratio non in actu peccati, ſed in ſola macula formaliter reperitur: per hoc tamē non negavit, poſſe etiā deſumi ſufficientem rationē prædictæ æternitatis ex ipſa gravitate actus, præciſo adhuc ordine ad durationem & ad maculam.

Et eodem ferè modo dicendum eſt ad ſecundum ex art. 5. Non enim ibi negat, quod in ipſa quantitate ſeu gravitate culpæ mortalis fundetur ſufficienter demeritū pœnæ æternæ: ſed intendit, quòd latitudini extenſivæ hujus pœnæ non correſpondet in actu æqualis latitudo intenſiva: nam hæc formaliter eſt finita, cum tamen illa ſit formaliter infinita: atque adeò proportionem & adæquationem inter prædictam pœnam & culpam aliunde ſumendam eſſe, quàm ex prædicta correſpōdentia. Poteſt verò ex variis capitibus deſumi: quorum primum & evidentius aſſignat ibi D. Thom. nempe irremiſſibilitatem & æternam durationem maculæ peccati. Alia verò quæ in illa ſolutione non tangit, aſſignat aliis locis à nobis adductis.

D. Thom. Ad tertium ex eodem D. Thoma dicas, etiam ex profeſſo rē egiſſe lib. 3. cōtra gent. cap. 144. & in 4. diſt. 46. ibiq; tradidiſſe cæteras rationes à nobis adductas. Propterea verò in hac quæſt. in corpore art. 3. prælegit illam, quæ ſumitur ex duratione maculæ, quia evidentiùs intentū demonſtrat: cæteras verò majori difficultati obnoxias, ſummæ Theologiæ brevitati conſulens, prætermiſit. Quamvis non omnino tacuerit primam & ſecundam, quas §. præced. adduximus, ut conſtat ex ſolutione ad primum.

Ad quartum ex ratione, juxtà eam quam expendimus ultimo loco, facilis eſt ſolutio: quia cum peccatum mortale in ratione offenſæ ſit ſimpliciter infinitum, non excedit ejus proportionem pœna æterna: non enim in plus eſt æternum, quàm infinitum. Per quod patet juxtà eandem rationem etiam ultimum. Neque D. Th. negat, aut nos negabimus, poſſe pro offenſa loco ſatisfactionis pœnam infligi: dicemus tamen, illud cui directè & per ſe pœna correſpondet, eſſe malitiam ſeu inordinationem peccati, & non offenſam. 86 *Satisfit rationibus.*

Sed ut alias rationes, quæ ſine recurſu ad infinitatem offenſæ, ex ipſa gravitate culpæ mortalis in ratione malitiæ ſuadent condignitatem pœnæ æternæ, ſaltem ut valde probabiles tueamur, reſpondetur ſecundò, inter culpam & pœnam non requiri æqualitatē quoad omnia, & præſertim quoad formalem durationē: ſiquidem adhuc in humanis judiciis videmus, pro breviſſimo delicto perpetuam vitæ privationē aut perpetuum exiliū ſæpè infligi: ſufficit ergo quòd in peccato mortali ſit affectus perpetuò peccandi, aut manendi perpetuò in peccato, ut n. 80. eſſe diximus: nam hujuſmodi affectus virtualiter & æquivalēter poteſt dici *æternus*: computaturque apud æternum judicium, ac ſic eſſet æternus formaliter, ut ſupra expendimus. *Alia ſolutio.*

Adde, quòd etſi pœna æterna ex natura rei & ante ſententiam judicis non eſſet proportionata, ſed ſuperexcedens reſpectu culpæ mortalis, propter hujus brevitatem, & illius infinitam durationem: eo ipſo tamen quòd divinus judex talem pœnam pro prædicta culpa incurrendam ſtatuat, cadet tota ſub 87

ejus

ejus demerito. Pro quo nota, quantitatem alicujus pœnæ, ut juſta ſit, non ſemper attendi ex ſola culpæ quantitate aut duratione: ſed ſæpe ex judicis ſententia major vel minor pœna pro æquali culpa conſtituitur: qua conſtitutione ſemel facta, tota illa pœna quamvis alias major quàm culpa videatur, juſtè infligitur committenti ipſam culpam: ut juſtè infligitur pœna mortis pro facto commiſſo, quamvis hoc minus malum videatur: quia lege ſancita eſt talis pœna pro furto. Etenim qui contra legem delinquit, voluntariè ſe exponit toti pœnæ, quam lex ipſa in trangreſſores determinavit eoque ipſo tribuit jus legiſlatori aut judici exigendi ab eo totam illam pœnam, cui ſe exponit, ſive æqualem ſive longè majorem quàm culpa: nihilque aliud eſt totam illam pœnam mereri, quàm ſe illi voluntariè exponere.

Porrò judex aut legiſlator in ſtatuendo pœnas (ut per hoc quædam replica diluatur) non præcisè attendit gravitatem aut deordinationē hujus vel illius particularis culpæ ſecundùm ſe ſpectatæ; ſed attendit etiam alia, quæ boni communis interſunt: ut quòd homines metu pœnarum à peccatis cohibeantur, inducanturque ad virtutem: potiſſimùm verò ut divinæ majeſtatis offenſæ, quæ ſummum & infinitū malum continent, pro viribus caveantur. Unde totam eam pœnam juſtè ſtatuere poteſt, quæ in ordine ad prædictos fines congrua & neceſſaria ſibi videatur, ſive finitæ durationis ſive infinitæ: quippe etiā finis ad ità decernendum importat ſaltē ex parte vitationis divinæ offenſæ aliquid infinitum. Quia ergo ad id congrua non eſſet pœna minor quàm æterna: nam homines facilè contemnerent quamlibet pœnam futurā temporalem, ut præſenti voluptate fruerentur, juſtè ſtatuta eſt pro culpa mortali pœna æterna.

88 *Replica.* Dices, nos initio hujus ſecundæ ſolutionis decreviſſe non recurrere in ea ad infinitatem divinæ offenſæ; modò verò ad hanc recurrimus: *Diluitur.* ergo inconſequenter procedimus. § Reſpondetur, recurſum hujus ſolutionis ad infinitatem divinæ offenſæ, non eſſe ut ad rationem pro qua pœna infligatur, ſeu quæ fundet ejus reatum & demeritum: hanc enim rationem ſolùm dicimus eſſe malitiam & deordinationem in actu peccati repertam: ſed eſſe dumtaxat ut ad finem & motivum prohibendi ipſam malitiam & deordinationem ſub tanta pœna. Semel namque facta hac prohibitione ex illo vel alio motivo per ſe ad id ſufficiente; eadem malitia & deordinatio exigunt, ut prædicta pœna puniantur, independenter a punitione vel ſatisfactione exhibenda pro offenſa.

Alia replica. Dices ſecundò: ſequitur ex doctrina tradita, quòd etiam pro peccato veniali, attenta ejus gravitate, poſſet Deus ſtatuere pœnam æternam, & quod ea ſemel ſtatuta caderet ſub demerito talis peccati. Hoc autem non videtur admittendum: quia cum peccatum veniale non excludat gratiam, & hæc poſtulet ad beatitudinem aliquando pervenire; fieri non poteſt, ut ex vi prædicti peccati juſtè aliquis privetur in perpetuum ipſa beatitudine: uti privandus eſſet, ſi æterna pœna puniretur. *Enodatur.* ¶ Reſpondetur negando ſequelam, attenta præcisè lege juſtitiæ. Quamvis enim Deus utendo ſupremo ſuo dominio, poſſit juſtum peccantem venialiter, imò & quemlibet innocentiſſimum deſtinare ad pœnam æternam, & de facto in illa detinere: nequaquam tamen id poſtularet lex juſtitiæ, aut hæc ibi ſplenderet: ſed ſolùm prædictum dominium, cui jure ſervitutis omnis creatura debet eſſe pleniſſimè ſubjecta: eſſetque ſufficiens motivum ad honeſtandam illam pœnam ſive pœnalitatē manifeſtatio prædicti dominii, & adimpletio divinæ voluntatis.

89 Ratio verò ob quam id non fieret ex lege juſtitiæ, facilè reddi poteſt: quia prædicta lex poſtulat, ut judex in ſtatuendo pœnam, attendat vel quantitatem culpæ: ſtatuátque proinde pœnam illi adæquatam: vel propria motiva, quæ judex ut talis debet attendere: ut quòd pœna illa neceſſaria eſt ad majora mala cavenda, & commune bonum conſervandum: ſi verò totū hoc deficiat, nequibit judex aut legiſlator majorem pœnam decernere, quàm ſit gravitas culpæ: proindéque ſi eam decernat, non ut judex procedet, ſed ut ſupremus dominus, ſi talis ſit; vel iniquè aget. Neutro verò modo illa erit pœna propriè dicta: quia hæc non datur ubi non eſt demeritum & condignitas ſecundum legem juſtitiæ. Porrò ad ſtatuendam pœnam æternam pro culpa tantum veniali, neque Deus moveri poteſt ex quantitate ipſius culpæ, ut eſt per ſe notum, neque ex amore conſervationis boni communis: nam potiùs hoc bonum poſtulat, ut ea pœna non ſit. Poſtulat enim, ut ille qui eſt in gratia, ſi eam non amittat (ſicut amittere nequit per ſolum veniale) aliquādo ad beatitudinem perveniat: nunquam verò ad eam pervenire, ſed manere ſemper ſub pœna, eſſet violentū ipſi gratiæ: quæ cum ſit fons aquæ ſalientis in vitam æternā, violenter & contra propriam inclinationē illa in perpetuū privaretur: non poteſt autē conſervatio boni cōmunis exigere aliquid, quod violentū ſemper ſit in ordine gratiæ. *Ioan. 4.* Neque etiā poteſt eſſe ſufficiens motivum ad ſtatuendā illam pœnā vitatio aliorū peccatorum graviorum, ſcilicet mortaliū: quia huic motivo ſufficienter conſultum ibit, ſi pro ipſis mortalibus talis pœna decernatur: neque prudens legiſlator debet graviſſimas aut prolixiſſimas pœnas pro leviſſimis culpis decernere, ob id ſolùm ut graviores evitentur; ubi pro hoc alia ſupereſt via ſatis efficax, ſicut eſt illa quam tetigimus: nimirùm quòd pro ipſis culpis gravioribus tales pœnæ aſſignentur. § Adde, quòd ſi Deus alicui interdiceret ſub cōminatione pœnæ æternæ, ea quæ nunc ſunt peccata venialia, eo ipſo mortalia redderentur, & qui illa deliberatè cōmitteret, mortaliter delinqueret: quia mortalis culpa eſſet nō vereri tantū Dei ſupplicium, aut velle potiùs carere in perpetuùm divina viſione, & manere ſemper ſub pœna quantumvis leviſſimæ intenſionis; quàm ab interdictis illis abſtinere. Aliæ objectiones afferri poſſent ad ſuadendū, non deberi peccato mortali pœnam æternam: quas brevitatis cauſā omittimus, quia vel ſolutæ ſunt à D.Th. art. 3. *D.Thom.* hujus quæſt. vel ex dictis facilè diluentur.

DUBIUM IV.

Utrùm peccato mortali debeatur pœna infinita ſecundùm quantitatem?

90 HOc dubium quod directè reſpondet art. 4. hujus q. ex ejus doctrina decidendum eſt. Pro quo ut certum ſupponimus, pœnam, qua de facto punitur à Deo culpa mortalis, nō eſſe ſimpliciter infinitam ſecundùm quantitatem, ſeu

intenſivè (quantitas enim hic pro intenſione accipitur) quia nulla qualitas aut res alia, quæ poſſit habere ratione pœnæ, capax eſt augmenti, vel intentionis infinitæ, ut docent communiter Theologi & Philoſophi, probantque N. Complut. lib. 5. Phyſic. diſp. 18. q. 6. Ex quo etiam ut certum ſupponimus, quod neque Deus de facto eam pœnã pro peccato aliquo decrevit: quia certum eſt, pro nullo decreviſſe pœnam impoſſibilem. Quare ſolum inquirimus, an tanta ſit gravitas & malitia culpæ mortalis, ut quantum eſt ex ſe, poſſit fundare reatũ pœnæ infinitè intenſæ, itaut ſi hæc eſſet poſſibilis, ab illius demerito expoſtularetur, nullaque finitæ & limitatæ intenſionis illud adæquaret. Dupliciter autem poteſt aliquid dici infinitũ. Vel intrinſecè & formaliter: & hoc eſt *infinitum ſimpliciter*, quia in ſe ipſo habet intenſionem, vel magnitudinem infinitã: ſicut habent perfectiones divinæ & valor operum Chriſti Domini. Vel extrinſecè & terminativè: eo quod licet in ſe finitum ſit, reſpicit tamen objectũ, vel terminum infinitum: ſicut actus charitatis, & viſio beatifica, quę licet ſint actus finitæ intenſionis, habent pro objecto infinitam Dei perfectionem & bonitatem. Unde hoc ſolum dicitur *infinitum ſecundum quid*. De utroque autem dicemus, ſicut etiam de pœna tam ſenſus quam damni.

Complut.

§. I.

Deciditur dubium ex mente Ang. Doctoris.

91 Dicendum eſt, peccatum mortale etiam quantum eſt ex ſe, non poſtulare pœnam ſimpliciter infinitam, ſive damni, ſive ſenſus, ſed adæquari ſufficienter per pœnam finitam ſimpliciter. Hæc concluſio, quæ ferè eſt communis inter Theologos, ſtatuitur in præſenti à D. Thom. quem ſequuntur ejus diſcipuli & expoſitores in comment. art. 4. ubi Cajet. & Medina, Curiel, dub. 3. Alvar. diſp. 183. Lorca diſp. 53. Araujo dub. 2. Zumel dub. 3. Vaſq. in ann. circa art. Salas tr. 13. diſp. 15. ſect. 7. & alii.

D. Thom. Caiet. Medin. Curiel. Alvar. Lorca. Araujo. Zumel. Vaſq. Salas.

Ratio pro cõcluſione.

Probatur ſequenti ratione. Quantitas pœnæ ſecundum intentionem debet proportionari peccato ſecundum quantitatem malitiæ: cum enim ratione iſtius fundet reatum ad illam, oportet ut inter utramque ſit proportio, atque adeo quod non ſit debita major, ſeu intenſior pœna, quàm ſit malitiæ quantitas: ſed hæc ſimpliciter eſt limitata & finita: ergo etiam illa debet eſſe finita ſimpliciter. Minor ſuadetur animadvertendo, in peccato duplicem tantũ malitiam reperiri: aliam privativam, quæ importat averſionem à Deo & ab ejus lege: aliam verò poſitivam, quæ dicit converſionem ad bonum cõmutabile, propter quod voluntas Deum derelinquit, ut explicuimus ſupra diſp. 6. Utraque autem finitam eſſe conſtat. Tum quia ſunt in ſubjecto finito, ſcilicet in actu humano, vel in voluntate: quicquid autem in ſubjecto finito recipitur, limitatur & finitur per ipſum ſubjectum. Tum etiã, quia utraque habet terminum & ſpecificativũ finitum: nam converſio ſpecificatur à bono cõmutabili ſicut à proprio objecto, quod apud omnes eſt aliquid finitũ. Averſio vero prout à converſione diſtinguitur, dicit privationẽ rectitudinis & perfectionis debitæ ineſſe actui vel voluntati, ut per eam in Deum ſicut in finẽ converteretur: unde ejus terminus & menſura eſt ipſa converſio qua privat, ſeu perfectio per quam debet fieri talis converſio; quam perfectionẽ & converſionem perſpicuum eſt eſſe ſimpliciter finitã. Ex nullo ergo capite poteſt prædicta malitia in infinitum creſcere.

92 Evaſio. Dices, etiamſi malitia ſit finita, poſſe illi correſpondere pœnam infinitã, non quidem ex natura rei, ſed ex ſentẽtia judicis, qui non ſemper tenetur adæquare quantitatem pœnæ quantitate culpæ; ſed poteſt ob alios fines pro minori culpa majorem pœnam decernere: eaque ſemel decreta, tota cadit ſub demerito peccati, juxta dicta dub. præced. n. 87. ¶ Reſpondetur, doctrinam illam non habere locum in præſenti: quia certum eſt, Deum non ſtatuiſſe pro peccato pœnam intenſivè infinitã, cum hæc ſit impoſſibilis: unde ſi ſemel ea pœna caderet ſub demerito peccati, nequaquam id haberet ratione divinæ ſententiæ taxantis talem pœnam, ſed ratione quantitatis malitiæ adæquantis illam. Et ideo ſemel oſtenſo non deberi peccato ex hoc capite pœnam infinitam, manet etiam probatum, ex nullo capite poſſe illi deberi.

Præcluditur.

Evaſio illa. Dices ſecundò, potius ex noſtra ratione deduci, malitiam peccati ex parte privationis eſſe infinitam: quia talis privatio eſt averſio à Deo bono infinito, ac proinde ipſa eſt averſio infinita: habet ergo peccatum hac ex parte proportionẽ cum pœna infinita: quicquid ſit de converſione & malitia poſitiva. Et ſanè diſcurſus D. Th. & ejus verba in præſenti art. 4. hoc poſterius videntur concludere: ait enim: *In peccato duo ſunt, quorum unum eſt averſio ab incommutabili bono, quod eſt infinitum: unde ex hac parte peccatum eſt infinitum.* Et inferiùs: *Ex parte igitur averſionis reſpondet pœna damni qua etiam eſt infinita.*

D. Thom.

93 Impugnatur. Sed hoc facile refellitur, quia averſio à Deo reperta in peccato, ſolum poteſt eſſe infinita ex parte termini *à quo*, quatenus eſt ſeparatio & receſſus à bono infinito: hoc autem genus infiniti ſolum eſt ſecundum quid, ſicut actus charitatis dicitur hoc modo infinitus, quia eſt converſio & acceſſus ad ipſum Deum bonum infinitum. Et ſanè cum averſio à Deo privativa ſit privatio debitæ cõverſionis in illũ, nequit eſſe magis infinita, quàm eſſet prædicta converſio: ſicut nulla privatio poteſt eſſe major, forma, qua privat. Porrò converſionẽ ad Deũ non eſſe infinitã ſimpliciter & intrinſecè, ſed extrinſecè & ſecundum quid, conſtat ex modo dictis: quia talis converſio non eſt niſi gratia, vel charitas, qua voluntas diligit Deũ ſuper omnia: certum eſt autem, tam gratiã, quàm charitatem eſſe ſimpliciter finitas, licet poſſint dici infinitæ ſecundum quid modo explicato. Et hoc dumtaxat haberi poteſt ex diſcurſu & verbis D. Th. Nam in eodem ſenſu appellat *infinitam* averſionẽ in peccato repertam, in quo dicit eſſe infinitã pœnam damni illi correſpondentem; ut conſtat ex illis verbis: *Ex parte igitur averſionis reſpondet pœna damni, quæ etiam eſt infinita*, &c. At verò pœnã damni non eſſe infinitam ſimpliciter, ſed ſecundum quid, modo explicato, eſt per ſe notum: quia hæc pœna conſiſtit in carentia beatificæ viſionis, & ita non poteſt eſſe major, quã ipſa viſio, quam quidem nemo neſcit eſſe ſimpliciter & intrinſecè finitam; quamvis reſpiciat terminũ infinitum. Itaque ex nullo capite tribuit D. Thom. peccato infinitatem ſimpliciter: ſed ex parte averſionis concedit illi infinitatem ſecundum quid, propter terminũ extrinſecum infinitum quem reſpicit; ex parte vero converſionis negat omnem infinitatem, quia cõverſio ut

ut talis nihil reſpicit infinitum. Eodemque proportionali modo diſcurrit in pœnis utrique malitiæ correſpondentibus: pœnæ enim damni, quæ correſpondet averſioni, tribuit infinitatem ſimiliter ſecundùm quid; pœnæ verò ſenſus correſpondenti converſioni nullam infinitatem tribuit.

94 Dubitatio. Sed inquires, an ſit ita quod pœna damni ſoli averſioni correſpondeat, & pœna ſenſus ſoli converſioni; vel potius utraque malitia utraque iſta pœna puniatur? Quamvis enim modus loquendi D. Thomæ videatur inſinuare illud priùs, dum abſolutè ait, quod ex parte averſionis correſpondet peccato pœna damni, & ex parte inordinatæ converſionis pœna ſenſus: aliunde tamen dicendum videtur poſterius. Quia juxta doctrinam ejuſdem D. Thom. peccato ea ratione debetur pœna ſenſus, quia eſt voluntarium per propriam voluntatem: ob idque pueri decedentes cum originali ſolùm puniuntur pœna damni, quia prædictum peccatum ſolum eſt illis voluntarium voluntate aliena: cum ergo in peccatis perſonalibus non ſola converſio, ſed etiam averſio ſit voluntaria per propriam voluntatem, non eſt cur pœna ſenſus non etiam averſioni debeatur. Sicut etiam non eſt cur non debeatur converſioni etiam pœna damni: nam converſio in peccato mortali reperta non utcumque eſt converſio, ſed converſio averſiva à Deo, & converſio indecens & ſecum trahens averſionem formalem: quod autem ſic ſe habet, juſtè punitur perpetua ſeparatione à Deo, in qua pœna damni conſiſtit. Tum etiam, quia prædicta converſio poſtulat non minus quam averſio puniri pœna æterna: ſicut non minus quàm illa eſt irremiſſibilis; pœna autem æterna neceſſariò involvit perpetuam privationem viſionis beatificæ, quæ eſt pœna damni: debetur igitur hæc prędictæ cōverſioni.

95 Circa hanc dubitationem ferè omnes expoſitores D. Thomæ concedunt, quod utrique malitiæ debeatur tam pœna damni, quàm pœna ſenſus, & quod peccator propter utramque illam utraque hac pœna de facto punitur. Id quod non negat D. Thom. & rationes nuper factæ ſufficienter oſtendunt. Diſſident tamen nonnihil in explicando doctrinam præſentis articuli, ubi pœna ſenſus tribuitur converſioni, & pœna damni averſioni. Nam Curiel, Lorca, & alii cenſent, D. Thom. diſtribuiſſe prædictas pœnas prædictis malitiis ſolum per quandam accommodationem: nam quia converſio eſt inordinata adhæſio voluntatis ad bona creata, tribuitur illi pœna ſenſus, quæ infligitur mediis creaturis; averſioni verò tribuitur pœna damni, quia utraque conſiſtit in receſſu & ſeparatione à Deo: cum tamen re vera unicuique ex prædictis malitiis una & altera pœna ſimul correſpondeat. Sicut in divinis potentia tribuitur Patri, ſapientia Filio, & amor Spiritui ſancto, quamvis omnia ſint communia omnibus perſonis.

Vera reſponſio. Alii vero ultra hanc accommodationem, cenſent conſtituendum eſſe re ipſa aliquod diſcrimen inter prædictas malitias & pœnas, quod attendens D. Th. illas prædicto modo diſtribuerit. Et ita eſt aſſerendum. Poteſtque non difficilè diſcrimen illud explicari. Nam condignitas pœnæ ſenſus ſumitur ex ratione voluntarii, quæ in peccato invenitur, juxta illud

Apoc. 18. Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: ratio verò pœnæ damni attenditur ex im proportione ad viſionem beatificam, ſive (quod idem eſt) ex carentia & remotione principii, ſcilicet gratiæ ad illam eliciendam. Et ideò ubi invenitur hæc carentia & remotio ſine proprio voluntario ut in pueris decedentibus cum originali, non debetur pœna ſenſus, ſed tantum pœna damni: ubi vero eſſet voluntarium ſine prædicta carentia & remotione, ut in peccatis venialibus quæ non excludunt gratiam, non debetur pœna damni, ſed dumtaxat pœna ſenſus. Quamvis ergo tam averſio, quam converſio in peccato mortali perſonali reperta, & ſit voluntaria voluntate propria, & afferat prædictam improportionem, ſive remotionem; attamen prima ratio voluntarii eſt converſio: averſio enim ideo eſt voluntaria, quia ſequitur ex converſione: prima vero ratio prædictæ improportionis & remotionis eſt averſio, quia converſio non habet removere gratiam, niſi in quantum eſt inductiva averſionis & per ordinem ad illam. Propter hujuſmodi ergo diſcrimen ex parte radicum jure D. Thomas prædictas pœnas prædictis malitiis modo illo diſtribuit.

Nec refert, ſi urgeas: tum quod ſi daretur pura omiſſio peccaminoſa, in quo caſu nulla eſſet converſio, ſed ſola averſio, deberetur illi etiam pœna ſenſus: quemadmodum ſi daretur converſio mortaliter culpabilis ſine averſione, deberetur illi etiam pœna damni: ergo unaquæque ex prædictis malitiis independenter ab alia habet in ſe radicē utriuſque pœnæ. Tum etiam quod peccatis venialibus etiamſi ſint cum gratia, adeoque ſine averſione à Deo, correſpondet aliqua pœna damni: ut patet in animabus purgatorii, quæ ob prædicta peccata à viſione divina retardantur, in qua retardatione non medicam pœnā damni patiuntur: ergo datur meritum hujus pœnæ ſine recurſu ad averſionem. 96 Replica.

Reſpondetur enim ad primum, utrumque caſum, præſertim verò ſecundū eſſe impoſſibilem: ex impoſſibili autem ſequitur quodlibet; unde nihil contra nos, ſi inferatur in utroque deberi utramque pœnā, quia etiam infertur non deberi. Sed admiſſo priori dicendum eſt, etiam tunc dari aliquam converſionem, ſcilicet interpretativam, quæ in ſententia aſtruentis omiſſionem puram eſt ratio voluntarii ipſius omiſſionis, ſicut cōverſio formalis in noſtra. In ſecundo caſu, ſi argumenti gratia admitteretur, vel erit negandū, quod tunc deberetur pœna damni: quippe ubi non daretur in voluntate averſio à Deo, daretur converſio ad illum, ac proinde gratia, ſine qua nequit eſſe talis converſio: & cum gratia ſit principium beatificæ viſionis, non poſſet deberi illi ſuppoſito perpetua hujus privatio, juxta dicta dub. præced. num. 89. Vel dicendum, quod illa converſio in nullo caſu poſſet intelligi mortaliter peccaminoſa, niſi per ordinem ad averſionem, cujus eſt illativa, ſive de facto inferat illam, ſive non inferat: & ita condignitas pœnæ damni quæ in illa reperiretur, ortum haberet ex averſione ſicut ex radice & termino, quem converſio reſpiceret. Ad ſecundum dicas, nos hic cum Divo Thoma loqui de pœna damni ſimpliciter dicta, quæ eſt privatio perpetua viſionis beatificæ: illa autem quā juſti in purgatorio ex dilatione prædictæ viſionis patiuntur, ſolum eſt pœna damni ſecūdum quid, ut dicemus diſp. ſeq. n. 6. Enodatur.

Ex dictis infertur, peccato etiam mortali non modo non deberi per ſe pœnam actu & 97 Illatio.

Yyy   categore

categorematicè infinitam, ſed neque infinitam in potētia & ſyncategorematicè, itaut quacumque finita deſignata, debeatur alia major & alia major uſque in infinitum: ſed poſſe deſignari intra limites finitæ pœnā ita intenſam, ut adæquet totam condignitatē & demeritum peccati. Et ratio eſt perſpicua: nam malitia quæ de facto in quolibet peccato reperitur, ſive conſideretur ex parte averſionis, ſive ex parte converſionis, eſt finita & limitata, tāta ſcilicet & non major: ergo correſpondet illi pœna eodem modo limitata, quæ ſit etiam tanta & non major, atque adeo quæ neque ſit infinita actu neque in potentia: ſicut ipſa malitia neutro modo eſt infinita. Imo ut deberetur peccato pœna infinita in potentia, deberet ejus malitia eſſe infinita non ſolum in potentia, ſed etiā actu: quia malitia cui ſine ulteriori augmēto deberi poteſt pœna major & major uſque in infinitū, actu habet in ſe infinitā condignitatem, ac proinde ipſa eſt eodem modo infinita: ſi namque finita eſſet ſecundū id quod habet de facto, & nihil ſuperadderetur, ut ſupponimus non ſuperaddi, aliquādo per continuum pœnæ augmentū adæquaretur: ſicut ipſa pœna aliquando per continuum ſui augmentum ad illius quantitatem pertingeret.

§. II.

Diluuntur aliquæ objectiones.

98 *Almainus.*

Quamvis aſſertio noſtra ſit communis, non defuit tamen unus vel alter qui oppoſitum ſenſerit: pro quo refertur Almainus tr. 3. moral. c. 29. Qui hac via declarat commune Theologorum axioma, quod *Deus punit peccata citra condignum*, quia dat illis pœnam finitam ſecundum intenſionem, cum infinitam mereantur. Prædictum tamen axioma ad ſui verificationem nequaquam hoc poſtulat: cum intra limites finitæ poſſit aſſignari pœna longè intenſior, quàm quæ de facto à Deo tribuitur, per ordinem ad quam dicatur hæc *citra condignum*, etiam ſine reſpectu ad pœnam infinitā. Verùm aliunde occurrunt aliquæ objectiones, ex quarum enodatione veritas magis elucidabitur.

Principalis objectio.

Objicies ergo primò: quod præter converſionem & averſionem in peccato repertas, quas finitas eſſe diximus, datur alia ratio mali, nimirum ratio divinæ offenſæ, quæ eſt infinitæ gravitatis: creſcit enim gravitas offenſæ ſecundùm dignitatem perſonæ in quam cōmittitur: & ita offenſa commiſſa contra infinitam Dei bonitatem, nequit non eſſe ſimpliciter infinita: igitur peccatum ex hoc capite, quamvis non ex illis duobus, erit dignum pœna infinita ſimpliciter. ¶ Cōfirmatur: nullum opus valoris finiti adæquat gravitatem divinæ offenſæ: & ideò ſolus Chriſtus, cujus opera fuerunt valoris infiniti, potuit ad æqualitatem pro illa ſatisfacere, ut docet D. Thom. 3. part. q. 1. art. 2. ergo per nullam pœnam ſimpliciter finitam poterit prædicta offenſa adæquatè puniri, ſed exiget pœnam ſimpliciter infinitam.

D. Thom.

Prima ſolutio.

Huic objectioni occurrunt aliqui negando divinæ offenſæ infinitatem ſimpliciter: dicunt enim ſolùm eſſe infinitam extrinſecè & ſecundum quid, ſicut D. Thom. dixit de peccato ex parte averſionis. Imò qui ita loquūtur, non videntur diſtinguere inter averſionē & offenſam, ſed utramque confundere. Quia (inquiunt) peccatū ea ratione eſt Dei offenſa, quatenus habet eſſe cōtra illum, ea verò ratione eſt cōtra illum, quia ab ipſo avertit: idem ergo erit in peccato offenſa & averſio. Juxta quam ſolutionē ceſſare videtur objectio propoſita negādo antecedens, videlicet dari in peccato aliam rationem mali præter converſionem & averſionem, quarum neutram exigere pœnam ſimpliciter infinitam jam oſtendimus. Non tamen ceſſat confirmatio objectionis, ubi dicitur offenſam divinā exigere infinitam ſatisfactionem, neque per minorem adæquari: quomodo ergo non fundat reatum infinitæ pœnæ, quæ tribuit jus exigendi ſatisfactionem infinitam? Ob hoc igitur (& quia nos prædictam doctrinam jam ſuprà diſput. 7. n. 24. rejecimus, alibique Deo dante latiùs impugnabimus oſtendentes, offenſam Dei formalem (loquimur de mortali) eſſe ſimpliciter infinitam, omninoque diſtingui ab averſione, & à qualibet alia malitia in peccato reperta, (utpote cum ſubjectum illius ſit ipſe Deus offenſus, iſtius verò peccator & ejus actus) non debemus hac via objectionem effugere; ſed conceſſo antecedente, nimirum offenſam formalem diſtingui à converſione & averſione in peccato repertis, & eſſe ſimpliciter infinitam, alio itinere veram quærere ſolutionem.

Rejicitur.

99 *Secunda ſolutio. Cornejo.*

Quocirca N. Petrus Cornejo 3. p. diſp. 2. dub. 2. in ſolut. ad 3. arg. & quidam alii D. Th. diſcipuli ita prædicta objectione cōvincuntur, ut exiſtiment cōcedendam eſſe conſequentiam: ſi ſenſus illius ſit, quod peccatū mortale, quantum eſt ex ſe, ſufficientem cōdignitatem habet ad pœnā intenſivè infinitam, licet de facto non ita puniatur, quia non eſt poſſibilis talis pœna, aut ſaltem homo non eſt capax illius: ob idque ex Dei ordinatione commutata eſt in pœnam æternam, ut infinitas durationis æquivaleat intenſioni infinitæ. Nam pœna finitè intenſa, ſed infinitè prolongata, non ut minus gravis habetur, quàm haberetur pœna ſecundum intenſionem infinita, finitæ tamen durationis. Videtúrque hæc ſolutio deſumi ex D. Thom. opuſc. 2. c. 183. & in 4. diſt. 46. q. 1. art. 3. ubi ad probandum deberi peccato mortali pœnam æternam, ſic ait: *Poteſt & alia ratio aſſignari, quare pœna peccati mortalis ſit æterna: quia per illud contra Deum qui eſt infinitus, peccatur: unde cum non poſſit eſſe pœna infinita per intenſionem, quia creatura non eſt capax alicujus qualitatis infinitæ, requiritur quod ſit ſaltem duratione infinita.*

D. Thom.

Nec per hoc quod auctores iſtius ſolutionis aſſerāt, deberi peccato ex parte offenſæ pœnam ſimpliciter infinitam, exiſtimant derogari doctrinæ D. Thomæ in præſenti ſtatuentis ſolum deberi illi pœnam infinitam ſecundum quid. Nam aliud eſt loqui de pœna, quam peccatum in actu ſecundo meretur, ſeu quæ de facto illi ex divina lege correſpondebit; aliud verò de pœna, ad quam ex vi ſuæ gravitatis habet proportionē, & quæ ſi eſſet poſſibilis, juſtè illi applicari poſſet. Prima quidē eſt ſimpliciter finita: quia peccatum eam dumtaxat pœnā meretur in actu ſecundo, quam Deus pro illo ſtatuit; cujus determinatio ſicut non eſt ad aliquid impoſſibile, ita neque ad aliquid infinitum. Et de hac pœna intelligendus eſt D. Th. in præſenti: loquitur enim de illa quæ poteſt peccato deberi debito reducibili ad actum. De ſecunda verò pœna non loquitur, quia non eſt debita debito ad actum reducibili: & ita non eſt contra doctrinam S. Doctoris, aſſerere quod tale debitum ſit ad pœnam ſimpliciter infinitam.

Si

Digitized by Google

100 Duplex replica. *Vaſq.* Si verò urgeas contra hanc ſolutionem, tum ex Vaſq. quod non ſatis cohærent, ineſſe peccato mortali ſecundum ſe condignitatem ad pœnam infinitam, & pœnam iſtam eſſe impoſſibilem: quia ſi pœna eſt impoſſibilis, etiam condignitas ad illam impoſſibilis erit: ex eo enim quod ſit impoſſibilis terminus alicujus relationis, efficitur impoſſibilis ipſa relatio. Tum etiam quod ex prædicta ſolutione ſequitur, non poſſe Deum per ſuam juſtitiam vindicativam punire peccatum mortale, quantũ ipſum punibile eſt, ſeu quantum eſt dignum ut puniatur: ſiquidem illud eſt punibile pœna intenſivè infinita, & hanc Deus nequit per ſuam juſtitiã illi applicare. Hoc autem videtur imperfectionem arguere in ipſa divina juſtitia: ſicut argueret imperfectionem in omnipotentia, ſi eſſet aliquid factibile, quod ipſa facere non poſſet.

Diluitur prima. Reſpondetur ad primum quòd ſicut in operibus Chriſti Domini, quæ pro nobis exercuit, cõcedimus valorẽ, quantũ eſt ex ſe, ſufficientem & condignum ad merendam infinitam gratiã, quamvis hæc ſit impoſſibilis, neque hujuſmodi impoſſibilitas tollit prædictam condignitatem; ſed efficit dũtaxat, quod non meruerit illam de facto in actu ſecundo: quia meritum in actu ſecundo ſupponit divinã ordinationem, quæ non eſt de premio impoſſibili: ita nullum eſt inconveniens, ſi dixerimus, peccatum mortale qua ratione eſt Dei offenſa, habere ſufficientem cõdignitatem ad pœnam infinitam, quamvis hæc ſit impoſſibilis: & quod hæc impoſſibilitas non obeſt prædictæ cõdignitati, ſed efficit tantum, quod talis pœna non debeatur peccato de facto & in actu ſecundo, ſeu debito quod poſſit vel debeat ad executionem reduci. ¶ Illud verò de relatione non obſtat: quia licet relatio prædicamentalis non ſit niſi ad terminum poſſibilem, vel etiam exiſtentem; relatio tamen tranſcendentalis (in quo genere eſt prædicta cõdignitas) poteſt terminari ad rem impoſſibilem: ut cum quis habet actum, quo vellet occidere infinitos homines, ſi eſsẽt, aut dare infinitas eleemoſynas, ſi haberet illas, qui ſanè actus important reſpectum tranſcendentalem ad objecta impoſſibilia.

101 Diluitur ſecunda. Ad ſecundum reſpondetur, quod quamvis de facto offenſa divina non poſſit puniri quantum ex ſe punibilis eſt, non tamen id oritur ex defectu vel imperfectione divinę juſtitię, ſed ex defectu pœnæ quę non poteſt eſſe ita gravis, ſicut ipſa offenſa: ſufficit autem ad infinitatem divinæ juſtitiæ, quod ipſa quantum eſt ex ſe, poſſit applicare quãlibet pœnã poſſibilem, & quod ſi poſſibilis eſſet pœna infinita, poſſet eam totam applicare, ut poſſet re vera: ſola enim impoſſibilitas pœnæ facit eam applicationem impoſſibilem. Quod tamẽ aliter contingeret juſtitiæ creatæ: nam hæc ob ſuam limitationem non poſſet applicare pœnam infinitã, quamvis eſſet poſſibilis, & peccatum illam mereretur. ¶ Adde pro pleniori ſolutione utriuſque replicæ, ſufficienter explicari infinitã condignitatem offenſæ, & infinitatẽ divinæ juſtitiæ, per hoc quod ſit poſſibilis pœna infinita in potentia, id eſt, taliter ut data quacunque finita, poſſit dari alia major & alia major uſque in infinitum ſyncategorematicè, & quod tota hæc infinitas cadat ſub prędicta condignitate, & ſub activitate divinæ juſtitiæ: nam eo ipſo oſtenditur illas eſſe ſimpliciter infinitas, utpote quæ omninò invariatæ poſſunt amplius & amplius uſque in infinitum extendi. Sicut infinitas divinæ omnipotentiæ ſufficiẽter declaratur, per hoc quod immutata manẽs poſſit perfectiorem & perfectiorem effectum uſque in infinitũ ſyncategorematicè producere, quamvis nullum producere poſſit, qui ſit actu infinitus.

Hic modus dicendi eſt valde probabilis: nam præterquam quod probabiliter ſumitur ex adducto D. Th. teſtimonio, habet pro ſe inter alios optimum fidejuſſorem ſapientiſſimum M. N. P. Cornejo, cujus auctoritas tanti ſemper fuit & erit apud nos, ut ſufficiat ad prædictum dicendi modum probabilem reddendum. Et ſanè nihil occurret contra illum, quod non poſſit probabiliter enervari. ¶ Adhuc tamen non omninò placet: tum quia ſi ratio offenſæ, de qua loquimur, fundaret per ſe condignitatem ad pœnam, & non qualemcunque, ſed infinitã, non ſiluiſſet eam D. Thom. hoc loco, ubi rationes & titulos condignitatis pœnæ ex profeſſo examinat, præſertim cùm nulla alia eſſet ita præcipua in ordine ad prædictum effectum. Tum etiã quia ipſe D. Th. in 4. ubi ſupr. in ſolut. ad 6. expreſsè dicit, quod *pœna propriè loquendo correſpondet peccato ſecundùm inordinationem ſeu malitiam, quæ in ipſo peccato invenitur; non verò ſecundùm dignitatem ejus in quem peccatur*: ac proinde neque ſecundùm gravitatem offenſæ, quæ attenditur ſecundum prædictam dignitatem. Sentit ergo, rationem offenſæ non eſſe numerandam inter illas, pro quibus pœna peccato correſpondet. 102 D. Thom.

Reſpondetur ergo ſecundò ad propoſitam objectionem, negando conſequentiam: quia non quælibet ratio mali fundat per ſe condignitatem ad pœnam; ſed illa duntaxat, quæ eſt malitia moralis, quæque deordinat & deturpat actũ humanum: ordinatur enim pœna contra turpitudinem & deordinationem malitiæ, ut per illam reformetur quod iſta vitiavit. At verò ratio offenſæ non eſt malitia moralis, neque deordinatio humani actus, cùm nõ ſit in ipſo actu, ſed in perſona offenſa. Vnde ſolùm eſt quoddam damnum & quædã læſio irrogata ipſi perſonæ offenſæ in propriis bonis talis perſonæ: ad cujus reparationem & compenſationem ordinatur nõ quidem pœna ut talis, ſed ſatisfactio & reſtitutio. Itaque ſicut malitia ad ſui reparationem requirit pœnam, ita offenſa ad ſui compenſationẽ ſatisfactionem exigit. Et ſicut condignitas pœnæ creſcit ex augmẽto malitiæ, & quò major eſt malitia, eò fundat majoris pœnæ reatum: ita ex quantitate offenſæ attenditur jus & debitum ad exigendam ſatisfactionem: & ideò pro offenſa Dei, quæ eſt infinita, ſi ad æqualitatem componenda eſt, requiritur ſatisfactio infinita. Porro non eſſe idem formaliter pœnam & ſatisfactionem, quamvis materialiter ſæpe coincidant, ex eo cõſtat, quia pœna infligitur peccatori a judice, ita ut judex eam tribuat, & peccator recipiat; ſatisfactio verò redditur à peccatore perſonæ offenſæ. Poteſtque & ſæpè contingit, ut offenſo fiat ſatis ſine ulla pœna ſatisfacientis, ut per pecuniam; & ut peccator ſuſtineat pœnam, ſine eo quòd ſatisfaciat. Differũt ergo formaliter pœna & ſatisfactio, differẽtque proinde rationes illæ, quibus vnaquæq; directè & per ſe correſpõdet. 103 Vera ſolutio.

Ob id igitur D. Th. in præſenti non meminit offenſæ quam peccator Deo irrogat, meminit verò converſionis & averſionis, quæ in ipſo peccatore vel in ejus actu reperiuntur: quia quærebat illas rationes, quibus per ſe pœna debetur, quæque per ſe exigent per pœnam in quantùm pœnam reparari; cujuſmodi ſunt prædicta averſio & converſio, in quibus deordinatio 104 D. Thomas.

Digitized by Google

tio & malitia moralis conſiſtit : non autem quærebat rationem offenſæ formalis, cui per ſe ſolum debetur ſatisfactio : & de qua agit 3. p. q. 1. art. 2. ubi docet, peccatum quantum ad rationem offenſæ infinitum eſſe, infinitámque exigere ſatisfactionem. Per quod patet tum ad objectionem, tum etiam ad confirmationem. Hæc enim ſolùm probat, deberi peccato ex parte offenſæ ſatisfactionem infinitam, quod libenter admittimus. Sed cũ pœna ut talis neque ſit formaliter ſatisfactio, neque correſpondeat per ſe offenſæ, ſed dumtaxat malitiæ morali quæ finita eſt, non inde infertur deberi per ſe peccato aliquo ex capite pœnam ſimpliciter infinitam.

Addidimus ly *per ſe*, dum diximus pœnam non correſpondere offenſæ, ſed malitiæ morali, offenſæ verò ſolùm correſpondere ſatisfactionẽ: quia non negamus, ſatisfieri multoties, imò & regulariter offenſæ per pœnã : vel quia ſæpiſſime in eadem recõjungitur, quod ſit pœnalis, & quod ſit ſatisfactoria : vel quia offenſus reputat ſufficienter ibi ſatisfactum iri, ſi quod ipſe paſſus eſt, videat ſuſtinere offendentẽ: vel quia debitore non valẽte alia via ſatisfacere, expoſtulat offenſus pœnam loco ſatisfactionis. Hoc autem modo non negamus, peccatum mortale ex parte divinæ offenſæ condignum eſſe pœna infinita, poſſéque Deum loco ſatisfactionis totam eam pœnam, ſi poſſibilis eſſet, exigere. Sed ex hoc nihil contra nos : quia ut ſæpè diximus, D. Th. in præſenti ſolùm inquirit de iis, quibus pœna ut talis per ſe correſpondet. Per quod patet ad teſtimonium pro præcedenti ſolutione adductum ex Opuſc. 2. & ex 4. diſt. 46. ſolùm enim vult S. Doctor, poſſe Deum vindicare ſuam offenſam per pœnam æternã, aut ſi eſſet poſſibilis, per pœnam infinitam loco ſatisfactionis, & quaſi per accidens : non verò quod ipſa pœna per ſe offenſæ correſpondeat. Quamvis etiam dici poſſit, D. Th. adduxiſſe ibi eam rationem non ut veram, ſed ſolùm ut probabilem & ex aliorum ſententia : ob idque in præſenti ubi ex propriis tantum loquitur, illam omiſit.

Idem.

105 Secunda objectio. Secundo objicies : nulla pœna finita eſt ita grave malum, ſicut quælibet culpa mortalis : ergo nulla talis pœna adæquat condignitatem, prædictæ culpæ : erit igitur digna, quantum eſt ex ſe pœna infinita. Hæc ſecunda conſequentia ſequitur ex prima: & prima ex antecedente; cum enim pœna non niſi in quantum eſt malum hominis, ordinetur ad punitionem culpæ, deberet utique, ut per eam culpa adæquatè puniretur, eſſe æque mala atque ipſa culpa. Antecedens verò ex eo probatur, quia nemini licet eligere aliquã culpam ad vitandam quantumvis magnã pœnam : liceret autem, ſi pœna eſſet æquè mala ſicut culpa : quia inter duo mala, quando utrumque vitari non poteſt, licet eligere illud quod non eſt pejus ſive magis malum. ¶ Hæc objectio ſi vim habet, probat, non tantùm culpã mortalem, ſed neque venialem leviſſimam puniri ſufficienter per pœnam finitam quantumvis magnam, imò neque per pœnã infinitã. Quippe ob nullam pœnam vitandam licet eligere culpam quantumvis minimã & venialem : nam eſt implicatio in terminis quod ſit culpa, & quod ſit licitum eam eligere, eſſet autem necdum licitum, ſed valde laudabile eligere maximam pœnam, ubi neceſſaria eſſet ad vitandam etiam leviſſimam culpam. Unde objectio hæc ſolvenda eſt ab omnibus, qui nolunt etiam peccato veniali tribuere condignitatem pœnæ infinitæ.

Reſpondetur ergo, quod licet genus culpæ longè pejus ſit & pejoris conditionis, quàm genus pœnę ; attamen loquendo de unaquaque in ſuo proprio genere, non quælibet culpa aut malitia etiam mortalis eſt major in ratione malitiæ, quam quælibet pœna adhuc finita in ratione talis ; ſed poteſt dari pœna, quæ in ratione pœnæ adæquet & ſuperexcedat quantitatem malitiæ. Ad probationem verò dicendum eſt, ideo non eſſe licitum eligere aliquam culpam ad vitandam quantumvis magnam pœnam ; licere verò eligere pœnam quantumvis magnam ad vitandam culpam, quia nulla culpa ſive magna ſive parva eſt ordinabilis ad ultimum finem, neque ad aliquem finem honeſtum & ordinabilẽ in illum; ſed potiùs ex ſua ratione dicit averſionem & inordinationem circa talem finem : atque adeò ob nullum finem eſt honeſtabilis : nequit autẽ licitè eligi, quod nõ poteſt honeſtari. Pœna verò quantumvis magna ſit, ex ſua ratione ordinatur ad bonum finẽ, eſtque proinde per illum honeſtabilis, & conſequenter licitè & honeſtè eligibilis : & ita licitè & laudabiliter eligitur ob vitandam culpam : ſicut licitè quis exercet actum bonum & fini ultimo cõforũ, ut vitet actum malũ & repugnantem tali fini. Cũ autem dicitur, quod propoſitis duobus malis licet eligere minus ad vitandum majus, intelligendũ eſt, dũmodo tale malum ſit ordinabile ad bonum finẽ, ac proinde de genere honeſtabiliũ & eligibilium, ſicut eſt malum pœnæ: ſi vero ſit extra tale genus, ſicut eſt omnis moralis malitia ob nullum aliud malum etiam longè majus vitandum poteſt licitè eligi. Ob idque nunquã licet eligere aut cõmittere culpã venialẽ ad cavendã mortalẽ, neque culpã mortalẽ minorẽ ad cavẽdã majorẽ. Imò eo ipſo quod aliqua ex illis poſſet licitè eligi ob quemcunque finẽ, nõ eſſet jã culpa, ſicut neque illicita, ut eſt per ſe notũ. 106

Ex quo habes indubitatam ſolutionem cujuſdam caſus à viro ſapientiſſimo nuper nobis propoſiti. Nimirùm ſi Deus alicui certò revelaret, ſe habere decretum conditionatum permittendi illi graviſſimam culpam mortalem, ſi non committat quandam venialẽ, puta leve mendacium, ſecùs verò ſi iſtud committat : nũ in caſu ita urgenti debebitne, aut poterit prudenter operando, committere tale mendacium ob vitandam culpam mortalem, quam certò novit ſe aliter incurſurum ? Ex dictis igitur conſtat (quicquid ſit de poſſibilitate prædicti decreti) reſpondendum eſſe negativè huic caſui : quia eſt implicatio in terminis, quod aliquid ſit culpa quamvis minima, & quod licitè vel prudenter poſſit eligi ob quodcunque malum vitandum, aut bonum aſſequendum. Prudentia enim (contra quam nihil licet) eſſentialiter ſupponit finem ultimum honeſtum, & nihil dictat vel operatur niſi in ordine ad talem finem : unde cum culpa quantumvis minima, omnino ſit ad illum inordinabilis (ſi enim eſſet ordinabilis, jam non eſſet culpa) manifeſtè repugnat, quod ejus electio ob quemcunque finem à prudentia dictetur, & licita ſit. Ille ergo cui Deus decretum de permiſſione culpæ mortalis ſub prædicta conditione revelaret, adhuc teneretur vitare utramque culpam; & quamlibet committeret peccaret, & imprudenter operaretur: quia liberè eam committeret: atque adeò poſſet non committere, ſi vellet : nõ ſecùs ac ſi prædictum decretum revelatũ nõ fuiſſet, vel ſi revelaretur ut decretum abſolutũ & indepnedens à cõmiſſione culpæ venialis. 107

Tertiò

108 Tertia objectio. Tertiò ſolet objici, quod ſi peccato mortali non debetur niſi pœna finita, poterit pœna quæ debetur venialibus ita augeri, ut adæquet illam: poterunt enim peccata venialia continuò multiplicari, & ſic eorũ pœna continuò augeri, ac per hoc continuum augmentũ pervenire ad quamcumque limitatã & finitam quæ aſſignetur culpæ mortali. Hoc autem videtur inconveniens, ut peccato mortali non debeatur major pœna, quàm poſſet deberi pro quibuſlibet venialibus. Sed etiam objectio ſolvenda eſt ab omnibus: quia quicquid ſit de pœna, quam peccatum mortale ex ſe mereri poſſet; illa tamen qua de facto punitur, apud omnes eſt certum, quod ſit intenſivè finita, in qua proinde militat prædicta objectio.

Diluitur. Reſpondetur ergo negando antecedens: nam peccato mortali debetur pœna damni, quæ non debetur venialibus: & hæc adeò eſt graviſſima, ut per nullam pœnam ſenſus, quæ ſola venialibus debetur, poſſit adæquari: pœna enim damni eſt ſuperioris generis; ad quod non pertingit res inferioris generis, quantumcumque creſcat. Sed & ob aliam rationẽ peccata venialia quantumvis multiplicentur, non exigent æqualem pœnam etiã ſenſus, atque unum mortale: quia huic in ſua pœna debetur per ſe æternitas, quæ illis per ſe non debetur. Quod ſi objectio reſtringatur ad ſolam pœnam ſenſus, & ejus intenſionẽ, præſcindendo à duratione, nihil convincit improbabile, de quo dicemus diſp. ſeq. n. 86. Omittimus objectiones aliquas minoris momenti, quia ex dictis facillimè diluentur.

DISPUTATIO XVIII.

De pœnis damni & ſenſus in ſpeciali.

POST cõmunem conſiderationem pœnæ, & reatus peccati ad illam, quam præcedens diſputatio complexa eſt, quæque ad præſentem tractatum directè ſpectat, operæ pretium duximus, pro peculiaribus pœnis quibus peccata puniuntur, nimirum pœna damni & pœna ſenſus, brevem aliam diſputationem inſtituere: ut aliqua quæ uniuſcujuſque ſunt propria, non ignorentur. Quamvis enim exacta prædictarum pœnarũ diſcuſſio alterius ſit tractatus, illius nimirum ubi agitur de ſtatu damnatorum, ad quem proinde jure remitti poſſet: aliquam tamen illarum notitiam nemo in præſenti ſuperfluam, vel intempeſtivam judicabit.

DUBIUM I.

Quæ dicatur pœna damni, & quæ pœna ſenſus: & an illa ſit æqualis in omnibus?

QUamvis diviſio pœnæ in pœnam damni & pœnam ſenſus adeo ſit recepta, ut nullus de ejus bonitate, vel adæquatione dubitaverit: quid tamen prædictis vocibus propriè ſignificetur, & quæ mala unaquæque harum pœnarum ſub ſe comprehendat, non ita eſt per ſe notum, ut aliquali examine non indigeat; à quo utpotè de re facili exordiemur.

§. I.

Aperitur nomen & ratio utriuſque pœnæ.

POEna damni, ut nomen oſtendit, non aliunde dicta eſt, quam à damno, detrimento, vel jactura, quæ per illam inferuntur patienti. Et 1
quamvis in lata quadam acceptione quodlibet malum, ſupplicium, aut incommodum quo aliquis in perſona, vel in bonis afficitur, *damnum* dici poſſit, exindéque *damnari* dicatur quiſquis alicui ſuppliciorum generi addicitur: attamen ſtrictius loquendo *damnũ* à *demendo* vel *diminuendo* ſumptum eſt, propriéque denotat ablationem & diminutionem bonorum quæ aliquis poſſidet, vel quæ ſibi, præſertim jure hæreditario poſſidenda, debẽtur. Alia verò ſupplicia quibus perſona in ſe ipſa torquetur, *pericula* vel *tormenta* dicuntur, potius quam *damna*. Ab hac igitur dãni ſignificatione dicta eſt *pœna damni* amiſſio bonorum, quæ hominibus ex divina promiſſione debentur, etiam præſcindendo à dolore qui ex tali amiſſione poteſt ſentiri; inter hæc autem bona potiſſimum eſt ultima beatitudo, quæ in divina viſione conſiſtit, quæque eſt nobiliſſima hæreditas & patrimoniũ filiorum Dei, ad quæ adoptantur per gratiã. Amiſſio ergo hujus divinæ viſionis quaſi per antonomaſiam dicta eſt *pœna damni*. Pœna autẽ ſenſus vocatur, quæ inferendo aliquod diſconveniens & nocivũ, ſive animæ, ſive corpori, torquet & affligit. Quia enim nocumẽta afflictiva potiſſimũ ſenſibus percipiuntur, inde tota hæc pœna, ſive ad corpus, ſive ad animam ſpectet, dicta eſt ab afflictivo corporeo *pœna ſenſus*: re vera autem comprehendit etiam pœnam ſpiritualẽ, quæ infertur animæ per prædicta afflictiva ad cauſandum in ea ſpiritualem dolorem.

2 Illatio. Ex quo fit, prædictas pœnas non ita inter ſe dividi, ut una ſolũ damnũ & non aliquem dolorẽ, alia verò ſolum dolorem & nullum damnum inferat, quin potius utrumque hoc per utrãque poteſt inferri. Quia amiſſio bonorum, in qua conſiſtit pœna damni, ex ſe eſt doloris illativa: non enim ſine dolore amittitur, quod cum amore poſſidetur. Similiter tormentum ab extrinſeco diſconvenienti illatum ſecum affert amiſſionem alicujus boni, cõmodi, & delectabilis, cui non eſt locus cum tormento & doloribus. Attendenda eſt ergo prædicta pœnarum diviſio penes illud, quod eſt præcipuũ in unaquaque, quodque præciſo reſpectu ad aliud, eam conſtitueret. Nam in pœna damni præcipua eſt ipſa bonorum amiſſio: & ideo in ſola illa etiam ſine ullo dolore ſalvatur ratio talis pœnæ: ut de pueris exiſtentibus in limbo dicemus dub. 3. & cõſtat in iis quibus ignorantibus bona & poſſeſſiones auferuntur. In pœna autẽ ſenſus præcipuum eſt illud nocivũ, ſeu diſconveniens pravè afficiens & dolorem inferens, ut ignis, v. g. & ideò quamvis per hanc pœnam nulla bona auferrentur, ſalvaretur ejus ratio in afficientia prædicti nocivi apprehenſi ut talis.

3 Illatio alia. Fit deinde, quod quamvis pœna damni præcipuè dicat privationẽ beatificæ viſionis; ſub eo tamen nomine cõtinetur etiam privatio gratiæ habitualis, non ſolum quæ erit in damnatis, ſed etiam quæ eſt in peccatoribus hujus vitæ: quia etiã hæc privatio eſt amiſſio & ademptio boni maximi ex divina promiſſione debiti, juxta illud 2. Pet. 1. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit*, 2. Pet. 1.

donavit, ut efficiamur divinæ conſortes naturæ. Unde privari aliquem gratia, etiamſi ipſe, vel propter ignorantiã, vel propter cordis duritiam non doleat, magnũ damnũ eſt & magna jactura patientis. Verũ eſt tamen, privationẽ gratiæ non perpetuã, ſed ſolum in hac vita ad tempus, non eſſe dicendã pœnã damni ſimpliciter, ſed ſecundum quid: ut dicemus infrà de dilatione ad tẽpus beatificæ viſionis: quia quodcũque dãnum temporale tantum eſt ſecundum quid reſpectu æterni. Idem dicendum eſt de ſubtractione & denegatione gratiæ actualis, ſeu divinorũ auxiliorũ ad bene operandũ & ad peccata vitanda. Quoties enim talium denegatio habet rationẽ pœnæ, reducitur ad pœnã damni propter eandem rationẽ: & ideò poteſt etiã pati ſine cognitione & ſine dolore ſuſtinentis. Diximus *quoties talium denegatio habet rationẽ pœnæ*, &c. quia non ſemper ita cõtingit: ſicut non ſemper ſupponitur aliquod peccatũ commiſſum & non dimiſſum, cujus pœna eſſe poſſit. Sed erit tunc pura negatio beneficii indebiti, ut latius diximus in tract. de prædeſt. diſp. 8. dub. 2. Quò contra ſe habet amiſſio & privatio gratiæ habitualis: ſemper enim eſt pœna, quia ſemper ſupponit peccatum commiſſum & non dimiſſum, & non qualecumque, ſed mortale.

Tertia illatio. Fit tertiò, ad pœnam ſenſus pertinere omnia tormenta, quibus damnatorũ corpora affliguntur: quia omnia illa proveniunt ex nocivis diſconvenientibus, quæ ſenſibus percipiuntur, potius quàm ex poſſeſſione amiſſa alicujus boni, cujus privatio & amiſſio independenter à perceptione & dolore debeat *damnum* nuncupari. Cæterũ reſpectu animæ utraque pœna locum habet: cũ & ad ipſam pertineat bonorum poſſeſſio, & amiſſio, quæ etiã ſine dolore damnũ ſit; & poſſit quoque per intellectum percipere nociva & diſconvenientia, quibus torqueatur. Quod qualiter contingat, videbimus dub. ſeq.

4 Dubitatio. Modo verò circa utramque pœnam dubitari poteſt: ad quam pertineat dolor ille, quẽ dãnati ob amiſſam beatitudinem patiuntur; quippe ex tali amiſſione etiã ſine reſpectu ad alia nociva in eis conſurgit? Non enim deſunt qui prædictũ dolorem ad pœnam ſenſus reducant. Tum, quia pœna damni cõmunis eſt omnibus cõdemnatis, ijs etiã qui propter ſolũ peccatũ originale damnantur: ſed in iſtis non invenitur talis dolor; ut dicemus dub. 3. ergo non pertinet ad pœnam damni. Tum etiã, quia pœna ſenſus prout pertinet ad animã, eſt quædam afflictio paſſiva, qua illa angitur & torquetur: ſed maximè torquetur per illum dolorem: ergo pertinet ad hujuſmodi pœnam. Et ita ſentiũt Vaſq. 1. p. diſp. 242. c. 2. ubi etiam Arrubal diſp. 181. c. 3. Alvar. in præſenti diſp. 184. in ſolut. ad ult. arg. Lorca diſput. 54. & Salas diſp. 15. ſect. 10. Nec diſſentit Bañez 1. p. q. 64. art. 3. dub. 1. At verò Curiel in præſenti art. 4. dub. 1. Zumel art. 4. dub. 2. concl. 2. & Greg. Martinez eodem art. dub. 1. Suar. lib. 8. de Angel. c. 5. & alii prædictum dolorem ſub pœna damni cõprehendunt. Cui dicẽdi modo magis adhæret Bañez loco nuper cit. ait enim talem dolorẽ poſſe reduci ad pœnam ſenſus; re vera tamen eſſe pœnam damni.

Vaſq. Arrubal. Alvar. Lorca. Bannez. Salas. Curiel. Zumel. Martin. Suar.

Reſolutio. Sed dicendũ eſt, hujuſmodi dolorem propriè & per ſe neque eſſe pœnã damni, neque pœnã ſenſus; ſed reductivè dumtaxat pertinere ad genus pœnæ ut aliquid conſequutũ: hoc autẽ modo non ad pœnam ſenſus, ſed ad pœnam damni debere reduci. Et quidem prædictũ dolorẽ non eſſe propriè & per ſe pœnã, cõſtat ex dictis diſput. præced. à n. 32. Tum, quia cum ſit actus à voluntate elicitus, nequit eſſe contra naturã & inclinationẽ ipſius voluntatis, ſicut eſt de ratione pœnæ; imò juxta naturalẽ voluntatis inclinationẽ eſt, & ex ea ſequitur, quod præſuppoſito malo, doleat & triſtetur de illo; ſicut quod gaudeat de bono. Tum etiam, quia dolor ſupponit pœnã: dolet enim quis de malo & de pœna, quæ patitur: & ideò dolet, quia patitur illa, non vero ideo patitur, quia dolet: ergo non ipſe dolor, ſed malum de quo conſurgit, habet rationem pœnæ. Dolor autem erit velut accidens conſequens ad pœnam: ſicut ad beatitudinem conſequitur gaudium. Atque hinc fit, prædictum dolorem quamvis per ſe pœna non ſit, reduci ad ejus genus; ſicut gaudium reducitur ad beatitudinem, quamvis non ſit ipſa beatitudo. Imò fit, reducendum eſſe ad pœnam damni: nam reduci debet ad illam pœnam, ex qua conſurgit, & cujus eſt dolor: cum autem non conſurgat ex aliquo nocivo pertinente ad pœnam ſenſus, ſed ex carentia beatificæ viſionis; non ad illam, ſed ad iſtam debet reduci.

Ad ea verò quæ in contrarium adduximus, facilis eſt ſolutio. Nam ad primum dici poteſt, pœnam damni quamvis ſit communis omnibus dãnatis, non tamen eſſe æqualem in omnibus, ut infrà oſtendemus: & propter hanc inæqualitatẽ poteſt afferre in illis qui propter peccata propria damnantur, prædictum dolorẽ reductivè pertinentem ad eandẽ pœnam; & non afferre illum in aliis, qui damnantur propter ſolum originale. ¶ Ad ſecundum dicas, pœnam ſenſus cõſiſtere in paſſione illata ex aliquo diſconvenienti & nocivo, v. g. ex igne: ad eãque reduci dolorẽ & triſtitiam inde in voluntate conſurgentẽ: dolor autem qui cõſurgit ex cognitione pœnæ damni, ſi qua ratione pœna dicẽdus eſt, debet eſſe talis per reductionẽ ad ipſam pœnam damni, quam conſequitur: unde non eſt quo pacto ad pœnam ſenſus pertineat. Si quis verò contẽdat, prædictum dolorẽ poſſe aliquo titulo etiam ad pœnam ſenſus reduci, non eſt de hoc multum curandum, quia in ordine ad has reductiones facile eſt invenire aliqualem titulum, etiam in rebus quæ valde diſtant: & quæſtiones circa hoc inſurgentes majori ex parte ad voces & modum loquendi reducuntur. 5

Secundò dubitari poteſt: utrùm animæ exiſtentes in purgatorio patiantur pœnã damni in dilatione viſionis beatificæ? Certũ quippe eſt, prædictam dilationem eſſe illis maximè pœnoſam; ſed non eſt ita certum, an ea pœna dicenda ſit ſenſus, vel damni. Alvar. enim cit. diſp. 184. videtur negare hoc poſterius: quia pœna dãni (inquit) ſolum debetur peccato ratione averſionis, & ideò ubi non datur averſio, non habet locũ talis pœna: in illis autem animabus non datur aliqua averſio: plurimæ enim ſolũ cõmiſerũt peccata venialia, quæ non avertũt à Deo: quæ autem mortalia cõmiſerunt, omninò ea in hac vita ſaltem quoad averſionẽ retractarunt: ergo non debet illis applicari pœna damni. Dubitatio alia. *Alvar.*

6 Solutio. Et ita eſt re vera, loquendo de pœna damni abſolutè & ſimpliciter. Hæc enim non eſt ſola dilatio viſionis beatificæ, ſed ejus perpetua privatio: quæ quidem ſolum poteſt habere locum in illis, qui æternaliter manebunt à Deo averſi. In quo ſenſu loquitur Alvar. ubi ſuprà, & procedit ejus ratio. Cæterùm neque ipſe negat, nec negari poteſt, ut rectè vidit Suar. lib. 8. de Ang. c. 14. *Alvar.* *Suar.*

Digitized by Google

cap. 14. n. etiam 14. quod illa dilatio viſionis beatificæ eo modo quo eſt pœna, non ad pœnã ſenſus, ſed ad pœnam damni pertineat: ac proinde dici poſſit & debeat *pœna dãm ſecundùm quid.* D. Thom. Et ita appellatur à D. Thoma in 4. diſt. 21. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ibi. *Dicendum, quod in purgatorio erit duplex pœna: una damni, in quantum ſcilicet retardantur à divina viſione: alia ſenſus,* &c. Intelligendus eſt autem de pœna damni ſecundùm quid. Etenim ſicut eſt damnum ſimpliciter privari in perpetuum poſſeſſione illius ſummi boni, ita eſt damnum ſecundum quid à tali poſſeſſione retardari, cùm urget jam tempus illam accipiendi: ſicut urget ex quo anima ſeparatur à corpore. Ad hujuſmodi verò pœnam damni *ſecundum quid* non eſt neceſſaria averſio à Deo; ſed ſufficit quicunque obex potens retardare aſſequutionem gloriæ: ſicut retardant peccata venialia, & reatus pœnæ temporalis relictus ex mortalibus quoad culpam dimiſſis. Quæ eſt ratio, ut animæ fidelium in Purgatorio detineantur, ne accipiant gloriam, quouſque à prædictis omninò purgentur: quia ut dicitur Apocal. 21. Apoc. 21. *Non intrabit in ea aliquod coinquinatum.*

Idem ſuo modo dicendum eſt de exiſtentia SS. Patrum in limbo uſque ad mortem Chriſti. Quãvis enim nullum ibi eſſet nocivum inferens eis pœnam ſenſus, affligebantur tamen in dilatione viſionis beatæ, quam ſummoperè optabant: juxta illud Proverb. 13. Prov. 13. *Spes quæ differtur, affligit animam.* D. Thom. De quo videndus eſt D. Thomas 3. quæſt. 52. art. 2. ad 1. Hæc autem beatificæ viſionis dilatio, & dolor inde conſurgens erat illis pœna damni ſecundum quid: minor tamen quàm ſit reſpectu animarum purgatorii: quia Patribus non differebatur prædicta viſio ob propria demerita, ſicut animabus differtur: ſed quia non omninò eis debebatur aditus ad illam ante mortem Chriſti, ſicut Principi non debetur adire regnum ante mortem patris.

§. II.

Deciditur ſecunda pars dubii.

7 SEcunda pars dubii inquirit, an pœnæ damni condemnatorum ſint inæquales? Quod non quærimus de pœna ſenſus: quia hanc inæqualem eſſe juxta inæqualitatem peccatorum, omninò eſt indubitatum. Dicendum igitur eſt, pœnam damni quam condemnati patiuntur, non eſſe æqualem in illis: ſed majorem, vel minorem ſecundum peccatorum diverſitatem. D. Thom. Ita ſumitur ex D. Thoma in præſenti art. 4. & quæſt. præced. art. 1. ad 3. & quæſt. 28. de Verit. art. 6. & in 2. diſtinct. 33. q. 1. art. 1. ad 2. Scotus. Maior. Gabriel. Abulenſis. Ledeſma. Suarez. Bañez. Alvar. Curiel. Zumel. Martin. Tenentque ſatis communiter Theologi, Scotus in 4. diſtinct. 16. q. 1. art. 1. & diſtinct. 50. quæſt. unic. art. 4. ubi etiam Major quæſt. 2. Gabriel diſt. 44. q. 3. art. 1. concluſ. 2. Abulenſis ſuper 25. cap. Matth. quæſt. 640. Ledeſma 1. p. 4. q. 29. art. 1. Suar. de pœnit. diſp. 3. ſect. 2. & lib. 8. de Ang. c. 5. Bañez 2. 2. q. 24. art. 2. dub. 2. in ſolut. ad 4. ex adductis ultimo loco. Et in præſenti Alvar. Curiel, Zumel & Gregorius Martinez quos nuper citavimus.

Ratio aſſertionis. Probatur ratione deſumpta ex D. Thoma locis citatis & ex iis quæ diximus ſupra diſp. 16. à num. 150. Peccata mortalia damnatorum ſunt inæqualia: ergo pœna damni ipſorum debet eſſe ſimiliter inæqualis. Antecedens quod eſt per ſe ſatis notum, manet etiam probatum ſuprà tota diſp. 9. Conſequentia verò ſuadetur: quoniam pœna ut ſit juſta, debet proportionari peccato, ſecundum illud Deuter. 25. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus:* Deut. 25. ac proinde pro majori & graviori peccato tribuenda eſt major pœna: non ergo debet eſſe pœna æqualis; ubi peccata ſunt inæqualia.

Confirmatur: nam Deus in infligendo pœnam damni, exercet ſuam juſtitiam punitivam, Confirmatio. debétque ibi ſplendeſcere perfectio iſtius juſtitiæ; ſed talis ordo poſtulat, ut quantitas pœnæ ſit cum proportione ad quantitatem culpæ: atque adeò quòd graviori culpæ major pœna, leviori verò minor tribuatur: debet igitur prædicta pœna eſſe ſimiliter major vel minor, & non pro omnibus æqualis.

Confirmatur ſecundò: ita ſe habet pœna damni in ratione ſupplicii ad condemnatos, ſicut viſio beatifica in ratione præmii ad beatos: atqui hæc non eſt æqualis, ſed major vel minor juxta diverſitatem meritorum, ut omnes fatentur: ergo neque illa debet eſſe æqualis, ſed major vel minor ſecundum inæqualitatẽ peccatorum.

Dices, ſufficere ad ea quæ diximus, quod pœnæ ſenſus damnatorum ſint inæquales; quamvis pœna damni inæqualitatem non admittat: 8 Evaſio. poterit enim quod de iſta plus tribuendum erat graviori peccato, per augmentum illarum recompenſari.

Sed hoc facilè impugnatur animadvertendo, quod peccato mortali propterea debetur utraque Doctrina pro impugnatione. pœna, videlicet damni & ſenſus, quia in eo datur duplex malitia, ſcilicet averſio & converſio: debetúrque pœna damni primariò ratione averſionis, & pœna ſenſus ratione converſionis. Unde neque converſio primariò reſpicit pœnam damni, aut per eam puniri poſtulat; neque averſio primario exigit pœnam ſenſus, aut per eam ſolam quantumvis magnam ſufficienter punitur: quia inæqualitas & inordinatio in averſione à Deo reperta, ejus eſt conditionis, ut ſolum per perpetuam ipſius Dei privationem poſſit ſufficienter ad æqualitatem reduci. Secundo nota, peccata mortalia non ſolum eſſe inæqualia ratione converſionis, ſed etiam ratione averſionis: ſive ſermo ſit de averſione *in fieri*, quæ eſt in peccato actuali, ſive de averſione *in facto eſſe*, quæ eſt privatio gratiæ conſtituens peccatum habituale. De hac enim poſteriori, quomodo ſit inæqualis per ordinem ad ſuam cauſam, ſufficienter diximus diſp. 16. num. 150. De illa vero priori id apertius conſtat: quia eſto ſit privatio, non ſemper eſt totalis & *in facto eſſe*, atque ejuſdem formæ: ſed eſt privatio *in fieri*, quæ ſuſcipit magis & minus: & in diverſis ſpecie peccatis poteſt eſſe privatio formarum vel rectitudinum inæqualium ſecundum ſpeciem: per ordinẽ ad quas ipſa privatio poteſt eſſe inæqualis.

Hinc impugnatur evaſio data: quia proportio pœnæ ad peccatum ſecundum eam rationem Formaliſ impugnatio. fieri debet, ſecundum quam primario ſibi correſpondent: ſed peccato ex parte averſionis primario correſpondet pœna damni, & non pœna ſenſus: ergo illa, & non tantum hæc debet eſſe adæquata ſeu proportionata prædictæ averſioni: cum ergo averſio in diverſis peccatis inæqualis ſit, planè ſequitur pœnam damni illis correſpondentem debere eſſe inæqualem: æqualis enim pœna non eſt proportionata peccatis inæqualibus.

Confirmatur: inæqualitas ſupplicii pro peccatis inæqualibus non debet præcipuè attendi 9

Digitized by Google

ſecundùm pœnam quaſi accidentalem & ſecundariam, ſed ſecundùm præcipuam & eſſentialem: ſicut inæqualitas peccati præcipuè attenditur ſecundùm malitiam ſibi eſſentialem, & inæqualitas præmii ſecundum eſſentialem beatitudinem, quæ eſt viſio beatifica: quicquid ſit de aliis accidentaliter ſe habentibus: ſed facta collatione inter pœnam damni & pœnam ſenſus, illa eſt præcipua & eſſentialis; hæc verò quaſi accidentalis & ſecundaria: ergo in illa, & non tantùm in iſta debet conſtitui prædicta inæqualitas.

Confirmatur ſecundò: nam inconveniens videtur, quòd pueri decedentes cum ſolo originali, ita ſint miſeri quantum ad eſſentialem miſeriam, ſicut adulti qui propter multa peccata perſonalia damnantur: cùm ergo miſeria eſſentialis in omnibus ſit pœna damni, dicendum eſt, hanc eſſe in eis inæqualem, ſaltem ob vitandum prædictum inconveniens.

Confirmatur tertiò: nam datis duobus adultis, quorum unus cum unico tantùm peccato mortali perſonali, alter verò cum eodem mortali perſonali, & inſuper cum originali decedat (cæteris paribus ex parte venialium) iſti procul dubio ſunt inæquales in culpa, ſiquidem primus habet tantùm unicum peccatum ſcilicet perſonale; ſecundus verò habet duo, idem ſcilicet perſonale, & aliud originale: conſequenter ergo debent eſſe inæquales in pœna, ut æquitas & iuſtitia divina reſplendeat: ſed hæc inæqualitas in prædicto caſu non poteſt attendi quantùm ad pœnam ſenſus: igitur attendenda eſt ſecundùm pœnam damni. Cætera conſtant, minor autem ſubſumpta probatur: quia habenti peccatum perſonale cum originali non tribuitur maior pœna ſenſus, quàm ſi perſonale duntaxat habuiſſet: non enim propter peccatum originale aliqua pœna ſenſus tribuitur, ut dicemus dub. 3. atque adeò ex acceſſu illius ad peccatum perſonale nec creſcit; nec fit inæqualis prædicta pœna: aut ergo inæqualitas ponenda eſt in ipſa pœna damni, aut nulla erit in caſu quo loquimur.

§. III.

Vnde ſumenda ſit inæqualitas pœnæ damni?

10 Inter authores qui nobiſcum tenent, pœnas damni futuras eſſe inæquales iuxta inæqualitatem peccatorum, non omninò conſtat, quæ ſit ratio huius inæqualitatis, aut in quo conſtituenda ſit. Cùm enim quaſi axioma receptum habeatur, privationes *in facto eſſe* ſeu totales non recipere magis & minus, iuxta dicta ſupra diſp. 9. dub. 1. aliàs verò carentia beatificæ viſionis inter privationes totales numerari debeat, ut quæ nihil prædictæ viſionis in damnato relinquit, difficile ſemper viſum eſt, inæqualitatem quam quærimus, perſpicuè aſſignare eáque difficultas in varios dicendi modos auctores diviſit: quorum unum vel alterum referemus & impugnabimus; ut poſtmodùm verum & proprium ſecurè ſtatuamus.

Primus dicendi modus. Primò ergo dicunt nonulli, inæqualitatem pœnæ damni deſumendam eſſe ex maiori vel minori quantitate gloriæ unicuique debitæ aut præparatæ ratione meritorum vel gratiæ, à qua damnati ceciderunt, & ad quam pervenirent, ſi non peccaſſent, vel ſi non damnarentur. Ita Gabriel in 4. diſt. 44. quæſt. 3. art. 1. favétque Abulenſis ſuper 25. cap. Matth. quæſt. 639. quatenus referens prædictam ſententiam, non eam impugnat. Videtur autem poſſe aliqualiter ſuaderi; quia carentia viſionis beatificæ in tantùm habet rationem pœnæ, in quantum ipſa viſio eſt bonum debitum: carentia enim boni non debiti ſicut non eſt privatio aut mala, ita nec pœna: eò igitur erit maior prędicta carentia in ratione privationis & pœnæ, quo maiorem beatitudinem debitam aufert: ſeu quò maior beatitudo quam aufert, erat debita. Cùm ergo beatitudo ſit debita ratione gratiæ & meritorum, creſcet utique iuxta horum augmentum pœna & privatio. *Gabriel. Abulenſ.*

11 Hic tamen dicendi modus communiter à Theologis reiicitur. Et merito: nam ex illo ſequitur, eum qui poſt intenſiſſimam gratiam & egregia merita plurimis virtutum operibus comparata, cum unico peccato mortali decederet habiturum maiorem pœnam damni, quàm alius qui cum vel nullum vel exiguum meritum habuiſſet, ob innumera, éaque graviſſima peccata damnaretur: quandoquidem maior illi fuerat debita quantitas gloriæ ratione gratiæ & meritorum, quàm iſti. Hoc autem manifeſtè eſt abſurdum: ſicut eſſet aſſerere, quod divina iuſtitia pro pluribus & gravioribus peccatis mitiorem pœnam, pro paucioribus vero & levioribus graviorem infligat: ergo, &c. *Reiicitur.*

Ex quo etiam manet impugnatus alius modus dicendi, ſeu potius hic idem alia via expoſitus: videlicet metiendam eſſe gravitatem pœnæ damni cum quantitate gloriæ, ad quam ille qui damnatur, iuxta decreta Dei conditionata deſtinatus erat, perveniretque de facto niſi damnaretur. ¶ Nam ex hoc etiam ſequitur prædictum abſurdum: cum nullo fundamento affirmari poſſit omnes illos qui ob plura & graviora peccata damnantur, deſtinatos fuiſſe per decreta Dei conditionalia, ſeu ſub ea conditione *ſi non damnarentur*, ad maiorem gloriam, quàm omnes illi qui ob pauciora & leviora peccata damnationem incurrunt. Imo potius ſic de omnibus diſcurrere, & non de aliquibus contrario modo, irrationabile eſt & fictitium. Militat ergo illud inconveniens contra prædictum dicendi modum, etiam hac via explicatum: cum etiam ſequatur, maiori pœna puniendos fore aliquos, qui minus peccaverunt.

12 Ad illud quod in favorem Grabrielis aſſumitur, dicendum eſt, carentiam viſionis beatificæ in ratione pœnæ & privationis non reſpicere viſionem beatificam ſecundum latitudinem eius gradualem, ſeu ut eſt vel eſſe deberet ſub tanta vel tanta intenſione: ſed præciſè ſecundum ſuam eſſentiam, nulla certa intenſione connotata, prout ex divina promiſſione erat debita omnibus: reſpectu vero talis vel talis gradus intenſionis ſive debiti ſive non debiti, ſicut & reſpectu omnium poſſibilium non datur ibi privatio, ſed nuda carentia. Et ita quantum eſt ex hoc capite, & niſi aliunde diverſificarentur, in omnibus eſſet æqualis tam in ratione pœnæ quàm in ratione privationis. Quemadmodum carentia gratiæ, in qua peccatum habituale conſiſtit, quamvis ſit carentia illius quoad omnes ſuos gradus poſſibiles, ſiquidem nullum relinquit in ſubiecto; in ratione tamen privationis & peccati ſolum reſpicit ipſam gratiam abſolutè & ſecundum eſſentiam, & huius tantum eſt privatio, non vero prædictorum graduum: eſtque omnino de materiali & per accidens ad hanc privationem & eius augmentum, ſicut ad maiorem gravitatem peccati, ſimpliciter loquendo, quod gratia quæ expellitur, ſit intenſa vel remiſſa. Aliàs enim ſi prædicta privatio creſceret reſpectivè ad intenſionem gratiæ qua privat, ſequeretur, fore maius peccatum habituale *Tollitur ratio dubitandi.*

peccatum

peccatum moderati furti ex infirmitate commiſſum ab habente gratiam intenſam, quàm peccatum graviſſimi ſacrilegii commiſſum ex certa malitia ab habente remiſſam: ſiquidem primum privaret majori gratia, & ſic eſſet major privatio & majus malum, quàm ſecundum.

Quinimò ſi privatio gratiæ aut gloriæ reſpiceret certam earum intenſionem, ita ut non tantùm eſſet privatio reſpectu eſſentiæ, ſed etiam reſpectu talis intenſionis, utrobique ſequeretur, non auferri totaliter privationem poſita gratia aut gloria quantum ad eſſentiam, niſi etiam poneretur prædicta intenſio: quandoquidem nulla privatio aufertur totaliter, ni ponatur totum illud quo privat. Conſtat autem, privationem gratiæ totaliter auferri, poſita ejus eſſentia ſive intenſa ſive remiſſa: ſicut totaliter aufertur peccatum habituale: & ſimiliter tolleretur omnis privatio viſionis beatificæ per quamlibet vel minimam viſionem, ſicut tolleretur per illam omnis pœna damni: igitur hujuſmodi privationes in ratione privationum, aut in ratione mali ſive culpæ ſive pœnæ, non reſpiciunt intenſionem gratiæ aut gloriæ, vel earum gradus, neque cum iſtis adæquantur & commenſurantur, ſed dumtaxat cum eſſentia quam immediatè auferunt, & per quam totaliter expelluntur independenter ab intenſione.

13 Ad hæc: quia carentia gloriæ (idem eſt de carentia gratiæ) in ratione puræ carentiæ non tantùm reſpicit illius eſſentiam, ſed etiam intenſionem, eſtque vera carentia utriuſque; idcircò in ratione talis carentiæ non omninò tollitur poſita eſſentia, niſi etiam ponatur intenſio: & ideò de quolibet habente gloriam remiſſam verificatur, quòd habeat carentiam intenſionis: ergo cum in ratione privationis omninò auferatur per ſolam eſſentiam independenter ab intenſione, ita ut nullus habens viſionem beatificam quantumvis remiſſam, poſſit dici verè *privatus*, planè ſequitur, prædictam privationem in ratione talis non reſpicere intenſionem, ſed dumtaxat eſſentiam. Ex eo igitur quòd ille qui damnatur, ſi non damnaretur, habiturus eſſet majorem gloriam, aut hæc illi debita vel præparata eſſet, non ſequitur, habiturum majorem gloriæ privationem, aut majorem pœnam damni ſimpliciter & intrinſecè, quàm ſi minor gloria illi debita vel præparata fuiſſet. ¶ Diximus *ſimpliciter & intrinſecè*, &c. quia non negamus, illum qui ob majora merita ad ſubliniorem gloriæ gradum erat provehendus, habiturum ex iſto capite, ſi damnetur, majus aliquid triſtitiæ & doloris: ſicut illi qui faciliùs beatitudinem comparare potuerunt, & non compararunt, ex hoc ipſo dolebunt & triſtabuntur præ aliis, quibus ſimilis opportunitas defuit. Hæc autem triſtitia non ſpectat ad pœnam damni intrinſecam & eſſentialem, neque auget ſimpliciter illam pœnam; ſed habet ſe ſicut gaudium accidentale beatorum: quod in aliquibus erit majus, quamvis minori gloria eſſentiali potiantur.

14 Secundus modus dicendi. *Scotus. Abulenſis. Curiel.*

Secundus dicendi modus fuit Scoti & Abulenſis locis cit. quos ſequitur in præſenti M. Curiel. Dicunt autem pœnam damni non ſolùm continere carentiam divinæ viſionis, ſed etiam nolitionem prædictæ carentiæ, & triſtitiam ex ea conſequentem: & ratione hujus nolitionis & triſtitiæ poſſe ſuſcipere *magis & minus*; quamvis in ratione carentiæ & privationis ſit æqualis in omnibus. Adduntque, privationem ipſam poſſe aliquo modo dici, inæqualem in ratione pœnæ: quia habet rationem pœnæ, quatenus quantùm eſt ex ſe, eſt cauſa diſplicentiæ & triſtitiæ in voluntate: & ita ut ſit inæqualis in ratione pœnæ, ſatis eſt quod ſit cauſa inæqualis triſtitiæ.

Sed neque hic modus dicendi omninò placet. Non placet. Tum quia non ſalvat inæqualitatem pœnæ damni in ſua propria & eſſentiali ratione, quam ſalvare intendimus. Nam major illa triſtitia, nolitio, aut renixus voluntatis, ad quæ prædicti auctores recurrunt, non ſunt eſſentialiter ipſa pœna damni, aut aliquid ad eam pertinens ſive ut pars ſive ut complementum intrinſecum; ſed ſolùm reducuntur ad eam tanquam quid in ſe ſequutum, alterius tamen lineæ: ad eum modum (aut fortè minùs propriè) quo gaudium in beatis reducitur ad beatitudinem tanquam quid alterius lineæ. Unde ſicut beatitudo eſſentialis in ratione talis non variaretur, neque augeretur per ſolum augmentum prædicti gaudii, niſi ipſa beatitudo unde gaudium oritur, ſecundùm ſe augeretur: ita neque pœna damni eſſentialiter augebitur per ſolum augmentum triſtitiæ & doloris, niſi augeatur privatio beatitudinis, ex qua oriuntur. Non ergo hac via defenditur inæqualitas quam intendimus, in eſſentiali & propria ratione pœnæ damni, ſed ad ſummum in aliquibus ejus accidentibus. Tum etiam quia inæqualitas triſtitiæ & nolitionis de pœna damni non aliunde oriri poteſt in eo qui non decipitur, niſi ex inæqualitate ipſius pœnæ ſecundùm ſe: ergo priùs aſſignari debet aliqua inæqualitas in ipſa pœna ſecundùm ſe, quæ ſit cauſa triſtitiæ inæqualitatis, quam concipiamus inæqualitatem in ipſa triſtitia.

Quod verò dicitur, pœnam illam eſſe inæqualem in ratione pœnæ ex eo ſolùm quia eſt cauſa majoris triſtitiæ, manifeſtè eſt petitio principii: 15 nam hoc eſt quod inquirimus, quid nimirum habeat pœna damni unius condemnati, ratione cujus ſit cauſa majoris triſtitiæ, quàm pœna alterius: ſi enim illa antecedenter ad triſtitiam nihil plus habeat non eſt cur, ſecluſa deceptione, cauſet in eo majorem triſtitiam. ¶ Diximus *ſecluſa deceptione*: quia non negamus, poſſe per errorem minorem pœnam ut majorem apprehendi, & media hac apprehenſione cauſare majorem triſtitiam in voluntate, cujus objectum non movet niſi ut apprehenſum. Hoc tamen non habet locum in præſenti: quia non eſt dicendum, damnatos decipi in apprehenſione ſuæ pœnæ, apprehendendo illam majorem quam reverà ſit. Præſertim cùm non ſit ratio, quare unus prædicto modo decipiatur, & alter non, ſicque ille magis doleat, quàm iſte. Secluſa verò deceptione, inintelligibile eſt quòd pœna unius majorem triſtitiam cauſet, niſi ipſa ſit majus malum, adeóque objectum ex ſe magis contriſtans.

Dices, majorem iſtum dolorem oriri ex eo, Evaſio. quod unus videat applicari ſibi illam pœnam propter plura aut graviora peccata, quam ſint illa, propter quæ applicatur aliis. ¶ Sed contra: Refellitur. nam vel ex hoc capite creſcit ipſa pœna damni intra propriam lineam pœnæ, hacque ratione eſt objectum & cauſa majoris doloris? vel non creſcit; ſed tota ratio ut ille dolor ſit major, eſt quia peccata, propter quæ prædicta pœna incurſa eſt, fuerunt plura & graviora? Primum non admittunt auctores iſtiuſmodi dicendi; imò id impugnant, non ſatis capientes, quo pacto ex ſolo ordine ad plura vel majora peccata, pœna damni quæ eſt carentia beatificæ viſionis, in ſeipſa

Digitized by Google

augeatur, etiam antecedenter ad triſtitiam quam cauſat. Quòd ſi hoc concederent, nec nos illos impugnaremus, nec ipſi opus haberent recurrere ad prædictam triſtitiam pro aſſignanda inæqualitate de qua loquimur, ut intuenti conſtabit. Secundum autem dici non poteſt: quia damnati non dolent de peccatis commiſſis propter ipſa peccata: hic enim dolor qui laudabilis eſſet & honeſtus, longè eſt ab illis, qui ſemper manent obſtinati in amore ipſorum peccatorum. Sed præcisè dolent de illis ob pœnam, quam eorum cauſa patiuntur. Unde ſicut de nullo peccato quantumvis graviſſimo dolerent, niſi viderent ſe propter illud pœnam incurrere: ita non ob aliud magis dolent de pluribus & gravioribus, niſi quia vident graviorem pœnam propter illa incurriſſe. Debemus ergo pro aſſignanda inæqualitate doloris, ad inæqualitatem prædictæ pœnæ priùs recurrere.

16 Verus dicendi modus. Quare rejecto etiam hoc dicendi modo, tertius & communis inter Thomiſtas, inæqualitatem pœnæ damni aſſignat per ordinem ad ſuam cauſam, ſcilicet peccata quæ damnatus commiſit: adeò ut in illo qui plura vel graviora commiſit, ex ordine ad illa augeatur prædicta pœna, & fiat major intra propriam lineam pœnæ: ita quòd non modò verum ſit, damnatum illum puniri propter graviora peccata, ſed etiam puniri pœna intrinſecè & in ſe graviori. Quod adhuc poteſt dupliciter intelligi. Primò ita ut licèt privatio beatificæ viſionis non augeatur, neque varietur in ratione privationis, neque illi in eſſe rei accreſcat aliquid, per quod fiat abſolutè majus malum vel magis nociva patienti; eo ipſo tamen quòd propter graviora peccata infligatur, augetur in eſſe termini demeriti ipſorum peccatorum, ac proinde quoad munus & denominationem pœnæ: quaſi hoc ipſum quod eſt *propter graviora peccata infligi* in qualibet pœna, nullo alio intellecto, eam graviorem conſtituat: ſeu quaſi formaliſſimè idem ſit *pœnam infligi propter graviora peccata*, atque *eſſe pœnam graviorem*. Pro qua intelligentia facere videtur, quòd pœna non habet rationem talis, niſi inferatur propter culpam: & ideò idem malum quod illatum ob culpam eſt pœna, ſecluſo ordine ad illam, rationem pœnæ amittit: ſi ergo in quolibet malo hoc quod eſt *infligi propter culpam* eſt pœna, erit utique major pœna infligi propter majorem culpam: nam ita ſe habet *magis* ad *magis*, ſicut *ſimpliciter* ad *ſimpliciter*.

17 Siniſtra intelligentia refellitur. Hæc tamen intelligentia (licèt aliquibus non diſpliceat) nequaquam ſuſtinenda eſt, utpotè ex qua manifeſta abſurda ſequuntur. Si enim pœna univerſaliter loquendo creſcit in ratione talis ex eo ſolùm, quòd inferatur propter culpam, ſequitur, quamlibet culpam etiam graviſſimam puniri ſufficienter per quamlibet pœnam etiam ſecundùm ſe & aliàs leviſſimam: quippe ex ſola applicatione ad talem culpam creſceret juxta ejus gravitatem, & ſic fieret graviſſima ipſa pœna: atque adeò unicum flagellum aut quælibet multatio eſſet ſufficiens pœna pro homicidio vel furto graviſſimo, & ſic de aliis. Unde etiam ſequeretur, fruſtrà judices & legiſlatores ſollicitari erga diverſitatem & inæqualitatem pœnarum pro inæqualibus culpis puniendis; ſiquidem quamlibet pœnam pro quacunque culpa imponerent, maneret hæc ad æqualitatem punita: cum (ut ſupponitur) quælibet pœna creſcat & fiat gravior juxta gravitatem culpæ per ſolam applicationem ad ipſam culpam. Quæ & alia, quæ ex prædicta intelligentia ſequuntur, planè ſunt abſurda.

Illud autem quo juvari intenditur, facilè corruit. Nam quòd idem malum, quod illatum propter culpam eſt pœna, illa ſecluſa rationem pœnæ amittat, non arguit, ipſum *applicari propter culpam* eſſe rationem formalem conſtitutivam pœnæ, ad cujus proinde augmentum augeatur; ſed eſſe conditionem, ſine qua non exerceret munus pœnæ, nec talis diceretur. Sicut beatitudo non exercet munus præmii, niſi daretur propter merita: & ſicut pecunia quæ datur mulieri ad ineundum matrimonium non diceretur *dos*, ſi ob alium finem largiretur. Ratio autem formalis in iſtis omnibus, ad cujus augmentum augeri debent, non eſt ille titulus propter quem dantur, ſed ipſa eorum quantitas realis & abſoluta: puta, majus præmium in beatitudine eſt intenſior Dei viſio, ſive concipiamus eam dari propter majora merita, ſive propter minora, dummodò detur propter aliqua: & major *dos* dicitur copioſior pecunia data in matrimonium, ſive nobilius ſive minùs nobile. Similiter ergo major pœna erit, quæ ſecundùm ſe importat majus malum & majorem diſconvenientiam reſpectu patientis, ſive inferatur propter majus peccatum, ſive propter minus. Axioma verò *ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter*, *ita magis ad magis* tenet in rationibus formalibus, non verò in aliis conditionibus: ut conſtat in exemplis adductis: formalis autem ratio pœnæ ut diximus, non eſt ipſe titulus conferendi propter peccatum, ſed malum & diſconvenientia ibi reperta: quamvis ut hæc exerceat munus pœnæ, adeſſe debeat ut conditio talis titulus.

Secundò poteſt intelligi pœnam damni augeri per ordinem ad ſuam cauſam, ſcilicet peccata, quia hoc eſt peculiare in hac pœna, ut ex eo quòd plura vel graviora peccata præceſſerint, privatio beatificæ viſionis, in qua conſiſtit, fiat in ſeipſa deterior & majus malum, quàm eſſet, ſi pauciora vel leviora præceſſiſſent. Itaque non dicimus, rationem formalem augmenti prædictæ pœnæ eſſe ipſum augmentum malitiæ peccatorum, neque eſſe formaliſſimè illum titulum, ſcilicet quòd tribuatur propter majora peccata: ſed dicimus augmentum malitiæ, prædictúmque titulum habere ſe de connotato, ut in ipſa carentia viſionis beatificæ conſurgat propria & intrinſeca ratio ſui augmenti. Et hic modus dicendi ita explicatus eſt verus, ſtatuitúrque à nobis pro concluſione. 18 Vera intelligentia.

Oportet autem explicare, quo pacto ex connotatione majorum peccatorum carentia viſionis beatificæ in ſeipſa creſcat, & fiat deterior: & quomodo ad hoc non obſtet quòd ſit privatio *in facto eſſe*, nihil relinquens formæ oppoſitæ. Pro quo nota, eum qui caret aliqua forma, per ipſam carentiam fieri formaliter diſtantem & elongatum à tali forma: atque adeò eò erit major talis carentia, quo majorem conſtituat diſtantiam & elongationem: hæc autem eò creſcit & fit major, quo ipſa forma reddita eſt difficilior, ſeu quo plura adſunt impedimenta & obices, per quæ aſſecutio illius impeditur: verificatur enim, longiùs abeſſe formam à ſubjecto, quando verum eſt, ſubjectum eſſe magis impeditum & prohibitum ab aſſecutione talis formæ. Cùm igitur impedimenta & obices, per quæ damnatus prohibetur & impeditur ab aſſecutione viſionis beatificæ, ſint ejus peccata, fit ut juxta multitudinem vel gravitatem iſtorum creſcat Enucleatur.

in

Digitized by Google

in eo elongatio & diſtantia à prædicta viſione, & per conſequens ejus carentia & privatio.

Potéſtque hoc inſtari in aliis pœnis & malis quæ in privatione conſiſtunt: v.g. in exilio, per quod quis excluditur à regno vel civitate, & ejus habitatione privatur. Quamvis enim per quodcunque exilium tota habitatione privetur, magis tamen exulare dicitur, dum mittitur in longinquius: quia magis elongatur, & magis diſtat ab habitatione qua privatur, manétque ſibi difficilior reditus ad illam. Similiter licèt quælibet cæcitas ſit privatio viſus *in facto eſſe*, major tamen & pejor cenſetur ea, quæ majus illi impedimentum apponit. Et ideò (verba ſunt D. Thomæ in 2. diſt. 42. q. 2. art. 5.) *magis cæcus dicitur, cui ex toto erutus eſt oculus, quàm qui ex aliquo humore ad pupillã concurrente viſum amittit, quamvis uterque cæcus ſit. Et per hunc modũ* (proſequitur) *etiam inæqualitas dicitur ſecundùm magis & minus: quia diſtantia ab inæqualitate, quæ æqualitatem tollit, poteſt eſſe major vel minor.* En qualiter ex majori cauſa privationis, privatio ipſa licèt ſit *in facto eſſe*, ſuſcipit incrementum, & fit deterior magiſque diſconveniens ſubjecto: quia ponit in illo majorẽ diſtantiam & elongationem à forma qua privat. Hac ergo ratione eſt majus malũ & gravior pœna dãni, privari beatitudine ob plura vel graviora peccata: quia ſic privatus magis elõgatus manet, magiſque diſtãs & alienus ab ipſa beatitudine, quàm ſi privaretur ob pauca aut leviora.

D. Thom.

19 *Replica.* Sed dices cum Lorca, hinc ſolùm haberi quòd pœna damni in majori peccatore ſit majus malum, propter prædictam majorem diſtantiam & elongationem à beatitudine; non verò quòd ipſa carentia beatitudinis fiat major in ratione carentiæ & privationis: quia privatio non fit major, niſi privet majori bono, quod in præſenti non contingit.

Enodatur. Reſpondetur, parùm hoc referre ad præſens: & fortè erit quæſtio de modo loquendi: dummodò habeamus, pœnam damni quæ eſt carentia viſionis beatificæ, intrinſecè augeri, & reddi deteriorem, magiſque nocivam & diſconvenientem damnato habenti plura vel graviora peccata: hoc enim ſufficiet ad verificanda illa quæ in hac materiã Doctores tradunt, & quæ §. præced. verificanda diximus, ut intuenti conſtabit: ſive dicamus, prædictam pœnam creſcere ſolùm in ratione mali; ſive formaliſſimè in ratione carentiæ & privationis. Porrò dicendum eſſe hoc poſterius, ut dicunt communiter Thomiſtæ, probatur facilè. Nam ſicut forma poſitiva v.g. ſcientia non ſolùm creſcit & perficitur per hoc quòd extendatur ad plures concluſiones, ſed etiam per hoc quòd circa eandem concluſionem firmiùs inhæreat ſubjecto, & radicetur magis in illo; dicitúrque hoc augmentum intenſivum, illud verò extenſivum: ita poſſumus intelligere, aliquam privationem dupliciter creſcere in propria ratione privationis & carentiæ: vel quaſi extenſivè, quia plus boni aufert; vel quaſi intenſivè, quia auferendo idemmet bonum, magis quaſi radicatur & firmatur in ſubjecto, ſecuriúſque illud poſſidet. Ut ergo pœna damni non utcunque in ratione mali, ſed in ratione privationis viſionis beatificæ dicatur intrinſecè major, ſufficiet quòd ex connotatione plurium vel graviorum peccatorum magis ſubjecto adhæreat, & magis in eo confirmetur; atque ut ita dicamus, ſecurior de perpetua excluſione ipſius beatitudinis ob majora impedimenta, firmius ſub ſe illud teneat & poſſideat.

Adde ob aliam rationem dici poſſe prædictam pœnam creſcere formaliter in ratione privationis non ſolùm intenſivè, ſed etiam extenſivè. Quia nimirum peccata, propter quæ infligitur, non modò excludunt gratiam & viſionem beatificã à ſubjecto, ſed etiam diminuunt hujus habilitatem ad illas, non per ablationem entitatis, ſed per appoſitionem impedimenti, juxta ea quæ explicuimus ſuprà in commentar. art. 2. q. 85. unde quia plura vel graviora peccata plus diminuunt prædictam habilitatem, cõſequenter cauſant majorem privationem; non ſolum intenſivè, firmando illam magis in ſubjecto, ſed etiã extenſivè, plus auferendo de ratione boni, ſcilicet prædictæ habilitatis. Vide ſuprà art. cit. & diſp. 16. n. 154. Ad hunc tamen modum augmenti & inæqualitatis privationis beatitudinis & pœnæ damni non eſt neceſſarium recurrere, ſuppoſito illo quem modò explicuimus.

§. IV.

Diluuntur nonnulla contra noſtram ſententiam & modum dicendi.

Noſtræ ſententiæ opponuntur Vazq. in præſent. diſp. 100. cap. 5. Granad. tract. 9. ſect. 2. Salas diſp. 15. ſect. 10. Azor. tom. 1. lib. 4. c. 24. q. 3. & alii ex junioribus, qui & referunt Alenſem, Durand. Paludan. & alios antiquos. Aſſerunt itaque prædicti authores, pœnam damni in omnibus condemnatis æqualem eſſe, etiamſi propter inæqualia peccata illam incurrerint. Ex iis verò qui in prædicta pœna inæqualitatem conſtituunt, refragantur noſtro modo dicendi Gabriel, Scot. Abulenſ. & Curiel ſupra citati. Arguitur ergo contra noſtram aſſertionem. Nam D. Thomas q. 2. de Mal. art. 9. ad 5. inquit, quòd in ſupplicio damnatorum eſt aliquid commune omnibus, reſpondens contemptui Dei, qui fuit in peccato, nempe carentia viſionis divinæ, & æternitas pœnæ: ſentit ergo, omnes illos æquales eſſe in gravitate prædictæ pœnæ, ſicut ſunt in duratione. Et 3. part. quæſt. 71. art. 3. ad 1. expreſsè dicit, carentiam viſionis divinæ non ſuſcipere magis & minus: erit igitur in omnibus æqualis. 20

Vaſq. Granad. Salas.

Gabriel. Scotus. Abulenſis. Curiel. Primum argumentum. D. Thom.

Reſpondetur, D. Thomam in primo loco ſolùm intendere, quod omnes damnati conveniant in pœna damni conſiderata ex parte objecti & formæ qua privat, quia omnes carent eadem beatifica viſione: non autẽ vult excludere inæqualitatem ex parte cauſæ, quam explicuimus. Quemadmodùm contemptus Dei in omnibus peccatis mortalibus repertus ſolum eſt æqualis ex parte termini, ſcilicet ipſius Dei à quo recedunt: aliunde enim certũ eſt, majorẽ Dei cõtemptum reperiri in uno peccato, quàm in alio. In ſecundo teſtimonio, ut ex cõtextu apparet, loquitur de carentia viſionis beatificæ prout reperitur in pueris decedentibus cum ſolo originali: in his autem ex nullo capite ponimus inæqualitatem in prædicta carentia: quia reſpectu omnium habet cauſam æqualẽ, ſcilicet Adami peccatum. *Solutio.*

Secundò arguitur communi objectione: quia privatio totalis & *in facto eſſe* non ſuſcipit magis vel minus, juxta doctrinam ejuſdem D. Thomæ citato artic. 9. quæſtionis 2. de Mal. & ſuprà quæſt. 73. artic. 1. ſed pœna damni eſt privatio beatificæ viſionis totalis & *in facto eſſe*, cum quælibet talis pœna totam eam viſionem auferat: ergo, &c. *Secundum argumentũ. D. Thom.*

Solutio. Reſpondetur etiam communi Thomiſtarum ſolutione, majorem eſſe veram loquendo de prædicta privatione ex parte formæ qua privat, ac proinde de augmento ejus extenſivo de quo intelligitur doctrina D. Thomæ, & quã nos tradidimus ſupra diſp. 9. dub. 1. Secus aute ſi loquamur de augmẽto ex parte cauſæ ſive intenſivo, ut explicuimus nũ. præced. Quæ ſolutio evacuat etiã quæcunque alia argumenta ab authoribus contrariis ex capite privationis deſumuntur.

21 Replica. Neque obeſt, ſi urgeas tum quòd privatio gratiæ & gloriæ aſſimilatur privationi corporalis vitæ, quatenus ſicut hæc conſtituit mortem corporis, ſic illa mortem animæ: ſed privatio vitæ corporalis non ſuſcipit magis vel minus etiam ex parte cauſæ: non enim poteſt dici magis mortuus, qui plura vel majora vulnera ſuſcepit, quàm qui pauciora vel minora, ſi uterque verè mortuus ſit: ergo neque in privatione gratiæ aut gloriæ debet adhuc ex parte cauſæ *magis* & *minus* admitti. Tum etiam quòd aliæ pœnæ ad ſenſum pertinentes non creſcunt, aut diminuuntur propter augmentum vel diminutionem ſuæ cauſæ: non enim flagella duriora fiunt, quia propter majora crimina inferantur, nec minùs ſentiuntur, quia inferantur propter minora: ergo idem à paritate dicendum eſt de pœna damni.

Enervatur. Reſpondetur, utrobique eſſe diſparem rationem: nam in primo caſu propria & immediata cauſa privationis vitæ, cui ipſa privatio innititur & cui cõmenſurari debet, non ſunt vulnera illativa mortis, ſed forma cadaveris, cujus generatio eſt corruptio formæ viventis: prædicta autem forma cum ſit ſubſtantialis, ex nullo capite ſuſcipit magis vel minus: at verò reſpectu privationis gloriæ cauſa proxima & immediata ſunt peccata commiſſa, & ita non mirum quòd talis privatio eorum inæqualitatem ſequatur. In ſecundo verò caſu (præterquam quòd antecedens non eſt univerſaliter verum, nam etiam aliquæ aliæ pœnæ ut infamia & ignominia augentur ex relatione ad ſuam cauſam; tantoque fiunt majores quanto conſtat majora fuiſſe peccata, propter quæ peccator illas incurrit) eſt etiam diſpar ratio: quia non in omnibus pœnis militat ea quam tradidimus circa pœnam damni: ſcilicet quòd dum connotat plura peccata, plus elongat ſubjectum à beatitudine, pluſque in ipſo ſubjecto confirmatur, & ſecurius illud poſſidet: totùmque hoc cedit in majus damnum & detrimentum patientis. Quæ ratio cum non militet in flagellis & ſimilibus torturis, non poteſt ſumi ab eis argumentum.

Tertium argumentum. Tertiò arguitur: nam ex noſtra ſententia ſequitur, pœnam damni puerorum exiſtentium in limbo majorem eſſe, quàm pœnam alicujus adulti, qui ob proprium & perſonale peccatum damnaretur: ſed hoc non eſt admittendum: ergo, &c. Major probatur: nam pœna illa puerorum reſpicit ut cauſam peccatum actuale Adami, propter quod illam incurrunt: non autem deerit inter adultos damnatos aliquis cujus pœna ſolùm reſpiciat unum peccatum perſonale minùs grave, quàm quod Adamus commiſit: ergo habebit ex hac parte minorem pœnam.

Reſponſio. Reſpondetur negando majorem ſeu ſequelam: & ad probationẽ dicendum eſt, peccatum Adami non eſſe pueris cauſã pœnæ damni, niſi quatenus fuit peccatũ eorundem puerorum, & quatenus fuit illis voluntarium: in his autem rationibus illud peccatum fuit omnium minimum: nam & minimum habuit de ratione voluntarii ſimpliciter, & valdè parum ad eos pertinuit: cum ſolum fuerit voluntarium voluntate ſui capitis, ſolúmque eos attigerit ex parte naturæ abſque ullo conſenſu vel voluntate perſonali.

DUBIUM II.

Qualiter ſubſtantiis incorporeis inferri valeat pœna ſenſus: & in quo hæc pœna conſiſtat?

Circa pœnas ſenſus, quibus damnatorum corpora in inferno cruciabuntur, aut aliqua jam de facto cruciantur, nulla eſt ſpecialis difficultas, pro qua dubium excitemus: cum in illis non minus quã in nobis vigeat corporales ſẽſus, qui ſẽſibiles & nocivas qualitates ab igne vel ab aliis agẽtibus immiſſas percipiãt, earumque exceſſibus & diſſonantiis torqueantur: ut viatorum ſenſus & corpora ſimilibus qualitatibus ſæpè torquentur. Licet cum exceſſu incõparabili, propter inenarrabilem vim & efficaciã illius ignis, & aliorũ, quæ divina juſtitia ad prædictũ effectum aſſumit. Et etiam cũ magno diſcrimine penes hoc, quod in corporibus damnatorum non habebit locum corruptio & interitus, quæ viatoribus ex longè minoribus tormẽtis & paſſionibus inferuntur. Quod ſimul proveniet ex ſpeciali Dei providentia conſervantis perpetuò illa corpora ad oſtenſionem ſuæ juſtitiæ: & ex ceſſatione motus cœli, quo quieſcente ceſſabit omnis paſſio & alteratio corruptiva. Remanebit tamen locus paſſioni intentionali, qua ſenſus, recipiendo ab igne vel aliis afflictivis intentionales ſpecies ſecundùm improportionem & exceſſum, ac proinde cum diſſonantia ad harmoniam, in qua illi conſiſtunt, ſenſationẽ elicient doloriferã, & dolorẽ in appetitu excitabunt. De quo videndus eſt D. Th. in 4. diſt. 44. quæſt. 3. art. 1. & Opuſc. 2. cap. 177. & Cajetan. tom. 3. opuſc. orat. 5. ubi rem optimè declarant. 22 D.Thom. Caiet.

Cæterũ quo pacto ſubſtantiis incorporeis ut dæmonibus & animabus ſeparatis, quæ omni ſenſu carent, prædicta pœna inferri valeat, adeo eſt intellectu difficile, ut ejus perfecta cognitio ſuperet humanum diſcurſum, ſoláque Dei revelatione (quam nondum perfectè accepimus) poſſit plenè innoteſcere. Adeóque graves authores poſt rem diu meditatam ſatius judicarunt propriam ignorantiam fateri, quàm ſerio aliquid definire. Illos vero qui præſentem diſputationẽ aggreſſi ſunt, ita ejus difficultas in diverſa placita diviſit, ut tot ferè quot capita, ſint ſententiæ: indéque unuſquiſque aſſertionem ſuam potiſſimum confirmet, quia quæ ab aliis dicta ſunt, vel falſitatis, vel impoſſibilitatis, vel inſufficientiæ convinci ſibi videantur. Unde & nos juſto ducti timore non majoris profectus, libenter ſuperſederemus huic dubio, & pro ejus reſolutione lectorem alio remitteremus: niſi aliquorum deſiderium, quibus amore & obſervantia obſtricti ſumus, ſenſum noſtrum, quem ex D. Th. depromere valuimus, in lucẽ proferre expoſtularet. Conſulentes autem brevitati, omittemus nõ pauca, quæ alii admiſcent; tantúmque illa inſeremus, quæ ad percipiendam difficultatem & veritatem declarandam neceſſaria videbuntur.

Tractant illam Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſt. 44. ubi D. Bonavẽt. 2. p. diſtinctionis art. 3. q. 2. Scotus quæſt. 2. Richard. *de ſecundo princ.* quæſt. 9. Magiſter. D. Bonav. Scot. Richard.

Durand. Capreol. Hiſpal. Sotus. Bannez. Nazar. Valent. Vaſq. Zumel Navarr. Ioan. à S. Thom. Caiet. Ferrara. Bellarm. Suar. D. Thom.

q.9. Durand.q.11.Capreol. q.4. Hiſpal.quæſt. etiam 4. Sotus diſt.50. quæſt.unic. art.2. Expoſitores D.Thom. 1. p. q.64.art.4. ubi Bañez dub. 2. & 3. Nazar. controverſ. unic. Valent. diſp.4. q.15. punct.3. Vaſq. diſp.244. Zumel quæſt. ſua 3. Balthaſ. Navarrete controv. 87. & Joan. à S.Thom.diſp.24.art.3.Cajet.tom.3. opuſc. orat.5. Ferrara lib.4. contra gent. c.90. Bellarm. lib.2. de purgator. c.12. Suar.tom.4. in 3.p.diſp.44.ſect.2. & lib.8. de Angel.c.11. & duobus ſeqq. Et alii quos videre non licuit. Dum verò hos quos conſuluimus, in diſcurſu dubii abſque loci deſignatione relatos videris, ad loca nominata recurre: ne ubique in eorum citationibus immoremur. At verò D. Thom. cujus veſtigiis inhærendum eſt, diverſis in locis de hoc diſſeruit: ut in 4. diſt.44.q.3.art.3. quæſtiunc.3.lib.4. contra gent.c.90. quæſt. de anim. art.21. q.25. de verit. art. 1. quodlib.2. art. 13. quodlib.3. art. 23. & in compendio Theologiæ c.180. alibique, quamvis non ita ex profeſſo rem tangit. Ut autem facilius ad veritatem accedamus, videamus primo loco quæ certa ſint, & in quo difficultas conſiſtat.

§. I.

Quæ ſint certa: & in quo ſit difficultas.

23 Io præſuppoſita.

PRimo ergo in hac difficultate ut certum ſupponendum eſt, in dæmonibus & animabus damnatis ultrà pœnam damni conſiſtentem in privatione divinæ viſionis, dari illam aliam, quam n. 1. ubi pœnæ diviſionem tradidimus, diximus *pœnam ſenſus*: non quia corporeis ſenſibus ab eis percipiatur; ſed quia eſt aliquid nocivum & diſconveniens, atque ex propria ratione afflictivum, quod apprehenſum per intellectum, cauſat in voluntate dolorem, ſeu triſtitiam. Hoc præſuppoſitum omnino eſſe certum, ſuadet communis Theologorum conſenſus pro prædicta diviſione: quam nullus hactenus auſus fuit rejicere.

Secundò eſt ſupponendũ, hujuſmodi pœnam ſenſus inferri ſpiritibus & animabus damnatis mediante igne gehennali, quo infernus abundat: prædictumque ignem eſſe verum & corporeum, & non aliquid ſpirituale duntaxat, quod metaphoricè *ignis* dicatur, ut aliqui hæretici ſomniarunt, pro eodem accipientes *ignem* quem Scriptura minatur, ac *vermem conſcientiæ*, quem non eſt dubium futurum eſſe ſpiritualem. (An verò ignis ille ſit elementalis, vel mixtus, ejuſdem, aut diverſæ ſpeciei atomæ, tradit D. Th. diſt. & q. cit.art.2.) Tribuimus autem munus hoc torquendi damnatos ſpecialiter igni, quia de eo dicitur hoc peculiariter & frequentius in ſacra Scriptura: non tamen excludimus; quin etiam ad cruciandos illos alia elementa & afflictiva concurrant, de quo infrà. Hoc etiam præſuppoſitum certum eſſe, & communi ſenſu Scholaſticorũ, imò & totius Eccleſiæ receptum tradit Suar. ubi ſup. c.12. Conſtatque manifeſtis Scripturæ teſtimoniis: nam Matth.7. dicitur de reprobis: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*: & c.25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Marc.9. *In ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Apoc.20. *Miſſus eſt diabolus in ſtagnũ ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & Pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte.* Iſai. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* & c.66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorũ non extinguetur*: & alibi ſæpè. Tam expreſſa autem teſtimonia, adeoque aſſeveranter prolata, & tam crebrò repetita, non eſt veroſimile, cõtinere ſolam metaphoram, & non id quod verba ſonant. Præſertim quia juxtà communem regulam intelligendi ſcripturam ab Auguſtino & aliis traditam, omnia quæ in illa dicuntur, accipienda ſunt in ſenſu proprio; niſi ex tali ſenſu ſequatur aliquod abſurdum, aut ex ipſamet Scriptura oppoſitum conſtet: quorum neutrum militat in præſenti. ¶ Accedit cõmunis conſenſus SS.Patrum, qui prædicta teſtimonia, quod attinet ad pœnam ignis, in ſenſu proprio accipiunt: de quo legendus eſt Suar. cit. cap. 12. ubi eorum verba adducit: & ſatisfacit iis quæ in contrarium objici poſſunt.

D.Thom. — Suar. Matth.7. & 25. — Marc.9. — Apoc.20. — Iſa.33. — & 66. — Suar.

24 Refellitur duplex error. D. Thom.

Duos verò errores, qui huic veritati opponuntur, refert & impugnat D.Thom. q.26. de verit.art.1. his verbis: *Quidam attendentes, paſſionẽ in anima propriè eſſe non poſſe, dixerunt, omnia quæ dicuntur in Scripturis de pœnis corporalibus dãnatorum, intelligenda eſſe metaphoricè, ut ſcilicet per hujuſmodi corporales pœnas apud nos notas ſignificarentur afflictiones ſpirituales, quibus damnati puniuntur. Et hujuſmodi opinionis videtur fuiſſe Origenes & Algazel. Sed qui reſurrectionem credentes, non ſolum credimus futuram eſſe pœnam ſpirituum, ſed corporum; corpora vero non poſſunt puniri niſi corporali pœna, eadem autem pœna hominibus poſt reſurrectionem & ſpiritibus debetur, ut patet Matth.25. ubi dicitur, Ite maledicti in ignem æternum, &c. ideo oportet dicere, ut Aug. probat 21. de civit. Dei, ipſos ſpiritus pœnis corporalibus aliqualiter affici. Et ideo alii dixerunt, quod anima ſeparata afficitur quidem aliquibus pœnis quamvis non corporalibus, tamen corporalibus ſimilibus: quibus ſimiles ſunt illæ pœnæ, per quas affliguntur dormientes, &c. Sed hoc eſſe non poteſt: nam hujuſmodi ſimilitudines corporum non poſſunt eſſe intelligibiles quia illæ ſunt univerſales, ex quarum conſideratione afflictio animæ non infertur, ſed magis iucunditas ex conſideratione veritatis: unde oportet, quod intelligatur de ſimilitudinibus imaginariis: quæ quidem eſſe non poſſunt niſi in organo corporali: quod animæ ſeparatæ & ſpiritibus dæmonum deeſt, &c.*

25 Tertiũ præſuppoſitum

Ex quo etiam ſupponendum eſt tertiò contra Durand. prædictam pœnã ſenſus non ita dividi contra pœnam damni, ut hæc dicat privationem divinæ viſionis, illa verò ſolum illum dolorem, ſeu triſtitiam, quæ in dæmonibus & animabus ex tali privatione conſurgit. Tum, quia ut oſtendimus n.4. prædicta triſtitia non habet per ſe rationem pœnæ, ſed dicitur talis ſolum reductivè, quatenus conſequitur ad illam privationem, quæ eſt ipſa pœna: cum qua proinde non ponit in numero, neque aliam pœnam ab ea cõſtituit: unde niſi aliud aliquid pro pœna ſenſus aſſignetur, non datur locus prædictæ diviſioni. Tum etiã, quia hàc via non ſalvatur illud quod omnino certũ eſſe diximus, videlicet dæmones torqueri igne vero & corporeo: nam tormentum ab hoc acceptũ longè alterius rationis eſſe debet à triſtitia de prædicta privatione. Ob idque Durand. cõſequenter ad ſuũ modum dicendi negat, dæmones pati ab igne verè & realiter: ſed dicũtur (inquit) torqueri ab illo per quandã ſimilitudinem & adaptationem: quia cum inter ſenſibiles pœnas ea quæ provenit ab igne, ſit vehemẽtiſſima, aptior eſt, ut maxima dæmonum triſtitia ex amiſſione beatitudinis per ſimilitudinem ad

Durand.

Digitized by Google

illam explicetur. Sic Durandus, licet cum aliqua formidine. Sed quàm hoc falſum ſit & in fide periculoſum, conſtat ex dictis.

26 Quartum.

Quarto ſupponi debet, neque conſtituendam eſſe prædictam pœnam in aliquo alio dolore, qui ſit in voluntate dæmonis, itaut ipſe dolor primariò talem pœnam conſtituat. Nam dolor voluntatis, ſicut & quicumque alius ejus actus eſſentialiter ſupponit objectum, de quo conſurgit: & cum objectum doloris ſit malum & diſconveniens apprehenſũ, neque in præſenti aliud eſſe poſſit, quàm malum pœnæ, priùs neceſſariò aſſignandum eſt, quid ſit hoc malum, ſeu pœna quam dæmones apprehendunt, & de qua apprehenſa dolent; quã poſſimus prædictũ dolorem in eis intelligere. Non ergo dolor, ſeu triſtitia voluntatis quæcumque ſit, poteſt eſſe primariò conſtituens pœnam. Quocirca fruſtra laborant nonnulli, qui non curantes de aliquo quod dæmones antecedenter ad ſuum doloré, ut malum & diſconveniens adeoque ut objectũ talis doloris apprehendant; de ſolo ipſo dolore & de cauſa ejus efficiente curã agunt: ſufficienterque huic difficultati ſatisfeciſſe putant dicendo, igné ut inſtrumentũ divina virtute elevatum applicare effectivè dæmonis voluntaté ad maximum doloré in ea producendum: vel ipſum doloris actũ ſine concurſu ejuſdem voluntatis immediatè efficere. Nam præterquã quod omnis actus in voluntate exiſtẽs debet eſſe voluntarius & vitalis, proindéque non à principio extrinſeco, ſed ab ipſa voluntate immediatè ortũ ducens: aliunde etiã prædictus diſcurſus eſt extrà rem: quia cum neque dolor per ſe ſit pœna, ſed ad eam conſequens, nec dari queat niſi de aliquo objecto apprehenſo ſub ratione mali & diſconvenientis; ſemel verò hujuſmodi objecto apprehenſo & propoſito voluntati ſponte hæc ſuaptéque natura in dolorem prorumpat, ſicut prorumpit in amorem, propoſito objecto ſub ratione convenientis: fruſtra eſt cura de ſola cauſa effectiva & elicitiva; cum totus labor impendendus eſſet in aſſignãdo objecto prædicti doloris. Itaque cum pœna, de qua loquimur, debeat eſſe aliquid à dæmonibus & animabus ut malum & diſcõveniẽs apprehenſum, quod ut objectum ad actum doloris ſupponatur, & de quo ipſe dolor conſurgat; alias verò talis pœna ab igne corporeo inferenda ſit, id potiſſimũ requirit præſens difficultas, ut ſcilicet declaretur, quo pacto prædictus ignis poſſit eſſe illis diſcõveniens & nocivus, aut quid in eis ponat, vel producat, quod ipſi ut malũ & diſcõveniens apprehendat. Nam præterquã quod difficile capitur, quomodo res corporea agat in ſpiritũ; difficilius adhuc percipitur quid in eo poſſit agere, quod illi adverſetur.

27 Error impugnatus.

Cui difficultati ſuccumbentes nonnulli dixerunt, ignem non torquere dæmones aut animas verè & realiter, ſeu per aliquã actionem, vel affectionem quã illis re ipſa noceat, ſed per ſolam apprehenſionem: quatenus apprehendunt illum ut ſibi nocivum, cum talis non ſit. Cõtra quem erroré, qui manifeſtè talis eſt, militant verba illa (D. Gregor.) D.Greg.lib.9.moral.c.38. ad illud Job.10: *Vadam & non revertar, ad terrã tenebroſã, &c. Rectè* (inquit) *inferni clauſtra tenebroſa terra nominãtur: quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna tranſitoria, vel phantaſtica imaginatione cruciant, ſed ultione ſolida perpetuæ damnationis ſervant.* Et (D. Thom.) præterea impugnatur à D.Th. cit. loc. de verit. ibi: *Neque poteſt eſſe quod quidam dicunt, quod quamvis ignis ille corporeus non poſſit eſſe ſpiritui nocivus, poteſt tamen apprehendi ut nocivus. Non enim eſt probabile, quod dæmones qui acumine ſenſus vigent, multo melius ſuam naturam & ignis corporalis non cognoſcant, quam nos, ut falsò credant, ignem corporeum ſibi poſſe nocere. Vnde dicendum, quod verè & non ſolum ſecundum apparentiam ab igne corporeo affliguntur: & hoc eſt quod Gregor. dicit in 4. Dialog. Colligere ex dictis Evangelicis poſſumus, quod incendium anima non ſolum videndo, ſed etiam experiendo patiatur.* Quam etiam impugnationem (Idem.) habet quæſt. de anim.art.21. & eam latiùs proſequitur in 4. diſt.44.q.3.art.3. Ut videas, quàm ſine fundamento Hugo Cabel. (Hugo Cab.) in Schol. ad Scot. diſt. cit. q.2. num.3. adſcribat D.Thomæ prædictum dicendi modum, quem S.Doctor toties reprehendit.

Ad explicandum ergo quo pacto ignis verè, & non tantum ſecundum apparentiam, vel falſam apprehenſionem ſpiritibus illis nocivus ſit poſſitque ab eis vero judicio ut talis apprehendi, varii excogitati ſunt dicendi modi: qui omnes adhuc ſupponunt, id non poſſe igni competere præcisè per ſuam virtutem naturalem: quia res corporea ſuæ virtuti relicta, non poteſt agere in ſpiritum. Quia tamen non repugnat elevari ad hoc virtute divina, idcirco omnes qui in hac materia probabiliter opinati ſunt, ſupponunt, neceſſariam eſſe in igne hujuſmodi elevationem ad prædictum effectum.

18 Vltimũ præſuppoſitum.

Denique poſſumus tanquam certum, vel ferè certum ſupponere, dæmones & animas torqueri ab igne per alligationé ad ipſum, vel aliud corpus, in quo tanquam in tetro carcere inviti detineantur: itaut neque ſe inde liberare poſſint, neque ſuas actiones ubi & quomodo voluerint, exercere. Hanc ſententiam, (quæ eſt D.Thom. omnibus locis ſuprà cit.) meritò ut communem & fere certam ſupponimus: quia non tantum Capreol. Hiſpal. Cajet. Ferrara, Bañez, Soto, Nazar. & alii S. Doctoris diſcipuli, quorum nullus ab ea recedit, ſed etiam Bonavent. Scot. Richard. Vaſq. Valent. Bellarm. Suar. & cæteri Theologi communiter illi ſubſcribunt, prædictamque alligationem & incarcerationem non parum pœnalem dæmonibus fatentur. Si enim (ait bene Suar.c.14.) (Suar.) ignobile animal non habens intellectum neque libertatem, ſed ſolum ſenſum & appetitum, interdum vehementer affligitur, ſi catena ligatus teneatur: & inter homines diuturnus carcer pro magna habetur pœna, eſtque objectum non modicæ afflictionis; quanto magis in Angelo nobiliſſima creatura erit doloris objectum, infimis corporibus alligatum detineri, & ſua libertate privari? Neque poſſent aliter plura loca Scripturæ ſalva conſiſtere, ubi dæmonũ pœna per prædictam alligationem & incarcerationem ſignificatur: ut in Epiſt. Canon. Judæ, (Epiſt. Can. Iudæ.) *Angelos qui non ſervaverunt ſuum principatum, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Et 2. Petr.c.2. (2.Pet.c.2.) *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Apoc.20. (Apoc. 20.) *Apprehendit draconem, & alligavit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit.* Iſa.24. (Iſai.24.) *Congregabuntur congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, &c.* atque alibi ſæpe.

Eſſe verò poſſibilem, & dæmonũ atque animarum afflictivã hujuſmodi alligationem, oſtendit D.Th. q. de anim. art.21. ubi cum diſtinxiſſet duplicem modum paſſionis, ſcilicet per alterationem & corruptioné, vel per impedimentum contra naturalem inclinationem, excludit ab eis primum,

D.Thom. primum, & ponit ſecundum his verbis : *Secundum igitur primum modum paſſionis anima non poteſt pati pœnam ab igne corporeo : non enim poſſibile eſt, quod ab eo alteretur & corrumpatur. Poteſt autem pati ſecundo modo paſſionis : in quantum per hujuſmodi ignem impeditur à ſua inclinatione , vel voluntate, quod ſic patet : anima enim & qualibet ſpiritualis ſubſtantia, quantū eſt de ſua natura, non eſt obligata alicui loco , ſed tranſcendit totum ordinem corporalium: quod ergo alligetur alicui, & determinetur ad aliquem locum per quandam neceſſitatem, eſt contra eius naturam , & contrarium appetitui naturali : & hoc dico , niſi in quantum coniungitur corpori, cuius eſt forma naturalis, in quo aliquam perfectionem conſequitur. Quod autem aliqua ſpiritualis ſubſtantia alicui corpori obligetur, non eſt ex virtute corporis potentis ſubſtantiam incorpoream detinere, ſed ex virtute alicuius ſuperioris ſubſtātia alligantis ſpiritualem ſubſtantiam tali corpori : ſicut etiam per artes magicas permiſſione divina, virtute ſuperiorum dæmonum alicui ſpiritus rebus aliquibus alligantur, vel anulis, vel imaginibus, vel huiuſmodi rebus. Et per hunc modum anima & dæmones alligantur virtute divina in ſui pœnam corporeo igni. Vnde Aug. dicit 21. de civit. Dei. Cur non dicamus, quamvis miris modis , etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profectò incorporei, & nunc poſſunt includi corporalibus membris , & tunc poterunt corporum ſuorū vinculis inſolubiliter alligari ? Adhærebunt ergo ſpiritus licet incorporei corporalibus ignibus cruciandi : accipientes ex ignibus pœnam , non dantes ignibus vitam. Et ſic verum eſt , quod ignis ille in quantum virtute divina detinet animam alligatam, agit in animam ut inſtrumentum divinæ iuſtitiæ. Et in quantum anima apprehendit illum ignem ut ſic ſibi nocivum, interiori triſtitia affligitur. Quæ quidem maxima eſt, cum conſiderat , ſe infimis rebus ſubdi, quæ nata fuit Deo per fruitionem uniri. Maxima ergo afflictio damnatorum erit ex eo, quod à Deo ſeparabuntur : ſecunda vero ex eo , quod rebus corporalibus ſubdentur , & infimo & abiectiſſimo loco.*

29 Animadverſio. Ubi obſervandum venit, quod cum ignis verus & corporeus ad torquendos dæmones & animas (juxta dicta n.23.) proindéque ad eorum alligationem concurrat , dupliciter poteſt intelligi quod fiat hic concurſus. Vel objectivè dumtaxat , ſeu terminativè : quatenus ignis eſt locus & terminus, cui dæmon manet ita alligatus , ut inde non recedat : ſine eo tamen quod ipſe ignis exerceat aliquam actionem , aut præſtet aliquem influxum effectivum in prædictam alligationem , ſed ſolus Deus ſit cauſa ejus effectiva. Vel itaut etiam ipſe ignis ad eam effectivè concurrat, non quidem ut cauſa principalis , ſeu virtute propria, ſed ut inſtrumentum divinæ virtutis ab ea elevatum. Quamvis autem olim non defuerint , qui alligationem prædictam illo primo modo intellexerint ; falluntur tamen, & contra mentem D.Thom. gradiuntur. Tum quia S.Doctor ubique repetit, ignē agere in dæmones & animas , torqueréque illos in quantum eſt inſtrumentum divinæ juſtitiæ : ut videre eſt in 4. diſt.cit. & q.16. de verit.art.1.

D.Thom. ibi : *Ignis ille corporeus agens ut inſtrumentum divinæ iuſtitiæ , facit aliquid ſupra virtutem naturæ, ſcilicet animam detinere, vel alligare*, &c. Et in ſolut. ad 1. *Ignis in quantum agit in animam ut inſtrumentū divinæ iuſtitiæ, eſt anima præſtantior.* Et quæſt. de anim.art.21.in corp. *Ignis agit in animam ut inſtrumentū divinæ iuſtitiæ.* Et ad 8. quod

Idem. erat hujuſmodi : *Agens eſt nobilior patiente: ſed ignis non eſt nobilior anima : ergo non poteſt agere in illam.* Reſpondet: *Dicendū, quod inſtrumentum non agit virtute ſua , ſed virtute principalis agentis : & ideò cum ignis agat in animā ut inſtrumentū divinæ iuſtitiæ, non eſt attendenda dignitas ignis, ſed divinæ iuſtitiæ.* Cum ergo hæc omnia dicant effectivam cauſalitatē, ipsúque inſtrumentū ſit genus cauſæ effectivæ, manifeſtè eſt cōtra D.Th. reducere concurſum ignis ergà prædictā alligationem ad ſolam terminationem, vel cauſalitatem objectivam : quamvis neque hæc ſit illi deneganda.

Tum etiam, quia ut rectè vidit Suar. ſi ignis ſolum ſe habet per modum objecti & termini in prædicta alligatione , non modo verū non erit, dæmones propriè torqueri ab illo (quæ locutio abſolutè ſonat cauſalitatē effectivā) prout Scriptura & Patres clamant : ſed neque verum erit, ignem, ut talem, & ut diſtinctū ab ipſo loco & ſpatio inferni, ubi exiſtit, addere aliquid ad illorum pœnā in quocūque genere cauſæ: aut ipſos dæmones plus torqueri ex eo quod ignis illic ſit, quā ſi ibi non eſſet; ſed ſolū ipsū inferni ſpatiū eſſet terminus prædictæ alligationis. Quippe ſi ignis ſolū objectivè concurrat, tota ratio pœnæ in eo conſiſtet, quod dæmones detineātur in quodam infimo loco, neque inde egredi poſſint : quod verò talis locus, vel quod illum replet, ſit ignis, aqua, aut aër, vel aliud ſpatium in eadē diſtantia ſitū, ſicut non auget diſconvenientiā reſpectu dæmonis ibi manētis, ita neque ejus pœnam ullo modo augeret. Ut ergo verificetur, dæmones non ſolū cruciari, quia manēt in illo ſpatio, ubi gehennalis ignis eſt: ſed etiā quia ab ipſo igne ut talis affligūtur & torquētur, neceſſe eſt, ut non ſolum terminando illorum alligationē & præſentiam, ſed etiam efficiendo concurrat.

His ſine controverſia ſtabilitis, ſuperſunt duo ſatis illi obnoxia. Primum eſt, quid importet, aut quid ponat in dæmonibus & animabus hæc alligatio, per quam torquentur : an ſcilicet ponat aliquā formā realem & intrinſecā, & cujus prædicamēti ſit hæc forma: necnon an ſit ejus ſubjectum immediatū ipſa ſubſtantia dæmonis, vel ejus potētia, vel utraque ſimul: in quo non pauca difficilia involvuntur. Secundum eſt, an prædicta alligatio ſit ſufficiens pœna dæmonum in ratione pœnæ ſenſus, vel quærendum ſit aliud tormenti genus, quo acerbius puniantur? Quod enim non ſit ſufficiens, tenēt omnes extra ſcholam D.Thom. quibus aſſentiunt Sot. & Zumel. Soto. Quāvis in aſſignando illud aliud tormēti genus Zumel. ita inter ſe dividantur, ut vix duos unius ſenſus reperias. In eo autē conveniunt, quod adeò ingens pœna & diri cruciatus , ſicut Scriptura & S.Doctor. clamant , dæmones & animas pati à gehennali igne, pluraque exempla & apparitiones conteſtantur, gravius & acerbius tormentū importare debēt, quàm quod in ſola alligatione, ſeu incarceratione videtur poſſe conſiſtere. At vero diſcipuli D.Th. præſertim graviores aliud tormēti genus pro pœna ſenſus non agnoſcunt : & quotquot ab aliis adinvēta ſunt, facile impoſſibilitatis, vel falſitatis cōvincunt. Et quoniā ſi prædicta alligatio , & totū quod ſub ea clauditur plene innoteſceret , haud difficile intelligeretur, nullum cruciatū pro pœna ſenſus excogitari poſſe graviorē ; nemoque non videret, ſufficienter per illā verificari omnia, quæ de animarum & dæmonū tormentis à fidelibus creduntur : ex quo etiam nullo negotio ruerent argumenta & objectiones, quæ in Thomiſticam ſententiam adverſarii cōgerunt : neceſſarium duximus

mus elucidandæ utrique huic parti aliquid curæ & laboris impendere. Primam verò enucleabimus aliquibus aſſertis.

§. II.

Aſſerta pro enucleanda ſententia Angel. Doctoris.

31 Prima aſſertio. DIcendum eſt primò, ignem torquentem dæmones (idem eſt de animabus) cauſare in illis aliquem modum, vel formam realem, per quam eidem igni, vel aliis corporibus alligantur. Hæc concluſio eſt ſatis communis inter Theologos: qui fere omnes illam ſupponentes, vacillant non parum in aſſignanda & explicanda natura prædictæ formæ. Ex Thomiſtis verò tenent hoc expreſsè Nazar. Navar. Ioan. à S. Thom. & alii. (*Nazar. Navar. Ioan. à S. Thom.*) Poteſtque probari ex nuper dictis. Nam quod ignis ille vere & realiter agat in dæmones, exerceatque in eos aliquam operationem, qua liget & detineat illos, aſſeritur à D.Th. pluribus in locis, ut vidimus n.29. feréque ab omnibus Theologis conceditur:ſed hæc actio ignis non poteſt non habere in ſubjecto,circa quod verſatur,aliquem terminum realem per ſeipſam productum, qui neceſſariò erit aliquis modus realis, vel aliqua forma: igitur concedendus eſt hujuſmodi modus, vel forma producta in dæmonibus pro prædicta alligatione. Major & conſequentia conſtant. Minor ex eo probatur: quia actio tranſiens, ſicut eſt omnis quæ poteſt elici ab igne, eſſentialiter eſt productio alicujus termini; nec poteſt intelligi, quod verè ſit actio & productio, niſi aliquid producat: quicquid autem produxerit, erit forma & terminus de quo loquimur.

32 Prima evaſio. Dices cum aliquibus, terminum illius actionis eſſe ipſam detentionem dæmonis in loco cui alligatur, ſeu ipſum *alligatum eſſe* tali loco, non verò aliquam formam in dæmone productam. (Reiicitur.) ¶ Sed contra: nam illa detentio & illud eſſe loco alligatum ut poſſit eſſe terminus actionis realis, aliquid debet eſſe reale, atque adeò per aliquam formam conſtitutum: quæ forma ibi neceſſario debèt eſſe, ubi eſt effectus cōſtitutus per illam, prædicta ſcilicet detentio & alligatio. Neque enim talis effectus poteſt eſſe ſola denominatio extrinſeca, aut ens rationis: quia neque iſta poſſunt eſſe terminus immediatus alicujus actionis realis; nec torquere vere & realiter dæmonem; nec detinere illum, aut impedire tranſitum ejus ad alium locum: nullum enim horum fit per ſolam denominationem extrinſecam, aut per ſolum ens rationis, quæ nihil ponunt in re denominata. Igitur neceſſariò concedenda eſt aliqua ratio extrinſeca & realis tribuens prædictos effectus: quam & nihil aliud nos vocamus modum, vel *formam realem.*

Evaſio alia. Dices ſecundò ipſam actionem elicitam ab igne, & receptam in dæmone per modū paſſionis, reddere eum alligatum ſine recurſu ad aliam formam. (Refellitur.) ¶ Sed hæc evaſio non enervat rationem factam. Tum, quia jam admittit aliquid reale in dæmone ab igne receptū, ſcilicet ipſam actionem, vel paſſionem, ſufficeretque hoc ad veritatē concluſionis propoſitæ: in qua indeterminatè tantum aſſerimus modum, vel formam realem; ejus vero genus aut diſtinctionem nondum diſquirimus. Tum etiam, quia actio tranſiens non utcumque debet habere terminum productum, ſed qui ſit diſtinctus ab ipſa actione etiam prout in paſſo recepta. Hoc enim eſt diſcrimen inter actionem tranſeuntem & immanentem, quod iſta eo quod eſt actus perfectus, poteſt eſſe ſimul actio & terminus ſui ipſius, atque adeò conſiſtere aliquando ſine alio termino per eam producto: illa vero ob oppoſitam rationē omnino indiget termino à ſe realiter diſtincto: quia cum non ſit qualitas, aut actus perfectus, ſed motus & actus imperfectus, nequit eſſe ſimul terminus & actio, aut ſoli ipſius productio, ſed alterius propter quod producēdum inſtituta ſit. Et eadem ratio convincit de paſſione prædicamentali: quia hæc etiam eſt actus imperfectus, & intenditur eſſentialiter ob ſubjiciendum paſſum agenti, ut ab eo recipiat & ob recipiēdum effectū per ejus actionē productum: poſt cujus receptionē ceſſat paſſio, quāvis effectus permaneat. Vnde manifeſtè repugnat dari veram paſſionem prædicamentalem, niſi effectus ab ea diſtinctus recipiendus ſit. Tum etiā, quia forma de qua loquimur, tribuit diverſū effectū formalem ab iis, quos tribuunt actio & paſſio: harum enim effectus formales tantū ſunt, quod agens agat, & quod paſſū recipiat: effectus vero illius eſt, quod dæmon ſit præſēs & alligatus igni, vel alii corpori, poſſetque hic effectus manere & conſervari à Deo tranſactis actione & paſſione. Igitur debet aſſignari forma ab eis diſtincta pro tribuendo prædicto effectu.

33 Tertia evaſio. Fortè dices tertiò, ſufficienter fieri hanc alligationem per ſubſtractionem divini concurſus, ſeu per hoc quod Deus non concurrat cum dæmone; ut moveat ſe ab eo loco, ubi primò collocatur, etiam ſine ullo intrinſeco recepto: quemadmodum ſine ullius receptione ſuperiores dæmones alligant inferiores certis locis & corporibus; unde ſine illorum permiſſu nequeunt diſcedere. Hoc autem ad alligationem ſufficiente, fruſtrà aſſerimus prædictum intrinſecum: nam fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora.

Impugnatur. Verùm neque iſta evaſio alicujus momenti eſt. Nam præterquam quod exemplum cui innititur alligationis unius dæmonis ab alio, non ei favet, ut infrà oſtendemus: urget modo contra illā, quod non ſalvat id quod omnino verificandum eſſe, n.29. diximus: videlicet ignē effectivè concurrere ad prædictam alligationem. Huic enim principio innititur ratio à nobis facta: quia neque efficiētia ignis poteſt intelligi ſine aliqua ejus actione tranſeunte: neque talis actio ſine aliquo termino producto in ſubjecto circa quod verſatur: qui terminus non poteſt non eſſe aliqua forma, vel modus realis: qui autem recurrens ad ſolam negationem divini concurſus, hujuſmodi terminū & conſequenter actionem illius productivā ab igne removet, manifeſte deſtruit tale principium: cum nulla alia via ſalvari poſſit influxus effectivus ignis in prædictā alligationē. Vnde non eſt nobis neceſſe examinare, an Deus non utēdo igne, vel alio inſtrumento, neque ipſe immediatè aliquid intrinſecū in dæmone efficiendo, ſed per ſolā concurſus ſubtractionē poſſit illum alligare, & alligatum detinere in aliquo loco, alligatione & detentione ſufficienti ad pœnam? (in quo pars negativa ſatis probabiliter defendi poſſet: tum ex eo quod detentio alicuius in aliquo loco neceſſario ſupponit, vel ſecum affert poſitivam eius præſentiam in tali loco: quæ ſane præſentia conſiſtere nequit in ſola negatione concurſus; ſed debet eſſe aliquid productum per aliquā actionem: tum etiam quia ſuſpendente Deo concurſum, nulloque alio dæmonē à motu impediente, non ita bene capitur, quo pacto illa detentio & carentia motus ſit violenta: uti eſſe debet ad hoc ut habeat pœnæ rationem,) Hoc igitur non eſt nobis neceſſe examinare: quia ſupponimus prædictum principium ut omnino

omnino ſuſtinendum, ſicut ſuſtinetur communiter à Theologis, maximè à Thomiſtis: videlicet Deum de facto uti igne tanquam inſtrumento ad dæmones torquendos & alligandos: atque adeò non per ſolam concurſus ſubtractionem, ſed poſitivè cum ipſo igne ad prædictam alligationem concurrere.

34 **Secunda aſſertio.** Dicendũ eſt ſecundò, formam illam per quam dæmones alligati redduntur, eſſe de genere qualitatis, & non alterius prædicamenti. Hæc etiam concluſio habetur apud Thomiſtas pro præcedenti citatos. Et probatur à ſufficienti enumeratione. Et quidem non eſſe *ſubſtantiã, quantitatem, ſitum, habitum*, aut *quando*, ab omnibus ſupponitur: non enim poteſt eſſe *ſubſtantia*, cum adveniat enti completo & exiſtenti in actu: non *quantitas*, cum ſit in ſubjecto ſpirituali & inextenſo: non *ſitus* vel *habitus*, quia iſti ſupponunt quantitatẽ: non etiã *quãdo*, quia hoc ſequitur naturã durationis, ex qua reſultat: & ita ſicut duratio nõ eſt alicui nociva, niſi ſuppoſita diſconvenientia ejus cujus eſt duratio, ita de habitudine, quæ eſt cõſtitutiva prædicamẽti *quando*, dicendũ eſt. Idẽ cõſtat de actione & paſſione, per ea quæ nuper diximus. Atque adeo ſuperſunt tantũ duo prædicamenta, de quibus poſſit eſſe difficultas, *relatio* ſcilicet & *ubi*. Porrò non eſſe relationem, facile probatur. Tum, quia relatio nequit eſſe terminus immediatus alicujus actionis, ſed ſemper ſupponit aliud ex quo reſultat: quovis autem ab æterno præſuppoſito, ſupervacaneus eſt recurſus ad conſequentẽ relationẽ. Tum etiã, quia relatio ſecundũ ſe non habet afficere ſubjectum bene vel male; ſed totũ ejus *eſſe* eſt in ordine ad terminũ: ſi quam vero dicat convenientiam, vel diſconvenientiam, tantũ eſt ratione fundamenti; unde cum alligatio de qua loquimur, ſit maximè diſconveniens ſubjecto, quod per illam cruciatur, planè ſit non poſſe eſſe purum relationem.

Probabilis modus dicendi. Probabiliùs poſſet opinari, quod pertineat ad prædicamentũ *ubi*. Tum, quia alligatio dæmonis ad ignẽ, vel alium locũ nihil aliud eſſe videtur, niſi firma quædã præſẽtia & ubicatio in tali loco. Tum etiã, quia idcirco nos in tract. de Ang. diſp. 2. dub. 5. præſentiã eorũ localẽ à prædicamẽto *ubi* excluſimus, & ad genus qualitatis reduximus, quia loquebamur de loco connaturali, in quo Angelus voluntariè ſe ipsũ collocat: nã cũ ratio exiſtẽdi hoc modo in loco ſit ipſa operatio Angeli, quæ eſt qualitas, cõſequenter ubicatio in tali loco, quæ forte ab operatione non differt, debet etiã ad qualitatẽ pertinere. Hæc autẽ ratio non militat in præſenti, ubi ſermo eſt de loco violẽto, in quo dæmon non ipſe ſe collocat, ſed collocatur à Deo & ab igne contra ejus voluntatẽ. Sicut ergo ratio exiſtendi hoc modo in loco non eſt operatio, vel qualitas, ſed potentia paſſiva dæmonis, & paſſio actualis per quã ligatur & detinetur, ut in prædicto tract. dub. 4. ita non videtur, cur prædicta alligatio reducatur ad qualitatem & non potius in prædicamento *ubi* contineatur.

35 **Deſeritur.** Sed licet hoc ſit probabile præſertim pro ea parte qua prædicta alligatio tangit immediatè ſubſtantiã dæmonis: oppoſitũ tamen probabilius arbitramur. Quia probabilius nobis eſt, prædicamentũ *ubi* ſolũ continere præſentias locales circumſcriptivas, ſeu quæ fundantur in quantitate. Nam juxta doctrinã Ariſt. & D. Th. res ſpirituales, quibus non eſt quãtitas dimenſiva, quovis modo ſint in loco, non dicuntur eſſe in illo niſi æquivocè & impropriè: ſi autẽ earum localis præſẽtia eſſet *ubi* prædicamẽtale, proprie & univoce in illo eſſe dicerẽtur, ſicut corpora eſſe dicuntur. Juxta hanc ergo doctrinã, quam loc. cit. dub. 1. & 5. ſufficienter cõfirmavimus, proindéque nunc ſupponimus, probabilius nobis eſt alligationẽ dæmonis ad quodcumque corpus, vel locum non eſſe *ubi* proprium & univocum cum *ubi* quantitativo, ac proinde neque in ejus prædicamento collocandum: non enim in eodem prædicamento eſſe poſſunt, quæ in ſupremo ſaltem prædicato univocè non conveniunt.

Accedit, quod alligatio de qua loquimur, adhuc ex ea parte qua tangit immediatè ſubſtantiã dæmonis, licet inferat, vel importet præſentiam ejus ad ignẽ, vel aliud corpus; non tamen potiſſima ejus ratio cõſiſtit in ſola hac præſentia, ſed in quadam ſubjectione & depreſſione, qua dæmon redditur ipſo igne inferior, & ei quaſi potentiori ſubjicitur: ob quam depreſſionem, potius quam ob nudam præſentiam apprehendit ignem ut ſibi nocivum & pœnalem. At verò prædicamentum *ubi* præciſè dicit præſentiam rei locatæ ad locum, proindéque ejus differẽtiæ ſunt ſecundum differentias ipſius loci *ſurſum, deorſum, ante, retrò*, &c. quod verò res locata à loco veluti inferior ſupprimatur & detineatur, in quo prædicta alligatio conſiſtit, omnino eſt extra rationẽ hujus prædicamenti. Quærendum igitur eſt aliud ad quod pertineat: cũque cætera excluſa ſint, à ſufficiẽti enumeratione convincitur, conſtituendam eſſe in genere qualitatis.

Confirmatur: nam ad hoc prædicamentum pertinet quicquid habet afficere, aut diſponere ſubjectum bene vel male: hacque ratione in 36
prima ejus ſpecie ponuntur non ſolum habitus vitioſi & virtuoſi, ſed etiam ſanitas, ægritudo, pulchritudo, deformitas, & ſimilia, quæ aliquid convenientiæ, vel diſconvenientiæ important: ſed alligatio dæmonis ad ignem male ipſum afficit, ſiquidem torquet & cruciat illum: debet igitur collocari in hoc prædicamento.

Occurritur interrogationi. Si autẽ inquiras, an prædicta qualitas ſit naturalis, vel ſupernaturalis, ſpiritualis, vel corporea, & in qua ſpecie collocãda ſit? ¶ Reſpõdetur non eſſe ſupernaturalẽ: quia neque reſpicit objectũ, aut ſpecificativũ ſupernaturale, neque eſt participatio alicujus exiſtentis in Deo prout in illo exiſtit: nec qualitas ſupernaturalis poteſt eſſe alicui ſubjecto nociva; ſed potius in quocũque ſit, eſt ejus perfectiva. Non eſt etiam corporea, cum ſit in ſubjecto ſpirituali & inextenſo. Unde eſt quædam qualitas ſpiritualis & naturalis ordinis. Videtur autẽ collocanda in prima ſpecie, ubi ſunt habitus & diſpoſitiones: quia hujus ſpeciei propriũ eſt afficere ſubjectũ *bene* vel *male*. Quantũ verò hæc noſtra qualitas differat ab ea, quam aſtruit Suar. à Thomiſtis cõmuniter rejectus, appellatque *doloriſicã & deformativam ſubſtantia dæmonis*, conſtabit infrà n. 52. & 75.

37 **Aſſertio ultima.** Dicendum eſt tertiò, immediatum ſubjectum prædictæ qualitatis eſſe tum ipsã ſubſtantiã dæmonis, tum etiã ejus potentias operativas: adeoque non eſſe unicã & ſimplicem formã, ſed multiplicẽ. Hæc ultima pars concluſionis, ſuppoſitis prioribus, eſt per ſe nota: quia una ſimplex forma nequit eſſe immediate in pluribus ſubjectis realiter diſtinctis. Secũda verò quæ aſſignat illi pro ſubjecto potentiã operativã, aſſeritur à diſcipulis D. Th. Cajet. Bañ. Nazar. Nav. & Joan. à S. Th. loc. ubi ſup. nec diſſentiũt alii Thomiſtæ. Et ratio eſt perſpicua: nam magna pœna infertur dæmoni per hoc, quod ejus potẽtia obligetur & *D. Thom. Caiet. Bannez. Nazar. Navarr.*

compri

Digitized by Google

Probatur quoad ſecundā partem. comprimatur, tum ne operetur, quicquid ex ſe operari vellet; tum etiam ut operetur, quod ex ſe operari non vellet: ſed hæc obligatio & compreſſio fieri debet per aliquid receptum in ipſa potentia, quo ab una operatione removeatur, & ad aliam determinetur: neque hoc quod in tali potentia recipitur, poteſt eſſe aliud, niſi qualitas de qua loquimur: ergo ponēda eſt in illa talis qualitas. Eo præſertim quia quod potentia operativa dæmonis ejuſmodi qualitate immediatè afficiatur, & per eam ad operandum, vel non operandum contra ſuam voluntatem determinetur, ex nullo capite repugnantiam involvit: affertque non leve tormentum ipſi dæmoni privari hoc modo ſua libertate: ergo ita eſt aſſerendum.

38 Si autē inquiras, an prædicta qualitas afficiat omnes potentias dæmonis, vel tantum aliquam, ſeu aliquas, & quæ ſint iſtæ? § Reſpondetur animadvertendo, in ſubſtātiis ſpiritualibus tantum eſſe tres potentias, ſcilicet intellectū, voluntatē, & loco motivā, ſeu executivā: nec ſatis cōpertum eſt, an hæc tertia potētia diſtinguatur realiter ab aliis duabus, vel idētificetur cum ipſo intellectu. Hoc poſterius ut magis receptum in ſchola D.Th. ſequuti ſumus in tract. de ſcientia Dei diſp. 5. dub. 3. & modo etiā probabilius judicamus. Sed ſive teneamus, prædictas potentias realiter diſtingui, ſive ſolum virtualiter, dicendū eſt, formā alligantem de qua loquimur, afficere utramque iſtam potentiā, intellectum ſcilicet & executivam ſecundum ſuas proprias rationes. Nam dæmones & compelluntur per prædictam alligationem ad intelligenda aliqua, quæ nollent intelligere; & impediuntur ab intelligentia multorū, quæ intelligere vellent: ſimiliter etiam coguntur operari ad extra aliqua, quæ operari nollent; & à multis quæ vellent operari, prohibentur. Neque in hujuſmodi potentiis adeſt aliqua ratio, ut ſive in operando, ſive in ceſſando ab operatione non poſſint violētari (eo ſcilicet violentiæ genere, quo in tract. de volunt. diſp. 5. n. 26. & 27. diximus, dæmones etiam à Deo poſſe violentiā pati: nam juxta ibi dicta & non aliter accipiendum eſt, quoties ipſos voluntari deinceps aſſeruerimus.) Cæterū in voluntate ut voluntas eſt, non ita videtur habere locum prædicta alligatio: quia hæc potentia adeò eſt libera & indepēdens, ut pro nullo actu eliciendo poſſit violentiā pati, ut oſtendimus diſp. cit. n. 30. Et quāvis in ceſſatione ab omnibus aliquā pateretur, ut ibid. n. 35. diximus, hæc tamen ceſſatio neque fieret per aliquā formā alligantē, ſed per ſolam ſubtractionem concurſus: neque eſſet ita gravis pœna reſpectu dæmonum, ſicut eſt, quod multa volentes & appetentes in nullius executione voluntatē ex toto adimpleant. § Diximus *in voluntate ut volūtas eſt*, &c. quia ſi aſſentiremus dicentibus, potentiam executivā Angeli identificari cum voluntate, ſicut nos dicimus identificari cum intellectu, ponenda etiam eſſet in illā prædicta alligatio: non ut cogeret ad aliquid ſimpliciter volendum, vel nolendum, ſed ut volitorum executionem impediret, & ad executionem nolitorum compelleret. Majorem notitiam hujus alligationis, prout ad potentias pertinet, dabimus §. ſeq. n. 55. & §. 4. n. 66.

39 Prima aſſertionis pars unde probetur. Veniamus ad primam partem aſſertionis, ubi ſtatuimus, non totum negotium alligationis dæmonū agi immediatè penes eorum potentias, ſed aliquid etiā penes ipſam ſubſtantiā ut à potentiis diſtinctā, præciſoque ordine ad operationē. Hæc autē pars quamvis expreſsē non habeat tot patronos, ſicut præcedens (quia nec tot ita in particulari ſubjectum prædictæ alligationis inquirunt:) habetur ex D. Th. & ex Capreol. & Hiſpal. loc. cit. eamque neceſſariā eſſe credimus ad Thomiſticam ſententiam declarandam. Pro quo nota, quod cum Ang. Doct. negat ſubſtantiis ſpiritualibus aliū modum exiſtendi in loco, quam per potentiam & operationem, loquitur dumtaxat de loco connaturali & naturaliter petito ab illis, ſeu quo ipſæ in loco ſe collocant, ut explicuimus in tract. de Angel. diſp. 2. dub. 4. proindéque non excludit, quin modus exiſtendi in loco violento & præternaturali, vel in quo ab alio collocātur, ſit alterius rationis: & talis ut poſſit eiſdem ſubſtantiis in ſe ipſis independenter à potentiis & operationibus cōpetere. Quod rectè obſervavit Hiſpal. in 2. diſt. 2. q. 1. art. 3. notab. 1. & in 4. diſt. 44. q. 4. dub. 5. ubi cū explicuiſſet prædictum modum eſſendi in loco per operationē, & quædā ad illum pertinentia, ſubdit: *Sed ea ſunt intelligenda loquendo de exiſtentia ſubſtantiæ ſpiritualis in loco ſecundum viam & ordinem naturæ, quem Deus illi indidit: quoniā ſupernaturaliter & virtute divina non ſolum dicto modo convenit ei eſſe in loco, ſed modis aliis, prout divina providentia diſpoſuerit. Unde circa propoſitum noſtræ ſecundæ concluſionis dicimus viam ſequentes S. Doctoris, quod poſt hanc vitam anima damnatorum ſunt ſicut in loco in inferno & in ipſo infernali igne, & ibi æternaliter detinentur, etiamſi nullam operationem habeant circa locum inferni aut ignis, nec circa corpora in eis exiſtentia*, &c. D.Thom. Capreol. Hiſpal.

Potuit verò obſervationem hanc deſumere ex D.Th. tum q. 26. de verit. art. 1. ubi modū quo prædicta ſubſtantia (non jam ut forma) poteſt corpori uniri, explicat per hanc disjunctivam: *Ut motorem mobili, vel locatum loco per aliquam operationē, ſive per aliquam habitudinem.* Qua etiā disjunctione utitur in 4. ubi ſup. *Sicut movens mobili, vel ſicut locatum loco, eo modo quo incorporalia ſunt in loco.* Apertè innuens utrobique, ſupereſſe aliud genus habitudinis & unionis ſubſtantiæ ad corpora præter illum qui eſt per potentiam & operationē, quique per habitudinem motoris ad mobile explicatur. Tum etiā quæſt. de anim. art. 21. ad 15. ibi: *Anima non unitur igni punienti ut forma, ſed unitur ei eo modo quo Spiritus uniuntur locis corporeis per contactum virtutis, quamvis etiam non ſint ipſorum motores.* Cum autem ſpiritum corpori uniri per potentiam & operationem ſit uniri ut motorem, liquet agnoviſſe D. Thom. alium modum unionis & præſentiæ localis, qui ab operatione non dependeat, adeoque immediatè afficientem ſubſtantiam. D. Thom. Idem.

40 Quid ſupponendum. Ut verò hoc etiam ratione probemus, libet unum ſupponere, quod nemo inficiabitur. Videlicet liberum nobis eſſe etiam inhærendo veſtigiis D.Th. extendere alligationē de qua agimus, ad totum id, quod ad acerbius torquendos dæmones conducat, dummodo nullo ex capite repugnet; poſſitque alligationis nomine ſignificari. Nam neque Ang. Doct. eo nomine nimis ſtrictè ad præſens uſus fuit: nec dubium eſt, dæmonū tormenta tam intenſive, quam extenſive excedere quicquid intra limites poſſibiliū poteſt à nobis ratione inveſtigari. Ob idque quamvis multæ ſententiæ in hac quæſt. ut falſæ rejiciantur; nulla tamen ex eo quod prædicta tormenta nimis efferat, aut exaggeret: ſed vel quia diminutè potius in hoc procedunt; vel quia ut illa ſatis commendent, impoſſibilia aſſerunt. Quicquid ergo ad magis cruciandos dæmones expediens

diens viſum fuerit, dummodo non impoſſibile appareat, eſt ab omnibus aſſerendum. Ex hoc principio (deinceps peculiariter obſervando) formatur ſequens ratio.

Non repugnat, dæmonum ſubſtantiam affici immediatè à qualitate alligante illos, conducitque hoc non parum ad eorum tormentum: igitur aſſerendum eſt de facto ita contingere. Conſequentia ex nunc præſuppoſito videtur perſpicua. Et etiam ſecunda pars antecedentis: cum dubitari nequeat, alligationem quæ ex ſe pœnæ habet rationem, eo reddi magis pœnalem, quo arctius ligat ſubjectũ in quo eſt, pluresque ejus partes conſtringit: ut conſtringit re vera, quæ non tantum potentias, ſed etiam ſubſtantiam immediatè afficit & ligat. Cum enim non ſolum dæmonis potentiæ, ſed etiam ſubſtantia natura ſua ſit abſolutiſſima, omninoque à corpore & à loco independens; major illi infertur violentia, & majori malo afficitur, cum ex utroque capite corpori & loco alligatur, amittens per hujuſmodi alligationem omnem ſuam exemptionem & independentiam; quàm ſi ex uno tantum capite id contingeret. Eo præſertim, quia cum dæmones ſuperbiſſimi ſint, & nihil ita ambiant, ſicut eminentiam & independentiam proprii *eſſe*, quæ eſt potiſſimum ſuperbiæ objectum; conſequenter nihil magis refugiunt, aut magis pœnale arbitrantur, quàm quod ipſa eorum ſubſtantia & *eſſe* infimis rebus ſubjiciantur, & ab eis deprimantur: uti ſubjiciuntur & deprimuntur per alligationem ad ignem, vel alia corpora.

Ad probandam verò primam antecedentis partem ſufficit, quod nullus hactenus eam repugnantiam oſtenderit, aut ratione oſtendi poſſit. In jis enim quæ nec nobis apertè revelata ſunt, nec noſtro diſcurſu ſufficienter inveſtigari poſſunt, ut non repugnare judicemus, ſatis eſt ſi quæ aſſequimur de illis, nullo ex capite repugnantiam oſtendant: quamvis poſitivè, & à priori eorum poſſibilitatem demonſtrare non poſſimus.

41 *Evaſio.* Dices, ſubſtantiam Angeli non eſſe capacem recipiendi aliqua accidentia, niſi vel ordinentur ad dandum novum *eſſe*, ſicut ordinatur ſola gratia ſanctificans: vel ordinentur ad operationem, atque adeo recipiantur mediis potentiis operativis, ſicut recipiuntur habitus & ſpecies intentionales. *Refellitur.* ¶ Sed contra, nam præterquam quod ex hoc capite non convincitur ſufficienter prædicta repugnantia, cum ſemper occultum maneat, an ſubſtantia Angeli ſecundum potentiam obedientialem capax ſit alicujus alterius accidentis: impugnari adhuc poterit hæc evaſio. Quia ævum & duratio Angeli eſt verum accidens, & afficit immediatè ejus ſubſtantiam independenter ab operationibus: ſicut independenter ab iſtis ſubſtantia illa eſt æviterna, & durat ſine fine. Quin etiam valde probabile eſt, prædictam ſubſtantiam independenter à ſuis potentiis affici quodam alio accidente pertinente ad prædicamentum *quando*, quod ex menſuratione primi ævi in ea reſultat: ſicut ex tempore primi mobilis reſultat in rebus temporalibus ſimile accidens ſpectans ad illud prædicamentum: de quo videri poſſunt *Complut.* N. Complut. in Log. diſput. 16. n. 28. Quod ſi hæc naturaliter fiunt, cur negabimus poſſibilitatem & exiſtentiam alicujus alterius accidentis afficientis immediatè ſubſtantiam Angeli in ordine ad locum, quod non naturæ viribus, ſed divina potentia operandum ſit.

Secundò probatur animadvertendo, operationem quæ poteſt eſſe ratio eſſendi in loco, non debere eſſe purè immanentem, ſed aliquo modo tranſeuntem: ut idem ſit hoc modo *eſſe in loco*, atque *operari aliquid in illo*, ut ait D.Thomas in 1. diſt. 37. q. 3. art. 1. ibi: *Dico, quod Angelus & qualibet ſubſtantia incorporea non poteſt eſſe in corpore, vel in loco niſi per operationem, qua effectum aliquem in eo cauſat.* De quo latius diximus in tract. de Angel. diſp. 2. dub. 3. Hinc ſic arguitur. Independenter à prædicta operatione debemus ponere in ſubſtantiis ſpiritualibus aliquam alligationem, per quam in locis detineantur: ſed talis alligatio, vel non poteſt afficere immediatè potentias, vel poteſt eodem modo afficere ſubſtantiam: ergo non tantum illæ, ſed etiam iſta eſt capax recipiendi immediatè prædictam alligationem. Major conſtat: nam neque in animabus damnatorum exiſtentibus in inferno, neque in animabus puerorum exiſtentibus in limbo, neque in illis quæ ſunt in purgatorio, eſt aſſignabilis actio tranſiens, per quam in illis locis aliquem effectum operentur: & tamen non eſt dubium manere illic divina virtute ligatas & detentas. Minor verò probatur. Tum, quia potentia operativa non aliter poteſt uniri loco, aut illum reſpicere, niſi vel ratione ſubſtantiæ cujus eſt potentia; eo quod ipſa ſubſtantia ſit in loco: vel ratione operationis quam elicit, quatenus talis operatio afficit & tangit ipſum locum. Sicut enim totum quod in prædicta potentia poſſumus intelligere, vel eſt ejus *eſſe*, quod convenit illi ex parte ſubſtantiæ cui inhæret; vel facultas & vis ad agendum, quæ eſt quidam ordo ad operationem: ita quælibet ejus habitudo & reſpectus, ſive ad locum, ſive ad quodcumque aliud debet illi competere ratione unius ex prædictis: atque adeo ſecluſa operatione, vel nullo modo locum reſpiciet, vel id habebit mediante ſubſtantia in qua eſt, quæ illum immediatè reſpiciat. Tum etiam, quia ſecluſo à potentia operativa ſpirituali quod actu operetur, & per operationem tangat locum, ex nullo capite poteſt in ea excogitari major capacitas, vel aptitudo ad eſſendum in loco, quàm in ipſa ſubſtantia cujus eſt potentia; neque in iſta major repugnantia, aut incapacitas ad prædictum effectum, quàm in illa: ergo, vel potentiæ non debet talis capacitas concedi, vel non debet ſubſtantiæ negari.

Dices cum aliquibus, quod ut potentiæ dæmonis ſint in loco violento & præternaturali, non requiritur, quod ibi operentur; ſed ſufficit, quod à corpore, ubi ſunt tanquam in loco, à ſuis operationibus impediantur: nam eo ipſo tanguntur & gravatur à tali corpore: & hic contactus paſſivus fundat ubicationem in tali loco. ¶ Sed hoc facile refellitur. Tum, quia non eſt negandum, poſſe Deum detinere dæmonem alligatum in aliquo loco, ſine eo quod ejus potentiæ violenter prohibeantur ab aliqua operatione circa illum locum; circa alia verò ſolum prohibeantur operari, quia ibi non ſunt, eo quod in primo detinentur. In quo caſu non apparet, quo pacto talis alligatio afficiat immediatè potentias. Sicut etiamſi Deus produceret ſubſtantiam Angeli ſine ullis potentiis, non videtur illi negandum, poſſe talem ſubſtantiam alicubi conſtituere & detinere per contactum paſſivum ipſius ſubſtantiæ. Tum etiam, quia ut infrà dicemus, ignis inferni poteſt alligare dæmones alteri

42 *Alia probatio.* *D.Thom.*

loco valde diſtanti, puta huic aëri, in quo neque ipſi aliquid agant, neque ignis illorum operationes impediat: ergo talis alligatio non conſiſtit in eo quod dicitur in evaſione. Manet ergo ſufficienter probatum, quod in concluſione aſſeruimus, videlicet alligationem dæmonum & animarum, proindéque qualitatem, & formam alligantem afficere immediatè illorum ſubſtantiam, & non tantùm potentias. Sed ut doctrina tradita majorem lucem recipiat, proponemus & diluemus aliquas objectiones, quæ ex dictis emergunt.

§. III.

Objectiones contra præcedentem doctrinam: & earum enodationes.

44 Prima objectio. OBjicies ergo primò, falſum eſſe quod pro ſtabiliendis aſſertionibus num. 29. ſuppoſuimus videlicet ignem concurrere effectivè ut inſtrumentum Dei ad alligationem, de qua loquimur. (D. Thom.) Tum quia id negare videtur D. Thomas in 4. diſt. 44. quæſt. 3. art. 3. quæſtiun. 3. nam cum retuliſſet modum dicendi aliquorum, qui ita aſſerebant, reiicit illum his verbis: *Sed iſtud etiam non videtur ſufficere: quia omne inſtrumentum in id circa quod inſtrumentaliter operatur, habet propriam actionem ſibi connaturalem, & non ſolùm actionem ſecundum quam agit in virtute principalis agentis*, &c. Et ſane ſicut difficile eſt aſſignare actionem connaturalem igni, quam erga dæmones exerceat: ita non videtur illi concedenda ratio inſtrumenti in ordine ad eos alligandos & torquendos. Tum etiam quia omne inſtrumentum debet elevari ad agendum per aliquam virtutem in ſe receptam: aliàs ſicut ex ſe eſt impotens ad attingendum effectum principalis agentis, ita ſi nihil recipiat, propter quod elevetur, ſemper impotens remanebit: ignis autem non videtur poſſe talem virtutem recipere: quia vel hæc erit ſpiritualis, & conſequenter non poterit recipi in ſubjecto corporeo: vel ſi ſit corporea eo quòd recipitur in illo, non poterit attingere effectum ſpiritualem, qualis eſt prædicta alligatio.

Solvitur. Reſpondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum eſt, D. Thomam non rejeciſſe illum modum dicendi, quia contineret aliquid falſum; ſed ſolùm reputaſſe illum inſufficientem, dum non aſſignatur ex parte ignis aliqua actio vel quaſi actio prævia & diſpoſitiva ad actionem inſtrumentalem, & circa idem ſubjectum exercita. Quamvis enim in inſtrumentis divinæ virtutis non ſit indiſpenſabile, quòd utraque actio circa idem ſubjectum verſetur; quia tamen in inſtrumentis agentium creatorum ita contingit, & Deus cauſis creatis, etiam cum eas ut inſtrumenta aſſumit, proprium & connaturalem modum agendi, quò ad fieri poſſit, conſervat: non putavit D. Thomas ſatisfactum iri huic difficultati, donec quæreretur actio vel quaſi actio igni connaturalis, quæ aliquo modo verſetur circa dæmones & animas, circa quos verſatur actio inſtrumentalis. Nec quæſivit actionem propriam & rigoroſam, ſed aliquid actioni ſimile, uti eſt quædam capacitas & aptitudo quæ ineſt corporibus, ut ſpirituales ſubſtantiæ illis uniantur, & ſemel unitæ, ab ipſis corporibus diffiniantur & limitentur, ut nequeant ſimul in pluribus exiſtere. Ratione igitur hujuſmodi aptitudinis ad diffiniendam loco ſpiritualem ſubſtantiam, invenit D. Thomas ignem magis aptum, ut aſſumeretur & elevaretur inſtrumentaliter ad alligandos & detinendos dæmones & animas quàm juxta alium modum dicendi, qui nihil aſſignat ex parte ignis ad prædictum effectum conducens. Et quòd hæc fuerit mens Angel. Doctoris, non verò negare igni rationem inſtrumenti & cauſalitatem effectivam, conſtabit legenti illum in loco allegato, ubi habet totam hanc doctrinam: & tandem concludit. *Oportet ergo omnes prædictos modos in unum colligere, ut perfectè videatur, quomodo anima ab igne corporeo patiatur: ut ſcilicet dicamus, quòd ignis ſecundum naturam habet, quòd ſpiritus incorporeus ei coniungi poſſit ut loco locatum: ſed in quantum eſt inſtrumentum divinæ iuſtitiæ, habet ut ipſum quodammodo retineat alligatum: & in hoc veraciter ignis ille eſt ſpiritui nocivus.* (D. Thom.)

45 Replica. Si verò urgeas, quòd actio prævia requiſita ex parte inſtrumenti debet eſſe vera actio, aut ſaltem vera paſſio vel motus; & non quælibet capacitas vel aptitudo, ut probant N. Complut. lib. 2. Phyſic. diſp. 12. dub. 2. (Complutenſ. Enodatur) ¶ Reſpondetur, ignem unà cum aptitudine & virtute diffinitiva, quam diximus, habet calefactionem vel aliam actionem connaturalem, quam D. Thomas non excludit ab effectu & munere de quo loquimur: ſed intendit, hanc actionem nonniſi ut aſſociatam & involutam prædicta aptitudine & virtute diffinitiva aſſumi ad exercendam actionem inſtrumentalem effectivam alligationis dæmonum: quia non niſi ut ita aſſociata habet verſari circa illos.

Secunda probatio non continet ſpecialem difficultatem: nam commune eſt multis inſtrumentis divinæ virtutis, etiamſi corporea ſint, elevari per aliquid in ſe receptum ad producendam formam ſpiritualem: ut contingit in Sacramentis. Neque eſt inconveniens ut virtus ſpiritualis recipiatur in ſubjecto corporeo, quando non recipitur per modum permanentis & conſtituentis in aliquo eſſe, ſed per modum motionis deferentis illud ad aliquid ſpirituale attingendum: ut docet D. Thomas 3. par. q. 62. art. 4. ad 1. ibi. (D. Thom.) *Virtus ſpiritualis non poteſt eſſe in re corporea per modum virtutis permanentis & completæ: nihil tamen prohibet, in corpore eſſe virtutem ſpiritualem, in quantum corpus moveri poteſt ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum*, &c. De quo etiam videri poſſunt N. Complut. diſp. cit. à num. 22. (Complutenſ.) Quod ſi aliquis contendat, virtutem illam communicatam igni ad agendum in dæmones eſſe formaliter corpoream propter dependentiam à corporeo ſubjecto: adhuc non ſequitur, quòd non poſſit producere in illis qualitatem ſpiritualem: quia non eſt neceſſe ut inſtrumentum etiam elevatum ſit æqualis perfectionis cum effectu producendo, ſicut requiritur in cauſis principalibus.

46 Secunda objectio. D. Thom. Secundò objicies contra primam concluſionem: quia videtur repugnare Divo Thomæ in 4. diſt. 44. cit. quæſtiunc. 3. ad 4. ubi ſic ait. *Dicendum, quod ignis non agit in animam per modum influentis, ſed per modum detinentis.* Sentit ergo non ponere in ea aliquam formam intrinſecam: nam ſi hanc poneret, verè influeret, & non tantùm detineret. Poteſtque objectio confirmari ex eo, quòd neque ipſe D. Thomas, neque ejus antiquiores diſcipuli affirmant expreſsè, quòd ignis producat in animabus, & in dæmonibus formam vel qualitatem intrinſe-

cam-

cam, per quam torqueantur: ſed totam illius efficientiam & iſtorum tormentum ad alligationem & detentionem reducunt.

Diluitur. Io. à S.Tho. Reſpondetur cum Ioan. à S.Thoma ubi ſupra, Ang. Doctorem non omnino negare igni influxum in animam: ſiquidem dicit, quod agit in illam per modum detinentis: *agere* autem quovis modo ſit, importat influxum. Solum ergo intendit, quod illud quod ignis agit, tantùm deſervit ad alligandum & detinendum: atque adeo quod quamvis ſit aliqua forma & terminus alicujus influxus; non tamen habet modum formæ informantis ſubjectum, aut modum termini ſiſtentis in illo; ſed modum viæ & unionis ad locum extrinſecum, cùi anima unitur & ligatur per talem formam. Hoc autem ſufficit ut dixerit D. Thom. ignem non agere per modum influentis, ſed per modum detinentis: quia influere abſolutè ſonat efficientiam alicujus, non tantùm quod re ipſa ſit forma & terminus, ſed quod habeat modum formæ & termini, ut explicatum eſt. Et ob eandem rationem prædicta forma non appellatur à D.Thoma, neque à multis Thomiſtis nomine *formæ* aut nomine *qualitatis* (quamvis à multis etiam ſic appelletur) quia his nominibus dènotari videtur aliquid afficiens ſubjectum abſolutè in ordine ad ſe: ſed utuntur communiter nomine *detentionis*, *alligationis*, & ſimilibus, quæ licèt involvant, non tamen exprimunt rationem formæ, ſed habitudinem & reſpectum ad locum, ubi ſit detentio & alligatio.

Objectio tertia. Tertiò contra eandem concluſionem obiicies, quod dæmones ſuperiores alligant inferiores aliquibus locis & corporibus, & detinent illos, ne inde moveantur: & tamen prò hujuſmodi alligatione non eſt neceſſaria aliqua forma vel realitas in iis qui alligantur: ergo poterunt alligari ab igne agente in virtute Dei ſine impreſſione talis formæ. Major ab omnibus conceditur: & minor videtur haberi ex doctrina à nobis tradita in tract. de Angelis, diſp. 14. dub. 2. ubi probabimus, unum Angelum non poſſe virtute propria operari phyſicè in alio, aut producere aliquid in illo, ſi autem dæmon alligans alium, produceret in eo aliquid, id efficeret virtute propria, & non ut inſtrumentum Dei, ut ex ſe conſtare videtur. Conſequentia verò probatur non modò à paritate rationis, ſed etiam à fortiori; quia ſi virtus unius dæmonis ad alligandum alium nulla indiget forma in alligato producta; multò minus ea indigebit virtus divina, quæ ſive per ſe ſive per inſtrumentum operetur, potentior eſt ad quemlibet effectum præſtandum.

Variæ ſolutiones. Dices, alligationem unius dæmonis ab alio convenire illis ex ſua propria natura, ex qua inſtitutum eſt, ut inferior pareat ſuperiori. Vel provenire ex ordinatione divina, conſtituente inter ipſos dæmones ejuſmodi ſubordinationem, ratione cujus inferiores nequeant ſuperiorum juſſis reluctari. Vel proveniet talis ſubordinatio ex voluntate ipſorum dæmonum, quia omnes conveniunt & conſpirant in procurando hominibus malum, ad quod eorum alligatio tendit. Vel denique dici poterit prædictam alligationem oriri ex negatione divini concurſus; quia eo ipſo quod Deus non concurrat cum inferiori dæmone ad motum, manebit fixus & immobilis in loco à ſuperiori deſignato, adeòque ligatus & detentus. Quæ rationes cum in caſu noſtro non procedant, recurrendum eſt ad aliquam formam per ignem productam.

48 Refelluntur. Sed omnes iſtæ ſolutiones inſufficientes ſunt, ut ex earum impugnatione conſtabit. Pro qua nota, dæmonem alligatum ab alio non omnino liberè ſuſtinere illam alligationem, quaſi poſſit pro libito eam effugere: alias ſuperior dæmon cui alligare incumbit, non conſequeretur infallibiliter effectum; ſed eo conante inferiorem alligare, ſæpe iſte id non pateretur. Ut ergo prædicta alligatio infallibilem habeat effectum, oportet ut vel abſolutè vel ex aliqua ſuppoſitione neceſſitatem inducat: ac proinde quod fundetur in aliquo, quod violare aut effugere non jam ſit in poteſtate dæmonis alligati. Secundò nota, prædictam alligationem ſive ut factam vel imperatam à ſuperiori dæmone, ſive ut ab inferiori perpeſſam: vel (ut aliter dicamus) tam imperium ſuperioris alligantis, quàm inferioris alligati obedientiam, ſemper eſſe in ordine ad malum finem, ac proinde peccaminoſam, quia ſemper ordinatur ad nocendum hominibus: & ita qui non poterit ad peccatum concurrere, conſequenter non poterit ad talem alligationem vel obedientiam dæmonem determinare. Tertiò obſerva, ad occurrendum propoſitæ objectioni non ſufficere aſſignare qualemcunque cauſam & radicem prædictæ alligationis; ſed debet aſſignari ratio proxima & completa, quæ illam infallibiliter ſecum trahat: quia de hac ratione procedit difficultas.

Hinc ſic impugnatur prima ſolutio. Nam licèt ex ipſa dæmonum natura & perfectione deſumi poſſit aliqualis ratio ſubordinationis eorum, & quod inferiores ſuperioribus parere teneantur, quatenus congruit naturis rerum, ut in quolibet genere inferiora ſubdantur ſuperioribus (quo ſenſu D. Thomas 1.p. quæſt. 109. art. 2. prælationem inter dæmones repertam ad naturalem eorum ordinem & inſtitutionem reducit) non tamen hæc poteſt eſſe ratio proxima & completa illius neceſſariæ obedientiæ ſeu alligationis, de qua loquimur. Tum quia natura & quicquid naturale eſt, non poteſt determinare ſeu neceſſitare ad aliquid peccaminoſum, uti prædictam obedientiam eſſe diximus. Tum etiam quia cum naturalia omnia tam in bonis, quàm in malis Angelis integra permanſerint, ſi obedientia illa, & ſubordinatio eſſet immediatè ex ipſa natura, non ſolùm inferiores dæmones, ſed etiam plures ex bonis Angelis dæmonibus ſuperioribus obedire tenerentur: ſiquidem dubitari non poteſt aliquos illorum inferiores eſſe aliquibus iſtorum quantùm ad perfectionem naturæ. [margin: D. Thom.]

49 Ex quo etiam impugnata manet ſecunda ſolutio: nam ſi natura dæmonum eo quod ex Deo eſt, non poteſt illos determinare ad malum, ſicut eſt prædicta alligatio; multò minùs Deus ipſe poterit talem alligationem vel obedientiam inter eos conſtituere, aut ipſos ſua immediata ordinatione ad illam determinare. ¶ Adde contra utramque ſolutionem, quod ſi inferiores dæmones eo quod inferiores ſunt, ex propria natura, vel ex Dei ordinatione eſſent omnino determinati ad parendum ſuperioribus; potiori jure ex prædictis capitibus eſſent omnes determinati ad obediendum Deo, qui prædictam naturam & ordinem inſtituit, eſtque omnium ſupremus Dominus, & cui ab omnibus obedientia præſtari debetur. Cum igitur ex illis

Digitized by Google

capitibus hæc obedientia in dæmonibus reſpectu Dei non oriatur, ſed ubique ejus præcepta frangant, non eſt cur credamus oriri ex illis talem obedientiam reſpectu ipſorum dæmonum.

Tertia ſolutio eſt inſufficiens: quia ut dæmones inferiores ſuperioribus neceſſariò obediant, non ſufficit communis conſpiratio ad nocendum hominibus: quia etiam ſi omnes illi hoc intenderent, poſſent nihilominùs inter ſe diſſidere circa modum & viam nocendi, & unuſquiſque independenter ab alio id procurare.

Ultima ſolutio de negatione divini concurſus faciliùs reiicitur. Quia Deus non negat agentibus creatis ſuum generalem concurſum, niſi ita exigente rerum natura: & ideo quandiu ex parte dæmonis inferioris non aſſignatur aliqua ratio ob quam poſtulat talem negationem, ſine fundamento fit recurſus ad illam. Neque ad talem negationem conducere poteſt voluntas, aut conatus, aut præceptum ſuperioris dæmonis nitentis inferiorem alligare: quia Deus nulla ratione tenetur operari juxta talem voluntatem, conatum, aut præceptum, quando res ipſæ id ex aliis capitibus non poſtulant. ¶ Adde, negationem divini concurſus ſolùm efficere, ut ille cui negatur, non moveatur à loco in locum: quod verò poſitivè ſit præſens huic veltilli loco, detineaturque in illo (quod clauditur in alligatione) eſt effectus poſitivus, ac proinde nequit ex ſola negatione concurſus provenire. ¶ Adde etiam, quod ſi prædicta alligatio reducenda eſſet in talem negationem, non dæmon ſuperior, ſed ſolus Deus diceretur inferiorem alligare: quippe ipſe ſolus, nullo interveniente phyſico vel morali dæmonis influxu, concurſum ſuum ſuſpendit.

50 *Doctrina pro ſolutione.* Vera ergo objectionis ſolutio petenda eſt ex illis, quæ circa dæmonum obſtinationem, & circa primum eorum peccatum tradunt Theologi in materia de Angelis, noſque ibidem diſp. 13. dub. 1. explicuimus: nimirum eam eſſe dæmonum conditionem & naturam, ut ſicut ex parte intellectus apprehendunt immobiliter, ita ex parte voluntatis inflexibiliter eligunt: ità ut quod ſemel abſolutè & cum omnimoda libertate elegerint in iis præſertim, quæ ad rationem finis ultimi ſpectant, nunquam valeant revocare. Quod quia cit. loco ſatis probatum reliquimus, modò ſupponimus. Sicut etiam ſupponimus aliud ſatis receptum: videlicet quod ſicut omnes dæmones per ſuum primum peccatum averſi ſunt à Deo ſupremo Domino, nolentes eum regnare ſupra ſe, aut mandatis ejus obedire: ita omnes inferiores per illud met peccatum adhæſerunt Lucifero, qui eos ad peccandum induxit, ſeque illi tanquam Principi Tyranno tradiderunt, eligentes ex tunc in omnibus illi obtemperare; ſicut boni Angeli adhærentes Deo elegerunt ex tunc in omnibus ei obedire. Sicut ergo iſti manent immobiles & indefectibiles in ſua prima electione, & per illam ſunt intrinſecè determinati ad obediendum Deo in omnibus quæ præceperit: ita illi permanent inflexibiles & obſtinati in electione ſua prava, ac per eam ab intrinſeco determinati ad obſequendum Lucifero, & aliis ab eo præpoſitis, in omnibus quæ facultate ab illo accepta atque in ipſius nomine præceperint. Pertinuit enim ad rationem finis ultimi ipſorum dæmonum electio illa Luciferi in Principem, & obedientia ibi incluſa (quam electionem ab illis factam fuiſſe, ſatis colligitur ex ſacra Scriptura.) Nam ita omnes illi propriam excellentiam per modum finis ultimi appetierunt, ſicut Lucifer ſuggeſſit, quando tertiam partem ſtellarum cauda trahebat, ut dicitur Apocal. 12. ſuggeſſit autem eis appetere talem excellentiam ut ſubordinatam ſibi ipſi, volens illis tyrannicè dominari: & ideo hæc ſubjectio habuit ſe ut modus ſub quo & non aliter appetierunt prædictum finem ultimum: debetque proinde ſicut ipſe finis ad omnes illorum actiones extendi. *Apoc. 12.*

51 *Vera ſolutio.* Ex his ad objectionem reſpondetur, alligationem unius dæmonis ab alio non fieri ſine aliqua forma, quæ alligatum intrinſecè afficiat: fit enim per prædictam electionem, qua ſe ipſos Lucifero ejuſque obedientiæ ſeu potius tyrannidi tradiderunt: cum qua electione oppoſitus diſſenſus conjungi nequit: & cum ſit invariabilis, ſe ipſa connotando præceptum Luciferi vel alterius ejus nomine præcipientis ligat dæmonem in quo eſt, & facit infallibiliter aſſiſtere mediante aliqua operatione in illo loco, ubi jubetur permanere. At verò in noſtro caſu cum alligatio non ſit effectus alicujus electionis dæmonis alligandi, ſed potius ſit omnino contra ejus voluntatem, neceſſe eſt recurrere ad aliam formam in eo productam, quæ reddat illum alligatum. Quocirca aliter concurrit ignis, & aliter dæmon ſuperior ad effectum alligationis: nam ignis concurrit efficiendo phyſice inſtrumentaliter formam alligantem, quia ante ejus efficientiam non ſupponitur talis forma: at verò dæmon ſolùm concurrit moraliter imperando alligationem, quæ facienda eſt per electionem ſupra dictam: & ita cum hæc electio ſupponatur, non eſt neceſſe ut à ſuperiori dæmone aliquid producatur; ſed ut manifeſtet inferiori ſuum imperium, ad cujus manifeſtationem ipſe inferior dæmon per ſuam electionem manet ligatus & detentus: quia non jam ſubeſt inferioris voluntati revocare ſuam electionem, nec proinde ſuperioris imperio contradicere.

Replica. Si verò urgeas, quod etiam à SS. Angelis alligantur ſæpe dæmones, & compelluntur manere in aliquibus locis: & tamen hoc non fit per electionem ipſorum Dæmonum, ſed potiùs contra illam: ergo, &c. ¶ Reſpondetur, dæmones tunc ligari virtute Dei per qualitatem in eis productam, ſicut cum ligantur ab igne: ſive talis qualitas fiat inſtrumentaliter ab ipſis Angelis, ſicut ab igne fit; ſive fiat immediatè à Deo adimplente verba & preces ipſorum Angelorum. Et ſi hoc poſteriori modo fiat, dicetur Angelus alligare dæmonem ſolùm moraliter; ſi autem primo, dicetur alligare illum etiam phyſicè.

52 *Objectio quarta.* Quartò contra ſecundam concluſionem obiicies, non ſatis nos recedere à ſententia Franciſci Suar. quam Thomiſtæ communiter impugnant. Aſſerit enim prædicta ſententia, dæmones torqueri ab igne per impreſſionem cujuſdam qualitatis doloriferæ & afflictivæ ipſorum dæmonum: nihil autem minùs habere videtur qualitas quam nos ponimus in ſecunda concluſione: ergo, &c.

Enodatur. Reſpondetur, non ideo reiici à diſcipulis D. Thomæ prædictam ſententiam, quia ponat in dæmonibus formam de genere qualitatis ad torquendos illos per modum alligationis, ut ponit noſtra concluſio: nam eandem formam etiam

Recar. Nevarrete. b. d. S. Thomæ.
53 *Quinta.*
Dicitur
54 *Ultima obiectio.*

Nazar. Navarrete. Io. à S. Thoma. etiam ſub nomine qualitatis concedunt expreſsè Nazar. Navar. & Io. à S. Thoma locis ubi ſupra: ſed ideo illam reiiciunt, quia præter hujuſmodi formam & præter totum effectum alligationis ponit aliam qualitatem deformantem dæmones abſolutè & in ordine ad ſe: quaſi ipſa qualitas ſecundùm ſe ſit ita deformis & diſconveniens dæmonum naturæ, ut independenter ab alligatione & ſubjectione ad aliquem locum vel corpus, dolorem & cruciatum eis inferat. Quem modum dicendi nos etiam impugnabimus infra num. 75.

53 Quinta. Quintò obiicies contra primam partem tertiæ aſſertionis, quòd non videatur cohærere doctrinæ ſupra traditæ diſp. 16. dub. 3. ubi ex eo probavimus, peccatum habituale non eſſe aliquid poſitivum, ſed gratiæ privationem, quia debet ſubjectari immediatè in ſubſtantia animæ, in qua nullum accidens poteſt immediatè recipi præter ipſam gratiam: ergo inconſequenter modò aſſerimus, formam alligantem & torquentem dæmones, & animas eſſe qualitatem in eorum ſubſtantia immediatè receptam.

Diluitur. Reſpondetur; ibi eſſe ſermonem de accidentibus, quæ per modum formæ afficiunt & diſponunt ſubjectum abſolutè in ſe ipſo: ſicut afficit gratia, & deberet afficere peccatum habituale, quod opponitur immediatè ipſi gratiæ. Unde non præcluſimus locum allegationi, de qua nunc agimus, quæ ſolùm afficit per modum ſubjectionis & unionis ad locum vel corpus extrinſecum. Sicut etiam non excluſimus, quod in ipſa ſubſtantia recipiatur immediatè aliqua relatio ad cauſam efficientem, ſicut eſt relatio filii ad patrem vel matrem, & relatio creaturæ ad Deum: quia hujuſmodi accidentia non afficiunt ſubſtantiam abſolutè in ordine ad ſe, ſed ut referant & ordinent ad aliquid extrinſecum.

54 Vltima objectio. Denique obiicies contra ſecundam partem ejuſdem tertiæ concluſionis, quod in potentiis operativis v.g. in intellectu non videtur habere locum forma de qua agimus: nam quicquid eſt in illo præter ejus entitatem, vel eſt habitus facilitans & expediens potentiam ad agendum; vel eſt diſpoſitio idem præſtans, quamvis imperfectiori modo, quæ proinde ad habitum reducitur; vel ſunt ſpecies intelligibiles, quibus objecta redduntur intelligibilia vel intellecta: præter hæc enim & ipſos actus intellectus, nihil aliud videtur poſſe in eo excogitari: ſed nullum prædictorum conducit ad alligandos & torquendos dæmones aut animas, ſed potiùs ad illos perficiendos: omnia quippe ex ſua propria ratione habent juvare & complere intellectum juxta modum & exigentiam ipſius ad eliciendos proprios actus, quibus ornatur & perficitur: ergo, &c. ¶ Accedit, quod habitus exiſtens in intellectu (idem eſt de diſpoſitione) vel eſt virtus intellectualis: & hæc proculdubio eſt magna illius perfectio, nihil habens de ratione pœnæ: vel eſt habitus erroris: & iſte non poteſt cauſari à Deo, à quo cauſari debet alligatio de qua loquimur. Species verò intelligibiles non poſſunt cauſari ab igne in intellectu dæmonum: quia ipſi dæmones ſicut omnes Angeli ab initio ſuæ creationis habent ſibi congenitas omnium rerum ſpecies, ita ut ad nihil ſaltem naturale intelligendum novis ſpeciebus indigeant, aut eas poſſint recipere: ergo ſi quid ignis in illis producit, neque erit habitus; neque diſpoſitio, neque ſpecies.

55 Prima ſolutio. Semper hæc objectio viſa fuit difficilis in hac quæſtione. Ob eamque fortaſſe aliqui etiam ex authoribus noſtræ ſententiæ noluerunt in particulari exponere, quid ſit, aut ad quam ſpeciem pertineat forma hæc de qua loquimur: ſed dicunt in communi, eſſe quandam qualitatem contrariam naturali inclinationi potentiarum, ligantem illas & impedientem à ſuis operationibus, non tamen aliquid corrumpentem: ſicut Remora impedit curſum navis ſine deſtructione virtutis deferentis: & torpedo iniicit ſtuporem manui piſcatoris ſine deſtructione virtutis motivæ, ſed impediendo operationes, ne exeant. Ad hunc ergo modum poteſt Deus mediante igne iniicere potentiis dæmonum qualitatem, quæ nihil de earum virtute corrumpat, & tamen impediat operationes, ne exeant juxta libitum voluntatis. Nec quærenda eſt (inquiunt) major de hac qualitate ſpeculatio: quia neque in rebus corporeis qualitates omnes explicamus niſi per ſuos effectus, ut in exemplis adductis. Quæ ſolutio eò ſecurior eſt, quò nihil errori expoſitum de prædicta qualitate determinat.

Solutio alia. Alii verò dicunt, formam alligantem intellectum eſſe ipſam intellectionem, per quam objecto unitur & adhæret: neque aliud aliquid ab igne produci. ¶ Sed hæc ſolutio diſplicet. Tum Reiicitur. quia intellectio utpotè actio vitalis & immanens non poteſt produci immediatè ab alio, quàm ab ipſomet intellectu, ubi remanet: atque adeo vel ignis nihil producet, vel hoc debet eſſe aliquid ab intellectione diſtinctum. Tum etiam quia intellectio non unit neceſſariò aut contra libitum voluntatis intellectum objecto, niſi ipſe intellectus neceſſariò & independenter à voluntate uniatur intellectioni: id autem per quod ſic neceſſariò unitur, non poteſt eſſe ſola ipſa intellectio, quæ ſecundùm ſe indifferens eſt ad unionem neceſſariam & liberam; ſed debet eſſe aliquid prævium determinans & neceſſitans intellectum ad eliciendam ipſam intellectionem: & hoc eſt quod inquirimus.

56 Tertia ſolutio. Unde melius alii dixerunt, præter intellectionem & illa omnia quæ in objectione referuntur, ſupereſſe duo alia, per quæ fiat alligatio de qua loquimur. Primum eſt applicatio paſſiva, per quam intellectus dæmonis cogitur ad agendum vel intelligendum illa, quæ nollet agere, & intelligere; ab iis verò quæ vellet agere vel intelligere, prohibetur. Secundum eſt quædam ordinatio & modificatio ex parte ſpecierum intelligibilium, ratione cujus ipſæ ſpecies excitant neceſſariò intellectum ad utendum illis ſub prædicta modificatione, & non aliter: ac proinde ad intelligendum cum alligatione ad quædam intelligibilia, & excluſione ab aliis. Hoc poſterius dictum (quod eſt Balthaſaris Navarrete ubi ſupra) nullam videtur importare repugnantiam, præſertim in ordine ad divinam potentiam. Navarrete. Prædicta verò modificatio ſi concedatur, non poteſt aliter fieri quàm per aliquem modum de genere qualitatis ſuperadditum ipſis ſpeciebus. Sic autem facta, conſonat noſtris aſſertionibus, & non parum conducit ad ligandum & neceſſitandum intellectum in modo intelligendi; eritque proinde diſſona & repugnans libertati voluntatis. Hac propter, & quia juxta dicta num. 40. concedendum eſt in hac materia quidquid ex non repugnantibus ad

Digitized by Google

ad augeſcendam pœnam dæmonum poteſt conducere, valde probabilem cenſemus iſtum modum dicendi: non tamen in eo immoramur, quia majori expenſione non indiget.

57 Doctrina pro hac ſolutione. Banez. Primum autem de applicatione paſſiva tetigit Bañez loco cit. ex 1. p. in illoque plenam objectionis ſolutionem contineri arbitramur: ſi tamen nonnihil explicetur & enucleetur. Pro quo nota, quòd inter actus voluntatis ultimus in ordine ad executionem eſt quem vocamus *uſum*: & eſt ille per quem voluntas intellectum & ſcæteras potentias ſibi ſubditas applicat ad agendum: dividitur autem hic uſus in activum & paſſivum: activus eſt ipſe actus immanens voluntatis: à quo effectivè oritur, ut intellectus v. g. applicetur ad eliciendum ſuum actum, puta intellectionem: paſſivus verò dicitur quædam motio, quæ eidem intellectui imprimitur ab uſu activo, per quam in genere cauſæ formalis redditur motus & applicatus ad exercendam intellectionem. Si enim voluntas per ſuum uſum activum nihil imprimeret intellectui, non eſſet aliquid per quod ipſe intellectus redderetur intrinſecè & formaliter motus & applicatus ad exercitium intelligendi. Et quamvis uſus paſſivus ſæpe appelletur illa operatio, quam intellectus elicit ex motione voluntatis, rectè etiam ſub prædicto nomine comprehenditur prædicta motio intellectui impreſſa: cum ſit ipſa applicatio & determinatio ad talem operationem. Reducitur autem hæc motio ad prædicamentum qualitatis, ubi eſt intellectio ad quam applicat, velut quid in eo genere incompletum: ſicut motiones quibus elevantur ſacramenta, & plures aliæ ad tale prædicamentum reducuntur. Habemus ergo aditum apertum ad ponendum in intellectu aliquid aliud de genere qualitatis præter illa quæ in objectione referuntur. Quod etiam convincitur alio exemplo prædeterminationis phyſicæ, per quam Deus applicat ad agendum omnes cauſas ſecundas. Nam etiam hæc prædeterminatio debet poni in intellectu, & in omnibus potentiis, ut actu operentur: aliàs Deus non præmoveret omnes illas ad ſuas actiones, ſicut eſt de ratione cauſæ univerſaliſſimæ. Pertinetque hæc prædeterminatio ad genus qualitatis, ut docent communiter Thomiſtæ.

58 Deinde nota, quòd ſicut voluntas per impreſſionem illius motionis ſeu uſus paſſivi applicat intellectum ad agendum, ſic Deus etiam ſine concurſu ipſius voluntatis poteſt illum applicare, imprimendo ſimilem motionem & applicationem. Et ita contingit in omnibus intellectionibus neceſſariis, ad quas voluntas non concurrit: non enim intellectus tunc ipſe ſe applicat, quia applicatio quoad exercitium eſt extra ejus lineam: ſed applicatur ſpecialiter à Deo impediente & ſupplente concurſum propriæ voluntatis per impreſſionem motionis non minùs efficacis, atque eſſet illa quam voluntas imprimeret. Cum hac tamen differentia, quòd motio impreſſa à propria voluntate applicaret intellectum cum reſpectu & ſubordinatione ad principium intrinſecum liberum, quod eſt ipſa voluntas, ac proinde applicaret liberè: impreſſa vero à Deo, applicat ſine tali reſpectu, proindéque neceſſariò. Imo poterit applicare violenter & contra voluntatem: quia quantumcunque hæc reluctetur, non impediet efficaciam quam ex Deo ſortitur talis motio. Sicut autem Deus poteſt motionem hanc imprimere agendo immediatè per ſe ipſum, poteſt etiam agendo per ignem vel aliud inſtrumentum: & ſicut poteſt eam imprimere pro una intellectione vel operatione, poteſt pro multis & pro omnibus: quia in nullo iſtorum adeſt repugnantia.

Tertiò nota, quòd ſicut Deus per prædictam motionem poteſt neceſſitare intellectum ad intellectiones quas voluerit, renitente etiam dæmonis voluntate; ſic per eandem motionem vel aliam ſimilem qualitatem poterit illum cohibere & impedire à qualibet intellectione vel operatione, quantumcunque prædicta voluntas reluctetur. Non enim repugnat, ut talis motio ita applicet & determinet conatum & virtutem intellectus ad operationem pro qua exhibetur, ut totaliter eum liget circa illam, & non ſinat applicari aut diverti ad aliam. Eo præſertim quia ejuſdem virtutis ſolet eſſe removere potentiam ab uno termino, cujus eſt ad alium applicare.

Ex his ad objectionem dicimus qualitatem productam ab igne in intellectu dæmonis ad eum ligandum, neque eſſe ſpeciem intelligibilem, neque habitum intellectivum, neque etiam diſpoſitionem de numero illarum, quæ ad habitus reducuntur cum ſola differentia penes *facilè vel difficilè mobile* (quamvis ſit in prima ſpecie qualitatis, prout talis ſpecies ad alia diſpoſitionum genera ſe extendit) ſed eſſe quandam motionem correſpondentem uſui paſſivo, per quam intellectus ad agendum applicatur, vel ab agendo removetur, etiam renitente voluntate, ut explicatum eſt. 59 Vera ſolutio objectionis.

Replica. Si verò dicas, hanc motionem à nobis expoſitam non diſtingui à prædeterminatione phyſica: ſiquidem hæc nihil aliud præſtat quàm applicare potentiam ad agendum. Non autem videtur ita conſonum modo loquendi Thomiſtarum, alligationem de qua agimus, cum prædicta determinatione confundere. ¶ Reſponderi poſſet primò, ex prædicto modo loquendi non ſatis convinci diſtinctionem inter prædictas motiones: quia nec Thomiſtæ agentes de prædeterminatione phyſica, negant illi vim ad applicandum & determinandum intellectum per modum cauſæ neceſſariæ ad certam operationem etiam cum voluntatis reſiſtentia; nec ſub alligatione de qua agimus, aliud intelligunt, quàm quod præſtat talem determinationem, & quod in ea importatur: nec denique repugnat, ut ſicut Deus utitur inſtrumentis creatis in ordine ad alios effectus, utatur igne ad effectum prædeterminandi. Enervatur duplici via.

60 Sed reſpondetur ſecundò & meliùs, ultra qualitatem quam communiter prædeterminationem phyſicam vocamus, ponendam eſſe aliam motionem vel ejuſdem aliam formalitatem, quæ antecedenter natura ad munus prædeterminandi, determinet intellectum dæmonis ad certam operationem, & conſtituat illum in ratione cauſæ neceſſariæ non reſpicientis voluntatem propriam: quo fiat, ut talis intellectus hoc jam modo determinatus & à linea cauſæ liberæ excluſus exigat prædeterminationem, quæ propria eſt cauſæ neceſſariæ, & diſtinctam ab ea quæ datur cauſæ liberæ. Phyſica enim prædeterminatio talis eſt conditionis, ut non mutet, ſed ſequatur naturam & modum cauſæ, cui præbetur, & illi ſe accommodet. Vnde ſicut quæ datur cauſæ neceſſariæ, non reddit eam liberam, ſed neceſſitatem ejus conſervat,

Digitized by Google

ſervat, & ſub tali neceſſitate ad agendum applicat: ita quæ datur cauſæ liberæ, non neceſſitat illam, ſed conſervat illæſam libertatem, & ſub ipſa libertate applicat ad operationem. Quare ut intelligamus, prædeterminationem collatam intellectui applicare illum ad agendum neceſſariò & ſine reſpectu ad libertatem voluntatis, debemus priùs ipſum intelligere modificatum & conſtitutum in ratione cauſæ neceſſariæ, ac proinde determinatum per aliquid extrahens & excludens à linea cauſæ liberæ: & hoc præſtat motio & alligatio ſupra dicta: atque adeo non eſt omnino idem cum phyſica prædeterminatione. Quamvis non repugnet, ut in una realitate identificentur: ſicut identificantur aliquæ formalitates, juxta dicta ſupra diſput. 5. num. 37.

61 Alia replica. Si verò urgeas, quod ſemel poſita in intellectu illa priori motione alligativa, neceſſariò & inimpedibiliter ſequitur ipſa operatio, ad quam ligat & determinat: atque adeo ſuperfluam eſſe novam applicationem per prædeterminationem phyſicam.

Diluitur. ¶ Reſpondetur, quod quemadmodum poſita in eodem intellectu motione propriæ voluntatis, quam diximus *uſum paſſivum*, ſequitur infallibiliter ejus operatio: & in agentibus naturalibus, approximata materia, ſequitur eorum actio, ut ligno approximato igni, ſequitur neceſſariò combuſtio: & tamen non idcirco cenſetur ſuperflua nova prædeterminatio phyſica, per quam omnia hæc ad agendum applicentur: ita dicendum eſt in noſtro caſu. Et ratio eſt, quia tota illa determinatio, quæ prædeterminationem phyſicam præcedit, non ideo infert neceſſariò & infallibiliter actionem, quaſi ipſa per ſe ſit ſufficiens & adæquata applicatio ad illam ex omni capite; ſed quia eſt talis conditionis, ut neceſſariò exigat & ſecum trahat ipſam prædeterminationem, quæ talem applicationem complet & adæquat. Ad quamlibet enim operationem creatam requiritur duplex determinatio: alia ex parte cauſæ particularis, cui correſpondent particulares rationes in actione vel effectu, quæcumque ſit hæc cauſa: & alia ex parte cauſæ univerſalis, cui correſpondet communis ratio entis in quolibet effectu & actione reperta. Et illa prior determinatio veluti præcedit & exigit hanc poſteriorem: eo quod cauſa univerſalis ut talis non aliter applicat, niſi juxta exigentiam particularium. Prædeterminatio ergo phyſica eſt illa applicatio, quæ correſpondet Deo ut cauſæ univerſali: alia verò determinatio & motio, per quam dicimus alligari intellectum dæmonis, correſpondet cauſæ particulari, nempe ipſi intellectui, vel Deo, aut igni ut cauſis particularibus talis alligationis: ob idque nulla ſuperfluit.

§. IV.

Major elucidatio ſententiæ Angelici Doctoris.

62 Cuncta fere quæ hactenus tradidimus, communia eſſe debent non ſolum Thomiſtis, ſed etiam multis aliis qui cum Angel. Doctore fatentur, ignem ut inſtrumentum divinæ virtutis alligare dæmones, eoſque hujuſmodi alligatione utcumque torquere: omnia enim ſuprà dicta pro ſtabilienda hac veritate deſerviunt, ut intuenti conſtabit. Sed quia plures à nobis diſcriminantur, quod putent, prædictam alligationem non eſſe ſufficiens illorum tormentum, ac proinde quærendum eſſe aliud acerbius & atrocius quo puniantur, ut obſervavimus n. 30. ultrà progrediendum eſt & oſtendendum, neque in ſubſtantiis ſpiritualibus aſſignari poſſe aliud tormenti genus ad pœnam ſenſus pertinens: neque prædictæ alligationi ad rationem acerbiſſimi cruciatus aliquid deficere. Pro quo neceſſe non erit ad nova principia recurrere, ſed ex prajactis munia & effectus talis alligationis expendere.

Eſt autem ſermo de effectibus prædictæ alligationis in genere cauſæ formalis: quia qualitas quam ignis producit in dæmonibus, non ligat illos effectivè, producendo ſcilicet in eis alligationē; ſed ut forma quæ eſt ipſa alligatio & unio ad corpora vel loca, quibus ligari dicuntur. Tollitur tacita objectio. Ex quo fit, prædictam qualitatem ita fortiter ligare & unire illos prædictis locis & corporibus, ut ipſa manente, nulla vi nullaque potentia poſſint ſe inde liberare; aut à ligamine expedire: quia dum manet aliqua forma, nequit deficere effectus ejus formalis, ſaltem primarius, ſicut eſt iſte de quo loquimur. Unde quod aliqui objicere ſolent, videlicet prædictam qualitatem eſſe limitatæ virtutis, ac proinde poſſe ita creſcere vim reſiſtitivam dæmonis, ut rumpatur & deficiat: procedit in cauſis efficientibus, quæ poſſunt ſeparari à ſuis effectibus, ſeparanturque de facto, & omittunt illos, quoties ex parte paſſi adeſt major reſiſtentia, quàm ſit activitas efficientis. Non tamen habet locum in cauſis formalibus: nam cum iſtæ ſe ipſis conſtituant ſuos effectus, ſufficit ad permanentiam talium effectuum, quod formæ ipſæ quantumvis finitæ & limitatæ ſint, permaneant, & à ſuis agentibus conſerventur. Unde quamvis unio hypoſtatica ex parte naturæ humanæ ſit modus finitus; quia tamen eſt formaliter ipſa unio ad divinam perſonam, ita fortiter ligat hanc prædictæ naturæ, ut manente tali unione, neque per potentiam Dei infinitam poſſint ſeparari. Quia eſt implicatio in terminis, ut manente forma quæ eſſentialiter eſt unio, effectus ejus, qui eſt *unire*, non maneat. Porro ut in dæmone permaneat, & non deficiat illa qualitas per quam ligatur, ſufficit, ut virtus divina à qua ut à cauſa principali producitur & conſervatur, ſit infinita, adeoque inſuperabilis à quacumque reſiſtentia & virtute creata.

Hujus ergo qualitatis & alligationis plures ſunt effectus: nam illa quæ afficit dæmonem ſecundum ſubſtantiā, facit illum præſentem igni, 63 Effectus qualitatis alligantis. vel loco cui alligatur, diffinito & coarctato ejus *eſſe* ad breviſſimum ſpatiū, impeditoque acceſſu ad omnia alia loca, quibus vellet accedere. Inſuperque tenet ipſum ſubordinatum & ſubjectum igni, non tantum ſicut paſſum agenti, à quo recipit & dependet; ſed etiam ſicut inferius ſuperiori & eminentiori, à quo deprimitur & humiliatur: ac velut miſerrimum & vile mancipium ſub ejus ditione tenetur. Illa verò quæ afficit potentias, primò ligat intellectum: tum ut non intelligat, quam plura quæ intelligere vellet, niſi ex permiſſione ipſius ignis, ac veluti emendicata ab eo licentia intelligendi: tum etiam ut velit, nolit, cognoſcat & intelligat omnia illa ad quæ ignis applicat, neque ab iis cogitatum divertat. Applicat autem, ut intelligat

Digitized by Google

telligat omnia quæ ad propriam miſeriam pertinent, & quæ ſibi afferunt tormentum & dolorem: neque ſine reſpectu ad illa aliud aliquid cogitare permittit. Secundò ligat potentiam executricem, ne operetur ea quæ voluntas vellet, aut non eo modo quo vellet, vel ubi & quando vellet: atque etiam ligat & compellit, ut exequatur multa quæ voluntas nullatenus vellet. Adeoque ſive in operando, ſive in non operando, ſemper illiditur & arctatur ejus libertas, omniſque ejus impetus comprimitur: atque in cunctis quæ facit, vel omittit, admiſcetur aliquid contrarium & repugnans ejus naturæ & voluntati.

Gravitas huius pœnæ.

Quantum verò pœnæ & tormenti ex his capitibus dæmoni accedat, & quàm ingens dolor & cruciatus ex eorum continua meditatione in illo generetur, is ſolus non viderit, qui ſenſibus ductus, non altius de ſpiritualibus judicat, quam ſenſibilia ipſa offerunt. Qui autem ſupra iſta elevatus eminentiam, magnitudinem, & latitudinem illorum perpenderit, facile convincetur, prædictas pœnas & cruciatus incomparabiliter ſuperare quæcumque alia, quæ in corporibus, ſive in hac vita, ſive in futura poterunt reperiri: tantumque ab iis diſcriminari, quantum realia à pictis & ſomniata à veris, ut SS. Patres communiter loquuntur.

64 Pro quo obſervandum eſt, dolorem quemcumque oriri ex cognitione, vel apprehenſione alicujus diſconvenientis: itaut quo major fuerit diſconvenientia, quæ cognoſcitur, & quo perfectius cognoſcitur, eo major dolor in voluntate, vel appetitu generetur. Hoc eſt adeo perſpicuum, ut ſuperflua videatur ejus probatio. Nam cum objectum doloris ſit malum cognitum, malum autem ſit quod diſconvenit alicui, oportet ut quantitas & exceſſus doloris, ſuppoſita perfecta cognitione, ex quantitate & gradu diſconvenientiæ omnino attendatur. Quod inſtatur in ipſis doloribus ſenſibilibus apud nos notioribus, uti ſunt qui tactu percipiuntur. Quod enim ignis, v. g. tactui applicatus cauſet in eo dolorem ita intenſum, ſicut experimur, non aliunde provenit, niſi quia ponit in illo calorem valde intenſum, proindéque improportionatum & diſconvenientem. Nam cum tactus in quadam harmonia & mediocritate conſiſtat, qualitates tangibiles proportionatæ illi harmoniæ, conveniunt ipſi tactui: & hæc convenientia cauſat delectationem in concupiſcibili: qualitates verò ſuperexcedentes diſconveniunt illi, quia improportionatæ ſunt prædictæ harmoniæ: & talis diſconvenientia cauſat dolorē in eodem appetitu: & quia quo calor fuerit intenſior, eo eſt magis improportionatus & magis diſconveniens, idcirco eo cauſat majorem dolorem. Similiter quod ſciſſio alicujus partis corporis & ſeparatio ab aliis cauſet dolorem ita vehementem, ex eo provenit, quia talis ſciſſio & ſeparatio valde diſconvenit ipſis partibus; ſicut oppoſita unio & copulatio eſt illis conſona & conveniens. Hinc ad ſpiritualia aſcendendo, venanda eſt in eis quantitas & magnitudo doloris ex quantitate & magnitudine diſconvenientiæ, qua afficiuntur, ſive ſecundum ſubſtantiam, ſive ſecundùm potentias: & ita inde orietur dolor omnium maximus, unde maxima diſconvenientia conſurrexerit.

Declaratur doctrina & exemplis.

Hoc prænotato, rationis ſtatera pendamus, in quo magnitudinis gradu ex prædictis capitibus diſconvenientia dæmonibus accedat per alligationem, quam explicuimus, videbimuſque acerbitatem pœnæ & doloris inde ſuborti. In primis ergo quæ major diſconvenientia excogitari poteſt reſpectu altiſſimæ & nobiliſſimæ ſubſtantiæ, cui corporalia omnia jure naturæ ſubduntur, ab eaque dependere poſtulant, cum ipſa ab omni loco & corpore independens & abſolutiſſima ſit; quam quod verſa vice in contrarium, abjecta & vilipenſa ſub infimis degat corporibus, ab ipſiſque viliſſimè ſuppeditata & conculcata deprimatur & humilietur? & velut miſerrimum mancipium ſub eorum ditione teneatur? Sane ſicut diſtantia & improportio inter hæc extrema ſuperat omnem excogitabilem diſtantiam & improportionem unius creaturæ ad aliam; ita diſconvenientia inde ſuborta incomparabiliter major eſt quacumque alia diſconvenientia, quæ ex reſpectu ad creaturas poteſt excogitari. Et ſi in corporalibus diſconvenientia & improportio quam dicit calor ignis ad organum tactus, propter exceſſum penes quatuor, vel quinque gradus majoris intenſionis, ita torquet & cruciat, ut vix poſſit ſufferri: quem dolorem excitabit in dæmone improportio & diſconvenientia innumerabilium fermè graduum diſtantiæ & exceſſus, quæ in ſubjectione ejus ad ignem neceſſariò intercedit? Diximus *ex reſpectu ad creaturas* propter diſconvenientiam pœnæ damni, quæ eſt omnium maxima, cum ſit in ordine ad bonum increatum & infinitum.

Quod ſi attenta dumtaxat celſitudine naturæ dæmonum, tam magna eſt diſconvenientia orta ex iſto capite, longe adhuc major eſt, conſiderata eorum ſuperbia: qua ita appetunt præeſſe & eminere omnibus, & ita alicui ſubjici refugiunt, ut neque ipſi Deo voluerint humiliari, neque ejus ſupra ſe dominium & principatum recognoſcere. Reſpectu igitur naturæ ex ſe præſtantiſſimæ & alias ſuperbiſſimæ quæ major excogitabitur diſconvenientia, quam ſi infra rebus omnium viliſſimis & abjectiſſimis, uti ſunt elementalia corpora, ab eis in perpetuum deprimenda & ſuppeditanda conſtituatur? 65

Major exprenſio huius pœnæ.

Cogitet qui ſpiritualia hæc non capit, ſi inter homines rex potentiſſimus & æquè ſuperbus, aptus natus pluribus dominari, atque ab omnibus in ſummo honore & æſtimatione habitus, ad eum miſeriæ ſtatum deveniret, ut in captivitatem ductus bonis omnibus ſpoliaretur, atque in viliſſimo & abjectiſſimo includeretur loco, ibique omni humano conſortio & familiaritate deſtitutus, feriſſimi & ignobiliſſimi bruti dominio traditus, cum eo jugum ſemper ducere compelleretur, atque bruto ipſo deterior & deſpicabilior factus, maneret illi quoad omnia ſubjectus, itaut nulla ſibi actio, nulluſve motus, ſive internus, ſive externus abſque ipſius bruti diſpenſatione liceret. Quis hujus infeliciſſimi hominis calamitatem & miſeriam ſatis admirari poſſet? quæve pœna ex ſenſibilibus malo ejus adæquaretur, aut non minoris haberetur? Præſertim ſi homo ille, alias rex, voluntatem adhuc ſuperbam retineret, & honoris ambitione æſtuaret: inſuperque proprium dedecus, infamiam, & opprobrium, omneſque prædictas circunſtantias ita ad vivum intellectus acumine apprehenderet, & ſibi ſemper repræſentaret, ut neque cogitatum inde avertere poſſet; neque aliquod ſolatium afferens,

Exemplum.

afferens, vel dolorem mitigans intelligere? Et tamen totum hoc exceditur incomparabiliter à pœna & diſconvenientia, quam dæmones ſua illa alligatione patiuntur: ſicut incomparabiliter exceditur natura & ſuperbia cujuſlibet hominis in carne degentis a natura dæmonis, & ab ejus ſuperbia.

66 Alligatio potentiarū quantum torqueat.

Nec minor cauſa doloris ſubeſt dæmoni ex parte alligationis potentiarum. Nam quo major eſt activitas alicujus cauſæ, & quo vehementius ad ſibi connaturalia inclinat, eo majorem patitur violentiam, proindéque majorem diſconvenientiam & malum, dum contra talem inclinationem, vel agere prohibetur, vel ad agendum neceſſitatur. Sicut ergo inclinatio & activitas potentiarum dæmonis incomparabiliter excedit activitatem & inclinationem cujuſcumque naturæ corporeæ (quantò enim natura aliqua habet eſſe immaterialior & ſubtilior, tantò ejus potentiæ majorem activitatem ſortiuntur) ita violentia & diſconvenientia quam patitur, ſive dum contra propriam voluntatem agere compellitur, ſive dum contra illam prohibetur ab operatione, longè ſuperat quamlibet violentiam & diſconvenientiam, quæ in rebus corporalibus poteſt reperiri.

Cogitemus ergo violentiam quam pateretur magna pars ignis in ſtrictiſſimo terræ, vel æris globo incluſi, & ita ibi coarctati, ut neque in propriam extenſionem dilatari permitteretur, neque actionem ullam, vel motum ſecundum proprium impetum poſſet exercere: tanta ſane eſſet hæc violentia, ut æris fortitudinem vinceret, & contra omnem virtutem naturæ creatæ tandem carcerem illum diſrumperet, ut inde egrederetur, & propriam inclinationem ſequeretur: & ſi haberet ſenſum & appetitum, vehementiſſimum & acerrimum dolorem, ut puta juxta gradum illius violentiæ pateretur. Porrò totum hoc exiguum valde eſſe reſpectivè ad violentiam & dolorem, quæ dæmones in prædicta alligatione patiuntur; cuilibet intuenti conſtabit. Tum, quia activitas potentiarum dæmonis, & impetus inclinationum earum incomparabiliter ſuperat impetum & activitatem ignis propter incomparabilem exceſſum immaterialitatis & activitatis: æquè autem debet illum excedere in prædicta violentia & diſconvenientia. Tum etiam, quia ignis pauciſſimæ ſunt operationes pro quibus poſſit violentiam pati: reſpectu verò dæmonis penè innumeræ ſunt intellectiones & actiones, quæ vel ab eo exercentur, vel omittuntur: & fere in omnibus patitur prædictam violentiam, cum omnes fere illas exerceat, vel omittat coactus imperio ignis, & non juxta placitum propriæ voluntatis, ut diximus n.65.

67 Aliud caput huius pœnæ ex parte intellectus.

Prætereà non utcumque ignis movet violenter dæmonis potentias; ſed applicando ad eas operationes, quæ ex parte objecti habent eſſe magis afflictivæ; & cohibendo ab illis quæ vel ex iſto capite aliquod genus gaudii poſſent afferre: ut non tantum ob prædictam violentiam ex parte principii, ſed etiam ob objecti diſconvenientiam in omnibus torqueantur. Applicat enim intellectum, ut ſemper & immobiliter cogitet ſuam miſeriam & omnes ejus cauſas: cujuſmodi ſunt amiſſio ſummi boni, ad cujus fruitionem erat elevatus: rigor divinæ juſtitiæ proprias offenſas vindicantis animadverſione & periculo ipſius dæmonis: odium quo Deus illum perpetuò proſequitur & abominatur, perpetuuſque ejus hoſtis & inimicus exiſtit: probrum & deſpectus quo ab omnibus habetur, præſertim ab ipſo Deo & beatis: aliaque id genus, quæ ſuperbiſſimæ illi naturæ confuſionem & dolorem incutiunt: præſertim dum omnium perpetuam & interminabilem videt durationem. Inſuper etiam applicat illum, ut ſemper cogitet ipſam alligationem, depreſſionem, & ſubjectionem ad ignem, per quem tanta patitur: & quam turpiter & ignominioſè ab illo dejiciatur & peſſundetur. Et quamvis alia etiam cogitare faciat, nihil tamen ſine reſpectu ad hæc quæ diximus, ut in nullo ſuum non ſemper tormentum videat, & videns crucietur. Sed & in jis quæ contra Deum, vel contra homines machinari permittitur, unde ob ſuam depravatam voluntatem gaudium aliquod reportaret, ſemper admiſcetur aliquid propriæ diſconvenientiæ tale gaudium deturbans & in amaritudinem convertens: dum cernit, ex omnibus tandem propriam ignominiam augeri; & Dei, ac prædeſtinatorum gloriam exaltari.

Similiter ſe habet ex parte potentiæ executivæ: plurima enim dæmones compelluntur facere, quæ valde horrent; nihil verò agere permittuntur, quod ignominia & dedecore mixtum non ſit, aut quod omnino ſit expers triſtitiæ & doloris. ¶ Augetur etiam valde eorum pœnalitas ex nobilitate & immaterialitate ipſarum potentiarum. Nam & inter animalia, illa quæ minus materiæ immerſa ſunt, delicatiora ſunt, & pœnalitatum magis perceptiva, exindéque ad majorem dolorem commoventur. Cum ergo intellectus dæmonis præſtantiſſimus & immaterialiſſimus ſit, oportet, ut ea quæ ſibi nocent, altiſſimè apprehendat: eadémque ratione voluntas ad vehementiſſimum dolorem concitetur. Auget etiam iſtum inordinatio ipſius voluntatis per obſtinationem in malo, & per renitentiam ad voluntatem divinam, necnon per odium & invidiam erga Deum & homines. Indè enim oritur, ut jis quæ juſſu Dei patitur, magis adverſetur, & ea violentius ſuſtineat, feratque gravius & intolerabilius, videns quod in ſuis pœnis divina juſtitia & Sanctorum gloria exaltetur. Omittimus majorem horum expenſionem, quia neque à nobis omnino ut ſunt, concipi poſſunt; neque ut concipiuntur, verbis ſatis declarari. 68 Quid ex parte potentiæ executivæ.

Addenda verò duximus quæ habet Card. Cajetan. tom. 3. opuſcul. oratione 5. cit. quia compendioſius non pauca ex jis, quæ diximus, complectuntur, & alia ſuperaddunt. Sic ergo ait: *Deſinitus igitur non natura, ſed vi detentus in loco ſpiritus naturalem libertatem ac dignitatem; qua nulli ſubjicitur corpori, qua omne corpus evincit, qua omni corpori præeminet præſidetque, infeliciſſimus perdidit, & ſe perdidiſſe miſerrime mœret, atque mœrendo ineffabiliter cruciatur. Affligitur intellectus, quando ſuæ captivationis ærumnam non recogitare ſubinde non poteſt. Cumque ſimul multa meditari nequeat, ab aliorum omnium quæ levamen afferre poſſent; conſideratione prohibetur. Et quamquam meditatio pœnæ pœna non ſit, cum liber quis meditatur ſolum nihil adverſi ſentiens aut metuens, attamen ubi præſens eſt doloris objectum, ubi ſuam vim exercet in meditantem, ubi denique meditatio ipſa coacta eſt, nihil acerbius* 69 Caiet.

Digitized by Google

acerbius animum quam ejuſmodi conſideratio afficere poteſt. Afflictatur voluntas, quippe ab omni delectabili depulſa, id ferre compellitur quod dedignatur, reſpuit, abhorret : quam maxime odit Dei juſtitiam, cui præcipuè invidet, divinam celſitudinem magnificari in propria & ea abiectiſſima pœna, dolet, gemit, corroditur. Afflictantur denique activæ potentiæ, ſiquidem diro igni addictæ, nulla, aut certè modica poſſunt exercitatione ſeſe ſubiectis admovere rebus. Quod eo intolerabilius eſt, quo tanta eis vis ineſt, ut commovere nutu ſingula poſſent. Accedit ad hæc, quod jugis perennisque eſt eis definitus carcer & dolor, ut nulla valeat minuere, aut mollire adveniens conditio, ſed ſemper uti ab initio acerbiſſimè mœrere opus eſt, neque enim detruſi ſpiritus oblivione mederi, meditationi vacare, affectum deponere, ſeſe adhortari, facere (ut aiunt) de neceſſitate virtutem uſquequaque valent. Nulla eis clementiæ, aut varietatis ſpes, nulla in prætereuntis temporis eventu expectatio; ſed quas luunt pœnas, nunquam terminandas, aut minuendas certiſſimè ſciunt; imo inviti ad mœroris culmen clara luce vident. Hæc pauciſſima de ſpirituum pœnis tetigerimus. Hæc omnia & alia quæ diximus, clauduntur in alligatione quam aſtruunt Divus Thomas & ejus diſcipuli. Videamus, an alii authores, quibus levia videntur ad dæmones & animas torquendas, majus aliquid ad prædictum effectum conducens ſua meditatione detexerint.

§. V.

Referuntur & refelluntur alii modi dicendi.

70 PRæter aliqua circa pœnam dæmonum & animarum erroneè excogitata, à quibus §. 1. præſentem difficultatem expedivimus, extant diverſæ Theologorum opiniones cum antiquorum tum juniorum, eo tendentes, ut ſuadeant quærendum eſſe aliud tormenti genus præter alligationem : quas idcircò referre & impugnare operæ pretium duximus, ut illarum inſufficientia noſtram doctrinam confirmet. Utrumque autem ſuccinctè & breviter perſolvemus.

Prima opinio. Henric.

Prima opinio (quæ tribui ſolet Henrico quodlib. 8. q. 34.) aſſerit, ignem torquere dæmones per ſuam naturalem virtutem, imprimendo illis ſuum calorem : quem ut dæmones poſſint recipere, diſponuntur per quandam aliam qualitatem divina virtute ſibi impreſſam.

Reiicitur.

Hic tamen dicendi modus communiter rejicitur. Tum, quia calor utpotè accidens corporeum nequit recipi in ſubſtantia ſpirituali : præſertim modo extenſo & diviſibili : ſicut neceſſe erat, ut alicubi cauſaret dolorem. Illa verò qualitas per quam dæmones diſponi dicuntur ad calorem recipiendum, ſi ſit extenſa & corporea, eadem ratione non poterit recipi in illis. Si verò ſit ſpiritualis & inextenſa, erit æque improportionata ad ſuſceptionem caloris, atque ipſa ſubſtantia ſpiritualis. Tum etiam, quia, eſto calor mediatè, vel immediatè poſſet recipi in prædicta ſubſtantia, non ideo eſſet illi cauſa doloris : quia nec læderet, aut corrumperet aliquam ejus diſpoſitionem, ſicut corrumpit, vel lædit in corpore, quod reſolvit & urit (abſurdum namque eſſet ponere in ſpirituali ſubſtantia hujuſmodi effectus.) Neque aliunde eſſet tali ſubſtantiæ diſconveniens ſuſtinere aliquod accidens corporeum diſparatè ad ipſam ſe habens : ſicut in hoc quod eſt movere, aut ſuſtentare ſua virtute aliquod accidens, nulla eſt diſconvenientia : hac autem ſecluſa nihil poteſt ut objectum doloris apprehendi. Videatur Suar. loc. cit. de Angel. c. 14. num. 16. ubi hujus opinionis impugnationem latè proſequitur. *Suar.*

Secunda opinio.

Secunda opinio ait ignem torquere dæmones non per impreſſionem caloris, ſed per immiſſionem ſpeciei intelligibilis repræſentativæ ipſius ignis, aut etiam cauſando immediatè in eis ipſam intellectionem. Pro hac refert Vaſquez Ægidium quodlib. 2. quæſt. 9. Scotum in 4. diſput. 44. quæſt. 2. Richard. Gabrielem, & alios. 71

Vaſq. Ægid. Scot. Richard. Gabriel.

Impugnatur.

Sed impugnatur facile. Tum, quia quod attinet ad ſpeciem intelligibilem, nulla poteſt immitti ab igne, quam ipſe dæmon ab initio ſuæ conditionis non habeat impreſſam ab authore naturæ, à quo omnium rerum univerſi accepit tunc ſpecies : & ita omnino ſuperfluit nova impreſſio ſpecierum pro qualibet cognitione naturali. Quod verò attinet ad intellectionem, falſum eſt quod fiat immediatè ab igne : quia cum omnis intellectio ſit actio vitalis & immanens, eſſentialiter poſtulat procedere immediatè ab ipſo intellectu, in quo recipitur, & non ab aliquo extrinſeco agente. Tum etiam impugnatur : quia neque ſpecies intelligibilis, neque intellectio cujuſcumque objecti ſit, habet eſſe ſecundum ſe diſconveniens reſpectu intellectus dæmonis; imo utraque eſt perfectio illius, ſicut eſt ejus perfectio intelligere quæcumque intelligibilia : ergo neutra præciſè ſecundum ſe poteſt illi eſſe cauſa doloris.

Evaſiones.

Dices, ex triplici capite poſſe prædictam ſpeciem, vel intellectionem eſſe diſconvenientem. Vel quia ſuperexcedit proportionem intellectus, & hac ratione lædit illum : ſicut ſpecies excellentis ſenſibilis lædit ſenſum, quia excedit ejus proportionem. Vel quia ligat & neceſſitat ipſum dæmonem ut velit, nolit, intelligat per illam. Vel denique, quia repræſentat, vel proponit ignem ut objectum horribile & diſſonum, cujus proinde cognitione dæmon cruciatur.

Præcluduntur.

Sed omnia hæc facile refelluntur. Primum; quia falſum eſt aliquam ſpeciem intelligibilem, aut aliquam intellectionem, quantumvis excellens ſit, eſſe diſconvenientem, aut læſivam intellectus; imo quò excellentior eſt, eò magis illum perficit, ut conſtat in viſione beatifica & in ejus ſpecie, quibus nulla poteſt dari excellentior. Nec refert exemplum de ſpecie ſenſibili : nam hæc ideo lædit ſenſum, cum eſt excellens, quia ſenſus ipſe conſiſtit in certa quadam harmonia & proportione ſub certo temperamento contrariarum qualitatum : & ideo quicquid excedit eam proportionem, diſſonat prædictæ harmoniæ, & eſt læſivum illius. Quæ ratio non habet locum in intellectu præſertim ſeparato, cum ſit potentia ſpiritualis à quovis temperamento independens. Secundum quod dicitur in evaſione, ſi verum eſſet, reduceretur ad alligationem quam nos ponimus : quia illa neceſſitas & determinatio ad intelligendum effectus eſt prædictæ alligationis. ¶ Diximus *ſi verum eſſet* : quia ſola ſpecies intelligibilis 72

ligibilis aut intellectio non eſt ſufficiens ratio prædictæ neceſſitatis : niſi vel ex parte ſpeciei addatur modificatio quam diximus numero 56. vel ex parte principii motio quam explicuimus à num. 57. ¶ Tertium eſt petitio principii : quia ut ſpecies vel cognitio illa repræſentet dæmoni ignem ut obiectum horribile & diſſonum, neceſſe eſt, ut ipſe ignis priùs reverà id habeat; aliàs repræſentatio falſa erit : ac proinde non vera pœna ab igne recepta, ſed falſa exiſtimatio dæmonem cruciabit : contra id quod num. 27. ut certum ſuppoſuimus. Dum ergo non explicatur quo pacto ignis antecedenter ad ſuam repræſentationem noceat dæmoni, & ſit illi diſſonus, petitio eſt principii recurſus ad ſpeciem, quæ illum diſſonum & horribilem repræſentet.

73 *Opinio tertia. Sotus.* Tertia opinio eſt M. Soti in 4. diſt 50. art. 1. ubi ait : quòd quemadmodum in hac vita dum exuritur corpus, anima quæ illum vivificat, peculiarem inde afflictionem & triſtitiam patitur : ita in inferno eandem triſtitiam & afflictionem ſentit, quam paſſura eſt poſt diem judicii, dum corpus quod reſumpſerit, dolorem ſenſitivum patietur. *Hanc* (inquit) *vim habet ille ignis tanquam inſtrumentum divinæ juſtitiæ in dæmones atque animas, quod afflictionem quam in anima mediante dolore corporis reſumpti effecturus eſt; faciat abſque ille dolore.*

Verum non attingit. Sed neque iſta opinio verum attingit : quia repugnat, ignem cauſare in dæmone vel anima ſeparata dolorem ejuſdem rationis cum illo, quem ipſa anima dum eſt in corpore, ex ejus aduſtione patitur. Ideo enim ignis urens, dum anima eſt in corpore, cauſat dolorem non modò ſenſibilem in appetitu corporeo, ſed etiam ſpiritualem in voluntate, quia cum iſta ſit appetitus totius ſuppoſiti, habet pro obiecto bonum & malum eiuſdem totius, ſive ad animam ſive ad corpus ſpectet, & de utroque ſumit dolorem vel gaudium : adeoque ſatis eſt ad dolorem in voluntate cauſandum ab igne, quòd is ſit diſconveniens & nocivus corpori. Hoc autem ſecluſo, ſicut ceſſat omnino prædicta diſconvenientia, nullumque iam manet doloris obiectum ab igne cauſatum, debet etiam ceſſare prædictus dolor. ¶ Et quicquid ſit de animabus, ſaltem reſpectu dæmonum evidens eſt, nullum dari obiectum vel idem vel eiuſdem generis aut rationis cum obiecto, de quo dolet anima corpori unita, propter aduſtionem vel læſionem ipſius corporis : igitur nec poterit dari in illis dolor eiuſdem generis aut rationis : ſiquidem dolor & quilibet actus appetitus omnino ſequi debet genus & conditionem obiecti.

74 *Quarta.* Quarta opinio conſtituit pœnam dæmonum & animarum in quadam qualitate deformativa & dolorifera ab igne illis impreſſa : non quæ afficiat per ordinem ad corpus vel locum extrinſecum, aut per ordinem ad operationes : ſicut afficit qualitas quam nos poſuimus ad eos alligandos : ſed quæ illis in ſe ipſis abſolutè diſconveniat & noceat : ſicque effectus talis qualitatis reddere ipſam ſubſtantiam dæmonis vel animæ fœdatam & deformem, ſine eo quòd aliquid eius deſtruat vel corrumpat : ſicut gratia reddit illam pulchram & ornatam. Ita Suar. ubi ſupra, præſertim loco cit. de Ang. cap. 14. Qui addit, poſſe opinari quòd prædicta qualitas ſit aliquid repugnans gratiæ & incompoſſibile cum illa : ut ex hac repugnantia deformitatem illius notificet. Movetur verò ad ita exiſtimandum, tum ex inſufficientia aut impoſſibilitate cæterarum opinionum : tum etiam quia iuxta hanc faciliùs explicatur pœna de qua loquimur : cum poſita prædicta qualitate & deformatione ab ea cauſata, ſtatim appareat obiectum ſatis diſconveniens & doloriferum, de quo dæmones & animæ triſtari poſſint.

Sed neque iſta opinio aliis Doctoribus probatur : tametſi primo aſpectu maiorem apparentiam & plauſibilitatem præ ſe ferat. De qua proinde Vaſq. cit. diſput. 143. cap. 5. ſic ait : *Hac ſententia eò plauſibilior in Scholis viſa eſt, quò magis ſenſum ſequuta videtur, &c. Si tamen in hac re ſpirituali aſſeramus ſenſum, & ſola ratione ducti, ut oportet, philoſophemur, prædictam opinionem non minus quàm alias, difficilem iudicabimus.* Quod haud difficile erit probare. In primis verò prædictam qualitatem non poſſe eſſe aliquid contrarium gratiæ vel cum ea incompoſſibile, perſpicuum debet eſſe etiam apud Suar. Tum quia ponit illam non tantùm in dæmonibus & animabus damnatis, ſed etiam in iis quæ exiſtunt in purgatorio ornatæ gratia & amicitia Dei. Ex eo enim quòd in illis non videtur ſibi ſufficiens pœna alligatio quam nos poſuimus, probat quaſi à fortiori non eſſe ſufficientem in illis, recurrendumque eſſe ad prædictam qualitatem deformativam. Tum etiam quia ſola culpa mortalis, quæ opponitur Deo, habet repugnantiam cum gratia, per quam ordinamur in illum : prædicta autem qualitas nihil habet de ratione culpæ, cum ſit tota à Deo ut ab authore particulari : ergo non eſt quo pacto gratiæ repugnet. 75 *Reiicitur. Vaſq.*

Ex quo etiam habetur, effectum illius qualitatis eſſe non poſſe fœdare aut deforme reddere ſubiectum in quo eſt. Tum quia ſubſtantia ſpiritualis, cuius pulchritudo in refulgentia divini luminis conſiſtit, per nihil aliud fœdari aut deformari poteſt niſi per culpam : ſicut per nihil aliud poteſt reddi maculata & Deo inviſa. Tum etiam quia id ſolùm fœdat & deformat aliquod ſubiectum, quod tollit ab eo aliquid pulchritudinis : prædicta autem qualitas nihil omnino tollit, ut etiam eius authores fatentur : ergo, &c.

Sed aliunde etiam poſſumus impugnare hanc opinionem animadvertendo, ex duplici tantum capite poſſe aliquam formam diſconvenire alicui ſubiecto : vel quia tollit ab eo aliquid conſonum & conveniens : vel quia impedit, comprimit, aut retardat aliquam eius inclinationem : ſive talis inclinatio ſit in ordine ad operandum vel non operandum, ut quæ fundatur in potentiis; ſive in ordine ad eminendum & excellendum, ut quæ tangit immediatè ſubſtantiam & perſonam. Non enim videtur excogitabilis alius modus diſconvenientiæ reſpectu cuiuſcumque creaturæ. Hinc verò formatur impugnatio. Nam qualitas quam aſſerit hæc opinio, non eſt diſconveniens dæmoni priori modo : nihil enim ab eo tollit vel corrumpit, ut opinio ipſa fatetur : neque etiam poſteriori, impediendo ſcilicet, comprimendo, aut retardando aliquam eius inclinationem : quippe hæc retardatio aut compreſſio tota eſt effectus alligationis aſſertæ à D. Thom. ut §. præced. vidimus : atque adeo non erit effectus prædictæ qualitatis, quæ à ſuis authoribus ponitur ut omnino 76 *Alia impugnatio.*

omnino ab alligatione diſtincta : nullo igitur modo poteſt eſſe illi nociva & diſconveniens. Vide quæ diximus ſuprà diſput. 16. dub. 3. §. 2. directè enim impugnant hujuſmodi qualitatem immediatè afficientem ſubſtantiam animæ, vel dæmonis abſolutè, & non per modum unionis ad aliquid extrinſecum.

Effugium. Suar. Occurrit Suar. his & ſimilibus non ſatis oſtendi repugnantiam ſuæ qualitatis : ſed quod nos non poſſimus eam comprehendere, vel prout eſt in ſe, cognoſcere : *Unde* (inquit) *omnia ſolvi poſſent, vel illo verbo Auguſtini, quod ignis cruciat ſpiritus veris licet miris modis : vel illo Epiſt. 3. Demus, aliquid Deum facere poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. Quibus ſimilia ſunt quæ dixit Hugo de S. Vict. lib. 2. de Sacram. part. 16. c. 3. Quomodo, inquiunt, animæ ſine corporibus à rebus corporalibus pati poſſunt? Ecce dicamus, neſcimus quomodo hoc fieri poſſit. Nunquid ideo verum non eſt, quia neſcimus quomodo eſt?* &c.

77 Refellitur. Sed cum iſte author initio illius c. 14. minùs probet doctrinam Gabrielis Vaſq. qui innixus eiſdem Auguſtini verbis dixerat, modum quo dæmones ab igne torquentur, eſſe nobis occultum & inveſtigabilem; non debuiſſet tam citò pro opinione noviter à ſe excogitata & majori fundamento deſtituta, ad fidei aſylum confugere, & difficultatum ſolutiones intellectus captivitati committere. Eo præſertim quia ſi pro tuenda qualitate, quam neque poſſibilem, minus vero aptam ad dæmones torquendos ratio ulla oſtendit, neque Scholaſticorum communis, vel major conſenſus, ſed unus, (graviſſimus licet) particularis Doctor introduxit, exigitur à nobis recurſus ad arcana divinæ potentiæ, quæ credimus & non capimus, & huic committitur potiſſimum quod quærimus, dum nihil fere de natura & effectu prædictæ qualitatis alia via innoteſcit; potiori jure licitus erit nobis talis recurſus pro tuenda ſententia Divi Thomæ rejiciente hujuſmodi qualitatem, reducentéque totam pœnam dæmonum ad alligationem explicatam, de qua non pauca diſtinctè aſſequimur & tradimus : ſiquidem eam eſſe poſſibilem, imo & exiſtere de facto Scholaſtici omnes fatentur : eſſe vero valde pœnalem, rationibus & exemplis §. præced. adductis convincitur, & non parum declaratur. Potiori ergo jure pro aliquibus quæ circa hanc alligationem non ita animum quietant, concedendus erit nobis ille recurſus, ut dicamus, eam non ſatis comprehendi pro hoc ſtatu : longéque majus tormentum in illa contineri, quàm concipere & enarrare ſufficimus, & quàm Suarez de ſua qualitate concipere potuit : hacque ratione verum eſſe dictum Auguſtini, quod ignis cruciat ſpiritus veris, & miris, ſeu occultis modis : & quod plus Deus ibi facit, quàm nos poſſumus intelligere.

78 Ultima opinio. Vaſq. Demum quinta ſententia, quæ eſt Gabrielis Vaſq. cit. diſp. 143. cap. 6. ait, nulla alia via ex hactenus excogitatis poſſe dæmones torqueri ab igne, niſi ratione alligationis : concedendum nihilominus eſſe aliud genus pœnæ nobis omnino ignotum alligationi ſuperadditum, ratione cujus verificetur pœnam illam fieri miris & occultis modis juxta Auguſtini ſententiam : circa quod tormenti genus (ait) ſatius erit noſtram fateri ignorantiam, quam abſque ſufficienti fundamento aliquid affirmare. Circa animas verò dicit, hoc genus pœnæ ſuperadditum alligationi eſſe manifeſtum : conſiſtit verò in apprehenſione, quod poſt corporum reſurrectionem in ipſis corporibus ex eorum ſenſibili aduſtione dolorem patientur : jam enim pro nunc cauſat in eis non modicam triſtitiam, quod videant ſe obnoxias ad ſuſtinendum pro tunc prædictum dolorem : ſicut qui videt ſe ad mortem, vel triremes damnatum, triſtatur ex quo lata eſt ſententia, etiam ante pœnæ executionem. Ita Vaſq.

Cujus ſententia, quod attinet ad dæmones, ea ſolum ratione impugnationi obnoxia eſt, quod poſitivè affirmet dari aliud tormenti genus nobis omnino occultum. Si enim hujuſmodi tormenti neque in communi neque in particulari, confusè, vel diſtinctè aliqua extat notitia, unde illud poſitivè affirmare poſſumus? Aut unde ſcire poſſumus, omne genus tormenti cujus dæmones ſunt capaces, non contineri ſub alligatione explicata; dum neque extra illam aliquid aliud apparet, neque eam, & totum quod claudit, comprehendimus? Aliud eſſet neque negare neque affirmare hujuſmodi tormentum diſtinctum ab alligatione, ſed judicium circa illud ſuſpendere. Hoc enim docibilitatis & prudentiæ eſſe poſſet. Tum, quia intellectus ita ſe habens nulli errori exponitur : cum abſtrahentium non ſit mendacium, ut Philoſophus ait. Tum etiam, quia rationes quæ totum negotium prædictæ pœnæ ad alligationem reducendum perſuadent, non convincunt, nihil circa hoc nobis abſcondi, aut ſoli Deo reſervari. Sufficit autem ad ſecuritatem & prælationem noſtræ ſententiæ, ut in iis quæ poſitivè aſſerit, verum attingat, cæterarumque opinionum, quæ hactenus excogitatæ ſunt, falſitatem oſtendat, & objectionibus in contrarium adducendis occurrat; quin ad incerta & occulta divinæ ſapientiæ & potentiæ funiculum tetenderit. Cenſura huius opinionis.

Quod verò attinet ad animas, concedimus triſtari ex apprehenſione mali futuri, quod in corporibus patientur. Hoc tamen genus pœnæ quandiu illud malum ſolum ut abſens reſpicitur, longè minus eſt pœna alligationis : & quicquid ex iſto capite ſuperadditur animabus, multoque plus poteſt dæmonibus accreſcere ſine recurſu ad illum modum tormenti omnino ignotum, per hoc quod eorum alligatio ſtrictior ſit, aut in ordine ad plura ut n. 85. magis declarabitur. Qui ergo pro animabus ſufficiens tormentum judicat alligationem ſimul cum apprehenſione illa futuri mali, neceſſe non habet, aliud omnino ignotum pro dæmonibus aſſerere: vel ſi hoc pro iſtis neceſſarium judicat, inconſequenter negat eſſe etiam pro illis aſſerendum : præſertim cum, ut dicemus infrà, aliquæ ſint animæ majori pœnæ obnoxiæ, quàm aliqui dæmones. Manet ergo, ſententiam noſtram, vel ex hoc non parum confirmari, quia quæcumque aliæ hactenus excogitatæ ſunt, aut impoſſibilia aut penitus ignota aſſerunt : & adhuc in ita aſſertis nihil alligatione majus aut horribilius pro dæmonum & animarum pœna detegunt. 79

§. VI.

§. VI.

Proponuntur & diluuntur duæ præcipuæ objectiones.

80 SUpereſt ut occurramus objectionibus, quibus ſuaderi poſſet ultra alligationis pœnam quærendam eſſe aliam pro animabus & dæmonibus torquendis. Plures efformat Suar. quarum aliquæ ſolutæ ſunt in diſcurſu hujus dubii: aliæ verò ex noſtris principiis facilè ſolvi poſſunt. Adducemus tamen præcipuas, quas urgere & amplius confirmare curabimus? quia ex earum ſatisfactione magis declarabitur ſententia noſtra, & quædam minutiora argumenta ſine labore ſuperabuntur.
Prima objectio.
Objicies ergo primò, quod in ſacra Scriptura aſſignatur aliud genus pœnæ reſpectu animarum proveniens ab igne præter hoc quod eſt teneri & eſſe in ipſo igne, ut conſtat ex illo
Luc. 16.
Luc. 16. *Quia crucior in hac flamma.* Non dixit, quia ſum in hac flamma, ſed quia crucior in illa: ut oſtenderet, potiſſimum cruciatum non conſiſtere in detentione, vel alligatione ad illum locum, ſed in alio quod ibi exiſtentibus & ligatis ex flamma ignis ſuperadditur. Pro qua objectione ſunt alia Scripturæ teſtimonia, & etiam SS. Patrum, quæ Suar. adducit, & eandem vim continent.

Cõfirmatio.
Poteſt verò ratione confirmari. Tum in animabus puerorum in limbo exiſtentibus: quæ manent, manebuntque ſemper detentæ & alligatæ in illo loco; & tamen nihil inde tormenti aut pœnæ ſenſus accipiunt. Tum etiam in illis quæ exiſtunt in purgatorio: quæ ultra pœnam damni & dolorem ex ea provenientem, torquentur vehementiſſimâ pœnâ ſenſus: & tamen ſi hæc pœna in ſola alligatione conſiſteret, nihil ferè pœnæ damni ſuperadderet. Nam eo ipſo quod prædictæ animæ manent prohibitæ pro tempore ſui purgatorii à viſione Dei, manent quoque pro eodem tempore excluſæ à loco cœli, adeoque deſtinatæ ad commorandum in aliquo alio infra cœlum: quod autem hic locus ſit terra, aqua, ignis, vel aër, ſi nihil aliud quam detentionem pro prædicto tempore ibi recipiunt, parvam, vel nullam pœnam ſuperaddere videtur: cum tota ratio hujus pœnæ in eo conſiſtere poſſit, quod detentæ in tali loco, a loco cœli prohibentur. Alia igitur via quærenda eſt illarum pœna ſenſus, ut ſit adeo gravis ſicut docemur, & diſtinguatur à pœna damni.

Cõfirmatio ſecunda.
Confirmatur ſecundò: quia inferiores dæmones ligantur multoties à ſuperioribus certis corporibus & locis, eorumque imperio ibi detinentur, ut ſupra diximus: & tamen non credimus, pati in ea alligatione (eſto ſit eis pœnalis) ita acerbum cruciatum, ſicut in inferno ab igne patiuntur: non ergo patiuntur ab iſto per ſolam alligationem.

Cõfirmatio tertia.
Confirmatur tandem; nam ſi dæmones per ſolam alligationem ad ignem paterentur, in multis nulla eſſet pœna ſenſus ante diem judicii: quandoquidem multi nondum ſunt, neque erunt uſque ad diem illã inferni ignibus alligati, aut ibi detenti; ſed manent apud nos, & diſcurrunt per iſtum aërem & alia loca, ut Theologi cõmuniter admittunt. Quin etiam in aliquibus ex illic jam incluſis ceſſaret prædicta pœna, quoties ad tempus inde egredi permittuntur. Utrumque autem eſt inconveniens: ergo, &c.

81 Diluitur objectio
Reſpondetur objectionem hanc & alias ſimilis formæ procedere ex defectu intelligentiæ ſententiæ D. Thom. quaſi alligatio ab eo poſita præciſè dicat ſimplicem quandam præſentiam ad ignem tanquam ad locum, vel ſimplicem & nudam permanentiam in illo. Sic enim loquendo de prædicta alligatione, ſatis convincitur non eſſe totam, imo neque præcipuam pœnam ſenſus, quam dæmones & animæ patiuntur. Cæterum ſi conſideremus, præſentiam & permanentiam illam non eſſe ita nudam & ſimplicem, ut adverſarii autumant; ſed cum magna depreſſione & ſubjectione ipſorum dæmonum ad ignem alligantem, magnoque cum dominio & imperio hujus ſupra illos: & attendamus, qualiter per prædictam alligationem eorum impetus & inclinationes comprimantur & coërceantur, cæteraque id genus diſconvenientia quæ §. 4. explicuimus, ceſſat objectio. Siquidem hæc omnia graviſſimum addunt cruciatum ſupra præſentiam & detentionem in igne præciſè ut in loco, ac nudè ſumptam: & ratione hujuſmodi ſuperadditi verificantur teſtimonia Scripturæ & Patrum diſtinguentium inter hoc quod eſt eſſe in igne, vel in inferno, & cruciari ibi ab ipſo igne.

Ad primam cõfirmationem.
Ad primam confirmationem quantum ad animas in limbo exiſtentes, dicemus dub. ſeq. n. 106. cur detentio in illo loco non ſit eis pœnalis. Quod verò attinet ad illas quæ ſunt in purgatorio, conſtat ex modo dictis, pœnam earum non conſiſtere in eo præciſè, quod circa hunc, vel illum locum extra cœlum commorentur; ſed in ſubjectione, depreſſione, & violentia explicatis, quæ non minus habent locum in illis, quàm in dæmonibus & damnatis animabus: conſtituuntque magnum tormentum diſtinctum à tota pœna damni.

Ad ſecũdã.
Per quod patet etiam ad ſecundam confirmationem: quia alligatio inferiorum dæmonum à ſuperioribus non fit per ſubjectionem & depreſſionem ad loca, vel corpora quibus alligantur: non enim hæc agunt tunc in ipſos dæmones, aut eos ſibi ſubjiciunt, ſed magis contra: alligantur verò per electionem propriæ voluntatis ſimul cum aliqua operatione, quam ibi exerceant; ut explicuimus n. 51. & ita non eſt cur talis alligatio ſit eis multum pœnalis.

82 Doctrina pro diluẽda tertia confirmatione.
Ad tertiam ut occurramus, obſerva, ignem inferni dupliciter poſſe concurrere ad alligandos dæmones: vel activè & terminativè ſimul, quia eos ſibi ipſi alligat, ſeu quia efficit in illis alligationem, & ſimul eſt locus, vel terminus cui immediatè alligantur, & in quo alligati detinentur. Vel ſolum activè, efficiendo nimirum qualitatem, per quam alligantur & fiunt præſentes aliis locis ubi detinentur, aut per quæ ligati ducuntur.

Secundò nota, potiſſimum pœnæ, quam dæmones ab igne patiuntur, non conſurgere ex terminatione alligationis, ſed ex ejus efficientia & inflictione: quia ex hac oritur ſubjectio & depreſſio illius cui infligitur: non enim terminus præciſè ut talis, ſed agens ſubjicit ſibi paſſum: in qua ſubjectione prout infert, vel includit applicationem definitivam dæmonis ad locum limitatum & determinatum, quicumque ille ſit, & ad determinatas operationes, & prohibitionem ab aliis, pœna & violentia principaliter conſiſtit. Ex quo fit, quod dum ignis activè alligat dæmonem, ſive alliget ſibi, ſive

Digitized by Google

alteri loco, eodem modo cruciat illum: differentia enim loci de materiali ſe habet ad effectum & pœnalitatem prædictæ alligationis.

Denique obſerva, quod cum inſtrumenta divinæ virtutis poſſint agere in diſtans etiam non agendo in propinquum, ut conſtat in Sacramentis, Deuſque ſpecialiter ignem inferni aſſumpſerit ut inſtrumentum ad torquendos dæmones; nihil prohibet quod prædictus ignis illic manens cauſet in dæmonibus extra infernum exiſtentibus qualitatem alligantem & torquentem illos: ſive loquamur de alligatione quæ eſt in ordine ad operationes & afficit potentias; ſive de illa quæ eſt ad locum, & afficit ipſam ſubſtantiam. Nam licet ille ignis dæmones à ſe diſtantes non alliget ſibi ipſi ut termino cui fiunt præſentes, alligat tamen aliis locis, ubi detinentur, vel per quæ moventur & diſcurrunt, quantumcumque ab eo diſtantibus: quatenus ſive detineantur in illis, ſive per ea diſcurrant, totum fit ex impulſu & virtute illius qualitatis alligativæ, quam ab igne recipiunt. Hac enim tenentur aliquando immobiles in uno loco, ut inde non poſſint diſcedere; aliquando verò ab uno in alium ſemper ligati etiã velociſſimè trahuntur: operante id totum igne per prædictam qualitatem. Habet enim ſe iſta qualitas & alligatio quaſi frænum & catena, quæ ignis dæmonibus injicit, & quibus regit & circumfert illos per quæcumque ſpatia diſcurrunt: vel etiam cogit, ut ſiſtant & ab uno in alium non tranſeant; imo & ad tartarum dum fuerit tempus, recludet. Veluti cum feræ funibus alligatæ per circum, vel oppidum agitantur, & diſcurrere permittuntur, ſemper incedunt ſubjectæ rectori funem tenenti; & per illum quoquo vult, dirigenti, & cum vult, recludenti: nunquamque ab ejus alligatione & ſubjectione expediuntur.

83 Applicatur doctrina.

Ex his ad prædictam confirmationem, dicimus, negata ſequela, dæmones ubicumque ſint vel quacumque diſcurrant; pati æqualiter ab igne gehennali per alligationem: quia ubicumque ſint, & quacumque diſcurrant, ſunt ibi & diſcurrunt conſtricti & ligati per qualitatem à prædicto igne impreſſam; & nunquam ab hac alligatione, proindéque ab igne alligante ſe expediunt; Et propterea dixit Gloſſ. ex Beda ad illud Jacob. 3. *Inflammata a gehenna. Sicut gehenna ſemper ardet, ſic diabolus ubicumque ſit, vel in aëre, vel ſub terra, ſecum fert tormenta ſuarum flammarũ.* Dicitur verò ferre ſecum flammarum tormenta, quia ubicumque ſit, & quocumque tendat, fertur illuc, teneturque ibi ex vi motionis & alligationis impreſſæ ab igne; & hoc eſt ferre ſecum ignem, non in ſe, ſed in ſuo effectu. Quod autem locus cui dæmones alligantur & fiunt præſentes, ſit ipſemet ignis alligans, ſeu ſpatium inferni ubi exiſtit, vel ſit iſte aër, aut quodcumque aliud corpus, de materiali ſe habet ad prædictam pœnam, & nihil, vel parum eam auget, vel minuit. Sicut etiam parum ad id refert, quod maneant immoti in uno loco; vel quod per plura diſcurrant: quia cum tam permanentia quam diſcurſus ſit effectus illius alligationis (adhuc enim dum moventur & diſcurrunt, ligati incedunt, & ex vi alligationis) in omnibus importatur illa ſuppreſſio & ſubjectio ad ignem, ſimul cum alligatione potentiarum circa operationes (quam nullibi etiam amittunt) in quibus alligationibus ſitæ eſt principalis pœna & violentia quam dæmones patiuntur.

Gloſſ. ordin.

Aliam ſolutionem invenies apud D. Th. 1. p. q. 64. art. 4. ad 3. quam Suar. impugnat: ab ejus tamen impugnationibus poteſt facile vindicari adjuncta iſta doctrina: quod brevitatis cauſa omittimus. D Thom.

Secundò objicies, ſequi ex noſtra ſententia, pœnam ſenſus tam dæmonum, quàm animarum eſſe æqualem in omnibus, ſaltem quoad præcipuum in quo cõſiſtit: conſequens manifeſtè eſt falſum: ſiquidẽ prædicta pœna debet eſſe adæquata, vel proportionata demerito & peccatis uniuſcujuſque; quæ inæqualia ſunt: ergo, &c. Sequelam verò probat ita Suar. *Quia pœna illa alligationis, vel detentionis non recipit magis, aut minus: quia poſitiva præſentia in loco eſt indiviſibilis & totalis in ſingulis tam in ſuo eſſe, quã in ratione commodi, vel incommodi reſpectu uniuſcujuſque perſonæ. Quamvis enim cogitari poſſit quaſdam partes illius carceris eſſe viliores aliis, vel quia ſunt ſitu inferiores, vel quia vilioribus & putridioribus corporibus ſunt plena, ut ſulphure, excrementis, ſtercore, vel ſimilibus: nihilominus reſpectu ſpirituum hæc varietas ferè nullius momenti eſt ad augendam pœnam ſenſus propriam, ſi omnia illa corpora nullo alio modo affligunt ſpiritum; niſi detinendo illum in tali loco: quia loci qualitas corporalis nihil ſpiritui nocet.* Hæc ille. 84 Secunda objectio. Suar.

Et confirmari poteſt hæc objectio: nam etiam ſequeretur animas in purgatorio exiſtentes pati æqualem pœnam ſenſus ſaltem intenſivè, atque illæ quæ in inferno ſunt; ſiquidem etiam talis pœna conſiſtit in alligatione, quæ non ſuſcipit magis, vel minus: ergo, &c. Cõfirmatio.

Reſpõdetur, hanc etiam objectionem procedere ex defectu intelligentiæ doctrinæ D. Thom. quaſi nomine *alligationis*, in qua cõſtituit prædictam pœnam, ſolum intelligatur nuda quædam præſentia ad illũ locũ, vel corpus, cui dæmones & animæ alligari dicuntur. Quãvis enim adhuc ſic diſcurrendo poſſit (ſaltem quod attinet ad dæmones tam inter ſe, quàm reſpectivè ad animas) non difficile aſſignari inæqualitas in prædicta pœna: quia juxta inæqualitatẽ ſuppoſitorũ quibus applicatur; eſſet magis, vel minus violenta & pœnalis exiſtentia & detẽtio in illo loco: ſicut idẽ carcer & eadem vincula reputantur major pœna reſpectu viri nobilis, quã reſpectu plebei, licet in neutro ponant aliud, quã detentionem: at juxta doctrinã D. Th. ut à nobis expoſitam facilius evaneſcit objectio, cum multo melius ex hoc & ex aliis capitibus aſſignari poſſit, inæqualitas valde ſubſtantialis in prædicta alligatione. Cum enim hæc ſit pœnalis propter violentiã, quã infert cohibendo naturalem inclinationẽ, & retundendo voluntatis impetus, ſive ad excellendũ, ſive ad operandũ; oportet, ut ſicut naturæ & inclinationes ſingulorũ dæmonũ inæquales ſunt, ſic prędicta violẽtia & pœna quãtũ eſt ex aliis capitibus, ſit in ſingulis inæqualis: in ſuperiori major, & in inferiori minor proportionatè ad exceſſum quẽ ipſi in natura ſervant. Et ſimiliter oportet, ut quantũ eſt ex iſto capite, in quolibet dæmone ſit major, quã in anima rationali, propter prædictũ exceſſum in natura. 85 Solutio.

Deinde etiam reſpectu ejuſdem animæ, vel dæmonis poteſt prædicta alligatio creſcere. Tum extenſivè: ſive quia ligat in pluribus operationibus, & in paucioribus libertatem relinquit: ſive quia patiẽtem ſubjicit pluribus agentibus & ligantibus: ut ſi non tantũ ab igne, ſed etiam ab aqua, terra, ſulphure, & aliis corporibus alligatio fiat: nam quo hæc plura fuerint, eo

ex

Digitized by Google

ex iſto capite major erit ſubjectio & depreſſio patientis, utpote cui plura dominantur, à pluribuſque ſuppeditatur & deprimitur. Tum etiam poteſt creſcere intenſivè: quia adhuc reſpectu ejuſdem operationis poteſt eſſe arctior neceſſitas quæ imprimitur potentiæ, & circa objectum magis contriſtans: ſicut etiam reſpectu ejuſdem agentis, ſeu alligantis poteſt dari major ſubjectio & major depreſſio per hoc quod tale agens majori virtute ſupra paſſum extollitur, ſtrictiuſque illud ſibi devincit, ac magis ſub ſe comprimit: & etiam augeri poteſt ex intenſiori apprehenſione omnium quæ diximus n. 67. & majori eorum perpenſione, ſine qua non contriſtarent. Denique ut alia omittamus, ex majori obſtinatione & depravatione voluntatis patientis creſcent non parùm hæc omnia propter majorem reſiſtentiam qua divinæ juſtitiæ ordinanti illa ſupplicia reluctatur. Ex his omnibus & aliis capitibus recipit augmentum prædicta alligatio & ejus pœna: adeoque falſum eſt eam in indiviſibili conſiſtere, aut non ſuſcipere *magis & minus*, ut ait Suar. Cujus proinde probationes, quia ex falſa hujus ſuppoſitione procedunt, ſolutione non indigent. Et ſanè cum prædicta alligatio ſit qualitas primæ ſpeciei, juxta dicta n. 36. ſine fundamento negaretur ei latitudo intenſiva, quæ cæteris qualitatibus illius ſpeciei communiter conceditur.

86 Solutio cõfirmationis. Per quod patet ad confirmationem: nam cum prædicta alligatio & pœna ex tot capitibus augmentum & diminutionem recipiat, non eſt neceſſe ut in animabus purgatorii ad eum gradum, ſive intenſionis, ſive extenſionis pertingat, quem damnatæ animæ in inferno patiuntur. Per quod non negamus poſſe prædictam pœnam ex aliquibus capitibus augeri in purgatorio ſupra id quod eiſdem ex capitibus habet in animabus damnatorum: non enim eſt cur hujuſmodi augmentum de potentia abſoluta repugnet.

Difficultas. An verò de facto, aut ſecundum communem legem poſſit ita contingere, ut aliquis juſtus majorem pœnam ſuſtineat in purgatorio, quantum eſt ex illis capitibus, quàm aliquis damnatus patiatur in inferno, non omnino conſtat inter Theologos. Nam Medina in præſenti art. 4. Alvar. diſput. 183. parti ſubſcribunt negativæ, exiſtimantes, pœnas inferni eſſe alterius ordinis & rationis ab jis quæ in purgatorio ſunt; & ideo quantumcumque iſtæ creſcant, non poſſe ad illarum gravitatem pertingere. At verò Curiel dub. 2. Monteſ. diſput. 18. n. 39. affirmativam partem tuentur: quæ etiam eſt Durandi in 4. diſt. 21. q. 2. ad 1. & videtur Capreoli in 2. diſt. 5. art. 3. ad 7. & Cajet. hac prima ſecundæ q. 88. art. 4. Et quia huic parti favet ibi D. Thom. quatenus loquens de pœnis peccato mortali & veniali correſpondentibus, dicit: *Fortè quantum ad pœnam ignis non ſunt improportionabiles pœnæ.* Et exponit Cajet. ly *Fortè*, quod non eſt dubitantis, ſed non determinantis, idcirco veram eam arbitramur. Adeoque non reputamus inconveniens, quod aliquis juſtus ab hac vita decedat cum tanta multitudine peccatorum venialium, aut cum tanto onere ſolvendi pro mortalibus dimiſſis quoad culpam & non quoad pœnam temporalem, ut acerbiorem pœnam ſenſus (loquimur de acerbitate proveniente ſolùm ex aliquibus capitibus) tempore ſui purgatorij ſuſtineat, quàm aliqui damnati; pro uno vel altero peccato mortali æternaliter ſuſtinebunt.

Medina. Alvar.

Curiel. Monteſ. Durand. Capreol. Caiet.

Diximus loqui de acerbitate proveniente ex aliquibus capitibus: quia penſatis omnibus, ex quibus augetur pœna ſenſus, uti ſunt renitentia voluntatis, vermis conſcientiæ, apprehenſio æternitatis pœnæ, & ſimilia, quæ in animabus purgatorii locum non habent, nulla earum pœna ex jis quæ ad pœnam ſenſus pertinent, adæquare poteſt illam quam animæ damnatæ pro quovis peccato mortali patiuntur. Quia alligatio ignis inferni ut aſſociata omnibus prædictis, fit malum ſuperioris rationis ab eo quod poteſt eſſe in animabus juſtis quantumcumque peccatis venialibus oneratis. Et in hoc ſenſu fortè loquuti ſunt Alvar. & Medina, dum negant, pœnam ſenſus debitam pro peccatis venialibus, quantumcumque creſcat, poſſe adæquare illam, quæ debetur pro quolibet mortali.

§. VII.

Aliæ objectiones proponuntur, & enervantur.

Tertia objectio per oppoſitum præcedentis insurgit ex ejus ſolutione: quia ex illa & ex tota noſtra doctrina videtur ſequi, pœnam ſenſus animarum non poſſe ita creſcere etiam de potentia abſoluta, ut adæquet pœnam dæmoniorum, quantumcumque hæc minuatur: hoc autem abſolutè eſt falſum: ergo, &c. Falſitas conſequentis in comperto eſt. Tum, quia non eſt negandum divinæ potentiæ, quod poſſit augere pœnam animarum amplius & amplius in infinitum ſyncategorematicè, ſeu quod data quacumque poſſit aliam majorem infligere; ſicut ex parte ipſarum animarum, datis quibuſcumque peccatis & demeritis, poſſunt dari majora & majora ſine termino aut fine: cum autem pœna dæmonum ſit limitata & finita, oportet ut per augmentum majoris & majoris pœnæ animarum tandem adæquetur & ſuperetur. Tum etiam, quia ſicut de facto concedimus aliquibus hominibus beatis majora merita, quàm aliquibus Angelis, quibus proinde concedenda eſt major gloria; ita non eſt negandum, quod aliqui reprobi diſcedant ab hac vita cum majori demerito, quàm fuit demeritum aliquorum dæmonum: quare ut æquitas divinæ juſtitiæ in eorum punitione ſervetur, oportet, ut ejuſmodi homines ſeverius, quam illi dæmones torqueantur. Sequela verò probari poteſt, primò, quia ſicut natura animæ rationalis non adæquat celſitudinem & eminentiam naturæ cujuſcumque dæmonis, ita non eſt capax tantæ depreſſionis, nec poteſt eſſe ita violentum illi hoc quod eſt *ſubjici & humiliari*, ſicut iſti. Deinde non poteſt eſſe ita vehemens inclinatio animæ, ſive ex parte naturæ, ſive ex parte potentiarum, ſicut eſt inclinatio dæmonis ex utroque capite: ſicut neque illa eſt ita immaterialis & activa, ſicut iſte: ergo neque illi poteſt eſſe ita violenta & diſconveniens cohibitio & refrænatio prædictarum inclinationũ, quæ fit per alligationem explicatam, & in qua prædicta pœna conſiſtit. 87 Objectio tertia.

Cõfirmatio. Confirmatur: nam valde probabile eſt animam rationalem à corpore ſeparatam non habere potentiam ad ſe movendum, neque ad aliquid ad extrà exequendum: noſque id admi-

ſimus in tract. de Angel. diſputatione 2. n. 89. ergo non eſt capax illius violentiæ & diſconvenientiæ, quam dæmones patiuntur ex parte potentiæ executivæ ad extrà, & ex parte inclinationis ad movendum ſe ipſos in quemcumque locum.

88 Prima ſolutio. Huic objectioni poſſet aliquis reſpondere, pœnas dæmonum & animarum ex alligatione provenientes eſſe diverſi ordinis, propter diverſitatem naturarum quibus inſunt; & ita etiamſi pœna dæmonis ſit limitata, non poſſe adæquari per pœnam animæ, quantumcumque hæc in ſuo ordine creſcat: ſicut nulla pœna corporalis quantumcumque creſcat, adæquabit pœnam alligationis animæ: eo quod ſunt diverſi ordinis. Ad hoc autem ut æquitas divinæ juſtitiæ reſplendeat in punitione hominis, qui plura aut graviora peccata quam aliquis dæmon commiſiſſet, ſatis eſt, ſi proportionatè ad exceſſum peccatorum inferatur ei pœna: itaut creſcente amplius demerito, pœna etiam amplius creſcat: & ſi illud creſcat in infinitum ſyncategorematicè, eodem quoque modo creſcat iſta: quamvis totum hoc augmentum non adæquet pœnam datam dæmoni pro quolibet peccato. Sicut ſpecies, vel individua ordinis inferioris, v. g. animalis etiamſi multiplicentur in infinitum, non omnino adæquabunt unam ſpeciem ordinis ſuperioris, puta Angeli. Quam ſolutionem neque approbamus, neque reprobamus, ſed Lectoris judicio relinquimus.

89 Vera ſolutio objectionis. Reſpondemus verò negando non falſitatem conſequentis, ſed illationem. Quamvis enim dæmones ſaltem majori ex parte ſeveriori pœna quàm homines puniantur, ſicut major ſaltem pars gravius deliquerunt: negandum tamen non eſt poſſe Deum ſeverius punire animas, quàm illos: imò & quod in aliquibus de facto ita contingat. Ad utramque autem probationem concedendum eſt pœnam dæmonum ex illis capitibus, adeoque cæteris paribus majorem eſſe pœna cujuſcumque animæ: quia verò totus hic exceſſus finitus & determinatus eſt, nihil obeſt quo minus adæquari & ſuperari poſſit ex aliis capitibus, ex quibus pœna animarum poteſt in infinitum ſyncategorematicè augeri. Hæc autem capita ſaltem erunt duo, quæ explicuimus n. 85. Videlicet intenſio alligationis, ſeu qualitatis per quam fit: nulla eſt enim ratio cur illa qualitas non ſuſcipiat majorem & majorem intenſionem ultrà quemcumque certum gradum: ſicut ſuſcipiunt cæteræ qualitates primæ ſpeciei. Quantò autem fuerit intenſior, tantò ſtrictiorem cauſabit alligationem, ſubjectionem, & depreſſionem in ſuppoſito alligato, proindéque tantò majorem pœnam. Aliud caput eſt extenſio hujus ſubjectionis & depreſſionis reſpectu plurium agentium alligantium: nam hæc etiam poſſunt multiplicari ultra quemcumque numerum: & quo fuerint plura, erit ſubjectio pœnalior. Poterit ergo pœna animarum ex iſtis capitibus amplius & amplius in infinitum ſyncategorematicè creſcere, & ſic creſcens pervenire ad quantitatem pœnæ dæmonum, quantumcumque ex aliis capitibus magna ſit, ſiquidem tota hæc quantitas eſt determinata & finita: & nullum eſt finitum determinatæ quantitatis, quod non poſſit adæquari & ſuperari per augmentum continuum alterius finiti.

90 Ad confirmationem dici poſſet, quod ſicut ſicut anima ſeparata à corpore non habet ex ſe ſpecies intelligibiles proprias illius ſtatus; debentur tamen illi connaturaliter connaturalitate illius ſtatus, & de facto à Deo tribuuntur: ita quamvis ex ſe ipſa non habeat virtutem activam ad ſe & alia movenda (quod & nihil aliud docet D. Thom. loc. cit.) debetur tamen illi connaturaliter, connaturalitate illius ſtatus, & de facto tribuitur talis virtus, ut explicuimus in tract. de Angel. diſput. 2. n. 89. Quod ſi negetur deberi illi prædictam virtutem qua ſe moveat; ſaltem negandum non eſt ineſſe ei potentiam paſſivam naturaliter exigentem, quod moveatur ab alio: ſicut cœlum naturaliter exigit moveri ab intelligentia. Unde ſicut ratione hujus exigentiæ eſſet cœlo violentum non moveri; ita ratione illius poteſt eſſe violentum animæ non moveri, aut ſaltem eſſe ita ligatam, ut nunquam juxta placitum ſuum moveatur.

Solvitur confirmatio.

D. Thom.

Deinde reſpondetur etiam à motu locali & ab operationibus ad extrà, ineſſe animæ ſeparatæ naturales inclinationes, in quarum alligatione poſſit violentiam pati: uti eſt inclinatio qua exigit non ſubjici corpori neque ut agenti neque ut loco: quoad hoc enim ſequitur conditionem naturæ Angelicæ, quamvis in inferiori gradu. Et inclinatio ad exercendam potentiam intellectivam juxta placitum voluntatis. Et quia utriuſque iſtius inclinationis alligatio poteſt ex duobus capitibus nuper expoſitis creſcere in infinitum ſyncategorematicè, conſequenter pœna inde ſuborta, eodem modo creſcens poteſt quamcumque aliam limitatam & finitam ſuperexcedere. ¶ Adde, ſupereſſe aliud caput, unde pœna animæ poſſet in infinitum ſyncategorematicè augeri: nimirum ex pœna futura corporis, quæ poteſt continuum recipere augmentum: ex prævisione enim hujuſmodi pœnæ dolet ipſa anima, antequam corpori reüniatur; dolebitque incomparabiliter magis, dum fuerit reünita.

Quartò ſic objicit Suarez. Nam ſequitur, homines in corpore & anima damnatos pati graviorem pœnam ignis, quàm patiuntur dæmones & etiam animæ ipſorum hominum à corporibus ſeparatæ; conſequens non videtur admittendum: ergo, &c. Sequelam probat; quia dæmones & animæ ſeparatæ nihil mali patiuntur ab igne præter incarcerationem & alligationem: at verò poſt diem judicii animæ unitæ corporibus ſuſtinebunt eandem pœnam, & quodammodo majorem, quatenus etiam corpora erunt eidem carceri perpetuò addicta: & præterea cruciabuntur animæ ſpeciali pœna ignis mediis corporibus: ſicut modo quicquid corpus patitur, ab anima ipſa percipitur & cauſat in voluntate dolorem. 91 Quarta objectio. Suar.

Hoc tamen argumentum militat eodem modo contra ſuum auctorem, ut ipſe etiam prævidit: nam cum ponat, dæmones & animas ſeparatas cruciari per impreſſionem illius qualitatis deformativæ, quam diximus num. 74. & hæc pœna non ceſſet in anima adveniente corpore, addatur verò illa, quam ex corporis incarceratione & aduſtione patietur, eodem modo juxta ejus ſententiam ſequitur, animarum pœnam futuram eſſe majorem poſt corporum reünionem; quàm modo ſit. Quare non eſt nobis neceſſarium alia ſolutione uti, niſi quam adhibet prædictus auctor paulò inferiùs, ut propriam doctrinam

Digitized by Google

doctrinam à propoſita objectione tueretur, his
Idem. verbis: *Reſpondeo, non eſſe inconveniens, quod poſt judicium univerſale pœna animarum extenſive creſcat, vel mutetur aliquo modo, novam pœnam ignis ſuſtinendo, & antiquam ſimul retinendo. Nam hæc eſt quaſi eſſentialis in ſuo ordine, utique pœna ſenſus, & debetur animæ quatenus ſpiritualis mens eſt, & in ſuperiori parte mentis ſuæ peccatum conſummat. Illa verò quæ mediante corpore additur, eſt accidentalis, & ideo de novo advenire poteſt. Quia licèt illam meruerit, quatenus per corpus peccavit, antea ſeu in ſtatu ſeparationis non erat capax illius pœnæ; quamvis loco illius afflictionem magnam ex cogitatione & apprehenſione illius pœnæ futuræ & addendæ poſt diem judicii jam ſentiat. Sicut in animabus beatis poſt reſurrectionem creſcet gloria & gaudium beatificum extenſivè quoad corporis participationem, & animæ quatenus per corpus ſentit & delectatur, quia illud præmium etiam meruit bene per corpus operando, vel in illo propter Chriſtum patiendo; non potuit autem illud ante reſurrectionem recipere, quia illius non erat capax; licèt loco illius aliud genus gaudii ex certa expectatione futuræ claritatis glorioſæ prius acceperit. Unde ad comparationem quæ cum dæmonibus; concedo in hominibus & eorum animabus poſſe eſſe plures modos pœnarum, quàm ſint in dæmonibus, ſicut ſunt plures modi cognitionum, & operationum, ac delectationum. Hoc ergo ſequitur ex diverſitate naturarum, & poteſt optimè conſiſtere cum æquitate juſtitiæ. Nam ſicut unum peccatum dæmonis poteſt multis peccatis hominis æquivalere, ità una pœna ſenſus in dæmone poteſt plures humanæ animæ pœnas excedere.* Hæc Suar. & bene pro omnibus.

Obiicies quintò, quod in damnatis ſunt
91 multiplices pœnæ ſenſus juxtà diverſa eorum peccata: nam ut communiter dici ſolet, & tradunt non ſemel SS. Patres, aliter cruciabuntur ibi ſuperbi & ambitioſi, aliter avari, aliter Luxurioſi &c. ſed in alligatione à nobis tradita nequeunt tot pœnarum genera diſtingui: ergo &c.

Ad hanc objectionem (quæ eandem vel majorem vim habet contra ſententiam Suar. & alias quas §. præc. rejecimus, ut intuenti conſtabit) reſpondetur, prædictam locutionem de multiplicitate pœnarum juxta diverſitatem peccatorum ſufficienter verificari tum ratione pœnarum corporalium, quas damnati à die judicii in multiplici diverſitate ſuſtinebunt, ex quarum apprehenſione ipſæ etiam animæ ex nunc non leviter cruciantur, ut tetigimus num.
92 90. Tum etiam ratione alligationis à nobis explicatæ: quatenus per eam fit, ut anima non poſſit intellectum divertere à cogitatione illorum peccatorum, propter quæ punitur: quæ ſane cogitatio erit ei valde pœnalis, dum ſemper illi præſentem reddit cauſam ſuæ damnationis: & pro diverſitate talis cauſæ erit ſuo modo diverſus cruciatus ex prædicta cogitatione proveniens: ſicut in hac vita dum impius peccat, pro diverſitate objectorum delectabilium circa quæ peccat, diverſam capit delectationem: eadem enim quæ modò ut delectabilia cogitata delectant; tunc apprehenſa ut cauſa perpetuæ damnationis diverſum inferent cruciatum.

93 Objectio ultima. Denique obiicies, quòd alligatio à nobis explicata eodē modo poſſet fieri à terra, aqua, vel aëre, ſicut fit ab igne: ergo ſi ab hoc nulla alia ſuboritur pœna in animabus & dæmonibus, non eſt cur ipſe potiùs quàm cætera elementa ad prædictum effectum aſſumatur.

Hæc objectio ſolvenda eſt fere ab omnibus: nam vix eſt qui aſſerat; ignem efficere aliquid in ſpiritibus damnatis, quod facere nō poſſent cætera elementa; vel quodcumque aliud corpus, ſi ad id munus divina virtute elevarentur, ſicut elevatur ignis. Quare hujus prælectio Solutio.
non neceſſitatis fuit, ſed ſolius divinæ voluntatis. Aliquas tamen congruentias aſſignat D.
Thomas Quæſt. de Anim. articul. 21. ad 18. ubi D. Thom.
ſolvit propoſitam objectionem his verbis: *Dicendum, quòd pœna gehennæ non ſolùm eſt animarum, ſed etiam corporum: propter hoc ponitur ignis maximè pœna gehennalis, quia eſt maximè corporum afflictivus. Nihilominus tamen & alia erunt afflictiva, ſecundum illud Pſal. 10. Ignis, ſulphur,*
&c. Competit amori inordinato, qui eſt peccandi Bannez.
principium, ut ſicut cælum empyreum correſpondet igni Charitatis, ita ignis inferni reſpondeat inordinatæ cupiditati.

Addit Bañez ubi ſupra, conveniens eſſe ut ſicut ignis eſt maximè activus, terra verò maximè paſſiva & reſiſtitiva; ita ille aſſumeretur ut inſtrumentum ad agendum in damnatos, iſta verò ut carcer & locus in quo detinerentur & paterentur. *Itaque* (inquit) *duo elementa concurrunt quaſi vice totius naturæ corporeæ ad puniendos damnatos: & infimum, ſcilicet terra, & ſupremum; nempe ignis: quorum primum paſſivè tantum ſe habet, tanquam locus in quo dæmones detinentur: ſecundum verò habet ſe activè detinendo. Et in hoc ſervatur debita proportio elementorum: terra enim aptior eſt ad patiendum & ſuſtinendum; ignis verò quia maximæ eſt activitatis, aptiſſimus eſt ad agendum.* Omittimus alia argumenta minoris difficultatis, quia ex dictis facilè ſolvi poſſunt.

DUBIUM III.

Utrum pueri decedentes cum ſolo peccato originali puniantur pœna ſenſus: aut ex pœna damni triſtitiam patiantur?

SUpponimus, quia de fide eſt, prædictos pueros ſubituros in perpetuum pœnam damni, quæ eſt carentia viſionis beatificæ: ſicut enim ablata radice arboris, ſequitur neceſſariò carentia fructus: ita amiſſionem gratiæ neceſſariò conſequitur carentia beatificæ viſionis: atque adeo debita eſt pro quolibet peccato gratiam auferente: ſicut aufert orginale & quodcumque mortale. Atque eodem modo ſupponimus, adultos qui ob propria peccata damnantur, utraque pœna, tam ſenſus ſcilicèt quàm damni fore puniendos: quod æquè certū & de fide eſſe ſatis conſtat ex dictis in hac diſputatione & diſputatione præcedenti præſertim dubio 3. Quare circa ſubjectum pœnæ; ſeu circa ſuppoſita quibus tribuenda eſt, id ſolùm examinandum occurrit, quod de prædictis pueris inquirimus: an ſcilicet correſpondeat illis in alia vita ſive in ſtatu ſeparationis animæ à corpore, ſive poſt corporum reſurrectionem aliqua pœna ſenſus: aut ſaltem an ipſa pœna damni quam patientur, ſit illis cauſa alicujus mœſtitiæ, triſtitiæ, aut doloris?

Digitized by Google

§. I.

Deciditur prima pars dubii.

94 DIcendum eſt primò, pueris decedentibus cum ſolo originali nullam eſſe pœnam ſenſus, ſed dumtaxat pœnam damni. Hæc aſſertio eſt communis inter Theologos, pauciſſimis exceptis, quos infra referemus. Probat illam ex profeſſo D. Thomas in 2. diſt. 33. quæſt.2. art.1. & ad Hannibald. ibidem art.4. & Quæſt.5. de Mal. art. 2. Ex quo duas depromemus rationes. Primam ſic proponit. *Pœna proportionatur culpæ: & ideo peccato actuali mortali, in quo invenitur averſio ab incommutabili bono, & converſio ad bonum commutabile, debetur & pœna damni, ſcilicet carentia viſionis divinæ reſpondens averſioni, & pœna ſenſus reſpondens converſioni. Sed in peccato originali non eſt converſio, ſed ſola averſio, vel aliquid averſioni reſpondens, ſcilicet deſtitutio animæ à juſtitia originali. Et ideo peccato originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolum pœna damni, ſcilicet carentia viſionis divinæ.*

D.Thom.

Prima ratio.

Obiectiones.

Neque obeſt, ſi objicias: tum quod voluntas illorum puerorum non poteſt eſſe habitualiter averſa à Deo, niſi ſit ad alium finem habitualiter converſa: ergo falsò ſupponitur nullam dari in originali peccato converſionem. Eo præſertim quia concupiſcentia, quam nos diſput.16. dub.4. ad peccatum originale pertinere diximus, importat inclinationem ad bona ſenſibilia adeoque converſionem ad illa: jam ergo eſt ibi aliqua converſio. Tum etiam ſi objicias, quòd pueri illi puniuntur non ſolùm propter peccatum originale quod in ſe contrahunt, ſed etiam pro actuali quod in Adamo commiſerunt: nam etiam iſtud fuit verè eorum peccatum & demeritum: in prædicto autem peccato actuali non fuit ſola averſio, ſed etiam converſio ad pomum vetitum, vel ad propriam excellentiam: ergo &c. Tum denique quod juxta dicta diſp. præced. num.95. pœna ſenſus non debetur ſoli converſioni, ſed etiam averſioni: ergo etiam ſi hæc ſola detur in prædictis pueris, erit illis debita pœna ſenſus.

95 Diluuntur: Reſpondetur enim ad primum, quòd etiam ſi admitteremus in illis pueris aliquam converſionem habitualem vel ratione concupiſcentiæ, vel aliunde, ſecluſa tamen actuali, non ideo deberetur eis pœna ſenſus: quia hæc non correſpondet habituali converſioni ſecundùm ſe præcisè ſumptæ: ſed correſpondet converſioni actuali, vel habituali ut eidem actuali aſſociatæ & moraliter conjunctæ. Quæ ſolutio eſt D. Thomæ loco citat. de Mal. ubi ſic ait: *Pœna ſenſus nunquam debetur habituali diſpoſitioni: non enim aliquis punitur ex hoc quòd eſt habilis ad furandum, ſed ex hoc quòd actu furatur. Sed habituali privationi abſque omni actu debetur aliquod damnum; puta qui non habet ſcientiam litterarum, ex hoc ipſo indignus eſt promotione ad epiſcopalem dignitatem. In peccato autem originali invenitur quidem concupiſcentia per modum habitualis diſpoſitionis, quæ parvulum facit habilem ad concupiſcendum, ut Auguſt. dicit, adultum autem actu concupiſcentem: & ideo parvulo defuncto cum originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolùm pœna damni: quia ſcilicet non eſt idoneus perduci ad viſionem divinam propter privationem originalis juſtitiæ.*

S. Thom.

Deinde reſpondetur, converſionem habitualem in pueris repertam ſive ratione concupiſcentiæ ſive ratione inclinationis ad bonum proprium, non eſſe formaliter malam, neque pertinere ad peccatum originale pro formali, ſed ſolum pro materiali: pœna autem non debetur peccato ratione ejus quod de materiali tantùm importat; ſed ratione malitiæ & inordinationis quam dicit de formali. Vnde quando D. Thom. ait pœnam ſenſus deberi converſioni, intelligendus eſt de converſione importante prædictam malitiam, & non omnino de materiali ſe habente.

Ad ſecundum reſpondetur, peccatum actuale Adami fuiſſe quidem peccatum & demeritum poſterorum, non tamen adæquatè ſumptum, aut ſecundùm totum id quod in illo habuit: ſed inadæquate, quoad id præcisè ratione cujus fuit cauſa amiſſionis juſtitiæ originalis, & inductionis originalis culpæ: unde quia hoc munus cauſæ ſufficienter exercuit, ut erat averſio, præſcindendoque à ratione converſionis: idcirco ſolùm fuit peccatum puerorum quoad ipſam averſionem, & quoad munus ſeparandi à Deo: ac proinde ſolùm meruerunt per illud pœnam damni, quæ tali averſioni & ſeparationi correſpondet. ¶ Vel dicas, quod ſicut de malitia & culpa illius peccati Adami nihil tranſiit ad poſteros pertinens ad converſionem, ſed ſola privatio originalis juſtitiæ quæ ad averſionem pertinet, ita de ratione pœnæ illud ſolùm tranſire debuit, quod correſpondet averſioni: uti eſt pœna damni: non autem quod correſpondet converſioni, ſcilicet pœna ſenſus. Quamvis enim non ſolus Adamus, ſed etiam poſteri per illud peccatum demeruerint, hujuſmodi tamen demeritum ita fuit modificatum & attemperatum, ut in nullo ſuppoſito plus inferat de ratione pœnæ, quàm de ratione culpæ eidem ſuppoſito intulit. Quare reſpectu perſonæ Adami, ubi fuit culpa adæquatè tam ſecundùm averſionem quàm ſecundùm converſionem, demeritum exigebat utramque pœnam damni & ſenſus: reſpectu verò poſteriorum, ad quos nihil de converſione, ſed ſola averſio tranſivit, ſolùm exigit pœnam damni. 96

Ad tertium reſpondetur, averſionem repertam in peccato perſonali non eſſe puram averſionem, ſed ſemper habere aliquid converſionis ſaltem interpretativæ: quia eſt voluntaria per actum propriæ voluntatis: & quod ita eſt voluntarium, quamvis ſit averſio, participat & retinet aliquid converſionis & ratione huius partis ipii debetur illi pœna ſenſus. Averſio autem in pueris reperta, cum non fuerit inducta per actum propriæ voluntatis, nihil habet de ratione converſionis, quod ſit formaliter malitia. Non enim peccatum Adami tranſmiſit in eos totum, quod in ſe habuit, aut totum id, ſine quo in Adamo eſſe non potuit; ſed illud præcisè quod ad averſionem pertinet.

Secunda ratio D. Thomæ habetur in 2. ad Hannibald. diſtinct. 33. artic.4. Pro cuius intelligentia nota, hoc eſſe diſcrimen inter peccatum originale, & perſonalia, quòd hæc, eo quòd per proprium actum commiſſa ſunt, priùs pertinent ad perſonam, cuius eſt ille actus, quàm ad naturam: & quamvis iſtam etiam inficiant, ſolùm inficiunt ratione perſonæ. Illud verò, quia non voluntate propria, ſed voluntate capitis naturæ commiſſum eſt, priùs pertinet ad ipſam naturam, 97 Secunda ratio ex D.Thom.

Digitized by Google

naturam, quàm ad perſonam (non loquitur de perſona Adami, ſed de ejus poſteris:) neque aliter perſonam tangeret, aut eam inficeret, niſi quia ad ipſam tranſit natura prædicto peccato tacta & infecta. Unde quia pœna ſequitur conditionem culpæ, ſicut pœna peccato perſonali correſpondens eſt paſſio & afflictio propria ipſius perſonæ, quamvis à perſona redundet etiam in naturam: ita pœna correſpondens peccato originali debet eſſe illa, quæ per ſe conſequitur naturam infectam, ſeu quæ ex naturæ infectione poteſt ad perſonam deſcendere & in eam refundi.

D. Thom. Hinc ſumit rationem D. Thomas, quam ſic proponit: *In his qui ex Adam naſcuntur, infectio originalis peccati pertinet ad perſonam ex infectione naturæ: unde & perſonæ pro tali peccato pœna non debetur, niſi talis quæ pertinet ad conditionem naturæ ſibi relictæ. Pertinet autem ad naturam relictam ſibi, ut divina viſione careat, ad quam conſequendam deficit omnis facultas naturæ creatæ. Pertinet etiam ad naturam humanam ſibi relictam mors & pœnalitates vitæ præſentis, quæ ex principiis naturæ proveniunt. Sed pœna ſenſibilis in anima ſeparata non pertinet ad conditionem naturæ: unde tali pœna pueri ſine baptiſmo decedentes non puniuntur, ſed ſola carentia viſionis divinæ.*

Objectio. Nec refert; ſi dicas, quod viſio beatifica directius pertinet ad perſonam, quàm ad naturam: ergo idem dicendum eſt de ejus privatione.

Diluitur. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: nam actiones directè ſunt ſuppoſitorum, & ideo viſio beatifica cum ſit actio, directè debet pertinere ad perſonam. At verò ejus privatio ſolum eſt quidam defectus, qui ſufficienter inducitur ex defectu gratiæ, etiam ſine aliqua operatione: & ideo ad illud principium directè pertinere debet, ratione cujus defuit ipſa gratia: hæc autem in pueris habentibus peccatum originale, non deficit privativè ratione perſonæ, ſed ratione naturæ, quam ex Adamo accipiunt; quamque niſi acciperent, non illa privati naſcerentur. ¶ Aliam objectionem, quæ contra hanc ſecundam rationem militare videtur, proponemus, & diluemus §. 3.

§. II.

Poſterior dubii pars expeditur.

98 Dicendum eſt ſecundò, pueros cum originali decedentes nullâ affici triſtitia ob carentiam beatificæ viſionis: ac proinde neque ex iſto capite fore dolore aliquo puniendos. Hanc concluſionem dicit Vazq. diſp. 134. cap. 3. eſſe communem Scholaſticorum. Et refert pro ea Magiſtrum in 2. diſt. 33. Bonaventur. Richard. Scot. Durand. Gabriel Marſil. & alios. Eamque ſaltem ut probabiliorem tuentur fere omnes expoſitores D. Thomæ hac 1. 2. ubi Curiel, Zumel, Greg. Mart. Lorca, Monteſ. Salas, Granad. & plures alii. Eſt autem expreſſa ſententia D. Thomæ in 2. ubi ſupra, & quæſt. 5. de Mal. art. 3. unde duas deſumemus rationes: & prima proponi poteſt ſub hac forma. Pueri decedentes in peccato originali non cognoſcunt, ſe eſſe privatos beatifica viſione; ſicut neque cognoſcunt, hujuſmodi viſionem aliquando ſibi fuiſſe debitam: ergo non dolebunt de tali privatione.

Vazq. Magiſter. Bonavent. Richard. Scotus. Durand. Gabriel. Marſil. Curiel. Zumel. Greg. Mart. Lorca. Monteſ. Salas. Granad. D. Thom.

Conſequentia eſt perſpicua: nullus enim dolet de malo ſibi ignoto, ſicut neque lætari poteſt de bono, quod ignorat. Antecedens verò probatur: nam pueri illi non habebunt cognitionem, quæ ultra naturalia ſe extendat, aut ad ea quæ ſunt fidei, uti eſt prædicta viſio & ejus debitum, inveſtiganda pertingat: ſiquidem neque in hac vita ſimilem cognitionem, aut lumen ad illam acceperunt, neque in futura hujuſmodi lumen aut aliquid præter naturalia accipient: carebunt igitur prædicta cognitione. Prima ratio.

Dices, ſufficere ad habendam notitiam illius veritatis naturale lumen aliquibus ſignis & eventibus excitatum: ſicut dæmones & hæretici etiamſi fide & quolibet ſupernaturali lumine careant, naturali cognitione per prædicta ſigna aſſequuntur multa de iis quæ aliàs ad fidem pertinent: ut quod Chriſtus ſit filius Dei, quod venerit ad redimendos homines, quod mortuus fuerit, & reſurrexerit, &c. Porrò prædictis pueris non defutura ſigna, per quæ in notitiam illius veritatis deveniant; ex eo conſtat, quia aſſiſtent cum cæteris judicio univerſali, audientque ibi, Chriſtum eſſe hominum Redemptorem, & pro omnibus mortuum fuiſſe, ut à peccatis tam originali quàm perſonalibus ſolverentur, & vitam æternam in Dei viſione conſiſtentem conſequerentur: atque etiam videbunt, multos de facto ad ejus fruitionem aſſumi; plures, verò unà cum ipſis pueris inde relegari. Quia & alia ibi futura ſufficienter excitabunt ipſorum puerorum cognitionem, ut deducant, ſe eſſe de numero illorum, qui in Adamo peccaverunt, & qui ob tale peccatum beatitudinem amiſerunt. Evaſio.

Reſpondetur, nullum horum ſignorum, prout à pueris viſum erit, excitaturum ſufficienter eorum intellectum, ut deveniant in notitiam ſuæ pœnæ damni. Quia ut docet D. Thomas in 4. diſt. 47. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad primum, non aſſiſtent in judicio, ut de ſuo peccato judicentur, ſed ut videant gloriam judicis: & ita ex hoc capite non habetur, eos cognoſcituros ſuum peccatum, aut ſuam damnationem. Neque ex eo quod audiant, Chriſtum veniſſe ad ſalvandos homines qui peccaverunt, ſatis colligent, ſe eſſe de tali numero: quia neque tunc neque antea id eis aliquis manifeſtabit, aut indicabit. Neque id cognoſcent ex eo, quod videant, aliquos ad beatitudinem aſſumi; ſe verò cum aliis extra relinqui: quia non diſcernent, an ſibi negetur ut beneficium indebitum, & nullibi promiſſum; vel tanquam aliquando promiſſum & debitum: & conſequenter an illa excluſio à beatitudine ſit privatio & pœna, vel ſolùm negatio non habens rationem mali. Et quamvis admitteremus, prædicta ſigna ſufficientia eſſe ad excitandam in intellectu illorum puerorum aliquam notitiam ſuæ pœnæ damni: non tamen illa eſſet certa & probabilis, ſed ad ſummum ſub dubio vel ſuſpicione: quia in viris cordatis, uti erunt parvuli illi, non ſufficit ad movendam voluntatem, neque ad gaudium, neque ad triſtitiam: præſertim ſi admittendus ſit recurſus ad ſpecialem Dei providentiam, juxta id quod dicemus num. 102. 99 Præcluditur. D. Thom.

Neque eſt ſimile de hæreticis: nam iſti audierunt illa myſteria à viris fide dignis: & ita quamvis abjecerint fidem divinam, poſſunt tamen

Digitized by Google

men illa credere fide humana, moverique ex hac credulitate ad aliquid agendum vel omittendum. Dæmones etiam ex multis capitibus notitiam prædictorum myſteriorum aſſequuti ſunt: nam ſciunt, ea inter homines vulgari ut vera & à Deo revelata: videntque multa ſigna pro eorum confirmatione à Deo patrari; quorum evidentia coguntur vel inviti credere ita eſſe, ut fideles ſponte credunt, & loquuntur. Quæ omnia locum non habent in pueris illis, qui nihil de ſua damnatione aut de ejus cauſa ab aliquo audierunt.

100 *Idem.* Hæc prima ratio facilè aſſertionem perſuadet: videbitur tamen minùs probanda diſcipulis D. Thomæ: quia ipſe A. Doctor in 2. cit. diſt. 33. quæſt. 2. art. 2. adducit illam, & impugnat his verbis: *Quidam dicunt, quod pueri nullum dolorem ſuſtinebunt, quia in eis adeo ratio obtenebrata erit, ut non cognoſcant, ſe amiſiſſe quod amiſerunt. Quod probabile non videtur, ut anima ab onere corporis abſoluta ea non cognoſcat, quæ ſaltem ratione inveſtigari poſſint, & etiam multò plura.*

Sed quamvis D. Thomas hoc in loco ita ſenſerit de prædicta ratione, poſteà tamen Quæſt. 5. de Mal. art. 3. amplectitur illam magis explicatam: ita ut nec negetur pueris illis naturalis cognitio, quæ animæ ſeparatæ debetur, ut quidam negabant; nec concedatur alia major pertinens ad fidem, aut ad ea quæ ſunt fidei, uti eſt viſio beatifica & ejus privatio, ſe extendens. *Idem.* Unde ſic ait. *Poſſumus tamen utrumque conjungentes, mediam viam tenere, ut dicamus, quod animæ puerorum naturali quidem cognitione non carent, qualis debetur animæ rationali ſeparatæ ſecundum ſuam naturam; ſed carent ſupernaturali cognitione, quæ hic in nobis per fidem plantatur: eo quod nec hic fidem habuerunt in actu, nec ſacramentum fidei ſuſceperunt. Pertinet autem ad naturalem cognitionem, quod anima ſciat, ſe propter beatitudinem creatam, & quod beatitudo conſiſtit in adeptione perfecti boni: ſed quod illud bonum perfectum, ad quod homo factus eſt, ſit illa gloria quam Sancti poſſident, eſt ſupra cognitionem naturalem. Unde Apoſt. dicit prima ad Corinth. ſecundo, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Et poſtea ſubdit: Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. Quæ quidem revelatio ad fidem pertinet. Et ideo ſe privari tali bono animæ puerorum non cognoſcunt. Et propter hoc non dolent, ſed hoc quod per naturam habent, abſque dolore poſſident.* Juxta hunc ergo locum D. Thomæ, qui ſine dubio poſterior eſt, quilibet ejus diſcipulus poteſt ſecurè prædictam rationem tueri.

101 *Secunda ratio. D. Thom.* Secunda ratio habetur diſt. cit. ubi conceſſa adhuc parvulis illis ſuæ pœnæ cognitione, probat D. Thomas, non propterea debere de illa contriſtari. *Sciendum ergo* (inquit) *quod ex hoc quod caret aliquis eo, quod ſuam proportionem excedit, non affligitur, ſi ſit rectæ rationis: ſed tantùm ex hoc quod caret eo, ad quod, aliquo modo proportionatus fuit: ſicut nullus ſapiens homo affligitur de hoc, quod non poſſit volare ſicut avis, vel quia non eſt Rex vel Imperator, cum ſibi non ſit debitum. Affligeretur autem, ſi privetur eo ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit. Dico ergo, quod omnis homo uſum liberi arbitrii habens, proportionatus eſt ad vitam æternam conſequendam, quia poteſt ſe ad gratiam præparare, per quam vitam æternam merebitur: & ideo ſi ab hoc deficiant, maximus erit dolor eis; quia amittunt illud quod ſuum eſſe poſſibile fuit. Pueri autem nunquam fuerunt proportionati ad hoc, quod vitam æternam haberent, quia neque eis debebatur ex principiis naturæ, cum omnem facultatem naturæ excedat, nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum conſequerentur: & ideo nihil omnino dolebunt de carentia viſionis divinæ: imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate & perfectionibus naturalibus. Nec poteſt dici, quod fuerunt proportionati ad vitam æternam conſequendam, quamvis non per actionem ſuam, tamen per actionem aliorum circa eos, quia potuerunt ab aliis baptizari: ſicut & multi pueri ejuſdem conditionis baptizati vitam æternam conſequuti ſunt. Hoc enim eſt ſuperexcedentis gratiæ, ut aliquis ſine actu proprio præmietur: unde defectus talis gratiæ non magis triſtitiam cauſat in pueris decedentibus non baptizatis, quàm in ſapientibus, hoc quod eis multæ gratiæ non fiunt, quæ in aliis ſimilibus factæ ſunt.*

Nec refert, ſi dicas, prædictos pueros habuiſſe in Adamo proportionem ad beatitudinem, dum in eo promiſſa eis fuit originalis juſtitia: ergo ſaltem dolebunt quod juſtitiam illam & proportionem amiſerint. 102 *Replica.*

Reſpondetur enim, ſapientes qui à paſſionibus non moventur, ſed ſola ratione ducuntur, *Enervatur.* cujuſmodi erunt pueri illi, non dolere de amiſſione vel non adeptione bonorum, quæ ſibi gratis promiſſa ſunt, quando per ipſos non ſtat, quo minùs ea recipiant: reputant enim illa, ac ſi promiſſa ſibi non fuiſſent. Et quia hoc pacto conſiderant prædicti parvuli proportionem illam vel juſtitiam originalem, quæ ipſis in Adamo promiſſa fuit, non magis eam non accepiſſe dolent, quàm ſi promiſſa non fuiſſet.

¶ Adde ex D. Thom. eodem loco ex diſt. 33. in *D. Thom.* ſecundo argumento, *Sed contra*, ubi ſic ait: *Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipſo non fuit ut vitaretur: propter quod Seneca probat, quod perturbatio in ſapientem non cadit: ſed in pueris eſt ratio recta nullo actuali peccato obliquata: ergo non turbabuntur de hoc, quod talem pœnam ſuſtinent, quam vitare nullo modo potuerunt.* Addunt verò & aliqui (ut faciliùs objectionibus ex hac ſecunda ratione emergentibus aditum præcludant) prædictam rationem non eſſe accipiendam omnino nudè, ſed cum recurſu ad aliquam ſpecialem Dei providentiam ut dicamus, notitiam beatitudinis amiſſæ in illis pueris ſaltem non habere magnam vim ad excitandum dolorem in voluntate propter eorum improportionem & alia, quæ tangit prædicta ratio. Si quæ verò vel modica vis prædictæ notitiæ remaneat, quæ quantum eſt ex ſe, aliquem dolorem excitare poſſet, temperabitur & impedietur, ne de facto in illum prorumpat, à divina providentia ita diſponente de illis parvulis: ut quia propria & perſonali voluntate nihil deliquerunt, nihil doloris ejuſdem voluntatis ſuſtineant. Præſertim cum talis dolor neque illis fructuoſus eſſe poſſit, neque ad oſtenſionem vel reparationem juſtitiæ neceſſarius videatur.

§. III.

§. III.

Duplex ſententia oppoſita : & argumenta utriuſque.

103 *Gregorius. Driedo. Greg. Mart. Primum argumentum.* Contra primam aſſertionem negantem illis pueris pœnam ſenſus tenuiſſe videntur Gregorius in 2. diſt. 30. & 31. Driedo lib. 1. de grat. & lib. arbit. tract. 3. cap. 2. & alii quos refert Greg. Mart. ubi ſupra dub. 1. Probatur : nam parvuli cum originali decedentes, aſſiſtent in univerſali judicio, & collocabuntur non quidem à dextris judicis, cum non ſint de numero ſalvandorum, ſed à ſiniſtris : atque adeo comprehendet eos illa ſententia *Matth. 25.* Matth. 25. *Tum dicet & his qui à ſiniſtris erunt : Diſcedite à me maledictis in ignem æternum*, &c. ſed pœna ignis eſt pœna ſenſus : ergo cruciabuntur hac pœna.

Confirmatio. Confirmatur : nam SS. Patres multoties aſſerunt, parvulos illos puniendos fore æterno ſupplicio, gehenna, tormento, cruciatu, & hujuſmodi : ſed hæc pertinent ad pœnam ſenſus : ergo, &c.

Solutio. Reſpondetur, illam ſententiam univerſalis judicii non eſſe dirigendam ad omnes, qui à ſiniſtris judicis, ſed ſolum ad adultos : non enim ad parvulos ſpectare poteſt cauſa, quæ ibi redditur : *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare : ſitivi, & non dediſtis mihi potum*, &c.

D. Thom. Ad confirmationem reſpondet D. Thomas quæſt. 5. de Mal. art. 2. ad primum. *Dicendum, quod nomen tormenti, gehennæ, ſupplicii, & cruciatus, vel ſi quid ſimile in dictis Sanctorum invenatur, eſt large accipiendum pro pœna, ut ponatur ſpecies pro genere. Ideo autem tali modo loquendi uſi ſunt, ut deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, qui aſſerebant, in parvulis nullum peccatum eſſe, nec eis aliquam pœnam deberi.*

104 *Argumentũ ſecundum.* Secundò probatur : nam peccato originali in hac vita correſpondent multæ pœnæ ſenſus : mors enim, infirmitas, & cæteri corporales defectus omnia ſunt pœnæ prædicti peccati, *D. Thom.* juxta doctrinam D. Thomæ ſupra quæſt. 85. art. 5. ergo etiam in futura vita punientur ſimili pœna : quandoquidem non mitius ibi peccata punientur, ubi non erit remiſſioni locus, quàm puniuntur in præſenti, ubi eſt locus miſericordiæ. ¶ Et confirmatur : nam corpora illorum puerorum non erunt impaſſibilia, cum non habeant dotem impaſſibilitatis : ſicut erunt corpora glorioſa propter prædictam dotem : ergo patientur ſicut modò à corporalibus.

Idem. Reſpondet D. Thomas in 2. diſt. 33. cit. q. 2. art. 1. ad 3. *Dicendum, quod non eſt eadem ratio de pœna ſenſibili ante mortem, & poſt mortem, quia ante mortem pœna ſenſibilis conſequitur virtutem naturæ agentis, ſive ſit pœna ſenſibilis interior, ut febris, & aliquid hujuſmodi, ſive etiam ſenſibilis pœna exterior, ut uſtio & aliquid hujuſmodi : ſed poſt mortem nihil aget virtute naturæ : ſed ſecundùm juſtitiæ divinæ ordinem tantum, ſive in animam ſeparatam, in quam conſtat, quod ignis naturaliter agere non poteſt, ſive etiam in corpus poſt reſurrectionem, quia tunc omnis actio naturalis ceſſabit ceſſante motu primi mobilis, qui eſt cauſa omnis motus & alterationis corporalis.*

105 *Idem.* Secundò reſpondetur, vel magis eadem ſolutio explicatur ex eodem D. Thom. quæſt. 5. de Mal. art. 4. ubi obſervat, quod duplex eſt pœna : alia, quam judex pro peccato determinat : & hanc appellat Ang. Doctor *pœnam taxatam* : alia verò, quæ ad hanc pœnam ex natura rei conſequitur : & hanc vocat *pœnam concomitantem* : ut ſi judex determinet, quod alicui in pœnam ſui peccati eruantur oculi, cæcitas eſt pœna taxata, paupertas verò & aliæ calamitates quæ in cæco conſequuntur ; pertinent ad pœnam concomitantem. Hujuſmodi autem pœna concomitans tunc ſolum habet locum, quando ex ipſâ pœna taxata ex natura rei ſequitur : quando verò ſuaptè natura ex ea non ſequitur, locum non habet. Pro peccato ergo originali pœna taxata in hac vita ſolum eſt privatio juſtitiæ originalis ; mors verò & alii corporales defectus tantum habent rationem pœnæ concomitantis in hoc ſtatu, ubi ex conditione naturæ humanæ deſtitutæ originali juſtitia, ſibique relictæ conſequuntur ; in futuro autem non conſequentur ex vi ejuſdem naturæ ; & ita ceſſabunt : ut magis oſtendent verba D. Thomæ, quæ jam ſubjungimus.

Ad confirmationem reſpondet S. Doctor loco cit. ex 2. ſent. in ſolut. ad 5. his verbis : *Idem.* *Dicendum, quod corpora puerorum non erunt impaſſibilia ex defectu potentiæ ad patiendum in ipſis, ſed ex defectu exterius agentis in ipſa, quia poſt reſurrectionem nullum corpus erit agens in alterum, præcipuè ad corruptionem inducendam per actionem naturæ, ſed erit actio tantum ad puniendum ex ordine divinæ juſtitiæ ; unde illa corpora pœnam non patientur, quibus pœna ſenſibilis ex divina juſtitia non debetur. Corpora autem Sanctorum erunt impaſſibilia, quia deficiet in eis potentia ad patiendum, & ideo impaſſibilitas erit in eis dos, non autem in pueris.*

Tertiò arguitur : quia animæ illorum puerorum manebunt detentæ & ligatæ in limbo, ut nunquam inde exeant : ſed talis alligatio eſt pœna ſenſus, juxta dicta dub. præcedent. ergo, &c. 106 *Argumentũ tertium.*

Confirmatur, nam ſaltem poſt corporum reſurrectionem nequibit non eſſe valde pœnalis commoratio in illo loco ſubterraneo & obſcuro, ubi nihil videre poterunt : conſtat autem, totum hoc ad pœnam ſenſus pertinere : ergo ſaltem poſt diem judicii non omnino effugient iſtam pœnam. *Cõfirmatio.*

Reſpondetur ad argumentum, animas illas non detineri in limbo quaſi ligatas ; quia non ſunt ſubjectæ alicui corpori vel ab eo depreſſæ, neque violenter ad aliquid neceſſitatæ : ſed conſtituuntur ibi per ſolam præſentiam & aſſiſtentiam, quam Deus illis communicat, ut expectent illic ſua corpora : in quo nulla adeſt aut diſconvenientia ex parte loci, aut ex parte earum repugnantia. Nam neque tales animæ alibi eſſe appetunt : neque à loco illo ubi ſunt, aliquam depreſſionem vel ſubjectionem patiuntur : neque ab aliqua operatione aut intellectione eis debita, aut ab ipſis volita impediuntur ; ſicut neque ad aliquid nolitum applicantur. Atque ita nihil in eis fit contra earum inclinationem neque ex parte ſubſtantiæ, neque ex parte potentiarum. Unde quia pœna ſenſus reſpectu ſubſtantiæ ſpiritualis non eſt nuda præſentia in loco, ſed ut aſſociata depreſſione, ſubjectione, & violentia, quas diximus : ut magis explicuimus numero 82. non *Solutio argumenti.*

ſequitur,

ſequitur, dari ex iſto capite in prædictis animabus talem pœnam.

107 Solutio cōfirmationis. Ad confirmationem reſpondetur, non eſſe omnino certum an pueri illi poſt corporum reſurrectionem manſuri ſint in eodem limbi loco, vel ad alium nobiliorem tranſituri: non enim deſunt qui putent, habitaturos ſuper faciem terræ in hoc externo orbe: ſed quia nec modum iſtum dicendi (qui tribuitur Catharino & aliquibus aliis) etiam ut ſatis probabilem admittere audemus: nec præſentis loci eſt rem hanc examinare: admiſſo prædictos pueros in loco illo ſub tenebris manſuros, dicendum eſt, non hoc fore illis pœnale, quia non debetur eis nobilior locus, neque attenta diſpoſitione univerſi, & ordine quem ex tunc elementa ſervabunt, cooperiente aqua univerſam ſuperficiem terræ, erit naturaliter poſſibilis. Quo ſuppoſito, & quòd in illo loco nulla lux ſit, non appetent videre aliquid, ſicut neque appetent guſtare aut olfacere: quia naturaliter non erunt ibi objecta horum ſenſuum, aut ſaltem non erunt in diſpoſitione, ut poſſint ab eis percipi: & ita non erit eis pœnale carere operationibus prædictorum ſenſuum: quia eorum voluntas naturali rerum ordini in omnibus conformabitur.

Secunda ſententia oppoſita ſecundæ aſſertioni tenet, prædictos pueros habituros aliquam triſtitiam de amiſſione ſuæ beatitudinis: quæ triſtitia pertinet ad ipſam pœnam damni. *Abulenſ. Soto.* Ita Abulenſ. ſuper cap. 25. Matth. quæſt. 666. & quæſt. 671. Soto lib. 1. de nat. & grat. cap. 14. quod etiam probabile reputant Curiel, & alii ex his, quos pro noſtra ſententia adduximus. Argumenta autem, quibus hæc fulciri poſſet, ſoluta manent ex utraque ratione D. Thomæ, quam §. præced. adduximus.

ARTICULUS VI.

Vtrùm reatus pœnæ remaneat poſt peccatum?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quòd reatus pœnæ non remaneat poſt peccatum. Remota enim cauſa, removetur effectus: ſed peccatum eſt cauſa reatus pœnæ: ergo remoto peccato ceſſat reatus pœnæ.

2. Præt. Peccatum removetur per hoc quòd homo ad virtutem redit: ſed virtuoſo non debetur pœna, ſed magis præmium: ergo remoto peccato, non remanet reatus pœnæ.

3. Præt. Pœnæ ſunt medicinæ, ut dicitur in 2. Ethic. ſed poſtquàm aliquis jam eſt ab infirmitate curatus, non adhibetur ſibi medicina: ergo remoto peccato, non remanet debitum pœnæ.

Sed contra eſt, quod dicitur 2. Reg. 12. quòd David dixit ad Nathan: Peccavi Domino: dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris. Veruntamen quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, filius qui natus eſt tibi, morte morietur. Punitur ergo aliquis à Deo, etiam poſtquàm ei peccatum dimittitur, & ſic reatus pœnæ remanet peccato remoto.

Reſpon. Dicendum, quòd in peccato duo poſſūt cōſiderari, ſcilicet actus culpæ, & macula ſequens. Planum eſt autē, quòd ceſſante actu peccati, remanet reatus in omnibus peccatis actualibus. Actus enim peccati facit hominem reū pœnæ, in quantum tranſgreditur ordinem divinæ juſtitiæ, ad quem non redit niſi per quandam recompenſationē pœnæ, quæ ad æqualitatē juſtitiæ reducit, ut ſcilicet qui plus volūtati ſuæ indulſit, quàm debuit, contra mandatum Dei agens, ſecundùm ordinē divinæ juſtitiæ aliquid contra illud quod vellet, ſpontaneus, vel invitus patiatur: quod etiam in injuriis hominibus factis obſervatur, ut per recompenſationē pœnæ reintegretur æqualitas juſtitiæ: unde patet, quòd ceſſante actu peccati, vel injuriæ illatæ, adhuc remanet debitū pœnæ. Sed ſi loquamur de ablatione peccati, quantùm ad maculam, ſic manifeſtum eſt, quod macula peccati ab anima auferri nō poteſt, niſi per hoc quòd anima Deo conjungitur per cujus diſtantiam detrimentum proprii nitoris incurrebat, quod eſt macula, ut ſupra dictum eſt. Conjungitur autem Deo homo per voluntatem. Unde macula peccati ab homine tolli non poteſt, niſi voluntas hominis ordinem divinæ juſtitiæ acceptet, ut ſcilicet, vel ipſe ſibi pœnam ſpontaneus aſſumat in recompenſationem culpæ præteritæ, vel etiam à Deo illatam patienter ſuſtineat; utroque enim modo pœna rationem ſatisfactionis habet. Pœna autem ſatisfactoria diminuit aliquid de ratione pœnæ: eſt enim de ratione pœnæ quod ſit contra voluntatem. Pœna autem ſatisfactoria & ſi ſecundùm abſolutam conſiderationem ſit contra voluntatem, non tamen ut nunc, & per hoc eſt voluntaria; unde ſimpliciter eſt voluntaria, ſecundùm quid autem involuntaria: ſicut patet ex his quæ ſupra de voluntario & involuntario dicta ſunt. Dicendū eſt ergo, quod remota macula culpæ, poteſt quidem remanere reatus non pœnæ ſimpliciter, ſed ſatisfactoriæ.

Ad primum ergo dicendū, quod ſicut ceſſante actu peccati remanet macula, ut ſupra dictum eſt, ita etiā poteſt remanere reatus: ceſſante vero macula, non remanet

remanet reatus ſecundùm eandem rationem, ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd virtuoſo non debetur pœna ſimpliciter, poteſt tamen ſibi deberi pœna, ut ſatisfactoria: quia hoc ipſum ad virtutem pertinet, ut ſatisfaciat pro his, in quibus offendit vel Deum, vel hominem.

Ad tertium dicendum, quòd remota macula ſanatum eſt vulnus peccati quantùm ad voluntatem. Requiritur autem adhuc pœna ad ſanationem aliarum virtutum animæ, quæ per peccatum præcedens deordinatæ fuerunt, ut ſcilicet per contaria curentur. Requiritur etiam ad reſtituendum æqualitatem juſtitiæ; & ad amovendum ſcandalum aliorum, ut ædificentur in pœna, qui ſunt ſcandalizati culpa, ut patet exemplo de David inducto.

Conclusio.

Remota culpa, poteſt remanere reatus, non pœna ſimpliciter, ſed ſatisfactoria.

Appellat D. Thomas pœnam ſatisfactoriam illam, quæ manet poſt culpam remiſſam, eo quòd libere & ex charitate aſſumitur, vel ſaltem acceptatur à pœnitente: nam hinc habet, ut Deus acceptet illam in ſatisfactionem ut opus ſibi gratum & acceptabile. E contra verò pœnæ quas damnati & peccatores patiuntur, ſicut Deo gratæ non ſunt: *Opera enim iniquorum non probat altiſſimus*: ita neque ab eo acceptantur, neque apud illum habent vim ſatisfaciendi. Eccl. 34.

Condiſtinguit verò D. Thomas pœnam ſatisfactoriam a pœna ſimpliciter dicta, quaſi illa non ſit pœna ſimpliciter: cum tamen ex alia parte non videatur negandum, quòd pœnæ ſatisfactoriæ ſint ſimpliciter tales. Illæ enim, quas animæ in purgatorio patiuntur, verè ſunt ſatisfactoriæ; & tamen nemo dubitat appellare illas ſimpliciter pœnas. ¶ Reſpondetur, ex duplici capite poſſe diſtingui pœnam ſatisfactoriam à pœna non ſatisfactoria ſeu ſimpliciter dicta. Primò ita ut ly *ſatisfactoria* non ſit additum diminuens pœnam, ſed potiùs elevans ad aliquid præſtantius, quod eſt ſatisfacere: ly verò *ſimpliciter* reſtringit ad rationem pœnæ tantùm; ut ſit ſenſus, quòd pœnæ non ſatisfactoriæ nihil habent ultra rationem pœnæ, ſeu præter id quod nomen pœnæ exprimit: ob idque dicuntur *pœnæ ſimpliciter*, quia ſunt pœnæ dumtaxat; ſatisfactoriæ verò non ſiſtunt in ratione pœnæ; ſed ultra hoc important munus ſatisfaciendi: quod eſt quædam pœnæ excellentia, juxta quam intelligentiam nihil prohibet, quòd ipſa pœna ſatisfactoria in communi uſu loquendi dicatur *pœna ſimpliciter*: quia adverbium hoc *ſimpliciter* juxta communem uſum non tam denotat aliquid reſtringens, quàm excluſionem additi diminuentis. Quemadmodum cum inter ſacerdotes, qui præcisè habent munus ſacerdotale; & alios qui ultra hoc habent etiam munus epiſcopale vel confeſſariorum, diſtinguere volumus, illos priores vocamus *ſacerdotes ſimplices*, ſeu ſimpliciter ſacerdotes, nullo alio ſuperaddito; poſterioribus verò addimus aliquid denotans eorum præſtantiam & excellentiam.

Secundò poteſt accipi prædicta diſtantia, ita ut ly *ſatisfactoria* ſit additum diminuens: quaſi pœna ſatisfactoria minus habeat de ratione pœnæ, quàm non ſatisfactoria. Et hic ſenſus magis congruit literæ articuli, ubi dicitur, quòd pœna ſatisfactoria eo quòd eſt voluntaria diminuit aliquid de ratione pœnæ. Cum enim pœna ex ſe, & ex eo quòd eſt malum patientis, poſtulet eſſe contra voluntatem, juxta dicta diſp. 17. num. 25. eò minùs habebit de ratione mali & pœnæ, quò voluntas minus ei reſiſtit: minus autem reſiſtit pœnæ ſatisfactoriæ, cui non reſiſtit actu, ſed tantùm in potentia; actu verò acceptat illam; quàm pœnæ non ſatisfactoriæ, quam nullo modo acceptat. Minus ergo illa, quàm hæc habet de ratione mali & de ratione pœnæ. Atque adeo quoties inter eas fit collatio, non prima; ſed ſecunda dicenda eſt pœna ſimpliciter & abſque addito. ¶ Diximus *dum inter eas fit collatio*, &c. quia dum pœna ſatisfactoria per ſe accipitur, non facta comparatione ad aliam, abſolutè & ſine addito, adeoque ſimpliciter dicenda eſt pœna. Et ita accipimus illas, quas juſti in purgatorio vel in hac vita patiuntur, cum eis ſimpliciter nomen pœnæ tribuimus: ſicut & multa, quæ in comparatione ad alia præſtantiora non dicuntur talia ſimpliciter & ſine addito, vocantur ita, cum per ſe & abſolutè ſumuntur.

Ex ſolutione ad ſecundum hujus articuli habes pro iis, quæ diſp. 17. dub. 1. dicta ſunt, aliud caput, unde ille cui remiſſa eſt mortalis culpa, poſſit denominari intrinſecè reus *pœnæ temporalis*: nimirum ipſa virtus juſtitiæ ſeu pœnitentiæ, quæ infunditur cum gratia, & obligat ad ſolvendam talem pœnam. Hujuſmodi verò reatus non ad demeritum, ſed ad juſtitiam pertinet, juxta dicta ibidem num. 10.

ARTICULUS VII.

Utrum omnis pœna ſit propter aliquam culpam?

Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur quòd non omnis pœna ſit propter aliquam culpam. Dicitur enim Joan. 9. de cæco nato: Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut naſceretur cæcus. Et ſimiliter videmus, quòd multi pueri, etiam baptizati graves pœnas patiuntur, ut puta febres, dæmonum oppreſſiones, & multa hujuſmodi, cum tamen in eis non ſit peccatum, poſtquam ſunt baptizati: & antequàm ſint baptizati, non eſt in eis plus de peccato, quàm in aliis pueris, qui hæc non patiuntur: non ergo omnis pœna pro peccato eſt.

2. Præt. Ejuſdem rationis eſſe videtur, quòd peccatores proſperentur, & quòd aliqui innocentes puniantur: utrumque

Digitized by Google

que autem in rebus humanis frequẽter invenimus. Dicitur enim de iniquis in Pſal. 72. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Et Iob 21. Impii vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitiis. Et Abacuc. 1. dicitur. Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio juſtiorem ſe? non ergo omnis pœna infligitur pro culpa.

3. Præt. De Chriſto dicitur 1. Pet. 2. quòd peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus: & tamen ibidem dicitur, quòd paſſus eſt pro nobis: ergo non ſemper pœna à Deo diſpenſatur pro culpa.

Sed contra eſt, quod dicitur Iob 4. Quis unquam innocens periit, aut quãdo recti deleti ſunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, flante Deo, periiſſe. Et Auguſt dicit in 1. Retractationum, quòd omnis pœna juſta eſt, & pro peccato aliquo impenditur.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut jam dictum eſt, pœna poteſt dupliciter conſiderari, ſimpliciter, & in quantum ſatisfactoria. Pœna quidem ſatisfactoria eſt quodammodò voluntaria: & quia contingit eos, qui differunt in reatu pœnæ eſſe unum ſecundùm voluntatem unione amoris, inde eſt quod interdum aliquis qui non peccavit, pœnam voluntarius pro alio portat: ſicut etiam in rebus humanis videmus, quod aliquis in ſe transfert alterius debitum. Si verò loquamur de pœna ſimpliciter, ſecundũ quod habet rationem pœnæ, ſic ſemper habet ordinem ad culpam propriã: ſed quandoque quidem ad culpam actualẽ, puta, quando aliquis vel à Deo, vel ab homine pro peccato cõmiſſo punitur; quandoque verò ad culpam originalẽ, & hoc quidem vel principaliter vel cõſequenter. Principaliter quidem pœna originalis peccati eſt, quod natura humana ſibi relinquitur deſtituta auxilio originalis juſtitiæ: ſed ad hoc conſequũtur omnes pœnalitates, quæ ex defectu naturæ hominibus contingunt.

Sciendum tamen eſt, quòd quandoque aliquid videtur eſſe pœnale, quod tamen non habet ſimpliciter rationem pœnæ. Pœna enim eſt ſpecies mali, ut in 1. dictum eſt: malum autem eſt privatio boni. Cũ autem ſint plura hominis bona ſcilicet animæ, corporis, & exteriorum rerum, contingit interdum quod homo patiatur detrimentum in minori bono, ut augeatur in majori: ſicut cum patitur detrimentum pecuniæ propter ſanitatẽ corporis, vel in utroque horum propter ſalutem animæ, & propter gloriam Dei, & tunc tale detrimentum non eſt ſimpliciter malum hominis, ſed ſecundùm quid: unde non habet ſimpliciter rationem pœnæ, ſed medicinæ. Nam & medici auſteras potiones propinant infirmis, ut conferant ſanitatem. Et quia hujuſmodi non habent propriè rationem pœnæ, non reducuntur ad culpam ſicut ad cauſam, niſi pro tãto: quia hoc ipſum quod oportet naturæ humanæ medicinas pœnales exhibere, eſt ex corruptione naturæ, quæ eſt pœna originalis peccati. In ſtatu enim innocentiæ nõ oportuiſſet aliquẽ ad profectũ virtutis inducere per pœnalia exercitia: unde hoc ipsũ quod eſt pœnale in talibus, reducitur ad originalẽ culpam ſicut ad cauſã.

Ad primum ergo dicendum, quòd hujuſmodi defectus eorum qui naſcuntur, vel etiam puerorum, ſunt effectus & pœnæ originalis peccati, ut dictum eſt, & manent etiam poſt baptiſmum propter cauſam ſuperiùs dictam: & quod non ſint æqualiter in omnibus, contingit propter naturæ diverſitatem, quæ ſibi relinquitur, ut ſupra dictũ eſt. Ordinantur tamen hujuſmodi defectus ſecundùm divinam providentiam ad ſalutem hominum, vel eorum qui patiuntur, vel aliorum qui pœnis admonentur, & etiam ad gloriam Dei.

Ad ſecundum dicendum, quòd bona temporalia, & corporalia ſunt quidem aliqua bona hominis, ſed parva: bona verò ſpiritualia ſunt magna hominis bona. Pertinet igitur ad divinam juſtitiam, ut virtuoſis det ſpiritualia bona: & de temporalibus bonis, vel malis tantum det eis quantum ſufficit ad virtutem. Ut enim Dion. dicit 8. c. de divin. nom. Divinæ juſtitiæ eſt non emolire optimorum fortitudinem, materialium donationibus. Aliis verò hoc ipſum, quòd temporalia dantur, in malum ſpiritualium cedit: unde in Pſalm. 72. concluditur. Ideo tenuit eos ſuperbia.

Ad tertium dicendum, quòd Chriſtus pœnam ſuſtinuit ſatisfactoriam, non pro ſuis, ſed pro noſtris peccatis.

Prima Concluſio.

Pœna ſatisfactoria poteſt aſſumi ab eo, qui non peccavit.

Secunda Concluſio.

Pœna ſimpliciter ſecundùm quod habet rationem pœnæ, ſemper habet ordinem ad culpam vel perſonalem, vel originalem ejus, qui punitur.

Tertia

Digitized by Google

TERTIA CONCLUSIO.

Pœnæ tantùm medicinales non habent ordinem ad culpam, niſi in quantùm ex culpa originali eſt, quòd natura humana pœnalibus medicinis indigeat.

Commentarius.

Non negat D. Thomas, quòd pœna ſatisfactoria reſpiciat culpam: nam de ratione pœnæ propriè dictæ ſemper eſt ordo ad aliquam culpam: ſatisfactio enim, quæ Deo exhibetur, non habet locum, niſi culpa præceſſerit, ex qua dùntaxat conſurgere poteſt onus ſatisfaciendi ipſi Deo. Sed intendit S. Doctor, neceſſarium non eſſe, ut is qui ſatisfacit, ſolvat pro culpa propria: nam poteſt ſolvere pro aliena, ſicut Chriſtus pro nobis ſolvit. Et in hoc differt hæc pœna ab ea quæ non eſt ſatisfactoria, ſed ſiſtit in ratione pœnæ: nam iſta non infligitur niſi ipſimet qui peccavit: neque poteſt pro eo ab alio aſſumi. Et ratio eſt, quia pœna, quæ nõ deſervit ad ſatisfaciendum vel ſolvendum debitum ex culpa relictum, ſolum poteſt deſervire ad vindicandam divinam juſtitiam in punitione ipſius culpæ, & depreſſione peccatoris quem culpa extulit: hoc autem non fit, niſi puniatur ipſe qui deliquit: quantuncunque enim alius pœna afficiatur, dum tamen peccator ipſe, ubi culpa eſt, non punitur & deprimitur, non inſurgit ſufficienter juſtitia adverſùs culpam, neque de illa vindictam & victoriam reportat.

Tertia concluſio non habet locum in pœnis ſpiritualibus: uti ſunt amiſſio gratiæ & virtutum, aut privatio auxiliorum, quibus peccata ſunt cavenda: quia hujuſmodi pœnæ non ſunt tantum medicinales, neque ex ſe conducunt ad majus bonum animæ. Sicut conducere poſſunt pœnæ dumtaxat corporales: proinde poſſunt habere rationem ſolius medicinæ. Adeoque non eſt neceſſe ut inferantur immediate propter culpam; ſed poſſunt inferri præcisè ob ſanandam naturam, & ad bonum provehendam.

Atque hinc petenda eſt ſolutio cujuſdam difficultatis, quam diſp. 17. n. 21. in hunc locum remiſimus: nimirum quo pacto habeant rationem pœnæ, illæ quæ imponuntur tranſgreſſoribus aliquarum humanarum legum non obligantium ſub culpa etiam veniali. Dicendum enim eſt, non eſſe propriè pœnas, ſed dumtaxat medicinas, quibus natura humana indiget, ut promoveatur ad perfectionis bonum; ſicut indiget pœnis, ut retrahatur à malo. Ex culpa namque originali manſit natura ægra & infirma: tum ex parte propenſionis ad malum, quam originalis juſtitia compeſcebat, eaque amiſſa, vires ſumpſit: tum etiam ex parte inclinationis ad bonum, quam prædicta juſtitia roborabat. Sicut ergo ad reprimendam priorem illam propenſionem ne in actum prorumpat, conſtitutæ ſunt pœnæ proprie dictæ, quæ retrahunt à peccato; ita ad promovendam & ſtimulandam poſteriorem inclinationem inſtituta ſunt quædam pœnalia, quæ metu ſui incitant ad bene agendum, etiam in iis quæ poſſent ſine peccato omitti. Incumbit enim humanis Legiſlatoribus, iis præſertim qui religioſis Ordinibus leges tradunt, non ea tantùm media præſcribere, quibus peccata caveantur: ſed etiam alia, quibus prædictorum Ordinum profeſſores ad perfectionis ſtatum inducantur, omittendo minùs perfecta, & aſſumendo perfectiora, etiam in iis quæ ſine ulla culpa poſſent facere, vel omittere. Et quia inter hæc media non parum efficacia ſunt quædam pœnalia & laborioſa per leges iniuncta, *pœnæ medicinales* vocantur. Pœnæ quidem, quia pœnalia ſunt; medicinales verò, quia tendunt ad ſanandam & iuvandam naturæ infirmitatem. Non tamen proprie & in rigore *pœnæ* dicendæ ſunt: quia non reſpiciunt directè aliquam culpam. Et ideo ly *medicinales* eſt additum non tantum diminuens, ſed etiam tollens veram rationem pœnæ. Niſi fortè talis ratio in illis conſervetur per ordinem ad peccatum originale: eo modo quo D. Thomas in fine corp. declarat.

ARTICULUS VIII.

Vtrum aliquis puniatur pro peccato alterius?

AD octavum ſic proceditur. Videtur quod aliquis puniatur pro peccato alterius. Dicitur enim Exod. 20. Ego ſum Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem his qui oderunt me. Et Matth. 23. dicitur: Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram.

2. Præterea: juſtitia humana derivatur à juſtitia divina: ſed ſecundum juſtitiam humanam aliquando filii puniuntur pro parentibus, ſicut patet in crimine læſæ majeſtatis: ergo etiam ſecundum divinam juſtitiam unus punitur pro peccato alterius.

3. Præterea: ſi dicatur filius non puniri pro peccato patris, ſed pro peccato proprio, in quantum imitatur malitiam paternam, non magis hoc diceretur de filiis, quam de extraneis, qui ſimili pœna puniuntur his, quorum peccata imitantur: non ergo videtur, quod filii pro peccatis propriis puniantur, ſed pro peccatis parentum.

Sed contra eſt, quod dicitur Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris.

Reſpond. dicẽdum, quòd ſi loquamur de pœna ſatisfactoria, quæ voluntariè aſſumitur, contingit, quod unus portet pœnam alterius, in quantum ſunt quodammodò unum, ſicut jam dictũ eſt. Si autem loquamur de pœna pro peccato inflicta, in quantum habet rationẽ pœnæ, ſic ſolum unuſquiſque pro peccato ſuo punitur: quia actus peccati aliquid perſonale eſt. Si autem loquamur de

Digitized by Google

pœna, quæ habet rationem medicinæ, contingit quod unus punitur pro peccato alterius. Dictum eſt enim, quod detrimenta corporalium rerum, vel etiam ipſius corporis,ſunt quædam pœnales medicinæ ordinatæ ad ſalutem animæ: unde nihil prohibet talibus pœnis aliquem puniri pro peccato alterius, vel à Deo, vel ab homine, utpotè filios pro patribus, & ſubditos pro dominis, in quantum ſunt quædam res eorum: ita tamen quòd ſi filius vel ſubditus eſt particeps culpæ, hujuſmodi pœnalis defectus habet rationem pœnæ quantùm ad utrumque, ſcilicet eum qui punitur, & eum pro quo punitur. Si verò non ſit particeps culpæ, habet rationem pœnæ quantùm ad eum pro quo punitur: quantùm verò ad eum qui punitur, rationem medicinæ tantùm, niſi per accidens in quantum peccato alterius conſentit: ordinatur enim ei ad bonum animæ, ſi patienter ſuſtineat. Pœnæ verò ſpirituales non ſunt medicinales tantùm:quia bonum animæ non ordinatur ad aliud melius bonum: unde in bonis animæ nullus patitur detrimentum ſine culpa propria,propter hoc etiam talibus pœnis, ut dicit Hieron. in epiſtol. ad Avitum, unus non punitur pro alio: quia quantum ad animam filius non eſt res patris: unde & hujus cauſam Dominus aſſignans dicit Ezechiel. 18. Omnes animæ meæ ſunt.

Ad primum ergo dicendum, quòd utrumque dictum videtur eſſe referendum ad pœnas temporales vel corporales, in quantum filii ſunt quædam res parentum, & ſucceſſores prædeceſſorum: vel ſi referantur ad pœnas ſpirituales, hoc dicitur propter imitationem culpæ: unde in Exod. additur. His qui oderunt me. Et in Matth. dicitur: Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. Dicit autem puniri peccata patrum in filiis, quia filii in peccatis parentum nutriti, proniores ſunt ad peccandum, tum propter conſuetudinem, tũ etiam propter exemplũ,patrum quaſi authoritatem ſequentes.Sunt etiã majori pœna digni,ſi pœnas patrum videntes, correcti non ſunt. Ideo autem addidit, in tertiam & quartam generationem: quia tantum conſueverunt homines vivere, ut tertiam & quartam generationem videant, & ſic mutuò videre poſſunt & filii peccata parentum ad imitandum,& patres pœnas filiorum ad dolendum.

Ad ſecundum dicendum, quòd pœnæ illæ ſunt corporales, & temporales, quas juſtitia humana uni pro peccato alterius infligit, ſunt remedia quædam, vel medicinæ contra culpas ſequentes, ut vel ipſi qui puniuntur, vel alii cohibeantur à ſimilibus culpis.

Ad tertium dicendum, quòd magis dicuntur puniri pro peccatis aliorum propinqui, quam extranei, tum quia pœna propinquorum quodammodo redundat in illos qui peccaverunt, ut dictum eſt,in quantum filius eſt quædam res patris. Tum etiam quia & domeſtica exempla, & domeſticæ pœnæ magis movent; unde quando aliquis nutritus eſt in peccatis parentum, vehementius ea ſequitur, & ſi ex eorum pœnis non eſt deterritus,obſtinatior videtur: unde & eſt majori pœna dignus.

Prima Conclusio.

Pœna ſatisfactoria poteſt aliquis puniri pro alterius peccato, quatenus voluntate ſunt unum.

Secunda Conclusio.

Pœnis corporalibus poteſt unus pro alio puniri: hujuſmodi tamen punitio ſolùm habebit rationem pœnæ reſpectu illius qui peccavit; reſpectu verò ejus qui non peccavit, habebit tantùm rationem medicinæ.

Tertia Conclusio.

Pœnis ſpiritualibus nunquam punitur unus pro alio.

Omnes iſtæ concluſiones declarantur ſufficienter à D. Thoma: & quo ſenſu verum ſit, Deum pro culpis parentum punire filios, viſitareque in iſtis illorum peccata, etiam uſque ad tertiam vel quartam generationem; ut Scriptura ſæpe tradit. Quædam verò difficultas circa tertiam concluſionem ex litera inſurgens, ſoluta eſt à Cajet. in comment. hujus articuli. Obſervandum tamen eſt circa prædictam concluſionem, quod nomine *pœnæ ſpiritualis* ſolum intelligit D.Thomas illam, quæ animæ profectus detrimentum infert: atque adeo quæ vel tollit gratiam habitualem, gloriam, dona, & virtutes: vel impedit eorum augmentum: vel tollit auxilia, quibus cavenda ſunt peccata. His verò integris manentibus, etiam ſi Deus privaret aliquem aliqua perfectione ſpirituali, ut gratia prophetiæ, dono linguarum,vel ſimilibus, talis privatio non eſſet numeranda inter pœnas, quas D.Thomas ſpirituales vocat, & dicit non eſſe tantum medicinales: ſed reducenda cum pœnis corporeis ad eam quam medicinalem appellat in ſecunda concluſione. Unde non eſt negandum, quod hoc genere pœnæ poſſit unus pro alterius peccato puniri: aut etiam ſine reſpectu ad peccatum proprium, vel alterius, ſimili pœna ut medicina affici ad majorem in virtute profectum.

QUÆST.

QUÆST. LXXXVIII.

De peccato veniali & mortali in ſex Articulos diviſa.

DEINDE quia peccatum veniale, & mortale diſtinguuntur ſecundum reatum, conſiderandum eſt de eis. Et primò conſiderandum eſt de veniali per comparationem ad mortale. Secundò, de veniali ſecundum ſe. Circa primùm quæruntur ſex.

ARTICULUS I.

Vtrùm veniale peccatum convenienter dividatur contra mortale?

AD primum ſic proceditur. Videtur quod veniale peccatum non convenienter dividatur contra mortale. Dicit enim Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum. Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, dat peccato quod ſit mortale: ergo omne peccatum eſt mortale: non ergo peccatum veniale dividitur contra mortale.

2. Præt. Apoſtolus dicit Corinth. 10. Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite: ſed contra hoc præceptum facit, quicunque peccat, non enim peccatum fit propter gloriam Dei. Cum ergo facere contra præceptum ſit peccatum mortale, videtur quod quicunque peccat, mortaliter peccet.

3. Præt. Quicunque amore alicui rei inhæret, inhæret ei vel ſicut fruens, vel ſicut utens, ut patet per Auguſt. 1. de doctrina Chriſt. ſed nullus peccans inhæret bono commutabili quaſi utens, non enim refert ipſum ad bonum, quod nos beatos facit, quod propriè eſt uti, ut Auguſt. dicit ibidem: ergo quicunque peccat, fruitur bono commutabili: ſed frui rebus utendis eſt humana perverſitas, ut Auguſt. dicit in lib 83. quæſt. cum ergo perverſitas peccatum mortale nominetur, videtur quod quicunque peccat, mortaliter peccet.

4. Præter. Quicunque accedit ad unum terminum, ex hoc ipſo recedit ab alio: ſed quicunque peccat, accedit ad bonum commutabile: ergo recedit à bono incommutabili: ergo peccat mortaliter: non ergo conveniēter peccatum veniale cōtra mortale dividitur.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in homil. 7. ſuper Joan. quod crimen eſt, quod damnationem meretur: veniale autem eſt, quod non meretur damnationem. Sed crimen nominat peccatum mortale: ergo veniale peccatum convenienter dividitur contra mortale.

Reſpondeo dicēdum, quod aliqua, ſecundum quod propriè accipiuntur, non videntur eſſe oppoſita, quæ ſi metaphoricè accipiantur, opponi inveniuntur, ſicut ridere non opponitur ei, quod eſt creſcere: ſed ſecundum quod ridere metaphoricè de prato dicitur propter ejus floritionem & virorem, opponitur ei, quod eſt creſcere. Similiter ſi mortale propriè accipiatur, prout refertur ad mortem corporalem non videtur oppoſitionem habere cum veniali, nec ad idem genus pertinere. Sed ſi mortale accipiatur metaphoricè, ſecundum quod dicitur in peccatis, mortale opponitur ei, quod eſt veniale. Cum enim peccatum ſit quædam infirmitas animæ, ut ſupra habitum eſt, peccatum aliquod mortale dicitur ad ſimilitudinem morbi, qui dicitur mortalis, ex eo quod inducit defectum irreparabilem per deſtitutionem alicujus principii, ut dictum eſt. Principium autem ſpiritualis vitæ, quæ eſt ſecundum virtutem, eſt ordo ad ultimum finem, ut ſupradictum eſt, qui quidem ſi deſtitutus fuerit, reparari non poteſt per aliquod principium intrinſecum, ſed ſolùm per virtutem divinam, ut ſupra dictum eſt: quia inordinationes eorum, quæ ſunt ad finem, reparantur ex fine, ſicut error qui accidit circa concluſiones per veritatem principiorum. Defectus ergo ordinis ultimi finis non poteſt per aliquid aliud reparari, quod ſit principalius: ſicut nec error, qui eſt circa principia: & ideo hujuſmodi peccata dicuntur mortalia quaſi irreparabilia. Peccata autem quæ habent inordinationem circa ea quæ ſunt ad finem, conſervato ordine ad ultimum finem, reparabilia ſunt, & hæc dicuntur venialia. Tunc enim peccatum veniam habet, quando reatus pœnæ tollitur, qui ceſſat ceſſante peccato, ut dictum eſt. Secundùm hoc ergo mortale & veniale opponuntur, ſicut reparabile, & irreparabile: & hoc dico per principium interius,

non autem per comparationẽ ad virtutem divinam, quæ omnem morbum & corporalem,& ſpiritualẽ poteſt reparare,& propter hoc veniale peccatum cõvenienter dividitur contra mortale.

Ad primum ergo dicendum,quòd diviſio peccati in veniale & mortale, non eſt diviſio generis in ſpecies,quæ æqualiter participant rationem generis, ſed analogi in ea de quibus prædicatur ſecundùm prius & poſterius: & ideo perfecta ratio peccati,quam Auguſt.ponit, convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum ſecundùm rationem imperfectam,& in ordine ad peccatum mortale: ſicut accidens dicitur ens in ordine ad ſubſtantiam,ſecundùm imperfectam rationem entis, non enim eſt contra legem: quia venialiter peccans, non facit quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, ſed facit præter legem: quia non obſervat modum rationis, quem lex intendit.

Ad ſecundum dicendum, quòd illud præceptum Apoſtoli eſt affirmativum, unde non obligat ad ſemper: & ſic non facit contra hoc præceptum quicunque non actu refert in gloriam Dei omne, quod facit. Sufficit ergo, quod aliquis habitualiter referat ſe & omnia ſua in Deũ ad hoc,quod non ſemper mortaliter peccet,cum aliquem actũ non refert in gloriã Dei actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriã Dei, ſed ſolum actualem: quia non excludit charitatem,quæ habitualiter ordinat in Deum:unde non ſequitur,quod ille qui peccat venialiter, peccet mortaliter.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui peccat venialiter, inhæret bono temporali non ut fruens, quia non conſtituit in eo finem, ſed ut utens referens in Deum non actu, ſed habitu.

Ad quartum dicendum,quòd bonum commutabile non accipitur, ut terminus contra poſitus incommutabili bono, niſi quando conſtituitur in eo finis. Quod enim eſt ad finem, non habet rationem termini.

Prima Conclusio *eſt affirmativa.*

Secunda Conclusio in ſolut. ad primum.

Diviſio peccati in veniale & mortale, non eſt diviſio generis in ſpecies, ſed analogi in analogata.

ARTICULUS II.

Vtrum peccatum veniale & mortale differant genere.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum veniale & mortale non differant genere, ſcilicet, quod aliquod ſit peccatum mortale ex genere, & aliquod veniale ex genere. Bonum enim & malum ex genere in actibus humanis accipitur per comparationem ad materiam, ſive ad objectum, ut ſupra dictum eſt; ſed ſecundùm quodlibet objectum,vel materiam contingit peccare mortaliter & venialiter: quodlibet enim bonum commutabile poteſt homo diligere vel infra Deum, quod eſt peccare venialiter, vel ſupra Deum, quod eſt peccare mortaliter: ergo peccatum veniale & mortale non differunt genere.

2. Præt. Sicut dictum eſt ſupra, peccatum mortale dicitur,quod eſt irreparabile; peccatum autem veniale, quod eſt reparabile:ſed eſſe irreparabile convenit peccato quod fit ex malitia, quod ſecundum quoſdam irremiſſibile dicitur; eſſe autem reparabile convenit peccato quod fit per infirmitatem, vel ignorantiam quod dicitur remiſſibile. Ergo peccatum mortale & veniale differunt, ſicut peccatum quod eſt ex malitia commiſſum, vel ex infirmitate & ignorantia: ſed ſecundum hoc non differunt peccata genere, ſed cauſa, ut ſupra dictum eſt. Ergo peccatum veniale & mortale non differunt genere.

3. Præterea: ſupra dictum eſt, quòd ſubiti motus tam ſenſualitatis quàm rationis ſunt peccata venialia: ſed ſubiti motus inveniuntur in quolibet peccati genere. Ergo non ſunt aliqua peccata venialia ex genere.

Sed contra eſt, quod Aug. in ſerm. de Purgatorio enumerat quædam genera peccatorum venialium, & quædam genera peccatorum mortalium.

Reſpondeo dicendum, quod peccatum veniale à venia dicitur. Poteſt igitur aliquod peccatum dici veniale uno modo, quia eſt veniam conſecutum, & ſic dicit Ambroſ. quod omne peccatum per pœnitentiam fit veniale: & hoc dicitur veniale,quia non habet in ſe unde veniam non ſequatur, vel totaliter vel in parte. In parte quidem ſicut cum habet

habet in ſe aliquid diminuens culpam, ut cum ſit ex infirmitate, vel ignorantia, & hoc dicitur veniale ex cauſa. In toto autem, ex eo quòd non tollit ordinem ad ultimum finem, unde non meretur pœnam æternam ſeu temporalem: & de hoc veniali ad præſens intendimus: De primis enim duobus conſtat, quòd non habent genus aliquod determinatum, ita quòd aliquod peccatum dicatur veniale ex genere, & aliquod mortale ex genere, ſecundum quod genus, vel ſpecies actus determinatur ex objecto. Cum enim voluntas fertur in aliquid, quod ſecundum ſe repugnat charitati, per quam homo ordinatur in ultimum finem, illud peccatum ex ſuo objecto habet quod ſit mortale. Unde eſt mortale ex genere, ſive ſit contra dilectionem Dei, ſicut blaſphemia, perjurium & hujuſmodi: ſive contra dilectionem proximi, ſicut homicidium, adulterium, & ſimilia, unde hujuſmodi ſunt peccata mortalia ex ſuo genere. Quandoque verò voluntas peccantis fertur in id, quod in ſe continet quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei & proximi, ſicut verbum otioſum, riſus ſuperfluus, & alia hujuſmodi: & talia ſunt peccata venialia ex ſuo genere, ut ſupra habitum eſt. Sed quia actus morales recipiunt rationem boni & mali non ſolùm ex objecto, ſed etiam ex aliqua diſpoſitione agentis, ut ſupra habitum eſt, contingit quandoque quòd id, quod eſt peccatum veniale ex genere, ratione ſui objecti fit mortale ex parte agentis, vel quia in eo conſtituit finem ultimum, vel quia ordinat ipſum ad aliquid quod eſt peccatum mortale ex genere, puta, cum aliquis ordinat verbum otioſum ad adulterium committendum. Similiter etiam ex parte agentis contingit, quòd aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, fit veniale propter hoc, ſcilicet, quòd actus eſt imperfectus, id eſt non deliberatus ratione, quæ eſt principium proprium mali actus: ſicut ſupra dictum eſt de ſubitis motibus infidelitatis.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex hoc ipſo, quòd aliquis eligit id, quod repugnat divinæ charitati, convincitur præferre illud charitati divinæ, & per conſequens plus amare ipſum quàm Deum: & ideo aliqua peccata ex genere, quæ de ſe repugnant charitati, habẽt, quòd aliquid diligatur ſupra Deum, & ſic ſunt ex genere ſuo mortalia.

Ad ſecundum dicendum, quòd ratio illa procedit de peccato veniali ex cauſa

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de peccato, quod eſt veniale propter imperfectionem actus

PRIMA CONCLUSIO.

Aliqua ſunt peccata ex ſuo genere venialia, & aliqua ex ſuo genere mortalia: ſecundùm quod genus vel ſpecies actus determinatur ex objecto.

SECUNDA CONCLUSIO.

Illud quod eſt peccatum veniale ex genere, poteſt fieri mortale ratione finis.

TERTIA CONCLUSIO.

Illud quod eſt ex genere peccatum mortale, poteſt fieri veniale propter imperfectionem actus, ſi plenè deliberatus non ſit.

Duo iſti primi articuli continent principales difficultates, quæ circa præſentem quæſtionem à Theologis examinantur: pro quibus erit.

DISPUTATIO XIX.

De diſtinctione peccati venialis à mortali.

QUamvis in præcedentibus, præſertim diſp. 4. & 9. diſp. 10. & 17. non pauca dixerimus, quæ naturam venialis & mortalis peccati notificare poſſunt, non erit otioſa ſpecialis circa ea diſputatio: quia ſuperſunt aliqua pro dignoſcenda illorum differentia, quæ poſtulant radicitus examinari. Quæ autem difficultatem continent (præter certa vel communia, quæ ut ſupponenda potius quam ut diſcutienda referemus) ad duo præcipuè reducuntur, nimirum ad principium diſtinctionis inter prædicta peccata, & ad genus diviſionis: quibus examinatis, minutiora alia lucem recipient.

DUBIUM I.

Quæ ſit primaria differentia venialis culpæ à mortali?

QUamvis inter peccatum veniale & mortale aſſignari ſoleant plura diſcrimina ex diverſis capitibus accepta, unum dumtaxat debet eſſe præcipuum & primarium, ad quod cætera conſequuntur. Quod tamen haud facilè inveniemus, niſi per alia etiam diſcurramus, & ea breviter examinemus:

§. I.

Rationes venialis & mortalis peccati: & eorum varia diſcrimina.

Vtriuſque peccati etymologia.

1 NVllus dubitat, peccatum mortale à morte dictum eſſe, non corporis, ſed animæ: cumque hujus vita ſit per gratiam qua Deo conjungitur, eius mors dicetur amiſſio ipſius gratiæ, qua ab illo avertitur & ſeparatur: adeoque peccatum mortale erit omne illud quod gratiam aufert, & animam à Deo averſam relinquit. Veniale verò dictum eſt à venia & remiſſione: & habet triplicem acceptionem, ut obſervat D. Thom. quæſt.7. de Mal.art.1. & in præſenti art.2. Poteſt enim peccatum dici *veniale*, vel quia eſt veniam conſequutum: & hoc eſt *veniale ab effectu.* Qua ratione D. Ambroſius citatus à D. Thoma dixit, omne peccatum fieri veniale per pœnitentiam, quia per hanc conſequitur remiſſionem. Vel poteſt dici *veniale*, quia habet in ſe unde aliquo modo venia dignum ſit, ſeu unde minùs veniæ repugnet, & minùs eam excludat: & hoc dicitur *veniale ex cauſa.* Quo pacto ſe habent peccata ex ignorantia vel infirmitate commiſſa: defectus enim voluntarii diminuens eorum malilitiam, diminuit etiam difficultatem remiſſionis. Neutrum tamen ex iſtis venialibus dividitur contra mortale, ut ex ſe liquet. Vnde tertiò dicitur peccatum veniale, quia non excludit à ſubjecto principium veniæ & remiſſionis: & quia hujuſmodi principium eſt gratia, omnia illa peccata quæ gratiam non auferunt, *venialia* vocantur. Et in hac tertia acceptione ſumitur communiter peccatum veniale à Theologis, & dividitur contra mortale.

D. Thom.

D. Ambr.

Eſtque adhuc triplex: nam aliud dicitur *veniale ex genere*, ut verbum otioſum: quia ex propria materia & objecto, quantumcunque circa illud creſcat, non habet unde ſit mortale. Aliud *ex parvitate materiæ*, ut furtum rei parvæ: quod ideo veniale remanet, quia non attingit ſimpliciter materiam ſui generis, ſed aliquid tenue & modicum. Et aliud *ex imperfecta deliberatione*, quod etiamſi circa objectum ex ſe mortale, & circa materiam gravem verſetur, non ſumit inde malitiam mortalem propter imperfectionem actus, qui ob defectum plenæ deliberationis non eſt capax tantæ malitiæ. Omnia autem hæc comprehenduntur in præſenti, & ſecundùm communem Theologorum acceptionem ſub nomine *culpæ venialis*, & à mortali diſtinguuntur.

Eorum exiſtentia.

2 Dari verò de facto prædicta peccata venialia, & non omnia quæ ab hominibus committuntur, mortalia eſſe; ſicut neque omnia venialia, tenent ut certum omnes Catholici: & docet Concil. Trident. ſeſſ.6. cap.11. dum ait: *Licèt enim in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non proptereà deſinunt eſſe juſti. Nam juſtorum illa vox eſt & humilis & verax, Dimitte nobis debita noſtra*, &c. Etenim ſicut inter infirmitates corporis quædam ſunt graves, quæ mortem inducunt auferendo principium vitæ; quædam verò leves, quæ in eo periculo non conſtituunt, quamvis ad id diſponant: ita inter peccata, quæ ſunt morbi animæ, aliqua habent eſſe gravia, quæ animam occidunt auferendo gratiam, per quam Deo vivit, & ideo mortalia dicuntur: & aliqua levia, quæ licèt ad prædictum effectum diſponant, non tamen ſe ipſis pertingunt, & hæc ſunt venialia. ¶ Accedit, quòd ſicut apud homines non quælibet offenſa reputatur gravis, aut ſufficit ad tollendam inter eos amicitiam; ſed dantur aliquæ leves, per quas, amicitia adhuc conſervata, nonnihil læduntur: ita in ordine ad Deum, cujus amicitia firmior & ſtabilior eſt, non eſt dicendum omnes offenſas eſſe graves & tollentes prædictam amicitiam; ſed aliquas eſſe leves, per quas illa non ſolvitur, licèt aliqualiter refrigeſcat.

Conc. Trid.

Contrarii errores.

3 Quamvis autem veritas hæc perſpicua ſit, non tamen deſunt contra illam aliqui hæreticorum errores, quos breviter tangemus. Lutherus enim aſſeruit, præter infidelitatem nullum peccatum eſſe mortale, ſed omnia venialia. Quem errorem damnat Tridentinum ſeſ. citata can.27. ubi ait: *Si quis dixerit, nullum eſſe mortale peccatum niſi infidelitatis, &c. anathema ſit.* Calvinus etiam lib. contra ſacrum Concilium circa prædictum can. 27. turpiſſimè erravit dicens, omnia peccata de facto mortalia eſſe propter Dei legem, licèt ex ſe omnia eſſent venialia. Contra quem ſcribunt Caſtro de hæreſib. verbo *peccatum*. Hæreſ. ult. & Vega lib.14. ſuper Concil. Trident. à cap.1. uſque ad 6. Alia via erravit Vvicleff aſſerens, omnia peccata prædeſtinatorum venialia eſſe, reproborum verò omnia eſſe mortalia. Quem optimè impugnat N. Thomas Vvald. tom.2. à cap. 155. uſque ad 158. Nec neceſſe erit in prædictis erroribus evertendis immorari, cum veritas de qua agimus, adeò ſit perſpicua: ſed ut certum & exploratum ſupponere, tam in prædeſtinatis quàm in reprobis reperiri multoties utraque peccata, neque omnia ex ſe eſſe venialia, aut ex lege Dei omnia mortalia; ſed ex ſe ipſis multa ad gradum culpæ mortalis pertinere, plurima verò gradum venialis non excedere etiam ex quacumque lege.

Conc. Trid.

Caſtro. Vega.

Vvald.

Falſa opinio.

4 Nonnullum tamen dubium eſt etiam apud authores catholicos, an diſtinctio inter prædicta peccata ſit ex natura rei, vel ſolùm ex divina miſericordia? Hoc enim poſterius tenuere Gerſon. 3. part. tract. de vita ſpirit. alph. 61. Almain. tract. 3. moral. cap. 20. Roſenſis contra Luter. art. 32. Dicunt enim, quodlibet peccatum quantum eſt ex ſe, mereri pœnam æternam: quia cum ſit offenſa Dei, qui eſt infinitus, eſt offenſa infinita, meretur que proinde pœnam ſaltem ex parte durationis infinitam: quod proprium eſt culpæ mortalis. Cæterùm ex divina miſericordia remittit Deus prædictam pœnam pro aliquibus peccatis, & in pœnam temporalem convertit: quod eſt peccata ipſa effici venialia. Hanc tamen ſententiam communiter reiiciunt cæteri Theologi: & improbabilem appellat Vazq. diſp. 142. cap.1. Eius verò falſitas conſtabit ex dicendis toto hoc dub. ubi plura trademus diſcrimina inter peccatum veniale & mortale, orta ex natura utriuſque. Videtur autem prædicta ſententia reprobata eſſe per Bullam Pii V. & Gregorii XIII. contra Michaëlem Baium: nam inter reliquas propoſitiones ibi condemnatas hæc habetur. *Nullum eſt peccatum natura ſua veniale: ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Ad illud de infinitate

Gerſon. Almain. Roſenſis.

Pius V. Gr. g. XIII.

Digitized by Google

nitate offenſæ peccati venialis, dicemus quæſt. ſequenti in commentar. art. 1. ubi declarabitur, quomodò licet per prædictum peccatum offendatur Deus, qui eſt bonum infinitum, quia tamen non offenditur ſimpliciter, ſicut per peccatum mortale, non conſurgit inde offenſa infinita.

Obiectio. Neque obeſt, ſi obiicias quòd omnia quæ Deus præcipit vel prohibet ſub culpa veniali & ſub pœna temporali, poſſet præcipere vel prohibere ſub culpa mortali & ſub pœna æterna: ob hoc ſaltem ut noſtram exerceret obedientiam, & ſuum ſupremum dominium manifeſtatet: tunc autem omnes tranſgreſſiones illorum præceptorum eſſent peccata mortalia: ergo ex divina miſericordia eſt, quòd non omnia de facto ad iſtum culpæ gradum pertingant.

5 Diluitur. Non itaque hoc obeſt. Tum quia adhuc in prædicto caſu (cujus poſſibilitatem non examinamus, ſed gratis admittamus) non omnia peccata ad gradum mortalis pertingerent: quia licèt omnia verſarentur circa objecta ſub mortali prohibita, multa tamen non attingerent illa cum plena deliberatione, ſine qua nullus actus eſt capax malitiæ mortalis: nec Deus, ſervata lege juſtitiæ, poteſt damnare tales actus ad pœnam æternam: & ſi de facto damnaret, operaretur quidem ut dominus, non verò ut judex: neque proinde æterna illa duratio haberet propriè rationem pœnæ, ut tetigimus diſputatione 17. numero 88. Tum etiam quia ad diſcernendum utrum peccata venialia ex natura rei differant à mortalibus, non eſt attendendum an Deus poſſit prohibere omnia ſub mortali & ſub pœna æterna: ſed an ipſa peccata, attenta eorum natura & materia circa quam verſantur, poſtulent ita prohiberi, aut verò ſolùm poſtulent prohiberi ſub veniali: nam quod ex ſe unaquæque poſtulant, id convenit ipſis ex natura rei. Porrò certum eſt, non omnia poſtulare ex ſe prohibitionem ſub mortali; ſed quàm plura duntaxat ſub veniali, ſicut prohibentur de facto: Deus enim de facto, ſaltem attenta communi providentia, unumquodque prohibet, ſecundùm quod ejus natura & materia poſtulat.

Vaſq. Tum denique quia ut rectè vidit Vazquez hoc loco diſp. 143. cap 2. cum dicimus, peccatum veniale & mortale non ex voluntate aut miſericordia Dei, ſed ſuapte natura differre, non eſt ita accipiendum quaſi ante omnem Dei voluntatem peccata ſive mortalia ſive venialia ſint talia formaliter, proindeque formaliter differant: peccatum enim quodcunque ſupponit legem, contra quam committitur: lex verò ſaltem ſupponit Dei voluntatem, qua nos ad illius obſervationem obligare intendit, ut vidimus diſp. 7. dub. 1. Sed ſenſus eſt, quòd ſuppoſita lege & voluntate Dei in ea incluſa, ejus trangreſſio ſicut ex natura rei habet quod ſit mortale vel veniale juxta gravitatem ipſius legis, circa quam verſatur: adeo ut neceſſe non ſit pro aſſignanda prædicta differentia recurrere ad novam Dei voluntatem, quaſi conſequentem & advenientem peccato iam commiſſo, ipſumque vel eius pœnam remittentem, aut æternam in temporalem commutantem, ſicut recurrunt authores illius ſententiæ. Independenter enim ab huiuſmodi voluntate vel miſericordia quodlibet peccatum eo quod eſt tranſgreſſio legis, habet gradum ſuæ malitiæ: & quædam gratiam excludunt, & pœnam æternam merentur, ſuntque proinde mortalia; alia verò non excludunt gratiam, neque merentur per ſe prædictam pœnam, & ſic ſunt venialia. ¶ Diximus *per ſe* &c. nam quòd peccata venialia non dimiſſa in hac vita, & coniuncta mortalibus puniantur pœna æterna, non convenit illis per ſe, ſed per accidens ex prædicta coniunctione & ex incapacitate ſubiecti, ad ſatisfaciendum & ad veniam percipiendam, ut dictum eſt diſp. 17. num. 73. Vnde ex hoc capite non habetur quòd ipſa peccata venialia ex ſe mortalia eſſent, aut pœnæ æternæ meritoria, ut Authores quos impugnamus, videntur deducere.

Circa hanc autem differentiam ex natura rei, quam inter peccatum mortale & veniale aſtruimus, & circa illud in quo potiſſimùm conſiſtat, varios dicendi modos referunt & impugnant Alvarez, Curiel, Vazq. Monteſ. & alii expoſitores D. Thom. in præſenti. Primò ergo Scot. in 2. diſt. 21. quæſt. 1. prædicta peccata diſtinguit per hoc, quòd mortale ſit contra præceptum, veniale verò ſolùm contra conſilium. Idemque aſſerere videtur Gabriel in 4. diſt. 16. quæſt. 1. art. 1. notab. 1. 6 Modus dicendi falſus. Scotus. Gabriel.

Hic tamen dicendi modus communiter reiicitur, & meritò: nam de ratione omnis peccati eſt, quod ſit violatio alicuius obligationis, & tranſgreſſio alicujus legis: ubi enim non eſt lex, neque prævaricatio eſſe poteſt: conſilium autem præciſè ut tale non inducit obligationem, neque habet vim legis, ſed proponitur nobis ut omnino liberè amplectendum: ergo cum peccatum veniale ſit verum peccatum, non ſufficit ad eius rationem oppoſitio ad conſilium. ¶ Et confirmatur: nam ſi operari contra conſilia ex hoc præciſè eſſet peccatum ſaltem veniale, nullus poſſet licitè & ſine tali peccato manere in ſæculo, uxorem ducere, divitiarum dominium retinere, & ſimilia, quorum oppoſita Chriſtus nobis conſuluit: hoc autem manifeſtè eſt abſurdum, & contra illud Pauli 1. ad Corinth. 7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do* &c. *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit*, &c. 1 ad Corint. 7

Dices, operari contra conſilia non eſt bonum, aliàs eſſet meritorium & laude dignum: neque etiam eſt opus indifferens, quia in individuo non datur tale opus, erit ergo malum, ac proinde peccatum ſaltem veniale. Et confirmatur: nam operari prædicto modo ſaltem eſt aliqua imperfectio: imperfectio autem non videtur poſſe eſſe bona, ſicut nec meritoria alicuius præmii vel laudis, ſed magis reprehenſionis & animadverſionis: ergo &c. 7 Replicas

Reſpondetur, malum quidem eſſe operari contra conſilium animo contraveniendi ipſi conſilio: quia talis animus non poteſt habere finem bonum; imo habet poſitivè finem malum: oritur enim ex odio aut vilipenſione maioris boni; quod eſt in conſiliis. Cæterùm omittere id quod conſilium dictat, aut facere oppoſitum eius quod dictat, ſecluſo illo animo, poteſt eſſe bonum, ſi ex aliqua alia circumſtantia prava non vitietur. Quia nullam importat inordinationem, ratione cujus nequeat ad bonum finem ordinari, & honeſtè fieri. Quamvis non ſit ita bonum, ſicut illud quod conſulitur. Cùm Enervatur.

Digitized by Google

enim conſilium pro ut diſtinctum à præcepto ſit de meliori bono, non oportet ut ejus oppoſitum ſit malum(imo ſi eſſet malum, jam vitatio iſtius non caderet ſolùm ſub conſilio, ſed ſub præcepto) ſed ſufficit quòd ſit minùs bonum: hoc autem non tollit, quo minùs ſit verè bonum, veréque meritorium; ſi fiat ab exiſtente in gratia. Communiter tamen non laudamus ejuſmodi opera, quæ opponuntur conſiliis: quia laus reſervatur pro operibus magnis & perfectioribus: eſt enim(ut diffinit D. Thom. ſuper Pſal. 17.) *Sermo dilucidans magnitudinem virtutis.* Et ita opera communia quæ homines faciunt, ut comedere, confabulari, rei familiari intendere, & ſimilia, quamvis bona & honeſta ſint, non ſolent eſſe objectum laudis.

D.Thom.

8 **Quid ſit imperfectio?**

Ad confirmationem ut occurramus, explicandum erat quid ſit imperfectio, & qualiter à peccato veniali diſtinguatur? Quod alibi latius tractabitur. Nunc breviter obſerva, quòd quia imperfectio dicitur actus carens aliqua perfectione, poteſt ſumi vel formaliter pro ipſa perfectionis carentia: & hæc nunquam eſt bona, quia cum bonitas fundetur in entitate, quod non eſt ens, ſed carentia entis, non habet eſſe bonum: erit autem mala, ſi ſit carentia ſimpliciter privativa, quia eo ipſo erit contra aliquod præceptum, ſin minùs manebit indifferens: repugnantia enim quæ reperitur in actibus poſitivis; ut non maneant indifferentes in individuo, non invenitur in negationibus & carentiis. Vel poteſt ſumi(ut fit in objectione & communiter) materialiter pro actu imperfecto, qui ſubſternitur tali carentiæ. Et in hac acceptione poteſt dubitari an ſit opus bonum vel malum, ſuppoſito, ut ſupponitur non eſſe indifferens.

Variæ acceptiones.

In quo vix reperimus difficultatem niſi de modo loquendi. Poteſt enim adhuc hæc vox *imperfectio* ſumi tripliciter. Primò omninò negativè, ut dicat carentiam perfectionis nullo modo debitæ: Qua ratione omnis actus creatus quantumvis alias perfectus ſit, poterit dici imperfectus: quia eo ipſo quod eſt limitatus & finitus, caret aliqua perfectione, & poteſt in ſua bonitate creſcere. Hæc tamen acceptio non deſervit ad præſens: quia communis uſus loquendi inter ipſos etiam actus creatos & finitos agnoſcit aliquos ſatis perfectos, quos abſolutè ſic vocamus, & ab iis qui dicuntur *imperfectiones*, omninò diſtinguimus.

Secundò ſumi poteſt privativè per privationem abſolutè & ſimpliciter dictam. Et hoc modo dicitur *imperfectio* actus qui caret aliqua perfectione ſibi debita abſolutè & ſimpliciter, ſeu ex aliqua lege obligante ad culpam & in foro conſcientiæ. Hujuſmodi autem imperfectio ſemper eſt actus malus: quia privatio ſimpliciter dicta habet rationem malitiæ: unde non diſtinguitur à peccato niſi in quantum nomen peccati extenditur tam ad gravia quàm ad levia; imperfectio verò de ſolis levibus dicitur: nam mortalia nullus conſuevit *imperfectiones* appellare. Iſta verò acceptio licèt ſit uſitatior quàm præcedens (ſæpe enim ipſa peccata venialia *imperfectiones* vocamus) non tamen eſt communis, præſertim apud ſpiritualis vitæ Magiſtros: qui ut plurimùm diſtinguunt imperfectionem à culpa, etiam veniali, & veluti mediam inter hanc & actum perfectum conſiderant.

9 Unde eſt tertia acceptio & communis, juxta quam imperfectio ſumitur neque omninò negativè nec ſimpliciter privativè, ſed privativè ſecundùm quid & quodammodò: ſtatque pro illis actibus, qui licèt ſint moraliter boni, non tamen in eo gradu quem perfectionis ſtudium ad ejus perfectum requirit, & quē de virtute alicujus ad perfectionem accuratè tendentis vel in ea conſtituti prudens opinio ſperat, ſeu qui virtutis & perfectionis ſtudium ſua integritate demonſtret. Dicimus autem hujuſmodi actus *imperfectos privativè ſecundùm quid*: quia licèt non careant ea rectitudine, quam communis prudentia ſtricto jure poſtulat, ut illos ad finem ultimum dirigat (quod ſufficit ut abſolutè ſint boni, & ut carentia in eis reperta, non ſit ſimpliciter privatio) carent tamen illo bonitatis gradu, per quem haberent ſuum ſubjectum ad perfectionem & ad ſpiritualem profectum deducere, quique ipſi ſubjecto ut tendenti ad talem profectum, attentis omnibus, congruit & decet: certum quippe eſt non quemlibet actum etiam aliàs bonum ad hujuſmodi gradum pertingere: quicunque autem non pertingit, incongruus eſt ad perfectionem aſſequendam. Cum enim in via virtutis (juxta SS. Patrum tritam ſententiam) non progredi, regredi ſit, inde eſt ut multi actus etiam aliàs boni ab ſpirituali profectu retardent, dum in quodam remiſſo & infimo virtutis gradu voluntatem detinent, parúmque aut nihil ad ultrà progrediendum coadiuvant. In quo quamvis nulla lex ſtrictè & in conſcientia obligans violetur, prætermittitur tamen lex quædam decentiæ & congruitatis, qua illos qui, virtuti ſtudent, & profectui perfectionis incumbunt, obſtrictos intelligimus ad meliora ſectanda. Et hæc eſt imperfectio quæ opponitur conſiliis, non verò præceptis: & de qua procedit objectio. Quare dicendum eſt talem imperfectionem abſolutè eſſe actum bonum, & non malum, neque indifferentem: & conſequenter poſſe eſſe vitæ æternæ meritorium. Non tamen communiter laudatur aut cōſulitur: quia laus & conſilium, ut nuper diximus, reſpiciunt opera perfectiora. Neque etiam vituperatur ut aliquid culpabile: quamvis in viris ſpiritualibus quaſi minùs decens eorum ſtudio nonnihil reprehendatur: quæ reprehenſiones potiùs ſunt exhortationes ad perfectiora, quàm veræ increpationes aut vituperationes.

Rejecto igitur hoc diſcrimine penes oppoſitionem ad præcepta vel conſilia, quia verum non eſt, primum eorum quæ vera agnoſcimus inter prædicta peccata, conſiſtit in hoc, quòd mortale eſt contra legem & contra præcepta; veniale verò ſolùm eſt præter legem & præter præcepta. Hanc differentiam tradit D. Thom. in præſenti art. 1. ad 1. & 2.2. q. 105. art. 1. ad 1. quæſt. 7. de Mal. art. 1. ad 1. & in 2. diſt. 42. quæſt. 1. art. 4. ad 3. & ad 4. quem ſequuntur in præſenti Cajet. Medina, Curiel, Monteſ. Greg. Mart. & alii. Oportet autem magis explicare in quo hæc differentia conſiſtat: ex ſiniſtra namque intelligentia impugnatur ab aliquibus, qui in re à doctrina D. Thomæ non diſſentiunt. Putant enim, ſenſum prædictæ doctrinæ eſſe, quòd peccatum veniale nulli legi opponatur, neq; ſit per eam prohibitum. Quod tamen ſuſtineri non poteſt: quia certum eſt, mendacium, v.g. prohiberi per legem non mentiendi, & eſſe contra talem legem: ſicut etiam

10 **Primum diſcrimen venialis & mortalis peccati.**

D.Thom. Caietanus. Medina. Curiel. Monteſ. Greg. Mart.

cætera

cætera venialia habent ſuas leges, per quas prohibeantur, & quibus opponantur. Unde loquendo de iſtis legibus, prædicta peccata non ſunt dicenda *præter legem*, ſed *contra legem*. Dicuntur verò *præter legem*, quia non ſunt contra ſubſtantiam divinæ legis, neque contra ejus finem aut effectum præcipuum, ſicut ſunt mortalia, ut declarat [D. Thom.] D.Thom. loco cit. ex Quæſt. de Mal. & ex 2. diſt. 42.

[Declaratur.] Pro quo nota, quod nomen *legis* aliquando ſumitur pro hac vel illa lege determinata abſque aliarum incluſione: aliquando verò pro tota lege qua dirigimur & ordinamur ad ultimum finem humanæ vitæ: ſecundùm quam rationem amplectitur omnes leges particulares & omnia earum præcepta velut partes integrales, ex quibus coaleſcit. Et iſta acceptio eſt valde frequens in Scriptura & apud SS. Patres: eaque utitur D. Thom. locis ubi ſupra. Secundò nota, in lege ſic accepta aliquid ſe habere veluti ſubſtantia ipſius legis; illud nimirum ſine quo talis lex nequit homines ad finem ultimum perducere, ac proinde nec lex ipſa conſiſtere: & hæc ſunt præcepta obligantia ſub mortali; qui enim hæc non ſervat, eo ipſo avertitur à prædicto fine: adeóque non conſequitur præcipuum & ſubſtantialem effectum legis. Aliquid verò ſe habet ut modus vel accidens ſpectans quidem ad perfectionem & complementum legis, non tamen ad ſubſtantiam: quia ſine illo poteſt lex licèt cum aliquali detrimento profeſſores ſuos ad prædictum finem perducere: & hujuſmodi ſunt præcepta obligantia tantùm ſub veniali. Sive enim hæc obſerventur, ſive non, dummodò alia graviora non prætermittantur, conſequentur homines finem legis, & ejus principalem effectum: manebitque proinde lex ipſa incorrupta ſecundùm ſubſtantiam. Loquendo ergo de lege primo modo, peccatum veniale verè & propriè eſt contra illam: quia verè & propriè prohibetur per aliquam legem. Et hoc tantùm convincent objectiones, quæ contra prædictam D.Thomæ doctrinam ſolent reformari. At verò poſteriori modo loquendo, prædictum peccatum non eſt contra legem ſimpliciter: quia non eſt contra ſubſtantiam legis, neque eam corrumpit: dum non tollit neque corrumpit præcipuum & ſubſtantialem ejus effectum, qui eſt directio ad finem ultimum: ſicut tollit & corrumpit peccatum mortale. Poteſt tamen dici *contra legem* ſecundùm quid: quia opponitur ejus integritati & perfectioni in iis quæ non ſunt de ſubſtantia legis: & hoc appellat D.Thom. *eſſe præter legem*. Et quoniam apud Scripturam & Patres, ut diximus, frequentiùs lex ſumitur hoc poſteriori modo quàm illo priori, idcirco S. Doctor prædictæ acceptioni ſe accommodans, abſolutè ait, ſolum peccatum mortale eſſe contra legem; veniale verò non niſi præter legem.

[Declaratur alia via.] Vel dicas (& ferè in idem recidit) D.Thomam loqui de lege & de præceptis quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad aſſequendum finem ultimum: quia multoties in Scriptura & Patribus hæc duntaxat nomine *legis* & *præceptorum* inſigniuntur, juxta illud [Jacobi 2.] Jacobi 2. *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Ubi planè eſt ſermo de præceptis obligantibus ſub mortali: & hæc vocantur *tota lex*. Unde quia peccata venialia non opponuntur hujuſmodi legi & præceptis, ſicut opponuntur mortalia, dixit D.Thom. eſſe præter legem & præter præcepta, non contra illa. In quo non negat, quod prædicta peccata ſint contra ſuas proprias leges obligantes ſub veniali: ſed quia non ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad prædictum finem, non veniunt ſimpliciter nomine *legis*, nec ratione illarum peccatum dicitur eſſe contra legem ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid. Aliam expoſitionem ſatis congruam invenies apud Cajetanum in præſenti, à qua noſtræ parum diſtinguuntur.

Secundò differunt prædicta peccata: quia 11
mortale deordinat voluntatem uſque ad perverſionem ordinis in finem; veniale verò citra talem perverſionem, atque adeo ſalvo prædicto ordine. Qui modus dicendi frequens eſt apud D. Thomam. Et ad eum reducitur alius, quo aliquando uſus fuit: nimirum quod peccatum mortale eſt deordinatio circa finem; veniale verò circa ea quæ ſunt ad finem, ſalvo ordine finis. Poteſtque hoc idem diſcrimen aliter declarari: ut dicamus, peccatum mortale eſſe converſionem ad objectum contrarium & repugnans ultimo fini: veniale verò eſſe converſionem ad ea quæ ſunt extra ipſum finem, non tamen omnino illi repugnant. Ex eo enim quod peccatum mortale eſt prima illa converſio, habet deordinare voluntatem deordinatione pertingente uſque ad finem ultimum: ſicut ex eo quod veniale non dicit illam converſionem, ſed aliam poſteriorem, habet quod ſua inordinatio citra finem ſiſtat, & ejus ordinem non pervertat.

Differunt tertiò: quia mortale opponitur 12
gratiæ & charitati, deſtruitque illas; veniale verò ſolùm opponitur charitatis fervori, & neque ipſam charitatem neque gratiam corrumpit. Coinciditque cum hoc diſcrimine illud unde prædicta peccata ſuas denominationes deſumunt, ſcilicet quod mortale tollit principium vitæ ſpiritualis, & ita cauſat mortem ſpiritualem in anima, nec relinquit in ſubjecto aliquid, quod ſit principium ſuæ remiſſionis: veniale autem non tollit prædictum principium, ſed relinquit in ſubjecto id per quod poſſit veniam adipiſci, juxta dicta numero 1. Hoc igitur diſcrimen coincidit cum tertio: quia prædictum principium eſt ipſa gratia & charitas, ut explicuimus diſputatione 17. dubio 3.

Quartò differunt: quia peccatum mortale inducit reatum pœnæ æternæ & pœnæ damni: quod non inducit veniale. Quintò quia mortale eſt averſio voluntatis à Deo ſicut à fine ultimo; veniale verò quamvis divertat utcumque ab illo, non tamen avertit. Et ad hoc fortè reducitur, quòd per mortale conſtituitur finis ultimus in bono creaturæ; per veniale verò non ita. Sextò quia mortale eſt offenſa Dei gravis; veniale verò vel non eſt offenſa, vel eſt tantùm levis. Septimò denique, ut omittamus alia diſcrimina minoris momenti, differunt prædicta peccata, quia mortale maculat ſimpliciter animam; veniale verò vel nullam maculam relinquit, vel tantùm ſecundùm quid & valde impropriè dictam. Hæc omnia diſcrimina aſſignat D. Thom. inter mortale & veniale peccatum in præſenti art. 1. & 2. & ſupra quæſt. 71. art. 5. quæſt. 87. art. 5. ad 1. & infra quæſt. 89. art. 1. quæſt.

Digitized by Google

men illa credere fide humana, moverique ex hac credulitate ad aliquid agendum vel omittendum. Dæmones etiam ex multis capitibus notitiam prædictorum myſteriorum aſſequuti ſunt: nam ſciunt, ea inter homines vulgari ut vera & à Deo revelata: videntque multa ſigna pro eorum confirmatione à Deo patrari; quorum evidentia coguntur vel inviti credere ita eſſe, ut fideles ſponte credunt, & loquuntur. Quæ omnia locum non habent in pueris illis, qui nihil de ſua damnatione aut de ejus cauſa ab aliquo audierunt.

100 Idem. Hæc prima ratio facilè aſſertionem perſuadet: videbitur tamen minùs probanda diſcipulis D. Thomæ: quia ipſe A. Doctor in 2. cit. diſt. 33. quæſt. 2. art. 2. adducit illam, & impugnat his verbis: *Quidam dicunt, quod pueri nullum dolorem ſuſtinebunt, quia in eis adeo ratio obtenebrata erit, ut non cognoſcant, ſe amiſiſſe quod amiſerunt. Quod probabile non videtur, ut anima ab onere corporis abſoluta ea non cognoſcat, quæ ſaltem ratione inveſtigari poſſint, & etiam multò plura.*

Sed quamvis D. Thomas hoc in loco ita ſenſerit de prædicta ratione, poſteà tamen Quæſt. 5. de Mal. art. 3. amplectitur illam magis explicatam: ita ut nec negetur pueris illis naturalis cognitio, quæ animæ ſeparatæ debetur, ut quidam negabant; nec concedatur alia major pertinens ad fidem, aut ad ea quæ ſunt fidei, uti eſt viſio beatifica & ejus privatio, ſe extendens.

Idem. Unde ſic ait. *Poſſumus tamen utrumque conjungentes, mediam viam tenere, ut dicamus, quod animæ puerorum naturali quidem cognitione non carent, qualis debetur animæ rationali ſeparatæ ſecundum ſuam naturam; ſed carent ſupernaturali cognitione, quæ hic in nobis per fidem plantatur: eo quod nec hic fidem habuerunt in actu, nec ſacramentum fidei ſuſceperunt. Pertinet autem ad naturalem cognitionem, quod anima ſciat, ſe propter beatitudinem creatam, & quod beatitudo conſiſtit in adeptione perfecti boni: ſed quod illud bonum perfectum, ad quod homo factus eſt, ſit illa gloria quam Sancti poſſident, eſt ſupra cognitionem naturalem. Vnde Apoſt. dicit prima ad Corinth. ſecundo, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Et poſtea ſubdit: Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. Quæ quidem revelatio ad fidem pertinet. Et ideo ſe privari tali bono animæ puerorum non cognoſcunt. Et propter hoc non dolent, ſed hoc quod per naturam habent, abſque dolore poſſident.* Juxta hunc ergo locum D. Thomæ, qui ſine dubio poſterior eſt, quilibet ejus diſcipulus poteſt ſecurè prædictam rationem tueri.

101 Secunda ratio. D. Thom. Secunda ratio habetur diſt. cit. ubi conceſſa adhuc parvulis illis ſuæ pœnæ cognitione, probat D. Thomas non propterea debere de illa contriſtari. *Sciendum ergo* (inquit) *quod ex hoc quod caret aliquis eo, quod ſuam proportionem excedit, non affligitur, ſi ſit rectæ rationis: ſed tantùm ex hoc quod caret eo, ad quod, aliquo modo proportionatus fuit: ſicut nullus ſapiens homo affligitur de hoc, quod non poſſit volare ſicut avis, vel quia non eſt Rex vel Imperator, cum ſibi non ſit debitum. Affligeretur autem, ſi privetur eo ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit. Dico ergo, quod omnis homo uſum liberi arbitrii habens, proportionatus eſt ad vitam æternam conſequendam, quia poteſt ſe ad gratiam præparare, per quam vitam æternam merebitur: & ideo ſi ab hoc deficiant, maximus erit dolor eis; quia amittunt illud quod ſuum eſſe poſſibile fuit. Pueri autem nunquam fuerunt proportionati ad hoc, quod vitam æternam haberent, quia neque eis debebatur ex principiis naturæ, cum omnem facultatem naturæ excedat, nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum conſequerentur: & ideo nihil omnino dolebunt de carentia viſionis divinæ: imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate & perfectionibus naturalibus. Nec poteſt dici, quod fuerunt proportionati ad vitam æternam conſequendam, quamvis non per actionem ſuam, tamen per actionem aliorum circa eos, quia potuerunt ab aliis baptizari: ſicut & multi pueri ejuſdem conditionis baptizati vitam æternam conſequuti ſunt. Hoc enim eſt ſuperexcedentis gratiæ, ut aliquis ſine actu proprio præmietur: unde defectus talis gratiæ non magis triſtitiam cauſat in pueris decedentibus non baptizatis, quàm in ſapientibus, hoc quod eis multæ gratiæ non fiunt, quæ in aliis ſimilibus factæ ſunt.*

Nec refert, ſi dicas, prædictos pueros habuiſſe in Adamo proportionem ad beatitudinem, dum in eo promiſſa eis fuit originalis juſtitia: ergo ſaltem dolebunt quod juſtitiam illam & proportionem amiſerint. 102 Replica.

Reſpondetur enim, ſapientes qui à paſſionibus non moventur, ſed ſola ratione ducuntur, cujuſmodi erunt pueri illi, non dolere de amiſſione, vel non adeptione bonorum, quæ ſibi gratis promiſſa ſunt, quando per ipſos non ſtat, quominùs ea recipiant: reputant enim illa, ac ſi promiſſa ſibi non fuiſſent. Et quia hoc pacto conſiderant prædicti parvuli proportionem illam vel juſtitiam originalem, quæ ipſis in Adamo promiſſa fuit, non magis eam non accepiſſe dolent, quàm ſi promiſſa non fuiſſet. Enervatur.

¶ Adde ex D. Thom. eodem loco ex diſt. 33. in ſecundo argumento, *Sed contra*, ubi ſic ait: *Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipſo non fuit ut vitaretur: propter quod Seneca probat, quod perturbatio in ſapientem non cadit: ſed in pueris eſt ratio recta nullo actuali peccato obliquata: ergo non turbabuntur de hoc, quod talem pœnam ſuſtinent, quam vitare nullo modo potuerunt.* Addunt verò & aliqui (ut faciliùs objectionibus ex hac ſecunda ratione emergentibus aditum præcludant) prædictam rationem non eſſe accipiendam omnino nudè, ſed cum recurſu ad aliquam ſpecialem Dei providentiam ut dicamus, notitiam beatitudinis amiſſæ in illis pueris ſaltem non habere magnam vim ad excitandum dolorem in voluntate propter eorum improportionem & alia, quæ tangit prædicta ratio. Si quæ verò vel modica vis prædictæ notitiæ remaneat, quæ quantum eſt ex ſe, aliquem dolorem excitare poſſet, temperabitur & impedietur, ne de facto in illum prorumpat, à divina providentia ita diſponente de illis parvulis: ut quia propria & perſonali voluntate nihil deliquerunt, nihil doloris ejuſdem voluntatis ſuſtineant. Præſertim cum talis dolor neque illis fructuoſus eſſe poſſit, neque ad oſtenſionem vel reparationem juſtitiæ neceſſarius videatur. D.Thom.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Duplex ſententia oppoſita: & argumenta utriuſque.

103 Contra primam aſſertionem negantem illis pueris pœnam ſenſus tenuiſſe videntur Gregorius in 2. diſt. 30. & 31. Driedo lib. 1. de grat. & lib. arbit. tract. 3. cap. 2. & alii quos refert Greg. Mart. ubi ſupra dub. 1. Probatur: nam parvuli cum originali decedentes, aſſiſtent in univerſali judicio, & collocabuntur non quidem à dextris judicis, cum non ſint de numero ſalvandorum, ſed à ſiniſtris: atque adeo comprehendet eos illa ſententia Matth. 25. *Tum dicet & his qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, &c. ſed pœna ignis eſt pœna ſenſus: ergo cruciabuntur hac pœna.

Gregorius. Driedo. Greg. Mart. Primum argumentum. Matth. 25.

Confirmatur: nam SS. Patres multoties aſſerunt, parvulos illos puniendos fore æterno ſupplicio, gehenna, tormento, cruciatu, & hujuſmodi: ſed hæc pertinent ad pœnam ſenſus: ergo, &c.

Confirmatio.

Reſpondetur, illam ſententiam univerſalis judicii non eſſe dirigendam ad omnes, qui à ſiniſtris judicis, ſed ſolum ad adultos: non enim ad parvulos ſpectare poteſt cauſa, quæ ibi redditur: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum*, &c.

Solutio.

Ad confirmationem reſpondet D. Thomas quæſt. 5. de Mal. art. 2. ad primum. *Dicendum, quod nomen tormenti, gehennæ, ſupplicii, & cruciatus, vel ſi quid ſimile in dictis Sanctorum inveniatur, eſt largè accipiendum pro pœna, ut ponatur ſpecies pro genere. Ideo autem tali modo loquendi uſi ſunt, ut deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, qui aſſerebant, in parvulis nullum peccatum eſſe, nec eis aliquam pœnam deberi.*

D. Thom.

104 Secundò probatur: nam peccato originali in hac vita correſpondent multæ pœnæ ſenſus: mors enim, infirmitas, & cæteri corporales defectus omnia ſunt pœnæ prædicti peccati, juxta doctrinam D. Thomæ ſupra quæſt. 85. art. 5. ergo etiam in futura vita punientur ſimili pœna: quandoquidem non mitius ibi peccata punientur, ubi non erit remiſſioni locus, quàm puniuntur in præſenti, ubi eſt locus miſericordiæ. ¶ Et confirmatur: nam corpora illorum puerorum non erunt impaſſibilia, cum non habeant dotem impaſſibilitatis: ſicut erunt corpora glorioſa propter prædictam dotem: ergo patientur ſicut modò à corporalibus.

Argumentũ ſecundum. D. Thom.

Reſpondet D. Thomas in 2. diſt. 33. cit. q. 1. art. 1. ad 3. *Dicendum, quod non eſt eadem ratio de pœna ſenſibili ante mortem, & poſt mortem, quia ante mortem pœna ſenſibilis conſequitur virtutem naturæ agentis, ſive ſit pœna ſenſibilis interior, ut febris, & aliquid hujuſmodi, ſive etiam ſenſibilis pœna exterior, ut uſtio & aliquid hujuſmodi: ſed poſt mortem nihil aget virtute naturæ: ſed ſecundùm juſtitiæ divinæ ordinem tantum, ſive in animam ſeparatam, in quam conſtat, quod ignis naturaliter agere non poteſt, ſive etiam in corpus poſt reſurrectionem, quia tunc omnis actio naturalis ceſſabit ceſſante motu primi mobilis, qui eſt cauſa omnis motus & alterationis corporalis.*

Idem.

105 Secundò reſpondetur, vel magis eadem ſolutio explicatur ex eodem D. Thom. quæſt. 5. de Mal. art. 4. ubi obſervat, quod duplex eſt pœna: alia, quam judex pro peccato determinat: & hanc appellat Ang. Doctor *pœnam taxatam*: alia verò, quæ ad hanc pœnam ex natura rei conſequitur: & hanc vocat *pœnam concomitantem*: ut ſi judex determinet, quod alicui in pœnam ſui peccati eruantur oculi, cæcitas eſt pœna taxata, paupertas verò & aliæ calamitates quæ in cæco conſequuntur; pertinent ad pœnam concomitantem. Hujuſmodi autem pœna concomitans tunc ſolum habet locum, quando ex ipſa pœna taxata ex natura rei ſequitur: quando verò ſuaptè natura ex ea non ſequitur, locum non habet. Pro peccato ergo originali pœna taxata in hac vita ſolum eſt privatio juſtitiæ originalis; mors verò & alii corporales defectus tantum habent rationem pœnæ concomitantis in hoc ſtatu, ubi ex conditione naturæ humanæ deſtitutæ originali juſtitia, ſibique relictæ conſequuntur; in futuro autem non conſequentur ex vi ejuſdem naturæ; & ita ceſſabunt: ut magis oſtendent verba D. Thomæ, quæ jam ſubjungimus.

Idem.

Ad confirmationem reſpondet S. Doctor loco cit. ex 2. ſent. in ſolut. ad 5. his verbis: *Dicendum, quod corpora puerorum non erunt impaſſibilia ex defectu potentiæ ad patiendum in ipſis; ſed ex defectu exterius agentis in ipſa, quia poſt reſurrectionem nullum corpus erit agens in alterum, præcipuè ad corruptionem inducendam per actionem naturæ, ſed erit actio tantum ad puniendum ex ordine divinæ juſtitiæ; unde illa corpora pœnam non patientur, quibus pœna ſenſibilis ex divina juſtitia non debetur. Corpora autem Sanctorum erunt impaſſibilia, quia deficiet in eis potentia ad patiendum, & ideo impaſſibilitas erit in eis dos, non autem in pueris.* Idem.

Tertiò arguitur: quia animæ illorum puerorum manebunt detentæ & ligatæ in limbo, ut nunquam inde exeant: ſed talis alligatio eſt pœna ſenſus, juxta dicta dub. præcedent. ergo, &c. 106 *Argumentũ tertium.*

Confirmatur, nam ſaltem poſt corporum reſurrectionem nequibit non eſſe valde pœnalis commoratio in illo loco ſubterraneo & obſcuro, ubi nihil videre poterunt: conſtat autem, totum hoc ad pœnam ſenſus pertinere: ergo ſaltem poſt diem judicii non omnino effugient iſtam pœnam. *Cõfirmatio.*

Reſpondetur ad argumentum, animas illas non detineri in limbo quaſi ligatas; quia non ſunt ſubjectæ alicui corpori vel ab eo depreſſæ, neque violenter ad aliquid neceſſitatæ: ſed conſtituentur ibi per ſolam præſentiam & aſſiſtentiam, quam Deus illis communicat, ut expectent illic ſua corpora: in quo nulla adeſt aut diſconvenientia ex parte loci, aut ex parte earum repugnantia. Nam neque tales animæ alibi eſſe appetunt: neque à loco illo ubi ſunt, aliquam depreſſionem vel ſubjectionem patiuntur: neque ab aliqua operatione aut intellectione eis debita, aut ab ipſis volita impediuntur; ſicut neque ad aliquid nolitum applicantur. Atque ita nihil in eis fit contra earum inclinationem neque ex parte ſubſtantiæ, neque ex parte potentiarum. Unde quia pœna ſenſus reſpectu ſubſtantiæ ſpiritualis non eſt nuda præſentia in loco, ſed ut aſſociata depreſſione, ſubjectione, & violentia, quas diximus: ut magis explicuimus numero 82. non ſequitur, *Solutio argumenti.*

Digitized by Google

ſequitur, dari ex iſto capite in prædictis animabus talem pœnam.

107 Solutio cōfirmationis. Ad confirmationem reſpondetur, non eſſe omnino certum an pueri illi poſt corporum reſurrectionem manſuri ſint in eodem limbi loco, vel ad alium nobiliorem tranſituri: non enim deſunt qui putent, habitaturos ſuper faciem terræ in hoc externo orbe: ſed quia nec modum iſtum dicendi (qui tribuitur Catharino & aliquibus aliis) etiam ut ſatis probabilem admittere audemus: nec præſentis loci eſt rem hanc examinare: admiſſo prædictos pueros in loco illo ſub tenebris manſuros, dicendum eſt, non hoc fore illis pœnale, quia non debetur eis nobilior locus, neque attenta diſpoſitione univerſi, & ordine quem ex tunc elementa ſervabunt, cooperiente aqua univerſam ſuperficiem terræ, erit naturaliter poſſibilis. Quo ſuppoſito, & quòd in illo loco nulla lux ſit, non appetent videre aliquid, ſicut neque appetent guſtare aut olfacere: quia naturaliter non erunt ibi objecta horum ſenſuum, aut ſaltem non erunt in diſpoſitione, ut poſſint ab eis percipi: & ita non erit eis pœnale carere operationibus prædictorum ſenſuum: quia eorum voluntas naturali rerum ordini in omnibus conformabitur.

Secunda ſententia oppoſita ſecundæ aſſertioni tenet, prædictos pueros habituros aliquam triſtitiam de amiſſione ſuæ beatitudinis: quæ triſtitia pertinet ad ipſam pœnam damni. *Abulenſ. Soto.* Ita Abulenſ. ſuper cap. 25. Matth. quæſt. 666. & quæſt. 671. Soto lib. 1. de nat. & grat. cap. 14. quod etiam probabile reputant Curiel, & alii ex his, quos pro noſtra ſententia adduximus. Argumenta autem, quibus hæc fulciri poſſet, ſoluta manent ex utraque ratione D. Thomæ, quam §. præced. adduximus.

ARTICULUS VI.

Vtrùm reatus pœnæ remaneat poſt peccatum?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quòd reatus pœnæ non remaneat poſt peccatum. Remota enim cauſa, removetur effectus: ſed peccatum eſt cauſa reatus pœnæ: ergo remoto peccato ceſſat reatus pœnæ.

2. Præt. Peccatum removetur per hoc quòd homo ad virtutem redit: ſed virtuoſo non debetur pœna, ſed magis præmium: ergo remoto peccato, non remanet reatus pœnæ.

3. Præt. Pœnæ ſunt medicinæ, ut dicitur in 2. Ethic. ſed poſtquàm aliquis jam eſt ab infirmitate curatus, non adhibetur ſibi medicina: ergo remoto peccato, non remanet debitum pœnæ.

Sed contra eſt, quod dicitur 2. Reg. 12. quòd David dixit ad Nathan: Peccavi Domino: dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris. Veruntamen quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, filius qui natus eſt tibi, morte morietur. Punitur ergo aliquis à Deo, etiam poſtquàm ei peccatum dimittitur, & ſic reatus pœnæ remanet peccato remoto.

Reſpon. Dicendum, quòd in peccato duo poſſūt cōſiderari, ſcilicet actus culpæ, & macula ſequens. Planum eſt autē, quòd ceſſante actu peccati, remanet reatus in omnibus peccatis actualibus. Actus enim peccati facit hominem reū pœnæ, in quantum tranſgreditur ordinem divinæ juſtitiæ, ad quem non redit niſi per quandam recompenſationē pœnæ, quæ ad æqualitatē juſtitiæ reducit, ut ſcilicet qui plus volūtati ſuæ indulſit, quàm debuit, contra mandatum Dei agens, ſecundùm ordinē divinæ juſtitiæ aliquid contra illud quod vellet, ſpontaneus, vel inuitus patiatur: quod etiam in injuriis hominibus factis obſervatur, ut per recompenſationē pœnæ reintegretur æqualitas juſtitiæ: unde patet, quòd ceſſante actu peccati, vel injuriæ illatæ, adhuc remanet debitū pœnæ. Sed ſi loquamur de ablatione peccati, quantùm ad maculam, ſic manifeſtum eſt, quod macula peccati ab anima auferri nō poteſt, niſi per hoc quòd anima Deo conjungitur per cujus diſtantiam detrimentum proprii nitoris incurrebat, quod eſt macula, ut ſupra dictum eſt. Conjungitur autem Deo homo per voluntatem. Unde macula peccati ab homine tolli non poteſt, niſi voluntas hominis ordinem divinæ juſtitiæ acceptet, ut ſcilicet, vel ipſe ſibi pœnam ſpontaneus aſſumat in recompenſationem culpæ præteritæ, vel etiam à Deo illatam patienter ſuſtineat; utroque enim modo pœna rationem ſatiſfactionis habet. Pœna autem ſatiſfactoria diminuit aliquid de ratione pœnæ: eſt enim de ratione pœnæ quod ſit contra voluntatem: Pœna autem ſatiſfactoria & ſi ſecundùm abſolutam conſiderationem ſit contra voluntatem, non tamen ut nunc, & per hoc eſt voluntaria; unde ſimpliciter eſt voluntaria, ſecundùm quid autem involuntaria: ſicut patet ex his quæ ſupra de voluntario & involuntario dicta ſunt. Dicendū eſt ergo, quod remota macula culpæ, poteſt quidem remanere reatus non pœnæ ſimpliciter, ſed ſatiſfactoriæ.

Ad primum ergo dicendū quod ſicut ceſſante actu peccati remanet macula, ut ſupra dictum eſt, ita etiā poteſt remanere reatus: ceſſante verò macula, non remanet

Digitized by Google

remanet reatus ſecundùm eandem rationem, ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd virtuoſo non debetur pœna ſimpliciter, poteſt tamen ſibi deberi pœna, ut ſatisfactoria: quia hoc ipſum ad virtutem pertinet, ut ſatisfaciat pro his, in quibus offendit vel Deum, vel hominem.

Ad tertium dicendum, quòd remota macula ſanatum eſt vulnus peccati quantùm ad voluntatem. Requiritur autem adhuc pœna ad ſanationem aliarum virtutum animæ, quæ per peccatum præcedens deordinatæ fuerunt, ut ſcilicet per contraria curentur. Requiritur etiam ad reſtituendum æqualitatem juſtitiæ; & ad amovendum ſcandalum aliorum, ut ædificentur in pœna, qui ſunt ſcandalizati culpa, ut patet exemplo de David inducto.

Conclusio.

Remota culpa, poteſt remanere reatus, non pœnæ ſimpliciter, ſed ſatisfactoriæ.

Appellat D. Thomas pœnam ſatisfactoriam illam, quæ manet poſt culpam remiſſam, eo quòd liberè & ex charitate aſſumitur, vel ſaltem acceptatur à pœnitente: nam hinc habet, ut Deus acceptet illam in ſatisfactionem ut opus ſibi gratum & acceptabile. E contra verò pœnæ, quas dæmones & peccatores patiuntur, ſicut Deo gratæ non ſunt: *Opera enim iniquorum reprobat Altiſſimus*: ita neque ab eo acceptantur, neque apud illum habent vim ſatisfaciendi.

Eccl. 34.

Condiſtinguit verò D. Thomas pœnam ſatisfactoriam à pœna ſimpliciter dicta, quaſi illa non ſit pœna ſimpliciter: cum tamen ex alia parte non videatur negandum, quòd pœnæ ſatisfactoriæ ſint ſimpliciter tales. Illæ enim, quas animæ in purgatorio patiuntur, verè ſunt ſatisfactoriæ, & tamen nemo dubitat appellare illas ſimpliciter pœnas. ¶ Reſpondemus, ex duplici capite poſſe diſtingui pœnam ſatisfactoriam à pœna non ſatisfactoria ſeu ſimpliciter dicta. Primò ita ut ly *ſatisfactoria* non ſit additum diminuens pœnam, ſed potiùs elevans ad aliquid præſtantius, quod eſt ſatisfacere: ly verò *ſimpliciter* reſtringat ad rationem pœnæ [illegible] ut ſit ſenſus, quòd pœnæ non ſatisfactoriæ [illegible] rationem pœnæ, [illegible] exprimit: [illegible], quia ſunt pœnæ [illegible] verò non ſiſtunt in ratione pœnæ, [illegible] hæc important minus [illegible] eſt [illegible] pœnæ excel[illegible] etiam nihil prohibet, quòd [illegible] loquendi [illegible] *pœna ſimpliciter* [illegible] quia adverbium [illegible] non tam denotat [illegible], quam [illegible] Quemadmodum [illegible] ſacerdotes, qui præter hoc habent munus ſacerdotale, & alios qui [illegible] habent etiam munus epiſcopale vel [illegible], diſtinguere volumus, illos priores vocamus *ſacerdotes ſimplices*, ſeu ſimpliciter ſacerdotes, nullo alio ſuperaddito; poſterioribus verò addimus aliquid denotans eorum præſtantiam & excellentiam.

Secundò poteſt accipi prædicta diſtantia, ita ut ly *ſatisfactoria* ſit additum diminuens: quaſi pœna ſatisfactoria minus habeat de ratione pœnæ, quàm non ſatisfactoria. Et hic ſenſus magis congruit literæ articuli, ubi dicitur, quòd pœna ſatisfactoria eo quòd eſt voluntaria diminuit aliquid de ratione pœnæ. Cum enim pœna ex ſe, & ex eo quòd eſt malum patientis, poſtulet eſſe contra voluntatem, juxta dicta diſp. 17. num. 25. eò minùs habebit de ratione mali & pœnæ, quò voluntas minus ei reſiſtit: minus autem reſiſtit pœnæ ſatisfactoriæ, cui non reſiſtit actu, ſed tantùm in potentia; actu verò acceptat illam; quàm pœnæ non ſatisfactoriæ, quam nullo modo acceptat. Minus ergo illa, quàm hæc habet de ratione mali & de ratione pœnæ. Atque adeo quoties inter eas ſit collatio, non prima; ſed ſecunda dicenda eſt pœna ſimpliciter & abſque addito. ¶ Diximus *quoties inter eas ſit collatio*, &c. quia dum pœna ſatisfactoria per ſe accipitur, non facta comparatione ad aliam, abſolutè & ſine addito, adeoque ſimpliciter dicenda eſt pœna. Et ita accipimus illas, quas juſti in purgatorio vel in hac vita patiuntur, cum eis ſimpliciter nomen pœnæ tribuimus: ſicut & multa, quæ in comparatione ad alia præſtantiora non dicuntur talia ſimpliciter & ſine addito, vocantur ita, cum per ſe & abſolutè ſumuntur.

Ex ſolutione ad ſecundum hujus articuli habes pro iis, quæ diſp. 17. dub. 1. dicta ſunt, aliud caput, unde ille cui remiſſa eſt mortalis culpa, poſſit denominari intrinſecè reus *pœnæ temporalis*: nimirum ipſa virtus juſtitiæ ſeu pœnitentiæ, quæ infunditur cum gratia, & obligat ad ſolvendam talem pœnam. Hujuſmodi verò reatus non ad demeritum, ſed ad juſtitiam pertinet, juxta dicta ibidem num. 10.

ARTICULUS VII.

Utrum omnis pœna ſit propter aliquam culpam?

Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur quòd non omnis pœna ſit propter aliquam culpam. Dicitur enim Joan. 9. de cæco nato: Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut naſceretur cæcus. Et ſimiliter videmus, quòd multi pueri, etiam baptizati graves pœnas patiuntur, ut puta febres, dæmonum oppreſſiones, & multa hujuſmodi, cum tamen in eis non ſit peccatum, poſtquam ſunt baptizati: & antequã ſint baptizati, non eſt in eis plus de peccato, quàm in aliis pueris, qui hæc non patiuntur: non ergo omnis pœna pro peccato eſt.

2 Præt. Ejuſdem rationis eſſe videtur, quòd peccatores proſperentur, & quòd aliqui innocentes puniantur: utrumque

que autem in rebus humanis frequēter invenimus. Dicitur enim de iniquis in Pſal. 72. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Et Iob 21. Impii vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitiis. Et Abacuc. 1. dicitur. Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio juſtiorem ſe? non ergo omnis pœna infligitur pro culpa.

3. Præt. De Chriſto dicitur 1. Pet. 2. quòd peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus: & tamen ibidem dicitur, quòd paſſus eſt pro nobis: ergo non ſemper pœna à Deo diſpenſatur pro culpa.

Sed contra eſt, quod dicitur Iob 4. Quis unquam innocens periit, aut quādo recti deleti ſunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, flante Deo, periiſſe. Et Auguſt dicit in 1. Retractationum, quòd omnis pœna juſta eſt, & pro peccato aliquo impenditur.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut jam dictum eſt, pœna poteſt dupliciter conſiderari, ſimpliciter, & in quantum ſatisfactoria. Pœna quidem ſatisfactoria eſt quodammodò voluntaria: & quia contingit eos, qui differunt in reatu pœnæ eſſe unum ſecundùm voluntatem unione amoris, inde eſt quod interdum aliquis qui non peccavit, pœnam voluntarius pro alio portat: ſicut etiam in rebus humanis videmus, quod aliquis in ſe transfert alterius debitum. Si verò loquamur de pœna ſimpliciter, ſecundū quod habet rationem pœnæ, ſic ſemper habet ordinem ad culpam propriā: ſed quandoque quidem ad culpam actualē, puta, quando aliquis vel à Deo, vel ab homine pro peccato cōmiſſo punitur; quandoque verò ad culpam originalē, & hoc quidem vel principaliter vel cōſequenter. Principaliter quidem pœna originalis peccati eſt, quod natura humana ſibi relinquitur deſtituta auxilio originalis juſtitiæ: ſed ad hoc conſequūtur omnes pœnalitates, quæ ex defectu naturæ hominibus contingunt.

Sciendum tamen eſt, quòd quandoque aliquid videtur eſſe pœnale, quod tamen non habet ſimpliciter rationem pœnæ. Pœna enim eſt ſpecies mali, ut in 1. dictum eſt: malum autem eſt privatio boni. Cū autem ſint plura hominis bona ſcilicet animæ, corporis, & exteriorum rerum, contingit interdum quod homo patiatur detrimentum in minori bono, ut augeatur in majori: ſicut cum patitur detrimentum pecuniæ propter ſanitatē corporis, vel in utroque horum propter ſalutem animæ, & propter gloriam Dei, & tunc tale detrimentum non eſt ſimpliciter malum hominis, ſed ſecundùm quid: unde non habet ſimpliciter rationem pœnæ, ſed medicinæ. Nam & medici auſteras potiones propinant infirmis, ut conferant ſanitatem. Et quia hujuſmodi non habent propriè rationem pœnæ, non reducuntur ad culpam ſicut ad cauſam, niſi pro tāto: quia hoc ipſum quod oportet naturæ humanæ medicinas pœnales exhibere, eſt ex corruptione naturæ, quæ eſt pœna originalis peccati. In ſtatu enim innocentiæ nō oportuiſſet aliquē ad profectū virtutis inducere per pœnalia exercitia: unde hoc ipſū quod eſt pœnale in talibus, reducitur ad originalē culpam ſicut ad cauſā.

Ad primum ergo dicendum, quòd hujuſmodi defectus eorum qui naſcuntur, vel etiam puerorum, ſunt effectus & pœnæ originalis peccati, ut dictum eſt, & manent etiam poſt baptiſmum propter cauſam ſuperiùs dictam: & quod non ſint æqualiter in omnibus, contingit propter naturæ diverſitatem, quæ ſibi relinquitur, ut ſupra dictū eſt. Ordinantur tamen hujuſmodi defectus ſecundùm divinam providentiam ad ſalutem hominum, vel eorum qui patiuntur, vel aliorum qui pœnis admonentur, & etiam ad gloriam Dei.

Ad ſecundum dicendum, quòd bona temporalia, & corporalia ſunt quidem aliqua bona hominis, ſed parva: bona verò ſpiritualia ſunt magna hominis bona. Pertinet igitur ad divinam juſtitiam, ut virtuoſis det ſpiritualia bona: & de temporalibus bonis, vel malis tantum det eis quantum ſufficit ad virtutem. Ut enim Dion. dicit 8. c. de divin. nom. Divinæ juſtitiæ eſt non emollire optimorum fortitudinem, materialium donationibus. Aliis verò hoc ipſum, quòd temporalia dantur, in malum ſpiritualium cedit: unde in Pſalm. 72. concluditur. Ideo tenuit eos ſuperbia.

Ad tertium dicendum, quòd Chriſtus pœnam ſuſtinuit ſatisfactoriam, non pro ſuis, ſed pro noſtris peccatis.

Prima Concluſio.

Pœna ſatisfactoria poteſt aſſumi ab eo, qui non peccavit.

Secunda Concluſio.

Pœna ſimpliciter ſecundùm quod habet rationem pœnæ, ſemper habet ordinem ad culpam vel perſonalem, vel originalem ejus, qui punitur.

Tertia

Tertia Conclusio.

Pœnæ tantùm medicinales non habent ordinem ad culpam, niſi in quantùm ex culpa originali eſt, quòd natura humana pœnalibus medicinis indigeat.

Commentarius.

Non negat D.Thomas, quòd pœna ſatisfactoria reſpiciat culpam: nam de ratione pœnæ propriè dictæ ſemper eſt ordo ad aliquam culpam.ſatisfactio enim, quæ Deo exhibetur, non habet locum, niſi culpa præceſſerit, ex qua dũtaxat conſurgere poteſt onus ſatisfaciendi ipſi Deo. Sed intendit S.Doctor, neceſſarium non eſſe, ut is qui ſatisfacit, ſolvat pro culpa propria: nam poteſt ſolvere pro aliena, ſicut Chriſtus pro nobis ſolvit. Et in hoc differt hæc pœna ab ea quæ non eſt ſatisfactoria, ſed ſiſtit in ratione pœnæ: nam iſta non infligitur niſi ipſimet qui peccavit: neque poteſt pro eo ab alio aſſumi. Et ratio eſt, quia pœna, quæ nõ deſervit ad ſatisfaciendum vel ſolvendum debitum ex culpa relictum, ſolum poteſt deſervire ad vindicandam divinam juſtitiam in punitione ipſius culpæ, & depreſſione peccatoris quem culpa extulit: hoc autem non fit, niſi puniatur ipſe qui deliquit: quantuncunque enim alius pœna afficiatur, dum tamen peccator ipſe, ubi culpa eſt, non punitur & deprimitur, non inſurgit ſufficienter juſtitia adversùs culpam, neque de illa vindictam & victoriam reportat.

Tertia concluſio non habet locum in pœnis ſpiritualibus: uti ſunt amiſſio gratiæ & virtutum, aut privatio auxiliorum, quibus peccata ſunt cavenda: quia hujuſmodi pœnæ non ſunt tantum medicinales, neque ex ſe conducunt ad majus bonum animæ. Sicut conducere poſſunt pœnæ dumtaxat corporales: proinde poſſunt habere rationem ſolius medicinæ. Adeoque non eſt neceſſe ut inferantur immediate propter culpam; ſed poſſunt inferri præcisè ob ſanandam naturam, & ad bonum provehendam.

Atque hinc petenda eſt ſolutio cujuſdam difficultatis, quam diſp. 17. n. 22. in hunc locum remiſimus: nimirum quo pacto habeant rationem pœnæ, illæ quæ imponuntur tranſgreſſoribus aliquarum humanarum legum non obligantium ſub culpa etiam veniali. Dicendum enim eſt, non eſſe propriè pœnas, ſed dumtaxat medicinas, quibus natura humana indiget, ut promoveatur ad perfectionis bonum; ſicut indiget pœnis, ut retrahatur à malo. Ex culpa namque originali manſit natura ægra & infirma: tum ex parte propenſionis ad malum, quam originalis juſtitia compeſcebat, eaque amiſſa, vires ſumpſit: tum etiam ex parte inclinationis ad bonum, quam prædicta juſtitia roborabat. Sicut ergo ad reprimendam priorem illam propenſionem ne in actum prorumpat, conſtitutæ ſunt pœnæ propriè dictæ, quæ retrahunt à peccato; ita ad promovendam & ſtimulandam poſteriorem inclinationem inſtituta ſunt quædam pœnalia, quæ metu ſui incitant ad bene agendum, etiam in iis quæ poſſent ſine peccato omitti. Incumbit enim humanis Legiſlatoribus, iis præſertim qui religioſis Ordinibus leges tradunt, non ea tantùm media præſcribere, quibus peccata caveantur: ſed etiam alia, quibus prædictorum Ordinum profeſſores ad perfectionis ſtatum inducantur, omittendo minùs perfecta, & aſſumendo perfectiora, etiam in iis quæ ſine ulla culpa poſſent facere, vel omittere. Et quia inter hæc media non parum efficacia ſunt quædam pœnalia & laborioſa per leges iniuncta, *pœnæ medicinales* vocantur. Pœnæ quidem, quia pœnalia ſunt; medicinales verò, quia tendunt ad ſanandam & iuvandam naturæ infirmitatem. Non tamen propriè & in rigore *pœnæ* dicendæ ſunt: quia non reſpiciunt directè aliquam culpam. Et ideo ly *medicinales* eſt additum non tantum diminuens, ſed etiam tollens veram rationem pœnæ. Niſi fortè talis ratio in illis conſervetur per ordinem ad peccatum originale: eo modo quo D.Thomas in fine corp. declarat.

ARTICULUS VIII.

Utrum aliquis puniatur pro peccato alterius?

AD octavum ſic proceditur. Videtur quod aliquis puniatur pro peccato alterius. Dicitur enim Exod. 20. Ego ſum Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem his qui oderunt me. Et Matth. 23. dicitur: Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram.

2. Præterea: juſtitia humana derivatur à juſtitia divina: ſed ſecundum juſtitiam humanam aliquando filii puniuntur pro parentibus, ſicut patet in crimine læſæ majeſtatis: ergo etiam ſecundum divinam juſtitiam unus punitur pro peccato alterius.

3. Præterea: ſi dicatur filius non puniri pro peccato patris, ſed pro peccato proprio, in quantum imitatur malitiam paternam, non magis hoc diceretur de filiis, quam de extraneis, qui ſimili pœna puniuntur his, quorum peccata imitantur: non ergo videtur, quod filii pro peccatis propriis puniantur, ſed pro peccatis parentum.

Sed contra eſt, quod dicitur Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris.

Reſpond. dicẽdum, quòd ſi loquamur de pœna ſatisfactoria, quæ voluntariè aſſumitur, contingit, quod unus portet pœnam alterius, in quantum ſunt quodammodò unum, ſicut jam dictũ eſt. Si autem loquamur de pœna pro peccato inflicta, in quantum habet rationẽ pœnæ, ſic ſolum unuſquiſque pro peccato ſuo punitur: quia actus peccati aliquid perſonale eſt. Si autem loquamur de pœna,

Digitized by Google

pœna, quæ habet rationem medicinæ, contingit quod unus punitur pro peccato alterius. Dictum eſt enim, quod detrimenta corporalium rerum, vel etiam ipſius corporis, ſunt quædam pœnales medicinæ ordinatæ ad ſalutem animæ: unde nihil prohibet talibus pœnis aliquem puniri pro peccato alterius, vel à Deo, vel ab homine, utpotè filios pro patribus, & ſubditos pro dominis, in quantum ſunt quædam res eorum: ita tamen quòd ſi filius vel ſubditus eſt particeps culpæ, hujuſmodi pœnalis defectus habet rationem pœnæ quantùm ad utrumque, ſcilicet eum qui punitur, & eum pro quo punitur. Si verò non ſit particeps culpæ, habet rationem pœnæ quantùm ad eum pro quo punitur: quantùm verò ad eum qui punitur, rationem medicinæ tantùm, niſi per accidens in quantum peccato alterius conſentit: ordinatur enim ei ad bonum animæ, ſi patienter ſuſtineat. Pœnæ verò ſpirituales non ſunt medicinales tantùm: quia bonum animæ non ordinatur ad aliud melius bonum: unde in bonis animæ nullus patitur detrimentum ſine culpa propria, propter hoc etiam talibus pœnis, ut dicit Hieron. in epiſtol. ad Avitum, unus non punitur pro alio: quia quantum ad animam filius non eſt res patris: unde & hujus cauſam Dominus aſſignans dicit Ezechiel. 18. Omnes animæ meæ ſunt.

Ad primum ergo dicendum, quòd utrumque dictum videtur eſſe referendum ad pœnas temporales vel corporales, in quantum filii ſunt quædam res parentum, & ſucceſſores prædeceſſorum: vel ſi referantur ad pœnas ſpirituales, hoc dicitur propter imitationem culpæ: unde in Exod. additur. His qui oderunt me. Et in Matth. dicitur: Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. Dicit autem puniri peccata patrum in filiis, quia filii in peccatis parentum nutriti, proniores ſunt ad peccandum, tum propter conſuetudinem, tũ etiam propter exemplũ, patrum quaſi authoritatem ſequentes. Sunt etiã majori pœna digni, ſi pœnas patrum videntes, correcti non ſunt. Ideo autem addidit, in tertiam & quartam generationem: quia tantum conſueverunt homines vivere, ut tertiam & quartam generationem videant, & ſic mutuò videre poſſunt & filii peccata parentum ad imitandum, & patres pœnas filiorum ad dolendum.

Ad ſecundum dicendum, quòd pœnæ illæ ſunt corporales, & temporales, quas juſtitia humana uni pro peccato alterius infligit, ſunt remedia quædam, vel medicinæ contra culpas ſequentes, ut vel ipſi qui puniuntur, vel alii cohibeantur à ſimilibus culpis.

Ad tertium dicendum, quòd magis dicuntur puniri pro peccatis aliorum propinqui, quam extranei, tum quia pœna propinquorum quodammodo redundat in illos qui peccaverunt, ut dictum eſt, in quantum filius eſt quædam res patris. Tum etiam quia & domeſtica exempla, & domeſticæ pœnæ magis movent; unde quando aliquis nutritus eſt in peccatis parentum, vehementius ea ſequitur, & ſi ex eorum pœnis non eſt deterritus, obſtinatior videtur: unde & eſt majori pœna dignus.

Prima Conclusio.

Pœna ſatisfactoria poteſt aliquis puniri pro alterius peccato, quatenus voluntate ſunt unum.

Secunda Conclusio.

Pœnis corporalibus poteſt unus pro alio puniri: hujuſmodi tamen punitio ſolùm habebit rationem pœnæ reſpectu illius qui peccavit; reſpectu verò ejus qui non peccavit, habebit tantùm rationem medicinæ.

Tertia Conclusio.

Pœnis ſpiritualibus nunquam punitur unus pro alio.

Omnes iſtæ concluſiones declarantur ſufficienter à D. Thoma: & quo ſenſu verum ſit, Deum pro culpis parentum punire filios, viſitareque in iſtis illorum peccata, etiam uſque ad tertiam vel quartam generationem; ut Scriptura ſæpe tradit. Quædam verò difficultas circa tertiam concluſionem ex litera inſurgens, ſoluta eſt à Cajet. in comment. hujus articuli. Obſervandum tamen eſt circa prædictam concluſionem, quod nomine *pœna ſpiritualis* ſolum intelligit D. Thomas illam, quæ animæ profectus detrimentum infert: atque adeo quæ vel tollit gratiam habitualem, gloriam, dona, & virtutes: vel impedit eorum augmentum: vel tollit auxilia, quibus cavenda ſunt peccata. His verò integris manentibus, etiam ſi Deus privaret aliquem aliqua perfectione ſpirituali, ut gratia prophetiæ, dono linguarum, vel ſimilibus, talis privatio non eſſet numeranda inter pœnas, quas D. Thomas ſpirituales vocat, & dicit non eſſe tantum medicinales: ſed reducenda cum pœnis corporeis ad eam quam medicinalem appellat in ſecunda concluſione. Unde non eſt negandum, quod hoc genere pœnæ poſſit unus pro alterius peccato puniri: aut etiam ſine reſpectu ad peccatum proprium, vel alterius, ſimili pœna ut medicina affici ad majorem in virtute profectum.

QUÆST. LXXXVIII.

De peccato veniali & mortali in ſex Articulos diviſa.

DEINDE quia peccatum veniale, & mortale diſtinguuntur ſecundum reatum, conſiderandum eſt de eis. Et primò conſiderandum eſt de veniali per comparationem ad mortale. Secundò, de veniali ſecundum ſe. Circa primum quæruntur ſex.

ARTICULUS I.

Vtrùm veniale peccatum convenienter dividatur contra mortale?

AD primum ſic proceditur. Videtur quod veniale peccatum non convenienter dividatur contra mortale. Dicit enim Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum. Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, dat peccato quod ſit mortale: ergo omne peccatum eſt mortale; non ergo peccatum veniale dividitur contra mortale.

2. Præt. Apoſtolus dicit Corinth. 10. Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite: ſed contra hoc præceptum facit, quicunque peccat, non enim peccatum fit propter gloriam Dei. Cum ergo facere contra præceptum ſit peccatum mortale, videtur quod quicunque peccat, mortaliter peccet.

3. Præt. Quicunque amore alicui rei inhæret, inhæret ei vel ſicut fruens, vel ſicut utens, ut patet per Auguſt. 1. de doctrina Chriſt. ſed nullus peccans inhæret bono commutabili quaſi utens, non enim refert ipſum ad bonum, quod nos beatos facit, quod propriè eſt uti, ut Auguſt. dicit ibidem: ergo quicunque peccat, fruitur bono commutabili: ſed frui rebus utendis eſt humana perverſitas, ut Auguſt. dicit in lib 83. quæſt. cum ergo perverſitas peccatum mortale nominetur, videtur quod quicunque peccat, mortaliter peccet.

4. Præter. Quicunque accedit ad unum terminum, ex hoc ipſo recedit ab alio: ſed quicunque peccat, accedit ad bonum commutabile: ergo recedit à bono incommutabili: ergo peccat mortaliter: non ergo convenièter peccatum veniale cõtra mortale dividitur.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in homil. 7. ſuper Joan. quod crimen eſt, quod damnationem meretur: veniale autem eſt, quod non meretur damnationem. Sed crimen nominat peccatum mortale: ergo veniale peccatum convenienter dividitur contra mortale.

Reſpondeo dicẽdum, quod aliqua, ſecundum quod propriè accipiuntur, non videntur eſſe oppoſita, quæ ſi metaphoricè accipiantur, opponi inveniuntur, ſicut ridere non opponitur ei, quod eſt creſcere: ſed ſecundum quod ridere metaphoricè de prato dicitur propter ejus floritionem & virorem, opponitur ei, quod eſt creſcere. Similiter ſi mortale propriè accipiatur, prout refertur ad mortem corporalem non videtur oppoſitionem habere cum veniali, nec ad idem genus pertinere. Sed ſi mortale accipiatur metaphoricè, ſecundum quod dicitur in peccatis, mortale opponitur ei, quod eſt veniale. Cum enim peccatum ſit quædam infirmitas animæ, ut ſupra habitum eſt, peccatum aliquod mortale dicitur ad ſimilitudinem morbi, qui dicitur mortalis, ex eo quod inducit defectum irreparabilem per deſtitutionem alicujus principii, ut dictum eſt. Principium autem ſpiritualis vitæ, quæ eſt ſecundum virtutem, eſt ordo ad ultimum finem, ut ſupradictum eſt, qui quidem ſi deſtitutus fuerit, reparari non poteſt per aliquod principium intrinſecum, ſed ſolùm per virtutem divinam, ut ſupra dictum eſt: quia inordinationes eorum, quæ ſunt ad finem, reparantur ex fine, ſicut error qui accidit circa concluſiones per veritatem principiorum. Defectus ergò ordinis ultimi finis non poteſt per aliquid aliud reparari, quod ſit principalius: ſicut nec error, qui eſt circa principia: & ideo hujuſmodi peccata dicuntur mortalia quaſi irreparabilia. Peccata autem quæ habent inordinationem circa ea quæ ſunt ad finem, conſervato ordine ad ultimum finem, reparabilia ſunt, & hæc dicuntur venialia. Tunc enim peccatum veniam habet, quando reatus pœnæ tollitur, qui ceſſat ceſſante peccato, ut dictum eſt. Secundùm hoc ergo mortale & veniale opponuntur, ſicut reparabile, & irreparabile: & hoc dico per principium interius, non

non autem per comparationẽ ad virtutem divinam, quæ omnem morbum & corporalem,& ſpiritualẽ poteſt reparare,& propter hoc veniale peccatum cõvenienter dividitur contra mortale.

Ad primum ergo dicendum,quòd diviſio peccati in veniale & mortale, non eſt diviſio generis in ſpecies,quæ æqualiter participant rationem generis, ſed analogi in ea de quibus prædicatur ſecundùm prius & poſterius: & ideo perfecta ratio peccati,quam Auguſt.ponit, convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum ſecundùm rationem imperfectam,& in ordine ad peccatum mortale: ſicut accidens dicitur ens in ordine ad ſubſtantiam,ſecundùm imperfectam rationem entis, non enim eſt contra legem: quia venialiter peccans, non facit quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, ſed facit præter legem: quia non obſervat modum rationis, quem lex intendit.

Ad ſecundum dicendum, quòd illud præceptum Apoſtoli eſt affirmativum, unde non obligat ad ſemper: & ſic non facit contra hoc præceptum quicunque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit ergo, quod aliquis habitualiter referat ſe & omnia ſua in Deũ ad hoc,quod non ſemper mortaliter peccet,cum aliquem actũ non refert in gloriã Dei actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriã Dei, ſed ſolum actualem: quia non excludit charitatem,quæ habitualiter ordinat in Deum: unde non ſequitur,quod ille qui peccat venialiter, peccet mortaliter.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui peccat venialiter, inhæret bono temporali non ut fruens, quia non conſtituit in eo finem, ſed ut utens referens in Deum non actu, ſed habitu.

Ad quartum dicendum,quòd bonum commutabile non accipitur, ut terminus contra poſitus incommutabili bono, niſi quando conſtituitur in eo finis. Quod enim eſt ad finem, non habet rationem termini.

PRIMA CONCLUSIO *eſt affirmativa.*

SECUNDA CONCLUSIO in ſolut. ad primum.

Diviſio peccati in veniale & mortale, non eſt diviſio generis in ſpecies, ſed analogi in analogata.

ARTICULUS II.

Utrum peccatum veniale & mortale differant genere.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd peccatum veniale & mortale non differant genere, ſcilicet, quod aliquod ſit peccatum mortale ex genere, & aliquod veniale ex genere. Bonum enim & malum ex genere in actibus humanis accipitur per comparationem ad materiam, ſive ad objectum, ut ſupra dictum eſt: ſed ſecundùm quodlibet objectum,vel materiam contingit peccare mortaliter & venialiter: quodlibet enim bonum commutabile poteſt homo diligere vel infra Deum, quod eſt peccare venialiter, vel ſupra Deum, quod eſt peccare mortaliter: ergo peccatum veniale & mortale non differunt genere.

2. Præt. Sicut dictum eſt ſupra, peccatum mortale dicitur,quod eſt irreparabile; peccatum autem veniale, quod eſt reparabile:ſed eſſe irreparabile convenit peccato quod fit ex malitia, quod ſecundum quoſdam irremiſſibile dicitur; eſſe autem reparabile convenit peccato quod fit per infirmitatem, vel ignorantiam quod dicitur remiſſibile. Ergo peccatum mortale & veniale differunt, ſicut peccatum quod eſt ex malitia commiſſum, vel ex infirmitate & ignorantia: ſed ſecundum hoc non differunt peccata genere, ſed cauſa, ut ſupra dictum eſt. Ergo peccatum veniale & mortale non differunt genere.

3. Præterea: ſupra dictum eſt, quòd ſubiti motus tam ſenſualitatis quàm rationis ſunt peccata venialia: ſed ſubiti motus inveniuntur in quolibet peccati genere. Ergo non ſunt aliqua peccata venialia ex genere.

Sed contra eſt, quod Aug. in ſerm. de Purgatorio enumerat quædam genera peccatorum venialium, & quædam genera peccatorum mortalium.

Reſpondeo dicendum, quod peccatum veniale à venia dicitur. Poteſt igitur aliquod peccatum dici veniale uno modo, quia eſt veniam conſecutum, & ſic dicit Ambroſ. quod omne peccatum per pœnitentiam fit veniale: & hoc dicitur veniale,quia non habet in ſe unde veniam non ſequatur vel totaliter vel in parte. In parte quidem ſicut cum habet

habet in ſe aliquid diminuens culpam, ut cum ſit ex infirmitate, vel ignorantia, & hoc dicitur veniale ex cauſa. In toto autem, ex eo quòd non tollit ordinem ad ultimum finem, unde non meretur pœnam æternam ſeu temporalem: & de hoc veniali ad præſens intendimus: De primis enim duobus conſtat, quòd non habent genus aliquod determinatum, ita quòd aliquod peccatum dicatur veniale ex genere, & aliquod mortale ex genere, ſecundum quod genus, vel ſpecies actus determinatur ex objecto. Cum enim voluntas fertur in aliquid, quod ſecundum ſe repugnat charitati, per quam homo ordinatur in ultimum finem, illud peccatum ex ſuo objecto habet quod ſit mortale. Unde eſt mortale ex genere, ſive ſit contra dilectionem Dei, ſicut blaſphemia, perjurium & hujuſmodi: ſive contra dilectionem proximi, ſicut homicidium, adulterium, & ſimilia, unde hujuſmodi ſunt peccata mortalia ex ſuo genere. Quandoque verò voluntas peccantis fertur in id, quod in ſe continet quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei & proximi, ſicut verbum otioſum, riſus ſuperfluus, & alia hujuſmodi: & talia ſunt peccata venialia ex ſuo genere, ut ſupra habitum eſt. Sed quia actus morales recipiunt rationem boni & mali non ſolùm ex objecto, ſed etiam ex aliqua diſpoſitione agentis, ut ſupra habitum eſt, contingit quandoque quòd id, quod eſt peccatum veniale ex genere, ratione ſui objecti fit mortale ex parte agentis, vel quia in eo conſtituit finem ultimum, vel quia ordinat ipſum ad aliquid quod eſt peccatum mortale ex genere, puta, cum aliquis ordinat verbum otioſum ad adulterium committendum. Similiter etiam ex parte agentis contingit, quòd aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, fit veniale propter hoc, ſcilicet, quòd actus eſt imperfectus, id eſt non deliberatus ratione, quæ eſt principium proprium mali actus: ſicut ſupra dictum eſt de ſubitis motibus infidelitatis.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex hoc ipſo, quòd aliquis eligit id, quod repugnat divinæ charitati, convincitur præferre illud charitati divinæ, & per conſequens plus amare ipſum quàm Deum: & ideo aliqua peccata ex genere, quæ de ſe repugnant charitati, habēt, quòd aliquid diligatur ſupra Deum, & ſic ſunt ex genere ſuo mortalia.

Ad ſecundum dicendum, quòd ratio illa procedit de peccato veniali ex cauſa

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de peccato, quod eſt veniale propter imperfectionem actus

Prima Conclusio.

Aliqua ſunt peccata ex ſuo genere venialia, & aliqua ex ſuo genere mortalia: ſecundùm quod genus vel ſpecies actus determinatur ex objecto.

Secunda Conclusio.

Illud quod eſt peccatum veniale ex genere, poteſt fieri mortale ratione finis.

Tertia Conclusio.

Illud quod eſt ex genere peccatum mortale, poteſt fieri veniale propter imperfectionem actus, ſi plenè deliberatus non ſit.

Duo iſti primi articuli continent principales difficultates, quæ circa præſentem quæſtionem à Theologis examinantur: pro quibus erit.

DISPUTATIO XIX.

De diſtinctione peccati venialis à mortali.

Quamvis in præcedentibus, præſertim diſp. 4. & 9. diſp. 10. & 17. non pauca dixerimus, quæ naturam venialis & mortalis peccati notificare poſſunt, non erit otioſa ſpecialis circa ea diſputatio: quia ſuperſunt aliqua pro dignoſcenda illorum differentia, quæ poſtulant radicitus examinari. Quæ autem difficultatem continent (præter certa vel communia, quæ ut ſupponenda potius quam ut diſcutienda referemus) ad duo præcipuè reducuntur, nimirum ad principium diſtinctionis inter prædicta peccata, & ad genus diviſionis: quibus examinatis, minutiora alia lucem recipient.

DUBIUM I.

Quæ ſit primaria differentia venialis culpæ à mortali?

Quamvis inter peccatum veniale & mortale aſſignari ſoleant plura diſcrimina ex diverſis capitibus accepta, unumdumtaxat debet eſſe præcipuum & primarium, ad quod cætera conſequuntur. Quod tamen haud facilè inveniemus, niſi per alia etiam diſcurramus, & ea breviter examinemus.

Digitized by Google

§. I.

Rationes venialis & mortalis peccati: & eorum varia diſcrimina.

1 *Vtriuſque peccati etymologia.* NVllus dubitat, peccatum mortale à morte dictum eſſe, non corporis, ſed animæ: cumque hujus vita ſit per gratiam qua Deo conjungitur, eius mors dicetur amiſſio ipſius gratiæ, qua ab illo avertitur & ſeparatur: adeoque peccatum mortale erit omne illud quod gratiam aufert, & animam à Deo averſam relinquit. Veniale verò dictum eſt à venia & remiſſione: & habet triplicem acceptionem, ut obſervat D. Thom. quæſt.7. de Mal.art.1. & in præſenti art.2. *D. Thom.* Poteſt enim peccatum dici *veniale*, vel quia eſt veniam conſequutum: & hoc eſt *veniale ab effectu*. *D. Ambr.* Qua ratione D. Ambroſius citatus à D. Thoma dixit, omne peccatum fieri veniale per pœnitentiam, quia per hanc conſequitur remiſſionem. Vel poteſt dici *veniale*, quia habet in ſe unde aliquo modo venia dignum ſit, ſeu unde minùs veniæ repugnet, & minùs eam excludat: & hoc dicitur *veniale ex cauſa*. Quo pacto ſe habent peccata ex ignorantia vel infirmitate commiſſa: defectus enim voluntarii diminuens eorum malitiam, diminuit etiam difficultatem remiſſionis. Neutrum tamen ex iſtis venialibus dividitur contra mortale, ut ex ſe liquet. Vnde tertiò dicitur peccatum veniale, quia non excludit à ſubjecto principium veniæ & remiſſionis: & quia hujuſmodi principium eſt gratia, omnia illa peccata quæ gratiam non auferunt, *venialia* vocantur. Et in hac tertia acceptione ſumitur communiter peccatum veniale à Theologis, & dividitur contra mortale.

Eſtque adhuc triplex: nam aliud dicitur *veniale ex genere*, ut verbum otioſum: quia ex propria materia & objecto, quantumcunque circa illud creſcat, non habet unde ſit mortale. Aliud *ex parvitate materiæ*, ut furtum rei parvæ: quod ideo veniale remanet, quia non attingit ſimpliciter materiam ſui generis, ſed aliquid tenue & modicum. Et aliud *ex imperfecta deliberatione*, quod etiamſi circa objectum ex ſe mortale, & circa materiam gravem verſetur, non ſumit inde malitiam mortalem propter imperfectionem actus, qui ob defectum plenæ deliberationis non eſt capax tantæ malitiæ. Omnia autem hæc comprehenduntur in præſenti, & ſecundùm communem Theologorum acceptionem ſub nomine *culpæ venialis*, & à mortali diſtinguuntur.

2 *Eorum exiſtentia.* Dari verò de facto prædicta peccata venialia, & non omnia quæ ab hominibus committuntur, mortalia eſſe; ſicut neque omnia venialia, tenent ut certum omnes Catholici: & docet Concil. Trident. ſeſſ.6. cap.11. dum ait: *Conc.Trid.* *Licèt enim in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti. Nam juſtorum illa vox eſt & humilis & verax, Dimitte nobis debita noſtra*, &c. Etenim ſicut inter infirmitates corporis quædam ſunt graves, quæ mortem inducunt auferendo principium vitæ; quædam verò leves, quæ in eo periculo non conſtituunt, quamvis ad id diſponant: ita inter peccata, quæ ſunt morbi animæ, aliqua habent eſſe gravia, quæ animam occidunt auferendo gratiam, per quam Deo vivit, & ideo mortalia dicuntur: & aliqua levia, quæ licèt ad prædictum effectum diſponant, non tamen ſe ipſis pertingunt, & hæc ſunt venialia. ¶ Accedit, quòd ſicut apud homines non quælibet offenſa reputatur gravis, aut ſufficit ad tollendam inter eos amicitiam; ſed dantur aliquæ leves, per quas, amicitia adhuc conſervata, nonnihil læduntur: ita in ordine ad Deum, cujus amicitia firmior & ſtabilior eſt, non eſt dicendum omnes offenſas eſſe graves & tollentes prædictam amicitiam; ſed aliquas eſſe leves, per quas illa non ſolvitur, licèt aliqualiter refrigeſcat.

3 *Contrarii errores.* Quamvis autem veritas hæc perſpicua ſit, non tamen deſunt contra illam aliqui hæreticorum errores, quos breviter tangemus. Lutherus enim aſſeruit, præter infidelitatem nullum peccatum eſſe mortale, ſed omnia venialia. Quem errorem damnat Tridentinum ſeſ. citata can.27. ubi ait: *Conc.Trid.* *Si quis dixerit, nullum eſſe mortale peccatum niſi infidelitatis, &c. anathema ſit.* Calvinus etiam lib. contra ſacrum Concilium circa prædictum can. 27. turpiſſimè erravit dicens, omnia peccata de facto mortalia eſſe propter Dei legem, licèt ex ſe omnia eſſent venialia. Contra quem ſcribunt Caſtro de hæreſib. verbo *peccatum*. Hæreſ. ult. & Vega lib.14. ſuper Concil.Trident. à cap.1. uſque ad 6. *Caſtro. Vega.* Alia via erravit Vvicleff aſſerens, omnia peccata prædeſtinatorum venialia eſſe, reproborum verò omnia eſſe mortalia. Quem optimè impugnat N. Thomas Vvald. tom.2. à cap. 155. uſque ad 158. *Vvald.* Nec neceſſe erit in prædictis erroribus evertendis immorari, cum veritas de qua agimus, adeò ſit perſpicua: ſed ut certum & exploratum ſupponere, tam in prædeſtinatis quàm in reprobis reperiri multoties utraque peccata, neque omnia ex ſe eſſe venialia; aut ex lege Dei omnia mortalia; ſed ex ſe ipſis multa ad gradum culpæ mortalis pertinere, plurima verò gradum venialis non excedere etiam ex quacumque lege.

4 *Falſa opinio.* Nonnullum tamen dubium eſt etiam apud authores catholicos, an diſtinctio inter prædicta peccata ſit ex natura rei, vel ſolùm ex divina miſericordia? Hoc enim poſterius tenuere Gerſon. 3.part.tract. de vita ſpirit. alph. 61. Almain. tract. 3. moral. cap. 20. Roffenſis contra Luter. art.32. *Gerſon. Almain. Roffenſis.* Dicunt enim, quodlibet peccatum quantum eſt ex ſe, mereri pœnam æternam: quia cum ſit offenſa Dei, qui eſt infinitus, eſt offenſa infinita, mereturque proinde pœnam ſaltem ex parte durationis infinitam: quod proprium eſt culpæ mortalis. Cæterùm ex divina miſericordia remittit Deus prædictam pœnam pro aliquibus peccatis, & in pœnam temporalem convertit: quod eſt peccata ipſa effici venialia. Hanc tamen ſententiam communiter reiiciunt cæteri Theologi: & improbabilem appellat Vazq. diſp. 142. cap.1. Eius verò falſitas conſtabit ex dicendis toto hoc dub. ubi plura trademus diſcrimina inter peccatum veniale & mortale, orta ex natura utriuſque. Videtur autem prædicta ſententia reprobata eſſe per Bullam Pii V. & Gregorii XIII. contra Michaelem Baium: *Pius V. Greg. XIII.* nam inter reliquas propoſitiones ibi condemnatas hæc habetur. *Nullum eſt peccatum natura ſua veniale: ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Ad illud de infinitate

nitate offenſæ peccati venialis, dicemus quæſt. ſequenti in comment. art. 1. ubi declarabitur, quomodò licet per prædictum peccatum offendatur Deus, qui eſt bonum infinitum, quia tamen non offenditur ſimpliciter, ſicut per peccatum mortale, non conſurgit inde offenſa infinita.

Objectio. Neque obeſt, ſi obiicias quòd omnia quæ Deus præcipit vel prohibet ſub culpa veniali & ſub pœna temporali, poſſet præcipere vel prohibere ſub culpa mortali & ſub pœna æterna: ob hoc ſaltem ut noſtram exerceret obedientiam, & ſuum ſupremum dominium manifeſtaret; tunc autem omnes tranſgreſſiones illorum præceptorum eſſent peccata mortalia: ergo ex divina miſericordia eſt, quòd non omnia de facto ad iſtum culpæ gradum pertingant.

5 Diluitur. Non itaque hoc obeſt. Tum quia adhuc in prædicto caſu (cujus poſſibilitatem non examinamus, ſed gratis admittamus) non omnia peccata ad gradum mortalis pertingerent: quia licèt omnia verſarentur circa objecta ſub mortali prohibita, multa tamen non attingerent illa cum plena deliberatione, ſine qua nullus actus eſt capax malitiæ mortalis: nec Deus, ſervata lege juſtitiæ, poteſt damnare tales actus ad pœnam æternam: & ſi de facto damnaret, operaretur quidem ut dominus, non verò ut judex: neque proinde æterna illa duratio haberet propriè rationem pœnæ, ut tetigimus diſputatione 17. numero 88. Tum etiam quia ad diſcernendum utrum peccata venialia ex natura rei differant à mortalibus, non eſt attendendum an Deus poſſit prohibere omnia ſub mortali & ſub pœna æterna: ſed an ipſa peccata, attenta eorum natura & materia circa quam verſantur, poſtulent ita prohiberi, aut verò ſolùm poſtulent prohiberi ſub veniali: nam quod ex ſe unaquæque poſtulant, id convenit ipſis ex natura rei. Porrò certum eſt, non omnia poſtulare ex ſe prohibitionem ſub mortali; ſed quàm plura duntaxat ſub veniali, ſicut prohibentur de facto: Deus enim de facto, ſaltem attenta communi providentia, unumquodque prohibet, ſecundùm quod ejus natura & materia poſtulat.

Vazq. Tum denique quia ut rectè vidit Vazquez hoc loco diſp. 143. cap. 2. cum dicimus, peccatum veniale & mortale non ex voluntate aut miſericordia Dei, ſed ſuapte natura differre, non eſt ita accipiendum quaſi ante omnem Dei voluntatem peccata ſive mortalia ſive venialia ſint talia formaliter, proindeque formaliter differant: peccatum enim quodcunque ſupponit legem, contra quam committitur: lex verò ſaltem ſupponit Dei voluntatem, qua nos ad illius obſervationem obligare intendit, ut vidimus diſp. 7. dub. 1. Sed ſenſus eſt, quòd ſuppoſita lege & voluntate Dei in ea incluſa, ejus trangreſſio ſicut ex natura rei habet quod ſit mortale vel veniale juxta gravitatem ipſius legis, circa quam verſatur: adeo ut neceſſe non ſit pro aſſignanda prædicta differentia recurrere ad novam Dei voluntatem, quaſi conſequentem & advenientem peccato iam commiſſo, ipſumque vel eius pœnam remittentem, aut æternam in temporalem commutantem, ſicut recurrunt authores illius ſententiæ. Independenter enim ab huiuſmodi voluntate vel miſericordia quodlibet peccatum eo quod eſt tranſgreſſio legis, habet gradum ſuæ malitiæ: & quædam gratiam excludunt, & pœnam æternam merentur, ſuntque proinde mortalia; alia verò non excludunt gratiam, neque merentur per ſe prædictam pœnam, & ſic ſunt venialia. ¶ Diximus *per ſe* &c. nam quòd peccata venialia non dimiſſa in hac vita, & coniuncta mortalibus puniantur pœna æterna, non convenit illis per ſe, ſed per accidens ex prædicta coniunctione & ex incapacitate ſubiecti, ad ſatisfaciendum & ad veniam percipiendam, ut dictum eſt diſp. 17. num. 73. Vnde ex hoc capite non habetur quòd ipſa peccata venialia ex ſe mortalia eſſent, aut pœnæ æternæ meritoria, ut Authores quos impugnamus, videntur deducere.

Circa hanc autem differentiam ex natura rei, quam inter peccatum mortale & veniale aſtruimus, & circa illud in quo potiſſimùm conſiſtat, varios dicendi modos referunt & impugnant Alvarez, Curiel, Vazq. Monteſ. & alii expoſitores D. Thom. in præſenti. Primò ergo Scot. in 2. diſt. 21. quæſt. 1. prædicta peccata diſtinguit per hoc, quòd mortale ſit contra præceptum, veniale verò ſolùm contra conſilium. Idemque aſſerere videtur Gabriel in 4. diſt. 16. quæſt. 1. art. 1. notab. 1. 6 Modus dicendi falſus. Scotus. Gabriel.

Hic tamen dicendi modus communiter reiicitur, & meritò: nam de ratione omnis peccati eſt, quod ſit violatio alicuius obligationis, & tranſgreſſio alicujus legis: ubi enim non eſt lex, neque prævaricatio eſſe poteſt: conſilium autem præciſè ut tale non inducit obligationem, neque habet vim legis, ſed proponitur nobis ut omnino liberè amplectendum: ergo cum peccatum veniale ſit verum peccatum, non ſufficit ad eius rationem oppoſitio ad conſilium. ¶ Et confirmatur: nam ſi operari contra conſilia ex hoc præciſè eſſet peccatum ſaltem veniale, nullus poſſet licitè & ſine tali peccato manere in ſæculo, uxorem ducere, divitiarum dominium retinere, & ſimilia, quorum oppoſita Chriſtus nobis conſuluit: hoc autem manifeſtè eſt abſurdum, & contra illud Pauli 1. ad Corinth. 7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do* &c. *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit*, &c. 1 ad Corint. 7

Dices, operari contra conſilia non eſt bonum, aliàs eſſet meritorium & laude dignum: neque etiam eſt opus indifferens, quia in individuo non datur tale opus, erit ergo malum, ac proinde peccatum ſaltem veniale. Et confirmatur: nam operari prædicto modo ſaltem eſt aliqua imperfectio: imperfectio autem non videtur poſſe eſſe bona, ſicut nec meritoria alicuius præmii vel laudis, ſed magis reprehenſionis & animadverſionis: ergo &c. 7 Replicat.

Reſpondetur, malum quidem eſſe operari contra conſilium animo contraveniendi ipſi conſilio: quia talis animus non poteſt habere finem bonum; imo habet poſitivè finem malum: oritur enim ex odio aut vilipenſione maioris boni; quod eſt in conſiliis. Cæterùm omittere id quod conſilium dictat, aut facere oppoſitum eius quod dictat, ſecluſo illo animo, poteſt eſſe bonum, ſi ex aliqua alia circunſtantia prava non vitietur. Quia nullam importat inordinationem, ratione cujus nequeat ad bonum finem ordinari, & honeſtè fieri. Quamvis non ſit ita bonum, ſicut illud quod conſulitur. Cùm Enervatur.

 enim

cætera venialia habent ſuas leges, per quas prohibeantur, & quibus opponantur. Unde loquendo de iſtis legibus, prædicta peccata non ſunt dicenda *præter legem*, ſed *contra legem*. Dicuntur verò *præter legem*, quia non ſunt contra ſubſtantiam divinæ legis, neque contra ejus finem aut effectum præcipuum, ſicut ſunt mortalia, ut declarat D. Thom. loco cit. ex Quæſt. de Mal. & ex 2. diſt. 42. *D. Thom.*

Declaratur. Pro quo nota, quod nomen *legis* aliquando ſumitur pro hac vel illa lege determinata abſque aliarum incluſione: aliquando verò pro tota lege qua dirigimur & ordinamur ad ultimum finem humanæ vitæ: ſecundùm quam rationem amplectitur omnes leges particulares & omnia earum præcepta velut partes integrales, ex quibus coaleſcit. Et iſta acceptio eſt valde frequens in Scriptura & apud SS. Patres: eaque utitur D. Thom. locis ubi ſupra. Secundò nota, in lege ſic accepta aliquid ſe habere veluti ſubſtantia ipſius legis; illud nimirum ſine quo talis lex nequit homines ad finem ultimum perducere, ac proinde nec lex ipſa conſiſtere: & hæc ſunt præcepta obligantia ſub mortali: qui enim hæc non ſervat, eo ipſo avertitur à prædicto fine; adeoque non conſequitur præcipuum & ſubſtantialem effectum legis. Aliquid verò ſe habet ut modus vel accidens ſpectans quidem ad perfectionem & complementum legis, non tamen ad ſubſtantiam: quia ſine illo poteſt lex licèt cum aliquali detrimento profeſſores ſuos ad prædictum finem perducere: & hujuſmodi ſunt præcepta obligantia tantùm ſub veniali. Sive enim hæc obſerventur, ſive non, dummodò alia graviora non prætermittantur, conſequentur homines finem legis, & ejus principalem effectum: manebitque proinde lex ipſa incorrupta ſecundùm ſubſtantiam. Loquendo ergo de lege primo modo, peccatum veniale verè & propriè eſt contra illam: quia verè & propriè prohibetur per aliquam legem. Et hoc tantùm convincent objectiones, quæ contra prædictam D. Thomæ doctrinam ſolent reformari. At verò poſteriori modo loquendo, prædictum peccatum non eſt contra legem ſimpliciter: quia non eſt contra ſubſtantiam legis, neque eam corrumpit: dum non tollit neque corrumpit præcipuum & ſubſtantialem ejus effectum, qui eſt directio ad finem ultimum: ſicut tollit & corrumpit peccatum mortale. Poteſt tamen dici *contra legem* ſecundùm quid: quia opponitur ejus integritati & perfectioni in iis quæ non ſunt de ſubſtantia legis: & hoc appellat D. Thom. *eſſe præter legem*. Et quoniam apud Scripturam & Patres, ut diximus, frequentiùs lex ſumitur hoc poſteriori modo quàm illo priori, idcirco S. Doctor prædictæ acceptioni ſe accommodans, abſolutè ait, ſolum peccatum mortale eſſe contra legem; veniale verò non niſi præter legem.

Declaratur alia via. Vel dicas (& ferè in idem recidit) D. Thomam loqui de lege & de præceptis quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad aſſequendum finem ultimum: quia multoties in Scriptura & Patribus hæc duntaxat nomine *legis* & *præceptorum* inſigniuntur, juxta illud Jacobi 2. *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Ubi planè eſt ſermo de præceptis obligantibus ſub mortali: & hæc vocantur *tota lex*. Unde quia peccata venialia non opponuntur hujuſmodi legi & præceptis, ſicut opponuntur mortalia, dixit D. Thom. eſſe præter legem & præter præcepta, non contra illa. In quo non negat, quod prædicta peccata ſint contra ſuas proprias leges obligantes ſub veniali: ſed quia non ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad prædictum finem, non veniunt ſimpliciter nomine *legis*, nec ratione illarum peccatum dicitur eſſe contra legem ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid. Aliam expoſitionem ſatis congruam invenies apud Cajetanum in præſenti, à qua noſtræ parum diſtinguuntur. *Jacobi 2.*

Secundò differunt prædicta peccata: quia mortale deordinat voluntatem uſque ad perverſionem ordinis in finem; veniale verò citra talem perverſionem; atque adeo ſalvo prædicto ordine. Qui modus dicendi frequens eſt apud D. Thomam. Et ad eum reducitur alius, quo aliquando uſus fuit: nimirum quod peccatum mortale eſt deordinatio circa finem; veniale verò circa ea quæ ſunt ad finem, ſalvo ordine finis. Poteſtque hoc idem diſcrimen aliter declarari; ut dicamus, peccatum mortale eſſe converſionem ad objectum contrarium & repugnans ultimo fini: veniale verò eſſe converſionem ad ea quæ ſunt extra ipſum finem, non tamen omnino illi repugnant. Ex eo enim quod peccatum mortale eſt prima illa converſio, habet deordinare voluntatem deordinatione pertingente uſque ad finem ultimum: ſicut ex eo quod veniale non dicit illam converſionem, ſed aliam poſteriorem, habet quod ſua inordinatio citra finem ſiſtat, & ejus ordinem non pervertat. 11

Differunt tertiò: quia mortale opponitur gratiæ & charitati, deſtruitque illas; veniale verò ſolùm opponitur charitatis fervori, & neque ipſam charitatem neque gratiam corrumpit. Coinciditque cum hoc diſcrimine illud unde prædicta peccata ſuas denominationes deſumunt, ſcilicet quod mortale tollit principium vitæ ſpiritualis, & ita cauſat mortem ſpiritualem in anima, nec relinquit in ſubjecto aliquid, quod ſit principium ſuæ remiſſionis: veniale autem non tollit prædictum principium, ſed relinquit in ſubjecto id per quod poſſit veniam adipiſci, juxta dicta numero 1. Hoc igitur diſcrimen coincidit cum tertio: quia prædictum principium eſt ipſa gratia & charitas, ut explicuimus diſputatione 17. dubio 3. 12

Quartò differunt: quia peccatum mortale inducit reatum pœnæ æternæ & pœnæ damni: quod non inducit veniale. Quintò quia mortale eſt averſio voluntatis à Deo ſicut à fine ultimo; veniale verò quamvis divertat utcumque ab illo, non tamen avertit. Et ad hoc fortè reducitur, quòd per mortale conſtituitur finis ultimus in bono creaturæ; per veniale verò non ita. Sextò quia mortale eſt offenſa Dei gravis; veniale verò vel non eſt offenſa, vel eſt tantùm levis. Septimò denique, ut omittamus alia diſcrimina minoris momenti, differunt prædicta peccata, quia mortale maculat ſimpliciter animam; veniale verò vel nullam maculam relinquit, vel tantùm ſecundùm quid & valde impropriè dictam. Hæc omnia diſcrimina aſſignat D. Thom. inter mortale & veniale peccatum in præſenti art. 1. & 2. & ſupra quæſt. 71. art. 5. quæſt. 87. art. 5. ad 1. & infra quæſt. 89. art. 1.

quæſt.

Digitized by Google

quæſt. 7. de Mal. art. 1. in 2. diſt. 42. q. 1. art. 4. aliiſque locis: quædam in quibuſdam, & alia in aliis. Agnoſcuntque ferè omnia illa ſatis communiter Theologi. Supereſt videamus, quod eorum ſit primum & caput cæterorum. Pro quo adhuc nota, quod aliqua differentia poteſt dici prima, vel in ratione differentiæ formalis: quia eſt primum, quo res formaliter ut talis & in ſuo eſſe formali conſtituta, diſtingui ur ab aliis. Vel in ratione differentiæ radicalis: quia eſt radix & origo ipſius rei & differentiæ formaliter conſtitutivæ & diſtinctivæ talis rei. De utraque igitur dicemus.

§. II.

Aſſertio pro differentia formali.

13 Dicendum eſt, differentiam primariam formalem qua peccatum veniale à mortali diſcernitur, eſſe illam quam primo loco ex D. Thoma explicuimus num. 10. à qua non diſſert ſecunda, quam ex eodem tradidimus numero 11. reliquæ verò prout à prædictis diſtinguuntur, tantum ſunt ſecundariæ & accidentales. Hanc concluſionem ſaltem quò ad primam & ſecundam partem tuentur plures diſcipuli D. Thomæ in præſenti, ubi Medina, Alvar. diſp. 188. Greg. Mart. dub. 5. concluſ. 3. & alii. Oportet autem prædictam concluſionem & quod in ea aſſerimus, apertiùs declarare, ut faciliùs probari poſſit. Conſiſtebat itaque prima illa differentia in eo quod peccatum mortale ſimpliciter eſt contra legem, & veniale præter legem, ſeu contra legem ſecundum quid, ut explicuimus. Ut autem verificetur aliquem actum eſſe contra legem ſimpliciter, duo requiruntur, nimirum & quod lex cui opponitur, ſit de numero illarum, quæ ſimpliciter *leges* vocantur, eo quod omnino neceſſariæ ſunt ad finem ultimum aſſequendum: & quod talis actus ſimpliciter tendat contra prædictam legem, ſeu ſimpliciter illam tranſgrediatur. Nam ly *ſimpliciter* poſitum in prædicta differentia, afficit tam modum eſſendi contra legem, quam legem ipſam: atque adeo ex parte cujuſlibet deficiat, deficiet à ratione culpæ mortalis. Cæterùm ut verificetur eſſe contra legem ſecundum quid, ſatis eſt quod unum illorum deficiat: atque adeo quod vel lex non ſit ſimpliciter neceſſaria ad finis ultimi aſſequutionem: vel quod actus non violet ſimpliciter talem legem, neque ſimpliciter ei opponatur.

Medina. Alvar. Greg. Mart.
Exponitur concluſio.

14 Ex primo capite deficiunt à ratione peccati mortalis omnia illa, quæ dicimus *venialia ex genere*: ut ſimplex mendacium, verbum otioſum, ſuperfluus ludus, & ſimilia: quia leges quibus peccata iſta prohibentur, non ſunt leges (ut ita dicamus) ſubſtantiales ſeu pertinentes ad ſubſtantiam integræ legis: eo quod illarum obſervatio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad finem ultimum: & propterea meritò ſolum ſecundum quid leges vocantur, & à numero legũ ſimpliciter excluduntur. Unde quamvis prædicta peccata his legibus ſimpliciter opponantur, & ſimpliciter eas tranſgrediantur, adhuc dicuntur contra legem ſecundum quid, prout ly *ſecundum quid* tenet ſe ex parte legis.

Ex ſecundo verò capite deficiunt à ratione peccati mortalis cætera omnia, quæ vel ob parvitatem materiæ, vel ob defectum plenæ deliberationis venialia vocamus, ex parvitate quidem materiæ, ut furtum rei parvæ: & ex imperfecta deliberatione, ut motus contra fidem ſemiplenè deliberatus. Quamvis enim leges, quibus hæc peccata opponuntur, ſint leges ſimpliciter, & ſimpliciter neceſſariæ ad finem ultimum aſſequendum; non tamen ſimpliciter violantur per talia peccata; neque hæc ſimpliciter illis contrariantur. Non enim lex juſtitiæ, quæ prohibet acceptionem rei alienæ, ſimpliciter violari dicitur per acceptionem unius ovi, v. g. quia neque ovum *res aliena* ſimpliciter, ſed *recula* cenſetur. Neque etiam lex aliqua quantumvis ſtrictè obligans, & quantumvis materia gravis ſit, cenſetur ſimpliciter violari per actum non ſimpliciter liberum: nam ſicut leges ſolis agentibus liberis imponuntur, ita ab iis ſolum violari cenſentur, qui liberè ſimpliciter operantur: qui vero ſolum operantur liberè ſecundum quid, ſeu cum ſemiplena tantum deliberatione, hoc dumtaxat modo nempe ſecundum quid poſſunt illas violare. Innititur enim tota vis ad violandam legem in libertate & voluntarietate actus tendentis contra illam: & ideo cui deficit plena libertas, ex hoc ipſo inefficax eſt ad plenam violationem. ¶ Ex quo patet prædictam differentiam adæquatam eſſe, ſufficienterque quælibet peccata venialia à quibuſvis mortalibus diſtinguere: quia quæcunque non ſunt ſimpliciter contra legem utroque illo modo, venialia ſunt; quæcunque verò utroque modo ſimpliciter legi opponuntur, ſunt mortalia.

16 Objectio.

Diluitur.

17 Animadve[rſio] pro cõ[firmanda] aſſertione.

Probemus jam hujuſmodi differentiam eſſe primam, quæ prædicta peccata formaliter diſcernit. Nam illa eſt prima differentia diviſiva alicujus generis vel prædicati communis, quæ prius & immediatiùs advenit tali generi vel prædicato, quæque magis per ſe ſe habet ad rationem quæ dividitur: ſed peccato ſecundum rationem communem quæ dividitur in mortale & veniale, nihil priùs aut magis per ſe advenit in ordine ad diverſificandum illud, quàm prædictus modus eſſendi contra legem vel ſimpliciter vel ſecundum quid: hic igitur erit prima differentia diſtinguens formaliter talia peccata. Major & conſequentia conſtant. Minor verò probatur: quia peccatum ſecundum rationem communem ad mortale & veniale diffinitur per hoc quod ſit contra legem, ut vidimus ſupra quæſtione 71. art. 1. huic autem quod eſt *contra legem eſſe*, nulla alia differentia prius advenit, quàm talis vel talis modus eſſendi contra legem: ſicut quia animal ſecundum ſuam communem rationem diffinitur quod eſt *vivens ſenſibile radicaliter*, nulla differentia priùs illi advenit aut magis per ſe habet, quàm talis vel talis modus ſentiendi: ergo, &c.

15 Ratio pro concluſione.

Confirmatur: ſicut ſe habet *ſimpliciter* ad *ſimpliciter*, ita *magis* ad *magis*, & *ſecundum quid* ad *ſecundum quid*: quæ regula univerſaliter vera eſt in iis quæ ſunt per ſe (licet fallat multoties in illis quæ ſunt per accidens.) cum ergo peccato ex ſua communi ratione per ſe primò conveniat eſſe aliquo modo contra legem, ſit ut peccato quod eſt tale ſimpliciter, ſcilicet mortali per ſe primò conveniat eſſe contra legem ſimpliciter: & peccato quod eſt tale ſecundum quid, ſicut eſt veniale, per ſe primò conveniat eſſe contra legem ſecundum quid, quod eſt

eſſe

Digitized by Google

eſſe præter legem: atque adeo quod hæc ſit prima illorum differentia formalis.

16 Objectio. Dices: formalis ratio peccati potius conſiſtit in tendentia ad objectum diſſonum, quam in habitudine ad legem: ergo prima ejus differentia non debet deſumi ex diverſo modo eſſendi contra legem, ſed ex diverſitate objectorum, ſeu ex diverſo modo illa attingendi.

Diluitur. Reſpondetur, rationem peccati conſiſtere in tendentia ad objectum non utcumque, ſed ut ſtat ſub prohibitione legis tanquam diſſonans & repugnans tali prohibitioni: & ratione hujus dicitur eſſe contra legem; non verò ratione alicujus habitudinis, qua directè legem reſpiciat. Et ideo in idem redit, quod prima ejus differentia ſumatur ex diverſo modo contrarietatis ad legem, atque ex diverſo modo tendentiæ & habitudinis ad objectum legi diſſonum. Unde hæc objectio non militat contra primam partem concluſionis, ſed probat ſecundam.

17 Animadverſio pro cõfirmanda aſſertione. Quam ut jam declaremus, & priorem magis confirmemus, obſerva, quod cum prima & communiſſima peccati diviſio ſit in mortale & veniale, differentiæ reſpectu hujus diviſionis ſumendæ ſunt ab eo, quod fuerit communius & univerſalius ſub communiſſima ratione peccati, atque adeo ex illo quo prius diverſificari intelligimus prædictam communiſſimam rationem. Cumque hæc communiſſima ratio ſita ſit in habitudine ad objectum ut diſſonum & diſconveniens rectæ rationi tanquam ad ſpecificativum, primæ ejus differentiæ ſumendæ ſunt ex prima diverſitate prædictæ diſſonantiæ & diſconvenientiæ. Prima autem hujus diverſitas non poteſt immediatè attendi ex materiæ diverſitate ſine recurſu ad modum obligationis legis: (ſicut attenditur alia poſterior, qua differt unum peccatum mortale ab alio etiam mortali, & unum veniale ex genere ab alio ſimiliter veniali ex genere) quia ſæpe intra eandem materiam diſſonat magis rectæ rationi unus actus, quàm alius, propter majorem legis obligationem: ut in materia gulæ magis diſſonat comedere extra tempus contra legem Eccleſiæ præcipientem jejunium, quàm contra legem naturalis abſtinentiæ prohibentem ſuperfluam comeſtionem: eſtque illud mortale, & hoc veniale. Neque etiam poteſt attendi ex ſolo gradu obligationis legis, ſine reſpectu ad quantitatem materiæ & ad modum attingentiæ actus: quia contra eandem legem, v. g. juſtitiæ peccat mortaliter qui attingit materiam gravem plene advertens; & venialiter qui ſolum tangit materiam levem, aut ſolum advertit ſemiplenè. Debet igitur aſſignari aliquid, quod omnia hæc comprehendat; illudque erit ratio diverſitatis, quam inquirimus. Non autem apparet aliud, niſi quod aſſignatum fuit in prima differentia: nimirum pro peccato mortali, quod lex per quam prohibetur, obliget ſimpliciter in ordine ad finem ultimum, & quod ſimpliciter violetur tam ex parte quantitatis materiæ, quàm ex modo attingendi actus: quod abſolutè vocamus *eſſe ſimpliciter contra legem*: pro veniali verò, quod aliquod iſtorum deficiat: quod vocamus *eſſe contra legem ſecundum quid*. Eſtque hoc omnino idem quod aſſignatum fuit in ſecunda differentia: videlicet quod mortale verſetur circa objectum contrarium ultimo fini, deordinetque voluntatem uſque ad ipſum finem; ſecus autem veniale: nam per illud per quod aliquod peccatum tendit ad objectum contrarium ultimo fini, tranſgreditur ſimpliciter legem neceſſariam ad talem finem, & per id ipſum deordinat voluntatem uſque ad eundem finem.

Et ut hæc ſecunda aſſertionis pars melius intelligatur & confirmetur; nota ſecundò, quod ubi aliqua lex & ejus obſervatio eſt omnino neceſſaria ad aſſecutionem finis ultimi, adeoque talis lex & obſervatio habet cum eo neceſſariam connexionem, conſequenter eadem malitia quæ deordinat voluntatem circa talem legem, deordinat etiam circa ipſum finem: cum impoſſibile ſit voluntatem manere pravè affectam & inordinatam circa medium, & non manere eodem modo affectam & inordinatam circa finem, quando inter finem & medium adeſt connexio omnino neceſſaria. Quare ſicut quodvis peccatum per illammet rationem qua tendit ad objectum prohibitum lege, tendit contra ipſam legem, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid, juxta modum attingendi ipſum objectum, & juxta gradum obligationis legis: ita per eandem rationem eſt deordinatio voluntatis pertingens uſque ad finem, vel citra finem ſiſtens. Et per eandem ſimiliter eſt deordinatio, vel circa finem, vel circa ea quæ ſunt ad finem: quia deordinatio quæ non pertingit uſque ad finem, ſed citra finem ſiſtit, ſolum poteſt eſſe deordinatio circa aliqua quæ ad finem ſunt, non tamen cum eo habent neceſſariam connexionem. Atque adeo omnes hujuſmodi differentiæ in eandem coincidunt. 18 Animadverſio alia.

Sed obiicies: aliqua peccata verſantur circa finem, & tamen ſunt venialia defectu deliberationis: ut motus odii Dei ſemideliberatus: & aliqua mortalia non verſantur circa finem, ſed circa media: ut furtum, quod verſatur circa divitias propter utilitatem ad alios fines: igitur differentia aſſignata, quod mortale deordinet circa finem, veniale verò circa ea quæ ſunt ad finem, non ſubſiſtit. ¶ Et confirmatur: nam vel nomine finis intelligitur ſolus ultimus, qui eſt Deus, vel intelliguntur etiam alii fines proximi & intermedii? Si primum, conſtat plura eſſe peccata mortalia, quæ non verſantur circa talem finem: ut furtum, adulterium, homicidium, & ſimilia. Si verò dixeris ſecundum, conſtat etiam plura eſſe venialia, quorum objecta appetuntur ut fines proximi: hoc enim modo appetitur gloria indebita à vano glorioſo, & delectatio reperta in cibo à guloſo, &c. non ergo ex prædicto capite poſſunt venialia a mortalibus ſufficienter diſtingui. Objectio.

19 Enodatur. Reſpondetur ad objectionem pro prima parte, nullum actum non plene liberum attingere formaliter rationem finis ultimi, adhuc per modum fugæ & averſionis; quamvis materialiter verſetur circa id quod alias eſt ultimus finis: quia ratio finis ut talis, præſertim ultimi, neque cognoſcitur, neque attingitur ſine perfecta cognitione & plena deliberatione. Unde tales actus non habent vim deordinandi voluntatem circa prædictum finem, neque avertendi ab eo, aut ad alium convertendi: fundatur enim prædicta vis in plenitudine dominii & libertatis, quæ ineſt homini ad deliberandum & determinandum de ſe ipſo, & de fine quem debet amplecti: & ideo deordinatio quæ

Digitized by Google

quæ perfectam libertatem non ſupponit citra finem ſiſtit. Et ex hoc dici poteſt deordinatio circa ea quæ ſunt ad finem; quatenus non tangit ipſam finis rationem, ſed ſolum ea quæ circunſtant & de materiali ſe habent. Quamvis non ſit neceſſe, ut de hujuſmodi peccatis venialibus dictum à D.Thoma intelligatur, quod *verſantur circa ea quæ ſunt ad finem*; ſed de aliis quæ ſunt venialia ex genere, ut obſervat in præſenti Cajet. ſufficit enim quod prædicta conditio ſolis venialibus competat, quamvis non omnibus. Differentia verò omnibus communis eſt, quod eorum deordinatio non pertingat ad finem ſecundum rationem ejus formalem, ſed inferius ſiſtat.

Ad ſecundam partem ejuſdem objectionis reſpondetur, illa quæ ſunt ad finem, aliquando habere neceſſariam connexionem cum illo, eo quod ad ejus aſſequutionem indiſpenſabiliter requiruntur. Aliquando verò non ita, ſed poteſt finis ſine illis abſolutè conſequi. In primo caſu non ponunt in numero cum ipſo fine, ſed pro eodem reputantur: quia defectus & inordinatio contingens circa media omnino neceſſaria, non ſiſtit ibi, ſed pertingit uſque ad finem: atque adeo in idem redit, quod voluntas deordinetur circa talia media, & quod ejus deordinatio uſque ad finem pertingat: & de iſtis procedit objectio. In ſecundo vero caſu non eſt idem judicium de illis quæ ſunt ad finem, ac de ipſo fine: quia ob defectum connexionis neceſſariæ poteſt deordinatio circa illa verſari, quin ad iſtum pertingat. Et quæ ita ſe habent, condiſtinguuntur omnino à fine, & dicuntur ſolum *ad finem*, vel *circa finem*. Et de iſtis accipienda eſt doctrina D. Thomæ & noſtra concluſio.

20 Diluitur cōfirmatio. Ad confirmationem dicas, nomine *finis* intelligi ultimum: ſed quia ad ipſum reducuntur omnia illa, à quibus neceſſariò dependet, & cum quibus habet neceſſariam connexionem, cujuſmodi ſunt plures alii fines intermedii & proximi, idcirco de omnibus iſtis idem judicium ferimus, & omnes ad præſens nomine *finis* intelliguntur. Sic autem loquendo de fine ultimo, nullum eſt peccatum mortale, quod non verſetur circa illum; & nullum verſatur circa illum cum plena deliberatione, quod ſit tantum veniale. Quamvis plura venialia verſentur circa alios fines proximos, vel intermedios, qui non habent cum ultimo prædictam connexionem.

Probatur tertia pars aſſertionis. Tertia pars aſſertionis, qua cætera diſcrimina num. 11. inter peccatum veniale & mortale aſſignata, à ratione differentiæ primariæ excludit, ex eo facile probatur, quia omnia procedunt à poſteriori, ſumunturque ab effectibus prædictorum peccatorum: ut conſtabit diſcurrendo per ſingula. Etenim hoc quod eſt expellere, vel non expellere gratiam & charitatem, quæ ſunt principium vitæ ſpiritualis, utrumque ſe habet ut effectus conſequens diverſam peccati malitiam, vel diverſum malitiæ gradum, atque adeo ſupponere debet differentiam conſtitutivam & diſtinctivam talis malitiæ aut gradus. Et idem

D.Thomas. eſt de reatu pœnæ: ut rectè vidit Divus Thomas citat. quæſtione 7. de mal. articulo primo, ubi cum dixiſſet, quod prædicta peccata *differunt quidem ſecundum reatum: nam peccatum mortale meretur pœnam æternam; peccatum verò veniale pœnam temporalem*, ſubdit: *Sed iſta differentia conſequitur rationem peccati mortalis & venialis: non autem conſtituit ipſam. Non enim ex hoc eſt tale peccatum, quia talis pœna ei debetur; ſed potius è converſo, quia peccatum eſt tale, ideo talis pœna ei debetur. Similiter etiam differunt quantum ad effectum: nam peccatum mortale privat gratiam, veniale verò non. Sed neque iſta eſt differentia quam quærimus: quia iſta differentia conſequitur ad rationem peccati: ex eo enim quod peccatum eſt tale, talem effectum habet; & non è converſo.*

Dices: quamvis expellere gratiam & charitatem ſit peccati effectus, tamen opponi & contrariari illis pertinet ad eſſentiam: quia peccatum mortale ex ſua primaria ratione, per quam à veniali diſtinguitur, habet talem oppoſitionem. ¶ Reſpondetur, quod etſi peccatum mortale per prædictam rationem habeat oppoſitionem cum gratia & charitate; non tamen hæc oppoſitio eſt formaliter illamet ratio primaria, ſed aliquid conſequens: & ideo quamvis non cognoſceretur gratia poſſibilis, aut oppoſitio ad illam, ut in pura natura, adhuc daretur & intelligeretur diſtinctio peccati venialis à mortali, & exceſſus gravitatis unius ſupra aliud. Sicut & in multis aliis, quæ inter ſe opponuntur, quamvis unum per ſuam eſſentiam fundet oppoſitionem cum alio, non tamen hæc oppoſitio, aut munus fundandi illam pertinet ad conceptum primarium talis eſſentiæ, ſed utrumque conſequitur, vel formaliter, vel ſaltem virtualiter aut ſecundum modum concipiendi. 21

Examinātur cætera diſcrimina. Similiter dicendum eſt de quinto diſcrimine, quod ſumitur ex averſione: nam hæc etiam (loquendo de averſione formali) eſt effectus peccati mortalis, & ſupponit primariam ejus malitiam: ſive ſermo ſit de averſione *in facto eſſe*, quæ eſt privatio gratiæ, ſive de averſione *in fieri*, quæ eſt malitia privativa in actu peccati reperta, & ad malitiam poſitivam conſequuta. Et idem eſt de conſtitutione finis ultimi in creatura: nam hæc conſtitutio (quæ regulariter non eſt formalis, ſed interpretativa) ſupponit averſionem à Deo: inde enim interpretamur, voluntatem per peccatum mortale amare creaturam ut ultimum finem, quia dum ita peccat, avertitur à Deo vero fine ultimo. Præterquam quod illud quod ſolum eſt tale virtualiter, vel interpretativè, ſicut eſt prædicta conſtitutio, ſemper ſupponit aliquid formale, in quo fundatur & continetur: & ita non poteſt eſſe primum, quod rem conſtituit, aut diſtinguit. ¶ Diximus *loquendo de averſione formali*, &c. quia ſi loquamur de averſione cauſali, hæc eſt ipſa converſio ad objectum prohibitum, quatenus habet vim avertendi: ob idque dicitur *converſio averſiva*, ut explicuimus diſputatione 6. num. 53. & 54. Quare hanc averſionem cauſalem, ſeu converſionem averſivam non negamus pertinere ad primam peccati differentiam; dicimus verò coincidere cum illa, de qua in prima & ſecunda parte concluſionis.

Sextum & ſeptimum diſcrimen etiam ſumuntur ab effectibus. Nam offenſa formalis non

Digitized by Google

non eſt ipſa ratio conſtitutiva peccati ; ſed quidam effectus per modum moralis læſionis, quem in Deo juxta prudentem æſtimationem reſultare intelligimus, ut vidimus diſputatione 7. num. 24. Imo nec ratio offenſæ activæ eſt omnino prima quæ invenitur in peccato ; ſed conſequitur, ſaltem noſtro modo concipiendi, ad rationem malitiæ, ut explicuimus ibidem numero 22. Macula verò non differt à peccato mortali habituali, quod eſt terminus & effectus peccati actualis : & ita jam ſupponit ipſum peccatum actuale conſtitutum & a veniali diſtinctum. Sola ergo differentia à nobis in aſſertione tradita nihil aliud ſupponit in prædictis peccatis ut talibus ; & ita ipſa dumtaxat poteſt eſſe primum, quo formaliter diſtinguuntur.

§. III.

Examinatur differentia radicalis.

22 DIximus ; formalem differentiam inter mortale & veniale peccatum in eo ſitam eſſe, quod alterum ſit ſimpliciter contra legem, alterum verò ſecundùm quid : tuncque eſſe contra legem ſimpliciter, quando & lex ſeu ejus obſervatio eſt ſimpliciter neceſſaria ad aſſequutionem finis ultimi, & violatur ſimpliciter per actum tendentem contra illam : tunc verò eſſe contra legem ſecundùm quid, quando aliquid iſtorum deeſt. Ad detegendam ergo differentiam quam vocamus *radicalem*, inveſtigandum eſt, unde ortum ducat, & quod lex ſit ita neceſſaria, & quod prædicto modo violetur. Hoc poſterius non eſt difficile : quia citò apparet duplex caput, quare aliquis actus violet ſimpliciter, aut ſolùm ſecundùm quid ſuam legem. Primum eſt perfectio vel imperfectio ipſius actus in ratione liberi : nam ſi ſit plenè liber, ſimpliciter tangit, & ſimpliciter violat legem qua prohibetur : ſi verò tantùm ſit liber ſemiplenè, ſecundùm quid dumtaxat tangit & violat illam, ut explicuimus numero 14.

Nec quæras pro peccatis, quæ ſolùm ex imperfecta deliberatione venialia ſunt, aliam radicem differentiæ à mortalibus præter prædictum defectum plenæ deliberationis : ex eo enim redditur incapax quicunque actus ad procedendum ſimpliciter contra legem, quæcunque ea ſit, & ad recipiendam malitiam mortalem : ſicut ex defectu omnimodæ deliberationis efficitur incapax cujuſvis malitiæ & violandi quovis modo legem.

23 Secundum caput eſt parvitas materiæ rei prohibitæ per legem. Nam ſi id quod actus peccaminoſus tangit in re prohibita, non ſit tanti momenti, ut habeatur pro parte ejus notabili, nec multum ad ejus ſubſtantiam & ad finem intentum referat, eo ipſo lex illa non violatur ſimpliciter, ſed ſecundùm quid : quia id in quo violatur, ſecundùm quid tantùm eſt res prohibita per talem legem : illud verò, quod abſolutè vocatur *res prohibita*, etiam ſecluſa illa parte, integrum permanet. Et hæc radix differentiæ omnium, quæ diximus *venialia ex materiæ parvitate.*

Quæ dicatur materia parva. Quæ autem pars cenſenda ſit modica, & quæ notabilis in qualibet materia, voluerunt aliqui certa lege definire : ut ſcilicet materia parva dicatur, quæ octavam partem totius non excedit ; quæ verò excedit, cenſeatur materia gravis. ¶ Hæc tamen regula valde incerta eſt & obſcura : & quamvis teneat aliquibus, fallit in multis. Difficillimum namque aut etiam impoſſibile erit partem illam octavam reſpectu omnis totius certò deſignare. Et adhuc ea deſignata, non eſt unde probetur ; quòd pars major non poſſit aliquando eſſe materia levis ; & pars minor non poſſit eſſe gravis. Verbi gratia, in eo qui tenetur ſolvere officium divinum, non conſtat an pars octava ſumenda ſit reſpectivè ad totum officium diei ex ſeptem horis canoncis coaleſcens, an verò reſpectivè ad quamlibet horam : & quovis modo ſumatur, non verificatur prædicta regula. Octava enim pars totius officii non poteſt eſſe materia levis, quia excedit quamcunque horam minorem : pars autem duplò major quàm octava alicujus horæ minoris non eſt materia gravis, cum non excedat unum ex tribus pſalmis talis horæ. Similiter ſi bona unius hominis pertingant uſque ad mille argenteos, alterius verò non niſi uſque ad octo, reſpectu prioris erit materia gravis pars duplò minor octava ; reſpectu autem poſterioris etiam, pars aliquantulum major quàm octava poterit eſſe levis. Quin etiam reſpectu ejuſdem, pars quæ aliàs cenſeretur levis, poterit aliquando eſſe gravis ; ob majorem indigentiam quam pariatur, ablata illa parte : & ita in aliis : Fallit ergo in multis prædicta regula.

Alii alias tradunt ex diverſis capitibus petitas : nec minor pars ſtudii Theologorum moralium in earum determinatione inſumitur : placetque potiùs pro majori hujus rei notitia lectorem ad illos remittere, quàm circa hæc moralia in præſentiarum detineri : pro quibus & non tantùm pro ſcholaſticis ſatis ſuperque tractatus noſter ſuperiùs ſe diffudit, jureque expoſtulat, ut finem properemus. 24
Videri itaque poſſunt Navar. in Manuali capite 17. Corduba in ſumm. quæſtione 109. Leſſius de juſtitia & jure lib. 2. capite 12. dubitatione 6. Vaſquez hac prima ſecundæ diſputatione 158. cap. 6. Cardinalis de Lugo tom. 1. de juſtitia & jure diſputatione 16. ſectione 2. Diana variis in locis. Et Thomas Sanchez lib. 1. ſumm. capite 4. per totum : ubi inter alia ſatis ad rem hæc tradit numero 2. & 3. *Quando verò ſit materia gravis, & quando levis, certa regula præſcribi nequit, ſed id prudentis arbitrio relinquendum. At duplex generalis regula ad id diſcernendum tradi poteſt. Prior eſt, Materia qua multum ad finem ſubjectionis imponentis præceptum conducit, eſt gravis, & ſufficiens ad conſtituendam tranſgreſſionem mortalem : ſecus quando parum ad eum finem conducit : tunc enim materia levis reputabitur. Quare ad gravitatem & levitatem non eſt materia præcepti ſecundum ſe ſola inſpicienda, ſed inſpecto etiam fine, ad quem à ſuperiore ferente legem ordinatur, &c. Poſterior regula eſt, Valde attendenda ſunt circumſtantiæ, ex quibus Superior ad imponendum de aliqua materia præceptum ducitur, ad judicium de illa formandum. Quid ſæpe contingit, ut materia ſit ſecundum ſe levis, & obligationis ſub mortali incapax : at ex cir-*

Navar. Cordub. Leſſius. Vaſq. Lugo. Diana. Thom Sanchez.

cunſtantiis boni communis adjunctis, quas ſuperior intendit, ſit gravis, & cadat ſub obligatione ad mortale, &c. Ex quibus num. 6. rectè deducit materiam aliquam poſſe eſſe gravem reſpectu unius ſubjectionis, & levem reſpectu alterius.

Idem. *Quod* (inquit) *ex diverſis utriuſque finibus conſurgit: poteſt enim ſim unius multum conferre, & ſic reſpectu illius erit gravis: at modicum fini alterius, & ob id reſpectu illius erit levis*, &c.

25 Supereſt quæramus differentiam radicalem pro illis peccatis, quæ diximus *venialia ex genere*: ut verbum otioſum, ſimplex mendacium, & ſimilia: quæ quantumvis deliberatè fiant, & integram materiam ſui objecti attingant, ex proprio genere habent, ut ad gradum culpæ mortalis non aſcendant. Hæc enim ideo diximus eſſe venialia, & diſtingui à mortalibus, quia leges quibus prohibentur, non ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad aſſequutionem finis ultimi: ſicut ſunt illæ quibus prohibentur omnia mortalia: ob idque nec dicuntur leges ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Quare ad inveniendam iſtorum differentiam radicalem, inveſtigandum eſt, unde proveniat, quod aliqua lex ſit vel non ſit ſimpliciter neceſſaria ad prædictum finem. Quod non caret difficultate. Quamvis enim unumquodque ex prædictis peccatis venialibus habeat materiam diſtinctam à materia cujuſlibet mortalis, imo à materia cujuſlibet alterius venialis, & ex hac materiarum diverſitate quodlibet eorum deſumat ſuam differentiam atomam & ſpecificam, juxta dicta ſupra diſputatione 8. non tamen hæc eſt differentia aux radix differentiæ quam inquirimus: ſiquidem per eam diſtinguitur unumquodque peccatum veniale ab alio etiam veniali, ſicut diſtinguitur ab alio mortali: non enim minus differt ratione ſuæ ſpecialis materiæ verbum otioſum à perjurio, quàm à ſimplici mendacio: differentia autem quam inquirimus, debet eſſe talis, ut in ea conveniant omnia venialia ex genere, neque per ipſam inter ſe dividantur; dividantur verò omnia à quolibet mortali, etiam antequam conſideremus differentiam atomam uniuſcujuſque. Præterquam quod differentia quæ ſumi poteſt ex diverſitate materiæ uniuſcujuſque peccati, jam ſupponit in illis quæ venialia ſunt, diſtinctionem à mortalibus per aliquod principium altius & communius: & ſuppoſita hac diſtinctione communi, ſubdividit diviſione atoma unum veniale ab alio veniali, & unum mortale ab alio mortali: non igitur iſta eſt quam inquirimus, ſed illa communis omnibus & ſolis venialibus ex genere, & diſtinctiva ab omnibus mortalibus, qua ratione mortalia ſunt, ex altiori & communiori principio deprompta.

26 Pro cujus adinventione obſerva, aliter in hac re philoſophandum eſſe circa leges naturales, & aliter circa leges poſitivas: naturales enim utpotè à rebus ipſis petitæ & in earum naturis fundatæ, in eiſdem rebus ſupponere debent cauſam & radicem quare aliquæ ſint ſimpliciter neceſſariæ ad finem ultimum, proindeque ſub mortali obligent; aliquæ verò non ita ſint neceſſariæ, neque ita obligent: nec recurrendum eſt pro hujuſmodi diſcrimine ad voluntatem legiſlatoris: quia legiſlator non aliter intendit obligare per prædictas leges, quàm ipſæ res poſtulant. At verò leges poſitivæ quamvis ſatis conſonent naturis rerum, non tamen ita eis adæquantur, aut ab ipſis poſtulantur, ut hæc ſit ſufficiens ratio talium legum, & modi obligationis earum. Sed hoc totum devolvitur ad legiſlatoris voluntatem, cui liberum fuit ſic vel aliter eas diſponere, & gradum obligationis taxare. In peccatis ergo quæ hujuſmodi legibus prohibentur, non eſt neceſſe aliam radicem quærere, cur quædam ſub gravi obligatione, quædam verò ſub levi prohibeantur, præter legiſlatoris voluntatem: cui placuit præcipere vel prohibere aliqua objecta ſub neceſſitate ſimpliciter ad aſſequutionem finis ultimi; aliqua verò ſub neceſſitate tantùm ſecundùm quid. Certum quippe eſt, poſſe legiſlatorem ſive humanum, ſive divinum ferre eas leges in ſibi ſubditos, quæ ad aſſequutionem prædicti finis convenientes & idoneæ ſibi viſæ fuerint, & ſub eo neceſſitatis & obligationis gradu quem expedire judicaverit: ipſiuſque legiſlatoris judicio committi quæ ſint præcipienda, & quæ prohibenda, & ſub quo obligationis tenore, ſine eo quod neceſſe ſit ex naturis rerum aut ex lege naturali pro aliquo prædictorum rationem neceſſariam deſumere: quamvis regulariter ipſi naturali legi & naturali rerum ordini ita congruat, & ab eis veluti expetatur; non tamen determinetur. Quæcunque autem legiſlator ſub gravi obligatione prohibeat vel præcipiat, etiam ſi aliàs neque neceſſaria eſſent ad aſſequutionem prædicti finis, neque illi adverſarentur, ex ipſa prohibitione vel præcepto redditur eorum proſequutio vel vitatio materia ſimpliciter neceſſaria ad talem finem; ſicut vitatio vel proſequutio illorum quæ præceperit vel prohibuerit ſub obligatione dumtaxat levi, efficitur materia neceſſaria ſolùm ſecundùm quid.

27 Obiectio. Dices, etiamſi legiſlator poſitivus velit inferre gravem obligationem; ſi tamen materia præcepta vel prohibita, attentis omnibus, exigua & leviſſima ſit, non ita obligabit: ut ex ſatis communi Theologorum

Sanch. ſententia docet Sanchez ubi ſupra numero 4. ergo etiam in legibus poſitivis non eſt ſufficiens ratio legiſlatoris voluntas ad quantitatem obligationis.

Enervatur. Reſpondetur, antecedens eſſe verum in legiſlatore humano, qui in legibus ſtatuendis prudentiæ creatæ regulis adſtringitur: nec poteſt ſupra hujuſmodi regulas aliquid præcipere vel prohibere: dictat enim prudentia, ut pro re exigua & quæ, attentis omnibus, parum refert ad finem per legem intentum, non imponatur gravis obligatio, ſed proportionata ipſi rei & conducentiæ ejus ad talem finem, ac proinde levis. Cæterum legiſlator divinus qui nullis prudentiæ noſtræ regulis coarctatur, ſed ſua infinita ſapientia & ſupremo dominio omnia creata tranſcendit, quamlibet rem etiam minimam poteſt præcipere vel prohibere ſub gravi obligatione: ipſa quippe ejus voluntas, etiamſi alius finis deſit, erit ſufficiens ratio talis obligationis

obligationis : nec neceſſe erit quærere, cur ſic juſſit ? niſi quia ſic voluit. Eoque ipſo talis res quantumvis alias minima, erit materia neceſſaria ad finem ultimum. Quare dum diximus, radicem quantitatis obligationis in legibus poſitivis eſſe voluntatem legiſlatoris, intelligendum eſt, ſervata proportione : ita ſcilicet ut legiſlator humanus, qui non ex propria poteſtate, ſed ex participatione divinæ, & per prudentiam legiſlativam à Dei prudentia derivatam leges condit, obſervet illa quæ ipſa legiſlativa prudentia dictat : aliter enim non ut legiſlator, ſed ut tyrannus procedet : & ideo veras leges non condet. Legiſlator autem divinus, qui ſupra omnia eſt, abſque ulla limitatione ad nutum ſuæ voluntatis res valeat diſponere. Quamvis attenta ſua communi providentia, rerum ordini ſe accommodet : raróque aut nunquam pro re omnino exigua gravem obligationem imponat.

28 **Signa** intentionis legiſlatoris.

Quando autem intentio legiſlatoris, ſive humani, ſive divini ſit obligare ſub mortali, & quando ſub veniali, venandum eſt, vel ex ipſis verbis, quibus leges feruntur, quæ ſæpe id declarant : vel ex pœna quam tranſgreſſoribus ſtatuunt : nam quæ ſub comminatione mortis, aut pœnæ æternæ, aut excluſionis à regno Dei, aut ſub obteſtatione divini judicii, aut ſub pœna excommunicationis majoris ; aut alterius gravis cenſuræ, ſimilive modo feruntur, proculdubio intendunt obligare ſub mortali. Et ſimiliter id intendunt, quæ prohibent, vel præcipiunt res valde conducentes ad ſalutem animæ, ad utilitatem Eccleſiæ, & ad pacem Reipublicæ, quamvis nullam pœnam ſtatuant. Quod ſi nullo ex his capitibus quantitas obligationis appareat, recurrendum erit, vel ad conſuetum modum accipiendi prædictas leges, vel ad Doctorum hominum aſſenſum : vel etiam poterit id venari per reſpectum & ſimilitudinem ad illa quæ lege naturali præcipiuntur, vel prohibentur, juxta doctrinam quam jam ſubjungimus.

Quid de legibus naturalibus.

Reducitur ergo præcipua hujus materiæ difficultas ad leges naturales, in quibus, ut numero vigeſimoſexto diximus, venanda eſt quantitas obligationis ex rebus præceptis, vel prohibitis, etiam non habito recurſu ad legiſlatoris voluntatem : quæ per hujuſmodi leges non aliter præcipit, aut prohibet, quam ut ipſæ res poſtulant. Pro his ergo differentia radicalis & ratio à priori cur quædam objecta prohibeantur, vel præcipiantur ſub mortali, quædam verò ſub veniali, petenda eſt ex connexione, vel repugnantia ad finem legis : qui eſt debitus ordo voluntatis creatæ ad Deum, & recta habitudo ad proximum per humanum convictum. Quare illa cenſenda ſunt prohibita ſub mortali, quæ ex ſe ipſis repugnant prædicto ordini & habitudini, & illa ſub mortali præcepta, à quibus talis ordo & habitudo neceſſariò dependent, & ſine quibus nequeunt ſalva conſiſtere : illa verò prohibentur ſub veniali, quæ licet aliqualiter à conſequutione prædicti finis retardent, non tamen illum deſtruunt neque ipſi contrariantur, & illa ſub veniali præcipiuntur, ſine quibus finis conſequutio detinetur, non tamen ab eis ſimpliciter dependet.

Pro quo nota, duplicem eſſe finem legis (& eſt ſermo de fine ultimo.) Alter eſt finis omnino principalis, ad quem per ipſam legem tandem omnia referuntur : & hic eſt ſolus Deus, vel ejus poſſeſſio, in qua beatitudo noſtra conſiſtit. Alter eſt finis effectus, quem ipſa lex ſua obſervatione conſtituit, & ad quem operandum tendit, ut homines medio ipſo ad finem illum principalem perducat. Ad hujuſmodi autem finem ultimum, ſeu ultimum legis effectum pertinent illa duo quæ diximus, nempe debitus ordo, ſeu ſubjectio humanæ voluntatis ad Deum, à quo eſt, & cui vivit ; & recta ejus habitudo ad proximum, cui convivit : omnia enim quæ in humana vita geruntur, eo ſpectare debent, ut duo prædicta integra & illæſa ſerventur. Et quia hæc duo ſunt propria materia charitatis, dicitur Roman. 13. quod *plenitudo*, ſeu finis *legis eſt dilectio* : & primæ ad Timoth. 1. *Finis præcepti eſt charitas* : & iterum ad Rom. 13. *Qui diligit proximum* (ſcilicet poſt Deum) *legem implevit*. Quamvis enim dilectio proximi ulterius ad dilectionem Dei ordinetur, & ita hæc ſit ultimior ; utraque tamen ſub ratione finis ultimi effecti continetur : non ſolum propter indiſpenſabilem connexionem, qua nequit haberi una ſine alia : ſed etiam propter unitatem rationis formalis ſub qua terminantur, & propter quam ad eandem virtutem charitatis pertinent. Et quia fini illi principali non niſi per hujuſmodi finem effectum anima conjungitur, neque aliter quam per ejus deſtructionem ab illo avertitur, idcirco differentiam peccati mortalis à veniali immediatiùs deſumimus ex connexione, vel repugnantia ad hunc poſteriorem, quàm ad primum. 29

Rom. 13. *1. ad Tim.* *Rom. 13.*

Porrò debitus ordo creatæ voluntatis ad Deum non modo includit dilectionem ejus ſuper omnia, ſed etiam omnia illa per quæ ipſa voluntas Deo ſubjicitur, & prædicta dilectio immediatè fovetur : ut honor, reverentia, pietas, humilitas, fides, ſpes, & ſimilia, quæ ſunt actus virtutum verſantium circa Deum, integrantque prædictum ordinem. Unde ex hoc capite habent eſſe peccata mortalia omiſſiones privativæ omnium hujuſmodi actuum, & omnes actus contrarii, ut odium Dei, infidelitas, idololatria, deſperatio, blaſphemia, ſuperbia, &c. Sub recta verò habitudine circa proximum continentur illa, per quæ conſtituitur & conſervatur juſtitia : à qua dependet humanus convictus, & ejus pax : non enim poſſent homines pacifice convivere, niſi unicuique quæ ſua ſunt, ſervarentur. Et ita ex iſto capite pertinent ad genus culpæ mortalis omnia illa, quæ paci & juſtitiæ adverſantur : ſicut adverſantur quæcumque lædunt proximum, ſive in vita, ut homicidium, ſive in fama, ut detractio, ſive in bonis externis, ut furtum, cæteraque id genus. Et à fortiori ad id pertingunt quæ lædunt bonum commune Reipublicæ : quia eſt bonum omnium & ab eo potiſſimum humanus convictus & ſocietas pendet : ex quo capite eſt in genere mortali quod quis ſe ipſum interimat : quia infert nocumentum Reipublicæ, cujus eſt pars. Imò quamvis unus tantum homo eſſet in orbe terrarum,

delinqueret mortaliter occidendo ſe ipſum: quia non ipſe ſed Deus eſt Dominus vitæ: cui proinde injuſtitiam irrogat, qui illam propria authoritate diſpendit. Alia verò quæ neque dilectioni Dei, neque bono proximi, aut Reipublicæ opponuntur, ſunt tamen inordinata, ex genere ſuo non excedunt culpam venialem. Hujuſmodi ſunt actus & verba otioſa, mendacia jocoſa, vel officioſa, ſuperfluus cibus, ſuperfluus potus, ſuperfluus ludus, inordinatus amor gloriæ, honoris, divitiarum, & alia innumera, quæ per prædictam regulam haud difficile agnoſces, & à mortalibus diſcernes.

30 D. Thom. Deſumpſimus verò totam hanc doctrinam ex D. Thom. in 2. diſtinct. 42. quæſt. 1. art. 4. ubi ſic ait: *Quando aliquis peccat in his ſine quibus rectè ſervatis non remanet ſubjectio hominis ad Deum, & fœdus humanæ ſocietatis, tunc eſt peccatum mortale ex genere, &c. ſicut patet quod non poteſt homo debite Deo eſſe ſubjectus, ſi Deo non credat, ſi ei non obediat & huiuſmodi. Similiter etiam ſocietas humanæ vitæ ſervari non poſſet, niſi unicuique ſervaretur quod ſuum eſt: & ideo furtum & alia ſpecies injuſtitiæ, ſunt peccata mortalia ex genere, & ſimiliter eſt in omnibus aliis. Ea verò ſine quibus ſocietas humana ſervari poteſt, non faciunt peccatum eſſe mortale ex genere: quamvis etiam deformis actus ſit: ſicut ſuperfluus ludus & aliquid huiuſmodi: & talia dicuntur venialia ex genere.*

Idem. Luculentius verò hoc idem proſequitur cit. quæſtione 7. de mal. ubi poſt alia ſatis ad rem, ita concludit: *Contingit quod aliquod peccatum contrarietur charitati, vel non contrarietur ex ipſo genere operis, quod eſt ex parte objecti, vel materiæ, quæ eſt contraria charitati, vel non contraria. Sicut enim aliquis cibus eſt ex ſe contrarius vitæ, puta, cibus venenoſus: aliquis autem cibus non eſt contrarius vitæ, licet impedimentum aliquod afferat ad rectam habitudinem vitæ, puta, cibus groſſus & non bonæ digeſtionis, vel etiamſi ſit bonæ digeſtionis, quia non ſumitur ſecundum menſuram debitam: ita etiam in actibus humanis aliquid invenitur, quod de ſe contrariatur charitati Dei & proximi: illa ſcilicet per quæ tollitur ſubjectio & reverentia hominis ad Deum, ut blaſphemia, idololatria, & hujuſmodi, & etiam ea quæ tollunt convictum ſocietatis humanæ, ſicut furtum, homicidium, & huiuſmodi. Non enim poſſent homines convivere ad invicem, ubi paſſim & indifferenter iſta perpetrarentur. Et iſta ſunt peccata mortalia ex ſuo genere, quacumque intentione, vel voluntate fiant. Quædam autem ſunt, quæ licet inordinationem aliquam contineant, non tamen directè excludunt alterum prædictorum. Sicut quod homo dicat mendacium non in fide, neque ad nocendum proximo, ſed ad delectandum, vel etiam ad juvandum: vel ſi quis excedat in cibo, vel potu, & alia huiuſmodi: unde iſta ſunt venialia peccata ex genere.*

31 Objectio. Objicies tamen ex doctrina §. præced. tum quod cum ibi agentes de differentia formali inter peccata venialia & mortalia, negaverimus conſiſtere penes oppoſitionem, vel non oppoſitionem ad gratiam & charitatem; non debuimus modo differentiam radicalem penes contrarietatem, vel non contrarietatem ad charitatem Dei aut proximi conſtituere: quandoquidem differentia radicalis remotior eſſe debet à prædicta oppoſitione, quàm formalis, Tum etiam quòd quamvis non eſſet poſſibilis virtus charitatis, aut eam poſſibilem eſſe non intelligeremus (quo caſu daretur oppoſitio alicujus peccati ad illam) adhuc intelligeremus diſtingui prædictam oppoſitionem tam formaliter quam radicaliter: ergo tam differentia radicalis quàm formalis debet eſſe independens à prædicta oppoſitione. ¶ Eo præſertim quia peccata mortalia opponuntur charitati niſi ut ſunt peccata mortalia formaliter, nec ſunt talia formaliter, niſi ut ſupponuntur jam graviter prohibita per legem, in quo conſiſtit differentia eorum formalis: cum ergo differentia radicalis prior ſit hujuſmodi prohibitione & formali differentia, debet etiam oppoſitionem illam antecedere.

Reſpondetur, objectionem hanc ſolùm convincere quòd prædicta differentia radicalis non conſiſtat in oppoſitione formali ad charitatem, quæ etiam ad differentiam formalem ſubſequitur: imo neque in oppoſitione fundamentali immediata & proxima, in qua ſita eſt ipſa formalis differentia. Non autem convincit quòd non conſiſtat in oppoſitione fundamentali radicali & mediata: quia hæc oppoſitio convenit ipſis objectis peccaminoſis ſecundùm ſe, etiam antequam lege prohibeantur, aut formaliter peccaminoſa reddantur: quatenus ex ſe ipſis habent inferre nocumentum illi bono, de quo curat charitas; ſive detur charitas, quæ curet de tali bono, ſicut datur de facto; ſive non detur, ut in pura natura. Unde independenter ab exiſtentia vel poſſibilitate ipſius charitatis, & antecedenter ad legis prohibitionem poteſt intelligi prædicta oppoſitio radicalis quoad illud, quod reipſa eſt, & quod non reperitur in objectis ſolùm venialiter peccaminoſis. Licet ut ſtat formaliſſimè ſub conceptu & denominatione radicis, non intelligatur, niſi connotata charitate & oppoſitione formali ad illam: quia radix ſub iſto conceptu non intelligitur, niſi connotato illo quod radicat. Ex hoc tamen nihil contra nos, quia prædictam radicalem differentiam ſolùm conſtituimus in eo, quod re ipſa eſt radicalis oppoſitio ad charitatem, non verò ut ſtat formaliter ſub conceptu & denominatione radicis. Diluitur.

Ut verò hæc ſolutio & doctrina tradita meliùs intelligatur, obſerva, quod habitudo humanæ voluntatis ad Deum & ad proximum poteſt intelligi rectificata, vel intra naturalem tantùm ordinem, ut rectificaretur in ſtatu ſolius naturæ; vel intra ordinem ſupernaturalem, ut charitas rectificat de facto: atque adeo poſſumus concipere quòd ſit recta & ordinata, abſtrahendo à modo rectitudinis, naturalis ſcilicet vel ſupernaturalis. Eo autem ipſo quòd illam ita intelligamus, etiam ſi de charitate & rectitudine ſupernaturali non cogitemus, concipimus radicalem differentiam peccatorum mortalium à venialibus. Nam quæ prædictæ rectitudini in ea abſtractione contrariantur, & eam deſtruunt, vel ut meliùs dicamus, quæ ex ſe ſunt deſtructiva talis rectitudinis, hæc ſunt mortalia ex genere: ſive prædicta contrarietas & vis deſtructiva ulteriùs uſque ad charitatem pertingat, ſicut pertingit de facto; ſive nulla ſit charitas quæ 32 Enucleatur ſolutio.

quæ poſſet deſtrui. Quæcunque verò non habent vim contrariandi illi rectitudini, aut eam deſtruendi, ſed aliò inordinatè divertunt, hæc ſunt ex genere venialia. Imo non eſt neceſſe intelligere oppoſitionem formalem ad prædictam rectitudinem, etiam ut à naturali & ſupernaturali abſtrahentem, ſed ſufficit ſi concipiamus oppoſitionem radicalem: ſcilicet quod objecta quæ dicimus *mortalia*, habeant ex ſe malè afficere voluntatem circa Deum vel proximum: quod non habent quæ dicimus venialia: ad quod ſequitur quod mortalia opponantur formaliter prædictæ rectitudini, & ex inde charitati: à qua provenit de facto; & per conſequens quod utramque corrumpant: venialia verò nulli earum contrarientur, & nullam deſtruant. Adeoque hæc formalis oppoſitio vel non oppoſitio, prædictaque deſtructio vel non deſtructio ex conſequenti ſe habent ad differentiam radicalem quam diximus. Quia tamen convertuntur cum illa, & quoad nos notiores ſunt, ſolet talis differentia per eas declari.

DUBIUM II.

Vtrùm diviſio peccati in mortale & veniale ſit eſſentialis: & an analoga, vel univoca?

33 NOn dubitamus, multa peccata venialia, illa nimirum quæ ſunt talia ex genere, eſſentialiter à mortalibus diſtingui: nam quæ habent materias & objecta diſtincta, ſicut habent hæc peccata, ex ipſis deſumunt eſſentialem diſtinctionem. Neque eſt cur objectum unius peccati venialis, mendacii v. g. diſtinguat illud eſſentialiter à verbo otioſo, & à quolibet alio peccato veniali habente diſtinctum objectum; & non diſtinguat illud à furto, & à quolibet alio mortali diverſum objectum reſpicienti. Quare præſens dubium quò ad hanc primam partem primariò procedit de illis peccatis venialibus, quæ conveniunt in objecto (ſaltem materiali) cum mortalibus; tantúmque ab eis differunt vel propter materiæ parvitatem, ſicut furtum leve à furto gravi: vel propter actus imperfectionem, ſicut conſenſus in adulterium ſemiplenè liber à conſenſu plenè deliberato. Abſoluta autem difficultate quoad hæc poſteriora peccata, poterit reſolutio applicari ſuo modo illis aliis venialibus ex genere: quia licèt ſatis conſtet ea diſtingui eſſentialiter à mortalibus per propriam uniuſcujuſque materiam, & per differentiam atomam ex tali materia deſumptam; non tamen ſic conſtat, utrum antecedenter ad prædictam differentiam atomam, propriæque materiæ conſiderationem, ex ipſa ratione communi peccati venialis prædicta gaudeant diſtinctione? Si autem peccata venialia ex materiæ parvitate vel ex imperfecta deliberatione, quibus eadem eſt ſpecifica materia cum ſuis mortalibus, eſſentialiter ab eis differant; cum talis diſtinctio non ex diverſitate materiæ, ſed ex prædicta ratione communi ortum ducat, oportet ut etiam in venialibus ex genere, quibus eadem ratio communis eſt, locum habeat: ac proinde quod hujuſmodi venialia duplici ex capite eſſentialiter à mortalibus differant: nempe ex communiſſima ratione peccati venialis, & ex propria materia uniuſcujuſque: cum tamen illa priora ſolùm differant ex prædicta ratione communi.

De quibus autem venialibus ſecunda pars dubii procedat, non poſſumus declarare, quouſque prior examinetur: quia dum non conſtat, an ea de quibus agitur, diſtinguantur eſſentialiter, non rectè quæritur, an eorum diviſio ſit univoca vel analoga. Sunt enim hæc membra ſolius diviſionis eſſentialis, qua prædicatum commune & ſuperius partitur in ſua inferiora ut totum potentiale, vel æqualiter, quæ eſt diviſio univoca ſeu generis in ſpecies; vel inæqualiter, quæ eſt diviſio analogi in analogata. De diviſione verò illorum quæ ſolum accidentaliter diſtinguuntur, non rectè quæritur, an ſit æquivoca, vel analoga? ſed an ſit ſubjecti in accidentia, vel accidentis in ſubjecta? 34

Obſervo autem, in peccatis actualibus plures rationes inveniri, ſecundum quas poſſunt diſtingui vel non diſtingui unum ab alio. Nam invenitur primò ipſa entitas phyſica actus peccaminoſi: ſive ſit actus voluntatis, ſive appetitus ſenſitivi aut alterius potentiæ. Secundò malitia moralis poſitiva, quæ eſt propria ratio conſtitutiva ipſius peccati. Tertiò malitia privativa, quæ in eodem peccato conſequitur: à quibus non differt (loquendo de peccato mortali) averſio *in fieri*. Quartò macula & averſio *in facto eſſe*, quæ remanent in anima, nec differunt à peccato habituali & à gratiæ privatione. Quinto ratio offenſæ, quæ in Deo veluti reſultat. Et denique ipſum munus occidendi aut indiſponendi animam, à quo ſumpta eſt appellatio *mortalis* vel *venialis*. Quoad aliquas igitur hujuſmodi rationum nemo ambigit, diſtingui eſſentialiter peccata venialia à mortalibus: ut quoad rationem maculæ & quoad rationem offenſæ (quæ in peccato mortali ſunt tales ſimpliciter, in veniali verò ſolum ſecundum quid, vel impropriè) quoad rationem averſionis, & quoad munus occidendi animam, quæ non inveniuntur niſi in ſolis mortalibus. Quoad hujuſmodi enim rationes ex terminis ipſis conſtat diſtingui prædicta peccata, & inter ſe opponi. Quoad entitatem autem phyſicam ex illis quæ diximus in tractatu de bonitate & malitia diſput. 6. dub. 2. debemus ſupponere, ſæpe non diſtingui eſſentialiter peccatum mortale à veniali: quia ſi idem numero actus ſive interior, ſive exterior poteſt tranſire à bono in malum, manente eadem entitate phyſica, ut ibi probavimus; non eſt cur non poſſit tranſire à malitia veniali in mortalem, retenta & indiſtincta prædicta entitate. Quod tamen minimè haberet locum, ſi quoad prædictam entitatem eſſentialiter differrent, ut eſt per ſe notum. Reducenda eſt itaque difficultas ad malitiam moralem poſitivam, quæ eſt prima ratio conſtituens peccatum in ratione peccati: & quod de hac diximus, intelligendum erit de malitia privativa, propter affinitatem & connexionem utriuſque.

Animadverſio.

Digitized by Google

§. I.

Deciditur prima pars dubii.

55 Dicendum eſt primò, peccatum ſecundùm prædictam malitiam eſſentialiter dividi in mortale & veniale, adeóque nullum veniale, cujuſcunque conditionis ſit, eſſe per ſe in eadem ſpecie cum aliquo mortali. Hanc credimus eſſe ſententiam D. Thomæ in præſenti (D.Thom.) artic.6. ubi ait, quod cum peccatum, quod ex genere ſuo eſſet mortale, fit veniale propter indeliberationem conſenſus, ſolvitur ſpecies: atque adeo non manet illa ſpecies malitiæ, quæ eſſet in conſenſu plenè deliberato, ſed alia diverſa. Et art.5. ait, quod non poteſt de peccato veniali fieri mortale, niſi per aliquid quod mutet ſpeciem: & idem repetit 2.2.quæſtione 110.art.4.ad 5. & quæſt.7.de Mal.art.1. & 3. ſi autem inter aliquod peccatum mortale & aliquod veniale eſſet ſola diſtinctio accidentalis, non requireretur neceſſariò mutatio aut diſſolutio ſpeciei, ut unum in alterum tranſiret: ſed ſufficeret mutatio quoad differentiam individualem, vel quoad aliqua accidentia, quæ ſunt extra ſpeciem. Atque ita ſentiunt in præſenti Cajetan. artic.6. Greg. Mart. artic.2. dub.1. Alvarez diſp.189. Araujo ſupra q.18. circa art.10. & 11.& eſt communior ſententia inter Thomiſtas. Quam etiam tenent Durandus 2. diſtinct. 42. quæſt.6. & Suarez tractatu de Peccatis diſp.2. ſect.5. loquitur autem de venialibus ex genere & ex imperfecta deliberatione. Navar. in ſumma latina prælud.9. numero 6. & alii. (Caiet. Greg.Mart. Alvar. Araujo. Durand. Suar. Navarr.)

(Ratio aſſertionis.) Probatur ratione: illa eſt diviſio eſſentialis, quæ traditur per differentias per ſe & ejuſdem generis cum diviſo: ſed diviſio peccati in mortale & veniale traditur per hujuſmodi differentias: igitur eſt eſſentialis. Major de omnibus conceditur,& eſt ſatis perſpicua: nam differentia quæ per ſe ſe habet ad prædicatum quod dividit, conſtituit unum per ſe, adeoque unam ſpeciem cum tali prædicato: & conſequenter plures ejuſmodi differentiæ nequeunt non plures ſpecies conſtituere & ſpecificè diſtinguere, in quo conſiſtit diviſio eſſentialis. Minor autem ſuadetur. Tum quia ad rationem communem peccati, quæ conſiſtit in hoc quod eſt eſſe contra legem, omnino per ſe ſe habet talis vel talis modus eſſendi contra illam,ſcilicèt vel ſimpliciter, ſicut eſt peccatum mortale, vel ſecundùm quid, ſicut eſt veniale. Tum etiam quia malitia moralis, quæ eſt ratio conſtitutiva peccati in communi, non eſt niſi quædam inordinatio, qua voluntas pravè afficitur, & malè ſe habet, in ordine ad finem humanæ vitæ: ad hujuſmodi autem pravam affectionem per ſe ſe habet, vel quod pertingat, uſque ad ipſum finem, ſicut pertingit malitia mortalis; vel quod citra finem ſiſtat, ſicut ſiſtit venialis: erunt igitur iſtæ differentiæ per ſe & eſſentiales talium peccatorum.

36 (Cõfirmatio.) Confirmatur & explicatur animadvertendo, quod in reſpectivis, uti ſunt peccata, diſtinctio eſſentialis attenditur ſecundùm ea quæ per ſe reſpiciunt, ſcilicèt ſecundùm objecta: & ideo tunc differunt eſſentialiter, quando objecta ipſa reſpiciuntur ab illis ſecundùm diverſam formaliter rationem; tuncque differentiæ diſtinctivæ actuum per ſe ſe habent ad rationem communem, quando rationes à quibus deſumuntur, per ſe ſe habent in ipſis objectis. Quæ eſt doctrina D. Thomæ ſupra quæſt.18. art.5. (D.Thom.) & q.54.art.2. & alibi ſæpe.

Deinde nota ex eodem S.Doctore ſupra q.21. art.2. ad 2. hoc eſſe diſcrimen inter peccatum ſeu malum morale, & malum artificiale, quod iſtud poſterius ſolùm attenditur per ordinem ad finem particularem, quem operans intendit, ſecundùm ſe acceptum, nulloque habito reſpectu ad finem ultimum humanæ vitæ: & ideo quoties artifex conſequitur prædictum finem particularem, etiam ſi à fine ultimo deficiat, aut circa eum inordinatè ſe habeat, non peccat in genere artis, quamvis peccet in genere moris. At verò malum morale licet ſumatur (Idem.) ab objecto ſeu fine proximo: non tamen ut ſecundùm ſe præciſè accepto, ſed ut dicit habitudinem alicujus diſconvenientiæ ad finem ultimum humanæ vitæ: ideo quamvis operans non aſſequatur finem particularem à ſe intentum, ob idque peccet in genere artis, non tamen peccat in genere moris, niſi ejus actio deviet à fine ultimo, ſitque illi improportionata. Quod rectè explicuit D. Thom. loco cit. ubi ſic ait. *Cum peccatum ſit per deviationem ab ordine ad finem, ut dictum eſt, in actu artis contingit dupliciter eſſe peccatum; Vno modo per deviationem à fine particulari intento ab artifice: & hoc peccatum erit proprium arti: puta ſi artifex intendens facere bonum opus, faciat malum; vel intendens malum, faciat bonum. Alio modo per deviationem à fine communi humanæ vitæ: & hoc modo dicetur peccare, etiam ſi intendat facere malum opus, & faciat per hoc ut alius decipiatur. Sed hoc peccatum non eſt proprium artificis in quantum artifex, ſed in quantum homo eſt. Vnde ex primo peccato culpatur artifex in quantum artifex, ſed ex ſecundo culpatur homo in quantum homo. Sed in moralibus ubi attenditur ordo rationis ad finem communem humanæ vitæ, ſemper peccatum & malum attenditur per deviationem ab ordine rationis ad finem communem humanæ vitæ*, &c.

37 Hinc confirmatur & declaratur noſtra ratio. Nam licèt malitia moralis ſumatur ab objecto vel fine proximo, non tamen ut conſiderato præciſè ſecundùm ſe, ſed ut ſtat ſub habitudine diſconvenientiæ & improportionis ad finem ultimum, nihilque eſt illi magis per ſe quàm hujuſmodi habitudo: atque adeo differentiæ per ſe ſe habentes ad talem habitudinem, nequeunt non eſſe differentiæ eſſentiales & per ſe ſe habentes reſpectu prædictæ malitiæ: ſed differentiæ peccati venialis & mortalis per ſe ſe habent ad illam habitudinem finis ultimi: ergo, &c. Cætera patent: minor verò ſuadetur, quia reſpectu diſconvenientiæ ad aliquem finem omnino per ſe eſt, quod ſit averſiva & deſtructiva finis, ſicut eſt malitia mortalis; vel quod ſit ſolùm indiſpoſitiva & retardativa, ſicut eſt malitia venialis. Et hoc eſt quod aliis terminis ſupra diximus: nempè de ratione peccati mortalis eſſe quòd deordinet voluntatem uſque ad finem ultimum, tollendo ejus ordinem, de ratione verò venialis quod deordinet citra talem finem. Nam hæc poſterior deordinatio in eo ſita eſt, quod indiſponat & retardet à finis conſequutione, ſine eo tamen quod ipſum finem aut ejus ordinem corrumpat, ſicut corrumpit prima deordinatio.

Confir

Confirmatio alia.

Confirmatur & explicatur ſecundò : nam eo ipſo quòd malitia mortalis deordinet voluntatem uſque ad finem ultimum deſtruendo ipſum finem, malitia autem venialis ſolùm indiſponat & retardet à finis conſequutione, ita ſe habent ſicut finis & id quod eſt ad finem; & ſicut diſpoſitio & forma ad quam diſponit : ſed quod eſt ad finem, diſtinguitur eſſentialiter à fine, & diſpoſitio à ſua forma : ergo idem dicendum eſt de prædictis malitiis mortali & veniali.

38 Evaſio.

Dices, ex ratione facta, & ex ejus prima confirmatione ſolùm haberi, quòd peccatum mortale & veniale differant ſicut *magis & minus*, ſeu penes majorem & minorem gravitatem : ex eo enim quòd mortale gravius eſt, pertingit ſua inordinatione uſque ad deſtructionem finis, citra quam ſiſtit veniale ob gravitatem minorem, hoc autem non ſufficit ad diſtinguenda illa eſſentialiter : quia *magis & minus* non variant ſpeciem. ¶ Ad ſecundam verò confirmationem dici poſſet, neque diſpoſitionem & formam, neque finem, & id quod eſt ad finem diſtingui ſemper eſſentialiter : quia multoties eadem forma v. g. ſcientiam ſub ſtatu imperfecto diſponit ad ſe ipſam, ut ſtatum perfectum aſſequatur : & primo modo dicitur *diſpoſitio*, ſecundo verò *habitus*. Similiter id ipſum quod eſt medium reſpectu unius finis, poteſt habere rationem finis reſpectu alterius medii, & in tract. de Vlt. fine diſp. 3. oſtendimus. Quare ex prædicta confirmatione potiùs inferendum videtur, quòd quia peccatum mortale & veniale habent ſe ſicut finis & id quod eſt ad finem, vel ſicut forma & diſpoſitio, non ſemper eſſentialiter diſtinguantur.

Præcluditur.

Sed hæc non enervant noſtras probationes. Quia quòd inordinatio peccati mortalis pertingat uſque ad finem, & ipſum deſtruat; inordinatio verò peccati venialis citra finem ſiſtat, non utcunque dicunt majorem & minorem gravitatem, aut gravitates differentes præcisè ſecundùm *magis & minus* ejuſdem rationis : ſed dicunt gravitates diverſæ rationis, eſſentialiterque inæquales. Aliter enim differunt duæ inordinationes, quarum una pertingit uſque ad finem, alia verò circa finem ſiſtit, quàm duæ aliæ quarum utraque vel uſque ad finem pertingat, vel circa finem ſiſtat : & tamen iſtæ poſſunt diſtingui penes *magis & minus* in eadem ſpecie : ut differunt duo peccata mortalia ejuſdem ſpeciei, aut duo venialia ſimiliter unius ſpeciei : igitur illæ majorem habent diſtinctionem quàm præciſe ſecundùm magis & minus intra eandem ſpeciem.

39 Quod autem dicitur ad ſecundam confirmationem, nullius momenti eſt : quia licèt illud quod eſt medium reſpectu unius finis poſſit eſſe finis reſpectu alterius medii, at reſpectu ejuſdem ſemper differunt finis & medium : quia nihil poteſt eſſe medium reſpectu ſui ipſius. Quinimò etiam reſpectu diverſorum ratio medii & ratio finis ſemper dicunt reſpectus formaliter & eſſentialiter differentes, quamvis in eodem ſubjecto materialiter ſæpe concurrant. Porro malitia mortalis & venialis non ſe habent ut illud ſubjectum, in quo materialiter concurrant ratio medii & ratio finis, ſed ut ipſæmet rationes finis & medii : neque ſolùm ita ſe habent reſpectu diverſorum, ſed una reſpectu alterius : & ita nequeunt non eſſentialiter diſtingui.

Similiter quod dicitur ad eandem confirmationem de diſpoſitione & forma, parùm vel nihil refert : quia quamvis aliqua forma & aliquis habitus ſub ſtatu imperfecto poſſit diſponere ad ſe ipſam ſecundùm ſtatum perfectum, ſub nullo tamen ſtatu illa forma eſt ſolùm diſpoſitio, ſed adhuc ſub *eſſe* imperfecto eſt vera forma & verus habitus, ſicut ſcientia etiam ſub ſtatu imperfecto eſt verus habitus diſtinctus in ſpecie ab aliis qualitatibus, quæ ad rationem habitus non pertingunt. Illæ vero qualitates quæ præcisè ſunt diſpoſitiones, ſemper differunt eſſentialiter à formis & habitibus, pro quibus diſponunt : ut oſtendunt N. Complut. in Logica agentes de prima ſpecie qualitatis diſ. 15. quæſt. 3. *Complut.* Cum autem nos diximus, peccatum veniale habere ſe ad mortale ut diſpoſitionem ad formam, intelligendum eſt de diſpoſitione hoc poſteriori modo, ſeu quæ non eſt ſimul forma etiam ſub ſtatu imperfecto : quia re vera inordinatio peccati venialis ſub nullo ſtatu eſt illa inordinatio quæ deſtruit finem ultimum, cujus deſtructio comparatur formæ.

A poſteriori etiam poſſet probari noſtra concluſio : nimirum ex diſtinctione inter effectus utriuſque peccati. 40 Nam macula, offenſa, averſio à Deo, reatus pœnæ damni & pœnæ æternæ, & habitus vitioſus, qui ſunt effectus cujuſlibet peccati mortalis, eſſentialiter diſtinguuntur à quibuſlibet effectibus peccati venialis : nullum enim hujuſmodi peccatum cauſare poteſt maculam, offenſam, averſionem, reatum, aut habitum vitioſum ejuſdem ſpeciei cum illis quæ ex mortalibus proveniunt, diverſitas autem eſſentialis in tot effectibus ſatis indicat ſimilem diverſitatem in ſuis cauſis, quæ ſunt ipſa peccata ſecundùm ſuas malitias morales. Hanc tamen probationem conſulto non proſequimur : & quia priores aliæ ſufficiunt : & quia longiori mora opus erat ad ejus efficacaciam demonſtrandam.

§. II.

Poſterior dubii pars abſolvitur.

Dicendum eſt ſecundo, prædictam diviſionem non eſſe univocam ſeu generis in ſpecies, ſed analogi in analogata. Hæc concluſio eſt expreſſe D. Thomæ in præſenti art. 1. ad primum, & quæſt. 7. de Mal. art. 1. ad primum, & in 2. diſt. 42. quæſt. 1. art. 3. ubi illam ſtatuit, & probat his verbis : *D. Thom.* *Duplex eſt modus dividendi commune in ea quæ ſub ipſo ſunt, ſicut eſt duplex communitatis modus : eſt enim quædam diviſio univoci in ſpecies per differentias quibus æqualiter natura generis in ſpeciebus participatur, ſicut animal dividitur in hominem, & equum, hujuſmodi : alia vero diviſio eſt ejus quod eſt commune per analogiam, quod quidem ſecundum perfectam rationem prædicatur de uno dividentium, & de altero imperfectè & ſecundùm quid, ſicut ens dividitur in ſubſtantiam & accidens, & in ens actu, & in ens potentia : & hæc diviſio eſt quaſi media inter æquivocum & univocum, & talis diviſio eſt peccati in mortale & veniale, quia ratio peccati perfectè in mortali invenitur : in veniali vero non niſi imperfectè & ſecundùm quid : unde minimum quod poteſt eſſe de ratione peccati in aliquo actu, eſt in veniali, ſicut minimum quod*

Digitized by Google

poteſt eſſe de natura entis; eſt in ente in potentia & in ente per accidens, & hoc ipſa nomina oſtendunt, quia venia non debetur peccato niſi ſecundum quod aliquam imperfectionem peccati habet: mors autem debetur peccato in quantum peccatum eſt: & ideo mortale peccatum perfectum quid in genere peccati dicit; veniale autem imperfectum. Et ideo hanc ſententiam tuentur communiter Thomiſtæ, Capreol. & Hiſpalen. in 2. diſt. 43. quæſt. 1. concluſ. 1. & in ſolut. ad argum. Caiet. & Medina in præſenti. art. 1. ubi etiam Alvarez diſp. 189. Greg. Mart. dub. 5. & alii.

Capreol. Hiſpal. Caietanus. Medina. Alvar. Greg. Mart.

42 Ratio pro aſſertione. Ratio verò deſumpta ex D. Thoma locis cit. & ex dictis in hac diſp. poteſt ita efformari. Illa eſt diviſio analogi in analogata, ſecundùm quam diviſum inæqualiter deſcendit ad membra dividentia & inæqualiter de illis prædicatur; è contra verò illa eſt diviſio univoca, ſecundùm quam diviſum æqualiter convenit membris dividentibus, & æqualiter prædicatur de ipſis: ſed ratio peccati quæ eſt diviſum in prædicta diviſione, non convenit æqualiter mortali & veniali, ſed potius valdè inæqualiter, & hôc modo de illis prædicatur: igitur non eſt diviſio univoca, ſed analoga. Maior communiter ſupponitur. Minor verò probatur. Tùm quia prædicta ratio quæ conſiſtit in hoc quod eſt *eſſe contra legem*, peccatis mortalibus convenit ſimpliciter, venialibus autem ſolùm ſecundùm quid, ut oſtendimus dub. præced. num. 10. & num. 13. & ſequentibus: valde autem inæqualia ſunt *ſecundum quid* & *ſimpliciter*. Tum etiam quia valde inæquales ſunt malitia quæ eſt deſtructiva finis, & malitia quæ ſolùm eſt indiſpoſitiva ad illum: ſicut ipſe finis, & ea quæ ſunt ad finem, valde ſunt inæqualia: ſed hoc modo ſe habent malitia mortalis & malitia venialis, ut §. præced. oſtendimus, ergo &c.

Confirmatio. Confirmatur & explicatur: nam ita dividitur malitia in eam quæ eſt deſtructiva finis ſeu ordinis ad finem, qualis eſt malitia mortalis, & in eam quæ ſolùm eſt indiſpoſitiva, qualis eſt venialis, ſicut bonum dividitur in bonum honeſtum vel delectabile quod finis, & in bonum utile quod eſt medium ad finem: ſed hæc non eſt diviſio univoca; ſed analoga: media enim non dicuntur *bona* abſolutè & ſecundùm ſe, ſicut dicitur finis, ſed per analogiam & habitudinem ad ipſum finem, ut oſtendimus in tract. de Vlt. fine diſp. 1. à num. 10. ergo, &c.

43 Effugium. Nec refert ſi dicas, totam eam inæqualitatem quæ inter peccatum mortale & veniale reperitur, provenire ab eorum differentiis, & non à ratione communi peccati: inæqualitas autem proveniens à differentiis non obſtat univocationi in ratione communi: aliàs nulla prædicata communia eſſent univoca, cum omnia hujuſmodi prædicata dividantur per differentias inæquales in inæquales ſpecies.

Impugnatur. Non itaque hoc refert: quia inæqualitas proveniens à differentiis, tunc non obeſt univocationi in ratione communi, cùm ipſa ratio communis eſt aliquis conceptus ſimpliciter abſtractus & præciſus à differentiis; ſecus verò quando talis ratio non poteſt ſimpliciter præſcindi ab illis, ut contingit in præſenti. Pro quo nota, hoc eſſe præcipuum diſcrimen inter univoca & analoga, quòd in illis ratio communis dicit unum conceptum ſimpliciter præciſum & abſtractum à rationibus differentialibus; in iſtis verò non datur talis conceptus, ſed ipſa ratio communis in qualibet abſtractione, cujus eſt capax, claudit actu rationes differentiales, tantúmque ab eis differt penes majorem vel minorem expreſſionem: prout rectè explicant Cajet. opuſc. de nomin. analog. & N. Complut. in Logica diſp. 10. quæſt. 4. Caiet. Compl.

Ex quo fit ut in univocis inæqualitas à differentiis proveniens, non ingrediatur ipſam rationem vel conceptum communem; ſed conſervata unitate & æqualitate illius conceptus, quaſi extra ipſum maneat, & ei tantùm veluti aſſiſtat. In analogis verò inæqualitas differentiarum ingreditur prædictam rationem & conceptum communem: quia talis conceptus veluti integratur ex ipſis inæqualibus differentiis. Unde nihil poteſt ibi concipi cum unitate & æqualitate ſimpliciter: quia nihil poteſt concipi abſtractum & præciſum ſimpliciter à prædictis differentiis. Fit deinde, ut in univocis illa ratio communis abſolutè & ſimpliciter prædicetur de omnibus ſuis inferioribus: quia cum differentiæ dividentes & diverſificantes ſint extra illam, quantumvis ipſæ inæquales ſint, non reddunt eam intra ſuum communem conceptum inæqualem, neque proinde efficiunt ut talis conceptus ſecundùm ſibi propria non totus & æqualiter ad omnia inferiora deſcendat, & de omnibus ſecundùm totum quod actu eſt, adeoque abſolutè & ſimpliciter prædicetur. Quò contra ſe habet in analogis: ubi cum inæqualitas differentiarum pervadat ipſam rationem communem, nullus ibi relinquitur conceptus æqualis & impartitus, & qui de omnibus inferioribus uno & æquali modo enuntietur: ſed enuntiatur de illis ſecundùm magis vel minus, ſimpliciter vel ſecundum quid, juxtà differentiarum inæqualitatem.

Hinc ergo liquet, non obeſſe noſtræ aſſertioni illud quod in evaſione habetur. Nam inæqualitas quæ ita ingreditur rationem communem, ut hæc non poſſit de omnibus ſuis inferioribus ſimpliciter prædicari, & tam abſolutè de uno quàm de altero, non compatitur cum univocatione in ipſa ratione communi: quippe in nulla conſideratione relinquit unum conceptum impartitum, in quo inferiora ſimpliciter conveniant: ſed inæqualitas peccati mortalis & venialis ita ingreditur communem peccati rationem, ut non permittat, eam abſolutè & ſimpliciter de utroque prædicari, ſed de mortali prædicatur hoc modo, de veniali verò reſpectivè & ſecundum quid: ſicut ens prædicatur de ſubſtantia & accidente, & bonum de honeſto & de utili; obeſt igitur prædicta inæqualitas univocationi, & conſtituit analogiam. 44

Alia evaſio. Dices ſecundò, peccata venialia ex genere ſimpliciter eſſe contra illas leges quibus prohibentur: mendacium enim ſimpliciter eſt contra legem non mentiendi: ergo ſaltem hæc venialia convenient univocè cum mortalibus.

Præcluditur. ¶ Sed neque hoc refert: quia leges illæ quibus prædicta venialia immediatè prohibentur, ſicut non ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad finem ultimum, ſed ſecundum quid & ad melius, ita ſecundum quid dumtaxat (quoad præſens) vocantur *leges*. Et hoc ſufficit, ut prædicta peccata non ſint ſimpliciter contra legem, ſicut ſunt mortalia; quia ly *ſimpliciter* debet ſe tenere

tam

Digitized by Google

tam ex parte legis, quàm ex parte modi tendendi contra illam, ut explicuimus num. 14.

45 Nova quæſtio. Si verò inquiras, utrum hæc analogia quam inter peccatum veniale & mortale conſtituimus ſit ſolius attributionis, ſicut eſt analogia *ſani* ad animal & ad medicinam: juxta quam ratio analogi invenitur intrinſecè in principali analogato; minùs verò principalia denominantur ab eo extrinſecè propter dependentiam & habitudinem ad ipſum: aut potiùs ſit analogia proportionalitatis propriæ, ſecundum quam ratio analogi invenitur intrinſecè licet inæqualiter in omnibus analogatis: ſicut ratio entis invenitur in ſubſtantia & accidente?

Solutio. ¶ Reſpondetur, utroque analogiæ genere analogari prædicta peccata. Priori quidem quia peccatum veniale dependet in ſua ratione à peccato mortali, ad quod diſponit & dicit habitudinem, ut infra magis declarabimus, & ratione hujus dependentiæ & habitudinis poteſt attribui eidem peccato mortali, & peccati denominationem ab eo deſumere: in quo analogia attributionis conſiſtit. Poſteriori verò quia illamet habitudo quam importat peccatum veniale ad mortale per modum diſpoſitionis ad ipſum, intrinſecè eſt mala & deformis, ſaltem ſecundùm quid & diminutè, ſicut intrinſecè hoc modo eſt contra legem: ſervatque eandem proportionem ad conſtituendum peccatum veniale in ratione peccati ſecundum quid, quam ſervat malitia peccati mortalis ad conſtituendum ipſum in ratione peccati ſimpliciter: in quo ſita eſt analogia proportionalitatis propriæ: ut rectè declarant N. Complut. Compluten. loco cit. Ubi etiam oſtendunt non eſſe inconveniens, quod idem nomen utroque analogiæ genere de ſuis inferioribus prædicetur: de factoque ita prædicari *ens & bonum* de Deo & de creaturis, de ſubſtantia & de accidente, de ente in potentia & de ente in actu, multaque alia analoga.

§. III.

Sententia oppoſita primæ aſſertioni.

46 CONtrariam ſententiam noſtræ primæ aſſertioni, videlicet peccata venialia ex imperfecta deliberatione aut ex parvitate materiæ quantum ad malitiam moralem non diſtingui eſſentialiter à mortalibus, quæ circa eandem materiam verſantur, atque adeo neque prædictam diviſionem quantùm ad hujuſmodi peccata eſſentialem eſſe, tuentur aliqui ex diſcipulis D. Thomæ circa præſentem art. 2. ubi Curiel §. 2. Zumel concluſ. 1. & 3. Monteſin. diſp. 18. q. 4. n 63. & 64. Atque idem etiam tuentur Salas diſp. 16. ſect. 19. Lorca diſp. 59. & Suarez diſp. 2. ſect. 5. loquens de venialibus ex parvitate materiæ: & eſt valde probabile.

Curiel. Zumel Monteſ. Salas. Lorca. Suar.

Primum argumentum. Pro quo arguitur primò ex D. Thoma ſupra quæſt. 72. art. 5. in corp. ubi ſtatuit, differentias venialis & mortalis non conſtituere diverſitatem ſpecificam peccatorum. Et in ſolut. ad 1. de peccato veniali ex imperfecta deliberatione ſic dicit. *Nihil prohibet in eadem ſpecie inveniri aliquod peccatum mortale & veniale, ſicut primus motus in genere adulterii eſt peccatum veniale.* Et quæſt. 18. art. 11. agens de circunſtantiis, quæ non mutant ſpeciem, ut *magnum* & *parvum*, ita ait: *Tollere alienum in magna vel parva quantitate non diverſificat ſpeciem peccati.* *D. Thom.*

47 Propter hæc D. Thomæ teſtimonia diximus eſſe valde probabilem iſtam ſententiam. Adhuc tamen non convincunt, ut eam pro vera habeamus: quia prædicta teſtimonia poſſunt convenienter exponi ſine præjudicio noſtræ aſſertionis. Ad primum enim ex quæſt. 72. art. 5. dicendum eſt, Angel. Doctorem loqui de differentia, quæ eſt ſecundùm reatum pœnæ æternæ vel temporalis: ut conſtat ex titulo & ex corpore articuli. Hæc autem non eſt differentia primaria prædictorum peccatorum, ſed ſecundaria & conſequens, ut diximus num. 10. & ita non tollit, quominùs per aliam differentiam primariam, quam num. 10. & num. 13. explicuimus, differant eſſentialiter. Illa autem verba ex ſolut. ad 1. ſolùm probant, quòd aliqua peccata venialia pertineant reductivè ad ſpecies peccatorum mortalium cum quibus conveniunt in materia; non verò quod in ſe habeant formaliter tales ſpecies. Quia enim peccata venialia ex imperfecta deliberatione & ex parvitate materiæ ſunt aliquid incompletum in genere peccati, & in materia illius objecti ad quod tendunt; non ſunt per ſe in recta linea prædicamenti, ubi genera & ſpecies completa collocantur ſed reducuntur ad illam ſpeciem ad quam diſponunt, & cui ratione materiæ magis appropinquant: quæ eſt ſpecies peccati mortalis. Sicut embrio reducitur ad ſpeciem hominis, & punctum ad ſpeciem lineæ: quia cùm ſint aliquid incompletum proindeque incapacia conſtituendi per ſe proprias ſpecies, reducuntur ad illas ſpecies completas, ad quas ſuapte natura tendunt: non quidem ut habentia formaliter tales ſpecies, etiam ſub aliis accidentibus vel ſtatu imperfecto; ſed ut tendentia ad illas in alia eſſentia & ſpecie eſſentialiter incompleta & imperfecta: quæ proinde adveniente ſpecie completa omnino deſtruitur: nulla ue prædicata quiditativa manent eadem numericè aut ſpecificè. ¶ Vel dicas, D. Thomam appellaſſe peccatum veniale & mortale ejuſdem ſpeciei, *materialiter*: quatenus verſantur circa materias ſecundum ſe non ſpecificè diſtinctas: quamvis ex parte modi attingendi, unde ſpecificatio formalis deſumitur, eſſentialiter diſtinguantur. Solutio.

Ad ſecundum teſtimonium ex quæſt. 18. reſpondetur, D. Thomam loqui de *magno* & *parvo* præcisè ut talia ſunt, ſeu quæ nullam aliam involvunt differentiam, niſi penes *magis* vel *minus* ſub eodem modo oppoſitionis ad rationem: quo pacto ſe habent furtum majus & furtum minus, quando vel utrunque eſt intra quantitatem ſufficientem ad culpam mortalem, vel utrunque non excedit quantitatem culpæ venialis. Cæterùm non negat, quod ſi *magnum* & *parvum* ſimul afferant aut conſequantur aliud diſcrimen, ratione cujus *magnum* deordinet voluntatem uſque ad finem ultimum, ſicut deordinat peccatum mortale, *parvum* verò ſolum deordinet citra talem finem, ſicut deordinat veniale, poſſint ratione iſtius diſcriminis conſtituere peccata ſpecificè diverſa. Conſonatque huic ſolutioni ipſe D. Thom. quæſt. 7. de Mal. art. 1. ad 19. Nam cum ita objeciſſet, *Magis & minus non diverſificant ſpeciem: ſed peccatum mortale & veniale differunt ſpecie: ergo non differunt per hoc quod eſt magis vel minus.* Reſpondet, *Dicendum, quod magis & minus quando conſequuntur rationes diverſas, diverſificant ſpeciem: & ita eſt in propoſito.* 48

Secundò

49 *Secundû argumentum.* Secundò arguitur. Illa peccata ſunt ejuſdem ſpeciei, quorum objecta ſpecificè non differunt: ſed objectum peccati mortalis & objectum peccati venialis ex imperfecta deliberatione aut ex parvitate materiæ non differunt ſpecificè: igitur neque ipſa peccata. Major & conſequentia conſtant. Minor verò ſuadetur: nam objectum furti quod eſt res aliena, ejuſdem ſpeciei eſt in ratione talis, ſive ſit magni, ſive modici valoris: non enim mutat ſpeciem pecuniæ, vel rei alienæ, quod pertingat ad valorem quatuor argenteorum, vel ſiſtat in valore unius argentei. Et ſimiliter in delectatione moroſa quæ ſumitur de homicidio cogitato, idem eſt objectum, ſcilicet ipſum homicidium, ſive adſit plena deliberatio, ſive tantum ſemiplena: ergo, &c.

Confirmatur: tum quia non magis differt furtum grave à furto levi, quàm furtum graviſſimum à furto gravi: ſed hæc ſolum differunt accidentaliter penes *magis* & *minus*: non enim eſt alterius ſpeciei furtum centum aureorum à furto unius aurei, vel duorum: ergo illa nequeunt eſſentialiter diſtingui. Tum etiam, quia non magis differt actus elicitus cum plena cognitione ab actu elicito cum ſemiplena, quàm amor elicitus cum cognitione clariſſima & perfectiſſima, ſicut eſt amor Dei in patria, ab amore elicito cum cognitione obſcura & imperfecta, ſicut eſt amor viæ: ſed iſti duo amores non differunt eſſentialiter, ſed ſolum penes majorem, vel minorem perfectionem intra eandem ſpeciem: ergo, &c.

50 *Enodatio argumenti.* Reſpondetur ad argumentum concedendo majorem, intellectam de objectis formaliſſimè in eſſe objectorum; ſecus vero in eſſe rei: Sed neganda eſt minor in eodem ſenſu. Ad probationem dicendum eſt, in utroque caſu diſtingui eſſentialiter illa objecta in eſſe objectorum moralium: quia in hac ratione attenditur eorum differentia penes habitudinem improportionis ad ultimum finem: & quia hæc habitudo in objecto mortaliter peccaminoſo eſt improportio averſiva & deſtructiva ipſius finis, in objecto vero peccaminoſo venialiter eſt improportio ſolum indiſpoſitiva, conſtituunt objecta formaliter diverſa in ratione objectorum, refunduntque in actus ad illa terminatos diſtinctionem eſſentialem. Differt tamen inter objectum quod eſt veniale ob parvitatem materiæ, & illud quod efficitur veniale ex imperfecta deliberatione, quia in primo ratio diſtinctiva ſumitur ex imperfectione ipſius materiæ attactæ, quæ ob ſuam levitatem non eſt capax avertendi à fine ultimo, aut illi contrariandi; & ideo ex ſe habet fundare improportionem & deordinationem ſolummodo indiſpoſitivam, & excludere averſivam. In ſecundo verò totum hoc provenit ex imperfectione actus, & ex modo attingendi: inde enim refunditur in objectum prædicta improportio indiſpoſitiva, & excluditur averſiva.

51 *Solutio confirmationis.* Ex quo ad primam partem confirmationis reſpondetur, quod licet in eſſe rei magis aut ſaltem non minus differat furtum grave & graviſſimum, quàm leve & grave; non tamen in ratione objecti mortalis; quia duo priora furta conveniunt in habitudine improportionis ad finem, & in ſpecie & modo talis habitudinis: cum utrumque dicat improportionem averſivam & deſtructivam finis, totaque eorum differentia conſiſtit penes *magis* vel *minus* talis improportionis. Duo verò poſteriora differunt in ſpecie & modo prædictæ habitudinis, & non ſolum ſecundum *magis* vel *minus*: quia unum importat improportionem indiſpoſitivam, aliud vero improportionem averſivam: & quia in ratione objecti moralis conſtituuntur per hujuſmodi habitudinem, fit ut in ratione talium furtum grave & furtum leve ſpecificè & eſſentialiter differant; non autem furtum grave & graviſſimum. Ad ſecundam partem negatur etiam antecedens: quia cognitio plenè deliberata, ſive ſit clara, ſive obſcura poteſt applicare objectum ſub eadem formali ratione: eadem enim bonitas formaliſſimè quæ in patria clarè cognoſcitur per viſionem beatificam, cognoſcitur in via obſcure per fidem. At verò cognitio ſemiplene deliberata nequit applicare eandem rationem formalem objectivam, quam deliberata applicat: hæc namque poteſt applicare & proponere rationem finis ultimi, & averſionem ab illo, ad quam illa non poteſt pertingere.

§. IV.

Alia ſententia contra ſecundam aſſertionem.

Secunda ſententia nobis oppoſita affirmat, diviſionem peccati in mortale & veniale non eſſe analogam, ſed univocam. Hanc tuentur Durand. in 2. ubi ſup. Et in præſenti Vaſq. diſp. 144. c. 3. ubi etiam Lorca, Curiel, Monteſ. Zumel, & alii, quos adduximus §. præced. Habet autem locum hæc ſententia præſertim in peccatis venialibus ex genere: nam venialibus ex imperfecta deliberatione aut ex parvitate materiæ vix eſt qui diſtinguens illa eſſentialiter à mortalibus, tribuat univocè rationem peccati. Quinimo omnia venialia ſub aliqua ratione analogicè tantum convenire cum mortalibus cenſent ferè omnes prædicti Authores. Nam ſi peccatum (inquiunt) theologice conſideretur, in quantum ſcilicet repugnat charitati & vitæ ſpirituali, & in quantum eſt Dei offenſa, analogice tantum & ſecundum quid dicitur de venialibus. Si vero conſideretur quantum ad malitiam moralem conſtitutivam ipſius peccati (quam appellant conſiderationem metaphyſicam) dicunt prædicari de omnibus univoce: & ex hac parte adverſantur noſtræ ſententiæ, quia adhuc in prædicta conſideratione metaphyſica negamus univocationem. 52

Durand. Vasq. Lorca. Curiel. Monteſ. Zumel.

Arguunt autem prædicti Authores primò, quia in ſacra Scriptura peccata venialia abſolute & ſine addito vocantur *peccata*: ut videre eſt 1. Joan. c. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, &c. Ubi ſermo eſt de juſtis non habentibus niſi venialia. Et Jacob. 1. *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem*, &c. Ubi prima verba denotant peccatum veniale exiſtens in concupiſcibili ante conſenſum rationis; poſteriora verò mortale, quod fit per talem conſenſum. Et de veniali ex genere, uti ſunt verba otioſa, dicitur Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*. Quæ etiam, vel ſimiles loquutiones apud SS. Patres non ſemel reperiuntur. Si autem peccatum veniale abſolute & ſimpliciter eſt peccatum, non eſt cur non univoce cum mortali conveniat. *Argumentū primum.* *1. Joan. 1.* *Jacob. 1.*

Reſpon

53 **Solutio.** Reſpondetur, aliud eſſe an peccatum veniale appelletur peccatum abſolute, hoc eſt, nullo diminuente adjecto: aliud verò an appelletur peccatum ſimpliciter, prout ly *ſimpliciter* diſtinguitur contra *ſecundum quid*. Primum probant prædictæ Scripturæ loquutiones: non tamen inde convincitur quòd ſit peccatum ſimpliciter & univocè cum mortali: quia multa quæ ſunt talia ſolùm ſecundùm quid & analogicè, appellamus ſine prædicto adjecto. Abſolutè enim & ſine addito dicimus, quòd *quantitas eſt ens*; & quòd *qualitas eſt ens*, & ſic de multis aliis accidentibus; quamvis nullum eorum ſit ens ſimpliciter & univocè cum ſubſtantia, ſed ſecundùm quid & analogicè. Secundum autem neque eſt verum, neque probatur per argumentum factum: quia nullibi peccatum veniale appellatur peccatum cum hac extenſione *ſimpliciter*, per quam tollitur diminutio. Quinimo ſicut quantitas licèt aliquando abſolutè dicatur *ens*; non tamen ita appellatur, quando ſumitur comparativè ad ſubſtantiam; ſed ſemper in hac collatione additur aliquid diminuens & diſtinguens ab ente ſimpliciter: ita quamvis peccatum veniale aliquando abſolutè nominetur *peccatum*, non tamen quoties agitur de illo comparativè ad mortale: ſed tunc ſemper utimur aliquo addito diminuente, ut *peccatum veniale*, vel *peccatum leve*, vel *peccatum ſecundùm quid*. Quando verò nihil additur, & ſermo eſt de veniali, ex ſubjecta materia dignoſcitur; ut in locis in argumento adductis. Aliàs loquutio ſtabit pro mortali: juxtà illud, *Analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato.*

54 **Secundum argumentum.** Secundò arguit Durand. quia actus voluntatis ſimpliciter cadens ſuprà materiam ſimpliciter indebitam, eſt peccatum ſimpliciter: ſed multa venialia ſunt hujuſmodi, illa nimirùm quæ ſunt talia ex ſuo genere: ergo, &c.

Enervatio. Reſpondetur negando minorem: quia materia ex genere ſuo venialis, non eſt materia debita vel indebita ſimpliciter, ſed ſecũdum quid duntaxat. Illa enim dicitur materia debita ſimpliciter, quæ ſimpliciter eſt neceſſaria ad aſſecutionem finis ultimi; & illa dicitur ſimpliciter indebita, quæ ſimpliciter repugnat & contrariatur tali fini: materia autem ex ſuo genere venialis neutro modo habet ſe ad prædictum finem: quia vel ſolùm eſt neceſſaria ſecundùm quid & ad melius eſſe, vel ſolùm ſecũdùm quid & diſpoſitivè illi repugnat, ut ex dictis conſtat.

55 **Tertium.** Tertiò ſic arguit: in omnibus quæ analogicè dicuntur, ratio nominis nulli competit niſi per attributionem ad unum, quod per prius & ſimpliciter dicitur tale: ſed peccatum veniale non dicitur peccatum per attributionem ad peccatum mortale; quia ſi non eſſet aliquod peccatum mortale, nihilominus eſſet dare peccatum veniale: ergo ratio peccati non convenit illis analogicè.

Solutio ex Caietano. Hoc argumentum ſolvit Cajet. in præſenti ſequentibus verbis: *Ad ſecundum dicitur, quòd ſicut omnis morbus dicitur infirmitas in ordine ad privationem vitæ, quæ eſt infirmitas mortalis & ſimpliciter: ita omne peccatum dicitur peccatum in ordine ad peccatum quod privat fine, quod eſt principium vitæ moralis. Et ut ex diffinitione in litera ex Auguſt. patet, cum peccatum ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, & mortale ſit contra legem Dei ſine additione aliqua, veniale verò cum additione, ſcilicet ſecundùm quid, eſt enim contra legem Dei ſecundùm quid & conſtat quòd contra legem Dei ſecundùm quid non poteſt intelligi, non præintellecto contra legem Dei abſolutè, ſicut neque album ſecundùm quid ſine albo ſimpliciter, oportet ut peccatum veniale non ſolùm ſecundùm rem, ſed ſecundùm nominis rationem in ordine ad mortale dicatur: propter quod in litera dicitur, quod veniale dicitur peccatum ſecundùm rationem imperfectam & in ordine ad peccatum mortale. ¶ Et licèt peccatum veniale poſſit eſſe in hoc vel illo abſque mortali, ſimpliciter tamen non poteſt eſſe abſque mortali: ſicut neque infirmitas curabilis abſque incurabili, qualis eſt mortalis: imò ſi non eſſet peccatum mortale, nec veniale eſſet: ſicut ſi non eſſet mors, non eſſet ægritudo.*

56 Adde, prædictum argumentum, etiamſi concederetur utraque præmiſſa, non probare univocam convenientiam peccati venialis cum mortali: ſed ad ſummum excludere analogiam attributionis: hæc enim eſt quæ innititur dependentiæ unius analogati ab alio, & attributioni ſecundorum analogatorum ad analogatum principale. Ultrà hanc tamen analogiam datur alia inter prædicta peccata, ſcilicet analogia proportionalitatis propriæ, quæ non innititur prædictæ dependentiæ & attributioni, ſed aliunde cauſatur: eſt tamen ſufficiens ad tollendam univocationem: ut benè oſtendunt N. Complutenſ. in Logica. diſp. 10. num. 43. **Complut.** Cæterùm quia in hoc dub. num. 45. utramque analogiam inter peccatum veniale & mortale aſſeruimus, militat in nos prædictùm argumentum, niſi adhibeatur Cajetani ſolutio: per quam ſufficienter manet enervatum.

Argumentum ultimum. Denique arguitur ex eodem Durando: quia virtutes quibus opponuntur peccata venialia ex genere, ſimpliciter ſunt virtutes, & univocè conveniunt cum illis, quibus opponuntur mortalia: ergo etiam ipſa peccata venialia conveniunt ſimpliciter & univocè cum mortalibus, contrariorum enim idem eſſe debet modus diviſionis, & tot modis debet dici unum, quibus dicitur aliud.

Cajet. Huic argumento dupliciter reſpondet Cajet. *Primò negando minorem: quia (inquit) etiam in virtutibus dici poteſt ſimpliciter & ſecundùm quid. Eutrapelus namque ſecundùm quid, in hoc ſcilicet, & non ſimpliciter virtuoſus dicitur: ſicut ſanus pede non ſimpliciter, ſed ſecundùm hanc partem, ſanus dicitur.* ¶ Secundo reſpondet. **Idem.** *Quamvis meliùs dicatur, quòd non eſt eadem ratio de virtute & de vitio, ſicut nec de bono & malo: quia bonum uno modo, ex cauſa ſcilicet integra, malum autem omnifariam contingit. Et propterea appetitus bonus circa materias hujuſmodi contingentes, propriè loquendo, non ad bonitatem ſecundùm quid, ſed ad bonitatis conſummationem ſpectat: appetitus autem malus in hujuſmodi non ad conſummationem malitiæ, ſed ad ſecundùm quid malitiam ſpectat, propter rationem dictam. Allata autem regula de oppoſitis non tenet, quando non eſt eadem ratio multiplicationis utrinque: non enim oportet ens ſimpliciter, ſcilicet ſubſtantiam multiplicari, ſicut ens ſecundùm quid, ſcilicet accidens in novem genera diſtinguitur: quia non eſt utrinque eadem ratio. Et ſic eſt in propoſito.* Et hæc poſterior ſolutio quæ Cajetano magis placet, plus nobis arridet.

ARTI.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Vtrum peccatum veniale ſit diſpoſitio ad mortale?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd peccatum veniale non ſit diſpoſitio ad mortale. Unum enim oppoſitum non diſponit ad aliud: ſed peccatum veniale & mortale ex oppoſito dividuntur, ut dictum eſt. Ergo peccatum veniale non eſt diſpoſitio ad mortale.

2. Præt. Actus diſponit ad aliquid ſimile in ſpecie ſibi: unde in 2. Eth. dicitur, quod ex ſimilibus actibus generantur ſimiles diſpoſitiones & habitus: ſed peccatum mortale & veniale differunt genere, ſeu ſpecie, ut dictum eſt: ergo peccatum veniale non diſponit ad mortale.

3. Præt. Si peccatum dicatur veniale, quod diſponit ad mortale, oportebit quod quæcũque diſponunt ad mortale peccatũ, ſint peccata venialia: ſed omnia bona opera diſponunt ad peccatum mortale: dicit enim Aug. in regula, quod ſuperbia bonis operibus inſidiatur, ut pereant: ergo etiam bona opera erunt peccata venialia: quod eſt inconveniẽs.

Sed contra eſt quod dicitur Eccl. 18. Qui ſpernit minima, paulatim defluit: ſed ille qui peccat venialiter, videtur minima ſpernere. Ergo paulatim diſponitur ad hoc, quod totaliter defluat per peccatum mortale.

Reſpond. dicendum, quod diſponens eſt quodammodò cauſa: unde ſecundũ duplicem modum cauſæ, eſt duplex diſpoſitionis modus. Eſt enim cauſa quædam movens directè ad effectum, ſicut calidum calefacit. Eſt etiam cauſa indirectè movens, removendo prohibens: ſicut removens columnã dicitur removere lapidem ſuperpoſitum: & ſecundũ hoc actus peccati dupliciter ad aliquid diſponit. Uno quidem modo directè, & ſic diſponit ad actũ ſimilem ſecundum ſpeciem. Et hoc modo, primò & per ſe peccatum veniale ex genere non diſponit ad mortale ex genere, cum differãt ſpecie: ſed per hunc modum peccatum veniale poteſt diſponere per quandam conſequentiam ad peccatum, quod eſt mortale ex parte agentis. Augmentata enim diſpoſitione vel habitu per actus peccatorum venialium, in tantũ poteſt libido peccandi creſcere, quod ille qui peccat, finem ſuũ conſtituet in peccato veniali. Nam unicuique habenti habitum, in quantũ hujuſmodi, finis eſt operatio ſecundùm habitum: & ſic multoties peccando venialiter diſponetur ad peccatum mortale. Alio modo actus humanus diſponit ad aliquid removendo prohibens: & hoc modo peccatum veniale ex genere poteſt diſponere ad peccatũ mortale ex genere. Qui enim peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquẽ ordinem: & ex hoc quòd conſueſcit voluntatem ſuam in minoribus debito ordini non ſubjicere, diſponitur ad hoc, quòd etiam voluntatẽ ſuã non ſubjiciat ordini ultimi finis, eligẽdo id quod eſt peccatum mortale ex genere.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum veniale & mortale, non dividuntur ex oppoſito, ſicut duæ ſpecies unius generis, ut dictum eſt: ſed ſicut accidens contra ſubſtantiam dividitur: unde ſicut accidens poteſt eſſe diſpoſitio ad formam ſubſtantialem, ita & veniale peccatum ad mortale.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum veniale non eſt ſimile mortali in ſpecie: eſt tamen ſimile ei in genere, in quantum utrumque importat defectum debiti ordinis, licet aliter, & aliter, ut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quod opus bonum non eſt per ſe diſpoſitio ad mortale peccatum, poteſt tamen eſſe materia, vel occaſio peccati mortalis per accidens: ſed peccatum veniale per ſe diſponit, ut dictum eſt.

Prima Conclusio.

Peccatum veniale ex genere non diſponit directè primò & per ſe ad peccatum mortale ex genere.

Secunda Conclusio.

Peccatum veniale ex genere poteſt per quandam conſequentiam diſponere ad peccatum quod ſit mortale ex parte agentis.

Tertia Conclusio.

Peccatum veniale ex genere diſponit ad mortale etiam ex genere indirectè & removendo prohibens.

Senſum omnium iſtarum concluſionum aperit D. Thomas in corpor. artic. loquitur autem de peccato veniali tantummodò ex genere, prætermittens venialia ex imperfecta deliberatione, & ex materiæ parvitate: fortè quia de iſtis citra dubium eſt quòd directè, & per ſe ducant & diſponant ad mortalia, propter convenientiam cum illis in materia. Sicut qualitas facilè mobilis relicta ex primo actu [illegible] virtutis

virtutis vel vitii, directe & per ſe eſt diſpoſitio ad habitum difficilè mobilem, propterea quod una eſt materia utriuſque; quamvis propter diverſum modum eſſendi eſſentialiter diſtinguantur: ita quia peccatum quod ex parvitate materiæ vel ex imperfecta deliberatione redditur veniale, reſpicit eandem materiam cum mortali, licet ex modo reſpiciendi eſſentialiter differant; idcirco prædictum veniale directę & per ſe ad mortale diſponit.

In ſecunda concluſione diſtinguit D. Thom. peccatum quod eſt mortale ex parte agentis, ab eo quod eſt mortale ex genere: & appellat *mortale ex parte agentis*, quando voluntas conſtituit finem ultimum in aliquo objecto, quod ſecundum ſe eſt tantum veniale. Tunc enim ratio quare datur ibi culpa mortalis, non eſt objectum vel res amata ſecundum inordinationem quam ex ſe affert, aut ſecundum improportionem, quam ſecundum ſe dicit ad finem ultimum, ſicut accidit in aliis quæ dicimus *mortalia ex genere*: ſed eſt modus ita ſe habendi circa tale objectum & diligendi illud, ac ſi eſſet ultimus finis, nulluſque alius finis plus illo amaretur. Quod qualiter contingat, declarabimus art. ſequenti. ¶ Circa literam hujus articuli legendus eſt Cajet. qui in peccato veniali ex genere diſtinguit duas rationes: alteram ſecundum quam eſt converſio & affectio ad bonum delectabile; alteram vero ſecundum quam eſt averſio & deviatio à regula rationis: tribuitque illi priori munus diſponendi per ſe ad mortale ex parte agentis per redundantiam & conſequentiam, ut S. Doctor loquitur: poſteriori vero munus diſponendi per accidens, removendo prohibens. De quo procedit tertia concluſio.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum veniale poſſit fieri mortale?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quod peccatum veniale poſſit fieri mortale. Dicit enim Auguſt. exponens illud Joann. Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam. Peccata minima, ideſt, venialia, ſi negliguntur, occidunt: ſed ex hoc dicitur peccatum mortale, quia ſpiritualiter occidit animam: ergo peccatum veniale poteſt fieri mortale.

2. Præt. Motus ſenſualitatis ante conſenſum rationis eſt peccatum veniale, poſt conſenſum vero eſt peccatum mortale, ut ſupra dictum eſt: ergo peccatum veniale poteſt fieri mortale.

3. Præt. Peccatum veniale & mortale differunt, ſicut morbus curabilis & incurabilis, ut dictum eſt: ſed morbus curabilis poteſt fieri incurabilis: ergo peccatum veniale poteſt fieri mortale.

4. Præterea: diſpoſitio poteſt fieri habitus: ſed peccatum veniale eſt diſpoſitio ad mortale, ut dictum eſt: ergo veniale peccatum poteſt fieri mortale.

Sed contra. Ea quæ differunt in infinitum, non tranſmutantur in invicem: ſed peccatum mortale & veniale differunt in infinitum, ut ex prædictis patet: ergo veniale non poteſt fieri mortale.

Reſpondeo dicendum, quod peccatum veniale fieri mortale, poteſt tripliciter intelligi. Uno modo, quod idem actus numero primò ſit peccatum veniale, & poſteà mortale, & hoc eſſe non poteſt: quia peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis, ſicut & quilibet actus moralis, unde non dicitur unus actus moraliter, ſi voluntas mutetur, quamvis etiam actio ſecundum naturam ſit continua. Si autem voluntas non mutetur, non poteſt eſſe quod de veniali fiat mortale. Alio modo poteſt intelligi, ut id quod eſt veniale ex genere, fiat mortale, & hoc quidem poſſibile eſt: in quantum conſtituitur in eo finis, vel in quãtum refertur ad mortale peccatum, ſicut ad finem, ut dictum eſt. Tertio modo poteſt intelligi ita, quod multa venialia peccata conſtituant unũ peccatum mortale: quod ſi ſic intelligatur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter conſtituatur unum peccatum mortale, falſum eſt: non enim omnia peccata venialia de mundo poſſunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale, quod patet ex parte durationis: quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ: peccatũ autem veniale reatũ pœnæ temporalis, ut dictũ eſt. Patet etiã ex parte pœnæ damni: quia peccatum mortale meretur carentiã viſionis divinæ, cui nulla alia pœna comparari poteſt, ut Chryſ. dicit. Patet etiam ex parte pœnæ ſenſus, quantum ad vermem conſcientiæ: licet fortè quantum ad pœnam ignis non ſint improportionabiles pœnæ. Si verò intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt unũ mortale diſpoſitivè, ſic verum eſt, ſicut ſupra oſtenſum eſt, ſecundum duos modos diſpoſitionis, quo peccatum veniale diſponat ad mortale.

Ad primum ergo dicendum, quod Auguſtinus loquitur in illo ſenſu, quod multa peccata venialia diſpoſitivè cauſant mortale.

Ad ſecundum dicendum, quod ille idem motus ſenſualitatis, qui præceſſit conſenſum rationis, nunquam fit pec-

catum mortale : ſed ipſe actus rationis conſentientis.

Ad tertium dicendum, quod morbus corporalis non eſt actus, ſed diſpoſitio quædam permanens : unde eadem manens poteſt mutari. Sed peccatum veniale eſt actus tranſiens, qui reſumi non poteſt, & quantum ad hoc non eſt ſimile.

Ad quartum dicendum, quod diſpoſito, quæ fit habitus, eſt ſicut imperfectum in eadem ſpecie : ſicut imperfecta ſcientia dum perficitur, fit habitus : ſed veniale peccatum eſt diſpoſitio alterius generis : ſicut accidens ad formam ſubſtantialem, in quam nunquam mutatur.

Prima Concluſio.

Idem numero actus qui ſemel eſt peccatum veniale, non poteſt fieri mortale.

Secunda Concluſio.

Peccatum quod de ſuo genere eſt veniale, poteſt fieri mortale, ſi vel ad aliquod mortale ordinetur, vel in eo ultimus finis conſtituatur.

Tertia Concluſio.

Nulla peccata venialia quantumvis multiplicata & repetita, poſſunt conſtituere unum peccatum mortale integraliter, ſeu per modum partium : quamvis poſſint concurrere ad illud diſpoſitivè.

Commentarius.

PRima concluſio intelligitur de actu qui ſit unus numero in genere moris, ut ipſe D. Th. ſatis declarat. Quia cum in hoc genere peccatum veniale & peccatum mortale eſſentialiter diſtinguantur, ut vidimus dub. præced. nequit unum tranſire in aliud abſque variatione eſſentiali, non ſolum numerica, ſed etiam ſpecifica. Cæterum quod actus qui ſit unus numero in eſſe phyſico, ita varietur in eſſe moris, ut à malitia veniali in mortalem tranſeat, vel è converſo, ex nullo capite repugnat : ſicut quod tranſeat, à bono in malum, ut alibi oſtendimus. Unde cum D. Th. in præſenti & q. 7. de Mal. art. 3. ad 5. ait, motum ſenſualitatis, qui ob præcedentiam ad conſenſum rationis fuit tantum peccatum veniale, non fieri mortale adveniente tali conſenſu, intelligendus eſt de motu qui ſit idem numero vel ſpecie in prædicto genere moris ; non verò in genere phyſico duntaxat. Vel ſenſus eſt, quod talis motus non ſit peccatum mortale per ſe ; quamvis fiat mortale à ſuperveniente conſenſu : ut non obſcurè indicat S. Doctor loco cit. de Malo, dum addidit particulam *per ſe*, quæ non habetur in præſenti.

D. Thom.

Secunda concluſio eſt omnino indubitata. Et quoad primam partem nimirum quod ſi peccatum ex genere ſuo veniale ordinetur ad aliquod mortale ex genere, accipiat inde mortalem malitiam, nullam continet difficultatem, quia manifeſtum eſt, actus humanos accipere ex fine ad quem ordinantur, bonitatem vel malitiam ipſius finis : & ideo ubi iſte fuerit mortaliter peccaminoſus, nequibit non communicare actibus ad ſe ordinatis malitiam mortalem. De quo latius diximus in tract. de bonit. & malit. diſp. 5. & 6.

Quoad ſecundam verò partem declarandum magis eſt, qua ratione contingat conſtitui finem ultimum in objecto peccati venialis. Poteſt enim hoc fieri dupliciter. Primo ſi voluntas formaliter & expreſsè diligat illud objectum tanquam ſuum ultimum finem, appretians illud formaliter ſuper omnia : qui ſanè dilectionis & appretiationis modus raro continget ; ſemperque ſupponet in intellectu errorem formalem : quandocunque autem contigerit, eſt ita clarus, ut majori explicatione non egeat. Secundo ſi voluntas appretietur illud objectum ſuper omnia ſolum interpretativè : quia in modo diligendi ita ſe habet ; ac ſi ipſum eſſet finis ultimus : ſeu quia propter illud ipſa voluntas avertitur & ſeparatur à ſuo vero ultimo fine. Hic autem modus appretiationis interpretativæ ſuper omnia, non eſt ita clarus ſicut præcedens : conſiſtit vero in eo quod voluntas in tantum diligat aliquod objectum, & taliter afficiatur erga illud, ut non recuſet ob tale objectum committere aliquid, quod ſit ex ſuo genere peccatum mortale. Quod adhuc poteſt dupliciter accidere : vel quia voluntas de facto eligit tale peccatum mortale propter prædictum finem aſſequendum : ut ſi quis ad oſtendendam inaniter ſuam fortitudinem injuſtè alium occideret. In quo caſu non difficilè apparet prædicta appretiatio interpretativa : nam qui de facto ob aliquem finem committit gravem Dei offenſam, ſatis convincitur præferre in ſua æſtimatione talem finem ipſi Deo, qui eſt verus finis ultimus, adeoque habere ſe circa illum eo genere appretiationis & affectus, quo diligendus eſt ſolus ultimus finis. Vel poteſt prædicta appretiatio contingere ex eo quod voluntas licèt de facto nullum eligat objectum ex ſuo genere mortale, eſt tamen ita affecta ad objectum peccati venialis, ut oblata occaſione, præeligeret illud, ne iſto privaretur.

Quod ſi expreſſe adſit judicium & conſenſus hujus prælectionis, nulla alia opus eſt conjectura ad aſſerendam appretiationem de qua agimus. Si vero tale judicium vel conſenſus non detur, & alias nihil committatur de facto, quod ex ſuo genere ſit mortale, vel periculo incidendi in mortale expoſitum ; quantumvis intensè & affectivè objectum veniale diligatur, non ſatis percipimus, quomodo ibi ſit appretiatio illa interpretativa ſuper omnia, aut ſupra Deum : cum nihil appareat, per quod venari poſſimus, an voluntas ſit, vel non ſit ita affecta ad prædictum objectum, ut occaſione oblata, præferret illud Deo & ejus dilectioni. Quare ut jure interpretemur, quod voluntas ponat finem ultimum in objecto peccati venialis, ſecluſa formali conſtitutione & prælectione quam diximus, neceſſarium ducimus quod vel de facto committat aliquod ex genere ſuo mortale, vel ejus periculo aut ſecundum rem aut ex modo operandi ſe exponat, vel quod animo quem habet proſequendi prædictum objectum, non imponat terminum aut menſuram excludentem commiſſionem vel periculum culpæ mortalis, animadvertenſque, ſaltem in confuſo ; modum

ſuum

Digitized by Google

ſuum operandi ſine prædicta menſura & termino, non ſe cohibeat, ſed in animo illo permaneat. Quod non ratò contingit iis qui nimio zelo vel ardore illa quæ appetunt, vel intendunt, proſequuntur, quique nervis omnibus in id incumbunt, ut voti ſui compotes evadant. Quo pacto verò exponat ſe quis peccandi periculo ex modo operandi, quamvis ſecundùm rem tale periculum non adſit explicuimus diſp. 13. à num. 81.

Si autem quæras, cujus ſpeciei ſit peccatum illud mortale, per quod conſtituitur finis ultimus in objecto peccati venialis? Dicendum eſt, quòd in priori caſu, quando ſcilicèt voluntas formaliter & expreſsè diligeret illud objectum ut ultimum finem, eſt peccatum mortale contra charitatem; ſicut eſt odium Dei: & ſicut eſt quicunque amor quo aliqua res creata ſive mala ſive bona, ſive ex genere ſuo mortalis ſive venialis prædicto modo diligitur. Præter hujuſmodi verò ſpeciem contrariam charitati, adeſt ibi illa ſpecies malitiæ quæ eſt propria talis objecti: quæ proinde, quando objectum ex genere ſuo vel ex parvitate materiæ eſt veniale, limites venialis non excedit: excederet autem, ſi objectum ex genere ſuo & quantitate materiæ eſſet mortale. Exemplum ſit, ſiquis conſtituat finem ultimum in verbo otioſo, erit ibi ſimul cum malitia mortali contra charitatem, malitia venialis loquendi otioſè: & ſi prædictum finem conſtituerit in homicidio, eſſet malitia mortalis homicidii: ſi autem in amico vel in alia re ſecundùm ſe bona, nulla erit malitia propria talis objecti, ſed ſola malitia quam diximus contra charitatem.

In poſteriori verò caſu, ubi voluntas ſolùm interpretativè prædictam conſtitutionem facit, certius eſt reperiri ibi malitiam venialem propriam objecti (ſuppoſito quòd iſtud ex genere vel ex parvitate materiæ veniale ſit) & ulteriùs ſolam malitiam mortalem illius peccati mortalis, quod vel committitur de facto propter prædictum objectum; vel cujus periculo ſaltem ex modo operandi voluntas exponitur, vel quod expreſsè præeligitur amiſſioni talis objecti. Non enim tunc objectum veniale poteſt ex ſe aliam malitiam tribuere, niſi illam quam ex ſe habet, quæ ſolùm eſt malitia venialis: mortalem verò ea ſolùm ratione poteſt tribuere: quia ſuperinduit deformitatem illius peccati mortalis, ad cujus executionem, præelectionem, vel periculum movet: ac proinde ſolùm tribuet malitiam ejuſdem ſpeciei cum prædicto peccato mortali, cujus deformitatem ſuperinduit. Quòd ſi attentis omnibùs non poſſit deſignari certum aliquod peccatum mortale, cujus periculo ſe exponat ille qui ita operatur; & nihilominus conſtet eum operari expoſitum peccato mortali vagè & in confuſo, quia non adhibet menſuram excludentem omne peccatum mortale & ejus periculum, malitia mortalis ibi reperta vel pertinebit ad vitium temeritatis contrarium prudentiæ, juxta dicta cit. diſput. 13. num. 82. vel nullum erit ſpeciale vitium ad quod pertineat; ut de quibuſdam aliis peccatis innominatæ ſpeciei diximus diſput. 13. num. 81. dantur enim plures actus tam boni quàm mali, pro quibus nulla ponitur determinata virtus, aut determinatum vitium, ſed reducuntur ad naturalem voluntatis inclinationem, & ad ejus communem defectibilitatem.

Idem.

Tertia concluſio intelligenda eſt de peccatis venialibus formaliter, ſeu quòad ipſas eorum malitias: ut ſit ſenſus, quòd ex multis malitiis quarum quælibet ſeorſum ſumpta, ſit tantùm venialis, nequit conflari vel componi una malitia mortalis. Et ita intellecta concluſio optime convincitur ratione, qua D. Thomas utitur in corp. articuli. Cæterum loquendo ex parte materiæ, non eſt dubium, quin plures materiæ, quarum quælibet ſeorſum ſumpta, eſſet levis & venialis; ſi ſimul accipiantur, conſtituant materiam gravem & ſufficientem ad culpam mortalem: ac proinde quòd actus cadens ſuprà talem materiam ſit peccatum mortale. Quin etiam ſæpe accidit, ut materia quæ ſecundum ſe ſpectata, levis eſſet, & non excederet culpam venialem, ſi tamen connotet præcedentiam aliarum ſimiliter levium & venialium, ex hac connotatione & ex morali conjunctione cum illis reddatur materia gravis, & actus cadens ſupra talem materiam cum prædicta connotatione ſit peccatum mortale. Hac enim ratione ille qui committit plura furta levia, quamvis materia uniuſcujuſque ſecundum ſe modica ſit, poteſt in ultimo illorum mortaliter delinquere: quia materia illa ſecundum ſe levis, poteſt reddi gravis ex connotatione præcedentium, cum quibus moraliter conjungitur. Quod qualiter contingat tam in hoc quàm in aliis peccatorum generibus, explicant Theologi morales præſertim circà ſeptimum decalogi præceptum & in materia de reſtitutione: ubi reſolvunt plures caſus paſſim occurrentes: a quibus nos conſultò abſtinemus, ne vel communia transſcribamus vel nova ſuperaddere geſtientes circa hæc mortalia quæ præſentis inſtituti minus propria ſunt, prolixè detineamur.

ARTICULUS V.

Utrum circunſtantia poſſit facere de veniali mortale?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod circunſtantia poſſit de veniali peccato facere mortale. Dicit enim Auguſt. in ſermone de purgatorio, quòd ſi diu teneatur iracundia, & ebrietas ſi aſſidua ſit, tranſeunt in numerum peccatorum mortalium: ſed ira & ebrietas non ſunt ex ſuo genere peccata mortalia, ſed venialia, alioquin ſemper eſſent mortalia: ergo circunſtantia facit peccatum veniale eſſe mortale.

2. Præt. Magiſter dicit 24. diſt. 2. lib. ſent. quòd delectatio ſi ſit moroſa, eſt peccatum mortale: ſi autem non ſit moroſa, eſt peccatum veniale: ſed moroſitas eſt quædam circunſtantia: ergo circunſtantia facit de peccato veniali mortale.

3. Præt. Plus differunt malum & bonum, quàm veniale peccatũ, & mortale, quorum utrumque eſt in genere mali:

 ſed

ſed circunſtantia facit de actu bono malum, ſicut patet cum aliquis dat eleemoſynam propter inanem gloriam: ergo multo magis poteſt facere de peccato veniali mortale.

Sed contra eſt, quod cum circunſtantia ſit accidens, quantitas ejus non poteſt excedere quantitatem ipſius actus, quam habet ex ſuo genere: ſemper enim ſubjectum præeminet accidenti. Si igitur actus ſit ex ſuo genere peccatum veniale, non poterit per circunſtantiam fieri peccatum mortale, cum peccatum mortale in infinitum quodammodò excedat quantitatem venialis, ut ex dictis patet.

Reſp. dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, cum de circunſtantiis ageretur, circunſtantia in quantum hujuſmodi, eſt accidens moralis actus: contingit tamen circunſtantiam accipi ut differentiam ſpecificam actus moralis, & tunc amittit rationem circunſtantiæ, & conſtituit ſpeciem moralis actus: hoc autem contingit in peccatis, quando circunſtantia addit deformitatem alterius generis: ſicut cum aliquis accedit ad non ſuam, eſt actus deformis deformitate oppoſita caſtitati, ſed ſi accedat ad non ſuam, quæ eſt alterius uxor, additur deformitas oppoſita juſtitiæ, contra quā eſt, ut aliquis uſurpet rem alienam. Et ſecundum hoc hujuſmodi circunſtantia conſtituit novam ſpeciem peccati, quæ dicitur adulterium: impoſſibile eſt autem, quod circunſtantia de peccato veniali faciat mortale, niſi afferat deformitatem alterius generis. Dictum eſt enim, quod peccatum veniale habet deformitatem per hoc, quod importat deordinationem circa ea quæ ſunt ad finem: peccatum autem mortale habet deformitatem per hoc, quod importet deordinationem reſpectu ultimi finis. Unde manifeſtum eſt, quod circunſtantia non poteſt de veniali peccato facere mortale manens circunſtantia: ſed ſolum tunc quando transfert in aliam ſpeciem: & fit quodammodo differentia ſpecifica moralis actus.

Ad primum ergo dicendum, quòd diuturnitas non eſt circunſtantia trahēs in aliam ſpeciem, ſimiliter nec frequentia vel aſſiduitas, niſi fortè per accidens ex aliquo ſupervenienti. Non enim aliquid acquirit novam ſpeciem ex hoc, quod multiplicatur vel protelatur, niſi fortè in actu protelato vel multiplicato ſupérveniat aliquid, quod variet ſpeciē, puta inobediētia, vel contēptus, vel aliquid hujuſmodi. Dicendū eſt ergo, quod cum ira ſit motus animi ad nocendum proximus, ſi ſit tale nocumentū, in quod tendit motus iræ, quod ex genere ſuo ſit peccatū mortale, ſicut homicidium vel furtum, talis ira ex genere ſuo eſt peccatum mortale: ſed quod ſit peccatum veniale, habet ex imperfectione actus, in quantū eſt motus ſubitus ſenſualitatis: ſi verò ſit diuturna, redit ad naturā ſui generis, per conſenſum rationis. Si verò nocumentum in quod tendit motus irę, eſſet veniale ex genere ſuo, puta cū aliquis in hoc iraſcitur cōtra aliquē, quòd vult ei dicere verbū aliquod leve & iocoſum, quod modicum ipſum cōtriſtet, non erit ira peccatum mortale: quantūcunque ſit diuturna, niſi fortè per accidens, puta ſi ex hoc grave ſcandalum oriatur, vel propter aliquid hujuſmodi. ¶ De ebrietate vero dicēdum eſt, quòd ſecundum ſuam rationē habet, quòd ſit peccatū mortale. quòd enim homo abſque neceſſitate reddat ſe impotentē ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur, & multa peccata occurrentia vitat, ex ſola voluptate vini, expreſſe cōtrariatur virtuti: ſed quòd ſit peccatū veniale, cōtingit propter ignorantiam quandam vel infirmitatē, puta cum homo neſcit virtutē vini aut propriam debilitatem, unde non putat ſe inebriari: tunc enim non imputatur ei ebrietas ad peccatum, ſed ſolùm ſuperabundantia potus. Sed quando frequenter inebriatur non poteſt per hanc ignorantiam excuſari, quin videatur voluntas ejus eligere magis pati ebrietatem, quàm abſtinere à vino ſuperfluo, unde redit peccatum ad ſuam naturam.

Ad ſecundum dicendum, quod delectatio moroſa non dicitur eſſe peccatum mortale, niſi in his, quæ ex ſuo genere ſunt peccata mortalia in quibus ſi delectatio non moroſa ſit peccatum veniale, eſt ex imperfectione actus, ſicut & de ira dictum eſt: dicitur enim ira diuturna, & delectatio moroſa propter approbationem rationis deliberantis.

Ad tertium dicendum, quod circunſtantia non facit de bono actu malum, niſi conſtituens ſpeciem peccati, ut ſupra etiam habitum eſt.

PRIMA CONCLUSIO.

Nulla circunſtantia manens in ratione circunſtantiæ poteſt facere de peccato veniali mortale.

SECUNDA CONCLUSIO.

Circunſtantia quæ addit novam malitiæ ſpeciem, poteſt transferre actum de peccato veniali in mortale: neque tunc omnino accipitur

pitur ut circumſtantia, ſed magis ut differentia ſpecifica moralis actus.

De materia hujus articuli egimus tom. præced. in animadverſionibus pro artic. 10. & 11. quæſt. 18. ubi explicuimus, qua ratione circunſtantia poſſit tribuere vel mutare peccati ſpeciem. Indeque venandum eſt, quæ circunſtantiæ poſſint de veniali transferre in mortale: ſiquidem nulla quæ ſpeciem non mutat, poteſt id efficere. Ut autem mutet ſpeciem, non eſt neceſſe, quod genus objecti varietur; ſed ſufficit, quod etiam intra idem genus peccati mortalis varietur vel quantitas materiæ à levi in gravem, vel modus actus à ſemiplena deliberatione in omnino plenam, juxta doctrinam quam diſp. præced. dub. 2. tradidimus.

ARTICULUS VI.

Utrum peccatum mortale poſſit fieri veniale?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quod peccatum mortale poſſit fieri veniale. Æqualiter enim diſtat peccatum veniale à mortali, & è contrario: Sed peccatum veniale fit mortale, ut dictum eſt: ergo etiam peccatum mortale poteſt fieri veniale.

2. Præt. Peccatum veniale & mortale ponuntur differre ſecundum hoc, quod peccans mortaliter diligit creaturam pluſquam Deum, peccans autem venialiter diligit creaturam infra Deum: contingit autem, quod aliquis committens id, quod eſt ex genere ſuo peccatum mortale, diligat creaturam infra Deum: puta ſi aliquis neſciens fornicationẽ ſimplicem eſſe peccatum mortale, & contrariam divino amori, fornicetur, ita tamen quod propter divinum amorem paratus eſſet fornicationem prætermittere, ſi ſciret fornicando ſe contra divinum amorem agere: ergo peccabit venialiter: & ſic peccatum mortale poteſt veniale fieri.

3. Præt. Sicut dictum eſt, plus differt bonum à malo, quam veniale à mortali: ſed actus qui eſt de ſe malus, poteſt fieri bonus, ſicut homicidium poteſt fieri actus juſtitiæ, ſicut patet in judice qui occidit latronem: ergo multo magis peccatum mortale poteſt fieri veniale.

Sed contra eſt, quod æternum nunquam poteſt fieri temporale: ſed peccatum mortale meretur pœnam æternam: peccatum autem veniale temporalem pœnam: ergo peccatum mortale nunquam poteſt fieri veniale.

Reſpondeo dicendum, quod mortale & veniale differunt ſicut perfectum & imperfectũ in genere peccati, ut dictum eſt. Imperfectum autem per aliquã additionẽ poteſt ad perfectionem venire: unde & veniale, per hoc quod additur ei deformitas pertinens ad genus peccati mortalis, efficitur mortale: ſicut cum aliquis dicit verbum otioſum, ut fornicetur. Sed id quod eſt perfectum, non poteſt fieri imperfectũ per additionem: & ideo peccatum mortale non fit veniale per hoc, quod additur ei aliqua deformitas pertinens ad genus peccati venialis: non enim diminuitur peccatũ ejus qui fornicatur, ut dicat verbum otioſum, ſed magis aggravatur propter deformitatẽ adjunctam. Poteſt tamen id quod eſt ex genere ſuo mortale, eſſe veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non ſit deliberatus, ſed ſubitus, ut ex dictis patet: & hoc fit per ſubſtractionem quandam, ſcilicet deliberatæ rationis, & quia à ratione deliberata habet ſpeciem moralis actus, inde eſt quod per talem ſubtractionem ſolvitur ſpecies.

Ad primum ergo dicendum, quod veniale differt à mortali, ſicut imperfectum à perfecto, ut puer à viro. Fit autem ex puero vir: ſed non convertitur. Unde ratio non cogit.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi ſit talis ignorantia, quæ peccatum omnino excuſet, ſicut eſt furioſi vel amentis, tunc ex tali ignorantia fornicationem committens, nec venialiter, nec mortaliter peccat. Si verò ſit ignorantia non invincibilis, tunc ignorantia ipſa eſt peccatum, & continet in ſe defectum divini amoris, in quantum negligit homo addiſcere ea, per quæ poteſt ſe in divino amore conſervare.

Ad tertium dicendum, quod ſicut Aug. dicit in lib. contra Mendacium. Ea quæ ſunt ſecundum ſe mala, nullo fine bene fieri poſſunt: homicidium autem eſt occiſio innocentis; & hoc nullo modo bene fieri poteſt. Sed judex qui occidit latronem, vel miles qui occidit hoſtẽ reipublicæ, non appellantur homicidæ, ut Auguſt. dicit in lib. de lib. arb.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatum mortale non fit veniale per hoc quod addatur ei aliqua deformitas ad genus peccati venialis pertinens.

SECUNDA CONCLUSIO.

Illud quod ex genere ſuo eſt peccatum mortale, poteſt reddi veniale per perfectionis ſubtractionem, ut ſi actus non ſit plene deliberatus.

Digitized by Google

Utraque hæc concluſio eſt ſatis nota ex ſe, & ex litera D.Thomæ. Secunda autem extendenda eſt ad venialia ex parvitate materiæ: nam hæc etiam fiunt talia per ſubtractionem & per defectum à debita quantitate, cum ex ſuo genere mortalia eſſent. De iſtis verò peccatis ex parvitate materiæ nihil expreſſit hic D.Thom. quia ſuppoſita doctrina ſecundæ concluſionis circa venialia ex imperfectione actus, non opus fuit majori declaratione, ut illamet doctrina prædictis venialibus ex parvitate materiæ applicaretur.

QUÆST. LXXXIX.

De peccato veniali ſecundùm ſe, in ſex Articulos diviſa.

DEINDE conſiderandum eſt de peccato veniali ſecundum ſe. Et circa hoc quæruntur ſex.

ARTICULUS I.

Vtrum peccatum veniale cauſet maculam in anima?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod peccatum veniale cauſet maculam in anima. Dicit enim Auguſt. lib. de pœnit. quod peccata venialia, ſi multiplicentur, decorem noſtrum ita exterminant, ut à cœleſtis ſponſi amplexibus nos ſeparent: ſed nihil aliud eſt macula, quam detrimentum decoris. Ergo peccata venialia cauſant maculam in anima.

2. Præt. Peccatum mortale cauſat maculam in anima propter inordinationem actus, & affectus ipſius peccantis: ſed in peccato veniali eſt quædam deordinatio actus & affectus: ergo peccatum veniale cauſat maculam in anima.

3. Præt. Macula animæ cauſatur ex contactu rei temporalis per amorem, ut ſupra dictum eſt: ſed in peccato veniali anima inordinato amore contingit rem temporalem: ergo peccatum veniale inducit maculam in anima.

Sed contra eſt, quod dicitur Epheſ. 5. Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugã. Gloſ. id eſt aliquod peccatum criminale. Ergo propriũ peccati mortalis videtur eſſe, quod maculam in anima cauſet.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ex dictis patet, macula importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu, ſicut in corporalibus patet, ex quibus per ſimilitudinem nomen maculæ ad animam transfertur. Sicut autem in corpore eſt duplex nitor, unus quidem ex intrinſeca diſpoſitione membrorum & coloris: alius autem ex exteriori claritate ſuperveniente; ita etiam in anima eſt duplex nitor. Unus quidem habitualis quaſi intrinſecus. Alius autem actualis quaſi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem: quia non excludit neque diminuit habitum charitatis & aliarum virtutum, ut infra patebit, ſed ſolum impedit earum actum, macula autem importat aliquid manens in re maculata: unde magis videtur pertinere ad detrimentum habitualis nitoris, quam actualis, unde propriè loquendo, peccatum veniale non cauſat maculam in anima. Et ſi alicubi dicatur maculam inducere, hoc eſt ſecundum quid, in quantum impedit nitorem, qui eſt ex actibus virtutum.

Ad primum ergo dicendum, quod Auguſt. loquitur in eo caſu, in quo multa peccata venialia diſpoſitivè inducunt ad mortale: aliter autem non ſepararent ab amplexu cœleſtis ſponſi.

Ad ſecundum dicendum, quòd inordinatio actus in peccato mortali corrumpit habitum virtutis, non autem in peccato veniali.

Ad tertium dicendum, quod in peccato mortali anima per amorem contingit rem temporalem quaſi finem: & per hoc totaliter impeditur influxus ſplendoris gratiæ, qui provenit in eos, qui Deo adhærent ut ultimo fini per charitatem: ſed in peccato veniali non adhæret homo creaturæ, tanquam fini ultimo, unde non eſt ſimile.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatum veniale propriè loquendo non cauſat maculam in anima.

SECUNDA CONCLUSIO.

Poteſt dici, quod peccatum veniale cauſat maculam ſecundum quid, inquantum impedit nitorem, qui eſt ex actibus virtutum.

Commentarius.

NOmen maculæ juxta primævam impoſitionem, & omnino propriam acceptionem, non dicitur niſi in corporalibus: quando ſcilicet aliquod corpus nitidum ex contactu alterius obſcuri perdit ſuum nitorem 1
&

Digitized by Google

D. Thom. & pulchritudinem, ut declarat D. Thomas ſupra quæſt.86.art.1. Per metaphoram verò & ſimilitudinem traductum eſt ad animam & res ſpirituales: quæ dum per voluntatem & amorem inordinatè adhærent rebus temporalibus, quaſi obſcura tangunt, contactuque hujuſmodi fœdantur & obſcurantur, amiſſo illo nitore & ſplendore, qui ſibi inerat per gratiam & virtutes. Verùm quamvis acceptio hæc *maculæ* abſolutè ſit metaphorica & impropria: ſemel tamen traducta jam metaphora, in ipſis rebus ſpiritualibus diſtinguimus maculam propriè & ſimpliciter dictam, & maculam ſecundùm quid & impropriè dictam: quia ly *propriè*, & ly *ſimpliciter* non excludunt prædictam metaphoram: ſed illa præſuppoſita, denotant, reperiri in re cui applicantur, ſimpliciter & ſine diminutione illas rationes & conditiones ad quas ſignificandas metaphora traducta eſt. Econtra verò ly *impropriè* & ly *ſecundùm quid* denotant, quòd adhuc ſuppoſita metaphora, non adſunt ibi prædictæ rationes & conditiones, niſi diminutè & imperfectè.

Iuxtà hunc ergo ſenſum dum Theologi tractant de culpa mortali, indubitanter dicunt, cauſare ſimpliciter maculam in anima: quia ſimpliciter aufert gratiam & virtutes infuſas, quarum nitore & pulchritudine perficiebatur: de qua macula jam diximus in comment. ad art. 1. & 2. quæſt. 86. Dum verò ad venialem culpam accedunt, non ita apertè & aſſeveranter loquuntur: quia non tam citò apparet, quo pacto tollat anima aliquid pulchritudinis & nitoris, aut quam in ea maculam relinquat: cum neque tollat gratiam aut virtutes infuſas, neque earum aliquid corrumpat.

2 Sed quamvis ob hanc rationem nullus agnoſcat maculam ſimpliciter à peccato veniali cauſatam; ob aliam tamen ferè omnes fatentur cauſari ab illo maculam ſecundùm quid: eamque ſitam eſſe non in privatione gratiæ, ſicut macula peccati mortalis, ſed in carentia vel diminutione fervoris charitatis, aut in aliquo impediente prædictũ fervorem. Et quamvis D. Thom. non tam videatur hoc aſſerere, quàm admittere (quia potiùs intendebat excludere à peccato veniali maculam ſimpliciter dictam, ut illud hoc ex capite à peccato mortali diſtingueret; quàm examinare, an ipſum veniale aliquam maculam introducat) nequaquam tamen dubitandum eſt Sanctum Doctorem huic communi ſententiæ ſuffragari. Nam eam apertè tradit in 4. diſt. 16. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 1. diſtinguens inter maculam culpæ venialis & culpæ mortalis his verbis:

Idem. *Dicendum, quod macula poteſt eſſe dupliciter: uno modo per privationem pulchritudinis, & ſic in veniali non manet aliqua macula, quia non tollit gratiam, quæ eſt animæ decor. Alio modo per hoc quod pulchritudo quæ eſt gratiæ, impeditur ne exterius appareat: ſicut per pulverem pulchritudo faciei fœdatur: & talis macula eſt in veniali, quia impeditur decor gratiæ, ne in actibus exterius oſtendatur*, Idem docet 3. par. quæſt. 87. art. 2. ad 3. cujus verba infra referemus.

3 Ratio verò cur aſſerenda ſit hæc macula peccati venialis, eſt ſatis perſpicua: nam tranſacto prædicto peccato quoad actum, debemus aſſignare aliquid, ratione cujus ille qui ſic peccavit, quandiu ſibi non dimittitur, maneat reus talis peccati, non ſolùm reatu pœnæ, ſed etiam reatu culpæ: non enim prædictum peccatum etiam quoad culpam dimittitur, aut reatus ejus tollitur per ſolam ceſſationem ab actu, ut eſt per ſe notum: quicquid autem aſſignaverimus pro prædicto reatu, habebit ſecum rationem maculæ: quia macula & reatus culpæ non ſeparantur. Nec fieri poteſt, ut anima quæ deliquit, appareat omnino munda & immaculata coram Deo, quandiu apud ipſum tenetur rea alicujus culpæ.

Ex quo fit, prædictam maculam non poſſe eſſe ipſum actum peccati venialis, ſecundùm quod in ſe formaliter exiſtit: ſiquidem permanet, etiam illo tranſacto. Et ideo neceſſariò debet eſſe aliquid habituale vel quaſi habituale ex tali actu relictum, quòd tandiù permanet, quandiu manſerit indimiſſum prædictũ peccatum. Quod quidem *habituale* (ob rationem ſtatim tradendam) communiter D. Thomas explicat per ordinem ad actus dicens eſſe diminutionem fervoris charitatis, & opponi ipſi charitati, non quantùm ad habitum, ſicut opponitur macula mortalis; ſed quantum ad actus quos charitas fervens elicit & imperat.

Vt autem meliùs intelligatur, quid ſit hoc habituale, & qua ratione per prædictam diminutionem fervoris charitatis declaretur, obſerva, quòd tranſacto formaliter actu peccati venialis, tria tantùm poſſunt in voluntate vel appetitu relinqui. 4
Primò aliqua qualitas phyſica, quæ ſit habitus vel diſpoſitio vitioſa ad ſimiles actus inclinans. Nam ſicut actus peccati mortalis repetitus generat habitum vitii inclinantem ad ſimilia peccata, & non repetitus ſaltem generat diſpoſitionem facilè mobilem; ita de actu peccati venialis poſſumus diſcurrere, juxta doctrinam quam tradidimus ſuprà diſp. 4.

Deinde poſſumus cogitare; quòd ex peccato veniali maneat voluntas moraliter converſa & pravè affecta ad objectum talis peccati, voluntarieque illi adhærens, non quidem ut fini ultimo, ſed ut alicui inordinatè amato citra averſionem à tali fine: quò uſque per actum contrarium inde revocetur. Hæc autem converſio & adhærentia moralis non eſt aliquid diſtinctum re ipſa ab entitate voluntatis & ab actu peccaminoſo præterito: ſed ipſa voluntas connotans talem actum ut non retractatum, adhæret ſe ipſa prædicto objecto, & permanet ita moraliter converſa; illo verò retractato, mutataque voluntate in contrarium, evaneſcit talis adhærentia & converſio. Niſi velis dicere, quòd prædicta adhærentia & converſio eſt ipſemet actus præteritus, quatenus licèt phyſicè tranſierit, dum tamen non retractatur, cenſetur moraliter permanere.

Tertiò poſſumus cogitare, quòd ſicut naturalis inclinatio ad bonum diminuitur per peccatum mortale; non quidem ex parte ſubjecti, quaſi ab eo aliqua entitas auferatur; ſed ex parte termini per oppoſitionem impedimenti, quo talis inclinatio redditur minùs habilis, minúſque expedicta ad boni proſequutionem, ut explicuimus ſupra in cõment. art. 2. quæſt. 85. ita per peccata venialia diminuuntur quodammodò habitus virtutum infuſarum, non ex parte entitatis, quaſi aliquem gradum intenſionis amittant, ſed ex parte termini: quia per multiplicationem prædictorum peccatorum, & per adhærentiam voluntatis 5

Digitized by Google

ad illorum objecta tales habitus redduntur minus habiles & minus expediti ad ſuas operationes eliciendas, manetque eorum vis operativa veluti compreſſa & contracta in ſe ipſa, ut non ita promptè & faciliter in actum prorumpat. Et hoc eſt quod dixit D. Thomas loquens ſpecialiter de habitu charitatis, 3. part. quæſt. 87. art. 1. ibi. *Per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur.* Et in 4. cit. diſt. 16. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. dicit, quòd peccatum veniale obnubilat claritatem gratiæ, in quantum ejus proceſſus ad exteriora impeditur. Permanetque hic effectus in prædictis habitibus, quo uſque per actus virtutum perfectiores prædicta peccata venialia retractentur, & hac retractatione voluntas inde avertatur, & ad objecta honeſta revocetur. Sicut in plantis & aliis viventibus vegetativis videmus, quod ad præſentiam gelu & frigoris retrahunt vim operativam, & vix vitaliter moventur, quo uſque adveniente ſolis calore, ſolvitur & expeditur prædicta vis, redditurque habilior ad agendum. Circa hæc tamen vide ſupra in commentar. cit. num. 6. & diſp. 4. num. 8. ubi hanc diminutionem habituum ex parte termini, integra manente eorum entitate & intenſione, magis explicuimus.

Idem.

Ex modo ergo & ex ibi dictis conſtat ad præſens, quod per peccata venialia relinquitur in voluntate quædam diminutio virtutum (præſertim vero charitatis à qua moventur cæteræ) non quo ad entitatem aut intenſionem circa informationem ſubjecti, ſed quo ad habilitatem & expeditionem circa eliciẽtiam ſuorum actuum: quæ quidem rectè dicitur *diminutio fervoris charitatis:* quia hujuſmodi fervor non attenditur potiſſimè penes informationem ſubjecti etiam intenſam; ſed penes promptitudinem & expeditionem, tum ad eliciendos proprios actus, tum etiam ad imperandos actus aliarum virtutum, quæ in habente gratiam non operantur niſi ex influxu & motione ipſius charitatis.

6 Habemus igitur tria relicta ex peccato veniali & manentia poſt ejus actum: nempe habitum & diſpoſitionem ad ſimiles actus inclinantem, moralem converſionem & adhæſionem voluntatis vel appetitus ad objectum talis peccati, & diminutionem fervoris ſeu habilitatis charitatis ad eliciendos proprios actus, & imperandum cæteris virtutibus. Ex quibus primum reiiciendum eſſe à ratione maculæ, conſtat ex dictis diſput. 17. num. 16. & 17. nam quæ ibi diximus ad probandum, reatum etiam pœnæ temporalis non poſſe conſiſtere in habitu vel diſpoſitione vitioſa, à fortiori id convincunt de macula & reatu culpæ etiam venialis.

Secundum verò non eſſe omnino reiiciendum, ſumitur ex D. Thoma 3. par. quæſt. 77. art. 2. ad 3. ubi ſic ait. *Sicut in corpore contingit eſſe maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem puta debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum, alio modo per ſuperinductionem alicujus impedientis decorem, puta, luti aut pulveris: ita etiam animæ inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale, alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, & hoc fit per peccatũ veniale: & ideo*

Idem.

ad tollendam maculam mortalis peccati requiritur infuſio gratiæ; ſed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quẽ removeatur inordinata adhæſio ad rem temporalem. Quibus verbis non modò indigitat prædictam moralem adhæſionem ad objectum peccati venialis remanentem poſt ejus actum, ut explicuimus, ſed etiam inſinuat, quòd talis adhæſio ſit illa macula, quam prædictum peccatum relinquit: ſicut privatio gratiæ eſt macula quam relinquit mortale.

Sed quamvis hoc ſit probabile, probabilius tamen & conformius doctrinæ ejuſdem D. Thomæ cenſemus conſiſtere in illo quod tertio loco explicuimus, ſcilicet in diminutione charitatis quò ad habilitatem & expeditionem ad eliciendos ſuos actus, & imperandum aliis virtutibus: quæ propter rationem nuper datam meritò dicitur *privatio* aut *diminutio fervoris charitatis:* prædictam vero moralem adhæſionem potiùs ſe habere ut fundamentum inducens & conſervans ipſam maculam, quàm ut rationem ejus formalem & conſtitutivam. Tum quia D. Thomas loco nuper adducto potiùs dicit, prædictam adhæſionem eſſe illud, per quod inducitur macula peccati venialis, quam eſſe ipſam maculam. Tum etiam quia loco cit. ex 4. diſt. 16. ubi de prædicta macula ſpecialiùs agat, ſatis apertè oſtendit, conſiſtere in illa diminutione fervoris, qua fit, ut gratiæ & charitatis pulchritudo minus appareat in exercitio actuum. Quod etiam inſinuat in præſenti, & quæſt. 7. de Malo. art. 11. & aliis in locis, ubi agit de remiſſione peccatorum venialium. Niſi velis, tam illam moralem adhæſionem, quàm hujuſmodi fervoris diminutionem appellari formaliter *maculam venialem*, quia utraque ſuo modo ſecundum quid animam deformat, & reddit Deo minus acceptam: illa quidem inordinatè ad creaturam convertendo; iſta vero à charitatis fervore & ab actuali Dei unione ſeparando aut retardando. Sicut in ipſo actu peccati tam converſio inordinata, quàm privatio debitæ converſionis habet formaliter rationem malitiæ. In quo quia res eſt parvi momenti, non immoramur. 7

Idem.

Habemus vero ex dictis, quod hæc macula peccati venialis quovis modo explicetur, ſolùm eſt macula ſecundum quid: quia non fœdat animam ſimpliciter, neque tollit formam per quam ineſt ei pulchritudo, ſcilicet gratiam & charitatem; ſed tantum obnubilat & quaſi tegit, ut minus pelluceat in actibus: habetque ſe ad animam exiſtentem in gratia, ſicut ad faciem venuſtam pulvis, quo nonnihil ſordeſcit, nec tamen ejus pulchritudo deſtruitur. Quo ſenſu dixit S. Leo Pap. ſerm. 4. Quadrag. quod *Deum per varias actiones vitæ hujus ſollicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere.*

S. Leo.

Alius effectus peccati eſt offenſa Dei, quam in ipſo Deo veluti reſultat, & permanet quo uſque per ſatisfactionem & gratiam remittatur. Et quidem de offenſa quæ conſequitur ex peccato mortali, jam diximus diſp. 6. dub. 2. offenſam vero peccati venialis, cujus ratio non ita facilè deprehenditur, huic loco examinandam remiſimus propter paritatem & connexionem cum materia hujus articuli. Sicut autem ſola macula quæ inducitur per peccatum mortale, eſt talis ſimpliciter, quæ vero inducitur 8

ducitur per veniale, tantum eſt macula ſecundum quid, ita dicendum eſt de offenſa, quia nec negari poteſt, quod per peccata venialia Deus aliquantulum offendatur, ſicut ipſa venialia aliqualiter ſunt contra ejus legem: nec talis offenſa poteſt eſſe offenſa ſimpliciter, cum non tollat divinam amicitiam & gratiam; licèt fervorem ejus diminuat. Et ita intelligendus eſt D. Thomas quæſt. 7. de Mal. art. 2. ad 10. ubi ait, *Quòd peccatum veniale cum non importet averſionem, propriè loquendo non habet rationem offenſæ.* Addens enim *propriè loquendo*: ſatis inſinuavit ſe loqui de offenſa propriè & ſimpliciter tali, & hanc dumtaxat à peccato veniali excludere; concedere vero illi offenſam ſecundum quid & minus propriè dictam. Vnde neque audiendi ſunt, qui omnino negant, Deum offendi per peccata venialia; neque qui aſſerunt offendi ſimpliciter per illa: ſed media via incedendo, concedenda eſt illis ratio offenſæ ſecundum quid, neganda vero ratio offenſæ ſimpliciter, ſicut dictum eſt de macula. De quo videri poteſt Suarez in tract. de Peccatis, diſputatione 2. ſectione 5. dub. 2.

D. Thom. — Suar.

9 Poſſunt autem circa hanc venialem offenſam duo dubitari: nimirum ubi ſit tanquam in ſubjecto, & in quo ratio eius conſiſtat. Ex quorum ſolutione dependet ſolutio alterius quod nonnulli inquirunt, an ſcilicet prædicta offenſa ſit ſimpliciter infinita, ſicut eſt offenſa mortalis; vel potius finita & determinata? Ad primum ergo dicendum eſt, offenſam venialem formaliter ſeu paſſivè acceptam non ſubjectari in peccatore offendente vel in eius actu, ſed in Deo qui offenditur per illam: eo proportionali modo quo diſp. 7. dub. 2. diximus de offenſa mortali. Nam prima ratio ibi facta de utraque offenſa convincit. Et quamvis ſecunda ſolum procedat de mortali, à paritate tamen rationis deducitur idem debere eſſe ſubiectum offenſæ venialis.

Imò ex ibidem dictis circa eſſentiam offenſæ mortalis venanda eſt ratio & eſſentia venialis, de qua procedit ſecundum dubium. Vtraque igitur conſideranda eſt in Deo ad modum privationis ſeu læſionis, non ſecundùm rem illatæ, ſed ſecundùm affectum peccantis intentatæ. Differunt autem, quia offenſa mortalis conſideratur ut privatio ſeu læſio ſimpliciter illius juris quod Deus poſſidet, ut ab homine pro fine ultimo habeatur, & ut talis colatur, & ſuper omnia ametur. Dum enim is qui mortaliter peccat, præfert in ſuo affectu creaturam Deo, & averſus ab iſto, convertitur ad illam ſicut ad ultimum finem, conſequenter tollit, quantum eſt ex parte prædicti affectus, ipſam rationem finis ultimi, privatque illum iure quod poſſidet; ut pro tali fine habeatur. At verò offenſa venialis adhuc ex affectu peccantis non privat Deum hoc iure abſolutè & ſimpliciter, ſed ad ſummum ſecundùm quid: quia qui venialiter delinquit, quamvis divertatur, non tamen avertitur ab illo, neque præfert ei creaturam, neque iſti tribuit rationem finis ultimi: ſed ſarta tectaque in Deo hac ratione, quaſi diminuit & coarctat prædictum ius, ne actu extendatur ad opus venialiter peccaminoſum: eo quòd nullum tale opus eſt actu referibile in Deum; licèt poſſit referri in illum habitualiter. Itaque ratio offenſæ venialis ſita eſt in quadam non extenſione & veluti coarctatione divini juris & divini dominii, qua fit ut opus venialiter malum non ſubiiciatur actu & directe prædicto dominio, nec fiat propter Deum, ſed maneat extra ejus cauſalitatem finalem quantum ad actualem relationem, licèt non quantum ad habitualem, ut magis explicuimus in tract. de ultimo fine, diſputat. 4. dub. 4.

Ex quo fit, prædictam offenſam (etiam eo modo quo eſt in Deo, ſcilicet moraliter & ex affectu peccantis) non eſſe in illo ut privationem abſolutè & ſimpliciter talem alicujus divinæ perfectionis aut rationis, ſed ut privationem ſolum ſecundum quid: quia non tollit ab eo abſolutè & ſimpliciter prædictum ius vel dominium; ſed hoc ſimpliciter & quoad ſubſtantiam (ut ita dicamus) conſervato per terminationem ad omnia alia, tollit dumtaxàt extenſionem ad illud determinatum opus, quod eſt peccatum veniale. Neque adhuc quoad iſtud tollit ſimpliciter prædictam extenſionem ſed ſolum quantum ad relationem actualem, integra & illæſa permanente quantum ad habitualem. Privatio autem quæ non tollit ſimpliciter aliquam formam vel perfectionem, ſed ſolum prædicto modo coarctat illam, non poteſt dici privatio aut malum ſimpliciter, ſed ſecundum quid. 10

Deinde fit, præditam offenſam non eſſe intrinſecè & ſimpliciter infinitam, ſicut eſt offenſa mortalis, ſed potius finitam & limitatam, atque adeo finita & limitata ſatisfactione ad æqualitatem compenſabilem. Et ratio eſt quam modò tradidimus: quia privatio in qua conſiſtit, non tollit à Deo aliquam perfectionem vel rationem infinitam, eo modo quo infinitatem exprimit; ſed impedit dumtaxat quandam eius terminationem ad rem creatam, ut modo noſtro concipiendi exprimit reſpectum finitum & connexionem non neceſſariam cum tali re. Quamvis enim prædicta terminatio ex parte formæ & in eſſe rei ſumpta, ſit ipſa divina perfectio, adeoque infinita ſimpliciter; attamen ut ſtat ſub denominatione & munere illius terminationis, non exprimit conceptum infinitum, neque aliquid à quo ipſa perfectio quoad ſuam entitatem aut quoad aliquam terminationem exprimentem infinitatem dependeat. Et ideo ejus privatio prout ſic non poteſt dici infinita ſimpliciter ſeu intrinſecè, quia non privat aliquo infinito in eo, in quo infinitatem exprimit; ſed in eo dumtaxat, quod ſi non eſſet plus quàm exprimit, & plus quàm privatur, non eſſet infinitum, ſed finitum; per quod facilè evacuantur aliquæ obiectiones, quæ ex præſenti doctrina poterant ſuboriri: quaſque, Deo dante, proponemus & diluemus in tract. de Incarnatione, ubi ex profeſſo agendum eſt de utraque offenſa, mortali ſcilicet & veniali, & de incapacitate puræ creaturæ ad ſatisfaciendum æqualiter pro prima, ſecus verò pro ſecunda.

ARTI

ARTICULUS II.

Vtrum convenienter peccata venialia per lignum, fœnum, & ſtipulam deſignentur?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quod inconvenienter peccata venialia per lignum, fœnum, & ſtipulam deſignentur. Lignum enim, fœnum, & ſtipula, dicuntur ſuperædificari ſpirituali fundamento: ſed peccata venialia ſunt præter ſpirituale ædificium, ſicut etiā quælibet falſæ opiniones ſunt præter ſcientiam; ergo peccata venialia non convenienter deſignātur per lignum, fœnum, & ſtipulam.

2. Præt. Ille qui ædificat lignum, fœnum, & ſtipulam, ſic ſalvus erit quaſi per ignem; ſed quandoque ille qui committit peccata venialia, non erit ſalvus etiam per ignem, puta cum peccata venialia inveniuntur in eo qui decedit cum peccato mortali: ergo inconvenienter per lignum, fœnum, & ſtipulam peccata venialia deſignantur.

3. Præt. Secundum Apoſtolum, alii ſunt qui ædificant aurum, argentum, & lapides pretioſos, id eſt, amorem Dei, & proximi, & bona opera: & alii qui ædificant lignum, fœnum, & ſtipulam: ſed peccata venialia committunt etiam illi qui diligunt Deum, & proximum, & bona opera faciunt, dicitur enim 1. Joann. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus: ergo non convenienter deſignantur peccata venialia per iſta tria.

4. Præt. Multò plures differentiæ & gradus ſunt peccatorum venialium, quam tres: ergo inconvenienter ſub his tribus comprehenduntur.

Sed contra eſt, quod Apoſt. 1. ad Cor. 3. dicit de eo qui ſuperædificat lignum, fœnum & ſtipulam, quod ſalvus erit quaſi per ignem, & ſic patietur pœnam, ſed non æternam: reatus autem pœnæ temporalis propriè pertinet ad peccatum veniale, ut dictum eſt: ergo per illa tria ſignificantur peccata venialia.

Reſpondeo dicendum, quod quidam intellexerunt fundamentum eſſe fidem informem, ſuper quam aliqui ædificant bona opera, quæ figurantur per aurum, argentum, & lapides pretioſos: quidam vero peccata etiam mortalia, quæ figurantur ſecundum eos per lignum, fœnum, & ſtipulam. Sed hanc expoſitionem improbat Auguſt. in lib. de fide & operibus: quia ut Apoſtolus dicit ad Galatas 5. Qui opera carnis facit, regnum Dei non conſequetur, quod eſt, ſalvum fieri. Apoſtolus autem dicit, quod ille qui ædificat lignum, fœnum, & ſtipulam ſalvus erit quaſi per ignem: unde non poteſt intelligi quod per lignum, fœnum & ſtipulam peccata mortalia deſignentur. Dicunt ergo quidam, quod per lignum, fœnum, & ſtipulam ſignificantur opera bona, quæ ſuperædificantur quidem ſpirituali ædificio, ſed commiſcent ſe eis peccata venialia: ſicut cum aliquis habet curam rei familiaris, quod bonum eſt, commiſcet ſe ſuperfluus amor vel uxoris vel filiorum vel poſſeſſionum, ſub Deo tamen, ita ſcilicet quod pro his homo nihil vellet facere contra Deum. Sed hoc iterum non videtur convenienter dici. Manifeſtum eſt enim quod omnia opera bona referuntur ad charitatem Dei, & proximi: unde pertinent ad aurum, argentum, & lapides pretioſos: non ergo ad lignum, fœnum, & ſtipulā. ¶ Et ideo dicendum eſt, quod peccata venialia, quæ admiſcent ſe procurantibus terrena, ſignificantur per lignum, fœnum, & ſtipulam. Sicut enim hujuſmodi cōgregātur in domo, & non pertinēt ad ſubſtātiam ædificii, & poſſunt cōburi ædificio remanēte: ita etiā peccata venialia multiplicātur in homine, manente ſpirituali ædificio, & pro iſtis patitur ignem vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorii poſt hanc vitam, & tamen ſalutem conſequitur æternam.

Ad primum ergo dicendum, quod peccata venialia non dicūtur ſuperædificari ſpirituali fūdamēto, quaſi directè ſupra ipſum poſita: ſed quia ponuntur juxta ipſum: ſicut accipitur Pſal. 136. Super flumina Babylonis, id eſt, juxta, quia peccata venialia non deſtruunt ſpirituale ædificium, ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod non dicitur de quocunque ædificante lignum, fœnum, & ſtipulam, quod ſalvus ſit quaſi per ignem: ſed ſolum de eo qui ædificat ſupra fundamentum, quod quidem non eſt fides informis, ut quidam æſtimabant, ſed fides formata charitate, ſecundum illud Epheſ. 3. In charitate radicati & fundati. Ille ergo qui decedit cum peccato mortali & venialibus, habet quidem lignum, fœnum, & ſtipulam, ſed non ſunt ſuperædificata ſupra fundamentum ſpirituale: & ideo non erit ſalvus ſic quaſi per ignem.

Ad

Ad tertium dicendum, quod illi qui ſunt abſtracti à cura temporalium rerum,& ſi aliquando venialiter peccent, tamen levia peccata venialia committunt,& frequentiſſimè per fervorē charitatis purgantur. Unde tales non ſuperædificant venialia, quia in eis modicum manent: ſed peccata venialia ipſorū qui circa terrena occupantur, diutius manent, quia non ita frequenter recurrere poſſunt ad hujuſmodi peccata venialia delenda per charitatis fervorem.

Ad quartum dicendum, quod ſicut Philoſoph. dicit in primo de cœlo. Omnia tribus includuntur, ſcilicet principio, medio, & fine: & ſecundum hoc omnes gradus peccatorum venialium ad tria reducuntur, ſcilicet ad lignum, quod diutius manet in igne: ad ſtipulam, quæ citiſſimè expeditur: ad fœnū, quod medio modo ſe habet, ſecundum quod peccata venialia ſunt majoris vel minoris adhærentiæ vel gravitatis, citius vel tardius per ignem purgantur.

CONCLUSIO *eſt affirmativa.*

Iſtum articulum movit D. Thom. ut exponeret locum Apoſtoli 1. ad Corint. 3. cujus fit mentio in argumento, *Sed contra.* Ejuſque occaſione tradit doctrinam ſatis utilem pro diſtinctione & cognitione peccatorum venialium, ita tamen perſpicuam & facilem, ut nec diſputatione, nec commentario indigeat.

ARTICULUS III.

Utrum homo in ſtatu innocentiæ potuerit peccare venialiter?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quod homo in ſtatu innocentiæ potuerit peccare venialiter: quia ſuper illud 1. ad Timoth. 2. Adam non eſt ſeductus, dicit gloſ. Inexpertus divinæ ſeveritatis in eo falli potuit, ut crederet veniale eſſe commiſſum: ſed hoc non crediḋiſſet, niſi venialiter peccare potuiſſet: ergo venialiter peccare potuit, non peccando mortaliter.

2. Præt. Auguſt. dicit 11. ſuper Gen. ad literam: Non eſt arbitrandum quod eſſet hominem dejecturus tentator, niſi præceſſiſſet in anima hominis quædam elatio cōprimenda: elatio autē dejectionem præcedēs, quæ facta eſt per peccatum mortale, non potuit eſſe niſi peccatum veniale. Similiter etiam in eodem Auguſt. dicit, quod virum ſolicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierē vidiſſet ſūpto vetito pomo nō eſſe mortuam. Videtur etiam fuiſſe in Eva aliquis infidelitatis motus in hoc, quod de verbis Domini dubitavit, ut patet per hoc quod dixit: Ne fortè moriamur, ut habetur Gen. 3. hæc autem videtur venialia peccata: ergo homo potuit venialiter peccare, antequam mortaliter peccaret.

3. Præt. Peccatum mortale magis opponitur integritati primi ſtatus, quam peccatum veniale: ſed homo potuit peccare mortaliter non obſtante integritate primi ſtatus: ergo etiam potuit peccare venialiter.

Sed contra eſt, quod cuilibet peccato debetur aliqua pœna: ſed nihil pœnale eſſe potuit in ſtatu innocentiæ, ut Aug. dicit 14. de Civit. Dei: ergo non potuit peccare aliquo peccato, quo non ejiceretur ab illo integritatis ſtatu: ſed peccatum veniale non mutat ſtatum hominis: ergo nō potuit peccare venialiter.

Reſp dicendum, quòd cōmuniter ponitur, quod homo in ſtatu innocentiæ non potuit venialiter peccare. Hoc etiā non eſt ſic intelligendum, quaſi id quod nobis eſt veniale, ſi ipſe cōmitteret, eſſet ſibi mortale propter altitudinem ſui ſtatus. Dignitas enim perſonæ eſt quædam circunſtantia aggravās peccatū, non tamē transfert in aliā ſpeciē, niſi fortè ſuperveniente deformitate inobedientiæ, vel voti, vel alicujus hujuſmodi: quod in propoſito dici nō poteſt. Unde quod eſt de ſe veniale, nō potuit trāsferri in mortale, propter dignitatem primi ſtatus. Sic ergo intelligendum eſt, quod nō potuit peccare venialiter, quia non potuit eſſe, ut committeret aliquid quod eſſet de ſe peccatū veniale, antequam integritatem primi ſtatus amitteret peccādo mortaliter. ¶ Cujus ratio eſt, quia peccatum veniale in nobis contingit, vel propter imperfectionem actus, ſicut ſubiti motus in genere peccatorū mortaliū: vel propter inordinationem exiſtētem circa ea quæ ſunt ad finem, ſervato debito ordine ad finem. Utrūque autem horum contingit propter quendam defectum ordinis ex eo, quod inferius non continetur firmiter ſub ſuperiori. Quod enim in nobis inſurgat ſubitus motus ſenſualitatis, cōtingit ex hoc quod ſenſualitas non eſt omnino ſubdita rationi. Quod vero inſurgat ſubitus motus in ratione ipſa, provenit in nobis ex hoc, quod ipſa executio actus rationis non ſubditur deliberationi, quæ eſt ex altiori bono, ut ſupra dictum eſt. Quod vero humanus animus inordinetur circa ea quæ ſunt ad finem, ſervato debito ordine ad finē, provenit ex hoc, quod ea quæ ſunt ad finem, non ordinātur infallibiliter ſub fine, qui tenet ſummū locū quaſi principium in appetibilibus, ut ſupra dictum eſt. In ſtatu autē inno

innocentiæ, ut in primo habitum eſt, erat infallibilis ordinis firmitas, ut ſemper inferius contineretur ſub ſuperiori, quandiu ſummum hominis contineretur ſub Deo, ut etiam Aug. dicit 14. de Civ. Dei: & ideò oportebat quod inordinatio in homine non eſſet, niſi inciperet ab hoc, quod ſummum hominis non ſubderetur Deo, quod fit per peccatum mortale. Ex quo patet quod homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter.

Ad primum ergo dicendum, quod veniale non ſumitur ibi ſecundum quod nunc de veniali loquimur, ſed dicitur veniale quod eſt facile remiſſibile.

Ad ſecundum dicendum, quod illa elatio, quæ præceſſit in animo hominis, fuit primum hominis peccatum mortale: dicitur autem præceſſiſſe dejectionem ejus in exteriorem actum peccati. Hujuſmodi autem elationem ſubſecuta eſt & experiẽdi cupiditas in viro & dubitatio in muliere, quæ ex hoc ſolo in quandã aliam elationem prorupit, quod præcepti mentionem à ſerpente audivit, quaſi nollet ſub præcepto contineri.

Ad tertium dicendum, quod peccatum mortale in tantum opponitur integritati primi ſtatus, quod corrumpit ipſum, quod peccatum veniale facere non poteſt. Et quia non poteſt ſimul eſſe quæcunque inordinatio cum integritate primi ſtatus, conſequens eſt quod primus homo non potuerit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter.

Conclusio *eſt negativa.*

Commentarius.

G. Antiſiod. — *Scotus. Gabriel. Almain. Suar.* — *Capreol. Hiſpal. Conrad. Caietanus. Medina. Alvar. Curiel. Zumel. Vaſq. Salas.*

1 DOctrina & reſolutio hujus artic. tempore D.Thom. communis erat, ut ipſe in præſenti & alibi teſtatur. Quamvis Gulielm. Antiſiod. qui D.Thom. præceſſit, pro contraria opinione referatur lib. 2. ſum. tract. 10. cap. 3. & 4. quam poſtea ſequuti ſunt Scot. in 2. diſt. 21. q. 1. Gabriel, ibid. art. 3. dub. 1. Almain. tract. 3. moral. cap. 21. & 22. Suarez tract. de peccatis diſputat. 2. ſect. 7. & alii. Veriſſima tamen eſt & ſemper communior ſententia D.Thomæ, quam tuentur omnes ejus diſcipuli: tum in 2. diſt. 21. ubi Capreol. & Hiſpal. tum etiam in præſenti articulo, ubi Contrad. Cajet. Medina, Alvar. Curiel. Zumel, Monte. Greg. Mart. & alii: quibus etiam ſubſcribunt, alios referentes Vaſq. diſput. 148. art. 2. & Salas diſp. 17. ſect. 3. Convincitur autem duplici ratione D. Thomæ: quarum prima deſumpta ex Auguſtin. lib. 14. de Civit. Dei, habetur in argum. *Sed contra.* Cum enim ſtatus ille innocentiæ eſſet ſtatus omnimodæ perfectionis & felicitatis, nullum malum ſive culpæ ſive pœnæ erat cum eo impoſſibile: unde peccatum quod ab homine tunc committi poterat, debebat eſſe talis conditionis, ut per illud prædictus ſtatus deperderetur, ne non deperditus maneret ſimul cum tali malo: non autem poterat deperdi per peccatum dumtaxat veniale, quia neque iſtud dignum eſſet tam acerba pœna, neque attingeret ſuperiorem partem hominis, ubi reſidebat originalis juſtitia: ergo nec tale peccatum committi poterat ab homine exiſtente in ſtatu illo, priuſquam committeretur aliquod mortale per quod amitteretur.

Secunda ratio habetur in corp. art. & latius q. 7. de Mal. art. 7. & in 2. diſt. 21. q. 2. & art. 3. ex quibus locis ſequentem diſcurſum depromimus. 2 *D. Thom.* Etenim in ſtatu innocentiæ ita erant in homine omnia ordinata, ut quælibet pars inferior immobiliter teneretur, ſub ſua ſuperiori, quandiu ſuprema ejus pars teneretur immota ſub Deo: hæc quippe erat felicitas & perfectio illius ſtatûs, ut nulla corporis diſpoſitio extraheret ipſum à dominio & obedientia animæ, neque appetitus ſenſitivus extraheretur ab imperio rationis, neque ratio inferior à ratione ſuperiori, quandiu ipſa ratio ſuperior, quæ eſt ſuprema pars hominis per humilitatem & amorem maneret Deo ſubordinata: atque adeo quilibet motus & quælibet affectio ſive bona ſive mala debebat à prædicta ratione ſuperiori inchoari, & circa ejus objectum primo verſari: cunque objectum ſuperioris rationis ſit Deus & ultimus finis, circa quem quilibet inordinatus affectus eſt ex genere ſuo peccatum mortale, & deſtructivum illius ſtatus, oportuit ut ante hujuſmodi peccatum nulla poſſet reperiri ibi inordinatio circa quodcunque aliud objectum, ac proinde neque peccatum aliquod veniale.

At dicunt aliqui, ex vi hujus rationis excludi à prædicto ſtatu peccata venialia ex imperfecta deliberatione, quia hæc non contingunt, niſi cum appetitus ſenſitivus antevertit rationem, & ejus judicium perturbat, cui defectui non erat ibi locus propter perfectam continentiam appetitus ſub ratione. At vero peccata venialia ex genere vel ex parvitate materiæ non excluduntur per prædictam rationem, quia talia peccata poſſent ante omnem ſurreptionem & motum appetitus ſenſitivi à judicio rationis imperari.

Sed hæc evaſio ſatis evaneſcit ex illis quæ diximus ſupra diſp. 16. n. 159. quia in prædicto 3 ſtatu non erat ſola ordinatio appetitus ſenſitivi ſub ratione, ſed etiam in ipſa ratione & parte rationali pars ſeu ratio inferior, cujus objectum ſunt res tẽporales, erat plenè ſubdita parti & rationi ſuperiori, cujus objectũ ſunt rationes æternæ: ut explicuimus ſup. q. 74. 2. 6. & 7. Unde ſicut propter perfectam ſubordinationẽ appetitus ſenſitivi ad rationem, nullus inordinatus motus vel actus poterat ab ipſo appetitu, vel ab ejus perturbatione inchoari, quin prius à judicio & imperio rationis procederet, & in ordine ad objectũ ipſius rationis: ita propter ſimilẽ ſubordinationem rationis inferioris ad ſuperiorem, nullus inordinatus actus provenire poterat ab ipſa ratione inferiori circa ſuum objectum, niſi ratio ſuperior circa objectum ſuum deordinaretur, & à rectitudine illius deficeret. Porrò objecta circa quæ poſſunt contingere peccata venialia ex genere, ſolum ſunt res temporales, adeoque objectum inferioris rationis: peccata verò quæ poſſunt cõtingere circa objectum rationis ſuperioris, omnia ſunt ex genere ſuo mortalia, quia circa rationes æternas nullus eſt defectus qui ex genere ſuo non cõtrarietur fini ultimo & ab illo avertat. Quinimò circa ipſas rationes æternas non poſſet deficere prædicta

ratio,

ratio, niſi deviando prius à potiſſima illarū, quæ eſt ultimus finis particularis: manēte enim hujus finis recta intentione, nihil poterat judiciū rationis approbare, niſi quod tali fini congrueret, cui nihil inordinatum congruit. Per quod excluduntur etiā venialia ex parvitate materiæ: quia circa intentionem finis ultimi nulla eſt materiæ parvitas. Vide ſuperiùs cit. diſp. 16. n. 159.

4 Quamvis autem D. Thom. in hoc art. totum hoc quoad ſubſtantiam comprehenderit, expreſſiùs tamen id tradit in 2. diſt. 21. q. 2. art. 3. ubi ſic ait. *Talis erat primi ſtatus rectitudo, ut ſuperior pars rationis Deo ſubjiceretur, cui ſubjicerentur inferiores vires, quibus ſubjiceretur corpus; ita quòd prima ſubjectio erat cauſa ſecundæ, & ſic deinceps: manente autem cauſa maneret effectus: unde ſicut quandiu homo erat ſubditus Deo nihil in corporis partibus contingere poterat contrarium animæ, ita etiam nihil in viribus animæ contingere poterat, quod ſuperior ratio non ordinaret in Deum, quòd autem in Deum recte ordinatum eſt, veniale peccatum non eſt, & ita veniale peccatum in primo ſtatu contingere non poterat, ſicut nec mors, niſi priùs ordo mentis ad Deum tolleretur, quod ſine peccato mortali fieri non potuit.*

Idem.

Tum etiam Quæſt. 7. de Mal. art. 7. ubi addit majorem hujus doctrinæ explicationem, & ſolvit præcipuam objectionem, quæ contrà illam poterat efformari, his verbis: *Sed quia etiam in ſuperiori ratione contingit eſſe peccatum veniale ſecundùm præmiſſa, poſſet alicui videri, quod ſaltem illud veniale peccatum in ſtatu innocentiæ in Adam eſſe potuit. Sed & in hoc eadem ratio invenitur, ſiquis diligenter conſideret. Nam cum potentiæ diſtinguantur ſecundùm objecta, ſecundùm ordinem objectorum eſt etiam ordo potentiarum. Contingit autem in objectis rationis eſſe ordinem ſuperioris & inferioris & in ſpeculativis & in practicis. Sicut enim principium indemonſtrabile eſt ſupremum in ſpeculandis, ita finis ſe habet in operabilibus: unde quandiu ſuperior ratio hominis bene ſe habuiſſet circa finem, nullo modo deficere potuiſſet circa ea quæ ſunt ad finem, propter indefectibilem ordinem inferiorum ad ſuperiora ſecundum conditionem illius ſtatus. Sicut & in ſpeculativis quandiu homo habet rectam exiſtimationem circa principia, niſi ſit defectus in connexione principiorum ad concluſiones, non poterit aliquis defectus incidere circa concluſiones. Manifeſtum eſt autem ex ſupra dictis quòd peccatum mortale eſt per averſionem à fine, peccatum autem veniale eſt inordinatio quædam circa ea quæ ſunt ad finem: unde impoſſibile erat hominem in ſtatu innocentiæ peccare priùs venialiter, quam mortaliter.* Videatur Ang. Doctor toto illo art. 7. ubi proponit & ſolvit omnia argumenta, quæ in contrarium facere videntur, pluraque alia: à quibus proinde referendis abſtinemus.

Idem.

ARTICULUS IV.

Utrum Angelus bonus vel malus poſſit peccare venialiter?

AD quartum ſic proceditur. Videtur quod Angelus bonus vel malus poſſit venialiter peccare. Homo enim cum Angelis convenit in ſuperiori animæ parte, quæ mens vocatur: ſecundum illud Gregor. in homil. Homo intelligit cum Angelis: ſed homo ſecundum ſuperiorem partem animæ poteſt peccare venialiter: ergo & Angelus.

2. Præt. Quicunque poteſt quod eſt plus, poteſt etiā quod eſt minus: ſed Angelus potuit diligere bonū creatū plus quā Deū, quod fecit peccādo mortaliter: ergo etiā potuit bonū creatū diligere infra Deū inordinatè, venialiter peccādo.

3. Præt. Angeli mali videtur aliqua facere, quæ ſunt ex genere ſuo venialia peccata, provocādo homines ad riſū, & ad alias hujuſmodi levitates: ſed circūſtātia perſonæ nō facit de veniali mortale, ut dictū eſt, niſi ſpeciali prohibitione ſuperveniēte, quod nō eſt in propoſito: ergo Angelus poteſt peccare venialiter.

Sed contra eſt, quod major eſt perfectio Angeli, quam perfectio hominis in primo ſtatu: ſed homo in primo ſtatu non potuit peccare venialiter: ergo multo minus Angelus.

Reſp. dicendū, quod intellectus Angeli, ſicut in primo dictū eſt, non eſt diſcurſivus, ut ſcilicet procedat à principiis in concluſiones ſeorſū utrūque intelligēs, ſicut in nobis cōtingit: unde oportet quod quādocūque cōſiderat cōcluſiones, cōſideret eas prout ſūt in principiis. In appetibilibus autē, ſicut multoties dictū eſt, fines ſūt ſicut principia: ea verò quæ ſūt ad finē, ſunt ſicut cōcluſiones: unde mēs Angeli non fertur in ea quæ ſūt ad finē, niſi ſecūdū quod ſtāt ſub ordine finis: propter hoc ex natura ſua habēt, quod nō poſſit in eis eſſe deordinatio circa ea quę ſūt ad finē, niſi ſimul ſit deordinatio circa finē ipſū, quod eſt per peccatū mortale. Sed Angeli boni non movētur in ea quæ ſūt ad finē, niſi in ordine ad finē debitū, qui eſt Deus: & propter hoc ōnes eorū actus ſūt actus charitatis: & ſic in eis nō poteſt eſſe peccatum veniale. Angeli verò mali in nihil movētur, niſi in ordine ad finē peccati ſuperbiæ ipſorū: & ideo in ōnibus peccāt mortaliter quæcūq; propria volūtate agūt. Secus autē eſt de appetitu naturalis boni, qui eſt in eis, ut in primo dictū eſt.

Ad primum ergo dicendum, quod homo convenit quidem cum Angelis in mente ſive in intellectu: ſed differt in modo intelligendi, ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendū, quod Angelus non potuit minus diligere creaturā quam Deum, niſi ſimul referens eam in Deū ſicut in ultimum finem, vel aliquē finem inordinatum, ratione jam dicta.

Ad tertiū dicendum, quod omnia illa quæ vidētur eſſe venialia dęmones procurant, ut homines ad ſui familiaritatē

Digitized by Google

attrahant,& ſic deducãt eos in peccatũ mortale: unde in omnibus mortaliter peccant propter intentionem finis.

CONCLUSIO.

Neque in Angelis bonis, neque in malis poteſt eſſe peccatũ veniale: quia boni ſemper moventur ex fine charitatis, & ſic in omnibus bene operantur: mali verò ſemper moventur ex fine ſuæ ſuperbiæ,& ita in omnibus quæ liberè agunt, peccant mortaliter.

Commentarius.

QUamvis ratio D.Thomæ pro hac concluſione aliquibus neotericis minùs firma videatur; rectè tamen conſiderantibus efficaciſſima apparet. Nam quod omnes actus voluntatis angelicæ ex actuali intentione ultimi finis particularis procedant,debeantque proinde participare bonitatem vel malitiam talis finis,ſatis convincitur, tum ex paritate,qua utitur S.Doct. ad actus angelici intellectus,& ad prima ejus principia. Tum etiam ex actualitate & immaterialitate ipſius Angeli. Sicut enim in nobis,quia intellectus & voluntas ſunt valde potentiales, & in infimo ſpiritualitatis gradu, incipit cognitio & volitio à communioribus & potentialibus, nec ſemper ea actu cognoſcimus vel appetimus, ſed quandoque in actu, quandoque ſolùm in potentia, indeque per diſcurſum & applicationem, ad magis actualia & ſpecialia deſcendimus:ita quia Angelus & ejus potentiæ ſunt valde actuales & immateriales, debet eorum cognitio & volitio initium ſumere à rationibus magis actualibus, & magis determinatis,ejus tamen efficaciæ & virtutis,ut poſſent inde ſeipſos ad alia applicare & movere: quo pacto ſe habet finis ultimus particularis, quem ſemel omnimoda libertate eligunt. Debent igitur in hujuſmodi finis cognitione & volitione ſemper actu perſiſtere, & exinde in reliquas operationes moveri. Quæcunque autem volitio vel operatio orta ex actuali intentione ultimi finis particularis contrahit neceſſariò moralitatem talis finis, atque adeo vel bonitatem charitatis,ſi finis ſit Deus, ut in bonis Angelis, vel malitiam ſuperbiæ, ſi finis ſit ſuperbiæ objectum,ut in dæmonibus. Nec neceſſe habemus latiùs hic confirmare hujuſmodi doctrinam; quia in tract. de Angelis diſp. 10. & 11. plura diximus, quæ efficaciter perſuadent, eam eſſe conditionem angelicæ naturæ, quam modò explicuimus.

Notanda verò eſt diſparitas inter rationes hujus & præcedentis articuli: nam homini in ſtatu innocentiæ negatur facultas ad delinquẽdum venialiter,ex eo quod ibi non poterat committere illa quæ ſunt ex genere ſuo peccata venialia: ſi namque hæc committeret, proculdubio venialiter delinqueret. Angelo verò non ideo negatur prædicta facultas, quaſi talia venialia (loquendo de Angelo malo) committere non poſſit; ſed quia quæcunque committat, redduntur mortalia ex modo illa committendi, & ex fine,propter quem committuntur.¶ Nota etiam quod D. Thom. ſolum applicat ſuam doctrinam Angelis qui ad ſupernaturalem finem fuerunt elevati, quique vel per peccatum lapſi ſunt, vel per charitatem in Dei amicitia permanſerunt: quia de facto nullus eſt qui ad iſtorum vel illorum numerum non pertineat. Si autem velimus quæſtionem extendere ad caſum,quo Deus crearet aliquos Angelos in ſolis ſuis naturalibus, & ſine prædicta elevatione, etiam tenenda eſt pars negativa: quia Angelus ſic conditus neque mortaliter neque venialiter peccare poſſet: ut oſtendimus in prædicto tract. de Angelis, diſp.9. dub.3.

ARTICULUS V.

Vtrum primi motus ſenſualitatis in infidelibus ſint peccata mortalia?

AD quintum ſic proceditur. Videtur quod primi motus ſenſualitatis in infidelibus ſint peccata mortalia.Dicit enim Apoſtolus ad Rom.8. quod nihil eſt damnationis his,qui ſunt in Chriſto Jeſu,qui non ſecundum carnem ambulant, & loquitur ibi de concupiſcẽtia ſenſualitatis, ut ex præmiſſis apparet: hæc ergo cauſa eſt quare concupiſcere non ſit dãnabile his,qui nõ ſecundũ carnẽ ambulãt,cõſentiẽdo ſcilicet cõcupiſcẽtiæ,quia ſunt in Chriſto Jeſu: ſed infideles non ſunt in Chriſto Jeſu:ergo in infidelibus eſt damnabile: primi igitur motus infideliũ ſunt peccata mortalia.

2.Præt.Anſelm.dicit in lib.de grat.& lib.arb. Qui nõ ſunt in Chriſto ſentientes carnẽ, ſequuntur damnationẽ etiãſi non ſecundũ carnẽ ambulant:ſed damnatio non debetur niſi peccato mortali: ergo cum homo ſentiat carnem ſecundum primum motum concupiſcentiæ, videtur quod primus motus cõcupiſcẽtiæ in infidelibus ſit peccatum mortale.

3.Præt.Anſelm.dicit in eod.lib.Sic eſt factus homo, ut cõcupiſcẽtiã ſentire nõ deberet:hoc autẽ debitũ videtur homini remiſſũ per gratiã baptiſmalẽ, quam infideles non habẽt:ergo quandocũque infidelis cõcupiſcit, etiãſi nõ cõſentiat, peccat mortaliter contra debitũ faciens.

Sed contra eſt, quod dicitur Act.10. Non eſt perſonarũ acceptor Deus:quod ergo uni non imputat ad dãnationẽ,nec alteri:ſed primos motus fidel.nõ imputat ad dãnationẽ: ergo etiã nec fidelib.

Reſpond.dicendũ, quod irrationabiliter dicitur,quod primi motus infideliũ ſint peccata mortalia,ſi eis nõ cõſentiatur:& hoc patet dupliciter.Primò quidẽ quia ipſa ſẽſualitas nõ poteſt eſſe ſubjectũ peccati mortalis,ut ſupra eſt habitũ: eſt autẽ eadẽ natura ſẽſualitatis in infidelibus & fidelibus:unde nõ poteſt eſſe, quod ſolus motus ſẽſualitatis in infidelibus ſit peccatũ mortale.Alio modo ex ſtatu ipſius peccãtis: nunquã enim dignitas perſonæ diminuit peccatum, ſed magis auget, ut ex ſupra dictis patet: unde

Digitized by Google

unde neque peccatum eſt minus in fideli, quam in infideli, ſed multò majus. Nam & infidelium peccata magis merentur veniam propter ignorantiam ſecundum illud 1 ad Timot. 1. Miſericordiam Dei conſequutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate mea: & peccata fidelium aggravantur propter gratiæ ſacramenta, ſecundum illud Hebr. 10. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui ſanguinem Teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt, pollutum duxerit.

Ad primum ergo dicendum, quòd Apoſtolus loquitur de damnatione debita peccato originali, quæ aufertur per gratiam Jeſu Chriſti, quamvis maneat concupiſcentiæ fomes: unde hoc quod fideles concupiſcunt, non eſt in eis ſignum damnationis originalis peccati, ſicut eſt in infidelibus. Et hoc etiam modo intelligendum eſt dictum Anſ. Unde patet ſolutio ad ſecundum.

Ad ſecundum dicendum, quòd illud debitū non concupiſcendi, erat per originalem juſtitiam: unde id quod opponitur tali debito, non pertinet ad peccatum actuale, ſed ad peccatum originale.

Concluſio *eſt negativa.*

Quamvis tempore D. Thomæ non defuerint qui in infidelibus etiam primos ſenſualitatis motus (ſuppoſita gravitate objecti) ad mortalem culpam damnaverint, indeque occaſionem ſumpſerit S. Doctor ad inſtituendum præſentem articulum, ut contrariam veritatem demonſtraret; modò tamen nullus eſt qui ab ejus doctrina recedat, aut eam in quæſtionem deducat. Eſt tamen circa motus ſenſualitatis non deliberatos non levis difficultas, an omnes ſive in fidelibus, ſive in infidelibus ſint peccata venialia; vel potiùs dentur aliqui ita primò primi & deliberationis expertes, ut etiam à prædicta malitia excuſentur? Tenendum verò eſſe hoc poſterius, oſtendimus ſupra diſp. 10. dub. 3.

ARTICULUS VI.

Vtrum peccatum veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo originali?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur quod peccatum veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo originali. Diſpoſitio enim præcedit habitum, ſed veniale eſt diſpoſitio ad mortale, ut ſupra dictum eſt: ergo veniale in infideli, cui non remittitur originale, invenitur ante mortale: & ſic quandoque infideles habent peccata venialia cum originali ſine mortalibus.

2. Præt. Minus habet de connexione & convenientia veniale cum mortali, quàm mortale peccatum cum mortali: ſed infidelis ſubjectus orginali peccato poteſt committere unum peccatum mortale, & non aliud: ergo poteſt committere peccatum veniale & non mortale.

3. Præt. Determinari poteſt tēpus in quo puer primo poteſt eſſe actor peccati actualis, ad quod tempus cū pervenerit, poteſt ad minus per aliquod breve ſpatium ſtare, quin peccet mortaliter, quia hoc etiam in maximis ſceleratis contingit. In illo autem ſpatio quātumcumque brevi poteſt peccare venialiter: ergo peccatum veniale poteſt eſſe in aliquo cum originali peccato abſque mortali.

Sed contra eſt, quia pro peccato originali puniuntur homines in limbo puerorum, ubi non eſt pœna ſenſus, ut infra dicetur. In inferno autem detruduntur homines propter ſolum peccatum mortale: ergo non erit locus, in quo poſſit puniri ille, qui habet peccatum veniale cum originali ſolo.

Reſp dicendum, quòd impoſſibile eſt, quod peccatum veniale ſit in aliquo cū originali peccato abſque mortali. Cujus ratio eſt, quia antequā ad annos diſcretionis perveniat, defectus ætatis prohibens uſum rationis, excuſat eum à peccato mortali: unde multo magis excuſat eum à peccato veniali, ſi committat aliquid, quod ſit ex genere ſuo tale. Cum verò uſum rationis habere incœperit, non omnino excuſatur à culpa venialis & mortalis peccati, ſed primum, quod tunc homini cogitandum occurrit, eſt deliberare de ſe ipſo: & ſi quidē ſe ipſū ordinaverit ad debitum finem, per gratiam cōſequetur remiſſionem originalis peccati. Si verò non ordinet ſe ipſum ad debitum finem, ſecundum quod in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in ſe eſt, & ex tunc non erit in eo peccatum veniale ſine mortali, niſi poſtquam totum fuerit ſibi per gratiam remiſſum.

Ad 1. ergo dicendum, quod veniale nō eſt diſpoſitio ex neceſſitate præcedens mortale, ſed contingenter: ſicut quandoque labor diſponit ad febrem, nō autem ſicut calor diſponit ad formā ignis.

Ad ſecundum dicendum, quod non impeditur peccatum veniale eſſe ſimul cum ſolo originali propter diſtantiam ejus, vel convenientiam, ſed propter defectum uſus rationis, ut dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quod ab aliis peccatis mortalib. poteſt puer incipiens habere uſum rationis, per aliquod tempus abſtinere; ſed à peccato omiſſionis prædictæ non liberatur, niſi quam citò poteſt

Digitized by Google

poteſt ſe convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini diſcretionem habenti, eſt quod de ſe ipſo cogitet, ad quem alia ordinet ſicut ad finem. Finis enim eſt prior in intentione, & ideo hoc eſt tempus pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, Zachariæ primo.

CONCLUSIO.

Impoſſibile eſt quod peccatum veniale ſit in aliquo cum ſolo originali peccato ſine alio peccato mortali.

DISPUTATIO XX.

De incompoſſibilitate peccati venialis cum ſolo originali.

1 RESolutio hujus poſtremæ difficultatis, qua D. Thomas toti præſenti materiæ finem imponit, multis viſa eſt difficilis, & aliquibus extraneis ab ejus ſchola minimè probatur: cum propter id quod ſupponit de præcepto converſionis in Deum, ubi homo primò pervenit ad uſum rationis: tum propter aliud quod ex tali præcepto deducit, videlicet non poſſe hominem ad rationis uſum pervenientem, prius peccare venialiter, quam vel prædictum præceptum adimpleat, & adimplendo juſtificetur, vel voluntariè omittat adimplere, eaque omiſſione mortaliter delinquat: quo fit ut cum pervenerit ad peccandum venialiter, vel exuerit jam peccatum originale media prædicta converſione, atque adeo non ſint ſimul talia peccata; vel commiſerit aliquod peccatum mortale, cum quo & non cum ſolo originali peccatum veniale ſimul exiſtat. Non enim prædicti auctores ſatis percipiunt aut veritatem antecedentis, aut illationis bonitatem. Diſcipuli verò D. Thomæ & ejus fideles interpretes utramque libenter ſuſcipiunt: quia utramque vident hoc loco firmiter aſſertam, & alibi multoties ab eo repetitam. Meritoque à Thomiſtarum claſſe eum rejiciendum putant, qui à veſtigiis S. Doctoris hac in parte receſſerit. Ut autem in prædicta difficultate diſtinctiùs procedamus, duplex dubium inſtituemus: in quorum primo exiſtentiam & conditionem prædicti præcepti, in ſecundo verò illationem D. Thomæ & concluſionem præſentis articuli radicitùs examinare curabimus.

DUBIUM I.

Utrum quilibet homo perveniens ad uſum rationis teneatur ſtatim ſub culpa mortali in Deum ſe convertere: & qualis debeat eſſe iſta converſio.

PRæceptum converſionis in Deum, de quo quærit dubium, idem eſt ac præceptum dilectionis ipſius, non qualiſcunque, ſed efficacis & ſuper omnia: quia neque voluntas aliter in Deum convertitur, quam amando & diligendo ipſum: neque alius amor quam efficax & ſuper omnia poteſt ad intentum præſentis diſputationis deſervire, ut ex dicendis conſtabit. An verò debeat eſſe amor Dei expreſſus, vel ſolùm implicitus, naturalis, vel ſupernaturalis, naturæ, aut gratiæ viribus eliciendus, non poteſt hic ſupponi, ſed in ſecunda dubii parte examinari: ubi etiam quod modò ſupponimus de amore efficaci & ſuper omnia, magis conſtabit.

§. I.

Dicitur prima pars dubii pro ſententia Ang. Doctoris.

DIcendum eſt primò, omnem hominem ad uſum rationis pervenientem teneri ſtatim ſub culpa mortali convertere ſe in Deum, diligendo illum efficaciter & ſuper omnia, pro ut eſt capax in illa ætate. Hæc aſſertio eſt D.Th.in præſenti articulo, ubi ita palam loquitur, ut nulla ratione poſſit ejus mens in dubium revocari. Eandemque ſtatuit in 2.diſt.28.q.1.art.3. ad 5.& diſt.42.q.1.art.5.ad 7.& in 4.diſt.45. q.1.art.3.ad 6.de Mal. q.5.art.2.ad 8. & q.7. art.10.ad 8.de Verit.q.24.art.12.ad 2.& q.28. art.3.ad 4.aliiſque in locis. Quem propterea ſequuntur unanimiter ejus diſcipuli, Capreol.in 2.diſt.40.q.1.art.3.ad argum.Scoti. D.Anton. 1.part.tit.13.cap.2.§.3. Conrrad. Cajet. Med. in commentariis hujus artic. ubi etiam Curiel dub.2. Greg.Mart.dub.1. Araujo dub.2. Alvar. diſp.191. Zumel diſp.2.part.2.concl.3. Mont. diſp.18.q.2.Silveſter in ſum.verb.*Oratio*.Sotus de juſt.& jur.q.3.art.10.Victoria relect.13.de puero perven. ad uſum rat. Bañez 2.2.q.10. dub.2. Atque idem tenuere Vincentius in ſpecul.moral.diſt.21.part.3.dub.6. Abulenſ.ſuper cap.25. Matth.q.749. Dionyſ. Carthuſ. in 2. diſt.28.Navar.in Manuali c.11.n.7.Martin.de Ledeſ.1.part.4.q.28. Tolet.lib.4. ſum.c.9.n.9. Lud. Lopez 1.part.inſtructorii c.40. Corduba lib.2. q.5. ad 4. Vega ſuper Concil. Trident. lib.9. cap.42. Manuel Rodrig. tom.1. ſum. in 2.editione cap.11. Ægidius Trull.tom.1.ſuper Decalog. lib.1. cap.5. num.3. & alii. 1

D.Thom. *Antoninus* *Contrad.* *Caiet.* *Medina.* *Curiel.* *Greg. Mart.* *Araujo.* *Alvar.* *Zumel.* *Montesſ.* *Sylveſt.* *Sotus.* *Victoria.* *Bannez.* *Vincent.* *Abulenſ.* *Mar. Led.* *Tolet.* *L. Lop.* *Cordub.* *Vega.* *M.Rodr.* *Æg.Trull.*

Probatur primò ex ſacra Scriptura, tum ex illo Zachar.1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Quod Ang.Doctor in ſolut.ad 3. hujus art.ita ad præſens inducit. *Primum quod occurrit homini diſcretionem habenti, eſt quod de ſe ipſo cogitet, ad quem alia ordinet ſicut ad finem: finis enim eſt prior in intentione: & ideo hoc eſt tempus* (tempus ſcilicet primæ diſcretionis) *pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo quo Dominus dicit, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Zach.1.* Tum etiam ex illo Matth.6. *Quærite primo regnum Dei, & juſtitiam ejus, &c.* Quod teſtimonium aſſumpſit ad idem S. Doctor q.7.de Malo, art.10.ad 9. his verbis. *Licet præcepta affirmativa communiter loquendo non obligent ad ſemper: tamen ad hoc eſt homo naturali lege obligatus, ut primo ſit ſolicitus de ſua ſalute, ſecundum illud Matth.6. Primum quærite regnum Dei. Ultimus enim finis naturaliter primo cadit in appetitu, ſicut prima principia naturaliter primo cadunt in apprehenſione.*

Zachar.1. *D.Thom.* *Matth.6.* *D.Thom.*

Dices, primum ex his teſtimoniis intelligi de converſione à peccatis perſonalibus, quæ fit per pœnitentiam: poſterius verò non cõtinere prædictũ præceptum, ſed ſolũ conſilium dimittendi omnia temporalia propter regnum cœlorum, & 3 *Effugium.*

propter

Refellitur. propter perfectionem evangelicam. ¶ Sed hoc parum refert: nam cum idem Scripturæ locus plures ſenſus literales admittat, totque illi tribuendi ſint, juxtà communiorem Theologorum regulam, quot ex ejus verbis, ſalva ſerie contextus, & ſine abſurdi vel erroris periculo poſſunt deduci; non infertur ex eo quòd concedendus ſit prædictis teſtimoniis iſte poſterior ſenſus (quem libenter admittimus) negandum eſſe illum priorem: qui neque ullo ex capite diſſonat contextui, neque alicujus erroris vel abſurdi periculo manet obnoxius. Quinimo ut intelligamus, prædictum ſenſum eſſe verum & legitimum, ſatis ſuperque eſt quòd Ang. Doctor ita intellexerit illa teſtimonia, nullo ex aliis Patribus in contrarium reclamante vel contradicente: ut re vera nullus reclamat, neque prædictæ intelligentiæ contradicit. Non enim minoris facienda eſt authoritas D. Thomæ quò ad intelligentiam ſacræ Scripturæ, quàm Auguſtini, Hieronymi, Gregorii, aut alicujus alterius ex Eccleſiæ Doctoribus: ex quorum operibus, potiùs quàm ex proprio marte credendum eſt illum ſuam expoſitionem & intelligentiam deſumpſiſſe. Quòd ſi exponente ita Ambroſio, Hieronymo, aut Auguſtino nullus impunè intelligentiam reiiceret, cur reiicienda erit expoſitio D. Th. per quem Hieron. Auguſt. Ambroſ. & cæteri Eccleſiæ Patres apertiùs & formaliùs nobis loquuntur?

Accedit, quòd in ipſa ſacra Scriptura præcipitur nobis celeris & præpropera converſio ad Deum; reprehenditurque ejus dilatio: juxtà illud Eccleſ. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Cur ergo non intelligemus in hoc & ſimilibus locis ubi prædicta converſio commendatur, contineri præceptum non differendi, ſed exequendi talem converſionem, ubi primò ad id adeſt tempus & occaſio, ſicut adeſt in inſtanti uſus rationis? Eccl. 5.

3 Ratio pro aſſertione. Deinde probatur ratione in hunc modum. Præceptum diligendi Deum ſuper omnia obligat aliquando homines ad ſui adimpletionem per actum converſionis in illum, ut tota lex naturalis & divina proclamat: debetque proinde aſſignari certum tempus talis adimpletionis, ſicut aſſignatur in aliis præceptis affirmativis: ſed in nullo tempore adeſt per ſe major ratio prædictæ obligationis, quàm cum homo pervenit ad uſum rationis: ergo tunc urget talis obligatio. Major & conſequentia conſtat. Minor verò probatur. Tum quia prædictum præceptum eſt primum quod continetur in lege: juxtà illud Matth. 22. *Hoc eſt maximum & primum mandatum, &c. Diliges Dominum Deum tuum,* &c. ob idq; dici ſolet *præceptum præceptorum,* quia cætera omnia illud ſupponunt, & in eo radicantur: adimpletioni autem primi præcepti debitum eſt primum tempus capax talis adimpletionis, ita ut nullius alterius adimpletio priùs urgere poſſit: cum igitur poſt primum inſtans uſus rationis nullum tempus ſit, in quo non poſſit urgere alicuius alterius præcepti adimpletio, conſequens eſt, ut proprium tempus adimpletionis primi præcepti ſit prædictum inſtans. Matth. 22.

Tum etiam quia prædictum præceptum eſt finis præceptorum omnium & totius legis, juxta illud 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti eſt charitas:* finis autem licèt in executione ſit poſterior, in amore tamen & acceptatione intendentis finem debet eſſe prior, utpotè propter quem cætera diliguntur: debet igitur antecedenter ad omnia diligi & acceptari. 1. ad Tim 1.

Tum præterea, nam hujuſmodi præceptum traditum eſt hominibus, ut ratione illius dirigant ſuos actus in ordine ad bonum honeſtum, cuius amor in ipſo præcepto continetur: atque adeo tunc primò debet adimpletio eius urgere, ex quo homo poteſt liberè operari: ne videlicèt mens rationalis & homo ipſe, cum iam ut homo & ut rationalis vivere incepit, ſuis operationibus extra ipſum bonum honeſtum abſque regula & gubernaculo per bona delectabilia vagetur. Cum ergo hoc contingat à primo inſtanti uſus rationis, valde conſonum eſt, ut pro illo inſtanti proponatur hominibus prædictum præceptum, illoque adſtringantur: ob hoc ſaltem ut ex tunc habeant certam operandi regulam, certumque & fixum ſcopum, quò ſuas operationes dirigant. Etenim dum homo per rationis uſum in hunc mundum moralis converſationis pervenit, quaſi ingreditur vaſtiſſimum mare anfractibus & periculis plenum, ubi innumera ſibi ex tunc iam obiecta occurrunt, quædam honeſta & rationi conſona, quædam delectabilia & diſſona rationi: unde manifeſtè exponitur periculo errandi & à rationis regula deflectendi, niſi ex tunc præfixum & intentum habeat finem ultimum, in quem eius actus ſunt dirigendi, & per quem ſunt regulandi, ut honeſtè fiant. Sicut gubernator navis incipiens per anfractuoſum mare diſcurrere, exponeretur ſubmerſionis periculo, niſi ex quò primò mare ingreditur, præfigeret ſibi certum ſcopum, quò navem dirigeret. Illud ergo eſt tempus maximè opportunum & neceſſarium, ut prædictum præceptum obliget. Deſumpſimus verò hanc probationem ex D. Tho. qu. 28. de Verit. art. 3. ad 4. ubi ſic ait. *Cum quilibet teneatur peccatum vitare, & hoc fieri non poſſit niſi præſtito ſibi debito fine, tenetur quilibet, cum primo ſuæ mentis eſt compos, ad Deum ſe convertere, & in eo finem conſtituere, & per hoc ad gratiam diſponitur.* D. Thom.

4 Adde, quod ſi diſcurramus per alia tempora poſt illud primum, in nullo alio reperiemus tot rationes & congruentias, ut prædictum præceptum obliget. Quin etiam eo tranſacto vix erit ratio aſſignandi potiùs hoc tempus quàm illud, ut intuenti conſtabit, quod enim aliqui dicunt obligare ſolùm in articulo mortis, communiter reprobatur: quia cum præceptum dilectionis Dei traditum ſit ad rectam vitæ humanæ inſtitutionē per relationem operationum noſtrarum in Deum tanquam in ultimum finem, & ad conciliandam conſervandamque amicitiam cum illo, rationi diſſonat, ut in ſolo vitæ exitu obliget, totumq; vitæ ſpatium extra talē oligationem ſit.

5 Confirmatio. Ex quo poteſt deſumi non inefficax confirmatio noſtræ aſſertionis & rationis factæ pro illa. Quia inter plures & diverſos modos dicendi circa deſignationem temporis prædictæ obligationis, quos aſſertores contrariæ ſententiæ excogitarunt, nullus invenitur qui ſufficienti ratione fulciatur, aut qui ipſiſmet authoribus omnino ſatisfaciat: ut videre eſt apud Thom. Sanchez lib. 2. ſum. c. 35. ubi relatis prædictis dicendi modis uſq; ad octo, omnes illos reiicit & impugnat, vel tanquam inſufficientes, vel tanquam firmo aliquo fundamento deſtitutos. Neque minùs impugnationi obnoxius manet nonus, quem ille approbat dicens, prædictum tempus eſſe, cum graves odii Dei tentationes inſtant, & periculum illis Th. Sanch.

illis ſuccumbendi adeſt, niſi tentatus actu amoris Dei eliciat. Porrò hunc dicendi modũ inſufficiẽtẽ eſſe liquet: tum quia obligatio ad actum quæ præciſè eſt ratione tentationis caſu occurrentis & urgentis, non eſt obligatio per ſe, ſed per accidens: ſicut per accidens & non per ſe eſt quòd talis tentatio tunc occurrerit, & alia via ſuperari non poſſit: tempus autem quod quærimus, non eſt illud in quo præceptum dilectionis Dei urgeat per accidens, ſed in quo obliget per ſe: quia certum eſt aſſignandum eſſe aliquod tempus huius per ſe obligationis. Tum etiam quia prædicta obligatio debet eſſe communis omnibus adultis, & omnes illos conſtringere, ſicut ipſum præceptum commune eſt, & omnibus imponitur: ſed illa occaſio in qua urgent graves odii Dei tentationes, & periculum illis ſuccumbendi, non eſt communis omnibus adultis: plurimi enim ſunt qui toto vitæ tempore nullis huiuſmodi tentationibus vexantur: non igitur hac via aſſignatur ſufficienter tempus prædictæ obligationis.

5 *Objectio.* Neque obeſt, ſi dicas, quòd etiam tempus primi uſus rationis à nobis aſſignatum non affert prædictam obligationem per ſe, ſed ſolùm per accidens: nimirum ratione periculi deviandi à regula rationis, incidendique in alia peccata, dum homo non præintendit & præfigit ſibi certum finem bonum, in quem ſuas operationes dirigat, ut in tertia probatione noſtræ rationis dicebamus: ergo neque ex hoc capite debuimus modum dicendi nuper relatum impugnare, neque prædictam obligationem pro omnibus hominibus & ſub culpa mortali ſtatuere. Etenim præceptum obligans ſolùm per accidens ob periculum dilinquendi contra alia præcepta, non plus obligat, quàm ipſa præcepta contra quæ adeſt periculum delinquendi: in multis autem ex iis qui perveniunt ad rationis uſum, vel nullum adeſt tunc periculũ delinquendi contra alia præcepta; vel ſaltem non ſemper adeſt periculum delinquendi contra illa quæ obligant ſub mortali, ſed ad ſummum contra aliqua obligantia ſub veniali: ſicut eſt præceptum non loquendi aut operandi otioſè, & ſimilia.

6 Non itaque hoc obeſt: ſtat enim quòd præceptum de quo agimus, obliget in inſtante uſus rationis ob periculum delinquendi contra alia præcepta, & nihilominùs obliget per ſe & ratione ſui, atque adeo quò ad omnes & ſub culpa mortali. *Doctrina pro ſolutione.* Pro quo nota, ex duplici periculo poſſe oriri obligationem exequendi aliquem actum, ut diligendi Deum, vel fundendi orationem in aliquo tempore determinato: aut ex periculo intrinſeco orto per ſe ex abſentia talis actus; aut ex periculo extrinſeco aliundè ortum ducente. In primo caſu obligatio præcepti eſt per ſe, atq; ita gravis & univerſalis, ſicut exigit natura ſua propria materia talis præcepti: in ſecundò verò eſt per accidens, & non niſi qualem alia præcepta, quorum violationis periculum imminet, expoſtulant. Dicitur autem periculum intrinſecum ortum per ſe ex abſentia actus; quando iſte non caſu & contingenter aut ex hujus vel illius peculiaris accidentis occurſu, ſed ex natura rei & ex ordine divinorum præceptorum requiritur ad illud evitandum: neq; alia via quàm per talis actus poſitionem poteſt juxtà communem rerum ordinem caveri: ipſumq; periculum non urget dumtaxat contra hoc vel illud præceptum determinatum, ſed communiter & indifferenter contra omnia, vel contra plura. Tum quippe ipſe rerùm ordo per ſe poſtulat, ut detur præceptum de tali actu ibi & tunc exercendo: & hoc eſt, tale præceptum obligare per ſe. Periculum verò extrinſecum & non per ſe ortum ex defectu actus dicitur quando non ordo rerum aut divinorum præceptorum, ſed occaſio aliqua accidentaliter occurrens poſtulat, ut adhibeatur talis actus ad tale periculum cavendum; ob idque ſæpè tollitur ſine actu per ſolam abſentiam ipſius occaſionis: unde quòd actus tunc adhibeatur, non eſt petitum à præcepto ejus per ſe, ſed per accidens, ratione dumtaxat alicuius alterius præcepti, cujus adimpletio per prædictam occaſionem impeditur. Sicut cum aliquis ex accidenti tentatione cernitur in periculo violandi caſtitatem, niſi orationem fundat: totum enim hoc periculum eſt extrinſecum, utpotè ortum non per ſe ex abſentia orationis, ſed ex occaſione tentationis, qua ceſſante, etiam oratione nõ adhibita, prædictum periculũ evaneſceret.

Diluitur obiectio. Ad rem ergo: periculum quòd imminet deviandi à rationis regula & in multis delinquendi ex omiſſione converſionis in Deum pro primo inſtante uſus rationis, non oritur præciſè ex aliqua occaſione accidentaliter occurrente, ſed ex ipſo rerum ordine: quia dum homo per prædictam converſionem non præfigit ſibi certum finem & regulam intra lineam boni honeſti, ex ipſa finis & regulæ deſtitutione manet in periculo aberrandi ab illis, & inordinatè per bona delectabilia divagandi. Vnde in tali caſu & periculum oritur per ſe ex defectu prædictæ converſionis, & obligatio ad illam eſt ex ipſo ordine rerum & præceptorum: adeoq; tale periculum eſt periculum intrinſecum, & obligatio operandi propter cavendum illud eſt obligatio per ſe, debetque proinde eſſe ita univerſalis, ſicut ipſum præceptum diligendi Deum, quod omnes conſtringit: & ita gravis, ut ſit ſub culpa mortali: quia tantam obligationem habet per ſe inducere materia prædicti præcepti.

§. II.

Ratio alia pro eadem aſſertione.

7 *Doctrina pro efformanda ratione.* SEcunda ratio probans noſtram aſſertionem eſt quæ traditur à D. Thoma in hoc art. pro cujus intelligentia nota, nomine *inſtantis uſus rationis*, pro quo prædictam obligationem ſtatuimus, à nobis non intelligi aliquod unum inſtans phyſicum & omnino indiviſibile; ſed totam illam durationem, qua homo indiget ad diſcernendum inter bonum rationis & bonum ſenſibile, & ad deliberandum quod ex prædictis bonis ſit ſibi amplectendum. Quæ duratio quia regulariter breviſſima eſt, totaque exigitur ad primum rationis uſum plenè exercendum, moraliter dicitur unum & primum inſtans; quamvis phyſicè verum tempus, adeoque plura inſtantia includat. In hoc igitur morali inſtante primus actus occurrens homini eſt cognitio & judicium intellectus reſpectu boni communis, ſub ratione dumtaxat convenientis ad proprium ſuppoſitum, quæ eſt ratio boni phyſici, præſcindendoque pro tunc à ratione honeſti aut delectabilis, conſoni vel diſſoni rectæ rationi, quæ ſunt rationes boni & mali mortalis. Ad hujuſmodi verò actum intellectus ſequitur in voluntate actus amoris ejuſdem boni communis ſub prædicta ratione boni phyſici. Et quia uterque

que iſte actus inditur ab Authore naturæ, cujus eſt extrahere primò intellectum & voluntatem de potentia ad actū, uterque ſine diſcurſu aut electione habetur, ob idque poteſt adeſſe, & de facto adeſt in primo inſtante phyſico prædicti inſtantis mortalis: ibique jam uſus rationis inchoatur.

Deinde ſequitur alius actus intellectus, quo diſcernit inter bonum & malum morale, ſeu inter illud quod conſonat rectæ rationi, & naturæ hominis, ut homo & rationalis eſt; & illud quod diſſonat tali rationi & naturæ, placet verò appetitui ſenſitivo, & eſt juxtà naturæ defectibilitatem. Adeſtque etiam iſte actus ſine diſcurſu & meditatione, per principia ſynderesis ab eodem Authore naturæ indita. Et penès hujuſmodi actum dicere ſolemus conſiſtere primum rationis uſum: quia in eo primò ſplendet diſcretio boni & mali moralis, quæ eſt primarium munus practicæ rationis. Exiſtente verò in intellectu hujuſmodi actu, ſtatim tangitur homo interna ſolicitudine, ut deliberet & determinet de ſe ipſo, in quod ex prædictis bonis ſe ordinet, ſeu quod ex illis proſequendum ſibi eligat & amplectatur. Et ubi hæc deliberatio completur, vel compleri debet, ibi terminatur prædictum inſtans morale. Quod proinde in aliquibus erit brevius, in aliquibus verò latius, juxtà celeritatem & acumen ingenii uniuſcujuſque: ratione cujus & aliarum circunſtantiarum quibuſdam datum eſt citiùs, quibuſdam verò tardius diſcurrere & deliberationem illam complere. Sicut etiam non eſt omnino idem tempus aut eadem ætas, ubi hæc pueris occurrunt: Sed aliquibus ante ſeptimum vel ſextum annum, & aliquibus non niſi poſt illum, citiùs vel tardiùs: quod ex naturali corporis compoſitione, & organorum ubi ſenſus reſident diſpoſitione multùm dependet.

8 Porrò primum quod ad præſentiam illius judicii ſynderesis diſcernentis bonum à malo morali hominem ſolicitat, eſſe ut deliberet de ſe ipſo, in quod ex prædictis ſe ordinet, non omnino ſupponitur hic à D. Thoma; ſed ſufficienter probatur in ſolution. ad 3. verbis illis: *Primum enim quod occurrit homini diſcretionem habenti eſt, quod de ſe ipſo cogitet, ad quem alia ordinet ſicut ad finem: finis enim eſt prior in intentione.* Quam rationem & eius vim optimè enucleavit Cajet. in comment. hujus articul §. *Ad cujus evidentiam.* Occurens cuidam rationi dubitandi quam in contrarium adduxerat his verbis. *Advertendum eſt, quòd in occurrente primo fine inveniuntur duo, ſcilicet quod appetitur, & cui appetitur.* (Supponit Cajet. & meritò. quòd voluntati in primo inſtante uſus rationis naturaliter occurrit ut amandum bonum in communi, ut modò diximus) *Primum* (proſequitur) *eſt amatum amore concupiſcentiæ: ſecundum amore amicitiæ. Et quia amabile quidem bonum, unicuique autem proprium, & amicabilia quæ ſunt ad alios, veniunt ex amicabili ad ſe, primum cui appetitur, eſt ipſemet appetens. Et quia concupitum ordinatur ad amatum amicitia, & non è converſo: ideo primus ſimpliciter finis occurrens appetenti eſt ipſemet qui eſt finis omnium concupiſcibilium, ad quem omnia concupiſcibilia naturaliter ordinantur. Quia ergo finis eſt prior in intentione, & ipſemet puer eſt finis primò amatus amicitia, cui primo concupiſcitur de facto, oportet quod primum de facto occurrens pueri voluntati, ſit ipſemet, ad quem alia concupiſcibilia ordinet. Completè autem hoc naturali occurſu, quo puer vult naturaliter ſibi bonum ac beatitudinem, conſequens eſt ut ſtatim de præcipuè amato quod jam occurrit, id eſt, de ſe ipſo ſolicitus ſit, quid ei appetendum ſit. Ex hoc enim pendet quid operandum, quid ſolicitandum, quid patiendum, & quicquid aliud ſubeſt ejus poteſtati. Et quoniam ipſe ſecundùm ſe ipſum eſt magis amatus, quàm ipſemet ſecundum partes ſeu partiales rationes ſuas, conſequens eſt quòd primum ſolicitans puerum eſt deliberare quid ſibi ſecundum ſe ipſum totum, non ſecundum hunc vel illum reſpectum appetendum eſt. Hoc autem eſt deliberare de ſe ipſo, & ordinare ſe ad finem: quia id quod ſibi præcipuè amato ſecundum ſe totum eſt appetendum, eſt finis ad quem ipſe ordinatur. Unde ſi ſibi appetendum cenſuevit bonum honeſtum in confuſo, ut ætas illa conſuevit, bene deliberavit de ſe ipſo, finem ſuum in veram beatitudinem collocans, quamvis imperfectè & inchoativè.*

Et inferiùs. *Ex his autem dicitur ad objecta contra primum, quòd de facto occurrere ſe ipſum ut finem amatum amicitia, dum primò concupiſcitur bonum ratione convincitur: quia omne concupitum alicui concupiſcitur: & cum conſtet quòd non alteri, ergo ſibi. Similiter quod de facto occurrerit ipſemet ut deliberabilis, quantum ex rerum ordine probatum eſt, quia eſt præcipuè amatus: & quia rerum ordo nulla tunc culpa perverſus eſt, ideo natura ordinem facti ſeries quantum ad occurſum ſequitur.* Quibus verbis, licèt aliquibus minùs perſpicua viſa ſint, nihil addendum duximus, ne expoſitione noſtra minùs perpolita Caietanici eloquii ſapor obtundatur.

Ex his ergo arguitur pro noſtra aſſertione 9
Nam cum homo primò de ſe deliberat, in quem finem aut bonum ſe ordinet, tenetur eligere bonum honeſtum, & ordinare ſe ipſum in tale bonum; oppoſitum vero malum reſpuere: ſed homo deliberat de ſe ipſo in primo inſtante morali uſus rationis, ut potè de primo amato amore amicitiæ: tenetur igitur in illo ad prædictam electionem faciendam, atque adeo ad dilectionem Dei ſaltem implicitam, quæ ut numer. 20. dicemus, clauditur in tali electione. Minor & conſequentia conſtant. Maior vero probatur. Tum quia ad hoc oſtenditur tunc homini ab Authore naturæ bonum honeſtum & malum contrarium, ut ipſe cognita utriuſque ratione eligat quod ſuæ naturæ & naturali lumini ſuæ rationis conſonat; reſpuat vero quod diſſonat: ergo tenetur ita eligere, ne naturalis illa propoſitio effectu pro quo exhibita fuit fruſtretur; ſed potiùs ipſum conſequatur. Tum etiam quia quando Deus primo oſtendit homini quid ſit bonum, & quid ſit malum, ipſeque utriuſque rationem ſufficienter deprehendit, tunc proponit & oſtendit illi ſufficienter ſuam legem naturalem dictantem bonum eſſe ſequendum, & malum fugiendum: ergo tenetur ipſe homo ex tunc talem legem amplecti proponendo efficaciter vivere ſecundum illam, adeoque eligere ſibi proſecutionem boni & fugam mali. Quemadmodum cum primo proponitur alicui lex evangelica, ipſeque veritatem talis legis ſufficienter agnoſcit, tenetur amplecti illam, & proponere vivere ſecundum ipſam ſaltem in communi: & niſi ita faciat, mortaliter delinquet, ut Theologi ſatis communiter fatentur.

Marginalia: D.Thom. — Caiet. — Idem — Formatur ratio.

Digitized by Google

10 *Additio ex D.Thom.* Ad hæc (& eſt probatio D.Thomæ ferè in omnibus locis ubi de hac re tractat) cum homo primo agnoſcit indigentiam propriæ ſpiritualis ſalutis, & in quo hæc ſalus ſaltem in confuſo & in communi conſiſtat, tenetur eam procurare, & facere quod in ſe eſt, ut illam conſequatur: ſed in inſtante morali uſus rationis agnoſcit homo ſe indigere ſpirituali ſalute, hujuſmodique ſalutem (ſaltem in communi) ſitam eſſe in amore boni honeſti: tenetur ergo pro tunc ad talem amorem eliciendum. Conſequentia liquet. Utraque autem præmiſſa habetur ex doctrina quam tradidimus. Major quidem, nam homo tenetur primo & ante reliqua omnia de ejus ſalute curare, quod ſecundum ordinem naturæ primò diligit: diligit autem primò ſe ipſum ſecundùm prædictum ordinem: ergo tenetur primò & antequam ſe ad alia diſtrahat, curam habere de propria ſalute. Minor vero, quia per illud lumen ſynderesis quo homo in prædicto inſtante diſcernit inter bonum & malum morale, agnoſcit ſimul ſe eſſe propter aliquem finem ultimum diligendum & aſſequendum, debereque hujuſmodi finem eſſe bonum honeſtum & rationi conſentaneum, ac ſuper reliqua omnia diligibile: (quamvis in particulari non deprehendat, quoad uſque major lux adveniat, ubi ſit tale bonum) videtque inſuper, propriam ſalutem ſeu bonum ſuæ mentis ſitum eſſe in recta habitudine & ordinatione voluntatis ad prædictum finem, quæ fit per ejus amorem: hæc enim omnia ut potè prima & univerſaliſſima ac per ſe notiſſima principia rationis practicæ, notificantur ſtatim omnibus & ſingulis ad rationis uſum pervenientibus, ut ex tali cognitione poſſint ad cætera minùs per ſe nota diſcurrere: cognoſcit ergo tunc unuſquiſque indigentiam ſuæ ſalutis, & in quo hæc ſalus ſaltem in communi conſiſtat.

11 *Alia probatio.* Denique probari poteſt major illa noſtræ rationis: quia cum primò Deus hominem prædicto modo illuminat oſtendendo illi ſuam legem naturalem, quaſi notificat illi dominium morale quod habet in ipſum, ſumitque poſſeſſionem humanæ voluntatis, quæ ex tunc ſibi debetur: ergo tenetur ex tunc ipſa voluntas amplecti talem legem, & ejus obedientiæ ſe ſubmittere: non enim ſine hac ſubmiſſione poſſidetur moraliter à Deo, neque Deus ſuum morale dominium in illam exercet. Fit autem talis ſubmiſſio per electionem boni honeſti, in quo clauditur volitio vivendi ſecundùm rectam rationem & ſecundùm ejus dictamen & legem: tenetur igitur ex tunc prædicto modo eligere.

Confirmatio. Confirmatur: nam Angelus adſtrictus fuit præcepto diligendi Deum & convertendi ſe in illum in primo inſtante ſuæ plenæ libertatis, quod fuit ſecundum ſuæ creationis, & correſpondet primo noſtro inſtanti morali: ergo etiam nos tenebimur in hoc noſtro inſtante ſimilem dilectionem & converſionem elicere: cum eadem ratio utrobique militet: nempe quòd omnis creatura rationalis ubi primò exercet plenum dominium ſuæ voluntatis, & agit ut omnino libera, tenetur ſe ſuo creatori ſubmittere, & primum amorem ac primum voluntatis fructum illi conſecrare. Valde enim rationi conſentaneum eſt, ut Deus talis creaturæ auctor pro creationis beneficio exigat ab illa ex tunc hujuſmodi penſionem, & primitias libertatis à ſe creatæ ſibi & non alteri conquirat.

Dices primò, poſſe intellectum pueri pervenientis ad illud inſtans ligari aliqua paſſione, aut aliqua perturbatione vel diſtractione impediri, ut non plene deliberet, quod ex bonis tunc propoſitis ſit ſibi eligendum: aut eſto plenè deliberet, poterit judicium electionis aliquantulùm ſuſpendere, & ad neutrum ſe determinare. Dum autem vel non plenè deliberat, vel per deliberationem judicium non determinat, non videtur teneri ad prædictam electionem. 12 *Evaſio.*

Præcluditur. Sed contra: quia cum primum illud inſtans de quo agimus, non ſit inſtans phyſicum & indiviſibile, ſed quoddam inſtans morale, tandiu protrahendum eſt, quouſque puer plenè deliberet: ipſe quippe actualis deliberatio, quæ tunc naturaliter occurrit, habet ſe ut pars & complementum illius inſtantis: unde ex quacunque cauſa prædicta deliberatio impediatur, non cenſetur completum tale inſtans: & ideo diximus ſupra, quod prædictum inſtans non eſt æquale in omnibus ſed in aliquibus longius, in aliquibus brevius: quia non omnes aut eadem ingenii & diſcurſus celeritate gaudent, aut æqualiter paſſionibus & impedimentis rationem tunc ligantibus expediuntur. Unumquenque autem tunc primò urgebit præceptum convertendi ſe in Deum per amorem boni honeſti, quando ex cognitione iſtius boni plenè deliberat: ¶ Nec poteſt dici quòd omiſſa deliberatione de ſe ipſo, poſſit puer tunc deliberare primò circa alia: nam ipſa natura ſolicita in primis de proprio bono, naturaliter tunc inducit cogitationem circa tale bonum, eaque intellectum præoccupat, & impedit digreſſionem caſualem ad alia, quo uſque de ſe deliberet. Per quod tollitur quædam replica, quæ ex dictis poſſet emergere. Vide infra num. 58.

Contra illud de ſuſpenſione judicii electivi poſt deliberationem etiam urget, quia eo ipſo quòd puer, cognita ratione boni honeſti & mali oppoſiti, plenè deliberet, tenetur non ſuſpendere judicium & electionem, ſed judicare bonum eſſe eligendum, & malum reſpuendum, & ita eligere: idem enim præceptum quod jubet talem electionem, urget etiam pro determinatione judicii requiſiti ad illam, & utriuſque omiſſio eſt contra tale præceptum. Eo præſertim quia exiſtente prædicta deliberatione, nulla poteſt eſſe ratio ſuſpendendi judicium de eligendo bono honeſto, aut ipſam electionem, niſi vel quia placet & acceptatur oppoſitum malum, & hoc nullus dubitat repugnare rectæ rationi: vel quia dubitatur quod eorum ſit eligendum: & hoc etiam eſt prohibitum: quia contra rectam rationem eſt deliberatè dubitare inter bonum & malum, quod eorum amplectendum, vel fugiendum ſit: cum ipſa ratio naturalis evidenter unicuique oſtendat, bonum eſſe ſequendum, & malum fugiendum. Tenetur ergo puer in prædicto primo iſtante non ſuſpendere judicium aut electionem, ſed determinatè judicare, & de facto eligere. Præſertim cum ipſum lumen rationis tunc primò homini communicatum pulſet & urgeat pro tali judicio & electione. 13

Dices

14 Alia evaſio. Dices ſecundò, ſufficienter ſubmitti voluntatem humanam divinæ legi, ſi viderit ſe adſtrictam ad fugiendum malum & ad non peccandum, & hoc efficaciter proponat; quamvis non urgeatur tunc præcepto eligendi bonum: quia ſicut natura incipit ab imperfectioribus, ita Deus prius præcipit minus perfecta, ſicut eſt non peccare, quam perfectiora, ſicut eſt bonum honeſtum eligere.

Refellitur. Sed neque hoc enervat noſtram rationem. Potius enim ordo quem ſervat natura in humanis actibus, quemque proinde præcepta Dei naturalia obſervare debent, ſuadet oppoſitum. Nam quòd voluntas fugiat malum, oriri debet ex amore boni: ut oſtendit D. Thom. hac 1. 2. quæſt. 25. artic. 2. *Quia bonum quæritur* (inquit) *ideo refutatur oppoſitum malum.* Non enim voluntas aut appetitus vim habet ad effugiendum malum, niſi in virtute boni quod amat. Ergo ſi homo ubi primò bonum & malum cognoſcit, tenetur hoc poſterius effugere, à fortiori tenebitur illud prius diligere & amare: & ſicut natura prius movet ad amandum bonum, quàm ad reſpuendum malum, ita priùs præcipit diligere illud, quàm iſtud reſpuere.

D. Thom.

15 Cõfirmatio. Confirmatur: nam finis omnium præceptorum divinæ legis eſt unio voluntatis cum Deo, & cum bono honeſto, quæ fit per ejus dilectionem & amorem: ad hujuſmodi enim unionem perficiendam præcepta omnia ordinantur, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 44. art. 1. ob idque diximus tom. præced. in tractat. de bonit. & malit. diſput. 4. num. 19. nihil Deum poſſe præcipere, quod prædictam unionem impediat: quia nihil poteſt præcipere contra id quod in omnibus præceptis intenditur. Et hæc eadem unio & amor eſt etiam eorumdem præceptorum initium: quia nullum perfectè & ut oportet adimpletur, niſi ex prædicto amore: ſed finis quoad intentionem & amorem præcedit omnia, quæ ſunt ad finem: ſicut etiam initium præcedit illa quibus virtutem ſubminiſtrat: debitum ergo eſt ut præceptum talis amoris & dilectionis reliqua omnia antecedat.

D. Thom.

Replica. Dices, potiùs hinc fieri debere hoc præceptum ultimo loco adimpleri: quia finis quamvis in intentione ſit primus, eſt ultimus in executione: debet ergo executio illius, quod ſe habet ut finis, poſtremo loco præcipi.

Diluitur. ¶ Sed hoc nullius momenti eſt: nam cùm dicitur, primum in intentione eſſe ultimum in executione, intelligendum eſt de executione quæ ab intentione diſtinguitur, uti eſt executio conſecutionis rei intentæ: ſecùs verò de executione quæ in ipſa intentione clauditur, eo quod eſt executio ipſiuſmet intentionis: nam talis executio, utpotè in intentione ipſa incluſa, debet æquè præcedere. Porrò præceptum dilectionis Dei & boni honeſti tanquam finis ultimi, de quo nunc agimus, non eſt præceptum de illorum conſequutione, ſed de amore & intentione dumtaxat: unde tale præceptum debet etiam quoad executionem primo loco obligare. Quia nihil aliud eſt obligare primo loco hujuſmodi præceptum quoad executionem, quàm obligare primo loco ipſum finem quoad intentionem & amorem, ſeu eſſe primo loco intentum & amatum. Ex quibus ſatis ſuperque probatam credimus exiſtentiam prædicti præcepti pro illo primo inſtante morali, quæ eſt prima pars dubii: ſupereſt videamus, qualis eſſe debeat converſio & amor cadens ſub tali præcepto, quod pertinet ad ſecundam.

§. III.

Secunda dubii pars abſolvitur.

Licèt authores omnes quos pro præcedenti aſſertione adduximus, omnino conveniant in ſtatuenda obligatione dilectionis Dei pro primo inſtante uſus rationis; non tamen eodem modo hujuſmodi obligationem & dilectionem declarant: ſed potius adhuc inter eos vertitur in dubium, an exigatur ad illam adimplendam amor Dei formalis & explicitus: an verò ſufficiat implicitus & virtualis contentus in ipſo amore boni honeſti in communi? Et ruſus, an talis amor ſolùm exigatur ex parte Dei ut authoris & finis naturalis, vel etiam ut ſupernaturalis? Et iterum an ſit eliciendus viribus gratiæ, vel ſolius naturæ? Imo ſunt qui dubitent, an requiratur amor abſolutus & efficax vel ſufficiat inefficax & per modum velleitatis? Quæ omnia ex doctrina Angelici Doctoris breviter reſolvemus. 16

Requiritur amor efficax. Atque ab hoc ultimo incipiendo, omnino tenendum eſt non ſufficere amorem inefficacem, ſed requiri efficacem & abſolutum. Tum quia rationes uſque modò factæ ad ſuadendam obligationem prædicti amoris, proculdubio convincunt de amore efficaci; quia hic ſolus eſt amor ſuper omnia, qualem exigunt merita finis ultimi, & qualis requiritur ad inſtituendam vitam humanam, dirigendoſque humanos actus in prædictum finem. Tum etiam quia juxta doctrinam Ang. Doctoris amor in primo inſtante debitus, debet eſſe talis conditionis, ut non compatiantur ſecum culpam mortalem etiam originalem, ut ſequenti dub. oſtendemus: amor autem ſolùm inefficax non excludit talem culpam, ut eſt per ſe notum: non ergo per hujuſmodi amorem adimpletur ſufficienter prædictum præceptum.

17 An ſufficiat implicitus & naturalis? Quo ſuppoſito, circa alia quæ primo & ſecundo loco inquiſivimus, communior ſententia tenet ſufficere amorem Dei finis naturalis implicitum, contentum in ipſo amore & electione boni honeſti, & in propoſito vivendi ſecundum rectam rationem. Ita Cajet. Alvar. Curiel, Zumel, Martinez, Araujo, Monteſ. & plures alii ex his quos num. 2. retulimus. Non tamen deſunt qui affirment requiri amorem Dei explicitum: imo requiri amorem Dei ut authoris & finis ſupernaturalis. Quæ ſententia tribui ſolet D. Antonino, Capreolo, Soto, & aliis Thomiſtis. Quos tamen non difficilè ad concordiam reducemus: fortè enim diſſidium ex defectu diſtinctionis procedit. Pro quo nota, ſæpe contingere ut aliquod præceptum per ſe, ſeu quantum eſt ex ſe obligat in aliquo tempore determinato; & nihilominus ille quem obligat, ſi non adimpleat, excuſetur ab ejus omiſſione ſeu tranſgreſſione: vel quia invincibiliter ignorat tale præceptum, vel quia abſolutè non poteſt illud adimplere: de

Caiet. Alvar. Curiel. Zumel. Martin. Araujo. Monteſ. D. Antonin. Capreol. Sotus.

quo plura diximus diſput. 5. dub. 6. & diſp. 13. dub. ult.

Reſolutio. Hoc præſuppoſito, dicendum credimus, præceptum dilectionis Dei quod per ſe obligat omnes ad rationis uſum pervenientes, non ſolum præcipere, quantum eſt ex ſe, amorem ejus implicitum, ſed etiam explicitum; neque ſolum amorem illius ut finis & authoris naturæ, ſed etiam (ſuppoſita præſenti hominum elevatione ad ſupernaturalem ordinem) ut finis & authoris ſupernaturalis. Excuſantur tamen multi propter ignorantiam invincibilem ab omiſſione prædicti præcepti, quantum ad amorem Dei explicitum etiam ut finis naturalis; & plures adhuc quantum ad amorem finis ſupernaturalis: quæ quidem excuſatio admittenda non eſt quantum ad amorem implicitum reſpectu Dei ut finis naturalis. Diximus *ſuppoſita præſenti hominum elevatione ad ſupernaturalem ordinem:* quia ſi homo ſine tali elevatione conderetur, ut in pura natura, præceptum diligendi Deum ſive implicitè ſive explicitè, ſolum comprehenderet amorem ejus naturalem; ad ſupernaturalem verò nequaquam ſe extenderet.

18 Probatio primæ partis. Probatur eſſe ita dicendum: & primò quo ad primam partem. Nam præceptum diligendi Deum prout in lege traditum eſt, apertè dictat amorem ejus formalem & explicitum, ut oſtendunt ipſa verba quibus intimatur Matth. 22. & Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, &c. Et inſuper non ſolum dictat amorem ejus ut finis naturalis, quem naturali ratione aſſequimur, ſed etiam ut ſupernaturalis, quem cognoſcimus per fidem, juxta communem Catholicorum acceptionem, qui nomine *dilectionis Dei* toties in Scriptura nobis præceptæ amorem ſupernaturalem intelligunt. Sed hoc præceptum ſecundum ſe totum obligat omnes homines, ex quo habent rationis uſum: ergo, &c. Minor probatur: nam tale præceptum ſecundum ſe totum obligat omnes, ubi primò ſunt capaces, ut illis proponatur & manifeſtetur: ſunt autem capaces ab inſtante uſus rationis, multiſque re ipſa in eo inſtante totum illud manifeſtatur, & ab ipſis de facto adimpletur, cognoſcentibus ex tunc explicitè per fidem Deum trinum & unum, authorem gratiæ, remuneratorem & glorificatorem, ut ab ipſa fide proponitur: igitur quantum eſt ex ſe, omnes ab inſtante illo conſtringit.

Matth 22. Deut. 6.

Et confirmatur: nam ſuppoſito quod amor Dei explicitus & ut authoris ſupernaturalis aliquando ſit debitus, ut omnes ſupponunt, rationes à nobis factæ ſufficienter convincunt, opportuniſſimum tempus talis obligationis eſſe prædictum inſtans, nullumque ſuccedere in toto vitæ ſpatio magis vel æquè opportunum, ut intuenti conſtabit: ergo, &c.

Animadverſio. Sed obſervandum eſt, quod licèt teneamur præcepto utriuſque amoris, naturalis ſcilicet, & ſupernaturalis; ſufficienter tamen quò ad utrunquè adimpletur per unicum actum amoris ſupernaturalis: quia in iſto, utpotè ſuperioris & perfectioris ordinis, continetur eminenter amor naturalis: ſicut etiam ejus præceptum propter prædictam rationem virtualiter clauditur in præcepto ſupernaturali: & ideo hoc adimpleto, ſufficienter cenſetur illud adimpleri. Non tamen econverſò: quia præceptum & amor naturalis ordinis non continent ſupernaturalia.

19 Probatio ſecunda. Quò ad ſecundam vero partem, nempe excuſari multos ab adimpletione prædicti præcepti quantum ad amorem Dei explicitum pro primo illo inſtante uſus rationis, pluresque adhuc excuſari ab illo quo ad amorem finis ſupernaturalis, etiam ſuadetur. Quia multi ſunt qui in illa ætate nondum cognoverunt Deum explicitè, neque ejus nomen aut rationem audierunt, ſed laborant (ſaltem brevi aliquo tempore) ignorantia ejus invincibili: & plures adhuc ſunt, qui nihil audierunt aut cognoverunt de illo ut authore & fine ſupernaturali: nemo autem poteſt explicitè amare, quod explicitè non cognoſcit, cum nihil volitum quin præcognitum: unde ipſa ignorantia invincibilis qua laborant, excuſat illos ab adimpletione talis præcepti quo ad prædictum amorem, redditque ejus omiſſionem non voluntariam. Non tamen omnes ita excuſantur: quia multi etiam ſunt ex iis præſertim qui inter catholicos & animarum ſalutis ſtudioſos nutriuntur, qui ante illam ætatem plura audiunt & apprehendunt de Deo & de Articulis noſtræ fidei, quibus ſufficienter inſtruuntur, ut in illo inſtante per irradiationem luminis fidei vel ſyndereſis efforment verum & explicitum de ipſo Deo judicium, etiam ſupernaturale, ex quo ad ſimilem ejus amorem expreſſum & formalem incitentur: qui proinde non excuſabuntur ab omiſſione præcepti, niſi eliciant talem amorem. Et propterea ait D. Thom. in præſenti & alibi, quod puer in prædicto inſtante tenetur Deum diligere prout in illa ætate fuerit capax: quia ſolum tenetur juxta notitiam quæ tunc ſibi communicatur. Atque adeo ſi notitia fuerit explicita, tenebitur ad explicitum amorem; ſi vero implicita, ad implicitum, ſicut etiam ſi habuerit notitiam Dei ut finis dumtaxat naturalis, ſolum adſtringetur ad hujus amorem; ſi vero ut ſupernaturalis, tenebitur quoque ad amorem iſtius finis.

20 Probatio tertia. Tertia autem aſſertionis pars, videlicet neminem excuſari ab obligatione prædicti præcepti quantum ad amorem Dei implicitum, ſolum procedit (ſaltem pro nunc) de amore ejus ut authoris & finis naturalis: qui ſanè amor continetur in illo quo diligitur bonum honeſtum in communi, & in propoſito efficaci vivendi ſecundum rectam rationem. Nam cum hæc potiſſimum dictet & jubeat, Deum diligendum eſſe ſuper omnia; præcipuaque ratio boni honeſti in ipſo Deo conſiſtat, quiſquis expreſsè & efficaciter diligit bonum honeſtum, & hoc quod eſt *vivere ſecundum rectam rationem*, ibi jam implicitè & virtualiter diligit ipſum Deum. Porro ab obligatione iſtius ſaltem amoris neminem excuſari, ubi ad rationis uſum pervenerit, ex dictis in utroque præcedenti §. probatum reliquimus. Siquidem ex illis conſtat, omnibus ad tale inſtans pervenientibus manifeſtari per lumen ſyndereſis bonum honeſtum, & obligationem amplectendi ipſum, ſequendique legem naturalem, quæ tunc etiam quo ad prima ejus præcepta & principia oſtenditur & intimatur: neque cenſetur completum tale inſtans, quo uſque totum hoc cum plena advertentia & deliberatione innoteſcat.

Neque

Neque ibi locum habere poteſt ignorantia aut inadvertentia, quæ in aliis præceptis frequenter excuſat. Tum quia niſi puer ſit actu cognoſcens, & diſcernens bonum honeſtum ab oppoſito malo, ac proinde tactus interiùs ſolicitudine illa deliberandi de ſe ipſo, quam diximus num. 8. nondum ratio pervenit ad ſuum primum uſum, ſiquidem hic conſiſtit in tali diſcretione & deliberatione: dum autem ſic diſcernit & deliberat, velit, nolit, advertit practicè, & in actu exercito obligationem eligendi illud, quod tanquam bonum ſibi proponitur, & adhærendi ei, ut contra oppoſitum malum ſe tueatur. Pertinet enim tunc ad Authorem naturæ manifeſtare & intimare hujuſmodi obligationem tanquam præceptum omnino primum, & initium cæterorum præceptorum, totiuſque ordinis practici, ut inde homo per deliberationem & diſcurſum reliqua præcepta deducat.

21 Neque ad intimandam talem obligationem opus eſt nova Dei luce, aut novo rationis actu: ſed ſufficienter innoteſcit per illum, quo cognoſcitur bonum & malum morale, & inter utrunque diſcernitur, unà cum cogitatione quæ ſtatim ſubit, ut homo de ſe ipſo deliberet. Per hujuſmodi enim actum proponitur electio illius boni ut res magni ponderis & momenti, ſimpliciterque ex tunc neceſſaria ad rectè & ordinatè vivendum: taliterque hæc propoſitio, quaſi vicaria Authoris naturæ ſolicitat & impellit voluntatem ad prædictam electionem, & taliter pro ea clamat & reclamat, prolixaque & importuna exiſtit, ut valde diſſonet rationi his impulſibus non acquieſcere. In quo ipſo practicè & in actu exercito cognoſcit ut gravem & ponderoſam prædictam obligationem. Tum etiam quia cum ad ipſum Authorem naturæ ſpectet manifeſtare & intimare hominibus ſuam legem naturalem, ubi primò confert eis rationis uſum, ne ut jam homines & rationales ſine regula & gubernaculo vivere incipiant: (quod in divinæ providentiæ defectum vergeret) & talis Author nunquam deficiat in iis, quæ ad ipſum ſpecialiter ſpectant, nullatenus permittet, quòd aliquis in illo inſtante prædictam legem & primum ejus præceptum ignoret, aut aliò diſtractus ejus manifeſtationem & intimationem non animadvertat. Nullus igitur hujuſmodi defectum ab adimpletione iſtius præcepti tunc excuſabit.

22 Dices, multos viros doctos, omnes nimirum quos pro contraria ſententia infra referemus, ignorare invincibiliter hoc præceptum, dum probabiliter non adeſſe opinantur: falſa enim opinio, ſi ſit probabilis, cauſat ignorantiam invincibilem, & ad eam reducitur, ut diximus diſp. 13. n. 10. cur ergo ita imperiti, ſicut parvuli ad uſum rationis pervenientes, habere non poterunt ſimilem ignorantiam? Aut cur non poterunt aſſentire contrariæ opinioni, ſicut viri illi docti aſſentiuntur: præſertim ſi tales pueri ab aliquo eorum prædictam opinionem edocerentur.

Enervatur. Reſpondetur eſſe diverſam rationem: quia pueris ad inſtans diſcretionis pervenientibus proponitur ab Authore naturæ pro illo inſtante prædictum præceptum practicè & in actu exercito ita clarè & evidenter, ut non relinquat eis locum dubitandi, aut aſſentiendi contrariæ opinioni, ſi fortè ab aliquo ſuis rationibus fulcita proponeretur: omnes enim iſtæ rationes utpotè falſæ, in conſpectu illius claræ lucis evaneſcerent, & non poſſent movere intellectum. Quia verò prima illa propoſitio in ratione propoſitionis evidentis, & prout ab Authore naturæ facta, finitur cum illomet inſtante, aut paulò poſt, (jam enim naturæ Author muneri ſuo ſatisfecit) opus eſt ad novam illius præcepti cognitionem acquirendam uti ratiocinatione & diſcurſu, quia à paſſionibus vel rationibus dubitandi aliunde inſurgentibus ſæpe obnubilatur. Hacque ratione ipſimet, qui pueri & aliorum multorum imperiti, prædictæ veritati adhæſerunt, grandiores & circa alia peritiores facti, ab illa recedunt, & ejus ignorantiam invincibiliter incurrunt. Quin etiam nos ipſi qui veram tenemus ſententiam, minori firmitate & certitudine ei modò aſſentimus, quam acquievimus in inſtante uſus rationis: Quia tunc cognitio naturalis ut potè innixa evidenti lumini, omni formidini & rationi dubitandi locum præcludebat: modò verò diſcurſus per quem eandem veritatem aſſequimur, deficiente illo lumine, ſolùm concludit eam ut probabilem, & cum alterius partis formidine.

Et ſi urgeas, quia nullus meminit talis notitiæ habitæ in illo inſtante. ¶ Reſpondetur, quòd nec recordabitur illa caruiſſe; cum tamen certum ſit vel caruiſſe, vel non caruiſſe illa. Unde ex hac oblivione pro neutra parte poteſt ſumi argumentum: tranſit enim in illo inſtante cum prædicta notitia ejus memoria: ut contingit in multis aliis, iis præſertim ſupra quæ non reflectimur.

Dicamus de tertio, quod inter dubitandum propoſuimus: an ſcilicèt amor Dei, qui ab omnibus debetur in primo inſtante uſus rationis, ſit talis actus, qui poſſit elici viribus ſolius naturæ; vel non niſi viribus gratiæ? eſt autem ſermo de amore Dei ut finis naturalis, ſive implicito ſive explicito: nam amorem finis ſupernaturalis citra dubium eſt exigere ſupernaturales vires, facultatemque naturæ ſuperexcedere. Sed quia ab hoc multi propter ignorantiam excuſantur juxtà dicta num. 19. non infert in præſenti eam ſpecialem difficultatem quam ille prior, à quo neminem excuſatum iri oſtendimus. A qua dubitatione non ſatis Theologi ſe expediunt propter argumenta difficilia quæ utrinque inſurgunt. Si enim dixerimus prædictum amorem non poſſe elici abſque viribus & auxiliis gratiæ, urget in oppoſitum, quòd hujuſmodi auxilia non dantur omnibus: ſicut nec fides, cujus illuminatio tenet primum locum inter auxilia ſupernaturalis ordinis: ob idque multi remanent infideles negativè, quia nihil de fide audierunt, neque cognoverunt; & tamen ſi daretur omnibus prædicta illuminatio & auxilium, nullus maneret infidelis ſolùm negativè. Unde vel non omnes adſtringerentur prædicto præcepto, contra id quod aſſerimus: vel multi tenerentur ad aliquid quod facere non poſſent, contra indubitatam Theologorum regulam, quòd Deus neminem obligat ad id, quod ſibi eſt impoſſibile: & quòd nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt. 23 Tertia difficultas.

Quòd

Digitized by Google

24 Quòd ſi Charybdim iſtam evitare cupientes dixerimus oppoſitum, ſcilicet prædictum amorem poſſe elici viribus ſolius naturæ, quæ omnibus ſunt communes, ſicque præceptum de quo agimus, poſſe ab omnibus adimpleri;in periculoſiorem Scyllam fortè incidemus. Nam præterquàm quòd ſatis communiter negatur,præſertim à Thomiſtis,poſſe hominem in natura lapſa ex ſolis naturæ viribus diligere Deum efficaciter & ſuper omnia, uti debet eſſe amor de quo loquimur: inde etiam fieret poſſe puerum ad uſum rationis pervenientem adimplere prædictum præceptum, & non ideo remitti ei culpam originalem, adeoque poſſe peccare venialiter, manendo in tali culpa, antequam aliquam mortalem committat: quandoquidem nullus actus ſolius naturæ viribus elicitus habet infallibilem connexionem cum gratia juſtificationis, & cum prædictæ culpæ remiſſione: ob idque dixit D. *D. Thom.* Thom.infra quæſt.109.artic.6.& tenent communiter ejus diſcipuli,axioma illud *Facienti quod eſt in ſe,Deus non denegat gratiam*, intelligi de illo qui facit quod in ſe eſt, adjutus gratiæ auxiliis, non verò ex ſolis viribus naturæ. Porrò adimplentem prædictum præceptum debere ſtatim juſtificari, & non ampliùs in originali culpa permanere, eſt doctrina indubitata D.Thomæ, omninoque neceſſaria ad tuendam concluſionem præſentis articuli, ut dubio ſequenti videbimus. Huic dubitationi, cujus difficultas non paucos à Thomiſtica ſententia deterruit, oportet pleniùs ſatisfacere, quàm præſtari ſolet ab aliquibus: pro quo diſtinctionis gratia novam addemus ſectionem.

§. IV.

Prima dubitationis ſolutio.

25 POſſemus faciliùs dubitationi occurrere independenter à doctrina ſequenti dubio ſtatuenda de incompoſſibilitate peccati venialis cum ſolo originali: quia independenter ab illa verum eſt,extare pro primo inſtante uſus rationis præceptum, quod in hoc dubio ſtabilimus. Neque ob id potiſſimùm hujuſmodi præceptum aſſerimus, ut prædictam doctrinam poſſimus defendere, ut putant aliqui ex adverſariis:ſed potiùs quia ex illo,optimis aliàs rationibus comprobato,legitimè infertur talis doctrina, eam tuemur. Veruntamen ut bonitas prædictæ illationis ex hoc jam loco apparere incipiat, & quæ modò dixerimus, ſtatuendis poſteà viam & rationem aperiant, curabimus præſentem reſolutionem concluſioni dubii ſequentis omnino adæquare, & non pauca quæ ibi calamum retardare poſſent hic præmittere.

Reſpondetur ergo primò,actum dilectionis Dei, ad quem omnes tenentur in inſtante uſus rationis, non poſſe elici ſolis naturæ viribus: ſed indigere auxilio & viribus gratiæ ſupplentis virium naturalium defectum:& hac ratione connexum eſſe cum remiſſione originalis culpæ & cum gratia juſtificante: quia facienti quod eſt in ſe ex prædictis viribus, Deus non denegat iſtam gratiam. Hæc ſolutio eſt ſatis communis inter diſcipulos D.Thomæ: nam illam tradunt Alvar.Monteſ.& Araujo in præſenti, & Bañez 1.part.quæſt.23.art.3.dub.3. concl.1. Ferr.lib.3. contra gent.c.159.& alii. *Alvar. Monteſ. Araujo. Bañez. Ferrara.*

26 Ad illud verò quod in oppoſitum urgere videbatur, dicunt nonnulli, prædicta auxilia non dari omnibus, ſi ly *dari* ſumatur ut eſt correlativum ad *accipere*: quia non omnes de facto illa recipiunt, dari verò omnibus, prout ly *dari* eſt idem quod *offerri*, & præparata eſſe, ut omnes qui voluerint, recipiant: quia Deus quantum eſt ex parte ſua, omnibus habet præparata prædicta auxilia,& omnibus illa offert,tribuitque de facto, ſi ipſi poſtulaverint,& recipere velint. Et hoc ajunt ſufficere ut de omnibus abſolutè dicatur,quòd poſſunt prædictum præceptum adimplere, imputeturque illis ad peccatum,ſi non adimpleant: quia verè dicimur poſſe id quod poſſumus per auxilia in manu Dei nobis præparata,juxta commune proloquium ex Philoſopho 3. Ethic. capit.3. *Illud poſſumus quod per amicos poſſumus.* Et hac ratione peccatores non habentes in ſe charitatem, ſine qua nullus poteſt Deum ut finem ſupernaturalem ſuper omnia diligere,tenentur nihilominus ad talem dilectionem, quia habent illam ſemper à Deo oblatam & in manu ejus præparatam.Putantque authores iſtius modi dicendi favere ſibi D.Thomam 1. 2.quæſt.2. artic.5.ad 1.ubi ait: *Quod ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium quibuſcunque divinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis, &c.* *Quidam modus dicendi. 3. Ethic. 3. D.Thom.*

Sed hæc doctrina,licèt aliàs verum ſenſum habeat,non tamen ut ad præſens intentum applicatur. Tum quia juxta illam omnibus adultis, etiam ſi nihil audierint de fide, imputaretur ad peccatum infidelitatis, ſi non credant myſteria ſupernaturalia:eſſétque proinde infideles contrariè,& non negativè(cujus oppoſitum ſtatuit D.Thom.2.2.q.10.art.1.)ſiquidẽ omnibus habet Deus præparata & oblata auxilia ſufficientia ad credendum, conferretque de facto, ſi ipſi poſtularent, & recipere vellent. Tum etiam quia ut homo dicatur poſſe aliquid per auxilia, quæ Deus illi obtulit & præparavit,neceſſe eſt ut ea oblatio & præparatio ipſi homini innoteſcat, & ab eo credatur, ut ex hac fide & notitia poſſit excitari ad poſtulanda & conſequenda prædicta auxilia: cui enim nulla eorum notitia confertur, non eſt in ejus poteſtate uti ſimilibus auxiliis, ſicut neque ea petere aut conſequi: ac proinde præparatio illa & oblatio reſpectu talis habet ſe quaſi non eſſet: Unde non eſt quo pacto dicatur poſſe per talia auxilia, aut per eorum oblationem & præparationem, quod non poſſet,ſi oblata & præparata non fuiſſent. Porrò ſi ſit aliquis,qui perveniens ad rationis uſum, nullum ſupernaturale auxilium recipiat, carebit omnino prædicta notitia, quæ inter auxilia ſupernaturalis ordinis numeranda eſt. Non enim per lumen naturale, ſed per lumen fidei poteſt homo cognoſcere, eſſe ſibi à Deo oblata & præparata auxilia gratiæ ad implen- *Refellitur. D.Thom.*

implendum ea, quæ non poteſt per vires naturæ.

27 Per quod patet ad illud de peccatoribus non habentibus charitatem. Nam ſi ſint de numero illorum, qui nihil de fide audierunt, ob idque invincibiliter ignorant præparaſſe Deum hominibus gratiam & charitatem, qua poſſint eum ut finem ſupernaturalem ſuper omnia diligere, conſequenter dicendum eſt, hujuſmodi peccatoribus non imputari ad culpam omiſſionem talis actus, ſicut neque omiſſionem actus credendi myſteria ſupernaturalia: neque damnabuntur propter tales omiſſiones, ut docet D. Thom. 2.2. cit. art. 1. ex quæſt. 10. *Idem.* Si verò ſint de numero illorum, quibus ſufficienter propoſita ſunt myſteria noſtræ fidei, præſertim illa quibus docemur præparationem & oblationem divinorum auxiliorum ad prædictos actus, tenebuntur ad illos: quia ratione illius notitiæ poſſunt petere, & petendo conſequi talia auxilia; & dum non petunt, per ipſos ſtat quòd non conſequantur. Unde in iſtis, & non in illis prioribus locum habet axioma. *Id poſſumus, quod per amicos poſſumus.*

Quod verò adducitur ex 1.2. quæſt. 2. art. 5. parum refert. Tum quia poſſet intelligi D. Thom. de illis qui habent prædictam notitiam, ut poſſint poſtulare auxilia ad aſſequenda & credenda alia myſteria fidei, quæ ignorant, an ſibi abſcondantur, & ad illos actus dilectionis Dei & proximi eliciendos. Tum etiam quia S. Doctor ſolùm dicit, teneri homines ad multa, quæ non poſſunt ſine auxilio gratiæ. Quòd verò ut ita teneantur, ſufficiat auxilium oblatum & non collatum, non ait: ſed inquit, quòd quibuſcunque datur, miſericorditer datur; quibuſcunque verò negatur, ex Juſtitia negatur in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis: inſinuans quod ex profeſſo traditurus erat inferiùs quæſt. 10. art. 1. *Idem.* videlicèt infidelitatem illorum quibus fides ſufficienter propoſita non fuit, proindeque non acceperunt auxilia ſufficientia ad credendum, non habere rationem culpæ, ſed pœnæ. Juxtà quam D. Thomæ doctrinam potiùs dicendum eſt, vel omnibus pervenientibus ad uſum rationis dari de facto auxilium ſupernaturale, quo poſſint adimplere præceptum dilectionis Dei urgens pro illo inſtante, ſi ſemel id non poſſunt abſque tali auxilio, ut ait hæc prima ſolutio: vel non omnes qui adimplere omittunt, peccare in tali omiſſione. Et quia hoc poſterius non poteſt à Thomiſtis concedi, meritò omnes quos nuper citavimus, prius illud affirmant.

28 *Verus dicendi modus.* Sumiturque ex illo Joan. cap. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ubi proculdubiò ſermo eſt de illuminatione pertinente ad ordinem gratiæ: *Joan. 1.* ob idque ſpecialiter tribuitur adventui & meritis Chriſti, de quo loquitur Joannes: & dicitur per eam illuminari omnem hominem, quando in hunc mundum venit: hoc eſt (ut exponit N. Cyrillus) quando per uſum rationis incipit vivere ut homo, ingrediturque moraliter in hunc mundum tanquam dominus ſuorum actuum. Ante rationis enim uſum quamvis puer ſit phyſicè in rerum natura, non tamen vivit ut homo in mundo, ſed præcisè ut animal, incapax uſque tunc vitii & virtutis & totius humanæ converſationis. Concedenda eſt ergo pro omnibus prædicta illuminatio.

Quæ etiam ſuaderi videtur ex illo Apoſt. 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* *1. ad Tim. 2.* Quod teſtimonium potiſſimum locum habere debet reſpectu illorum, qui ad rationis uſum perveniunt, ante quem nullus eſt capax agnoſcendi veritatem. Si autem omnes iſtos vult Deus ſalvos fieri, debet huic voluntati correſpondere in omnibus aliquis effectus, in quo ipſa reſplendeat, atque adeo qui ſit ejuſdem ordinis cum ipſa æterna ſalute à Deo volita, ſicut eſt ſolùm auxilium ſupernaturale. Debetque hic effectus eis tribui, ubi primò ſunt capaces inquirendi talem ſalutem; & ab ea deficiendi, uti ſunt ab inſtante uſus rationis; ne defectus iſte ſi contigerit, tribuatur defectui talis auxilii.

Denique hoc ſuadetur ex ſumma Dei bonitate & ex liberalitate atque ſuavitate divinæ providentiæ: ad quam, ſuppoſita elevatione hominum ad ſupernaturalem finem, ſpectare videtur, ut omnibus ejus beneficii capacibus, antequam propria voluntate in peccata labantur, conferat ſufficiens auxilium, quo ſi bene uſi fuerint, peccata ipſa vitare, & ad prædictum finem pervenire poſſint. Cumque hoc nullus poſſit ſine prædicto auxilio, (quicquid enim ſolis naturæ viribus fit, non habet connexionem aut proportionem cum tali fine) exigit proculdubiò bonitas & ſuavitas divinæ providentiæ, ut omnibus conferatur. Ex quo fit, prædictam collationem quamvis ſupernaturalem, non eſſe dicendam miraculoſam: quia ſuppoſita elevatione quam diximus ad ſupernaturalem ordinem, communis hujus ordinis providentia ita expoſtulat: quæ autem ſecundum communem providentiam fiunt, non ſunt miraculoſa.

Sed ecce urget replica quam ſupra tetigimus: *19 Replica.* quia ſi prædictum auxilium ſit ſupernaturale, importabit utique aliquam illuminationem fidei: hæc enim primum locum tenet inter auxilia ſupernaturalis ordinis juxta Auguſtini & aliorum Patrum doctrinam: ſi autem talis illuminatio datur de facto omnibus ad uſum rationis pervenientibus, & ab eis recipitur, quotquot illa uſi non fuerint, & non crediderint, peccabunt contra fidem non credendo, eruntque proinde infideles contrariè: cujus oppoſitum debemus ſupponere.

Dices fortè, *Reſponſio quædam.* prædictum auxilium non exigi ex parte intellectus: quia iſte ſufficienter per ſuum lumen naturale cognoſcit, debere Deum diligi ſuper omnia: ſed ſolùm ex parte voluntatis, quæ per peccatum originale manſit ita debilis & infirma, ut non poſſit propriis viribus exequi illud ipſum quod naturalis ratio dictat. Quamvis enim vulnera illius peccati utranque potentiam tetigerint: minùs tamen ſauciata manſit ratio quàm voluntas, ut docet D. Thom. infra quæſt. 109. art. 2. ad 3. *D. Thom.* Quod ſi ita ſit, prædictum auxilium non importabit illuminationem fidei ad intellectum pertinentem; ſed aliquam motionem affectivam de linea voluntatis, adeoque non tollet, quo minùs recipiens ipſum poſſit manere cum infidelitate negativa.

Sed hoc non placet. *Non placet.* Tum quia teſtimonia ſacræ Scripturæ quibus probavimus exiſtentiam talis auxilii, potiùs loquuntur de illumi-

natione intellectus, quàm de motione voluntatis: & ideo ſi hæc poſterior neganda non eſt, prior illa à fortiori debet concedi. Tum etiam quia cum voluntas per omnia ſequatur ductum intellectus & judicium omnino practicum, repugnat quòd aliqua illius affectio vel motio ad ſupernaturalem ordinem pertineat, niſi iſtius illuminatio eundem ordinem tangat. Quod autem dicitur de peccato originali & ejus vulneribus, parùm refert: quia juxtà hanc primam ſolutionem adhuc in ſtatu naturæ puræ, ubi voluntas non eſſet per peccatum vulnerata, neque infirmior intellectu, non poſſet propriis viribus elicere prædictam dilectionem, niſi ſuperadderetur ei auxilium aliquod ipſi non debitum: tuncque eadem eſſet ratio, ut adderetur etiam intellectui, ut intuenti patebit: ergo quòd modò voluntas magis ſauciata manſerit per peccatum originale, quàm intellectus, non tollet quo minus utraque potentia prædicto auxilio indigeat: non enim in hoc ſtatu poterit intellectus ſolis ſuis viribus relictus, quod in illo non poſſet.

30 Vera ſolutio. Dicendum ergo eſt, auxilium de quo agimus, requiri ex parte utriuſque potentiæ: non tamen, ut ad intellectum ſpectat, eſſe fidem ſimpliciter, aut aliquod lumen completum; ſed lumen quoddam modale & incompletum participatum ex fide: per quod ipſum naturale lumen ſynderesis elevatur & coadjuvatur ad attingendum proprium objectum, ſcilicet bonum honeſtum, vel Deum ut finem & authorem naturalem altiori & perfectiori modo, quàm propria virtute poſſet attingere. Sicut enim à voluntate in appetitum inferiorem derivatur quidam modus libertatis, & ab intellectu in cogitativam quidam modus judicii & diſcurſus, non ut potentiæ iſtæ inferiores eliciant actus, qui ſimpliciter & ſecundùm ſubſtantiam ſint actus intellectus aut voluntatis, neque ut circa objecta ſpiritualia verſentur, ſed ut ſuoſmet actus ſenſitivos nobiliori & perfectiori modo informatos, ſeu nobiliùs modificatos eliciant, de quo plura diximus diſput. 10. num. 71. ita illuminatio de qua agimus, eſt quidam modus & participium fidei, quem Deus intellectui infundit, non ut eliciat actus fidei, vel qui ſecundùm ſubſtantiam ſint ſupernaturales, aut qui circa myſteria fidei vel circa objectum ſimpliciter ſupernaturale verſentur: ſed ut ſuoſmet actus ſecundùm ſubſtantiam naturales, quibus bonum honeſtum naturale & Deum ut finem naturalem attingit, nobiliori & perfectiori modo eliciat: nempè cum majori firmitate & certitudine, majorique cum appretiatione talis boni & finis: ex quibus oritur ut ſit in illis actibus major efficacia ad movendam voluntatem, & ejus amorem excitandum.

31 Inferuntur duo. Atque hinc fit prædictam illuminationem, quando in ea ſiſtitur, non tollere infidelitatem negativam, neque efficere non credentes infideles contrariè: quia cum non oſtendat myſteria ſupernaturalia quæ fides credit, neque eorum notitiam tribuat, adhuc hæc myſteria manent invincibiliter ignorata, quò uſque alia via notificentur: nihil enim aliud eſt infidelitas negativa quàm hæc ignorantia in eo, qui caret fide. ❡ Fit etiam, quòd cum D. Auguſtinus & alii Patres ajunt, primum juſtificationis initium eſſe fidem, non intelligunt duntaxat illam quam vocamus fidem ſimpliciter, & quæ notificat myſteria ſupernaturalia; ſed etiam prædictam illuminationem: quæ cum ſit ejus participium, reducitur ad ipſam, & poteſt eodem nomine appellari.

Alia replica poſſet hic inſurgere, inquirendo an prædicta illuminatio ſit clara ſicut ſcientia, vel obſcura ſicut fides? Si enim ſit clara, non videtur quòd ſit ſupernaturalis: quia in præſenti notitia ſupernaturalis ita communis non pertingit ad claritatem: ſi autem obſcura, objectum ejus erit creditum, & non viſum: & ita non diſtinguetur ab ipſa fide. ❡ Hæc tamen replica ex dictis manet enervata: quia ſupponit, elevationem de qua agimus, eſſe aliquem habitum vel lumen completum attingens per ſe aliquod objectum ſibi proprium, circa quod vel clarè vel obſcurè verſetur. Cum autem ſolùm ſit incompleta alterius luminis modificatio, neutrum illud ad eam pertinet: ſed ejus munus eſt juvare tale lumen, ut firmiùs & perfectiùs valeat proprium objectum attingere. Replica ex dictis enervata.

Neque etiam obeſt, ſi objicias, quòd ſi prædicta illuminatio eſt ſupernaturalis, debet habere objectum ſupernaturale, à quo ſpeciem & ſupernaturalitatem deſumat. ❡ Reſpondetur enim, ſatis eſſe ad ſupernaturalitatem illius illuminationis, quòd modus tendendi in objectum ſit ſupernaturalis, & quòd ipſa ſit participatio fidei ſupernaturalis; quamvis objectum in eſſe rei naturale ſit: non enim ab objecto ſic ſumpto ſumitur ſupernaturalitas prædictæ illuminationis, ſed à modo tendendi in illud, & ex habitudine ad finem, cujus eſt participatio talis modus. Quòd ſi velis, iſtum refundi in ipſum objectum, & hac ratione reddere illud ſupernaturale, non quidem in eſſe rei, ſed præcisè & formaliſſimè in eſſe objecti vel termini ita attacti, ut in multis aliis contingit, inficias non ibimus: neque inde contra modò ſtatuta aliquid inſurget. 32 Objectio. Diluitur.

De auxilio verò pertinente ad voluntatem dicimus eſſe affectionem ſeu motionem quandam ſimiliter incompletam & modalem, per quam voluntas & ejus naturalis virtus roboratur & adjuvatur, ut bonum honeſtum, & Deum ut naturalem finem efficaciter diligere valeat; quod non poſſet tali motione ſeclula. Erit autem hæc motio quoddam participium virtutis charitatis: quia cum hæc eminenter contineat non ſolùm amorem finis ſupernaturalis, ſed etiam amorem ſuper omnia finis naturalis, quælibet motio voluntati infuſa in ordine ad iſtum amorem eliciendum, debet in ipſam charitatem ut participatio ejus reduci. Servabit verò quò ad ſuam ſpecificationem id ipſum proportionabiliter quod diximus de illuminatione. Neque hujuſmodi charitatis participium æquipares illi, quod ipſa charitas manens in voluntate communicat reliquis virtutibus, ut illas reddat vivas & formatas, quod à charitate & gratia nunquam ſeparatur: nam eadem forma poteſt multis & diverſis modis participari, in quibus non ſervetur eadem ratio & menſura. 33 Quid de auxilio voluntatis.

§. V.

§. V.

Ejuſdem dubitationis alia ſolutio.

34 SEcundò ad propoſitum dubitationem reſpondetur, ſufficere naturales vires quas homo adhuc in natura lapſa conſervat; ut poſſit adimplere ſupradictum præceptum, quantum ſatis eſt ut ad talem adimpletionem teneatur; imputeturque ipſi ad culpam ejus omiſſio. Huc ſolutioni ſubſcribunt ex diſcipulis D. Thomæ Joannes Gonzalez 3. part. quæſt. 23. art. 8. diſp. 77. ſect. 3. num. 22. Gregor. Mart. in præſenti dub. 1. in ſol. ad 3. & alii. Supponit autem prædicta ſolutio duo ex materia de Gratia, quæ ibi examinanda ſunt. Primum eſt, quod etiam ſi homo conderetur in pura natura, ubi neque contraheret originale peccatum, neque eſſent illi præparata gratiæ auxilia; obligaretur nihilominus præcepto diligendi Deum ut finem naturalem ſuper omnia: gauderetque proinde viribus ſufficientibus ad talem dilectionem, & ad adimplendam totam legem naturalem, ſaltem pro aliquo parvo tempore, & extra caſum gravis tentationis. Secundum eſt, quod homo per peccatum originale non amiſit aliquid phyſicè & in eſſe rei de ſuis naturalibus viribus, ſed illa dumtaxat quæ Deus Adamo gratioſè contulerat, & poſteris promiſerat ſupra naturæ exigentiam: atque adeò quicquid haberet in ſtatu naturæ puræ quantum ad potentiam phyſicam, totum id conſervat in ſtatu naturæ lapſæ: ſaltem dum non incurrunt aliqua peccata perſonalia, quæ ejus vires diminuant. Ob idque dixit Cajetan. & dicunt ſatis communiter Theologi, hominem peccato originali infectum, & hominem in pura natura conditum, tantùm differre ſicut ſpoliatum & nudum: quatenus carentia omnis gratuiti doni, quæ in ſtatu naturæ lapſæ eſt privatio, eo quod talia dona erant debita ſeu promiſſa; in ſtatu naturæ puræ eſſet ſimplex carentia & negatio, quia nullum tale donum adhuc ex promiſſione tunc deberetur. Primum ex his aſſertis defendit Alvar. lib. 6. de Auxil. diſput. 51. numero 19. ſecundum verò communius recipitur à Theologis: neutrique negari poteſt magna probabilitas. Quouſque tamen in materia de Gratia illa examinemus, conticebimus ultimum judicium inter hanc & præcedentem ſolutionem, tantúmque ut probabilem utranque ſuſtinebimus.

Margin: Ioan. Gonzalez. Greg. Martinez. Duo ſupponenda. Alvar.

35 Habetur autem ex modo dictis pro hac ſecunda, quod licèt homo infectus culpa originali non poſſit diligere Deum ſuper omnia ut finem naturalem; hæc tamen impotentia non eſt impotentia per ſe, ſeu impotentia phyſica: quia non provenit ex eo quod naturæ deficiant vires proportionatæ & ſufficientes ad talem dilectionem ſecundùm ſe ſpectatam: ſed eſt impotentia per accidens, proveniens ex aliquibus impedimentis, quæ prædictæ dilectioni accidentaliter conjunguntur, redduntque illam homini impoſſibilem, non abſolutè & in ſenſu diviſo, ſed in ſenſu compoſito ipſorum impedimentorum. Provenit enim talis impotentia ex eo quod homo per prædictum peccatum eſt averſus à Deo ut fine ſupernaturali, cum qua averſione non compatitur converſio efficax in ipſum, etiam ut finem naturalem. Et quia talis averſio ſeu impedimentum non poteſt tolli niſi per gratiam, idcirco neque prædicta converſio, attentis omnibus, poteſt dari ſine illa, ſaltem ut removente prohibens. Et ideo prædicta impotentia dicitur *moralis*, & non *phyſica*, quia non conſurgit ex defectu phyſicæ virtutis, ſed ex concurrentia prædicti impedimenti.

Margin: Illationes.

Atque hinc fit, talem impotentiam neque tollere quominus dilectio illa poſſit cadere ſub præcepto, neque officere libertati requiſitæ ad peccandum: quia ad utrunque iſtorum ſufficit potentia per ſe, ſeu potentia ad actum in ſenſu diviſo & ſecundum ſe ſpectatum, quamvis non detur ad illum ut compoſitum vel componendum cum impedimentis & circunſtantiis aliunde occurrentibus. ¶ Fit etiam, quod cum communiter dicitur, hominem in natura lapſa non poſſe ſine gratia diligere Deum ſuper omnia, etiam ut finem naturalem, intelligendum eſt de potentia morali, quæ attendit omnes circunſtantias ex quibuſvis capitibus occurrentes: non autem de potentia phyſica, quæ præcisè reſpicit naturam actus ſecundum ſe, & quæ conveniunt illi per ſe. Nam hæc poſterior potentia quamvis negetur ab aliquibus, ab aliis etiam ſatis probabiliter aſſeritur. ¶ Per quod patet ad primum quod oppoſuimus num. 24. dum proponeremus dubitationem, innuentes hanc ſecundum ſolutionem.

Ad ſecundum reſpondetur, adimplentem prædictum præceptum fore ſtatim infallibiliter juſtificandum: quia non ſtat ea adimpletio cum aliqua culpa mortali. Sed unde proveniat, aut in quo fundetur infallibilis connexio juſtificationis cum prædicta adimpletione, non omnes eodem modo explicant. Aliqui enim dicunt, ſatis eſſe quod homo ille faciat totum quod poteſt ex ſolis viribus naturæ, ut Deus id cernens præſtò illi ſit per auxilia ſufficientia & efficacia gratiæ, per quæ ſe diſponat ad gratiam ipſam conſequendam. Non quidem ita ut prædicta auxilia, multóque minus ipſa gratia dentur intuitu illius operationis naturæ tantùm viribus elicitæ, ſive tanquam propter diſpoſitionem, ſive tanquam propter meritum adhuc de congruo: nullo enim ex iſtis modis operatio ſolius naturæ poteſt ad gratiam conferre: ſed habet ſe talis operatio tanquam removens prohibens, & ut conditio ſine qua non eſſet certa, collatio auxiliorum gratiæ. Deus enim ex ſe & ex ſua ſumma libertate offert omnibus prædicta auxilia; confertque de facto, niſi ſtet per ipſos, ſeu niſi ipſi ad eorum receptionem aliquo peccato ſe impediant: ut autem non ſe ita impediant, oportet ut in inſtante uſus rationis faciant quod poſſunt ex viribus naturæ, quas habent ad diligendum Deum ſuper omnia: aliter peccabunt in omiſſione talis amoris, & per hunc omiſſionem apponent impedimentum receptioni prædictorum auxiliorum. Quod impedimentum non erit, ſi talem amorem eliciant: adeoque iſte trahet ſecum illa auxilia, non ut meritum aliquod, neque ut diſpoſitio per ſe adhuc media, ſed ut conditio removens prohibens, ut dictum eſt. Et hoc voluiſſe videtur D. Thomas libro 3. contra gentes capit. 159. ubi ſic ait

Margin: 36 Occurſus ad obiect. D. Thom.

Digitized by Google

ait : *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare*, &c. *Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant : ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur*, &c. Sentit ergo, quod niſi homo peccando ſe impediat, infallibiliter Deus illi tribuet gratiam.

Qui autem hac via incedunt, non ideo axioma illud, *Facienti quod in ſe eſt*, &c. intelligunt de operante ex ſolis viribus naturæ: ſed dicunt, nomine gratiæ ibi non intelligi auxilia ſupernaturalia & prævia, quibus diſponitur ad juſtificationis gratiam, ſed ipſam gratiam juſtificantem : & hanc inquiunt non negari ſe diſponenti & facienti quod in ſe eſt ex prædictis auxiliis. Cæterum cum hoc ſtat, quod auxilia ipſa prævia non tantum ſufficientia, ſed etiam efficacia dentur infallibiliter facienti quod poteſt ex ſolis viribus naturæ modo explicato.

37 Tutior occurrendi modus.

Sed quamvis hæc doctrina etiam in via Divi Thomæ non videatur improbabilis, tutior & probabilior eſt quæ negat certam & infallibilem connexionem gratiæ, vel auxiliorem ejus cum aliquo actu elicito viribus ſolius naturæ, nihil gratiæ ibi concurrente. Et ſanè cum actus de quo loquimur, ſit efficax converſio in Deum ut finem naturalem, & hæc non poſſit ſtare cum originali peccato, neque iſtud auferri ſine gratia, nequaquam admittendus eſt caſus, in quo exiſtat talis actus, niſi ſimul gratia concurrat : atque adeo in quo homo non fidelis faciat totum quod in ſe eſt, & quod poteſt viribus naturæ, niſi adjuvetur per auxilia gratiæ ad faciendum ſimul aliquid ſupra prædictas vires, per quod ad gratiam recipiendam ſe diſponat, ſicque ex auxilio ſupernaturali diſpoſito gratia ipſa conferatur. Neque enim repugnantiam involvit, quod homo auxilio ſupernaturali deſtitutus, gaudenſque dumtaxat viribus ſuæ naturæ, poſſit elicere prædictam dilectionem Dei ſecundum ſe ſpectatam, ſeu in ſenſu diviſo, quæ dicitur *potentia phyſica*; & nihilominus dilectio ipſa fieri non poſſit concurrentibus ſolis naturæ viribus, neque homo hujuſmodi viribus uti ſine auxilio gratiæ, propter impedimentum aliquod aliunde occurrens, & per accidens ſe habens ad talem dilectionem ſecundum ſe conſideratam, & ad potentiam phyſicam illam reſpicientem : ut poſſemus multis exemplis comprobare, quæ brevitatis cauſa omittimus.

Juxta hanc ergo doctrinam nihil excogitabitur, quod obſtet huic ſecundæ ſolutioni. Non enim ſequitur (ut ſupra objectum fuit) vel quòd puer ad uſum rationis perveniens & præceptum adimplens, poſſit nihilominus non juſtificari ab originali culpa. Vel quod gratia juſtificationis aut aliqua ſupernaturalia auxilia dentur infallibiliter facienti quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ. Eſt enim hæc propoſitio de ſubjecto non ſupponente : quia fieri non poteſt, ut aliquis ſolis naturæ viribus utens faciat totum quod eſt in ſe, & totum quod poteſt adhuc ex prædictis viribus. Sicut fieri non poteſt, quod in adimpletione actuali ſupradicti præcepti, quæ ſecundum ſe & diviſim conſiderata fieri poſſet viribus naturæ, non admiſceantur de facto auxilia ſupernaturalia diſponentia ad gratiam, & gratia ipſa collata in eodem inſtante ad removendam originalem culpam, quæ prædictam adimpletionem impediebat, ut explicatum eſt.

Quod ſi hæc ſecunda ſolutio ſic declarata veris innitatur principiis (de quo ſuo loco) procul dubio præeligenda erit. Tum, quia ſuavius juxta eam exponitur obligatio præcepti de quo agimus, & qualiter ejus non adimpletio ſit peccatum mortale, ſine recurſu ad auxilium ſupernaturale omnibus collatum, ad quod confugit prima ſolutio. Tum etiam, quia inconveniens videtur admittere contingentiam caſus, in quo aliquis homo faciens totum quod in ſe eſt, & non deficiens in aliquo quod poſſit viribus ſuæ naturæ, nihilominus non fuerit gratiam conſequutus. Qui ſane caſus vitatur omnino juxta hanc ſecundam ſolutionem ; non autem juxta primam. Pro quo etiam facit, quod adhuc juxta priorem ſolutionem incedendo, neceſſe eſt recurrere ad doctrinam nuper traditam ; ut operatio illa ad quam puer redditur potens per auxilium ſupernaturale omnibus collatum, habeat connexionem infallibilem cum gratiæ infuſione, & cum remiſſione culpæ originalis. Non enim hæc connexio fundari poteſt in ſolo prædicto auxilio, cum plurimi illo donati non juſtificentur. Sed fundari debet in eo, quod illemet actus converſionis in Deum finem naturalem, ad quem dat vires tale auxilium, ſtare nequit cum averſione à fine ſupernaturali clauſa in originali peccato : & ex hoc capite opus eſt gratia removente talem averſionem, ut detur locus converſioni. 38 An præeligenda hæc ſolutio?

Et ſi urgeas, quia ſi omnibus de facto ſe convertentibus datur ad prædictam remotionem gratia juſtificans, ſuperfluet iſtis illud aliud auxilium omnibus commune, non habens connexionem cum ipſa gratia : quippe omnes actus eliciendi tunc à puero, ſuavius & perfectius elicientur ab eadem gratia tunc collata per modum auxilii, & à comitibus virtutibus infuſis, quàm ab auxilio illo diſtincto. 39 Replica.

¶ Reſponderi poſſet primò, dari etiam iſtis prædictum auxilium ad ſupplendum naturæ defectum in ordine ad amorem Dei naturalem : ut non ſit opus pro eliciendo hoc amore uti virtute charitatis : à qua ſimul elicitur alius amor altior & ſuperior Dei finis ſupernaturalis, qui omnino per ſe exigitur ad juſtificationem.

Secundo & melius reſpondetur, quod licet omnibus ad uſum rationis pervenientibus conferat Deus auxilium ſupernaturale, ut poſſint ſe in illum convertere ; non tamen hoc auxilium eſt ejuſdem rationis in omnibus. Nam illis quos ſcit de facto convertendos, ſeu quorum converſionem ipſe efficaciter decrevit, confert loco auxilii ipſam gratiam juſtificantem una cum virtutibus infuſis, ut in replicando tactum eſt : quibus collatis, non eſt opus auxilio ſufficienti ab eis diſtincto, & ideo non confertur. Cæteris verò quos ſcit de facto non convertendos, quia non decrevit efficaciter eos convertere ; confert prædictum auxilium diſtinctum à gratia, quo licet poſſint uti, & utẽdo adimplere prædictum præceptum potentia phyſica & in ſenſu diviſo, nunquam tamen utentur, neque adimplebunt de facto : quia deerunt auxilia efficacia, & remotio prohibentis. Neque Enervatur.

idcirco

idcirco fruſtra Deus ex parte ſua confert tale auxilium, ſciens hominem illo non uſurum: deſerviet enim ut juſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat cum judicaverit: quia dedit omnibus ſufficientia auxilia, ut poſſent præcepta ejus adimplere, & conſequi æternam ſalutem; per ipſos verò ſtetit, ne illam conſequerentur. Circa connexionem autem quam inter adimpletionem prædicti præcepti & infuſionem gratiæ juxta utramque ſolutionem adſtruimus, iterum redibit ſermo dubio ſequenti, ibique magis declarabitur à numero 62.

§. VI.

Sententia oppoſita cum ſuis argumentis.

40 *Alenſ. Henriq. Bonav. Durand. Richard. Palud.* PRo oppoſita ſententia negante ſupradictum præceptum, referri ſolent ex antiquis Alenſis 4. parte, quæſtione 65. memb. 3. articulo 4. Henriquez quodlibeto 5. quæſtione 20. articulo 1. Bonavent. in 4. diſtinctione 21. articulo 1. quæſtione 1. Gabriel ibidem quæſtione 1. Durandus diſtinctione 4. quæſtione 7. Richardus diſtinctione 14. articulo 3. quæſtione 2. Palud. diſtinctione 16. quæſtione 1. articulo 1. & alii. Non tamen omnes illam tuentur, ut conſtabit legenti. *Vaſq. Valent. Salas. Lorca. Suar. Azor.* Subſcribunt vero illi Vaſquez, in præſenti diſputatione 149. capite 2. Valentia diſputatione 6. quæſtione 19. punct. 3. Salas diſputatione 18. ſection. 2. Lorca diſputatione 63. memb. 2. Suarez tomo 4. in tertia parte, diſputatione 11. ſection. 2. Azor tomo 1. inſtitutionum moralium lib. 4. cap. 10. quæſtione 6. & alii. *Primum argumentum.* Arguunt vero primo. Quia præceptum adeo grave & oneroſum, ſicut eſt iſtud de quo agitur, non debet introduci ſine fundamento in ſacra Scriptura, aut in SS. Patribus: ſed nullum adeſt tale fundamentum: ergo, &c.

Reſpondetur negando minorem: cujus oppoſitum oſtendimus numero 2. aliquibus teſtimoniis ipſius ſacræ Scripturæ. Atque ex ibidem dictis conſtat, prædictum præceptum conſonum eſſe doctrinæ SS. Patrum. Nam (præterquam quod à nullo negatur, neque alicujus teſtimonium adduci poteſt contra nos) nequaquam D. Thomas fideliſſimus eorum aſſecla ita conſtanter illud aſſeruiſſet, niſi vel in eorum ſcriptis expreſſum, vel ipſorum doctrinæ valde conſonum reperiſſet. ¶ Adde, ſatis eſſe quod Scriptura & Patres enuntient nobis, ſicut toties enuntiant præceptum diligendi Deum ſuper omnia, in quo continetur iſtud de quo agimus: licet non ita expreſſe & in particulari determinent tempus obligationis ejus: ſed hoc Theologis ſcholaſticis, & potiſſimum Divo Thomæ qui & inter Eccleſiæ Patres ut ſanctiſſimus & ſapientiſſimus, & inter Theologos ut eorum princeps meritò cenſetur, determinandum relinquant.

41 *Secundum.* Arguunt ſecundo. Quia durum videtur adſtringere pueros præcepto adeo oneroſo in illa adhuc tenera ætate, ubi eadem quæ cognoſcunt, non niſi leviſſimè attendunt, & plerique eorum nullam Dei notitiam habent: inſuperque tale præceptum, quantum eſt ex parte objecti, ſit omnium difficillimum: ſicut actus dilectionis Dei, ad quem obligat, eſt omnium perfectiſſimus: ergo non eſt ita aſſerendum.

Reſpondetur negando antecedens: nullus enim rigor eſt, ſed juſtitia & æquitas, quod puer etiam in illa ætate obligetur ad id quod facere poteſt, & cujus ſufficientem habet virtutem, propriaque ratio ſatis clarè & firmiter dictat illi eſſe faciendum, ut oſtendimus num. 20. & 21. Num. verò 19. diximus, pueros ſolùm obligari inexcuſabiliter ad diligendum Deum, ſicut in illa ætate ipſum cognoſcunt: cumque nullus non cognoſcat eum ſaltem implicitè in ipſa cognitione boni honeſti, quæ nullum præterit, non eſt cur aliquis ab amore ejus implicito excuſetur; quamvis multi excuſentur ab explicito, ut ibidem diximus. Quod autem prædictum præceptum ex parte objecti ſit difficile propter ejus eminentiam, parum refert: quia tota hæc difficultas non ſuperat vires, quas habet puer in illa ætate tam ex parte voluntatis, quam ex parte advertentiæ intellectus. Neque ratione ipſius ætatis fit major, ſed potius minor: facilius enim tunc fertur voluntas in bonum honeſtum, quando nullum adhuc perſonale peccatum aut vitium incurrit, quam poſtea, cum per vitiorum affectiones fuerit in contrarium malum inclinata. Atque adeo ſicut hæc major difficultas poſtea non excuſaret à tali præcepto; ſic neque illa minor debet tunc excuſare.

Tertiò, quia ut aliquis teneatur ad aliquem actum certo tempore exercendum, debet adventum illius temporis cognoſcere: aliter enim non poterit eo tempore ex certa intentione operari: ſed non omnes, imo vix aliquis cognoſcet, quo inſtante ad uſum rationis perveniat: ergo non omnes tenentur diligere Deum in illo inſtante. 42 *Tertium.*

Reſpondetur, omnes pervenientes ad uſum rationis cognoſcere & experiri, ſe habere talem uſum: ſicut etiam omnes tunc cognoſcunt & experiuntur, ſe naturali ratione urgeri, ut amplectantur bonum honeſtum, & in illud convertantur. In quo ipſo practicè & in actu exercito cognoſcunt primum illud inſtans, & obligationem tunc currentem, & explicuimus num. 21. quamvis in actu ſignato communiter utrumque ignorent.

Quartò, ſi prædicta obligatio curreret in illo inſtante, & omnes conſtringeret, adimpleretur de facto ab aliquibus, & non ab omnibus violaretur: malum enim & peccatum non contingit in omnibus: ſed nullus eſt qui recordetur talis adimpletionis: ergo non omnes prædicta obligatione adſtringuntur. *Quartum.*

Confirmatur: nam ſi ſtaret prædictum præceptum, non minus obligaret pueros baptizatos, quam non baptizatos: atque adeo tenerentur baptizati qui illud non adimpleverunt, imo & qui adimpleverunt, dum hujus non recordantur, aperire in confeſſione ſacramentali eam omiſſionem: quod tamen non videtur communiter receptum.

Digitized by Google

Reſpondetur àd argumentum negando conſequentiam : non enim eſt ſufficiens ſignum non adimpletionis in omnibus, quòd nullus ſe adimpleviſſe recordetur; ſicut quòd nullus recordetur ſe non adimpleviſſe, non eſt ſignum quòd omnes adimpleverint : imò certum eſt plurimos non adimpleviſſe. Non ergo negamus quòd aliqui adimpleverint, & præſertim illi de quibus credimus nullum peccatum mortale commiſiſſe, ſed baptiſmalem innocentiam ſemper conſervaſſe. Ut de Angelico N. Doctore Aquinate, de Seraphica M. N. Tereſia, de V. Parente Joanne à Cruce, & de multis aliis piè credimus. Obliviſcuntur tamen citò talis adimpletionis, quia non reflectuntur ſupra illam : ſicut de oblivione ipſius præcepti diximus num. 22.

Ad confirmationem reſpondetur, homines baptizatos excuſari multoties à confeſſione explicita illius peccati propter oblivionem aut ignorantiam invincibilem, quam, tranſacta illa prima duratione, communiter incurrunt. Neque ob id tale peccatum non ſubjicitur confeſſioni & clavibus Eccleſiæ : cenſetur enim confeſſum implicitè in prima confeſſione : ſicut alia quæ ſemel commiſſa omnino è memoria labuntur. Quòd ſi aliquis poſt illam oblivionem ratione & diſcurſu ſufficienter deprehendat, adfuiſſe in inſtante uſus rationis prædictum præceptum, & adimpletionem ignoret, ea ratione tenebitur ad confitendum tale peccatum, qua tenetur ad confitenda alia de quibus dubius eſt, an ea commiſerit, vel non commiſerit : atque adeo ſufficiet ut ſub dubio de illo ſe accuſet : & ita faciunt ſatis communiter viri timorati, ubi primò veritatem noſtræ ſententiæ vel per ſe ipſos aſſequuntur, vel à viris doctis edocentur. Poterunt tamen quotquot circa rem hanc non habent evidentiam, à prædicta confeſſione excuſari, adhærendo in praxi contrariæ opinioni, quæ negat prædictum præceptum. Quia cum noſtra tametſi vera & probabilior, non ſit certa; & ab oppoſita ſint authores & rationes, quæ reddunt eam probabilem : quiſquis in praxi huic probabilitati adhæſerit, prudenter judicabit, ſe non incurriſſe illud peccatum, neque proinde ad confeſſionem teneri.

44 Quintum. Quintò arguitur. Si adeſſet præceptum de quo agimus, quiſquis non adimpleviſſet illud in inſtante uſus rationis, teneretur poſteà adimplere; maneretque ſemper in peccato, imo & actu peccans, donec de facto adimpleat, ſicut qui tenetur ad reſtituendum aliquid, peccat ſemper actu, quandiu non reſtituit : Hoc autem nimis durum videtur, & ideo communiter non admittitur à Theologis : ergo, &c.

Huic argumento reſpondent aliqui negando abſolutè majorem : quia præcepta affirmativa, cujuſmodi eſt de quo loquimur, non obligant pro ſemper, ſed tempore determinato, quo tranſacto, ſive quis ea adimpleverit, ſive non, ceſſat obligatio. Ut patet in præcepto ſacrum audiendi, quod determinatè obligat pro die feſto : & hoc tranſacto, etiam ſi auditum non fuerit, obligatio evaneſcit, & non urget pro ſequenti die. Neque eſt ſimile de præcepto reſtitutionis : quia hoc ita eſt affirmativum, ut ſimul claudat præceptum negativum non nocendi proximo obligans pro ſemper; nocetur autem illi, quandiu reſtitutio differtur, quia tandiu re ſua invitus privatur.

Secundò reſpondetur concedendo majorem quoad primam partem per ſe loquendo, & negando illam quoad ſecundam : quia oblivio vel ignorantia invincibilis prædicti præcepti, quam omnes vel ferè omnes incurrunt tranſacto illo inſtante, excuſat eos, ut deinceps non peccent in ejus omiſſione : ſicut ille qui omittit reſtituere propter oblivionem invincibilem, excuſatur ab obligatione reſtituendi, quandiu manet oblivio. Si quando verò decurſu temporis redeat notitia præcepti, & non conſtet eſſe adimpletum, urgebit tunc ejus obligatio, quouſque adimpleatur : niſi unà cum tali notitia adſit judicium de probabilitate contrariæ opinionis, cui voluntas prudenter conformetur.

Sextò, nullum eſt præceptum in decalogo, ad quod pertineat iſtud de quo loquimur; cum tamen omnia præcepta legis naturæ ibi contineantur : ergo non datur tale præceptum : eſſet enim, ſi daretur, præceptum naturale. 45 Sextum.

Reſpondetur pertinere ad præceptum diligendi Deum ſuper omnia : quod eſt radix & initium omnium præceptorum.

Denique arguunt citati authores contra nos : quia ratio potiſſima apud Thomiſtas aſſignandi hoc præceptum, eſt, ut vitetur inconveniens, quod ex ejus negatione deducunt : ne videlicèt detur in aliquo peccatum veniale cum ſolo originali : ſed hoc inconveniens neque eſt alicujus momenti, neque cavetur ſufficienter poſito tali præcepto; ergo prædicta ratio non eſt efficax. Ultimum argumentum.

Huic argumento poteſt occurri negando quamlibet ex præmiſſis : quòd enim major ſit falſa, conſtat ex dictis num. 25. falſitas verò minoris quoad utranque partem oſtendenda eſt dub. ſequenti.

DUBIUM II.

Utrùm peccatum veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo originali?

Reſolutio hujus dubii ex deciſione præcedentis neceſſariò dependebat, ſicut conſequens ex antecedente : qua proinde præmiſſa, non erit opus novis uti principiis, ſed ex hucùſque præjactis, quod legitimè inferunt, expreſſius deducere. Ad majorem tamen abundantiam, & extenſionem doctrinæ non omittemus rationem ab inconveniente, qua D. Thom. hic & alibi ſæpe utitur : à qua tamen citò expediemur.

§. I.

§. I.

Setentia D. Thomæ duplici ratione fulcitur.

46 Dicendum ergo eſt, peccatum veniale non poſſe conjungi cum ſolo originali; ſed quemlibet qui venialiter peccat, vel exuiſſe jam originalem culpam, vel aliam mortalem commiſiſſe. Hæc concluſio eſt D. Thomæ in hoc 6. art. totque aliis locis citatis ſuprà n. 2. ut nulla ratione poſſit ejus mens in dubium revocari. Quem proinde ſequuntur omnes ejus diſcipuli, plurimique alii, quos cit. num. adduximus: neque enim ſoli Thomiſtæ, (ut aliqui ex adverſariis putant, ſufficeretque ad hujus ſententiæ firmitatem) ſed & multi Scotiſtæ & aliarum ſcholarum aſſeclæ ei ſubſcribunt. Probat illam primò Ang. Doctor in argum. *Sed contra*, ab inconveniente, quod ex oppoſita ſequeretur: nimirum dari ſtatum hominis in hac vita, cui non correſpondeat certus locus & receptaculum in futura. Hoc enim inconveniens eſſe, nullatenuſque admittendum, ex eo liquet: quia in quolibet ſtatu hujus vitæ contingit hominem mori, & in nullo eſt à morte ſecurus: in quocunque autem moriatur, debet ejus anima ſtatim ut à corpore ſeparetur, ad certum locum tendere, in quo præmium vel pœnam juxtà merita recipiat: & quod anima illa pro aliqua duratione maneat extra talem locum, ab omnibus inconveniens reputatur. Sequi verò tale inconveniens ex oppoſita ſententia, quæ admittit poſſe dari peccatum veniale cum ſolo originali, facilè ſuadetur diſcurrendo per omnia loca, quæ ad recipiendas animas ex hac vita migrantes aſſignantur in futura. Nam anima illius qui in peccato veniali juncto cum ſolo originali moreretur, neque evolaret ſtatim ad cælum, ut eſt per ſe notum. Neque ad purgatorium deſcenderet: quia ibi non recipiuntur niſi quæ in gratia decedunt, ut illo igne purgatæ in cælum conſcendant. Neque etiam deſcenderet ad infernum damnatorum: quia pœnæ illius loci tam damni quam ſenſus excedunt longè merita culpæ originalis, & ſolius venialis, adæquantque demeritum culpæ mortalis perſonalis. Neque ad lymbum puerorum, quia ibi nulla datur pœna ſenſus; qua tamen culpa illa venialis puniri deberet. Multoque minùs ad lymbum antiquorum Patrum? quia locus iſte deſtinatus fuit dumtaxat pro detinendis uſque ad mortem Chriſti illis Sanctis nulla jam alia pœna dignis. Hæc ſunt autem omnia receptacula à Deo aſſignata pro animabus ab hac vita exeuntibus: igitur pro illa de qua loquimur, nullo locus relinquitur.

Primaratio.

47 Ut autem meliùs conſtet, non poſſe vitari hujuſmodi inconveniens juxta oppoſitam ſententiam, obſervandum eſt, illud non ſiſtere in eo dumtaxat quod anima cum peccato originali & veniali ab hac vita diſcedens non inveniat tunc receptaculum in futura: ſed etiam in eo quod detur aliquis ſtatus hominis in hac vita, cui in futura nullus locus correſpondeat, ad quem homo ipſe ſecundum præſentem juſtitiam, & juxta merita in quibus invenitur, ſit deſtinatus. Si enim inter alios ſtatus hujus vitæ, quos de lege communi poſſibiles admittimus, nullus eſt, qui ſibi non vendicet certum locum in futura, ad quem quotquot habent talem ſtatum, ex quo ſunt in illo, adeoque etiam ante mortem deſtinentur: cur dicemus, dabilem eſſe illum quem adverſarii volunt, in quo exiſtentibus, quatenus in eo ſunt, nullus locus correſpondeat?

Aperitur vis huius rationis.

Ex qua obſervatione facilè ruit evaſio, quâ iidem adverſarii conati ſunt huic rationi occurrere. Dicunt enim pertinere ad divinam providentiam res ita diſponere, ut vel non permittat, eum qui habet peccata venialia cum ſolo originali, mori in tali ſtatu, quo uſque aut juſtificetur, aut aliquod mortale incurrat: ſicut non permittit, mori peccatorem prædeſtinatum, quo uſque à peccato mortali exeat; neque juſtum præſcitum, quo uſque in illud incidat. Vel ſi permittere velit, ut aliquis in ſtatu illo moriatur, tunc aſſignabit ei locum diſtinctum à quatuor enumeratis, quo tendat: vel in aliquo illorum ex ſpeciali diſpenſatione, & cum pœna culpis proportionata eum collocabit. Effugium.

Hæc igitur evaſio quo ad omnes ſuas partes ex præmiſſa obſervatione facilè præcluditur: quia ſicut dicendum eſt, divinam providentiam ſuaviter & accuratè omnes rerum ordines diſpoſuiſſe, ſic fateri etiam debemus, quod pro omnibus ſtatibus hujus vitæ aſſignaverit in futura loca proportionata, quæ, attenta communi lege, illis debeantur & correſpondeant: ſciamuſque ita de omnibus hominibus in hac vita degentibus, ad quem locum ſecundum juſtitiam præſentem & juxta merita cum quibus invenitur unuſquiſque pertineat. Hacque ratione opus non ſit recurrere ad novam & ſpecialem providentiam (de qua nobis conſtare non poteſt) ut vel de omnibus exiſtentibus in illo ſtatu, neminem mori permittat; vel nova & inaudita loca tempore mortis deſignet; vel ſpeciali diſpenſatione damnet morientem in prædicto ſtatu ad aliorum receptacula, quæ illi ex natura rei & ex communi lege non congruunt. 48 Evertitur.

Nec refert quod dicitur de peccatore prædeſtinato, & de juſto reprobato: quia licèt de his divina providentia ita diſpoſuerit, ut nec prior ante quàm gratiam recuperet, nec poſterior antequam eam amittat, moriatur: attamen dum ſunt in hac vita, unuſquiſque habet ſtatum correſpondentem alicui ex receptaculis futuræ. Juſtus enim quandiu talis permanet, (ſive aliàs prædeſtinatus ſive reprobus ſit) ex vi ſtatus, & ſecundum præſentem juſtitiam deſtinatus eſt purgatorio, vel cælo; peccator verò (ſive aliàs reprobus ſive prædeſtinatus) dum peccator eſt, ac ſecundum præſentem juſtitiam inferno: licèt quia uterque ſecundum præſcientiam divinæ prædeſtinationis & reprobationis mutaturus ſit ſtatum, & peccator prædeſtinatus convertendus, juſtus verò reprobus caſurus & manſurus in culpa mortali; mutanda etiam ſint receptacula, & illi tandem cælum vel purgatorium, huic verò infernus correſponſurus. Circa hanc tamen

primam rationem nolumus immorari. Tum quia non eſt potiſſima, cui ſententia noſtra innititur: neque à priori ſed à poſteriori procedit. Tum etiam quia quidquid ab adverſariis ad ejus everſionem adducitur, ex nuper dictis poterit falſitatis aut levitatis convinci.

Ratio præcipua. Principalis ergo ratio, & quæ pro Thomiſtica ſententia caput eſt, traditur ab Angelico Doctore in corpus hujus 6. artic. & ex doctrina dubii præcedentis poteſt ſic formari. Omnis homo cui non eſt remiſſum peccatum originale ante uſum rationis, tenetur quando ad illud inſtans pervenit, convertere ſe in Deum per amorem ejus efficacem & ſuper omnia, vel explicitum vel ſaltem implicitum. Sed nullus qui ita teneatur, poteſt priùs peccare venialiter, quàm vel juſtificetur & mundetur ab ipſa culpa originali, vel peccatum mortale incurrat: ergo nullus poterit peccatum veniale ſoli originali conjungere. Conſequentia eſt perſpicua. Et major ſatis probata dubio præcedenti, de qua proinde non eſt hic dubitandum. Minor verò ſuadetur. Nam ſi ille qui ita pervenit ad rationis uſum, omittat adimplere prædictum præceptum, peccat mortaliter: & ſic peccata venialia, quæ in eodem inſtante, vel deinceps committit, non erunt cum ſolo originali, ſed etiam cum illo mortali perſonali. Si verò præceptum adimpleat, eo ipſo in illomet inſtante juſtificabitur per gratiam à culpa originali: quia amor Dei ſuper omnia non eſt compoſſibilis cum hac culpa, ſicut neque cum aliqua alia mortali: unde peccata venialia quæ deinceps aut fortè in illomet inſtante committet, non jam aſſociabuntur culpæ originali. Antecedenter autem ad illud inſtans ſicut homo non eſt capax incidendi in peccatum mortale defectu uſus rationis, ita neque in veniale: quia ad utrumque neceſſaria eſt libertas.

§. II.

Prima adverſariorum evaſio, & objectio contra noſtram rationem.

50 Authores quos dubio præcedenti numero 40. contra noſtram ſententiam adduximus, hic etiam nobis adverſantur. Exiſtimant enim, quod adhuc ſententia illa admiſſa, non probatur ea quam modo ſtatuimus: Negantque proinde minorem noſtræ ſecundæ rationis: quia putant non inferri legitimè ex exiſtentia præcepti dilectionis Dei contenti in majori. Redduntque rationem, ſimulque obiiciunt, primò quod ratio in homine non expeditur omnino ſubito, ſed ſucceſſivè & paulatim ligamina ejus tolluntur: priuſque pervenit ad uſum imperfectum & ſemiplenum, quàm ad plenum & perfectum; quouſque autem ad iſtum perveniat, nec poteſt adimplere præceptum dilectionis Dei, neque peccare mortaliter contra illud, quia ad utrunque requiritur plena libertas: poteſt tamen peccare venialiter per aliquos motus ſemideliberatos: quia ad hoc ſufficit libertas ſemiplena. Sicut ille qui exit ab ebrietate vel ſomno, prius incipit habere motus ſemideliberatos ſufficientes ad culpam venialem, quam plene evigilet, ut requiritur ad mortalem. Et propterea in communi diviſione peccati venialis præter venialia ex genere, & ex parvitate materiæ ponuntur alia, quæ licet ex his capitibus venialia non eſſent, ex defectu tamen plenæ deliberationis non pertingunt ad gravitatem mortalium. Poterit ergo puer, quando ratio in eo ſolvi jam cœpit, necdum tamen plenè ſoluta eſt, committere aliquod peccatum veniale; quod proinde cum ſolo originali in eo exiſtente concurrat.

Hanc evaſionem & objectionem ſimul ut elidant noſtræ ſententiæ defenſores, dicunt eorum aliqui, quod quamvis ad peccatum veniale ſufficiat libertas ſemiplena ex parte actus; ex parte tamen principii ſeu facultatis ad deliberandum requiritur omnino plena: ipſa quippe ſemiplena libertas in eo ſita eſt, quod ratio poſſit plenè deliberare de objecto quod ſemiplenè advertit, licèt actu non ſic deliberet. Ut autem plenè deliberare poſſit, neceſſe eſt, ut plenus rationis uſus jam advenerit, homoque illum expertus ſit. Imo addunt nonnulli, quod ut homo dicatur deliberare ſemiplenè circa aliquod objectum, neceſſe eſt, ut actu ſit cum plena advertentia circa aliud: quia qui circa nullum plenè advertit non habet ſufficiens principium, ut poſſit practicè & expedite movere ſe ad plenè deliberandum; cum tamen ſemiplena libertas hujuſmodi potentiam requirat. Juxta quam doctrinam, quæ eſt Cajetani in præſenti & aliorum, conſequenter dicendum eſt neque in ſemidormiente, neque in ſemiebrio, quouſque plene evigilent, neque proinde in puero, antequam rationis uſum plene recipiat, inveniri libertatem ſemiplenam ſufficientem ad peccandum venialiter; ſed primam eorum libertatem debere eſſe plenam & ſufficientem ad peccandum mortaliter. Quocirca peccata illa quæ dicuntur venialia ex imperfecta deliberatione, quæque paſſim committimus, non ideo venialia remanent, quia ille à quo committuntur, non habeat actualiter in ſe libertatem & deliberationem ſufficientem ad mortalia; ſed quia non exercet hujuſmodi libertatem circa objecta talium peccatorum, ſed circa alia, ad quæ diſtractus, ſolum retinet circa prædicta objecta advertentiam & libertatem ſemiplenam, cum facultate ad plenè deliberandum fundata in illa alia plena deliberatione. 51 Prima ſolutio. Caiet.

Hac tamen doctrina, quæ in ſe eſt probabilis, & cui aliàs fortè non pigeret ſubſcribere, modo quoad id præſertim quod diximus addi à nonnullis, non utemur. Tum propter minorem ejus certitudinem: paucos enim pro illa ut à nobis explicata reperimus: ob idque non oportet adeo Thomiſticam & communem ſententiam prædictæ doctrinæ alligatam relinquere. Tum etiam quia non ita ſuadebimus adverſariis, libertatem ſemiplenam & ſufficientem ad peccandum 52 Deſeritur.

dum venialiter circa unum obiectum, habere ſemper comitem advertentiam & deliberationem plenam circa aliud, nec poſſe ſine ea reperiri. Præſertim in ſemiebriis & ſemidormientibus : quibus antequam plene ad ſe redeant, ſatis communiter conceditur libertas ſemiplena ſufficiens ad peccatum veniale ; etiamſi tunc circa nullum obiectum plenè deliberent. Sicut etiam ſobrii & vigilantes multoties impetu alicuius paſſionis ita extra ſe rapiuntur, ut licet rationis uſu non omnino priventur, nihil tamen plenè attendant : quibus nihilominus negare aliqualem libertatem, ratione cuius in tali ſtatu paccata vanialia committant, voluntarium videretur. Neque fundamentum prædictæ doctrinæ ita convincit ; quin dicere poſſimus, quod licet deliberatio ſemiplena ſecum habere debeat potentiam expeditam ad plenè & perfectè deliberandum ; non tamen requiritur, quod hæc perfectio & plenitudo teneat ſe ex parte potentiæ, ſeu quod potentia ipſa ſit perfecta, & plenè expedita ad actum plenè & perfectè liberum ; ſed ſufficit potentia utcumque ad talem actum, etiamſi ſolum ſit expedita imperfectè & ſecundum quid : ſicut ipſa libertas ſemiplena, pro qua exigitur, tantum eſt libertas imperfecta & ſecundum quid. Quod autem ad expediendum hoc modo potentiam non ſufficiat advertentia ſemiplena, ſed exigatur plena, haud facilè probabitur. Alia ergo via quærenda eſt impugnatio propoſitæ evaſionis & ſolutio objectionis.

53 Doctrina pro evertenda obiectione.

Pro quo nota ; quod & ſi ad moralitatem, quæ dividitur per bonitatem & malitiam, neceſſaria ſit libertas ; diverſum tamen quid eſt moralitas à libertate : nam hæc ſolum poſtulat ex parte intellectus indifferentiam judicii, ſeu iudicium proponens obiectum, quodcunque hoc ſit, cum indifferentia ad utrumlibet : & ideo ubicumque detur hæc indifferentia, dabitur libertas. At vero moralitas ſumitur ex habitudine ad ſuam regulam, quæ eſt iudicium ſyndereſis ; cuius obiectum eſt bonum honeſtum, & malum oppoſitum, quatenus illud approbat ; & iſtud reprobat. Vnde niſi actus prædictam regulam, eiuſque approbationem vel reprobationem concernat, ſeu niſi is qui operatur, poſſit actum ſuum prædictæ regulæ conferre, & ex hac collatione approbare illum vel reprobare, non erit bonus aut malus moraliter, quamvis fortè ſit liber : ut in illis, qui iuxta probabilem ſententiam manent in individuo differentes, contingere diximus in tractatu de bonit. & malit. diſp. 2. dub. 1. & diſp. 7. à num. 26. Neceſſe eſt ergo ad hoc ut aliquis tanquam agens morale operetur, ſicut operatur ille qui quomodolibet peccat, quod poſſit conferre ſuum actum & eius obiectum cum regula moralitatis, & cum bono honeſto præſentato per hanc regulam, ut ex tali collatione percipiat convenientiam vel diſconvenientiam ipſius actus & obiecti cum prædicta regula. Quiſquis enim nihil iſtius convenientiæ vel diſconvenientiæ percipit in objecto ſui actus, non attingit illud ut morale : adeoque non poteſt aliquam moralem malitiam quantùmvis levem & venialem ab eo deſumere. Et quia nullus poteſt percipere convenientiam vel diſconvenientiam unius extremi ad aliud, niſi prænotum habeat, & in memoria retineat ipſum extremum, cui aliud diſſonat vel conſonat, & niſi de eo certificatus ſit : ſicut nullus poteſt cognoſcere, an aliqua imago repræſentet verbi gratia Cæſarem ; aut ab eo diſſonet, niſi præcognitam habeat, & in memoria retineat formam & ſpeciem ipſius Cæſaris : idcircò quandiu homo non habet præcognitionem, & manifeſtatam ſibi regulam moralitatis, & communem rationem boni honeſti, manetque circa eam certificatus, non poteſt cognoſcere, adhuc imperfectè, & ſecundùm quid, an objectum quod attingit, conſonet, vel diſſonet prædictæ rationi, ſitque proinde vel non ſit morale : quia nondum habet cognitam regulam qua id poſſit detegere : & per conſequens non eſt capax operandi benè vel malè moraliter. Porrò ut homo primò cognoſcat regulam moralitatis & rationem boni honeſti, maneatque de his certificatus, neceſſaria omnino eſt advertentia plena, & judicium perfectum. Tum quia per advertentiam ſolùm ſemiplenam non poteſt intellectus certificari de objecto à ſe cognito ; ſicut nec ſatis diſcernere inter ipſum & alia, quæ à tali objecto diſtinguuntur. Tum etiam quia prima cognitio boni honeſti & regulæ moralitatis non poteſt aliunde nobis advenire, quàm à Deo per lumen ſyndereſis, cujus actus nequit eſſe cum ſemiplena tantùm advertentia : quia virtus ſive moralis ſive intellectualis non elicit actus niſi perfectos.

54 Formatur impugnatio.

Hinc ſumenda eſt impugnatio propoſitæ evaſionis : nam admiſſo quòd in pueris ad uſum rationis pervenientibus ratio ſeu diſcurſus ſucceſſivè & paulatim ſolvatur, ob idque prius habeant advertentiam & deliberationem ſemiplenam quàm plenam, & prius imperfectam quàm perfectam libertatem : & admiſſo etiam quòd ſemiebrii, & ſemidormientes, & per paſſionem extrà ſe rapti hac ſemiplena libertate potiantur, eaque venialiter peccent, (neutrum pro nunc aut aſſerimus aut negamus) non ideo dicendum eſt, poſſe prædictos pueros venialiter tunc delinquere. Quia cum omnes alii ante ſtatum illum fuerint aliquando plenè ſui compotes, & per plenam advertentiam judicii ſyndereſis certiores facti ſint regulæ moralitatis & rationis boni honeſti, poſſunt occurrente aliquo objecto diſſono cum advertentia tantum ſemiplena, imperfectè & ſecundum quid percipere diſſonantiam ejus ad prædictam regulam, cuius notitiam in memoria retinent, & quæ virtute prioris cognitionis imperfectè & ſubobſcurè tunc ſibi appareat. Cæterum cum prædicti pueri, antequam rationis uſus plenè ſolvatur, nullibi rationem boni honeſti, & regulam moralitatis didicerint, nec de iis fuerint aliquando certiores facti, (non enim hu-

juſmodi notitia aliter eis communicatur, quàm à Deo per lumen ſynderefis, & cum plena deliberatione, ut nuper diximus) nequeunt ante plenum rationis uſum percipere, adhuc ſecundùm quid, & imperfectè convenientiam vel diſconvenientiam objectorum ſibi occurrentium ad illam regulam, & ad rationem communem boni honeſti, ac proinde neque peccare venialiter: cum hoc fieri nequeat ſine aliquali perceptione prædictæ diſconvenientiæ.

Ad hæc: nullus poteſt operari moraliter, ſive benè ſivè malè, ſive perfectè, ſive imperfectè, niſi priùs ingrediatur ordinem moralem, & in eo conſtituatur per formam & principium hujus ordinis: cumque hæc forma & principium ſit illud primum judicium ſynderefis in memoria retentum, quo certò cognoſcitur ratio boni honeſti & mali oppoſiti, & quòd bonum eſt faciendum, & malum fugiendum, fieri non poterit, ut puer antequam prædictum judicium eliciat, per ipſumque in ordine morali conſtituatur, exerceat aliquam actionem moralem, ſive bonam ſive malam: etiamſi actio quam exercet, non omnino careat libertate.

55 Nec refert, ſi dicas, tum quòd licèt cognitio boni honeſti certa & indubitata plenam advertentiam requirat: quia nullus certificatur de eo quod non plenè advertit: cognitio tamen aliqua dubia & incerta ac per modum ſuſpicionis haberi poterit cum ſola advertentia ſemiplena: nam ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, & perfectum ad perfectum; ita ſecundùm quid ad ſecundùm quid, & imperfectum ad imperfectum. Sufficiet autem pueris non habentibus plenum uſum rationis, hæc imperfecta notitia boni honeſti, ut in objectis occurrentibus utcunque attingant diſſonantiam ad prædictum bonum. Tum etiam quòd tales pueri antequam plene deliberent, cognoſcunt rationem boni phyſici, quantum ſufficit ut in obiectis nocivis tunc ſibi occurrentibus percipiant diſconvenientiam & diſſonantiam ad tale bonum; de quo tamen uſque tunc per nullum actum plenè attentum fuerunt certificati: cur ergo non eodem modo ſe habebunt circa bonum honeſtum, & diſſonantiam mali oppoſiti.

Diluitur Prima. Reſpondetur ad primum, quamlibet notitiam dubiam ſupponere aliquam aliam notitiam certam & firmam, ex reſpectu ad quam poſſit veritas detegi, & dubium vel ſuſpicio deponi. Qui enim dubitat aut ſuſpicatur de aliquo homine, an ſit talis vel talis, puta an ſit ſapiens vel ignarus, nobilis vel ignobilis, &c. prænotum iam habet, quòd ſit vel eſſe poſſit aliqua nobilitas & aliqua ſapientia, quas neſcit & dubitat an conveniant vel non conveniant illi homini: & ſimiliter qui ſuſpicatur vel dubitat, an teneatur vel non teneatur hac vel illa obligatione, prius cognovit, ſe eſſe ſubiectum legi & ſuperiori, unde poſſit oriri illa vel alia obligatio: neque aliter occurrerent ei ſimilia dubia aut ſuſpiciones. Vnde cum in huiuſmodi cognitionibus non ſit in infinitum procedendum, neceſſariò deveniendum eſt ad unam primam, quæ ſit principium & ſimul terminus illius quæ dicitur dubia vel ſuſpecta; quæque proinde non ſit ſuſpecta aut dubia, ſed firma & certa; aliter neque ipſa eſſet prima, ſed aliam & aliam in infinitum præſupponeret. Quandiu igitur puer nulla certa notitia didicit, an ſit, aut quid ſit bonum honeſtum & regula moralis, nullum poteſt ei advenire dubium vel ſuſpicio circa obiecta occurrentia, an diſſonent, vel conſonent tali bono & regulæ.

Adde, quòd dubium & ſuſpicio & quælibet notitia incerta ex ſe tendunt ad inquiſitionem veritatis, quia intellectus in incertis non quieſcit: inquiſitio autem terminatur in collatione eius quod inventum eſt, ad aliquid prius notum, quod in intellectu tanquam regula ipſius veritatis exiſtit: atque adeo de primo ad ultimum inquiſitio, ſuſpicio, & dubium, & quæcunque alia incerta cognitio ſupponere debet cognitionem firmam & certam prædictæ regulæ, in quam reſolvatur. Dum ergo in pueris nulla ſupponitur certa cognitio principii & regulæ moralitatis, nulla oriri poteſt circa obiecta illis occurentia dubitatio aut ſuſpicio convenientiæ vel diſconvenientiæ ad talem regulam. 56

Addo ſecundò, quòd ut puer peccet adhuc venialiter amplectendo, quod bono honeſto diſſonat, aut reſpuendo quod conſonat, debet eſſe certus de hoc principio; nimirum quòd tale bonum eſt faciendum, & oppoſitum malum fugiendum: niſi enim de hoc primo principio haberemus certitudinem, non conſurgeret ex illo obligatio, aut reſpuendi quod illi bono diſſonat, aut quæ conſonant amplectendi: quia cum in dubiis potior ſit conditio poſſidentis, nulla obligatio omnino dubia poteſt urgere voluntatem ad operandum vel omittendum illud ipſum, de quo eſt dubium: ac proinde nullum poteſt eſſe peccatum, quantum eſt ex parte cognitionis dubiæ, ſequi vel non ſequi illud, de quo non datur perfectior cognitio.

Dices, eo ipſo quòd aliquis dubitet an teneatur vel non teneatur ieiunare v. g. peccabit non ieiunando: ergo ex vi cognitionis dubiæ poteſt obligatio conſurgere. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam. Imò potius qui ita dubitat, non tenetur ieiunare, quandiu invincibiliter manet dubius. Tenebitur autem veritatem inquirere, & dubium deponere, aut ſaltem facere quod in ſe eſt, ut ſciat an ad ieiunium teneatur. Hæc tamen obligatio inquirendi veritatem non oritur ex illo dubio circa ieiunium, ſed ex alia obligatione indubitata, qua quilibet certo ſcit ſe teneri in rebus dubiis ad inquirendam veritatem, ne errandi periculo ſe exponat. 57 *Diluitur ſecunda.*

Ad rem ergo, quamvis puer ante plenum uſum rationis nanciſceretur cognitionem aliquam boni honeſti dubiam & incertam, non idcirco poſſet tunc peccare venialiter:

Digitized by Google

liter : quia ex vi illius non teneretur ad aliquid faciendum vel fugiendum , quouſque primum illud principium & præceptum , ex quo omne aliud præceptum & obligatio deſcendit ; certò cognoſceret.

Ad ſecundum reſpondetur , eſſe diſparem rationem : quia circa bonum phyſicum , quod ſolùm dicit convenientiam ad propriam naturam , certificatur puer naturaliter per ea quæ ſenſibus percipit : ſicut etiam animalia bruta mediis ſenſibus acquirunt fixam cognitionem de iis , quæ ſuæ naturæ conveniunt , aut diſconveniunt. Unde antequam puero uſus rationis adveniat , adeſt jam fixa & immobilis notitia de tali bono , ex habitudine ad quam, ubi imperfectè deliberare incipit , poteſt formare dubium vel ſuſpicionem circa objecta, quæ ſemiplenè advertit , quantùm ad eorum convenientiam vel diſconvenientiam phyſicam. At verò prima notitia boni honeſti non ſumitur à ſenſibilibus , neque acquiritur per ſenſus ; imo neque ab hominibus diſcitur , ſed immittitur à Deo per judicium ſynderelis : ſine cujus naturali illuſtratione, quantumvis puer audiat voces & terminos , non percipiet , neque diſcet rationem talis boni.

Diximus *prima notitia boni honeſti* , quia ſemel cognito per prædictam illuſtrationem prædicto bono & primo principio , poteſt ipſe puer per magiſtri educationem & per proprium diſcurſum alia principia minùs nota detegere , & concluſiones deducere : indit enim Deus primum illud principium, ut ſit fons & ſeminarium totius cognitionis pertinentis ad ordinem moralem. Atque hinc magis confirmatur quod nuper diximus : ſcilicet primam notitiam boni honeſti non poſſe eſſe tantùm ſemiplenam , ſuſpectam , aut dubiam. Tum quia notitia quæ à Deo ſpecialiter immittitur , ut ſit ſeminarium & initium totius ſequentis cognitionis , continens in virtute & radice quicquid poſtea addiſcitur , non poteſt eſſe ita imperfecta, ut ex ſe liquet. Tum etiam quia Deus immittit illam mediis actibus ſynderelis ; qui cum ſint actus virtutis intellectualis , debent eſſe perfecti : nam virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum , & quæ opus perfectum reddit , ut ex Philoſopho ſuo loco diximus.

59 Nova replica. Si verò urgeas , quòd in peccatis venialibus ex imperfecta deliberatione percipitur diſſonantia ad bonum honeſtum ; & tamen cognitio illa eſt tantùm ſemiplena ; ergo vel manifeſtare hanc diſſonantiam non pertinet ad virtutem ſynderelis , vel hæc virtus poteſt elicere actus ita imperfectos.

Enodatur. ¶ Reſpondetur , perceptionem illam non eſſe propriè manifeſtationem , ſed quandam apprehenſionem prædictæ diſſonantiæ , ad quam non concurrit virtus ; ſed fit per ipſum lumen commune intellectus unà cum ſpeciebus repræſentativis talis diſſonantiæ : ut verò hujuſmodi ſpecies ita repræſentent , generturque inde dubium vel ſuſpicio , neceſſe eſt adeſſe in intellectu fixam & immobilem cognitionem boni honeſti , cujus memoria cum quadam ſaltem confuſa ejus apprehenſione concurrat ad illud dubium terminandum.

Poſſemus etiam alia via præcludere totam hanc evaſionem , oſtendendo diſparitatem inter adultos ſemiebrios aut ſemidormientes , & pueros ad rationis uſum nondum plenè pervenientes : ut negaremus iſtis omnem libertatem etiam ſemiplenam , quæ illis conceditur : & conſequenter capacitatem ad venialiter delinquendum, antequam pleno gaudentes rationis uſu poſſint peccare mortaliter. Sed hanc viam conſultò examinare omittimus , & ut brevitati conſulamus : & quia magis placet quam elegimus.

§. III.

Enodantur alia quæ obſtare videntur eidem ſecundæ rationi.

Secundò opponunt nobis adverſarii ad enervandam eandem rationem , quòd etiam ſi ante inſtans plenæ advertentiæ nequeat puer peccare venialiter ; poterit tamen in illomet inſtante, antequam vel adimpleat præceptum dilectionis Dei , vel in ejus omiſſione mortaliter delinquat. Quia cum illud inſtans non ſit metaphyſicum & omnino indiviſibile , ſed morale claudens in ſe aliquod temporis ſpatium ; ſatiſque fiat prædicto præcepto , ſi in toto illo inſtante , vel in ejus termino adimpleatur , poteſt aſſignari tempus ſufficiens ad peccandum venialiter , etiam cum plena advertentia , antequam urgeat adimpletio : illud nimirum quod ab initio illius inſtantis moralis uſque ad terminum excluſivè decurrit. Cur enim in illa intermedia duratione non poterit aut loqui verbum otioſum , aut leve mendacium proferre , aut vanam aliquam cogitationem admittere : quæ etiam ſi deliberatè fiant , non excedunt culpam venialem. 60 Secunda objectio.

Et confirmatur : nam cum hæc res ſit moralis , moraliter & non metaphyſicè pertractanda eſt : atque adeo ſatis erit ad hoc ut aliquis non peccet contra illud præceptum, quòd vel in prædicto inſtante morali vel citò poſt adimpleat ipſum : quia parum in morali conſideratione pro nihilo reputatur. Eſto verò ſit aliqua culpa differre aliquantulum adimpletionem , judicabitur hæc breviſſima dilatio materia parva , & ita non excedet culpam venialem : dabitur ergo locus huic culpæ ante gravem violationem prædicti præcepti. Confirmatur.

Reſpondetur ad objectionem negando antecedens. Cujus probationi occurrit benè in præſenti Cajetan. quòd licet inſtans morale pro quo urget præceptum dilectionis Dei , includat tempus ſufficiens ad habendam deliberationem ; debet tamen puer ita uti tempore illo ad deliberandum conceſſo , ut quàm primò poſſit , deliberet de ſe ipſo & 61 Solutio objectionis.

Digitized by Google

& de ordinatione ſui in bonum honeſtum. Et ideo ſi non quàm primò poteſt, deliberet, in hoc ipſo peccat mortaliter, retardans voluntariè adimpletionem præcepti: ſicut peccaret non adimplendo illud ſtatim ac deliberationem perficeret. Porrò qui in illo tempore neceſſario ad deliberandum diverteret attentionem ad verbum otioſum vel mendacium proferendum, vel ad aliquid ſimile agendum, hoc ipſo retardaret voluntariè deliberationem quæ inſtat, & conſequenter præcepti adimpletionem; *cum enim* (ait Cajetan. rem optimè declarans) *virtus unita ſit major ſe ipſa diſperſa, & à majori virtute citius fiat aliquid, quam à minori cæteris paribus, conſequens eſt ut citiùs deliberet non divertens, quàm divertens: ac per hoc qui ad aliud aſpicit vanè, non quàm citò poteſt deliberat, liberè ſuam vim minuens, & ſic reus eſt omiſſionis præcepti divertendo, non quàm cito poteſt deliberando. Et quamvis non teneatur ante terminum deliberationis eligere, tenetur tamen ante terminum nullum impedimentum apponere charitati: & proptereà apponendo peccat mortaliter ante terminum, ſicut deliberationi operam non dans ante inſtans quod terminaſſet deliberationem, peccat omiſſione.* Caiet.

Addendum verò eſt, ut tacita quædam replica diluatur, quòd ut diximus num. 20. Auctor naturæ & natura ipſa de ſe ſollicita offert tunc puero cogitationem deliberandi de ſe ipſo in ordine ad bonum honeſtum, taliterque hæc cogitatio & cognitio boni honeſti, quæ ſimul adeſt, clamat & reclamat pro prædicta deliberatione, ut vel nullo modo, vel non niſi ex induſtria & data opera valeat puer ad aliud cogitandum diverti: & ideo ſi quæ tunc diverſio fieret vel ad dicendum mendacium, vel ad aliud aliquid, per quod deliberatio illa retardaretur, non quaſi ex ſurreptione aut ſemiplena tantum advertentia incidens damnaretur ad ſolam culpam venialem, ſed ut habita ex animo & data opera imputanda eſſet ad mortalem.

62 Solvitur confirmatio.

Ad confirmationem dicas, ſæpè res morales exigere diſcuſſionem & intelligentiam ſatis metaphyſicam, & aliqua eſſe præcepta in quibus non admittitur materiæ parvitas, etiam quoàd tempus adimpletionis. Præceptum enim impoſitum Angelo ut Deum diligeret pro ſecundo inſtante ſuæ creationis, nullam omnino dilationem admittebat: ſicut & præceptum non ſumendi cibum aut potum poſt mediam noctem, quo adſtringitur qui celebraturus eſt, metaphyſicè obligaret à tempore illo, ſi ipſum tempus metaphyſicè cognoſceretur. Quæ autem ita ſtrictè & metaphyſicè obligent, & quæ dilationem aliquam majorem vel minorem permittant, ex uniuſcujuſque natura & præcipientis intentione venandum eſt. Porrò præceptum de quo agimus, non permittere etiam modicam dilationem poſt inſtans morale uſus rationis, & hanc eſſe Dei præcipientis voluntatem, oſtendunt rationes, quibus præcedenti dub. probavimus exiſtentiam talis præcepti. Quia cum ejus finis ſit, ut homo incipiens operari tanquàm agens morale & liberum, habeat ſibi præfixum certum ſcopum, in quem omnes ſuas actiones dirigat, ex hoc ipſo poſtulatur, ut inter hujuſmodi actiones prima ſit adimpletio prædicti præcepti, qua cæteris præfigitur talis ſcopus. Præſertim cum ex una parte nulla poſſit eſſe ratio aut neceſſitas differendi vel per modicum tempus hanc adimpletionem, ut intuenti conſtabit: ex alia verò poſſit fieri morali & humano modo in prædicto inſtante. Nam propterea non reſtringitur ad unum inſtans metaphyſicum, ſed ad prædictum inſtans morale, ſub quo clauditur tempus neceſſarium, ut morali & humano modo poſſit deliberare de ſeipſo, & in finem debitum ſe convertere. Adde, quod ut numero 41. tetigimus, facilius eſt puero elicere prædictum actum in illo inſtante, quando nulla adeſt indiſpoſitio ex aliquo peccato perſonali relicta, quàm eo tranſacto, ubi talis indiſpoſitio poſſet voluntatem retardare. Vnde ſuavius ſtatuiſſe videtur divina providentia reſtringendo præceptum ad prædictum inſtans morale, quam ſtatuiſſet ulterius differendo.

Tertio obiicies, non ſequi ex eo quod puer in illo primo inſtante adimpleat prædictum præceptum, quod in eodem ſit juſtificandus: poteſt enim, etiam exiſtente amore Dei naturali ad quem præceptum obligat, juſtificatio differri, ſaltem per aliquod breve tempus, in quo proinde dabitur locus, ut puer ante ipſam juſtificationem venialiter peccet, etiamſi nihil capitale committat, non ergo hac ex parte ratio noſtra firma ſubſiſtit. Antecedens in quo eſt difficultas, probatur: quia ad juſtificationem non ſufficit cognitio & amor Dei præcisè ut finis naturalis, etiam ſi talis cognitio & amor ex auxilio ſupernaturali procedat; ſed requiritur cognitio myſteriorum, quæ fides credit, & amor finis ſupernaturalis quem diligit charitas: ut autem puer adimpleat præceptum, ſufficit prior ille amor & cognitio, quamvis poſterior non detur, ut dictum eſt num. 19. ergo, &c. 63 Tertia obiectio.

Dices, puero adimplenti prædictum præceptum conferri à Deo infallibiliter fidem & charitatem, ut credat & diligat, ſicut requiritur ad aſſequendam juſtificationis gratiam, quam nunquam denegat facienti quod in ſe eſt, ſicut facit ille puer. 64 Solutio.

¶ Sed contra hanc ſolutionem urget tum, quod non eſt cur Deus teneatur conferre homini hanc gratiam in eodem inſtante, in quo facit, quod in ſe eſt; ſed poterit eam quouſque voluerit differre. Tum etiam quod ut homo credat myſteria ſupernaturalia, debet illa doceri ab aliquo dictante & proponente, ſine qua propoſitione non ſufficiet ad credendum ipſe habitus fidei interius infuſus: nam ut ait Apoſtolus Roman. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Plurimi autem ſunt pervenientes ad uſum rationis, qui nihil audierunt de prædictis myſteriis, neque habent à quo illa doceantur: ut pa- Impugnatur.

tet

Digitized by Google

tet de illis qui apud gentiles, & barbaros, ubi nulla fulget lux Evangelii, nutriuntur: ergo hujuſmodi quamvis prædictum præceptum in primo inſtante adimpleant, non ſtatim juſtificabuntur; ſed poſt tempus in quo inſtruantur, ut poſſint credere. Tum

D. Thom. denique nam Divus Thomas quæſt. 14. de veritate, articulo 11. proponens ſibi hunc caſum, nempe quod aliquis nutritus in ſilvis, vel apud barbaros, ubi nihil de fide noſtra audiret, ſequeretur per omnia ductum naturalis rationis in appetitu boni & fuga mali, ac proinde adimpleret præceptum de quo agimus, non ait fore juſtificandum in eodem inſtante; ſed expectandum potius quouſque Deus, vel ſpeciali revelatione manifeſtaret illi prædicta myſteria, vel mitteret illuc prædicatorem, a quo inſtrueretur. *Si enim aliquis taliter nutritus* (ait in ſolut. ad primum) *ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quod ei Deus, vel per internam inſpirationem revelaret ea quæ ſunt ad credendum neceſſaria: vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad*

Idem. *Cornelium Actorum* 10. Idem dicit in ſolut. ad ſecundum & in 3. diſtinctione 25. q. 2. articulo 1. & 2. Porrò ut prædicator mittatur, & miſſus perveniat, & perveniens inſtruat puerum, neceſſarium eſt tempus & dilatio aliqua; totoque eo tempore juſtificatio differetur.

Confirmatio objectionis. Confirmatur hæc eadem objectio: nam totum quod habet ille actus dilectionis Dei, quo præceptum adimplet, habet actus attritionis requiſitus ad ſacramentum pœnitentiæ: & nihilominus iſte actus non excludit culpam mortalem habitualem, neque affert ſecum juſtificationis gratiam, quouſque perficiatur ipſum ſacramentum: ergo, &c. Major probatur: nam attritio illa ut ſit ſufficiens diſpoſitio & materia proxima ſacramenti; debet includere propoſitum efficax vitandi omnia peccata mortalia, atque adeò ſervandi totam legem, ſine cujus obſervatione non vitantur: hoc autem & nihil aliud videtur importare præceptum de quo loquimur, ſolum enim tenetur puer ad amplectendum bonum honeſtum cum propoſito efficaci ſervandi in omnibus id, quod lex naturalis præcipit & dictat: ergo, &c.

65 Vindicatur ſolutio ab impugnationibus. Reſpondetur amplectendo ſolutionem inter objiciendum datam, quæ optima eſt: ejuſque rationem tradidimus numero 57. Nam cum efficax converſio in Deum finem ultimum naturalem (ſive elicienda ſit naturæ viribus; ſive auxilio ſupernaturalis ordinis) ſit incompoſſibilis cum averſione ab ipſo Deo ut fine ſupernaturali, fieri nequit, ut puer infectus originali culpa, quæ eſt averſio ab iſto fine, exerceat prædictam converſionem, niſi ſimul aut per prius ab ipſa originali culpa mundetur: atque adeo niſi gratia & juſtificatio ibi concurrat, ſaltem ut removens illam averſionem converſionem iſtam prohibentem. Per quod patet ad primam impugnationem. Nam cum dilectio illa non ſit compoſſibilis cum culpa originali, eo ipſo quod Deus conferat puero auxilium efficax ad talem dilectionem eliciendam, debet ſimul, vel prius natura conferre gratiam, per quam prædicta culpa auferatur.

Ad ſecundam reſpondetur, quod licet Deus omnibus ad uſum rationis pervenientibus concedat auxilium ſufficiens ad adimplendum præceptum urgens pro illo inſtante; auxilium tamen efficax iis ſolum tribuit, quos ſimul juſtificare decrevit, quibus proinde una cum prædicto auxilio confert gratiam juſtificantem, & ſimul cum hac fidem explicitam illorum objectorum, quæ neceſſitate medii neceſſarium eſt credere ad ipſam juſtificationem. Quæ autem ſint hæc objecta examinatur ſecunda ſecundæ quæſtione ſecunda, ubi M. Bañez articulo octavo, dubitatione ſecunda, ſatis probabiliter cenſet ſufficere, ſi credatur explicitè illud, quod ait Apoſtolus ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia ſperantibus in ſe remunerator eſt.* Quæcumque autem explicitè ſub prædicta neceſſitate credenda ſunt, manifeſtabit Deus puero juſtificando, vel per externum Doctorem qui illa proponat, vel ea per ſeipſum interius inſpirando: neutrum enim iſtorum eſt Deo difficile: & unum vel alterum infertur infallibiliter ex vi decreti efficacis juſtificandi illum puerum: ſicut & hoc decretum infertur etiam ſaltem à poſteriori (à priori enim è contra ſe habent) ex decreto conferendi auxilium efficax ad actum adimpletivum præcepti. M. Bannez. Hebr. 11.

Unde non obeſt quod dicitur de pueris nutritis apud barbaros ſine ulla fidei notitia. Tum, quia cum nullum hujuſmodi puerorum ſciamus adimpleviſſe illud præceptum, neque id ſit veroſimilius quàm oppoſitum, nullus poteſt in argumentum adduci ad probandum, fuiſſe ab aliquo adimpletum ſine prædicta fide explicita. Tum etiam, quia licet non omnino negemus, ſed piè credamus, Deum cum aliquo ex prædictis pueris uſum fuiſſe ea ſpecialiſſima miſericordia: cùm caſus ex ore omnium ſit rariſſimus, non eſt inconveniens pro caſu ita rarò contingenti recurrere ad ſpecialem Dei providentiam, vel interius puerum illum ſufficienter illuminantem, vel de externo Doctore opportunè providentem: itaut in eodem inſtante uſus rationis, in quo puer efficaciter præmovetur ad præcepti adimpletionem, habeat ſibi propoſita objecta ſupernaturalia, quæ neceſſe eſt explicitè credere, ut in eodem inſtante juſtificetur. Non enim ſpecialior aut magis extraordinaria cenſeri debet hæc providentia, quàm illa miſericordia, & quàm voluntas abſoluta conferendi auxilium efficax ad adimplendum præceptum puero ita ſe habenti. 66

Neque idcircò negamus, hujuſmodi præceptum adimpleri à multis de facto, etiam abſque ſpecialiſſima illa providentia: quia multi ſunt inter fideles enutriti & baptizati, quibus, cum ad ætatem illam perveniunt,

propoſita

propoſita & notificata jam ſunt à parentibus & magiſtris præcipua myſteria ſupernaturalia, quantum ſatis eſt ut potuerint terminos apprehendere, & tunc ſolutio rationis judicio, per lumen fidei infuſum baptiſmo firmiter eis aſſentiri. Quod non rarò, ſed frequenter contingere, iis præſertim qui accuratè educantur, & ab ineunte ætate probis moribus imbuuntur, colligit in præſenti Cajetan. ex ipſa natura charitatis in baptiſmo infuſæ. *Videtur mihi* (inquit) *quod quia amor Dei non eſt otioſus, charitas infuſa baptizato infanti exit in actum in primo actu naturali: ſicut de Angelis dictum fuit. Et quod ſtatim occurrente ſe ipſo ut deliberabili, infuſa fides deliberandi ſolicitudinem foveat, ad præſentandum bonum honeſtum cooperando, inclinando ad hoc intellectum: & conſequenter charitas inclinet appetitum ad honeſtum proſequendum. Et licet hoc videatur verum ut in pluribus; non oportet tamen ſic eſſe in omnibus, non ſolum propter libertatem, ſed propter complexionem & malam aſſuetudinem ante actus diſcretionis. Unde fit quod pars ſenſitiva magis movebit ad aſſueta delectabilia mala, quàm fides & charitas ad honeſtum. Propter quod non parvi refert, ut aſſueſcat puer ad audienda ſpiritualia & honeſta. Determinatur enim habitus fidei infuſus ex propoſitis ex auditu, & charitas illam ſequitur.* Idem poteſt colligi ex natura gratiæ in baptiſmo etiam receptæ: quæ cum ſit fons aquæ ſalientis in vitam æternam, idque præſtet per actus fidei & charitatis, nititur quamprimum poteſt in hujuſmodi actus proſilire.

Caiet.

67 Modus dicendi aliquorum. Tertia impugnatio deſumpta ex illa doctrina D. Thomæ compulit aliquos ejus diſcipulos, ut concederent, puerum illum in ſilvis aut inter barbaros abſque notitia fidei enutritum, ſequentemque per omnia ductum naturalis rationis, atque adeo adimplentem prædictum præceptum, non neceſſariò juſtificandum fore in eodem inſtante; ſed poſſe intervenire tempus ſufficiens, ut aliquis fidei peritus à Deo deſtinatus adhuc perveniat, & doceat puerum quæ debet credere. Addunt verò, pertinere ad divinam providentiam non permittere, quod in illo intermedio tempore talis puer peccet venialiter; ne hujuſmodi peccatum cum ſolo originali conjungat.

Non placet. Sed nos huic ſolutioni non acquieſcimus. Nam præterquam quod videtur petere principium, reddens pro ratione illius ſpecialis providentiæ id ipſum, de quo eſt quæſtio, & ad quod probandum adducitur: aliunde etiam non cohæret doctrinæ hucuſque traditæ: dum admittit dilectionem efficacem & ſuper omnia Dei finis naturalis, quæ neceſſaria eſt ad adimplendum præceptum, poſſe toto illo tempore cum peccato originali conjungi: quod ex dictis conſtat eſſe impoſſibile. Et ideo dicendum eſt, puerum ita ſe habentem ut adeptus rationis uſum in Deum finem naturalem ſe converteret, juſtificandum eſſe in eodem inſtante reali, quamvis poſterius natura: quatenus ut juſtificetur præcedere debet in genere cauſæ materialis, ſeu per modum removentis prohibens prædicta converſio obſtans violationi præcepti, quæ juſtificationis gratiam impediret. Concurrunt enim plura in illo inſtante, quæ in diverſo genere cauſæ ſe invicem præcedunt. Nam in genere cauſæ finalis & formalis prior eſt ipſa gratia juſtificans, ad quam cætera omnia ordinantur, & à qua informantur. Eademque ut collata per modum auxilii una cum ſuis virtutibus infuſis præcedit etiam in genere cauſæ efficientis: quia per illas efficit homo actus diſponentes ad juſtificationem. Quin etiam præcedit in ratione removentis prohibens, ſcilicet culpam originalem, quæ prædictos actus impediebat. Poteſtque hæc prioritas reduci, vel ad ipſum genus cauſæ efficientis, vel ad genus cauſæ materialis. At verò in genere cauſæ diſpoſitivæ præcedunt prædicti actus: quia niſi illis diſpoſitus, nequit adultus recipere ipſam gratiam. Quòd ſi tales actus conſiderentur quatenus per illos formaliter adimpletur præceptum converſionis in Deum urgens pro illa duratione, hacque adimpletione cavetur violatio ipſius præcepti, quæ gratiam impediret, præcedunt etiam per modum removentis prohibens, ut num. 36. explicuimus. Neque eſt inconveniens, ut ubi plura removenda occurrunt, unum & idem præcedat, & præcedatur in hoc genere cauſæ: quia talis prioritas & poſterioritas non eſt reſpectu ejuſdem, ſed reſpectu diverſorum.

Neque obeſt illud quod dicitur de tempore requiſito admittendum prædicatorem. 68
Tum, quia D. Thomas non ait determinatè puerum illum eſſe hoc modo inſtruendum, ſed vel hoc modo, vel à ſolo Deo interius illuminante, ſeu infundente lumen fidei ad credendum, & objecta credibilia ſimul proponente, quod fieri poteſt in illomet inſtante, cum ſola prioritate & poſterioritate naturæ quam explicuimus. Verba autem Apoſtoli, *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* intelliguntur juxta communem & regularem providentiam, juxta quam Deus hac interna manifeſtatione uti non vult. Tum etiam, quia quamvis prædicta inſtructio futura eſſet miniſterio externi prædicatoris, poſſet Deus præſcius futuræ converſionis & neceſſitatis illius pueri ita res diſponere, ut prædicator adeſſet tempore opportuno, ut pro illo inſtante inſtruxiſſet jam puerum circa illa, quæ tunc debebat credere.

Sed præcipuè id quod diximus, non obeſt: quia ut rectè obſervant Gonzalez prima parte, diſputatione 77. ſectione 3. numero 23. Gonzal.
Alvarez libro ſeptimo, de auxiliis, diſputatione 56. n. 22. & alii ex Thomiſtis, inſtructio illa pueri in ſilvis nutriti & facientis, quod in ſe eſt, pro qua D. Thom. ad prædicatorem externum adventantem recurrit, non eſt inſtructio indiſpenſabiliter neceſſaria ad juſtificationem, aut de illis myſteriis quæ in omni eventu neceſſe eſt credere ad primam gratiam conſequendam; ſed de aliis ſine quibus explicitè creditis poteſt conferri talis gratia: ſicut eſt myſterium Trinitatis, & myſterium Incarnationis, mortis, & reſurrectionis Chriſti, & alia hujuſmodi, ad quæ addiſcenda & explicitè credenda tenetur homo, quàm primum poteſt, neceſſitate præcepti: Alvarez.

præcepti : imo ut multi volunt, neceſſitate medii omnino requiſiti ad ultimam ſalutem, ſcilicèt gloriam conſequendam : quia valde probabile eſt neminem uſque adhuc ex adultis ingreſſum fuiſſe cælum, neque ingreſſurum, niſi priùs explicitè myſteria illa crediderit ; quamvis multi fuerint juſtificati cum ſola fide explicita illius quod nuper diximus, ſcilicet quòd *Deus eſt, & quòd ſperantibus in ſe remunerator eſt.* Quare recurſus ille D. Thomæ ad externum prædicatorem, ſupponit puerum, ad quem inſtruendum mittitur, eſſe jam iuſtificatum per internam Dei illuſtrationem, & à peccato originali liberum ; mittitur vero ad illum ut plenius in fide inſtruatur. Sumitur autem hæc intelligentia quæ eſt omnino legitima, ex ipſo D. Thoma, nam adducit exemplum in
Act. 10. Cornelio, ad quem (ut dicitur Act. 10.) miſſus eſt Petrus, ut illum in fide erudiret. Porro ſi quæramus à D. Thoma, utrum Cornelius, quando ad eum miſſus eſt Petrus, maneret adhuc infidelis & in peccato, vel potiùs haberet jam fidem & gratiam : ſic reſpondet 2.2. quæſt. 10.
D.Thomas. art. 4. ad 3. *De Cornelio tamen ſciendum eſt, quod infidelis non erat : alioquin ejus operatio accepta non fuiſſet Deo, cui ſine fide nullus poteſt placere.* (Atque adeo neque erat iniuſtus, quia neque ſine gratia placet aliquis Deo) *Habebat autem fidem implicitam nondum manifeſtata Evangelii veritate. Vnde ut eum in fide plenius inſtrueret, mittitur ad eum Petrus.*

69 Diluitur confirmatio. Ad confirmationem principalis objectionis reſpondetur negando maiorem. Quia dilectio ad quam puer tenetur in inſtante uſus rationis, debet eſſe amor efficax & ſuper omnia boni honeſti, in quo virtualiter & implicitè continetur amor efficax & ſuper omnia ipſius Dei, juxtà dicta num. 20. attritio autem non includit huiuſmodi amorem : aliàs non poſſet compati cum peccato mortali habituali, quo anima manet averſa ab ipſo Deo : ſed ſolum eſt dolor de peccatis commiſſis cum propoſito non ea iterum committendi, propter aliquod motivum longè inferius, minúſque univerſale, quàm ſit ipſum bonum honeſtum appretiatum ſuper omnia, ut propter metum pœnarum inferni, vel aliquid ſimile. Quare propoſitum non peccandi, quod eſt de ratione attritionis, non ſe extendit ad obſervandam totam legem, neque ad vivendum in omnibus iuxta illam, neque etiam ad cavenda omnia peccata abſolutè & pro quocunque eventu ; ſed ſolum cum hac reſtrictione & determinatione, in quantum ſcilicèt talis obſervatio neceſſaria eſt ad pœnam inferni evitandam. Et ideo caſu quo vel ſine prædicta obſervatione poſſet ea pœna vitari, vel adhuc cum illa vitari non poſſet, nullus ex vi ſolius illius attritionis moveretur ad peccata vitanda, neque ad ſervandam in omnibus legem naturalem. Et idem eſt de quolibet alio motivo, ex quo poteſt oriri attritio prout diſtincta à contritione. Nullus enim dolor ex ſimili motivo procedens inducit ſufficienter amorem Dei, aut boni honeſti ſuper omnia, neque proinde obſervantiam totius legis, prout etiam amorem iſtum claudit : quia talis amor eſſentialiter poſtulat, ut eius principale motivum ſit tantum ipſe Deus, vel bonum honeſtum : & ideo nullus actus, cuius principale motivum ſit aliquid inferius, poteſt prædictum amorem formaliter aut virtualiter continere.

Cæterùm propoſitum ſervandi totam legem, & vivendi in omnibus ſecundùm rectam rationem, quo puer adſtringitur, extenditur ſufficienter ad prædictam obſervationem abſolutè & quantum ad omnia quæ lex includit, præferendo illam omnibus aliis motivis quæ excogitari poſſunt : ita ut in nullo caſu & pro nullo eventu excogitabili amittat vim movendi ad talem obſervationem : quia cum motivum unde oritur, ſit ipſum bonum honeſtum ſuper omnia appretiatum, & hoc motivum in prædicta obſervatione nunquam poſſit deficere, moveatque ſufficienter ad id quod eſt ſupremum in ipſa lege, ſcilicèt amor Dei ſuper omnia, nullus eſt excogitabilis caſus, in quo prædicta obſervatio deficere valeat ex defectu motivi : ſicut etiam nulla ratione poteſt conjungi cum peccato mortali etiam habituali, propter ipſum amorem Dei ſuper omnia, quem formaliter vel virtualiter includit. ¶ Prætermittimus alias leviores objectiones, quas nonnulli inculcant : quia ex doctrina hujus & præcedentis dubii vel ſolutæ jam manent, vel facillimo negotio diluentur. Sicut etiam referre omittimus pro ſententia contraria authores, & argumenta : quia illos numer. 40. jam citavimus : hæc verò reducuntur ad objectiones adverſus noſtram rationem, quas hucuſque diſſolvimus : nullum quippe ab adverſariis excogitatum eſt, quòd poſitivè & à priori eorum ſententiam ſuadere videatur.

Pro noſtræ verò majori declaratione poſſet inquiri : utrum impoſſibilitas coëxiſtentiæ peccati venialis cum ſolo originali, quam 70 Novum quæſitum.
aſtruximus, ſit dumtaxat impoſſibilitas phyſica, & attenta communi lege, aut verò etiam metaphyſica, & quæ nulla lege oppoſitum permittat?

Cui quæſito breviter reſpondemus, quòd ſi loquamur de pueris pervenientibus ad uſum rationis prout de facto perveniunt, ipſeque ordo rerum poſtulat, nempe cum ſubjectione ad prædictum præceptum, & cum cognitione iſtius obligationis, nulla potentia fiet quòd veniale peccatum cum ſolo originali in eis exiſtat : quia nullo modo fieri poteſt, ut urgente puerum ; & ab eo cognita prædicta obligatione, in primo actu morali vel eam non adimpleat, & adimplendo juſtificetur ; vel non violet, & mortaliter delinquat. Si verò res a Deo aliter diſponerentur, ita ſcilicet ut communicans puero cognitionem boni honeſti & mali oppoſiti, abſconderet ei præceptum & obligationem amplectendi tunc poſitivè tale bonum ; aut revelaret illi, ſe in hac obligatione ad horam vel diem cum eo diſpenſaſſe, (ex nullo enim capite talis abſconſio aut diſpenſatio repugnantiam involvit) nulla eſſet ratio, quare puer ille, ſi Deus id permittere vellet, non poſſet tunc peccare venialiter, antequàm vel juſtificaretur adimplendo præceptum, vel peccaret mortaliter in ejus omiſſione : adeoque nihil prohiberet conjungi tunc peccatum veniale cum ſolo originali.

Diximus

Digitized by Google

Diximus *ſi Deus id permittere vellet*, &c. quia adhuc in illo caſu communis providentia poſtularet, ut Deus id non permitteret, propter primam rationem à nobis factam; ne videlicet daretur ſtatus hominis in hac vita, cui nullus locus aut receptaculum correſponderet in futura. Sed hæc ratio, ut liquet, non impedit quominus Deus de lege ſua abſoluta valeat oppoſitum diſponere.

Et hæc ſint ſatis pro hoc tractatu adeo difficili, adeoque prolixo. Cedant utinam quæ in eo dicta ſunt, in honorem & gloriam omnipotentis Triados, Laudemque omnium Sanctorum: præcipuè vero Beatiſſimæ ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli: Parentum Eliæ & Tereſiæ à Jeſu: necnon ſanctiſſimi Præceptoris ac Doctoris N. D. Thomæ: cujus doctrinæ ſiquid adverſum dixerimus, libenter revocamus. Sed & in primis ſi iis quæ S. Romana tenet Eccleſia (cujus judicio omnia ſubmittimus) aliquid diſſonum, vel minus conſonum exciderit, iterum & iterum retractamus.

L A V S   D E O.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM
SACRÆ SCRIPTURÆ,
Quæ in hoc quarto Tomo continentur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

Cap. 1. *IN principio creavit Deus cœlum & terram*, *diſp*.15.*n*.144

Cap. 2. *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas*, d.14.*n*.141

2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, d.14.*n*.8.& *ſeq*.& *n*.141. & d.15.*n*.170

3. *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*, d.16.*n*.183

3. *Eritis ſicut dii ſcientes*, &c. d.16.*n*.157

3. *Comedit, & aperti ſunt oculi amborum, cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos*, &c. d.14.*n*.10

3. *Tulit de fructu*, &c. *deditque viro ſuo, & comedit*, d.16.*n*.183

3. *Cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis ad auram poſt meridiem*, &c. d.15.*n*.9

3. *De ligno de quo præceperam ne comederes, comediſti. Dedit mihi, & comedi*, d.16.*n*.183

3. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra*, &c. *diſput*.16.*n*.170

6. *Cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum*, d.16.*n*.89

8. *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, d.16.*n*.89

17. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima ejus de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*, d.14.*n*.36

Ex Exodo.

Cap. 9. *Induravit Dominus cor Pharaonis*, q.79.*art*.3.*n*.6

23. *Averſor impium*, d.6 *n*.53

Ex Levitico.

Cap. 4. *Si peccaverint principes per ignorantiam*, d.13.*n*.17

4. *Si peccaverit anima per ignorantiam*, *ibid*.

7. *Sicut pro peccato, ita & pro delicto offertur hoſtia*, q.71.*n*.4

19. *Ancilla pretio non redempta, nec libertate donata*, d.15.*n*.71

25. *Si vendiderit poſſeſſiunculam, poteſt redimere: Si non redemerit, emptor poſſidebit eam*, d.15.*n*.71

Ex Deuteronomio.

Cap. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, d.10.*n*.18

25. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus*, d.17.*n*.76.& d.18.*n*.7

Ex Joſue.

Cap. *An parum vobis eſt quod peccaſtis in Beelphegor, & uſque in præſentem diem macula ejus ſceleris in vobis permanet?* q.86.*art*.2.*n*.2

Ex 1. Regum.

Cap. 6. *Quare aggravatis corda veſtra, ſicut aggravavit Ægyptus*, *diſput*.17. *num*.46

Ex 2.

Cap. 12. *Ecce ego ſuſcito ſuper te malum*, d.17.*n*.46

Ex 3.

Cap. 18. *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari in Carmelum*, d.15.*n*.2

Index locorum

Ex Tobia.

Cap. 4. *In ipſa initium ſumpſit omnis perditio,* d.16.n.157

Ex Judith.

Cap. 11. *Conſtat Deum noſtrum peccatis offenſum,* d.7.n.17

16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & ſentiant uſque in ſempiternum,* d.17.n.56

Ex Job.

Cap. 10. *Vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, &c.* d.18.n.27

10. *Vbi umbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat,* d.17.n.56

12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia,* d.15.n.209

14. *Et dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium,* ibid.

14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es,* d.14.n.4. & d.15.n.132

15. *Tetendit adverſus Deum manum ſuam. Cucurrit adverſus eum erecto collo,* d.6.n.63

15. *Non credet errore deceptus, quod pretio redimendus ſit,* d.15.n.71

18. *Immiſit in rete pedes ſuos; in maculis ejus ambulat,* q.86. art.2.n.4

19. *Abominati ſunt me quondam conſiliarii mei: & quem maxime diligebam averſatus eſt me,* d.6.n.53

20. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur,* d.17.n.57

21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt,* d.17.n.55

21. *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus,* d.13.n.5

35. *Si enim peccaveris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* d.7.n.17

41. *Æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem, &c.* d.17.n.59

Ex Pſalmis.

Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine,* d.7.n.2. & 6

24. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris,* d.13.n.22

32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum,* q.71.p.2

33. *Diverte à malo, & fac bonum,* d.8. n.6. & 15

35. *Noluit intelligere, ut bene ageret,* diſput.13.n.5

40. *Sana animam meam quia peccavi tibi,* q.85.art.3.n.1

48. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit,* d.14.n.10

50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea,* d.14.n.5. & d.15.n.198

68. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum,* d.17.n.46

85. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori,* d.15.n.99. & 112

118. *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas,* d.16.n.80

118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ,* d.7.n.4 & d.14.n.36

143. *Qui redemiſti David ſervum tuum de gladio maligno,* d.15.n.112

Ex Proverbiis.

Cap. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux,* diſp.6

10. *In multiloquio non deerit peccatum,* d.19.n.52

13. *Spes quæ differtur, affligit animam,* d.18.n.6

15. *Stultus homo deſpicit matrem ſuam,* d.15.n.229

22. *Fovea profunda os alienæ, &c.* d.15. num.113

24. *Septies in die cadit juſtus,* diſput.15. num.233

27. *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus & non labia tua,* d.15.n.2

Ex Eccleſiaſte.

Cap. 7. *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni,* diſp. 15. num.144

7. *Fecit ab initio hominem rectum,* diſput.14.n.10

10. *Omnia obediunt pecuniæ,* q.84.art.1. num.2

Ex Canticis.

Cap. 1. *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie,* d.15.n.9

1. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, &c.* ibid.

4. *Vulneraſti cor meum,* d.15.n.68

Ex Sapientia.

Cap. 1. *Deus mortem non fecit neque lætatur in perditione viventium,* d.17.n.67

2. *Excæcavit illos malitia eorum,* d.17. num.46

2. *Deus creavit hominem inexterminabilem & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum,* d.14.n.10. & n.4

6. *Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad regnum,* d.16.n.80

8. *Sobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutem,* q.71.n.1

9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit ſenſum,* d.16.n.1

11. *Omnia*

11. *Omnia feciſti in numero, pondere, & menſura,* q.85. art.4
11. *Nihil odiſſi eorum, quæ feciſti,* d.17. num.67
12. *Erat enim naturalis malitia eorum,* d.2.n.2

Ex Eccleſiaſtico.

Cap. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit,* d.5.n.41
5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem,* d.20.n.3
8. *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis,* diſput.15.n.209
10. *Initium omnis peccati ſuperbia,* d.16. n.157. & q.84. art.2. n.1
13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea,* d.10.n.132
17. *Veſtivit illum virtute, &c.* diſput.14. num.10
28. *Poſt concupiſcentias tuas ne eas,* d.16. num.80
33. *Contra malum bonum, & contra mortem vita, ſic & contra virum juſtum peccator,* d.1.n.1
34. *Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit,* d.17.n.70. & q.87. art.6
40. *Iugum grave ſuper filios Adami à die exitus de ventre matris eorum,* d.14.n.5

Ex Iſaia.

Cap. 1. *Omne caput languidum, & omne cor mærens; à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas; vulnus, & livor, & plaga tumens,* q.85. art.3. n.1. & q.78. art.1. n.1
5. *Vah qui dicitis malum bonum & bonum malum, &c. ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum,* d.1.n.1
6. *Excæca cor populi ejus, & aures ejus aggrava,* d.17.n.46
24. *Mutaverunt jus, diſſipaverunt pactum ſempiternum, &c.* d.2.n.1
24. *Hinnient de mari,* d.11.n.54
24. *Congregabuntur congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, &c.* d.18.n.28
33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* d.18.n.23
42. *Converſi ſunt retrorſum;* d.6.n.63
52. *Venundati eſtis, & ſine argento redimemini,* d.15.n.71
66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur,* d.17.n.56. & d.18.n.23

Ex Jeremia.

Cap. 2. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, &c.* d.n.63
2. *Quomodo converſa es mihi in pravum vinea aliena? Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, &c.* q.86. art.2. n.2. & 4
5. *Saturavi eos, & mæchati ſunt, &c.* d.11.n.54
5. *Vnuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat,* ibid.
8. *Averſus eſt populus iſte averſione contentioſa,* d.6.n.53
8. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti: omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium,* d 6.n.63

Ex Ezechiele.

Cap. 8. *Converſi ſunt ad irritandum me,* d.6.n.63
36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, mundabo vos. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, &c.* q.86. art.2. n.4

Ex Daniele.

Cap. 13. *Concupiſcentia ſubvertit cor tuum,* d.16. n.80

Ex Oſea.

Cap. 6. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum: ibi prævaricati ſunt omnes,* d.14. n.3. & 36
9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt,* d.11.n.18

Ex Zacharia.

Cap. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos,* d.20.n.2

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt,* d.15.n.3. & 131
1. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum,* d.15.n.162
5. *Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde,* d.10.n.14. & d.11.n.27. & 34
5. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam*

mercedem habebitis, &c. Diligite inimicos veſtros, &c. d.9.n.68
6. *Sed libera nos à malo,* d.16.n.81
6. *Quærite primo regnum Dei, & juſtitiam ejus, &c.* d.20.n.2
7. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere,* d.5.n.45
7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur,* d.5.n.12. & d.18.n.23
9. *Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus,* diſp.4.n.4. & d.19.n.61. & 104. & 161. & 191
9. *Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores,* d.15.n.61. & 161. & 291
15. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt,* d.15.n.161. & 191
20. *Venit Filius hominis dare animam ſuam in redemptionem pro multis,* d.15. num. 69
22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* d.20.n.18
25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus,* diſp.17.n.56.& 59.& d.18. n.23. & n.103
25. *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, &c.* d.5.n.1
25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam,* d.17.n.56
26. *Bonum ei erat, ſi natus non fuiſſet homo ille,* d.15.n.86

Ex Marco.

Cap. 9. *Bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, &c.* diſp.17.n.56. & d.18.n.23
10. *Venit Filius hominis dare animam ſuam in redemptionem pro multis,* diſput.15.n.69

Ex Luca.

Cap. 1. *Benedictus fructus, &c.* diſp.15. num.132
1. *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo,* d.15.n.162
16. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno,* d.17.n.55
16. *Quia crucior in hac flamma,* diſp.18. num.80
19. *Filius hominis venit quærere, & ſalvum facere, quod perierat,* d.15.n.61. & 161. & 191

Ex Joanne.

Cap. 1. *Illuminavit omnem hominem venientem in hunc mundum,* d.20.n.18
3. *Niſi quis renatus fuerit,* d.15.n.166
11. *Lazarus mortuus eſt & gaudeo propter vos, ut credatis, &c.* d.11.n.43
12. *Qui amat animam ſuam, perdet eam,* q.77. art.4.n.2
19. *Conſummatum eſt, & inclinato capite, tradidit ſpiritum,* d.15.n.69

Ex Actibus Apoſtolorum.

Cap. 3. *Scio, quod per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri, &c.* d.13.n.17

Ex Paulo ad Romanos.

Cap. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* d.17.n.46
2. *Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt,* d.7.n.3
3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio, omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei,* d.15. n.156. & 157. & 189
4. *Vbi non eſt lex, nec prævaricatio,* d.7.n.4
5. *Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei,* d.15.n.164
5. *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, &c.* d.15.n.66
5. *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus,* diſp.15. num.165
5. *Gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus,* d.15.n.164
5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt,* d.14.n.3. & 12. & d.156. & 170. & 189
5. *Vnius delicto multi mortui ſunt,* diſput.14.n.146
5. *Non ſicut per unum peccatum, ita donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem, &c.* ibid.
5. *Sicut unius delicto mors regnavit per unum, &c.* d.14.n.146
5. *Sicut per unius delictum in homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ,* diſput.15.n.156. & 190. & d.14. num.121

5. Per

Digitized by Google

5. *Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, diſput.16. num.171*

7. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c. d.16.n.89*

8. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, &c. d.15.n.138*

8. *Corpus quidem propter peccatum mortuum eſt, d.14.n.12*

9. *Miſerebor cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor, diſp.15. n.84. & d.17.n.46*

10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? d.20.n.64.& 68.& d.13. num.13*

10 *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, d.13.n.13*

13. *Qui diligit proximum, legem implevit, d.19.n.29*

13. *Plenitudo legis eſt dilectio, d.19.n.29*

Ex Epiſtola 1. ad Corinthios.

Cap. 1. *Chriſtus factus eſt nobis ſanctificatio & redemptio, d.15.n.114*

2. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, d.13.n.17*

4. *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum, diſput.10. n.173. & 175*

6. *Empti enim eſtis pretio magno, d.15. num.108*

7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, &c. diſp.19. num. 6*

14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur, d.13.n.22*

15. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes vivificabuntur, diſp.15.n.160. & 191*

Ex 2. ad Corinthios.

Cap. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, d.15.n.159.& 190*

5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, d.15.n.163*

5. *Non reputans illis delicta ipſorum, num.165*

6. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate: aut quæ conventio Chriſti ad Belial, d.1.n.1*

Ex Epiſtola ad Galatas.

Cap. 3. *Chriſtus nos redemit, d.15.n.71. & 107*

5. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, d.16.n.89*

5. *Spiritus concupiſcit adverſus carnem, d.16.n.80*

Ex Epiſtola ad Epheſios.

Cap. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius remiſſionem peccatorum, diſputatione 15. n.71. & 105. & 107*

1. *Propoſuit inſtaurare omnia in Chriſto, d.15.n.112*

2. *Cum eſſetis mortui in peccatis & delictis veſtris, q.71.n.4*

2. *Eramus natura filii iræ, d.2.n.2. & d.14.n.5 & 14. & 46*

2 *Reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo, d.15.n.165*

5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi Eccleſiam glorioſam non habentem maculam aut rugam, &c. q.86.art.2.n.4*

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

Cap. 1. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, d.14.n.6*

1. *Complacuit per eum reconciliari omnia in ipſum, d.15.n.163*

1. *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in cælis, ſive quæ in terris, &c. d.15.n.112*

1. *Cum eſſetis aliquando alienati & inimici, nunc reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, d.15.n.165*

Ex Epiſtola 1. ad Timotheum.

Cap. 1. *Finis præcepti eſt charitas, d.19. num. 29*

1. *Aberrantes converſi ſunt in vaniloquium, d.6.n.63*

1. *Miſericordiam conſequutus ſum, quia ignorans feci, d.13.n.17*

1. *Chriſtus venit in hunc mundum, peccatores ſalvos facere, diſput.15.n.61. & 161. & 191*

2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, diſput.20.n.28*

2. *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, diſp.15.n.69. & 108. & 162. & 163*

2. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit, d.16. num.181*

4. *Qui eſt ſalvator omnium hominum, d.15.n.162*

Index locorum ſacræ Scripturæ.

Ex 2. ad Timotheum.

Cap. 3. *Erunt homines amantes ſe ipſos, cupidi, elati, &c.* q.77. art.4. n.2

4. *Ad fabulas convertentur*, d.6. n.63

Ex Epiſtola ad Hebræos.

Cap. 9. *Novi teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, &c.* d.15.n.163

11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia ſperantibus in ſe remunerator eſt*, diſp.20.n.65

Ex Jacobo.

Cap. 1. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua*, diſp.16.n.80

1. *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem, &c.* diſp.19.n.52

2. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*, d.19.n.10

4. *Scienti facere bonum, & non facienti, peccatum eſt illi*, diſp.6.n.1. & 26

Ex Epiſtola 1. Petri.

Cap. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati, &c.* d.15.n.108

Ex 2. Petri.

Cap. 1. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut efficiamur divinæ conſortes naturæ*, d.18.n.3

2. *Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, d.18.n.28

Ex Epiſtola 1. Joannis.

Cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, diſp.15. n.233. & d.19.n.52

2. *Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ, &c.* q.77. art.4. n.5

Ex Juda.

Angelos qui non ſervaverunt ſuum principatum, vinculis æternis ſub caligine reſervavit, d.18.n.28

Ex Apocalypſi.

Cap. 5. *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo*, d.15.n.108

14. *Sine macula ſunt ante thronum Dei*, q.86. art.2. n.4

14. *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, neque habebunt requiem die ac nocte*, d.17.n.56

18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum & luctum*, diſput.5.num.12. & diſput.17. num.95

20. *Apprehendit draconem & alligavit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum & clauſit*, d.18.n.28

20. *Miſſus eſt diabolus in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & Pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte*, diſput.18.n.23

20 *Cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*, d.17.n.56

21. *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum*, diſp.18.n.6

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Vbi d. *Diſputationem:* n. *numerum marginalem:* q. *quæſtionem:* a. *articulum denotat. Vbi ſolus numerus aſſignatur ad proxime præcedentem diſputationem, vel articulum refertur.*

A

ABORSUS.

Ob nullum finem licet procurare aborſum fœtus animati, diſp. 10. num. 125
Quid ſi fœtus animatus non ſit? n. 243

Accidia.

Eſt peccatum mortale ex ſuo genere, diſput. 11. num. 58

Actio.

Cuilibet actioni debetur finis proportionatus principio, d. 6. n. 3
Actio immanens poteſt eſſe terminus ſui ipſius; ſecus actio tranſiens, d. 18. n. 32

Actus.

Sub eadem ratione terminatur ad objectum ſub qua oritur à principio, d. 6. n. 63
Omnis actus à ratione proveniens oriri debet ex principiis boni honeſti, n. 3
Actus unus in eſſe phyſico poteſt eſſe multiplex in eſſe moris, n. 18. & 19
Actus ſecundus eſt finis ſui habitus, d. 3. n. 31
Excedit illum, & etiam potentiam in bonitate, & malitia, ibid. & n. 2
In quam cauſam debeat ille exceſſus reduci? n. 5. & ſequentibus.
Non datur per ſe actus indifferens in individuo, diſp. 6. n. 2
Secus per accidens, d. 10. n. 155
Actus, qui eſt cauſa boni effectus qualiter ſumat ex illo bonitatem? d. 5. n. 58
Actus exterior non eſt capax malitiæ formalis intrinſecæ, ibid.
Secus vero objectivæ, d. 10. n. 37. & 38
Actus exterior qui eſt malus objectivè, qualiter fiat malus formaliter? d. 5. n. 77
Vtrum addat ad malitiam actus interioris? d. 10. num. 35
Habet ſe ad illum ut objectum; & ut effectus, numero 45
Quis eorum prius prohibeatur? ibid.
Actus interni facilius fiunt ſine deliberatione, quam externi, n. 169
Actus humanus per eandem formam eſt bonus, & conformis legi & naturæ rationali, d. 6. n. 19
Quæ ſit hæc forma? Et varia ejus nomina, ibid.
Actus humanus ſæpe habet plures bonitates; quam ſibi abſolutè debeantur, ibid.
In actibus humanis non ſemper dicitur formale, quod eſt eſſentiale; nec ſemper quod dicitur materiale eſt extra eſſentiam, n. 56
Quinam actus ſint capaces libertatis, & malitiæ intrinſecæ? d. 10. n. 7. & 9
Actus ex objecto indifferentes ſemiplene liberi, an ſint peccata venialia? n. 75. & 76
Quid de actibus, ſeu motibus circa illicita? Vide *Motus.*
Actus ſemiplene liberi non generant habitum, d. 4. n. 5
Non attingunt rationem finis ultimi etiam per modum fugæ, d. 19. n. 19
Actuum intellectus, & voluntatis quis ſit finis proximus? d. 3. n. 13. & 14
In actu peccaminoſo eſt duplex tendentia ad objectum diſſonum, d. 6. n. 68
Actus malus, & actus bonus opponuntur contrariè, ibid.
Actui peccaminoſo, an debeatur rectitudo, & quo genere debiti? n. 7. & 8
Poſſitne omni rectitudine privari, d. 9. n. 11
Actus præceptus an quo perfectior, eo ſit magis debitus? n. 58
Actus qui eſt cauſa omiſſionis unde, & quam habeat malitiam? diſp. 5. n. 41. & 42. & 52. & 53. & 99. & d. 6. n. 124
An ex illo & ex omiſſione unum peccatum coaleſcat? d. 5. n. 54
An talis actus ſit omiſſio, vel commiſſio? n. 62. & 63.
An opponatur duplici virtuti? n. 60
Quid de actibus concomitantibus omiſſionem, num. 65. & ſequentibus.

Adamus.

Qua perfectione à Deo conditus? diſp. 14. n. 10. & d. 16. n. 4. & ſeqq.
Fuit caput morale poſterorum, d. 14. n. 55
Quando eam dignitatem acceperit, & conſervaverit? n. 36. & 139
Quo pacto juſtitiam originalem acceperit? n. 11
Qualiter habuerit in ſe poſterorum voluntates? num. 90
Ejus voluntas fuit nobis moraliter intrinſeca, n. 54. & 55

Hhhh 4 Nobis

Nobis & pro nobis demeruit, d.14. n.127
Mereri tamen pro nobis cur non potuit? n.128
An & quæ mereri nobis potuiſſet permanens in gratia? n.129
An & qualiter Adamus per ſuum primum peccatum cauſet noſtrum originale? diſp.14. n.19. & 67. uſque ad 95
Quid ſi non Adamus, ſed aliquis ejus filius peccaſſet? n.151. & 152
Quid ſi peccaret poſt filium à ſe genitum ſive ante, ſive poſt animationem? n.154. & 156
Quod fuerit primum peccatum Adami, & ſub quibus ſpeciebus malitiæ? d.16.n.170.& ſeq.
An proceſſerit ex errore? n.168. & 169
Per quodcunque primum peccatum traduceret ad nos Adamus originalem culpam, & amitteret dignitatem capitis, d.14.n.135.& 136
An cum peccavit fidem amiſerit? d.16.n.181
Si non peccaret non incurreret mortem, diſp.14. num. 10
Nec poſſet eſſe Redemptus, d.15.n.74. & 76
Qua virtute juſtitiam originalem in poſteros traduceret? d.14. n.69
Quo pacto eam virtutem primo peccato amiſerit? num. 70
Sub quo pacto præceptum acceperit? n.36
Vide *Peccatum originans.*

Adulterium.

Eſt majus peccatum furto, & quare? d.9. n.55

Advertentia.

Quæ requiratur, & ſufficiat ad peccatum mortale? d.10. n.148. & 160
Advertentia ſemiplena non dat poſſe ſimpliciter, nec fundat perfectam obligationem ad plene deliberandum, n.167
Sufficit ad peccatum veniale, n.140
Quæ advertentia requiratur ad reprimendum motum illicitum? n.111. & 112

Affectus.

Eſt duplex efficax, & inefficax, d.11. n.24
Differentia inter illos, ibid. & n.60

Aggravatio.

Vide *Excæcatio.*

Alligatio.

Quid & quotuplex ſit? d.18.n.34 uſque ad 38
Quæ ejus vis? n.62. & 83
Quod ejus ſubjectum? n.37. & 38
Qui effectus? n.63. & 65. & 66
Qualiter unus Dæmon alligetur ab alio? n.51. & 81. Vide *Dæmon.*

Amentes.

Non exercent veram libertatem, d.10. n.78
Poſſunt aſſuefactionem acquirere, d.4. n.6
An etiam habitum? ibid.

Amor.

Eſt prior aliis affectibus, d.16. n.161
Amor inordinatus ſui qualiter ſit principium omnis peccati? q.77. art.8
Amor amici an ſit perfectior amore inimici? d.9. n.69
Amor Dei alius efficax & alius inefficax, diſputat.20. n.16
Alius explicitus, & alius implicitus, n.17
Alius naturalis,& alius ſupernaturalis, n.17.& 18
Ad quem teneantur, qui ad uſum rationis perveniunt? ibid.
Num aliqui excuſentur? ibid. & n.16
An poſſit elici abſque gratia? n.66
Vide *Parvulos, & Auxilium.*

Anima rationalis.

Vendicat ſibi duplicem ſtatum, d.2. n.14
Quid in utroque illi competat? ibid.
Animæ ſeparatæ an debeatur virtus loco motiva? d.18. n.90
Triſtatur ex apprehenſione pœnæ corporis futuræ, n.70
Animæ decedentes in peccato mortali an ſtatim in inferno detrudantur? d.17. n.55
Fueritne cum aliquibus diſpenſatum? num. 61. & ſequentibus.
Qualiter torqueantur per ignem? diſp. 18. toto dub. 2

Angeli.

Non ſunt redempti per Chriſtum, d.15. n.73
Quo ſenſu à D. Bern. redempti dicantur? numero 114. & 115
Sunt in loco naturali per operationem; ſecus tamen in violento, d.18. n.39
Nequeunt peccare ſolum venialiter, q.89. art.4

Appetitus.

Appetitus ſenſitivus hominis quot modis conſiderari poſſit? d.10. n.50
Participat aliquid rationis, & inclinatur ad ejus bonum, ibid.
Habet intrinſecam libertatem, n.55. & 60
Qualiter ſit ſubjectum, & principium peccati? n.51. & 53. & 54
Qualiter poſſit dirigi à ratione? num. 89. uſque ad 95
Habeatne dominium ſui actus? n.101
Qualiter ſe habeat ad regulam rationis? n.103
A nullo objecto allicitur, niſi ex parte corporis ſit conveniens diſpoſitio, n. 258
Ejus motus neceſſarii an ſint peccata? n.125
In Chriſto, & in Beata Virgine fuit omnino rationi ſubjectus, n.128
Qualiter in nobis extorqueat conſenſum voluntatis? d.3. n.9
Vide *Motus, Senſualitas, Voluntas.*

Aſpectus.

An aſpectus turpes ob irreverentiam ſint peccata mortalia etiam ſecluſo alio periculo? diſp. 10. numero 271. & 272

Attritio.

Quis dolor, & quid includat? d.20. n.69

Avaritia.

An ſit majus peccatum, quam prodigalitas? diſputat.9. num.70

Averſio à Deo.

Quid ſit, & quotuplex? d.6. n.53

Affert,

Affert, vel ſupponit converſionem ad creaturam, n.54. & d.18. n.96
Diverſimode ſe habet in diverſis peccatis, d. 6. n.54. & 55. & 56
Sitne æqualis in omnibus? n.57
An ſimpliciter infinita? d.7. n.25
Non ſtat cum converſione ad Deum, etiam ut finem naturalem, d.20. n.63

Auxilium.

An detur omnibus in inſtanti uſus rationis ad diligendum Deum, & quale? diſp.20. num.25. & 28. & 30. & 34

B

BAPTISMVS.

PRæſupponit neceſſario peccatum originale, vel ejus debitum, d.15. dub.4 §.7
An, & à quo B.Virgo illum ſuſceperit? ibid.

Bonitas moralis.

In quo conſiſtat? d.8. n.7
Qualiter augeatur? d.3. n.9
Alia eſt fundamentalis, & alia formalis, diſput.6. num. 24
Qualiter à voluntate attingatur? ibid.
Eſt differentia per ſe in moralibus, n.30
Tota dependet ex re volita, d.5. n.76

Bonum.

Dicit rationem ultimi, d.3. n.3
Non movet, niſi medio actu voluntatis, vel appetitus, d.5. n.17
In homine attenditur ex ordine ad rationem, diſput.11. n.11
Nequit dependere à malo morali, d.10. n.217
Bonum nihil habens mali non poteſt eſſe pœna, d.17. n.26
Quod bonum diminuatur per peccatum? q. 85. art. 1. & 2

C

CAVSA.

NOn eſt neceſſe, ut attingat omnes rationes repertas in effectu, d.6. n.88
An qui vult cauſam velit effectum? d.10. n.241
Quando effectus cenſeatur volitus in cauſa? numero 242
Cauſa effectus illiciti, alia eſt per ſe, alia per accidens; alia leviter, alia graviter influens, num. 212
An, & quando poſſit honeſtari? n.214. & 239
Cauſæ per ſe pollutionis quæ dicantur? n.249
Qua obligatione, & ex qua virtute debeant evitari? n.250. & 251. & 252
Plura de cauſis per ſe ſive graviter, ſive leviter influentibus, n.268. uſque ad 274

Cauſalitas.

Quæ ſit cauſalitas phyſica, & quæ moralis? d.14. n.60. & 99
Cauſalitas peccati Adami in noſtra originalia, eſt phyſica, n.69. uſque ad 90
Non eſt moralis, n.120

Carentia.

Quando habeat rationem privationis? diſput. 6. num. 5
Vnde augmentum ſuſcipiat? d. 9. n. 13. & ſeq. & d.18. n.12. & 18
Carentia evidentiæ an ſit de conceptu fidei, & carentia certitudinis de conceptu opinionis. Et carentia perfectionis infinitæ de eſſentia creaturæ? d.6. n.115

Charitas.

Habet terminum ultra quem non intenditur; ſed non ab ea petitum, d.1. n.18
Charitas an obliget ad dirigendos alios actus in ejus finem? d.6. n.20
An actus charitatis recipiat bonitatem ex actibus aliarum virtutum? d.5. n.58

Chriſtus.

Non venit redimere niſi illos, qui in Adam peccaverunt, d.15. n.61
Eos ſolum redemit pro quibus mortuus fuit, numero 69
Fuit immunis à culpa originali, & ejus debito duplici titul. q.81. art.3. n.4. & 5
Meruit nobis; ſed non propriè pro nobis, diſputat.14 numero 27

Cibus.

Vnde dicatur moderatus, vel immoderatus? diſputat.10. numero 221

Circumſtantia.

Quælibet prava circunſtantia vitiat actum, diſput.5. num.41
Quo pacto debeat eſſe volita, ut det peccato ſpeciem? d.13. n.54
Quid de circunſtantiis communibus? n.55
Circumſtantiæ, an diverſificent ſpecies peccatorum? q.72. art.9
Aggravant peccatum; & qualiter? q.73. art.7
Transferunt de veniali, in mortale, q.88. art.5

Cogitativa.

An in ea dentur habitus vitioſi? d.10. n.9
Qualiter appetitum dirigat? n.89

Cogitatio.

Cogitationes de rebus turpibus aliæ ſtudioſæ, & aliæ ſenſuales, d.10. n.254
Quæ ſint cauſæ per ſe, & quæ per accidens delectationis venereæ, ibid.

Cognitio.

Alia plene alia ſemiplene deliberata, diſp.10. numero 136. & 137
Alia formalis, & alia interpretativa, ibid.
Cognitio formalis entitatis actus; an ſufficiat ad inveſtigandam malitiam? n.152. & 153
Cognitio poteſt delectare, vel ratione ſui, vel ratione objecti, d.11. n.26
Vnde dignoſcendum? n.27
Cognitio ſimplex an ſit perfectior diſcurſu? q.74. art.10. n.2
Quæ cognitio malitiæ ſufficiat ad peccatum veniale? d.10. n.140
Quæ

Digitized by Google

Quæ requiratur ad mortale, n.160
Vide *Advertentia*.

Commiſſio.

Commiſſio, & omiſſio ex eodem motivo an pertineant ad eandem ſpeciem? d.8. n.14
Quo pacto differant? n. 17
Vide *Peccatum omiſſionis*.

Concupiſcentia.

Multiplex ejus acceptio, d.16. n.80
Quid importet ſive pro formali; ſive pro materiali? n. 82
Quas potentias comprehendat? n.90. & 91
Qualiter eas afficiat? n. 92
An excludat conformitatem cum regula rationis? num. 95
Qualiter ad peccatum inclinet? n.96
Quo pacto à ſenſualitate diſtinguatur? n.97
Nequit in hac vita perfecte ſanari, ibid.
Eſſetne in ſtatu naturæ puræ? n.99
Qualiter ortum habeat ex peccato Adami? numero 100
Non eſt formaliter peccatum; bene tamen cauſaliter, n.101. & 102
Eſt materia peccati originalis, n.103. & 106
Cur non peccati perſonalis? n.110
An competat animabus ſeparatis? n.108
Concupiſcibilis. Vide *Appetitus*.

Confeſſarii.

Quæ ſcire teneantur? d.13. n.11
Conſcientia. Vide *Remorſus*.

Conſenſus.

Quis dicatur interpretativus, d.10. n.190
Supponit obligationem, ibid.
Alius eſt ſimpliciter, & alius ſecundum quid, numero 204
Non datur ſine actu formali, n.146
Conſenſus formalis circa materiam gravem ſemper eſt culpa mortalis, n.206
An idem dicendum de interpretativo? ibid.
An liceat conſenſus in objectum illicitum, ſub conditione qua liceret? d.11. n.49
Diſcrimen inter conſenſum, & delectationem, n.50. & 51
Conſenſus in delectationem de cogitatione, ad quam rationem pertineat? q.74. art. 1. n.12
Poteſt eſſe bonus, art.8

Conſilium.

Operari contra conſilia, an ſit peccatum? diſputat. 18. numero 6

Continentia.

Cur deficiat à ratione virtutis? d.1. n.7

Contrarietas.

Alia eſt directa, & alia indirecta, d.1. & 2
Contrarietas inter habitus morales unde attendatur? n.5
Quam diſtantiam requirat? n.12
Contrariorum leges, & diſcrimina, n.11
Qualiter eſſe debeant ſub eodem genere, & circa idem ſubjectum? n.12. & 13
Debent ſe mutuo expellere, n.14
Requirunt determinatam latitudinem, ibid.
Ex ſola aliquorum incompoſſibilitate non arguitur eſſe contraria, ibid.
Nequeunt eſſe ſimul in gradibus intenſis, n.17

Converſio.

Converſio ad creaturam, alia eſt phyſica, & alia moralis, d.6. n.54
Vnde attendatur ejus gravitas? n.59. & 60
An poſſit ſeparari ab averſione, & manere poſt juſtificationem? d.17. n.18. & 19
Vide *Averſio*.

Creatio.

Etiam cum præſcientia futuri peccati, vel damnationis eſt Dei beneficium, & exigit gratiarum actionem, d.15. n.87

Creatura.

Vnde habeat quod poſſit peccare, d.12. toto dub. 2

Culpa.

Habet plus de ratione mali quam pœna, diſp.16. numero 133
Nulla poteſt prudenter eligi etiam ad vitandam aliam majorem, vel maximam pœnam, d.17. num.105. & 107
Vide *Peccatum*.

Cupiditas.

Triplex ejus acceptio, q.84. art.1. n.1
Eſt radix omnium peccatorum, ibid.
In quo ordine, & genere? n.2
An omne peccatum in illa radicetur? n.7

D

DEBITUM.

QVid ſit, & qualiter ſe habeat ad privationem, d.9. n.13
Vnde augeatur? n.16. & 18
Aliud eſt phyſicum, & aliud morale, d.6. n.7. & d.15. n.41
Debitum contrahendi originalem culpam quid importet? d.15. n.11
Multiplex ejus acceptio, & diviſio, n.13. & 14. & 18
An ſit culpa vel pœna? n.19. & 40
Quouſque perduret? n.20. & 28. & 37. & 38
Afficit omnes qui in Adam peccaverunt, n. 28
Quæ propoſitiones verificentur de contrahente debitum, & non peccatum? n.46
Nulli fuit debitum ingredi pactum Adami, n.77. uſque ad 85
Beata Virgo potuit excipi à debito culpæ originalis, idque ex meritis Chriſti, n.50. & 52
Fueritne excepta de facto? diſp. 15. toto dub. 4. & ſequent.
Quæ ſententia ejus cauſæ magis propitia ſit? toto dub. 5
Severiores cenſuræ contra negativam, n.224
Debitum incurrendi pœnas debitas culpæ originali, an fuerit in B. Virgine? n.220

Delectatio.

Non eſt niſi de bono poſſeſſo, d.11. n.47

An attingat objectum ſub conditione ? num. 50. & 51
Delectatio incipiens ante voluntatis conſenſum poteſt cum illo permanere, q.74. art.8
Delectatio moroſa quæ dicatur ? d.11. n.1
Vnde ſumat primariam malitiam ? n.2. & ſeq.
Sequitur conditionem objecti, n.16
Supponit appetitum illi conformem, n.18
De quibus objectis prohibitis liceat, vel non liceat delectari ſub conditione *ſi non eſſent prohibita ?* n.20. & 21
Delectatio de modo mali objecti, an ſit peccatum ? n.22. & 25
Quid ubi delectatio eſt de cognitione ? n.26
Vnde hæc dignoſcatur ? n.27
De peccato ob nullum finem licet delectari, numero 30
An de effectibus ex peccato ſequutis ? ibid.
De quibus operibus alias peccaminoſis, excuſatis tamen à malitia liceat vel non liceat delectatio ? n.34. uſque ad 41
Quid ſi delecteris de cauſa, quæ excuſat ? n.42
Quid ſi de damno corporali proximi ? num. 43. & 44
Quid ſi de damno ſpirituali ? n.45
Quid ſi extra conjugium de copula tempore conjugii habita, vel habenda ? n.46. & 47
Delectatio ſumit malitiam etiam à circunſtantiis, n.53. & ſeq.
Delectatio venerea quæ dicatur ? d.10. n.258
Non omnis delectatio tactus eſt venerea, n.261. & 262
Quantitas, & gravitas delectationis venereæ unde attendenda ? n.263
Deturne in hac materia parvitas ? ibid. & numeris ſequentibus.
Deliberatio. Vide *Advertentia.*

Demeritum.

Eſt proprietas culpæ, & qualiter ? diſp.9. n.42
Vide *Reatus.*

Denominatio.

Debet eſſe ejuſdem generis cum forma à qua deſumitur, d.6.n.106. & 107
Qui cauſat formam cauſat ejus denominationes, num.107
Denominatio extrinſeca alia omnino, alia ſecundum quid, d.10. n.20
Præſupponit denominationem intrinſecam, diſput.5. n.50
Reducitur ad illam, d.6. n.80

Deus.

Nequit eſſe cauſa peccati vel ejus fundamenti, d.6.n.89. & d.13. n.13. & 18
Quas rationes in peccato attingat ? d.6.n.90
Deo in ſe nihil poteſt eſſe contrarium, d.7.n.17

Diabolus.

Quo pacto ſit nobis cauſa peccati ? q.80. art.1. & ſequentibus.
Vide *Dæmon.*

Dictamen rationis.

Quid ſit ? d.7. n.6
An habeat vim legis ? ibid.

Difficultas.

Quando augeat, vel diminuat bonitatem aut malitiam actus ? d.9. n.74
Dilectio. Vide *Amor.*

Diſpoſitio.

Eſt in duplici differentia, d.1. n.26
Quæ ſint diſpoſitiones ad originale peccatum ? d.14. n.89
Qualiter ſe habeant ad ejus debitum ? diſput.15. n.37. & ſeq.
Diſpoſitio ad aliquam formam differt ab ea ſpecifice, d.19. n.39

Diſtantia.

Alia eſt negativa, & alia poſitiva, d.1. n.12

Diſtractio intellectus.

Non tollit à verbis ſignificationem, d.5. n.95
An tollat libertatem ? ibid.

Dæmon.

Dæmones torquentur ab igne gehennali, diſp.18. n.23. & 27
In quo hæc pœna conſiſtat ? n.25. & ſeq.
Fit per alligationem, & qualem ? n.28. & 31. & 34. & 36
Quid de alligatione unius dæmonis ab alio ? numero 48. & ſeq.
Dæmones per primum peccatum adhæſerunt Lucifero, ut Principi ad obtemperandum, numero 50
Qualiter ligentur à bonis Angelis ? n.51
Sunt ſemper in cognitione ſuæ miſeriæ, n.67
Habent pœnas inæquales, n.85
Vide *Pœna* & *Alligatio.*

Dolor.

Oritur ex apprehenſione diſconvenientis, diſputat.18. & 64
Dolor Dæmonum & animarum damnatarum quam gravis ſit ? n.65. & ſeq.
Dolor pœnæ damni an ſit pœna, & an damni, vel ſenſus ? d.18. n.4. & 16

Dominium.

Quid importet pro formali, & quid pro materiali ? d.10.n.102
Dominium actus, quam deliberationem requirat ? n.68

Dos.

Dotes corporis glorioſi, unde originentur ? diſputat.16. numero 61

E

EBRIETAS.

AN liceat aliquando ? d.10.n.221. & 222
An ſit peccatum mortale, diſp.9. n.67
Quando imputentur ad culpam, quæ in ebrietate committuntur, vel omittuntur ? diſp.5. n.82. & 87. & 94. & d.13. n.75

Effectus.

Non poteſt idem numero effectus à duplici cauſa totali procedere, d.5.n.69.& 70
Quid ſi fuerit privatio vel negatio? d.14.n.103
Quando effectus cenſeatur voluntarius in cauſa? d.5.n.105. & d.10.n.241
Retractata voluntate, non manet effectus voluntarius, d.5.n.81
Effectus peccati, qui non ſunt peccata an licite deſiderentur? n.79
Effectus procedens à diverſis cauſis, non debet ab omnibus ſecundum omnes rationes attingi, d.6.n.68. Vide *Cauſa*.

Elias P. N.

Præſervationis Deiparæ à labe originea adorator, & vates, d.15.n.2
Id ejus melota præſignabat, n.8

Ens.

Quo pacto ſit terminus adæquatus divinæ cauſalitatis? d.6.n.88
An ita pateat ſicut poſitivum? n.89

Error.

Quoties eſt vincibilis ſemper eſt peccatum, diſput.13.n.47. Vide *Ignorantia*.

Excæcatio.

Quid ſit? q.79.art.3.n.1
Cujus gratiæ abſentiam importet? n.2
In prædeſtinatis ordinatur ad eorum ſalutem; ſecus in reprobis, art.4
Eadem habes eiſdem locis de *induratione*, & *aggravatione*.

Excommunicatio.

Non incurritur propter ſolam voluntatem, d. 5. num. 79
Requirit contumaciam, n.80
An incurratur propter effectum ſolum in cauſa voluntarium, n.78
Quid ſi dans cauſam ante effectum pœniteat? num.79. & 80

Exiſtentia.

Producitur à ſolo Deo ut à cauſa principali, diſput.3.n.8
An ſufficiat exiſtentia moralis ad cauſalitatem phyſicam? d.14.n.96

Eva.

An credens ſerpenti amiſerit fidem? diſput. 16. num. 181
Si Eva ſola peccaret, filii non contraherent originalem culpam, & quare? q.81. art.5

F

FIDES.

Non habet in peccatoribus ſtatum virtutis, d.1.n.24
Fides antiquorum qualiter valeret parvulis ad ſalutem? d.14.n.48
Fidei myſteria an poſſint invincibiliter ignorari? d.13.n.12. & 14

Fideles.

Quæ ſcire teneantur? d.13.n.11
Filius. Vide *Adamus*.

Finis ultimus.

Quid ſit, & an irreferibilis ad alterum? diſp.16. num. 65
Per quid convertatur voluntas peccatoris ad ſuum ultimum finem? n.66. & 69

Fomes peccati.

Non ſupponit pro actu, ſed pro inclinatione, d.15.n.222
Non fuit in B. Virgine, ibid.
Non eſt neceſſario adnexus debito culpæ originalis, n.221

Fortitudo.

Quod habet objectum? d.9. n.55
Eſt perfectior temperantia, ibid.
Dependet à fine extrinſeco, & qualiter? n.64

Fornicatio.

Quod peccatum, & contra quam virtutem? diſp.9. num.65. & 66

Fuga mali.

Semper cauſatur ex amore boni, d.5.n.16

Furtum.

An qui furatur, ut det eleemoſynam committat duo peccata? d.5.n.53

G

Gaudium. Vide *Delectatio*.
Gloria. Vide *Honor*.

Gratia.

Perficit naturam juxta illius modum, diſputat.2. numero 24
Quis ſit ejus conceptus primarius? d.17.n.8
Duplex gratiæ conſideratio, d.16.n.130
Aliter eſt bonum hominis, & aliter bonum Dei, ibidem.
Aufertur ſecundum utramque rationem quolibet mortali peccato, n.151
An diſtinguatur à juſtitia originali? n.57.& 58
In Statu Innocentiæ eſſet radix virtutum naturalium, n.61
Quo ſenſu dictum ſit? *Facienti quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam?* d.20.n.37
Exiſtens in gratia non poteſt denominari vitioſus, d.5.n.27

Gravitas peccati.

Alia eſt eſſentialis, & alia accidentalis, diſp.6. num. 58
Unde attendatur? q.73.art.1. & d.9.n.23
An illud peccatum ſit gravius; quod opponitur præſtantiori virtuti? n.50. & 54
Gravitas converſionis ad bonum commutabile, unde

unde metienda ſit? d.6. n.59. & 60
Vide *Peccatum.*

H

HABITUS.

QVid ſit eius eſſentia? q.71.art.1.n.8
Habet ſe medio modo inter potentiam, & actum, d.3.n.2
Non eſt bonus vel malus niſi ex ordine ad illum, num. 3
Eſt cauſa ejus principalis, n.5
An univoca vel æquivoca? n.11
Non concurrit ad ſolam facilitatem, n.5. & 18
Habitus vitioſi poſſunt eſſe cum virtutibus infuſis etiam in gradibus intenſis, diſp.1. num.18. & 19
Deſtruuntur per gratiam quantum ad ſtatum vitii, n.23. & 25
Non datur habitus acquiſitus pro dilectione Dei, etiam naturali, n.30
Habitus acquiſiti qualiter conſerventur? n.32
Debent generari ex cauſa firma, d.4.n.13
Non eliciunt niſi actus propriæ potentiæ, d.10. num.6
Nullus habitus eſt in ſe peccatum, d.13.n.29
Neque etiam ut materia, d.17.n.11
Qui peccat ex habitu peccat ex certa malitia, q.78.art.2.n.5
Sed non ſemper è contra; art.3
Habens habitum non neceſſario operatur ex illo, ibid. n.2. & 3
Operari ſecundum habitum, & operari ex habitu in quo differant? n.4
Habitus appetitus dupliciter concurrit ad actum, num.6
Non datur habitus de genere mali in ordine ad eſſe, d.16.n.45
Habitus convertens voluntatem ad ultimum finem debet eſſe illa ſuperior, n.62
Nequit hoc competere habitui malo, n.63

Hæreſis.

Non aſſentire credibilibus ex ignorantia an ſit hæreſis? d.13.n.46
An hæretici habeant de ſua hæreſi conſcientiæ remorſum? d.2.n.21. & d.10.n.176
Vbi etiam de Iudæis, & Paganis.

Homo.

Inclinatur naturaliter ad vivendum ſecundum rationem, d.2.n.6
Non poteſt generari ex muliere, & bruto. q.81. art.4. n.2
Si caſus daretur talis homo non incurreret peccatum originale, ibid.
Non poteſt homo per longum tempus vitare peccatum ſine gratia, d.16.n.76
Ad quid teneatur cum pervenit ad rationis uſum? d.10.n.2. & ſeq.
Quid ei primo cogitandum, & amandum occurrat? n.7
Sitne ex ſe impotens ad amandum Deum ut authorem naturæ, & qua impotentia? n.55

Honor.

Vbi & quid ſit? d.7.n.27
Diſtinctio ejus à gloria, ibid.

I

IEIUNIUM.

QVos obliget? d.5.n.88
Quid de aſſumente infirmitatem vel laborem, ut non jejunet? n.89. & 90. & 91
Iejunium duplex naturæ, & virtutis; ſive jejuni, & jejunantis, d.8.n.24
Quæ poſſint eſſe peccata in ejus violatione? n.33. & 40. & 42. Vide *Infirmitas.*

Ignis inferni.

Eſt verus, & corporeus, d.18.n.23
Torquet Dæmones, & animas vere, & non imaginarie tanquam inſtrumentum divinæ virtutis, n.27. & 29
Quid in illis producat? n.31
Quæ ſit ejus actio prævia? n.44. & 45
Concurrit ad alligandos Dæmones etiam extra infernum exiſtentes, n.82
An ſolum effective vel etiam terminative? ibid.
Quare præ aliis elementis ad id munus aſſumatur? num.93

Ignorantia.

Dividitur in neſcientiam,& ignorantiam proprie dictam, d.13.n.1
Alia eſt puræ privationis, & alia pravæ affectionis: Alia actualis, & alia habitualis: Alia practica, & alia ſpeculativa: Alia univerſalis, & alia particularis: Alia juris, & alia facti, ibid. & n.2
Ignorantia alia eſt voluntaria, vincibilis, improbabilis, injuſta. Alia juſta, probabilis, invincibilis, n.3. & 7
Non omnis ignorantia vincibilis eſt culpabilis, num.3
Quæ ſit ignorantia antecedens, quæ conſequens, quæ concomitans? n.4
Ignorantia vincibilis alia affectata; alia craſſa, ſeu ſupina, alia pure vincibilis, n.5
Quæ diligentia reddat ignorantiam invincibilem? n.7. & 9. & 10
An omnis ignorantia proveniens ex cauſa voluntaria ſit vincibilis? n.3
Myſteria Fidei poſſunt invincibiliter ignorari, num. 12
Quid de præceptis juris naturalis,& divini, & de præceptis juris humani? n.14. & 15
Quæ ignorantia, & qualiter poſſit eſſe cauſa peccati? n.17. & ſeq.
Quæ, & qualiter ſit peccatum? num. 22. uſque ad 30. & n.39. & 41
Ignorantia habitualis qualiter ſe habeat ad peccatum? n.31
Peccatum proprium ignorantiæ, quando incurratur? n.40
Cui virtuti adverſetur? n.45
An omnis ignorantia ſit mala objective? numero 48
Peccata ex ignorantia quam habeant ſpeciem? n.49. uſque ad 65
Vbi ſit illorum malitia? n.71
Qualiter debeant eſſe prævisa, ut imputentur? n.74. & ſeq.
Qui dat operam rei illicitæ facilius incurrit peccata ex ignorantia, n.77
Qui per ignorantiam exponitur periculo plurium peccatorum cujus vel quorum contrahat malitiam? n.78. & 81. & 82

Digitized by Google

Quæ ignorantia, & qualiter excuſet vel diminuat peccatum? n.83. & ſeq.
Ignorantia affectata an augeat peccatum? n.87
Ignorantia, quæ in præceptis juris divini, & naturalis eſt vincibilis, & non excuſat; in præceptis juris humani poteſt eſſe invincibilis, & excuſans, n.90. & ſeq.
Ignorantia invincibilis excuſat homicidium à pœna, & obligatione reſtituendi, n.102

Illiberalitas.

Qualiter ſe habeat ad parvificentiam? d.9. n.60

Imaginativa.

Poteſt eſſe ſubiectum habitus pravi, d.10.n.9
Non conſummatur in illa peccatum, n.11

Impaſſibilitas.

Impaſſibilitas Adami ortum habebat ex originali iuſtitia, d.14. n.74

Imperium.

An ſit idem actus cum imperato? d.5.n.54

Imperfectior.

Accipitur tripliciter, d.19.n.8. & 9
An diſtinguatur à peccato veniali? ibid.
Imperfectio oppoſita conſiliis an ſit actus bonus? num.9

Inanis gloria.

Eſt primum peccatum capitale, q.84.art.4

Inclinatio.

Quælibet natura inclinatur in operationem ſibi conſonam, d.2.n.6
Naturæ rationali ineſt inclinatio ad bonum honeſtum, ibid.
Reſpectu cuius boni ſit, aut non ſit completa? num. 13
Prædicta, inclinatio alia eſt proxima, & alia radicalis, q.85 art.2
An diſtinguantur ab eſſentiis animæ, & potentiarum? ibid. n.2
An & qualiter diminuantur per peccatum? ibid. & d.16.n.155

Inconſideratio.

Solet accipi pro ignorantia actuali, d.13.n.22
Alia opponitur ſtudioſitati, & alia prudentiæ, num.46
Quando ſit naturalis, & quando peccaminoſa? d.10.n.172

Infernus.

An aliquis ibi detruſus huc remeaverit? diſp.17. n.61. & ſeq.
Quid de defunctis in mortali peccato, & poſtea reſuſcitatis? ibid.

Infidelitas.

Vnde, & quot habeat ſpecies? d.6. n.32

Infirmitas.

An & qualiter excuſet à præceptorum adimpletione? d.5. n.44
An voluntarie incurſa extrahat ab obligatione legis? n.87. Vide *Iejunium.*

Injuſtitia.

Quæ ſit ejus ratio objectiva? diſput.4. num.10. & 11
An in ejus materia ſit duplex habitus? n.14.& 15

Innocentia.

Deſcribitur eius ſtatus, & perfectio, d.16. n.4. & num.159
An homo in eo ſtatu poſſet peccare venialiter? q.89. art.3. n.2. & 3
Quæ eſſent virtutes in illo ſtatu? d.16.n.61
Vide *Status.*

Innocens.

Non poteſt licite occidi etiam ob multorum vitam conſervandam, d.15.n.238

Inobedientia.

Qualiter ſe habeat ad prohibitionem? d.7. n.16
Quando peccans eam incurrat? ibid.

Inſtans.

Aliud eſt metaphyſicum, & aliud morale, d.10. num.7
Primum inſtans morale, quid includat? ibid.
Non eſt æquale in omnibus, n.12
Ad quid homo in illo obligetur? n.2. & 16

Intellectus.

An & quid participet à voluntate? d.10. n.70. & 71
Quid aliæ potentiæ ex eo participent? n.72
Quam habeat libertatem? ibid. & n.73
Intellectio. Vide *Advertentia.*

Intemperantia.

An ſit pejor timiditate? diſput.9.num.40. & 61. & 62
Eius peccata an ſint mortalia ex genere? n.65

Intenſio.

Quæ requiratur in actibus ad generandum habitum, d.16.n.22
Qualiter debeat illos afficere? ibid.

Intentio.

An bona intentio poſſit eſſe cauſa malæ electionis? d.5.n.44
An quæ habetur hodie poſſet extendi ad electionem craſtinam? n.55
Iraſcibilis. Vide *Appetitus.*

Iudex.

Competit ei taxare pœnam, d.17.n.22
Quid ſit illi circa hoc attendendum? n.89

Iudicium rationis.

Poteſt eſſe infirmum ex parte ſubiecti, & ex parte objecti, d.10.n.138
Quæ infirmitas obſtet plenæ deliberationi? ibid.
Primum iudicium à quo ſit? n.113. & 114
An iudicium erroneum poſſit habere rationem legis? d.7.n.8

Digitized by Google

Iuramentum.

Diſtinguitur ſpecie à voto, d.8.n.33

Ius.

Qualiter ſe habeat ad iuſtitiam? d.4.n.10. & 11

Iuſtitia.

Quæ ſit eius ratio obiectiva, d.4.n.10. & 11
Eius conceptus primarius, & ſecundarius, ibid.
Habitus iuſtitiæ an generetur per actus circa modica? n.16
Iuſtitia originalis quo pacto fuit collata Adamo? d.16.n.5
Eius effectus, ibid.
Eius ſubiectum, n.6
Differentia eius à gratia, n.7
Partes eius integrales, n.57
Perficiebat animam duplici ratione, d.14.n.74
Qualiter transfundenda ad Adami poſteros? n.76. & ſeq.

Iuſtificatio.

An ſit motus vel mutatio? d.16.n.73. & 74
Quis eius terminus à quo? ibid. & d.15.n.35
An maneat in iuſtificatis aliquid originalis culpæ? d.15.n.4
Quid de iuſtificato in inſtanti uſus rationis qui in Adamo peccaſſet? n.44.& ſeq. Vide *Debitum*.

L

LEX.

Eius diffinitio, & actus, d.7.n.1
Lex æterna quid ſit? ibid.
Diſtinguitur à providentia; ibid.
Qualiter nobis manifeſtetur? n.2
Eſt menſura prima noſtrorum actuum, ibid.
Participatur in aliis legibus, ibid.
Quæ præcipiat, aut prohibeat, & quare? n.2. & n.11
Omne peccatum habet eſſe contra illam, n.4
Duplex legis acceptio, d.19.n.10
Quæ dicatur lex ſimpliciter, & quæ ſecundum quid? n.14
Lex ſimpliciter poteſt violari ſolum ſecundum quid, n.12. & 13
Quando actus non ſit ſimpliciter contra legem? n.13. & 14
Duplex finis legis, n.29
Exceptio à lege differt ab excuſatione, & in quo? d.5. n.86
Lex humana non eſt ſufficiens regula moralitatis, d.10.n.46
Poteſt relaxari per tranſgreſſiones; n.185
Secus lex naturalis, ibid.
Reſpectu cuius legis omnia peccata ſint mala; quia prohibita? d.7. n.9. & 11
Quid ea lex ſupponat ut prohibitionis fundamentum? ibid.
Lex naturalis an ſupponat actum voluntatis? n.8
Quæ præcipiat vel prohibeat ſub mortali? d.10. num.185
Cur quædam ſub mortali, quædam ſolum ſub veniali prohibeat? d.19.n.26
Si omnis lex deficeret nullum eſſet peccatum neque malum mortale, d.7.n.4. Vide *Præceptum*.

Legiſlator.

An & qualiter poſſit iniungere obligationem ſub mortali? d.19.n.27
Vnde venanda intentio iſta obligandi? n.28

Libertas.

Quid ſit? d.10.n.8
Fundatur in potentia activa, n.33
Requirit dominium ſupra actum, n.68
Exprimit vitam, & actualitatem, d.5.n.22
Quæ ſit libertas in cauſa? n.100
Quæ libertas requiratur, & ſufficiat ad actum moralem? d.10.n.66. & 67
Carentes uſu rationis, an habeant libertatem? num.68
Libertas aliter convenit voluntati, atque aliis potentiis, n.100
Quæ ſit libertas actuum, quæ habituum; & quæ appetitus? ibid. & n.101
Et quæ intellectus? n.72. & 73
Quæ ſufficiat ad peccatum mortale, & quæ ad veniale? n.141
Quo pacto à moralitate diſtinguatur? d.20.n.53
Vide *Appetitus*.

Limbus.

Detentio juſtorum in illo fuit pœna peccati Adami, d.15.n.172
Parvuli decedentes cum originali non habent in limbo niſi pœnam damni, d.17.n.75
Qualiter ſint in eo loco ne ab illo patiantur? d.18. n.104

Luxuria.

Diverſitas illorum, quæ ad luxuriam pertinent, d.10. n.257
An admittat materiæ parvitatem? n.263
Quæ ſint in eo genere obiecta gravia, & quæ levia? ibid.
Quæ cauſæ graves, & quæ leves? n.268. & ſeq.
Quæ medio modo ſe habentes? n.275

M

MACVLA.

Macula peccati mortalis in quo conſiſtat? q.86.art.2.n.4
An diſtinguatur à peccato habituali? ibid.
An ſit aliquid poſitivum? n.7
Quam tribuat denominationem? n.10. & ſeq.
Peccati venialis an ſit aliqua macula, & in quo conſiſtat? q.89.art.1.n.2. & ſeq.

Malitia moralis.

In quo conſiſtat? d.6.n.64
Eſt maior in actu, quam in habitu, d.3.n.1
Quæ ſit cauſa huius exceſſus, & quomodo? n.9. & ſeq.
In peccato commiſſionis datur malitia privativa, d.6.n.1
Eſt unica privatio, n.18
Cuius formæ ſit carentia? n.24
Qualiter ad peccatum ſe habeat? n.52. & 53
Conſequitur ad malitiam poſitivam, n.116.& 119
An hæc ſit concedenda? d.6. toto dub.3. & 4
Quod ſit eius munus & quid addat rationi entis? n.90. & 91
Non attingitur à cauſalitate divina, ſed à ſola voluntate creata, n.86
In quo genere conſtituenda ſit? n.105. & ſeq.

Eſt deterior, quam malitia privativa, n.122
Neutra eſt infinita, d.17.n.91
An conveniant univoce? d.6.n.100. & d.8.n.2. & ſeq.
Quæ ſit & in quibus actibus malitia fundamentalis? d.17.n.11
Malitia alia formalis, & alia objectiva, d.10.n.2
Comparatio utriuſque, n.42. & 43
Vnde ſumatur prima ſpecies malitiæ? q.72.art.1. num.5
Vnde recipiat augmentum, vel diminutionem? q.76.art.3
An facilius cognoſcatur malitia mortalis, quam venialis? d.10.n.168
Neutra poteſt habere rationem pœnæ, d.14.n.120. & d.17.n.28
Quæ ſit malitia actus otioſi? d.6.n.21
Quid ſit peccare ex certa malitia? q.78. art.1. & 2. & 3
De gravitate hujus peccati? art.4

Malum.

Quo modo ex quocunque defectu? d.1.n.28
Aliud eſt malum abſolute, & aliud malum proprie morale, d.6.n.35. & 48
Quo pacto hæc mala inter ſe comparentur? n.49
Cui prius impoſitum fuerit nomen mali? n.62
Quo ſenſu accipiendum, quod nemo reſpiciens ad malum operatur? n.68
Non datur ratio communis omni malo, n.95
An differant malum, peccatum, & culpa? d.7.n.3
Ob nullum finem licet eligere malum morale, d.10.n.215
An liceat eligere minus malum ad majus cavendum? n.217
An diviſio mali in pœnam, & culpam, ſit adæquata? d.7.n.27
Malum culpæ quo pacto reparabile? d.17.n.21
Non poteſt eſſe pœna, n.26
Malum morale, ex ordine ad quem finem attendatur? d.19.n.36
Quid de artificiali? ibid.
Mala objective, quæ dicantur? d.10.n.46. V. *Culpa.*

Beata Maria.

Beatiſſimam Virginem Mariam fuiſſe in gratia ſanctificante conceptam, & à culpa originali præſervatam, Carmelitæ primi docuerunt, d.15. n.2. & ſeq.
Potuit excipi etiã à debito illius culpæ, n.50. & 52
An in tali caſu poſſet eſſe redempta? d.15. toto dub.3
An de facto tale debitum incurrerit? toto dub.4. & 6
Quæ ſententia magis propitia ſit cauſæ Deiparæ? toto dub.5
Quid de debito incurrendi pœnas culpæ originalis? d.15. n.120
Beata Virgo fuit per Chriſtum redempta, n.162
Et reconciliata, n.163
Et baptizata, n.661

Mendacium.

An per habitum mentiendi denominetur quis ſimpliciter vitioſus? d.1.n.28

Meritum.

Quam libertatem requirat? d.5.n.100
Mereri alteri & mereri pro altero in quo differant? d.14.n.126

Moralitas.

Quid ſit? d.6.n.71
Dividitur adæquate in bonitatem & malitiam, n.72. & 73
Qualis hæc diviſio? n.75
Moralitas formalis cauſatur ex objectiva, & qualiter? d.10.n.38. & 39
An ſit æquivoca peccato commiſſionis, & omiſſionis? d.6.n.100
Diſtinguitur à libertate, d.20.n.53
Quæ ſit ejus regula? ibid.

Mors.

Quomodo homini naturalis? d.2. n.9. & q.85. art.6
Non dicit poſitivum, ſed vitæ privationem, d.16. num.50
Quo pacto ſit effectus peccati Adami? q.5.art.5
Eſt pœna peccati originalis, ibid.

Motus.

Quas mutationes includat? d.8.n.15. & 16
Motus appetitus, alio primo primi, alii ſecundo primi, alii deliberati, d.10.n.108
Qui ex illis ſint peccaminoſi? ibid. & num.118. & 121
Quem ad id requirant voluntatis concurſum? n.51. & n.191
Quam advertentiam ex parte intellectus? n.140. & 148. & 160
Quando imputentur ad culpam, vel ab ea excuſentur, ratione cauſæ? n.111. & ſeq.
An & qualiter teneatur voluntas eis reſiſtere? n.192. & 193. & 195
Motus ex objecto indifferentes an ſint peccata? d.10.n.76
Motus primo primi in voluntate, quo pacto dicantur naturales? d.2.n.11

N

NATIVITAS.

Alia eſt in utero & alia ex utero, d.15.n.3

Natura humana.

Qualiter per vitia infirma reddatur? d.2.n.1
Omnia vitia ei adverſantur, ibid.
Quæ ſit illi inclinatio ad bonum honeſtum? n.6. & q.85. art.2
Quis appetitus ad virtutes infuſas? d.2.n.23
Habet immediatum ordinem ad Deum, n.17
Non poteſt habere in unico individuo omnem perfectionem debitam ſpeciei, n.25
Congruunt illi pro diverſis ſtatibus perfectiones oppoſitæ, n.24. & 25. & 26
Non omne ejus malum eſt morale, d.7.n.4
Quibus perfectionibus ornaretur in ſtatu juſtitiæ originalis? d.16.n.4. & 5
Quæ dona amiſerit per originale peccatum? n.11
Quæ eſſent ejus conditiones conditæ in puris naturalibus? n.1. & 2. & 3
Peccatum contra naturam, cur graviſſimum? d.9. n.66. Vide *Inclinatio*, & *Status.*

Negatio.

Negationis non eſt vera negatio, d.7.n.14
Negatio pura an poſſit eſſe effectus? d.14.n.79
Negatio boni an poſſit eſſe beneficium? diſp.15. n.87. & 88

Negligentia.

Alia exiſtit in intellectu, & alia in voluntate, d.13.n.46
Negligentia addiſcendi quod peccatum? n.23
Opponitur ſtudioſitati, ibid.

O

OBduratio. Vide *Excæcatio.*

Objectum.

Eſt minus determinatum ad bonum vel malum, quam actus, d.3. n.13
Non influit niſi per modum termini, d.6.n.66
Objectum peccati ex duplici capite eſt malũ,n.60
Influit ut phyſicum, & ut morale, n.65
Objectum ſpecificativum voluntatis quod ſit? d.5. n.16
Objecta moralia an habeant rationem finis, d.5. num. 14
Objectum habitus poteſt eſſe difficile ab intrinſeco, & ab extrinſeco, d.9.n.72
De quibus objectis liceat vel non liceat delectari? d.11.n.52. Vide *Delectatio.*

Obligatio.

Alia eſt ad obſervandam legem, alia ad non abolendam, d.10.n.185. Vide *Malum.*

Odium Dei.

An potuerit non prohiberi? d.7.n.12
An non prohibitum eſſet peccatum? ibid.
An Deus poſſit in ejus prohibitione diſpenſare? num.13

Offenſa.

Eſt duplex activa & formalis, d.7.n.22
Activa non diſtinguitur à malitia peccati, n.23
Quid de formali, & de ejus ſubjecto, & magnitudine? n.24. & 25. & 26
In quo hæc offenſa conſiſtat? n.27
Vbi etiam de offenſa activa. Quid de offenſa veniali? q.89.art.1.n.8. & 10

Omiſſio.

A quo denominetur voluntaria? d.5.n.1
Omiſſio intrinſeca voluntaria eſt à principio intrinſeco, n.3
Habet intrinſecam malitiam, ibid.
Eſt in ea duplex ratio privativa, n.6
Fuit ſe ipſa à voluntate, n.7
Eſt voluntaria in ſe, & in cauſa, n.8. & n.24
Non poteſt dari ſine aliquo actu ex quo cauſetur, n.14. & ſeq.
Quid ſi Deus deneget prædeterminationem? numero 32. & ſeq.
An ſit à voluntate ut ab agente, vel potius ut à non agente, n.19
An ſit ab ea ut à principio vitali? ibid.
Egreditur phyſice ab illa, n.23
Omiſſio voluntaria in cauſa eſt peccatum in ſe, & formaliter, n.74. & ſeq.
Opponitur ſecũdum ſe præcepto affirmativo, n.75
Omiſſio prævifa in cauſa non ſemper eſt peccatum etiam in ipſa cauſa, n.91
Quod ſit fundamentum proximum omiſſionis? d.5.n.24
An omiſſio, & actus qui eſt ejus cauſa habeant diſtinctas malitias? n.49
An conſtituant diverſa peccata? n.54
An omiſſio actus prohibiti ſit vera privatio? d.6.n.15. & 16
An denominetur bona, & amabilis? n.17
An omiſſio actus debiti diſtinguatur à commiſſione? d.8.n.1
An ſemper oriatur ex aliqua motivo, n.9
Vnde hoc venari debeat? n.11. & 12
An omiſſio ſit minus mala, quam commiſſio? numero 13
Vnde ſumat gravitatem? d.9.n.21
Omiſſio reſiſtendi motibus illicitis, qualiter ſit prohibita? d.10.n.105
Omiſſionis effectus alii ſunt per ſe, & alii per accidens, n.208
Qualiter utrique voluntarii? ibid.

Oppoſitio.

Quid ſit? d.1. n.11
Quæ dicatur directa & quæ indirecta? ibid.
In nulla re poteſt eſſe ratio primaria, & ſpecificativa, d.11.n.11. Vide *Contrarietas.*

P

PACTVM.

SVb quibus conditionibus inierit Deus pactum cum Adamo circa originalem juſtitiam vel culpam? d.14. n.36
Fuit in beneficium omnium poſterorũ.d.15.n.85
Excluſio alicujus ab illo pacto non eſſet beneficium, Ibid. n.90

Parvuli.

Decedentes in originali habebunt pœnam damni, d.18.n.93
Non tamen pœnam ullam ſenſus, n.94
Nullo afficientur dolore ex carentia beatitudinis, n.98. & 101
Num ſe illa privatos agnoſcant? ibid.
Aſſiſtent judicio univerſali, n.99
Quæ cognitio illis debeatur? n.100
Eſt in eis ratio recta, n.102
Eorum corpora nihil patientur; n.104
Quis eorum locus poſt diem judicii? n.107
An eorum voluntas ſit converſa ad bonum commutabile? d.16. n 68. & 79
An ob culpam originalem ſint digni increpatione? d.14.n.58
Parvuli in ſtatu innocentiæ naſcerentur cum virtutibus infuſis, d.16. n.60
Ad quid teneantur parvuli cum ad uſum rationis perveniunt? d.20.n.2. & ſeq.
Quod eis præbeatur auxilium ad implendum præceptum dilectionis Dei? n.25. & 28
Quid de parvulo nutrito in ſilvis? n.67
Vide *Amor*, & *Auxilium.*

Paſſio appetitus.

Qualiter poſſit movere voluntatem? q.77.art.1. n.2. & ſeq.
Quæ paſſio augeat peccatum vel diminuat, vel ab eo excuſet? art.6. & 7

Peccatum.

Vnde dictum? d.5.n.100
Ejus diffinitio, q.71.art.6
Debet eſſe per ſe voluntarium, d.14.n.31

Digitized by Google

Licet ſit contra naturam non eſt violentum, d.2. num. 3
Quam requirat libertatem? d.5. n.100
Ex propria ratione habet eſſe contra legem, d.7. num. 3
Et contra dictamen rationis, n.5
Et contra naturam rationalem, n.4. & 6
Et contra Deum, n.17
Quot modis ei opponatur? n.19
Si omnis lex deficeret nullum eſſet peccatum, n.14
Reſpectus peccati ad legem qualis? d.8.n.26
Quo pacto illi opponatur? d.16.n.110
Qualiter opponatur contrariæ virtuti? d.11.dob.1
Vnde & qualiter ſumant peccata unitatem, & diſtinctionem ſpecificam? d.6. n.31. & 32. & q.72. art.1. n.2. uſque ad7. & art.3. & 5
An & qualiter diſtinguantur peccata ex parte præceptorum? d.8.n.26. & 28. & 29
An & qualiter diverſi actus unum numero peccatum conſtituant? d.5.n.54
Variæ peccatorum diviſiones, q.72.art.4. & ſeq.
Peccati gravitas alia eſſentialis, & alia accidentalis, d.6. n.58
Gravitas eſſentialis unde attendatur? d.9.n.51
An ex parte privationis? n.23
An ex oppoſitione ad majorem virtutem? n.50. & 54
Quod peccatum abſolute dicendum ſit gravius? num. 43
Non omnia peccata ſunt connexa, q.73.art.1
Neque paria, art.2. & d.9.n.1.& ſeq.
Augentur ex nocumento ſequuto, q.73.art.8
Et ex perſona in quam peccatur, art.9
Et ex perſona peccante, art.10
Peccata contra jus poſitivum poſſunt eſſe inæqualia, d.9.n.25
Vnde ea inæqualitas deſumatur? n.31.& 32
Peccatum levius ex objecto an poſſit ratione circunſtantiarum augeri ſuprà aliud ex objecto gravius? n.38. & 40
Peccati ſubjectum non ſunt membra corporis, neque ſenſus externi, d.10.n.12
Poteſt recipi in omnibus potentiis quæ moventur à voluntate, q.74.art.2
Quæ ſunt iſtæ potentiæ? d.10.n.9
Non imputatur peccatum niſi ſuppoſito illud exequenti, d.5. n.96
Quid de conſulente, vel præcipiente? ibid.& n.77
Peccatum actuale dum non retractatur manet in Dei abominatione, p.14.n.92
Exercet inde oppoſitionem phyſicam cum gratia, ibid.
Peccatum commiſſionis unde ita dictum? d.5.n.63
Habet malitiam privativam, d.6.n.1
Et etiam poſitivam, n.43, & ſeq.
Per quam conſtituatur? n.113.& ſeq.
An per utramque, n.114
Peccatum commiſſionis an ſit pejus peccato, omiſſionis? d.8.n.13
An aliquando ejuſdem ſpeciei? d.6.n.98. & 102. & d.8. n.1. & ſeq.
Qualiter malum prædicetur de peccato commiſſionis? d.6. n.100
Peccatum omiſſionis unde dictum? d.5.n.63
Cui præcepto opponitur? d.5.n.1
Quæ ſit ejus malitia conſtitutiva? n.2
An, & qualiter requirat actum? ibid.& n.3.& 4. & 14
Datur cum ſola libertate in cauſa, n.78
An, & quomodo cum peccato commiſſionis conveniat? d.6.n.98
Quando incipiat & compleatur? d.5.n.46
An & qualiter contrarietur naturæ rationali? d.2. num. 15
Debetur ei pœna ſenſus, d.5.n.12. & 13
An repetitum generet habitum? n.9
Ad quid iſte habitus inclinet? n.11. Vide *Omiſſio.*
Peccatum habituale, quo pacto ſit voluntarium? d.14. n.31
Non eſt aliquid poſitivum, d.16.n.62. & 63
In quo conſiſtat? n.150.& q.86.art.2.n.7.& 10. ſeq.
Quam denominationem ſubjecto tribuat? ibid.
Non terminus primarius peccati actualis; ſed ſecundarius, d.6.n.101
Qualiter correſpondeat illi pœna, d.14.n.124
Reducitur ad ſpeciem ſui peccati actualis, d.16. num. 156
Diverſificatur per ordinem ad illum, n.150
Non omnia peccata habitualia ſunt æqualia, numero 151. & 152
Peccatum mortale unde dicatur? d.19.n.1
Eſt ſimpliciter contra legem, n.10
Opponitur gratiæ, & charitati, n.11
De ordinat voluntatem, uſque ad finem, n.12
Avertit illam à Deo, ibid.
Inducit plures privationes, d.6.n.13
Permanet moraliter dum non retractatur, d.17. num. 18
Expellit phyſice gratiam, d.14.n.91
Cauſat & conſervat ejus privationem, ibid.
Includit voluntatem avertendi perpetuo à Deo, d.17. n.80
Quæ & qualiter averſio, & converſio in eo reperiantur? d.6.n.54
Quam cognitionem, & advertentiam requirat? d.10.n.148. & n.160. Vide *Advertentia.*
Quæ peccata ſint ex genere mortalia? d.19.n.28. & ſeq.
An diſtinguantur eſſentialiter à venialibus & ex quibus capitibus? n.33. & 35
Variæ illorum differentiæ, n.10. & ſeq.
Quæ ſit eſſentialis, & quæ accidentalis? n.13
Vnde attendenda differentia radicalis in iis quæ ſola lege naturali prohibentur? n.26
Vnde in illis quæ prohibentur lege naturæ, n.29
Vnde in venialibus ex defectu deliberationis, vel ex parvitate materiæ? n.22. & 23
Diviſio peccati in mortale & veniale an ſit eſſentialis, n.35
An univoca vel analoga? n.41. & ſeq.
Peccato mortali debetur pœna æterna lege juſtitiæ; d.17.n.67. & ſeq.
Sed non pœna infinita ſecundum intenſionem, n.90. & 91
Quid de pœna infinita ſolum ſyncathegorematice? n.97
Quid de peccato ut eſt infinita Dei offenſa? n.104
An cuilibet peccato mortali debeatur major pœna etiam ſenſus, quam cunctis venialibus? n.108
An & quomodo aliqui in peccatò mortali decedentes tandem vitam æternam fuerint conſequuti? n.64. & 65
Peccatum Adami dicitur peccatum originale originans; d.14.n.1
Omnes poſteri debent pro illo Deo ſanctificationem; d.15.n.120
Quæ fuerint in illo malitiæ ſpecies, & quo ordine? d.16. toto dub.6
Continuit virtualiter malitias omnium originalium, d.14. n.109
Non tamen malitiam infinitam, n.110. & 111

Exiſtit

Exiſtit virtualiter in infectione carnis, n.117
Debeat eſſe primum, quod Adamus committeret, num. 137
Quo pacto fuerit peccatum poſterorum? n.90
Qualiter cauſa phyſica noſtri originalis? diſp.14. toto dub.3
An & quomodo cauſa de meritoria? n.121.& 131
Nihil poſitivum ſemini Adami communicavit, d.16. n.10
Neque id in poſteros transfudit, n.19. & 29
Sed ſolam privationem originalis juſtitiæ, n.36. & ſeq.
An transfuderit aliquam pravam corporis, vel virium animi diſpoſitionem, d.14.n.67. & 68
An fuerit omnium graviſſimum? d.16.n.177
Vide *Adamus.*
Peccatum originale originatum eſt certum ſecundum fidem, d.14.n.1.& 2
Cur dicatur peccatum naturæ, & non perſonæ? n.14. & 46
Eſt proprie, & vere peccatum, n.18
Eſt nobis voluntarium, & quomodo? n.38. & 39
Quo pacto parvulos afficiat? n.58
Inhæſt unicuique ſuum proprium, & non niſi unicum, n.112. & 145
Habet aliquid culpæ, & aliquid pœnæ, n.60
Quæ ſit ejus cauſa effectiva? n.61
Conſervat intrinſecum reſpectum ad peccatum Adami per quem conſtituitur in eſſe voluntarii, n.115. & 116
Contrahitur ab omnibus propter deſcendentiam ab Adamo per ſeminalem propagationem, n.104
Quid ſi aliquis virtute divina ex humana carne formaretur? q.81.art.4
Quid in variis aliis caſibus? ibid.n.5. & 6
Peccatum originale non conſiſtit in aliquo poſitivo, d.16.n.44. & ſeq.
Quo pacto à D.Thom. vocetur habitus? n.70
In qua privatione conſiſtat? n.113. & ſeq.
Quid importet pro materiali? n.88.& ſeq.& d.14. num. 18
Non eſt peccatum actuale ſed habituale, n.31
Pertinet primario ad ſpeciem ſuperbiæ, diſp.16. num.157
Pertinet etiam ad inobedientiam & ad gulã, n.164
Eſt æqualis in omnibus, q.82.art.4
Recipitur immediate in anima, d.16.n.120
Extenditur etiam ad potentias, & primo ad voluntatem, q.83.art.3
Inficit peculiari ratione concupiſcibilem generativam, & tactum, q.83.art.4
Diminuit naturalem inclinationem ad bonum, q.85.art.2.n.11
Vulneravit hominem etiam in naturalibus, d.16. n.34. & q.85. art.3
Cur debeatur illi pœna damni & non ſenſus? diſput.18. n.97
Quo pacto ſit effectus peccati Adami? d.14.toto dub. 3
Peccatum veniale à venia dictum, & à cauſa & quomodo? d.19.n.1
Eſt in triplici differentia ex genere, ex parvitate materiæ, & ex imperfecta deliberatione, ibid. & d.4. n.1
An ſit infirmitas animæ? d.4.n.4
Potius eſt præter Deum, quam contra Deum, d.7. num.18
Eſt ejus offenſa ſecundum quid, ibid. & q. 89. art.1. n.8
Quo pacto dicatur eſſe præter legem, & non contra legem? d.19.n.10
Non opponitur charitati, ſed ejus fervori, n.11
Non avertit à Deo, n.12
Deordinat voluntatem ſalvo ordine ad finem, ib.
Diſponit ad peccatum mortale, q.88.art.3
Diſtinguitur eſſentialiter ab illo, & ex quibus capitibus? d.19.n.4. & n.34. & 35
Varia inter utrunque diſcrimina, n.12
An & quomodo idem actus qui eſt peccatum veniale poſſit fieri mortale? q.88.art.4
An, & quomodo peccata venialia repetita deſtruant oppoſitam virtutem? d.4.n.1. & ſeq.
An generent habitum vitii? n.13. & 14
Peccata venialia ex parvitate materiæ, quomodo reducantur ad ſpecies mortalium? d.19.n.47
Quæ eſſe debeat ea materiæ parvitas? n.24
Nullum peccatum veniale poteſt adæquare gravitatem mortalis, d.9.n.43
Neque ex pluribus venialibus poteſt unum mortale coaleſcere, q.88.art.4
In nullo caſu peccatum veniale poteſt licite fieri etiam ob vitandum majus malum, d.10.n.116
An venialia peccata diminuant naturalem inclinationem ad bonum? q.85.art.2 n.10
An peccatum ex malitia poſſit eſſe veniale? q.78. art.1. n.8
An peccato veniali debeatur pœna temporalis vel æterna? Et quid ſi jungatur cum mortali? d.17. n.68. & 73. & 74. & 88. & d.19.n.4
Peccatum veniale nequit conjungi cum ſolo originali, & quare? d.20. toto dub.2

Permiſſio.

Quo pacto diſtinguatur à conſenſu? d.10.n.188
An permiſſio peccati poſſit eſſe pœna, & quid ſi peccatum ſit primum? d.17.n.27

Periculum.

Aliud eſt intrinſecum, & aliud extrinſecum, diſput.20. n.6
Qualiter debeat præcognoſci, ut teneatur homo illud vitare? d.10.n.148. & 160

Perjurium.

Quam advertentiam requirat ut ſit peccatum mortale? d.10.n.177
Quid de perjuriis ex conſuetudine? ibid. & d.5. n.94. & 95

Pœna.

Eſt privatio perfectionis habitualis, d.13.n.29
Supponit culpam ſibi proportionatam, d.17.n.12
Debet eſſe diſconveniens patienti, ibid.
Et contra ejus voluntatem, n.25
Eſt malum proprium creaturæ rationalis ſine reſpectu ad aliam regulam, n.23
Opponitur proprio ejus bono, n.95
Cui ejus inclinationi repugnet? n.39
Honeſtatur ex ordine ad finem, n.14
Quæ requirat ut ſit juſta? n.87
Non redditur directè pro offenſa, n.83. & 104
Non ordinatur per ſe ad reparandam offenſam, ſed malitiam, n.103
In quo differat à ſatisfactione? ibid.
Pœna debet eſſe taxata à Iudice, & ob quem finem? d.17.n.21
Habet minus de ratione mali, quam culpæ, d.16. num. 133
Licet eligere maximam pœnam ad vitandam quantumvis minimam culpam; non tamen è contra, d.17.n.105

Peccatum ſecundum rationem malitiæ non poteſt eſſe pœna, n.28
Quid de antecedentibus, concomitantibus, & conſequentibus peccatum? n.27
Quid de actibus voluntatis, quo ad entitatem phyſicam? n.32
Quid de permiſſione peccati, & negatione auxiliorum, quibus erat cavendum? n.27
Quid de actibus, à voluntate imperati? n.34
Quid de privatione, in qua peccatum omiſſionis conſiſtit? n.53
Pœna inferni eſt æterna ſecundum fidem, d.17. num. 56
Debetur ex iuſtitia, & per ſe peccato mortali, n.67. & ſeq.
Quid de peccatis venialibus, non dimiſſis in hac vita? n.73. & 74
Quid de reſiduo pœnæ peccati dimiſſi in hac vita quoad culpam? n.56. & 75
Nulli peccato debetur pœna infinita ſecundum intentionem, n.90
Pœna medicinalis, quo pacto peccatum reſpiciat? q.87. art.7
Non poteſt eſſe ex ſpiritualibus, ibid.
Quæ imponūtur tranſgreſſoribus legum non obligantium ſub culpa an propriè ſint pœnæ? ibid.
Pœnis corporalibus ſæpe unus pro alio punitur; ſecus ſpiritualibus, q.87. art.8
Quid de pœna ſatisfactoria? ibid.
Pœna damni, quæ dicatur? d.18.n.2
Poteſt inferre nocumentum ſimul, & dolorem, n.2
Ad quæ ſe extendat? n.3
Eſt infinita ſecundum quid, d.17.n.93
Eſt inæqualis in damnatis, d.18.n.7
Vnde ejus inæqualitas? n.10. & ſeq.
In decedentibus cum ſolo originali eſt omnino æqualis, n.20
Dilatio viſionis beatificæ in animabus purgatorii an ſit pœna damni? n.6
Quid de dolore orto ex ipſa damni pœna? ibid.
Pœna ſenſus unde dicta & quæ ſit? d.18.n.1
Comprehendit pœnam ſpiritualem, ibid.
Et etiam aliqua damna, n.2
Et omnia tormenta, quibus corpora torquentur, num.3
Correſpondet tam converſioni peccati, quam averſioni, d.17.n.95
Non tamen converſioni habituali, d.18.n.95
Non eſt æqualis in animabus damnatis, n.7
Neque in Dæmonibus, n.55
Neque in animabus purgatorii, n.85. & 86
An aliquæ ex animabus damnatis gravius torqueantur, quam aliqui dæmones? n.89
Vide *Allegatio dæmon.*

Pœnitentia.

Expellit effective omnia peccata, d.1.n.23
Ejus omiſſio uſque in finem an ſit peccatum contra Spiritum ſanctum? d.8.n.21

Pollutio.

Si ſit voluntaria nequit à culpa mortali excuſari, d.10.n.128
Prohibetur naturali lege, ibid.
Ob nullum finem poteſt licere, & quare? n.226. & 227. & n.231. & ſeq.
Quæ ſint eius cauſæ per accidens? n.249
Quæ per ſe graves, aut leves? n.268. & 274
Quid de pollutione per accidens, vel naturaliter eveniente? d.11.n.37. & 39. Vide *Delectatio.*

Potentia.

An diſtinguantur violenta, & naturalis? d.1.n.16
An utraque ab obedientiali? n.15
Eadem potentia eſt ad bonum, & ad malum, d.1.n.1
Potentia non eſt ita bona vel mala ſicut actus, & habitus, ibid.
Quæ potentiæ ſubdantur dominio voluntatis? d.10.n.17
Quæ ſint capaces in ſuis actibus malitiæ intrinſecæ? n.9
Potentiæ rationales recipiunt aliquid de linea gratiæ, ex coniunctione ad illam, d.10.n.61
Participatio unius potentiæ ab alia in quibus contingat? n.70. & 71. & 72
Potentia peccandi quid ſit, & unde ortum ducat? d.12. fuſe per totam.

Præceptum.

An eius diſtinctio, aut multiplicitas diſtinguat vel multiplicet peccata? d.8.n.26. & 28. & 29
Præcepta non dantur de habitibus, ſed de actibus, aut etiam de omiſſionibus, d.13.n.28. & 34
Præcepta affirmativa ſunt ex conſequenti negativa, & è converſo, d.5.n.47
Præceptum negativum poteſt obligare ad aliquem actum, d.8.n.25
Præceptum, quod fregit Adamus ſuperbiendo fuit ſimpliciter negativum, d.16. n.167. & 168
Præceptum non edendi de ligno vitæ, ſub quo pacto fuerit Adamo impoſitum? d.14.n.36
Qui culpabiliter non adimplet præceptum ſemper habet actum incompoſſibilem cum adimpletione, d.5.n.29
Quæ impotentia extrahat ab obligatione præcepti? n.87
Quæ præcepta urgeant in primo inſtanti uſus rationis? d.20.n.2. & ſeq. & n.17
An aliqui ab eorum adimpletione excuſentur? num. 18
An poſſint adimpleri viribus ſolius naturæ? n.23. & ſeq.
De facto nunquam adimplentur ſine gratia iuſtificante, n.37. & n.65. & 66

Præmotio efficax.

Poteſt coincidere in eadem entitate cum auxilio ſufficienti, d.5.n.37. & ſeq.
Cui negaretur præmotio ad omnem actum, non omitteret liberè, n.53. & ſeq.

Præſervatio.

Qui præſervaretur, tam à culpa originali, quam ab eius debito non eſſet redemptus, d.15.n.102
Præſervatio per emundationem paterni ſeminis nulli eſt à Deo conceſſa licet fuerit poſſibilis, num. 34
Non eſſet gratia facta perſonæ conceptæ, ſed parentibus, ibid.

Privatio.

Vnde habeat unitatem? d.6.n.18
Non poteſt eſſe volita per ſe primo, n.70
Cauſatur ad poſitionem fundamenti, n.78
Exigit influxum alicuius cauſæ phyſicæ, n.68
Alia eſt privatio phyſica, & alia moralis, d.6.n.7
Vtraque diffinitur, n.26
In privatione morali prius eſt quod ſit mala quam quod ſit moralis, n.72

Digitized by Google

Quæ dicatur privatio totalis, & quæ privatio in fieri? d.9.n.1. & n.13
An ſuſcipiant magis, & minus? n.2. & d.18.n.18
Privatio gratiæ habet rationem culpæ ſimul & pœnæ, d.16.n.129
Quæ ſit ejus cauſa? n.132. & 142
Quo pacto ſit contra legem? n.135. & 149
Conſtituit peccatum originale, n.122
Et etiam habituale perſonale, ibid. & quæſt.86. art.2. n.4. & ſeq.
De privationibus quas homo incurrit per peccatum originale, d.16.n.11. & n.122
Privatio exiſtens in peccato commiſſionis qualiter ſe habeat ad eius obiectum? d.6. n.67
Qualiter ad ipſum peccatum? n.124
Qualiter ad peccantem? q.71.art.1.n.2
Poteſt amplius, & amplius creſcere, d.9.n.15
Quod ſit eius ſubiectum, d.6.n.4. & 5
Cujus formæ ſit carentia? n.4. & 11
Cauſatur ab attingente eius fundamentum, n.78. & 79
Cur nequeat eſſe pœna? d.17.n.53
Privatio viſionis beatificæ quomodo fiat maior pœna ex multitudine vel incremento peccatorum? d.18.n.8

Providentia, ſeu Prudentia.

Eſt proxima regula moralitatis, d.6.n.27
Diſcrimen inter legem prudentiæ, & leges aliarum virtutum, ibid.
Eſt virtus intellectualis, d.7.n.1
Qualiter ſe habeat ad legem? ibid.
Quis ſit eius actus præcipuus? ibid.

R

RATIO.

NOn diſtinguitur niſi virtualiter ab intellectu, q.74.art.5
Quomodo appetitum dirigat? d.10.n.93
Poteſt ſeparare à paſſione, q.77.art.2
Qualiter tribuatur illi peccatum conſenſus? q.74. art.6
Ratio naturalis an poſſit prohibere peccatum contra motivum ſupernaturale? d.1.n.3
An prohibeat vitia oppoſita virtutibus infuſis? d.2.n.18
Quæ dicatur ratio ſuperior, & quæ inferior? q.74. art.7. & d.10.n.199
Vtriuſque obiecta, & munia, q.74.art.7.& 9.& 10
An ad rationem ſuperiorem ſpecialiter pertineat conſenſus in actum, & operis executio? q.74. art.7.n.9
An etiam conſenſus in aliquam delectationem? num.12
An illa poſſit eſſe peccatum veniale? q.74. art.9. & 10. n.4. & 5
An in ratione inferiori, ſuperiori non conſulta poſſit eſſe peccatum mortale? q.74.art.7

Reatus.

Quid ſignificet, d.15.n.46. & 17. n.1
Eſt habitudo inter peccatum, & pœnam, &c. ibid.
Reatus alius culpæ, & alius pœnæ, n.3. & 4. & 5
Alius demeriti, & alius iuſtitiæ, ibid. & n.6. & 9. & 10
A quo denominetur homo *reus pœnæ* dimiſſa culpâ? n.15. & ſeq. & q.87. art.6

Redemptio.

Quid proprie ſignificet? d.15.n.70
Spiritualis redemptionis materia non poteſt eſſe, niſi peccatum, vel eius debitum, d.15. fuſe toto dub.3
Beata Virgo Maria fuit vere, & proprie redempta, n.118
Num redempta fuiſſet, ſi nec debitum originalis culpæ incurriſſet? d.15. toto dub.4. & 6
Quis fuerit terminus à quo ſuæ redemptionis? d.15.n.120. Vide *Beata Maria. Angelus.*

Relatio.

Poteſt immediate efficere ſubſtantiam, d.18.n.53
Non poteſt eſſe per ſe debita debito morali, d.6. num. 20
Non exprimit bonitatem, aut malitiam, n.108

Remorſus conſcientiæ.

Quid ſit? d.10.n.175
An comitetur omnes, qui peccant? ibid.
An hæretici Pagani, & Iudæi habeant remorſum circa proprios errores? n.176

Reprobatio.

Alia eſt negativa, & alia poſitiva, d.11.n.44

Rectitudo rationis.

Debetur omni actui libero, d.6. n.1. & 2. & 3
Quæ rectitudo debeatur actibus otioſis? n.21
Quæ actibus bonis vel malis ex obiecto? n.22. & 23. & d.9. n.14. & 22
Nulli actui tot debentur rectitudines, vel tot rectitudinis gradus quin plures deberi poſſint? num. 14

S

SACRAMENTVM.

NOn poteſt confici ab homine ſui non compote, d.5. n.101
Quid ſi Miniſter ſit alio diſtractus? ibid.
Quam in eo advertentiam, & libertatem requirat? ibid.
Satisfactio. Vide *Pœna.*

Scientia.

Aliquando eſt debita ratione ſui, & aliquando ratione operationis, d.13.n.37
Quæ obiecta quiſque ſcire teneatur? n.11
Vide *Ignorantia.*

Scotus.

Cum ſua ſeraphyca familia commendatur ab ſtudio erga cauſam immunitatis Deiparæ, d.15. num. 108

Semen Adami.

Quem haberet vigorem in ſtatu originalis iuſtitiæ? d.14.n.69. & ſeq.
Qualiter eum per peccatum amiſerit? n.69
Eſt inſtrumentum ad transfundendam originalem culpam, & qualiter? n.71. & 72
Non elevatur ad id per aliquid poſitivum, n.107. & 108
Vide *Adamus*, & *Peccatum Adami.*

Senſus.

Eſt proprietas conſequuta ad gradum animalis, d.6. n.6
Senſus externi an ſint ſubiectum peccati? d.10. num.12
An interni participent aliquid ab intellectu? n.61
Non conſummatur in eis peccatum, n.11
An in ſenſu communi ſit aliquis habitus? n.10

Senſualitas.

Quot modis accipiatur, & quid ſit? q.74.art.4
In quo differat à concupiſcentia? d.16.n.99
An ſanari poſſit in hac vita? ibid.
An ſit ſubiectum peccati mortalis? d.10. n.10
An, & qualiter peccati venialis? n. 30. & 31. & n.83. & 84
Non operatur libere quoties reſiſtit voluntati, n.78. & 79
Non obedit deſpoticè ſed politice, n.94
Participat libertatem à voluntate, n.83. & 84
Non omnes eius motus ſunt liberi, n.109
Neque peccaminoſi adhuc venialiter, n.107
Vide *Motus.*

Servus.

Non poteſt cogi à Domino ut fidem recipiat, d.2. n.21
Cum peccat ex præcepto Domini, non eſt proprie inſtrumentum; ſed cauſa principalis, d.5. num.97

Spes.

An & quomodo ſit virtus amiſſa charitate? d. 1. n.24. & q.71. art.4

Status.

Diverſi ſtatus naturæ humanæ, & conditiones uniuſcujuſque, diſp.16.n.1. uſque ad 11. & n.60. & 61
Duplex ſtatus naturalis rationalis animæ, diſp.2. n.24. Vide *Innocentia.*

Studioſitas.

Quæ virtus, & quæ ejus munia? d.5.n.60
Quæ vitia illi opponantur? ibid.
Quis ſit actus ejus primarius? & quis ſecundarius? d.13.n.23

Superbia.

Quo pacto à Deo avertat? d.6. n.55
Quantum creſcat ejus malitia ex iſto capite? d.9. num.65
Quæ ſit prioritas ſui objecti ad quædam alia? d.16. dubio 6
Qualiter ſit initium omnis peccati? q.84.art.2
An ſit vitium capitale? art.3

Synderesis.

Habet vim ſuperioris, & regulæ in ratione practica, d.6.n.3
Quæ ſint ejus principia? n.2
Quod objectum? d.10.n.53
Eius actus habent rationem legis, d.7.n.8

T

TACTUS.

VNde judicandi honeſti, aut turpes, indifferentes, aut laſcivi, graves aut leves, aliaque id genus plura? d.10. n.162. & 168. uſque ad 173
Vbi etiam de oſculis, amplexibus, & ſimilibus.

Trajanus.

An fuerit ſuſcitatus precibus B.Gregorii, & unde extractus? d.17.n.61
De probabilitate huius hiſtoriæ, n.66

Tentatio.

Quid ſit? d.10.n.128
An eius ratio conveniat omnibus concupiſcentiæ motibus? ibid. & n.129
Tentatio carnis an poſſit eſſe abſque ulla culpa? n.130. & 131
Quo pacto valeat ſine repercuſſione vinci? numero 133. & 134

D. Thomas.

Quid ſenſerit circa præſervationem Beatæ Virginis à culpa originali? d.15.n.201
Nullibi tenet, quod ſit de fide non fuiſſe præſervatam, n.202
Prudentiſſime ea in cauſa ſe geſſit, n.207

Triſtitia.

De quibus obiectis liceat, vel non liceat triſtari? d.11.n.58. & 59
Diſparitas notanda inter triſtitiam, & delectationem, n.60
Triſtitia, quæ eſt paſſio appetitus poteſt habere rationem pœnæ, d.17. n.48
Secus, quæ eſt actus voluntatis, n.49

V

VERBA.

SI proferantur à ſui non compote non ſunt verba formaliter, d.5.n.92
Vnde habeant quod ſint bona vel mala obiective? ibid.
Quid de contumeliis, blaſphemis, & ſimilibus, quæ ab ebriis vel inſanis proferuntur? n. 93. & 94

Verecundia.

Cur deficiat à ratione virtutis? d.1.n.7

Virginitas.

Non eſt contra naturale præceptum propagationis humanæ, d.2.n.25
An poſſit quoad materialem integritatem ſine peccato amitti? d.5.n.81

Virtus.

In quo eius eſſentia conſiſtat? q.71. art.1. n.2. & 11
Quo ordine reſpiciat ſubiectum, & actum? ibid. & n.8
Importat duplicem bonitatem, ibid. & n.2
In eadem virtute poſſint diſtingui plures reſpectus ad Deum, d.7.n.20
Dignitas virtutis unde attendatur? d.8.n.51
Quomodo accipiendum, quod virtus tenet medium inter vitia extrema? d.1.n.9
Quid conſervent virtutes amiſſa gratia? n.24
Virtutibus acquiſitis quæ vitia directe opponantur? n.1. & 3. & n.31. & d.9. n.50. & 51

An

An aliquod vitium directe contrarietur virtutibus infuſis? d. 1. n. 15
An ſaltem indirecte? n. 34
Virtutes infuſæ non habent ex ſe terminum ſui augmenti, n. 17. & 18
Perficiunt hominem convenienter ad ſuam naturam, & ſunt iuxta illam, d. 2. n. 19
An virtutes poſſint eſſe cauſa ſuperbiæ? diſp. 15. num. 44
An ſint virtutes ſimpliciter, quæ ſolum opponuntur peccatis venialibus? d. 19. n 55
Perfectiores ſunt quæ opponuntur mortalibus, d. 9. n. 76

Vitium.

Eſt mala diſpoſitio naturæ rationalis, d 2. n. 1
Habet duplicem malitiam, q. 71. art. 1
Conſtituitur per aliquid poſitivum, d. 1. n. 4. & 5. & d. 6. n. 78
An & unde eius obiectum ſit difficile? d. 9. n. 72
Quid importet vitium ſub ſtatu vitii? d. 1. n. 24. & 25
Quid hoc addat ſupra entitatem vitii? n. 26
Qualiter per infuſionem gratiæ vitia retractentur? ibid.
Duplex genus vitiorum, n. 1
An opponantur donis Spiritus ſancti? n. 6
An omne vitium contrarietur alicui virtuti? n. 8. & n. 30. & 31
An unum pluribus virtutibus? n. 8
Nullum contrariatur directè virtutibus infuſis, num. 15
Neque habet idem formaliter ſubjectum, ibid.
Vitia quæ tendunt contra ſupernaturalia per quid deſtruantur? n. 30. & 32. & 33
Omnia vitia adverſantur naturæ rationali, idque ex multis capitibus, d. 2. n. 4. & ſeq. & n. 16
An etiam contrarientur naturæ ſenſitivæ? n. 27
Non ſunt vitia ſimpliciter, quæ ſolum inclinant ad peccata venialia, d. 1. n. 28

Volitio.

Alia eſt directa, alia indirecta, d. 6. n. 241
In quo differant? ibid. & d. 10. n. 246
Volitio peccandi vage, quod peccatum? d. 13. n. 73

Voluntas.

Ad quæ inclinetur naturaliter? d. 2. n. 11
Habet duplicem inclinationem; d. 17. n. 37
Nequit exerceri etiam per omiſſionem, niſi ex motione ſui objecti, d. 5. n. 15
Eſt una indiviſibilis potentia, ſecundum ſe totam activa, & vitalis, n. 20
Nequit cognito obiecto omnem actum ſuſpendere, n. 27
Voluntas eſt primum, & per ſe peccati ſubjectum, q. 74. art. 1
Qua via poſſit imperare, & impedire actus ſenſitivi appetitus? d. 10. n. 89
Qualiter ſe gerere debeat circa tales actus? numero 178
Quando teneatur ſub mortali poſitive illis reſiſtere? n. 180. & n. 193. & 197. & 200
Quid ſi poſt plenam advertentiam motus illiciti, non reprimat illum? n. 205
In ipſa voluntate dantur motus primo primi, numero 135
Qualiter voluntas creata, ut ſit recta debeat conformari divinæ? d. 11. n. 32

Voluntarium.

Quid addat ſupra volitum? d. 5. n. 18. & d. 10. n. 8
Sæpe accipitur pro libero, q. 74. art. 2
Quem exigat ordinem ad voluntatem? diſput. 14. num. 30
Aliud eſt voluntarium formaliter, & aliud terminative, ibid.
Quodnam ſit de ratione peccati? n. 31
Non ſufficit ad voluntarium cauſalitas moralis, num. 65

Vnitas.

Quomodo accipiendum, quod unum unitatum eſt contrarium? d. 1. n. 6
Vbi multa ſunt propter unum, non multa ſed unum reputantur, d. 5. n. 54

Vſus.

Eſt ultimus actus voluntatis in ordine exequutionis, d. 18. n. 57
Alius eſt activus, & alius paſſivus, ibid.

Vulnus.

Quæ vulnera incurrerit natura humana per peccatum? q. 85. art. 3

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

5-2

Digitized by Google